Digitized by Google

DOM. PROB.
PROV. CAMPANIAE
Travée | Rayon
52 | G

LIBRAIRIE
ECCLESIASTIQUE
de TOULOUSE & TARANNE
R. Cassette, PARIS

TH 39/7
16A

GUILIELMI ALVERNI
EPISCOPI PARISIENSIS,
SUPPLEMENTUM,

In quo continentur quatuor Tractatus hactenùs non editi.

SCILICET,

I. De Trinitate, Notionibus & Prædicamentis in divinis.
II. De Anima.
III. Supplementum Tractatus novi de Pœnitentia.
IV. Tractatus de Collatione & Singularitate Beneficiorum.

Ex Codice Manuſcripto inſignis Eccleſiæ Carnotenſis, curâ & ſtudio B. LE FERON, Doctoris ac Socii Sorbonici, & Baſilicæ Carnotenſis Canonici.

Digitized by Google

Ce volume contient le Tomus Secundus
et le Supplementum

Digitized by Google

GUILIELMI ALVERNI

EPISCOPI PARISIENSIS,

MATHEMATICI PERFECTISSIMI,

EXIMII PHILOSOPHI,

AC THEOLOGI PRÆSTANTISSIMI,

OPERA OMNIA,

Quæ hactenùs reperiri potuerunt, reconditiſſimam rerum humanarum, ac divinarum doctrinam abundè complectentia, ac proinde bonarum artium ac ſcientiarum ſtudioſis, maximè verò Theologis, ac divini verbi Concionatoribus apprimè neceſſaria.

Nunc demùm in hac noviſſima Editione ab innumeris errorum chiliadibus expurgata, inſtaurata, elucidata, atque Sermonibus & variis Tractatibus aucta ex M.SS.Codd. ut ex Præfationibus ad Lectorem apertiùs intelligetur.

TOMIS DUOBUS CONTENTA.

CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS RERUM NOTABILIUM.

TOMUS SECUNDUS,

In quo quæ continentur verſa pagina indicat.

DOMUS TERTIÆ PROB. IHS PROV. S.J.

ECOLE DE L'IMMACULEE CONCEPTION TOULOUSE

AURELIÆ, ex Typographia F. Hotot. *Etvaneunt*

PARISIIS,

Apud Dionysium Thierry, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Urbis Lutetiæ.

M. DC. LXXIV.

Livraria d'Alcobaça.

Digitized by Google

IN PRIMA PARTE TOMI SECUNDI HÆC HABENTUR.

Sermones in Epiſtolas & Evangelia Dominicarum & Feſtivarum qui deſunt in Editione Veneta.

IN SECUNDA PARTE SIVE SUPPLEMENTO.

Tractatus quatuor eximii nunc primùm ex M. S S. eruti.

I. *De Trinitate, Notionibus & Prædicamentis in divinis.* fol. 1

II. *De Anima.* 65

III. *Supplementum Tractatus novi de Pœnitentia.* 229

IV. *Tractatus de Collatione & ſingularitate Beneficiorum.* 248

Indices neceſſarii.

Digitized by Google

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Adventus Chriſti tres eſſe & totidem ad eos præparationes.

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. *Rom. 13.*

Adventus Chriſti triplex.

HOc tempus dicitur tempus Adventuum, quia cantus Eccleſiæ ſunt de adventibus Chriſti. Triplex autem eſt adventus Chriſti: Scilicet adventus in carnem, adventus in mentem, & adventus ad judicium. Primus jam peractus hoc tempore recolitur anniverſaria memoria in Eccleſia Dei. Secundus fit quando Dominus venit ad peccatorem ut ei peccata remittat, & quando venit ad juſtum ut ei gratiam augeat, & conſoletur eum. Tertius adventus eſt ad judicium, vel ad particulare judicium in morte uniuſcujuſque, vel ad univerſale judicium. Et ſicut cantus Eccleſiæ circa hos tres adventus verſatur tempore iſto, ſic corda fidelium circa eoſdem verſari debent: ideò Eccleſia in verbo propoſito fideles excitat à ſomno pigritiæ, ut Chriſto occurrant quantùm ad hos tres adventus.

I. Præparatio ad primum Adventum. in carnem.

Quantùm ad Primum Adventum occurrit Chriſto qui beneficium Incarnationis recolit eo modo quo debet. Modus autem recolendi in quatuor conſiſtit.

Gaudium, & gratiarũ actio,

Primò in hoc quod de tanto beneficio gaudeamus, & Deo gratias agamus, quod pauci hodie faciunt. Bernard. Ardore deſiderii patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſime cogitans compungor & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lachrymas, & ita pudet temporis torporiſque miſerabilium temporum horum. Cui namque noſtrûm tantum ingerat gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium ſola promiſſio?

Humilitas.

Philipp. 2.

Secundò in hoc ut humilitatem ejus imitari deſideremus. Ad hoc enim exinanivit ſe formam ſervi accipiens, ut exemplo ejus humiliemur. Auguſt. Medicina tumoris hominis eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Bernard. loquens de illo verbo Iſa. 9. *Parvulus natus eſt nobis*: Studeamus effici ſicut ille parvulus, diſcamus ab eo quia mitis eſt, & humilis corde, ne magnus videlicet Deus ſine cauſa factus ſit homo parvulus. Idem. Intolerabilis impudicitiæ eſt, ut ubi ſe exinanivit majeſtas, infletur vermiculus & tumeſcat.

Charitas.

Tertiò in hoc ut eum factum parvulum pro nobis ardenti dilectione amplectamur ſecundum Bernard. Magnus Dominus & laudabilis nimis factus eſt parvulus dominus & amabilis nimis.

Spes.

Quartò verò in hoc ut attendentes immenſitatem miſericordiæ ejus in eo ſperemus: ſicut enim conſideratio ultimi adventus generat timorem, ſic conſideratio primi adventus generat ſpem. Auguſt. Dubitas quod dabit tibi bona ſua, qui dignatus eſt ſuſcipere mala tua?

II. Præparatio ad ſecundũ Adventum in mentem.

Quantum ad ſecundum Adventum, occurrimus Chriſto per diligentem præparationem. Circa quod notandum quod fides Eccleſiæ eſt, quod ſicuti Chriſtus venit in mundum in Natali corporaliter, ſic in feſto iſto venturus eſt ſpiritualiter: quo- ad illos qui fuerint debito modo præparati. Modus autem Præparandi in Pſal. 88. innuitur, ubi dicitur: *Miſericordia & veritas præcedant faciem tuam.*

Miſericordia.

Triplex autem eſt *Miſericordia*: Scilicet in dando, dimittendo & mutuando. De miſericordia mutui notandum quod multum commendabilis eſt eleemoſyna mutui. Viceſies poteſt dari, & tamen remanebit danti. Quando enim aliquis per annum unum commodat alicui 20 ſolidos, quaſi datum reputat. Quod cum 20. annis fecerit, adhuc ſuos 20. ſolidos habebit. Præterea magnas uſuras recipiet á Deo. Auguſt. Quid fœneraris hujuſmodi miſer homo? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis.

Veritas.

Triplex item eſt *veritas*: veritas contritionis, veritas confeſſionis, veritas ſatisfactionis. Si vis ergo quod Chriſtus tecum ſit in Natali, verè munda te per contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, & miſericordiæ operibus inſtes.

Huic præparationi contrariantur vanitas & crudelitas.

Sed econtrario ſunt multi qui præparant ei *vanitatem & crudelitatem*: qui ſcilicet cum magnis expenſis præparant vanitatem veſtium, & inſtant vanitati ludorum, qui non crederent ſe debito modo facere feſtum Natalis, niſi in die illa, qua Dominus primo flevit pro eis, luderent cum taxillis. *Crudelitatem* præparant illi qui circa Natalem exactiones faciunt, & debita ſua repetunt, ut ultra ſortem aliquid extorqueant. Tales videntur Deum velle fugare, qui veritas eſt & miſericordia: vanitas enim contraria eſt veritati, & fugat eam, ſimiliter crudelitas miſericordiam. Tales videntur velle obſtruere Deo univerſas vias, ne ad eos veniat; univerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas.

Pſal. 24.

Duę inordinationes circa feſtũ Nativitatis.

Attende etiam *inordinationem* eorum qui præparant ſe ante feſtum Reſurrectionis, & non ante feſtum Nativitatis. Quid enim minus debetur Nativitati quàm Reſurrectioni, cum ejuſdem perſonæ ſit utraque ſolennitas? *Item* attende ſtultitiam eorum qui ſua præparant ante ſolennitatem iſtam & ſe imparatos relinquunt, cùm pannos & mappas abluant, & ipſi in ſuis immunditiis remaneant. Auguſt. Cum iniquis omnia ſunt pulchra, ipſi ſunt turpes. Tales attendunt adventum Chriſti, qui nunc expectatur,

Digitized by Google

ſpiritualem non eſſe, & ſpiritualem non requirere præparationem, ſed carnalem. Tales viliores ſe habent rebus ſuis.

Quantum ad Tertium Adventum occurrit aliquis Chriſto, ſi frequenter habet memoriam mortis ſuæ, & diſtricti judicii. Hic nota quod ſicut ille qui vult regere navem, ponit ſe in ultima parte navis, ſic qui bene vult dirigere vitam ſuam, debet ſe ponere in fine vitæ per *mortis memoriam.* Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ideo Platonis ſententia eſt, omnium ſapientum vitam meditationem eſſe mortis: Sapiens. Summa Philoſophia eſt aſſidua meditatio mortis. Et nota quod mors valde bene oſtendit ſapientiam hujus mundi ſtultitiam eſſe. Sapientia enim hujus mundi in *tribus* conſiſtit: in congregatione divitiarum, in acquiſitione honorum, & in procuratione deliciarum. Contra quæ fiunt tria in morte hominis. Nudus enim ingreditur terram, ſicut nudus eſt egreſſus de utero matris, ſolum ſudarium ſecum defert, ſub terra ponitur, & à vermibus comeditur. Primum oſtendit fatuitatem fuiſſe in laborando pro congregatione divitiarum. Secundum oſtendit fatuitatem fuiſſe in laborando quod ſuper alios eſſe voluit, quando ipſe ſub terra ponitur, & homines & jumenta vadunt ſuper eum. Tertium verò oſtendit fatuitatem in laborando, quando carni ſuæ voluit delitias dare, cum caro ſua cibus vermium efficitur. *Memoria* etiam diſtricti *judicii* valde neceſſaria eſt. Hieron. Sive comedo, ſive bibo, ſive aliquid aliud facio, ſemper inſonare videtur auribus meis illa terribilis tuba: Surgite mortui, venite ad judicium. Job. 31. *Quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit quid reſpondebo illi?* De Antichriſto verò dicitur in Pſal. 9. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Et ſubditur cauſa: *Auferentur judicia tua à facie ejus.*

III. Præparatio ad tertium Adventum ad iudiciú.

Oſtendit ſtultitiam Mundi triplicem.

Memoria Iudicii.

DE EADEM DOMINICA. SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Peccatorem dormienti in quatuor eſſe ſimilem. Citò à peccato ſurgendum eſſe ob quatuor incommoda.

SERMO II.

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. *Rom.* 13.

SEcundum quod exponitur de ſomno culpæ & circa hoc verbum tria ſunt attendenda. Primò cur peccator dormienti comparetur. Secundò cur ſine dilatione à peccato ſurgendum ſit. Tertiò tangendum eſt aliquid de diverſis ſpeciebus peccatorum à quibus ſurgendum eſt.

De tribus agendum.

Circa primum notandum eſt quod peccator comparatur dormienti quadruplici ratione. Primo quia ſomnus eſt quædam imago mortis, & homo dormiens eſt quaſi imago hominis mortui, ſi non deberet excitari, idem eſſet ac ſi eſſet mortuus. Bernard. Quantum ad debitum continui profectus nihil adeo deperit de vita noſtra, quam quod ſomno deputatur. Sic peccatum quædam mors eſt, & peccator quaſi mortuus eſt: imo niſi eſſet propter ſpem ſuſcitationis ſpiritualis, melius eſſet ei quod eſſet mortuus. Imo bonum eſſet quod nunquam natus fuiſſet. Bernard. Vita ſine fructu eſt gravior mors. Cum denique duo parantur arbori infructuoſæ, ſecuris & ignis, deterioris conditionis eſt peccator quam canis, quantum ad hoc quod poſt mortem temporalem debitor eſt æternæ mortis, cum canis mortem tantummodo temporalem debeat. Secundo propter hoc quod dormiens credit ſe contrectare poma aurea & lapides pretioſos propter ſola phantaſmata quæ habet apud ſe. Credit etiam ſe veris deliciis uti propter phantaſmata deliciarum. Sic peccatores in hoc mundo credunt ſe habere veras divitias & delicias, cum ſolam umbram horum habeant, veræ enim divitiæ & delitiæ à futuris diſtant quantum phantaſmata pomorum aureorum à pomis in veritate aureis. Job. 20. *Tranſiet ſicut ſi viſio nocturna.* & 27. *dives cum dormierit nihil ſecum auferet.* Tertio in hoc quod dormientibus videntur illa eſſe pericula, quæ in veritate non ſunt pericula, & ea timent; illa autem pericula, quæ vera ſunt, nec vident nec timent, ſi aliquis latro ſit juxta dormientem qui velit eum ſpoliare vel jugulare, ipſe nec videt nec timet. Sic peccatores umbras timent, ſed pericula vera non timent. Mortem corporis tranſitoriam timent, mortem verò culpæ & gehennæ non timent. Auguſt. Vera mors eſt quam homines non timent, ſeparatio animæ à Deo, qui eſt beata vita animarum. Item paupertatem hujus mundi timent, non paupertatem inferni. Ubi locus non erit mutuandi, nec locus mendicandi, aut labore aliquid acquirendi, non timent. Ubi una gutta aquæ haberi non poterit, ibi præ defectu bonorum mors deſiderabitur. Pſal. 13. *Ibi trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Quartò propter hoc quod dormiens dum dormit errorem ſuum non intelligit. Sic peccatores dum in peccato ſunt deceptionem ſuam non intelligunt, nec poteſt eis perſuaderi magnitudo erroris ſui. Scilicet quando ignis infernalis eos excitaverit, tunc intelligent ſe eſſe deceptos. Unde Sapient. 5. dicunt qui ſunt in inferno: *Tranſierunt omnia ſicut umbra.* Seneca. Somnia narrare vigilantis eſt. Pſalm. 85. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

I. Peccator comparatur dormienti.

Quod uterque ſimilis eſt mortuo.

Quia uterque laborat phantaſmatis.

Quia ambo vera, ſed falſa pericula timent.

Quia neuter deceptionem ſuã intelligit.

Circa ſecundum notandum eſt quod ſine dilatione ſurgendum à peccato quatruplici ratione. Primò ne ab igne peccati conſumamur. Ignis enim conſumit omnia bona exteriora, ſic ignis peccati devaſtat omnia bona interiora. Job. 31. *Ignis uſque ad perditionem devorans.* Unde ſicut ignis ſine mora à ſinu excutitur, ſic peccatum ſine mora abjiciendum eſt, quod peccatum ignis eſt conſumens omnia bona & quaſi inutilia reddens, quantum ad meritum vitæ æternæ. Unde Gregor. Sicuti ignis ſine mora abjiciendum eſt. Bernard. Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto jam latere nudatis viſceribus, jam ſanie defluente adhuc conſulendum eſt an excutiam illum? Secundò ſurgendum eſt à peccato ſine mora propter immunditiam peccati. Peccator immundior eſt quam ſit aliquod lutum. Unde ſicut homo ſine mora aſinum ſuum vel proximi de luto extrahit, ſic & ſeipſum ſine mora debet extrahere; niſi fortè aſinum chariorem habeat quam ſeipſum. Exod. 23. *Si videris aſinum odientis te ſub onere jacere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Et Matth. 12. *Quis ex vobis eſt qui habeat unam ovem, & ſi ceciderit ſabbatho in foveam, nonne tenebit & ſublevabit eam? & quanto melior eſt homo ove?* Tertiò propter cruciatum & dolorem quem homo in corde ſuſtinet, dum eſt in peccato. Jacet enim ſuper lectum doloris, ſuper ſpinas vitiorum, unde pungitur & cruciatur. Mat. 7. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Vermis enim conſcientiæ mordet eos, quando intrat conſcientiam, & iniquitates eorum ſicut onus grave gravantur ſuper eos, ut non quieſcant in conſcientiis ſuis. Et ſicut mulier exhorreſceret, ſi videret ſe peperiſſe bufonem vel ſerpentem, ſic anima naturaliter horreſcit quando videt ſe vel homicidium, vel incendium, vel aliud flagitium perpetraſſe. Hoc experiuntur in ſemetipſis homicidæ & alii crimi noſi, qui in magna miſeria ſunt donec pœnitentiam ſuſceperint, & tunc quaſi ſenſibiliter percipiunt ſe à magno onere exoneratos eſſe

II. A peccato cito ſurgẽdum eſt.

Quia ſicut ignis conſumit omnia bona.

Quia eſt immundũ.

Pſal. 17.

Digitized by Google

eſſe. Ideo Veritas dicit. Mat. 11. *Venite ad me qui laboratis*, &c. Vere miſerabilis eſt negligentia eorum qui potius volunt eſſe in lecto doloris, & in grabato Diaboli affligi, quam cum Deo in lecto florido quieſcere. *De lecto diaboli* nota quod durior eſt lectus peccatoris ad caput quam in alia parte, cum lecti pauperum aliquid molle ad caput ſoleant habere. Ratio enim cruciatur ibi, cum ſenſualitas aliquantulum delectetur. Et ut breviter jam dicam, habet peccator infernum ſuum quaſi tenebras cœcitatis, vermem remorſionis, ignem infernalem, ſcilicet ignem cupiditatis. Quarto ſine mora ſurgendum eſt à peccato propter periculum quod peccatori imminet. Eſt enim peccator ſimilis illi qui cecidit in mare, qui neſcit horam quando debeat deſcendere in profundum quaſi lapis. Ideoque inſanus eſt ſi tabulam pœnitentiæ ſibi oblatam differt ſuſcipere, neſcit enim horam mortis ſuæ. Si autem in peccato decedat, in puncto ad inferna deſcendet.

Quia periculum imminet peccatori.

III. De diverſis verò ſpeciebus peccatorum à quibus ſurgendum eſt, require in tractatu de vitiis ſecundum diverſitatem illorum quibus prædicabis.

Tractatum alibi.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Præparari nos ad diem Natalis Domini, peccata abjiciendo, & opera bona præſtando.

SERMO III. Dies appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum. Induamur arma lucis, *&c. Rom.* 13.

I. Dies ille ſpecialiter poteſt intelligi dies Nativitatis Domini. Nunc diem fecit verus Sol naſcens in mundo iſto, ſicut diem communem facit ſol viſibilis, dum oritur ſuper terram. Et habet fides Eccleſiæ quod Chriſtus ſpiritualiter venturus ſit in hac ſolennitate ad eos qui fuerint præparati. Ergo monet Eccleſia fideles ad præparandum ſe. Præparatio autem in *duobus* conſiſtit: ſcilicet in hoc quod peccata abjiciantur, & bona opera abundantius fiant, unde dicit: *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Et nota quod magis debemus conari ad ſervandam humanam naturam mundam à peccato poſt Incarnationem, quam ante Incarnationem. Ante Incarnationem Filii Dei erat una cauſa quare munda ſervanda erat humana natura, ſcilicet dignitas ipſius, quia imago Dei eſt, inquantum Deus. Unde ſi imago Chriſti, inquantum homo, vel imago beatæ Virginis ita mundè ſervatur, valde mundè ſervanda eſt à peccato imago Dei. Iſta cauſa innuitur. Eccleſiaſtici 10. *Fili in manſuetudine ſerva animam tuam, & da ei honorem ſecundum meritum ſuum*: id eſt, ſecundum dignitatem ſuam. Modò verò ſunt aliæ duæ cauſæ: Una eſt, quia eſt conjuncta in una perſona deitati, & quaſi inſeparabiliter. Unde ſi cruci tantum defertur quia corpori Chriſti ad tempus conjuncta fuit, multum deferendum eſt humanæ naturæ. Alia cauſa eſt, quia munditia humanæ naturæ ſanguine Chriſti comparata eſt. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos de peccatis in ſanguine ſuo* Multum ſervanda eſt munditia illa, quam Chriſtus ita carè emit

Dies Natalis Chriſti hic intelligendus eſt.

Præparatio duplex ad hanc diem.

Humana natura cur ſit ſervanda munda poſt, quam ante Incarnationem Filii Dei.

II. Nota, quod *opera tenebrarum* peccata dicuntur triplici ratione. Primo quia non perpetrantur niſi ab his qui ſunt in tenebris & cœcitate mentis. Si ſciret perfectè aliquis quid facit, quando peccat mortaliter, potius permitteret ſe corporaliter occidi. Ipſe enim ligat ſe, & ligatum tradit diabolo. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Ipſe colligat retortam, qua in inferno ſuſpendatur. Hæc retorta peccatum eſt, ſine qua nullus ibi ſuſpenditur. Tunc ad locum ſuſpendii vadunt, quando in peccato mortali morantur. Unde mirabilis eſt cœcitas eorum, qui retortam iſtam regno cœlorum præponunt. Nolunt peccata ſua relinquere pro regno æterno, quod eis promittitur. Si peccata ſua deſerunt, retortam iſtam quaſi à collo peccatoris ſacerdos removet, cùm à peccato abſolvit. Ideo libenter ad confeſſionem veniendum eſſet, & ſine dilatione. Tunc peccator poteſt dicere Domino: *Dirupiſti, Domine, vincula mea*, &c. Secundo dicuntur peccata *opera tenebrarum*, quia tenebras quærunt. Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem.* Triplici verò ratione ſolet aliqua creatura quærere tenebras. Primò propter debilitatem viſus, ſicut noctua, quia viſum habet debilem, lumen diei ſuſtinere non poteſt, ſed lumen noctis bene ſuſtinet. Sic peccator, quia viſum cordis debilem habet, lumen divinæ ſapientiæ, quod magnum eſt, & quod oſtendit ei quomodo poſſit magna lucrari, ſcilicet regnum Dei æternum, ſuſcipere non poteſt. Sed lumen ſapientiæ mundanæ quod parvum eſt, quod docet eum quomodo pecunias & obulos lucretur, bene ſuſtinet. Secundo tenebras quærit aliqua creatura, quia aliquid erubeſcibile habet. Hac de cauſa peccator tenebras quærit, nihil enim erubeſcibilius peccato. Etiã nuditas corporis non eſt ita erubeſcibilis, ſicut patet ex hoc, quia nuditas corporis propter peccatum erubeſcibilis eſt, nam parentes noſtri ante peccatum nudi erant, & non erubeſcebant. Cum igitur illud propter quod unumquodque eſt tale, magis ſit tale, peccatum magis eſt erubeſcibile quam nuditas corporis. Tamen hodie homines ad tantam corruptionem devenerunt ut non erubeſcant peccare, ſed potius bene agere. Tertio tenebras quærit aliqua creatura, quia eſt exoſa. Ideo bubo avis noctis tenebras quærit, aves enim lucis eam odiunt. Similiter lupi & ſerpentes, & latrones hac de cauſa ſe abſcondunt. Sed ſuper omnia peccatum exoſum eſt. Summè enim diſplicet Deo, & ſummè nocet homini, ſicut in tractatu de vitiis oſtenſum eſt à principio. Nihil enim eſt in univerſitate creaturarum quod non placeret Deo, & eſſet utile homini, ſi peccatum non eſſet: hoc ſolum eſt quod animam deturpat; hoc ſolum eſt in mundo iſto de operibus Diaboli. Omnia enim animalia ſunt creaturæ Dei, peccatum totius miſeriæ pœnalis, quæ in mundo eſt, cauſa fuit. Peccatum non ſolum nocuit homini, ſed etiam aliis creaturis. Terra enim quæ fructus bonos per ſe ferebat, per peccatum ita deteriorata eſt, quod modo exculta ſpinas & tribulos germinat. Sol etiam & Luna multum amiſerunt de claritate ſua propter peccatum. Ideo contra peccatores pugnabunt creaturæ, in futuro. Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Solebat primitus peccatum adeo exoſum eſſe, quod ſi quis peccabat manifeſtè, omnes clamabant ſuper eum quaſi viſo lupo, ſed modo non clamatur contra lupos, ſed contra agnos & oves, quia homines lupi facti ſunt & ideo lupos non odiunt. Jam bubones ſecurius poſſunt ire de die, quam aves lucis: boni enim deridentur, mali non. Tertiò dicuntur peccata *opera tenebrarum*, quia ducunt ad tenebras æternas, & merito; peccator enim tenebras luci prælegit, & ideo ad tenebras ibit. Joan. 3. *Hoc eſt judicium, quia lux venit in mundum*, &c. Eccleſiaſtici 15. *Ante hominem bonum & malum, vita & mors, quod placuerit ei dabitur illi.* Si non poſſent peccata abjici aliter, abjicienda eſſent cum abjectione manus, vel alterius membri. Matth. 18. *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice abs te*, &c. uſque in ignem æternum. Duplici ratione peccata abjicienda ſunt. Primò quia inutilis eſt eorum abſconſio. Prov. 28. *Qui ab-*

Peccata dicuntur opera tenebr. Quia peccatores ſunt in tenebris & cœcitate mẽtis. Peccatum eſt laqueus, quo peccator ſuſpenditur, ſed in confeſſione abſolvitur. Confitendum libenter & ſine mora.

Pſal. 115. Quia tenebras quærit peccator.

Ob viſus debilitatẽ.

Ob erubeſcentiam.

Geneſ. 2.

Quia exoſũ eſt peccatum, & diſplicet Deo, nocet homini.

Geneſ. 3.

Olim mali erant exoſi nunc boni

Quia ducũt ad tenebras æternas. Cur jure eò deveniat peccator.

ſcondit ſcelera ſuâ non dirigetur. Luc. 12. *Nihil eſt opertum quod non reveletur*, ut Veritas ait. Secundò quia ſi non abjiciuntur fiunt inſeparabilia, ita enim adhærebunt homini poſt mortem, ſicut adhærent Diabolo. Nihil autem ad judicium adduci poteris quod magis judicem offendat, vel adducto magis adverſetur. Sap. 4. *Traducent eos ex adverſo iniquitates eorum*, ergo erunt à dextris peccata accuſantia, &c

Quia poſt mortem fiunt inſeparabilia.

III. Opera bona debemus facere.

Sequitur, *& induamur arma lucis.* Nota quod multum debemus conari ad bona opera. Eccleſiaſtæ 9. *Quodcunque poteſt manus tua facere*, &c. & hoc quadruplici ratione. Primò quod bona opera operiunt multitudinem peccatorum. Sine bono opere homo nudus eſt. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Secundo quia bona opera defendunt hominem tam in præſenti, quam in futuro, ſicut dicitur de eleemoſyna, quæ excellit inter bona opera. Eccleſiaſtici 29. *Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit.* Et Tob. 4. *Eleemoſyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Tertiò ornat hominem. Pſal. 44. *Aſtitit regina*, &c. Veſtitus deauratus eſt opera ex charitate facta, veſtitus vero luto circundatus eſt opera terrena intentione facta. Varietate circundatus eſt ornatus iſte, quando homo abundat in diverſis generibus bonorum operum. Ille ornatus quærendus eſt, non ornatus corporalis, qui tunc deſerit hominem quando magis neceſſarius eſt, quando ſcilicet homo vadit ad magnam curiam. Quartò verò propter hoc quia bona opera nobis exhibent fidelem ſocietatem, ipſa enim non deſerunt nos quando alii amici nos deſerunt. Unde Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Hic eſt theſaurus ille quem homo ſecum defert. Eccleſiaſtici 29. *Pone theſaurum tuum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi magis quam aurum.* Sapientes hujus mundi ſimiles ſunt columbæ, quæ nidificat ubi ſolet pullos ſuos amittere, ſic ipſi theſaurizant in mundo iſto, ubi anteceſſores ſui theſaurum amiſerunt. Oſeæ 7. *Ephraim factus eſt quaſi columba ſeducta non habens cor*, id eſt ſenſum. Matth. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c.*

Quia operit peccata. Quia defendunt nos. Quia ornant nos. Quia non deſerunt ut cætera in Mundo.

Hic ergo quatuor notantur in verbo propoſito. Primum ſcilicet quod bona opera operiant multa peccatorum, cum dicitur: *Induamur.* Secundum quod defendant, cum dicitur: *Arma.* Tertium ornant, cum dicitur: *Lucis.* Quartum quod fidelem ſocietatem exhibeant, cum dicitur: *ſicut in die honeſtè ambulemus.*

Dies Domini duplex.

Hoc intelligitur de illo die magno, quando omnia occulta apparebunt, qui ſcilicet dies clarus erit. Quem diem ſemiplenum fecit ſol juſtitiæ in mundo iſto, quando doctrina & exemplis ſuis mundum illuminavit latens ſub nube mortalitatis noſtræ. Sed in futuro plenum diem faciet, & tunc bona opera nobis valebunt ad hoc quod honeſte ambulemus. Nota quod honeſtas eſt honoris ſtatus, in quo ſtatu ille ſolus eſt, qui eſt in ſtatu vel gratiæ, vel gloriæ. Non eſt in ſtatu honoris, qui quandoque fuit filius Dei, ſed modo eſt ſervus Diaboli, vel peccati.

Honeſtas quid & honeſtus quis

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

De quatuor libris ex quibus variæ virtutes addiſcendæ.

SERMO IV.

Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Rom.* 15.

Libri quatuor.

NOta quatuor Libros ſcriptos eſſe ad eruditionem noſtram, ſcilicet *Librum gloriæ, Librum gratiæ, Librum creaturarum, Librum ſcripturarum.*

I. Liber Gloriæ qualis.

In primo Libro legunt Angeli & Sancti qui cum Deo ſunt. Sola apertio Libri hominé beatum facit. Unica viſio ipſum hominem reddit ſcientem. Liber iſte doctor eſt ſui ipſius Auguſtinus. Habemus unum doctorem in cœlis, quem ſemel vidiſſe, totum didiciſſe eſt. De hoc libro legitur. Lucæ 10. *In hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur, gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

II. Liber gratiæ qualis.

Liber Gratiæ eſt liber Crucifixi. De hoc libro legitur. Iſaiæ 8. *Sume tibi librum grandem & ſcribe in ſtylo hominis.* Liber grandis erat Filius Dei ante Incarnationem ſcriptus ſtilo Angeli, Angelis ſcilicet legibilis. Sed ſtilo hominis ſcriptus eſt, cum incarnatus eſt; factus eſt enim hominibus legibilis. Tunc etiam liber grandis factus verbum abbreviatum juxta illud Rom. 9. Iſai. 10. *Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram*, de hoc libro legitur 1. Corinth. 2. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* & Job. 31. *Quis mihi tribuat auditorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe qui judicat, ut in humero meo portem illum.* Et beatus eſt qui in hoc libro ſtudet. Bernardus. Beatus eſt, Domine Ieſu, qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans pro viribus ſuis ſe præbet imitatorem tui. In hoc libro quatuor ſpecialiter legere debemus. *Humilitatem, manſuetudinem, charitatem & veritatem.* De duobus habetur Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* De tertio Joannis 13. *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ibid. *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem.* De quarto Joan. 18. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati.* Et iterùm Joan. 8. *Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Circa primum vero attendendi ſunt *tres gradus* Humilitatis quos Chriſtus docuit: Scilicet ſubdere ſe majori, pari & minori. Hoc nos Chriſtus docuit in Baptiſmo quando humilians ſe Joanni dixit Matth. 3. Sine modo ſic decet nos implere omnem juſtitiam, id eſt omnem humilitatem. Et attende quod dixit Dominus, *nos*, non *me*; inſinuans ſe non loqui de ſe, ſed de iis qui ſunt in loco ſuperiori, quibus neceſſe eſt in omnibus, exemplum humilitatis dare. Eccleſiaſtici 3. *Quanto magnus es humilia te in omnibus & coram Deo invenies gratiam.* Cum dixit in omnibus, nihil excepit. Et in veſtibus & in equitaturis & in aliis exemplum humilitatis debet dare qui præeſt. Perfectionem etiam Humilitatis oſtendit Chriſtus in pedum ablutione. Unde Petrus quaſi abhorrens dixit ei, Joann. 13. *Domine, tu mihi lavas pedes!* quaſi nimiam humilitatem reputans, quia Dominus ſe inferioribus ſubderet. Similiter circa Manſuetudinem attendendi ſunt tres *gradus*. Primus eſt circa humilitatem verborum. Secundus circa rapinas rerum. Tertius circa injurias corporum. Ad convicia Chriſtus fuit manſuetus tunc, cum ei diceretur. Joann. 8. *Nonne benedicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ex Manſuetudine reſpondit: ibid. *Ego dæmonium non habeo.* 1. Petri 2. *Qui cum malediceretur, non maledicebat* &c. De rapina rerum habes Joan. 19. *Acceperunt veſtimenta ejus & fecerunt quatuor partes*, &c. De injuria corporali habes, Iſai. 53. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Jerem. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.* Ipſe autem non ſolum malum pro malo non reddebat, ſed etiam perſequentibus beneficus erat, unde Lucæ 2. Servo

Quatuor virtutes hoc libro continentur, nobis legendæ.

Humilitas triplex. Chriſtus eam exemplo ſuo docuit.

Manſuetudo triplex etiam à Chriſto docta.

Principis Sacerdotum auriculam reſtituit. & Lucæ 23. pro crucifixoribus oravit, dicens. *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.* Similiter Charitas *tres* habet *gradus*, ut ſcilicet diligamus debito modo quod ſupra nos eſt, quod juxta nos eſt; quod infra nos eſt. Deus qui ſupra nos eſt ſuper omnia diligendus eſt. Proximum vero, qui juxta nos eſt, debemus diligere ſicut nos; ſcilicet minus quam Deum, & plus quam temporalia. Temporalia quæ infra nos ſunt contemnenda ſunt, unde terra pedibus conculcatur. De hoc ordine dicitur Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem.* Veritas ſimiliter *triplex* debet eſſe in nobis: *Veritas cordis, oris & operis.* Sunt qui veritatem habent in corde, ſed non audent eam proferre ore, propter erubeſcentiam, vel propter timorem, eo quod obſequium amicos, veritas odium parit juxta verbum Sapientis. Sic accidit in aliquibus judicibus Proverb. 28: *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit.* Ille & pro buccella panis deſerit veritatem. Ideo *veritas corruit in platea*, juxta verbum Iſai. 59. Non habet teſtes qui eam tueantur. Non ſufficit autem in corde veritas, niſi etiam ſit in ore, unde Roman. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*, &c. Item ſunt alii qui habent veritatem in ore & non in corde, ut Hypocritæ, qui bene docent, ſed interius malitiam habent, qui maledicti ſunt. Eccleſiaſtici 2. *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis.* Labia ſceleſta ſunt labia excommunicata, quæ à corde ſeparantur, quando aliud ſonat in ore, quam ſit in corde. Contra quos dicitur in Matth. 5. *Sit ſermo veſter eſt, eſt; non, non*, ut ſcilicet ſicut eſt in corde; ſic proferatur in ore. Sunt etiam qui veritatem non habent in opere, ut Clerici & Religioſi, qui habitu vel ornatu ſuo mentiuntur, non habent enim in opere, quod in habitu eorum, vel ornatu figuratur.

Charitas triplex.

Veritas triplex.

III. Liber Creaturarum qualis. Philoſophi non intellexerunt eum.

Liber vero Creaturarum eſt Mundus iſte, de quo legitur Iſai. 29. *Erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati.* Signatus fuit liber ille diu, ut etiam ipſi Philoſophi pueriliter ſe habuerint circa librum iſtum, pulchritudinem litterarum libri admirantes & non attendentes quid eis liber ille loqueretur. Sicut pueri admirari ſolent in libris litteras aureas. Quod Mundus liber ſit patet etiam ex hoc, quod legitur Eccleſiaſtici 1: quod *Deus effudit ſapientiam ſuam ſuper omnia opera ſua.* Non eſt aliqua creatura Dei in qua Dei ſapientia inveniri non poſſit, etiam in formica, Proverb. 6. *Vade piger ad formicam*, &c. Et Ariſtoteles, interrogatus à quo tot & tanta didiciſſet, reſpondit à rebus, quæ mentiri non noverunt. Valet autem liber ille ad duo, ad cognitionem Dei, & ad cognitionem noſtri, juxta illud Auguſt. Noverim te, noverim me. Notandum quod liber ille loquitur nobis unitatem eſſentiæ divinæ ſua unitate: hoc enim quod mundus unus eſt, unicum principium eſſe oſtendit: unde Ambroſius. Accedat quæcunque vis creatura, & faciat tale cœlum & talé terram, & dicam quod Deus eſt. Si duo domini eſſent in mundo iſto, jam mundus deſtructus eſſet, *quia omne regnum contra ſe diviſum non ſtabit.* Matth. 12. Loquitur etiam nobis liber ille trinitatem perſonarum. Materia enim creaturarum loquitur nobis patrem, forma filium, qui eſt imago patris, conjunctio verò formæ cum materia, & naturalis amor qui ibi eſt, ſpiritum ſanctum, qui eſt amor & nexus amborum. Itẽ liber ille loquitur nobis ea quæ ſunt appropriata tribus perſonis. Magnitudine loquitur nobis potentiã, quæ patri appropriatur; pulchritudine ſapientiã, quæ filio; utilitate creaturarũ bonitatẽ, quæ ſpiritui ſancto. Itẽ magnitudine loquitur nobis mũdus Dei immẽſitatẽ, cauſa enim excedit effectũ; delectabilitate pulchritudinis, vel ſuavitatis, vel quacũque alia delectabilitate loquitur nobis dulcedinem, quæ in Deo eſt; perpetuitate verò loquitur Dei æternitatem, effectus enim inferior eſt quam cauſa ſit. Propter hæc & ſimilia dicuntur creaturæ, Dei veſtigia. Job 11. dicitur, *Forſitan veſtigia Dei comprehendes?* & Auguſtinus dicit: Nutus tui Domine ſunt omne creaturarum decus: & ad Roman. 1. *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, Et Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* *Præter hoc* creaturæ admonent hominem ad laudem Dei. Omnes enim creaturæ Deum laudant, & ſic exemplo ſuo ad ipſum *laudandum* nos invitant. Unde Gregorius. Mirum eſt quando homo ſemper Deũ non laudat, quia omnis creatura ad eum laudandum ſemper invitat. Plus laudat Deum *roſa* una quam aliquis verbis explicare poſſit. Nullus enim eſt qui perfectè roſam cognoſcat, & nullus eſt vivens in mundo iſto qui perfecte ſciret explicare Sapientiam Creatoris, quam roſa ab eo creata indicat. Admonent etiam creaturæ hominem ut in eum ſperet dum liberalitate ſua Dei liberalitatem homini oſtendunt, juxta illud Auguſtini. Indicium maximum divinæ bonitatis eſt, quod qualibet creatura ſeipſam cogitur dare. Monent etiam creaturæ hominem de Dei *dilectione & timore.* Bona hujus mundi monent hominem ad Dei dilectionem, unde Auguſtinus. Domine cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt undique mihi dicunt, ut amem te, nec ceſſant hoc dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. Nullus modus efficacior eſt ad quærendum amorem alicujus, quam dona. Beneficia enim & feræ ſentiunt, juxta verbum Sapientis. Unde cum bona hujus mundi dona Dei ſunt, conſtat quod de ejus amore nos monent. Mala verò pœnalia mundi monent de timore Dei juxta Pſalmum 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem ut fugiant à facie arcus. Speciales* etiam *creaturæ* ſpecialem homini eruditionem faciunt, de quibus pauca tangere ſufficiat, Arbores in multis inſtruunt hominem. *Arbor* primò in terra radicem figit, in quo nobis quaſi prædicat humilitatem, tanquam radicem omnium bonorum: Flores & folia & fructus in altum mittit, in quo monet nos ad rectitudinem intentionis; humorem ſub duritie corticis & fructus ſub duritia teſtæ, abſcondit & cuſtodit, in quo monet nos ut gratiam Dei ſub aſperitate pœnitentiæ cuſtodiamus, & fructus bonorum operum non abſcondamus, flores cito cadere permittit, fructus vero ſecum diu retinet; in quo monemur, ut hoc quod bonum eſt, ei quod pulchrum eſt, præferatur. Item arbor non degenerat. Matth. 7. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas?* &c. Sic nos propriis moribus degenerare non debemus, nec brutales mores aſſumere. Item arbor accepta opportunitate operandi non otiatur, ſed incipit operari; in quo monet nos, ut dum acceptabile tempus eſt, quæ ſalutis noſtræ ſunt operemur. Item arbor paulatim operando propter operationis continuationem multum proficit tam in augmento ſui, quam in fructuum multitudine; in quo nobis oſtenditur quantum bonum ſit perſeverantia. Bruta etiam *animalia* exemplo ſuo monent nos ad multa. *Primo* ad fugam rei nocivæ, quia ſecundum Hieronymum: Bruta etiam animalia in eaſdem pedicas retiaque non incidunt. Vix poteſt aliquis ita cautè lapidem accipere ad mittendum in aves, quin aves videant & fugiant. *Item* monent nos ad amorem rerum quæ ſunt ejuſdem ſpeciei nobiſcum. Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſui. Item* monent nos ad providentiam noſtri eorumque qui ſecundum carnem nobis conjuncti ſunt, ut ſunt filii. Ut breviter dicam [illegible]am in *cauda animalium* multiplex fit nobis inſtructio. Job. 12. *Nimirum interroga jumenta & docebunt te, volatilia cæli & indicabunt*

Mũdus docet unitatem eſſentiam divinam.

Docet perſonas tres.

Creaturæ monent nos Deum laudare.

Roſa.

Sperare in Deum.

Diligere & timere Deum.

Speciales creaturæ docent hominem.

Arbor docet nos multas virtutes.

Animalia docent nos.

Cauda eorum docet nos.

tibi narrabunt piſces maris. Item animalia quædam cauda ſe defendunt à muſcis, quædam cauda ſe regunt, ut aves volando, piſces natando, ſic cauda, id eſt conſideratione finis tui ſeu mortis, debes te defendere à vitiis, & regere in mundo iſto. *Corpora* vero *cæleſtia* ſimiliter, ut Sol & Luna & *Spiritus Angelici* ſpecialiter exemplo ſuo monent nos ad obedientiam, juxta illud Pſalmi 148. *Præceptum poſuit & non præteribit.* Sol & Luna præceptum ſibi datum à Domino nunquam prætereunt. Angeli etiam in cuſtodia hominis Deo obediunt. *Omnes enim adminiſtratorii ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*, ſicut habetur ad Hebr. 1. Item monent nos ad ſervandum ordinem debitum. Job. 38. *Nunquid noſti ordinem cæli?* Item monent ad concordiam, juxta illud Job 25. *qui facit concordiam in ſublimibus.*

Angeli & corpora cœleſtia nos inſtruunt.

II. Liber ſcripturarum, quid doceat.

De Libro verò Scripturarum legitur Ezech. 2. quod *in eo erant ſcripta lamentationes & carmen & væ* Lamentationes primi hominis, carmen verò & væ Diaboli & membrorum. Liber ille oſtendit nobis quid credendum, quid cavendum, quid agendum, quid timendum, quid appetendum. Qui non plus poteſt de iſto libro ſcire, ſaltem ſciat illa duo mādata de dilectione Dei & proximi, *in quibus tota lex pendet & Prophetæ*, ut legitur Matthæi 22.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Qualiter, ſpectatâ formâ exterioris corporis humani ac membris ejus, homo ſe debeat habere interius.

SERMO V.

Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. *Rom.* 15.

Deus innumerabiles fecit libros, ſcilicet creaturas, quare.

FIlius ſapiens lætificat patrem, ut legitur Proverb. 10. Et etiam glorificat, ibid. juxta aliam literam, *Gloria Patris filius ſapiens*: Ideo cœleſtis pater (qui vere ſolus pater eſt ſecundum illud Mat. 23. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt*) ad inſtructionem filiorum ſuorum fecit quaſi innumerabiles libros, ſcilicet univerſitatem creaturarum. Librum voco omne illud, in quo ſapientiam addiſcere poſſumus. Univerſæ ergo creaturæ libri ſunt, cum omnes aliquid ſapientiæ nos doceant. Unde legitur Eccleſiaſtici 1. Quod *Deus effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua* Et Salomon ſapientiam quæſivit tam in herbis, quam in arboribus & in animalibus. Diſputavit enim ab hyſopo uſque ad cedrum, & de omnibus generibus animalium per ſingula proponens parabolam de libris iſtis, unde proponimus nobis exponere figuram, ſcilicet corporis humani, quæ multum inſtruit hominem qualiter homo interius ſe habeat. In omni ſpecie animalium figura corporis & membrorum indicat naturam interiorem. Sic ungues acuti, magni & fortes, adunati, & dentes magni, & fiſſura oris magna indicant rabiem & ferocitatem, ſicut apparet in leonibus, contraria vero ſigna ſunt manſuetudinis, ſicut apparet in hominibus.

Creaturæ cur & quomodo ſint libri noſtri. Salomon his libris eſt uſus,

Ex figura & membris humanis, interior homo inſtruetur hoc ſermone.

Figura exterior animalium interiorem naturam indicat.

I. Tria docēt. 1. Contemnere terrena.

Notandum ergo quod pedes hominis in *tribus* nos inſtruunt. *Primo* in hoc quod terram conculcant, in hoc oſtendentes terrena contemnenda eſſe. Seneca. Non eſt dignus Deo, qui opes non contempſerit. Unde ad hoc ſignificandum primitivi de Eccleſia primitiva cælitus edocti precia domorum & agrorum ſuorum ponebant ad pedes Apoſtolorum. Actuum 4. Unde in fine ejuſdem capitis (ubi dicitur quod Joſeph attulit precium agri ſui ante pedes Apoſtolorum) dicit Gloſſa: docet calcandum eſſe aurū quod ſubdit pedibus Apoſtolorū.

2. Non ſollicitos eſſe circa terrena, ſed neceſſaria tantum curare.

Secundo in hoc quod potius ſerpentes eſſe videntur quam homines, qui toto pectore & ventre in ſolicitudine & amore circa terrena repunt. Homo ſolis plantis pedum tangit terram, ſolum quantum neceſſarium eſt ad ſuſtentationem. In quo oſtenditur nobis quod amorem non debemus contingere terrena niſi quantum ad neceſſitatem, ut ſcilicet tantum ſufficiat nobis de illis, quantum neceſſarium eſt nobis ad ſuſtentationem. 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſumus.* Proverb. 30. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria.*

3. Terrenis deditos facilius peccare.

Tertio Pedes quia terræ propinquiores ſunt, amplius inquinantur & facilius læduntur, unde fortius oportet eos muniri, ſcilicet calceamentis. Sic qui terrenis amplius intendunt, amplius peccando inquinantur juxta illud Eccleſiaſtici 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Et cum multa adverſa eis accidant, frequenter per impatientiam læduntur. Ubi exemplo Chriſti & aliorum ſanctorum ſint muniti. Gregorius. Facta præcedentium conſideremus & non erunt gravia, quæ toleramus.

II. Membra pudenda docent libidinem fugere.

De Membris pudēdis, de quibus etiam aperte non licet loqui, licet dicere poſſumus quoniam ipſorum abſconſio ſatis innuit vilem eſſe delectationem pertinentem ad membra illa. Unde valde infelix eſt, qui pro tali delectatione gloriam regni cœleſtis amittit, & valde poterit confundi in die judicij, quando totus Mundus ſciet quod pro re tam vili gloriam tantam amiſit. Bernardus. væ, væ, væ: vapor eſt ad modicum parens, quod æternæ felicitatis excludit aditum, quod univerſitatis ſcientia fraudat, quod ſummæ privat dignitatis honore. Vilitas hujus peccati tanta eſt, quod Magiſtri dicunt, quod ſunt aliqui dæmones qui ſunt memores ſuæ antiquæ nobilitatis, qui indignantur de Luxuria tentare. Cujus ſignum eſt quod Lucifer tentans dominum in deſerto, non tentavit eum luxuria.

Dæmones aliquos pudet tentare homines hoc vitio, cur.

III. Manus. 1. Docent diſcretionem.

Manus verò nos in *tribus* inſtruunt. *Primo* in hoc quod manus habent magnam fiſſuram digitorum, per hoc oſtendentes quod magna diſcretio debeat opera noſtra prævenire. In fiſſura enim diſcretio intelligitur. Unde Levit. 11. legitur, *omne quod habet diviſam ungulam & ruminat in pecoribus comedetis.* Qui ſine diſcretione concupiſcentiā ſuam ſequi volunt, animalia videntur non homines, juxta illud Senecæ. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum. *Item* manus frequenti ablutione indigent ad ſui munditiam. Non ſufficit ad hoc quod aliquis manus mundas habeat, ut in noctæ manus ſuas bene tectas ſervaverit, imo in ſingulis diebus oportet eas lavari: in quo oſtenditur nobis quod per Confeſſionem opera noſtra lavare debemus, ſi volumus ea eſſe munda. Iſai. 23. *Bene cane, frequenta canticum*: quod de cantico Confeſſionis exponitur.

2. Confeſſionem frequentem.

3. Mediocritatem in dando & retinendo.

Tertio manus quaſi æquè ſe habent ad hoc, quod aperiantur, vel claudantur. Præterea medietas manuum fiſſa eſt. Alia medietas continuitatem habet, quaſi apta ad retinendum: in quo nobis oſtenditur quod mediocritas in dando & retinendo laudabilis ſit, & quod tam prodigalitatis quam avaritiæ vitia ſunt vitanda. Monſtroſum eſſet ſi aliquis haberet manus fiſſas uſque ad brachia, vel omnino continuas uſque ad ungues digitorum, Sic vitioſum eſt & omnia velle dare, & nihil velle dare. De his autem quæ pro Deo dantur, modo non loquimur, illa enim magis in ſacculo ponuntur, quam dentur.

Quod pro Deo datur ſine modo dandum.

IV. Os. 1. Monet nos verba moderari.

Os etiam *tria* nobis oſtendit. *In hoc* quod os unicum eſt, cum duo ſint oculi & duæ aures monemur ad moderantiam in verbis. Sapiens. A natura duas aures & unum os accipimus, quaſi diceret, plus audias, quam loquaris Proverb. 10.

Qui

2\. Temperantiam in cibo & potu.

Qui moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt. Secundo in quod modicum eſt (nullum enim animal corporis magni ſecundum Ariſtotelem ita parvum os habet à natura ſicut homo, ſecundum quantitatem corporis) monemur ad temperantiam in cibo & potu Sapiens. Si cibis & potibus parce uteremur & immaculatos nos cuſtodiremus, frueremur conſortio & affabilitate eorum, id eſt, Angelorum.

3\. Cibum ſpiritualé nobis etiam curandum.

Tertio os hominis non eſt pronum ad terram; in quo oſtenditur, quod homo non ſolum de cibo terreno ſolicitudinem habere debet, ſed etiam de cibo ſpirituali. Sapiens cætera animalia natura dejecit ad paſtum, hominem verò erexit ad ſidera Deuteron. 8. & Matth. 4. *Non in ſolo pane vivit homo*, &c.

V. Lingua. 1. Evacuat ſordes. 2. Facile labitur.

Lingua etiam inſtruit nos in *tribus. Primo* in hoc quod ipſa eſt lata & tenuis, oſtenditur quod potens ſit ad evacuationem ſordis. Gregorius. Levis res ſermo, ſed graviter vulnerat, aptiſſimum evacuandis ſordibus inſtrumentum. *Secundo* in hoc, quod eſt in humido, docemur quod de facili labitur. Facilius enim cadit homo quando viæ ſunt humidæ, quam quando viæ ſunt ſiccæ, ideo dicitur Eccleſiaſtici 14. *Beatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo. Tertio* incluſio linguæ oſtendit quod valde mundè ſervanda ſit. Propter nocivitatem ſolent includi leones & animalia alia fortia, ſic etiam lingua incluſa eſt. Jacob. 3. *Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentum & caeterorum animalium domantur & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt.*

3\. Valde nociva eſt, ideo cuſtodienda.

VI. Aures. 1. Monét plus audiendum quam loquendum. 2. Non omnia audienda.

Aures etiam nobis *tria* oſtendunt. *In hoc*, quod naturaliter ſunt apertæ, oſtendunt nobis quod homo debeat paratior eſſe ad audiendum, tardior autem ad loquendum, juxta illud Jacobi 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. In hoc* autem, quod aures hominis majores ſunt quam aures brutorum, oſtenditur nobis quod non debemus aures noſtras omnibus verbis accommodare, juxta illud Eccleſiaſtici 28. *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras. In hoc* verò, quod aures non ſunt dependentes ad terram ſicut aures leporinæ, oſtenditur, quod non ſolum verba de terrenis audire debemus, ſed etiam verba de cœleſtibus. Monſtroſum eſſet ſi aliquis homo haberet aures ad modum leporarij. Sed valde vitioſum eſt quod aliquis nunquam velit audire loqui, niſi de terrenis Joann. 3. *Qui de terra eſt de terra loquitur*. Matth. 26. *Vere tu ex illis es, nam & loquela manifeſtum facit*, &c.

3\. Cœleſtia quoque non terrena tantum audienda.

VII. Oculi. 1. Monent ut diverſorum quæramus conſilia.

In oculis *tria* nobis oſtenduntur. *In hoc* enim quod oculi ſunt duo, cum tamen unus ſufficere videretur ad videndum (non enim omnia eſſent hominis quæ ipſe videret cum uno oculo) monemur quod diverſorum ſapientum quæramus conſilia, melius enim vident duo oculi quam unus. Proverb. 24. *Et erit ſalus ubi multa conſilia ſunt. In hoc* verò quod alter oculorum eſt ſiniſter, reliquus dexter, docemur quod oculum cordis debeamus habere non ſolum ad proſperitatem, quæ per dextram ſignificatur, ſed etiam ad adverſitatem, quæ per ſiniſtram intelligitur. Qui in adverſitate eſt, ſperare debet proſperitatem futuram, ne abſorbeatur à puſillanimitate: quando verò eſt in proſperitate, timere debet adverſitatem, ne in ſuperbiam elevetur, unde Eccleſiaſtici 11. *In die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum*. Non ſic faciebat ille, qui dicebat. Lucæ 12. *Anima mea habes multa bona*, &c. *cujus erunt. In hoc* autem quod oculi à natura obvoluti ſunt tunicis multis, inſtruimur magnam diligentiam adhibendam eſſe ad cuſtodiam oculorum, de facili enim mors animæ intrat per has feneſtras, ut patet in David, qui propter incautum reſpectum unius mulieris commiſit adulterium & homicidium ut legitur in 2. Reg. 11.

2\. Vt adverſa & proſpera feramus bene.

3\. Vt diligenter cuſtodiantur oculi.

VIII. Caput 1. Docet unũ Deum, non plures eſſe.

Item *in hoc*, quod homo unicum caput habet, cum habeat duos pedes & duas manus, inſtruimur quod pia fides nobis prædicat, quod ſcilicet unus ſit Deus & dominus omnium, quodque mentiantur Manichæi, qui dicunt duos eſſe Deos & dominos. Quod ſi eſſet, veriſimile eſſet quod jam mundus deſtructus eſſet. Non durat diu caſtrum vel civitas duorum dominorum diverſorum, quin deſtruatur. Matth. 12. *Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur. Et omnis civitas vel domus diviſa contra ſe non ſtabit.* Unitas *etiam* capitis nobis oſtendit quod in corpore uniuſcujuſque congregationis debeat eſſe unicus Prælatus, aliter pax non erit ibi, ſi eſſent duo capita in corpore uno, quando unum illorum præciperet aliquid, aliud præciperet oppoſitum, etiam in domibus ſæcularium unicum debet eſſe caput; ſcilicet vir, uxor enim debet eſſe ſubjecta viro. Si verò multi fratres maneant ſimul ſine aliquo capite, debent ſibi conſtituere unum ex eis caput, aliter ibi non erit pax.

In Congregatione vel domo debere eſſe unum Prælatum.

IX. Amor mẽbrorum inter ſe, fideles ad idem hortatur.

Amor verò membrorum ad invicem in corpore uno oſtendit nobis amorem, quem fideles ad invicem debent habere. De quo amore habes, 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Specialiter vero amor videtur eſſe inter oculos & manus, ita ut ſi periculum immineat oculis, manus ſe periculo exponunt ictum recipientes, vel aliud malum quod oculi eſſent ſuſcepturi. Oculi etiam mala cæterorum deflent membrorum, & ſe quaſi negligentes cætera membra reſpiciunt, cum ſeipſos non videant; in quo nobis oſtenditur vehemens amor qui deberet eſſe inter Laicos & Clericos. Laici enim deberent eos amare tanquam oculos ſuos, Clerici verò deberent Laicis pericula eorum oſtendere & mala eorum flere, ſicut flevit Dominus ſuper civitatem Hieruſalem.

Clerici & Laici debẽt ſe mutuo amare. qui. Luc. 19.

X. Corpus rectum. Monet ut cor noſtrũ rectum ſit.

Rectitudo etiam corporis humani monet nos ad *rectitudinem animi*. Bernardus. Quærere & ſapere quæ ſunt terrena, curvitas animæ eſt: meditari ac deſiderare ea quæ ſurſum ſunt, rectitudo eſt. Item illum rectum corde dicimus, qui recte in omnibus ſentiat, & à recto quod ſenſerit in nullo diſſentiat. Quid indecentius quam curvum recto corpore gerere ſpiritum? Item Bernardus: perverſa res eſt & fœda anima, quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tanquam una de ſuibus amplexarique ſtercora. Erubeſce anima mea divinam in pecorinam mutaſſe ſimilitudinem, erubeſce volutari in cœno, quæ de cœlo es. Idem loquens in perſona corporis ad animam, ſic ait: vide meam, quam tui gratia accepi te timente, te & reſervante prærogativam. Tu quomodo non confunderis amiſiſſe tuam? cur ſuam in te Conditor intuetur abolitam ſimilitudinem; cum ſuam in me tibi conſervet aſſidueque repræſentet? indigne humanum corpus inhabitas brutus & beſtialis ſpiritus.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

De inutilibus & infidelibus & nequam ſervis Chriſti, & cur Chriſto ſerviendum ſit.

Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, *1. Corinth. 4.*

SERMO VI. Chriſtianus qui eſt ſervus Chriſti, quæ vitare, quæ præſtare debeat.

QUilibet Chriſtianus Chriſti miniſter eſt & ſervus, qui re & nomine eſt Chriſtianus. Hoc enim videtur ſonare hoc nomen Chriſtianus, Chriſti ſervus. Et ideo oportet eum ſollicitum eſſe, ne ſit ſervus inutilis, ocio torpendo; & infidelis,

Digitized by Google

ſervitium quod Chriſto debet alij ſolvendo, ſervus nequam, conſervorum ſuorum non miſerendo; ſed potius bonus & fidelis, ei ſervitium gratum exhibendo, ut mereatur audire à Chriſto in futuro: *Serve bone, quia ſuper pauca fuiſti fidelis &c.*

Matt. 25.

I. Inutilis Miniſter Chriſti meretur. 1. Iram Dei. 2. Maledictionem Dei. 3. Mortem temporalē & æternam.

Circa Primum nota quod ſolum inutilitas miniſtrorum Chriſti ſufficit promereri iram Dei & indignationem juxta illud. Proverb. 14. *Iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit. Item* maledictionem Dei habent tales ſuper caput ſuum juxta illud. Matth. 21, de maledictione ficulneæ non ferentis fructum. *Item* meretur mortem temporalem & æternam, De *primo* habes Lucæ 13. de ficulnea fructum non ferente: *ſuccide illam ut quid etiam terram occupat. De ſecundo* Matt. 25. *Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. De utroque* Matt. 3. & 7. *omnis arbor quæ non facit fructum bonum &c.* Vide tractatum de vitiis in cap. de Otio.

II. Infideles ſervi Chriſti ſunt. 1. Voluptuoſi. 2. Ambitioſi. 3. Avari.

Circa Secundum nota quod Tria genera hominum ſunt qui ſervitium quod Chriſto debent, alii ſolvunt unde infideles ſunt. *Primi* ſunt voluptuoſi; de quibus legitur Roman. ultimo. *Hujuſcemodi Chriſto domino non ſerviunt, ſed ventri ſuo.* Et ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt &c.* Ipſi de ventre ſuo fecerunt Deum ſuum, ſed ignis infernalis deſtruet illum. 1. Corint. 6. *Eſca ventri & venter eſcis. Deus autem & hunc & has deſtruet. Secundi* ſunt ambitioſi, qui ſervitium quod debent Deo ſolvere in pauperibus, potius volunt ſolvere canibus, ſcilicet detractoribus, ne mordeant eos: vel ad literam, canibus, ſicut patet in illis qui vacant venationi. Tales non attendunt quod dixit dominus Matt. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum &c.* De tali legitur Oſeæ 12. *Ephraim paſcit ventum &c.* Et ſubditur, *& oleum in Ægyptum ferebat.* Oleum miſericordiæ fert in Ægyptum qui ea dat filiis Diaboli, unde debuit eleemoſinas facere filiis Dei. De Apoſtolo legitur Roman. 15. quod eleemoſinas tranſmiſit in Hieruſalem. Sed tales econverſo auferunt eas illis de Hieruſalem & dant his qui ſunt de Ægypto. Subtrahunt ori Dei in pauperibus, & canibus & porcis dant. Etiam filios Diaboli lacerant, invitando ut de ſuo accipiant, filii verò Dei vix poſt longas preces aliquid poſſunt extorquere ab eis. *Tertij* ſunt cupidi & avari Diabolo prodigi. Multi ſunt, qui, ſi facerent pro Deo, quod faciunt pro Mundo vel Mammona; regnum Dei poſſent adipiſci, qui tot pallia & veſtes expendunt; quos Idolatras eſſe conſtat ex illo verbo, Epheſ. 5. Avaritia *eſt Idolorum ſervitus*: ubi dicit Gloſſa. Avari Deus eſt nummus. Et ex eo quod dicit Gloſſa ſuper illud Matt. 6. *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Mammona ſyra lingua divitiæ ſunt, quibus ſervire, Deum negare eſt. Tales terram corde adorant & quaſi eam colunt & quaſi inceſſanter Deum exterius pedibus conculcant. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur, dicit Gloſſa. Auguſtinus ſuper illud Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.*

III. Servi nequam.

De Tertio habes Matth. 18. *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi &c.*

IV. Chriſto ſerviendum triplici ratione. I. Nulli ſervitur juſtius. 1. quia nos de nihilo fecit.

Circa Quartum nota quod *triplici* ratione debemus adhærere Chriſto ad ſerviendum ei. *Primo* quia nulli juſtius ſervitur, *Secundo* quia nulli utilius, *Tertio* quia nulli honeſtius. Nulli Juſtius ſervitur quam Chriſto, *Primo* quia ad hoc de nihilo nos fecit, ut ei ſerviremus: unde niſi hoc faciamus digni ſumus ad nihilum redigi. Si vis perpendere quantum Deo tenearis pro hoc quia te fecit, attende quantum teneri te crederis illi qui tibi viſum reddidiſſet amiſſum: quantum ergo teneris illi qui tibi dedit viſum novum? Sic cogita de ſingulis membris, & videbis quantum pro corpore teneris ſervire Domino; quantum ergo pro anima quæ in infinitum eſt melior? vel quantum pro conjunctione corporis & animæ? Quid ſi meruiſſes conjunctionem deſtrui: ſcilicet quod meruiſſes mortem, & aliquis te conſervaret à morte illa: nunquid non libenter ſervires ei longo tempore; quanto libentius ergo deberes ſervire ei, qui conjunctionem illam de novo fecit. *Secundo* quia ipſe ſervivit nobis unde Lucæ 22. *Ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.* Et attende modum ſerviendi. Servivit enim nobis in humillimo officio, ſcilicet in pedum ablutione, de qua Joan. 13. Servivit etiam nobis in ſervitio precioſiſſimo, dum ſe ipſum expendit in ſervitio noſtro. Unde bonus miniſter; qui carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam miniſtravit in pretium. Bernardus. Cui juſtius ſerviendum, quam ei, qui ſi non moreretur, non viveremus; juſte ſibi vendicat vitam meam, qui pro mea poſuit ſuam. Non refugias ergo ſervitium ejus quantumcunque ſit humile, nec timeas facere expenſas in ſervitio ejus. qui ſe ipſum expendit pro ſervitio tuo. Dicas ergo cum Beato Bernardo: duo minuta habeo domine Jeſu, ſcilicet corpus & animam, da ut hæc tibi digne offerre merear cum vidua muliere. *Tertio* quia ipſe Angelis mandavit ut nobis miniſtrent, unde ad Hebræos. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis.* Et in Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit de te &c.* Circa quod verbum ne ſis ingratus de tanto beneficio, diligenter attende quis mandaverit, quoniam Deus: & quibus quoniam Angelis, & de quo, quoniam de putredine & verme. Ad quid? ut cuſtodiant te, non in uno loco tamen, ſed in omnibus viis tuis: non uno die vel anno, ſed à nativitate uſque ad finem vitæ. Si pro eo beneficio ſerviret homo toto tempore vitæ ſuæ, non eſſet hoc nimis. *Quarto* quia ipſe miniſtraturus eſt nobis. Lucæ 12. *& tranſiens miniſtrabit illis*, ſi aliquis miniſtraret ei mille annis ut unica hora miniſtraret ſibi in cœlo, non eſſet hoc nimis? & tamē pro ſingulis horis quibus debito modo miniſtramus, ſi in bono perſeverabimus miniſtrabit ipſe nobis plus quam per centum millia annorum. Hæc miniſtratio eſt faciei ejus oſtenſio, de qua in Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et iterum Pſal. 35. *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nulli Utilius Servitur, cum ſervientibus ſibi regnum æternum largiatur, unde cantat Eccleſia. Ecce advenit dominator dominus & regnum in manu ejus, intellige ad dandum. Mira cæcitas hominum qui illis cum tanta diligentia ſerviunt, cum quibus nec villam, nec caſtrum lucrari poſſunt, Creatori vero ſuo pro regno ſervire nolunt. Nulli etiam Honeſtius Servitur, cum ei ſervire regnare ſit. Præterea honeſtiſſimū eſt ſervitium quod requirit, ut eſt mundare ſe juxta illud: *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1.* Theſſal. 4. Item ſe ipſum virtutum floribus ornare & ſimilia. Hic potes deſcendere ad ſingula vitia vel virtutes.

2. quia ipſe nobis ſervivit Redimendo nos.

3. quia Angelis mandavit ut nobis ſervirent. Cuſtodia Angelorū.

4. Quia Chriſtus in Cœlo nobis eſt miniſtraturus.

II. Nulli Servitur utilius, quare.

III. Nulli Servitur honeſtius, cur.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Quibus virtutibus miniſtri Chriſti inſtructi eſſe debeant, ut ei debito modo miniſtrent.

Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti. *1. Corinth.* 4.

SERMO VII. Cur Chriſto bene ſerviendum ſit.

CUm quilibet Chriſtianus miniſter Chriſti ſit & pro miniſterio ſuo, ſi debito modo fiat

regno

regno cœlorum remunerandus ſit: ſi verò non fiat debito modo; infernali patibulo affigendus ſit; valde ſolicitus debet eſſe quomodo ſic Chriſto ſerviat, ut Chriſtus ejus ſervitium gratum habeat. Si cum tanto labore & ſolicitudine addiſcit aliquis artem aliquam, de qua debet lucrari victum ſuum, cum quanta ſolicitudine addiſcere debet miniſterium illud, circa quod poteſt accidere vel tantum periculum, vel tantum lucrum. Neceſſe autem habet quilibet Chriſtianus duo cognoſcere ad hoc ut Chriſto debito modo ſerviat: Scilicet quale velit Chriſtus eſſe miniſterium ſuum, & qualia velit ſibi miniſtrari.

Duo ſcienda ſunt ut Chriſto bene ſerviatur.

I. Eſt imitatio Chriſti.

Primum docet ipſe Chriſtus Joan. 12. dicens: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Similitudo morum dilectionem nutrit Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſibi ſimile: ſic & omnis homo proximum ſibi.* Ideo familiari amore dilexit Chriſtus Joannem Evangeliſtam, quia virgo erat ſicut & ipſe, unde & Joan. ult. vocatur *Diſcipulus quem diligebat Jeſus.* Bernardus. Beatus eſt ô Domine Jeſu qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans pro viribus ſe præbet imitatorem tui. Si autem vis ſcire magis ſpecialiter quales velit Chriſtus eſſe miniſtros ſuos, Sex ſunt, quæ ipſe in eis requirit. *Primum* eſt *Intelligentia* vel *Prudentia.* Proverb. 14. *Acceptus eſt regni miniſter intelligens, iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit.* Quando debuit dicere non intelligens, dixit inutilis, non intelligentem enim Chriſtus inutilem reputat. Ideo quilibet Chriſtianus amorem debet habere ad ſapientiam, & addiſcere eam quando poteſt. Quis Regum vel Principum aliquorum velit habere miniſtrum cœcum, ſic nec Chriſtus cœcus eſt, qui non intelligit.

Joannes Evangeliſta cur dilectus à Chriſto.

Chriſti miniſter ſex debet habere.

1. Prudentiã.

2. Munditiam à peccato, maxime carnis.

Secundum eſt *Munditia* mentis & corporis, & ſpiritualiter, quo ad peccata carnis. Et ita munditia eſt primus effectus intelligentiæ, Jacobi 3. *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primum pudica eſt,* id eſt, pudicum faciens Job. 28. *Ecce timor domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia* Si quis bene intelligeret quanta ſit immunditia peccati, ipſe citius ſaltaret in latrinam unam, quam ſe poneret in uno mortali peccato ſi eſſet in eo ſicut de latrina una. Quam munditiam quærit dominus in miniſtris, habes Cantic. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia,* id eſt opera munda miniſtrans, quod ejus refectio eſt. Et in Pſal. 17. *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Item Pſal. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Munditia iſta maxime requiritur in miniſtris Eccleſiæ, unde Ambroſius. Melius eſt ſpiritualia penitus omitti, quam impure tractari vel tangi. In Eccleſiaſticis officiis dominus non frequentiam miniſtrorum probat, ſed devotionem animorum

Miniſtri Eccleſiæ maxime ſint mundi.

3. Humilitatem.

Tertium eſt Humilitas, unde ad miniſtrum pertinet eſſe humilem, cum miniſter dicatur, quaſi minor ſtatu, ſed præcipue ad illos miniſtros, quorum dominus humilis eſt. Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* & Lucæ 22. *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor.*

4. Patiẽtiam.

Quartum eſt *Patientia*, unde 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos tanquam Dei miniſtros, in multa patientia* Non admittit Dominus ad menſam ſuam cœleſtem aliquem qui adultus ſit, quin probet eum de patientia. Eccleſiaſtici 2. *In humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

5. Fidelitaté.

Quintum eſt *Fidelitas.* Eccleſiaſtici 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* & Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens* &c. ſecundum Bernardum prudens eſt qui intelligit, fidelis eſt qui diligit. Fidelitas tantum placet Deo in miniſtris ſuis, quod eis ſpecialiter reddet mercedem æternam, Matth. 25. dicit: *quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam,* &c.

6. Strenuitatẽ. Piger eſt odioſus.

Sextum eſt *Velocitas* vel *Strenuitas*, unde Proverb. 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Econtrario piger ſolet eſſe oneroſus hominibus, & libenter ſe expediunt homines à pigro, unde Eccleſiaſtici 22. *In lapide luteo lapidatus eſt piger*, id eſt, convitioſa objurgatione. *Et omnes loquentur ſuper aſpernationem illius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.*

II. Quid ſibi in quibus ſibi velit Chriſtus miniſtrari.

Quid velit ſibi Chriſtus miniſtrari, docet Petrus, Epiſt. 2. cap. 1. dicens: *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* In *fide* primo docet miniſtrare, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Si aliquis faceret tot bona opera ſine fide quot facit totus mundus, non propter hoc haberet regnum cœlorum. Majus jus haberet aliquis in regnum cœlorum pro uno opere quod faceret in vera fide, quam haberet pro omnibus operibus bonis, quæ poſſet facere extra fidem. Auguſtinus. Bona opera ante fidem inania ſunt. Ita enim videntur eſſe ut magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Fides homini oſtendit *duo*, quæ ſolent quærere, qui volunt alicui domino ſervire; ſcilicet qualis ſit dominus, & qualiter remuneret ſervientes. Circa ipſum dominum oſtendit ipſa *fides* nobis *tria*: ſcilicet ejus *omnipotentiam*, quam tranſgreſſores non poſſunt effugere, & qua bonis poteſt abundantiſſimè retribuere; & ſummam ejus *ſapientiam*, cui nihil poſſumus abſcondere, coram qua facimus, quicquid facimus. Boëtius. Magna nobis ſi diſſimulare non volumus, indicta eſt probitatis neceſſitas, cum agamus ante oculos judicis cuncta videntis, oſtendit & ſummam *bonitatem* ejus, quæ ſumme odit mala, unde ſumme vult punire ea, & ſumme diligit bonos & bona eorum vult remunerare. Item oſtendit ex parte una patibulum infernalem paratum male ſervientibus, & ex altera parte coronam regni cœleſtis bene ſe habentibus in Dei ſervitio. Hic poſſumus intelligere opera virtuoſa quod difficile eſt fieri; vult enim dominus eos qui ſibi ſerviunt aliquid ſibi difficile ſuſtinere pro amore ejus. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Circa quod multi ſe male habent, unde Bernardus. Ignoſce Domine, ignoſce, excuſamus, tergiverſamur, ſed non eſt qui ſe abſcondat à lumine tuo. Et ſubdit: & vix eſt aliquis qui in his, quæ ad te ſunt, velit experiri quid poſſit, etiam quod promptiſſime poteſt quantumque ſecundum carnem vel ſeculum ſive timor impulerit, ſive cupiditas traxerit.

1. In fide. Hebr. 11.

Bona opera cum fide & ſine fide qualia.

Servituri de domino duo quærunt.

Deus qualis ſit Domine, & qui remuneret.

Servientes Deo debent difficilia ſuſtinere.

2. In ſcientia ſeu diſcretione.

In *virtute* requirit Dominus *ſcientiam*, id eſt diſcretionem: inſipidum enim eſt omne bonum Deo, niſi ſale diſcretionis condiatur. Levit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificii; ſale condies.* Et ad Rom. 12. *Rationabile ſit obſequium veſtrum.* Sapientia pugnandum eſt contra Diaboli aſtutiam. Tullius. Belluinum eſt viribus decertare. Diſcretio verò iſta attenditur in hoc, ut homo abſtineat à peccato mortali, quod aufert ei valorem bonorum operum, & ideo dicitur, *In ſcientia vero abſtinentiam.*

3. In abſtinẽtia à peccatis.

Peccatum vero mortale eſt quaſi fel in eſca Domini, juxta illud Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel*, & illud fermentum de quo 1. Corinth. 5. *Modicum fermentum totam maſsã corrumpit.* Unum mortale aufert omnia opera, quæ homo poteſt facere, quantum ad meritum vitæ æternæ. De abſtinentia verò iſta legitur Iſai. 58. *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationes impietatis.* Non ſufficit autem à malis culpæ abſtinere, niſi & mala pœna pa-

tienter tolerentur, ideo ſubditur; *In abſtinentia*
4. In patientia *patientiam*. Gregorius. Si dulcia quærimus, neceſ-
5. ſe eſt ut amara toleremus. *Item* non ſolum debemus
In pietate ſeu cópaſſione. mala portare quæ nobis ab aliis inferuntur, ſed
etiam mala quæ ipſi ſuſtinent, debemus nobis per
compaſſionem aſſumere, unde 2. Corinth. 11. *Quis*
6. *infirmatur & ego non infirmor?* &c. Ideo dicitur,
In Amore *In patientia autem pietatem*. *Item* non ſufficit ha-
fraternitatis bere cordis compaſſionem ſine *operum exhibitione*,
ſeu operum exhi- ſi homo facultatem habeat. Ideo ſubditur, *In pie-*
bitione. *tate amorem fraternitatis*. Et hæc tanguntur Iſai.
58. ubi dicitur: *Cum effuderis eſurienti animam*
tuam & animam afflictam repleveris, orietur in
tenebris lux tua. Nihil adeò valet ad hoc quod
dominus reſpiciat peccatorem miſericorditer, ſi-
cut pietas cordis & operis. Sed quoniam iſta ſine
7. In charitate *Charitate* non ſufficiunt juxta illud. 1. Corinth. 13.
Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates
meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeã, cha-
ritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ideo
ſubditur: *In amore fraternitatis charitatem*. Au-
guſtinus Charitas eſt concordia mentium, ſocie-
tas electorum, vita animarum & Angelorum;
quia nec animæ ſanctæ, nec Angeli ſine charitate
vivunt.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Sermo hic 1. perſuadere Christiano nititur, ut 1. mi-
niſter Chriſti non Dominus eſſe velit. 2. qualitates
aliquot miniſtro Chriſti convenientes exponit. 3.
quas ob cauſas bonum ſit Chriſto ſervire docet.

Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.
1. Corinth. 4.

SERMO VIII.

APoſtolus intelligebat ſe miniſtrum eſſe Chri-
ſti, non dominum. Miniſtrum Chriſti ſe re-
I. Chriſtianus putari volebat, non enim erubeſcebat Chriſto ſer-
non Dominus, ſed mi- vire, ſicut multi hodie faciunt. In his *duobus* debet
niſter Chriſti eſſe velit eum imitari quilibet fidelis. Intelligere enim de-
a iquot ob bet, quod nec in ſe, nec in ſuis habeat dominium,
ob cauſas. ſed tantum miniſterium. *Item* honorem magnum
debet reputare, ſe eſſe ſervum Chriſti, & non eru-
beſcere ejus ſervitium. Lucæ 9. *Qui me erubuerit*
& ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum
venerit in majeſtate ſua & patris & ſanctorum An-
gelorum. Ad *primum* probandum poteſt valere hoc
quod dicit Eccleſia Chriſto: *tu ſolus Dominus*. *Item*
quod toties in veteri lege legitur; *ego Dominus*, &
multa alia teſtimonia ſcripturæ, ſicut illud Daniel.
4. *Donec ſcias quod dominetur Excelſus ſupèr regnũ*
hominum, &c. *Qui aſcendit ſuper occaſum; Dominus*
nomen illi. Pſalm. 66. *Ille* ſolus perfectè dominium
habet qui eadem manu, qua fecit, reficere poteſt ea,
Homo non ſi defecerint. *Præterea* ſi homo eſſet dominus al-
eſt domi- terius rei, ipſe videretur eſſe dominus ſpiritus ſui,
nus ſpiritus qui de ejus ſubſtantia eſt, ſed conſtat quod illius
ſui. dominium non habet, cum eum mutuo acceperit.
Sap. 15. *Qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos*.
Hunc videtur intellexiſſe Gedeon. Judic. 8. cum
diceretur ei à filiis Iſraël: *dominare noſtri tu & filius*
tuus, Reſpõdit enim *non dominabor veſtri, nec do-*
Auguſtus *minabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis*
noluit vo- *Dominus*. *Item* videtur intellexiſſe Auguſtus Cęſar,
cari Domi- qui cum imperaret toti mundo, prohibuit tamen,
nus. Non do- ne aliquis vocaret eum dominum. Quantum autem
minum, ſed *hoc placeat Deo*, cum aliquis ſolum ſe miniſtrum re-
miniſtrum velle putari putat & non in aliquo dominum, oſtendi poteſt *pri-*
placet Deo. *mo* ex illo Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter in-*
1. *telligens*, in quantum ſe miniſtrũ intelligit. *Secun-*
2. *do* ex illo verbo Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quo-*
Pauperes *niam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Pauperes ſpiritu
ſpiritu qui ſunt. ſunt qui omnibus ſe gerunt tanquam miniſtros, &
nunquam dominos, *quorum eſt regnum cœlorum*;
quia tales conſtituet dominus ſuper multa, quia in
paucis eos fideles invenit, Matth 25. Hi ſoli perfe-
ctè fideles ſunt: Quomodo enim fidelis eſt, qui bo-
na ſuæ fidei bonæ à Deo commiſſa, proditioſe ſua
facit. *Tertio* poteſt idem oſtendi per hoc quod le- 3.
gitur Lucæ 14. *Omnis ex vobis, qui non renuntiat*
omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipu-
lus. Omnibus quæ poſſidet renuntiat, qui non
uſurpat ſibi dominium in aliquo eorum quæ ſibi
commiſſa ſunt. II.

Notandum verò quod *quinque* ſunt quæ viden- Qualitates
tur pertinere ad eum qui ſe miniſtrum reputat. *Pri-* miniſtri.
mum eſt ut de domino ſuo ſolicitus ſit, non de ſe. 1. Vt ſit ſolici-
Hæc enim eſt lex inter dominum & miniſtrum, tus de ſer-
ut miniſter ſolicitus ſit, quomodo domino ſuo ad vitio ſuo,
voluntatem ejus ſerviat, Dominus verò ſolicitus non de ſe.
debet eſſe, quomodò ſervo ſuo provideat vel mini-
ſtro. Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes: quid*
manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operie-
mur? Et ſubditur: *Scit enim pater veſter quia his*
omnibus indigetis. Præcipuè non debet habere ſo-
licitudinem de ſe, qui ſentit ſe bonum dominum
habere. Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate*. *Secun-* 2.
dum eſt, ut quaſi de omnibus redditurus rationem Sit ſolicitus
oſtendat, etiam de omni verbo otioſo, quod locuti de ratione
fuerint homines reddent rationem in die judicii, ut reddenda,
legitur Matth. 12. & etiã de omni momento tempo- etiam in
ris. Bernardus. Omne tempus quod tibi fuerit impẽ- minimis.
ſum requiretur qualiter à te fuerit expenſum. *Ter-* 3.
tium eſt ut in futurum poſt amotionem ab admini- In futurum
ſtratione ſibi provideat, juxta illud Lucæ 16. *Facite* ſibi provi-
vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defe- deat.
ceritis recipiãt vos in æterna tabernacula. Mammo Mammona
na lingua Syra ſignificat divitias, divitiæ verò ini- quid ſonet.
quitates dicũtur, quæ cum inæqualitate quadã, vel Divitię ſunt iniquitates quomodo.
abundantia poſſidentur. *Quartum* ut ſi Dominus ab- 4.
ſtulerit ea ei, quorũ habebat miniſteriũ, ipſe nõ of- Vt miniſte-
fendatur vel indignetur, ſed dicat cũ Job. *Dominus* riũ ſibi au-
dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita fa- ferri patien-
ctum eſt: ſit nomen Domini benedictu. Attendere de- ter ferat
bet miniſter onus & periculum adminiſtrationis &
etiã mercedẽ futuram, quã pro adminiſtratione ex-
ſpectat. Amore ergo mercedis patienter adminiſtra-
tionẽ ſuſtineat: propter onus verò & propter peri-
culũ adminiſtrationis, adminiſtrationẽ ipſã timeat,
& ejus ablationẽ pro magna exoneratione habeat.
Quintũ eſt ut cũ Dominus petit in ſuis pauperibus, 5.
de ſuis bonis ipſe difficilem ſe non exhibeat Matt. Vt volente
25. *Amen dico vobis quamdiu feciſtis uni ex his fra-* domino lar-
tribus meis minimis, mihi feciſtis. Et ut uno multa giatur libẽ-
comprehendã ad voluntatẽ domini nõ ad ſuam de- ter eleemo-
bet habere reſpectum miniſter, vel in ſervãdo, vel in ſynas
largiendo bona domini ſui. Aug. Maledictus diſpẽ- Erubeſcens
ſator avarus, cui largus eſt dominus. Circa eos verò ſervire Deo
qui erubeſcunt ſe Chriſto ſervire. Attende quãta ſit & ſerviens
eorum fatuitas. Erubeſcunt enim de eo, quod rectè Diabolo
incedunt, & gloriãtur de eo quod claudicant. Eru- quam ſit fatuus.
beſcunt quod ei ſerviunt, cui ſervire regnare eſt, &
gloriãtur ſervire Diabolo. Erubeſcunt ſervire ei, cui
Angeli ſervire gloriantur, & non erubeſcunt ſer-
vire ei, qui propter indignationem & utilitatem
à Dei ſervitio in perpetuum eſt repulſus, Diabolo
ſcilicet. III.

Et nota quod quinque de cauſis bonum eſt ſer- Bonum eſt
vire Deo. *Primo* quod illius voluntati, qui ſervit ſervire Deo.
Deo, omnia ſerviunt juxta illud Bernardi. Fideli 1.
homini totus mundus divitiarum eſt, totus plane Quia ſer-
eſt, quia tam proſpera, quàm adverſa ipſius æque vienti Deo
omnia ſerviunt ei & cooperantur in bonum. E con- omnia ſer-
trario autem ille, qui ſervire Deo renuntiavit, ju- viunt
ſto Dei judicio rebus viliſſimis ſervit, ut Diabolo, Non ſerviẽ-
vel immunditiæ peccati, vel infimis creaturis, di- tes Deo, vi-
vitiis vel deliciis. *Secundo* quia Deus quaſi ſtudet ad liſſimis ſer-
exaltationem viunt.

Exaltationem eorum qui ſibi ſerviunt, juxta illud Pſal. 9. *Annunciate inter gentes ſtudia ejus.* Exemplum potes habere in Daniele, Joſeph, Joſue & David quos exaltavit. Qualiter Chriſtus exaltaturus ſit ſibi ſervientes, perpendere potes ex Crucis exaltatione, quæ ſervivit Chriſto brevi tempore & ſatis duro ſervitio & ita exaltata eſt ab eo, unde Auguſtinus. Crux tranſivit de pœnis latronum ad frõtes Imperatorum: quid faciet Deus fidelibus ſuis, ſi tantum honorem contulit pœnis ſuis. *Tertio* verò quia Chriſtus ſibi ſervientes potius amicos reputat quam ſervos, juxta illud Joan. 15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos.* Imo reputat eos filios juxta illud Pſ. 81. *Ego dixi; dij eſtis & filij excelſi omnes.* Imo reputat eos quaſi in genere parentelæ ſibi attinẽtes, juxta illud. Mat. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* In quo multũ diſſimilis eſt divitibus hujus mundi, qui ſibi ſerviẽtes non vidẽtur etiã homines reputare, immo minus caros eos habere videntur, quàm jumenta ſua. *Quarto* propter illud verbum dulce quod habetur. Joann. 12. *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Non ſic divites hujus ſeculi, qui magnum dedecus ſibi reputarent ſi miniſtri eorum ſederent cum eis ad eandem menſam. *Quinto* verò quia Chriſtus redditurus eſt vicem ſervientibus ſuis. Cum enim quieverint à miniſterio eorum, ipſe eis miniſtrabit juxta illud Lucæ 12. *Et tranſiens miniſtrabit illis.* Miniſtrabit inquam ſeipſum ferculum ſufficientiſſimum, *erit ferculum* tam corpori quàm animæ. Animæ ſufficientiſſimum erit ferculum ſecundum deitatem, corpori ſecundum humanitatem. Ezech. 16. *Similam & mel & oleum comediſti.*

2. Quia exaltat ſervientes ſibi.
3. Quia ſervos ſuos habet tanquam amicos & filios.
4. Quia honorat ſervos ſuos.
5. Quia paſcit eos ſeipſo.

DE EADEM.
SERMO QUARTUS.
SUMMARIUM.

Sermo iſte agit de fidelitate triplicium diſpenſatorum Dei.

Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur. 1. *Corinth.* 4.

SERMO IX Propoſitio.

HIc *primo* habes materiam ſermonis ad Prælatos, *ſecundo* ad doctores, *tertio* ad omnes. Et ſi multa commendabilia ſint in diſpenſatore, præcipue tamen commendabilis eſt in eo Fidelitas, unde Proverb. 28. *Vir fidelis multum laudabitur,* & Eccleſiaſtici 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* Et ſicut ſapientes hujus mundi hanc ſpecialiter requirunt in ſuis diſpenſatoribus, ſic etiam Chriſtus, unde Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* &c. Licet duo nominet quæ attendenda ſunt in eo, qui debet fieri diſpenſator; ſcilicet fidelitatem & prudentiam, fidelitatem tamen præmittit, tanquam præcipuam. Illi etiam mercedem reddendam eſſe oſtendit. Matth. 25. dicit: *quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Sed hodie rariſſimum invenitur in diſpenſatoribus Eccleſiæ quod præcipuè Chriſtus requirit, jam enim non quæritur qualiter aliquis inter diſpenſatores fidelis inveniatur. In primitiva Eccleſia in illo parvo collegio Domini undecim fuerunt fideles & unus infidelis, Judas ſcilicet, & hodie inter duodecim diſpenſatores vix unus fidelis invenitur. Quando invenitur unus Petrus, inveniuntur duodecim Judæ qui furantes filiis Dei, quæ dant cognatis ſuis. Prov. 20. *Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet?* Vocantur autem Prælati miſericordes, cum vere ſint crudeles. Quadam enim falſa benignitate permittunt filios ſuos ſpirituales à lupis infernalibus deferri, & non clamant, neque unum verbum increpationis proferunt. Et *notandum* quod tria ſunt genera diſpenſatorum, & ad quodlibet illorum fidelitas requiritur. *Primi* ſunt Prælati, *ſecundi* doctores, *tertii* qui ſunt in ſtatu inferiori.

Fidelitas præcipue commẽdabilis eſt in diſpenſatoribus, quare.
Reprehenſio Prælatorum Eccleſiæ duplex.
1. Ob diſtributionem bonorum Eccleſiæ.
2. Ob conniventiam malorum.
Diſpenſatores ſunt triplices.

Fidelitas pertinens ad Prælatos conſiſtit in quinque, ſcilicet in *diligentia cuſtodiendi, audacia reſiſtendi, ſolertia paſcendi, in diſcretione diſtribuendi, in moderatione puniendi.* Triplici ratione debet eſſe ſolicitus Prælatus ad cuſtodiendas animas ſibi commiſſas. *Primo* quia ſanguine Chriſti emptæ ſunt. Si quis haberet de veſtibus Chriſti, valde diligenter cuſtodiret eas. Si verò haberet aliquid quod eſſet de corpore ejus, ut ſanguinem vel lachrymam, diligentius cuſtodiret. Qualiter ergo debet cuſtodire animas, quas ſanguini ſuo propoſuit pro illis ſanguinem ſuum effundendo? *Secundo* quia in periculo animæ ſuæ pereunt animæ illæ, ſi ex culpa ſua pereunt. unde 4. Regum 10. *Quicunque fugerit ex hominibus his quos adduxero in manus veſtras, erit anima ejus pro anima illius* Ezech. 33. *Sanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Tertio* verò quia ſi Prælatus non adduxerit quantum in ſe fuerit animas ſibi commiſſas ad Deum, faciem Domini non videbit, unde Geneſ. 43. *Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.* Debet ergo Prælatus cuſtodire eos, qui ſibi commiſſi ſunt, ſicut ipſe diligenter cuſtodiret ſanguinem Chriſti, ſi haberet in vaſe; & ſicut vitam propriam, cum mors ſibi immineat ex eorum perditione, & ſicut regnum cœlorum, cum à viſione faciei Dei, quæ utique eſt regnum cœlorum, excludatur, niſi eos ſecum adduxerit. Audacter etiam debet reſiſtere mordentibus gregem. Job 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* 1. Regum 17. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam.* Eccleſiaſtici 7. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Joan. 10. Chriſtus in Cruce ſcapulis ſuis obumbravit nobis, ſuſcipiendo ſuper ſe ictum, quem Deus pater nobis minabatur; ſuſtinuit mortem temporalem, ut nos liberemur à morte æterna: ſic etiam Prælatus ſuſtinere debet mortem temporalem pro grege ſuo, ſi opus fuerit. De mercenario ſic legis Joan. 10. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.* Debet etiam Prælatus eſſe ſolers ad paſcendum ſubditos ſibi. 1. Petr. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Et Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos* & ſubditur; *quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* Cùm natura doceat bruta animalia diligentiam habere ad providendum fœtibus ſuis de cibo&, Pagani à lege naturali edocti de cibo provideant, patet inexcuſabiles eſſe patres ſpirituales, qui non credunt ſe teneri ad providendum cibum ſpiritualem filiis ſuis, nec remordet eos conſcientia quod eos fame perire permittant, non attendentes quod Chriſtus carnem ſuam & ſanguinem cibum ſpiritualem facit, ut in filiis ſuis vita ſpiritualis ſuſtentetur. In quo exemplum dat eis quod etiam propria carne & ſanguine debent paſcere filios ſuos, ſi opus eſſet antequam vita ſpiritualis in eis deficiat.

1. Fidelitas Prælatorũ conſiſtit 5. In ſollicitudine cuſtodiendi animas.
1. Quia ſanguine Chriſti ſunt emptæ.
2. Ob periculum animæ Prælati.
3. Ob iacturam viſionis Dei.
2. In reſiſtendo mordentibus gregem uſque ad mortem.
3. In ſolertia paſcendi ſubditos.
Exemplum brutorum & paganorum.
Exemplum Chriſti.

Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.

Sicut Chriſtus ſe ipſum expendit pro reſtauranda vita ſpirituali, ſic de ſeipſo vita ſpirituali, cibo in Sacramento Altaris vult eam conſervare, unde Joann. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Diſcretus etiam debet eſſe Prælatus in diſtribuendo patrimonium Chriſti: vel etiam miniſteria Eccleſiæ, non debet dare propriis cognatis, quæ vult Chriſtus filiis ſuis dari. Deuter. 1.

4. In diſtributione miniſteriorum Eccleſiæ.

Date ex vobis viros ſapientes & gnaros & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes. Debet etiam Prælatus eſſe diſcretus in moderatione pœnæ, unde Iſa. 28. *Ponam in pondere judicium & juſtitiam in menſura.* Contra illos verò qui in hoc infideliter ſe habent, dicitur Amos. 6. *Convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium.* Et Ezech. 34. *Lateribus & humeris impingebatis & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora*, &c. De moderatione in puniendo dat Gregorius Regulam dicens: ſive plectendo, ſive parcendo, hoc ſolum bene agitur, ſi vita hominum corrigatur. Et Seneca in libro de clementia: tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli modum tenere debemus. Sed quia difficile temperamentum eſt, quidquid plus æquo factum eſt, in partem humaniorem præponderet. Sunt qui dicunt quãdo aliquis peccavit; bonum eſt, cum talis ſic fecit, ut ſic puniatur; volentes reddere unicuique, quod meruit: cum potius illud deberent dicere, ſic infirmatur talis, ſic curetur: ſic cecidit, ſic relevetur: ſic depauperatus eſt, ſic recuperetur. Si tales poſſent facere quod intendunt, ad quid teneret dominus univerſale judicium, ſi unicuique ſecundum merita ſua redditum eſſet? potius ſunt Prælati poſiti ut infirmis ſint adjutores ſalutis, quam ut reddant eis ſecundum merita eorum. Cum ipſi non poſſunt eis reddere mercedem de bonis quæ agunt, quid ita ſitiunt vindictam de malis ſumere, quæ faciunt?

In moderatione pœnæ.

II. Fidelitas Doctorum conſiſtit.

Sequitur de fidelitate Doctorum quæ in quinque conſiſtit, ſcilicet in dictorum vel *doctrinæ apertione*, in *brevi tractatione*, in *ſententiarum pondere*, in *loquendi dulcedine* vel ſuavitate, & *in traditione utilium*. De *primo* legitur 1. Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?* Sunt qui gladium verbi divini involvunt & abſcondunt in decore ſermonis, ij proculdubio maledicti ſunt, juxta Prophetam dicentem: *maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Potius videntur tales venditores eſſe gladiorum quam pugnatores, qui gladios involutos ferunt in magna copia, & nunquã ex eis ad nudum percutiunt. Et vere frequenter tales pro vili favore hominũ ſermonem Dei vendunt. *Breviloquus* etiam debet eſſe doctor: quia *omne ſupervacuũ pleno de pectore manat.* Unde Iſa. 50. verbum abbreviatũ faciet Dominus ſuper terram. Litera noſtra habet: *Conſummationem & abbreviationem dominus Deus exercituũ faciet in medio terræ.* Si Deus abbreviavit verbũ ſuum ut poſſet comprehendi ab hominibus, quanto magis nos debemus abbreviare verba noſtra. De *tertio* legitur. Num. 18. *Omnem medullã olei, & vini, & frumenti dedi tibi.* Non debet eſſe doctrina in ſolis verbis, quæ ſiliquis porcorum videtur ſimilis. Luc. 15. legitur de filio prodigo qui paſcebatur ſiliquis porcorũ. Et eſt ſiliqua genus leguminis ſonori & follibus vacuis, quod ventrẽ magis onerat, quam reficit, ſicut dicit Gloſſa Interlin. Unde ſignificat doctrinam quæ in ſolis verbis eſt. *Dulciter* etiam debent loqui doctores, & quaſi ex compaſſione. Gregor. ſuper illud Ezech. 3. *Et ſedi ubi illi ſedebant, & manſi in medio eorum.* Illi ſermo libenter auditur, qui à patiente profertur. Et in eodem ſuper illud Apoc. 10. *Devoravi librum, & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Illi loqui ſuaviter de Deo noverunt, qui totis viſceribus amare didicerunt. Prov. 16. *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens; & qui dulcis eloquio, majora percipiet.* De *quinto* legitur Ephe. 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Potius deberent doctores quærere utilia, quã ſubtilia & apta quam alta. Prov. 15. *Sermo opportunus eſt optimus.*

1. In apertione doctrinæ.

Ierem. 48.

2. In brevitate ſermonis.

3. In ſententiis, non nudis verbis.

Siliqua quid ſit.

4. In dulcedine loquendi

5. In doctrina utilium non ſubtilium.

III. Fidelitas verò ejus qui eſt in ſtatu inferiori ſimiliter poteſt attendi circa quinque. *Primum* eſt ut ipſa bona ſibi commiſſa non diſſipet, *ſecundum* ut ea ſtudioſe multiplicet, *tertium* ut dominum parte lucri, quæ ad eum pertinet, non defraudet, *quartũ*, ut bona ſibi ad diſpenſandum commiſſa proditioſe ſua non faciat, *quintũ* ut caſtrum ſive bonæ fidei commiſſum hoſti domini non tradat. De *primo* legitur Luc. 16. *Et hic diffamatus eſt apud illũ quaſi diſſipaſſet bona ipſius.* Iſa. 14. *Tu enim terrã tuam diſperdidiſti.* *Tribus* autẽ modis fit diſſipatio iſta. *Primus* modus eſt quando aliquis ſe & ſua, quæ debuit expẽdere ad Dei honorẽ & animæ ſuæ utilitatẽ, expendit in Dei contumeliã & animæ ſuæ damnationẽ, ſicut accidit eis qui vitam ſuam expendunt in ſervitio diaboli contra illud Prov. 5. *Ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli.* Item illis, qui ſervos diaboli inſtantiſſime invitãt, filiis verò Dei duros ſe exhibẽt, divites dilaniant, ut de bonis eorum accipiant; pauperes verò vix poſſunt aliquid ab eis obtinere. *Secundus* modus eſt quando aliquis ab opere incœpto deſiſtit, antequam conſummaverit, unde Prov *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Qui nullo amore vel deſiderio ad opus ligatus eſt, talis operum ſuorũ diſſipator reputatur. *Tertius* modus eſt quando aliquis quod verbo ædificat exemplo deſtruit, unde Eccleſiaſt. 34. *Unus ædificans & unus deſtruens: quid prodeſt illis niſi labor.* Circa *ſecundum* notandum quod circa multiplicationem *triplex* poteſt eſſe infidelitas. *Prima* eſt cum pecunia domini abſconditur. Unde Matth. 25. reprehenditur ſervus malus & piger, qui pecuniam domini ſui abſconderat. *Secunda* eſt cum pecunia in mercibus quæ minoris lucri ſunt ponitur. Hæc infidelitas eſt in illis, qui legem Domini, per quam animas lucrari poſſunt, relinquunt & phyſicam vel leges, per quas temporalia lucrantur, addiſcunt. Nunquid infidelis eſſet nũcius alicujus mercatoris, qui domino ſuo emere poſſet ſcarletum eodem pretio quo emit burellum, ſi eum non emeret. *Tertia* infidelitas eſt in eis, qui merces domini vendunt ubi minus vendibiles ſunt, ſicut accidit eis, qui Pariſius docent, ubi doctrina eorum vix auditur, & alibi nolunt docere, ubi doctrina eorum cara haberetur. Circa *tertium* notandum quod lucrum bonorum operum in *tres* partes dividitur. *Prima* pars eſt gloria, quæ ad Deum pertinet, juxta illud Apoſtoli: *Soli Deo honor & gloria.* *Secunda* pars eſt exemplum bonum, quod pertinet ad proximũ, unde Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*, &c. *Tertia* pars eſt utilitas mercedis, quæ pertinet ad eum, qui opera bona facit. Deum ergo defraudat parte ſua lucri, qui gloriam quærit de bonis operibus, quæ agit. Bernardus. Fidelis revera famulus es, ſi de multa gloria domini tui etſi non exeunte à te, tamen tranſeunte per te, nil manibus tuis adhærere contingat. De illis qui bona ſibi commiſſa proditioſè ſua faciunt, certum eſt quod cum infideliter ſe habeant in paucis, ipſi non conſtituentur ſuper multa. Unde Lucæ 16. *Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?* alienum vocat bonum tranſitorium, veſtrum verò, æternum, & ibidem. *Qui fidelis eſt in minimo: & in majori fidelis eſt; & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Quia bona noſtra commiſſa ſunt vobis ita, quod in illis habeamus miniſterium & non naturæ dominium, oſtenſum eſt in illo ſermone: *Sic nos exiſtimet homo*, &c. Tertiæ Dominicæ Adventus. Circa *quintum* notandum quod velut caſtrum noſtræ bonæ fidei commiſſum eſt nobis corpus noſtrum vel anima noſtra. Vulgariter dicitur quod bonum caſtrum cuſtodit, qui corpus ſuum cuſtodit: ſed melius caſtrum cuſtodit, qui animam ſuam cuſtodit. Hoc caſtrum Diabolus ſibi reddi quærit, cum

Fidelitas inferiorum conſiſtit

1. In non diſſipando bona. Diſſipatio fit.

1.

2. In multiplicando bona. Nõ fit multiplicatio.

3.

2.

3. In lucrãdo. Bona opera lucrantur.

1. Deo gloriã.

2. Proximo exemplum.

3. Operanti mercedem.

4. In non diſſipãdo prodigiosè.

5. In cuſtodiendo caſtrum animæ & corporis.

peccatum carnis ſuggerit. Caſtrum verò animæ ſibi reddi quærit, quando peccata ſpiritualia ſuggerit. Quando verò nos ſuggeſtioni ejus conſentimus, caſtrum nobis adeò commiſſum hoſti ejus tanquam proditores tradimus. Et valde infideles ſumus, præcipue ſi non præmittamus nuntium ad dominum noſtrum pro ſuccurſu, cum ipſe poſſit nobis ſubvenire & etiam velit, non enim vult caſtrum abhæredari. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Nuntius qui ad Deum præmittendus eſt in tentatione, eſt oratio, unde ſuper illud Pſal. 87: *Intret in conſpectu tuo oratio mea*, dicit Gloſſa. Magna virtus orationis oſtenditur, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & illuc mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. Inexcuſabilis eſt qui prius caſtrum ſuum reddit, quàm pro ſuccurſu miſerit: vel qui non expectat ſuccurſum, pro quo miſit. Refertur de quodam qui de peccato luxuriæ tentabatur, quod, cum tantum invaluiſſet tentatio, ut amplius non poſſet reſiſtere, ipſe proſtravit ſe ante Crucifixum dicens: hoc modicum terræ habebam, Domine à te, non poſſum amplius tenere eam, reddo eam tibi. Salutationibus Beatæ Virginis fugatus eſt Diabolus, ſicut refertur de juvencula quadam, quæ cum receſſiſſet à juvene quodam, quem amaverat, & juvenis multis precibus tentaſſet flectere, & non potuiſſet, Diabolus in forma juvenis cepit eam tentare. Quem primo non agnovit juvencula, ſed poſt hoc perpendit. Non poterat tamen expedire ſe à Diabolo, nec valebant multa ſibi conſilia, quæ ei data fuerant. Sed ad ultimum dictum ſibi fuerat, quod ſi Diabolus ad eam veniret, flexis genibus alte diceret: Ave Maria. Quod cum feciſſet, ita fuit confuſus Diabolus, quaſi clava una in fronte percuſſus fuiſſet, & ait: Diabolus intret in buccam ejus, qui te hoc docuit.

Oratio pro ſuccurſu ad Deum mittenda.

Exemplum ad propoſitum de liberato à tentatione carnis.

Exemplum de liberata per ſalutationem Angelicam ab eadem tentatione.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic explicat epiſtolam. Præcipuè autem agit de tribus. I. Gaudium in Domino quæ bona II. Gaudium Mundi quæ mala pariant, & III. Quomodo modeſtè ſeu rationabiliter vivendum ſit.

Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt. *Philipp.* 4.

SERMO X.

Eccleſia cur tempore Adventus repræſentet Patrum deſideria de venturo Salvatore.

Eccleſia ſicut in feſto Natalis recolit ortum filii Dei in mundum iſtum, ſic in tempore Adventus repræſentat tempus ante nativitatem Salvatoris & oſtendit magna deſideria, quæ habebant antiqui Patres, quibus Salvator erat promiſſus, de ejus adventu, quod ideo facit Eccleſia ut fideles gaudeant & regratientur de beneficio jam accepto, prout vident magnitudinem deſiderii præceſſiſſe in antiquis de beneficio promiſſo. Pauci tamen ſunt qui hoc hodie recogitent. Bernardus. Cum ardorem deſiderii Patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſimè recogito, confundor & pungor in memetipſo, & tunc vix contineo lachrymas, tantum pudet teporis torporiſque miſerabilium temporum horum. Cui namque noſtrûm tantum ingerat gaudium hujus gratiæ exhibitio, quantum accenderat veteribus ſanctis deſiderium promiſſio. Ideo ad gaudium monet Eccleſia dicens: *Gaudete in Domino*, &c.

Juſtus debet gaudere in Domino.

I. Primum dictum Epiſtolæ explicatur. Ob bonitatem

Notandum quod vir juſtus quadrupliciter debet *gaudere in Domino*. Primo quod habet tam bonum dominum. In Pſalmo 134. *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Ad bonitatem verò hujus domini *primo* facit hoc, quod ipſe eſt benigniſſimus præceptor, jubens honeſta, levia, facilia & utilia. Matth. 11. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* 1. Joan. 5. *Et mandata ejus gravia non ſunt.* *Secundo* facit ad bonitatem ejus, quod ipſe eſt potentiſſimus proviſor & protector. Auguſtinus. Non habet Chriſtus unde alat pauperes ſuos, & Pſalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Tertio* hoc, quod ipſe eſt liberaliſſimus retributor ſervitium modicum regno cœlorum remunerans. Geneſ. 15. *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Item ad bonitatem ejus facit quod dominatio ſua paterna eſt, non tyrannica, juxta illud Malach. 3. *Parcam eis ſicut parcit vir filio ſuo ſervienti ſibi, & convertemini, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei.* Ad bonitatem *etiam* Dominici facit, quod ipſe factus eſt frater noſter & ſocius præſentis miſeriæ exemplo patientiæ ſuæ conſolans in miſeria pœnæ, miſericors ad liberandum à miſeria culpæ. Hoc magno deſiderio videbatur petere Salomon Cantic. 8. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ.* & Iſai. 49. *Laudate cœli & exulta terra, jubilate montes laudem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum & pauperum ſuorum miſerebitur.* In hoc Dominus populum ſuum conſolatus eſt quod 33. annis dignatus eſt ei facere ſocietatem in hac valle miſeriæ. Auguſtinus. Magna membris ex capite conſolatio, modò etiam Dominus per experientiam novit miſeriam & pauperum miſeretur. *Homo indigens miſericors eſt.* Proverb. 18. Hebr. 2. dicitur de Chriſto quod *debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret*, id eſt, in actu oſtenderet miſericordiam, quam habebat in natura. De *bonitate* hujus domini legitur. Sophon 2. *Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui judicium ejus eſtis operati, quærite juſtum, quærite manſuetum.* Qui in *peccato mortali* ſunt, non poſſunt hoc modo gaudere in Domino, quia habent Diabolum dominum, qui peſſimus dominus eſt, & protector perverſiſſimus, gravia & inhoneſta & facienti noxia præcipiens, unde Sap. 5. dicunt damnati: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Item Diabolus impotens eſt ad protegendum ſuos ab eo, quem ad ejus ſuggeſtionem offendunt, quod patet ex hoc, quia ſeipſum non poteſt defendere, ideo Joan. 16. dicebat Dominus, quod Spiritus ſanctus in adventu ſuo arguet Mundum de judicio Dei, quod non timebat, cum tamen Princeps hujus Mundi jam judicatus eſſet. Veriſimile eſt quod valde durè judicabit Dominus vermiculum vilem contra Deum ſe erigentem, cum ita durè judicaverit tantum principem, ſcilicet Luciferum ſuperbientem. Ipſe etiam non habet feſtucam unam de ſuo, unde poſſit ſibi ſervienti providere. Præterea ſervientium ſibi non eſt remunerator, ſed potius jugulator vel cruciator. Secundo poteſt vir juſtus *gaudere in Domino*, ideo quia habet Dominum in arca cordis ſui, jam per gratiam ſperans ſe habiturum illum in futuro per gloriam: Mirabilem theſaurum habet, qui habet Deum in corde ſuo; ſi totum mundum haberet non eſſet ita dives. Auguſt. Qui veram fidem habet de Deo, non cupit in his miſeriis fieri dives, majus enim eſt ei Deus, quam Mundus, & Sap. 11. *Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani.* Pſal. 27. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & Thren. 3. *Pars mea Dominus dixit anima mea: Propterea exſpectabo eum.* Item in Pſal. 38. *Et nunc quæ eſt exſpectatio mea: nonne Dominus* Hoc modo non poſſunt gaudere mali, cum nil boni habeant, ex quo Deû non habêt, nihil enim eſt homini bonû ſine ſûmo bono, ut ait Seneca & ſi-

Domini. 1. Quia eſt Præceptor benigniſſimus.

2. Quia eſt potentiſſimus protector.

3. Quia eſt liberaliſſimus retributor.

4. Quia paterne dominatur.

5. Quia frater & ſocius noſter eſt factus in miſeria vitæ hujus.

In peccato mortali conſtituti quia Diabolum habent Dominum, contrarium experiuntur.

II. Quia juſtus Deum habet in arca cordis ſui, per gratiam & gloriæ ſpem.

tut cum Deo omnia bona veniunt ad hominẽ; juxtà illud. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: quod de Sapientia increata intelligitur: ſic Deo recedente omnia bona recedunt ab homine, nihil enim remanet ei quod verè ſit ei utile.

III. Ob bona Domini noſtri. *Pſal.* 23.

Tertio poteſt vir juſtus *in domino gaudere*, id eſt, in bonis quæ dominus ſuus habet & quæ ſuis facit. Unde poteſt dicere: *Domini mei eſt terra & plenitudo ejus &c* Latitudo regni Chriſti magna materia gaudii debet eſſe ſervis & fratribus Chriſti. Unde Apoc. 19. *quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens: gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei.*

IV. Non aliud gaudium ſuſcipiendo quod Deum tollat.

Quarto debet *gaudere* vir juſtus *in domino*, id eſt, ut maneat in domino per amorem, non enim debet aliquod gaudium ſuſcipere propter quod à Deo recedat. Hoc modo mali non gaudent in domino, cum gaudium quod ipſi habent, eis eum auferat, & propter hoc potius deberet eſſe illud, de quo gaudent cauſa doloris quam gaudii, ideo jucunditas mala morte amarior reputatur à Salomone Eccleſiaſtæ 7. *Inveni, inquit, mulierem morte amariorem.* Mors animam ſeparat à corpore, ſed jucunditas mala à longè meliori, ſcilicet à Deo. Ideo viri ſancti potius mori elegerunt, quam jucunditati prohibitæ conſentire.

Secundum dictum. Gaudendũ ſemper in Domino.

Monet autem Eccleſia ad *gaudendum ſemper in Domino*, quia gaudium in Domino, ſive gaudiũ ſpirituale ita non eſt ad horam, ſicut gaudium mundi. Job 20. *Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti* De gaudio verò ſpirituali. Proverb. 15. *ſecura mens quaſi juge convivium.*

Tertium dictum. Cur bis ponatur, gaudete.

Ideo autem *bis* monet ad *gaudendum*, quia gaudendum eſt de bonis viæ & bonis patriæ.

II. Gaudium Mundi deteſtandum.

Et Notandum quod Gaudium hujus Mundi Multiplici ratione amandum non eſt.

1. quia eſt maledictũ à Deo.

Primo quia ore Dei *maledictum* Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram.* Quis audeat guſtare cibum ab aliquo ſancto maledictum? quomodo aliquis audet ſumere gaudium ab ipſo ſancto ſanctorum maledictum? Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea.*

2. quia eſt fatuum.

Secundo quia gaudium Mundi *fatuum* eſt. Et hoc *dupliciter*

1. quia procedit e fatuitate & quali.

Primo quia ex fatuitate provenit. Unde Lucæ 19. Dominus flens ſuper Hieruſalem civitatem gaudentem ait: *quia ſi cognoviſſes & tu* (ſupple *fleres*) innuens ex cœcitate eſſe quod ipſi gaudebant. Prov. 3. *Stultorum exaltatio ignominia.* Ejuſdem 15. *Stultitia eſt gaudium ſtulto.* Immo inſania videtur eſſe. Gaudium enim talium ſecundum Auguſtinum eſt gaudium Phreneticorum. Phrenetici infirmitatem ſuam non agnoſcentes rident, cum amici eorum fleant, qui eorum infirmitatem agnoſcunt. Sic tales gaudent cum mater Eccleſia ploret pro eis, immo ipſe filius Dei periculum eorum ploravit. Bernardus. Compatitur Dei filius & plorat, homo patitur & ridebit? Nonne multum fatuus eſt qui neſcit intelligere illud, quod puer naſcens clamat ei. Puer naſcens plorando prædicat in Mundo iſto plorandum eſſe, non gaudendum, ſicut tangit, Auguſtinus, ſuper illud Epheſ. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Puer inquit qui naſcitur à ploratu incipit, nec redire poteſt ſtatim natus. Plorat propheta ſuæ calamitatis, lachrimæ teſtes ſunt miſeriæ, nondum loquitur, & jam prophetat.

2. quia infatuat.

Secundo eſt fatuum gaudium hujus mundi ab effectu, quia infatuat hominem: unde eſt quaſi vinum, quod infatuat homines habentes debilia capita, niſi aqua miſceatur; ſic gaudium hujus Mundi homines infatuat corda debilia habentes, niſi aqua tribulationis miſceatur, ut patet in Salomone, qui non prohibuit cor ſuum quin omni voluptate frueretur, ut habetur Eccleſiaſtæ 2. Ideo infatuatus eſt, ut habetur. 3. Regum. 11. Vinum iſtud poteſt intelligi illud, de quo legitur Amos. 2. *Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui.*

3. quia brevis eſt.

Tertio non eſt amandum gaudium hujus mundi, quia *breve* eſt. Unde Job. 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*

4. quia non eſt purum.

Quarto quia *non eſt purum, riſus enim dolore miſcebitur.* Proverb. 14. etiam in præſenti Boëtius. Dulcedo humanæ fœlicitatis multis amaritudinibus reſperſa eſt. Amatores Mundi non poſſunt verum gaudium habere in rebus hujus Mundi, quia aut reſpiciunt hujus Mundi mala, aut bona: De malis certum eſt, quod ſunt eis cauſa triſtitiæ. Bona verò tranſitoria ſunt eis cauſa peccati; peccatum autem habet triſtitiam ſibi annexam, & ſic ſunt eis cauſa triſtitiæ.

Divites non poſſunt ducere vitam jucundam, ob duo.

1.

Item Notandum quod ille qui habet abundantiam bonorum temporalium, vix aut nunquam poteſt ducere vitam jucundam, quod aut amat ea, aut non amat ea: ſi non amat ea, ſunt ei oneri; unde potius faciunt ad miſeriam, quam ad jucunditatem. Si verò amat ea, cum amor ſit fames ſpiritualis, & famelicus ſit in miſeria, conſtat quod bona temporalia, etiam ſi amentur faciunt ad miſeriam, Eccleſiaſtæ 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

2.

Præterea cum amor ſit unio amantis & amati, ipſe quaſi unum eſt cum divitiis ſuis, unde omni mutationi ſubjacet, cui ipſæ ſubjacent: unde miſerrimus eſt.

5. quia tollit gaudium ſpirituale.

Quinto verò gaudium Mundi, aufert gaudium ſpirituale, quod melius eſt. Bernardus. Delicata eſt divina conſolatio, & non datur admittentibus alienam.

6. quia eſt in malo.

Sexto quia iniquè venit gaudium illud ut frequenter. Unde Proverb. 2. *Qui lætantur cum malefecerint & exultant in rebus peſſimis.* Unde Auguſtinus. Quid eſt ſeculi gaudium? breviter dico: ſæculi lætitia eſt impunita nequitia; ſcilicet luxuriari, in ſpectaculis nugari, ebrioſitate ingurgitari, & turpitudine fœtere, & nihil mali pati.

7. quia vertetur in triſtitiam, quomodo.

Septimo quia gaudium iſtud vertetur in triſtitiam, ſcilicet una gutta gaudii in mille modios amaritudinis. Lucæ. 6. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendent.* Proverb. 14. *Extrema gaudii luctus occupat.*

III. quartum dictum. Modeſtia quid ſit & cujus exemplo fiat.

Sequitur (*Modeſtia veſtra*) id eſt, *rationabilis converſatio nota ſit omnibus hominibus*) Modeſtia rationabilis converſatio dicitur, quia hominis rationem habentis eſt, ut modum ponat in dictis ſuis & in factis: qui enim ſequitur impetum animi ſui inter bruta animalia, non inter homines reputandus eſt. Exemplum Modeſtiæ dedit nobis Deus, *in menſura & numero & pondere omnia diſponendo*, Sap. 11 Modeſtiam etiam nobis commendat Chriſtus exemplo ſuo, unde ſuper illud 2. Cor. 10. *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti* dicit Gloſſa: Chriſtus provocatus lenem animum oſtendit, & in correctionibus modum non exceſſit. *Modeſtia* eſt unus ex duodecim fructibus ſpiritus ſancti, de quibus legitur Gal. 5. *Item* eſt unum illorum quibus ornantur electi Dei, unde Coloſſ. 3. *Induite vos ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam &c.* & 1. Timoth. 3. *Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, non percuſſorem, ſed modeſtum.* Ad hanc *etiam* monemur. 1. Petri 3. ubi ſic legitur, Omnes unanimes, *compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles.*

Modeſtia eſt triplex.

Et Notandum quod *triplex* eſt *Modeſtia* ſcilicet modeſtia oris, cordis & operis.

1. In corde duplex.

Modeſtia *in corde duplex* eſt, *quædam* reſtringit ſuperfluitatem cogitationum, ad quam modeſtiam inducere nos debet illud Michææ. 2. *Væ qui cogitatis inutile.* *Alia* quæ reſtringit ſuperfluitatem deſideriorum, ad quam monemur prima ad Timoth. 6. ubi dicitur, *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.*

2. In ore.

Modeſtia vero *oris* conſtringit ſuperfluitatem verborum, ad quam monemur. Eccleſiaſtici 25. ubi dicitur *Non des aquæ tuæ exitum,*

nec

nihil modicum. Aquam vocat ſpiritus ſancti verba; juxta illud Proverb. 18. *Aqua profunda verba ex ore viri*, eo quod difficile ſit verba retinere ſicut & aquam. De hac aqua dicitur Proverb. 17. *Qui dimittit aquam caput eſt jurgiorum. Modeſtia* verò operis, exceſſum in operibus reſtringit. De qua Modeſtia poſſumus intelligere illud Eccleſiaſtici.11. *Eſt qui locupletatur parce agendo*, quod de ſpirituali locupletatione verū eſt. Homo impetuoſus eſt impetuoſitate ſua quandoque in peccatum incidit; unde omnia bona ſua amittit & ſic depauperatur. Homo modeſtus, licet quandoque non tantū boni faciat ſicut homo impetuoſus, tamen bona ſua melius ſervat, & ſic locupletatur, & plus habet quietis ſpiritualis. Eccleſiaſtici. 31. *Somnus ſanitatis in homine parco*, id eſt, quies ſine turbatione eſt in homine modeſto. *Specialiter* autem *Modeſtia* neceſſaria eſt *in verbis*, juxta illud Proverb. 10. *Qui moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt*. Et præcipue neceſſarium eſt labia moderari in correctione hominum, alioquin facilè occidit homo, quem ſanare debuit Proverb. 12. *Qui ſuavis eſt vivit in moderationibus*: id eſt, vitam ſuam ſervat moderãdo verba ſua: *in ſuis munitionibus relinquit contumeliam*, id eſt, cavet. In hoc quod dicitur (*nota ſit omnibus hominibus*) innuitur quod vita noſtra debet lucere proximo ad exemplum. Chriſtiano enim neceſſaria eſt bona conſcientia propter ſe ipſum, bona autem fama propter proximum, ideo baptizati inunguntur chryſmate quod conficitur ex oleo & balſamo; oleum pertinet ad nitorem conſcientiæ, balſamum ad odorem bonæ famæ. Roman. 12. *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Ubi dicit Gloſſa. Qui conſcientiæ famam negligit crudelis eſt. Ibi etiam dicit Gloſſa. Auguſtinus. Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos autem fama noſtra debet pollere in nobis. Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine*, & Proverb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Ergo deterior eſt detractor, qui nomen bonum furatur alteri, quam fur, qui furatur ei terrenas divitias. Eccleſiaſtæ. 6. *Melius eſt nomen bonum quam unguenta pretioſa* Et ſuper hoc verbum (*nota ſit omnibus hominibus*) dicit Ambroſius. Exemplo eorum vult alios adquiri. Cum enim lucebunt opera illorum, non deerunt qui imitentur bonum illorum (*Modeſtia veſtra*) unde hic modeſtus eſt, qui modo eſt tentus; id eſt, qui ſub menſura in omnibus continetur (*nota ſit omnibus hominibus*) ut bonum teſtimonium vobis reddant, unde bene ſequitur (*quia dominus prope eſt*) Vicino enim domino libenter teſtimonium ſervus haberet à proximis, (*nota ſit omnibus hominibus*) ut ipſi ædificationis exemplum accipiant. Item ut videntes, Deo gratias agant, & ſic unum quo ad te, alterum quo ad proximum, tertium quod ad Deum (*Dominus prope eſt*) & *ideo* commiſſum opus ſuum non negligatis. *Item* vel inſolentes fieri caveatis. *Item* ipſius ſubſtantiam non ſuperflue aut pompaticè expendatis. *Primum* fieret malum, *ſecundum* deterius, *tertium* peſſimum (Nihil ſoliciti ſitis) pro defectu temporalium, pro victoria hoſtium, pro dilatione æternorum. In his enim omnibus *Dominus prope eſt nobis*, qui de *primo* ait. Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus aut quid bibemus &c.* Ipſe etiam adjutor fortis. Et *iterum, prope eſt ut veniat tempus ejus. Primum* incipientes, *ſecundum* proficientes, *tertium* perfectos urget.

3. In opere.

Modeſtia verborum maxime neceſſaria eſt.

Quintum dictum. Debemus bona vita lucere proximo ad exemplum. Conſcientia propter nos fama propter alios curanda. Baptizati cur Chryſmate inunguntur.

Modeſtus quis ſit.

Fama & exemplum bonū propter Deum curanda ſunt.

Sextum dictū Monet nos de tribus.

Septimum dictum. Monet quoque de tribus.

Pſal. 70. Iſa. 14.

DE EADEM DOMINICA SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Oſtendit hic ſermo Dominum nobis prope; hoc eſt; propenſum vel propitium eſſe. Ideo monet. ut de ſpiritualibus non temporalibus ſolliciti ſimus.

Dominus prope eſt. Nihil ſoliciti ſitis. *Ad Philip. ult.*

HOc verbum frequentat Eccleſia tempore iſto: Quæ frequentatio ſignum eſt, quod verbum ſit benigni magiſtri. Verba enim valde utilia ſolent magiſtri repetere. SERMO XL.

Circa quod verbum; ſcilicet, quod *Dominus prope ſit*, Notandum quod *Dominus* Tripliciter *prope eſt*. *Primo eſt prope*, id eſt, proxime nobis attinens. Frater enim noſter eſt, quod debet eſſe cauſa magni gaudii & magnæ fiduciæ. Bernardus. Puto jam non ſpernere me poterit Chriſtus, os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Auguſtinus loquens de filio Dei naturali, multos, inquit filios Dei, fratres ſibi ſanguine ſuo emit, ne ſolus eſſet. Probavit, reprobatus; redemit, venditus; honoravit, vitiatus; vivificavit occiſus. Dubitas quod dabit tibi bona ſua, qui non de dignatus eſt ſuſcipere mala tua? Fraternitatem iſtam multū deſiderabat qui dicebat: Cantic. ult. *Quis mihi dette fratrem meum ſugentē ubera matris meæ*; id eſt, Mariæ, quæ eſt mater noſtra per gratiam, fovens nos & protegens ad modum matris. Quam nobis bona ſit hæc fraternitas, patebit in receſſu animæ à corpore, cum Dæmones parati erunt ad rapiendum. Quantum gaudium erit viris juſtis cum videbunt fratrem ſuum volentem & valentem ferre auxilium. Proverb. 18. *Frater qui adjuvatur a fratre quaſi civitas firma*. Similiter in die judicii magna cauſa fiduciæ poterit eſſe juſtis, quod videbunt fratrem ſuum Judicem. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio*. Joan. 5. Tunc agnoſcetur quantum ſit amanda iſta fraternitas. De hac propinquitate prædixit David Pſalm. 1. *Erit*, inquit, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. Aquæ ſunt populi; juxta illud. 2. Regum. 14. *Omnes morimur & quaſi aquæ dilabimur in terram; quæ non revertuntur.* Unde ſicut fatuus eſſet qui curſum aquæ defleret, ſic fatuus eſt qui mortem mortalium defleat. Tunc filius Dei *plantatus eſt ſecus decurſus aquarum*, quando omnibus mortalibus ſimilis factus eſt; Lignum plantatum juxta aquam permanet in loco ſuo fluente aqua; ſicut filius ſecundum divinitatem immortalis erat. Huic ligno adhærere debet, qui ſentit ſe periclitari in mari hujus Mundi. Auguſtinus. Si fluxus temporalium rerum trahit te in præcipitium, tene te ad lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. *Secundo Dominus prope eſt*, quia appropinquavit regnum cœlorum. Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Valde propinquiores modo ſunt homines regno cœlorum, etiam divinæ viſioni, quam eſſent ante adventum filii Dei, tunc enim non erat via in cœlum, niſi per infernum. Omnes deſcendebant ad inferos poſt quam Adam amiſerat regnum æternum. Per multa milia annorum non potuit illud habere, nec Deum videre, modo autem in momento uno lucratur homo regnum cœlorum, vel per Baptiſmum, vel per martyrium, vel etiam per contritionem, quæ tanta poteſt eſſe, ut hoc ſtatim obtineat. *Prope eſt* etiam *Dominus* comparatione ſtatus, qui erit poſt mortem, quando adeo longe erit à peccatoribus: quod ſi ipſi non ceſſarent ad quærendum eum per centum millia annorum, tamen non poſſunt ad eum pervenire,

I. Prope eſt Dominus.

quia Chriſtus eſt frater noſter.

quantum fiduciæ & gaudii hoc nobis parere debeat. Maria eſt mater noſtra quo modo.

2. Ratione temporis gratiæ. Quia nunc citius venitur in cœlum, quā in veteri Lege.

Baptizati, martyres & valde contriti in momento lucrantur cœlum.

2. quia in hac vita ſalus parata eſt peccatoribus. non in altera.

juxta illud Pſal. 118. *Longè à peccatoribus ſalus*, &c. Lucæ 16. *Elevans autem* dives *oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe*: & poſt: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Ideo optimum eſt conſilium peccatoribus. Iſa. 55. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt. Tertio prope eſt*

3. Quia hoc tempore Adventus hominibus benignior eſt, quare.

Dominus, quia in proximo (ſecundum repræſentationem Eccleſiæ) naſciturus eſt in mundo iſto & ſpiritualiter venturus ad eos qui fuerint præparati. Propinquior videtur eſſe hominibus tali tempore quam multis aliis temporibus, quia multis Eccleſiæ precibus invocatus eſt. Solent etiam principes dare munera in magnis feſtivitatibus, unde ipſe etiam ſe ipſum tali tempore dedit mundo. *Parvulus enim natus eſt nobis*. Iſa. 9.

II. Nihil ſolliciti ſimus de temporalibus.

1. Ob primam propinquitatem.

Bene autem ſubditur, *Nihil ſolliciti ſitis*, ſecundum unamquamque harum propinquitatum. Secundum *Primam* non, quia non oportet fratrem Chriſti nimis ſolicitum eſſe de his quæ ſunt neceſſaria præſenti vitæ, tantummodo ad Chriſtum ſe bene habeat & debito modo Sicut non oportet fratrem Regis Franciæ multum ſolicitum eſſe de victu ſuo & veſtitu, tantummodo ſe bene habeat ad fratrem ſuum. Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Item quantum ad *ſecundam*, non oportet

2. Ob ſecundam propinquitatē.

homines nimis ſolicitos eſſe. ad acquirenda temporalia, quando vident tempus opportunum ad acquirendum regnum cœlorum & ipſum Deum. Non deberet homo ita cor ſuum totum dare ad acquirendum temporalia, ſicut multi faciunt, etiam ſi crederet quod totum mundum poſſet acquirere, cum ipſe poſſet acquirere Deum, qui in infinitum plus valet quam totus mundus. Auguſtinus. Qui veram fidem habet, non cupit in his miſeriis dives fieri, majus enim eſt Deus quam mundus. Fatuus eſſet ad quem pertineret regnum unum ex parte patris, & terra alicujus pauperis militis ex parte matris, ſi adhæreret hæreditati maternæ neglecta hæreditate paterna, ex quo ſperaret quod ad hæreditatem paternam poſſet pervenire, ſic valde fatuus eſt qui huic valli miſeriæ, in qua Eva mater noſtra nos poſuit, adhæret cœleſtibus neglectis. Item quantum ad *tertiam* appropinquante tanta

3. Ob tertiam propinquitatem.

ſolemnitate & adveniente tanto Domino debemus dimittere ſolicitudinem de aliis rebus & intendere circa tantum hoſpitem. Eccleſ. 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu ejus ſanctificabunt animas ſuas.* Orationi multum in-

Orationes hoc tempore inſtandū.

ſtandum eſſet tali tempore, unde ſubditur (*Sed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*) Oratio accipitur pro prece facta ſine adjuratione. Obſecratio verò pro prece facta cum adjuratione, ut cum dicitur, per nativitatem tuam libera nos Domine, *Innoteſcant apud Deum*, id eſt, ita ferventes & devotæ ut dignæ ſint ad Deum intrare Eccleſiaſtici 35.

Oratio quid. Obſecratio quid.

Oratio quid valeat.

Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat. De hac oratione humili exemplum habes Matth. 15. in illa muliere fervente, quæ ſe catellis comparavit, cùm eam Dominus canibus comparaſſet. Petitiones verò quæ cum gratiarum actione fiunt ideo præponendæ ſunt: qui enim vult alia impetrare, gratus debet eſſe de præteritis; quia non eſt dandis dignus, qui non agit gratias de datis, ſicut dicit Gloſſa. Ille ſpirituali adventu in ſolemnitate proxima dignus erit, qui in adventu filii Dei in mundum, quem modò Eccleſia repræſentat, gratus & devotus debito modo fuerit. Eſt enim gratiarum actio ſecundùm Chryſoſtomum, ſuper Matthæum, Invitatio ad plus dandum.

Gratitudo ad quid proſit.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic oſtendit Dominum prope eſſe hominibus maxime peccatoribus ob ſex cauſas.

Dominus prope eſt.

SERMO XII.

PAratus dare quod neceſſarium eſt. Ideo, *Nihil ſoliciti ſitis &c.* de temporalibus, ſed jactantes curam veſtram ſuper Dominum & ipſe vos enutriet. Pſal. 54.

Ubi Notandum quod hoc verbum, *Dominus prope eſt*, multum frequentat Eccleſia tempore iſto; volens illud cordibus hominum infigere tanquam valde neceſſarium eis. Unde *primo Dominus prope eſt* peccantibus, præſens enim eſt eis, ut meritò de ejus præſentia erubeſcant. Boëtius. Magna nobis, ſi diſſimulare non volumus, indicta eſt probitatis neceſſitas, cùm ante oculos tanti Judicis agamus, cuncta cernentis. Unde quidam ait.

Dominus prope eſt.

1. Peccatoribus, ut peccare erubeſcant.

Cum quid turpe facis, quod me ſpectante rubeſces, Cur ſpectante Deo non magis inde rubes. Actuum. 17. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus & movemur & ſumus. Secundo Dominus prope eſt* manenti in peccato, ut eum à peccato revocet, unde Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis mihi aperuerit intrabo & cœnabo cum eo.* Væ illi qui per annum vel multos facit Deum exſpectare ad oſtium ſuum. De propinquitate Dei ad eum qui manet in peccato ſuo. Exemplum tale habes in vitis Patrum. Quidam frater impugnabatur à fornicatione, qui veniens in quendam vicum Ægypti adamavit filiam ſacerdotis Paganorum. Qui conſilio accepto à Dæmone ſuo, noluit eam ei dare, niſi ille renunciaret Deo & Baptiſmo & Fidei & propoſito Monachi. Cui tandem ille conſenſit, & vidit columbam exire de ore ſuo & volare in cœlum; & cum ſacerdos renuntiaret Dæmoni ſuo, quod ipſe vellet hæc omnia facere, reſpondit Dæmon. Noli filiam tuam ei dare, quia Deus ejus non receſſit ab eo, ſed adhuc juvabit eum. Et rediens ſacerdos dixit ei: nolo eam tibi dare, quia Deus tuus adhuc adjuvabit te & non receſſit à te. Audiens frater, dixit in ſemetipſo: Hæc maxima eſt bonitas Dei, quæ me recepit, cum tamen negaverim etiam ipſum, & cum invenerit me nunc malum, cur recedam ab eo? Et veniens narravit illud cuidam ſeni in eremo. Senex autē laboravit pro eo per tres hebdomadas & rogavit Deum dicens: Domine da mihi hanc animam. Ex exaudita eſt oratio, nam completa prima hebdomada requiſivit à fratre, ſi aliquid vidiſſet, qui dixit ei, ſe vidiſſe columbam ab altitudine cœli circa caput ſuum ſtantem. Secunda hebdomada vidit frater columbam venientem juxta caput ſuum. Tertia hebdomada completa vidit frater columbam ſtantem ſupra caput ſuum & intravit in os ejus. Tunc dixit Senex: Ecce ſuſcepit Deus pœnitentiam tuam. Attende tibimet & eſto ſolicitus.

2. Ut manētes in peccato revocet.

Exemplū.

Tertio eſt *prope Dominus* peccatori fugienti ab eo addendo peccatum peccato, quaſi enim ſequitur eum, monendo eum ut redeat, juxta illud. Iſa. 30. *Aures tuæ audient verbum tuum poſt tergum monentis.* & Hierem. 3. dicit Deus ad animam peccatricem: *tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Si aliquis Rex ſpecioſiſſimus & ditiſſimus duceret pauperem juvenculam, & illa reliquiſſet eum pauperi leproſo adhærendo, quanta dignatio eſſet ſi rex dignaretur recipere eam? Quam admiranda eſt ergo bonitas Regis gloriæ qui, cum ſit ſpecioſus forma præ filiis hominum, tamen animam, quæ ſibi deſponſata fuerat, poſtquam Pſal. 44.

3. Ut fugientem peccatorem reducat.

Diabolo

Diabolo adhæſit, eo contempto, dignatur recuperare. Mira inſania! fugit homo peccator Deum, & currit ad infernalem lupum, cùm ovicula naturaliter lupum fugiat & ad paſtorem currat. *Quarto prope eſt Dominus* peccatori pœnitenti & ad Deum revertenti. In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatem ipſius dominus non recordabitur amplius 2. Regum 12. dixit David: *Peccavi Domino.* & tam cito dixit Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Et in Pſal. 31. *Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam &c.* & Lucæ 15. Cum filius prodigus rediret ad patrem ſuum, & adhuc longe vidit eum pater ejus, & miſericordia motus eſt, & occurrens cecidit ſuper collum ejus & oſculatus eſt eum: & ſubditur: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* Stola veſtis eſt; unde prima ſtola eſt gratia, quâ Deus induit animam in præſenti. Secunda ſtola eſt gloria, quâ induet in futuro. Exemplum habes de hac propinquitate in Latrone bono. Lucæ 23. *Domine memento mei &c.* Cui Dominus: hodie mecum eris in Paradiſo.

4. Vt pœnitentem cito recipiat.

Quinto prope eſt Dominus exiſtenti in tribulatione, ut ſubveniat; vel patientiam dando, vel ab ea eripiendo. Sed melius liberat, cum patientiam dat, ſicut dicit Gregorius. In Pſalm. 33. *juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Item Pſalm. 90. *cum ipſo ſum in tribulatione.* Bernardus quacunque hora ſæviat tribulatio, non putes te eſſe derelictum, ſed memineris ſcriptum eſſe: *cum ipſo ſum in tribulatione. Sexto prope eſt Dominus* unicuique ad reddendum ſecundum merita ſua Johel. 3. Cito velociter reddam viciſſitudinem caput veſtrum. Jacob. 5. *Iudex ante januam aſſiſtit* Apoc. 3. *Ecce venio cito.* Si Dominus moraturus eſſet etiam per mille annos, tamen reſpectu præmii futuri, vel pœnæ, eſſet quaſi una hora, juxta illud: Pſal 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterit.* Hos annos accuratiſſimè in mente habuit R. P. Joannes Ludovicus Societatis Jesu Sacerdos, & Sereniſſimæ Principi Eliſabethæ Sereniſſimi Bavari Electoris Conjugi à confeſſione, vir magnæ exiſtimationis & ſanctitatis, omnibuſque rari exempli, qui dum hunc librum typo & luci committo, decimo nono Februarii, Anno M. DC. XXXI. placidiſſimè æterno Nomini animam tranſmiſit, non ut finiret annos æternitatis, ſed ut inciperet.

5. Vt tribulato ſubveniat.

6. Vt reddat iuxta merita poſt mortem.

Hujus viri integerrimi virtutes pulcherrimas ante mortem ſubticui, ut eò uberiùs in ejus laudes poſt mortem excurrerem, memor Eccleſiaſt. *Ante mortem ne laudes quemquam.* Ergo in tanta rerum copia exordium ducat pietas omnium reliquarum virtutum baſis & fundamentum. Laborabat ille per multos annos acutiſſimis renum doloribus, nunquam tamen ſuas ſtatas preces intermittebat, quas vel mater Eccleſia, vel obedientia religioſè præſcripſerat; imò quotidie Divæ Virgini, aliiſque Cœlitibus quos maximo ſemper honore proſequebatur, aut officium divinum, aut precatorium roſarium demiſſiſſimè perſolvit. Sacris meditationibus aſſiduè intentus fuit, quibus eò libentiùs vacabat, quo magis à mortalibus ad immortalia rapiebatur. Inter ſacrum faciendum incredibili ſæpe gaudio perfuſus præſentes ad cæleſtia incitavit. Superioribus in paucis charus ſemper extitit, qui non tam regere, quàm regi ab aliis maluit magno conatu, majore victoriâ. Quotieſcunque Majorum ſuorum voluntatem explorare potuit, hic ſeſe mirâ induſtriâ accommodare ſtuduit, vitam potiùs millies amiſſurus, quam illorum imperium neglecturus. Nec minore charitate erga æquales ardebat. Amabat ille omnes modeſtiſſime, atque ab omnibus amabatur, ſed quod rarum eſt in amore, etiam caſto ſine tædio, ſine offenſâ, ſine affectatione. Ita enim omnem animi lætitiam ſanctâ & maturâ gravitate moderabatur, ut ſimul etiam non nihil timeretur. Frequenti jejunio corpus maceravit ſæpe illud Eccleſiaſt. repetens: *Mille anni ante oculos tuos, tanquā dies heſterna, quæ præterit*: quos citò hîc abſolvere geſtiit, ut inter Cœlites longiùs durarent. Nam à Medicis de brevitate vitæ monitus, ipſe quoque impranſus, impotuſque breviorem reddidit. Quantâ vero prudentiâ, quantâ vigilantia cum Sereniſſimis Principibus egerit, ſupra calamum meum eſt. Hoc unum auſim affirmare. Optaſſent Sereniſſimi Principes talem ſibi virum diutius retinere, niſi eum jam cęlo maturum conſpexiſſent.

In hac dignitatis, honoriſque palæſtra minime tenuioris plebis fuit oblitus cui ita operam, induſtriamque locavit, ut omnem ipſius laborē, patientiam, animi alacritatem demirarentur. In pauperes liberaliſſimus, in confeſſionibus excipiendis ſtudioſiſſimus, in reconciliandis animis perturbatis impigerrimus, ut multi paſſim non mediocrē de ipſo ſāctimoniæ opinionē, exiſtimationēque conceperint.

Itaque non tam ætate, quàm labore ac dolore corporis confectus ad ætheriam Beatorū Aulam feliciſſime migravit, ut laborum ſuorū præmium ac mercedem æternùm caperet, diceréque poſſet. Domine *mille anni ante oculos tuos, tanquā dies heſterna, quæ præterit*: & tametſi in terris adhuc aliquot menſes aut annos vivere potuiſſem, malo tamen in cœlo præ iſtis, dies, menſes & annos cæleſtes inchoare. At hæc de præmio Bonorum. Quid de mercede malorum? Matth. 24. *Si dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: moram facit dominus meus venire & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cū ebrioſis, veniet dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat &c.* Quandoque eſt mors propinquior homini, quam ipſe credat, ut patet in illo divite. Lucæ 12. qui dicebat. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos*: cui dictum eſt: *Stulte hac nocte &c.*

DE EADEM.

SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

Sequens ſermo tres affert cauſas quare hoc dictum. Dominus prope eſt, *Eccleſia nunc frequentet, quarū præcipua eſt, ut ad bene ſuſcipiendū Chriſtū in natali ejus nos præparemus, eaque præparatio in quibus conſiſtat edocet.* Dominus prope eſt &c.

Triplici ratione frequentat Eccleſia verbum iſtud. Primo ut fideles audientes dominū ſuum prope eſſe, honeſtius ſe habeant, ſic enim ſolent dicere miniſtri domus, dominus venit, tenete vos in pace. Idem ſolent dicere diſcipuli adveniente Magiſtro. Et vere juſtum eſt, ut in tanta ſolennitate & circa tantam ſolennitatem homines honeſtius ſe habeant, & propter adventū tanti domini à malo ceſſent Iſai. 1. *Quieſcite agere perverſe, diſcite bene facere*) tempore illo quo repræſentat Eccleſia, quod filius Dei pro nobis reliquit tot & tanta bona, unde juſtum eſt ut ſaltem tempore tali peccata pro eo relinquamus. Hieremiæ 12. *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam.*

Sermo XIII. Eccleſia hoc verbū frequentat.

I. Vt hoc tēpore melius vivamus, cum hoc;

Secundo frequentat Eccleſia iſtud verbum, ut homines audientes tantū dominū prope eſſe, non pigritentur præparare, quæ præparanda ſunt, & circa hoc debet eſſe tali tēpore opera & ſolicitudo fideliū, quomodo ſcilicet debito modo ſe præparent tanto hoſpiti. Et Notandū quod hæc præparatio in *tribus* conſiſtit: Scilicet in hoſpitii mundatione, in veſtiū pulchritudine, in epularū delectabilitate. Domum *mundat* confeſſio David. Pſal. 95. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* Iſta duo poſsūt eſſe in cōſpectu Dei ita, quod eum non offendant in hoſpitio quo ipſe declinet: Scilicet pulchritudo Baptiſmalis innocentiæ & humilis Confeſſionis. Eſt magna

II. Vt melius nos præparemus ad ſuſcipiendum Chriſtum. Præparatio triplex.

Mundatio hoſpitii, id eſt, animæ noſtræ, qualis.

Digitized by Google

ruſticitas hominũ quorundam qui Regem gloriæ volunt recipere in domum ſuam inquinatã immunditia peccati uſque ad feneſtras ſenſuum & abſque aliqua mundatione domus. Videtur quod non ſufficiat eis, quod parvulus ſemel in ſtabulo pro eis jacuerit, niſi etiam modo ponant in ſtabulo, cum tamen glorificatus regnet in cœlo. De Confeſſione vide ultimum ſermonem ultimæ Dominicæ, *In diebus illis ſalvabitur Iuda*, & tractatum de Accedia in capitulo de dilatione Confeſſionis. Ad *pulchritudinem* verò veſtium monet nos Iſai. 52. dicens. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem civitas ſancta.* Veſtimẽta gloriæ dicuntur veſtimenta ſpiritualia, ad differentiam corporalium, quæ ignominioſa videntur ſecundum illud Bernardi. Qui gloriantur de veſte ſua, ſimiles ſunt glorianti de cauterio, quia propter peccatum Adæ introductus eſt uſus veſtium, unde veſtimenta gloriæ ſolennia veſtimenti intelligi poſſunt. Sicut enim corpora in magnis feſtis pulchriora habent veſtimenta quam in diebus ferialibus, ſic anima pulchrius debet eſſe ornata in magnis feſtivitatibus, quàm in alio tempore. Ad hanc etiam pulchritudinem veſtium monemur. Baruch. 5. ubi dicitur. *Exue te Hieruſalem ſtola luctus & vexationis tuæ & indue te decore & honore. Triplex* verò veſtis neceſſaria erit in Natali, ſcilicet veſtis Puritatis ſive Caſtitatis & Humilitatis & Charitatis. *Prima* veſtis eſt quaſi de byſſo. *Secunda* quaſi violacei coloris. *Tertia* verò eſt quaſi purpurea. *Prima* veſtis conveniens eſt in feſto iſto: in magna enim puritate ſervanda eſt humana natura, quam conſtat nobis divinæ naturæ aſſociatam in Chriſto & tali aſſociatione, quam nunquam diviſio ſequetur, ſicut crux in majori reverentia habetur poſtquam conjuncta fuit dominico corpori quam ante. *Veſtis* etiam Humilitatis multum eſt conveniens in feſto iſto, in quo ad humilitatem Dei exemplo provocamur. Auguſtinus. Medicina tumoris hominis eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Et Bernardus loquens de illo verbo, Iſa. 9. *Parvulus natus eſt nobis*, ſtudeamus, inquit, effici ſicut iſte parvulus, diſcamus ab eo quia mitis eſt & humilis corde, ne magnus ſcilicet Deus ſine cauſa factus ſit homo parvulus Iſa. 64. *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes, à facie tua montes deſfluerent*: ideſt ſuperbi humiliarentur. *Charitas* etiam veſtis eſt valde conveniens in feſto iſto, unde Bernardus loquens de filio Dei incarnato ait. Non hoc loco prædicatur magnus Dominus & laudabilis nimis, ſed parvus dominus & amabilis nimis. Parvulus utique qui natus eſt nobis, ipſe modò nobis omne amabile, ipſe pater & frater & dominus & miniſter præmium & exemplum. Sunt autem hæ *tres* veſtes *neceſſariæ* in hoc feſto propter hoc, quod in Curia illa, quam tunc tenebit Eccleſia, erunt tria genera perſonarum, ſcilicet Homo & Deus & Angelus; *Humilitas* ergo neceſſaria erit, qua Deo placeamus. Hâc placuit ei beata Virgo. Lucæ 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, & Cantic. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Nardus eſt humilis herba, unde humilitatem ſignificat. *Puritate* verò placebit Eccleſia Angelis, puritas enim hominem Angelis aſſimilat & quaſi Angelum facit. Bernardus. Quid decentius caſtitate? de homine Angelum facit, ſimilitudo enim & placere facit & amari, juxta illud Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi. Charitate* verò placebimus hominibus, amor enim ignis eſt. Ignis verò non poteſt melius accendi quam igne, ſic nec amor poteſt melius accendi, quam amore, Seneca. Vis amari, ama. Et loquitur, hoc de opere dilectionis. 1. Joan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuũ neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Hæc operit ſi quid turpitudinis eſt in homine. Proverb. 10. *Univerſa delicta operit charitas.* Væ illi qui in ſolennitate nudus apparebit. Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet & videant turpitudinem ejus. Tria* etiam feſta feſto Natalis conjuncta monent nos ad Charitatem, ad Puritatem, ad Humilitatem. Feſtum beati Stephani, qui tantæ charitatis fuit, quod genibus flexis pro ſuis lapidatoribus exoravit, monet nos ad Charitatem, feſtum Joannis, qui virgo fuit, ad Puritatem, feſtum parvulorum Innocentum ad Humilitatem. De *delitiis* verò præparandis tanto hoſpiti in tanta ſolennitate. Notandum quod deliciæ ſunt ei eſſe cum filiis hominum. Proverb. 8. non cum porcis, id eſt, luxurioſis; canibus, id eſt, detractoribus; ſerpentibus & bufonibus, cupidis circa terrena amore & ſolicitudine repentibus; & ſuperbis, quia Diaboli veneno inflantur. Joannis. 4. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*: Cibus ejus eſt puritas bonorum operum, Cantic. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi qui paſcitur inter lilia.* id eſt, inter bona opera pura intentione facta. Et quia lilium ſex habet folia, poſſumus hoc ſpiritualiter intelligere de ſex operibus Miſericordiæ. Beati ſunt verè miſericordes, cum quibus Deus facit ſolennitatem venturam in multis membris ſuis ſcilicet in multis pauperibus. Matth. 25. ubi dicit: *Quandiu feciſtis uni ex his, fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Sed multi ſunt qui multas expenſas faciunt ut Diabolum ſplendide procurent in hoc feſto, ſcilicet in membris ſuis: id eſt: in ſuperbis hominibus, Deus verò non inveniet in hoſpitiis eorum, ubi caput ſuum reclinet. Specialiter verò laus & glorificatio apponenda eſt quaſi delitiæ in hoc feſto. Pſalm. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis.* Ad hoc facit illud: tali die facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo.* Lucæ 2. Oſtendentes qualis ſit operatio angelorum in cœlo, ut ad ſimilem operationem revocarentur homines in terra. Sed nihil repræſentat ita in terris quodammodo cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. David Pſal. 62. *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.* Et ſubditur cauſa, cum dicitur: *terra dedit fructum ſuum.* Et loquitur de confeſſione laudis. Terra dicitur beata Virgo, quæ dedit fructum ſufficientem & hominibus & angelis ad æternam refectionem, & Iſa. 52. *Gaudete & laudate ſimul deſerta Hieruſalem, quia conſolatus eſt dominus populum ſuum, redemit Hieruſalem, paravit dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Quod Deus multum glorificandus eſſet pro aſſumptione humanæ naturæ figuratum eſt in hoc, quod Salomon fecit duos Cherubim in lateribus arcæ, habentes pedes obliquatos & quaſi ad jubilandũ elevatos, ut in tripudiis habent mulieres ſaltando jubilantes. Arca figurat Domini cum corpus, duo Cherubim quaſi jubilantes juxta arcã ſunt Clerici & Religioſi filiũ Dei factum hominẽ glorificantes. Sicut Deus pro nobis ſe ſine modo humiliavit, ſic quaſi ſine modo eum glorificare & exaltare debemus. Et Notandum quod *quadruplici* ratione debemus conari ad bene recipiendum tantum hoſpitem in feſto iſto. *Primo* propter hoc, quia diu eſt quod Eccleſia incepit eum invitare nobis, ſcilicet in principio Adventus, & poſt non fuit dies in qua nobis eum non invitaret, unde poterit dicere ſe quaſi deriſũ eſſe ab Eccleſia ſi non bene receperimus eum; ſatis enim habemus

Marginal notes (left column):

Pulchritudo veſtium, qualium.

Gloriatio de veſtibus exterioribus carpitur.

Triplex veſtis, in feſto Nativitatis.

1. Neceſſaria Caſtitas.

2. Humilitas

3. Charitas.

Hæ veſtes neceſſariæ ſunt.

Humilitas propter Deum.

2. Puritas propter Angelos.

3. Charitas propter homines.

Marginal notes (right column):

Tria feſta poſt Nativitatem monent nos harum veſtium.

3. Deliciæ epulatum quales & cum quibus ſint Chriſto

Lilii ſex folia, ſex opera Miſericordiæ denotant.

Glorificatio maxime eſt apponenda Chriſto, cur

5.

Arca & Cherubim figurant Corpus Domini & Clericos.

Chriſtum bene ſuſcipere debemus.

habemus de tempore ad præparandum, prætereà inſtantia viſitationis requirit diligentiam præparationis.
2. *Secundo* propter perſonæ ſublimitatem. Altiſſimus eſt enim hic, qui apud nos hoſpitari debet,
3. *Tertio* propter hujus hoſpitis utilitatem. Alii hoſpites auferre ſolent, ſed cum iſto hoſpite veniũt omnia bona juxta illud. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, loquitur de ſapientia increata quæ eſt filius Dei.
4. *Quarto* quia niſi hunc hoſpitem habuerimus, peſſimum habebimus hoſpitem, ſcilicet Diabolum. Væ illi cujus hoſpitium Diabolus in tanta ſolennitate inquinabit; omnia bona in conſpectu hujus hoſpitis fugiunt.

III. Vt obviam Chriſto eamus, qui hoc fiat, qui hoc fiat.

Tertio frequentat Eccleſia verbum propoſitum ut homines intelligentes dominum ſuum prope eſſe, exeant obviam ei. Matth. 25. *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Obviam vadit Chriſto; qui exercet aliquid de operibus ſuis, quæ ſolent commendare adventum ipſius, ut eſt ſancta meditatio, vel oratio, vel auditus divini verbi. Num. 11. *Cum deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Manna.* Ros eſt ſermo Dei modò roris ardorem concupiſcentiarum refrigerans, & ad bona opera fœcundans. Hoc deſcendente exterius, manna, id eſt, filius Dei, dulcedo animæ deſcendit interius. Sed ſunt quidam, qui cum deberent ire obviam Deo, obviant Diabolo, frequentantes malas ſocietates, audientes prava colloquia & alia exercentes, quæ ſolent eſſe occaſio peccandi, plus amantes, ut videtur, in hoc feſto in hoſpitium ſuum recipere Diabolum, quam Deum.

Dominus ad quoſdã venit.

Et Notandum quod *tribus* de cauſis non venit dominus ad aliquos, licet ſit prope.
1. quia fugiunt. *Primo* quia ipſi fugiunt eum. Pſal. 118. *Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longe facti ſunt.* Proverb. 28. *Fugit impius nemine perſequente.* Pſalm. 72. *Qui elongant ſe à te, peribunt.*
2. quia peccatus impeditur. *Secundo*, quia peccata eorum hoc impediunt. Iſa. 59. *Non eſt abbreviata manus domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat, ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret.*
3. Quia non invocatur in veritate, quid hoc ſit. *Tertio* quia non invocatur in veritate. Veritas invocationis eſt deſiderium cordis, unde in veritate non invocat qui ore tantum invocat eum. Pſal. 144. *Prope eſt dominus omnibus invocantibus eum in veritate* Non venit dominus ad hoſpitium, niſi ubi ſcit adventum ſuum deſiderari. Item non invocatur in veritate ab illis qui Diabolum invocant opere, & Deum ore. Jerem. 12. *Prope es tu ori eorum & longe à renibus eorum.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM. NATIVITATIS DOMINI.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit I. *qui ſe Chriſtus parvulus habuerit &* II. *qua virtutum exempla nobis exhibuerit.*

SERMO XIV. Quanto tempore hæres parvulus eſt nihil differt à ſervo. *Ad Galat.* 4.

MOdo recolit Eccleſia qualiter ille qui ſine æſtimatione magnus eſt, pro nobis parvulus factus eſt, & ideo legitur verbum propoſitũ in Eccleſia, quo oſtenditur qualiter parvulus iſte ſe habuerit.
I. Chriſtus parvulus qualiter ſe habuerit. Nota ergo quod Chriſtus eſt hæres Dei patris Hebr. 1. *Quem conſtituit hæredem*, & in Pſalm. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuã &c.* Hæres iſte nihil differebat à ſervo, cum parvulus eſſet,
1. Coloſſ. 2. *Primo* enim ſimiliſ erat aliis parvulis; Licet in eo eſſent omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, tamen videbatur ſapientia proficere juxta illud Lucæ 2. *Ieſus proficiebat ſapientia &c.*
2. *Secundo* licet omnia poſſet, tamen apparebat in eo naturalis impotentia loquendi, ambulandi, ut portaretur ab alio qui omnia portabat Lucæ 2. *Tulerunt illum in Ieruſalem &c.*
3. *Tertio* licet dominus omnium eſſet, ſubjectus tamen erat matri ſuæ & fabro Joſepho, juxta illud Lucæ 2. *Deſcendit cum eis & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.*
4. *Quarto* licet eſſet ſine omni macula, tamen ſignum maculæ habere voluit, ſcilicet cauterium circumciſionis Lucæ 2. *Poſtquam conſumati ſunt dies octo &c.* Circumciſio Domini. Bernard. Agnus ſine macula, qui peccati remedio non eguit, tamen voluit circumcidi, nec veſtigium ullum vulneris habens, alligaturam vulneris non refugit, nec repulit cultrum lapideum, in quo ſolo vetus illa, quæ eraderetur; rubigo non fuit. Nos verò impudentes ob fœditatem culpæ erubeſcimus agere pœnitentiam.
5. *Quinto* ille, cui ſunt omnes adminiſtratorii ſpiritus angelici, venit miniſtrare. Matth. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et ſic planum eſt, quod Chriſtus, dum parvulus eſſet, à ſervo in prædictis non differebat.

II. Chriſtus parvulus factus dedit exemplum Chriſtianis.

Et Nota quod *quatruplicitur* datur exemplum fidelibus in Chriſto.
1. Similitudinis amandæ. Primo exemplum *æquitatis & ſimilitudinis* amandæ in hoc, quod (niſi in peccatis) ab aliis hominibus differre noluit, unde Hebr. 2. dicitur quod *per omnia debuit fratribus aſſimilari.* Hoc expediens nobis erat, ut exemplo morum, uniformitatem & ſimilitudinem amaremus, quia hoc multum facit ad pacem & amorem, Eccle. 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi &c.* Pſal. 67. *Qui inhabitare facit unius moris in domo.* Unde majores in Congregatione deberent ſe conformare minoribus Eccle. 7. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus &c* Matth. 2. *Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* 1. Corinth. 9 *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci.*
2. Humiliter abſcondendi bona. Secundò datur in hoc exemplum fidelibus *humiliter abſcondendi bona ſua* uſque ad tempus opportunum. Unde Bernardus loquens de hoc quod Chriſtus de nocte voluit naſci, dicit: Ubi ſunt qui tam impudenter oſtentare geſtiunt ſemetipſos, tacet Chriſtus non ſe extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annunciat eũ Angelus, laudat multitudo cœleſtis militiæ: & tu ergo, qui Chriſtum ſequeris inventum abſconde theſaurum, ama neſciri, laudet te os alienum, ſileat tuum. Iſai. 32. *Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento & celat ſe à tempeſtate* In vitis Patrum dicitur, ſicut theſaurus manifeſtus cito minuitur, ita & virtus quælibet deperit publicata. Nam ſicut cera à facie ignis ſolvitur, ita anima per laudem perit reſoluta ab intentione ſua. Gregorius. Ille debet publicare bonum quod agit, qui ſancta humilitate fundatur, & nulla elatione contingitur.
3. Bene educandi filios. Tertio datur fidelibus exemplũ ſapienter amandi filios ſuos, ut non quærant eis ſuavia, ſed utilia: ſic enim fecit pater miſericordiarum filio ſuo dilecto, paupertatẽ & alias adverſitates proſperis ei præeligendo. Potius debet pater filiis ſuis providere imposterum quam in præſenti. Item cavere debet ne ſit miſericors crudeliter. Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filiũ ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Ibid. 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga non morietur Tu ſi virga percuties eum & animam ejus de inferno liberabis.* Et 29. *Virga atque correptio tribuit ſapientiã, puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrẽ ſuã.* Exemplum. Refertur de quodã qui ducebatur ad patibulũ, is ſimulans ſe oſculari patrem ſuũ, dentibus abſcidit naſum, dicens: Patrem fuiſſe occaſionẽ illius ſuſpendii, quia non corripuerat eum. Eccleſ. 7. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorũ. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarũ, & non oſtendas hilarem faciem tuam*

ad illas. Item 30. *Lacta filium tuum, & paventem te faciet. lude cum eo, & contriſtabit te.* Hieronymus. Nimia familiaritas parit contemptum. Et ibidem: *curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ &c. Specialiter* autem cavere debent parentes, ne filiis ſuis cito dent poteſtatem ſui. Eccleſiaſtici 30. *Non des illis poteſtatem in juventute.* Et 33. *Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua.* Et paulò poſt, *melius eſt ut filii tui te rogent quam te reſpicere in manus filiorum tuorum.*

4. Patienter ſuſtinendi adverſitates.

Quarto datur exemplum fidelibus patienter ſubſtinendi adverſitates, quoniam à Deo dantur. Nec debent credere ex odio talia dari, ſed ex amore cùm filio ſuo naturali dederit, quem dilexit. Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus.* Sufficere debet homini adoptivo, ſi ſic à Deo ametur, ſicut filius naturalis. Unde Chriſtus diſcipulis ſuis dicit Joan. 15. *Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos.* Qui ergo à Deo flagellatur, non ideo credat ſe Dei inimicum, ſed parvulum, & ideo neceſſariam ſibi eſſe flagellationem ad ſui inſtructionem & cuſtodiam. Gregorius. Quid mirum ſi flagellat cuſtodiens parvulos dominus, quos grandes quærit hæredes, flagellat hominem & erudit & cuſtodit. Iſai. 28. *Sola vexatio intellectum dabit auditui &c.* Hierem. 15. Secundum aliam tranſlationem, per omne flagellum & dolorem eruderis Hieruſalem. Job. 10. *Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum.* Apoc. 3. *Ego quos amo arguo & caſtigo.* Sicut aliquis potius gaudet ſe legitimum filium eſſe, quam adulterinum; ſic potius debet velle flagellari, quam proſperari. Hebr. 12. *Quod ſi extra diſciplinam eſtis &c.* Si promiſſa patris agnoviſti, non timeas flagellari, ſed exheredari, curre ſub manu patris flagellantis, quia dum flagellat erudit ad hæreditatem.

Proſperitates malorũ non curandæ.

Noli eſſe iniquus & puerilis, ut dicas; plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit quidquid vult quam me, quia ſi me movero contra juſſionem ejus. flagella invenio, potius gaude ſub flagellis, quia tibi ſervatur hæreditas, illis ad tempus pacit, quos in æternum damnabit. Unde Gloſſa ſuper illud. Jacob. 1. *Omne gaudiũ exiſtimate &c.* Ne indignemini fratres, ſi mali in mundo florẽt & vos patimini, quia non eſt Chriſtianæ dignitatis his temporalibus exaltari, ſed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, & vos nihil in Mundo, ſed ſpe illius boni ad quid tenditis, quidquid contingat in via gaudere debetis.

Gaudendũ in tribulatione.

Unde deberent fideles multum gaudere in tribulationibus. Job. 35. *Ubi eſt Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte.* Pſal. 41. *In die mandavit dominus miſericordiam ſuam & nocte canticum ejus &c.* Actuum 5. *Ibant*, Apoſtoli, *gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati &c.*

Dominica in Quinquageſima invenies ſermonem de illo verbo 1. Corinth. 13. *Cum eſſem parvulus*, de quo potes in hac Dominica loqui, ſi neceſſe fuerit.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Sermo ſequens. I. *explicatur tempus incarnationis dicatur tempus plenitudinis vel plenitudo temporis.* II. *Modus Incarnationis, qualis &* III. *finis Incarnationis quis fuerit explanat.*

At ubi venit plenitudo temporis &c. *Ad Galat. 4.*

SERMO XV.

IN hac Dominica poſt Nativitatem declaratur quando dominus venit, ad quid venit, & à quibus receptus ſit *Quando venit* declaratur, in Introitum Miſſæ, *Dum medium ſilentium*, &c. *Ad quid venit*, in Epiſtola: Scilicet *ut adoptionem filiorum reciperemus. A quibus receptus fuerit*, cum dicitur in Evangelio Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam*, &c (*in ruinam* ſcilicet Judæorum, qui ceciderunt per infidelitatem (*in reſurrectionem*) Gentilium qui ſurrexerunt per fidem, ſicut ait. Joan. 9. *Veni in mundum ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*, &c. Quia verò in fine mundi reliquiæ Judæorum convertentur ad fidem, ideo cantatur in fine Miſſæ, *tolle puerum*, &c.

Miſſa hujus Dominicæ docet.
1. Quando Chriſtus venerit.
2. Cur venerit.
3. A quibus ſuſceptus fuerit.

Verba thematis tria docẽt de Incarnatione.

In his verbis determinat Apoſtolus Tria, ſcilicet *tempus Incarnationis*, cum dicit, *ubi venit plenitudo temporis*; *modũ*, cum dicit, *miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege finem*, id eſt, *utilitatem*, cum dicit, *ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et deſtruit hic *triplicem* errorem; *Primo* Judæorum aſſerentium Chriſtum non veniſſe, ibi, *ubi venit plenitudo temporis. Secundo* hæreticorũ dogmatizantium Chriſtũ corpus phantaſticum habuiſſe, & non traxiſſe de Virgine, ibi, *natum ex muliere*: *tertio* Manichæorum dicentium veterem legem à Deo non eſſe, ibi, *factum ſub lege.*

Deſtruuntur tres errores.

I. Tempus Incarnationis dicitur tempus plenitudinis ob tres repletiones.

Tempus Incarnationis Domini dicitur tempus plenitudinis, immo plenitudo temporis. Tempus plenitudinis dicitur propter *triplicem* plenitudinẽ. Prima eſt repletio uteri virginalis Lucæ 1. *Ecce concipies in utero*, &c. *Secunda* eſt mentis fidelium Act. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Tertia* eſt veteris legis, de qua Dominus Math. 5. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Prima repletio fuit cauſæ ſecundæ, quia niſi venter Virginis repletus fuiſſet filio Dei, corda fidelium repleta non fuiſſent gratia Spiritus ſancti. Secunda fuit cauſa tertiæ, quia repletio mentis facit repletionem legis.

Dicitur plenitudo temporis.

1. Propter abundantiã temporalium.

Plenitudo quoque temporis dicitur propter ſex. *Primo* propter pacis abundantiam. Pſ. 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis*, &c. Joël. 2. *Implebuntur areæ frumento & redundabunt torcularia vino & oleo*, &c. Propter hoc Januarius, in quo natus fuit Dominus, depingitur ſedens ad ignem & comedẽs in abundantia omnia bona.

Ianuarius.

2. Propter abundantiã ſpiritualiũ.

Secundo propter chariſmatũ largiſſimam effuſionem. Joël. 2. *Effundã ſpiritum meum ſuper omnem carnem.* Ezech. 34. *Deducam imbrem in tempore ſuo, pluviæ benedictionis erunt*, id eſt, bonorum ſpiritualium abundantia, unde tempus gratiæ comparatur autumno.

Anni tempora collata temporibus Eccleſiæ.

Nam ſicut quæ in hyeme germinant, & in vere pullulant, & in æſtate maturantur, colliguntur in autumno. Sic etiam ante legem ſancti germinaverunt, in lege pullulant, in Prophetis ad maturitatẽ pervenerunt, tempore gratiæ colliguntur.

3. Propter figurarum repletionem.

Tertio propter figurarum impletionem, quia præcedens tempus vacuum fuerat continens figuras ſine rebus, unde altare jubetur inane & vacuum fieri & terra repleri. Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi*, quia vetus teſtamentum eſt vacuum, ſed Chriſtus factus terra, id eſt, caro, replevit illud.

4. Propter promiſſorũ exhibitionem.

Quarto propter promiſſorum ſolutionem. Joan. 1. *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum*, &c. Gratia Dei redemptio generis humani, quæ dum per adventum perficitur veritas promiſſionis Dei, in exhibitione gratiæ adimpletur & ita jam exhibita veritate & impleta promiſſione lex vetus debet ceſſare.

5. Propter creaturæ rationalis perfectionem.

Quinto propter rationalis creaturæ perfectionem. Epheſ. 1. *Propoſuit in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*, id eſt Angelos & homines, quia dum hominem reducit, magnam ex eo ſupplet ruinam angelicam.

6. Propter tẽporis propoſiti completionem.

Sexto propter propoſiti temporis completionem, de qua Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ*, &c.

Cur tamdiu diſtulit Dominus incarnari.

Sed quare tamdiu diſtulit incarnari. Ad hoc quinque poſſunt reddi rationes. *Prima*, ne

1. ſubito veniens non agnoſceretur, ideo voluit ut
exſpectaretur, Habac. 2. *Si moram fecerit exſpecta*
2. *illum, quia veniens veniet, & non tardabit*, &c.
Secunda, ut ſuperbia hominis convinceretur ad
3. Galat. 3. *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato*, id eſt
convicit Dominus peccatores eſſe omnes. *Tertia*
4. ut medicus ferventius deſideretur Iſa. 46. *Vtinam*
dirumperes cœlos & deſcenderes, &c. *Quarto* ut
potentia medici oſtenderetur. Unde Gregorius.
Tanto major apparuit potentia medici, quanto
5. magis crevit morbus ægroti. Sap. 16. *Tuus Domi-*
ne ſermo, qui ſanat omnia, &c. *Quinto* ut adepta
ſanitate non vilipendatur, unde Eccleſiaſtici 21.
dicitur: *Fili, peccaſti? non adjicias iterum.*

II. Modus Incarnationis qualis.

Item modus Incarnationis, cum dicit, *miſit filium ſuum*, non Prophetam, non Angelum, *factum ex muliere*, quia caro ejus tantum originem habuit à beata Virgine Hieremiæ 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* Ibi dicit Bernardus Si dixiſſet fœmina circumdabit infantem vel parvulum, nec novum videretur, nec mirum: nunc verò quia nihil tale poſuit, ſed dixit virum, verto me ad conceptionem & partum virginalem, ubi agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta; altitudo ſubdita, profunditas plana. Vir ſiquidem erat Jeſùs nondum natus, ſed ſapientia, non ætate: non vigore corporis, ſed maturitate ſenſuum: non corpulentia membrorum, ſed potentia virium: neque enim minus habuit ſapientiæ conceptus, quam natus. Nec eſt *contrarium* quod dicit Evangeliſta Lucæ 2. quia *Ieſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia*, quia non ita accipitur, quaſi ſeipſo melior factus ſit, ſed quia prout tempus poſtulabat, magis ac magis apparuit ſapientia & gratia quam habebat. Et ita proficiebat apud homines, quando illi in ejus cognitione proficiebant: apud Deum verò quando eos ad laudem Patris, à quo hoc eſſe teſtabatur, provocabat. Novum ergo quadrupliciter fuit, quia creatus in ſanctitate, quia conceptus ſine virili ſemine, quia perfectus in ſapientia & virtute, quia natus de Virgine. *Tribus* namque modis hominem Dominus fecerat: Scilicet de viro & muliere, ſicut aſſiduus monſtrat uſus. Item nec de viro nec de muliere, ſicut Adam. Item de viro ſine muliere, ſicut Evam. Reſtabat ergo unus modus ut faceret de muliere ſine viro, ſicut Chriſtum: ut ſicut cauſa damnationis ſumpſit principium à fœmina, ita & ſalutis. Et quia virgo erat quæ fuit cauſa mali, fortius illa, quæ fuit cauſa boni: Item *Factus fuit ſub lege*, non tamen coactè, ſed voluntarie, quia circumciſus fuit & omnes obſervantias legis implevit. Et hoc propter quatuor cauſas. *Prima* ne Judæi dicerent, quod legem implere non potuiſſet. *Secunda* ut legem à Deo datam probaret. *Tertia* ut onera noſtra experimento cognoſceret, & nobis compati diſceret. *Quarta* ut in ſeipſo veterem legem terminaret.

Ieſus quomodo profecerit ſapientia, &c.

Deus fecit hominem tribus modis. Chriſtum quarto modo fecit hominem.

Chriſtus ſub lege factus fuit ob quatuor.

III. Finis Incarnationis quis.

1. Liberatio ab onere Legis veteris.

Sequitur de Utilitate: ibi, *ut eos qui ſub lege erant redimeret*, duo præmiſit & duo ſubjunxit, reddendo ſingula ſingulis. Quare itaque *factus eſt ſub lege? ut eos qui ſub lege erant redimeret*; quia magno gravamine oppreſſi erant à quo eos redemit, & à legis onere liberavit Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*, &c. quod ſcriptum eſt Deuteron 27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Galat. 3. *Factus pro nobis maledictū*: Scilicet ſuſtinēdo ſupplíciū quod pro maledicto, id eſt, peccato erat, ſicut ſcriptum eſt Deuteron. 21. quando peccavit homo, qui morte plectendus erat, & adjudicatus morti appenſus fuerat in patibulo, non permanebat cadaver ejus in ligno, ſed eodem die ſepeliebatur, *quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno.* Ex hoc patet quod ille tantum maledictus eſt qui peccat, quia Deus odit peccatum, ſed Chriſtus non peccavit, ſicut oſtenditur Iſai. 53. *Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore ejus*, ſic nec maledictus à Deo. Suſtinuit ergo tantum maledictum pœnæ, ut nos liberaret à duplici maledicto, ſcilicet culpæ & pœnæ. Item quare *factus eſt ex muliere?* ſcilicet filius hominis *ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Venit namque filius naturalis, ut alienos fratres & cohæredes efficeret. Oſeæ 13. *Ipſe inter fratres divides*: hæreditatem ſcilicet & onus hæreditatis, quod eſt ut per tribulationes veniamus ad regnum.

2. Liberatio à peccato ac pœna peccati.

Chriſtus factus maledictum.

3. Adoptio in filios Dei.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicatur hoc ſermone thema, maxime qui ſint ii qui corpora ſua Deo offerunt hoſtiam vivam ſanctam Deo placitam, aut contrarium.

Obſecro vos per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, &c. *Roman.* 12.

SERMO XVI.

I. Status incipientium, proficientium & perfectorum circa quid verſentur.

PRimo monet ad regimen corporis, quia ſecundum Bernardum ſtatus incipientium circa corpus ſe habet proficientium circa animam ſe exercet, perfectorum non niſi in Deo requiem habet. Viator primo debet providere de equo, qui non ſit ita laſcivus ut eum dejiciat, nec ita debilis ut in via deficiat. Etiam cavere debet homo ne faciat dietam nimiam, Bernardus. Oportet corpus reſtringere, non opprimere: ſerviat, non ſæviat: ancilletur & ne dominetur.

Corpus quomodo tractādum.

Manſuete regendi ſubditi.

Obſecro vos per miſericordiam &c. In *primo* verbo dat formam Prælatis ſecundum *manſuetudinem* regendi ſubditos. Seneca. Generoſus eſt animus hominis & in arduum atque contrarium nitens, facilius ducitur quam trahatur. Ezech. 34. *Cum auſteritate imperabatis eis cum potentia, & diſperſæ ſunt oves meæ.* 3. Reg. 12. dicunt ſenes ad Roboam: *ſi locutus fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſervi cunctis diebus.* Per *miſericordiam* poteſt ſpecialiter intelligi illa miſericordia, qua Dominus effudit ſanguinem ſuum ad abluenda peccata noſtra. Et ſecundum hoc ad frangenda corda adamantina ſanguine Chriſti utitur, ſicut ſanguine hircino adamas frangi ſolet. Zachar. 7. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Et ſecundum hoc eſt *adjuratio*, ut ei corpora noſtra offeramus, qui corpus ſuum pro nobis in cruce obtulit. Solent homines adjurare per id quod magis amant & cui magis tenentur. Sic Apoſtolus adjurat nos homines per miſericordiam Dei, quam maxime amare debemus, & cui tenemur maxime, & cujus offenſam maxime cavere debemus. *Obſecro vos per miſericordiam Dei* quæ nobis tot & tanta beneficia contulit, filium Dei pro noſtra redemptione vendidit, pro vivificatione noſtra occidit, & pro noſtra ablutione ſanguinem ejus effudit, & in noſtra defenſione ipſum quaſi clypeum in cruce oppoſuit, ut pro nobis ictum ſuſtineret, & cum inimici eſſemus, in filios Dei nos adoptavit, quæ etiam nos inter tot & tanta pericula cuſtodit. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti.* Thren. 3.

Miſericordia qualis hic intelligenda.

Adjuratio ſeu obſecratio quid & aliquid fiat hic.

II. Hoſtiam mortuam offerunt.

1. Impii volentes ſepeliri in loco ſacro.

Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam, &c. *vivam* per charitatem: *ſanctam*, per puram intentionem: *placentem*, per hilaritatem. Corpora ſua *hoſtiam mortuam* offerunt qui dicunt, quando mortuus fuero ſepeliar in illa Religione, & dum vivunt in peccatis ſuis perſeverant. Anima ſepelietur in inferno, & cadaver vult ſepeliri in cœmeterio, vel in loco ſacro. *Item* hoſtiam mortuam offerunt,

Digitized by Google

1. Sine charitate opera pœnitentiæ agentes. qui ſine charitate, quæ eſt vita operum, carnem ſuam macerant jejunando, peregrinando, vel pœnitentiam in ſudore vultus ſui faciendo. *Primum* intelligo in eis qui in Quadrageſima tarde veniunt ad pœnitentiam, & magnam partem jejunii Quadrageſimalis faciunt in mortali. *Secundum* in illis qui vadunt ad ſanctum Jacobum vel Romam injuriam non pacificantes, non attendentes illud Eccleſiaſtici 34. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Tertium* intelligo in his, qui de labore vivunt, qui pœnitentiam à Deo injunctam in ſudore vultus ſui agunt, & tamen ſic eam inutilem reddunt, quia in mortali remanent, & unde poſſent lucrari regnum æternum, ſi extra mortale eſſent & bonam intentionem haberent, lucrantur tantum aliquid temporale vel mundanum. *Vel* mortuam hoſtiam offerunt Clauſtrales, qui corpora habent in clauſtro, corda in ſeculo. Corpus enim mortuum eſt, quod ab anima, vel à corde ſeparatum eſt. Hi faciunt iniquam partitionem, ut qui animas dant Diabolò, corpora Deo. De talibus non eſt mirum ſi clauſtrum ſit eis carcer & magnum dolorem ſentiant, cum ipſi continuò ſuſtineant quaſi mortem, mors enim eſt diviſio animæ à corpore. *Hoſtiam ſanctam* offerunt qui pura intentione carnem ſuam macerant. Sanctum enim idem fere eſt quod ἄγιον, id eſt, ſine terra. Quales hi non ſunt, qui aliquâ terrenitate opera ſua inquinant, ut ſcilicet in illis qui peregrinationes faciunt ad Romam vel ad ſanctum Jacobum, & toto tempore vitæ ſuæ inde gloriantur, ſimiliter multi ſunt quibus non ſaperet ſervitium quod faciunt in Eccleſia, niſi terreno lucro conditum eſſet. Tales pro condimento cibum, quem Deo præparant, terra, vel luto inquinant, & ſic ei illum abominabilem reddunt. Deus enim paſcitur operibus bonis, unde cibum ei præparamus, quando bona opera facimus. Contra tales dicitur in Pſalmo 95. *Tollite hoſtias, & introite*: & Oſeæ 5. *Victimas declinaſtis in profundum.* & Malach. 1. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia & incendat altare meum gratuito. Beneplacet hoſtia* cum aliquis carnem ſuam cum hilaritate mactat. Matth. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, &c. 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Eccleſiaſtici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Illi qui cum triſtitia & murmure & amaritudine bona opera faciunt, ponunt velut fel in eſca Domini, quæ eſt bonum opus, & potant eum aceto acerbitatis & triſtitiæ, Pſalm. 68. *Potaverunt me aceto.* Et *nota* quod quidam ſunt qui corpora ſua Deo offerunt hoſtiam viventem per fidem, ſanctam per ſpem, Deo placentem per charitatem. Alii Diabolo offerunt hoſtiam fœtentem, ut luxurioſi & hypocritæ, qui propter vanam gloriam ſe macerant, demum quicunque in Diaboli ſervitio corpora ſua affligunt.

1. Jejunantes. 2. Peregrinantes. 3. Alias pœnitentes.

3. Clauſtrales corde in ſeculo conſtituti.

2. Hoſtiam ſanctâ qui offerât, qui non.

3. Hoſtiam placentem qui offerât, qui non.

Alia oblatio triplex hujus hoſtiæ. Diabolo qui offerât.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Et hoc ſermone thema exponitur, quatuor vero precipue tractantur. I. *monet ne conformemus nos ſeculo* II. *ut reformemur mente* III. *explicat quomodo fideles ſicut membra corporis humani ad invicem ſe habere debeant.* IV. *Religioſos ad bene vivendum incitat.*

Nolite conformari huic ſæculo. &c. *Rom.* 12.

SERMO XVII.

1. Conformatio huic ſæculo.

NOtandum quod *conformatio* hujus ſeculi ſic fit. Mundus iſte fornax eſt Babylonica, quæ *quatuor* fomentis ſuccenditur: Scilicet *napta, malleolis, pice & ſtuppa. Naptam* vocamus quod remanet de olivis, cum oleum exprimitur, ſcilicet oſſa cum fece vel amurca, & ſignificat pœnitentiam, à qua ſi ſeparetur uſus operum miſericordiæ, quod in oleo ſignificatur, nihil aliud remanet quàm fomentum ignis infernalis, Jacob. 5. *Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Malleoli* ſunt ſarmenta vinearum, & ſignificant ſæcularem potentiam, quæ quantumcunque ſit magna indiget tamen ſuſtentari à ſubditis quaſi pacillis. Potentes hujus ſæculi ad modum palmitum ſi ſtipiti, id eſt, Deo adhæreant, magnum fructum faciunt in Eccleſia: quantum enim ad corpora ſunt loco Dei, Clerici quantum ad animas, ſi verò à ſtipite ſeparentur, fomentum ſunt ignis infernalis. In *pice* verò, quæ nigra eſt, & inquinat, & accenſa terrum facit odorem, luxuria deſignatur quæ magnæ eſt infamiæ, unde vocatur macula. Eccleſiaſtici 47. *Inclinaſti femora tua mulieribus.* Et ſubditur: *Dediſti maculam in gloria.* In *ſtuppa* verò intelligitur vanitas gloriæ ſæcularis, quæ citò tranſit, ſicut ſtuppa citò ad ignem. In fornace iſta ſufflator eſt diabolus, de quo Iſa. 54. *Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas.* In fornacem iſtam projicitur aurum & argentum; ſcilicet aliquis innocens homo, & egreditur inde vitulus, homo ſcilicet vanus & laſcivus, ut legitur Exod. 32. Notandum quod ſunt aliqui qui conformare ſe volunt unicuique in malo, hi ſunt ſimiles chamæleonti, qui videtur talis coloris, qualis eſt res juxta quam eſt. Ipſæ etiam Simiæ ſunt diaboli, de quibus legitur. 3. Reg. 10. Quod Salomoni afferebantur dentes Elephantorum & Simiæ & Pavones. Per quæ intelliguntur tria vitia quæ abundant in eis qui Curias frequentant In dentibus, qui candorem præferunt, & tamen lædunt, ſignificantur verba adulationis & deceptionis, quæ quaſi candorem prætendunt & tamen nociva ſunt. In Simiis verò intelliguntur illi, qui volunt imitari quidquid vanitatis vident fieri. In pavonibus verò intelliguntur illi, qui de magnitudine caudæ, id eſt, multitudine ſociorum gloriantur. Conformatio mala prohibetur. Deuter. 22. ubi legitur: *Non induetur mulier veſte virili: nec vir utetur veſte fœminea. Abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.* Sancti homines qui viriles debent eſſe, non debent ſe conformare malis in vanitatibus eorum, nec mali debent ſe conformare bonis per hypocriſim. Item notandum quod huic ſæculo non debemus nos conformare, quia ſæculum iſtud *monſtrum* eſt habens faciem retro & non ante, & caput deorſum & pedes ſurſum. Caro enim ſpiritui dominatur in amatoribus hujus ſæculi. Item oculos habet majores quam ventrem, plura enim expenduntur ad paſcendum oculos, quam ad paſcendum ventres. Mundus iſte eſt *beſtia* illa, de qua legitur Apoc. 13. quæ habebat *capita ſeptem & cornua decem & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ. Et erat ſimilis Pardo, & pedes ejus ſicut pedes urſi, & os ejus ſicut os leonis.* Peccator beſtia eſt, quod figuratum eſt. Daniel 4. in Nabuchodonoſor. Bernardus: Quid enim beſtialius eſt homine, qui rationem habet & ratione non viget. Septem capita ſunt ſeptem vitia, quæ peccatori dominantur. Septem enim dominos habet, ex quo conſtat in magna ſervitute eſſe. Caput ſuum, ſcilicet Chriſtum, luxurioſus à ſe amputat & quaſi caput porci ſibi coaptat, & ſic de aliis vitiis. Decem cornua ſunt tranſgreſſiones Decalogi, quibus homo Deum impugnat. Decem Diademata ſive decem cornua ſignificant gloriam, quam habent peccatores de peccatis. Nomina verò blaſphemiæ ſunt verba, quibus peccatores de peccatis ſuis ſe excuſant, & Deum accuſant. In pardo verò quia eſt varii coloris, intelligitur varietas & duplicitas quæ

1. Mundus fornax Babylonicâ ſuccenditur. 1. 2. 3.

4. Diabolus eſt ſufflator in hac fornace.

2. Conformatio hujus ſeculi in variis malis.

Vitia Curialium.

3. Conformatio cum hoc ſeculo vitanda.

1. Quia mundus eſt mõſtrum mirabile.

2. Quia eſt beſtia in Apocalypſi deſcripta.

quæ eſt in mundo iſto, habent enim homines aliud in corde & aliud in ore, & aliud dicunt hic & aliud ibi. Pedes verò ſimiles habent urſo, manibus humanis ſimiles ſunt pedes urſi. Sic peccatores opera habent ſimilia operibus hominum, potius tamen opera eorum opera beſtiarum ſunt. Manus hominum majorem diſcretionem & diſtinctionem habent, quàm pedes beſtiarum, ut quaſi à natura inſtruantur homines, quod potius cum diſcretione debeant operari, quam beſtiæ; peccatores tamen concupiſcentiam ſuam ſequuntur abſque diſcretione quaſi bruta animalia. Ipſi ad modum urſi mel temporalis dulcedinis ſequuntur uſque ad mortem. Os verò eorum eſt ut os Leonis. Fœtet enim quantum ad mala verba, & patulum eſt quoad guloſitatem, unde Pſal. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Sepulchrum dicitur, quò ad fœtorem, patens, quo ad vitium gulæ.

II. Reformatio mentis non valde duræ fit, Verbo Dei Exemplis Chriſti & Bonorum.

Sequitur (*Sed reformamini in novitate ſenſus veſtri*: vel mentis veſtræ.) Nota hanc eſſe viam ad reformationem imaginis. Ignem Spiritus ſancti oportet in corde hominis accendi, de quo igne dicit Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.* Adſuccendendum multum valet verbum Dei, unde Pſal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum*; & iterum Pſalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Deinde niſi materia ſit valde dura, ſufficit ut recta forma imprimatur, quod ſit quando exempla bona ante oculos hominis ponis. Præcipuè verò ad hoc valet exemplum Chriſti. Ipſe enim eſt ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Bernardus, quam formoſum te in forma mea cognoſco Domine Jeſu, non ſolum propter divina quibus effulges miracula, ſed etiam propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam. Item: beatus es domine Jeſu qui te hominem inter homines converſantem pro viribus ſe præbet imitatorem tui. Auguſtinus. Summa religionis imitari quem colis. Alij ſancti errare poterunt, ſed Chriſtus non, unde ipſe dicit. Joan. 8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Propter exempla multum valet ad reformationem imaginis eſſe in bona ſocietate. Si autem cor ſit nimis durum, neceſſe eſt ut malleatio diſciplinæ vel alterius tribulationis addatur. Notandum tamen quod in quibuſdam Clauſtris malleatur ſuper ferrum frigidum. Abundat enim ibi diſciplina, ſed deeſt ibi verbum Dei per quod fornax divini amoris ſuccendatur, deſunt etiam ibi recta exempla, & ideo non eſt ibi reformatio: unde in Proverb. 27. *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus* Sequitur (*ut probetis quæ ſit voluntas Dei*, &c) Cum reformatio fiat per Dei imitationem, & non poſſimus eum imitari in ſapientia & potentia, conſequens eſt ut imitemur eum in bona voluntate, & ideo ſequitur: *ut probetis*, &c. Joan. 4. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Voluntas Dei bona dicitur, quia nihil vult niſi bonum; beneplacens verò eſt illis qui intelligunt & experti ſunt; perfecta verò eſt in omni bonitate, ut nihil ſit cà melius. Vel bona poteſt dici voluntas ejus, qua vult ſanctificationem noſtram. 1. Theſſal. 4 *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Hæc voluntas Dei bona eſt & miſericordia plena cum peccator mortem meruerit, & Dominus pro morte ſanctificationem requirit. Ezech. 18. *Nolo mortem morientis*, &c. Voluntas Dei beneplacens eſt, quæ vult ut homo inſtet bonis operibus, præcipuè operibus miſericordiæ. Unde in Oſeæ 6. *Miſericordiam volui & non ſacrificium*, & Jerem. 9. *Ego ſum qui facio miſericordiam & judicium, & juſtitiam in terra, hæc enim placent mihi.* Perfecta autem voluntas eſt qua Dominus vult ut homo pro amore ejus paupertatem & alia mala pœnæ voluntariæ aſſumat, vel ſibi illata à proximo patienter ſuſtineat. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes & da pauperibus.* 1. Theſſal. 5. *Videte ne quis malum pro malo reddat*, &c. & ſequitur: *hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu*, &c. *Specialiter* autē videtur pertinere hoc verbum, *probetis*, &c ad Clauſtrales, ad quos dicit Bernardus. Non eſt noſtrum languere circa communia præcepta, nec attendere quid Deus præcipiat; ſed quid velit, probantes quæ ſit voluntas Dei bene placens & perfecta (*Non plus ſapere, quam oportet ſapere.*) 1. Corinth. 8. *Scientia inflat.* Iſidorus libro Etymologiarum: Credere debemus, diſcutere prohibemur. Proverb. 25. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonū, ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* 24. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere*, & 25. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi*: & 30. *Qui vehementer emungit elicit ſanguinem* &c. Eccleſiaſtæ 7. *Dixi, ſapiens efficiar, & ipſa longius receſſit à me.* Eccleſiaſtici 3. *Altiora te ne quæſieris.*

Imitatio Chriſti.

Pſal. 44.

Reformatio quibus [illegible] quæ fiat. Reformationis Clauſtralis abſurda reprehenſio.

Quid ſit voluntas Dei bona beneplacens & perfecta explicatur modo explicatur, & imitanda proponitur.

Hoc maximè ad Clauſtrales ſpectat.

Non nimis Sapiendū.

III. Fideles habeant ſe ad invicem ſicut membra corporis humani.

Sequitur: (*Sicut enim in uno corpore*, &c.) utitur Apoſtolus ſimilitudine ſumpta à membris corporis ad oſtendendum quomodo fideles debeant ſe habere ea invicem. Attendendæ ſunt diligenter proprietates membrorum. Notandum ergo *primo* quod membrum unum non invidet alij membro etſi non habet idem officium quod aliud habet; ſi enim omnia membra unicum haberent officium, eſſent quaſi unum membrū, unde 1. Corinth. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? & ſi totum audiens, ubi odoratus?* & poſt. *Quod ſi omnia eſſent unum membrū, ubi corpus?* & hic dicitur: *Omnia membra non eundem actum habent. Secundo* nullum membrum corporis actum ſuum approperat, ſed alij communicat. Imò oculus eſt oculus omnium aliorum membrorum, & ſic de cæteris membris. Immo cum oculus cætera membra videat, ipſe ſolus ſibi inviſibilis eſt. Sic fideles ſe & ſua debent communicare aliis fidelibus, unde hic dicitur. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Tertio* unum alij officium ſuum non vendit ſed gratis dat. Sic deberet eſſe inter fideles, ſed aliter eſt hodie. Michææ 3. *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant. Quarto* membrum unum læſum ab alio non ſe vindicat. Sic etiam debet eſſe in membris Eccleſiæ. Unde infra in hac Epiſtola dicitur. *Nulli malum pro malo reddentes. Quinto* membra infirmiora abundantiori honore honoramus & magis neceſſaria ſunt. 1. Corint. 12. *Quæ videntur membra infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus*, &c. & hic dicitur: *honore invicem prævenientes.* Ambroſius: Non eſt membris honor, niſi mutuis ſe præveniant obſequiis. *Sexto* unum membrum alij compatitur & congaudet. 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra, ſi vero gloriatur unum membrum congaudent omnia membra.*

2.

3.

4.

5.

6.

IV. Bonæ vitæ forma in tribus conſiſtit.

Diſtinguit Bernardus novem gradus, quorum tres primos ponere ſufficiat. Quorum *primus* eſt perfecta obedientia, *ſecundus* eſt corpus ſuum in ſervitutem redigere, *tertius* eſt uſus boni & conſuetudinem in delectationem vertiſſe, Philoſophus. Optima forma vivendi eligenda eſt, quam jucundam reddet aſſuetudo. Perfecta obedientia eſt, cum (maxime in incipiente) indiſcreta eſt, hoc eſt, non diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantum niti ut fideliter & humiliter fiat quod à majore præcipitur. 1. Corinth. 3. *Stultus fiat ut ſit ſapiens.* Et hoc omnis ejus ſit diſcretio, ut in hoc nulla ei ſit diſcretio circa præceptum ejus omnis

Obedientia perfecta qualis.

Viſio ſcalæ Iacob Religioſis accommodatur.

ſapientia ſit, ut hac parte ei nulla ſit. Pedes, quibus aſcenditur ſcala, ſit meditatio & oratio. Bernardus.. Aſcendamus duobus pedibus, meditatione & oratione, meditatio quid deſit, docet, oratio ne deſit, obtinet: illa viam oſtendit, iſta deducit. In hoc verò quod ſummitas ſcalæ cœlum tangebat, innui videtur quod boni Clauſtrales ſi decedant ſtatim evolant: ut verò ſimile eſt quod frequenter ſtatim evolent, qui bene in Clauſtro ſe habent, & pro peccatis quæ fecerunt ante ingreſſum Clauſtri purgatorium non intrent. Si enim falce martyrij momentanei omnia reſecantur, quanto magis martyrium clauſtralis mortificationis, quod durat per viginti vel triginta annos, omnia reſecabit. Hoc autem quod vidit Jacob Dominum innixum ſcalæ, multum debet monere Clauſtrales ad aſcendendum velociter per ſcalam clauſtralis pœnitentiæ, cum poſt aſcenſionem ſcalæ ad Deum ſint perventuri: Hoc etiam quod dictum eſt Jacob à Domino, *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris*, &c. erat ad ſolatium bonorum Clauſtralium, qui in protectione Dei commorantur.

Religio martyrio comparatur.

Tria motiva Religioſorum ut ſanctè vivant.

Tria etiam tanguntur in hac viſione quæ clauſtrales debent monere ut cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur. *Primum* eſt Angelorum ſocietas, quæ notatur ibi: *Angelos quoque aſcendentes & deſcendentes.*

1. Angelorum præſentia.

Angeli aſcendunt quando devotas orationes bonorum Clauſtralium Deo offerunt. Tob. 12. *Quando orabas cum lachrimis*, &c. Deſcendunt verò quando voluntatem Dei bonis fidelibus conſulunt, fiunt enim immiſſiones per Angelos bonos, ſicut etiam per malos.

2. Dei præſentia in Clauſtris tanquã ſactis locis.

Secundum eſt Dei præſentia: unde Jacob ait. *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Cum magna reverentia debet homo ſe habere in loco, quem ſcit Deum inhabitare. Sic deberet bonus Clauſtralis ſe cuſtodire in Clauſtro ſuo, quaſi ſi videret Deum ſemper ante ſe; Clauſtrum enim eſt domus Dei, in qua Deus habitat, unde ſubditur. *Pavenſque, Quam terribilis*, inquit, *eſt locus iſte, non eſt hoc aliud niſi domus Dei.* Michææ 6. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium & diligere miſericordiam & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Et Geneſ. 5. dicitur de Enoch quod *ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Sic debet ſe habere, qui cum Deo ambulat. Multum timendum eſt in loco ſancto malè vivere, cum ſcriptum ſit in Iſa. 26. *In terra ſanctorum iniqua geſſit & non videbit gloriam Domini.* Præterea multum durè punita ſunt peccata illa quæ in ſanctis locis commiſſa fuerunt, ut peccatum Luciferi, quod commiſſum eſt in cœlo, & peccatum Adæ, quod commiſſum eſt in Paradiſo.

3. Proximitas Cœli.

Tertium eſt proximitas cœli, quod notatur ibi: *& porta cœli.* Væ illis, qui jam ſunt ad portam cœli, ſi non contingat eos cœlum intrare. Væ etiam illis, qui de domo Dei faciunt domum diaboli.

Reprehenſio malorũ Clauſtrorum.

Hoc eſt factum in illis Clauſtris, quæ paulatim ad tantam diſſolutionem venerunt, quod facilius eſt ſalvari mundo, quam in talibus Clauſtris. Quaſi de porta cœli ad portam inferni ſe præcipitat, qui in Clauſtro mortaliter peccat. Peccatum enim porta inferni dicitur Math. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo docet ſolicitudinem ſæcularem vitandam fidelibus, & ſpiritualem amplectendam Prælatis. Deinde quæ ſint conſideranda dantibus eleemoſynam, quando pauperes eam petunt.

SERMO XVIII.

Qui præeſt in ſolicitudine (ſupple) præſit.
Roman. 12.

Qui præſunt ſolicitudinem debent habere.

NOtandum quod ſolicitudinem ſolùm illis qui præſunt approperat. Gubernator enim navis aliis dormientibus vigilat, aliis quieſcentibus laborat, ſimiliter & paſtor cuſtodit vigilias noctis ſuper gregem ſuum, Luc. 2. dum alij dormiunt, idem faciunt vigiles caſtrorum. Velut vigiles Eccleſiæ ſunt illi qui præſunt, unde in Cantic. 3. *Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem.* Solicitudo magna quæ debet eſſe in illis qui præſunt innuitur, cum dicitur Pſal. 120. *Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.*

I. Solicitudo duplex eſt.

Et notandum quod *duplex* eſt Solicitudo, *ſæcularis* & *ſpiritualis*.

1. Sæcularis, vitanda fidelibus.

De *ſæculari* legitur Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus*, &c. Iſta non debet eſſe in veris fidelibus. *Primo*
quia temporalia acceſſoria ſunt regno Dei, unde 1.
ibidem: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam*
ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Secundo quia 2.
hæc ſolicitudo aufert meliorem ſolicitudinem, unde 1. Corinth. 7. *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt*,
&c. *Præterea* hæc ſolicitudo habet turbationem, 3.
unde Dominus Lucæ 10. *Martha Martha ſolicita*
es & turbaris erga plurima. Item quia Dominus ſo- 4.
licitus eſt de his, qui ſolicitudinem ſuam in eum projiciunt. 1. Petr. 5. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et Pſal. *Jacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Auguſtinus, projice te in Deum, non eſt ita crudelis ut ſe eripiat, & te cadere permittat.

2. Spiritualis debet eſſe in præſidibus, qualis.

Solicitudo verò *ſpiritualis multiplex* debet eſſe in illis qui præſunt. *Primo* ſoliciti debent eſſe de cuſtodia animarum ſuarum, in majori enim periculo
ſunt quam alij. *Totum* enim *pondus prælij ver-*
ſum eſt in Saul, ut legitur 1. Reg. ult. Illi qui 1.
præſunt ad modum vigilum, qui caſtra cuſtodiunt, timere debent ſibi tam ab hoſtibus, tam à dominis quàm ab utriſque. Vigiles enim puniuntur ſi dormientes inveniuntur. Deuter. 4. *Cuſtodite ſolicite*
animas veſtras. Item oportet eos ſolicitudinem ha- 2.
bere circa Deum, cujus cuſtodes ſunt. Prov. 27. *qui cuſtos eſt domus ſui, glorificabitur.* Michææ 6. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum:* & poſt pauca ſubditur: *Solicitum ambulare cum Deo tuo*, quod præcipuè neceſſarium eſt his qui præſunt, quia tales familiarius debent adhærere ei. *Item* oportet
eos habere ſolicitudinem circa familiam magnam 3.
quam habent, ut de cibo ſibi provideant. Non debent eſſe ſine ſolicitudine qui mille animabus tenentur providere de cibo, Joannis ultimo dictum
eſt Petro. *Paſce oves meas. Præterea* ad majorem 4.
ſolicitudinem monet hoc quod infirmi ſunt illi, quorum ipſi curam habent. Seneca. Tantum negotij habet quantum Medicus in peſtilentia. *Alia* ſo- 5.
licitudo debet eſſe circa ſubditos, ut eos à dæmonibus defendant. Joan. 10. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor videt lupum venientem, & dimit-*
tit oves, & fugit. Item oportet eos ſolicitudinem 6.
habere quomodo Deo poſſunt rationem reddere, ipſi enim invigilant quaſi rationem reddituri pro aliis 2. Tim. 2. *Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem*, &c.

II. Quinque ſunt conſideranda dantibus eleemoſynam cum eam pauper petit.

Sequitur (*qui miſeretur in hilaritate*) ſupple *ſubveniat.* 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Quinque debet attendere ille à quo pauper eleemoſynam quærit. *Primo* quis petat, quoniam dicitur Matth. 25. *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Secundo* debet cogitare quid petat, quoniam ſuum petit, non tuum. Unde
valde ingratus eſt qui abundat ad menſam ſuam de 1.
bonis Domini, & non vult dare modicum panis 2.
Domino petenti. *Tertio* debet cogitare ad quid 3.
petat,

petat, non enim petit ad dandum, ſed ad mutandum cum centupla uſura. Unde Auguſtinus Miſer homo quid fœneraris homini, fœnerare Deo, & centuplum accipies & vitam æternam poſſidebis. Mirum eſt quod homines nolunt accommodare Deo ad talē uſuram, ad qualē accommodarent Judæis & Saracenis, ſi hoc poſſent ſine peccato. Auguſtinus. Chriſtus dicit, da mihi ex eo quod dedi tibi, de meo quæro, & mihi nō donas, de meo quæro, da & reddo, habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem, pauca mihi das, plura reddam, temporalia mihi das, æterna reſtituam: hoc verbum Auguſtini pertinet ad ſecundum & tertium membrum. *Quarto* debet cogitare quod ipſe habet petere à Deo regnum æternum, qui nunc petit ab eo modicū panis, & ſi negat homo hoc modicum, Deus negabit ei regnū. Prov. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Cato. *Ne dubites cum magna petas impendere parva.* *Quinto* cogitare debet à quo Deus petit eleemoſynā, quam Deus largitus fuerit quando dedit nobis ſeipſum & pro redemptione noſtra mori voluit.

Benedicendum perſequentibus ob duo.

Sequitur *benedicite perſequentibus*, &c. bis benedicere monemur perſequentibus, & quoniā benefici ſunt, & quia inde mercedem à Deo non expectant.

DOMINICA SECUNDA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Dehortatur nos iſte ſermo à ſuperbia intellectus ſapientiave mundana, & hortatur ad veram prudentiam.

SERMO XIX.

Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos, &c. *Ad Rom. 12.*

I. Superbia intellectus quid & qualis ſit.

DIſſuadetur hoc *ſuperbia intellectus*, qua aliquis ſe ſapientem reputat. Quæ verbo etiam diſſuadetur. Proverb. 3. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*, Iſa. 5. oſtenditur quam ſit periculoſa hæc ſuperbia. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris*, &c. Sapientiam non habere eſt ſimpliciter ignorantia, credere verò ſe ſapientem eſſe cum non ſit, quaſi inſania eſt: ſic enim eſt in eis ut in phreneticis & in inſanis, qui ſe ſapientes reputant & alios ſtultos. Iſta falſa opinio eſt quaſi quædam macula in oculo cordis, quæ impedit ne lumen ſapientiæ ibi poſſit recipi. Talis non ſolum non habet ſapientiam, ſed habet quendam tumorem in corde, qui impedit, ne cor ejus capax ſit ſapientiæ, tumor enim ſapientiam repellit. Proverb. 26. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.* Sicut loca profunda magis abundant aquis in certis locis: ſic inter ſapientes ſapientior eſt qui eſt humilis, & inter inſipientes inſipientior eſt qui ſuperbus eſt. Hanc ſuperbam opinionem de ſua ſapientia habent præcipuè ſapientes hujus mundi, de quorum ſapientia legitur. 1. Corinth. 1. *Stultam fecit Deus ſapientiā hujus mundi.* Et 3. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Rom. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* *Sapientia* verò hujuſmodi *tres ſpecies* habet quæ tanguntur à Jacobo 3. dicente: *Non eſt hæc ſapientia deſurſum deſcendēs, ſed terrena, animalis, diabolica.* Terrenam habent qui ſciunt temporalia bona adquirere. Hanc habent talpæ hujus mundi, quæ ſub terra ſapienter ſe habent, ſupra terram verò nil vident. Sed erit tempus quando *perturbabuntur velut reptilia in ædibus ſuis.* Mich. ult. Animalem habent vitam qui bonis adquiſitis ad delicias utuntur, de quorum ſapientia Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Diabolicam habent illi, qui *ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt* Jerem. 4. qui ſcilicet ſciunt cautè decipere homines & nocere eis, qui dominum percutientes in membris ſuis, facto videntur dicere: *Propheti za? quis eſt qui te percuſſit?* ſic enim nocent hominibus, quod homines non perpendunt quis hoc fecerit. Secundo diſſuadetur in hoc verbo appetitus, quo aliqui appetunt habere ſcientiam, non ad ædificationem ſui vel aliorum. De quibus multi ſunt qui ſcire volunt eo tantum fine ut ſciant, & turpis curioſitas eſt; alij ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt; alij ut ſcientiam ſuam vendant pro pecunia, pro honoribus, &c. & turpis queſtus eſt; alii ut ædificent, & charitas eſt; alii ut ædificentur, & prudentia eſt. Eccleſiaſtici 20. *Sapientia abſconſa & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Auguſtinus, in libro de doctrina Chriſtiana. Omnis res quæ dando non deficit, ſi habetur & non datur, nondum habetur quando habenda eſt. Contra illos qui ſcientia ſua uti nolunt ad utilitatem proximi plenius habes in tractatu de vitiis in capite de avaritia ſcientiæ.

Eſt triplex.

Matth. 26.

2. Scientia appetitus ſine ædificatione malus eſt.

II. Prudentiā vera duplex.

1. Circa ſe Serpentina prudentia qualis.

Qui prudentiam habet, debet eâ primo uti circa ſe, deinde circa proximum. Ad *primum* monemur Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Serpens pro capite totum corpus exponit, ſic & nos pro capite Chriſto corpus tribulationibus exponere debemus. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*, &c. Item ſerpens in arcto loco veterem pellem deponit, ſic & nos in arcto pœnitentiæ debemus deponere vetuſtatem culpæ; ſerpens etiam contra incantationem unam aurem obſtruit terra & aliam cauda. Sic nos contra blandimenta hujus ſæculi debemus munire nos conſideratione terrenitatis noſtræ & mortis. Item notandum quod ſecundum Bernardum vera prudentia eſt, ſi mala præterita defleas, ſi temporalia iſta contemnas, ſi æterna concupiſcas. *Hæc triplex prudentia* innuitur nobis Deuteron. 32. ubi ſic legitur. *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. Saperent* præterita peccata, quam ſint amara. Jerem. 2. *Vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Malum eſt in culpa & amarum in pœna. Utinam *intelligerent* præſentia quam ſint vana. Eccleſiaſtæ 1. *Vanitas vanitatum*, &c. Quaſi quædam ſomnia ſunt. Somnia extollunt imprudentes. Vide tractatum de ſtultitiis avarorum. Sunt quidam qui divitias & delitias ſomniant, ſimiles Pharaoni qui de vaccis pinguibus & ſpicis plenis ſomniavit, interpretationem verò ſomnii ignorant, neſcientes quanta ſterilitas & macies ſecutura ſit divitias & delitias hujus mundi. Talis erat ille, cui dictum eſt Lucæ 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. Talis erat etiam dives ille epulo, de quo Luc. 16. Quidam verò ſomniant de honoribus & laudibus qui nec ſomnum ſciunt, nec ſomnii interpretationem ſimiles Nabuchodonoſor Dan. 2. Neſciunt enim quid amant, qui gloriam hujus mundi amāt, quæ nihil eſt. Bernardus de ſuperbo: credit quod audit, & quid intendat nō attendit, hoc eſt, nec ſomnii reminiſcitur, nec interpretationē ejus intelligit, quia neſcit quid ſit ſtatuā terminari in luto & lapide de monte exciſo comminui, quod tamen exponitur Oſeæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Et Matth. 21. *Super quem lapis iſte ceciderit conteret eum. Item: utinam noviſſima providerent*: Scilicet æternitatem gloriæ, quantum ad bonos; & mortis quantum ad malos; ut ſibi providerent quantum Joſeph contra ſterilitatem futuram. Proverb. 6. *Vade ad formicam ò piger*, &c. Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, &c. Sequitur (*providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.*) Coram Deo qui cor intuetur debemus bona providere *tripliciter. Primo* in cognitione, ut ſit munda, Michææ 2. *Væ qui cogitatis inutile. Secundo* in affectione, ut ſit

Prudentiā hæc triplex eſt.

1.

2. Divitiæ delitiæ honores ſomniā ſunt, qualia? Gen. 43.

3

2. Circa Deū & proximū. Bona providenda coram Deo tripliciter.

Coram homine. 3. 1.

ſancta. *Tertio* in intentione, ut ſit recta. *Item* coram hominibus debemus bona providere *tripliciter*. In *habitu*, ne ſit notabilis. Auguſtinus. Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. In *locutione*, ne ſit irrationabilis. Sermo enim nuncius rationis eſt, & ideo ſine ratione non debet eſſe in te. Unde in ſolis habentibus rationem naturaliter invenitur ſermo, & ideò meritò de omni verbo ocioſo redditurì ſumus rationem in die judicij. Et in *operatione*, ne ſit reprehenſibilis.

Matth. 12. 3. Scandalum vitandum.

Et nota quod non ſolummodo debet homo cavere ab offenſa Dei, immo etiam à ſcandalo proximi. Unde Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis*: ſupple: quæ non cavet. Item: *Væ illi per quem ſcandalum venit*: & ibidem. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundu maris*. Exod. 22. *Si egreſſus ignis invenerit ſpicas & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit*. Ignem peccati ſuccendit, qui ſuo malo exemplo

Pax ſequenda.

proximum ſcandalizat. Sequitur (*ſi fieri poteſt, quod ex vob s eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*) Hebræor. penult. *Pacem ſequimini cum omnibus, ſine qua nemo videbit Deum*. Quidam ſunt qui pacem ſibi oblatam recipiunt, ſed ſi fugiat, eam non ſequuntur, non enim laborant ut eam habeant, nec eam emere volunt. Contra quos dicitur. *Pacem ſequimini*, etiam ſi fugiat Et in Pſal. 33. (*Inquire pacem & perſequere eam.*) Hæc eſt hæreditas noſtra à patre noſtro nobis relicta. Joann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* Potius expediret homini mori, quam hac hæreditate privari. 3. Reg. 21. Naboth interfectus eſt amore hæreditatis ſuæ quam noluit à ſe alienare. Pſalm. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*. Pacem locutus eſt, ubi fructus juſtitiæ ſeminatur. Jacob 3. *De his quæ valere poſſunt ad amorem pacis, habes in tractatu de ira in Cap. de Guerris.*

DOMINICA TERTIA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

SERMO XX.

Hoc ſermone agitur de dilectione, maxime proximi, quare & quomodo is ſit diligendus.

Nemini quicquam debeatis, &c. *Ad Rom 1.*

Charitas.

ID eſt, cætera ita ſolvite ut non debeatis aliquid niſi charitatem, charitatem vero ſolvite, ut ſemper debeatis. Auguſtinus: Sola charitas eſt, quæ etiam reddita, ſemper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur autem ſi reddita fuerit, quia nullum eſt tempus quo impendenda non ſit.

Proximus diligendus eſt. 1. Propter naturalem attinentiam.

Nota quod multæ ſunt cauſæ propter quas proximum debemus diligere. *Primo* propter naturalem attinentiam ſeu parentelam. Omnes enim ſumus fratres ex uno patre & ex una matre. Unde Malach. 2. *Numquid non pater unus omnium noſtrum?* Cum Dominus Angelos ſimul creavit, ipſe tamen unicum hominem à principio voluit facere, ut alij ab eo exeuntes tanquam fratres ſe amarent

2. Propter ſimilitudinē ſpeciei.

Secundo propter ſimilitudinem, Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi*. Si lupus non exercet malitiam in alios lupos quam exercet in res quæ non ſunt ſimilis ſpeciei, ſimiliter & leo & ſerpens, quid dicendum eſt de homine qui deſævit in alium hominem? niſi quod ferocior videtur lupis, leonibus, & ſerpentibus. Si natura docet bruta animalia manſuetudinem & amorem ſervare ad ſibi ſimilia, quam excuſationem habebunt homines, qui per rationem quam habent talia non faciunt? ipſa etiam aqua quæ velut quandam pugnam habet contra ignem, pacem habet cum terra quæ eſt ſimilis ſpeciei.

3. Propter amorē Creatoris in hominem & ſimilitudinē hominis ad Creatorem.

Tertio verò propter amorem Creatoris. Eſt enim ſecundum ſapientem idem velle, idem nolle perfecta amicitia. Ille qui perfectè amat Deum, amat quæcunque ſcit ab eo amari. Unde cùm ſciat Deum ſic dilexiſſe hominem, ut filium ſuum unigenitum pro eo morti expoſuerit, ſuper omnia bona temporalia hominem debet diligere. Ad hoc etiam multum debet incitare ſimilitudo quam habet homo ad Creatorem ſuum. Licet enim aliquis amet omnes filios amici ſui, magis tamen amat eum, qui aſſimilatur ei, ita licet homo amorem debeat habere ad creaturas propter creatorem, magis tamen ad hominem, quem ſcit ei aſſimilari. Ad hoc etiam debet incitare eum hoc, quod homo à Deo ita care emptus eſt.

4. Propter cōplacentiam Dei de amore mutuo inter homines.

Quarto propter hoc quod tantum placet Deo amor proximi. Unde Eccleſiaſtici 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo. quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Nec mirum ſi capiti placet membrorum unio, cum aliter membra non regantur à capite, niſi ſint in uno corpore. Quantum placeat Deo amor proximi, ſatis apparet ex hoc, quod Dominus ſpecialiter vocat mandatum de dilectione proximi eſſe mandatum ſuum Joann. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Et quod dicit diſcipulos hoc ſigno ſpecialiter agnoſci. Ibidem 13. *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis.* Sicut diſpenſator alicujus divitis injuriam facit pauperi, cui Dominus ſpecialiter aliquid præcipit dari, ſi illud detinet; ſic ſi amorem tuum non das proximo cui Dominus, cujus eſt amor, illum præcipit dari, indubitanter facis ei injuriam.

5. Propter utilitatem.

Quinto quia nihil eſt utilius quam proximum amare, ſicut nihil utilius membris alicujus corporis quam ſibi invicem eſſe conjuncta. Si enim aliquod membrum ab aliquo corpore ſeparetur, jam inutile eſt & à ſpiritu non vivificatur.

6. Propter fraternitatem ſpiritualem.

Ultimo debemus amare proximum fideliter propter fraternitatem ſpiritualem, nati enim ſumus ex uno patre Deo & una matre Eccleſia cum baptizati ſumus, ubi effecti ſumus filij Dei & fratres ſpirituales, ſocij in lucro præſenti, juxta illud Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, & in ſpe cohæredes regni æterni. Si tantum amant ſe aliqui propter carnalem nativitatem, quæ vilis eſt, ſcilicet quia ex eodem patre & ex eadem matre, quantum debent ſe amare fideles propter cœleſtem generationem? Item ſi quis amat fratrem illum qui ſecum hæreditatem partitur & diminuit, quantum debet amare fratres illos qui hæreditatem ſuam ei augebunt? quantò enim plures ſalvi erunt, tantò plura gaudia habebunt electi. Nullum gaudium temporale tantum valet, ſicut gaudium illud, quod habebit aliquis de ſalute unius electi.

Proximus bonus quare amandus. 1.

Ideò nota quod amandus eſt proximus ſive credatur bonus, ſive credatur eſſe malus. Quando creditur eſſe bonus, ſatis apparet quod amandus eſt ab his qui Deum amant, cum talem Deus non ſolùm filium ſuum reputet, ſed etiam reputat ſibi attinere quaſi in genere attinentiæ. Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

2.

Præterea ipſe eſt membrum Chriſti. Quis Chriſtianus non amaret pedes Chriſti? & ſi poſſet, lavaret eos & oſcularetur? quantum ergo amare debet pedes illos, pro quibus Chriſtus pedes proprios clavis configi voluit? Pedes iſti ſunt fideles humiles qui ſunt membra corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus. *Item* cum tantus honor exhibeatur pixidi ubi 3

corpus

corpus Chriſti ſervatur, quantum amandus eſt & honorandus ille, in quo creditur Deus manere? Joan. 14. *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Si verò proximus tuus malus ſit, hoſtis tuus ſit, & tibi noceat, tamen etiam amandus eſt & *propter Deum, propter te, & propter ſeipſum. Propter Deum*: quia ſi Deum diligis, ſicut filium ejus amabas cum ſanæ mentis erat, ſic propter Deum debes amare illum, cum inſanæ mentis ſit factus. *Item propter ipſum* proximum debes amare eum: quia ſi fratrem tuum amabas ſanum, nihilominus debes eum amare ægrotum; in tali enim ſtatu magis indiget amore tuo, quam in alio. *Item propter teipſum* debes eum amare, magis enim lucraris amando eum cum tibi nocet, quam ſi tibi beneficus eſſet.

Proximus malus amandus ob tria.
1.
2.
3.

Expoſitio hujus dicti, diliges proximum ſicut teipſum.

Sequitur (*Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, &c.) id eſt ad id, ad quod te ipſum, ſcilicet ad fruendum Deo. Auguſtinus. Qui amat homines, aut quia juſti ſunt, aut quia non juſti ſunt, amare debet. Vel: *ſicut teipſum*: ut ea quæ tibi vis provenire, velis & proximo ſecundum illa duo præcepta naturalia. Tob. 4. Quod tibi oderis fieri, alteri ne feceris, & Matth. 7. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis.* Hæc eſt expoſitio hujus verbi: *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, &c. Notandum *tripliciter* oſtendit nobis ſcriptura modum quo debemus proximum diligere. *Primo* ad ſimilitudinem amoris, qui eſt inter membra ejuſdem corporis, de quo dictum eſt prius. *Secundo* per ſimilitudinem amoris, quem habet homo ad ſeipſum. *Tertio* per ſimilitudinem amoris, quem habuit Chriſtus ad nos, de quo Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut*, &c. Et nota quod Chriſtus dilexit nos pluſquam ſe, quantum ad vitam mortalem, & plus quam ſua, unde Hierem. 12. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.*

Repetitio dictorum, quomodo diligendus proximus,
1.
2.
3.

Chriſtus quantum nos dilexerit.

Dilectio cur ſit plenitudo Legis.
1.

Plenitudo legis eſt dilectio. Auguſtinus. Ubi charitas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? ubi charitas non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? *Duabus* de cauſis dicitur eſſe dilectio plenitudo legis. *Primo* quia tria præcepta Decalogi dicuntur pertinere ad dilectionem Dei & ſeptem ad dilectionem proximi, unde qui perfectè Deum & proximum diligit, decem præcepta Decalogi implet. *Secundo* verò quia licet opera mandatorum fiant, non eſt ibi plenitudo, ſi charitas deſit, ſi unus homo haberet tot opera de genere bonorum, quot habet totus mundus, ſi charitas deeſſet vacuus à Deo repudiaretur. Unde Deuter. 16. *Non apparebit ante Dominum vacuus.* Et 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c.

2.

DOMINICA QUARTA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo ſequens tradit quibus ſpiritualibus veſtimentis, & quas ob cauſas Chriſtiani induti eſſe debeant.

SERMO XXI.

Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera Miſericordiæ, &c. *Ad Coloſſ.* 3.

Veſtis innocentiæ Baptiſmalis amiſſa recuperanda, non amiſſa pulchrior reddenda, &c.

SIcut pueri ſolent veſtibus ſuis ſpoliari quando furantur fructus alienos & deprehenduntur ibi, ſic primus homo veſtem innocentiæ perdidit, quando fructum prohibitum comedit. Unde Lucæ 10. *Qui deſpoliaverunt eum*, &c. Hanc veſtem recuperat homo in Baptiſmo, in cujus ſignum parvuli veſte candida induuntur. Et beatus eſt qui hanc veſtem recuperatam in Baptiſmo cuſtodit. Apocal. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet & videant turpitudinem ejus.* Væ illis qui hanc veſtem amiſerunt. Erubeſcentior enim videtur eſſe nuditas quantum ad hanc veſtem ſpiritualem, quàm nuditas quantum ad veſtem corporalem. Cujus ſignum eſt quod primi parentes tunc primò erubuerunt, cùm fuerunt nudati veſte innocentiæ, prius enim non erubeſcebant, licet corporalem nuditatem haberent. Diligenter ſervanda eſſet illa veſtis quæ in extremo judicio coram toto mundo deferenda eſt, hanc qui non habebit, nudus apparebit in tanta Curia. Ideo monet illos qui veſtem ſpiritualem amiſerunt induere eam, illos etiam qui hanc ſervaverunt induere pulchriorem. Debent enim filii Dei quando creſcunt veſtes pulchriores habere, ſicut filii nobilium pulchriores veſtes habent quando ſunt adulti, quam quando ſunt parvuli. In ſolemnitatibus etiam debent fideles pulchriores veſtes ſpirituales habere quàm in die laboris, ſicut & de corporalibus veſtibus fit. Item in diebus illis in quibus debent regem ſuſcipere, ſcilicet in diebus in quibus communicant, debent habere pulchriores quàm in aliis diebus.

Fideles ſpiritualiter debent pulchrius veſtiti eſſe diebus feſtis & communionis.

Innuitur autem triplex cauſa quare fideles veſtium pulchritudinem deberent aſſumere. *Prima* eſt magna dignitas ad quam ſunt electi, quæ cauſa innuitur cum dicitur: *Induite vos ſicut electi Dei.* Si electi ad dignitatem aliquam terrenam honorabiliter volunt eſſe induti, quid debent facere illi qui ad regnum æternum ſunt electi? *Secunda* cauſa eſt ſanctificatio qua Sacramentorum participatione ſanctificati ſunt: qui enim ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi fit filius Dei & templum Spiritus ſancti. 1. Joan. 3. *Filij Dei ſumus.* 2. Cor. 6. *Vos eſtis templum Dei vivi.* Pulchriores veſtes decet habere Dei filios quam diaboli ſervos, & ornatus pretioſior decet templum Dei, quam domos communes. Pſal. 92. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Tertia* eſt Dei dilectio, aliter enim decet eſſe indutos amicos regis cœleſtis, quam alios. Unde legitur. 1. Machab. 11. quod Antiochus volens Jonatham eſſe inter amicos regis dedit ei poteſtatem eſſe in purpura & habere fibulam auream. Purpura eſt charitas perfecta deſiderans pro nomine Chriſti aſpera pati. Fibula verò eſt perfecta caſtitas non admittens alienum, neque quantum ad viſum, neque quantum ad tactum, & hoc propter amorem Sponſi. Ad litteram fibula impedit ne pectus mulieris pudicæ videri poſſit vel contingi. In auro verò amor intelligitur. In purpura ergo & fibula intelliguntur charitas & caſtitas quæ ſunt propriæ veſtes animæ à Deo dilectæ, juxta illud Prov. ult. *Byſſus & purpura indumentum ejus.* Et *notandum* quod veſtis Chriſtianorum ſpecialiter eſt Chriſti ſimilitudo, juxta illud Rom. 13. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, id eſt ſimilitudinē ejus. 1. Cor. 15. *Qualis cæleſtis tales & cæleſtes.* Scilicet filii cœleſtis regis, & ſubditur. *Igitur ſicut portavimus imaginē terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Auguſtin. Summa religionis eſt imitari quem colis.

1. Fideles pulchré debent eſſe veſtiti.

1. Quia electi ad dignitatem ſanctorum.

2. Quia ſancti ſunt ob Baptiſmi ſanctificationem.

3. Quia ſunt dilecti Deo amici ejus: Jonathæ veſtitus ſignificat charitatem & caſtitatē, quæ ſunt veſtes amici Dei.

Veſtis Chriſtianorum eſt ſimilitudo Chriſti.

Diſtinguuntur tamen hic tria genera veſtium quæ competunt fidelibus ſecundum tres cauſas, quæ jam poſitæ ſunt, quæ cauſæ tanguntur cum dicitur: *Sicut electi, ſancti, dilecti. Prima veſtis* eſt *Pietas*, quæ valde pulchra eſt, juxta illud Eccleſiaſtici 35. *Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis.* Hac veſte indutus venit filius Dei, juxta illud Luc. 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Illi erunt digni Dei ſocietate, qui hac veſte induti invenientur. Mat. 5. *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiā conſequentur.* 25. Ejuſdem. *Venite benedicti patris mei poſſidete regnū*, &c. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare.* Hæc veſtis ſpecialiter pertinet ad fideles, quia electi ſunt miſericorditer ad tantam dignitatem. Congruum enim eſt ut miſericordiam aliis exhibeat, qui miſericordiam tantam ſuſcepit. Ad pietatem verò primò monet Eccleſia, quia quaſi naturalis eſt homini,

Veſtis fidelium triplex.

1. Pietas ſeu miſericordia interior, quia ſunt electi.

Digitized by Google

unde apud omnes nationes commendabilis eſt. Job
31. *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de
utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Ad pietatem
monet Eccleſia cum dicit hîc per Apoſtolum : *In-
duite viſcera miſericordiæ*, ideſt affectus compaſſio-
nis. Phil. 2. *Si qua viſcera miſerationis.* Nulla vir-
tus convenientior videtur in hac valle miſeriæ
quàm miſericordia. *Secundum* genus veſtis eſt *effe-*
2. Miſericordia exterior quia ſunt ſancti. *ctus exterior pietatis* qui enim proximo in corde
compatitur, exterius debet effectum compaſſionis
indicare, aliter non eſt vera compaſſio, unde Gre-
gorius ſuper illud Job 30. *Flebam quondam ſuper
eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea
pauperi.* Nunquid qui verè compatitur, quod ne-
ceſſarium conſpicit proximo, negat? Iſa. 58. *Cum
effuderis eſurienti animam tuam*, ecce compaſſio
cordis, *& animam affectam repleveris*, ecce exhi-
bitio operis, *orietur in tenebris lux tua.* *Sex* verò
Effectus pietatis ſeu miſericordia. tanguntur ibi quæ pertinent ad effectum pietatis.
Primum eſt *benignitatis*, quæ attenditur in hoc
quod homo ex pietate ſua pauperi largiatur. Epheſ.
1. 4. *Eſtote invicem benigni.* *Secundum* eſt *humilitas*,
2. quæ attenditur in hoc, ut homo in propria perſo-
na miniſterium ſuum exhibeat indigenti. Joan.
13. *Si ego lavi pedes veſtros Dominus & magiſter, &
vos debetis alter alterius lavare pedes.* *Tertium* eſt
3. Duplex ſpiritualis. *modeſtia*, quæ in hoc attenditur, ut ſermones no-
ſtros moderemur quando peccatores corripimus.
Eccleſiaſtici 8. *Non incendas carbones peccatorum
arguens eos.* Et Proverb. 12. *Qui ſuavis eſt vivit in
moderationibus, relinquit contumeliam.* *Item* mo-
Corporalis deſtia attenditur in hoc, quod in proſperis ſic ex-
penſas noſtras moderemur, ut indigentias proximi
explere poſſimus, unde Philip. 4. *Modeſtia veſtra
4. nota ſit omnibus hominibus.* *Quartum* eſt *patientia*,
quæ in hoc attenditur, ut malum pro malo non
reddamus, unde 1. Petri 3. *Non reddentes malum
pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è con-
5. tra benedicentes.* *Quintum* eſt *ſupportatio oneris
proximi*, juxta illud Galat. 6. *Alter alterius onera
portate.* Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecilli-
6. tates infirmorum ſuſtinere & non nobis placere. Vl-
timum* eſt *condonatio*, de quo hic : *donantes vobiſ-
metipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam,
ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* Ad
Epheſ. 4. *Donantes invicem ſicut & Deus in Chri-
ſto donavit vobis.* Matth. 18. *Nonne oportuit & te
miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum.*
Eccleſiaſtici 28. *Relinque proximo tuo nocenti te,
& tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. Homo
homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam.
In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam,
& de peccatis ſuis deprecatur.* Non eſt aliter vera
patientia in homine, niſi homo ei, quem tolerat,
offenſam remittat & amet. Gregorius. Vera patien-
tia amat quem tolerat. Nam tolerare & odiſſe non
eſt virtus manſuetudinis, ſed velamen iniquitatis.
Exhibitio vero miſerationis exterioris pertinet ad
fideles, eo quod ſunt ſancti. Sacramentorum ſcili-
cet participatione fratres ſpiritales effecti. Sed quia
opera pietatis etiam inutilia ſunt, niſi charitas ad-
1. Charitas quia ſunt dilecti. ſit; juxta illud 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pau-
perum omnes facultates meas, charitatem autem
non habuero, nihil mihi prodeſt*; ideo monet Eccle-
ſia ad charitatem, quæ eſt tertia veſtis dicens hic:
ſuper omnia hæc charitatem habente, ubi dicit Gloſ-
ſa. Ambroſius. Magis eſt ſtudendum ei virtuti
quæ major eſt omnibus. 1. Cor. 12. *Adhuc excellen-
tiorem viam vobis demonſtro*, quod de charitate
intelligitur : & 1. Petri 4. *Ante omnia mutuam in
vobiſmetipſis charitatem continuã habentes.* Hæc eſt
veſtis illa Chriſti, quã Chriſtus noluit dividi. Joan.
19. licet pedes & manus fodi permiſerit. Veſtis iſta
pertinet ad fideles qui à Deo ſunt dilecti, valde
enim oportet ut Deum diligant, qui ab eo dilecti
ſunt uſque ad aſſumptionem noſtræ humanitatis,
immo uſque ad ponendũ animam ſuam pro nobis.
Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet ut
animam ſuam*, &c. Bernardus. Super omnia reddit
te emihi amabilem bone Jeſu calix, quem bibiſti
opus redmptionis noſtræ.

Et notandum quod *quinque* ſunt quæ ad veſtis II.
commendationem ſolent facere. *Primum* eſt pul- Veſtes fidelium commendant.
chritudo coloris, ſic patientia vel pietas pulchra
veſtis eſt, velut enim roſei coloris eſt. Utrumque 1.
enim eſt quaſi quoddam martyrium. De pietate ha- Color roſeus patientiæ & miſericordiæ.
bes 2. ad Corinthios 11. Quis infirmatur, & ego
non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?
De patientia dicit Gregorius. Sine ferro & flam-
mis martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in tri-
bulatione cuſtodimus. *Secundum* eſt odor, unde 2.
Cantic. *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thu-* Odor largitatis vel benignitatis.
ris. In hoc valde commendabilis eſt benignitas &
largitas, ipſa enim eſt veſtis illa de cujus odore po-
teſt intelligi illud Geneſ. 27. *Statimque ut ſenſit ve-
ſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait.
Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni cui benedixit
Dominus.* Illi enim qui de facultatibus ſuis paupe-
ribus largi ſunt, benedicunt pauperes, benedicit &
populus, benedicit & Dominus. *Tertium* eſt artifi- 3.
cium. Hoc modo commendabilis eſt modeſtia in Artificium, modeſtia in ſermone.
regendo labia ſua, maximæ enim diſcretionis eſt
modeſtiam tenere in verbis. Prov. 10. *Qui mode-
ratur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* *Quartum* eſt ma- 4.
teriæ precioſitas, ſic ſpes commendabilis eſt cum Precioſitas materiæ, ſpes vitæ æternæ.
materia ejus ſit beatitudo. Eſt ſpes certa expectatio
futuræ beatitudinis, ut dicit Auguſtinus. *Quin-
tum* eſt ſuavitas. Sic pax vel manſuetudo commen- 5.
dabilis eſt. Coloſſ. 3. *Pax Chriſti exultet in cordi-* Suavitas manſuetudinis.
bus veſtris. De manſuetis autem dicitur Pſalm. 36.
Manſueti delectabuntur in multitudine pacis. Et Veſtis precioſiſſima charitas.
in his omnibus commendabilis eſt Veſtis Charita-
tis. In *colore* cõmendabilis eſt cum ſit veſtis deaura- 1.
ta, vel potius aurea, juxta illud. *Aſtitit regina à dex-* A colore.
tris tuis in veſtitu deaurato. Ab *odore* etiam com- Pſal. 44.
mendabilis eſt, valde enim redolet Deo juxta illud 2.
Cant. 1. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea* Ab odore.
dedit odorem ſuum. Gloſſa Interlin. dicit quod nar-
dus eſt humilis herba calidæ naturæ per quam cha-
ritas deſignatur. Commendabilis etiam eſt ab *ar-* 3.
tificio, quaſi enim ſtuduiſſe videtur Deus ut ſpon- Ab artificio
ſæ ſuæ hanc veſtem contexerit, quando tot & tan-
ta fecit ut eam ad amorem ſuum accenderet. Pſalm.
9. *Annunciate inter gentes ſtudia ejus.* *Quarto* 4.
commendabilis eſt propter *pretioſitatem materiæ.* Ob materiæ pretioſitatẽ.
Si ſericum pretioſum eſt quod trahitur de viſce-
ribus vermium, quàm pretioſa debet eſſe veſtis
charitatis, quæ quodam modo trahitur ex viſceri- Luc. 2.
bus Chriſti? dum per foramen lateris patet nobis
amor, quo Chriſtus dilexit nos, quo amore ad eum
diligendum accendimur Bernardus. Patet arcanum
cordis per foramen corporis, patet magnum illud
pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ
in quibus viſitavit nos oriens ex alto. *Quinto* com- 5.
mendabilis eſt hæc veſtis à *ſuavitate*, propter Ob ſuavitatem.
quam unctio vocatur. 1. Joan. 2. *Vos unctionem ha-
betis à ſancto.* Item notandum quod Charitas eſt ve- Effectus charitatis.
ſtis turpitudinem peccatorum operiens, juxta illud
1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1.
Prov. 10. *Vniverſa delicta operit charitas.* Humilitas Operit mala.
etiam eſt veſtis operiens, ſed humilitas operit bo- Humilitas operit bona
na ne videantur, abſcondita enim ſunt bona noſtra
etiam a propriis oculis ne evaneſcant, charitas ve-
rò operit mala. Humilitas eſt quaſi veſtis de ſacco,
ſub qua latitant filij Dei Iſa. 50. *Induã cœlos tenebris
& ſaccum ponam operimentum eorum*, & Jonæ 3.
Surrexit (Rex) *de ſolio ſuo & abjecit veſtimentum* 2.
ſuum à ſe & indutus eſt ſacco. Item charitas eſt veſtis Calefacit.

valde *calefaciens*, propter quod ignis dicitur à Domino Lucæ. 12. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.* Charitas etiam *ornat*, & ſine ejus ornatu indigna eſt anima cœlum ingredi. Ipſa eſt veſtis nuptialis, de qua Matth. 22. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Et charitas veſtis nuptialis poteſt dici, quia matrimonium quo humana natura ſoror noſtra nupſit filio Dei multum requirit ut veſtem charitatis habeamus. Si enim matrimonia quæ fiunt quotidie inimicos amicos efficiunt, quomodo hoc excellens matrimonium homines ad Dei amorem non accendet? Item charitas hominem *munit*, quia *fortis eſt ut mors dilectio.* Cantic. ult. & 1. Corinth. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt &c.* Charitas eſt & decor & fortitudo: decor in quantum ornat, fortitudo in quantum munit. Prov. ult. *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Proprium indumentum eſt Eccleſiæ charitas, quæ fortitudo eſt quando perfecta eſt. Lucæ ultimo. *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* Virtus iſta ex alto, fuit ardor charitatis. Sequitur, *quod eſt vinculum perfectionis.* Charitas dicitur vinculum, quia membra Eccleſiæ ligat ad virtutem, & in qua ligatione perfectio eſt Eccleſiæ. 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Jerem. 13. *Agglutinavi mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Juda, dicit Dominus.* & Deuter. 10. *Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus & amavit eos.*

3. Ornat. Eſt veſtis nuptialis, quomodo.

4. Munit.

Charitas eſt vinculum, quale.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Agitur hoc ſermone de triplici curſu ad Mortem, Infernum, & Paradiſum. Item de iis, quæ currentem à comprehendendo bravio æterno vel Paradiſo impediunt, & quæ ad hoc adjuvant.

SERMO XXII.

Sic currite ut comprehendatis. 1. *Corinth.* 9.

CUrſus de quo Apoſtolus loquitur non eſt curſus levitatis, ſed eſt curſus ſapientibus & inſipientibus ſpectabilis, & poſſumus diſtinguere ſecundum ſcripturas Tres ſpecies Curſus. Primus eſt Curſus ad *mortem temporalem.* Hoc curſu currunt omnes magni & parvi, & potentes & contracti. Hoc currunt pueri antequam vadant, quilibet enim ſingulis diebus facit unam dietam ad mortem. De hoc curſu dicit Auguſtinus. Nihil eſt aliud tempus præſentis vitæ quam curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare vel tardius ire permittitur, ſed omnes urgemur pari motu. Ex quo verbo ſatis apparet quàm fatuum ſit ſectari gaudium In mundo iſto, cùm potius fletus pertineat ad eos qui ad mortem tendunt quàm riſus, ideo rectè dictum eſt à Salomone Eccleſiaſtæ 2. *Riſum reputavi errorem &c* Ex eodem verbo patet fatue agere eos, qui tantum laborant ut diu vivant. Valde enim fatuum eſt ad locum aliquem currere & nolle ad eum pervenire, unde Auguſtinus: Quanta cura, quanto opere quærunt homines ut diu vivant? ipſum autem diu vivere, quid eſt niſi ad finem currere? ſtudia tua contraria ſunt, ambulare vis & pervenire non vis. Et Gregorius. Quid eſt vita mortalis niſi via: & quale ſit fratres mei perpendite, in labore viæ laſſari & eandem viam nolle finiri. Hoc tamen *notandum* quod ſicut in flumine non apparet velox curſus navis, niſi reſpectus habeatur ad ſtabilitatem littoris, ſic nec apparet velox curſus vitæ præſentis niſi habeatur reſpectus ad æternitatem vitæ futuræ. Tunc bene cognoſcunt hunc velocem curſum, unde illi qui ſunt in inferno dicunt Sap. 5. *Nos nati continuo deſinimus eſſe.* Et ſicut fatuus eſſet, qui in modica terra haberet jus dominandi tanto tempore, quanto poſſet tranſire eam ſuper uno veloce equo, & in uno magno regno haberet jus illud perpetuo poſſidendi, ſi primo jure ſecundo jure ſe ſpoliaret; ſic fatui ſunt qui mundum iſtum regno æterno præponunt. *Duo* exempla hujus curſus invenimus in creaturis. *Primum* eſt curſus aquarum, unde 2. Regum. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Sicut ergo fatuus eſſet qui curſū aquæ defleret, ſic fatuus videtur eſſe qui mortem mortalium defleт. *Aliud* exemplum eſt curſus ſiderum, præcipue curſus ſolis, unde Eccleſiaſtæ 1. *Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum revertitur.* Quam citò ſol ortus eſt, tam cito incipit currere ad occaſum, & quando creditur occidiſſe, occulte redit ad locum unde proceſſit. Sic homo quàm citò natus eſt incipit currere ad mortem, & cum mortuus creditur ad auctorem ſuum revertitur ut pœnam vel præmium à Deo recipiat.

Tres curſus hic tractandi.

I. Curſus ad mortem temporalem Currendus eſt omnibus.

1. Hinc colligitur fatuum eſſe in hoc Mundo gaudere velle.

2. Diu vivere velle.

Brevis curſus vitæ unde apparet.

3. Hanc vitam æternæ præponere.

Curſus vitæ ſimilis eſt curſus aquarum.

Solis.

Secundus Curſus eſt *malorum*, de quo curſu legitur Hierem. 23. *Factus eſt curſus eorum malus & fortitudo diſſimilis.* Diſſimilitudo iſta poteſt attendi in hoc, quod ipſi ſunt fortes ad malum & debiles ad bonum. Curſus verò iſte nihil aliud videtur eſſe quam feſtinatio ad mortem æternam. Nunquid ad mortem æternam feſtinant illi, qui non ſolum malum de die operantur, ſed etiam de nocte? nec ſolum ferialibus diebus, ſed etiam feſtivis: qui non ſolum duobus pedibus vadunt in infernum, ſed etiam omnibus membris peccant? Unde Proverb. 6. *Homo apoſtata, vir inutilis graditur ore perverſo.* Qui peccatum ore committit, ore quodammodo graditur in infernum. Idem poteſt dici de aliis membris. De hoc curſu dicit Bernardus. Magna confuſio, ardentius deſiderant ſeculares pernitioſa quàm utilia, alacrius currunt ad mortem quàm nos ad vitam. Mali homines on[illegible] ſpinis vitiorum ad infernale incendium non ceſſant currere, nec admonitionibus ſpinas volunt deponere, quibus incendi debent, nec ad modicum tempus quieſcere, ſingulis diebus faciunt dietam unam illuc. Vere gens abſque conſilio ſunt & ſine prudentia, utinam ſaperent & intelligerent ac noviſſima providerent, utinam cogitarent vias ſuas & converterent pedes ſuos in viam Paradiſi.

II. Curſus malorum ad Infernum qualis.

Deuterõ. 32.

Tertius Curſus eſt *bonorum* de quo Bernardus, qui amat ardentius, currit velocius & pervenit citius. Et de hoc curſu loquitur hic Apoſtolus. *Sic currite &c.* & Hebr. 12. *Curramus ad propoſitum nobis certamen.* Hoc curſu currit qui inceſſanter bonū operatur, juxta illud Eccleſiaſtæ. 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quo tu properas.* Opus non erit ibi, ſed potius merces operis. Ratio etiam excuſationis vel defenſionis non erit ibi, quia altiſſimus interrogabit opera. Sicut legitur Sap. 6. Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Scientia etiam & ſapientia non erunt ibi utiles ad defenſionem peccatorum, immo potius erunt noxiæ, faciunt enim ad aggravationem peccati, unde Luc. 12. *Servus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens plagis vapulabit multis.* Qui verò vult ſic currere ut comprehendat, *ſpecialiter* debet *duo* facere. *Primum* eſt ut à malis abſtineat, *ſecundum* eſt ut de bonis quæ agit non ſuperbiat. Ille qui bona agendo currit, & tamen à malis non cavet, ipſe in incertum currit, modo per viam paradiſi, modo per viam inferni, modo ante, modo retro, talis maledictus eſt. Eccleſiaſtici. 2. *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* De tali dicit Gloſſa ſuper illud. 1. Corinth. 9. *Ego ſic curro, non quaſi in incertum.* In incertum currit, qui talia agit ut ex quibuſdam

III. Curſus bonorum ad Paradiſum.

Currenti duo ſunt neceſſaria ut comprehendat.

1. Vt mala non admiſceat bonis.

Digitized by Google

Incertū quis curreat. poſſit ſperare, & ex aliis deſperare. De tali poteſt intelligi illud. Eccleſiaſtici 34. *Vnus ædificans & unus deſtruens quid prodeſt illis niſi labor?* Ille etiam qui de bonis quæ habet ſuperbit ad bra-

1. Vt de bonis non ſuperbiat. vium æternum non pervenit. Licet enim videatur currere in paradiſum, currit tamen in infernum. Greſſu operis exterioris, qui hominibus apparet, tendere videtur ad cœlum, ſed greſſu mentis, qui potentior eſt, intentione ſcilicet, tendit in infernum. Et Notandum quod Humilitas multum va-

Humilitas ad hunc curſum juvat, ſuperbia impedit. let ad hoc *quinque* de cauſis. *Primo* quia hominem levem facit. Vere enim humilis quaſi nil ponderat & ſe & bona quæ habet, ipſius vox eſt illa: *& dixi nunc cœpi.* Pſal. 76. Superbus præſumit de bravio

1. cum adhuc longe valde ſit ab eo, unde ceſſat de curſu non advertens illud Bernardi ubi dixiſti ſufficit, ibi defeciſti. Humilis verò quia longe ſe à

2. bravio credit, inceſſanter currit. *Secundo* quia humilitas hominem à caſu cuſtodit, caſus enim maximum impedimentum ſolet eſſe currentibus in ſtadio, & præcipuè caſus à quo currens per ſe non poteſt ſurgere. Quod autem humilitas à caſu conſervet, patet ex eo, quod cum Dominus oſtenderet S. Antonio Mundum plenum laqueis, & ipſe quæreret quis evaderet laqueos illos; reſponſum eſt ei, Humilitas. Idem patet ex verbis Gregorii dicentis. Nunquid qui humilibus dat gratiam auferet datam; ergo argumentum ſuperbiæ eſt ſub-

3. tractio gratiæ. *Tertio* quia humilitas impetrat gratiæ abundantiam. Iſai. 40. *Qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem & robur multiplicat.* Illi qui non ſunt, vocantur humiles, qui ſe nil reputant. Et Bernardus. Semper ſolet eſſe divinæ gratiæ familiaris humilitas. Cum ergo humilitas gratia Dei digna ſit, valet ad hoc ut bravium comprehendatur; comprehendere enim bravium gratia Dei eſt, non virtus humana: juxta illud ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis ſed miſerentis eſt Dei*, & Amos. 2. *Velox pedibus ſuis non ſalvabitur*, & Eccleſiaſtæ. 9. *Verti me ad aliud, vidique ſub ſole nec curſum velociū, nec fortium bellum.*

4. *Quarto* quia humilitas deſcendendo vadit, cum ſuperbia eat aſcendendo, & ideo velocius currere poteſt. Humilitas etiam non detinetur bellis & contentionibus ſicut ſuperbia, unde Proverb. 22. *Arma & gladii in via ſuperbi, cuſtos autem animæ*

5. *ſuæ longe recedit ab eis.* *Quinto* quia Deus qui bravium eſt, humili appropinquat ſecundum quod dicit Gloſſa ſuper illud, Pſal. 33. *Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Auguſtinus. Altus quidem eſt Dominus, ſed inclinatur humili & non ſe erigenti. Superbus curſu circulari currere videtur, bona enim opera quæ ab ipſo procedunt, ad ſeipſum reflectit, dum propriam gloriam quærit, unde currendo non proficit eo modo, quo ille qui gloriam Dei quærit. Superbus hic mercedem ſuam recipit, juxta illud. Matth. 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*, & ideo in futuro bravium non comprehendit.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Docet hic ſermo à quibus expediti eſſe debeamus & quomodo currendum ſit, ut æternum bravium & comprehendamus.

SERMO XXIII. Sic currite, &c. *Corinth. orum 9.*

Vt bravium æternū cōprehendam oportet.

QUatuor ſunt neceſſaria alicui ad hoc quod ſic currat, quod comprehendat. Primò quod ſit *expeditus.* *A tribus* verò debet eſſe expeditus qui

I. Expeditos eſſe. currere vult ad bravium æternum. *Primo* à vinculis peccatorum & à carcere Diaboli. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Non poteſt ergo currere 1. A vinculis peccati & Diaboli.

niſi virtute Dei ſolvatur juxta illud. Joan. 11. *Solvite eum & ſinite abire.* Et ſicut uxor quando ſcit maritum ſuum eſſe in carcere materiali laborat & apud Dominum & apud homines ut à carcere liberetur, ſic etiā multo fortius laborare deberet quando ſcit eum eſſe in carcere Diaboli. Sed aliter eſt. Pro liberatione enim à carcere Diaboli, nec eleemoſynæ, neque orationes, neque alia auxilia fiunt. *Secundum* à quo oportet hominem expeditum eſſe 2. Ab onere rerum temporalium.

eſt onus temporalium iſtorum, unde Bernardus. Tu onuſtus auro & argento putas te Chriſtum ſequi, exultavit ut gigas ad currendam viam? Qui Pſal. 18.

videt ſe nimis oneratum temporalibus bonis, deberet facere largas eleemoſynas, & ſic ſe exoneraret, & Dei auxilium ſibi compararet. *Tertium* à quo debet expeditus eſſe, eſt veſtis longitudo. 3. A longa veſte id eſt, deſideriis tēporaliū.

Quaſi veſtis de pravo panno eſt caro, quæ ſemper creſcit deſideria ſua dilatando. De qua veſte dicitur in Epiſtola Judæ. *Aliis miſeremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.* Veſtis iſta reſtringitur quando deſideria minuuntur, ſecundum illud. 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus.* Nudus currit, qui pro Chriſto omnia relinquit.

Quaſi nudus verò currit, qui pro amore Chriſti omnia relinquit, juxta illud Amos. 2. *Nudus fugiet in illa die dicit Dominus* & Marci 14. legitur de adoleſcente qui rejecta ſindone nudus profugit.

Secundo neceſſarium eſt currenti ad hoc quod bravium comprehendat ut *velociter curras.* Proverb. II. Velociter currere, id eſt propoſita bona implere.

22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram regibus ſtabit*, recipietur enim cum his qui ſedes regales paradiſi impleverunt. Sed ſunt quidam qui multa bona proponunt, & tamen ea nunquam aggrediuntur, in quibus videtur impletum eſſe illud. Exod. 15. *Fiant immobiles quaſi lapis.* Ad eos pertinet illud: Proverb. 26. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo, lectulo, inquam, conſcientiæ.* & Eccleſiaſtici 33. *Præcordia fatui quaſi rota curri.* Circa axem vertitur, ab axe tamen non ſeparatur, ſic tales multa proponunt & non faciunt. Tertio neceſſarium eſt ut à *deviatione* III. Non deviare.

caveat, error enim multum impedit hominem, ne bravium comprehendat. Exemplum de hoc habemus in filiis Iſrael, qui in deſerto cucurrerunt, non tamen proficientes, & in hæreticis, qui ita velociter currere videntur, & tamen bravium non comprehendunt errore impediti. Idem accidit mulieribus ſortilegis Eccleſiaſtæ 10. *Labor ſtultorum affliget eos quia neſciunt in urbem pergere* Contra errorem iſtum ſecurum remedium eſt, ut homo Chriſtum ſequatur. Alii ſancti errare potuerunt, ſed ipſe non, unde Joan. 8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Ipſe bene novit viam Paradiſi, qui inde venerat, unde Pſalmus. 1. *Novit dominus viam juſtorum* Bernardus. Beatus eſt domine Jeſu qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans, pro viribus ſe præbet imitatorem tui. Quarto neceſſarium ut currendo perſeveret, quia ſecundum Bernardum perſeverantia eſt ſingularis filia ſummi regis, illa enim ſola hæres eſt regni cœleſtis. Ad commendationem perſeverantiæ noluit Chriſtus de cruce deſcendere, licet offerrent ei Judæi pretioſum munus pro hoc, ſcilicet quod crederent in eum. Licet etiam vulneratus eſſet, noluit tamen deſiſtere ab opere incepto, donec dixerit: *Conſummatum eſt.* Joan. 19. De hac conſummatione videtur gloriari Apoſtolus dicens. 2 ad Timot. 4. *Bonum certamen certavi, curſu conſumavi.* Tantum valet ultimū opus perſeverantis, quantum omnia præcedentia; defectus verò in fine operis, quaſi deſtructio eſt omnium præcedentium, ideo dicitur Proverbiorum. 18. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera*

Chriſtum imitantes non deviant.

IV. Currendo perſeverare Commendatio & neceſſitas perſeverantiæ. Matth. 27.

opera diſſipantis. Mollis eſt qui cedit, durus, qui quam citò occurrerit ei aliquid in opere incepto, deſiſtit ab eo, quod quaſi idem eſt ac ſi illud quod factum eſt diſſiparet.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Tradit hic ſermo quomodo ſit currendum ſpiritualiter, & quæ ad curſum iſtum incitare nos debeant.

SERMO. XXIV. Curſor ſpiritualis debet imitari in tribus famulum currere iuſſum.

Sic currite &c.

TRia ſolet prependere miniſter intelligens, cum dicitur ei à Domino ſuo, curre ad talem locum. *Primum* eſt, quod quam citò poterit, iter arripiat, *ſecundum* ut ſine interpolatione quietis, ſi poteſt, eat, *tertium* ut non lentè, ſed velociter incedat. Eadem debent accipere fideles in verbo Apoſtoli exhortantis eos ad curſum, ut ſi quis nondum aggreſſus eſt iter Paradiſi, ſine dilatione illud arripiat. De hac dilatione vide in tractatu de Acedia in capite de dilatione converſionis. Qui verò jam iter arripuit, inceſſanter perficiat, juxta illud Eccleſiaſtæ 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, & hoc non pigrè, ſed velociter Eccleſiaſtici 31. *In omnibus operibus tuis eſto velox.*

1.

2.

3.

Ad curſum ſpiritualem incitat. 1. Bravii præcioſitas. 1. Cor. 2.

Sex verò ſunt quæ ſolent homines incitare ad currendum ſpiritualiter. *Primum* eſt bravii præcioſitas, quod eſt corona æterna, de qua ſubdit Apoſtolus: *& illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Corona iſta eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Ipſa eſt dulcedo illa quam admiratur David dicens, Pſalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine &c.* Pro ſingulis horis, quibus homo in curſu iſto laborabit, fruetur plus quam centum millibus annorum illis deliciis, quibus fruitur Deus, cum tamen modicum eſſet centum annis laborare pro fruitione unius horæ. *Secundum* eſt multitudo & ſublimitas perſonarum ſpectantium & exſpectantium curſum noſtrum. De ſpectantibus legitur 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus Mundo & Angelis & hominibus.* De exſpectantibus verò dicit Bernadus, quod exſpectant nos Angeli, ut eorum ruina reſtauretur; ſancti, ut eorum gloria compleatur; Deus pater quaſi filios & hæredes, ut nos ſuper omnia bona ſua conſtituat; Filius quaſi fratres & cohæredes, ut fructum nativitatis & precium ſanguinis patri ſuo offerat: & ſpiritus ſanctus, qui eſt charitas & benignitas, in qua Pater nos prædeſtinavit, nec dubium quin prædeſtinationem impleri velit. O qualiter aliquis curreret ad aliquem locum præſentis miſeriæ, ſi ſciret ſe ibi exſpectari à Beata Virgine: qualiter ergo currere debemus ad locum deliciarum, ubi tot & tanti nos exſpectant. *Tertium* eſt temporis brevitas, breve enim tempus eſt quod reſtat homini, vel forſitan nullum, ideo dicitur Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, & Joannis 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Et ejuſdem. 9. *Veniet nox quando nemo poteſt, operari.* *Quartum* eſt viæ prolixitas Bernardus. Feſtinans à terra ad cœlos, non moram faciat, quæ etſi non detinet, plurimum tamen nocet. Licet autem videatur eſſe longa via univerſis à terra ad cœlum aſcenſuris, præcipuè verò his qui peccando magis ſe elongaverint, de quibus dicitur, Pſalm. 72. *Qui elongant ſe à te peribunt*, quod ut frequentius verum eſt. Iterum: Pſalm. 118. *Longe à peccatoribus ſalus.* Seneca. Faciamus quod in itinere fieri ſolet, qui exierunt tardius velocitate moram compenſant. *Quintum* eſt qualitas loci in quo ſumus & malitia inhabitantium. Gregorius. Mala quæ nos hic præmunt ad Deum ire compellunt, & Exodi 12. *Urgebant Ægyptii populum* (Domine) *de terra exire velociter.* *Sextum* eſt hoſtium perſequentium nos velocitas & crudelitas. De velocitate habes Thren. 4. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli.* De *crudelitate* Hierem. 6. *Crudelis eſt, & non miſerebitur.* Væ illi qui in manus Diaboli per pigritiam ſuam inciderit.

2. Spectantium & exſpectantium nos currentes dignitas, Dei ſcilicet & SS.

3. Temporis currendi brevitas.

4. Exſequendum nos itineris prolixitas.

5. Loci in quo currimus malignitas.

6. Crudelitas.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

Occaſione thematis & temporis hujus oſtendit his ſermo I. fatuitatem delicate nunc viventium. II. commendat abſtinentiam à variis ipſius utilitatibus. III. quatuor ſpecies abſtinendi recenſet.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. 1. *Corinth.* 9.

SERMO XXV. Curſor ſpiritualis in quibus debeat imitari temporalé.

HOc planè verum eſt de contendentibus curſu corporali, qui abſtinent ab omnibus, quæ poſſent eis eſſe occaſio amittendi bravium, verbi gratia; placeret eis quandoque quieſcere ut Cap. biberent de fonte quem vident juxta viam, abſtinent tamen ne bravium amittant. Item ſi inveniant aliquid precioſum ſeu ponderoſum, longe tamen minus valens quam bravium, contemnunt illud, ſi credunt quod propter hoc bravium amittant. Item licet pulchrius & honorabilius eſſet quod differrent veſtes ſuas indutas, currunt tamen in camiſys. Sic oportet eum qui vult comprehendere, abſtinere à multis delectationibus & contemnere multa precioſa. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli*, ut legitur. 1. Timoth. 6. Item oportet eum contemnere multa quæ faciunt ad decorem & honorem, plus enim debet amare bonitatem quàm pulchritudinem, & potius velle ſe eſſe bonum quam pulchrum, & vileſcere debet ei tranſitoria gloria pro magnitudine æternæ gloriæ.

Thema & tempus hoc dat occaſionem agendi de Abſtinentia tripliciter.

Et quoniam verbum propoſitum in Septuageſima legitur quando viri ſpirituales augent abſtinentias ſuas, & viri carnales nimis vacant deliciis carnis in comneſſationibus & ebrietatibus, poſſet fieri tunc ſermo de Abſtinentia, & poſſet verſari circa Tria, ſcilicet circa fatuitatem eorum qui tali tempore nimis vacant deliciis carnis, & circa commendationem abſtinentiæ, & circa diverſas ſpecies ejus. Fatuitas verò illorum qui tunc magis vacant deliciis, Multiplex poteſt oſtendi. *Primo* per hoc quod ipſi tunc magis delicatè vivere volunt, quando viri ſpirituales magis ſe affligunt, cum tamen ipſi magis indigerent aſperitate pœnitentiæ. Sed ipſi pro gutta una amaritudinis quam hic biberent, bibent in futuro mare æternæ amaritudinis, unde Hierem. 25. *Cum noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant dices ad eos: Hæc dicit dominus exercituum: Bibentes bibetis, quia ecce in civitate in qua invocatum eſt nomen meum ego incipiam affligere & vos quaſi innocentes & immunes eritis? Secundo* per hoc, quod, cùm tempore tali Diabolus acrius deſæviat, eò quod appropinquat tempus ſalutis, juxta illud Apoc. 12. *Væ terræ & mari quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet*, ipſi arma abundantius volunt ei miniſtrare contra ſe ipſos, quaſi conjuraſſent in mortè propriam, quando è contrario deberent ei arma ſubtrahere, ut faciunt viri ſpirituales. Arma quibus utitur cōtra nos Diabolus ſunt cibi & potus delectabiles & ſuperflui. *Tertio* per hoc, quia, cum difficile

I. Fatuitas nunc delicate viventium patet. 1.

2.

3.

ſit aſſuetis carere, & tanto difficilius quanto aliquis magis aſſuevit, ipſi ut uſu carnium facilius careant in Quadrageſima ante Quadrageſimum multum uti volunt carnibus, tali ſuavitate laborantes qua laboraret ille qui in principio hyemis aſſueſceret pellicio, quo ſciret carere ſe in magna hyeme oportere. Quanta ſit vis conſuetudinis, habes, Jerem. 13. ubi ſic legitur. *Si mutare poteſt Æthyops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*

4. *Quarto* per hoc, quod cum ipſi habeant peſſimum hoſpitem qui omnibus bonis veris ſpoliat hoſpitium juxta illud Joelis. 2. *quaſi ortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti &c.* Cùm ipſi deberent ſic ſe habere ad eum in ejus receſſu, ut non libenter poſtea rediret ad eos, ipſi econtrario faciunt ei magnum feſtum in ſuo receſſu, & non unius diei, ſed quindecim, vel amplius. Et ideo poſt Paſcha libentius ad eos revertitur juxta illud Luc. 11. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.* Mirum eſt, quia, ſi melior amicus quem ipſi habent, quatriduanus eſſet in hoſpitio eorum, jam eis fœteret, eſſent enim affecti tædio de ejus præſentia. Diabolo devotiores ſunt, quando per dimidium annum vel plus fuit in hoſpitio eorum, & majus feſtum faciunt ſibi, quam etiam in principio. Si Deus in paupere aliquo receptus ſit hoſpitio eorum, citò ſe expediunt de eo, Diabolo verò ſplendide procurant, & longo tempore antequam recedat.

5. *Quinto* per hoc, quia, cum ipſi deberent præparantia ſuſcipere appropinquante tempore ſalutis & ſpiritualis purgationis, ipſi econtrario impeditiva ſuſcipiunt. Tempus ſalutis eſt tempus Quadrageſimale, ſicut tunc cantat Eccleſia. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* 2. Corinth.

6. 6. *Sexto* per hoc, quod, cum appropinquante adventu domini eorum, ipſi deberent appropinquare & exire obviam illi, ipſi econtrario elongant ſe, & ideo merito poſſunt timere illud.

7. Pſalm. 72. *Qui elongant ſe à te peribunt.* *Septimo* per hoc, quod, cum deberent præparare hoſpitium Domino venturo, ipſi econtrario ignem apponunt, luxuriæ enim vacant, quæ *ignis eſt uſque ad perditionem devorans & omnia eradicans*

8. *germina*, ut legitur. Job. 31. *Octavo*, quia, cum Dominus vix inveniat aliquos qui ſerviant ei per longum tempus quin fatigentur & tepeſcere videantur, juxta illud Pſal. 118. *Dormitavit anima mea præ tædio*, iſti tamen ferventiores ſunt in ſer-

9. vitio Diaboli in fine, quam in principio. *Præterea* cum dominus caſtra Diaboli ſibi ſubjugare velit per famam, ipſi ea ita implent victualibus, quod quandoque tenent ſe uſque ad Dominicam in ramis Palmarum, caſtra iſta ſunt corpora peccantium.

II. abſtinentiam commendant.

Circa Secundum verò notandum quod ad commendationem pœnitentiæ multa poſſunt valere.

1. Tria quæ cogitata Gulam depellunt.

Primo ea quæ contrarium ipſi, ſcilicet vitium gulæ nobis exoſum reddunt, quorum *tria* ſufficiat ponere. Quorum *primum* eſt miſeria præſens in qua vitium gulæ nos poſuit. *Secundum* eſt vilitas in qua hoc quotidie homines ponit, eos enim in beſtias convertit, juxta illud Senecæ. Quoſdam ventri obedientes, loco animalium, non hominum numeremur. *Tertium* eſt *periculum* tam *corporale* quam *ſpirituale*, in quod hoc vitium ponit. De *corporali* legitur Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* De *ſpirituali* verò ſatis poteſt patere per hoc quod legitur Proverb. 30. *Per tria movetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere.*

1. 2. 3. Periculum corporale & ſpirituale.

Per ſervum, cum regnaverit: per ſtultum, cum ſaturatus fuerit cibo. Stultus cibo ſatiatus, eſt corpus, cui nihil negatur quod appetit. Homo qui ſervus eſt gulæ, & qui gratiam non habet abſtinendi, eſt ſicut homo ſuper equum indomitum non habentem frenum, qui in magno periculo eſt, præcipue ſi aqua profunda proxima ſit, vel ſi ſit juxta hoſtes ſuos, cito enim poteſt ſubmergi, vel in manus hoſtium dari. Sic homo qui eſt abſque freno abſtinentiæ, cito in aquis voluptatis ſubmergi poteſt, vel aliter perire. *Secundo* poteſt ad hoc valere quod Dominus in Paradiſo & in ſtatu innocentiæ parentes noſtros eam docuit, & in forma corporis humani nobis eam ſcripſit. Velut quædam litteræ, quibus documentum abſtinentiæ ſcriptum eſt in corpore humano, ſunt oris modicitas: Inter animalia enim quæ ſunt magni corporis minimum os habet homo, & dentium brevitas, & quod hominis os non eſt pronum ad terram. *Tertio* poteſt valere ad hoc quod virtus abſtinentiæ magnæ fortitudinis eſt & dignitatis; hac enim homo bruta animalia excedit. Ethnicus,

2. Humani oris forma.

3. Vis abſtinentiæ in frænanda gula.

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.

Non eſt magnum quid aliquem facere quod ſibi placet Proverb. 16. *Melior patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Dominator animi ſui eſt, qui in poteſtate habet animum ſuum ut à vindicta vel aliquo alio, quod animus appetit eum coërcent. Abſtinentia eſt velut quidam lapis precioſus cœlitus homini miſſus, cuſtodiens eum ne uſus temporalium bonorum ei noceat. Sine ipſo bona tranſitoria hominem eis utentem de facili interficiunt. Si lapis precioſus, ſervans hominem ne vinum ei noceat tantum amatur, quantum amandus eſt lapis iſte? *Quarto* poteſt valere ad hoc, quod abſtinentia magnæ efficaciæ eſt contra hoſtes noſtros, præcipuè contra carnem & Diabolum. Contra *Carnem*, quod eam debilitat & ſpiritui ſubjugat, arma etiam ſubtrahit & igni concupiſcentiæ, quo caro ſpiritum incendit, ligna aufert. Sicut caſtra, alias inexpugnabilia, per ſubtractionem victualium capiuntur, ſic caro quæ aliter vinci non poteſt, per abſtinentiam domatur. Utendus eſſe videtur, qui dicit carnem ſuam non poſſe vincere, cum poſſit ei ſubtrahere cibum & potum uſque ad humiliationem. Legitur Geneſ. 16, quod Agar ancilla videns ſe concepiſſe deſpexit dominam ſuam. De qua cum Sara conquereretur, ait Abraham. *Ecce ancilla tua in manu tua eſt, utere ea ut libet.* Sic caro in manu ſpiritus eſt ut eam humiliet victualia ſubtrahendo. Contra *Diabolum* verò valet abſtinentia, quod ſicut lupum corporalem fames cogit exire de nemore, ſic abſtinentia lupum infernalem, Diabolum ſcilicet, facit exire de nemore, ſcilicet de homine. Matth 17. *Hoc genus (Dæmoniorum) non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* Abſtinentia Diabolum ponit in ſicco, ubi ipſe requiem non habet. Unde Matth. 12. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit* Diabolus ad modum piſcis habitat in locis humentibus. Job. 40. Unde per abſtinentiam poni debet in loco ſicco, ut ibi quaſi interficiatur ſecundum conſilium Raphaelis. Tob. 6. dicentis ad Tobiam juniorem de piſce magno, qui ſtabat ad devorandum eum, ut extraheret eum de aqua in ſiccum. Quo facto cepit palpitare ante pedes ejus, & qui prius ſtabat ad devorandum, de facili tunc occiſus eſt. Sic de facili punitur tunc Diabolus in hominibus, qui abſtinentiam amplectuntur, qui non poterat occidi in eis, dum delicate viverent. Valet etiam abſtinentia ad omnia, dum ori ſubtrahit,

4. Vis abſtinentiæ adverſus Carnem.

2. Adverſus Diabolum

5. quia Abſtinentia ad omnia valet quomodo.

trahit, quæ in opera pietatis expenduntur, quæ *pietas ad omnia utilis eſt*, ut legitur 1. Timoth. 4.

III. Species Abſtinentiæ.

Circa tertium verò notandum quod Quatuor ſunt ſpecies Abſtinentiæ. *Prima* eſt abſtinentia à malo vel à peccato, quæ ſummè neceſſaria eſt, quia ſine ea non valent ceteræ abſtinentiæ.

1. Abſtinentia à peccato.

Hieronymus. Tunc præclara eſt apud Dominum abſtinentia corporis, cum animus jejunat à vitiis. Parum quidem prodeſt tenuari corpus abſtinentia, cum animus intumeſcit ſuperbia, Iſidorus. Qui à cibis abſtinent & mala agunt Dæmones imitantur, quibus eſca ſemper abeſt & culpa ſemper adeſt, & Iſa. 58. *Quare jejunavimus & non aſpexiſti?* & ſequitur reſponſio. *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*, & poſt. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis*, ubi dicit Gloſſa. Homo interior veſcitur carnibus draconis, quæ datur eſca populis Æthyopum, & ſubditur. *Nunquid tale eſt jejunium quod elegi? diſſolve colligationes impietatis &c* Parum abſtinentes videntur eſſe qui à peccato mortali non abſtinent in quo oculo fidei mortem ſuam perpendunt, cum bruta animalia ab eſca illa abſtinere videantur, ex qua captionem ſuam ſequi perpendunt, aves enim & cetera animalia in eaſdem pedicas retiaque non incidunt.

Mortaliter peccantes ſunt imprudentiores brutis, qui.

2. Abſtinentia à bono vitandi ſcandali cauſa.

Secunda ſpecies eſt abſtinentia à bono, quod eſt ſpecies mali, unde 1. Theſſ. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Ab hoc abſtinendum eſt propter ſcandalum proximi, cum ſcriptum ſit. Matt. 18. *Væ illi per quem ſcandalum venit.* Hic attendere deberent mulieres, quæ, ut debent, volunt eſſe matronæ, & tamen volunt in ornatu ſimiles eſſe meretricibus, de qua materia vide tractatum de ornatu. De hac abſtinentia habemus exemplum. 2. Machab. 6. ubi Eleazarus dixit illis qui volebant quod fingeret ſe comedere carnes à lege prohibitas, *ætati*, inquit, *noſtræ dignum non eſt fingere, ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum, nonaginta Annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum & ipſi propter meam ſimulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.*

3. Ab eodem propter periculi cauſa.

Tertia ſpecies eſt abſtinentia à bono, quod poteſt eſſe occaſio mali, ut à forti vino, *quod ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena ſua diffundet.* Prov. 23. Eadem etiam cauſa abſtinendum eſt à familiaritate mulierum. De hoc vide in tractatu de Luxuriis, ubi agitur de occaſionibus luxuriæ.

4. Ab eodem majoris boni cauſa.

Quarta ſpecies eſt abſtinentia à bonis illis quæ à majoribus bonis impediunt, hoc modo abſtinent viri perfecti à conſolatione hujus mundi, ſcientes quod delicata eſt divina conſolatio & non datur admittentibus alienam, ſecundum Bernardum. Hoc modo abſtinebat qui dicebat. *Renuit conſolari anima mea* & Sara Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.*

Pſal. 76.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic tractat principio materiam ſpectantem ad præcedentem Dominicam, peccatum nimirum protoplaſti miſeriæ hujus vitæ cauſam fuiſſe, eumque ac poſteros jure à Deo punitos fuiſſe. Deinde maximè ex hujus Dominicæ Epiſtola exemplo S. Pauli confirmat nos ad patienter ferendas tribulationes & tentationes.

Miniſtri Chriſti ſunt & ego. Ut minùs ſapiens dico plus ego. In laboribus plurimis. Supple, oſtenſus fui miniſter Chriſti, &c. 2. *Corinth.* 11.

SERMO XXVI. Miſeria hujus vitæ quanta.

NOtandum quod ſecundum verbum Gregorii vita præſens laboribus plena eſt, cum luctu agitur & tandem cum lachrimis amittitur. Tanta eſt miſeria hujus vitæ, ut nec vita dicenda ſit, ſed potius mors, vel morte deterior, unde Auguſtinus. Beatam vitam quæritis in regione mortis? non eſt ibi. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? & Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt mors quam vita amara.* Licet propter aſſuetudinem non agnoſcant homines magnitudinem præſentis miſeriæ, tamen vix eſt aliquis (niſi dulcedo ſpei eum cuſtodiat) qui pertranſeat unum diem, quin multoties iratus ſit, & frequenter accidit quod tanta eſt ira, ut homo ſibimet manum injiciat, animam ſuam per odium occidendo, vel fratrem ſuum aggrediatur vel contumeliis, vel maledictionibus, vel etiam verberibus, immo quod plus eſt ipſum Deum aggrediatur, blaſphemando ipſum. Propterea mater Eccleſia videns filios ſuos ſub onere præſentis miſeriæ, non valens onus ab eis removere, facit quod poteſt, & laborat ad hoc quod filii ſui onus iſtud portent *ſapienter & fortiter & utiliter.* Et ad hoc videtur tendere officium Eccleſiæ in his tribus Dominicis, quarum hodierna Dominica media eſt.

Tres hæ Dominicæ hanc miſeriam docent nos ferre, tribus modis.

In præcedente tendit Eccleſia ad hoc ut hoc onus Sapienter portetur, ut ſcilicet filii ejus intelligant quare hoc onus portent. Portare enim onus ita, quod neſciatur quid vel quare portetur, aſininum eſt. Etiam pueri parvi quando verberantur vel à matribus ſuis, vel à ſuis doctoribus, non ſolent dicere, quare verberatis me? unde nimis pueriles videntur eſſe, qui onus præſentis exilii inceſſanter portant & quaſi continuè flagellantur & cauſam non conſiderant.

1. Septuageſimæ, Sapienter, cauſam ejus intelligendo, quæ eſt.

Cauſa hujus exilii fuit peccatum, ſicut recoluit Eccleſia in Dominica præcedente quando legebatur quod primi parentes ceciderunt, unde quandocunque aliquis gravatur ab aliqua miſeria deberet recurrere ad peccatum quod omnis miſeriæ occaſio extitit, & odium colligere contra ipſum.

Peccatum protoplaſti.

Specialiter peccatum gulæ fuit cauſa præſentis miſeriæ & propter hoc recolitur tempore, quo homines maximè per gulam peccant, ut videntes miſeriam in qua poſuit hoc peccatum eos, illud odio habeant.

Gula maximè eſt cauſa hujus miſeriæ.

Abſit hoc ut ſumma Dei bonitas hominem in tantam miſeriam poſuerit, immo peccatum ſuum poſuit eum ibi, unde Sap. 1. *Deus non fecit mortem* id eſt, cauſam mortis, & ſubditur poſt: *impii manibus ac verbis accerſierunt eam*, id eſt, Adam & Eva Thren. 3. *Non enim humiliavit ex corde ſuo & abjecit* (Deus) *filios hominum.*

Deus non eſt ejus cauſa.

Cum duæ ſunt partes hominis corpus & anima, Deus utrique parti locum delectabilé præparaverat, corpori paradiſum voluptatis in terris, animæ verò cœlum empyreum, id eſt, ſplendidum, ubi modò ſunt angeli & animæ ſanctorum ad quod transferretur homo ſi ſtetiſſet.

Corpori Paradiſum, animæ Deus cœlum empyreum paravit.

In hodierna vero Dominica tendit officium ad hoc ut fideles Fortiter portent onus iſtud, unde in Epiſtola exemplo Pauli animantur fideles ad tolerantiam paſſionum.

2. Sexageſimæ, fortiter, exemplo S. Pauli.

In ſequenti verò Dominica tendit officium, ut portent onus iſtud Utiliter, unde in Epiſtola commendatur Charitas, ſine qua nihil prodeſt ad vitam æternam, & cum qua omnia utilia ſunt. Ipſa quidquid contingit, in aurum convertit. Ipſa eſt illud aurum probatum quod citò homines divites facit, juxta illud. Apoc. 3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Charitas onus præſentis exilii non ex toto removet, ſed facit, quod melius eſt, dum in bonum convertit.

3. Quinquageſimæ, utiliter, charitatem commendando, Utilitas Charitatis.

Sed contra Primum videbitur forſitan alicui quod Dominus nimis dure cum homine egerit, quando cum pro peccato gulæ morti temporali & præſenti miſeriæ cum tota ſucceſſione ſua adjudicaverit. Ad quod Reſpondemus quod juſte factum eſt hoc, immo etiam miſericorditer egit Dominus cum homine, ſicut poteſt ſi reſpectus habeatur ad damnationem angelorum irrepara-

Objectio Deus durius videtur egiſſe cum protoplaſto conjiciendo eum in hanc miſeriam. Reſponſio.

1. Juſtè & miſericorditer egiſſe probatur ex reprobatione Angelorũ.

bilem. Cum enim tolerabilior eſt ſuperbia in divite quam in paupere, juxta illud Eccleſiaſtici 25. *Tres ſpecies odivit anima mea & aggravor valde anima illorum. Pauperem ſuperbum &c.* & angelum illum cunctis ſideribus clarius emicantem irreparabiliter damnaverit propter ſuam ſuperbiam, quis non videat Deum miſericorditer egiſſe cum vermiculo, qui contra eum ſuperbivit, quando ſpem reparationis ei conceſſit. *Idem* apparebit ſi attendatur Dei immenſitas; cum enim offenſa major ſit ſecundum quod major eſt qui offenditur, minor enim offenſa eſt, ſi convitium dicatur multi ſimplici, major ſi regi, & cum Deus in infinitum ſit major, erit offenſa qua Deus offenditur in infinitum major, quam offenſa, qua homo offenditur. Unde cùm pœna ſit proportionabilis culpæ, erit infinita pœna. *Praterea* cum pœna illa inflicta ſit, ut peccatum ab homine caveatur, & Deus timeatur & nec ſic peccatum caveatur niſi à paucis, Deus verò parum timeatur, potius deberet videri alicui quod nimis parvam pœnam Deus inflixerit, quam nimis magnam.

2. Ex immenſitate Dei offenſi.

3. Ex negligẽtia vitandi peccati.

4. Ex magnitudine pœnæ infernalis.

Hoc etiam attendendum eſt, quod pro uno minimo mortali plus punietur aliquis in inferno, quam ſit pœna, quam totus mundus ſuſtinuit à principio mundi, & ſuſtinebit uſque ad finem pro peccato primorum parentum. Acerbitas enim pœnæ infernalis excedit acerbitatem cujuſcunque pœnæ præſentis. Infinitas enim pœnæ futuræ, plenè recompenſat multitudinem pœnarum præſentium.

Juſtitia & Miſericordia Dei quantæ.

Et Nota quod ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ Domini, miſericordia & juſtitia à viis hominum, ita quod aſpicientibus ad juſtitiam hominum, juſtitia Dei furor videtur. Item aſpicientibus ad miſericordiam hominum, quæ parva eſt, Dei miſericordia fatuitas videtur.

II. Objectio Adami ſucceſſores videtur Deus injuſtè punire hac miſeria.

Sed forte dicet aliquis, licet cum Adam Deus non injuſte egerit eum ſic puniendo, tamen cum ſucceſſoribus injuſte videtur egiſſe, dum eos pœnæ ſocios fecit, qui in culpa ſocii non fuerunt.

Reſponſio. 1.

Ad quod Reſpondemus quod Adam juſto Dei judicio exhæredatus eſt extra paradiſum voluptatis, & data eſt ei hæc terra paupertatis, antequam filii ejus naſcerentur. Filii ejus nullum jus habuerunt in paradiſo voluptatis, nec ſuccedere potuerunt hæreditariè, niſi in terra illa, quam tunc parentes ejus habebant, unde non eſt injuſte actum cum eis, in hoc, quod in exilio iſto remanſerunt, ubi geniti fuerunt.

2. *Item* cum homines hanc terram paupertatis tantum ament, ut de cælo raro cogitent, veriſimile eſt quod amplius eam amaſſent, ſi delectabilis valde fuiſſet, & quaſi de cœlo non curaſſent, nec unquam vellent à præſenti vita ſeparari, quod eis non expedit.

3. *Praterea* cum parentes eorum in deliciis quaſi computruerunt, & in hoc exilio melius ſe habuerunt, magis miſericorditer egit Dominus cum filiis eorum, quando voluit eos eſſe in miſeria, ubi novit eos melius ſervandos, quam in fœlicitate, & quod parentibus inflictum eſt ad pœnam, in filiis perſeverat ad cautelam. Sic caro vel piſces quæ ſervanda ſunt, potius ponuntur in aqua ſalſa quàm dulci. Fœlicitas vitæ præſentis eſt velut vinum purum, quod debilia capita, id eſt, corda in inſaniam convertit, ideo aqua adverſitatis miſcenda eſt. Propter hoc quod aquam iſtam non miſcuit Salomon, infatuatus fuit Oſeæ 7. *Cæperunt principes furere à vino*, à vino inquam gaudii temporalis.

Dominicæ hujus Epiſtola docet nos patienter ferre tribulationes. 1.

Circa Secundum verò notandum eſt quod Tripliciter vult inducere Eccleſia filios ſuos ad portandum fortiter onus tribulationum. *Primo* per hoc quod oſtendit Deum dare tribulationes eis quos amat, quod probat per Paulum, qui fuit unus de maximis amicis quos Deus habuit in mundo iſto, cui tamen tot & tantas tribulationes Deus dedit, ut apparet in ſerie Epiſtolæ. *Secundo* per hoc quod Deus conſolatur amicos ſuos, qui tribulationes patienter portant, unde ſubditur in Epiſtola tribulationibus enumeratis illa magna conſolatio, quam habuit Paulus quando raptus eſt ad tertium cœlum. 2. *Tertio* verò per hoc quod introducitur Paulus volens & petens removeri à ſe tribulationes carnis ſuæ, & ſubditur reſponſio domini per quam confirmatus eſt, ut non ſolum patienter, ſed etiam libenter tribulationem ſuſtineret, ita ut audita reſponſione Domini diceret: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* 3. Hoc autem facit Eccleſia ut eodem verbo domini confirmentur fideles ad portandum libenter tribulationes ſuas.

Horum triũ fuſior explicatio. 1. Tribulationes patiẽter ferẽdæ ſunt quia dantur amicis & filiis Dei.

Circa *primum* verò notandum quod hoc multum debet movere fideles ad hoc ut tribulationes patienter portent, quod Dominus dat eas amicis & filiis ſuis, juxta illud Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* & Hebr. 12. *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Quis enim non velit quod Deus faciat ei ſicut amicis & filiis potius, quàm ſicut inimicis, & ſicut adulteris Auguſtinus. Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Item ſuper illud. Hebr. 12. *Si extra diſciplinam eſtis &c.* dicit Auguſtinus. Noli eſſe iniquo ſenſu & puerili, ut dicas, plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quam me, quia ſi me movero contra juſſionem, flagella invenio. Potius gaude flagellis, quia tibi ſervatur hæreditas, illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit. Quis, niſi fatuus, potius non velit ſe eſſe filium legitimum Dei, quàm adulterinum, & potius eſſe benedictum, quàm maledictum. Filii Dei legitimi ſunt, qui tribulantur, adulterini verò ſunt, qui proſperantur, juxta illud Hebr. 12. *Si extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulterini & non filii eſtis.* Quod tales maledicti ſunt, habetur Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram*, & ibidem. *Beati eritis cum vos oderint homines.*

Probatur exemplo Chriſti & Moſis.

Potius eſſet eligendum eſſe cum filio Dei in fornace tribulationis, ut legitur de tribus pueris Daniel. 3. quam cum Diabolo in delitiis, unde de Moyſe legitur Hebr. 11. *Fide grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem.* De Chriſto legitur Hebr. 12. quod *propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem*, oſtendens tribulationes proſperitati præeligendas eſſe, & in Pſalmo. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

S. Pauli undecim tribulationes. 1. Incarceratio.

Et enumerantur undecim tribulationes Apoſtoli in Epiſtola, quarum *una carcer.* De incarceratione ejus legitur in diverſis locis ſcripturæ Actuum 16. legitur quod, cum ejeciſſet ſpiritum pythonicum de quadam puella, parentes puellæ videntes ſe damnificatos, quia puella non lucraretur eis, ut prius lucrabatur, apprehenderunt eum & Silam, & ſciſſis tunicis, virgis cæſi ſunt Silas & Paulus, & in carcerem poſiti. Item de incarceratione ejus legitur Actor. 21. quia captus fuit & duabus catenis ligatus, & captivitas illa diu duravit. Captus enim ductus eſt Romam, ubi per biennium fuit in libera cuſtodia. Poſtea per decennium in magis libera. Sed decimo quarto anno imperii Neronis, cum jam nequitia ejus invaluiſſet, poſitus eſt Paulus Romæ in carcerem, & eodem anno martyrio coronatus eſt. De vinculis Pauli etiam legitur. Epheſ. 3. 4. & 6. legitur. *Legatione fungor in catena*, quia pro catenis non ceſſabat à prædicatione.

2. Verbera Judæi quem

Secunda tribulatio eſt *plaga verberum*, quas ſpecificat dicens ſe à Judæis quinquies

modum in verberandis reis tenue-runt. quies quadragenas, una minus accepiſſe. Prohi-
bitum erat Judæis ut in verberibus non excederet
numerus plagarum numerum quadragenarium. Un-
de Deuter. 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum
modus, ita dumtaxat ut quadragenarium nume-
rum non excedant, ne fœde laceratus ante ocu-
los tuos abeat (vel obeat) frater tuus.* Judæi au-
tem ne immiſericordes reputarentur, unam pla-
gam dimittebant. A Gentibus verò ter virgis cæ-
1. Lapidatio. ſus eſt. *Tertia* tribulatio eſt *lapidatio*, de qua le-
gitur Actorum 14. Ubi habetur quod lapidatus
eſt, & ejectus extra civitatem, & æſtimaverunt
eum eſſe mortuum. Poſtea diſcipuli ejus circum-
Judicia hominu mutabilia. dederunt eum aſſiſtentes ei, & reſpiravit. Paulò
ante verò in tanta reverentia habuerunt eum,
quod volebant ei ſacrificare. In quo ſatis appa-
ret mutabilitas hujus mūdi, quia cum prius habere-
tur ut Deus, in tam brevi habitus eſt ut ſceleratus.
Propter hoc non eſt curandum homini, quid
mundus de eo dicat. Non eſt mirandum, ſi de
ore ſepulchri fœtentis fœtor exeat, & ſi de cor-
de malo, mala exeant verba. *Sepulchrum patens
eſt guttur eorum.* Pſalm. 5. Et Matth. 12. *Ex a-
4. bundantia cordis os loquitur. Quarta* tribulatio eſt
diverſa pericula ſive diverſæ cauſæ mortis quæ
5. Labor manualis Pauli quantus fuerit. in Littera enumerantur, ubi dicitur. *Ter naufra-
gium feci, nocte & die*, &c. *Quinta* tribulatio
eſt *labor manuum*. De labore Apoſtoli legitur apud
Ammonium, quod Apoſtolus a mane, ſive à pul-
lorum cantu uſque ad quintam horam, labori
manuum inſiſtebat, unde victum adquirebat, &
exinde uſque ad decimam publicè diſputabat.
Plerumque tamen & in noctem protrahebat ſer-
monem, & ſecundum hoc benè erat neceſſarium,
reſiduum temporis comeſtioni, orationi & ſom-
Explicatio dicti. no. Et notandum quod in principio cum di-
citur (*in laboribus plurimis*) ſumitur labor com-
muniter ad tribulationes quæ poſt ſpecifican-
6. tur. *Sexta* tribulatio eſt ærumna, ſive infirmi-
7. tas. *Septima* vigiliæ multæ. *Octava* fames &
8. ſitis. *Nona* eſt nuditas in frigore. *Decima* eſt
9. ſolicitudo cum compaſſione aliorum. *Undecima*
10. eſt evadendi periculum, de qua ibi. *Damaſci præ-
11. poſitus*, &c.

II. Circa conſolationem verò datam Apoſtolo à
Humilitatis exemplum in S. Paulo. Deo, *primo* attende humilitatem Apoſtoli, qui non
dicit ſe raptum, ſed hominem raptum, loquens de
ſe tanquam de alio, quando narrat id quod ad
gloriam pertinet. Aliter facit. 1. Timoth. 1. ubi
enarrat quod humilitatis eſt, dicens. *Qui prius
1. Tertiū cœlum dupliciter explicatur. blaſphemus fui & perſecutor & contumelioſus. Item*
attende quod dicitur (*ante annos 14.*) Multum
enim videtur celaſſe ſuam revelationem Apoſto-
lus. Non ſic facit garrulus. Proverb. 25. *Sicut
1. Viſio intellectualis. quid ea ſit. urbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui
non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.
Item* nota quod tertium Cœlum *duobus modis* po-
Viſio corporalis & imaginaria quid ſint. teſt hic accipi, vel ut ſic dicatur, tertium cœlum vi-
ſio intellectualis, quæ eſt quando nec corpora, nec
imagines eorum videntur, ſed in ſubſtantiis incor-
poreis intuitus mentis mira Dei potentia infigitur.
Et dicitur hæc viſio tertia comparatione corpora-
lis viſionis & imaginariæ. Corporalis eſt, quan-
do aliqua corporaliter videntur Dei munere, quæ
alii videre nequeunt, ut Balthaſar vidit manum ſcri-
bentem in pariete. Daniel. 5. Imaginaria viſio eſt,
quando aliquis in extaſi vel in ſomno videt non
corpora, ſed imagines rerum Dei revelatione, quo-
Viſio & raptus S. Pauli qualis fuerit. modo Petrus vidit diſcum. Actor. 10. Viſio verò
Pauli talis fuit ſecundùm Auguſtinum, qualis eſt
viſio Angelorum & Sanctorum, qui jam beati ſunt,
unde Auguſtinus. Cur non credamus tanto Apoſto-
lo doctori Gentium rapto uſque ad hanc excellen-
tiſſimam viſionem, in qua poſt hanc videndus eſt in
æternum. Nec eſt contrarium ei, quod legitur Exo-
di 33. *Non videbit me homo & vivet* tunc enim
Apoſtolus non vixit, id eſt, ſecundum uſum ſenſuum
corporis, ſed ablatus eſt ei omnis ſenſus hominis. 2.
Vel poteſt vocari tertium cœlum empyreum ſive Cœlum
igneum, quod ita dicitur à ſplendore, non à calore, empyreum, cur.
ut primum cœlum dicatur aereum, ſecundum fir-
mamentum, tertium empyreum. Et cum ſubditur,
ſcio hujuſmodi hominem, ſive in corpore &c. Specifi-
cat Apoſtolus quod cœlum dixerit, vocans paradi-
ſum & prius vocaverat cœlum. Cum autem ſubdi-
tur, *parco*, id eſt, parcè refero, *ne quis me exiſtimet* Exemplum
&c. exemplum dat moderate loquendi. Unde Gre- moderate
gorius. Loquendo erudivit auditorum vitam, ta- loquendi in
cendo cuſtodivit ſuam. Non ſic fatuus, unde Pro- S. Paulo.
verb. 29. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſa-
piens autem differt & ſervat in poſterum.*

Circa Tertium verò attendendum eſt, quod III.
in magno periculo ſumus, cum etiam timenda Semper timendum in
nobis ſint excellentiſſima dona Dei, unde dicit hac vita.
Apoſtolus, *& ne magnitudo revelationum extollat*
me &c. Et eſt argumentum quod non ſolum ſcien- Scientia acquiſita &
tia adquiſita inflat, ſed etiam divina revelatio. revelatio
Attende etiam quod dicit ibi Gloſſa, Auguſtinus, inflare poſ-
quomodo ſecurus eſt homo? quomodo agnus ſunt.
egredietur, ubi aries ſic periclitari metuit? &c. In
paradiſum duceris & ab angelo tentaris. Et eſt ar-
gumentum quod nullus in hac vita debet eſſe ſe-
curus. Dicitur autem angelus Sathanæ dupliciter, Angelus Satanæ
vel vehemens dolor corporis, vel tentatio per li- quid. Ten-
bidinem, dicitur enim, quod tentabatur, de ſancta tatio S Pau-
Tecla. Attende etiam quod non reſpondetur Apo- li quæ fue-
ſtolo cum primò orat ſed poſt tertiam orationem, rit.
ut detur exemplum perſeverandi in oratione, ad Notanda de oratione.
Romanos 12. *Orationi inſtantes. Præterea* non ac- 1.
cipit Apoſtolus quod petit, de quo Gloſſa ex Au- Perſeverandum in ea.
guſtino notabilis ſic dicit. Nota quod exauditur 2.
Diabolus petens Job tentandum, & non exauditur Cur non
Apoſtolus petens ſtimulum removendum. Exaudi- ſemper
vit eum, quem diſpoſuerat damnare, & non exau- exaudiamur.
divit eum, quem voluerat ſanare. Nam & æger Diabolus,
multa petit à medico, quæ medicus non dat. Non non Apo-
exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſanita- ſtolus exauditus.
tem. Non eſt magnum exuudiri à Deo ad volunta-
tem, ſed ad utilitatem. Aliquando Deus iratus 3.
dat, quod petitur. Cum verò ea quæ Deus laudat Quæ petenda ſint.
& promittit, ab illo petitis, ſecure petite, illa
enim Deo propitio conceduntur. Quando autem Temporalia
petitis temporalia, cum modo petite, & cum ti- quomodo
more illi committite, ut ſi proſint, det; ſi ſcit ob- ſint petenda.
eſſe, non det; quid enim obſit vel proſit, medicus
novit, non ægrotus. Circa verò reſponſionem
domini attende, quod Dominus primo oſtendit
quid ſit per ſe petendum, & toto deſiderio à Deo
petendum, cum dicit, *ſufficit tibi gratia mea.* In Gratia Dei
præſenti vita neceſſaria eſt gratia Dei & ſufficiens. potiſſimum
Qui eam non habet, nil habet, quod proſit ei. petenda,
Qui eam habet, ſatis habet, unde illa inſtanter peti cur.
poteſt ſi deſit. Demum oſtendit tribulationes
odiendas non eſſe, cum virtutem in homine perfi-
ciant. Unde ſequitur: *Nam virtus in infirmitate
perficitur.* Et Notandum quod multis modis facit Tribulatio
tribulatio ad perfectionem virtutis. *Primo* quod amanda,
purgat virtutes. Sic enim ſe habet tribulatio ad nam facit
virtutes, ſicut ſe habet ignis ad aurum, quod debet ad profectū virtutis.
illud purgare, & probatius reddere. *Secundo* 1.
quia tribulatio hoſtem debilitat, corpus ſcilicet, 2.
quod concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſic quo-
dammodo ſpiritum fortiorem reddit reſpectu
corporis. *Tertio* verò quia magnitudo tribula- 3.
tionis occaſionem dat, ut Deus gratiam augeat,
juxta illud 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus eſt, qui
non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis,
ſed faciet cum tentatione proventum*, id eſt, virtutis

4. augmentum. *Quarto* verò quia aſſuefactione levius fert homo tribulationem, juxta illud.

Quod male fers, aſſueſce & feres. Ad Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur.* Bernardus. Exercitium vires in omni labore ſubminiſtrat.
5. *Quinto* verò quia ſecundum Senecam multum ſibi adjicit virtus laceſſita. Secundum Gregorium. Ignis flatu premitur ut creſcat, & aqua invento obſtaculo majores vires exercet. Sic homo cum habet infirmitatem contrariam, cum qua certè virilius ſe habet. Tribulatio eſt materia pugnæ, unde dat occaſionem victoriæ, & per conſequens coronæ, quia non coronabitur niſi qui legitimè certaverit. 2. ad Timoth. 2.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Sequens ſermo agit. I *de gloriatione Diabolica & Mundana quæ mala ſunt, & de Chriſtiana quæ bona eſt.* II. *Cur tribulationes nobis honori ducere eaſque libenter ſuſcipere debeamus.*

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti. 2. *ad Corinth. 12.*

SERMO XXVII.

Homo cur naturaliter glorietur libenter.

Gloriatio triplex.

CUm homo ſit creatura nobilis & ad gloriam regni cœleſtis creatus, ipſe naturaliter vult gloriari, ideò neceſſe habet ſcire in quo debeat gloriari, ne forte glorietur, unde potius debet confundi. Notandum eſt ergo quod *triplex* eſt *gloriatio* ſcilicet *Diabolica*, *Mundana* & *Chriſtiana.*

I. Diabolica, de peccato, quam ſit abſurda. Tria ſimilia.

Diabolica gloriatio eſt gloriatio de peccato, de qua in Pſalmo 51. *Quid gloriaris in malitia? &c.* Gloriatio iſta talis eſt, qualis eſſet ſi aliquis gloriaretur ſi in lutum cecidiſſet fœtidum, peccatum enim immundiſſima res eſt. Item talis eſt gloriatio iſta ac ſi mulier gloriaretur de hoc quod peperiſſet bufonem vel ſerpentem, vel aliud monſtrum: ſicut
1. enim mulier debet naturaliter procreare homi-
2. nem, non ſerpentem, vel bufonem, ſic anima quæ naturaliter bona eſt, bona debet operari & non mala. Qui ſic gloriantur ſimiles ſunt pueris,
3. qui denigrando ſe, diabolum ſe fingunt, & ſic repræſentando Diabolum per villam nudi incedunt. Contra ſic gloriantes dicit Poeta.

Gloria peccati nulla petenda ſui eſt.

2. Mundana, de ſapientia, fortitudine & divitiis, cur mala ſit.

De Mundana gloriatione, ſic legitur Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua & non glorietur dives in divitiis ſuis.* In *ſapientia mundana* non debet homo gloriari, quia ipſa ſtultitia eſt apud Deum, ipſa eſt velut lumen lignorum putridorum quod de nocte
1. apparet & de die non apparet. In tenebris hujus vitæ videtur ſapientia, ſed in futuro bene apparebit
2. quod inſipientia eſt. De *fortitudine* etiam *corporis* non debet aliquis gloriari: & quia *fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Sap. 6. & quia hoc eſt gloriari de fortitudine inimici ſui, cum corpus adverſetur ſpiritui, maledictus eſt talis. Hierem. 17. *Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium*
3. *ſuum.* De *divitiis* nō debet aliquis gloriari, *quia non proderunt divitiæ in die ultionis*, ut legitur Proverb. 11. Quia gloriari de multitudine divitiarum quas aliquis amat contra Deum, eſt gloriari de hoc quod habet magnam molam ad collum, ut demergatur in profundum maris, id eſt, inferni.

3. Chriſtiana.

Gloriatio verò Chriſtiani *multiplex* eſt, *quædam* eſt de Dei cognitione, unde Hierem 9. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me* & Baruch. 4. *Beati ſumus Iſrael, quia quæ Deo placent manifeſta ſunt nobis.* *Secunda* gloriatio eſt illa de qua ſecunda Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ* quando ſpiritus ſanctus reddet teſtimonium ſpiritui noſtro quod filii Dei ſumus. *Tertia* gloriatio eſt in profectu fratrum, unde 2. Corint. 1. *Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra*, & Joannis 3. *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* *Quarta* eſt in tribulationibus.

1. De cognitione Dei.

2. De bona conſcientia. Rom. 8.

3.

4. De profectu fratrū. In tribulationibus.

Tribulari debemus honorem reputare.

Et Nota quod *duo* dicuntur hic, ſcilicet, *gloriabor*, & *libenter.* Vult enim Apoſtolus oſtendere quod ſibi tribulationes placeant, & quaſi honorem reputet, quod tribulatur. *Triplici* autem ratione oſtendi poteſt, quod homo honorem debeat reputare, cum tribulatur.
1. *Primo* quia ſicut glorioſius eſt militi in exercitu eſſe, quam ſedere ad ignem, vel eſſe in balneo. Boetius. Vir ſapiens moleſte ferrè non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur, Sic virum fortem non decet indignari, quoties bellicus increpuit tumultus.
2. *Secundo* quia ille qui ſuſtinet tribulationes, Chriſtum imitatur, cui aſſimilari magnæ gloriæ eſt. Eccleſiaſtici 23. *Gloria magna eſt ſequi Dominum*, ſic glorioſum eſt Chriſtiano cùm defert ſtigmata Jeſu Chriſti ad Galatas 6. *Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Jeſu in corpore meo porto.* Auguſtinus. Stigmata appellavit quaſi notas pœnarum de perſecutionibus quas patiebatur. Stigma enim dicitur punctum vel nota aliqua ferro facta. Sicut ad gloriam militis faciunt cicatrices vulnerum, quæ in bello ſuſcepit, vel confractio ſcuti, ſic ad gloriam eorum qui ſunt in militanti Eccleſia facit tribulatio. Bernardus. Quiſquis hic plagam vel livorem non ſuſceperit, in futuro judicio miles inglorius apparebit.

Stigma quid.

3. *Tertio* quia in hoc filii Dei & amici oſtendimur cum tribulamur, ut oſtenſum eſt, eſſe autem filium Dei valde glorioſum eſt.

Libenter debemus ſuſcipere tribulationes.

Libenter etiam debemus ſuſcipere tribulationes propter Multiplicem virtutem quam habent.

1. Quia ſanat mentem.

Prima virtus eſt quod mentem ſanant, unde beatus Gregorius, dicit de beato Benedicto, qui propter tentationem carnis projecit ſe in ſpinis, quod vulnere corporis ſanavit vulnus mentis. Tribulatio verò corporis eſt velut tortura animam ſanans Tortura videtur eſſe vulnus vel infirmitas, cum tamen ſit ſanitas. Sic tribulatio infirmitas videtur, cum tamen ſit ſanitas mentis, ideò dicitur Proverbiorum 27. quod *meliora ſunt vulnera diligentis*, ſcilicet Dei, *quam fraudulenta oſcula odientis*, ſcilicet Diaboli, vel Mundi Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt ira riſu*, ira inquam, adverſitatis, riſu proſperitatis. Tribulatio eſt medicina Altiſſimi, juxta illud Eccleſiaſtici 38. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta.* Ideo qui infirmus eſt mente, debet gaudere quando datur ſibi tribulatio, tanquam ſpem habens de ſalute, cum tantus medicus intromittat ſe de ipſo.

2. Quia futuras pœnas ſolvit.

Secundo, tribulationes debita noſtra ſolvunt, & eſt magna valde miſericordia Dei, quod pro pœnis futuris recipit tribulationes præſentes. Talis enim eſt, ac ſi ille, cui debentur marcæ auri vel argenti, reciperet pro eis fabas vel lapillos, quibus facta eſt computatio. Plus enim faba una eſt reſpectu marcæ argenti, quàm tribulatio præſens reſpectu pœnæ futuræ Ezech. 4. *Diem, inquam, pro anno dedi tibi.*

3. Quia eſt ſignum divini amoris.

Tertio tribulatio ſignum eſt divini amoris Eccleſiaſtici 30. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat ei flagella.* Contrario modo dicitur Proverb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.*

4. Quia erudit hominem.

Quarto tribulatio erudit hominem Proverb. 22. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.* Daniel. 4. *Poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi.* Tribulationes præſentes dantur timentibus Deum, in ſignificationem *ut fugiant à facie arcus*, id eſt, pœnæ futuræ. Pſal. 59.

5. Quia facit odiſſe temporalia.

Quinta tribulatio odium præſentis vitæ inducit. Eccleſiaſtici 41. *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis*, & ſubditur. *O mors*

bonum eſt judicium tuum homini indigenti. Sicut cibus adhæret vaſi in quo coquitur, niſi moveatur, & amittit ſaporem debitum & colorem, ſic cor hominis adhæret mundo iſti, niſi homo tribuletur juxta illud. Pſal. 43. *Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Gregorius. Electis ſuis Deus iter aſperum facit, ne dum delectentur in via, obliviſcantur eorum quæ ſunt in patria. *Sexto* hominem proficere facit, unde Pſal. 4. *In tribulatione dilataſti mihi.* Item Pſal. 15. *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt.*

6. quia ex illa proficit homini.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Sermo hic agit de charitate & maximè tria I. *quid ſit vera charitas deſcribit.* II. *ex ejus etymo pretioſitatem ipſius deducit.* III. *carentia ejus damnoſitatem oſtendit.*

SERMO XXVIII. Ad comparandam Charitatem monemur.

Si linguis hominum loquar & angelorum &c. *1. Corinth.* 13.

1. QUando mercatores ſunt in nundinis, ſi Deus ſignificaret eis per angelum ſuum, vel per aliquem nuncium, qui de cœlo veniſſet, quas merces emere deberent, fatui eſſent ſi pigritarent emere tales merces. In nundinis ſumus dum ſumus in hoc mundo, juxta illud verbum Domini Lucæ 19. *Negotiamini dum venio.* In his nundinis ſpecialiter conſulit dominus ut emamus charitatẽ, juxta illud Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitũ probatum ut locuples fias.* Ad *idem* monet Dominus nos per Paulũ qui raptus fuit uſque ad tertium cœlum, qui in Epiſtola hodierna multis modis charitatem nobis commendat, unde valde fatuus eſt, qui non multum laborat ut charitatem habeat.

2.

I. Charitas quid ſit. Amor Dei & proximi ordinatus quomodo ſit, quomodo inordinatus.

Eſt autem charitas ordinatus amor Dei & proximi. Amor Dei tunc ordinatus eſt, ſi ametur Deus propter ſe & ſuper omnia. Amor quo aliquis amat Deum propter temporalia iſta principaliter, non eſt ordinatus, cum ſit Deo contumelioſus; qui enim Deum amat, principaliter propter temporalia, plus amat temporalia quam Deum. Illud enim ſcilicet præponere creaturam creatori, non eſt ſine contumelia Dei. Non eſt etiam amor ordinatus, niſi Deus ſuper omnia ametur, cum ipſe in infinitum melior ſit omni creatura. Qui aliquam creaturam Deo prædiligit, idololatra eſt. Quia hoc ab unoquoque colitur quod præ cæteris diligit, ſicut dicit Gloſſa ſuper illud Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt* Amor verò proximi ordinatus eſt, ſi ametur proximus citra Deum, & ſuper alias creaturas. Amor illorum inordinatus eſt qui patrẽ, vel matrem, vel filium, vel filiam plus amat quàm Deũ, nec ſunt digni Deo. Ad hoc quod aliquis amat ſupra Deum, deberet ſe habere ſicut ſe haberet ad gladiũ, quo transverberatus eſſet, quem non videret ſine dolore & horrore. Id quod ſupra Deũ amas eſt gladius, quo ad mortem æternam vulneratus es, & ſola Dei virtute extrahi potes. Item amor illorum inordinatus eſt, qui plus amant divitias ſuas, quam proximum ſuum, juxta illud Joannis. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.*

Matth. 16.

II. Charitas dicitur. 1. ob pretioſitatem ſuã.

Poteſt autem dici quod virtus iſta dicitur Charitas Quadruplici ratione *Primo* ut oſtendatur valor ejus & pretioſitas. Solemus dicere de hoc quod eſt valde ſplendidum vel candidum, quod ſit ipſe ſplendor vel candor, ſicut dicitur Hebr. 1 de filio Dei, *quod ſit ſplendor gloriæ*, & Sapientia 7. Quia ſit *candor lucis æternæ.* Secundum hunc modum poſſumus intelligere quod virtus non ſolum ſit chara, & pretioſa, immo ſit ipſa charitas, excellentior eſt enim aliis virtutibus, unde Auguſtinus. Reſpice ad munera Eccleſiæ & univerſis excellentius charitatis agnoſces munus. Et Apoſtolus prima Corinth. 13. *Major autem horum eſt charitas.* Propter hanc excellentiam charitas oleo comparatur, quia ſicut oleum aliis liquoribus ſupernatat, ſic charitas excellit reſpectu aliarum gratiarum. *Secundo* poteſt vocari charitas propter hoc, quod ad eam pertineat unamquamque rem charam habere ſicut habenda eſt, in quo videtur eſſe perfectio animæ. Unde frater Guido Carthuſienſis: rationalis creaturæ vera perfectio eſt unamquamque rem tanti habere, quanti habenda eſt. Et propter hanc cauſam charitas pondus vocatur. Proverb. 11. ubi dicitur. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*, & pondus æquum voluntas ejus. Pondus æquum eſt charitas, quæ multum placet Deo. Statera verò doloſa cupiditas, in qua ſola temporalia, quæ in veritate parvi ponderis ſunt, multum ponderant. De hac ſtatera legitur Oſeæ 12. *Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa.* Hæc ſtatera meritò dicitur abominabilis eſſe Deo, quia abominabilia illa, quæ Apoſtolus reputavit ſtercora præponderant ibi, ut ſunt divitiæ & honores ſeculi. Luc. 16. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* *Tertio* quia virtus iſta hominem reddit charum Deo & pretioſum: ſicut enim qualitas eſt ſecundũ quã quales dicimur, ſic & charitas ſecũdum quam aliquid charum vel pretioſum dicitur. Homo qui charitatem non habet, res deſpecta eſt valde coram Deo, eſt enim velut ſtilla ſitulæ. Unde Iſa 40. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* Illi verò qui charitatem habent, chari ſunt illi ſicut filii ipſius. Similiter opera de genere bonorum, in eo qui non habet charitatem, valde parvi ſunt valoris. Si enim unus homo tot faceret bona opera, quot facit totus mundus, non poſſet inde habere regnum æternum. Si autem ex charitate fiant, valde pretioſa ſunt cùm unicum opus ex charitate factum, meritorium ſit regni æterni. Quod charitas ſit pretioſitas hominis innuit Apoſtolus cùm dicit hic. *Si habuero prophetiam &c. Charitatem autem non habuero, nihil ſum,* ſupple, in valore. Quia verò ſit pretioſitas operum, innuitur, ubi dicitur, *& ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* *Quarto* poteſt vocari charitas quaſi chara unitas Unit enim hominem Deo, tanquam capiti, & fidelibus, tanquam commembris; quam unitatem debet homo valde charam habere. Si enim homo ita charam habet unitatem, quæ eſt inter caput aſini ſui, ſcilicet corporis ſui, & ipſum corpus, & unitatem quæ eſt membrorum corporis ad invicem, & tantum timet abſciſionem capitis, vel alicujus membrorum, quantum deberet timere ſeparari ab iſto beato capite, ſcilicet à Deo, vel à cæteris membris Eccleſiæ. Hanc charitatem multum amabat Paulus dicens Roman. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? an anguſtia?* & poſt. *Certus ſum quia neque mors neque vita.*

2. Ob veram æſtimationem rerum amandarũ.

Cupiditas; amor temporalium, qualis ſit.

3. Quia charũ Deo reddit hominẽ & opera bona

4. quia eſt chara unitas, ob unitatem cum Chriſto & proximo.

Commendat Apoſtolus hic charitatem *tripliciter.* *Primo* oſtendendo quam damnoſa ſit ejus abſentia, ibi: *Si linguis hominum loquar & angelorum &c.* *Secundo* oſtendit quam utilis ſit ejus præſentia, ibi: *charitas patiens eſt.* *Tertio* commendat eam à durabilitate, ibi: *Charitas nunquam excidit.* Circa *primum* verò Notandum quod abſentia charitatis adeò damnoſa eſt, ut ſi ipſa defuerit, nullum verum bonum adſit. Simulacra bonorum poſſunt adeſſe, ſcilicet opera de genere bonorum, ſed vera bona non aderunt. Seneca: Apud ſapientes honeſta non deerunt, apud vulgus verò ſimulacra rerum honeſtarum. Auguſtinus, attende quanta eſt

III. Commendatio Charitatis.

Charitatis abſentia, quam ſit damnoſa.

charitas quæ ſi deſit fruſtra habentur cætera, ſi autem adſit alicui, habentur omnia vel in ſe, vel in aliis, & Ambroſius. Qui charitatem non habet. Omne bonum amittit quod habet. Charitas eſt ſcientia illa de qua dicitur. Prov. 19. *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum*, quia ibi non eſt aliquid meritorium. De ipſa dicitur Eccleſiaſtici. 1. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia*: Nec ſolum ſcientia vel ſapientia eſt charitas, immo ſuper ſcientiam vel ſapientiam eſſe videtur. In multis enim in quibus ſcientia hominem regere non poteſt, regit eum charitas. Et Notandum quod in his qui charitatem non habent, *tria* facit peccatum, *conſumit* enim & *ſeparat* à Deo, & *opera reddit inutilia* *Dupliciter* autem conſumit peccatum, ſcilicet per diminutionem bonorum naturalium: quantò enim aliquis diutius peccat, tantò minus idoneus eſt ad bene operandum. *Item* conſumit peccatum, dum homini aufert vitam ſuam, & quaſi furatur ei. Propter iſtam conſumptionem dicitur ille qui eſt ſine charitate eſſe velut æs ſonans, æs enim ſonando conſumitur. Et poſſumus intelligere in verbo propoſito linguas hominum, minus ſcientium, & linguas angelorum. Linguas hominum perfectorum, vel linguas angelorum poſſumus intelligere linguas illas quibus angeli ſuperiores præpoſiti ſunt minoribus, qui de Dei voluntate primi ſentiunt, quod fit aliquibus nutibus vel ſignis; vel linguæ angelorum poſſunt dici quibus angeli ad homines miſſi utuntur. Quantum ad hoc quod ille qui in peccato eſt, ſeparatus eſt à Deo, qui eſt vita animarum, dicitur peccator eſſe mortuus, vel nihil. Et ad hoc refertur illud: *Charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Ad operum verò inutilitatem pertinet illud; *nihil mihi prodeſt.* Opera de genere bonorum extra charitatem facta ſunt velut moneta plumbea, ſi verò per charitatem fiant, ſunt velut moneta aurea. Et hæc eſt una de virtutibus charitatis, quod plumbum vertit in aurum, & quidquid contingit quaſi reddit aureum, quia precioſiſſimum facit.

Charitate abſẽte, quid faciat peccatum.
1. Conſumit.
2. Explicatio vocis Lingua in themate.
2. Separata Deo.
3. Opera inutilia reddit.
Vis Charitatis quãta.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicantur hoc ſermone ſeptem bona, quæ nobis charitas affert, octo mala, à quibus nos cuſtodit.

Charitas patiens eſt &c.

SERMO XXIX.
I. Charitas ſeptem bona ſecũ habet.
Duo prima ſunt Patiẽtia & Benignitas.

APoſtolus ad commendationem charitatis, ſeptem bona ponit, quæ comitantur charitatem, & octo mala, à quibus charitas hominem cuſtodit. *Duo prima* bona ſunt *patientia* & *benignitas*, unde Gregorius. Patientiam & benignitatem præmiſit Apoſtolus: quorum altera illata à proximis mala æquanimiter portat; altera ſua bona proximis miſerabiliter impendit. Tribulatio probat utrum aliquis Deum vel proximum charum habeat, unde Gregorius. Pœna quippe interrogat ſi quis veraciter Deum amat. Benigna debet eſſe charitas. 1. Joan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi &c.* Epheſ. 4. *Eſtote invicem benigni* Gloſſa, id eſt, de facultatibus veſtris largi. Vel benignitas in hoc poteſt attendi, ut dum injuriam patitur, benigne reſpondeat. Proverb. 15. *Reſponſio mollis frangit iram.* & Eccleſiaſtici 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Quod patientia & benignitas debeant eſſe connexæ, innuitur. Ezech 3. *Ut adamantem & ut ſilicem dedi faciem tuam.* Ut ſilicem ſe Deo homo exhibet per patientiam, ut adamantem verò, dum per benignitatem attrahit *Tertium* bonum eſt congaudere bonis proximi. *Quartum* eſt mala ejus ſufferre compatiendo & ſupportando. *Quintum* eſt in omnibus Deo credere. *Sextum* omnia ſperare. *Septimum* eſt diu exſpectando dominum ſuſtinere. Per *duo prima* facit charitas ut bene nos habeamus in his quæ noſtra ſunt, mala propria patienter portando, & bona propria liberaliter largiendo. Per *duo ſequentia* facit charitas ut bene nos habeamus ad ea quæ ſunt proximi, bonis congaudendo & mala comportando. Per *tria ultima* facit, quod bene nos habeamus ad Deum, cui debemus fidem, eò quod ſit prima veritas; & ſpem, eò quod ſit ſumma bonitas, & ſuſtinentiam eo quod ſit omnipotens & magnitudinem præmii recompenſare poteſt, quod tardius ſolvit. Volunt potentes ut eis fiat longa credentia. Eccleſiaſtici 20. *Hodie fœneratur quis & cras expetit, odibilis eſt homo hujuſmodi.* Eccleſiaſtici 5. *Altiſſimus eſt patiens redditor*, Non omnia credit, qui credit quod moriturus ſit fame ſi Deo ſervierit, cum ſcriptum ſit. Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Non ſperat etiam omnia, qui in tribulationibus poſitus de Dei ſuccurſu diffidit, cùm ſcriptum ſit. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Non habet etiam perfectam ſuſtinentiam, qui in tribulatione, antequam ſolatium Domini adveniat, ſuccumbit.

Hæc duo ſunt connexa.
quid per hæc bona nobis præſtet Charitas.

II. Charitas cuſtodit ab octo malis.
1. Ab Invidia.

Primum verò malum à quo charitas cuſtodit, *æmulatio* eſt ſive *invidia*, quæ *putredo oſſium dicitur* Proverb. 14. Eſt enim vehemens corruptio animæ, ex qua provenit ut homo in malis proximi delectetur, & in bonis contriſtetur, cum è contrario in bonis deberet delectari, & in malis contriſtari. Sicut nitor naturaliter delectat viſum corporis, ſic bona naturaliter delectant animam, niſi corruptio eam immutet. Sed ſecundùm Auguſtinum Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris odioſa eſt lux, quæ ſanis eſt amabilis. *Secundum* malum eſt *perverſa operatio.* Qui charitatem habet habet ſpiritũ ſanctum, unde Auguſtinus. Cùm quis charitatem habere cœperit, ſpiritum ſanctum habebit, ſi non habuerit, ſine ſpiritu ſancto erit Spiritus vero ſanctus benignus eſt, & eum in quo eſt, benignè agere facit. Qui autem charitatem non habet, ſpiritum malignum habet & perverſum, & ideo perversè agit ſecundum illud. Pſal. 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Perverſe agit ille, qui mala reddit pro bonis, qui Deo malignus eſt, cum Deus ei ſe exhibeat benignum, ſanitatem ei dando, & alia bona temporalia. *Item* qui fratrem ſuum qui corruit, quem erigere debuit, magnitudine pœnæ opprimere vult. *Item* perverſus eſt qui bonis detrahit & malis addit, cùm potiùs è contrario bona oporteat creſcere, mala autem diminui. *Tertium* malum eſt *inflatio*, & eſt inflatio dilatatio propria uſque ad compreſſionem proximi ſui. Proverb. 28. *Qui ſe jactat & dilatat, jurgia concitat*, Jactantia eſt dilatatio exterior. Interior verò dilatatio eſt, cum quis magnam opinionem habet de ſe ipſo. *Quartum* malum eſt *ambitio* cum aliquis quærit ſui exaltationem & proximi dejectionem. Similis illi qui faceret de hominibus ſcabellum pedum ſuorum, ut ſic altior factus, à pluribus poſſet videri. *Quintum* malũ eſt nimius *amor proprii boni*, ex quo ſolet ſequi quod homo nullo modo curat de bonis proximi & quod cum ſcandalo ſua repetit. Contra quod dicitur Lucæ. 6. *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* & Philip. 2. *non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* & 1. Corinth. 10. *Nemo quod ſuum eſt quærat ſed quod alterius* Hoc malum ponitur in medio tanquam cauſa præcedentium malorum & ſequentium. Et eſt multum genus humanum in hac parte corruptum, quaſi enim in naturam verſum eſt hominibus quærere propria

2. Perverſa operatione.
Perversè qui agant.
3. Inflatione,
4. Ambitione.
5. Amore boni proprii.
Quantum hoc ſit malum quamque inſitum nobis.

bona

Digitized by Google

6. Irritatione. bona & negligere aliena. *Sextum* malum eſt *irritatio* ſive provocatio ad iram. Sunt aliqui, qui quando vident domũ proximi ſui igne iræ conſumi vel comburi, quando ipſi deberent domum ſuam defendere à combuſtione, ipſi exemplo illius ſuam volunt ſuccendere, quod valde fatuum eſt. Eccleſiaſtæ 7. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*. Si ſapiens eſſet, carbonem qui inſilit in domum ſuam à domo proximi, citò excuteret. Maligna cogitatione de vindicta. *Septimum* malum eſt *maligna cogitatio*, qui de injuriis vindicandis cogitat, quaſi ferrum in vulnere tenet. Contra tales dicit Iſaiæ 1. *Auferte malum cogitationum veſtrarum, dicit Dominus. Vltimum* malum eſt *gaudere de iniquitate*.

8. Gaudendo de iniquitate. Proverb. 24. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas &c. Gaudere de iniquitate* Diabolicum eſt, & eſt ſignum magnæ corruptionis & elongationis à Dei ſimilitudine, cùm iniquitas ſummè Deo diſpliceat. Hoc etiam eſt gaudere de morte fratris. Prov. 17. *Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus*.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo I. *thema tripliciter explicat*. II. *Charitatis neceſſitatem ac utilitatem docet, tribus rebus eam comparans*.

SERMO XXX.

Charitas nunquam excidit.

Explicatio Thematis. 1. HOc Tripliciter poteſt intelligi. *Primo* quia ille qui charitatem habet, non excidit à merito, dum enim charitatem ſervat, Deum amittere non poteſt. 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Charitatem ergo deberet homo ſervare ſicut Dominum, cum ipſa ſervata ſervetur Deus. Qui charitatem habet, eſt quaſi in ſinu Dei, unde in magna ſecuritate eſt. Auguſtinus. Quid times hominem homo, in ſinu Dei poſitus? tu de ſinu illius noli cadere. Quidquid ibi patieris, ad ſalutem valebit, non ad perniciem. Habens charitatem in morte non excidit, id eſt, ex toto non cadit, quia etſi moritur corpore, vivit tamen ſpiritu; & licet moriatur mundo, vivit tamen Deo.

2. Charitas eſt ſimilis arbori. *Secundo* poteſt intelligi verbum hoc, ſcilicet (*charitas nunquam excidit*) de opere procedente ex charitate. Charitas enim arbor eſt cujus fructus imputribiles ſunt. Eccleſiaſtici 14. *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. Et omne opus electum juſtificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo*. Charitas arbor eſt, à qua non excidit nec foliũ, nec fructus, nec flos dum ipſa ſteterit. Pſal. 1. *Et folium ejus non defluet*. In hac arbore pendent omnia bona. Matth. 22. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ*. Hoc habet veritatem de duobus mandatis, de dilectione Dei & proximi. Plus valet unus flos hujus arboris, ſcilicet unum bonum propoſitum charitatis, quàm infinita millia argenti & auri, unde bene convenit ei, illud Eccleſiaſtici 24. *Flores mei fructus honoris &c.* Ex ſolis fructibus hujus arboris paſcitur Deus ab homine, ex illis etiam ſolis vivitur in paradiſo. Si aliquis amittit arborem iſtam in præſenti, ſi ei poſt reſtituatur, reſtituetur cum omnibus foliis & fructibus & floribus qui ibi fuerunt.

3. *Tertio* poteſt verbum prædictum intelligi de ipſa charitate, quæ non excidit, quia in morte non amittitur. Ille enim qui diligit Deum in præſenti quando eum non videt, multò amplius diliget eum in futuro, quando eum videbit.

II. Charitas eſt theſaurus. Charitas eſt *theſaurus* ille in agro cordis abſconditus, pro quo univerſa quæ haberet homo, eſſent vendenda & danda, ſi aliter habere non poſſet, ſicut innuitur Matth. 13. Ipſa etiam eſt *regnum cœlorum*, ut ibidem innuitur quod non ſolum eſt meritum in præſenti, ſed etiam meritum in futuro. Vel ideò poteſt dici regnum cœlorum, quia pretiũ eſt ipſius. Alios theſauros aufert homini janitor mundi, ſcilicet mors, ſed hunc theſaurum non poteſt homini auferre, ut communiter dicitur.

Theſaurus qualis. Eſt regnum cœlorum, quale. Mors eſt janitor Mũdi.

Omnia prætereunt præter amare Deum.

Adeò vel in tantum pretioſus eſt theſaurus iſte, quod nullus pœnitebit de comparatione ejus, quando valorem ejus perfectè cognoſcit, quantũcunque eum conſtiterit. Cantic. ult. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*. Theſaurus iſte adeo pretioſus eſt, ut pro eo habeatur theſaurus Dei. Sine theſauro iſto non proſunt theſauri hujus mundi, ſed potius nocent. Charitas ſecundum Auguſtinum ſola eſt quæ dividit inter filios regni & filios perditionis. Ipſa eſt *donum*, quod ſi alicui dederit Deus, neceſſariò dabit ei regnum ſuum, ſi charitatem tantùm ſervaverit. Cui vero non dederit charitatem, auferet ea quæ ei dedit, unde Matt. 25. *Omni habenti dabitur, & abundabit*. Et: *ei qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo*. Quod exponit Auguſtinus de habente charitatem. 2. Eſt donum Dei, quantum.

3. Eſt veſtis, qualis. Charitas *veſtis* eſt deaurata quam oportet habere Eccleſiam, quæ ſedere debet à dextris Dei. Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. Hæc ſola operiet multitudinem peccatorum*, Jacobi ult. Qui hanc non habent in die judicii turpitudines ſuas toti mundo oſtendent. Sine hac non licet intrare aulam cœleſtis regis, ſicut non licebat intrare aulam Aſſueri regis aliquem indutum ſacco; ut legitur Heſter. 4.

DE EADEM.

SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

Hortatur hic ſermo provectæ ætatis homines, ut puerilia evacuent exemplo Apoſtoli, idque I. *cur*. II. *& quomodo faciendum ſit edocet*.

Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam, ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

SERMO XXXI.

I. Puerilia ſunt evacuanda. 1. NOs itaque exemplo Pauli, puerilia debemus evacuare, cùm pervenerimus ad ætatem virilem vel ſenilem. Et hoc multiplici ratione. *Primo* quod quaſi *monſtroſum* eſt hominem in ſenectute vel virili ætate puerilia retinere, ſicut monſtroſum eſſet, ſi aliqua arbor haberet flores, quando deberet habere fructus maturos.

2. Eſt etiam *erubeſcibile*, ſicut erubeſcibile eſſet alicui homini barbato ad mamillam matris pendere, immo quaſi inſania videtur juxta illud.

Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectat barbatum, inſania vexat.

3. *Odibile* eſt etiam Deo & hominibus, unde Eccleſiaſtici 25. Senex fatuus enumeratur inter ſpecies hominum quæ odiuntur. Maledictus etiam eſt & morte dignus ſenex puerilis juxta illud Iſa. 65. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. Sicut vinea, quæ viginti annis ſine fructu debito fuiſſet, extirparetur, ſic qui ad ſenilem ætatem pervenit & non facit fructũ debitum, à Deo occideretur, niſi miſericordia Dei eum ſuſtentaret. Et ut breviter dicam, ſicut pejus eſt eſſe beſtialem quam beſtiam, eo quod eſſe beſtiam à natura eſt, eſſe beſtialem ex vitio, ſic pejus eſt eſſe puerilem, quam eſſe puerum, Seneca. Plerumque eſt crimen in pueritia, ſed gravius eſt, ſi puerilitas remanet.

II. Quot puerilia ſunt evacuanda. Et Notandum quod *octo* ſunt *puerilia* quæ à nobis evacuanda ſunt; quorum tria prima tangit Apoſtolus.

1. Examinanda ſunt verba. *Primum* eſt *loqui pueriliter*, ſine præmeditatione loquuntur pueri quidquid eis in os venerit.

Digitized by

E contrario autem vir ſapiens non loquitur, niſi cum præmeditatione, unde de viro juſto dicitur in Pſal. 36. *Lingua ejus loquetur judicium*, id eſt examinatam ſcientiam. *Triplici* ratione debemus examinare verba noſtra. *Primo* ut poſſint pertranſire per illud diſtrictum judicium, in quo debent examinari. Unde Matth. 12. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddant rationem de eo in die judicij. Secundo* quod verbum multum poteſt nocere, niſi homo ſibi caveat. Bernardus. Levis eſt ſermo, ſed graviter vulnerat, aptiſſimum evacuandis cordibus inſtrumentum. *Tertio* quia verbum prolatum de proximo, eſt teſtimonium, vel pro eo, vel contra eum, ideo quaſi teſtimonium, cum deliberatione proferendum eſt. Seneca. Loqueris de proximo tuo, ſcito, te pro, vel
2. contra eum teſtimonium proferre. *Secundo* evacuandum eſt *ſapere pueriliter*, ideſt ſapientem eſſe circa modica, ut ſunt nuces, moneta plumbea, & ſimilia. Hanc ſapientiam habent illi, qui circa temporalia bona, quæ modica ſunt, ſapientes ſunt, circa ſpiritualia verò, vel æterna inſipientes. Geneſ. 25. Prætulit Eſau lenticulam hæreditati ſuæ. Hanc puerilitatem diſſuadet nobis Apoſtolus dicens *Nolite pueri effici ſenſibus*. 1. ad Corinth 14.
3. *Tertio* evacuanda eſt *cogitatio puerilis*, quæ eſt de ſolis præſentibus, ut non ſolummodo præſenti vitæ, ſed futuræ provideamus. Ad quod monemur. Proverb. 6. ubi ſic legitur. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera viam ejus, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in*
4. *meſſe quod comedat* nimirum in hyeme. *Quarto* evacuanda eſt à nobis *immunditia puerilis*. Solent pueri ſedere in luto & deturpare ornamenta ſua, ſi qua habent. Similis puerilitas in multis eſt, qui jam ſunt ſenes, vel in virili ætate, & tamen non erubeſcunt morari in immunditia peccatorum ſuorum Hierem. 48. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requievit in fæcibus ſuis*. Ad Titum 1. *Infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia*. Multi etiam dignitates quas habent, malè vivendo deturpant, unde ſapiens dicit de Nerone, quod cum quoſdam vellet ornare, non ipſos ornavit, ſed ornamenta deturpavit.
5. *Quinto* evacuanda eſt à nobis *puerilis mutabilitas*, qualis eſt in illis, qui una die aggrediuntur viam paradiſi, alia die redeunt ad viam inferni, una die ædificant, alia die deſtruunt. Eccleſiaſt. 34. *Unus ædificans & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* Mutabilitas ſignum eſt ſtultitiæ. Proverb. 15. *Cor ſtultorum diſſimile erit*: Et Eccleſiaſtici 27. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol. Nam ſtultus ſicut Luna mutatur*. Vir juſtus debet in præſenti quodammodo inchoare æternitatem per conſtan-
6. tiam & perſeverantiam. *Sexto* evacuandus eſt à nobis *timor puerilis*. Solent pueri timere falſa, ut ſocios larvatos. Levia etiam magis timent, quàm gravia pericula, ut virgam matris magis timent, quàm gladium hoſtis. Talis puerilitas in multis ſenibus eſt, quia divites, qui ſunt velut homines larvati adeò timent, ut non audeant eis in aliquo contradicere Seneca. Pueri quos amant, cum quibus ludere aſſueverunt, ſi perſonatos videant, expaveſcunt. Periculum eſt valde timere hominem, unde Proverb. 29 *Qui timet hominem, cito corruet*. Multi etiam ſunt qui præſentia mala, quæ levia ſunt, & quaſi umbræ futurorum malorum valde timent, mala verò futura non timent Hi ſunt velut equi umbratici, qui trepidant, ubi non eſt timor. Seneca. Auctoritatem habemus ſenum & vitia puerorum, nec puerorum tantum, ſed etiam infantum. Illi levia, hi falſa timent, nos utraque.
7. *Septimo* evacuandus eſt à nobis *amor puerilis*. Solent enim pueri concupiſcere quoque pulchra, quæ vidét, licet ſint nociva ſibi, unde arripiunt quādoque manu carbonem vel gladium propter pulchritudinem, quam ibi vident. Exemplum habemus de hoc in Moyſe, de quo narrat Joſephus, quod cùm Moyſes puer allatus eſſet coram Pharaone, videns Pharao elegantiam pueri & pulchritudinem, poſuit diadema ſuum ſuper caput pueri. Puer autem videns imaginem Idoli in corona, projecit ante pedes ſuos & conculcavit eam. Quod videntes Magi Pharaonis, dixerunt, hoc eſt ſignum quod per puerum illum deſtructur regnum Ægypti. Alij volentes eripere puerum, dixerunt, quod ex pueritia hoc fecerit, & fecerunt afferri carbonem vivum, quem puer acceptum poſuerat ad os ſuum, & linguam ſuam combuſſit, ex qua cauſa factus eſt impeditioris linguæ. Similis puerilitas in multis eſt, qui quam citò vident pulchritudinem alicujus mulieris, concupiſcunt eam, non attendentes, quod dicit Hieronymus. Gladius igneus eſt mulieris ſpecies. Pueri etiam ludum amant, unde Job 21. *Infantes eorum exultant luſibus*. Modica etiam quandoque magnis præeligunt, ut pomum quandoque caſtro. Plus dolent quandoque de amiſſione pomi, quam de amiſſione regni. Hæc puerilitas diſſuadetur Proverb. 1. ubi dicitur. *Uſquequò parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient. Octavo* evacuanda eſt à nobis *inverecundia puerilis*. Solent pueri inverecundè mamillas ſibi à matre ſuſcipere, qualis puerilitas eſt in eis, qui lac adulationis, vel illicitæ conſolationis ſibi oblatum inverecundè ſuſcipiunt, contra illud Proverb. 1. *Fili mi ſi te lactaverint peccatores ne acquieſcas eis*.

Exemplum puerile de Moyſe puero.

8.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicat hic ſermo dupliciter gratiam Dei, de quâ hæc Epiſtola loquitur. Deinde edocet cur timenda ſit ingratitudo de beneficio Dominicæ Redemptionis, & qui hoc in vacuum recipiant.

Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. *Corinth*. 6.

SOlent principes quando pugnaturi ſunt cum hoſtibus ſuis monere populum ſuum, ut ſtrenuè agant. Simile præceptum habetur Deuteron. 29. quod appropinquante jam prælio Sacerdos ſtet ante aciem & loquatur ad populum. Simili modo Eccleſia in principio Quadrageſimæ, quādo fortior pugna inſtat exhortando præmittit dicens: *Hortamur vos*, &c. Et poſſumus intelligere hîc per Gratiam, ſpecialiter *beneficium redemptionis noſtræ*, 1.
de qua gratia legitur 2. Corinth. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis*, & Eccleſ. 29. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*, & Auguſtinus loquens de hac gratia dicit: redemit venditus, vivificavit occiſus, honoravit injuriatus. De hac gratia dicit Apoſtolus ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Non abjicio gratiam Dei*, vel, *non ſum ingratus gratiæ Dei*, ſecundum aliam litteram. Gratiam iſtam in vacuum recipit, qui tanti beneficii immemor exiſtit. In quo mundus multum videtur peccaſſe, pauci enim ſunt memores hujus beneficii, unde Eccleſiaſtæ 9 *Inventus eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis*. Hanc gratiam immittit Eccleſia ſpecialiter in corda fidelium, quia maxime valet ad accendendum in eis ignem divini amoris, de quo igne dicit Dominus. *Ignem veni mittere*

Per gratiā beneficium redemptionis intelligendum.

Gratiam iſtā in vacuum quis recipit.

Cur fidelibus hoc beneficium proponatur.

mittere in terram; & quid volo, niſi ut accendatur? & ardeat. Luc. 12. & Levitici 5. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies*, ligna ſunt beneficia, quorum maximum eſt beneficium Redemptionis. Et notandum quod *ingratitudo* ſive *oblivio hujus beneficij*, valde timenda eſt nobis. Et hoc *quadruplici* ratione. *Primo* propter magnitudinem beneficii. Bernardus loquens de hoc beneficio: dormit, inquit, adhuc tua affectio, immò non dormit, ſed mortua eſt, ſi non huic reſpondit beneficio. Item: ſuper omnia reddit te mihi amabilem bone Jeſu calix quem bibiſti; opus redemptionis noſtræ, hoc omnino amoré noſtrum facile vendicat ſibi totum. Item multum fatigationis Chriſtus aſſumpſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis. *Secundo* timenda eſt hæc oblivio, quod multa memorialia nobis data contra hanc oblivionem, inexcuſabiles nos reddunt, ſi immemores hujus beneficii ſumus Specialiter *quatuor* ſunt *memorialia* hujus paſſionis Dominicæ *Primum eſt crux pœnitentiæ*, quam in ſignum dominicæ crucis deferimus Ad Galat. ultimo. *Ego ſtigmata Domini* Jeſu *in corpore meo porto.* Stigma dicitur punctum vel nota aliqua ferro facta, unde ſtigmata dicuntur notæ pœnarum. Pœnæ enim quas ſuſtinemus, ſunt quaſi quædam ſigna pœnarum, quas Dominus ſuſtinuit. *Secundum* memoriale eſt *imago Crucifixi*, quæ in tali loco in Eccleſiis ponitur, ut aſpectui ingredientis Eccleſiam occurrat, & quaſi neceſſitatem habeat reſpiciendi eam. Sed ſunt multi qui quaſi nunquam attendunt, quare imago illa ſit ibi poſita. *Tertium* memoriale eſt *Sacramentum Altaris*, de quo memoriali tangitur prima Cor. 11. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis* *Quartum* memoriale eſt *ſermo Domini & officium Eccleſiæ*, & hoc memoriali ſpecialiter excitantur homines in Quadrageſima ad memoriam Dominicæ Paſſionis. *Tertio* timenda eſt hæc ingratitudo, quia in die judicij Dominus improperabit eam hominibus ingratis, præcedét enim inſignia mortis ſuæ, cum ad judicium veniet & requiret mortem ſuam ab his, qui fuerunt ingrati de tanto beneficio, & merito, quia beneficium tantum in eis amiſit. Bernardus. Nunquid non perit quod datur ingrato? Item ingratitudo eſt beneficiorum amiſſio, & meritò Dominus ab eis qui rem ita carè emptam ſibi abſtulerunt, ſcilicet proprias animas, pretium redemptionis, ſcilicet mortem ſuam requiret. *Quarto* timenda eſt hæc ingratitudo, quod ingratos, de hoc beneficio accuſare poterunt infantes, qui non loquuntur; & feræ, quæ irrationales ſunt; & etiam lapides qui non ſentiunt. Infantes propter hoc, quia ipſi nutrices ſuas naturaliter amant propter beneficium lactis; quod eis miniſtrant. Quomodo ergo excuſari poterunt, qui ei ingrati ſunt, qui pro eis ſanguinem ſuum fudit? Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.* Si naturaliter quis diligit matrem ſuam, quia multa paſſa eſt pro eo, quomodo Chriſtum non multum diligit? ubi enim eſt mater, quæ tanta ſuſtineret pro filio quanta Chriſtus ſuſtinuit pro nobis? Feræ ideò poterunt tales accuſare, quia feræ beneficia ſentiunt, ſicut dicit Seneca. Et refertur de quodam Leone, quem quidam miles à ſerpente liberavit, qui liberatori ſuo adeò gratus fuit, quod eum deſerere nolebat. Quam excuſationem ergo peccator habebit in die judicij, qui à Liberatore ſuo receſſit & ſerpenti infernali adhæſit? Lapides etiam poterunt tales accuſare, cum adamas ſanguine hircino frangatur, ipſi verò virtutem ſanguinis Chriſti

Ingratitudo de beneficio redemptionis timenda.

1. Ob magnitudinem hujus beneficii.

2. Ob memorialia cõtra eius oblivionem data.

Stigma quid.

3. Ob ingratitudinis huius exprobrationem iudicio extremo.

4. Ob gratitudinẽ infantem, ferarum & lapidum in beneficos ſibi, quis cõfundimur.

non ſenſerunt. Quatuor genera hominum ſunt qui ſpecialiter beneficia Paſſionis Dominicæ in vacuum videntur recipere. *Primo* illi qui nondum humiles ſunt, cum ad docendam humilitatem Chriſtus paſſus ſit, unde Gregorius. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter edocendam, ille qui ſine exiſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem parvulus factus, veraciter docuit humilitatem. Veraciter enim docuit eam non ſolũ verbo, ſed etiã exemplo. *Secundo* qui adhuc ſe peccatis inquinant, cum Chriſtus paſſus ſit, ut nos à peccatis ablueret. Apoc *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Eccleſiaſt. 34. *Unus ædificans, & unus deſtruens quid prodeſt illis niſi labor?* Ita unus abluens, & alius inquinans, quid prodeſt illis niſi labor? *Tertio* illi qui nondum Domino Jeſu Chriſto vivere volunt, cum Chriſtus ideò vitam ſuam pro noſtra dederit, ut noſtram lucretur. 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Bernardus. Cui juſtius vivendũ, qui ſi non moreretur, non viverẽ. Juſte ſibi vendicat vitam meam; qui pro me poſuit ſuam. *Quarto* illi qui nondum Chriſtum diligunt, cum Chriſtus ideò paſſus ſit, ut magnitudine ſui beneficii homines accederet ad ſui dilectionem. Bernardus. Multum fatigationis Chriſtus aſſumpſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis.

Beneficium Redemptionis in vacuum recipiunt.

1.

2.

3.

4.

Poteſt etiam intelligi verbum propoſitum de *triplici* gratia quã Deus quotidie hominibus exhibet. *Prima* eſt beneficiũ exſpectationis, quo Deus peccatores patienter exſpectat ad pœnitentiam. *Secundum* beneficium eſt juſtificationis quando diem exſpectationis convertit Deus in diem juſtificationis infundendo gratiam ſuam *Tertium* eſt beneficium conſervationis, quando converſos in ſtatu bonó conſervat. Hanc triplicem gratiam in vacuum recipit, qui magnitudinem horum beneficiorum non attendit, nec pro illis gratias Deo condignas agit, quod ſolet eſſe valde nocivum hominibus, cum ſecundum Bernardum. Ingratitudo ſit ventus urens ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordi, fluenta gratiæ. Et *notandum* quod circa unumquodque horum beneficiorum quinque nobis attendenda ſunt, de quibus in ſequentibus dicetur.

Per gratiã intelligi poteſt triplex beneficium Dei.

Qui hanc in vacuum recipiunt.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo I. explicat tripliciter quomodo nunc ſit tempus acceptabile, (vel tempus Nundinarum ſpiritualium, quo merces ſpirituales comparari poſſint) reſpectu trium temporum, maxime tempori extra quadrageſimam. II. docet quam diſſimilis ſit negotiatio cum Deo, vel cum dæmone inſtituta.

Ecce nunc tempus acceptabile, &c. 2. *Cor.* 6. SERMO. XXXIII.

ECcleſiaſtæ 3. legitur quod ſit tempus adquirendi, & in verbo propoſito demonſtrat nobis Eccleſia tempus illud dicens, *Ecce nunc tempus acceptabile*, intellige ad adquirendum vel negotiandum. Et cum hoc adverbium, (nunc) demonſtret præſens tempus, in quo eſſe oſtenditur, poteſt intelligi hoc eſſe dictum ad differentiam futuræ vitæ, in qua non erit tempus acquirendi, ſed potius uti acquiſitis & qui in præſenti non adquiſierunt, tunc mendicabunt. Prov. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate & non dabitur ei.* Et ſi mille annis mendicaret, non poſſet impetrare unam guttam aquæ ad refrigerium linguæ, quem ignis infernalis cruciabit. Exemplum de hoc habemus Luc. 16. de divite epulone, qui guttam

I. Tempus acceptabile acquire. di ſpiritualia ſeu nundinarum ſpiritualium eſt nunc.

aquæ petiit ſuper digitum Lazari, qui fuerat leproſus, nec impetravit. Mille anni ſunt quod Dominus dixit, quod petierat, & nondum habet, nec unquam habebit, ideò dicitur Eccleſiaſt. 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare &c.* Iſa. 55. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* Poteſt

2. Reſpectu temporis ante Incarnationem Chriſti.

etiam intelligi quod dicitur (*Nunc tempus eſt acceptabile*) ad differentiam temporis quod fuit ante Incarnationem filii Dei, tunc enim regnum cœlorum erat impignoratum, & quantumcunque aliquis laboraret pro eo, non poterat habere tunc. Sed modò quaſi in una hora adquirit homo regnum cœlorum per baptiſmum, aut per martyrium, aut etiam per pœnitentiam, tanta enim poteſt eſſe contritio, quod in modica hora abſolvitur homo à culpa & à pœna, ita quod ſi decedat tam citò, habet regnum cœlorum, unde Bernardus in perſona Eccleſiæ dicit; labor meus vix eſt horæ unius, & ſi amplius eſt, præ amore non ſentio. Poteſt etiam in-

3. Reſpectu temporis extra Quadrageſimā.

telligi quod dicatur (*Nunc tempus eſſe acceptabile*) ad differentiam temporis quod eſt extra Quadrageſimam. Quadrageſimale enim tempus acceptabilius eſt ad lucrandum, quam alia tempora *Triplici* ratione. *Primo* quia campſores vel cambitores in locis

Ob ſacram Confeſſionem.

ſuis inveniuntur nunc. Pœnitentiarii enim inveniuntur parati ad audiendas cõfeſſiones, quod non accidit in aliis temporibus. Et attende quàm felix commutatio fiat in foro pœnitentiali, viliſſima eſt moneta quam apportat peccator, & pretioſiſſima illa quam reportat. Peccata ſua ibi dimittit & gratiã Dei ſibi adquirit. Bernardus. Non tibi quæcunque anima onerata peccatis, non tibi ille locus vilis aut deſpicabilis videatur, ubi Eccleſia peccatrix depoſuit peccata, & induit ſanctitatem. Circa hoc eſt attendenda puerilitas quorundam qui gratiam Dei vellent inde reportare & peccata ſua nollent ibi dimittere, ac ſi neſcirent legem cambiendi. Non agnoſcunt tales, qualis moneta peccatum fuerit, potius enim dimitterent oculum cum peccatis, quàm ea ſecum deferrent, ſi agnoſcerent quam noxia ſint peccata. Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te &c.* Non agnoſcunt etiam qualis ſit moneta, gratia Dei, qua regnum cœlorum poteſt haberi. Si enim hanc monetam agnoſcerent, abſque precibus magis peccata ſua pro illa dimitterent. *Secundo*

2. Ob prædicationes crebriores. Prædicatio exponit venale Regnum cœlorum.

quia in Quadrageſima quaſi in nundinis Dei, venalia abundantius exponuntur, ut cui non placet unum, placeat aliud. Prædicatio eſt expoſitio venalium, & abundantius prædicatur in hoc tempore, quam in alio. De hac expoſitione venalium, dicit Auguſtinus. Venale habeo, venale habeo, quid? regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore quies, ignominiã gloria, morte vitã. Præcipuum venale quod exponitur in nundinis eſt regnum cœlorum Luc. 9. *Tu autem vade & annuncia regnum Dei.* Plus valet operimentum hujus ſacelli, quam quidquid mundus habet venale. Immo & ornatus operimenti, ut eſt ſol & luna & ſtellæ, prævalet illis, quæ mundus

3. quia nunc facilius exercentur opera bona, quibus emitur Regnũ cœlorum.

exhibet venalia. *Tertio* quia in Quadrageſima facilius invenitur moneta illa, qua regnum cœlorum emitur, ut ſunt vigiliæ, orationes & jejunia. Aliquis facilius jejunat ſeptem diebus in Quadrageſima, quam poteſt Paſcha ſextam feriam in ſeptimana, ac ſi Paſchale tempus eos reddiderit impotentes. Aliquis etiam qui una die in Quadrageſima dicit pſalterium, vix poſt paſcha poteſt dicere ſeptem pſalmos, & qui ſurgebat ad Matutinas in Quadrageſima, vix poſt Paſcha ſurgere poteſt ad Miſſam. Quid autem præcipuè emendum ſit in nundinis iſtis oſtendit nobis Dominus Apoc 3. *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum.* Aurum iſtud eſt charitas, unde aurum emunt, qui charitati ſtu-

In Nundinis iſtis qui emunt plũbum vel argentũ, malas merces.

dent. Sunt aliqui qui in nundinis iſtis Plumbum vel Argentum emunt. Illi *plumbum* emunt; qui opera pœnitentiæ in Mortali faciunt, opera enim talia ad ſimilitudinem plumbi ſunt ponderoſa & non precioſa. Vel *plumbum* emunt, qui fatuitatem apertam ſequuntur Eccleſiaſt. 22. *Super plumbum quid gravabitur? & quid illi aliud nomen quam fatuus. Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre, quam hominem imprudentem & fatuum & impium.* *Argentum* verò emunt, qui ſapientiam hujus mundi ſectantur. Argentum non reputabatur alicujus pretii tempore Salomonis, ut legitur. 3. Regum. 10. Et *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum* ut legitur 1. Corinth 3. *Aurum* autem emunt, qui veram ſapientiam ſequuntur, quæ eſt Dei dilectio Eccleſiaſt. 2. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia.*

Qui aurum emant.

II. Negotiatiõ Dei & Diaboli ſunt diſſimiles.

Et Nota quod Diabolus habet negotiationem ſuam ſicut & Deus ſuam, ſed ſunt in multis diſſimiles *Primo* in hoc quod id quod Deus vendit præconſideratur, juxta illud Pro. ult. *Conſideravit agrũ & emit eum.* Ager iſte eſt ager mundæ conſcientiæ, in quo abſconditum eſt regnum cœlorum. Matth. 13. Quia gratia Dei ibi eſt, quæ eſt prætium regni cœleſtis. Eſt etiam quædam ſimilitudo ibi futuræ vitæ; propter munditiam & lucem & ardorem divinæ dilectionis. Eccleſiaſtici 40. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus.* Inchoatur autem juſto paradiſus etiam in præſenti ſerenitate mundæ conſcientiæ. E contrario in agro immundæ conſcientiæ abſconditus eſt infernus, quia ibi eſt peccatum, quod eſt quaſi prætium inferni. Eſt etiam ibi quædam ſimilitudo inferni, propter tenebras ignorantiæ, & vermem remordentis conſcientiæ, & ignem pravæ concupiſcentiæ. Id verò quod Diabolus vendit, non præconſideratur. Unde Lucæ 14. *Iuga boum emi quinque & eo probare illa*, & ibidem, *Villam emi & neceſſe habeo exire & videre illam.* Sapienter egiſſet ſi prius juga boum probaſſet & villam vidiſſet, antequam emiſſet. Quinque juga boum emit, qui cum multa expenſa, ſervituti quinque ſenſuum ſe ſubjicit. *Secundo* diſſimiles ſunt in hoc Qui emit à Diabolo, dum emit, lætatur, & poſt ſequitur triſtitia, ut ſcilicet in peccato fornicationis, de quo dicit Bernardus, quod appetitus anxietas eſt, ſatietas pœnitentia. Et quidam cum tentaretur de peccato carnis, abſcidit ſibi linguam ut vehementia doloris expelleret vehementiam tentationis, & ait: abſit ut tanti emam unde pœniteam. E contrario autem qui emit à Domino lætatur & poſt ſequitur lætitia, unde Proverb. 20. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit, gloriatur.* Duplex malum eſt in emendo regnum Diaboli, quia oportet multa pati & multa facere, *Tertio* ſunt diſſimiles in hoc, quia cum Diabolo purum nunquam facimus lucrum, ſemper plus perdit ibi homo quam lucretur. Proverb. 12. *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Perdit ibi homo *primo* Deum, *ſecundo* regnum æternum, *tertio* fraternitatem Eccleſiæ, Eccleſiaſt. 13. *Quæ communicatio ſancto ad carnem &c.* *quarto* bona Eccleſiæ. Pſal 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, *quintò* bona propria, ſi quæ fecit, *ſexto* perdit ſe ipſum, tranſit enim ad ſervitutem Diaboli, & melius eſſet ei non eſſe quam eſſe, niſi pœniteat. Auguſtinus. O lucra damnoſa invenis peccatum, perdis juſtitiam. Cum Deo verò non eſt perditio, immo ſemper eſt ibi majus lucrum quàm perditio. Quanto magis perdit aliquis in ſervitio Dei, tanto magis lucratur. Matth. 10. *Qui perdiderit animam ſuam &c.* Unde ad perdendum propter Deum monemur. Eccleſiaſt. 29. Ubi dicitur *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* Quantumcunque conſtet regnum cæleſte, modicum videbitur

1. Quod à Deo venditur ab emente præconſideratur. Conſcientia bona ſimilis regno cœleſti, quare.

Conſciẽtia mala ſimilis Inferno, quare.

Quod à Diabolo venditur, non præconſideratur.

2. qui emit à Diabolo primo gaudet, poſt dolet. Peccatum fornicationis.

Contrariũ accidit ementi à Deo.

3. Cum Diabolo plus perdimus, quam lucramur. Perdimus ſex.

Contrariũ fit cũ Deo.

videbitur pretium fuiſſe, cùm regnum cœlorum habebitur. Cantic ult. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Quarto ſunt diſſimiles in hoc quod Deo de ſuo ſolvimus, cum nihil boni habeamus, quod ſuum non ſit, 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* & primo, Paralip. ult. *Tua ſunt* (Domine) *omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Diabolo verò, ſi ematur ab eo, non ſolum ſolves de tuo, ſed de teipſo, ipſe enim animas quærit juxta illud. Geneſ. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Hoc dixit rex Sodomorum, qui tenet figuram diaboli. *Quinto* in hoc diſſimiles ſunt, quia diabolus melius oſtendit & deterius vendit. Oſtendit enim vinum gaudii præſentis, poſt quod ſequitur venenum infernalis tormenti, unde de vino iſto legitur. Proverb. 23. *Ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber.* Econtrariò facit Dominus. Unde Joannis 2. dicitur ei. *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.* Pſalm. 59. Oſtendiſti populo tuo dura, *potaſti nos vino compunctionis.* Plus valet arrha quam Dominus dat, quam quidquid diabolus poteſt habere, quia Spiritus ſanctus, arrha eſt hæreditatis noſtræ, ut legitur Epheſ. 1. ſecundum veriorem litteram.

4. Quia Deo ſolvimus de ſuo.

Diabolo de noſtro ac nobis ipſis.

5. Quia diabolus melius oſtendit, & vendit deterius. Contrariū facit Deus.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic duabus ſimilitudinibus navigationis & curationis medicinalis, aliiſque motivis allatis, ad ſalutem propriam procurandam hoc tempore Quadrageſimæ nos invitat ac incitat.

SERMO XXXIV.

Ecce nunc tempus acceptabile, &c. *2. Corinth. 6.*

SI quis peregrinus eſſet tranſiturus mare, valde gauderet ſi Dominus per certum nuntium ſignificaret ei quod tempus idoneum eſſet ad tranſeundum. Peregrini ſumus per mare hujus mundi ad cœleſtem Hieruſalem venturi, crucem pœnitentiæ levavimus, vel levaturi ſumus. Ipſe rex cœlorum crucē levavit primus. Iſa. 9. *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Joan. 19. *Et bajulans ſibi crucem, &c.* Nec eſt de familia ejus, qui crucem non levat pœnitētiæ, ex quo adductus eſt Apoſtolus Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et Dominus Matth. 10. Luc. 9. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, &c.* Superbi humilitatē pœnitentiæ fugientes de familia regis infernalis ſunt. Job. 41. *Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Gregorius. Evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, humilitas electorum. Cum ergo his ſignis quem quiſque Dominum habeat cognoſcatur & ſub quo rege militet, nobis tanquam peregrinis inſinuat Eccleſia verbo beati Pauli propoſito, quod tempus conveniens ſit, ut ad cœleſtē Hieruſalem tendamus. Cauſa autem quare tempus iſtud idoneum eſt, poteſt eſſe, quia tempore iſto ventus vanitatis minus flat, quàm alio tempore, præcipuè ſuper aquas divitiarum ducens rectà in infernum. Ceſſat etiam nunc ventus detractionum & irriſionum, qui alio tempore multos à pœnitentia retrahit. Econtrariò ventus Spiritus ſancti, qui eſt charitas flat modo. Hoc vento tranſivit filius Dei hujus mundi mare & repatriavit. Iſte ventus nunc flat, cùm charitas, quam Chriſtus habuit, ad peccatores oſtenditur. Et multum potens eſt ventus iſte ad ducendum homines in paradiſum. Pſal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* Ventus etiam ſpiritus ſancti eſt excitatio facta per prædicationem. Item per officium Eccleſiæ quod tempore iſto valde eſt devotum. Sequitur (*Ecce nunc dies ſalutis*) Tempore iſto præcipue debemus conari ad hoc, quod ad portum perveniamus ſalutis, quia multum monent modo nos ad hoc. *Primo* hoc quod Deus tali tempore 1.
tot & tanta fecerit. *Item* monemur ad hoc per creaturas, quæ ceſſaverant operari in hyeme, nunc verò 2.
ceſſante impedimento incipiunt operari, ut patet tam in terra naſcentibus quam in animalibus. Creſcunt dies & lumen & calor eorum, ut & tu creſcas exemplo eorum. Lumen etiam ſapientiæ in te creſcere debet, & ad Dei dilectionem debes accendi. Monemur *etiam* ad idem exēplo Chriſti, qui tēpore iſto tot & tanta fecit pro ſalute noſtra. Bernardus. Qui me tantū ſemel dicendo fecit, in reficiēdo profecto & dixit mula, & geſſit mira, & pertulit dura, 3.
nec tantum dura, ſed etiam indigna. Indecens eſt quod tempore illo, quo Dominus tuus laboravit pro ſalute tua, negligens inveniaris operari pro ſalute propria. Et ſi Dominus multum juverit nos ad ſalutem noſtram, tamen noluit quod nobis non remaneret aliquid ad agendum. Juſtitia enim Dei requirit ut homo adultus ſalutem non conſequatur, niſi ipſe ad hoc operetur. Auguſtinus. Qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te. Noluit Dominus æqualis conditionis eſſe ſtultos & ſapientes, ſtrenuos & negligentes, ſed vult Dominus, quod homo aliquid faciat ſibi difficile in principio. Unde cùm Joſaphat rex quidam videret in viſione gloriam juſtorum, rogavit Conditorem, ne gloria illa privaret eum: cui Conditor: impoſſibile eſt, te modò eſſe hic, ſed poſt multos ſudores huc venies, ſi tamen tibi vim inferre poteris. In hoc virtus eſt quod homo abſtineat ab eis quæ ſibi placent, unde eſt verſus.

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.

Sapiens. Hoc ſolum virtuti adjicies, quod propriæ voluntati ſubtraxeris. *Adhuc* debemus conari ad bene operandū, quia pium eſt credere, quod 4.
ille qui magnam miſericordiam fecit, tempore iſto paratus ſit miſericorditer reſpicere. *Præterea* modo juvant nos bona exempla & conſuetudo, ſicut mala 5.
exempla alio tempore nos impediunt. Qui ad Confeſſionē tempore iſto non venit, vel non jejunat, vix faciet hoc alio tempore. Et ſicut dies iſti dici poſſunt dies ſalutis, quia facilius operatur homo in illis ſalutem ſuam quam in aliis, ſic dies alii, dies perditionis. Unde qui deſiderant aliud tempus, & iſtud odio habent, videntur odiſſe ſalutem ſuam, & diligere perditionem. Si enim non fuiſſent dies iſti, ferè totus mundus iret ad perditionem. Unde multis expediret, quod ante Paſcha morerentur, antequam reciderent. Seneca. Majus periculum eſt malè vivendi, quàm citò moriendi. De facili ſalvarent homines animas ſuas, ſi tempus iſtud continuè duraret.

Ad hoc autem quod aliquis ſalvet animam, præcipuum eſt deſiderium vel amor propriæ ſalutis. Hæc eſt cauſa quare non ſalventur homines, quia non amant ſuam ſalutem, nec pro ea laborare volunt. Deus enim vellet omnes homines ſalvos fieri, ſecundum Apoſtolum 1. Timoth. 2. Et hac de cauſa venit in mundum iſtum. 1. Timoth. 1. *Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere.* Et *nota* perverſitatem hominum. Hoc enim minimè amant quod amare maximè deberent ſcilicet ſalutem. Ad malum enim ſuum nati ſunt, ſi ad ſalutem perventuri non ſunt. Iſtud minus quærere volunt, quod ſolum Dominus quærere voluit vel docuit, dicēs Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei,* & non docuit alia eſſe quærenda, ſed dixit adjicienda, ſi in majori credis Deo promittenti, crede & in minori, quod neceſſaria tibi adjiciet, prout tibi viderit expedire. Hoc non credunt mulieres, quæ præ timore paupertatis ſe proſtituūt, malè ſentientes de Deo. Credunt quod diabolus vel majorem poteſtatem, vel meliorem voluntatē providendi habeat quàm Creator earum. Item illud ſolum inter ne-

Occaſionē navigandi ad cœleſtē Hieruſalē, cum ſimus peregrini, non negligemus. Crux pœnitentiæ portanda quāobrem.

Tempore Quadrageſimæ eſt talis occaſio ob bonos ventos, quales.

Ut tempore Quadrageſimæ operemur noſtram ſalutem, monet nos.

Debemus aliquid operari pro ſalute noſtra, quare

Exemplum

Hortatio ad procurandam ſalutem propriam & reprehenſio negligentiæ illam.

gotia ſua faciendum non putant, quod ſolum propriè eſt negotium, & ſolum ex neceſſitate faciendum. Quæcunque faciat homo, ſi ſalutem ſuam non procurat, nihil factum eſt. Si nihil faciat, niſi quod ſalutem ſuam procurat, ſatis eſt. Excuſat ſic aliquis, cum ſibi dicitur, quare non fuiſti ad ſermonem? reſpondendo negotium habebam. Quaſi negotium ejus non ſit ſimiliter laborandum pro ſalute, non attendens quod de excuſantibus dicitur. Luc.14. *Dico vobis quod nemo virorum illorum &c.* Item reputant ſtultitiam, magnam ſapientiam, ſcilicet ire in paradiſum Eccleſiaſtæ 6. *Quid habet amplius ſapiens à ſtulto? & quid pauper, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita?* hoc ſolo diſcernitur ſapiens à ſtultis. Sapiens es, in paradiſum vadis. Stultus es, in infernum vadis, immò inſanis, quia vadis ſic voluntariè ad locum ſuſpendii. Item ad aliud nullum tempus habent liberum, quia omne tempus eis datur ad faciendum ea, quæ ad ſalutem pertinent. Job. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Alia faciunt, ſed illud facere nolunt, ad quod propriè facti ſunt. Illi, qui omne tempus dat ſibi, non vult dare illud tempus peccator, quod amiſſurus eſt, ut ſi poſt prandium audiat verbum ejus in diebus feſtivis, quando nil aliud habet facere niſi damnum ſuum. Similis eſſet ei qui patri dare nollet, quod porcis eſſet daturus.

Peccato quare non ſit opera danda.

Illi rei, quæ ſolum tempus non habet de jure, ſcilicet peccato, dat peccator tempus & opportunitatem, ſed illi rei, cui totum tempus datum eſt, nullam opportunitatem eligit. In hoc apparet quod peccatum pejus eſt quàm mors, quia cum alia tempus habent, etiam mors, ut habetur Eccleſiaſtæ 3. *Omnia tempus habent*, & ſubditur; *tempus naſcendi, & tempus moriendi.* Peccatum tamen non habet tempus, unde non dicitur ibi, tempus peccandi. Nec peccatum negotium vocatur, cum poſt dicitur. 8. Ejuſdem: *Omni negotio tempus eſt & opportunitas.* Ad peccandum nullum tempus opportunitatis eſt, unde Eccleſiaſt.15. *Nemini mandavit (Deus) impie agere, & nemini dedit (Deus) ſpatium peccandi.*

Motiva ad ſalutem noſtram procurandam nos excitantia.

Hæc verò quæ ſequuntur debent movere hominem ad amorem propriæ ſalutis & ad laborandum pro ea. Alii à te ſalutem tuam deſiderant. Deus pro ea in mundum miſit filium ſuum, deinde ſpiritum ſanctum.

1. Aliorum de noſtra ſalute cura.

Ipſi etiam Angeli pro ſalute noſtra in terris miniſtrant. Hebr.1. *Omnes ſunt admin.ſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.* Proximus etiam tuus, cùm tibi obviat, ſalutem tuam exoptat ex conſuetudine à ſpiritu ſancto introducta, ut tibi oſtendatur, quod eam debeas acceptare. Tu ſolus & Diabolus ſalutem tuam odio habetis.

Brutorum de ſua.

Irrationalia animalia amant ſalutem propriam. Ovis hac de cauſa fugit lupum, etſi nunquam viderit cum aliqua vice, & avis hominem accipientem lapidem. Bernardus. Pudet hoc idem non in homine poſſe, quod natura poteſt in volucre.

3. Cura ſalutis corporalis.

Item pro morte tua multum laboras. Sap.1. *Deus mortem non fecit &c.* multò magis laborare debes pro ſalute. *Item* pro ſalute corporis laboras, multò magis pro ſalute animæ laborare deberes. Si bene erit animæ, bonum erit corpori. Nil melius corpori, quàm ſalutem animæ providere.

4. Iudicium extremum.

Item quæ facturus eras pro ſalute animæ, hæc facies in futuro, & inutiliter. Plangens enim peccata tua quæ manifeſtabantur & affligeris. De quo Apoc.1. *Plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ*, & Matth.25. *Inutilem ſervum ejicite* &c. & Lucæ 19. *Videns (Dominus) civitatem, flevit ſuper illam.* Mattres flebunt damnationem filiorum, quam nolunt modò flere. Lucæ 23. *Filiæ Hieruſalem nolite flere &c.* De ſecundo Nahum. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.* Quæ modò abſconduntur, tunc toti mundo revelabuntur. Infelix in cujus ſinu invenitur funis, cum quo ſuſpendatur. Iſte funis eſt peccatum.

5. Pœnæ inferni. Luc.16.

Jejunium tale erit ibi, quod nec guttam aquæ poterunt habere, & quod mortem, quæ ita amara eſt, eſurient Apoc.9. *Deſiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis.* Deuter.32. *Fel draconum, vinum eorum.* Calculus ardens velut panis. Proverb.20. *Suavis eſt homini panis mendacii, & poſt ea os ejus implebitur calculo.* De lecto legitur. Iſa.14. *Subtus te ſternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Et hæc omnia inutiliter fient, ſic fatuus eadem faciet, quæ & ſapiens, ſed non tempore opportuno. Eccleſiaſtici 20. *Imprudens non ſervabit tempus.*

6. Cura temporalium.

Item timet homo fatuus perdere unum denarium, vel ſotulares, ſeipſum non. Si ſalutem tuam deſideras, vaca ab exterioribus occupationibus. Joan.11. Dicunt diſcipuli: *Si dormit, ſalvus erit.*

7. Timor Dei.

Et libentius cogita quæ ad juſtitiam Dei pertinent, ut timor tibi incutiatur. Eccleſiaſtici 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Si timorem habes, magnum theſaurum habes ad ſalutem tuam. Iſa.33. *Timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus*, ſcilicet ſalutis.

8. Conſilia aliorum.

Item ſapientiam libentius audias. Iſa.33. *Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia.* Item in Confeſſione conſilium quæras. Prov.11. *Salvi, ubi multa conſilia.* Sic de facili poteris ſalvare animam tuam.

Tria valentia ad ſanandum corporaliter, valent ad ſanandum ſpiritualiter.

Notandum quòd Tria ſolent valere ad hoc, quod aliquis infirmus corporaliter ſanetur, ſcilicet *temporis opportunitas, conſilium Medici, deſiderium ſalutis in infirmo*, quod infirmũ faciat Medico in omnibus obedire. Iſta ecce eadem valent ad hoc, quod illi qui ſunt infirmi ſpiritualiter ſanentur.

1. Temporis opportunitas.

Nunc ſunt dies ſalutis ob tria.

Temporis enim *opportunitas* modo eſt, ſunt enim *dies ſalutis.* 2. Corinth.6. *Ecce nunc tempus acceptabile. Triplici* autem ratione poſſunt dici *dies ſalutis. Primo* quia ſalvator tempore tali ſalutem Mundi operatus eſt. *Secundo* quia iſto tempore valde paratus eſt iſtis ſalutem dare, qui eam quærunt, ille, qui tali tempore tantum voluit facere pro ſalute hominis, & illam ineffabilem miſericordiam fecit, veriſimile eſt quod nunc paratus ſit in miſericordiam recipere pœnitentes. 2. Corint.6. *Tempore accepto exaudivi te. Tertio* quia impedimenta quæ habent homines aliis temporibus, modò ceſſant. Multa etiam juvant & monent homines tempore iſto ut pro ſalute ſua operentur.

In Quadrageſima eſt opportunitas operãdi ſalutem ob quatuor.
1.

Modò ceſſat ventus vanitatis, qui flat aliis temporibus, qui ventus rectè ducit in infernum, modo etiam ceſſat ventus detractionum & irriſionum, qui multos aliis temporibus retrahit à pœnitentia. Ventus autem charitatis modò flat rectè ducens in Paradiſum, oſtenditur enim charitas quam habuit filius Dei ad hominem, quando pro amore ejus mori voluit, cum nunc refertur in Eccleſia quomodo pro ſalute noſtra flevit filius Dei in ſuſcitatione Lazari, & in adventu in Hieruſalem, & in agonia mortis, quando prolixius oravit, & quando ſanguinem ſuum tali tempore multipliciter fudit. Unde valde indiſcretus eſt qui tempore iſto pro ſalute ſua non aliquid facit, & talis vix perveniet ad ſalutem.

Ioan 11. Matth.25. Luc.22.

2.

Item iſto tempore Dominus mundum formavit propter hominem, creditur enim mundus factus fuiſſe in Martio, unde valde ingratus eſt qui pro ipſius amore tempore iſto aliquid non facit. Ezech.11. *In præceptis meis non ambulaſtis, & judicia mea non feciſtis, ſed juxta judicia gentium quæ in circuitu veſtro ſunt, eſtis operati.*

3.

Præterea monent nos ad hoc creaturæ quæ ceſſaverãt in hyeme, operari propter hyemis intemperiem, modo verò ceſſante intemperie operari incipiunt. Invitant etiam ad hoc exempla & conſuetudo. Vix veniet ad Confeſſionem & je-

juvabit alio tempore, qui illo tempore hoc non facit, quando videt alios hoc facere, conſuetudo etiam hoc requirit. *Secundum* valens ad curandum infirmitatem ſpiritualem eſt *prædicatio*, quæ eſt velut *conſilium cœleſtis medici*. Ad quod pertinet verbum. Eccleſiaſtici 4. *Non retineas verbum in tempore ſalutis &c.* Mirantes aliqui quod frequenter prædicetur, non attendentes ad hoc doctores arctatos eſſe domini præcepto, alioquin maledictionem habent ſuper ſe. Unde Proverb. 11. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.* & Hierem. 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Præcipue verò vult Dominus ut in hoc tempore prædicetur, plus enim deberet valere unus ſermo tempore iſto, quam multis aliis temporibus. Quaſi enim omnia nunc nobis prædicant. Tunc præcipuè medici ſecundum artem ſuam operantur, quando eſt temporis opportunitas. *Tertium* quod valet ad hoc quod infirmi ſpiritualiter ſanentur, eſt *deſiderium ſalutis*, de quo deſiderio ſatis mirum poteſt eſſe, cùm videamus tot bruta animalia abſque aliqua admonitione multum ſalutem ſuam deſiderare. Si quis videat avem illaqueatam qualiter conetur ad hoc ut evadat, ſatis apparebit quod amat ſalutem ſuam. Vel ſi quis videat qualiter fugiat, cum lapis in eam mittitur. Item ſi quis videat canem qui in aquam cecidit, quomodo natat & ab ipſa tendit, bene apparebit quod amat ſalutem ſuam. Amemus ergo & nos ſalutem noſtram. Auguſtinus. Poſtquam intellexi me ſanguine Chriſti redemptum, nolui membra venalia exhibere. Aliud verò non video impedimentum, quare ſalutem conſequi non debeamus, cùm adſit temporis opportunitas & ſermo Dei, qui ſanat omnia, quod legitur in libro Sapientiæ cap. 16.

2. Conſilium Medici cœleſtis, Concionatoris.

Cur nunc frequenter concionandum.

3. Deſiderium ſalutis in peccatoribus, ad exemplum brutorum.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Docet hic ſermo quomodo ſanctificari & à quibus vitiis emundari debeamus, ut Dei voluntati ſanctificationem noſtram cupientis morem geramus.

SERMO XXXV. De tribus hoc ſermone agetur.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra &c. 1. *Theſſ.* 4.

IN verbo iſto oſtendit nobis Apoſtolus *tria*. *Primo* quod voluntas Dei ſit nos ſanctificari ſive mundari cum dicit, *hæc eſt voluntas Dei &c.* *Secundo* ſpecificat *tria* vitia à quibus Deus vult nos mundari. *Primum* eſt peccatum carnis, de quo ibi: *ut abſtineatis vos à fornicatione &c.* *Secundum* eſt peccatum ſuperbiæ, de quo ibi: *Ne quis ſupergrediatur.* *Tertium* eſt peccatum cupiditatis vel avaritiæ. de quo ibi. *Neque circumveniat in negotio fratrem ſuum &c.* *Tertio* verò oſtendit Apoſtolus cauſam quare neceſſe habeamus ab his emundari, ibi: *quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.*

1. Sanctificatio & emundatio noſtra. Benignitas Dei volentis nos ſanctificari & emundari quanta.

Circa Primum debemus attendere magnam Dei *benignitatem*, & magnam hominum *perverſitatem* & *corruptionem*. Benignitatem in hoc, quia cùm mortem æternam meruimus, quotieſcunque mortaliter peccavimus, juſtiſſime poſſet dicere Deus, hæc eſt voluntas mea mors vel damnatio veſtra. Ipſe tamen non dicit hoc, ſed potius hæc eſt voluntas mea ſanctificatio veſtra. Hæc eſt mutatio dextræ Excelſi, cum pro morte æterna, cujus peccator debitor eſt, ſanctificatio noſtra requiritur. *Si rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debeas* (dicunt ſervi Naaman ad Dominum ſuum 4. Regum 5.) *quanto magis quia dixit tibi: lavare & mundaberis.* Sic quantumcunque difficile juſſiſſet Deus in vita iſta fieri, libenter deberet hoc facere peccator pro evaſione mortis æternæ. Quam libenter ergo debet mundare ſe, cù hoc ſit facile cũ Dei adjutorio & peccatori honeſtũ, & utile. Et cum ipſe peccator, etiamſi nunquam Deus dixiſſet, debebat hoc appetere. Merito damnabuntur qui hanc miſericordiam Dei contemnunt & recuſant. Ezech. 18. *Quare moriemini* (in peccatis veſtris) *domus Iſraël? quia nolo mortem morientis* (peccatoris) revertimini, & vivite. Et iterum. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis & vivat?* Perverſitatem verò hominum poſſumus advertere in hoc quod cum Diabolus dicat ex una parte, hæc eſt voluntas mea interfectio veſtra; & Deus ex altera, hæc eſt voluntas mea ſanctificatio veſtra, potius adquieſcunt Diabolo deſideranti mortem eorum, & mortem culpæ & mortem pœnæ, quam Deo deſideranti ſanctificationem eorum. Unde mortem ſuam zelare videntur, juxta illud Sap. 1. *Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ neque adquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Corruptionem in hoc, quod potius volunt in luto immunditiæ remanere quam inde exire. Quis non miraretur ſi videret unum Angelum in luto eſſe, & potius vellet eſſe ibi quam in cœlo, & nullis precibus adquieſcere vellet, quod de luto ſe eriperet; ſic non parum admirandum eſt, quod anima humana quæ angelis ſimilis eſt ſimilitudine naturæ, elegit manere in peccato, cujus immunditia deteſtabilior eſt immunditiâ cujuſcunque luti, & nullis precibus adquieſcere vult ut inde exeat. Ipſum corpus quod ei datum eſt ut ei ſerviat, immunditiam, etſi tantum in ſuis pedibus ſit, non ſuſtinet, & anima in ſe ipſa immunditiam non abhorret. Quomodo poteſt hoc eſſe ſine magna ejus corruptione? Præterea cùm anima ſole & luna & ſtellis purior & clarior eſſe dicitur, quæ ratione eſſe congruit ei in luto peccati? quis non miretur ſtellam eſſe in cœno, quæ debet eſſe in cœlo? Item Notandum circa idem verbum quod *quatuor* ſunt quæ poſſunt valere ad hoc quod aliquis veniat ad perfectam munditiam. *Primum* eſt frequens ablutio ſui cum aqua lachrimarum, cui aquæ admiſcendus eſt cinis, memoria ſcilicet propriæ mortis temporalis, vel æternæ, vel etiam memoria domini mortis per hunc modum fit lixivia, quæ ad abluendum efficacior eſt. In hac lixivia bonum eſt lavare quaſi per ſingulas noctes lectum &c. *Secundum* eſt vitæ aſperitas tam in victu quam in veſtitu, ſicut defricatio & abſterſio cum panno aſpero valere ſolet ad mundationem corporalium rerum, ſic vitæ aſperitas valet ad munditiam ſpiritualem. De hac aſperitate exemplum habemus. Matth. 3. In Joanne Baptiſta ubi ſic legitur. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre.* *Tertium* eſt lima correctionis, unde qui perfectam munditiam deſiderat, non debet fugere correctionem, ſed amplecti. Gregorius. Ille ſolus amicus meus erit qui ante adventum diſtricti judicis maculas mentis meæ tergit. Proverb. 29. *Virga atque correctio tribuit ſapientiam.* Eccleſiaſtici 20. *Quam bonum eſt arguere.* Sed ſunt quidam miſeri qui ex lima correctionis, ex qua debuerant contrahere munditiam & decorem, potius contrahunt rubiginem, dum de correctione dedignantur & deteriores fiunt. De tali poteſt dici illud Pſal. 88. *Deſtruxiſti eum ab emundatione*, id eſt unde debuit emendari vel emundari. *Quartum* eſt flamma tribulationis qua Dominus mundat illos quos aurum & argentum reputat, unde gaudere deberet homo cum in flam-

Perverſitas hominum volentium perdi.

Corruptio hominum nolentium mundari.

Per quatuor homo mũdatur perfecte,

1. Per lacrimas cum memoria mortis Chriſti & noſtræ. Lixivia pro peccatis. Pſal. 6.

2. Per aſperitatem vitæ.

3. Per correctionem patienter toleratam.

4. Per tribulationes.

ma tribulationis ſe à Deo poſitum videt. Iac. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Ille qui in flamma tribulationis per impatientiam exuritur, non aurum vel argentum oſtendit ſe eſſe, ſed potius paleam, unde multum poteſt timere illud Matth. 3. *Paleas autem comburet igne inextinguibili.*

Triplex ſanctificatio in veteri lege ſignificat.

Item circa illud verbum Notandum eſt quod in veteri lege fiebat *triplex ſanctificatio*, ſcilicet aqua expiationis, de qua habetur. Numeri 19. Et Exod. 30. ſanguine mundantur ſecundum legem & unctione, tabernaculum & vaſa ejus & Aaron cum filiis ſuis.

1. Tria Baptiſmata novæ Legis

Et intelligitur in hac triplici ſanctificatione *triplex Baptiſmus*, ſcilicet *baptiſmus fluminis* qui propriè dicitur baptiſmus; & *baptiſmus ſanguinis*, quo beatus Mauritius cum ſociis ſuis baptizatus eſt; & *Baptiſmus flaminis* ſive ſpiritus ſancti, quo ſalvantur illi qui non poſſunt habere Baptiſmum, ſed credunt & convertuntur de peccatis ſuis, & libenter reciperent Baptiſmum, ſi poſſent habere.

2. Parvulorū Baptiſma. 1. Pœnitentium mortificationē.

Vel in ablutione per aquam facta intelligi poteſt ſanctificatio, quæ fit in parvulis qui baptizantur. In ablutione verò facta cum ſanguine intelligitur ablutio, quæ fit per pœnitentiam, quæ eſt quædam carnis mortificatio & crucifixio, juxta illud. Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, & ſuper illud Matth. 10. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, dicit gloſſa. Crux duobus modis tollitur vel portatur cum per abſtinentiam corpus affligitur, vel per compaſſionem proximi affligitur animus.

3. Augmentū gratiæ.

Per ſanctificationem verò unctione factam ſignificatur ſanctificatio, quæ fit per augmentum gratiæ, & Specialiter ſanctificatio quæ fit in miniſtris Eccleſiæ.

Vnguentū ſanctificationis ex quatuor fiebat, quæ ad miniſtros Eccleſiæ referuntur. 1. Myrrha electa, carnis maceratio duplex.

Quatuor verò *ſpecies* ſunt de quibus fiebat unguentum illud quæ ſignificant illa quæ in miniſtris Eccleſiæ debent eſſe. *Prima* eſt *Myrrha prima & electa*, ſic dicitur myrrha illa quæ ſponte manat, & eſt pretioſior quàm illa quæ elicitur ex corticis vulnere, & ſignificat macerationem carnis, quam aliquis facit quaſi gratis, non pro peccatis quæ fecerit, ſed ut ſtigmata domini Jeſu in corpore ſuo portet. Galat. ult. Vel ut ſic carnem ſuam quodammodo balſamet & à vermibus & à corruptione ſpirituali conſervet.

2. Cinnamomum, Humilitas.

Secunda Cinnamomum, quod eſt cinerei vel nigri coloris, humilitatem ſignificat. Cinnamomum cum frangitur viſibile ſpiramentum emittit in modum nebulæ vel pulveris, & humilitas in miniſtris Eccleſiæ gratiſſimum odorem dat populo.

3. Calamus Prædicatio & Conſolatio aliis facta.

Tertia ſpecies eſt *Calamus*. Quia calamo & ſcribitur & cantur, duplex officium Eccleſiæ miniſtrorum intelligitur. Unum eſt ſcribere legem Dei in cordibus eorum, hominibus prædicando, juxta illud. Pſal. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Aliud eſt conſolari eos in præſenti miſeria, promiſſiones Dei eis explanando.

4. Caſia, id eſt, Fides.

Quarta ſpecies eſt *Caſia* quæ in aquis creſcit & bonum odorem reddit, per quam fides intelligitur, quæ in aquis ſacræ ſcripturæ creſcit. In quo innuitur, quod miniſtri Eccleſiæ mente debeant habitare in aqua ſacræ ſcripturæ, quæ multùm valet ad munditiam, & ad hoc ut *parati ſint ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in eis eſt fide & ſpe*, juxta verbum 1. Petri 3.

Oleum ex olivis, Miſericordia prædictis virtutibus admiſcenda, qui.

Unicuique verò horum admiſceri debet oleum de olivis, ut omnia iſta miſericordiæ ſerviant. Tunc maceratio carnis miſericordiæ ſervit, quando quod proprio ori ſubtrahitur, in ore Dei ponitur in paupere, juxta illud Matt. 6. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, oleo.* Caput ſuum Chriſtum ſcilicet oleo ungit, qui eleemoſynam tribuit pauperi. Humilitas tunc miſericordiæ ſervit, quando quod ſuperbiæ veſtium detrahitur, in veſtiendis nudis ponitur. Doctrina etiam & ſtudium ſacræ ſcripturæ miſericordiæ ſerviunt, quando miniſtri Eccleſiæ ex zelo quem habent circa ſalutem animarum talibus intendunt.

Vnguentū hoc explicatur aliter.

Tamen ſecundum Gloſſam hæ quatuor ſpecies ſignificant quatuor cardinales virtutes, quibus oleo miſericordiæ divinæ Eccleſia Deo ſanctificanda eſt.

II. Tria vitia ſunt abluēda. 1. Fornicatio duplex. Spiritualis quid ſit.

Sequitur, *ut abſtineatis vos à fornicatione*, quod de fornicatione Carnali vel Spirituali poteſt intelligi. *Spiritualis fornicatio* eſt omne mortale peccatum Auguſtinus. Omnis anima aut eſt Chriſti ſponſa, aut Diaboli adultera. Væ animæ illi quæ ſponſum legitimum, ſpecioſiſſimum forma præ filiis hominum, nobiliſſimum & ditiſſimum relinqui pro adultero, leproſo, viliſſimo, turpiſſimo & pauperrimo, Diabolo ſcilicet.

Carnalis, alibi quærenda cavetur.

De *fornicatione carnali* vide tractatum de Luxuria.

1. Sanctificatione & honore quomodo.

Quod dicitur, *ut abſtineatis à fornicatione*, pertinet ad hoc quod peccatum conſuetum dimittatur, *ut ſciat unusquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*, pertinet ad diſcretum regimen corporis in poſterum, vas enim proprii corporis poſſidendum eſt in *ſanctificatione*, id eſt, in maceratione, ita quod non laſciviat & in *honore*, id eſt, neceſſariorum miniſtratione, ita quod caro non deficiat. Sic honoratio ſumitur Exodi 20. ubi ſic legitur, *honora patrem tuum & matrem tuam &c.*

2. Oris cuſtodia & temperantia.

Et *notandum* quod ad munditiam hujus vaſis multum valet oris cuſtodia. Vas enim quod non habuit operculum, nec ſuper ligaturam immundum erit ut legitur. Numeri 19. Operculum habet vas iſtud, ſi habeat modeſtiam in loquendo, ligaturam, ſi habeat temperantiam cibum & potum moderatè ſumendo.

Lingua cur & qui ſit incluſa.

Item *notandum* quod quia lingua eſt malum inquietum & univerſitas iniquitatis. Jac. 3. ideo Dominus eam incluſit. Et primò poſuit dentes, quaſi quendam murum, deinde foſſam inter dentes & labia, & tertiò labia, quaſi antemurale. Sed de multis poteſt dici iſtud. Thren. 2. *Antemurale & murus pariter diſſipatus eſt.* Proverb. 25. *Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.*

Paſſio deſiderii quid.

Sequitur, *non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum*, paſſio deſiderii vocatur ardor nimius hominem vincens & quaſi violentus, qualis eſt in eis de quibus loquitur. 2. Petri 2. *Hi*, inquit, *velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem*, ſupple, *tendunt*.

2. Vitium eſt Superbia.

Quod ſequitur, *& ne quis ſupergrediatur*, ad ſuperbiam pertinet, ut prius diximus, ſuperbi enim ſunt ut ſimiæ, quæ ſemper volunt ſaltare ſuper humeros hominum, Jacobi 2. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos? &c.* Item de aliis volunt facere ſcabellum pedum ſuorum & conculcare eos, ut ſic ſeipſos exaltent, ideo meritò in futuro ipſi conculcabuntur juxta illud Iſa. 28. Pedibus conculcabuntur coronæ ſuperbiæ.

3. Avaritia.

Quod verò ſequitur, *neque circumveniat*, pertinet ad dolos & fraudes cupidorum & avarorum Hierem. 5. *Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plena dolo, ideo magnificati ſunt & ditati &c.*

III. A peccatis debeamus emundari ob Vindictam Dei.

Sequitur, *quoniam vindex eſt Dominus &c.* Roman. 12. *Mihi vindicta & ego retribuam.* Eccleſiaſtici 5. *Deus enim vindicans vindicabit*, & Deuteron. 32. *Mea eſt ultio & ego retribuam eis in tempore.* Sed ſunt quidam, qui vindictam illam non timent, quia differtur, ſecundum illud Eccleſiaſtæ 8. *Quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala:* Contra quos dicit Auguſtinus. Lento gradu divina procedit ſententia, ſed tarditatem compenſat gravitas.

DOMI-

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

Summarium.

Docet hic ſermo. I. quare. II. in quibus Deum imitari debeamus, ut ad ejus perfectiſſimum exemplar & doctrinam, vitam noſtram corrigamus.

Eſtote imitatores Dei ſicut filii chariſſimi. *ad Epheſios 5.*

Sermo XXXVI. Regula vitæ noſtræ corrigendæ eſt imitatio Dei.

NEceſſarium eſt verax exemplar ei, qui vult falſum librum corrigere; & neceſſaria eſt ei regula, qui vult torta dirigere. Seneca, niſi ad regulam, prava non corriges. Ideo Apoſtolus in verbo propoſito regulam nobis tradidit, ad quam vitam noſtram corrigamus, ut veriſſimum exemplar ad quod mala noſtra corrigamus dicens. *Eſtote imitatores Dei &c.* & beatus eſſet qui ad hoc exemplar ſtudioſè aſpiceret & illud debito modo imitaretur exemplo. Job.23. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi & non declinavi ex ea*, & Apoſtolus 1. Corinth 11. *Imitatores mei eſtote. ſicut & ego Chriſti.* Auguſtinus. Summa religionis eſt imitari quem colis. Quadruplici autem ratione debemus conari ad imitandum Deum. *Primo*, quia nullum juſtius imitamur, *ſecundo*, quia nullum tutius, *tertio*, quia nullum glorioſius, *quarto*, quia nullum fructuoſius. Circa Primum Nota hominem magnæ dignitatis eſſe, ſi debito modo ſe habuerit, ſed eſt res valde contemptibilis, ſi male ſe habuerit, juxta illud Senecæ. O quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſurrexerit. Dignitas Hominis in ejus creatione in tribus inſinuata eſt. *Primo* in hoc, quod quaſi cum deliberatione tanquam res magna creatus eſt juxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem &c.* *Secundo* in hoc quod cæteris creaturis prælatus eſt, unde ſubditur ibidem, *ut præſit piſcibus maris & volatilibus cæli & beſtiis univerſæque terræ &c.* *Tertio* in hoc quod creavit eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut ibidem ſequitur: *Ad imaginem Dei creavit illum*, dando naturam ſimilem divinæ naturæ; animam ſcilicet. Ad ſimilitudinem ſuam creavit eum, ad hoc ſcilicet ut operibus Deum imitaretur in præſenti, & tandem ſimilibus bonis cum eo frueretur in futuro. Non fuit enim creatus homo propter bona iſta tranſitoria, quæ cruciant, & onerant, & inquinant, ſed fuit creatus ad ſimiles divitias & ſimilem gloriam, quibus fruitur Deus. Attende ergo *triplicem* ſimilitudinem hominis cum Deo. Prima eſt naturæ, ultima gloriæ, media gratiæ. Prima via eſt ad ſecundam, & ſecunda via eſt ad tertiam. Simile invenis de patre carnali, & filio qui patri ſimilis eſt, primò in facie, ſecundò in operatione, talia enim operatur qualia videt patrem ſuum operari, tertiò verò in hæreditate, hæreditate enim ſunt ejus bona paterna. Ex jam dictis ſatis patet quod homo nullum juſtius imitatur quàm patrem cœleſtem, quia facie naturali multum ſimilis eſt ei, cui etiam ſimilis erit in gloria, ſi tamen ſimilis ei fuerit in eis quæ ſunt gratiæ, ut ab eo non degeneret. 1. Joan.3. *Chariſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Nullum etiam *tutius* imitatur homo, cum ipſe errare non poſſit, unde non errat qui eum imitatur in his quæ ſibi competunt. Joan.8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Nullum etiam imitamur *glorioſius*, nil enim erubeſcibile debet nobis eſſe, quod exemplo ejus faciamus. Hoc non attendunt qui dedecus ſibi eſſe credunt, ſi ſe non vindicent quam citò aliquid convitii ab altero fuerit eis dictum, vel aliqua injuria facta; cum tamen videant Deum tot convitia & blaſphemias quotidie pati & quaſi infinitas alias injurias, & tamen differt vindictam inde ſumere. Quæ dilatio verè intuentibus ad honorem ejus facit, non ad dedecus, Eccleſiaſtici 23. *Gloria magna eſt ſequi Dominum.* Nullum etiam imitamur *fructuoſius*, juvat enim imitantem ſe & ſequentem e proximo quando venit ad aliquem difficilem tranſitum, ut ſolent facere boni ſocii qui porrigunt manus ſuas debilibus; vel eos ſupportant, ut malum tranſitum facilius tranſire poſſint. Unde in Pſalmo 62. *Adhæſit anima poſt te, me ſuſcepit dextera tua*, ſuſcepit, inquam, ut imitantem traheret. Nullum etiam imitamur fructuoſius & utilius propter mercedem, quam dat eis, qui ipſum imitantur, ſocios enim in via, ſocios vult eſſe in hoſpitio, juxta illud. Joan. 12. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum &c.*

I. Imitari Deum cur debeamus.

1. Quia nullũ juſtius imitamur, cur. Creatio hominis oſtẽdit ejus dignitatem.

1.

2.

3.

Ad quid homo fuerit creatus.

Similitudo hominis cũ Deo triplex eſt ſicut Patris & Filii carnalis.

2. Quia nullũ tutius imitamur.

3. Quia nullũ glorioſius. Non eſt erubeſcendũ de imitatione.

4. Quia nullũ fructuoſius imitamur.

1. Ob amicitiam.

2. Ob mercedem.

Sed cum nobis non competat Deum imitari in omnibus, & cùm ſecundum Auguſtinum etiam mali velint Deum imitari, ut ſuperbi in altitudine, iracundi in vindicta, acedioſi in requie, cupidi in divitiis, luxurioſi in delectationibus, curioſi in ſcientia, videamus in quibus & qualiter nos debeamus eum imitari. Fatue voluit eum imitari Lucifer dicens. *Similis ero altiſſimo.* Iſa. 14. Cui dictum eſt: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Notandum ergo quod *primo* debemus Deum imitari in *lumine ſapientiæ*, ad quod debemus habere magnum amorem, exemplo Dei qui tantum amat ſapientiam, quod nullum amat, qui ſapientiam non amat. Nullus etiam eſt, quem non amet, qui vere amat ſapientiam, unde Sap. 7. *Neminem diligit Deus niſi eum qui cum ſapientia inhabitat*, & Eccleſiaſtici 4. *Eos qui diligunt ſapientiam diligit Deus, Deus lux eſt & tenebræ in eo non ſunt*, ut legitur. 1. Joan. 1. Ideò & lucem in hominibus amat, & in mundum iſtum venit, ut homines luce ſapientiæ illuminaret, juxta illud. Lucæ 1. *Viſitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent.* Væ illis qui potius volunt eſſe ſimiles noctuæ quam Deo. Noctuæ ſimilis eſt, qui lucem ſapientiæ odit & tenebras ignorantiæ amat. Immo Diabolo ſimilis eſt, de quo Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem.* Talis merito in tenebris inferni erit, quas prælegit luci 1. Joan.1. *Si dixerimus quoniam ſocietatem cum Deo habemus, & in tenebris ambulamus, mentimur.* *Secundo* debemus imitari Deum in *ſanctitate*, unde Levitici 19. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Sanctitas vero iſta ſequitur lucẽ ſapientiæ, qui enim ad lucem ſapientiæ videt quanta immunditia peccatum ſit, ſanctificat [illegible] mundat ab ea. Unde Job. 28. *Recedere à malo eſt intelligentia*, id eſt, effectus intelligentiæ. Præcipue autem ab immunditia peccati ſe ſanctificat, qui dignitatem ad quam filii Dei electi ſunt agnoſcit. 1. Joan.3. Poſtquam dixit quod *filii Dei ſumus &c* Subdit: *omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Sanctitatem Dei oſtendit nobis hoc quod tantum ſtudium habuit ad malitiam deſtruendam, quod mori voluit ut malitia deſtrueretur juxta illud Auguſtini. Cum innocens occidit, peccatum crucifigitur. *Tertio* debemus eum imitari in *dilectione*. 1. Joan.3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Item: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret &c.* Joan. 2. Circa dilectionem Dei nota quod ipſe prior dilexit nos; contra quoſdam qui nolunt proximos ſuos diligere, niſi prius ab eis amentur. 1. Joan.4. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior*

II. In quibus Deum imitari debeã. Mali qui imitentur Deum.

1. In ſapientia, amando lumen ſapientiæ.

Lucem ſapientiæ odientes, quales ſint.

2. In ſanctitate.

3. In Dilectione.

4. In Largitate.

dilexit nos. *Quarto* in *largitate*, quæ in hoc apparet, quod largitur beneficia ſua amicis & inimicis ſuis; juſtis & injuſtis, juxta illud Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Quinto* in *miſericordia.* Bernard. Maximè Deum imitabitur, qui nihil judicabit pretioſius, quàm miſereri. Lucæ 6. *Eſtote ergo miſericordes &c. Sexto* in pacis amore. Deus tantum pacem amat, ut pax ſpecialiter locus ejus dicatur. *Factus eſt*, inquit Pſal. 75. *in pace locus ejus.* Tantum etiam pacem amat, quod ab hoſtibus ſuis, eo inferioribus cœleſti regno eam emit. *Septimo* debemus eum in *patientia* imitari, ipſe enim patientiſſimus eſt, ultimum enim quod ipſe faciet, erit vindicta de inimicis ſuis, hoc erit in die judicii, quando dicet eis. *Diſcedite à me maledicti*, Matth. 25. Et ex hoc quod patientiſſimus eſt, ſapientiſſimus agnoſci poteſt, quia non eſt perfectè ſapiens, qui non eſt patiens. Proverb. 14. *Qui patiens eſt multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam. Ultimo* debemus eum imitari in *perſeverantia* ſeu in *bonitatis immutabilitate.* Ipſe enim dicet per Malachiam ſanctum Prophetam. *Ego Dominus & non mutor*, Matth. 10. *Qui perſeveraverit, hic ſalvus erit.* Eccl. 27. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Et Notandum quod quidam ſunt, qui Deum ſolum ſuperficialiter imitantur ut Hypocritæ. Tales habent imaginem Dei depictam in ſe, quæ imago delebitur, ut pictura deleri ſolet. Qui verò Deum imitantur non ſolùm exterius, ſed etiam interius, imaginem Dei habent quaſi indelibiliter pictam in ſe, quæ non de facili deletur. Qui verò Deum volunt imitari interius, & Diabolum exterius, quaſi larvam diabolicam ſuperponere volunt Dei imagini, in hoc Deo contumeliam inferentes quod potius volunt aſſimilari Diabolo, quàm Deo.

5. In Miſericordia.

6. In pacis amore.

7. In patientia.

8. In perſeverantia in bono.

Hypocritæ quomodo imitentur Deum.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hortatur hic ſermo ad triplicem bonitatem divinam imitandam maxime ad dilectionem inimicorum, ut filii Dei reputari poſſimus.

SERMO XXXVII. Explicatur thema.

Eſtote imitatores Dei &c. *ad Epheſios 5.*

PRimò monet nos Apoſtolus ut Deum imitemur, *ſecundo* ſubdit cauſam, quare debemus eum imitari, ibi: *ſicut filii chariſſimi*, *tertio* in quo, ibi: *ambulate in dilectione*, *quarto* quia ſimilitudo Dei ſecundum ſe non eſt nota nobis, ideò oſtendit ubi illam ſimilitudinem agnoſcere poſſimus, nimirum in Chriſto, ibi. *Sicut Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*

I. Filii Dei reputamur ob imitationem triplicis bonitatis divinæ.

Nota primò quod *tria* ſunt propter quorum imitationem ſpecialiter à Deo aliquis reputatur filius. *Primum* eſt dilectio inimicorum, unde Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos &c.* ſubditur, *ut ſitis filii patris veſtri, qui in cælis eſt. Secundum* eſt pacificatio diſcordium, unde Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Tertium* eſt miſericordia ſive ſubventio miſerorum, unde Eccleſiaſtici 4. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi obediens & miſerebitur tui magis quàm mater.* Et licet omnes homines ſint Dei filii per creationem, tamen hæc tria genera hominum ſpecialiter dicuntur filii Dei, quia patrem cœleſtem in bonitate imitantur. Sic enim dicere ſolemus quando videmus aliquem à bonitate patris ſui non degenerare, vere iſte filius iſtius eſt. Bonitas verò Dei tanta eſt, quod ab influentia beneficiorum ſuorum non impeditur malis alicuius, dat enim beneficia inimicis ſuis quos in eſſe conſervat, & corporis neceſſaria miniſtrat, juxta illud. Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos &c* Bonitas Dei eſt quaſi magnus fluvius, qui obſtacula rumpit, nec poteſt detineri, quin fluat. In hac bonitate imitantur Deum, qui inimicos ſuos diligunt. Item bonitas Dei tanta eſt, quod malis alienis non perturbatur, in tranquillitate omnia judicans, cogitans cogitationes pacis, pacem peccatoribus paratus facere, immò & chariſſimè emere, nimirum regno ſuo. In qua bonitate pacifici imitantur eum, propter quod filii Dei vocantur. *Præterea* pacifici habent illud officium, propter quod filius Dei venit in mundum iſtum. Venit enim pacem reformare inter nos & patrem ſuum Epheſ. 2. *Ipſe eſt pax noſtra &c.* Unde merito filii Dei vocantur propter ſimile officium, ſicut Dominus vocat Joannem Heliam. Matth. 17. *Dico vobis quia Helias jam venit.* Helias, inquam, officio, non perſona. Item bonitas Dei tanta eſt, quòd non eget bono alieno ad hoc quod beneficia ſua tribuat, unde pauperum miſeretur à quibus retributionem non expectat. Bonitas amatorum mundi modica eſt, nec ſufficit ad hoc, ut bona ſua tribuat, niſi bono alieno excitata. Unde divitibus dant, à quibus retributionem ſperant. Illi ergo pupillorum & viduarum miſerentur, ſpecialiter filii Dei vocantur, quia in hac bonitate Deum imitantur. Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te & ipſi reinvitent & fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & Beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Præterea cum Deus reputet ſibi fieri, quod fit pauperi, juxta illud. Matth. 25. *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Miſericors qui ſe habet ad pauperes quaſi eſſet pater eorum eis neceſſaria providendo, quodãmodo pater Dei eſt in pauperibus, & ideo jure beatitudinis ſe habet ad eum ut pater. Talis vicem Dei ſupplet, ad Deum enim pertinet cura pauperũ, juxta illud Pſal. 9 *tibi derelictus eſt pauper.* Tamen quandoque aliquas indigentias ei mittit, vel ad divitum experientiam, vel ad pauperum exercitium, ſcit enim cœleſtis medicus quid daturus ſit nobis ad conſolationem, & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim ſine cauſa homo jumento ſuo ſubtrahit cibaria. Vices ergo Dei agit, qui pauperum miſeretur, & filius Dei eſt imitatione. Job. 29. *Pater eram pauperum &c.*

1. Dilectio inimicorũ.

2. Pacificatio duplex. 1. ſui ipſius.

2. Pacificatio aliorum.

3. Miſericordia in miſeris.

Miſericors eſt quaſi pater Dei, quomodo.

II. Ad dilectionẽ inimici & vindictam non exigendam juvat conſiderate.

Circa dilectionem inimicorum, quæ multis videtur eſſe difficilis vel impoſſibilis, notandum quod ſi homines aliquantulum ſapientiæ haberent, non ita difficile eis videretur, *ſapientiam* enim *non vincit malitia.* Sapient. 7. Quatuor verò attendenda ſunt homini ad hoc ut inimicum ſuum poſſit diligere, & intelligat non eſſe ſibi dedecus, ſi ſe non vindicet. *Primum* eſt *ſtatus inimici* ſui, qui ei injuriatus eſt, & ſatisfacere ei non vult, eſt enim ſpiritualiter mortuus & quaſi inſanus, Manus in ſe ejecit, quando injuriando ei, animam ſuam occidit. Noli inſanire in fratrem tuum mortuum, ſed potius ei compatere. Crudeliores videntur fuiſſe qui Chriſto mortuo non pepercerunt, quàm qui vivum vulneraverunt, unde lancea dira vocatur, cum clavi dicantur dulces. Quis adeò cæcus eſt, qui non intelligat dedecus non eſſe ſe non vindicare de mortuo vel inſano? immo potius dedecus eſſet homini, qui ſe de tali vindicaret. *Secundo* attendenda eſt *injuria illata utilitas & dilectionis*, quam inimico tuo propter Deum præſtas. Perſecutores enim noſtri juxta verbum. Pſalm. 117. nos circumdant ſicut apes. Ad modum

1. Statum malum inimicis.

2. Utilitatem illatæ injuriæ & dilectionis inimici.

modum enim apum nos pungunt tribulationibus; ſed in futuro favum cœleſtis beatitudinis nobis præparant, ideò juxta. Eccleſiaſtici. 1. *Vſque in tempus ſuſtineb.t patiens &c.* Dilectio qua diligis inimicum tuum, utilior eſt tibi & Deo gratior, quàm illa qua diligis benefactores tuos, ſolùm quia benefactores ſunt. Quando enim in die judicii Dominus exiget rationem de præcepto dilectionis fraternæ quod eſt unum de maximis præceptis, & aliquis dicet ſe amaſſe aliquem quia ab eo amabatur, vel quia erat benefactor ejus, reſpondebit Dominus pro iſto amore nil debeo tibi, jam de illo ſolutus es. Cum autem aliquis dicet ſe amaſſe aliquem propter Deum qui offendebat ſe multis injuriis, tunc dicet Dominus ei, de iſto amore debeo tibi. Veni benedicte, percipe regnum. Lucæ 6. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?* & poſt. *Verumtamen diligite inimicos veſtros*, & ſubditur, *& erit merces veſtra multa.* Qui nolunt amare niſi ſe amantes & benefactores, habent amorem ſuum venalem. Quare ergo non vendunt illum Deo, qui carius emeret? Pro amore proximi, vel parvo beneficio amorem tuum dares, quare ergo non das pro Dei amore & ejus regno? Proximo amorem tuum exolve & à Deo pretium recipies. Præterea quis non intelligat dedecus non eſſe, non vindicare ſe de benefactore ſuo? *Tertium* eſt quod non potes proximo tuo nocere quin primo tibi noceas. Auguſtinus.. Quod malitia tua alteri non noceat, fieri poteſt, quod autem tibi non noceat, fieri non poteſt. Fatuum eſt, habere eum odio, qui pallium tuum tibi abſtulit & tunicam quæ tibi remanſit projicere, ſic juxta verbum Senecæ. Ridiculum eſt odio nocentis innocentiam perdere. Præterea quis non videat dedecus non eſſe, quando aliquis ex nobilitate animi non vult vindicare ſe, ne manus ſuas inquinet. Seneca. Quibuſdam libenter parcas, à quibus vindicare te faſtidias. A quibuſdam non aliter quàm ab animalibus pravis reducenda eſt manus. Qui vindicat ſe conviciando, os ſuum inquinat; qui manu percutiendo, manum ſuam inquinat. Non eſt ergo dedecus ſe non vindicare, ſed potius honor, Proverb. 20. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus.* Non propter hoc debes inquinare tu os tuum, ſi proximus os ſuum inquinavit. Nullus bufonem & animalia ſimilia manu interficit, ne eam inquinet. *Quartum* eſt quod ille qui tibi injuriatur, magis injuriatur Deo quàm tibi, qui hoc ei prohibuit, qui majus jus habet in te, quam tu ipſe. Si ergo Deus differt vindicare injuriam illam, & non eſt dedecus, immo gloria magna; certus debes eſſe, quod nec tibi dedecus eſt, ſi in præſenti non vindiceris: illud enim non eſt dedecus homini, quod facit exemplo Dei, immo eſt gloria magna. *Gloria magna eſt ſequi dominum*, Eccleſiaſtici 23. Certiſſimo autem ſcias quod Deus ſimul vindicabit injuriam tuam & ſuam, ſi ſapienter exſpectabis, & plus puniet eum Dominus uno verbo, niſi in vita iſta ſe correxerit, quam tu & totus mundus poſſetis eum punire per centum annos. In fine Iſaiæ. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni.*

Dilectio amicorum inimicorum. — *3. Nocumentum ſuum ſi ſe vindicet.* — *4 Divinæ vindictæ tarditatem & gravitatem.*

Circa pacificationem vero Nota, quod non ſunt verè pacifici, qui alios pacificant, & in ſe ipſis diu rancorem vel turbationem retinent, unde Bernardus. Sunt aliqui qui ſi viderint aliquem leviter ſcandalizatum, valde ſoliciti ſunt quomodo eum ad pacem reducere poſſint, & viderentur eſſe pacifici, niſi quod eorum commotio, ſi forte contra eos factum, dictumve videbitur, tardius univerſis difficiliuſque poterit ſedari, qui nimirum ſi vere pacem diligerent, haud dubium quin eam ſibi ipſis quærerent.

Pacificatio ſui præcipua.

Circa miſericordiam verò notandum quod ſunt aliqui qui aliis ſunt miſericordes, ſed immiſeri cordes ſibi ipſis, qui ſicut Caïn malè dividunt, ſudantes pauperibus, & ſe diabolo. qui viduis miſerentur, & animabus ſuis, quæ veræ viduæ ſunt, non miſerentur. Contra quos dicitur Eccleſiaſt. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Qui vult ordinate eleemoſynam facere, à ſeipſo debet incipere. Sicut non eſſet vere miſericors, qui patrem ſuum infirmum & egentem videret, ſi pro poſſe ſuo ei non ſubveniret, quantumcunque aliis miſericors eſſet; ſic non eſſet vere miſericors, qui animæ ſuæ, quam videt infirmam ad mortem æternam & egentem, cum verbo bono non ſubvenit.

Miſericordia ſui præcipua.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo tractat de amore Dei patris in nos ut filios ſuos & noſtri viciſſim erga illum ut patrem noſtrum. II. De dilectione Chriſti erga nos & noſtra erga illum per oblationem.

Eſtote imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, &c. *Ad Epheſios 5.*

SERMO XXXVIII.

NOtandum quod iſte articulus, ſcilicet quod vere fideles filii Dei ſunt, eſt unus de pulchrioribus articulis fidei noſtræ, & eſſet valde utile homini ad regendum vitam ſuam, ſi de hoc veram fidem haberet, totam enim ſuam occaſione hujus mutaret. Aliter vivit pauperis filius, & aliter filius regis. In animalibus etiam hoc eſt verum. Aliter enim vivit agnus, aliter lupicatulus. In laboribus etiam videmus quod ſecundum ſpecies arboris eſt ſpecies fructus Et licet de hac paternitate & filiatione non poſſit haberi cognitio niſi per fidem, ſicut nec de parentibus carnalibus, juxta verbum Auguſtini, poteſt tamen & auctoritatibus & rationibus perſuaderi. Primo Joannis tertio. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus:* & in eodem. *Nunc filij Dei ſumus*, &c. Et Matthæi 23. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram. Unus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt.* *Quadrupliciter* etiam *ratione* oſtenditur. *Primo* per ſimilitudinem, quam habet homo ad Deum. De qua Geneſis primo, *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Sic enim perpenditur de aliquo quod ſit filius ejus, quando ſcilicet eſt ei valde ſimilis. *Secundo* per hoc quod naturalem filium pro homine morti expoſuit Auguſtinus. Filii Dei ſumus, unde hoc probamus? & reſpondet. Mortuus eſt unicus, ne remaneret unicus. *Tertio* per hoc, quod in menſa altaris pane filiorum nos paſcit, ſcilicet cibo eodem quo Angeli in cœlo paſcuntur, licet aliter. *Quarto* per hoc, quod Angelos ad cuſtodiam hominibus deputavit. Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandavit de te.* Et Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt.* Item notandum quod aliquis *triplici* ratione habet filium ſuum charum, *primo* quia unicus, *ſecundo* quia infirmus, *tertio* quia ultimo genitus. Sic Jacob diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, ut legitur Gen. 37. Propter eaſdem cauſas eſt homo bonus, charus Deo *Primo* quia pauci ſunt boni. Matth. 20. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Eccleſiaſt. 1. *Stultorum infinitus eſt numerus.* Homo *etiam* infirmus eſt ratione carnis quam habet. Matth. 26. *Caro autem infirma.* Homo *etiam* factus fuit ultimo inter creaturas, ſexto ſcilicet die. Item populus Chriſtianus in fine tēporum.

I. Fideles ſunt filii Dei. Hoc cognoſcere quam utile ſit. — *Filiatio iſta cognoſcitur. 1. Auctoritate Scripturæ.* — *2. Ratione quadruplici. 1. 2. 3. 4.* — *Filius diligitur a patre propter tria.* — *Ob eadem Deo diligitur homo. 1. 2. 3. Gen. 1.*

Ergo Deus non ſit homini vilis.

eſt. Specialiter vero homo poteſt dici Chariſſimus
filius Dei, quia ab eo cariſſimè emptus, & ſicut homo
chariſſimus eſt Deo, ſic Deus chariſſimus deberet
eſſe homini. *Unde* ingratiſſimi ſunt peccatores,
qui pro momentanea voluptate, vel pro parva pe-
cunia Deum vendunt, etiam vilius quàm Judas.
Judas enim vendidit eum triginta denariis, ipſi
verò quandoque denario uno Deum amittunt. Ec-
cleſiaſtici 10. *Avaro nil eſt ſceleſtius. Præterea* cùm
homo Deo ſit chariſſimus, non deberet homo ſibi
ipſi eſſe vilis. Auguſtinus. Appende te ex pretio,
ne tibi vileſcas. Sed pro multis verum eſt illud ver-
bum Senecæ, quod nihil eſt cuique ſe vilius, ſotu-
lares ſuos non venderent multi adeò vili in foro, ſi-
cut ſe ipſos vendunt. Nec immunditiam ita diu
permitterent in ſotularibus ſuis, ſicut in ſe ipſis.
Item Notandum quod *tribus* de cauſis amittit ali-
quis Patrem iſtum cœleſtem. *Primo* quia negat
1. eum, & ideò negatur ab eo Matth. 10. *Qui negave-*
rit me coram hominibus, negabo & ego eum coram
Patre meo, qui in cœlis eſt. Cum vix aliquis homo
neget patrem ſuum licet pauperem, quantam con-
tumeliam facit homo patri cœleſti, qui eum negat.
Non eſt ignobilis pater iſte, quod aliquis debeat
eum erubeſcere. Miræ inſania talium, qui non
erubeſcunt confiteri ad minus facto Diabolum
patrem, & Deum erubeſcunt. Non erubeſ-
cunt coram hominibus malè agere, ſed bene agere
erubeſcunt, ſimiles illi, qui erubeſcit rectè ince-
2. dere & non claudicare. *Secundo* patrem amittit qui
indignè agit, ut fatuæ mulieres, quæ timore pau-
pertatis ſe proſtituunt, cùm tamen talem patrem ha-
beant, qui prohibet eis ne ſolicitæ ſint etiam pro
neceſſariis Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes,*
Quid manducabimus? aut quid bibemus? &c. Pro-
pter eandem cauſam amittunt Patrem hunc uſurarii
& alii qui furantur timore paupertatis Mira inſania
talium, qui Patrem amantiſſimum & potentiſſimũ
derelinquunt, & ad hoſtem crudeliſſimum confu-
3. giunt, quaſi ille potius velit, vel poſſit ſubvenire
eis, quàm pater eorum. *Tertio* patrem iſtum amit-
tunt, qui ejus correctionem renuunt. Et meritò, ſi
enim pater carnalis habet correctionem ſuper filiũ
ſuum, cui parvam hæreditatem reſervat, ne eam diſ-
ſipet, quantò magis pater cœleſtis debet corripere
eum, cui tantam reſervat hæreditatem. Auguſtinus.
Quid mirum ſi flagellat cuſtodiens parvulos Domi-
nus, quod grandes quærit hæredes. Item quis eſt fi-
lius cui non debet diſciplinam pater ejus? Item. Si
II. promiſſa patris bene agnoviſti, non timeas flagella-
ri, ſed exhæredari. Sequitur (*& ambulate in dile-*
ctione.) Hic oſtendit in quo ſpecialiter debemus pa-
trem cæleſtem honorare vel imitari, ſcilicet in dile-
ctione. Hæc enim ſola eſt quæ diſtinguit inter filios
regni & filios perditionis, ſicut dicit Auguſtinus
ſuper illud. 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum &c.*
Et 1. Joan. 3. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii Dia-*
boli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo. & qui
non diligit fratrem ſuum. Per hanc viam Chriſtus
ambulavit, hæc eſt via excellentiſſima. 1. Cor. 12.
Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro, quod
de charitate intelligitur. Iſa. 30. *Hæc eſt via, ambu-*
late in ea, ambulare, eſt proficere. Sequitur *ſicut &*
Chriſtus dilexit nos &c.) id eſt, vice noſtri pœnam
ſolvẽs, quã nos ſolvere debebamus, vel pro nobis ſi-
cut pretium traditur, pro re quæ emitur. Sequitur
(*oblationem & hoſtiã Deo in odorem ſuavitatis*) No-
ta quod *tripliciter* reddit aliquid ſuavem odorẽ: vel
in igne poſitũ, ut thus; vel attritum, ut aromaticæ
ſpecies; vel effuſum, ut unguentũ. His tribus modis
reddidit Chriſtus in Cruce ſuavem odorẽ. Ibi *attri-*
1. *tus eſt propter ſcelera noſtra.* Iſa. 53. ibi etiam quaſi in
camino dilectionis fuit. Ibi alabaſtrũ precioſiſſimi
corporis fractum eſt, & effuſum unguentum ſangui-

Et homo non ſit ſibi vilis.

Patrem cœleſtẽ amittunt.

Qui eum negant & erubeſcunt.

Qui ei non confidentes in temporalibus furantur &c.

qui ejus correctionẽ renuunt.

Cœleſtem Patrẽ imitari debemus maxime in dilectione.

Chriſtus dilexit nos offerendo ſe pro nobis.

Oblatio Chriſti in cruce fuit odoris ſuaviſſimi.

nis ejus, & domus Eccleſiæ impleta eſt ex odore
unguenti. Suavitatem illius odoris ſenſerunt cœli, 2.
ſenſerunt & inferni, odor iſte de mundo iſto dia-
bolum fugavit. Joan. 12. *Nunc princeps hujus mundi* 3.
ejicietur foras. Sicut odor vinearum, quando flo-
rent, bufones expellit, ſic odor ille de mundo dia-
bolum expulit, quo ad magnam partem poteſtatis
ejus. Odor verò ſuavitatis fuit Chriſtus Deo, ad 4.
ſatisfactionem, nobis, ad exemplum, dæmonibus,
ad exterminium. Hanc ſuavitatem odoris ſignifica-
bat ſacrificiorum ceremonialium ſuavitas, de qua
dicit ſcriptura in diverſis locis. Geneſ. 8. *Odoratus*
eſt Dominus odorem ſuavitatis, & dixit ad Noë.
Nequaquam ultra maledicam terræ propter ho-
mines. Sunt tamen aliqui qui hunc odorem Chriſti
non ſentiunt, qui ſine dubio aut mortui ſunt, aut
fœtidi. Bernardus. Qui odorem tuum Chriſte non
ſentit, aut mortuus eſt, aut fœtidus. In dilectio-
nis hujus affectu monemur hic imitari Chriſtum,
ut ſcilicet offeramus ei oblationem & hoſtiam in o-
dorem ſuavitatis. Rom. 12. *Obſecro vos per miſeri-*
cordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vi-
ventem, &c. Sed hodie pro magna parte impletũ eſt
illud. Joël. 1. *Periit ſacrificium & libatio de domo*
Domini. Multi cum tribulationibus atteruntur, non
odorem ſuavitatis, ſed potius odorem fœtoris red-
dunt. Quando etiam pauperes petunt ab eis elee-
moſynam pro unctione pietatis, exit ab eis lapis
duræ objurgationis. In multis etiam, qui debe-
rent ardere in dilectione divini amoris, ſervatur
potius aqua fœtidæ voluptatis. Item notandum
quod in hoſtiis Legis quædam animalia offereban-
tur, quæ vitia ſignificabant, & mactatio eorum ſi-
gnificabat vitiorum deſtructionem, quæ Deo ſacri-
ficium valde gratũ eſt, ut in hirco, vel capra, vel vi-
tulo, vel tauro. In hirco, vel capra fœtens iniqui-
tas deſignatur; in tauro ſuperbia; in vitulo, laſci-
via. In quibuſdam verò animalibus virtutes ſignifi-
cabantur, quorum oblatio ſignificabat oblationem,
quam Deo faciunt, qui peccato mortui in virtuti-
bus Deo vivunt, ut in ove & agno & columba &
turture. In ove ſimplicitas intelligitur, in agno
innocentia, in columba ſocialis dilectio, in turtu-
re caſtitas. Utraſque hoſtias Deo ſpiritualiter offer-
re debemus.

Sacrificia vetera hoc ſignificatũt.

Qui hunc odorem nõ ſentiunt, quales ſint.

Nos ſimiliter debemus nos Deo offerre.

Qui hoc nõ faciunt.

Veteris Legis Hoſtiæ quædam ſignificarunt vitia mactanda.

Quædam virtutes exercendæ.

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Commendatur hoc ſermone cœleſtis Hieruſalem à quatuor, ad conſolandos eos, qui jam per pœnitentiam ad eam peregrinantur & excitandos, qui viam pœnitentiæ adhuc ingreſſi non ſunt.

Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. *Ad Galat. 4.*

SERMO XXXIX.

Peregrinãdum nunc per pœnitentiam ad cœleſtem Hieruſalem quomodo & quare.

QUando aliquis crucem tranſmarinam aſſumpſit, & proponit in terra ſancta remanere, valde libenter audit bona de terra illa, & magnum ſolatium in talibus verbis recipit. Multi noſtrum crucem pœnitentiæ aſſumpſerunt in hac Quadrageſima, proponentes ire in illam ſanctam Hieruſalem cœleſtem. Tales vere peregrini ſunt. Singulis enim diebus poſt aſſumptionem pœnitentiæ dietam unam fecerunt peregrinationis ſuæ. Hæc peregrinatio in hoc excellentior eſt aliis, quia propter hanc fiunt aliæ, & ſi hæc non fiat, aliæ parum valent. Beati ſunt qui jam crucem aſſumpſerunt, ſi perſeverant. Et væ illis qui nondum aſſumpſerunt, niſi aſſumant. Tempore tali rex cœlorum crucem aſſumpſit Joan. 19. *Et bajulans ſibi crucem*

crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus. Et nullum reputat de familia ſua niſi illum, qui crucem ſuam aſſumit. Matth. 10. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Eccleſia ergo ad ſolatium eorum qui jam crucem pœnitentiæ aſſumpſerunt, & ad provocandum eos qui nondum aſſumpſerunt, ut aſſumant commendat cœleſtem Hieruſalem dicens, *Illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem*, &c.

Cœleſtis Hieruſalem commendatur hoc ſermone, à quatuor cur.

1\. In hoc quod dicit, *quæ ſurſum eſt*, commendat eam à *ſitu*. Et vere ſurſum eſt, quod in cœlo empyreo ſit.

2\. In hoc quod vocat eam *Hieruſalem*, commendat eam à *pace*: interpretatur enim Hieruſalem pacifica, vel viſio pacis.

3\. In hoc quod vocat eam *liberam*, oſtendit ejus nobilitatem.

4\. In hoc quod dicit eam eſſe *matrem noſtram*, oſtendit ejus charitatem ad nos, docens quod multum debeamus de ea ſperare & eam revereri & amare.

I.

Altus ſitus cœleſtis Hieruſalem tria bona gignit.

Circa Primum notandum quod ex hoc quod jam civitas aliqua eſt in alto ſita, ſolent *tria* bona ſequi. *Primum* eſt munditia, quam conſtat eſſe ibi. Unde Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquid contaminatum aut abominationem faciens,*

1\. *& mendacium.* *Secundum* eſt ſanitas quam

2\. conſtat eſſe in civitate illa, nullus enim infirmatur in civitate illa, aut moritur Apocal. 21. *Mors ultra non erit, neque dolor*, &c. *Tertium* eſt ſecuritas.

3\. Non patet acceſſus hoſtibus quando civitas ſita eſt in loco valde alto, ſecuriſſima ergo eſt civitas illa. In mundo iſto nulla eſt ſecuritas, boni enim timent hîc, ne ſuam bonitatem amittant. Job 20. *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Mali verò trepidant ubi non eſt timor. Ipſi enim, juxta verbum Auguſtini, timent quæ non oportet, amant quæ non decet, vanè dolent, vanius gaudent.

2\.

Cœleſtis Hieruſalem lata eſt. Mundus anguſtus.

In hoc etiam quod iſta Hieruſalem *ſurſum* eſt, poſſumus intelligere ejus *latitudinem*. In mundo enim iſto ſumus in quadam anguſtia, velut enim punctum eſt terra in ſphæra mundi, cœlum verò ſe habet ſicut circumferentia, ibi ergo eſt latitudo. Seneca. Punctum eſt in quo navigatis, bellatis, regnatis Item Seneca. Ab ultimis littoribus Hiſpaniæ uſque ad Indos pauciſſimorum dierum ſpatium jacet, ſi navem ferat ventus: at cœleſtis iſta regio per trigeſimos annos velociſſimo ſideri viam præſtat. Et Auguſtinus. Noli pati anguſtias, evola in ſublime in altitudinem cœlorum. Ad *latitudinem* iſtam poſſumus referre illud Baruch 3. *O Iſrael quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus.* Et Judicum 18. *Surgite, aſcendamus ad eos; vidimus enim terram valde opulentam & uberem, nolite negligere; nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eam, nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria, eorum quæ gignuntur in terra:*

3\.

Immenſus eſt Deus qui ibi poſſidetur

Præterea id quod ibi amatur, ſcilicet Deus, immenſus eſt, qui à quocunque habeatur omnibus ſufficit, & quantò à pluribus habetur, tanto cum majori gaudio habetur ab unoquoque. Et ponit exemplũ Auguſtinus de hoc in ludo. Quanto enim aliquis cum pluribus ludum aſpicit, tanto magis gaudet. Ideò non eſt preſſura ſpiritualis in cœleſti Hieruſalem, ſed ſunt in magna latitudine. Sed in mundo iſto preſſura eſt juxta illud Joan. 16.

Secus eſt in hôc mũdo.

In mundo preſſuram habebitis. Quia unum & idem à diverſis plene non poſſidetur.

4\.

Cœleſtis Hieruſalem ſurſum eſſe dicitur ob cordium elevationem.

Surſum etiam dicitur eſſe Hieruſalem ſuperna, quia corda habent elevata ad Deum, qui ibi ſunt. In quo militans Eccleſia debet triumphantem imitari, unde dictum eſt Moyſi Exod. 25. ut faceret tabernaculum ad ſimilitudinem tabernaculi oſtenſi in monte. De hac ſpirituali elevatione, dicitur. Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt ſapite.* Et Philip. 3. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.*

II.

In cœleſti Hieruſalem eſt pax ad Deum, ad nos, ad proximum. In hoc Mundo eſt contrarium.

Circa Secundum verò notandum quod ſuperna Hieruſalem juxta interpretationem nominis *pacifica* eſt juxta illud Iſa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*, & Iſa. ultimo. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis.* In mundo iſto non eſt perfecta pax. De malis hoc patet per Iſa. 48. *Non eſt pax impiis dicit Dominus.* In bonis verò pax videtur eſſe ſecundum illud, Pſal. 118. *pax multa diligentibus legem tuam.* Sed ſecundum veritatem non eſt pax perfecta, etſi ad tempus ibi ſint quandoque treugæ. Quomodo habet aliquis pacem in domo ſua, qui habet malam uxorem, & quinque filios querulοſos, qui nunquam ſatiantur. Uxor caro eſt, quæ litem & bellum habet cum ſpiritu Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* & Galat. ult. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* Quaſi quinque querulοſi filii ſunt ſenſus Eccleſiaſtæ 1. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Sic ergo in nobis ipſis pacem non habemus. Ad proximum etiam non habemus perfectè pacem, & quia frequenter cum offendimus, & quia multa fiunt ab eo quæ nobis non placent. Sed in ſuperna Hieruſalem erit hæc triplex pax perfecta, quia ad voluntatem Dei in nullo diſcordabimus. Nihil quod diſpliceat in illa ſancta ſocietate videbimus. Etiam corporibus noſtris dominabimur perfectè, unde triplex pax erit ibi.

Hieruſalem dicitur viſio pacis ob ſufficientiã & quietem animi de Deo poſſeſſo.

Et ideò benedicitur Pſal. 36. *& delectabuntur in multitudine pacis.* Ideò autem dicitur Hieruſalem ſuperna *viſio pacis*, quia videtur ibi quod homini ſufficit, ut meritò jam ſit in pace, & aliud non quærat, unde in Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Nunc dimittis domine &c. Luc. 2. *Oſtende nobis patrem & ſufficit nobis*, Joan. 14.

Hoc non præſtat poſſeſſio Mundanorum.

In mundo iſto nihil videtur in quo cor hominis perfectè poſſit quieſcere, cum nihil minus Deo poſſit ſufficere animæ, quæ Dei capax eſt. Præterea in rebus corporalibus minus invenit anima, cum habet, quam æſtimet antequam habet. Sed aliter eſt de Deo, in quo ſemper plus invenitur quam creditum ſit, unde Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana, Æternum ardentius diligitur quam deſideratur, nulli enim deſideranti conceditur de eo plus æſtimare, quam habet, ne ei vileſcat, cum minus invenerit, ſed quantumcunque potuerit perveniens, plus inventurus eſt. In mundo iſto ſunt pacis reliquiæ & non pax perfecta. Joan. 14. *Pacem relinquo vobis.*

III.

Libertas in cœleſti Hieruſalem quintuplex.

Circa *nobilitatem* verò vel *libertatem* notandum eſt, quod in Hieruſalem *multiplex* eſt libertas. *Prima* eſt à ſervitute tyrannica, Chriſtus, qui verè dominus eſt, ibi ſe habet ut ſponſus & amicus. Joan. 15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* *Se-*

2\. *cunda* libertas eſt à ſervitute creaturarum, in quibus amatores earum quaſi incarcerati ſunt, unde Auguſtinus in libro de vera religione. Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liberè abſtineat. *Tertia* libertas eſt à ſervitute peccati.

3\. Erit enim annus jubilæus perpetuus poſt vitã iſtam, quantum ad electos, in quo omnia dimittebantur, ut habetur. Levit. 25. *Quarta* libertas eſt à corporis

4\. carcere, qui carcer adeo ſordidus eſt, ut per feneſtras lutum exeat. Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & in Pſal. 140. *Educ de cuſtodia animam meam.* *Quinta* libertas eſt à miſeria huius

5\. exilii. Auguſtinus In valle miſeriæ ſumus, in qua eò magis flendum eſt, quò minus flemus. Ab hac miſeria tunc liberi erimus. Apoc. 21. *Abſterget Deus omnem lachrimam ab oculis eorum.*

IIII.

Eccleſiæ triumphantis incolæ [illegible] nos ament.

Circa Quartum notandum, quod in hoc, quod ſuperna Hieruſalem *mater noſtra* dicitur, oſtenditur, quod cives illius civitatis & nos ament;

& à nobis amari debeant. Mater & amat & amatur. Et eadem cauſa eſt, quare Eccleſia amet filios ſuos, ideo enim amat filios ſuos, quia carè comparavit eos; & filii amant eam eadem de cauſa, quia multa paſſa eſt pro eis. Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.* Sic ſancti qui ſunt in Hieruſalem ſuperna multa paſſi ſunt pro peccatoribus. Non tantum dolorem paſſa eſt mater tua pro te, quantum Chriſtus in cruce. Multum etiam paſſus eſt Petrus & Paulus & alii ſancti pro peccatoribus. Zelus enim quem habebant circa converſionem peccatorum, eos occidit. Unde multum diligendi ſunt & honorandi illi, qui ſunt in Eccleſia triumphante ab his, qui ſunt in Eccleſia militante. Et feſta eorum deberent in magna reverentia celebrari, & magnam fiduciam deberent habere homines de eis ſicut filia de matre. Et multum deberent deſiderare pervenire ad illam amabilem ſocietatem. Miſerabilis eſt negligentia hominum, plus enim deberent homines laborare, ut poſſent videre Chriſtum & beatam Virginem, & eſſe cum eis per unum diem quam velint laborare pro omnibus bonis quæ habituri ſunt in illa ſuperna Hieruſalem.

Qui nos viciſſim erga eos habere debeamus.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Oſtendit hic ſermo. I. Cur hoc tempore pœnitentiæ ad gaudium invitemur, & II. quas ob res gaudendi nunc habeamus cauſas.

SERMO XL.

Lætare ſterilis quæ non paris &c. *ad Galat.* 4.

I. Cur hoc tẽpore Eccleſia ad lætitiam à ſpiritu S. moneatur hac Dominica.

SPiritus ſanctus à quo ordinatum eſt officium Eccleſiæ hodie monet Eccleſiam in Miſſa ad lætitiam in introitu miſſæ, cum dicit: *lætare Hieruſalem*: & in Epiſtola, cum dicit: *lætare ſterilis.* Super quo aliquis poſſet admirari, cum tempus iſtud ſit tempus flendi, tanquam tempus pœnitentiæ. Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & in fletu & in planctu*, & cum legitur Eccleſiaſt. 22. Quod *muſica in luctu eſt importuna narratio.* Propter quod notandum quod Quadruplici ratione hodie monetur Eccleſia ad lætitiam. *Primo* in figura veræ lætitiæ quam habebunt animæ in ſeptima ætate: eſt enim Dominica iſta ſeptima à Dominica Septuageſimæ, in qua Eccleſia cœpit plangere pro miſeria hujus exilii, canticum lætitiæ dimittens, ſcilicet alleluia, recolens peccatum Adæ, propter quod in hoc exilio poſiti ſumus. Nec ceſſat hæc miſeria uſque ad ſeptimam ætatem, tunc enim primò conceſſum eſt homini verum gaudium, quod conſiſtit in viſione Dei, in cujus ſignum in hac Dominica, quæ ſeptima eſt, Eccleſia ad gaudium monetur. Et Notandum quod prima ætas duravit ab Adam uſque ad Noë. Secunda à Noë uſque Abraham. Tertia ab Abraham uſque ad David. Quarta à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum. Sexta à Nativitate Chriſti uſque ad diem judicii, quantum ad viventes in mundo iſto. Septima perdidit ſpatium durandi, ſed pertinet ad beatas animas, quæ gaudent cum Deo. *Secundo* monetur Eccleſia ad lætitiam, ad oſtendendum, quod Deus vult ſibi ſerviri cum lætitia, non in triſtitia vel acedia. 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* in Eccleſ. 32. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, & in Pſal. 2. *Servite domino in timore &c.* In lætitia cum bonis operibus Deus paſcitur. qui cum triſtitia bona opera facit, quaſi cum ſalſa fellis vel abſinthii admixtione Domino cibum ſuum apponit, unde non gratè ſervit ei. Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel.* Sed cum ſalſa gratiſſima cibum Deo apponit, qui in ſpirituali lætitia opera bona facit, unde Matth. 6. *Cum jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* & poſt. *Tu autem cùm jejunas unge caput tuum.* Caput, inquam, cordis, oleo lætitiæ. *Tertio* monetur Eccleſia ad lætitiam quaſi in medio quadrageſimæ, ut doceatur, quod dolor de peccatis commiſſis continuus non debet eſſe, quin quandoque lætitia de ſpe præmii admiſceatur, unde Bernardus. Bonus eſt dolor de peccatis, ſi non ſit continuus, miſcendum eſt enim mel abſynthio. *Quarto* ut oſtendatur quod illi qui falſam lætitiam ſæculi relinquunt & Deo ſervire incipiunt, non ex toto lætitiam amittunt, ſed potius eam inchoant, quod figuratum eſt Geneſ. 22. Abraham credidit filium ſuum Iſaac occidendum; tamen occiſus non fuit, ſed aries pro eo, Iſaac riſus interpretatur, qui amicis Dei remanet. Sed carnalis lætitia, quæ per arietem intelligitur, in eis deſtruitur. Indubitanter in cuſtodiendis mandatis Dei eſt retributio multa, & dicit Gloſſa ſuper illud verbum Pſal. 18. quod tanta eſt, quod non poteſt dici. Si gallina naturaliter gaudet, quando dedit fructum ſuum, ovum ſcilicet, veriſimile eſt quod anima naturaliter gaudeat, quando dedit fructum ſuum, ſcilicet opus bonum, & quod naturaliter doleat quando advertit dediſſe ſe fructum contra naturam, ſcilicet malum opus, ſicut mulier doleret ſi bufonem peperiſſet. De gaudio ſpirituali invenies amplius in ſermone de fructibus ſpiritus.

1. Quia hæc Dominica figura eſt lætitiæ cœleſtis, quomodo.

Septẽ ætates Mundi.

2. Quia Deo hoc tempore ſerviendum eſt cum lætitia.

3. Quia nunc eſt medium Quadrageſimæ.

4. Quia ſervitus Dei lætitiã parit, de factis bonis operibus hoc tempore.

Et notandum quod Septem ſunt de quibus gaudere poteſt Eccleſia tempore iſto. Primo de hoc quod ejus ſterilitas ceſſat, & quod pertinet verbum propoſitum (*lætare*, inquit, *ſterilis, quæ non paris*) id eſt, quæ non pariebas (*erumpe*) id eſt lætitiam exterius oſtende (*& clama*) id eſt gaudium tuum aliis prædica (*quia multi &c.*) Deſerta poteſt dici Eccleſia, quod non habet præſentiam ſponſi ſui, Eccleſia malignantium vel carnalium habet ſponſum ſuum, ſcilicet mundum vel potius adulterum cui placere quærit, propter quem ſe ornat. In aliis temporibus anni, Eccleſia valde ſterilis eſt, paucos vel nullos Deo generans, ſed tempore Quadrageſimæ multos filios Deo generat. Unde multum poteſt gaudere quia opprobrium ſterilitatis ejus ceſſat. Lucæ 1. Dixit Eliſabeth cùm concepiſſet Joannem, *reſpexit Dominus auferre opprobrium meum inter homines.* Et in eodem *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati ejus quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.* Magnum debet eſſe gaudium de converſione peccatorum inter homines, cùm tantum ſit gaudium de hoc inter Angelos Luc. 15. *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Si tantum gaudium ſit quando filius regis terreni naſcitur, quantum gaudium debet eſſe quando filii regis cœleſtis naſcuntur? In converſione peccatoris eſt quaſi feſtum Nativitatis & Reſurrectionis filii Dei & Spiritus ſancti miſſionis. Nativitatis, quia nativitas eſt vitæ inchoatio. Ille autem qui convertitur, vitam ſpiritualem inchoat, quia & filius Dei eſt per gratiam. Reſurrectionis verò, quia talis à morte culpæ reſurgit, quæ multò amplius quam mors corporalis timenda eſt. Auguſtinus. Vera mors eſt quam homines non timent, ſeparatio animæ à Deo, qui eſt beata vita animarum. Miſſionis verò ſpiritus ſancti, quia ſpiritus ſanctus per gratiam deſcendit in eum qui convertitur. Secun-

II. Eccleſ. ſeptẽ nunc gaudere poteſt.

1. De peccatorum converſione.

In converſione peccatoris quaſi tria præcipua feſta ſunt.

2. Quod nunc à peccato ceſſatur.

dò verò poteſt gaudere Eccleſia de hoc, quod peſtilentia filiorum ſuorum ceſſat tempore iſto. In alio tempore eſt tanta mortalitas ſeu peſtilentia filiorum Eccleſiæ, quod quandoque inter centum non remanent ſex, cum alios occidat invidia, alios luxuria, alios rapina, & ſic de aliis. Si quis oculis ſpiritualibus videret quanta ſit ſtrages iſta, bene poſſet dicere illud quod dicitur. Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Hæc peſtilentia in magna parte ceſſat tempore iſto, immò etiam alij multi alio tempore mortui, modo reſurgunt, & ideò multum debet gaudere Eccleſia ſecundum illud Luc. 15. *Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit*. &c. Tertiò deberet gaudere Eccleſia, de hoc, quod opprobrium Chriſti, quod aliis temporibus multum abundat, aliquantulum ceſſat tempore iſto. Quod enim majus opprobrium eſt Domino Eccleſiæ quam hoc, quod ſi quis vult ei ſervire, deridetur, etiam ab aliis qui videntur eſſe de Eccleſia. Servitores verò diaboli nec deriſores nec impeditores inveniunt. Et ſi quis deriſores iſtos increpaverit, dicunt ferè omnes hoc ſe ludo facere. Sed ludus talis diabolicus eſt. Ludus talis ſignatus eſt in Iſmaele & Iſaac, de quo legitur. Geneſ. 21. *Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: ejice ancillam hanc & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Ancilla ſignificat cœtum malorum & carnalium qui ſunt in Eccleſia Dei, qui per ancillam ſignificantur. *Primo* quia ſervi ſunt vitiorum. Joann. 8. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Bernardus. An non ſervus cui dominatur iniquitas? & maximè. Niſi tu indignius judices hominem, quàm vitium dominari. *Secundo* quia bonis ſerviunt, dum perſecutio eorum profectus bonorum eſt. Unde Geneſ. 25. *Major ſerviet minori. Tertio*, quia ſi quid boni faciunt, timore pœnæ, vel ſpe mercedis tranſitoriæ faciunt hoc, unde mercedem æternam non habebunt. Aliqua temporalia, quaſi bona mobilia eis à Deo dantur, ſicut legitur Geneſ. 25. Quod dedit Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, Filiis autem concubinarum largitus eſt munera. Gregorius. Pueris nummos ſubtrahimus, quibus totum patrimonium reſervamus. Ideò non debent boni indignari ſi videant hic malos divites, & ſe pauperes, ipſis enim ſervatur hæreditas, malis verò illud datur quod eis dandum eſt. Hiere. 48. *Date florem Moab*, florem, inquam, temporalis proſperitatis, *quia florens egredietur*, temporali proſperitate habita expelletur. Ad litteram. Moab fuit illegitimus filius, & ideo ſignificat filios illegitimos Dei, ſive adulteros, quos Dominus permittit hic proſperari. Hebr. 12. *Si extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis.* Hos illegitimos permittit Dominus cum filiis ſuis, tanquam paleas cum granis, & in multis utiles ſunt eis. Unde boni de hoc non debent indignari. Quantumcunque filii Dei parvuli ſint, faciunt eis ludum talem, qualem faciebat Iſmaël cum Iſaac, quem Apoſtolus vocat perſecutorem in hodierna Epiſtola dicens. *Quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc.* Secundum Hebræos Iſmaël faciebat Iſaac imagines luteas adorare. Secundum Auguſtinum. Opprimebat eum, quaſi enim ludendo illudebat ei. Similiter accidit circa carnales qui in Eccleſia ſunt, quia quaſi ludendo filios Dei percutiunt, & hoc ad mortem, dum infirmos & adhuc parvulos irriſionibus ſuis faciunt deſerere bonam vitam ſuam inchoatã. Talis ludus diabolicus eſt, quo filios Dei faciunt Deum negare, ſicut Iſmaël faciebat Iſaac. Proverb. 10. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus*, & 26. *Sicut noxius eſt qui mittit ſagittas & lanceas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo, & cum fuerit deprehenſus dicit: ludens feci.* Ludus iſte ſimilis eſt ludo de quo legitur. 2. Reg. 2. Surgant pueri & ludant coram nobis, dixit Abner ad Joab, & reſpondit Joab: ſurgant. Et ſurrexerunt duodecim ex una parte & duodecim ex alia parte, apprehenſoque unuſquiſque capite comparis ſui defixit gladium in latus contrarii & ceciderunt ſimul. Contra iſtos irriſores multa invenies in tractatu de ſuperbia, capite de erubeſcentia. Quantum ſit peccatum irriſorum innuitur. Nehemiæ 4. *Audi Deus noſter, dixit Nehemias, quia facti ſumus deſpectio &c.* & poſt. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccata eorum coram facie tua non deleantur, quia irriſerunt ædificantes.* Aliis temporibus recrucifigunt Chriſtum homines mali, quantum in ſe eſt, juxta illud Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes filium Dei & oſtentui habentes.* & Pſal. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, dum animas pro quibus mortem ſuſtinuit, ei auferunt. Sed hæc omnia ceſſant in magna parte tempore Quadrageſimæ. Quartò poteſt gaudere Eccleſia de converſione peccatorum, quia tempore iſto recuperat eos, quos Diabolus Eccleſiæ aliis temporibus abſtulerat. Iſa. 49. *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſalvum eſſe poterit?* Multum gaudium debet eſſe de hoc quod peccatores liberantur à tam forti manu, & multæ gratiæ agi deberent Deo eos eripienti, cum ſcriptum ſit Job. 41. de Diabolo, quod, *non eſt ſuper terram, poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret.* Quintò poteſt eſſe gaudium in his qui converſi ſunt de divina præſentia, jam poteſt dicere qui converſus eſt. *Si ambulavero in medio umbræ mortis &c.* Sextò poteſt eſſe gaudium de multiplici lucro. Peccator enim qui non habebat partem in aliquo bono, quod in Eccleſia Dei fieret, particeps eſt omnis lucri quod fit in Eccleſia Dei juxta illud. Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Septimò poteſt eſſe gaudium de hoc quod ſunt in via paradiſi, juxta illud, quod hodie cantat in Eccleſia. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi &c.* De gaudio bonorum invenies amplius in ſermone de fructibus.

3. Quia nunc bene operãtes non deridentur nec impediuntur.

Irriſores famulorum Dei ſunt ſimiles filio Ancillæ Abraham.

Ob proſperitates malorum boni non indignentur, quare.

Mali perſequuntur & illudunt bonos & quãtum hoc ſit peccatum.

4. De prædâ quæ nunc Diabolo eripitur.

5. De præſentia Dei in converſis. Pſal. 22.

6. De lucro converſorum.

7. De itinere ad Paradiſum. Pſal. 121.

DOMINICA QUINTA IN PASSIONE.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Demonſtrat hic ſermo quomodo exemplo paſſionis Dominicæ Eccleſia hoc tempore peccatores ad aggrediendum pœnitentiam extimulare conetur, & jam pœnitentes eodem confirmare ſtudeat.

Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum peramplius & perfectius tabernaculum non manufactum &c, *ad Hebr. 9.*

SERMO XLI.

Dominica iſta vocatur Dominica in Paſſione Domini, & à veſperis præcedentis Sabbati incipit officium de paſſione. Cujus rei cauſa eſt miraculum de Lazari ſuſcitatione, de quo legitur Evangelium ſexta feria præcedente hanc Dominicam. Collegerunt enim poſtea Pontifices & Phariſæi Concilium, & ab illo die cogitaverunt ut Jeſum interficerent, unde tunc Chriſti paſſio ſive mors in machinatione Judæorum incepit. Illud autem miraculum creditur factum prima luna primi menſis, cujus luna decimo quinto crucifixus eſt Dominus, prima menſis dicitur Aprilis, ut habes Exod. 12. *Menſis iſte vobis Principium menſium: Primus erit in menſibus anni.* Et quia iſta

Cur hæc Dominica vocetur Dominica in Paſſione. Ioan. 11.

Dominica primo occurrit, ex quo Judæi firmaverunt ſibi ſermonem nequam de Domino interficiendo, ideo agitur in ejus officio de Domini paſſione. Et ſupprimitur *Gloria patri*, cantatur enim in fine pſalmorum, quia laus iſta communis eſt Trinitati. Et in Evangelio etiam tanguntur quædam præludia Dominicæ paſſionis, ubi dicitur, quod tulerunt lapides ut jacerent in eum. In Epiſtola etiam agitur de Chriſti paſſione.

II. *Cur hoc tempore de Paſſione Domini agat Eccleſia.*

Alia etiam ratio eſt quare officium Eccleſiæ tempore iſto de paſſione Domini eſt: Eccleſia enim in illa parte Quadrageſimæ quæ præceſſit, uſa eſt multis exemplis ad animandum eos, qui non inierant Pœnitentiam, ad aggrediendum pœnitentiam, & ad conſolandum & confirmandum eos, qui jam aggreſſi ſunt pœnitentiam ad portandam eam, nunc quaſi in fine Quadrageſimæ exemplo efficaciſſimo utitur, ſcilicet, Chriſti paſſione, reducens eis ad memoriam Dominicam paſſionem. Et debent iſti dies quadrageſimæ in ſanctitate & reverentia obſervari præ ceteris, unde cantat Eccleſia. *Iſti ſunt dies quos obſervare debetis.* Qui à peccatis alio tempore non cavebant, ſaltem iſto tempore debent cavere. Valde ingratus Redemptori ſuo eſt, qui tempore illo quo crucifixus eſt pro illo, non timet eum iterum crucifigere. Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei &c.* Qui alio tempore non erubuit de peccatis ſuis, ſaltem tempore iſto de eis erubeſcat, quando ſol ſacco tenebrarum ſe operuit, quaſi erubeſceret quod pro peccato creaturæ creator moreretur. Sicut aliqui qui ſunt de aliqua congregatione erubeſcunt, ſi unus de illa congregatione committat aliquod horribile factum. Qui prius non timebat nec dolebat de peccatis ſuis, modo debet & dolere & tremere, cùm paſſionem Domini audit, ad quam terra tremuit, alioquin terra ponderoſior eſſe videtur. Iſa. 10 *Confringet dominus lagunculam in terrore*, & idem 19. *Erit terra Juda Ægypto in pavorem*, id eſt, mors Domini in pavorem Ægyptio, id eſt peccatori. Gregorius. Cum ſaxa in paſſione Domini ſciſſa ſint, duriora ſaxis corda illa eſſe videntur, quæ audita paſſione Domini non ſcinduntur. Item qui prius non confitebatur peccata ſua, modo ſaltem debet ea confiteri, cum ad mentem ei reducitur paſſio Domini, ad quam monumenta aperta ſunt, alioquin labia ejus tenacius conglutinata videntur quam lapides in monumentis cæmento ad invicem compacti. Qui prius nolebat ſervire Deo, debet ei ſervire tempore illo, quo Deus ita multum ſervivit ei. Iſai. 43. *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti laborem mihi in iniquitatibus tuis.* Væ illis qui nec ſervire volunt nec laborare pro eo, qui tantum pro eis laboravit. Immò laborem labori addunt & afflictionem afflictioni, quantum in ſe

Labor Chriſti in peccatore convertendo quantus.

eſt. Hierem. 15 *Laboravi rogans.* Prov. 1. *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Rogat dominus ſuos quos ita carè emit ut ſibi ſerviant, & audire contemnunt. Job. 19. *Servum meum rogavi, & non reſpondit, ore proprio deprecabar illum.* Iſai. 1. *Laboravi ſuſtinens.* Cum Dominus totum mundum portet, juxta illud. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, non dicitur, laborare in portando illum, ſed in ſuſtinendo peccatorem, laborare dicitur. Ex quo ſatis poteſt patere quàm oneroſus ſit peccator, qui adeò oneroſus eſt, quod cœlum eum ſuſtinere non potuit, quod patet in Lucifero. Ad ultimum neque terra poterit eum ſuſtinere, ſed in infernum deſcendet. Ideo dicit Dominus illis qui nolunt converti. *Vos eſtis mihi onus, projiciam quippe vos.* Hierem. 23. Et hoc in locum viliſſimum, ſcilicet in ignem infernalem. Nec mirum ſi Dominus laborat in ſuſtinentia peccatoris, quando vilis vermiculus ità diu facit ſe rogari, ut filius Dei fiat, & ad illam magnam curiam venire contemnit: tota enim vita bonorum itineratio eſt ad illam curiam cœleſtem. Item non eſt mirum ſi Deus dicitur laborare in tenendo omnipotentiam ſuam à vindicta, quando ille qui eſt quaſi canis mortuus erexit ſe contra eum, & toties rogatus non vult facere pacem cum illo. Non etiam eſt mirum ſi offenditur Deus, quando (cum tanto dolore laboravit uſque ad ſudorem & ſanguinem) mercede ſua fraudatur. Merces iſta eſt ſalus noſtra. Zach. 9. *Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mihi mercedem meam.* Magis ſolet affligere mercenarium qui aufert ei mercedem ſuam, quam afflixerit eum labor diuturnus. Ex quo ſatis poſſunt intelligere quantum Deum offendunt, qui animas proprias ei auferunt. Eccleſiaſtici 34. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* Quid ergo de illis fiet, qui in hac mercede Chriſto injuriantur uſque ad exitum vitæ ſuæ, & tunc primò converti volentes ad Dominum. De talibus poteſt dicere Dominus illud. Pſalm. 8. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

III. *Memoria Paſſionis Dominicæ bona quinque afficit hoc tempore pœnitentiæ.*

Et Notandum quod memoria Dominicæ Paſſionis tempore pœnitentiæ eſt neceſſaria hominibus, quia timentibus aggredi pœnitentiam arduam, audaciam dat aggrediendi pœnitentiam, & ſpem veniæ impetrandi de Dei miſericordia, oſtendit eis. Illis verò qui jam pœnitentiam ſunt aggreſſi dulcorat mala pœnæ, ſcilicet amaritudinem pœnitentiæ, & fortes ſunt contra mala culpæ, unde valet contra peccatores. Illis verò qui in ſtatu pœnitentiæ proficiunt, valet ad augmentum dilectionis. Ad *primum* facit illud 1 Machab 6.

1. *Quia dat audaciam aggrediendi pœnitentiam.*

Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ut acuerent eos in prælium, & Apoſtolus Hebr. 12. *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum; qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Fugit Dominus Jeſus-Chriſtus cum voluiſſent eum facere regem. Joan. 6. Ad crucem vero voluntariè pro nobis ſe obtulit. Nos ergo crucem pœnitentiæ pro ejus amore libenter aſſumamus. Ad *ſecundum* facit illud Bernardi. In quo inquit, clarius quam in vulneribus tuis illuxiſſet;

2. *Quia ſpem veniæ præbet impetrandæ.*

quod tu domine ſuavis & mitis es & multæ miſericordiæ. Majorem enim miſerationem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro damnatis. Ideo peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur vulnerum domini recordatione. Ad *tertium* facit quod legitur.

3. *Quia dulcorat amaritudinem pœnitentiæ.*

Exod. 15. quod dominus oſtendit lignum Moyſi; quod cum miſiſſet in aquas prius amaras, in dulcedinem verſæ ſunt. In quo figuratum eſt quod memoria Dominicæ paſſionis amaritudinem tribulationis dulcorat. Bernardus. Videntes anguſtias Domini noſtri, leviùs veſtras portabitis. Ad *quartum*

4. *Quia confortat adverſus peccata.*

facit quod dicit Gregorius, quod tanta eſt virtus crucis, ut ſi in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere poſſit invidia, ſed omnino ad memoriam totius peccati & mortis fugiet exercitus. Ad *quintum* facit quod dicit Bernardus.

5. *Quia valet ad augmétum dilectionis in proficientibus.*

Super omnia inquit reddit te amabilem bone Jeſu calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ, hoc omnino amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi, hoc, inquam, eſt quod veram devotionem & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.

DE

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Explicantur hoc ſermone IV. verba thematis & ad quatuor genera vitioſorum hominum corrigenda diriguntur.

Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum &c.

SERMO XLII.

Explicantur verba thematis adverſus quatuor genera hominum vitioſorum.

NOtandum quod in verbo propoſito docet nos Apoſtolus quatuor, & hoc contra *quatuor* genera hominum. *Primo* docet quod Chriſtus patri ſuo interceſſor aſſiſtit pro nobis & futurorum bonorum largitor. *Primum* pertinet ad eum in quantum homo eſt. *Secundum* in quantum ipſe eſt Deus. Et hoc dicitur contra puſillanimes & diffidentes, qui diffidunt ſe poſſe obtinere regnum cœlorum.

1. Contra puſillanimes & diffidentes ſaluti ſuæ.

Ad hoc pertinet illud (*Chriſtus aſſiſtens Pontifex &c.*) Aſſiſtit Chriſtus patri ut Pontifex, intercedens ſcilicet ad patrem pro nobis, & hoc in quantum homo. Et ille idem eſt dator futurorum bonorum, in quantum Deus, unde magna fiducia eſſe poteſt his, pro quibus ipſe rogat, idem enim eſt qui rogat & qui rogatur. *Secundo* oſtendit Apoſtolus qualiter Chriſtus intravit in regnum cœlorum, quoniam *per proprium ſanguinem*. Et hoc dicitur contra illos qui nihil aſperum ſuſtinere volunt ut poſſint intrare in regnum cœlorum.

2. Contra delicatos, nil aſperum pati volentes.

Ad quod pertinet illud: *per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum &c.* quod ſic exponendum eſt. Chriſtus introivit tabernaculum per amplius, id eſt majus, ut ſit una dictio. Et hic majoritas attenditur in hoc, ſcilicet quantum ad plurium capacitatem, & *perfectius* quantum ad æternitatem, *& tabernaculum* dico *non manufactum*, id eſt, opere humano. Unde exponendo ſubditur, id eſt, *non hujus creationis*, cujus fuit illud in deſerto. Illud enim fixit homo, illud creavit Deus. *Introivit* dico, neque per ſanguinem taurorum effuſum, ut in veteri teſtamento fiebat, ſed per proprium ſanguinem in ſancta ſanctorum, id eſt, in cœleſtia. *Tertio* oſtendit Apoſtolus Chriſtum tantum ſemel paſſum pro peccatoribus, cum dicit, *ſemel*, & hoc dicitur contra frequenter recidivantes.

3. Contra recidivantes.

Quarto verò oſtendit difficultatem redemptionis noſtræ, ubi dicit. *Æterna redemptione inventa.* Redemptio æterna dicitur quia æterni ſunt qui redempti ſunt. Redemptio iſta in omnibus legalibus ſacrificiis quæſita fuit, & inveniri in eis non potuit, ſed in ſanguine Chriſti inventa eſt. Et hoc eſt contra ſe ipſos viliter vendentes.

4. Contra viliter vendentes ſalutem ſuam.

Thematis quatuor partium ſuſior explicatio.

Circa *primum* notandum quod Chriſtus multipliciter oraſſe dicitur pro peccatoribus.

1. De oratione Chriſti pro peccatoribus.

Oravit verbo. Joan. 17. *Ego pro eis rogo*, & poſt. *Non pro eis rogo tantum ſed & pro his qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Oravit etiam lachrymis & ſanguine. Lachrimis juxta illud. Hebr. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido & lachrimis offerens, exanditus eſt pro ſua reverentia* Oravit etiam ſanguine, juxta illud Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* Sanguis enim Abel petebat vindictà, ſed ſanguis Chriſti miſericordiam, rogat etiam pro peccatoribus cicatricum oſtenſione Bernardus. Securum habes acceſſum ad Deum, ubi habes filium ante patrem, ante filium habes matrem. Flius oſtendit patri cicatrices & vulnera, mater oſtendit pectus & ubera filio, nec poteſt eſſe repulſa, ubi tot charitatis occurrunt inſignia Hebr. 9. *Ieſus introivit in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Hebr. 7. dicitur de Chriſto quod *ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Rom. 8 *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, & 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Et in Pſal. 83. *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Deus pater reſpiciens quam carè Eccleſia filio ſuo conſtiterit, parcit Eccleſiæ. Et Notandum quod Chriſtus modò eſt cum patre pro peccatoribus, ut prius reſponſum eſt, ad interpellandum pro nobis.

Chriſtus diverſimodè eſt cũ peccatoribus.

In mundo iſto fuit cum peccatoribus, juxta illud Baruch. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed niſi pœnituerint, in judicio erit contra peccatores. Tunc cicatrices quæ modo ſunt in ſignum reconciliationis, erunt in teſtimonium juſtæ damnationis. Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Etiam & hominibus malis aſſiſtit ad invitandum ſi pœnitere voluerint.

Bonis & malis aſſiſtit diverſimodè.

Apoc. 3. *Sto ad oſtium & pulſo*, ſi verò non pœnituerint ad vindicandum. *Iudex* enim *ante jannam aſſiſtit*, juxta verbum Jacobi 5. Bonis verò aſſiſtit paratus ad adjuvandum, ut Beato Stephano. Actor. 7. Omnibus verò aſſiſtit quaſi ad explorandum. Cantic. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, ideò cautè agendum eſt. Circa *ſecundum* notandum eſt, quod Chriſtus ideò per proprium ſanguinem in cœlum voluit intrare, ut oſtenderet quomodo nos intrare debeamus, nimirum per arctam viam & anguſtam portam.

2. Per paſſionem & tribulationem debemus in cœlum intrare, ſicut Chriſtus intravit.

Matth. 7. *Quam anguſta porta & arcta via eſt qua ducit ad vitam.* Michææ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Luc. ult. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam.* Quanto magis aſpera ſuſtinendo oportet nos intrare in alienam? & Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, & Math. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vix ingreditur aliquis in regnum cœlorum, qui portam fugit quantum poteſt, qui nihil aſperum vult ſuſtinere. Tribulatio eſt porta iſta, per quam oportuit intrare & filium Dei & amicos ejus. Joan. 13. *Non eſt ſervus major Domino ſuo.* Hieron. Nimis delicatus eſt Chriſtiane ſi vis hic gaudere cum ſeculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Quod per tribulationem ingreſſus ſit in regnum cœlorum, figuratum eſt in hoc, quod gladius igneus poſitus eſt ad portam paradiſi terreſtris. Geneſ. 3. In igne enim tribulatio deſignatur. Circa *tertium* verò notandum quod Chriſtus ſemel tantum paſſus eſt pro peccatoribus, & virtute Paſſionis ejus ſemel remittuntur peccata hominibus ſine pœna aliqua exteriori, ſcilicet in Baptiſmo. Recidivantes verò licet de peccato pœniteant, magnæ tamen pœnæ remanent debitores, ignis ſcilicet purgatorii qui ignis, ſicut dicit Auguſtinus. Miro modo gravis eſt, exſuperat enim omnem pœnam quam aliquis in hoc Mundo poſſit pati.

3. Baptizati & recidivi paſſionem Chriſti qui participent. De Purgatorio. De Recidivis.

Ideo ſecundum verbum Bernardi. Recidere quam incidere deterius. Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* De hac materia vide in tractatu de Avaritia in Cap. de peccato recidivantium. Circa *quartum* vero notandum eſt quod redempti debent attendere quam carè à Chriſto empti ſint *triplici* ratione.

4. Quia carè à Chriſto empti ſumus notandum.

Primo ut ſe vili foro Diabolo non vendant, ut faciunt fatuæ mulieres, quæ quandoque pro uno denario animam dant Diabolo, & corpus peccatori exponunt Auguſtinus. Appende te ex pretio tuo, ne tibi vileſcas. *Secundo* ut intelligant ſe merito à ſolo Chriſto poſſideri, ideo enim tanto pretio nos emit ut ſolus nos poſſideat. *Tertio* ut non ſit nobis grave ſi care emamus eum, cum ipſe ita care nos emerit, qui in infinitum minus valemus quam ipſe. Item Notandum quod Chriſtus quaſi ſtudioſe quæſivit redemptionem noſtram, juxta illud Pſal. 9. *Annunciate inter gentes*

Amor Chriſti in redimendo. Geneſ. 29.

ſtudia ejus. Notandum quod licet ei carè conſtiterit, tamen quaſi inventam reputavit, & hoc propter nimium amorem, quem habebat ad nos. Sicut Jacob pauci videbantur dies quibus Laban ſerviebat pro Rachel præ magnitudine amoris, quem habebat ad eam. Sic & nos non debemus reputare quod amore Chriſti ſuſtinemus. Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, juſtus eſt.*

Noſter vi- ciſſim in eum.

DOMINICA PALMARUM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Docet ſermo iſte ex officio Eccleſiæ hujus Dominicæ de proceſſione & paſſione Domini conjunctis gloriam & fœlicitatem hujus Mundi contemnere, & humilitatem exemplo Chriſti ſectari, ut in futuro exaltemur cum illo. Epiſtola toto fere ſermone explicatur.

Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu. *Philip. 2.*

SERMO XLIII.

Duo principaliter hoc ſermone tractantur.

ECcleſia in officio hodierno Duo intendit oſtendere fidelibus, ſcilicet *gloriam mundi eſſe contemnendam*, eò quòd cito in ignominiam commutetur, *humilitatem verò crucis Chriſti amplectendam eſſe*, eo quod in gloriam commutetur. *Primum* oſtendit in hoc quod Paſſionem proceſſioni hodierna die conjungit. *Secundum* in Epiſtola, ubi oſtenditur, quod humilitatem paſſionis Chriſti, ſubſecuta ſit gloria exaltationis.

1\. Admiratio ſeu dubium de Paſſione & Proceſſione hodie conjunctis.

Sed forſitan mirabitur aliquis de conjunctione proceſſionis & paſſionis, & quia paſſio tali die facta non eſt, & quia proceſſio pertinet ad lætitiam, paſſio ad triſtitiam. Unde Bernardus. Quid ſibi vult iſta mirabilis conjunctio? aut quid cogitaverunt patres noſtri addentes paſſionem proceſſioni? Nam proceſſio quidem repræſentatur hodie, quia hodie facta; paſſio verò cur addita eſt, quam ſexta feria conſtat eſſe ſecutam? Idem. Proceſſionem hodie nova quadam & mira conjunctione addidit paſſioni, nam proceſſio plauſum habet, paſſio planctum. Circa quod Notandum eſt quod in conjunctione proceſſionis & paſſionis circa *quatuor* poſſumus inſtrui. *Primo* circa illud Prov. 14. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Ad hoc ſignandum triſtitia paſſionis ſubjungitur gaudio proceſſionis. Nam proceſſio iſta repræſentat honorabilem illum concurſum tali die Domino exhibitum in ingreſſu Hieruſalem, quem in brevi ſubſecuta eſt ignominia paſſionis. In quo ſatis apparet quod gloria hujus mundi ſtabilis non ſit, & quod in ea fiducia non ſit habenda, unde Bernardus. Optime proceſſioni paſſio eſt conjuncta, ut diſcamus in nulla iniqua hujus ſeculi lætitia fiduciam habere, ſcientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. 1. Timoth. ult. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* Seneca. Citò fit ignominia, ſuperbi gloria Bernardus, ac eodem populo in eodem loco, & in ipſo tempore, pauciſſimis diebus interpoſitis, primò cum tanto triumpho ſuſceptus, poſtea crucifixus eſt. O quàm diſſimile eſt: *tolle, tolle, crucifige eum,* &, *benedictus qui venit in nomine domini. Oſanna in excelſis.* Quam diſſimile eſt, *rex Iſrael, &, non habemus regem niſi Cæſarem* Quam diſſimilia regnum & crux, flores & ſpinæ. Cui prius veſtimenta conſternebant aliena, ecce ſuis exuitur & ſors mittitur ſuper ea. *Secundo* inſtruimur ut proſperitatem, quando eam habemus, adverſitatis memoria temperemus, vel etiam admiſtione alicujus præſentis amaritudinis. Eccleſ. 11. *In die bonorum ne immemor ſis malorum,* & econverſò. Ideò *proſperitas ſtultorum perdet illos.* Prov. 1. Gregorius. Quia proſperitas & gaudium eſt quaſi vinum forte, & ipſi neſciunt illud temperare, ideò quaſi infatuat eos, ſed ſapiens gaudium iſtud temperat oculum cordis habendo ad adverſa, quæ poſſunt accidere. Eccleſiaſtæ 7. *Cor ſapientum ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia.* Hoc temperamentum docuit nos Dominus hodierna die, quando poſt gaudium & honorem ſibi exhibitum flevit, ut legitur Lucæ 19. Et Hieroſolymitis ſecuris everſionem urbis prædixit futuram. Hoc temperamentum docuit etiam nos Dominus in hoc, quod honorem illum in tanta humilitate ſuſcepit, ſedens ſuper aſinum. Unde Bernardus. Dominus ſicut in paſſione patientiam habuit, ſic in proceſſione humilitatem exhibere curavit. In illa enim tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. In proceſſione autem parabant ſe populi ut exirent obviam ei, nec eum latebat, qui noverat quid eſſet in homine. Propter quod & ipſe paratus eſt non in curribus aut in equis, nec in frenis argentis, aut ſellis auro tectis, ſed humilis aſelli tergo ſedens ſuppoſitis Apoſtolorum veſtibus, quas ego de precioſioribus regionis fuiſſe non credo. Item Bernardus de temperamento tali. Imitetur cogitatio naturam, imitetur & auctorem naturæ. Nonne natura in perſona hominis vili limo vitæ ſpiraculum colligavit? nonne auctor naturæ in perſona ſua verbum limumque contemperavit? Salomonem ideò ſapientia deſeruit, quia jucunditatem ſuam amaritudine nulla diſciplinæ temperare voluit. *Tertio* oſtenditur nobis in hac conjunctione proceſſionis & paſſionis, quod tali fatuitate laborant, qui gloriam & gaudium hujus mundi ſequuntur, quaſi laborent quod cum proceſſione & gaudio ad patibulum ſuũ, vel ad aliud genus mortis ire vellent. Legitur Joan. 6. quod Dominus fugerit quando voluerunt eum facere regem, nunc autem honorem iſtum non fugit, quando ibat ad mortem ſuam, ad ſignificandum quod jam diximus, quod qui gloriam quærunt gloriari volunt in via, qua ad mortem ſuam vadunt Auguſtinus. Nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ quam curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare, vel tardius ire permittitur, ſed omnes pari motu urgemur, ergo gloria in vita, eſt gloria in via ad mortem. Gregorius. Qui præſenti ſuavitate capitur, quaſi per amœna prata ad interitum ducitur. Hic oſtendenda ſunt illa *tria* in hominibus quæ mortuo fiunt, in quibus ſapientia mundi oſtenditur eſſe fatuitas. Mortuus cum ſolo ſudario ſepelitur quod oſtendit cupiditatem eſſe fatuitatem. Sub terra ponitur & ab hominibus & jumentis conculcatur, in quo oſtenditur fatuitas ſuperbiæ, quæ ſuper homines vult eſſe. A vermibus comeditur, in quo fatuitas voluptuoſitatis oſtenditur, quæ de carne tantam curam habet. *Quarto* in prædicta conjunctione inſtruimur, ut tribulationem viam eſſe ad gloriam cognoſcamus, unde Bernardus. Vobis chariſſimi tanquam ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, in proceſſione cœleſtis patriæ repræſentamus gloriam, in paſſione, monſtramus viam. Idem ſi conſideratis in proceſſione, quo properandum ſit, diſcite in paſſione qua vel per quid eundum ſit, hæc eſt enim via vitæ, tribulatio præſens. Via gloriæ, via civitatis, via habitaculi, via regni, ſecundum quod clamat latro de cruce. *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. Euntem in regnum vidit, quo cum perveniſſet, ſui memorem eſſe rogavit. Item Bernardus. Ne mireris quod præſenti proceſſione cœleſtem diximus repræſentari, quoniam unus & idem in utraque ſuſcipitur, etſi longe aliter, & ab aliis.

Reſponſio Conjunctio iſta docet.

1\. Gloriam & Gaudium Mundi cõtemnẽdum, quia in ignominiã & triſtitiam deſinunt.

2\. Proſperitatem & Honorẽ Mundanum temperandum memoria adverſitatis & humilitatis, amaritudiniſve præſentis admixtione.

3\. Fatuos eſſe qui Gloriã & Gaudium quærunt in hac vita, quæ via eſt ad mortẽ.

Sepultura mortui docet contemnere Concupiſcentiã carnis, oculorum & ſuperbiam vitæ.

4\. Tribulationem eſſe viã ad Gloriam cœleſtem.

Circa

II. Explicatur Epiſtola hoc toto 2. cap. Chriſti Humilitas quæ nobis eſt imitāda. Chriſti ſublimitas qualis.

Circa Epiſtolam verò notandum quod in ea monemur ad imitandum Chriſti *humilitatem*, ubi dicitur. (*Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*) ſupple, *fuit*. Sentite, inquam, non loquimini tantum, ſicut illi, qui dicunt, & non faciunt. Vel, non prætendite exterius tantum ut Hypocritæ. Deinde *ſublimitatem* illius, qui ſe humiliavit, oſtendit, quia licet humilitas in omnibus ſit commendabilis, præcipuè tamen in ſublimioribus, unde Bernardus. Cùm omni indifferenter perſonæ ſit humilitas quædam turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto vis ejus major in majoribus & in clarioribus clarior comprobatur. De Chriſti ſublimitate tangitur ibi. (*Qui cùm in forma Dei eſſet*) id eſt, in plena eſſentia & æqualitate patris, *non rapinam arbitratus eſt*. Immo certiſſimè eſſe naturam ſcivit, *eſſe ſe æqualem Deo*, quia naſcendo hoc ſumpſit, non ſuperbiendo præſumpſit ut Diabolus, qui Deo voluit eſſe æqualis. Unde Dei offenſionem incurrit. Eccleſiaſtici 20. *Qui poteſtatem ſibi ſumit injuſtè, odietur*. Oſtenſa ſublimitate Chriſti oſtenditur & ejus Deſcenſus Quadruplex. *Primus* fuit ſervilis formæ aſſumptio. *Secundus* aſſumptio mortalitatis & paſſibilitatis. *Tertius* uniformitas charitatis. *Quartus* humilis obedientia uſque ad mortem viliſſimam. Et ut breviter dicatur de iſto deſcenſu, à Deo deſcendit, ut qui primus erat, fieret noviſſimus virorum. Iſai. 53. Ut vere poſſet dicere illud. Apoc. ult. *Ego primus & noviſſimus*. De deſcenſu iſto dicit Gloſſa ex Auguſtino. Quanta humilitas? humiliavit ſe Chriſtus uſque ad Incarnationem, uſque ad mortalitatis humanæ participationem, uſque ad Diaboli tentationem, uſque ad populi irriſionem, uſque ad ſputa & vincula, & alapas & flagella, & uſque ad mortem. Et ſi parum eſt hoc, de genere mortis addendum eſt, mortem autem non quamlibet, ſed crucis, quæ ignominioſior eſt. Idem Ecce habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum. Quid ergo intumeſcis homo? O pellis morticina quid tentaris? ſanies fœtida, quid inflatis? princeps tuus humilis eſt, & tu ſuperbus? caput eſt humile, & membrum ſuperbum? Ad *primum* deſcenſum pertinet illud, *exinanivit ſemetipſum*, Exinanivit, inquam, non ſubſtantiam evacuans, nec honorem inclinans.

Chriſti deſcenſus quadruplex. Humilitas Chriſti quanta fuerit.

Exemplo Chriſti fugienda ſuperbia. Explicatio deſcenſuum Chriſti ex Epiſtola.

1. Gloſſa. Exinaniſſe ſe eſt ab inviſibilitatis ſuæ magnitudine ſe viſibilem demonſtraſſe per formam
2. ſervi acceptam. Ad *Secundum* pertinet illud, *in ſimilitudinem hominum factus*, id eſt, mortalis & paſſibilis ut alii homines. Potuit aſſumere naturam hominis immortalem & non ſubjectam tali paſſibilitati, quali modo eſt: vel in ſtatu tali, in quo fuit Adam ante peccatum, ſed noluit. *Debuit enim fratribus aſſimilari per omnia, ut miſericors fieret* ut dicitur Hebr. 2. Factus eſt in ſimilitudinem hominum, non Angelorum, quia non eguerunt; non Dæmonum, quia illi non reſurgunt; non hominis, quia primus homo neque in carne peccati, nec in ſimilitudine carnis peccati erat creatus. Chriſtus autem univerſali hominum miſeriæ profundius ſe immerſit, ne ſubtilis ille Diaboli oculus magnæ pietatis deprehenderet ſacramentum. 1. Corinth. 2. *Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ cru-*
3. *cifixiſſent*. Ad *tertium* deſcenſum pertinet illud *& habitu inventus ut homo*. Habuit ſe Chriſtus ut alii homines. In principio ætatis ſuæ apparuit inſcius & impotens, tam ad ambulandum, quam ad loquendum. Deinde eſurivit & ſitivit, & comedit & bibit, ut alii homines, & adeo ſe aliis hominibus conformavit, ut à quibuſdam peccator crederetur. Unde Matth. 11. *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: ecce homo vorax & potator vini,*
4. *publicanorum & peccatorum amicus*. Ad *quartū* deſcenſum pertinet illud, *humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem &c*. Sapien. 2. *Morte turpiſſima condemnemus eum*. Chriſtus implevit illud. Lucæ. 14. *Cum invitatus fueris ad nuptias &c*. Ideo merito audivit illud. *Amice aſcende ſuperius*, unde ſubdit Apoſtolus, *propter quod, & Deus exaltavit illum &c*. E contrario Lucifer elegit ſibi locum primum Iſai. 14. *Similis ero Altiſſimo*, ſed dictum eſt ei in paſſione Chriſti: *da huic locum*. Tunc incepit cum rubore noviſſimum locum tenere, ſcilicet infernum Joan. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*.

III. Chriſtus paſſus eſt ad dandū exemplum Humilitatis.

Et notandum quod ſpecialiter Chriſtus paſſus eſt ad dandum humilitatis exemplum. Unde in hodierna Collecta dicitur. *Deus qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum ſalvatorem noſtrum carnem ſumere &c*. Gregorius. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter edocendā, is qui fuit ſine æſtimatione magnus, uſque ad paſſionem parvulus factus eſt? Si tantum conſtitit Chriſto humilitas propter hominem, ipſe mortem ſuam poteſt requirere ab his, qui humiles non ſunt. Unde multum poſſunt timere tales quod facturi ſint in die judicii, quando inſignia paſſionis ſuæ, crucem ſcilicet & ſimilia oſtenſurus eſt hominibus. Iſai. 62. *Dicite filiæ Sion, ecce ſalvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo*. Merces dicitur eſſe cum illo, quia paratus erit reddere mercedem hominibus. Vel propter hoc, illi quos meruit labore paſſionis, cum illo erunt. De hac mercede dicitur. Zach. 11. *Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam*, ideſt, vos ipſos, quos merui. Opus verò ejus dicitur paſſio, quæ erit cum illo quantum ad inſignia paſſionis in extremo judicio. Matth. 24. *Et tunc parebit ſignum filii hominis in cælo*, in aëre Bernardus. Quid magis admirandum? quid amplius deteſtandum? quid gravius puniendum? quam quod videns Dei filium ſummum in regno angelorum, noviſſimum factum in regno hominum, apponat ſe homo magnificare ſuper terram? Unum de remediis contra ſuperbiam eſt iſta Chriſti humilitas. Unde Auguſtinus. Medicina tumoris hominis eſt Chriſti humilitas? Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Sicut erubeſceret quis ſi ſederet in ſcamno, & videret dominum ſuum ſedere ad pedes ſuos. Alia verò remedia ſunt in tractatu de ſuperbia in fine.

Eum non imitari quā ſit perniciοſum.

Remedia contra ſuperbiam.

DE EADEM DOMINICA.
SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte tres modos exponit ſentiendi in nobis quod fuit in Chriſto Ieſu.

Hoc ſentite in vobis &c.

SERMO XLIV. Tribus modis ſentitur quod fuit in Chriſto.

I. Compatiēdo Chriſti paſſioni.

TRipliciter debemus ſentire quod fuit in Chriſto. *Primo* per compaſſionem. *Secundo* per effectus participationem. *Tertio* per mutationem. Primum Modum Sentiendi oſtendit Eccleſia verbo propoſito innuens quod paſſionem Domini audire debeamus. Opprobria enim ei dicta, debent nobis cadere ſuper cor juxta illud. Pſal. 68. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*. Clavi etiam & lancea, quæ corpus ejus pertranſierunt, pertranſire debent corda noſtra, ſicut & matri ejus accidit, ut Simeon dixit ei Lucæ 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Et *notandum* quod compaſſio, crux interior eſt, & eſt quaſi crux aurea, cujus brachium ſuperius, eſt dolor de memoria crucifixi. Inferius brachium, eſt dolor de recordatione peccatorum propriorum. Siniſtrum brachium, eſt dolor de pœnali miſeria proximorum. Dextrum brachium, eſt dolor de perditione animarum. Auguſtinus. Sunt-ne in te viſcera Chriſtianæ compaſſionis, qui plangis corpus

Notat. Compaſſio quid ſit.

à quo receſſit anima, & non plangis animam, à qua
receſſit Deus? Eccleſ. 21. *Luctus mortui ſeptem
dies, fatui autem & impii omnes dies vitæ illorum.*
2. Chriſto cur maximè compati debeamus. *Specialiter* verò compaſſio crucifixi debet eſſe ma-
gna in nobis juxta illud. Cantic. 2. *Faſciculus myr-
rhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabi-
tur &c.* Videmus membra infirmari, cùm caput in-
firmatur. Cùm caput infirmum eſt, oculi infirmi
ſunt &c. Juxta illud 1. Corinth. 12. *Si quid patitur
unum membrū, compatiuntur omnia membra.* Quan-
tum ergo nos compati debemus capiti noſtro Chri-
3. ſto, cujus membra ſumus. Et *notandum* quod multa
Cauſæ cōpatiendi quot. ſunt propter quæ quis ſolet alii multum compati,
quæ omnia circa Chriſtum concurrunt. *Primum*
1. eſt *doloris magnitudo.* Hæc cauſa vere fuit in Chri-
ſto, unde Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per
2. viam &c. Secundum* eſt *amoris magnitudo.* Hæc
cauſa fuit in beata virgine, propter magnum enim
amorem, quem habebat ad filium ſuum, gladius per-
tranſivit animam ejus. De David etiam legitur. 2.
Regum 18. quia dicebat: *fili mi Abſalon, Abſalon fili
mi: quis mihi tribuat ut moriar pro te, fili mi Ab-
ſalon. Pro te*, id eſt, vita tua. Videbatur reputare
mortem filii ſui graviorem ſibi propria morte. Et
de bono patre dicitur Eccleſiaſtici 30. *Pro animabus
filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem
vocem turbabuntur viſcera ejus.* Propter hanc cau-
ſam filii, qui tenerè amant matres ſuas, moleſtius
ſuſtinent, cum eas vident percuti, quam ſi ipſimet
percuterentur. Sed quis dubitat Chriſtum magis
amandum eſſe à nobis quam carnales matres. Quæ
mater etiam tanta paſſa eſt pro filio ſuo, ſicut
Chriſtus pro nobis? Nonne matrem ſuam reliquit
pro nobis? Reliquit etiam ſynagogam matrem
ſuam, & inſuper animam ſuam morti expoſuit
pro nobis. Hierem. 12. *Reliqui domum meam, di-
miſi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam
3. in manus inimicorum ejus. Tertium* eſt *innocentia*,
magis enim ſolemus compati ei, qui innocenter pa-
titur. Quæ cauſa vere fuit in Chriſto, ipſe enim
peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.
1. Petri 2. Propter hoc Eccleſia quæ lætatur in paſ-
ſionibus aliorum ſanctorum, in die paſſionis Chri-
4. ſti contriſtatur. *Quartum* eſt *quando pro culpa no-
ſtra aliquis patitur*, tunc enim homo qui habet no-
bilem animum, dolorem illius ſuum reputat per
compaſſionem, ſicut ſuus eſt per occiſionem, ſicut
patet in David. 2. Regum ult. Qui cùm vidiſſet
angelum populum occidentem propter hoc, quod
ipſe fecerat eum numerari, dixit ad Dominum. *Ego
ſum qui peccavi: ego inique egi, iſti qui oves ſunt,
quid fecerunt? vertatur obſecro, manus tua contra
me.* Hæc cauſa bene fuit in Chriſto, juxta illud. Iſai.
53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, at-
tritus eſt propter ſcelera noſtra.* Noſtra eſt paſſio Chri-
ſti non ſolum per occiſionem, ſed etiam quantum
ad utilitatem, & ideo debet eſſe noſtra quantum ad
5. ſalutem. *Quintum* eſt *patientis nobilitas*, quæ
cauſa bene fuit in Chriſto, qui nobiliſſimus fuit tan-
quam altiſſimi filius. Valde alienum erat tale opus ab
illo, juxta illud Iſa. 28. *Alienum eſt opus ejus: ut ope-
6. retur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo. Sextū*
eſt *patientis benignitas* Hæc cauſa bene fuit in Chri-
ſto. Ad Titum. 3. *Benignitas & humanitas apparuit
ſalvatoris noſtri Dei,* &c. & Mat. 11 *Diſcite à me quia
mitis ſum & humilis corde.* Cum homo benignus &
mitis omnibus cedat, quæ cauſa eſt eum gladio per-
forari? Itē quæ convenientia ſtipitis rigidi & duri ad
hominem benignum & dulcem? Ideo Eccleſia in illo
dulci planctu, qui in Dominica de Paſſione incipit
cantari, ſpecialiter plangit hoc, quod clavis & lan-
cea mite corpus perforatur, & quaſi poſcit ut arbor
crucis ramos ſuos flectat & naturalis rigor lenteſcat,
ut ſuperni membra regis miti tendant ſtipite.

Septimum eſt *patientis ipſius pietas*, magis enim 7.
compatitur aliquis ei, quem novit eſſe pium &
compatiētem, quàm ei quem novit eſſe ſine pietate.
Ipſe enim Deus non miſeretur hominibus duris &
ſine miſericordia, ideo ſcriptum eſt, *quod judicium
ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam*,
Jacobi. 2. Et propterea tales non de facili ſalvan-
tur. Bernardus. Nemo duri cordis miſericordiam
unquam adeptus eſt, niſi forte miſerans Deus abſtu-
lerit ab eo cor lapideum, & dederit ei cor carneum.
Et notificat *cor durum* dicens. quid eſt cor durum? Cor durum
quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate quod.
mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit,
duratum ad flagella, ad beneficia ingratum, ad
conſilia infidum, ad judicia ſua inverecundum,
ad turpia impavidum, ad pericula pronum,
ad humana inhumanum, præteritorum oblivi-
ſcens, præſentia negligens futura non provi-
dens, & ut in brevi cuncta complectar, ipſum
eſt quod nec Deum timet, nec hominem reve-
retur. Hæc cauſa bene fuit in Chriſto. Ex com-
paſſione enim pertulit omnia quæ in mundo iſto
paſſus eſt. Taceo de compaſſione Beatæ Virginis
unigenitum ſuum in cruce conſiderantis. Videtur Dolor cō-
aliquibus magnis quod major fuerit in eo dolor paſſionis
compaſſionis, quam paſſionis, quod ex duobus cur videatur in Chri-
æſtimant, ex magnitudine charitatis ejus, & ex ſto major
cogitatione periculorum, quæ videbat in mundo fuiſſe, quam
iſto. Compaſſionem ſuam ipſe expreſſit lachrimis. paſſionis.
Lucæ 19. Quando flevit ſuper civitatem Hieruſa-
lem. Et Joan. 18. Ubi compatiens diſcipulis ſuis
adhuc infirmis, ait his qui venerat ut eum com-
prehenderent, *ſi me quæritis, ſinite hos abire. Octa-
vum* eſt *exemplum aliorum compatientium alicui*,
hoc enim ſolet hominem excitare ad ſimiliter com-
patiendum. Quæ cauſa bene invenitur circa Chri-
ſtum, cui etiam creaturæ inſenſibiles quaſi com-
paſſæ ſunt. Unde ſol radios ſuos abſcondit, quaſi
nuditati ejus tenebras faciens. Petræ etiam ſciſſæ
ſunt, quaſi ei compatientes: *Ad* compaſſionem 9.
etiam debet excitare, quod ab indignis plane, immò Quod à
etiam vita, ſcilicet à peccatoribus, morti æternæ peccatoribus paſſus.
adjudicatis talia paſſus eſt. Et etiam quod non ha- 10.
buit aliquem conſolatorem. In Pſal. 140. *Singula- Quod non habuit con-
riter ſum ego donec tranſeam.* ſolatorem.

Sequitur de Secundo Modo Sentiendi, qui eſt II.
per effectus participationem. *Hoc modo* ſentiunt Participan-
ea quæ in Chriſto fuerunt illi, qui ex Chriſti do effectū
Paſſione intelligunt, quantopere cavendum ſit Paſſionis Dominicæ.
peccatum. Bernardus. Vide homo qualia ſint illa
vulnera, pro quibus oportuit Chriſtum dominum
vulnerari? Sic medicinæ æſtimatio & doloris & ti-
moris aggregatio eſt. Idem. Ex conſideratione re-
medii, periculi mei æſtimo quantitatem. *Item* qui
intelligunt quantum ſit timendum futurum ſuppli-
cium *Quia ſi in viridi ligno hæc faciūt in arido quid
fiet?* Lucæ 23. In Pſal. 59. *Dediſti metuentibus te
ſignificationem &c.* Bernardus. Qui non parcit filio,
nunquid parcet figmento? nunquid parcet ſervo
nequam? *Item.* Qui ad ignem amoris divini, in
cruce nobis oſtenſi ad Deum amandum ſunt accen-
ſi. Nimis congelata videntur eſſe corda iſta, quæ
ad ignem iſtum non caleſiunt. Eccleſiaſtici 43. *Sol
in meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris
ejus quis poterit ſuſtinere?* quod de ſole juſtitiæ in
fervore Paſſionis intelligi poteſt. *Item* paſſionem
Chriſti quantum ad effectum ſentiunt, qui ad un-
ctionem divinæ pietatis ibi nobis oſtenſæ, uncti &
pii efficiuntur. Ibi petra effudit rivos olei. Job. 29.
Chriſtus petra fuit in patiendo, ſed rivos olei fudit,
miſericordiam ſuam oſtendendo, & miſerationem
ſuam exhibendo. III.

Circa Tertium verò Modum Sentiendi. No- Imitando Chriſtum.
tandum quod in Epiſtola hodierna monemur ad Ex epiſtola.
imitandum

Digitized by Google

imitandum Chriſtum in *quatuor*: ſcilicet *Primo* in
2. *humilitate*, de quo ibi (*ſed ſemetipſũ exinanivit*) *Secundo* in *charitate*, de quo ibi, *formã ſervi accipiens*,
3. Obediẽtia. *Tertio* in *obedientia*, de quo ibi, *humiliavit ſemetipſum factus obediens &c.* Bernardus. Non credas aliquod bonum placere contra obedientiam illi, qui mori maluit, quàm non obedire. Ideo mementote fratres. Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. 1. Regum 15. *Melior eſt obedientia quàm victima.* Gregorius. Obedientia eſt virtus, ſine qua infidelis eſſe quiſque convincitur, etſi fidelis eſſe videatur. Et per hoc quod dicitur, *humiliavit ſemetipſum*, innuitur quod voluntarie obedivit, non coactus. Joan. 10. *Ego pono animam meam.* quod eſt contra quoſdam, qui non obediunt niſi coacti, ſicut dæmones obediebant Chriſto, cum ejiceret eos de obſeſſis corporibus. *Quarto* in *patientia* de quo ibi, *uſque ad mortem, &c.* Iſai. 50. *Poſui faciem meam ut petram duriſſimam.* Duram ad verba, duriorem ad verbera, duriſſimam ad vulnera.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Intendit hic ſermo nos abſterrere ab indigna ſumptione Euchariſtiæ, explicando peccati hujus damna ac pericula. Item docet à quibus peccatis expurgari & qualium virtutum diſpoſitiones habere debeant ad hoc ſacramentum dignè acceſſuri.

SERMO XLV.

Expurgate vetus fermentum &c. *1. Corinth. 5.*

Tria peccata in paſchate committũtur, contra quæ tres ſermones ſequentes agunt occaſione Epiſtolæ.

TRipliciter ſolent peccare homines paſchali tempore. Quidam enim indigne ſumunt Euchariſtiam. Alii verò poſt ſumptionem Euchariſtiæ, ad peccata relicta redeunt. Alii autem indignitatem ſuam attendentes, in die Paſchæ Euchariſtiam non ſumunt, & hoc ipſum vilipendunt, quod non fuerunt digni ſumere eam. Et contra hæc *tria peccata, tria verba* dicuntur in Epiſtola paſchæ. Circa *primum* dicitur *Expurgate vetus fermentum &c* Circa *ſecundum* dicitur, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quo verbo reducitur ad memoriam hominibus paſſio Chriſti, per quam à peccatis liberati ſunt, ut ex quantitate remedii perpendant quantitatem periculi, & cognita quantitate periculi, timeant redire ad periculum. Circa *tertium* verò dicitur, *epulemur &c.* Et circa hæc tria peccata ſunt tria capita in tractatu de Avaritia, ubi agitur de peccatis miniſtrorum Eccleſiæ.

I. Contra peccatum indigne Euchariſtiam ſumentium.

De primò verbo ſic poteſt ſermo fieri. *Expurgate vetus fermentum &c.*

Fermentum in ſacra ſcriptura in diverſis locis dicitur peccatum, ut Levit. 2. ubi legitur; *nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* In quo verbo duo docentur cavenda eſſe in bonis operibus, quæ ſolent eis valorem ſuum auferre, ſcilicet peccatum mortale & vana gloriæ. Mel, quod dulcedinem videtur habere, & inflativum eſt, ſignificat vanam gloriam. Item fermentum vocatur peccatum Exod. 12. ubi agitur de agno paſchali, qui ſacramentum altaris ſignificabat, ubi ſic legitur. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris: qui comedit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſrael*, ſic etiam fermẽtum ſumitur hic, cum dicitur. *Expurgate vetus fermentum.* Aſſimilatur autem peccatum fermento in hoc, quod ſicut modicum fermenti totam maſſam corrumpit & immutat, ſic unicum mortale peccatum multum immutat hominem & opera ipſius. Cum enim ante peccatum mortale ſuperior eſſet cunctis viſibilibus creaturis, quam cito eſt in mortali, efficitur inferior illis, quantum ad hoc quod eſt in miſeria culpæ & in miſeria pœnæ, cum aliæ creaturæ viſibiles ſint tantum in miſeria pœnæ. Item debitorem temporalis mortis & poſtea æternæ, in quo deterioris conditionis eſt ſerpente uno, vel cane, vel porco, qui tantum debitores ſunt mortis temporalis.

1. Peccatũ in ſcriptura aſſimilatur fermento.

2. (right margin, at "Item debitorem")

3. Opera etiam de genere bonorum multum immutat unum peccatum mortale, auferendo eis valorem ſuum: plus enim valet jejunium unius diei extra mortale peccatum, quam jejunia decem annorum in mortali.
4. Facit etiam ut ſacramentum altaris mors ſit ſumenti, quod debuit ei eſſe vita.
5. Deum etiam, patrem miſericordiarum, in hoſtem capitalem convertit.
6. Et ut breviter dicam Mundum iſtum quodammodo in peccatum homini immutat, facit enim quod & bona & mala hujus mundi cooperentur ei in malum, quæ bonis econtrario cooperantur in bonum. *Vetus* autem ideo dicitur iſtud fermentum, ad oſtendendam ejus malitiam. Oſtenditur enim per hoc fermentum iſtud ejuſdem generis eſſe cum fermento illo quod Luciferum immutavit, & cum illo fermento quod immutavit primos parentes. Fermentum peccati angelum mutavit in diabolum & digniſſimam creaturam in ſanguiſugam. Prov. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes; affer, affer.* Pulcherrimam etiam creaturam fecit turpiſſimam & in tali ſtatu poſuit, ut ei melius eſſet non eſſe, quam eſſe. Unde videtur eam reduxiſſe pluſquam ad nihilum. Hominem etiam ita immutavit ut ſapiant ei mala, & deſipiant bona, niſi per gratiam Dei ad hoc, ſanatus ſit. Vitam hujus mundi in morte convertit, immò ut videtur, in deterius quàm ſit mors, *quia melior eſt mors quam vita amara*, ut legitur, Eccleſiaſt. 30.

Peccatum cur fermẽtum vetus vocetur.

II. Ad non indigne ſumendam Euchariſtiam movere debet.

Tria autem ſunt quæ deberent movere homines ad hoc, ut conarentur ad hoc, ut bene purgati accederent ad hoc ſacramentum. *Primum* eſt *magnitudo periculi*, quod eſt indignè ſumendo. Diabolus enim majorem poteſtatem accipit in eum, qui indignè illud ſumit. Unde Joan. 13 Legitur de buccella & de Juda, quod poſt buccellam intravit in eum ſathanas. Interlin. Ut plenius poſſideret, in quem intraverat, ut deciperet. Et Gloſſa aſſignat cauſam dicens: quia bono malè uſus eſt. Et hæc præſumptio auxit peccatum. Si Diabolus plenius poſſedit Judam, quia buccellam panis præſumpſit ſumere, quæ erat ſimplex panis, non enim tunc accepit corpus Chriſti, quomodo non pleniorem poteſtatem ſuſcipit in eo, qui ipſum corpus Chriſti indigne ſumere præſumit, pleniorem, inquam, prius habita? *Magnitudinem* etiam *periculi* oſtendit Apoſtolus. 1. Corinth. 11. Poſtquam locutus eſt de indigne ſumentibus hoc ſacramentum. *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Ut dicit Gloſſa, febribus infirmi, imbecilles longis invaletudinibus & dormiunt morte corporis. Ideo tempore tali cantat Eccleſia in hymnis. *Ab omni mortis impetu, tuum defende populum.* Ad *periculum* etiam pertinet quod legitur in libro paſchali, quod quicunque indigne communicat, niſi bonitas Chriſti, cujus judicio pendent omnia, gladium ſuſpenderet & temporalem mortem, ut pœniteat, removeret, ab Angelis ad hoc poſitis perimeretur. *Secundum* eſt magnitudo divinæ offenſæ, quæ eſt in indigne ſumendo. Quæ magnitudo ex *duobus* ſpecialiter patet. *Primo* ex hoc quod hoc peccatum in ſacra ſcriptura occiſioni Chriſti comparatur, ſuper 1. ad Corinth. 11. Ubi dicit Apoſtolus. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini.* Gloſſa: Ac ſi Chriſtum occideret, punietur. *Secundo* ex hoc quod indigne ſumentes hoc ſacramentum inferunt contumeliam Deo, non in ſuis, ſed in propria perſona, & non contumeliam verbi, ſed facti. Multum offenditur aliquis princeps, ſi aliquis contumeliã inferat rebus

1. Magnitudo periculi, ut colligitur ex Evangelio de Iuda.

Ex Apoſtolo Paulo.

Ex libro Paſchali.

2. Magnitudo offẽſæ Dei, ut patet.

1. Quia comparatur occiſioni Chriſti.

2. Quia eſt maxima contumelia Dei.

ſubditorum ſuorum , ut ſumendo bovem ſubditi ſui, ſed plus , ſi in ſubdito ſuo , capiendo eum , plus etiam, ſi in præpoſito,plus etiam,ſi in filio ſuo ; plus verò & meritò, ſi in propria perſona. Contumeliam verbi inferunt Deo in propria perſona , qui eum blaſphemant. Sed indigne, aut non communicantes inferunt Deo contumeliam facti.

3. Vtilitas dignæ ſumptionis.

Tertium eſt utilitas quæ ſequitur ex digna ſumptione hujus ſacramenti, quæ innuitur nobis Lucæ 19. Ubi dominus dixit Zachæo, qui eum receperat in hoſpitio , *hodie ſalus domui huic facta eſt*.

III. Accipientes Euchariſtiam purgati ſint.

1. A peccato Erroris.

Quinque autem ſunt à quibus purgari debent eſſe qui ad hoc ſacramentum accedunt. *Primum* eſt *peccatum* erroris , quo peccato multum laborant mulieres , quæ potius credunt Diabolo ſuadenti eis aliquem errorem per vetulam aliquam , quam Deo prohibenti eum per vicarium ſuum , ſcilicet ſacerdotem. In quo aſſimilantur matri ſuæ Evæ,quæ potius credidit Diabolo dicenti , *nequaquam morte moriemini*. Geneſ.3. quam Deo dicenti, *in quocunque die comederis ex eo,morte morieris* Geneſ.2.Unde ſicut mulier prohibita fuit à ligno vitæ , ſic illi qui ſunt in peccato erroris alicujus, ut eſt divinatio & ſimilia , non debent accedere ad ſacramentum altaris, niſi prius pœniteant de tali peccato & propoſitum cavendi habeant.

2. Odii.

Secundum peccatum eſt *odium* quod reddit hominem canem in judicio ſcripturæ. Juxta illud Pſal. 21. *Circumdederunt me canes multi*. Sicut ergo aliquis peccaret multum , qui ſacramentum altaris cani attentaret dare, ſic talis multum peccat , ſi ad altaris ſacramentum accedat , niſi odium remittat. Talis videtur facere contra illud Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus* , cùm lupi & leones non lædant animalia ſui generis , canes tamen pugnant cum canibus , unde ſignificant homines iracundos , fratres ſuos odientes. Poſſunt tamen etiam per canes ſignificari, qui propoſitum habent redeundi ad peccata , juxta illud Prover. 26. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum . ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam*, & 2. Petri 2. *Canis reverſus ad ſuum vomitum , & ſus lota in volutabro luti*.

Hi duo peccatores ſunt ſimiles canibus, cur. Vel relapſus.

3. Luxuriæ Porco ſimilem reddit.

Tertium peccatum eſt peccatum *luxuriæ* , homo enim qui in peccato luxuriæ eſt , quaſi porcus eſt , judicio ſcripturæ. Immò immũditia ſua plus diſplicet quam immunditia porci , porcus enim non eſt habitatio Dei , ſed potius habitatio Diaboli , juxta illud Matth.8. *Si ejicis nos hinc , mitte nos in gregem porcorum*. Sicut ergo porcus ad altare accedere non debet, ſic qui in peccato luxuriæ eſt, non debet accedere ad altare, niſi de eo pœniteat & propoſitum cavendi habeat.

4. Avaritiæ.

Quartum peccatum eſt peccatum *avaritiæ*. Avarum hic intelligimus qui aliquid contra Deum adquiſivit , vel adquireret , ſi oportunitatem haberet , & hoc in animo gerit. Talis peccat ſi ſacramentum iſtud recipiat , ſicuti ſi corpus Chriſti ad terram projiceret:ipſe enim velut terra eſt, immo plus diſplicet Deo immunditia ejus, quàm immunditia terræ. Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt* Sicut lutum,quod fit ex mixtione pluviæ & terræ , immundius eſt quam terra vel pluvia, hoc ſalvo quod pluvia ſecundum ſe immunda non videtur eſſe. Sic anima cum per amorem nimiũ unitur terrenis, valdè immunda redditur. Sapiens. Deterius avaritia vitium nullum eſt. Avarus ergo non debet accedere ad ſacramentum iſtud , niſi de peccato ſuo pœniteat & propoſitũ ſatisfaciẽdi habeat,quod de cætero malè nõ adquirat.

5. Oris duplicis.

Quintum peccatum eſt *peccatum oris*. Ille qui aſſuetus eſt detractionibus, mendaciis, perjuriis & blaſphemiis , crapulæ & ebrietati. Item qui aſſuetus eſt comedere de his quæ furto vel rapina adquiruntur, non debet accedere ad ſacramentum altaris , niſi pœniteat & propoſitum habeat de cætero mundiùs ſervandi os ſuum. Si verò aliter accedat ad hoc ſacramentum, multum peccat , ſicut ille multum peccaret , qui in vaſe ubi immunditia contineri ſolet , nulla præcedente ablutione Corpus Chriſti poneret. Sicut enim corpus Chriſti ponitur in calice , ſic & recipitur in ore. Unde ſicut calix mundiùs ſervatur quam cætera vaſa , ſic & os mundius ſervandum eſt quàm cætera membra. Qui verò hoc non facit , ſic ſe habet , ſicut ſacerdos ſe haberet , qui non majorem reverentiam exhiberet ſuo calici , quam ſcutellis in domo ſua. Et ut breviter dicam, quicunque habet conſcientiã mortalis peccati;ſi corpus Chriſti recipit , ipſe ponit illud , quantum in ſe eſt , in loco abominabili, juxta illud Pſal.13. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Sequitur (ut ſitis nova conſperſio)* Conſperſio dicitur farina mixta cum aqua, *ſicut eſtis azimi* , facti in baptiſmo. Et eſt ſenſus. Expurgate vos à fermento peccati , ut mundi ſitis , ſicut in baptiſmo mundi facti eſtis.

Vno verbo, ab omni peccato Mortali.

IV. Quales eſſe debeant hoc ſacramentum ſumpturi, oſtẽdit hoſtia.

Et Notandum quod hoſtia oſtendit quales debeant eſſe qui ad ſacramẽtum altaris accedunt. Grana enim ex quibus hoſtia facta eſt , primò fuerunt dura,furfure operta,ab invicem diſtincta Ad ſtatum verò , in quo modo ſunt per hunc modum deducta ſunt. Contrita fuit durities eorũ,& in minimas partes redacta ſunt.Mundata ſunt à furfure & ad invicẽ commixta, ſubſecuta eſt irrigatio, & deinde coctio.

1. Contriti & Humiles.

In contritione & in minimas partes diviſione, intelligitur contritio cordis & humiliatio , quæ debent præcedere ſuſceptionem hujus ſacramenti. In mundatione furfuris intelligitur confeſſio. In commixtione cõmunio,quę debet eſſe inter eos,qui hoc ſacramentum ſumunt. Cum enim quando grana erant integra, quæ erant granorũ eſſent diviſa;poſtquam ex granis facta eſt farina,tanta eſt commixtio, ut diſtingui non poſſit quid ſit hujus grani, & quid illius.Fortiorem reddit unionem illam irrigatio,ſolidiorem autem reddit illam ignis decoctio.

Vnionis & dilectionis fidelium inter ſe cauſę.

1. Fraternitas Naturalis.

Et his *tribus* innuuntur nobis *tres* cauſæ unionis , & dilectionis, quæ debet eſſe inter fideles. *Prima* cauſa eſt *fraternitas naturalis* quæ eſt inter omnes homines. Omnes enim ex uno patre & ex una matre carnali deſcendunt,ideò naturaliter debent amare ſe & ſua, ſibi etiam invicem communicare. Sunt qui non credunt ſe magis teneri uni homini , quàm uni cani.

2. Spiritualis.

Secunda cauſa eſt *fraternitas ſpiritualis* , quæ eſt in illis qui aqua baptiſmi irrigati ſunt,ubi filii Dei facti & ex Deo nati tanquam ex Patre, & Eccleſia tanquam ex matre. Ratione cujus generationis pertinet ad eos cœleſtis hæreditas. Unde omnes Chriſtiani debent ſe invicem diligere tanquam fratres & filii Dei.

3. Amor Chriſti.

Tertia cauſa eſt *ignis dilectionis* Chriſti, quem ignem ſpiritualem immittit cordibus noſtris Sacramentum altaris, dum nobis oſtendit amorem, quem ad nos habuit Chriſtus pro nobis in cruce moriendo , quo igne caleſieri debemus ad amandum Chriſtum & omnia membra ejus. Unde Chriſtianos , quos commembra credimus eſſe,amare debemus ſicut membra Chriſti & membra noſtra. Sic ergo hoſtia oſtendit nobis quales debeant eſſe qui ad ſacramentum altaris accedunt. Et qui ſic accedunt non ſolum à Deo reficiuntur, immò ſunt velut panis valde delicatus, quo Deus paſcitur & delectatur juxta illud. 1. Corinth.10. *Vnus panis, unum corpus multi ſumus*.

Tales ſunt panis delicatus Deo, qui.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo hortatur nos , ut caveamus nobis à relapſu in priſtina peccata poſt paſcha , ne Chriſtum rurſus crucifigamus , vendamus &c. Sed exemplum Chriſti pro nobis occiſi & ſanguinis ejus pro nobis effuſi pretium conſiderantes , pro ſanctitate

noſtra conſervanda quædam etiam, quæ ad hoc neceſſaria praſcribit praſſemus. Deinde cùm Chriſtus in Epiſtola, Paſcha, hoc eſt, tranſiens noſter vocetur, recenſet tres tranſitus peccatoribus faciendos, ad quorum difficultates ſuperandas Dei auxiliū imprimis & alia tria nobis neceſſaria ſunt.

SERMO XLVI.

Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

I. Cōtra peccatum poſt ſumptam Eucharistiā relabentiū in peccata.

HOc verbo oſtendit Eccleſia fidelibus quod Chriſtus pro fidelibus occiſus ſit in ſanctificationem hominis. Immolatio enim dicitur occiſio pro ſanctificatione hominis facta, & dicitur hoc verbum ſpecialiter contra recidivantes, ſicut oſtenſum eſt in ſermone præcedenti.

Chriſtum pro ſanctificatione noſtra occiſum eſſe reducitur nobis hoc tempore in memoriā.

Quadruplici autem ratione reducitur nobis ad memoriam quod Chriſtus occiſus ſit pro ſanctificatione hominis. *Primo* ut exemplo ejus armati ſtrenuè pugnemus, potius eligentes occidi quam vinci, unde 1. Petri 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* In tempore Paſchali conflictus belli ſpiritualis major eſt, ideo ſanguis ſtrenui ducis oſtendendus eſt hominibus ad exacuendum eos in prælium, ſicut ſanguis uvæ & mori oſtendebatur elephantibus, ut habetur 1. Mach. 6. Bernardus. In mundo iſto tanquam in ſtadio certaminis poſiti ſumus, ubi Chriſtus poſitus eſt. Quiſquis livorem vel plagam non ſuſcipit, in futuro judicio miles inglorius apparebit. Et ad Heb. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem. ut ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes.*

II. Vt exēplo ducis noſtri confortati, ſtrenue cōtra vitia pugnemus poſt Paſcha.

2. Vt Chriſtū non iterum crucifigamus recidendo in peccatum.

Secundo ut injuriis & contumeliis Chriſti parcamus, & ab eis caveamus, ut non crucifigatur Chriſtus à nobis. Qui recidivat, rurſum Chriſtum crucifigit, rurſum vendit, rurſum poſt oſculum & refectionem cum Domino ſumptam, eum tradit & latronem infernalem ei præponit. Ad *primum* pertinet illud ad Hebr. 6. *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei & oſtentui habentes.*

1. Qui Chriſtum cōncrucifigunt ſpiritualiter.

Peccatum cauſa fuit crucifixionis Chriſti, & quodāmodo Chriſtum crucifigit, unde qui peccatum iterat, quodammodo eum rurſum crucifigit, dum iterat cauſam crucifixionis ſuæ. Unde Magiſter Hugo de ſancto Victore loquens in perſona Chriſti dicit. Tibi ipſi ſerva ſalutem tuam, ego pro illa mortuus ſum. Si illam amiſeris, ego iterum mori non poſſum. Sed nolo ut mihi injuriam facias, quia ſi ſalutem tuam quam morte mea reſtitueram voluntariè peccando amiſeris, quantum in te eſt, iterum me crucifigis, iterum me mori compellis. Item in Pſal. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et Job 16. *Concidit me vulnere ſuper vulnus* Et Notandum quod de *triplici* vulneratione loquitur ſcriptura *Primo* vulneratus eſt vivus vita mortali.

Triplex vulneratio Chriſti.

Hanc fecerunt Judæi dicentes: *crucifige eum. Secundo* vulneratus eſt mortuus, quando unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & hic creditur fuiſſe Gentilis. *Tertio* crucifigunt eum mali Chriſtiani, dum fructum paſſionis ſuæ, ſcilicet ſe ipſos ei auferunt. In *prima* vulneratione tantum ſanguis ex eo exivit. In *ſecunda* verò non tantum ſanguis, ſed etiam aqua præter naturam. In *tertia* verò, cum ipſe ſit impaſſibilis, nihil exit ex eo, ſed ab eo exibit mors æterna, quod quaſi contra naturam ejus videtur eſſe cum ipſe ſit vita, & ab eo qui mitiſſimus eſt, furor procedat. *Ignis enim in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* Pſal. 49. Chriſtum verò *vendit* qui recidivat, quando pro momentanea delectatione eum amittit, vel quando pro modica pecunia ab eo recedit, ſicut accidit in peccatoribus, qui pro denario uno perjurant, & in fatuis mulieribus, quæ pro quatuor denariis animam dant Diabolo & corpus leccatori, quale forum non facerent de ſotularibus ſuis, ſi eſſent novi.

2. Chriſtum qui vendūt.

Item qui recidivat, poſt oſculum & refectionem Chriſtum hoſtibus ſuis tradit, quando poſtquam oſculatus eſt crucem in paraſceve, & in die paſchæ acceſſit ad corpus Chriſti, Diabolum in ſe intrare permittit, & ſic quantum eſt in ſe, Chriſtum quem ſuſceperat, ei exponit.

3. Qui eum tradant.

Item quaſi Barrabam Chriſto præponit quando ab hoſpitio cordis ſui Chriſtum expellit & Diabolum ibi per peccatum recipit.

4. Qui Barrabā ei præponant.

Tertio ut ſanctitatem Chriſti ſanguine comparatam diligenter cuſtodiamus, & inquinari multum timeamus: ſicut aliquis diligenter cuſtodiret ſanguinem Chriſti, ſi haberet eum in vaſe aliquo ſub propria ſpecie, ſic diligenter debemus cuſtodire ſanctitatem noſtram pretio ſanguinis Chriſti adquiſitam. Et ſicut non parum peccaret qui ſanguinem Chriſti voluntariè in lutum projiceret, ſic non parum peccat, qui voluntarie facit, propter quod ſanctitatem ſuam amittit. Multum timenda eſſet inquinatio illa, quæ tollenda fuit ſanguine Chriſti, & quæ modo tolli non poteſt, niſi cum aqua cœleſti. Tota enim aqua materialis quæ in mundo iſto eſt, non poſſet auferre maculam unius mortalis. Immo neceſſaria eſt ad hoc gratia Dei, ideò Chriſtus pro inquinationibus noſtris mori voluit, ut potius timeamus inquinari quàm mori.

3. Vt ſanctitatē Chriſti ſanguine nobis partā diligenter ſeu Chriſti ſanguinem cuſtodiamus.

Quarto ut nos attendentes quid pro ſanctitate noſtra Dominus gloriæ fecerit, ſtudeamus etiam aliquid pro ea facere. *Septies* creditur Chriſtus effudiſſe ſanguinem ſuum pro ſanctitate noſtra. *Primo* in circumciſione. *Secundo* in agone, quando ſudor ejus factus eſt quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *Tertio* in flagellatione ad columnam, unde columna illa adhuc veſtigia ſanguinis oſtendit. *Quarto* dicitur effudiſſe ſanguinem ſuum quando coronatus eſt ſpinis. *Quinto* in crucifixione. *Sexto* in lateris apertione. *Ter* etiam Dominus flevit pro noſtra ſanctitate. Flevit enim ſuper civitatem Hieruſalem, flevit etiam ad ſepulchrum Lazari, & flevit in agone. De quo fletu legitur ad Hebr. 5. *Preces, ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Aliquibus tamen videtur quod lachrymas iſtas Dominus protulerit in cruce, cum Beatus Bernardus dicat cum ibi fleviſſe. Sed ſive in agonia, ſive in cruce fleverit, hoc tamen conſtat quod tempore paſſionis flevit. Unde ſi Chriſtus tot & tanta fecit pro ſanctitate noſtra adquirenda, nos etiam debemus aliqua facere pro ipſa conſervanda, quia,

4. Vt aliquid pro noſtra ſanctitate faciamus, videntes quæ Chriſtus pro eā fecerit. Chriſtus ſepties effudit ſanguinem pro nobis. Luc. 22. Chriſtus ter flevit pro ſanctitate noſtra.

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Et præcipuè neceſſarium eſt Paſchali tempore, quando valdè de facili amittitur.

Notandum quod ſex ſunt neceſſaria ei qui vult ſanctitatem ſuam cuſtodire in Paſchali tempore. *Primum* eſt *frequens oratio.* Frequenter enim orandus eſt qui dedit ſanctitatem, ut eam conſervet, citò enim bonum amittitur, niſi à largiente cuſtodiatur, ut dicit Gregorius. Et Pſal. 126. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Quia venti tentationem multum inſurgunt tempore tali, frequenter oportet dicere Domino: *Domine, ſalva nos, perimus.* Matth. 8. Et quia hoſtes validius impugnant, ideò ferventius eſt implorandum divinum auxilium. Ex quo patet, quod fatue agant illi, qui orationes, quas in Quadrageſima dicebant, paſchali tempore dimittunt.

II. Volenti cōſervare ſanctitatem ſuam tempore paſchæ neceſſaria ſunt. 1. Oratio frequens.

Secundū eſt *vitatio pravæ ſocietatis*, quia, *qui tetigerit picē, inquinabitur ab ea*, ut legitur Eccl. 13. & Prov. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Qui evaſit in Quadrageſima à carcere Diaboli, fugere debet quantum poteſt & carcerem, & diabolum, & familiam diaboli, ne in carcerem reducatur. Et qui in

2. Vitatio pravæ ſocietatis.

paradiſum vult ire, non debet ſe ponere in ſocietate eorum qui tendunt in infernum, ſicut qui contagium lepræ timet, quantum poteſt, debet vitare conſortium leproſorum. *Tertium* eſt *frequens confeſſio*, confeſſio enim & pulchritudo ſpiritualis concomitantur ſe juxta illud. Pſalm. 95. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* Non poteſt homo habere manus ſuas mundas diu, niſi eas abluat, & qui volunt habere ſotulares pulchros, frequenter tergunt. *Quartum* eſt *frequens auditus verbi divini.* Tria genera hominum non poſſunt eſſe diu ſine ſumptione cibi ſine gravamine magno, ſcilicet pueri, & qui de novo ex magna infirmitate convaluerunt, & itinerantes. Illi verò qui in Quadrageſima pœnituerunt poſt Paſcha his modis ſe habent. Sunt quaſi modo geniti infantes & ex infirmitate graviſsima convaluerunt, nempe ex infirmitate animæ quæ gravior eſt quam corporis, & viam paradiſi ingreſſi ſunt, quæ valde longa eſt. Unde de cibo ſpirituali, ſcilicet verbo Dei multum indigent tunc. Unde ſuper illud Matth. 15. *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via*, dicit Gloſſa: perit qui ſine cœleſti pane ad pœnitentiam tendit, & in Pſal. 106. *Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* Item Pſal. 10. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* *Quintum* eſt *largitio eleemoſynarum.* Quando bellum periculoſum imminet, tunc magis ſunt neceſſarii ſtipendiarii. Stipendiarios noſtros facimus pauperes, quibus damus eleemoſynas, quod paſchali ſemper faciendum eſt, cum bellum ſpirituale magis eſt periculoſum. Legitur Eccleſ. 17. de eleemoſyna, quod *gratiam quaſi pupillam conſervabit.* *Sextum* eſt *diſciplina vel jejunij, vel alterius corporalis afflictionis.* Sicut vinum abſinthiacum tunc præcipuè ad reprehenſionem cholerici humoris ſumitur, quando præcipuè cholerici humores abundant, ut in æſtate. Sic caro vel jejunando, vel alio modo reprimenda eſt, quando carnalia deſideria magis abundant. Tunc carnes quæ debent ſervari præcipuè debent ſale condiri & corpora mortuorum myrrha inungi, quando tempus magis aptum eſt corruptioni, & putrefactioni. Unde in æſtate non eſt abjicienda myrrha pœnitentiæ ei, qui non vult quod corpus ſuum putrefiat putredine Luxuriæ. Unde fatue agunt qui in Quadrageſima ſex diebus in ſeptimana jejunabant, & poſt Paſcha non poſſunt jejunare ſemel in ſeptimana, quaſi Paſcha fecerit eos contractos & impotentes. Vel non videtur tales curare de ſua putrefactione. Vel dicere videntur, ex quo eſt æſtas bene ſervabitur caro ſine ſale, quod magna ſimplicitas eſt. Proverb. 15. *Qui abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam.* Non de facili ſervatur homo ſine myrrha vel ſale diſciplinæ in æſtate, niſi forſitan in balſamo ſacræ ſcripturæ totus ſit immerſus. De hoc balſamo legitur Eccleſ. 24. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.*

Frequens Confeſſio.

4. Frequens auditio verbi Dei.

Pœnitentes poſt paſcha quibus ſunt ſimiles,

5. Largitio Eleemoſynæ.

6. Caſtigatio corporis.

Etiam poſt Paſcha jejunandum.

III. Sequitur videre quare Chriſtus dicatur *Paſcha noſtrum.* Notandum eſt ergo quod hoc nomen Paſcha interpretatur tranſitus. Chriſtus ergo Paſcha noſtrum eſt, id eſt tranſitus noſter, quia cauſa eſt tranſitus noſtri, ab ipſo enim adjuti loca periculoſa tranſimus. Tres autem tranſitus neceſſe habet facere peccator, quos nullo modo poteſt facere niſi à Chriſto juvetur. *Primus* eſt trãſitus à ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ. *Secundus* tranſitus eſt de virtute in virtutem, per deſertum pœnitentiæ. *Tertius* eſt tranſitus à ſtatu gratiæ ad ſtatum gloriæ, per torrentem mortis. Qui facturus eſt primum Tranſitum multum poteſt timere, & poteſt eſſe triplex cauſa ſui timoris. *Prima* eſt, quod per ſe non poteſt tranſire. *Secunda* eſt hoc, quod ſi non tranſit, neceſſe habet perire, cum ſit quaſi in manibus inimicorum ſuorum. *Tertia* eſt quod illi per quem ſolum poteſt tranſire, adeò eſt inimicus ipſius, quod jam gladium habet evaginatũ ſuper caput ejus. Ad *primum* facit illud quod dicit Interlin. ſuper illud Matth. 19. *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Impoſſibile eſt, inquit, ut per ſe à cupiditatibus ſuis convertatur. Ad idem facit illud Eccleſiaſtæ 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Magnum Chaos inter ſtatum peccatoris & ſtatum gratiæ firmamentum eſt quod ſolus Deus diſſolvere poteſt, Chaos illud eſt peccatum mortale, quod ſolus Deus poteſt diſſolvere, vel remittere: unde Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Sicut cœli exaltantur à terra, ſic ſtatus gratiæ exaltatus eſt à ſtatu culpæ, unde niſi divina virtute non fit tranſitus de ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ. Status culpæ eſt velut ad portam inferni, ſtatus verò gratiæ velut ad portam paradiſi, & ſicut nulla pura creatura poteſt creare ſe, ita nec creata à morte ſpirituali ſuſcitare ſe. Ad *ſecundum* pertinet quod in Baruch 3. legitur, *quid eſt Iſrael quod in terra inimicorum eſt*, &c. Ad *tertium* pertinet illud Joan. 3. *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et illud Pſalm. 7. *Gladium ſuum vibrabit*, &c. Juſtitia Dei gladium evaginatum habet ſuper caput peccatoris. Secaret eum mediũ ut pars ejus putreſieret in terra, & pars in ignẽ infernalem poneretur, niſi miſericordia gladiũ retentaret. Unde qui in ſtatu culpæ eſt, neceſſe habet ſimiliter Deo dicere. *Opera manuum tuarum ne deſpicias.* Pſal. 137.
Adhærere debet Deo quantum poteſt, ut dextera Dei eum ſuſcipiat & ad ſe trahat, juxta illud Pſal. 62. *Adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.* Iſte ſtatus periculoſus peccatoris oſtenſus eſt nobis. Exod. 14. Ubi filii Iſraël habuerunt ex una parte Ægyptios perſequentes eos, & ex altera parte mare. Ubi ſic legitur: *Levantes filii Iſraël oculos, viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valde.* Quam citò aliquis peccatum mortale committit, ipſe efficitur in ſimili ſtatu. Mare enim, id eſt, amaritudinem conſcientiæ remordentis & amaritudinem mortis æternæ habet ex una parte, & ex alia parte Pharaonem infernalem perſequentem eum, & evadere non poteſt niſi ſpiritus domini bonus flaverit, qui amaritudinem conſcientiæ remordentis & pœnæ infernalis ei cedere faciat, remittendo ei culpam & obligationem pœnæ æternæ, & amaritudinem contritionis ſuper Pharaonem infernalem & exercitum vitiorum convertat, ut ibi ſubmergantur. Tranſitus etiam per deſertum pœnitentiæ valdè periculoſus eſt. Periculum iſtud probat tranſeuntium raritas & pereuntium multitudo. Pauci ſunt qui verè pœniteant. Sed pauciores ſunt qui ad peccata poſt pœnitentiam non redeant, melius enim eſſet veritatem non cognoviſſe, quam poſt agnitam retrorſum converti, 2. Petr. 2. & Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* *Quinque* verò timenda ſunt in tranſitu iſto, quæ in his figurata ſunt, quæ filios Iſraël vexaverunt tranſeuntes per deſertum. *Primum* eſt error qui multum vexavit filios Iſraël, qui cum volebant procedere, retrocedebant hoc faciente errore. Idem accidit hodie multis, ſicut hæreticis & mulieribus ſortilegis. *Secundum* fuit aquæ defectus. *Tertium* faſtidium mannæ. *Quartum* bellum hoſtium. *Quintum* morſus ſerpentum, ſic multum vexantur hi qui tranſeunt per deſertum pœnitentiæ quadam ariditate ſpirituali, ex qua ſequitur faſtidium bonorum. Vexat etiam eos perſecutio hominum & inſidiæ dæmonum, qui per ſerpentes intelliguntur. Attendendum verò eſt, quod nullus eorum, qui à viginti annis & ſupra numerati ſunt, intravit terram promiſſionis, juxta verbum Domini, Numer. 14. præter

Chriſtus dicitur Paſcha noſtrũ, id eſt, tranſitus noſter ob tres trãſitus cum ipſius ope faciendos peccatoribus.

1. Tres habet difficultates quantas.

Filii Iſraël figura hujus ſtatus & tranſitus.

1. Quinque habet difficultates in filiis Iſraël ſignatas.

præter Joſue & Calep, ſed parvuli intraverunt. Sic pauci, qui tardè convertuntur, proficiunt de virtute in virtutem, vel perſeverant. Multum etiam timere poteſt qui torrentem mortis debet
1. Sex habet pericula. Tranſire, & poſſunt eſſe ſex cauſæ hujus timoris. *Prima* eſt quod, tranſibit ſolus, nullus enim amicorum vult homini facere ſocietatem in iſto tranſitu. *Secunda* eſt quod exibit nudus juxta illud. Job. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ & nudus revertar illuc.* *Tertia* eſt quod hoſtes eum ſequuntur, ſcilicet mala opera quæ per pœnitentiam non ſunt deleta, juxta illud. Apoc. 14. *Opera illorum ſequuntur illos.* *Quarta* eſt, quod hoſtes eum exſpectant, ſcilicet dæmones. Unde legitur beatú Martinum dixiſſe Diabolo exſpectanti tranſitum ſuum. Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil funeſti in me reperies. *Quinta* eſt quod tranſibit ad regionem ſibi ignotam. *Sexta* quod tot & tantas contumelias intulit ei, qui ſolus potuit eum liberare. Tranſitus iſte ſignatus fuit in tranſitu Jordanis. Jordanis enim qui defluit in mare mortuum, ſignificat torrentem mortis, qui ad mortem æternam homines mittit, niſi divinâ virtute liberentur. Jordanis Dei virtute ceſſit filiis Iſraël ut tranſirent ad terram promiſſionis. Sic per torrentem mortis, boni ad gloriam perducuntur. Et Notandum quod *tria* ſunt neceſſaria quæ pertinent ad hos tres tranſitus. *Primum* eſt devotio & reverentia, quæ exhibentur crucifixo & cruci in Paraſceve, eò quòd per crucifixum à ſtatu culpæ tranſierimus ad ſtatum gratiæ, in quo tranſitu velut pons crux fuit. Iſte etiam tranſitus quotidie fit per crucem pœnitentiæ, tanquam per pontem. Nec alius modus tranſeundi eſt alicui adulto. Ideo multum amanda eſt crux pœnitentiæ, cujus ſignum eſt oſculum, quod cruci datur in Paraſceve. *Secundum* eſt ſumptio Dominici corporis in die Paſchæ. Hoc enim ſignum eſt, quod Chriſti auxilium neceſſarium eſt eis ad pertranſeundum deſertum pœnitentiæ. *Tertium* eſt ſumptio Dominici corporis in infirmitate periculoſa. Hoc enim ſignum eſt quod Chriſti protectio ſit ei neceſſaria. Et qui dignè recipit, ſecurus eſſe poteſt, ſecundum illud. Pſal. 22. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala &c.* Qui verò indignè ſumit non à Chriſto protegitur, ſed potius ab eo dæmonibus traditur. Si quis verò pro aliquo horum tranſituum Chriſto ſerviret centum annis, non nimis eſſet.

Præfiguratus fuit in tranſitu Jordanis Filiorum Iſrael.

Ad hos tranſitus neceſſaria ſunt. 1.

DE EADEM.
SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo ponit quinque I. quibus ad tollendam indignationem moveat eos, qui ob eam in paſchate non communicant. II. invitat nos ad communicandum, & quomodo bene communicandum ſit, tradit.

SERMO XLVII. Thema invitat nos ad ſumendam Euchariſtiam.

Itaque epulemur non in fermento veteri &c.

IN verbo iſto invitat nos Eccleſia ad eſcam Angelorum, de qua Sap. 16. *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum.* In Pſal. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* De hoc cibo poteſt intelligi, illud Eccleſiaſtici 36. *Eſt cibus cibo melior.* Cibus iſte, cibus animæ eſt, non corporis. Si verò quæras quare Dominus voluit ſumi à fidelibus ſub ſpecie panis. Reſpondeo ad oſtendendum, quod ſicut vita corporalis ſuſtentari non ſolet abſque pane, ſic vita ſpiritualis ſine ipſo non ſuſtentatur in præſenti. Joan. *Qui manducat me & ipſe vivet propter me.* Item ſicut panis talis eſt ſine admixtione furfuris, & eſt cibus infaſtidibilis, ſic ipſe erit jucunditas noſtra in futuro infaſtidibilis abſque admixtione triſtitiæ.

Cur Euchariſtia ſub ſpecie panis ſit inſtituta.

Specialiter autem dicitur illud verbum (*epulemur*) contra eos qui propter ſuam indignationem in die paſchæ non communicant, & de indignatione ſua non dolent, qui tamen multum deberent dolere. Et ſunt *quinque* quæ debent & poſſunt eis eſſe cauſa doloris.

III. Contra peccatum non communicantium in paſchate ob ſuam indignationem, quam tollere nolunt.

Primum eſt hoc quia vel Chriſtus vel Barrabas infernalis erit in hoſpitio eorum, quamdiu in peccato erunt mortali, propter quod Chriſtum ſuſcipere non poterunt, Diabolus erit in eis. Et ſatis infelices videntur eſſe qui ad modum Judæorum Barrabam Chriſto præeligunt, & per totum annũ Diabolum in hoſpitio ſuo habent, Deo verò nec ſemel in anno hoſpitium parare volunt. Mors bene invenit locum per quem intret in eos, vita verò non. *Secundum* eſt intentio, propter quam ipſi dimittunt accedere ad menſam Domini, quia talis voluntatem habet committendi proditionem, ideo non vult habere cum Domino fidem, nec vult ad menſam ejus accedere, unde poſſet dolere cum in ſtatu proditionis ſe conſiderat. *Tertium* eſt hoc, quod videt ſe eſſe ut canem, qui ſolebat eſſe filius. De hoc laudabilis eſt, quod cùm ipſe ſit canis, ad menſam filiorum accedere non præſumit, juxta illud Marci 7. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus* ad manducandum. De hoc multum poteſt dolere quod de filio, canis effectus eſt. *Quartum* eſt quod ipſe non facit illud, quod Dominus receſſurus à diſcipulis ſuis reliquit eis tanquam memoriale ſui amoris dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Quintum* eſt conſtitutio Eccleſiæ, quæ dicit quod quilibet poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſaltem ſemel in anno confiteatur omnia peccata ſua & ſuſcipiat reverenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de conſilio proprii ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.

Et Notandum quod cibus iſte ad quem invitamur caro eſt. Caro verò quia non ſolum ſapida eſt, ſed etiam ſapor aliorum ciborum, non ſolet comedi ſola, ideo Apoſtolus determinat cum quibus debeat cibus iſte ſumi, quoniam non cum fermento peccati, ſed cum azimis. Quare autem peccatum vetus fermentum dicatur, dictum eſt prius in ſermone illo: *Expurgate vetus fermentum.* Diſtinguit autem Apoſtolus *duplex* fermentum, *malitiam* ſcilicet & *nequitiam*. Et eſt malitia pronitas ad malum, nequitia verò ſterilitas ad bonum. Nequitia enim ſecundum Auguſtinum dicitur, eò, quod nec quicquam ſit. Et ab his duobus debet eſſe immunis qui accedit ad ſacramentum iſtud: à malitia, per propoſitum cavendi ab omni mortali: & nequitia, per propoſitum Deo ſerviendi. Non enim ſufficit mala relinquere, niſi homo ſtudeat & bona agere, quia ſola inutilitas reddit ſervos Dei damnabiles. Matth. 25. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores*, & Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, & Matth. 21. Maledixit dominus ficulneæ fructum non ferenti. Similiter diſtinguit Apoſtolus *duo* genera *azimorum*, ſcilicet *ſinceritatem* à vitiis, & *veritatem* bonorum operum. A quibus autem vitiis ſincerum oportet eum eſſe, qui corpus Chriſti ſumit, vide in ſermone primo hujus Dominicæ. Sinceritas vero iſta velut quidam cibus eſt, quo Deum delectas. Cum enim ipſe non ſolum purus ſit, ſed ipſa puritas, cibus ejus eſt purus. Cantic. 2. Qui paſcitur inter lilia. Multa etiam bona præcedere debent ſumptionem hujus ſacramenti, *jejunia* ſcilicet & *orationes* & *eleemoſynæ*. Unde bonum eſſet quod ille, qui debet communicare, diceret in corde ſuo: Domine ſicut ego debeo

Cibus Euchariſtiæ id paſchate ſumendus qualis ſit.

Sumendus non cum fermento. Fermentum duplex malitiæ & nequitiæ, quid ſint.

Sumendũs cum azimis item duobus, quid ſint.

A Communicantibus bona opera facienda, quæ.

Digitized by Google

comedere ad menſam tuam, ſic ego volo quod hodie tu in membris tuis comedas ad meam; & quod illa die haberet tres pauperes ad menſam ſuam, vel ſeptem, vel novem, juxta facultatem ſuam.

Sacram. Altaris cujus rei figura ſit.

Et notandum quod ejus rei figura eſt Sacramentum Altaris, cujus rei figura fuit agnus paſchalis, quem Dominus immolari præcepit, quando filios Iſraël à ſervitute Ægypti liberavit. Utrumque enim ſignificat paſſionem Chriſti, ſed agnus paſchalis ſignificat eam jam præteritam. Cibi verò illi cum quibus Dominus præcepit ut agnus paſchalis comederetur, ſignificant cibos illos ſpirituales, cum quibus Sacramentum illud ſumendum eſt. De hoc ſic legitur. Exod. 12. *Septem diebus azima comedetis*, &c.

Agni Paſchalis comeſtio figura eſt comeſtionis Euchariſticæ.

DOMINICA PRIMA POST FESTUM PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone agitur de Fide. I. qualis eſſe debeat virtus Fidei. II. explicatur Symbolum Fidei Apoſtolicum, interſerendo moralia.

SERMO XLVIII.

Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum. *1. Joann. 5.*

I. Exemplo Chriſti & Eccleſiæ hoc tempore concionandum de Fide.

SIcut Chriſtus à die Reſurrectionis uſque ad Aſcenſionem multoties apparuit Diſcipulis ſuis ad fidei inſtructionem & commendationem, ſic qui habent docere populum Dei, intendere debent ad fidei inſtructionem, & commendationem. Et hoc facit Eccleſia tam in hodierno Evangelio quam in Epiſtola. In Evangelio fides inſtruitur, cùm oſtenditur, quod Dominus venerit ad Diſcipulos jannis clauſis. In hoc enim innuitur una de dotibus corporis poſt reſurrectionem, ſubtilitas ſcilicet. Confirmatur fides, ubi oſtenditur quod Dominus Thomæ oſtendit loca vulnerum. Fides commendatur, cum dicitur, Joan. 20. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti. Beati qui non viderunt & crediderunt* In Epiſtola verò fides inſtruitur, cùm dicitur, *Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Oſtenditur enim quod anima, quæ ſpiritualiter reſurrexit, à mundo iſto non vincitur. Nativitas enim quæ eſt ex Deo, de qua ibi eſt ſermo, ſpiritualis generatio eſt. Commendatur verò fides, cum dicitur *hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Confirmatur, quando de multiplici teſtimonio ſubditur, quo veritas divinæ & humanæ naturæ in Chriſto oſtenditur. Nos ergo exemplo Eccleſiæ de fide locuturi, *primo* de unitate eſſentiæ & trinitate perſonarum aliquid tangemus, *deinde* qualem velit Chriſtus eſſe fidem noſtram, oſtendemus. De *primo*

De Fide duo hoc ſermone tractantur.

1\. verò nullus debet dubitare, licet ſupra rationem ſit, cùm diſcipulus ille quem Jeſus dilexit, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, qui profundius cæteris cæleſtia novit myſteria, ita plane hic dicat: *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* Et Dominus. Joan 10. *Ego & pater unum ſumus.* Multa etiam ſimilia Trinitati inveniuntur in creaturis, licet non omnino ſimilia. Umbra enim non omnino eſt ſimilis corpori, nec veſtigium pedi. Exemplum Trinitatis habemus in igne, in quo invenies ſpeciem, lucem & calorem Item in anima, in qua invenies potentiam, quæ ad Patrem pertinet; ſapientiam, quæ ad Filium: & bonitatem vel voluntatem, quæ ad Spiritum ſanctum. Magnitudo creaturarum, & pulchritudo & utilitas ad Trinitatem pertinet. In magnitudine Dei Patris potentia; in pulchritudine, Filii ſapientia: in utilitate, Spiritus ſancti benignitas apparet. Item in corpore humano invenies vitam, ſenſum, & motum, quæ etiam ad Trinitatem perſonarum

Signa Trinitatis in creaturis.

2\.

poſſunt referri. Et *notandum* quod fides eſſe debet *ſimplex*, ut homo ſic credat, ſicut ſcriptura dicit eſſe credendum. Nec mirum eſt ſi ſimiliter credi oporteat, cùm etiam de parentibus carnalibus non poſſit haberi cognitio, niſi per fidem, ſicut dicit Auguſtinus: & Hilarius. Soli Deo de ſe credendum eſt, qui ſe ſolus novit. *Item* fides debet eſſe *viva*. Tunc perpenditur quod arbor ſit viva, ſi floreat & frondeat, & faciat fructum. Sic etiam fides, viva eſt ſi floreat per firmum propoſitum ſerviendi Deo, ſi etiam frondeat, ut cum loquitur, loquatur quaſi ſermones Dei, & fructum bonorum operum faciat, alioquin mortua eſt. Jac. 2. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Bernardus. Quid eſt fides non operans ex dilectione niſi cadaver exanime. Malè honoras Deum munere fœtido. Debet etiam fides eſſe magna, & attenditur hæc magnitudo in *quatuor*. *Primo* in hoc ut homo bona tranſitoria contemnat intuitu æternorum. Unde ad Hebr. 11. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum imperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.* *Secundo* in hoc ut homo in adverſis de Deo confidat, unde Matth. 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti? *Tertio* in hoc, ut homo ad longam credentiam Deo bona ſua tradat. Magni enim principes longam credentiam requirunt. Iſa. 38 *Qui crediderit, non feſtinet.* Et Prov. 20. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit.* Et Eccleſ. 20. *Hodie fœneratur quis, & cras expetit, odibilis eſt homo hujuſmodi.* *Quarto* in hoc, ut cum homo aliquid petit à Deo, & non ſtatim accipit, non propter hoc à propoſito deſiſtat. Unde Matth. 15. dictum eſt mulieri in oratione inſtanti, *O mulier magna eſt fides tua*, &c. Item fides debet eſſe integra, ut omnes articuli fidei credantur. Sunt autem in tribus locis articuli fidei collecti, ſcilicet in Symbolo Apoſtolorum, quod dicitur ſubmiſſe, & in alio, quod dicitur in Miſſa, quod eſt Nicenæ Synodi, & in illo quod ad Primam cantatur. *Quicunque vult*, &c. Primum factum fuit ad inſtructionem Eccleſiæ, quæ novella erat; aliud hæreſibus ortis, ad explanationem primi & quarundã hæreſum ortarum, & maximè contra illam quæ dicebat orationem Spiritui ſancto non eſſe tribuendam, unde contrariũ multũ exprimitur in illo Symbolo. Aliud factum eſt contra hæreſes & maximè contra illas quæ erant contra incarnationẽ Filii & reſurrectionẽ mortuorum. Primum ſubmiſſe ideò dicitur, quia quando factum fuit, non ita publice fiebat proteſtatio fidei; alia duo alta voce dicuntur, quia facta fuerunt contra proclamationes hæreticorum, & quia tunc erat publicæ fidei teſtatio. Dicitur autem primum Symbolum ad Primam & ad Completorium, quarum horarum altera, ſcilicet prima, principium eſt diei, alia noctis, ſcilicet Completorium. Primo ad oſtendendum quod ille, cujus fidem profitemur, eſt principium & finis Secundum propter hoc, quia fidei profeſſio valet ad effugandum dæmones, qui diurnis & nocturnis actibus inſidiantur. Et eiſdem horis à laïcis, & eadem ratione dicendum eſt. Simili ratione dicitur à religioſis, quando aliquis inter eos moritur, ſcilicet ad dæmones effugandos.

1\. Fides ſit ſimplex. Sit viva. Sit magna. 1. 2. 3. 4. Sit integra. Notabilia quædam de tribus Symbolis Fidei.

Dimiſſis majoribus duobus ſymbolis volumus de Symbolo Apoſtolorum loqui in quo ſunt duodecim Articuli, ſecundum numerum Apoſtolorum, à quibus compoſitum eſt. Primus articulus pertinet ad Patrem, ſex ad Filium. Unus ad Filium pertinet ſecundum Deitatem, quinque ſecundum humanitatem, & quinque ultimi pertinẽt ad Spiritum ſanctum. Primus eſt. *Credo in Deum Patrem omnipotentem*

Symboli Apoſtolici diviſio.

potentem

potentem, &c. Et *notandum* quod non eſt idem credere Deo, & credere in Deum. *Deo credit*, qui credit vera eſſe, quæ ab eo dicuntur, & ſecundú hunc modum poſſumus dicere quod aliquis credit Petro, Paulo, Jacobo. *In Deum* verò *credere* eſt, credendo diligere & credendo in eú ire. Ergo cum aliquis dicit: *Credo in Deum*, ſenſus eſt, fide tendo in Deum, quia cum credo ſummè bonú, ſummè diligo eum, & ſic corde tendo in eum. Credit verus & fidelis Chriſtianus omnes veras delicias in Deo eſſe tépore tali, & quod omnes delitiæ quæ in mundo ſunt, minus ſunt reſpectu delitiarum, quæ in ipſo ſunt, quam ſit una gutta aquæ reſpectu totius maris, ideò operibus ſuis tendit ad eú. Etiam ſi neceſſe eſſet, per medios enſes in eú tenderet, & nullú vinculum terreni amoris detinere poſſunt eum. Unde Bernardus. Quid eſt quod non optamus etiam per medios enſes ſi oporteat tantá declinare miſeriá & ad tantam accelerare gloriá, niſi quod mortua eſt fides noſtra. Ex quo poteſt, quod ille mentitur, qui in peccato mortali eſt, quando dicit, *credo in Deum*, ſi illud intendat in propria perſona dicere. Aliud eſt ſi intendat illud dicere in perſona Eccleſiæ & fidé Eccleſiæ profiteri. Ad declarationé verò hujus verbi additur in Symbolo Sanctorum hoc verbum (*unum*) cum dicitur, *credo in unum Deum*. *Notandum* autem, quod hoc, quod hic ſequitur, *Patrem omnipotentem*, valde eſt verbum dulce homini fideli, magna enim ſpes datur in verbo illo. Patri enim non poteſt deeſſe bona voluntas ad filios, præcipuè cum ſecundum Apoſtolú ipſe ſit pater miſericordiarum & ſecundum verbum Iſa. 49. minus obliviſcatur filiorum ſuorum, quam mater carnalis. Sic enim ait: *Nunquid poteſt mulier obliviſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Cum autem omnipotés ſit non poteſt ei deeſſe poteſtas non implendi boná voluntatem, quam habet ad filios. Cótra hoc verbum peccare vidétur qui derelicto Deo adhærerent diabolo, credentes ſe fame mori ſi Deo ſervirent. Videntur enim credere quod diabolus vel majoris poteſtatis ſit ad providendú eis qui ſibi ſerviunt, quá Deus. *Omnipotentia* verò Dei in tribus attenditur. *Primo* in hoc, quod ipſe ſibi ſufficit ad faciendú quod vult, nó indigens aliquo auxilio. *Secundo* in hoc, quod nó poteſt ab aliquo prohiberi, ei enim militat omne quod obſtat. *Tertio* in hoc, quod poteſt facere omne quod vult. *Omnia enim quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Pſal 134. Sequitur, *creatorem cæli & terræ*, Creare eſt de nihilo aliquid facere. Alij artifices materia indigent ad hoc quod aliquid faciant, Dominus verò non. Ad declarandú verò hoc verbú dicitur in Symbolo ſanctorum, *factorem cæli* uſque ad *inviſibilium*. Expreſſio autem iſta facta eſt contra hæreſim illam, quæ dicit viſibilia eſſe à principe tenebrarú, inviſibilia verò à Deo. Quæ hæreſis odibilis eſt Deo & hominibus, Deo, quia dominiú ejus diminuit, dum viſibilia ejus dominio ſubtrahit. Hominibus, quia contumeliam eis facit, dú ex parte, ex qua viſibiles ſunt, vili ſervituti diaboli eos ſubjicit. Non ſolum hominibus facit contumeliam, immo omnibus viſibilibus creaturis, unde omnes debent eam odio habere.

Deo credere quis dicatur.

Credere in Deum quid ſit.

Peccator mortalis quomodo in Deum credat, & non.

Verbú Patrem omnipotentem, ſpem excitat, cur.

Deus eſt ōmnipotés ob tria.

Creare quid ſit.

Hæreſis cōtra creationem.

Art. II.

Secundus articulus eſt, *In Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum Dominum noſtrum*, &c. Sēſus eſt *Credo*, &c. ideſt, fide tendo in Jeſum Chriſtum, quia fidem habeo de ipſo, quod ipſe ſit Jeſus, ideſt ſalvator eorum, qui ei adhærent & ideo ei adhæreo, vel quia fidem habeo, quod ipſe ſit Chriſtus, ideſt, unctus & benignus, ideo ei adhæreo Bernardus. Omnino propter manſuetudinem quæ prædicatur in te, currimus poſt te Domine Jeſu, audiétes quod pauperes non ſpernas, peccatores non horreas, &c. Vel quia credo quod ſit filius ejus, cui ſervire honor eſt, non dedecus. In hoc enim quod filius Dei dicitur, inſinuatur quod ipſe ſit Deus: ſicut enim filius hominis homo eſt & non alterius ſpeciei, ſic neceſſario filius Dei, Deus eſt. Item adhæreo ei, quia credo eum eſſe unicum Dominú noſtrum. Ipſe eſt Dominus mundi duplici ratione, ſcilicet jure creationis, quia cum patre & ſpiritu ſancto mundum creavit, & jure redemptionis, quia eum perditum ſanguine ſuo redemit. Contra hoc peccare vidétur, qui dominari volunt, & etiam qui contra voluntatem ejus terrenis dominis obediunt, ipſe enim eſt unicus Dominus *qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Ille ſolus pro Domino habendus eſt qui hominem reſſuſcitare poteſt, ſi in ejus ſervitio mortuus fuerit. Libenter ſequitur miles dominum illum, à quo ſperat equum ſuú ſibi emendari, ſi in ejus ſervitio eum amiſerit. Et oſtenduntur in hoc articulo de illo domino, cui ſervire debeamus ea, quæ in domino ſolent requiri. *Primo* ſapientia, in eo quod ſalvator dicitur. Sapiens enim rex ſalvat populú ſuum ſicut Eccleſiaſt. 10. de inſipiente dictum eſt. *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* *Secundo* oſtenditur ejus benignitas, cum Chriſtus unctus vocatur filius Dei, in quo etiam innuitur poteſtas remunerandi eos qui ſibi ſerviunt. *Ultimo* oſtenditur quod legitimus & de jure Dominus ſit, econtrario diabolus perditor eorum eſt, qui ſibi ſerviunt, crudelem tyrannidem exercens in eos. Cui ſervire eſt viliſſimum, qui de ſuo in nullo poteſt remunerare ſervientes ſibi, nullo jure habens dominium in homine.

Chriſtus cur ſit Dominus noſter.

Pſal. 67.

Chriſtus habet quæ ad Dominum ſpectant.

1.

2.

3.

Art. III.

Primus verò inter quinque articulos pertinentes ad filij humanitatem eſt hic, *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine*, Chriſtus conceptus eſt de Spiritu ſancto, id eſt, operatione Spiritus ſancti. Quia Spiritus ſanctus ſeparavit à beata Virgine quod puriſſimum erat in ea, & amplius, depurans illud, inde formavit corpus Chriſti, & in inſtanti, animam infudit, ut tam citò eſſet verus homo & verus Deus. Non fuit ita in eo ſicut in aliis hominibus, quorum corpora organizantur & circa quadrageſimum diem anima dicitur ibi infundi, immò tam citò fuit ibi anima, juxta illud Hierem. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* In conceptione culpa caruit, in nativitate, ſcilicet ſua, matri ſuæ damnum virginitatis non intulit, nec ei doloris cauſa fuit. Manſit mater ejus virgo poſt partum, & ſine dolore eum peperit. In quo dedit exemplum filiis, ut erga matres ſuas benignè ſe habeant, ut eas non depauperent, nec ſint eis cauſa doloris. Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.* *Præterea* debent filii accipere exemplum in Chriſto, ut benignè ſe habeant ad matres ſuas in hoc, quod cùm eſſet in cruce inter tot & tantos dolores proprios, matris ſuæ curam habuit, & Joanni eam commendavit. Præterea tantum honorem facit ei ab Eccleſia exhiberi, ut multi ſint, qui majorem devotionem ad eam videantur habere, quàm ad Chriſtum. *Secundus* inter articulos humanitatis eſt, *paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.* Diligenter ergo attendere debet fidelis quanta pro eo paſſus ſit flagella, ſputa, opprobria, & ſimilia, & hoc ſub Pontio Pilato, qui Saracenus erat, vel vilis perſona, indignus etiam pane & vita. Peccator enim, ſecundum Auguſtinum, indignus eſt pane quo veſcitur, & ſecundum Gregorium, indignus eſt etiam vita. Deinde verò crucifixus eſt, quod erat viliſſimú genus tormentorú. In cruce verò perſeveravit uſque ad morté, ut & tua cruce pœnitentiæ ad ſuggeſtioné diaboli non deſcendas. Deinde verò ſepultus eſt, non erat tamen ei neceſſaria

Chriſtus dedit exemplum honorádi matres dupliciter.

Art. IV.

ſepultura propter illam cauſā, propter quā alia corpora ſepeliuntur, ne ſcilicet eorū fœtore corrūpantur homines, cum corpus ipſius non eſſet dandum corruptioni, juxta illud Pſal. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionē.* Ipſe tamen etiā in hoc voluit aſsimilari fratribus ſuis. *Tertius* inter articulos illos eſt, *deſcendit ad inferna.* Et hoc ſecundum animam, ut extraheret eos qui ibi detinebātur. Et attēde perverſitatem hominis, qui non vult Chriſtū ſequi in cœlū, cum Chriſtus eum ſecutus ſit in infernum Oſeæ. 13. *Ero mors tua, ô mors.* Et ibid. *Occurram eis quaſi urſa &c.* *Quartus* eſt, *Reſurrexit à mortuis*, ſi Chriſtus mortuus ſua virtute ſurrexit, veriſimile eſt, quod ipſe jam vivens mortuos ſuſcitare poſsit. *Quintus* eſt, *Aſcendit ad cœlos &c.* In quo attende quod ſi Chriſtus aſcendit ad cœlū, illi poſt eum aſcendent, qui ei per amorē adhærent. Veriſimile eſt quod in eodem hoſpitio membra recipiantur, in quo & corpus receptū eſt. Dicitur autem Chriſtus ſedere ad dexterā patris ſecundum divinitatem, quia patri æqualis; ſecundum vero quod homo, dicitur ſedere ad dexterā patris, quia potiſsimis bonis patris fruitur. Potiſſimo modo ibi debet adipiſci & aſpici à fidelibus per veram fidem, ut in tribulationibus de ejus adjutorio ſperent & de ſervitio quod ei exhibent, à Deo mercedem exſpectent. Sic enim legitur Actor. 7. de Stephano cū lapidatio ei immineret, quod intēdens in cœlū vidit gloriam Dei & ait: *Ecce video cœlos apertos &c.* *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*, id eſt, bonos & malos, vel illos qui in advētu ſuo vivi reperientur, qui in momento morientur & reſurgēt, & illos qui prius erāt mortui. In quo etiam magna fiducia datur fidelibus, cum frater eorū ſecundū carnem judicaturus ſit eos, quia *pater non judicat quemquā, ſed omne judiciū dedit filio.* Joa. 5. Bern. Puto quod ſpernere me non poſsit, os ex oſsibus meis & caro de carne mea.

Artic. VI.

Artic. VII.

Artic. VIII.

Primus vero inter quinq; articulos qui ad ſpiritū ſanctū pertinent hic eſt, *Credo in ſpiritū ſanctū, ſanctā Eccleſiā Catholicā*, & ex plana ſicut prius, *credo in ſpiritū ſanctū.* Propter fidē enim quam habeo de ſpiritu ſācto, quod ipſe ſit valde bonus & valde ſuavis in quibus habitat, præparo ego me ad hoc, ut ſim habitaculū ejus. Sap. 12. *O quā bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus.* Unde bonus & neceſſarius eſt ſpiritus ſanctus in homine recto, ſicut ſpiritus qui attrahitur ad refrigeriū ne ſuffocetur. Pſ. 118. *Os meū aperui & attraxi ſpiritū.* Item ſicut ſpiritus rationalis neceſſarius eſt corpori ut idē vivificet, ſi autē auferatur ſpiritus, in pulverē corpus revertitur, ſic ſe habet ſpiritus ſāctus ad animā. Pſ. 103. Auferes ſpiritū eorū & deficiēt & in pulverē ſuū revertentur. Valde etiam ſuavis eſt ſpiritus ſanctus illi in quo eſt, juxta illud Eccl. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Ad ſpiritū ſanctum tria pertinent in præſenti & duo in futuro. Cum enim ipſe ſit bonitas, ad eum pertinet deſtructio malitiæ, bonitas enim cōtraria eſt malitiæ, unde ad eum pertinet ſanctificatio, *ſanctā Eccleſiā Catholicā.* Et pertinent ad eundē articulū hæc duo, *ſpiritū ſanctū, ſanctam Eccleſiā Catholicam.* Credere enim debemus quod ſpiritus ſanctus ipſe ſit Deus, & quod Eccleſia ſancta ſit ab eo. Item ad ſpiritū ſanctum pertinet, *ſanctorum cōmunio*, id eſt, unio mēbrorū in corpore Eccleſiæ & ad caput & ad invicē, ſicut ſpiritus hominis in corpore humano membra unit, cujus unionis ſignum eſt ſacramentū Dominici corporis. *Item* ad ſpiritum ſanctum pertinet communio quam habent ſancti ad invicē in hoc, quod ſunt ſocii in lucro. Quod tangit David dicens. Pſ. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua.* In cōmunione ergo ſanctorum tria intelligimus: ſacramentum communionis, unionē miſtici corporis quod eſt Eccleſia, cōmunionem ſanctæ ſocietatis, quod quilibet, qui eſt de Eccleſia, verè partem habet in omnibus bonis, quæ fiunt in Eccleſia, per quā viam aliquis de facili ducatur ad proximorum dilectionē. Ad quam etiam cōmunionē ſequi debet cōmunicatio tam bonorū quam malorum tēporalium, ut mala proximorū nobis aſſumamus per cōpaſſionem, & bona noſtra eis cōmunicemus per eleemoſynarū largitionē. Item ad ſpiritū ſanctum pertinet remiſſio offenſionū, cum ipſe ſit benignitas, ad quod pertinet tertius articulus, *peccatorum remiſſionem.* Credere enim debemus quod peccata remittuntur in Eccleſia per Baptiſmum & pœnitentiam & alia ſacramenta. Nec ſolū ſemel peccata remittit ſpiritus ſanctus homini, ſed quotieſcūq; aliquis verè pœnitet. Ad bonitatem etiam ſancti ſpiritus pertinet remuneratio tam in corpore quā in anima. Ad remunerationem corporis pertinet quartus articulus, *carnis reſurrectionem.* Ad remunerationem animæ quintus, *vitam æternam.* Qui carnis reſurrectionē credit fideliter, non timet miſerū corpus expendere in ſervitio Chriſti, ex quo ſperat ſe recepturū ipſum cum quadruplici gloria claritatis, impaſſibilitatis, ſubtilitatis & agilitatis. *Item* qui fidem habet de vita æterna, ſolicitus debet eſſe, quo modo illi provideat. Si cum tanta ſolicitudine providet homo miſer vitæ, de qua nemo certus eſt per diē, quanta ſolicitudo debet eſſe providēdi illi vitæ, de qua certus eſt, quod erit æterna. Ibi nec locus erit mendicandi, uti in divite epulone & in fatuis virginibus, nec locus laborandi, nec aliquid mutuo accipiendi. In vita autem iſta vix eſt aliquis, cujus paupertati non conſulatur aliquo iſtorū trium modorum. Ibi verò, qui ſibi non providerit, egeſtatem æternam patietur, ita ut nec guttam aquæ modicā poſſit habere. Bernardus. O anima mea domum habes, ſed citò caſura eſt domus tua, & niſi tibi provideris, ventis & pluviæ exponeris.

Ad ſpiritum ſanctum ſpectant quinque ſequentia in Symbolo ſecur.

Artic. IX.

Communio SS. quadruplex.

Artic. X.

Artic. XI. & XII.

Providendū vitæ æternæ, quare.

Luc. 16. Matth. 25.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit. I. quomodo Mundus impugnet & quomodo à nobis vincatur. II. aliquot Fidei effectus explicat.

SERMO XLIX.

Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.

Bernardus. Poſtquā unigenitus Dei filius hominis dignatus eſt filius fieri, & habitu inventus eſt ut homo, non immeritò jam de cœleſti generatione exiguitas humana præſumit. neque indignū eſt Deo eorum patrem fieri, quorū ſe Chriſtus fecit fratrem. Hæc parentela vel filiatio Dei, ſūma nobilitas eſt, de qua beatus Joannes, qui præ ceteris ſanctis adoptionē filiorum Dei cōmendat, in Epiſtola hodierna loquitur dicens: *Omne quod natū eſt &c.* Unigenitū Dei odit mundus iſte, cum ipſe in mundo apparuit & perſecutus eſt eum mundus, ſed ab eo devictus eſt, ſic filios Dei adhuc mundus perſequitur & odit. Joan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Et prius. *Mementote ſermonis, quem ego dixi vobis, non eſt ſervus major domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Sed ſicut unigenitus Dei mundū vicit, ſic & fratres ejus mundum vincunt. Joan. 16. *Confidite, ego vici mundū.* Et hoc eſt quod dicit Joannes in verbo propoſito. *Omne quod natū eſt &c.* Et Notandum quod filii Dei *dupliciter* vincunt mundum, id eſt, mundi tranſitoria bona, alii eum ſubjiciendo, alii verò abjiciendo. *Primo* vincunt mundū, qui in mundo remanentes terrena ſibi ſubjiciunt & dominantes eis, quodāmodo ſe faciunt altiores, & ad impugnandū inimicū potentiores. Faciunt enim inde largas eleemoſynas, qui modus pugnandi valde efficax eſt ad impugnandum diabolum. Unde ſuper illum locū Pſal. 143. *Miſericordia mea & refugium meum*, dicit Auguſtinus

I. Chriſtū & Chriſtianos odit & perſequitur Mūdus, ſed vincitur ab eis.

Chriſtiani dupliciter vincunt Mundum. 1.

Auguſtinus. De nulla re ſic vincitur diabolus, ſicut de miſericordia: & Eccleſ. 19. *Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit.* Econtrario cupidi & avari non ſibi terrena ſubjiciunt, ſed potius ſe terrenis ad modũ talpæ ſuper humeros ſuos ponentes terram quam fodiunt, ipſi enim quaſi ſuper humeros ſuos ponunt ea quæ malè adquirunt, & ſic ſe vivos ſepeliunt. *Secundo* modo vincunt mundũ, qui rebus mundi pro amore Chriſti renunciant, qui ad modũ luctantium ſe terrenis ſpoliãt, ne diabolus habẽs, quo eos teneat, dejiciat & devincat. Sequitur, *hac eſt victoria qua vincit mundum, fides noſtra.* Per fidẽ habitat Chriſtus in cordibus fideliũ, à quo eſt victoria. Job 17. *Pone me domine juxta te, & cujuſvis manus pugnet cõtra me,* Quoties temporalibus reſiſtis, toties vincis malignum. Noli propriis tribuere viribus, noli in te, ſed magis in Domino gloriari, quomodo enim fortis ille armatus tuæ cedet infirmitati?

II. Effectus
1 Intelligere facit peccati immunditiam, ut à Deo mundemur.

Et notandum quod fides hominem mundum facit, mundum vincit, Deo gratum hominem efficit, & diabolo reſiſtit. De *primo* Actor. 15. *Fide purificans corda eorum.* Fides intelligere facit, quanta ſit immunditia peccati, qua intellecta homo à peccato recedit, *recedere* enim *à malo intelligentia eſt.* Job 28. Intelligentia cauſa eſt, quod aliquis recedit à malo. Qui perfecte intelligeret, quanta ſit immũditia peccati, potius eligeret eſſe in luto uſque ad pectus, quàm in mortali peccato De *ſecundo* habetur in verbo propoſito, *hac eſt victoria, qua vincit mundum*, id eſt, ea quæ in mundo ſunt, ſcilicet delitias, divitias & honores. Delitias vincit dum oſtendit corpus noſtrum latronem eſſe morti condemnatum de quo patet, quod non decent eum delitiæ. Seneca Omnes capitali ſententiâ condemnati ſumus. Eccleſiaſtici 33. *Servo malevolo tortura & compedes.* Divitias vincit, dum oſtendit eas in muſcipula eſſe diaboli. Auguſtinus. Præda quam vis rapere, in muſcipula eſt Tenes alienum, & teneris à diabolo. Honores vero vincit, dum oſtendit eos eſſe illuſiones. Unde Bernardus. Omnis purpura illuſionis eſt, per quam Domino illuſum eſt. Fides etiã vitia hujus mundi vincit, alia aqua lachrymarum ſubmergendo, alia igne infernali exurendo, alia vero fame jejuniorum & aliis afflictionibus effugando.

2. Vincit mũdi delicias, divitias, honores, vitia.

Facit placere Deo.

De *tertio* verò notandũ, quod fides valde placet Deo, eſt enim primũ obſequium & primum ſacrificiũ gratum, quod homo Deo facit. Unde Hierem. 5. *Domine oculi tui reſpiciunt fidem.* Reſpiciũt, inquam, ſicut illud, quod multum ei placet, ubi enim amor, ibi oculus. Adeò enim fides placet Deo quod ſine ipſa impoſſibile eſt placere Deo. Unde falluntur illi, qui hæreticos bonos reputant, quia vident eos vel multum jejunare, vel eleemoſynas dare. Quaſi non poſſent habere os ſanum & animã infirmam, vel manũ ſanam & oculum infirmum vel cæcũ, quod accidit in talibus. Os ſanum habet homo abſtinens, manũ ſanam habet eleemoſynarius, cum nihil prohibet tales habere oculos cæcos per infidelitatem. Quandoque aliquis currit velociter, nec tamen pervenit ad locum ad quem tendit, quia error impedit eum. Sic accidit in hæreticis. Auguſtinus ſuper illud Ro. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem*, &c. Bona opera ante fidẽ inania ſunt. Ita enim mihi videtur eſſe ut magnæ vires & curſus celerrimi præter viam. Talia opera ſimilia ſunt pomis, quæ creſcunt in arboribus, quæ ſunt circa mare mortuũ, quæ ante maturitatem ſunt viridia, matura verò inciſſa, favillã intus habent; ſic in talibus operibus, quæ bona modo intelliguntur, ignis infernalis poſt hanc vitam invenietur, erunt enim materia ipſius. Fides eſt propitiatoriũ ſuper arcam Eccleſiæ, quin extra fidẽ non eſt propitiatio vel peccatorum remiſſio.

Hæretici ſine fide facientes opera bona quales ſint.

4. Reſiſtit diabolo.

De *quarto* habes 1. Petr. 5. *Sobrij eſtote,* uſque, *cui reſiſtite fortes in fide* Fides eſt ſapientia illa quam malitia non vincit, attingit enim fides à fine cogitationis uſque ad finẽ operis, vel à primo virtutum uſque ad ultimum reſiſtens diabolo. Fides eſt ſcutum, de quo ad Epheſ. ult. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Et hoc ſcutum eſt triangulum. Primus angulus eſt fides de pœnis æternis, ſecundus *de bonis* æternis, tertius eſt fides de labore Chriſti. De quo Thren. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Et de hoc ſubditur in Epiſtola hodierna. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt filius Dei.* Quod intelligendũ eſt de illo, qui credit fide viva. De fide verò mortua dicit Bernardus. Nec mirũ videri poteſt ſi nequaquã vincit fides, quæ nec vivit. Fides mortua proprie nõ videtur eſſe fides. Bernardus. Putaſne filium Dei reputat, Jeſum ille homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attragitur promiſſionibus, nec præceptis obtẽperat, nec conſiliis adquieſcit? nonne aſſimilatur his, qui ſi fateantur ſe noſſe Deum, factis tamen negant?

Fides eſt ſcutum, quale.

Fides viva hic intelligenda, non mortua.

Fides mortua qualis ſit.

III. Mundus impugnat nos proſperitate & adverſitate. Vincitur fide Chriſti.

Et notandũ quod mundus quaſi duabus manibus nobiſcũ pugnat, ſcilicet dextera proſperitatis & ſiniſtra adverſitatis, proſperis ſcilicet alliciens & adverſis terrenis. Quem ille vincit, qui credit quod Chriſtus eſt filius Dei. Quia qui credit hoc, cùm filius Dei ſit ſummè bonus & beatus, novit quoniã in ipſo non fuit defectus veri boni, non præſentia veri mali. Unde cùm in eo tẽporalis proſperitas defuerit & adverſitas affuerit, cognoſcere poteſt quod tẽporalis proſperitas non eſt verum bonũ, nec temporalis adverſitas verum malũ. Auguſtinus. Omnia bona terrena contẽpſit Chriſtus homo, ut contemnenda monſtraret: & omnia terrena mala ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur infœlicitas. De *pramio* verò eorũ qui victores exiſtunt ſatis habetur in Apoc. 2. c. *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vita.* Et poſt. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vita.* Item. *Qui vicerit, non ladetur à morte ſecunda.*

Victorum præmium, quod.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Docet ſermo ſequens I. *cur memoria paſſionis Dominica tempore paſchali pra aliis temporibus habenda ſit.* II. *Cur ſub umbram arboris Crucis Chriſti confugiendum ſit tam hoc, quàm aliis temporibus*

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exẽplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. *Petr.* 2.

SERMO. I.

I. Memoria Dominicæ Paſſionis habenda fidelibus omni tempore.

NOtandum, Paſſionem Chriſti memorandã eſſe fidelibus omni tempore. Hoc enim Dominus docuit diſcipulos ſuos, quãdo in brevi erat receſſurus ab eis, ut magis memoriæ eorũ infigeretur. Luc. 62. *Hoc facite in meam cõmemorationem.* 1. Cor. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Specialiter Paſchali aliquot ob cauſas.

Specialiter autem memorãda eſt Paſchali tempore
Unde Dominus poſt reſurrectionẽ ſpiritualiter ap-
parens diſcipulis ſuis loca vulnerũ ſuorum oſtendit.
Joan. 20. Et Luc. 24. Tali etiã tempore facit Eccleſia 1.
memoriã de Cruce, & celebratur inventio Crucis. In 2.
principio etiam Epiſtolæ hodiernæ, paſſio nobis ad
memoriã reducitur. Tunc armari potius debent ho- 3.
mines quando bellũ eſt periculoſius. Paſchali verò
tempore bellum ſpirituale periculoſius eſt, & ideo 4.
memoria Dominicæ Paſſionis, quæ multũ valet, fi-
delibus ad munitionẽ aſſumenda eſt 1. Petr. 4. *Chriſto igitur paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Thren. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Item quando tempus magis facit ad putrefactionem, tunc myrrha, vel ſal, vel aliud à putrefactione conſervans magis neceſſariũ eſt. Conſervans à putrefactione ſpirituali eſt memoria Dominicæ paſſio-

nis. Cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* In æſtate etiam quando cholerici humores magis abundant, ſpecialiter neceſſarium eſt abſynthium ad choleræ repreſſionem, ſic ad repreſſionem ardoris ſpiritualis neceſſaria eſt amaritudo Dominicæ Paſſionis. Item quando tempus calidius eſt, umbræ gratiores ſunt. Tēpore ergo paſchali quādo æſtuant homines æſtu libidinis, neceſſaria eſt eis umbra Dominicæ crucis. Cant. 2. *Sub umbra illius, quem deſideraverā, ſedi &c.*

Notandum quod Chriſtus lignum vitæ eſt Pro-
II. Sub umbrā arboris Crucis cōfugiendum quinque de cauſis.
verb. 3. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* Loquitur de ſapientia increata, quæ eſt filius Dei. Solet autem aliquis attendere ad aliquam arborem *quinque* de cauſis. Quandoque, ut ad umbram arboris pulchritudinem ſuam ſervet, ut mulieres faciunt, quæ timent candorem ſuum obſcurari. Quandoque verò quia videret homo ſe nimio æſtu gravari. Quandoque ut protegatur à pluvia. Quandoque propter laſſitudinem, ut ibi quieſcat. Quandoque ut de fructu arboris ſe reficiat. Eiſdem de cauſis ad iſtam arborem accedere debes. Propter *primam* cauſam accedit, qui Do-
1. minicam paſſionem ad hoc recolit, ut pulchritudinem ſuam appendat ex pretio Dominici ſanguinis, ne pulchritudo ſua ſibi vileſcat, pertractans, in mente ſcilicet, quam carè Chriſtus pulchritudinem ſuam emit. Apoc. 1. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Geneſ. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam.* Hoc fit quotidie, quando in ſanguine ſuo, qui eſt in ſpecie vini in altari, lavat Eccleſiam, quæ ad ornatum & honorem Chriſti facit, propter quod ſtola vel veſtis ejus dicitur. Qui ſanguinem domini in calice haberet, multum diligenter eum cuſtodiret, & valde reus eſſet ſi eum projiceret. Sic valde reus eſt, qui pulchritudinem ſanguine Chriſti comparatam, per negligentiam amittit. *De hac umbra* legitur Thren. 4. *Chriſtus dominus captus eſt in peccatis*
2. *noſtris, cui diximus: in umbra tua vivemus in gentibus.* Si æſtus nimiæ adverſitatis aliquem gravat, attendere debet ad Chriſtum, ut paſſionem ejus recogitet. Bernardus. Videntes anguſtias Domini noſtri, levius veſtras portabitis. Gregorius. Si paſſio Domini noſtri ad memoriam revocetur, nihil adeò durum eſt, quod non æquo animo toleretur. In Pſal. 90. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi.* Tunc Chriſtus alicujus ſcapulis obumbrat, quando ipſe conſiderans ea quæ pro eo portavit, pro Chriſto etiam aliqua gravia libenter portat. *Item*
3. ſi pluvia tentationum aliquem gravat, recurrat ad memoriam Dominicæ paſſionis. Hanc enim multum timet Diabolus, quia ibi devictus eſt. In Pſal. eod. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Veritas Dei patris eſt Chriſtus. *Item* Pſal. 56. *In*
4. *umbra alarum tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas.* Bernardus. Bona & deſiderabilis umbra ſub alis Jeſu, ubi tutum fugientibus refugium, gratum feſſis refrigerium. Si enim ſentis te aliquo labore in ſervitio Chriſti gravatum, recurre ad memoriam Dominicæ paſſionis, ibi enim accenditur homo ad amorem Dei. Amor enim neſcit eſſe otioſus, operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt. Videbatur Jacob labor parvus quem pro Rachele ſuſtinebat, cum eſſet magnus, præ magnitudine amoris. Sic eis qui verè amant Chriſtum, facilis eſt labor, quem pro eo ſuſtinent, & per hunc modum ſub arbore vitæ quieſcitur. *Ad arborem* verò iſtam ac-
5. cedit tanquam refecturus ſe de fructu ejus, qui conſiderata Dominicæ paſſionis virtute in ſe reflectit, ſcilicet humilitatem, manſuetudinem, patientiam, charitatem & pietatem. Specialiter enim dedit nobis Chriſtus exemplum harum virtutum in paſſione. Cantic. 7. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus ejus.*

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Refert hic ſermo I. quatuor modos, quibus Chriſtus paſſus eſt, & etiamnum patitur. II. tres modos ſequendi ipſum recenſet. SERMO LI.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis &c.

CAuſas quare paſſio Domini ad memoriam reducatur invenies in ſermone illo. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* De Paſsione etiam Dominica invenies in ſermonibus illius Epiſtolæ. *Quicunque baptizati ſumus.* Et in illo ſermone.
I. Chriſtus paſſus eſt & patitur multipliciter.
Tradidi vobis in primis &c. Et in illa Epiſtola. *Hoc ſentite in vobis.* Circa verbum verò propoſitum primò attendendum eſt, quod non dicit Petrus quæ & quanta Chriſtus paſſus ſit pro nobis; quia quaſi inexplicabile eſt. Paſſus eſt quidem Chriſtus multa pro nobis & multa etiam quotidie à nobis patitur. Multa etiam patitur inter nos in membris ſuis. Multum etiam oneroſos patitur nos ipſos
1. Paſſus eſt pro nobis, imitemur ergo eum. Paſſionem Chriſti aggravavit.
& portat. *Primum*, ſcilicet quia multa paſſus eſt pro nobis, deberemus & nos deſiderare ut aliquid pateremur pro eo. David Pſal. 115 *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Multa verò ſunt quæ Chriſti paſsionem aggravarunt. *Primum*
1. eſt perſonæ patientis ſublimitas. Major eſt contumelia quæ infertur militi, quam quæ ruſtico, & ſi inferatur comiti, tunc etiam major erit; ſi regi,
2. tunc longè major; ſi in infinitum majori, tunc in infinitū major, ut videtur. *Secundo* aggravavit paſ-
3. ſionem hoc, quod pro indignis paſſus eſt. 1. Petr. 3. *Mortuus eſt juſtus pro injuſtis. Tertio* quod ab indi-
4. gnis multa paſſus eſt. Job 16. *Manibus impiorum me*
5. *tradidit. Quarto* quod cū latronibus paſſus eſt. Iſa. 53. *Et cum ſceleratis reputatus eſt. Quinto* quia ſine cauſa, unde ſubditur, in hac Epiſtola, *qui peccatum non fecit &c.* Ethicus.

Ex vitiis leviter quidquid patiare ferendum eſt.
6. *Quæ venit indignè pœna dolenda fuit.*

Sexto quia ab illis, qui debebant eſſe ejus amici.
2. Patitur à nobis, ergo parcamus ei.
In Pſal. 54. *Si inimicus meus male dixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* Ab his verò, quæ nunc Chriſtus à nobis patitur, bene parcendum eſſet ei. Bene deberet nobis ſufficere quod tot & tanta pro nobis paſſus eſt, non deberemus dolorem addere ſuper dolorem. Pſal. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Ad Hebr. 6. *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filiū Dei & oſtentui haben-*
3. Patitur in ſuis membris, ergo compatiamur ei.
tes. Rurſus Chriſtum crucifigunt quantum in ſe eſt, qui ad peccata ſua redeunt. Ab illis verò quæ Chriſtus patitur in membris ſuis deberemus compati ei, ſicut & ipſe compaſſus eſt nobis. Matth. 25. *Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Patiente uno membro in corpore Eccleſiæ, cetera membra compati debent 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unū membrū, compatiuntur omnia membra.*
4. Patitur & portat nos igitur parcamus ei.
Ab eo etiam quod Chriſtus patitur nos oneroſos portando & ad pœnitentiam exſpectando, debemus ei parcere. Peccator enim, quantum in ſe eſt, multum gravat eum, qui ita diu ab eo portatur, unde Iſa. 1. *Laboravi ſuſtinens.* & Hierem. 15. *Laboravi rogans.* Iterum. 23. *Vos eſtis mihi onus, projiciam quippe vos.* Paſſus eſt Chriſtus pro omnibus nobis & majoribus & minoribus, vobis minoribus relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius, ſicut nos majores jam ſequimur.

II. Tres modi ſequendi Chriſtum.
Et Notandū quod *tripliciter* ſolet aliquis aliquid ſequi. Quandoque veſtigiis paſſuum, quandoque veſtigiis odoris, quandoque veſtigiis ſanguinis.
1. Incipientiū.
Primo modo ſequuntur Chriſtum incipientes, qui cavent ab inimicitiis proximi & inſtant operi-

bus miſericordiæ. Univerſæ enim viæ domini miſericordia & veritas. Mich. 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum & quid Dominus requirat à te, utique facere judicium & diligere miſericordiam.* Job. 23. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus.* Secundo modo ſequuntur eum proficientes, quos jam incipit delectare odor exempli Chriſti & odor præmii æterni. Cantic. 1. *In odorem unguentorum tuorum &c.* Geneſ. 27. *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni.* 2. Corinth. 2. *Deo gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Hunc odorem multi non ſentiunt Job. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes.* Tertio modo ſequuntur Chriſtum perfecti, qui deſiderant mori pro Chriſto, ſicut pro eis Chriſtus mortuus eſt, qui à carcere corporis cupiunt liberari. Roman. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Solebant multi Chriſti veſtigia ſequi, ſed hodie veſtigia ejus propter aquas divitiarum & delitiarum multis non apparent. In Pſalm. 76. *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.*

Pſal. 14. — 2. Proficientium. — 3. Perfectorum.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

SERMO PRIMVS.

Summarium.

Sermo iſte docet quare à carnalibus deſideriis, maximè luxuria abſtinendum, & quomodo iis reſiſtendum ſit.

Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam. *1. Petr 2.*

SERMO LII. Primæ Tertiæ Dominicæ poſt Paſcha quid & qua connexione tractent.

IN Epiſtola primæ Dominicæ poſt Paſcha inſtruxit Eccleſia filios ſuos circa fidem, quæ de mundo iſto victoriam habet. Sed quia mundus pugnat contra filios Dei quaſi utraque manu dextera ſcilicet proſperitatis & ſiniſtra adverſitatis, ideo in Epiſtola ſecundæ Dominicæ docuit eos vincere mundum, quantum ad adverſitatem, quaſi tradens eis ſcutum quo ſe protegant, ſcilicet Chriſti paſſionem dicens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis &c.* In Epiſtola verò hodierna docet vincere, quantum ad proſperitatem dicens. *Obſecro vos tanquam advenas &c.* In quo verbo innuitur *triplex ratio* quare à carnalibus deſideriis ſit abſtinendum. *Prima ratio* eſt, quia in mundo iſto poſiti ſumus non ad vivendum delicatè, ſed potius ad pœnitentiam agendam. Non enim Dominus hominem de paradiſo ejecit ut hic paradiſum faceret, ſed ut potius eſſet hic quaſi in exilio, ſed multi neſciunt quare in exilio iſto poſiti ſunt. Auguſtinus. Neſcimus quo fine claudimur in exilio iſto. Poſuit dominus hominem in mundo quaſi in carcere in quo torqueatur, ſed tamen in quadam libertate, ut agat pœnitentiam, ſi voluerit: ſed in futuro qui pœnitentiam nolunt hic agere, ponet in carcere infernali, ut velint nolint puniantur, & pœna tali, quæ eis non proderit. Hæc ratio inſinuatur, cùm dicitur: *tanquam advenas.* Advena enim dicitur, qui venit aliunde, & nos in primis parentibus noſtris de loco voluptatis venimus ad locum hujus exilii. *Secunda ratio* eſt, quia ad locum delitiarum tendimus, ſcilicet ad cœlum, ubi verè ſatiabimur delitiis. David Pſalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Fatuus viator vult bibere ad omnem aquam, quam in via invenit, ex quo accidit jam quandoque quod infirmitatem ad mortem incurrit, & cœnam delicatam ſibi paratam amittit. Quandoque etiam cibos quos ſumpſerat cum verecundia evomit. Eccleſiaſtici 26. dicitur de tali viatore. *Viator ſitiens ad fontem, os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit.* Delitiæ hujus mundi ſe habent ſicut uvæ maturæ, auferentes illis qui eis utuntur vinum æternæ jucunditatis. Hæc ratio innuitur, cum dicitur: *& peregrinos.* Peregrini enim ſunt qui de loco ad locum tendunt. In Pſal. 38. *Advena ego ſum apud te & peregrinus &c.* Hebr. ult. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Viri ſancti ſcientes ſe invitatos eſſe ad cœnam æternam, in mane præſentis vitæ parum comedunt. *Tertia ratio* eſt, quia ea quæ caro deſiderat, noxia ſunt animæ, de qua ſubditur. (*Quæ militant adverſus animam.*) Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* De hac materia vide Epiſtolam. *Debitores ſumus non carni.* Unde Seneca. Voluptates inter res viliſſimas præcipue extirpa, quæ more latronum in hoc nos amplectuntur, ut jugulent.

I. A carnalibus deſideriis abſtinendum. — 1. — 2. — 3.

Et Notandum quod inter voluptates quas caro deſiderat, ſpecialiter timenda eſt voluptas, quæ ad peccatum luxuriæ pertinet & præcipuè in æſtivo tempore, calido enim tempore infirmitates valde abundant. Unde de hoc peccato ſpecialiter notandum eſt, quod *tribus* de cauſis debet homo abſtinere ab hac voluptate. *Prima* quia ipſa eſt quaſi incluſa inter duas amaritudines. Præcedit enim amaritudo appetitus & multarum moleſtiarum, quæ ſunt in procurando peccato. Sequitur etiam amaritudo pœnitentiæ quædam. Unde Hieronymus. *Appetitus fornicationis, anxietas; ſatietas vero pœnitentia.* Valde leccator eſt, qui mel inter ſpinas lingit & nucleum comedit ſub amaritudine corticis: ſic valde intemperatus eſt, quem non cohibet ab hac voluptate, quod per amaritudinem terminatur. De hac materia vide tractatum de luxuria in principio. *Secundo* abſtinendum eſt ab hac voluptate, quia valde brevis eſt, pœna verò valde longa: momentaneum enim eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Valde modica eſt eſca qua Diabolus capit homines in hoc peccato. Ferrum verò valde magnum, quia pœna æterna. Qui piſcis unquam ita viliter captus eſt, ſicut illi qui hac voluptate capiuntur. Cavet piſcis hamum, ſi hamus eſcam excedat. Eccleſiaſtæ 9. *Sicut piſces capiuntur hamo & ſicut aves comprehenduntur laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo.* *Tertio* deberent homines abſtinere ab hac voluptate, quia valde vilis eſt & valde care conſtat, damno enim regni cœleſtis emitur. Bernardus. Væ, væ, væ, vapor eſt ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod univerſitatis ſcientia fraudat, quod ſummæ privat dignitatis honore. Quàm autem hæc voluptas vilis ſit, innuit erubeſcentia, quæ eſt ibi, & vilitas membrorum, quorum eſt voluptas, & inquinatio corporis ſequens eam & fœtor. De his quatuor vide tractatum de Luxuria primo cap.

II. A peccato Luxuriæ maximè abſtinendum ob tres cauſas. — 1. — 2. — 3.

Et Notandum quod quando anima ſentit carnalia deſideria, quæ militant adverſus eam, anima etiam debet militare adverſus carnem, eam diſciplinando, vel aliam moleſtiam ei inferendo. De hoc *exemplum* habemus in beato Benedicto, de quo narrat Gregorius in Dialogo, quod cùm quadam die ſolus eſſet, Diabolus in ſpecie merulæ volavit, juxta ipſum, ita ut manu capi poſſet, & facto ſigno crucis evanuit, & ſtatim maxima carnis tentatio ſecuta eſt. Cepit enim tantum cogitare de quadam fœmina quam viderat, ut vix in ejus pectore flamma ſe caperet, ita ut etiam eremum egredi cogitaret. Sed tandem ad ſe reverſus, miſit ſe nudum inter ſentes, & exiit vulneratus, & ceſſavit tentatio ut dicit Gregorius, quia vulnere corporis, ſanavit vulnus mentis. *Item* legitur in vitis Patrum quod Abbas Zenon cùm iret ad Paleſtinam videns cucumeres concupivit, ſed ipſe ſibi cogita-

III. Carnalibus deſideriis reſiſtendum caſtigatione Carnis docetur tribus exemplis. — 1. — 2.

tione ſua reſpondit, quod eſſet furtum, unde dixit. Fures ſuſpenduntur patibulo, probabo utrum poſſim illam pœnam ſuſtinere, quæ illis debetur, & per quinque dies fixit corpus ſuum in æſtu ad ſolem, & tunc dixit. Cum non poſſum ſuſtinere tormentum, non oportet me facere furtum, ſed magis vivere de labore manuum mearum. *Item* legitur in vitis Patrum quod mulier quædam dixit juvenibus quibuſdam de ſolitario devotiſſimo, quid vultis mihi dare & ego dejiciam ſolitarium illum? At illi conſtituerunt pretium ei. Quæ egreſſa venit in cellam veſpere, quaſi errans, & cum ploraret & conquereretur quod à beſtiis eſſet devoranda, & quod illuc veniſſet errando, ipſe tandem miſertus ejus, recepit eam in cellam ſuam. Cepit autem Diabolus inflammare cor ejus ad libidinem, quod cum ſenex ſentiret, dixit ſibi ipſi: qui talia agunt, ibunt in tormentum, vide ergo ſi poſſis ſuſtinere æternum ignem, & mittebat omnes digitos ſigillatim in lucernam, quod tamen vix ſentiebat propter ardorem concupiſcentiæ, & ita fecit uſque ad mane. Et illa videns quid faciebat, effecta eſt quaſi lapis præ timore. Mane facto venerunt juvenes, quibus ille narravit, quod factum eſſet, oſtendens digitos, & cum ſenex crederet eam dormire, invenerunt eam mortuam præ timore & acta oratione ſuſcitavit eam.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Varia docet hic ſermo. I. in quibus carni non ſit conſentiendum. II. quomodo Chriſtus fuerit peregrinus ſuper terram, & juſti quomodo eum imitati, peregrini eſſe debeant. III. ut bene inter malos vivamus, & ad hoc quod opus ſit. IV. ad quid proſit fraternitas, quaque eam impediant.

SERMO LIII.

Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere à carnalibus deſideriis.

I. Carni non conſentiendum in tribus.

TRia ſunt quæ caro deſiderat in quibus carni conſentire, non debemus. *Primum* eſt *otioſitas. ſecundum* rerum *varietas, tertium* eſt rerum *ſuavitas.* In *primo* carni conſentire non debemus, quia *qui ſectatur ocium, ſtultiſſimus eſt*, ut legitur
1. Proverb. 12. Et Eccleſiaſtici 33. *Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otioſitas.* De hac materia vide tractatum de Acedia in cap.
2. de Ocioſitate. Circa *ſecundum* etiam non debemus conſentire carni, ut curioſè circa rerum varietates agamus, quia potius anima hoc modo magis famelica efficitur, quàm ſatietur. Auguſtinus. Anima delectationis avida, poſtquam ab unitate receſſit, cùm rerum qualitate ſatiari non poſſit, rerum varietate ſatiari deſiderat, ſed laborat in vanum, *quia non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu*
3. *impletur*, ut legitur Eccleſiaſtæ 1. In *tertio* etiam non eſt conſentiendum ei, ſuavitas enim prohibita quaſi venenum eſt. Eccleſiaſtæ 7. *Inveni amariorem morte mulierem.* Mulier iſta intelligitur ſuavitas prohibita, quæ eſt quaſi dulce venenum, quod animam occidit.

II. Filius Dei quomodo fuerit peregrinus.

Item Notandum quod filius Dei quaſi peregrinus in mundo iſto fuit, & viator non habens propriam domum. Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Hierem. 14. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinas ad manendum.* Unde etiam in via naſci voluit. Luc. 2. Et in ſpecie peregrini apparuit. Luc. 24.

Pera & baculus Chriſti quæ.

Habuit autem humanam naturam pro pera, in qua fuit pretium noſtræ redemptionis. Pro baculo verò habuit crucem Geneſ. 32. *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum &c.* In baculo crucis tranſivit Chriſtus torrentem mortis. Et ſicut ipſe ſe habuit in mundo iſto ut peregrinus, ita vult ut ſui in mundo iſto reputent ſe peregrinos, ad Hebr. 11. *Fide demoratus eſt Abraham in terra repromiſſionis tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem. Exſpectabat enim fundamenta habentem civitatem ea.* Et poſt in eod. cap. *Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* 1. Corinth, 15. *Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* Deut. 10. *Deus amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum. Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis advenæ in terra Ægypti.*

Juſti Chriſtum imitantes ſunt quoque peregrini.

Pera ipſorū eſt Fides, & quid in ea habeant.

Juſti ergo more peregrinorum pro *pera* debent habere fidem veram, vel vivam. In hac pera habet quidquid ſibi neceſſarium eſt. Habet enim in ea Deum, quia per fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris. Epheſ. 3. Auguſtinus: Aurum habens in arca dives eſt, Deum habens in conſcientia ſua, dives non eſt? conjunge aurum & Deum, arcam & conſcientiam.

Baculus eorum eſt ſpes.

Pro *baculo* verò debent habere ſpem. Qui ſe hoc baculo ſuſtentat, non cadit nec fatigatur. In Pſal. 33. *Non delinquent omnes, qui ſperant in eo.* Et iterum. *In Domino ſperans, non infirmabor.* Et Iſa. 40. *Qui ſperant in domino, mutabunt fortitudinem*, & ſubditur: *current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

Qualitates ſeu conditiones peregrinorum iſtorum.

Item viri ſancti non debent ſe ſuperfluis onerare, peregrino ſufficit ut habeat quæ viæ ſuæ neceſſaria ſunt. Ad hoc monemur. 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* 1. *Item* cum indigenis non debent litigare, id 2. eſt, cum mundanis, ſed irriſiones & alia mala ab eis illata patienter ſuſtinere, Job. 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*, & Sap: 5. dicunt mali qui ſunt in 3. inferno de bonis: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum &c.* I*tem* ſocietatem bonam debent eligere. Proverb. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum, ſimilis efficitur.* 4. *Item* quæ mundus tractat vel tradit eis, reputare non debent dona, quaſi gratis data. Diſtricte enim in exitu cum eis computabitur, ſicut & hoſpes ſolet facere Job. 19. *Scitote eſſe Judicium.* 5. *Item* pro gratia hoſpitis ſui, ſcilicet mundi, non debent multum expendere, quia vel gratiam hoſpitis non habebunt, vel citò amittent. Citò enim oblivioni tradentur. Unde Eccleſiaſtici 29. dicitur de hoſpite, *hoſpitabitur & paſcet, & potabit ingratos, & adhuc amara audiet.* 6. *Item* in mundanis confidere non debent, ſicut de peregrinante dicitur Eccleſiaſtici 29. *ubi hoſpitabitur non fiducialiter aget nec aperiet os.* 7. *Item* non debent pro neceſſariis viam Paradiſi deſerere, ſed recta via incedere, juxta illud: Num. 20. *gradiemur, nec via publicâ, ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes.* 8. Item licet in via ſint corpore, in patria tamen debent eſſe mente, toto deſiderio & toto labore ad eam tendere: ſtultus enim viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens obliviſcitur quo tendebat. Eccleſ. 29. *Tranſi hoſpes & orna menſam, & quæ in manu habes ciba ceteros &c.* Gregorius. Electis ſuis dominus iter aſperum facit, ne delectentur in via, & obliviſcantur eorum, quæ ſunt in patria. 9. *Item* libenter debent ſuſcipere, ſi inveniant aliquem qui eos portet & juvet, ut fit quando Eccleſia facit remiſſiones, quandoque enim brevi tempore facit tunc homo decem dietas vel amplius peregrinationis ſuæ. 10. *Denique* in via mala libenter debent pedibus inniti, quod faciunt vere obedientes, qui alienum ſenſum & voluntatem etiam in periculoſis volunt ſequi. Si vis amplius de his quæ ad amatores pertinent, vide in ſermone illo. *Videte fratres quomodo caute ambuletis.*

III. Sequitur, *converſationem veſtram inter gentes habentes*

Boni inter malos bene viventes, quales ſint.

habentes bonam) Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus &c.* Et notandum quod ſunt quidam qui non credunt quod ſit aliquis, qui inter malos poſſit bene vivere, hi deberent attendere, quod pulchri flores ut roſa & lilium inter ſpinas creſcunt. Cantic. 2. *Sicut lilium inter ſpinas &c.* Creſcunt & grana & fructus in arboribus cum foliis. Præterea videmus amiciſſimos Dei inter malos bene vixiſſe, ut Abraham, Loth, Job, & Tobiam. Præterea qui inter malos homines bene vivunt, magnam confuſionem Diabolo & exercitui ejus faciunt, quando, cum ipſi ſoli ſint, ab eis vinci non poſſunt. Iſti faciunt in exercitu Diaboli ſicut fecerunt tres viri fortes David in exercitu Philiſthæorum, de quibus legitur 2. Reg. 23. *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum &c.* ſicuti candela pulchrius lucet in tenebris, & ſtellæ in nocte, ſic tales magis placent Deo, quia boni ſunt inter malos. Unde Philip. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in Mundo &c.* & Apoc. 2. *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt ſathana.* Et *notandum* quod aliquis bene ſe habet inter malos. *Quinque* ſunt neceſſaria.

Ad bene vivendum inter malos neceſſarium eſt.

1. Scandalum quantopere cavendum ſit.

Primo ut neminem ſuo malo exemplo corrumpat. In quo multi multum peccant, qui infirmos ſcandalizant, non attendentes illud. Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Et poſt. *Væ illi, per quem ſcandalum venit.* Sunt aliqui Diabolici, qui ſi viderint aliquem impatientem, provocant eum ad iram, quandoque uſque ad negandum & blaſphemandum Deum, non parcentes neque morti fratris ſui, neque Dei contumeliæ, & qui debuerunt ignem extinguere in domo fratris ſui, ſuccendunt. Si incendiſſent unam domum de palea, ſe valde peccaſſe reputarent, ſi verò combuſſerunt fratres ſuos, ſe innocentes reputant. Si quis malum dixerit de aliquo, ipſi hoc ei referunt, non attendentes illud Proverb. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus & ſeptimum deteſtatur anima ejus*, & illud ſeptimum eſt, *ſeminare inter fratres diſcordiam.* A bono etiam debet homo cavere ne fratrem ſuum ſcandalizet, unde 1. Corinth. 8. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Cum magno horrore deberet homo comedere periculum & ſanguinem fratris ſui 2. Regum. 23. ait, David; *Num ſanguinem iſtorum hominum, qui profecti ſunt & animarum periculum bibam?* noluit ergo bibere.

2. *Secundo* neceſſarium eſt ut caveat ne ab illo corrumpatur, quia utrumque & corrumpere & corrumpi vitium eſt. In quo quidem multi errant, quærentes feſtucam unde ſibi eruant oculum. Si vident aliquid malum, volunt illud imitari, inter ſana eligentes putridum, ut inde ſe paſcant, quando enim deberent ſe paſcere bono, paſcunt ſe malo. In Pſalm. 36. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

3. *Tertio* eſt ut nemini malum inferat. Tobiæ 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Seneca. Ridiculum eſt odio nocentis innocentiam perdere.

4. *Quarto* ut malum illatum ab alio patienter ferat. Proverb. 14. *Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia.* Auguſtinus. Vis, ne tibi noceat inimicus, diſce diligere inimicum.

5. *Quinto* neceſſarium eſt ut juſtitiam eſuriat, tam in ſe quam in aliis, quæ conſiſtit in declinando à malo & faciendo bonum, ſcilicet vehementer deſideretur homines à peccato caveant & bona agant. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

IV. Aliud videndum.

Sequitur (*ſic eſt voluntas Dei, ut benè facientes obmuteſcere faciatis imprudentiam hominum ignorantiam.*) Si vis plura loqui de illis in quibus eſt voluntas Dei & beneplacitum, vide Dominicam illam. (*Fraternitatem diligite &c.*) De hoc ſermo poſſet fieri, cum quis loquitur de fraternitate.

V. Fraternitas fidelium triplex.

Nota inter fideles *triplicem* eſſe *fraternitatem.* 1. *Prima* eſt *naturalis* quæ fit ex uno primo patre & prima matre. Noluit Dominus omnes homines facere ſimul, ſicut fecit omnes angelos ſimul, ſed voluit omnes habere unum patrem & unam matrem, ut tanquam fratres ſe amarent Malach. 2. *Nunquid non unus pater omnium noſtrum?* & ſubditur: *quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* 2. *Secunda* fraternitas eſt fraternitas *gratiæ*, quæ eſt inter eos, qui per ſacramentum Baptiſmi ex Deo patre & Eccleſia matre nati ſunt. Propter quam fraternitatem multum deberent ſe fideles amare, cum ratione fraternitatis illius pertineat ad eos condividere cœleſtem hæreditatem. 3. *Tertia* autem fraternitas eſt quædam *ſpiritualis ſocietas*, quæ eſt inter fideles, quæ quandoque perpetua eſt, ut in religioſis, quandoque vero ad tempus eſt, ut in ſecularibus qui confraternitatem aliquam faciunt Proverb. 18. Vir amabilis, ad ſocietatem magis erit, quam frater.

Fraternitas ad quæ proſit.

Et *nota* quod fraternitas ad multa valet homini qui debito modo eſt in ea. 1. *Primo* ad hoc ut non ita de facili cadat in peccatum Proverb. 18. *Frater qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma.* 2. *Secundo* ad hoc, ut ſi ceciderit, reſurgat. Eccleſiaſtes 4. *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem.* 3. *Tertio* ad hoc ut facilius impetret à Deo quod ſibi neceſſarium eſt. Difficile enim eſt preces multorum non exaudiri Matth. 18. *Dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* 4. *Quarto* ad hoc, ut facilius ditetur, ſunt enim bona quæ ipſi faciunt eis communia, & pro modico quod ipſe facit partem ſuam habet in omnibus bonis quæ ibi fiunt. Pſalm. 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, quod dicitur *quam bonum*, referendum eſt ad utilitatem. 5. *Quinto* ut cùm mortuus fuerit in ſemetipſo, vivat in confratribus ſuis qui multa exenia ei mittent in purgatorium. Sed væ illis, qui fratres ſuos ardentes in igne purgatorii defraudant ab eis, quæ eis debeant. Econtrario beati ſunt illi, qui eis ſubveniunt. In Pſalm. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem &c.*

Fraternam ſubventionem quæ peccata impediant.

Sunt tamen quædam peccata, quæ impediunt, ne aliquis confratri ſuo debito modo ſubveniat. 1. *Primum* eſt *ſuperbia.* Superbus enim neſcit eſſe frater, ſed vult eſſe Dominus, vult enim ut melius ſibi fiat quàm aliis. 2. *Secundum* eſt *rapina*, raptores enim fratres ſunt Dæmonum, non hominum. Fraternitas eorum talis eſt qualis Cain, qui fratrem ſuum occidit Eccleſiaſtici 34. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.* 3. *Aliud* eſt peccatum *odii.* Qui habet odium ad alium, frater eſt canum, non hominum. Eccleſ. 13. *Quæ communicatio ſancto homini ad canem?* 4. *Aliud* eſt *detractio*, detractor enim frater eſt ſerpentum, non hominum Eccleſiaſtici 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eò minus habet, qui occulte detrahit.*

Quid hic maxime cavendum.

Circa fraternitatem verò ab incautis juramentis valde cavendum eſſet, melius enim eſſet in confraternitate non eſſe, quam ibi perjurium incurrere, vel confratribus ſuis injuriam facere. Væ illi, *qui ubi debuit facere eleemoſynam, facit rapinam*, & ubi debuit peccata ſua minuere, augeat ea. Item væ illi, qui ubi debuit quærere utilitatem animæ ſuæ, quærit utilitatem carnis miſeræ.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Proœmio hujus ſermonis docemur, quæ in paſchate recenter converſis neceſſaria ſint. Reliquo ſermone Epiſtola & maximè quatuor ejus dicta explicantur.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum &c. *Iac* 1.

SERMO LIV.

Recenter ad Deum converſis neceſſarium eſt.

DUo ſunt neceſſaria his qui de novo ad Deum converſi ſunt. *Primo* ut à lapſu in peccatū caveant. Habent enim multas impugnationes. Eccleſiaſtici 2. *Fili mi accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* *Secundo* ut in adquiſitione boni proficiant, habent enim inchoationem boni, & proficiendo tendere debent ad perfectionē. Prov. 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem* Circa hęc duo inſtruit Eccleſia filios ſuos in quinq; Dominicis, quæ ſunt à Paſcha uſq; ad Aſcenſionem Domini. In tribus primis circa primum. In duabus ultimis circa ſecundum. Ad cavendum lapſum in peccatū ſpecialiter valēt *fides, patientia* & *abſtinentia*, per hoc enim triumphatur de mundo iſto. *Fides*, circa quam inſtruimur in prima Dominica, eſt oculus dexter, ſine quo homo inutilis eſt ad ſpiritualem pugnam. Hic eſt oculus quem corvus infernalis conatur eruere quando venit ad cadaver, ad peccatorem. 1. Reg. 11. *In hoc feriam vobiſcum fœdus*, ait Naas, *ut eruam omnium veſtrum oculos dextros.* *Patientia*, circa quā inſtruimur in ſecunda Dominica, pueros illæſos ab igne tribulationis cuſtodit, ſicut pueri in fornace Babylonica ab igne ſervati ſunt Danielis 3. *Abſtinentia*, ad quam monemur in tertia Dominica, cuſtodit parvulos in populo Dei, ne à Pharaone infernali in aquis divitiarum vel delitiarū ſubmergantur, ſicut legitur, Exod. 1. Præcepit Pharao de filiis Iſrael dicens: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite.* Ad proficiendum verò in adquiſitione boni, *primo* neceſſarium eſt agnoſcere unde ſit omne bonum, ut quærentes bonum ubi eſt, inveniamus illud Matth. 7. *Quærite & invenietis.* Et circa hoc inſtruimur in principio hodiernæ Epiſtolę cum dicitur: (*Omne datum optimum &c.*) Bernardus. Incaſſum quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas quærendas putat, quam à Domino virtutum. *Secundo* neceſſaria eſt doctrina, quæ oſtendit qua via ſit proficiſcendum; circa quod inſtruimur in Epiſtola hodierna, cum dicitur: (*ſit omnis homo velox ad audiendum.*) *Tertium* verò eſt bona operatio, circa quod inſtruimur in ſequenti Dominica in Epiſtola cum dicitur: *Eſtote factores verbi &c.* *Vltimum* eſt diligens conſervatio boni acquiſiti, circa quod inſtruimur in eadem Epiſtola cum dicitur: *Et permanſerit in ea &c.* Et poſt. (*Si quis putat ſe religioſum eſſe &c.*) Cuſtodia enim oris eſt cuſtodia hominis, ſicut cuſtodia portæ eſt cuſtodia civitatis. Prov. 13. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* De his tribus ultimis dicit Bernardus. Virtus vult cum humilitate doceri, cum labore quæri, cum amore haberi. Nec aliter doceri; vel quæri, vel haberi poteſt. Cum humilitate addiſcit ille, qui intelligit ſe doctrinam illam intelligere & ſibi eam applicat, ut ſecundum eam ſe regat; ſuperbè addiſcit, qui non cogitat niſi quomodo alii eam tam citò effundant. Poſt neceſſarius eſt labor in quærendo, quia abſque labore gravi non poſſunt magna parari. Sapiens. Nihil magnum natura citò effici voluit, præpoſuitque unicuique pulchro operi difficultatem. Cum amore etiam ſervanda ſunt bona acquiſita. Sunt aliqui qui non amant puritatem conſcientiæ ſuæ donec eam amiſerint, tunc cum multis lachrimis & orationibus & verecundia confeſſionis volunt recuperare eam, & quando reparaverint, non timent amittere, immo ſe exponunt periculis. Ad iſta ſeptem deberent Doctores Eccleſiæ monere populum tempore iſto, & populus ad eadem deberet conari.

Hæc nos docet Eccleſia in quinque Dominicis poſt paſcha.

Ad primum valent tria. 1. Fides quahs 2. Patientia. 3. Abſtinentia.

Ad ſecundū proſunt quatuor. 1. 2. 3. 4.

Plura de his.

Circa *primum* verò quod in hodierna Epiſtola docemur, notandū eſt, quod Dominus volens nos habere faciem cordis ſurſum, ſicut & faciem corporis, meliora bona corporalia voluit de ſurſum deſcendere, ut calorem & lucem, pluviam & rorem, à quibus terra habet bonitatem & fœcunditatem ſuam. Sic etiam bonorum ſpiritualium donationem ad manum ſuam retinuit, ſcilicet donationem gratiæ & gloriæ. In Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & hoc eſt quod dicitur, *Omne datum optimum & omne donum perfectum*, &c. *Datum optimum* eſt gratia, ad Hebr. 13. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor Donum perfectum* gloria, 1. Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Et poſſumus diſtinguere *tria* genera bonorum quæ à Deo dantur in præſenti. Quædam quæ dicuntur bona ſimpliciter, quæ communia ſunt nobis & brutis, ut eſt fortitudo corporis & pulchritudo, & ea quæ pertinent ad ornatum vel ſuſtentationem corporis & protectionem. Bona meliora ſunt animæ, quæ tamen animam non reddunt ex neceſſitate bonam, quæ ſunt communia bonis & malis, ut ſcientia, & ſimilia. Bona verò optima ſunt, quæ ſoli boni poſſunt habere, quæ non ſolum ſunt bona, ſed etiam ſunt dona eorum à quibus habentur, ut gratia gratum faciens. Vel bona ſimpliciter, ſunt bona fortunæ; meliora bona naturæ; optima bona gratiæ; perfecta bona gloriæ. Et hæc omnia deſcendunt à patre luminum, id eſt à vero ſole, à quo omne opus luminoſum. Quod bona fortunæ à Deo ſint, non videntur credere divites, qui tantò minùs volunt ei ſervire, quanto ſunt ditiores. Si enim verè divitias crederēt ſe tenere à Deo, cognoſcere poſſent tanto magis ſe obligatos eſſe ad ſerviendum Deo, quanto majus eſt illud quod tenent ab eo. Bona etiam naturæ non videntur quidam credere ſe tenere ab eo, ſicut illi qui non credunt quod debeant ſervire Deo, vel quia ſunt nobiles, vel quia juvenes, quaſi juventutem & nobilitatem à diabolo tenerent propter quod de illis non deberent cenſum Deo. Gratiam non videntur quidam credere eſſe à Deo, qui ſcilicet præſumunt quod ad voluntatem ſuam eam habebunt: nec optimum donum Dei videntur eam reputare qui pro terrenis bonis, quæ ſunt bona infima, eam à ſe abjiciunt. Gloriam etiam non videntur reputare donum perfectum, qui corda ſua ab immunditia expedire nolunt, ut cœleſtis gloriæ fiant capacia Sequitur, *apud quem non eſt tranſmutatio, &c.* Oſtenditur in his verbis optimus eſſe ille à quo eſt omne datum optimum. Optimum enim eſt optima adducere, ſicut dicit Beatus Dionyſius, & oſtenditur tripliciter ejus magna bonitas. *Primo* per hoc quod eſt bonitas malitiam non compatiens, de quo ibi, *apud quem non eſt tranſmutatio*, non eſt quo ſe immiſceat malignitas ubi totum occupat bonitas *Secundo* per hoc, quod eſt bonitas ſola bona influens, de quo ibi, *nec viciſſitudinis obumbratio.* Interlin. Ubi eſt viciſſitudo, ibi & bona & mala, ſed ipſe ſola bona dat. Et *notandum* quod mala culpæ non ſunt ab eo, quæ obumbrant, ſed malum pœnæ eſt ab eo, illud enim non obumbrat, ſed potius illuminat. Gregorius. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Iſa. 28.

Explicantur Epiſtolæ dicta.

I. Omne datum, &c. Omnia bona ſunt à Deo.

Bona quæ habentur à Deo quæ & quot ſint.

1. Tria bona

2. Quatuor bona.

Qui videntur non credere hæc eſſe à Deo.

II. Dictum triplex.

Bonitas Dei patet ex tribus. 1. 2. 3.

Non culpæ, ſed pœnæ malum à Deo eſt, cur.

Tantum-

Tantummodo ſola vexatio dabit intellectum auditui. Mala pœnæ probantur non eſſe mala, eò quòd ſunt à ſummo bono, ſcilicet à Deo, & fuerunt in ſummo bono, id eſt, filio Dei homine facto, & ducunt ad ſummum bonum, ſcilicet Deum, mala enim quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, ut di-

2. cit Gregorius. *Tertio* oſtenditur magna Dei bonitas per hoc, quod eſt ad influendum bona ſua ex ſe ſufficiens, bonitate alia ad hoc non indigens. Non talis eſt bonitas amatorum hujus mundi, qui nihil gratis volunt facere. Deus verò gratis ex ſua bona voluntate omnia facit, & non pro aliqua ſua utili-

3. tate. Hoc *tertium* notatur ibi (*voluntarie genuit nos &c. ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.*) Alius tranſlator dicit, *ut ſimus primitiæ creaturarū ejus.* Homines ſunt primitiæ, id eſt, principatum obtinent inter creaturas inferiores. Apoſtoli etiam quædam primitiæ fuerunt in tempore gratiæ, qui

III. Dictum triplex. Chriſto primo adhæſerunt. Sequitur (*Sit omnis homo velox ad audiendum &c.*) Hic monentur fi-

1. De audiendo verbo Dei. deles ad docilitatem, quæ in *tribus* conſiſtit. *Primo* in hoc, ut homo verbum Dei libenter audiat, de quo ibi *Sit omnis homo &c.* & illud eſt quaſi initium

1. omnium bonorum. Sap. 6. *Initium* Sapientiæ *veriſſima diſciplina concupiſcentia.* Sunt qui vellent ſapientes fieri, ſed neſciunt à quo incipiant, propter quod ſapientes non fiunt, quia nec fieri incipiunt. Debent autem incipere ab hoc, ut verbum Dei libenter audiant Gregorius. Nullum adeò ſignum prædeſtinationis certum eſt, ut libenter audire verbum Dei. Eccleſiaſtici 6. *Si dilexeris audi-*

2. *re, ſapiens eris. Secundo* in manſueta ſuſceptione verbi Dei. Hæc manſuetudo in hoc attenditur, ut verbum Dei in corde carneo & non duro & lapideo recipiatur Eccleſiaſtici 3. *Cor durum habebit malè in noviſſimo.* De hac manſuetudine tangitur ibi,

3. *in manſuetudine incipite* *Tertio* in hoc ut verbum cordi per firmam memoriam infigatur, de quo ibi,

2. Ad audiendū paratiores debemus eſſe quā ad loquendū. *Inſitum verbum.* Et *notandum* quod tripliciter oſtenditur nobis quod homo paratior debeat eſſe ad audiendum quàm ad loquendum. *Primo* per hoc quod auditus in pluribus eſt quam loquela. Audi-

1. tus enim eſt in habentibus rationē & in non habentibus: loquela verò eſt in ſolis habentibus rationem, in quo innuitur quod cum diſcretione ma-

2. gna loquendum ſit, *Secundo* in hoc quod lingua naturaliter eſt incluſa, cùm aures in aperto & aper-

3. tæ ſint. *Tertio* per hoc quod habemus duas aures, cum unicum os habemus. Si vis loqui de peccato oris, vide de hoc tractatum de Lingua. Item *no-*

Ad tria audienda debemus parati eſſe. *tandum* quod parati debemus eſſe ad audiendum *tria.* Scilicet *Divinam legem*, quia *qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* Prov. 28. *Prælatorum juſſionem.* Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, Pauperum clamorem.* Unde Prov. 21 *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe*

3. Tardi ſimus ad loquendum & iraſcendum. *clamabit & non exaudietur.* Sequitur, *Tardus autem ad loquendum.* Seneca. Tardiloquum eſſe te jubeo, & prope erit tibi Deus. Jacobus monens hic fideles ad auditum, quæ eſt prima porta & quaſi exterior porta ſalutis, monet etiam ad tarditatem in loquendo & iraſcendo, ne bona, quæ per portam auditus introducuntur, indiſcreta loquela effundat vel ignis iræ conſumat. Bernardus. Levis res ſermo, ſed graviter vulnerat, aptiſſimum evacuandis mentibus inſtrumentum. Ideo dicitur Eccli. 28. *Ori tuo facito oſtia.* Eccleſiaſtæ 7. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*, Verè ſtultus eſt qui ignem iræ in ſinu ſuo permittit

Ira viri juſtitiam Dei non operatur ob duo. quieſcere, quem conſtat bona, quæ ibi erant, conſumere. Sequitur (*Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur*) *primo* propter hoc, quia juſtitia Dei cum tranquillitate omnia judicat, ſed ira procedit cum perturbatione. *Secundo* quia juſtitia Dei ſemper habet ſecum miſericordiam, ſed ira viri victoriam & vindictam. Finis enim iræ victoria, ſicut dicit Sapiens. Proverb. 27. *Ira non habet miſericordiam.*

Sequitur, *propter quod abjicientes omnem immunditiam*, &c. Sicut ſpinæ ab agro abjiciuntur ante IV. Dictum duplex.
ſuſceptionem ſeminis, ſic à corde vitia antequam ſermo Dei poſſit ibi inſeri. Unde Hierem 4. *Novate vobis novale & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Monemur autem ad abjiciendum immunditias, quantū ad Duo abjicienda.
peccata carnalia & abundantiam malitiæ, quantum ad proximi injuriam: utraque enim abjicere debemus ſine dilatione, ſicut ſine dilatione abjiceremus ignē, ſi haberemus in ſinu noſtro. Peccatū carnis ignis dicitur Job. 31. Ubi ſic legitur. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* De malitia verò dicit Auguſtinus. Sic pu- 1. Immunditia peccati carnis.
tato malitiam eſſe quaſi ignem. Malitia tua ut alteri non noceat, fieri poteſt: quod autem tibi non 2.
noceat, fieri non poteſt. Bernardus. Abſcondi ignē in ſinu meo, & exuſto jam latere nudatis viſceribus, jam ſanie effluente, adhuc conſulendum eſt Malitia injuriæ proximo inferendæ.
an excutiam illum? Qui aliter non poſſet abjicere à ſe peccatum, potius deberet illud abjicere à ſe cum oculo uno, vel manu una, quam retineret illud Matth. 5 *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*, &c.

Sequitur, *in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſalvare animas veſtras*, &c. *Notan-* V. Dictum poteſt reduci ad quatuor.
dum eſt quod ſicut dicit Interlin. ſuper illud Joan. 8. *Sermo meus non capit in vobis.* Sermo Dei eſt ut hamus, qui capit, dum capitur. Ideo neceſſe eſt cor 1. Verbū Dei quomodo capiat in nobis.
manſuetum eſſe, ſuave ſc licet & tenerum ut verbum Dei ibi poſſit infigi. Cor enim lapideum, non hoc ſuſtineret. In *hoc* verò quod dicitur *inſitum*, innuitur utilitas verbi in homine: ſicut enim ramunculus, qui trunco agreſti inſeritur, totum truncum 2. Quomodo fructificet in nobis.
operari facit ſecundum naturam ſuam, & cum prius non ferret niſi fructus agreſtes ſolis porcis utiles, poſtea fert fructus hominibus delectabiles: ſic homo qui ante ſuſceptionem verbi Dei erat inutilis faciens opera, quibus porci infernales paſcebātur, poſt ſuſceptionem verbi Dei eſt arbor fructum ferens gratum Deo & hominibus & Angelis. Verbum Dei *potens* eſt ſalvare animas & in præſenti & in futu- 3. Quid poſſit in nobis.
ro. In præſenti à morte culpæ unde in Pſal. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi.* In futuro à morte gehennæ Joan. 8. *Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.*

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic ad quatuor virtutes exercendas nos hortatur, quas in eo videas.

Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. *Jac. 1.* SERMO LV.

IN Epiſtola hodierna invitantur fideles ad quatuor. *Primo* ad obedientiam, cum dicitur: *Eſtote* Epiſtola hæc hortatur nos ad quatuor virtutes.
factores, & non auditores tantum. Secundo ad linguæ cuſtodiā, cum dicitur. *Si quis putat ſe religioſum eſſe*, &c. *Tertio* ad miſericordiam ibi: *Religio munda.* *Quarto* ad innocentiam ſive munditiam ibi: I. Obedientia Verbi Dei auditi.
& immaculatum ſe cuſtodire, &c.

Circa primum verò notandum quod ſunt quidam qui verbum Dei nec audiunt, nec faciunt. & Auditores verbi Dei triplices.
ſunt aliqui qui audiunt & non faciunt, & iterum ſunt aliqui qui audiunt libenter & faciunt. De pri- 1.
mis conſtat quod ipſi ſunt apertè diaboli per illud Joan. 8. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Satis Non audientes & non facientes quales ſint

videtur quod aliquis non ſit dominus caſtri alicu- jus, quando ei volenti ingredi, porta clauditur. Porta, per quam Dominus vult intrare ad cor hominis, eſt auditus verbi Dei, unde qui auditum ei negat, quaſi portam ei claudit, ne Dominus cor ejus ingrediatur. Satis etiam videtur quod aliquis non ſit de familia alicujus, quando mandatum ejus etiam non vult audire. Quomodo illud implebit, ſi audire contemnit? Cùm omnia membra hominis ſint Chriſti, & quia ab eo redempta, mirum eſt, quomodo in aliquibus neque unum membrum habet, aurem ſcilicet ad recipiendum verbum vitæ & ſalutis. De illis verò qui verbum

2. Audientes & non facientes quales ſint.

Dei audiunt & non faciunt, conſtat quod ipſi ſemetipſos decipiunt, ſicut dicitur in verbo propoſito, ſicut aliquis ſe ipſum deciperet, ſi ab ægritudine quâ haberet, ex ſolo auditu Medici ſe crederet curari: Vel ſi quis ex ſolo aſpectu ſpeculi crederet deformitates à ſe removeri. Speculum enim in quo deformitates debemus videre, ſacra ſcriptura eſt De hoc ſpeculo dicitur Exodi. 38. *Fecit labrum aneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum.* Bernardus. Specula ſũt Dei præcepta, in quibus ſanctæ animæ ſemper aſpiciunt, & ſi quæ in eis ſunt fœditates deprehendunt. Et in Epiſtola hodierna ſimiliter dicitur. Quod qui auditor eſt legis & non factor, aſſimilabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Tales maledicti ſunt juxta illud. Deuter. 27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Talis, qui ſermonẽ Dei quem novit, non implet, adverſarium ſuum ſecum ducit ad judicem, qui eum tradet cruciandum judici. Matth. 5. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dũ es in via cũ eo, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerẽ mittaris. Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas noviſſimũ quadrantem.* De illis qui verba Dei audiũt & non faciũt, dicitur Ezech. 33. *Audiunt ſermones tuos & non faciunt eos, quia in canticũ oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulcique ſono canitur.*

3. Audientes & facientes quales ſint.

Illi verò qui verba Dei audiunt & faciũt, beati ſũt, juxta illud Lucæ 11. *Beati qui audiunt verbũ Dei, & cuſtodiunt illud.* & Apoc. 1. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt* Ubi dicit gloſſa: Illi ſoli ſunt beati qui verba Dei audiũt, ut mente recõdant, & mente recondũt, ut opere cõpleant; & opere implent, ut vitam æternam poſſideant. Tales etiam benedicti ſunt, juxta illud Deuter. 28. *Si præcepta Dei audieris, benedictus tu in civitate, benedictus tu in agro &c.* Tales etiam chariſſimi videntur eſſe Deo, ſecundum illud. Lucæ 8. *Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*, & Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

II. Linguæ cuſtodia quã ſit neceſſaria.

Sequitur (*ſi quis putat ſe religioſum eſſe &c.*) Sunt aliqui qui cavent ab operibus malis & non cavent à verbis malis, non attendentes quod de integritate honeſtatis modeſtia in ſermone eſt, contra hoc dicitur. (*Si quis putat &c.*) Jacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Non eſt perfectæ virtutis homo, neque perfectæ ſapientiæ abſque modeſtia ſermonis Proverb. 25. *Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Proverb. 10. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* Quantumcunque cuſtodia adhibeatur caſtro, ſi porta non cuſtodiatur, labor ejus inanis eſt. Idem eſt in homine, niſi enim os cuſtodiatur, vana eſt quæcunque alia cuſtodia. Prov. 13. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam. Non ſufficit aliquis regere equum laſcivum, niſi freno ori appoſito, ſic & frenum modeſtiæ in loquendo ori noſtro adhibendum eſt. Jacobi 3. *Equis frena in ora mittimus, ad conſentiendũ nobis & omne corpus illorum circũferimus.* Quantumcunque bene vas religetur, inutile eſt hoc, ſi in vaſe remaneat aliquod foramen, per quod vinum exeat: ſic vana eſt religio illius, qui os diligenter non cuſtodit, cum gratia Dei per indiſcretum ſermonem frequenter amittatur. Eccleſiaſt. 20. *Sapiens in verbis amabilem ſeipſum facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.* Bernardus. Levis eſt ſermo, ſed graviter vulnerat, aptiſſimum evacuandis cordibus inſtrumentum. Dicitur autem religio vana eorum, qui linguam non refrenant, quaſi vadens in nihilum, vel vadens nihilum, ſicut inter animalia illa ferocia maxime ſunt religanda, quæ plus habent ferocitatis, ſic inter membra lingua maxime refrenanda eſt, quæ magis nocere poteſt. Jacob. 3. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Gloſſa. Quia per eam cuncta facinora fere continuantur, ut latrocinia, ſtupra, aut parantur vel patrantur, ut perjuria, falſa teſtimonia: aut defenduntur, ut cùm quilibet impius excuſando ſcelus quod commiſit, bonum ſimulat quod non fecit, & ſubditur in eodem Cap. *Omnis natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentum, & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt.* Qui linguam non refrenat, cor ſuum ſeducit, ſicut aliquis dominum ſeduceret, qui aliquem per portam introduceret, qui jugularet eum. Eccleſ. 28. *Verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori rectos.* Si vis autem amplius de hac materia, vide tractatum de peccato linguæ.

III. Miſericordia quantã pariat emolumenta.

Sequitur, *religio munda & immaculata*, &c. Auguſtinus. Summa religionis eſt imitari quem colis, Deum ſcilicet, quem maxime imitatur aliquis per miſericordiam. Unde Sapiens. Deum maxime imitabitur, qui nihil judicaverit pretioſius quam miſereri. Sũma religionis eſt vera miſericordia, per hanc præcipuè gratia Dei adquiritur, & miſericordia Dei aliquis dignus efficitur, & diabolus vincitur. Eccleſ. 4. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater.* Et Matth. 5 *Beati miſericordes, quoniã ipſi miſericordiam conſequentur.* Si *omne animal diligit ſimile ſibi*, ut legitur, Eccleſ. 13. Veriſimile eſt quod miſericordia Dei miſericordiã in hominibus amet, & parcat ei tanquam ſorori. Hoc enim videmus & in ferocibus animalibus; ut in leonibus & lupis quod parcunt animalibus ſpeciei ſuæ. Et Eccleſ. 29. dicitur de eleemoſyna: *Super ſcutum & lanceam pugnabit pro te adverſus inimicum tuum.* Et ſuper illud Pſalm. *Miſericordia mea & refugium meum*, &c. dicit Auguſtinus. De nulla re ita vincitur inimicus diabolus ut de miſericordia. Et Eccleſiaſtici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*, &c. Quis morti adjudicatus nõ libenter addiſcat quò faciliùs miſericordiã poſſit obtinere? Itẽ quis ſerviturus alicui regi, illi ſervitio non libentius intendat, quo gratiam ejus melius poſſit adquirere? Item quis pugnaturus cum aliquo quem ſcit ſe callidiorem & fortiorem, non libentius intendit illi modo pugnandi, quo hoſtis ejus melius poſſit expugnari? quantũ ergo intẽdendũ eſt miſericordiæ, quæ ad omnia peccata prædicta efficax. Religio iſta mũda & immaculata dicitur ab effectu ſecundum illud Luc. 11. *Date eleemoſynã & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et notandum quod ſecundum Gloſſam in eo quod pupillos & viduas viſitare juſſit, cuncta quæ erga proximum agere debeamus, inſinuat. Miſericordia & in vita & in morte valet homini. Ambroſius. Non ſunt bona hominis quæ ſecum ferre non poteſt, ſola miſericordia comes eſt defunctorum. Tob. 12. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericor-*

diam

diam & vitam æternam. Et ejuſdem 4. *Ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Miſericordia valet in præſenti & in futuro, immò ut brevius dicam ad omnia valet, juxta illud. 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ*. Hominem in judicio miſericordia ſalvat, ut patet Matth. 25. Ipſa etiam manſiones in regno cœlorum diſtribuit Eccleſiaſtici 16. *Omnis miſericordia faciet, locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius*.

IV. Munditia opera miſericordiæ exercentes in peccatis quales ſint.

Sequitur, *& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo*. Sunt aliqui qui multa opera pietatis faciunt, ſed à peccatis non cavent, quaſi volentes eleemoſynis multis licentiam peccandi ſibi comparare. Ideò poſt commendationem miſericordiæ ſubditur de malorum vitatione, ut ſic opera pietatis habeamus ad alios, ut peccando non inquinemus nos ipſos. Non eſt perfectè miſericors qui pupillos & viduas in tribulatione poſitos viſitat, & animæ ſuæ, quæ à cœleſti ſponſo adamatur. non compatitur, ac ſui ipſius, qui amiſit patrem cœleſtem, non miſeretur Eccleſiaſtici 14. *Qui ſibi nequam, cui alii bonus erit?* Proverb. 11. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors*. Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.*

Quæ maculæ contrahantur ab hoc ſæculo.

Et Notandum quod multiplex eſt macula, quam aliquis contrahit ab hoc ſeculo. 1. Superbia. *Prima* eſt macula ſuperbiæ, quæ multum timenda eſt homini. Hæc luciferum ipſis ſideribus clarius emicantem in Diabolum convertit. Hæc macula multum excœcat oculum cordis. 2. Avaritia. *Secunda* macula eſt avaritiæ, quæ multum deformis eſt Eccleſiaſtici 31. *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit &c.* 3. Luxuria. *Tertia* macula eſt luxuriæ, de qua Eccleſiaſtici 47. *Inclinaſti femora tua mulieribus*. Et paulò poſt ſubditur. *Dediſti maculam in gloria tua*. Hæc macula valde turpis eſt Gregorius. Superbia, eo quod minus turpis creditur, minus vitatur. Luxuria eo magis vitatur & erubeſcunt homines, quia omnes turpem noverunt. 4. Gula. *Quarta* macula eſt peccatum gulæ. In Epiſtola Judæ. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes*. 5. Loquacitas. *Quinta* macula eſt loquacitatis. Jacob. 3. *Lingua conſtituitur in membris noſtris quæ maculat totum corpus*.

Vi cuſtodiamur immaculati à ſæculo cavendum.

Et *notandum* quod ad hoc quod aliquis *cuſtodiat ſe immaculatum ab hoc ſeculo* multum valet ad hoc quod ipſe elonget ſe à 1. familiaritate mulierum. Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Proverb. 6. 2. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ejus non ardeant*. Et *ſpecialiter* neceſſarium eſt ei qui vult *cuſtodire ſe ab hoc ſeculo immaculatum*, ut caveat ne amorem ſuum ponat in rebus hujus ſeculi, inquinant enim amatores ſuos. Bernardus. Beatus qui poſt ea non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Oſeæ. 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt*.

Tales ſunt beati.

Item *notandum* beatos eſſe qui *ſe immaculatos cuſtodiunt*. Unde in Pſal. 118. *Beati immaculati &c.* Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Et Proverb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem*.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo monet nos ut exemplo diſcipulorum Domini hoc tempore ad Spiritum S. ſuſcipiendum nos paremus. Et I. aliqua proponit nobis de Spiritu S. quæ ad hanc præparationem faciendum nos moveant. II. vero quædam proponit quæ ad ſuſcipiendum Spiritum ſanctum animam diſponant.

SERMO LVI.

Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus. *1. Petr. 4.*

Exemplo diſcipulorũ Chriſti debemus nos præparare hoc tempore ad ſuſcipiendum S. Spiritum.

Legitur Actorum 1. quod tempore medio inter Aſcenſioné Chriſti & miſſionem Spiritus ſancti fuerunt Diſcipuli cum ſanctis mulieribus in oratione expectantes Spiritum ſanctũ eis promiſſum. Unde Act. 1. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jeſu & fratribus ejus. Exemplo ergo illorum debent fideles tempore iſto eſſe in præparatione ſui & expectatione Spiritus ſancti intenti, præparatis enim debito modo dabitur Spiritus ſanctus ad id, ad quod indigebunt. 1. Cor 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*. Ideo Eccleſia in Epiſtola hodierna monet fideles ad vigilandum in orationibus.

I. Ad hanc præparationem faciẽdam debent nos tria movere.

Et notandum quod *tria* ſunt quæ debent movere fideles ad præparandum ſe diligenter ad ſuſceptionem hujus hoſpitis; ſcilicet hoſpitis ſublimitas, ejuſdem utilitas, & hoſpitis, qui per eum fugatur, malignitas. Hoſpes ille ſcilicet Spiritus ſanctus, cui nos præparare debemus, Deus eſt, ſicut & Pater & Filius. Ideo cum magna diligentia præparandum eſt ei hoſpitium. 1. Spiritus ſanctus ſublimitas. Non videntur credere Spiritum ſanctum eſſe æqualem Filio, qui ante Paſcha diligenter præparant hoſpitium Filio, & ante Pentecoſten nullam præparationem faciunt Spiritui ſancto. De talibus poſſet facere deriſioné ſuam Spiritus ſanctus, cum poſt invocabunt eum dicétes: *Veni ſancte ſpiritus*; vel *Veni creator ſpiritus*. Quale enim eſt hoc, ad hoſpitium indignum deſiderare & toties vocare tantum Dominum. Utilitas verò hoſpitis hujus innuitur nobis. Sap. 12. *O quam bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus*. 2. Eius utilitas vel bonitas. Bonitas ſive utilitas Spiritus ſancti in nobis *primo* apparet ex hoc, quod abſque eo etiam ad momentum anima vivere non poteſt, ſicut nec corpus, niſi ſpiritum attrahat. In Pſalm. 118. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum*. Frequenter attrahendus eſſet Spiritus ſanctus per ſanctum deſiderium. 2. Eccleſia conjungit. *Secundo* ex hoc, quod illi, quos Spiritus ſanctus non ſublevat, ſubmerguntur in aquis hujus mundi. Geneſ. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Auguſtinus. Tu quem imples, ſublevas, & quia tui plenus non ſum, mihimetipſi oneri factus ſum. *Tertio* ex hoc, quod membra in corpore Eccleſiæ conjungit: 3. Sicut ſpiritus hominis partes in corpore continet, unde ipſo recedéte corpus diſſolvitur in pulverem: Pſal. 103. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* Sic qui per peccatum Spiritum ſanctum ſcilicet à ſe expellit, quaſi pulvis efficitur ſecundum illud. Pſal. 1. *Non ſic impii, non ſic, ſed tanquam pulvis, &c.* 4. Suavitas ejus. *Suavitas* etiam ejus magna eſt, ipſe enim eſt *dulcis hoſpes animæ*. Eccleſiaſt. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis*. Ipſe eſt manna abſconditum & ficus de qua Prov. 27. *Qui ſervat ficum, comedet fructus ejus*. Et Bernardus dicit de dulcedine ipſius. Quid non temperabit dulcedo illa quæ mortem quoque facit dulciſſimam? quæ reſiſtere poteſt aſperitas unctioni illi? 5. Septem dona ejus. Hoſpes ille ſeptem dona affert his ad quos declinat, quorum minimum valet omne aurum quod in mundo eſt. Minimũ videtur eſſe timor Domini, de quo tamen legitur. Eccl. 23. *Nihil melius eſt quam timor Domini*. 6. Fuga diaboli. De malignitate verò hoſpitis alterius, ſcilicet diaboli, qui neceſſariò adeſt, ſi Spiritus ſanctus deſit, ſatis patere poteſt per hoc, quod ipſe omnes hoſpites ſuos jugulat & ab omnibus veris bonis ſpoliat. Herem. 6. *Crudelis eſt, & non miſerebitur*. Gregorius. Nihil ſe feciſſe æſtimat, cùm animas non fauciat.

Multa verò ſunt quæ animam præparant ad ſuſ-

Ad ſuſceptionem S. Spiritus animá præparant.

ceptionem Spiritus ſancti. *Primum* eſt *mundatio à peccatis* per veram compunctionem & humilem confeſsionem. Non enim habitabit ſpiritus ſanctus in corpore ſubdito peccatis, nec in corde im-
1. mundo. Unde legitur Geneſ. 8. de columba, quæ figura erat Spiritus ſancti, quod cùm non inveniret ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad Noë in Arcam. Aquæ enim erant ſuper univerſam terram. Non immerſit ſe columba aquis, nec ſpiritus ſan-
2. ctus intrat ubi eſt diluvium peccatorum. *Secundum* eſt *oratio*. Unde tempore iſto ſpecialiter inſtandum
3. eſt orationi. *Tertium* eſt *fraterna charitas*. Unde laudabilis conſuetudo Eccleſiæ eſt, quod in feſto iſto fiunt confraternitates & multæ eleemoſynæ. Hæc duo tanguntur in Gloſſa, ſuper illud Actorum 1. *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione.* In oratione unanimes perſeverant qui Spiritum ſanctum expectant. Et poſt. Qui vult Spiritum ſanctum accipere, perſeveret in precibus & fratrum charitate. Quia cùm Spiritus ſanctus donum ſit, ſpecialiter dando proximo beneficia, meremur Chriſtum accipere. Lucæ 6. *Date & dabitur vobis.* Auguſtinus. Magna miſericordia Dei, donum dat æquale ſibi, nam Spiritus ſanctus donum
4. eſt. *Quartum* eſt *jejunium*, unde creduntur Apoſtoli tali tempore jejunaſſe ſecundum illud Matth. 9. *Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.* Unde laudabilis eſt conſuetudo eorum, qui aliquam ſpiritualem abſtinentiam faciunt hoc tempore. Spiritus ſanctus ignis eſt. Sicut ergo ligna, dũ exſiccantur & humiditas in eis conſumitur, præparantur ad ſuſceptionem ignis: ſic corda hominum per abſtinentiam præpa-
5. rantur ad Spiritûs ſancti ſuſceptionem. *Quintus* eſt *auditus divini verbi.* Unde bonum eſt tali tempore libenter audire ſermones. Pſal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Item Pſal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum.* Actor. 10. *Adhuc*
6. *loquente Petro cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Specialiter* verò præparat ad ſuſceptionem Spiritus ſancti *humilitas*. Unde Iſa. 66. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu*, &c.

DE EADEM DOMINICA. SERMO SECUNDUS.

SERMO. LVII.

Summarium.

Sermo iſte agit de prudentia bona ac mala.

Eſtote prudentes, &c.

Prudentia diligenda eſt.

Monemur in Epiſtola hodierna ad prudentiam, quæ multum diligenda nobis eſt tripli-
1. ci ratione. *Primo* quia patrem cœleſtem lætificat, ſecundum illud Prov. 10. *Filius ſapiens lætificat patrem, filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ.*
2. *Secundo* quia de diabolo triumphat ſecundum illud Job 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum.* Diabolus aſtutia pugnat contra nos. Geneſ. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus.* &c. Et nos prudentia contra eum pugnare debemus. Unde ſerpens Moyſi devoravit ſerpentes magorum Exod. 7.
3. In Pſ. 106. *Omnis ſapientia eorũ devorata eſt. Tertio* quia prudentia eſt unum illorum quatuor, quibus nihil utilius eſt in vita hominibus. Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet & juſtitiam & veritatem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Prov. 3. *Beatus homo qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia.* Sed notandum quod prudentia iſta ad quam ſic monemur, non eſt *prudentia carnis*. De qua Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Delectationes enim prohibitas, quæ quaſi venenatæ ſunt, homini procurat. Non eſt etiam ſapientia iſta, de qua Jac. 3. *Non eſt ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena animalis,* Diabolica.

Prudentia de qua hic ſermo, non eſt prudentia carnis.

Terrena eorum, qui terrenis, quæ adquirunt, ad modum talpæ ſe ſepeliunt. *Animalis* verò eſt ſapientia eorum, de quibus dicit Seneca. Quoſdã ventri obedientes, loco animalium numeremus, non hominũ. *Diabolica* verò eſt illorum, qui exemplo diaboli exaltant ſe quantum poſſunt. Iſa. 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,* &c. Non attendentes quanta dejectio ſecuta ſit, unde ſubdit. *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Voluit Lucifer ſimilis eſſe Altiſſimo, ſed ſuperbi homines quodammodo volunt eſſe ſupra Altiſſimum, dum voluntatem ſuam voluntati Dei præferunt. Et dum voluntatem ſuam impleri volunt, ſive ſit juſta ſive injuſta, cum Deus ſolũ velit voluntatem ſuam adimpleri, ex quo juſta eſt. De hac prudentia legitur 1. Corint. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Iſta prudentia ad quam admonemur, *prudentia ſpiritus* eſt, de qua Rom. 8. *Prudentia ſpiritus vita & pax.* Hanc nullus habet niſi qui in paradiſum vadit. Eccleſiaſt. 6. *Quid habet amplius ſapiens à ſtulto? & quid pauper, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita?* Nullus verò prudens qui eſt, ſciens & volens vadit ad mortem ſuam. Non eſt aliquis ita ſapiens, quin poſſet reputari fatuus, ſi quæreretur ab eo quo iret, & reſponderet, vado ſuſpendere me. Sic nullus eſt qui in infernum vadit, quin ſtultus ſit, quantumcunque ſapiens videatur. Hæc ſapientia *non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Job. 28. Hæc eſt ſapientia ſanctorum, de qua Auguſtinus. Sapientia ſanctorum eſt hîc temporaliter cruciari, & in æternum delectari. Qui vult hanc ſapientiam habere, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens ſecundum illud Corinth. 3. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Et notandum quod omnis peccator ſtultus, eſt quod poteſt probari quatuor rationibus.
Primo per hoc, quod magnã hæreditatem, per ſtul- 1.
titiam ſuam amittit, ſcilicet regnum cœlorũ, ſimilis Eſaü, qui pro lenticula vendidit jus primogenituræ ſuæ, Geneſ. 25. & Thren. 1. *Dederunt pretioſa quæ-*
que pro cibo ad refocillandam animam. Secundo per 2.
hoc quod amiſſam hæreditatem recuperare negligit, cùm eam recuperare poſſit pro nihilo habens terram deſiderabilem, & ideò cum vellet recuperare
non poterit. *Tertio* per hoc, quod in laqueo ejus 3.
ſcienter ſe ponit, qui eum ad mortẽ quærit. Laqueus iſte peccatum eſt. Job 18. *Immiſit in rete pedes ſuos & in maculis ejus ambulat.* Gregorius. Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit exit, ſic qui in peccatis ſe dejicit, non mox cum voluerit ſurgit. Qui in laqueis retis ambulat, greſſus ſuos ambulando implicat, & dum ſe expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Prov. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Immo quod plus eſt funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque ad infernũ ſuſpenditur. Unde patet quanta ſit fatuitas ejus, qui mortaliter peccat, qui voluntariè funem facit quo in inferno ſuſpenditur. Et ut breviter dicam, qui peccatum facit, mortem ſuam facit. Sap. 1. *Deus mortem non fecit,* &c. Paulò poſt. *Impii manibus & verbis accerſierunt illam,* &c. Sap. 16. *Homo per malitiam occidit*
animam ſuam. Quarto per hoc, quod juſtitiam Dei 4.
non timent, cùm tamen ſciant tot homines & tot Angelos damnatos propter tranſgreſſionem mandatorum Dei. Sicut omnes dæmones quandoque fuiſſe Angelos, & propter tranſgreſſionem mandati divini dæmones factos. *Item* propter inobedientiam primorum parentum, ſciunt totum genus humanum morte temporali condemnatum. *Item* ſciunt omnes exceptis octo propter peccata ſua in diluvio eſſe ſubmerſos. Gen. 7. *Item* quinque civi-

Non terrena. Non animalis. Non diabolica.

Sed eſt prudentia ſpiritus vel S.

Peccatores qui ſint fatui.

Omnis peccator eſt ſtultus.

Peccatum qualis ſit laqueus.

tates igne & ſulphure ſuccenſas propter peccata ſua. Geneſ. 19. & tamen nondum juſtitiam Dei timent. Pſal. 87. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua? &c.*

Prudentiæ bonæ ſunt quatuor ſpecies.

1 Providentia.

Et Notandum eſt quod Prudentia ad quam hic monemur Quatuor habet ſpecies. Prima eſt providentia, ad quam monemur Proverb. 6. Cum dicitur. *Vade ad formicam O piger & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi & congregat in meſſe, quod comedat.* Et ejuſdem 10. *Qui congregat in meſſe, eſt filius ſapiens: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis eſt.* Exemplum providentiæ habemus in Joſeph Geneſ. 41. Qui in ſeptem annis fertilitatis congregari fecit quæ neceſſaria erant ſeptem annis ſterilitatis futuræ. Sapienti enim neque quod ante oculos habet, ſufficit intueri, rerum exitus prudentia metitur. Senec. Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur. Præſentia ordina, futura prævide; præterita recordare. Qui eſt ſine hac ſpecie prudentiæ ſimilis eſt habenti debilem viſum, qui non ſufficit ea, quæ remota ſunt intueri. Hoc lumine cœleſti aſpicit homo futura ut præſentia. Sap. 8. *Sapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter.*

2. Circumſpectio.

Secunda ſpecies eſt *circumſpectio*, quæ eſt contrariorum vitiorum cautela. Ad hanc pertinet ſic cavere avaritiam, ut non incidamus in prodigalitatem, ſic fugere temeritatem, ut non incidamus in puſillanimitatem. Ad hanc monemur proverb. 4. Ubi dicitur: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum* Dicturus (*cuſtodia*) præmiſit (*omni*) ne hinc hoſtibus fores claudas & aliunde aditus pandas, ſed omnes fores hoſtibus claudas. Hanc ſpeciem prudentiæ non habent, qui paupertatem præſentem, vel alia mala præſentia ita fugiunt, quod in mala æterna incidunt, ſimiles equis umbraticis, qui fugiunt umbras periculorum & vera pericula incurrunt. Vera bona & vera mala ſunt vitæ futuræ, præſentia verò mala & bona umbræ ſunt illorum, immò minus ſunt quàm umbræ reſpectu futurorum. Hæc ſpecies prudentiæ commendatur nobis Ezech. 1. ubi dicitur quod *totum corpus plenum erat oculis in circuitu.*

3. Diſcretio.

Tertia ſpecies eſt *cautio*, vel *diſcretio*, ad quam pertinet diſcernere à virtutibus vitia virtutum ſpeciem prætendentia. Iſidorus. Quædam vitia virtutum ſpeciem præferunt, unde pernitioſius ſuos ſectatores decipiunt, quia ſe ſublevamine virtutis tegunt. Nam ſub prætextu juſtitiæ crudelitas agitur, & remiſſa ſegnities manſuetudo creditur ſapiens. Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quam quæ latent in ſimilitudine officii. Hoc lumine cœleſti inſpiciuntur res non ſolum ſuperficialiter, ſed etiam interius. Seneca. Quæ decipiunt nihil ſolidi habent, tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris. Qui hanc ſpeciem non habent, frequenter incurrunt illam maledictionem. Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malũ, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras &c.* Qui hanc ſpeciem prudentiæ habent, agnoſcunt ſub abundantia temporalium magnam indigentiam, ſub lætitia magnam triſtitiã, ſub gloria ignominiam, ſub pulchritudine immunditiam. Auguſtinus. Cum iniquis omnia ſunt pulchra & ipſi ſunt turpes. Seneca. Horũ qui felices vocantur hilaritas ficta eſt & gravis triſtitia, eo quidem gravior, quod interdũ non licet palam eſſe miſeros, ſed inter ærumnas cor ipſũ extendentes neceſſe eſt agere felices.

4. Docilitas activa. Vitanda his tria ſunt.

Quarta ſpecies eſt *docilitas*. Ad hanc pertinet erudire imperitos. Circa quã tria vitanda ſunt. *Primum* eſt ne alios informantes nos ipſos negligamus. *Secundum* eſt ne ignota pro cognitis habeamus & eis temerè aſſentiamus, hoc enim eſt præſumptio. Quod vitiũ qui cavere voluerit, adhibeat ad res conſiderandas tempus & meditationem. *Tertium* eſt ut obſcuris & difficilibus, quæ non ſunt neceſſaria, magnum ſtudium non adhibeamus, quod eſt vitium curioſitatis; eſt enim curioſitas non magnæ utilitati nimiam operam impendere.

Curioſitas quid ſit.

Circa hanc ſpeciem prudentiæ inſtruimur. Prov. 5. ubi dicitur. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui.* Deriventur fontes tui foras. Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana. Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur, quando habenda eſt.

A Domino ad prudentiam hanc monemur exemplo ſerpentis.

Ad prudentiam monet nos Dominus. Matth. 10. dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Serpens pro capite corpus exponit, & ad exponendam veterem pellem in arcto ſe ponit, & ne audiat vocem incantatoris, unam aurem cauda, aliam terra obſtruit.

1. In *primo* docemur ut caput noſtrum ſcilicet Chriſtum pluſquam vitam proprii corporis amemus. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & poſt. *Certus ſum quia neque vita &c.*

2. In *ſecundo* docemur ut in arcta pœnitentia veterem conſuetudinem deponamus ſecundum illud ad Epheſ. 4. *Deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem. qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* In *tertio* verò docemur quod circa ſuggeſtiones Diaboli, aures cordis obſtruamus memoria noſtræ vilitatis & mortis. Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis.* Sapiens Summa Philoſophiæ eſt aſſidua mortis meditatio.

Ad eandem Salomõ nos hortatur exemplo quatuor animalium.

Ad prudentiam etiam monet nos Salomon exemplo quatuor minimorum animalium Proverb. 30. dicens. *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formica populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: Lepuſculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile ſuum: regem locuſta non habet & egreditur univerſa per turmas ſuas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.*

1. Formica. In *formica* commendatur nobis prudentia, ut prius dictum eſt.

2. Lepuſculus. In *lepuſculo* verò, quia eſt animal timidum, & velociter fugiens, & collocat in petra cubile ſuum, commendatur nobis diffidentia de propriis viribus, & confidentia in Deo, quæ reperitur in hominibus timoratis.

3. Locuſta. In *locuſta* verò, quæ ſaltat, ardens deſiderium æternorum.

4. Stellio vel Lacertus. In *ſtellione* verò, alas non habente, ſed manibus nitente, commendatur nobis diligentia in operatione, quæ in illis, qui à natura tardi ſunt ingenii, ſupplet quod minus à natura habent. Ingenioſi enim per negligentiam in imis remanent, & ſimplices quos ingenii pneuma non adjuvat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis levat. Stellio adhuc alio nomine ad literam vocatur lacertulus.

Humilitas quatuor virtutes horum animalculorum operatur in bonis.

Hæc quatuor operatur humilitas in viris ſanctis, *ubi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Proverb. 11.
1. Verus humilis agnoſcit infirmitatem ſuam & præoccupat ante tempus neceſſitatis ſibi providendo.
2. *Item* de viribus propriis non confidit, ſed in Deo fiduciam ſuam ponens fortior efficitur. Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*
3. *Item* ſi per deſiderium quandoque ad cœleſtia ſaltat, tamen per conſiderationem propriæ vilitatis ad terram decidit.
4. *Item* tarditatem ingenii ſui, quam agnoſcit, diligentia ſupplet.

Prudentia vincit quatuor tentationes Dæmonis.

Item Notandum quod ſpecialiter oportet nos eſſe prudentes contra tentationes Diaboli, quæ in Pſalmo 90. notatur cum dicitur. *Non timebis à timore nocturno &c.*

1. *Prima* eſt *timor nocturnus*, ideſt, timor adverſitatis, contra quem *ſcuto circumdabit te veritas ejus*, ſcilicet veritas quæ habetur. Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

2. *Secunda* eſt *ſagitta volans in die*, id eſt, vana gloria, tentans

in proſperitate, contra quam eſt ſcutum illud. 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti: ſi autem*
3. *accepiſti, quid glorìaris quaſi non acceperis?* Tertia eſt *negotium perambulans in tenebris*, id eſt, honoris ambitio umbrata tenebris falſæ religionis; contra quam ſcutum eſt illud. Luc. 18. *Omnis, qui*
4. *ſe exaltat, humiliabitur.* *Quarta* eſt *demonium meridianum*, quando ſcilicet angelus Sathanæ transfigurat ſe in angelum lucis, tentans ſub ſpecie boni; contra quam ſcutum eſt illud. 1. Joan. 4. *Nolite credere omni ſpiritui.* Ideò quærit Joſue ab angelo, *noſter es, an adverſariorum?* Joſue 5. Et B. Virgo turbatur in ſermone angeli. Unde Bernardus. Maria turbatur in ſermone angeli, dolum (ni fallor) ſuſpicans.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Recenſentur hoc ſermone aliquot utilitates, quas oratio vigilans parit & Charitas, quæ veſti comparatur.

SERMO LVIII. Eſtote prudentes & vigilate in orationibus &c.

Vigilandū eſt nobis in precibus.

PRudentes eſſe debemus, id eſt, prævidentes futura pericula; & vigilare in oratione, ut digni ſimus fugere ea. Unde Luc. 21. *Vigilate omni tem-*
1 *pore orantes, ut digni habeamini fugere omnia iſta,*
2. *quæ futura ſunt.* *Item* vigilare debemus in oratione abigendo muſcas à ſacrificio orationis, exemplo Abraham abigentis volucres. Geneſ. 15. Eccleſ. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem un-*
3. *guenti.* Vigilare etiam debemus ne Diabolus furetur nobis cor noſtrum, quod frequenter accidit orantibus. 2. Reg. 7. *Invenit ſervus tuus cor ſuum ut oraret te.*

Sine Charitate nihil prodeſt.

Sequitur (*Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum*) Charitas ante omnia habenda eſt, quia ſine ea alia nihil proſunt. 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Opera de genere bonorum ſine charitate non ſunt bona, ſed ſimilitudines bonorum. Seneca. Apud ſapientes ſunt honeſta, apud vulgus verò ſimulachrum rerum honeſtarum. Et Notandum quod charitas veſtis eſt vitalem calorem in homine cuſtodiens, quam quicunque non habet, frigore moritur. Joan. 3. *Qui non diligit, manet*

Charitas eſt veſtis ad quæ proſit.

1. *in morte.* Charitas etiam veſtis eſt ab omnibus mu-
2. niens. Non habenti Charitatem, nocent omnia tam proſpera quam adverſa: habenti verò Charitatem, omnia proſunt, ſecundum illud ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia coope-*
3. *rantur in bonum.* Charitas etiam veſtis eſt turpitudinem peccatorum operiens, unde hic dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Qui hanc veſtem non habet, quaſi nudus eſt. Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem ejus.* Et ejuſdem 3. *Quia dicis, dives ſum & locupletatus & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſerabilis & pauper & cæcus & nudus.* Et ſubditur. *Suadeo tibi emere aurum ignitum &c.* In quo innuitur quod per aurum charitas intelligitur, quam qui non habebit, pauper & nudus erit. Charitas etiam veſtis nuptialis eſt, quæ hominem dignum facit ingreſſu regni
4. cœleſtis. Hanc quicunque non habet, indignus eſt conſortio Dei & angelorum. Omnis ornatus abſque Charitate velut ſaccus eſt, in quo non licet intrare aulam cœleſtis regis. Unde Heſter 4. legitur, quod non erat licitum indutum ſacco intrare aulam regis Aſſueri, qui beatitudo interpretatur.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit. I. quæ beneficia à Chriſto & S. Spiritu hodie hominibus collata ſint, ob quæ Deus ſit glorificandus. II. Exemplo Diſcipulorum Chriſti proponit aliqua, quibus ad digne recipiendum S. Spiritum preparemur, quod ad fidelium utilitatem pertinet.

Erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. *Actor. 2.*

SERMO LIX. Eccleſia hæc ſolennitate duo ſpectat.

HOdie celebrat Eccleſia ſolennitatem Spiritus ſancti habens reſpectum ad *duo*, ſcilicet ad *gloriam Dei* & *utilitatem fidelium*. Vult enim ut fideles attendentes id quod Deus eſt operatus tali die, glorificent eum & gratias agant ei de tanto beneficio, & præparantes ſe debito modo exemplo Apoſtolorum, ſperent ſe eundem ſpiritum recipere. Hodie Chriſtus ſe Deum oſtendit qui prius I.
ſe Dominum mundi oſtenderat. In hoc ſe Deum oſtendit, quod ſpiritum ſanctum, qui Deus eſt Eccleſiæ dedit, non enim eſt minor dator dono ſuo. Auguſtinus. Magna miſericordia Dei, donum dat æquale ſibi: Nam Spiritus ſanctus donum eſt. Hoc prædixerat Dominus, dicens. Joan. 16. Spiritus qui à patre procedit, *ille me clarificabit.* Oſtenderat ſe dominum Chriſtus maris & eorum quæ in mari ſunt, cùm ſuper mare ambulavit, & mare ſe ſolidum ei præbuit, & ſtaterem in ore piſcis inveniendum prædixit. Item Dominum inferni & eorum quæ in inferno ſunt, quoniam contrivit portas inferni & Sathanam ligavit. Oſtenderat etiam ſe Dominum terræ & eorum quæ in terra ſunt, infirmos curando, mortuos ſuſcitando, quando eadem manu, qua fecerat omnia, quæ defecerant reficiebat. Oſtendit etiam ſe Dominum aëris & omnium quæ ſunt in aëre, & cœli & eorum quæ ſunt in cœlo, cùm propria virtute aſcendit per aëra nube lucidâ ſibi obſequente, & receptus eſt in cœlum angelis ferentibus ei teſtimonium, quod in cœlum aſcendiſſet, ne putaretur in paradiſum terreſtrem vel in alium locum tranſlatus ſicut Helias & Enoch. Oſtenſo ergo prius quod eſſet Dominus omnium, hodie oſtendit ſe eſſe verum Deum, ſicut prius dictum eſt. Hodie rex noſter ſeptuaginta duos milites fecit, eis aſſocians duodecim Barones quos à Deo roboravit, quod per eos totum mundum ſibi ſubjugavit. Duodecim Barones ſunt duodecim Apoſtoli, ſeptuaginta duo milites ſunt ſeptuaginta duo diſcipuli. Bernardus licet magna & plane divina fuerint miracula quæ Dominus geſſit in terris, hoc tamen unum ſuper omnia alia enituit, quod in paucis ſimplicibus totum mundum & omnem ſapientiæ altitudinem ſibi ſubjugavit. Et notandum quod quando aliquis fit miles, enſis ſibi cingitur, & in collo percutitur, ut gladio hoſtes percutiat, & ictus viriliter ſuſtineat: ſic Dominus cum hos novos milites fecit, verbum Dei eis pro enſe dedit, unde ad Hebr. 4. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et ad Epheſ. 6. *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ad hoc ſignandum linguæ apparuerunt ſuper eos. In igne verò qui lutea corroborat, patientia intelligitur. Hodie ſponſus Eccleſiæ miſit ſponſæ ſuæ, non tantum munus in ſignum amoris (ſicut ſolent ſponſi mittere uxoribus ſuis munuſcula aliqua in ſignum amoris) ſed ipſum amorem miſit ſpiritum ſanctum, qui amor eſt. Oſtenderat Deus mundo potentiam & ſapientiam ſuam, ſed hodie oſtendit bonitatem ſuam, ſpiritum ſanctum mittendo in mundum. Bernardus. Cogitemus ſuper nos opera Trinitatis, &

Hodie Chriſtus ſe Deum oſtēdit qui.

Ante oſtenderat ſe Dominū Mundi Mat. 14. Marc 6. Matt. 17.

Act. 1.

4. Reg. 2. Geneſ. 5. Hodie Chriſtus fecit diſcipulos milites.

Miſit munus Sponſæ ſuæ Eccleſiæ S. Spiritum.

Exhibuit mundo bonitatem ſuam.

& videamus quam ſolicita ſit illa majeſtas, ne nos perderet in æternum. Potenter omnia fecerat, ſapienter omnia gubernabat, ſed latebat bonitas. Item Bernardus. Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei? aut filius hominis quia reputas eum? denique mittis ei Unigenitum tuum, mittis ſpiritum tuum, promittis etiam vultum tuum, & ne quid vacet in cœleſtibus ad opera ſolicitudinis noſtræ, etiam illos beatos ſpiritus propter hos mittis in miniſterium. Et *notandum*, quod adventus ſpiritus ſancti in *tribus* differt ab adventu filii.

Adventus Dei Filii & S. Spiritus in tribus differunt.

Primo Adventus filii Dei duplex eſt. Unus eſt ad homines & pro hominibus in manſuetudine, ſcilicet & benignitate. Alter verò erit contra homines malos in majeſtate & ſeveritate. Sed adventus ſpiritus ſancti ſemper eſt ad homines & pro hominibus. *Secundo* in hoc quod filius Dei venit ad homines, ut cum hominibus converſaretur. Baruch 3. *In terris viſus eſt &c.* Sed ſpiritus ſanctus venit ad homines ut in hominibus habitet ſecundum illud Joan. 14. *Vos cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* *Tertio* in hoc quod filius ad patrem rediit, ſed ſpiritus ſanctus cum Eccleſia remanſit. Unde multù debet Eccleſia inſtare in feſto iſto ejus glorificationi, quaſi enim quodam appropriato modo tenetur ei Eccleſia.

Eccleſia debet glorificare S. Spiritum ob beneficia ipſius, quæ.

Ipſe enim prophetas inſtruxit, ipſe Chriſti incarnationem operatus eſt & gentium converſionem. Cùm Chriſtus corporalem Eccleſiæ præſentiam ſubtraxit, ipſe cum ea remanſit ei conſulens, ejus conſolator & infirmitatis ejus adjutor. De *primo* Joan. 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Seneca loquens de ſpiritu ſancto, hic dat, inquit, magnifica conſilia & erecta, ſi credas. De *ſecundo* Joan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, id eſt alium conſolatorem. De *tertio* ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Nullus poteſt ſe ab ejus glorificatione excuſare in quocunque ſtatu ſit. Quia ſi in peccato es, glorificare debes eum, cum ipſe operetur remiſſionem peccatorum. Bernardus. Spiritus ſanctus ſicut nos erigit quadam fiducia, ita Deum inclinat ſua miſericordia ad nos. Si extra peccatum es, ſi tamen debilem te ſentis, glorifica eum tanquam infirmitatis tuæ adjutorem. Si perfectus es & ſpiritualis, glorifica eum, talium enim conſolator eſt, qui carnales conſolationes renuunt. In Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum.* Spiritus ſanctus eſt ſuavitas ſpirata à patre & filio, quam ſponſus Eccleſiæ ſponſæ ſuæ communicat. Solet ſponſus ſponſæ tradere vel roſam vel aliquid ſuaviter redolens. Sic Chriſtus ipſam ſuavitatem tradit ſponſæ ſuæ. Joan. 3. *Spiritus ubi vult ſpirat.*

II. Ad dignè recipiendũ S. Spiritum præparatio.

Et ſicut Eccleſia debet vacare hodie glorificationi Dei, ita debet ſe præparare, ut ſpiritum ſanctum digna ſit recipere. Ad quod primum valet unitas, unde diſcipuli erant pariter in eodem loco.

1. Unitas & Concordia.

Corporaliter ſpiritum ſanctum receperunt, & ſicut erant in uno loco corporaliter, ſic etiam ſpiritualiter, habentes cor unum & animam unam. Qui vult ergo ſpiritum ſanctum recipere, odium ſive diſcordiam à ſe removeat. Spiritus hominis non vivificat membra hominis, niſi ſint unita: ſic ſpiritus ſanctus in corpore Eccleſiæ illos vivificat, qui habent unitatem & concordiam. Ignis etiam lignorum diviſione extinguitur, ſic ignis ſpiritus ſancti in hominibus per diſcordiam. In Pſal 132. *Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Quam bonum, id eſt, quam utile. Eccleſ. 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.*

2. Humilitas & ſtabilitas.

Secundo præparat ad ſuſceptionem ſpiritus ſancti humilitas & ſtabilitas, quæ duo notantur in hoc, quod ſedentibus Apoſtolis Spiritus ſanctus datur. Unde Gloſſa. Sellio indicium eſt humilitatis & ſtabilitatis, quibus præparatur ſedes ſpiritui ſancto, qui ſuper humiles requieſcit. Non vult ſpiritus ſanctus intrare hoſpitium aliquod, niſi ibi honorandus ſit. Humilitas verò ſola honorat eum. Unde Eccleſ. 3. *Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Bernardus. Semper ſolet humilitas eſſe familiaris divinæ gratiæ. Non venit ſpiritus ſanctus ad hoſpitium in quo nullum invenit. Seneca. Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere & ſecum morari. Valet *etiam* ad hoc quod aliquis ſpiritum ſanctum ſuſcipiat, ſi ei appropinquet & obſtacula removeat. Jacob. 4. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis.* Sicut à lumine ſolis & à

3. Appropinquate illi & removete obſtacula rerum terrenarum.

calore impeditur aliquis alicujus rei terrenæ oppoſitione; ſic à ſuſceptione ſpiritus ſancti aliquis impeditur amore rei terrenæ ſcilicet, vel divitiarum, vel delitiarum, vel honorum. Job. 38. *Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram.* Tunc lux ſpargitur, cum ſerenum eſt, vel quando aër ſerenus eſt, non habens aliquam terrenam groſſitiem impedientem. Æſtus verò dividitur ſuper rem aliquam, quando illud à quo eſt æſtus propinquius efficitur. Sic lux divinæ ſapientiæ illuminat cor hominis, quando nulla terrenitas hoc impedit. Æſtus verò, id eſt, ignis ſpiritus ſancti ſuper terram dividitur, cum ei appropinquatur. Et quaſi ſpiritui ſancto obviam vadit, qui cor ſuum ad cœleſtia erigit, ſpiritus enim ſanctus deſurſum venit, ſecundum illud. Jacob. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum &c.* Ad hoc ſignificandum diſcipuli receperunt ſpiritum ſanctum, cum eſſent in ſuperiori parte domus, unde ſuper illud Actor. 2. *In eodem loco*, dicit Gloſſa. Qui ſpiritum ſanctum deſiderat, carnis domicilium mentis contemplatione tranſcendens calcat. In homine ſunt duæ manſiones. In inferiori manſione habitat, qui ea quæ carnis ſunt cogitat & deſiderat, In ſuperiori manſione habitat qui ad ea quæ ſurſum ſunt, mentem levat. *Item* notandum quod ſicut aliquis declinat ad hoſpitium, in quo

4. Oratio.

ſcit deſiderari adventum ſuum, præcipuè cum dominus hoſpitii multum ſuper hoc rogat eum: ſic ſpiritus ſanctus venit ad eos qui ſunt in oratione & deſiderant adventum ſuum, unde oratio unum eſt illorum quæ maximè præparant ad ſuſceptionem ſancti ſpiritus. Sap. 6. *Praeoccupat eos qui ſe concupiſcunt &c.*

S. Spiritus tribus modis datus eſt olim ſicut & nunc.

Legimus ſpiritum ſanctum in principio Eccleſiæ *tripliciter* datum. *Primo* in *oratione*. Unde cantat Eccleſia de Apoſtolis. *Orantibus Apoſtolis Deum veniſſe nunciat.* Et Lucæ 3. *Orante Jeſu apertum eſt cælum, & deſcendit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* *Secundo* in *prædicatione*, unde Actor 10. *Adhuc loquente Petro, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.* *Tertio manuum impoſitione*, unde Actorum 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum.* Igitur qui vult ſpiritum ſanctum recipere, vacet orationi, audiat prædicationem, & libenter vadat ad confeſſionem, ubi manuum impoſitione datur gratia ſpiritus ſancti. In oratione enim ſervatur deſiderium, deſiderium autem impetrat ſpiritum ſanctum. Unde Dan. 9. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel &c.* Et poſt, *dixitque ego veni ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.* Iſa. 26. *Anima mea deſideravit te in nocte &c.*

DE EADEM.
SERMO SECUNDUS.
SUMMARIUM.

Affert hic ſermo rationes aliquot cur S. Spiritus in ſpecie linguarum ignearum apparuerit. Deinde ſeptem operationes ignis ſeptem S. Spiritus donis accommodat.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. *Actorum* 2.

SERMO LX. Tria circa hoc verbũ notanda.

ID eſt radioli ignei, ad modum linguarum formati, diverſi & diſperſi ſuper Apoſtolorum capita, 2. Actor.

Circa quod verbum Tria nobis attendenda ſunt ad inſtructionem noſtram. *Primo* quid in hoc ſignatum ſit, quod in linguis igneis ſpiritus ſanctus apparuerit. *Secundo* quare ſpiritus ſanctus potius linguam elegerit, quàm aliud membrum, ut in ejus ſpecie appareret. *Tertio* quare potius ignem quàm aliud elementum elegerit.

I. S. Spiritus in linguis igneis apparuit.

I. Circa Primum *tria* notanda ſunt, quod ſcilicet in linguis igneis apparuerit ſpiritus ſanctus. *Primo* quod ſpiritus ſanctus diſcipulos eloquentes redderet, & hoc verbis ardentibus, quod prædicantibus
1. neceſſarium eſt, quia qui nón ardet, non incendit, unde de Helia dicitur Eccleſiaſtici. 48. Quod ver-
2. bum ejus quaſi facula ardebat. *Secundo* ut oſtenderetur quod legem igneam prædicarent, ſcilicet legem amoris, hanc venit enim dominus prædicare & hanc voluit dominus præcipuè à diſcipulis prædicari. Lucæ.12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* & Joan.15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, & poſt, *hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Item Joan.13. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*, & Levit.6. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos &c.* Has duas ſignificationes tangit Bernardus dicens. Venit ſpiritus ſanctus ſuper diſcipulos in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignita loquerentur, & legem igneam igneæ linguæ præ-
3. dicarent. *Tertio* ut oſtenderetur, quod ſpiritus ſanctus, qui per ignem ſignificatur, loqueretur in eis, ſecundum illud verbum Domini Matth.10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus &c.* Voluit dominus certificare eos quod ſpiritus ſanctus in eis loqueretur, & ne diffiderent, & ne ſibi attribuerent quod multi ad prædicationem eorum converterentur, & ut ab hominibus ſermo eorum quaſi ſermo Dei audiretur. Hierem.15. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Prædicator pretioſum à vili ſeparat, quando oſtendit quid ſit vile, & quid pretioſum.

II. In ſpecie membri linguæ apparuit.

II. Circa Secundum notandum quod ſpiritus ſanctus *triplici* ratione in ſpecie linguæ potius quam in ſpecie alterius membri apparuit. *Primo* quod lingua igne infernali multum ſuccenſa eſt, ideo
1. igne ſpiritus ſancti multum indigebat Jacobi. 3. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ,
2. inflammata à Gehenna. *Secundo* quia valde difficile eſt linguam regere, ideò præ cæteris membris gratia ſpiritus ſancti indiget. Prov.16. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et Jacob.3. *Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentum, & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana, linguam autem nul-*
3. *lus hominum domare poteſt.* *Tertio* quia membrum valdè utile eſt, ſi bene regatur. Proverb.10. *Vena vitæ os juſti.* Proverb.15. *Lingua placabilis, lignum vitæ.*

III. Circa Tertium verò notandum, quod ideò ſpiritus ſanctus in igne potius quam in alio elemento apparuit, quia ignis habet ſeptem operationes per quas ſeptem dona ſpiritus ſancti intelligi poſſunt.

In ſpeciẽ Elementi ignis apparuit. Septẽ operationes ſeptem dona S. Spiritus denotant.

Prima eſt quod *purgat*, ut patet in auro & argento, quæ in igne purgantur; & hoc pertinet ad *donum timoris*, cujus eſt purgare à peccatis. Eccleſ.1. *Timor domini expellit peccatum. Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Et ibid. Timor domini 1.
ſcientiæ religioſitas; religioſitas cuſtodit & juſtificabit cor. Nec mirum ſi timor Domini à peccatis purgat, cùm habeat pro fornace tam ignem purgatorii, quam ignem inferni. Cùm ſine timore juſtificatio non fiat, frequenter cogitanda eſſent quæ timorem nobis poſſent incutere, ut ſunt pœnæ, quas legimus Dominum intuliſſe etiam in præſenti pro diverſis peccatis, & diſtrictio extremi judicii
& pœnæ purgatorii & inferni. *Secunda* operatio 2.
ignis eſt, quod *liquefacit*, & ſic quod durum erat molle efficit. Et hoc pertinet ad *donum pietatis*, quod cor hominis quodammodo liquefacit, ut hominibus coaptet ſe, gaudendo cum gaudentibus & flendo cum flentibus. Hoc donum ſpiritus ſancti Paulus habebat dicens. 2. Cor.11 *Quis infirmatur*
& ego non infirmor? *Tertia* operatio ignis eſt quod 3.
incinerat, & ſic quæ omnino diſtincta erant, unum facit. Quod pertinet ad *donum ſcientiæ*, quod ſecundum Auguſtinum hominem facit interius lamentantem & non exterius ſe jactantem. Et ſecundum illud. Eccleſiaſtæ 1. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Donum etiam ſcientiæ valet ad hoc ut homo bene converſetur in medio pravæ & per-
verſæ nationis. *Quarta* operatio ignis eſt, quod 4.
ſurſum tendit, quod pertinet ad *donum conſilii*. Conſilia enim pertinent ad eminentiam vitæ & perfectionem, ut illud Matth.19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus.*
Quinta operatio ignis eſt, quod lutea & fragilia 5.
conſolidat, quod pertinet ad *donum fortitudinis*. Luc.24. *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Hoc igne conſolidatus fuit Petrus, quando ibat gaudens à conſpectu concilii, quia dignus habitus eſt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Actuum 5. qui prius ad vocem ancillæ nega-
verat dominum Matth.2 . *Sexta* operatio eſt quod 6.
illuminat, quod pertinet ad *donum intellectus*. Thren.1. *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Oſſa Eccleſiæ Apoſtoli fuerunt, qui totum corpus Eccleſiæ ſupportabant, exterius dura per patientiam adverſorum, interius verò dulcedinem pietatis & manſuetudinis habentes velut medullam. Ex hoc poſſumus agnoſcere fatuitatem eorum, qui in Prælatis Eccleſiæ cauſantur, eo quod ſunt conſtantes & immobiles in via veritatis. Ridiculum enim eſt duritiam reprehendere in oſſibus,
cum in eis potius hoc laus ſit. *Septima* operatio 7.
ignis eſt, quod *inflammat*, quod pertinet ad *donum ſapientiæ*, cui præ magnitudine ſaporis ſpiritualia ſapiunt. Sicut enim cibus ſapit magis eſurienti; ſic & ſpiritualia magis ſapiunt amanti. Ad Coloſſ.3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.*

DE EADEM.
SERMO TERTIUS.
SUMMARIUM.

Explicatur I. *hoc ſermone quomodo tres ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum, à S. ſpiritu in columba flatus & ignis figuris, olim apparente inſtruantur.* II. *in quibus S. ſpiritus requieſcat, in quibus non.* III. *diverſam eſſe repletionem S. ſpiritus, quid faciendum ut eò repleamur, & repletionis hujus quæ ſint ſigna.*

SERMO LXI. S. ſpiritus figuratus fuit in tribus.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ &c.

NOta ſpiritum ſanctum figuratum eſſe tribus figuris, *primo in columba*. Lucæ 3. Ubi in

ſpecie

Digitize

ſpecie columbæ deſcendit ſuper Chriſtum baptizátum. *Secundo in flatu* Joan. 20. Quando dominus inſufflavit & dixit diſcipulis ſuis. *Accipite ſpiritum ſanctum. Tertio in igne.* Actorum 2. Et pertinent hæ tres figuræ ad tres ſtatus juſtorum. *Prima* pertinet ad incipientes, *ſecunda* ad proficientes, *tertia* ad perfectos.

Hæc ad tres ſtatus ſpectant.

I. Circa Primum notandum, quod incipientes ad bonam vitam *primo* debent habere gemitum pro cantu.

Incipientes columbæ aſſimulentur.

Debent enim recogitare omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ.

1. Hierem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Ad talem pertinet doloris pœnitentialis cinerem tanquam panem manducare.

Iſai. 38. Pſal. 101.

Nec mirum ſi anima pœnitens luctum habeat pro cantu, cùm Deus luctum illum cantum reputet, præmio regni æterni illum remunerando. Iſai. 23. *Sume cytharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum*, canticum, inquam confeſſionis.

2. *Secundo* ad ſimilitudinem columbæ uti debet puro grano, ut placeat ſibi à malo abſtinere & bona agere. Nõ enim ſufficit lugere prçteritam injuſtitiam, niſi homo eſuriat etiam juſtitiam, unde poſt illud: *Beati qui lugent*, ſequitur immediate: *Beati qui eſuriunt juſtitiã.* Matth. 5. Erubeſcant illi, *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Proverb. 2. Qui à columba exemplum ſumere nolunt, ſunt, qui potius corvi volunt eſſe, homines carnales cadaveribus adhærentes.

3. *Tertio* debet qui bonam vitam inchoavit exemplo columbæ manere ſuper aquas doctrinæ, ut umbram accipitris infernalis, ſcilicet umbram peccati agnoſcat & à Diabolo caveat. Cantic. 5. *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum.*

4. *Quarto* exemplo columbæ nidificare debet in petra. Petra quæ non flectitur, Chriſtum ſignificat, præcipuè in ſtatu crucis, ubi occidi potuit, ſed non vinci. In hac petra nidum ſuum facere debet, qui bonam vitam inchoat, juxta illud Cantic. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Foramina petræ ſunt vulnera Chriſti in cruce. Bernardus. Ubi vita firma, quæ infirmis requies, niſi in vulneribus ſalvatoris. In foraminibus petræ tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum. Idem. Devotus miles non ſentiet ſua, dum benigni ducis vulnera intuebitur.

5. *Quinto* ad modum columbæ ſimpliciter intuetur, dum in operibus ſuis ad Deum habet intentionem. Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Oculus dicitur hic intentio.

Simplicitas quid ſit. Pſal. 26.

De hac ſimplicitate dicit Bernardus. Simplicitas eſt perfecte ad Deum converſa voluntas, unam petens à domino, hanc requirens &c. Vel ſimplicitas eſt in converſatione vera humilitas, virtutis conſcientiam magis amplectens quam famam.

6. *Sexto* debet eſſe abſque felle malitiæ, potius eligens mala ſuſtinere quàm inferre, quia apud Chriſtianos non eſt miſer qui patitur contumeliam, ſed qui facit, ut dicit Hieronymus. Ruſticus eſt qui facit ruſticitatem, non cui fuit. Qui bonam vitam inchoavit, non debet tantum timere malum pœnæ, ut metu illius proſiliat in malum culpæ, quod incomparabiliter magis timendum eſt.

7. *Septimo* exemplo columbæ congregatim volantis concordiam cum proximo debet habere. In Pſal. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unũ &c.* Eccleſ. 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum &c.*

Proficientes cujus habẽt flatu S. ſpiritus, cur.

Circa Secundum verò notandum quod ſpiritus ſanctus ideò per flatum voluit deſignari, ſive per ſpiritum qui attrahitur ad cor refrigerandum, ut oſtenderetur ejus neceſſitas. Inter omnia enim maximè neceſſarius eſt vitæ humanæ ſpiritus iſte. Non enim poteſt homo durare per unam horam abſque ipſo, cum ſine cibo & potu multis diebus durare poſſet. Sic vita animæ maximè indiget ſpiritu ſancto, ſine ipſo enim non poſſet ad horam durare. Et debent illi qui in bono proficiunt ſic ſe habere ad ſpiritum ſanctum, ſicut ad ſpiritum quem attrahimus ad cordis refrigerium nos habemus. Cavere enim debent diligenter, ne ſolicitudine vel amore terrenorum impediatur adventus ſpiritus ſancti. Sicut viſcoſo humore exiſtente in meatu, per quem ſpiritus nervorum attrahitur, fit difficultas reſpirandi, & quandoque homo ſuffocatur, ſic & animæ accidit. Matth. 13. Lucæ 8. Solicitudo hujus ſæculi & fallacia divitiarum ſuffocant verbum. Prov. 4. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Frequenter etiam debent aperire os cordis per deſiderium, & orando attrahere ſpiritum ſanctum ad refrigerandum cor ab ardore vitiorum ſecundum illud. Pſalm. 118. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.* Pſal. 26. *Anima mea deſideravit te in nocte &c.* Aliter anima tota inceenditur. Attrahendus eſt etiam ſpiritus ſanctus, ut inde vox prædicationis, vel orationis, vel laudis divinæ, vel gratiarum actionis formetur. Actorum 2. *Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto & cœperunt loqui.*

Circa Tertium verò notandum eſt quod ſicut ignis ſubjectum ſuum in cinerem redigit, ſic ignis ſpiritus ſancti viros perfectos per humilitatem incinerat, & adnihilat, juxta illud. Geneſ. 18. *Loquar ad dominum meum cum ſim pulvis & cinis.*

Perfecti in quibus ſimiles ſunt Igni.

Sicut etiam ignis id quod juxta ſe eſt ſibi aſſimilat, ſic vir perfectus proximum ſuum ſibi aſſimilat, dum eum ad Deum convertit. Carbo mortuus politus cum vivis aut incenditur ab aliis, aut alios extinguit: ſic viri perfecti ad modum ignis morti ſe exponunt, ut alios vivificent, intelligentes nullum ſacrificium majus & carius eſſe Deo quam zelum animarum ſecundum Gregorium. Viri perfecti ad modum ignis ſemper tendunt ſurſum, converſatio enim eorum in cœlis eſt jam in ſpe, & deſiderant ibi eſſe in re. Cupiunt enim diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Et mortem habent in deſiderio, & vitam in patientia, ad Roman. 7. *Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et in Pſalm. 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.*

Philipp. 1.

Sequitur, *Seditque ſupra ſingulos eorum ſpiritus ſanctus*, ſecundum Gloſſam in ſeſſione intelligitur regia poteſtas, quia ſpiritus ſanctus in ſanctis requieſcit.

S. Spiritus quomodo requieſcat in Sanctis.

Vult ſpiritus ſanctus eſſe ut rex in domo, in qua eſt, ut ejus imperio obediatur. Unde Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate, & ego rogabo patrem. & alium paraclitum dabit vobis.* Item. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Et ſubditur: *& ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Item ſpiritus ſanctus in ſanctis requieſcit, & maximè in Chriſto requievit.

In Chriſto requievit.

Unde Iſai. 11. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ &c.* Et in Evangelio Nazaræorum quod hebraicè ſcriptum eſt, ita legitur factum, cùm aſcendiſſet dominus de aqua, deſcendit fons omnis gratiæ, & ſpiritus patris deſcendit & requievit ſuper eum & dixit ei. Exſpectabam te fili in omnibus prophetis ut venires & requieſcerem in te, tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus, qui regnas in ſempiternum. Et *notandum* quod in *tribus* generibus hominum non requieſcit ſpiritus ſanctus.

In quibus S. Spiritus non requieſcat.

Primo in eis qui ab ingreſſu domus ſuæ quaſi manibus eum repellũnt, dum malis operibus impediunt, ne ad eos ingrediatur, qui ſine dubio magnam contumeliam ſpiritui ſancto faciunt. Unde ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moriatur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Talis

peccat in ſpiritum ſanctum bonitatem ejus contemnens, qui ideò vult diutius eſſe malus, quia Deus eſt ſibi bonus exſpectando eum ad pœnitentiam, & tale peccatum vix remittitur homini. Ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ. Secun-*
2. *do* non quieſcit in eis plene, qui multitudine venialium quaſi multitudine pulveris eum contriſtant, ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum &c.*
3. *Tertio* non quieſcit in eis, qui per mortale peccatum eum à ſe expellunt, & ſpiritum immundum loco illius introducunt, contra illud Apoſtoli 1. ad Theſſ. 5. *Spiritum nolite extinguere.* Spiritus ſanctus ad modum ignis extinguitur vel flatu ſuperbiæ, vel diviſione lignorum diſcordia ſcilicet, vel odio, vel aquæ multitudine, ſcilicet delitiarum.

III. Triplex plenitudo S. Spiritus.

Sequitur, *& repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.* Nota *triplicem plenitudinem*, ſcilicet aptam, æquam & cumulatam. *Apta* plenitudo eſt, ut cum domus dicitur plena hominibus. Talis eſt in viris ſanctis.
1. Actor. 6. *Stephanus plenus gratia &c. Æqua* verò
2. plenitudo ut in vaſe quod plenum eſt aqua, & talis fuit in beata Virgine, unde Lucæ 1. *Ave gra-*
3. *tia plena. Cumulata* eſt plenitudo ſuperfluens, qualis fuit in Chriſto. Joan. 1. *Plenum gratia & veritatis.* Et ibidem. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Multum ergo debemus ſperare de ſanctis, amplius de beata Virgine, ſed maxime de Chriſto.

Implendus S. ſpiritu debet.

Item Notandum quod ei qui vult ſpiritu ſancto impleri neceſſe eſt ut prius evacuetur, ſecundo ut religetur, tertiò ut verè mundetur.

1. Evacuari, qui.

Primo oportet ut ſpiritu mundi *evacuetur* qui ſpiritum ſanctum vult recipere, mundus enim non poteſt eum accipere, ut legitur Joan. 14. Mundus ibi ſumitur pro his qui habent ſpiritum mundi hujus, ſcilicet pro amatoribus & ſapientibus hujus mundi. Oportet amorem ſuum avertere à mundo iſto qui vult convertere eum ad Dominum, unde ſuper illud. Pſalm. *Diligite dominum omnes ſancti ejus*, dicit Gloſſa ex Auguſtino. Diſce non diligere mundum ut diſcas diligere Deum, averte ut convertaris, funde ut implearis. Idem. Bono implendus es, funde malum. Putas quia melle vult te implere Deus, ſi aceto plenus es, ubi mel pones?

2. Religari.

Neceſſe eſt *etiam* ut prius *religetur*, vaſe enim non religato non infundet Deus gratiam ſpiritus ſancti. Hanc religationem facit timor, *quia qui timet Deum, nihil negligit.* Eccleſiaſtæ 7. Eccleſiaſtici 1. *Timor domini ſcientia religioſitas. Religioſitas cuſtodiet & juſtificabit cor.* Religioſitas quæ ex timore eſt, in duobus conſiſtit, ſcilicet in hoc, quod à malo cuſtodit, & in hoc, quod vivificat, id eſt, ad opera bona incitat.

3. Mundari.

Item neceſſarium eſt etiam ut talis verè *mundetur*, & non fictè, ſicut illi qui mundabant quod de foris erant calicis & paropſidis, intus autem pleni erant rapina & immunditia. De quibus loquitur Dominus. Matth. 23. Sap. 1. *Spiritus ſanctus effugiet fictum*, illum ſcilicet, qui fingit ſe mundare ei hoſpitium & non mundat.

Repletionis S. Spiritus quatuor ſunt ſigna.

Item Notandum quod *quadruplex* eſt ſignum hujus repletionis ſpiritus ſancti. *Primum* eſt ſatietas ſive ſedatio ſitis hujus mundi. Auguſtinus. Qui biberit
1. de fluvio paradiſi, cujus gutta una major Oceano,
2. reſtat ut in eo ſitis hujus mundi extincta ſit. *Secundum* eſt quod flagellatur & non murmurat, vaſa enim plena percuſſa non reſonant. *Non murmur reſonat,*
3. *non querimonia &c. Tertium* ſignum hujus repletionis eſt ſupereffuſio, vel per verba ſpiritualia, *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth. 12. Eccleſiaſtici 20. *Sapiens in verbis producet ſeipſum.* Vel per alia ſigna exteriora. Prov. 17. *In facie pru-*
4. *dentis lucet ſapientia. Quartum* eſt humilitas. Gregorius. Mens quæ divino ſpiritu impletur habet evidentiſſima ſigna ſua, veritatem ſcilicet & humilitatem: quæ ſi utraque in una mente perfecte conveniunt, liquet quod de præſentia ſpiritus ſancti teſtimonium ferunt. Bernardus. Magna virtus humilitas, ſine cujus obtentu non ſolum virtus non ſit, ſed etiam in ſuperbiam prorumpit.

IN DIE SANCTÆ TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Explicat hic ſermo tres partes thematis de SS. Trinitate. I. pars (Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti) filio Dei. II. (Charitas Dei.) Deo Patri. III. (Communicatio S. Spiritus) ſpiritui ſancto accommodatur.

Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis. *2. ad Corinth. ult.*

SERMO LXII.

Explicantur tres partes thematis hoc ſermone.

ECcleſia in Epiſtola hodierna recolit fidelibus orationem quandam, quam faciebat Apoſtolus pro Corinthiis quibus ſcribebat, ut fideles eandem orationem faciant pro ſe & ſibi charis. Dicit ergo; *Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti &c.* Tangitur ibi *Trinitas* perſonarum. *Primo* perſona Filii, antequam nominetur perſona patris, & hoc contra Arrium, ne ſcilicet filius minor patre videatur, ſicut Arrius dixit. *Secundo* perſona patris, cum dicitur: *Charitas Dei*, ſcilicet patris. *Tertio* perſona ſpiritus, cum dicitur: *& communicatio ſancti ſpiritus. Vnitas* verò divinæ eſſentiæ innuitur, cum dicitur in ſingulari *ſit*, & non *ſint*.

S. Trinitas hoc themate tangitur; qui.

I. Explicatio primæ partis de Filio Dei ſenſus. 1.

Prima verò Pars hujus orationis *multipliciter* poteſt intelligi. *Primo* ſic: gratia à domino Jeſu Chriſto exhibita ſit cum omnibus vobis in corde per jugem memoriam, & in oratione per gratiarum actionem. Ad Coloſſ. 3. *Grati eſtote.* Iſa. 51. *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Multipliciter verò eſt gratia à Chriſto nobis exhibita.

Gratia à Chriſto nobis eſt exhibita. 1.

Primo quod cùm dives eſſet, pro nobis pauper effectus eſt ſecundum illud. 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Cujus gratiæ nos memores eſſe debemus, ut paupertatem proximi libenter ſuſtineamus. Bernardus. Magna abuſio eſt & nimis magna, quod dives velit fieri miſer vermiculus, pro quo Deus majeſtatis & dominus Sabaoth pauper voluit fieri. *Alia gratia* eſt, qua dedit ſemet- 2.
ipſum pro nobis. Eccleſiaſtici 29. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate &c.* Auguſtinus loquens de Chriſto. Redemit, inquit, venditus, vivificavit occiſus, honoravit injuriatus. Ad Galat. 2. *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Non ſum ingratus gratiæ Dei.* Vel, *non abjicio gratiam Dei*, ſecundum aliam litteram. *Alia gratia* eſt ſecundum quam fecit nos co- 3.
hæredes ſuos ſecundum illud ad Tit. 3. *Benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris &c. Vt juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ideò ipſe filius carnem aſſumendo venit in mundum, ut ipſemet ad quem pertinebat cœleſtis hæreditas, ſocios nos eſſe vellet. Quantum ipſe deſideret non in hoc ſocios ſuos eſſe ſatis oſtendit Auguſtinus dicens. Mortuus eſt pro nobis unicus Dei; & ne remaneret unicus, mortuus eſt unicus, multos enim filios Dei fecit unicus filius Dei. Emit ſibi fratres ſanguine ſuo. Hoc eſt contra quoſdam homines caninos, qui fratres ſuos vellent eſſe mortuos, ut majorem haberent hæreditatem. Qui ſimiles ſunt Cain, qui fratrem

Hæreditates appetitus ſceleratus.

ſuum

ſuum occidit. Geneſ. 4. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* 1. Joan. 3.

2. Pulchritudo faciei Chriſti.

Secundo ſic poteſt intelligi (*gratia domini noſtri Jeſu Chriſti*) id eſt, placentia ipſius ſit cum omnibus vobis, ut ſcilicet agnoſcatis quàm delectabile ſit ejus faciem videre. Heſter. 15. *Valde mirabilis es domine, & facies tua plena eſt gratiarum.* Hoc dictum eſt Aſſuero, qui interpretatur beatitudo, & tenet figuram Chriſti. Et 1. Petri 1 *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* In Pſal. 26. *Faciem tuam domine requiram,* & in Pſal. 79. *Qui regis Iſrael intende* multoties replicatur illud. *Oſtende nobis faciem tuam, &c.* Deus fons eſt omnis dulcedinis. Deliciæ verò quæ inveniuntur in creaturis, velut minimæ guttæ ſunt, quæ inde fluxerunt, quas inimici Dei lingunt, juxta illud Pſalm. 71. *Inimici ejus terram lingent.* Mira ſtultitia hominum, qui fontes dereliquerunt & guttis adhærent, quaſi in fonte poſſit eſſe amaritudo, cum in guttis illis tanquam veſtigiis deduci deberemus ad delicias Dei. Job. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes? &c.* David Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, &c.* Videre faciem Chriſti paradiſus eſt, etiam ſi in inferno hoc alicui concederetur videre. Videre etiam faciem ejus in quantum homo eſt, nimiam habet jucunditatem, quia *eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum.* (Pſal. 44.) Placentia ergo Chriſti debet eſſe in cordibus noſtris, ut ad eam ſuſpiremus, & ut comparatione ipſius omnem pulchritudinem tranſitoriam exteriorem contemnamus.

3. *Tertio* ſic poteſt intelligi (*Gratia domini &c.*) id eſt, gratia quam gratis dat Chriſtus, quæ nos ei gratos reddit, & nos ei gratis etiam gratanter ſervire facit. (*Sit cum omnibus vobis*) quantum gratia ſit deſideranda, require ſuper illud ad Rom. 6, *Gratia Dei vita æterna,* ubi multa habes de commendatione gratiæ. Hæc gratia pretium eſt regni cœleſtis, immò inchoatio paradiſi, ſecundum illud Eccleſiaſt. 40. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus.* Sed ſine hac gratia nihil Deo gratum eſt, nihil homini bonum.

II. Explicatio ſecundæ partis de Deo Patris Charitas Dei Patris notatur.

Sequitur (*& charitas Dei.*) Nota quod charitas Dei patris ad hominem in multis attenditur. 1. *Primo* in hoc quod hominem ſibi attraxit, dum ſororem noſtram ſcilicet humanam naturam filio ſuo copulavit. Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans.* Si matrimonium homines adeò attrahit, ut de inimiciſſimis valdè amicos faciat, quantum debet homines attrahere ad amandum Deum hoc, quod ſororem noſtram, ſcilicet humanam naturam filio ſuo inſeparabiliter copulavit, glorioſius enim non potuit nubere caro noſtra.

2. *Secundo* in hoc quod proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum unde 1. Joan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

3. *Tertio* in hoc quod nos in filios adoptavit, unde 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & ſimus* Et, *nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.*

4. *Quarto* perpenditur amor iſte ex diligenti cuſtodia, quam nobis adhibet tam hominum quam Angelorum. In Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te &c.* Delinquentibus etiam nobis flagella adhibet. Apoc. 3. *Ego, quos amo, arguo & caſtigo* Auguſtinus. Quid mirum ſi flagellat cuſtodiens parvulos dominus, quos grandes quærit hæredes? Vias etiam periculoſas ſepit eis ſecundum illud. Oſeæ 2. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiã eam maceria & ſemitas ſuas non inveniet.*

5. Poteſt etiam ſic intelligi, ut charitas Dei intelligatur charitas, quâ Deum charum habeamus, & eũ tanquã patrem amemus Amor ille in hoc attenditur, ut mandata ejus cuſtodiamus. 1. Joan. ult. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt.* 2. ejuſd. 1 *Hæc eſt charitas, ut ſecundum mandata ejus ambulemus.* Et Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Item, *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Gloſſa, habet audiendo, ſervat faciendo.

III. Explicatio tertiæ partis de S. Spiritũ ſenſus.

Sequitur, *& communicatio ſancti ſpiritus &c.* ſpiritus ſanctus ſeipſum communicans in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam, *ſit ſemper cum omnibus vobis.* Spiritus ſanctus in itinere præſentis vitæ eſt Eccleſiæ ſolatiũ, in patria verò erit ejus prœmium. 1. Quomodo nobis communicetur S. Spiritus. Notandum quod ſicut fluvius exiens in ripas ſuas major eſt quam eſt quando non exit in eas, ſic bonitas major eſt communicans ſe, quam quæ ſe non cõmunicat. Unde cùm ſpiritus ſanctus ſit ſumma bonitas, ipſe eſt bonitas ſe communicans, unde rectè dicitur donum. Item ipſe eſt ſuavitas ſpirata à patre & filio, cujus fruitione beati erimus. Vel communicatio ſancti Spiritus poteſt dici communicatio quam ſpiritus ſanctus facit ei apud quem habitat ad caput & alia membra Eccleſiæ, ſicut ſpiritus hominis membra unit in corpore humano cum capite ſuo. Sic verò cum Chriſto debet homo habere communionem *triplicem.* Cum Chriſto eſt nobis triplex communicatio. 1. *Prima* eſt negotiantis ſocietas. Tradidit enim Deus homini bona ſua, unde debet operari. Ex opere verò triplex debet provenire lucrum; ſcilicet gloria Dei, proximi exemplum & operantis prœmium. Unde cavendum eſt diligenter operanti, ne vel Deum vel proximum parte ſua fraudet, ne partem ſuam meritò amittat. 2. *Alia* communicatio eſt, quâ aliquis affectu Chriſto pro nobis paſſo compatitur, & regnanti congratulatur, qui in ſe adimplet illud Philip. 2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto* Jeſu. Quando ſcilicet omnia opprobria exprobrantium Chriſto cadunt ſuper eum, & ſuam ipſius animam pertranſit gladius ſicut Simeon dixit beatæ Virgini. Lucæ 2. 3. *Tertia* communicatio eſt quâ aliquis Chriſti eſt ſocius in præſenti tribulationum & in futuro ſit ſocius ejus conſolationum. Eccleſiaſtici 22. *Fidem poſſide cum amico in paupertate illius, ut in bonis illius læteris.* Communicatio etiam ejus in quo eſt ſpiritus ſanctus ad cætera membra Eccleſiæ triplex eſt. Habens S. Spiritum cũ cæteris fidelibus cõmunicat. 1. *Prima* eſt quæ facit hominem gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, quando ſcilicet affectu aliquis malis proximi compatitur & bonis congratulatur, ſicut Paulus 2. Cor. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor &c.* 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra &c.* 2. *Alia* communicatio eſt qua aliquis paratus eſt ſe & ſua in ſervitium proximi impendere, ſecundum illud Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ.* 3. *Tertia* communicatio eſt quædam ſocietas, quæ eſt inter membra Eccleſiæ, quod unuſquiſque habet partem in omnibus bonis, quæ fiunt in Eccleſia, ſecundum illud. Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua.* 1. Joan. 1. *Quod vidimus & audivimus annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio ejus* Jeſu *Chriſto.*

DOMINICA PRIMA POST DOMINICAM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Præmittit hic ſermo quædam de charitatis pretioſitate, neceſſitate &c. Deinde ſex motivis ex amore Dei erga nos ductis amorem Dei & proximi in nobis accendere conatur.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum ut vivamus per eum. *1. Ioannis 4.*

Iudicium perverſum Mundi circa pretium Rerum.

VNum de deterioribus quæ ſunt in mundo
iſto eſt hoc, quod mundus ea pretioſa reputat,
quæ ſunt vilia, & ea vilia, quæ ſunt pretioſa,
unde multam libenter deberent homines audire ſi
quis eis diceret quid eſſet vile & quid pretioſum.
Recte ſic deberent audire illud quaſi verbum quod
procedit de ore Dei ſecundum illud. Hierem. 15.
Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.

Charitas eſt res pretioſiſſima, ob quã accendendam Chriſtus & S. Spiritus in Mundum venerunt.

Pretioſiſſimum verò videtur eſſe charitas, propter
quam accendendam in cordibus hominum venit
filius Dei in mundum iſtum ſecundum illud Lucæ 12.
*Ignem veni mittere in terram, & quid volo,
niſi ut accendatur?* Propter eandem cauſam miſſus
eſt ſpiritus ſanctus in linguis igneis, ut diſcipuli
in igne divini amoris ſuccenſi, linguis igneis legem
igneam prædicarent, ut verbis ignitis ignem
charitatis in cordibus hominum accenderent. Et ad

Prælati & omnes ad eum cõniti deberent ob ejus ſummã neceſſitatẽ.

hunc ignem accendendum ſpecialiter laborare deberent
Prælati Eccleſiæ, ſecundum illud. Levit.6.
Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos &c.
Quilibet etiam laborare deberet ſuper omnia
ut in ſe charitatem haberet, cùm ſine ea nihil
proſit ei quod facit, ſecundum illud. 1. Corinth. 13.

Charitas Dei & proximi in quo conſiſtant.

*Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates
meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem
autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, nihil,
inquam, in valore. Charitas verò iſta in hoc attenditur
ut Deum & proximum charos habeamus,
ſicut chari habendi ſunt: Deum ſcilicet ſuper omnia
amando & proximum ſicut nos ipſos, ut ſcilicet
caveamus inferre proximo, quæ nobis inferri
noluimus; & impendamus ei beneficia, quæ nobis

Charitas attenditur amore Dei quali.

vellemus impendi. Hanc charitatem intendit Eccleſia
in hodierna Epiſtola accendere in cordibus
fidelium, utens quod videtur eſſe efficaciſſimum ad
eam accendendam; amorem ſcilicet, quo dilexit
nos Deus, nobis oſtendendo, ſicut dicit beatus
Bernardus. Cum cauſa diligendi Deum quæritur,
iſtud eſt præcipuum, quia ipſe prior dilexit nos.
Amor ignis ſpiritualis eſt, ignis verò nullo modo
accenditur meliùs quàm igne, ita amor Dei non videtur
in nobis melius accendi, quam conſideratione
amoris, quo à Deo dilecti ſumus.

Sex motiva ad accendendum in nobis Amorem Dei & proximi.

Bernardus. Quomodo, immò quantum ſine modo
à nobis amari meruit, qui prior dilexit nos, tantus,
& tantum, & gratis, & tantillos, & tales Ubi
Sex attendenda innuuntur circa amorem, quo
Deus dilexit nos. *Primum* eſt quod ipſe primò dile-

1. Quod Deus prior dilexit nos. Imitandus in hoc tam in ſui, quam proximi amore.

xit nos, ſecundum illud. 1. Joan. 4. *In hoc eſt charitas,
non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe
prior dilexit nos*, in quo multi nolunt imitari eum.
Nolunt enim amare aliquẽ niſi prius amentur ab eo,
nec benefacere alicui niſi prius ipſe eis benefecerit,
contra quos. Matt. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt,
quam mercedem habebitis?* Siquidem & peccatores
hoc faciunt, defendunt enim benefacientes ſibi:
Non eſt ergo magnum diligentes ſe diligere, ſicut
non eſt magnum canibus aſſimilari, ſed magnum eſt
aliquem impugnantem ſe diligere & ei beneficum
eſſe, hoc enim eſt Deum imitari. Amor etiam talis
precioſior eſt, & à Deo remunerabitur, tanquam ei
datus. Amor, quo quis amat amantem ſe, nulla habita
comparatione ad Deum, nullius remunerationis
eſt apud Deum. Unde qui prius amare nolunt,
niſi prius amentur, ſimiles ſunt illis, qui non amarẽt
vinum, niſi prius corruptum eſſet, non enim curant
habere amorem proximi, niſi quando unus eſt prætioſus.
Quid autem dicam de illis qui Deum amare
nolunt, ſed prius volunt amari ab eo, ac ſi ipſe di-

2. Quod tãtus nos amat & à nobis vult amari & hoc à nobis contendit.

gnus non eſſet, niſi reamari. Bernardus. Dignus eſt
plane Deus ut reametur, præſertim ſi advertatur,
quis, quos tantum amaverit. *Secundum* eſt, ut cum
ipſe eſſet immenſus, tamen amorem ſuum voluit
ponere in homine, qui eſt quaſi putredo & vermis,
unde in Pſalm. 143. *Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti
ei? &c.* Nec ſolum voluit Deus hominem
amare, ſed etiam vult ab eo amari, de quo admiratur
Auguſtinus dicens. Domine, quid ſum ego,
ut amare te me jubeas? & niſi hoc faciam, iraſcaris
mihi & mineris ingentes miſerias? Immò,
quod plus eſt, Deus rogat homines mediantibus
creaturis ut eum ament. Unde Auguſtinus. Domine,
cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis
ſunt, dicunt mihi undique ut amem te, nec ceſſant
hoc dicere omnibus. Sunt enim creaturæ viſibiles
quaſi munera nobis à Deo data; omnia enim
viſibilia propter hominem creata ſunt: munera
enim efficaciſſima ſolent rogare accipientem, ut
amet datores eorum. Cauſa autem quare Dominus
velit à nobis amari, hæc eſt liberalitas ſua, ut ſcilicet

Cur Deus hoc faciat.

occaſionem habeat glorificandi nos. Nimis enim
honorati ſunt amici ipſius. Pſal. 138. In hoc autem

Divites & Magnates in hoc Deũ non imitantur, qui.

pauci volunt Deum imitari, ut cùm ipſi ſint magni,
in perſonis humilibus amorem ſuum ponere
velint, non attendentes illud. Lucæ 16. *Facite vobis
amicos de mammona iniquitatis &c.* Et divites
hujus ſeculi non attendunt pauperes electos eſſe ad
regnum cœleſte, ſecundum illud. Jac. 2. *Nonne pauperes
elegit Deus in hoc mundo, divites in fide & hæredes
regni?* & ideò non curant ſibi comparare amicitiam
eorum. Gregorius. Pauperes non ſunt deſpiciendi
ut egeni, ſed ſunt honorandi ut patroni.

3. Quod nos tantum dilexerit. Magnitudo hujus amoris colligitur.

Tertium eſt quod Deus tantum dilexit nos. *Magnitudo*
verò *amoris* in *tribus* poteſt perpendi. *Primo* in
hoc quod filium ſuum pro nobis dedit. Unde Joan.
3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum
daret &c.* Et in Epiſtola hodierna dicitur. *In hoc
apparuit charitas Dei &c.* Nõ ſufficit Deo pro ſervo 1.
requirendo Angelum mittere, ſed miſit filium, & filium
unigenitum, & hunc in mundũ, qui in maligno
poſitus eſt, qui eſt locus plenus miſeria. Immò, quod
plus eſt, miſit eum etiam in infernum, ut inde ſuos
extraheret. Ad hoc etiam miſit eum in mundum, ut
venditus nos redimeret, occiſus nos vivificaret, injurias
paſſus nos honoraret. Bernardus. Admirans
ſignum dilectionis, Domine, inquit, quid eſt homo
quod miſertus ejus es? Mittis ei unigenitũ tuũ, mittis
ſpiritum ſanctum tuum, promittis vultũ tuũ, & ne
quid in cœleſtibus vacet ad opera ſolicitudinis noſtræ,
etiam illos beatos ſpiritus propter nos mittis in
miniſterium. *Secundum* ſignũ dilectionis fuit quod 2.
nos in filios adoptare voluit juxta illud. 1. Joan. 3.
*Videte qualem charitatem dedit vobis Pater, ut filii
Dei nominemur & ſimus. Tertiũ* ſignum dilectionis 3.
fuit quod humanã naturam in eadem perſona divinæ
naturæ aſſociari voluit. Hier. 31. *In charitate perpetua
dilexi te, ideo attraxi te miſerans.* Quantum ad

In his tribus ſignis amoris non imitantur Deum.

primum ſignum dilectionis non imitãtur Deum, qui
filios proprios plus amant quam Deum, dum Deum
offendunt ut filiis ſuis divitias congregent, qui tamen 1.
utilius operarẽtur, etiam quantũ ad filios ſuos,
ſi Deum plus quam filios diligerent, & pro amore filiorũ
non dimitterent Deo obedire. Deus enim propter
hoc diligeret filios eorum ſecundum illud. Geneſ. 22.
*Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo
unigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo
ſemen tuum ſicut ſtellas cœli &c.* Et poſt. *Poſſidebit ſemen
tuum portas inimicorũ ſuorũ* In *ſecundo ſigno* di- 2.
lectionis non imitantur illi, qui licet cũ inimicis pacem
faciant quantũ ad hoc, ut eis mala non inferant,
non tamen quantũ ad hoc ut eis beneficia unquam
impendant. Non ſic Deus, qui inimicos ſuos adoptat
in filios. In *tertio* etiam *ſigno* non imitantur Deum, 3.
qui nunquam familiares eſſe volunt iis, qui ſemel
eos in aliquo læſerunt. Non ſic Deus, qui homini,
qui inimicus ſuus erat, tantum dilectionis vel familiaritatis
voluit oſtendere, quod humanam naturam
ſuæ voluit aſſociari perpetuò. Valde diſſimilis

eſt amor aliquorum amori illi quo Deus dilexit nos, ipſe enim plus dilexit nos quam propriam vitam corporalem ſecundum illud. 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit.* Ipſi verò unum denarium præponunt ei, dum pro denario uno vel quando-

4. Quod nos gratis dilexit. Qui hic Deum non imitentur.
que pro nihilo perjurium faciunt. *Quartum* eſt quod ipſe gratis dilexit nos, ipſe enim bonorum noſtrorum non indiget. In quo pauci imitantur eum, pauci enim ſunt qui ament aliquem, niſi aliquam privatam utilitatem inde ſperent. Unde accidit quod illi, qui videntur homines amare dum ſunt divites, derelinquunt eos ſi fiant pauperes. Unde illud.

Cum fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Quomodo Deus emat à nobis amorem ſui.
Dilexit nos Deus gratis, & tamen multi nulla utilitate moveri poſſunt ut debito modo Deum diligant. Vult Deus amorē eorum emere regno æterno, neque ſic habet eum. Vult etiam emere eum multitudine bonorum temporalium, & quanto plura bona temporalia dat eis, tanto minus eum diligunt. Tales ſimiles ſunt anguillæ quæ etiā duabus manibus teneri non poteſt. Quaſi ſiniſtra manu Dominus tenere eos nititur, temporalia dando; quaſi dextera, æterna porrigendo. Prov. 3. *Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra illius divitia & gloria.* Non flectuntur tales etiam ad amandum Deum debito modo per illud quod legitur. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia*

5. Quod tantillos ac nullos dilexit.
cooperantur in bonum. *Quintum* eſt quod tantillos diligere voluit, immò ut plus dicam, nullos diligere voluit, velut enim nihil erant homines peccatores quantum ad valorem, cum ipſe eos redimere voluerit, unde Iſai. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo* Qui in mortali peccato eſt, non eſſe dicitur, quia non habet eſſe ſibi utile. Bonum enim eſſet ei ſi natus non fuiſſet homo ille, ſi ſic moriturus ſit, tunc enim non haberet bonum neque malum. E contrario homines plus diligunt terram, quæ quaſi nihil eſt contra Deum, qui eſt ſummum

6. quod tales & tam indignos dilexit.
bonum. Hierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihil.* *Sextum* eſt quod tales voluit diligere, morti ſcilicet damnatos, vita etiam indignos. Mundus enim tunc erat in tali ſtatu, in quali eſt latro qui ad ſuſpendendum ducitur. Omnes enim tunc ducebantur in infernum, quando filius Dei mundo ſubvenit & quaſi pro eo fidejuſſit. Eccleſiaſtici 29. *Gratiam fidejuſſoris ne oblivìſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.*

DE EADEM DOMINICA.
SERMO SECUNDUS.
SUMMARIUM.

Hic ſermò multa affert, quibus peccatori timorem incutiat, ut convertatur.

Sermo LXIV. Timoris & Amoris effectus.

Perfecta charitas foras mittit timorem. 1. *Joan.* 4.

DUo ſunt ſpecialiter neceſſaria homini qui vult ſalvare animam ſuam ſcilicet timor Dei & amor. Timor ſapientiam inchoat ſecundum illud. Proverb. 1. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Amor verò ſapientiam perficit ſecundum illud. Eccleſ. 1. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia.* Timor facit declinare à malo, ſecundum illud. Proverb. 16. *In timore domini declinatur a malo.* Amor verò abundanter facit operari bonum: Amor enim Dei ocioſus eſſe non poteſt, operatur enim magna ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt, ſicut dicit Gregorius. *Timor domini expellit peccatu. Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*, ut legitur. Eccleſiaſtici 1 Deinde verò perfecta charitas timorem expellit, ſicut dicit hic Joannes.

1. Timorem
Circa timorem verò notandum eſt quod duodecim ſunt, quæ timorem generare poſſunt in peccatoribus. *Primum eſt conſideratio lachrimarum Chriſti*, veriſimile eſt enim ſtatum illum valdè periculoſum eſſe pro quo Deus flevit. De lachrimis iſtis habetur. Luc. 19. *Ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam &c.* Et Joan. 11. in reſurrectione Lazari ubi infremuit ſpiritu & voce magna clamavit &c. Ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Bernardus. Patitur filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? *Secundum* eſt *conſideratio*

generantia peccatori. 1.

2.
paſſionis Chriſti. Bernardus. Ex conſideratione periculi mei æſtimo quantitatem medelæ. Filius Dei jubetur occidi, ut vulneribus noſtris precioſiſſimo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce homo quam gravia ſunt illa vulnera, pro quibus neceſſe eſt Chriſtum dominum vulnerari. Sic verè æſtimatio & timoris & doloris aggregatio eſt. *Tertium eſt conſideratio culpabilitatis noſtræ.* Si enim

3.
tantum timet aliquis, qui ſe culpabilem ſcit eſſe unius criminis in curia alicujus terreni principis, quantum timere poteſt, qui tot & tantorum criminum ſcit ſe culpabilem eſſe apud tam diſtrictum judicem? Unde legitur de quodam rege, qui memor malorum ſuorum & divini judicii, gaudere non poterat. Qui interrogatus à quodam fratre ſuo, noluit ei cauſam oſtendere. Unde miſit buccinatores ad portam fratris ſui, quod ſecundum conſuedinem regni illius certum ſignum erat mortis. Deinde cùm frater regis ad regem eſſet ductus & non modicum timeret & valdè triſtis eſſet, requiſivit rex, quare non gauderet? Qui cùm reſpondiſſet ei, quomodo in ſtatu tali gaudere poſſet, indicavit ei rex cauſam triſtitiæ ſuæ. Si ergo ille tantum timebat, qui ſciebat regem eſſe fratrem ſuum, & qui in nullo ſciebat ſe eſſe culpabilem apud eum, niſi quod aliqua ſigna audierat offenſæ regis, merito timere poterit, qui in toto & tantis ſcit ſe culpabilem eſſe, non apud fratrem, ſed apud dominum

Exemplum timentis Dei iudicium.

4.
majeſtatis. *Quartum eſt conſideratio noſtræ infirmitatis & impatientiæ*, quod muſica una, ſi nos infeſtaverit, diu facit nos iraſci, quandoque uſque ad Dei blaſphemiam. Adeò etiam impatientes ſumus, quod modica pœna temporalis quandoque affligit hominem uſque ad tædium vitæ, ut patet in Helia 3. Reg. 19. Qui petiit animæ ſuæ ut moreretur.

5.
Quintum eſt miſericordia, quam dominus exhibet hominibus in præſenti. Secundum enim magnitudinem miſericordiæ, erit in futuro magnitudo juſtitiæ. Sicut Deus enim eſt ſummè miſericors, ita & ſummè juſtus eſt. Et ſicut opera miſericordiæ ipſius in præſenti reputantur ſtulta, comparatione habita ad miſericordiam hominum, ſic in futuro juſtitiæ ſuæ furor apparebit, unde in Pſal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua &c.* Proverb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec adquieſcet cujuſquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.* *Sextum* eſt

6. Pœna Luciferi.
opera juſtitiæ, quæ dominus legitur feciſſe in mundo iſto, ut eſt vindicta quam ſumpſit de Lucifero & angelis ejus, qui adhæſerunt ei, quos Dominus propter peccatum ſuperbiæ irremedicabiliter damnavit. Lucæ 10. *Videbam Sathanam ſicut fulgur cadentem de cœlo.* & 2. Pett. 2. *Si Deus angelis peccantibus non pepercit &c.* Aliud opus juſtitiæ eſt, pœna mundo inflicta pro peccato primorum parentum, ſcilicet pro peccato gulæ & pro peccato carnis totus mundus ſubmerſus eſt, exceptis octo animabus. *Septimum eſt velocitas & facilitas pereundi*

Pœna Protoplasti.

7.
ſpiritualiter & corporaliter, propter quod in umbra mortis dicimur eſſe. Lucæ 1. *Viſitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in*

8. *umbra mortis ſedent*, &c. *Octavum* eſt *Dei omni-*
potentia, cui peccator reſiſtere non poterit, neque
eam effugere: Unde Pſal. 138. *Si aſcendero in cœ-*
lum, tu illic es, &c. Et Matth. 10. *Nolite ti-*
mere eos qui occidunt corpus; animam autem non
poſſunt occidere. Sed potius eum timete qui poteſt cor-
pus & animam perdere in gehennam. Item Pſal. 89.
Quis novit poteſtatem iræ tuæ, &c. *Nonum* eſt *Dei*
9. *ſapientia* lucidè videns omnia, cui nihil poterit ab-
ſcondi. Boëtius. Magna nobis, ſi diſſimulare no-
lumus, indicta eſt probitatis neceſſitas, cùm aga-
mus coram oculis judicis cuncta cernentis. *Deci-*
10. *mum* eſt *zelus juſtitiæ divinæ.* Bernardus. Qui non
parcit filio, nunquid parcet figmento? nunquid
parcet ſervo nequam? & Lucæ 23. *Si in viridi ligno*
hæc faciunt, in arido quid fiet? *Undecimo* poſſent
11. peccatori timorem incutere illa, quæ ſacra ſcriptu-
ra dicit de die judicij, ubi tremebunt Angeli, ubi
nullus vel Angelus vel Sanctus audebit rogare pro
aliquo qui tunc in peccato mortali mortuus eſt, &
ſigna terribilia quæ judicium præcedent, de quibus
dicit Gregorius. Oportet multa mala præcurrere,
12. ut malum ſine fine valeant nunciare. *Duodecimum*
eſt *conſideratio pœnarum futurarum.*

II. Circa quas notandum eſt, quod multa ſunt in eis
Timorem incutiunt peccatori. quæ peccatoribus poſſunt timorem incutere. *Pri-*
mum eſt *pœnarum acerbitas*, graviſſima enim pœna,
1. quæ in iſto mundo ſuſtinetur, minor eſt quaque
pœna purgatorij. Unde Auguſtinus. Miro modo
licet æternus non ſit, gravis eſt ignis ille. Exſupe-
rat enim omnem pœnam, quam aliquis in mundo
2. iſto perpeſſus eſt. *Secundum* eſt *pœnarum diverſi-*
Nova genera pœnarum. *tas.* Et inveniuntur in ſacra ſcriptura *novem* pœnæ.
Prima eſt *ignis*. *Secunda vermis*, de quibus in fine
Iſaiæ. *Vermis eorum non morietur, & ignis non ex-*
tinguetur. *Tertia* eſt *fœtor*, quaſi ſulphuris, de
quo Pſalm 10. *Ignis & ſulphur & ſpiritus procella-*
rum, &c. Et Iſai. 30. *Flatus Domini quaſi torrens*
ſulphuris ſuccendens eam. *Quarta* eſt *frigus*: unde
Matth. 13. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Frigus
ſolet ſequi dentium ſtridor. Et Job. 24. *Ad nimium*
calorem tranſeat ab aquis nivium. *Quinta* eſt *fames*,
Unde Iſa. 65. *Servi mei comedent, & vos eſurietis.*
Et erit ibi tanta inopia, quod unam guttam aquæ
habere non poterunt, ut patet Lucæ 16. in divite
epulone in inferno ſepulto. Job 27. *Apprehendet*
eum quaſi aqua inopia. Unde dicit Gloſſa. Dives in
inferno cogente inopia uſque ad ſumma petenda
perductus eſt, qui ſua tenacitate uſque ad minima
neganda pauperibus reſtrictus eſt. Item Gregorius:
Guttam petiit, qui micam negavit. Ibi erit tantus
defectus boni, ut mors, quæ in mundo iſto præ om-
nibus fugitur, præ omnibus ibi deſideretur. Apoc. 9.
Quærent homines mortem, & non invenient eam,
deſiderabunt mori & fugiet mors ab eis. Habebit lo-
cum illud Eccleſ. 41. *O mors bonum eſt judicium*
tuum, homini indigenti, &c. Libentius interficeret
ſeipſum homo ibi quam diabolum. Diabolo enim
interfecto non ceſſaret pœna eorum. Tunc libenter
diceret damnatus illud. 2. Reg. 1. *Sta ſuper me &*
interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ, ſi crederet
ſe exaudiri. Ibi erunt ſeptem anni penuriæ, obli-
viſci facientes magnam abundantiam præſentis vi-
tæ. *Sexta pœna* erit *tortorum*; de qua Matth. 18.
Tradidit eum tortoribus donec redderet univerſum
debitum. *Septima* eſt *horror* tam loci quam dæmo-
num; unde Job 10. *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus*
horror inhabitat. Item Job 20. *Vadent & venient*
ſuper eum horribiles. Si tantum horrorem habet ho-
mo quando videt in præſenti unum dæmonem,
quantus horror erit ubi tot horribiles apparebunt?
& magis horribiles, ut videtur, quam appareant in
præſenti. *Octava* & *nona* pœna erunt *tenebræ &*
vincula. Unde Matth. 22. *Ligatis manibus & pedi-*
bus ejus mittite eum in tenebras exteriores, &c.
Nec ſolum erit ibi pœnarum *varietas*, immò & *con-*
trarietas. Unde Gregorius. Horrendo modo tunc Pœnarum contrarietas qualis.
erit ibi miſeris dolor cum formidine, flamma cum
obſcuritate. Et in eorum interitu ipſa ſuis qualitati-
bus tormenta diſcordant, qui à conditoris volunta-
te dum viverent diſcrepabant. Fit miſeris mors ſine
morte; finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia &
mors vivit, & finis ſemper incipit, defectus defice-
re neſcit. Mors perimit, ſed non extinguit; dolor
cruciat, ſed pavorem non fugat, flamma comburit,
ſed tenebras non diſcutit: quia enim cum diabolo
contra ſuum creatorem concordaverunt, & creatu-
ræ contrariæ conveniunt ad eorum pœnas. *Tertium* 3.
quod timendum eſt circa pœnas, eſt earum *diutur-*
nitas. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem*
æternum. Satis facile eſt jacere in uno lecto ſuavi &
mundo, & tamen ſi alicui poſito in tali lecto dice-
retur, jace & quieſce, quia oportebit te ibi jacere
viginti annis, ipſe reſponderet, potius vellem eſſe
mortuus. Quid ergo erit de illo, qui erit in igne
ardente, & ſciet ſe manſurum ibi non tantum per
viginti annos, vel per centum, vel mille, ſed per
infinita ſæcula ſæculorum? Iſa. 33. *Quis poterit ha-*
bitare de vobis cum igne devorante? &c. In hac me-
ditatione converſus fuit Fulco, qui poſteà factus
fuit Epiſcopus Tholoſanus. *Quartum* eſt pœnæ 4.
univerſalitas, totus enim homo poſt diem judicij
erit in igne. Cum aliquis non poſſet ſuſtinere ignem
in minima parte digiti per unam horã, quantus erit
dolor quando totus homo erit in igne æternaliter.
Ideò tanta erit in inferno vis doloris, quod mens
ad aliud dirigi non poterit, niſi ad quod vis doloris
impellit. Signum hujus doloris eſt hoc, quod Do-
minus in Evangelio multoties dicit. Matth. 13. 22.
& 25. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Si ſingulis Æternitas pœnarum ſimilis.
diebus, in quibus erunt damnati in inferno, fle-
rent unicam lachrymam materialem, plus exiret
per proceſſum temporis ab uno damnato, quam om-
nia vaſa quæ in mundo ſunt capere poſſent. Quod
patet ex hoc, quod omnia vaſa hujus mundi finita
ſunt & numero & magnitudine, dies verò, quibus
erunt in inferno, non habebunt finem. *Quintum* 5.
eſt *conſolationis defectus*. Unde Bernardus. Quid
erit, cum ſe viderit illa miſera conditio omni deſo-
latione nudatam in illas tenebras exteriores excuti,
& ab illa bonorum Eccleſia perpetua excommuni-
catione excludi? *Sextum* eſt *pœnarum inutilitas*. 6.
Præſens pœna & brevis eſt & fructuoſa, ſed futura
gravis eſt & infructuoſa, quia ſi aliquis fleret tantum
lachrymarũ, quantum eſt in toto mundo, aquæ non
ſufficerent ad ablutionem unius mortalis peccati.
Plus virtutis haberet hîc lachryma una, quam om-
nes illæ. Præter prædicta notandum quod malis do-
lor veniet ex bonorum præſentium amiſſione. In Dolor damnatorum ex quibus oriturus ſit.
Pſal. 48. *Cum interierit, non ſumet omnia, neque*
deſcendet cum eo gloria ejus. *Item* ex hoc, quod tem-
pus merẽdi tranſiit. Unde Hier. 8. *Tranſiit æſtas, fini-*
ta eſt meſſis, & nos ſalvati non ſumus. *Item* ex amiſ-
ſione æternæ gloriæ. Pſal 20. *Pones eos ut clibanum*
ignis in tempore vultus tui, ideſt, dum ſancti vul-
tum vel faciem tuam videbunt. *Item* ex prava ſocie-
tate, ſocios enim habebunt dæmones horribiles, &
homines igne infernali exuſtos & fœtentes. *Item*
ex loci qualitate qui erit tenebroſus & fumoſus.

DOMINICA II. POST TRINITATEM.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone explicatur tota Epiſtola. I. *rationes*
ſeptem afferuntur, cur mirandum non ſit quod
mundus bonos odio ſequatur. II. *agitur de odio*
proximi quantum malum ſit. III. *in quibus ope-*
ribus

ribus dilectio proximi oſtendenda & quæ vera dilectio proximi ſit, demonſtratur.

SERMO LXV. Nolite mirari ſi odit vos mundus &c. 1. Joan. 3.

Tria facit hæc Epiſtola. Eccleſia in Epiſtola hodierna tria intendit facere. *Primo* intendit monere fideles ut odia mundi ſine admiratione ſuſtineant, ibi. *Nolite &c. Secundo* intendit eos incitare ad hoc, ut odientes ſe diligant, ibi. *Nos ſcimus &c.* Ubi dilectionem commendat & odium deteſtatur. *Tertio* veram dilectionem notificat & ad eam hortatur, ibi. *In hoc cognoſcimus charitatem Dei.*

I. Odiū Mundi in bonos non mirandum. Circa Primum verò aſſignari poſſunt Septem rationes quare non debent mirari boni, ſi odit eos mundus. *Primo* quia ipſorum Dominum mundus odivit. Unde Joan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote*
1. *quia me priorem vobis odio habuit.* Auguſtinus. Magna conſolatio membris ex capite. Et Dominus Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.* Et Joan. 15. *Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur &c.* Et quod gravius ſolet eſſe, mundus ſine cauſa Chriſtum odivit. Immo tunc odio habuerunt eum, cum maximè amare debuerunt eum, juxta illud. Pſal. 108. *Poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Non mirentur ergo fideles ſi mundus eos odiat, quos amare de-
2. buit. *Secundo* quia hujus mundi homines qui mali ſunt, ſeipſos habent odio, unde non eſt mirum, ſi alios odio habeant. Eccleſiaſt. 10. *Qui ſibi nequam, cui bonus?* Quod mali ſe habeant odio. patet ex hoc, quod ipſi amant vitia ſua. Sed qui amat vitium, odit perſonam. Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Nonne odit aliquem qui amat malū
3. ejus? ergo odit ſe ipſum, qui amat vitium ſuum. *Tertio* quia mali odiunt meliores amicos quos habent. Matth. 7. *Inimici hominis, domeſtici ejus.* Nonne odit uſurarius illos quos magis amare debuit, ſcilicet uxorem, filios & filias, ſervos & ancillas, dum eos jugulat, faciendo peccato ſuo conſentire? Oſeæ 9. *Ephraim educet ad interfectorem filios*
4. *ſuos. Quarto* quia boni non ſunt de mundo iſto, unde non eſt mirum ſi odiant bonos tanquam extraneos, ſicut canis odire ſolet canes extraneos ſupervenientes. Unde Joan. 17. *Ego dedi eis ſermonem tuum & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo.* Et iterum Joan. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mūdus, quod ſuū erat diligeret, quia vero de mundo non*
5. *eſtis, ſed ego elegi vos de mūdo, ideo odit vos mundus. Quinto* verò quia boni in mūdo iſto diſſimiles ſūt, diſſimilitudo verò occaſio ſolet eſſe odii, ſicut ſimilitudo amoris. Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſibi ſimile.* Sap. 2. *Gravis eſt nobis etiam ad videndū,*
6. *quia diſſimilis eſt aliis vita illius. Sexto* verò quia boni mundo contrarii ſunt, teſtificantes contra ipſum. Unde Joan. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt.* Mali ſimiles ſunt avibus noctis, unde odiunt lucem bonorum operum, præcipuè lucem ſanæ doctrinæ. Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem.* Job 24. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Amos 5. *Odio habuerunt corripientem &c.* & 3. Regum ult. dixit Achab de Michea, *ego odi eum, quia non prophetat mihi*
7. *bonum, ſed malum.* Iſai. 30. *Loquimini nobis placentia. Septimo* quia mali habent palatum cordis infectum de febre iniquitatis, & ideò bona quæ deberent eis ſapere & placere, amara ſunt eis. Michæ. 3. *Odio habetis bonum &c.* Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Prov. 14. *Ambulans recto itinere & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via.* Et 29. *Abominantur impii eos, qui in recta ſunt via.* Philoſophus quidam, cum diceretur ei, homines te contemnunt, inquit, at illos aſini, ſed nec illi aſinos, nec ego illos curo. Senec. Malis diſplicere, laudari eſt. Item. Nondum felix es, ſi non turba te deriret. Et *notandum* quod hoc quod mali perſequuntur & odiunt bonos, non eſt novum, immò incepit quaſi ab initio mundi. Odivit Cain Abel fratrem ſuum, & tandem interfecit eum. Geneſ. 4. Perſecutus eſt Iſmaël Iſaac, quæ perſecutio ludus vocatur. Geneſ. 21. Odivit etiam Eſau Jacob volens occidere eum Geneſ. 27. Sed odium tale non debent boni timere, cùm Dominus dicat. Matth. 5. *Beati eſtis cum male dixerint vobis, & perſecuti vos fuerint &c.* — Odiū malorū in bonos quam ſit antiquū.

II. D lectio eſt vita. & Odium eſt mors animæ. Sequitur (*Nos ſcimus quia tranſlati ſumus &c.*) ſicut ſeparatio animæ à corpore mors eſt & conjunctio vita, ſic ſeparatio à Deo mors eſt animæ & conjunctio cum Deo per dilectionem vita eſt. Auguſtinus. Vera mors eſt quam homines non timent, ſeparatio animæ à Deo, qui eſt beata vita animarum. Sicut ergo naturaliter aliquis amat vitam temporalem, & naturaliter timet mortem, ſic amare debet charitatem & vitare odium, cum animalia irrationalia mortem naturaliter timeant & fugiant. Incautiores irrationabilibus animalibus eſſe videntur qui odium non cavent, quod conſtat mortem ſpiritualem eſſe. 1. Joan. 3. *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte.* In morte culpæ jam eſt talis, & debitor eſt mortis æternæ. Sequitur. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Nota quod ille qui occidit odio progreſſivo ad actum exteriorem, occidit ſe & alterum, ſed primò ſe ipſum, homo enim per malitiam occidit animam ſuam. Sap. 16. & in Pſal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipſorum.* Auguſtinus. qui alii nocere deſiderat, ſimilis eſt illi, qui gladio ſe tranſverberat, ut tunicam alterius ſcindat. Deinde verò occidit ſpiritualiter proximum ſuum, quoniam ad odiendum ſe provocat, & ita odium eſt velut gladius ſcindens ex utraque parte. Eccleſiaſt. 21. *Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas.* Sequitur. *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Quia mortem infert & vitam aufert, ideò meritò vita æterna privatur, & morti æternæ obligatur. Et Notandum quod cum mors temporalis tria efficiat in eo qui moritur, mors æterna in duobus illorum ei aſſimilatur. Nam temporalis mors à corpore ſeparat animam, à qua corpus habebat valorem ſuum. Mortem etiam temporalem dolor maximus concomitatur. Corpus etiam adnihilatur. Mors verò æterna ab anima ſeparat Deum, à qua anima habebat omnia bona ſua. Dolorem etiam habet concomitantem majorem, quam ſit dolor mortis temporalis. Unde ſi aliquis huic pœnæ eſſet adjudicatus, ut ſingulis momentis gladio dilaceraretur, & tam citò reviviſceret, ipſe tamen non haberet tantam pœnam, quantam ille qui damnatus eſt. Tertium verò eſt adnihilatio, quæ non ibi eſt. hoc enim bonum eſſet illi, qui damnatus eſt. — Qui odit, homicida eſt dupliciter, quomodo. — Comparatio mortis temporalis & æternæ.

III. Dilectio proximi ex duobus operibus cognoſcitur. Sequitur (*In hoc cognovimus charitatem Dei &c.*) Circa quod notandum quod probatio dilectionis veræ, exhibitio eſt operis. Duo verò opera pertinent ſpecialiter ad dilectionem. *Primum* eſt ut ſpiritualem vitam proximi noſtræ temporali præponamus. *Secundum* ut bona noſtra temporalia neceſſitatibus proximi exponamus. Ad *primum opus dilectionis* provocat nos beatus Joannes hic exemplo Chriſti dicens. *Ille pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere*, ſicut in corpore humano manus, quæ eſt membrum firmius pro oculo ſe exponit periculo, ſic qui firmiores ſunt in corpore Eccleſiæ, pro aliis morti ſe debent exponere. Ad quod præcipuè tenentur Prælati, ipſi enim tenentur ad hoc ex officio. Joan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* In — Prælati quomodo ad hoc tenentur.

Digitized by Google

perſecutione fidei tenetur Prælatus ſe opponere, licet ad hoc non requiratur ab aliquo. Ille verò qui Prælatus non eſt, non ſic tenetur ſe offerre quandò non requiritur, præcipuè quando videt ſe infirmum & timet ne in pœnis ſuccumbat. Poteſt tamen Prælatus perfectius mortem declinare ut gregis utilitati ſe ſervet, quando ex tali mortis declinatione periculum gregi non imminet, ut ſcilicet in Paulo qui per feneſtram in ſporta dimiſſus eſt per murum, & ſic effugit manus perſecutoris. 2. Corinth. 11. Hoc ſignum dilectionis apparet in paucis hodie in Eccleſia Dei, pauci enim videntur curare de morte ſpirituali proximorum Bernardus. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet; perit anima, & non eſt qui recogitet. Si aſinus vicini tui in lutum cadit, curris illuc ut ad extrahendum juves: fratrem verò tuum impingis & in lutum immunditiæ cadere facis. Si lupi canem unum deferrent, ſaltem clamoribus exterreres eos: proximū verò tuum vides à lupis infernalibus ad infernum trahi, & omnino taces. Ad *ſecundum opus* pertinet illud, *qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi*, &c. ex quo verbo ſatis patet, quod pauci ſunt qui habeant charitatem, & ita per conſequens patet quod pauci ſunt qui ſalventur. Duriores inveniunt pauperes Chriſti fratres ſuos ſi indigeant vel mutuo vel dono illorum, quam Judæi Judæos. Hodie non capitur ille ſermo Chriſti in cordibus hominum. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7.

Explicatio thematis.

Sequitur, *filioli non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate*, ſecundum Gloſſam. In *verbo* pura locutio ſine opere intelligitur, in *lingua* verò multiplex oratio. Sicut quidam ſæpe repetitis ſermonibus amorem ſuum volunt hominibus commendare, ut illi qui dicunt, ego facerem hæc & illa pro vobis. *Sed opere & veritate*, id eſt, exhibitione operis & veritate cordis. *Primum* dicitur contra illos qui pauperibus aliquid petentibus dicunt, Deus conſulat vobis, & nihil dant. Contra quos dicit Jacob. 2. *Si frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis illis, Ite in pace: calefacimini & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Secundum*, ſcilicet *veritate* cordis, contra illos qui exterius amorem ſimulant, & in corde odium geſtant. Prov. 10. *Abſcondunt odium labia mendacia.* Vel, *opere*, dicitur, quantum ad exhibitionem beneficij, *veritate* verò, quantum ad correctionem peccati. Non enim perfecte aliquis proximum diligit, qui bona ei impendit, ſi peccata ejus corrigere negligit. Proverb. 28 *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis, quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Gregorius. Ille ſolus amicus meus erit, qui ante adventum diſtricti judicis maculas mentis tergit. Seneca. Monſtrabo tibi quid deſit illis qui omnia poſſident, ſcilicet qui verum dicant.

Qui opere & veritate diligant, qui non.

Amicus verus quis.

DOMINICA III. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Sermo ſequens continet tres exhortationes, quibus ad evitanda tria mala, quæ mundus ſequacibus generat, nos hortatur.

SERMO LXVI.

Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis. *1. Petr. 5.*

I. Exhortatio hujus Epiſtolæ reſpectu mundi triplex. Mundus ſequacibus ſuis tria mala facit.

ECcleſia multas exhortationes facit fidelibus in Epiſtola hodierna. Primò facit tres reſpectu mundi, deinde tres alias reſpectu inviſibilis inimici. Primò de tribus primis proſequemur. Circa quas notandum eſt, quod mundus *tria* mala facit illi, qui eum amplectitur. *Primo in ſuperbiam elevat*, quæ elevatio ad præcipitium eſt. Sic Chriſtus ductus eſt à Judæis in ſupercilium montis, ut eum præcipitarent. Lucæ 4. 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere*, &c. Dicit Auguſtinus. Vermis divitum ſuperbia, grandis animus eſt, qui inter divitias iſto morbo non tenetur. Magnus eſt, qui non ſe ideò magnum putat, quia dives eſt. Qui autem ideò ſe magnum putat, ſuperbus & egenus eſt. In carne crepat, in corde mendicat, inflatus eſt, non plenus. *Secundo nimia ſolicitudine ſuffocat.* Unde ſemen inter ſpinas cadens à ſpinis ſuffocatur. Matth. 13. Quod exponens Dominus ibi dicit: *qui ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum*, &c. *Tertio per immoderatum uſum tædium generat.* Lucæ 21. *Attendite ne corda veſtra graventur in crapula & ebrietate.* Difficile enim eſt, qui abundanter habet bona hujus mundi, ut utendo non excedat. Lucæ 16. legitur quod *homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo*, &c. Et ejuſdem 12. Dixit ille qui multa congregaverat. *Anima multa habes bona poſita in annos plurimos*, &c. Contra hæc *tria* ſunt hæ *tres* exhortationes. Contra *primum* dicitur illud, *humiliamini*. &c. Contra *ſecundum*, *omnem ſolicitudinem*, &c. Contra *tertium*, *Sobrij eſtote*, &c.

Contra hæc eſt triplex exhortatio hujus Epiſtolæ.

I. Humiliatio triplex.

Circa *primam* verò *exhortationem notandū* quod *triplex* eſt *humiliatio*. *Prima* eſt in propriæ miſeriæ cognitione, de qua in Pſalmo 50. *Cor contritum & humiliatum*, &c. *Secunda* in ſubjectione, 1. Petr. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*, &c. *Tertia* eſt in contemptu præſentis gloriæ. Quæ præſens gloria valde eſſet contemnenda, & quia nihil eſt in valore. Joan. 8. *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Et quia plena eſt erubeſcētia. 1. Machab. 2. *Gloria viri peccatoris quaſi ſtercus & vermis.* Et quia eſt ex parte corporis, corpus enim eſt ſaccus ſtercorum & cibus & materia vermium. Et quia momentanea eſt. Job 20. *Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti.* Gaudium Hypocritæ vana eſt gloria, de illa enim gaudet. Item *notandum* quod valde neceſſarium eſt homini ſub manu Dei humiliari. *Primo* quia non poteſt ei reſiſtere, nec eam refugere. Job 9. *Deus, cujus iræ reſiſtere nemo poteſt.* In Pſal. 38. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es.* Poëta.

Gloria præſēs ob quatuor contemnenda eſt.

Sub Dei manu humiliari neceſſe eſt ob tria.

An neſcis longas regibus eſſe manus.

Secundo quia ſola humilitate invenitur miſericordia. Sap. 6. *Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patiuntur.* *Tertio* quia ſola humilitate venitur ad gloriam. Prov. 29. *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Et Job 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Et Matth. 18. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* *Econtrario* modo multum timenda eſt ſuperbia. Hæc Angelum fecit diabolum. Luc. 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Hæc eſt quæ regem fecit dæmoniacum. 1. Regum 16. Spiritus nequā intrabat in Saul. Hæc etiam Nabuchodonoſor fecit quaſi jumentum. Daniel. 4. *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: regnum tuum tranſibit à te*, &c. & ſubditur, *fœnum quaſi bos comedes.* *Notandum* quod licet omnibus peccatoribus timenda ſit potentia manus divinæ, tanquam quæ tenet gladium evaginatum ſuper nos, præcipuè tamen eam timere debent ſuperbi, tales enim valde diſtrictè judicabuntur, unde dies judicij dicitur ſpiritualiter venire ſuper eos. Iſa. 2. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.* Hier. 50. *Ecce ego ad te ſuperbe dicit Dominus exercituum, quia venit dies tua, tempus viſitationis tuæ. Et cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum*, &c. Et multum comminatur ſacra ſcriptura ſuperbis. Abdiæ 1. *Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde*

Superbia cur multum ſit timenda.

Superbis cur maxime ſit timenda manus Domini.

detrabam

Digitized by Google

detrahâm te, dicit Dominus. Et Job 20. *Si aſcenderit uſque ad cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur,* &c. In Pſal. 30. *Retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* *Notandum* quod manus Domini potens eſt ad exaltandum ſi te humiliaveris Luc. 14. *Qui ſe exaltat humiliabitur,* &c.

II. Sequitur, *omnem ſolicitudinem*, &c. Lucæ 12. *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.* Sequitur, *ipſi enim cura eſt de vobis.* *Triplex* cura eſt Deo de nobis

Cura Dei circa nos triplex.

1. Duplex.

Primo cura proviſionis, quæ *dupliciter* ad eum pertinet, ſcilicet *jure paternitatis & dominij.* De jure enim naturali ad patrem pertinet filiis providere, niſi culpa hoc impediat. Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus? aut quid bibemus?* &c. *Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis.* Ad dominum etiam pertinet neceſſaria eis providere, qui ſibi debitè ſerviunt. Servi eſt cogitare ut voluntatem Domini ſui adimpleat; Domini verò
2. eſt cogitare ut ſervus neceſſaria habeat. *Secundo cura ſanationis*, ſi tamen ei infirmitates noſtras humiliter confiteamur & ſalubri ejus conſilio obtemperemus. Boëtius. Si operam medicamenti expectas, oportet ut vulnus detegas. Auguſtinus. Scit cœleſtis medicus quid nobis daturus ſit ad conſolationem, & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim homo ſine cauſa jumento ſuo cibaria detrahit. Inchoavit Chriſtus ſalvationem noſtram, & jam ſibi multum conſtitit, unde ſperare debemus quod jam perficiet, niſi per culpam noſtram ſteterit. Iſa. 53 *Livore ejus ſanati ſumus.* Oſeæ
3. 6. *Ipſe cepit & ſanabit nos.* *Tertio cura regiminis*, ſi tamen flagella ejus patienter ſuſtineamus. Auguſtinus. Quid mirum ſi flagellat cuſtodiens parvulos Dominus, quos grandes quærit hæredes? qui refugit ab eo flagellari, refugit ab eo regi. Hebr. 12. *Si extra diſciplinâ eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filij eſtis.* Item notandum quod *ſex* modis debet homo ſolicitudinem ſuam projicere in Deum. *Primo* ſi eum amiſit, ut ſolicitè eum

Sollicitudo circa Deum habenda eſt nobis.

1. quærat. Cant. 3. *Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Iſa.
2. 55. *Quærite dominū, dum inveniri poteſt,* &c. *Secundo* ut ſcilicet ab ejus offenſa caveat. Ad quod valet, ſi vera fide ante conſpectū ejus ſe omnia facere credat. Mich. 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum & quid Dominus requirat à te. Facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo*
3. *tuo.* In Pſ. 15. *Providebā dominum in conſpectu meo ſemper,* &c. *Tertio* ut ſcilicet mandata ejus impleat. Eccl. 6. *Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis ejus maximè aſſiduus eſto.* Et ejuſdem 3. *Quæ*
4. *præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* *Quarto* ut quæ magis placent Deo homo inquirat. Eccl. 2. *Qui timent dominum inquirunt quæ beneplacita ſunt illi.*
5. *Quinto* ut habitaculū dignum ei præparet. 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Et Eccl. 2. *Qui timent*
6. *Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* *Sexto* quomodo ei rationem reddat. Luc. 16. *Redde rationem villicationis tuæ.* Job 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* In Pſ. 111. *Jucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio.*

III. Sobrietas ſervanda eſt.

Sequitur, *ſobrij eſtote*, Nota ſobrietatem hominum valde neceſſariam & amandam eſſe. *Primo*
1. propter ejus utilitatem, unum enim eſt illorum quatuor quibus nihil eſt utilius in vita hominibus. Sap. 8. alia tria ſunt juſtitia, prudentia & virtus,
2. vel fortitudo. *Secundo* propter ejus honeſtatem. Sobrietas enim res eſt valde honeſta & valde grata Deo & Angelis ejus. Sapiens, Si cibis & potibus parce uteremur, & immaculatos nos cuſtodiremus, frueremur conſortio & affabilitate Deorum, id eſt, Angelorum. *Tertio* propter crapulæ noxietatem. Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Crapula dicitur quaſi cruda epula.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Docet nos hic ſermo reſiſtere Diabolo, Fide & Vigilia. Quatuor item modos excitandi ſomnolentos proponit, & duo impedimenta ne evigiletur, vitanda monet.

Vigilate quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret. *1. Petr. 5.*

SERMO LXVII.

I. Exhortatio Epiſtolæ reſpectu dæmonis triplex.

IN his verbis facit Eccleſia fidelibus *tres exhortationes* reſpectu hoſtis inviſibilis. *Prima* eſt ut *vigilent*, quod neceſſarium eſt quia adverſarius circuit. Job 1. *Circuivi terram & perambulavi eam.* Proverb. 4 *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* *Secunda* eſt ut ei *reſiſtant*, quod neceſſarium eſt, quia quærit quem devoret, & ideo omnibus viribus reſiſtendum eſt ei, ne ipſe intret, unde ſequitur, *cui reſiſtite in fide.* Hierem. 6. *Crudelis eſt, & non miſerebitur.* *Tertia* eſt ut *ſcuto fidei ſe muniant*, quod neceſſarium eſt, quia hoſtis iſte inviſibilis eſt, fides verò lumen eſt quo ea videntur, quæ aliter inviſibilia ſunt. Homo ſine fide velut cæcus eſt huic pugnæ inviſibili inutilis. Fides in hoc bello inviſibili hominem doctum reddit & ideo fortem. Proverb. 24. *Sapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus. Quia cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus ubi multa conſilia.* Ideò bene dicitur, *fortes in fide*, quod de fide viva videtur eſſe intelligendum, fides enim mortua quomodo aliquem fortem redderet? 1. Joan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei,* &c.

Fides quantum poſſit in hac pugna, & cur.

I. Exhortatio prima Vigilia hæc in quibus conſiſtat.

Circa *primam exhortationem* notandum eſt quod vigilia iſta attenditur in apertione oculorum interiorum & ſtrenuitate: ſtrenuitas verò attenditur in vivacitate ad bona agenda & agilitate in fugiendo pericula. Si quis verò ſomnolentum ſentiat ſe ſomno huic vigiliæ oppoſito, *quatuor modis* poteſt ſe excitare. *Primo* virga illa de qua habetur Hierem. 1. Quid tu vides Hieremia? & ſubditur, virgam vigilantem ego video. Hæc virga pœna eſt purgatorij, vel inferni, quæ multum debet homines evigilare. Sed *duo* ſunt quæ multos impediunt ne evigilent, ſcilicet *oblivio* & *remotio*. De *primo* impedimento dicit David Pſalmo. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* meritò iſta terra dicitur terra oblivionis in qua juſtitiæ Dei obliviſcimur, à qua tamen inceſſanter ferimur. Percuſſit Deus Adam virga juſtitiæ ſuæ, ſcilicet miſeria præſenti, non tamen de groſſo virgæ ſuæ, & tamen totum genus humanum vix poteſt portare ictum illum, immò omnes morimur de ictu illo, Quid ergo erit quando de groſſo virgæ ſuæ percutiet nos Deus? & quando *tranſitus virgæ erit fundatus?* ut dicitur Iſa. 30. Virga Domini in præſenti in tranſitu eſt, ſed in futuro fundabitur, quia in æternam pœnam mutabitur. Inſipientiores videmur eſſe pueris, qui juſtitiam Dei non timemus. Pueri enim timent, ſaltem dum virgarum ſummitatem in dorſo habent. Nos verò ſummitates virgæ, qua Deus hominem percuſſit, habemus in dorſo, ſcilicet famem, ſitim, &c. & tamen Deum non timemus. *Secundum* impedimentum eſt *remotio*. Quidam enim remotè conſpiciunt virgam divinæ juſtitiæ, qui quaſi tenent ſe initio vitæ ſuæ, interponentes inter ſe & vitam futuram totam vitam, qua ſperant ſe victuros,

Hic ſomnolēti quatuor modis excitandi. 1.

Ne evigiletur, duo impediunt. 1. Oblivio juſtitiæ divinæ.

2. Remotio futuræ juſtitiæ Dei.

Digitized by Google

Talis erat de quo dicitur. Lucæ 12. qui dicebat: *A-*
nima mea habes multa bona poſita in annos plurimos,
&tamen non ſupererat una dies vitæ ſuæ. Homo de-
beret ſe ponere in fine vitæ ſuæ per mortis medita-
tionem dicendo: ponatur quod hac nocte moriar,
quo iturus ſum? & ſic de proximo deberet pœnam
purgatorii vel inferni conſpicere, & ſic poſſet exci-
tari. Sapiens. Sũma ſapientia eſt aſſidua mortis me-
2. ditatio. *Secundo* Chriſti exemplo Hebr. 12 *Recogita-*
te eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſe-
metipſũ cõtradictionem, ut non fatigemini animis ve-
ſtris deficientes. Hunc modũ excitandi inſinuat Do-
minus Matth. 26. dicens: *Non potuiſtis una hora vigi-*
lare mecum? Cũ Domino vigilat qui ejus exẽplo vi-
gilanter, & ſtrenue ſe habet. *Tertio* periculorũ præ-
3. ſentiũ conſideratione. Quem modũ excitandi inſi-
nuat Dominus dicens. Matth. ibid. *Vigilate & ora-*
te, ut non intretis in tentationem. Tria ſolent ho-
mines multum excitare, ſcilicet ignis, aqua & la-
trones, quæ pericula nobis ſpecialiter imminent:
vix enim eſt dies in quo fluctus cogitationum mala-
rum caput cordis non operiant. Vix etiam eſt dies
in quo pravarum cogitationum ignis in domo con-
ſcientiæ non ſuccendatur. Latro verò infernalis
ſemper adeſt Luc. 12. *Si ſciret pater familias qua ho-*
ra fur veniret &c. Non debet dormire neque dor-
mitare qui cuſtodit Iſraël, quia non dormitat ne-
4. que dormit qui Iſraël impugnat. *Quarto* conſide-
ratione quietis æternæ. Hunc modum excitandi
inſinuat. Bern. cum dicit. Univerſũ tempus pœni-
tentiæ quædã eſt vigilia ſolẽnitatis magnæ & æter-
ni ſabbati, quod præſtolamur. Nec graveris diutur-
nitate vigiliæ, ſi æternitatem ſolennitatis attendas.
Libenter vigilare debent amici Dei in mundo iſto,
quia cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, tunc in pace
dormient & requieſcent.

II. & III. exhortationis fuſior explicatio deſide-
ratur.

DOMINICA IV. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte oſtendit quot modis paſſionum ſeu tribula-
tionum amaritudo condienda ſit bonis, quibus
modis tamen mali non juvantur. Fructus quoque
tribulationis duodecim recenſet.

SERMO LXVIII.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad fu-
turam gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8.

Tribulati qualiter ſe gerant.

PAſſiones amaræ ſunt, ſed tamen ſalubres, &
ideo non ſunt projiciendæ, ſed aliquo condien-
dæ, ut homo poſſit eis uti. Gregorius. Si quærimus
dulcia, neceſſe eſt ut amara toleremus. Exemplum
de ſimia, quæ aſcendens in arborem nucis, & inve-
niens amaritudinem corticis, fructus tacitè proji-
cit, ex quo accidit ei quod nunquam guſtat de nu-
cleo. Sic aliquando guſtantes tribulationem ama-
tam projiciunt eam, & ſic nunquam guſtant de dul-
cedine præmii. Hebr. 12. *Omnis diſciplina in præ-*
ſenti non videtur gaudii eſſe ſed mœroris poſtea fruc-
tum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ
&c. Quadruplici ſale vel ſalſa poſſunt condiri tribu-
lationes. *Prima* eſt cogitatio æterni ſupplicii. Et
hæc eſt pungitiva, generat enim timorem. Pſal. 2.

Tribulationes quomodo condiendæ.

1. *Reges eos in virga ferrea,* & merito, quia hic no-
lunt regi virga directionis, virga aurea, cujus ex-
tenſio ſignum eſt clementiæ, ut habetur in Hiſtoria.
Heſter. 8. Nolunt diſciplinam qua à naufragio libe-
rentur. Ideò. *Apprehendet eos quaſi aqua inopia.*
Job 27. Virgam projiciunt, ſed mutabitur in colu-
2. brum, ſcilicet in mortem æternam. *Secunda* eſt
conſideratio præmii, quæ eſt aromatica ſpecies.
Greg. Conſideratio præmii minuit vim flagelli. 2.
Cor. 4. *Id quod in præſenti momentaneum eſt & leve*
3. *tribulationis noſtra &c.* *Tertia* eſt conſideratio paſ-
ſionis Chriſti, & ideo hic dicitur *Non ſunt condi-*
gnæ paſſiones &c. Greg. Si paſſio Chriſti ad memo-
riam revocetur, nihil adeò durum quod non æquo
animo toleretur. *Quarta* eſt conſideratio multipli- 4.
cis utilitatis ſeu fructus quem habet tribulatio, &
poſſunt dici duodecim.

Fructus tribulationis.

Primus eſt purgatio Eccleſ. 2. *In dolore ſuſtine &* 1.
in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne
probatur aurum & argentum, homines vero recep-
tibiles in camino humiliationis. Sed de quibuſdam
poteſt dici illud Hierem. 6. *Fruſtra conflavit confla-*
tor, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argen-
tum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos. 2.
Secundus fructus eſt extinctio carnalium paſſionum
ſicut mare Ægptios operuit, Iſraëlitis non nocuit: Exod. 14.
ſic amaritudo pœnæ & tribulationum opera vitiorũ
impedit, opera verò virtutum juvat. Eccleſ. 10.
Curatio faciet ceſſare peccata maxima. Tertius fru- 3.
ctus eſt ſecuritas contra judicium Pſal. 45. *Non ti-*
mebimus dum turbabitur terra &c. Nahum 1.
Non conſurget duplex tribulatio. Quartus fructus 4.
eſt, quia eſt ſignum amoris domini Apoc. 3. *Ego,*
quos amo, arguo & caſtigo. Tob 12. *Quia acceptus*
eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te. Hebr. 12.
Quem diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem
omnem filium, quem recipit. Quintus fructus eſt 5.
quia pignus eſt æternæ ſalutis Baruch. 4. *Qui enim*
induxit vobis mala, ipſe rurſum adducet vobis ſem-
piternam jucunditatem cum ſalute veſtra. 2. Ti-
moth. 2. *Si ſuſtinebimus & conregnabimus.* Bern.
Nunquid Chriſtus ſocium tribulationis & paſſionis
à communione ſua patietur arceri, ſecum conſiſtens
latro in cruce, eadem die cum eo fuit in paradiſo.
Sextus fructus eſt gaudium vel ſolatium. Pſal 93. 6.
Secundum multitudinem dolorum meorum in corde
meo &c. Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes &c. Septi-* 7.
mus fructus eſt conſolatio ſpiritus. Job 6. *Hæc mihi*
ſit cõſolatio, ut affligens me dolore non parcat. Pſal. 21.
Virga tua & baculus tuus &c. Qui habet precium rei
in burſa quam vult emere, & ſcit eam venalem, ac-
cedit ad forum ſperans quod eam habebit. *Octavus* 8.
fructus ſanitas eſt ſpiritualis. Eccleſ. 31. *Infirmitas*
gravis ſobriam reddit animam, quia *altiſſimus de*
terra creavit medicinam, & vir ſapiens non abhor-
rebit eam. Nonus fructus eſt excitatio devotionis. 9.
Iſa. 26. dicitur. *Domine in anguſtia requiſierunt te.*
Pſal 114. *Tribulationem & dolorem inveni &c. De-*
cimus eſt animatio in adverſis. Rom. 5. *Tribulatio* 10.
patientiam operatur, patientia autem probationem,
probatio verò ſpem. *Undecimus* eſt eruditio, quæ 11.
emittit diſciplinam quaſi lucem. Iſa. 28. *Sola vexa-* 12.
tio intellectum dabit auditus. Duodecimus eſt con-
formatio ad caput noſtrum. Joan. 15. *Si mundus vos*
odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Ec-
cleſ. 8. *Gloria magna eſt ſequi Dominum.*

Et Nota quod *quatuor prima* deſolatoria ſunt
malorum. quomodo enim malus, qui habet tribu-
lationem, poteſt habere ſolatium in conſideratione
inferni, cum illa tribulatio ſit ei quoddam nuncium
inferni: potius erubeſcere poteſt magnitudinem

Prima quatuor cur malos tribulatos non conſolentur.

pœnæ infernalis, cum quaſi intolerabilis ſit ei tri- 1.
bulatio præſens, quæ tamen cõparatione futuræ eſt
levis. *Item* quod ſolatium poſſunt habere mali in 2.
conſideratione paſſionis Jeſu Chriſti, cum Chriſtus
requiſiturus ſit mortem ſuam ab eis. Cum enim ipſi
abſtulerint Chriſto ſeipſos, quos adeò carè emit,
merito precium mortis ſuæ ab eis requiret. *Item* 3.
quod ſolatium poſſunt habere in utilitate tribula-
tionum, cum peccata, in quibus ſunt, reddunt eis
tribulationes inutiles. Ipſi multa ſolvunt & à debi-
to ſuo in nullo ſe abſolvunt. *Item* quod ſolatiũ poſ- 4.
ſunt habere in conſideratione gloriæ cœleſtis, cùm
ipſi eam per peccata ſua amiſerunt, potius in hac cõ-
ſideratione invenitur materia doloris quam gaudii.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Recenſentur I. *hoc ſermone octo, ex quibus Gloria Beatorum colligi poſſit.* II. *referuntur ſex, quorum quodlibet triplex eſt, quæ Beatis Gaudiorum cauſæ exiſtunt.*

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, &c.

I. Gaudia Beatorum ex octo patet. OCto ſunt ex quibus apparere poteſt quod fi-
deles habituri ſunt valde magnam gloriam, li-
cet modò viles ſint & abjecti. *Primum* eſt quod Do-
minus ita carè vendidit gloriam ſuam etiam amicis
1. ſuis. Petrus emit eam martyrio crucis. Paulus am-
putatione capitis. Et veriſimile eſt quod ipſe non
decipit eos, cum ſit amicus fideliſſimus. Et quod
plus eſt, ipſe emit cariſſimè gloriam iſtam amicis,
2. crucis ignominia. *Secundo* patet magnitudo hujus
gloriæ per gloriam pulchritudinis quam videmus
etiam in inferioribus creaturis, cum domino pla-
ceat eos decorare. Sicut eſt lilium in hyeme vile,
in æſtate verò cum domino placet pulcherrimum
eſt, & ſimiliter in pratis, quæ tunc ſunt mirabilis
pulchritudinis. Matth. 6. *Conſiderate lilia agri, quo-
modo creſcunt.* Et ſequitur. *Dico vobis quoniam
nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſi-
cut unum ex iſtis.* Et poſt. *Si fœnum agri, quod ho-
die eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit,*
3. *quanto magis vos modicæ fidei. Tertio* patet magni-
tudo gloriæ in gloria pulchritudinis, quæ videtur
in his, quæ artificio fiunt ex lignis & lapidibus &
ære, ut in gloria Salomonis. 3 Reg. 10. *Videns
Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis & domũ
quam ædificaverat, &c. Non habebat ultra ſpiritum.*
Quid ergo gloriæ habebũt amici Dei, cum ei placue-
rit eos decorare ſecundum magnitudinem ſapien-
4. tiæ ſuæ? *Quarto* patet ex verbis Sanctorum, qui-
bus Deus revelavit eam, ut eſt illud Iſa. 44. *Oculus*
5. *non vidit Deus abſque te*, &c. *Quinto* patet ex hoc
quod legitur Matth 17. in Domini transfiguratione,
quod *reſplenduit facies ejus ſicut ſol; veſtimenta au-
6. tem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Sexto* patet per
hoc, quod Chriſtus honorem ſuum contulit cruci,
quæ ei ſervivit. Unde Auguſtinus. Crux de pœnis
latronum tranſivit ad frontes Imperatorum. Quid
faciet de fidelibus ſuis, ſi tantum honorem contulit
7. cruci? *Septimo* ex honore quo honorat modo Chri-
ſtus ſanctos in terris. Major enim reverentia exhi-
betur pulveribus, vel oſſibus Sanctorum, vel etiam
panniculis, quam maximis principibus hujus mun-
di, unde videtur quod multo magis honorentur in
8. cœlis. *Octavo* patet per hoc, quod gloria eorum ſi-
milis eſt gloriæ Dei. 1. Joan. 3. *nunc filij Dei ſumus
& nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam
cum apparuerit, ſimiles ei erimus.*

II. Gaudium beatis proveniet ex ſex. Notandum quod gaudium provenit his qui ſal-
vi fiunt quaſi ex *ſex* partibus. *Primo* à Beata Tri-
nitate, *ſecundo* à loci amœnitate, *tertio* à jucunda
ſocietate, *quarto* à corporis glorificatione, *quinto*
1. Triplex. ab inferno, *ſexto* à mundo iſto. De *primo* legitur.
Iſa. 33. *Regem in decore ſuo videbunt.* Et notandum
quod in viſione regis triplex gaudium erit. *Primum*
erit in videndo faciem Dei ſecundum Deitatem,
quod erit ſummũ gaudium, quia melius eſſet ſic eſſe
in terris, quam in paradiſo & non videre faciem
Dei. In Pſal. 26. *Faciem tuã Domine requiram.* Et
Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſo-
lum Deum*, &c. Et in Pſal. 79. triplicatur, *oſtende fa-
ciem tuam & ſalvi erimus. Secundum* gaudium erit
videndo humanitatem Chriſti. Bern. Plenum proſ-
ſus omnis ſuavitatis dulcedine, videre hominem
hominis conditorem. *Tertium* gaudium erit in con-
ſideratione unionis humanitatis ad divinitatem. Et
erit mirabile, quando cognoſcent quod frater eo-
rum ſecundùm carnem verè Deus eſt. *Item* à loci
amœnitate triplex gaudium. *Primo* à claritate loci. 2. Triplex.
Unde Tob. 13. *Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſemi-
nis mei ad videndam claritatem Jeruſalem.* Apoc. 21.
*Civitas non eget ſole neque luna ut luceant in ea,
nam claritas Dei illuminavit eam. & lucerna ejus
eſt agnus. Secundum* à loci puritate. Unde Apoc. 12.
*Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abo-
minationem faciens & mendacium. Tertium* erit ex
loci latitudine. Baruch. 3. *O Iſrael quam magna eſt
domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Magnus
& non habens finem.* Tota terra eſt quaſi punctum re-
ſpectu cœli empyrei, ubi ſancti regnabunt. Ex ſo-
cietate *etiam* triplex gaudium provenit. *Primum*
eſt ex multitudine. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam,* 3. Triplex.
quam dinumerare nemo poterat, &c. *Secundum*
ex nobilitate ſocietatis illius, in qua erit beata
Virgo & omnes ſancti Angeli, qui omnes reges
erunt, unde filius Dei dicitur veniſſe *de cœlo à rega-
libus ſedibus.* Sap. 18. *Tertium* de amicabilitate ſo-
cietatis illius, tanta enim erit charitas inter eos,
quod gaudia aliorum ſua reputabunt? unde Iſa. 31.
*Dixit Dominus cujus ignis eſt in Sion & caminus
ejus in Hieruſalem.* A glorificatione *etiam* corporis
triplex gaudium. *Primo* ab ejus pulchritudine, quæ
conſiſtit in claritate & debita figura & ſitu mem-
brorum. Matth. 13. *Juſti fulgebunt ſicut ſol in regno* 4. Triplex.
patris eorum. Secundo ex libertate corporis. Liberta-
tem enim quam habet modò animus, habebit tunc
corpus ſic, quod ſubito tranſeat ab oriente in oc-
cidentem, ut includi non poſſit muro, vel alio ob-
ſtaculo. Habebit etiam corpus tunc ſimplicitatem &
agilitatem, ut, ubi volet ſpiritus, protinus adſit cor-
pus. *Tertio* ab impaſſibilitate corporis, nulla enim
moleſtia corporibus eorum de cætero poterit no-
cere. Apoc. 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam
ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque
luctus, neque clamor*, &c. Ab inferno *etiam* triplex 5. Triplex.
gaudium proveniet. *Primo* ex hoc quod infernum
evaſerint. Gregorius. Iniqui pro iniquitate ſua
æterno ſupplicio punientur, ut juſti homines & in
Deo videant gaudia, quæ percipiunt; & in iſtis
reſpiciant ſupplicia, quæ evaſerunt. *Secundo* ex
hoc, quod hoſtes eorùm cruciabuntur. Unde Pſal.
57. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam. Ter-
tio* ex hoc, quod peccatum, quod maximè nocet
hominibus, clauſum erit in inferno poſt diem
judicij tanquam in proprio loco. A mundo *etiam*
triplex gaudium erit, *primum* quia à pœnali miſeria 6. Triplex.
hujus exilij liberati erunt. Bern. Tranſiſſe de morte
ad vitam, vitæ gaudium duplicat. Veriſimile eſt
quod multum gaudeat ille, qui dicebat. *Heu mihi
quia incolatus meus prolongatus eſt.* Et Apoſtolus. Pſal. 119.
*Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
hujus? &c. Secundum* erit gaudium quod à naufra- Rom. 7.
gio liberati erunt. Si de evaſione naufragij, qui de
mari exierunt, tantum gaudent, veriſimile eſt
quod multum gaudeant, qui tot naufragia paſſi à ma-
ri hujus mundi evaſerunt. Bern. Periculum pro-
bat tranſeuntium raritas & pereuntium multitudo.
Ex hoc patet quod mare hujus mundi vix ex qua-
tuor navibus tranſit una, quia vix de quatuor
hominibus unus ad portum ſalutis venit. *Tertium*
erit quod de tanto hoſte triumphaverunt. Job 41.
*Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei qui
factus eſt ut nullum timeret.* Hoſtis eorũ erat ut gi-
gas, & ipſi erant ut locuſtæ. Origen. Vult Dominus
Jeſus mirabiles res facere, vult enim de locuſtis ſe-
parare gigantes & de his qui in terris ſunt cœleſtes
ſuperare nequitias. Ad cumulum gaudij facit hoc,
quod ſecuri erunt de æternitate gloriæ. Joan. 16. *Et
gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

M ij

Digitized by

DOMINICA QUINTA POST TRINITATEM.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

In Exordio hujus ſermonis agitur aliquid de tribus bonis operibus. In prima parte traditur, cur orare libenter diſcere debeamus. In ſecunda præfatio & ſingula dein orationis Dominicæ petitiones explicantur.

SERMO LXX. Omnes unanimes in oratione eſtote. 1. *Petri* 3.

Orationis, Ieiunii & Eleemoſynæ utilitas & quomodo habeant ſe ad invicē.

SIcut dicit Gloſſa ſuper illud. Pſal. 41. *Apud me oratio Deo vita mea.* Juſtitia hominis in hac vita eſt jejunium & oratio & eleemoſyna. Oratio his duabus alis volat ad Deum, & bonitas hominis in his tribus conſiſtit. Per hoc patet, quod homo habet comparationem & ad id quod eſt ſupra ſe, ſcilicet ad Deum, & ad angelos, & ad ſanctos, & ad id quod eſt juxta ſe, ſcilicet corpus proprium. Oratio neceſſaria eſt homini ut per eam ab his quæ ſupra ſe ſunt, imploret auxilium, eleemoſyna, ut proximo indigenti ſubveniat. Jejunium verò corpus caſtiget & in ſervitutem redigat, & vix erit quod, qui in his tribus bene ſe habet, victoriam de hoſte non habeat. Jejunium enim debilitat hoſtem, ſcilicet corpus, & per conſequens etiam Diabolum, qui maximè in carne confidit, unde quidam ſanctus Diabolus plus confidit in adjutorio carnis quam in aliquo alio, quia magis nocet domeſticus hoſtis. Oratio adjutorium nobis cœleſte adquirit, Eleemoſyna verò terreſtre auxilium, dum pauperes ſtipendiarios noſtros facit. Quomodo non vincet hoſtem debilem, qui tam cœleſtia quā

Oratio inter hæc tria excellit, cur.

terreſtria habet in auxilium? Inter hæc tria magis videtur excellere oratio, cùm ſit reſpectu ejus quod ſupra nos eſt, & cùm jejunium & eleemoſyna ei

Orationis & natura vis.

deſerviant velut quædam alæ. Oratio columba eſt, avis ſcilicet ſpiritus ſancti, quæ ramum olivæ apportat, dum pacem hominibus impetrat. Ideò autem dicimus eam avem ſpiritus ſancti, quia devota oratio à ſpiritu ſancto eſt: *ſpiritus* enim ſanctus *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* juxta verbum Apoſtoli Rom. 8. Id eſt, poſtulare facit. De oratione dicit Auguſtinus ſuper illud Pſal. 87. *Intret in conſpectu tuo oratio mea:* Mira virtus puræ orationis, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & ibi mandata peragit, quo caro venire nequit. Et Gregorius. Magna eſt virtus orationis, quæ fuſa in terra, in cœlo operatur; & licet beatius ſit dare, quam accipere Actor. 20. tamen ma-

Cur huic ſtatui conveniat.

gis congruit ſtatui, in quo ſumus, petere, quam dare, cùm nihil habeamus hic, niſi quod aliunde accipimus juxta illud. 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* ideò *ſpecialiter* de oratione dicemus, quæ nobis impetrat id quo indigemus, *prius* oſtendendo quod officium iſtud quilibet addiſcere debeat, deinde indicando quomodo ille ſummus magiſter orare docuerit.

De oratione duo hoc ſermone tractabuntur.

I. Orare diſcendum libenter.

Notandum ergo quod Sex rationes poſſunt aſſignari, quare libenter quilibet debeat diſcere orare. *Primum* ex hoc, quod ille magnus magiſter, qui cathedram habet in cœlo adeò diligenter voluit eam docere. Quia veriſimile eſt, quod Chriſtus noluerit nos negligenter addiſcere, quod voluit ita diligenter docere. Verecundum eſt diſcipulis Chriſti, ſi illud neſciunt, quod magiſter illorum diligentiſſime docuit. Docuit autem illud *exemplo.* Matth. 14. quando *dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi:* & Lucæ 22. legitur quod in agonia prolixius orabat, & quandoque pernoctabat in oratione, cum tamen propter ſe oratione non indigeret, qui ſolo verbo poterat facere quæcunque volebat Sed fecit hoc,

1. Quia Chriſtus nos hoc docuit.

1. Exemplo ſuo.

ut daret nobis exemplum libenter orandi. *Verbo* etiam diligonter hoc docuit, oſtendens quid orandum eſſet Matth. 6. Ubi orationem Dominicam tradidit, & ubi orandum, ibidem. *Cum oraveris intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito &c.* Et quando orandum nempe *ſemper* Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ ventura ſunt. Item* docuit qualiter orandum, nimirum *devoto, breviter, humiliter & perſeveranter.* De *primo* Joan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu oportet adorare.* De *ſecundo* Matth. 6. *Orantes autem nolite multum loqui ſicut Ethnici faciunt.* De *tertio* ibidem. *Cum oratis, non eritis ſicut Hypocritæ, qui amant in ſynagogis & angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus.* Et Lucæ 18. in parabolis de publicano & phariſæo habetur de eodem & de *quarto* ubi agitur de judice iniquo, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, qui tamen viduæ fecit vindictam propter nimiam ejus importunitatem, & Luc. 11. *Si ille perſeveraverit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus ejus ſit, propter tamen improbitatem ejus ſurget & dabit illi &c. Secundum* ex hoc, quod oratio, ſi fiat eo modo quo debet exennium eſt Deo valde gratum & miniſterio angelico dignum. Unde Tob. 12. dicit Angelus: *quando orabas cum lachrimis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Non debet homini grave eſſe exennium illud Deo mittere, quod angelo non eſt grave offerre, immò quod plus eſt, ipſe Chriſtus, qui in quantum homo, ſummus Sacerdos eſt, illud offert Deo patri. Quod ſignatur in hoc, quod Diaconus thuribulum tradit ſacerdoti & ſacerdos thurificat. Sic Chriſtus orationes Eccleſiæ Deo patri præſentat, quæ præſentatio multum facit eas valere: quando enim à Deo contemnetur quod à tanto mediatore ei præſentatur? *Tertium* eſt quod officium iſtud facile eſt. Si dicatur alicui ut det eleemoſynā, poteſt excuſare ſe, cùm non ſemper habet homo argentum in burſa. Si dicatur etiam quod homo jejunet, ſimiliter poteſt ſe excuſare, cùm multi propter debilitatem capitis jejunare non poſſunt. Sed ab oratione nullus poteſt ſe excuſare, quilibet enim poteſt habere orationem ſuam, ſaltem mentalem, etiamſi ſit mutus. Unde Pſal. 41. *Apud me oratio Deo vita mea.* Et ſuper illud Pſal. 36. *Iuſtus autem miſeretur & tribuet*, dicit Gloſſa: Semper eſt aliquid juſto quod det, ſaltē orationem. *Quartum* eſt quod opus illud honorabile eſt. Multa ſunt officia quæ aliquibus cederēt ad dedecus, ſicut arare & fodere, ſed orare Deum nulli quantumcunque nobili cedit ad dedecus, quia ſecundum Gregorium, cùm oramus ipſi cum Deo loquimur, quod ſine dubio magnus honor eſt. *Quintum* verò eſt quod officiū iſtud valde lucroſū eſt. Quod poteſt oſtendi ex hoc, quod nihil eſt ad quod oratio valere non poſſit. Unde 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hoc eſt officium ex quo poteſt homo lucrari omni tempore, & in hyeme & in æſtate, & in ſereno, & in pluviali tempore, de nocte & de die, & quandoque una hora lucratur plus orando, quam valeat civitas una, quia lucratur homo modica oratione, cum devota eſt, regnum æternum. quandoque antequam inchoetur oratio, eſt homo in ſtatu damnationis, & antequam finiatur, eſt in ſtatu ſalutis. Quandoque plus lucratur vetula una orando de cœlo una hora, quam mille milites armati de terra per longum tempus. Unde Gloſſa ſuper Num. Plus valet unus ſanctus orando, quam innumeri peccatores præliando. Oratio ſcilicet cœlum penetrat, quando hoſtes in terris non vincit. Maxima ſolatia à ſanctis in

2. Verbo ſuo.

4. Quatuor modis orādū docuit.

2. Quia eſt exennium Deo gratiſſimum.

3. Quia eſt officium facile.

4. Honorabile.

5. Lucroſum; Efficacia Orationis.

mundo iſto orando recipiuntur. Unde Lucæ 3. *Jeſu baptizato & orante apertum eſt cœlum.* Et ejuſdem 9. *Et facta eſt, dum oraret ſpecies vultus ejus altera*, & veſtitus ejus albus. Et ejuſdem 22. Sic legitur de Chriſto. *Poſitis genibus orabat*, & poſt ſubditur: *apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum.*

6. Tria neceſſe habemus quotidie orare ob tria.

Sextum eſt neceſſitas orandi quam habemus in præſenti. *Tria* ſolent dare neceſſitatem clamandi hominibus, *ignis*, *aqua* & *hoſtes*. Et hæc tria quaſi ſingulis diebus dant nobis neceſſitatem clamandi ad Deum in oratione. Vix enim eſt dies in quo domus conſcientiæ noſtræ igne infernali non ſuccendatur, ſcilcet concupiſcentia prava. Unde neceſſe habemus clamare pro aqua divinæ gratiæ, & ad aquam lachrimarum recurrere. Et ignis iſte quando ex una parte ſuccenditur, ex alia parte extinguitur. Ex ipſa enim aqua lachrimarum unde debuit extingui, quandoque accenditur. Nam ex hoc quod aliquis carnis concupiſcentiam deplorat, quandoque vana gloria naſcitur. Vix etiam eſt dies in quo homo non ſentiat fluctus malarum cogitationum ſuper caput ſuum, unde neceſſitatem habet clamandi illud. Matth. 8. *Domine, ſalva nos, perimus.* Vix etiam eſt dies in quo non videat hoſtes ſuos in portis caſtri ſui, dum detractionem, vel aliud malum verbum ſentit in ore, & ſic de aliis portis caſtri ſui, ſcilicet corporis ſui.

II. Oratio Dominica.

Sequitur videre qualiter Chriſtus orare docuerit de quo legitur Lucæ 11. *Cum eſſet* Jeſus *in loco quodam orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis ſuis ad eum: Domine doce nos orare, ſicut docuit Joannes diſcipulos ſuos & ait illis. Cum oratis, dicite: pater noſter &c.*

Commendabilis eſt à quinque.

Circa quam orationem Notandum eſt quod *quinque* ſunt à quibus ipſa commendabilis eſt. *Primum* eſt *auctoris dignitas*, quia ipſe Deus compoſuit eam, unde convenit ei illud Eccleſiaſtici 24. *Ego ex ore altiſſimi prodivi. Secundum* eſt *brevitas*, unde Gloſſa Bedæ. Orationem brevibus verbis compoſuit, ut ſit fiducia citò accipiendi, quod breviter vult rogari. *Tertium* eſt *fœcunditas*. Gloſſa. Nihil eſt quod in ſeptem petitionibus non contineatur. *Quartum* eſt *ſpiritualitas*. Gloſſa. Nulla oratio magis ſpiritualis eſt, quam iſta quæ ex ore filii Dei, qui eſt veritas, proceſſit. *Quintum* eſt *virtus* ipſius. Magnæ enim virtutis eſt. Eſt enim veriſimile, quod Chriſtus petitiones, quæ in ea ſunt, non formaſſet, niſi eas audire vellet.

Valet ad delenda VV. & MM. peccata.

De ejus virtute dicit Auguſtinus. De quotidianis & levibus peccatis & brevibus, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: *Pater noſter &c.* Hæc oratio minima peccata delet, illa ſcilicet, à quibus vita fidelium etiam ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in melius commutata diſceſſit, ſi veraciter dicatur: *Dimitte nobis debita noſtra &c.* Poſt Euchariſtiam eſt Dominica oratio maximum remedium, vel unum de maximis contra venialia peccata.

Dividitur in duas partes.

Habet autem Dominica oratio duas partes, quarum *prima* præparat orantem ad devotè orandum, *ſecunda* verò continet ſeptem petitiones.

1. Præparatio. Ejus neceſſitas.

Eſt autem valdè neceſſaria præparatio ante orationem, unde in Pſalm. 9. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Plus attendit quandoque Deus ad præparationem quàm ad orationem vocalem, ideò dicitur. Eccleſiaſtici 18. *Ante orationem præpara animam tuam.*

Præparatio eſt duplex. Remota quid.

Eſt autem *duplex præparatio*: quædam *remota*, quædam *propinqua*. Remota eſt obſervantia mandatorum Dei Qui enim vult à Deo exaudiri in his quæ petit, primò debet eum exaudire in his quę Deus ab eo petit. Deuter. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diliges eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, cuſtodiaſque mandata Domini &c.* Auguſtinus. Qui à præceptis Dei avertitur, quod in oratione poſtulat, non mœretur. Et Proverb. 28. *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus execrabilis.* Et ejuſdem 21. *Qui obturat autem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.*

Propinqua duplex.

Propinqua præparatio eſt in *duobus modis*: in *lachrimoſitate* & *in fiducia impetrandi*, & his duobus modis præparat orantem pars iſta (*Pater noſter qui es in cœlis.*)

1. Fit hæc oratio duobus modis.

Excitat enim ad lachrimas *dupliciter*. *Primo* dum patrem tantum ad memoriam reducit ei, qui peccando ita viliter vixit. *Secundo* dum abſentiam amantiſſimi patris innuit dicens, *qui es in cœlis*, & dulcem illam patriam à qua ipſe exulat. Ad *primum* pertinet quod dicit Bernar. Cogitanti mihi quod offenderim patrem, eſt certe quod pudeat, etſi non quidem terreat. Quanam fronte attollo oculos jam ad vultum tam pii patris tam malus filius. Pudet indignè geſſiſſe me generi meo. Pudet tanto patri vixiſſe degenerem. Et Gloſſa ſuper hunc locum dicit. Cavendum eſt cuique à ſordibus, ne tanto patri ſit indignus. Ad alterum videtur pertinere illud. Pſal. 41. *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus. Primus* fletus qui eſt pro peccatis, eſt irriguum inferius, *ſecundus* fletus, qui eſt pro abſentia patris & dilatione patriæ, eſt irriguum ſuperius.

2. Etiam duobus modus fit.

Ad *fiduciam impetrandi* valet illud verbum *dupliciter*. *Primo* dum patrem nominat eum qui oratur. Hujus patris amor ſuperat maternum amorem. Iſa 49. *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui. Et ſi illa oblita fuerit ego non obliviſcar tui. Secundo* dum dicit eum eſſe in cœlis, ubi eſt abundantia omnium bonorum. Quomodo enim pater miſericordiarum, habens abundantiam omnium bonorum, non miſerebitur filii poſiti in valle miſeriæ, ubi eſt penuria omnium bonorum? Ad hoc pertinet hoc quod dicit Bernar. Ubi jam illud quod apud antiquos tam terribiliter quam frequenter intonare ſolebat: ego dominus Deus tuus? Mihi dicatur oratio, cujus principium dulci nomine paterno, ſequentium petitionum mihi obtinendarum præſtat fiduciam Et Gloſſa, ſuper hoc nomen *Pater*. In hoc datur fiducia quid negabit filiis, qui jam dedit quod pater eſt. Lucæ 11. *Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtris bona dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?*

Hos duos modos valere ad impetrandum probatur.

Quod autem lachrimæ valeant ad impetrandum, patet per hoc, quod dicit Auguſtinus ſuper illud Pſalm. 38. *Auribus percipe lachrimas meas, quæ*, inquit, *violentæ ſunt in precibus.* Quod etiam fiducia valeat ad hoc, patet per hoc, quod legitur. Jacob 1. *Si quis autem indiget ſapientia, poſtulet à Deo &c.* & poſt dicitur: *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo exiſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.*

2. Pars orationis Dominicæ in duas partes dividitur, cur & in quas.

Secunda Pars dividitur in duas partes, cum duplex ſit vita ſpiritualis, vita gratiæ & vita gloriæ. *Primo* ponuntur tres petitiones pertinentes ad vitam gloriæ, *ſecundo* quatuor petitiones pertinentes ad vitam gratiæ. Primo autem ponuntur petitiones ad vitam gloriæ ſpectantes, tanquam digniores ſecundum illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus &c.* Regnum Dei quæritur in principio tribus petitionibus, juſtitia verò ducens ad regnum quæritur in quatuor ſequentibus.

Explicatio ſingularum petitionũ. Septima. Sed libera nos à malo.

Et Notandum quod ille qui mortem meruit apud judicem terrenum, & neſcit judicem ſibi adhuc placatum, primo petit vitam, ſive ut parcatur ei à morte quam meruit. Sic qui mortaliter peccavit, cùm certus non ſit in hac vita quod ſibi ſit dimiſſum

Digitized by Google

neceſſe habet primò petere ut parcatur ſibi à morte. Ad quod pertinet illa petitio: *libera nos à malo.* Malum enim ibi dicitur mortale peccatum, quod eſt mors prima & ſequela ejus, ſcilicet mors æterna. Et deberet proponi cum magno deſiderio hæc petitio, eo ſcilicet modo, quo reus attendens quid fecit, & quod tormentum ſibi præparatum ſit, cum multis lachrimis vitam ſuam petit. Sic peccator reſpiciens peccatum quod fecit, & tormentum quod pro eo meruit, cum multis lachrimis debet dicere: *libera nos à malo.* Dicebat quidam quod latrones & trutanni docuerunt eum orare. Trutanni docuerunt eum, quæ miſerabiliora ſunt in eis improbiſſimè oſtendendo, & quæ ſana ſunt abſcondendo, ut magnitudo miſeriæ excitet ad miſericordiam; latrones verò ſecundum modum, quem jam diximus. Vita verò ſpiritualis obtenta eſt in continua pugna, juxta illud Job. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, id eſt, tentatio, & propter hoc neceſſaria eſt alia petitio, qua petitur ne in tentationem cadere permittamur. Quæ petitio etiam cum magno deſiderio proponenda eſt, ſicut ille, qui facturus eſt duellum, antequam intret campum, cum magno deſiderio rogat Dominum & rogare facit, ut ſibi det victoriam, & obtenta victoria gratias Deo agit. Sic quilibet fidelis debet in mane rogare Deum, ut in illa die det ſibi victoriam de Diabolo, quam citò enim ſurgit, intrat in campum certaminis valdè periculoſi. Bern. In mundo iſto tanquam in ſtadio certaminis poſiti ſumus, in quo Chriſtus mortuus eſt. Quiſquis hic livorem vel plagam non ſuſceperit, in futuro judicio miles inglorius apparebit. In veſpere verò, ſi à caſu caverit, debet ſequi gratiarum actio. Auguſtin. Qui orandus eſt ut faciat, illi reddenda eſt gratiarum actio, cùm fecerit. In quo multi peccant, cùm enim acceperint aliquod beneficium à Deo, nunquam poſtea memores ſunt ejus, cùm tamen deberent regratiari Deo ſingulis diebus, longo tempore. Et *notandum* quod conſenſus velut pes eſt animæ, quo aliquis dicitur intrare in tentationem vel etiam induci. Matth. 26. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Intretis, inquam, per conſenſum. Inducit autem Dominus hominem in tentationem permiſſivè, Diabolus verò quaſi impulſivè. Vita etiam ſpiritualis etſi ad impulſum tentationis non corruat, debitis tamen obligata eſt, dimiſſa enim culpa & morte æterna, remanet homo adhuc obligatus ad pœnam tranſitoriam, ideò neceſſaria eſt petitio illa: *dimitte nobis debita noſtra*, quæ petitio cum magno deſiderio proponenda eſt, quia ſicut ſolet dici, non eſt onus ſicut onus debitoris. Si quis obligatus eſſet debitis multis ad terminum, & ſciret ſe in gravi carcere ponendum, niſi infra terminum redderet, & probabiliter crederet ſe non ſufficere ad ſolvendum infra terminum, cum magno deſiderio peteret ſibi debitum remitti, ſi ſperaret obtinere, & valdè gratum haberet, ſi quis à tabulis creditoris eum deleri faceret, & ſe ipſum ſcribi. Sic cum magno deſiderio petere debet ſibi debita dimitti, qui credit ſe non poſſe ſolvere ea infra terminum mortis, cùm ſciat ſe ponendum pro eo quod non ſolverit in ignem purgatorii, de quo igne dicit Auguſt. Miro modo gravis eſt ignis ille, excedit enim omnem pœnam, quam unquam paſſus eſt homo in hac vita. Huic verò petitioni additur determinatio, cum dicitur: *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Specialiter* autem valet ad impetrandam remiſſionem à Deo, ſi remiſerimus proximo. Eccleſiaſtici 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur*, ſi *omne animal diligit ſimile ſibi ut habetur.* Eccleſiaſtici 13. & lupus lupo non nocet, nec leo leonem lædit ſecundum verbum Senecæ, veriſimile

Unde diſcimus orare.

Sexta petitio. Et ne nos inducas in tentationem.

Quinta. Dimitte nobis debita noſtra.

Sicut & nos dimittimus,

eſt quod Dei miſericordia nihil ita amet in homine ſicut animam ſuam ſororem, & quod ei, qui libenter dimittit proximo, dominus dimittat: econverſo non remittenti, nihil remittit, quia *per quæ peccat quis, per ea & torquetur.* Sap. 11. Quis vindicari vult, à domino inveniet vindictam. Vita etiam ſpiritualis ex ſe deficiens eſt, & indiget cibo ſpirituali ſuſtentari, ſicut vita corporis alimonia ciborum ſuſtentatur. Et etiam ante caſum oportet eam cibo ſuſtentari, ideò in quarta petitione petitur ſuſtentamentum vitæ ſpiritualis, cum dicitur (*panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*) Nec videtur principaliter intelligendum eſſe de pane materiali, cùm dicit Dominus illum eſſe adjiciendum, non quærendum. Matth. 6. *Et hæc omnia adjicientur vobis.* Quæ petitio cum magno deſiderio proponenda eſt, cum quotidie cibus ille ſit neceſſarius, nec à nobis eum habere poſſimus. Sic cum deſiderio eleemoſynam peteret, qui ſciret ſe fame moriturum, niſi eam mendicando obtineret. Et *notandum* quod panis iſte *quadruplex* eſt, ſcilicet *doctrina, exemplum, ſacramenta Eccleſiæ*, præcipuè Confeſſionis & Euchariſtiæ & *opera virtutum*. De *pane doctrinæ* legitur Deuter. 8. *Non in ſolo pane vivit homo &c.* De *pane exempli* habetur ſuper illud. Joan. ult. *Paſce oves meas.* De *bonis operibus* habetur Iſa. 4. ubi dicitur in perſona virtutum: *Panem noſtrum comedemus & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos.* Deficiunt virtutes, niſi ex eis bene operemur, ſicut viſus corporalis in homine deficit, ſi homo diu in carcere maneat, ubi non videat. *Sacramenta* verò *Confeſſionis & Euchariſtiæ* panis dicuntur, quia multùm valent ad ſuſtentamentum vitæ ſpiritualis, quia quandocunque aliquis dignè accedit ad ea, recipit gratiam vel augmentum gratiæ. Dignè autem accedit humiliter credens habere ſacramentum illum effectum, quem prædicat Eccleſia: & qui habet deſiderium percipiendi effectum illum. Qui abſque deſiderio accedit, quaſi ore clauſo accedit, & ideo vacuus accedit, & vacuus recedit. Quartum, in quo conſiſtit dignitas iſta, eſt, ut homo gratus ſit Deo de hoc, quod fontes gratiarum in Eccleſia poſuit, ad quos recurrere poſſumus, cum gratia indigemus. Ex prædictis ſatis poteſt eſſe manifeſtum, quantum Deo indigeat vita præſens, quia adeò pauper eſt quod neceſſe habet mendicare. Unde Auguſt. Qui panem quotidianum petit, non dives, ſed pauper eſt. Eſt etiam plus quam pauper, cùm multa debeat, & eſt in magno periculo, habens undique circa ſe & laqueos & cauſas mortis. Circa alias vero tres petitiones notandum, quod ſicut homo factus eſt, ut ſerviat Deo, ſic mundus factus eſt, ut ſerviat homini. Et pro ſervitio quod exhiberet homo creatori, debuit habere dominium mundi in vita præſenti, tandem habiturus ipſum Deum, cùm de paradiſo terreſtri transferretur in cœlum. Sed quia debitum Deo ſervitium exhibere noluit, dominium mundi juſto Dei judicio amiſit, & in ſervitium incidit, ita quod à muſcis & aliis minimis creaturis non poſſit ſe defendere. Auguſt. Homo dicit tibi convicium & tumes, & iratus es: pulicibus reſiſte, ut dormias. In futuro verò ponetur homo in ſtatu debito, ut Deo perfectè ſubjectus ſit, & cæteræ creaturæ ſint ſibi ſubjectæ, & ut ipſum Deum poſſideat, ſi ab eo prius poſſeſſus eſt. Deus enim ſecundum Auguſt. Nullius poſſeſſio erit, cujus poſſeſſor non fuerit. Ad primum pertinet illa petitio (*fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*) id eſt, veniamus ad ſtatum illum, in quo voluntati tuæ voluntatem noſtram omnino conformabimus, ut nunc faciunt angeli. Ad ſecundum pertinet illa petitio (*Adveniat regnum tuum*) id eſt, veniat ſtatus ille, in quo regnabimus ab omni ſervitute

Quarta. Panem noſtrum quotidianũ da nobis &c.

Panis quadruplex intelligendus.

Qui dignè ad ſacramenta accedant.

Explicatio trium reliquarum petitionum.

Digitized by Google

ſervitute liberi. Ad tertium pertinet illa petitio (*ſanctificetur nomen tuum*) id eſt, confirmetur nomen illud, quo filii Dei vocamur, quod erit, quando dulcedine divina fruemur, juxta illud Eccleſiaſtici 15. *Jucunditatem & exultationem theſaurizabit ſuper illum, & nomine æterno hæreditabit eum.* Quando jucunditatem illam ineffabilem ſentiemus, tunc confirmati erimus ſicut angeli Dei. Et notandum quod hæ tres petitiones cum magno deſiderio proponendæ ſunt: valdè enim mirabile eſt quod patrem miſericordiarum, à quo omnia bona recipimus, & multo majora ſperamus, ita frequenter offendimus & voluntatem Diaboli ita frequenter facimus. Et valdè deſiderandus eſt ſtatus, in quo voluntatem Dei in omnibus facimus. Valdè deſiderandus ſtatus, in quo à viliſſima ſervitute, in qua ſumus, liberamur. Valdè enim grave eſt ſervitutem ſuſtinere illi, ad quem non pertinet regere. Valdè etiam miſerabile eſt, quod illi, qui ſunt filii Dei, ita de facili poſſunt fieri filii diaboli, unde valdè deſideranda eſt confirmatio. Notandum etiam quod in hoc verbo, *ſanctificetur*, notatur apparentia hujus honoris, ut ſit ſenſus, *ſanctificetur*, id eſt, *ſanctum appareat*. Tunc dicitur res fieri, quando innoteſcit fieri: modò enim filii Dei ſumus, ſed nondũ apparet quid erimus, ſed cùm apparuerit ſimiles ei erimus. Joan 3. Qui videt modo pauperes, vix crederet eos eſſe filios Dei, niſi ſacra ſcriptura hoc diceret, vadunt enim pedites juxta Eccleſ. 10. *Vidi ſervos in equis & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos.* Sed tunc ſcriptum eſt, erit manifeſte in eis ſcilicet, quod ipſi ſunt filii Dei, juxta illud Apoc. 3. *Qui vicerit, ſcribam ſuper illum nomen Dei mei?* Gloſſa. Erit quodammodo Deus, ſicut ferrum, quando vehementer ignitur, eſt quaſi ignis. Sic electi erunt quodammodo Deus, quando ei valdè ſimiles erunt. In corporibus glorificatis etiam erit ſcriptum quatuor dotibus, quaſi quatuor literis, quod ſunt filii Dei. Scriptum eſt, nota, id eſt, certa deſignatio. Certum autem erit ex corpore glorificato, quod ſint filii Dei, ſicut in veſte pretioſa alicujus perpenditur quod ipſe ſit princeps. Secundum hunc modum dicitur eſſe ſcriptum in femore, id eſt in carne Chriſti, quod ipſe ſit rex regum & dominus dominantium. Apoc. 19.

Prima petitio, ſanctificetur nomen tuum, ſpecialiter explicatur.

DOMINICA VI. POST TRINITATEM.
SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone agitur de Baptiſmo. Et primo cùm per Baptiſmum ſanguine Chriſti loti ſumus, monet nos partim ut immunditiam peccati varias ob cauſas timeamus ac vitemus; partim, ut huic ablutioni interius exteriuſque convenienter vivamus. Secundo effectus Baptiſmatis duodecim proponit & exponit.

SERMO LXXI.

Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus. *Roman. 6.*

Qui ſint baptizati in Chriſto.

IN Chriſto Jeſu baptizatus eſt, qui in inſtitutione ejus, ſcilicet in nomine Trinitatis baptizatus eſt. Unde Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* Prænominato illo qui baptizandus eſt, debet dici: *Ego baptizo te in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* Quicunque ergo baptizatus eſt ſic, baptizatus eſt in morte Chriſti, id eſt, purificatus eſt à vitiis per mortem Chriſti, quia mors Chriſti cauſa eſt purificationis, cum baptiſmus virtutem ſuam habeat de morte Chriſti. Qui ergo baptizati ſunt, non ſolum aqua baptizati ſunt, ſed quodammodo loti & baptizati in ſanguine Chriſti. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et Notandum quod Eccleſia

Qui in morte Chriſti.

vult ut baptizati ſciant ſe lotos eſſe in ſanguine Chriſti *triplici* ratione. *Primo* ut magis timeant immunditiam peccati, *ſecundo* ut intelligant quod tincti debent eſſe ſanguine Chriſti, *tertio* ut agnoſcant virtutem Baptiſmi. Circa Primum verò notandum quod *quinque* ſunt, ex quibus intelligi poteſt quantum ſit timenda immunditia peccati. *Primum* eſt dignitas rei quam peccatum inquinat. Quanto pannus aliquis pretioſior eſt, tanto magis timenda eſt inquinatio. *Primo* igitur timenda eſt hæc inquinatio propter dignitatem humanæ naturæ, quæ perpenditur ex hoc, quod anima Dei imago eſt. Unde ſic peccat qui eam peccato mortali inquinat, ſicut qui imaginem crucifixi vel beatæ Virginis in lutum valdè immundum projiceret. Præterea humana natura unita eſt divinæ in perſona Chriſti. Unde ſicut ille qui crucem in qua corpus Chriſti pependit, in lutum projiceret, peccaret; ſic peccat qui non timet inquinare humanam naturam, quæ divinæ naturæ inſeparabiliter aſſociata eſt. *Secundum* eſt difficultas recedendi, quæ difficultas immo impoſſibilitas in Lucifero & aliis angelis corruentibus apparet, à quibus macula peccati ſeparari non potuit, ex quo ſemel adhæſit. In hominibus etiam patet difficultas iſta recedendi. *Primo* ex hoc, quod à tempore quo homo peccavit, nullus purus homo à peccato perfecte purgatus fuit, ut dignus eſſet videre faciem Dei, donec ſanguis Chriſti effuſus eſt, quo purificatio illa perfecta eſt. *Secundo* ex hoc, quod ex quo aliquis mortaliter peccat, immunditia ejus ablui non poteſt per totam aquam quæ ſub cælo eſt, niſi aqua gratiæ de ſurſum deſcendat, quæ mentem abluat. Ad purgandum mundum ab immunditia peccati immiſſum eſt diluvium in mundum, ita ut operirentur omnes montes excelſi, qui ſubſunt univerſo cælo, ut legitur. Gen. 7. Ante diem etiam judicii præcedet ignis, quo comburetur facies mundi & aſcendet tantum ignis ille, quantum aquæ in diluvio ad purgationem mundi. *Tertium* eſt immunditiæ hujus vilitas, quæ poteſt perpendi ex hoc, quod Dominus immunditiam corporalem non videtur æſtimare reſpectu ejus, Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia &c. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Vilitas etiam iſta patet ex hoc, quod immunditia iſta pulcherrimam creaturam Luciferum adeò deturpavit & à tam ſublimi ſtatu in tam infimum dejecit, ut inferior eſſe videatur etiam ſerpentibus & bufonibus. Vilitatem hujus miſeriæ & immunditiæ oſtendit illud. Pſalm. 13. *Corrupti ſunt & abominabiles facti in ſtudiis ſuis.* *Quartum* eſt hoc, quod talis immunditia adeò diſplicet Deo, quod non habet ita bonum amicum neque in cælo neque in terra, quem non odiret ad mortem æternam, ſi maculam unius mortalis peccati in eo inveniret. Eccleſiaſtici 12. *Altiſſimus odio habet peccatores.* *Quintum* eſt hoc quod talis immunditia adeò deteriorat rem in quam cadit, quod niſi virtute divina illa macula removeatur, ipſa perdita eſt, & minus quam nihil valet, melius enim eſſet nihil eſſe, quam ſic eſſe. *Præterea* macula iſta hominem aſſimilat Diabolo & indignum reddit cæleſti regno, ideò cum magno deſiderio petendum eſt ut Dominus deleat eam. David Pſal. 59. *Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Eccleſia vult nos ſcire, quod in ſanguine Chriſti per Baptiſmum loti ſimus, ob tria.

I. Immunditia peccati timenda eſt.

1. Dupliciter.

2.

Dupliciter.

3.

4.

5. Dupliciter.

Circa Secundum verò notandum eſt, quod Chriſtiani qui baptiſmum ſuſceperunt, tincti debent eſſe ſanguine Chriſti, in quo abluti ſunt. Unde baptiſmus tinctio interpretatur, & hic eſt color optimus Chriſtianorum, ſed in multis mutatus eſt color optimus, ut legitur Thren. 4. Jerem. 12. Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? Nunquid

II. Baptizati debent eſſe tincti vel colorati ſanguine Chriſti dupliciter.

Digitized by Google

avis tincta pèr totum? Hoc colore debet eſſe homo
tinctus interius in corde & exterius in corpore. In
1. Interius verſando circa Paſſioné Domini intellectu & affectu, quomodo.
corde *interius* ſcilicet per jugem meditationé domi-
nicæ paſſionis,& per deſiderium patiendi pro Chri-
ſto, vel imitandi ejus paſſioné. Sanguine Chriſti ha-
bebat cor tinctum beata Agnes,cùm dixit & *ſanguis*
ejus ornavit genas meas.Genę cordis ſunt intellectus
& affectus. Intellectum ornat meditatio dominicæ
paſſionis, affectum verò deſideriú patiédi pro Chri-
ſto. Meditatio dominicæ paſſionis multum utilis eſt
ad deſtructionem vitiorum.Unde Bern. Viſa Chriſti
paſſione,quis tam delicioſus qui non contineat?quis
tam malitioſus, qui non abſtineat? quis tam ira-
cundus, qui non condoleat? Accendit etiam amo-
rē Chriſti in corde hominis, ſicut in corde filii amo-
rem maternum accendit conſideratio eorum, quæ
mater pro filio paſſa eſt. Tob. 4. *Honorē habebis ma-*
tri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim eſſe de-
bes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero
ſuo. Multò majora paſſus eſt Chriſtus pro ſalute no-
2. Exterius per mortificationem.
ſtra. *Exterius* verò tincti debemus eſſe ſanguine
Chriſti per carnis mortificationem juxta illud. 2.
Cor. 4. *ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro*
circumferentes. Sicut Eccleſia imitari Chriſtú debet
in candore puritatis,ſic & in rubore paſſionis.Cant.
5. *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Et, *qua-*
lis cœleſtis, tales & cœleſtes.1. Corinth. 15.

III. Baptiſmi effectus ſunt duodecim. Quinque primi patét ex quinque naturalibus aquæ operationibus.
Circa Tertium verò notandum eſt quod baptiſ-
mus magnæ efficaciæ eſt, & videtur habere duode-
cim effectus, quorum Quinque oſtenduntur nobis
per quinque operationes naturales quas habet aqua,
in qua debet fieri baptiſmus. Aqua enim *ſordes ab-*
luit, ignem extinguit, calorem refrigerat, ſubmergit,
& *terram rigando fœcundat*. *Primus* ergo iſtorum
effectuum quinq; baptiſmi,eſt *ſpiritualium ſordium*
1. Effectus.
ablutio. Baptiſmus velut quoddá balneum eſt,quod
cœleſtis ſponſus Eccleſiæ ſuæ præparavit, in quo
primo ipſe balneavit ſe, & cum alia balnea balnean-
tes ſe ſoleant abluere & à balneantibus inquinari,
ſponſus tamen Eccleſiæ cum ipſe ſit candor lucis
æternæ & peccatum non fecerit, balneum iſtud non
inquinavit, ſed contactu ſanctiſſimi corporis ſui
2. vim abluendi animas dedit ei. *Secundus* effectus
baptiſmi eſt quod *ignem infernalem*,& etiam *purga-*
torium extinguit. quantum ad ipſum baptizatum,
ut de cætero ignis infernalis vel purgatorius non
poſſit in eum, niſi ipſe peccator accenderit eum
contra ſe. Unde admiranda eſt fatuitas illorum,qui
poſt baptiſmum peccant, cum voluntarie ignem in
3. proprium incendium incendunt. *Tertius* effectus eſt
quod *ardorem pravarum concupiſcentiarum refri-*
gerat: minus enim poſſunt hujuſmodi ardores in
baptizatis. Iſti verò ardores ſunt velut ignis iſte,qui
beati Antonii nominatur. Unde minùs miſericor-
des videntur eſſe parentes, qui nolunt filios ſuos ci-
4. tò per baptiſmum à ſuis ardoribus liberari *Quartus*
effectus eſt,quod *exercitum diaboli ſubmergit*,quan-
tum ad poteſtatem, ut de cætero non poſſit in bapti-
zatum, niſi per conſenſum peccati ei vires reddide-
rit, quod figuratum eſt. Exod. 14. in ſubmerſione
Pharaonis cum exercitu ſuo in mari rubro,& in Pſal.
73. dicitur. *Contribulaſti capita draconum in aquis.*
5. *Quintus* effectus eſt quod *terram cordis irrigat &*
irrigando fœcundat. Ante baptiſmum eſt terra cordis
velut ſabulum juxta illud. Pſal. 1 *Non ſic impii, non*
ſic, ſed tanquam pulvis, & unde ſterilis eſt ad bona
opera, ſed poſt fertilis redditur.

IV. Quatuor medii patét ex Baptiſmo Chriſti.
Quatuor alii effectus baptiſmi oſtenduntur no-
bis. Luc. 3. ubi legitur quod *Jeſu baptizato & oran-*
te, apertum eſt cœlum, & deſcendit ſpiritus ſanctus cor-
porali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo fa-
cta eſt, tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.
1. *Primus* autem iſtorum quatuor effectuum eſt *cœli*
apertio, & eſt in hoc magna virtus baptiſmi, qui cum
in terra exhibeatur, in cœlo tamen operatur. Ad
ſignificandum hunc effectum baptiſmi, voluit Do-
minus cœlum aperiri ſuper Chriſtum baptizatum.
Quæ enim utilitas fuit tunc cœlum aperiri, cùm
nullus tunc eſſet egreſſurus vel ingreſſurus, niſi ut
oſtenderetur, quod quam citò homo baptizatus eſt,
ſi decedat, evolans inveniet ſibi cœlum apertum,
cùm ante baptiſmum apertus eſſet ſibi infernus. Ex Reprehenduntur matres.
quo ſatis patet quanta ſit fatuitas mulierum quæ in-
cóſolabiliter dolent de morte filiorú ſuorú, qui poſt
baptiſmum decedút, antequá baptiſmalem innocé- Dolentes de filiorum baptizatorú morte.
tiam amiſerunt. Valdè enim fatuum eſt eas dolere de
hoc, quod filii eorum tranſierunt à ſocietate homi-
num ad ſocietatem Dei, & angelorum. Et gloriam,
quam ſibi vellent, filiis invidere videntur, potius de-
ſiderantes eos eſſe in hoc exilio quam in cœlo, cùm
deberent gaudere de hoc, quod filii ſui ita de facili
tantam gloriam adquirunt, ſed de hoc ſolum dolere
debent, ſi forte propter culpam eorum decedút. Ap- 2.
paret etiam quam reprehenſibiles ſint illæ, propter Non baptizatos filios mori per negligentiá ſinentes.
quarum negligentiam & dilationem filii earum mo-
rientes tantam gloriam amittunt, majus enim dam-
num faciunt filiis ſuis, quam ſi poſt baptiſmum eos
propriis manibus jugulaſſent. Jugulando tamen 3. Occidentes aut exponentes filios ſuos.
magis peccarent, occidere enim vel exponere pro-
prium filium, diabolicum eſt. Et crudelitas talis
crudelitatem leonum vel luporum exuperat, lupi
enim & leones fœtus ſuos nutriunt & cuſtodiunt.
Immo etiam dicuntur nutriſſe quandoque parvulos
infantes à caſu inventos. Legitur enim de quodam
qui poſt, factus fuit rex Perſarum, quod cùm par-
vulus eſſet, & paſtor quidam eum in nemore expo-
ſuiſſet, cum veniret ad puerum, invenit canem præ-
bentem ei ubera, & à feris & avibus eum defenden-
tem. In quo ſatis confundi poſſunt, qui proprios fi-
lios nutrire nolunt, cum canis alienum nutrierit.
Secundus effectus eſt *deſcenſus ſpiritus ſancti* in ba- 2.
ptizatum, quod ſignificatum eſt in hoc, quod ſpiri-
tus ſanctus deſcendit in ſpecie columbæ ſuper Do-
minum baptizatum. Tota Trinitas manſionem ſuam Matth. 3. Marc. 1.
habet in baptizato, unde multa reverentia exhi- Luc. 3.
benda eſt ei tanquam ſanctuario & reliquiis. Si tanta Ioan. 1.
reverentia exhibebatur arcæ teſtamenti, in qua erat Baptizato quanta reverentia exhibenda, cur.
manna & virga Aaron, quæ fronduerat & tabulæ
teſtamenti Hebr. 9. quanta reverentia exhibenda eſt
parvulo baptizato, cùm conſtet quod pater & filius
& ſpiritus ſanctus habitent ibi. *Unde* multum pec- Hic peccatur tripliciter.
cant mulieres, quæ malè tractant parvulos. *Item*
quod differri faciunt baptiſmum filiorum ſuorum,
cum interim in eis ſpiritus immundus habitet.
Item multum peccant qui poſt baptiſmum pecca-
tum mortale committunt, expellunt enim à ſe con-
tumelioſè patrem & filium & ſpiritum ſanctum, &
immundum ſpiritum introducunt. *Tertius* effectus 3.
eſt quod *baptiſmus* eum qui baptizatur, *filium*
Dei efficit. Ad quod ſignificandum ſuper Chriſtum
baptizatum audita eſt vox iſta: *hic eſt filius meus*
dilectus. Matth. 3. Si cum magna diligentia nutriun-
tur filii comitum vel regum, cum quanta diligentia
nutriendus eſt parvulus, quem conſtat eſſe filium
Dei? De illis qui ſunt in adulta ætate neſcitur utrum
ſint filii Dei vel filii Diaboli juxta illud Eccleſiaſtæ
6. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit.*
Sed de parvulo quem conſtat eſſe baptizatum, qui
nondum eſt in ætate in qua poſſit peccare, conſtat
quod ſit filius Dei. Et *notandum*, quod quando Dies Baptiſmi eſt duplex feſtum quale & quare.
aliquis baptizatur feſtum eſt Nativitatis filii Dei,
& quaſi feſtum Pentecoſtes, naſcitur enim Deo,
cùm baptizatur, & filius Dei efficitur per gratiam,
& eſt miſſio ſpiritus ſancti ſicut in Pentecoſte.
Quartus horum effectuum eſt, quod *baptiſmus* 4.
imaginem Dei in homine reformat. Singulæ gratiæ
quæ in baptiſmo dantur velut varii colores ſunt
animam decorantes. Hæc reformatio ſignata eſt in
hoc,

hoc, quod vox illa audita eſt: *In te complacuit mihi.* Lucæ 3. Sicut aliquis complacet ſibi, quando aliquod ſpeculum ei oppoſitum reddit ei imaginem pulchram & decoram; ſic Deus complacet ſibi in baptizato, quando imago ejus in eo tanquam in ſpeculo reſultat pulchra.

Tres ultimi effectus Baptiſmi patēt ex ceremonijs Baptiſmi. 1.

Alios Tres effectus baptiſmi oſtendunt nobis ea quæ adhibet Eccleſia ad baptiſmi ſolennitatem. *Primus* illorum effectuum eſt, quod *ſenſus ſpirituales ſanat.* Nos naſcimur ex Adam animales & carnales, nihil valentes ſapere ſecundum ſpiritum, ſed in baptiſmo ſpirituales efficimur. Sanatio ſenſuum ſpiritualium ſignificatur in *ſale*, quod in ore ponitur, *& ſaliva*, quæ tam in auribus ponitur quam in naribus, ſal in ore oſtendit os cordis eſſe ſanatum, ut ſapientiam Dei valeat de cætero meditari. Saliva in auribus oſtendit auditum eſſe ſanatum, ut verba ſacræ ſcripturæ de cætero delectet audire. Saliva verò in naribus ſanationem odoratus ſpiritualis oſtendit, ut inter bonos & malos odores de cætero diſcernat, ut non ſint ſicut illi de quibus dicitur Pſalm. 113. *Nares habent & non odorabunt.* Hanc ſanitatem narium mali videntur inutiliter ſuſcepiſſe, qui more ſuum nares cordis in fœces & fœtores hominum mittunt, ubi odoratum ſpiritualem ex toto amittunt. Sal etiam in ore ideo ponitur, ut intelligatur hoc membrum facillimè putredine vitiari, & ſal ſapientiæ valde eſſe neceſſarium ad ejus confirmationem.

2. *Secundus* horum effectuum eſt, quod baptiſmus illi parti, quæ ſuperior eſt in anima baptizati, ſcilicet libero arbitrio, quaſi *dignitatem regiam reſtituit*, ut cæteris viribus dominetur, quod ſignificat *innunctio* facta in vertice, unde diligenter cavendum eſt ne de cætero pars illa ſerviēti vitiorum ſubjiciatur. Bernard. An non ſervus, cui dominatur iniquitas? ita, & maximè. Niſi forte indignius judices hominem tanquam vitium dominari.

Baptiſmus cur cum gaudio celebrandus. Baptizandi ut reges unguntur tripliciter, quare.

Et *notandum* quod baptiſmus cum multo gaudio & feſtivitate celebrandus eſt, tanquam feſtum regiæ unctionis, & orandum eſt, ut parvulus baptizatus ad regni poſſeſſionem perveniat, cujus jus per illam unctionem adeptus eſt. Et eſt forma illa, forma regiæ inunctionis, tripliciter enim unguntur reges, ſic & qui baptizantur, tripliciter unguntur. In *pectore* unguntur oleo, ut viſcera miſericordiæ in proximos habeant. In *ſcapulis* etiam inunguntur, ut onera veri Domini manſuetè portent. In *vertice* verò, ut in ſuperiori parte animæ regiam dignitatem ſervent.

3. Baptiſmus eſt Dedicatio qualis.

Tertius verò horum effectuum eſt, quod *ſanctitatem baptizato confert*: talem, inquam ſanctitatem, qualem recipit Eccleſia in dedicatione, quam non amittit, etſi lupanar inde efficeretur. Unde Baptiſmus eſt dedicatio templi ſpiritualis, ſicut innuit. Gloſſa ſuper illud. 1. Corinth. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sanctum eſt, dicit Gloſſa, à tempore baptiſmi.

Baptizati peccatum quantum.

Unde ſicuti fornicatio facta in templo materiali majus peccatum eſt, quam facta in loco communi, ſic peccatum à baptizato factum, majus eſt quam ab alio non baptizato factum.

Characteris effectus poſt hanc vitam.

Sanctitatem illam dicunt aliqui eſſe cum charactere illo indelebili, qui ſecundum magiſtros per baptiſmum imprimitur, quo charactere Chriſtiani à non Chriſtianis in die judicii diſcernentur, & in bonis erit ad honorem, in malis ad confuſionem. Character enim oſtendet quod ipſi Chriſti ſervi fuerint, opera verò mala aſſociata characteri oſtendent, quod infideles & proditores extiterint contra Chriſtum.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo tria tradit. I. ſocietas Chriſti in cœlo cur ſit deſideranda, & Dæmonum in inferno cur ſit timenda. II. qua via ad ſocietatem Chriſti perveniendum ſit. III. cur ſancti mortui in hac Epiſtola appellentur.

Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto. *Rom. 6.* SERMO LXXII.

I. Cū Chriſto eſſe in cœlis deſiderare debemus ob duo.

Valde debet homo deſiderare eſſe cum Chriſto in illa beata vita. *Primo* cùm ſciat ſe factum ad hoc quod tantum ibi perfectam quietem habeat, juxta illud Auguſtini, Domine feciſti me ad te, & inquietum eſt cor meum, donec requieſcat in te. *Secundo* propter bonam ſocietatem, quæ eſt ibi.

Chriſtus eſt bonus ſocius. 1.

Tribus de cauſis Chriſtus bonus ſocius eſt. *Primo* quia amicabilis, & amabilis ſcilicet ad hoc ut amet & ametur. In eo concurrunt omnes cauſæ propter quas debet aliquis amari. Ipſe enim eſt benefactor noſter maximus. Ipſe eſt etiam propinquiſſimus noſter. In quantum Deus, Pater eſt, in quantum homo, frater eſt. In eo etiam ſummæ inveniuntur deliciæ. Ipſe eſt verus Jonathas, amabilis valde, 1. Reg. 18. vel potius amabilis nimis, juxta illud. Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quantum valet amicabilitas ad ſocietatem oſtendit Salomon. Proverb. 18. dicens. Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit quàm frater.

2. *Secundo* eſt bonus ſocius, quia curialis, quæ curialitas perpendi poteſt ex hoc, quod ſervos ſuos, quantumcunque ſunt eo inferiores, ſecum vult eſſe juxta illud Joan. 12. *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Vult etiam comedere eos in menſa ſua, juxta illud Lucæ 22. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Immò quod plus eſt, ipſemet miniſtrabit eis, juxta illud Lucæ 12. *& tranſiens miniſtrabit illis.*

3. *Tertio* eſt bonus ſocius, quia valdè jucundus. Unde valdè & adeò jucundum eſt eſſe cum eo, ut paradiſus reputetur, juxta illud Lucæ 23 ubi dixit Dominus latroni: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Non fuit illa die in paradiſo cœleſti latro, ſed fuit cum Chriſto, quia faciem ejus ſecundum divinitatē vidit, & hoc fuit ei paradiſus. Unde Interlinealis ſuper illud: vita eſt eſſe cum Chriſto, quia ubi Chriſtus, ibi regnum. Si quis eſſet cum Chriſto in inferno, ita tamen ut faciem divinam videret, hoc eſſet ei paradiſus. Super illud Joan. 12. *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*, dicit Gloſſa: precium operis, quo Chriſto miniſtratur, eſt eſſe cum quo nunquam eſt malè, & ſine quo nunquam eſt bene. Qui haberet veram fidem, non timeret venire ad iſtam ſocietatem, etiam per ignem & gladios, ſi aliter pervenire non poſſet. Unde Apoſtolus deſiderabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto in illa beata vita. Philip. 1.

Societas Dæmonum timenda ob tria.

Quia qui illuc non pervenerit, pravam ſocietatem habebit; erit enim ſocius dæmonum in pœnis, quorum ſocietas valdè timenda eſt: *primo* quia ſunt horribiles juxta illud Job. 20. *vadent & venient ſuper eum horribiles.* 1. Si tantum horrorem habet homo quando videt unum diabolum, quantum horrorem habebit quando tot horribiles juxta ſe habebit? Job. 10. *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* *Secundo* ſocii iſti & erunt exoſi, & erunt odientes. 2. Et viciſſim ſtudium eorum erit inferre ſociis ſuis ea, quæ ſcient eis magis diſplicere. Mœſtiſſimi *etiam* erunt propter gravitatem pœnarum quas ſuſtinebunt. 3.

II. Via perveniendi ad

Et ſicut deſiderium deberet eſſe hominum, ut ad hanc Chriſti ſocietatem poſſent pervenire; ſic ſtu-

societatem Christi in terris sunt tribulationes hujus vitæ, quare.

dium eorum deberet eſſe, qua via pervenire poſſent. Viam verò iſtam docet nos Apoſtolus in verbo propoſito dicens. (*Si mortui ſumus &c.*) Qui vult ſocius eſſe cum Chriſto in regno, oportet quod prius ſit ſocius ejus in tribulatione juxta illud Apoc.1. *Ego Joannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno &c.* & 2. Timoth. 2. *Si ſuſtinemus, & conregnabimus.* qui eſt cum domino in vigilia vitæ præſentis in pane doloris & aqua tribulationis, meritò erit cum eo in ſolennitate futura in æternis deliciis ſecundum Bernard. Univerſum tempus pœnitentiæ vigilia quædam eſt ſolennitatis magnæ & æterni ſabbati, quod præſtolamur. Nec graveris diuturnitate vigiliæ, ſi æternitatem ſolennitatis attendas. Hieron. Delicatus es Chriſtiane, ſi & hic gaudere vis cum ſæculo & ibi regnare cum Chriſto. Qui ſocius Chriſti eſt in via, ſocius ejus erit in hoſpitio, juxta illud Joan. 12. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Antequam Chriſtus recipiat ad illam jucundam ſocietatem, prius vult hominem probare. Tob.3. *Pro certo habet omnis qui colit te, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur,* & Eccl.2. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles, &c.* Prius eſt Sciphus aureus, vel argenteus ſub malleationibus vel limationibus multis quam pulchritudinem debitam habeat, ſic malleationibus multis diverſiſque tribulationibus oportet hominem humiliari & probari, antequam in menſa dignus ſit poni. Eligendi ſunt amici non in menſa, ſed in tribulatione. Princeps aliquis non eligit ſibi in ſocium illum qui non debeat eum deſerere juxta ignem vel menſam, ſed illum qui in periculo mortis debeat ei fideliter adhærere. Eccleſiaſt. 6. *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum*, id eſt, prius tenta vel experire eum antequam poſſideas. Et ſubditur: *& ne facile credas ei temetipſum, eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in tempore tribulationis.* Et ibidem. *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Et Eccleſiaſt. 22. *Fidem poſſide cum amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut in hereditate illius coheres ſis.* Quod Chriſtus illos qui ſunt hic ſocii paſſionum, ſocios faciat conſolationum, ut legitur. 2. Corinth. 1. probat. Bern. dicens: Nunquid Chriſtus ſocium tribulationis à communione ſua patietur arceri? ſi confitens in cruce latro etiam eadem die fuit cum eo in paradiſo.. Paſſiones tribulationum oſtendunt qui ſint filii Dei & cohæredes Chriſti, juxta illud ad Rom.8. *Si filii & heredes, ſi tamen compatimur.* Bern. Qui triumpho, ſi in prælio non fui.

III. Viri ſancti mortuis aſſimilantur.

III. Notandum quod viri ſancti mortui vocantur eò, quòd mortuo in multis aſſimilentur. *Primo* in hoc aſſimilantur, quia ſicut ille qui mortuus eſt,
1. animam reddidit creatori ſuo, ſic ipſi animas ſuas reddiderunt. 2. Corinth. 5. *Pro omnibus Chriſtus mortuus eſt &c.* Bern. Cui juſtius vivendum quam ei, qui ſi non mortuus eſſet, non viverem. Juſtè ſibi vendicat vitam meam, qui pro mea poſuit ſuam.
2. *Secundo* aſſimilantur mortuo in hoc, quod ſicuti corpus mortui in terra eſt, ſed ſpiritus ejus eſt, alibi, quia vel in purgatorio, vel in inferno, vel in paradiſo; ſic ſancti licet corpore ſint in mundo iſto, mente tamen ſunt alibi. Sunt quandoque in cœlo juxta illud. Philipp. 3. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Item quandoque in inferno, juxta illud Iſa. 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* quandoque in purgatorio animabus quæ in tenebris ſunt ſuffragando dicentes: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent &c.*
3. Luc. 1 *Tertio* aſſimilantur in hoc, quod ſicut in mortuo non eſt ſenſus, eo quod non adſit ſpiritus, ita etiam viri ſancti ſe habent quaſi non ſentirent, vel cum eis bona terrena auferuntur, vel cum mala pœnalia eis inferuntur. Unde in Pſalm. 37. *Factus ſum ſicut homo non audiens*, & iterum. *Ego tan-*
quam ſurdus non audiebam. *Quarto* aſſimilantur 4.
mortuo in hoc quod ſicut mortuos mare abjicit, ita eos abjicit mundus iſte juxta illud. 1. ad Corint. 4. *Tanquam purgamenta mundi hujus facti ſumus omnium peripſema.* Dicitur autem peripſema purgamentum ferri, vel pomi, vel quidquid de mate-
ria qualibet ad purgationem abjicitur. *Quinto* 5.
verò aſſimilantur mortuo in hoc, quod cum mortui non ſepeliuntur, ab avibus & canibus lacerantur: ſic viri ſancti niſi ſe abſcondant à detractoribus lacerantur. Propter hoc viri ſancti abſcondunt ſe. Ad Coloſſ. 3. *Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Unde Iſa. 32 *Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento & cœlat ſe à tempeſtate.* Legitur. 1. Reg. 17. Quod Goliath dixit David *dabo carnes tuas volatilibus cœli & beſtiis terræ.* Idem facit Diabolus de viris ſanctis. Inſtinctu enim Diaboli detractores carnalitatem in viris ſanctis conſumunt. Viri enim ſancti propter verba detractorum
multa in converſatione ſua corrigunt. *Ultimo* aſſi- 6.
milantur viri ſancti mortuo in hoc, quod nihil tranſitorium in mundo appetunt, ſed ſoli vitæ æternæ adhærent, juxta illud. Pſal. 26. *Unam petii à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.* Mortuis requies æterna optatur, non aurum vel argentum, vel aliquid ſimile.

DOMINICA VII. POST TRINITATEM.

SERMO UNICUS.

Summarium.

Sequens ſermo docet I. *quomodo ſicut membra exhibita fuerunt ſervire immunditiæ & iniquitati, ita exhibenda ſunt ſervire juſtitiæ in ſanctificatione.* II. *reprehendit homines ob vitia quædam, quæ ab eis circa ſervitium divinum committuntur.*

Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. *Rom. 6.*

SERMO LXXIII.

I. Peccator exhibet mēbra ſua iniquitati & tripliciter. Converſus exhibet mēbra ſua juſtitiæ tripliciter.

EXhibet peccator membra ſua iniquitati *velociter* ſecundum illud Proverb. 7. *Statim ſequitur eam quaſi bos ductus ad victimam &c* Item *lætantur*. Proverb. 2. *Qui lætantur cùm malefecerint &c.* Item *indeficienter* ita, ut nulla admonitione ceſſare velint. Iſa. 1. *Quieſcite agere perverſe.* Sic qui convertitur debet exhibere membra ſua juſtitiæ *velociter* Eccleſiaſtici 5. *Ne tardes converti ad dominum &c.* Item *lætantur*. Pſalm. 99. *Servite domino in lætitia.* Item *indeficienter*, id eſt, *perſeveranter*. Matth. 24. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Immūditia Luxuriam iniquitas, Avaritiam denotat.

Poteſt autem in verbo propoſito ſpecialiter ſumi immunditia pro peccato carnis: iniquitas verò pro peccato mentis, & ſpecialiter pro cupiditate, quia *nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam* Eccleſiaſtici 10. Job. 20. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum.*

Invehitur in Uſurarios & Clericos.

Stabit in medio Uſurarius & omnia accuſabunt eum. Deus quem offendit, ſancti quorum feſta non ſervavit, homines quos ſpoliavit, uxor & filii quos occidit, creaturæ quas incarceravit. Item illud verbum poteſt exponi de Clericis, quos cœli accuſabunt, id eſt, patroni quorum Eccleſias ſpoliaverunt, in quibus ſervitium debitum furati ſunt. Terra etiam conſurget adverſus eos, quia accuſabunt eos peccatores, quos ſpoliaverunt, quorum peccata non redemerunt, ut debebant. Item accuſabunt eos pauperes quos portione ſua defraudaverunt. Ambroſ. Non dicas proprium, quod commune eſt.

Similitudo thematis in tribus conſiſtit.

Item. *Sicut exhibuiſtis &c.* Et poteſt attendi hæc ſimilitudo in *tribus* in univerſalitate membrorum,

ſti, in hoc ſcilicet, ut ſerviamus Deo *ſtrenue, viriliter*
1. *& inſtanter.* De *primo* nota quod ſicut univerſa mē-
Dupliciter in ſolliceno-do. bra poſuit peccator iniquitati ſerviendo, ſic univerſa
debet ponere in ſerviendo Deo. Et hoc *dupliciter*, videlicet *primo* cohibendo ea à malo. Iſa. 33. *Qui projicit avaritiā ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere. Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malū, iſte in excelſis habitabit.* Eccl. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia &*
In operādo omnibus membris. *ſeras auribus tuis. Secundo* verò debet operari in ſervitio Chriſti in diverſis mēbris. Qui habet diverſos agros, vult unumquemq; ſibi utilē eſſe. Qui diverſas habet arbores in horto ſuo, vult ex qualibet fructum habere. Sic Deus ex diverſis membris quæ dedit homini, vult diverſos actus ſibi ſolvi. Auribus ergo audias libēter verbum Dei & officium Eccleſiæ. Oculis defleas contumelias, quas ei intuliſti, hoſtem etiam fatiges in reſpiciendo ſcripturam. Si neſcis ibi legere, reſpice librum naturæ, & manus pauperi porrigas; vel labores ut habeas de juſto unde vivas & pauperi ſubvenias. Pedibus etiam Deo ſervias peregrinationes faciendo; ore confitendo, orādo corde, cogitando, credēdo, & ſic de cæteris. *Viriliter* etiam
2. debes ſervire Deo, ut ſicut non cohibuit te timor æterni ſupplicii vel amor æterni præmii à peccato, ſic non cohibeat te à ſervitio Dei amor temporalis proſperitatis vel timor temporalis adverſitatis. Alexander Papa. Propter delectationes, mala facimus, propter triſtitiam verò à bonis removemur. Auguſt. Omnia terrena contempſit homo Deus, ut contemnenda monſtraret. Omnia terrena mala ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur infelicitas. Contra quæ ſumendum eſt ſcutum fidei. Quid eſt quod non optamus etiam per medios enſes tantam declinare miſeriam, & ad tantam accelerare gloriam, niſi
3. quia mortua eſt fides noſtra? De *tertio* Eccl. 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erit apud inferos, quo tu properas. Sicut exhibuiſtis &c.* Immunditia & iniquitas poteſt ibi ſumi pro immundo & iniquo, ſcilicet diabolo, & juſtitia pro juſto, ſcilicet Deo.

II. Homines reprehendenci in divino ſervino ob quatuor. Circa ſervitium divinum *quatuor* ſunt attendenda & hominibus oſtendenda, ſcilicet cauſæ pro quibus homines dimittunt ſervire Deo, & quem domi-num ei præeligunt quæ ſtipendia ab eo expectent, quem prēeligunt, & quam negligenter Deo ſerviant
1. Cauſæ cur Deo non ſerviatur. illi, qui ei adhærent. Circa *primum* attende quod quidam Deo ſervire dimittunt, quia Deus bonus eſt, ſcilicet bonitatem ejus contemnentes, de quibus. Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus contemnis?* Econverſo David Pſal. 134. *Laudate dominum quia bonus*
2. Reprehenſio eos ſidentium Deo in rem poralibus. *eſt dominus &c.* Alii verò ſunt qui timent mori fame, ſi ei adhærerent. Contra quos Auguſtinus. Paſcebat contemnentem ſe & deſeret timētem ſe? Hieron. Nonne Deus habet unde pauperes ſuos alat? Tales attendere deberent quod Judæos pavit pane de cœlo, cum eis alius cibus deeſſet, & Danielem in lacu, Dan. ult. & Heliam per corvum pavit. 3. Reg. 17. Pſal. 36 *Non vidi juſtum derelictum &c.* Tales vidētur ſentire malè de Dei omnipotentia, vel de Dei bonitate, qui credunt ſe melius habituros neceſſaria ſi diabolo ſervirent, quam ſi Deo ſervirent; videntur enim credere quod diabolus melius poſſit providere ſuis ſervientibus quam Deus, vel quia melius velit. Videntur autem reputare Deum deteriorem dominum quam aliquem hominem, cum homines non ſubtrahant jumētis cibum, niſi ex cauſa Auguſt. Scit cœleſtis medicus quid nobis daturus ſit ad conſolationem, & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim ſine cauſa homo jumento ſuo cibaria ſubtrahit. Major fatuitas eſt talium qui credunt Deo

quod eis daturus ſit regnum, & non credūt quod eis daturus ſit cibum, cùm tamen in Evangelio promittat utrumque. Matt. 6. *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ibid. *Reſpicite volatilia cœli.* Luc. 12. dicit *Corvos*, per quos filii diaboli intelliguntur. David Pſal. 146. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum & pullis corvorum invocantibus eum.* Alii dimittunt ſervire ei, quia credunt
quod illi, qui Deo ſerviunt, nunquam gaudium ha- 3. Reprehenſio de difficultate ſervitii divini quærentiū.
beāt vel ſolatiū. Qui ſine dubio non credūt Evangelio. Mat. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Immò nec Deo credunt, qui paratam aſſerit electis gloriam, reprobis ignem. Eodem ore & eadem veritate teſtatur laborare & oneratos eſſe qui ad ipſum non accedunt, accedentes autem non defecturos, ſed reficiendos a b eo. Bern.
Qui regnum pollicetur, ipſe jugū ſuum ſuave, & onus ſuum leve teſtatur. Idem domine ſuper mel dulciorē Matth. 11.
ſpiritū tuum aſſeris, & ecce iſti dulciorē invenerunt carnem venationis, pro pudor! carnem meretricis, ſeculi vanitatem. Væ miſeris, de parte enim judicāt, & tanquam amarum faſtidiunt manna tuum abſconditum, quod non guſtaverunt. Sane qui probaverūt utraque, hi ſciunt quod Deus verax & omnis homo mendax. Ipſorum teſtimonia credibilia debuerunt eſſe nimis, ſed cum promiſſionibus tuis tuorumque experiētia contemnuntur & deridentur. Nec mirum ſi ex parte non credit homini, qui non credit Deo promittenti. *Alii* dimittunt ſervire Deo propter
juventutem, ac ſi à Deo eam non tenerent, ſicut & 4.
ſenectutem. Tales volunt placere diabolo quaſi majori Domino, qui volunt quod diabolus de vita eorum quod ſibi placet accipiat & reliquias poſt dant Deo. *Alii* verò propter pulchritudinem. Magna
Dei contumelia eſt in hoc, quod diaboli ſunt, qui in 5.
hoc mundo pulchriores ſunt. *Alii* verò quia divi-
tes ſunt, quia Deus plura dedit eis, minus volunt 6.
ſervire ei. *Alii* propter erubeſcentiam, erubeſcentes 7.
videri ſervi Dei & non diaboli. Erubeſcunt tales de hoc quod rectè incedunt, & quod non claudicant ſicut alii, & de hoc quod aliquid vident & non ſunt omnino cœci ut alii. Attende *etiam* quod optimo
domino peſſimum præponunt, ſcilicet diabolum 2.
Deo. Duo timeri ſolent in domino aliquo, ſcilicet vilitas & iniquitas. Hæc ſunt in diabolo, unde dicitur. *Immunditia*, propter vilitatem, & *iniquitas* propter hoc, quod iniqua imperat, ſcilicet periculoſa ſervienti. Et iniquitas propter hoc, quia injurioſa Deo & proximo, nec ſervientem remunerat. Quæ Deus præcipit ſuis ad ſanctificationem, diabolus præcipit ſuis ad inquinationem. Stipendia diaboli mors, ſtipendia Dei regnum æternum. Mun-
ditia verò, qua Deo ſervitur, à multis multum negli- 3.
gentiæ habet Bern. Magis confuſè & ardentiùs de-
ſiderant ſæculares pernicioſa, quàm nos perutilia, 4.
alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam Auguſt. Si poſſemus homines excitare, & nos ſimul cum eis excitari, ut tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales homines vitæ ſunt fugientis. Non modicum poteſt Deus offendi, quando videt non ſibi ſic ſerviri ſicut etiam immunditiæ.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATEM.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Sermonis hujus. I. pars commendatur in themate, illudq; explicat II. quid & quibus debeamus oſtendit.

Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus, &c. Rom 8. SERMO LXXIV.

OStenſum eſt prius in prima parte præcedenti quod filius Dei venit in mundum ut legem daret ſpiritus, ex qua gratia in præſenti & gloria in futuro, ideo hic invitat ad obediendum ſpiritui, Vivendum ſecundum ſpiritum, non carnem, cur.

non carni, non enim ſecundum carnem debemus vivere Rom. 13. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Job. 39. *Clamorem exactoris non audit.* Exactor eſt venter, qui quærit quæ ſibi non debentur, & quandoque decipit, ſi illud ſolvatur, quod ſibi negandum eſt. Nec ceſſat, etſi detur quod ſibi debetur, donec ſibi ſatis-fecerit.

Quid debeatur Carni.

Quid carni debeatur, oſtenditur, Eccleſiaſtici 33. *Cibaria & virga & onus aſino, panis & diſciplina & opus ſervo.* Cibaria, ne deficiat in via, virga ut in ea proficiat, onus ne laſciviat. Poſt ibidem. *Servo malevolo tortura & compedes. Mitte eum in operationem ne vacet* &c.

Viventes ſecundum carnem quales ſint.

Secundum carnem vivunt, qui legi carnis obediunt, quorum Deus venter eſt Philip. 3. Quem etiam à ſuis coli faciunt, unde jubente domino omnes genua flectunt adorantes Bacchum, vinum ſcilicet, cui omnes ſervitores ejus genua flectunt. Dan. 3. Edunt edictum de adoranda ſtatua. Qui ſecundum carnem vivit, ſecundum jumentum vivit, ſtabulo contentus pro cælo, præſepio pro menſa Bern. Puto, jumenta dicerent ſi loqui fas eſſet.

Geneſ. 3.

Ecce Adam quaſi unus ex nobis. Seneca. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum.

Moriuntur triplici morte.

Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini &c., citius *morte naturæ*. Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Et *morte culpæ* Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Supra hic: *Prudentia carnis mors eſt* 1. Timoth. 5. Vidua *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*, ſcilicet morte culpæ. Et *morte æterna*. Lucæ 16. De divite epulone, qui ſepultus eſt in inferno.

Secundum ſpiritum viventes, triplici vita vivunt.

Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Vivetis diutius *vita naturæ* Eccleſ. 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Vivetis etiam *vita gratiæ* in præſenti, & *vita gloriæ* in futuro,

Mortificatio in quibus conſiſtat.

Mortificaveritis, jejunio & oratione carnem macerando & ſic concupiſcentias ejus minuendo. Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* Hieron. Jejunio ſanantur peſtes corporis, oratione peſtes mentis,

Non vivendum ſecundum Carnem.

Debitores ſumus non carni &c. Triplici ratione non debemus vivere ſecundũ carnem, id eſt, ad carnis imperium.

1. *Primo* quia caro ſervus eſt ipſius ſpiritus, unde obedire debet nobis, non imperare. Prov. 19. *Per tria movetur terra & quartum quod non poteſt ſuſtinere. Per ſervum cum regnare cœperit &c.*

2. *Secundo* quia hoſtis, unde mortifera quaſi ſalubria conſulit nobis. Eccleſ. 12. *Non credas inimico tuo in æternum.* Apoſtolus ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

3. *Tertio* quia ſtulta, ex morſu enim pomi venenati quaſi phrenetica vel inſana facta eſt noxia ſibi & mortifera appetens. Ad modum febricitantis appetit vinum, in quo eſt luxuria. 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit, ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Ad modum hominis ſtrabi videntis proxima & non remota, ſic ſe habet caro. Si æque videret remota ut proxima, eadem ſibi utilia judicaret, quæ & animæ Bern. Nihil utilius corpori, quam ſaluti animæ providere. Si benè erit animæ, bene erit & corpori.

Exemplum.

Exemplum eſt de duobus ſociis, uno ſtulto & alio ſapiente incedentibus per eandem viam. Hi cùm veniſſent ad locum diverſarum viarum & ſapiens diceret alteram viam illarum bonam eſſe, ſtultus dixit de reliqua. Cui adquievit ſapiens. Et incedentes per eam inciderunt in latrones & ſapiens captus fuit, ſtultus verò in fovea abſconditus eſt, ſed ad ultimum quoque captus eſt. Et cum ſapiens diceret ſtulto, quod culpa ejus hoc ſibi accidiſſet, replicavit aſſerens culpam ſapientis fuiſſe, qui ſibi crediderat, cùm ſciret eum eſſe ſtultum &c. Hi ſocii ſunt ſpiritus & corpus. Atque hoc exemplo convincitur inexcuſabilis ſpiritus, qui carni conſentit.

II. Deo quam multa debeamus.

(*Debitores ſumus &c.*) Multa debemus, & multis Deo debemus honorem & timorem. Unde Malach. 1. *Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum. Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? ſi dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Unde cavendum eſt ne nova debita contrahamus. Et ſoliciti debemus eſſe quomodo vel nobis remittantur, vel ea ſolvamus. Dicunt experti, cum quibus ego, quod non eſt onus tantum, quantum debitorum. De his debitis reddidit nos ſolicitos Dominus in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra*,

Triplex debitum habemus.

Unde *notandum* nos obligatos eſſe *triplici* debito. *Primum* eſt innatæ pœnalitatis, quo debito primi parentes obligaverunt terram noſtram. *Secundum* eſt pœnæ, quo tenemur pro peccatis noſtris, hoc debitum contraximus noſipſi. *Tertium* eſt cenſus vel ſervitii quod Deo debemus, & ex diverſis cauſis, ut infra tangetur.

1. Pœnæ à primis parentibus contractæ.

In *primo* debito continentur iſta: fames, ſitis, frigus, calor, labor, infirmitas, & mors, quæ eſt maximum inter hæc debita, unde qui moritur, dicitur ſolvere debitum naturæ, id eſt, corpus neceſſitati mortis addictum. Rom. 5. Chriſtus mortuus eſt propter peccata. Gaudere ergo debet qui talia ſuſtinet, quia debita ſua ſolvit. Regratiari etiam debet Deo, qui paratus eſt hoc debitum computare homini in precium regni cælorum, ſi patienter ſuſtineat.

2. A nobis cõtractum. Matth. 5.

Secundum debitum per pœnitentiam ſolvitur, ad cujus debiti ſolutionẽ multum conari debemus, quia qui non ſolverit in præſenti, ponetur in carcerem donec ſolverit noviſſimum quadrantem. Ideo boni pauperes à divitibus ſpiritualibus orationum ſuffragia mendicare non ceſſant, & ad ſimilitudinem captivorum pauperum redemptionem ſuam quaſi obolatim mendicant.

3. Serviendi Deo, ob ſex cauſas.

Circa *tertium* nota quod Chriſto debemus ſervitium vitæ noſtræ multis de cauſis. *Duas* tangit Bern. in libro de diligendo Deo, ſi totum debeo pro me facto, quid addam pro refecto: & refecto hoc modo? Non enim tam facilè refectus, quam factus. Et poſt. Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi: In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo dedit & reddidit, me pro me bis debeo. Idem. Quid Domino retribuam pro ſe? Nam etſi millies me rependere poſſem, quid ſum ad dominum? Item alteram harum cauſam tangit alibi. Cui juſtius mihi vivendum quam ei, qui ſi non moreretur, non viverem? juſte ſibi vendicat vitam meam, qui pro mea poſuit ſuam. Item alibi *quatuor* cauſas, quare debemus Chriſto ſervitium, tangit his verbis. O ſi cognoviſſes quanta & quam multis debeas, videres quam nihil eſt quod facis. *Primo* debes Chriſto totam vitam tuam, quia Chriſtus pro tua poſuit ſuam. *Secundo* exigunt præterita peccata tua futuram vitam tuam, ut facias fructus dignos pœnitentiæ & recogites omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ Quid ſi *tertium* debitorem oſtendam, qui eam vendicet ſibi, puto quod deſideres gloriam quam oculus non videt &c. Nonne ad hoc emendum totum te & quæcunque poteris dare oportebit, & cum omnia compleveris non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Quarto* debitori debes quod es, à quo totum habes, qui te fecit, & bene fecit, & cuncta miniſtrat. Cui horum proponis reddere quod debes?

Tribus debemus. 1. Debemus. Deo tria.

Debitores ſumus &c. Deo, nobis & proximo. Deo *tria*, *honorem*, *timorem*, & *amorem*. De duobus primis Malach. 1 *Filius honorat patrem &c.* ut ſupra. De tertio. Deutero. 6. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

1. Honorem. 1. Tripliciter.

In *tribus* debemus Deo exhibere honorem & reverentiam. *Primo* in hoc ne ſua nobis uſurpemus, ut gloriam & vindictam, quæ ſibi retinuit. *Gloriam meam alteri non dabo*, ait ipſe Iſaiæ. 42. Item, *mea eſt ultio* Deutero. 32. & Rom.

12. *Mihi vindictam.* *Item* noſmetipſos non debemus uſurpare nobis. *Item* etiam ea quorũ diſpenſationem habemus tantum, emit enim nos ſanguine ſuo. Apoſtolus ad Corinth. 6. *Empti eſtis pretio magno.* Diſpenſationem enim nobis commiſit in his, quæ noſtra videntur eſſe. Tranſire à diſpenſatione ad dominium, eſt rapina; & velut crimen prodi-
2. tionis. *Secundo* debemus reverentiam ei in hoc, ut coram eo nihil indecens faciamus. Quidam.

Cum quid turpe facis quod me ſpectante juberes.
Cur ſpectante Deo non magis inde rubes?

3. *Tertio* ne perſonæ ejus contumeliam inferamus; quod faciunt indigne conficientes, vel celebrantes, & blaſphemantes. *Item* timorem debemus Deo in
1. Timorem in tribus. *tribus.* *Primo* in hoc, ut ea quæ prohibet, caveamus, Prov. 16. *In timore Domini declinatur à malo.*
2. *Secundo* in hoc ut ea quæ præcipit impleamus. Ec-
3. cleſiaſtæ 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* *Tertio* in hoc ut ea quæ cominatur fugiamus. Job 19. *Fugite à facie gladij, quia ultor iniquitatis gladius eſt.* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt cor-*
1. *pus,* &c. *Item* debemus Deo amorem propter *qua-*
Amorem ob quatuor. *tuor.* *Primo* propter parentelam, attinet enim nobis quia pater & frater noſter eſt. *Secundo* quia in eo ſunt ſummæ deliciæ. *Tertio* quia beneficia valde magna ab eo accepimus, & *quarto* quia valde magna adhuc ſperamus. Hæ ſũt quatuor cauſæ quare aliquis ſolet amare rẽ aliquã. Et eſt mirũ quod omnia iſta non poſſunt movere animũ noſtrum ad Deũ amandum, cum adeò abundanter in eo concurrant.
2. Corpori & animæ noſtræ quid debeamus. Nobis verò ex parte corporis debemus iſta tria de quibus Eccleſ. 33. *Cibaria & virga & onus aſino,* &c. Ex parte verò animæ honorem. Eccleſiaſtici 10. *Fili in manſuetudine ſerva animam tuam & da ei honorem ſecundum meritum,* ideſt, ſecundum dignitatem, quia nobilis eſt creatura poſita in exilio mundi hujus & in carcere corporis. Unde Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Non eſt verè miſericors, qui animæ ſuæ non compatitur. Ibid. 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?*
1. Proximo quid debeamus. Proximo verò debemus dilectionem. Unde Apoſtolus Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis: niſi ut invicem diligatis.* Ex dilectione verò debemus ei & auxilium & conſilium, & exemplum. Job. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum; & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſti-*
4. *gabam* In Evangelio Matth. 7. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

SERMO PRIMVS.

SERMO LXXV.

SUMMARIUM.

Sermone hoc pars hujus Epiſtolæ exponitur. Duo autem præcipue tractantur. I. Cur mala tam propria quam aliena concupiſcenda non ſint. II. Exemplis duobus ex libris Moſis deſumptis à quatuor vitiis abſterremur.

Non ſimus concupiſcentes malorum, &c. 1. *Cor.* 10.

I. Malũ proprium concupiſcere non debemus.

IN verbo iſto nos monet Eccleſia de quodam de quo per nos rogati eſſe deberemus, ſcilicet, ut mala non concupiſcamus. Et poſſunt multæ ratio-
1. nes aſſignari quare non debemus malum concupiſcere. *Prima* eſt, quia mala concupiſcere, eſt quaſi de lapidibus famem habere: minus enim videntur mala eſſe concupiſcenda quam lapides comedendi. Unde talem ſuaſionem facit diabolus illis quos movet ad concupiſcendum malum, qualem fecit Chriſto cum dixit: *dic ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. Et his, qui ei conſentiunt concupiſcendo, quæ concupiſcenda non ſunt, meritò ponetur calculus ignitus in ore, juxta illud Proverb. 20.
2. *Suavis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os ejus calculo.* *Secunda* eſt, quia concupiſcere malum, diabolicum eſt. Concupiſcentia mali Angelum diabolum fecit, & adhuc hominem diabolo aſſimilat, non enim invenitur hoc in brutis, quod mala ſua concupiſcant ſcienter, immò naturaliter fugiunt & captionem ſuam & cauſas mortis. Unde 3.
Eccleſiaſtici 22. *Mittens lapides in volatilia, dejiciet ea.* *Tertia* quia qui mala concupiſcit, malis ſaturabitur, ſicut qui bona concupiſcunt, bonis ſaturabuntur juxta illud. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam,* &c. Eccleſiaſt. 7. *Non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ & non metes ea in ſeptuplũ.*
Quarta eſt quia concupiſcere malum, eſt concupiſcere venenum, non venenum ſerpentis viſibilis; ſed venenum ſerpentis inviſibilis, vel infernalis, quod deterius eſt. Unde Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad ea, ſuſcipient te. Dentes leonis dentes ejus interficientes animas hominum. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas.* Quod intelligendum eſt poſt vitam iſtam. Ex quo patet quod tali fatuitate laborat qui malum concupiſcit, quali fatuitate laboraret qui concupiſceret venenum bibere, vel exponi dentibus leonum, vel ad mor- 5.
tem vulnerari. *Quinta* quia malum concupiſcere eſt vincula, vel carcerem diaboli appetere juxta illud Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.*
Sexta quia malum concupiſcere, eſt funem quo in 6.
inferno ſuſpendendus eſt appetere, ſine fune enim peccati non ſuſpenditur aliquis ibi. Et ut breviter 7.
dicam, malum concupiſcere eſt mortem ſuam deſiderare, mors enim vera eſt quam homines non timent ſeparatio animæ à Deo, qui eſt beata vita animarum, ſicut dicit Beatus Auguſtinus. Quod intelligi poteſt & de morte culpæ, & de morte æterna. Et Sap. 16. *Homo occidit per malitiam animam* Apoc. 9.
ſuam. Unde in illis, qui concupiſcunt malum, & appetitum ſuum implere non poſſunt, videtur impletum eſſe jam illud quod erit in inferno, quod deſiderabunt homines mortem ſuam, & mors fugiet ab eis, ad tales videtur pertinere illud Sap. 1. *Nolite zelare mortem.* Et notandum quod non debemus concupiſcere neque malum proprium, neque malum alienum. Triplici verò ratione non debemus concupiſcere malum alienum proximũ odiendo. Malum alienum non debemus concupiſcere.

1. Quia redũdat in noſtrum damnum. *Primo* quia aliquem proximum odire, eſt ignem diabolicum in ſinu abſcondere, ut domum proximi ſui poſſit comburere, quod ſine propria combuſtione non poteſt fieri, vel gladium in propio ventre abſcondere, ut hoſtem ſuum poſtea poſſit inde lædere. Auguſt. Sic putato malitiam eſſe quodammodo ignem. Si incendere vis aliquid, niſi id, ad quod admoves ardeat, non poteſt incendi aliud, verbi gratia, cum faculam apponis igni, prius ardet ignis, ut aliud poſſit accendere. Ita ergo malitia procedit ex te, & quẽ vaſtat antequam te? & in Pſal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipſorum.* Velut gladius in proprio ventre abſconditus eſt odium latens in corde.

2. Quia Deo & nobis nocivũ eſt quomodo. *Secundo* propter propinquitatem quæ eſt proximi ad Deum & ad te, ex quo accidit quod non potes nocere proximo tuo, quin noceas tibi, & Deo. Auguſtinus. Malitia tua ut alteri non noceat fieri poteſt: quod autem tibi non noceat, fieri non poteſt. Qui proximo ſuo nocet, nocet Deo non in ſe, ſed in re ejus, ſicut qui capit ſubditum alicujus domini, nocet domino ſuo. Unde ſicuti, ſi pater tuus & mater tua eſſent juxta hoſtem tuum, & non poſſes vulnerare hoſtem, quin vulnerares patrem & matrem, parceres hoſti propter patrem & matrem. Item ſicut, ſi domus tua & domus amici tui eſſent juxta domum inimici tui, non combureres domum hoſtis tui, ſi crederes alias duas ex ea comburi: ita non debet aliquis nocere proximo ſuo, ne noceat ſibi & Deo. *Tertio* quia ſi tu odis proximum

tuum, juſto Dei judicio fit ut Deus te odiat etiam ad mortem æternam, altiſſimus enim odio habet peccatores. Unde *Sap. 14. Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Odiunt etiam te quodammodo creaturæ: ſicut enim bonis quodammodo amicæ ſunt dum eis ſerviunt & cooperantur in bonum, ſic malis creaturæ inimicæ ſunt, dum eis nocent. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Tu ipſe etiam odis te, dum odis proximum, juxta illud Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* Non ſolum odit animam, ſed proprium corpus, dum utrique propriis manibus mortem procurat æternam. Sap. 1. *Deus mortem non fecit:* & paulò poſt: *Impij manibus & verbis accerſierunt eam.* Item notandum quod cum ſint mala culpæ & mala pœnæ, multo minus concupiſcenda ſunt mala culpæ, quam mala pœnæ. Mala enim pœnæ bona ſunt ſecundum veritatem, licet vulgus ſic ea vocet, ſed mala culpæ ſecundum veritatẽ mala ſunt. Quod autem mala pœnæ bona ſint, triplici ratione poteſt oſtendi. *Primo* per hoc quod ſunt à ſummo bono. Secundo quia fuerunt in ſummo bono, ſcilicet in Chriſto, qui mala culpæ diligenter cavit, ſed mala pœnæ diligenter aſſumpſit. *Tertio* quia ducunt ad ſummũ bonum juxta illud Greg. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt. Mala verò culpæ ſecundum veritatem mala probantur eſſe, & per hoc, quod ſunt ab eo, quo nullus pejor eſt, ſcilicet à diabolo, & per hoc, quod ſunt in eo, unde & aſſimilantur ei, & per hoc quod ducunt ad tormentum diabolo paratum, juxta illud Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Si quis vult amplius dilatare hanc materiam, deſcendat ad diverſas ſpecies malorum ſive vitiorum.

1. Quia Deus & creaturæ te odiunt.

Tu ipſe te odis ſi proximũ odis.

Mala pœnæ concupiſci poſſunt, mala culpæ non.

Illa quia bona ſunt ob tria.

Hæc quia mala ſunt ob tria contraria.

II. Vitia quatuor cavenda monet Epiſtola.

(*Neque idolatræ efficiamini*) Quatuor vitia hic diſſuadet Apoſtolus, quæ cavenda ſunt hominibus, ſcilicet *Idolatriam, fornicationem, diffidentiã* de Deo, quã vocat tentationem. Et ponitur conſequens pro antecedente, qui enim diffidit, tentare ſolet. Diffidebant autem filij Iſraël de domino, quando dicebant. Pſalm. 77. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quartum* eſt murmur contra Deum, vel contra eum qui loco Dei eſt. Circa *primum* notandum eſt, quod *tria* ſunt generã hominum qui idolatrant ad modum Judæorum vitulum aureum adorantium, Exod. 32. *Primi* ſunt homines ſine longanimitate, qui quando indigent aliquo, ſi petunt illud à Deo, & ſtatim non accipiunt, tam cito ſibi caput conſtituunt, facientes ſibi alium Deum, ſicut fecerunt filij Iſraël, cùm Moyſes moram faceret in monte, ſicut pater in illis, qui, quando ſanitatem vel prolem à Deo impetrare non poſſunt, ipſi vadunt ad aliquam vetulam ſortilegam, quam ſibi Deum faciunt, dum ab ea requirunt, quod ad ſolum Deum pertinet. *Secundi* ſunt illi, qui poſtquam ſatis comederunt & biberunt in feſtivis diebus, quando deberent Deo regratiari, ipſi adorant vitulum, dum laſciviam Deo præponunt, & ad choreas vadunt. Per vitulum enim qui animal valde laſcivum eſt, intelligitur laſcivia, quam illi Deum ſuum conſtituunt contra prohibitionem Eccleſiæ, eam Deo præponentes, non formidantes mala infinita quæ ex choreis proveniunt, ſimiles Judæis, de quibus ſcriptum eſt. Exod 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere,* id eſt, ludos in venerationem diaboli facere. *Tertij* ſunt illi, qui poſtquã ſatis comederunt in feſtis, cogitantes quod per denarios habuerunt id quod comederunt, & quod denarios non habuiſſent, niſi laboraſſent, contempto mandato Eccleſiæ, violant ſolennitates Eccleſiæ dicentes; crucem argenti ea dediſſe ſibi, quæ comederunt

1. Idololatriã ſpiritualem triplicem.

1.

2.

3.

commendantes pecuniam eo modo, quo Deum datorem omnium bonorum comendare debuerũt. In quo ſibi quaſi aurum Deum conſtituunt, ſimiles Judæis, qui dixerunt ante vitulum aureum: *hi ſunt dii tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Exod. 32. Circa *ſecundum* notandum eſt, quod tria ſunt quæ deberent hominem cohibere à fornicatione. *Primo* pœnæ, quas legitur Dominus inflixiſſe pro hoc peccato. Legitur enim dominus ſubmerſiſſe omnes homines pro hoc peccato, exceptis octo hominibus. Gen. 7. Et mille & quadringenta interfeciſſe Num. 25. quando filii Iſraël fornicati ſunt cum filiabus Moab. *Secundo* vilitas hujus peccati. De qua vilitate habes in tractatu de Luxuria in Cap. in quo agitur de his quæ valent ad detrimentum luxuriæ in fine cap. *Tertio* verò pœnæ quæ infligendæ ſunt in futuro pro hoc peccato, quæ longè majores ſunt pœnis præſentibus. Unde Auguſtinus ſuper illud. 1. ad Corinth. 10. *Hæc in figura facta ſunt noſtri.* Illæ pœnæ fuerunt figura noſtrarum pœnarum. quantæ ergo pœnæ illæ ſunt, quarum figuræ illæ fuerunt. Sicut enim bonis multo melius eſt id quod per figuram ſignificatur, quã ipſa figura, ut regnum cælorum melius eſt terra promiſſionis, ita & malis longe pejus eſt quod per figuram ſignificatur quam figura ſignificans, ut gehenna pejor eſt qualibet pœna temporali. Circa *tertium* verò notandum eſt, quod illi, qui de Deo diffidunt, credentes quod fame morerentur, ſi Deo ſervirent, cum tamen dicatur Sap. 1. *Sentite de domino in bonitate,* graviter peccant, cum tamen ſciant & Judæos & ſarracenos hanc bonitatem habere; quod filiis ſuis de cibo provideant. *Item* cum ſciant lupos & leones à natura edoctos de cibo fœtibus ſuis providere, tamen credunt quod pater cœleſtis, qui pater eſt miſericordiarum, filios ſuos fame perire permittat. *Item* cum videant dominos terrenos, qui mali ſunt, providere his qui ſibi ſerviunt, credunt quod ille qui optimus eſt ſervientibus ſuis non debeat providere: Immo quod plus eſt, credunt quod diabolo ſerviendo neceſſaria habeant, ſerviendo verò Deo non, contra id quod ſcriptum eſt in Pſalmo. 36. *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum &c.* De hac materia vide amplius ſuper illud Rom 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra &c.* præcedente Dominica 7. Tentationem vel diffidentiam, de qua hic loquitur Apoſtolus, habes Num. 21. Ubi ſic legitur. *Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine: deeſt panis, non ſunt aquæ &c.* Et ſubditur: *quamobrem miſit Dominus ignitos ſerpentes in populũ.* Circa *quartum* attendendum eſt quantum offendatur Dominus quando aliquis murmurat contra eum qui loco Dei eſt, quando invidet ei, vel quando non vult ei obedire, ſicut pater. Núm. 16. de Chore, qui invidens Moyſi & Aaron murmuravit contra eos, habens ſecum ducentos de majoribus Levitis, quos dignos ſacerdotio præferebat illis, & adjunxerat ſibi Dathan & Abiron potiores in tribu Ruben, quibus dicebat principatum populi deberi, quia de Ruben primogenito ſuo erant. Dominus verò Chore cum ducentis quinquaginta levitis interfecit igne de cœlo miſſo, qui devoravit eos. Dathan verò & Abiron qui Moyſi vocanti eos dixerant, non venimus, viventes à terra abſorpti ſunt. Et in Epiſtola poteſt vocari exterminator vel ignis, qui Chore cum aliis Levitis combuſſit, vel angelus, cujus miniſterio vindicta illa facta eſt.

2. Fornicatiõne ob hæc tria abſterrere debebent.

1.

2.

3.

Figurarum veteris Legis diſcrimen in malis & bonis.

3. Diffidentiã de Deo. Quam ſit reprehenſibilis oſtenditur.

Exemplum hujus vitii in filiis Iſrael.

4. Murmur & inobedientiam adverſus ſuperiores. Exemplum pœnæ in Chore.

Exterminator quis ſit.

DE EADEM DOMINICA. SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicatur hoc ſermone thema, & tria præcipue traduntur I. omnimodam certitudinem haberi non poſſe

poſſe abſque revelatione, an ſimus in bono ſtatu, aut ſi ſimus, an in eo perſeveraturi ſumus, opinionem tamen ac fiduciam, quod ſimus in ſtatu gratiæ, formari poſſe ex tribus ſignis II. Lapſum in peccatum fieri ob tria, ad hunc caſum cavendum occaſiones ſeptem fugiendas eſſe.

SERMO LXXVI. Qui ſe exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.
1. Corinth. 10.

I. Incertitudo ſtatus gratiæ quanta.

NOta quod non dicitur qui ſtat, ſed qui ſe exiſtimat ſtare. Nullus enim certus eſt certitudine omnimoda quod ipſe ſit in bono ſtatu, niſi ſibi cælitus fuerit revelatum. Unde Eccleſiaſt. 9. *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: Et tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſervantur incerta.* Si non eſſet alia miſeria in præſenti vita niſi quod ſumus in talibus tenebris, non deberent homines ita gaudere ſicut faciunt. Unde. Tob. 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo* Miſerabiles tenebræ ſunt iſtæ, ſcit homo quod Deum offendit, & iram ejus uſque ad mortem æternam meruit, certus autem non eſt quod ſibi placatus ſit. Item certus eſt homo quod ferrum peccati animam ſuam pertranſivit, & quod ad mortem vulneratus fuit, ſed non eſt certus utrum ferrum adhuc exierit, & tamen evadere non poteſt à morte æterna niſi ferrum extractum fuerit.

Diabolus quomodo nos tractet. In tantis tenebris eſt homo in præſenti, quod ipſe neſcit ubi ſit, forſitan eſt in manu Dei, forſitan in ore diaboli, multos enim habet diabolus in ore ſuo, quibus tamen nondum oſtendit hoc, facit enim ad modum lupi, qui accipiens ovem de ovili, primo plane defert eam, ſed poſtquam tenuerit eam in nemore, ubi nec canes nec paſtores timet, tunc confringit oſſa ipſius. Sic diabolus ducens aliquos plane in infernum, mollibus induens eos & delictis paſcẽs eos, cavens ne conquaſſentur, ſicut ſolet fieri de ovis, vel de vaſis vitreis, ſed in futuro oſtendet eis quam crudelis eſt, & non miſerebitur.

Incertitudo perſeverantiæ. Et licet aliquis in præſenti ſciat ſe eſſe in bono ſtatu, neſcit tamen finaliter qualis futurus ſit: poſſet enim eſſe quod aliquis in præſenti eſſet quaſi Apoſtolus, & tamen in Dei providentia eſſet quaſi Diabolus. Unde Joan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* qui primò fuerat bonus quaſi apoſtolus, factus erat quaſi diabolus.

Opinio boni ſtatus concipi poteſt ex tribus ſignis. Et licet homo neſciat pro certo ſe in bono ſtatu eſſe, poteſt tamen homo habere aliquam opinionem, quod ipſe ſit in bono ſtatu. Et ſunt *tria ſigna* per quæ poteſt aliquis hoc credere.
1. *Primum* eſt *virtus* ſive *poteſtas*, quando ſcilicet aliquis videt longo tempore ſe poſſe cavere ab omnibus quæ Deus prohibet, & implere quæ Deus præcipit, ipſe ex hoc quod habet talem virtutem opinari poteſt adeſſe dominum virtutum à quo ſolo talis virtus eſſe poteſt.
2. *Secundum* eſt *recta diſpoſitio interioris appetitus*, quando ſcilicet anima talem ſaporem in rebus invenit, qualem debet invenire, quando ſcilicet mala ei deſipiunt & bona ſapiunt Auguſt. Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris odioſa eſt lux, quæ ſanis eſt amabilis.
3. *Tertium* ſignum eſt *dulcedo cordis*, quando aliquis non habet aliquam remorſionem conſcientiæ, ſed habet pacem & tranquillitatem. Unde Proverb. 16. *Dulcedo animæ ſanitas oſſium*, id eſt, virium.

Hæc ſigna probantur. 1. Similitudine ſanitatis corporalis. 2. Præſentia SS. Trinitatis in anima juſti.

Hæc *tria* atteſtantur ſanitati ſpirituali ſicut & ſanitati corporali. Nam ex quo aliquis virtutem corporis recuperavit, & appetitum habet bene diſpoſitum, & dolorem vel gravamen in corpore non ſentit, jam credit ſanitatem ſe perfectè recuperaſſe. Hæc *tria* oſtendunt adeſſe præſentiam patris & filii, & ſpiritus ſancti. Virtus ad patrem pertinet, cui attribuitur potentia. Hoc quod res ſapiunt animæ ut debent, pertinet ad filium cui appropriatur ſapientia. Hæc eſt enim vera ſapientia, ut homo res diligat ut diligendæ ſunt. Eccleſiaſtici 1. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia.* Frater Guido Carthuſienſis. Creaturæ rationalis vera perfectio eſt unamquamque rem habere ut habenda eſt. Dulcedo verò pertinet ad ſpiritum ſanctum. Eccleſiaſtici 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Et ſicut tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo viſibili, ita iſta tria dant teſtimonium in cœlo ſpirituali, ſcilicet in anima viri juſti. 1. Ioan. 5.

II. In hoc quod dicitur, *videat ne cadat*, innuitur quod cœcitas ſit occaſio caſus, & quod viſio cuſtodiat hominem à caſu. Circa quod notandũ quod cadere in peccatum potius eſt præcipitare ſe, quam præcipitari, ſicut oſtendit Gloſſa. Matth. 4. *Si filius Dei es &c.* in quo ut dicit Gloſſa infirmus oſtenditur diabolus, quod nulli poſſit nocere, niſi prius ille ſe deorſum miſerit.

Caſus in peccatum fit ob tria, ſicut corporalis caſus. *Tribus* autem de cauſis præcipitat ſe aliquis in peccatum, *timore mali*, *amore tranſitorii boni*, & *errore*, quia ſcilicet non cognoſcitur quam altus ſit caſus iſte. Propter ſimiles caſus ſolet aliquis ad literam præcipitare ſe, vel timore hoſtium ſuorum qui eum ſequuntur, potius eligens præcipitium quã incidere in manus eorum. Item cupiditate alicujus lucri, ſicut accidit in captione caſtrorum: vel quia neſcit homo altitudinem caſus, credit eſſe ſaltum, quod eſt præcipitium. Sic, qui timore paupertatis, vel moleſtiæ temporalis, vel opprobrii præcipitant ſe in peccatum, vel cupiditate adquirendi aliquid terrenum. Unde Quidã: propter delectationem mala facimus, propter triſtitiam à bonis revocamur.

1. Ob timorẽ vanum mali. Hi deberent oculos fidei aperire & attendere quid ſit quod concupiſcant, ipſi enim trepidant ubi non eſt timor. Ipſi ſunt velut equi umbratici, qui ut umbras fugiant, pericula vera incurrunt. Bona & mala hujus vitæ præſentis quaſi quædã umbræ & picturæ ſunt futurorum bonorum & malorum. Vera bona & vera mala vitæ futuræ ſunt. Unde Sap. 5. dicunt damnati qui ſunt in inferno, *tranſierunt omnia iſta ſicut umbra &c.* tales ſunt ſicut Cain, qui legitur caput tremulum habuiſſe, & qui legitur dixiſſe domino Geneſ. 4. *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Tales umbram mortis timent, veram autem mortem ſcilicet æternam, non timent Iſa. 9. *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Immo quod plus eſt, ipſi timent aurũ & argentum & lapides precioſos ſibi miſſa à Domino ut inde fabricetur eis corona æterna; ipſi credunt hoſtes ſuos eſſe, qui in veritate ſuccurſus ſunt à Deo miſſi Prov. 28. *Fugit impius nemine perſequente.* Etiam à fatuis perſecutores creduntur illi, qui potius obſequuntur.

2. Ob cupiditatem boni temporalis ob multa ſpernendi. *Item* qui ſe præcipitant in peccatum, cupiditate alicujus lucri, deberent aperire oculos fidei ad videndum quale eſt illud lucrum. Seneca. In omnibus rebus & conſiliis faciamus quod ſolemus facere quoties ad inſtitorem alicujus mercis accedimus. Videamus hoc quod concupiſcimus quanti deferatur, ſæpe maximum eſt precium, pro quo nullum datur. Id pro quo præcipitas te, eſca momentanea eſt, ſub qua latet ferrum mortis æternæ. Momentaneum eſt quod delectat, ſed, æternum eſt quod cruciat, ſicut dicit Greg. & Aug. Præda quam vis rapere, in muſcipula eſt. Tenes alienum & teneris à diabolo. Eſt etiam venenum dulce, & eſt velut gutta mellis, poſt quam neceſſe habes bibere mare æternæ amaritudinis, E contrario tribulatio præſens eſt velut gutta maris, poſt quam ſequitur abyſſus æterni gaudii Gregorius. Sicut dulcia quærimus, neceſſe eſt ut amara toleremus.

3. Ob ignorãtiã quo & unde cadatur. *Item* qui vult præcipitare ſe in peccatum errore, deberet aperire oculos fidei ad videndum qualis ſit iſte caſus.

Periculoſior enim eſt quam ſi præcipitaretur de maxima turre quæ in mundo eſt, ſi eſſet in bono ſtatu. Immo melius eſſet ei quod de cœlo caderet uſque ad terram, talis enim caſus ſolum corpus occideret, caſus verò in peccatum animam occidit morte culpæ in præſenti, & poſtea cauſa erit mortis æternæ tam corpori quam animæ. Item attendere deberet quam altus eſt locus iſte in quo eſt, & quam infimus in quem vult ſe præcipitare. Dum eſt in bono ſtatu, eſt filius Dei; dum peccat, efficitur ſervus diaboli. Prius in ſtatu regis, poſt in ſtatu latronis, quia infernali ſuſpendio condemnatus. Prius in manu Dei, poſt in ore diaboli; prius proximus cœlo, poſt quaſi ad portam inferni. Bene videtur ligatus eſſe à diabolo, qui dicit ſe non poſſe continere, quoniam ita ex alto præcipitat ſe. De hac materia invenies amplius in tractatu de commendatione gratiæ.

II. Ad cavendum caſum fugiendæ occaſiones ſeptem.

Qui ſe exiſtimat ſtare, &c. Qui vult à caſu cavere neceſſe habet fugere ea, quæ ſolent eſſe occaſio caſus Prov. 11. *Qui cavet laqueis, ſecurus erit.* Septem verò ſunt quæ ſolent eſſe occaſio cadendi alicui. *Primum* eſt *altitudo loci.* Bern. Facile eſt in alto ſe continentem obſtupeſcere & de vita periclitari.

1. Honores.

Qui vult ergo ſibi cavere à caſu, fugiat honores & alias altitudines. Hieron. Cave, honores quos ſine culpa tenere non potes, ſublimitas honorum magnitudo eſt ſcelerum, propterea quantum potes, honores vita. *Secundum* eſt *pedum infirmitas*, quam

2. Invidia.

qui patitur, neceſſe habet quieſcere, donec convaluerit. Pes animæ amor eſt, ſicut dicit Aug. Hunc habet pedem infirmum invidus, quia *putredo oſſium invidia*, ut legitur in Prov. 14. Unde qui pronum ſe ſentit ad motus invidiæ, quieſcere deberet in domo conſcientiæ ſuæ, & non curioſè conſiderare bona vel mala proximorum ſuorum. Non ceſſat enim in tali conſideratione cadere, dum de bonis dolet & de malis gaudet. *Tertium* eſt *ſcandalum* vel *obex in via*, quod ſolet pedem lædere &

3. Iracundia.

dare occaſionem ruinæ. Velut ſcandalum in via eſt homo durus & iracundus, cujus familiaritatem debet fugere, qui vult à caſu ſibi cavere. Unde Proverb. 22. *Noli eſſe amicus homini iracundo*, id eſt, noli eſſe ei familiaris. Licet aliquis amet omnes arbores quæ ſunt in horto ſuo, tamen ſpinoſas arbores non amplectitur nec cõtingit niſi cum cautela. Homo iracundus eſt velut lignum igne ſuccenſum, ideo non eſt tutum aliquem eſſe ei familiarem. *Quartum* eſt *ſomnus negligentiæ*. Negligentia fere eſt occaſio cujuſlibet caſus.

4. Negligẽtia circa varia.

Propter hoc enim, quod aliquis eſt negligens regratiari Deo de bonis acceptis, vel negligens eſt auxilium Dei & ſanctorum poſtulare, vel ſancta occupatione ſe munire, vel aliquo alio modo negligens eſt, accidit quod ipſe cadit in peccatum. Unde Matth. 12. ubi loquitur Chriſtus de reditu ſpiritus immundi in domum unde exivit dicit, *& veniens invenit eam vacantem ſcopis mundatam & ornatam*. Unde qui vult à caſu cavere, negligentiam debet à ſe excutere. Dicebat quidam

Dictum ex vitis PP. peccatum oritur ex

ſenex in vitis patrum. *Tres* ſunt virtutes Satanæ quæ præcedunt univerſa peccata, ſupple exteriora. *Prima* oblivionis, *ſecunda*, negligentiæ, *tertia* concupiſcentiæ. Prima generat ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic corruit homo. Ex eo quod obliviſcitur homo ea quæ ad fidem pertinent, ut eſt beneficium redemptionis & gaudia paradiſi & tormenta inferni, occaſio eſt quod homo negligens ſit. Negligentiam verò ſequitur deſideriũ rerum tranſeuntium, juxta illud Proverb. 21. *Deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus ejus operari.* Tota die concupiſcit & deſiderat. *Quintũ via lubricitas*, facilius enim corruit homo in via lubrica, quam in ſicca. Via lubrica eſt vita delicata. Qui vult ergo à caſu cavere, ducat vitam aſperam. Unde ſuper illud Matth. 4. *Dic ut lapides iſti panes fiant*, dicit Gloſſa. In pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi prius hæc frenetur, fruſtra contra alia vitia agitur. Unde multum poſſunt timere Prælati, qui delicatè vivunt & verbum Dei raro audiunt, quia via illorum tenebræ & lubricum & Angelus Domini perſequens eos. Diabolus enim perſequitur eos, quia duces ſunt exercitus. Unde 1. Reg. 31. *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul, & conſecuti ſunt eum viri ſagittarij.* *Sextum* eſt *fovea propinquitas, fovea profunda eſt meretrix*, ut legitur Proverb. 23. qui vult ergo cavere à caſu, fugiat conſortium mulierum, Unde 1. ad Corinth. 6. *Fugite fornicationem.* Super quod verbum, dicit Ambroſius. Cum aliis namque vitiis poteſt exſpectari conflictus, hanc fugite, ne adproximetis, quia non poteſt aliter melius vinci.

Gula primo expugnanda.

6. Duplex.

1. Fornicatio quam cauſat conſortium mulierum, fugiendo vincitur.

Sicut aliquis qui impellitur ab hoſte ſuo, in magno periculo eſt, cum ſit juxta profundam foveam, quia antequam verterit ſe, corruit: ſic in magno periculo eſt, quem tentat diabolus de peccato carnis, ſi ſit juxta fatuam mulierem. Qui à muliere remotus eſt antequã diabolus eum ad eam duxerit, forſitan ſuccurſus divinæ gratiæ habebit, ſi tamen nuntium orationis ad Deum præmiſerit pro auxilio. Sed ſi à loco in quo diabolus incipit eum tentare receſſerit, diabolus non portabit eum ad locum ubi mulier eſt. Vel poſſumus intelligere hoc de *fovea oris*, quæ obſtruenda eſt illi, qui vult à caſu cavere ſibi. Si aliquis haberet foveam profundam in domo ſua, in quam decies corruiſſet, & tamen nollet eam obſtruere, fatuus reputaretur: ſic valde fatuus eſt, qui decies vel amplius corruit peccato oris, & tamen non vult adhuc os ſuum obſtruere. Eccleſ. 14. *Beatus vir qui non lapſus verbo ex ore ſuo.* *Septimum* eſt *ponderis gravitas.* Ad parvum impulſum cadit qui graviter oneratus eſt, ſic de facili corruit in peccatum, qui multa habet temporalia. Unde qui vult cavere ſibi à caſu, à nimio onere temporalium ſe exoneret, & largis eleemoſynis ſibi auxilium impetret, & potius velit quod temporalia bona, dum ex eis eleemoſynas facis, eum in bono ſtatu inſtituant, quam quod nimio onere eum in peccatum dejiciant. Eccleſ. 11. *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.*

2. Os incuſtoditum.

7. Bona temporalia.

DOMINICA X. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo imprimis thema explanat. Deinde quanta ſit malitia, turpitudo ac infœlicitas mali Chriſtiani male ſervientis Deo, legem ejus non ſerviendo: econtra vero quanta fœlicitas ac dignitas ſit boni Chriſtiani, edocet.

Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto, *1. Corinth. 12.* SERMO LXXVII.

I. Qui Ieſum dominum dicere poſſint, qui non.

HAbent in uſu omnes Chriſtiani tam boni quam mali vocare Jeſum Dominum ſuum. Ipſe tamen non reputat omnes ſervos ſuos, quod apparebit cum claudet eis domum ſuam. Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum.* Non de omnibus qui eum dominum vocant, gratum eſt ei hoc, ſed de illis ſolum, qui præcepto ejus obediunt. Unde Luc. 6. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Ad idem poſſumus referre illud Apoſtoli verbum propoſitum, oſtendentis quorum proprium ſit dicere quod Jeſus ſit Dominus eorum: non enim omnium qui credulitatem aliquam habent de Deo, ſed ſolum illorum qui charitatem habent ad eum, ex qua charitate ei obediunt, obedientia enim eſt divini verbi profeſſio. Eſt ergo ſenſus verbi propoſiti. *Nemo poteſt dicere, Jeſus eſt Dominus meus, niſi in Spiritu ſancto*, id eſt, in charitate, quæ eſt

Explicatur thema.

ſpirituale

ſpirituale donum Spiritus ſancti. Dicere non eſt ſolum ſono vocis proferre. Immo, ſecundum Gloſſam, ille propriè dicit, qui voluntatem ſuam & mentem ſono vocis enunciat. Unde Auguſt. Propriè ponit verbum, quod eſt dictio ſignificans voluntatem & intellectum dicentis. Unde ille propriè dicit Jeſum dominum ſuum, qui in mente habet ut ei tanquàm domino ſerviat, nam qui in peccato mortali eſt, ſervus eſt diaboli. Unde non videtur eſſe ſervus Chriſti, cum Dominus dicat Matth. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Non eſt Deus medietarius diaboli, ut habeat ſervum ei cõmunem. Unde 2. ad Corinth. 6. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial?* Homo qui verbo Chriſtum reputat Dominum & diabolum opere, eſt quaſi arbor cujus folia ſunt Dei, fructus verò diaboli, & tales potius reputandi ſunt arbores diaboli, quàm arbores Dei, cum ſcriptum ſit Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*: & Joan. 10. *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.* Sic opera quæ malus Chriſtianus facit, teſtimonium perhibent de eo, quod ipſe ſervus diaboli ſit. Profeſſio Domini quam malus Chriſtianus facit, Chriſto videtur illuſio eſſe, dum exterius eum Dominum dicit, quem in corde ſuo contemnit. Similiter præſides Chriſto illuſerunt Matth. 27. Signa ſubjectionis ei exterius exhibentes, & in cordibus ſuis eum vilipendentes.

2. Chriſtianus male vivens negat Chriſtum.

Sed poteſt dicere malus Chriſtianus Chriſtum quandoque fuiſſe Dominum ſuum, vel quod deberet eſſe Dominus ſuus, ſed quod ſit Dominus ſuus in actu non videtur quod poſſit dicere, cum ipſe non ſit ſervus ejus in actu. Ex quo ulterius poteſt inferri quod omnis Chriſtianus male vivens Chriſtum negaverit. Cum enim aliquando Chriſtum habuerit pro Domino, & modo non habeat, conſequens eſt quod ipſum negaverit. Et notandum quod negatio talis pejor videtur eſſe in *quatuor* negatione illa quam infideles Chriſto faciunt.

Talis eſt pejor infidelis ob quatuor.

1. *Primo* in hoc quod infideles negant eum verbo mali Chriſtiani facto. Unde ad Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Nolite ergo tanquam fide ſecuri eſſe, ſed adjungite fidei rectæ vitam rectam, ut Chriſtum confiteamini verbis bene dicendo & factis benè vivendo. Nam ſi confitemini verbis & non factis, fides talium hominum propriè eſt fides dæmoniorum. Secundum Bernardum. Efficacior eſt vox operis quam vox ſermonis.
2. *Secundo* in hoc quia negatio infidelium habet ignorantiam, quæ aliquantulum attenuat culpam illorum. Multi enim Judæi & Sarraceni ideo Chriſto non ſerviunt, quia neſciunt eum eſſe Dominum ſuum, & ei ſervirent, ſi eum agnoſcerent. Sed Chriſtianus malus Chriſto negat ſervitium ſuum, cum tamen agnoſcat eum eſſe Dominum ſuum. Si duo homines negarent principi ſervitium ſuum, & unus ſic diceret principi; neſcio vos eſſe Dominum meum, & ſi ſcirem libenter vobis tanquam Domino ſervirem; alius verò diceret, bene cognoſco vos eſſe Dominum meum, ſed nihil pro vobis facerem; magis poſſet princeps offendi de negatione ſecundi, quam primi, quia magis videret ſe ab eo contemni. Sic quantum ad hoc magis videtur eſſe contumelioſa Dei negatio Chriſtiani, quam negatio Judæi vel Sarraceni.
3. *Tertio* quia talis Chriſtianus nullius legis eſſe videtur. Legis enim Chriſtianæ non videtur eſſe, cum ipſe ſit ejus tranſgreſſor. Legis etiam Judæorum non videtur eſſe, cum eam non obſervet, nec legis Sarracenorum, cum legis Machometi neſcius ſit. Judæi verò & Sarraceni legis alicujus ſunt, licet in ea non ſalventur.
4. *Quarto* verò in hoc, quod aliquando tales fuerunt legis Chriſtianæ, & modo Chriſtiani non ſunt, unde apoſtatæ ſunt. Sicut ergo deterioris conditionis eſt, qui aliquando fuit alicujus ordinis, & apoſtatavit, quam ſi nunquam fuiſſet alicujus ordinis, ſic deterioris conditionis videtur eſſe malus Chriſtianus, qui ab ordine Chriſtianæ religionis apoſtatavit, quantum ad hoc, quam Judæus vel Sarracenus, qui nunquam in illo ordine fuit.

III. Nō eſt magnum eſſe Chriſtianū ſed bonum Chriſtianū. Eſſe malum Chriſtianū ignominioſum ac miſerum eſt.

Et notandum quod non eſt magnum eſſe Chriſtianum, ſed valde magnum eſt eſſe bonum Chriſtianum: eſſe verò malum Chriſtianum, non ſolum non eſt glorioſum, immo eſt valde ignominioſum. Et hoc multiplici ratione.

1. Quia eſt Apoſtata inutilis.

Primo quia talis apoſtata eſt, ſicut prius oſtenſum eſt, & ideo inutilis. Proverb. 6. *Homo apoſtata vir inutilis.* Sicut palmes dum viti non adhæret, ad nihilum valet niſi ut in ignem ponatur, non enim poteſt fieri inde cochlear, vel aliquid aliud ſicut de ramis aliarum arborũ. Sic Chriſtianus dum Chriſto adhæret, per charitatem valde precioſum quid eſt, ſi verò per peccatum ab eo ſeparetur, materia eſt incendij infernalis. Ideo dicitur Joan. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites.* Et Ezech. 15. *Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorũ quæ ſunt inter ligna ſylvarũ, nunquid tolletur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus ut dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum eſt in eſcam.* Licet honorabile ſit eſſe Monachum, ignominioſum tamen eſt eſſe Monachum apoſtatam. Item licet honorabile ſit eſſe Angelum bonum, tamen ignominioſum eſt valde eſſe Angelum malum, vel Angelum apoſtatam. Non enim ſunt ejuſdē precij denarij boni & denarij falſi. Idem intelligas de Chriſtiano bono & malo.

2. Quia eſt proditor.

Secundo quia Chriſtianus malus proditor eſt, cũ Deum impugnet à quo habet quidquid habet, cujus expenſis vivit & veſtitur, & tamen à Dei contumelia non ſic refrenatur.

3. Quia monſtrum eſt, quomodo.

Tertio verò quia velut monſtrum eſt. In parte enim eſt Chriſtianus, & in parte Sarracenus. Ex parte corporis unum videtur habere membrum Chriſtianum, ſcilicet linguam, quæ Chriſtum dominum vocat, quantum verò ad cætera membra quaſi Sarracenus eſt. Unde de illo poteſt dici illud Geneſ. 27. *Vox quidem vox Jacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Si enim aliquid eveniat contra ejus voluntatem, bene oſtendit quod nec lingua tota Chriſtiana eſt Chriſtum apertè negando, vel blaſphemando, vel fratrem contumeliis afficiendo. Ex parte verò animæ quantum ad oculum fidei Chriſtianus eſſe videtur, cætera verò Sarraceni ſunt. Oculus etiam fidei valde diſtat ab oculo veri Chriſtiani, adeo enim obnubilatus eſt velamine culpæ, ut ea quæ fidei ſunt videre nequaquam poſſit, niſi eo modo quo aliquis videt lumen ſolis clauſis oculis, eo quod frons lumini pervia ſit. Quomodo ergo Chriſtianus dicetur, cum ſecundum plura Sarracenus eſſe videatur, & ſecundum pauciora Chriſtianus.

4. Quia maledictus eſt.

Quarto, quia malus Chriſtianus maledictus eſt, quod figuratum eſt Matth. 21. Ubi Dominus maledixit ficulneæ habenti folia & non fructus. Et in Deut. 27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Nec tamen unica maledictione maledicti ſunt mali Chriſtiani, ſed quaſi infiniti. Unde ibidem ponuntur maledictiones diverſæ ad diverſas tranſgreſſiones. *Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem*, &c. Et 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, & cuſtodias & facias omnia mandata ejus & ceremonias, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum, maledictus eris ingrediens & egrediens.* Diverſis etiam locis

ſacræ ſcripturæ ſunt diverſæ maledictiones pro di-
verſis vitiis. Et ut breviter dicam, quicquid agat
malus Chriſtianus, ipſe maledictionem habet ſu-
per ſe juxta illud Eccleſiaſt. 41. *Væ vobis viri impii
qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi, & ſi nati
fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fue-
ritis, in maledictione erit pars veſtra.* Et in die judi-
cii maledicti nominabuntur à domino ſecundum
illud. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem
5. æternum.* Quintò quia malus Chriſtianus infelix
Quia infelix eſt in tribus. eſt, bona enim fugiunt eum & mala confluunt ad
eum. Infelicitas verò iſta tripliciter poteſt oſtendi.
Primo per hoc quod tantam hæreditatem alienavit
à ſe, quanta eſt regnum cœlorum, & etiam par-
tem ſuam illorum, quæ habet in Eccleſia præſenti,
quando enim erat in bono ſtatu, particeps erat ta-
lium bonorum. *Secundo* in hoc, quod bona quaſi
adnihilantur in manu ſua, eleemoſyna enim vel
jejunium, quod eſſet meritorium regni æterni, in
manu ejus quaſi nihil valet, juxta illud 1. Corinth.
13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes faculta-
tes meas*, &c. Quod eſſet aurum in manu alterius,
plumbum eſt in manu ejus. *Tertio* quia quod alii
eſſet bonum, ei eſt malum, ut corpus Chriſti,
6. quod alii eſſet ſalus, ei eſt mors. Sextò quia fides
Quia ipſius Fides. illius mortua eſt juxta illud Jac. 2. *Sicut corpus ſine
ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua
1. eſt.* Unde Chriſtianus malus tale ſervitium facit
Mortua eſt. Deo quando fidem mortuam ei offert, quale faceret
ſi offerret ei cadaver fœtidum. Unde Bernar. Quid
fides, quæ non operatur ex dilectione, niſi cada-
ver exanime. Bene honoras Deum munere fœti-
do, bene placas Deum tuæ fidei interfector. Et
ſicut fides Chriſtiani talis mortua eſt, ſic & ipſe
Chriſtianus mortuus eſt, non morte ſanctorum,
quæ precioſa eſt, ſed morte peccatorum, quæ peſ-
Pſal. 115. Pſal. 33. ſima eſt. *Præterea* fides talis credulitate dæmonum
2. infidelior invenitur, cum illa dæmones contre-
Peior eſt fi. de Dæmonum, cur. miſcere faciat. Fides vero tua tibi timorem non
facit, cum tamen tot & tanta tormenta oſtendat
tibi eſſe parata Jacob. 2. *Tu credis quod unus eſt
Deus, bene facis. Et dæmones credunt & contremi-
3. ſcunt.* Immo nec fides mali Chriſtiani videtur eſſe
Non eſt fides. fides. Sicut enim ille qui crederet aliquod po-
mum totum venenatum, nullo modo illud come-
deret: ſic videtur quod ſi malus Chriſtianus ve-
re crederet delectationem peccati venenatã eſſe, &
ex ea ſequi mortem æternam, nullo pretio utere-
tur ea. Unde 1. Joan. 3. *Qui dicit ſe Deum noſſe,
& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Et Ber-
nardus. Putas-ne filium Dei, reputat Jeſum, quiſ-
quis ille eſt homo qui ipſius nec terretur commina-
tionibus, nec allicitur promiſſionibus, qui præceptis
4. non obtemperat, nec conſiliis adquieſcit? *Item*
Eſt ad cumulum dãnationis. quia fides mali Chriſtiani ad cumulum damnatio-
nis ejus eſt, magis enim peccat Chriſtianus forni-
cando vel aliud peccatũ committendo, quam Sar-
racenus committendo ſimile peccatum, qui neſcit
lege ſcripturæ hoc eſſe prohibitum Bern. Ad cumu-
mulum damnationis relicta nobis videtur fides fu-
5. turæ promiſſionis. *Item* fides mali Chriſtiani ſignũ
Eſt ſignum perſecutionis. eſt perſecutionis. In judicio enim fides oſtendet
ex una parte eum fuiſſe Chriſtianum, ex alia verò
parte opera mala oſtendent eum Chriſti fuiſſe ini-
micum. Fides oſtendit quod fidelitatem Chriſto de-
6. buit, & per conſequens, quod proditor fuit. *Item*
Litera dãnationis. fides mali Chriſtiani eſt velut quædam litera ſuæ
dãnationis; erit enim ſcriptum literis fidei in corde
ſuo in die judicii, quod qui fornicationem & ſimi-
lia faciunt, regnum Dei non poſſidebunt. Ex alia
parte in libro conſcientiæ invenietur ſcriptum
ſcriptura facta propria manu, quod ipſe talia fecit.
Quædam enim notæ & ſignacula ex malis operibus
relinquuntur in corde hominis, ſecundum Orige-
nem quæ in die judicii revelabuntur. Unde tangit
Gloſſa ſuper illud Rom. 2. *Cogitationum accuſantiũ
aut defendentium.* Unde conſequens erit ut Deus
à regno ſuo talem excludat.

Quod autem valdè magnum ſit bonum eſſe Chri- IV.
ſtianum, multipliciter poteſt oſtendi *Primo* per Quã magnum ſit eſſe
hoc quod talis eſt ſervus illius regis, cui ſervire bonum
regnare eſt. Vulgariter dicitur de ſerviente regis Chriſtianũ
terreni, quod par eſt comiti. Sed de ſervientibus patet.
regis cœleſtis verum eſt, quod ipſi ſunt ſuper reges 1.
terrenos. Et talis cum ſit ſervus Deo fidelis, valde
charus eſt ei, juxta illud Eccleſiaſt. 33. *Si eſt tibi
ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* quam charos
habeat Chriſtus ſervientes ſuos apparet in cruce,
quam tantum honoravit, quia ſibi ſervivit, licet du-
rum fuerit ſervitium ejus Auguſt. Crux de pœnis
latronum tranſivit ad frontes imperatorum. Quid
faciet Deus fidelibus ſuis, ſi tantum honorem con-
tulit pœnis ſuis? *Item* bonus Chriſtianus eſt filius 2.
Dei, hæres Dei & cohæres Chriſti, ipſe enim quaſi Rom. 8.
omni genere attinentiæ attinet Chriſto, juxta illud
Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris
mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Ipſe etiã 3.
eſt habitaculum ſpiritus ſancti, ſicut figuratum eſt.
Luc. 3. quando ſuper dominum deſcendit in ſpecie
columbæ, ad oſtendendum quod ſpiritus ſanctus in
baptizatis habitat. Ubi etiam cælum apertum eſt, &
vox patris audita eſt, hic eſt filius meus dilectus,
ut oſtenderet illos qui baptizati ſunt eſſe filios Dei,
& eis cœlum eſſe apertum. Immo ipſi ſunt cœlum, in
quo habitare Deo valde eſt delectabile, juxta il-
lud Proverb. 8 *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.*
Bern. Non eſt mirum ſi hoc cœlum inhabitat liben-
ter dominus Jeſus, quod utique non quomodo ce-
teris dixit tantum ut fieret, ſed pugnavit ut adqui-
reret, occubuit ut redimeret. Et ut brevius dicam,
bonus Chriſtianus beatus eſt, quidquid ſibi adver-
ſitatis acciderit, etiam cum moritur, juxta illud A- Felicitas
poc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* boni Chri-
Felicitas boni Chriſtiani ex *tribus* poteſt perpendi. ſtiani ex tri-
Primo ex hoc quod quaſi omnia bona confluunt ad bus cognoſcitur.
eum, particeps eſt enim omnium bonorum timen- Pſal. 118.
tium Deum. *Secundo* ex hoc quod quaſi bona creſ-
cunt in manibus ejus, illud enim quod in manu
alicujus mali Chriſtiani eſſet, quaſi nullius meri-
ti, in manu ipſius, eſt meritorium regni æterni;
Tertio ex hoc quod mala ei ſunt bona, ipſe enim
nihil habet malum juxta illud Eccleſiaſtæ 8. *Qui
cuſtodit preceptum non experietur quicquam mali*
Ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum.* Quod aliis eſſet vene-
num, eſt ei remedium. Talis etiam benedictus eſt
quaſi infinitis benedictionibus. Unde Deut. 28.
Venient ſuper te omnes benedictiones iſtæ & appre- Chriſtianus
hendent te, ſi tamen precepta ejus audieris. Benedi- ſervans Le-
ctus tu in civitate, &c. & paulo poſt: *Emittet Do-* gem eſt be-
minus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper om- nedictus &
nia opera manuum tuarum. In introductione *etiam* felix quadrupliciter.
novæ legis quaſi ad ſingula verba dat dominus be-
nedictionem obſervantibus novam legem Matth. 5.
ubi ſic dicit. *Beati pauperes ſpiritu*, &c. In die *etiam*
judicij benedictos vocabit tales Matth. 25. *Venite* 2.
benedicti patris mei. Item hic videntur eſſe felices
& benedicti juxta illud. 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra
ſunt, vos autem Chriſti.* Quia videlicet ſuperiora
eorum ſunt ad fruendum, ut Deus, trinitas. Æqualia
etiam ſunt eorum, ut angeli ad convivendum. Im-
mo eorum videntur eſſe ad ſerviendum, juxta illud 3.
Hebr. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus,
in miniſteriũ miſſi propter eos qui hæreditatem ca-
pient ſalutis?* Hieron. Credenti totus Mundus divi-
tiarũ eſt, infidelis verò obolo indiget. quod Bern.
exponit

exponit dicens. Totus plane, quia tam proſpera quam adverſa ipſius, æque omnia ſerviunt ei, & cooperantur in bonum.

DE EADEM DOMINICA SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Comparatur hoc ſermone vivens & mortuus corporaliter ad viventem ac mortuum ſpiritualiter.

SERMO LXXVIII.

Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, &c. *1. Corinth. 12.*

Sicut ſpiritus ad vitam corporis, ita Spiritus S. ad vitã animæ ſe habet.

SIcut aliquid eſt in corpore humano dum vivit, in quo perpenditur quòd adhuc ibi ſpiritus eſt, ſic ſemper aliquod ſignum eſt in illis in quibus eſt Spiritus ſanctus, quo perpenditur præſentia Spiritus ſancti. Et ſicut quando aliquis laborat in extremis, diligenter inſpicitur utrum adhuc in eo ſit ſpiritus, & ſi ſignum apparet quod adhuc ſit, non deſeritur homo. Cum verò apparet quod receſſerit, non placet hominibus diu cohabitare ei qui defunctus eſt, etiam ſi pater eorum fuerit, ſed ſit luctus pro eo, & ſepelitur, & Domino commendatur, qui ſolùm poteſt mortuos ſuſcitare. Et ita eſt ſi homo perpendat præſentiam Spiritus ſancti in aliquo, & licet infirmus ſit, tamen non eſt deſerendus. Si verò nulla ſigna perpendantur de præſentia Spiritus ſancti, non multum amanda eſt ejus ſocietas.

Sicut in corpore tria ſunt ſigna ſpiritus, ita in anima S. Spiritus.

Tria verò ſunt ſigna præſentiæ Spiritus ſancti in aliquo. *Primum* eſt ſenſus ſpiritualis. Sicut conſtat corpus humanũ dum ſentitur adhuc vivere, ſic homo qui habet ſenſum doloris tam de his quæ amiſit, quam de his quæ commiſit, veriſimile eſt quod Spiritum ſanctum habeat, ad minus quo ad aliquem effectum Spiritus ſancti. Econtrario verò inſenſibilitas eſt ſignum abſentiæ Spiritus ſancti. Bern. Scio membrum longiùs à ſalute abſiſtere quod obſtupuit, & ægrum ſe ſe non ſentientem periculoſiùs laborare. Et Prov. 23. dicitur de illo qui ebrius eſt amore mundi, *Verberaverunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.*

2. *Secundum* ſignum eſt motus alicujus membri. Cùm videtur de aliquo quòd ipſe manum vel pedem trahit ad ſe, retrahendo ſe ab aliquo peccato, quod ſolet facere movendo manum ad dandum eleemoſynas, vel ad faciendum aliquod bonum opus, veriſimile eſt quòd Spiritus ſanctus in iſto jam incipiat operari.

3. *Tertium* ſignum eſt Spiritus attractio. Cùm aliquis gratiam Spiritûs ſancti attrahit orando contra ardorem peccati, ſignum eſt quòd Spiritus ſanctus aliquo modo in eo eſt. Et talis in quo iſta tria ſigna inveniuntur, deſerendus non eſt, ſed tanquam infirmus juvandus, cum de convaleſcentia ejus ſpes haberi poſſit.

Qui hæc ſigna nõ habet deſerendus eſt.

Ille verò in quo talia ſigna nulla apparent, quòd ſcilicet de nullo malo commiſſo, nec de aliquo bono amiſſo dolet, cum tamen regnum cœlorum amiſerit qui nec vult ſe retrahere à malo, nec movet manus ſuas ad bonum, nec auxilium Dei ad iſta poſtulat, cavendus eſt omnino, nec eſt tutum habitare cum eo, præcipuè quando facto ſuo cœperit corrumpere cohabitantes. In quo caſu, ſi etiam pater proprius ſit, non eſt amanda ejus ſocietas.

Cum duobus generibus hominum libenter converſandum eſt.

Cum duobus verò generibus hominum debet homo libenter habitare, ſcilicet cum valde bonis, à quibus poteſt homo meliorari, & cum his, de quibus per aliqua ſigna videtur, quòd debeant per eum meliorari. Senec. Cum illis libenter converſâre, qui te meliorem facturi ſunt: illos etiam admitte, quos tu meliores potes facere.

Sicut pro mortuo corporaliter, ita pro non habente ſigna S. Spiritus, adeoque ſpiritualiter mortuo.

Pro eo verò, de quo conſtat quòd ſit ſpiritualiter mortuus, in quo etiam nullo modo ſigna Spiritus ſancti apparent, conſequens eſt ut fiat luctus tanquam pro mortuo vel etiam longè ampliùs quam pro mortuo corporaliter. Unde Eccleſiaſtici 22. *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus, & ſupra fatuum plora, deficit enim ſenſus: Modicum plora ſupra mortuum, quia requievit,* & paulò poſt: *luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* — 1. Lugendum.

Aug. Sunt-ne in te viſcera Chriſtianæ cõpaſſionis, qui plãgis corpus à quo receſſit anima, & non plangis animam à qua receſſit Deus? *Item* ſepeliẽdus eſt talis ne fœtore ejus homines corrumpantur. In quo apparet impietas detractorum, qui tales ſepelire non timent, publicando peccata eorum, quod eſt ſeptimum genus peccati impietatis, ſicut ſeptimum genus pietatis eſt ſepelire mortuos de quo Tob. 2. — 2. Sepeliẽdus. Detractorũ impietas.

Item orationibus Deo commendandus eſt talis, qui ſolus poteſt reſſuſcitare mortuos à morte peccati. — 3. Pro eo orãdum.

Eccleſiaſt. 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit,* ideſt, attende quæ opera Dei ſunt, ideſt, ſoli poteſtati & virtuti divinæ poſſibilia, & invenies hoc inter illa, corruptionem, ſcilicet impiorum. Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Unde & 44 *Ego dominus faciens omnia* Et 45. *Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam.* Et notandũ quod peccator mortuus vocatur. Unde Lucæ 15. Mortuus eſt filius meus & revixit: quod dicitur de filio prodigo, qui tenet figuram peccatoris. & Eccl. 9. *Melior eſt canis vivus leone mortuo.*

Vt corporaliter, ſic ſpiritualiter reputatur aliquid mortuum.

Et ſunt ſex rationes, quare aliquid ſolet mortuum reputari, quæ in peccatore inveniuntur. *Primo* ſolet aliquis mortuus reputari, quia morti propinquus eſt; ſic ſolet dici de illo qui laborat in extremis, de cujus evaſione ſpes nõ habetur, pro mortuo poteſt reputari. — 1.

Idem ſolet dici de illo, qui adjudicatus eſt ſupendio, qui habet oculos velatos & funem in collo. Hoc modo poteſt reputari mortuus, qui in peccato mortali eſt, qui velamen cæcitatis habet ſuper oculos cordis, & ad ſuſpendium infernale ducitur, & jam habet funem in collo. Funis, ſine quo nullus pendet in inferno, eſt peccatum mortale. Mortuus ergo poteſt reputari peccator, quia æternæ morti proximus. Paries corporis videtur eũ ſeparare à morte æterna, quo pariete deſtructo in puncto ad inferna deſcendet.

Secundo ſolet aliquis mortuus reputari, quia vivit in magna miſeria, ita quod vita ſua potiùs dicenda ſit mors quàm vita. — 2.

Jonæ ult. *Tolle quaſo animam meam a me, quia melior eſt mihi mors quam vita.* Sic vita hominum qui ſunt in inferno & dæmonum jam mors dicitur. Sic etiã vita impiorũ, qui ſunt in mundo iſto, quia valde miſera eſt, habens ad modũ vitæ infernalis tenebras ignorantiæ & culpæ, & ignem pravæ conſcientiæ, & vermem remordentis conſcientiæ, mors poteſt dici, & ipſi poſſunt mortui reputari. Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt mors quam vita amara.*

Tertio verò ſolet aliquid mortuum reputari, quia fructum non facit, ſicut dicitur. Jacob. 2. quod fides ſine operibus mortua ſit. — 3.

Ferè enim eſt ac ſi mortuus eſſet, ex quo nullum fructum facit; ſic etiam peccator mortuus dici poteſt. Unde Bernard. Vita ſine fructu gravior eſt quam mors. Mortui ſunt peccatores, & opera quæ ipſi faciunt mortua ſunt. Unde ſimilem materiam habere videntur doloris cum opera ſua conſpiciunt, quam habent mulieres quæ fœtus mortuos emittunt.

Quarto ſolet aliquid mortuum reputari, quando ſeparatum eſt ab aliquo valde ei neceſſario. — 4.

Secundum hunc modum dicitur Eccleſ. 34. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.* Velut occiſus reputatur pauper homo, cui ſuſtentamentum animæ ſuæ ablatum eſſet. Sic corpus etiam dicitur mortuum, à quo anima ſeparata eſt, quæ valde neceſſaria eſt corpori. Sic & peccator mortuus poteſt dici ſine Deo, ſine quo nullius valoris eſt ipſe. Auguſt. Vera eſt mors, quam homines non timent, ſeparatio animæ à Deo, qui eſt vita beata animarum.

Quinto dicitur — 5.

aliquid mortuum propter vilitatem; propter hoc dicit David. 1. Reg. 24. *Quem perſequeris rex Iſrael, quem perſequeris? canem mortuum perſequeris*, & 1. Corinth. 1. *Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret.* Ea quæ non ſunt vocat ea, quæ propter ſui vilitatem eſſe non reputantur. Sic & peccator mortuus nihil dici poteſt, quia quaſi nullius valoris à Deo reputatur. Unde Iſa. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo.* Gentes ibi vocantur, quaſi generaliter viventes, vel qui vivunt ut geniti ſunt. Et in Pſalm. 14. *Ad nihilum deductus*

6. *eſt in conſpectu ejus malignus. Sexto* reputatur aliquid mortuum propter defectum virtutis & defenſionis, ſicut Iſa. 41. dicitur. *Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant adverſum te. Erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi.* Sic peccator mortuus reputari poteſt, cum ſit abſque defenſione & virtute. Cum enim ſtillicidium malarum cogitationum ſtillat ſuper oculum cordis, ipſe non habet tantam virtutem, ut oculum avertat de alio cogitando. Item cum ignis infernalis ſuper pedem voluntatis ceciderit, ignis ſcilicet pravæ concupiſcentiæ non habet tantam virtutem, ut eum excutiat. Ad flatum etiam unius verbi cadit.

DE EADEM.
SERMO TERTIUS.
SUMMARIUM.

Agit hic ſermo contra quinque genera hominum vitioſorum, potiſſimum verò ad virtutem liberalitatis exercendam nos excitat, 12. Motivis.

SERMO LXXIX.

Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, &c. *1. Corinth. 12.*

Explicatio brevis thematis.

MAnifeſtatio Spiritus dicitur gratia per quam patet, quod Spiritus ſanctus ſit in aliquo. Et hoc quod dicitur ad utilitatē ſimpliciter, & non determinatur ad cujus utilitatem, innuitur quod gratia detur ad omnem utilitatem: unde ſenſus eſt verbi propoſiti, *unicuique datur gratia* ad communem utilitatem. Et poteſt intelligi dictum verbum illud contra *quinque* genera hominum, Primo contra quoſdam homines venales, qui nihil gratis vel liberaliter faciunt, ſed in omnibus vendere ſe volunt. Et Nota contra hanc venalitatem valere poſſunt & ea quæ oſtendunt vilitatem hujus peccati venalitatis, & ea quæ liberalitatem commendant. Venalitatem verò iſtam valde ignominioſam eſſe manifeſtum eſt. *Primo* ex hoc, quod vendere ſe meretricum eſt. Poëta.

Thema ſic explicatum valet contra V. vitia.

1. Contra hoc quæ valeāt

Turpiter ingenuum munera corpus emunt.

Secundo ex hoc quod nobilis animus eam naturaliter abhorret, vix enim poſſet ſuſtinere aliquis habens nobilem animam, ut alius eam exhiberet venalem tanquam jumentum. Quomodo ergo ipſe venalem ſeipſum exhiberet, cum creatus ſit homo ut præſit piſcibus maris & volatilibus cœli & beſtiis terræ univerſæque creaturæ. Mirum eſt quomodo non multum dedignatur, quando ſub precio alicujus rei temporalis ponitur, & ſub modico precio? *Præterea* Chriſtianum ſic vendere ſe, videtur injurioſum Deo, qui ideo emit eum valde carè, & ſine dubio tantum emit ut ſolus poſſideret. Auguſtin. Poſtquam intellexi me ſanguine Chriſti redemptum, nolui me exhibere venalem. Bernard. Juſtè ſibi vendicat vitam meam, qui pro me poſuit ſuam. *Maxime* autem vile eſt vendere ſe ipſum diabolo pro lucro terreno. De qua venalitate legitur Eccleſ. 10. *Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet.* Si tantum facinus reputatur vendere fratrem ſuum ad mortem, majus facinus vendere patrem ſuum, quem tenetur homo magis amare; quantum facinus erit vendere ſeipſum? quoniam debet homo magis amare ſe quam patrem & matrem, & præcipuè cum talis venditio ad mortem æternam ſit.

Geneſ 1.

Vendere ſeipſum Diabolo quam ſit magnum ſcelus.

Duodecim verò ſunt quæ deberent homines movere ad hoc quod gratis & liberaliter operentur. *Primum* eſt hoc quod gratis datum eſt illud, unde debet operari, quod innuitur in verbo propoſito, cum dicitur *unicuique datur gratia.* Sicut ergo ſibi datur, ſic debet dare. Unde Matt. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date. Secundum*, ad dandum data eſt, non ad vendendum, unde dator ipſius præcipit eam dari Lucæ 6. dicens: *Omni petenti te, tribue.* Quandò aliquis potens diſpenſatori domus ſuæ tradit bona, ut provideat inde filiis & alii familiæ, ipſe non committit ea ut eis vendat, ſed potiùs ut liberaliter diſtribuat Similiter quando datur potentia alicui membro corporis, non datur ei ut officium ſuum vendat aliis membris, ſed ut liberaliter tribuat.

Gratis & liberaliter operandū, ſeu exercēda Liberalitas ob. 12.

1.

2.

3. *Tertium* eſt hoc quod dominus promittit, quòd danti dabitur. Lucæ 6. *Date & dabitur vobis.* Dominus habet conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum, in quibus plus expendentibus plures redditus dantur. Sic libenter dantibus, Dominus dat libenter. Ideò, verum eſt illud Proverb. 11. *Alii dividunt propria & ditiores fiunt. Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Proverb. 3. *De primitiis frugum tuarum da pauperibus & implebuntur horrea tua ſaturitate, &c.* Conquerebantur in quadam religione quòd multa quondam ſolebant eis dari, & pro tunc nihil eis dabatur. Reſpondit quidam quod duo ſocii intraverant olim religionem illam & accidit quòd unus illorum expulſus fuit inde, & alter poſt eum noluit remanere & ſecutus eſt eum. Iſti ſocii ſunt date & dabitur vobis, quos dominus in Evangelio aſſociavit, vos autem expuliſtis unum ſcilicet date, & alter, ſcilicet dabitur, cum eo receſſit. *Quartum* eſt multiplex effectus liberalitatis. 4.
Quorum *primus* eſt qui offenſas facit remitti. Unde Proverb. 21. *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.* Et poteſt hoc intelligi de indignatione Dei & de indignatione proximi. *Secundus* effectus eſt, quòd auget gratiam. Unde Proverb. 18. *Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes ſpacium ei facit.* Quod ſimiliter fit de gratia apud Deum. Unde vulgariter ſolet dici, facite ei viam, quia exennium portat. Exennium dicitur donum quod uſualiter dicitur præſens. Unde refertur de quodam paupere, qui non poterat acceſſum habere ad comitem illum Campaniæ, qui præ largitate dicebatur palmas habere perforatas, quòd parato exennio de pane avenæ munda vapa cooperto dilatata eſt via ab oſtiariis & exennium comiti præſentavit. Qui interrogatus à comite quare hoc feciſſet, reſpondit quia aliter non intraſſem. *Tertius* effectus eſt, quòd talis liberalitas hominem ducit ad bonum finem. Unde Hieronymus. Non memini me vidiſſe mala morte mortuum, qui liberalem ante duxerit vitam. Et ut breviter dicam, efficaciſſima eſt liberalitas ad id quod optimum eſt in vita iſta, ſcilicet ad amorem: ſine donis enim amor non bene conſervatur, etiam inter matrem & filiam, dando enim & accipiendo mater & filiæ amicæ ſunt, quod vulgariter dicitur, donando qui non amici ſunt, amici efficiuntur. Unde Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum*, &c. Virtus enim iſta liberalitatis etiam erga feras videtur valere, beneficia enim etiam feræ ſentiunt, ut Seneca ait. *Quintum*, quod deberet homines movere ad dandum, eſt, quòd multum homines aſſimilat Deo, qui ex liberalitate fecit quidquid fecit. Fecit enim quaſdam creaturas, ut eis daret, alias ut eas daret. Seneca. Qui dat 5.

Exemplum de Liberalitate.

Liberalitatis fructus ſeu effectus tres.

Exennium quid ſit Exemplum.

beneficia. Deum imitatur, qui repetit, fœnerator eſt. Specialiter verò Deum imitatur qui dat pauperibus. Unde Barlaam Deum maxime imitabatur, qui nihil
6. judicavit quam miſereri precioſius. *Sextum* eſt hoc, quod cum damus, melius vendimus, præcipue ſi propter Deum damus. Quia à Deo plus recipiemus, & multo amplius, quia centuplum & vitam æternam. Et præter hoc ipſum accipientem lucramur, juxta illud Proverb. 22. *Victoriam & honorem adquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium.* Cor enim accipientis quodam-
Geneſ. 47. modo aufert, dum per amorem cor ejus ſuum facit. Sicut dicit Gregor. loquens de Joſeph qui frumenta vendens Ægypto, non argentum quærebat, ſed ipſos ementes ſervos regis faciebat, & ſic fru-
7. menta quæ vendidit, non vendidit. *Septimum* eſt
Exempli. hoc, quod illud quod datur, melius ſervatur, ſi tamen pro Deo datur. Unde quidam, cùm Dominus ejus vellet habere de bonis ejus, & præciperet ei, ut de bonis ſuis ei veritatem diceret, facta computatione ſexcentorum aureorum quos pauperibus erogaverat, reſpondit quòd nihil haberet niſi ſexcentos aureos. Cùm autem à circumſtantibus objiceretur, quòd falſum eſſet, & dicerent illa prædia tantum valent, & illa domus tantum valet, & multa alia: reſpondit ille, illa non ſunt mea, ſed domini mei, quia quando voluerit accipiet tanquam ſua, ſed iſtud pro Deo dedi & per manus pauperum
8. in ſalva cuſtodia poſui, ita quod nullus poteſt illud auferre. *Octavum* eſt quod illud quod daturus es, in dando quodammodo melioratur, juxta verbum Senecæ. Iſtud quod ſuſcipis, quamdiu poſſides, ſub nomine ſordido latet. Dum habes, ſervus eſt,
Donum vocatur in ſcriptura benedictio ob tria. cum donaſti beneficium eſt. Spiritus etiam ſanctus in ſacra ſcriptura vocat donum benedictionem. Unde Judicum. 1. dixit Axa patri, *da mihi benedictionem.* Et vocatur donum benedictio *triplici* ratione. I. Et quod recipiens danti benedicit juxta illud Job. 29. *Benedictio perituri ſuper me veniebat.* II. Et quia ille qui dat benedictionem accipit à domino, juxta illud. Matth. 25. *Venite benedicti patris mei poſſidete paratum vobis regnum.* III. Et quia populus tales dat benedictiones. Unde Eccl. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* & Proverb. 26. *Qui pronus eſt ad miſericordiam benedice-*
9. Omnia hortantur nos ad liberalitatem. Deus 6. modis hanc ſuadet. *tur.* *Nonum* eſt hoc quod omnia ſuadent nobis liberalitatem. *Primò* ſuadet nobis Deus & verbo & exemplo. Verbo ſuadet Lucæ 6. *Omni petenti te, tribue.* Exemplo verò, quia liberaliſſimus eſt. Magna enim liberalitas ejus perpendi poteſt ex multitudine donorum ipſius. Univerſa enim bona, ſunt dona ipſius. *Secundo* ex ejus magnitudine, de qua Auguſt. Magna miſericordia Dei, donum dat æquale ſibi, nam Spiritus ſanctus donum eſt. *Tertio* ex multitudine eorum quibus donat, dat enim non ſolum bonis, ſed etiam malis, nec ſolum amicis; ſed etiam inimicis. Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* *Quarto* in hoc, quod non ſolum dat ſua, ſed etiam ſe ipſum dedit Deus ad redemptionem mundi. Dat etiam ſe ipſum ad remunerationem poſt præſentem vitam. *Quinto* in hoc, quod quærit peccatores cum divites hujus mundi abſcondant ſe
10. ab eis. Auguſt. loquens de illo verbo *petite & accipietis.* Non tantum hortaretur ut peteremus, niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere; plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari. *Sexto* quod non ſolum dat per ſe, ſed etiam per ea quæ ipſe creavit. Cuncta
Natura ſeu creaturæ qui eam ſuadeant. enim non ceſſant dare ex parte ejus, dum utilitatem aliquam habeant. Monet etiam nos ad dandum ipſa natura, quæ non patitur aliquid vacuum. Monet nos etiam ſol, qui lucem ſuam non ceſſat largiri omnibus, niſi medium ſit aliquid, quo impediatur. Similiter ignis calorem ſuum, & ſic de cæteris creaturis. Et hoc videtur eſſe certamen inter creaturas, quod rebus ſibi proximis volunt dare ſpecies. *Decimum* eſt hoc quod ſignum eſt magnæ nobilitatis liberalem eſſe. Unde Ariſtot. dicit de leone, 11.
qui eſt rex animalium, quod eſt animal communicativum. Sol etiam & alia corpora nobiliora magis liberalia eſſe videntur, latiùs diffundendo effectus ſuos. Actuum 20. *Beatius eſt dare quam accipere.* *Undecimum* eſt hoc quod valde curiale eſt dare & 12.
valde glorioſum. De curialitate patet exemplum de magiſtro illo, de quo habetur in tractatu de ſuperbia in cap. de nobilitate. De hac verò gloria habetur in Tobia verſificato.

Sunt dare lætitiæ vox verbum nobile verbum.
Melliſluum, dantis gloria, dantis honor.

Duodecimum eſt hoc quod lex naturalis ſcripta in 13.
corde hominis monet ad hoc. Cum enim ibi ſcriptum ſit, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris; & cum valde acceptum ſit homini ut ſibi detur id quo indiget, ſecundum legem naturalem ipſe debet libenter dare alii, cum videt eum indigere. Et Notandum quod *quinque* modis contingit aliquem liberaliter agere. Liberaliter agitur 5. modis. *Primo* modo liberaliter agunt qui de gratia ſibi data cæteris membris Eccleſiæ ſerviunt, non pro aliquo pretio terreno, ſicut faciunt religioſi, qui ſibi invicem gratis ſerviunt. *Secundo* modo liberales ſunt, qui pretium inde accipiunt, ſed pro Deo & in fraterna Charitate minus quam poſſunt, hoc eſt ſatis rationabile, ut in omni officio aliquid fiat pro Deo, à quo homo habet gratiam ſic operandi. Liberaliùs etiam ſe debet homo habere ad fratrem ſuum Chriſtianum, quam ad Judæum vel Saracenum. *Tertio* liberales ſunt, qui divitibus pro pretio operantur, pauperibus verò gratis. *Quarto* qui ex pretio quod recipiunt partem pauperibus dare proponunt. *Quinto* qui ſaltem opus quod agunt ad Deum referunt, ſicut illi qui ſuo labore corpus intendunt frangere, ut Deo obediant, vel furtum, vel rapinam, vel ſimilia evitare.

Secundò poteſt intelligi verbum illud dictum contra quoſdam glorianteſ de gratia quam habent, deſpicientes eos qui non habent. Et tanguntur in verbo propoſito *duo* repreſſiva hujus gloriationis. II. Hoc vitium reprimitur duobus modis. *Primum* eſt quod dicitur Dei gratia data eſſe à Deo. Sicut enim ille cui eleemoſyna datur miſericorditer, non debet de hoc ab aliquo gloriari, gloria enim illa potius dantis eſt; ſic non debet homo gloriari de gratia ſibi data. Unde 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Bern. Fruſtra inflaris contra publicanum, qui non habet quod tu, eo quòd non accepit ut tu. Sicut ramus arboris quanto magis oneratur fructu, tanto magis demittit ſe. Item ſicut ille qui habet plura à domino aliquo, magis ſubjectus eſt ei: ſic ſubjectior debet eſſe & humilior, cui Deus plura dona contulit. Fatuum eſt aliquem gloriari de hoc, quod aliis magis ſit oneratus. *Aliud* repreſſivum eſt hoc, quod gratia Dei dicitur, data ad communem utilitatem. Gratia enim quæ datur alicui, quandoque eſt ei occaſio damnationis æternæ. Unde non habet eam ad propriam utilitatem, ſed ad communem. Sicut candela habet ignem ad ſui conſumptionem & ad hominum illuminationem. Qui ergo plures gratias habet, non debet eſſe elatus, ſed cæteris magis timoratus.

III. Tertio poteſt intelligi prædictum verbum contra homines otioſos, qui gratiam ſibi datam à Deo inutiliter habent. Tria patitur hoc vitium. De quibus *notandum* quod ipſi ſunt in magno periculo & in magna afflictione & in magna utilitate. *Periculum* oſtendit Bernard. dicens. Omnium tentationum & malarum cogitatio-

num & inutilium ſentina eſt ocium. *Afflictio* verò patet ex hoc verbo Proverb. 21. *Deſideria occidunt pigrum. Noluerunt manus ejus quicquam operari. Tota die concupiſcit & deſiderat.* Deſideria dicuntur occidere pigrum, quia vita ejus eſt quaſi mors, quia piger in magna afflictione eſt. *Vilitas* verò ocioſi patet ex hoc. quod ipſe videtur inferior brutis, cum illis licitum ſit vivere vel comedere, ipſe verò indignus ſit pane juxta illud 2. Theſſal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Immò minus videtur valere quàm homo mortuus juxta illud Bern. Vita ſine fructu gravior quam mors eſt.

IV. Quarto poteſt intelligi dictum illud verbum contra quoſdam qui gratiam ſibi datam ad propriam utilitatem ſolum volunt habere, qui quodammodo ſeipſos excommunicant, dum extra communitatem ſe ponunt. Contra quos dicit. Seneca. Non poteſt quiſquam beatè vivere, qui ſe intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit. Alteri vivas oportet, ſi tibi vis vivere. Tullius. Fundamentum juſtitiæ eſt, ne cui noceas, deinde communi utilitati ſtudeas. Quanto aliquis in Eccleſia communius vivit, tanto melius vivit. Sancta vita clauſtralium melior eſt quam vita ſæcularium, quia perfectior eſt & communior.

V. Crudeles in pauperes quàm mali ſint.

V. Quinto poteſt intelligi hoc dictum contra eos, qui gratia ſibi data utuntur in nocumentum aliorum, ut patet in advocatis malis & tyrannis hujus ſæculi. Tales ſic ſe habent inter homines ſicut lupi & ſerpentes inter animalia. Tales etiam in arundine accepta de manu domini caput ejus percutiunt, dum poteſtate ab eo accepta eum in pauperibus opprimunt. Tales valdè ingrati ſunt Deo, quia impugnant eum bonis ſuis & reddunt mala pro bonis, ex quo accidit eis duplex malum. *Primum* eſt quod fons pietatis divinæ exſiccabitur eis, juxta illud Bern. Ingratitudo eſt fons urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. *Secundum* eſt abundantia malorum, juxta illud. Proverb. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.*

Tales patiuntur duplex malū.

DOMINICA XI. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Sermo ſequens docet ad quæ bona ſpiritualia meditatio paſſionis ac mortis Domini conducat.

Tradidi vobis in primis quod & accepi. quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris. 1. *Corinth.* 15.

SERMO LXXX. Thematis explicatio.

HOc dicit Apoſtolus Corinthiis, quibus prædicaverat, ſed poſt ſeducti fuerunt à falſis Apoſtolis: Repetit autem eis quod priùs eos docuerat, dicens. *In primis*, id eſt, inter maxima quæ accepi à Spiritu ſancto, non finxi ſcilicet (*quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris.*) Et exemplo Apoſtoli idem debemus fidelibus tradere, tanquam unum de primis documentis & maximis Chriſtianæ religionis. Ideò inter prima documenta illud debet eſſe, quia multum valet ad hoc, quòd aliquis declinet à malo, quod eſt prima pars juſtitiæ. Hoc autem ſic poteſt manifeſtari, quòd maximè poteſt valere ad hoc, quòd aliquis doleat de malo quod fecit, vel quòd caveat ne de cætero illud faciat, magnitudo mali quam ſcit inde provenire. Malum autem quod ex peccato venit mors eſt, quæ videtur eſſe maximum malum Gen. 2. *In quacunque die comederis, morte morieris.* Ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Et in Ezech 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Mors verò quæ ſequela eſt peccati, *triplex* eſt, ſcilicet amara vita hujus exilii. Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt mors quam vita amara.* De qua ſpecialiter poteſt intelligi illud. *In quacunque die* &c. *Secunda* eſt mors temporalis. *Tertia* eſt mors æterna. Habet autem illud malum longitudinem, latitudinem, profundum & altitudinem. Longitudo attenditur in hoc, quòd non ſolum filii Adam mortui ſunt pro peccato iſto, ſed & filii filiorum, & hoc extendetur uſque ad ultimam generationem. Latitudo verò attenditur in hoc, quòd non ſolum in terra una propter illud peccatum moriuntur homines, ſed & per univerſum orbem. Profunditas verò in hoc, quòd mors iſta extenditur uſque ad parvulos in utero materno. Altitudo verò in hoc, quòd mors iſta pervenit uſque ad altiſſimum, ſcilicet uſque ad filium Dei. Filius enim Dei mortuus eſt pro peccato illo. Doleret aliquis ſi feciſſet aliquid pro quo aliquis garcio mortuus eſſet, Quomodo ergo non timet facere peccatum, pro quo Deus mortuus eſt? Dicitur quòd Adam, mortuo Abel filio ſuo, cum agnoſceret mortem illam pro peccato ſuo accidiſſe, flevit centum annis: veriſimile eſt quòd multo magis fleviſſet, ſi agnoviſſet filium Dei moriturum pro peccato ſuo. Patet ergo quòd hoc, Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris, eſt de primis documentis religionis Chriſtianæ, cum multum valeat ad declinandum à malo, quod eſt prima pars juſtitiæ.

I. Meditatio mortis, maximé Chriſti, ex peccatis ortæ valet ad dolorem & cautelam peccati.

Mors triplex eſt.

Habet 4. dimenſiones quomodo.

Adam mortem Abelis quamdiu fleverit.

Eſt etiam de maximis documentis; valet enim quaſi ad omnia. Unde 1. ad Corinth. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum-Chriſtum, & hunc crucifixum.* Bernard. Mea ſumma Philoſophia eſt me Jeſum-Chriſtum ſcire, & hunc Crucifixum. Idem. Paſſio tua domine ultimum refugium, ſingulare remedium deficiente ſapientiâ, non ſufficiente juſtitiâ ſanctitatis, ſuccumbentibus ventis illa ſuccurrit. Paſſio Chriſti eſt refugium contra mala pœnæ, quod ſignatum eſt Exod. 15. in ligno quod oſtendit dominus Moyſi, quo miſſo in aquas Marath, quæ prius erant amaræ, in dulcedinem verſæ ſunt. Sic lignum crucis aquas tribulationis dulcorat. Gregor. Si paſſio domini ad memoriam revocetur, nihil adeò durum, quod non æquo animo toleretur. Idem. Devotus miles non ſentiet ſua, dum benigni ducis vulnera intuetur. Idem. Videntes anguſtias domini noſtri, leviùs portabimus noſtras. Paſſio etiam domini refugium eſt contra mala culpæ. Diabolus enim crucem, in qua eſt devictus timet, ſicut latro timet furcas, & ſicut canis aqua calida exuſtus, timet aquam calidam. Bernard. Bona & deſiderabilis eſt umbra ſub alis Jeſu, ubi tutum fugientibus refugium, gratum feſſis refrigerium. Ideò dicitur Cantic. 1 *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Chriſtus in cruce fuit petra, quia patientiſſimus. Foramina ergo petræ ſunt vulnera Chriſti. Bern. Ubi tuta firmaque requies niſi in vulneribus Chriſti. In foraminibus petræ tanto ſecurior habitatio, quanto ille potentior eſt ad ſalvandum. Paſſio etiam domini retinaculum eſt contra fluxibilitatem bonorum temporalium. Auguſt. Si fluxus rerum temporalium trahit te in præcipitium, tene te ad lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Lignum illud eſt lignum crucis.

II. Meditatio Paſſionis Domini utpote maxima ſcientia valet ad omnia.

Contra mala pœnæ ſeu tribulationes.

Contra mala culpæ.

Contra fluxum temporalium.

Valet etiam paſſio domini ad omnia bona gratiæ, ſingulæ enim virtutes reficiuntur ibi. Thren. 4. *Chriſtus dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus in umbra tua vivemus in gentibus.* Chriſtus dicitur unctus vel dulcis, in umbra ejus, id eſt, ad dulce exemplar vivere debemus. Si *fides* tua hæſitat, nihil magis valet ad ejus confirmationem, quam hoc, quod Chriſtus morte ſua confirmare voluit hoc, quod tu credis. Nullus enim ſani capitis auderet mendacium confirmare morte propria. Si *ſpes* tua diffidit, in cruce *petra tibi fundit rivos olei* Job. 29. Oſtendit enim abundantem Dei miſericordiam, cui ſpes innititur. Bernardus. Ego fidens, quod

III. Meditatio paſſionis & mortis Chriſti valet ad omnes virtutes

Ad Fidem.

Ad Spem.

ex

ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus domini, quoniam miſericordia affluit. Nec deſunt foramina per quæ effluunt, meum proinde meritum eſt miſeratio domini. Non planè ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum inops non fuerit. Idem patet ſecretum cordis & foramen corporis, patet magnum pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Aug. Dubitas quod velit tibi dare bona ſua, qui dignatus eſt ſuſcipere mala tua? Si *charitas* tua refriguit, maximus ignis ſpiritualis immittitur ibi cordi tuo. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Joan. 15. Bern. Super omnia reddit, ut ſupra. Quare amat aliquis matrem ſuam quia multa paſſa eſt pro eo, ideò multum dolet ſi verbo etiam offenderit eam: ſed longè majora paſſus eſt Chriſtus pro eo. Multum igitur dolere debeo de ejus offenſa. Si fatigata eſt charitas tua tribulationibus & laboribus, conſidera Chriſtum tot & tanta patientem pro te & pro aliis peccatoribus adhuc paratum amplecti eos. *Prudentia* commendatur tibi in hoc, quòd Chriſtus quaſi oblitus corporis ſui, ſpiritum ſuum, quem chariorem habet, patri ſuo commendat, dicens: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Vade & tu fac ſimiliter. In tribulatione *juſtitia* commendatur in hoc, quod pater filio non parcit. Bern. Qui non parcit filio ſuo, nunquid parcet figmento? nunquid parcet ſervo nequam. Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* *Manſuetudinem* in hoc nobis commendat, quòd non litigat cum perſecutoribus, ſed quòd ad patrem ſuum ſe convertens quærit cauſam quare tribulationibus eum exponat: innuens duo quæ cohibere deberent fidelem à murmure in tribulatione, ſcilicet hoc, quòd tribulatio datur à patre miſericordiarum, qui non daret filiis niſi bonum. Luc. 11. Et Joan. 18. dixit Jeſus Petro. *Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Et intentio dantis tribulationem. Gregorius. Ille ſolus de flagellis murmurat, qui animum percuſſoris ignorat: Pedum clavifixio, tibi *ſtabilitatem* commendat mentis. Clavifixio manuum ſtabilitatem in opere, ne ſcilicet deſiſtas ab opere inchoato, donec perfeceris. Quia inclinato capite emiſit ſpiritum, monet ad humilem *obedientiam* Bernard. Memento:e fratres, ne Chriſtus perderet obedientiam, perdidit vitam. Super omnia verò commendatur ibi *pietas*, & ſpecialiter pietas animarum. Salutem enim animarum ſuper omnia ſitiebat. Alabaſtrum dominici corporis in cruce fractum, unguentum pietatis abundantiſſimè effudit, ita ut odorem ejus cælum & terra & infernus ſenſerit. Ibi pietas eum diviſit quaſi in duo fruſta, animam mittens illis qui erant in lymbo, corpore remanente in mundo. Ubi plus dedit latroni, quam auſus fuerat petere. Dicebat enim latro: Luc. 23. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cui Dominus ait: *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Auguſtinus. Conſiderabat facinora ſua, & pro magno habebat ſi ei in fine parceretur. Miſericordia attulit, vel obtulit, quod miſeria diſtulit.

Ad Charitatem. Ad Prudentiam. Ad Juſtitiam. Ad Manſuetudiné. Ob duo tribulatio patienter eſt toleranda. Ad ſtabilitatem. Ab Obedientiam. Ad pietatē ſcilicet animarum.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Tradit 1. hic ſermo quam neceſſaria ſit homini Gratia Dei in hac vita 2. modos 7. cavendos enumerat quibus aliquis ſe indignè vel indebite habet ad eam.

SERMO LXXXI.

Gratia Dei ſum id quod ſum. *1. ad Corinth. 15.*

Gratia neceſſaria eſt

NOta gratiam Dei in præſenti ſummè neceſſariam eſſe homini: ſine ea enim nihil I. poteſt, nihil II. habet, nihil III. valet. Ad *primum* Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Non reputatur aliquid, niſi quod eſt bonum meritorium. Unde ſenſus eſt, ſine gratia mea nihil meritorium poteſtis facere. Ad *ſecundum* 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habeam, nihil ſum.* Nihil, inquam, in valore. Ad *tertium* Seneca. Nihil eſt homini bonum ſine ſe bono. Ex quo aliquis malus eſt domino ſuo, ſcilicet Deo, juſto Dei judicio ea quæ ipſe poſſidet mala ſunt ei. Cùm igitur gratia adeò ſit neceſſaria homini, valdè amanda eſt ab eo, & multùm ſtudere debet ne ad eam ſic ſe habeat, quod ex culpa ſua eam amittat.

homini ob tria.

Et Notandum quòd *ſeptem* modis ſe habet, aliquis indignè vel indebito modo ad gratiam Dei. *Primo* cùm ad eam in neceſſitate non recurrit, ut accidit in eo qui videt ſe peccatis inquinatum, & Deo & angelis abominabilem factum juxta illud. Pſal. 13. *Et abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Et tamen ad aquam gratiæ, ſine qua mundari non poteſt, non recurrit. Item videt ſe igne infernali ſuccenſum, igne ſcilicet concupiſcentiarum, & tamen pro aqua gratiæ, quâ ignis ille extinguatur, non clamat. Ex negligentia magna videtur eſſe defectus gratiæ in tempore gratiæ, cùm habeant proximos varios fontes gratiarum, ſcilicet ſacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* Aug. Nunc tempus auxilii, nunc tempus donorum. Qui tempore gratiæ à gratia aridi ſunt, ſimiles ſunt eis, *qui calcatis torcularibus ſitiunt* Job 14. *Secundo* indebito modo ſe habent ad gratiam, qui ei pulſanti non aperiunt. Habent cor clauſum gratiæ Dei & Deo quod idem eſt Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam*, &c. Magna miſericordia Dei eſt, qui ita diu pulſat ad oſtium, & magna ruſticitas peccatoris, qui aperire non vult ei. Greg. Debemus miſericordiam Dei erubeſcere, ſi juſtitiam ejus nolumus formidare; qui tanto ampliori improbitate contemnitur, quanto contemptus vocare non dedignatur. Gratia Dei ſe habet ut radius ſolis, aperi ei feneſtram cordis & intrabit. Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* 1. Petri 1. *Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam in revelationem Jeſu Chriſti.* Sed ſunt quidam qui eam à ſe repellunt vel tumore, vel torpore cordis, vel quaſi objecta ſpurcitia manuum ſuarum, id eſt, operum. Jacobi 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Qui gratiam Dei recipere nolunt, videntur peccare in Spiritum ſanctum, ingrati bonitati Dei quam contemnunt. *Tertio* indebito modo habent ſe ad gratiam; qui eam extinguunt. 1. ad Theſſal. 5. *Spiritum nolite extinguere*, vel, *gratiam nolite celare*, alia littera. Secundum Gloſſam. Spiritum extinguit, qui donum abſcondit ſpiritus, ſcilicet propter quod merito illud perdit, quod accidit ei qui negligit ex gratia ſibi data proficere. 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt.* Gratiæ ſpecialiter convenit illud. Proverb. ult. *Panem otioſa non comedit.* Panis quo gratia ſuſtentatur eſt opus, quod exit ab ea. Unde ſi ceſſat operari, ceſſat ſumere cibum ſuum, unde deficit. Iſa. 4. dicunt mulieres *panem noſtrum comedemus.* Gratiæ etiam convenit illud Gen. 30. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* *Quarto* indebito modo ſe habet ad gratiam, qui datorem gratiæ contriſtat, Spiritum ſanctum à ſe per peccatum expellendo, & ſpiritum malignum inducendo, quod non eſt ſine magna contumelia Dei. Ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo*

Aliquis indebito modo ſe habet ad gratiam, 1. Quid ad eā in neceſſitate non recurrit. Gratia tēpore gratiæ non negligenda. 2. Qui ei pulſanti non aperit. Cur aliqui eam repellant. Tales peccant in ſpiritum ſanctum. 3. Qui eam extinguit. Spiritum qui extinguant aut perdant gratiam. 4. Qui datorē ejus contriſtat. Qui hoc fiat.

ſanctificatus eſt ; & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? deteriora, inquam, morte. *Quinto* indebito modo ſe habet ad gratiam, qui eam odit & perſequitur in aliis, ne faciant quæ ſunt Spiritus ſancti, de quibus Job 26. *Ipſi rebelles lumini fuerunt*, tales vix viſitat gratia Dei. De talibus require in tractatu de Invidia. *Sexto* indebito modo ſe habent ad gratiam ſimoniaci, qui eam vendunt vel emunt, quod eſt valdè magnum peccatum in tempore gratiæ, eſt enim contra gratiam, ſicut ſub lege naturali peccatum contra naturam eſt valdè magnum peccatum. Damaſus Papa. Omnia alia crimina comparatione ſimoniacæ hæreſis pro nihilo reputantur. Quære de hoc in tractatu de avaritia, in cap. de ſimonia. *Septimo* indebitò modo ſe habet ad gratiam, qui, quod gratiæ eſt, tribuit alii. Non ſic Paulus qui dicit: 1. Corinth. 15 *Gratia Dei ſum, id quod ſum*, &c. Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Si meretrix offenſa fuit 3. Regum 3. de filio ſuo ſibi furtim ablato, non eſt mirum ſi Deus offendatur quando aliquis ſibi uſurpat quod gratiæ ejus eſt. Et *nota*, quòd ex hoc verbo initium habuit quod ponitur in literis Prælatorum, *Dei gratia*. In literis tamen quorundam verius poſſet poni, *hominum gratia*, *ira Dei* Oſeæ 13. *Dabo tibi regem in furore meo.* Ex magno furore & ex magna ira Dei provenit, quod in grege quem proprio ſanguine redemit, lupum permittat eſſe pro paſtore.

5. Qui eam in aliis perſequitur.

6. Qui eam vendunt vel emunt. Simonia quantum ſit peccatum.

7. Qui tribuit alii quod eſt gratiæ Dei vel Dei.

Vnde ortum ſcribi in literis Prælatorum. Dei Gratia. De malis Prelatis quid ſcribendum.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Oſtendit inprimis hic ſermo quàm neceſſaria ſit nobis cognitio noſtri. Dein occaſione thematis notificat nobis quid ſimus per naturam, culpam, ac gratiam. Demùm ejuſdem occaſione docet, cur in S. Paulo gratia vacua non fuerit, & quare nobis cavendum ſit ne ea in nobis otioſa exiſtat.

SERMO LXXXII.

Gratia Dei ſum id quod ſum.

VAldè neceſſarium eſt homini ut ſe ipſum cognoſcat, unde Bern. Si noveris myſteria omnia, ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento. Boëtius. Humanæ naturæ iſta conditio eſt, ut tunc tantum ceteris rebus excellat, ſi ſe cognoſcat, eadem cauſa infra beſtias redigatur, ſi ſe noſſe deſierit. Nam ceteris animantibus ſeſe ignorare naturæ eſt, homini verò vitio venit; ideo dicitur, Cantic. 1. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, abi poſt veſtigia gregum tuorum.* Poſt veſtigia gregum abit, qui jumentis inferior efficitur, ignorando ſeipſum, qui ſe cognoſcere potuit. Bernard. Omni beſtia beſtialior homo ratione vigens & ratione non utens. Pecus quidem ſi ſe à ratione non regat, excuſationem habet à natura. Ad cognitionem verò ſui multum valet ſi homo conſideret quid homo ſit per naturam, & quid ſit per culpam, & quid fiat per gratiam, & loquimur hic de natura deſtituta ſive corrupta, non de natura bene inſtituta. *Notandum* ergo quòd homo per naturam habet eſſe contemptibile & miſerabile, filius eſt enim putredinis & frater vermium. Unde Job 18. *Putredini dixi: pater meus, mater mea & ſoror mea vermibus.*
1. Adam in ſtatu ante peccatum cum erat immortalis, ſanus erat & ſine corruptione, peccando verò factus eſt putredo materialitati putrefaciendi addictus, & qui ab eo nati ſunt ad modum vermium nati ſunt de putredine. Unde Job 25. *Quãto magis homo putredo & filius hominis vermis!*
2. *Item* homo per naturã eſt filius iræ, ante mortĩ condemnatus, quam natus Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ ſicut & ceteri.* Seneca. Omnes capitali ſupplicio deputati ſumus, ideòque nihil miſerius homine, qui æternæ mortis terrore proſtratus, vivendi ſenſum acceperat ad hoc ut periret. Per culpam verò fit homo maledictus. *Maledicti* enim *qui declinant à mandatis tuis.* Et Deut. 28. *Si audire nolueris vocem domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata ejus & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.* Et 27. ſimiliter habetur de illis maledictionibus. *Item* infelix fit aliquis per culpam, ut omnia bona eum fugiant, quod enim alii eſſet bonum, non eſt ei bonum. Seneca. Nihil eſt homini bonum ſine ſe bono. Et meritò, cùm enim malè ſe habeat ad dominum ſuum, ea quibus ipſe dominatur malè ſe habent ad ipſum. *Item* fit exoſus Deo juxta illud: Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus* Eccleſiaſtici 12. *Altiſſimus odio habet peccatores.* Vel etiam adnihilatur, ut judicio Dei nihil ſit in valore. Pſalm. 4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* Unde quantumcunque videatur valere ſecundùm ſeculum, nihil debet appreciare ſe. *Item* fit ſocius dæmonum in præſenti ſimilis eis in culpa, in futuro ſimilis erit eis in pœna. Fit etiam ſocius tormentorum. Hieron: Abſque notitia creatoris ſui omnis homo pecus eſt, immò inferior jumentis in hoc, quòd eſt in miſeria culpæ & pœnæ. *Præterea* debitor eſt non ſolùm mortis temporalis, ſed & æternæ, cum jumentum tantùm temporalis ſit debitor. Per gratiam verò fit homo benedictus Deut. 28. *Si præcepta ejus audieris, benedictus tu in civitate & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, fructuſque jumentorum, greges armentorum*, &c. Et hoc nomine vocabit Deus bonos in die judicii dicens Matth. 25. *Venite benedicti patris mei poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Econtra malos vocabit maledictos: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*, ut legitur ibidem. Item gratia Dei facit hominem beatum. *Beatus* enim *populus cujus Dominus Deus ejus.* Pſal. 143. *Item* facit hominem Dei filium, hæredem Dei, cohæredem verò Chriſti Rom. 8. *Si filii & heredes, heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Gratia igitur Dei eſt homo id, quod eſt. Si quid habet valoris, habet à gratia, per naturam enim in ſtatu eſt contemptibili, ſed in contemptibiliori eſt per culpam propriam. Diſtinguitur *triplex* vita: *naturæ gratiæ & gloriæ.* Vita gratiæ eſt precioſitas vitæ naturæ, & preciũ ſive meritum, vitæ gloriæ. Vita enim naturæ non eſt appreciãda illis, qui non ſunt habituri vitam gratiæ, ſed ſunt damnandi. Ad vitam verò gloriæ non pervenitur niſi per vitam gratiæ. Magno ergo amore amanda eſſet vita gratiæ & multum timenda eſſet mors contraria, ſcilicet mors culpæ, & multo ampliùs timenda eſſet mors, quæ contraria eſt vitæ æternæ. De vita verò naturæ legitur Jac. 4. *Quæ eſt vita veſtra?* hominũ ſcilicet. *Vapor eſt ad modicũ parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: ſi dominus voluerit & ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Et Job 7. *Memento* (Deus) *quia ventus eſt vita mea.* Et ſi hoc intelligatur de vita corporis naturali & de vita naturali animæ, planũ eſt quòd non multũ amanda eſt, ſi non debeat ſequi vita gratiæ vel gloriæ, cùm hanc vitam habeant animæ quæ in inferno damnatæ ſunt, quibus melius eſſet non eſſe quàm eſſe Apoc. 9. *Quærent homines mortem*, &c. Talem etiam vitam habent dæmones, quibus melius eſſet non eſſe quàm eſſe.

Sequitur (*Et gratia ejus in me vacua non fuit*) Gratia Dei in beato Paulo vacua non fuit, immò multum

Cognitio ſui quare neceſſaria ſit homini.

Ad hanc juvabit tria.

Conſiderare quod ſimus, per naturam corruptam.

Quid per culpam. Pſal. 118. 1. 2. 3. 4. 5.

Quid per gratiam. 1. 2.

Applicatio thematis.

Triplex vita naturæ gratiæ & gloriæ, quomodo invicem ſe habeant.

Gratia Dei in S. Paulo

vacua non fuit ob quatuor. multum profecit. *Primo* in meritorum multiplicatione. 1. Corinth. 15. *Abundantius omnibus laboravi.* 2. ad Corinth. 11. *In laboribus plurimis. Secundo* in diaboli impugnatione 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*, &c. Et 1. Corinth. 9. *Sic pugno non quaſi aerem verberans. Tertio* in proximorum ædificatione. Unde 1. ad Corinth. 4. *Per Evangelium ego vos genui. Quarto* in Dei cognitione & amore. Unde raptus eſt uſque ad tertiũ cœlum. 2. Corinth. 12. Et Notandum quòd *quadruplici* ratione valdè cavendum eſt homini, ne gratia Dei in eo ſit ocioſa. *Primo* quia gratia Dei deficit ſi ocioſa ſit, cujus ratio hæc eſt, quia opus gratiæ cibus eſt & velut ſuſtentatio ejus. Unde ſi ocioſa eſt, panem non comedit, & ideò non eſt mirum ſi deficit, ſicut viſus illius qui diu eſt in tenebris, cùm non videt, deficere ſolet. *Secundo* quia ſolus labor, qui ex gratia eſt, verè bonus eſt, & glorioſum fructum habet. Sap. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Tertio* quia valdè periculoſum eſt gratiam Dei in aliquo eſſe ocioſam, cum gratia illa ſit à Deo commiſſa ſibi ad lucrum, & niſi lucratus inde fuerit damnari poteſt, ut patet in parabola de quinque talentis. Matth. 25. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Quarto* quia ſolus fructus gratiæ in cœleſti theſauro ponitur Matth. 6. *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Solus fructus gratiæ ab homine defertur, cùm ab hac vita diſcedit Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Hoc fructu ſolùm in paradiſo vivitur.

Cavendum ne gratia in nobis ſit otioſa ob quatuor.

DOMINICA XII. POST TRINITATEM.
SERMO PRIMUS.
SUMMARIUM.

Hic ſermo hominem tripliciter inſufficientem eſſe docet 1. ut ſe in eſſe conſervet, & quomodo circa hoc peccetur 2. Ut bonam vitam inchoet, in ea perſeveret ac proficiat, &c. qui in hoc peccetur. 3. Ut cor deſideriis terrenis repleat ſeu ſatiet, idque ob tres rationes.

SERMO LXXXIII.

Sufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. *Corinth.* 3.

Defectus emendandi eſt unſio gratia eſt, quod ſit hoc ſermone. Hominis defectus ſeu inſufficientia triplex.

MUltùm ſolet placere homini magnum defectum patienti, quando ſibi oſtenditur unde illum defectum poſſit ſupplere. Ideò Mater Eccleſia filiis ſuis multum deficientibus, unde poſſunt ſupplere defectus ſuos oſtendit dicens. (*Sufficientia noſtra ex Deo eſt*) Et notandum quod tripliciter eſt homo deficiens. *Primo* ad ſubſiſtendũ. *Secundo* quia non eſt ſufficiens ad bene vivendum. *Tertio* quia non eſt ſufficiens ad deſiderium ſuum implendum ex his bonis tranſitoriis.

I. Ab ſubſiſtendum.

1. Ad ſubſiſtendum etiam *tripliciter* eſt inſufficiens. *Primo* quia ſicut ex nihilo eſt, ita ad nihilum rediretur, niſi à Deo in eſſe conſervaretur Bern. In libro de diligendo Deo. Natura ita condita fuit, ut habeat jugiter neceſſarium protectorem, quem habuit & conditorem, ut quæ niſi per ipſum non valuit eſſe, ſine ipſo nec valeat ſubſiſtere. Auguſt. Deus ex nihilo omnia fecit, & ſi ſe ſubtraheret in nihilum redigerentur. Et Gregorius. Eſſe omnium quæ de nihilo ſunt in nihilum tenderet, niſi ea omnium auctor manu regiminis retineret.

2. *Secundo* inſufficiens eſt ad ſubſiſtendũ, quia non eſt ſufficiens ad defendendum ſe ab hoſtibus ſuis, *immo* à dæmonibus valdè citò perimeretur, niſi à Deo defenderetur. Thren. 3. *Miſericordiæ domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus*, &c. Bern. Si boni ſpiritus à nobis ſe elongaverint, impetum malorum ſpirituum quis poterit ſuſtinere?

3. *Tertio* inſufficiens eſt homo ad ſubſiſtendum, quia cibo indiget ut ſubſtentetur, aliter, citò deficeret. Hanc ſufficientiã non habet angelus, immò nec etiam lapis. Ex *prima* inſufficientia agnoſce fatuitatem eorum, qui ſe contra Deũ erigunt Idem enim eſt ac ſi ſecuris erigeret ſe contra eum à quo movetur Iſa. 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur?* Non poteſt ſe movere ſecuris, niſi ab homine moveatur, & cùm movetur, ſi à movente dimittatur, in terram decidit. Sic homo non poteſt ſe movere abſque Deo, & ſi à Deo relinquatur in nihilum redigitur. Gregorius Omnia creata nec ſubſiſtere nec movere ſe prævalent Sicut lapis non aſcendit, niſi virtute alienâ, ſi verò dimiſſus eſt, ad terram cadit. Sic virtute divina creaturæ in eſſe conſervantur juxta illud. Hebr 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Illæ autem dimiſſæ, ad nihilum, unde venerant, revertuntur. Sicut creatura per ſe ipſam eſſe non incepit, ſic neque per ſe ipſam in eſſe conſervatur. Quia non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri Et ſicut Deo indiguit prima die homo ad hoc ut eſſet, ita etiam indiguit ut eſſet ſecunda die, & tertia die, & ſic deinceps. Circa *ſecundam* inſufficientiam agnoſce fatuitatem eorum, qui guerram volunt habere cum Deo citò enim dominus vindicaret ſe de eis, ſi vellet, quia dæmones, ſi ipſe permitteret, eos interficerent. Mira inſania! non ſufficiunt homines defendere ſe ab hoſtibus ſuis, & tamen Deum volunt hoſtem habere. Saltem bellum quod habent cum dæmonibus cauſa deberet eſſe, ut pacificarentur cum Deo. Job 40. *Memento belli, nec ultra addas loqui. Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.* Ex *tertia* inſufficientia agnoſce ingratitudinem eorum qui Deum peccando impugnant, à quo miraculosè paſcuntur. Valdè ingratus fuiſſet Helias ſi Deum peccando impugnaſſet, quando dominus paſcebat eum miraculosè. 3. Reg. 17. mittendo ei per corvum panem & carnes mane & veſpere. Valde etiam ingrati erant Judæi qui Deum offendebant, quando eſca Angelorum paſcebat eos. Sap. 16. *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum.* Sic valde ingrati videntur eſſe illi, quos paſcit Dominus pauca grana in terra multiplicando, ſicut & quinque panes vel ſeptem multiplicavit, vel ex una nuce quaſi infinitas nuces producendo. Citò perfeciſſet Dominus guerrã talium, ſi vellet, ſubtrahendo eis victualia, neceſſe enim haberent tũc perire. Non eſt caſtrum adeò inexpugnabile quin poſſit capi, ſi poſſent ei victualia auferri. Canis enim ſibi non beneficos mordet, tamen paſcentes ſe amat. Valde ergo erubeſcere deberent, qui Deũ à quo paſcuntur impugnare nõ ceſſant. Talibus dici poteſt illud Apoc. ult. *Foris canes.* Immò poterit eis dici, foris vos qui deteriores fuiſtis, quàm canes.

1. Circa qui peccent.

Qui circa 2.

Qui circa 3. Ingratitudo peccatoris quanta erga Deum qui eum paſcit.

Sequitur de ſecunda inſufficientia hominis ad bene vivendũ. Notandum ergo quod ad hoc homo eſt *tripliciter* inſufficiens. Non enim ſufficit homo bonam vitã inchoare, nec in ea perſeverare, neque proficere. Quod homo inſufficiens ſit ad *inchoandum*, patet ex hoc, quod ipſe non eſt ſufficiens ad cogitandum meritoriè. Cogitare verò meritoriè primũ opus eſſe videtur ad minimũ. 2. ad Cor. 6. *Non quod ſufficiẽtes ſimus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis*, &c Igitur ſi ad minimũ opus non ſufficimus, nec ad majora ſufficiemus Poteſt homo ſe occidere peccando. Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam ſuam.* Sed non poteſt homo poſt ſuſcitare ſeipſum. Poteſt homo ſeipſum perdere, ſed perditus non poteſt ſeipſũ liberare. Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael! tantũmodo in me auxilium tuũ.* Item non ſufficit homo *ad perſeverandum* in bono, quia ſecundum Gregor. cito bonum amittitur, ſi à largitore non cuſtodiatur. Auguſt. loquens de Petri negatione Hic cognoſcitur quoniam verum eſt, ſine me nihil poteſtis facere.

II. Ad bene vivendum.

1. Inchoando.

2. Perſeverando.

Joan. 15.

Ecce ad unius ancillæ impulſum firmiſſima columna contremuit. Non ſufficit etiam proficere, multo minùs etiam quàm in bono perſeverare. Ideo beatus eſt, qui ſpem ſuam habet in Deo. Hieremiæ 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Cujus ratio innuitur Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Fortitudo enim Dei in auxilium veniet eis, ex qua poterunt, quod ex ſe non poterant. Pſal. 25. *In Domino ſperãs non infirmabor.* Et iterùm Pſal. 33. *Non delinquent omnes qui ſperant in eo.* Bernard. ſuper illud Cant. 1. *Trahe me poſt te*, dicit in perſona Eccleſiæ. Domine ſcio me nequaquam pervenire ad te, niſi gradiendo poſt te; ſed nec hoc quidem, niſi adjutum à te trahas me poſt te. Pſal. 83. *Beatus* ſiquidẽ, *vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum*, &c. perventurus quandoque ad te in montibus gaudiorum.

1. Proficiendo

Circa 1. qui peccent.

Ex *prima* inſufficientia agnoſce fatuam præſumptionem eorum, qui credunt, quod ſi volent, emendabunt vitam ſuam. Hæc eſt repromiſſio nequiſſima, quæ multos perdit, ut legitur Eccleſiaſtici 29.

Qui circa 2.

Ex *ſecunda* inſufficientia agnoſce fatuitatem eorum, qui cùm ſint in bono ſtatu, ut eis videtur, de caſu ſibi non timent, non attendentes illud 1. Corint. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.*

Præſumptio de perſeverantia quã ſit nociva.

Et *nota* quod præſumptio indiſcreta firmitatis, multis occaſio eſt ruinæ. Ideo Petrus graviùs cæteris corruit, quia præ cæteris præſumpſit. Judith 6. *Domine Deus cœli & terræ intuere ſuperbiam eorum & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende, & oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe & de ſua virtute gloriantes humilias.* Auguſt. Multos impedit à firmitate præſumptio firmitatis.

Qui peccẽt circa 3.

Ex *tertia* inſufficientia agnoſce fatuitatem eorum, qui rarò vel nunquam in oratione ſunt, ut Dei vel Sanctorum petant auxilium, non attendentes quantum neceſſe ſit eis cœleſte auxilium, ideo dicit ſcriptura, quòd Deus poſuit hominẽ in paradiſum. Gen. 2. & non dicit, quòd homo ibi ſe poſuerit, ad oſtendendũ, quòd homo in paradiſum ex viribus ſuis non pervenit.

III. Ad replendũ cor deſideriis temporalibus. Cauſa hujus eſt triplex.

Sequitur de quarta inſufficientia, quæ attenditur in replendo cordis deſiderium. Notandum ergo, quod deſiderium cordis temporalibus bonis repleri non poteſt. Unde Eccleſiaſtæ 5. *Avarus non implebitur pecunia.* Cujus rei *triplex* ratio poteſt aſſignari.

1\. *Prima* eſt capacitas ipſius animæ, quia ſecundùm ſanctos Doctores animam Dei capacem, nihil minus Deo replere poteſt. Unde cum orbis terrarum ſit ante Deum quaſi gutta roris antelucani, ut legitur Sap. 11. Non ſufficit replere cor unius hominis.

2\. *Secundo* propter bonorum temporalium vanitatem. Bern. Non plus ſatiabitur cor hominis auro, quàm corpus aurâ. Ideò dicit beata virgo quòd Deus *divites dimiſit inanes.* Lucæ 1. Eccleſiaſtici 34. *Quaſi qui apprehendit umbram & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia*, id eſt, ad temporalia, quæ non ſolvunt quod promittunt, & ideò mendacium dicuntur.

3\. *Tertio* quia temporalia bona non intrant in cor hominis eſſentialiter, ideò non replent illud. Sicut vinum in dolio, ventrem non implet, nec corporalem ſitim ſedat; ſic pecunia in burſa vel in arca non replet cor hominis, nec ſedat ſitim avaritiæ.

Avaritiæ inſania.

Inſanire videtur avarus, qui ſedare volens ſitim cordis ſui, pecuniam ponit in burſam, ubi ſitis non eſt. Sola gratia Dei quæ cor intrat, ſitim cordis poteſt extinguere.

DE EADEM DOMINICA.
SERMO SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Hic ſermo 1. tradit quomodo aliquis Dei gratiam acquirere ſeu ſalvare animam ſuam poſſit. 2. triplicem ſufficientiam noſtram pertractat.

Sufficientia noſtra ex Deo eſt. SERMO LXXXIV.

Solens acquirere gratiam Dei & ſalvare animam ſuam tria debet habere.

QUi vult ſalvare animam ſuam. *Primo* debet habere fixum in corde ſuo, quòd propria ejus virtus ad hoc non ſufficiat. Aug. Domine ſine te nihil ſunt omnes conatus mei. *Secundo* debet habere fixum quòd divinum auxilium ei nunquam deerit, niſi per culpam ejus ſteterit David. Pſal. 17. *Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum.* *Tertio* non debet fingere ſe, quin faciat poſſe ſuum, & debet ad hoc laborare ut divinũ auxiliũ adſit, homini enim fingenti ſe & non facienti poſſe ſuum, Deus auxiliũ ſuum ſubtrahit. Sap 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Debet etiam orando, & eleemoſynas dando, & alia bona opera faciendo laborare ad Dei auxilium habendũ.

Qui hic fatue agant.

Ex quo agnoſce fatuitatem aliquorũ, qui cùm non poſſint vitam ſuã emendare ſine Dei auxilio, cùm deberent gratiã ejus acquirere inſiſtendo operibus quæ ſciunt ei placere, ipſi potiùs offenſas ejus multiplicant, & ſic ſperant ad emendationem vitæ ſuæ pervenire.

Triplex ſufficientia. 1. Naturæ.

Item Notandum quod Triplex eſt Sufficientia ſcilicet *naturæ, gratiæ, gloriæ.* De *prima* legitur. 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Bonæ ſunt divitiæ Chriſtianorũ. In Pſal. 36. *Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorũ multas.* Beatior eſt qui habet victũ & veſtitũ, & ſibi ſufficiunt, quàm qui haberet totũ mundum, ſi ſibi non ſufficeret. Prov. 30. *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequã moriar. Vanitatem & verba mendacii longe fac à me. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi. Tribue tantum victus meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis eſt dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei*, negando ſcilicet furtũ timore mortis.

Divitiæ periculoſiores paupertate.

Utrũque autẽ poteſt eſſe occaſio peccati & paupertas & divitiæ, ſed tamen periculoſius eſt eſſe divitem quàm pauperẽ. In Pſal. 98. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* A dextris, inquam, proſperitatis.

2\. Gratiæ.

De *ſufficientia gratiæ* legitur. 2. ad Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Qui Dei gratiã habet, habet ipſum Deũ. Unde debet ei ſufficere, quia nimis eſt avarus, cui non ſufficit Deus. Talis vero dives eſt, etiam ſi pauper videatur eſſe. Aug. Aurum habens in arca, dives eſt: Deum habens in conſcientia, dives non eſt? cõjunge Deum & aurum, arcam & conſcientiã. Sapiens. Omnia habere non potes, ergo omnia contemnas, ut omnia poſſideas. 2. Corinth. 6. dicitur de ſervis Chriſti: *Sicut egentes, multos autem locupletantes*, intellige ſpiritualibus divitiis, *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Gloſſa. Ambroſ. Hæc fuit gloria Apoſtolorũ nihil omnino poſſidere, & ſine ſolicitudine eſſe.

Adverſa & proſpera bonorum & malorum hominum in hac vita qui differant.

Et Gloſſa Aug. loquens de hoc, *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Et de hoc, *ſicut egentes, &c.* Et de hoc, *tanquã nihil habentes, &c.* dicit *quaſi*, vel, *ſicut*, vel, *tanquã*, talibus addi, quia talia ſicut in ſõnis trãſeunt. Sed contraria ponũtur ſine *quaſi*, &c. quia ſigna incerta ſunt, res verò certæ. Triſtitia habet *quaſi*, gaudiũ non habet *quaſi* quare hoc: quia gaudiũ certa res eſt, triſtitia verò quaſi in ſõnis trãſit. Si quis indicat ſomniũ, addit, quaſi ſedebam, quaſi loquebar, quaſi equitabam, & hujuſmodi. Utique dicit *quaſi*, quia quod videbat dormiens, cum evigilavit, non invenit. Idem intelligendũ eſt de paupertate ſanctorũ quantum ad hæc temporalia, non enim eſt vera paupertas, ſed quaſi paupertas, & quaſi ſomniũ paupertatis. Job. 20. *Velut ſomniũ avolans non invenietur.* & Job. 27. *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet.* Gloſſa In ſõno quaſi de his videbat. & Eccl. 34. *Somnia extollunt imprudentes.* *Quare* autẽ præſens felicitas ſomniũ vocetur, require in tractatu de avaritia, ubi aſſignantur tredecim ſtultitiæ avarorũ. Quòd autẽ ſancti verè divites ſint patet ex illo verbo

verbo Pſal. 33. *Non eſt inopia timentibus eum.* Proverb. 13. *Eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit.* Aug. Multùm dives eſt Chriſtiana religio, quæ omnia poſſidet in omnium poſſeſſore. Sciunt enim ſancti, quòd ſi eis deſunt temporalia, fieri ordinatione altiſſimi patris, & illum defectum eis ſalubrem eſſe & precioſum, unde inter divitias ſuas illum reputant. Aug. Scit cœleſtis medicus quid nobis daturus ſit ad conſolationem & quid, &c. ut ſupra. De hac ſufficientia gratiæ dicit Apoſtolus ad Philip. ult. *Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* Et Tob. 5.
3. Gloriæ. *Sufficiebat nobis paupertas noſtra*, &c. De *tertia* verò *ſufficientia* legitur Joan. 14. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Hieronymus. Ibi erit perfecta ſufficientia, quia omne bonum. Exod. 33. dicit dominus Moyſi dicenti ſibi: *Oſtende mihi gloriam tuam; Ego oſtendam omne bonum tibi.* Beatitudo quid ſit. Beatitudo omne bonum habet, eſt enim ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus. Hic non eſt perfecta ſufficientia, qui *non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum. Nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt, jam enim præceſſit in ſeculis quæ fuerunt ante nos*, ut legitur Eccleſiaſtæ 1. Sed in futuro perfectè ſatiabitur homo, cùm à Deo torrente voluptatis potabitur. Pſal. 35. Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

DOMINICA XIII. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Verſatur hic ſermo circa Decalogum. 1. in communi docens, quas utilitates ejus obſervatio afferat, & quæ ad præcepta divina ſervanda inducere nos debeant. 2. in ſpecie Decalogi præcepta vel conjunctim vel diviſim explicans, oſtendendo maximè ad quæ illa nos dirigant, & in quibus contra illa peccetur.

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. *Galat.* 3.

Sermo LXXXV.

Quæ ſint 5. verba quæ Apoſtolus in Eccleſia loqui maximè voluit.

IN *Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborũ in lingua.* 1. Corinth. 14. Hæc quinque verba ſunt: credendi ſcilicet articuli fidei; agenda ſunt decem mandata Decalogi; cavenda ſcilicet ſeptẽ capitalia vitia; appetenda ſunt gaudia paradiſi ſive promiſſiones; timenda ſunt ſupplicia ſive comminationes. De his libenter deberent loqui, qui habent alios docere: & illi libenter deberent talia audire, qui volunt animas ſuas ſalvare. Promiſſiones Dei omne deſiderium humanum exſuperant & intelligentiam Iſa. 64. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Si vis tamen loqui de diverſis cauſis gaudii paradiſi, require in ſermone illo: *Non ſunt condignæ paſſiones*, &c. Quibus tamen hæ promiſſiones debeantur, oſtendit hic Apoſtolus dicens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, &c. Gen. 22. Sub figura terræ promiſſionis promiſſa eſt vita æterna Abrahæ, qui obedierat Deo, volendo immolare filiũ ſuum, & ſemini ejus, id eſt, imitatoribus ejus in obedientia, qui ſemen Abrahæ dicuntur Joan 8. ubi Dominus dicit Judæis. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Gen. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Oſtendit ergo Apoſtolus in verbo iſto quòd implentibus mandata debentur promiſſa, ideò de mandatis Decalogi hic dicemus. *Primo* cõmendando mandatorum obſervationem, *deinde* tangendo aliquid de unoquoque mandatorum Decalogi.

Hæc in cõcione dicẽda & audienda eſſent. Promiſſiones Dei & gaudia paradiſi quanta. Quibus hæ debeantur ex themate docetur. Agetur hoc ſermone de Decalogo dupliciter.

1. Decalogus Notandùm quòd Decalogus cõmendabilis eſt à ſcribentis dignitate, quia à Deo ſcriptus eſt, ut habetur Exod 31. & 34. Item à brevitate, quia quaſi decem lineæ, vel decem verba ſunt in hoc ſcripta. Et à virtute, & ab utilitate, quia, qui ea ſervat, non damnatur. Quis ſani capitis non libenter reciperet aliquid ſcriptum, quod à Deo ſibi miſſum eſſet per certum nuncium, & ſervaret, ſi ſciret, quòd, cùm illud haberet, perire non poſſet? ob quæ ſit commendabilis.

Et Notandum quod mandata Dei obſervata *duodecim* virtutes habent in ſuis obſervatoribus. *Primo* faciunt eos amicos Dei juxta illud. Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis* Nec eſt hoc parvum, cùm enim ſervire Deo regnare ſit, & ſerviens regi cœleſti par ſit, immò major rege terreno, ſicut vulgariter dicitur de ſerviente regi, quod par ſit comiti, quantũ hoc erit, eſſe amicum regis cœleſtis? Eccl. 7. *Amicus fidelis protectio fortis, qui invenit illum invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio*, &c. Ideò diſcretè faciunt qui quærunt quomodo poſſunt adquirere amorem Dei. *Secundo* faciunt eos ſocios De. Quãdiu aliquis mandata Dei ſervat, Deum habet ſecũ, immò etiam in ſe ipſo, nec poteſt amittere eum, dum ea ſervabit, ideò deberet ea ſervare ſicut Deum. Joan 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* *Tertio* faciũt eos Deo attinentes eſſe, etiam omni genere attinentiæ Mat. 12. *Quicunque fecerit volūtatem patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Frater vel ſoror eſt Chriſti, quia cohæres eſt. Quaſi mater Chriſti eſt bona mulier, quæ mandata Dei obſervat, quia coronabitur ſicut mater Chriſti, quæ regina eſt mundi & in cœlis coronata eſt. Et Lucæ 8. *Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.* *Quarto* faciunt ut homo impetret à Deo, quod voluerit. 1. Joan. 3. *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ, & quicquid petierimus ab eo, accipiemus, quoniã mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita corã eo facimus.* Ideò non vult dominus hominem audire in oratione, qui non vult eum audire in mandatorum obſervatione. Prov. 28. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* *Quinto* faciunt, ut creaturæ homini obediant, ut legitur Joſue 10. qui dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon.* Et ſequitur: *ſteteruntque ſol & luna donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* *Sexto* ſervant hominẽ ne amittat aliquod bonũ, juxta illud. Prov. 29. *Verbũ cuſtodiens filius, extra perditionem erit.* Talis nec perdit nec perditur. Et Eccleſiaſt. 15. *Si volueris mandata conſervare, conſervabunt te.* & Matth. 10. *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Quomodo autem perit homo, ubi nullus perit capillus? *Septimo* cuſtodiunt eos ne aliquod malum eis accidat. Eccleſiaſtæ 8. *Qui cuſtodit præceptum non experietur quicquam mali.* Licet accidat viris ſanctis aliquid quod eſſet aliis malum, eis tamen eſt bonum, cum ſit materia coronæ æternæ: Bern. Jucundũ Dei judiciũ, quod ille ſuperbus malleator humilium, neſciens ei fabricat coronas perpetuas. Viro ſancto ſuper proprium dorſum fabricant peccatores coronã. *Octavo* faciunt eos etiam in præſenti beatos. Prov. 29. *Qui cuſtodit legem beatus eſt*, & Luc. 11 *Beati qui audiũt verbũ Dei & cuſtodiunt illud.* Væ illis qui potiùs eligũt eſſe maledicti quã beati. Maledicti ſunt qui declinant à mandatis Dei Obſervantes mandata beatos dic mus, quia ſunt in lumine & gaudio & ſocietate Dei. De luminè & gaudio dicitur in Pſ. 18. *Iuſtitiæ domini rectæ lætificantes corda: præceptum domini lucidũ illuminans oculos.* Prov. 6. *Mandatum lucerna eſt & lex lux.* Pſalm. 118. *In cuſtodiendis illis retributio multa.* Gloſſa. Quæ tãta eſt quod non poteſt dici. De ſocietate verò Chriſti prius dictũ eſt. *Nono* à morte mala cuſtodiunt eos. Aug. Morite malà non poteſt mori

Eius obſervatio 12. bona parit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

10. qui ante bonam duxerit vitam. *Decimo* cuſtodiunt à
morte æterna. Joan. 8. *Si quis ſermonem meum ſer-*
11. *vaverit, mortem non guſtabit in æternum.* *Undecimo*
ad cœleſtem vitam hominem introducunt illud
Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.*
12. *Duodecimo* faciem Dei eis oſtendunt, juxta illud
Joan. 14. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille*
eſt qui diligit me. Et ſubditur. *Et manifeſtabo ei me-*
ipſum: Hæc manifeſtatio intelligi poteſt faciei Dei
oſtenſio.

Ad obſervationem Decalogi 8. inducût.

Præter iſta ſunt alia *octo*, quibus poſſunt homines
induci ad obſervationẽ mandatorum Dei. *Primum*
eſt quod homines ad hoc facti ſunt. Unde optimum
quod poſſunt facere in mundo iſto hoc eſſe videtur,
1. finis enim optimũ eſt in unoquoque. Eccleſ. ult.
Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis
homo. Bernard. Si hoc eſt omnis homo, ſine hoc ni-
hil eſt homo, nihil inquã in valore, propterea dignus
eſt morte. Idem. Dignus eſt planè morte, qui Do-
mino Jeſu recuſat vivere, quando aliqua res fit in
aliquod opus, & quãdo eſt facta ad illud inutilis eſt,
deſtruitur. Igitur homo qui factus eſt ut mãdata Dei
ſervet, quando mandatũ Dei ſervare noluit, deſtrui
vel mori dignus fuit. Unde juſtiſſima fuit illa ſen-
tentia Gen. 2. *Quacunque die comederis*, &c. *Se-*
2. *cundo* quod tot benedictiones habent mandatorum
Dei obſervatores. Deut. 28. *Venient ſuper te omnes*
benedictiones iſtæ, &c. ut ſupra. In nova lege quaſi ad
ſingula verba dat Dominus benedictionem obſerva-
toribus novæ legis. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*,
3. &c. *Tertio* eſt hoc quod obſervatio mandatorũ Dei
gratiſſimum eſt ſacrificium Deo, Eccl. 35. *Sacrificiũ*
ſalutare eſt attendere mandatis & diſcedere ab omni
iniquitate. Salutare vocatur hoc ſacrificiũ, quia cau-
ſa eſt ſalutis æternæ. Cum aliis ſacrificiis poteſt ho-
mo damnari; cum hoc autẽ non. Diſcedere ab omni
iniquitate requiritur ad ſalutem, id eſt, non operari
omnem iniquitatem, 1. Reg. 15. *Nunquid vult Do-*
minus holocauſta aut victimas, & non potius ut obe-
4. *diatur voci Domini.* *Quarto* eſt hoc quod homo nõ
poteſt meliorem theſaurum in mundo iſto facere
quàm mandata Dei ſervare. Unde Eccli. 29. *Pone*
theſaurum tuũ in præceptis altiſſimi, & proderit tibi
magis quàm aurum. Eccli. 3. *Sicut qui theſaurizat,*
ita qui honorificat matrẽ ſuam. Idem intelligendum
eſt de aliis mãdatis, quod dicitur de homine ratione
5. matris, & Tob. 12. *Bona eſt oratio cum jejunio & elee-*
moſyna, magis quam theſauros auri recondere. *Quin-*
tum eſt hoc quod Deus vult ea multum obſervari.
Unde in Pſ. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri*
nimis Prov. 7. *Serva mandata & vives, & legem meã*
quaſi pupillam oculi tui. Pupilla diligenter ſervatur,
eo quod lædatur de facili, & valde periculosè. Faci-
lius autem læditur lex Dei quam pupilla, quia ſola
voluptate læditur. Etiam periculoſius, quia melius
eſſet homini oculũ erui, quàm præcepta Dei tranſ-
gredi. Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue*
eum, & projice abs te. Quod Dominus mandata ſua
velit multum cuſtodiri ſatis patet ex hoc Eccleſ. 8.
Ego os regis obſervo, & præcepta juramenti Dei. Ob-
ſervat Salomon, os Chriſti, quaſi expectans ſententiã
diffinitivam. Sunt aliqui qui potius os hominũ ob-
vant, judicia hominũ timentes, contra quos Apoſto-
lus 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer,*
aut ab humano die. Obſervabat etiam Salomon præ-
cepta juramenti Dei, ne in futuro daretur contra eũ
ſententia. Dicuntur autem præcepta juramenti Dei,
quia Deus juravit ſe redditurum vitam æternam ob-
ſervatoribus ſuis & pœnam æternam tranſgreſſori-
bus. In Pſal. 88. *Non prophanabo teſtamentum meum*,
&c. Sic & nos debemus firmè mandata obſervare,
quaſi juraſſemus. David Pſal. 118. *Juravi & ſtatui*,
cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Adeò vult Dominus mã-
data ſua ſervari, quòd hoc ſigno debet perpendi

Mandata Dei quas ob cauſas diligenter obſervanda ſint.

Cur vocentur præcepta juramẽti Dei.

quantùm eum diligamus vel non. 1. Joan. 5. *Hæc eſt*
charitas Dei ut mandata ejus cuſtodiamus. Et Joan.
14. *Si diligitis me mandata mea ſervate.* Et quia mi-
qui non credunt ſe habere niſi triſtitiam, ſi mandata
Dei obſervent, ideò ſubdit. *Et ego rogabo patrem,*
& alium paraclitum dabit vobis, id eſt, alium con-
ſolatorem, tunc enim admittitur conſolatio, ſed
in ſpiritualem mutatur: ipſa inſpectiò mandato-
rum Dei habet dulcedinem magnam. Eccleſiaſtici
23. *Nihil dulcius eſt, quam inſpicere in mandatis*
Dei. Sicut oculis corporalibus bene diſpoſitis eſt
dulce inſpicere lumen, ſic lumen mandatorum Dei
procedens à vero ſole, dulce eſt oculis cordis be-
ne diſpoſitis. Sed oculis tenebris aſſueti moleſtari
ſolent cùm primò ad lumen veniunt. *Sextum* eſt 6.
hoc quod magnæ ſecuritatis eſt mandata Dei ſerva-
re. 1. Joann. 3. *Qui ſervat mandata ejus, in ipſo*
manet. Talis ſic manet in Deo, quia in manu, vel
in ſinu ejus. Sapient. 3. *Juſtorum animæ in manu*
Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ,
ſupple, *æternæ.* Unde Auguſt. Quid times hominem
tu in ſinu Dei poſitus, &c. ut ſupra. *Septimum* eſt 7.
hoc, quod aliæ creaturæ, quas Deus non honoravit
quantùm hominem, & quæ non expectant tan-
tam remunerationem, præceptum à Deo ſibi datum
cuſtodiunt. Præceptum poſuit Dominus ſoli, &
non præteribit, & ſic de aliis creaturis. Unde exem-
plum aliarum creaturarum multùm deberet ho-
mines movere ad obſervationem mandatorum Dei.
Octavum eſt multiplex malum quod ex tranſgreſ- 8.
ſione mandatorum Dei provenit, Sed hæc mala ea-
dem ſunt cum illis malis quæ ſequuntur ex pecca-
to, de quibus habetur in tractatu de vitiis in prin-
cipio, ideò hic de his tacemus.

Obſervatiõ præceptorũ Dei non affert triſtitiã per ſe, ſed per accidens.

Alia quæ ad obſervandã Dei mandata nos moveant.

Præterea ad obſervationem eorum poteſt homi-
nes movere hoc, quòd non ſunt gravia. 1, Joan. 5.
Mãdata ejus gravia non ſunt, etſi aliquibus gravia
videntur, levia tamen apparent eis propter ali-
quod lucrum temporale, quod tantum poſſet ineſſe. 1.
Item quia ſunt ſervanti utilia, non ipſi percipienti. 2.
Jſa. 48. *Ego Deus tuus docens te utilia.* *Item* hoc, 3.
quod non ſervãs ea infidelis judicatur. Unde 1. Joa.
2. *In hoc ſcimus quod cognovimus Deum, ſi mandata*
ejus obſervamus. *Qui dicit ſe noſſe Deũ & mandata*
ejus non cuſtodit, mendax eſt. Et Eccleſiaſtici 32. *Qui*
credit Deo attendit mandatis. Ergo qui non atten-
dit mandatis, Deo non credit. *Præterea* tranſgreſſiò 4.
mandatorum hominum Diabolo aſſimilat & aſſo-
ciat hîc in culpa & in futuro in pœna. Soli homi-
nes & dæmones non cuſtodiunt quæ ſibi à Deo
mandata ſunt. Deberet *etiam* movere homines ad
obſervantiam mandatorum certitudo veritatis &
ſalubritas eorum. In Pſalm. 118. *Iuſtitia tua, Iuſtitia*
in æternum, & lux tua veritas. Securè incedit ho-
mo per viam illam quam docet ille, qui non poteſt
fallere nec falli. Alii præceptores fallere poſſunt
& falli, ſed Deus non. Bernardus. *Nullus eſt ei ſimilis*
in legiſlatoribus Job. 36. Pſalm. *Novit dominus vi-*
tam juſtorum. Ipſe ergo verè poteſt eos docere. Li-
benter adquieſcendum eſt conſilio illius medici,
qui non ſolùm credit eſſe ſalubria quæ conſulit, ſed
etiam ſcit. Bern. Securè me credo illi, qui me ſalva-
re velit, noverit & poſſit? Libenter, inquam, ope-
randum eſt quod dicit conſiliarius ille, qui non ſo-
lùm eſt conſiliarius, ſed etiam judex. Immò multùm
deſiderabat Job ut ipſe eſſet judex & inſtructor ſuus
Job. 31. *Quis mihi tribuat auditorem, ut deſiderium*
meum omnipotens impleat, & librum ſcribat ipſe, qui
judicat, ut in humero meo portem illum. Filius eſt ille,
qui judicat, quia *pater non judicat quemquam, ſed*
omne judicium dedit filio, Joan 5. *Præterea* ille idem 5.
qui dat mandata, dat poteſtatem implendi ea, ſi
ſaltem quis humiliter petat. Aug. Domine conti-
nentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis. Ro-

quire de hac materia in tractatu de ſuperbia in cap. de inobedientia. Et *notandum* quòd Dominus *tria* tangit ubi ponuntur mandata Decalogi, quæ poſſunt hominem monere ad obſervationem mandatorum Dei. *Primum* eſt conſideratio beneficiorum ipſius: eſt autem beneficium creationis ſuſtentationis, redemptionis. Unde ante illud verbum Exod. 20. (*Non habebis deos alienos:*) dicit dominus, *Ego ſum Deus qui eduxi te de terra Ægypti*, &c. reducens ei ad memoriam beneficium liberationis de Ægypto, in quo figurata eſt liberatio à diabolo facta per Chriſtum. *Aliud* eſt oſtenſio pœnæ infligendæ tranſgreſſoribus. Unde poſt primum præceptum & ejus explanationem ſubditur. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios*, &c. Ubi innuuntur *tria* quæ in Deo timere debent tranſgreſſores mandatorum ejus. *Primum* eſt ſumma ſapientia ipſius, quam nihil poteſt latere, quæ innuitur cum dicitur *Deus*. Deus autem dicitur à θεῶ, quod eſt conſiderare omnia, ut dicit Joan. Damaſcenus. *Secundum* eſt omnipotentia quam nullus poteſt effugere, & ideò ſubditur ibi *fortis*. *Tertium* eſt zelus quo ipſe animas amat, cùm earum ſponſus ſit. Sap. 11. *Qui amas animas*. Nec fornicantibus parcit Proverb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ; nec adquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. *Tertium*, quod poteſt valere ad hoc, quòd homines mandata Dei obſervent, eſt oſtenſio mercedis quæ obſervantibus dabitur. Unde ſubditur *& faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea*.

Tria alia ad idem códucentia ex principio Decalogi ſumpta. 1. Beneficia Dei. 2. Pœna in tranſgreſſores Legis. Timor pœnæ ex tribus oritur. 3. Merces obſervantibus legem.

II. Decalogus eſt quaſi Alphabetũ & initium doctrinæ.

Et notandum quòd in his decem præceptis non traditur perfecta doctrina, ſed initium doctrinæ. Eſt enim velut quoddam alphabetum, quod ſcripſit Dominus in tabulis illi populo tanquam rudi & puerili. Accepit autem populus ille ſpiritum ſervitutis in timore. Roman. 8. Unde cum timor ſit initium ſapientiæ Pſal. 110. initium doctrinæ debuit accipere. Populus verò Chriſtianus doctrinæ perfectionem accepit. Unde Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et ſicut non eſt magnum quid alphabetum non ſcire, erubeſcibile tamen eſt illi qui diu fuit diſcipulus, illud ignorare: ſic valdè erubeſcibile erit alicui qui diu fuit Chriſtianus & Chriſti diſcipulus, alphabetum legis divinæ ignorare, ſcilicet decalogum. Et Notandum quod tria prima præcepta oſtendunt, quomodo homo ſe debet habere ad Deum, & ſeptem quomodo ſe debet habere ad proximum.

Decalogus ad Deo nos dirigit.

In primis verò tria oſtenduntur quomodo ſcilicet nos debemus habere ad Deum, *corde enim creditur ad juſtitiam*. Rom. 10. Secundò quomodo ore, tertiò, quomodo opere. Ad Deum bene corde ſe habet, qui ſummè ei credit, ſummè in eo ſperat, & hoc eſt eum ſolum habere Deum. *Tripliciter* autem facit quis contra Primum Mandatum quod eſt (*non habebis Deos alienos coram me.*) *Primo* ille qui magis alii quàm Deo, ut qui vetulis ſortilegis magis credit, quàm miniſtro Dei. Similis Evæ, quæ cum Dominus aſſeruiſſet: *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: Gen. 2. & diabolo aſſerente: *nequaquam moriemini*, diabolo magis credidit quàm Deo. Sic cùm Deus aſſerit per miniſtrum ſuum in Eccleſia aliquid eſſe peccatum. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*: conſulente autem poſtea ſortilega illud, reſpondet juvencula, fortè eſſet peccatum, & dicente vetula, nequaquam, adquieſcit juvencula, credens potiùs diabolo in vetula loquenti, quàm Deo in ſacerdote loquenti. *Secundo* facit contra hoc præceptum, qui plus confidit in creatura quàm in creatore. Aug. De Deo deſperare eſt, ſpem in creatura poſuiſſe. Hoc modo peccant

Prima tria præcepta ad tria nos dirigunt erga Deum.

Contra I. præceptum peccatur. 1. Credentes malis hominibus, non Deo. 2. Sperantes in creaturis, non in Deo.

operarii, qui fiduciam, quam deberent habere in Deo, de his quæ ſibi ſunt neceſſaria, ponunt in brachio ſuo, maledicti à Deo juxta illud Hierem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*, id eſt, rem fragilem, virtutem ſuam. E contra dicitur ibidem. *Beatus vir qui confidit in domino.* Sed tales potiùs volunt eſſe maledicti, quàm benedicti. Mira cæcitas talium, quòd non attendunt quòd frequenter meliores operarii ſunt pauperes Eccleſiaſtæ 9. *Verti me ad aliud, vidique ſub ſole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; ſed tempus caſumque in omnibus.* Potiùs ſtudeat homo gratiam Dei comparare, libenter eundo ad Eccleſiam & alia bona opera faciendo, deinde verò laboret prout poterit, & certam fiduciam habeat in eo, qui vitam dedit, quòd dabit neceſſaria vitæ Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus & hæc omnia adjicientur vobis.* Agricola qui plus confidit in foſſorio ſuo quàm in Deo, de foſſorio ſuo facit Deum ſuum. *Item* contra hoc præceptum faciunt qui plus amant aliquid terrenum, divitias vel delitias quàm Deum. Ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.* Ibi dicit Gloſſa quòd hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur, & ad Epheſ. 5. *Avaritia eſt Idolorum ſervitus.* Ibi dicit Gloſſa. Avari Deus eſt nummus, & ſuper illud. Matth. 6 *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ* dicit Gloſſa. Divitiis ſervire eſt Deum negare. Quod ſequitur (*non facies tibi ſculptile*, &c.) ſecundùm Auguſtinum explanatio eſt primi præcepti. Sculptile vel Idolum ſecundùm aliam litteram dicitur illud, quod nullius rei naturalis repræſentativum eſt, ſed ocioſè confictum; ſimilitudo verò vocatur quod alicujus rei naturalis repræſentativum eſt. Gloſſa verò aſſignat differentiam inter adorare & colere: Dici poteſt aliquis invitus adorare vel adulando regibus Idolatris ad cedendum tormentis, & hoc invitus, cum ſciat quòd Idolatria nihil eſt: colere verò eſt toto affectu & ſtudio mancipari. Notandum quòd inclinare ſe regi quaſi homini, ubi nullum ſcandalum fratris, & ubi nullum periculum fidei imminet, non eſſe peccatum: inclinare verò ei quaſi Deo, & cum periculo fratris, peccatum eſt. Contra Secundum Præceptum, quod eſt: *non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, facit aliquis quadrupliciter. Primò qui jurat pro nihilo. Unde, *non enim habebit Dominus inſontem eum qui aſſumpſerit nomen Dei fruſtra.* Secundò qui jurat mendacium. Tertiò qui jurat injuſtum. Quartò qui jurat contumeliam Dei, ut faciunt blaſphemantes. Contra hoc peccatum require de peccato linguæ in cap. de blaſphemia & perjurio. Secundùm aliam intelligentiam illius præcepti contra illud præceptum faciunt, qui filium Dei credunt puram creaturam, ut fecit Arrius. Contra Tertium præceptum quod eſt, *memento ut diem ſabbati ſanctifices*, tripliciter facit aliquis. *Primo* ille, qui amat plùs opus terrenum propter aliquod lucrum, quàm honorem ſolennitatis. Unde ſequitur. *Non facies omne opus tu & filius tuus*, &c. *Secundo* qui feſtum inquinat immunditia alicujus peccati. Unde dicitur, *diem ſabbati ſanctifices*, id eſt, ſanctum obſerves, diligenter in eo peccata cavendo. *Tertio* qui in peccato priùs commiſſo perſeveraverit. Unde Hierem. 17. *Nolite portare pondera in die ſabbati: nec inferatis per portas Hieruſalem: & nolite ejicere onera de domibus veſtris in die ſabbati: & omne opus non facietis. Sanctificate diem ſabbati ſicut præcepi patribus veſtris*, &c. Non bene feſtum obſervat, qui pondus diei in eo portat, qui horrore peccati ſui illud inquinat. In vigilia ſolennitatum peccata deponenda ſunt. Poſſumus etiam dicere quod in *primo* præcepto docemur nos reverenter

3. Amantes Creaturas plus quàm Deum.

Idolum quid ſit.

Adorare Reges quãdo ſit peccatũ, quando non.

Contra II. qui peccet.

Contra III. peccatur tripliciter.

Prima tria præcepta ad tria alia nos dirigunt.

habere ad ipſum Deum, in *ſecundo* ad nomen ejus, in *tertio* ad ea quæ ſunt ſanctificata ab eo, ut eſt templum, vel locus, vel vaſa, vel ornamenta Eccleſiarum, vel perſonæ Eccleſiaſticæ. Et hoc poſt tertium præceptum innuitur cùm dicitur. *Benedixit Dominus dies ſabbati & ſanctificavit eum.*

Reliqua VII præcepta dirigũt nos ad duo erga proximum.

De aliis verò Septem Præceptis notandum eſt, quòd hoc, quòd aliquis bene ſe habeat ad proximum, in duobus conſiſtit: in hoc ſcilicet, quòd homo faciat hoc alii, quod ſibi vult fieri, juxta illud: *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. Et in hoc, quod non faciat alii quod ſibi odit fieri Tob. 4. Ad *primum* pertinet illud, *honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Et initiatur ibi illa pars juſtitiæ quæ eſt: *hoc facias alii quod tibi vis fieri.* Perfectio enim illius pertinet ad novam legem. Et intelligitur hoc præceptum tam de parentibus ſpiritualibus quàm de carnalibus. Rectè ergo ordinatur hoc præceptum poſt præcepta primæ tabulæ, quibus homo ordinatur ad Deum, & ante præcepta ſecundæ tabulæ, quibus ordinamur ad proximum, eo quòd non ſolùm intelligatur hoc præceptum de parentibus carnalibus, immò etiam de ſpiritualibus, & præcipue de patre cœleſti, qui plus, & ſuper omnia, & præ omnibus honorandus eſt. De hac materia require in tractatu de ſuperbia in cap. de irreverentia. Subditur autem hic repromiſſio, ſcilicet vitæ diuturnitas: juſtum eſt enim, ut qui gratus eſt ei, à quo vitam ſuſcepit, vita diutius perfruatur. Ingratus verò citiùs moritur Proverb. 20. *Qui maledicit patri ſuo & matri ſuæ extinguetur lumen ejus in mediis tenebris.* Honor verò de quo hic agitur, non ſolùm in reverentia attenditur, ſed etiam in adminiſtratione eorum, quæ ſunt neceſſaria.

V. Præceptum dirigit ad primum.

Notãtur & explicantur quædam circa hoc præceptũ.

VI. Vltima dirigũt nos ad ſecundũ, proximus injuriatur tripliciter. Facto tripliciter, quod vetat V. VI. VII. præceptũ.

Ad *ſecundam* partem juſtitiæ, quæ eſt, *quod tibi oderis fieri ab alio, vide ne aliquando alteri feceris*, pertinent ſex ultima præcepta. *Tripliciter* autem poteſt quis injuriari proximo: ſcilicet *facto*, *verbo*, *voluntate*. *Facto* verò *tripliciter*, vel quantum ad ipſam perſonam, quod prohibetur ibi, *non occides*, vel quantum ad ſuos, quod prohibetur ibi. *Non mœchaberis*, vel quantum ad ſua, quod prohibitum eſt ibi, *non furtum facies*. *Injuria* verò *verbi* prohibetur ibi, *non falſum teſtimonium dices contra proximum tuum.* Et hæc injuria verbi occaſio poteſt eſſe triplicis injuriæ facti præmiſſæ. Aliquis enim propter falſum teſtimonium poteſt occidi, vel uxorem ſuam amittere, vel rebus ſuis ſpoliari. In *duobus* autem ſequentibus prohibetur *voluntas*, quæ eſt cupiditas, quæ radix eſt omnium malorum, ut legitur ad Timoth. 6. Et priùs cupiditas rei alienæ immobilis, cum dicitur. *Non concupiſces domum proximi tui.* Et quia aliquis poſſet credere concupiſcentiam rei mobilis licitam eſſe, quia faciliùs mobilia in alios transferuntur, ideò conſequenter ſubditur aliud præceptum de re aliena mobili, cum dicitur, *non deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* *Notandum*, quòd ſecundùm Iſidorum in his ſex ultimis præceptis à parte intelligitur totum.

2. Verbo, quòd vetat VIII. Hoc eſt cauſa transgreſſionis trium præcedentium.

3. Voluntate ſeu cupiditate, quam vetant IX. & X. Nec mobilia nec immobilia concupiſcenda.

Explicationes aliæ ad ultimorum præceptũ.

1. Unde illud, *non occides*, ſic debet intelligi, non occides manu, vel mente, vel conſenſu, nec manum violentam inferes innocenti, nec auxilium vitæ ſubtrahes illi, cùm potes & debes dare. Unde Auguſt. Paſce fame morientem: ſi non paviſti occidiſti. Et *notandum* quòd judex non occidit, ſed lex.

2. Illud verò, *non mœchaberis*, ſic intelligitur, id eſt, non miſcearis alicui, excepto fœdere matrimonii. Illud verò, *non furtum facies*, prohibet quamlibet uſurpationem rei alienæ.

3. *Notandum*, quòd illud, *non occides*, pertinet ad ſuperbiam vitæ, cujus effectus eſt ira, & odium, & alia opera malitiæ. Illud verò, *non mœchaberis*, pertinet ad concupiſcentiam carnis. Illud verò, *non furtum facies*, pertinet ad concupiſcentiam oculorum.

DE EADEM DOMINICA
SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Tractat hic ſermo de Abrahæ virtutibus, meritò apud Deum, & promiſſionibus ei à Deo factis. Item multa ex ejus vita imitanda nobis proponit.

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, &c.

SERMO LXXXVI.

Deus promiſit ac juravit Abrahæ ac imitatoribus ejus vitam æternam, maximè imitantibus eum in obedientia.

PRomiſſa eſt Abrahæ vita æterna & ejus imitatoribus ſub figura terræ. Ideò cantat Eccleſia. *In lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus.* Lucæ 16 Vocatur quies animarum ſinus Abrahæ, cum dicitur: *factum eſt ut moreretur mendicus & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.* Et Gen. 15. dicitur. *Suſpice cœlum & numera ſtellas, ſi potes. Sic erit ſemen tuum*, in multitudine & in claritate, erit enim innumerabile & clarum ad modum ſtellarum. Non ſolùm promiſit Deus vitam æternam Abrahæ & ejus imitatoribus, immò etiam juravit ſe daturum eam eis. Gen. 22. *Per memetipſum juravi dicit dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*, benedictione, inquam, illa. Venite benedicti Deinde ſequitur (*Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.*) Intelligas eadem benedictione. Et ſubditur cauſa (*quia obediſti voci meæ.*) Valde læti poſſunt eſſe qui ſequuntur obediẽtiam, etiam in arduis, certi enim debent eſſe de vita æterna, ac ſi Deus juraſſet ſe daturum eam eis. Poſtquam enim Abrahæ voluit Deo obedire in filii immolatione, dicit ei dominus ſe juraſſe, quòd ei benediceret. Et *notandum* quòd valdè magni meriti fuit Abraham apud Deũ, ut patet ex illo verbo domini ad eum. Geneſ. 18. *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum.* Etiam ex hoc, quod dominus de toto mundo elegit eum, ut ex ſemine ejus aſſumeret ſibi populum, immò, quod plus eſt, de ſemine ejus vellet naſci, Hebr. 2. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* In ſemine ejus voluit mundum ſalvare & orbem replere. De ſemine ejus fuit Beata Virgo, & Anna, & Apoſtoli. Unde bonum eſſet vitam ejus diligenter inſpicere & ſtudioſè. Septem verò inveniuntur de eo in quibus bene ſe habuit ad Deum, & ſex in quibus ſe bene habuit ad proximum. Unde tredecim ſunt in quibus debemus eum imitari.

Geneſ. 18. Abraham magni fuiſſe meriti apud Deũ ex quibus pateat.

Cur & in quot imitandus ſit.

I. Imitandus in ſeptem, quibus ad Deum bene ſe habuit.

1. Societas mala & patria cur deſerenda ſint.

Primo ad Deum bene ſe habuit in hoc, quòd in prava ſocietate ab eo non receſſit, immo poſt pravam ſocietatem fugit, relinquendo ſcilicet civitatem Chaldæorum. Chaldæi enim ignem adorantes, multas moleſtias inferebant patri ſuo, ut ipſe ignem adoraret, ſed ipſe non conſenſit. Exodi 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Sicut in multis civitatibus multi coguntur exemplo aliorum igni cupiditatis ſervire, ſed melius eſſet eis civitates deſerere, quàm malo conſentire. Et *notandum*, quòd quando aliquis peregrinaturus eſſet, jam magnam partem peregrinationis ſuæ videtur feciſſe, quando à villa ſua receſſit; ſic magnam partem peregrinationis ſpiritualis jam fecit, qui removit ſe à loco in quo natus eſt. In multis fœcibus eſt vinum in vaſe ubi primò ponitur, quas relinquit cum de vaſe in vas transfunditur. Hierem. 48. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua & requievit in fœcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas & in transmigrationem non abiit, idcirco permanſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus*, Multas malas radices terrenarum & malarum

larum affectionum habet homo in tali loco, quas vix aut nunquam ibi dimittit, ideò dicit Hieron. quod monachus in patria ſua perfectus eſſe non poteſt. *Notandum* etiam quòd deſertio pravæ ſocietatis initium eſt ſalutis. Fatuum eſt ei qui vult ire in paradiſum, immiſcere ſe ſocietati, quæ vadit in

2. internum. *Secundo* in hoc, quòd ad præceptum Dei terram ſuam & cognationem & domum patris reliquit, etiam mente, ut non haberet voluntatem redeundi ad ea corpore. Jam morabatur in Haran quando dictum fuit, & illud. Gen. 12. *Egredere de*

3. *terra tua*, &c. *Tertio* in hoc, quòd ea, quæ adquiſivit in bello decimavit, Gen. 14. *Dedit ei* (Melchiſedech) *decimas ex omnibus*, quæ adquiſiverat. Unde veriſimile eſt, quòd de aliis bonis ſuis deci-

4. mas dederit. *Quarto* in hoc, quòd Deo contra naturam credidit in ſobole ſibi promiſſa. Unde Gen. 15. *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Idem ad Rom. 4. legitur & ſubditur: *qui contra ſpem in ſpem credidit.* Gloſſa. Prior ſpes ſecundum naturam fuit, dum juvenis ex juvencula ſecundùm naturam ſperavit ſobolem, nec tamen habuit. In hoc modo contrarium illi ſpei ſperavit, ſcilicet ut vetulus de vetula, & ſterilis de ſterili generaret. Et eſt argumentum, quod multùm placet Deo quando aliquis Deo plus credit quam ſenſui ſuo, vel etiam rationi ſuæ, ut in ſacramento altaris, & in trinitate perſonarum, & in unitate ſubſtantiæ.

Captivatio intellectus & ſenſus per fidem placet Deo.

5. *Quinto* in hoc, quod ad præceptum Dei carnem ſuam circumcidit Gen. 17. Et omne maſculinum in generationibus ſuis. Spiritualiter carnem ſuam circumcidit, qui carnis ſuæ amputat voluptatem, & concedit ei neceſſitatem.

Spiritualis circumciſio quæ ſit.

6. *Sexto* in hoc, quòd quantò Deo familiarior fuit, tantò humiliorem, Deo ſe habuit. Unde Gen. 18. *Loquar ad dominum meum, cum ſim pulvis & cinis.* Greg. Sancti viri quantò magis divinitatis interna inſpiciunt; tanto magis ſe nihil eſſe conſpiciunt. Nuſquam legitur Abraham ſe cinerem & pulverem profeſſum eſſe, niſi cum meruit Dei locutiones habere.

Sancti quo familiariores Deo, tanto humiliores.

7: *Septimo* in hoc, quòd ad præceptum Dei filium ſuum voluit immolare. Gen. 22. Mira obedientia quod filium ſuum miraculosè genitum, de quo tot & tanta ſibi promiſſa fuerunt, immolare voluit, non ingratus ei qui illum dederat, datorem enim dono præferebat. Non ſic amatores hujus mundi, qui datorem omnium bonorum donis ſuis impugnant. Qui filios vel alia dona ſua à Deo data pluſquam dominum diligunt, qui quantò plura eis dederit, tantò minùs eum diligunt.

II. Imitandus in ſex quibus ſe bene habuit ad proximum.

1. Pacis ſectatio.

Primum verò in quo ad proximum bene ſe habuit fuit *pacis ſectatio*. Cùm enim tota terra in qua ipſe & Loth erant ſibi promiſſa eſſet à Deo, ceſſit tamen juri ſuo, dans optionem fratri ſuo Loth eligendi terram quam vellet. Unde Gen. 13. *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt*, &c. Nòn ſolùm debet fidelis accipere pacem ſibi oblatam, immò debet eam ſequi emendo eam. Rom. 14. *Quæ pacis ſunt ſectemur.* Et in Pſal. 33. *Inquire pacem & perſequere eam.* Et Hebr. 12. *Pacem ſequimini cum omnibus.*

2. Fidelitas.

Eccleſiaſtici 15. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum & amor proximorum.* *Secundum* fuit *fidelitas* quam ſervavit fratri ſuo Loth in adverſis, exponens ſe periculo ut eum à periculo liberaret, ſcilicet ab hoſtibus, qui eum captum ducebant. Gen. 14. Eccleſiaſtici 6. *Amicus fidelis protectio fortis.* & Proverb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.*

3. Liberalitas.

Tertium fuit *liberalitas* abſque venalitate. Unde regi Sodomorum dicenti ſibi: *da mihi animas, cætera tolle tibi*, reſpondit, quòd de his quæ reduxerat non acciperet à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ nolens vendere beneficium quod eis impenderat. Gen. 14 Non ſic faciunt illi, qui quando invenerunt aliquid quod proximus eorum amiſit, volunt inde medietatem habere.

4. Benignitas.

Quartum fuit vera *benignitas*, quâ pro hoſte oravit, ut dicamus benignitatem abundantem bonitatem, quæ eſt quaſi quidam fluvius exiens ripas ſuas, quo aliquis beneficus eſt non ſolùm amicis, ſed etiam inimicis. Sic fecit Abraham orando pro Abimelech Gen. 20. *Nunc ergò redde viro ſuo uxorem, & orabit pro te, quia propheta eſt, & vives*, & ſubditur. *Orante autem Abraham ſanavit Deus Abimelech, & uxorem ancillaſque ejus.*

5. Compaſſio.

Quintum fuit magna ejus *compaſſio*, quæ patet in hoc, quod pro Sodomitis qui perdendi erant ita allegavit apud dominum. Gen. 18. *Nunquid perdes juſtum cum impio?* &c.

6. Hoſpitalitas.

Sextum fuit devota & curialis *hoſpitalitas* Gen. 18. in ſuſceptione trium virorum, qui ei apparuerunt, ſecundùm Joſephum fuerunt tres angeli in forma humana, quorum duo miſſi ſunt ad ſubverſionem ſodomæ, & tertius ad nunciandum quod Sara paritura eſſet Abrahæ filium. Euſebius vero dicit verbum Dei ibi apparuiſſe cum duobus præconibus.

Tres Abrahæ apparentes qui fuerint.

Curialitas hoſpitalitatis Abrahæ fuit in duobus.

Curialitas attenditur in hoc, quod non expectavit quod ipſi hoſpitium peterent, ſed humiliter rogavit ut cum eo comederent dicens: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* *Item* quod modicum promiſit dicens: *ponam buccellam panis*, & multum præparavit, quia vitulum de armento optimum coxit.

Einſdẽ devotio hoſpitalitatis in quatuor conſiſtit.

Devotio vero oſtenditur in quatuor, ſcilicet in adoratione, in occurſu eorum, in pedum ablutione, & in præparationis acceleratione. Dicitur enim ibi: *Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria ſata ſimila commiſce*, &c. *Ipſe vero ad armentum cucurrit & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum & deditque puero, qui feſtinavit & coxit illum.* Origenes. Senex currit, Sara accelerat, puer feſtinat, nullus piger in domo ſapientis invenitur. Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblviſci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hoſpitio receptis.* *Quarto* oſtenditur devotio in hoc, quod ipſe eis in propriâ perſona miniſtravit. Unde Hieron. loquens de Abraham dicit: qui tres viros ſuſceperat, non ſervis præcepit ut hoſpitibus miniſtrarent, nec bonum quod exercebat per alium innuit, ſed quaſi prædâ repertâ cum Sara humilitati ſolus incubuit, ipſe pedes lavit, ipſe in humeris ſuis vitulum de armento portavit, ipſe ut ſervus ſtetit peregrinis prandentibus ſerviens, & manibus coctos cibos jejunantibus appoſuit.

DOMINICA XIV. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de ligno vitæ, Spiritu S. ſcilicet in corde hominis gratiam Dei habentis velut in paradiſo ſituato & de variis effectibus ac virtutibus fructuum hujus ligni, id eſt Spiritus ſancti.

Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, &c. *Galat.* 5.

SERMO LXXXVII.

Prooemiũ.

Homo propter duplicem ſuam ſubſtantiam mirabilior eſt reliquis creaturis.

Huic duplici ſubſtantiæ providit Deus duplici loco.

NOta inter creaturas hominem eſſe maximè mirabilem, cùm conſtet ex duplici ſubſtantia, ſcilicet corpore & anima. Altera terreſtri & quaſi jumentina, reliqua cœleſti & quaſi angelica. Altera, viſibili & corporea, reliqua inviſibili & incorporea. Mirabilior eſt homo quàm eſſet animal, quod conſtaret ex bove & aſino, utraque enim pars illius eſſet materialis. Qui autem utramque partem hominis fecit, à principio ſecundum utramque partem homini bene providit, terreſtri ſubſtantiæ præparando paradiſum terreſtrem: animæ vero, quæ angelis ſimilis eſt, cœlum Empyræum, ſicut

& angelis præparavit. Et quia utraque pars vitam habebat, in utroque loco lignum vitæ voluit eſſe. De *primo* legitur. Gen. 2 *Plantaverat Deus paradiſum voluptatis à principio.* Et paulo poſt: *Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave. Lignum vitæ etiam in medio paradiſi.* De *ſecundo* legitur Apoc. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.*

Itē duplici ligno vitæ.

Sed homo utrumque per peccatum amiſit & in hac valle miſeriæ poſitus eſt. Tamen Deus non obliviſcitur miſeriæ eorum qui diligunt eum, immò facit eis ibi paradiſum ſpiritualem. Sicut enim ipſe eſt in paradiſo, ſic vult eos habere paradiſum juxta illud Joan. 12. *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Paradiſus iſte eſt cor hominis habens gratiam Dei, juxta illud Eccleſiaſtici 15. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus.* Iſa. 51. *Ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Dei.*

His locis amiſſis degit homo in hac miſera vita, in qua paradiſus ejus eſt cor habens gratiā Dei.

Cor hominis, antequam dominus per gratiam ſit ibi, deſertum eſt, ſed Deo præſente paradiſus eſt juxta illud. Johel. 2. *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti.* Cor tale paradiſus dicitur, quia Dei habitatio eſt, ſicut enim dicit Interl. ſuper illud Lucæ 23. *Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradiſo*: Vita eſt eſſe cum Chriſto, quia ubi Chriſtus, ibi regnum. *Item* propter ejus latitudinem, cor enim tale majus eſt mundo, cùm Deus ſit ibi, quem conſtat majorem eſſe mundo: *Præterea* locus eſt luminis, amoris & gaudii, ſicut & cœleſtis Paradiſus Deo ſunt deliciæ. Proverb. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Etiam cœlum dicitur cor tale, de quo Bern. Nec mirum ſi dominus Jeſus libenter hoc cœlum inhabitat, quod non quomodo cæteris dixit tantùm ut fieret, ſed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret.

Cor carens Dei gratia eſt deſertū.

Cor dicitur paradiſus ob tria.

Cor juſti, cur cœlum dicatur.

Econtrario cor peccatoris infernus eſt, eo quòd ſit habitatio dæmonum, ut patet Matth. 12. ubi dicitur: *cum immundus ſpiritus exierit ab homine*, &c. Et Lucæ 8. ubi dicitur de Maria Magdalena, quòd ab ea ſeptem dæmonia exierunt. *Item* propter tenebras ignorantiæ, quæ ibi ſunt, & ignem pravæ concupiſcentiæ, & vermem remordentis conſcientiæ. Unde peccatoribus hic incipit infernus eorum, juſtis verò paradiſus eorum. Væ illis qui multis laboribus & expenſis faciunt hic ſibi infernum. Væ etiam illis qui potiùs eligunt in præſenti habitare in inferno quàm in paradiſo. Mira inſania eſt talium, qui infernum præoccupant. Videtur quòd ipſi credant nimis tarde ſe perventuros in infernum.

Cor peccatoris infernus vocatur ob duo.

Invehitur in peccatores.

In paradiſo autem iſto ſpirituali eſt etiam lignum vitæ, ſcilicet Spiritus ſanctus, cujus fructus hic enumerat Apoſtolus dicens: *fructus ſpiritus eſt charitas*, &c. De hoc ligno vitæ legitur. Apoc. 22. *Oſtendit mihi flumen aquæ vivæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedens de ſede Dei & agni: In medio plateæ ejus & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim. Per menſes ſingulos reddens fructus ſuos & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Aqua dicitur gratia Spiritus ſancti, quia abluit. Viva verò, quia non deficit. Aliquis poteſt prohibere gratiam à ſe, vel quia cor ſuum eſt in alto ſuperbiæ, vel objectu alicujus peccati, ſed gratia Dei, quantū in ſe eſt, parata eſt irrigare corda. Flumen verò dicitur, quia ſingulas regiones unam poſt aliam rigat. *Citra* flumen illud ſumus nos, qui ſumus in hac vita, qui nondum juſtificati perfectè, adhuc juſtificari indigemus. *Vltra* flumen verò ſunt illi, qui perfectè juſtificati, ulteriùs juſtificari non indigent, illi ſcilicet, qui ſunt in patria. Lignum verò vitæ eſt ipſe Spiritus ſanctus, unus & idem ex utraque parte fluminis. Unum enim & eundem Spiritum ſanctum juſtificantem, regentem, protegentem & conſolantem habet militans Eccleſia quem & triumphans. Duodecim fructus ligni vitæ ſunt 12. fructus, quos hic enumerat Apoſtolus Hos fructus reddit lignum vitæ per ſingulos menſes, id eſt, aſſiduè. Et Notandum *quinque* eſſe admiranda circa lignum illud. *Primum* eſt ligni identitas ex utraque parte fluminis. *Secundum* eſt fructuum varietas, quia 12. in ſpecie. *Tertium* eſt fructuum aſſiduitas. *Quartum* eſt fructuum precioſitas. Sicut enim Spiritus ſanctus arbor nobiliſſima eſt, ſic fructus ejus precioſiſſimi. *Quintum* eſt foliorum ſalubritas, de qua ibi & *Folia ligni ad ſanitatem gentium.*

In corde hominis lignum vitæ eſt S. Spiritus.

Circa quale flumen hoc lignum ſitum ſit.

Citra hoc flumen qui habitent. Qui ultra.

S. Spiritus utriſque eſt lignum vitæ.

Fructus ligni hujus hic recenſet Apoſtolus. De hoc ligno & fructibus ejus. V. Tractabentur hoc ſermone.

Et nota quod Primum debet eſſe cauſa magnæ fiduciæ Eccleſiæ militanti, quæ ſcilicet habet Spiritum ſanctum quaſi quoddam pignus hæreditatis æternæ, cui pignori ſecurè poteſt incumbere, quia eſt ſummum bonum. Unde 1. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*, & Epheſ. 1. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Quidam tamen codices meliùs habent; *arrham* Gloſſa. Intereſt inter arrham & pignus, quia quando pignus datur, ſoluto eo pro quo ponitur, aufertur. Arrha verò eſt, cùm de ipſo precio datur aliquid, quod non eſt auferendum, ſed complendum. Unde cùm Spiritus ſanctus in futuro non auferatur, ſed pleniùs habeatur, meliùs videtur dici arrha Spiritus ſancti quam pignus.

I. Idem Spiritus S. eſt lignum vitæ Eccleſiæ triumphantis & militantis.

S. Spiritus meliùs arrha quàm pignus vocatur.

Circa Varietatem verò fructuum notandum; quod in *tribus primis* fructibus perfectis eſt perfecta beatitudo, in aliis verò initiatis eſt initium beatitudinis vel beatitudo viæ, inter quos charitas præcedit ut caput virtutum ſecundùm Auguſt. De qua etiam dicit Hieron. Quæ alia debuit inter fructus ſpiritus habere primatum niſi charitas? ſine qua cæteræ virtutes non reputabuntur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur omnia cætera bona. Charitas quæ eſt primus fructus ligni vitæ eſt ipſa vita ſpiritualis, charitas enim eſt conjunctio animæ cum Deo, quæ vita eſt, ſicut ſeparatio animæ à Deo eſt mors. Unde Aug. Vera mors quam homines non timent eſt ſeparatio animæ à Deo, qui eſt vita animarum. Charitate amantur quæ amanda ſunt, quæ ſi habeantur ſequitur gaudium, quod eſt conjunctio convenientis cum conveniente, charitatis cum charitate. Charitate etiam odiuntur quæ odienda ſunt, quibus ſi careat homo, jam habet pacem. In futuro igitur perfectè amabuntur quæ amanda erunt, ubi erit præſentia omnis boni & abſentia omnis mali. Perfecta erit beatitudo, quia beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus. Initium verò beatitudinis eſt, ubi Deus eſt per gratiam, qui eſt verum & ſummum bonum, & ubi abeſt malum culpæ mortalis, licet malum pœnæ adſit, quia malum pœnæ non eſt verè malum. In viris ergo juſtis eſt in præſenti verum gaudium, licet non plenum; & vera pax, licet non plena. Joan. 16. *Petite & accipietis, & gaudium veſtrum ſit plenum.*

II. Fructuum Spiritus S. varietas & diverſitas.

Tres primi à reliquis quomodo differant charitas cur ſit primo poſita.

Ex Charitate Gaudium & pax oriuntur.

Tres primi fructus in vita hac nō habentur perfecte.

In peccatoribus vero ubi charitas non eſt, non poteſt eſſe verum gaudium, ſed vanum cum ipſi vana ament. Unde ſuper illud Philip. 4. *Gaudete in Domino*, &c. dicit Auguſt. Quid eſt ſæculi gaudium? breviter dico, ſæculi lætitia eſt impunita nequitia, ſcilicet luxuriari, in ſpectaculis nugari, ebrioſitate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati. Et ſubditur magnæ miſericordiæ eſt impunitam nequitiam non relinquere, ne gaudium domini ſit in ſæculo, & ne cogatur in extremis gehenna damnari. Seneca. Fundamentum bonæ mentis eſt non gaudere vanis. Ad ſummam pervenit, qui ſcit quo gaudeat. Similiter & vera pax non eſt in peccatoribus, cùm habeant peſſimum hoſtem in domo propriæ conſcientiæ, peccatum ſcilicet. Peſſimus hoſtis quem habet homo peccatum eſt, cùm neque diabolus neque malus homo poſſit nocere homini, niſi

Peccatores non habent Charitatem nec verum Gaudium.

Sæculi Gaudium quale ſit.

Peccatoribus cur non ſit pax vera.

niſi hoc mediante, quia non nocebit adverſitas, ſi non dominetur iniquitas. Iſa. 48 *Non eſt pax impiis, dicit dominus.* Quomodo poteſt huic eſſe pax, qui habet bellum inteſtinum? Synderelis enim, ſcilicet ſuperior pars rationis, quæ Deo concordat, repugnat cum inferiori. Et *nota* quòd hi tres primi fructus animam perficiunt quantū ad vera mala & vera bona, tres verò ſequentes perficiunt hominem quantum ad mala pœnæ. *Tribus* autem gradibus aſcenditur ad hoc, quòd aliquis ſe perfecte habeat ad mala pœnæ. *Primus* gradus eſt *patientia* quæ in hoc attenditur, ut homo non deducatur in malum per conſenſum, etſi patiatur aliquantulum, vel turbetur. Juxta illud. Pſ. 76. *Turbatus ſum & non ſum locutus.* Patientia enim etſi timeat mala pœnæ, tamen non tantùm, ut propter hoc inſiliat in mala culpæ. Agnoſcit enim deteriora eſſe mala culpæ quàm mala pœnæ. Imò mala pœnæ mala non ſunt, cum ſint à ſummo bono & in ſummo bono, ſcilicet Chriſto, & ducant ad ſummum bonum, ſcilicet Chriſtum. Gregorius: Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Ad *ſecundum* gradum pertinet *longanimitas* quæ eſt longa exſpectatio amotionis malorum in quibus eſt homo, vel redditionis bonórum promiſſorum. Eccleſiaſtici 1. *Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.* Non eſt perfectè patiens qui ad horam malum pœnæ ſuſtinet, ſi in hoc non perſeverat. Ad *tertium* gradum pertinet *bonitas*, quæ intelligitur eſſe dulcedo animi, quæ facit ut homo non patiatur à malis pœnæ, nec deducatur ad conſentiendum alicui malo, quod fit quando homo habet tantam dulcedinem Spiritus ſancti in corde, quod dulcedine illa quaſi quadam ſalſa dulcorantur tribulationes. Eccleſiaſtici 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* *Tres* fructus ſequentes faciunt ut homo bene ſe habeat ad eum; qui ſocius eſt ei in præſenti miſeria, ſcilicet ad proximum ſuum. *Benignitas* conſiſtit in ſuorum largitione. Unde 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, id eſt, larga egenis, dicit Gloſſa. Et ſuper illud Epheſ. 4. *Eſtote invicem benigni*, id eſt, de facultatibus veſtris largi dicit Gloſſa. *Manſuetudo* attenditur in tractabilitate ipſius perſonæ, ad quam monet nos dominus. Lucæ 6. dicens. *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos faciatis eis ſimiliter.* Sed quia tractabilitatem ſolet comitari convertibilitas ad malum, ideò neceſſaria eſt *fides* tertio loco, quæ in hoc attenditur, ut homo talem ſe exhibeat, ut meritò in ipſo confidatur, ut confidentem de ſe non fallat, vel fraudet, vel deſerendo amicum in adverſis, vel defraudando eum in commiſſis, vel alio modo. Gloſſa tamen vult, quòd fides hæc aliter ſumatur, ut dicatur certitudo de inviſibilibus. *Tres* verò *ultimi* fructus faciunt ut homo bene ſe habeat ad bona tranſitoria, quibus in præſenti vita utimur. *Modeſtia* in hoc attenditur, ne in uſu eorum, quantum ad quantitatem erretur. *Continentia* verò in hoc, ne quis qualitate rerum quibus utitur, ſeducatur ſicut mater noſtra, de qua Gen. 3. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit.* Ideò Seneca. Palatum tuum fames excitet non ſapores. *Tertia* eſt *caſtitas*, quæ in hoc attenditur, ut ad ſupernum finem uſus rerum temporalium referatur. Anima ſponſa eſt Dei. Nuncii verò qui à ſponſo ſuo ſunt miſſi, ſunt bona præſentia ad nunciandum ei aliquid de potentia, ſapientia & de bonitate ſponſi ſui. Auguſt. Nutus tui domine ſunt omne creaturarum decus. Item. Domine cœlum & terra & mare & omnia quæ in eis ſunt, undique mihi dicunt ut amem te, nec ceſſant hoc dicere omnibus. Scotus. Laudat creatura artificem & mirabilium operum forma ſpeciem demonſtrat auctoris. Anima verò quæ nuncios ſponſi pro ſponſo amplectitur, adulterium ſpirituale vel fornicationem committit. Unde contra caſtitatem, de qua hic agitur, facere videntur illa tria, de quibus loquitur Auguſt. quæ ſunt privatio modi, ſapientiæ & ordinis.

Sex primi fructus in quibus perficiant nos. Tres medii fructus ſunt tres gradus in patiendo aſcendendi.

1. Patientia, in quo conſiſtat.

Mala pœnæ cur mala non ſint.

2. Longanimitas, quid ſit.

Quis ſit perfectè patiens.

3. Bonitas, quid ſit, quid efficiat.

Tres medii poſteriores fructus qui nos perficiant erga proximum.

Tres ultimi fructus qui faciant ut nos bene habeamus ad terrena.

Caſtitatem violare quantum ſit adulterium.

II Feracitas hujus arboris vitæ quanta ſit.

De Aſſiduitate verò Fructuum notandum, quòd cum aliæ arbores longo tempore ſint ſine fructu, & etiam anno in quo debent fructum ferre, non per totum annum fructum ferant, & ante fuerint in eis flores quàm fructus, arbor tamen quæ eſt Spiritus ſanctus non eſt in homine ſine fructu. Matth. 12. *Ex fructu arbor cognoſcitur.* Unde multùm deberet timere qui nullum fructum aſſignatum in ſe invenit, ne Spiritus ſanctus in corde ejus non ſit. Flores etiam hujus arboris ſunt propoſita ſancta, & fructus opera ſancta, ideò ficui comparatur Spiritus ſanctus, Prov. 27. Ubi ſic legitur. *Qui ſervat ficum, comedet fructus ejus, & qui cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur.* Ficus habet dulcedinem fructuum & longam ſucceſſionem eorum; ſic Spiritus ſanctus habet dulces fructus & aſſiduos. In præſenti, qui cuſtodit Spiritum ſanctum, comedet fructus gratiæ, in futuro verò habebit fructus gloriæ.

Flores & fructus hujus arboris qui ſint.

IV. Fructuum S. ſpiritus precioſitas. Tres primi cur ſint valdè precioſi.

Sequitur de Precioſitate horum fructuum. Et notandum quòd *tres primi* fructus valdè ſunt precioſi, cùm ſint precium regni æterni, vel potiùs ſunt ipſum regnum æternum, Roman 14. *Regnum Dei non eſt eſca & potus*, id eſt, cauſa regni. *Sed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto*, ſupple, eſt regnum Dei, id eſt, cauſa regni Dei. Juſtitiam hic intellige charitatem, hoc enim juſtiſſimum eſt, ut Deus ſuper omnia diligatur, qui ſuper omnia valet, & proximus nobis ſimiliter diligatur, ſicut & nos. Bern. Inexcuſabilis eſt & infidelis qui non diligit Deum toto corde, tota anima, tota mente. Clamat quippe intus innata juſtitia, quòd ex toto eum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat. Vel iſta tria ſunt regnum in homine, juxta illud. Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt*, id eſt, vita regia. In his conſiſtit cœleſtis vitæ fructus.

Charitas cur appelletur Juſtitia.

V. Fructus. Charitas cur ſit fructus precioſiſſimus.

Specialiter verò fructus charitatis valdè precioſus eſt, immo videtur eſſe ipſa precioſitas hominis & operum ejus, cùm quaſi nihil in valore ſit homo antequam charitatem habeat. 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Immo opera facta ſine ea nihil proſunt, ut ibidem legitur. Fructus ille *quadruplicem* habet virtutem. *Prima* eſt quòd ſanat omnem lætalem infirmitatem ſpiritualem, cui ſanationi atteſtatur bona diſpoſitio guſtus ſpiritualis. Habenti enim charitatem ſapiunt res provt ſapere debent, eſt enim charitas amor ordinatus, quo precioſa habentur quæ verè ſunt precioſa, & vilia quæ verè ſunt vilia, ſcilicet temporalia iſta. Seneca. Abſtrahunt à recto honores & divitiæ & potentiæ, &c. quæ opinione noſtra chara ſunt, precio autem ſuo vilia. Unde ille, cui ea quæ vilia ſunt, precioſa exiſtimantur, multùm deberet timere de ſpirituali infirmitate ne adſit, & ne charitas deſit. Hæc virtus charitatis innuitur nobis. Proverb. 10. ubi legitur quod *univerſa delicta operit charitas.* Operire iſtud eſt facere quaſi nunquam illa peccata fuerint. Bern. Plenè & miſericorditer indulget vel remittit Deus, non enim damnat ulciſcendo vel iraſcendo, nec confundit improperando, nec minùs amat imputando. Idem. Quod Deus mihi imputare non decrevit, ſic eſt quaſi nunquam fuerit. Fructus ille ſic ſanat ſpirituales infirmitates quaſi nunquam fuerint. *Secunda* virtus hujus fructus eſt quòd hominem facit ſapientem. Eccleſiaſtici 1. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia.* Non eſt verè ſapiens qui verè bona chara non habet, ſicut non eſſet ſapiens mercator, qui aurum pro luto daret. Bona temporalia

Vis ejus quadruplex eſt.

1.

2.

reſpectu æternalium ſe habent ſicut lutum ad au-
rum Sapien. 7. *Omne aurum in comparatione ſa-
pientia quaſi arena eſt exigua, & tanquam lutum*
Pecunia quid ſit. *exiſtimabitur argentum in comparatione illius.* Au-
rum & argentum terra ſunt juxta illud Bernard. Au-
rum & argentum eſt terra alba & rubea, quæ ſolus
error hominum & non virtus eorum facit precio-
ſa. Pecunia enim lutum reputatur à Propheta Aba-
cuc. 2. *Væ*, inquit, *ei qui multiplicat non ſua. Vſ-
que quò aggravat contra ſe denſum lutum?* Charitas
unctio eſt docens hominem, ubi deeſt homini alius
magiſter. Unde 1. Joan. 2. *Vos unctionem habetis à
ſancto & noſtis omnia*, & poſt hoc: *non neceſſe habetis
ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de om-*
3. *nibus. Tertia* virtus hujus fructus eſt, quòd homi-
nem reddit divitem propter ſui precioſitatem, quia
eſt aurum ignitum & probatum juxta illud. Apoc. 3.
*Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum
ut locuples fias.* Cuncta quæ contingit quaſi aurea
facit, quantum ad precioſitatem; cuncta enim quæ
fiunt ex charitate, meritoria ſunt regni cœle-
ſtis. Facit etiam divitem, quia participem reddit
4. omnium bonorum Eccleſiæ. *Quarta* virtus ejus
eſt, quia facit hominem Deo placentem, cùm enim
aliquis per charitatem Deũ amat, amatur ab eo. Un-
de Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à patre
meo, & ego diligam eu, & manifeſtabo ei me ipſum*, &
Prov 8. *Ego diligentes me diligo* &c. Et ſuper illud.
Pſ. 32. *Exultate juſti in domino.* Dicit Gloſſa. Placet
Deo, cui placet Deus. Ideò Deus aliquos ſpernit,
quia ipſi ſpernunt eum. Iſa. 33. Væ qui ſpernis, non-
ne & ipſe ſperneris? Nonne Deum bene ſpernit
ille, qui faceret pro obulo, quod non faceret pro
Deo? & nonne Deus bene ſpernit eum, quem per-
mittit eſſe in luto vitiorum ſuorum multis annis,
quòd non elevat eum? Eccleſiaſtæ 7. *Conſidera
opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille de-
ſpexerit.*

II. Fructus Gaudium eſt fructus dulciſſimus. Gaudium hoc excedit gaudium carnis.

Sequitur de Fructu gaudii, qui dulciſſimus eſt
Eccleſiaſtici 30. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis
corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gau-
dium.* In *tribus* videtur excedere gaudium cordis re-
ſpectu carnalis gaudii. *Primo* in continuitate, homo
enim carnalis non ſemper ſedet ad menſam corpora-
lem, ſed *ſecura mens quaſi juge convivium.* Prov. 15.
1. *Secundo* in hoc, quod purius eſt. Guloſus enim ha-
2. bet multas amaritudines annexas gaudio ſuo, ut eſt
afflictio ex dilatione delitiarum, quas vehemen-
ter appetit. Item defectus quos in eis quæ ſibi appo-
nuntur invenit, quia ſecundùm Auguſt. Ubicun-
que caro quærit refectionem, invenit defectionem.
Præterea excedit in ſumendo delectabilia, unde
lædit & conſcientiam, & corpus, & naturam. Ex
quo ſequitur duplex amaritudo, remorſio conſcien-
tiæ, & infirmitas, vel aliud gravamen corporis. Se-
neca. Voluptas eſt brevis, faſtidio objecta, quæ
quò avidiùs hauſta eſt, citiùs in contrarium recidẽs.
Eccleſiaſtici 31. *Amaritudo animæ vinum multum
potatum*: econtrario, *exultatio animæ & corporis vi-*
3. *num moderate potatum*, ut ibidem legitur. *Tertio* in
hoc, quòd gaudium cordis eſt exultatio animi de
magnis bonis & veris. Unde dicit Gloſſa ſuper illud
verbum: *fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax*,
id eſt, elatio animi de his quæ digna ſunt, innuens
gaudium ſpirituale eſſe de his de quibus dignum
Vis hujus fructus quadruplex eſt. eſt gaudere, gaudium carnale eſt de vilibus. Sene-
ca. In voluptate nihil eſt magnificum, &c. Habet
autem ille fructus *quadruplicem* virtutem. *Prima*
eſt quæ hominem facit diu vivere vita gratiæ.
1. Eccleſ. 30. *Jucunditas cordis eſt vita hominis, &
theſaurus ſine defectione ſanctitatis, & exultatio viri
eſt longævitas.* Econtrario triſtitia eſt occaſio
Triſtitia fugienda. quandoque mortis ſpiritualis. Unde Eccleſ. 30. *Tri-
ſtitiam longe expelle à te, multos enim occidit tri-
ſtitia.* Et Proverb. 15. *In mœrore animi dejicitur
ſpiritus*, dejicitur, inquam, ab alto virtutum, &
Proverb. 17. *Animus gaudens ætatem floridam fa-
cit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Ætas florida, ætas
juvenilis quæ fortior eſt; exſiccatio verò oſſium
eſt exſiccatio animæ ab humore gratiæ, ex qua
ſolet ſequi, quòd homo frangitur per impatien-
tiam, ſicca enim ligna citiùs franguntur, quàm
flectantur. *Secunda* virtus ejus eſt, quòd homi- 2.
nem facit bene & ſocialiter cum hominibus con-
verſari. Proverb. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem.*
Vix poteſt homo hominibus eſſe benè affabilis, niſi
habeat gaudium cordis. Proverb. 27. *Stude ſa-
pientiæ fili mi, & lætifica cor, ut poſſis exprobranti re-
ſpondere ſermonem*, Unde non expedit Prædicatores Prædicatores & Pœnitentiarii quid vitare debeant.
& Pœnitentiarios, vel alios qui habent loqui cum
hominibus, nimis ſe affligere vel jejunando, vel vi-
gilando, ne triſtitiam vultus ſui homines fugiant.
Tertia virtus eſt, quòd hominem reddit terrena de- 3.
ſpicientem. Eccleſiaſtæ 1. *In multa ſapientia multa
indignatio*, id eſt, ubi multa eſt ſaporatio vel ju-
cunditas, ibi eſt multus contemptus terrenorum.
Auguſtinus. Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.
Quarta virtus eſt quòd hominem de diabolo facit 4.
triumphare. Antonius. Unica ratio vincendi ini-
micum eſt lætitia ſpiritualis. quando diabolus vi-
det in aliquo ſpiritualem lætitiam, multùm diſplicet
ſibi, quia ſcit Deum adeſſe. Unde 1. Regum 4. dicunt
Philiſtæi, qui tenent figuram dæmonum, *venit Deus
in caſtra. Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio
heri & nudius tertius.* Conſtat ex diverſis teſtimo- Iucunditas vitæ bonorum ex ſcripturis oſtẽditur.
niis ſcripturarum meliorem & jucundiorem eſſe vi-
tam bonorum quàm malorum. Gregorius. Abſit
quòd tanta delectatio ſit in vitiis, quanta in virtu-
tibus eſt Bern. loquens de illo verbo, Pſal. 30. *Odiſti
obſervantes vanitates ſupervacuè.* An non ſuperva-
cuè vanitates obſervat, qui non ſolùm fructuoſiùs,
ſed etiam jucundius ſervire poterit Deo quàm
mundo. Hierem 17. *Ego non ſum turbatus te paſtorem
ſequens.* Gloſſa, quantò magis Chriſtum ſequeris,
tantò minùs laboras & Eccl. 24. *Spiritus meus ſuper
mel dulcis*, & Sapien. 12. *O quàm bonus & quam ſua-
vis eſt domine ſpiritus tuus in omnibus.* Cantic. 4.
*Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi
tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Id
quod latet intrinſecus in anima, quæ ſpõſa eſt Chri-
ſti, quod multum placet ei, eſt uſus ſive ſpirituale
gaudium animæ. In eodem. *Sicut fragmen mali pu-
nici, ita gena tua, abſque eo quod intrinſecus latet.*
Placet Chriſto in ſponſa ſua rubor ſanctæ verecun-
diæ, vel imitatio paſſionis dominicæ cum uſu ſpiri-
tuali. Item Cantic 7. *Quam pulchra es & quam de-
cora chariſſima in deliciis, ſtatura tua aſſimilata eſt
palmæ.* Palma à parte inferiori aſpera eſt, à parte ſu-
periori pulchrior, & habet fructus dulces. Sic vir bo-
nus dulcedinem ſpiritualem habet in mente ſua.
Item Cantic. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto
deliciis affluens*, & Job. 22. *Tunc ſuper omnipotentem
deliciis affluens*, & in Pſ 20. *Quoniam prævenisti eum
in benedictionibus dulcedinis.* Benedictio dulcedi-
nis vocatur largitio ſeptiformis gratiæ Spiritus ſan-
cti, cui annexa eſt dulcedo. Et dicitur hoc ad diffe-
rentiam collationis temporalium, quæ eſt benedi-
ctio amaritudinis. Item in Pſ. 30. *Quam magna mul-
titudo dulcedinis tuæ domine quam abſcondiſti timen-
tibus te, perfeciſti eis qui ſperant in te*, &c. Hanc dul-
cedinem non ſentiunt perfectè, qui de novo con-
verſi ſunt, in quibus timor habitat vel abundat,
ſed ſpe adveniente ampliùs ſentitur. Unde Ec-
cleſiaſtici 2. *Qui timetis dominum ſperate in
illum, & in oblectationem veniet vobis miſeri-
cordia.* Matth. 11. *Iugum meum ſuave eſt* &c. His
& multis aliis ſcripturarum verbis patet jucun-
ditas quæ eſt in vita bonorum. Sed hæc jucunditas
in

Cur hæc à peccatoribus converſis initio nõ ſentiatur.

id principio bonæ vitæ parva vel nulla eſt propter
conſuetudinem peccandi quæ præceſſit. Hieron.
Inſuavem & aſperã fecit nobis viam virtutum longa
conſuetudo peccandi. *Dulce enim lumen & delectabile oculis videre ſolem.* Eccleſiaſtæ 11. Tamen
lux ſolis contriſtat oculos tenebris aſſuetos, via
enim virtutum moleſta eſt illis qui aſſueti ſunt vitiis
ſed paulatim incipiunt dulcedinem ſentire. Unde
ſuper illud Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt*, dicit
Gloſſa. Anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, quæ non
niſi anguſto initio incipitur, proceſſu verò temporis ineffabilis dilectionis dulcedine dilatatur. Prov.
4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris non arctabuntur greſſus tui*, & in eodẽ. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Paulatim creſcit & lux, &
amor. & gaudium viri juſti uſque ad perfectam
beatitudinem 2. Cor. 3. *Nos omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem tanquam à domini ſpiritu.* Secundùm Aug. facies revelata eſt
ratio expedita, transformatio de claritate in claritatem eſt tranſitus de forma obſcura in lucidam,
donec perveniamus ad imaginem Domini, id eſt;
ad hoc ut Deo ſimiles ſimus juxta illud. 1. Joan. 3.
Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.

Afflictiõ vitæ malorum ex ſcriptura probatur.

De afflictione verò quæ eſt in vita malorum
conſtat his teſtimoniis ſcripturæ. Hierem. 9. *Ut iniquè agerent laboraverunt.* Iſa. 57. *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Apoc. 14. *Nec habebant requiem die ac nocte qui adorabant beſtiam.*
Sapien. 5. *Laſſati ſumus in via perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Hierem. 2. *Scito & vide quia malum eſt & amarum reliquiſſe te dominum Deum tuum.*

Vitam bonorum jucundam faciunt.

Multa verò ſunt quæ faciunt ad jucunditatem
bonorum. *Primum* eſt *puritas conſcientiæ*, animus
enim hominis generoſus plùs quieſcit in lectulo cõ-
1. ſcientiæ, quando mundus eſt, quam immundus, naturaliter enim abhorret immunditiam. Unde ſuper
illud: *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium*, &c. dicit Gloſſa, id eſt, puritas animi. Præterea peccata
non ſolùm immunditia ſunt animi, ſed etiam infirmitas, qua ſanata animus quietem & jucunditatem
habet. Unde dicitur. Proverb. 16. *Dulcedo animæ*
2. *ſanitas oſſium.* *Secundum* eſt *exoneratio à debito mortis æternæ*, quo onere peccatores onerati ſunt.
Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & reficiam vos*, &c. Et in Pſ. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gra-*
3. *vatæ ſunt ſuper me.* *Tertium* eſt *libertas* vel *ſolutio à vinculo diaboli.* Ligatus enim eſt peccator, ut non
poſſit liberè facere, quod vult ſecundùm partem
ſuperiorem rationis, juxta illud. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Quando verò jam habet Spiritum ſanctum, habet libertatem, juxta illud. 2.
ad Corinth. 3. *Ubi ſpiritus domini, ibi libertas.*
4. *Quartum* verò eſt *quies à cruciatu malarum affectionum.* Peccatores quandoque cruciantur fame & ſiti
inſatiabili divitiarum, vel delitiarum, vel honorum.

Paſſionum cruciatus.

Unde Lucæ 15. dicit filius prodigus, qui tenet perſonam eorum: *Ego autem hic fame pereo.* Et iam cruciantur quandoque timore, ut patet in avaro qui habet caput tremulum ſicut Cain. Job 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus, & cum ſit pax ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Quandoque etiam cruciantur
invidia, quæ facit, quòd ipſi amittant quando alii
lucrantur. Quandoque etiam cruciantur ira. Hæ
autem paſſiones ceſſant in eis qui bene vivunt, unde majorem quietem habent. Sicut ille qui de acuta
febri convaluit, meliùs quieſcit, eò quòd ſitis &
ardor caloris in eo ceſſaverit. Auguſtin. Juſſit
Deus, & verum eſt, ut ſui pœna ſit omnis inordinatus animus. *Quintum* eſt *quies animæ & con-* 5.
ſcientiæ. Peccator enim dum eſt in peccato, ſtimulatur à conſcientia remordente, nec permittitur
quieſcere. Hæc eſt prima vindicta quam ſumit Deus
de peccatore, quia non ſinit Deus dedecus culpæ
eſſe in homine abſque decore juſtitiæ vel vindictæ, juxta verbum. Auguſtin. Et prima eſt hæc
ultio, quòd ſe judice nemo nocens abſolvitur.
Ceſſante autem remorſione meliùs quieſcit homo,
ſicut aliquis meliùs quieſceret in lectulo florido,
quam in lecto ſpinis pleno. Cant. 1. *Lectulus noſter*
floridus. *Sextum* eſt *præſentia gratiæ divinæ*, quæ mẽ- 6.
tem illuminat cognitione & aſpergit rore cœleſtis
gratiæ, ex quo ſequitur jucunditas. Qui in peccatis
ſunt, in tenebris ſunt, unde quale gaudium poſſunt
ipſi habere? Tob. 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo & lumen cœli non video.* Lumen
verò ad gaudium facit, in Pſalm. 88 *Domine in lumine vultus tui ambulabunt & in nomine tuo exultabunt tota die.* Proverb. 13. *Lux juſtorum lætificat.*
Similiter virtutes, quæ à fonte cœleſtis dulcedinis
aſperguntur in cordibus eorum, faciunt ad jucunditatem bonorum. Auguſt. Super illud. 2. ad Corinth. 12. ubi loquitur de raptu Pauli dicit. In illa
regione intelligibilium bona vita in fonte ſuo bibetur, inde aliquid aſpergitur huic humanæ vitæ, ut
in tentationibus hujus ſæculi temperanter, fortiter,
juſtè prudenterque adjuvetur. *Septimum* eſt *te-* 7.
ſtimonium Spiritus ſancti. De quo ad Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Hoc teſtimonium eſt oleum illud quod

Teſtimonium S. Spiritus quid ſit.

prudentes virgines ſumpſerunt in vaſis ſuis. Matth.
25. Hoc teſtimonium poteſt intelligi gloria iſta;
de qua loquitur. Apoſtol. 2. ad Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hanc
vocat beatus Bernard. devotionem, loquens de
illo verbo *oleum effuſum nomen tuum.* Audite, Cant. 1.
inquit, quæ & quanta infundere oporteat, priuſquam effundere præſumamus. Primò quidem compunctio, deinde devotio, tertiò pœnitentiæ labor,
quartò pietatis opus, quintò orationis ſtudium,
ſextò contemplationis ocium, ſeptimò plenitudo
dilectionis. Deinde ſubdit, abſcindatur ferro
acutæ compunctionis ulcus inveteratæ conſuetudinis. Si eſt acerbus dolor, leniatur unguento devotionis, quod non eſt aliud niſi concepta de ſpe indulgentiæ exultatio. Hanc continendi parit facultas
& victoria de peccato. *Octavum* eſt *bona ſocietas*;
habens ſecum Deum & viros plenos Deo Bernard. 8.
Cum quo eſt Deus, nunquam minùs ſolus eſt,
quàm cùm ipſe eſt ſolus. Seneca. Sacer infra nos
ſpiritus ſedet, bonorum & malorum obſervator
noſtrorum. Hic dat magnifica conſilia & recta.
Pſal. 132. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum*, &c.
Nonum eſt *jucunditas boni operis.* Pſal. 118. *In cuſto-*
diendis illis retributio multa. Ibi dicit Gloſſa. Non 9.
tantùm pro eis in futuro reddetur præmium, ſed &
hic in eorum cuſtodia magnum eſt gaudium. Item
Gloſſa. Quæ retributio tanta eſt, ut non poſſit dici. Cujus gaudii multiplex poteſt aſſignari ratio.

Gaudii de bono operatio.

Una ratio poteſt eſſe hæc, quòd opus meritorium eſt
in mediocritate, natura verò in mediis delectatur
& in extremis contriſtatur. Ut viſus contriſtatur 1.
de nimia albedine, & delectatur in viridi colore,
qui eſt medius color. *Alia* ratio poteſt eſſe, quòd
Dei juſtitia non deſinit eſſe opus bonum abſque 2.
remuneratione, etiam in præſenti, ſicut non deſinit
eſſe dedecus culpæ, abſq; decore vindictæ. *Præterea*
ſicut mulier naturaliter gaudet cum peperit filium, ſi 3.
autem peperiſſet bufonem, vel ſerpentem, vel aliud
cõtra naturam, doleret; ſic anima gaudet quòd opus
bonum fecerit, tanquam fructum ſibi competentem, & contriſtatur de malo opere, tanquam de
fructu contra naturam. Joan. 16. *Mulier cum parit*

triſtitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem pe-
perit puerum jam non meminit preſſuræ propter gau-
dium. Etiam in præſenti datur gaudium homini de
fructu manuum ſuarum, Prov. ult. Et virtutes panem
ſuum comedunt juxta illud. Iſa. 4. *Panem noſtrum co-*
10. *medemus.* *Decimum* eſt *ſecuritas mentis*, quæ eſt
quaſi juge convivium, ut legitur Prov. 15. Certi ſunt
viri ſancti quòd malū pœnæ non nocebit eis, ſolùm
ſibi caveant in malo culpæ. In Pſal. 21 *Si ambula-*
vero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quo-
niam tu mecum es. Prov. 28. *Iuſtus quaſi leo confidens*
11. *abſque terrore erit.* *Undecimum* eſt hoc, quòd
Deus parcit viris juſtis à multis operibus laborioſis
& periculoſis, & etiam ipſimet ſibi parcunt. Greg.
Miſericors Deus, quos tenerè diligit, ab extremis
actionibus eos cuſtodit. Nam & pater familias ad
eum laborem ſervos dirigit, à quo ſubtiles filios ab-
ſcondit, & inde veri filii ſine vexatione decori
ſunt, unde ſervi in pulvere deturpantur. Item ceſſa-
tionem Deus à laboribus mundi imperat, ſed ve-
ſana mens plùs ſe aſſequi aſpera carnaliter, quàm
tenere blanda ſpiritualiter gaudet. Habentes man-
na faſtidiunt, & ſæpè deſiderant quæ non ſine la-
chrimis comedunt. Contritio & infelicitas in viis
talium, & viam pacis non cognoverunt. *Duode-*
Pſal. 13. 12. *cimum* eſt hoc, quòd corda juſtorum à terrenis exal-
tata ſunt, juxta illud Senecæ. Talis eſt ſapientis
animus, qualis mundus ſupra lunam. Semper illic
ſerenum eſt. Gregorius. Omnes qui illicita appe-
tunt, vel in hoc mundo aliquid videri volunt, de-
preſſis cogitationum tumultibus in corde compri-
muntur. Idem. Contemptores mundi, quia nihil hu-
jus mundi appetunt, nullis proculdubio in corde tu-
13. multibus comprimuntur. *Decimumtertium* eſt *amor*
ſapientiæ, ex quo amore accidit, quòd ipſi libenter
ſtudent ſapientiæ, vel libenter audiunt doctrinam.
Senec. Nemo poteſt beatè vivere, nec tolerabiliter
quidem, ſine ſapientiæ ſtudio. Et beata quidem
vita perfectæ ſapientiæ efficitur, cæterum tolerabi-
lis inchoata. Sap. 8. *Intrans in domum meam con-*
quieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem
converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed læ-
titiam & gaudium. Eccl 23. *Nihil dulcius quam re-*
ſpicere in mandatis domini. Moyſes enim ſuſcepit
mandata Dei à domino. Quadraginta diebus &
quadraginta noctibus fuit, quòd neque comedit
neque bibit. Exod. 24. Et ſuffecit ei conſolatio di-
vinæ allocutionis. Multùm ei diſſimiles ſunt, qui
tam citò tædio afficiuntur, quando dominus illis
Deus quomodo nobis loquatur. incipit loqui. Tunc Deus loquitur nobiſcum, quan-
do ſcripturam divinam legimus, vel eam ab alio
audimus. *Decimumquartum* eſt hoc, quòd ipſi
14. diſcretè regunt opera ſua, ideò non habent tot
moleſtias corporis ſicut mali, neque etiam ita citò
moriuntur. Eccleſ. 25. *Beatus qui habitat cum mu-*
liere ſenſata. Mulier ſenſata eſt caro diſciplinata:
Seneca. Poteſt noſtra providentia longiorem pro-
rogare huic corpuſculo moram, ſi voluptates,
quibus major pars hominum perit, poterimus re-
15. gere & coërcere. *Decimumquintum* eſt *magnitudo*
divini amoris. Gen. 29. Videbantur Jacob dies
pauci quibus ſerviebat pro Rachele, præ amoris
magnitudine. Amor eſt jugum ſuave, & quidquid
contrahitur cum tali jugo leve eſt Bernard. O ju-
gum ſancti amoris, quàm glorioſè laqueas, quàm
ſuaviter premis? Auguſt. Omnia ſæva & imma-
nia prorſus facilia aut pœnè nulla efficit amor. *De-*
16. *cimumſextum* eſt hoc quòd viri juſti voluntatem
ſuam committunt divinæ voluntati, unde ſicut
Dei voluntas impletur, ita & voluntas eorum. Au-
guſt. Jugum Chriſti ſuave eſt & onus ſuum leve,
quia qui huic jugo ſubjectus eſt, cætera ei ſubjecta
erunt, & nihil ei repugnat. Non habent mali
pacem, quia Deo reſiſtunt. Job. 9. *Quis reſtitit*
Deo & pacem habuit? Seneca. Vir bonus quid-
quid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit. Scit
enim hoc accidiſſe ex lege divina, ex qua univerſa
procedunt. *Decimum ſeptimum* eſt *gaudium con-* 17.
gratulationis, quod dividitur in congratulationem Hoc gaudium duplex eſt.
capitis, id eſt, Chriſti, & membrorum. Congratu-
latio verò membrorum in congratulationem eo-
rum, qui ſunt de triumphante Eccleſia, & eorum
qui ſunt de militante. Magnitudo hujus gaudii in
his, qui habent magnam charitatem, perpendi po-
teſt ex magnitudine gaudii, quam habet mater ex
ſublimatione filii ſui, ut cum celebrat novam miſ-
ſam, vel fit Epiſcopus, vel aliter ſublimatur, hono-
rem filii reputat ſuum; ſic Chriſtianorum honorem
& ſanctorum debemus noſtrum reputare. Joan. 14.
Si diligetis me gaudetis utique quia vado ad patrem.
Quod poteſt intelligi ex ſimilitudine membrorum
corporis. 1 Corinth. 12. *Si gloriatur unum mem-*
brum, congaudent omnia membra. Totus mundus
huic gaudio materiam miniſtrat. Et ſicut cœlum &
terra plena ſunt gloria Chriſti, & etiam infernus,
quia in nomine ejus flectitur omne genu, cœle-
ſtium, terreſtrium & infernorum. Phil. 2. Sic etiam
plena ſunt materia hujus gaudii. Gloriam enim
Chriſti ſuam debent reputare, qui charitatem ha-
bent, tanquam gloriam fratris ſui, & ei congratulari. 18.
Decimum octavum faciens ad jucunditatem bono-
rum, præcipuè illorum, qui aliquanto tempore in
bono perſeveraverunt, eſt *aſſuetudo*. Seneca. Ulti-
ma forma vivendi eligenda eſt, quam jucundam
reddet conſuetudo. Bernard. Etiam ponit tertium
gradum illorum, quos animales vocat in religione
conſuetudinem vertiſſe in delectationem ſive dile-
ctionem his verbis. Initium boni in converſatione Tres gradus incipientium.
perfecta obedientia eſt, profectus corpus ſuum
ſubjicere & in ſervitutem redigere; perfectio uſu
boni conſuetudinem vertiſſe in delectationem. 19.
Decimum nonum eſt *ſpes præmii*. Ad Rom. 12. *Spe*
gaudentes. *Viceſimum* eſt *pinguedo animi*, quæ in
proficientibus invenitur quos Bern. vocat homines
rationales, aſſignans tres gradus eorum, & in ulti-
mo ponens hanc pinguedinem ſive mentis affectio- Tres gradus proficientium.
nem in his verbis. Initium rationalis eſt intelligere
quæ in doctrina fidei apponuntur homini, profe-
ctus ei talia præparare qualia ei præponuntur, per-
fectio cùm in affectum mentis tranſit judicium ra-
tionis. Primus gradus pertinet ad diſcentes, ſe-
cundus ad ſcientes, & alios docentes, tertius ad ha-
bentes ſaporem ſpiritualem, condimentum ſcien-
tiæ. Aliquando autem hæc pinguedo augetur per
occaſionem aliquam, ut per laudem divinam. In
Pſal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima*
mea & labiis exultationis laudabit os meum, vel ſe-
cundum aliam literam, *labia exultationis laudabunt*
nomen tuum. Gloſſa. Sicca enim labia laudare non
poſſunt. Qui hanc pinguedinem habet à vento vanæ
gloriæ caveat ſibi, meminerit enim ſcriptum eſſe.
Levit. 3. *Omnis adeps domini erit jure perpetuo.*
Hujuſmodi pinguedo mundis cordibus datur, unde
in Pſal. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti*, &c. Facit etiam Contemplatio quantum gaudium & jucunditatem viris perfectis parat. Hypocriſis hoc impedit.
ad jucunditatem in viris perfectis gaudium con-
templationis, cùm anima multùm illuminatur &
afficitur, nondum tamen videt Deum facie ad fa-
ciem. A tali conſolatione multùm impedit ali-
quos religioſos Hypocriſis, unde Job. 20. dicitur
de Hypocrita. Non videat rivulos fluminis, tor-
rentis, mellis & butyri. Rivuli fluminis ſecundùm
Gregorium ſunt dona Spiritus ſancti. Gregor. Flu-
vius torrens eſt exuberans inundatio Spiritus ſan-
cti, quæ in contemplantem animam colligitur,
qui ſpiritus nos melle & butyro faciat, quia quem
repleverit divinitatis Chriſti dulcedine, & incar-
nationis fide lætificat. Mel enim deſuper, id eſt,
ex aëre cadens, dulcedinem divinitatis ſignificat,

butyrum verò quòd ex carne eſt, myſterium incarnationis Chriſti ſignificat. Auguſt. De gaudio contemplationis. Introduxiſti me domine in quandam inconſuetam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid ſit vita æterna, ſi hæc non ſit. Bern. loquens de ſe: ſubitò, inquit, tanta mihi de me ſuborta eſt fiducia & infuſa lætitia, quantus terror in loco horroris, ubi præceſſerat timor. O ſi duraſſet. Iterum & iterum vivifica me domine in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Contemplatio & prædicatio ſeu Actio jungenda.

Et *nota* quòd vitam perfectorum debent partiri ſibi prædicatio & contemplatio. Gregor. Perfectus prædicator non eſt, qui propter contemplationis ſtudium operanda negligit, vel propter operationis inſtantiam contemplationem poſtponit. De hoc habemus exemplum in Chriſto, qui per diem in civitatibus miracula exhibebat, & ad orationis ſtudium in nocte pernoctabat. Speculando enim in Dei amorem ſurgitur, ſed prædicando ad proximi utilitatem reditur. Pſal. 41. *In die mandavit dominus miſericordiam ſuam & nocte canticum ejus.* Auguſtin. Si imponitur ſarcina juſti negotii ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem, nec ſic omnimodè veritatis dilectio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur ſuavitas & opprimat iſtam neceſſitas. Bern. Noli nimis inſiſtere oculis contemplationis: meliora ſunt ubera prædicantis.

S. Pauli & aliorum SS raptus quales viſiones ſint.

De ſomnio contemplationis legitur. Proverb. 3. *Quieſces & ſuavis erit ſomnus tuus.* Maximum gaudium bonorum eſt in viſione Dei facie ad faciem, quæ viſio conceditur aliquibus ſanctis etiam ante mortem, ut ſciant ad quantam jucunditatem venturi ſunt. Ad quod videtur pertinere illud. Job 36. *In manibus abſcondit lucem & præcipit ei ut rurſus adveniat. Annunciat de ea amico ſuo quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit accedere.* Hac viſione vidit Paulus Deum. 2. Corinth. 12. Ubi dicit Auguſt. Neceſſe eſt abſtrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilis viſionis lucem aſſumitur, & non ſit incredibile quibuſdam ſanctis, nondum ita defunctis, ut ſepelienda cadavera remanerent, etiam iſtam excellentiam revelationis fuiſſe conceſſam. Cur ergo non credamus, quòd Apoſtolo doctori gentium rapto uſque ad excellentiſſimam viſionem voluit Deus demonſtrare vitam hanc in qua vivendum eſt in æternum?

Viſiones tales quibus contingant & quos effectus habeat.

Ibidem etiam dicit Auguſtin. Quòd tertium cœlum eſt viſio, qua videtur Deus facie ad faciem. De hac viſione videtur loqui beatus Bernard. in Epiſtola ad fratres de monte Dei dicẽs: ſic Deus dulciſſimè invenitur, ut diligẽtiùs quæratur. Hoc ergo ineffabile eſt, quod cũ non niſi ineffabiliter videatur, qui vult videre cor mundet, quia nulla corporis ſimilitudine dormientis, nulla corporea ſpecie vigilantis, nulla rationis indagine, niſi mundo corde humiliter amantis videri poteſt, vel apprehendi. Hæc eſt enim facies Dei, quam nemo poteſt videre & vivere mundo. Hæc eſt ſpecies, cui contemplandæ aſpirat omnis, qui affectat diligere dominum Deum ſuum in toto corde ſuo, & in tota mente ſua, & in omnibus viribus ſuis. Ad quod etiam non deſinit excitare proximum ſuum, ſi diligit eum ſicut ſeipſum. Ad quod cùm aliquando admittatur, in ipſo lumine veritas indubitanter videt prævenientem gratiam. Cùm ipſe repellitur, in ipſa cæcitate ſua intelligit puritati ejus non convenire immunditiam ſuam; & ſi amat, dulcè flere debet, & non ſine multo gemitu cogitur redire ad conſcientiam ſuam.

III. Fructus pacis precioſitas duobus patet. 1.

Sequitur de tertio fructu ſcilicet de *pace*, quem fructum conſtat eſſe precioſum in hoc, quòd filius Dei ita frequenter voluit eam eſſe in ore ſuo & ſuorum. Lucæ 2. habuerunt fructum hunc in ore Angeli, *ſubitò enim facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum & dicentium: gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus*, &c. Ipſemet filius Dei habuit in ore ſuo hunc fructum. Joan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et Joan. 20 In duobus locis dixit: *pax vobis.* Voluit etiam ut Apoſtoli hunc fructum haberent in ore ſuo. Matth. 10. *Intrantes in domum ſalutate eam dicentes, pax huic domui.* Hoc ſignificatum eſt Gen. 8. in hoc, quòd columba ramum olivæ in ore ſuo reportavit. Oliva enim ſignum eſt quòd viri ſpirituales in ore ſuo deberent portare pacem, ut ad ea quæ pacis ſunt admoneant: Non ferunt pacem, ſed infernalem facem advocati, qui portant litem. Precioſitas etiam hujus fructus apparet ex hoc, quod filius Dei ita carè emit fructum iſtum, morte enim ſua pacificavit mundum Deo. 2. Et adhuc pacem peccatorum paratus eſſet emere ſuo ſanguine, licet peccatores habeant totam culpam & minùs potentes ſint eo. Væ illis qui tam honorabilem pacem recuſant accipere: fructum illum reliquit ſponſus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, quando moriturus erat.

Vis quadruplex in eſt huic fructui.

Fructus ille *quadruplicem* habet virtutem. 1. *Primo* Dei filio aſſimilat. Matth 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Filij, inquam; per imitationem, tale officium habent in terra, quale filius Dei, qui pacificavit nos Deo patri. 2. *Secundo* ad ſapientiam præparat, dum oculum cordis mundat. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Pacis quanta ſit munditia.

Tantæ munditiæ eſt pax quòd aquam mundantem cætera mundat. Cor enim mundatum clariùs videt. Aqua turbida non reddit imagines, ſed poſtquam quievit. Sic eſt de corde humano. Eccleſiaſtici 38. *Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu ſapientiam percipiet.* Ideò dicitur in Pſal. 33. *Videte*, ſupple, *primo*: & poſt, *quoniam ſuavis eſt Dominus*, &c. Unde Eccleſiaſtæ 9. *Verba ſapientum audiuntur in ſilentio*, ibi ſcilicet cor ſilet à tumultu pravarum cogitationum & affectionum. 3. *Tertio* locum Deo præparat. Unde Pſal. 75. *in pace factus eſt locus ejus.* Stude ut fructum iſtum Deo apponas, & habebis Deum ad convivium tuum. Unde 2. Corinth. ult. *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum.* 4. *Ultimo* pacem æternam dat. Iſa. ult. *Erit ſabbatum ex ſabbato.* Qui enim hic pacem amaverunt, in futuro pacem habebunt, qui non amaverunt, non habebunt. Iſa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta.*

Pacem impediunt octo.

Octo vero ſunt quæ pacem peccatoris impedire videntur, ſcilicet ira, odium, lis, bellum, ſolicitudo mundi, tumultus exterior, inquietudo quoad locum, & moleſtia, quæ eſt contra voluntatem ſuſtinentis, unde qui vult pacem habere, ſtudeat ab his cavere.

IV. Fructus. Et maxime neceſſarius, ſub eo latet magna dulcedo.

Sequitur de quarto fructu qui eſt *patientia*, quo fructu nullus videtur eſſe magis neceſſarius in hac valle miſeriæ, ubi inter tot mala ſumus. Hic fructus ſolidus cibus eſt duritiam habens in cortice, ſed ſub illa duritia latet magna dulcedo, & quia Deus tribulatos conſolatur etiam in præſenti, & quia tribulatio via eſt ad æternam dulcedinem. Ad Hebr. 12. *Omnis diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudii ſed mæroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.*

Vim habet quadruplicem.

Cujus fructus *quadruplex* virtus eſt 1. *Prima* eſt quòd hominem facit plus quam fortem. Proverb 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Sine dubio major eſt virtus in patiendo mala, quam in agendo fortia, & ideò melior eſt patiens quam fortis.

Victoria ſui quanta ſit.

Seneca. Magni animi eſt injurias in ſumma patientia pati, & nobilior triumphus eſt & utilior victoria ſui ipſius quam expugnatio urbium. Multi multas civitates expugnaverunt, qui tamen ſeipſos non vicerunt. Qui ſe vincit, contra omnia fortis eſt ſecundùm

verbum ſapientis. Qui ſeipſum vincit, non ſolùm
urbem, ſed etiam regnum cœlorum capit. Matth.
11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti ra-*
piunt illud. Seneca. Faciliùs eſt totam gentem, quàm
unum vincere. *Secundo* facit hominem multùm ſa-
pientem. Proverb. 14. *Qui patiens eſt, multa gu-*
1. *bernatur ſapientia.* Cujus ſignum eſt hoc, quòd
Deus qui eſt ſapientiſſimus, eſt patientiſſimus, ul-
timum enim quod ipſe faciet erit judicium, ubi ipſe
vindicabit injurias ſuas. In eodem. *Qui impatiens*
eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. Et iterùm in eodem.
Impatiens operatur ſtultitiam. Tripliciter autem
Patiens eſt ſapiens tripliciter. ſapiens eſt homo patiens. *Primo* quia ſapienter ad-
quirit, ſcilicet ſine labore, mala pœnæ, quæ ſunt
velut aurum & argentum & lapides pretioſi ad fa-
bricandum coronam perpetuam, libenter recipien-
do. Bernard. *Si* patientia noſtra crudeli miſeratione
minuitur, paulatim gemmis corona noſtra priva-
tur. *Secundo* ſapienter cuſtodiendo. Patiens cùm
aliqua ſibi auferuntur, ſtudet ea quæ remanent di-
ligentius cuſtodire: econtrariò impatiens, ſi aufe-
ratur ei terra, ipſe aufert ſibi cœlum, dum vult ſe
vindicare; ſi auferatur ei modicum terrenum, ipſe
3. etiam projicit omnia bona ſua ſpiritualia. *Tertio*
meliorando quæ adquirit, dum mala in bona con-
vertit, patienter ea portando. Rom. 8. *Scimus quo-*
niam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-
num. Tertio patientia cuſtodit hominem à nocu-
Patientia quantum ſit miraculum. mento mortiferi, ſi quid biberit. Convicium ſi im-
patienti diceretur, ei eſſet mortiferum; patienti
verò ſalubre eſt, quod eſt unum de ſpiritualibus mi-
raculis. Ideo videtur Gregorius dixiſſe illud in Dia-
logo. Ego quidem virtutem patientiæ ſignis & mi-
raculis majorem puto. Ad patientiam videtur per-
tinere illud. Iſa. 43. *Cum tranſieris per aquas, te-*
cum ero, & flumina non operient te. Cùm ambula-
veris *in ignem, non combureris.* Hoc eſt quod Moy-
ſes vidit. Exod. 3. quod rubus igne arderet, & non
comburebatur, quia vir patiens in tribulatione
4. non deterioratur. *Quarto* verò patientia hominem
coronat. Hieron. Quis Sanctorum ſine patientia co-
ronatus eſt? Etiam à cunabulis Eccleſiæ non defuit
iniquitas premens & juſtitia patiens. Patientes
habent literas Evangelij quod regnum cœlorum
ipſorum ſit. Matth. 5. *Beati qui perſecutionem*, &c.

Sequitur de quinto fructu qui eſt *longanimitas* &
conſiſtit in ſuſtinendo & expectando Deum, ad
V. Fructus. quod monemur in Pſal. 16. *Expecta Dominum, vi-*
riliter age, &c. Et eſt *triplex* ratio quare debemus
Longanimitatis in quo conſiſtat. Deum exſpectare & ſuſtinere. *Prima* eſt quia nihil
meliùs poteſt expectari. Unde Gloſſa ſuper illum
Deus eſt expectandus ob tria. locum, aliud expecta, aliud deſidera, ſi majus, ſi
ſuavius inveneris. *Secundo* quia non fallit debito
modo expectantem. Pſal. 24. *Univerſi qui ſuſtinent*
1. *te, non confundentur.* Auguſt. Non negatum putes,
ſi non accipis: ſi differtur, non aufertur. Gregorius.
Nemo qui tardiùs auditur, credat quod à ſuperna
3. curia negligatur. *Tertio* quia ad utilitatem noſtram
Deus differt dare quod petitur ob tria. differt. *Triplici* verò utilitate differt Deus dare ele-
ctis quod petunt. *Primo* ut afflictione exſpectatio-
nis cruciati & purgati digni ſint illud accipere.
1. Gregorius. Electorum vota Dominus differens cru-
2. ciat, crucians purgat. *Secundo* ut deſiderium creſ-
cat. Gregorius. Sæpè vox noſtra eò perficitur, quod
differtur. Et cùm ſuperficie tenus petitio noſtra ne-
gligitur, vota noſtra altiùs in cogitationum radice
complentur. Sic & ſemina meſſium gelu preſſa ſo-
lidantur, & quò ad ſuperficiem tardiùs exeunt, ad
frugem multipliciora conſurgunt. Idem. Sancta de-
ſideria dilatione creſcunt, ſi autem dilatione defi-
ciunt, deſideria non fuerunt. Auguſtinus. Si ali-
quando Deus tardiùs dat, commendat dona, non
negat. Diu deſiderata dulcius obtinentur, citò au-
tem data vileſcunt. Servat tibi Deus quod non vult
citò dare, ut & tu diſcas magis magna deſiderare.
Tertio ut obtentum meliùs cuſtodiatur. Gregor. 3.
Tanto validius quis tenet cùm invenerit, quanto Virtus hujus fructus eſt quadruplex.
tardiùs quod quærebat invenit. Habet autem iſte
fructus *quadruplicem* virtutem. *Prima* quod om-
nia alia bona cuſtodit. In una hora longanimitas 1.
tantum facit, quantum cæteræ virtutes triginta, vel
pluribus annis fecerunt, quia non eſt minor virtus
quàm quærere, parta tueri. Si ultima hora longa-
nimitas non perſeveraret, omnia bona facta amiſſa
eſſent. Unde dum ea cuſtodit, quodammodo ea
tribuit, ideò dicitur. Eccleſiaſtici 2. *Væ his qui*
perdiderunt ſuſtinentiam, quia per omnia perdide-
runt. *Secundo* quia hominem Deo fidelem reddit. 2.
Soli longanimes Deum in tribulatione non deſe-
runt, & ideò meritò audituri ſunt illud dulce ver-
bum. Lucæ 22. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in*
tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpo-
ſuit mihi pater meus regnum. Tertio cùm omnes vir- 3.
tutes mereantur mercedem, hæc recipit bravium.
Currunt aliæ, ſed hæc comprehendit. 1. Corinth.
9. *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bra-*
vium, &c. Longanimitas ſive perſeverantia eſt ſin-
gularis filia ſummi regis, quia hæres regni cœleſtis.
Quarto coronam augmentat. Eccleſiaſtici 2. *Con-* 4.
jungere Deo & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita
tua. Magni principes volunt ſibi fieri magnam cre-
dentiam, ſed tardius ſolvunt, & offenduntur cùm
aliquis nimis citò vult ſibi ſolvi. Eccleſiaſtici 20.
Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis
eſt hujuſmodi.

Sequitur de ſexto fructu qui dicitur *bonitas*, id VI. Fructus
eſt dulcedo animi ſecundùm Gloſſam. Qui fru- quanta ſit ejus dulcedo.
ctus pretioſus eſt, quia non ſolum dulcis, ſed ipſa
dulcedo, & tanta ducedo, quod totum mare hu-
juſmodi dulcorat. Bernard. Quid non temperabit
illa dulcedo, quæ mortem quoque facit dulciſſi-
mam? quæ reſiſtere poteſt aſperitas unctioni illi?
Habet autem fructus ille *quadruplicem* virtutem. Virtus ejus eſt quadruplex.
Primo propriam corruptionem hominis ſanat.
Proverbiorum 16. *Dulcedo animæ ſanitas oſſium.* 1.
Secundo ab igne tribulationis animam ſervat, ita 2.
quod capilli bonarum cogitationum non pereant
ibi, ſicut figuratum eſt Daniel. 3. in tribus pueris
miſſis in fornacem, ubi ſic legitur: *Et non teti-*
git eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quic-
quam moleſtiæ intulit. Et poſt in eodem: *& capil-*
lus capitis eorum non eſt aduſtus. Hæc dulcedo
videtur eſſe ros ille, de quo ibidem: *& fecit*
medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Ter- 3.
tio verò gratiam in corripiendo trahit, unde legi-
tur figurata eſſe per manna, quod erat in arca Te-
ſtamenti cum virga Aaron & Tabulis. Hebr. 9. In
virga intelligitur correctio, in tabulis diſcretio,
in manna dulcedo. Quæ tria debet habere Præ- Prælatus qualem virgam correctionis debeat habere.
latus, virgam correctionis, cum diſcretione tamen
& dulcedine. *Quarto* in prædicatione proficere fa-
cit. Proverb. 16. *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur* 4.
prudens, & qui dulcis eloquio, majora reperiet. Ma- Concionatoris qualitas & merces.
jora, inquam, lucra in præſenti, & majora præmia
in futuro. Prædicando enim multùm lucrabitur
Deo, & in futuro habebit auream & aureolam.
Eccleſiaſtici 6. *Verbum dulce multiplicat amicos*,
amicos inquam, Deo.

Sequitur de ſeptimo fructu qui dicitur *benignitas* VII. Fructus quorſ ſit hic fructus.
ſive *liberalitas*. Iſtum fructum patet eſſe precioſum
ex hoc, quod eſt nobilium perſonarum. Unde
etiam dicitur liberalitas, eò quod liberorum ſit ho- Liberalitatis etymon.
minum. Avaritia eſt hominum ſervilium, ſed largi-
tas nobilium. Quanto aliquis eſt liberalior tanto
nobilior, unde videmus ſolem & alia corpora
cœleſtia, quæ ſunt nobiliora, liberaliùs & diffu-
ſius communicare bona ſua. Leo etiam qui di-
citur rex animalium, eſt anima communicativum,
ſecundum

Habet vim quadruplicem. ſecundùm Philoſophum. Habet autem fructus ille
quadruplicem virtutem. *Prima* eſt, quòd facit ho-
minem amari, & hæc adeò efficax eſt quòd inimi-
1. cos amicos facit. Unde Proverb. 21. *Munus abſcon-
ditum extinguit iras, & donum in ſinu indignatio-
nem maximam*. Et ejuſdem 25. *Si eſurierit inimicus
tuus, ciba illum. Si ſitit, da illi aquam bibere. Pru-
nas enim congregabis ſuper caput ejus*, id eſt, eum
accendes ad diligendum te. Inter eos verò qui ami-
ci ſunt deficit amicitia, niſi ea muneribus conſer-
vetur; dando enim & accipiendo matres & filiæ
2. amicæ ſunt, ut vulgariter dicitur. *Secundo* facit ho-
norari. Proverb. 22. *Victoriam & honorem adqui-
ret qui dat munera*. Et ejuſdem 18. *Donum hominis
3. dilatat viam ejus*, &c. *Tertio* Deo aſſimilat, qui
liberaliſſimus eſt. Seneca. Qui dat beneficia, Deum
imitatur: qui repetit, fœnerator eſt. Specialiter verò
imitatur Deum homo miſericors, quia liberalis eſt
pauperibus. Abraham Deum maximè imitabatur,
qui nihil judicavit, quam miſereri, precioſius.
4. *Quarto* hominem ad bonum finem perducit, ideò
inquit Hieronymus. Non memini me vidiſſe mala
morte mortuum, qui liberalem ante duxerit
VIII. vitam.

Fructus qualis ſit. Sequitur de octavo fructu qui dicitur *manſuetu-
do* ſive *tractabilitas*, qui eſt precioſus & delicatus.
Pſal. 36. *Manſueti hæreditabunt terram*. In quo in-
ſinuatur hujus fructus precioſitas, cùm pro man-
ſuetudine terra promiſſionis habeatur: *& delecta-
buntur in multitudine pacis*, ecce delectabilitas.
Homines immanſueti in turbatione & amaritudine
Via eius quadruplex. animi frequenter ſunt. Habet autem ille fructus
quatuor virtutes. *Prima* eſt quòd hominem con-
1. ſervat. Unde Eccleſiaſtici 10. *Fili in manſuetudine
ſerva animam tuam*. Homines immanſueti fre-
quenter franguntur per impatientiam, vel igne iræ
2. ſuccenduntur. *Secundo* amorem & gratiam homini
comparat. Unde Eccleſiaſtici 3. *Fili in manſuetudi-
ne opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam dili-
geris*. Legitur Eccleſiaſtici de Moyſe, quòd erat
dilectus Deo & hominibus. Cujus cauſa tangitur.
Manſuetudo eſt ſimilis adamanti. Num. 12. Ubi dicitur, quòd Moyſes erat mitiſſi-
mus hominum qui morabantur in terra. Manſue-
tudo eſt velut adamas, attractivæ enim naturæ eſt.
Unde Ezech. 3. *Ut adamantem & ſilicem dedi fa-
ciem tuam*. Patientia enim facit hominem ut ſili-
3. cem, manſuetudo ut adamantem. *Tertio* corripit
utiliter, unde in Pſal. 89. *Quoniam ſupervenit
4. manſuetudo, & corripiemur*. *Ultimo* ſalutem æter-
nam tribuit, juxta illud. Pſal. 45. *Cum exurgeret
in judicium Deus, ut ſalvos faceret omnes manſue-
tos terræ*.

IX. Fructus. Precioſus eſt propter duo. Sequitur de nono fructu, ſcilicet de *fide*, quem
fructum patet eſſe precioſum *Primo* ex hoc, quòd
Deus amat talem fructum, juxta illud Eccleſiaſtici
1. *quod beneplacitum eſt Deo fides & manſuetudo.
Item* ex hoc quod raro invenitur, rarum enim pre-
cioſum eſt. De raritate ejus legitur. Proverb. 20.
Virtutes quatuor habet fidelitas. *Multi miſericordes vocantur, virum autem fidelem
quis inveniet*? Habet autem *quatuor* virtutes. *Pri-
ma* eſt quod hominem facit laudari. Proverb. 28.
Vir fidelis multum laudabitur. *Secundo* facit exal-
tari. Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſervus & pru-
dens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam*.
Licet duo innuat hæc litera eſſe in eo qui promo-
vendus eſt fidelitatem ſcilicet & providentiam, fi-
delitatem tamen præponit. *Tertio* facit hominem
multum amari à Deo & à domino terreno. Eccle-
ſiaſtici 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi ani-
ma tua*. quaſi fratrem ſic eum tracta. *Quarto* facit
coronari. Matth. 25. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis,
ſuper multa te conſtituam*.

X. Fructus. Sequitur de decimo qui *modeſtia* dicitur, quem
fructum conſtat eſſe precioſum ex eo quod magno-
rum hominum eſt. Seneca. Magni animi eſt magna Pretioſum reddit duo.
contemnere, ac mediocria malle, quam nimia vel-
le. Homo parvi animi vincitur à magnitudine rei 1.
quæ ſibi offertur, & inclinatur etiam ad faciendum
inhoneſta, & ad portandum etiam onus importa-
bile. Valdè etiam bene redolet fructus ille, unde
ad Philip. 4. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus homi-
nibus*, id eſt, rationabilis converſatio dicit Gloſſa.
Hanc vult Apoſtolus notam eſſe omnibus homi-
bus, ut odore ejus, ſi mortui ſint, vivificentur, ſi
verò vivi, confortentur. Et habet fructus ille *qua-*
druplicem virtutem. *Prima* eſt, quod hominis vi- Vim habet quadruplicem.
tam ſervat tam ſpiritualem, quam carnalem, ſive
corporalem. Seneca. Mediocria, utilia Quæ ſunt 1.
nimia vita, eo quod ſuperflua nocent. Sic ſegetem
nimia ſternit ubertas ſic rami fructuum onere fran-
guntur, ſic ad maturitatem nunquam pervenit ni-
mia fœcunditas. Idem. quandoque amicus nocet
quem immoderata fidelitas rumpit. *Secundo* vitam 2.
jucundam facit, ſicut è contrario nimietas injucun-
dam Boët. Paucis minimiſque natura contenta eſt,
cujus ſatietatem, ſi in ſuperfluis urgere velis, aut
injucundum fiet quod infuderis, aut noxium. *Ter-*
tio Deo aſſimilat, qui in numero, pondere & men- 3.
ſura omnia diſpoſuit. Sap. 11. Bern. Non Deo lar-
gior eſſe velis, Idem. Non pudeat concham non eſſe
fonte profuſiorem. *Quarto* facit hominem ſufficien- 4.
tem, ſicut è contra prodigalitas facit hominem in-
digentem, ut de filio prodigo, qui ad tantam in-
digentiam pervenit Luc. 15. Seneca pecuniam mag-
nam habet quis: ſi avarus eſt, non habet, ſi prodi-
gus, non habebit.

Sequitur de undecimo fructu qui dicitur *conti-* XI.
nentia, quem fructum patet eſſe precioſum ex il- Fructus quam ſit pretioſus.
lo verbo Eccleſiaſtici 26. *Omnis ponderatio non eſt
digna continentis animæ*. Et eſt *quadruplex* virtus Virtus eius eſt quadruplex.
hujus fructus. *Prima* eſt, quod vitam prolongat
tam ſpiritualem quam corporalem. Seneca. Poteſt
noſtra providentia longiorem prorogare huic cor- 1.
puſculo moram, ſi voluptates, quibus major pars
ejus perit, poterimus regere & coercere. Eccleſia-
ſtici 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam*. *Secundo* 2.
ad jucunditatem ſpiritualem præparat, juxta illud.
Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea*, &c. Bern.
Delicata eſt divina conſolatio, & non datur ad-
mittentibus alienam. Dominus non vult ſatiare ple-
nos, vel potare ebrios. *Tertio* Deum & angelos 3.
lætificat Gen 21. legitur quod Abraham fecit gran-
de convivium in die ablactationis filii ſui: ſic Deus
gaudet cum aliquis filius ſuus ſeparatur à lacte tem-
poralis conſolationis. Tullius. Si cibis & potibus
parciùs uteremur, & nos immaculatos cuſtodire-
mus, frueremur conſortio & affabilitate Deorum, id
eſt, angelorum. *Quarto* à peſſimo hoſte quem ha- 4.
bemus nos cuſtodit, ſcilicet à voluptate. Eccle-
ſiaſtæ 7. *Inveni amariorem morte mulierem*. Hæc Voluptas quantus ſit hoſtis noſter.
mulier voluptas eſt, quæ corpus morte temporali
interficit, & æterna morte interficit corpus & ani-
mam. Seneca. Voluptates inter res viliſſimas præci-
puè æſtima, quæ more latronum nos amplectuntur
ut ſtrangulent. Idem. Quis hoſtis in quenquam tam
contumelioſus fuit, quàm in quoſdam in quibus
voluptates ſuæ ſunt. Non enim ſufficit voluptati
hominem excœcare, immo eum quandoque para-
liticum facit, vel aliter affligit.

Sequitur de duodecimo fructu qui *caſtitas* dici- XII.
tur, quem fructum patet eſſe precioſum ex hoc, Fructus. Pretioſus cur ſit.
quod ad ſponſam regis cœleſtis pertinet, cujus
quadruplex eſt virtus. *Primo* animã facit miræ pul- Vis eius eſt quadruplex.
chritudinis Sap. 4. *Quã pulchra eſt caſta generatio*,
&c. *Secundo* angelis aſſimilat. Bern. quid caſtitate
decorius, quæ de homine angelum facit. Differunt
inter ſe homo pudicus, & angelus, ſed felicitate
non virtute. Et ſi caſtitas angeli felicior, hominis

tamen fortior eſſe cognoſcitur. *Tertio* ad modum balſami hominem à ſpirituali corruptione conſervat Bern. Caſtitas inſtar balſami odoriferi, quo condita cadavera vel corpora incorrupta ſervantur, ſenſus & artus continet & conſtringit *Quarto* in ſtatum gloriæ hominem quodammodo ponit. Bern. Caſtitas ſola in hoc mortalitatis loco & tempore ſtatum immortalis gloriæ repræſentat.

V. Folia ligni vitæ quæ ſint & ad quid proſint.

Sequitur de foliis ligni vitæ quæ ſunt ad ſanitatem gentium, de quibus foliis breviter expediemus nos. Hæc folia ſunt Dei mandata, quæ adeò ſalubria ſunt, ut qui cuſtodierit ea, malum non habeat. Eccleſiaſtæ 8. *Qui cuſtodit preceptum, non experietur quicquam mali.*

Epilogus. Invectimus in negligẽtes dona S. Spiritus.

Ex prædictis patet beatum eſſe cui datum eſt habere lignum vitæ in corde ſuo, & hîc paradiſum initiare. Econtrario væ illis, qui potiùs volunt hîc imitari infernum, & potius volunt habere lignum mortis in corde ſuo, quàm lignum vitæ. Lignum mortis eſt ſpiritus malignus, lignum vitæ eſt Spiritus ſanctus. Joël. 1. *Ficum meam decorticavit, nudans ſpoliavit eam*, &c. Decorticatio iſta eſt remotio exterioris honeſtæ converſationis, quam decorticationem multi religioſi faciunt, qui in eis Spiritum ſanctum extinguunt, contra illud. 1. Theſſal. 5. *Spiritum nolite extinguere*. Væ etiam illis, qui cùm lignum vitæ habeant, negligunt tamen fructus ex eo colligere, & raro prædictis fructibus veſcuntur.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit nos Chriſti eſſe duplici modo, & ſecundi modi ſex ſigna eſſe. In fine additur aliquid de Crucifixione & cruce hominis Chriſtiani.

Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. *Gal.* 5.

SERMO XXXVIII. Chriſti ſumus dupliciter.

DUpliciter dicitur aliquis eſſe Chriſti, vel de jure, vel de mandatorum ejus impletione.

I. Omnes ſũt Chriſti iure triplici.

Primo modo omnes homines ſunt Chriſti. Pſal. 23. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, &c. Et alibi Pſ. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Triplici* jure ſunt omnes homines Chriſti, ſcilicet, *creatione, conſervatione, emptione. Creatione,*

1. Iure Creationis, quare.

quia creatura neceſſariò eſt creantis, cùm eam faciat non ex materia aliena, ſed ex nihilo, ipſe enim dat eſſe & materiæ & formæ. Item facit non precio conductus, ſed gratis, juxta illud Bern. Propter temetipſum Deus feciſti omnia, & qui ſibi vult eſſe & non tibi, inter omnia nihil incipit eſſe. Quadruplici ratione poteſt aliquis habere dominium in re aliqua quæ fit; vel quia illam facit, vel ratione materiæ quæ ſua eſt, vel quia facientem conducit, vel quia propter eum fit. Sed nulla harum rationum facit ad hoc, quòd creatura alterius ſit quàm creantis. Si verò poſtquam creata eſt, det eam Deus alicui, non dabit eam niſi creaturæ ſuæ, unde adhuc ſua erit. Non poteſt etiam creatura, propriè loquendo, à Deo emere aliquid, cùm non habeat unde ſolvat ei, niſi rebus Dei. 1. Paralip. ult. *Tua ſunt* (domine) *omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Iure* etiam *conſervationis* eſt

2. Conſervationis.

creatura ipſius creantis, deſineret enim eſſe niſi creator eam in eſſe conſervaret. Gregorius. Eſſe omnium quæ de nihilo ſunt in nihilum tenderet, niſi creator ea in eſſe conſervaret, & niſi auctor omnium manu regiminis retineret. Unde, cùm non minor ſit virtus quàm quærere, parta tueri, creatura jure erit illius, à quo ſolo poteſt conſervari. *Iure* etiam *emptionis* ſunt omnes homines Chri-

3. Emptionis.

ſti, tanti enim emit, ut meritò ſolus eos poſſideat. 1. Corinth. 6. *Empti eſtis precio magno*, &c. Plus tenetur homo Deo pro beneficio ſuo redemptionis ſive emptionis quã creationis Bern. qui me ſemel dicendo fecit, in reficiẽdo & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, ſed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecũdo verò ſe dedit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis me debeo. Quid Deo tribuam pro ſe? nam etiamſi milleſies me rependere poſſem, quid ſum ego ad dominum? conſtat, cùm bonũ eſſet damnatis non natos fuiſſe, quòd meliùs eſſet homini, quod non crearetur, quã quòd non redimeretur. Secundo modo pauci homines

II. Pauci boni ſunt Chriſti ſed malis multis præferendi, quomodo.

ſunt Chriſti. Hebr. 2. *Nunc autem nec dum videmus omnia ſubjecta ei*. Tamen paucitas illa prævalet multitudini malorum. Pſal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, &c. Sicut lapides precioſi pauciores ſunt lapidibus cõmunibus, ſed unus precioſus valet infinitos lapides communes, & acervus frumenti minor eſt acervo paleæ, ſed tamen prævalet acervus frumenti: ſic unus bonus prævalet mille malis, juxta illud Eccleſiaſtici 16. *Melior eſt unus timens Deum, quã mille filii impii*. Et quantò pauciores ſunt, tantò glorioſius eſt eſſe de numero illorum. Et notandum

Chriſti eſſe debemus velle ob tria.

quòd *triplici* ratione multum optandum eſt homini eſſe de parte Dei. *Primo* quia magna dignitas eſt ſervire Deo, cui ſervire regnare eſt. Si ſerviẽs regi par eſt comiti, ut vulgariter dicitur, quantæ dignitatis eſt ſerviens regi cœleſti? Eccleſi. 10. *Magnus eſt judex, & potens in honore, & non eſt major illo, qui timet Deum. Secundo* propter hoc, quia qui non habet Deum pro domino, peſſimum habet dominum, quia diabolum. Non poteſt homo eſſe abſque domino, ſicut fatui homines credunt. Job 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquã pullum onagri ſe liberum natum putat. Tertio* quia Deus eſt valdè bonus Dominus David Pſal. 143. *Laudate dominũ quoniam bonus* Ideò verò dicimus Deũ bonum Dominum, quia eſt *benigniſſimus preceptor, fortiſſimus protector, & liberaliſſimus retributor*. Benignitas in

Deus dicitur bonus Dominus ob tria.

1. Pſal. 15.

præcipiendo in hoc attenditur, quòd ipſe præcipit tantum honeſta & utilia nobis non ſibi. Ipſe enim bonorũ noſtrorum non eget Iſa 48. *Ego Deus tuus docens te utilia*. Et Sap. 8. dicitur de ſapientia increata, quæ eſt ipſe filius Dei. *Sobrietatem & prudẽtiam, docet, & juſtitiã & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus*. Fortitudo verò ejus in protegendo patet ex hoc; quòd ipſe eſt omnipotens. David Pſal. 26. *Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo?* Liberalitas verò retributionis patet in hoc, quod & pauperibus ſerviẽtibus ſibi dat regnũ, unde & pro tali regno tali domino libenter deberẽt ſervire pauperes, qui parũ vel nihil poſſunt lucrari cum divitibus hujus mundi. De magnitudine autẽ mercedis, quã dat dominus, tangitur. Gen. 15. ubi Deus dicit ad Abrahã. *Noli timere Abrahã, ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis*, &c. Propter has rationes beatũ ſe deberet reputare qui ſigna aliqua habet, quòd ſit de parte Chriſti. David. Pſ. 143. *Beatus populus cujus eſt dominus Deus ejus.*

E ſex ſigniſ noſcimus eſſe Chriſti.

1. Auditus & obedientia V. divini.

Sex vero ſigna ſunt quibus perpenditur, utrum aliquis ſit de parte Dei. *Primum ſignum* docet nos ipſe Deus. Joan. 8. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*. Veriſimile eſt quod verba Dei non impleat qui non dignatur ea audire. Unde ſignũ eſt quod ille, qui non vult audire verba Dei, non ſit ſervus ipſius. Dominus ex obedientia cognoſcit ſuos. Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico.*

Cur Chriſtus & non Diabolus caſtri animæ noſtræ poſſeſſor eſſe debeat.

Non videtur eſſe dominus caſtri, qui non habet ingreſſum in illud. Aures quaſi quædam portæ ſunt, per quas ad animam ingreditur Deus, oculi vero & ſenſus ceteri portæ ſunt, per quas diabolus frequenter egreditur cũ vanitate mundi. Non videtur ergo Chriſtus eſſe dominus caſtri illius, ubi portæ indifferenter aperiuntur hoſti ſuo, ſcilicet diabolo, & ei

clauduntur. Juſtú eſſet, ut qui totum hominé creavit & ſanguine ſuo redemit, inde ſaltem aures poſſet habere quando vellet. Et qui eas apertas habét, quando mors eorum vult intrare, aperire deberent eas libenter, quando vita vult intrare. *Secundum ſignum* eſt *humilitas*, unde Gloſſa ex Greg. Super illud Job 41. *Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*, iſte eſt titulus diaboli, ſicut humilitas Chriſti, quo ſigno uterque exercitus dignoſcitur. Item Gregorius evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, humilitas electorum. Quam ergo quiſque habeat, cum cognoſcitur, ſub quo rege militet, invenitur. Solent multú timere homines quando aliquod certum ſignum vident mortis ſuæ temporalis, nec mirum, cùm ipſe dominus morte adappropinquante ſecundú ſenſualitaté multú timuerit; quantum ergo deberent timere ſuperbi, qui evidentiſſimum ſignum æternæ mortis in ſe cognoſcunt? Eô modo quo aliquis in area ſua inter paleas & granum diſtinguit, paleam enim, quæ levis eſt fert ventus ſecum, grano propter ponderoſitatem tenente locú infimum. Sic Deus diſtinguit inter ſuos & non ſuos, illos enim, quos ventus ſuperbiæ ducit quò vult, à ſe abjiciet. Unde Matth. 3. *Permundabit aream ſuã, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Tertium ſignum* eſt *mutua dilectio*. Unde Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Sicut dilectio eſt ſignú quod aliquis ſit ex parte Chriſti, ſic odium ſignú eſt, quod aliquis ſit ex parte diaboli, quia *qui odit fratrem ſuum homicida eſt*. 1. Joan 3. Sicut diabolus homicida erat Joan. 8. Et *nota* fatuitatem aliquorú qui ſigna contraria volunt habere in ſe, dum ſcilicet volunt amare amicos & odire inimicos, quorú alterum eſt ſignum Diaboli, & reliquum Chriſti. Quaſi aliquis poſſet duobus dominis ſervire, Chriſto ſcilicet & diabolo, non attendentes ſcriptum eſſe. Matth. 6. Quòd nemo poteſt duobus dominis ſervire. Cùm lupi non habeant odium inter ſe, licet ad canes habeant, qui ſunt alterius ſpeciei & cú ſerpentes non habeant odiú inter ſe, licet habeant ad mulierem & ſemen ejus. Gen. 3. mirú eſt quomodo homines habeant odium inter ſe? *Quartum ſignum* eſt *circumciſio ſpiritualis* ſicut enim Deus carnalem populum Judaicú carnali circumciſione diſtinxit ab aliis populis, ſic ſpirituali circúciſione veros Iſraëlitas diſtinxit à non veris. In circumciſione carnalium magno gravamine aliquid de proprio corpore abſcindebatur, & hoc præcipuè fiebat in ætate tenera: ſic in ſpirituali circumciſione amputanda eſt ſuperfluitas ſeu voluptas, & remanere debet neceſſitas, licet in faciendo ſit gravamen, ideò enim virtus eſt ibi, quia difficultas eſt in faciendo illud, eſt enim virtus placitis abſtinuiſſe bonis. Facilius autem fit illud ſi homo talibus in juventute aſſueſcat. Ad hanc ſpiritualé circumciſionem monemur Deut. 10. ubi ſic legitur. *Circumcidite præputiũ cordis veſtri*. & Jerem. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum*. Nono verò ejuſdem cõminatur Deus omnibus illis qui non habent hanc circumciſionem dicens: *Viſitabo ſuper omnem qui incircumciſum habet præputium. Quintum ſignum* eſt illud, de quo hîc dicitur, *qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt*, &c. Et *notandum* quòd Chriſtus crucem portavit. Joan. 19. *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur calvariæ, locum*. Et vult ſuos cruce eſſe ſignatos, ad minus cruce pœnitentiæ. Matth. 10. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus*. Chriſtus tantùm odivit peccatum, quod voluit crucifigi, ut peccatum ſecú crucifigeretur. Auguſt. Cùm innocens occiditur, peccatum crucifigitur. Simile odium debent habere illi qui Chriſti ſunt ad peccatum, ut non timeant carnem ſuam cruciari, ſi peccatum in ea deſtruant. *Sextum ſignum* eſt *miſericordia*. Hoc ſigno diſtinguet Deus ſuos in die judicii, ut habetur. Matth. 25 quando dicet ſuis: *Venite benedicti*. &c. Et *nota* quod miſericordibus venit benedictio à tribus partibus. *Primo* ab illis quibus dant eleemoſynam juxta illud. Job 29. *Benedictio perituri ſuper me veniebat. Secundo* à populo. Proverb. 22. *Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur*. & Eccleſiaſtici 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Tertiò* à domino. Pſal. 23. *Hic accipiet benedictionem à domino* Immo Deus miſericordes benedictos vocat in verbo propoſito, & æterna gloria vocatur benedictio. Judic. 1. ubi dicit Axa patri ſuo: *da mihi benedictionem*. Ac è contrario immiſericordibus venit maledictio ex diverſis, ſcilicet à paupere & à populo. Proverb 11. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis*. Item tales maledicentur à Deo. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti*

Et nota quod talis poteſt eſſe ratio quare hi qui ſunt ex parte Chriſti, carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis, quia guerra ad mortem eſt inter Chriſtum & diabolum. Vult Chriſtus eos qui capiuntur ex parte diaboli crucifigi. Unde cùm caro receptatrix ſit inimicorum Chriſti, ſcilicet peccatorum juxta illud. Rom. 7. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, vult Chriſtus eam crucifigi. Vitia verò ſunt crucifigenda quia important peccata Deſideria verò ſive concupiſcentiæ ideò debent crucifigi, quia militant adverſus animam. 1. Petri 2 *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis*, &c. Item notandum quòd crux Chriſtiana conſtat ex *quatuor brachiis*. Brachium ex parte ſuperiori eſt ſtultitia, qua viri ſancti in hoc mundo ſtulti reputantur, cùm tamen verè ſint ſapientes. 1. Corinth. 4. *Nos ſtulti propter Chriſtum*, &c. Et ejuſdem 3. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens*. Secundum brachium à parte inferiori eſt paupertas. Brachium à dextris eſt temporalis moleſtia, ad Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti*, &c. Brachium à ſiniſtris eſt contumelia. 1. Corinth. 4. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc*. Dicitur autem peripſema aliquod purgamentum rei.

[Margin: 2. Humilitas Electorum, ſuperbia Reproború eſt ſignum ideo valde timenda. — 3. Dilectio mutua. — Odium etiã inimicorú quam ſit inconveniens. — 4 Circumciſio ſpiritualis. quid ſit & qui ſimilis ſit carnali. — 5. Crucifixio carnis. Qui fiat imitatione Chriſti. — 6. Miſericordia. Miſericordes benedicuntur à à tribus. — Immiſericordes à tribus maledicuntur. — Vitia & cõcupiſcentiæ Carnis cur crucifigenda ſunt. — Crux Chriſtiani hominis habet quatuor brachia, qualia.]

DOMINICA XV. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Exponuntur hoc ſermones. Primæ Epiſtolæ dicta & tria potiſſimum tractantur. 1. Quæ profectum ſpiritualem impediant, quæ promoveant & in quibus rebus attendendus ſit. 2. Quam perverſa ac nociva vitia ſint vana gloria, excitatio litium, &c. Et invidia 3. peccantes quomodo corripiendi ſint.

Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. *Galat.* 5.

SERMO LXXXIX. Quinque ex Epiſtola exponentur.

DIcit Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. *In Eccleſia volo ſenſu meo quinque verba loqui, ut aliquos inſtruã potius quam 10000. verborum in lingua*, ideò & nos quinque verba Epiſtolæ exponemus, quorum Primum eſt illud quod propoſuimus. *Si ſpiritu vivimus*, &c. id eſt, ſi ſpiritualem vitam inchoavimus, in illa proficiamus. Sicut corpus humanum, cùm incipit vivere anima infuſa, neceſſe habet nutriri & ſuſtentari & in creſcendo proficere, alioquin deficit: ſic ille qui inchoavit vitam bonam, neceſſe habet nutriri & ſuſtentari, & ſpiritualiter creſcendo proficere, aliter vita bona deficit, unde Luc. 1. dicitur de Joanne Baptiſta. *Puer autem creſcebat & cõfortabatur ſpiritu*. Et notandú 1.

Spiritualem profectum [impediunt] quinque. quod quinque ſunt quæ impediunt ſpiritualem profectum hominis. *Primum* eſt *defectus deſiderij proficiendi*, qui ex diverſis cauſis poteſt accidere in homine. *Quandoque* accidit ex præſumptio-

1\. Hoc impedimentum oritur ex tribus cauſis. ne perfectionis. Auguſtin. Multos impedit à firmitate, præſumptio firmitatis. Sic multos impedit à profectu, præſumptio perfectionis. Seneca. Ideò meliores fieri nolumus, quia optimos nos putamus. Auguſtinus. Oportet tibi diſplicere quod es, ſi vis pervenire ad id quod non es. Sicut ſtomachus ventoſitate plenus appetitum amittit, ſic qui ſe perfectum credit, proficere non curat. *Quandoque* verò eſt iſte defectus deſiderij ex quadam beſtialitate, ſcilicet ex contemptu ſpiritualium bonorum. Sicut enim porci quaſdam ſpecies aromaticas vel margaritas contemnunt, ſic homo animalis ſpiritualia bona contemnit Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* Bern. Quòmodo lux in caſſum circumfundit oculos cæcos vel clauſos; ita animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. *Aliquando* verò accidit iſte defectus deſiderij ex fatigatione, quandoque enim homo ita fatigatur, ut tædeat eum etiam vivere, unde 3. Regum 9. dixit Helias, *Sufficit mihi Domine, tolle animam*, &c. Et cum obdormiſſet: ait Angelus: *Surge, comede*. Ubi innuitur, quod cibus ſpiritualis contra hanc fatigationem valet Unde in pſalm. 118. *Dormitavit anima mea* præ tædio, &c. *Secun-*

2\. *dum* impedimentum eſt *diviſio animi nimia*. Unde Greg. Non ſufficit proficere homo ad utraque diviſus, quia ſi exterius auditum aperit, interiùs ſurdeſcit. Geneſ. 49 dixit Jacob ad Ruben: *effuſus es ſicut aqua, non creſcas* *Tertium* eſt *defectus ſapien-*

3\. *tiæ*. Unde Eccleſiaſtici 21. *Filia fatua in deminorationem fiet*. Filia fatua eſt anima non condita ſale ſapientiæ, ut ſunt animæ eorum, qui verbum Dei vel non audiunt, vel retinent, unde non eſt mirum ſi areſiunt, juxta illud pſal. 101. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. Et alibi Pſal. 106. *Eſurientes & ſitientes, in ipſis anima eorum defecit.* Seneca. Non prodeſt cibus corpori, nec accedit

4\. qui ſtatim ſumptus emittitur. *Quartum* eſt *puſillanimitas*, quæ hyemi aſſimilatur non permittenti exire germen vel flores de arboribus. Sic multi non audent facere bona opera, tantùm quia timent ſuſtinere aliquid aſperitatis. Unde Prover. 18. *Pigrum dejicit timor*. Et ejuſdem 22. dicit piger: *Leo eſt foris in medio platearum occidendus ſum.* Talis homo habet caput tremulum ſicut habebat Caïn, dicens

5\. Gen. 4. *Omnis qui invenerit me, occidet me. Quintum* eſt *mutabilitas*, qua homo quandoque vult unum, quandoque vult aliud: contra quod dicit Bern. Qui aliquo tendit, ſi unam & rectam tenuerit viam, citò perveniet quò tendit, & itineris & laboris facit finem. Si verò multas aggreditur vias, errat, nec laboris aliquando facit finem, quia error non habet finem. Non ergo te mutes, nec aliud pro alio accipias, ſed uſque ad terminum perfectæ ſanitatis medicinalis obedientiæ remedio utere. Si occurrat aliquid difficile in via per quam aliquis ire incepit, non propter hoc debet homo deſiſtere, quia labor improbus omnia vincit. Et ſi tantum eſt impedimentum, quòd non poteſt homo aliquanto tempore proficere, ceſſante tamen impedimento debet homo ad opus redire, ut faciunt herbæ & arbores, quæ ceſſante hyeme ad opera redeunt à quibus ceſſaverunt propter hyemis intemperiem.

Spiritualem profectum promovent tria. Ad hoc verò quòd aliquis proficiat ſpiritualiter, tria valdè neceſſaria ſunt. *Primum* eſt *deſiderium magnum proficiendi*. Bernard. Magna pars profi-

1\. ciendi eſt, velle proficere. Contra illos qui non habent deſiderium proficiendi, dicit Bernard. Magna confuſio & nimis magna, ardentiùs deſiderant ſæculares perniicioſa, quàm nos utilia, alacriùs currunt ad mortem, quam nos ad vitam. Deſiderium illud eſt ignis ſpiritualis, qui multùm nutriendus eſt in corde hominis, juxta illud Levit. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies*: & paulò poſt ſubditur. *Ignis iſte eſt perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*. Ligna verò quibus ignis iſte nutriendus eſt ſunt iſta, ſcilicet cogitare quòd valde verecundum eſt, diu eſſe in ſtatu proficiendi & non proficere, ſicut verecundú eſt diu eſſe in ſcholis & nihil didiciſſe. Unde legitur Luc. 2. De Chriſto. *Ieſus proficiebat ſapientia*, &c. *Aliud* quo nutriendus eſt ignis hujus deſiderii, eſt brevitas temporis nobis conceſſi ad proficiendum. Eccléſiaſt. 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erit apud inferos, quò tu properas. Tertium* eſt hoc, quod talentum nobis commiſſum exigetur à Domino cum uſuris, ut patet Matth. 25. Ubi dicit Dominus: *inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Quartum* eſt hoc, quod qui non proficit, tanquam arbor ſterilis citiùs amputatur. Lucæ 13. *Succide illam, ut quid etiam terram occupat*? Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Secundum* quod neceſſarium eſt volenti proficere, eſt *diſcretio* ſive *ſcientia*, & ideò doctrinâ ſanâ indiget talis & bono exemplo. Bernard. Virtus vult doceri cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore, nec aliter vult quæri, vel doceri, vel haberi, nec poteſt. *Tertio* neceſſaria eſt ei qui vult proficere *humilis oratio*, quæ impetrat, ut poſſit, id quod vult & ſcit facere. Hæc tria tantum requiruntur ad hoc quod aliquid bene fiat, velle, ſcire & poſſe. Eccleſiaſtici 35. *Oratio humiliantis ſe penetrat*, &c. Profectus verò ſpiritualis in his *quinque* attenditur. *Primo* in hoc ut opera ſint pure bona. Levit. 1. *Holocauſtum maſculum anniculum & abſque macula offeret*. Et ejuſdem 14. *Aſſumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula. Secundo* in hoc, quòd ſint voluntariè facta. Unde in Pſal. 53. *Voluntariè tibi ſacrificabo. Tertiò* in magnitudine affectûs vel devotionis, quia non reſpicit Deus quantum, ſed ex quanto. Unde ſuper illud Lucæ 21. ubi agitur de paupercula vidua offerente duo æris minuta, dicit Interlin. Non perpendit Deus quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Gregor. Non erit manus vacua à munere, ſi arca cordis plena fuerit bona voluntate. *Quarto* in bonorum operum pluralitate. 1. Corint. 15. *Abundantius omnibus laboravi. Quinto* in ſequenti humilitate. Lucæ 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.*

Hujus deſiderii velut ignis fomenta tria ſunt. 1. 2. 3. 4.

Hæc tria ſolum ad bene operandum requiruntur. Profectus ſpiritualis in 5. attenditur.

II. Vana gloria quàm ſit exitioſa maxime incipientibus.

Sequitur de ſecundo verbo quod eſt (*non efficiamur inanis gloriæ cupidi*.) Circa quod notandum quòd vana gloria multùm timenda eſt bonis & præcipuè incipientibus. Unde Job. 15. *Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus ejus, & quaſi oliva projiciens florem ſuum*. Ubi dicit Gregorius. Si florentem vineam immoderatum frigus, vel æſtus attigerit, diſcuſſo flore botrus tabeſcit. Item Gregorius. Oliva cum in flore eſt, ſi immoderata nebula tangitur, à fructu tabeſcit & vacuatur: ſic bona inchoantes, ſi cœperint laudibus delectari, fructum perdunt operis velut ex nebula favoris. Cupidos vanæ gloriæ habet diabolus in ſervitio ſuo pro viliſſimo pretio. Inter terrena enim viliſſimum videtur vana gloria, propter quod & pulvis dicitur. Matth. 10. *Exeuntes foras de civitate vel domo, excutite pulverem de pedibus veſtris*. Pulvis enim eſt minima pars terræ, & pulvis licet ſit modicus, multùm tamen nocet oculo, ſi ſuper eum ceciderit. Sic vana gloria multùm nocet oculo intentionis, unde multùm cavendum eſt ab ea. Gregor. Quantas

vires

vires habeat humanæ gloriæ amor neſcit, niſi qui bellum indixerit. Quia etſi facilè ſit eam non appetere dum negatur; difficile eſt tamen eam reſpuere, dum offertur. Si vis ampliùs de hac materia, require de ea in tractatu de ſuperbia, in illa parte, in qua agitur de vana gloria.

III. Excitantes iram, iram ſcandalum quam ſint perverſi.

Sequitur de tertio verbo quod eſt (*invicem provocantes.*) Et notandum quòd pravi garriones ſi ſciunt aliquem habere ulcus in aliqua parte ſui, volunt ſe appodiare ſuper illud. Sic aliqui homines à Deo ſunt perverſi, quòd ea libentiùs dicunt hominibus, unde ſciunt eos ampliùs ſcandalizari. Proverb. 10. *Labia juſti conſiderant placita, cor impiorum perverſa.* In talibus ex abundantia cordis perverſi os loquitur. Tales ſicut dicunt diſplicentia hominibus, ſic frequenter audiunt quæ ſibi diſplicent. Prov. 13. *Impius confundit & confundetur.* Sapiens. Qui pergit dicere quod vult, audiet quod non vult. Tales incendiarii ſunt, ſpiritualia enim templa cōburunt. 1. Corinth. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Tales officium diaboli ſibi uſurpant, dum homines tentant. Matth. 4. *Et accedens tentator dixit*, &c. Tales cum ignem infernalem deberent extinguere, ſcilicet ignem iræ, potiùs ſufflant eum ut accendant Eccleſi. 28. *Si ſufflaveris, quaſi ignis exardebit; & ſi expueris ſuper illam, extinguetur. Vtraque enim ex ore proficiſcuntur.* Talis filiam diaboli mortuam ſuſcitat, ſcilicet rixam. Rixa enim ſpiritualis filia diaboli eſt, quia nihil ſimilius eſt actibus dæmonum quàm litigare, ut dicit Auguſtinus. Aliquando etiam provocant homines ad iram illos, quos amplius amare debuerunt, ut filios & filias, indiſcrete eos corripiendo. Contra quos dicitur. Epheſ. 6. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros.*

IV. Invidiæ natura & qualitas perverſa.

Sequitur de quarto verbo quod eſt (*invicem invidentes*) Circa quod notandum quod ſecundum Joannem Chriſoſt. cùm cetera peccata aliquem colorem excuſationis habeant, invidia nullum habet, cùm non habeat talem delectationem, qualem peccata alia, ſed potius cruciatum. Horatius.

Invidia Siculi non invenere tyranni.
Majus tormentum. Item.
Invidus alterius rebus marceſcit opimis.

Seneca. Utinam invidi in omni civitate aures & oculos haberent, ut de bonis omnium torquerentur. De invidia habemus ſuper illud verbum. *Invicem invidentes* notabiles Gloſſas. Quarum prima eſt Gregorii dicentis. Sciendum quod cùm per omne vitium antiqui hoſtis virus humano cordi infundatur, in zelo invidiæ tota viſcera ſua ſerpens concutit, & in hac imprimenda malitia quaſi peſtem movet. Alia eſt Cypriani dicentis: zelus iſte modum non habet, permanens jugiter ſine fine, cùm alia ſcelera finiantur. Quanto ille cui invidetur ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium ignibus livoris inardeſcit. Invidia fera peſſima eſt, quæ bonos libentius occidit. Hæc occidit ſanctum ſanctorum, id eſt, Chriſtū. Matth. 27. *Sciebat enim, quod per invidiā tradidiſſent eum.*

Quibus in ſit hoc vitium.

Hoc vitium miſeros homines amat, & in illis ſolùm quieſcit, miſerorum eſt enim felicibus invidere. Unde ſuper illud Job. 5. *Parvulum occidit invidia.* dicit Gregorius. Parvulus invidia occiditur, quia niſi infelicior eſſet, de bono alterius non doleret.

V. 1. Præoccupatio duplex.

Sequitur de quinto verbo quod eſt, *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, &c. Præoccupatio, juxta verbum Auguſtini, eſt dum vel ad horam non videtur quid agendum ſit, vel ſi qui viderint, vincuntur tamen ut malum fiat, cùm ſcilicet latet veritas, vel cùm compellit infirmitas. Præoccupatus ergo levius tractandus eſt, cum obſtinatis verò aliter agendum eſt, unde Paulus tradidit ſathanæ Corinthium fornicatorem 1. Corinthiorum 5.

Cur levius agendum cum peccā... [illegible] quā cum obſtinato.

Si præoccupatus fuerit homo, qui res fragilis eſt. Unde non eſt mirum ſi cadat, præcipuè cùm ſit in continuo conflictu, immo potiùs mirum eſſet ſi quandoque non caderet. Unde in vitis patrum Juvenis quidam venit ad Abbatem Theodorum dicens: Ecce quidam frater reverſus eſt ad ſeculum. Reſpondit Abbas Theodorus. In hoc non mireris, ſed ſi audieris quod prævaluerit aliquis effugere de manibus inimici, hoc admirare. *Mons cadens defluit & ſaxum transfertur de loco ſuo*, ut legitur Job 14. Quid mirum ergo ſi homo, qui res eſt fragilis cadat. In hoc quòd dicit, *vos qui ſpirituales eſtis*, &c. innuitur quod inſtructio carnaliū ad viros ſpirituales pertinet. Unde ſuper illud. 1. Paralip. 22. *Non poteris ædificare domū nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me:* dicit Gloſſa. Sordes tergere non valent manus quæ lutū tenent. In ſpiritu autē lenitatis facienda eſt correctio, quia correctio debet procedere ex charitate. *Charitas* autem *benigna eſt*, ut legitur. Corinth. 13. Cantic. 4. *Mel & lac ſub lingua tua.* Dulcedo magna, quæ per mel & lac poteſt intelligi, debet eſſe ſub lingua ejus, qui alium corripit. Unde in arca teſtamenti erat virga cum manna, quia dulcedo debet eſſe cum correctione. In Pſal. 89. *Quoniam ſupervenit manſuetudo & corripiemur.* Seneca. Vitia animi ſicut vitia corporis leniter tractanda ſunt. In Pſal. 140. *Corripiet me juſtus in miſericordia*, &c. Timere poteſt aliquis ſibi, qui corripiendo aliquem igne iræ ſuccendit, cùm ſcriptum ſit. Exod 22. *Si egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit.* Non debet homo deſpicere peccatorem. Eccleſiaſtici 8. *Ne deſpicias hominem avertentem ſe à peccato, neque improperes ei. Memento quod omnes in correctione ſumus.* Bern. Fruſtra inflaris adverſus peccatorē qui idem non habet ut tu quia non accepit ut tu. Sequitur *conſiderans teipſum*, &c. Aug. Nihil ad miſericordiā ſic inclinat, quā proprii periculi vel reatus cognitio. Ideò dominus principē Eccleſiæ cadere permiſit, ut in ſemetipſo addiſceret qualiter aliis miſereri deberet. Eccleſiaſtici 31. *Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo.* Job 5. *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis.* Gregorius. Proximum viſitat, qui ad eum paſſibus amoris tendit, ut ex ſe viſo compatiatur ei. Neſcit compati pauperi, qui paupertatem per experientiam non noverit ſecundū illud: abyſſus miſeriæ abyſſū invocat miſericordiæ. Unde Proverb. 19. *Homo indigens miſericors eſt.*

Exemplum

2. Corrigere peccatores qui debeāt.

Correctio cur lenis eſſe debeat.

3. Lenis correptio & miſericordia unde oriatur.

DE EADEM DOMINICA SERMO SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Hic ſermo hortatur nos ad portanda onera proximi, ſeu ad ſubveniendum proximo tam in onere ſeu malo culpæ, quàm pœnæ, præcipue animabus in purgatorio.

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, &c. *Gal.* 6.

SERMO X C.

Lex Chriſti Dilectio qua Chriſtus verbo & exemplo docuit.

VNum de maximis mandatis Chriſtianæ religionis proponit nobis Apoſtolus dicens. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*, id eſt, ſic adimplebitis dilectionem. Dilectio eſt lex Chriſti, quam Chriſtus ſpecialiter verbo ſuo docuit, & facto implevit. Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes*, &c. Et ejuſdem 15. *Hoc eſt præceptum meum*, &c. Lex iſta impletur non in ſermone, ſed in fraterni oneris portatione. 1. Joan. 3. *Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere & veritate.* Hanc legem Chriſtus implevit, cum pœnam pro peccatis noſtris tulit. Iſa. 53. *Vere languores noſtros ipſe*

Ad portandum onera infirmorũ monet nos.

tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et notandum, quòd omnia ferè monent hominem ad portandum onus fratris ſui infirmi. *Primo* monet nos
1. Deus.
ipſe Deus exemplo ſuo, qui cum fortiſſimus ſit, omnia portat. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, portans, inquam, conſervando ea in eſſe.

Deus portat tribus modis.

Portat etiam peccatores, eos patienter expectando ad pœnitentiam. Unde Iſa. 46. *Audite me domus Jacob.* &c. *qui portamini à meo utero*, &c. Portat etiam Dominus homines, indigentiam eorum implendo. Deut. 32. *Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum atque portavit in humeris ſuis.* Monent etiam
2. Angeli.
nos ad idem *Angeli* exẽplo ſuo, qui etiam hominem portant juxta illud. Pſal. 90. *In manibus portabunt te*, quod Bern. exponit his verbis. Arbitror velut quibuſdam manibus homines interdum ab Angelis Dei portari, ut quodãmodo non ſentiẽtes tranſeant, quæ tanto tempore formidabant, ut non plus mirentur ſuper priore difficultate, quàm ſuper poſteriore facilitate.

Portat duabus manibus, qualibus.

Duas manus duplicem intelligo demonſtrationem, dum ſcilicet hinc tribulationis brevitas, inde retributionis æternitas oſtenditur, aut magis pingitur aut imprimitur cordi, ut intimo affectu ſentiamus id quod dicitur. 2. Corinth. 4. *Quod in præſenti eſt momentaneũ & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quis iſtas immiſſiones per Angelos bonos non credat fieri, cùm certũ ſit quod econtrariò immiſſiones fiãt per Angelos malos. Luc. 16. *Factum eſt ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Portant animas poſt mortem.

Nõ intelligas illa quæ Angeli animabus faciunt poſt mortem hominũ fieri propter infirmitatem eorum, ſed potius ad honorem, ſicut Epiſcopus defertur ad Eccleſiam ſuam in aliquibus civitatibus prima die, quâ ibi recipitur.

Portant orationes noſtras.

Portant etiam orationes noſtras ad Deum. Tob. 12. *Cum orabas cum lachrymis*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino.* Ad idem monent nos *creaturæ inferiores.*

3. Aliæ inferiores creaturæ.

Videmus oſſa in homine quæ fortia ſunt portare carnem, & alia minùs fortia, & truncus in arboribus qui fortior eſt, portat ramos; cervi etiam tranſeuntes aquam, invicem ſua onera portant, nam ſequentes tergis præcedentium capita imponunt. Sic & qui inter homines ſunt firmiores, infirmiores portare debent. Roman. 15. *Nos firmiores debemus imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*

Onus proximi portandum duplex eſt. I. Culpæ.

Et nota quòd duplex eſt onus proximi, quod portare debemus. *Primum* eſt *culpa*, quod portare debemus orando, vel aliter juvando, ne ſub eo remaneat. 1. Reg. 15. Porta quæſo peccatum meum, ait Saul Samueli. Et Numer. 18. *Tu & filii tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem ſanctuarij*, &c.

Reprehẽſio nolentium portare hoc onus.

Sed ſunt qui aſino ſi ſub onere cecidiſſet, compaterentur & eum ſublevarent, juxta mandatum Domini. Deuter. 22. *Si videris aſinum fratris tui aut bovem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo.* Si verò frater eorum ſub onere culpæ ceciderit, non ſublevant eum, ſed potiùs ſublevantem in lutum impingunt. Bernard. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet; perit anima, & non eſt qui recogitet. Cariora videntur homines habere jumenta ſua quàm fratres ſuos. Nunquid Deus qui voluit ſublevari jumentum, vult hominem remanere ſub onere peccati, quem ad imaginem ſuam creavit?

Onus peccati eſt graviſſimum.

De onere iſto ſciendum eſt, quòd valde grave eſt, unde in Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Signa verò hujus gravitatis ſunt hæc.
1.
I. Primo hominem reddit gravem. Job 7. *Poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum*
2.
mihimetipſi gravis. II. Reddit etiam hominem immobilem quaſi eſſet lapis. Non poſſet facere paſſum unum in via paradiſi, qui eſt ſub onere peccati etiam per viginti annos. Unde impletur in eis illud Exod. 15. *Fiant immobiles quaſi lapis, donèc pertranſeat populus tuus Domine.* Qui eſt ſub onere peccati, nõn poteſt ad ſe trahere manum nec pedem. Si enim poſuit pedem amoris in re aliqua, quam contra Deum amat, non poteſt inde ſe retrahere.
III. Adeo etiam grave eſt pondus illud, quod iſte, 3.
qui eſt ſub eo, nullis funibus poteſt ad cœlum trahi. *Funiculus triplex difficile rumpitur*, ut legitur Eccleſiaſtæ 4. Sed onus illud rumpit non ſolùm triplicem funiculum, ſed etiam quaſi infinitos, dum beneficiis Dei, quæ ſunt quaſi vincula charitatis, trahi non poteſt peccator. Unde Oſeæ 11. *In funiculis Adam trahã eos, & in vinculis charitatis.* IV. Hoc 4.
onus cœlũ ſuſtinere non potuit, immo illum de quo legitur Job. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Onus illud Luciferum de cœlo præcipitavit. Luc. 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* V. Ecce ad ultimum iſta terra onus il- 5.
lud ſuſtinere non poterit, immo qui ſub iſto erunt, in infernum deſcendent quaſi lapis, immo velociùs quàm lapis. Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Melius eſſet habere molam aſinariam in collo, quàm eſſe ſub onere mortalis peccati. Unde Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum de his puſillis, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in pro-*
fundum maris. Veniet etiam hora quòd melius eſſet 6.
habere unum montem ſuper ſe, quàm onus illud. Unde Apocal 6. dicunt reprobi montibus & petris. *Cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſu-*
per thronum, &c. Peccatum propter gravitatem 7.
ſuam comparatur talento plumbi. Zac. 5. *Ecce talentum plumbi portabatur*, &c. *& dixit hæc eſt impietas.*

Peccatum eſt vile & abominabile.

Præter gravitatem habet etiam iſtud onus peccati vilitatem, vilius enim eſt & abominabilius quocunque luto. Potiùs etiam eſſet homini eligendum quòd continuè iret onuſtus ferro, quàm quòd onus peccati portaret. In Pſal. 13. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt.* Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*

Eſt quaſi faſciculus ſpinarum.

Præterea onus illud eſt quaſi onus ſpinarum, quibus ille qui portat comburetur, peccata enim ſpinæ ſunt. Hierem. 4. *Novate novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Faſciculus ſpinarum, faſciculus eſt peccati. Iſa. 58. *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos de-*
primentes. Ex his ſatis poteſt perpendi fatuitas 8.
eorum qui onera peccatorum ſuorum nolunt deponere pro regno æterno. Patet etiam quanta eſt durities eorum, qui fratribus ſuis non compatiuntur, quos tanto onere vident deprimi, immo potius conteri.

II. Pœnæ. Eſt quadruplex. 1. Onus pœnitentiæ, exemplo Chriſti portandum, maximè pro animabus purgatorii.

Secundum eſt onus *pœnæ*, quod poteſt ſubdividi in *quatuor* ſpecies, ſcilicet in onus *pœnitentiæ* pro peccatis debitæ, in onus *illatæ injuriæ*, & in onus alicujus *infirmitatis diſplicentis*, & in onus *neceſſitatis.* In onere pœnitentiæ, portando debemus juvare fratrem noſtrum exemplo Chriſti, qui pœnam peccatorum noſtrorum portavit. 1. Petri 2. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, id eſt, pœnam pro peccatis. Et præcipuè debemus juvare eos qui ſunt in Purgatorio, qui inciderunt in manus Domini. Job 19. *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Sex ſunt quæ debent homines movere ad ſubveniendum libenter eis qui ſunt in purgatorio.

1. Animabus in purgatorio ſubveniendum.

Primum eſt gravitas ignis cruciantis eos. Auguſtinus. Miro modo gravis eſt ignis ille, exuperat enim omnem pœnam quam aliquis in mundo iſto perpeſſus eſt. Ideò libentiùs datur eleemoſyna leproſis, vel his qui igne beati Antonij cruciantur, quia magna eorum eſt miſeria. Quis differt ſubvenire amico ſuo, quem videt in ignem cecidiſſe? quis non currat illuc quàm citiùs poterit, ut eum inde extrahat? *Secundum* eſt magnitudo pauper-

tatis in qua ſunt. Paupertas hujus mundi non videtur eſſe paupertas reſpectu futuræ: hic enim poteſt homo conſulere paupertati ſuæ, vel labore, adquirendo unde vivat, vel mutuo illud accipiendo, vel ſaltem mendicando. Sed in futuro non erit locus laborandi, ſed potiùs mercedem recipiendi pro labore hic facto. Item non erit ibi locus mutuo aliquid accipiendi, quia non eſt poſtea locus ſolvendi, neque locus mendicandi, ut patet in divite epulone Lucæ 16. qui guttam aquæ obtinere non potuit, & in fatuis virginibus. Matth. 25. quibus dictum eſt: *ne forte non ſufficiat nobis & vobis*, &c. Proverb. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo in æſtate, & non dabitur illi.*

3. *Tertio* propter hoc, quia non poſſunt à nobis quærere. Hac de cauſa libenter fit eleemoſyna mutis & parvulis expoſitis, quia quærere non poſſunt. In Pſalm 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

4. *Quarto* propter hoc, quia non habent qui pro eis quærat & ſtatum eorum nobis indicet. Parvulus expoſitus etſi quærere non poſſit, habet tamen matronam aliquam quæ pro eo petit.

5. *Quinto* quia nos & noſtra ab eis habuimus. Valdè ingratus videtur eſſe parentibus ſuis ille, qui vix ſemel in anno memor eorum exiſtit, cùm ipſi eum viginti annis vel triginta nutrierunt. Multum poſſunt de eo conqueri apud Deum.

6. *Sexto* quia ſi ſubvenimus eis, cùm ipſi liberati fuerint à carcere purgatorii & erunt ante faciem Dei, ipſi erunt memores beneficiorum noſtrorum, & plus valebit una oratio eorum, quam ipſi facient pro adjutoribus ſuis, quàm valuerunt omnes orationes eorum adjutorum pro eis factæ. *Exemplũ.* Refert Petrus Cluniacenſis, quòd quidam monachus cùm adhuc eſſet ſcholaris, ſingulis diebus dicebat commendationem animarum, ita quòd quandoque ſcholas negligens virgis verberatus eſt. Quod tunc nullus ſcivit niſi unus ſocius ejus. Tandem eo mortuo & ſepulto, cum in fine commendationis diceretur, *anima ejus & animæ omnium fidelium defunctorum requieſcant in pace* reſponderunt animæ corporum in illo atrio ſepultorum alta voce, *Amen.* Cùm autem homines dubitarent unde illa vox veniſſet, ſocius ejus, cui converſatio ejus nota erat, retulit hoc eis, propter quod deinceps devotiùs animarum memoriam egerunt.

Onus pœnitentiæ ob tria non eſt deponendũ. Notandum quòd *triplici* ratione non debet homo de facili deponere onus pœnitentiæ aſſumptæ. *Primo* quòd onus illud eſt quaſi quoddam pondus ad quod gloria æterna traditur nobis. Unde 2. Corinth. 4. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. Bern. Si pœnitentia noſtra crudeli miſeratione minuitur, paulatim gemmis corona meriti privatur. *Secundo* quia ſi hoc pondus deponatur, loco illius onus aliud quaſi mons quidam ſuperponetur, ſcilicet pœna æterna, quam conſtat quocumque monte eſſe graviorem ex verbo. Apoc. 6. ubi dicunt montibus. *Cadite ſuper nos*, &c. *Tertio* quia pro onere parvo liberamur à magno. Apocal. 2. *Non mittam ſuper vos aliud pondus, tamen illud, quod habetis, tenete donec veniam.*

2. *Onus injuriæ illatæ quomodo ſit portandum, Chriſtus hoc ferre verbo & exemplo docuit.* Sequitur de onere *injuriæ illatæ*, quod debemus patienter portare nec propter hoc proximum debemus odire. Gregor. Vera patientia amat quos tolerat. Tolerare & odiſſe non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamen iniquitatis. Ad hoc monuit nos Chriſtus, & exemplo & verbo. Matt. 5. *Diligite inimicos veſtros*, &c. Exemplo verò quando pro perſecutoribus ſuis exoravit & crucifixoribus.

3. *Onus infirmitatis alienæ quàm ſit grave.* Sequitur de onere *infirmitatis diſplicentis*, in cujus oneris portatione multùm poteſt homo mereri, cùm ſit valdè difficile portare tale onus Eccleſiaſtici 22. *Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre quàm hominem imprudentem & fatuum & impium.* Ibidem. *Super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quam fatuus?* Ambroſius. Cum magna pietate portandi ſunt, qui increpari pro ſua infirmitate non poſſunt.

4. *Onus neceſſitatis Chriſti exẽplo portandum.* Sequitur de onere *neceſſitatis*, ad quod onus portandum monet nos Chriſtus exemplo ſuo quando receſſurus à diſcipulis ſuis pedes eorum lavit. Joan 13. *Si ego lavi veſtros pedes dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* In quo facto docuit Chriſtus quod maximus qui eſt in Eccleſia, minimo debet ſervire, ſi fuerit neceſſe etiam in minimo ſervitio, quia *non eſt ſervus ſuper dominum ſuum.* Matt. 10. Unde ſi dominus ſervivit, non eſt in Eccleſia Dei qui ſervire non teneatur, ſi neceſſitas hoc requirat. Non ſunt aliqua membra inferiora pedibus, nec ſordes viliores illis quæ pedibus adhærere poſſunt. Nec ſolùm portare debemus onus neceſſitatis quantum ad amicos ſed etiam quantum ad inimicos. Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, da illi aquam bibere.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone duo potiſſimum tractantur. 1. Epiſtola per totum ſermonem explicatur. 2. Agitur de 5. quæ Apoſtolus tanquam neceſſaria ſaluti ſuorum Epheſiorum flexis genibus à Deo rogavit, quæ eadem nobis quoque ad eundem finem neceſſaria ſummopere à Deo efflagitanda ſint.

Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. *Epheſ.* 3

SERMO XCI. *Quinque petit Apoſtolus hac Epiſtola pro ſalute Epheſiorum nobis quoque ad eam neceſſaria.*

IN Epiſtola hodierna tangit Apoſtolus quinque, quæ ipſe genibus flexis petebat pro Epheſiis, quos amabat, cùm in fide & bonis operibus perſeverarent, in quibus per eum fuerunt confirmati, cùm per alium eſſent converſi. Amant enim Prædicatores auditores illos, in quibus laborem ſuum ſalvum vident. In fine verò hujus Epiſtolæ glorificat Apoſtolus Deum, ut exemplo ſuo ad idem nos moneat. In hoc, quòd Apoſtolus illa quinque genibus flexis petit, ſatis oſtenditur nobis, quòd valdè ſunt utilia, & quod ea debemus petere nobis & his quos amamus.

1. *Firmitas boni propoſiti. Quàm conſtanter in eo ſit perſiſtendum.* Primum illorum quinque eſt *firmitas boni propoſiti*, quæ multùm valet ad hoc, quòd aliquis ſalvet animam ſuam. Sicut enim clavum, quem nutare videmus, evellere tentamus, & non eum qui firmiter adhæret: ſic diabolus eum, quem videt nutare, tentat; illum verò, quem videt in firmo propoſito reſiſtendi diabolo, cavendi ab omni mortali, & ſerviendi Deo ſemper, dimittit. Jacobi 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Deberet homo firmiter proponere in corde ſuo quando inſurgit tentatio carnis, quod ipſe non ibit ad locum ubi perpetret peccatum, immo ſi aliud non poterit facere reſidebit, vel cadere ſe permittet in terram in loco ubi tentatio inſurget. Diabolus non poterit eum portare ad locum peccati, Deus enim non permitteret. Similiter proponere debet, quòd ſi dicatur ſibi convicium, ſaltem tacebit ad horam, hoc enim videtur ſatis facile cuique. Item ſi aliqua difficultas occurrat ei in opere inchoato, non debet ceſſare, quia ſecundùm verbum ſapientis, natura præpoſuit unicuique pulchro operi difficultatem. Non tam citò redit nauta ad portum, quàm citò ventum contrarium habet; nec canis dimittit feram, quàm citò ſpinas invenit, immo ſequitur eam donec eam cœperit. Proverb. 28. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipãtis.*

Mollis dicitur ille, qui cedit duris, qui nihil durum poteſt pati. Diſſolutus verò, qui nullo amore ligatus eſt ad bonum opus. Hanc firmitatem bene habebat Apoſtolus dicens. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia*, &c. Potiùs eligendum eſſet homini quod ſeparetur ab eo caput & unumquodque membrum corporis ſigillatim, quàm quod ſeparetur à Chriſto & à membris Eccleſiæ. Sed ſunt quidam qui multum timerent, ſi deberet eis abſcindi caput ſui aſini, id eſt, corporis ſcilicet ſeparationem ab anima, ſeparationé verò à nobiliſſimo capite, ſcilicet à Chriſto & corpore illo, cujus Chriſtus eſt caput non timét, cum tamen nihil ita timendum eſſe deberet Chriſtiano. Unde Aug. Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, jam non eſt membrum ejus: ſi non eſt membrum ejus, jam non vegetatur ſpiritu ejus, & ex hoc ſequitur quòd jam ſit mortuus. Illud primum, ſcilicet firmitatem, tangit Apoſtolus his verbis. *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum ejus in interiori homine.*

Ex dicto primo notandum.

1. Zelus animarū quantus fuerit in Apoſtolis & aliis SS.

In genuflexione oſtenditur nobis zelus quem habebat de ſalute proximi. Hæc gratia multùm abundavit in Apoſtolis & aliis ſanctis, qui non timebant ſe morti exponere pro ſalute proximorum, ſcientes nullum ſacrificium majus eſſe Deo quàm zelum animarum, ut dicit Gregorius ſuper illud. Ezech. 4. *Sume tibi ſartaginem ferream.* Tantus zelus erat eorum, quòd non videbantur timere mortem propriam reſpectu peccatorum, quibus in perſecutionibus compatiebantur. Unde Stephanus cùm lapidaretur, quaſi oblitus lapidationis ſuæ, genibus flexis pro lapidantibus exoravit, ut legitur. Actuum 7. Hic zelus multùm hodie in Eccleſia refriguit: multi enim plùs compaterentur uni cani ſi viderent eum à lupo deferri, quàm fratribus ſuis, quos vident à dæmonibus in infernum protrahi.

2. Spes obtinendi quod petitur à Deo oritur ex duobus.

1. Quia ipſe eſt verus & ſolus pater noſter.

In verbis verò quæ ſequuntur oſtenditur unde poſſit præſumi, quòd illud obtineatur, quod à Deo patre petitur. Et *primo* poteſt hoc præſumi ex hoc, quòd ipſe eſt veriſſimè pater, unde & paternus amor maximè eſt in eo, quod notatur ibi: *ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*, id eſt, ab ejus diſpoſitione eſt quòd aliquis vel homo vel angelus pater nominetur, licet non ſit, verè enim non eſt pater niſi ipſe Deus. Unde Malach. 2. *Nunquid non pater unus omnium noſtrum?* Et Matth. 23. *Patrem nolite vocare ſuper terram, unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt.* Joannes Damaſcenus. Principaliùs Deus Pater noſter eſt, qui de non eſſe ad eſſe deduxit, quàm qui genuerunt, qui ex ipſo & eſſe & generare ſuſceperunt.

Angeli & Homines quomodo patres vocentur.

Homines verò vel angeli patres quandoque dicuntur, vel pro reverentia, vel pro imitatione, vel beneficii exhibitione, vel etiam carnali generatione, vel aliis de cauſis. Super omnia ergo diligendus eſt Deus, qui veriſſimè pater eſt, & de ipſo maximè eſt confidendum. Auguſtinus. Amandus eſt generator, ſed præponendus creator. Matth. 7. *Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto mágis pater veſter qui eſt in cælis, dabit bona petentibus ſe?*

2. Abundantiæ ipſius.

Aliud per quod præſumitur, quod id quod petitur à Deo, obtineatur, eſt Dei abundantia, de qua ibi: *ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ*, id eſt, ſecundùm copiam majeſtatis ſuæ. Ad copioſam Dei majeſtatem pertinet, ut det multis multum & liberaliter. Unde Jacobi 1. *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Unde dicendum eſt Deo cùm aliquid petitur ab eo, ut non conſideret quid nos ſumus digni ſuſcipere, ſed quid eum deceat dare. Legitur, quòd cùm Alexander Magnus dediſſet quoddam magnum donum cuidam humili perſonæ, & perſona illa dixiſſet, non ſum digna tali dono, reſpondit Alexander: non attendo quid te conveniat accipere, ſed quid me conveniat dare.

3. Per Spiritū ſanctum roboramur in bono, ſicut Apoſtolis accidit.

Tertio oſtenditur modus quo Deus poſſit debiles corroborare cùm dicitur: *corroborari per ſpiritum ejus in interiori homine*, &c. Hoc etiam facit ad hoc quòd homo confidat ſe accepturum quod petit, cùm apparet ſibi modus quo illud de facili fiat. Spiritus ſanctus eſt ignis, ideò per ipſum corroborantur illi, qui ſunt molles & debiles, ſicut ignis corroborat & ſolidat vas luteum quod ante ignem eſt molle & tenerum. Quod eſt contra quoſdam, qui videntes debilitatem ſuam, credunt ſe non poſſe roborari tantùm, quòd à peccato mortali ſe contineant. Qui ſi devotè & frequenter Spiritum ſanctum invocarent, de facili ab eo roborarentur. Quanta fuerit infirmitas Apoſtolorum ante ſuſceptionem Spiritus ſancti ſatis apparet in principe eorum, qui ad vocem ancillæ negavit Chriſtum, Lucæ 22. & Matth. 26. Poſt ſuſceptionem tamen Spiritus ſancti fortiſſimi fuerunt.

II. Frequens cogitatio de Chriſto. Quid boni conferat.

Secundum, quod valdè neceſſarium eſt homini, eſt *jugis meditatio Chriſti*, quod tangit ibi: *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris*, id eſt, per actum fidei. Et notandum quod Chriſtus oculis miſericordiæ libenter reſpicit eum, qui oculos cordis frequenter habet ad ipſum. Unde ſuper illud Pſal. 31. *firmabo ſuper te oculos meos*, dicit Gloſſa. Non auferam oculos meos à te, quia ſemper levas oculos tuos ad me.

Hoc non facientes quales ſint.

Sed ſunt quidam qui nunquam de Deo cogitant, quaſi eſſet eis gravis ad videndum, ſicut erat gravis Judæis, dum erat in carne mortali, ut legitur. Sap. 2.

Duplex meditatio de Chriſto patiente & triumphante.

Dupliciter autem poteſt cogitare aliquis de Chriſto: vel ſecundùm quod fuit in hac vita mortali; ſic eſt ut exemplum, vel ſecundùm quod eſt in gloria, & ſic eſt ut præmium Bernard. Utrumque es mihi Domine Jeſu, & ſpeculum patiendi & præmium patientis. Bern. Eccleſiam tempore & loco peregrinationis ſuæ duæ res conſolantur: de præterito quidem memoria paſſionis Chriſti, de futuro autem quòd ſe in ſortem ſanctorum cogitat & confidit recipiendam. Integra conſolatio, cùm non ſolùm quid ſit expectandum, ſed unde ſit præſumendum noverit. Cur paveat ad præmii magnitudinem, quæ pretii conſiderat dignitatem?

Meditatio patientis duo confert bona.

1. In *prima* meditatione vult Chriſtus ut homo habeat eum ut ſignaculum vel ſigillum, cui homo conformet ſe & voluntate & operatione ſicut cera ſigillo conformatur. Unde Cant. 8. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.*

2. In hac *etiam* prima conſideratione invenit homo ſolatium contra omnes tribulationes hujus mundi. Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis.*

III. Charitas. Ejus neceſſitas ex duobus apparet.

Tertium eſt, ut homo faciat bona, quæ facit, ex charitate, aliter enim non proſunt ad ſalutem. Unde 1. ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum*, &c. In hoc autem quod dicitur: *in charitate radicati & fundati*, innuitur quòd charitas radix ſit, ſine qua ramus boni operis aridus eſt. Gregorius. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis. Innuitur etiam quòd charitas fundamentum ſit totius ſpiritualis ædificii, unde ſine hac ſpirituale ædificium non ſubſiſtit. Homo mediante charitate adhæret terræ Eccleſiæ, terræ ſcilicet viventium.

Circa hoc dictum notanda.

Sequitur (*ut poſſitis comprehendere*) id eſt, perfectè intelligere (*cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo*, &c.) id eſt, quanta debeat eſſe latitudo.

1. *Latitudo charitatis* attenditur in extenſione ad inimicos & amicos Matth. 5.

Diligite

Charitatis latitudo. quorum ſe extendat.
Inimici cur ſint amandi.
Amor erga benefacientem quis ſit malus.
In [illegible] obus conſiſtit.

Diligite inimicos veſtros. Ideò verò conari debemus ad amandum inimicos, quia dilectio iſta eſt nobis utilior & Deo gratior, quia ei propter ſe datur, unde hanc in die judicii remunerabit tanquam ſibi datam. Dilectio illa quam habet aliquis ad aliquem qui eſt benefactor ſuus, ſolùm, & non aliquo modo propter Deum, non remunerabitur à Deo. Lucæ 6. *Si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia?* vel poteſt attendi latitudo iſta in extenſione ad ſiniſtram per compaſſionem malorum, & ad dexteram per congratulationem bonorum juxta illud. Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Auguſt. tamen in Gloſſa Vult quòd hæc latitudo attendatur in hilaritatè bene operandi. 2 Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus* Et Eccleſiaſtici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et Auguſtin. in Gloſſa. qui triſtis dat, perdit quod dat. Opus ergo eſt latitudine charitatis, ne pereat quidquid boni facis.

2. Longitudo quorum ſe extendat.

Sed quoniam abundante iniquitate refrigeſcit charitas multorum, ſicut legitur. Matth 24. ideò cum latitudine charitatis neceſſaria eſt *longitudo charitatis*, quæ attenditur in perſeverantia uſque in finem. Matth. 24. *Qui perſeveraverit*, &c. Iſa. 54. *Longos fac funiculos tuos.*

Amor eſt funiculus.

Funiculus qui Deum ligare poteſt, eſt amor. Hic funiculus tenebat Chriſtum ligatum ad columnam quando flagellatus fuit, zelus enim domini exercituum fecit hoc. Sicut ſepulchrum clauſum ipſum tenere non potuit; ſic nec funiculus ille eum tenuiſſet, niſi amor noſtræ ſalutis feciſſet. Auguſt O jugum ſancti amoris, quàm glorioſe laqueas, quàm ſuaviter premis.

Item Obedientia.

Hoc funiculo debent eſſe ligati fideles ab obedientiam Deo & his qui locò Dei ſunt. Et longus debet eſſe, ut in obedientia illa uſque in finem vitæ perſeveremus.

3. Sublimitas in quo conſiſtat.

Sublimitas verò attenditur in hoc, ut Deus exſpectetur in præmium, non ſufficit enim ad inimicos dilectionem extendere & uſque in finem in dilectione perſeverare, niſi propter Deum hoc fiat.

4. Profunditas quomodo. Habenti hæc 4 omnia ſerviant ſeu cooperantur in bonum.

Profunditas verò attenditur in timore pœnarum inferni. Qui habet charitatem cum his *quatuor* dimenſionibus, omnia habet, omnia enim ſerviunt ei juxta illud. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Latitudini charitatis ſerviunt tam inimici quam amici, tam proſpera quàm adverſa; longitudini tam futura, quàm præſentia; ſublimitati cœlum, profunditati infernus, ſpei, cujus videtur eſſe ſublimitas dilectionis, ipſum cœlum ſedes eſt & thronus & habitaculum. Rom 8. *Spe ſalvi facti ſumus*; timoris, cujus videtur eſſe profunditas charitatis, quaſi quidam carcer videtur eſſe infernus, ubi de hoſtibus ſuis juſtitiam facit in cruciando & premendo vitia. Job, 17. *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea.* Totus homo interior in infernum debet deſcendere. Intellectus ut pœnas videat, affectus ut timeat.

Qui intelligant hæc 4.

Hæc *quatuor* pertinentia ad charitatem illi ſoli perfectè intelligunt, qui in ea radicati ſunt & fundati, quia tales ſunt in lumine juxta illud. 1. Joan. 2. *Qui diligit fratrem ſuum in lumine manet.* Econtrario: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt*, ut ibidem legitur.

Quomodo hæc 4. in Chriſto fuerunt.

Hæc *quatuor* inveniuntur fuiſſe in Chriſto. *Latitudo* in hoc quòd pro inimicis mortuus eſt, unde ad Roman. 5. *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt* Hanc latitudinem nobis ſignificavit extenſio brachiorum in cruce. *Longitudo* in hoc; quòd *factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem* Philip. 2. *Sublimitas* in hoc, quòd remunerando merita noſtra & etiam intelligentiam noſtram ſuperat. *Profundum* verò in hoc, quod non ſolum opera, ſed etiam occultas cogitationes diſtrictè judicat

Quomodo ſunt in Deo.

Vel latitudo charitatis divinæ poteſt attendi in hoc, quòd beneficia ſua dat bonis & malis. Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, &c. *Longitudo* in hoc, quòd peccatorem diu expectat ad pœnitentiam. Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Profunditas* in hoc, quòd de profundo vitiorum extrahit juxta illud. Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Et 1. Reg. 2. *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem. Sublimitas* in hoc, quòd ad dignitatem regni cœleſtis hominem exaltat, juxta illud ejuſdem. *Ut ſedeat cum principibus & ſolium gloriæ teneat.*

IV. Scientia de magnitudine dilectionis Chriſti erga nos.

Quartum, quod neceſſarium eſt homini qui vult ſalvare animam, eſt *ſcientia* utilis, ſicut eſt ſcientia qua aliquis ſcit quantum Chriſtus nos dilexerit. De qua ſcientia. 1. Corinth. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Scientia iſta multùm neceſſaria eſt homini. Proverb. 19 *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* De iſta ſcientia tangit hic Apoſtolus dicens: *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Supereminentem, inquam, alii charitati, vel ſupereminentem noſtræ ſcientiæ; excedit enim omnem ſcientiam noſtram.

Hic amor quomodo vocetur in ſcriptura.

Unde Lucæ 9. vocatur exceſſus, ubi ſic legitur. *Erant autem Moyſes & Helias viſi in majeſtate, & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Hieruſalem* Thren. 3. vocatur tranſgreſſio, ubi dicitur. *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ.*

V. Profectus ad plenitudinem Dei quid ſit.

Quintum eſt *profectus ad virtutum plenitudinem Dei*, id eſt, ut impleamini hic plenitudine gratiæ, tendentes in plenitudinem gloriæ, quæ dicitur omnis plenitudo Dei, id eſt, perfecta plenitudo, quæ à Deo eſt. Debet autem ſuppleri hoc verbum, *peto*, ad hanc petitionem, ut dicatur, peto etiam ut poſſitis ſcire, &c. Et ſic de aliis petitionibus. Vel debet repeti quod præceſſit (*flecto genua mea*)

Hic profectus non fit repentè.

Et *notandum* quòd nunquam citò aliquis habet gratiam, ut habeat virtutum plenitudinem, immo multùm deeſt ſibi, & paulatim ad illud debet proficere Bernardus. Omnia illi deſunt, qui ſibi nihil deeſſe putat Proverb. 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Bernard. Nemo repentè fit ſummus.

Fit duobus pedibus.

Aſcendendo non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Aſcendamus ergo duobus pedibus, *meditatione & oratione.* Meditatio quid deſit docet. Oratio ne deſit obtinet.

2. Glorificare Deum ad quid valeat.

Ultimò Apoſtolus Deum glorificat (*ipſi gloria in ſecula.*) De qua glorificatione *notandum*, quòd multùm valet ad hoc, quod aliquis de diabolo triumphet. Ille enim Deus eſt dominus virtutum, qui eſt rex gloriæ. Ad eum pertinet gloria, victoria & pugna. Ergo ſi Deo das gloriam, jam attribuis ei victoriam, & per conſequens ponis ſuper eum pugnam. In Pſalm. 88. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt & in nomine tuo exultabunt tota die & in juſtitia tua exaltabuntur.* Et ſubditur cauſa: *quia gloria virtutis eorum tu es.*

1. Clauſula Epiſtolæ quæ ſit.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit 1. Variis rationibus, quàm bono loco ſint, qui in Charitate radicati ac fundati ſunt, & quàm malo, qui non ſunt. Deinde de charitate Dei, ac proximi. itemque de gloria regni cœleſtis paucula tangit.

In charitate radicati & fundati, &c. *Ad Epheſ. 4.*

SERMO XCII.

SIc perficienda eſt locutio. *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut in charitate radicati & fundati poſſitis comprehendere*, &c. Circa

quod verbum primò notandum eſt, quòd rectè petebat Apoſtolus quando petebat ut Epheſii eſſent radicati in charitate, quia optimus locus charitas eſt. Unde quilibet ſummopere conari debet ut in loco iſto ſit, ut charitatem habeat. Hunc optimum dicimus multiplici ratione. Primò quia ſecuriſſimus eſt. Qui enim eſt in loco iſto, in Deo eſt, juxta illud. 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et in libro Sap. 3. oſtēditur quomodo talis in Deo maneat, ubi dicitur. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ* vel *mortis.* Valdè magna eſt ſecuritas iſta, quia non eſt, qui de manu ejus poſſit eruere. Job. 10. Auguſt. Verò dicit talem eſſe in ſinu Dei his verbis. Quid times hominem homo in ſinu Dei poſitus? Tu de illius ſinu noli cadere. Quidquid ibi patieris, ad ſalutem valebit, non ad perniciem. Super hoc autem quòd locus iſte, locus ſecuritatis eſt, eſt etiam locus jucunditatis, quia *ſecura mens quaſi juge convivium.* Proverb 15. Quomodo enim non erit jucunditas, ubi læta cantat conſcentia? *Si ambulavero in medio umbra mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 22. Contra verò quomodo ſecuritas vel jucunditas erit ei, qui guerram habet cum omnipotente? cui juſtitia Dei tenet evaginatum gladium ſuper caput ſuum ut cum medium ſcindat, niſi Dei miſericordia gladium ſuſtentaret? Item quomodo ſecuritas vel jucunditas eſt ei, cum quo & in quo diabolus eſt, ſemper ſitiens ſanguinem ejus? Eſt enim charitas optimus locus, quia locus vitæ & luminis, locus augmenti & divitiarum, locus abundantiæ omnium bonorum. De *primo* legitur. 1. Joan. 2. *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet.* Extra charitatem nihil eſt, niſi in tenebris. Unde ibidem dicitur. *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt.* Ideò extra charitatem verum gaudium non eſt. Tob. 5. *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo*, &c. De *ſecundo* 1. Joannis 3. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Extra charitatem nihil vivit vita gratiæ, omnia ſunt ibi mortua, omnia arida. 1. Joan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Gregorius. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis. Qui eſt extra charitatem, eſt velut mare mortuum, ubi nihil vivit. Homo qui videtur magni valoris eſſe in ſæculo, qui charitatem non habet, eſt quaſi leo mortuus; & judicio Dei parvi vel nullius valoris eſt. Eccleſiaſtæ 9. *Melior eſt canis vivus leone mortuo.* Quòd charitas locus divitiarum ſit, patet ex hoc, quia charitas ubi eſt, ibi eſt & ipſe Deus juxta illud. 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*, &c. Qui autem Deum habet, verè dives eſt juxta illud. Auguſtin. Aurum habens in arca dives eſt, Deum habens in conſcientia dives non eſt? conjunge aurum & Deum, conſcientiam & arcam, id eſt, compara. De augmento vero legitur. Epheſ. 4. *Veritatem facientes in charitate creſcamus.* Extra charitatem nullus creſcit, ſed potiùs ad nihilum reducitur juxta illud. 1. ad Corinth. 13. *Si habuero prophetiam*, &c. *Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Charitas eſt locus ubi eſt omnium bonorum abundantia Auguſtin. Ubi charitas adeſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? Ubi charitas deeſt, quid eſt, quod poſſit prodeſſe? Joan. 15. *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Extra charitatem nullus fructificavit, juxta illud. Oſeæ 9. *Radix eorum exſiccata eſt, fructum nequaquam facient.* Radix exſiccata eſt cupiditas, quæ eſt radix omnium malorum. 1 Timoth. 6. Extra charitatem nihil eſt verè bonum, licet ſit ibi ſpecies boni. Seneca. Apud ſapientes ſunt honeſta, apud vulgus verò ſimulachra rerum honeſtarum. Charitas locus eſt ubi nullus moritur, nullus malum patitur, quia *qui cuſtodit mandatum, non experietur quicquam mali* Eccleſ. 8 quod de mandato dilectionis ſpecialiter intelligendum eſt. In charitate quidem radicatus erat Apoſtolus qui dicebat Rom. 8. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita*, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.

[Margin: I. In Charitate radicatus in optimo loco eſt. — 1. Ob ſecuritatem loci iſtius ſeu charitatis. — Ob jucunditatem. — Qui careant his duobus. — 3. Ob alia varia. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8. — Charitate deſtitutus qualis ſit. — Apoſtolus quomodo in charitate fuerit radicatus.]

Charitas dividitur in charitatem Dei & proximi. Et debemus eſſe radicati in Dei dilectione triplici radice, ut ſcilicet diligamus eum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, id eſt, dulciter, prudenter, fortiter, ut exponit B Bern. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Radices verò in quibus debemus eſſe radicati in dilectione proximi, requirere in Sermone ſuper illud. Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis niſi ut invicem diligatis*, &c. Secundùm duodecim cauſas quæ ibi aſſignantur, quare ſit proximus diligendus.

[Margin: II. Charitas eſt duplex. — 1. Dei, in qua triplicitet radicatur. — Proximi de quo alibi videndum.]

Sequitur, *ut poſſitis comprehendere*, ſcilicet in gloria, *quæ ſit latitudo*, &c. Gloria regni Dei in quatuor conſiſtit In longitudine æternitatis. Unde Pſal. 144. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum.* In latitudine charitatis quia nulla invidia eſt ibi, immo gaudium de omnibus bonis aliorum. Iſa 60. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* In ſublimitate dignitatis. Pſ. 81. *Ego dixi dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* Matt. 24. *Super omnia bona ſua conſtituet eum.* Et in cognitionis profunditate. 1. Cor. 13. *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Et Hier. 31. *Omnes cognoſcent me à minimo uſque ad maximum.* Hæc quatuor figurata ſunt per coronam quatuor digitorum, quę ſuper mēſam ponebatur. Exodi 25. Arca figura eſt Eccleſiæ, vel animæ ſanctæ, ad cujus gloriam pertinent quatuor prædicta.

[Margin: III. Gloria regni Dei in 4. conſiſtit. — Figura hujus quæ. — Arca cujus rei ſit figura.]

DOMINICA XVII. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Sermo inſequens thema explicat. Item ſuperiores ad clementer regendum, & ſubditos ad libenter parendum hortatur. Poſtea docet, quare & quomodo digne ambulandum ſeu convenienter vivendum ſit triplici vocationi divinæ, maxime ei, qua ad Regnum cæleſte vocamur.

Obſecro vos ego vinctus in domino, ut dignè ambuleris vocatione, quâ vocati eſtis. *Epheſ. 4.*

[Margin: SERMO XCIII.]

Hoc dicit Apoſtolus Romæ exiſtens in carcere Epheſiis, qui ad fidem Chriſti converſi erant. In hoc quod dicit *obſecro*, non *impero*, dat exemplum manſuetudinis his, qui habent imperium ſuper aliquos. Seneca. Remiſſius imperanti, melius paretur. Nota quòd contumax eſt animus humanus, & in contrarium atque arduum vadens ſequitur faciliùs, quò ducatur, ideò nullum ex omnibus magis clementia, quàm regem vel principem decet. Nobilis animi eſt, benigne ſe habere his, qui ſunt ſub poteſtate ſua. Ideo reges inter Chriſtianos inunguntur in ſignum pietatis, quam habere debent. Et 3. Reg. 20. *Ecce audivimus quod reges domus Iſrael clementes ſunt.* Econtrario ſervilis animi eſt crudelem eſſe in eos, quos habet in poteſtate. Proverb. 30. *Per tria movetur terra, & quartum quod ſuſtinere non poteſt. Per ſervum cum regnaverit*, &c. Et Boëtius dicit.

[Margin: 1. Clementer, non crudeliter imperandum.]

Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.

Aſperitatem eorum qui præſunt ad ſubditos improperat eis Dominus In Ezech. 34. dicens. *Cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.* Item cùm obſecratio ſit perfecta adjuratio, in verbo obſecrādi innuitur, quòd potius velle debemus ut homines benefaciant propter reverentiam & timorem Dei, quàm propter timorem humanum. Unde Eccleſiaſt 19. *Corripe amicum antequam commineris,*

[Margin: 2. Benefaciendum ob timorē Dei, non humanum.]

&

& da locum timori altiſſimi. Qui cóminatur homini pœnā propter cauſam temporalem, humanum timorem introducit, & timori altiſſimi viam claudit, ideo Apoſtolus dicit ſe eſſe vinctum in domino, id eſt, pro domino, ut Epheſii attendentes, quòd ipſe patiebatur pro fide, non timerent pati pro eadem fide Chriſti. Et *notandum* quòd Apoſtolus ad litteram erat in vinculis propter zelum ſalutis animarum. Ideò libenter adquieſcere debebant ipſi exhortanti eos de ſalute, ſcilicet ad Hebr. ult. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant,* &c. Unde dicit Auguſtinus, cum gaudio iſta facimus, quando videmus proficere in verbo Dei: tunc enim cum gaudio laborat operarius in agro, quando attendit arborem & fructum. Quando attendit ſegetem, & videt ubertatem, tunc intelligit quod non ſine cauſa manus attrivit, non ſine cauſa frigus æſtuſque toleravit. Iſai. 61. *Iſti ſunt ſemen cui benedixit dominus.* Ideò gaudens gaudebat in domino. Et in Canonica 3. Joannis. *Majorem gratiam horum non habeo quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes.* Multùm deberet movere ſubditos ad obediendum prælatis hoc, quòd ſunt in tanto periculo & labore pro eis. Ipſi ſunt ſimiles illis, qui ſubveniunt naufragantibus, qui de facili ſolent ſubmergi, unde valdè periculoſum eſt opus tale. Bern. Quibus aſſimilamus homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus conſolationibus avelli! profectò ſimiles ſunt his qui ſubmerſi periclitantur in aquis, quos videas tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere, quod primum occurrerit, quidquid ſit illud, licet ſit tale quod omnino prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum cæteraque ſimilia. Et ſi fortè ad eas veniant, ut eis ſubveniant, nonnunquam apprehenſas ſolent involvere eas ſecum adeò, ut nec ipſis auxilium ferre jam valeant. Valdè fuit ingratus mundus, & eſt adhuc adjutoribus ſuæ ſalutis, qui morti ſe exponebant, ut peccatores à morte liberarent, & econtra peccatores mortem eorum ſitiebant. Item ſancti laborabant ut eos à peccatis mundarent, & ipſi eis maculam in faciem imponebant. Matth. 11. *Venit Ioannes, Baptiſta, neque manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Et ſic utrique parti contradictionis calumniabantur. Prov. 9. *Qui arguit impium, ſibi maculam generat.* Medici corporum pro conſilio quod impendunt, gratiam hominum & beneficium temporale deportant: Medici verò animarum pro conſilio reportant odium & perſecutionem. Ideò mundus in defectu talium multùm punitus eſt. Diu enim fuit, quòd paucos adjutores habuit ſuæ ſalutis. Per quæ enim peccat homo, per hæc & punitur. Multum etiam deberent homines adquieſcere in his, quæ pertinent ad ſalutem & utilitatem ſuam illis, quos vident feciſſe pro eis, quod non facerent pro eis meliores amici carnales, quos habent. Melior amicus quem habes, ſive ſit pater, ſive ſit mater, ſive alius, non efficietur pauper pro te, ſicut illi fecerunt, qui vel in ſæculo, vel in abbatiarum dominiis abundare poterant, & tamen pro ſalute tua vitam pauperem elegerunt & mendicitatem.

3. Subditi prælatis maximè ſpiritualibus libenter obedire debent.
1. Ob gaudiũ prælatorũ.
2. Ob periculum prælatorum.
3.
Ingratitudo Mundi erga ſuos doctores ſpirituales,
3. Ob amorem eorum in ſubditos,

II. Vivendum convenienter triplici vocationi.
1. Prædicationis,

Sequitur, *ut digne ambuletis vocatione* &c. quod poteſt exponi de *triplici* vocatione. *Primò* de vocatione prædicationis, ut ſit ſenſus, ut ambuletis prout requirit doctrina quam ſuſcepiſtis Phil 1. *Digne Evangelio Chriſti converſamini.* Lucæ 12. *Cui enim multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Hebr. 6. *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à domino: proferens autem ſpinas & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* *Secundò* de vocatione qua Chriſtus vocavit in cruce. Proverb. 1. *Vocavi & renuiſtis.* Vocatio iſta clamor dicitur. Job 16. ubi ſic legitur. *Terra ne operias ſanguinem meum, nec inveniat in te locum latendi clamor meus.* Hebr. 12. *Sanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Sanguis Abel locutus eſt vindictam, ſanguis Chriſti miſericordiam. Sanguis Chriſti indicabat vehementer, quantum Chriſtus deſiderabat ſalutem noſtram, & ideò clamor dicitur, quaſi magnum ſignum voluntatis paternæ, quam habebat ad peccatores. Secundùm hoc ergo ſenſus eſt, *ut digne ambuletis vocatione,* &c. id eſt, ut ſecundùm deſiderium & ſtudium, quæ Chriſtus oſtendit in cruce ſe habere de ſalute noſtra, vos etiam magnum deſiderium & ſtudium circa ſalutem veſtram habeatis, & exemplo Chriſti aliqua pro ſalute veſtra faciatis. Ad clamorem Chriſti petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. Unde nimis ſurdi eſſe videntur, qui clamorem Chriſti non audiunt, lapidibus videntur eſſe duriores. *Tertiò* poteſt intelligi de dignitate ad quam vocamur, ſub hoc ſenſu, *ut digne ambuletis vocatione,* &c. id eſt, ut ſic vos habeatis, ſicut requirit dignitas ad quam vocati eſtis. Dignitas iſta non eſt regnum Franciæ ſed regnum gloriæ. Ad regnum Franciæ inungit Rhemenſis Archiepiſcopus, ad illud Spiritus ſanctus. Ad regnum Franciæ fit unctio unctione de cœlo miſſa, ſicut dicitur, ad illud ſimiliter. In hoc tamen eſt illa excellentior, quod in iſta inungitur ſpiritus hominis, in illa corpus.

2. Chriſti crucifixi.
Matth. 27.
3. Regni cœleſtis.
Hæc cur ſit dignitas major regno Franciæ.

Septem verò ſunt quæ dignitas illa requirit. *Primò* ut indigna caveamus: indignus eſt dignitate illa ad quam vocatus eſt, qui gratis ex cupiditate vilioneri & ſibi importabili ſe ſubdit, ut non timeat ſui oppreſſionem propter nimium affectum lucrandi. Indignum eſt ut manus ejus, qui ad tantam dignitatem vocatus eſt in cophino ſerviant, ut ſcilicet fune vel fimo temporalium oneratus & electus ad regnum incedat. Onera iſta jumentorum ſunt, non hominum, ut dicit quidam ſapiens. Indigna *etiam* committit, qui nudus vel ignominioſa veſte indutus incedit, aliter enim debet eſſe indutus filius regis, & aliter ſervus diaboli. Coloſ. 3. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ,* &c. Veſtis filiorum Dei eſt veſtitus deauratus circundatus varietate, id eſt, charitas bonorum operum diverſitate. Apocal. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.* Rom. 13. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus.* Et 1. Cor. 14. *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Hoc eſt veſtimentum gloriæ, quod requirit gloria illa, ad quam electi ſumus. Iſai. 52. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem.* Veſtimentum ignominiæ eſt veſtitus vitiorum, & etiam veſtimentum corporum Bern. Qui de veſte gloriatur, ſimilis eſt furi glorianti de cauterio, cùm per peccatum Adæ uſus ejus introductus ſit. Indigna *etiam* committit, qui peccata committit, propter quæ dignitatem, ad quam electus eſt, amittit. Valdè enim infelix reputaretur aliquis, qui eſſet electus in Epiſcopum, & tempore medio inter electionem & confirmationem committeret crimen, propter quod Epiſcopatu privaretur, & inſuper ſuſpenderetur; ſic valdè infelix eſt Chriſtianus, qui cùm jam electus eſt ad regnum æternum, peccatum mortale committit, propter quod regno privabitur, & inferni patibulo affligetur. *Secundò* ut mundana contemnamus. Contemptibilia hujus mundi contemnere debet, qui ad tantam dignitatem electus eſt, & debet dicere illud. Pſal. 72. *Quid eſt mihi in*

III. Dignitas vocationis ad regnum cœleſte requirit.
1. Indignitas triplex.
1.
Veſtis gloriæ quæ ſit. Pſal. 40.
Veſtis ignominiæ quæ.
2.
2.

cælo,& à te quid volui ſuper terram? Gregorius. Viléſcunt temporalia, ſi conſiderentur æterna. Si ad aliquem pertineret ex parte patris regnum unum, & ex parte matris terra unius pauperis militis. Infelix reputaretur ipſe, ſi adhæreret hæreditati maternæ, & negligeret paternam. Sic infelix eſt, qui pro exilio iſto in quo mater noſtra Eva nos poſuit, cœleſtis patris hæreditatem amittit. *Tertio* ut adverſa

Similitudo cur terrena ſint cótemnenda.

3. viriliter toleremus, quia *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Rom. 8. Bern. Quid eſt quod non optamus etiam per medios enſes, ſi oporteat declinare tantam miſeriam, & ad tantam accelerare gloriam, niſi

4. quia mortua eſt fides noſtra! *Quarto* ut magna agamus, magnitudo enim mercedis magnitudinem requirit laboris. Juſtum eſt enim ut magna & multum laboret operarius, qui magno precio conducitur. Auguſt. Labor te terret, vide mercedem. Geneſ. 15. *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum &*

5. *merces tua magna nimis*. *Quinto* ut in his uſque in finem perſeveremus; corona enim æternitatis perſeverantiam in bonis operibus requirit. Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes*. Item: *dum tempus habemus operemur bonum*. Gloſſ. Aug. Si homo non impoſuerit finem operi, nec Deus imponet finē remunerationi: quantum ſeminaverimus in operibus, tantum metemus in fructibus, & quantùm aviditas ſe dilataverit inquirentis, tantum ſe aperiet ad præ-

6. mium manus retribuentis. *Sexto* ut ad illam dignitatem velociter tendamus. Bern. Feſtinemus ubi habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu. Idem. Qui amat ardentiùs, currit velociùs, & pervenit citiùs. Idem. Magna confuſio & nimis magna. Ardentiùs quærunt ſeculares pernicioſa, quàm nos perutilia, alacriùs currunt ad mortem, quàm nos ad vitam. Non ſolùm currere debemus ad tantam dignitatem, ſed etiam volare. Iſa. 40. *Qui ſperant in domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt*

7. *& non deficient*. *Septimo* ut hilariter faciamus. Pſal. 104. *Lætetur cor quærentium dominum*. Idem Pſal. 137. & *cantent in viis domini, quoniam magna eſt gloria Domini*.

DE EADEM DOMINICÀ.
SERMO SECVNDVS.
SUMMARIUM.

Addit hic ſermo ſeptem in ultima parte præcedentis ſermonis relati, alia ſex neceſſaria electis ſeu vocatis ad Regnum cœleſte. Maxime vero agit de Humilitate, Manſuetudine & Charitate.

Obſecro vos cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. *Ad Epheſ. 4.*

SERMO XCIV.

Electi ſeu vocati ad regnū cœleſte debent eſſe.

1. Humiles varia de Humilitate.

SPecificat Apoſtolus in verbis iſtis ea, quæ requirit dignitas illa, ad quam vocati ſumus. Primò enumerans humilitatem, manſuetudinem & patientiam, tanquam virtutes valdè neceſſarias electis Dei inter mala hujus mundi, inter quas præponit humilitatē, quia humilitas non ſolùm eſt gratia, ſed etiam vas & receptaculum aliarum gratiarum. *Deus* enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Jacobi 4. Sicut aqua fluit ad loca humilia, ſic gratia humilia corda replet. Auguſtin. Alta ſiccantur, ima replentur. Hanc oportet habere vocatos ad gloriam cœleſtem, non enim alia eſt via ad ſublimitatem, quàm per humilitatem. Bern. Per humilitatem aſcenditur ad ſublimitatem, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam; qui aliter vadit, potiùs cadit, quàm aſcendit. Auguſtin. Ambula per Chriſti humilitatem, ſi vis pervenire ad ejus ſublimitatem ſive æternitatem. Job 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*. Et Proverb. 15. *Gloriam præcedit humilitas*. Et 29. ejuſdem, *humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria*. Et hoc meritò, quia ſola humilitas Deū recipit, & tumor ſuperbiæ eum repellit, unde Deus meritò recipiet humilitatem in cœlo, quæ eum recipit in hoc exilio.) Humilitas hic Deum honorat, juxta illud. Eccleſiaſtici 3. *Magna potentia ſolius Dei, & ab humilibus honoratur*. Ideò humilis in futuro quaſi jure viciſſitudinis à Deo meritò honorabitur. Dicit Bern. de Joſeph, quòd indignum judicavit inglorium facere dominum ſuum, qui eum fecerat glorioſum. Sic verè humilis indignum judicat Deo auferre gloriam ſuam, qui eum ad tantam eligit gloriam. Superbus econtrario Deo aufert gloriam ſuam, & ideò gloria Dei privabitur in futuro. Iſa. 26. dicitur de impio, *non videbit gloriam Dei*. Verè humilis in loco noviſſimo reſidet in præſenti, ideò audire merebitur: *amice aſcende ſuperius*. Lucæ 14. Humilis precio præſentis gloriæ, quam pro Dei amore contemnit, gloriam æternam ſibi adquirit. Nec ſolùm Deum honorat humilis, ſed etiam omnes, omnibus ſe ſubdendo, unde & ab omnibus honoratur, juxta illud Lucæ 14. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Et notandum quòd non dicit Apoſtolus ſolùm cum humilitate, ſed cum omni humilitate; neceſſaria enim eſt electis Dei omnis humilitas & exterior & interior. Eccleſiaſtici 19. *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo*. Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Et neceſſaria eſt humilitas quantum ad tres gradus humilitatis, qui ſunt ſe ſubdere majori, pari & minori. Hos tres gradus docuit nos dominus volens baptizari à Joanne dicens: *Sic nos decet implere omnem juſtitiam*, id eſt, perfectam humilitatem. Matth. 3.

2. Manſueti aliqua de manſuetis.

Sequitur (*& manſuetudine*) manſuetos etiā oportet eſſe illos quos Deus ad tantam gloriam vocavit. Manſuetudo eſt tractabilitas, quæ facit hominem à Deo perfectè in præſenti poſſideri, illius enim rei plenè dominium habebimus, de qua facimus quod volumus. Jure ergo manſuetudinis manſuetus in futuro Deum meritò poſſidebit. Deus nullius poſſeſſio erit cujus prius poſſeſſor non fuerit. Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Item Pſal. 36. *Manſueti autem hæreditabunt terram*. Nec ſolùm in futuro manſueti poſſidebunt Deum, ſed etiam in præſenti per gratiam. Unde Prov. 3. *Manſuetis dabit gratiam*. Homines manſueti ſive tractabiles non ſolùm à Deo, ſed etiam ab hominibus quodammodo poſſidentur, quia inde faciunt quod volunt, ideò omnes amant eos, tanquam ſuos. Unde Eccleſiaſtici 3. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris*. Ad hoc ſignificandum quòd homo manſuetus animal ſit omnium, inſedit Chriſtus manſueto animali, ſcilicet aſello, quod omnibus commune erat.

3. Patientes.

Sequitur (*cum patientia*) patientes oportet eſſe illos, qui ad tantam gloriam vocati ſunt, ut ſint ſocii Chriſti in tribulatione, ſicut volunt eſſe in gloria. Eccleſiaſtici 22. *Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius, ut in bonis illius læteris*. De hac materia require in ſermone. *Si mortui ſumus cum Chriſto*. Rom. 6.

4. Charitativi.

Sequitur (*ſupportantes invicem in charitate.*) Oportet etiam electos Dei habere ſupernam charitatem, non ſolùm ad communicandum bona ſua proximo, ſed etiam ad ſupportandum mala. Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere*. Galat. 6. *Alter alterius onera portate*. Et 1. Corinth. 13. *Charitas omnia ſuffert*.

5. Concordes.

Sequitur (*ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.*) Unitatem ſpiritus in vinculo pacis debent habere electi Dei ad invicem, ſolus enim Chriſtus cum membris ſuis ſibi ad invicem unitis aſcēdit

in

in cœlum, juxta illud. Joan. 3. *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Hanc unitatem debemus ſoliciti ſervare quia valdè placet Deo, ſicut econtrario diſcordia multùm diſplicet ei. Proverb. 6. *Sex ſunt quæ odit dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus,* &c. *& eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Hujus autem unitatis quoddam nutrimentum & vinculum eſt pax exterior, ideò dicitur *in vinculo pacis.* Hæc autem pax ſicut dicit Gloſſ. Hieron. eſt, ſi bona noſtra invicem diligamus, ſi peccata, quæ ſine damno tritici, aut cum ſpe ſalutis corrigendorum eradicari non poſſunt, uſque ad meſſem ultimam toleremus, ſi perfectionis opera quæ tamen fieri & non fieri licet, ne infirmi ſcandalizentur, non facere diſpenſemus. Pacificus locum Deo parat, quia in pace factus eſt locus ejus, & ideò meritò apud Deum locum inveniet. Et *nota* quòd unitas ſpiritus dicitur unitas Eccleſiaſtica, qui eam facit Spiritus ſanctus. Unde in primitiva Eccleſia, quando gratia Spiritus ſancti abundanter dabatur, multum unitas abundabat. Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Et Ezech 1. *Dabo eis cor unum & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum.* Unitas iſta placet Deo & omnibus ſanctis. Eccleſiaſtici 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum & amor proximorum,* &c.

Pacifici.

Pſal. 75.

Unitas ſpiritus cur vocatur unitas Eccleſiaſtica.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Commendat nobis hic ſermo tres virtutes. 1. Gratiarum actionem ſeu beatitudinem. 2. Dilectionem proximi 3. Diſcretionem ſeu metum de temporalibus habendum.

SERMO XCV.

Hic ſermo hortatur ad tres virtutes.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu. 1 *Cor.* 1.

IN quo verbo, exemplo Apoſtoli, monemur ad tria. *Primo* ad gratiarum actionem, cum dicitur: *gratias ago Deo Secundo* ad fraternam dilectionem, cum dicitur: *pro omnibus vobis. Tertio* ad diſcretionem, cum dicitur: *in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu.* Circa primum notandum, quòd *octo* ſunt quæ deberent homines movere ad hoc, quòd multùm inſtarent gratiarum actioni. *Primo admonitiones ſanctorum*, admonent enim ſancti multùm nos ad hoc & verbo & exemplo. Bern. Diſce in referendo gratias non tardus eſſe aut ſegnis, diſce ad ſingula bona gratias agere. Diligenter conſidera quæ tibi apponuntur, ut nulla Dei dona debitâ gratiarum actione fruſtrentur Tob. 4. *Omni tempore benedic Deum.* Col. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & patri per ipſum.* Et ejuſdem 4. *Orationi inſtantes, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Et Eph. 5. *Gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & patri,* &c. Duo ſunt, quæ condividunt ſibi vitam ſanctorum, ſcilicet oratio & gratiarum actio. Quia ſancti vel prævident bona vel mala. Si bona, perſonat gratiarum actio; ſi mala, ſequitur oratio pro illis amovendis. Bernard. Charitas tot modis in oratione vel gratiarum actione in Deum ſe jugiter refundit, quot in ſuis neceſſitatibus vel conſolationibus, in proximis vel compaſſionibus vel congratulationibus naturales in hoc materias invenit pius affectus. Immo utramque horum totam vitam ſanctorum haberet, niſi aliud obſtaret. Unde 1. Theſ. 5. *Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Et Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Non ceſſat Deus nobis benefacere, & ideò gratiarum actio non deberet ceſſare, niſi debilitas humana impediret. Non etiam ceſſant pericula imminere homini in mundo iſto, ideò inceſſanter petendum eſſet auxilium, niſi obſtaret infirmitas hominis. Unde Lucæ 21. ubi loquitur dominus de periculis dicit: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala iſta quæ futura ſunt & ſtare ante filium hominis. Secundò admonitiones creaturarum*, quæ inceſſanter nos invitant ad gratiarum actionem; beneficium enim datum alicui invitat eum ut danti gratias agat. Cùm ergo omnia, quæ videmus data ſint homini, ut patet Geneſ. 1. ubi dicit dominus. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra,* &c. Omnia quæ videmus invitant nos ad gratiarum actionem. Auguſtin. Opera tua intueri licet, ut lauderis, qui talia operaris. *Tertio* ipſum tempus in quo ſumus. In tempore enim gratiæ ſumus, cui nulla operatio magis congruere videtur, quàm gratiarum actio, ideò valdè bonum eſt gratiarum actioni inſtare. Proverb. 16. *Sermo opportunus, eſt optimus Quarto* quia gratiarum actio eſt de operationibus quæ fiunt in paradiſo, unde in pſalm. 88. *Miſericordias domini in æternum cantabo.* Canticum illud erit gratiarum actio & vox laudis de hoc, quòd miſericorditer à periculis fuerimus liberati. Iſa. 51. *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Unde bonum eſt addiſcere officium, quod tamdiu facere oportebit. *Quinto* propter utilitatem multiplicem, quæ ex hoc opere ſequitur. *Prima* eſt, quòd hominem in tribulatione cuſtodit. & Deum adeſſe facit, ut figuratum eſt Danielis 3. in pueris qui in fornace politi gratias agentes Deo ab igne læſi non fuerunt, & quartus apparuit cum illis ſimilis filio Dei. Sic ignis tribulationis non lædit eos, qui in ea Deo gratias agunt, quia Dei ſocietatem habent. Unde Bern. Quantumcunque ſæviat tribulatio, ne putes te derelictum eſſe, ſed memineris ſcriptum eſſe, *cum ipſo ſum in tribulatione. Secunda* eſt quia gratiarum actio divinam largitatem ad dandum provocat. Unde proverb 10. *Anima quæ benedicit impinguabitur.* Bern. Ad locum unde exeunt flumina gratiarum revertuntur, ut iterum fluant. Eccleſiaſtici 43. *Benedicentes dominum exaltate illum quantum poteſtis, major eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Sexto* quia hæc operatio multùm placet Deo Gratiarum actio adeps eſt ſpiritualis, de quo Levit. 3. *Omnis adeps domini erit jure perpetuo.* Item unguentum eſt, quo caput Eccleſiæ ungitur, quod figuratum eſt in Magdalena caput Chriſti ungente. Matth. 26. & Marci 14. Bernard. Bonum eſt unguentum contritionis, quod de recordatione peccatorum conficitur. Melius devotionis, quod de recordatione beneficiorum fit Dei. Porrò utrumque vincit unctio pietatis. Unguentum devotionis eſt gratiarum actio. Multùm placet Deo, quæ gratiarum actioni inſtat anima. Unde Cant 1. *Tu pulchra es amica mea* Et ſubditur: *oculi tui columbarum.* Columba ſimpliciter reſpicit, unde oculos columbarum habent, qui ſimpliciter creaturas reſpiciunt, in omnibus creaturis Deum reſpiciendo, tanquam cauſam & datorem omnium bonorum. Vel quia Spiritus ſanctus, cui amor appropriatur, in columba apparuit. Oculos columbarum habet, qui oculo amoris bona proximi reſpicit, ei congratulando, & de eis gratias agendo. Non habent oculos columbæ, ſed potiùs noctuæ homines invidi, qui de bonis proximi affliguntur, & ſic quaſi de lumine excœcantur. Secundùm verbum Boëtii: Similes ſunt avibus illis, quas nox illuminat, & lux excœcat. Ipſi ſunt maledicti juxta illud. Iſai. 5. *Væ qui*

1\. Gratiarum actio. Ad hanc movent.

Oratio & gratiarum actio totam vitam ſanctorum occupant.

Cur ſemper gratiarum actio & oratio facienda ſit.

2\.

3\.

4\.

5\. Gratiarum actionis utilitas duplex.

Pſal. 90.

6\. Gratiarum actio eſt adeps & unguentum.

Melior eſt contritionis.

Simplices habēt oculos columbæ ob duo.

Invidi habent oculos noctuæ.

dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes
tenebras lucem & lucem tenebras. *Septimo* in hoc,
Ingratitudinis abſurditas quintuplex. quòd ingratitudo, quæ gratiarum actioni contra-
ria eſt, ruſticitas eſt magna. *Quinque* ruſticitates
faciunt homines Deo, quas homini non facerent.
Prima eſt, quod hi quibus ipſe majora dat benefi-
cia, minùs eum diligunt; divites ſcilicet, & qui
majorem terram ab eo tenent, minorem cenſum ei
ſolvunt. *Secunda* quòd non timent comedere de
ſuo, licet damnum vel contumeliam ei intulerint.
Tertia eſt, quòd ei nolunt dare de ſuo in paupere,
nec etiam accommodare ad centuplum uſuras,
quod facerent libenter alicui Sarraceno vel excom-
municato, ſi ſine peccato hoc facere poſſent. *Quar-*
ta eſt, quòd non timent ei contumeliam vel dam-
num inferre, licet eâdem die ad menſam ejus co-
mederint. *Quinta* eſt, quòd de minimo beneficio
gratias vicino ſuo agerent, Deo verò gratias non
agunt etiam de beneficiis maximis. Non ſolùm ru-
ſticus eſt homo ingratus, immo ſimilis eſt porco,
qui comedens glandes ſub quercu terram reſpicit
non quercum, quæ ſibi dedit glandes; ſic homines
ingrati oculos ſuos ſtatuerũt declinare in terram, &
non elevant eos ad creatorem cœli & terræ, qui dat
eis omnia bona. *Ultimum* eſt multiplex malum,
7. Ingratitudinis damna. quod provenit ex ingratitudine. *Primò* bona quæ
à Deo accepta ſunt auferri facit. Unde ſuper illud
ad Rom. 1 *Quia cum Deum cognoviſſent, non ſicut*
1. *Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, dicit
Auguſtinus, quod Deus dederat gratis, tulit ingra-
2. tis. *Secũdò* impedit ab his quæ darentur homini, niſi
ingratus fuiſſet. Gregorius. Non eſt dignus dandis,
qui non agit grates de datis Bernardus. Ingratitu-
do eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, ro-
3. rem miſericordiæ, fluenta gratiæ. *Tertio* ingratitu-
do non ſolùm privat hominem bonis, immo etiam
pœnam addit. Unde legitur quòd Ezechias eſt pu-
4. Reg. 19. nitus pro ingratitudine. Cum enim ei Dominus
dediſſet triumphum incredibilem, & percuſſiſſet
centum octoginta quinque millia hominum in ca-
ſtris Sennacherib, licet ſecundùm Joſephum cum
populo Deo hoſtias immolaſſet, non tamen gratias
dignè egit & canticum non cantavit, ſicut in hu-
juſmodi Patres facere conſueverant, & ideò ægro-
tavit uſque ad mortem. Unde venit ad eum Iſaias
dicens: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non*
Gratiarum actio in adverſis melior eſt. *vives*, Iſaiæ 38. Et *notandum* eſt quod gratiarum
actio licet generaliter placeat Deo, tamen magis
placet ei in adverſis quã in proſperis, ſicut aves pin-
guiores gratioris ſaporis ſunt aſſatæ quam elixæ;
Homo qui in igne tribulationis murmurat, eſt velut
avis macilenta, quæ dum aſſatur comburitur. Ille
verò qui in igne tribulationis gratias agit, eſt velut
avis pinguis, quæ propria pinguedine ſuperfundi-
tur, in qua ſuperfuſione odor ſuaviſſimus Deo da-
tur, ut patet in Beato Laurentio. Item *notandum*
quod *melior eſt ira riſu*, ut legitur Eccleſiaſtæ 7. id
eſt, adverſitas minùs eſt periculoſa quàm proſperi-
tas, ideò ſequi debet gratiarum actio, tam in ad-
verſitate quàm in proſperitate.

II. Dilectio fraterna. Circa ſecundum, in quo monemur ad fraternam
dilectionem, notandum, quod multùm debere-
mus nos excitare ad eam, cum ſcriptum ſit ad Rom.
13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et ibidem
Ad hæc tria nos movere debent. legitur, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Ad dirigendum
nos circa amorem proximi proponit nobis ſacra
1. ſcriptura triplex exemplar. *Primum* exemplar eſt
amor quem habemus ad noſipſos, unde Matth. 22.
Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ideſt, ſicut
de bonis propriis gaudemus, & de malis dolemus,
ſic congaudere debemus de bonis proximi, & de
2. malis ejus compati. *Secundum* eſt amor Chriſti ad
nos, unde Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut di-*
ligatis invicem ſicut dilexi vos. Chriſtus ſic dilexit
nos, quod plus amavit ſalutem noſtram, quàm ſuam
temporalem vitam, vel quàm ſua. Hierem. 12. *Reli-*
qui domum meam, dimiſi hæreditatem meam. Dedi
dilectam animam in manus inimicorum ejus, &c.
Sic enim amat Chriſtus ſuos, quod reputat ſibi fie-
ri, quòd uni illorum fit, juxta illud Matthæi 25.
Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis,
mihi feciſtis. Sic & nos debemus proximum diligere,
ut omnia temporalia contemnamus pro ſalute pro-
3. ximi. *Tertium* exemplar eſt amor, quem membra
habent ad invicem, quæ ſunt in eodem corpore, de
quo tangit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. dicens: *Si quid*
patitur unum membrum, compatiuntur omnia mem-
bra. Reputat etiam unum membrum corporis ſibi
fieri, quod fit alij. Dicit enim os quando pes ab ali-
quo læditur, quare me lædis? & ſi quis pedibus ali-
quod beneficium fecerit, os inde regratiatur. Sic
reputare debemus noſtra, quæ ſunt proximi.

Circa tertium verò, ubi ad diſcretionem mone- III. Diſcretio periculum temporalium.
mur, notandum quod Apoſtolus dicit. *In gratia*
quæ data eſt vobis, & non dicit in divitiis. In quo
inſtruimur quòd de profectu amicorum noſtrorum,
in bonis ſpiritualibus debemus gaudere, non de
profectu temporalium, immo tunc debemus time-
re, cùm ſcilicet videmus amicum noſtrum in mare
projectum ad modum Jonæ, ut legitur in libro ejus
Cap. 1. Pſal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tem-*
peſtas demerſit me. Auguſt. Amas ſæculum, abſorbe-
bit te, amatores ſuos vorare novit, non portare;
periculoſius eſt mare hujus mundi, quàm mare ma-
teriale. Bern. loquens de mari hujus mundi dicit:
periculum probat tranſeuntium raritas, & pereun-
tium multitudo. In mari enim materiali de quatuor
navibus non perit una, in mari verò hujus mundi
de quatuor hominibus non evadit quandoque
unus, quia *multi ſunt vocati, pauci vero electi.*
Matth. 10. In Pſal. 55. *Ab altitudine diei timebo.*
Dies dicitur proſperitas. Timere debemus, cum vi-
demus molam aſinariam ligatam ad collum amici
noſtri, ſcilicet circuitum temporalium, qui mola
aſinaria dicitur à Chriſto. Matth. 18. Timere etiam
debemus, cùm videmus in illis, quos amamus ſi-
gnum mortis æternæ. Gregor. Continuus ſucceſſus
temporalium, æternæ damnationis eſt indicium.

Sequitur. *Quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu.* Nota Cur petat Eccleſia in nomine Chriſti.
quòd meritò Chriſti hominis dat Deus Eccleſiæ ea
quæ petit, dum petit à Deo patre ea quibus indiget
per Dominum ſuum Jeſum Chriſtum, & non me-
ritis ſuis, unde ſic finiuntur orationes Eccleſiæ. Ipſe
enim eſt filius ejus dilectus, in quo ſibi complacuit,
ut legitur Luc. 3. & meritò ipſius fratres ejus qui-
bus Deus iratus erat, patri pacificantur.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de divitibus in Deo, & divitibus in mundo.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, quia in omnibus divites facti eſtis. *1. ad Cor. 1.*

SERMO XCVI.

HOc dicit Apoſtolus Corinthiis qui ad fidem Viri Chriſtiani quam ſint divites.
Chriſti converſi erant, & idem poteſt dici
omnibus verè Chriſtianis. Non dico de illis Chri-
ſtianis, qui ſunt nomine Chriſtiani & vita Sarraceni, Apoſtatæ quam ſint miſeri.
qui ſunt Chriſti proditores & ſervi ejus de jure hoſti
ejus, id eſt, diabolo adhærentes, qui ſunt Chriſtiani
apoſtatæ, & ideo inutiles. Prov. 6. *Homo apoſtata*
vir inutilis. qui videtur eſſe deterioris conditionis,
quã fuerint Chriſtiani, ſicut Monachus apoſtata vi-
detur eſſe deterioris cõditionis, quã ſi nũquam fuiſ-
ſet Monachus. Sed veri Chriſtiani verè poſſunt dici
quod in õnibus divites facti ſũt in Chriſto. Dũ enim
habent Chriſtũ, qui Dominus eſt omniũ, habens &

in Chriſto. Unde Auguſtinus. Multùm dives eſt Chriſtiana religio, quæ omnia poſſidet in omnium poſſeſſore. Magnum theſaurum habet verè Chriſtianus, ſi in agro cordis abſcondit Chriſtum juxta verbum domini. Matth. 13. Qui theſaurus non oſtenditur ei, niſi in viſione, quæ ejus erit beatitudo. Pſal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua domine*, &c. Et *notandum* quod quidam ſunt divites in mundo, quidam in Deo. In Deo divites ſunt, qui Deum habent in corde juxta verbum Auguſtini. Nummos habens in arca dives eſt, Deum habens in conſcientia dives non eſt: conjunge aurum & Deum, arcam & conſcientiam. In Deo etiam dicitur aliquis eſſe dives, qui in manu Dei poſuit omnia bona ſua, multa bona opera pro amore ipſius faciendo, bona etiam temporalia pauperibus erogando, manus enim Chriſti manus ſunt pauperum, ut dicit Gloſſa ſuper illud: Pſal. 75. *Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.*

Divites in Deo qui ſint.

Et notandum quòd divites in mundo & divites in Chriſto in *quatuor* differunt. Divites enim in Chriſto ſunt divites ſemper, & ubique, in omnibus, & veras divitias habent. Divites verò in mundo ſunt divites hodie, & cras pauperes. Sunt etiam divites hîc, & ſi ad alium locum declinaverint, poſſunt ibi mori fame. In multis etiam pauperes

Divites in Mundo & Chriſto differunt in quatuor.

1. ſunt, & divitiæ eorum vanæ ſunt. *Primum* probari poteſt per hoc quod legitur Lucæ 12. de illo divite cujus agri tulerunt fructus uberiores ſolito, ita quòd horrea ad capiendum non ſufficerent, qui cum crederet ſe habere abundanter neceſſariá in annos plurimos, audivit à Deo: *ſtulte hac nocte repetunt animam tuam à te. Quæ autem paraſti cujus erunt?* & ſubdit dominus: *ſic eſt qui ſibi theſaurizat & non eſt in Deo dives*, ſic eſt inquam ſtultus, ſicut ille, qui vult ut ſit dives ad horam. Gloſ. ſuper illud Pſal. 30. *Odiſti obſervantes vanitates*, &c. Vanitatem obſervatis, ſi in pecunia ſperatis vel in honore, vel in aliquo nomine potentiæ. Illud ſolùm divitiarum hujus Mundi in ſalvo ponitur, quod ponitur in manu Dei, quod ſcilicet pro Deo datur. Et illud verè habetur, ſicut quidam dixit Domino ſuo, cùm dominus ejus vellet de bonis ejus habere, & præcepiſſet ei, ut de bonis ſuis ei veritatem diceret, nihil plus habeo, inquit, præter ſexcentos aureos, quos pro Deo dedi. Cum autem à circumſtantibus ei diceretur, quod falſum eſſet, & dicerent illa prædia tantum valent, & illa domus, & multa alia, ille reſpondit: illa non ſunt mea, ſed domini mei, quia quando voluerit accipiet tanquam ſua. Sed illud pro Deo dedi, & in ſalva cuſtodia per manus pauperum poſui, ita quod nullus poteſt auferre mihi.

Divitiæ temporales quomodo in ſalvo ſeu tuto loco ponantur.

2. Divites in Chriſto ideo divites ſunt *ubique*, quia partem habent in omnibus bonis, quæ ſunt in cœlo & in terra, juxta illud Pſal. 18. *particeps ego ſum omnium timentium te*, &c. Ideò bene convenit eis illud. Proverb. ult. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.*
3. *In omnibus* verò ideò dominus divites eos dicit, quia omnia ſunt divitiæ Chriſtianorum. Non ſolum enim bona, ſed etiam mala pœnæ ſunt divitiæ bonorum, unde Hebræor. 11. dicitur de Moyſe *majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Ideò totus mundus eſt fideli divitiarum; infidelis autem obulo indiget. Bernardus. Totus mundus fideli divitiarum eſt. Totus planè, quia tam proſpera quàm adverſa ipſi
4. æquè omnia ſerviunt & cooperantur in bonum. Divitiæ bonorum veræ divitiæ ſunt, cùm cor hominis repleant.

Divitiæ Mundi vanæ ſunt tripliciter.

Econtrario verò divitiæ mundi vanæ ſunt, & hoc *tripliciter*. Vanæ enim ſunt in ſe, & in comparatione noſtri, & in comparatione creatoris. *In ſe* vanæ ſunt *dupliciter*, ſcilicet *veloci tranſitu & indigentia.* De *primo* Sapient. 5. *Tranſierunt omnia tanquam umbra.* De *ſecundo* Hierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat.* Hæc vacuitas poteſt intelligi defectus quem habet quælibet poſſeſſio hujus Mundi. Unde ſi ab homine repellit unam indigentiam, facit multas. Ideò verum eſt, quod dicit Seneca, quod altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Et verum eſt illud ſapientis: illos pluribus indigere, qui plura poſſident. Seneca. Congregetur ad te quidquid multi divites poſſident, ex his majora cupere diſces. Et ſuper illud, ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Dicit Gloſſa: Qui appetit pecuniam, cupere cupit. *Comparatione* verò *noſtri* vanæ ſunt divitiæ hujus Mundi, quia non conferunt plenitudinem continenti, nec fulcimentum nitenti, nec fructum ſperatum laboranti. Animæ *plenitudinem* non conferunt, unde Auguſtinus in libro de diligendo Deo. Pecunia non ſatiat animæ famem, ſicut nec ventus corporis ventrem. Etenim ſi quis famelicum hominem apertis faucibus ventum vel aërem haurire cernat, quod illo conſulatur fami, minimè credit. In errore es, ſi ſpiritum rationalem rebus putas temporalibus non magis inflari, quam ſatiari. Sic potentiæ animæ, rationalis, concupiſcibilis & iraſcibilis non implebuntur. Rationalis non implebitur ſcientia in præſenti juxta illud: *non ſatiatur oculus viſu*, &c. Eccleſiaſtici 1. Concupiſcibilis non implebitur pecunia, juxta illud. *Avarus non implebitur pecunia.* Eccleſiaſtæ 5. & Eccleſiaſtici 14. *Inſatiabilis eſt oculus cupidi.* Et iraſcibilis multo minus gloriâ, cum gloria temporalis vaniſſimum videatur eſſe inter temporalia, unde à vanitate ſpecialiter nomen accepit, ut ſpecialiter vana gloria dicatur: Boëtius O doxa doxa, ſive gloria gloria quid aliud futura es mentibus mortalium, niſi magna inflatio aurium. Divitiæ etiam mundi non dant *fulcimentum* innitenti juxta illud. Proverb. 11. *Qui confidit in divitiis ſuis corruet.* *Fructum* etiam non dant juxta illud Eccleſiaſtæ 5. *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* Fructus iſte eſt ſufficientia vel ſatietas, quem ex divitiis non capit ille, qui eas amat, cùm amor ſit fames: fames autem & ſatietas ſimul eſſe non poſſunt. Vanæ etiam ſunt divitiæ iſtæ *reſpectu creatoris*, ſicut arca dicitur vacua, licet ſit aëre plena, eo quòd non eſt plena re ſolida. Sapien. 11. *Tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & quaſi gutta roris antelucani.* De vanitate ita dicitur. Eccleſiaſtæ 1. *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas.*

1. In ſe dupliciter.

2. Ratione noſtri tripliciter.

1.

Potentiæ animæ quomodo non ſatientur.

Vana gloria cur ſic dicatur.

2.

3.

3. Ratione Dei.

Et notandum quod Apoſtolus non dicit, gratias ago quia divites facti eſtis in mundo, ſed quia in Chriſto, multiplici ratione. *Primo* quia divitiæ mundi animam inquinant, quòd videtur eſſe ſignatum in hoc, quod ea quæ videntur precioſiora inter eas, ut eſt aurum & argentum, manus tangentium inquinant. Ideo Spiritus ſanctus vocat ea lutum. Abac. 2. *Væ ei, qui multiplicat non ſua. Uſque quo aggravat contra ſe denſum lutum.* Deterius inquinant divitiæ animam, quàm lutum corpus, ideo Apoſtolus rectè arbitratus eſt ea ut ſtercora, Phil. 3. *Secundo* quia ignominioſæ ſunt. Proverb. 3. *Stultorum exultatio ignominia.* Et in Pſalm. 4. juxta aliam literam *filii viri incliti, uſquequo ignominioſe diligitis vanitatem?* ſicut ignominioſum eſſet alicui regi ſi contraheret cum aliqua paupere ac deformi, qui contrahere poſſet cum aliqua nobili & pulchra; ſic ignominioſum eſt animæ, quando inſeparabili amore inhæret his bonis, & debuit & potuit adhærere. *Tertio* quia divitiæ perditionis ſunt, vel quia perduntur, vel quia perdunt hominem, ſicut econtrario ſpirituales divitiæ

Cur noluerit Apoſtolus Corinthios divites eſſe in Mundo.

1.

2.

3.

ſunt divitiæ ſalutis. Iſai. 33. *Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia.* Bernard. loquens de bonis temporalibus, utinam, inquit, congregatæ perirent, & non congregator eorum. Tolerabilius eſſet inſudare labori perituro, quàm perempturo. Eccleſiaſtici 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Vel ut breviter dicam, frequentiùs in malum domini ſui congregantur. Unde Eccleſiaſtæ. 5. *Eſt & alia infirmitas peſſima quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum domini ſui, pereunt enim in afflictione peſſima.* Pereunt enim hic morte culpæ, & in futuro morte pœnæ æternæ, & in præſenti præter hoc ſunt in afflictione peſſimâ. Si vis amplius de hac materia, require in tractatu de avaritia prima patre capite 7.

DOMINICA XIX. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo 1. tradit cur peccatũ vetuſtas vocetur. 2. hortatur, ut renovemus nos ab ea, exemplo & modo creaturarum aliquarum. 3. in fine quaſdam Epiſtolæ ſententias explicat.

SERMO XCVII. Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, *Epheſ.* 4.

Obiectio adverſus verba Apoſtoli. QUæ eſt iſta commonitio, cum ferè nullus ſenem ſe cognoſcat: etiam vetuſtiſſimi adeò avari ſunt, & in ſuo regimine indiſcreti ac ſi eſſent pueri. Gregor. Tanto debet eſſe quiſque in ſui regimine cautior, quanto fuerit ætate provectior. Seneca. Monſtro ſimilis eſt avaritia ſenilis, quid enim ſtultius, quàm via deficiente viaticum augere. Præterea ad quid profuit admonitio de renovatione cum à ſenectute ad juventutem non ſit regreſſus: Reſponſio. Peccatum vetuſtas dicitur, eo quòd vetuſtati in effectu multiplici aſſimiletur. *Primo* morti æternæ proximum facit, & parum diſtat, qui eſt in mortali, ab inferno. Gladium Dei habet evaginatum ſuper caput, qui eum medium divideret, niſi Dei miſericordia eum ſuſtentaret. Job 19. *Fugite à facie gladii. Secundo* curvum facit. Pſal. 37. *Miſer factus ſum & curvatus ſum.* Item Pſal 16. *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Vix oculus cordis poteſt cælum reſpicere quod amiſit, quia iniquitates ſuæ onus grave gravatæ ſunt ſuper eum, Deus tamen fecit hominem rectum, ut legitur Eccleſiaſtæ 7. *Tertio* viſum obſcurat, ut patet in Iſaac, qui non cognovit Jacob viſu, ſed manibus tentare voluit. Gen. 27. Non videt peccator, quò à diabolo ducatur. Si enim videret, rediret. Pſal. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos. Quartum*, peccatum ita debilitat, ut ad parvum impulſum ſuggeſtionis in peccatum ruatur. *Quinto* rugam etiam duplicitatis in homine facit inhærere, ut aliud peccator eſſe & aliud videri velit. Unde Eccleſiaſtici 2. *Væ duplici corde. Sexto* facit caniciem quaſi ex defectu caloris naturalis, ex defectu enim divini amoris eſt candor mundanæ ſapientiæ in peccatoribus. Et ab hac vetuſtate peccati monet Apoſtolus renovari.

Reſponſio. Peccatum dicitur vetuſtas ob ſex effectus.

Pſal. 37.

Sex ſpecies renovationis creaturarum docent renovationem hominum.

Et notandum quòd *ſex* ſpecies renovationis in creaturis inveniuntur, quæ oſtendunt homini diverſos modos ſuæ renovationis. *Prima* ſpecies fit per ignem, ſicut ferrum renovatur à rubigine, & aurum & argentum ſic purgatur, & idoneum ad operandum efficitur. Sic videtur dominus velle renovari hominẽ, quando ponit eum in ignem tribulationis, dando ei infirmitatem. Circa ferrum, dum calidum eſt, operandum eſt, non autem quando frigidum eſt, ſic circa tales tunc exhortationibus inſiſtendum eſt. Sed quibuſdam poteſt dici illud. Ezech. 24. *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea rubigo, neque per ignem.* Et illud Hie-

1. Ignis.

rem. 6. *Fruſtra conflavit conflator: malitia eorum non ſunt conſumptæ: argentum reprobum vocate eos, quia dominus projecit eos.* Tribulatio verò ignis vocatur, quia ſimiles auro & argento purgat; ſimiles paleæ incinerat. *Secunda* ſpecies renovationis eſt in ſerpente, qui cum ſenuerit propter duritiem pellis non poteſt bene ſe vertere; quare abſtinet quadraginta diebus, deinde egrediens per arctum foramen, ibi pellem relinquit In quo commendatur renovatio, quæ fit per arctam pœnitentiam. Matth. 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Per ſerpentem diabolus intelligitur, quia in ſerpente hominem decepit, & propter venenum invidiæ & inimicitias, quas habet ad hominem. Unde Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Pellis ſerpentis eſt peccatum, quod eſt ſimilitudo diaboli. Si ergo peccatum in aliquo induravit, conetur quantum poterit ad abſtinendum à peccato ſuo, deinde arctam pœnitentiam aggrediatur, & ibi diabolus eum relinquet. Diabolus enim libenter vadit per latam viam, & in arcta via hominem deſerit. Matth. 12. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida*, &c. Diabolus ad modum piſcis in humidis habitat, & in arido requiem non invenit. Job 40. *Sub umbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus. Tertia* ſpecies renovationis eſt in aquila. Unde in Pſal. 102. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* dicit Gloſ quod aquila dum ſenio gravatur, unco roſtri immodico creſcente non poteſt os aperire & cibum capere, inde langueſcit. Sed quodam naturali modo collidit roſtrum ad petram, & exuit onus roſtri quò priùs cibus impediebatur, & redit ad cibum, & omnia reparantur ei, ut juvenis fiat. In quo commendatur renovatio quantum ad conſiderationem dominicæ paſſionis. Chriſtus in ſtatu crucis petra dicitur, unde Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ*, propter perfectam patientiam. Roſtrum nimis curvatum eſt amor ad terrena nimis curvatus, qui cibum capere non poteſt, quia tali amori ſpiritualia non ſapiunt. Sed iſta curvitas ad petram alliditur, quando exemplo Chriſti terrena deſpiciuntur, & tunc homo interior cibum ſuum ſumit, quia ſpiritualia incipiunt ei ſapere, & ſic fit renovatio Bern. Magna abuſio, & nimis magna, quod miſer vermiculus velit dives fieri, pro quo Deus majeſtatis & dominus Sabaoth pauper fieri voluit. In alliſione roſtri poteſt intelligi renovatio oris, juxta illud, 1. Regum 2. *Recedant vetera de ore veſtro.* Iſa. 6. Labia Iſaiæ mundantur calculo, ut dignus ſit loqui verbum Dei 1. Pet. 4. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. Quarta* ſpecies renovationis eſt in cervo, de quo dicit Gloſ. ſuper illud Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes*, &c. Qui cùm gravatus eſt ſenio creſcentibus pilis atque cornibus ſerpentem haurit naribus, quo hauſto venenum æſtuat, unde fontem ad bibendum ardentiſſimè deſiderat, quo hauſto pilos & cornua deponit. In quo commendatur nobis renovatio, quæ fit deſerendo mundum conſideratione malorum quæ habet mundus. Sicut enim cervus hauſto ſerpente æſtuat, & fontem quærit ad ſui refrigerium; ſic mens malis hujus mundi gravata fontem quærit divinæ miſericordiæ. Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Nahum 3. *Qui viderit te, reſiliet à te.* Gregor. Contemnendus eſt mundus iſte, etiam ſi blandiretur, & rebus proſperis demulceret animum At poſtquam tot laboribus hominem premit, tantaque adverſitate fatigat, dum tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat: Sic pellis, ideſt, vitia carnalia, & cornua ſuperbiæ deponuntur. *Quinta* ſpecies renovationis eſt in accipi-

2. Serpentis.

3. Aquila.

4. Cervi.

5. Accipitris.

accipitre, quæ fit ſingulis annis. De qua Job. 39. *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?* In quo commendatur renovatio, quæ fit in mutatorio orationis & contemplationis, quando viri contemplativi de virtute in virtutem proficiunt. Gregor. Quid eſt accipitrem in auſtro plumeſcere, niſi quod unuſquiſque Sanctorum flatu Spiritûs ſancti tactus concaleſcit, & uſum vetuſtæ converſationis abjiciens, novi hominis formam ſumit? 2. Corinth. 4. *Licet qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem.* Et Apocal. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Accipiter qui eſt avis nobilis, qui de præda cor amat, veros amatores animarum ſignificat. Et notandum quòd renovationem accipitris vermes venenoſi accelerant, ut bufones & ſimilia, ſic in viris
6 ſanctis Thren. 3. *Saturabitur opprobriis* Sexta ſpecies renovationis eſt in Phœnice, quæ in nido ſuo ligna congregat; & alis ſuis ignem excutiens ſeipſam comburit, & ex cineribus avis ſuæ ſpeciei procreatur. In quo commendatur nobis renovatio, quæ fit in glorificatione corporum, quando implebitur illud. Apocal. 21. *Ecce nova facio omnia.* Ligna in proprium incendium congregaverunt, & ignem ſuis alis excuſſerunt homines primi, quando pomum quod à Deo ſibi erat prohibitum concupierunt, & concupitum guſtaverunt, hoc eos incineraverit. Ex cineribus verò fit renovatio, quando ex pulveribus fiet reſtauratio.

Explicatur quædam ſententiæ Epiſtolæ.

Sequitur; *ſpiritu mentis*, ideſt, ſpiritu qui eſt mens, ut ſpecificetur, de quo ſpiritu dicatur. Et notandum, quòd renovatio ſpiritûs fit in præſenti, propter hanc fuit primus adventus Chriſti, renovatio verò fiet corporum in futuro. Philip. 5. *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, &c. Bern. Nunc eant, nunc redeant, qui corpora ſua pellibus murium & ſtercoribus vermium informant, quia cum Dominus ad judicandum venerit, non reformabit niſi quod abjectionis & humiliationis inveniet. Sequitur, *& induite novum hominem*, &c. ideſt, ſimilitudinem novi hominis, *qui ſecundum Deum creatus eſt*, ideſt, Dei potentia, non humana natura, vel ad ſimilitudinem. Auguſtinus. Summa religio eſt imitari quem colis, ſcilicet Deum. Seneca. Niſi ad regulam prava non corriges. Exemplar divinum nobis abſconditum erat, ideò oportuit ut crearetur homo Deo ſimillimus ſecundùm poſſibilitatem humanæ naturæ, ad cujus formam ſe homo corrigeret. Homo iſte Chriſtus eſt, ad cujus exemplar homo debet præcipuè reſpicere propter hoc, quòd pulcherrimum eſt exemplar & veriſſimum Dav.d. Pſalm. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Bernard. O quam formoſum te in forma mea cognoſco Domine Jeſu, non ſolum propter divina quibus effulges miracula, ſed etiam propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam. Idem. Beatus eſt Domine Jeſu, qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans, pro viribus ſe præbet imitatorem tui. (*In juſtitia & ſanctitate veritatis*) hoc dicitur contra juſtitiam & ſanctitatem falſitatis & vanitatis, quæ fit in hypocritis, vel juſtitiam ſignorum, quæ ſunt in Judæis.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Sermo XCVII.

De tribus agitur hoc ſermone. 1. In principio & fine de renovatione mentis pauca. 2. De cohibenda lingua à mendacio & ira moderanda. 3. De labore manuum & quadruplici ejus bona intentione, ſeu fine.

Renovamini, &c.

AD tria nos monet Apoſtolus hîc, *primo* ad mentis renovationem, ibi: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ*, &c. *Secundo* ad linguæ gubernationem, ibi: *propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem*, &c. *Tertio* ad manualem operationem, ibi: *qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret*, &c.

Epiſtola & ſermo hic ad tria nos hortatur.

I. Ad renovationem mentis.

Primo neceſſaria eſt mentis renovatio à peccati vetuſtate, ne peccatum ibi remanſerit & bonitatem operum auferat, quod *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, ſecundum Apoſtolum 1. ad Corinth. 5. Peccatum mortale cum operibus eſt velut fel in eſca Domini.

Sincerum niſi ſit vas, quodcunque infundis aceſſit.

II. Ad gubernationem linguæ, quoad duo, 1. Veritatem ne mentiamur.

Linguæ verò gubernationem docet Apoſtolus quantum ad *duo*, ſcilicet quantum ad *veritatem*, ibi: *loquimini veritatem*, & quantum ad *lenitatem*, ibi: *Iraſcimini & nolite peccare.* Circa *primum* nota quòd diabolus fuit primus mendax juxta illud Joan. 8. *Mendax eſt & pater ejus.* Et qui potiùs amat mendacium quam veritatem, videtur potiùs velle eſſe ſimilis diabolo quàm Deo, qui veritas eſt. De hac materia require in capite de ira. Circa *ſecundum* nota, quòd *duplex* eſt ira, ſcilicet ira contra vitium perſonæ, & ira contra perſonam. Prima eſt bona, ſecunda mala. De utraque dicitur verbum iſtud. De *prima* ſic, *iraſcimini* contra vitium, *& nolite peccare*, nimis aſperè arguendo. Eccleſiaſtæ 7. *Juſtus perit in juſtitia ſua.* Et poſt, *noli eſſe juſtus multum.* Et Prov. 12. *Qui ſuavis eſt vivit in moderationibus.* Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis.* De *ſecunda* ſic. Si iraſcimini contra perſonam nolite peccare, id eſt, non conſentiat ratio. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, &c. ideſt, non duret uſque ad occaſum ſolis. Eccleſiaſt. 7. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Et Job 5. *Virum ſtultum interficit iracundia.* Vel ſol juſtitiæ per iracundiam mentes veſtras nunquam deſerat, qui cum ira nunquam habitat. Secundum Gloſ. Auguſt. Super illud. *Nolite locum dare diabolo.* Diabolo locum dat, qui portas ſenſuum pandit. Hierem. 20. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras.* Jacob. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Auguſt. Tentator non ceſſat niſi ingrediatur, & ideo docet Dominus ut timoris valva in facie ejus elidatur. *Item* locum diabolo dat, qui ſe in aliquo bono non occupat. Hier. Semper boni operis aliquid facito, ut te diabolus inveniat occupatum *Specialiter* diabolo locum dat, qui Deum à ſe per mortale peccatum expellit, per quod diabolum introducit, quod non fit ſine magna Dei contumelia. Aug. ſuper hunc locum. Duæ ſunt portæ, per quas diabolus intrat, ſcilicet cupiditas & timor. Si cupis aliquid terrenum, & times facere bonum, aperis diabolo, & intrat diabolus. Si cupis regnum cœleſte, & times pœnam æternam gehennæ, aperis Chriſto, & intrat Chriſtus. Eccleſiaſtæ 10. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locũ tuum ne dimiſeris.*

Qui dent locum diabolo.

III. Ad opus manuale.

Circa tertium verò notandum, quod beatus eſt qui vivit de labore manuum ſuarum, juxta illud Pſal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, &c. Econtrario, qui non vult operari, non manducet. Debemus autem operari aliquid utile, non ocioſum, quia pro vitando ocio ocium ſectari, ridiculum eſt ſecundum Bern. Item quod bonum ſit, & in quo mortale peccatum non ſit, ut patet Sapient. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* *Duæ* verò intentiones laboris hic tanguntur. *Prima* eſt, *qui furabatur*, &c. Ideò enim laborare debet homo, ut de juſtè adquiſitis habeat unde vivat, & non neceſſe habeat furari victum ſuum.

Duæ bonæ intentiones ſeu fines laboris hujus.

Alia eſt, *ut habeat unde tribuat neceſſitatem patientis.* Cùm non poſſint omnes laborare, quibus dedit Deus poteſtatem laborandi laborent, ut poſſint fratribus ſuis infirmis ſubvenire. Poſſunt tamen præter has eſſe *duæ* aliæ bonæ intentiones in labore. *Una* eſt, ut caro dometur, ne laſciviat. Eccleſ. 33. *Servo malevolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet.* *Alia* eſt, ut pœnitentia à Deo injuncta homini agatur. Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Qui extra mortale eſt, & aliquâ iſtarum intentionum laborat, in opere ſuo regnum cœlorum lucratur. Inter has intentiones videtur illa excellere, quâ quis laborat ut habeat unde tribuat patienti neceſſitatem, ſicut oleum ſupereminet cæteris liquoribus, ſic pietas aliis operibus. Quidam venit ad quoſdam Eremitas, à quibus quæſivit quid operis facerent, qui reſponderunt, ſine intermiſſione oramus. Quibus ille ait: & ego do eleemoſynas magnas de labore meo pauperibus, qui ſive dormiam, ſive vigilem, ſemper orant pro me. Et *notandum* quod arbores quantum ad tria renovantur, quantum ad flores, folia & fructus. Et quantum ad hæc tria monet hic Apoſtolus hominem renovari. Primo debet renovari mens per florem boni propoſiti, vel bonæ voluntatis; ſecundò os, quantum ad folia verborum; tertiò manus, quantum ad fructus bonorum operum.

Aliæ duæ.

Quæ his ſit excellentior.

Exemplum de Eleemoſyna.

Ut arbores in tribus debemus renovari.

DOMINICA XX. POST TRINITATEM.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Inſtruit hic ſermo viatorem hujus vitæ ad cœlum tendentem, docendo, quid ipſi faciendum, cavendumque ſit, ut ſecure ad terminum regni cœleſtis perveniat.

SERMO XCIX.

Videre quomodo cautè ambuletis. *Epheſ.* 5.

Cautè ambulare quid ſit.

VIvere rectè, dicit cautè ambulare. Vita enim præſens itineratio eſt, & vivere, eſt ad mortem æternam, vel ad vitam beatam tendere. Singulis diebus facit homo magnam dietam unam ad alteram harum, & ille ſolus ſapienter vivit qui ad vitam tendit. Eccleſiaſtæ. 6. *Quid habet ampliùs ſapiens à ſtulto? & quid pauper, niſi ut pergat illuc ubi eſt?* Nemo ſapienter vadit, qui voluntariè ad ſuſpendium ſuum vadit. Bernardus. Sinite ſapientes hujus mundi, de ſpiritu hujus mundi viventes, alta ſapientes & terram lingentes, ſapienter deſcendere in infernum.

Cautè ambulare volentes in via hujus vitæ quid conſiderare debeant,

Et notandum quòd qui vult cautè ambulare in via præſentis vitæ, frequenter debet inſpicere initium viæ, & medium, & finem. Bernardus. Homo conſidera unde venis, & erubeſce: Ubi es, & ingemiſce: quo tendis, & contremiſce. Qui de nobilitate ſuperbiunt, debent primùm reſpicere, ſcilicet ex quam vili materia corpus formetur. De loco verò ubi ſumus, qualiter ad luctum invitet. Mala hujus ſæculi per ſe ſunt bona, quia ſunt materia luctus: bona verò mala ſunt quia mala, ſcilicet peccata inducunt. Eccleſiaſtici 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto* Vide tractatum de horreis. Videre etiam debet qualiter ingreſſus eſt in mundum iſtum, & qualiter egreſſurus eſt, & medium vitæ ſuæ non timeat initio & fini conformare. Rectum enim eſt cujus medium non exit ab extremis, monſtruoſum autem eſt cujus medium extremitatibus non reſpondet. Nudus egreſſus es de utero matris, nudus reverteris illuc. Job. 1. In vita ergo tua paupertatem non verearis. Item videre debemus principium à quo ſumus, ad quod neceſſariò poſt vitam iſtam revertemur, ſecundùm merita noſtra ab eo accepturi. Illi ergo in præſenti adhæreamus, hoc enim requirit hoc, quod ab eo cuncta habemus. Bern. Infidelem urget jus ſtatura naturalis, totum ſe tradere illi à quo ſe totum habet. Hoc etiam ſæpe requirit hoc, quòd pro remuneratione ad eum venturi ſumus, ab eo enim cui ſervitium impendimus, meritò mercedem requiremus.

Rectũ quid Monſtruoſum.

Et notandum quòd *quinque* ſunt cauſæ propter quas cautè ambulandum eſt in via paradiſi. *Prima* quia *arcta* eſt *via*, quæ ducit ad vitam, & quam citò extra viam pes ponitur, ponentis collum frangitur. Matth 7. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* In Alpibus ubi via eſt arcta, & ſi homo viam exeat cadit in abyſſum, ſolent homines cautè ambulare. Pſal. 139. *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Quaſi de cœlo in infernum cadit, qui à ſtatu gratiæ recedit. Et *notandum* quòd illis qui habent nimis latam conſcientiam valdè timendum eſt illud. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam*, &c. Lati enim currus non poſſunt incedere per arctam viam, unde cùm eorum conſcientia ſit quaſi quidam magnus currus, timendum eſt his, ne ſit extra hanc viam. Pauci enim ſunt, ut ibidem dicitur, qui eam inveniant. *Remedium* contra ſtricturam viæ eſt, ut homo videat ubi ponat pedem amoris ſui. Auguſtin. Pes animæ amor eſt, qui ſi rectus eſt, dicitur charitas, ſi curvus eſt, dicitur cupiditas. Sicut contractus non poteſt ire ad ſanctum Jacobum, ita qui pedem non habet, non poteſt ire in cœlum. Præcipuum quod eſt cavendum, eſt, ne nimis dilatentur greſſus in via arcta. *Secundo* quia *theſaurum* iſtum precioſum *habemus* in vaſis fictilibus. 2. Corinth. 4. Qui habet precioſum liquorem in vaſe vitreo, cautè ambulat. Sanguinem enim Chriſti habemus in nobis ipſis, eo modo, quo aliquis dicitur habere in mercibus emptis precium, quo emit Imò quod plus eſt, ipſum Deum habemus in cordibus noſtris. *Specialiter* ergo cavendum eſt, ne ad lapidem offendamus, & vas vitreum frangendo liquorem amittamus. Velut lapis in via paradiſi eſt homo durus alios ſcandalizans, quem debemus declinare, ſi Deum nolumus amittere. *Tertio* propter viæ *lubricitatem*. Thren. ult. *Lubricaverunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum.* Hanc lubricitatem intellige pronitatem ad peccandum, quæ eſt in homine tam à natura deſtituta, quam à conſuetudine. Gen. 8. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Contra quod *remedium* eſt, ut homo alicui ſolido innitatur. Iſa. 40. *Qui ſperant in domino, mutabunt fortitudinem.* Et in Pſal 2. *In domino ſperans non infirmabor.* Et illud Pſal. 33. *Non derelinquent omnes, qui ſperant in eo.* *Quarto* propter *tenebroſitatem*. Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi* Contra quod *remedium* eſt, ſecum habere lucernã Divini verbi. Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Vel ſaltem lucernam boni exempli. Phil. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* *Quinto* verò propter *hoſtis propinquitatem*. Hæ tres cauſæ tanguntur quando dicitur in Pſal. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & angelus domini perſequens eos.* Contra malignos ſpiritus *remedium* eſt frequens invocatio Spiritus ſancti, vel invocatio bonorum ſpirituum, qui nos à malignis ſpiritibus defendunt. Exemplum de Eliſæo 4. Regum 6. qui exercitum angelorum paratum ſibi vidit ad adjuvandum. Ad hoc etiam multum valet firmitas boni propoſiti. Jacob. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Item *notandum* quod vivere non magnum quid eſt, vivunt enim bruta animalia, vivunt & dæmones & reproborum animæ, quibus melius eſſet non vivere. Unde Apocal. 9. *Deſiderabunt homines mori, & fugiet mors ab illis.* Sed debito modo vivere magnum quid eſt, ideò dicit Apoſtolus. (*Videte quomodo cautè ambuletis*, &c.) Sunt qui

Cautè ambulandum eſt in via ad paradiſum ob quinque

1. Quia eſt arcta.

Conſcientiã lata periculoſa eſt in hac via.

Remediũ ad evadendũ periculum hoc.

2. Quia theſaurũ portamus.

Remediũ.

3. Quia lubrica eſt via.

Remediũ.

4. Quia tenebroſa eſt.

Remediũ.

5. quia hoſtis eſt propinquus.

Remediũ.

Vivere parũ eſt, debitè vivere magnum eſt.

Vita beſtialis, qualis ſit.

qui beſtiali modo vivunt. Seneca. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum. Proſequere de diverſis generibus animalium, ſecundum diverſa genera peccatorum. Et *notandum* quòd deterius eſt beſtialiter vivere, quam beſtiam eſſe, ſicut pueriliter vivere, quam puerum eſſe.

Ad diſcrete & bene ambulandum ſex requiruntur.

Notandum quòd *ſex* ſunt in quibus conſiſtit diſcretio viatoris. *Primo* ut competentem ſibi ſocietatem eligat. *Secundo* ut à ſciente iter diligenter inquirat. *Tertio* ut pericula declinet. *Quarto* ut non niſi neceſſariis ſe oneret. *Quinto* ut operam det ad hoc, ut de die hoſpitetur, de nocte enim hoſpitanti omnia bona deficiunt, ſicut vulgariter dicitur. *Sexto* ut cum indigenis non litiget Non enim ſecurum eſt alienigenam cum indigenis litigare.

De 1. Societas competens & bona eſt ob quatuor, De 2. 3. & 4.

Societas verò competens eſt, quæ vadit ad locum eundem, ut ſi velis ire in paradiſum, cum ſimilibus te ſocia, non cum illis, qui vadunt in infernum. *Item* ſi eſt ſocietas ſecundum modum tuum. Eccleſiaſtici 13. *Ditiori te ne ſocius fueris. Item* ſi eſt utilitas ex illa aſſociatione. Seneca. Cum illis verſare, qui te meliorem facturi ſunt. Illos admitte *etiam*, quos tu meliores poteris facere. De *ſecundo* Hierem. 6. *Interrogate de ſemitis antiquis*, &c. De *tertio* Proverb. 11, *Qui cavet laqueos, ſecurus erit*. De *quarto* Gregorius. Hominis pedes onerat, quicunque præter neceſſariū curat.

De 5:

Circa *quintum* notandum, quod ad hoc, quod aliquis de die hoſpitetur valet. ſi mane iter arripiat. Item ſi iter continuet, & ſi greſſum moderetur. Prov. 19. *Qui feſtinus eſt pedibus offendit* Sin autē contingat aliquem tardè iter arripere, neceſſe eſt celerius ambulare Seneca. Faciamus quod in itinere fieri ſolet, qui tardius exierunt celeritate moras compenſant.

De 6.

Circa *ſextum* nota, quod homines mundani ſunt velut indigenæ hujus mundi, viri cœleſtes velut alienigenæ, unde non debent cum eis contendere, ſed injurias patienter ſuſtinere.

Ambulanti in cœlum cavenda ſūt quinque. 1. Error viæ, qui fit ob 4. cauſas. 1 Viarum multitudinem.

Item nota, quod eunti in cœlum *quinque* ſunt cavenda, ſcilicet error, caſus, ne periculum incurrat latronum, ne in via deficiat, ne aliquid ſibi placens in via eum oblivisci faciat. Viæ erroris *quatuor* poſſunt eſſe cauſæ, viarum multitudo, itinerantium raritas, obſcuritas, ſignorum mutatio. Circa *primum* nota, quod juxta viam cœli multæ ſunt aliæ viæ, multis enim modis mali ſumus, bòni verò unico modo, medium enim unum eſt, extremitates verò multæ. Ideo dicit Dominus Matt. 7. de via cœli quod pauci ſunt, qui inveniunt eam. In Pſal. 106. *Viam civitatis habitaculi non invenerūt*. Item Pſal. 24. *Vias tuas Domine demonſtra mihi*, &c.

2. Itinerantiū raritatem.

Ad *ſecundum*. Iſa. 33. *Ceſſavit tranſiens per ſemitam*. Ideò non eſt ſecurum aliquem habitare ubi pauci vel nulli ſunt boni, quia de facili amittit viam paradiſi.

3. Viæ obſcuritatem. 4. Signorum deceptionē hypocritæ & hæretici quomodo decipiant.

Defectus *etiam* doctrinæ, dum facit obſcuritatem, multos facit amittere viam cœli. Joan. 12. *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat*. Signa *etiam* quæ videmus in viis inferni, quæ deberent eſſe in viis paradiſi, multos faciunt errare, ut in Hypocritis, & in his qui deferunt habitum religionis, qui malè vivunt, & in Hæreticis, quos aliqui credunt eſſe bonos propter aliquam abſtinentiam, vel manſuetudinem, quam in eis vident. Quaſi aliquis non poſſit habere aliquid mali, cùm habeat aliquid boni, imò omnis deceptor prætendit aliquid boni, quò malum palliat. Sic piſcator eſcam hamo ſuperponit, & auceps frumentum laqueis. Tales etiam non attēdunt, quod non omne, quod lucet, eſt aurum. Matth. 7. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis oviū* &c.

2. Caſus ſeu lapſus.

Circa *ſecundum* ſcilicet caſum notandum, quod qui vult à caſu cavere, oportet quod caveat à foveis & ſimilibus. Prov. 23. *Fovea profunda eſt meretrix*. Iſa. 24. *Formido & fovea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ*, & poſt. *Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam: & qui ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo*.

3. Periculum latronum.

Circa *tertiū*, ſcilicet circà periculum latronum. Lucæ 10. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalē in Hiericho & incidit in latrones*. Ab Hieruſalē in Hiericho deſcendit, qui à contemplatione cœleſtium deſcendit ad ſolicitudinem mundanorum, & talis frequenter ſpoliatur. Prov. 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Greg. Facilè laqueos evadunt in terris, qui oculos habent in cœlis.

4. Defectus in via fit ob ob quatuòr.

Circa *quartum* verò notandum, quòd in via fit defectus *cibi inopia*. Gloſſa ſuper illud: *ne deficiant in via*. Math. 15. Perit qui ſine cœleſti pane ad patriam tendit. Ideò dictum eſt Eliæ 3. Regum 19. *Surge, comede, grandis tibi reſtat via*. Aut *imbecillitate*. Jacob. Geneſ. 33. *Noſti Domine mi quod parvulos habeam teneros, & oves, & boves fœtas, quas ſi in ambulando plus fecero laborare morientur una die cuncti greges*, &c. Vel *nimia velocitate*. Prov 19. *Qui feſtinus eſt pedibus offendit*, &c. Greg. Fruſtrà velociter currit, qui prius quam ad metam veniat deficit. Aut *viæ aſperitate*. Num. 21. *Tædere cepit populum itineris ac laboris*. Galat. 6. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes*.

5. Amœnitas viæ, inducens oblivionem termini.

De *quinto*, exemplum habemus de tribubus Ruben & Gad. Num. 32. qui citra terram promiſſionis remanſerunt, propter terræ fœcunditatem. Gregor Stultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliviſcitur quò tendit. Item Gregor. Electis ſuis Deus aſperum iter facit, ne dum delectentur in via, obliviſcantur eorum quæ ſunt in patria.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST TRINITATEM.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo ad pugnam ſpiritualem bene pugnandum nos erudit & excitat.

Sermo C.

Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus, &c. *Epheſ. 6.*

Pugna ſpiritualis inter homines & dæmones qualis ſit. Ex quibus locis ſcripturæ pateſcat.

ABacuc 2. *Juſtus in fide ſua vivet*, ideſt, vitam ſuam reget & diſponet. Ad hoc quod aliquis vitam ſuam regat diſcretè, multum valet fides. De pugna ſpirituali, quæ eſt inter homines & dæmones, valdè grande periculum eſt quod homo bellum habeat, & tamen hoc neſciat Hieronymus. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Aliter oportet hominem ſe habere in bello, & aliter in pace. Bellum verò iſtud primo nobis oſtendit hoc quod legitur Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*, & quod ibi legitur de ſerpente qui mulierem tentavit, & illud Job, 7 *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, & quod legitur Job 1. de diabolo, qui petiit à Domino poteſtatem vexandi eum, & quod legitur Matth 4 de tentatione Domini. Dicit Auguſtinus diabolum in forma humana Deū tentaſſe quod Dominus permiſit, ut de hac pugna certiores redderemur. Multis etiam ſanctis dum eos tentaret, legitur apparuiſſe in aliqua ſpecie creaturæ viſibilis. De hac etiam pugna certos nos reddit Apoſtolus in præſentis Dominicæ Epiſtola dicens. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum*, &c.

Apoſtolus militem Chriſti ad pugnā hanc quadrupliciter præparat. 1. Animat ad-

Et notandum quod Apoſtolus Chriſti militem hîc *primo* animat, *ſecundo* armat; *tertio* de ſtatu ejus, cum quo pugnandum eſt, certificat, *quarto* pro quo pugnandum, indicat. Animat cum dicit (*Confortamini in Domino.*) ſolet dux exercitus

animare exercitum, ut dictum eſt Deuter. 20. *Appropinquante prælio ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum*, &c. Dominus etiam Jeſus mittens Diſcipulos animavit eos dicens. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, &c. Matth. 10. Sic Apoſtolus facit hîc. Et videtur verbum ejus pertinere ad eos, qui trepidant timore, ubi non eſt timor. Sicut enim initium ſapientiæ eſt timor Domini, ſic initium ſtultitiæ eſt timor malus. Proverbior. 18. *Pigrum dejicit timor*. Et 22. *Dicit piger; leo eſt foris*. Illi quos timor malorum præſentium à via paradiſi impedit, ſunt velut equi umbratici, qui ut umbram declinent, in vera pericula incidunt. Vera bona & vera mala ſunt vitæ futuræ, umbræ verò eorum ſunt bona præſentia & mala præſentia. Sapient. 5. dicunt qui ſunt in inferno, *tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus, cum præterit, non eſt veſtigium invenire*, &c.

versus varũ timorẽ præſentiũ malorum. Fit hoc exemplo Chriſti.

Pſal. 110.

Contra hũc timorẽ triplex confortatio.

Illi ergo qui timent præſentia mala *tripliciter* debét confortari in domino. *Primo* tanquam in ſtrenuo & prævio duce, dante illis exemplum ſtrenuè agéndi, *ſecundo* tanquam in fideli adjutore, *tertio* tanquam in liberali remuneratore.

De 1. *Primo* modo confortavit ipſe dominus Apoſtolos, cum eſſent clauſi propter metum Judæorum, oſtendens eis manus & latus, ut legitur. Joan. penult.

De 2. *Secundo* modo confortavit Stéphanum, cum immineret ei martyrium, qui vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei, tanquam paratum ad adjuvandum. Actor. 7.

De 3. Cæcilia duplicem coronam accepit, quare.

Tertio modo confortavit beatam Cæciliam, cui imminente martyrio miſit duas coronas, unam de liliis, & unam de roſis: illam de liliis propter virginitatem, quam in juventute ſervavit, illud enim eſt quaſi quoddam martyrium: illam verò roſis propter martyrium ſanguinis, quod paſſura erat.

Iterum de 1. Ad *Primum* Auguſt. Magna conſolatio membris ex capite. Gregorius. Si paſſio domini ad memoriam revocetur, nihil adeò durum, quod non æquo animo toleretur. Hunc modum confortandi in domino docet ipſe dominus Matth. 10. dicens. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum*, &c. Ad *ſecundum* patet. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. Unde Joſuæ. 1. *Confortare & eſto robuſtus, noli metuere & noli timere, quia tecum eſt dominus*, &c Unde Job. 27. *Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me*. Unde in Pſal. 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Sic reſpondit beatus Martinus diabolo dicenti ſibi, quod in omnibus ſibi adverſaretur.

De 3. Ad *tertium* Auguſt. Labor te terret, vide mercedem, & Dominus ad Abraham. Geneſ. 15. *Noli timere, ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis*.

II. Armat armatura ſapientiæ divinæ.

Armat Apoſtolus Chriſti militem, cùm dicit. (*Accipite armaturam Dei*,) quod intelligi poteſt de illa armatura, quâ Chriſtus armatus fuit in mundo iſto, ſcilicet de Dei ſapientia. Non enim per potentiam vincere voluit, ſed per ſapientiam. Job. 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum*.

Hac armatura Chriſtus eſt uſus

Hoc manifeſtum eſt. Matth. 41. ubi tribus verbis ſcripturæ percuſſit diabolum, & in cruce, ubi ejus ſapientia aſtutiam diaboli decepit, ſicut virga Aaron in ſerpentẽ verſa virgas Magorum devoravit. Exod. 7. Sapientia ergo debent Chriſtiani pugnare, ſicut & Chriſtus. Prov. 24. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus*. Eccleſiaſtæ 9. *Civitas parva & pauci in ea*, &c. *Inventus eſt in ea vir pauper & ſapiens*, &c. Et poſt. *Melior ſapientia eſt quàm arma bellica*. Sapient. 6. *Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis*. Et Sapient 7. *Sapientiam non vincit malitia*.

Duodecim modi ſtulti & mali pugnandi ſpiritualiter.

Et notandum quod in bello parvuli multi propter ſtultitiam ſuam pereunt. Et ſunt multæ ſtultitiæ illæ, quæ ibi accidunt, quarum aliquas ponamus. Stultitia *una* eſt illorum, qui ſumunt arma nimis oneroſa, & præcipuè quando non habent eorum conſuetudinem. 1.

Quandoque enim ponderoſitate eorum dejiciuntur, ut qui nimis jejunant, vel nimis vigilant, vel nimis orant. David arma Saul depoſuit, quia ponderoſa erant, & non habebat eorum conſuetudinẽ, & levibus armis hoſtem vicit. 1. Regum 17.

Secunda ſtultitia eſt eorum, qui ante pugnam armare ſe nolunt, ſed tunc primùm arma accipiunt, cùm dolorem vulnerum ſentiunt, ut cũ gladio linguæ venenatæ fuerunt vulnerati, tunc primùm patientiæ vel humilitatis clypeum aſſumunt. 2.

Semper debent incedere armati, qui ſemper ſunt inter hoſtes ſuos, ideo dicitur. Eccleſiaſtici 2. *Accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Præparatio iſta eſt cogitatio de modo reſiſtendi tentationi.

Modus reſiſtendi detractoribus.

Modus autem convenientiſſimus reſiſtendi tentationi, quæ eſt per linguas venenatas hominum, eſt taciturnitas, ad quod monemur exemplo Chriſti. Qui cum ſumma taciturnitate blaſphemiam perſecutorum audivit Iſa. 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*. Et in Pſal. 37. *Tanquam ſurdus non audiebam. & ſicut mutus non aperiens os ſuum*.

Tertia ſtultitia eſt eorum, qui in ipſo conflictu arma ſua projiciunt, quando ea fortiter tenere deberent, patientiam ſcilicet & humilitatem. 3.

Quarta ſtultitia eorum, qui ex ea parte, qua debiliores ſunt, & qua magis impugnantur à diabolo, minùs ſe volunt munire, cùm contrarium eſſet faciendum. 4.

Deberet quilibet diligenter inſpicere ex qua parte eſſet infirmior, & ex illa parte magis ſe munire. Qui videt ſe avarum, multùm deberet conari ad largitionem eleemoſynarum. Sicut faciunt, qui ligna tortuoſa dirigunt, multùm enim inflectunt ea in contrarium, ut ſic reducantur in rectitudinem.

Quinta ſtultitia eſt eorum, qui nolunt reſiſtere hoſtibus in loco, ubi faciliùs poſſent. 5.

Ad portas caſtri hoſtibus reſiſtendum eſt, vel aliquo loco alto, & ſtricto, ubi paucitas multis reſiſtat. Et non tunc hoſtibus reſiſtendum eſt, quando totum caſtrum vel totam terram occupaverunt. Sic ad portas ſenſuum hoſtibus ſpiritualibus reſiſtendum eſt, & in alto & ſtricto ſupereminentis vitæ ponere nos debemus. Tullius. Optima forma vivendi eligenda eſt, quam jucundam reddet aſſuetudo. Via autem multis occupationibus facienda eſt anguſta, ut hoſti via non pateat, & ibi hoſti reſiſtendum eſt. Sicut Eliacim præcepit obtineri aſcenſus montium, per quos via poterat eſſe in Hieruſalem, ut legitur Judith 4.

Sexta ſtultitia eſt eorum, qui nolunt hoſtem interficere, dum parvulus eſt, non attendentes illud Pſal. 13. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos ſuos ad petram*. Tales nolunt hoſti reſiſtere donec fuerint ab hoſte interfecti. 6.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur
Dum mala per longas convaluere moras.

Hieron. Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur, ſtatim totum elabitur. Geneſ. 3. *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*.

Septima ſtultitia eſt illorum, qui contra ſuos pugnant, & hoſtes ſuos amicos reputant, cum pejores quos habemus inimici ſint proprius ſenſus & propria voluntas. 7.

Et ideò nobis à Deo miſſæ ſunt contradictiones, quæ proprium ſenſum impugnant, & perſecutiones, quæ impugnant propriam voluntatem. Unde contra ſuos pugnant, qui talibus repugnant. E contrario favores hominũ & applauſus hoſtes noſtri ſunt, qui nos decipiunt, licet multi hoc non intelligant. Proverb 14.

Vade

Vade contra virum ſtultum, & neſciet labia prudentiæ.
8. *Octava* ſtultia eſt eorum, qui de propè volunt pugnare cum hoſte, cum ex propinquitate robur accreſcit, & elongatione vires amittit, ut eſt fornicatio & omnes voluptates, ideò dicitur. 1. ad Co-
9. rinth. 6. *Fugite fornicationem. Nona* ſtultitia eſt eorum qui fugiendò cũ hoſte pugnant, qui eos magis inſequitur, ut faciunt illi, qui adverſa hujus mundi timent. Seneca. quemadmodum perniciosior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti ex adverſo. Unde Joſue 7. dixit Joſue. *Domine quid dicam videns Iſraelem*
10. *hoſtibus ſuis terga vertentem. Decima* ſtultitia eſt illorum, qui cum pugnandum eſſet, contrariis, pugnant ſimilibus, ut odio contra odium, garrulitate contra garrulitatem, ſtultitia contra ſtultitiam, cùm amore contra odium pugnandum ſit, ſicut aquâ contra ignem: Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, da illi potum.* Taciturnitate pugnandum eſt contra garrulitatem. Sapiens garrulo non reſpondet convicium. Eccleſiaſtici 8. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtruas in ignem ipſius ligna.* Sapientia etiam contra ſtultitiam pugnandum eſt. Proverb. 26. *Ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis*
11. *efficiaris. Undecima* ſtultitia eſt illorum, qui laborant in impugnatione hoſtium ſuorum, cùm glorioſius abſque conflictu poſſent triumphare de eis. Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Item in eodem 20. *Ne dicas reddam malum pro malo, expecta dominum & liberabit te*, liberabit, inquam, à labore & à periculo vindicandi te. Præterea ad plenum vindicabit te, hoſtem tuum patibulo infernali tradendo, cui tu non poſſes ampliùs nocere niſi ad mortem aſini ſui, ideſt, corporis. Vide qualis inſania ſit aliquem ſe occidere, ut aſinum hoſtis ſui poſſit occidere.

Abſurditas peccati homicidii.

12. *Duodecima* ſtultitia eſt eorum, qui juvant hoſtem ſuum ad ſui interfectionem. Gregor. Non eſt timendus hoſtis, qui non poteſt vincere, niſi volentem, ita nec occidere niſi juvantem. Diabolus cordi gladium applicat, quando malam cogitationem immittit. Impingis & transfigis gladium cordi tuo, quando conſentis, & ſic diabolum juvas.

Diabolum contra nos juvamus tripliciter.

1\.
2. *Item* diabolum juvat, qui ſciens & volens vadit ad foveam, in quam diabolus vult præcipitare eum. Proverb. 23 *Fovea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena. Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos invenerit, interficiet.* Si inſidiantes in via quæ Romam ducit tolerandi non ſunt, multo minùs inſidiantes in via paradiſi. Debet proponere qui tentatur de peccato carnis, quod non ibit ad locum ubi illud committat, niſi diabolus eum portet.

Tentatio carnis qui poſſit vinci.

3. Diabolum *etiam* juvat, qui gladium ei conducit, quò interficiatur, ut qui dat alicui mulieri, ut peccato ſuo conſentiat. Et *notandum* quod hæc expoſitio in qua armatura Dei dicitur ſapientia, ſatis competit ei quod ſequitur, *ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli*, Diabolus magis pugnat contra hominem inſidiis & aſtutiâ, quàm viribus. Geneſ. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Ideò ſapientia contra eum pugnandum eſt.

Cui ſapientia contra Diabolum pugnandũ ſit.

III. Et incipit ibi Apoſtolus oſtendere ſtatum ejus cum quo pugnandum eſt, inſinuans *quatuor* in eo propter quæ vadè timendus eſt. *Primum* eſt *aſtutia*, de qua ibi. *Inſidias diaboli. Secundum* eſt *poteſtas.* Iob 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparatur ei.* Et *nota* quod principes hîc dicuntur dæmones aliis dæmonibus principantes: poteſtates verò dicuntur, qui illis principibus præſunt. Tales autem dæmones dicuntur rectores mundi, quia dilectores mundi regunt. Tenebras vocat peccatores, ſicut & Gloſſa. Joan. 1. *Tenebræ non comprehenderunt eum. Tertium invisibilitas*, de qua ibi, *contra ſpiritualia*, ideſt, ſpirituales hoſtes. *Quartum* eſt *nequitia* quæ eos poſſidet, & eis dominatur ibi: *nequitiæ.* Et regitur Genitivus ille ex vi poſſeſſionis. Nequitia diaboli tanta eſt, quod inceſſanter ſitit ſanguinem noſtrum. Gregor. Nihil facere ſe æſtimat, cùm animas non ſauciat.

Statum hoſtis declarat Diabolus timendus ob quatuor. Explicantur aliquot voces Epiſtolæ.

IV. Illud pro quo pugnandum eſt oſtenditur, cum dicitur. *In cæleſtibus*, ideſt pro cœleſtibus. Ille quem diabolus tentat, deberet habere unum oculum ad patibulum infernale, ubi ſuſpendetur, ſi victus fuerit; & ad coronam regni cœleſtis alium oculum, qua coronabitur, ſi vicerit. Et non de facili deberet dicere malum verbum peccato conſentiendo. Priùs deberet velle occidi, quàm vinci, exemplo Chriſti & Martyrum. Bernardus. In mundo iſto, quaſi in ſtadio poſiti ſumus certaminis, ubi Chriſtus mortuus eſt. Quiſquis ergo hîc livorem vel plagam non ſuſcepit, in futuro judicio miles inglorius apparebit. Neque ad cælum, neque ad infernum videntur habere oculos, qui dicunt, quod non poſſint continere. Cum enim pro parvo lucro temporali, vel parva pœna peccatum ſuum dimitterent, videtur, quòd pro tanto lucro, vel tanto damno poſſent illud dimittere, ſi oculos fidei ad hoc apertos haberent.

Certaminis præmium proponit. Conſideratio pœnæ & præmii æterni iuvat ad ſuperandas tentationes.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Sermo ſequens in Epiſtolam poſtillat ſeu commendatur, & maximè armaturam militis Chriſtiani commendat & explicat.

Accipite (ideſt, induite vos) armaturam Dei. *Ad Epheſ. 6.*

SERMO C I.

Explicatio dicti.

I. NOta hanc armaturam Dei eſſe commendabilem. *Primo* quia eſt Dei, vel à Deo datur. Alia arma dantur à tyrannis; ſed horum armorum dominationem vel donationem Deus retinuit ad manum ſuam. Si honor eſt accipere arma a comite vel rege, & tanto eſt honorabilior quanto major princeps vel rex eſt nobilior, quantus honor erit accipere arma à rege gloriæ? *Secundo* in hoc, quod armatura corporis propriè eſt armatura ſervi vel clientis: corpus enim ſervus ſpiritus eſt. Arma verò iſta, arma militaria ſunt, quia ſunt ipſius ſpiritus. 2. ad Corinth. 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionũ, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Tertio* per hoc, quod ſunt arma lucis. Rom. 8. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Quòd arma corporalia aliquid videntur habere honoris, ex hoc eſt, quòd in tenebris ſumus. Ex impotentia enim hominis eſt, quod ex corruptibilibus rebus, quæ ei deberent eſſe ſubjecta, poteſtatem ſuam mendicat: ad dedecus enim hominis eſſet, quod ex ferro vel hujuſmodi occideretur, niſi ſub armis eſſet. Sed armatura ſpiritualis ad invicem conſiderata multum habet honoris.

Armatura Dei laudabilis eſt. 1. 2. 3.

II. Sequitur, *ut poſſitis reſiſtere*, non dicit *impugnare*, ſed ſolùm *reſiſtere*, quod diabolus fugatur & confunditur, ſi ei reſiſtatur, tentationi ejus non conſentiendo. Jacob. 4 *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Petri 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Diabolus cum ſuperbus ſit, ſolam rebellionem dedecus ſuum & injuriam reputat, ſicut Nabuchodonoſor Judith. 1. qui juravit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe ab omnibus. Nullus tamen impugnabat eum, ſed injuriam ſuam reputavit, quòd nuncios ſuos vacuos remiſerant, & non obedierant ei, *in die malo*, Dies malus dicitur præſens tempus, quia *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Job 7.

Tentatio Diaboli quomodo ſuperetur.

Et Eccleſiaſtæ 9. legitur, *Sicut piſces capiuntur hamo & aves laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo*, & Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Ubi dicit Gloſſa. Ex quo lapſus eſt Adam, & de paradiſo expulſus eſt, non fuerunt dies niſi mali. Quod oſtendit puer, qui naſcitur, qui à ploratu incipit, nec ridere poteſt. Statim natus plorat, propheta ſuæ calamitatis. Lachrymæ teſtes ſunt miſeriæ; nondum loquitur, & jam prophetat.

III. Sequitur (*& in omnibus perfecti ſtare,*) in omnibus tam in proſperis quam in adverſis. Utraque enim fortuna dejicit hominem. David Pſal. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis* Greg. Cùm omnis fortuna timenda ſit, magis eſt timenda proſpera quàm adverſa; hæc enim ſæviendo erudit, illa blandiendo ſeducit. Sicut illuminans magis amandus eſt excæcante, ſic adverſitas magis amanda eſt proſperitate. Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt ira riſu* (*perfecti*) (ſupple) *in virtutibus.* Homo ſine virtutibus imperfectus dicitur eſſe quantum ad bonitatem, ad quam multùm ei deeſt. Sicut denarius falſus, non eſt centeſima pars denarij, quantum ad bonitatem, licet in figura perfectus ſit, non enim valent centum denarij falſi unum bonum denarium. Sic etiam unus malus homo vix eſt milleſima pars hominis quantum ad bonitatem, juxta illud. Eccleſiaſtici 16. *Melior eſt unus timens Deum, quam mille filij impij.* Immo in valorem nihil reputatur, juxta illud 1. Cor 13. *Si charitatem non habeam, nihil ſum.* Et in Pſal. 14. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* Si aliquis dolet tantum ſibi deeſſe unum pedem pauperem, quantum dolere deberet, qui tantum videt ſibi deeſſe ad ſuam bonitatem? Ad perfectionem monemur Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus.*

Fortuna proſpera magis eſt timenda quam adverſa.

Homo imperfectus quis & qualis ſit.

IV. Sequitur, *ſtate ſuccincti lumbos veſtros*, Apoſtolus, in milite Chriſti armat caput galeâ ſpei, pedes Sãctorum exemplis, corpus loricâ juſtitiæ. In manu ſiniſtra ponit ſcutum fidei, in manu dextra gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei. Et ne arma defluant, & hominem ſine potentia relinquant, monet ut ſuccingatur miles Chriſti dicens, *ſtate ſuccincti*, &c. Cavete ne dejiciamini. Ad quod multum valet paupertas. Greg. Quicunque ad fidei congregationem venimus, certamen contra malignos ſpiritus aſſumimus. Nihil autem in hoc mundo, malignus ſpiritus proprium poſſidet. Nudi ergo cum nudo in hoc mundo luctari debemus. Nam ſi veſtitus cum nudo congreditur, citiùs ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Et quia virtus diaboli in lumbis ejus eſt, ut legitur Job 40. ideò dicit, *State ſuccincti lumbos veſtros.* Et iterum, quia caro eſt hoſti familiaris, & ideo magis timenda. Micheæ 7. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui*, &c Et ſubditur, *& inimici hominis domeſtici ejus* Et notandum quod ſunt lumbi mentis. 1. Pet. 1. *Succincti lumbos mentis veſtræ*: & ſunt lumbi carnis. Lucæ 12. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Utroſque oportet eſſe præcinctos. Propter ſecundos lumbos vidit Dan. Virum præcinctum ad renes auro obrizo. Propter primos vidit Joan. Apocal. 1. Hominem præcinctum ad mamillas zona aurea. Quæ duo ſignificant continentiam mentis & corporis. Ad præcingendum carnis lumbos valet juſtitia, ſcilicet carnis diſciplinatio. Ad præcingendum lumbos mentis valet fides, quæ delectationes carnis venenatas, prohibitas oſtendit. Unde Iſa. 11. *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus & fides cinctorium renum ejus.* Utrobique vero fortitudo ſive firmitas propoſiti neceſſaria eſt. Unde Proverb in fine. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos.* Caro enim eſt velut veſtis de parvo panno, quæ ſemper creſcit, deſideria ſua augmentando. Unde in Epiſtola Judæ. *Aliis miſeremini in timore, odientes eam quæ carnalis eſt maculatam tunicã.* Ideo oportet eam præcingi. Job. 16. *Convulneravit lumbos meos, & effudit in terram viſcera mea.* Item *notandũ* quòd oportet præcinctos eſſe itinerantes, miniſtrantes, & pugnantes, quæ tria ad quemlibet fidelem pertinent, Quod dicitur, *in veritate*, vel *charitate* contra Hypocritas eſt, qui ſolos lumbos carnis propter timorem hominum præcingunt. *Induti loricam juſtitiæ.* Juſtitia lorica dicitur, quia undique munit hominem, ſicut lorica totum corpus tegit, ſic juſtitia reddit unicuique quod ſuum eſt. Quæ autem unicuique debeamus, require in ſermone Dominicæ octavæ poſt Trinitatem ſuper illud: *Debitores ſumus non carni.* Iſa. 59. *Indutus eſt juſtitia vel lorica, & galea ſalutis in capite ejus. Calceati pedes*, &c. Affectus ſanctorum exemplis mundi ſint ne terram contingant aliquo amore commodi temporalis, ne ſcilicet homo terrenis commodis nimis innitatur. Hierem. 2 *Prohibe pedem tuum à nuditate. In præparationem Evangelij pacis. Nota* duplicem eſſe præparationem ad Evangelium, *Prima* eſt bona operatio, *ſecunda* eſt ſtudium, prius enim eſt agere quam docere. Lucæ ult. *Potens in opere & ſermone.* 1. ad Timoth. 4. *Attende tibi*, bene vivendo ſcilicet, *& doctrina*, quo ad præparationem ſtudij. De utraque Eccleſiaſtici 18. *Ante judicium para juſtitiam, & antequam loquaris diſce.* Vocatur autem Evangelium pacis, quia pacem affert peccatoribus, vult enim omnia Deus eis remittere, qui Evangelio obediunt, & præter hoc pacem eorum regno cœlorum emere, *in omnibus ſumentes ſcutum fidei*, &c. Nota quod fides eſt armatura aliarum virtutum, ſicut ſcutum aliorum armorum; ſic enim protegit alias virtutes, ſicut ſcutum protegit loricam & cætera arma. *Item* ſcutum triangulum eſt, & fides quodammodo triangula eſt propter Trinitatem perſonarum, vel propter tria opera Dei, quæ ſpecialiter nobis fides oſtendit, ſcilicet redemptionem, malorum damnationem, & bonorum remunerationem. Tentationes diaboli dicuntur tela, quia ſubtiles, ignea verò, quia ad malum accendunt. Job 41. *Halitus ejus prunas ardere facit*, (*& galeam ſalutis aſſumite.*) Galea dicitur eſſe ſalutis, quia ſaluti maxime neceſſaria, ſervat enim membrum iſtud, quod maximè neceſſe eſt ſervari, caput ſcilicet. Sic ſpes Deum ſervat in homine & cœleſtem intentionem in operibus, ſine qua opera non ſunt ſalubria. Theſſal. 5. *Induti loricam fidei & & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* Matth 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Serpens caput ſervat ſuper omnia membra: ſic ſpes caput protegit, ideſt mentem, quia ſpe illius boni ad quod tendimus, quicquid in via nobis adverſitatis acciderit, toleramus, *& gladium ſpiritus.* Gloſſa. Sicut gladius eſt acutus, quia eum quem ferit à mundo dividit. Ad Hebr. 4. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax*, &c. Hic gladius ſummè neceſſarius eſt Prælatis, qui habent alios defendere. Cantic. 3. *En lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt*, &c. 1. Machab. 3. dicitur de Juda quod protegebat caſtra gladio ſuo.

Armatio militis Chriſtiani.

Cur ſuccinctus eſſe debeat miles Chriſti.

Paupertas ad hoc cõducit.

Cur lũbos debeat eſſe ſuccinctus.

Lumbi ſunt duplices mentis & carnis.

Curet qui ſint præcingendi.

Dan. 10.

Lorica militis Chriſtiani eſt iuſtitia, quare.

Cur & qui ſint pedes calciandi.

Præparatio ad Evangeliũ duplex

Evangeliũ pacis cur dicatur.

Fides cur ſcuto aſſimiletur.

1.

2.

Tẽtationes diaboli cur tela ignea vocentur.

Spes cur galeæ aſſimiletu.

Cur ſerpẽtis.

V. Dei cur gladio aſſimiletur.

Eſt neceſſarius Prælatis.

DOMINICA XXII. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte agit de profectu & perſeverantia fidelium in bona vita. Ac primo tria vitia profectum iſtum impedientia pandit. Deinde quatuor cauſas affert, cur Apoſtolus de ſuorum perſeverantia bene ſperare potuerit, quod ad omnes fideles referri poteſt. Demum docet hominis perfectionem tribus effici & conſtitui.

Confidimus in Domino Jeſu, quia qui cœpit in
nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chri-
SERMO ſti Jeſu. *Phil.* 1.
CI.

I. Thema eſt. HOc verbum dicit Apoſtolus Philippenſibus,
qui bonam vitam inchoaverunt. Et eſt hoc
1. Contra cõfidentes in aliis quam in Deo. verbum *primo* contra quoſdam de virtute humana
confidentes. Non ſic Apoſtolus, ſed confidebat in
domino. Fatuus eſt qui in eo confidit, qui ad bene
cogitandum ex ſe non ſufficit. 2. Corinth. 3. *Non
quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi
ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Talis ma-
ledictus eſſe videtur juxta illud. Hierem. 17. *Ma-
ledictus homo qui confidit in homine.* Talis ædificat
ſuper arenam, unde corruit ædificium ejus. Sed qui
in domino confidit, ſupra petram ædificat, unde
ſtabile eſt ejus ædificium. Hier. 17. *Benedictus vir
qui confidit in domino.* Sicut ille qui confidit in di-
vitiis hujus mundi corruet. Prov. 1. ſic qui in hu-
mana virtute confidit, Proverb. 12. *Qui confidit in
cogitationibus ſuis, impie agit.* Job. 8. *Et ſicut tela
aranearum fiducia ejus.* De hac materia require in
tractatu de ſuperbia in Cap. de præſumptione & in
ſermone Dominicæ 12. poſt Trinitatem ſuper illo
2. Contra timidos de perſeverantia. *ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Secundo* eſt verbum
propoſitum contra quoſdam, qui de bonis inchoa-
tis malum prophetant, ut quod durare non pote-
runt, vel aliquid aliud. *Non* ſic Apoſtolus, ſed po-
tiùs confidebat, quod Deus, qui bonum opus in-
ceperat, perficeret. Ad Hebr. 6. *Confidimus de vo-
bis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti.* Galat. 5.
Confido de vobis in domino quod nihil aliud ſapiatis.
Cùm non ſoleant ſapientes inchoare ea quæ volunt
perficere, credendum eſt, quòd Deus velit bonum
perficere quod inchoavit, niſi per culpam homi-
nis impediatur. Sed cor malum libenter mala præ-
ſumit. Eccleſiaſtici 14. *Oculus malus ad mala. Ter-
3. Contra præſumentes de ſua perſeverantia. tio* eſt verbum propoſitum contra quoſdam qui
ſoliciti ſunt de inchoatione alicujus boni, & pro
hoc Deo inſtant in oratione, & in ipſo de ejus in-
choatione confidunt. Poſtquam verò bonum eſt in-
choatum, non cogitant de ejus conſervatione, non
inſtantes Deo in oratione pro hujuſmodi, ſed de
ſe ipſis præſumentes, non attendentes, quòd non
minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri, &
quod citò bonum amittitur, niſi à largitore cuſto-
diatur. Auguſt. Cooperando in nobis Deus perficit,
quod operando incipit, quia ipſe volentibus ope-
ratur incipiens, qui volentibus cooperatur perfi-
ciens. Item Auguſtin. Sine Deo vel operante ut ve-
limus, vel cooperante quod volumus, ad bona pie-
tatis opera nihil valemus. Deus enim eſt alpha &
O, principium & finis. Apocal. . Bona enim in-
choat & conſummat. Unde in Pſal. 58. *Miſericordia
ejus præveniet me.* Et iterum Pſal. 22. *Miſericordia
tua ſubſequetur me.*

II. Apoſtolus habuit cõfidentiam de profectu Philippenſium ob quatuor.
Quadruplici ratione poterat confidere Apoſto-
lus, quod Deus in Philippenſibus bonum opus in-
ceptum perficeret. *Primo* quia hoc pertinebat ad
Dei nobilitatem. Sicut enim dicitur alibi hanc ſibi
quodammodo nobilitas legem ponit, ut debere ſe
quod ſponte tribuit æſtimet, & niſi in beneficiis
1. creverit, nihil ſe præſtitiſſe putet. Unde ex quo in-
2. cipit, de benignitate & largitate ſua complet. *Se-
cundo* quia hoc pertinet ad gloriam Dei, ut illud
quod incipit perficiat. Solent artifices ſibi dedecus
reputare, quando inchoata non perficiunt, timent
enim ne dicatur illud. Lucæ 14. *Hic homo cœpit
ædificare, & non potuit conſummare.* Sic dominus
multa conſummat in hominibus propter gloriam
ſuam, quæ merita hominum non requirunt, & mul-
tis propter eandem gloriam parcit. Et hoc eſt, quod
allegat David dicens: Pſal. 78. *Adjuva nos Deus ſa-
lutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera
nos.* Et Moyſes Num. 14. Sic allegat ad dominum
pro populo. *Ne dicant Ægyptii non poterat intro-
ducere populum iſtum in terram, pro qua juraverat,
idcirco occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo
fortitudo domini ſicut juraſti,* &c. id eſt, comple
propter honorem tuum quod cœpiſti. *Tertio* pro- 3.
pter experientiam. Sentiebat enim Apoſtolus in
ſemetipſo, quòd Deus volebat ſalutem eorum in
hoc, quòd dabat ei memoriam eorum in cunctis
orationibus ſuis. Nec impediebatur quin eos ha-
beret in corde ſuo, & deſideraret eos eſſe ſocios
gaudii ſui, nec à vinculis, in quibus erat, nec pro-
pter defenſionem Evangelii, nec propter confirma-
tionem infirmorum, quibus multùm occupabatur,
ſicut ipſe Apoſtolus dicit. Et hoc unum ſignum eſt Signũ converſionis hominum eſt in concionatore.
quod quandoque habent, qui hominibus prædi-
cant, quod Deus velit converſionem eorum: gra-
tia ſcilicet & devotio, quam Deus miniſtrat præ-
dicantibus ad utilitatem auditorum. *Quarto* pro- 4.
pter fidelitatem Philippenſium, in modico enim
eis commiſſo fideles extiterant, unde digni erant
ut plura eis bona committerentur, juxta illud.
Matth. 25. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa
te conſtituam.* Philippenſes accepto verbo prædi-
cationis ab Apoſtolo firmi in fide fuerant, nec pſeu-
do Apoſtolos receperunt.

Et Notandum quod ad perfectionem hominis III. Perfectionẽ hominis efficiunt & conſtituũt.
faciunt iſta. *Primo* ut homo à malis ampliùs ca-
veat, ut homo ſcilicet non ſolùm à malis operibus
caveat, ſed etiam à malis verbis. Jacob. 3. *Si quis
in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Secundo*
augmentum gratiæ, & quantum ad lucem cogni-
tionis, & quantum ad calorem ſancti amoris. Un-
de Proverb. 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens
procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Hæc
perfectio diei attenditur in luce & calore. *Tertio*
in multitudine bonorum operum. Eccleſiaſtæ 9.
*Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter ope-
rare,* &c. *Quarto* in hoc quod homo perſeveret Dies ſeu tẽpus Chriſti & hominis quæ.
uſque ad diem mortis, quem Apoſtolus hic vocat
diem Jeſu Chriſti, quia tunc facit Chriſtus de ho-
minibus quod vult. Dum homines ſani ſunt, ipſi
faciunt voluntatem ſuam, tunc dies hominum
ſunt, ſed in morte Deus accipit tempus, & facit
quod juſtum eſt. Pſal 74. *Cum accepero tempus, ego
juſtitias judicabo.*

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

*Sermo hic commentatur in partem poſteriorem
Epiſtolæ, maximè verò agit de charitate &
ſinceritate.*

Teſtis mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos
in viſceribus Jeſu Chriſti, &c. *Ad Philip.* 1. SERMO CII.

ECcleſia in hodierno officio inſtruit nos circa Officium hujus Dominicæ ad parcendum & compatiendum defectibus proximi nos inſtruit.
dilectionem proximi, oſtendens in Evangelio
proximum ſic eſſe amandum, quod ejus defectibus
parcendum eſt. Ad parcendum vult homines in-
ducere in officio miſſæ cùm dicit. *Si iniquitates
obſervaveris,* &c. Obſervat Deus iniquitates eo-
rum, qui obſervant iniquitates proximorum, no-
lentes eis dimittere. In Epiſtola verò oſtenditur
ſic proximum eſſe amandum, quod defectibus ejus Pſal. 129.
compatiendum eſt, & pro eo eſt orandum, ſicut
Apoſtolus faciebat Philippenſibus. Amorem ma- Apoſtolus cur ſuos auditores amaverit. Idem alii Concionatores faciunt.
gnum habebat Apoſtolus ad Philippenſes, quia ſe-
men verbi Dei & laborem ſuum in eis non amiſe-
rat. Sic Prædicatores ſpecialem amorem habent
ad eos, in quibus proficiunt. Non tantum amat
agricola terram in qua ſemen amittit, ſicut terram
quæ fructum multiplicem ei reddit. Sic etiam ipſe

Deus amat eos in quibus verbum ejus proficit,
alios verò odit. Hebr. 6. *Terra ſæpe ſuper ſe venien-*
tem bibens imbrem, & generans herbam opportunam
illis a quibus colitur, accipit benedictionem à domi-
no. Proferens autem ſpinas & tribulos reproba eſt,
& maledicto proxima, cujus conſummatio in com-
buſtionem erit. Cupiebat Apoſtolus Philippenſes
eſſe in viſceribus Jeſu Chriſti, ideſt, in intimo
amore ipſius, ut ſcilicet ex corde amarent eum, &
amarentur ab eo. Et *notandum* quod amici quan-
doque dicuntur eſſe in *manu* Dei. Sapient. 3. *Juſto-*
rum animæ in manu Dei ſunt. Quandoque in *ſinu*,
ſecundùm illud Auguſtini. Quid times hominem
homo in ſinu Dei poſitus? Quandoque verò in *viſ-*
ceribus. Ex quo ſatis patet quanta ſit ſecuritas ami-
corum Dei. Quid enim poteſt nocere eis, qui in
viſceribus Chriſti ſunt? illi qui habent Chriſtum in
viſceribus ſuis, merito viciſſitudinis ſunt in viſce-
ribus Chriſti. Joan. 15. *Manete in me & ego in vo-*
bis. Ejuſdem ibid. *Si quis in me non manſerit, mit-*
tetur foras ſicut palmes & areſcet, &c.

Amici Dei ſunt in manu, ſinu & viſceribus Dei, quantum hoc profit.

Sequitur (*& hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia & in omni ſenſu.*) Duo petebat Apoſtolus à Deo Philippenſibus, charitatem abundantem cum ſcientia. Hæc duo ſimul eſſe debent, ut ſcientia charitatem juvet, miniſtrando ei quæ diligenda ſunt; & charitas ſervet ſcientiam, ne inflet. Exemplo etiam Apoſtoli debemus orare & pro nobis & pro his quos amamus, ut charitas noſtra abundet & propter charitatis raritatem & propter ipſius precioſitatem. Quàm parum ſit de charitate in mundo iſto, ſatis poteſt apparere per hoc, quòd charitas in hoc conſiſtit, quòd homo chara habeat ea, quæ chara habenda ſunt, Deum amando ſuper omnia, proximum ſicut ſeipſum, minus ſcilicet Deo & ſupra bona temporalia. quòd homines parum charos habeant ſe & Deum ſatis patet tam in mercatoribus, qui pro denario uno non timent perjurare, quàm in uſurariis & fatuis mulieribus quæ pro modico Deum & ſe amittunt. Proverb. 10. *Cor impiorum pro nihilo*: Et Eccleſiaſtici 10. dicitur de avaro, quod animam ſuam venalem habeat. quàm parum etiam homines Deum charum habeant, patet per hoc, quòd totiens recuſant facere pro Deo, quod facerent pro obulo. Quòd quidam etiam homines parum diligunt proximum, ſatis poteſt apparere per hoc, quòd ita parum curant ſubvenire ei, citiùs ſubvenirent cani, ſi à lupis deferretur, quàm proximo ſuo, qui à dæmonibus ad infernum trahitur. Et *notandum* quod amor eorum qui carnaliter contra Deum ſe amant, non eſt verus amor, ſed eſt ſicut ignis duorum civium ſe comburentium, vel ſicut amplexus duorum in aqua ſe ſubmergentium, & ſicut compes in quo ipſi malè amantes ſe diabolo cuſtodiunt. Videntur ſe amare tales, & ad mortem ſe odiunt. De precioſitate verò charitatis ſatis patet per ho.., quod legitur. 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero in cilos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Sine charitate nihil habet homo, quod ſit verè precioſum, cum ea verò id quod modici valoris eſſe videtur precioſum eſt regnum cœlorum.

Charitas & ſcientia cur iuncta eſſe debeant.

Cur pro nobis & aliis charitatem petere debeamus.

Quam cara ſit in Mundo charitas erga Deum, proximum & noſmetipſos.

Amor carnaliter ſe amantium qualis ſit.

Charitatis precioſitas quanta.

Et *notandum* quod abundantia charitatis in hoc attenditur, ut homo non ſolùm amicos, ſed etiam inimicos diligat. Vult autem Apoſtolus charitatem abundare magis, ut bona noſtra his quos amamus communicemus, & magis, ut ſi nos offenderint, eis remittamus, vel magis quantum ad dilectionem proximi, & magis quantum ad dilectionem Dei. Si vis ſcire quem Deus reputet quod eum diligat, ipſemet oſtendit in Joan. 14. dicens: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ipſe eſt qui diligit me.* Et 1. Joan. 5. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Sunt qui verbo volunt Deum & proximum diligere, qui amor non ſufficit, ideò dicitur. 1. Joan. 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Si de mandatis vis loqui, require de hoc in ſermone Dominicæ decimæ tertiæ poſt Trinitatem ſuper illud. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, &c. Sequitur (*in omni ſcientia & in omni ſenſu*) ſcientia ſive diſcretio neceſſaria eſt cum dilectione, ne ſic homines amemus ut vitia eorum amemus cum ipſis, ſicut ſunt aliquæ mulieres quæ filios ſuos fovent in malis ſuis, & aliqui milites qui juvant attinentes ſibi & juſtè & injuſtè, vel etiam dominos ſuos, non attendentes quod contra Deum nullum deberent juvare, qui propinquiſſimus eis eſt, & maximè attinet nobis, cùm ipſe ſit pater noſter. Matth. 23. *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus enim eſt pater veſter qui in cœlis eſt.* In omni ſenſu diligit, qui in omnibus bonis quæ videt, in eo quem amat congaudet; & malis ejus compatitur, ſicut faciebat Apoſtolus. 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* &c. Sequitur (*ut probetis potiora.*) Non ſufficit bona eligere à malis, immo inter bona meliora eligenda ſunt, quia ſecundùm Hieron. Non levis error eſt minus Bona magis bonis præferre. Potiora non probant illi, qui à cibis jejunando abſtinent & faciunt mala. Iſidor. Qui à cibis abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus eſca ſemper abeſt, & culpa ſemper adeſt. Potiora non eligunt qui tota die pſalmos ſuos ruminant, nunquam aliquid devotionis in eis habentes. Melius eſſet verbis remotis cum lachrimis & devotione petere à Deo ea, quæ indiget homo.

Abundantia charitatis in quo conſiſtat.

Qui verè Deum & proximum diligant.

Qui non diligant in ſcientia.

Qui in omni ſenſu diligant.

Non tantùm bona, ſed meliora ſed potiora eligenda ſunt.

Sequitur (*ut ſitis ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu juſtitiæ per Ieſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei.*) Sinceritas neceſſaria eſt homini propter ſe ipſum, quia attenditur in hoc, quòd homo ſit purus ab operibus, ſcilicet corruptionis propriæ. Neceſſarium eſt etiam homini ut ſit ſine offenſa, quantum ad proximum, ut ſcilicet non ſcandalizet eum. 1. Corinth. 10. Sine offenſione eſtote Judæis & Gentibus & Eccleſiæ. Matth. 18. *Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Circa ſinceritatem verò, quæ eſt puritas à putredine vel corruptione, *notandum*, quod multipliciter ſolet aliquid corrumpi. Corrumpitur caro, ideſt, putreſcit per animæ ſeparationem. Putreſcit veſtis, quando nimis differtur ejus ablutio, & de cætero bene ablui non poteſt. Putreſcit etiam caro, ſi ſine ſale diu ſervetur. Putreſcit etiam ad propinquitatem rei putridæ, ut corpus hominis putreſcit; ſi aliqua pars ejus putrefacta ſit, niſi amputetur illa, & unum pomum putrefactum putrefacit alia poma cum quibus eſt. Secundùm primum modum putreſcit anima vitiorum putredine, cùm à Deo ſeparatur. Juxta ſecundum modum putreſiunt illi, qui ſunt ſine confeſſione, & vix poſtea per confeſſionem abluuntur, quia ſicut dicit Bernard. computatio dilata multa facit oblviſci. Secundùm tertium modum putreſiunt, qui ſine ſale diſciplinæ pœnitentialis, vel alterius tribulationis ſe obſervare volunt. Secundùm quartum modum putreſiunt, qui inter malos libenter habitant. Etiam leproſi inter ſanos diutiùs ſervantur, ne lepra eorum multùm appareat, quàm inter leproſos. Unde ſatis patet, quod fatui ſunt qui inter leproſos ſpiritualiter libentiùs habitant, quàm inter ſanos. Et *notandum* quod ſinceritas hodie in paucis invenitur. Unde poteſt Deus dicere iſtud Ezech. 22. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam*, quæ eſt rubigo metallorum, vel purgamentum & ſordes eorum, quæ in igne excoquuntur. Unde ſequitur. *Omnes iſti æs & ſtannum & ferrum & plumbum in medio fornacis ſcoria argenti facti ſunt.* Æs percuſſum

Sinceritas in quo conſiſtat & quam ſit neceſſaria.

Corruptio corporalis & ſpiritualis eſt quadruplex.

Sinceritas rara argento ſimilis eſt.

Qui fideles æri, ſtanno, plūbo, ferro ſimiles ſunt.

reſonat & ſignificat eos qui ad tribulationem murmurando reſonant. *Stannum* eſt argento ſimile, non tamen ad ſimilitudinem argenti purgatur in igne, ſed conſumitur, & ſignificat illos qui in tribulationibus deficiunt & non proficiunt. *Item* ſtannum ſe mentitur argentum, unde ſignificat illos qui habent ſpeciem bonitatis, veritatem autem non habent. *Plumbum* verò quod pondere ſuo trahitur in profundum, ſignificat illos quorum iniquitates ſicut peccati onus grave gravatæ ſunt ſuper eos, trahentes in profundum peccati, & poſt in abyſſum ſupplicii. *Ferrum* verò quod alia metalla contundit, ſignificat illos qui proximos diverſis injuriis opprimunt. Solebant eſſe fideles ut argentum, nunc verò pro magna parte ſunt ut ſcoria per vitæ immunditiam. Iſaiæ 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Vult autem Apoſtolus Philippenſes eſſe ſinceros & ſine offenſa, perſeveranter uſque in diem Chriſti, ideſt, uſque in finem vitæ. Sed quia non ſufficit à malo abſtinere, niſi & bonum fiat, ideo ſubditur, *repleti fructu juſtitiæ*, ideſt, bonis operibus, quæ ſunt fructus virtutis, quæ hic juſtitia dicitur. Et hoc non viribus noſtris, ſed (*per Jeſum Chriſtum.*) Et hoc ita abundanter, ut ſitis, *in gloriam & laudem Dei*, ut glorioſus ſit Deus in ſanctis ſuis, vel tranſituri, *in gloriam & laudem Dei*, id eſt, in gloriam æternam, unde Deum laudetis. Specialiter tamen poteſt hic dici fructus juſtitiæ jejunium, eleemoſyna & oratio Unde ſuper illud Pſalm. 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Dicit Gloſ. Juſtitia hominis in hac vita eſt, jejunium, Eleemoſyna & oratio. De Eleemoſyna. Eccleſiaſtici 17. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam quaſi pupillam conſervabit.* De his tribus legitur. Tob. 12. *Bona eſt oratio cum jejunio, & Eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere.* Et Eccleſiaſtici 38. *Da ſuavitatem, da memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem.* Non dicit da orationem, ſed da ſuavitatem, devotionem ſcilicet orationis, quam pauci dant, quia *muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti*. Eccleſiaſtæ 10. quod dicitur. *Da memoriam ſimilaginis*, reſpicit ad jejunium, ſimilago enim non purgatur niſi conteratur. Quod dicitur, *impingua oblationem*, pertinet ad Eleemoſynam, quæ eſt pinguis oblatio, unde & pietas per oleum ſignificatur.

Explicatio aliquot dictorum Epiſtolæ.

Jejunium, Eleemoſyna & oratio ut juſtitiæ fructus dici poſſint.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATEM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Sermone ſequenti. 1. Thema explicatur. 2. Agitur de triplici ſapientia ſeu ſtultitia mundana, circa gloriationes, divitias & delicias.

SERMO CIV.

Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. *Phil. 3.*

Explicatio thematis ſapientiæ mundanæ damna.

Sapientia hujus mundi valdè inimica eſt Deo, ut multùm homines impediat à ſalute. Eſt enim ſtultitia juxta illud. 1 ad Corinth. 3. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*, & tamen dicitur ſapientia. Et ideò non de facili ab homine expellitur. Ipſa verò manente in homine vera ſapientia intrare non poteſt, cùm ſapientia mundi hoc prohibeat, quæ eſt ei contraria, tanquam quæ vera ſtultitia eſt. Ideò dicitur Proverb. 26. *Vid iſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit inſipiens.* Et 1. Corinth. 3. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Propter hoc Spiritus ſanctus multa dicit in ſacra ſcriptura ad deſtructionem hujus ſapientiæ, & qui inſtruunt populum Dei debent multùm conari ad idem. Et cùm ſit tripartita ſapientia iſta, pars enim *una* eſt circa glorias, *ſecunda* circa divitias, *tertia* circa delicias.) Apoſtolus verbum propoſitum dicit ad deſtructionem primæ partis ſapientiæ hujus. *Gloria*, inquit, *eorum qui terrena ſapiunt*, id eſt, qui habent terrenam ſive mundanam ſapientiam, *eſt in confuſione.* Quod duabus de cauſis verum eſt. *Prima*, quia ad æternam confuſionem ducit, juxta illud Oſeæ 10 *Confuſio Ephraim capiet.* Proverb. 29. *Superbum ſequitur humilitas*, etiam in præſenti *Secunda* eſt, quia in confuſione gloriantur, gloriantur enim unde confundi deberent. Et ſicut Apoſtolus circa primam partem ſapientiæ mundanæ dicit, gloriam mundanam eſſe in confuſione, ſic nos ad deſtructionem aliarum partium poſſumus dicere, quod divitiæ mundanæ ſunt in paupertate. Notandum quòd terrena ſapere dicuntur illi, qui ſaporem vel dulcedinem non inveniunt niſi in bonis terrenis. Bona ſpiritualia eis non ſapiunt. Etiam ipſe Deus quaſi non ſapit eis, niſi quaſi terra pulveriſetur eis. Quia ſi dicitur eis faciatis hoc pro Deo, vilipendunt, niſi addatur & pro argento. Ad tales videtur pertinere illud Pſal. 71. *Inimici ejus terram lingent.* Et illud Micheæ 7. *Lingent pulverem quaſi ſerpentes.* Pulvis eſt minima pars terræ, unde ſignificat modica bona temporalia, quæ multi lingunt circa ſpiritualia, dum pro illis ſpiritualia dicta faciunt.

Eſt triplex.

Gloria terrena eſt in confuſione ob 2. 1. 2.

Divitiæ terrenæ ſunt in paupertate.

Qui ſapiant terrena.

Gloriam mundanam eſſe in confuſione multipliciter poteſt oſtendi. *Primò* quia gloria illa eſt circa corpus, & ea quæ ad corpus pertinent. Corpus verò ſaccus eſt ſtercorum & materia vermium. Unde patet quòd de ipſo potiùs debemus confundi & humiliari quam gloriari. Ideò dicitur. 1. Machab. 2. quod gloria impii ſtercus & vermis eſt. De *gloria* etiam *veſtium* idem patet per illud Bern. Qui gloriatur de veſte, ſimilis eſt furi glorianti de cauterio, quia propter peccatum Adæ introductus eſt uſus veſtium. Qui verò gloriatur de hoc quod ditior eſt aliis, quaſi gloriatur, quòd majores habet compedes quàm alii, quia ſecundum Gregorium. Compedes onerat, qui præter neceſſaria curat. Qui verò gloriatur, quod magis delicatè vivit quàm alii, quaſi de hoc gloriatur, quod ipſe eſt in aqua immunda, ſcilicet ab effectu. Immunda enim & etiam ſubmergens animam, eſt aqua voluptatis.

I. *Gloria mundana in quibus conſiſtat, & cur ſit in confuſione.*
1. *Circa corpus.*
2. *Circa veſtes.*
3. *Circa divitias.*
4. *Circa delicias.*

Circa Secundum verò notandum eſt quod divitiæ mundanæ *dupliciter* ſunt in paupertate. Primo quia ad paupertatem æternam ducunt, quæ tanta eſt, quod nec gutta aquæ poteſt haberi ibi, nec laborando, nec mendicando, nec mutuando, qua lingua refrigeretur, quæ igne infernali ardet. De hoc exemplum habes de divite epulone. Lucæ 16. Sunt etiam in paupertate præſenti divitiæ mundanæ ſecundùm illud Sapientis, permultis indigent, qui permulta poſſident. Et notandum quòd multæ ſunt cauſæ propter quas divitiæ mundanæ ſunt in paupertate. *Primo* quia ſunt parvæ reſpectu animæ humanæ, quæ capax eſt Dei, unde non poteſt à divitiis mundanis impleri, ſicut menſura quæ capax eſt mille modiorum, modio uno impleri non poſſet. Sapient. 11. *Tanquam momentum ſtateræ, & ſicut gutta roris antelucani, ſic eſt ante te orbis terrarum* *Secundo* quia parum ſunt precioſæ, etiam quæ multùm precioſæ ab hominibus æſtimantur, ſicut aurum & argentum. Bernardus. Aurum & argentum terra alba & rubea, quæ ſolus hominum error & non virtus eorum facit precioſa. *Tertio* quia divitiæ mundi quodammodo ſunt pauperes, defectus multos illi cui adveniunt afferentes. Deeſt enim ei familia quæ divitias congreget, & conſervet, & multa talia deſunt. Unde accidit quod magis indiget qui divitias acquiſivit, quàm faceret antequam acquireret. Eccleſiaſtæ 5. *Ubi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt*

II. *Divitiæ mundanæ ſunt in paupertate in futura & præſenti vita.*

Eadem ſunt in paupertate ob quatuor 1. 2. 3.

tas, &c. *Quarto* quia divitiæ iſtæ cupiditatem augent. Cupiditas verò plus facit ad paupertatem, quàm ante defectus divitiarum. Sic econtrario diminutio cupiditatis magis facit ad hoc quod aliquis vere ſit dives, quam additio pecuniæ. Seneca. Si vis te divitem facere, non divitiis eſt addendum, ſed cupiditati detrahendum.

III. Deliciæ mundanæ ſunt in amaritudine ob duo.

Circa *tertium* verò notandum eſt quod voluptas præſentis vitæ *dupliciter* eſt in amaritudine. *Primo* quia ad æternam amaritudinem ducit, ſicut omnia flumina ad mare tendunt Proverb. 14. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Secundo* quia dulcedo felicitatis humanę multis doloribus reſperſa eſt, juxta verbum Boetii. Eccleſiaſtæ 7. *Inveni amariorem morte mulierem.*

Voluptatis damnum quadruplex. 1. Occidit animam, 2. Infirmam reddit.

Hæc mulier eſt voluptas, quæ morte amarior eſt, quia à meliori ſeparat quàm mors, ſeparat enim animam à Deo, & mors ſeparat animam à corpore. Viri ſancti bene oſtendunt voluptatem illicitam amariorem eſſe morte, quando potiùs eligunt mori, quàm ei conſentire. Palato ſano credendum eſt de cibis, non palato ægro. Et viris ſanctis credendum eſt de diſcretione inter dulce & amarum, & non illis, qui habent palatum cordis infectum de febre iniquitatis, qui dicunt dulce amarum & amarum dulce. Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum dulce, & dulce amarū* Voluptas homines interficit morte culpæ, &

3. & 4. Temporali & æterna morte perimit.

ponit eos in amara & miſera vita, quæ deterior videtur eſſe quàm mors, morte etiam temporali & æterna. Ad *primum* pertinet illud. Seneca. Voluptates inter res viliſſimas præcipuè extirpa, quæ more latronum in hoc nos amplectuntur, ut jugulent. Proverb. 23. dicitur de vino quòd *ingreditur blandè ſed in noviſſimo mordebit ut coluber*, &c. De *ſecundo* patet, quia voluptas hominem ponit in aliqua infirmitate, quæ tantum habet miſeriæ quandoque, quod homo magis vellet eſſe mortuus, quàm eſſe in infirmitate illa. Eccleſiaſtici 25. *Melior eſt mors, quàm vita amara. Tertium* etiam patet per illud. Seneca. Voluptatibus major pars corporum perit. Eccleſiaſtici 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam*. De *quarto* habemus Proverb. 5. *Noviſſima illius amara quaſi abſinthium*. Loquitur de muliere fallace, quæ poteſt intelligi voluptas.

De primo. De ſecundo. De tertio. De quarto.

DE EADEM DOMINICA.
SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Sequens ſermo oſtendit. 1. Quomodo converſatio Apoſtoli fuerit in cœlo, ut eum imitemur in hoc. 2. Docet cur libenter in cœlo & inviti in Mundo eſſe debeamus. In fine comparat Mundum Iericho.

SERMO C V.

Converſatio noſtra in cœlis eſt. *Ad Philipp. 3.*

Apoſtoli converſatio quomodo fuerit in cœlis.

IN principio hodiernæ Epiſtolæ monuit Apoſtolus ad ſui imitationem. In verbo verò propoſito oſtendit qualis ſit ejus converſatio, quam imitari debemus. Et notandum quòd converſatio Apoſtoli jam erat in cœlis, licet adhuc in terra maneret, eo modo, quo dicitur aliquis eſſe in religione, qui in ſæculo vitam religioſam incipit ducere Apoſtolus enim talem vitam ducebat in terris, qualem ducūt, qui ſunt in cœlis. Et *primo* ſimilis erat vita ejus vitæ cœleſti *in exaltatione à terrenis*. Phil. 3 *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtū detrimēta*. Et poſt: *propter quem omnia detrimentū feci & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtū lucrifaciā. Secundò in puritate*. 2. Cor. 10 *In carne enim ambulātes, nō ſecundū carnem militamus*. Vivebat Apoſtolus in carne præter carnē, quod virtutis eſt angeli-

Eius vitæ ſimilis fuit cœlitum vitæ. 1. 2.

cæ, non humanæ. Ambr. ſuper illud 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini ſic eſſe*. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis aſſimilantur. Major eſt victoria virginum quàm angelorum. Angeli enim ſine carne vivunt, homines verò virgines in carne triumphant. Hieron. In carne præter carnem vivere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. *Tertio in lumine ſapientiæ*. 1. Corinth. 3.
2. *Sapientiam loquimur inter perfectos. Quarto* in 4.
charitate quaſi *confirmata* ardore, ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia?* &c. Et ibidem. *Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Chriſti. Quinto in concordia Dei*. Job 25. *Qui facit* 5.
concordiam in ſublimibus. Apoſtolus. 1. ad Corinth. 11. *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus*. 2 ad Timoth. 2. *Servum domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Sexto & Septimo in gratiarum actione & ora-* 6. & 7.
tione ſicut in cœlo Pſal. 88. *Miſericordias domini in æternum cantabo*. Sic Apoſtolus miſericordiam ſibi impenſam frequenter recolebat, & frequenter reſonabat in ore ejus gratiarum actio & vox laudis tam pro miſericordia ſibi impenſa, quàm pro miſericordia impenſa aliis, ut patet in ejus epiſtolis ad Roman. 1. *Gratias ago Deo meo pro vobis*, &c. De oratione etiam, quam faciebat pro omnibus, patet in diverſis epiſtolis ſuis. Philip. 1. *Hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet*. Et in his omnibus debemus eum imitari. *Aliter* etiam converſatio Apoſtoli in cœlis erat, ſcilicet cœleſtium contemplatione, deſiderio & ſpe, & hoc quantum ad interiora. Converſatio autem exterior Apoſtoli erat in cœlo intentione, quia per illam Deo intendebat placere, & pro ea æternam mercedem adquirebat. Ibi quilibet opera ſua ponit, ubi mercedem requirere intendit. De ejus contemplatione habemus. 2. Corinth. 3. *Nos omnes revelata facie gloriam domini ſpeculantes*, &c. Et ejuſdem 4. *Non contemplantibus ea quæ videntur nobis, ſed quæ non videntur*.

In his debemus eum imitari. Apoſtolus aliis etiam modis fuit in cœlo.

Et notandum quod nos ſimiliter exemplo Apoſtoli debemus converſari in cœlis, Coloſ. 3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Mente debemus libenter habitare in cœlo, &c. *Primo* quia patria noſtra eſt, & libenter habitat homo in patria ſua. Hebr. ult. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*. Joan 17. *De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo*. Sed multi ſunt de quibus non videtur quòd ſint de cœleſti patria. Tria ſolent oſtendere aliquem eſſe de aliqua patria: lingua, mores, & amor terræ illius Ad *primum* pertinet illud Matth. 26. *Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit* Et Joan. 3. *Qui de terra eſt, de terra loquitur*. Et in eodē. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur*. Unde de cœlo non videntur eſſe niſi pauci: Pauci enim de cœlo loquuntur. Iſai. 29. *De humo muſſitabit eloquium tuum*. De Samuele legitur. 1. Reg. 3. quòd de verbis ejus non cecidit ſuper terram. De cœlo etiam non videntur eſſe, immo potius de inferno blaſphemantes Deum, tali enim lingua loquuntur damnati in inferno. Eccleſiaſtici 23. *Eſt & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Iacob*. Non videntur eſſe etiam de cœlo qui cœleſtes cives odio habent, bonos ſcilicet Epheſ. 2. *Iam non eſtis hoſpites & advenæ*, &c. Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem Secundo* libenter debemus habitare mente in cœlo, quia pater noſter cœleſtis

Exemplo Apoſtoli libenter debemus converſari in cœlo. 1. Quia in cœlo eſt patria noſtra. Tria oſtendunt aliquem non ſpectare ad patriam cœleſtem. De primo. Odium erga bonos idem oſtendit. 2. Quia ibi eſt pater noſter

cœleſtis ibi eſt. Matth. 23. *Vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt.* Joan. 12. *Vbi ego ſum illic & miniſter meus erit.* Auguſt. in ſoliloquio. Deus pater veritatis, pater ſapientiæ, pater beatitudinis, pater boni & pulchri, pater intelligibilis lucis, pater vigilationis atque illuminationis noſtræ, pater pignoris,

3. Quia ibi eſt theſaurus noſter.

quo admonemur redire ad te. *Tertio* quia ibi eſt theſaurus noſter, ibi enim ponimus quidquid veri boni facimus. Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum,* & 2 ad Timoth. 1. *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.*

4. Quia ibi ſunt multa bona.

Quarto quia patria illa habet omnes bonas conditiones. Eſt enim *abundans*, juxta illud. Deuter. 8. *Dominus Deus introducet te in terram bonam,* &c. *Ubi abſque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.* Eſt etiam *pulchra & pacem habens.* Iſa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Eſt etiam *ſecura.* Prov. 1. *Qui me audierit abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, terrore malorum ſublato.* Eſt etiam ibi *bona ſocietas.* 1. Joan. 1. *Quod vidimus & audivimus annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio ejus.*

In Mundo inviti eſſe debemus, quia ſunt ibi multa mala.

Econtra quaſi inviti debemus habitare in mundo iſto, quia multas conditiones habet valdè malas. Primò ibi eſt *paupertas*, unde Salomon vidit in omnibus non ubertatem, Eccleſiaſtæ 1. Sed vanitatem & afflictionem ſpiritus. Item ibi eſt *formido & pavor.* Iſa. *Formido & fovea & laqueus ſuper te qui habitator es terræ.* Non eſt pax etiam ibi, ſed *preſſura.* Joan. 16. *In mundo preſſuram habebitis,* in me autem pacem. Non eſt etiam ibi amœnitas, ſed exilii *aſperitas.* Unde in Pſ. 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Eſt etiam ibi *mala ſocietas* decipiens ſuavia non faciens, unde Hierem 9 *Unuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit,* &c. Job. 30.

Detractor eſt ſimilis Draconi Adulator Struthioni.

Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum. Draco eſt detractor veneno detractionis aſſiſtentes occidens. Struthio verò qui ferrum comedit eſt adulator, qui adulando fortitudinem in hominibus conſumit. Item Ezech. 2. *Increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.*

Mundus ſimilis eſt Iericho in multis.

Habitatio hujus mundi figurata eſt per Hiericho Joſue 6. De cujus divitiis veri Iſraëlitæ prohibentur aliquid contingere, tactu cordis amando eas contra Deum. Aurum & argentum in theſauro domini præcipitur reponi, ideſt, pauperibus erogari, ipſi enim ſunt theſaurus domini. Malè dicitur etiam reædificatori ipſius. Maledictus eſt enim qui vanitatem hujus mundi deſtructam reædificat. Aquæ etiam, ideſt, voluptates hujus mundi malæ ſunt, & mortiferæ & ſteriles. In quibuſdam enim mortem peccatorum operantur, in aliis verò ſterilitatem, quos adeo delicatos reddunt & molles, ut nullius laboris patientes ſint. De aquis Hiericho habemus. 4. Regum. 2. Habet mundus iſte latrones, ideſt dæmones, qui & ſpoliant & vulnerant deſcendentes de Hieruſalem in Hiericho, relinquentes ſemivivos, ideſt, deſerentes vitam ſublimem & deſcendentes ad vitam ſæcularem Lucæ 10. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones.* Habet etiam irriſores, qui viros ſanctos irrident. Seneca. Nondum felix es, ſi nondum turbo deridet te. Sic pueri Hiericho illuſerunt Heliſeo, propter quod à duobus urſis percuſſi ſunt. 4 Regum 2 In mundo etiam iſto habitant homines dehoneſtati. Sicut 2. Regum 10 fecit David in Hiericho manere viros illos, ſcilicet ſervos ſuos, quibus rex filiorum Ammon præſciderat veſtes uſque ad nates & raſerat dimidiam partem barbæ. Quod ſpiritualiter in mundo iſto accidit, ubi ſunt homines ſeminudi, anima ſcilicet nudi & corpore induti: & ſemibarbati, mente ſcilicet inberbes & pueriles, corpore verò barbati.

DOMINICA XXIV. ET ULTIMA POST TRINITATEM.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo intendit præparare corda hominum ad adventum ſeu natalem filii Dei: præmittit ergo proœmii loco explicationem loci Oſeæ de quærendo Deo à peccatore, & Hieremiæ de ſalute ſperanda ex adventu Chriſti à Iuda, ideſt, confitente. Inde per totum ſermonem agitur de ſacramento confeſſionis, de quo principaliter quinque tractantur quæ optime digeſta, ac diviſa in ſermone facile invenias.

In diebus illis ſalvabitur Juda *Hierem. 23.* SERMO CVI.

Peccatori Deus ſemper eſt quærendus.

OSeæ 10. *Tempus requirendi dominum, cum venerit qui docebit vos juſtitiam.* Semper eſt tempus requirendi dominum ei, qui per peccatum ſuum illum amiſit, donec eum invenerit, unde Iſa. 55. *Quærite dominum dum inveniri poteſt.* Nunquam debet ceſſare ille qui Deum amiſit, quærendo, dum eſt in vita iſta, in qua ipſe poteſt inveniri. Væ enim ei, ſi non invenerit eum.

Deum perdere quam ſit nocivum.

Qui Deum perdidit, omnia perdidit, ſicut qui Deum invenit, omne bonum invenit. Sapient. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Et loquitur de ſapientia increata, quæ eſt filius Dei. Et Exodi 33. dicit dominus ad Moyſen: *Oſtendam omne bonum tibi*, loquens de oſtenſione ſui ipſius.

Qui Deum perdit ſe & ſua perdit.

Item qui Deum perdidit, ſe & ſua perdidit, quia bonum fuiſſet ei, ſi natus non fuiſſet homo ille, niſi Deum recuperaturus ſit, meliùs enim eſſet ei non eſſe, quam ſic eſſe. Sua verò perdit, quia nihil eſt homini bonum ſine ſe bono, ſicut Seneca dicit.

Tribus temporibus maximè quærendus eſt Deus.

Specialiter tamen diſtinguitur *triplex tempus*, quo Deus potiùs quærendus eſt, quia faciliùs invenitur.

1\. *Primo* quando propè eſt juxta illud Iſaiæ 55. *Invocate eum dum prope eſt.* Hoc non videntur advertere illi, qui diu volunt morari in peccatis ſuis, qui proponunt tunc quærere eum, quando elongaverunt ſe ab eo quantum potuerunt, ſcilicet quando infirmierunt ad mortem, quibus multùm timendum eſſet illud Pſal. 72. *Qui elongant ſe à te peribunt.*

2\. *Secundo* quærendus eſt Deus quando ipſe quærit nos, paupertatem nobis mittendo, vel infirmitatem tanquam nuncium. Proverb. 13. *Legatus fidelis ſanitas eſt.* Legatus fidelis tribulatio eſt, quæ ſanitas eſt, ideſt cauſa ſanitatis. Tempore tali eũ quæſivit Jonas, & invenit Jonæ 2. *Clamavi ad dominum de tribulatione mea, & exandivit me.* Et filius prodigus Lucæ 15. Ubi ſic legitur, *quãti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? ſurgam & ibo*, &c.

3\. *Tertio* verò quærendus eſt Deus quando lumen doctrinæ habetur. Et ad hoc pertinet verbum propoſitum. *Tempus*, inquit, *requirendi dominum*, ſupple, tũc erit, cùm venerit qui docebit nos juſtitiam. Faciliùs invenitur quod perditum eſt cum lumine, quam ſine lumine. Unde ſapiens mulier volens quærere drachmam perditam, lucernam accendit, ut legitur Luc. 15. Lucerna eſt verbum Dei, juxta illud Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ille ergo qui ſermonem audit, ſi per peccatum Deum amiſit, propoſitum debet ſumere requirendi dominum, & eo ipſo fiduciam debet habere inveniendi eum, quod ipſe dignatus eſt mittere ei lucernam, ad quam eum quærat. Et multum debet Deo regratiari, quod Deus non oblitus eſt ejus, qui omni bono erat indignus.

Clericis hoc dictum applicandum tripliciter.

Si verò ſermo fiat Clericis, tangendum eſt illis de amore ſacræ ſcripturæ. Cùm enim ipſi ſint oculus Eccleſiæ, magnum

debent amorem habere ad lumen ſapientiæ, cùm oculus abſque lumine inutilis ſit. Tangendum eſt etiam eis quod civitas Eccleſiæ non eſt perfectæ munditiæ, donec aqua doctrinæ velut quidã magnus fluvius tranſiens laverit eam. *Item* tangendum eſt eis quantam munditiam faciat ſtudium etiam liberalium artium in ſcholaribus Pariſiis. Hieron. Ama ſacras litteras, & carnis deſideria non amabis.

In diebus illis ſalvabitur Iuda, &c.

De Adventu filii Dei cur multum ſint locuti Prophetæ.

Quando aliquid magnum debet fieri, ſolent inde homines multum loqui. Unde de maximis quæ facta ſunt in mundo iſto fuit adventus filii Dei in mundum, unde Prophetæ multum de hoc locuti ſunt antequam fieret. Unde Hierem. 23. in verbis quæ recitat Eccleſia tempore iſto dicit. *Regnabit rex*, & *ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Iuda*, oſtendens nobis in hoc verbo quanta futura eſſet miſericordia in curia hujus magni domini mundo promiſſi.

Confeſſio ſalvat in Iudicio Dei.

Juda interpretatur confeſſio. Oſtenditur ergo quod tanta erit miſericordia in judicio ejus, quod reus cujus culpa ita certa eſſet, quod ipſe jam eſſet damnandus, ſi confeſſus eam fuerit, ſalvetur.

Diſcrimen Iudicis ſæcularis & ſpiritualis circa confeſſionem.

Quod non eſt in curia ſæcularium, licet aliquis ſit reus, tamen adhuc defendi poteſt, ex quo non eſt confeſſus vel convictus ſed poſtquam confeſſus eſt, jam non reſtat locus defenſioni. Poëta.

Non eſt confeſſi cauſa tuenda rei.

Sed in curia Chriſti, ſcilicet in foro pœnitentiali, quanto aliquis apertiùs culpam ſuam confitetur, tanto certiùs ei remittitur. Unde ſuper illud Pſal. 31. *Et injuſtitiam meam non abſcondi*, dicit Gloſ. Si homo agnoſcit, Deus ignoſcit. De hac confeſſione aliquid propoſuimus dicere, & primò ea quæ pertinent ad ejus commendationem.

De ſacram. Cõfeſſionis agetur hoc ſermone.

I.
Confeſſio eſt commẽdabilis.
1.
Ob inſtituẽtis authoritatem.

Notandum ergo quod *ſex* ſunt à quibus commendabilis eſt confeſſio. *Primo* commendabilis eſt ab auctoritate ejus, qui eam adduxit, ſcilicet filii Dei. Cùm Deus ante adventum ſuum multa bona commendaverit mundo per nuncios ſuos, ipſe tamen quædam in propriâ perſona attulit mundo, ut eſt præceptum diligendi inimicos, & de pace ſervanda cum his, qui pacem oderunt; & confeſſio peccatorum homini ſigillatim facta. Quæ apparet optima eſſe, quia optimus eam attulit. Optimi eſt optima adducere, ut dicit beatus Dionyſius. Gratia iſta, quam facit Deus homini in ſacramento confeſſionis, eſt una de propriis gratiis quæ ad tempus gratiæ pertinent, non enim remittebatur in veteri lege peccatum his, qui illud confitebantur, ut patet Joſue 7. de Achan, cui dixit Joſue: *fili mi, da gloriam domino Deo Iſrael, & confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditq; Achã Ioſue: Vere ego peccavi domino* Deo Iſrael, *ſic & ſic feci. Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum & ducentos ſiclos argenti, regulam quoq; auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli*, &c. Et ſubditur ibidem quod dixit ei Joſue: *quia turbaſti nos, exturbet te Deus in die hac. Lapidavitque eum omnis Iſrael*. Amplectẽda eſt ergo valdè confeſſio tempore gratiæ, tanquam miſericordia domini huic plenitudini temporis reſervata, & tanquam res optima ab optimo adducta. Non videntur fidem habere de ſacramento confeſſionis, quod ita bonum ſit, quia ita de facili poſſent ſe mundare per confeſſionem, & negligunt.

Cõfeſſio eſt ſingularis gratia temporis gratiæ.

2.
Ob ſummã Dei miſericordiam in ea apparentem.

Secundo commendabilis eſt confeſſio ex hoc, quod ipſa eſt curia miſericordiæ Dei. Cùm enim miſericordia ſit ſuper omnia opera ejus, curia miſericordiæ ſuperior eſt quàm curia juſtitiæ. Unde ſi quis videt ſe gravari in curia juſtitiæ, ſecurè appellet ad iſtam, & neceſſe habet juſtitia ejus appellationi deferre. *Miſericordia* enim *ſuperexaltat judicium*. Jacobi 2.

3.
Ob modum ſuavẽ procedendi in judicio Cõfeſſionis.

Tertio commendabilis eſt ex forma, qua proceditur in judicio confeſſionis. Forma enim ſecundùm quam proceditur hic, plena eſt dulcedine & miſericordia. Et differt in *quatuor* forma iſta à forma, qua proceditur in curia juſtitiæ.

In quibus differat à judicio ſæculari.

Primo in hoc quod in hac curia creditur reo narranti factum ſuum. Non adducitur aliquis qui ſuppleat illud, ſi ipſe ſemiplenè narraverit. Non adducitur etiam teſtis, qui probet contrarium ei quod dixerit. Unde hic non habet locum illud Joan. 8. *Tu de temetipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*.

2.

Secundo in hoc, quod in hoc judicio judex vel arbiter ponitur reo familiaris in cauſa de qua fit judicium. Inter Deum & peccatorem perſona rectè media diſtricto jure debet eſſe judex, ſicut in die judicii Chriſtus judex erit, quia filius Dei eſt & filius hominis, Deo & homini quaſi ſimili gradu attinens. Joan. 5. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio.* Et de hac cauſa forſitan vocat ſe Chriſtus filium hominis, ubi loquitur de adventu ſuo ad judicium Lucæ 12. *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*. Ne boni terreantur, cum cogitant ſe judicandos eſſe à filio Dei, cum ſciant eundem eſſe filium hominis. Sed ex miſericordia Dei eſt, quod in judicio confeſſionis ipſe judex purus homo eſt & peccator ſicut confitens. Unde videtur impletum eſſe in hoc judicio illud quod deſiderabat Job. 16. dicens. *Utinam ſic judicaretur vir cum Deo, quemodo judicatur filius hominis cum collega ſuo.*

3.

Tertio in hoc, quod in judicio iſto non feruntur niſi ſententiæ abſolutionis. Quantumcunque reus ſit qui peccata ſua confitetur, ſententia tamen abſolutionis pro eo fertur, ſi mandatis Eccleſiæ ſtare voluerit. Circa quod diligenter attendendum eſt quale eſt vinculum quo abſolvitur. Quaſi enim funis eſt in collo ejus, quo ſuſpendendus eſt. Peccatum mortale eſt funis iſte, ſine quo nullus infernali patibulo ſuſpendetur. Libentiſſimè ergo deberent venire ad confeſſionem, qui ſe ſentiunt eſſe in peccato mortali.

Peccatum mortale quale ſit vinculum.

4.

Quarto in hoc, quod ille qui venit ad hoc judicium, cùm dignus eſſet patibulo, ipſe remunerabitur regno æterno: cum enim pœnitentia injungitur, gratia ſuſcepta in ſacramento confertur. Cùm peccator totam culpam habeat, & Dei poteſtate inferior ſit, tamen in hoc judicio Deus emit pacem ejus regno cœlorum, ſi tam honorabilem pacem peccator non recuſat.

5.
Ob facilitatem remedium evaſionis magni periculi, quod eſt in peccato.

Quinto commendabilis eſt à facilitate remedii cõparata ad magnitudinem periculi. Qui in peccato mortali ſunt, lepram ſpiritualem habent, quæ tanto perículoſior eſt lepra corporis, quanto anima prævalet corpori. Infirmitas enim periculoſior eſt, quæ eſt in membro nobiliori. *Præterea* lepra corporis ejicit à conſortio hominum, lepra verò animæ homini aufert ſocietatem Dei & angelorum. *Item* lepra corporis expellit hominem à civitate, lepra verò animæ non permittit hominem remanere neque in cœlo neque in terra, ſed facit hominem deſcendere uſque in infernum.

1.
Periculum lepra peccati eſt periculoſior lepra corporis ob tria.
Remedium
Curatio Naaman figura confeſſionis qui fuerit.

Viſo periculo vide facilitatem remedii, quæ ſignificata eſt. 4. Regum 5. ubi dixit Heliſeus Naaman viro leproſo. *Vade lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua atque mundaberis*. Cumque iratus recederet Naaman, eo quòd Heliſeus aliud ei non feciſſet, dixerunt ſervi ſui ad eum: *pater etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras, quanto magis quia dixit tibi lavare & mundaberis. Deſcẽdit ergo & lavit ſepties in* Jordane *juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus ſicut caro pueri parvuli.* Jordanis interpretatur fluvius judicantis, & ſignificat ſacramentum confeſſionis, quæ eſt quaſi unus fluvius paradiſi. Septena verò lotio confeſſionem ſeptem criminalium peccatorum ſignificat, per quam mundatio fit à lepra ſpirituali. Facilis modus mundationis qui in verbo

conſiſtit.

conſiſtit. Meritò in ſordibus ſuis ſordeſcit, qui hoc facili modo mundationis mundare ſe negligit.

3. Peccator eſt in ore Diaboli.

Item qui in peccato mortali eſt, in ore diaboli eſt, quod intranti valdè latum eſt, & exire volenti valdè arctum, juxta illud. Job. 36. *Salvabit te ex ore anguſto latiſſime.* Anguſto, inquam, ad exeundum, latiſſime eum recipiente.

Remediũ.

Vide ergo facilitatem modi liberationis à tanto periculo, quoniam ipſa natura oviculam docet ut clamet; ſcilicet dum eſt in ore lupi. Tu ergo clama per confeſſionem, immo ut veriùs dicam, ſubmiſſe manifeſta peccatum ſacerdoti.

4. Habet litẽ cum Deo.

Item qui in peccato mortali eſt guerram habet cum ſacerdote omnipotente. Periculoſa eſt valde guerra iſta, vide ergo facilem modum pacificationis.

Remediũ. Pax fit per confeſſionẽ humilem.

Non oportet te mactare vitulos vel oves, ut fiebat antiquitus. Verba enim humilis confeſſionis pro vitulis recipiet. Oſeæ ult. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Et Iſaiæ 57. *Creavi fructum labiorum pacem* Creavi, id eſt, ex nihilo humilitatis feci pacem eſſe fructum labiorum. Humilitas enim confeſſionis ſpecialiter facit ut Deus peccatori per confeſſionem reconcilietur.

Figura hujus pacis qui fuerit ramus olivæ in ore columbæ.

Figura videtur fuiſſe ramus olivæ quem detulit columba ad veſperam in arcam. Geneſ. 8. Ramus olivæ ſignum eſt pacis, & confeſſio ſimiliter ſignum eſt & cauſa pacis inter nos & Deum. Sicut ramum columba ad veſperam attulit; ſic confeſſionem Spiritus ſanctus in fine temporum in Eccleſia ordinavit. Nos enim ſumus, in quos fines ſæculorum devenerunt. Vel columba figura poteſt eſſe Eccleſiæ, juxta illud Cantic 6. *Una eſt columba mea.* Columba ergo ramum olivæ portat in ſignum pacis, quia Eccleſia habet confeſſionem in ore, quæ eſt ſignum & cauſa pacis cum Deo.

5. Ob eius virtutes.

Quinto confeſſio commendabilis eſt à multiplici ejus virtute.

1. Vivificat.

Prima virtus eius eſt quod hominem vivificat: cum enim ad confeſſionem os aperitur mors exit, & vita ingreditur iuxta illud Prov. 10. *Vena vitæ os juſti, os autem impiorum operit iniquitatem.* Qui non vult confiteri, non permittit mortem à ſe exire. Hujus vivificationis ſignum eſt hoc, quod videmus aliquando homines venire ad confeſſionem quaſi mortuos, non ſentientes vulnera peccatorum ſuorum, & dum confitentur datur eis dolor de peccatis, qui dolor vitam atteſtatur, membrum enim mortuum non dolet.

2. Exonerat ab onere pœnæ.

Secunda virtus ejus eſt quod hominem exonerat ab onere pœnæ quam debebat pro peccato ſuo, ex vi enim clavium dimittitur aliquid de pœna condigna; propter erubeſcentiam etiam quæ eſt maxima pars pœnitentiæ.

Alleviat cõſcientiam.

Secundùm Auguſtin. abſolvitur à parte pœnæ, & alleviatur conſcientia à gravitate, quam ſentiebat. Iniquitates enim ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper peccatorem Job. 7. *Poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis.* Quando aliquis qui erat in aliquo peccato enormi confeſſus eſt illud, & à ſacerdote eſt abſolutus, videtur ei quod ſit alleviatus quaſi mola una eſſet remota de collo ejus.

3. Dat & auget gratiã. A debito modo accedendũ quatuor iuvant

Tertia virtus ejus eſt quod homini gratiam adquirit, accedenti enim debito modo ad confeſſionem datur gratia, ſi non habet, ſi habet, augetur. Ad hoc autem quod aliquis debito modo accedat faciunt iſta *quatuor*: *fides* de effectu ſacramenti; *humilitas*, ut ſcilicet homo credat ſe indigere effectu illo; *deſiderium* obtinendi effectum illum; & *gratitudo*, ut ſcilicet homo ſit gratus & devotus Deo, de hoc, quòd dominus hoc ſacramentum quaſi quendam fontem gratiarum poſuit in Eccleſia ſua.

4. Diabolum confundit.

Quarta virtus eſt quod diabolum confundit, dum ſe deprehenſum agnoſcit, ſolent enim fures confundi cum deprehenduntur. Unde diabolus non ita libenter ei ſuggerit poſtea, cùm credat ſecretum ſuum ab eo revelandum. Eccleſiaſtici 27. *Qui denudat arcana amici ſui fidem perdit.* Non habet etiam tantam poteſtatem in homine. Hieron. Poteſtas & virtus traditoris annihilatur revelata traditione.

5. Deum placat.

Quinto Deum placat. Bernard. O felix humilitas pœnitentium, ô beata ſpes confitentium, quàm potens es coram omnipotente? quàm facilè vincis invincibilem? quàm citò tremendum judicem convertis in piiſſimum patrem? De hoc exemplum habemus. 2. Regum 12. Ubi cum Nathan multùm comminatus eſt ipſi David pro adulterio & homicidio quæ commiſerat, dixit David ad Nathan: *peccavi domino.* Et ſtatim ait Nathan: *Dominus tranſtulit peccatum tuum,* id eſt, dimiſit tibi, ut dicit Gloſſa. Qui humiliter confitetur, tam citò veniam conſequetur. Et in Pſal. 31. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino,* &c. Et 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt,* Deus, *ut remittat nobis peccata noſtra.*

Sanctos lætificat.

Cœleſtem etiam curiam lætificat, juxta illud. Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

6. Ob virtutũ inchoationem & conſervationẽ. Confeſſio differt à Baptiſmo in duobus.

Sexto commendabilis eſt à virtutis continuitate. Baptiſmus bonam vitam inchoat, ſed confeſſio non ſolùm inchoat eam ſed etiam conſervat. *Primum* ſignificatum eſt Judic 1. ubi ſic legitur. *Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? & dixit dominus, Judas aſcendet.* Sic confeſſio debet præcedere alia bona opera. *Secundum* verò ſignificatum eſt Gen. 43. in hoc, quòd Benjamin Judæ traditus eſt, qui debuit eum ad patrem reducere. Benjamin interpretatur filius dextræ, unde ſignificat illos qui ad dextram Dei patris ponendi ſunt in die judicii, quos confeſſio ad Deum reducet, Sacramentum baptiſmi tantùm ſemel valet peccatoribus, ſed ad confeſſionem recurrere poſſumus, quotieſcunque peccamus.

Confeſſio eſt cantus qualis.

Unde Iſai. 23. dicitur ad peccatricem animam, quæ nomine meretricis ibi intelligitur: *Bene cane, frequenta canticum.* Eccleſia etiam dicitur columba Cantic. 6. *quæ* gemitum habet pro cantu Unde cantus ejus eſt confeſſio Deo gratiſſimus, cujus ſignum eſt hoc, quod pro tali cantu dat animæ peccatrici regnum cœlorum. Unde Cantic. 2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Confeſſio vicem præcentoris tenet, unde in Pſal. 146. *Præcinite domino in confeſſione.*

Commendatio Confeſſionis.

De confeſſione dicit Gregorius. Non minùs admiror humillimam peccatorum confeſſionem, quàm ſublimia geſta virtutum. Seneca. Locum tenet innocentiæ peccati confeſſio; ubi confeſſio, ibi remiſſio. Unde in Pſal. 95. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* Ita eſt in conſpectu Dei confeſſio humilis peccatoris, ſicut pulchritudo innocentis.

II. Confeſſionem in Eccleſia inſtitui neceſſarium fuit.

Poſitis his quæ ad commendationem faciunt confeſſionis, conſequenter aſſignemus cauſas propter quas neceſſarium fuit ſacramentum confeſſionis in Eccleſia Dei. Ex multis quinque ponere ſufficiat.

1. Propter tẽpus gratiæ & plenitudinis.

Notandum ergo quod hoc ſacramentum *primo* requirit hoc tempus quod eſt tempus plenitudinis & abundantiæ.

Duo oportuit abundare hoc tempore.

Duo autem ſpecialiter oportet abundare tempore iſto, *Dei miſerationem & hominum humilitatem.*

1. Miſericordiam Dei ob tria.

Triplici ratione oportuit Dei miſerationem abundare tempore gratiæ.

1. Ob attractionem hominum ad pœnitentiam.

Primò ad hominum attractionem, ad quod multum valet miſericordia & manſuetudo, juxta illud. Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Nomen Dei vocatur filius Dei, qui oleum effuſum fuit, quando ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, propter quam miſericordiam mundus præcipuè poſt eum cucurrit. Unde Bern. Omnino propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Jeſu, audientes quod non ſpernas pauperem peccatorem. Non horruiſti confitentem latronem, non lachrimantem peccatricem, non Chananæam ſuppli-

cantem, non deprehenſam in adulterio, non ſeden-
tem in telonio, non ſupplicantem publicanum,
non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſ-
cipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem
2. unguentorum horum currimus. *Secundo* ut exemplo
Ob cõmotionem hominum ad miſericordiam. ſuo homines ad miſericordiam, Deo maximè pla-
centem & hominibus maximè utilem invitaret.
Unde ſuper illud Cant. 1. *oleum effuſum nomen tuum*
dicit. Gloſſa. Sponſus à patre miſſus ad ſponſam
venit unctus, ut ſponſam ungat unguento, ſcilicet
3. miſericordiæ. *Tertio* ut peccatum deſperationis
Ob expulſionem deſperationis. Deus à mundo expelleret. Unde quando filius Dei
conſummavit opus ſalutis noſtræ, ne aliquis locus
deſperationis remaneret homini indigno omni
dono, qui latrocinio damnationem meruerat
tam temporalem quam æternam, cujus culpa ita
certa erat, quod jam ſuſpenſus erat temporali mor-
te, & æternæ propinquiſſimus, regnum cœlorum
dedit eodem die poſſidendum. Luc. 23. De quo
loquens Auguſt. Sic ait. Conſiderabat latro faci-
nora ſua, & pro magno habebat ſi ei vel in fine par-
ceretur. Dominus autem continuò inquit, amen di-
co tibi quia hodie mecum eris in paradiſo. Et ſub-
2. dit Auguſt. Miſericordia obtulit, quod miſeria ab-
Humilitatem hominũ ob tria. ſtulit. Similiter *triplici* ratione oportet humili-
tatem hominum abundare tempore gratiæ. *Primo*
1. quia humilitas receptaculum eſt gratiæ, *Deus enim*
humilibus dat gratiam. Jac. 4. Abundantia ergo
gratiæ magnitudinem humilitatis requirit, ſicut
2. abundantia vini, vaſis magnitudinem. *Secundo* pro-
pter humilitatem Dei Auguſt. Medicina tumoris
hominis eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe
ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Indecens
eſt quod ſervus vult eſſe ſuper dominum ſuum.
Matth 10. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum ſuum,*
3. *nec ſervus ſuper dominum ſuum.* *Tertio* quia ſuper-
bia fuit in perditoribus humani generis, & ſpecia-
liter ſuperbia ſe excuſans & Deum accuſans. Un-
de Geneſ 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit*
mihi de ligno, & comedi, quodammodo retorquens
in Deum culpam, qui mulierem ei dederat. Et mu-
lier ait: *Serpens decepit me, & comedi*, quodammodo
Confitentium humilitas qualis & quam neceſſaria ſit. in auctorem ſerpentis culpam retorquens. Ad ſa-
lutem ergo neceſſaria fuit humilitas accuſans ſe &
Deum glorificans, qualis eſt in illis, qui peccata ſua
humiliter confitentur, talis fuit in latrone illo,
de quo priùs tetigimus. Unde ait idem. *Et nos qui-*
dem juſte, nam digna factis recipimus: hic vero nihil
mali geſſit. Auguſt. Latro in cruce ſalutem quare
meruit, niſi quia illam viam tenuit, ubi oſtenditur
ſalutare Dei? ſcilicet viam laudis Dei. à qua tibi pes
non exeat. In hoc enim quod ſe accuſavit, Deum
Confeſſio peccatorum indicat Dei bonitatem in duobus. laudavit. Confeſſio peccatorum multùm indicat
Dei bonitatem & miſericordiam. *Primo* in hoc, quod
mala noſtra ei confitemur, innuimus bonitatem ejus
omne malum odire, & omne malum quaſi ei
contrarium eſſe, quod proculdubio ſignum eſt ma-
gnæ bonitatis. *Secundo* in hoc, quod licet rei ad
eum refugimus, quo de clementia ejus nos veniam
Eſt perfecta humilitas. ſperare oſtendimus. Quod autem perfectæ humi-
litatis ſit confeſſio peccatorum, patere poteſt ex
illo verbò Bern. Verè humilis non vult humilis præ-
dicari, ſed vilis reputari, exemplo ejus, qui cum
2. iniquis reputatus eſt. Iſa. 53. *Secundo* requirit hoc
Propter Cõfeſſarios ut Medicos ſpirituales. Sacramentum Confeſſionis officium medendi mor-
bis ſpiritualibus, quod habent ſacerdotes. quo-
modo autem morbos curabunt, niſi agnoſcant?
quomodo autem agnoſcent, niſi infirmi illis eos de-
tegant? In libro conſolationum Boetii. Si expectes
medicantis operam, oportet ut vulnus detegas.
Poëta

Non intellecti, nulla eſt curatio morbi.

Præterea quis medicorum curare præſumit infir-
mum, ſi nullum ſignum curabilitatis appareat? In
peccatore verò qui peccatorem ſe nõn cognoſcit Non cognoſcere peccatum ſuum ſit non curum.
nec confitetur, nullum ſignum curabilitatis appa-
ret, unde parùm ſperari poteſt de curatione talium
Auguſt. Nemo inſanabilior eo, qui ſibi ſanus vi-
detur. Bern. Scio longè à ſalute eſſe membrum
quod obſtupuit, & ægrum ſe ſe non ſentientem pe-
riculoſiùs laborare. Auguſt. Graviſſimè peccas, quia
ignoras, & periculoſiſſimè Seneca. Initium ſalu-
tis cognitio peccati eſt. Idem Hieron. Difficulter
ad ſanitatem pervenimus, quia nos ignorare neſci-
mus. Idem. In his morbis quibus omnino afficimur,
quo quis pejùs ſe habet, eo minùs ſentit. Somnia
ſua narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri, ſa-
nitatis indicium. *Tertio* requirit hoc ſacramentum 3.
officium villicationis, quod habent ſacerdotes. Lu- Propter ſacra Euchariſtia.
cæ 16. *Redde rationem villicationis tuæ.* Oportebit
ſacerdotes qui populis præſunt rationem reddere
pro illis Deo juxta illud. Hebr. ult. *Obedite præpoſitis*
veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi
rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gau-
dio hoc faciant, & non gementes. Quomodo autem
poterunt ſacerdotes pro eis rationem reddere, &
coram Deo computare, niſi ipſi computent coram
ſacerdote primò? *Quarto* requirit ſacramen- 4.
tum confeſſionis Euchariſtiæ ſuſceptio. In ſacra- Propter ſacra Euchariſtia.
mento altaris Deus eſt, licet in nebula juxta illud. 3.
Regum 8. *Dominus dixit ut habitaret in nebula.*
Unde qui accedit ad ſacramentum illud, accedit ad
creatorem ſuum, quem acceſſum debet præcedere
judicium, *honor enim regis judicium diligit.* Pſal. 98.
Sicut judicium præcedet veritatem, antequam
homo ad Deum accedat, ut videat eum facie ad fa-
ciem: ſic judicium ænigmaticum & quaſi obſcu-
rum præcedere debet acceſſum ad Deum in ſacra-
mento altaris. De quo judicio legitur 1. ad Corinth.
11. *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judica-*
remur. Et ibidem. *Probet ſemetipſum homo, & ſic de*
pane illo edat & de calice bibat. *Quinto* requirit hoc 5.
diſtrictio futuri judicii. Solent homines, qui habent Propter judicium Dei.
dominum, cujus curiam valdè timent, ſi habent
diſcordiam aliquam, pacificare per amicos eam, ſe
volentes potiùs ſubdere amicabili arbitrio, quàm
incidere in ignem judicii Domini ſui. Sic magiſte-
rio Spiritus ſancti arbitrium fori pœnitentialis in
Eccleſia eſt ordinatum ad evadendum judicium di-
ſtrictionis futuri judicii Matth. 5. *Eſto conſentiens*
adverſario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte
adverſarius tuus tradat te judici, & judex tradat te
miniſtro, & in carcerem mittaris, &c.

Sequitur videre quare in Adventu peccatores III.
debeant præparare ſe ad ſolennitatem Natalis Motiva cur confeſſione peccatorũ ad Natalem Chriſti ſicut ad paſcha parare nos debeamus.
Chriſti, ſcilicet confitendo peccata ſua, ſicut & in
quadrageſima ad ſolennitatem paſchæ. Ad quod
debet eos movere *primo* hoc, quod Eccleſia à prin-
cipio non ceſſat Deum invitare ut in ſolennitate
illa ſpiritualiter ad eam veniat. Ad hanc invitatio-
nem pertinent orationes, quas Eccleſia dicit in ad- 1.
ventu, & verſiculi & multa alia, quæ tempore tali
cantat Eccleſia, petens per ea adventum filii Dei.
Unde in tanta ſolennitate multùm poterit Deus of-
fendi, ſi ita vehementer invitatus nihil inveniat
præparatum. *Secundo* hoc, quod corporalis præpara- 2.
tio major ſit ad ſolennitatem natalis quàm paſchæ,
unde eadem ratione major debet fieri præparatio
ſpiritualis, vel ſaltem non minor, maximè cum ad-
ventus, quem Eccleſia tempore tali expectat, ſpiri-
tualis ſit. Spiritualem verò voco adventum, cum Spiritualis advẽtus Dei quis ſit.
Deus venit ad cor hominis, vel peccata remit-
tendo, vel gratias augendo, vel hominem conſolan-
do. Mira fatuitas ſpiritum non præparari, ubi Fatuitas corpus, non ſpiritum nunc adornantium ex tribus patet.
Deus debet recipi, & corporalem præparationem
fieri, cùm corporaliter non debeat recipi. Quis niſi
cœcus non viderit quod in adventu ſponſi magis
competit præparatio dominæ, ſcilicet animæ, quàm

ancillæ, ſcilicet carnis. *Præterea* cum filius Dei in ſua incarnatione honoraverit utrumque, ſcilicet carnem & animam utrumque ſumendo, utrumque etiam debet eum incarnatum honorare. Non minus ergo debet anima eum honorare præparando ſe quàm corpus. Qui corporali præparatione tantùm eum honorant, videntur idem ſentire cum illis hæreticis, qui dixerunt filium Dei carnem aſſumpſiſſe & non animam.
3. *Item* cum per repræſentationem Eccleſiæ mundus recipiat ſalvatorem in natali, circa paſcha verò ſecundum repræſentationem Eccleſiæ tranſeat de mundo ad patrem, non minùs videtur præparatio competere ante natalem, quàm ante paſcha, ſuſceptioni enim domini præparari ſolet hoſpitium, non diſceſſioni.
4. *Item* cum in incarnatione filii Dei magnus dominus & laudabilis nimis, factus ſit parvulus & amabilis nimis. Dicit beatus Bern. Quanto pro nobis humilior dignatus eſt fieri tempore tali, tantò amplius à nobis tempore tali debet honorari
5. *Præterea* cùm tempore tali in ſtabulo ſemel pro nobis jacuerit, ſufficere debet nobis, & non deberemus eum velle iterū in ſtabulū recipere. Stabulum eſt cor peccatoris ſordibus peccatorum plenum. In hoc ſtabulum nunquam Deus intrabit, cum ſint ibi ſordes ſpirituales, quas ſolas reputat dominus.

IV. Confeſſionis ſpecies ſunt ſeptē. Sequitur videre de ſpeciebus confeſſionis, quæ multæ ſunt. *Prima* eſt confeſſio ſe excuſans & Deū accuſans. *Secunda* eſt deſperantium. *Tertia* eſt confeſſio diminuta. *Quarta* eſt confeſſio ficta vel irriſoria. *Quinta* eſt elationis. *Sexta* eſt ventoſæ gloriationis. *Septima* humilitatis & devotionis.

1. Deum accuſantium & ſe excuſantium, qui ſunt tales. De *prima* habetur exemplum Geneſ. 3. Ubi dixit Adam. *Mulier, quam dediſti ſociam, mihi dedit de ligno, & comedi*, Deum accuſans & ſe excuſans. Talis eſt confeſſio illorum, qui dicut ſe lapſos eſſe in peccatum carnis, ſed cavere non potuiſſe. Item talis eſt confeſſio eorum, qui dicunt quòd nullus poteſt cavere ſibi vel à mendaciis, vel à juramentis Deo contumelioſis, ſcilicet vel à detractione, vel à detentione decimarum, vel ab hujuſmodi.
Refutantur. Contra quos dicit Hieron. O prophana temeritas, ô veſana inſania Duplicis ſcientiæ Deum ignorantia condemnatis, ſcilicet quòd neſciat quid fecerit & quid juſſerit, quaſi impoſuerit mandatum quod impleri non poſſit Proh nefas! imponitis iniquitatem juſto, crudelitatem pio, ac ſi nos, quod ſuſpicari ſacrilegum eſt, ad ſalutem non fecerit, ſed ad pœnam. Mendacium eorum qui dicunt quòd non poterunt continere, manifeſtari poteſt ex hoc, quod ſi unus gartio affuiſſet, ipſi continuiſſent, multò magis propter Dei præſentiam continere debuerunt Item mendacium eorum, qui dicunt quod juramenta horribilia cavere non poſſunt, patet ex hoc, quod ipſi bene cavent, quod non convitiaretur domino terreno, immò nec gartioni uni cōvitiarētur, niſi ipſe eis priùs convitiatus fuerit, quanto magis cavere deberent ne convitiarentur creatori ſuo, cum ipſe nunquam eis conviciatus ſit. Mendacium verò eorum qui dicunt quod cavere non poſſunt à detentione decimarum, patere poteſt per hoc, quod ipſi bene cavent ne retineant jura domini terreni.

2. Deſperantium inſtar Juda & Cain. De *ſecunda* ſpecie confeſſionis habemus Matth. 27. de Juda. *Peccavi*, inquit, *tradens ſanguinem juſtum*. Et ſubditur poſtea; *quod projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit*. Dicit Hieron. Super octavum Pſalmum, quod magis offendit Judas Deum in hoc, quod ſe ſuſpendit, quàm in hoc, quod eum tradidit. De hac etiam confeſſione habemus exemplum Geneſ 4. Ubi dicit Cain. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.*

3 Diminutorum Con. De *tertia* verò ſpecie notandum quod diminuta poteſt eſſe confeſſio *dupliciter*. Vel quia aliquod peccatum celatur, vel quia circumſtantiæ celantur. Sicut enim ignis poteſt fieri ex ramis arboris ſicut ex trunco, ſic aliquis poterit in futuro igne cruciari propter circumſtantias ipſum peccatum aggravantes, ſicut & propter ipſum peccatum. (fessionem; peccata aliqua vel circūmſtātias celando.)

Reprehenſio talium. De abſcondente peccatum dicitur Oſeæ 13. *Abſconditum eſt peccatum ejus*. Et *Dolores parturientis venient ei*. Et ſuper illud Lucæ 18. *Gratias ago tibi Deus, quia non ſum ſicut cæteri hominū*, dicit Beda: Quid prodeſt quod tota civitas cuſtodiatur, & unum foramen per quod intrant hoſtes relinquatur Talibus illudit diabolus, ſicut illuſum eſt inimicis David, quibus dimidiæ barbæ raſæ ſunt, qui in Hiericho remanſerunt. Indecens enim judicavit David ut ſic aſcenderent in Hieruſalem 2. Regum 10. Spiritualis raſura eſt vitiorum remotio. Qui medietatem vitiorum ſuorum volunt tantùm deponere, remanebunt in Hiericho. Et per Hiericho intelligimus civitatem maledictam. Tales non ſunt digni aſcendere in cœleſtem Hieruſalem.

Periculum talium. De abſcondente peccatum ſuum, dicitur Proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur*: qui autem confeſſus ea fuerit, & reliquerit ea, *miſericordiam conſequetur*. Peccatum celare, eſt ignem in ſinu ſuo abſcondere Bern. Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto jam latere, jam nudatis viſceribus, jam ſanie effluente, adhuc conſulendum eſt mihi utrum illum excutiam?

Talis confeſſio nil valet ob duo. 1. Non dimittet dominus unum mortale peccatum, niſi omnia peccata dimittat. Et hoc fit propter ſuam ſummam bonitatem, quia ſumma Dei pietas veniam non dimidiabit. Et ſumma iniquitas eſt, ab eo, qui ſummè bonus eſt, dimidiam ſperare veniā.
2. Præterea non dimittitur peccatum mortale, niſi per infuſionem Spiritus ſancti. Spiritus ſanctus quaſi univerſalem munditiam requirit in hoſpicio ſuo, licet diabolus particulari immunditiā ſit contentus. Spiritus ſanctus vult habere totum hoſpicium, non vult eſſe medietarius cum diabolo, ut diabolus habeat unam partem hoſpicii & ipſe aliam. Retinere aliquod peccatum mortale in conſcientia, eſt retinere proditorem in domo ſua, qui tradat eum hoſti ſuo. Sap. 4. *Traducent eos ex adverſo iniquitates eorum*.

Cauſa hujus celationis eſt timor ſeu verecundia. Motiva aliquot ad tollendam hāc verecundiā. Et notandum quod cauſa hujus periculoſæ abſconſionis ſolet eſſe verecundia nimia, quam habent aliqui de turpitudine peccatorum ſuorum. De quo Bern. O inſania, non pudet inquinari, & ablui pudet. Tales timent Ægyptios jam mortuos, & exercitum Pharaonis jam ſubmerſum in mari rubro, id eſt, multitudinem peccatorum indeletam in amaritudine contritionis. Mira timiditas talium, qui de mortuis non audent etiam loqui. Tales etiam timent ne ſacerdos peccata eorum abhorreat, non attendentes quod ſacerdos aſſuetus talibus, ea quaſi non reputet, ex quo videt bonam voluntatem confitentis, ſicut Balaam monſtris aſſuetus non expavit ad vocem aſinæ. Tales timent ne ſacerdos eos valdè malos reputat, ſi horribilia peccata ſuā ei confiteantur, cū ſacerdos è cōtrario ex hoc eos bonos poſſit reputare. Scit enim ſacerdos, ſi diſcretus eſt, quod in vera confeſſione omnia peccata mortalia remittuntur. *Præterea* præſumere poteſt ſacerdos de illis qui peccatum horribile confitentur, quod confiterentur alia peccata mortalia, ſi ibi eſſent, unde veriſimile credere poteſt quod omnia peccata mortalia per confeſſionem ab eis exierint, & quod remanſerint boni & ſancti. *Præterea* qui erubeſcere timet coram uno ſacerdote, multo ampliùs timere deberet erubeſcentiam coram toto mundo. Nahum 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam* Hierem. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur*. *Item* ſi confuſionem timent addu- (Confuſio duplex bona & mala.)

centem gloriam, quare non timent confuſionem adducentem ignominiam? Confuſio adducens gloriam eſt confuſio confitentis, confuſio adducens ignominiam erit confuſio reproborum. De hac duplici confuſione legitur Eccleſiaſtici 4. *Non confundaris pro anima tua dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam. Præterea* quòd damnum eſt confitentis, ſi Sacerdos de eo malam opinionem habeat? nunquid propter hoc minùs valebit peccator? nunquid vendere ſe debet peccator Sacerdoti, quod tantùm deſiderat multum à Sacerdote appreciari? videtur, in opinione Sacerdotis ſuam beatitudinem poſuiſſe, qui eum æternæ fœlicitati

4. Ficte confitentium. Quales ſint iſti.

præponit. *Quarta* ſpecies eſt eorum qui peccata ſua confitentur, habent tamen propoſitum ad ea redeundi. De quibus poteſt Dominus dicere illud Iſa. 29. *Populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt à me.* Tales irriſores ſunt potiùs quàm pœnitentes. Irriſor enim eſt & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Talis fallit Deum, æſtimans quod velit cum Deo pacem facere, cùm tamen propoſitum habeat ei facere bellum, unde deceptor eſt & proditor.

5. Laudantiũ ſe in confeſſione, &c.

Quinta ſpecies eſt eorum, qui ſe in confeſſione laudant, & ſe aliis præferunt, qualis fuit confeſſio Phariſæi dicentis Lucæ 18. *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum,* &c.

Dicentes ſe nullũ peccatum habere quales ſint.

Talis eſt confeſſio illorum, qui dicunt ſe non habere peccatum, in hoc ipſo magnum committentes peccatum. Mendacem enim faciunt Deum juxta illud 1. Joan 1. *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum.* Præterea tales videntur feciſſe tale peccatum, quale Judæi fecerunt, qui Chriſtum innocentem Pilato judici tradiderunt. Se enim Sacerdoti judici tradiderunt, qui innocentes ſunt reputatione eorum, non ſicut Petrus vel Paulus, vel quicunque peccaverunt, ſed ſicut Chriſtus qui nunquam peccavit.

6. Gloriantiũ d. ſuis peccatis.

Sexta ſpecies eſt illorum qui peccata ſua ad gloriam publicant. De quibus Iſa. 3. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt.* Qui de peccato ſuo gloriatur, ſimilis eſt illi, qui gloriaretur de hoc quod in lutum cecidiſſet. Poëta.

Gloria peccati nulla petenda ſui eſt.

Aliqua ſpes poteſt haberi de homine, qui de peccato ſuo erubeſcit; ille verò qui de peccato ſuo non erubeſcit, quaſi deſperabilem infirmitatem habet.

7. Humiliantium ſe in cõfeſſione.

Ultima ſpecies confeſſionis fuit in Publicano dicente Lucæ 18. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et Lucæ 15. *Peccavi in cœlum & coram te.*

V. Cõfeſſionis qualitates ſeu conditiones.

Ultimo videndum eſt qualis debeat eſſe confeſſio.

1. Debet eſſe voluntaria.

Unde confeſſio *primo* debet eſſe *voluntaria.* Pſalm. 53. *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Talis non fuit confeſſio Achan. Ioſue 7. Qui noluit peccatum ſuum confiteri, donec ſorte deprehenſus eſt, ideò poſt confeſſionem nihilominus lapidatus eſt.

2. Accelerata.

Secundo accelerata, quia computatio dilata multa facit obliviſci, ſicut dicit beatus Bernard. De hac materia require ampliùs in tractatu de Accidia in Cap. de dilatione confeſſionis.

3. Frequens duplici modo.

Tertio debet eſſe *frequens,* & hoc *dupliciter. Primo*

1.

ut frequenter ad confeſſionem veniamus, quia frequenter peccavimus. Proverb. 24. *Septies in die cadet juſtus, & reſurget.* Qui vult habere manus mundas, oportet ut frequenter eas abluat, non ſolùm ſemel in die, ſed etiam pluries. Sic qui vult eſſe mundus, frequenter ſe per confeſſionem abluat: Si affectas decorem, ama confeſſionem, ut dicit quidam.

2.

Secundo ut eadem diverſis confiteamur, quia quanto pluribus confiteri ſub ſpe veniæ, citiùs veniam conſequeris, ut dicit Auguſtin. Aſſignantur etiam aliæ cauſæ, quare pluribus debeamus confiteri, quæ his verſibus continentur.

Sæpius & multis confeſſio ſit, quia neſcis.
Quæ digna eſt cautela, pudor, ſuffragia creſcent.

Quid hic cavendum.

Tamen circa hoc debet cavere confitens, ne à diverſis, quibus confitetur nimio onere pœnitentiæ obruatur. Solet accidere, quando multi in eodem cibo ſal ponunt, quod in nimietate ſalis cibum deſtruunt. Similiter accidit quando aliquis multis peccata ſua confitetur.

4. Humilis.

Quarto debet eſſe *humilis,* juxta illud Eccleſiaſtici 4. *Presbytero humilia animam tuam.* Lucæ 15. *Non ſum dignus vocari filius tuus.*

In quo conſiſtat hæc humilitas.

Quæ humiliatio maxime attenditur in hoc, quod homo ſe accuſet, & quanto minùs ſibi aliquis in hoc parcit, tanto Deus faciliùs ſibi ignoſcit. Unde ſuper illud Pſalm. 84. *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit,* dicit Auguſtinus. Quid dicit Deus? parcamus huic, quia ſibi non parcit, ignoſcamus ei, quia non ignoſcit ſibi? Et ſuper illud. Pſal. 31. *Injuſtitiam meam non abſcondi,* dicit Gloſ. Quando homo detegit, Deus tegit: quando homo tegit, Deus nudat. In Pſal. eod. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino,* & ſubditur. *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

5. Verecunda.

Quinto debet eſſe *verecunda,* talis qualis fuit confeſſio Publicani Lucæ 18. Unde dicitur ibi Publicanus à longe ſtans nolle nec oculos ad cœlum levare, &c. Auguſtinus. Laborat mens patiendo erubeſcentiam, quia erubeſcentia magna pœna eſt. Qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordiâ. Erubeſcentia tamen ſervire debet in confeſſionem, non dominari, ut ſcilicet non reddat mutum peccatorem, ſed potius abſolvat eum in magna parte à pœna, cujus debitor erat.

6 Amara id eſt doloroſa & lachrymoſa.

Sexto debet eſſe *amara,* juxta illud Iſa 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Unde valde reprehenſibiles ſunt, qui ridendo, immo deridendo Deum peccata ſua confitentur.

Motiva.

Ad fugiendum verò fatuum riſum iſtum, cogitare deberet confitens quem offenderit, ſcilicet regem gloriæ, qui omnipotens eſt. *Item* quantum eum offenderit, cùm imaginem ejus in lutum immunditiæ projecit. Credo non eſſe Angelum in cœlo qui non damnaretur in æternum, ſi tale peccatum feciſſet. *Item* cogitare debet quantæ pœnæ adjudicatus ſit pro peccato ſuo nimirum morti æternæ. Quale eſt hoc, latronem ridere, qui jam habet in collo funem, quo ſuſpendendus eſt in inferno. Peccatum mortale eſt funis iſte. Cum lachrymis ergo accedere debet peccator ad miniſtrum Dei, qui hunc funem removeat, & non cum riſu.

7. Diſcreta.

Septimo debet eſſe *diſcreta.* Levit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificii ſale condies.* Auguſt. Qui vult confiteri peccata ſua ut inveniat gratiam, quærat diſcretum Sacerdotem, qui ſciat ligare & ſolvere, ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo.

8. Propria.

Octavo propria debet eſſe, ut homo peccata ſua, non aliena confiteatur. Unde in Pſal. 55. *Deus vitam meam annunciavi tibi.* Unde perſonæ magnæ auctoritatis, quæ alibi ſolent dicere, nos fecimus hoc vel illud, in confeſſione debent dicere in ſingulari, ego feci hoc. Religioſi qui in aliis ſolent dicere *noſtrum,* confitendo peccatum ſuum debent dicere *meum,* non *noſtrum.*

Quomodo hic peccetur.

Item non debet homo peccatum alterius in confeſſione dicere ſuum, niſi in communi, quia ſine hoc non poteſt manifeſtare aliquam circunſtantiam peccati ſui, quæ aggravat peccatum ſuum, & tamen oportet eam confiteri. Sunt autem qui confeſſionem inimicorum ſuorum faciunt, quando deberent facere propriam confeſſionem, immo etiam confeſſionem Dei vel diaboli. Propriam enim non faciunt, dum culpam ſuam Deo vel diabolo attribuunt. Qui culpam attribuunt Deo, videntur quod non deberent dicere, *miſerere mei Deus,* quantum ad culpam illam, ſed potius, *miſerere tui Deus.* Propriam confeſſionem non faciunt, qui ſic confitentur. *Domine bene ſcitis quod omnes mentiuntur, omnes jurant,* & ſic de aliis. *Nono* debet

9. *Vera, ſine omni mendacio.* debet eſſe *vera*, unde non debet homo mentiri in cõfeſſione, etiam cauſâ humilitatis Auguſtinus. Cũ humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficieris, quod non eras. Qui in confeſſione mentitur, Deo mentitur, cui fit confeſſio. Pſal. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. Quod mendacium quàm periculoſum ſit patere poteſt ex eo quod legitur Act. 5. ubi ait Petrus Ananiæ, *cur tentavit ſathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et ſubditur: *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit.*

10. *Nuda.* *Decimo* debet eſſe nuda, unde reprehenſibiles videntur eſſe illi, qui ſic confitentur de peccato carnis. *Ego habui familiaritatem cum mulieribus*, dicere enim deberent, *ego peccavi*, &c. Job 7. *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei.*

11. *Fidelis duplicter.* *Undecimo* debet eſſe fidelis, ut habeat fidem de virtute illius ſacramenti, & ut in ſpe veniæ confiteatur. Bern. quidquid remordet conſcientiam confiteri debet humiliter, & purè, & fideliter.

12. *Integra, non diviſa apud plures Confeſſarios.* *Duodecimo* debet eſſe *integra*, ut uni omnia confiteantur. Qui enim uni partem confitetur & partem alii, ut bonus videatur, veniam non conſequetur. Auguſt. loquens de pœnitente. Caveat ne ductus verecundia dividat apud ſe confeſſionem, ut diverſa diverſis ſacerdotibus velit manifeſtare. quidam enim uni celant quæ manifeſtanda alii conſervant, quod eſt laudare ſe & ad Hypochriſin tendere, & ſemper venia carere: ad integrum putant ſe per fruſta pervenire.

13. *Obediens.* *Tertio decimo* debet eſſe *obedire parata*. Auguſt. ponat ſe omnino pœnitens in judicio ſacerdotis, nihil retinens ſibi, ut omnia eo jubente paratus ſit facere pro recipienda vita animæ, quæcunque faceret pro evitanda morte corporis: & hoc cum deſiderio, quia per hoc vitam recuperat infinitam, & erit ut Deus. *Qui hîc peccent.* Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quod faceret pro differenda morte moriturus. Cujus contrarium in multis invenitur. Multi enim ſi haberent febrem acutam, quindecim diebus abſtinerent à vino continuè ad conſilium medici, qui una die nolunt ab eo abſtinere ad conſilium ſacerdotis. Item mulier, quæ ad conſilium medici ſe faceret abradi etiam à crinibus propriis, ad conſilium ſacerdotis non vult abſtinere, quin ornet ſe crinibus alienis. Ponat ergo ſe pœnitens omninò in judicio diſcreti ſacerdotis, ut valeat recuperare vitam animæ in præſenti, & in futuro vivat in ſecula ſæculorum. Amen.

Finis ſermonum Primæ Partis.

DOMINICA PRIMA IN ADVENTU DOMINI.

PARS SECUNDA.

SERMO PRIMUS.

Thema explicatur & docetur cur, cui & quid hoc tempore ſit concionandum. V. afferuntur cauſæ, cur adventum Christi in carnem Eccleſia repræſentet hoc tempore.

SERMO I.

Dicite filiæ Sion ecce rex tuus venit tibi manſuetus &c. *Matth.* 21.

Themate hoc concionatoribus tria mandantur. IN verbis iſtis habent prædicatores mandatum à ſpiritu ſancto *ut loquantur*, & *cui* & *quid loquantur*. Ad *primum* pertinet illud (*Dicite*) ſecundum Gloſſam. Interim ſubintelligitur (*prædicatores*) Ad *ſecundum* pertinet illud, (*filiæ Sion.*) Ad *tertium* illud (*ecce rex tuus*) &c. *Cur conciones habendæ ſint & audiendæ.* Propter dictum mandatum non eſt tutum prædicatoribus hodie à prædicatione ceſſare. Unde conſuetudo eccleſiæ ferè ubique eſt, ut hodie prædicetur Iſa. 6. *Væ mihi quia tacui.* 1. Corinth 9. *Væ enim mihi eſt ſi non evangelizavero.* Ezech. 3. *Sanguinem ejus de manu tua requiram* Hodie etiam debent fideles libenter prædicationem audire, ſpiritus enim qui voluit prædicatores loqui, voluit alios audire, cùm idem ſpiritus dicat. Eccleſiaſtici 32. *Ubi non eſt auditus, non effundas ſermonem.* *Præcones adventus Regis cœleſtis ſunt concionatores.* Adventum illorum qui magni ſunt ſecundum ſeculum prævenire ſolet aliquis viam præparans: ſic adventum ſalvatoris prævenire debet ſermo Dei, velut nuncius viam præparans. Unde ſuper illud Matth. 3. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus* dicit Gloſſa. Via domini ad cor diligitur, cùm ſermo ejus diligenter auditur.

Cui verò prædicatores loqui debeant, oſtenditur cum ſubditur, *filiæ Sion*. Et *notandum* quòd Sion mons eſt, in quo erat turris David defendens civitatem Hieruſalem, ſicut mater filiam protegit, unde filia Sion dicebatur civitas Hieruſalem. *Hieruſalem cur filia Siõ dicatur.* Hîc verò filiam Sion intelligamus militantem eccleſiam, quæ filia eſt triumphantis eccleſiæ, eam imitando, & defenſionem ab ea ſuſcipiendo, cui ſignificationi benè congruit interpretatio hujus nominis Sion, interpretatur enim ſpeculum vel ſpecula. *Significat Eccleſiam militantẽ, & Sion militantem.* Speculum eſt triumphans eccleſiæ militantis, ratione *exempli* Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* A ſanctis debet eccleſia exemplum accipere, non ab hominibus coram Deo mortuis. Exod. 3. *Solve calceamentum de pedibus tuis* &c. Simile Joſuæ 5. Specula verò eſt ratione *præſidii*, defendit enim eccleſia triumphans militantem, ut filiam, ſi tamen illa non degeneret. Et *notandum* quod aliquando villa quæ ex ſe debilis eſt, fortis eſt ratione caſtri, quod ſuper eam eſt, à quo defenditur, ſi tamen gratiam eorum habeat qui in caſtro ſunt; ſi vero inimici ejus ſunt, tunc undique ei timendum eſt: ſic licet eccleſia militans ex ſe

debilis videatur, tamen valdè fortis eſt, ſi gratiam habuerit triumphantis. Si verò offenſa eſt triumphans Eccleſia à militante, multum ei timendum eſt. Unde Judith 5. *Si eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, aſcendamus ad eos, quoniam tradens tradet eos Deus eorum tibi; & ſubjugati erunt ſub jugo potentiæ tuæ. Si vero non eſt offenſio hujus populi coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos.* Utinam agnoſcant fideles quod Achior dux filiorum Ammon infidelis dixit Holoferni. Militans Eccleſia multùm deberet captare gratiam triumphantis, exhibendo reverentiam locis ſacris, temporibus ſacris, legi Dei, Miniſtris ejus, pauperibus ſubveniendo: quod enim eis fit, Deus reputat ſibi fieri. Matth. 25. *Quandiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Econtrario verò à pluribus triumphans Eccleſia in his omnibus offenditur.

Gratia Eccleſiæ triũphãtis quomodo capetur.

Poſſumus etiam per filiam Sion ſpiritualiter humiles intelligere, erat enim civitas Hieruſalem, quæ dicebatur filia Sion in valle. Filiæ ergo Sion dicitur: *ecce rex tuus venit tibi*, quia humilibus ſpecialiter Salvator venit. Humiles ſpecialiter humili regi dati ſunt, unde ſuper illud Joann. 6. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*, dicit Interlinearis, datus eſt tantum humilibus. Gloſſa. Ibidem. De tumentibus perit, ſed de puſillis nihil. Matth. 18. *Non eſt voluntas ante patrem veſtrum, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Pſal. 17. *Tu populum humilem ſalvum facies.* Diabolus rex eſt ſuperborum. Job 41. Ipſe eſt rex humilium. Greg. 34. Moral. Evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, humilitas verò electorum. Cùm ergo quam quiſque habeat cognoſcitur, ſub quo rege militet invenitur. Unuſquiſque quaſi quendam titulum portat operis, quo facilè oſtendit ſub cujus ſerviat poteſtate rectoris. Illos, qui erant in monte ſuperbiæ tumentes de altitudine potentiæ vel ſapientiæ, Chriſtus dimiſit inanes, Bernardus ad fratres de monte Dei. Sinite ſapientes hujus ſæculi de ſpiritu hujus mundi tumentes, alta ſapientes, & terram lingentes, ſapienter deſcendere in infernum. Quid loqui debeant prædicatores oſtenditur, cùm ſubditur: *Ecce rex tuus venit tibi.* Et *notandum*, cùm ſacra ſcriptura diſtinguat adventum Salvatoris, ſcilicet adventum in carnem, in mentem, & ad judicium; vel particulare, quod eſt in morte uniuſcujuſque; vel generale, quod erit in fine mundi. In primo adventu venit Salvator ad nos ſecundùm Eccleſiæ repræſentationem, in aliis verò duobus ſecundùm veritatem. Et primò de repræſentatione primi adventùs proſequamur.

Filia Sion, anima humilis.

Salvator ſpecialiter venit ad humiles non ad ſuperbos.

Superbia reproborũ, Humilitas electorum eſt ſignum.

Adventus Salvatoris eſt triplex.

Notandum ergo, quòd hæc repræſentatio fit in Eccleſia multis de cauſis. *Primo* ut per eam à ſomno pigritiæ excitemur. Ad quod pertinet, quod dicitur in Epiſtola; *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Et verè hora eſt. Quis enim non debeat excitari ad operandum ſalutem propriam, cùm audit Dei potentiam excitari ad operandum eam. *Excita potentiam tuam Domine & veni*, dicit Eccleſia. Quis non debeat accipere ſaccum pœnitentiæ, cum attendit regem ſuum ſacco indutum? Jonæ 3. *Surrexit rex de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe: & indutus eſt ſacco.* Et hoc dicitur de rege Ninivæ. Sic filius Dei ſaccum noſtræ carnis ſuſcepit, in quo pœnitentiam ageret. Auguſtin. ſuper Pſalterium. Filius Dei non habebat ubi flagellaretur, ad hoc carne indutus eſt, ut ſine flagello non eſſet. Exemplo ergo ejus fideles excitari debent ad pœnitentiam. Hierem. 6. *Accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum unigeniti fac tibi. Secundo* ut de miſericordia ſalvatoris multùm confidamus, attendentes quia caro & frater noſter eſt. Bernard. Puto quod me jam ſpernere non poterit Chriſtus, os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Cùm per primum adventum jam nobiſcum ſit Deus, ſecundùm illud Iſa. 7. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, & per ſecundum adventum in nobis ſit Deus ſecundum illud Joan. 14. *Manſionem apud eum faciemus.* Et ibidem. *Vos cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, meritò ſperare poſſumus quòd in tertio adventu pro nobis erit Deus. Roman. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Tertio* ut de tanto beneficio gaudentes vana mundi gaudia reſpuamus. Unde Zach. 9. ante illud. *Ecce rex tuus venit tibi*, dicitur; *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem.* Pauci tamen de hoc beneficio gaudent ſecundum ejus meritum. Bern. ſuper Cantica. Ardorem deſiderij patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſimè cogitans, compingor & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lachrymas, ita pudet teporis, torporiſque miſerabilium temporum horum. Cui namque noſtrum tantum ingerat gaudium hujus gratiæ exhibitio, quantum accendit veteribus ſanctis deſideriorũ promiſſio? De vanitate hujus ſæculi gaudent hodie homines, gaudium ſpirituale non reputantes. De quorum gaudio dicit Aug. Quid eſt ſæculi gaudium, breviter dico. Sæculi lætitia eſt impunita nequitia, ſcilicet luxuriari, in ſpectaculis nugari, ebrioſitate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati. *Quarto* ut magnitudinẽ beneficij conſiderantes, benefactori grati eſſe ſtudeamus & affectu & effectu. Affectu eum ardenter amando, quia ſecundum Bern. Super miſſus eſt: in hoc loco non prædicatur magnus Dominus & laudabilis nimis, ſed factus parvulus & amabilis nimis. Effectu, ei devotè obediendo & ſerviendo, veriſſima enim Domini recognitio eſt obedientia. Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico. Quinto* ut ex honore nobis à Deo exhibito dignitatem humanæ naturæ penſantes, eam inhonorare timeamus. Bern. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti, in qua ſi gloriari voluerit non erit inſipiens. Non quòd aliquid eſſe videatur tanquam à ſeipſo, ſed quia tanti eum fecerit ipſe, qui fecit omnes. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, vel quidquid in eo concupiſcitur, minus eſt ad hanc gloriam, immo nec eſt aliquid in ejus comparatione.

Adventum Chriſti in carnem repræſentat Eccleſia. 1.

Adventus 1. & 2. auferunt timorẽ tertii adventus.

Sæculi gaudium quale ſit.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Ex verbis thematis occaſione deſumpta quatuor traduntur, quæ præparationi ad triplicem Domini adventum valde accommoda ſunt.

Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mãſuetus.

SERMO II. Ex verbis thematis 4. docentur de triplici adventu Domini.

IN his verbis quæ Spiritus ſanctus per Zachariam dixit, & per Matthæum ad memoriam reduxit, voluit idem ſpiritus ut quatuor oſtenderentur fidelibus circa adventum Salvatoris, ſcilicet advenientis, *propinquitas* in hoc, quod dicitur, *ecce*: ejuſdem *ſublimitas* in hoc, quod dicitur, *rex*: adventus *utilitas* in hoc, quod dicitur, *venit tibi*: advenientis *manſuetudo* in hoc, quod dicitur, *manſuetus*. Propinquitatem oſtendere voluit, ut occurrere ei non differamus. Sublimitatem verò, ut ſecundùm eam apparatum ei faciamus. Utilitatem ut caveamus culpam per quam ea privari poſſemus. Manſuetudinem verò, ne terreri à facie ejus nos abſcondamus vel fugiamus.

Circa *primum* notandum quod adventus Salvatoris in carnem ſecundum repræſentationem Eccleſiæ propinquus eſt. Tempus enim deputatum præparationi ſolennitatis natalis, vix eſt medietas temporis deputati

I. Propinquitas horum trium adventuum.

deputati præparationi ſolénitatis paſchæ, ideò nec dilationi nec negligentiæ locus debet eſſe. Unde in epiſtola legitur. *Dies appropinquavit*, ideſt, in proximo eſt dies, inquam, natalis, quem fecit verus ſol, naſcens in mundo iſto. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum* &c. Adventus quoque ſalvatoris in mentem propinquus eſt, habet enim fides eccleſiæ quòd ſpiritualiter venturus ſit in ſolennitate natalis ad eos, qui fuerint præparati. Præterea ipſe ſtat ad oſtium cordis & pulſat, paratus intrare, Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo* &c. Adventus etiam ad judicium particulare vel generale eſt propè. Johel. 3. Citò velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum. Jacob. 5. *Iudex ante januam exiſtit*, vel *aſſiſtit*. Apoc. 3. *Ecce venio tibi cito*, ſi dominus moraturus eſſet per mille annos, tamen reſpectu præmii futuri vel pœnæ eſſet quaſi una hora, juxta illud. Pſal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, quaſi dies heſterna quæ præteriit*. Matth. 24. *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet dominus ſervi illius in die, qua non ſperat.* Quandoque eſt mors propinquior homini, quàm ipſe credat, ut patet in illo divite. Luc. 12. qui dicebat: *anima mea multa bona habes, poſita in annos plurimos*. Cui dictum eſt. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Non eſt ergo differendum occurrere ſalvatori venienti. De hoc occurſu dicit Bern. Non oportet te homo maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt, non grandis, inquam, tibi oſtenditur via, uſque ad temetipſú occurre Deo tuo. Deinde ſubdit: uſque ad cordis compunctionem & oris confeſſionem occurre, ut ſaltem exeas de ſterquilinio miſeræ conſcientiæ, quoniam indignum eſt illud auctorem puritatis intrare.

Quali præparatione ei ſit occurrendum.

In adventu 1. Quantum ad *primum* adventum occurrendum eſt ei, de tanto beneficio *gaudendo* & *gratias agendo*.

In 2. Quantum ad adventum *in mentem* occurrendum eſt ei *orando*. Sicut enim in primo adventu non venit niſi multú deſideratus, ita nec in adventu ſpirituali. Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus*. *Item* verbum Dei audiendo. Numeri 11. *Cum deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat & Man.* In Pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*. Deſcendente pluviâ doctrinæ exteriùs, deſcendit Deus interiùs. *Item* de Deo ſincerè meditando, animo ſcilicet à terrenis ſolicitudinibus & affectionibus expedito & ad Deum ſuſpenſo. Bern. Nunquam unctio cum venerit inveniet imperatos, ſed ſemper vultus ſuſpenſos expanſoſque habentes ſinus ad largam Dei benedictionem.

In 3. Quantum ad adventum *ad judicium* occurendum eſt ei in *veritate & miſericordia*. Hæ enim ſunt viæ per quas venit. Pſal 24. *Univerſa via domini miſericordia & veritas, præcedent faciem tuam*. Pſal. 88. Securus erit in futuro judicio, qui hic verè ſe judicaverit. Pſal. 118. *Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me*. 1. Corinth. 11. *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique dijudicaremur*. *Item*, miſericordiam conſequetur in futuro, qui hîc miſericors extiterit Matth. 5. *Beati miſericordes* &c. De operibus miſericordiæ fiet diſceptatio in judicio, ut habetur Matth. 25. Et, *Iudicium erit illi ſine miſericordia, qui non fecerit miſericordiam*, Jacobi 2.

II. Sublimitas ſeu gloria Chriſti venientis.

Circa *ſecundum* notandum, quod ille qui advenit, rex gloriæ eſt. Pſal. 23. *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ*. Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ* &c. Immo eſt ipſa gloria Dei patris. Prov. 10. Secundum aliam litteram: *Gloria patris filius ſapiens*, quanto magis ille, qui eſt ſapientia Patris? Mira gloria Dei patris eſt habere filiú ſummæ bonitatis, ſummæ ſapientiæ, ſibi æqualem & coæternum, De hac gloria legitur Iſa. 40. *Revelabitur gloria Domini*. Lucæ 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Illi ergo, qui eſt gloria Dei patris, glorioſus apparatus eſt faciendus, ut ſcilicet *locus gloriæ* ei provideatur, & *veſtes gloriæ* aſſumantur, & *delitiæ glorioſæ* præparentur: hæc enim tria facere ſolemus, cum aliquam perſonam honorabilem in hoſpitio noſtro ſuſcipimus.

Apparatus glorioſus ei faciendus tribus modis.

1. Loco glorioſo, qui eſt cor hominis.

De *primo* David dicit Pſal. 25. qui fuit vir ſecundùm cor Dei. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ* Nec oportet Deo quærere locum glorioſiorem corde humano, ſi fuerit debito modo præparatum. Seneca in epiſtolis. Scitote tam bene culmo quàm auro homines tegi. Contemnite omnia quæ ſupervacuus labor velut ornamentum & decus ponit. Cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil eſt magnum, ſine comparatione majus eſt cor humanum mundo, cum ſit capax Dei cui mundus comparatus eſt quaſi gutta roris. Sapientiæ 11. *Quaſi gutta roris antelucani, ſic eſt ante te orbis terrarum*. Cor humanum palatium eſt regium, ſi tamen debito modo ibi conſulatur, imperetur & pareatur. Immo etiam regnum eſt, nec qualecunque regnum, ſed regnum cœlorum. Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt*. Cœlum etiam cœlorum eſt, cujus habitatio Deo valde grata eſt. Bernard. Nec mirum ſi libenter inhabitat cœlum hoc Dominus Jeſus, quod non quomodo cæteris dixit tantùm ut fieret, ſed pugnavit ut adquireret, occubuit ut redimeret; & poſt laborem voto potitus ait, hæc requies mea. Prover. 8. *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum* Iſte locus eſt debito modo paratus: ſi ſit paratus ut dictat pars ſuprema animæ, ſecundum quam ſpecialiter attenditur ſimilitudo ad Deum, quæ pars ſemper malo remurmurat. Et tunc eſt anima locus gloriæ, cùm ſic eſt parata ſecundùm illud 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Tunc eſt pax vera in anima, in qua pace factus eſt locus Dei: ſine hac pace eſt anima velut domus perſtillans, in qua non eſt quies. Prov. 27. Tecta perſtillantia & litigioſa mulier comparantur.

Quomodo ſit debite præparatus hic locus.

2. Veſtimentis gloriæ.

Ad aſſumendas *veſtes gloriæ* monemur Iſa. 52. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem civitas ſancti*. Veſtes gloriæ dicuntur veſtes ſpirituales, ad differentiam corporalium, quæ ſunt veſtes ignominiæ. Bernard. Qui gloriatur de veſte, ſimilis eſt furi qui gloriatur de cauterio, quia propter peccatum Adæ introductus eſt uſus veſtium. De veſtibus ſpiritualibus vide in 13. ſermone Epiſtolarum, *Dominus prope eſt*.

3. Delitiis glorioſis laude divina ſcilicet, quali.

Delitiæ glorioſæ quibus Dominus paſcendus eſt, ſunt ejus laudes. Pſalm. 49 *Nunquid manducabo carnes taurorum, & immola Deo ſacrificium laudis*, &c. Hæ delitiæ rectè dicuntur delitiæ glorioſæ, cùm ſcriptum ſit. Pſal. eod. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Honorificatio verò iſta non debet eſſe oris ſolùm, ſed etiam cordis & corporis. 1. Corinth 6. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro*. Quidam labiis Deum glorificant, & corpore & opere Deum blaſphemant. Iſa. 29. *Populus hic labiis me glorificat, cor autem ejus longe eſt à me*. 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, &c. Gloſ. Si modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, quantaſcunque laudes lingua ſonet, vita blaſphemat.

III. Adventus Domini. Peccato ut impediatur.

Circa *tertium* notandum, quod illi qui hoc ſacro tempore à peccato non cavent, Salvatorem advenientem quaſi manibus à ſe repellunt, dum immunditia operum ſuorum adventum illius ad ſe impediunt. Murum etiam faciunt inter ſe & Salvatorem, dum peccatum peccato addunt. Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*. Tales multùm dolere poſſent & deberent,

Quàm id dolendum.

habent enim multiplicem materiam doloris. *Pri-*
ma eſt, quòd ille qui aliorum eſt ſalvator, illorum
eſt damnator. Alij poſſunt dicere: *Salvatorem ex-*
pectamus. Philip. 3. Ipſi verò dicere poſſunt, dam-
natorem expectamus. Si duo ſunt in carcere uno,
quorũ alter probabiliter ſperet ſe liberandum, cùm
dominus carceris venerit, alter verò credat ſe dam-
nandum, & dicatur utrique cras dominus veniet:
ſicut unus habet materiam gaudii, ſic alter doloris.
Exemplum de in peccato mortali conſtitutis. In vitis patrum dixit abbas Zenon cuidam fratri
interroganti ſermonem aliquem, vade & fac talem
cogitationem, qualem faciunt illi, qui ſunt in
carcere. Illi enim interrogant homines, ubi eſt
judex, & quando veniet? & in expectatione pœna-
rum ſuarum plorant. ſic præcipuè facere debent
qui in peccato mortali ſunt, cum adventum Dei
audiunt. Ad augmentum etiam doloris facit,
quòd quandoque tales erant in populo, qui ſal-
vatur. Deut. penul. *Beatus es Iſrael. quis ſimilis*
tui popule, qui ſalvaris in Domino? Matth. 1. *Vo-*
cabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet
populum ſuum à peccatis eorum. Tales ſunt & mo-
nachi apoſtatæ. Boëtius in libro conſolationum.
In omni adverſitate fortunæ, infeliciſſimum gè-
nus infortunii eſt, fuiſſe felicem. *Alia* materia
doloris eſt, quòd cùm alii facturi ſint feſtum no-
bile in lætitia magna, ſicut illi cum quibus Deus
erit, ipſi facturi ſunt feſtum horribile in amaritu-
dine conſcientiæ, ſicut illi cum quibus diabolus
erit. Iſa. 7. *Vocabitur nomen ejus Emanuel*, quod
interpretatur, *nobiſcum Deus*. De malo verò di-
citur. Job. 20. *Vadent & venient ſuper eum horri-*
biles. *Alia* materia doloris eſt, cùm conſiderant
quid facturi ſint in tertio adventu, quando do-
minus venturus eſt ut judicet contumelias ſuas qui
ita malè ſe habuerunt in primo adventu & ſecun-
do. Iſa. 10. *Quid facietis in die viſitationis, & ca-*
lamitatis de longe venientis. Iſa. 30. *Nomen domi-*
ni de longinquo venit, ardens furor ejus &c.

IV. Manſuetudo veniẽtis Chriſti. Hic peccatur dupliciter.

Circa *quartum* notandum quòd aliqui à facie
ſavatoris venientis fugiunt, vel ſe abſcondunt.
Fugiunt illi, qui à prædicatione, vel aliis ubi Deũ
invenire poſſent, declinant. Prov. 28. *Fugit im-*
pius nemine perſequente. Illi verò ſe abſcondunt à
Deo, qui peccata ſua occultant illi, qui loco Dei
eſt ſicut Adam. Gen 3. *Vocem tuam audivi domi-*
ne in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, &
Remedium ne celentur peccata in Confeſſione. *abſcondi me*. Hujus verò abſconſionis occaſio ſo-
let eſſe hæc, quòd credunt ſe malos reputandos à
ſacerdote, ſi peccata enormia ei confeſſi fuerint.
Cujus contrarium potiùs credere debet ſacerdos,
cùm veriſimile ſit eum qui bene confitetur eſſe
pulchrum, peccatum verò quod confitetur, tur-
pe. Unde cùm in vera confeſſione peccata di-
mittantur, fatuum eſt aliquem credere immundum
eſſe, quòd perfectè ſe lavit in confeſſione, vel
infirmum, quia perfectè purgatus eſt, vel Dei
inimicum, quia hoſtem peſſimum Dei juſtitiæ
tradidit, ſcilicet, peccatum ſuũm, & ſe peccato-
Chriſtus quàm manſuetus rex ſit. rem judici ſpirituali condemnat. Rex manſuetus
potiùs amandus eſt, quàm timendus. Rex iſte
agnus eſt, quem petebat. Iſa. 16. *Emitte agnum*
domine dominatorem terræ. Beata virgo de leone
fecit agnum, ſicut dicitur de rhinocerote, ſive de
unicorne nulla violentiâ domabili, quòd in ſinu
Manſuetudo dominãtibus neceſſaria exemplo regis apum. virginis caput reclinans manſueſcit. Manſuetudo
eſt virtus valdè neceſſaria dominantibus. Ambr.
in hexamero: *apibus*, inquit, *rex natura clarus*
eſt & inſignis, ut magnitudine præſtet & ſpecie, &
quod in rege eſt præcipuum, morum manſuetudine,
nam etſi habeant aculeum, non utitur eo ad vindi-
candum.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Nominibus bonæ & malæ animæ in ſcripturâ datis, illa ad bonam vitam eruditur & hæc à mala absterretur.

Dicite filiæ Sion &c. SERMO III.

NOtandum quòd anima bona *quatuor* vocatur I.
nominibus, quibus in eis quæ ſibi agenda ſunt
Quatuor nomina animę bonę quibus ad bonam vitam inſtruitur.
inſtruitur. Vocatur enim *filia principis*, *filia Sion*,
filia Iuda, *filia Hieruſalem*. De *primo* Can. 7. *Quã*
pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia princi-
pis. Greſſus, id eſt, progreſſus & profectus animæ,
quæ filia eſt cæleſtis principis, valdè pulchri ſunt
Deo & angelis ejus, quæ fiunt ad exempla ſancto- 1.
rum, quæ per calceamenta intelliguntur. Et hoc
eſt primum neceſſarium animæ, ut ſcilicet nobili-
tatem ſuam intelligat, ut cum nobilitate generis
contra morum ignobilitatem certet. Aliter vivit fi-
lius nobilis, aliter filius ignobilis: aliter etiam vi-
vit agnus, aliter lupi catulus, unde & in homini-
bus & in brutis animalibus variatur modus vivendi
ſecundùm varietatem generis. De *ſecundo* & *quarto* 2.
habetur Zach. 9. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia*
Hieruſalem. In hoc nomine, *filia Sion*, oſtenditur
animæ ſecundum quod ei faciendum eſt. In ſpecu-
lo enim ſacræ ſcripturæ, faciem ſuam debet reſpice-
re, ut videat an ſint in ea ſordes quæ cœleſti ſponſò
diſpliceant. Speculum illud ſignificatum eſt Exod
38. in ſpeculis, quæ poſita fuerunt in lavatorio ſeu
labro æneo, propter hoc, quòd anima faciem ſuam
debeat videre in ſpeculo ſcripturæ, dicitur Can. 5.
Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivos aquarum quæ
lacte ſunt lotæ. Columba ſedet ſuper aquas, in qui-
bus videat umbram accipitris, & caveat ſibi ab
eo. Sic anima in aquis ſcripturæ debet videre um-
bram accipitris infernalis, peccatum ſcilicet quod
eſt ſimilitudo diaboli, ut ſibi ab eo caveat. De
tertio Dan. 13. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, ſed filia* 3.
Iuda non ſuſtinuit iniquitatem veſtram. Non poteſt
nobilis animus diu ſuſtinere immunditiam iniqui-
tatis. In hoc nomine Juda intelligitur tertium,
quod animæ agendum eſt. Sordes enim quas in
ſpeculo ſcripturæ videt, per confeſſionem lavare
debet. Can. 2. *Oſtende mihi faciem tuam*, & ſub-
ditur: *ſonet vox tua in auribus meis*; vox, inquam,
confeſſionis. Prov. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua*
non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit & reli-
querit ea, miſericordiam conſequetur De *quarto* 4.
debet anima pacem pectoris, & deſiderare pacem
æternitatis, quod oſtenditur, cùm filia Hieruſa-
lem vocatur. Hieruſalem enim interpretatur pa-
cifica, vel viſio pacis. De pace require in titulo
de beatitudinibus.

E contrario anima peccatrix quatuor nominibus II.
vocatur: ſcilicet *filia latronis*, *filia Edom*, *filia Ba-*
Quatuor nomina animæ peccatricis, ipſius miſeriã declarãtia.
bylonis, *filia Belial*. De *primo* Michæ 5. *Nunc va-*
ſtaberis filia latronis. Filia latronis eſt anima illa
quæ imitatur illum magnum latronem infernali
ſuſpendio jam damnatum, quæ etiam in ſtatu tali 1.
eſt, in quali latro, jam funem habens in collo, quo
ſuſpendetur. Væ illi animæ, quæ potius elegit eſ-
ſe filia latronis, quam principis. *Filia Edom* eſt il- 2.
la anima quæ ſanguine peccati inquinata eſt, Edom
enim interpretatur sãguineus vel terreneus. Thren.
4. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in ter-*
ra Huſ. ad te quoque perveniet calix; de quo Pſal.
10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ſpiritus procella-*
rum pars calicis eorum. Ironicè loquitur dicẽs *gau-*
de. Quæ non vult eſſe filia Sion, meritò efficitur fi-
lia Edõ. Anima enim quæ in ſpeculo ſcripturæ ſor-
des ſuas non aſpicit, eas non abluit. *Filia* etiam 3.

Babylonis

Babylonis vel confuſionis eſt anima peccatrix; quæ non vult eſſe filia confeſſionis. Nahum. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Jerem. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.* Qui timent hic confundi coram Sacerdote, qui peccator eſt, confundentur in futuro coram toto mundo. Eccleſiaſtici 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum, eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Pſalm. 36. *Filia Babylonis miſera.* Anima etiam peccatrix, *filia Belial* dicitur. 1 Reg. 1. *Ne reputes ancillam tuam, quaſi unam de filiabus Belial.* Belial enim interpretatur, *abſque jugo*, abſque ſuavi jugo Chriſti vult eſſe anima peccatrix, ſine quo jugo pax peccatoris vel requies non invenitur. Matth. 11. *Tollite jugum meum ſuper vos.* Et ſubditur: *& invenietis requiem animabus veſtris.* Auguſtinus ad Heremitas Jugum Chriſti ſuave eſt, qui enim huic jugo ſubjectus eſt, cætera ei ſubjecta ſunt, & nihil ei repugnat. Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Econtrario. *Non eſt pax impiis dicit Dominus.* Iſa 57. Item Pſalm. 13. *Contritio & infælicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.*

Peccata in confeſſione cur celanda non ſint.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

Sicut Iudæi Chriſtum in carne venientem malè receperunt, ita nunc Chriſtianos ad adventum Chriſti in mentem & ad judicium malè ſe parare; quique Chriſti adventum in carnem deſideraverint ex Antiphonis ſapientialibus, ut vocant, demonſtratur. Tres etiam præparationes ad adventum Dei in mentem afferuntur, &c. quæ ejus deſiderium in peccatore excitare debeant.

SERMO IV.

Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus tibi venit.

Fideles veteris & novæ legis adventus 3. Chriſti expectarunt, ſed utrique malè ad illos ſe habuerunt.

ANtiqui fideles fuerunt diu in expectatione Salvatoris eis promiſſi. Iſa. 8. *Expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob.* Et Luc. 2. dicitur de Simeone, quod erat expectans cõſolationem Iſraël. Moderni etiam fideles ſunt in expectatione Salvatoris juxta mandatum ipſius. Luc. 12. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* Phil 3. *Salvatorem expectamus.* Antiqui expectabant adventum in carnem. Moderni expectant adventum in mentem, vel ad judicium. Mandavit Spiritus ſanctus per Zachariam Prophetam ut expectantibus adventum in carnem, nunciaretur illius adventus propinquitas. Item etiam ſpiritus vult ut expectantibus adventum in mentem, vel ad judicium, per Prædicatores annuncietur illorum adventuum propinquitas. Sed timendum eſt, ne tantum ad multos accidat de his adventibus, ſicut de primo accidit. Prænunciatus erat Judæis adventus ille à multis, & longè ante, & multi petierant eum, & tamen receperunt valde male venientem in Bethlehem, in qua natus eſt: adeò enim plena fuit, quod non fuit ei locus, niſi in diverſorio. Sic multi tempore adventus adeò ſe occupant circa tranſitoria, quod non invenit Salvator locum in eis, ubi recipiatur. Quantùm verò diſplicuerit Salvatori quòd eum recipere noluerint, oſtendit ipſe Lucæ 19. dicens civitati Hieruſalem. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Simile accidit de adventu ad judicium. Licet enim multùm moneat homines Salvator in Evangelio, ut ſint parati ad illum. Lucæ 12. *Et vos eſtote parati*, &c. & Matt. 24. Tamen ipſi negligunt parare ſe, ideò *cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* 1. Theſ. 5.

Et notandum quòd *tria* ſpecialiter præparant homines quantum ad adventum Salvatoris in mentem, ſcilicet *puritas, magnitudo deſiderij, & humilitas.* *Puritas* præparat, quia ille qui venturus eſt, candor eſt lucis æternæ: & candidam oportet eſſe animam, in qua ipſe ſedere elegerit, juxta verbum beati David. Pſalm. 59. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* *Magnitudo* etiam *deſiderij* ad idem præparat Libentiùs declinat aliquis ad hoſpitium in quo credit adventum ſuum deſiderari. Sicut Salvator non venit in primo adventu, niſi plus quàm multum deſideratus, ſic nec in ſecundo. Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Deſiderium hoc exprimunt verba Prophetarum, ut illud. Iſa. 64. *Utinam dirumperes cælos & deſcenderes.* Et illud: *Veni ad liberandum nos*, & ſimilia Antiphonæ etiam quæ cantantur in fine adventus, quaſi clamores ſunt deſiderantium adventum Salvatoris. Deſideratus eſt Salvator à *ſuperioribus*, à *prioribus*, ab *inferioribus*, à *poſterioribus* Ad clamorem *ſuperiorum*, ideſt, Angelorum pertinet antiphona illa: *O ſapientia*, in qua via prudentiæ dicitur modus redemptionis, quo prudentia Chriſti percuſſit ſuperbum, ut legitur Job. 26. Quem modum Angeli ignorabant. Ad *priores*, ſcilicet Reges & Prophetas pertinent duæ ſequentes Antiphonæ. De quibus legitur Lucæ 10. *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis.* Illa Antiphona *O Adonai*, quæ loquitur de viſione rubi, pertinet ad Prophetas. Ad Reges pertinet illa. *O radix Jeſſe.* Ad *inferiores*, ſcilicet ad illos, qui in Limbo erant vincti & in tenebris, pertinent illæ duæ. *O Clavis David* & *O oriens.* Ad *poſteriores* ſcilicet ad gentes & Judæos pertinent illæ *O rex gentium O Emmanuel.* Cauſa deſiderij in antiquis fuit *duplex*: ſcilicet periculoſus ſtatus in quo erant, quia omnes deſcendebant ad infernum. In tali ſtatu erant, in quali ille, qui ducitur ad patibulum, & deſiderat adventum Domini ſui qui eum liberet. Hieron. Quis miſerior homine, qui æterno mortis terrore proſtratus, ad hoc tantùm ſenſum acceperat, ut periret? *Alia* cauſa erat abundantia gratiæ in adventu Chriſti promiſſa. Videntes gravari ſe in curia juſtitiæ appellabant ad curiam miſericordiæ. Eccleſiaſtici 36. *Speciosa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis.*

Tres præparationes ad Chriſti adventum in mentem.
1. Sap. 7.
2.
Deſiderium adventus Domini in carnem ex duobus patet.
Antiphonæ O, ol. adventus quatuor genera hunc adventum deſiderantium.
1.
2.
3.
4.
Cauſæ duæ huius deſiderii veterum.

De deſiderio ſecundi adventûs *notandum* eſt, quod *ſeptem* ſunt, quæ ſi cogitentur, valent ad hoc, ut ille qui per mortale peccatum Deum deſeruit, ejus adventum deſideret. *Primum* eſt ut cogitet quem reliquit, ſiquidem *patrem* ſuum, negavit *Dominum* ſuum, receſſit à *liberatore* ſuo. De *primo* Deuteron. 32. *Deum, qui te genuit dereliquiſti*, &c. Naturalis eſt amor filij in patrem, & naturalis dolor de ejus offenſa. Præcipuè verò dolendum eſt de offenſa patris cœleſtis. Aug. Amandus eſt genitor, ſed præponendus eſt creator. Opprobrium magnum eſt *etiam* Dominum ſuum negare, & maximè illum Dominum, à quo omnia bona tenet, de quibus bonis victum habet & veſtitum. Diabolus non habet feſtucam de ſuo quam poſſit homini dare, *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus.* Pſal. 23. Joſuæ 22. *Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedamus à Domino*, &c. Multùm *etiam* dolere debet qui ſe receſſiſſe videt ab eo, qui morte propria à morte æterna eum liberavit. Eccleſiaſtici 29. *Ingratus ſenſu dereliquit liberãtem ſe.* Refertur leonem, quem quidam miles à ſerpente liberavit, adhæſiſſe liberatori ſuo. Econtra multi relictò Chriſto adhærent ſerpenti infernali. Judic. 12. *Erui vos de manu eorum, & tamen reliquiſtis me.* *Secundum* eſt ut

Septem excitant in peccatore deſiderium adventus Chriſti in mentem.
1. Cogitare quem amiſerit peccator.
1. Patrem.
2. Dominum.
3. Liberatorem.

cogitet cauſam quare reliquit Deũ. Hier. 2. *Quid*
invenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elon-
gaverunt à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, &
vani facti ſunt. Daniel 3. *Peccavimus & inique egi-*
mus recedentes à te. *Tertium* eſt ut cogitet quid cũ
eo reliquerit, quia omnẽ bonum. Oſeæ 8. *Projecit*
Iſrael bonum. Luc. 10. Ille qui incidit in latrones di-
ſpoliatus fuit, & filius prodigus bona ſua diſſipavit
ejuſd 15. Aug Tale bonum eſt Deus, ut nemini
deſerenti eum bene ſit. Quid erit bonum peccanti
mortaliter, ex quo ipſe malus eſt ſibi, ſeipſum oc-
cidendo Sap. 16. *Homo per malitiam occidit ani-*
Triplex bonum amittit peccator. *mam ſuam.* *Triplex bonum* amittit qui Deum de-
ſerit, ſcilicet *honeſtum*, *delectabile*, *expediens* De
primo dicit Sapiens. Apud ſapientes ſunt honeſta,
1. apud vulgus verò ſimulachra rerum honeſtatum.
2. De *ſecundo* habetur Hieremiæ 2. *Me dereliquerunt*
fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipa-
tas, quæ continere non valent aquas. Hæ ciſternæ
ſunt creaturæ, in quibus non invenitur perſeve-
rans jucunditas. Hierem. 17. *Dereliquerunt venam*
Voluptates quid ſint. *aquarum viventium*, *dominum* Aqua voluptatis
eſt quaſi aqua mortua & corrupta Seneca. Volup-
tates non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles, & ſi non
nocent, fugiunt. Potiùs aliquid manſurum circum-
ſpice. Sola virtus gaudium præſtat perpetuum &
3. ſecurum. De *bono expedienti* patet, quod amittitur
ab eo, qui peccat, quia ſecundùm Senecam nihil
eſt homini bonum ſine ſe bono. Eccleſiaſtici 13. *Bo-*
na eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia.
Quomodo bona eſt ſubſtantia illi, cui eſt materia
infirmitatis ad mortem? cui etiam eſt ad augmen-
tum ingratitudinis, & per conſequens damnatio-
4. nis. *Quartum* eſt ut cogitet cui adhæſerit. Joan. 6.
dixit Petrus Domino: Domine ad quem ibimus?
Gregorius. Stultum eſt ſervire diabolo offenſo, qui
nullo placatur obſequio. Bernar. in perſona Domi-
ni. Quid cauſæ eſt quod inimico meo, veſtroque
5. potiùs ſervire vultis, quam mihi? *Quintum* eſt
ut cogitet quid diabolo adhærendo invenit, quia
omnem miſeriam. Oſeæ. 7. *Væ eis quoniam receſſe-*
runt à me. Ejuſdem 9. *Væ eis cum receſſero ab eis.*
Eccleſiaſtici 41. *Væ vobis viri impii, qui dereliqui-*
ſtis legem Dei altiſſimi. Hierem. 2. *Scito & vide quia*
malum & amarum eſt, reliquiſſe te dominum Deum
tuum. Non eſt ſine miſeria quem vermis conſcien-
tiæ mordet, qui in ſpinis vitiorum jacet, qui con-
tinuè ſuper ſe onus diaboli habet, maledictus enim
eſt & infelix. Hierem. 17. *Domine omnes qui te de-*
6. *relinquunt confundentur.* *Sextum* eſt ut cogitet
quod niſi adveniat Deus, non recedet diabolus.
Pſal. 14. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus*
7. *malignus.* *Septimum* eſt quòd non poteſt homo ve-
nire ad Deum per gloriam, niſi Deus adveniat per
gratiam. Murus à ſolo Deo diſſolubilis eſt inter ip-
ſos, peccatum ſcilicet. Iſa. 59. *Iniquitates veſtræ di-*
viſerunt inter vos & Deum veſtrum. Oſeæ 13. *Per-*
ditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.
3. Humilitas multùm præparat ad adventum ſalva-
toris in mentem: *humilibus* enim *Deus dat gra-*
tiam. Jacobi 4. & 1. Petri 5. Humiles etiam con-
ſolatur Deus. 2. ad Corinth. 7. Iſa. 66. *Ad quem*
reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpi-
Humilitas D. V. quid cauſarit. *ritu, & trementem ſermones meos*. Humilitas bea-
tæ Virginis cauſa fuit ut filius Dei ad eam veniret.
Cantic. 1. *Cum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus*
mea dedit odorem ſuum.

DE EADEM.

SERMO QVINTVS.

SUMMARIUM.

Multæ rationes quare tres adventus Chriſti magni faciendi ſint

Dicite filiæ Sion ecce rex tuus venit tibi. SERMO V.

HOc tempus, tempus devotionis eſt, in quo
adventus ſalvatoris *in carnem* recolitur, ad- De tripiici advẽtu domini hoc tẽpore agitur.
ventus *ad judicium* prænunciatur, adventus *in men-*
tem expectatur. Quod Adventus in carnem magnũ
quid fuerit, apparere poteſt, ſi attendatur à quot,
& quantis, & quàm longè ante quàm fuerit, ſit I.
prænunciatus, quæ patent ex diverſis locis ſcriptu- Adventus in carnem magnitudo patet.
ræ, Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, &*
dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt.
Iſa. 55. *Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei no-* 1.
ſtri. Hier. 23. *Suſcitabo David germen juſtum* Zach.
9. *Ecce rex tuus veniet*. Item ſi attendatur quantùm
fuerit deſideratus. Iſa. 64. *Utinam dirumperes cœlos*
& deſcenderes. Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis*
gentibus. *Item* ſi attendatur quantùm fuerit quæſi-
tus. Iſa. 16. *Emitte agnum domine* &c. Ejuſdem 62. 2.
Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non
quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus.
Item ſi attendatur quantùm ad gaudendum de hoc 3.
adventu monuerit Spiritus ſanctus. Johel. 2. *Filiæ*
Sion exultate & lætamini in domino Deo veſtro, quia
dedit vobis doctorem juſtitiæ. Zach. 2 *Lauda & læta-*
re filia Sion, quia ecce venio & habitabo in medio
tui. Zach. 9. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hie-*
ruſalem. *Item* ſi attendatur quis, unde, quò & 4.
quare venerit. Ad *primum* monet Apoſtolus ad Notandum Quis.
Heb. 7. *Intuemini quantus eſt hic* &c. Bern. Primo
loco cum Apoſtolo ſtupente intueamur & nos, quã-
tus ſit iſte qui ingreditur. Ipſe enim eſt ſecundùm
Gabrielis teſtimonium altiſſimi filius, ac ideò coal-
tiſſimus. Ipſum enim non fas eſt Dei filium degene-
rem ſuſpicari. Venit autem de longè juxta verbum. Vnde.
Iſa. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Pſal. 18.
A ſummo enim cœlo egreſſio ejus. Venit autem in Quo,
carceris hujus horrorem. Cauſa autem quare vene- Quare venerit.
rit, ex parte ejus fuit magna ejus miſericordia & Triplex
charitas copioſa: in nobis verò liberatio à pœna, cauſa veniendi.
cujus propter peccatum primorum parentum debi-
tores eramus, & gratiæ abundantia. *Triplicis pœnæ* Pœna triplex veterum SS.
erant homines debitores, etiam amici Dei. *Primo*
carentia viſionis Dei, non enim poterant homines 1.
habere Dei viſionem, propter quam facti erant. Carentia viſionis Dei
Deut. 32. *Abſcondam faciem meam ab eis*. Iſa. 8. *Ex-*
pectabo dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo
Jacob. Cùm finis ſit optimum in unoquoque, viſio Quãta fuerit hæc pœna.
illa optimum hominis eſt, unde David Pſal. 26.
Faciem tuam domine requiram, & in Pſal. 79. *Qui*
regis Iſrael intende, ter ponit *oſtende faciem tuam*
&c. Hæc viſio eſt tota merces. Dicit Gloſ. ex Aug.
Super 2. ad Corinth. 12. Job 33. *Videbis faciem*
ejus in jubilo. David. Pſal. 20. *Lætificabis eum in*
gaudio cum vultu tuo. Bern. Illud eſt verum & ſum-
mum gaudium, quod non de creatura, ſed de crea-
tore concipitur; quod cùm poſſederis, nemo tol-
let à te; cui comparata omnis aliunde jucundi-
tas, mœror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt, omne
dulce amarum, omne decorum fœdum, omne po-
ſtremo, quodcunque delectare poſſit, moleſtum.
Alia pœna erat quòd clauſum erat homini cœlum 2.
Empyreum. Adam ſi fuiſſet Deo obediens, eſu
ligni vitæ ſic melioratus fuiſſet, quod nec ſenio,
nec infirmitate defeciſſet, vel deterior factus fuiſ-
ſet, & poſt ſine morte translatus fuiſſet in cœlum
Empyreum. *Tertia pœna* erat, quòd vincti erant 3.
carcere inferni. Zach. 9. *Tu quoque in ſanguine te-*
ſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu. *Abundan-*
tiam gratiæ adduxit Salvator, optimi enim eſt op- Abundantia gratiæ in novo teſtã.
tima adducere, ut dicit Dionyſius. Jam non eſt ali-
quis ſine gratia Dei, niſi per magnam negligentiam
ſuam. 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatũ habe-*
mus apud patrem Ieſum Chriſtum. Joan. 11. *Sciebam*
quia ſemper me audis. Hebr. 5. *Exauditus eſt pro ſua*
reverentia. Præter mediatorem etiam habemus

beatam Virginem & tot alios interceſſores, quod jam non poteſt durare ira domini ad homines, niſi hoc ſit per magnam culpam eorum.

II. Advẽtus ad judicium magnitudo ex ſex conſtat.

II. Quod, Adventus ad judicium prænunciatus magnum quid ſit, apparere poteſt per hoc, quod tantùm loquitur ſacra ſcriptura de illo. *Item* per ſigna terribilia, quæ illum præcedent, & per modum veniendi, veniet enim tunc cum tota triumphante Eccleſia. *Item* per hoc, quòd corpora tunc reſurgent. *Item* per illos qui ibi judicabuntur, ibi enim judicabuntur etiam maximi. Sap. 6. *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* *Item* per ea, de quibus judicabuntur. Eccleſiaſt. 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* *Item* per magna quæ ibi fient. Omnibus enim congregatis adjudicabitur regnum cœlorum, vel infernale ſuſpendium. Tunc Eccleſia conſummabitur.

III. Advẽtus in mentẽ magnitudo ex ſeptem apparet.

III. De Adventu verò in mentem quòd magnum quid ſit, non ita apparet, quia adventus ille inviſibilis eſt. Job. 9. *Si venerit ad me, non videbo eum.* *Septem* verò ſunt quibus cognoſci poteſt, quòd non modicum quid eſt adventus iſte.
1. *Primum* eſt, quòd, cùm adventus in carnem ſit ſolius filii in carne mortali apparentis, & adventus ad judicium ſit tantùm filii in carne glorioſa apparentis, adventus tamen in mentem eſt totius Trinitatis. Joan. 14. *Ad eum venicmus, & manſionem apud eum faciemus.*
2. *Secundum* eſt quod cum adventus in carnem, & adventus ad judicium communes ſint bonis & malis, adventus in mentem
3. ſpecialiter eſt bonorum. *Tertium* eſt, quòd iſte adventus non ſolum eſt ad nos, ſed etiam in nos. Joan. 16. *Vos eum cognoſcetis, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Magna ſecuritas habere Deum in ſe. David. pſalm. 22. *Si ambulavero in medio umbra mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Magnum theſaurum habet, qui Deum habet. Aug. Aurum habens in arca dives eſt, Deum habens in conſcientia dives non eſt? conjunge Deum & aurum, arcam & conſcientiam. qui Deum habet in ſe, veriſimile eſt, quòd non ſit ſine conſolatione. Apoc. 3. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, &
4. *cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* *Quartum* eſt, quòd adventus in carnem ſine adventu in mentem homini occaſionaliter eſt nocivus, quantùm ad hoc, quòd erit ei in augmentum damnationis, qui
5. tanto beneficio ingratus fuit. *Quintum* eſt, quòd adventus ad judicium eſt contra illos ad quos ſpiritualiter ſalvator non venit, unde dicent montibus: *cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſe-*
6. *dentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Apoc. 6. *Sextum* eſt quia in primo adventu venit ſalvator ad nos in cœlum rediturus. In mentem verò venit ibi manſurus, niſi immunditia operum noſtrorum quaſi propriis manibus expulerimus eum. Joan 14. *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Item ibidem: *ut maneat nobiſcum in æter-*
7. *num.* *Septimum* eſt, quòd niſi ad nos venerit, ad ipſum venire non poſſumus. Matth. 25. *Hoſpes eram & non collegiſtis me*, & præmittitur pœna: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

DOMINICA II. IN ADVENTU.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Proœmii loco duo ponuntur principia ſapientiæ divinæ II. occaſione 2. principii & Evangelii agitur de ſignis judicium univerſale præcedentibus & eorum cauſis.

SERMO VI.

Erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis &c. *Luca 21.*

Cur hoc tẽpore Sapientia ſit diſcenda.

HOc tempore recolit Eccleſia adventum ſapientiæ Dei in mundum. Unde in hoc tempore debent homines operam dare ut fiant ſapientes. Et quia multi deſiderant fieri ſapientes, ſed neſciunt à quo incipiant, res verò non poteſt priùs conſummari, quàm fuerit inchoata, volumus vobis oſtendere *duplex principium ſapientiæ*, quod in ſacra ſcriptura invenimus: *Primum* eſt *deſiderium addiſcendi*, ſive *amor ſapientiæ* *ſecundum* eſt *timor Dei.*

Sapientiæ duo principia.

1. Deſiderium diſcendæ ſapientiæ.

De *primo* legitur Sapient. 7. *Initium ſapientiæ eſt veriſſima diſciplina concupiſcentia.* Concupiſcentia ſapientiæ vera eſt, quando eſt circumſcripta omni re temporali, ſeu loco temporali, ſeu gloria. Verior eſt quando ſic concupiſcitur ſapientia, quòd labor, qui eſt in addiſcendo ſapientiam, vel diſpendium libenter toleratur. Proverb. 13. *Vult & non vult piger.* Vult lucrum, & non vult laborem. Veriſſima eſt, cùm præ divitiis temporalibus ſapientia concupiſcitur, & meritò concupiſcitur præ illis, cum melior ſit illis. Proverb. 16. *Poſſide ſapientiam, quia melior eſt auro.* Sapient. 7. *Omne aurum comparatione illius arena eſt exigua.* Hoc bene videtur intellexiſſe Salomon. 3. Regum 3. Cùm enim dixiſſet dominus ei; *Poſtula quod vis, ut dem tibi*, prætulit ſapientiam omnibus dicens: *dabis ſervo tuo cor docile* &c.

Sapientia præſtantia.

Nec mirum ſi divitias ſalutis prætulit divitiis perditionis. Iſa. 33. *Divitiæ ſalutis, ſapientia & ſcientia.* Divitiæ terrenæ dicuntur perditionis, quia & perdunt & perduntur. Bernard. Utinam tantùm congregata perirent & non congregator eorum, tolerabiliùs eſſet inſudare labori perituro, quàm perempturo. Hoc initium ſapientiæ ducit ad ſapientiæ conſummationem. Eccleſiaſtici 6. *Si dilexeris audire, ſapiens eris.* Immo ducit ad regnum cœlorum. Sapient. 6. *Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* In cæteris dimidium facti qui bene cœperit habere dicitur, ſed qui habet hoc initium ſapientiæ, apud Deum ſapiens reputatur. Antiqui idem dixerunt ſapientes & presbyteros ſeu ſapientiæ amatores.

Divitiæ.

2. Timor Dei.

De *alio principio* ſapientiæ dicitur. Proverb. 1. *Timor domini, principium ſapientiæ.* Ad quem timorem introducendum multùm valet conſideratio adventus ad judicium de quo agitur in hodierno officio, & ſpecialiter in Evangelio. In quo *Primo* ſigna præcedentia adventum judicis ponuntur. *Secundo* modus adventus exprimitur, ibi *tunc videbunt* &c. *Tertio* conſolatio bonorum ſubditur, ibi, *his autem fieri incipientibus.* Dimiſſis verò duobus ultimis, de ſignis vobis modo loquemur, & *Primo* ſigna Evangelii declarabimus, *Secundo* ſigna, quæ invenit Hieronym. in annalibus hiſtoricis Hebræorum, enumerabimus, *Tertio* quare ſigna præcedant judicium, tangemus.

In hoc Evangelio de tribus agitur, de 1 hoc & ſequente de 2. & 3. agetur 3. & 4. 5.

1. Signa 5. ante judicium ex Evangelio 1. 2. 3.

Tanguntur autem *quinque ſigna* in Evangelio hodierno. *Primum* in ſole, *ſecundum* in luna, *tertium* in ſtellis, *quartum* in terra, *quintum* in mari. *Duo prima* ſpecificantur. Johel 2. ubi dicitur. *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies domini magnus & horribilis.* De *tribus* ſimul habetur Apoc. 6. *Vidi & ecce terræ motus factus eſt magnus, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & Stellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum à vento magno movetur.* De *eiſdem* habetur. Matth. 24. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo.*

4. De *quarto* ſcilicet de preſſura in terris legitur ibidem. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi*, uſque modo, neque fiet, ſimile habetur. Daniel. 12. *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud.*

5. Signum verò *quintum* ſcilicet maris confuſionem aliqui æſtimant fore hoc; quòd

mare cum fragore magno peribit ſecundùm illud. Apoc. 21. *Et mare non eſt.* Vel confuſionem iſtam poſſumus intelligere turbationem maris novam, qualis nunquam viſa eſt. Gregorius. Confuſio maris & fluctuum nec dum nova exorta eſt, ſed cum jam multa prænunciata completa ſint, dubium non eſt, quòd ſequantur etiam pauca quæ reſtant, quia ſequentium rerum certitudo eſt præteritorum exhibitio. Hieronym. in annalibus libris Hebræorum invenit quindecim ſigna quindecim dierum ante diem judicii, ſed utrum continui futuri ſint dies illi an interpolati, non expreſſit. *Prima* die eriget ſe mare quadraginta cubitis ſuper altitudines montium, ſtans in loco ſuo quaſi murus. *Secunda* tantùm deſcendet, ut vix videri poſſit. *Tertia* marinæ belluæ apparentes ſupra mare, dabunt rugitus uſque ad cœlum. *Quarta* ardebit mare & aquæ. *Quinta* herbæ & arbores rorem dabunt ſanguineum. *Sexta* ruent ædificia. *Septima* petræ ad invicem collidentur. *Octava* generalis fiet terræ motus. *Nona* æquabitur terra. *Decima* exibunt homines de cavernis, & ibunt velut amentes, & non poterunt mutuò loqui. *Vndecima* ſurgent oſſa mortuorum & ſtabunt ſupra ſepulchra. *Duodecima* ſtellæ cadent. *Decimatertia* morientur homines tunc viventes, ut cum mortuis reſurgant. *Decimaquarta* ardebunt cœlum & terra, id eſt, ſuperficies terræ & aëris. *Decimaquinta* fiet cœlum novum & terra nova, & reſurgent omnes. Poſſunt autem aſſignari octo cauſæ, quare ſigna judicium præcedant. *Prima* ut magnum malum malis futurum annuncient. Gregorius in homilia. Quid terrores, quos cernimus, niſi iræ ſequentis præcones dixerim? Item in Homilia ſuper Evang. Lucæ 21. *Cùm audieritis prælia & ſeditiones*, &c. Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, & per crebra mala quæ prævenerunt, indicantur mala perpetua, quæ ſubſequuntur, & ſubdit. Multa debent mala præcurrere, ut malis malum valeant ſine fine nuntiare. *Secunda* cauſa eſt, quam tangit Gregorius in eadem Homilia dicens, Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, & ſubdit. Omnia quæ ad uſum vitæ accepimus, ad uſum convertimus culpæ: ſed cuncta, quæ ad uſum pravitatis inflexímus, ad uſum nobis convertuntur ultionis. *Tertiam* cauſam tangit Beda. dicens. Appropinquante ſuo termino, elementa quaſi pavida micant & tremunt. Quantum ergo erit timendum homini? *Quarta* cauſa eſt, ut creaturæ oſtendantur præparatæ eſſe ad ulciſcendum creatorem de hoſtibus ſuis. Imminente guerra, ſolet fieri armorum oſtenſio, & faciunt principes, ut ſubditi eorum armati conveniant. Sic fiet antequam Deus vindictam ſumat de inimicis ſuis. Sap. 5. *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Et ejuſdem 16. *Creatura tibi factori deſerviens, exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos.* *Quinta* cauſa tangitur à Gloſſa ſuper illud. Iſa. 24. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol.* Cernens eos, qui ejus lumine fruebantur, nihil dignum Dei bonitati feciſſe. *Sexta* cauſa eſt ut ſint incitamenta doloris. Chriſoſtom. Patrefamilias moriente domus ejus turbatur, familia plangit & nigris ſe veſtimentis induit; ſic humano genere, propter quod omnia facta ſunt, circa finem conſtituto, totus deſtruitur mundus, cœli miniſteria lugent, & candore depoſito tenebris induuntur. *Septima* eſt mundi ſenium, mundus enim ſenex infatuatus eſt, de quo Eccleſiaſtici 25. Senem verò multa circumveniunt incommoda. Gregorius. Sicut in juventute viget corpus forte, & incolume manet pectus, tortuoſa cervix, plena ſunt brachia. In annis autem ſenilibus ſtatura curvatur, cervix exſiccata deponitur, frequentibus ſpurcitiis pectus urgetur, virtus deficit loquentis, verba anhelitus intercidit. Nam etſi languor plerumque ſenibus deſit, ipſa ſua ſalus ægritudo eſt. Ita & mundus in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipſa ſua ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem moleſtiis creſcentibus urgetur. *Octava* eſt ut ab amore mundi ſeparemur. Unde Gregor. Dominus ac redemptor noſter paratos nos invenire deſiderans, ſeneſcentem mundum quæ mala ſequantur denunciat, ut nos ab ejus amore compeſcat.

Signa 15. ex S. Hieron.

Cauſæ 8. horum ſignorum. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Myſticè explicantur ſigna judicium extremum præcedentia: ſub finem tractatur de ſtatu ſeu timore Angelorum ac hominum tempore judicii.

Erunt ſigna in Sole & Luna &c. SERMO VII

IN Dominica præcedenti recoluit Eccleſia adventum ſalvatoris in carnem, qui fuit in humilitate & manſuetudine. In hac prænunciat adventum ejus ad judicium, qui erit in majeſtate & poteſtate, ut qui amare nolunt humilem & manſuetum, timeant potentem. Memoria primi adventus, valet ad ſpei ſublevationem, prænunciatio ſecundi ad timoris incuſſionem. Inter ſpem & timorem debent eſſe fideles. Timor eos cuſtodit, ne evaneſcant: ſpes, ne adverſa eos dejiciant Proverb. 1. *Averſio parvulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos.* Convenienter verò in dominica immediata dominicæ, in qua recoluit adventum in carnem, prænunciatur adventus ad judicium, propter temporis brevitatem. Gregor. Omne quod tranſit breve eſt. Item ſuper illud Job. 17. *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum*; pœnè mortuum ſe conſiderat, qui ſe moriturum non ignorat. In Evangelio verò hodierno *Primo* ponuntur ſigna adventum judicis præcedentia. *Secundo* ſtatus eorum oſtenditur, ad quos venturus eſt, ibi: *areſcentibus hominibus præ timore* &c. *Tertio* ſtatus eorum, qui cum eo venturi ſunt ibi: *virtutes cœlorum movebuntur.* *Quarto* deſcribitur modus adventus judicis, ibi: *tunc videbunt filium hominis* &c. *Quinto* ſubditur bonorum exhortatio conſolatoria, ibi: *his autem fieri incipientibus.* *Sexto* ponitur exemplum ad dictorum declarationem ibi, *videte ficulneam.* Et inter ſigna *primo* ponuntur ſigna ſecundùm mutationem ſuperiorum, ibi: *erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* *Secundo* ſecundùm mutationem inferiorum, ibi: *& in terris preſſura* &c.

De quo adventu, priori Dominica ſit actũ, de quo hæc agatur, & connexionis ratio.

In Evangelio hoc agatur de ſex. De 1. hoc & præcedente ſermone copioſè agitur, de 2. & 3. circa finẽ hujus, de 4. in §. 3. de 5. & 6. in §. 4. agitur.

Signa judicii ſupplicia.

Circa Primum notandum, quod id, quod dicitur hic de ſignis non ſolùm poteſt intelligi ad literam, ut in præcedenti ſermone oſtenſum eſt, ſed etiam myſtice, & forſitan non minùs convenienter. Et ſecundùm hoc ſol dicitur Chriſtus, qui dicitur ſol juſtitiæ. Malach. ult. Luna verò Eccleſia Deo illuminata, quæ dicitur amicta ſole. Apoc. 12. Stellæ verò intelliguntur fideles, lumen fidei habentes & converſatione cœleſtes. Gen. 15. *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* Quæ ſigna verò futura ſint in ſole, luna & ſtellis oſtenditur. Matth. 24. his verbis. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Sol juſtitiæ obſcurabitur, prædicatione ejus & miraculis ceſſantibus. Luna verò non dabit lumen ſuum, quia ſanctitas Eccleſiæ miraculis non apparebit. Stellæ cadent de cœlo, quia multi cœleſtem

I. Signa judicium præcedentia in Sole, Luna, Stellis, myſticè variè interpretata.

cœleſtem converſationem deſerent. De ſignis *etiam* ſolis, & lunæ, & ſtellarum legitur Apoc. 6. *Vidi, & ecce terræ motus factus eſt magnus*, id eſt, magna commotio terrena diligentium contra ſanctos. *Et Sol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus*, quia Chriſtus prædicatione ſua & miraculis non clareſcit, immo Antichriſtus & ſui videbuntur facere multa miracula, & ideò multi movebuntur. Matth. 24. *Surgent pſeudo-Chriſti & pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et luna tota facta eſt ut ſanguis*, ubique patietur Eccleſia à perſecutoribus ſanguinis effuſionem. Johel. 2. *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem*, vel tota fiet ſanguis, quia malorum reputatione ſecundùm omnem ſtatum ſuum peccatrix erit, peccatum enim per ſanguinem intelligitur. Oſeæ 4. *Sanguis ſanguinem tetigit. Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram*, quia multi qui videbantur eſſe ſtellæ per fidei claritatem & cœleſtem converſationem, cadent per infidelitatem & impietatis perpetrationem.
3. Poteſt *etiam* intelligi in ſole poteſtas Eccleſiaſtica, in luna poteſtas ſæcularis. Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, Luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti.* Poteſtas Eccleſiaſtica diei, id eſt, ſpiritualibus intendere debet: poteſtas ſæcularis nocti, id eſt, temporalibus. Et ſicut contra naturam eſſet, ſi Sol luceret de nocte; ſic contra naturam eſſe videtur ſi poteſtas Eccleſiaſtica transfert ſe ad miniſtrationem temporalium ſpiritualibus neglectis, ſicut legitur. 2. Machab. 4. *Sacerdotes jam non circa altaris officia dediti erant, ſed contempto templo & ſacrificiis neglectis feſtinabant participes fieri paleſtræ.* Johel. 2. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Jam non lucent prælati radiis doctrinæ. Iſa. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi*, &c & poſt: *ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam.* Ex quo conſecutum, quòd luna, id eſt, ſæcularis poteſtas converſa eſt in ſanguinem, prout legitur. Johel 2. Poteſt enim illud dici de principibus. *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Iſa. 1. Eccleſiaſtici 34. *Panis egentium vita pauperis eſt: qui defrandat illum, homo ſanguinis eſt.* Hier. 2. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium.* Alæ iſtæ ſunt potentia & divitiæ, quibus pauperes opprimuntur. Unde 4. Regum 5. dicitur de Naaman Syro. *Erat Naaman vir fortis & dives, ſed leproſus.* Qui ſignificat potentes & divites, lepra manifeſti peccati alios corrumpentes. Unde ſicut leproſi ſeparabantur à caſtris. Levit. 13. & 14. & Numeri 12. ſic tales excluduntur à communione fidelium per excommunicationem. Vel alæ iſtæ poſſunt intelligi violentia & calumnia, quas exercent in ſubditos contra conſilium Joannis Baptiſtæ dicentis. Lucæ 3. *Neminem concutiatis neque calumniam faciatis.* Hæ ſunt alæ milvi, de quibus legitur. Zach. 5. *Habebant alas quaſi alas milvi.* Milvus eſt avis rapax, quæ inſidiatur infirmis avibus, ut pullis Sic tales debiles & infirmos opprimunt, & fortibus non reſiſtunt. Unde fiet de eis ſicut de milvo, cui capto extrahitur aliquid de inteſtinis, & alii milvi, putâtes quod ferat inteſtinum, conveniunt, & omnia præcordia ei auferunt. Diviti cupido quodammodo inteſtina extrahuntur, cùm cor in bonis exterioribus ponitur, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 10. *In vita ſua projecit intima ſua.* Alii verò potentes & divites conveniunt ut inteſtinum devorent, ea quæ malè congregavit diripiendo & devaſtando. Prov. 22. *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori ſe, & egebit.* Stellæ ſunt fideles. Gen. 22. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* Quod dicit ſtellas, pertinet ad fideles, quod dicit arenam, pertinet ad infideles. Hæ ſtellæ cadent de cœlo, quia multi recedent à fide. 1. ad Timoth. 4. *Spiritus manifeſte dicit, quia in noviſſimis diebus diſcedent quidam à fide.* Finalis malitia diaboli, quæ per caudam draconis intelligitur. Apoc. 12. trahet tertiam partem ſtellarum, id eſt, fidelium. Quidam fideles erunt, perfecti, hi non trahentur; alij mediocres erunt, hi ſeducentur ad tempus, ſed poſt revertentur, alij ſimplices, & illi ex toto ſeducentur. Matth. 24. *Multi venient in nomine meo dicentes: ego ſum Chriſtus, & ſeducent multos.* Apoc. 8. *Et quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars ſtellarum. Et in terris preſſura*, preſſura, inquam, tribulationum. Et *notandum* quod triplex invenitur fuiſſe tribulatio. *Prima* fuit tyrannorum, *ſecunda*, Hæreticorum, *tertia* Hypocrytarum. *Quarta* tribulatio erit tempore Antichriſti major aliis. Unde Dan. 7. *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti pugnabant in mari, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant magno de mari, diverſæ inter ſe. Prima* quaſi leæna, hæc eſt crudelitas tyrannorum. *Secunda* ſimilis urſo, hæc eſt verſutia hæreticorum. *Tertia* quaſi pardus, hæc eſt varietas & dolus Hypocritarum. *Quarta* terribilis & fortis nimis, hæc eſt Antichriſtus. Poteſt *etiam* intelligi (*Sol*) poteſtas Papæ, (*Luna*) poteſtas imperialis, quæ à Papa recipitur, *Stella* verò Epiſcopi, ſecundùm illud. Apoc. 1. *Septem ſtellæ, ſeptem ſunt Angeli*, id eſt, Epiſcopi ſeptem Eccleſiarum. Sol jam obſcuratus eſt, quia poteſtas Papæ diminuta eſt, cùm Eccleſia Græcorum ab ea receſſit. Luna facta eſt ſicut ſanguis, id eſt, poteſtas imperialis per crudelitatem. Et multæ ſtellæ de cœlo ceciderunt in terram, quia multi Epiſcopi, quorum converſatio debuit eſſe in cœlis, terrenæ converſationis facti ſunt. Fideles etiam in diverſis partibus mundi opprimuntur ab infidelibus, qui per mare ſonans & fluctuans intelliguntur, Iſa. 57. *Impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.*

Ecclesiaſtici.

Laici divitũ & dominãtũ in alios vehemens caſtigatio.

Exemplum de talibus.

De caſu ſtellarum, id eſt, ſeductionem fidelium.

Preſſura ſeu tribulatio & perſecutio à 4. tyrannis.

Similis 4. beſtiis.

Status eorum ad quos venit judex oſtenditur, cùm dicitur, *areſcentibus hominibus præ timore*, &c. Sicut ſecuritas impinguat & reficit ſecundum illud Proverb. 15. *Secura mens quaſi juge convivium*, ſic timor attenuat & exſiccat ſecundum idem Proverb. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Si verò ſic affligent mala illa expectata, quid facient præſentia? II.

Status eorũ ad quos iudex veniet

Status eorum qui cum judice venturi ſunt oſtenditur, cum dicitur, *virtutes cœlorum*. Interlinearis Gloſſ. ſuper Matth. 24. Tremebunt Angeli, quanto magis homines? id eſt, ad modum trementium ſe habebunt; vel timebunt timore reverentiæ, qui licet ſemper in eis ſit, tunc tamen præcipue in eis apparebit. Job. 26. *Columnæ cœli contremiſcunt & pavent ad nutum ejus.* Hieron. Quid faciet virgula deſerti, ubi concutitur cedrus paradiſi? Chryſoſt. hoc intelligit de tali motione, quali moventur principes alicujus terreni regis, cùm rex vadit in expeditionem. Si rex, inquit, terrenus proceſſurus contra expeditionem aliquam mandat in populo, dignitates omnes moventur, exercitus excitatur, tota civitas fervet Quantò magis rege cœleſti exurgente judicare vivos & mortuos, Angelicæ virtutes commoventur, & terribiles miniſtri terribiliorem Dominum præcedunt. Poſſunt tamen hîc cœli intelligi prædicatores, vel electi firmiores, quorum virtutes movebuntur; tamen aliter quàm in illis qui damnati ſunt. In damnandis enim deſinent eſſe, in electis verò videbuntur deficere. Sicut lumen candelæ videtur extingui flatu alicujus, & non extinguitur. Matth. 24. *Ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* De ſtella accidit, quòd videtur cadere, cùm non cadat. Poëta.

Et ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Status eorũ qui cum iudice ſunt venturi.

Timor in iudicio quãtus ſit futurus.

Per virtutes cœlorum qui intelliguntur.

Pſal.7:. *Mei autem penè moti ſunt pedes.* Item Pſal. 116. *Impulſus everſus ſum ut caderem, & dominus ſuſcepit me.* Item Pſal.93. *Niſi quia dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.*

DE EADEM. SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Explanantur ſingula verba thematis & modus quo Iudex ad Iudicium univerſale venturus eſt.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate, *Lucæ 2.*

SERMO VIII. Explicantur voces thematis.

HIs verbis oſtenditur modus veniendi ad judicium, & verba ſingula pondus habent, *tunc videbunt*, ſcilicet hora, qua non putatur. Lucæ 12. *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quod intelligendum eſt de adventu ad judicium univerſale, & de adventu ad judicium particulare, quod eſt in morte uniuſcujuſque 1. ad Theſſal. 5. *Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperveniet interitus. Tunc videbunt* eum Judæi, qui hic videre noluerunt. Sapient. 2. *Gravis eſt nobis etiam ad videndum.* Item *tunc videbunt* eum mali, qui in membris ſuis eum abominantur. Proverb.29. *Abominantur impii eos, qui in recta ſunt via.* Apparebit autem eis in illa viſione valdè terribilis ſecundùm illud. Sapient. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Tria in judice incutient timorem. *Tria* verò poterunt eis ſpecialiter timorem incutere in judicio. 1. *Primum* eſt potentia judicis, quæ erit ſumma, unde non licet ab ea appellare, potentia ejus erit omnipotentia, quàm non poterunt fugere. Pſalm.138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es.* &c. Item non poterunt eidem reſiſtere. Chryſoſtom. Nec reſiſtendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec ſatisfactionis tempus. Ex anguſtia omnium rerum nihil remanet niſi luctus. 2. *Secundum* eſt ſapientiæ ejus perſpicacitas, cui nihil poterit abſcondi. Eccleſiaſtæ 12. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium.* Sapient.6. *Cogitationes ſcrutabitur.* 3. *Tertium* eſt Zelus. Prov. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec adquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Chryſoſtom. Tunc nec divitiæ divitibus, nec parentes parentibus intercedunt. Nec angeli, ſicut ſolebant, pro hominibus faciunt verbum, quia natura judicii non recipit miſericordiam. Magnitudo zeli ſeu futoris iudicis ex ſcripturis docetur. De zelo ejus multùm loquitur ſacra ſcriptura. Daniel. 7. *Thronus ejus flamma ignis.* Malach. 3. *Ipſe eſt quaſi ignis conflans.* Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius.* Iſa. 30. *Ardens furor ejus.* Ejuſdem 66. *Ecce dominus in igne veniet.* Et dicit Auguſt. quòd mallent reprobi omne tormentum ſuſtinere, quàm faciem videre irati judicis. Apoc. 6. dicent montibus & petris, *cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum.* & ab ira agni. Malach. 3. *Quis ſtabit ad videndum* 2. *eum?* Et *notandum* quòd dominus *filium hominis* ſe Iudex vocatur filius hominis ob tria. vocat in verbo propoſito *tribus* de cauſis. *Primo* propter exemplum humilitatis, contra eos qui de nobilitate generis ſuperbientes, ab eo qui nobilior eſt in genere ſuo ſe denominant. *Secundo* quia in forma humana apparebit in judicio, non divina. *Tertio* ad inſinuandum meritum quo ad gloriam talem devenit, humilitas enim quam in humanitate exhibuit, cauſa fuit quare ita exaltatus eſt. Philip.2. *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* 3. In nubibus cœli quomodo ſit venturus. *Propter quod & Deus exaltavit illum &c, In nubibus* verò ad litteram veniet, obſequentur enim nubes ei ad judicium deſcendenti, ſicut obſecuti ſunt ei in cœlum aſcendenti. Actor.1. *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Veniet autem *in poteſtate*, id eſt, cum oſtenſione poteſtatis. 4. Poteſtas judicis apparebit in ſeptem. Poteſtas ejus ex multis apparebit, ut ex mundi flagratione. Pſalm. 49. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet. Item* ex multitudine eorum, quos congregabit. Johel. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* Pſalm. 49. *Advocavit cœlum deſurſum & terram diſcernere populum ſuum. Item* in pulverum collectione & corporum reſuſcitatione. 1. Corinth. 15. *Omnes quidem reſurgemus. Item* in corporum electorum glorificatione. Matth. 13 *Fulgebunt juſti ſicut Sol in regno patris eorum. Item* in virtute vocis. Chryſoſtom. Verè vox magna tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras findit. Inferos aperit, portas æreas conterit, vincula mortis dirumpit, & de profundo abyſſi animas liberatas corporibus ſuis aſſignat. *Item* in obſequio nubium &in innovatione cœli & terræ. Nullus homo de uno ſacco veteri poteſt facere novum, quantum erit ergo innovare cœlum & terram? *Item* in auctoritate judiciaria, pater enim non judicat quenquam, Ioan. 5. ſed omne judicium dedit filio. *Item* videbunt eum 5. *in majeſtate* ſua. Tunc totus Chriſtus, ſcilicet caput Maieſtas iudicis. cum membris glorioſus apparebit, indutus lumine Pſal. 103. ſicut veſtimento. Tunc omnes electi veſte glorioſa induti erunt.

De adventu Iudicis. Et *notandum* quòd de modo veniendi ad judicium aliqua tangit. Matth. 24. quæ non tangit Luc hic: ſicut eſt *illud ſicut fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, ita erit adventus filii hominis*, erit enim ſubitus & coruſcus. Et *illud, tunc parebit ſignum filii hominis in cœlo.* Præcedent enim inſignia paſſionis Chriſti, & exprobrabitur peccatoribus magnum beneficium paſſionis ejus eis exhibitum, & requiret Chriſtus mortem ſuam ab eis, tanquam precium, quod pro eis dedit, cùm ſe ipſos ei abſtulerint, qui ita carè eos emerat. Et oſtenditur magna ingratitudo eorum, qui ſemel crucifixum pro eis, iterum peccando crucifixerunt. Hebr.6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei* Chryſoſtom. Non erit tunc neceſſitas accuſationis, cùm viderint crucem, & ipſum Chriſtum, habentem in corpore ſuo teſtimonium paſſionis. Zach.12. *Aſpicient ad me quem confixerunt.* Apoc 1. *Videbit omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Anguſtias in Anguſtiæ peccatorũ. quibus tunc erunt peccatores, & cætera pertinentia ad judicium require.

DE EADEM. SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

Conſolatur bonos & hortatur ad ſpem & gaudium concipiendum ob adventum judicii. 2. ſimilitudinem de ficu ad hoc Iudicium accommodat, & ultima verba Evangelii explanat, in ſumma virtutum; tractatu de timore. Igitur bis quatnor ſermonibus totum Evangelium ordine eſt expoſitum.

His autem fieri incipientibus &c. SERMO IX.

HIc electos hortatur cùm dicit: *Reſpicite & levate capita veſtra.* Conſolatur dicendo, *quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Reſpicite per fidem, levate per ſpem. Levate capita veſtra, id eſt, exhilarate corda veſtra. Gregor. Idem eſt capita levare & mentes ad gaudia patriæ cœleſtis erigere; ſpes levat, ſicut deſperatio deprimit. Gen.4. *Quare concidit facies tua?* Et *notandum* quòd ad Spem ad Deum elevant tria. ſpei elevationem tria videntur pertinere. *Primum* eſt ut malum tranſitorium non timeatur. Qui id timet, eſt eo inferior. Qui verò illud non timet; eſt eo ſuperior, quodammodo enim illud conculcat contemnendo. David Pſal. 53. *Super inimicos meos*

meos deſpexit oculus meus, id eſt, deſurſum aſpexit. Boëtius in libro conſolationum. Mali circa diripiendas inutiles ſarcinulas occupantur. Boni verò deſuper irrident, viliſſima quæque rapientes.

2\. *Secundum* eſt ut in bonis temporalibus fiducia non habeatur. Auguſt. de Deo deſperare, eſt ſpem in creaturis poſuiſſe. 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* Sperare in temporalibus, eſt confidere ſuper baculum arundineum, ſuper quem ſi innixus fuerit homo, perforabit manum ejus. 4. Regum 18. Ponens fiduciam in temporalibus, maledictionem habet ſuper caput ſuum. Iſa. 31. *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes*, &c.

3\. *Tertium* eſt ut de meritis propriis non præſumatur. Job. 10. *Si juſtus fuero, non levabo caput*, de juſtitia ſcilicet præſumendo. Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus*, &c.

Boni tempore judicii ultimi gaudere jubentur.

Et *notandum* quòd meritò Dominus electos ad gaudium hortatur cùm mundus deſtruitur. *Primo* quia via eorum laborioſa finitur. Gregor. Quid eſt vita mortalis, niſi via? & quale ſit fratres mei perpendite, in labore viæ laſſeſcere, & tamen eandem viam nolle finiri? *Secundo* quia gaudium inimicorum eorum deſtruitur; mundus enim odit electos. Joan. 17. *Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit.* Item 15. *Quia de mundo non eſtis, ideo odit vos mundus.* *Tertio* quia appropinquat amicus Gregor. qui Deum diligunt, ex mundi fine gaudere jubentur, quia eum quem amant mox inveniunt, dum tranſitis quem non amaverunt.

Redemptio duplex, culpæ & pœnæ.

Et hoc eſt quod ſubditur. *Quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Et *notandum* quòd eſt redemptio à captivitate *culpæ*, quæ facta eſt in primo adventu; de qua David Pſal. 110. *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo*, & eſt redemptio à captivitate *pœnæ*, de qua hîc & Rom. 8. *Nos ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri.*

VI.

Similitudo de ficulnea ad propoſitum accommodatur duplici ſenſu.

Videte ficulneam, &c. Hoc exemplum ponitur ad dictorum declarationem, quaſi diceret, ſicut ex fructu arborum vicina æſtas cognoſcitur, ita ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei, quæ ruina fructus mundi eſt ſecundum Greg. Ad hoc enim creſcit ut cadat, ad hoc germinat ut quidcunque

1\. germinaverit cladibus conſumat. Bene autem regnum Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubilia tranſeunt, & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt, ut dicit Greg. Matth. 24. ſic habetur. *Ab arbore fici diſcite parabolam*, & poteſt intelligi de Synagoga deſignata per ficulneam maledictam & arefactam; de qua legitur Matth.

2\. 11. Et ſecundum hoc ponitur hîc proximum ſignum adventus ad judicium; Judæi enim in fine mundi convertuntur ſecundùm illud Iſa. 10. *Reliquiæ Jacob convertentur.* Chryſoſt. ſuper Matth. Quare potiùs de ficu quam de alia arbore ponit ſimilitudinem? quia penè poſt omnes vernat, & difficile frigus poſt ficum vernantem venit. Sic poſt converſionem Judæorum propè eſt æſtas, ideſt, æterna ſerenitas, & cœli & terræ deſiderata novitas.

Explicatio dictorum ultimorum Evangelii.

Amen dico vobis, quia non præteribit, de mortalitate ad immortalitatem, *generatio hæc*, id eſt, genus humanum, vel genus Judæorum, *donec omnia fiant. Cœlum* aëreum, de quo Matth. 13. *Volucres cœli & terra tranſibunt.* Beda. Innovabuntur depoſita priori forma permanente autem ſubſtantia. Eccleſiaſtæ 1. *terra autem in æternum ſtat. Verba autem mea non præteribunt*, id eſt, intellectus verborum non remanebit incompletus. Gregor. Ma-

1 nentes ſententias exprimit ſermo Dei qui tranſit. Item Gregor. Nihil in rerum corporalium naturâ cœlo & terrâ durabilius, & nihil in rerum natura ita velociter, quàm ſermo tranſit. Sed omne quod apud nos durabile eſt, & ſine mutatione, durabile ad æternitatem non eſt.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicat 1. partem Evangelij ſeu interrogationem Ioannis, & 1. affert duorum PP. ſententias circa interrogationem Ioannis. 2. Ex eadem parte inſtruit mores circa varia.

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, &c *Matth.* 11. SERMO X.

Quatuor Dominicæ advētus reſpondent quadruplici adventui Chriſti.

IN hoc ſacro tempore quatuor ſunt Dominicæ, quæ videntur pertinere ad quadruplicem Salvatoris adventum. *Primus* eſt *adventus in carnem*, ad quem pertinet prima Dominica, in cujus Evangelio legitur illud Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* *Secundus* eſt *adventus ad judicium*, ad quem pertinet ſec .nda Dominica, in qua legitur Evangelium illud Lucæ 21 *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Et ſubditur, *Tunc videbunt filium hominis venientem*, &c. *Tertius* eſt adventus ad *limbum*, ad quem videtur pertinere tertia Dominica, in cujus Evangelio legitur illud. *Tu es qui venturus es? an alium expectamus?* Quod exponit Gregorius in Homilia de adventu in limbum. *Quartus* eſt *adventus in mentem*, ad quem pertinet quarta Dominica. In feſto enim natalis proximo illi Dominicæ intimatur Salvator ad Eccleſiam ſuam ſpiritualiter venturus. Unde in Epiſtola legitur, *Dominus prope eſt*, &c. Et in Evangelio legitur illud; *dirigite viam Domini.* Adventus in carnem & ad limbum cum gratiarum actione ſunt recolendi. Adventus ad judicium cum timore eſt cogitandus. Adventus verò in mentem cum diligenti præparatione eſt expectandus.

Tria in hoc Evangelio tractantur 1. S. 1. 2. S. 2. 3. S. 2. & reliquis.

Et notandum quòd Evangelium hodiernum tria principaliter continet, ſcilicet Joannis interrogationem, ibi: *cum audiſſet Ioannes*, &c. Salvatoris reſponſionem, ibi: *Reſpondens Ieſus*, &c. & Joannis commendationem à Salvatore factam, ibi: *illis autem abeuntibus.*

De interrogatione Ioannis duæ ſententiæ.

1. S. Gregorii.

Circa primum, quantum ad litteram notandum, quod Gregorius & Hilarius videntur diverſimodè ſenſiſſe de interrogatione Ioannis. Gregorius enim dicit in Homilia, quòd Ioannes quærit, ut ſciat ſi is qui per ſe mundum venerat, per ſe ipſum ad inferni clauſtra deſcenderet: volens ſibi inſinuari, an ſicut pro hominibus naſci dignatus eſt etiam pro hominibus mori dignaretur: ut qui nativitatis ejus præcurſor extitit, mortis etiam præcurſor fiat, & venturum inferno nunciet, quem jam veniſſe mundo nunciavit. Sed quia inconveniens videtur, quod Ioannis in aliquo articulo fidei dubitaverit, deſcenſus verò ad inferos fidei articulus eſt: præterea reſponſio Domini non videtur competere interrogationi ſic intellectæ. Poteſt ergo intelligi hæc dubitatio, non dubitatio infidelitatis, vel etiam tarditatis, ſed quidam horror ex pietate procedens. Abhorrebat enim ex pietate quod filius Dei ad infernum deſcenderet. Unde poteſt exponi: dubitavit, ideſt, dubitare ſe oſtendit, vel ad modum dubitantis ſe habuit. Sic 4. Regum 2. Heliſæus licet non dubitaverit Heliam raptum, tamen ad tollendam dubitationem filiorum Prophetarum, & ad inſtantiam eorum miſit eos qui quærerent Heliam in montibus. Quod autem non dubitaverit Heliſæus, ſatis patet in littera.

2. Hilarius

Hilarius dicit quod Ioannes non dubitavit, nec miſit diſcipulos pro ſua hæſitatione, ſed pro certificatione diſcipulorum. Et veriſimile eſt quòd Ioannes non dubitavit, qui columbam deſcendentem ſuper Chriſtum vidit, & illam vocem patris audivit, *hic eſt filius meus dilectus*, &c.

Digitized by Goo

Matth. & Lucæ 3. cui dictum eſt Joan. 1. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Præſentem etiam demonſtravit in eodem. Et poſt quæſtionem à diſcipulis propoſitam, ſalvator Joannem plùs quam prophetam dixit. Sed ſecundùm Hilarium ſic intellige locum iſtum. Diſcipuli Joannis pro magiſtro ſuo zelantes invidebant Chriſto. Unde Joan. 3. dicunt Joanni. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Iſte zelus erat ex magno amore magiſtri, ſicut Joſue zelavit pro Moyſe. Num. 11. Cum Eldad & Medad prophetarent in caſtris. Joannes verò poſitus in carcere occaſione Herodiadis, videns diſcipulos ſuos de Chriſto hæſitantes, & Chriſto invidentes, & intelligens in ſpiritu ſe in brevi moriturum, noluit eos relinquere in illo ſtatu. Unde cùm per ſe non poſſet eos certificare, miſit eos ad Chriſtum, ut ab eo certificarentur: & ſecundùm hoc plena eſt litera. *Mittens duos de diſcipulis ſuis ait illis* (ſupple hoc: *Dicite Ieſu*) *Tu es qui venturus es*, id eſt, qui venturus dicebaris à Prophetis. Vel ſecundùm aliam literã, *ait illi*, id eſt Chriſto per internuncios, *an alium expectamus?* Chryſoſtomus: Oſtendit quia duo venturi erant, Chriſtus & Antichriſtus. Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Sententiæ Hilarii videtur conſentire Chryſoſtomus dicens. qualiter inquit magnus propheta erat ſi hoc ignorabat? quod etiam multi minores ſciebant & prædixerant. Iſa. 53. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur.* & Zach. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Hic ſunt quatuor notanda pro moribus.

Quantum ad inſtructionem morum *quatuor* nobis attendenda ſunt in prima parte evangelii. *Primum* eſt, quod Joannes in vinculis eſſe dicitur. *Secundum* quòd propter auditionem operum ad Jeſum miſit. *Tertium* quòd Joannes in carcere Herodis quaſi dubitans quærit, quod in deſerto aſſeruit. *Quartum* eſt quæſtio quæ à duobus diſcipulis proponitur.

Joannes quid ſonet. Joannes in vinculis dicitur dupliči ſenſu.

Circa *primum* notandum quòd Joannes interpretatur gratia, vel in quo eſt gratia. Secundùm *primam* interpretationem Joan. in vinculis eſt, cùm aliqua gratia in aliquo vinculo mundi, vel carnis, vel peccati ligata tenetur ne proficiat. Rom. 1. *Qui veritatem dei detinent in injuſtitia.* In multis locis hodie Joannes in vinculis tenetur, unde multùm dolendum eſſet. Secundùm *aliam* interpretationem Joannes in vinculis eſt aliquis habens gratiam dei, cui corpus carcer eſt, impediens eum à contemplatione veritatis. Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.*

Duo diſcipuli à Ioanne miſſi ſignificant duas virtutes.

Quaſi duo diſcipuli ab eo miſſi ſunt ad quærendam veritatem, *abſtinentia* & *devotio orationis*. De *abſtinentia* legitur. Eccleſiaſtæ 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad ſapientiam.* Et Dan. 1. legitur de pueris abſtinentibus, quòd Deus dedit eis ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientiam, Danieli autem intelligentiam omnium viſionum. De *oratione* Auguſt. dicit, quòd oratione melius ſolvuntur dubia, quàm inquiſitione aliqua.

Ioannes in vinculis ſignificat 4. vincula venientium ante adventum Chriſti

Poteſt etiam per Joannem in vinculis intelligi ſtatus illorum, qui adventum ſalvatoris expectabant, & poteſt *quadruplex vinculum* inveniri in illo ſtatu. *Primum* eſt vinculum originalis culpæ. *Secundum* eſt vinculum originalis pœnæ. *Tertium* eſt vinculum actualis culpæ. *Quartum* eſt vinculum præſentis miſeriæ.

Concupiſcentia.

Primum eſt *vinculum concupiſcentiæ*, quæ ante gratiam imputatur ad peccatum, ſed in gratia eſt ad exercitium. Hoc vinculum ſignatur in muliere inclinata, de qua habetur. Lucæ 13. quæ non poterat ſurſum aſpicere. Difficultatem enim habet ad bonum, qui eſt in originali peccato & pronitatem ad malum, unde Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc facio.* Ideò exclamat Apoſtolus dicens ib. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Cócupiſcentia iſta eſt mulier de qua legitur Eccleſiaſtæ 27. *Inveni amariorem morte mulierem* &c. Et ſubditur: *vincula ſunt manus ejus*, ſcilicet difficultas ad bonum & pronitas ad malum, de quibus dictum eſt. Lucæ autem 13. ſubdit dominus de vinculo dicens: *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas ecce 18. annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die Sabbati.* *Secundo vinculo* ligati erant qui erant in limbo, de quo legitur Iſa. 42. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Ejuſdem 49. *Dedi te in fœdus populi* &c. *ut diceres his qui vincti ſunt, exite, & his qui in tenebris, revelamini.* De *tertio vinculo* dicitur in Pſalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Hæc vincula ſignificata ſunt in vinculis Sedeciæ. Ierem. 39. Obſidetur civitas animæ per parvam delectationem, capitur per pravam operationem. Tenetur & excæcatur rex per pravam conſuetudinem, vincitur per obſtinentiam, ducitur in Babylonem per impœnitentiam finalem. De *quarto vinculo* habetur Oſeæ 11. *In funiculis Adam traham eos.* Præſentes miſeriæ dicuntur funiculi, quia illis ad Deum reducimur. De hoc vinculo legitur. 2. Paral. ult. in oratione Manaſſe. *Incurvatus ſum multo vinculo ferri, & non eſt reſpiratio mihi, quia excitavi iram tuam.* Circa *ſecundum* notandũ quòd Ioannes propter auditum operum, non verborum ad Ieſum mittit, quia ſecundùm Bern. Efficacior eſt vox operis, quàm vox ſermonis. Eccl. 29. *Quæ in manu habes ciba cæteros.* Salvator etiam operibus potius quàm verbis certificat diſcipulos Ioannis. Circa *tertium* notandum quòd Ioannes in carcere Herodis quaſi dubitans quærit, quod in deſerto aſſeruit. Sic Petrus. Matth. 16. plenam confeſſus eſt veritatem dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, quem negavit introductus in domum pontificis. Matth. 26. *Et tu cum Ieſu Galilæo eras.* At ille negavit dicens: *Neſcio quid dicis.*

Idonores mutant mores.

Sic multi ſcholares cùm ſunt in deſerto paupertatis, & in ſcholis, apertè confitentur veritatem verbo & exemplo, ſed ditati vel ad dignitatem promoti, mutant opinionem. Rom. 1. *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Proverb. 17. *Qui vertit linguam incidet in malum.* Non ſic erat Apoſtolus, qui dicebat 2. ad Timoth. 2. *Verbum Dei non eſt alligatum.*

4. Adventum in carnem & mentem triplices nunci præcedunt.

Circa *quartum* notandum, quòd ſicut adventum Chriſti in carnem multi nuncii præceſſerunt, primò Abrahã Patriarcha, poſtea Prophetæ, deinde Ioannes Baptiſta: ſic adventum in mentem multi nuncii præcedunt. *Primo fides*, quæ eſt prima virtutũ, ſicut Abraham princeps fuit aliorum patrum, ex qua alia bona naſcuntur.

1. Patriarcha Abraham & Fides.

Ad eam pertinet illud Gen. 30. *Da mihi liberos, alioquin moriar. Fides* enim *ſine operibus mortua eſt.* Iacobi 2. Ex ea naſcuntur velut duo prophetæ: *timor* futuri ſupplicii & *ſpes* præmii.

2. Propheta & timor & ſpes. Timor.

Sed quidam hos prophetas occidunt. Matth. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas. Primum* ſcilicet timorem occidit, qui abſque timore peccat. Lucæ 23. dixit bonus latro malo, *Nec tu times Deum* &c. Pſal. 13. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* In illis bene occiſus eſt ille propheta, qui nec deum timent nec homines verentur. Lucæ 18. Timor eſt velut quoddam frenum homines cohibens à malo. Exod. 1. *Timuerunt obſtetrices Deum*, & pepercerunt pueris ne interficerent eos.

Spes.

Spes verò æternorum tranſitoria facit contemni, illa enim eſt quæ dicit. Pſalm. 72. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram.* Ioannes Baptiſta tunc præmittitur,

3. Joannes & gratia lacrymarum.

mittitur, cùm gratia lacrymarum alicui datur, quod non poteſt fieri abſque gratia gratum faciente: & tunc frequẽter accidit, quod Jeſus venit, & diabolus fugit. Hanc aquam benedictam diabolus ſuſtinere non poteſt. 3. Regum 18. *Junge currum & deſcende, ne te occupet pluvia*, dictum eſt Achab. Duo diſcipuli qui à Joanne mittuntur certitudinem Salvatoris quærentes ſunt duæ diſcuſſiones conſcientiæ. *Prima* eſt an aliquod peccatum ſit adhuc in conſcientia, de quo nondum doleat, vel confiteri proponat. *Alia* eſt utrum firmum habeat propoſitum cavendi omne mortale. His duobus cõcurrentibus ſpem probabilem anima habet, quod filius Dei in eam venerit. Pro certo ejus adventum ſcire non poteſt. Job 9. *Si venerit ad me, non videbo eum.* Eccleſiaſtæ 9. *Neſcit homo utrum amore vel odio dignus ſit.* 1 ad Corinth 4. *Nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc juſtificatus ſum.*

Duo diſcipuli Joannis notant duas diſcuſſiones conſcientiæ.

Adventus in mentem ſpem poſſumus habere, non certitudinem.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicatur 2. pars Evangelij ſeu verba & reſponſum Chriſti, maximè verò ad finem laudes & præconia Joannis.

SERMO XI.

Et reſpondens Jeſus ait illis.

Hoc Sermone ſex tractantur ex Evangelio.

NOtandum quòd in hodierno Evangelio *primo* diligentiæ Magiſtri circa Diſcipulos relinquendos nobis exemplum proponitur. *Secundo* veritas fidei oſtenditur, ibi: *renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, &c.* *Tertio* paupertatis utilitas inſinuatur, ibi: *pauperes evangelizantur.* *Quarto* commendatur fidei puritas, ibi: *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* *Quinto* tam adulationis, quam invidiæ vitandæ exemplum datur, ibi: *illis autem abeuntibus*, &c. *Sexto* in commendatione Joannis qualis debet eſſe juſtus vir, & maxime prædicator oſtenditur.

1. De *primo* dicit Chryſoſtomus Joannes fuit providus pater, moriens diſcipulos ut filios aſſignat fideli tutori. Sic faciendum eſt parentibus carnalibus. Sic Chriſtus relicturus diſcipulos curam magnam habuit de cibo ſpirituali eis providendo, inſtituit enim Sacramentum altaris, & fecit eis illum dulcem ſermonem, qui habetur Joann. 13. uſque ad 18. Matri etiam diligenter providit de ſocietate, commendans eam Joanni, Joan. 19.

Circa *ſecundum* notandum, quod veritas fidei certificatur per ſignum quod prædixerat Iſaias. Sicut enim habetur Lucæ 7 *In ipſa hora curavit multos à languoribus ſuis.* Hieronymus. Ceſſent verba, loquantur opera. Et dixit nuntiis, *Euntes, renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis*, quaſi diceret Dominus Si eſſetis in Prophetiis periti, ſciretis me eſſe Meſſiam in lege promiſſum, hoc enim ſignum dederat. Iſa. 35. dicens: *Deus ipſe veniet & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut ſervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Si quis tamen objiciat, quod ante adventum erant multa miracula facta: Ad hoc reſpondens Ambroſius dicit. Tobias oculos recepit. Tob. 11. Sed hæc fuit Angeli, non hominis medicina. Helias mortuum ſuſcitavit. 3. Regum 17. Ipſe tantùm rogavit. Heliſæus leproſum mundari fecit. 4. Reg. 5. Sed valuit myſterij figura, non auctoritas præcepti. Chriſtus verò miracula imperio faciebat. Et licet alia miracula facta fuerunt ante adventum Chriſti, non tamen abundantia miraculorum, quæ prædicta erat ab Iſa.

Diſcrimen miraculorũ veteris & novi teſtamenti.

3. Circa *tertium* notandum quod ſecundum Hieron. illud, *pauperes evangelizantur*, ſic exponitur, id eſt, evangelizant. Unde dicit Hieronymus. Et quod his non minus eſt pauperes evangelizantes commemorat. Sed convenientiùs ſic videtur exponi, *evangelizantur*, id eſt, evangelio illuminantur. Iſa. 61. *Evangelizare pauperibus miſit me.* Luc. 4. Et *notandum*, quod ſermo Dei magis & libentius auditur à pauperibus, & magis in eo proficiunt. Divitibus parum prodeſt ſermo auditus. Matth. 19. *Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones* De Judæis etiam amantibus terrena dicitur ad Hebr. 4. *Non profuit eis ſermo auditus.* De pauperibus & piſcatoribus legitur. Matth. 4. *Illi autem continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Pauperes à curis liberiores ſunt, ideò meliùs poſſunt intendere verbo Dei. Lucæ 12. *Vendite quæ poſſidetis*, &c Ubi *enim eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.* Pauperes ſunt alterius felicitatis inveſtigatores, cùm hic ſint in miſeria. Tob. 2. *Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab illo.*

Sermo Dei cur magis capiat in pauperibus quam in divitibus.

4. Circa *quartum* notandum, quod Dominus dicendo: *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, percutit illos nuncios, qui in Chriſto ſcandalizabantur, invidentes ei, & non credentes in eum. *Qui non fuerit ſcandalizatus in me*, id eſt, pedem intelligentiæ non offendet ad humilitatem meam, econtrario maledictus eſt, qui ad eam offendit. Scandalum Græcè idem eſt quod obex Latinè. In Chriſtum offenderunt, qui videntes ejus humanitatem noluerunt credere ejus deitatem. 1. Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.*

Scandalum in Chriſto quale fuerit.

Scandalum quid ſonet.

5. Circa *quintum* notandum, quod Dominus commendat Joannem quia ſpeciem ſanctitatis oſtenderat. Sicut enim dicit Chryſoſtomus: Apud homines illos videbatur leviſſimi hominis ſignum, ut modò quaſi ſciens prædicaret, modò neſciens interrogaret Multi vero econtrariò hominibus habentibus ſanctitatis nomen, occaſione inventa ex invidia libenter detrahunt. De quibus dicitur Eccleſiaſtici 36 *Qui peſſimant plebem meam, invenient perditionem* Laudat verò Dominus Joannem poſt diſceſſum diſcipulorum ejus. Chryſoſtomus. Blanditores in facie laudant, vel coram domeſticis; vir autem ſapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Multùm enim timendus eſt homini ſermo adulatoris. Auguſt. ſuper Pſal. Plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus interemptoris. Hieron. Pulchrè adulator apud Philoſophos diffinitur, *blandus inimicus.* Seneca: habet ſuum venenum blanda oratio.

Adulatores quales ſint

6. Circa *ſextum* notandum, quòd magna eſt laus Joannis, & quia à Deo laudatur. 2 Corinth 10. *Non enim qui ſemetipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*; & quia in his laudatur, in quibus aſſimilatur beatæ Trinitati. Aug Summa religionis eſt imitari quem colis. Et *primo* laudatur in potentia, cùm dicitur: *quid exiſtis in deſertum, videre? arundinem vento agitatam?* In hoc ſimilis eſt patri, cui appropriatur potentia. Potens erat Joannes ventis tentationum reſiſtere. Pſalm. 1. *Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*, &c. Job 21. *Erunt ſicut paleæ ante faciem venti.* *Secundo* laudatur in bonitate, ibi: *hominem mollibus veſtitum*, &c. In hoc ſimilis Spiritui ſancto cui bonitas appropriatur. Item Joannes amore æternæ bonitatis, ſuavitatem bonorum temporalium contemnebat. Ipſe dicebat cum David Pſalm. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Gregorius. Nemo exiſtimet in luxu atque in ſtudio precioſarum veſtium peccatum deeſſe, quia ſi hoc culpa non eſſet, Chriſtus nullo modo Joannem de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Ipſe nulla carnis mollicie alliciebatur, qui dulce-

Laus Joannis magna ob duo.

Joannes ſimilis Deo patri in potentia, quia.

Similis ſancto ſpiritui in bonitate, qualis.

Contra luxum veſtiũ.

dine ſpiritus ſancti elevabitur. Guſtato enim ſpiritu, deſipit omnis caro. *Tertio* commendatur in ſapientia, ibi: *Prophetam*. In hoc ſimilis eſt filio, cui appropriatur ſapientia. Secundùm Bedam plus quam Propheta fuit, qui non tantùm venturum prædixit, ſed etiam præſentem demonſtravit. Beda officium prophetæ eſt futura prædicere non etiam demonſtrare. Major Propheta eſt, in quo finis eſt Prophetarum. *Item* propheta eſt, qui bene docet, plus quam propheta qui exemplo boni operis quaſi ad oculum oſtendit, quod verbo dicit. Vel, plùs quam propheta dicitur Joannes, quia non ſolum prophetizavit Spiritus ſanctus per ipſum, ſed etiam de ipſo. Unde ſubditur. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt*. Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum* &c. Verba ſunt patris ad filium *Angelum meum*, id eſt, nuncium meum, *ante faciem tuam*, id eſt, manifeſtationem tuam, *qui præparabit viam*. Interlin. Quia pervia reddet corda auditorum. Chryſoſtomus. Prophetæ eſt, ut de Deo prophetizet. Nunquid prophetæ eſt, ut de illo prophetet Deus? Et *notandum* quòd Joannes fuit angelus purè vivendo, Deo vacando, & miniſterium nunciando ad populum. Joannes puritatem habuit interiorem, cujus ſignum eſt quòd Chriſti amicus dicitur. Joan. 3. *Amicus ſponſi, qui ſtat & audit* &c. Prov. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum amicum habebit regem*. Puritatem etiam exteriorem habuit, fuit enim virgo, & abſtinentiæ valdè magnæ. Matt. 11. *Venit Ioannes neque manducans neque bibens*. Linguam ſuam, qua debebat prænunciare ſalvatorem, adeo cuſtodire voluit, quòd in deſertum fugit,

Ne levi ſaltem maculare vitam,
Famine poſſet.

Noluit etiam vanitatem mundi illis oculis conſpicere, quibus viſurus erat ſalvatorem. Deo *etiam* vacavit, ſicut & angeli. Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt*. Ideo elegit habitare in deſerto. Hieron. O deſertum, familiariùs Deo gaudens. Miniſterium *etiam* ad modum angeli ad populum habuit, propter quod ſacerdos dicitur angelus. Malach. 2. *Angelus Domini exercituum eſt*. Gregor. Unuſquiſque veſtrum in tantum ſufficit in quantū gratiam ſupernæ aſpirationis accepit. Si à pravitate proximum revocat, ſi exhortari ad benefaciendum curat, ſi æternum ſupplicium erranti denunciet, cum verba ſanctæ annuntiationis impendit; profectò angelus exiſtit. Hebr. 1. *Non-ne omnes adminiſtratorii ſpiritus* &c.

Similis Filio Dei in Sapientia, plus quam Propheta fuit triplici modo.

Angelus fuit dictus tribus de cauſis.

1. Ob puritatem vitæ duplicem.

2.

3.

DE EADEM.
SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Vtilitas quarta virtutum Cardinalium, à quibus S. Ioannes commendatur.

Illis autem abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Joanne &c.

SERMO XII. Cur Ioannes hoc tépore laudetur. Vtil. 67. Ioannes cómendatur à 4. virtutibus Cardinalibus. Iuſtitia hic qualis & quid ſit.

IN hoc ſacro tempore recitantur in Eccleſia quæ pertinent ad laudem regis venientis. Et quia laus præcurſoris laus eſt regis: mirabilis enim eſt Deus in ſanctis ſuis, ideo legitur hodie Evangelium continens commendationem Joannis, in qua nobis quatuor cardinales virtutes inſinuantur. *Primo fortitudo*, cùm dicitur diſſimilis arundini. *Secundo temperantia*, cum molliciés veſtium removetur ab eo. *Tertio prudentia* cum dicitur eſſe plus quam propheta. *Quarto juſtitia*, cùm dicitur Angelus miſſus ad præparandam viam ante faciem Chriſti: ad juſtitiam enim pertinet humile & fidele miniſterium Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*, id eſt, perfectam humilitatem. Auguſt. ad Macedonium. Juſtitia eſt, à diligendo nulla avelli ſuperbia. Ideo juſtitia eſt amor ſoli amato ſerviens. Hæ virtutes in hac vita utiliſſimæ ſunt. Sap 8. *Sobrietatem & prudentiam docet & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus*. Fortitudo cuſtodit hominem ne noceant ei mala mundi. Temperantia ne noceant ei bona. Prudentia ne fallatur. Juſtitia verò eum cuſtodit, ne ipſe alium fallat vel ei noceat, quia non minùs periculoſum eſt fallere vel nocere, quam falli vel damnum recipere. Hæ virtutes veræ divitiæ ſunt, non aurum & argentum & ſimilia. *Primo* quod non poſſunt auferri ab homine. Senec. hoc dicit beatum eſſe, non quod vulgus vocat, ſed cui omne bonum in animo eſt. Idem Incipit fortunæ ſubjectus eſſe, ſi quis partem extra quærit. Sapiens inter ſe omne bonum terminabit. *Secundo* quia ab his homo habet bonitatem & precioſitatem ſuam, unde ſe habent in homine, ſicut virtutes in lapidibus precioſis. Plus valet unus modicus lapis precioſus, quàm multi magni communes: ſic unus homo habens virtutes iſtas, quàm multi non habentes. Eccleſiaſtici 16. *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filii impii*. *Tertio* quia ab hujuſmodi habet homo quod bona temporalia ſint ei bona. Senec. Nihil eſt homini bonum, ſine ſe bono. Eccleſiaſtici 13. *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia*. Temporalia enim ei, qui non habet gratiam, ſunt materia infirmitatis, unde non ſunt bona ei, ſicut ſanguis non eſt bonus homini, quando eſt infirmitatis materia. Senec. in epiſtolis. Accipit ille grandem pecuniam, ergo & ſuperbiam, ſed inquis pecuniam perdidi: O te felicem, ſi cum illa avaritiam perdidiſti, ſed ſi manet avaritia apud te, es tamen felicior, quod materia tanto morbo ſubducta eſt. Donationem harum divitiarum retinuit Deus ad manum ſuam. Jacob. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt*. Donum perfectum eſt donum nullo indigens, quod ipſi animo infunditur: ſed frumentum, vinum & ſimilia, ſunt dona imperfecta, indigent enim vaſe vel cellario. *Prudentia* tantum bonum eſt, ut ſine ea nihil boni videatur haberi, Proverb. 19. *Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum*. Sapient. 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei*. *Fortitudo* verò hæc intelligitur non corporis ſed animæ; unde hanc habere poteſt qui paralyticus jacet in lecto. Sapiens. Non tantùm in bello & mari, ſed etiam in lecto apparet hæc virtus. Hæc facit ut non poſſit homo vinci, etſi poſſit occidi. Auguſt. Invictus eſt, cui non poteſt auferri quod amat. Senec. Facilius eſt vincere gentem, quam animum unum ſolum vincere. Hæc virtus valet contra omnem infirmitatem. Marc. ult. *Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Venenata enim reddit ſalubria. Senec. Doce eum beatum eſſe, qui mala vertit in bonum. *Temperantia* cuſtodit hominem, ne bona tranſitoria ei noceant. In magno periculo ſumus in mundo iſto, impugnant enim nos & bona & mala. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Sine hac virtute quod ſumitur ad ſuſtentamentum, eſt homini mortiferum. Eccleſiaſtici 37. *In multis eſcis erit infirmitas & propter crapulam multi obierunt*. Seneca. Major pars corporum voluptatibus perit. Et ſi tantum amatur lapis precioſus, de quo creditur quòd habet virtutem ſervandi hominem, ne venenum ei noceat, quantū amanda eſt virtus tēperantiæ, quæ hominem cuſtodit, ne aliquid carni delectabile ei noceat. *Iuſtitia* cuſtodit hominē ne ſit proditor, vel in Deū vel in proximū. Qui Deo vel proximo injuriatur, proditor

Vtilitas harum virtutum.

Hæ virtutes veriores divitiæ ſunt quam aurum &c.

1.

2.

3.

Quantum proſint homini hæ virtutes.

Prudentia.

Fortitudo.

Temperantia.

Iuſtitia.

eſt cùm hoc faciat patri vel fratri, ideò dignus eſt morte à qua juſtitia liberat. Prov 11. *Non proderunt divitiæ in die ultionis, juſtitia autem liberat à morte.*

DE EADEM DOMINICA.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

In quibus peccator arundini ſimilis ſit, & quod Ioannes & juſtus vir ei ſimilis non ſit.

SERMO XIII.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? &c,

Peccator ſimilis eſt arundini.

IN arundine peccator ſignificatur, eo quod arundini in multis aſſimiletur. *Primo* in hoc, quod
1. arundo habet radicem in luto vel fluido, non terra ſolida. Sic peccator non habet intentionis radicem, vel amoris in terra viventium, ſed in re tranſitoria, quod eſt principium omnium malorum. Amor enim mundi ſecundum Auguſtinum, eſt totum & ſolum hominis malum. Radicem in ſolido figi voluit Deus, cùm dixit: *Quærite primùm regnum Dei.* Matth. 6. Radix oſtendit de qua terra ſit arbor.

In terrenis cor fixum habens, tria timere debet.

Tria multùm timenda ſunt homini, qui invenit radicem cordis ſui fixam in re tranſitoria. *Primum* eſt, ſi nimis profundè fixa ſit, ut ſcilicet res illa tranſitoria Deo præponatur. Et debet multùm dolere, quando rem illam reſpicit, quam plus diligit quàm Deum, pro illa enim Deum negavit. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligit, ut dicit Gloſ. ex Auguſt. ſuper illud Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.* Res illa gladius eſt, quo diabolus eum ad mortem vulneravit. Ideo bene dicitur Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, ſcilicet quia parùm fixerunt ſpiritum in terrenis iſtis. *Secundum* eſt ſi radicem cordis in multis rebus tranſitoriis poſuit, ſicut ille, qui multas habebat poſſeſſiones. Matth. 19. Occaſione ejus dixit Deus illud verbum: *Amen dico vobis quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum, funiculus triplex difficile rumpitur.* Eccleſiaſtæ 4. Sed multo difficilius funiculus decuplex. *Tertium* eſt ſi diuturnitate temporis radices corroboratæ ſunt. Non transfertur arbor poſtquam ſenuit. Ideo Dominus voluit primùm quæri re-
2. gnum Dei. Matth. 6. *Secundo* arundo exterius habet nitorem, interiùs vacuitatem. ſic ſecundùm Auguſt. Cùm iniquis omnia pulchra ſunt, & ipſi
3. ſunt turpes. *Tertio* arundo habet debilitatem, unde non eſt ſecurum ei inniti, de facili enim frangitur, & innitens læditur: ſic non eſt tutum confidere in peccatore, licet potens videatur. Jerem 17. *Maledictus qui confidit in homine.* Iſa. 36. *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum. Cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus & perforabit eam.* Debilitas poteſtatis terrenæ deſignata eſt in arundine poſitâ ad illuſionem in manu Chriſti pro ſceptro. Matth. 27. Ec-
4. cleſiaſtici 10. *Omnis potentatus brevis vita.* Et ſubditur: *Rex hodie eſt, & cras morietur. Quarto* arundo de facili movetur. Sic peccator ad omnem ventũ tentationis mutatur. Eccleſiaſtici 27. *Stultus ſicut luna mutatur.* Ejuſdem 5. *Non te ventiles in*
5. *omnem ventum. Quinto* habet arundo lanuginem pro fructu: ſic peccator in fine non invenit fructum operum ſuorum Sap. 5. *Spes impij quaſi lanugo, quæ à vento tollitur.* Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis in quibus nunc erubeſcitis.*

Joannes in his arundini ſimilis non fuit.

Joannes arundo non fuit, non enim radicem amoris in mundo iſto habuit, ſed in Deo, fuit enim perfectæ temperantiæ, quæ temperantia eſt amor integrum ſe præbens ei quod amatur, ut dicit Aug. Joannes vacuus non fuit, immo repletus Spiritu ſancto ex utero matris ſuæ, ut prædixit Angelus. Lucæ 1. Joannes flexibilis ad malum non fuit, quia mors eum à veritate deviare non fecit, nec gloria, qua Chriſtus reputari potuit: elegit enim ſolidè ſubſiſtere in ſe, ne inaniter raperetur ſuper ſe, ut dicit Gregor. Non fuit etiam ſine fructu, fuit enim terra ferens fructum centeſimum, cùm habeat aureolam tribus de cauſis, quia virgo, prædicator & martyr. Vir juſtus *etiam* arundo non eſt, mentem enim habet fixam in cœlo, juxta illud Phil. 3. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Ipſe vacuus non eſt. Primo Corinthiorum 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Non etiam flexibilis ad diverſos ventos tentationis. Eccleſiaſtici 15. *Firmabitur in illo, & non flectetur.* Fiducia in Deo firmat ſanctos. Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem*, ſcilicet divinam. Et *notandum* quòd ſicut ille qui pontem tranſit, vel alium locum periculoſum forti vento flante deſcendit ad terram, ſic ſalubre conſilium eſt homini contra ventum detractionis flantem vel adulationis, deſcendere per conſiderationem terrenitatis & fragilitatis ſuæ; tunc enim cognoſcet non eſſe mirum ſi ſibi detrahitur, & ad laudem ſui erubeſcet, quia qui falsò prædicatur, neceſſe eſt ut ſuis laudibus erubeſcat, ut dicit Boëtius. Item vir juſtus non eſt ſine fructu, Sap. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.*

Vir iuſtus arundini ſimilis non fuit.

Remedium contra detractiones & adulationes.

Vel in arundine peccator deſignatur, qui in luto habet radicem per luxuriam, vacuus eſt per avaritiam, agitatur per ſuperbiam. Per arundinem poteſt ſignificari ſpiritualiter Hypocrita, qui exterius lucet per decorem exterioris converſationis, intus vacuus eſt quia non habet veritatem virtutis, qui ad modum arundinis ad ventum detractionis vel adulationis in diverſas partes flectitur. In hac arundine diabolus dormit ſecundum illud Job 40. *Sub umbra dormit in ſecreto calami.* Quis enim excitet ibi dormientem, cùm Chriſtus credatur ibi dormire. Hæc eſt *etiam* arundo illa, quæ Chriſtum ſitientem aceto potavit. Matth. 27. Sitit ſalutem noſtram & bonitatem, ſed hypocrita ſpeciem ei propinat bonitatis, ſicut acetum ſpeciem habet boni vini, & tamen non eſt bonum vinum. Arundo iſta aliquando dulcem ſonum emittit, ſed dulcedinem iſtam non percipit. Multa enim verba hypocritæ dulcia proferunt, ſed dulcedinem illam non ſentiunt, ſunt enim velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, 1. Corinth. 10.

Arundo ſignificat peccatorẽ, Hypocritã tripliciter. 1.

Diabolum. 2.

3.

DE EADEM.

SERMO QUINTUS.

SUMMARIUM.

Clauſtrum deſerto & Clauſtrales iis quæ in deſertis inveniuntur, maximè feris comparantur. In fine docetur, quàm ſit periculoſa hominum frequentia.

SERMO XIV.

Quid exiſtis in deſertum videre, &c.

Duo tractantur hoc ſermone de Clauſtro. 1.

PRimum videndum eſt quare clauſtrum vocetur deſertum, *deinde* quæ debeant quæri & inveniri in hoc deſerto. Circa primum notandum, quod clauſtrum poteſt dici deſertum, quia medium eſt inter Ægyptum hujus mundi & terram promiſſionis. Per illud eſt via recta de mundo in cœlum. Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi?* quæ rectè tendit in altum? In hoc deſerto videtur *ignis in rubo.* Exod 3. idest, deitas humanæ naturæ ſociata, dum conſideratur beneficium paſſionis. Ibi invenitur *manna* ſpiritualis conſolationis. Num. 11. Ibi eſt *lignum dulcorans aquas Marath.* Exod. 15. Lignum, inquam, crucis. Ibi eſt *rubus ardens*, qui non conſumitur, quia vir juſtus ibi fortior tribulationibus efficitur. *Vel* poteſt deſertum dici clauſtrum, eo quòd à mundo deſertum reputatur, cùm in veritate paradiſus ſit deliciarum. Hieron. in Epiſtolis. Oppidum mihi carcer eſt, ſolitudo paradiſus. Sic Dominus vocat cœlum deſertum,

Clauſtrum vocatur deſertum. 1.

Quæ inveniantur in hoc deſerto.

Luc. 15. *Nonne dimittit nonaginta novem in deſerto?* eo quòd homines nolunt ibi mente habitare, ac ſi eſſet deſertum. Cauſa autem quare aliqui deſertum reputant clauſtrum eſt hæc: quia illud tantùm reſpiciunt exterius. Clauſtro enim convenit illud Pſalm. 50. *Qui videbant me, foras fugerunt à me.* Ibi ſub deformitate latet pulchritudo ſecundùm illud. Pſalm. 41. *Omnis gloria filiæ regis, abintus.* Sub aſperitate victus jucunda refectio. Deut. 8. *Afflixit te penuria, & dedit manna.* Sub ſolitudine jucunda familiaritas Dei & angelorum. In deſerto locutus eſt dominus cum Judæis. Exodi 20. De cœlo locutus ſum vobis. Ibi angelus eos præceſſit. Exodi 32. *Precedet te angelus meus.* Bernard. in epiſtolis. Cum quo Deus eſt, nunquam minùs ſolus eſt, quàm cùm ſolus eſt. Oſeæ 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus:* ſequitur videre quid quærendum ſit, & inveniendum in deſerto clauſtri.

Cur horreant Clauſtra.

Quæ bona ſpiritualia ſint in clauſtris.

II. Et ſunt tria quæ ſolent homines videre in deſerto, ſcilicet flores, magnas arbores, & feras. Similia in deſerto clauſtri inveniri deberent. De *primo* Hieron. in epiſtolis ô deſertum Chriſti floribus vernans. O Eremus familiàrius Deo gaudens. Flores Chriſti ſunt pietas, virginitas, charitas, patientia, manſuetudo, humilitas & eorum opera. Eccleſiaſtici 24. *Flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Ad iſta maximè provocavit nos Chriſtus exemplo ſuo. His floribus debet redolere deſertum clauſtri. Odorem iſtum debet ſentire qui accedit, niſi mortuus ſit & fœtidus. Bernard. Qui non ſentit odorem tuum Chriſte; aut mortuus aut fœtidus eſt. Imò quandoque mortui odore iſto ſuſtentantur. 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt. Aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.*

Ut in deſerto, ita in clauſtro tria inveniuntur.

1. Flores id eſt, variæ virtutes.

Odor horum florum qualis.

In deſerto iſto inveniuntur, *magnæ arbores.* Nemus juxta civitatem frequenter exſtirpatur, & vinea juxta viam à tranſeuntibus vindemiatur. Unde David Pſal. 79. *Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.* Arbores etiam juxta viam damnificantur & in foliis & in fructibus: ſic qui ſunt juxta mundum, & in foliis verborum & in fructu operum jacturam magnam patiuntur. Vix poteſt aliquis eſſe juxta civitatem hujus mundi, quin per mortale ſæpe ſuccidatur, niſi homo ſe abſcondat. Senec. Abſconde te in ocio, imò ocium abſconde. Idem. Hoc in ocio facio, ulcus meum curo, ſi oſtenderem tibi pedem vel manum turgidam, aut contractæ carnis aridos nervos, promitteres mihi uno loco jacere & fovere morbum meum. Majus malum eſt, quod non ſi poſſum tibi oſtendere. *Feræ* dicuntur etiam ibi inveniri. Bernard. ad fratres de monte Dei. Aliud nomen profeſſioni veſtræ imponite, potiùs feras indomitas & incaveatas, quæ aliter communi hominum more domari non poterant, vos æſtimate & appellate. Feram ſe reputat ille, qui indomabilitatem ſuam recognoſcit, & corpus ſuum negligit, & homines fugit. Hominis tanta eſt indomabilitas, quòd nec unum membrum domari poteſt, lingua ſcilicet ſecundùm Jacobum 3. *Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentum & ceterorum domantur, & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Clauſtralis memor eſſe debet quoties ad modum apri homines dente perimerit, quoties ad modum tauri cornupetæ capite cordis per odium vel iram ſe hominibus illiſerit; quoties ad modum ſerpentis venenum malæ ſugeſtionis vel detractionis effuderit; quoties ad modum aſpidis viſu ſuos alios infecerit, qui oculos ſuos cohibere non potuit per totam vitam à curioſitate. Auguſt. Non dicatis habere vos animos pudicos, ſi oculos habetis impudicos. Negligere etiam debent qui ſunt in clauſtris corpus ſuum, & naturalibus deſideriis attenti eſſe. Senec. Neſcis te opinione laborare, non re: pauper es, quia videris, nihil deeſt avibus. Ambroſ. Pecora in dies vivunt, feris in alimentum ſolitudo ſua ſufficit ſecundùm illud. 2. Mach. 5. *Judas ſeceſſerat in deſertum locum, ibique inter feras cum ſuis vitam in montibus agebat, & fœni cibo veſcentes demorabantur, ne participes fierent coinquinationis.* Geneſ. 1. aſſignavit dominus eandem eſcam hominibus & jumentis. *Ecce*, inquit, *dedi vobis omnem herbam* &c. *ut ſint vobis in eſcam & omnibus animantibus terræ.* Fugere autem debent clauſtrales homines. Senec. Quotiens inter homines fui, minùs homo redii. Idem, fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge unum, fuge teipſum. Eccleſiaſtici 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis. Aſſidua enim eſt commiſſio illorum.* Ex hoc, quòd clauſtralis quaſi ſilveſter eſt, *tria bona* proveniunt. *Primum* decor exterioris converſationis, ſicut animalia ſilveſtria pulchriorem habent pellem, quam domeſtica. *Secundum* quòd libentius videtur ab hominibus onager quàm aſinus domeſticus. *Tertium* eſt Dei familiaritas, quam non habet qui eſt mundo familiaris. Inimici enim ſunt Deus & mundus. Jacob. 4. *Adulteri neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicunque ergo voluerit amicus eſſe hujus ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.* Bernard. O anima, ſola eſto, ut illi ſoli te ſolam ſerves, quem ex omnibus elegiſti. Idem. Dei filius verecundus amator eſt, & non vult ſponſæ ſuæ ſecreta ſua revelare in publico. Et *notandum* quòd non videtur minùs periculoſum venire inter homines quàm inter lupos. Unde interrogatus quidam philoſophus, quid eſſet inimiciſſimum homini, reſpondit, alter homo. Veniens inter homines videre debet & videri & occidere, & occidi, & lædere & lædi. Periculoſum eſt videre & videri, audire & audiri. Bernard. Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Idem fœdè moveris ad cachinnos, fœdius moves. Senec. Quo major populus cui miſcemur, hoc periculi plus eſt. Nil tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo reſidere: ſæpe avarior, luxurioſior, ambitioſior redeo. Idem. Unum exemplum avaritiæ vel luxuriæ multum mali facit. Quotiens proceſſeris, in ipſo tranſitu ſunt aliqua quæ revocent. Cupiditates enim tibi occurrent. Oculi hominum quaſi vim faſcinandi habent, bona noſtra quo ad valorem ſæpe adnihilant. Ad modum baſiliſci viſus hominum occaſionaliter nos interficit, ſolo ore lupus nobis nocet; homo non ſolo ore; nec minùs etiam ore quàm lupus, quaſi enim ignis exit ab ore hominis. Jacob 3. *Lingua ignis eſt*, &c. Eccleſiaſtici 28. *Plaga linguæ comminuet oſſa.* Præcipuè timendum eſt venire inter homines, cùm ſint plures. Senec. Subducendus eſt populo; tener animus, & parùm tenax recti. Nemo noſtrum impetum vitiorum tam magno comitatu venientium ferre poteſt. *Specialiter* verò imminent pericula oculo intentionis, cùm homo venit inter homines, qui theſaurus vocatur à Gloſ. ſuper illud. Matth. 12. *Bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona* De facili enim projicit homo intentionem ſuam in proximum ſibi hominem.

2. Arbores. Clauſtrales quales ſint arbores.

3. Feræ. Indomitæ feræ quomodo ſint Clauſtrales.

Feris ſilveſtribus in quibus ſimiles eſſe debebant Clauſtrales.

Tria inde bona proveniunt.

Convictus & frequentia hominum quàm ſint periculoſa.

Maximè intentioni nocent.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Breviter explicatur Evangelium, & duo dubia circa illud explicantur.

Miſerunt

Miſerunt Judæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem &c. *Joan.* 1.

SERMO XV.

quid priori & hac Dominica agatur in Evangelio.

IN Evangelio dominicæ præcedentis Eccleſia ad fidei confirmationem duos diſcipulos Joannis dubitantes de Chriſto nobis propoſuit, & teſtimonium operum Chriſti, certificans eos, ſubjunxit. In Evangelio præſentis dominicæ ad ejuſdem fidei confirmationem introducit Eccleſia nuncios Judæorum miſſos ad Joannem, & teſtimonium Joannis de Chriſto.

Hoc Evangeliũ quatuor tractat.

Et continet Evangelium hodiernum *quatuor*, ſcilicet nunciorum deſcriptionem, eorum interrogationem, Joannis reſponſionem, loci, in quo hæc facta ſunt, determinationem.

1\. Nuncii ad Joannem miſſi quales fuerint.

Ubi deſcribuntur nuncii, oſtenduntur eſſe ab Hieroſolymis miſſi, ubi erat conſilium & judicium. Item oſtenduntur litterati, ubi dicitur, quòd erant ſacerdotes & levitæ: & religioſi, ubi dicitur, quod erant ex Phariſæis. Ex quibus colligitur quòd erant fide digni. Unde apparet inexcuſabiles eſſe Judæos, qui ad teſtimonium Joannis, qui maximæ opinionis erat inter eos, acceptum per nuncios fide dignos, credere noluerunt.

2\. Interrogatio nunciorũ duplex.

Nuncii verò *primo* interrogant de perſona Joannis, ibi: *Tu quis es?* *Deinde* de authoritate officii, ibi: Quid ergo baptizas?

3\. Reſponſio Ioãnis ad 1. Reſponſum ad 2. habet Ser 3.

Joannes verò reſpondens ad interrogationem de perſona, *primo* negat ſe eſſe, quod non erat, ibi: *Et confeſſus eſt*, ſecundò aſſerit de ſe, quod erat; ibi: *Ego vox clamantis in deſerto.* Litteram ſic intellige: & confeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum, & non negavit ſe eſſe præcurſorem. *Et confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus.* Interlin. Ecce humilitas Joannis, qua nihil majus eſt, cùm poſſet Chriſtus credi. *Et interrogaverunt eum.*

Duarũ QQ. & RR. explicatio & dubiorum circa illas enodatio.

Quis ergo! (ſupple) *es tu? Elias es tu?* ſecundùm Chryſoſtomum, qui fuit Græcus, non fuit alia cauſa quare quærunt de Elia, niſi quia Elias apud eos major cæteris habebatur: ſecundùm Latinos verò ideo, quia in illo præceſſerat figura Baptiſmi, quando diviſo Jordane ipſe & Heliſæus tranſierant. 4. Reg. 2. Et dixit Joannes: non. Matth. 11. dicit dominus de Joanne. *Si vultis recipere, ipſe eſt Helias*, & ejuſdem 17. *Dico vobis quod Helias jam venit*, & ſubditur. *Tunc intellexerunt, quod de Joanne Baptiſta, dixit eis.* Solutio Cùm in creatura tria reperiantur, ſubſtantia, virtus, & operatio, Joannes negat ſe eſſe Heliam quantum ad ſubſtantiam. Chriſtus verò dicit Joannem Heliam quantum ad virtutem & operationem. *Propheta es tu?* ſecundùm Chryſoſtom. ſuper Matth. quærunt de illo, quem parem Moyſi expectabant, de quo Deuter. 18. *Prophetam ſuſcitabit tibi Deus de fratribus tuis ſicut me, ipſum audies.* Secundùm Latinos quærunt de Heliſæo, in quo figura Baptiſmi præceſſit ſicut in Helia. 4. Reg. 2. *Reſpondit, non ſum.* Secundùm expoſitiones poſitas nulla eſt quæſtio, ſed quædam Gloſ. Generaliter accipiens prophetam quæſtionem movet, qualiter negat ſe eſſe prophetam, Matth. 11. Et ſecundùm unam. Gloſſa dicit, quòd Joannes loquitur cum præciſione, ut ſit ſenſus. Non ſum propheta. Tamen alia Gloſſa accipit prophetam pro prædicente futura dicens: non ſum propheta, quia non prænuncio futura, ſed oſtendo præſentem.

Explicatio, aliorum dictorum Evangelii.

Quis es? Quid dicis de te ipſo? ait Joannes, Ego vox clamantis in deſerto &c. Iſa. 40. Vox verbum internum præcedit, & illud indicat, & ei cedit: ſic ſe habuit Joannes, ad verbum æternum incarnatum. Joan. 3. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ego ſum vox verbi clamantis in me manente in deſerto. Matth. 10. *Non vos eſtis qui loquimini ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* David Pſalm. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ.* In deſerto, inquam, Judeæ ad differentiã deſerti Ægypti. Et bene dicitur *clamantis*, cùm vocaret Judæos, qui erant ſurdi. Iſa. 24. *Surdi audite*, clamantem inquam, *Dirigite*, id eſt, rectam facite viam domini. Rectum eſt cujus medium non exit ab extremis. Chriſtus eſt alpha & omega, principium & finis. Apoc. 1. Ab his extremis non exit, qui ſicut omnia habet à Deo, ſic operibus ſuis ad eum tendit, & per ea ipſi placere intendit.

4\. Locus ubi hæc facta ſunt, quis fuerit.

De loco ubi hæc acciderunt, habes in ſermone tertio.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explanatur thema, & 1. cauſæ quatuor afferuntur cur Mundus deſertum vocari & haberi poſſit. 2. aliquot rationes, quare Deus clamans & Ioannes cæterique prædicatores vox clamantis, Dei nimirum, cenſendi ſint: duplicem eſſe viam Diaboli & Dei, quales eæ ſint, & quo modo via Dei in quinque ſtatibus præparanda ſit.

Ego vox clamantis in deſerto &c.

SERMO XVI.

1\. Mundus eſt deſertum ob 4.

DEſertum in quo Deus clamat poteſt intelligi mundus iſte, qui in multis deſerto aſſimilatur. Deſertum eſt locus *hominibus vacuus*, *abundans beſtiis*, *tranſeuntibus horribilis*, *deficiens bonis*.

1\. Pauci verè homines ſunt in Mundo.

Quia *vacuus eſt hominibus*, ideò dicitur ſolitudo. Deut. 8. *Ductor tuus fuit dominus in ſolitudine magna*: ſic in mundo iſto pauci ſunt vere homines, etſi multi ſunt exterius hominibus ſimiles. Multæ ſunt ſimiæ in mundo iſto. Eccleſiaſt. 9. *Pauci in ea viri.* Ierem. 4. *Intuitus ſum, & non erat homo.* Pauci ſunt qui rectitudinem animi ſervent, cujus figura eſt rectitudo corporis. Philoſ. Cætera animalia natura dejecit ad paſtum, hominem verò erexit ad ſidera. Bernard. puto jumenta dicerent, ſi loqui fas eſſet: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis.* Geneſ. 3. Item Bernard. Rectus dominus! & non eſt iniquitas in eo. Pſal. 91. Rectus ergo dominus hominem rectum fecit, ſtaturam dedit Deus homini rectam forſitan, ut iſta rectitudo exterioris viliorisque figmenti, illum interiorem qui ad imaginem Dei factus eſt ſpiritualis ſuæ conſervandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid indecentius, quam curvam recto corpore gerere animam? Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Belluinus eſt homo amando talia, qualia belluæ. Item in eodem. Non diſcordet cor tuum à facie tua. Non habeas faciem ſurſum & cor deorſum.

Peccatores variis beſtiis ſunt ſimiles.

In deſerto hujus mundi *multæ ſunt beſtiæ*, multa ſunt ibi venenata animalia per malignitatem. Deut. 8. *In qua erat ſerpens flatu adurens & ſcorpio ac dipſas.* Pſal. 57. *Furor illius ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis.* Eccleſiaſtæ 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minùs eo habet, qui occulte detrahit.* Multi ſunt ibi urſi & leones propter rapacitatem. Proverb. 28. *Leo rugiens & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* Dan. 7. *Ecce beſtia alia urſo ſimilis*, cui dictum eſt. *Surge, comede carnes plurimas.* Sophon. 3. *Principes ejus in medio ejus quaſi leones rugientes, Iudices ejus lupi veſpere, non relinquebant in mane.* Multi etiam pardi ſunt ibi per varietatem & Hypocriſim. Dan. 7. *Ecce beſtia alia quaſi pardus & alas habebat, quaſi avis.* Multæ videntur eſſe aves, quæ in veritate ſunt reptilia, repunt enim pectore & ventre, id eſt, ſolicitudine & amore circa terrena. Multæ ſunt hyenæ per crudelitatem. Hyena in corpora mortua deſævit. Ierem. 12. Secundùm aliam literam: *facta eſt hæreditas mea quaſi hyena.* Multi non timent deſævire in pauperes, quorum

vita eſt genus mortis. Detractores etiam non timent ſepelire mortuos in peccatis, & ſic corrumpunt alios. Multi etiam ſunt ibi heritii per aſperitatem Iſa 34. *Ibi foveam habuit heritius*, Multi ſunt apri ibi per iram. Pſal. 79. *Exterminavit eam aper de ſylva.* Multi vulpes per doloſitatem. Luc. 13. *Dicite vulpi illi*, loquitur de Herode Judic. 15. Sampſon colligavit caudas vulpium. Mirantur aliqui quomodo Sampſon tot vulpes invenire potuit, ſed multo plures invenirentur in deſerto hujus mundi.

3. Deſertum etiam hujus mundi *terribile hominibus eſt tranſeuntibus.* Tranſeuntes ſunt contemptores hujus mundi, qui dicunt illud. Hebr. ult. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Pſal. 38. *Advena ſum apud te & peregrinus.* Hebr. 11. dicitur. *Expectabat*, Abraham, *fundamentum habentem civitatem*, & ſubditur de antiquis prioribus: *confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Deut. dicitur quod *Deus amat peregrinum, & dat ei victum & veſtitum.* Tali tranſeunti terribile eſt deſertum hujus mundi, timet enim quicquid videt in hoc mundo. Scit enim quod *creaturæ in odium hominis factæ ſunt & in tentationem animæ hominum.* Sap. 14. Eccleſiaſtici 18. *Homo ſapiens in omnibus metuit.* Tunc magis timet mundum, cùm ei blanditur, ſciens illud eſſe verum de mundo. *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt tenete eum.* Matth. 26. Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt ira riſu.* Proverb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis*

4. Deſertum etiam mundi multum eſt *deficiens veris bonis.* Deut. 8. dicitur de deſerto, per quod tranſierunt filii Iſrael, quod ibi nullæ erant omnino aquæ: ſic in deſerto hujus mundi: nec una gutta gratiæ eſt, niſi de cœlo veniat. Proverb. ult. dicitur de ſapiente muliere, quòd de longè portat panem ſuum. Nonne magnus defectus bonorum, ubi neceſſe habemus panem noſtrum quotidie mendicare? Auguſt. Qui panem quotidianum petit dives, pauper factus eſt.

11\. Deus eſt clamans in Mundo ſecundum tria tempora. Deus 1. clamavit triplici clamore.

Clamans in hoc deſerto, eſt Deus, *Clamavit* Deus in hoc mundo, & *clamat*, & *clamabit. Triplici* clamore jam clamavit. *Primus* fuit *generalis, ſecundus ſpecialis, tertius ſingularis. Generalis* fuit *clamor*, quo clamavit in univerſitate creaturarum, qui clamor monebat homines, ut auctorem eorum eſſe verum Deum cognoſcerent, & ut maximum benefactorem diligerent.

1\. Generali per creaturas dupliciter.

2\. Vt cognoſcatur.

De cognitione tangit. Aug. 11. libro de civitate Dei. Exceptis, inquit propheticis vocibus, mundus ipſe ornatiſſima ſua mirabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inviſibiliter fieri ſe potuiſſe proclamat. Idem 10. libro confeſſionum. Interrogavi de Deo meo, cœlum, ſolem, lunam & ſtellas, & inquiunt, neque nos ſumus Deus quem quæris. Et dixi, omnibus quæ circumſtant carnem meam: dicite de Deo meo aliquid, & exclamaverunt voce magna, ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & reſponſio eorum, ſpecies eorum, flores & alia quæ producit terra, quæ eſt infimum elementum & pedibus omnium calcatur, ſpeciem talem nobis oſtendunt, qualem homo qui eſt digniſſima creaturarum non poſſet facere. Unde oſtenſione illius ſpeciei apparet majorem homine eſſe qui talia fecit, & quod terra talia facere per ſe non poteſt.

Vt diligatur.

De *dilectione* tangit. Auguſt. 11. libro confeſſionum dicens. Domine cœlum & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt: Ecce undique dicunt mihi ut amem te, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. Ad amandum Deum monent creaturæ, quæ ſunt ejus beneficia, ad incitandum enim aliquem ad amandum alium, efficacior eſt donatio, quàm locutio. Auditum hujus clamoris impedivit amor concupiſcentiæ: Proverb. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes: affer, affer.* Sanguiſuga eſt ſuperbia diaboli ſanguinem noſtrum ſitiens, cujus filiæ ſunt concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum, quæ in multis impediunt, ne clamorem audiant creaturarum. De ardore concupiſcentiarum exit velut quidam fumus, multum impediens viſum animæ, ne ea, quæ creaturæ ei de Deo innuunt, agnoſcat. Aug. 1. libro confeſſionum: Aſpergis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.

Auditum hujus clamoris quid impediat. Superbia duas habet filias.

2\. Speciali per viros ſanctos ut contemnatur Mundus,

Specialis clamor fuit per viros à Deo edoctos, qui clamabant, quòd mundus tranſibit. Hunc tranſitum clamavit Moyſes figuraliter. Eductio enim de Egypto & inductio in terram promiſſionis ad contemptum mundi, & amorem cœleſtium figuraliter invitabat. Idem Prophetæ clamaverunt: Iſa. 40. *Vox (Domini) dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum eſt, & omnis gloria ejus quaſi flos agri.* Item Salomon Eccleſiaſtæ: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Ejuſdem 3. *Suis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo.* Idem clamaverunt Apoſtoli 1. Corinth. 7. *Preterit figura hujus mundi.* 1. Joan 2. *Tranſit mundus & concupiſcentia ejus.*

3\. ſingulari per Chriſtum. Diſcrimen huius & prioris clamoris.

Singularis clamor fuit, clamor Chriſti, diſſimilis clamori aliorum. Illi clamabant ne homines temporalia concupiſcerent contra clamorem concupiſcentiæ; ſed non poterant dare id, quo ſitis concupiſcentiæ ſedaretur, quod Chriſtus potuit. Unde ſitientes tranſitoria iſta ad ſe vocavit. Joan. 7 *Stabat Ieſus & clamabat dicens. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Ejuſdem 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Auguſt. Qui biberit de fluvio paradiſi, cujus gutta una eſt major Oceano, reſtat ut in eo ſitis hujus mundi extincta ſit. Alii diſſuaſerunt concupiſcentiam; Chriſtus verò concupiſcentiam ſuaſit, ſed virorum bonorum. Auguſt. ſuper Pſal. 33. *Quis eſt homo qui vult vitam?* Omnes, inquit, reſpondiſtis in corde veſtro: ergo quem quæritis & ego quæro deſiderium veſtrum. Quod vultis vitam & dies bonos non ſolum non reprimo, ſed vehementer attendo, Prorſus quærite vitam, quærite dies bonos, ſed ubi poſſunt inveniri, ibi quærantur.

2\. Deus clamat tempus in membris ſuis.

Clamat etiam Deus in mundo iſto in membris ſuis: ad quem clamorem multi obturant aures ſuas, non atttendentes illud. Prover. 21. *Qui obturat aures ſuas ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur.* Hujus clamoris figura eſt clamor quem emiſit in cruce Matth. 27. *Deus meus ut quid dereliquiſti me?* In pauperibus eſt Chriſtus, nullum enim habent conſolatorem. Eccleſiaſtæ 4. *Vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur & lachrimas innocentum, & neminem conſolatorem.*

3\. Deus in iudicio extremo clamabit duplici clamore.

Clamabit etiam Deus in futuro. *Vnus clamor* erit per angelos præcurſores judicii. Matth. 25. *Ecce ſponſus venit* &c. Alius clamor. Surgite mortui & venite ad judicium, quem clamorem audient mortui. 1. Corinth. 15. *Canet enim tuba & mortui reſurgent incorrupti. Alius clamor* erit. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*: vel, *Venite benedicti* &c. Matth. 25. Qui alios clamores Dei audire noluerint, ad minùs tunc audient. Amos. 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* Clamor ille tonitru vocatur. Job. 26. *Cum vix parvam ſtillam ſermonis ejus audierimus, tonitruum magnitudinis illius quis poterit intueri.*

De hoc à concionatoribus monendi iniqui iudices &c.

Vox Dei clamantis prædicator eſt, qui ad populum clamorres prædictos habet deferre. Clamor judicii deferendus eſſet ad iniquos; qui ita judicant, ac ſi nunquam eſſent judicandi, eis eſſet dicendum illud. Iob. 19. *Et ſcitote judicium*: & ne credant eis eſſe parcendum, ſicut judices iniqui gratiam faciunt divitibus frequenter. Eſſet eis dicendum dictum illud: Sap. 6. *Iudicium duriſſimum*

in iis, qui præſunt fiet. 2. Paralip. 19. *Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, ſed domini. Quidquid judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite* &c. Oppreſſoribus pauperum illud eſſet dicendum. Job. 36. *Judicium pauperibus tribuet. Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt.* Sap. 5.

Quia prædicator vox Dei eſt, tria notet. Et notandum quòd in hoc, quòd Joannes qui prædicator fuit, per ſpiritum ſanctum, ſe vocem dicit: *primo* oſtendit prædicatoris auctoritatem, *ſecundo* monet prædicatorem ad fidelitatem, *tertio* monet ad doctrinæ integritatem.

De 1. Circa *primum* notandum quòd eadem eſt actio inſtrumenti, & utentis inſtrumento, & qui audit vocem alicujus, audit ipſum. Sic qui audit prædicatorem, audit Chriſtum. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hierem. 15. *Si ſeparaveris precioſum à vili, quaſi os meum eris.*

2. Circa *ſecundum* notandum, quòd vox indicat animum loquentis. Voces enim ſecundùm Philoſophum ſunt notæ earum paſſionum, quæ ſunt in anima. Sic prædicator non ſe debet oſtentare, ſed Chriſtum glorificare exemplo Chriſti. Ioan. 8. *Ego non quæro gloriam meam*, aliter eſt infidelis.

3. Circa *tertium* notandum quòd partes vocis voces ſunt, ut ſyllabæ. Sic ergo in prædicatore omnia debent eſſe prædicantia, aliter doctrina ejus non eſt integra. 1. Timoth. 4. *Exemplo eſto fidelium in verbo & in converſatione.* Tit. 2. *In omnibus te præbe exemplum bonorum operum.* Hieron. ſuper Exod. ubi loquitur de veſte ſacerdotali. Omnia, inquit, ſacerdotalia debent eſſe vocalia, ut veritatem quam mente concipit, habitu reſonet, ut quicquid agat, quicquid loquitur, de æternis ſit.

III. Explicatur eo dicta et Evangelio. *Dirigite viam domini*, Matth. 3. ſic habetur. *Parate viam domini, rectas facite ſemitas ejus.* Iſa. 40. ſic habetur, *parate viam domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Via paratur, cùm prava abjiciuntur. Hierem. 50. *Tollite de via lapides.* Semita recta fit, cùm conſilia ſervantur.

Via eſt duplex. Et notandum quòd eſt *via domini*, & eſt *via diaboli*.

1. Diaboli, tria habens incōmoda. *Via diaboli* eſt *laborioſa, infructuoſa, pericoloſa*, & ideo derelinquenda eſt. Iſa. 55. *Derelinquat impius viam ſuam* &c. Eccleſiaſtici 3. *Non credas te via laborioſa.*

Eſt laborioſa ob quinque. Ad hoc quòd via ſit *laborioſa quinque faciunt. Primum* eſt *viæ longitudo* ſeu *infinitas*, propter quam mali continuè laborant, & de die, & de nocte. Hierem. 16. *Servietis diis alienis die ac nocte qui non dabunt vobis requiem.* Guloſus de die laborat delicias præparando, de nocte vero nimia repletione vexatur. Eccleſiaſtæ 2. dicitur de avaro. *Cunctis dies ejus doloribus & ærumnis pleni ſunt.* Senec. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia, ubi deſinant non habent. Idem. Viam eunti aliquid extremum, error immenſus eſt. *Secundum* eſt *via tenacitas*. Geneſ. 14. *Vallis ſilveſtris multos habebat puteos bituminis.* Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Picem vocat temporalia, propter tenacitatem. *Tertium* eſt *oneris gravitas.* Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Non habet veram quietem qui eſt

Peccatum quantum ſit pondus. in peccato. Iſa. 58. *Solve faſciculos deprimentes.* Peccatum onus eſt, quod cœlum non ſuſtinuit, nec ad ultimum terra ſuſtinebit, immo neceſſario ad infernum deſcendet. *Quartum* eſt *viæ arduitas*, aſcendendo enim mali incedunt, quærunt enim apparentiam. Chryſoſtomus. Tolle hoc vitium, ut non velint homines hominibus apparere, & ſine labore omnia vicia reſecantur.

Tētationes quadruplices ad ſimilitudiné 4. ventorum. *Quintum* eſt *ventorum vehementium varietas.* Undique percutitur peccator ventis tentationum. Ab oriente enim percutit ventus ſuperbiæ procedens ex nobilitate generis; ab occidente dejicitur terrore mortis, ab auſtro proſperitatis quaſi à dextris elevatur; ab aquilone adverſitatis quaſi à ſiniſtris dejicitur. Auguſtin. Si bene eſt, times: Si male, doles. Proverb. 1. *Averſio parvulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos.* De his ventis legitur Matth. 7. *Flaverunt venti* &c. Eccleſiaſtici 5. *Non te ventiles in omnem ventum.* Iob. 21. *Erunt ſicut palea ante faciem venti.*

Et licet adeo laborioſa ſit via diaboli, tamen mali non ſentiunt, quia inebriati ſunt. Thren. 3. *Inebriavit me abſynthio.* Gregorius Abſynthio ebrius eſt, qui præ amore præſentis ſæculi à ſenſu mentis alienus, quicquid pro mundo ſuſtinet, leve putat. Laboris amaritudinem, quem tolerat, ignorat, ſed quod modò non intelligunt mali, in inferno intelligent. Sapient. 5. dicunt damnati: *laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem domini ignoravimus.* Mali cur in hac vita laborē huius viæ non ſentiant. Sentient in inferno.

Via etiam diaboli *infructuoſa* eſt. Sap. 3. *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu.* Pſalm. 24. *Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè.* Bernard. An non ſupervacuè iniqua agit, qui non ſolùm fructuoſiùs, ſed jucundiùs potuit Deo ſervire quàm mundo. Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis tunc in quibus nunc erubeſcitis?* Meritò erubeſcent, qui de ſe ipſis tam vile forum fecerunt, & tantum theſaurum pro tam vilibus mercibus commutaverunt. Infructuoſitatem prædictam recognoſcunt damnati in inferno. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia? quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra* &c. Sap. 5. Maris hujus mundi arena terminus eſt, quæ infructuoſa, & ponderoſa eſt. Sine fructu eſt via mundana, & in fine invenit ſe homo oneratum peccatis. 2. Diaboli via eſt infructuoſa, quare.

Item *pericoloſa* eſt via diaboli. Hoc enim magis tolerabile, ſi ſolùm eſſet infructuoſa: tolerabilius eſſet inſudare labori perituro quam perempturo, juxta verbum Bernard. *Septem* ſunt, quæ faciunt ad hoc, quod ſit pericoloſa. 3. Eſt pericoloſa ob ſeptem.

1. *Primo* ejus *tenebroſitas*. Proverb. 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant.*

2. *Secundo latronum multitudo.* Iob. 19. *Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt viam ſibi per me.*

3. *Tertio ſociorum infidelitas.* Oſeæ 4. *Non eſt miſericordia, non eſt veritas* &c. Hierem. 9. *Unuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat.* Micheæ 7. *Nolite credere amico.* Eccleſiaſtici 6. *Eſt amicus qui convertitur ad inimicitiam.*

4. *Quarto ſcandalorum multitudo.* Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis.* Eccleſiaſtici 21. *Via peccantium complanata eſt lapidibus.*

5. *Quinto via lubricitas.* Thren. 4. *Lubricaverunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum.* Pſal. 34. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum.* Propter lubricitatem eſt via diaboli ruinoſa. Eccleſiaſtici 32. *In via ruinæ non eas.* Gregor. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. Matth. 26. legitur de Petro, quòd primò ſimpliciter negavit, ſecundò cum juramento, tertio deteſtando. Petri negatio. Dicit Gloſ. Perſeverare in peccato dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, cadit in majora.

6. *Sexto ductor cæcus & infidelis.* Eccleſiaſtici 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

7. *Septimo* quòd hæc via *in malum locum ducit.* Eccleſiaſtici 21. *In fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.*

II. Via Domini tria habet commoda. Econtrario, *via Domini* eſt *ſuavis, fructuoſa, & ſecura.* De *primo* Matth. 11. *Iugum enim meum ſuave eſt* &c. Hieron. Inſuavem & aſperam fecit nobis viam virtutum longa peccandi conſuetudo. De *ſecundo* Sap. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* De

Digitized by

tertio Prov. 3. *Cuſtodi legem atque conſilium* &c. *Tunc ambulabis fiducialiter in via & pes tuus non impinget, ſi dormieris non timebis* &c. Via diaboli via mortis,

Viæ hæ in duobus diverſæ.

via verò Dei via vitæ. Jerem. 21. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ & viam mortis.* Eccleſiaſtici 15. *Ante hominem vita & mors.* Via Domini eſt via benedicta. Pſalm. 118. *Beati immaculati in via* &c. Via verò diaboli maledicta. Eccleſiaſtici 2. *Væ illis qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.*

Via Domini quomodo paretur.

Via Domini parata fuit, quia arduitate remotâ complanata eſt ſecundùm illud. Iſa. 40. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Exſiccata eſt etiam lubricitate deliciarum remota. Spinæ etiam divitiarum amotæ fuerunt ab ea & lapides ſcandalorum, quia non tolerabantur manifeſta peccata in Eccleſiâ. Sed nunc reparanda eſſet via. Nunquam enim fuerunt homines magis ſuperbi vel voluptuoſi quam ſunt hodie in Eccleſia Dei, & multa ſunt in ea ſcandala. Et *notandum* quòd via quantum

In tribus præparandæ eſt via ſeu vita.

1. Prælatorũ.

ad vitam *prælatorum tripliciter* eſt præparanda, ſcilicet quantum ad *converſationem* eorum irreprehenſibilem. 1. ad Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, quantum ad *ſubditorum proviſionem*. 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem domini:* & quantum ad *judicii æquitatem*. Deut. 1. *Quod juſtum eſt judicate.* 2. Paralip. 19. *Quodcunque judicaveritis in vos redundabit.*

2. Conjugatorum.

Via etiam conjugatorum tripliciter eſt præparanda quantum ad *fidelitatem*. 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem*, & quantum ad *hoſpitalitatem*. Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblivisci*, & quantum ad *filiorum inſtructionem*. 1. Timoth. 2. *Salvabitur mulier per filiorum generationem.*

3. Clauſtralium.

Semita etiam *clauſtralium* reparanda eſt *primo* quantum ad *devotam obedientiam*. Hebr. ult. *Obedite præpoſitis veſtris* &c. *Secundo* quantum ad *voluntariam paupertatem*. Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* *Tertio* quantum ad *cordis & corporis munditiam*. Proverb. 22. *Qui diligit* cordis munditiam *propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem.* Iſa. 52. *Mundamini qui fertis vaſa domini.*

4. Virginum.

Semita virginum in ſæculo manentium reparanda eſt quantum ad *humilitatis cuſtodiam*. Lucæ 1. *Ecce ancilla domini.* Item quantum ad *orationis inſtantiam*. 1 Corinth. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini ſunt.* Item per *ſæculi fugam*. Tob. 3. *Nunquam cum laudantibus miſcui me.*

5. Viduarum.

Semita etiam *viduarum* reparanda eſt quantum ad *orationis inſtantiam*. 1. Tim. 5. *Quæ verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus die ac nocte.* Et quantum ad *jejuniorum obſervationem*. Lucæ 2. dicitur de Anna: *& hæc vidua erat uſque ad annos 84. Quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte*, & quantum ad *bonorum operum frequentiam*. 1. Tim. 5. *Vidua eligatur non minùs 60. annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in bonis operibus teſtimonium habens.*

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Totum Evangelium explicatur. In principio Judæorum ad Ioannem Legatorum in interrogando perverſitas, & Ioannis in reſpondendo probitas declaratur. Reliquo ſermone uſque ad finem varia explanantur Evangelii dicta.

SERMO XVII.

Miſerunt Judæi ab Hieroſolymis Sacerdotes &c.

Duo oſtenduntur hoc Evãgelio.

1. Perverſitas Phariſæorũ duplex.

SEries hujus Evangelii duo nobis oſtendit, ſcilicet Phariſæorum qui ad Ioannem miſſi ſunt perverſitatem, & Ioannis bonitatem. *Primum* in duobus, ſcilicet in hoc, quod incitant Ioannem ad hoc, ut ſe laudet, quaſi laus hominum in proprio ore non ſordeſcat. 2. Corinth. 10. *Non enim qui ſemetipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Proverb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Ioan. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* *Item* in hoc, quòd aliud prætendunt & aliud intendunt. Prætendunt quòd ideo quærant, ut habeant quid reſpondeant his qui eos miſerunt. Ipſi verò habita reſponſione non requieſcunt, ſed reſpondentem pungunt dicentes. *Quid ergo baptizas?* &c. Chryſoſtomus. O amentia, ô elatio, ô intemperanea inveſtigatio. Miſſi eſtis docendi ab eo quis eſſet, non legem impoſituri.

2. Ioannis bonitas triplex.

Bonitas Ioannis oſtenditur quo ad *humilitatem, patientiam & fidelitatem.*

1. Humilitas. Quanta fuerit.

Humilitas Ioannis fuit magna, qui cum Chriſtus poſſit putari, noluit. Auguſt. Nullum majus meritum habuit Ioannes, quam de iſta humilitate. Qui cum poſſet fallere homines, & putari Chriſtus, & haberi pro Chriſto, confeſſus eſt apertè dicens. *Non ſum ego Chriſtus.*

Quomodò oblatã gloriam contempſerit.

Humilitas Ioannis non ſolùm gloriam appetiit, ſed etiam oblatam reſpuit. Gregor. Quantam vim habeat nocendi inanis gloriæ tentatio, nemo novit niſi qui ei bellum indixit, quam, etſi plurimùm non appetatur, repelli difficile eſt, cùm offertur. Proverb. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis.* Poëta

Laudatas oſtendit avis Iunonia pennas.

Non ſic Ioannes, ſed intelligens interrogantes eſſe nuncios Babylonis domum aromatum eis oſtendere metuit, de qua legitur. 4. Regum 20. Et cautè reſpondens, quæ ad laudem ſuam pertinebant tacuit, ideo à domino laudari dignus fuit. Matth. 11.

Ioannes in tribus gloriam contempſit.

Humilitas Ioannis circa ea gloriam contempſit, circa quæ maximè ſolet appeti, ſcilicet circa *dignitatem, ſcientiam* & *vitæ auctoritatem*.

Circa dignitatem.

Ad primum pertinet quod dicit: *non ſum ego Chriſtus.* Chriſtus enim nomen eſt dignitatis. Cui multi diſſimiles ſunt de prælationibus gaudentes, & ſimiles ſunt illis qui de fidejuſſione periculoſa gaudent. Proverb. 17. *Stultus manibus plaudet cum ſpoponderit pro amico ſuo*, & 22. *Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis.* Eccleſiaſtici 7. *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam, quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.*

Circa ſcientiam.

Ad *ſecundum* pertinet illud: *non ſum Propheta*, quod interpretatur. *Videns.* Iſa. 5. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.*

Circa auſteritatem vitæ.

Ad *tertium* pertinet illud. *Non ſum Helias*, qui fuit vitæ auſteræ. De vitæ auctoritate multi gloriantur exterminantes facies ſuas. Matth. 6. *Cum jejunatis nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus jejunantes.* Hieron. Intonſam barbam & prolixam, caput neglectum, obducta ſupercilia, cubile humi poſitum, & quicquid ambitionem perversâ via ſequitur, virgo devita.

Ioannes caruit 4. ſpeciebus ſuperbiæ.

Item in reſponſione Ioannis apparet eum immunem eſſe à *quatuor* ſpeciebus ſuperbiæ, quas tangit Gregor. ſuper Lucæ 18. ubi agitur de Phariſæo, quæ continentur hoc verſu

Ex ſe, pro meritis, falſo, plus omnibus inſtant.

Has duas ſpecies *ex ſe, pro meritis* excludit cum dicit. Ego vox clamantis, Chriſto prædicationem ſuam adſcribens. Illam ſpeciem quæ deſignatur per hoc, quod dicitur falsò, excludit, cum ſe eſſe Chriſtum negat & Heliam. Illam autem ſpeciem quæ deſignatur per hoc, *plus omnibus*, excludit, cum præeminentiam Chriſti ad ſe oſtendit dicens. *Ego baptizo in aqua* &c. *Patientia* Ioannis oſtenditur in hoc, quod erga pungentes ſe non offenditur, ſed magis humiliat ſe, inferioritatem ſui ad

1. Fidelitas.

Chriſtum oſtendens. *Fidelitas* ejus oſtenditur in
hoc, quod gloriam Domini ſibi non uſurpat. Bern.
ſuper Cant. Fidelis revera famulus es, ſi de multa
gloria Domini tui, etſi non exeunte à te, tamen
tranſeunte per te, nil in manibus tuis adhærere
contingat. De Joanne poteſt dici, quod dicit Bern.
de Joſeph, qui uxorem Domini ſui tangere nolebat.
Gen. 39. Indignum, inquit, judicavit inglorium
facere, qui eum fecit glorioſum.

Explicatio aliquot dictorum Evangelii.

Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, nec Helias, nec propheta. Auguſt. Quaſi audaciæ videbatur
eſſe baptizare. Quærimus utrum tu ſis Chriſtus?
tu dicis te non eſſe. Quærimus ne forte præcurſor
ejus ſis, quia novimus ante adventum Chriſti venturum
eſſe Heliam, quem negas te eſſe. Quærimus
ne ſis aliquis præco illum præveniens, id
eſt, propheta, & acceperis poteſtatem hanc. Nec
prophetam ſe eſſe dixit. De baptiſmo in Prophetis
legerant phariſæi. Zach. 4. *In die illa exibunt
aquæ de Hieruſalem.* Johel. 3. *Fons egredietur de domo
Domini.* Secundùm unam expoſitionem propheta
ſumitur ibi pro Heliſæo, qui juſſit Naaman
ſepties lavari in Jordane, in quo figuratus eſt ba-
2. ptiſmus. 4. Regum 5. Reſpondit eis Joannes non
indignans eis, vel offenſus, ſed oſtendens præeminentiam
Chriſti ad ſe in baptiſmo. *Ego baptizo
in aqua* exterius tantùm lavans corpus, non inte-
3. rius cor. *Medius autem veſtrum ſtetit*, id eſt inter
vos humiliter, quaſi unus ex vobis, & dicitur
ſtetiſſe, quia nunquam per peccatum eſt inclina-
4. tus. 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit.* *Quem vos ne-
5. ſcitis*, id eſt, vera cognitione non cognoſcitis.
Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, prædicaturus ſcili-
6. cet, baptizaturus, moriturus. *Qui ante me factus
7. eſt*, id eſt, dignitate mihi præpoſitus. *Cujus non ſum
dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti*, quod
tamen extremum eſt ſervitium, & ad minimos pertinet.
Vel, *ſolvam* &c. id eſt, ut explicem unionem
Deitatis ad humanitatem. Calceamentum pedem
occultans ſignificat humanitatem, qua ſe occultavit
divinitas. Non ſum dignus ut ſponſam
2. ejus ducam ſecundùm morem legis, de quo habetur.
Deut 25. *Hæc*, id eſt Phariſæorum interrogatio,
& Joannis reſponſio, in *Bethania facta ſunt trans
Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Duæ ſunt

Bethaniæ ſunt duæ. Duæ cauſæ cur locus ſignificetur.

Bethaniæ, ut dicit Gregorius, una trans Jordanem,
altera citra, non longè Jeruſalem, ubi Lazarus ſuſcitatus
eſt Joan. 11. Chryſoſtomus duas aſſignat
rationes quare Evangeliſta locum determinat, ubi
factum eſt. *Una* eſt, ne credatur, quòd Joannes
in occulto vel coram paucis hoc dixit. *Alia* quia
tempore hoc, quo Evangelium hoc ſcripſit, adhuc
multi ſupererant, qui inter fuerant huic teſtimonio,
unde valet ad certitudinem hiſtoriæ.

Dicti 3. uberior explicatio. Ieſus ſtat medius inter homines quadrupliciter.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, ſimile
habetur Lucæ ult. & Joan. 20. *ſtetit Ieſus in medio
diſcipulorum.* Et *notandum* quòd *Ieſus ſtetit medius*,
homines Deo & ad invicem conjungendo. Mediator
enim fuit Dei & hominum. Ante incarnationem
filii Dei, non erat qui Deum & homines
1. conjungere poſſet. Job. 9. *Non eſt qui utrumque
valeat arguere, aut ponere manum ſuam in ambobus.*
Ipſe eſt lapis angularis duos parietes conjungens,
ſcilicet Gentiles & Iudæos. Epheſ. 2. *Ipſe eſt
pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Exemplo ergo
ejus ſtudeas paci reformandæ in te & in aliis. *Beati*
enim *pacifici* &c. Matth. 5. *Item* ipſe ſtetit medius,
2. ſe ſimilem aliis exhibendo. Hebr. 2. *Debuit fratribus
per omnia ſimilari.* Bernard. amator communitatis
& commendator quomodo illam deſereret?
Noli ergo extollere te per ſuperbiam, nec
ſingularis exiſtas. Eccleſiaſtici 32. *Rectorem te poſuerunt,
noli extolli, eſto in illis, quaſi unus ex
3. illis.* *Item* fuit medius, perſonas non accipiendo.
Ipſe eſt lignum vitæ in medio paradiſi. Geneſ. 2.
*Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei
cura de omnibus.* Sap. 6. 2. Paralip. 19. *Non eſt apud
Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum
acceptio.* Rom 2. *Non eſt perſonarum acceptio apud
Deum.* Exemplo ergo ejùs acceptionem perſonarum
caveamus. Iacob. 2. *Fratres mei nolite in
perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri
Ieſu Chriſti gloriæ.* Gregor. in Moral. Collata hominis

Acceptio perſonarum cavenda exemplo Chriſti.

ratio aſſerit, quantum omnia, quæ vel vita,
vel ſenſu, vel ratione carent natura rationalis
antecedit. Et tamen quàm plurimum hominem
non ex eo quod ipſe eſt, ſed ex his quæ circa
ipſum ſunt veneramur: cumque non intuemur
quid ipſe ſit; ſed quid ipſe poſſit, in acceptionem
perſonarum non ex perſonis, ſed ex rebus adjacentibus
ducimur. Sicque fit ut is apud nos in deſpectionem
veniat, qui foris honoratur, quia
dum pro his quæ circa illum ſunt honorabilis habetur,
rebus ſuis in examine noſtro poſtponitur.
Seneca. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum
empturus non ipſum reſpicit, ſed ſtratum & frenos.
Sic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex
veſte, aut ex conditione veſtis, qua circumdatus
eſt, exiſtimat. *Item* medius ſtetit, congregatis in

Iudicās hominem ex veſte, quàm ſtultus ſit.

nomine ipſius opem ferendo. Matth. 18. *Ubi* 4.
*ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum
in medio eorum.* Exemplo ergo ejus libenter juves
laborantem pro ſalute animarum. 2 Corinth. 1.
Adjutores ſumus gaudii veſtri Nolens juvare cum
poſſit, reus mortis eorum judicatur. Actuum
20. *Mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi
quominus annunciarem omne conſilium Dei
vobis.* Gregor. Tot occidimus, quot ad mortem
ire tepidi & tacentes videmus. Item. Quia juſto
pereunte, quando in peccatum cecidit, prædicator
tacuit, ejus ſanguinis reus tenetur: & qui ſolicitus
eſſe non ſtuduit in prædicatione, factus eſt
particeps in damnatione. *Quem vos neſcitis, terrenis*

Salus proximi curāda negligēs eam prædicator quantum peccet.

occupati, *malitia* excœcati, ejus *humilitate*
decepti. Cum modicum pulveris oculum corporalem
à viſu impediat; non eſt mirum, ſi terra in
corde hominis exiſtens per ſolicitudinem viſum
interiorem impediat. Sap. 9. *Terrena inhabitatio
deprimit ſenſum multa cogitantem.* Eccleſiaſtici 11.
Fili nec in multis ſint actus tui. Gloſ. Cum animus

Dicti 4. copioſior explanatio. Cognitio Dei & divinorum ſeu viſus interior 3. rebus impeditur.

dividitur ad plura, fit minor ad ſingula. 1.
Malitia etiam viſum interiorem impedit. Sap. 2.
Excœcavit illos malitia eorum. Iſa. 42. *Quis cæcus
niſi qui venundatus eſt?* diabolo ſcilicet, per 2.
peccatum. *Profunditas* etiam *humilitatis* multorum
bonitatem celat. Actuum 8. *In humilitate* 3.
judicium ejus ſublatum eſt. Et *notandum*, quòd cum
Joannes ſolem intelligentiæ Judæis digito oſtenderet,
& ipſi radios beneficiorum ejus ſenſerint,
culpa eorum fuit, quod ipſi neſciverunt
eum. Auguſt. Si quis alteri digito ſolem oſtenderit,
& videre non poterit, culpet potiùs oculi
lippitudinem, quàm digiti oſtenſionem, & ſecundùm

Iudæi circà Chriſtum cœcutientes minus reprehendēdi quā Chriſtiani.

Auguſtinum: Si culpabiles fuerunt, qui
tunc Chriſtum, non agnoverunt, multum ſunt
culpabiles, qui nunc eum non agnoſcunt. Iudæi
offenderunt, ait Auguſtinus: in præſentem,
tanquam in humilem lapidem. Lapis ille adhuc
parvus erat, Jam quidem præciſus eſt de monte
ſine manibus, quia ſine virili opere Virgo peperit
Chriſtum. Ignoſcendum eſt Iudæis, qui offenderunt
in lapidem, qui non creverat, quales
ſunt illi, qui in ipſum montem offendunt? Cœci
Iudæi non vident humilem lapidem. Quanta cœcitas
eſt non videre montem?

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATALIS DOMINI.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

De admirandis ſeu mirabilibus de Chriſto dictis, & de admirandis ab eo dictis & factis.

Et erant pater ejus & mater ejus mirantes ſuper iis quæ dicebantur de illo.

SERMO XVIII. Quinque ex Evangelio tractat ſermones ſequentes.

EVangelium hodiernum *quinque* continet. *Primo* Joſeph & Mariæ admirationem, *Secundo* Simeonis prophetiam terribilem, *Tertio* Annæ confeſſionem, *Quarto* Mariæ & Joſeph reverſionem ad Nazareth, *Quinto* pueri Jeſu commendationem. Occaſione primi dicemus aliqua mirabilia, occaſione ſecundi aliqua terribilia, occaſione aliorum trium aliqua imitabilia.

I. Admiranda circa Chriſtum triplicia.

Circa Primum notandum, quòd admiranda fuerunt, quæ dicta ſunt de puero, item quæ dicta ſunt à puero, & quæ facta ſunt à puero, ut meritò dixerit. Iſa. de eo. 9. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis.* Et David pſalm. 4. *Scitote quoniam mirificavit dominus ſanctum ſuum. Admiranda* valdè

1. Admiranda de eo dicta. 1. à Prophetis.

fuerunt, quæ dicta ſunt de eo à Prophetis longè ante incarnationem, ut eſt illud Iſa. 7. *& vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, ſed de his cauſâ brevitatis non proſequimur, ſed ſolùm de his quæ circa ejus conceptionem vel nativitatem de eo dicta ſunt. *Notandum* ergo quòd valdè

2. à Gabriele ad Mariá.

admiranda fuerunt quæ per Gabrielem Mariæ dicta ſunt de ipſo Luc. 1. *Vocabis*, inquit, *nomen ejus Jeſum.* In quo inſinuatur ejus ſapientia & bonitas. Bonitas enim & ſapientia principis ſalvat populum, ſicut inſipientia & impietas perdunt. Eccleſiaſtici 10. *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Ejuſdem Proverb. 28. *Leo rugiens, Urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* Et ſubditur: *& filius altiſſimi vocabitur*, ecce nobilitas! *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus. Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus nō erit finis*, ecce æterna poteſtas! *Item admiranda* fuerunt,

3. Ab Eliſabeth.

quæ dicta ſunt Mariæ ab Eliſabeth in eod. Cap. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Cognovit Eliſabeth ſpiritu ſancto dominium pueri adhuc in utero materno clauſi. Bernard. Quis tibi indicavit matrem Domini mulier ſancta? ut facta eſt vox ſalutationis &c.

Joannes in utero quomodo ſenſerit Chriſtum.

Puer etiam in utero Eliſabeth clauſus videtur ſenſiſſe velut ultra duos parietes in utero Mariæ Dominum clauſum. Bernard. loquens de Joanne. Verè ardens & vehementer accenſus, quem ſic præoccupavit flamma cœleſtis, ut jam ſentiret Chriſti adventum, qui nondum poterat ſentire ſeipſum. *Item admiranda* fuerunt, quæ dicta

4. à Zacharia.

fuerunt per Zachariam, Lucæ 1. *In viſceribus miſericordiæ viſitavit nos oriens ex alto. Illuminare his* &c. Filius Dei qui ex patre oritur æternaliter, viſitavit nos naſcens de matre temporaliter. *Item admiranda* fuerunt, quæ dicta ſunt Ioſeph ab Angelo.

5. Ab Angelo ad Ioſeph.

Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt, pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, ergo beatus eſt, qui eſt de populo ejus. Deut. 33. *Beatus es Iſrael. Quis ſimilis tui popule, qui ſalvaris in Domino? Salvum*, inquam, *faciet à peccatis eorum*, quod ſolius Dei eſt. De his admi-

Dictū Bernardi de admirandis circa puerū Ieſum.

randis circa ejus conceptionem & nativitatem dicit Bern. Angelus nunciat, virtus obumbrat, altiſſimi ſupervenit ſpiritus, virgo credit, fide concipit, virgo parit, virgo manet. Quis non miretur? Naſcitur altiſſimi filius, Deus de Deo genitus ante ſæcula. Naſcitur verbum infans, quis vel ſatis

6. à Magis.

miretur? *Item admiranda* fuerunt quæ dicta ſunt de ipſo à Magis. Matth. 2. *Vidimus ſtellam ejus in oriente.* Dominus ergo ſtellarum erat. *Item admiranda* fuerūt, quæ dicta ſunt ab Angelis, à paſtoribus

7. A Paſtoribus ab Angelis accepta.

relata aliis. Lucæ 2. *Claritas Dei circumfulſit illos*, quod in tota veteris teſtamenti ſerie non invenitur, ut dicit Gloſſa. Et dixit illis angelus. *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſalvator* &c. & ſubditur, *& ſubito facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis militia laudantium Deum* &c In eodem *Omnes qui audierunt mirati ſunt de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Item admiranda* fuerunt quæ dicta ſunt de eo à Simeone. Lucæ 2. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum, Lumen ad revelationem gentium* &c. *Item*

8. à Simeone.

admiranda ſunt etiam dicta ab eo. Lucæ 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore illius.* Matth. 7. *Cum conſumaſſet Ieſus verba hæc admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus.* Lucæ 20. *& mirati in reſponſo ejus, tacuerunt. Item* admiranda facta

2. Admiranda ab eo dicta. 3. Admiranda ab eo geſta.

ſunt ab eo, ut verè poſſit ei dici, *tu es Deus qui facis mirabilia.* Matth. 8. *Porro homines mirati ſunt dicentes: qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei*; & Marc. 7. *Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.*

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicatur dictum terribile Simeonis & tractantur terribilia quædam circa Chriſtum. Aliqua etiam in ipſo imitanda proponuntur.

Ecce poſitus eſt in ruinam &c

SERMO XIX. II. Terribilia ſeu timenda in Mundo duo ſunt. 1. Facilitas peccandi.

TErribile eſt Verbum Simeonis. Duo multum timenda ſunt in mundo iſto, ſcilicet cauſarum ruendi in peccatum infinitas & Judicis qui offenditur ſeveritas. Ad *primum* pertinet quod dicit: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam.* Quid eſt quod non poſſit eſſe in ruinam, id eſt, in occaſionem ruendi, ex quo Salvator fuit in ruinam multorum? Quæ ſecuritas eſſe poteſt, ex quo vita eſſe poteſt occaſio mortis, & ſalus occaſio ægritudinis? ideo homo ſapiens in omnibus metuit. Eccleſiaſtici 18. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum.* Ubicunque ſit homo, imminet ei mors, unde in umbra mortis

2. Severitas judicis ex duobus patet.

dicitur eſſe. Luc. 1. Ad *ſecundum* pertinet illud, *& in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Signum ſeveritatis divinæ & juſtitiæ eſt, quòd Deus pater potiùs voluit, quòd unigenitus pœnam pro humano genere ſolveret, quam ut ipſe eam remitteret. Bernard. Qui non parcit filio, nunquid parceret figmento, nunquid parcet ſervo nequam? Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* pſalm. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* Arcus, inquam, divini judicii. Signum *etiam* divinæ juſtitiæ eſt, quòd filius matri propriæ noluit in hoc parcere. Licet enim ſciret, quòd dolor paſſionis ejus animam matris pertranſiret, voluit tamen potiùs pœnam ſolvere pro humano genere cum tanto dolore matris, quàm eam remittere.

1. Chriſtus poſitus eſt in ruinam vitiorum, reſurrectionē virtutum.

Ecce poſitus eſt in ruinam vitiorum. Iſa. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem*, id eſt, carnem à peccato immunem, *& ingredietur Ægyptum*, id eſt, mundum, *& commovebuntur ſimulachra*

2. In ruinam Dæmonũ, reſurrectionem Angelorum.

Ægypti, id eſt, vitia ab hominibus movebuntur. Et reſurrectionem virtutum. Iſa. 4. *Apprehendent ſeptem mulieres*, ſcilicet virtutes, *virum unum*, & ejuſdem 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini* &c. *Item* poſitus eſt in ruinam Dæmonum & reſurrectionem angelorum filius Dei, qui de cœlo Luciferum dejecit. Lucæ 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem*, factus homo dejecit eum de altitudine principatus hujus mundi. Joan. 12. *Nunc princeps mundi hujus ejicitur foras*. Coloſſ. 2. *Expolians principatus & poteſtates* &c. Lucæ. 11. *Cũ fortis armatus cuſtodit atrium ſuũ* &c. Iſa. 49. *Nunquid tolletur à forti præda?* &c.

3. In ruinam ſuperborũ, reſurrectionem humilium.

Item poſitus eſt in ruinam ſuperborum & reſurrectionem humilium. Lucæ 1. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*. Eccleſiaſtici 10. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis*. Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem* &c. Ipſe Judæos ſuperbos humiliavit, & gẽtiles humiles exaltavit. Rom. 11. *Cæcitas contigit ex parte in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret*. Iſa. 8. *In lapidem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael* &c. Ejuſdem 60. *Pro eo quod fuiſti derelicta & odio habita, ponam te in ſuperbiam ſæculorum*.

Quibus Chriſtus eſt in ruinam ſunt filii perditiones. 1. Tales ſunt:

Et notandum quòd ille cui Salvator eſt in ruinam, verè videtur eſſe filius perditionis, cum aliorum ſalvator ſit ejus perditor. *Quinque* genera hominum videntur poſſe dici filii perditionis. *Primo* illi qui ſalubribus ad ſui damnationem utuntur, qualis fuit Judas, de quo dicit interlin. ſuper Joan. 12. ubi agitur de unguento. Iſte moritur bono odore, de quo alii vivunt. Joan. 17 *Nemo periit ex eis niſi filius perditionis*. Quis locus emendationi relinquitur, quando illud homines deſtruit, quod eos emendare debuit? David Pſal. 88. *Deſtruxiſti eum ab emundatione*. Gregorius. Cœleſtis medicus ægros non reſpicit, quos de medicamẽto deteriores fieri videt.

2. *Secundi* ſunt ſuperbi. Gregorius. Evidentiſſimum ſignum reproborũ eſt ſuperbia, humilitas electorum. Superbus habet quandam ventoſam plenitudinem, ex qua indignatur, & omnem eſcam abominatur. David Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum* &c. Eccleſiaſtici 3. *Synagoga ſuperborum non erit ſanitas*. 2. Theſſ. 2. *Niſi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus*.

3. *Tertii* ſunt immiſericordes, qui non timent etiam pauperibus injuriari. 2. Regum. 12. dicit David de illo, qui oviculam pauperis rapuerat: *Vivit Dominus quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc*.

4. *Quarti* ſunt per obſtinationem obdurati. Eccleſiaſtici 3. *Cor durum malè habebit in noviſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit*.

5. *Quinti* ſunt qui habent multa temporalia, & multum amant ea. Matth. 15. *Amen dico vobis quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*. Bern. Utinam tantum congregata perirent & non congregator eorum, tolerabilius eſſet inſudare labori perituro, quàm perempturo. Idem. Pereunt miſeri, dum perituris adhærent, omittentes ea quibus apprehenſis ſalvare poſſent animas ſuas.

Signa chriſti, id eſt, imitanda in ipſius vita tria ſunt, contemptus divitiarum, deliciarum, honorum.

Et in ſignum cui contradicetur. Cum multifariè multiſque modis olim ſit Deus locutus patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in filio. Hebr. 1. docens per eum verbo & exemplo bona trãſitoria, temporalia ſcilicet, divitias, delicias, & honores non eſſe vera bona, nec eſſe amanda; moleſtias verò corporis, paupertatem & contemptum non eſſe verè mala, nec eſſe timenda. Auguſtin. ſuper illud. Hebr. 12. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*. Omnia terrena bona contempſit homo Chriſtus, ut contemnenda monſtraret; & omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis timeretur infelicitas. Bern. Dei filius, in cujus arbitrio erat eligere tempus, elegit quod moleſtius eſt, præſertim parvulo & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præſepe ad reclinandum: & certè cùm tanta neceſſitas eſſet, nullam audio pallii fieri mentionem. Item Chriſtus qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt, illud ergo melius, id utilius, id magis eligendum, & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tanquam ſeductore cavendum.

Hæc ſignã dicta ſunt ad paſtores ab angelis.

Dictum eſt paſtoribus ab angelo. Lucæ 2. *Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*. Quod dicitur, *infantem*, pertinet ad moleſtiam ſeu luctum. Puer enim à ploratu incipit, ut dicit. Auguſt. Sap. 7. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*. Quod dicitur, *pannis involutum*, pertinet ad paupertatem, & quod dicitur, *poſitum in præſepio*, ad vilitatem ſeu ad humilitatem.

His ſignis qui contra dicunt.

His ſignis à multis hodie contradicitur. Multi quippe vocati, ſed non multi electi, & ideo nec ſignati. 1. *Primo* ſigno contradicunt voluptuoſi. Eccleſiaſtici 21. *Audivit luxurioſus & diſplicebit ei*. 2. *Secundo* contradicunt avari. Matth. 19. *Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis. Erat enim habens multas poſſeſſiones*. 3. *Tertio* ſigno contradicunt ſuperbi. Eccleſiaſtici 13. *Sicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic execratio divitis pauper*.

Chriſtianorum ſpeciale ſignũ eſt imitatio Chriſti.

Et *notandum*, quòd ſpeciale ſignum Chriſtianorum eſt Chriſti imitatio. Exod. 12. *Erit vobis ſanguis in ſignum*. Ejuſdem 13. *Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos*. Ezech. 9. Omnes qui habebant Tau non ſunt percuſſi. Joan. 2. Raab ligavit coccineum filum in feneſtra ſua, & ſalvata eſt. Hoc ſigno ſignatus erat Apoſtolus & primi de eccleſia, ad Galat. 6. *Stigmata domini Ieſu in corpore meo porto*. Gloſ. Stigma dicitur punctum vel nota de ferro facta. Ad Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt* &c. ſed hodie mutata ſunt ſigna. David Pſal. 73. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna*. Item Pſal. 64. Item. *Turbabuntur qui habitant terminos a ſignis tuis*.

Signatis contraria qui habent.

Termini ſunt extrema rei, terminos ergo habitant, qui terrena quæ ſunt extrema & minima diligunt.

Gladius pertranſiturus animam B. V.

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Beda. Dolor Dominicæ Paſſionis, quia non potuit videre crucifigi filium ſine affectu materni doloris, etſi ſperaret reſurrecturum. Secundum Chryſoſt. etiam ſic intelligitur animam ipſius, ſcilicet Chriſti, quam tuam reputas, *pertranſibit gladius*. Vel ſic intellige, *tuam*, id eſt, tui ipſius.

Exemplo Chriſti crux pœnitentiæ non eſt deſerenda ne parẽtum quidẽ cauſa.

Non tamen propter matris dolorem dimiſit Chriſtus aſcendere crucem: vel antequam opus ſalutis noſtræ eſſet conſummatum, de ea deſcendit. Exemplo ergo ejus, & tu non dimittas pœnitentiæ crucem aſcendere, nec de ea ante mortem deſcendas pro parentibus. Hieronymus in epiſtolis. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine vel ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola; ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Idem. Gladium tenet hoſtis ut perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo?

Revelatiõ cogitationum.

ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Amor Scribarum & Phariſæorum, quo gloriam terrenam & divitias Deo præponebant, latebat, ſed tunc revelatus eſt, cùm Salvatorem occiderunt, ne locum & gentem amitterent, Joan. 11. Et tunc apparuit, quod in cordibus eorum erat terra ſurſum & cœlum deorſum, tunc effuſum eſt venenum aſpidum, quod erat ſub labiis eorum. Pſal. 13.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Continet hic ſermo potiſſimum commendationem Annæ à ſeptem virtutibus, quæ aliis imitandæ proponuntur.

SERMO XX. III.

Et erat Anna Propheteſſa &c.

Hoc Evangelium 6. hominum ſtatibus imitandi materiam præbet, de quibus ſparſim, hoc & ſequenti Sermone. Cur Anna ab Evangeliſta laudetur. Anna commendatur à ſeptem virtutibus.

EVangelium hodiernum materiam ædificationis miniſtrat mulieribus & viris, prælatis & ſubditis, adultis & parvulis. Mulieribus in Anna, quæ venerandæ ætatis & laudabilis converſationis, ſpiritum prophetiæ habens, domino confitetur, & de puero loquitur his qui redemptionem Iſraël expectant. Et *notandum* quòd Evangeliſta oſtenſurus quod Anna Deum laudaverit. Primò eam commendat, quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Eccleſiaſtici 15. Non eſt reputanda laus, quam facit qui laudabilis non eſt. Non eſt ignis frigeſacere, nec perſonæ vituperabilis erit laudare. Et attende quòd *ſeptem* tangit Evangeliſta, quæ pertinent ad commendationem Annæ. *Primum* eſt quòd uſque ad matrimonium virginitatem ſuam ſervavit. *Secundum* quod poſt mortem viri, licet tempore brevi cum eo fuerat, alii viro copulata non fuit. *Tertium* eſt quod tam longo tempore in viduitate bene ſe habuit. *Quartum* eſt quod à templo non diſceſſit. *Quintum* eſt quod corpus ſuum maceravit. *Sextum* quod obſecrationibus inſtitit: obſecratio eſt petitio cum adjuratione. *Septimum* quod donum prophetiæ habuit.

1\. Virginitas quam ſit pretioſa & quam diligenter conſervanda ſit.

Circa *primum notandum* quod virginitas eſt theſaurus. Job 38. *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis? Theſaurus* dicitur propter precioſitatem, *Nivis*, propter puritatem. Iſte theſaurus impreciabilis eſt, quia *non eſt digna omnis ponderatio continentis animæ*. Eccleſiaſtici 26. Et ſi fuerit amiſſus, eſt irrecuperabilis. Licet enim Deus multa miracula in terris fecerit, tamen nulli, qui virginitatem amiſit, reſtituit. Iſte theſaurus adeo precioſus eſt, quod cœleſtis gloriæ precium eſt, & non ſolum illius gloriæ, quæ communis eſt omnibus electis, ſed etiam gloriæ ſpecialis aureolæ ſcilicet, quæ figurata eſt. Exod. 25. ubi præceptum eſt ut fieret menſa, & ſuper menſam corona, & ſuper coronam coronula, quæ ſignificabat aureolam. Iſte theſaurus diligenter ſervandus eſt, ſaltem uſque ad matrimonium. Si in bonum matrimonium convertetur, tolerabile eſt hoc. *Quia habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*. 2. Corinth. 4. Et, quia *melius eſt nubere quam uri*. 1. Corinth. 7. Sed væ illis qui tantum theſaurum cum Dei offenſa tanta, propter momentaneam voluptatem carnis amittunt.

2\. De ſecundis, tertiis, quartis nuptiis quid ſentiendum.

Circa *ſecundum* notandum, quòd cum mortuo altero conjugum, reliquus ſe debeat ſemimortuum reputare, erant enim una caro. In aliquibus avibus reperitur, quod unâ mortua, alii compar non ſocietur. Honeſtum eſſet, niſi periculum timeretur, ut conjuges primis nuptiis eſſent contenti. Bernar. Pudet ad negocium honeſtatis rationem non poſſe in homine, quod natura poteſt in volucre. Auguſt. Secundas nuptias licitas omnino concedit Apoſtolus. De tertiis autem, & de quartis, & de pluribus ultra ſolent homines movere quæſtionem. Sed quis audeat diffinire, quod nec Apoſtolum audio diffiniviſſe. Ait enim. 1. Corinth. 7. *Si dormierit vir ejus, cui vult nubat*, non dicit primus vel ſecundus &c. & ſubdit Auguſt. Ut breviter reſpondeam, nec illas nuptias debeo damnare, ſed eis verecundiam numeroſitatis auferre.

3\. Virginitas ac viduitas quomodo ſervari poſſint.

Circa *tertium* notandum, quod cum difficile ſit à conſuetis abſtinere, valde commendabile eſt, quod tanto tempore bene in viduitate ſe habuit. Ad quod multùm valere potuit, quod carnem ſuam jejunando maceraverit. Hieronymus. Quamdiu Eva in paradiſo abſtinuit, virgo fuit: quàm citò præceptum abſtinentiæ violavit, corruptionem ſenſit. Idem ad quandam virginem. O filia ſi Apoſtolus caſtigavit corpus ſuum, & in ſervitutem redegit, ne cum aliis prædicaſſet, reprobus efficeretur, quomodo tu juvencula adhuc in fervore juventutis poſita, dapibus & vino plena de caſtitate eris ſecura?

4\. In templo frequenter eſſe, quam utile ſit.

Circa *quartum* notandum quòd ſecundum Gloſſam, quia circa templum frequens erat, eam non diſcedere dicit, non quia ad horam non diſceſſiſſet. Valde commendabile eſt in filiis & filiabus Dei libenter eſſe in domo patris ſui. Lucæ ſecundo. *Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe*. Quia Anna libenter manebat in Templo, datum eſt ei videre Salvatorem. Non eſt ſine magna utilitate, cum aliquis libenter manet in Eccleſia.

Viduarum malarum reprehenſio

Et in hoc, quod à Templo non diſcedebat, datur exemplum viduis ne ſint vagæ ſicut meretrix, de qua legitur Proverb. 7. *Ecce occurrit ei mulier in ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga*, &c.

5\. Vidua ne vivat delicate.

Circa *quintum attende* illud 1. Timoth. 5. *Vidua quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Periculoſus eſt valde ſtatus viduitatis, ſi vidua delicate vivat.

6\. Oret multum.

Circa *ſextum attende* illud 1. Timoth. 5. *Quæ vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Domino, & inſtet obſecrationibus & orationibus die ac nocte*.

7\. Sapientiæ, & prophetiæ donum quomodo acquiratur.

Circa *ſeptimum attende* quod dicit Gloſſa de Anna quod longa caſtitate, longiſque jejuniis ad hoc pervenerat culmen, ut ſpiritum prophetandi acciperet. Vult Dominus eſſe mundum vas, in quo balſamum ſuæ ſapientiæ ponit. Sapient. 7. *Sapientia in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit*. Et Dan. 1. legitur de pueris abſtinentibus, quod *Deus dedit illis ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia*.

Annæ verba cur ſcripta non ſint

Quæ verba dixit Anna Deum laudando, vel de puero aliis loquendo, ſcriptum non eſt, quia mulier auctoritatem docendi non accepit, ut tangit Gloſſa ſuper. 1. Corinth. 14. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim eis permittitur loqui. 1. Timoth. 2. *Docere mulieri non permitto*, &c.

IV.

Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini reverſi ſunt, &c. Prætermittit Lucas de fuga Domini in Ægyptum & reditu, de quo habetur Matth. 2.

Maria & Ioſeph exemplum dederunt Prælatis.

In hoc quod Mariam & Joſeph, qui figuram Prælatorum tenent, perfecerunt omnia ſecundum legem, monentur Prælati, ut ſtudeant legem ſcire, & juxta eam circa ſubditos operari. Proverb. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, &c. *ambulat in tenebris, neſcit quo vadat*.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

De incremento & robore ſpirituali ad exemplum Chriſti parvuli.

Puer autem creſcebat & confortabatur, id eſt, corroborabatur (hæc pertinent ad corpus) plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo (hæc pertinent ad animam.)

SERMO XXI.

Explicatio thematis.

SImile, Joan. 1. *plenum gratiæ & veritatis*. Habuit Chriſtus in primo ſtatu conceptionis tantam gratiam & ſapientiam quantam habuit trigeſimo anno, unde vir vocatur in conceptione. Hierem. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram. Fœmina circumdabit virum*.

Applicatio ad nos.

Quæ dicuntur de incremento pueri, & confortatione, ideo ſcripta ſunt, ut ejus

ut ejus exemplo ſtudeamus ſpiritualiter creſcere & roborari. Non multùm prodeſt corporaliter naſci, ſi non ſequatur incrementum & roboratio. Naſcitur enim parvulus puer & debilis. Sic poſt nativitatem ſpiritualem neceſſe eſt, ſequi incrementum & roborationem. Ideo poſt ſacramentum Baptiſmi & pœnitentiæ, quæ pertinent ad ſpiritualem nativitatem, inſtitutum eſt ſacramentum Euchariſtiæ pertinens ad incrementum, & ſacramentum confirmationis pertinens ad roborationem.

Effectus 4. Sacramentorum.

Incrementum ſpirituale impediunt.

Tria verò ſunt quæ incrementum ſpirituale impediunt. *Primum* eſt effuſio hominis interioris per terrena deſideria & carnalia. Geneſ. ult. *Ruben effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Gregorius. Non ſufficit homo proficere ad utraque diviſus. Planta ramos mittens inferius, minùs creſcit ſuperius. Auguſtinus. Ab uno averſus in multa evanui. Exarſi enim aliquando ſaciari inferius in adoleſcentia, & ſilveſcere ſum auſus variis & umbroſis amoribus, ſicut duobus dominis exiſtentibus in caſtro, uno creſcente alter decreſcit, ſic cum corpus hominis nimis impletur, anima evacuatur. Lucæ 21. *Attendite vobis ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.*

1.

2. *Secundum* eſt defectus tibi ſpiritualis, ſcilicet verbi divini & boni operis. Eccleſiaſtici 22. *Filia fatua*, ſale ſcilicet ſapientiæ non condita, *in deminoratione fiet.* E contrario qui ſapientiam edunt, creſcunt & proficiunt, & per bona opera etiam animam reficiunt, & incrementum ſpirituale faciunt. Unde Iſa. 4. dicitur in perſona virtutum *panem noſtrum comedemus*, id eſt, operibus noſtris ſuſtentabimur. Sicut viſus deficit quando eſt diu homo in carcere, ubi non videat; ſic virtutes, ſi non exeant in opera, deficiunt.

3. *Tertium* eſt elongatio à fonte divinæ miſericordiæ, & à fontibus ſacramentorum eccleſiæ. Unde non creſcunt ſpiritualiter, qui de ſe ipſis non de Dei miſericordia confidunt, & ad ſacramenta eccleſiæ rarò accedunt. Ierem. 17. *Benedictus vir qui confidit in domino*, & ſubditur. *Erit tanquam lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas* &c.

Signum incrementi quod ſit. Signum quòd aliquis creverit eſt, ſi tranſitoria ei parva ſunt. Senec. Scitote præter animum humanum nihil eſſe mirabile: cui magno, nihil eſt magnum. Crevit ille, in quo eſt ſpei altitudo, longanimitatis longitudo, charitatis latitudo.

Spiritum roborāt, 4. Ad roborationem verò ſpiritualem faciunt iſta: ſcilicet *verbi divini auditus, ſacramentorum ſuſceptio digna, exercitatio in faciendo bona & tolerando mala, & devota oratio.* De *duobus primis* poteſt intelligi illud. Pſalm. 103. *Panis cor hominis confirmet.* De *tertio* Bernard. Ruſticus habet nervos duros & fortes lacertos; exercitatio facit, otio corpus molleſcit. *Oratio* ad robur facit, quia haurit gratiam, unde eſt robur. David Pſalm. 118. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.*

Signum roboris ſpiritualis. Signum quod aliquis robur acceperit eſt, quod tentationibus non cedit. Non habent robur, qui ſibilo unius verbi dejiciuntur.

Spiritualiter creſcere quid ſit. Et notandum quod verè ſpiritualiter creſcere in Deum, in Deo eſt creſcere. Ioan. 3. *Illum oportet creſcere*, id eſt, exaltari ſecundum Bedam, *me autem minui*, id eſt, humiliari. Secundùm Chryſoſtomum ſic intelligitur, *illum oportet* &c. id eſt, noſtra ceſſabunt, creſcent autem quæ illius ſunt. Evacuari enim debemus ſenſu & voluntate noſtra, pro ſenſu ac voluntate Dei.

Quid roboret ſpiritualiter. Ad robur vero ſpirituale multum facit cogitatio propriæ infirmitatis. Auguſtin. Multos impedit à firmitate præſumptio firmitatis, & ſuper illud Pſal. 67. *Infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam*, dicit Auguſtin. Si non infirmaretur, non perficeretur.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Totum Evangelium breviter explicatur & doctrinæ aliquæ immiſcentur, præcipuè de conſuetudinibus Iudæorum in peregrinationibus Hieroſolymam ex lege faciendis.

Cum factus eſſet Jeſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, &c. *Lucæ 2.*

PRæceptum eſt à Domino ut omnis maſculus de univerſis finibus Iſraël ter in anno, ſcilicet in tribus ſolennitatibus ſe præſentaret Domino. Exod. 23. Et offerre debebant hoſtias determinatas in lege. De feſtis etiam habetur Levit. 23. De oblationibus verò Num. 28. & 29. De mulieribus non eſt præceptum, ſi tamen comitabantur viros ſuos, bonum erat. Et qui remoti erant de duabus ſolennitatibus ſe poterant excuſare in neceſſitate, ſed de ſolennitate Paſchæ non poterant, niſi pro infirmitate. Explicatio dicti 1. Quando ex lege Moſis in Hieruſalem fuerit peregrinandum & quæ oblationes faciendæ.

Conſummatiſque diebus, &c. Interlin. dicit quod ſolennitas octo protelabatur diebus, ſed videtur quod non niſi ſeptem diebus. Deut. 16. *Septem diebus comedes abſque fermento.* Solutio in 14. luna conveniebant ad veſperum, & comedebant agnum Paſchalem, poſtea peragebant ſeptem integros dies. 2. Quot diebus hæc feſta durarint.

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognoverunt parentes. Beda. Si quæritur quomodo potuit à parentibus obliviſcendo relinqui, qui tantâ providentiâ nutriebatur parentum? Reſpondendum eſt quod filiis Iſraël ad feſta confluentibus, vel ad propria redeuntibus mos erat ſeorſum viros, ſeorſum fœminas incedere, pueri cum quolibet parente indifferentes ire poterant, & ideo Mariam & Joſeph viciſſim putaſſe puerum Jeſum, quem ſecum non cernebant cum altero parente reverſum. 3. Quomodo puer perditus fuerit & conſuetudo peregrinantium Iudæorum.

4. *Venerunt iter diei*, hoc factum eſt die, quâ redierunt à Hieruſalem. *Et requirebant eum inter cognatos & notos*, id eſt, vicinos, hoc factum eſt ſecunda die poſt. *Et non invenientes*, tertia die *regreſſi ſunt*, &c. 5.

Ideo ita ſolicitè quærebant eum, quia metuebant ne quod in infantia pueri facere voluerant, aliqui implere vellent, ſcilicet pueri occiſionem. 6. Cur ſolicitè fuerit puer quæſitus.

Et ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis ejus, id eſt, ſuper prudentia reſponſorum. 7.

Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. 8. Verbo illo volebat Dominus innuere, quod ſicut ad patrem, ita ad ipſum pertinet templi cura & ſpiritualium gubernatio. Beda. Quorum una eſt majeſtas, una eſt ſedes, & una domus, non ſolum materialis, ſed & ſpiritualis. Joan. 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.* 9.

Et deſcendit cum eis. Bene dicit, *deſcendit*, & propter loci ſitum, & propter humilitatis deſcenſum.

Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc. Conferens, ſcilicet ad ea quæ erant ſcripta de ipſo. Conferebat, inquam, *in corde ſuo*, id eſt, in arca memoriæ. 10.

Et Ieſus proficiebat ætate. Gregor. Juxta naturam hominis de infantia ad juventutem procedendo. 11. *Sapientia & gratia.* Gregor. Non per acceſſum temporis, quod non habebat accipiendo, ſed dona gratiæ, quæ habebat, cæteris pandendo, ad laudem Dei & hominum utilitatem; ideo dicit, *apud Deum & homines.*

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hortatur nos exemplo Mariæ & Chriſti in hoc Evangelio contento ad plurimas virtutes exercendas.

Cum factus eſſet Jeſus annorum duodecim, &c.

Chriſtus & Maria varias virtutes exemplo ſuo nos hic docent.

HIſtoria præſentis Evangelij multam materiam ædificationis monſtrat nobis: Ædificat enim nos in ea mater, ædificat & filius. *Duodecim* verò ſunt ad quæ mater exemplo ſuo nos monet.

1. Maria duodecim.

1. Ad terram ſanctam cur ſit peregrinandum.

Et *primo* ad peregrinationes ſeu locorum ſacrorum viſitationem, & ſpecialiter ad peregrinationem Hieroſolymitanam, hæc enim fuit peregrinatio Beatæ Virginis: ſi; loca ſacra viſitanda ſunt, terra illa quæ antonomaſticè ſancta dicitur, maximè videtur eſſe viſitanda. Si corpus Chriſti crucem ſanctam reddidit in qua modico tempore manſit, quomodo terram illam ſanctam non reddidit Sanctus Sanctorum, qui ibi conceptus, natus, mortuus, & ſepultus eſt, & tanto tempore manſit. Hanc peregrinationem antiqui patres volebant facere mortui, quod non poterant vivi, ut Jacob qui voluit in terra illa ſepeliri. Geneſis 49. & 50. ejuſdem: adjuravit Joſeph fratres ſuos cum moreretur dicens: *Aſportate oſſa mea vobiſcum*, & tamen nondum habebat terra illa ſanctitatem, quam modo habet, ſed erat eam habitura. *Secundo* ad filiorum inſtructionem adduxit Beata Virgo ſecum filium, ſacra loca viſitans. Qui filios ſuos verbo & facto debito modo non inſtruunt, videbunt eos duci coram toto mundo ad infernale ſuſpendium. Lucæ 23. *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quia ecce venient dies in quibus dicent, beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt.*

3. *Tertio* monet ut ea quæ ad divinum cultum pertinent expleamus, in hoc ſcilicet, quod non rediit ad propria, niſi prius conſummatis diebus ſolennitatis: econtrariò multi faciunt, quos diabolus extrahit de Eccleſia, officio nondum conſummato.

Exemplum.

Refert Gregorius in dialogis de quodam Monacho, qui non poterat morari in oratione, quod Beatus Benedictus vidit quendam puerulum nigrum, qui eum de Eccleſia extrahebat.

4. *Quarto* ut turbam fugiamus, quia beata Virgo Jeſum in turba amiſit, Zachæus Jeſum in turba non vidit: Lucæ 19 Senec. Quo major eſt populus cui admiſcemur, hìc periculi plus eſt. Idem. Subducendus eſt populo tener animus & parum tenax recti. Nemo noſtrum impetum vitiorum tam magno comitatu venientium ferre poteſt Eccleſiaſtici 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis. Aſſidua enim eſt commiſſio illorum.*

5. *Quinto* ut ſolennitates timeamus. Occaſione ſolennitatis Beata Virgo amiſit filium ſuum. In magnis ſolennitatibus ſolent latrones ſpoliare domos.

Abuſus magnorum feſtorum.

In feſto Herodis Joannes eſt decapitatus. Matth. 15. In feſto Pharaonis Piſtor eſt ſuſpenſus. Geneſ. 40. Multæ ſolennitates quæ inſtitutæ ſunt propter utilitatem animarum, convertuntur ad voluptatem corporum, vacando commeſſationibus & ebrietatibus & vanitatibus. Ideo dicitur Malach. 2. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum.* Iſa. 1. *Solennitates veſtras odivit anima mea.* Thren. 1. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata ejus.* Amos 5. *Odi, & projeci feſtivitates veſtras*, quaſi dicat veſtræ ſunt & non meæ.

6. *Sexto* ut ad Jeſum ſemper oculos habentes ſolicitè eum cuſtodiamus Proverb. 27. *Qui cuſtos eſt Domini ſui*, glorificabitur.

Ieſus dimittitur tribus modis.

Beata Virgo filium ſuum amiſit, quia oculos ſuos ad eum non habuit. David Pſalm. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum* Item in Pſal. 31. *Firmabo ſuper te oculos meos.* Gloſſa, Non auferam oculos meos à te, quia tu levás ſemper oculos tuos ad me. Et *notandum* quòd puer remanſit in Hieruſalem, parentibus hoc non cognoſcentibus. Sic à multis amittitur Jeſus ipſis ignorantibus, eo quòd rarò conſcientias ſuas ſcrutantur. Credentes eum eſſe in comitatu amiſerunt illum. Sic aliqui qui ſunt in ſacris congregationibus, confidentes de hoc, quod Jeſus eſt in illorum ſocietate, quantum ad ſe ipſos illum amittunt.

7. *Septimo* ut eum amiſſum quæramus perſeveranter.

Triduum poſt quod Chriſtus reperitur duplex.

Bernardus. Poſt triduum reperit filium ſuum Beata Virgo. Poſt triduum contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis reperitur Jeſus. Exod. 8. *Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem* & ſacrificabimus Dominó Deo noſtro. Ubi *primus* dies poteſt intelligi cognitio, quâ cognoſcit mundum nihil eſſe. Hierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.*

2. *Secundus* verò eſt cognitio, qua aliquis cognoſcit ſe nihil eſſe. Galat. 6. *Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* *Tertius* cognitio, qua cognoſcit ſe minùs quam nihil eſſe. Cum enim peccatum nihil ſit, ut dicit Auguſt: & qui *facit peccatum ſervus eſt peccati.* Joan. 8. ſervus verò minor eſt Domino ſuo. Hinc qui facit peccatum minùs quàm nihil eſſe videtur.

8. *Octavo* ut quæramus eum ſapienter. quærunt enim aliqui Deum inſipienter, ut voluptuoſi in delitiis, cupidi in armentis ſuis, ideo non inveniunt. Cantic. 3. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea. Quæſivi illum & non inveni.* Oſeæ 5. *In gregibus ſuis & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient.* Beata Virgo ſapienter quæſivit, quia in templo in medio Doctorum eum quæſivit. Aliquando invenitur in prædicatione vel lectione, qui non eſt inventus in oratione.

9. *Nono* ut quæramus eum cum dolore. *Pater tuus*, inquit Beata Virgo, *& ego dolentes quærebamus te.* Bernard. Quomodò inveniam te bone Jeſu in gaudio, quem vix mater dolens invenit. Joan. penult. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.* Jerem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

10. *Decimo* ut parentum carnalium obliviſcamur, in hoc, quod inter cognatos & vicinos Jeſum non invenit. Bern. Quomodo te bone Jeſu inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minimè es inventus. Deu. 33. *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ: neſcio vos, & fratribus ſuis: ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi ſunt qui cuſtodierunt eloquium tuum.*

11. *Undecimo* ad manſuetudinem monet in hoc ſcilicet, quod invento filio non conviciatur nec maledicit, ſed rationem facti quærit. *Fili*, inquit, *quid feciſti nobis ſic?* David Pſalm. 89. *Supervenit manſuetudo, & corripiemur.* Epheſ. 6. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros.*

12. *Duodecimo* ad verbi divini conſervationem. *Maria* enim *conſervabat omnia verba* &c. Ambroſ. Maria non minùs ore quam corpore pudica, ſecreta quæ noverat nulli divulgat, ſed tacito corde ſcrutationis congruum tempus, quo Deus hoc velit divulgari, reverenter expectat. Eccleſiaſtici 20. *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus.* Eccleſiaſt. 3. *Eſt tempus tacendi & tempus loquendi.*

Chriſtus ſex virtutes nos docet.

1. Filius etiam in multis nos ædificat in hodierno Evangelio. *Primo* in hoc, quod voluntarius eſt ad bonum ad quod duxerat eum mater viſitans loca ſacra, & diutius vult ibi morari quàm mater. Bernard. ad fratres de monte Dei. Quicunque voluntatem bonam habebit, ſecum habet quicquid ei ad bene vivendum opus eſt, Bona voluntas eſt velut materia omnium bonorum, ſicut cera mollis materia eſt formandæ imaginis. *Quæ deſurſum eſt ſapientia eſt bonis conſentiens.* Jacob. 3.

2. *Secundo* in hoc quod inventus eſt in templo & non in foro, libenter enim manebat in domo patris cœleſtis, unde veniens Hieruſalem primò ibat ad templum Unde Chryſoſtomus dicit de eo. Proprium erat boni filij, ut veniens primò curreret ad domum patris.

3. *Tertio* in hoc quod in medio Doctorum invenitur, non in medio puerorum. Eccleſiaſtici 8. *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium, & in proverbiis eorum converſare, ab ipſis enim diſces*

ſapientiam

eorum converſare, ab ipſis enim diſces ſapientiam. In eodem. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi*
4. *enim didicerunt à patribus ſuis.* Ejuſdem 27. *In medio cogitantium* (legem Dei) *aſſiduus eſto. Quarto* in hoc quod patrem ſpiritualem oſtendit præponendum eſſe carnalibus dicens. *Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Auguſt. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator.
5. Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram. Unus enim eſt pater veſter, qui in cælis eſt. Quinto* in hoc quod matrem honorat, humiliter ei obediendo.
Obedientia *Deſcendit enim cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Bern. Quis, quibus? ſcilicet Deus hominibus. In quo confunduntur quidam litterati, nolentes obedire prælatis ſuis minùs litteratis. Petrus ſervo Pontificis amputavit auriculam. Joan. 18. Cognitio in multis impedit obedientiam,
6. & Petrus interpretatur agnoſcens. Bern. quis non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſapientia Dei ſuum deſeruit? *Sexto* in hoc, quod
Quomodo Exemplo Chriſti proficiamus ætate ſpiritualiter. evangeliſta eum proficere dicit, proficere, inquam *ætate & ſapientia & gratia apud Deum & homines.* Exemplo ergo ejus & nos proficiamus ætate ex puerilitate ad virilitatem tranſeundo. Sunt aliqui qui ſemper ſunt in conceptione boni propoſiti, ſemper
1. bona quæ agant deliberantes & nunquam ea agentes. Aliqui etiam ſemper ſunt in infantia, lectum conſcientiæ inquinantes. *Inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia* Tit. 1. Interlin. Semper edentuli, duris vel aſperis uti non valentes, lac præſentium delectationum ſugentes, qui ad modum infantium, quod eis occurrerit, in os
2. Sapientia. ponunt: ut immunditias alienas, ut patet in detractoribus. Tales non proficiunt ætate. Exemplo etiam ejus *Sapientia* debemus proficere, non ſolùm quantum ad cognitionem, ſed etiam quantum ad ſaporem, ut mala nobis deſipiant ampliùs diſplicendo, & bona nobis ſapiant ampliùs placendo. Auguſt. Ad diſcendum, quod opus eſt, nulla mihi ætas ſera videtur. quia etſi ſenes magis decet doce-
3. Gratia &c. re quàm diſcere, magis tamen diſcere decet, quàm, quod doceant, ignorare. *Gratia* etiam proficere debemus apud Deum & homines, ut gratiores ſimus Deo & hominibus. ad Rom. 12. *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram homi-*
Gratia malorum non eſt curāda. *nibus.* Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Non eſt multū curandum de gratia belluarum vel ſimiarum. Velut ſimiæ ſunt homines mali, formam humanam exterius habentes, & interiùs animalem, ſive beſtialem. Senec. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus non hominum. David Pſal. 33. *Audiant manſueti & lætentur.* Bernard. Manſuetis placeam, æquanimiter audio quicquid in me jactare
De profectu ſpirituali vide plura alibi. voluerit livor perditorum. Lucæ 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines.*

De his quæ profectum impediunt vel juvant, vide 89. ſermonem epiſtolarum ſuper illud. *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus*, & in tractatu
Septem verba B. V de charitate cap. de gradibus charitatis. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Si vis loqui de ſeptem verbis Beatæ virginis require de illis in ſermone ultimo ſequentis Dominicæ.

DE EADEM.
SERMO TERTIUS.
SUMMARIUM.

Quomodo inſtar parentum Chriſti viri contemplativi Chriſtum amittant, amiſſum quærere & invenire debeant.

Cum factus eſſet Jeſus annorum 12. &c.

SERMO XXIV. TRia oſtendit nobis evangelium hodiernum, ſcilicet quòd parentes Jeſum amiſerunt, quæſierunt & invenerunt. Et Notandum quòd Jeſus *dupliciter* amittitur. *Uno modo* per mortalem culpam, cum ſcilicet deſinit eſſe præſens per gratiam. *Secundo modo* cum deſinit eſſe in viris contemplativis quantum ad aliquem ſpecialem effectum, ſcilicet jucunditatem interiorem, vel devotionem aliam. Primus modus non videtur competere parentibus Chriſti, cùm dicat Auguſt. quòd, cum de peccatis agitur, de beata virgine non vult facere mentionem. Ideo de alio modo amiſſionis & de quæſtione & inventione ei reſpondentibus proſequemur. Et *notandum* quòd cum viri ſancti attineant Chriſto omni genere attinentiæ ſecundùm illud. Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt*, rectè poſſunt intelligi parentes ejus. Modus verò quo amiſerunt parentes Chriſti eum, oſtēdit qualiter à viris contemplativis amittitur, quantum ad devotionem. Cum parētes ejus aſcendiſſent in Hieruſalem ad ſacrificandum in die paſchæ, redeuntibus illis remanſit puer, & ipſi non cognoverunt hoc, æſtimantes eum in comitatu eſſe, unde turba occaſio extitit amittendi. Viri contemplativi aſcendunt in Hieruſalē, quæ interpretatur viſio pacis, per meditationē, ſacrificāt per orationē, habētes Jeſum per devotionem, Ipſis verò recedentibus de Hieruſalem amittitur Jeſus, quantū ad devotionem in turba cogitationum & affectionum & locutionū mundanarū. Hæ ſunt turbæ, quibus Jeſus dimiſſis in montem aſcendit ſolus orare. Matth. 14. Hæ turbæ impediunt, ne Jeſus videatur, Lucæ 19. Et quantum ad has turbas dictum eſt de contemplatione. Thren. 3. *Sedebit ſolitarius & tacebit* &c.

Tria tractantur hoc ſermone.
1. Amiſſio Ieſu Ieſus duobus modis amittitur.
Primo modo non amiſerunt eum parentes eius ideo de illo hic non agetur.
Viri ſancti cur poſſint dici parentes Chriſti.
Quomodo viri SS. ſeu contemplativi inſtar parentum Chriſti amittant Chriſtum.

Illi, qui ſic amiſit Jeſum, attendendus eſt modus quo ejus parentes ipſum quæſierunt & locus. Modus quærendi fuit, quod cum dolore quæſierunt eum. *Pater tuus*, dicit Beata virgo, *& ego dolentes quærebamus te.* Cum dolore ergo quærere debent viri contemplativi Jeſum ſic amiſſum David Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea* &c. Anſelmus. Conſolatio, lætitia, ſecuritas, nolo vos, renuo vos, niſi peccati venia reduxerit vos Joan. 20. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.* De Jacob legitur Oſeæ 12. *Flevit & rogavit eum*, & ſubditur: *In Bethel invenit illum.* Locus in quo quæritur duplex eſt. Locus in quo quæritur, & non invenitur: & locus in quo quæritur, & invenitur. Locus in quo quæritur & non invenitur à viris contēplativis, quantū ad cōtemplationem ſpiritualē ſunt cognati & noti. Quāto enim plures habet familiares tanto plures collocutiones Et hæc eſt turba, in qua Jeſus amittitur. Chryſoſtomus. Pro quanta parte magis eſt ad hanc rem cor tuum, pro tanta parte minùs eſt ad Deum. Quidam ſanctus. Tria decent quemlibet religioſum: pauca loqui, paucos habere familiares, multùm orare.

2. Quæſtio Ieſu quomodo quærendus ſit Ieſus.
Ieſus quæritur duplex

Circa inventionem verò Jeſu tria attendenda ſunt ſcilicet *locus* in quo inventus eſt, *modus* inveniendi, & *tempus.* Locus verò *triplex* eſt: ſcilicet *communis, ſpecialis, & magis ſpecialis.* Communis fuit Hieruſalem: ſpecialis, templum: magis ſpecialis, medium doctorum. In Hieruſalem invenitur, non in Capharnaum, quod interpretatur villa conſolationis, ubi quærunt eum voluptuoſi. Job. 28. *Non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Capharnaum ad litteram male dixit dominus. Matth. 11. *Et tu Capharnaum nunquid uſque in cælum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes. Verumtamen dico vobis quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quam tibi &c.* Et ejus habitatores ſunt maledicti. Lucæ 6. *Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram. Item* invenitur in templo, & non in palatio. Ubi quærunt eum ambitioſi ibi non eſt inventus

3. Inventio Ieſu, in qua tria notanda.
1. Locus triplex ubi inventus eſt. Hieruſalem non Capharnaum.
Templum non palatiū

Mediorum Doctorum non negotiatorum.

à Magis. Matth. 2. In palatio illuditur Jeſus. Non decet ſacco indutum, id eſt, religioſum indutum vili habitu intrare aulam regiam. Heſter. 4. *Item* invenitur in medio Doctorum, non in medio negotiatorum ubi eum quærunt cupidi, qui domum Dei domum negotiationis faciunt. Joan. 2. Ergo invenitur in Hieruſalem, quæ eſt viſio pacis ſive pacifica per exercitium meditationis, in templo, quod eſt domus orationis, per orationem, in medio Doctorum, per exercitium locutionis. Invenitur autem ſedens contra inquietos, audiens contra præſumptuoſos, qui priùs volunt docere quàm audire. interrogans contra vanæ gloriæ cupidos, qui dedignantur interrogare ne videantur ignorare. Inventus eſt autem poſt triduum, nam quaſi primo die quærere debet contemplativus Deum in ſe, ſi verò non invenit eum per ſui conſiderationem, quærat eum extra convertendo ſe ad ſpeculum creaturarum & ſacram ſcripturam quaſi ſecundo die. Quòd ſi non invenerit eum ſic, quærat eum ſuper choros Angelorum in ſuâ naturâ, quaſi tertiâ die Vel poſt triduum invenitur ſcilicet poſt cognitionem ſenſibilium, imaginabilium, intelligibilium. Cognoſcitur enim in contemplatione eſſe Jeſus ſuper ſenſibilia, imaginabilia, & intelligibilia.

2. Modus quo inventus eſt.

3. Tempus poſt quòd inventus eſt

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Explicatur totum Evangelium breviter & quædam doctrinæ immiſcentur.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. *Joan. 2.*

SERMO XXVI.

De miraculo in nuptiis facto ſex exponuntur hoc Evangelio.

SEx continet Evangelium hodiernum. *Primo* enim determinatur locus ubi miraculum factum eſt, ſcilicet Cana Galilææ. *Secundo* perſonæ coram quibus factum eſt, ibi: *erat mater Ieſu ibi*, &c. *Tertio* ea quæ dederunt occaſionem ut fieret miraculum, ſcilicet convivarum defectus ſive miſeria, Mariæ miſericordia, miniſtrorum obedientia. De hoc ibi: *Vinum non habent. Quarto* manifeſtatio miraculi, ibi: *Haurite nunc*, &c. *Quinto* ordo hujus miraculi ad alia miracula facta à Chriſto, ibi: *hoc fecit initium ſignorum*. *Sexto* effectus miraculi, ibi: *& manifeſtavit gloriam ſuam*, &c.

Expoſitio Evangelii.

Nuptiæ, ideſt convivium nuptiale, in *Cana Galilææ*, nomen eſt villæ in provincia Galilææ. *Et erat mater Ieſu ibi*, vocata ad convivium. Quare ſcriptura Joſeph non aſſerat interfuiſſe, dicunt quidam ipſum fuiſſe mortuum, & Beatam Virginem in cuſtodiam filij tranſiiſſe. Ad idem valet quod nihil ampliùs de Joſeph legitur in Evangelio. In Paſſione verò probabile eſt, quod mortuus fuerit, cùm Beata Virgo tradita ſit alterius cuſtodiæ, vivente enim viro non fieret hoc. *Vocatus eſt Ieſus & Diſcipuli ejus*, futuri, ſecundum opinionem communem. *Nota* quòd de ordine hiſtoriæ duplex eſt opinio. Quidam enim dicunt Dominum apertè poſt jejunium prædicaſſe, Diſcipulos congregaſſe ad ſermonem in monte factum ante vini miraculum, quia legunt Dominum, & Diſcipulos ejus invitatos ad nuptias. Communior autem opinio eſt, Dominum poſt illud miraculum Diſcipulos vocaſſe, & occultè prædicaſſe uſque ad incarcerationem Joannis, ſed poſt publicè. De nuptiis dicunt quidam, quod ſponſus iſtarum nuptiarum fuit Joannes Evangeliſta. Sed contrarium videtur ſecundùm illos, qui dicunt quòd iſtæ nuptiæ factæ fuerunt poſt vocationem Diſcipulorum, inter quos fuit Joannes, ut patet Matthæi quartò, Lucæ quinto. Quia non eſt credibile quod poſteà retroceſſerit, ut vellet uxorem ducere, qui uſque tunc virginitatem ſervaverat. *Vinum non habent*, ſcilicet miniſtri convivij, vel ipſi convivæ. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* de defectu vini, quaſi dicat: ad illos pertinet quorum nuptiæ ſunt. *Mulier* eſt hic nomen ſexus, non fractionis. Auguſtinus ſic exponit. Quid mihi & tibi eſt mulier, convenire unde poſſum miracula facere? Quaſi dicat, à te non habeo poteſtatem hanc, unde quantum ad hoc matrẽ te non cognoſco. A te habeo unde pati poſſum, unde in cruce matrem te cognoſcam commendans te Joanni. Secundum primam expoſitionem benè ſubditur: *nondum venit hora mea*, qua miraculũ ſit gratius cognito defectu vini: ſecundũ aliam expoſitionem etiam bene ſubditur: *nondum venit hora mea*, hora, inquã, voluntatis, non neceſſitatis, ſcilicet patiẽdi opportunitas, quia non debet eſſe paſſio, niſi prædicato Evangelio, niſi virtute Deitatis prius oſtenſa mundo. Propter hoc verbum quidam hæretici dixerunt horam mortis eſſe inevitabilem. Contra quod legitur Joann. 10. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Quodcunque dixerit vobis.* Etſi negare videretur filius, tamen ſcit mater facturum ob pietatem & reverentiam quam habebat ad ipſam, ideo fiducialiter imperat miniſtris. *Hydriæ*, ideſt, vaſa aquatica, ab ὕδωρ, quod eſt aqua. *Secundum purificationem* Judæi crebrò lavabant vaſa epulatoria, & ſi caſu aliquid immundum tangerent, non comedebant niſi loti. Vas ligneum pollutum lavabatur, fictile confringebatur. Levitic. 15. Marci ſeptimo. *Phariſæi & omnes Judæi niſi crebro laverint manus, non manducant*, &c. Hæ hydriæ ergo erant interpoſitæ ut purificari poſſent immundi ſecundùm morem Judæorum. Quod autem dicitur *hydriæ*, id eſt, aquaticæ, facit ad certitudinem miraculi. Si enim vinariæ fuiſſent, poſſet aliquis credere hac de cauſa aquam fuiſſe rubeam. *Metretas*, μετρητὰς Græcè, menſura dicitur Latinè. *Implete hydrias aqua*, miniſtros facit apponere aquam, ut habeat eos teſtes miraculi. Item contra errorem Manichæi in hoc oſtendit ſe auctorem & Dominum aquæ: ſi enim ſua non eſſet, ei non obediret. Item oſtendit ſe illum, qui in vite mutat aquam in vinum miniſterio naturæ. *Architriclino*, triclinium ſecundum quoſdam dicitur domus tricamerata, vel tres habens teſtudines, vel fortè qui habet tres menſarum ordines, ut in refectoriis fieri ſolet. Secundum Chryſoſtomum verò dicitur Architriclinus dominus convivij, vel dominus domus in qua erit convivium, ſcilicet præpoſitus miniſtrantium, qui fuerat conſtitutus, ut ordinaret ſervitores in menſis. Unde quæritur quare Jeſus præcepit potiùs vinum ferri Architriclino, quàm alicui de convivis: & reſpondetur, quod ille cui committitur cura vel ordinatio convivij, non comedit uſque poſt alios, unde eſt magis ſobrius, & melius poteſt judicare de vino quàm alij. *Aquam vinum factam*, id eſt, vinum factum ex aqua. Sed ſic dicit Evangeliſta, quia ſecundùm opinionem Architriclini, erat aqua, non vinum. *Vocat ſponſum*, mirans vini bonitatem. *Omnis homo*, &c. poteſt intelligi ad litteram, carnalis à veris deſcendit ad falſa, &c. *Cum inebriati fuerint*, &c. id eſt, repleti fuerint cibo & potu. *Tu autem ſervaſti vinum bonum.* Chryſoſtomus dicit generale eſſe in miraculis Chriſti, quod ſemper in nobilius terminantur, quàm natura poſſit. Unde ſi reſtituit viſum, vel auditum, vel aliquod membrum, melius facit, quàm natura fecerat prius, vel facere poſſit. *Hoc fecit initium ſignorum*, &c. Contra Lucæ ſecundo, apparuit Angelus Paſtoribus. Et Matthæi ſecundo. Stella duxit Magos, & ejuſdem 4. Jeſus jejunavit 40. dies & 40. noctes, ideo ſic intellige quod hic dicitur: hoc ſignum primum fecit inter ſigna facta in Cana Galilææ, vel fuiſſe primum publicè vel manifeſtè factum. *Et manifeſtavit gloriam ſuam*, id eſt, latentem

Joſeph quã do mortuus Cuſtodes B. Virg. qui ner unt.

Diſcipuli num ante vel poſt has nuptias fuerint vocati duæ opiniones.

Sponſus in his nuptiis an fuerit Joannes, duæ opiniones.

Hæreſis.

Hydriæ quid ſint unde ſic dictæ, uſus earum in conviviis Judæorum.

Cur hac miraculum fecerit Chriſtus

Hæreſis.

Triclinium & Architriclinus quid ſint,

Cur Architriclino vinum guſtandum fuerit latum.

miracula Chriſti quã ſint perfecta,

Quomodo hoc ſit primum miraculũ Chriſti.

latentem Deitatem : *& crediderunt in eum*, non tunc primò, ſed firmiùs, *Diſcipuli ejus*, ſecundùm communem opinionem qui futuri erant diſcipuli.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

I. Commendatio Matrimonij carnalis. II. Inſtructiones conjugum carnalium.

SERMO XXVI.

Matrimonium eſt triplex.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, &c.

NOtandum quòd *triplex* eſt matrimonium, ſcilicet *matrimonium carnale* inter virum & mulierem, ad quod pertinent nuptiæ de quibus hîc habetur, & *matrimonium ſpirituale* inter Deum & animam, & *matrimonium* quaſi *medium* inter Filium Dei & humanam naturam. Primum Matrimonium fidelibus commendandum eſt, ut in honore habeatur, & circa illud inſtrui debent, ne per indiſcretionem in illo periclitentur. Et hæc duo facit ſeries hujus Evangelij, commendans matrimonium, & circa illud fideles inſtruens. *Tripliciter* verò illud commendat. *Primo* in hoc, quod oſtendit Dominum honoraſſe matrimonium, præſentiam ſuam & matris ſuæ, & Diſcipulorum ſuorum nuptiis exhibendo. *Secundo* in hoc, quòd oſtendit eum ibi miraculũ feciſſe Circa miraculum verò tria attende: *primo* quod fuit miraculum primum à Salvatore publicè factum. Unde dicit Evangeliſta: *hoc fecit initiũ ſignorum Ieſus. Secundo* quod fuit miraculum ſingulare, quod nunquam in Evangelio legimus aliàs ipſum feciſſe. *Tertio* quod fecit illud miraculum ante Joannis incarcerationem. Adhuc lucifer, ſcilicet Joannes lucebat, & tamen ad honorem matrimonij verus ſol ſplendore tanti miraculi convivis illuxit. *Tertio* Evangelium commendat matrimonium oſtenſione virtutis ipſius. Mutatio aquæ in vinum virtutem matrimonij indicat, aqua enim ſordida & lutoſa eſt ſolatium mulieris cum viro, ſi ſacramentum matrimonij deſit. Hæc eſt aqua peccati, in qua porcini homines volutantur. 2. Petr. 2. *Sus lota in volutabro luti*. Hoc eſt mare in quod dæmones gregem porcorum præcipitant. Matth. Quaſi vinum precioſum eſt ſolatium mulieris, viro habenti ſe ordinatè in matrimonio. Eccleſiaſtici 31. *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum*. Væ illi qui aquam ſordidam vino precioſo præfert. Verè honorabile connubium, ut dicitur Hebræorum ultimo, quod Dominus ſic voluit honorare. Quia matrimonium honoravit in paradiſo per ſe illud inſtituendo, in ſtatu innocentiæ, in horto deliciarum, honorare voluit illud in hoc exilio, de conjugata naſcendo. Matth. 1. ſeparationem ejus prohibendo: ejuſdem 19. præſentiam ſuam in nuptiis exhibendo, & miraculum ibidem faciendo. Honoravit & illud mater ſua, quæ etiam matrimonium contraxit, & nuptiis præſentiam exhibuit, & ad faciendum miraculum filium ſuum incitavit.

Matrimonium carnale.

Commendatur tripliciter.

Miraculum hoc eſt cõmendabile à tribus.

Deus & Dei mater quomodo matrimonium honorarint.

Sequitur de inſtructione. *Notandum* ergo quod Evangelium iſtud *tripliciter* inſtruit fideles circa illud, & *quantum ad Deum*, & *quantum ad proximũ*, & *quantum ad ſe ipſum*. *Quantum ad Deum*, ibi: *Et erat mater Ieſu*, ibi: *Vocatus eſt Ieſus & Diſcipuli ejus ad nuptias*. *Quantum ad proximum*, ibi: In Cana Galilææ. *Quantum ad ſe*, ibi: *Tu autem ſervaſti vinum bonum uſque adhuc*. Cum aliquis contrahit matrimonium adeſſe debet Jeſus cum matre & cum diſcipulis ejus, & hoc multipliciter. Primo quod humiliter implorandum eſt conſilium & auxilium eorum, & fideliter ſperandum eſt, quod ipſi matrimonium dirigent. Si vero matrimonio contracto aliquid adverſitatis accidat, quod eſt vinum deficere, recurrendum eſt ad matrem miſericordiæ, quæ filium inducat & aquam tribulationis in vinum exultationis mutet. Tob. 3. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis*. Docuit Angelus minorem Tobiam & ejus uxorem ut tribus noctibus eſſent in oratione antequam carnaliter convenirent. Tob. 6. Et ſicut ibidem legitur in eos, qui conjugium cauſa peccati ſuſcipiunt, *ut Deum à ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, in eos poteſtatem habet dæmonium*. Aliter etiam dicitur Jeſus nuptiis adeſſe, ut deſiderio ſalutis nuptiæ fiant, ut ſcilicet habeatur adjutrix ſalutis. Gen. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium*. Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Mater etiam Salvatoris debet ibi eſſe, ſcilicet timor Domini. Iſa. 26. *A facie tua Domine concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis*. Tob. 3. *Virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere*. Debent etiam diſcipuli Chriſti eſſe ibi, diſcipuli, inquam, per imitationem. *Quatuor* ſpecialiter videntur facere diſcipulos Chriſti, ſcilicet *manſuetudo & humilitas*. Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*. *Tertium* eſt *terrenorum contemptus*. Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. *Quartum* eſt *dilectio*. Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. *Humilitas* debet eſſe in conjugibus, quæ cauſa eſt concordiæ, ſicut ſuperbia eſt cauſa diſcordiæ. *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*. Proverb. 13. Concordia in conjugibus multum placet Deo. Eccleſiaſtici 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes*. *Manſuetudo* etiam neceſſaria eſt, durities enim viri frequenter eſt mulieri occaſio adulterij. Coloſſ. 3. *Viri diligite uxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas*. Inhumanum eſt, quòd vir malè ſe habeat ad illam, quæ patrem & matrẽ & cæteros cognatos ſuos pro eo reliquit. Jerem. 2. *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto*. In matrimonio comparatione uxoris bonæ *terrena* ſunt *contemnenda*. *Domus* enim *& divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens*. Prov. 19. Eccli. 26. *Mulieris bonæ beatus vir*. Amare etiam debet vir uxorem. Epheſ. 5. *Diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea*. Et poteſt attendi hæc ſimilitudo in duobus. *Primo* in hoc ut zelet pro ſalute uxoris, Chriſtus enim pro ſalute Eccleſiæ mortuus eſt. *Secundo* in hoc, quod ſi adulterat, & poſt pœniteat à viro miſericorditer recipiatur. Oſeæ 3. *Diligite mulierem dilectam amico & adulteram, ſicut diligit Dominus filios Iſrael, & ipſi reſpiciunt ad Deos alienos*. Item Epheſ. 5. *Viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua*, & ſubditur: *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit*. Item in eodem: *Unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat*. In hoc etiam quod Jeſus & mater ejus & diſcipuli nuptiis interſunt, inſinuatur quod honeſtæ perſonæ ad nuptias ſunt vocandæ, non hiſtriones. Eccleſiaſtici 12. *Si benefeceris, ſcito cui feceris*. Et in eodem: *bene fac juſto*. Ibid. *Da miſericordi, & non ſuſcipias peccatorem*, &c. *Item* innuitur ibidem quod abundantia nuptiali paupertas pauperum debeat relevari, pauperes enim erant Jeſus, & mater ejus, & diſcipuli ejus. Luc. 14. *Cum facis convivium, voca pauperes*, &c. Et attende quod abundantia nuptialis paupertatem ipſorũ debuerit relevare, econtrario pauperes indigentiæ nuptiali ſubvenerunt: ſic accidit in his qui ſunt verè miſericordes, quia à pauperibus ſuſtentantur, cum videantur

Inſtruuntur fideles circa illud tripliciter.

Ieſus cum Maria & diſcipulis quomodo nuptiis adeſſe debeãt.

Diſcipuli Chriſti, adſunt ſi imitemur eos in quatuor virtutibus.

1. Humilitate

2. Manſuetudine.

3. Contemptu terrenorũ.

4. Dilectione; Vir diligit uxorem ſicut Chriſtus Eccleſiam dupliciter.

Quales perſonæ ſint vocandæ ad nuptias.

Cur pauperibus ſit benefaciendũ in nuptiis.

eos ſuſtentare. 3. Reg. 17. Illi viduæ, quæ Heliam pavit, farina & oleum non defecerunt donec Dominus pluviam daret terræ. Miſſus erat Helias ad viduam illam ut paſceretur ab ea, & ipſe potiùs paſcebat eam. Proverb. 11. *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt. Alii autem rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Lucæ 6. *Date, & dabitur vobis.*

Nuptiæ qui fiant in Galilæa ſeu fines matrimonii.

Nuptiæ debent fieri in Cana Galilææ, ut ſcilicet hac intentione uxor ducatur, ut inde proles ſuſcipiatur, Galilæa enim interpretatur tranſmigratio. In Galilæa nuptias facit, qui intentione conſulendi mutabilitati præſentis vitæ uxorem ducit,

1. Galilæa aliquid ſonet.

attendens mundum iſtum locum eſſe tranſmigrationis, non manſionis, ut ipſe in hærede permaneat, qui in ſe permanere non poteſt, qui hæres poteſt ejus mortem locum ejus teneat, & ei ſubveniat, matrimonium vult contrahere. Tob. 8. *Domine tu ſcis quod non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam, conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.*

2. finis.

In Cana nuptiæ fiunt, quod interpretatur zelus, qui eſt amor viri in uxorem, cùm contrahitur matrimonium amore conjugali, ut ſcilicet habeat quæ à peccato eum cuſtodiat, 1 Corinth 7. *Propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat*, ſupple *vitandam. Item* ut habeatur cui bona ſua credat. Eccleſiaſtici 36 ſecundum unam litteram, *cui credit, qui non habet.* Ibidem. *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat*

3.

poſſeſſionem. Item in eodem. Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio: & ubi non *eſt mulier, ingemiſcit egens*, maritus ſcilicet. *Item* ut habeat quæ ei obſe-

4. Tribulationes conjugibus tolerandæ.

quium exhibeat. In nuptiis bonum vinum ſervandum eſt, non enim totam mercedem ſuam hîc debent conjuges recipere, ſed laborem matrimonii ſuſtinentes in futuro fructum debent expectare. Hîc debent intendere merito, ut in futuro poſſint frui præmio. Eccleſiaſtici 1. *Timenti Deum bene erit in extremis.* E contrario dicitur Job. 21. de quibuſdam: *Ducunt in bonis dies ſuos*, ecce bonum vinum, *& in puncto ad inferna deſcendunt*, ecce quod deterius eſt. Proverb. 5 *Favus diſtillans labia meretricis. &c. noviſſima ejus amara quaſi abſinthium.* Idem 14. *Extrema gaudii luctus occupat.* Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Agitur breviter de matrimonio inter Chriſtum & humanam naturam, poſt uſque ad finem fuſius de matrimonio ſpirituali inter Deum & animam, per Baptiſmum, per pœnitentiam, de qua multa, & per Religionis ingreſſum.

SERMO XXVII.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ &c.

Matrimonium eſt triplex.

NOtandum quod *triplex* eſt matrimonium, carnale inter virum & mulierem, & ad quod pertinent nuptiæ de quibus hic habetur, & matrimoniũ ſpirituale, inter Deum & animam, & matrimonium quaſi mediũ inter filium Dei & humanam naturam.

Matrimonium inter Chriſtum & humanã naturam.

Secundùm *ultimum matrimonium* dicitur de Chriſto in Pſalm. 18. *& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, & Hebr. 2. *Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Item Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans.*

Hoc matrimonium quãdo fuerit inchoatum, ratificatum & conſummatum &c.

Hoc matrimonium initiatum fuit in Patriarchis & Prophetis, ratificatum fuit in angeli ſalutatione, conſummatum in carnis aſſumptione. Sponſa verò traducta eſt in domum ſponſi in aſcenſione, aqua in vinum mutata eſt, quia inſipiditas litteræ mutata eſt in dulcedinem ſpiritualis intelligentiæ: vel aqua timoris in vinum amoris; dominus enim terribilis factus eſt ei ſponſus amabilis Cant. 2. *Introduxit me rex in cellam vinariam; in me ordinavit charitatem.*

Matrimonium ſpirituale inter Deum & animam.

Matrimonium *ſpirituale tripliciter* contrahitur, ſcilicet *in Baptiſmo, per pœnitentiam & per religionis ingreſſum.*

I. Contrahitur per Baptiſmum.

Ad Primum pertinet illud Oſeæ 2. *& ſponſabo te mihi in fide.*

II. Per Pœnitentiam.

Ad Secundum quod ibidem legitur: *ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio & in miſericordia & miſerationibus.* Juſtitia debet eſſe ex parte pœnitentis: & cum judicio, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 33. *Sine judicio nihil facias grave.* Rom. 12. *Rationabile ſit obſequium veſtrum.* Ex parte verò Dei eſt miſericordia & miſerationes. Miſericordia poteſt pertinere ad affectum, miſeratio ad effectum: & oſtenditur in hoc magna miſeratio Dei, quæ eſt in ſuſcipiendo animam peccatricem ad ſui conjugium.

Figura hujus, hic ex parte animæ, quæ ex parte Dei.

Hoc conjugium figuratum fuit in conjugio Moyſi cum Æthyopiſſa, de qua Num. 12. Bern. Moyſes quidem Æthyopiſſam duxit in uxorem, ſed non ejus potuit mutare colorem. Chriſtus vero quam adamavit adhuc ignobilem & fœdam, glorioſam ſibi exhibuit, non habentem maculam, neque rugam.

Nuptiæ eius.

Nuptiæ pertinentes ad hoc matrimonium ſunt gaudium ſupernorum civium. Luc. 15. *Gaudiũ eſt angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Triplex bonum eius.

Hoc matrimonium debet habere *triplex bonum*; *fidem, prolem & ſacramentum. Fidem*, ne admittat diabolum. Iſa. 57. *Iuxta me diſcooperuiſti adulterum. Prolem* bonorum operum. 1. Thim. 2. *Salvabitur mulier per generationem filiorum ſacramentum*, ne anima à Deo ſeparetur. 1. Corinth. 7. Præcipio non ego, ſed dominus, uxorem à viro non diſcedere.

Hydriarum explicatio triplex.

1. Sex hydriæ pro purificandis actualiter poſt Baptiſmum peccantibus.

Sex hydriæ in quibus purificandi ſumus, qui poſt baptiſmum actuale commiſimus ſecundum Bernar. ſunt hæ.

1. *Prima* eſt *compunctio.* Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

2. *Secunda confeſſio*, omnia enim in confeſſione lavantur. 4. Reg. 5. *Vade, & lavare ſepties in Iordane.*

3. *Tertia eleemoſynarum largitio.* Lucæ. 11. *Quod ſuper eſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt.*

4. *Quarta injuriarum remiſſio.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* &c.

5. *Quinta corporis afflictio*: dealbantur enim ſancti in ſanguine ſuo, ſcilicet mira Dei virtute. Apoc. 1. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

6. *Sexta obedientia præceptorum.* Joan. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*, quod ideo dixit ſecundũ Bern. Quia in auditu auris obedierant illi.

Cur dicantur lapideæ.

Hæ hydriæ dicuntur lapideæ, non propter duritiem, ſed propter ſtabilitatem.

Tres metretæ quid ſint.

Duæ metretæ, duplex timor, ſcilicet timor quo timeo ne forte contingat me in gehennam trudi & ab æterna vita excludi. *Tertia metreta* eſt timor de amiſſione gratiæ.

2. Sex hydriæ ſunt 6. reliquiæ peccati in habentibus gratiam.

Vel ſex hydriæ poſſunt intelligi *ſex reliquiæ peccati* in eo qui jam habet gratiam.

1. *Prima* eſt *bonorum inſipiditas.* Proverb. 27. Anima *ſaturata*, ſcilicet peccati acerbitate *calcabit favum*, id eſt, ſpiritualem dulcedinem. Iſa. 5. *Væ qui dicit malum bonum, & bonum malum* &c.

2. *Secunda viſus ſpiritualis debilitas.* Marc. 8. dixit quidam à Domino ſanatus, *video homines quaſi arbores ambulantes.* Pſal. 37. *Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.*

3. *Tertia incertitudo propriæ ſalutis.* Eccleſiaſtæ 9. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit.* 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

4. *Quarta debilitas ad faciendum bonum & ſuſtinendum adverſa.* David Pſal. 37. *Dereliquit me virtus mea.*

5. *Quinta appetitus noxiorum.* Prov. 1. *Vſque quo par vuli diligitis infantiam, & ſtulti quæ ſibi ſunt noxia cupient?*

6. *Sexta voluntatũ varietas.* Eccleſiaſtici 27. *Stultus ut luna mutatur.*

Hæ hydriæ quã aquam, quod vinũ

Proverb.15. *Cor ſtultorum diſſimile erit.* Hæ hydriæ
aqua lachrimarum ſunt implendæ, ut vinum ſpiri-
tualis lætitiæ habeatur. Proverb. 14. *Cor quod no-
vit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non
miſcebitur extraneus.* *Vel ſex hydriæ* poſſunt in-
Sex hydriæ ſunt 6. meditationes pœnitentiç. telligi *ſex genera meditationum*, quibus uti debet
pœnitens. *Prima* eſt de ſtatu ante converſionem.
Secunda de ſtatu quem converſi tenemus, qui licet
1. & 2. ſit ab iniquitate mundus, non tamen eſt à tentatio-
ne immunis. Status primus eſt quaſi ſtatus filio-
rum Iſrael, in Ægypto, qui opprimebantur ſer-
viendo in luto & latere. Exod. 1. Secundus eſt quaſi
proficiſcentium per deſertum, ubi multa fuerunt
3. pericula. *Tertia hydria* eſt de occulto Dei judicio,
qui terribilis eſt in conſiliis ſuper filios hominum.
Quod judicium, cum ſciatur juſtum, non debet re-
prehendi; & quia non occultum, non valet com-
4. prehendi. *Quarta* eſt meditatio de exitu noſtro ab
5. hac vita. *Quinta* eſt meditatio de æternitate ge-
6. hennæ. *Sexta* de æternitate gloriæ. Hæ hydriæ
Hæ hydriæ quomodo impleantur aqua. aquâ implentur, cùm Dei gratiâ in his meditatio-
nibus demorantes timore magno replemur. *Pri-
mam hydriam* aquâ impleo, cùm circa peccata præ-
1. terita attendo damnum quod ex eis paſſus ſum;
ſervitutem qua venundatus ſum, dolorem habens
de damno, pudorem de fœditate, indignationem
2. de ſervitute. *Secundam* aqua impleo, cùm conſi-
dero propriam ad reſiſtendum malo infirmitatem,
ad agendum bonum tepiditatem, & cum his ten-
3. tationum infinitatem. *Tertiam* impleo cùm conſi-
Tripliciter impletur. dero rationem diſtrictiſſimam reddendam de om-
nibus omiſſis & commiſſis. *Item* operum noſtro-
rum in conſpectu Dei indignitatem. Iſa. 64. *Om-
nes juſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.* *Item*
cum conſidero illam quam habeo de ſtatu meo cæ-
citatem. Eccleſiaſtæ 9. *Neſcit homo finem ſuum.*
Job. 3. *Viro cujus via abſcondita eſt, & circumdedit
4. eum Deus tenebris.* *Quartum* impleo, cùm conſi-
dero hinc exeundi neceſſitatem & horam incer-
tam. Job. 32. *Neſcio quam diu ſubſiſtam & ſi poſt mo-
dicum tollat me factor meus.* *Item* conſidero mo-
dum incertum exeunti, & incertum locum quo exi-
turus ſum, & quod hæc omnia relinquam incertus
quid poſt hanc vitam reperiam. Heſt. 7. *Nec dum
verbum de ore regis exierat & ſtatim operuerunt fa-
ciem Aman.* Sic de eo qui damnandus eſt voluntas
Dei poſt exitum citò fiet. Matth. 26. dicit Chriſtus.
Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: & ego mi-
5. & 6. ſer horam mortis meæ non expaveſcam? *Quintam
& ſextam* impleo, dum timeo ne hanc incurram
& illam amittam. Multi videntur magni meriti eſſe,
qui gloriam non habebunt. Matth. 7. *Multi di-
cent mihi in illa die: Domine domine, nonne in no-
mine tuo prophetavimus* &c. *Et tunc confitebor illis
quia nunquam novi vos.* Multi etiam videntur
nullius meriti eſſe, qui ad gloriam pervenient.
Ejuſdem 21. *Publicani & meretrices præcedent vos
Quales debeant eſſe iſtæ hydriç. in regno Dei.* Hydriæ hæ debent eſſe lapideæ, for-
tes, conſtantes, non debiles & inſtabiles. Hydriam
habet luteam & non lapideam, qui peccata ſua re-
colit ad delectandum. Num. 11. *Recordamur piſcium
Hydriæ 1. tres metretæ quæ ſint. quos comedebamus in Ægypto* &c. *Prima hydria tres*
habet *metretas*, ſi conſiderans, ſtatum tuum ante
converſionem attendas te in illo fuiſſe *malis ple-
num, bonis vacuum.* *Item* ſolicitudine debuiſti ca-
vere mala quæ Deus prohibuit, & facere bona quæ
2. Deus præcepit. *Hydria ſecunda* habet *tres metre-
tas*, cum attendo *mentis meæ inſtabilitatem*, & *cor-
poris imbecillitatem*, & *ruinam præparatam*, ſi
deſit divinum auxilium. Mentis inſtabilitatem hoc
indicat, quod cum linguâ verba perſonat, mens
huc & illuc evagatur, & tunc *muſcæ morientes per-
dunt ſuavitatem unguenti.* Eccleſiaſtæ 10. Corpus
etiam imbecille ad bonum, pronum eſt ad malum.
Ruina verò propinqua eſt, ut illud Pſalm. 93. dici
poſſit. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulominùs
habitaſſet in inferno anima mea.* *Tertia hydria tres* 3.
habet *metretas*, dum timeo *ne Deus ad pœnam ma-
la mea reſervet, & ne forte bona mea non accipiat.*
Eccleſiaſtæ 7. *Nemo poteſt corrigere quem ille de-
ſpexerit.* Job. 12. *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædifi-
cet.* *Item* dum timeo de ſtatu meo & in proſperis &
in adverſis, ne ſcilicet proſpera accidant, ut irri-
deant, vel ne ſint initia dolorum, quorum finis
ſit defectus indeficiens, mors vivens, interitus
æternus. *Quarta hydria* habet *tres metretas*, ſi 4.
pertractetur quam dura ſit *corporis & ſpiritus ſepa-
ratio.* Eccleſiaſtici 41. *O mors quam amara eſt me-
moria tua.* *Item* ſi attendatur poſt mortem corporis
putrefactio, & poſt putrefactionem vermis. Job. 25.
Homo putredo & filius hominis vermis. *Item* hora
qua conſpectui judicis ſumus præſentandi. 2. Co-
rinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribu-
nal Chriſti.* In hac hora *tria* ſunt formidanda: *ho-* Tria in judicio formidanda ſunt.
ſtis, conſcientia, judex. Hoſtis accuſans, conſcientia
atteſtans, judex examinans. *Quinta hydria tres me-
tretas* habet, ſi cogitetur *ignis futuri exuſtio, ver-* 5.
mis corroſio, utriuſque æternitas. Ignis enim erit
inextinguibilis, vermis immortalis. Iſa. ult. *Vermis
eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* 6.
Sexta hydria tres habet *metretas*, ſi apprehendatur
quam beatitudinem habituri ſumus, quantum ad
*fortitudinem veræ potentiæ, ſuavitatem charitatis
ſinceræ, plenitudinem ſapientiæ*, ut ſimus plenè robo-
rati, inflammati, illuminati.

Ad matrimonium quod contrahitur per ingreſ- Per ingreſſum religionis.
ſum religionis pertinet illud. Oſeæ 12. *Servivit
Iſrael in uxorem, & in uxorem ſervivit.* Non ſuf-
fecit Jacob, qui & Iſrael dictus eſt habere Liam, Figuræ & prædictiones hujus.
niſi haberet & Rachelem. Sic Chriſtus vult ha-
bere in ſuo conjugio & animas activorum & ani- Activa & Contemplativa vita huc ſpectat.
mas contemplativorum. Bernard. Unde hæc tibi
inæſtimabilis gratia, ut ejus ſponſa merearis eſſe
in quem deſiderant angeli proſpicere? Unde tibi
hoc ut ſponſus tuus ſit, cujus pulchritudinem Sol
& Luna mirantur? huic matrimonio bene compe-
tit illud. Gen. 2. Quamobrem *relinquat homo pa-* Quomodo initietur, ratificetur, conſummetur.
trem & matrem, patrem, ſcilicet mundum, ma-
trem, veterem ſcilicet conſuetudinem. Hoc ma-
trimonium initiatur in mundi deſertione, ratifica-
tur in habitus ſumptione, conſummatur in profeſ-
ſione. Parit Lia ante Rachelem, ſic exercitium Activa eſt ante Contemplativam.
activæ præcedit jucunditatem contemplativæ. Ec-
cleſiaſtæ 3. *Tempus flendi & tempus ridendi.* Primo
eſt tempus flendi. *Sex hydrias* ad nuptias hujus Sex hydriæ ex S. Bern. ſunt 6. obſervantiæ religioſorum.
convivii pertinentes diſtinguit Bernard. his verbis.
Ego ſex hydrias arbitror ſex eſſe obſervantias,
quas ad purificandum corda ſancti patres inſtituere.
Prima eſt *continentia caſtitatis*, qua diluitur quic-
quid ante luxuria inquinavit. *Secunda jejunium*, 1.
ut quod maculaverit crapula, abſtinentia mundet. 2.
Per ſegnitiem quoque & ocioſitatem multas con-
traximus ſordes contra ſententiam Dei, Geneſ. 3.
in ſudore vultus tui, non alieni, *veſceris pane tuo.*
Propter hoc *tertia hydria* nobis proponitur, ut 3.
ſordes in *labore manuum* diluantur. *Quarta hy-* 4.
dria vigiliarum obſervantia ponitur, ut nocte ſur-
gentes ad confitendum nomini tuo, noctes non
bonas præteriti temporis redimamus. Lingua nos
multùm inquinaverat, ideo neceſſaria eſt *hydria.*
Quinta ſilentium, cuſtos religionis, in quo eſt for- 5.
titudo noſtra. *Sexta hydria* eſt *diſciplina*, quando 6.
non noſtro arbitrio, ſed alieno vivimus, ut delea-
tur, quicquid indiſciplinatè vivendo deliqui-
mus. Aqua qua hæ hydriæ implendæ ſunt, eſt ti- Ex qua aqua quod vinum hic fiat.
mor Domini concupiſcentiam extinguens, ſicut
aqua ignem. Jubentur hydriæ impleri aqua, ut
obſerventur mandata Domini in timore; quæ mu-

tatur in vinum, cùm timor in charitate completur, & implentur omnia fervore ſpiritus, & jucunda devotione.

Exemplo Chriſti quo modo erga parentes & cognatos religioſi ſe habere debeant.

Sed quærit Bernard. dicens. Quem non moveat, quod in nuptiis ſuis reſpondet Dominus benigniſſimæ matri ſuæ. *Quid mihi & tibi* &c. Nonne ipſa eſt in cujus uterò novem menſibus moratus eſt? Et ſubdit. Propter nos reſpondet, ut converſos ad Deum, jam non ſolicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale: Quamdiu de mundo fuerimus, debitores conſtat nos eſſe parentibus. At poſtquam nos reliquimus nosmetipſos, multo magis ab ipſorum ſolicitudine liberi ſumus.

Exemplum Eremitæ de eodem.

Unde legimus fratrem quendam in eremo converſantem, cùm ad eum carnalis frater auxilii gratia adventaſſet, reſpondiſſe, ut adiret alterum fratrem eorum, cùm ille jam obiiſſet. Cúmque admiratus, qui venerat, reſponderet, quia jam obiit, eremita, humiliter, ſe quoque obiiſſe, reſpondit.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

De S. Mariæ pietate & poteſtate, de obedientia Eccleſiæ, mercede patientiæ, fide Eccleſiæ.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.

SERMO XXIX. Sex continet hoc Evangelium. De quinque agitur hoc ſermone.

IN hoc Evangelio *Primo* matrimonium commendatur, *Secundo* oſtenditur Mariæ pietas, *Tertio* ejus poteſtas, *Quarto* obedientia Eccleſiæ inſtruitur, *Quinto* merces patientiæ oſtenditur, *Sexto* fides Eccleſiæ roboratur. De *primo* dictum eſt ſuperiùs. Ad *ſecundum* pertinet illud: *Vinum non habent*. Voluit Dominus Eccleſiam non ignorare officium Beatæ Virginis, quod eſt defectus Eccleſiæ filio oſtendere ad ſupplendum; cujus eſt vinum ſolacii deſolatis miniſtrare. Cant 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua*, & ſubdunt fideles: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum*. Bernard. Quid mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nonne qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi odorem ſervabit? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus requievit? Nam antea replevit mentem quàm ventrem, & cùm proceſſit ab utero, ab animo non receſſit.

Officium S. Mariæ.

Pietas.

Poteſtas.

Poteſtas ejus in hoc oſtenditur, quod licet ipſa defectum illum ſupplere non potuerit, ſed ſolùm illum indicaverit, & licet filius defectum illum ad eos non pertinere oſtenderit, tamen ad nutum matris ipſum ſupplevit. Bernard. quando miſereri nolet mater miſericordiæ? Quando miſereri non poterit mater omnipotentiæ? Ad inſtructionem *obedientiæ* pertinet illud. *Quodcunque dixerit vobis facite*. Obedientiæ eſt non diſcernere quod jubetur, ſed humiliter adimplere. Diabolica vox fuit, *cur præcepit vobis Deus*? Gen. 3. Utilitas illius præcepti non apparebat quam tamen citò experti ſunt, qui illud humiliter impleverunt. Bern. Quid ſibi vult illud domine? miniſtri ſoliciti ſunt de vini penuria, & tu dicis implere hydrias aqua? illi de poculis cogitant, & tu præcipis ut purificationis vaſa impleant?

Obedientia Eccleſiæ.

Patientiæ Merces.

Merces patientiæ oſtenditur ſecundùm intellectum ſpiritualem in hoc, quod aqua in vinum mutatur. Sanctis enim mala quæ hic patiuntur in bona convertentur. Joan 16. *Vos contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Hebr. 12. *Omnis diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudii. ſed mœroris* &c. *Fidem Eccleſiæ roborat* miraculi facti memoria, ſicut in diſcipulis, qui aſſuerant, miraculi præſentia. Unde dicit Evangeliſta. *Hoc fecit initium ſignorum* &c. *& crediderunt diſcipuli ejus* &c. Non obediviſſet aqua ſalvatori, ſi ſua non fuiſſet, ut dicunt Manichæi, qui miraculosè mutavit aquam in vinum, miniſterio naturæ ſimile facit in vite.

Fides Eccleſiæ.

2.

DE EADEM.

SERMO QUINTUS.

SUMMARIUM.

De tribus Virtutibus B. V. in ſermone, & de ſeptem verbis ejus quæ in Evangelio locuta eſt, imitanda omnibus, maximè religioſis.

Dicit Mater Jeſu ad eum &c.

SERMO XXX. B. V. ligno vitæ aſſimilatur.

IN hoc Evangelio tria habentur de verbis Beatæ Virginis, quæ ſunt velut folia ligni vitæ. Ipſa eſt lignum vitæ, quia protulit nobis illum, qui eſt vita. Joan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Unde de verbis verum eſt quod legitur. Apoc. ult. De foliis ligni vitæ, quæ ſunt ad ſanitatem gentium. De ipſa verum fuit illud Pſalm. 1. *Et folium ejus non defluet*. Non defluxerunt verba ejus, ut ab ea ſuperfluè dicerentur, nec à nobis debent defluere, ut à nobis negligantur. Tria verò nobis attendenda ſunt circa illa: ſcilicet eorum *paucitas*, *brevitas*, & *utilitas*. *Pauca* ſunt enim verba ejus quæ in Evangelio continentur, quia ſeptem tantùm ſciebat illud. Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*, ideo multiloquio non eſt uſa. *Brevia* etiam fuerunt verba ejus, nullum prolongavit excepto illo quod ad laudem Dei protulit, illud ſcilicet: *Magnificat anima mea Dominum* &c. Lucæ 1. In quo multi diſſimiles ſunt laudem Dei abbreviantes vel ex parte principii, vel ex parte finis, vel ex parte medii, Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*. Gregor. Mirum eſt quomodo homo ſemper Deum non laudat, cùm omnis creatura ad laudandum eum ſemper invitet? Circa *utilitatem* notandum eſt, quòd tria prima pertinent ad propriam *utilitatem*, tria ultima ad utilitatem proximi, medium ad laudem Dei. *Tria prima* dixit Angelo. Lucæ 1. *Primum* fuit verbum *diſcretæ interrogationis*, ſcilicet *quomodo fiet iſtud?* &c. *Secundum*, *humilis reſponſionis*: *Ecce ancilla Domini*. *Tertium fidelis orationis*. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Diſcreta interrogatio eſt, quæ eſt cum ratione, qualis fuit illa. Unde dixit, *quoniam virum non cognoſco*. Verbum diſcretæ interrogationis valde neceſſarium eſt homini. Unde Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Nulla res magis memoriæ mandanda eſt, quam illa verborum locutionumque genera, quæ ignoramus, ut cùm occurrerit peritior, quæri poſſit. Specialiter hæc verba ſunt neceſſaria religioſis. Licet enim Beata Virgo exemplar ſit omnium fidelium, perfecta enim fuit in vita activa & in vita contemplativa, ſpecialiter tamen eſt exemplar contemplativorum. Ipſa enim in carne præter carnem vixit, & ut perfectiùs Deo vacaret, ſuum cor ad hæc mundana dividere noluit. Cùm aliquis in religione de novo eſt aliquid facturus, primò debet circa illud diligenter inſtrui: ſemel enim bene inſtructus, de cætero illud facere poterit, unde ad novitium pertinet dicere illud. *Quomodo fiet iſtud?* Bernard. Virtus vult cum humilitate doceri. *Item* religioſus debet de ſe humilia ſentire & fateri, ita tamen quòd obedientiam humilitas illa non excludat. Vera eſt enim humilitas, quam non deſerit comes obedientia, ut dicit Gloſſa ſuper Matth. 5. Ad humilitatem pertinet illud, *ancilla Domini*, ad obedientiam illud, *ecce*. Tertiò qui ſe inſufficientem reputat, paratus tamen ad illud quod non poteſt,

Tres virtutes verbi B. V.

1. Paucitas ſeptem tantum in Evangelio leguntur verba B. V.

2. Brevitas. In laude Dei longa fuit.

3. Utilitas. Septem utilia verba B. V. Tria Prima ſpectant ad utilitatem propriam.

Imitanda omnibus maxime religioſis.

Humilitas & obedientia ſimul eſſe debent.

poteſt, fideli oratione impetrare debet, ut poſſit. Ad quod pertinet illud. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Jacob. 1. Fiduciam magnam debet habere quod Deus juvet eũ in eo, quod ab eo per ſuum vicariũ exigit. Aug. Domine da quod jubes, & jube quod vis. Cùm tria neceſſaria ſint volenti bene operari, ſcilicet noſſe, velle, poſſe, diſcreta interrogatio adquirit cognitionẽ, humilis reſponſio indicat bonam voluntatem, fidelis ratio adquirit poteſtatem. Ad proximi utilitatem pertinens eſt *verbum correctionis*, *ſuffragij*, & *conſilij*. Correctio ab errore revocat, conſilium revocatum dirigit. Et hæc pertinent ad inſtructionem. Præter hæc debemus proximo auxilium, ad quod pertinet verbum ſuffragij.

Volens bene operari tribus indiget.
Tria verba ultima ſpectant ad utilitatem proximi.

1. Verbum correctionis

Verbum correctionis eſt illud Lucæ 2. Fili quid feciſti nobis ſic? Ibi nomen filij præmittitur, ut ex amore correctio procedere non dubitetur. Deinde ratio facti requiritur, ne indiſcretè increpetur. Eccleſiaſt. 11. *Prinſquam interroges ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris, corripe juſte*. Deinde ratione revocatur ab eo in quo erraſſe videtur cùm dicitur *ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te*.

2. Verbum ſuffragii.

Verbum ſuffragij eſt illud. *Vinum non habent*. Beata Virgo ſuffragatur indigentibus, non abundantibus. Item ſuffragatur ſtatum indicando, non importunè inſtando. Si boni eſſent ſuffragantes & majores Eccleſiæ, in hoc ſuffragio ſufficeret ut ſtatus ejus, cui ſuffragantur indicaretur, ſcilicet quod indiget & dignus eſt. Bern. Ubi non licet quod volo facere, quis locus eſt roganti?

3. Verbum conſilii.

Verbum conſilij eſt illud. *Quodcunque juſſerit*, &c. Circa quod attende humilitatem, non enim ſuum conſilium alieno prætulit, ſed ad alienum potius miſit, quod eſt contra obſtinatos in conſiliis ſuis. Bern. Quis non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ipſa ſapientia ſuum deſeruit. Loquitur de Chriſto, qui cum eſſet in his quæ patris fuerant, tamen deſcendit cum matre ſua in Nazareth, & erat ſubditus illi.

DOMINICA SECUNDA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Comparatur I. peccatum lepræ II. oſtenditur quomodo 8. ſpecies lepra ſpiritualis curentur 8. beatitudinibus Evangelicis, & quomodo eadem ſpecies voluntatem ac intellectum corrumpant.

SERMO XXX.

Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. *Matth.* 8.

Hoc Evangelium cõtinet duo miracula.
Circa I. miraculum 4. ſunt notanda.

Evangelium hodiernum continet duo miracula, ſcilicet *mundationem leproſi*, & *ſanationem ſervi Centurionis paralytici*. In parte verò illa, in qua ponitur primum miraculum. *Primo* oſtenditur quando illud factum ſit, ibi: *Cum deſcendiſſet Ieſus de monte*, &c. *Secundo* coram quibus, ibi: *Secutæ ſunt eum turbæ multæ*. *Tertio* qualiter ſe habuit leproſus ſalutem petens, ibi: *leproſus veniens adorabat eum*. *Quarto* qualiter ſe habuit Salvator ſalutem conferens, ibi: *Et extendens manum Ieſus*, &c.

I. Quando & cur ſit factũ miraculum. Peccatũ dicitur lepra.

Circa *primum* notandum, quòd cum deſcendiſſet de monte, ubi fecerat ſermonem de beatitudinibus, quibus omnis lepra ſpiritualis curatur, lepra ſcilicet peccati: lepram corporalem mundat, in quo ſe mundatorem lepræ ſpiritualis deſignat. Unde circa hæc *duo* nobis videnda ſunt, ſcilicet quare peccatum lepra dicatur, & quomodo beatitudinibus ſpecies hujus lepræ ſanentur. Sciendum igitur, quòd *triplici ratione* peccatum lepra dicitur. *Primo* quia lepra corporalis eſt membrorum corruptio ex humorum putrefactione effecta. Velut membra animæ ſunt ejus potentiæ, quæ ex inordinatis affectibus velut pravis humoribus corrumpuntur.

Potentiæ animæ quomodo corrumpentur.

Corrumpitur rationalis, cùm delectatur cogitationibus ocioſis, vel voluptuoſis, vel terrenis, vel glorioſis, vel malitioſis, vel cùm erroribus ſeducitur falſa de Deo ſentiendo, vel magna de ſe, vel mala de proximo. Corrumpitur iraſcibilis trepidando, ubi timendum non eſſet. Pſal. 13. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Vel naturæ, ſeu perſonæ iraſcendo; cùm iraſci debeat vitio, vel de viribus propriis præſumendo; vel altitudinem tranſitoriam inordinatè appetendo. Corrumpitur concupiſcibilis; delectationes, quæ ſunt ſecundùm ſenſum, libidinosè appetendo, vel ſpirituales negligendo. *Secundo* quia peccatum ad modum lepræ traducitur per contagium. Sic quaſi hæreditariè per contagium traducta eſt lepra peccati in Evam, quia per ſerpentis colloquium quaſi hæreditariè traducta eſt lepra Originalis peccati in nos: Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit*.

Exemplum malum cõtagioſum

Per contagium etiam exempli peccatum in multos traducitur. Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Senec. Unum exemplum avaritiæ vel luxuriæ multum mali facit. Dives vicinus, cupiditate irritat, comeſtor delicatus paulatim enervat & emollit. Malignus comes, quamvis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit. Peccatum etiam rapinæ quaſi hæreditariè traducitur in filios. Ezech. 19. *Eduxit unum de leonculis ſuis, factus eſt leo, & didicit prædam capere*. A matre etiam meretrice peccatum luxuriæ quaſi hæreditariè tranſit ad filiam. Qualis enim mater, talis filia frequenter.

Peccatum magis quã lepra timẽdum.

Tertio quia lepra morbus eſt, qui multùm timetur. Dicunt aliqui, aliam infirmitatem, det mihi Deus, ſi placuerit ei, ſed à lepra cuſtodiat me. Per lepram ergo peccatum deſignatur, ut quantum timendum ſit innuatur. Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas. Plagæ illius non eſt ſanitas*, &c. Timendum ergo eſt peccatum ut coluber, ut leo, ut gladius. *Quatuor* de cauſis timetur lepra corporis, in quibus omnibus à lepra peccati ſuperatur.

1. Ob damnificationẽ.

Prima eſt, quia hominem multùm damnificat, humanæ ſocietatis ſolatium auferendo. Lepra peccati non ſolùm ſeparat à conſortio hominum, ſed etiam à conſortio Dei & Angelorum. Hæc lepra ejecit Angelum de cœlo, Adam de terreſtri paradiſo, ad ultimum peccatores de mundo iſto ejiciet, & includet in inferno velut in quadam leproſoria domo. In præſenti ſeparat eos à bonis quantum ad meritum, in futuro verò ſeparabit eos quantum ad locum. *Exibunt* enim *Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum*. Matth. 13. Qui habet lepram peccati mortalis ſolus reputatur, quia non eſt in conſortio bonorum quantum ad meritum, unde væ illi. Eccleſiaſtæ 4. *Væ ſoli*.

2. Ob moleſtationem.

Secunda eſt quia multùm moleſtat æſtu & ſiti. Eccleſiaſtici 23. *Anima calida quaſi ignis ardens*, &c. Ejuſdem 14. *Inſatiabilis oculus cupidi, non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animam ſuam*. Proverb. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes: affer, affer*. Sanguiſuga eſt concupiſcentia, cujus duæ filiæ ſunt amor habendi bona temporalia, & amor fruendi. Iſa. 43. *Lingua eorum ſiti aruit*. Sitis eorum qui habent lepram ſpiritualem tanta eſt, ut ſedari non poſſit, non dico ſolùm uno cyatho vini, imò nec uno dolio & cellario pleno vini. Adeo etiam ſitiunt, ut venenata bibere non timeant, ut patet in raptoribus, furibus & uſurariis. Etiam ſe ipſos bibendo ſubmergunt. Et attende fatuitatem talium, qui cum deberent recurrere ad gratiam Dei, cum una gutta lepram curaret, & per conſequens

ſitim ſedaret, potiùs bibere volunt quod lepram augeat, & per conſequens ſitim. Joan. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo illi, non ſitiet in æternum.* Auguſtinus. Qui biberit de fluvio Paradiſi, cujus gutta major eſt Oceano, reſtat ut in eo ſitis
3. Ob vilificationem. hujus mundi extincta ſit. *Tertia* eſt quia multùm vilificat, facit enim deformem ad videndum & abominabilem ad cohabitandum. Reddit enim anhelitum fœtidum, & aëra inficit. Sed lepra peccati amplius hoc facit. David Pſalm. 13. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Idem ibid. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* 1. Corinth 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.* Si verò tria prædicta, ſcilicet damnificatio, moleſtia & vilificatio modicum duraret, tolerabilis eſſet lepræ infirmitas, ſed morbus lepræ corporalis vix vel nunquam curatur. De lepra verò peccati hoc conſtat quod apud homines ejus curatio impoſſibilis eſt, apud Deum verò omnia poſſibilia ſunt, Matth. 19. Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates ſuas propter me.* *Quarta* eſt quòd
4. Ob angmentum. lepra eſt morbus creſcens. Primò enim parum apparet, ſed creſcendo procedit, donec totum corpus occupaverit: ſic lepra peccati, primò corrumpit cor, deinde os & oculos & alia exteriora. Eccleſiaſtici 11. *A ſcintilla una augetur ignis.*

II. Octo corruptiones animæ, ſeu ſpecies lepræ ſpiritualis, octo beatitudinibus curantur. Sequitur videre quomodo octo beatitudinibus ſpecies lepræ ſpiritualis mundantur. Sciendum ergo quod octo ſunt corruptiones ipſius animæ, quæ ſunt velut octo ſpecies lepræ. *Prima* eſt *cupiditas*, quæ eſt immoderatus appetitus habendi bonum temporale. Hanc ſanat paupertas ſpiritus. Et quia
1. Cupiditas paupertate curatur. *radix omnium malorum cupiditas eſt.* 1. Timoth. 6. Convenienter primò eam extirpat Salvator, ſecurim prædicationis ponens ad radicem malitiæ. *Secunda* eſt *ira*, quæ eſt appetitus vindictæ, quam ſanat manſuetudo, quæ nec nocet, nec nocere deſiderat. Ira eſt velut ignis in corde hominis om-
2. Ira manſuetudine. nia bona conſumens, ideo multùm conandum eſt ad ejus remotionem, Eccleſiaſtæ 12. *Auſer iram à corde tuo.* Ejuſdem 7. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Proverb. 6. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ejus non ardeant?* Ira morbus eſt valde gravis ad portandum his, qui ſunt circa eum qui hoc morbo laborat. Proverb. 18.
3. Lætitia ſæculi, gratia lugendi. *Spiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?* Ejuſdem 27. *Grave ſaxum & oneroſa eſt arena, ſed ira ſtulti utroque gravior.* *Tertia lætitia eſt ſæculi*, quæ eſt appetitus fruendi bonis tranſitoriis. Hanc lepram habebant qui dixerunt, Sap. 2. *Venite & fruamur bonis quæ ſunt.* Lætitia ſæculi ſe habet in amatoribus mundi, ut riſus in phreneticis. Hanc ſanat gratia lugendi, quæ ſe habet ut dolor in infirmo ſanæ mentis. Melius eſt habere ſanæ mentis dolentem, quam phreneticum ridentem. Gregor. Inter duos ægros medicus aderat. Sed unus æger in febre integrum ſenſum tenebat, alter verò ſenſum mentis perdiderat. Loquitur de Chriſto & Magda-
4. Acedia eſurie juſtitiæ. lena & Phariſæo. *Quarta* eſt *acedia*, quæ magna bona modicum curat, quæ eſt velut faſtidium veri boni, & eſt infirmitas morti appropinquans. David Pſal. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Hanc ſanat eſuries juſtitiæ, ut juſtitiam intel-
5. Invidia miſericordia. ligamus bonum gratiæ ſicut ibi: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus.* Matth. 5. *Quinta* eſt *invidia*, quæ gaudet de alieno malo, & dolet de alieno bono; quæ *putredo* dicitur *oſſium.* Proverb. 14. Hanc ſanat miſericordia quæ condolet alieno
6. Immunditia cordis munditia cordis. malo. *Sexta* eſt *cordis immunditia*, quæ eſt cordis laxitas ſordes peccati ſuſtinens. Hanc ſanat cordis munditia, quæ eſt puritas animi omnem immunditiam abhorrens. Qui habent hanc corruptionem ſunt velut *ſus lota in volutabro luti.* 2. Petr. 1. Cùm quidam ſtultus diceret audiente Pythagorâ, malle ſe cum mulieribus quàm cum Philoſophis converſari: & ſues, inquit, libentiùs in cœno, quam in aquâ pura converſantur. *Septima* eſt *diſcordia*, quæ 7. Diſcordia gratia pacificandi.
eſt in hominibus proprii ſenſus, & propriæ voluntatis, quæ diabolo multùm aſſimilatur, cujus eſt diſpergere; & ſimilitudinem Dei multùm diſſipat, cujus eſt colligere. Lucæ 11. *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Auguſtinus. Nihil ſimilius eſt actibus dæmonum quam litigare. Hanc corruptionem ſanat gratia pacificandi, quâ filio Dei ſpecialiter aſſimilamur, ut Dominus innuat dicens: *Beati pacifici, quia ipſi filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. *Octava* 8. Impatientia & puſillanimitas patientia perſecutionis.
eſt nimia paſſibilitas à malo pœnæ præſentis, & vocatur *impatientia*: vel à malo futuro, & vocatur *puſillanimitas*, ſeu nimia timiditas, quam removet Philoſophus à forti dicens: fortis eſt intimidus mali. Senec. Vir bonus ab honeſto nullâ re deterrebitur ad turpia nullâ re invitabitur. Cōtra hāc corruptionē dicit Dominus: *Beati qui perſecutionem patiuntur.*

Et *notandum* quòd iſtæ octo corruptiones ſunt 4. reſpectu boni ipſius affectus, 4. reſpectu mali. Duæ ſūt Quomodo corruptiones iſtæ ſint in affectu.
ſpectu boni, quod eſt infra nos, ſcilicet immoderatus appetitus fruendi illo. Tertia eſt reſpectu boni quod eſt ſupra nos, ſcilicet acedia, quæ faſtidium eſt boni. Quarta eſt reſpectu ejus, quod eſt juxta nos ſcilicet diſcordia. Prima reſpectu mali, ſi malum proximo velis inferre. Secunda ſi malum quod patitur nolis miſericorditer auferre. Tertia eſt ſi malum culpæ in te velis ſufferre. quarta eſt, ſi malum pœnæ loco & tempore nolis ferre. Item *notandum* Quomodo in intellectu.
quòd corruptionem in affectu concomitatur corruptio in intellectu. Unde Zach. 5. dicitur de impietate quod *hæc eſt oculus eorum in univerſa terra.* Proverb. 21. *Lucerna impiorum peccatum.* De facili intellectus ſequitur affectum. David Pſal. 72. *Tranſierunt in affectum cordis.* *Nimium amorem altitudinis* concomitatur frequenter præſumptio, quam 1.
homines de ſe ſentiunt, ideo dicitur 1. Timot. 6. 2.
Præcipe divitibus hujus ſæculi non ſublime ſapere. *Iram* concomitatur cœcitas vel obſcuratio, impedit enim ira animum ne poſſit cernere verum David Pſal. 57. *Supercecidit ignis & non viderunt ſolem.* 3.
Sæculi etiam *lætitiam* concomitatur fatuitas. Vinum eſt gaudium temporale faciens homines furere. Oſeæ 7. *Cœperunt Principes furere à vino.* Hoc vinum infatuavit Salomonem. *Accidioſi* ponunt 4.
dulce in amarum & propheriis falſis deluduntur. Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ipſi faſtidiunt manna. Proverb. 22. *Dicit piger, leo eſt foris, in medio platearum occidendus* 5.
ſum. Proverb 26. *Dicit piger, leo eſt in via, leæna in itineribus.* *Invidiam* concomitatur cœcitas. Hæc excœcavit Judæos. Sap. 2. *Excœcavit illos malitia eorum.* Job. 5. *Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie.* Ubi dicit Gregor. Mens invidi dum aliquo bono alieno affligitur, de radio ſolis obſcuratur. *Immundi corde* nares habent & non odorabunt. Ruminant enim fœtentia, ac ſi eſſent aromata. *Diſcordes* verò in quibus proprius 6.
ſenſus abundat, putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, nec ſolum ſtulti, ſed quaſi inſani. Neſci- 7.
re enim quæ eſſent ſcienda, ſimplex ſtultitia eſt; ſed credere ſe ſapientem cùm ſit ſtultus, inſania eſt. Proverb. 26. *Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, magis illo ſpem habebit inſipiens.* Auguſtin. Si dicendo te eſſe ſapientem, ſtultus factus es: dic te ſtultum, & ſapiens eris. *Impatientes* verò ſunt quaſi 8.
arreptitii. Et ſicut *qui ſapiens eſt, multa gubernatur ſapientia.* Proverb. 14. ſic qui impatiens eſt, parvâ & nullâ. *Puſillanimis* verò eſt velut maniacus, cujus verbum illud Geneſ. 4. *Omnis qui invenerit me, occidet*

occidet me, ſonitus terroris ſemper eſt in auribus ejus, & cum ſit pax, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Job. 15. *Terrebit eos ſonitus folii volantis.* Levit. 26.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicatur totum primum miraculum, cujus occaſione variæ doctrinæ adferuntur.

SERMO XXXI.

Cum deſcendiſſet Jeſus de mõte, ſecutæ ſunt eũ turbæ multæ, & ecce leproſus veniens adorabat eum.

Cur coram turbis leproſus ſit curatus. Circa hoc duo notanda.

QUod coram turbis leproſus dicitur ſanari facit ad certitudinem miraculi. Notandum eſt etiam quòd turbæ ſequuntur, non principes. Chryſoſtomus. Principes non ſequuntur, per totum enim Evangelium vides eos eſſe fixos. Turba cum ſilentio audivit, Phariſæi ut calumniarentur. Item in hoc quòd poſt deſcenſum montis ſequun-
1. tur turbæ, inſtruuntur prælati de monte contemplationis deſcendere, ut fructum in populo faciant.
2. Job. 29. *Cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* Periculoſa eſt nimia mora prælati in monte contemplationis. Exod. 32. *Videns populus quod moram faceret Moyſes deſcendendi de monte, congregatus adverſus Aaron ait. Fac nobis Deos, qui nos præcedant.*

Qualiter leproſus petierit ſanari. Circa hoc 3. nota pro curanda lepra ſpirituali.

Et ecce leproſus, &c. Circa modum quo ſe habuit ſalutem petens, *tria* attende: ſcilicet quòd *venit*, quòd *adorat*, quòd *poteſtatem Chriſti confitetur*, in quibus tria oſtenduntur nobis valdè neceſſaria ad ſanationem lepræ ſpiritualis. *Primum* eſt *appropinquatio*, ut ſcilicet appropinquet Deo greſſu deſiderii & operis. Jacob. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Aug. In libro de Ba-
1. ptiſmo parvulorum. Adjutor noſter dicitur Deus. Nec adjuvari poteſt, niſi qui aliquid ſponte cona-
2. tur. Idem in libro de perfectione juſtitiæ hominis. Non adjuvatur, niſi qui & ipſe aliquid agit. *Secundum* eſt *humilitas* in adoratione, quæ valde efficax eſt ad impetrandum ſalutem. Eccleſiaſtici 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* David Pſalm. 101.
3. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.* Jacob. 5. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* *Tertium* eſt *fides*, quæ multùm valet ad impetrationem ſalutis. Matt. 8 *Vade & ſicut credidiſti fiat tibi.* Interlin. Cuique ſicut credit ita fit. *Domine ſi vis potes me mundare.* Iſte leproſus tenet figuram humani generis, quod erat in adventu Chriſti leproſum, quod potentiam Dei per pœnam juſtè inflictam noverat, ſed bonitatem voluntatis ejus non ita. Sed jam non debet eſſe dubium quin velit nos à lepra ſpirituali mundare, cum ad hoc ſanguinem ſuum fudit, & tot fontes gratiæ in Eccleſia poſuit. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Tit. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* Iſa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et extẽdens manũ Ieſus tetigit*, &c.

Leproſus hic quomodo ſignificet genus humanum.

Quomodo ſe habuerit Salvator ſanãdo leproſum. Circa hoc ſeptem notanda.

Circa modum quo ſe habuit Salvator ſalutem conferens ſeptem attende. *Primum* quòd manum extendens leproſum tangit, in quo apparet ejus humilitas. *Secundum* quòd dicit: *volo*: in quo apparet ejus pietas. *Tertium* quòd dicit, *mundare*: id eſt, munderis. *Et confeſtim mundata eſt lepra ejus*, in quo apparet ejus majeſtatis poteſtas. *Quartum* quòd dicit ut nemini dicatur, in quo jactantia condemnatur. *Quintum* quod mittendo ad Sacerdotes, in hoc eos honorat. *Sextum* quòd in eodem confeſſionem commendat, qua leproſi ſpiritualiter ſe Sacerdotibus oſtendunt. *Septimum* quòd munus præceptum in lege jubet offerri, in quo legem veterem approbat. *Et extendens*, &c. *Notandum* quòd multipliciter Dominus manum ſuam extendit. Extendit enim eam *Ad percutiendum*. Iſa. 9. *Adhuc manus ejus extenta.* Vibravit enim Dominus gladium ſuum. Pſalm. 7. Et innuitur in hac extentione, quod etiam remotos percutiat. Pſalm. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es*, &c. *Item* quòd percutiet etiam ſuperiores. Sapient. 6. *Iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet.* *Item* quod fortiter percutiet: manus enim quæ altiùs extenditur, graviùs percutit. Timent porci ſecurim ſuper ſe elevatam, & non timent fatui homines ſuper quos Dei juſtitia gladium elevavit. Et *notandum* quod Deus manũ ſuã ad percutiendum extendit in cœlo, in terreſtri paradiſo, in mundo, in purgatorio, in inferno In *cœlo* ad percutiendum ſuperbum apoſtatam. Iſa. 51. *Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?* Job. 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum.* *In Paradiſo*, ad percutiendum primos parentes, quæ percuſſio tranſivit ad poſteros. Jerem. 30. *Plaga inimici percuſſi te.* *In mundo* vero quoſdam percutit ad converſionem. Iſa. 19. *Percutiet Dominus Ægyptum plaga, & ſanabit eam*, alios ad indurationem. Jerem. 5. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt.* *In purgatorio* ad expiandum. Job. 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei*, &c. *In inferno* ad æternaliter puniendũm. Proverb. 19 *Parata ſunt deriſoribus judicia, & malleí percutientes ſtultorum corporibus.* *Item* extendit manum ſuam *ad amplexandum*, ut apparuit in ſtatu crucis, ubi fuit quaſi paratus ad amplexandum peccatores, & ſic ſe habet in tempore gratiæ. Unde Luc. 15. legitur de patre familias, quod occurrens cecidit ſuper collum filii. *Item ad largiendum.* Proverb. 1. *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Proverb. ult. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Adeo extendit Deus pater manum ſuam, quod brachium ſuum, ſcilicet filius, in duo fruſta diviſum eſt, anima deſcendente ad inferos, ut captivos extraheret, & corpore remanente in ſepulchro. Eccleſiaſtici 4. *Non ſit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta.* *Item ad oſtendendum viam.* Iſa. 65. *Tota die expandi manum meam ad populum, qui graditur in via non bona.* Manum hoc modo Chriſtus extendit, dum formam rectè vivendi hominibus oſtendit. Sed multi facto dicunt ei: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job. 21. *Item ad adjuvandũ.* Pſal. 172. *Tenuiſti manum dexteram meam*, &c. Maximè vero ſic manum ſuam extẽdit his, qui proximè eum ſequuntur. Pſal. 62. *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Job 14. *Operi manuũ tuarũ porriges dexteram.* *Item ad ſanãdũ*, ut hîc, *tetigit eum.* Magna dignatio majeſtatis ſuæ, leproſum tangit. Gloſſa. Tetigit propter humilitatem, ut nos doceret nullum ſpernere pro aliqua corporis maculatione: quod eſt contra aliquos, qui leproſos abominantur. Teſtatur Cantor magnus Pariſienſis de quodam Sacerdote leproſorum, qui in muro fecerat foramen, per quod audiebat confeſſiones eorum, & porrigebat corpus Domini, quod parte illa remanente ſanâ quam vertebat ad illos, alia facta eſt leproſa. Et quidam ſervus, qui adeo abhorrebat leproſos, quod nolebat eis eleemoſynam ferre, factus eſt leproſus. De illis vero qui leproſos ſpiritualiter deſpiciunt dicitur Iſa. 65. *Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Non abhorruit Chriſtus peccatricem. Luc. 7. *Si eſſet hic Propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eũ, quia peccatrix eſt.*

8. Dominus extẽdit manum ſuam.

Deus percutit in quinq; locis.

Exẽpla duo punitorum quod corporaliter leproſos horruerint.

Leproſi ſpiritualiter nõ abhorrendi.

2. Qui nolint mundari.

Dicit *volo*, vult ſiquidem Chriſtus mundare, ſed nolunt homines mundari. Verè non vult mundari, qui libentius habitat cum leproſis quam cum ſanis, cum lepra ſit morbus infectivus, ſi enim eſſet ſanus, poſſet ipſe ex habitatione eſſe leproſus. *Item* non vult fieri ſanus, qui nec conſilium Medici vult audire, quo ſanatur, non vult enim audire prædicationem. Proverb. 24. *Erit ſalus ubi multa conſilia*. *Item* qui non vult reddere alienum pro curanda lepra ſpirituali, pro curanda enim lepra carnali daret ſuum. *Item* non vult mundari, qui lepram peccati non vult oſtendere Medico, ut ſanetur. 4. Reg. 5. dictum eſt Naaman à ſervis ſuis, *etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras, quanto magis, quia dixit tibi lavare & mundaberis*.

3. Mundatio à lepra fit.

3. *Mundare & confeſtim mundata eſt lepra ejus*. Sciendum eſt quod *quinque* modis fit mundatio lepræ, ſcilicet *ablutione*, ut Naaman, qui mundatus eſt in Jordane 4. Reg. 5. Apoc. 1. *Dilexit nos & lavit nos*, &c. Sic fit aliquis mundus peccati. Baptiſmatis ablutione, vel lachrymarum. *Item oſtenſione*. Lucæ 17. dictum eſt leproſis, *oſtendite vos Sacerdotibus*, qui dum irent mundati ſunt. Pſalm. 31 *Dixi confitebor*, &c. *Et tu remiſiſti*. *Item ſeparatione* ut Maria Num. 12. quæ fuit extra caſtra ſeptem diebus. Sic mundatio fit per excommunicationem, quæ medicinalis eſt ut cauterium. 1. Corinth. 5. *Iudicavi hujuſmodi hominem tradere ſathanæ*. Et Num. 5. præcepit Deus ut ejiciant extra caſtra omnem leproſum. *Item incluſione*, ut manus Moyſi, quæ extracta de ſinu leproſa apparuit, repoſita in ſinu ſimilis facta eſt carni reliquæ Exodi 4. Sic aliqui in ſæculo leproſi ſpiritualiter erant, qui in clauſtro poſiti à lepra ſanantur. *Item tactu*, ut hîc. Sed *duplex* eſt *tactus* Domini; unus *ſuavis*, alter *gravis*. *Suavis* eſt quo tangit filios ſuos in præſenti ad probationem. Geneſ. 27. *Accede fili ut tangam te & probem*, &c. *Gravis* eſt quo tangit in Purgatorio. Job. 19. *Miſeremini mei*, &c. *quia manus Domini tetigit me*. Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. Item notandū quod ea quæ fiebāt in purificatione leproſi corporaliter, oſtendunt qualiter debeat purificari leproſus ſpiritualiter de quo habetur Levit. 14. Quod ſumat duos paſſeres, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyſſopum, & unū ex paſſeribus immolet in vaſe fictili ſuper aquas viventes, vivum autem cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo tingat in ſanguinem paſſeris immolati, quo aſpergat illum qui mundandus eſt ſepties. Cum *paſſer* dictus ſit à patiendo, duo paſſeres ſunt dolor contritionis, quo anima compungitur, & dolor ſatisfactionis, quo corpus affligitur. De quibus Mich. 4. *Dole & ſatage filia Sion*. *Lignum cedrinum* quod eſt imputribile, eſt propoſitum firmū de cætero non peccandi mortaliter, quo incorruptio ſervatur Unde Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare*. Joan. 8. dicit Dominus Adulteræ: *Vade, & jam amplius noli peccare*. *Vermiculus*, ſeu *coccus* rubei coloris, eſt pudor confeſſionis, quo pœnitens erubeſcens de peccatis confunditur. Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis? Hyſſopus* cujus eſt tollere tumorem pulmonis, eſt humilitas pœnitentis, quia cervix prius erecta dejicitur. *Aqua viva* ſunt dona Spiritus ſancti, Salvatoris doctrina, lachrymarum gratia, quibus anima à ſordibus peccatorum mundatur.

Tactus Domini duplex.

Ritus purgādi leproſum corporaliter in veteri teſtamento, oſtendit quid ſit faciendū leproſo ſpiritualiter.

Paſſer quid ſonet.

4. Præcipiendi forma triplex.

4. *Et ait illi Ieſus: vide nemini dixeris*. Notandum quod aliquando ponitur aliquid in forma præcepti, & eſt præceptum, ut illud: *honora patrem*, &c. Exod. 20. Quandoque non proponitur in forma præcepti, & eſt præceptum, ut illud. *Non fornicaberis*, in eodem. Quandoque proponitur in forma præcepti, & non eſt præceptum, ut hîc. *Vide nemini dixeris*. Gloſſa. Taceri juſſit, & taceri non potuit, non quod aliquid voluit & non potuit, ſed dat exemplum, ut ſui in magnis, quæ faciunt, latere velint, ſed ut proſint aliis, prodantur inviti. Et inſinuatur in hoc, quod qui gloriam hujus mundi fugit, maximè eam apprehendit: hoc ſolum enim habet gloria hujus mundi glorioſum ſecundùm verbum Sapientis, quod ſe appetentes fugit, & ſe fugientes appetit. Sen. 5. libro de beneficiis. Gloria fugientes magis ſequitur. Eccleſiaſtici 11. *Si ſecutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcucurreris*. *Sed vade, oſtende te ſacerdoti*. Gloſſa. Mittit ad Sacerdotes propter humilitatem, ut Sacerdotibus deferat honorem. Eccleſiaſtici 7. *Sanctifica Sacerdotes*. Rom. 13. *Cui honorem, honorem*. Ejuſdem 12. *Honore invicem prævenientes*. Gloſſa. Non eſt aliter fraternus amor, niſi mutuis ſe præveniat obſequiis. 1. Timoth. 5. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*. 5

Gloriæ fugiendæ exemplum.

5. Honor ſacerdotibus debitus.

Secundùm intellectum ſpiritualem eſt hæc exhortatio ad confeſſionem peccatorum. Proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, Qui autem confeſſus fuerit & dereliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. De confeſſione vide ultimum ſermonem Epiſtolarum. 6

6 Confeſſio commendatur.

Et offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimoniū illis, id eſt, ut ipſi hoc teſtimonio credant, viſo ſcilicet tanto miraculo, vel ſi non credant ſint inexcuſabiles, & ita ſit eis vel in teſtimonium ſalutis, vel in teſtimonium damnationis. *Vel ſic*. *Offer munus quod præcepit Moyſes* leproſos offerre in teſtimonium ſuæ curationis. Et *notandum* quòd ſicut habetur Levit. 13. Leproſus offerebat duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ, & olei ſextarium. In duobus agnis intelligitur duplex innocentia, quam debet offerre peccator. Una eſt ut opprimendo nullum miſerum faciat, alia ut miſerum non deſerat, ſed ſublevando ejus miſeriam ſubveniat. Contra illum qui caret prima innocentia dicitur. Iſa. 3. *Quare atteritis populum meum & facies pauperum commolitis?* contra illum qui caret ſecunda, dicit Ambroſius. Paſce fame morientem: ſi non paviſti, occidiſti. In ove intelligitur manſuetudo, quā peccator dimittit ei, qui eum offenderat. Prov. 3. *Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam*. Illuſor eſt qui vult ſibi dimitti à Deo, & non dimittit proximo. Eccleſiaſtici 28. *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam?* Simila eſt immaculata ſubſtantia, quæ debet offerri, quia ex juſtè acquiſitis eleemoſyna debet fieri. Eccleſiaſtici 33. *Immolantis ex iniquo maculata eſt oblatio*. Debet autem ſimila conſpergi oleo, quia eleemoſyna debet pingueſcere, devotione & hilaritate. 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus*. Rom. 12. *Qui miſeretur, in hilaritate*. De ſubſtantia tres decimæ ſunt dandæ, ſicut in veteri Teſtamento de laboribus. Prima dabatur Sacerdoti, ſecunda in oblationes ſolennitatum, tertia in eleemoſynas pauperum.

7. Leproſus iuſſus offerre duplici ſenſu.

Spiritualis explicatio oblationis factæ à leproſis.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Explanatur ſecundum miraculum interjectis aliquibus documentis.

Cùm autem introiſſet Capharnaum acceſſit ad eum Centurio, &c.

SERMO XXXII.

CONtra Lucæ 7. ſic habetur: *Miſit ad Jeſum ſeniores Judæorum, rogans eum ut ut veniret*, &c. Reſponſio. Acceſſit mente, unde Interlin. dicit vade & deſiderio, qui modus accedendi melior eſt, Deus enim ſpiritus eſt. Joann. 4. Et vult ut ad eum ſpiritualiter

Abiectio & reſponſio triplex.

ſpiritualiter accedatur. Vel acceſſit per amicos ſcilicet Judæos, qui pro eo intercederent. Poſſet tamen dici quod corporaliter venit. Sed Judæis quaſi familiaribus Chriſti, verbum ſuum commiſit.

Centurio quis.

Centurio dicitur; qui eſt ſuper centum milites. *Rogans eum*, per internuncios, qui dixerunt ut habetur Luc 7. *Dignus eſt ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, &c.* Et eſt argumentum

Merita SS. valent in oratione. Demerita pro quibus oratur, obſunt.

quod miſericordiâ Dei, mediante amicitiâ Sanctorum acquiratur, & allegant nuncii Centurionis meritum, & impetrant quod quærunt. Econtrario demeritum illorum pro quibus oratur quandoque impedit, ne oratio exaudiatur. Eccleſiaſtici 34. *Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt eis niſi labor?* Tales ſunt ſimiles Pharaoni dicenti. Exod. 8. *Orate Dominum*, &c. & poſt in eodem. *Rogate pro me*, operibus tamen adverſabatur. *Puer*, id eſt ſervus. *Ego veniam.* Venire incipit, ſed non pervenit. In medio enim viæ verbo eum abſens curavit, ne propter impotentiam crederetur corporaliter ire. *Non ſum dignus* &c. ſecundùm Hieron. hoc dicit propter idola quæ nondum alienaverat; timebat enim ne oculi Salvatoris offenderentur in aliquo, quod ibi videret. *Nam & ego*, &c. Probat quod hoc Dominus poſſit facere per locum à minori, cum ipſe qui ſub poteſtate eſt, multa facit per ſubditos ſuos.

Varia explicatio.

Miratus eſt, id eſt, ad modum mirantis ſe habuit *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Intellige præſentis temporis, in Patriarchis enim & Prophetis majorem invenit, & intellige Beatam Virginem exceptam. De Apoſtolis verò dicunt aliqui quod non erant tantæ fidei tempore illo. Poteſt tamen ita exponi. *Non inveni tantam fidem*, id eſt, tam facilem fidem. In Apoſtolis non fuit tam facilis fides, quia nullus exteriùs iſtum docuit. Vel ſic expone. *Non inveni tantam fidem in Iſrael*, quantam in iſto, id eſt, in gentibus per iſtum figuratis. Vel ſecundùm communem uſum loquendi non comprehenduntur in hoc verbo Apoſtoli, ut ſi quis intraret domum aliquam, in qua neminem inveniat, dicit: nemo eſt in hac domo, non connumerans venientes ſecum. *Dico autem vobis, quia multi*, &c. Poſſet dicere aliquis, ſunt-ne gentes credituræ? ideo ſubditur: *Multi ab Oriente & Occidente*, &c. Malach. 1. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda Et recumbent*, id eſt, requieſcent *cum Abraham*, &c. Hos ſpecialiter nominat, quia his ſpecialiter facta eſt promiſſio de Chriſto incarnando. *Filii autem regni*, id eſt, Judæi, in quibus regnabat Deus, *ejicientur in tenebras exteriores.* Tenebras interiores habet homo, quàm citò peccat, ſcilicet mentis cœcitatem, exteriores verò habebit in inferno. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Gloſſa. Dentes ſtrident, qui hîc de audacitate gaudebant. Oculi flent, qui per concupiſcentiam vagabantur. Fletus de ardore, ſtridor dentium ſolet de frigore excitari, quia ibi tranſibunt de aquis nivium ad calorem nimium. Job. 24 Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Unde dives epulo torquetur in lingua. Lucæ 16. *Et dixit Jeſus Centurioni*, id eſt, rogantibus pro eo, vel ei ſi perſonaliter affuit, &c.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

SERMO XXXIII. *Varia pro ædificatione noſtra in Chriſto, Centurione & ejus ſervo diſcenda proponuntur.*

Cùm autem introîſſet Capharnaum.

Pars iſta Evangelii hodierni, in qua ponitur ſervi Centurionis ſanatio, multam habet materiam ædificationis tam in Chriſto, quàm in Centurione, quàm in ejus ſervo. In Chriſto *primo* datur nobis *exemplum humilitatis*, in hoc quod ire ad ſervum Centurionis conſentit Gloſſa. Magna humilitas, quod ſervum dignatus eſt viſitare. Ad filium reguli noluit venire. Joan. 4. ne divitias honorare videretur: hîc ne ſervilem conditionem ſpernere videatur; mox ire conſentit. Seneca. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum tentaturus, non ipſum aſpicit, ſed ſtratum & frenos; ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ nobis modo veſtis circumdata eſt, exiſtimat. *Secundo exemplum æquitatis* in hoc, 2.

Ex miraculo tria diſcenda in Chriſto.

quòd devotionem gentilis non deſpicit, ſed laudibus extollit dicens: *Non inveni tantam fidem*, &c. Actor. 10. *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus*, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt ei. *Tertio fides in nobis roboratur* ex oſtenſione potentiæ Chriſti, qui abſentem verbo curat. 3. *Vade*, inquit, & ſicut *credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.*

In Centurione quatuor.

In Centurione verò nobis *quatuor* commendantur. *Primo humilitas* in hoc, quod dicit: *Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Auguſtin. 1. Dicendo ſe indignum, præſtitit ſe dignum, non in cujus parietes, ſed cujus cor Chriſtus intraret. Chryſoſtomus. Quia indignum ſe fecit ſuſcipiendi in domo, dignus factus eſt regno. Unde illud: *Non ſum dignus*, pertinet ad humiles Sacerdotes, qui ſe reputant indignos celebrare, cùm non habeant hoſpitium eburneum Regi Regum congruû, quale habuit Beata Virgo, de qua potuit dici illud. Iſa. 62 *& vocaberis voluntas mea in ea.* Quomodo dignus eſt ut Deus intret ſub tectum ipſius, qui habet uxorem litigioſam, id eſt, conſcientiam contumelioſam. Proverb. 19. *Tecta jugiter perſtillantia litigioſa mulier.* Item in quo de igne cupiditatis fumus tentationis aſcendit & ubi flat ventus ſuperbiæ, licet tantam non habeat devotionem, non debet tamen propter hoc dimittere celebrationem, ſolummodo bene ſe præparet: ſicut homo non dimittit ferre vas ad aquam, quia vacuum eſt. Velut fons gratiæ eſt Sacramentum altaris. Sed quibuſdam illuditur à pigritia ſub tegmine divini timoris, qui potius hoc relinquunt ex pigritia, quam ex timore Dei. Qui ſi haberent verum timorem Dei, negligentiam præparandi ſe, à ſe repellerent. Eccleſiaſtæ 7. *Qui timet Deum nihil negligit.* Ibi potiùs timere deberent Dei offenſam, ubi nulla eſt utilitas, quàm ubi offenſæ remittuntur, & virtus cavendi eas confertur, & captivis qui ſunt in purgatorio ſubvenitur. Figuram talium tenet piger ſervus dicens: *Domine timui te, quia homo auſterus es.* Lucæ 19. *Secundo fidei magnitudo*, quâ credidit quod dicere Chriſti, eſſet facere, unde ait. 2. *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus* Fides iſta ſanitatem ſervi meruit, unde dictum eſt ei, *ſicut credidiſti fiat tibi.* Interlin. Cuique ſicut credit, ita fit. Matth. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis*, &c. Matth. 9. *Omnia poſſibilia ſunt credenti. Tertio ſapientiam*, quæ inſinuatur ibi: 3. *nam & ego ſum ſub poteſtate conſtitutus*, &c. *Quarto bonitas*, quæ innuitur in hoc quod pro ſervo ro- 4. gat, & dicitur. Lucæ 7. quod erat illi pretioſus. Et vocat eum puerum, in hoc exhibens ei reverentiam. Seneca. Servi ſunt immo homines: ſervi ſunt, immo humiles amici. Idem contra illos qui ſervos durè tractant, potius volentes ab eis timeri, quàm amari: Colant te, inquit, potiùs ſervi quàm timeant, & non ſit homini parum, quod Deo ſatis eſt Idem. Rideo illos, qui turpe exiſtimant cum ſervo

Contra nolentes frequenter celebrare & communicare.

Quomodo Domini erga ſervos affecti, eoſque tractare debeant.

ſuo cœnare, virgâ murmur omne compeſcitur.
Totâ nocte ieiunant, ſic fit ut ipſi de domino lo-
quantur, quibus coram domino loqui non licet: at
illi quibus non tantùm coram dominis, ſed cum
ipſis ſermo erat, quorum os non conſuebatur, pa-
rati erant pro domino porrigere cervicem. Idem.
Sic cum inferiore vivas, quemadmodum ſupe-
riores velis tecum vivere. Eccleſiaſtici 33. *Si eſt ti-
bi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fra-
trem ſic eum tracta.* Eiuſdem 7. *Servus ſenſatus ſit
tibi dilectus quaſi anima tua.* De his quatuor dicit
Chryſoſtomus. Quid primũ miramur in Centurio-
ne, humilitatem, an fidem? ſapientiam an bonitatem.

Iſta 4. ſunt S. Chryſoſtomi.

In ſervo verò Centurionis *primo* inſinuatur nobis
ſervi *bonitas*. Chryſoſtomus, ſicut habent quod
imitentur domini in Centurione, ſic habent ſervi

In ſervo tria.

1. quòd imitentur in puero. Qualis putas erat puer,
qui ſic amabatur? Non erat poſſibile. ut ſine pre-
cio bonorum morum talem ſibi dilectionem com-
paraſſet. Domini ergo debent amorem ſervis pro-
pter communem naturam, ſervi debent timorem,
propter ordinationem divinam. *Secundo* oſten-

Quomodo ſervi erga dominos ſe gerere debeant.

2. ditur civitas, in qua infirmabatur, Capharnaum
ſcilicet, & interpretatur villa pulcherrima, vel
ager pinguedinis: in quo inſinuatur, quòd loci
amænitas, vel rerum abundantia multis ſit occa-
ſio ſpiritualis infirmitatis. Hierem. 2. *In omni
colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſter-
nebaris meretrix.* Hieronym. Amœna & excelſa
ſemper Idolis conſecrantur. Pſal. 72. *Prodiit qua-
ſi ex adipe iniquitas eorum.* Ezech. 16. *Hæc fuit ini-
quitas Sodomæ ocium & abundantia*, &c. Ierem. 48.
*Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua & requievit in
facibus ſuis.* Lucæ 12. *Anima, habes multa bona
poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epu-
lare.* Tertio oſtenditur *genus infirmitatis* quo infir-

Locus ubi infirmabatur Capharnaum quid ſonet.

3. mabatur, cùm dicit: *Puer meus jacet in domo paraly-
ticus, & male torquetur.* In deliciis efficitur homo
quaſi paralyticus, impotens ſcilicet ad agendum &
ſuſtinendum. Seneca. Quis hoſtis in quemquam
tam contumelioſus fuit, quantum in quoſdam vo-
luptates ſuæ ſunt? ſufficit alicui quod excæcet ho-
ſtem ſuum, voluptates verò voluptuoſos non ſo-
lùm excæcant, ſed etiam impotentes, & leproſos
corporaliter efficiunt. In Capharnaum, id eſt, in
villa conſolationis male torquetur piger. Prover.
21. *Deſideria occidunt pigrum. Noluerunt quicquam
operari manus ejus. Tota die concupiſcit & deſiderat.*
Tractatione bonarum artium occupandi ſumus,
quotiens male habet inertia impatiens ſui. Et *no-
tandum* quòd quidam male torquentur, quidam
bene. Bene, id eſt, utiliter torquetur, qui bono
labore torquetur, quia *bonorum laborum glorioſus
eſt fructus.* Sap. 3. Male torquetur, qui à para-
lyſi accidiæ torquetur, cum ex tormento ſuo ali-
quam utilitatem non conſequatur.

Capharnaũ quid ſonet.

Qui bene, qui male torquẽtur.

DOMINICA III. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

In quibus Eccleſia navi, ejus prælati naucleris, & Mundus mari aſſimilatur, de tentationibus quaſi quatuor ventis in mari cordis humani flantibus. Peccator item comparatur mari.

Aſcendente Ieſu in naviculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. *Matth. 8.*

EVangelium hodiernum ſex continet: ſcilicet
aſcenſum Chriſti & diſcipulorum eius in navi-
culam, maris turbationem Chriſto dormiente fa-
ctam, Chriſti ſuſcitationem, diſcipulorum increpa-
tionem, ſedationem tempeſtatis factam ad Chriſti
iuſſionem, hominum ſuper hoc admirationem: ibi.
Venti & mare obediunt ei. Ex hoc dixerunt aliqui
hæretici ventum & mare eſſe animata: quod non
eſt verum, ſed dicuntur obedire, quia ad modum
obedientium ſe habent, dum in illis fit Dei voluntas.
Similiter intelligitur illud: *Imperavit ventis & mari*,
fecit enim ac ſi imperaret. Imperium enim proprie
eſt ad res animatas.

Sex continet hoc Evãgelium.

Aſcendente Ieſu in naviculam. &c. Navicula Ieſum
& diſcipulos eius continens eſt Eccleſia, mare mun-
dus. Vnde quidam dixit in perſona Petri:

Hæc navis Eccleſiam, mare Mundum ſignificat.

Eccleſiam pro nave rego, mihi climata mundi
Sunt mare: doctrina, retia: piſcis homo.

Proverb. ult. dicitur de Eccleſia. *Facta eſt quaſi na-
vis inſtitoris, de longe portans panem ſuum.* Eccleſia
panem ſuum de longe portat, quia de cælo panem
ſpiritualem orando impetrat. Item de exilio meri-
tum portat, unde in æternum vivat. Comparatur
autem navi Eccleſia, quia ad modum navis arcta
fuit, in principio paucos habens credentes. Arcta
etiam erit in fine ſcilicet, in tempore Antichriſti,
ſed in medio eſt lata, quia multos modò habet cre-
dentes. Mundus autem mare dicitur, eò quod mari
in multis aſſimilatur. *Primo* in hoc, quod mare citò
de tranquillitate in tempeſtatem vertitur: ſic mun-
dus à proſperitate facile tranſit in adverſitatem. Se-
nec. In momento mare revertitur, & ubi modo lu-
ſerunt navigia, ibi ſtatim abſorbentur. *Secundo* flu-
ctus, qui in mari ſunt elevantur & ſtatim deprimun-
tur, & cùm fuerint depreſſi, iterum ſtatim ele-
vantur, ſic fit in mundo. Claudianus:

Eccleſia cur navi cõparetur.

Mundus aſſimilatur mari.

Tolluntur in altum:
Vt lapſu graviore ruant.

Pſal. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut
cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat.* Item Pſal.
72. *Dejeciſti eos, dum allevarentur.* Et Iob. 30. *Ele-
vaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me va-
lide.* *Tertio* mare mortuos à ſe eiicit. Sic & mundus
eos, qui mortui ſunt mundo. Sap. 2. *Gravis eſt nobis
etiam ad videndum.* 1. Corinth. 4. *Tanquam purga-
menta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema
uſque adhuc.* Peripſema eſt purgamentum ferri, vel
pomi, vel quicquid de qualibet materia abiicitur, 1
ut purgatior reddatur. *Quarto* in mari piſces gran-
diores devorant minores. Sic in mundo potentiores
infirmos opprimunt. Abacuc. 1. *Quare taces devo-* 2
*rante impio iuſtiorem ſe, & facis homines quaſi piſces
maris?* 2. Corinth. 11. *Suſtinetis ſi quis vos in ſervi-* 3
tutem redigit, ſi quis devorat, &c. Vivunt tamen viri
ſancti, licet devorentur à tyrannis ſicut Ionas intra
ceti ventrem Ionæ 2. 2. Corinth. 6. *Quaſi morien-* 4
tes, & ecce vivimus. *Quinto* in mari venti faciunt
tempeſtatem, aquam commovendo; ſic tyranni in 5
hoc mundo faciunt perſecutionem, populos conci-
tando. Tyranni ſuperiores populis, ſunt velut ven-
ti ſuperiores aquis, aquæ enim multæ populi multi.
Apoc. 17. *Sexto* mare terminum habet arenam, quæ 6
eſt ſterilis & gravis. Hierem. 5. *Qui poſuit arenam
terminum mari.* ſic finis huius mundi eſt infructuo- 7
ſitas cum onere peccatorum. Rom. 6. *Quem fru-
ctum habuiſtis in quibus nunc erubeſcitis?* *Septimo*
mare periculoſum eſt, ſic & mundus iſte. Bern. Pe-
riculum probat tranſeuntium raritas, & pereun- 8
tium multitudo. Aug. Amas ſæculum, abſorbebit te;
amatores ſuos vorare novit, non portare. Pericu-
loſius eſt mare huius mundi animæ, quam mare Mar-
ſiliæ corpori. In mari Marſiliæ de quatuor navibus
vix perit una, in mari mundi, de quatuor animabus
vix ſalvatur una. *Octavo*, in mari multa mon-
ſtra inveniuntur, ſic in mari huius mundi. Nun-
quid nõ mõſtruoſa eſt *generatio, quæ pro dentibus gla-
dios habet*, de qua habetur Proverb. 30. & Pſalm. 58.

Peripſema quid ſit.

Gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit. Monſtrum eſt homo habens os bilingue. Proverb. 8. *Os bilingue ego deteſtor.* Et ejuſdem 18 *Verba bilinguis quaſi ſimplicia.* Monſtrum etiam eſt homo habens multa capita. Tot capita habet quis, quot vitia ei dominantur. Auguſtinus. Tot dominorum ſervus eſt, quot vitiorum. *Nono* mare non eſt locus manſionis, ita nec mundus iſte. Hebr. 13. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Aug. nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ quàm curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare, vel tardius ire permittitur, ſed omnes pari
10. motu urgemur. *Decimo* in mari non ſunt in homine viæ ejus, ſic non eſt in homine ut per mare hujus mundi ad portum ſalutis perveniat, ſed eſt in Deo, ideo orationi inſtandum eſt. Tob. 4. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat.* Pſalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Rom. 9. *Non eſt currentis, neque*
11. *volentis, ſed miſerentis Dei. Undecimo*: mare eſt amarum licet piſces nutriti in eo ejus amaritudinem non refugiant; ſic mundus iſte amaritudinibus plenus eſt, licet homines eis aſſueti non agnoſcant. Job. 30. *Eſſe ſub ſentibus delicias computabant.*
12. *Duodecimo*, mare aquis non redundat. Eccleſiaſtæ 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Sic mundus bonis tranſitoriis non abundat, nec concupiſcentia carnis ſatiatur deliciis, nec concupiſcentia oculorum divitiis, nec ſuperbia vitæ honoribus. Omne autem quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. 1. Joan. 2.

Converſi ad Deum in ſuis tentationibus à Deo iuvantur.

In hoc quod Diſcipuli Jeſum ſecuti ſunt tempeſtatem paſſi, inſinuatur, quod cum aliqui ad Deum convertantur, tunc tentationem patiuntur. Sed ad bonum eorum facit quod Dominus permittit. Eccleſiaſtæ 2. *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Non nocet tempeſtas eo quod præſens ſit Chriſtus. Bernard. quantumcunque ſæviat tribulatio, non putes te derelictum, ſed memineris ſcriptum eſſe: *cum ipſo ſum in tribulatione.* Pſal. 30. Iſa. 43. *Cum pertranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Non enim tempeſtas timenda eſt quam habet pater miſericordiarum in manu ſua, cohibens eam cum videt hoc expedire. Job. 38. *Quis concluſit hoſtiis mare?* & ſubditur, *poſui vectem & oſtia & dixi: huc uſque venies, & non procedes amplius.*

Prælatus Eccleſiæ ſimilis eſt nauclero.

Et notandum quòd in navicula Eccleſiæ nauta eſt Prælatus, unde in multis debet ei aſſimilari. *Primo*
1. in hoc quod verbo & doctrina debet circumducere populum ad obediendum Deo, ſicut nauta navem gubernaculo circumducit, Jacob. 3. *Ecce naves cum magnæ ſint, & ventis validis minentur,*
2. *circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Secundo* in hoc quod peritia nautæ maximè apparet tempore tempeſtatis. Sic prudentia & virtus prælati maxime patet tempore tribulationis. Eccleſiaſtici 4. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa,*
3. *& qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non eſt expertus pauca recognoſcit. Tertio* peritia nautæ eſt in caligine noctis, diſtinguere ſtellarum diverſitatem quantum ad ortum & occaſum & effectus earum, & præcipuè ſignanda eſt ſtella maris, ſcilicet tranſmontana. Sic prudentia prælati eſt conſiderare tempore tribulationis Sanctorum ortum, id eſt, vocationem eorum, & finem, & virtutes, & miracula, & præcipuè Beatam Virginem, quæ
4. eſt ſtella nobiliſſima in firmamento Eccleſiæ, & dicitur ſtella maris. *Quarto* nauta aliis timentibus tempore tempeſtatis, & confidentiam habet, & feſtinat ſtabilire navem projecta anchora, ſic Prælatus aliis trepidantibus in adverſis debet eſſe ſecurus. Proverb 28. *Fugit impius nemine perſequente. Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Prælati eſt figere anchoram ſpei contra fluctus tentationum. Hebr. 6. *Fortiſſimum habemus ſolatium, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Quinto* nauta non timet merces projicere ut 5.
homines ſalvet, nec etiam hominem illum quem ſcit eſſe cauſam ortæ tempeſtatis. Jonæ 1. *Tulerunt Ionam, & miſerunt illum in mare.* Sic Prælatus non debet timere abjicere iſta temporalia, ut animas ſalvet. Philoſophus. Peſſimæ divitiæ ego mergam vos, ne mergar à vobis. 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Job. 31. *Quaſi fluctus tumentes ſuper me, timui Deum.* Gregorius. Cùm fluctus deſuper tumentes nautæ inſpiciunt, ea projiciunt pro quibus ante longas navigationes ſumpſerunt.

Periculum terrenarum opum.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. Aliter mare poteſt intelligi cor peccatoris triplici ratione. *Primo* propter inquietudinem. Iſa. 57. *Impii quaſi* 1.
mare fervent, quod quieſcere non poteſt. Secundo 2.
propter profunditatem. Hierem. 17. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile quis cognoſcet illud?* Hieronym. Fatuum eſt, facile de corde alterius judicare. *Tertio* propter ſalſuginem quæ cor pecca- 3.
toris ſitire facit inſatiabiliter. Proverb. 13. *Venter impiorum inſatiabilis eſt.* In hoc mari *quatuor venti* flantes tempeſtatem ſuſcitant. Dan. 7. *Videbam in viſione noctis, & ecce quatuor venti pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari. Primus* ventus eſt *ambitionum tentatio.* 1.
Hic flat ab oriente, nobilitas enim generis huic tentationi occaſio exiſtit. *Beſtia* excitata flatu iſto, eſt *ſuperbia*, quæ eſt quaſi leæna habens alas aquilæ. Alæ iſtæ ſunt ſublimitas & poteſtas Alæ ſuperbiæ avelluntur, quando ſuperbus à ſtatu ſuo dimittitur. Tunc ſtat ſuper pedes quaſi homo, quia non ſtat ibi ut in equo, vel ſuper alios homines. *Secun-* 2.
dus ventus eſt *tentatio invidia*, quæ flat à meridie, quia invidia de proſperitate bonorum dolet. *Beſtia* eſt *invidia*, quæ eſt ſimilis urſo, qui libenter mel comedit. Invidus enim detrahendo bona aliorum conſumit. Beſtia iſta in parte ſtetit, quia invidus quandoque hominem in parte laudat. Tres ordines dentium habuit, quia invidus tres modos detrahendi habet; ſcilicet mala augendo, bona diminuendo, indifferentia pervertendo. Hi ſunt ſpiritus in modum ranarum de ore Draconis exeuntes. Apocalypſis decimo ſexto. *Tertius* ventus eſt 3.
tentatio carnis flans ab occidente, id eſt, à carne quæ quotidie tendit ad occaſum. *Beſtia* eſt *concupiſcentia*, quæ pardo ſimilis dicitur propter varietatem deſideriorum. Hæc beſtia quatuor habebat capita, quia quatuor ſunt quæ pertinent ad concupiſcentiam carnis: otium, ſuavitas veſtium & ſimilium, epularum delectabilitas, & carnale opus. Habebat etiam quatuor alas, quia quatuor ſunt quæ carnis concupiſcentiam erigunt, Juventus, ſanitas, pulchritudo, nobilitas. Hæ ſunt aliæ milvi, quibus ad ſordes volatur: de quibus Zach. quinto.
Quartus ventus flans ab aquilone eſt *tentatio crudelitatis*, quæ eſt in potentibus reſpectu ſubditorum, ad quam pertinet quarta beſtia cæteris crudelior, quæ cæteras comminuit & pedibus conculcat. Cornua ipſius ſunt præpoſiti, & garriones, & conſimiles, qui quos conculcare non prævalent, ſaltem accuſando lædere nituntur. His ventis & mari, Dominus imperat, cum non permittit eos in corde hominis regnare. *Notandum* quod in tempeſtate tentationis tria ſunt facienda. 1. Exone- 4.

Mare cor peccatoris ſignificat.

In hoc mari flant 4. venti tentationum.

Beſtia ſuperbiæ qualis.

Beſtia invidiæ qualis.

Beſtia carnalis concupiſcentiæ qualis.

Beſtia crudelitatis qualis.

In tentatione ut in tempeſtate tria ſunt facienda.

randa enim eſt navis in mare cóſcientiæ per confeſſioné ſicut Jonæ 1. *miſerunt vaſa quæ erant in navi in mare.* 2 Altitudo ſi qua eſt dimittenda eſt, ut velum dimittitur ſurgente tempeſtate, quia perflat altiſſima venti tentationum, humilia verò in tuto ſunt. 3. Anchora etiam ſpei figenda eſt. Hebr. 6. *Confugimus ad tenendā propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Anchora ſpei facit animam ſtare in loco ſuo. Eccleſiaſtæ 10. *Si ſpiritus poteſtatem habentis ſuper te aſcenderit, locum tuum ne dimiſeris.*

Mare tripliciter obedivit Domino. Sic peccator.

Item ſciendum quòd mare *tripliciter* legitur obedivisse Deo: quia in tempeſtate ad ejus voluntatem quievit ut hîc. calcabile ſe ei præbuit. Mat. 14. Filiis Iſraël viam paravit. Exod. 14. Sic peccator, qui per mare intelligitur, *tripliciter* deo obdit. *Primo* dum à peccato quieſcit. Iſa. 1. *Quieſcite agere perverſe.* *Secundo* quando largitione eleemoſynarum, pedes Domini, ſcilicet pauperes ſuſtentat. *Tertio* cum per doctrinam & exemplum aliis ad patriam viam parat, ut patet in Paulo.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Tres optimi effectus hujus Evangelii exponuntur. Damnatur temeraria ſecuritas, conſolatio tentatis, inſtructio tribulatis adhibetur.

SERMO XXXV.

Ascendente Jeſu in naviculam &c.

Hoc Evangelium tria præſtat.

HAbet hoc evangelium aliquid pertinens ad fidelium terrorem, aliquid pertinens ad eorum conſolationem, & aliquid pertinens ad eorum inſtructionem.

1\. Terret ne nimis ſecuri

Ad *terrorem* pertinet, quòd diſcipuli Jeſum ſecuti in naviculam, ipſo præſente tempeſtatem paſſi ſunt, in quo condemnatur temeraria ſecuritas aliquorum, qui ita ſecuri ſunt in mari, ac ſi eſſent jam in portu, & ita ſecuri ſunt in bello, ac ſi jam triumphaſſent. 3. Reg. 20. Nec glorietur accinctus æquè ut diſcinctus. Bern. Nuſquam eſt ſecuritas fratres, neque in cœlo, neque in paradiſo, multo minùs in mundo. In cœlo cecidit angelus ſub præſentia divinitatis, Adam in paradiſo de loco voluptatis, Judas in mundo, de ſchola Salvatoris. Auguſt. Nemo ſecurus debet eſſe in vita illa, quæ tota tentatio nominatur. Ubi erit ſecuritas, ex quó illi qui ſunt cum domino Ieſu tempeſtatem patiuntur?

2\. Conſolatur in tentationibus.

Ad *conſolationem* pertinet quòd ad imperium domini fit tanta tranquillitas, ut homines mirentur. Eccleſiaſtici 43. *In ſermone ejus ſiluit ventus.* Tob. 3. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis.* Pſal. 88. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Subitò ita dominus ſedat tempeſtatem tentationis, ut miretur homo & de difficultate quæ priùs fuit, & de facilitate præſenti. Bern. Turbatur aliquis vehementer ſive corporali quovis incommodo, ſeu tribulatione aliqua ſæculari, ſeu accidia ſpiritus & animi quadam defectione langueſcens, jam tentari incipit, ſupra quàm valeat ſuſtinere. Arbitror ſanè velut quibuſdam manibus hujuſmodi homines interdum ab angelis ſupportari, ut quodammodo non ſentientes tranſeant, quæ tanto opere formidabant: nec parum mirentur poſtmodum tam ſuper poſteriore facilitate, quàm ſuper priore difficultate.

3\. Docet 4. utilia tribulatis.

Ad *inſtructionem* verò quatuor pertinent: ſcilicet, quòd Jeſus dormiebat, & quòd diſcipuli ad eum accedunt, & quòd clamando eum ſuſcitant, & quòd eorum timiditas increpatur. In quibus quatuor innuuntur valde neceſſaria in tempeſtate tribulationis.

1\. *Primum* eſt *fidei vivacitas*, quæ per oppoſitum innuitur ibi: *Ipſe vero dormiebat;* unde Gloſſa. Dormit in nobis dominus, ſcilicet fides Domini, cum negligentiùs agimus, & ideo tempeſtas ſurgit. Si verò fides reſurgit, imperat ventis & fluctibus. Epheſ. ult. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* 1. Petri 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.*

2\. *Secundum* eſt ut ad Deum accedamus, iniquitates noſtras quæ inter nos & Deum dividunt dimittendo, ceſſando, ſcilicet à malis actibus & bonis operibus inſtemus. Deuter. 23. *Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala.* 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet.* *Specialiter* ad Deum accedit, qui ad ea accedit, in quibus ſolet conferri gratia ut ad confeſſionem, vel ad prædicationem.

3\. *Tertium* eſt *oratio.* Matth. 26. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Auguſt. Ideo premuntur juſti in eccleſia, ut preſſi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum.

4\. *Quartum* eſt *fiducia* de Deo. 2. Paralip. 20. *Non eſt veſtra pugna, ſed Dei.* In eodem *Tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium domini ſuper vos.* Numer. 14. *Dominus nobiſcum eſt, nolite timere.* Diffidentia in Petro fuit cauſa quod incepit mergi. Matth. 14.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

De ſtatu religioſo, qui navi comparatur.

SERMO XXXVI.

Aſcendente Ieſu in naviculam &c.

Religioné ſignificat iſta navis, cui ſimilis eſt tripliciter.

PEr naviculam intelligi poteſt ſtatus religionis, qui ſalvat à mari hujus mundi. Aſſimilatur autem religio navi in iſtis tribus.

1\. Qui portatur in navi, modico loco eſt contentus; ſic religioſus modico contentus eſſe debet. 1. ad Timoth. ult. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Matth. 7. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.*

2\. *Item* qui portatur in navibus, licet ſit magnus, non dedignatur ſedere ad pedes gubernantis; ſic religioſus non debet dedignari ſi habeat prælatum ſe inferiorem. Eccleſiaſtici 3. *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem juſtitiam.*

3\. *Item* ſi navis ſine pondere ſit vacillat: ſi cum nimio, ſubmergitur: ſi moderatum habeat, ſtabilitur: ſic religio ſi non habeat debitum pondus obſervantiæ & diſciplinæ diſſolvitur; ſi talibus immoderatè ſit onerata, opprimitur; ſi mediocritatem obſervet, ſtabilitur. Matth. 23. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.*

Primordia religionum qualia.

In naviculam religionis Ieſus aſcendit, cum inſtitutæ fuerunt religiones: & tunc ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus, quando verè imitati ſunt eum, qui fuerunt in religionibus.

Religioſi falſi ſunt triplices.

Et *notandum* quod in religionibus quidam ſunt diſcipuli Moyſi, qui ſcilicet ibi temporalia quærunt, quales erant qui dicebant. Joan. 9. *Tu diſcipulus illius ſis; nos Moyſi diſcipuli ſumus.* 1. Moyſes enim promittebat terram lacte & melle fluentem. Levit. 20. Iſa 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* 2. *Quidam* vero ſimulant ſe eſſe diſcipulos Chriſti, cum potiùs ſint miniſtri Satanæ, ut hypocritæ, qui transfigurantur velut miniſtri juſtitiæ. 2. Corinth. 11. 3. *Item* quidam ſunt diſcipuli Chriſti, ſed ad tempus, qui in neceſſitate Chriſtum negant, ut Petrus. Matth. 26.

Veri Religioſi habét tria.

Veros eſſe diſcipulos Chriſti oſtendunt tria: ſcilicet

1\. *paupertas ſpiritus.* Lucæ 14. *Omnis qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*

2\. *manſuetudo & humilitas.* Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde:*

3\. & *dilectio cordis.* Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Et ecce*

motus

Abundantia temporaliũ in religione motum excitat.

motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Hoc fuit quando abundantia temporalium religioni data eſt ſecundum illud. Apocal. 12. *Miſit ſerpens ex ore ſuo aquam poſt mulierem tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.*

DOMINICA QUARTA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicatur totum Evangelium.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo &c. *Matth.* 13.

SERMO XXXVIII.

NOn comparatur hîc perſona perſonæ, ſed negotium negotio, quod factum fuit, vel fieri potuit. *In agro ſuo*, mundo ſcilicet. *Cum autem dormirent*, id eſt, inertia torperent & incuria *homines*, qui ad tutelam & cuſtodiam aliis ſunt deputati. *Inimicus*, id eſt, diabolus *ſuperſeminavit zizania.* Zizania nomen eſt cujuſdam herbæ quæ alio nomine dicitur lolium, hîc autem ponitur pro qualibet immundicia ſegetum. Diabolus zizaniam ſeminavit, cum præcedente nomine Chriſti hæreticos permiſcuit electis, *in medio tritici*, ideo hæretici per zizaniam intelliguntur, quia zizania non eſt de ſemine tritici. Paleæ dicuntur fideles mali, qui etſi non vita, fide tamen ſunt de eccleſia, ſicut palea de ſemine tritici. *Cum autem creviſſet herba*, id eſt, doctrina catholica per Auguſtinum, Hieronymum, Hilarium & ſimiles. *Tunc apparuerunt & zizania*, id eſt, hæreſes. Item *cùm creviſſet herba*, id eſt, cùm fideles profeciſſent, *& fructum feciſſent*, id eſt, bonæ fidei opera monſtrarent. *Tunc apparuerunt zizania*, id eſt, manifeſtaverunt ſe hæreticorum dogmata, quia ſecundùm Gloſſam. Cùm homo ſpiritualis eſſe ceperit, tunc judicat omnia. *Servi patris familias*, id eſt, meſſis cuſtodes, *dixerunt* conſulentes dominum in corde ſuo. *Inimicus homo*, id eſt, diabolus, qui dicitur homo ab homine devicto, ut Scipio dicitur Africanus, ab Africa devicta. *Ne forte* &c. Prohibetur eradicatio feſtinata, damnoſa, ſuſpicioſa. Gloſſa. ex Auguſtin. Multitudo non eſt excommunicanda, nec princeps populi Gloſſa. Hîc datur locus pœnitentiæ, & monemur non citò amputare, quia qui hodie errat, forſan cras defendet veritatem: ſi ergo modo evelleretur triticum quod futurum erat, eradicaretur. *Sinite*. Gloſſa. Hoc videtur contrarium illi verbo Apoſtoli. *Auferte malum ex vobis.* 1. Corinth. 5. Sed ſicut inter triticum & lolium quàm diu herba eſt parum diſtat monet ita dominus ne de ambiguo judicemus. *Sinite utraque creſcere* &c. Hic inſinuat dominus prohibitionem ſuam eſſe intelligendam, cùm triticum poteſt creſcere cum zizania. Cùm enim ſuffocatur triticum à zizania, non habet locum ibi illa prohibitio. *Et in tempore meſſis*. Secundùm expoſitionem Domini meſſis eſt conſummatio ſæculi. *Colligite primum zizaniam.*

Reſpondetur obiectioni.

1. Contra Matth. 25. primo dicitur bonis: *venite benedicti patris*, deinde malis: *diſcedite à me maledicti*. Solutio poteſt ſumi ex hoc, quod ibi legitur, *ibunt in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Prius enim ibunt reprobi in ſupplicium quàm juſti in regnum, licet ordo diſceptandi contrarius ſit, *& alligate ea.* Iſidorus. Similis culpæ reos conſimilis cruciatus conſtringet. *In faſciculos*, non in unam faſcem, ut dicit Interlin quia pro modo perverſitatis ſuæ unuſquiſque punietur.

2. Contra Iſa. 24. *Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum* &c. Solutio. Et unus, & plures erunt faſciculi. Omnium enim reproborum erit una pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ, tamen pro diverſitate criminum erunt diverſæ actuales pœnæ, & idem ignis magis & minùs puniet ſecundum diverſitatem culparum. *Triticum autem*, illos qui unitatem amaverunt, *congregate in horreum meum*, id eſt, in cœleſtes manſiones.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De 4. perſonarum operationibus in agro Eccleſiæ *circa homines.*

Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo &c.

SERMO XXXIX.

IN parabola hodierni evangelii quatuor perſonæ tanguntur: ſcilicet ſeminans ſemen bonum, ſuperſeminans ſemen malum, agri cuſtodes, agri meſſores. Seminans ſemen bonum eſt Chriſtus, ſuperſeminans ſemen malum eſt diabolus, cuſtodes agri ſunt prælati, meſſores ſunt angeli. Circa *primum tria* nobis oſtenduntur, ſcilicet Chriſti *potentia, bonitas & ſapientia.*

Seminantis Chriſti Potentia.

Prima ibi: *In agro ſuo*, Ager enim iſte mundus eſt ſecundum Domini expoſitionem, cujus agri Chriſtus Dominus eſt, ipſius enim eſt terra & plenitudo ejus, Pſal. 23. unde pater ei dixit. Pſal. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Eccleſia ei dicit: *tu ſolus Dominus.* Pſal. 67. *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Miniſterium poſſunt alii habere, ſed non Dominium. 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.* Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* Intelligens, inquam, ſolum ſe eſſe miniſtrum.

Bonitas.

Bonitas oſtenditur in hoc, quod dicitur ſeminaſſe ſemen bonum. Seminavit ſemen bonum producendo creaturas bonas in eſſe bonitate naturæ. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Vel efficiendo creaturas rationales bonas infuſione gratiæ. Bonitas creaturarum bonitati creatoris atteſtatur Auguſt. Plus delectant omnia quam ſingula, ſi ſentiri poſſint omnia, ſed longè melior qui fecit ea. Auguſt. Quia bonus eſt Deus, ſumus: & in quantum ſumus, boni ſumus.

Sapientia.

Sapientia oſtenditur in hoc, quod non vult colligi zizaniam cum damno tritici, expectans, ſi forte zizania convertatur in triticum, & volens ut triticum creſcat uſque ad meſſem. Non eſt perfecta ſapientia, ubi non eſt patientia. Proverb. 14. *Qui patiens eſt multa gubernatur ſapientia.* Gregorius Tanto quis oſtenditur minùs doctus, quanto minùs patiens convincitur. Proverb. 14. *Impatiens operabitur ſtultitiam.*

Super ſeminantes Diabolo. Importunitas.

Circa *ſecundum tria* nobis oſtenduntur. Impugnatoris *importunitas, aſtutia & malignitas* ibi: *Cum dormirent homines.* Quieſcentibus hominibus diabolus ab impugnatione non quieſcit. Job. 30. *Qui me comedunt, non dormiunt.* Gregorius Diabolus aſſidua tentatione nos impugnat, ut ſaltem tædio vincat.

Malignitas.

Malignitas, ibi: *Superſeminavit zizaniam in medio tritici.* Ad litteram hæretici illos ſibi attrahunt & pervertunt, in quibus bonitatem conſpiciunt, ut bonos eleemoſynarios. Diabolus enim meliores magis impugnat, illos enim impugnare negligit, quos jure quieto poſſidere ſe ſentit, ut ait Gregorius

Aſtutia

Aſtutia ejus oſtenditur ibi: *& abiit.* Gloſſa, id eſt, latuit & occultiſſimus eſt factus. Geneſ. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Paulinus Epiſcopus Auguſtino. Hoſtis noſter cui mille nocendi artes, tam variis expugnandus eſt telis quàm variis impugnat inſidiis.

Cuſtodum Eccleſiæ Prælatorũ, negligentia

Circa *tertium tria* nobis oſtenduntur : ſcilicet prælatorum *negligentia*, *ignorantia*, & *indiſcretus zelus*. *Primum* ibi : *Cum dormirent homines*. Ex ſomno pigritiæ prælatorum multa mala proveniunt eccleſiæ Dei. Navi periculoſa eſt dormitio rectoris. Proverb. 23. *Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo.* Gregi etiam eſt periculoſa dormitio paſtoris. Gen. 31. dixit Jacob qui paſtor erat, *fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Pſal. 120. *Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Rationem reddit Bernard. dicens : quia non dormitat neque dormiet, qui impugnat Iſraël. Prælatus gravatus ſomno pigritiæ, filios ſuos opprimit ſicut meretrix illa, de qua legitur. 3. Regum. 3. Quia ſomnus iſte in prælato magis periculoſus eſt, ideo ſpecialiter dicitur Petro Mar. 14. *Simon dormis?* Chryſoſtomus. Miror ſi quem contigerit ſalvari de his qui principantur in tantis deliciis & tanta pigritia. *Ignorantia* oſtenditur ibi : *unde ergo habet zizaniam?* Reprehenſibilis eſt hæc ignorantia in prælato, unde in agro cujus ipſe eſt cultor fit zizania, cùm ex parte hoc fit ex ejus negligentia.

Ignorantia.

In agro Eccleſiæ cur oriatur zizania.

Tribus de cauſis eſt zizania in agro eccleſiæ : ſcilicet ex *inimici nequitia*, *terræ malitia*, *cultorum negligentia*. Inimicus non ceſſat ſeminare ſemen malum, unde mirum eſſet ſi ſemen ejus in aliquem fructum exurgeret. Gregorius. Aſſidua tentatione diabolus nos impugnat, ut ſaltem tædio vincat. Terra etiam maledicta non ceſſat germinare ſpinas & tribulos. Gen. 3. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Hebr. 6. *Terra proferens ſpinas & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima.* Negligentia etiam cultoris cauſa eſt zizaniæ, ſicut inſinuatur, ibi : *Cum autem dormirent homines per agrum hominis pigri tranſivi &c. Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Ideo monetur prælatus ad vigilandum. Apoc. 3. *Eſto vigilans &c.* Proverb. 6. *Ne dederis ſomnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ.* In agrum quem zizania occupavit ; deberet cultor mittere ignem charitatis, exemplo Domini. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram.* Abſalon agrum Joab ſuccendit. 2. Reg. 14. & Samſon agros Philiſtinorum Judic. 15.

Zelus indiſcretus prælatorum.

Zelus indiſcretus oſtenditur, ibi : *vis imus & colligimus ea?* eodem fervore dixerunt hæc, quo Petrus amputavit auriculam Malchi Mar. 14. Et Lucæ 9. dixerunt Jacobus & Joannes : *vis dicamus ut deſcendat ignis de cœlo & conſumat illos?* ſicut Helias fecit. *Et converſus increpavit illos dicens : Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.*

Excommunicatio cur facile fulminanda non ſit.

Ad eradicationem quæ fit per excommunicationem valde faciles ſunt prælati eccleſiæ, non attendentes quod excommunicatio fit abſciſſio membri à corpore illo, cujus Chriſtus eſt caput. Unde alia remedia eſſent tentanda, antequam fieret abſciſſio à tam nobili corpore : & tunc etiam cum timore facienda eſſet, ſicut totum corpus tremit, cùm membrum ab eo exciditur.

Meſſorum Angelorum triplex operatio in reprobos.

Circa *angelos meſſores triplex opus* eorum, reſpectu reproborum nobis oſtenditur : ſcilicet *meſſio* : *collectio zizaniæ* & *alligatio*. *Meſſio* erit in ſeparatione reproborum à bonis tranſitoriis quæ dilexerunt, quæ ſeparatio fiet cum magno dolore.

1. Nimii amatores temporalium fecerunt ea membra ſua, ut dicit. Auguſt. Unde dolebunt in eorum ſeparatione, ſicut corpus dolere ſolet in membri

2. abſciſſione. *Collectio* erit in ſeparatione reproborum ab electis. *Exibunt* enim *angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Matth. 13. ejuſdem 25. *Separavit eos ab invicem &c.* In eodem. *Diſcedite à me &c.* In *alligatione* verò qui fuerunt hic diſſo-

3. luti ruptis vinculis præceptorum Dei, tunc ligati in ignem mittentur. Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Tunc ligatio, quâ hic ligaverunt ſe, peccatis aſſueſcendo, conſummabitur. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Tale ſervitium exhibet diabolo, qui peccat, qui propriis manibus ſe ligat, & ſe ligatum ei tradit. Tunc ligati erunt ad comburendum, qui vinculo conſanguinitatis hic ligati ſunt ; ad malè agendum, vel alia de cauſa concordes ſunt ad malum. Iſa. 33. *Spinæ congregatæ igne comburentur.*

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Quid ſit ager iſte de quo in Evangelio, item quid in eo ſeminetur, & qui ſeminent.

SERMO XXXX.

Simile eſt regnum cœlorum homini qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo.

Ager triplex.

1. Paradiſus. Matth. 27

NOtandum quòd eſt *ager ſuperior*, & *inferior*, & *interior*. *Superior* eſt *paradiſus*, Prov. ult. *Conſideravit agrum, & emit illum*, iſte eſt Acheldemach. id eſt, ager ſanguinis, Chriſti ſanguine emptus. In agro illo ſeminavit Deus angelicam naturam, Lucifer verò ſuperſeminavit ſuperbiam, quam ſecuta eſt ruina.

2. Mundus.

Ager inferior eſt *mundus*; de quo agro exponit Dominus verbum propoſitum, ubi Deus hominem ſeminavit, ſed Diabolus inobedientiam ibi : *Superſeminavit*, hanc ſecuta eſt pœnalis miſeria.

3. Cor humanum.

Ager verò *interior* eſt *cor hominum*, habens duas partes, intellectum & affectum.

Hic ſeminat Chriſtus duplex ſemen.

Ad ſeminandum hunc agrum venit filius hominis in mundum afferens *duplex* bonum *ſemen*, plenus enim gratia & veritate venit. Joan. 1. *Semen veritatis* ſeminat in intellectum, *ſemen gratiæ* in affectum.

1. Veritatis.

Semen veritatis dum in terram bonam cecidit, in *triplicem fructum* exurgit, ſcilicet in *cognitionem ſui*, unde *dolor* : in *cognitionem mundi*, unde *timor* : In *cognitionem Dei*, unde *amor*. De primo Eccleſi. 1. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Circa *ſecundum* notandum quod non eſt mirum ſi ex cognitione mundi timor exurgat, cum omnia quæ in mundo iſto videmus ſint velut gladii, quibus animæ noſtræ poſſunt interfici, vel laquei quibus poſſunt capi. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Eccleſiaſtici 9. *In medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis.* Arma dolentium, ſcilicet dæmonum, ſunt creaturæ, quæ animas concupiſcentium eas occidunt. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Geneſ. 4. dixit Cain qui tenet figuram avarorum. *Quicunque inveniet me, occidet me.* Ex *cognitione* verò *Dei* bene amor exurgit. Quomodo enim poteſt agnoſci, & non amari, in quo omnes cauſæ amandi concurrunt? Ipſe eſt optimus, & ideo amore digniſſimus. Ipſe nobis propinquiſſimus, quia pater, ipſe eſt fons totius ſuavitatis, ipſe eſt benefactor maximus.

2. Gratiæ, facit fructum bonorum operum in voluntate.

Semen verò *gratiæ* ſeminatur in affectu, exurget verò in fructum bonorum operum. 2. Corinth. 6. *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Geneſ. 47. dixit Joſeph : *Accipite & ſerite agros, quintam partem regi dabitis, quatuor partes reliquas permitto vobis.* Quinta pars de bonis operibus Deo danda, eſt gloria, quæ ſoli Deo debetur, quatuor partes noſtræ ſunt debitorum ſolutio, cordis lætificatio, in cuſtodiendis enim illis retributio multa, augmentum gratiæ, & meritum vitæ æternæ. Pſal. 118.

Triplex ſemen. 1.

Aliter *triplex* eſt ager, in quo ſeminare debemus, in nobis *juſtitiam*, in proximo *miſericordiam*, in Deo *devotionem*. De *primo* Proverb. 11.

Seminanti

Seminanti juſtitiam merces fidelis. Quæ merces explicatur Oſeæ 10 *Seminate vobis in juſtitia, & metite in ore miſericordiæ.* Meſſio hæc fiet cum audietur illud: *Venite benedicti patris mei,* &c. Matth. 25. Juſtitiam ſeminant in falſitate, non in veritate hypocritæ. Sed in veritate eam ſeminant, qui propter Deum hîc ſibi non parcunt, quibus meritò

Qui ſemināt in falſitatē qui in veritate.

2. Dei miſericordia in futuro parcet. *De ſecundo.* 2. Corinth. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet.*

3. Circa *tertium* notandum quod in Deo ſpecialiter ſeminant, qui devotionem habent ad ea, quæ Deo appropriantur, ut eſt pulchritudo Altarium, Eccleſiarum, & laus divina. Sed de quibuſdam conqueritur Dominus per Jerem. 2. *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina.* Qui quaſi pro perdito habent, quæ in talibus expenduntur, illis ſimiles, qui reputabant unguentum perditum, quo Dominus à Magdalena ungebatur. Joan. 12. Non eſt Chriſtus ſolitudo, nec terra ſerotina, ſed potius terra optima. Gen. 26. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicatur totum hoc Evangelium.

SERMO XL.

Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. *Matth.* 20.

COmparatio eſt negotij ad negotium ſub hoc ſenſu. *Simile eſt regnum cœlorum,* id eſt, negotium præſentis Eccleſiæ, negotio patris familiæ, quod factum fuit, vel fieri potuit. *Pater familias* eſt Deus, *operarij* ſunt Prædicatores, *vinea* Eccleſia Gloſſa. Paterfamilias iſte conditor noſter eſt, qui habet vineam univerſalem Eccleſiam, quæ ab Abel uſque ad noviſſimum electum, qui in fine naſciturus eſt, quot ſanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. Hic paterfamilias exit ad excolendum vineam mane, hora 3, 6, 9, & 11. Operarios conduxit, quia à mundi hujus initio uſque in finem ad erudiendam fidelium plebem Prædicatores mittere non deſinit, ſecundum Hieron. mane fuit uſque ad diluvij inundationem. Operarij Adam, Seth, Enoch, & alij juſti. Hora tertia uſque ad circumciſionem. Operarij Noë & cæteri. Hora ſexta uſque ad legis dationem. Operarij Moyſes & cæteri. Hora nona uſque ad regum unctionem. Operarij David & cæteri Prophetæ. Undecima uſque ad Chriſti & Apoſtolorum prædicationem. Operarij Chriſtus & Apoſtoli & cæteri Prædicatores. Secundum Gregorium. Mane eſt intelligentia puerorum, quæ parum claret, ut lux matutina; hora tertia, intelligentia adoleſcentium, quæ proficit in calore charitatis & ſplendore cognitionis; hora ſexta intelligentia juvenum, quæ plenè calet & lucet ſicut ſol in meridie; hora nona intelligentia ſenum, quæ incipit decreſcere in calore & ſplendore; hora undecima intelligentia decrepitorum, quæ jam juxta occaſum exiſtit. In omnibus his aliquos vocat Dominus, ſecundum Chryſoſtomum. Conductio noſtra eſt promiſſio vitæ æternæ. *Conventione autem facta ex denario diurno.* Gloſ. Denarius habet imaginem regis, qui olim pro decem nummis computabatur. Diurnus denarius eſt præmium pro fide & obſervatione decalogi. *Cum autem ſero factum eſſet.* Sero eſt finis mundi, vel finis uniuſcujuſque. *Dicit dominus vineæ* pater *procuratori,* ſcilicet filio, cui omnia dedit, in manus, *incipiens à noviſſimis.* Gloſſa. A noviſſimis incœpit, dum prius latronem quàm Petrum duxit in paradiſum. Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiſo; uſque ad primos.* Auguſt. de concordia Evangeliſtarum Quamvis fœlicitatem reſurrectionis omnes ſimul accepturi ſint, tamen quia quidam accipient poſt unam horam, alij poſt multas, illi dicuntur priores accipere, qui poſt modicum temporis accipient, itaque noviſſimi labore, erunt primi in præmio. *Qui circa undecimam horam venerant.* Interlin. quia gentiles vel decrepiti ſunt vocati; *acceperunt & ipſi ſingulos denarios.* Interlin. Conformati corpori claritatis Chriſti. Gloſſa. Eandem æternitatem cum his qui ab initio mundi vocati ſunt. *Murmurabant adverſus patrem familias.* *Quinque* modis poteſt intelligi quod dicitur de murmure. *Uno* modo per ſyntheſim, id eſt, ſpontaneam conceſſionem: quaſi diceret, concedatur, quod ſic dixerunt, ſic poteſt eis reſponderi, ut ſubjungitur. *Secundo* per regulam ticonij, ſecundum quam fit ſermo ad alios, & alios de eadem multitudine non mutata voce. Pſalm. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum,* alij occidebantur, & alij quærebant. *Tertio* poteſt hoc murmur intelligi de præſenti, ut in præſenti murmurent, qui cum in futuro recipiunt. *Quarto* poteſt intelligi de murmure admirationis, & ſecundùm hoc illud murmur eſt admiratio Judæorum in Judicio de gloria Gentium. *Quinta* poteſt intelligi de gemitu patrum in limbo. Unde Interlin, ſuper illud. *Accipientes murmurabant,* quia antiqui patres in infernum deſcendentes á gloria dilati ſunt. Quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia pervenerunt. *Pondus diei, & æſtus.* De hoc pondere habetur Actor. 15. Hoc eſt jugum *quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus.* Chryſoſtomus. Pondus ſignificat opus juſtitiæ, æſtus concupiſcentiam ſæculi. Hoc ideo dicitur, quia olim omnibus bonis mundus proſperabatur, & ideo qui tunc fuerunt, cum majori difficultate juſtitiam ſervaverunt; quia fœlicitas mundi impedimentum eſt animæ. Pondus etiam poſſumus intelligere oneroſa præcepta, æſtum verò urentem tentationem, quam conflabant maligni ſpiritus in antiquos ad æmulationem Gentium Judæos irritantes. *Reſpondens uni illorum,* quia par erat omnibus murmurandi ratio facta, reſpondendo uni quodammodo fit omnibus ſatis. *Non facio tibi injuriam,* tanta eſt perverſitas hominis invidi, quòd gratiam fratri impenſam æſtimat ſuam injuriam, & quod alij fuerit collatum, reputat ſibi ablatum. Eſt enim invidia ſecundùm Philoſophum, dolor alienæ fœlicitatis. *Tolle quod tuum eſt & vade.* Poteſt in malo ſic exponi: *tolle quod tuum eſt,* ſcilicet æternam pœnam, quam meruiſti, *& vade*: id eſt, in ignem æternum, & dirigitur ſermo ad obſtinatos in murmure. *Secundo* poteſt dirigi ſermo ad eos, qui non fuerunt pertinaces, & exponitur in bono ſic. *Tolle,* &c. id eſt, accipe quod meruiſti. *Vade*; id eſt; in regnum Dei. *Volo autem,* &c. Interlin. Gratia & miſericordia eſt, ut coæqualis fiat tibi populus Gentilis. *An non licet mihi quod volo facere?* Hæc eſt perverſitas hominis invidi, quod fontem divinæ bonitatis in proximum nititur obſtruere. *An oculus tuus*: &c. Hieron. Nunquid benignitas mea tibi eſt cauſa nequitiæ? Interlin. Vocat oculum intentionem, quo ad primatum nitebantur invidia plenum. Gloſſa. Verè Judæi pravam intentionem habuerunt, qui prohibebant Apoſtolis loqui Gentibus ut ſalvæ fierent. *Erunt noviſſimi,* ſcilicet Gentiles, *primi,* vel qui minoris videntur meriti erunt majoris: & *primi,* id eſt, Judæi, *noviſſimi,* vel qui videntur eſſe majoris meriti erunt minoris. Chryſoſtomus. Eandem repetit ſententiam quam ſupra in fine Cap. præcedentis poſuerat, ut doceat quare introducta eſt

Paterfamilias, operarij, vinea, quæ ſint.

Quæ horæ & operarij. S. Hieronymus.

S. Gregor.

Murmur quid.

Pondus & æſtus quid.

Invidiæ definitio.

parabola, ſed tamen non omnes primi, non omnes noviſſimi ad numerum electorum pertinent, unde ſubditur: *Multi enim ſunt vocati*, ad fidem, *pauci vero electi*, ad regnum.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De Dei bonitate, negligentia hominum, ſpe excitanda, præſumptione reprimenda, timore incutiendo.

SERMO XLI. Simile eſt regnum cælorũ homini patrifamilias &c.

IN hac parabola *Primo* magnitudo divinæ bonitatis nobis oſtenditur, *Secundo* negligentia hominum circa propriam ſalutem arguitur, ibi: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* *Tertio* malitia hominum reſpectu proximi increpatur, ibi: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* *Quarto* ſublevatur ſpes, ibi: *Erunt noviſſimi primi. Quinto* præſumptio reprimitur, ibi: *Et primi noviſſimi. Sexto* timor omnibus incutitur, ibi: *Multi enim vocati, pauci vero electi* &c.

Dei bonitas oſtenditur. Circa Primum notandum quod bonitas Dei *tripliciter* in hac parabola nobis, oſtenditur. *Primo* in hoc quod paterfamilias dicitur, providet enim hominibus in victu & veſtitu, ſicut paterfamilias ſuæ familiæ. Diabolus non habet feſtucam de ſuo, unde poſſit eis providere. Pſal. 35. *Qui dat eſcam omni carni*. & Pſal. 146. *qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum* &c. id eſt, filiis dæmonũ. Unde proditores convincuntur eſſe, qui tenent ſe cum inimico ejus, & Deum malè vivendo impugnant, de cujus bonis veſcuntur & vivunt. Chryſoſtomus: Chriſtus paterfamilias, cujus una domus eſt cœlum & terra, familia omnis creatura, qui quaſi triſtegam ædificavit, ut in terra eſſent certantes, in inferno victi, in cœlo victores. Superior regio eſt terra lucis, inferior regio tenebrarum, media regio eſt lucis & tenebrarũ. In ſuperiori eſt tantùm gaudiũ, in inferiori tantùm luctus, in medio miſcentur gaudium & luctus. Proverb. 14. *Riſus dolore miſcebitur*. Item in ſuperiori tantùm eſt dies, in inferiori tantùm nox, in media variantur dies & nox, ubi etiam quidam operantur opera lucis, quidam opera tenebrarum. Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis*. In hac domo hujus patrisfamiliæ, quaſi vaſa utenſilia ſunt planetæ, ut ſol & luna. De ſole Eccleſiaſtici 43. *Vas admirabile, opus excelſi*: & de luna in eodem. *Vas caſtrorum in excelſis*. 2. *Secundo* oſtenditur magnitudo divinæ bonitatis in ſolicitudine quam habet de ſalute noſtra, quæ inſinuatur in hoc, quod mane, tertia hora, 6. 9. & 11 cultores mittit in vineam. Bern. Cogitemus ſuper nos opera Trinitatis, & videamus quam ſolicita fuerit illa majeſtas, ne nos perderet in æternum. 3. *Tertio* in hoc quod liberaliter remunerat, pro opere unius horæ præmium æternum dat, immo & pro calice aquæ frigidæ. Matth. 10. Aliquando etiam pro duobus minutis. Lucæ 21.

Otioſos & negligentes ſalutem ſuã increpantur. 1. Senes. Circa Secundum notandum, quod ſpecialiter reprehenduntur, qui in hora 11. otioſi inveniuntur. Hora enim 11. uno modo ſignificat ſeniũ, alio modo ſignificat tempus gratiæ. Maximè vero reprehenſibiles ſunt, qui in ſenio non operantur pro propria ſalute. Gregorius. Tanto quiſque cautior eſſe debet in ſui regimine, quanto provectior fuerit ætate Eccleſiaſtæ 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua*. Veſpere ſenii inceſſanter eſt operandum. Chryſoſt. An neſcitis quia qui non operantur in hoc ſæculo, non manducant in illo? Dies iſte, dies operationis eſt, dies qui ſequitur, dies feriarum eſt. *Item* qui otioſi ſunt in tempore gratiæ, multum ſunt reprehenſibiles. *Primo* quia nos habemus formam & exemplum laborandi à Domino. Philip. 2. *Exinanivit ſemetipsũ formam ſervi accipiens*. Intolerabile quod ſervus non dignetur laborare, ex quo videt dominum ſuum laborantem. *Secundo* quia jam ſervi empticii ſumus. 1. Corinth. 6. *Empti eſtis precio magno*. *Tertio* quia melius conducti ſumus, antiquitus enim terra promittebatur ſervientibus Deo, tempore vero gratiæ cœlum eis promittitur. Si objiciatur quod antiquitus ſpiritualibus promittebatur etiam cœlum, reſponſio eſt, quod pauci erant ſpirituales tunc. *Præterea* multũ exſpectabant poſt mortem ſolutionem illius præmii. Multum fuit longa via in cœlũ, quando oportebat ire per infernũ, & expectare ibi uſque ad paſſionem Chriſti. *Tertio* quaſi in momento poteſt homo acquirere cœlum. Bern. in perſona eccleſiæ. Labor meus vix eſt unius horæ, & ſi amplius eſt, præ amore non ſentio. Sciendum quod parabola iſta videtur eſſe dicta ſpecialiter cõtra otioſos, qui negligunt ſalutem propriam operari, & ad incitandum tales ad operandum hodie recitatur. Ad *idem* etiam incitantur exemplo Domini, cujus prima opera in matutinis hodie recitantur. *Item* exemplo Adæ de quo hodie lectum eſt. Tulit ipſe Dominus hominem & poſuit in paradiſo voluptatis ut operaretur. Geneſ. 2. Ad *idem* monent creaturæ irrationales, quæ tempore hyemis ceſſaverunt ab opere, quæ nunc incipient operari. Homines *etiam*, qui excolitioni vinearum ſuarum nunc intendunt.

2. Omnes ob- tria.

Otioſ.

Invidia reprehenditur. Circa *tertium* notandum, quod malitia invidiæ corrumpit cor & ſenſum pervertit. Prov. 14. *Putredo oſſium*, id eſt, virium, *invidia*. Invidia ſic viſum pervertit, ut lumen bonorũ operum videre non poſſit, cum tamen ſcriptum ſit Eccleſiaſtæ 11. *Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem*. Job. 24 *Ipſi rebelles fuerunt lumini*. Sap. 2. *Gravis eſt nobis ad videndum*. Auguſt. Oculis ægris odioſa eſt lux. 1. Reg. 18. Cùm audiſſet Saul quod David præferretur, ait: *Mihi dederunt mille, & David decem millia*, & ſubditur: *non rectis oculis aſpiciebat Saul David*, & hic dicitur, *an oculus tuus nequam eſt*, &c. Invidia etiam linguam pervertit, unde Geneſ. 37. dicitur de fratribus Joſeph, quod non poterant ei quicquam pacificè loqui.

Spes excitatur & præſumptio deprimitur quadrupliciter. Circa Quartum notandum, quod illud, *Erunt noviſſimi primi*, multipliciter poteſt intelligi. 1. *Primo* de gentibus quæ prælatæ ſunt Judæis. Deuter. 28. *Advena qui tecum verſatur in terra. Aſcendet ſuper te*, & ſubditur. *Ille erit in caput, & tu eris in caudam*. Geneſ. 48. poſuit Jacob dexteram manum ſuper caput Ephraim junioris fratris, ſiniſtram verò 2. ſuper caput Manaſſe, qui erat major natu. *Item* noviſſimi in oculis ſuis, primi ſunt in oculis Dei. 1. Reg. 15. *Nonne cum eſſes parvulus in oculis tuis caput in tribubus Iſrael factus es?* 3. *Item* noviſſimi judicio hominum ſunt primi judicio Dei, quia Deus non attendit quantum, ſed ex quanto, nec ponderat opera noſtra ad pondus publicum, de quo 2 Reg. 14. ſed ad pondus ſanctuarii, de quo. Num. 7. Hoc pondus charitatis eſt. Prov. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus*. Potiùs ponderat Dominus affectum interiorem, quàm operationem exteriorem. Ad hoc pondus ponderavit dominus duo minuta viduæ. Luc. 21. 4. *Item* noviſſimi ſunt primi, quantum ad ingreſſum regni, ut latro præceſſit Petrum. Hujus vero prioritatis quandoque cauſa eſt hæc, quod illi qui tardè incipiunt ferventiores ſunt. Seneca. Faciamus quod in itinere fieri ſolet, qui tardiùs exierunt, velocitate compenſant moram. Per contrariũ intellige, quando primi fiant noviſſimi.

Timor incutitur. Circa *ſextum* notandum quod multi ſunt vocati ad fidem, pauci vero electi ad regnum, ſicuti omnes Canonici vocantur ad electionem, unus tamen

tamen tantùm eligitur. Item omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium. 1. Corinth 9. Multi etiam ſunt lapides communes, lapides verò precioſi ſunt pauci. Multum eſt de palea in area, ſed parum eſt de grano. Multi etiam filiorũ Iſraël exierunt de Ægypto, ſed pauci ex illis intraverunt terram promiſſionis. Matth. 7. *Quàm anguſta porta & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniant eam.* Et notandum quòd hoc verbum, *pauci vero electi*, poteſt homini magnum incutere timorem, ſi attendat boni magnitudinem, quo privabitur, ſi electus non fuerit, & magnitudinem mali, quo punietur. Si aliquis de canonicis non eligitur in Epiſcopum, ſolatium habet, quia ſine hoc poteſt ei bene eſſe, ſed nulli in futuro bene erit, qui electus non fuerit. Ad timoris etiam incrementum facit hoc, quod homo in ſe cognoſcit tot cauſas quare poteſt non eligi, quarum nulla latet electorem; immo latent aliquæ hominem, quæ notæ ſunt electori. Timor iſte expellere debet negligentiam ab homine Eccleſiaſtæ 7. *Qui timet Deum nihil negligit.* Negligentiâ vero expulſa confidendum eſt de Dei miſericordia, non de propriis viribus Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo parabolam iſtam de triplici vinea explicat.

SERMO XLII.

Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias &c.

Vinea triplex. I. Eccleſia,

NOtandum quòd vinea hîc poteſt intelligi *Eccleſia*, vel *religio*, vel *anima*. Et *primo* proſequamur ſecundùm primam acceptionem, ſcilicet de vinea eccleſiæ de qua Iſa. 5 *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt & viri Iuda germen delectabile.* Jerem. 1. *Ego te plantavi vineam electam.* In hac vinea Chriſtus eſt vitis, electi palmites. Joan. 15: *Ego ſum vitis, vos palmites.* Et Notandum: *ſex* ſunt in quibus aſſimilatur eccleſia vineæ. (Eſt ſimilis vineæ in 6,) *Primum* eſt quòd vitis eſt arbor humilis, nec videtur eſſe tanti valoris, præcipuè in hyeme, quanti valoris eſſe oſtenditur ex fructuum precioſitate: ſic fideles in hyeme præſentis adverſitatis videntur eſſe abjecti, ſed in futuro nobilitas eorum apparebit. 1. Joan. 3. Filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus; cum apparuerit ſimiles ei erimus. Eccleſiaſtæ 10. *Vidi ſervos in equis, & principes quaſi ſervos ambulantes ſuper terram.* *Secundum* eſt quòd dum palmes viti adhæret utilis eſt valde, ſeparatus verò à vite minus utilis eſt quam ramus cæterarum arborum: ſic fideles dum per charitatem Chriſto adhærent magni valoris ſunt, ſeparati verò ab eo nihil valent, niſi igni comburendi infernali. Ezech. 15. *Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum: quæ ſunt inter ligna ſilvarum. Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum eſt in eſcam* &c. 3. *Tertium* eſt quòd vitis purgatione & putatione indiget quantumcunque ferat fructum, & ſi putatio intermittatur, licet fructum multum ferat, deſtruitur: ſic fideles quando ferunt fructum bonorum operum, neceſſariam habent purgationem à malis. Si enim homo ſolum intendat multiplicationi bonorum operum & negligat purgationem malorum, bona à malis ſuffocantur. Joan. 15. *Omnem palmitem, qui fert fructũ, purgabit eum ut fructum plus afferat.* Can. 2. *Tempus putationis advenit.* Jere. 4. *Circumcidimini viri Iuda.* Et *notandum* quod cum in vinea viſibili, quæ (Vinea ſpiritualis qui & quoties putanda ſit.) ſemel in anno dat fructum, ſemel in anno facienda ſit putatio, in vinea ſpirituali, quæ ſingulis diebus dat fructum, ſingulis diebus purgatio facienda eſt. Bernard. Extra quotidianum ſacrificium orationis vel lectionis, ſtudium conſcientiæ diſcuſſioni, emundationi, compoſitioni, pars ſua diei neganda non eſt. Ceſſante vero purgatione & putatione vinea iſta deſtruitur. Iſa. 5. *Nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ* &c. & ſubditur: *non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ* &c. 4. *Quarto* vitis inſufficiens eſt ad fructum ſuum, non ſolum perferendum, ſed etiam ſuſtentandum, unde oportet eam alligari paxillo, à quo ſuſtentetur. Sic Eccleſia per amorem dicitur eſſe alligata Chriſto & ſanctis ejus, & eis inniti. Can. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Ejuſdem 2. *fulcite me floribus.* 5. *Quinto* etſi fructus vitis de terra exeat, cavendum eſt tamen ne terram contingat, putreſceret enim: ſic fideles cavere debent ne opera ſua terram contingant, quod fit cùm terrena intentione fiunt, corrumpuntur enim, nec habent talia opera æternam remunerationem Eccleſiaſtici 14 *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui operatur illud, ibit cum illo.* 6. *Sexto* vitis tanto habet fructum minùs precioſum, quanto eſt in terra pinguiori. Tunc fructus valdè precioſus eſt, quando plantatus eſt in monte, in loco arenti, ubi à radiis ſolis fructus ejus abſque impedimento continguntur. Terra arida eſt paupertas in qua ſcilicet fideles fructum precioſum faciunt. In hac terra plantata fuit vitis illa, quæ fructificavit ſuavitatem odoris Eccleſiaſtici 24. ſcilicet beata Virgo. Iſa 53. *Et ſicut radix de terra ſitienti.* Jerem: 31. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ.* In monte plantavit Dominus vineam eccleſiæ, quando appoſuit eam à principio in eminentia viæ, ut ibi cuſtodiretur. Sed jam eſt in valle in abundantia delitiarum & divitiarum. (Vinea hæc ubi & quomodo ſit plantata.) Et notandum quod vinea eccleſiæ ſecundum Bernard. Dei plantata eſt manu, redempta eſt ſanguine, rigata verbo, propagata gratia, fœcunda ſpiritu: unde cultores ejus non deberent eſſe negligentes circa ejus culturam. Item *notandum* quod hanc vineam quatuor mala impugnant, ſcilicet *aſtutia hæreticorum.* (Hanc vineã 4. impugnant.) Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas* &c. *Preſſura principum.* Pſal. 79 *Exterminavit eam aper de ſilva* &c. *Superbia prælatorum.* Jerem. 12. *Paſtores demoliti ſunt vineam meam* Et ejuſdem 50. *Grex diſperſus Iſrael*, leones ejecerunt eum. Leonini enim homines populum Dei diſpergunt. Eccleſiaſtici 4. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua evertens domeſticos tuos* &c. *Quarto abundantia peccatorum* vel *temporalium*, unde Jezabel vineam Naboth diſſipavit. 3. Reg. 21. Jezabel interpretatur fluxus vel ſterquilinium, unde ſignificat abundantiam peccatorum vel temporalium *In vineam ſuam*, per hoc quod dicit *ſuam*, innuitur quod ſit alia vinea, quæ non ſit ſua; (Vinea peccatorum qualis.) quæ eſt eccleſia malignantiũ. Deut. 32. dicitur *Sodomoru vinea, vinea eorum* &c. Uvæ hujus vineæ ſunt peccata Ibidẽ: *Uva eorũ, Uva fellis* &c: Uva propter delectationem quæ eſt in peccato, ſed fellis propter annexam amaritudinem: botrus amariſſimus erit in tormento futuro, quando devorabunt eos aves morſu amariſſimo. Iſa. 24. *Amara erit potio bibentibus illã.* Cultores hujus vineæ in præſenti bibũt, ſi quid ibi eſt de claro, ſed in futuro bibent feces. Pſal. 74. *fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* *Notandũ* quod in vinea eccleſiæ nõ reputãtur operarii terrenis tantùm intendentes. (Operarii hujus vineæ non ſunt qui terrenis intendunt.) Unde Chryſ. Opera noſtra ſunt opera juſtitiæ, non ut agros colamus, non ut divitias acquiramus. Idcirco ſicut nemo conducit operarium, ut hoc ſolum faciat, quod manducet; ſic nos non ideo vocati ſumus ut hæc ſola operemur quæ ad noſtrum pertinent uſum,

ſed ad gloriam Dei. Et ſicut, mercenarius totam
diem impendit circa opus, modicam horam circa
cibum, ſic nos omne tempus debemus impende-
re circa gloriam Dei, modicam partem circa ter-
renos uſus. Et ſi mercenarius ea die qua opus non
fecit erubeſcit intrare domum & petere panem,
quomodo non confunderis intrare Eccleſiam &
ſtare in conſpectu Dei quando nihil boni geſſiſti?
Item non reputantur operarij, qui peccata faciunt,
Et qui peccant. peccatum enim nihil eſt, & qui peccant deſtruunt
& non conſtruunt. Pſalm. 123. *Forſitan pertran-
ſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Alia lit-
tera dicit, *aquam ſine ſubſtantia.* Spiritualiter opera-
Operarii qui ſint. rij in vinea Eccleſiæ ſunt, qui Eccleſiam inſtruunt.
Matth. 9. *Meſſis quidem multa, operarij vero pauci.
Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in
meſſem ſuam.*

Item vinea poteſt intelligi *religio*, cui *primo* ne-
II. Religio eſt ſimilis vineæ in quinque. ceſſarium eſt ut ad modum vineæ ſepem habeat,
qua claudatur, per quam canes & porci arceantur,
illi ſcilicet qui poſſunt eos corrumpere ſuo malo
exemplo. Apocal. ult. *Foris canes.* Pœnitentia extra
religionem eſt quaſi vinea ſine ſpe, quæ diripitur
à tranſeuntibus. Pſalm. 79. *Deſtruxiſti maceriam
ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediun-
tur viam.* Pſalm. 108. *Diripiunt alieni labores ejus.*
Eccleſiaſtici 36. *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſsio.*
Eccleſiaſt. 10, *Qui diſsipat ſepem, mordebit eum co-
luber.* Matth. 21. *Homo erat paterfamilias, qui plan-
tavit vineam, & ſepem circumdedit ei.* Iſa. 5. *Nunc
oſtendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam ſe-
pem, & erit in direptionem.* Prov. 24. *Per agrum ho-
minis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce
totum repleverant urticæ & operuerant ſuperficiem
ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* *Secundo*
2. flos vineæ odore ſuo fugat ſerpentes. Sic odor reli-
gionis infeſtus eſt illis, qui ſunt genimina viperarũ.
Matth. 3. *Progenies viperarum quis monſtravit vobis
fugere à ventura ira?* & 23. *Serpentes, genimina vi-
perarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* 2. Cor.
2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalvi
fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis
in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* *Tertio* vinea dũ
3. eſt in flore, citò læditur. Sic novitij, qui per flores
intelliguntur, citò læduntur bona prima omittendo
Job. 15. *Lædetur quaſi vinea in prima flore botrus
ejus.* *Quarto* fructus vineæ inebriat, ſic cõtemplatio
4. quæ eſt fructus præcipuus religionis inebriat men-
tes. 2. Cor. 5. *Sive mente excedimus Deo.* *Quinto* vi-
5. nea quanto magis fimo impinguatur, tanto minus
bonum vinum habet. Sic divitiæ religionis impe-
diunt puritatem & fervorem devotionis. Unde qui-
dam.

Religio dat opes, paupertas religionem,
Divitiæ veniunt, religioque fugit.

In aliquibus religionibus nimis eſt de fimo tem-
poralium. Unde poteſt dici illud Thren 4. *Qui nu-
triebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Abac.
2. *Væ qui multiplicat non ſua, uſquequo aggravat
circa ſe denſum lutum?* Operarij in vinea religionis
Operarii boni & mali huius vineæ qui ſunt. ſunt qui eam fodiunt, de ſtatu ipſius inquirendo,
& putant ſuperflua reſecando, & quantum ad res,
& quantum ad perſonas, & dum religio bene ſe
habet ſunt vinitores ex eodem loco, ſecundùm illud
Oſeæ 2. *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.* Quan-
do verò negligentes ſunt qui ſunt de illa religione,
mittuntur eis vinitores aliquando cum confuſio-
ne eorum. Iſa. 91. *Filii peregrinorum agricolæ & vi-
Horæ diverſæ ſunt diverſæ ætates ingredientium religionem. nitores veſtri erunt.* Horæ verò quibus operarii mit-
tuntur in vineam religionis, intelligi poſſunt di-
verſæ ætates. *Mane* eſt *pueritia*, mane ergo condu-
cuntur, qui in pueritia intrant religionem. Ma-
1. Pueritia. ne colligebatur manna in deſerto. Exod. 16. Fa-
cilius ſuſtinet religionem qui ei aſſueſcit à pue-
ritia. Proverb 8. *Qui mane vigilaverunt ad me, in-
venient me.* Ideo myrrha quæ ſignificat amaritu-
dinem pœnitentiæ Chriſto infanti oblata eſt. *Ter-
tia hora* conducuntur, qui in *adoleſcentia* religio- 2. Adoleſcentia.
nem intrant. Tertia hora incipit calor concupiſcen-
tiæ, qui per laſcivos diſcurſus adoleſcentem agitat.
Proverb. 30. *Quartum penitus ignoro*, ſcilicet,
viam viri in adoleſcentia ſua. Et attende quod iſti
inveniuntur in foro non primi, vel nundinis ſecun-
dum litteram Origenis, quia adoleſcentes jam in-
cipiunt habere prudentiam mundi, quæ conſiſtit
in contractibus mundi. Chryſoſtomus. Forum
mundus eſt, quia in eo omnia venalia & mutua cir-
cumventio. Oſeæ 9. *Ephraim circumdedit me in
negotiatione & dolo.* Qui veniunt ad adoleſcentiam,
vix vocantur à mundo ad religionem, maximéque
qui bonis temporalibus ſunt obſeſſi, quod ſignifica-
tum eſt Matth. 19. in adoleſcente, cui dictum eſt:
Si vis perfectus eſſe, &c. Qui abiit triſtis, *erat enim
multas habens poſſeſſiones.* Tamen quando adoleſ-
centes religionem intrant, placet Deo multum in-
greſſus eorum. Jerem. 2. *Recordatus ſum tui, miſe-
rans adoleſcentiam tuã & charitatem deſponſationis
tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* *Sexta hora* con-
ducuntur, qui *virili ætate* religionem intrant. *Nona* 3. Viridis ætas.
qui intrant in *ſenectute*. *Undecima* verò qui in *ſenio*
vel *decrepita ætate*: nec etiam iſtos recuſat Domi- 4. Senectus.
nus, quod figuratum eſt in hoc quod Joannes Ba-
ptiſta natus eſt de ſterilibus & ſenibus Lucæ 1. Ma- 5. Decrepita ætas.
gna Dei gratia eſt in converſione talium, quia *quod
antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.* Hebr. 8.
Proverb. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam
cum ſenuerit, non recedet ab ea. Nemo eos con-
duxit.* Ad litteram ſenex vix religio recipit,
quaſi truncos inutiles, non tamen deſperandum,
unde ſequitur. *Ite & vos in vineam meam. Po-* Pſal. 18.
*tens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abra-
hæ.* Matth. & Luc. 3. Et de trunco poteſt facere
vitulum cornua producentem & ungulas. Unde
puer ille, qui ſignificat vitæ novitatem, portatus
eſt in brachiis Simeonis ſenis. Lucæ 2. Et Abrahæ
centenario natus eſt filius. Geneſ. 21.

Vinea etiam intelligi poteſt Anima. Proverb. III. Anima.
24. *Per agrum hominis pigri tranſivi & per vineam* Quale ſit vinum in hac vinea.
viri ſtulti, &c. De hac vinea bibitur primò vinum
compunctionis, deinde vinum devotionis defeca-
tum & dulce. Hoc vinum nuptiarum eſt, præci-
puum in convivio Aſſueri. Heſt. 1. Hoc eſt *vinum
germinans virgines.* Zach. 9. Hic eſt *calix domini
inebrians quam præclarus.* Pſal. 22. Hoc eſt vinum Quid ſit hic vitis, palmites, botri, vinum.
novum, quod dominus mittit in utres novos
Matth 9. Et *notandum* quòd in vinea animæ ſecun-
dum Bernardum Vitis eſt fides, palmites verò vir-
tutes, botrus bonum opus, vinum devotio. Bern.
Miror audaciam plurimorum, quos videmus de
ſuis vineis non colligere niſi ſpinas & tribulos, vi-
neis etiam dominicis ſe ingerere non vereri. *Quid
hic ſtatis?* &c. Mirum eſt quod in foro ſtat venalis,
qui jam venditus eſt. Auguſtinus. Poſtquam intelle-
xi me ſanguine Chriſti redemptum, nolui mem-
bra mea venalia exhibere. *Quid hic ſtatis?* in via Cur non ſit ſtandum.
tam periculoſa & tam longa, qui potiùs currere de- 1.
buiſtis? *Notandum* quod *quatuor* ſunt quæ ſpeciali-
ter bonis viris timenda ſunt. *Primo ſuperbia*, quæ
in bonis naſcitur, quæ eſt velut vulnus ex ſanitate
proveniens, quæ hominem corruere facit de ictu
proprio. *Secundo ira* vel *impatientia*, quæ quaſi in- 2.
cendiaria eſt. Unde ira multum timenda eſt homi-
ni, qui eſt ferè cinis, tam ex parte animæ, quam ex Bonis 4 vitia maximè timenda ſunt.
parte corporis. Ex parte corporis patet quod eſt
ferè cinis, cum ad ſolum calorem febrilem in cine-
rem redigitur. Domus ligneæ & ſtramineæ ſine igne 1.
in cinerem non rediguntur. Ex parte etiam ani-
mæ ad ardorem pravæ concupiſcentiæ in cinerem 2.

vel in nihilum peccati redigitur. Eccleſiaſtici 2. *Væ*
3. *eis qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Tertiò proprii oris
4. *impetuoſitas.* Proverb. 25. *Quaſi urbs patens & ab-*
ſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in lo-
quendo cohibere ſpiritum ſuum. Quartò eſt *ocioſitas*,
de qua hic & Proverb. 12. *Qui ſectatur ocium ſtul-*
Operari nō otiari naturale eſt homini. *tiſſimus eſt.* Bernard. Omnium cogitationum &
tentationum malarum, & inutilium ſentina eſt
ocium. Item notandum quod operari, non ociari
competit homini ſecundùm naturam. De ſtatu na-
turæ deſtitutæ hoc manifeſtum eſt, in illo enim di-
ctum eſt Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane*
tuo. Iob 5. *homo ad laborem naſcitur.* In ſtatu etiam
Ad operandum varia nos monēt. naturæ inſtitutæ tulit Deus hominem & poſuit in
paradiſo, ut operaretur. Geneſ. 2. Ad opus nos
monent exemplo ſuo *creaturæ ſuperiores*, ſcilicet
Angeli: *omnes enim adminiſtratorii ſpiritus ſunt.*
1. Hebr. 1. *Inferiores creaturæ.* Proverb. 6. *Vade, ô*
piger ad formicam, & conſidera vias ejus, &c. Item
2. dicitur quod apes non permittant vivere aliquam
ocioſam in ſua congregatione. Item *mediæ creaturæ*,
ut ſol & luna & ſtellæ Eccleſiaſtæ 1. *Oritur ſol &*
3. *occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſ-*
cens gyrat per meridiem, &c. Ad opus etiam monet
locus in quo ſumus Mich. 2. *Surgite, quia non habe-*
4. *tis hic requiem.* Hebr. ult. *Non habemus hic manen-*
tem civitatem, ſed futuram inquirimus. Ad idem
monet *tempus* quod eſt menſura motûs rerum mu-
5. tabilium, & eſt de numero ſucceſſivorum Gal. ult.
Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.
6. Ad idem monet *naturalis ordo rerum*, operatio enim
naturaliter præordinatur quieti. Deus poſt opera
ſex dierum, ſeptima die quievit. Angelus prius
7. voluit quieſcere. Iſa. 14. *Sedebo in monte teſtamenti*,
& de Paradiſo cœleſti præcipitatus eſt. Lucæ 10.
Videbam Sathanam quaſi fulgur cadentem de cælo.
Item beneficium jam impenſum nobis, & *beneficium*
promiſſum. Iam ſervi empticii ſumus, beneficio
redemptionis accepto. Iam non poſſumus dicere il-
lud: *Nemo nos conduxit.* Promiſſum etiam eſt nobis
præmium ſuper omnem laborem Geneſ. 15. *Ego*
protector tuus ſum & merces tua magna nimis. Rom. 8.
Ad hanc vineam non vocantur, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futu-*
ram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Voca opera-
1. Ocioſi. *rios & redde illis mercedem.* Non vocantur *ocioſi*,
vel *verboſi*, vel *mali operarii*, ſed fideles operarii
& ſtrenui. *Ocioſi* non vocantur cum ſcriptum ſit
Matth. & Luc. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fru-*
ctum bonum excidetur, & in ignem mittetur. 1. Co-
rinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet*
ſecundùm ſuum laborem. Bern. Qui Vicarium
ſuum poſuit in Eccleſia in operatione, Vica-
rium habebit in præmii acceptione. Iob 31. *Si fru-*
ctus ejus comedi abſque pecunia. Gloſ. Fructus
terræ abſque pecunia comedere, eſt ex Eccleſia
ſumptus recipere, & eidem Eccleſiæ prædicationis
præmium non præbere. 2. Theſſal. 3. *Si quis non*
vult operari, non manducet. Gregorius. Quid ad
hoc nos doctores dicemus, qui adventum præcur-
rentes Eccleſiaſticum officium ſuſcipimus, & muti
panem comedimus Bern. Venient ante tribunal
pupillorum & viduarum, audietur accuſatio gra-
vis, allegatio dura, quorum vixêre ſtipendiis, nec
diluêre peccata. Ibidem etiam audietur querimonia
eorum, qui in Eccleſiis laboraverunt, & alii la-
bores ipſorum abſtulerunt. Iacob. 5. *Theſauriza-*
ſtis vobis iram in noviſſimis diebus. Ecce merces ope-
rariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras,
quæ fraudata eſt clamat, & clamor eorum in aures
Pſal. 113. *Domini Sabaoth introivit.* Tales ocioſi ſunt in Ec-
cleſiis ut idola, pedes enim habent & non ambula-
bunt, non clamabunt in gutture ſuo. Et ſunt ut
formidines in hortis, quæ habent ſimilitudinem
hominum, & non ſunt homines. Sic tales ſunt
quaſi prælati, ſed non verè prælati. De formidini-
bus habes Baruch ult. *Verboſi* etiam non vocantur
ad mercedem, qui ſunt ut ficus maledicta à Domi- 2. Verboſi.
no, habens folia non fructus, de qua legitur Matt.
21. Ipſi ſunt arbores inutiliter terram occupantes,
unde ſuccidendi ſunt Lucæ 13. *Item* non vocantur
ad mercedem *operarii mali*, ſeu operarii iniquita-
tis, qui potius cõputandi ſũt inter vineæ extirpato- 3. Operarii mali.
res Philipp. 3. *Videte malos operarios* Matth. 7. *Diſ-*
cedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SERMO PRIMVS.

SERMO XLIII.

SVMMARIVM.

In prima parte Evangelium explicatur, in ſe-
cunda mores inſtruuntur, agiturque de quin-
que. 1. De ſeminante, ſeu virtutibus præ-
lato neceſſariis. 2. De ſemine ſive verbo Dei.
3. De agro ſeu corde hominis. 4. De defectu,
& 5. De profectu ſeminis.

Cùm turba plurima conveniret, &c. *Luc.* 8. Partes Evangelii quatuor.

IN hodierno Evangelio *primo* ponitur parabola
turbis à Domino propoſita. *Secundo* oſtenditur
quod ſpiritualiter ſit intelligenda ibi: *Hæc dicens*
clamabat: qui habet aures audiendi audiat. *Tertiò*
à domino requiritur expoſitio, ibi: *Interrogabant*
autem, &c. *Quarto* oſtenditur quod ad diſcipulos
pertineat myſteriorum cognitio, ibi: *Vobis datum*
eſt, &c. *Quinto* ponitur expoſitio facta diſcipulis
à Domino, ibi: *Eſt autem hæc parabola.* Dixit au- Parabola quid ſit?
tem per ſimilitudinem, ſive per parabolam. Matth.
13. Marc. 4. Dicit Gloſſa & Hieron. quod parabola
eſt rerum natura diſcrepantium ſibi, ſub aliqua ſi-
militudine facta comparatio. Et ſubditur in Gloſſa,
Parabola Græcè ſimilitudo dicitur, quando quid
intelligere volumus, per aliquas comparationes
indicamus, ut ferreum aliquid durum, velocem
ventis comparamus & avibus. Et *notandum* quod mul-
tis de cauſis parabolice loquebatur. *Primo* ut morem
Palæſtinæ, ubi prædicabat ſervaret. *Secundo* ut Parabolicè Chriſtus locutus eſt ob 5. cauſas.
ſtudioſis occaſionem ſe exercendi daret. *Tertio* ut
melius memoriæ infigeret, quam cauſam Chryſo-
ſtomus ponit. *Quarto* ne veritatem indignis pan-
deret. *Quinto* ut per cognita ad incognita traheret.
Propter duas cauſas ultimas etiam Philoſophi in- Cur Philoſophi parabolicè loquantur.
corporant ſermones ſuos, ut ſcilicet magnificent
ſapientiam, ne aliquis præſumat de ea, niſi qui de
ea noverit, & ut promoveantur ſenſibiles à corpo-
reitate ad ſpiritualitatem, quia ſermo ſi fuerit cor-
poreus aſſumptus ex ſenſu, imprimitur forma ip- Explicatio parabolæ. 1
ſius in phantaſia velociter, propter proximitatem
phantaſiæ ad ſenſum. *Exiit*, de ſinu patris in mun-
dum, vel de domo Iudæorum parte aſſumpta ad gen-
tes. *Qui ſeminat*, Chriſtus ſcilicet, qui verbum
veritatis, quod apud patrem vidit, hominibus per Obiectio ſolvitur.
ſe, vel per ſuos indicat. *Seminare*, id eſt, ad ſe-
minandum *ſemen ſuum*, ſcilicet verbum Evangelii
Chryſoſtomus. Vnde exit, qui ubique præſens eſt,
reſpondet: non loco, ſed habitudine exiit, induta
ſcilicet veſte humanitatis. *Aliud cecidit ſecus viam*,
id eſt, ſuper corda vanis cogitationibus & dæmo-
num ſuggeſtionibus pervia Iob. 19 *Venerunt latro-*
nes, & fecerunt ſibi viam per me. Iudic. 6. *Cum ſemi-*
naſſet Iſrael, aſcendebat Madian, &c. *Et conculca-*
tum eſt, malis cogitationibus & pravis affectioni-
bus. Interlin. Vt nec in memoria mens teneat,
quod opere exercere neglexerit. *Et volucres cæli*
comederunt illud, id eſt, dæmones, qui ſunt cœle-
ſtis ſeu ſpiritualis naturæ, & per aëra volitant,
ipſorum enim ſuggeſtione verbum amittitur. *Et*
aliud cecidit ſuper petram. Gloſ. Petra eſt indomi-

tum cor, nullo fidei vomere penetratum. Matth. 13. dicitur *alia ceciderunt in petroſa.* Terra petroſa eſt, ubi parum eſt deſiderii ſalutaris, & multum duritici. *Et natum* ad horam, *aruit*, quia non habuit humorem devotionis aut gratiæ. *Et aliud cecidit inter ſpinas*, id eſt, in corda divitum ſolicitudinibus lacerata, & malis affectionibus cruentata. *Simul exortæ ſpinæ*, id eſt ſolicitudines & inordinatæ affectiones, *ſuffocaverunt illud.* Beda. Ita occupaverunt mentem, quod fructum ſpiritualem in eo facere non potuit. Secundum Chryſoſtomum. Viæ ſunt deſides, petra imbecilles, ſpinæ iniqui. *Et aliud cecidit in terram bonam*, id eſt, in cor docile & mite, Jac. 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* *Et ortum fecit fructum centuplum.* Matt. 13. ſic habetur *Et dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum.*

Ad quos ſpectent hi fructus.

Centeſimus pertinet *ad contemplativos*, qui habent duplicem perfectionem implentes præcepta veteris legis, & conſilia Evangelii. Centenarius enim numerus conſtat ex decies 10. Denarius verò perfectionem deſignat. Hinc ſuper illud Exod. 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere* dicit Gloſ. ex Iſid. Denarius perfectionem deſignat, quia uſque ad ipſum numerus creſcit.

Denarius quid ſignificet.

Sexageſimus fructus pertinet *ad ſtatum vidualem*, conſtat enim ex ſexies 10. Ad ſtatum verò illum pertinet Decalogi impletio & ſex opera miſericordiæ. *Triceſimus fructus* pertinet *ad conjugatos*, qui debent habere fidem Trinitatis, cum impletione Decalogi. Talis enim numerus conſtat ex numero denario triplicato. *Hæc dicens clamabat.*

Objectioni reſpõdetur.

Contra Iſa. 42. *Non clamabit.* Reſponſio, clamore contentionis, ſed clamore charitatis. Et verè clamandum ei erat, cum ſurdis loqueretur. Iſa. 42. *Surdi audite.* *Qui habet aures*, &c. Gloſ. Ubicunque hæc admonitio interponitur, myſticum eſſe quod dicitur, & attentius eſſe quærendum oſtenditur. *Qui habet aures audiendi audiat*, &c. id eſt, aptas ad audiendum auditu interiori, habens ſcilicet intelligentiam mentis. *Audiat*, id eſt, hæc verba ſpiritualiter intelligat. *Interrogabant autem eum diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola*, id eſt, quis eſſet ſenſus hujus parabolæ. Gloſſa. Non mox finita parabola, ſed ut Marcus ait 4. *Cum ſingularis eſſet.* Auguſtinus. Ipſius domini narratio parabola fuit, de qua nunquam exigitur ut etiam ad litteram facta monſtrentur, quæ ſermone proferuntur. Chriſtus eſt lapis unctus à Jacob, Geneſ. 28. & lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, Pſal. 117. Luc. 20. Sed illud in rebus geſtis factum eſt, hoc autem in figuris tantùm prædictum eſt. Illud quippe ſcribit narrator rerum præteritarum, hæc prænunciator tantùm figurarum. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*, id eſt, abdita ſcripturæ. De quo Matth 21. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Sicut pictura hominis dicitur homo. Deſcribit enim nobis, & quaſi depingit regnum Dei, nobis, inquam, tanquam amicis Joan. 15. *Omnia quæcunque audivi à patre meo nota feci vobis.* *Cæteris autem*, ut dicitur Mar. 4. *qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.* Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus.* *Ut videntes*, id eſt, videre ſe reputantes, *non videant.* Vel videntes foris viſu exteriori humanitatem, non videant intus divinitatem. Vel videntes foris miracula, non videant intus virtutem operantem, *& audientes* foris verbum, *non intelligant*, intus ſpiritualem ſenſum Iſa 6. *Audite audientes, & nolite intelligere.*

Expoſitio domini cæ parabolæ. Quando ea facienda ſit.

Eſt autem hæc parabola, id eſt, hujus parabolæ ſenſus. Gloſ. Nota hanc primam eſſe parabolam, quæ cum interpretatione ſua poſita ſit. Et cavendum eſt, ubicunque dominus rogatus à diſcipulis ſermones ſuos diſſerit, ne vel aliud vel plus velimus intelligere, quàm ab eo expoſitum eſt. Hanc gloſſam ſic intellige, ne vel plus vel aliud velimus intelligere, id eſt, contrarium vel ſuperfluum. Simile Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Proverb. 30. *Ne addas quicquam verbis illius.* Apocal. ult. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto*, &c. Gloſ. Ideo hanc parabolam per ſeipſum dignatur exponere, ut ſe figuratè loqui innoteſceret, & rerum ſignificationes, etiam in his quæ exponere voluit quærendas eſſe doceret. *Qui autem ſecus viam.* Hic duplex eſt littera quia in quibuſdam libris eſt (*qui*) in aliis libris eſt (*quod*) ſicut in duobus ſententiis ſequentibus. Secundùm quod eſt, *qui*, ſic expone. *Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam*, ſupple *ſeminantur, hi ſunt qui audiunt*, &c. Et notandum quod ſeminari æquivocum eſt. Nam terra ſeminatur, id eſt ſemen ſuſcipit, & ſemen ſeminatur, id eſt, in agro ſpargitur. Primo modo ſumitur ubi habetur, Qui, *Secus viam*, id eſt, juxta tranſitum mundi. *Deinde*, id eſt, poſtquam audierunt, *venit diabolus*, per multiplices ſuggeſtiones, *& tollit*, &c. Similiter expone ſequentem ſententiam. *Hi radices non habent.* Radix eſt profunditas vel magnitudo deſiderii. *Ad tempus credunt*, &c. Eccleſiaſtici 18. *A mane uſque ad veſperam immutabitur tempus.* *Quod autem in ſpinas*, &c. Sic conſtrue. Semen eſt verbum Dei quod cecidit in ſpinas, ſuſcipientes autem ſemen, quod cecidit in ſpinas, ſunt illi qui audiunt, &c. Simili modo lege ſequentem ſententiam & duas primas, ſi fuerit ibi *quod*. *Quod autem in terram bonam.* Conſtrue ut prius. Gloſ. In bonos auditores, qui verbum audire ſatagunt, & in mente memoriâ recondunt. Et ſic opportuno tempore fructum operarius proferet, proſpera & adverſa hujus ſæculi patienter ſuſcipiens. *Sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Cor bonum eſt, cum verbum retinetur in intellectu: optimum eſt, cum deſiderium implendi eſt in affectu, ita quod non impeditur impletio, nec adverſitate terrente, nec proſperitate blandiente. Cor bonum reſpectu ſeminis facit ordinatio rationalis, melius ordinatio iraſcibilis, optimum ordinatio concupiſcibilis. *In patientia.* Jacob. 1. Patientia opus perfectum habet.

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Circa hanc parabolam quinque nobis conſideranda ſunt, pertinentia ad inſtructionem noſtram: ſcilicet *quis ſeminet, quid ſeminet, ubi ſeminet, Seminis defectus, Seminis profectus.*

Pars II. Sermonis. Inſtructio morũ quintuplex.

1\. Quis ſeminat Chriſtus & prælati ſeminant quo diſcrimine.

Qui ſeminat Chriſtus eſt. Auguſtin. in libro de doctrina Chriſtiana. Quoniam Chriſtus ſeminat, ego quis ſum? vix cophinus ſeminantis. In me ipſe ponere dignatur, quod velit ſpargere. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, ſed ad charitatem ſeminis & poteſtatem ſeminatoris. Et licet Chriſtus ſit principalis ſeminator, qui princeps paſtorum eſt, tamen prælati exercent miniſterium ſeminandi. Unde exemplo filii Dei exire debent ſeminare ſemen ſuum.

Prælato quinque ſũt neceſſaria.

Et ſecundùm hoc in hoc verbo, *exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*, *quinque* nobis commendantur prælato neceſſaria. In hoc verbo, *exiit*, commendatur *laborioſitas*. Cùm dicitur, *qui ſeminat*, commendatur *humilitas*. Cùm dicitur, *ſeminare*, id eſt, ad ſeminandum commendatur *rectitudo intentionis*. Cùm dicitur, *ſemen ſuum*, commendatur *ſcientia & bona vita*.

1\. Exemplo Chriſti contemplatio & actio Joan. 18.

Exiit filius Dei de ſinu patris, quo creaturæ non erat acceſſus, ut ſeminaret ſemen ſuum, venit enim in mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati. Joan. 16. *Exivi à patre & veni in mundum.* Marci 1. *Eamus in proximos vicos & civitates, ut & ibi prædicem, ad hoc enim veni.* Sic prælatus debet exire non ſolùm de veteri converſatione

tione ſecundùm illud Epheſ. 4. *Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Et Coloſ. 3. *Expoliantes vos veterem hominem*, ſed etiam ab otio ad operationem, à lecto contemplativæ in agrum activæ. Bernard. ſuper Cant. Noli nimis inſiſtere oculis contemplationis, meliora enim ſunt ubera prædicationis, Matth. 4. loquitur de Chriſto. *Circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum.* Eiuſdem 9. *Circuibat Ieſus omnes civitates & caſtella docens in ſynagogis eorum.* Hieron. Prædicat Ieſus æqualiter in villis & in urbibus. Marc. 8. *Circuibat caſtella in circuitu docens.* Cant. 7. *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* 2. Timoth. 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune.* Iſa. 58. *Clama ne ceſſes.* Eccleſiaſtæ 11. *Mane ſemina ſementuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Proverb. 24. *Eos qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſa.* *Humilitas* commendatur in hoc, quòd dicitur ibi: *qui ſeminat.* Seminatorem ſe debet reputare prælatus, non dominatorem. Bernard. ad Eugenium Papam. Non ad dominandum opinor te elevatum.

2. Humilitas.

Nam & Propheta cum ſimiliter levaretur audivit: *ut evellas & deſtruas, & ædifices & plantes.* Ierem. 1. Diſce ergò tibi ſarculo opus eſſe non ſceptro. *Rectitudo intentionis*, commendatur ibi: *ſeminare.*

3. Recta intentio.

Ad ſeminandum debet exire prælatus. Multi tamen potius exeunt ad metendum quàm ad ſeminandum. Conceſſit metere Dominus carnalia ſeminanti ſpiritualia. Matth. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et Lucæ 10. *Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? &c. & poſt. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* ſed qua fronte præſumit metere, qui non ſeminavit? Matth. 25. *Scio quod homo durus es, metis ubi non ſeminaſti*, &c. Ierem. 50. *Diſpergite ſatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore meſſis.* Sator Babylonis eſt prælatus malus, qui ſibi & aliis ſeminat confuſionem, cum deberet eſſe operarius inconfuſibilis. 2. Timoth. 2. *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem.* Talis male ſeminat & male metet. Iob. 4. *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores & metunt eos, flante Deo periiſſe*, & Oſeæ 8. *Ventum ſeminabunt & turbinem metent.*

4. & 5. Scientia & bona vita.

Scientia & bona vita commendatur ibi: *Semen ſuum*: Ille ſeminat ſemen ſuum, qui verbum per ſcientiam habet in corde, & per honeſtam converſationem exteriorem in carne. Alienum ſemen ſeminat, qui vult docere antequam didicerit, qui poſtquam habet unum quaternum, incipit prædicare, & ſi error fuerit in quaterno, errorem prædicat; ſimilis eſt Pilato qui poſtquam quæſivit, *Quid eſt veritas?* ſtatim exiit, non expectatâ reſponſione. Ioan. 18. Item alienum ſeminat, qui bona exempla aliorum exponit hominibus in ſe oſtendens eis mala exempla. Talis ſerit agrum diverſo ſemine contra præceptum. Levit. 19.

II. Quid ſeminetur. Verbum Dei, quantæ dignitatis & valoris ſit.

Circa ſecundum notandum, quòd ſemen quod ſeminatur, iuxta expoſitionem Domini eſt verbum. Hoc ſemen de Paradiſo allatum eſt, hoc attulit ipſe Filius Dei, & ipſum dignatus eſt ſeminare, & propter ſeminationem eius in mundum venit, ut prius oſtenſum eſt. Hierem. 14. *Quaſi colonus futurus es in terra.* De germine uno huius ſeminis, ſcilicet de uno bono propoſito pœnitentis gaudent chori Angelorum, Lucæ 15. *Gaudium erit coram angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Ex uno grano huius ſeminis fructus colligitur unde colligens æternaliter reficitur, unum enim bonum verbum alicui eſt occaſio ſalutis. Semen illud quandoque in eo in quo ſeminatum eſt poſt viginti annos fructificat. Et licet hoc ſemen in hac terra ſeminetur, fructus tamen eius in cœlo colligitur. Hieronym. Diſcamus in terris talia, quorum ſcientia nobis perſeveret in cœlo. Et notandum quòd verbum Dei ſemini in multis aſſimilatur, & de multis quædam ponere ſufficiat.

Verbum Dei aſſimilatur ſemini.

1. *Primum* quod in ſemine puritas magna requiritur: Etiam cum ſemen purum ſeminatur, in meſſe zizania mixta ſegeti quandoque invenitur, ſic circa verbum Dei multum ſervanda eſt puritas, 2. Corinth. 4. *Neque adulterantes verbum Dei.* Philip. 1. *Quidam ex contentione Chriſtum annunciant non ſincere.* Proverb. 15. *Sermo purus pulcherrimus.*

2. *Secundum*, ſemen eſt valde neceſſarium ad hoc ut ager fructificet. Peractis omnibus aliis quæ ad agri culturam pertinent, ſi ſeminatio omittatur, quaſi amiſſa ſunt ea quæ ſunt facta. Sic quantumcunque diligens ſit qui excolit terram Eccleſiæ, in aliis ſi ſemina deſint, parum valent cætera. Iſa. 28. *Nunquid tota die arabit arans?* Eiuſdem 1. *Niſi Deus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus*, &c. Ex quo verbo ſatis oſtenditur quantum amorem deberet habere mundus ad verbum Dei, cum ei quodammodo debeat bonitatem ſuam, ſine ipſo enim fuiſſet ſimilis Sodomæ, & in culpa & in pœna.

Cõtemptus Verbi Dei.

Præterea cum deteriores ſint qui ſemen à domino relictum contemnunt, quam fuiſſent ſi eis relictum non eſſet. Deteriores Sodomâ & Gomorrha eſſe videntur, qui hoc ſemen ſibi relictum contemnunt. Matth. 11. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicii, quam civitati illi.* Loquitur de non recipiente illos, quos mittebat ad prædicandum.

3. *Tertium* licet ſemen ſit modicum quantitate, tamen magnum eſt virtute, totalem enim agrum facit operari ſecundum ſuam ſpeciem. Ager enim qui ſine ſemine ſpinas & tribulos germinaret, ſecundum illud Geneſ. 3. *ſpinas & tribulos germinabit tibi*, recepto ſemine fructum laudabilem profert. Eandem virtutem verbum Dei habet in homine. Væ illis qui præ negligentia ſeminandi agrum cordis ſui fructu tam precioſo privantur, fructus cordis prævalet fructui totius terræ. Seneca. Turpiſſima iactura eſt quæ per negligentiam ſit.

4. *Quartum* ſemen minutatim ſpargitur, ſic verbum Dei minutatim ſpargendum eſt; Seneca. Plurimum proficit ſermo, qui minutatim animo irrepſit. Diſputationes protelatæ & effuſæ audiente populo plus habent ſtrepitûs, minus familiaritatis. Idem. non multis opus eſt verbis, ſed efficacibus: ſeminis modo ſpargenda ſunt, quod quamvis ſit exiguum, cum occupaverit idoneum locum, vires ſuas explicat.

5. *Quintum*, ſubtractio ſeminis valde nociva eſt agricolæ: ſimiter ſe habet in verbo Dei. Bernard. Modica ſeminis detractio, non modicum eſt meſſis detrimentum, 2. Corinth. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet.*

6. *Sexto* ſemini prodeſt terræ rigatio, ſic ſeminanti verbum Dei neceſſaria eſt & aqua gratiæ, & aqua lachrymarum. Pſal. 125. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Eccleſiaſtici 20. *Homo acharis quaſi fabula vana.*

7. *Septimò* ſemen ſcilicet in terra recondi oportet ad hoc ut fructum ferat, ſic & verbum Dei. pſal. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi.* Proverb. 7. *præcepta mea reconde tibi.* Semen in terra abſconditur, ne ab avibus rapiatur, ut à terra capiat humorem. Semen in ſacco non humorem capit, nec radicem mittit, ſic nec verbũ in ore vel in quaterno. Io. 8. *Sermo meus non capit in vobis.* Non capit voluntatem noſtram ſermo Dei, niſi in profundo cordis abſcondatur, ſermo Dei eſt ut hamus, qui capit, dum capitur, ut dicit Interlin. ſuper illud Ioan. 8. *Sermo meus non capit in vobis.*

8. *Octavò*, ſemen non ſtatim quando in terram iacitur fructum facit, immo fructus eius patienter expectatur, nec etiam certum eſt quod fructus ſequatur; nihilominus tamen ſeminatur &

ſemen benedictione Dei commendatur, ſine cujus operatione ſeminare eſt ſemen perdere. Similiter ſe habet in verbo Dei, Jacob. 5. *Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter ferens*, &c. Eccleſiaſtici 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua. Neſcis enim quid magis oriatur, hoc aut illud, & ſi utrumque ſimul melius erit.*

III. Vbi ſeminetur. Quadruplex terra ubi ſeminatur, qualis ſit.

Circa tertium notandum quod locus ubi ſeminatur hoc ſemen eſt *quadruplex*: *terra* ſcilicet *ſecus viam, terra petroſa, terra ſpinoſa, & terra bona.* In terra ſecus viam verbum auditum ab intellectu rapitur. In terra petroſa fructus verbi impeditur terrente adverſitate. In terra verò ſpinoſa impeditur blandiente proſperitate. In terra ſecus viam vis rationalis vanis cogitationibus eſt expoſita. In petroſa vis iraſcibilis, impatiens eſt ad adverſa. In ſpinoſa concupiſcibilem alliciunt proſpera. Et *notandum* quod terra juxta viam, ſi non ſit clauſa, frequenter fit via. Viâ enim exiſtente lutoſâ, intrāt viatores, & conculcatione eorū fit via. Terra etiā non irrigata fit arida, & ad modum petræ fit dura. Terra verò juxta viam intelligi poteſt cor ſine clauſura, cor ſcilicet illius, qui non habet diligentiam in cuſtodiam ſenſuum ſuorum. Terra verò petroſa cor aridum à gratia & devotione. Terra verò ſpinoſa cor incultum hominis negligentis. Vel terra petroſa poteſt intelligi cor ſuperbum, invidum, & iracundum. Amos 6. *Nunquid currere queunt in petris equi?* Prædicatores ſunt equi, quorum eſt nomen Dei per mundum portare. In petris non currunt, quia in duris cordibus ſuperborum, invidorum, & iracundorum non proficiunt. Equus currens ſupra petras deferratur ibi quandoque, & circa duros homines frequenter habent materiam impatientiæ, qui in eis nolunt proficere. Terra ſpinoſa eſt cor accidioſum vel avarum, Proverb. 24. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Abac. 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua. Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis.* Hoc pertinet ad ſpinas avaritiæ. Terra lutoſa eſt cor luxurioſi vel guloſi. Pſal. 17. *Vt lutum platearum delebo eos.* Terra etiam ſecus viam poteſt intelligi, qui familiaris eſt ei qui eſt in via lata & ſpacioſa, quæ ducit ad mortem; & maximè qui familiaris eſt apertè malo, in quo veſtigia diaboli apparent, Eccleſiaſtici 21. *Qui odit correptionem veſtigium eſt peccatoris*, id eſt, Diaboli, qui antonomaticè dicitur peccator. Job. 20. *Vadent & venient ſuper eum horribiles.* Talis familiaritas in multis impedit fructum verbi Dei, 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, Eccleſiaſtici 19. *Qui ſe jungit fornicariis erit nequam.* Pſalm. 17. *Cum perverſo perverteris.* Impeditur etiam fructus verbi in aliquibus propter lapideam duriciem, ut patet in Pharaone, qui multoties proponebat dimittere populum, & poſt veniebat contra promiſſum. Exod. 7. & 8. *Induratum eſt cor Pharaonis.* Impeditur etiam fructus verbi in his, qui peccatum ſuum defendunt, qui ad modum ſpinarum pungunt eos à quibus corriguntur, qui ſimiles ſunt ericio. Iſa. 34. *Ibi foveam habuit ericius.*

Explicatio harum terrarum.

Prædicatores ſunt equi, quales.

IV. Defectus fructus cur fiat, & quî caveatur in terra.

Circa quartum notandum quòd ſemen à fructu deficit in *terra ſecus viam*, & quia conculcatur, & quia ab avibus rapitur. Contra conculcationem neceſſaria eſſet clauſura, ſcilicet diligens ſenſuum cuſtodia. Eccleſiaſtici 28. *Sepi aures ſpinis* Iſa. 58. *Et vocaberis ædificator ſepium.* Ejuſdem 26 *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te*, ſi cor ſit ſine clauſura, accidet illud, quod tangitur Job. 30. *Quaſi rupto muro & aperta janua irruerunt ſuper me.* Aves etiam abigendæ ſunt exemplo Abrahæ. Geneſ. 15. *Deſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abram.* Ad aves etiam iſtas abigendas valet timor Domini, ſicut formidines ponuntur in hortis ad fugandas aves. Valet etiam ad idem memoria Dominicæ paſſionis. Timent dæmones vexillum crucis, qui in cruce devicti ſunt. In *terra petroſa* deficit ſemen, non excreſcens etiam in fructū propter defectū humoris gratię vel devotionis; ideo neceſſariū eſt ſeminanti, & ei qui ſemen recipit, recurrere ad fontem divinæ miſericordiæ, ut impleat promiſſionem factam Iſa. 30. *Dabitur pluvia ſemini tuo, ubicunque ſeminaveris in terra.* De eadem pluvia legitur, Ezech. 34. *Pluvia benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum ſuum.* In *terra ſpinoſa*, ſpinæ creſcentes ſuffocant verbum, ideo libenter ſeminandum eſt in terra ſine ſpinis, id eſt, in pauperibus non habentibus ſpinas divitiarum exemplo filii Dei, Lucæ 4. *Evangelizare pauperibus miſit me.* ſumptum eſt de Iſa. 61. Littera noſtra habet *ad annunciandum manſuetis miſit me.* Hierem. 4. *Nolite ſerere ſuper ſpinas.* Ille etiam qui vult ut verbum Dei in ſe fructificet, purgare ſe debet à ſpinis vitiorum contritione & humili confeſſione.

V. Profectus ſeminis ubi & qui fiat.

Proficit ſemen in terra bona, ſcilicet in terra ſtudioſè clauſa, abundanter irrigata, diligenter culta, in corde ſcilicet bono & optimo, cujus rationalis eſt à variis expedita & ſalubribus intenta, iraſcibilis adverſitate non terretur, concupiſcibilis proſperitate non allicitur. Proficit ſemen in corde ejus, qui à mala ſocietate eſt elongatus, quod non reſiſtit Deo, nec nocet proximo.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Interpretatio parabolæ à Chriſto facta, exponitur. SERMO XLIV.

Qui habet aures audiendi audiat, &c.

Auditus triplex.

TRiplex auditus hîc notatur, qui neceſſarius eſt auditoribus. *Primus* eſt naturæ, quo verbum ſuſcipitur. *Secundus* eſt intelligentiæ, quo ſenſus verbi diſcernitur. *Tertius* obedientiæ, quo res verbi efficitur. Sunt qui non habent aures audiendi aliquid de Deo, quaſi excommunicatum habentes eum. Ezech. 23. *Naſum tuum & aures tuas præcident.* Tales etiam Dominus reputat excommunicatos, Proverb. 28. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Alii habent aures ad audiendum, ſed non ad intelligendum, Iſa. 42. *Qui apertas habes aures nonne audies?* Alii habent aures ad audiendum & ad intelligendum, ſed non ad obediendum. Iſa. 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude. Interrogabant autem.* Chryſoſtomus cupientes ſcire, oportet interrogare. Auguſtin. in libro de doctrina Chriſtiana. Nulla res magis memoriæ mandanda eſt, quàm illorum verborum locutionumque genera quæ ignoramus, ut cum peritior occurrerit, quæri poſſint. Non tamen ſtatim interrogant, ſed ſoli cum illo, ut dicitur Marc. 4. In quo inſtruimur ſecundum Bedam, ut ſi intelligentiam divinorum aſſequi volumus, ſepoſitis curis mundi domum ſacræ ſcripturæ ſoli cum ſolo domino meditando & orando intremus. *Vobis datum eſt*, &c. Hic oſtenditur quod aliter prædicandum eſt ſapientibus aliter ſimplicibus. Apertè occulta fidei dicenda ſunt ſapientibus, ſimplicibus quaſi involutè. 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Numer. 4. præcipitur quod

Caathitæ portent ſacra tabernaculi involuta, quæ ſacerdotes tractabant nuda. Eccleſiaſtici 39. *Occulta proverbiorũ exquiret ſapiens & in abſconditis parabolarum converſabitur.* Gloſ. Super principium Proverbiorum ſicut in terra aurum, in nuce nucleus, in hirſutis caſtaneorum operculis abſconditus fructus inquiritur, ita in proverbiis altus divinuſque ſenſus inquirendus eſt. Job. 28. *Sapientia trahitur de occultis.* In occultis Parabolarum converſari debet vir litteratus, & abſcondere ſe ab æſtu tentationum. Gregorius. Cùm ſacrorum eloquiorum ſecreta ſcrutamur, quid aliud quàm opaca ſilvarum ad refrigerandum nos ingredimur? Et *notandum* quòd in omnibus operibus Dei ſapientia eſt quærenda. Deus enim effudit eam ſuper omnia opera ſua ut legitur Eccleſiaſtici 1. Specialiter tamen quærenda eſt in illis rebus, à quibus filius Dei ſumit parabolas ſuas. *Eſt autem hæc parabola.* Notandum quòd hæc expoſitio Dei eſt brevis, aperta & facilis, & ſine curioſitate ornatus. Ad *brevitatem* pertinet illud. Auguſt. Sicut ingratus eſt qui incognita obnubilat, ſic oneroſus eſt, qui cognita inculcat. Eccleſiaſtici 21. *Verba prudentium ſtatera ponderabuntur.* De *facilitate* dicitur Proverb. 14. *Doctrina prudentium facilis.* Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Quid prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientiũ; cùm loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligant, propter quos ut intelligant loquimur. Item. Quid prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? & quid obeſt lignea, ſi aperire poteſt? quando non quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? 1. Corinth. 14. *Si incertam vocem dederit tuba, quis præparabit ſe ad prælium?* Contra ornatum dicitur Eccleſiaſtici 4. *Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo.* Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Cavendum eſt ne divinis gravibuſque ſententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Numerus eſt proportio ſyllabarum, metrorum & colores Rhetorici. Aug. ibidem. In auctoribus noſtris hoc mihi plus placet; quod ibi rariſſimè inveni eos numeros: ſatis enim eſt ei propter quod agitur, ut verba congruentia non oris eligantur induſtria, ſed peccatoris ſequantur ardorem. *Semen eſt verbum Dei.* Verbum Dei eſt ſemen reſpectu meriti. Bonum opus ſemen eſt reſpectu præmii, malum opus reſpectu ſupplicii. Gregor. Semen eſt quidquid boni feceris, ſemen etiam eſt quidquid mali feceris. Diligenter autem videndum eſt homini ubi eſt, quid ſeminet. Noli ſeminare in carne, quia *qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem.* Gal. 6. Noli ſeminare in aëre, ut faciunt illi, qui pro vana gloria opera de genere bonorum faciunt. Jerem. 12. *Seminaverunt triticum & meſſuerunt ſpinas.* Hoc accidet talibus Aggæi 1. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.* Mich 6. *Tu ſeminabis, & non metes.* Item noli ſeminare ſpinas vitiorum, materiam incendii infernalis. ad Gal. 6. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* Eccleſiaſtici 7. *Non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* Et *notandum* quòd eleemoſyna ſemen ſpecialiter dicitur eo quòd ſemini in multis aſſimilatur. 1. *Primo* in hoc, quod occultanda eſt. Eccleſiaſtici 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis.* Matth. 6. *Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra.* 2. *Secundo* in hoc; quod facienda eſt de juſto, ut ſeminetur purum triticum. Eccleſiaſtici 34. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* 3. *Tertio* debet committi terræ purgatæ a ſpinis, quia pauperibus danda eſt non habentibus ſpinas divitiarum, & bonis non habentibus ſpinas vitiorum. Jerem. 4. *Nolite ſerere ſuper ſpinas,* Iſa. 58. *Frange eſurienti* panem tuum. Lucæ 14. *Cum facis convivium, voca pauperes* &c. Eccleſiaſtici 12. *Da bono, & ne receperis peccatorem.* 4. *Quarto* rigari debet rore compaſſionis & hilaritatis. Job. 30. *Compatiebatur anima mea pauperi.* Iſa. 58 *Si effuderis animam tuam eſurienti, & animam afflictam repleveris* &c. Eccleſiaſtici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* 5. *Quinto* fructus multus expectatur de eleemoſyna in alio anno, id eſt, in alia vita. Iacob. 5. *Agricola expectat precioſum fructum terræ* &c. Hoc ſemen habet duplicem meſſem. 1. Thim. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ.* *Quod autem in ſpinas* &c. Gloſ. nota quod divitiis duo jungit ſolicitudinem & voluptatem, quia & per curam mentes opprimunt, & per voluptatem reſolvunt. Et *notandum* quod divitiæ ſpinæ dicuntur, eo quod ſpinis in multis aſſimilentur. 1. *Primo* in hoc, quod ſpinæ etiam cum ſint ſub flore pungunt: ſic divitiæ etſi habeant exterius florem mundanæ gloriæ, pungunt tamen mentem triplici punctione: ſcilicet labore in congregando, timore in ſervando, dolore in amittendo. Unde quidam.

Dives divitias non congregat abſque labore,
Non tenet abſque metu, non deſerit abſque dolore.

2. *Secundo* divitiæ ad modum ſpinarum veſtem interioris hominis dilacerant. Seneca. Projice quæ ipſum cor lacerant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, ipſum cor avellendum eſſet. Abac. 2. poſt illud, *Væ qui multiplicant non ſua*, ſubditur. *Nunquid non repente conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te?* 3. *Tertio* divitiæ ſunt latibulum ſerpentum infernalium, unde qui volunt eas accipere, à ſerpentibus infernalibus mordentur. 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationes, & laqueum diaboli.* 4. *Quarto ſpinæ ſe invicem complectuntur.* Nahum 1. ita quod totus faſciculus ſpinarum facilius excutitur, quam ſpinæ abinvicem ſeparentur, ſic divitiæ per partes bene diſpenſantur. Ideo bonum eſt ſecundum conſilium Dei, ſe ſemel exonerare ab eis. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia* &c. 5. *Quinto* ſpinæ amplectentes ſe cruentant, ſic divitiæ amatores ſuos cruentant ſanguine peccati. Eccleſiaſtici 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Gregor. Divitiæ ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: cùm uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. 6. *Sexto* ſpinæ ſunt materia ignis: ſic divitiæ ſunt materia ignis cupiditatis in præſenti & ignis infernalis in futuro. Pſalm. 117. *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Iſa. 33. *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Iacob. 5. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum erit vobis in teſtimonium & manducabit carnes veſtras ſicut ignis.* Et *notandum* quod Matth. 13. habetur, quod *fallacia divitiarum ſuffocat verbum.* Hac fallacia decipiuntur etiam ſapientes. Gregor. Divitiæ fallaces ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt. Fallaces ſunt, quia mentis noſtræ inopiam non expellunt. Divitiæ non ſolvunt quod promittunt, promittunt abundantiam, & ſolvunt inopiam Lucæ 1. *Et divites dimiſit inanes.* Proverb. 10. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos, idem autem ipſe ſequitur aves volantes.* Eccleſiaſtici 34. *Quaſi qui apprehendit umbram & perſequitur ventum*, ſic qui attendit ad viſa mendacia. *Suffocantur.* Gregor. Solicitudines & voluptates & divitiæ ſuffocant, quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis negant.

Res parabolis à Chriſto explicatæ quales?

Chriſti expoſitio tria habet. 1. Brevitatem 2. Facilitatem ſeu claritatem. Ornatus neglectum.

Semen quid ſit.

Ubi & quid non ſit ſeminandum.

Eleemoſyna ſimilis eſt ſemini.

Duplex meſſis hujus ſeminis.

Divitiæ aſſimilantur ſpinis.

Divitiæ cur ſint fallaces.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Dua dubia de Chriſto ſeminante ſolvuntur.

SERMO XLV. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, &c.

I. Chriſtus ipſe exiit ſeminare ob tria.

HAnc quæſtionem tetigiſſe videtur Hierem. 14. dicens, *quare quaſi colonus futurus es in terra?* & poteſt dici, quod tribus de cauſis ipſemet exiit ſeminare: ſcilicet propter terræ *neceſſitatem*, & propter aliorum cultorum *pravitatem*, & propter agri culturæ ſpiritualis *utilitatem*.
1. Quàm *ne- ceſſarium* ſit ſemen divinum mundo inſinuat, Iſa. 1. dicens: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis*
2. *ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus*, &c. *Pravitas* alio- rum cultorum apparet ex hoc, quod mundus erat plenus ſpinis vitiorum, in adventu Filij Dei Prov. 24. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urtica. & ope-*
3. *ruerant ſuperficiem ejus ſpina*. *Utilitas* culturæ ſpiri- tualis ex hoc apparet, quòd plus valet unus fru- ctus cordis humani, ſcilicet opus unum ex charitate procedens, quam totus fructus quem terra à prin- cipio mundi uſque nunc protulit. Præterea de fru- ctu oris ſui poteſt homo ditari. Proverb. 12. *De fru- ctu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis.*

II. Chriſtus ſeminavit in mala terra ob tria.

Et aliud cecidit ſecus viam. Sed quare ſapientiſſi- mus agricultor in terram pravam ſemen ſuum je- cit? Ad hoc poteſt dici, quod tribus de cauſis. *Primo* ad noſtram inſtructionem, ut exemplo ejus in om-
1. ni genere hominum ſeminemus. Chryſoſtomus. Qui ſeminat, ſine adjudicatione mittit ſemina, ſic & Prædicator Chriſti non dividit divitem & pau- perem, ſapientem & inſipientem, ſtudioſum, aut deſidem. Rom. 12. *Græcis ac Barbaris, ſapientibus*
2. *& inſipientibus debitor ſum*. *Secundo* ad prædica- torum conſolationem, ut non impatienter ferant, ſi in multis eorum peribit ſemen, quia idem Chriſto accidit. Iſa. 5. *Triginta modij ſementis facient mo- dios tres*. Aug. Magna conſolatio membris ex capite.
3. *Tertio*, quia ille, cujus eſt ſemen, de terra prava poteſt facere bonam. Chryſoſtomus. Qualiter ha- bet rationem ſeminare in ſpinis vel petris? Solu- tio. In ſeminibus quidem nullam, in animabus au- tem multam. Et niſi illa proximitas, quæ eſt ſecun- dùm Eccleſiæ reſpectionem oſtenderetur, agricola incuſaretur meritò, quia non poteſt de petra facere non petram, aut de via non viam, aut de ſpinis non ſpinas, in rationabilibus autem poſſibile eſt de pe- tra fieri terram pinguem.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Tractatur parte prima hujus Evangelij de præ- nunciatione Paſsionis Dominicæ. De prænun- ciatione octo explanatur de Paſſione quinque quæ Chriſtus paſſus eſt, & adhuc patitur in ſuis.

SERMO XLVI. Aſſumpſit Jeſus duodecim & ait illis: Ecce aſcen- dimus Hieroſolymam, &c. *Luc.* 18.

Evangelii partes duæ.

HOdiernum Evangelium duo principaliter oſtendit, ſcilicet Dominicæ Paſſionis præ- nunciationem, & cujuſdam cæci illuminationem.

Prima Prænunciatio paſſionis Dominicæ de qua octo hic tractantur.

Circa *primum octo* nobis conſideranda ſunt. *Pri- mum* eſt quare prænunciatio Dominicæ Paſſionis in hac Dominica recolitur, & poteſt de hoc triplex ratio reddi. *Prima* eſt, quia ſicut Paſſio erat pro- pinqua ſecundum veritatem, cum Dominus dixit

I. Paſſio recolitur hac Dominica ob tria.

Diſcipulis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam*, &c. Sic nunc eſt proxima ſecundùm Eccleſiæ repræſenta- tionem, ideò convenienter nunc in Eccleſia verba illa leguntur. *Secunda* eſt, ut invitentur fideles ad crucem pœnitentiæ, & ad aſcenſum in cœleſtem Hieruſalem. Licet enim Chriſtianus ſemper debeat eſſe in cruce ſecundùm illud Gal. 5. *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt*, & etiam proficiendo debeant aſcendere, tamen maximè in Quadrageſi- ma. Et ſicut ille qui ingreſſurus eſt religionem, præ- tentat aliqua quæ ſunt religionis, & eis ante ingreſ- ſum aſſueſcit, ſic ante quadrageſimam aliquid pœ- nitentiæ inchoandum eſſet. Contrarium verò ho- mines faciunt, qui in comeſtione carnium & in aliis deliciis hoc tempore excedunt, quaſi neſciant quod quanto talibus aſſueverunt, tanto diffici- lius eis poſtea carebunt. Difficile caret aliquis pel- licio in medio hyemis, qui in principio hyemis ei aſſuevit. Hoc tempore multùm conandum eſt ad ſobrietatem. Seneca. Diebus feſtis magis impe- randum eſt animo. Hoc tempore multo difficilius eſt ebrio populo ſobrium eſſe. Diabolus credens quod in brevi ſit eos amiſſurus, vexat eos in ſervi- tio ſuo quantum poteſt Sicut illi qui conducunt equos, multùm ſolent eos vexare, quia modicum ſunt eos habituri. Apoc. 12. *Væ terræ atque mari, quia deſcendit ad vos diabolus, habens iram ma- gnam, ſciens quia modicum tempus habet*. *Tertia* eſt, ut hominibus oſtendatur quantum malum ſit peccatum gulæ, qua tamen peccant homines tem- pore iſto, ex magno malo, quod ex illo peccator ſe- cutum eſt. Mors enim filii Dei ſecuta eſt inde. Ex magnitudine remedii, apparet magnitudo morbi. Bern. Ex conſideratione remedij, periculi mei æſti- mo quantitaté: filius Dei jubetur occidi, ut vulneri- bus meis precioſo ſanguinis illius balſamo medea- tur. Agnoſce homo quam gravia ſint illa vulnera, pro quibus oportuit Chriſtum Dominũ vulnerari. Ad ſatisfaciendũ pro peccato primorum parentum, quod fuit peccatum gulæ, paſſus eſt filius Dei.

Bachanalia

3. Malitia peccati gulæ unde appareat.

II. Cur hic 12 diſcipulos & in transfiguratione 3. tantum Chriſtus aſſumpſerit.

Secundum eſt, cum Dominus aſſumpſit Diſcipulos ad Paſſionis ſuæ prænunciationem, ut hic dicitur, & Matth. 20. & ad oſtenſionem gloriæ ſuæ in trans- figuratione, Matth. 17. Marc. 9. & Luc. 9. quare duodecim aſſumpſit ad prænunciationem paſſionis, & tres tantùm ſcilicet Petrum, Jacobum & Joan- nem ad gloriæ oſtenſionem. quod factum eſt ideò, ut oſtenderetur quod omnes invitantur ad imita- tionem paſſionis, pauci tamen perveniunt ad paſ- ſionis fructum. 1. Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro no- bis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini ve- ſtigia ejus*. 1 Corinth. 9. *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.*

3. Cur eos ſecreto aſſumpſerit.

Tertium eſt, quare aſſumpſit eos ſecretò, ut dici- tur Matth. 20. Cujus ratio fuit, ut daret nobis exem- plum ne ſecreta noſtra paſſim omnibus revelemus. Quidam enim quæ ſolis amicis committenda eſ- ſent, his quos habuerunt obviam narrant, ut dicit Seneca. Eccleſiaſtici 19. *Sagitta infixa femori canis, ſic verbum in corde ſtulti*. In eodem. A facie verbi parturit fatuus. Parturiens non quieſcit, donec par- tum emiſerit, nec fatuus donec verbum protulerit. Eccleſiaſtici 6. *Multi pacifici ſint tibi, conſiliarius vero unus de mille*. *Specialiter* in hoc, quod ſecretò loquitur Apoſtolis de paſſione ſua, datur exemplum his, qui aſcenſuri ſunt crucem religionis, ut non paſſim hoc revelent. Eccleſiaſtici 27. *Noli conſilia- ri cum ſocero tuo*. Socer ſcilicet pater uxoris, id eſt, carnis, eſt mundus, cui non eſt revelandum, cum aliquis vult mundum deſerere, Jacob fugit inſalu- tato & ignorante Laban Geneſ. 31. Bern. In perſo- na ſecularium amicorum loquens. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu conſidera, diligenter intue- re, magnum eſt quod proponis, & opus habes ma- gna deliberatione. Experire quid poſſis, amicos con- ſule, ne poſt factum pœnitere contingat. Hæc eſt ſapientia mundi, animalis, terrena, diabolica, ini- mica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis ejus ſcilicet,

Religionẽ ingreſſuris quid faciendum.

ſcilicet, quæ Deo ſolet vomitum provocare. Cum enim verbum Dei eſſe non dubites, quid opus eſt deliberatione? vocat magni conſilii angelus, quid ergo conſilium præſtolaris? quis enim ſapientior & fidelior illo? Ab ore putei gehennæ eripior, & conſilium petam? Amicos conſulat, qui non legit, *inimici hominis domeſtici ejus*. Matth. 10.

IV. Cur itio in Jeruſalem vocetur aſcenſus & itio in Ægyptum deſcenſus.

Quartum eſt, quare ſcriptura, ubi loquitur de adventu in Jeruſalem, vocat eum aſcenſum, ut hic & Luc. 2. *Aſcendentibus illis Hieroſolymam*: ubi verò loquitur de adventu in Ægyptum, vocat eum deſcenſum, ut Geneſ. 12. Deſcendit Abram in Ægyptum, & 26. dixit dominus ad Iſaac: *Ne deſcendas in Ægyptum*, & Iſa. 31. *Væ qui deſcendunt in Ægyptum*. Quod ideò fit, ut innuatur difficultas quæ eſt in eundo in cœleſtem Hieruſalem, & facilitas quæ eſt in eundo ad tenebras & mortem inferni Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Luc. ult. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* E contrario eſt facilis deſcenſus Averni.

V. Cur futura prædicat Chriſtus.

Quintum eſt, quod dominus futura prædicit ut agnoſcatur ejus divinitas & futurorum præſcientia. Sicut enim proprium eſt divinæ potentiæ extendere ſe operando ad id quod eſt & non eſt, ex nihilo enim poteſt operari & res redigere ad nihilum, ſic divinæ ſapientiæ eſt videre futura, & præterita ut præſentia Iſa. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos.*

VI. Quinque ex Paſſione Domini meditanda.

Sexto conſideranda nobis ſunt quæ dominus prædicit ſe paſſurum, quæ ſunt *quinque* ſcilicet *traditio, illuſio, flagellatio, conſputio, crucifixio*, ſive *occiſio*. Traditus eſt, qui erat virtus patris. Illuſio facta eſt Dei ſapientia. 1. Corinth. 1. *Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. Flagellatus eſt, *qui peccatum non fecit*. 1. Petri 2. Conſpuitur Dei gloria. Pſal. 56. *Exurge gloria mea*. Hebræor. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*. Occiditur qui eſt vita Joan 14. *Ego ſum via, veritas & vita*.

Similia quomodo juſti patiantur.

Similia patiuntur viri juſti in mundo iſto. Ipſi enim *traduntur* ab his, à quibus deberent amari, Luc. 21. *Trademini à parentibus & fratribus*, &c.

1. 2.

Ipſi etiã *deridentur* Job 12. *deridetur juſti ſimplicitas*. Et Sap. 5 dicunt damnati de bonis: *hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*, &c. quæ deriſio figurata eſt in Heliſæo aſcendente in Bethel, cui dicebant pueri: *aſcende calve*. 4. Reg. 2. Sed quis ſit finis hujus deriſionis, ibidem oſtenditur. Heliſæus enim maledixit pueris in nomine domini, & egreſſi urſi de ſaltu laceraverunt ex eis 42. Proverb. 3. *Ipſe deludet illuſores*.

3. Juſti etiam *flagellantur* à maledictis tyrannis Iſa. 10. *Væ Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt*. Auguſt. Quid ſuperbit impius, ſi de ipſo flagellum facit pater meus? pater flagello filiũ corrigit, & poſt in ignem flagellum mittit.

4. Item juſti hic *conſpuuntur* contemptu & vilipenſione. 1. Cor. 4. *Nos ignobiles; Vſque in hanc horã & eſurimus & ſitimus & nudi ſumus, & colaphis cædimur*, &c. *tanquam purgamenta mundi hujus facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc*. Sic vocatur purgamentum pomi vel ferri

5. Juſti *occiduntur*. Pſal. 43. *Propter te mortificamur tota die*, &c.

Conſolatio afflictionis juſtorũ eſt meditatio Paſſionis Chriſti.

Conſolatio in his eſt memoria eorum quæ dominus paſſus eſt pro nobis. Auguſtinus. Magna conſolatio membris ex capite. Bern. Videntes anguſtias domini noſtri, leviùs veſtras portabitis Gregor. Si paſſio domini ad memoriam revocatur, nihil adeò durum eſt, quod non æquo animo toleretur. Si fallit te aliquis de quo confidebas, cogita Chriſtum traditum eſſe à diſcipulo ſuo Pſal. 40. *Homo pacis meæ, in quo ſperavi qui edebat panes meos magnificavit ſuper me ſupplantationem*. Si oportet te ſubditum eſſe indigno, noli turbari, cogita Deum tuum traditum fuiſſe gentibus, Pilato ſcilicet & miniſtris Romanorum. Si quis ſtultum te reputat, cogita quod Herodes Chriſto in veſte alba illuſit. Si quis te percutiat, cogita Chriſtum fuiſſe flagellatum pro te uſque ad ſanguinem. Hebr. 12 *Recogitate eum*, &c. *nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis*, &c.

Quomodo ſimilia Chriſtus adhuc patiatur

Et *notandum* quòd ſimilia prædictis patitur adhuc Chriſtus in Eccleſia, in membris ſuis. *Traditur* enim gentibus, ſcilicet apertè malis. Pſal. 78. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, &c. A quibus verò traditur, oſtenditur. Joan. 18. *Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi*.

2. Poſt *illuditur*, cũ populus eruditione & exemplo bono fraudatur. Jerem. 50. *Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos*. 2. Pet. 3. *Venient in noviſſimis diebus illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes*.

3. Deinde *flagellatur* dominus quia populus angariis & injuriis opprimitur Pſal. 72 *Fui flagellatus tota die*.

4. Poſt *conſpuitur*, quia cultus ejus vilipenditur, & cultores ejus, ſi qui boni ſunt, confunduntur. Job 30. *Faciem meam conſpuere non verentur*. Gloſ. Faciem ejus conſpuere eſt, juſtos etiam in præſentia confutare, & in eorum contumelias verba fluxa quaſi fluentes ſalivas mittere.

5. Poſtea *occiditur*, cum charitas in populo malo exemplo eorum perditur, & fides perverſo dogmate corrumpitur. 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt*, & Epheſ. 3 *per fidem habitat Chriſtus in cordibus veſtris*. Unde convenienter dicitur occidi Chriſtus, cum charitas perditur, vel fides corrumpitur.

Chriſtus à tribus traditus eſt.

Et *notandum* quod Chriſtus *ter* traditus eſt. *Primo* à Juda. Matth. 26. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei 30. argenteos, & ex inde quærebat opportunitatem ut eum traderet*. *Secundo* à Judæis Matth. 27. *Sciebat* (Pilatus) *quod per invidiam tradidiſſent eum*. *Tertio* à Pilato Luc. 23. *Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, & Ieſum tradidit voluntati eorum*. Iudas tradidit cupiditate propria, Iudæi ex invidiæ malitia, Pilatus verò favore iniquitatis & Iudæorum gratia.

Similiter hodie traditur.

Similibus modis fit traditio prædicta. Quidam enim tradunt Chriſtum ex avaritia, ut ſimoniaci, quidam ex malitia, ut qui invidia vel odio non dimittunt promoveri dignos, & promovent indignos. Quidam verò his duobus modis vincuntur, favore ſcilicet vel gratia magnorum, promoventes indignos ad præces eorum.

Illuſus eſt quater.

Item *notandum* quod *quatuor* modis Chriſto illuſum eſt,
1. ſcilicet *in domo ſacerdotis* Luc 22. *Illudebant ei cædentes, & velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogaverunt eum dicentes: Prophetiza*.
2. *Item in domo Pilati*. Matth. 27. *Clamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus*, &c.
3. *Tertio in domo Herodis*, qui eum illuſit indutum veſte alba.
4. *Item in cruce*. Matth. 27. *Principes ſacerdotum cum ſcribis & ſenioribus illudentes dicebant. Si Rex Iſrael eſt deſcendat de cruce*.

Sic hodie quadrupliciter illuditur.

Similibus modis illuditur ei hodie à ſacerdotibus malis.
1. Cum velamine capitis illudunt ei, dum amictum habent in capite, qui ſignat ſpem cœleſtium, qui pro cœleſtibus in Eccleſia non ſerviunt, immo pro terrenis deſerviunt ibi diabolo.
2. In veſte alba illudunt ei, qui albam induunt, cum non habeant munditiam, quæ in alba deſignatur.
3. In purpura ei illudunt, qui fibulam purpuream induunt, qua charitatis latitudo deſignatur, cum non habeant charitatem, ſed potiùs odii caninitatem.
4. In cruce ei illudunt, qui bonos in pœnis irrident, in quibus eos conſolari deberent.

Vel. 1. *Vel* prima illuſio, qua velata facie dicebant: *Prophetiza*, &c. referri poteſt ad illuſionem, quam faciunt Dei ſapientiæ, qui ſimonias occultas committunt, quaſi aliquid latere poſſit Dei ſapientiam.

2. Illuſio verò facta in purpura, arundine, corona & genuflexione, referri poteſt ad illuſionem, quam

faciunt divinæ potentiæ illi, qui ſunt ex parte dia-
boli, dando ei poteſtatem Eccleſiæ, & eam quan-
3. tum eſt in ſe Deo auferentes. Illuſio facta in veſte
alba, referri poteſt ad illuſionem quam faciunt bo-
nitati ſeu honeſtati, deridentes eos qui honeſta-
tem prætendunt, vocantes eos hypocritas vel
4. papelardos. In cruce Deo illudunt *inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Philip. 3. Qui crucem pœnitentiæ in ſe abhorrent, & in aliis derident, irriſionibus ſuis eos incitantes, ut de cruce pœnitentiæ deſcendant.

Flagellatus eſt quater.

Circa flagellationem Chriſti *notandum*, quod Chriſtus quater flagellatus eſt.
1. Flagellatus eſt *in capite*, cùm acceperunt arundinem & percuſſerunt caput ejus Matth. 27.
2. Flagellatus eſt *in facie*. Luc. 22. *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.*
3. Item flagellatus eſt *in collo*, ſcilicet colaphis Marc. 14. *Ceperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere.*
4. Item flagellatus eſt *in corpore*. Marc. 15. Pilatus *tradidit eis Ieſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.*

Sic hodie flagellatur quatuor modis.

His *quatuor modis* flagellatur etiam in Eccleſia. Quaſi *in capite* arundine percutitur, cum tyranni poteſtate accepta ab Eccleſia contra majores de Eccleſia abutuntur. *In facie* flagellatur, cùm religioſos, qui deberent eſſe pulchrior pars Eccleſiæ, ſæculares perſequuntur. *In collo* verò, cùm prædicatores, per quos cibus ſpiritualis debet tranſire in corpus Eccleſiæ, ab his quibus cibum porrigunt, verbo vel facto læduntur. *In corpore* flagellatur, cum in minoribus membris Eccleſiæ perſecutionem patitur.

Quomodo hodie Chriſtus in ſuis conſpuatur.

Circa conſpuitionem *notandum*, quod Chriſtus conſpuitur in facie, cum in pulchrioribus membris Eccleſiæ multùm vilipenditur. Conſpuitio enim eſt maxima vilificatio. Iſa. 50. *Faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus me.*

Quibuſdam obeſt, quibuſdã prodeſt hæc conſputatio

Sed conſpuitio iſta aliquos de Eccleſia ſuffocat, ſicut Hur ſororius Moyſi ſputis Judæorum traditur fuiſſe ſuffocatus. Quidam verò non ſuffocantur ſputis cum Hur, ſed potius cum cœco illuminantur, de quo Joan 9. Tales erant Apoſtoli, de quibus Actor. 5. *Ibant* (Apoſtoli) *gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Occiſus eſt 4. vulneribus.

Circa occiſionem *notandum*, quod Chriſtus quatuor vulnera habuit quæ cauſa mortis ejus extiterunt, ſcilicet in duobus pedibus & duabus manibus.

Quomodo in pauperibus nunc occidatur.

Simili modo occiditur hodie in Eccleſia. Pedes totum corpus ſuſtinent, manus pro toto corpore laborant. Pes ergo ſiniſter & manus ſiniſtra ſunt agricolæ, qui omnem laborem Eccleſiæ ſuſtinent, quantum ad temporalia. Pes dexter & manus dextra ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ onus ac laborem ſuſtinent, quantum ad ſpiritualia. Hi occiduntur, cùm de vita eorum eis ſubtrahitur Eccleſiaſtici 34. *Panis egentium, vita pauperis eſt. Qui defraudat eum, homo ſanguinis eſt.* Ibidem. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.*

VII. Cur prænunciationi paſſionis reſurrectionis mentio miſceatur.

Circa *ſeptimum* notandum, quod dominus prænunciationi ſuæ paſſionis ſubdit accelerationẽ ſuæ reſurrectionis dicens. *Tertia die reſurget.* Beda. Ut tam cita reſurrectio evacuet ſcandalum crucis. Oſeæ 6 *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos*, id eſt, ſuſcitandos oſtendet.

Hoc imitari debent. 1. Concionatores.

In hoc dat exemplum prædicatoribus, ut temperent prædicationem ſuam, læta triſtibus admiſcentes. Luc. 10. Samaritanus vulneribus ſauciati vinũ & oleum infudit.

2. Fideles adverſa patientes.

Datur etiam in hoc exemplum fidelibus, ut cùm aliqua gravia pro Chriſto tolerant, gloriam, quam patiendo merentur, attendant. Conſideratio enim præmii minuit vim flagelli, ut dicit Gregorius. Ideo Stephano prothomartyri in certamine ſuo gloria Dei oſtenſa eſt. Actor. 6.

VIII. Diſcipuli hanc prænunciationem non intellexerunt ob tres cauſas.

Circa *octavum* notandum, quod diſcipuli nihil horum intellexerunt, quæ dicebat de paſſione ſua. Et tanguntur tres cauſæ in Gloſſa. *Prima* eſt, quia ejus, quem maximè vivere deſiderabant, mortem audire non poterant. *Secunda* quia credebant eum verum Deum eſſe, unde non credebant eum poſſe mori. *Tertia* quia credebant eum parabolicè loqui.

Qui non poſſint audire mortis mentionem

Sic matres indiſcretè amantes filios ſuos non poſſunt audire de eorum correctione, & amatores mundi non poſſunt audire verbum de ejus ſeparatione, & qui nimis amant vitam præſentem, non poſſunt audire verbum de morte. Eccleſiaſtici 41. *O mors quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis*, &c.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De ſecunda parte Evangelii, videlicet illuminatione cæci, multaque documenta tradit occaſione Chriſti, cæci & cæcitatis.

Factum eſt autem cum appropinquaret Jericho cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans, &c.

SERMO XLVII. Pars ſecunda illuminatione cæci, in qua 5. ſtatus notandi.

IN hac parte quæ continet cæci illuminationem quinque nobis oſtenduntur. *Primo* ſtatus Salvatoris cæcum illuminaturi, ibi. *Cum appropinquaſſet Hiericho.* *Secundo* ſtatus ſalvandi, ibi. *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* *Tertio* quomodo ſe habuerit cæcus ſalutem petens, ibi. *Cum audiret turbam*, &c. *Quarto* Quomodo ſe habuerit Jeſus, ſalutem conferens, ibi *Stans autem Ieſus*, &c. *Quinto* quomodo ſe habuerit cæcus ſalute obtenta, ibi. *Et ſequebatur eum magnificans Deum.*

I. Chriſti illuminantis. Iericho, cæcus, & vulneratus quid ſignificent.

Circa primum notandum, quod filius Dei propinquanti Jericho illuminat cæcum, ut hic habetur, & curat vulneratum, qui incidit in latrones, Lucæ 10. Jericho enim interpretatur defectus. Per cæcum verò & vulneratum ſignificatur humanum genus vulneratum per concupiſcentiam ex parte voluntatis & excœcatum per ignorantiam ex parte rationis. Secundum quod dicit Auguſtinus in Enchiridio, quod duo mala ſunt nobis inflicta ex peccato Adæ ignorantia rerum agendarum & concupiſcentia noxiarum. Salvator verò ſumens defectus noſtræ pœnalitatis & voluntatem ſanavit & rationem illuminavit. Greg. Cum conditor noſter appropinquat Jericho cœcus ad lumen redit, quia cum divinitas noſtræ carnis defectus ſuſcepit, genus humanum lumen quod amiſerat, recepit.

II. Cæci illuminati, iis quibus homines huic cæco ſimiles ſint.

Circa Secundum notandum, quòd genus humanum cœcum erat quantum ad vim rationalem, mendicans; quantum ad concupiſcibilem, defectũ magnorum bonorum patiens. Sedebat verò per ignaviam quantum ad iraſcibilem, timens aggredi & ſuſtinere ardua pro ſalute propria, & erat juxta viam habens opera de genere bonorum abſque fide vera. Ex cœcitate ignorantiæ ſequitur mendicitas. Proverb. 10. *Qui indocti ſunt in egeſtate cordis morientur.* Ex cœcitate etiam ignorantiæ ſequitur ignavia, ſicut cognitio eam fugat. Unde Bern. loquens de illo verbo. Pſal. 90. *Non timebis à timore nocturno.* Timor, inquit, afflictionis nocturnus eſt & planè tenebroſus, quia abſcondit ab oculis quod non ſint condignę paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Sed facilè hunc radius veritatis exſufflat. Ingerit enim oculis cordis peccata quæ fecimus, nunc æterna præmia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus. Juxta viam bene dicitur eſſe, qui habet opera de genere bonorum ſine vera fide. Unde ſuper illud ad Rom. 3. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem* dicit Gloſ. ex Auguſtino. Bona opera ante fidem inania ſunt. Ita enim mihi videntur

tur eſſe ut magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Et notandum quod peccatum eſt cauſa cæcitatis interioris. Sapient. 2. *Excæcavit eos malitia eorum.* Circa quam cæcitatem *quatuor* nobis attendenda ſunt: ſcilicet quibus ſignis agnoſcatur, & in quibus deterior ſit hæc cæcitas cæcitate corporali, quomodo incurratur & quomodo ſanetur.

Circa cæcitatem interiorem 4. notanda ſunt.

1. Signa eius ſunt quatuor.

Circa *primum* notandum quod ſigna interioris cæcitatis ſunt error in eundo & caſus nunc in aquam, nunc in ignem, nunc in foveam. Item quod venenatis ſe paſcunt, & quod dæmones varias illuſiones eis faciunt. De *primo* Thren. 4. *Erraverunt cæci in plateis.* Sophon. 1. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* De *ſecundo* Matth. 17. *Sæpe cadit in ignem & crebro in aquam.* Matth. 15. *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Venenatis ſe paſcunt cùm prohibitis delectationibus utuntur, quod non facerent ſi venenum viderent. Job. 6. *An poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum afferat mortem.* Illuſio quam dæmones faciunt peccatori figurata eſt. Judic. 16. ubi legitur quod Philiſtæi fecerunt Samſon adduci de carcere ut luderet coram eis.

Illudit peccatori dæmon.

Illudit diabolus peccatori dicendo illi, Pſalm. 40. *Dilata os tuum & implebo illud,* & nihil in ore ejus ponit, cum deſiderio peccatoris, vana gloria, vel aliquid terrenum accedit. Os animæ affectus eſt. Joan. 8. *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Hierem 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat* & nihil. *Item* illudit diabolus peccatori dicens ei, quod pulcher erit ſi pulchras veſtes habuerit: ac ſi veſtis eſſet homo, aut veſtium pulchritudo hominis. Contra quod dicit Auguſt. Cum iniquis omnia ſunt pulchra, & ipſi ſunt turpes. Bern. Omnis purpura illuſionis eſt, poſtquam Domino Jeſu in purpura illuſum eſt. *Item* illudit perſuadendo homini quod erit magnus, ſi in aliqua dignitatis altitudine poſitus fuerit. Philoſophus. Nemo virorum iſtorum quos divitiæ tibi & honores in alto faſtigio poſuerunt magnus eſt, ſed magnus baſi videtur quia cum illum metiris. Non eſt aliquis honorabilis eo quòd habeat aliquam dignitatem, ſed ignominia ſua ſi malus eſt pluribus eſt ſpectabilis. Gloſſa ſuper illud Joan. 19 *Plectentes coronam de ſpinis.* Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas. *Item* illudit diabolus homini ſuadendo quod noceat proximo, ſciens quod ſibi amplius nocebit. Auguſtinus. Qui alij nocere deſiderat ſimilis eſt illi, qui gladio ſe transverberat, ut tunicam alterius lædat.

2. Cæcitas mentis pejor eſt cæcitate corporis in ſeptem.

Circa *ſecundum* notandum quod *ſeptem* ſunt in quibus eſt pejor cæcitas mentis quam cæcitas corporis. *Primum* eſt quod cæci corporaliter ducem habere deſiderant, cæci verò ſpiritualiter de duce non curant. Seneca. Cæci ducem quærunt, nos ſine duce erramus. *Secundum* quod cæci corporaliter, cum eligunt ducem, eligunt eum videntem & fidelem. Peccator verò cæcum eligit pro duce, potius exemplum accipiens à malo quàm à bono. Thren. 4. *Erraverunt cæci in plateis, tenuerunt lacinias ſuas.* Peccator pro duce vult illum habere qui multoties in foveam peccati ſe præcipitavit, ſcilicet proprium ſenſum & propriam voluntatem. Eccleſiaſtici 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ſuas, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Libentius ſequitur diabolum ducentem ad mortem, quàm Chriſtum ad vitam ducentem. *Tertium* eſt quod cæcus corporaliter cæcitatem ſuam agnoſcit, cæcus verò ſpiritualiter non. Joan 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Proverb. 26. *Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, magis ſpem illo habebit inſipiens.* Rom. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Si putantes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, puta ergo te ſtultum, & ſapiens eris.

Exemplum ex Seneca.

Senec. in epiſtolis. Uxoris meæ fatuæ ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem rem tibi narro, ſed veram. Neſcit ſe eſſe cæcam. Pædagogum ſuum rogat ut migret, dicit domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus omnibus nobis accidiſſe liqueat tibi. Nemo avarum ſe intelligit, nemo cupidum: cæci ducem quærunt, nos ſine duce erramus & dicimus, non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter ratione vivere poteſt. Non ego ſumptuoſus ſum; ſed urbs ipſa inſignes expenſas requirit. *Quartum* eſt quod cæci corporaliter quærunt illuminari, cæci verò ſpiritualiter fugiunt illud per quod poſſent illuminari, ut doctrinam ſacram. Pſalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Item Pſalm. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* *Quintum* eſt quòd non eſt aliquis ita cæcus corporaliter, qui neſcit in ore ſuo ponere cibum. Sed cœci ſpiritualiter quod ponendum eſſet in ore ponunt in oculos vel in aures, dum pulchritudinibus exquiſitis paſcunt oculos ſuos, vel alienos, & multis expenſis emunt laudes hominum, unde aures eorum paſcantur, cum potius deberent Deum paſcere in paupere. *Sextum* eſt quod cœci corporaliter defectum viſus tactus ſupplent. Unde vulgariter dicitur: *Qui non videt, palpare debet.* Geneſ. 27. Iſaac palpavit Jacob cum oculi ejus caligaſſent. Cæcus verò ſpiritualiter pœnas futuras quas non videt, experientia quadam tangere non vult, quia oculis cordis non videt quam grave ſit lingua ardente in æternum ſitire. Cùm magnus calor eſt, deberet ire per diem ad magnum æſtum ſine potu, tunc tactu experientiæ hanc gravitatem agnoſceret. Item qui non videt quàm grave ſit *ab aquis nivium tranſire ad calorem nimium* Job vigeſimo quarto. Deberet pedem ponere in aqua frigida, quando eſt nimium frigus. Similiter qui non videt quam grave ſit æternaliter eſſe in igne, deberet digitum ponere ad momentum in ignem, in quo in præſenti ſe calefacit. Iſa. 33. *Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante.* *Septimum* eſt, quod cæci corporaliter fœlices reputant eos qui vident. Econtrariò cæci ſpiritualiter videntes, ſpiritualiter contemnunt & irrident. Prov. 12. *Ambulans recto itinere & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.* 29. Ejuſdem ibid. *Abominantur impij eos qui in recta via ſunt.* Sed contemptus eorum contemnendus eſt, & irriſio eorum irridenda. Senec. Æquo animo audienda ſunt imperitorum convicia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus.

Dictum ſancti.

Et quidam ſenex in vitis patrum: aut fuge homines, aut irridens mundum & quæ in mundo ſunt, ſtultum temetipſum facito in pluribus.

3. Viſus ſpiritualis ut corporalis impeditur 7. modis

Circa *tertium* notandum, quod *ſeptem modis* ſolet viſus corporalis impediri, & ſimilibus modis impeditur viſus ſpiritualis. *Primo oculorum eruitione,* ſic impeditur in illis, de quibus diabolus procurat quod habeant oculos ſuos in burſa, vel in alia re tranſitoria. Ubi amor, ibi oculus. Matth. 6 *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Prover. 17. *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* Eccleſiaſtæ 2. *Sapientis oculi in capite ejus, ſtultus in tenebris ambulat.* Verè in tenebris ambulat, cum oculos ſuos in aliqua re tranſitoria à ſe remota poſuerit. *Secundo averſione à lumine.* Auguſt. in libro de libero arbitrio, Væ eis Domine qui avertunt ſe lumine tuo & fluxu carnalium operum delectantur. Danielis decimotertio. *Declinaverunt oculos ſuos ne viderent cælum, neque recordarentur judiciorũ juſtorum.* *Tertio oculorum velatione.* Sic impeditur viſus illorum, quos diabolus ducit ad ſuſpendium infernale oculis velatis velo culpæ vel ſolicitudinis mundanæ, & manibus ligatis prava conſuetudine. Gen. 20. *Ecce mille*

argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum, ait Abimelech uxori Abrahæ. Mundus dedit Chriſto temporalia, quæ facta ſunt velamen oculis Eccleſiæ. De ligatione verò habetur. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Quartò oculorum conſuitione*, ut in anſeribus, quibus conſuuntur oculi ne multitudine rerum viſarum ab impinguatione retardentur: ſic aufertur viſus his, qui nolunt audire verbum Dei, ne delectatio quam habent in operibus malis diminuatur. Pſal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret. Quinto* modo impeditur viſus illis ſuper quorum oculos cadit *lutum*. Hanc cauſam docet Dominus, Ioan. 9. quando expuens in terram fecit lutum ex ſputo, & linivit oculos cæci, cauſam oſtendens ſpiritualis cæcitatis. Cum lutum ſit aqua terræ admixta ſignificat ſapientiam terrenam; per aquam enim intelligitur ſapientia terrena, quæ multos excæcat, Rom. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, 1. Corinth. 3. *Sapientia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Sextò* aufertur viſus *infirmitatis magnitudine*, ſic ſpiritualis viſus aufertur ſuperbis. Vnde Gregor. loquens de Phariſæo indignante de hoc quod Magdalena tangebat Dominum, Lucæ 7. dicit quod Phariſæus de febre ſenſum perdiderat, ſed Magdalena ſenſum in febre tenebat. Sic ſenſum ſpiritualem amittunt, qui in magnitudine morbi obſtupeſcunt. Eccleſiaſtæ 7. *Ne obſtupeſcas ne impie agas multum.* Bernard. Scio longius à ſalute abeſſe membrum, quod obſtupuit; & ægrum ſeſe non ſentientem, periculoſiùs laborare, Idem. Cor durum eſt, quod ſemetipſum non exhorret, quia non ſentit. *Septimò* aufertur *viſus calore*. Vnde urſus dicitur excæcari per pelvim ardentem, & Tob. 2. Excæcatus eſt Tobias ſtercoribus, Pſalm. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Ignis cupiditatis, vel alius ardor implendi deſiderium multos excæcat. Auguſt. in lib. Confeſſ. Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. Circa *quartum* notandum

tas

Cæci ſpiritualis curatur triplici remedio.

quòd *triplex* eſt remedium contra ſpiritualem cæcitatem, ut ex ſacra Scriptura haberi poteſt. *Primum amaritudo contritionis*, quod ſignificatum eſt Tob. 11. ubi Tobias felle linivit oculos patris & viſum recepit.

Contritione.

Secundum eſt *ablutio confeſſionis*, quod ſignificatum eſt Ioan. 9. ubi Dominus dixit cæco.

Cõfeſſione.

Vade, lava in natatoria Siloe: & ſubditur: *Abiit ergo & lavit, & venit videns.* Siloe interpretatur Miſſus. Aqua ergo Siloe eſt confeſſio, eſt enim unum de lavatoriis Chriſti à patre miſſi.

Satisfactione.

Tertium eſt *collyrium bonorum operum*, quod pertinet ad ſatisfactionem, Apoc. 3. *Collyrio innunge oculos tuos, ut videas.* Opera quibus pœnitens Deo ſatisfacit multùm iuvant viſum ſpiritualem, ad modum collyrii, Pſalm. 101. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Pſalm. 118. *A mandatis tuis intellexi.* Eccleſiaſtici 1. *Fili concupiſcens ſapientiam conſerva juſtitiam, & Dominus præbebit eam tibi.* Item *notandum*

Ex ſcripturis quadruplex cæcitas.

quod *quadruplex* cæcitas in ſacra Scriptura invenitur.
1. *Prima* eſt cæcitas à nativitate, Ioan. 9. Quaſi hanc cæcitatem habent qui ſuperbiunt ex nobilitate generis, vel aliis bonis naturalibus, Oſeæ 9. *Gloria eorum à partu*, ſed ſi quis moribus degeneret, hæc gloria ei in ignominiam commutatur, Eiuſdem 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.*
2. Hæc cæcitas curatur appoſitione luti ſuper oculos, id eſt, ex conſideratione propriæ vilitatis. *Secunda* eſt cæcitas Tob. 2. Quæ ſignat cæcitatem quam facit luxuria. Hirundo eſt avis levis, quaſi depicta, garrula & luxurioſa, & ſignificat vanam pulchritudinem mundi, cuius aſpectus inquinat & excæcat, ſicut ſtercora inquinaverunt & excæcaverunt Tobiam. Hæc cæcitas felle curatur, id eſt, pœnitentiæ amaritudine, Tob. 11. Eccleſiaſtici 19. *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. Tertia*
eſt ex faciei craſſitudine, Iob. 15. *Operuit faciem* 3.
ejus craſſitudo. Hæc eſt cæcitas quam facit abundantia temporalium. Hæc eſt cæcitas mendicantium, de qua dicitur in præſenti Evangelio, Bern. ſuper Cant. Avarus terrena eſurit ut mendicus, fidelis contemnit ut Dominus. Hinc dicitur *reſpice* quia cæcitas quam temporalium facit abundantia,
curatur, cum verba bona per fidem aſpiciuntur. Vi- 4.
leſcunt enim temporalia cum conſiderantur æterna, ut dicit Gregor. *Quarta* cæcitas eſt, de qua Apocal. 3. *Neſcis quia tu es cæcus*, &c. Et præcedit ibi: *dicis quod dives ſum & locupletatus*, &c. Hæc eſt cæcitas præſumptionis, quæ collyrio curatur, unde ſubditur ibi: *Collyrio innunge oculos tuos, ut videas.* Collyrium fit ex frumento, frumentum eſt Chriſtus, Ioann. 12. Ex hoc frumento fit collyrium, cum ab eo ſumitur humilitatis exemplum. Auguſt. Medicina tumoris hominis eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus.

III. In cæco ſalutem petente 6. notanda.

Circa cæcum ſalutem petentem *ſex* attendenda ſunt.
1. *Primum* eſt quod auditus in cæco defectum viſus implevit, & occaſio recuperandi viſum fuit, ſic auditus verbi divini eſt initium ſalutis. Si habes pravum oculum, habeas bonam aurem, Eccleſiaſtici 3. *Auris bona cum omni concupiſcentia audiet*
2. *ſapientiam. Secundum* eſt quòd interrogavit Eccleſiaſtici 6. *Si videris ſenſatum evigila ad illum.* Senec. Primum documentum eſt, ut nullam doctrinam contemnas: ſecundum eſt ut à nullo diſcere erubeſcas.
3. *Tertium* eſt quod clamavit: *Ieſu fili David miſerere mei.* Ambr. Homo pro hominibus factus miſerere hominis. Chryſ. Qui pedibus non poteſt, voce ſequitur. Clamor quem Deus audit eſt magnitudo deſiderii; hoc clamore clamat Moyſes, Exod. 14.
4. Et Suſanna Daniel 13. *Quartum* eſt quod in clamore perſeveravit, cum qui præibant increpabant eum ut taceret. Multum valet perſeverantia ad impetrandum quod petitur à Deo. Lucæ 11. *Ille ſi perſeveraverit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit ei quotquot habet neceſſarios*, ſecundum Bedam, qui Ieſum venientem præierunt, ſignificant tumultus carnalium deſideriorum, vel ſuggeſtionem dæmonum, vel turbam perſecutorum: ſecundùm Ambroſium, quæ orationem impediunt.

5. Viſus corporalis cur valde ametur.

Quintum eſt quod prudenter eligit dicens: *Domine, ut videam.* Et *notandum* quòd naturaliter eſt magnus amor ad viſum corporis; unde & oculum unde eſt viſus, diligenter ſervat natura. Si enim periculum imminet, manus ei opponit: ſi non eſt viſus, multum deſideratur; & quaſi nihil reputat, quod habet, qui viſum non habet, Tob. 5. *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Nec mirum ſi multum ametur viſus, cum homo ſine viſu ſit in periculo, & quantum ad ſe, & quantum ad ſua ſi habet pecuniam, de facili poteſt ei aliquis eam furari. Puer parvulus poteſt eum lapidibus obruere, licet etiam fortis ſit: qui eum ducit, ita poteſt eum ducere in domum hoſtis, ut in propriam, ut patet 4. Reg. 6. in illis qui miſſi fuerunt à Rege Syriæ ad capiendum Heliſæum, quos percuſſos cæcitate, duxit Heliſæus in Samariam, & poſuit in medio hoſtium ſuorum: Item quaſi inutilis eſt homo ſine viſu, ideo iſte cæcus ſapienter aliis viſum prælegit. Similiter ſe habet de viſu ſpirituali: unde Salomon cùm dixiſſet ei Dominus: *Poſtula quod vis ut dem tibi*, ſapientiam prælegit vel prætulit, dicens: *Dabis ſervo tuo cor*
docile. 3. Reg. 3. *Sextum* eſt fides, unde dictum eſt 6.
ei à Domino; *fides tua te ſalvum fecit*, Actorum 15. *Fide purificans corda eorum.* Matth. 8. *ſicut credidiſti fiat tibi.* Interlin. Vnicuique ſicut credit ita fit.

Circa

IV. Tria circa Chriſtum illuminatū.

Circa dominum ſalutem dantem *tria* nobis indicantur. *Primò* eius *bonitas* ibi: *Stans autem Ieſus juſſit illum ad ſe adduci.* Hieronymus. Quia cœcus ſequi non poterat, ſtat dominus, & vocari iubet,
1. ne turba prohibeat. Sic deberent facere magni prælati Eccleſiæ, vocare ad ſe pauperes, ut audirent eorum querimonias, Eccleſiaſtici 4. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum:*
2. ſcilicet iuſtitiam & eleemoſynas, *& mente pacificâ reſponde in manſuetudine.* Ad bonitatem etiam pertinet, quod interrogat, quid velit ſibi fieri, ibi: *quid vis ut faciam tibi? Secundo poteſtas* in hoc, quod
3. imperat ut reſpiciat, & imperando poteſtatem reſpiciendi dat cùm dicit: *Reſpice. Tertio* eſt *ſapientia*, cum indicat ſe videre cor eius dicens: *Fides tua te ſalvum fecit.* Fides ipſius cœci contradicentes clamori eius vincit: Chryſoſtomus. Talis eſt natura fidei, quanto vetatur eo magis accenditur, propter quod ſervi Dei in perſecutionibus non vincuntur, Idem. Virtus fidei in periculis ſecura eſt, in ſecuritate periclitatur.

V. Quomodo cœcus ſanatus ſe gratum exhibuerit. Ingratitudo. Gratitudinis exempla.

Circa ultimum notandum, quòd cœcus ſalute obtentâ non eſt ingratus, ſequitur enim benefactorem, laudat mirabilium factorem. Bernard. Ingratitudo eſt ventus urens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. E contrario multi à Deo liberati, diabolum ſequuntur, Eccleſiaſtici 29. *Ingratus ſenſu dereliquit liberantem ſe.* Tales inhumani ſunt, immo feris deteriores, feræ enim beneficia ſentiunt. Refertur quidam leo adhæſiſſe cuidam militi, qui eum liberaverat à ſerpente. Item quidam leo ſanatus in cœnobio, in quo manebat Hieronymus, remanſit cum eo & fratribus eius, ſerviens eis, ut in vita beati Hieronymi legitur. Non erat ingratus David vir ſecundùm cor Dei, 1. Regum 3. qui videns ſe non ſufficere ad Deum laudandum pro bonis ab eo acceptis, petit adiutores, dicens: *Magnificate Dominum mecum.* Pſalm. 33. *Benedicentes dominum exaltate eum quantum poteſtis, major eſt enim omni laude*, Eccleſiaſtici 43. *Reſpice*, &c. *Notandum* ſicut fides impetrat gratiam ſecundùm quam Dominus dicit hic, *fides tua te ſalvum fecit*, ſic fides habentem gratiam perducit ad gloriam. Vnde dicitur hic ei qui illuminatur, *Reſpice*, Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*, 1. Ioan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Et *notandum* quod cœcus ſanatus ſpiritualiter *ſex* debet reſpicere, ſcilicet *cœlum*, ut gaudeat de hæreditate recuperata, Hebr. 11. *Aſpiciebat enim in remunerationem. Infernum*, ut timeat Matth. 10. *timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Mundum*, ut fugiat, Nau. 3. dicitur de Ninive, quæ ſignificat mundum, *qui viderit te, reſiliet à te. Mandata*, ut impleat, Eccleſiaſtici 35. *ſalutare ſacrificium eſt attendere mandatis.* Cum aliis ſacrificiis poteſt homo damnari, cum hoc verò ſalvatur. Item debet reſpicere *Chriſtum*, ut imitetur, Auguſt. ſumma religionis eſt imitari quem colis. *Seipſum*, ut humilietur, Mich. 6. *humiliatio tua in medio tui.*

Fides impetrat gratiā & gloriam.

Spiritualiter a cœcitate ſanatus ſex reſpiciat & ſalvus maneat. Cœlum. Infernum. Mundum. Mandata. Chriſtum. Seipſum.

DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA.

SERMO XLVIII.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Totum Evangelium explicatur.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo.

Locus ubi Chriſtus tentatus eſt, qualis fuerit.

GLoſſa, Hiſtorialiter in illo deſerto quod eſt inter Hieruſalem & Iericho Chriſtus diabolum vicit, ubi figuraliter dixerat Adam incidiſſe in latrones & eos eum viciſſe. Latrones autem ibi habitaſſe probat locus qui dicitur *Dorachim*, id eſt, ſanguis propter effuſionem ſanguinis, qui ibi fiebat. Eadem via Samaritanus deſcendit, quia carne indutus eaſdem tentationes ſuſtinuit. *In deſertum ductus eſt*, tanquam in locum certaminis, *à ſpiritu*, Gloſſa, Sancto, qui quos replet ad pugnam mittit fortes: ſine hoc ſpiritu qui ad pugnam vadit citò cadet. *Vt tentaretur à diabolo*, non dicit ut tentaret eum diabolus, ſed ut tentaretur. Tentatio enim diaboli activa mala fuit, ſed tentatio Chriſti paſſiva bona fuit & à ſpiritu ſancto. *Et cum jejunaſſet 40. diebus & 40. noctibus.* Interlinearis, Quod ieiunat, divinæ eſt potentiæ. *Poſtea eſuriit.* Gloſſa. Hoc eſt veræ humanitatis: Et accedens tentator. Eſuries dedit diabolo occaſionem tentandi Chriſtum. Chryſoſtomus. O cœcitas diaboli, poſt quadraginta dies ſentit eſurientem, & 40. diebus non intellexit ieiunantem. Nam ſicuti eſurire poſt ieiunium eſt hominis, ſic per 40. dies ieiunare & non eſurire hominis non eſt: *Tentator.* Gloſſa. Tribus modis fit tentatio, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Chriſtus verò ſola ſuggeſtione tentatus fuit, quare delectatio peccati mentem eius non momordit.

A quo & cur eò ductus fuerit.

Tentatio diaboli activa mala passiva bona eſt Chriſti.

Ieiunium & eſuries Chriſti quid ſignificaverint.

Eſuries occaſio tentādi.

Tentationis tres modi.

1. Tentatiō.

Dixit: *Si filius Dei es*, Gloſſa: Noverat filium Dei veniſſe in hunc mundum, ſeu per Prophetas, ſeu per Angelos nunciantes, ſeu per Ioannem demonſtrantem. Sed quia humilia in eo videbat, quod de Deitate ſuſpicatus eſt, ex ſuperbia ei in dubium venit, unde & callide exquirit: Alia Gloſſa, Aliud horum explorantis eſt, aliud tentantis; explorantis eſt illud *dic ut lapides*, &c. *Qui reſpondens dixit. Scriptum eſt.* Deuter. 8. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Os Dei quandoque dicitur *ſacra ſcriptura* Iſa. 30. *Os meum non interrogaſtis.* Quandoque *prædicator.* Hierem. 15. *Si ſeparaveris precioſum à vili, quaſi os meum eris.* Quandoque *filius Dei.* Cant 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* His tribus modis poteſt accipi hic Gloſſa, Non utitur poteſtate, ſed ſcripturarum auctoritate: docet magis doctrinâ quàm miraculis pugnare. Alia Gloſſa. Sententiis utitur inſtruens nos ut vincamus, non potentia ſed humilitate. Alia Gloſ. temperat reſponſionem, ne cognoſcat eſſe Deum.

Reſponſio Domini.

Os Dei tria dicuntur.

2. Tētatio. Matthæus & Lucas circa ordinem tentationum cōciliantur. Adæ tentatio triplex.

Tunc aſſumpſit. Gloſſa, quia reſponſione Chriſti incertus remanſit, poſt primam ad ſecundam tentationem acceſſit. Alia Gloſſa. Prima & ultima tentatio in deſerto, eadem media quoque hiſtorialiter fuit. Vltima poſtquam regreſſus eſt in Hieruſalem, quia Matthæus non ſecundùm ordinem hiſtoriæ, ſed ſecundùm tentationem Adæ proſequitur. Luc. 4. ut res geſta eſt. Diabolus Adam primo *de gula* tentavit, dum de ligno vetito guſtare monuit. *De vana gloria*, cum dixit: *Eritis ſicut Dii.* *De avaritia*, cum dixit: *Scientes bonum & malum.* Geneſ. 3. *Aſſumpſit eum diabolus.* Gloſ. Non mirum ſi ſe permiſit crucifigi. Alia Gloſ. quod ſe permiſit aſſumi non infirmitas fuit, ſed patientia: in diabolo verò non virtus, ſed ſuperbia. Aſſumptio tamen poteſt dici deductio in ſanctam civitatem Hieruſalem, ubi templum fuit & cultus Dei, quæ ſancta uſualiter dicebatur. *Et ſtatuit eum diabolus ſuper pinnaculum templi.* Pinnaculum poteſt intelligi deambulatorium quoddam, unde Sacerdotes populo prædicabant. Gloſ. Et eo loco Chriſtum tentat, ubi multos deceperat. Pinnaculum etiam poteſt dici domûs planicies habens murum in circuitu iuxta morem Palæſtinæ. Deuter. 22. *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio: Templi:* non locus Deo dicatus cohibet eum: *& dixit ei.* Gloſſa quia verba ad invicem conferuntur, in ſpecie hominis diabolum apparuiſſe veriſimile eſt. *Si filius Dei es.* Tentatio de vana gloria. Gloſ. In omnibus tentationibus hoc agit, ut intelligat ſi

Pinnaculi duplex explicatio.

Filius Dei ſit, ſed Chriſtus ſic reſponſum temperat, ut ambiguum derelinquat, *Mitte te deorſum*, Gloſſa. Hæc vox convenit illi, qui omnes præcipitare ſatagit, in quo infirmus oſtenditur, quod nulli nocere poteſt, niſi prius ille ſe deorſum miſerit, Iſa. 51. *Incurvare ut tranſeamus. Scriptum eſt enim quia Angelis*, &c. Interlin. Scripturis utitur, non ut virtutes inſtruat, ſed ut errores ingerat, ſic & ſui, Beda. Quod bene dicitur de corpore diaboli, malè interpretatur de capite, Auguſt. tamen exponit hoc de capite, *In omnibus tolient te*, ſecundùm Gloſſam hîc tacet diabolus, quod contra eum dictum eſt.

2. *Advocati mali ſimiles Diabolo.* Sic faciunt mali advocati, leges & decretales truncando. *Scriptum eſt* Deut. 6. *Non tentabis dominum Deum tuum*, Gloſſa.

Reſponſio Chriſti. Nemo debet tentare Deum, quando habet ex humana ratione quod faciat: nunc autem poterat aliter de templo deſcendere, quam pro jactantia ſe præcipitare. Deum tentat, qui aliquo ſigno explorare vult, quantum apud Deum poſſit.

Aſſumpſit eum diabolus, id eſt, duxit, Chryſoſtomus. In ſequente Domino non infirmitas, ſed patientia eſt: in ducente diabolo non virtus, ſed ſuperbia eſt.

3. *Tentatio. Oſtenſionis regnorum Mundi triplex explicatio.* *Oſtendit ei omnia regna mundi*, id eſt, quomodo in hominibus regnaret mundanis per diverſa vitia, ut exemplo multitudinis faciliùs inclinaretur ad peccandum.

1. *Vel* oſtenſionem iſtam intelligas mundanorum commendationem, quaſi dicat:

2. vide quàm pretioſa & ſpecioſa ſunt quæ ſunt in mundo. Chryſoſtomus dicit ſic oſtendiſſe, ſicut aliquis in alto conſtitutus, extendens manum ad

3. aliquam partem orbis dicit: hæc eſt Italia, hæc Græcia, hæc Palæſtina. *Et gloriam eorum*, ſcilicet, fertilitates locorum & amœnitates, & munitionem, & inexpugnabilitatem. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Luc. 4. ſic habetur: *Mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.*

Mendaciũ dæmonis. Planè mentitus eſt diabolus, quia omnis poteſtas à Deo eſt, Rom. 13. Nec eſt mirum, quia ipſe eſt mendax & pater ejus, Joan. 8. Chryſoſtomus. Etſi aliis mentiatur diabolus, dicens omnia eſſe ſua; apud ſe tamen ſcit, quod non habet aliquid. *Scriptum eſt enim*, &c. Deut. 6.

Reſponſio Chriſti. Alia littera, noſtra littera habet, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*, hîc dicitur, *Adorabis.* Servies, inquã, ſervitute latriç, quæ ſoli Deo debetur.

Tunc reliquit eum diabolus, ad tempus, ut Luc. 4. ait, per Judæos poſtea cum eo pugnaturus.

Evangelii finis. *Et ecce Angeli.* Gloſ. non quaſi tunc primò adeuntes, ſed agonem Dei procul aſpicientes, ne videatur eorum præſidio eguiſſe, vel viciſſe. *Et miniſtrabant ei.* Chryſoſt. Quoniam miniſtrabant ei Angeli ſcimus, in quibus autem miniſtrabant, ſcire non poſſumus.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

SERMO XLIX.

De Chriſti tentatione ſex tractantur, tentatis conſideranda & applicanda.

Ductus eſt Jeſus in deſertum, &c.

CIrca hoc Evangelium ad ædificationem noſtram ſex nobis conſideranda ſunt. *Primo* quare dominus tentari voluit, *ſecundo* tentationis tempus, *tertiò* tentationis locus, *quartò* modus impugnandi quem habuit tentator, *quinto* modus repugnandi quem habuit Salvator, *ſexto* quid tentationem ſecutum eſt.

I. *Chriſtus voluit tentari ob tria.* Circa primum notandum, quòd triplici ratione Deus tentari voluit. *Primo* ut de pugna ſpirituali homines certos redderet, *ſecundo* ut ejus tentatio his qui tentantur ſolatium eſſet, *tertio* ut ejus tentatione addiſceremus modum impugnandi, quem habet diabolus, & modum repugnandi, quem habere debemus.

1. *Ut de pugna ſpirituali certiores fieremus.* Circa *primum* ſciendum, quòd grave periculum eſt habere inimicitias capitales, & hoc ignorare, habere hoſtem ſuum juxta ſe, & eum non videre. Non repugnat, qui ſe impugnari ignorat, Hieronymus. Tunc maximè impugnaris ſi te impugnari neſcis, ideò voluit Dominus tentari, & permiſit ut diabolus formam humanam aſſumeret, in qua cum tentaret, ut pugna nobis ſpiritualis certior fieret.

Ut etiã per ſacram ſcripturam & corporales dæmonum apparitiones. De hac pugna certos nos etiam reddit ſcriptura ſacra in multis locis, ut Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, &c. Item Job 1. & 2. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Alia littera habet *tentatio*, &c. Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, &c. Ad majorem etiam certitudinem hujus pugnæ Deus voluit tentatorem apparere diverſis ſanctis in forma viſibili, ut Beato Martino in forma humana. Apparuit Antonio in forma puerili.

Frequens memoria hujus pugnæ habẽda. Hæc pugna frequenter habenda eſſet in memoria Job 40. *Memento belli.* Habenda eſſet hujus pugnæ memoria homini mane, ut præmuniret ſe oratione tanquam campum certaminis ingreſſurus. Item veſpere, ut Deo gratias ageret, ſi triumphum de hoſte habuiſſet. Si verò victus fuiſſet, non intraret lectum donec per pœnitentiam Deo reconciliatus eſſet, periculoſum enim valdè eſt in poteſtate inimici ſui obdormire.

Hæc memoria triã præſtat. Quaſi continua habenda eſſet hujus pugnæ memoria: hæc enim memoria valet ad hoc ut homo ſit *humilior*, *cautior*, ac Deo *devotior.* *Humilior* eſt, quia ſine gloriatione eſt, ſciens adhuc ſe eſſe in prælio, 3. Regum 20. *Ne glorietur accinctus æque ut diſcinctus.* *Cautior* eſt intelligens pugnam habere ſe cum hoſte callidiſſimo, Geneſ. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* *Devotior* eſt Deo, quem vitæ ſuæ agnoſcit protectorem, cum hoſtem habeat tam potentem, Job. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* *Miſericordiæ domini quod non ſumus conſumpti.* Habemus pugnam cum gigante, cum ſimus ſicut locuſtæ, Orig. Vult Dominus Jeſus mirabiles res facere, de locuſtis ſuperare gigantes, & de his quæ in terris ſunt cæleſtes vincere nequitias.

2. *Ut tentati haberemus ſolatium ex Chriſto ob duo.* Circa *ſecundum* notandum, quod nullus debet indignari ſi tentetur, cum ipſe Dominus tentatus ſit; Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.* Aug. Magna conſolatio membris ex capite. Conſiderare debet qui tentatur, quod ei ſubveniat, qui per experientiam tentationem non ignorat. Hebr. 4. *Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatũ per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Qui diabolum vicit in ſe, paratus eſt eum vincere in nobis.

3. *Ut diſceremus modum quo dæmon impugnat nos.* Circa *tertium* notandum, quod diabolus primò impugnat hominem ex ea parte qua homo eſt infirmior, ſcilicet ex parte carnis. Pſal. 8. *Minuiſti eum paulominus ab angelis.* Unde Adam primo tentavit de peccato gulæ, & de eodem primo Chriſtũ tentat. In via laqueum ponit, per quam homo neceſſe habet ire; comedere enim neceſſitatis eſt. Pſal. 141. *In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* In foveam magis propinquam conatur eum primo præcipitare, poſt verò aſſumpſit eum ducens ad alia loca, & inter peccata carnis primo tentat eum de gula, quæ occaſio eſt aliorum carnalium peccatorum. Peccato gulæ male introducitur, qui per fornicationem in deterius inducitur.

II. *Cur poſt baptiſmum fuerit Chriſtus tẽtatus.* Circa tempus tentationis notandum, quod poſt baptiſmum, poſt illam vocem patris, *Tu es filius meus dilectus*, &c Mar. 1. & Lucæ 3. ductus eſt in deſertum, ut tentaretur Chriſtus. Quando Deus pater clamat. Luc. 3. *In te complacuit mihi*, tunc ductus eſt Ieſus in deſertum, ut tentaretur. Non credas ergo Deum tibi eſſe iratum, ſi tentationes inſurgunt. Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Eccleſiaſtici 2. *In igne probatur aurum & argentum: homines vero receptibiles*

in camino humiliationis. Aug. Sub uno igne aurum
rutilat, & palea fumat.

III. Cu. in deſerto Chriſtus fuerit tentatus.

De loco notandum quod Dominus in deſerto ten-
tatus eſt. Cum aliquis diabolum deſeruit, tunc
diabolus contra eum vehementer inſurgit. Diabo-
lus illos pulſare negligit, quos quieto jure poſſi-
dere ſe ſentit, ut dicit Gregor. Pharao poſtquam
populus Judæorum eum deſeruit, omni populo ſuo
congregato eum inſecutus eſt. Exodi 14. Cum ali-
quis evadit de carcere alicujus principis, tunc om-
nes currunt poſt eum, & qui paucos habuit cuſto-
des dum eſſet in carcere, poſtea habet multos inſe-
cutores. Sic qui ad Deum convertitur multis ten-
tationibus vexatur. Pſal. 3. *Domine quid multiplica-
ti ſunt qui tribulant me*, &c. Eccleſiaſtici 2. *Fili ac-
cedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore,
& præpara animam tuam ad tentationem.*

IV. Modi 12. dæmonis impugnãtis

Circa modum impugnandi quem tentator habuit
12. attende. *Primo* quod tentat explorando dicens.
Si filius Dei es, ſimile Geneſ. 3. *Cur præcepit vobis*
1. *Deus? Secundo* quod tentat mentiendo dicens: *Hæc*
2. *omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Et Lucæ 4.
Univerſa hæc mihi tradita ſunt, & cui volo do ea. Si-
3. mile Gen. 3. *Nequaquam moriemini. Tertio* à parte
infirmiori, primò impugnando ſcilicet ex parte car-
4. nis. *Dic ut lapides iſti panes fiant. Quarto* procedit
malitiæ malitiam addendo. Prima enim tentatio vi-
detur eſſe ad licitum, ſcilicet ad repellendum famem
panis comeſtione. Secunda verò ad illicitum, ſed
lucroſum, ſcilicet ad adorandum diabolum, ut ha-
beatur mundi dominium. Tertia ad illicitum & pe-
riculoſum, ſcilicet ad præcipitium. Simili modo
procedit diabolus tentando alios. Si enim tentet de
delitiis, primo ponit neceſſarium & immiſcet ſu-
perfluum, Gregor. Neceſſitates corporales hoc ha-
bent periculoſum, quod in eis ſæpiſſimè non agnoſ-
citur, quid circa eas vitio vel utilitatis ſtudio aga-
tur. Si tentet de divitiis, primò ſolicitat homi-
nem ut quærat neceſſaria, deinde ſuperflua, ut ait
Gregorius. Si tentet de honoribus, proponit pro-
deſſe, & intendit obeſſe, utens illo verbo, 1. Tit.
3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſi-*
5. *derat Quinto*, in omni tentatione ſuperbiam miſcet,
tanquam ille in quo ſuperbia maxime regnat: pri-
mo, monet ut ſi habet altitudinem, eam oſtendat,
deinde ſi non habet, ut eam malè adquirat ibi,
Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Pri-
mum verò dupliciter facit: *primò*, monet ut oſten-
dat eam in neceſſitate, ibi. *Si filius Dei es, dic ut
lapides*, &c. *Secundo*, ut oſtendat eam ſuperfluè &
etiam periculosè, ibi. *Si filius Dei es, mitte te deor-
ſum*: ſic hodie miſcet ſuperbiam cæteris peccatis,
ut patet in conviviis divitum, ubi plura expendun-
tur ad gloriam, quam ad neceſſitatem. Sapiens;
non magno conſtat nobis fames, ſed ambitio. Chry-
ſoſt. Tolle hoc vitium, ut non velint homines ho-
minibus apparere, & ſine labore omnia vitia reſe-
6. cantur. *Sexto*, in tentatione pertinente ad concupiſ-
centiam carnis monet opus naturæ mutari, & refe-
ctionem non dico modo difficili, ſed ſecundum
naturam impoſſibili, parari. Sic mutantur vini ſa-
pores aromatum admixtione, mutantur colores
croceatione, fiunt monſtruoſæ rerum commixtio-
nes. In tentatione pertinente ad avaritiam quærit
adorari, quia avaritia eſt ſimulachrorum ſervi-
tus. Epheſ. 5. Gloſſa. Avari Deus eſt nummus, vera
enim recognitio dominij eſt obedientia. Luc. ſexto.
*Quid vocatis me Domine, Domine, & non faci-
tis quæ dico. Pecuniæ vero obediunt omnia.* Eccleſia-
ſtici 10. Et ſuper illud Matth. 6. *Non poteſtis Deo
ſervire & mammonæ*; dicit Gloſſa. Divitiis ſervire,
Quomodo ſuperbia; Deum negare eſt. In tentatione pertinente ad ſuper-
biam vitæ monet ad præcipitium, quia ſuperbia
cauſa eſt ruinæ. Aſcenſus ſuperbiæ habet ſecum
ruinam ſpiritualem, quæ à paucis agnoſcitur. Pſal.
72. *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Lucæ 16. *Quod
altum eſt hominibus, abominatio eſt apud Deum.*
Item ſuperbia eſt cauſa manifeſtæ ruinæ. Proverb.
17. *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam.*
Gregorius de ſuperbis. Soli ruinæ creſcit quod ædi-
ficant, qui ante molem fabricæ fundamenta hu-
militatis non parant, Job 30. *Elevaſti me, & quaſi
ſuper ventum ponens eliſiſti me valide. Septimo* dia- 17.
bolus aliter tentat nobiles, aliter ignobiles. Si no-
bilis eſt aliquis, ſuadet ei magna, ut Chriſto, di-
cens. *Si filius Dei es.* Si ignobilis eſt, ſuadet vilia,
ut venalitatem, unde Chriſto, de quo dubitabat an
eſſet filius Dei an non, dicit: *Hæc omnia tibi dabo*,
&c. Hodie tamen venalitas etiam uſque ad ma-
jores pervenit. Cupiditas hominem venalem facit.
Eccleſiaſtici 10. *Nihil iniquius eſt quàm amare pe-
cuniam. Hic enim & animam ſuam venalem ha-
bet.* Immo & Deum habet venalem, ut patet in
Simoniacis. Et notandum quod ſecundùm Hiero-
nymum. Sicut matrona non eſt caſta, quæ cum ro-
gatur munera accipit, ita nec judex munuſcula ac-
cipiens à corruptione immunis judicatur. Salu-
ſtius. O inquit urbem venalem & mature peritu-
ram, ſi emptorem invenerit. In urbe Eccleſiæ non
deſunt emptores, unde niſi venalitas defuerit, in
majoribus multùm timendum eſt Eccleſiæ. Non
decet emptos ſanguine Chriſti aliis vendi, tanti
enim emit ſecundùm Auguſtinum, ut ſolus poſ-
ſideret. Auguſtinus. Poſtquam intellexi me ſan-
guine Chriſti redemptũ, nolui me venalem exhibe-
re. *Octavo.* Diabolus mutationem loci procurat, 8.
ut opportunitatem tentandi habeat. Unde aſſum-
pſit Dominum ſuper montem excelſum, ut oſten-
deret ei mundi deſiderabilia, ut opportunitatem
tentandi eum de avaritia haberet, & ſupra pinna-
culum templi, volens tentare eum de vana gloria
Geneſ 4. dixit Cain ad Abel. *Egrediamur foras* in
agrum, & ibi occidit eum. *Nono.* Repulſa à Domi- 9.
no tentatione gulæ, non propter hoc ab impugna-
tione avaritiæ & ſuperbiæ ceſſat. Auguſt. Præmoni-
tos vos eſſe volo neminem ſuper terram abſque
tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua,
aliam ſecurus expectet. *Decimo* genus tentationis 10.
mutat, ut quem non ſuperat una, ſuperet alia. Unde
diabolus apparuit cuidam de antiquis patribus di-
verſas ampullas ferens, dicens, nolenti de una; ſe
dare de altera. *Undecimo* in ſacro loco tentat, utens 11.
etiam ſacris verbis, quod facere ſolet tentando ſa-
pientes. Unde tentans Chriſtum, qui erat prædica-
tor, & qui verbis ſacræ ſcripturæ ſe defenderat, ver-
bis ſcripturæ ſimiliter eum impugnat dicens: *Scri-
ptum eſt quia Angelis ſuis mandavit Deus de te.
Duodecimo* promittit temporalia. ut auferat æter- 12.
na dicens: *hæc omnia tibi dabo*, &c. Auguſt. O lucra
damnoſa, adquirit pecuniam & perdit juſtitiam.

Circa modum repugnandi quem habuit Salva- V. Modus
tor, *notandum* quod tribus verbis ſacræ ſcripturæ Chriſti re-
diabolum vincit, per hoc volens oſtendere ſapien- pugnantis
tiam neceſſariam in bello ſpirituali. Prov. 4. *Vir ſa-* fuit triplex.
piens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus, &c. 1.
& Sap. 6. *Melior eſt ſapientia quàm vires.* Eccleſ. Scriptura
9. *Inventus eſt in ea vir pauper & ſapiens, & libera-* ſeu ſapien-
vit urbem per ſapientiam ſuam, &c. Et ſubditur. *Di-* tia.
cebam ego meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. In
eodem. *Melior eſt ſapientia quam arma bellica.*
Hæc victoria Chriſti deſignata eſt. 1. Regum 17. in Huius victo
victoria David de Goliath. Unde Gloſſa ibi dicit: riæ Chriſti
David proſtravit Goliath tribus lapidibus de tor- figura fuit
rente, & Chriſtus diabolũ tribus teſtimoniis de lege. victoria
Petierat diabolus ut Dominus lapides converteret David de
in panes, & Dominus econtrariò panes conver- Goliath.
tit in lapides. Verba enim ſacra quibus velut pani-
bus filij Dei reficiuntur, velut lapides in eum je-

cit. & ſic proſtravit. Sic facere debent filij Dei. Tamen attendendum eſt quod David ad vincendum Goliath virtutem Dei invocavit. Vnde 1. Regum 17. dixit ad Goliam: *tu venis ad me cum gladio & haſta, & clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Sic virtus fidei neceſſaria eſt ad vincendum diabolum verbis ſacræ ſcripturæ, ſine ea hi lapides ſunt diabolo ut ſtipula. Iob 41. *In ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ.* 1. Ioan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Proverb. 30. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe.* Clypeus dicitur, quia à malo protegit, ignitus, quia animam ad bonum accendit. *Item* circa modum repugnandi notabile eſt, quod dominus tentatori non adquieſcit, etiam in re licita. In principio enim tentationis ei reſiſtendum eſt. Hieronymus. Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur, totus ſtatim illabitur. Epheſ. 4. *Nolite locum dare diabolo. Item* ad modum repugnandi pertinet quod dominus durius reſpondet diabolo volenti uſurpare divinum honorem. Chryſoſtomus. In duabus tentationibus mitis permanſit dominus, in tertia exaſperatus eſt, & quaſi iratus dixit: *Vade retro ſathana.* Hoc ergo exemplo diſcamus noſtras æquanimiter ſuſtinere iniurias. Dei autem neque ad auditum ſuſtinere, quia in proprijs injuriis eſſe quempiam patientem laudabile eſt: iniurias autem Dei diſſimulare impium eſt.

Fides & ſcriptura ſunt arma neceſſaria in hac pugna.

Noſtræ iniuriæ tolerandæ ſunt non Dei.

Tentationem Chriſti duo ſecuta ſunt.

De hoc quod ſecutum eſt tentationem notandum, quod diabolus victus fugit, unde ſequitur. *Tunc reliquit eum diabolus.* Iac. 4. *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis.* Victor verò angelos ſibi miniſtrantes habuit, unde ſubditur: *& ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Gloſſa. Sicut in hoc agone militia noſtra præſtruitur, ita in obſequio angelorum glorioſa remuneratio docetur.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS

SUMMARIUM.

Tria dicta Evangelij tactantur. Occaſio 1. de ductu ſeu regimine filiorum Dei & Dæmonis. Occaſione 2. De jeiunio Chriſti & Quadrageſima, itemque de eſurie Chriſti triplici. Occaſione 3. De tribus tentationibus & tentatoribus.

SERMO L.

Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum, &c.

I.

Dictum Evangelii. Ad regimen vitæ noſtræ tria faciunt.

Sicut dicitur ad Hebr. 10. *Iuſtus ex fide vivit*, id eſt, vitam ſuam regit, & diſponit. Et oſtenduntur nobis in hoc Evangelio tria ad fidem pertinentia, quæ multum valent ad regnum vitæ noſtræ. *Primum* eſt, quod Spiritus Sanctus eorum qui per baptiſmum mundati ſunt, eſt rector. *Secundum* quod ſpiritus malignus eſt eorum impugnator. *Tertium* eſt quod angelus bonus eſt eorum miniſtrator. Ad *primum* pertinet iſtud (*Tunc*) ſcilicet cum eſſet baptizatus Ieſus, *ductus eſt in deſertum à ſpiritu.* Ad *ſecundum* illud, *ut tentaretur à diabolo.* Ad *tertium* illud. *Et acceſſerunt angeli*, &c. Hebræor. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: propter *primum* ſpiritualiter vivamus à peccato carnis caventes, propter *ſecundum* cum nullo homine inimicitias habeamus, propter *tertium* viles nos non habeamus, nec nos venales pro re temporali exhibeamus, cùm tantæ dignitatis ſimus, quòd angeli miniſtrant nobis. Ductus eſt Ieſus in deſertum poſt baptiſmum, in quo datur exemplum mundatis ut fugiant mundum Hierem. 51. *Fugite de medio Babylonis, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Pſal. 54. *Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine* Oſeæ 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Item *notandum* quod filii Dei ducuntur honorificè: quia à Spiritu ſancto Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Pſal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, &c. Servi verò diaboli ducuntur ignominioſè à Spiritu maligno manibus ligatis & oculis velatis, & ad mortem æternam. Proverb. 5. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur* Eiuſdem 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem. Item* filii Dei à Spiritu ſancto benignè regũtur. Luc. 4. *Agebatur à ſpiritu in deſertum diebus* 40. Servi verò diaboli à ſpiritu maligno exagitantur 1. Reg. 16. Spiritus nequam exagitabat Saul. *Item* filii Dei in deſertum religionis à Spiritu ſancto ducuntur, ſervi vero diaboli à ſpiritu maligno reducuntur fune cupiditatis poſito in collum, quò molâ aſinariâ eis alligatâ in mare huius mundi præcipitentur. Matth. 18. quam reductionem amici carnales quandoque procurant. Et *notandum* quod ſecundùm Bernardum Spiritus Sanctus qui ad deſertum religionis ducit, ad mundũ poſtea non reducit, quare non eſt in eo eſt & non.

Filii Dei & Diaboli quomodo ducantur.

1.

2.

3.

II.

De ieiunio Chriſti varia.

Et cum ieiunaſſet 40. *diebus &* 40. *noctibus* &c. Ieiunavit Chriſtus tanto tempore ut oſtenderet convenientiam legis & prophetarum & evangelii. Ieiunavit Moyſes 40. diebus Exod. 34. Item Helias tempore prophetarum. 3. Regum. 19. Chriſtus verò tempore gratiæ ideo non ieiunavit minus, quia ſi minus ieiunaſſet, inſultaret Arrius quia non potuiſſet agere quod puri homines feciſſent, ſcilicet Moyſes & Helias. *Item* non ieiunavit plus, quia ſi plus ieiunaſſet, forſitan eum diabolus non tentaſſet. *Item* notandum, quòd hoc, quod Moyſes ieiunavit, fuit, quia divino eloquio delectabatur. Helias verò ieiunavit in fortitudine cibi prius ſumpti. Chriſtus ieiunavit ſuâ virtute. Poſt ieiunium tamen eſuriit, ut celetur Deus. *Item* notandum quod Chriſtus ieiunavit quadraginta diebus cibis indigens, dans nobis exemplum abſtinendi à carnalibus deſideriis tempore agonis. *Item* quadraginta diebus comedit cibo non indigens, ſcilicet poſt ſuam reſurrectionem, ad oſtendendum ſpiritualem cibum eſſe neceſſarium his, qui ſpiritualiter ſurrexerũt. *Item* notandum quòd ſecundùm Gregor: in abſtinentia quadragenarius numerus cuſtoditur, quia cùm per carnis deſideria, quæ ex quatuor elementis conſtat, decalogi mandata contempſerimus, dignum eſt ut eandem carnem quater decies affligamus. In eodem numero *etiam* notatur, quod nos qui agimus pœnitentiam, mandata decalogi cum quatuor evangeliis cuſtodire debemus: quadragenarius enim numerus conſtat ex denario per quaternarium ducto. *Item* ſecundùm Gregor. dies quadraginta in Quadrageſima ſubtractis ſeptem diebus dominicis ſũt decima pars anni unde, cum per quadraginta dies affligimus, quaſi anni noſtri decimam damus, ut quod nobis ipſis viximus per annum, auctori noſtro nos in eius decimis per abſtinentiam mortificemus. Iſte numerus commendatus eſt nobis, Gen. 7. dierum quadraginta inundatione aquarum, quibus omnibus caro deleta eſt. Aquæ lachrimarum debent inundare in pœnitentia, ut omnis carnalis affectus deſtruatur. Item in quadraginta diebus, purificationis puerperæ Levit. 12. & in quadraginta diebus exſpectationis Ninivitarum. Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.*

1. Cur 40. dies ieiunaverit.

2. Cur non minus.

3. Cur non plus ieiunaverit.

4. Diſcrimen inter ieiunium Chriſti & Moyſis

5. Cur 40. dies ante reſurrectionem ieiunaverit

6. Cur 40. poſt comederit.

7. Rationes Quadrageſimæ.

1.

2.

3.

Figuræ et veteri teſtamento Quadrageſimæ.

Chriſtus ter cibo indiguiſſe legitur.

Quem cibũ eſuriat Dominus.

Poſtea eſuriit. Et notandum quòd legimus dominum ter cibo indiguiſſe. *Primâ vice* diabolus obtulit ei lapides, volens ut eos converteret in panes. *Secunda vice* invenit folia ſine fructu in ficu, & maledixit ei, & areſacta eſt ficulnea Matth. 21. *Tertia* datum eſt in eſcam eius fel. Pſal. 68. *Dederũt in eſcam meam fel.* Cibus quem Dominus noſter eſuriit, ſalus noſtra eſt Ioan. 4. *Cibus meus eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me, ut perficiam opus eius*

ejus. Loquebâtur de opere ſalutis noſtræ, Hunc cibum adeò deſiderat Dominus, ut quaſi mendicandò oſtiatim quærat eum. Apoc. 3. Ego *ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam intrabo ad eum & cœnabo cum illo*, &c. Lapidem Domino eſurienti apponunt homines duri & incorrigibiles, qui nec habent verba nec opera pertinentia ad fidem, habentes cor diabolicum, Job 41. *Indurabitur cor ejus quaſi lapis*, ad modum diaboli odio habentes correctionem. Eccleſiaſtici 21. *Qui odit correctionem, veſtigium eſt peccatoris*. Folia ei apponunt, qui habent fidei verba, ſed non opera, ſimiles ficulneæ maledictæ. Matth. *21*. Merito ſuccidendæ. Luc. 13. *Succide eam*, &c. Pſal. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Eſcam cum felle Deo apponunt, qui bona opera in mortali faciunt, qui operibus ſuis magnam bonitatis auferunt partem, plus enim valeret jejunium unius diei extra mortale factum, quàm jejunia centum annorum facta in mortali. Unde fatuus eſt qui propter negligentiam ſuam amittit bona ſua. Peccatum mortale eſt fermentum, ſine quo debet eſſe oblatio. Levit 2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet*.

Qui Chriſto apponūt lapides.

Qui folia.

Qui fel.

III. Tentator tres vires animæ tribus peccatis tentat.

Et accedens tentator. Attendendum eſt quòd poſt Quadrageſimam ad tentandum Dominum diabolus accedit tentans de peccato gulæ, cupiditatis, vanæ gloriæ. Vel de peccato gulæ, & oſtentationis, & erroris, & ſecundùm hoc tres tentationes poſſunt referri ad tres vires animæ, Prima ad concupiſcibilem, quæ facta eſt in deſerto. Quæ autem facta eſt ſupra pinnaculum templi, ad iraſcibilem, quæ tendebat ad oſtentationem illam, in qua dixit tentator, *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. Tertia pertinet ad rationalem, quæ tendebat ad errorem. De his tribus multos tentat diabolus, etiam poſt bona opera, ut Ezechias, qui tentatus eſt de oſtentatione poſt tantam victoriam hoſtium, cum Dominus centum octoginta millia Aſſyriorum interfeciſſet propter eum, & poſt abolitionem idololatriæ, & poſtquam Dominus propter eam fecerat umbram ſolis reverti decem lineis. Iſa. 38. Et cecidit in tentationem illam oſtendens omnia quæ erant in domo ſua nunciis regis Babylonis, & ideò meruit illa amittere. Sap. 39 Sic multi per oſtentationem bona ſua amittunt. Matth. 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*. Similiter & David; & Salomon, & Samſon poſt magna opera ſunt tentati de concupiſcentia carnis. Samſon poſt tantam fortitudinem & ſtragem hoſtium, adamavit mulierem meretricem, quæ decepit eum. Judic. *16*. Salomon poſt tantam ſapientiam, & qui tot mala dixit de amore mulierum, poſtea infatuatus eſt per illas. 3. Reg. 11. David qui ità ſanctus fuit, qui in neceſſitate noluit aquam bibere, ſed libavit eam Domino. 2. Reg. 23. Et qui percuſſit pectus ſuum, quia præcidit oram chlamydis inimici ſui, *1*. Reg. 24. tamen poſtea cecidit per carnis concupiſcentiam. 2. Reg. *11*. ubi concupivit Berſabee. Samſon fortiſſimus, Salomon ſapientiſſimus, David ſanctiſſimus, per carnis concupiſcentiam poſtea ceciderunt. Non igitur nobis confidendum, ſed ab hac tentatione cavendum, & timendum eſt, ne cadamus propter concupiſcentiam carnis. *Item* aliqui ſunt, qui poſt multa bona cadunt per tentationem erroris, ut patet in Petro, qui poſtquam confeſſus fuerat: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Matth. 16. & poſtquam Dominum uſque ad mortem ſequi ſe paratum eſſe dixerat, poſtea apoſtatavit & negavit ſe noſſe Deum. *Item* notandum quòd tentatur aliquis à *carne*, à *Dæmone* & à *Deo*. De *prima* tentatione Jacob. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. A *Dæmone* verò tentatur aliquis *tripliciter*: per rerum ablationem, corporis afflictionem, hominum exprobrationem, ut patet in Job qui primo temporalia bona amiſit, ſecundo in carne afflictus eſt, tertio exprobrabant ei amici & uxor ejus. Contra *primum* opponenda eſt *ſpes cœleſtium*. Hebr. 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam*. Contra *ſecundum* opponendus eſt *profectus virtutum*. 2 Corinth. *12*. *Virtus in infirmitate perficitur*: & 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Contra *tertium puritas conſcientiæ*. 1. Corinth. 4. *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer*, &c. De tentatione quæ fit à *Deo* dicitur in Pſal. 25. *Proba me Deus & tenta me*. Geneſ. 22. Tentavit Deus Abraham.

1. Iraſcibilem oſtentatione. Exemplum Ezechiæ.

2. Concupiſcibilem cōcupiſcentia carnis. Exempla Davidis, Salomonis, Sâmſonis

3. Rationalem errore. Exemplum Petri.

Tentatores ſunt tres.

Dæmon tripliciter tentat. Exemplum Iob.

Quid opponendum ſit.

3. Deus. Exemplum Abraham.

Si filius Dei es dic ut lapides iſti panes fiant. Sciendum quod diabolus multum conatur ad hoc ut filii Dei pœnitentiam ſuam dimittant. Matth. 27. *Si filius Dei es, deſcende de cruce*. Hujus ratio poteſt eſſe hæc, quod ſi pœnitentia noſtra crudeli miſeratione minuitur, paulatim gemmis corona noſtra privatur. Unde quandoque ſexus fragilitatem allegat: ſi mulier eſt, quandoque infirmitatem ætatis; ſi ſenex vel juvenis eſt, aliquando debilitatem complexionis; aliquando metum morbi incurabilis; aliquando illud & illud. *1*. ad Timoth. 5. *Noli adhuc aquam bibere*, &c. Unde quidam ſanctus Pater fratribus ſuis. Ecce, inquit, fratres diabolus phyſicam docet, ecce medicus factus eſt. De complexionibus loquitur infirmitates diverſas ſi teneatur religio generari prædicat, ſed quare hoc, non ut mederi velit, ſed ut lædere poſſit. Item *notandum* quod duritiem pœnitentiæ vult mutari in ſuavitatem, non ut in illa ſuavitate homo remaneat; ſed ut illa ſuavitas poſt in æternam aſperitatem mutetur. Proverb. 10. *Suavis eſt homini panis mendacii, & poſtea os ejus implebitur calculo*. *Item* ſciendum eſt quod ſuperfluè ædificantibus dicendum eſſet ut lapides in panes converterent, unde Chriſtum in ſuis membris paſcerent; ſed multi econtrariò faciunt, cum id, unde eſſent pauperes paſcendi, in ſuperflua ædificia expendunt, quibus timendum eſt illud Abac. 2. *Lapis de pariete clamabit*. (*Qui reſpondens*, &c.) quare non adquievit Dominus ut lapidem faceret panem? Reſponſio. Ut lateret ejus divinitas, & ut nos opera noſtra abſcondamus ab his, qui non proficiunt in eis. Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus*, &c. & ut monſtraret ad imperium diaboli nihil eſſe faciendum.

Quomodo & quare conatur diabolus impedire pœnitentiam.

Superfluè ædificantes miſericordiæ monentur.

Cur Chriſtus ex lapidibus non fecerit panes cauſa triplex.

Scriptum eſt Deuter. 8. *Non in ſolo pane vivit homo*, &c. Notandum quòd inter creaturas mirabilior videtur eſſe homo, cum conſtet ex creatura ſpirituali & creatura corporali. Multum miraretur aliquis ſi videret animal partim bovem partim equum, mirabilior videtur eſſe homo. Illud enim animal conſtaret ex duabus naturis corporalibus, homo verò conſtat ex corporali & ſpirituali. Major autem eſt differentia inter corporale & ſpirituale, quam inter duo corporalia: ſic major eſt differentia inter album & nigrum, quàm inter duo nigra. Pars una hominis eſt viſibilis, altera inviſibilis: Pars una eſt ut jumentum, alia ut angelus. Unde cum ex partibus tam diſſimilibus conſtat, non eſt mirum ſi cibis valde diſſimilibus indigeat. Cibus animæ eſt verbum Dei, circa quem cibum multi valde negligentes ſunt. Quorum negligentia oſtenditur valde reprehenſibilis: *Primo* ex hoc, quòd animalia irrationalia cibum ſuum agnoſcunt, & quærunt, & frequentant loca ubi eum invenire poſſint, ut aves, quæ de grano vivunt, frequentant areas, & quæ de racemis vivunt, frequentant vineas. Piſces etiam currunt ad cibum in aquam projectum, ſolus homo qui eſt creatura rationalis cibum animæ ſuæ non agnoſcit, nec quærit,

Homo duplicis naturæ in duplici cibo indiget.

Cibus animæ eſt verbum Dei non negligendum.

immo ſi ei porrigatur fugit. Proverb. 6. *Vade* 1. *ad formicam ô piger*, &c. *Secundo* per hoc, quod natura inſtruit eum de hoc cibo quærendo. Sapient. Cætera animalia natura dejecit ad paſtum, hominem verò erexit ad ſidera. *Tertio* quod jumentis 3. ſuis de cibo providet, animæ verò ſuæ cibum negligit providere. Seneca. Nihil eſt cuique ſe vilius. *Quarto* per hoc quod filius Dei tantùm fecit ut ho- 4. mini provideret cibum iſtum. Marc. 1. *Eamus in proximos vicos & civitates ut prædicem, ad hoc enim veni.* Noluit enim Deus hominem recipere negligenter hunc cibum, quem voluit miniſtrare cum tanta paupertate, tanto labore, tanta contradictione, præcipue cum prævideret ſe occidendum occaſione hujus miniſterij. *Quinto* ex hoc quòd tantum 5. malum provenit ex defectu hujus cibi, ſcilicet arefactio ipſius animæ. David Pſalm. 101. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Item Pſalm. 106. *Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* Sicut deficit vita corporalis ſine corporali cibo, ſic ſpiritualis ſine ſpirituali; velle vivere ſine cibo, eſt velle tentare Deum. In hoc quod Dominus tentatus de cibo corporali opponit cibum ſpiritualem datur intelligi quod in Quadrageſima quando homines jejunant à cibo corporali, valde neceſſarius ſit eis cibus ſpiritualis.

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Evangelium explicatur.

SERMO LII. Et egreſſus Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, &c. *Matth.* 15.

DE terra Genezareth relictis Scribis & Phariſæis calumniantibus de hoc, quod Diſcipuli ejus tranſgrediebantur traditiones ſeniorum. *Seceſſit in partes Tyri & Sidonis.* Interlin. quæ fuerunt civitates Gentilium. *Et ecce mulier Chananæa.* Hilarius. Chananæi terras, in quibus Judæa eſt, coluerunt, qui vel bello conſumpti, vel in loca vicina diſperſi, vel in ſervitutem ſubjecti, nomen tamen ſine patria ſede circumferunt. Ex illa ergo diſperſione iſta Chananæa eſt. *Syrophœniſſa genere*, hoc eſt ex Syris & Phœnicibus orta. Gentilis itaque eſt, & ſi Judæis admixta. Æſtimatur autem ex lege cognoviſſe, quod Chriſtum & Dominum & David filium confitetur. Mar. 7. ſic habetur de hac muliere. *Mulier ut audivit de eo cujus filia habebat ſpiritum immundum, intravit & procidit ad pedes ejus.* Unde vult Marcus Jeſum in domo fuiſſe, cum mulier ad eum venit. Matthæus verò per iſta verba: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*, innuit quod poſt Jeſum ambulantem preces emiſerit. Ad quod dicendum, mulier venit in domum ubi erat Jeſus, ubi non reſpondit Jeſus ei verbum, ſed in ſilentio egreſſus eſt, & poſt ejus egreſſum facta ſunt quæ Matthæus narrat, *Miſerere mei.* Magnus effectus ejus oſtenditur quo malum filiæ dicit eſſe ſuum. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Detegit medico qualitatem morbi, dicens: *Vexatur à dæmonio*, & magnitudinem, dicens: *malè* (*Qui non reſpondit ei verbum*) Non de ſuperbia, ut dicit Gloſſa, ſed ne opus ſuum contradicat ipſius doctrinæ, dixerat enim Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis. Et accedentes diſcipuli*, &c. Interlin. Myſterii ignari, vel miſericordiâ moti, vel importunitate ejus diſcipuli carere cupientes. *Dimitte eam quia clamat poſt nos.* Interlin. quam tenes non exaudiendo. *Non ſum miſſus*, ſcilicet primum & principaliter, ne ſit contrarium ei quod legitur in Abdia. *Legatum miſit Dominus ad gentes. At illa venit*, Interlin. quæ à longè clamabat conſecuta eſt eum. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum*, &c. Interlin. verbum ſalutis, quod prius debetur Judæis, non eſt bonum dare Gentibus caninâ rabie latrantibus. Hæc expoſitio primò pertinet ad myſterium, ſecundò verò ad literalem ſenſum. Panis filiorum vocatur operatio miraculoſa, quam iſta quærebat, non doctrinam. *Etiam Domine*, quaſi diceret, verum eſt quod dicis, veruntamen ſi panis filiorum non detur canibus, tamen catelli reficiuntur de micis panum. *Nam & catelli*, &c. Magna humilitas, comparaverat eam Dominus cani, & ipſa comparat ſe catello, quod eſt diminutivum canis. *O mulier magna eſt fides tua*, &c. Quæ prius vocabatur canis, hîc mulier vocatur. Et deſignat fides mulieris hujus, fidem Eccleſiæ. *Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.* Interlin. Ubi datur exemplum catechizandi & baptizandi infantes, qui nondum facere nec ſapere aliquid poſſunt, ſed per confeſſionem & fidem parentum liberantur à diabolo.

DE EADEM

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

De quinque perſonis hujus Evangelij.

Egreſſus Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, &c. SERMO LIII.

IN hoc Evangelio *quinque* perſonæ tanguntur, ſcilicet dæmonium filiam mulieris vexans, filia vexata, mater pro filia orans, & cœtus Apoſtolorum eam juvans, & Dominus mulieri clamanti primò non reſpondens, ſed ad ultimum eam plenè exaudiens. Et de qualibet harum perſonarum dicetur aliquid ad ædificationem noſtram pertinens.

Circa *primum* notandum, quod Eccleſia in tribus primis Dominicis Quadrageſimæ in Evangelio loquitur de diabolo. In prima oſtendit quomodo impugnet ſanctos quos nondum poſſidet, ibi enim oſtenditur quomodo diabolus ſe habet trinâ tentatione ad Deum. In ſecunda Dominica oſtenditur quomodo ſe habeat diabolus ad eos quos jam poſſidet, malè enim eos vexat. In tertia quomodo ſe habeat ad eos quos jam amiſit, multùm enim conatur ad recuperandum eos, unde *aſſumit ſeptem ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi*, Lucæ undecimo. De vexatione verò, quam facit diabolus ei, qui eſt in peccato, ſciendum quod licet peccator exterius delicias habeat, tamen interius habet vexationem & miſeriam. Auguſtinus primo libro Confeſſionum. Domine juſſiſti, & ſic eſt, ut pœna ſibi ſit inordinatus animus. Idem. Minus ordinata inquieta ſunt, ordinata verò quieſcunt. Hierem. 16. *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Hæc afflictio poteſt *tripliciter* oſtendi. *Primo* per hoc, quod peccatores jacent infirmi in lecto conſcientiæ ſpinis vitiorum pleno. Sicut enim lectulus conſcientiæ in bonis eſt floridus. Cant. 1. ſic in malis eſt ſpinoſus. Matth. 7. *Nunquid de ſpinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus?* quaſi diceret non ita; nec cum vitiis eſt vera quies. *Secundo* per hoc, quod peccator eſt in tali ſtatu, in quali ille eſt, quem continuè canes mordent. Conſcientia mordet & remordet facinoroſos. Ipſa eſt mulier litigioſa, cum qua homo verè non quieſcit. Proverb. 27. *Tecta perſtillantia in die frigoris, & mulier litigioſa comparantur. Tertio* per hoc quòd peccator eſt portitor ad collum oneris diabolici, quod non deponit nec die, nec nocte, nec diebus feſtivis. Pſalm. 37. dicit de iniquitatibus *ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Quomodo ſine vexatione eſſe poteſt, qui tantum onus continuè portat? Unde peccatum eſt onus quod cœlum ſuſtinere non potuit, nec terra ad ultimum

Perſona 1. dæmonū. Triplex genus hominū quos dæmō vexat. 1. 2. 3.

Triplex vexatio qua diabolus hominem vexat. 1. 2. 3.

Peccatum eſt onus.

Alleviatur Confeſſione.

ſuſtinebit, imò oportebit quod ad infernum deſcendat. Ponderoſitas peccatorum patet ex alleviatione quam ſentit peccator cum peccata ſua confeſſus eſt & reliquit. Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*, &c. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Intellige reſpectu oneris diabolici. Unde magna eſt fatuitas eorum, qui potius eligunt ferre onus diaboli, pro quo non exſpectant niſi cruciatum æternum, quam onus Chriſti, pro quo exſpectant regnum cœlorum.

Onus Chriſti leve. Onus diaboli grave.

II. Filia Mulieris.

Circa *ſecundum* notandum quòd filia hujus mulieris licet à dæmonio malè vexaretur, tamen non legitur rogaſſe dominum pro ſua liberatione: & univerſaliter non legi aliquem dæmoniacum rogaſſe dominum pro ſua liberatione. Inſani & dæmoniaci bene ſciunt laqueum abſconditum quærere quo ſe ſtrangulant, vel ignem, vel aquam, quo ſe præcipitent, ſed medicum vel remedium ſalutis neſciunt quærere. Sic quos diabolus poſſidet *ſapientes ſunt ut faciant mala, bona autem facere neſciunt*, Hierem. 4. Proverb. 27. *Cor iniqui inquirit mala.* Quærunt uſurarii laqueos occultos uſuræ, quibus ſe ſtrangulent. Item luxurioſi fatuas mulieres ſciunt ſibi præparare, quæ ſunt velut gladii quibus ſe occidunt. Hieron. Gladius ignitus eſt ſpecies mulieris. Pro ſalute verò ſua nec Deum ſciunt rogare, nec medicos ſpirituales conſulere. Ideo illi qui ſanæ mentis ſunt, multùm deberent eis compati, & à malo coërcere quantum poſſent. Sicut inſani ligandi eſſent, ne in ſe vel in alios manus mittant. Debent etiam apud Deum & apud medicos ſpirituales pro ſalute talium laborare.

Laquei variidæmonis inſanorum.

Vſurariorũ. Luxurioſorum.

III. Mater. Cura parẽtum de ſalute liberorum.

Circa *tertium* notandum, quod mulier iſta multum affectabat ſalutem filiæ ſuæ, ſicut patet ex conſtantia precum ipſius, in quo datur exemplum matronis, ut ſi videant filios ſuos in poteſtate diaboli, multum affectent liberationem ipſorum. E contrario vero multæ vident filios à lupo infernali duci in infernum, & non currunt. Si vero viderent porcos ſuos à lupis deferri, totis viribus eos inſequerentur. Aliquæ etiam lupos infernales in domo ſua nutriunt, qui filios occidunt. Fatuæ enim mulieres manent in domibus earum, & ſic habent filii eorum gladios paratos, quibus ſe occidunt. Hodie impletum eſt illud Micheæ 7. *Inimici hominis domeſtici ejus.* Et notandum quod ſecundùm Gloſſam, ſub perſona mulieris mira fides eccleſiæ, & patientia, & humilitas prædicatur. Fides qua credidit poſſe ſanari filiam; patientia quia totiens deſpecta in precibus perſtat; humilitas quia ſe non canibus, ſed catulis comparat. Aliter poſſumus notare *ſex* circa hanc mulierem, quæ ad inſtructionem noſtram pertinent. *Primum* eſt quod clamat. *Secundum* eſt quod clamando ſapienter allegat, ibi: *Miſerere mei Domine fili David filia mea male à dæmonio vexatur.* *Tertium* quod in clamore perſeverat, quod patet ex hoc, quod dicunt diſcipuli: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* *Quartum* eſt, quod Salvatori appropinquat ibi: *At illa venit.* *Quintum* eſt quod ſe humiliat, ibi: *& adoravit eum.* *Sextum* eſt quod fidei magnitudine ſalutem filiæ impetrat, unde dictum eſt ei à Domino. *O mulier magna eſt fides tua.* Eſt autem circa *primum* notandum, quod clamor, quem Deus audit, eſt magnitudo deſiderii. David. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Pſal. 11. Hic fuit clamor quo clamavit Moyſes. Exod. 14. & Suſanna Danielis 13. Circa *ſecundum* notandum quod mulier iſta quatuor oſtendit clamore ſuo, quæ poterant movere ſalvatorem ut ejus miſereretur. *Primum* ipſius miſericordia, quæ innuitur, ibi, *Miſerere mei.* Ipſa miſeriam filiæ per compaſſionem, ſuam fecerat, ideo miſericordia digna erat Miſericors enim miſericordia dignus eſt, miſeri-

Mulieris Chananææ fides. Perſeverãtia. Humilitas. Sex imitanda in muliere.

Clamore 4. oſtẽdit, quibus Chriſtũ moveat. 2.

cordia enim amat miſericordiam. Eccleſiaſtici 13.
Omne animal diligit ſibi ſimile. *Secundum* eſt magna
miſeria, abyſſus enim miſeriæ abyſſum invocat mi-
ſericordiæ, quæ innuitur ibi, *filia mea male à dæ-* 2.
monio vexatur. *Tertium* eſt ſalvatoris potentia,
quam oſtendit, cum dicit: *Domine.* *Quartum* eſt 3.
patris ejus exemplum, qui fuit miſericors, ad quod
pertinet illud: *fili David.* 1. Machab. 2. *David in* 4.
ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula.
David etiam malignum ſpiritum effugabat à Saule, 1. Reg. 19 ſic appetebat iſta effugari dæmonium à filia. Circa *tertium* notandum quod perſeverantia multùm valet in oratione, ſicut Dominus oſtendit. Luc. 18. per exemplum de vidua, & per amicum petentem panes, Luc. 11. Roman. 12. *Orationi inſtantes.* qui petitionem facit in curia Domini Papæ, non deſiſtit, licet non ſtatim exaudiatur.

Perſeverat in oratione.

Circa *quartum* notandum quòd mulieri à longè clamanti non reſpondet Dominus, ſed cum ei appropinquaſſet, & adjuvari ab eo petiviſſet, tunc ei reſpondit. Sic non exaudit Dominus illos qui in luto peccati ſunt, licet clament, nihil aliud ut exeant à peccato facientes, ranis ſimiles, quæ à palude exire nolunt, licet multũ clament. Talibus cõminatur Dominus, Sophon. 1. *Viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* Illos exaudit Dominus, qui greſſu deſiderii & boni operis appropinquant; illos juvat Dominus, qui ſe juvant.

Appropinquat Salvatori. Deus peccatores non exaudit. Peccatores comparãtur ranis.

Circa *quintum* notandum, mulier iſta humiliat ſe & facto & verbo: facto adorando, verbo verò quadrupliciter, ſcilicet catellis ſe comparando; micas poſtulando, fideles dominos ſuos vocando, indignam menſæ filiorum ſe reputando. In quo multi peccatores ſunt ei diſſimiles, qui dedignantur ſedere ad menſam Domini, tanquam reputantes eam indignam diſcubitu ſuo, cum ipſi potius cã ſint indigni, tanquam canes. In hoc autem quod dicitur, *de menſa dominorum ſuorum*, innuitur quod peccator qui ſalutem vult obtinere, debet eſſe humilis, ut bonos reputet dominos ſuos, tanquam filios Domini ſui, ſcilicet Dei. Solent enim homines filios dominorũ ſuorũ vocare dominos. In hoc etiã quòd dicitur quòd catelli edunt de micis, inſinuatur quòd humiles medullà ſacræ ſcripturæ reficiuntur, mica enim eſt de interiori parte panis. Et *notandum* quòd humilitas orantis multùm valet ad impetrandum, Eccleſiaſtici 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* David Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium*, &c. Centurio poſt illud verbum humile: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, audivit: *Sicut crediſti fiat tibi.* Matth. 8. Et Luc. 15. Poſtquam filius prodigus dicere propoſuit. *Non ſum dignus vocari filius tuus*, pater accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum, & ait: *Cito proferte ſtolam primam.* Et poſtquam hæc mulier ſe catello comparavit, audivit: *fiat tibi ſicut vis.* Marci 7. ſic dicitur: *Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium de filia tua.*

Chananæa humiliat ſe verbo & facto.

Circa *ſextum* notandum quod fides debet eſſe magna certitudine, potens contra omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei 2. Corinth. 10. Item fiducia impetrandi, Matth. 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed etiam ſi dixeritis huic monti: tolle te & jacta te in mare, fiet.* Item conſtantia in adverſis, qualis erat fides Pauli, Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Item contemptu bonorum temporalium Hebr. 11. *Fide Moyſes grandis effectus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*, &c.

Fides qualis eſſe debeat.

V. Apoſtoli.

Circa cœtum Apoſtolorum mulieri ſuffragantium notandum etiam, quod non rogati juvant eam dicentes: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Dominus quodammodo tenebat eam ligatam ſpe & deſi-

derio obtinendi ſalutem filiæ ſuæ. Ex hoc facto
Apoſtolorum debemus ſperare, quia ſancti juva-
bunt nos orationibus ſuis apud Deum, ſi hoc devo-
tè petierimus. In quo multum aliqui errant, non
confidentes de ſuffragiis ſanctorum, non attenden-
tes quod ſancti dum fuerunt in vita præſenti tan-
tum deſiderabant animarum ſalutem, quod pro illa
morti ſe expoſuerunt. Quid ergo facient modo,
cum charitas eorum non defecerit, ſed potius cre-
Sancti orãt pro nobis. verit. Iſa 31. *Dixit dominus cujus ignis eſt in Sion,
& caminus in Hieruſalem*. Bernardus. Si ſanctus
dum adhuc viveret miſertus eſt peccatoribus, &
oravit pro eis, nunc tantò amplius, quantò veriùs
agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis patrem,
quia beata patria illa charitatem illius non minora-
vit, ſed augmentavit. Præterea Nunquid poſ-
ſunt ſancti obliviſci devotionem, quam homines
eis exhibent?

VI. Salvator. Circa Salvatorem notandum, quod primo vide-
tur ſe habuiſſe durè ad mulierem, cum ei verbum
non reſpondit, Apoſtolos etiam pro ea rogantes
non exaudivit, eam etiam cani comparavit, mulier
tamen humili perſeverantiâ quod petebat impe-
travit. Et *notandum* quod *quinque* de cauſis Do-
Diſtulit exaudire ob quinque cauſas. minus diſtulit eam exaudire. *Primo* ut opportu-
niùs eam exaudiret. Ipſe enim eſt exauditor in op-
portunitatibus, in tribulatione, Pſal. 9. *Secundo*
1. ut longanimitatem & patientiam ejus probaret, ut
2. tangit Interlin. patientiam ejus probavit compa-
rando eam cani. Gregorius. Qualis quiſque apud
ſe lateat, illata contumelia probat. *Tertio* ut ſuos
3. in oratione perſeverare doceret, Lucæ 11. *Si per-
ſeveraverit pulſans*, &c. Chryſoſtomus. Magna
vis eſt inſtantiæ orationis, quod Apoſtoli non ob-
tinuerunt, ipſa perficit: etenim pro noſtris noxis
magis vult à nobis rogari, quàm ab aliis, quamvis
magis liberam præſentiam habeant. *Quarto* ut oc-
4. caſionem illi verbo daret. *Nam & catelli*, &c. Un-
de Chryſoſtomus propter hoc tardabat Chriſtus,
5. ſciebat enim eam hoc dicturam. *Quinto*, ut deſi-
derium mulieris dilatione creſceret, Gregor. San-
cta deſideria dilatione creſcunt. Si autem dilatione
deficiunt, deſideria non fuerunt, Auguſtinus. Si
aliquando Deus tardius dat, commendat dona,
non negat: diu deſiderata dulcius obtinentur, citò
autem data viliſcunt. Servat tibi Deus, quod non
vult citò dare, & ut tu diſcas magna magne deſide-
rare. Ardor deſiderii mulieris humiliter orantis
impetravit dæmonii expulſionem. Tob. 6. dicitur
quod fumus procedens de corde piſcis aſſi extrica-
bat omne genus dæmoniorum. Fumus ille eſt devo-
tio orationis de corde ardenti procedens. Speciali-
Diſcrimen inter bonos & malos. ter eſt advertendum verbum quod Dominus dixit
mulieri, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum &
mittere canibus* ad manducandum, ubi innuitur
quantum diſtet inter bonos & malos, quanta ſit di-
gnitas bonorum, & quanta ſit vilitas malorum.
Boni ſunt filii Dei 1. Joan. 3. *Nunc filii Dei ſumus
& nondum apparuit quid erimus*, &c. Mali verò
canes ſunt divino judicio. Multùm dolere debet,
qui ſcit ſe ad imaginem Dei creatum, & tamen per
culpam propriam ad tantam vilitatem redactum,
ut canis à Deo reputetur. Imò cane poſterior eſt
peccator, eſt enim in miſeria culpæ & pœnæ, cùm
canis ſit ſolùm in miſeria pœnæ. Et eſt debitor mor-
Peccator comparatur canibus in 4. tis temporalis & æternæ, cum canis ſit debitor tan-
tùm mortis temporalis. Et *notandum* quod pecca-
1. tor in *quatuor* aſſimilatur canibus. *Primum* eſt im-
pudentia. Non erubeſcit canis coram Rege facere
ruſticitatem ſuam, nec peccator coram Deo com-
2. mittere abominationem peccatorum ſuorum. *Se-
cundum* eſt inſatiabilitas, patitur enim peccator ad
modum canis famem inſatiabilem, unde filius pro-
digus, qui tenet figuram peccatorum, dicit Luc 15.
Ego autem fame pereo: De his duobus Iſa. 65. *Ca-
nes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Tertium* 3.
eſt oris immunditia, reſumit enim quod evomit.
Sic peccator ea quæ confitendo evomit, recidivan-
do iterum committit. Proverb. 26. *Sicut canis qui
revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui ite-
rat ſtultitiam ſuam*. Inter peccatores vero immun-
dius os videtur habere detractor, qui ſordes alio-
rum inceſſanter ruminat. *Quartum* eſt oris noxie- 4.
tas. Canis ore mordet & interdum venenum effun-
dit. Sed non minus eſt nocivum os peccatoris, imò
multo amplius. Nullum animal ore tantum poteſt
nocere quantum homo. Pſal. 13. *Quorum os male-
dictione & amaritudine plenum eſt*. Item *venenum
aſpidum ſub labiis eorum*.

Ecce mulier Chananæa de finibus illis egreſſa, &c. Pœnitentia
Hæc mulier Chananæa poteſt ſignificare animam
per pœnitentiam commutatam à vetuſtate vitæ in
novitatem (*Chananæa* enim interpretatur commu-
tata) & ſpecialiter animam intrantis religionem.
Dicta etiam eſt *ſyrophœniſſa*. Marc. 7. & interpretatur Ingreſſus religionis.
altè converſa. Talis vero mundum deſerens pennis
virtutũ ad ſtatum ſublimiorem evolat. David Pſal.
54. *quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo*,
&c. Iſa. 40. *Aſſument pennas ut aquilæ*: *Chananæa*
etiam interpretatur, negotiatrix. Talis vero nego-
tiatur temporalia pro æternis cõmutando. Matth.
13. *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori*,
Proverb. ult. *Guſtavit & vidit quia bona eſt nego-
tiatio ejus*. Hæc mulier erat egreſſa de finibus Tyri
& Sidonis. *Tyrus* interpretatur triſtitia, vel angu- Cupiditas mundi.
ſtia magna & ſignificat cupiditatem mundi, quam
concomitantur triſtitia & anguſtia magna. Eccle-
ſiaſtici 27. *Sicut in medio compaginis lapidum pa-
lus figitur, ſic inter medium emptionis & venditionis
anguſtiabitur peccatis*. Hæc anguſtiatio accidit ex
hoc quod uterque intendit lucrari. De triſtitia ha-
betur Eccleſiaſtici 11. *Eſt homo laborans & feſtinans
& dolens impius & tanto magis non abundabit*. Pro-
pter dolorem annexum divitiæ dicuntur ſpinæ
Matth. 13. Proverb. 15. *Conturbat domum ſuam qui* Voluptas carnis.
ſectatur avaritiã. *Sidon* carnalem voluptatẽ ſignifi-
cat, interpretatur enim venatio triſtitiæ qui delecta-
tiones quærit, triſtitiam venatur, quia *riſus dolore
miſcebitur*. Prov. 14. Nec ſolum de *Tyro & Sydone*
exeundum eſt, ſed etiam de *finibus* ut etiam horũ oc-
caſiones vitentur. Diabolus libenter retinet homi-
nem inter fines Tyri & Sidonis Exod. 8. dixit Pha-
rao, *ego dimittam vos ut ſacrificetis Deo veſtro. Ve-
rum tamen longius ne abeatis*, &c. Qui deſerit ea Deſerere peccata.
per quæ fit appropinquatio ad peccatum, de fini-
bus Tyri & Sidonis exit, Verbi gratia. *Fines Sido-
nis*, id eſt, carnalis voluptatis ſunt ocioſitas & de-
lectabilitas cibi & potus, lectorum & veſtium ſua-
vitas, familiaritas perſonarum cum quibus peccari
poteſt, vel per quas procurari poteſt peccatum;
frequentatio loci in quo datur occaſio peccandi;
ſolitudo cum muliere. De *ocioſitate* dicit Eccleſia- Ocioſitas. Deliciæ.
ſticus 33. *Multam malitiam docuit ocioſitas*. De
deliciis. Bern. Periclitatur caſtitas in deliciis Epheſ.
5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*. De *ve-
ſtibus* Matth. 11. *Quid exiſtis in deſertum videre?
hominem mollibus veſtitum?* De *lecto* Proverb. 7.
*Intexui funibus lectum meum, ſtravi tapetibus pi-
ctis*. De *familiaritate*. Eccleſiaſtici 9. *Cum ſaltatri-* Familiaritas cũ muliere.
*ce ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas
in efficacia illius*. Et poſt. *Cum aliena muliere ne ſe-
deas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum*.
De *procurante peccata* legitur Judith. 12. Ubi Ho-
lofernus dixit vagao: *vade & ſuade hebræam ut
ſponte conſentiat habitare mecum*; & ſubditur po-
ſteà: *Non vereatur*, inquit vagao, *bona puella in-
trare ad dominum meum*. De *loci frequentatione*
dicitur. Danielis 13. De presbyteris. *Iſti frequenta-
bant*

bant domum Ioachim. Et *videbant eam quotidie ingredientem & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam ejus.* De *ſolitudine* cum muliere legitur Geneſ. 39. *Accidit quadam die ut intraret Ioſeph domum, & operis quidpiam abſque arbitris faceret, & illa apprehenſa lacinia veſtimenti ejus diceret: dormi mecum. Fines Tyri*, id eſt, cupiditatis ſunt ea quæ dant occaſionem tollendi alienum ut eſt multitudo familiæ. Nahum 2. *Leo ſufficienter cepit catulis ſuis, & necavit leænis ſuis* Geneſ. 19. *Nec ſtes in omni circa regione. Filia* hujus mulieris eſt *ſenſualitas* quæ frequenter agitatur, etiam poſtquam anima exivit de finibus Tyri & Sydonis. Hieronymus de ſe: Caro mea nigra erat ſicut æthiopis, & tamen adhuc in me incentiva libidinis pullulabant.

Solitudo.

Senſualitas.

4. Species orationis fructuoſa.

Clamat dicens: *Miſerere mei Domine.* Et *notandum* quod *duæ* ſunt ſpecies orationis. quædam eſt *fructuoſa*, quædam *infructuoſa*. Fructuoſa verò continet *quatuor* ſpecies.

1. Humilis.

Prima fit verecundo & humili affectu: talis fuit oratio Publicani, qui non audebat *oculos ſuos ad cœlum levare.* Lucæ 18. Et talis videtur oratio filii prodigi dicentis: *Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Lucæ 15. Verecundia multum placet. De impœnitente. Bernardus quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet ei erubeſcentia pœnitentis.

2. Pura.

Secunda ſpecies fit puro affectu. Talis fuit oratio Suſannæ dicentis. Danielis 13. *Domine tu ſcis quæ iſti malitioſe compoſuerunt adverſum me.*

3. Læta.

Tertia ſpecies fit læto affectu. Sic oravit Moyſes dicens. Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.*

4. Grata.

Quarta ſpecies fit grato affectu quæ eſt cum gratiarum actione. Unde beata virgo dicit. Lucæ 1. *Magnificat anima mea dominum.* Sed gratiarum actio debet habere humilitatem, aliter diſcordaret in auribus Dei, ſicut accidit in ſuperbo Phariſæo qui gratias agebat, quia non erat ſicut cæteri hominum. Luc. 18.

Et infructuoſa.

Infructuoſa verò ſimiliter *quatuor* habet ſpecies.

1. Simulata.

Prima eſt ſimulata; de qua Matth. 15. *Populus autem hic labiis honorat me, cor autem eorum longe eſt à me*: & ſumptum eſt de Iſaiæ 39. Secundum aliam litteram ubi nos habemus. *Pro eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me*, &c. Auguſt. quid prodeſt labiorum ſtrepitus ubi mutum cor eſt.

2. Incircumſpecta.

Secunda ſpecies, eſt oratio incircumſpecta, de qua Matth. 20. *Neſcitis quid petatis.*

3. Criminoſa.

Tertia ſpecies, eſt criminoſa oratio, quam faciunt qui ſunt in magnis criminibus ſine humilitate vel reverentia, Iſa. 1. *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.*

4. Ridiculoſa.

Quarta ſpecies eſt oratio ridiculoſa, qualis eſt oratio ſuperborum & hypocritarum, Superbi confidentes in multitudine operum ſuorum quaſi irrident Deum, dum manibus plenis eleemoſynam à Deo petunt, talis fuit oratio phariſæi ſuperbi. Lucæ 18. Dicentis: *Iejuno bis in ſabbato*, &c. Oportet manus eſſe vacuas per humilitatem, ſi quis vult impetrare gratiam à Deo, oratio hypocritarum ridiculoſa eſt, quod cùm petant eleemoſynam ab eo qui in cœlis eſt, manus tamen ad terram tendunt aliquid terrenum intendendo.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium in octo particulas diſciditur & explicatur.

SERMO LIII. Octo tentantur.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium & illud erat mutum. *Lucæ* 11.

HOc Evangelium *octo* continet. *Primo* Salvator miracula operatur. *Secundo* turba admiratur, ibi. *Et miratæ ſunt turbæ. Tertio* phariſæi blaſphemabant, ibi. *Quidam autem ex eis*, &c. *Quarto* quidam eum tentant, ibi. *Et alii tentantes*, &c. *Quinto* Salvator blaſphemiam contra ſe dictam deſtruit ibi. *Ipſe autem ut vidit cogitationes*, &c. *Sexto* Judæos reprehendit, oſtendens eos eſſe pejores quàm eſſent ante legis aſſumptionem, ibi. *Cum immundus ſpiritus* &c. *Septimo* mulier quædam eum laudat matrem ipſius beatificando, ibi. *Factum eſt autem cum hæc diceret*, &c. *Octavo* Salvator mulieri reſpondet auditores verbi Dei, & factores beatos eſſe oſtendendo ibi. *Quin immo.*

Erat Ieſus ejiciens dæmonium, &c. à corpore obſeſſo. *Et illud erat mutum*; id eſt, mutum faciens, erat & cæcum, ut dicitur. Matth. 12. *Et cum ejeciſſet*, &c. Beda in homilia, hujus Evangelii: tria miracula ſimiliter facta ſunt: dæmon enim expulſus eſt, cæcus vidit, mutus locutus eſt. I. Chriſtus Dæmonem ejicit.

Et admiratæ ſunt turbæ, minores opera Chriſti admirantur, majores verò blaſphemant: unde ſubditur. II. Turbæ mirantur.

Quidam autem ex eis, ſcilicet Phariſæi, *dixerunt. In Beelzebub principe dæmoniorum*, &c. Matth. 12. Sic habetur. *Phariſæi audientes dixerunt: hic non ejicit dæmones niſi in Beelzebub*, &c. III. Phariſæi blaſphemant.

Et *notandum* quod nomina idolorum ortum habuerunt à Belo patre Nini qui Ninive condidit, & nomine ſuo nominavit, qui Ninus diligens patrem ſuum, & de morte ejus valde dolens fecit fieri auream ſtatuam patris ejus ſimilitudinem exprimentem; quam habuit in tanta reverentia, ut, ſi ſervi fugitivi vel alii facinoroſi ad eam confugerent, ſecuri eſſent; ideo cœperunt homines illi imagini thurificare & divinos honores exhibere, videntes hoc Nino placere: quo exemplo cæteri de vicis adjacentibus in honorem patrum ſuorum ſtatuas aureas fecerunt fieri, & eas adoraverunt, & ſic pullulavit idolatria. Origo Idolorum.

A nomine verò Beli ſecundum diverſa idiomata diverſa nomina idolorum ſumpta ſunt. Nam Babylonii vocabant idolum ſuũ Belum, & alii Baalim, alii Baal, ſcilicet, Palæſtini, alii, ſcilicet, Moabitæ Beelphegor: ſic enim dicitur idolum centigenis, id eſt, Priapi. Judæi vero unius Dei cultores irriſionis cauſa idolum Sidoniorum, qui erant eis vicini, vocabant Beelzebub, quaſi virum muſcarum: Baal enim vir; Zebub, muſca interpretatur, quia muſcæ congregabantur ſuper idolum propter cruorem eorum quæ immolabantur, cui idolo dicebant præſidere principem dæmonum, ſcilicet, luciferum, cujus familiaritate vel conſideratione minores dæmones credebant obedire Chriſto, ut ad voluntatem ſuam exirent de corporibus obſeſſis. Varia nomina idolorum. Belus. Baalim. Baal. Beelphegor. Beelzebub.

Et alii tentantes, ad probandum, *ſignum de cœlo quærebant ab eo*, ut tonitruum, ſicut accidit tempore Samuelis. 1. Regum 12. vel ignem de cœlo, ſicut accidit tempore Heliſæi 3. Regum 18. & 4. Regum 1. Et hoc fuit proprium Judæorum ſigna quærere. 1. Corinth. 1. Judæi ſigna petunt; unde Petrus qui prævaluit in miraculorum operatione ad prædicandum Judæis miſſus eſt: tamen dominus non exhibet eis hæc ſigna ſciens, quod depravarent ea. IV. Alii tentant. Cur Chriſtus tentantibus ſigna neget.

Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, &c. Licet dominus non dederit eis ſignum viſibile de cœlo, tamen dat eis ſigna deitatis ſuæ, ad cogitata eorum reſpondendo, Dei enim eſt cor videre. 1. Reg. 16. *Deus intuetur cor.* Hieronymus ſuper Matth. Ad cogitationes reſpondet, ut ſic credere compellerentur, *omne regnum*, Primo probat dominus indirecta probatione quod non expellit dæmones in principe dæmoniorum: deinde probatione directa. Probatio indirecta eſt, cùm parte adverſarii ſumpta, ad inconveniens ducitur, ut ad veritatem V. Cognoſcẽdo cogitationes Deitatem indicat. Refutat blaſphemiam.

redeatur. Indirecta probatio talis eſt: *omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur*: hæc nota eſt. Chryſoſtomus: Concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Regnum ſathanæ in ſe diviſum eſt; hanc accipit ex hoc, quod dicunt eum in principe dæmoniorum ejicere dæmones. Ergo regnum Sathanæ deſolabitur, vel non ſtabit. Et ponitur hæc concluſio ſub interrogatione, *& domus ſupra domum cadet*, id eſt, familia contra familiam conſurget ut eam conculcet & conterat, deſolabitur, vel non ſtabit. *Si autem Sathanas in ſemetipſum diviſus eſt*, id eſt, regnum Sathanæ, *quomodo ſtabit regnum ejus? quia vos dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia*. Iſtud: *quia vos dicitis*, &c. conjungitur cum hoc: *Si Sathanas in ſe diviſus eſt*: & innuitur, quod media probatio hujus probationis ſumitur ex verbis eorum dicens: *Quomodo ſtabit regnum ejus?* &c. Ad hoc tendit, ut à regno diaboli recedant, quod ipſi elegerant: ex quo enim non ſtabit, deſerendum eſt, & ad Chriſti regnum tranſeundum. De quo regno dicitur Daniel. 2: *Suſcitabit Deus regnum cœli quod in æternum non diſſipabitur. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri*, id eſt, Apoſtoli, vel Judæorum exorciſtæ, in quo ejiciunt? Innuitur hic alia indirecta probatio, in qua ducitur ad id quod falſum eſt ſecundum opinionem eorum, ſcilicet, quod Apoſtoli, vel exorciſtæ Judæorum in principe dæmoniorum ejiciunt dæmonia, quod Judæi non credebant; imò ejectionem illam Deo attribuebant, cum ejectionem à Chriſto factam principi dæmoniorum attribuerent. Unde patet quod ex invidia movebantur. Beda in homil. Si expulſio dæmonum facta per filios veſtros exorciſtas Deo attribuitur, quare idem opus in me eandem non habet cauſam. *Notandum* quod Salomon tradidit quoſdam exorciſmos Judæis, quibus cooperantibus quibuſdam herbis & gemmis exorciſtæ Judæorum ejiciebant dæmones à corporibus obſeſſis, tamen virtute Dei: Apoſtoli etiam bene ſibi conſcii erant, nihil malè artis à Chriſto didiciſſe, qui ſecundum Auguſtinum filii Iudæorum hic vocantur. Sequitur: *Ideo*; ſcilicet, quia filios veſtros Dei virtute ejicere creditis dæmones. *Ipſi judices veſtri erant*: comparatione enim ipſorum apparebit vos eſſe damnabiles, qui illud quod in eis attribuitis Deo, in me invidia attribuitis diabolo. Per modum iſtum mulierculæ reges, & imperatores judicabunt: comparatione enim earum ipſi apparebunt damnabiles. Apoſtoli vero judicabunt per approbationem ſententiæ quaſi aſſeſſores Matth. 19. *Sedebitis ſuper ſedes 12. judicantes 12. tribus Iſrael. Porro ſi in digito Dei*, &c Hic aſſumit dominus id quod probatum eſt indirecta probatione, ſcilicet, quod in ſpiritu Dei ejiciat dæmonia non in principe dæmoniorum: Ex hoc oſtendens regnum Dei in brevi venturum. *Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia* Matth. 12. dicitur: *in ſpiritu Dei*; & eſt expoſitio ejus, quod hîc dicitur. Et *notandum* quod manus Dei dicitur filius, quia pater per filium operatur. Pſ. 143. *Emitte manum tuam de alto*: digitus verò dicitur Spiritus S. qui à patre procedit & filio, ſicut digitus à manu & corpore, & quia ſicut varii ſunt digiti, manus autem una; ſic varia ſunt dona Spiritus ſancti, unus tamen atque idem ſpiritus. Exod. 8. *digitus Dei eſt hic. Profectò venit*, id eſt, perveniet in vos regnũ Dei, id eſt, apertio ipſius regni quia in primo offeretur hoſtia, quæ januam regni aperiet: vel pervenit in vos regnũ Dei, quia Chriſtus inter vos eſt. Simile Luc. 17. *regnum Dei intra vos eſt*, id eſt, inter vos. Vel regnũ Dei poteſt dici interior vita ſanctorũ in qua Deus regnat, quæ vita eſt regia ſive regnatio. ſervire enim Deo regnare eſt. *Cum fortis armatus*. Hîc probat dominus directè ſumpta metaphora pugnatorũ, quod non ejicit dæmonia in principe dæmoniorũ; ſed virtute ſua, quæ major eſt fortitudine dæmonũ: *Cũ fortis armatus* ſcilicet diabolus, *cuſtodit atriũ ſuũ*, id eſt, mundũ. De fortitudine diaboli dicitur, Job 41. *Non eſt poteſtas*, &c. Ex Dei tamen miſericordia debilis eſt contra electos. Hieron Debilis eſt hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentẽ. Arma ejus ſunt mali, arcus ejus detractor; ſcutum hypocrita vel obſtinatus. Job 41. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia*. Pſ. 45. *Arcum conteret & confringet arma & ſcuta comburet igni*, ſcilicet, infernali. Galea ejus ſuperbi. 1. Regum 17. Dicitur de Goliath. *Caſſis ærea ſuper caput ejus*. Lorica ſunt luxurioſi. Eccl. 43. *Sicut lorica induit ſe aquis*. Diabolus mundũ cuſtodit ad damnationẽ, ſicut lupus cuſtodit ovile ad devorationẽ, quod canis cuſtodit ad defenſionẽ. *In pace ſunt omnia quæ poſſidet*, id eſt, peccatores, quos non vult inquietare, cum ſint ſui. Greg. Illos pulſare negligit, quos jure quieto poſſidere ſe ſentit. Iſta pax eſt periculoſior quàm guerra. Matth. 10. *Non veni pacem mittere in terram ſed gladium*. Vel in pace, id eſt in ocio quæ pax mala eſt. Sicut vinea quæ non foditur, in pace eſt, ſed deterioratur; & lorica quæ non induitur rubigine, conſumitur, ſic anima otioſa deterioratur Eccl. 33. *Multam malitiam docuit ocioſitas*. Pacem verò iſtam concomitatur interior vexatio. Iſaiæ 57. *Non eſt pax impiis dicit dominus. Si autem fortior illo*, ſcilicet, Chriſtus, *ſuperveniens*, id eſt, deſuper veniens. *Vicerit eum* triplici tentationi viriliter reſiſtendo, & paſſionem fortiter ſuſtinendo, *univerſa arma ejus*, id eſt, peccatores, quibus armatus erat, ſcilicet de univerſis aliquos auferet, *in quibus confidebat, & ſpolia ejus*, id eſt, peccatores, diabolo ablatos, *diſtribuet*, id eſt, diverſis Eccleſiæ officiis aſſignabit. De Chriſti fortitudine legitur. Iob 9. *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt*. Chryſ. ſuper Matth. Non debent timere hoſtem fortẽ qui habent principem fortiorẽ Ierem. 46. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt* ſed diſſimiliter; quia diabolus irreparabiliter cecidit, ſed Chriſtus cecidit ſurrecturus. Micheæ 8. *Ne læteris inimica mea, quia cecidi, conſurgam. Qui non eſt mecum*, &c. Hic oſtendit ſe non operari in principe dæmoniorum per hoc quod eſt ei diſſimilis, & contraria ei opera agit. *Qui non eſt mecum*, id eſt, qui mecum non convenit; cùm ego ſim humilis, & ipſe ſuperbus; ipſe malignus volens perdere, ego benignus volens ſalvare, *Contra me eſt*, mihi non conſentiens vel fœderatus. *Et qui non colligit mecum*, ad unitatem fidei vel dilectionis, diſpergit, per hæreſes & ſchiſmata.

VI. *Cũ immundus ſpiritus, &c.* Specialiter poteſt hoc intelligi de Iudæis, hoc modo. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine*, ſcilicet à Iudæis, *Ambulat per loca inaquoſa*, id eſt, tranſit ad gentes inaquoſas per defectum doctrinæ & gratiæ. *Quærens requiem* in eis, *& non inveniens; dicit: revertar in domum, unde exivi*, ſcilicet ad Iudæos non cognoſcentes viſitatorem ſuum, *& cum venerit invenit eam ſcopis mundatam*. Intellige priùs, ſcilicet, legalibus præceptis quaſi virgeis inſtrumentis: ſcopa enim dicitur virgeum inſtrumentum quo mundantur domus: *Et tunc vadit & aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe*, id eſt, univerſitatem dæmonum. Septenarius enim eſt numerus univerſitatis; *& ingreſſi habitant ibi: & ſunt noviſſima illius hominis pejora prioribus*; quia pejores ſunt Iudæi quàm olim fuerunt in Ægypto antequam acciperent legem; quia ſecundum Bedam: Major eſt infidelitas venientem non ſuſcipere quàm ventum non credere. Poſſunt etiam iſta intelligi de recidivante poſt baptiſmum vel pœnitentiam hoc modo: (*cum immundus ſpiritus exierit*) in baptiſmo vel pœnitentia ab homine diabolo abrenuntiante, ambulat per loca inaquoſa, id eſt,

Diſcordia regnum diſſipat.

Regnum Chriſti.

Ejectio dæmonis Deo adſcribẽda.

Exorciſmi Iudæorum.

Damnabilis Iudæorum invidia.

Apoſtoli Iudices.

Filius dicitur manus Dei. Spiritus S. digitus Dei

Quomodo regnũ Dei perveniat in nos.

Servire Deo eſt regnare.

Fortitudo dæmonũ.

Poteſtas dæmonis ligata eſt.

Arma dæmonis.

Arcus.

Scutum.

Galeæ.

Lorica.

Dæmon peccatores tam à ſe poſſeſſos non tentat.

Ocioſitas animæ pernicioſa.

Pax impiorum.

Non eſt ſimẽdus dæmon, licet fortis ſit.

Chriſtus cecidit, & ſurrexit.

Dæmon cecidit irreparabiliter.

Chriſtus & dæmon adverſarii.

Loca inaquoſa, ſunt Gentes.

Iudæi deteriores facti.

Recidivi poſt baptiſmum vel pœnitentiã peiores ſiunt.

Inſidiæ dæmonis.

id eſt, explórat corda fidelium ab omni malo humore ſiccata ſi quomodo intrare valeat: *Quærens requiem.* 1. Pet. 5. *Adverſarius veſter diabolus quaſi leo rugiens circuit quærens quem devoret. Revertar in domum meam unde exivi*, ad animam, ſcilicet, à qua per baptiſmum vel pœnitentiam ejectus ſum. *Invenit ſcopis*, ſcilicet, baptiſmo, vel pœnitentia. Iſa 14. *Scopabo eam in ſcopa.* David Pſal. 76. *Scopebam ſpiritum meum; mundatam*, à vitiis. *Septem ſpiritus alios*, ſcilicet ſeptem ſimulationes, quæ ſe virtutes mentiuntur; & ideo nequiores ſe, id eſt; apertis; quia ſecundum Auguſt. Simulata æquitas; non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas. Et diſtingue *tres* ſeptenarios. *Primus* eſt bonus, continens ſeptem dona ſpiritus ſancti. *Secundus* continet ſeptem ſpiritus nequam, ſcilicet ſeptem vitia, ſeptem donis contraria: luxuriam, quæ ſapientiæ opponitur, gulam oppoſitam intellectui Avaritiam oppoſitam conſilio: accidiam oppoſitam fortitudini: iram oppoſitam ſcientiæ. Invidiam oppoſitam pietati. Superbiam oppoſitam timori. *Tertius* ſeptenarius continet ſeptem ſimulationes ſeptem donorum, quas vocat nequiores, quia ſub ſpecie boni illaqueant imprudentes. Has ſeptem ſimulationes facit hypocriſis; ideo rectè hypocritis Dominus dicit ſepties væ vobis hypocritæ. Matth. 24. Proverb. 26. Dicitur de inimico: *quando ſubmiſerit vocem ſuam ne credideris ei; quia ſeptem nequitiæ ſunt in corde ipſius. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Chryſoſtomus: Difficilior erit pœna poſteriorum. 2. Petr. 2. *Melius erat viam veritatis non agnoſcere* &c.

Æquitas ſimulata.

Septenarius donariũ ſpiritus ſancti. Vitiorum. Filiarum. Hypocriſis.

Dæmon ſub ſpecie boni decipit homines.

Pœna recidivorum maior.

VII. Confutantur hæretici

Mulier de turba, non dives, vel nobilis, ſed de plebe communi. Dixit illi, Chriſto ſcilicet; quem phariſæi blaſphemant. *Beatus venter qui te portavit* &c. In hoc confutatur Manichæus, qui dicit, Chriſtum non habere verum corpus, ſed phantaſticum. Confutantur etiam alii hæretici, qui dicunt Chriſtum formaſſe ſibi corpus ex puro æthere & poſtea tranſtuliſſe in uterum virginis; quod ſi verum eſſet, non fuiſſet nutritus lacte virginis: ex eodem enim fonte lac nutriendis, & ſemen procreandis pueris emanat. Unde ſicut lacte Viginis fuit paſtus, ſic ſanguine virginis corpus ejus formatum fuit.

Factores legis ſervantes verbi Dei, beati dicuntur.

Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei &c. Additivè ſumitur, non privativè quaſi diceret. Non tantũ beata eſt Maria, quia portavit & lactavit: Sed maximè beata eſt, quia præcepta Dei opere ſervavit.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

De miſeria Dæmoniaci & peccatoris, de miſericordia Dei, de charitate offerentium miſeros Deo. Ad quæ Dæmon homines mutos reddat: quanti referat peccatoris agnoſcere ſuam miſeriam. Quæ peccata ſint miniſtrorũ Eccleſiæ.

SERMO LIV.

Erat Jeſus ejiciens Dæmonium & illud erat mutum.

Tria traćtantur.

HOc factum plenius narratur. Matth. 12. ubi ſic legitur: *Oblatus eſt Ieſu unus dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum; ita ut loqueretur & videret.* Circa quod factum *tria* nobis attendenda ſunt pertinentia ad ædificationem noſtram, ſcilicet magna miſeria patientis, magna miſericordia ſubvenientis, & quod oblatus ab alio, eſt curatus. *Miſeria patientis*, *triplex* fuit: & quælibet iſtarum tanta fuit, quod ad gravamen ſufficere potuit. Magna miſeria eſt habere dæmonium. Matth. 15. *Filia mea male à dæmonio vexatur.* Item magna miſeria eſt cœcitas. Tob. 5. *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo & lumen cœli non video?* Item magna miſeria eſt eſſe mutum; qui enim eſt mutus, eſt quaſi animal brutum. Magna vero *miſericordia Salvatoris* quæ totaliter ab hac triplici miſeria eum liberat, cùm liberatio ab una earum fuiſſet magnum beneficium. Liberatur autem non ſuam liberationem poſtulans, ſed ab aliis *oblatus*.

I. Miſeria patientis ſeu dæmoniaci. Triplex eſt
1. Habere dæmonium.
2. Eſſe Cæcũ.
3 Eſſe mutũ.
II. Miſericordia Salvatoris
III. Charitas Offerentiũ.

Peccator comparatur dæmoniaco Eſt tripliciter miſer.
1. Habet dæmonium.
2 Eſt cœcus.

Tenet autem figuram peccatoris iſte dæmoniacus cœcus & mutus, in quo Triplex Miſeria invenitur. Qui enim peccatum mortale committit, ſpiritum ſanctum quaſi manibus ſuis à ſe expellit & ſpiritum malignum in ſe introducit. Unde habet dæmonium, quod in eo dominatur. Auguſt. Super illud. *Immiſſiones per angelos malos.* In malis; inquit, poteſt diabolus ſicut in ſuo pecore niſi prohibeatur à majore 2. Timoth. 2. *A diabolo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* 2. Petr. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Poſtquam vero diabolus intravit in aliquem ipſe facit ad modum latronis, qui ingrediens domum, lumen extinguit, & ejus, quem vult ſpoliare, os obſtruit, ne clamans ſuccurſum habere poſſit. Sic diabolus illum in quo habet poteſtatem cœcum & mutum facit. Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem*, fures timent diem. Job. 24. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis*; ideo fur infernalis cœcitaté procurat, Iſa. 42. Quis *cæcus*, *niſi qui venundatus eſt*, ſcilicet, diabolo per peccatum ardor pravi deſiderii peccatoré excœcat, ſicut urſus dicitur excœcari ad pelvim ardenté: & To. 11. *excœcatus eſt calidis ſtercoribus.* Pſ. 57. *Supercecidit ignis & non viderunt ſolem.* Aug. in libro Confeſſionũ, ſpargis pœnales cœcitates ſuper illicitas cupiditates. Diabolus etiam procurat, ut peccator ſit mutus, ne orando vel confitendo impetret auxilium vel conſilium quo à poteſtate ipſius eripiatur. Et *notandum* quod ſicut animalia irrationalia dicuntur muta, licet aliquam vocem emittant, quia vox illa non eſt formata; ſic peccator dicitur mutus, quia non habet verba debita. Nemo dicit canem loqui, licet aſſiduè latret, vel ranam, licet coaxet. Auguſt. in lib. confeſſionum: Domine væ tacentibus te, quia loquaces muti ſunt. Circa *primam miſeriam* notandum eſt, quod peccator ad modum dæmoniaci habet magnam vexationem. Iſa. 57. *Impii quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt*: in eodem: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Vel ad modum dæmoniaci gaudet de hoc de quo flendũ eſſet Prov. 2. *Qui lætantur cum male fecerint & exultant in rebus peſſimis.* Sibi & alii ad modũ dæmoniaci nocet: ſæpe cadit in igné iræ, & ſæpe in aquam voluptatis prohibitæ, ubi ſubmergitur. Matth. 17. laqueos occultos uſuræ exquirit, ut ſe ſtranguler. proverb. 27. *Cor iniqui exquirit mala.* ſibi manus injicit, Sap. 16. *homo per malitiam occidit animam ſuam*, in alios inſilit, dentibus mordet. Matth 8. *occurrerunt ei duo habentes dæmonia ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Gal 5. *Si invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini.* De *cæcitate* peccatoris require Dominica I.

3. Et mutus.

Peccator vexatus dæmoniacus.

Fit Mutus ad tria.

Circa *tertiam miſeriam* notandum quod ad *tria* reddit diabolus hominem mutum: ſcilicet, ad *ſui accuſationem*, ad *Dei laudem*, ad *proximi ædificationem*. De *primo*. proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit ea, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Eccleſiaſtici 17. *à mortuo, quaſi nihil, perit confeſſio*: Peccator mortuus eſt; unde non eſt mirum, ſi mutus eſt qui mortuus eſt. *Septem* ſunt quæ hominem reddunt mutum ad confeſſionem. *Primum* eſt *pudor*. Eccleſiaſtici 5. *non confundaris pro anima tua*

I. Ad Confeſſionem.

1. Pudorem.

dicere verum. Bernard. O inſania! ablui pudet, & inquinari non pudet. *Secundum* eſt *dilatio*, Sophon. 2. *Vox cantantis in feneſtra, & corvus in ſuperliminari*, contra quod dicit. Eccleſiaſtici 5. *Ne tardes converti ad dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira Domini. Tertium* eſt *diffidentia* perſeverandi in pœnitentia proveniens ex multiplici recidivatione, hanc diffidentiam habent qui in Deo ſpem ſuam non poſuerunt Iſa. 40. *qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem. Quartum* eſt *hypocriſis* vel *vana gloria*, dicit enim hypocrita: Ego credor bonus, quomodo ergo hoc peccatum confiterer? Oſeæ 13 *Colligata eſt iniquitas Ephraim abſconditum eſt peccatum ejus. Quintū* eſt *timor pœnitentiæ* non aſſuetæ. 1. Machab. 5. *Si timuerit Iudas tranſire, & poſuerit caſtra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus adverſus illum*: Qui timet pœnitentiam non aſſuetam, ſimilis eſt habenti apoſtema, qui non ſuſtinet, quod ſanies effundatur, donec cancer eum invaſerit. Eccleſiaſtici 18. *Ante languorem adhibe medicinam*: ſed ſunt quidam qui foliis ficuum ſicut Adam operiunt ſe. Geneſ. 3. Qui diſcretius facerent ſi maſſam ficuum tollerent, & inde vulneri ſuo cataplaſma facerent, ut Ezechias fecit. Iſa. 38. ficus dulcedinem habens peccatum ſignificat: Unde de maſſa ficuum cataplaſma facit qui de ipſis peccatis medicinas facit, erubeſcendo de ipſis in confeſſione. *Sextum* eſt *fictio*: Quod impedimentum multum commune eſt. Bernard. Ignoſce domine ignoſce, excuſamus, tergiverſamur; vix eſt aliquis qui in his, quæ ad te ſunt, experiri velit, quid poſſit, etiam quod promptiſſimè poteſt ſecundum carnem vel ſeculum, ſive timor impulerit, ſive cupiditas traxerit; qui pro infirmitate corporali ſananda abſtinet continuè à vino, dicit ſe non ſemel poſſe in ſeptimana à vino abſtinere pro ſpirituali ſananda; qui fortis fuit ad malum, impotentem ſe dicit ad bonum. Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ.* Iſa. 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum* &c. Sapient. 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum* &c. *Septimum* eſt *incuria* ſive negligentia malæ conſuetudinis. Proverb. 18 *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Ad ædificationem proximi mutum hominem reddit culpa propria, qua aliquis ſe reum facit, Pſal. 106. Iniquitas oppilabit os ſuum. Proverb. 20. Suavis eſt homini panis mendacii, ſed os ejus implebitur calculo. Item avaritia Matth. 25. Qui autem unum talentum acceperat, abiens fodit in terram.

2. Dilationem. 3. Diffidentiā perſeverantiæ. 4. Hypocriſin. 5. Timorem Pœnitentiæ. 6. Fictionem. 7. Negligentiam.

II. Mutus ad laudem Dei.

A *laude Dei* verò mutum facit *ſuperbia*: ſuperbus enim ſe laudat, cùm deberet Deum laudare. Proverb. 27. *laudet te alienus & non os tuum*. 2. Corint. 10. *non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt* &c. Laus Dei deberet eſſe in ore hominis, ſecundùm illud: Semper laus ejus in ore meo. Iſa. 48. *Laude mea infrenabo te ne intereas*; ſed loco hujus fræni poſuit diabolus frænum ſuum in hominibus, ſcilicet frænum erroris quod erat in maxillis populorum, ſcilicet verba ſuperba. Apocal. 13. *Datum eſt beſtiæ os loquens grandia*; os jactantiæ, aſſuetum os beſtiæ ſive diaboli videtur eſſe.

Agnitio miſeriæ ſuæ.

Et *notandum*, quod valde eſt utile homini, ut agnoſcat magnam miſeriam quam habet qui eſt in peccato, & magnam miſericordiam Dei quæ eſt in liberatione ab ipſo. qui enim hoc agnoſcit ſi eſt in peccato miſeretur ſui & deſiderat exire de peccato. Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Auguſt. in libro confeſſionum. quid miſerius miſero non miſerante ſe ipſum. Si cecidit canis in aquam, conatur venire ad ripam; vel ſi avis cecidit in laqueum, conatur ad ſui liberationem: Quanta eſt ergo inſipientia hominis qui in peccatum cecidit, nec tamen ſuam liberationem quærit: & qui miſeriam peccati agnoſcit, ſi non eſt in peccato, timeat cadere in illud. 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat*: magis eſſet timendus caſus à ſtatu innocentiæ in peccatū, quam caſus à maxima turre quæ in mundo ſit. Item cognoſcens miſeriam peccati, ſi quandoque fuit in illa, & Deus eum liberavit, ſcit eſſe gratus liberatori ſuo, & libenter in ſervitium Dei expendit temporalem vitam qui ei remiſit mortem æternam. Bernard. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris ſed magis ut convertatur & vivat. Non vult Dominus mortē meam & non libenter offero ei vitam meam. Itē ſi in miſeria peccati nec eſt, nec fuit, ipſe ſcit eſſe gratus ſuo cōſervatori. Aug in libro de Virginitate: Multo ardentius debes diligere illum qui flagitioſis ad ſe converſis quæcunque dimiſit, in ea te cadere non permiſit. Talis etiā qui miſeriā peccati agnoſcit, cōpatitur proximo exiſtenti in peccato, & pro poſſe eum juvat, ut ab eo exeat; quod *ſpecialiter* pertinet ad miniſtros Eccleſiæ, eorū eſt dæmoniacum cœcum & mutum offerre ſalvatori: Ille enim nec pro ſua liberatione rogat nec ſupplicat, ſed frequenter è contrario illi animas Deo auferunt, qui eas offerre debuerunt.

Et miſericordiæ Dei. Compaſſiō cum peccatoribus.

III. Mutus ad ædificationem proximi. Septem vitia miniſtrorum Eccleſiæ.

Et *notandum* quòd *ſeptem* valdè periculoſa videntur eſſe miniſtris eccleſiæ. *Primum* eſt quòd pauperes defraudant à ſua portione temporalium bonorum, quod eſt quaſi homicidium. Eccleſiaſtæ 34. *Panis egentium vita pauperis eſt*: qui defraudat eum homo ſanguinis eſt. *Secundum* eſt quod eos qui ſunt in periculo decipiunt, tenentur naufragantibus ſubvenire, & non faciunt, in cura habent graviter infirmantes, nec de hoc curant; filios ſuos vident duci ad mortem, nec reſiſtunt. Proverb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem & eos qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes.* Si dixeris vires non ſuppetunt qui inſpector eſt cordis ipſe intelligit. *Tertium* quod illos qui ardent in purgatorio debent orationibus liberare & hoc negligunt. Auguſt. Miro modo gravis eſt ignis, licet non ſit æternus: exuperat enim omnem pœnam quam aliquis in hoc mundo perpeſſus eſt. *Quartum* eſt quod ſpiritum ſanctum vendunt per peccatum ſymoniæ. Damaſus Papa. Cætera crimina comparatione Simoniacæ hæreſeos pro nihilo reputātur. *Quintum* eſt quòd filium Dei in ſacramento altaris conculcant. Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur.* Quanto deteriora putatis mereri ſupplicia qui filium Dei conculcaverit & ſpiritui gratiæ fecerit contumeliam. *Sextum* eſt, quod filios ſuos fame verbi Dei perire permittunt. Gregor. Qui non ſtuduit ſolicitus eſſe in prædicatione particeps factus eſt in damnatione. *Septimum* eſt quod venenatis exemplis paſcendo filios ſuos occidunt. Zach. 11. *Paſce pecora occiſionis, quæ qui paſcebant, occidebant.* 1. Thim. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo & converſatione.* Ad Titum 2. *in omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum.*

1. Defraudant pauperes. 2. Peccatores. 3. Animas purgatorii. 4. Spiritum ſanctum vendunt. 5. Filium Dei conculcant. 6. Verbū Dei ſubtrahunt. 7. Malo ſunt exemplo.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

De dæmonibus ejectis de cælo, corporibus obſeſſis, mundo, animabus; & ſeptem modis quibus ejicitur ex homine.

SERMO LV.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium &c.

Salvator dæmonem ejecit, De Cælo.

NOtandum quod opus Salvatoris eſt Dæmonium ejicere. Primo ejecit illud de cœlo. Ezech. 28. *Tu Cherub peccaſti & ejeci te.* Ejiciebat etiam

De corporibus. De mundo Ab animabus.

etiam eum de corporibus obſeſſis, ut hîc habetur. Ejecit eum de mundo in paſſione ſua. Ioan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*: quotidie etiam ipſum ejicit ab animabus. Væ illis qui aſſumpſerunt officium contrarium officio Salvatoris, introducentes diabolum in homines. Potius videntur eſſe tales Antichriſti, quàm Chriſtiani: tales ſunt ſuaſores, vel conſultores, vel conciliatores turpitudinis. Item væ illis qui bonis ſibi datis utuntur ad retinendum diabolum, ne ab eis exeat. Ut qui per juventutem, vel pulchritudinem vel nobilitatem ſe excuſant, vel defendunt in peccatis ſuis, & eiſdem bonis utuntur ad repellendum Deum à ſe. Item væ illis, qui velut muro claudunt diabolum ſecum aſſuetudine peccandi, duritiam & obſtinationem faciendo in ſe ipſis. Item væ illis qui ad modum canis obſervant, ne aliquod foramen fit in hominibus, per quod Deus intret: bonâ quæ vident fieri ab hominibus, deridendo, ut auditum verbi divini vel aliquid ſimile. Item væ illis qui ſerpentem infernalem ad modum ciconiæ roſtro & unguibus in ſe defendunt, corripientibus ſe convitiis, & maledictis reſiſtendo.

Septẽ modis dæmon ab homine ejicitur.

Et *notandum* quòd multis modis ſpiritualiter Diabolus ab homine ejicitur. *Uno modo* auditu verbi divini quod figuratum eſt. 1. Reg. 16. ubi legitur: quòd *David tollebat cytharam & levius ſe habebat Saul*: quæ cythara figuram tenet ſacræ doctrinæ.

1. Auditu verbi Dei.

2. Aqua lachrimarum & ſapientiæ

Secundo ejicitur diabolus aquâ, cum ille, in quo erat, mergitur aquâ, fugit diabolus, nolens ſubmergi; quod verum eſt & de aquis lachrimarum, & de aqua ſapientiæ Salvatoris. Pſal. 37. *Contribulaſti capita draconum in aquis*. In aqua ſapientiæ ille ſe mergit qui totum ſe ponit in ſtudio; & tunc diabolus ſolet eum relinquere, ut accidit ſcholaribus, qui in patria ſua malè vivunt, Pariſiis verò in ſtudio bene ſe habent.

3. Oratione.

Tertio ejicitur diabolus per orationem Tobiæ 6. Dixit angelus Tobiæ: *Particulam cordis, ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*. Fumus particulæ cordis ſuper carbones poſitæ ſignificat devotionem orationis. Particula cordis ſuper carbones ponitur, cum affectus igne divini amoris accenditur.

4. Jejunio.

Quarto ejicitur per jejunium ſicut fames facit lupum exire de nemore. Marc. 9. *Hoc genus dæmonii non poteſt exire, niſi in oratione & jejunio*. Matth. 12. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem & non inveniens.*

5. Virga diſciplinæ.

Quinto ejicitur virga diſciplinæ. Proverb. 22. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, virga diſciplinæ fugabit illam*. Legitur de beato Benedicto quòd percuſſione effugavit diabolum à quodam monacho, qui ſolitus erat exire de monaſterio, fratribus ponentibus ſe in oratione.

6. Increpatione.

Sexto ejicitur diabolus clamoribus & increpationibus, ad modum lupi. Hodie tamen potiùs acclamatur, contra oves vel agnos quàm contra lupos. Iſaiæ 58. *Clama ne ceſſes.*

7. Fruſtatim.

Septimo ejicitur ſerpens infernalis ab homine velut per fruſta; velut cauda ejus ejicitur, cum actus peccati exterior deſeritur; velut medium verò; quando deſeritur, voluntas peccandi vel cogitatio de peccato; velut caput ejicitur, quando intentio mala deſeritur. Eccleſiaſtici 25. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri*. In eodem 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.*

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SERMO LVI.

SUMMARIUM.

De ſeptem vitiis capitalibus, & ſeptem motivis confeſſionis.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium &c.

Septem capitalia peccata comparantur ſeptem dæmoniis.

NOtandum quòd cum dæmonium dicatur eſſe in homine per peccatum, quaſi ſeptem dæmonia habet, qui ſepem habet capitalia vitia, ideo debet inſtare erga ſalvatorem ut ea expellat à ſe, qui à Magdalena ſeptem expulit dæmonia. Lucæ 7. Facit autem ſcriptura mentionem de ſeptem dæmoniis quæ ad hæc ſeptem vitia poſſunt referri.

I. Superbia.

Primum dæmonium eſt Beelzebub princeps dæmoniorum, de quo tangitur in Evangelio hodierno. Ad hoc dæmonium pertinet ſuperbia, quæ eſt regina peccatorum; cui bene convenit interpretatio nominis.

Superbi ſimiles muſcis. Propter inſtabilitatem.

Interpretatur enim Beelzebub, princeps muſcarum. Superbia eſt princeps ſuperborum, dominatur enim eis. Qui aſſimilantur muſcis in inſtabilitate, murmuratione, & immunditia. Ipſi ſunt inſtabiles, quia ſunt ſine pondere timoris, qui eſt anchora mentis, ut dicit Gregorius: Ideo ſunt *ut pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*. Pſal. 1. Iob. 7. *Tollet eos ventus urens, & velut turbo capiet de loco ſuo* ipſi ſunt paleæ igni comburendæ. Matth. 3. *Paleas comburet igne inextinguibili.*

Murmurationem. Immũditiam.

Superbi muſcæ ſunt, quantum ad murmurationem, quia *inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*. Proverb 13 Item quantum ad immunditiam, quia ſicut muſca carnibus, quibus inſidet, corruptionem relinquit, ſic ſuperbia in carnalibus mentibus vermem relinquit invidiæ. Proverb. 14. *Putredo oſſium invidia.*

II. Invidia.

Secundum eſt dæmonium, quod invaſit Saul quod pertinet ad invidiam. 1. Reg 18. Poſtquam autẽ audivit Saul Choros cantantes: *percuſſit Saul mille, & David decem millia*; ait: mihi dederunt mille, & filio Iſai. decẽ millia; & ſequitur: Et ſpiritus malus invaſit Saul, & poſt *non rectis oculis aſpiciebat Saul David*. Invidiæ eſt non rectè aſpicere, cui invidet: unde nominatur invidia, eò quòd non rectè ſinat videre.

III. Ira.

Tertium eſt dæmonium faciens mutum de quo habetur in Evangelio hodierno. Matth. 12 habetur quod habens dæmonium *illud erat cæcum*. Secundum Hieronymum, tria ſunt ibi facta miracula, cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur; & pertinet hoc dæmonium ad vitium iræ, quæ habet tres effectus in homine.

Ira tria efficit in homine Excæcat.

Ira enim excæcat animum ne poſſit cernere verum. Epheſ. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

Ligat. Tradit dæmonius.

Item ligat linguam, quia ad literam non permittit debito modo loqui, ſed verba objurgationis, & blaſphemiæ Item hominem in poteſtatem diaboli ponit; quod patet per inordinatos motus & geſtus iracundi, qui ad modum furioſi ſe habet: unde quod ſuggerit ei diabolus, ſtatim cum impetu vult facere. Epheſ. 4. *Nolite locum dare diabolo*, Gloſſ. in ira perſeverando.

IV. Acedia.

Quartum eſt dæmonium, de quo. Matth. 15. *Filia mea male à dæmonio vexatur*, hoc pertinet ad peccatum acediæ. Ratio eſt ut mater voluntatis, quia habet eam regere. Voluntas verò accidioſi in bonis non invenit ſaporem vel delectationem, cum quaſi acetoſa ei facta ſunt; unde magnam habet afflictionem. Seneca. Tractatione bonarum artium occupandi ſumus quotiens malè habet inertia impatiens ſui.

V. Avaritia.

Quintum eſt dæmoniũ, quo vexabatur lunaticus ille, de quo dicitur. Matth 17. & Marc. 9. Quia *frequenter miſit eum* diabolus *in ignem & aquam, ut eum perderet*, hoc pertinet ad avaritiã.

Avaritia ſimilis Lunæ.

Avarus eſt ut lunaticus, ſecundũ curſũ lunæ patiẽs, id eſt ſecundũ mutationẽ temporaliũ quæ per lunam ſignificantur, quæ creſcit & decreſcit: ſic tẽporalia variabilia ſunt & ſecundũ ea avarus mutatur. Eccleſiaſtici 27. *Stultus ut luna mutatur*, ſcilicet, per proſpera & adverſa. Quandoque mittitur in ignem, id eſt, ardorem luxuriæ, ſuccedentibus proſperis: quandoque in aquam triſtitiæ accurrentibus adverſis.

VI. Gula.

Sextum eſt illud, de quo legitur. Marc. 5. *Occurrit Ieſu homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habe-*

Gula maculat.

bat in monumentis, &c. Cui nomen erat legio, & porcos in mare præcipitavit, hoc dæmonium pertinet ad vitium gulæ, quod immundum eſt. Maculat enim membrum, in quo magis indecens eſt immunditia, ſcilicet, os. Iudæ 11. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ*, &c. maculat etiam, quia ad luxuriam trahit; quia ſicut dicit Hieronymus venter & genitalia ſibi confinia ſunt, & dum unus edacitate reficitur, alter ad contumelias excitatur. Monumenta ſunt loca mortuorum fœtida: domicilium ergo habet hoc dæmonium in monumentis, quod in corporibus guloſorum fœtidis in quibus velut in ſepulchris, jacent animæ eorum proſtratæ, à quibus vita gratiæ receſſit. Numeri 11. *Filij Iſrael proſtrati ſunt in ſepulchris concupiſcentiæ*. Pſal. 77. *Adhuc eſca eorum erãt in ore ipſorum*, &c. Hoc dæmonium rectè vocatur legio, quia peccata multa concomitantur hoc vitium.

Damna è gula ſequẽtia.

Væ æternũ.

Proverb. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffoſſio oculorum? non ne-his, qui ſtudẽt calicibus epotãdis.* Guloſis debetur duplex væ: æternum & temporale. De primo Iſa. 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum*. De ſecundo. Proverb. 20. *Operarius ebrioſus non locupletabitur*.

Temporale.

Diſcordia.

Patri etiam ebrioſi debetur væ, quia tales ad literam depauperant parentes ſuos. Iſtis etiam ſunt rixæ & diſcordiæ. Proverb. 20. *Luxurioſa res eſt vinum & tumultuoſa ebrietas*: ipſi etiam ſunt foveæ, id eſt, præcipitatio de peccato in peccatum. Prov. 23. *profunda fovea eſt meretrix*. Iſtis ſunt ſine cauſa vulnera, amittunt enim effectus membrorum ſine ferro & gladio: his accidit ſuffoſſio oculorum, non ſolum exteriorum, ſed etiam interiorum, ſubtrahitur enim eis lux gratiæ, Sapiẽt. 5. *Lux juſtitiæ non illuxit nobis*.

Vulnera. Oculorum ſuffoſſio.

VII. Luxuria.

Hoc dæmonium porcos in mare præcipitat, id eſt, homines in luto voluptatis morantes in amaritudinem æternæ damnationis. *Septimum* eſt dæmonium: de quo legitur. Tob. 3. quod dæmonium, nomine Aſmodeus, occidit ſeptem viros Saræ: hoc pertinet ad peccatum luxuriæ. Ejuſdem 6. *Oſtendam tibi, quibus prævalere poteſt dæmonium, his qui conjugium ita ſuſcipiũt, ut Deum à ſe, & à ſua mente excludant*, &c. Pſal. 34. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum & angelus domini perſequens illos.* Qui fugiunt lumen ſapientiæ, & delicatè vivunt, perſequitur ſpiritus luxuriæ, & comprehendit. *Et illud erat mutum.*

Notandum quod in hac dominica non legitur Evangelium ſecundùm Matthæum, quod oſtendit hunc dæmoniacum fuiſſe mutum & cæcum; ſed Evangelium ſecundùm Lucam, quod ſolùm oſtendit ipſum fuiſſe mutum; quia contra illos qui tali tempore muti ſunt à confeſſione peccatorum ſuorum recitatur.

Qua parte dæmon hominem capiat & teneat.

Et ſciendum quod lupus non capit agnum per pedem, ſed per collum ne clamet: ſic diabolus non capit peccatorem per pedem, imò permittit eum ire ad ſanctum Jacobum: nec per manum; imò permittit, ut faciat eleemoſynam: ſed capit eum per collum, ne verbum confeſſionis peccatorum per illud exire poſſit; unde multum conandum eſſet tempore iſto ad removendum vinculum colli ab hominibus. Iſa. 52. *Solve vincula colli tui*, &c.

Septem motiva Confeſſionis faciendæ

Septem ſunt per quæ poſſunt induci peccatores ad pœnitentiam & confeſſionem peccatorum ſuorum. *Primum* eſt magnitudo periculi, in quo ſunt. *Secundum* eſt facilitas remedij. *Tertium* eſt tenuitas impedimenti. *Quartum* eſt bonum quod ex confeſſione ſequitur in preſenti. *Quintum* bonum quod ex ea ſequitur in futuro. *Sextum* eſt malum quod ex taciturnitate ſequitur in præſenti. *Septimum* eſt malũ quod ex ea ſequitur in futuro. *Duo prima* oſtendenda ſunt conjunctim; non poſſunt tamen oſtendi, niſi oculis cordis. Spiritualia enim ſunt, & oculo corporis non videntur.

I. Magnitudo periculi.

Sciendum ergo quod ille qui in peccato mortali eſt, indubitanter in ore diaboli eſt. Job 36. *Salvabit te ex ore anguſto latiſſimè*: os diaboli anguſtum eſt volenti exire, ſcilicet, latiſſimum eſt intranti.

II. Facilitas remedii.

Viſa magnitudine periculi attende facilitatem remedij, quod ipſa natura bruta animalia docuit, ut ſcilicet clament, ſi capiantur, te verò non oportet clamare. Sed ſufficit ſubmiſsè loquendo peccata tua Sacerdoti revelare. Item qui eſt in peccato mortali laborat leprâ periculoſiſſimâ, propter quam ſeparabitur à cõſortio Dei & angelorũ à qua facili ablutione mundari poteſt. 4. Regum 5. *Vade lavare in Iordane ſepties, & recipiet ſanitatem caro tua.*

Ablutio Naaman confeſſionẽ iudicat.

Septies lavari in Jordane eſt ſeptem criminalia peccata humiliter confiteri: nec multum conſtat iſta ablutio, cùm ſolo verbo fiat. Si rem grandem dixiſſet tibi Propheta dicunt ſervi Naaman, facere debueras, quantò magis, quia dixit tibi; lavare & mundaberis. Item magnis debitis obligatus eſt, qui in mortali eſt peccato, æterno carceri tradendus, niſi ſe hîc abſolverit. Solâ autem computatione poteſt ſe abſolvere, pro magna parte. Meritò ergò tradetur carceri ſi ſe non abſolverit Matth. 18. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus quo adusque redderet univerſum debitum.

III. Tenuitas impedimenti.

Circa *tertium* notandum quod pudor multos impedit à confeſſione peccatorum ſuorum, quod impedimentum valdè tenue eſt: timere enim verecundiam de peccatis, de quibus homo contritus, eſt quaſi timere Ægyptios mortuos, vel exercitum Pharaonis infernalis jam ſubmerſi in mari rubro, id eſt amaritudine contritionis: mira timiditas illorum qui de mortis non audent loqui.

Refutatur pudor confitentium

Magna etiam fatuitas talium qui timent ne ſacerdos peccata eorum abhorreat, non attendentes, quod ſacerdos aſſuetus talibus, ea quaſi non reputet, ex quo vidit & cognoſcit bonam voluntatem confitentis; ſicut Balaam monſtris aſſuetus ad vocem aſinæ non expavit. Tales timent ne ſacerdos eos valdè malos reputet, ſi horribilia peccata ei confiteantur, cùm ſacerdos è contrario ex hoc eos bonos poſſit reputare.

Confeſſariò bene de cõfitentibus ſentiendum.

Scit enim quod in vera confeſſione peccata remittuntur, & præſumere poteſt de illo, qui peccatum horribile confitetur, quod confiteretur alia ſi haberet; unde poteſt credere confitentem bonum, & quaſi ſanctum eſſe à quo peccata per confeſſionem exierunt. Non eſt credendus aliquis immundus quòd bene ſe lavit, nec infirmus cujus infirmitas bene purgata eſt, nec inimicus principis, qui inimicos magnos principis ei tradidit. Præterea quod damnum eſt confitentis, ſi ſacerdos de eo malam opinionem habeat? Nunquid propter hoc peccator minus valebit? nunquid peccator ſe vult vendere ſacerdoti, ut tantum deſideret à ſacerdote multum appreciari? Videtur in opinione ſacerdotis beatitudinem ſuam poſuiſſe, qui eum æternæ fœlicitati præponit.

Pudor confitendi diaboli frænũ.

Pudor confitendi quaſi quoddam frænum eſt quod diabolus peccatori impoſuit, ut ad voluntatem ſuam eum ducat. Iacob. 3. *Equis fræna in ora mittimus*, &c. unde viriliter eſſet excutiendum hoc frænum. Erubeſcentia de peccatis eſt remedium à Deo datum, ſed fatuo convertitur diaboli ſuggeſtione in venenum, dum propter eam dimittit confiteri.

IV. Bonum præſens confeſſionis.

Circa *quartum* notandum, quod ex confeſſione in præſenti ſequitur multiplex bonum; ut peccatoris exoneratio: Videtur enim peccatori, cum confeſſus eſt peccatum, quod multum timebat confiteri, quod à magno onere ſit exoneratus. Item curiæ cœleſtis lætificatio. Luc. 15. *Gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Item dæmonum contriſtatio, & à morte ſpirituali ſuſcitatio. Non minus eſt, quod ex confeſſione ſequitur, quàm creare

V. Bonum futurum Confeſſionis. cœlum & terram, ſcilicet, impij juſtificatio. Circa *quintum* notandum quod bonum quod ſequitur ex confeſſione in futuro & gloria æterna. Eccleſiaſtici 4. *Non confundaris pro anima tua dicere verum: Eſt enim confuſio adducens gloriam.* VI. Præſens malum eſ confeſſionis omiſſo. Circa *ſextum* notandum quod in præſenti multiplex malum ſequitur ex taciturnitate peccatorum, & dæmonum irriſio: irridere enim dæmones poſſunt eum, qui non audet confiteri peccata ſua, dicentes, videte de fatuo iſto, qui permittit ſe furari, & neſcit clamare, quod brutum animal ſciret facere. Neſcit aperire oſtium oris ſui, quod eſt ſine clave & ſine ſerra, ut à periculoſo carcere liberetur, quod faceret puer ſeptem annorum. Sacerdos qui eum liberare debuit, nobis eum cuſtodit. Unde habenti oculos cordis apertos majorem erubeſcendi materiã habet taciturnitas quàm confeſſio; ſpectaculum factus eſt Deo & Angelis, qui eum mutum admirantur. Item taciturnitatem iſtam concomitatur oneris gravitas. Iniquitates enim quas non confitetur ſicut onus grave gravantur ſuper peccatorem. Item concomitatur eam detentio in carcere diaboli. VII. Futurum. Circa *ſeptimum* notandum, quod malum ſequens ex hac taciturnitate in futuro, confuſio eſt æterna. Eccleſiaſtici 4. Eſt confuſio adducens ignominiam. Nahum. 3. *Revelabo pudenda in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Jerem 20. Confundentur confuſione vehementi, *quia non intellexerunt opprobrium quod* nulla oblivione delebitur. *Et illud erat mutum.* Qui ſint dæmones muti. *Notandum* quod cum dæmon ſciens interpretatur dæmonium mutum, eſſe videtur litteratus, qui alios ædificare negligit. Proverbiorum 11. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. Eccleſiaſtici 30. *Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.* Item dæmonium mutum eſſe videntur, qui ſic volunt loqui ut non intelligantur. 1. Corinth. 14. *Si venero ad vos linguis loquens, quid prodeſt?*

DE EADEM.

SERMO QUINTUS.

SUMMARIUM.

Confeſſionem non differendam, nemini invidendum, hoſti reſiſtendum, verbum Dei non faſtidiendum. De ſeptem malis recidivationis octo cauſis, ob quas recidivus pejor fiat, laudibus B. M. Virginis. factores legis beatos eſſe.

SERMO LVII.

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, &c.

Quatuor diſſuadentur. ET notandum quod in Evangelio hodierno *quatuor* mala nobis diſſuadentur. 1. Negligẽtia confeſſionẽ differens. *Primo* negligentia confeſſionem peccatorum differens. 2. Invidia de alieno bono. *Secundo* invidia bonis alienis detrahens. 3. Imprudẽtia non reſiſtẽs hoſti. *Tertio* imprudentia non non reſiſtens hoſti. 4. Faſtidium verbi divini. *Quarto* faſtidium divini verbi. *Primum* in hoc quod dæmonium mutum dicitur. In hoc enim innuitur quod diaboli machinatione efficitur ut à confeſſione peccatorum ſuorum aliquis obmuteſcat. *Invidia* verò diſſuadetur, ubi contra blaſphemiam Phariſæorum invidorum diſputatur. *Imprudentia* verò non reſiſtens hoſti diſſuadetur, ubi de reditu immundi ſpiritus ad domum, à qua exierat, agitur. *Faſtidium* verbi divini diſſuadetur, ubi auditus verbi divini commendatur.

Alii remanent in peccatis. Alii non perſeverant in pœnitentia inchoata. *Duo prima* pertinent ad eos, qui in peccatis ſuis remanent. *Duo ultima* ad eos qui pœnitentiam inchoant, ſed in ea non perſeverant. Inter eos verò qui in peccatis remanent, quoſdam detinet timor mali pœnalis, ut eſt, pudor confeſſionis, vel ſatiſfactionis labor, quoſdam verò odium boni, ut eos, qui bonum in proximo impugnant. Inter illos verò qui non perſeverant in pœnitentia inchoata, quibuſdam eſt occaſio recidivandi quod delicatè vivunt; quod per oppoſitum datur intelligi, ibi: *Ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens,* &c. Aliis verò quod otioſi ſunt: unde Matth. 12. dicitur: *Invenit eam vacantem.* Aliis defectus cibi ſpiritualis. Pſal. 106. *Eſurientes & ſitientes anima eorum in ipſis defecit.* De illis, qui ad confeſſionem diaboli machinatione ſunt muti, jam dictum eſt. Invidia quã perniciosa. De invidia verò quæ divina opera videns cùm deberet laudare, non timet blaſphemare, dicit Chryſoſtomus. Invidia non quærit quid dicat, ſed ſolum, ut dicat. Item Chryſoſtomus. Æmulatione non eſt malitia alia deterior. Adulter enim complet in brevi peccatum ſuum. Æmulatio verò nunquam quieſcit. Item Chryſoſtomus. Sicut porcus gurgite & dæmones jacturâ noſtrâ, ita hi proximi malis lætantur. Invidia aliena bona non loquitur: ibi muta eſt, circa mala loquax. Propter hanc invidiam, de qua habetur in Evangelio hodierno, cantatur etiam hodie de Joſeph vendito ex invidia fratrum. Invidus imitatur diabolum. Invidiâ imitatur homo diabolum, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum. Sapient. 2. Ideò in Epiſtola legitur: *Imitatores mei eſtote.* Epheſ. 5. quaſi dicat: Nolite eſſe imitatores diaboli invidi, ſed mei. *Cum immundus ſpiritus,* &c.

Diabolus ſpiritus immundus triplicitèr. Notandum quod diabolus ſpiritus immundus dici poteſt, cùm per peccatum eſt in homine. Spiritus verò nequam, cùm eſt in homine per corporalem vexationem, 1. Reg. 16. *Spiritus nequam exagitabat Saul.* Item *notandum triplicem* ſpiritum immundum eſſe in homine per *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ.* Apocal. 16. *Vidi de ore beſtiæ & de ore draconis, & de ore pſeudo-prophetarum exire tres immundos ſpiritus in modum ranarum. Ambulat.* Diverſis vitiis tentando. *Per loca inaquoſa.* Matth. 12. dicitur: *Per loca arida* ipſe explorat corda fidelium ab omni humore malo ſiccata, ſi quomodo intrare valeat. 1. Petri 5. *Adverſarius veſter,* &c. *Quærens requiem & non inveniens,* dicens: *Revertar,* &c. Diabolus requiem in loco arido non invenit. Unde ſignificatus eſt, per piſcem illum, qui voluit devorare Tobiam quem extraxit in ſiccum & palpitans occiſus eſt. Si diabolus vult te devorare, extrahe illum in ſiccum, carnales delicias ſubtrahendò. Item *dormit in locis humentibus.* Job 40. Ezech. 29. *Draco magne qui cubas in medio fluminum.* Item quærit hoſpitem qui mollem lectum ei faciat, & ſplendidè eum reficiat. Talis hoſpes fuit dives, *qui induebatur purpura & byſſo.* Lucæ 16. *Et cum venerit, invenit ſcopis mundatam & ornatam.* Matth. 12. ponitur tertium, ſcilicet, *vacantem.* Et *notandum* quod ſic fit cum Dominus recipitur in domum aliquam ſicut ſolet fieri in receptione magnorum. Solet enim domus ſcopis mundari per ancillas, deinde ornari. Confeſſarii & Concionatores ſcopantes conſcientiam aliorum. Ancillæ ſcopantes vel ſcopentes ſunt Pœnitentiarij & Prædicatores. Proverb. 9. *Miſit ancillas ad arcem.* Job. 40. *Ligabis eum ancillis tuis.* David Pſal. 77. exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Et *notandum* quod immunditia cùm de domo ſcopendo ejicitur, non debet projici ante ingreſſum domus, de qua ejecta eſt, nec ante domum vicini, ſed longè: ſic peccata procul releganda ſunt. Geneſ. 19. *Non ſtes in omni circa regione:* hæc elongatio multum diſplicet diabolo. Unde Marc. 5. dicitur de legione dæmonum, quod *deprecabantur eum multum, ne ſe expelleret de regione.* Conſcientia mundata, ornanda eſt virtutibus. Conſcientia verò expulſione vitiorum mundata, ornanda eſt decore virtutum, quem ornatum ſequi debet exercitatio bonorum. Vacatio enim multis eſt occaſio ruinæ. David in otio commiſit homicidium & adulterium, 2. Reg. 11. Eccleſiaſtici 33. *Multa mala docuit otioſitas.* Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſuperbia, ſaturitas, & panis abundantia, & otium.* Et aſſumit

alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe. Quod dicitur de his ſeptem ſpiritibus referri poteſt ad ſeptem mala, quæ ſolent ſequi ex frequenti recidivatione, ſcilicet, diffidentia ſtandi, dilatio confeſſionis, dimiſſio pœnitentiæ aſſumptæ, additio peccati ad peccatum, elongatio à Deo; dimittit enim talis facere ea, quæ ſolent habilitare ad gratiæ ſuceptionem, ut eſt auditus verbi divini, bonorum familiaritas, & ſimilia, vel blaſphemia, Deo enim imputat peccatum ſuum. Talem ſequitur contemptus: *Impius cum in profundum venerit vitiorum, contemnit.* Proverb. 18. *Et ingreſſi habitant ibi* Iſa. 13. *Replebitur domus ejus draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones.* Draco volat, unde ſignificat ſpiritum ſuperbiæ. Flatu adurit, unde ſignificat ſpiritum iræ. Veneno necat, & ſecundum hoc ſignificat ſpiritum invidiæ. Struthio habens pennas ſimiles pennis herodij, pondere tamen carnis volare non valens, hypocriſin ſignificat, quæ habet virtutum ſimilitudinem: unde pennas videtur habere, ſed non volat, quia ad ima terrenis deſiderijs inclinatur. *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Ioan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam amplius noli peccare ne deterius aliquid tibi contingat.* Bernardus. Recidere, quàm incidere, deterius eſt. 2. Petri 2. *Melius eſt viam veritatis non agnoſcere*, &c. Eccleſiaſtici 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu & ne adijcias peccatum ſuper peccatum.* Recidivans facit ſicut ille, qui poſtquam omnia bona ſua in domo ſua congregaſſet, ignem apponeret: vel ſimilis eſt illi, qui poſtquam de naufragio evaſiſſet, & in nave ſecura ſe poſuiſſet, rurſum in mare ſe præcipitaret: vel ſimilis illi, qui poſtquam pulchris veſtibus ſe induiſſet, in luto ſe volutaret. 2. Petri 2. *Canis reverſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Proverb. 26. *Quaſi canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens* homo *qui iterat ſtultitiam ſuam.* Eccleſiaſtici 1. Secundùm literam unam perverſus non poterit adornari. Adornatus enim ſe inquinat. Eccleſiaſtici 10. *Quis honorabit exhonorantem animam ſuam.* Recidivanti accidit ſicut uxori Loth. Quæ *reſpiciens poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Geneſ. 19. Lucæ. 16. *Memores eſtote uxoris Loth.*

Diabolus ſpiritus nequam.
Septem mala oriuntur à recidivatione.
Diabolus draco; draconiſque proprietas.
Struthio.
Recidivus ſimilis Incendiario.
Naufrago.
Ci
Sui.
Vxori Loth

Et poſſunt Octo cauſæ aſſignari quæ faciunt quod noviſſima recidivantis pejora ſunt prioribus. *Primū* eſt magna debilitas ad reſurgendum, quæ in eo eſt, ſicut ad literam recidivantes ex aliqua infirmitate debiliores ſolent eſſe, & ideo in majori periculo. Accidit in eis qui frequenter recidivant, ſicut in ſotularibus, qui, ſi multoties fuerint reparati, ad ultimum non tenēt ſuturam, & in lutum projiciuntur: Sic tales poſt multiplicem recidivationem non habent propoſitum cavendi à malo; unde pœnitentia eorum non eſt vera, nec veniam impetrant ruinæ; licet ſit cum lachrymis. Ad Hebræos. penultimo dicitur de Eſau, quod *non invenit locum pœnitentia, quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam.* *Secundum* eſt ruptio fœderis cum domino initi in Sacramento pœnitentiæ, quod quandoque oſculo confirmatur, ut cum in die paraſceves oſculatur quis crucem, quandoque etiam ſuſceptione corporis dominici: unde non parum peccatum aggravatur. *Tertium* eſt, quod dominum inimicis ſuis reddit, in quantum in ſe eſt, quando in caſtrum in quo dominus receptus eſt, ex alia parte inimicos domini intrare permittit. *Quartum* eſt irriſio vel ſubſannatio divinæ miſericordiæ, quæ peccatori pacem fecerat, cùm juſtitia Dei vellet cum morte æterna occidere: unde quomodo audebit jam ad Dei miſericordiā oculos levare. *Quintum* eſt crudelitas in animam propriam, cujus non timet vulnera jam ſanata renovare, & quaſi vulnera ſuper vulnus concidere. Si quis vulnera fratris ſui jam renovaret, magna eſſet crudelitas; major vero ſi vulnera patris: quanta ergo eſt, quando hoc facit animæ ſuæ, quam plùs quàm fratrem vel patrem debet diligere. *Sextum* eſt contriſtatio Spiritus ſancti, & curiæ cœleſtis, quantum eſt in ipſo recidivante, cum lætificatione dæmonum. Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis.* Bernardus. Putas placatos habebis in judicio, quos tanto, & tam ſperato vis privare gaudio? Oſeæ 7. *In malitia ſua lætificaverunt regem.* Si poſſet dominus dolere, multum doleret de recidivo, quod figuratum eſt Ioan. 19 ubi dicitur de Chriſto, quod cùm accepit acetum, dixit: *Conſummatum eſt* Acetum, quod quanquam fuit bonum vinum, ſignificat illos, qui quamquam fuerunt boni & poſtea facti ſunt mali. de quibus dominus doleret quaſi extremo dolore, ſi dolere poſſet *Septimum* eſt ingratitudo veniæ & gratiæ jam datæ, & gloriæ promiſſæ; quæ ingratitudo multum aggravat peccatum: Cum enim pro quolibet peccato mortali ſit debitor homo mortis, pro dimiſſione unius peccati mortalis, deberet ipſe Deo ſervire mille annis, ſi tantum viveret: quod manifeſtum poteſt fieri ex hoc, quod pro dimiſſione mortis temporalis, quæ eſt momentanea, ſerviret libenter alicui per totam vitam ſuam. Attende etiam ſtatum in quo dominus aſſumit peccatorem, quia non eſt dignus pane quo veſcitur, & dominus ungit eum oleo gratiæ ad regnum gloriæ. *Octavum* eſt, quod quantum in ſe eſt, iterat Paſſionem Chriſti Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentui habentes.*

Octo cauſæ ob quas recidivus ſit pejor.
I. Debilitas reſurgendi.
II. Rupito fœderis.
III. Proditio.
IV. Irriſio divinæ miſericordiæ.
V. Crudelitas in animam.
VI. Cōtriſtatio ſpiritûs ſancti.
Recidivus ſimilis aceto.
VII. Ingratitudò
Quantum homo pro dimiſſione unius peccati mortali Deo debeat.
VIII. Iterata paſſio Chriſti.

Extollens, &c.) Beatus venter qui te portavit Vere beatus, *venter ejus eburneus.* Cantic. 5. *Vallatus lilijs.* Ejuſdem 7. Puritate ſcilicet interiori & exteriori. Verè Beatus venter ille ſterilitatis opprobrio carens, & ſine cruciatu pariens, fœcunditatem habens prolis, & integritatem habens virginis. Ipſa enim ſicut dicit Bernardus fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravamine gravida, ſine dolore puerpera. Venter ille fuit apotheca ſpiritûs ſancti. Matth. 1. *inventa eſt in utero habens de ſpiritu ſancto.* Venter ejus fuit domus aromatum, habuit venter ejus pretium redemptionis, pignus cœleſtis hæreditatis; & tale pignus per quod humana hæſitatio poſſet certificari. Non enim minoris valoris erat, quàm cœleſtis hæreditas. Venter iſte habuit fontem divinæ miſericordiæ, cujus fontis ſignum fuit fons olei qui in nativitate Chriſti erupuit, & in tyberim fluxit. Venter ille fuit tabernaculum in quo requievit, quem nec cœlū nec terra capit. Eccleſiaſtici 24 *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo*: habuit venter ille theſaurum cæleſtis regis ſed *abſconditum in agro.* Matt. 13. Theſaurus iſte eſt filius Dei in carne aſſumpta abſconditus. Iſai. 45. *Verè tu es Deus abſconditus.* Theſaurum cœleſtem poſuit Deus in terra, ut haberent homines acceſſum ad Deum. Implevit illud dominus, Deut. 28. *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum cælum.* Numer. 20. *Aperi eis theſaurum tuum*: impletum fuit illud, Proverb. 21. *Theſaurus deſiderabilis & oleum in habitaculo juſti.* Iuſtus antonomaticè dicitur Chriſtus. Iſa. 45. *Nubes pluāt juſtum.* Habitaculum ejus fuit beata Virgo, in qua fuit cæleſtis theſaurus, & oleum pietatis; dulciſſima aſſociatio eſt iſta pauperibus, cum inveniuntur ſimul ab eis miſerendi facultas, & voluntas; habenti theſaurum non deeſt facultas, habenti oleum pietatis non deeſt voluntas. Maria eſt facta Dei theſauraria & eleemoſynaria, commiſſus eſt ei theſaurus, non ut avarè abſcondat, ſed ut in pauperes expendat. Revera beata terra illa, ex cujus uno grano

Laudes B. Mariæ virg.
Filius Dei Theſaurus abſconditus.
B. Maria habitaculū Chriſti.
Dei theſauraria & Eleemoſynaria.

grano humani generis debitum ſolvitur, cœleſtia horrea implentur, & cœtus electorum in æternum paſcitur. De hoc grano dicitur Joan. 12. *Niſi granum frumenti*, &c. Pſal. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti*, &c. Vere benedicta terra, quæ ſola benedictione abſque alia excolitione hoc granum protulit; hoc eſt frumentum electorum. Zach. 9. *Quid eſt bonum ejus & quid pulchrum niſi frumentum electorum.* Venter ejus fuit Ager plenus à Deo benedictus. Geneſ. 27. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et ubera quæ ſuxiſti.* Ex toto regem cœlorum beata Virgo in expenſis ſuis habuit; quia & veſtem ei quaſi de panno propriæ carnis providit & victum ei de lacte ſuo minſtravit. (quin imò; beati qui audiunt, &c.) quaſi diceret: Non ſolum beata, quæ verbum Dei habuit in ventre, ſed etiam beatus eſt qui verbum Dei habet in mente: & ſi enim communius ſit in mente habere quàm in ventre, tamen habere in ventre & in mente fini beatorum ſcilicet, gloriæ Dei, eſt propinquius. Gloſſa. Non ſolum laudanda eſt Maria, quia verbum Dei portavit in utero, ſed, maxime beata eſt, quia præcepta Dei ſervavit in opere. Ipſa habebat Dei præcepta in corde & opere. Lucæ 2. *Maria conſervabat omnia verba hæc*, &c. Auguſt. in libro de virginitate. Beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti. Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi fœlicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet. Multi ſancti ſunt in cœlo, quorum matres ſunt in inferno. quia beata Virgo verbum Dei audivit, & cuſtodivit, præparavit eam, ut Dei mater fieret; & non econtrario. Propterea dicit Dominus, Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Simile habetur Matth. 13. & Luc. 8. dicitur: *Mater mea, & fratres mei ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Plus autem eſt eſſe fratrem, matrem, & ſororem, quàm eſſe matrem tantùm. Beati ergò qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Proverb. 8. Beatus homo qui audit me; ſed quia *non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Rom. 2. Ideo bene hoc dicitur: *Et cuſtodiunt illud.* Jacob. 1. *Eſtote factores verbi & non auditores tantum.* Joan. 16. *Qui audit mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Apocal. 1. *Beatus qui audit & legit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Gloſſa. Illi ſoli beati qui audiunt, ut mente recondant; & mente recondunt, ut opere impleant; & opere implent, ut vitam æternam poſſideant. Et nota quòd illud: *Et cuſtodiunt illud*, reſpondet ei, quod dictum eſt: *Et ubera quæ ſuxiſti*; ſicut illud: *Beati qui audiunt*, reſpondet illi: *Beatus venter qui te portavit.* Sicut beata Virgo ad verbum Angeli Chriſtum ſecundum carnem concepit, ita anima ad verbum prædicationis Chriſtum ſpiritualiter concipit: & ſicut beata Virgo quem cœperat & pepererat, lacte ſuo nutrivit, ita anima quæ ſpiritualiter concepit, & peperit, ſpirituali lacte debet nutrire; parum enim prodeſt concipere, & parere, ſi defectu nutrimenti proles pereat.

Terra benedicta.
Ager.
Maria quare Beata.
Maria beatior Chriſti fide quàm conceptione.
Factores legis beati.
Anima ſpiritualiter Chriſtum concipiens & pariens.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium explicatur. De refectione corporali & ſpirituali. Qualia convivia noſtra, qualis prædicatio; & quales prædicatores eſſe debeant, qui panes, qui piſces ſint.

SERMO LVIII.

Abiit Jeſus trans mare Galilææ. Joan. 6.

IN Evangelio hodierno, *primo* quædam ponuntur antecedentia miraculum, *ſecundo* ipſum miraculum, *tertio* verò quod conſecutum eſt miraculum. In prima parte *primo* oſtenditur *locus* ubi factum eſt miraculum, *ſecundo tempus*, *tertio* quod dedit occaſionem miraculo, *quarto* numerus perſonarum, coram quibus factum eſt miraculum.

Circumſtantiæ quatuor miraculi.
Locus. Tempus. Occaſio. Perſonæ.

Abiit *Ieſus trans mare*, id eſt, ultra *mare Galileæ quod eſt Tiberiadis*, Stagnum quoddam eſt, nam quælibet collectio aquarum mare vocatur à Judæis, quia dictum eſt Geneſ. 1. *Congregationes aquarum appellavit maria.* Et erat quædam magna & lata Jordanis refluxio, quæ dicebatur mare Galilææ à regione adjacente, Tiberiadis verò à civitate, quæ Tiberias dicitur, ſita juxta illud mare. Alibi etiam dicitur Genezareth, à naturâ lacus, quia ex ſe criſpantibus undis generat auras. *Et ſequebatur multitudo*, &c. Abiit ergo, ut ſcilicet ſepararet ſe à multitudine, in montem qui erat in littore oppoſito Tiberiadi. Matth. 14. dicitur quod dimiſſa turba poſt miraculum aſcendit in montem. Joan. verò hîc dicit, quod ante miraculum: ſed non eſt contrarietas, quia & ante & poſt aſcendit. Chryſoſt. montem aſcendit, ut erudiat nos à tumultibus & turbatione quieſcere, apta eſt enim ad prophetiam ſolitudo, & eum, qui ad Deum vadit, erui oportet ab omni turbatione. *Cum ſublevaſſet ergo.* Beda. quod ſublevaſſe oculos, & vidiſſe perhibetur ad ſe venientem turbam, divinæ pietatis indicium eſt, quia cunctis ad ſe venire quærentibus gratia miſericordiæ cœleſtis occurrere conſuevit. *Dixit ad Philippum: Unde ememus panes*, &c. Dicitur Matth. 14. Quod dixerunt Domino *deſertus eſt locus, & hora jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas.* Ad hoc reſpondet Auguſt. in libro de concordia Evangeliſtarum. Intelligitur, inquit, poſt hæc verba quæ dixerunt Diſcipuli, Dominum inſpexiſſe multitudinem, & tunc dixiſſe Philippo, quod Joannes commemorat; alij autem prætermiſerunt. *Tentans eum*, id eſt probans an veram fidem haberet, & ne propter infirmitatem dubitationis aliquod inconveniens ſuſpiceris, ſubditur: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus*, ſic continuat Chryſoſtomus. *Reſpondit Philippus, ducentorum denariorum*, &c. Mar. 6. ſic dicitur. Dicunt Diſcipuli: *Euntes emamus ducentis denariis panes.* Reſpondit Auguſt. in libro de concordia Evangeliſtarum quod Marcus dicit, volens intelligi hoc ex ore cæterorum Philippum dixiſſe; vel pluralem numerum poſuit pro ſingulari, quòd uſitatiſſimè fit in ſcriptura. Victor verò qui Joannem expoſuit dicit, quod Philippus pro omnibus reſpondit, & primo locutus eſt Philippus: ſic Joannes dicit, ut alij poſt, ut Marcus narrat, *ducentorum denariorum*, &c. tot denarios habebant, ut dicit Victor; quod probat per hoc, quòd dicit Marcus 6. *Euntes emamus ducentis denariis panes*, vult Philippus oſtendere denarios, quos habebant, non ſufficere ad neceſſaria turbæ. *Erat autem fœnum*, &c. oſtendit quod locus erat aptus refectioni. *Colligite*, &c. Chryſoſtom. Non oſtentatio eſt ſuperflua, ſed ne phantaſiam æſtimarent, condi quædam faciebant fragmenta quod factum eſt. *Cophinos fragmentorum.* Secundùm Victorem, Cophini ſunt vaſa in quibus portatur fimus vel ſimilia. *Hic eſt vere Propheta qui venturus eſt in mundum*, id eſt, qui prædictus eſt venturus. Deut. 18. Prophetam ſuſcitabit, &c. Chryſoſtom. O gaſtrimargiæ ſuper abundantia! infinita operatus eſt mirabiliora; & hoc nunquam confeſſi ſunt, niſi quando impleti ſunt. Sed videtur quod non fuit propheta, cum prophetæ viderent per rerum ſimilitudines & figuras. Ipſe verò ab inſtanti conceptionis ſuæ in plena viſione fuit, quæ eſt per ſpeciem propriam. Reſponſio: quantum ad modum viden-

Concordia inter Matt. & Joan.
Solitudo apta ad ſpeculationẽ.
Concordatur loci ſcripturarum.
Chriſtus probat fidẽ Philippi.
Reſponſio Philippi.
Locus miraculi.
Turba profitetur fidem in Chriſtum.
Objectio. An Chriſtus fuerit Propheta.
Reſponſio.

Quomodo fuerit Propheta.

di, propheta non fuit, ſed quantum ad certam enunciationem futurorum propheta dictus eſt. Aug. 23. Homilia: Sic Dominus Jeſus, Dominus prophetarum, propheta dictus eſt, ſicut Angelus dictus eſt, id eſt, Dominus Angelorum. Iſa. 9. *Vocabitur nomen ejus magni conſilii Angelus*: etenim Angeli latinè ſunt nuncij. Aliquid Chriſtus præſens annunciavit, & ex hoc Angelus erat: aliquid futurum prædixit, & ex hoc Propheta erat.

Quomodo Angelus:

Miraculum de 5 panibus & 2. piſcibus cur bis legatur in anno.

Abiit Ieſus trans mare Galileæ; Miraculum de refectione turbæ ex quinque panibus & duobus piſcibus bis legitur in anno, ſcilicet ultima Dominica ante Adventum, & in media Quadrageſima. In Dominica ante Adventum inchoatur ibi; *Cum ſublevaſſet oculos Ieſus*: & in Dominica media in Quadrageſima inchoatur altius ibi: *Abiit Ieſus trans mare Galileæ*. Cujus ratio eſt, quia ratione illius verbi: *Erat autem proximum paſcha*, tunc legitur, ut miraculum, quod tempore proximo paſchæ factum eſt, ſimili tempore recitetur. In alia Dominica videtur legi occaſione illius verbi: dicebant quod *hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum*. Tunc enim Eccleſia incipit cantare de eo qui venturus erat: unde tunc legitur Jerem 23. *Ecce dies veniunt*, &c. *dicit Dominus*. Quantum verò ad moralem inſtructionem, Evangelium de refectione, legitur & in ultima Dominica, & in media Quadrageſima; quia neceſſaria eſt refectio & in medio operis, & in fine. Marc. 7. *Et ſi dimiſero eos jejunos deficient in via.*

Moralis inſtructio. Refectio in medio & in fine operis.

Et *notandum* quòd convivium iſtud Domini quinque millia hominum exceptis mulieribus & parvulis refecit; ſed ejus recordatio multo plures reficit; convivium refecit corpora, recordatio reficit animas. Auguſtinus. Non eſt magnum paſcere ventres morientes, ſed magnum eſt paſcere animas in æternum victuras: Item recordatio ejus facit, ut in conviviis noſtris etiam corporalibus animas paſcamus, Proverb. 13. *Iuſtus comedit & replet animam ſuam; venter autem impiorum inſatiabilis eſt*. Injuſtus replendo corpus animam ſuam evacuat. Juſtus verò replet eam Venter interior, animus ſcilicet impij, inſatiabilis eſt, licet exterior poſſit repleri. Recordatio hujus convivij facit, ut Deus in conviviis noſtris paſcatur. *Tripliciter* autem ibi paſcitur, ſcilicet *puritate*. Can. 2. *Qui paſcitur inter lilia*. Item *gratiarum actione*, quæ eſt velut adeps. Levit. 3. *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo*. Item *pietate*. Matth. 25. *Eſurivi & dediſtis mihi manducare*. Recordatio hujus convivij convivia noſtra ordinat, & reſpectu Dei, & reſpectu noſtri & reſpectu proximi. Ad ordinationē, quæ eſt reſpectu Dei quatuor pertinent, ſcilicet quod Dominus ad cœlum reſpexit. Matth. 15. Quod benedixit, ut ibidem legitur, quod gratias egit. Joannis ſexto. Accepit Jeſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, quod turba paſcentem laudavit ibidem. *Illi homines, cum vidiſſent quod fecerat ſignum, dicebant; quia hic eſt vere Propheta.*

Refectio corporalis.

Refectio ſpiritualis,

Tripliciter paſcitur Deus in cõviviis noſtris. Gratiarum actione. Pietate.

Convivia qualia eſſe oporteat reſpectu Dei.

Exemplo ergo Domini qui reficiuntur, oculos cordis debent levare ad Deum, cujus bona ſunt, quæ comedunt: qui apponentem nobis, ſi debito modo hoc faciat, remunerabit: qui miro modo próvidet illud unde ſuſtentamur; qui etiam providet aliis perituris Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*. Sunt qui ad modum porci tantum id quod comedunt intendunt Sunt aliqui qui ulterius ad apponentem attendunt, ſed hoc non ſufficit. Canis enim hoc videtur facere, qui paſcentem ſe diligit. Seneca. Beneficia etiam feræ ſentiunt. Juſtus ad Deum à quo omnia bona oculo fidei reſpicit. Habacuc. 2. *Juſtus ex fide vivit*, id eſt vitam ſuam regit. Benedictio etiam in conviviis noſtris non eſt negligenda qua oratur, qui creavit cibum, ut det ſalubrem ejus uſum. Seneca. Stulto nulla re opus eſt, nulla re ſcit uti. Item docet non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu. primæ Timoth. quarto dicitur de cibo quòd *ſanctificatur per verbum Dei & orationem*; ne ſcilicet ſit noxius corpori vel animæ. Intravit diabolus in ſanctimonialem quæ lactucam ſine benedictione comedit, ut legitur in dialogo Gregor. Gratias debemus agere etiam Deo in conviviis noſtris cum gratias agamus homini & pro modicis beneficiis. 1. Timoth. 5. *Nihil eſt rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Item poſt refectionem laudandus eſt, qui cibum creavit, & dividit potius quam ipſe cibat. Ad ordinationem reſpectu proximi quatuor ſimiliter pertinent, ſcilicet, quod illis refectionem dedit, qui aliter eam habere non poterant. Matth. 14. *Deſertus eſt locus*; unde etiam ſi pecuniam habuiſſent, non inveniſſent cibum venalem. Item reficit famelicos; unde ibidem dicitur: *hora jam præteriit*. Item multæ fuerunt reliquiæ. E contra dicitur. Iob. 20. De impio. *Non remanſit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus*. Item diligenter fuerunt conſervatæ reliquiæ; unde hîc dicitur: *Colligite quæ ſuperaverũt fragmenta* &c. Quidam reliquias immundè tractant. Item quæ danda erant pauperibus, perſonis inhoneſtis dant. Exod. 8. *Aſcendent in reliquias ciborum tuorum ranæ*. Ad ordinationem verò reſpectu noſtri quatuor ſimiliter pertinent, honeſtas in comedendo. Unde dixit Dominus: *facite homines diſcumbere*. Bonaventura. Grata res eſt Deo honeſtas, & amica angelorum Ferculorum paucitas, ſolus enim panis hordeaceus legitur ibi fuiſſe, cum uno pulmento; cum enim legatur Mar. 14. *Unde nobis panes in deſerto tanti, ut ſaturemus turbam iſtam*, veriſimile eſt non fuiſſe vinum in deſerto quod turbæ tantæ ſufficeret. Eccleſiaſtici 37. *In multis eſcis erit infirmitas*. Item fuit ibi vaſorum humilitas, ſcilicet cophinorum: non ſplendor vaſorum aureorum, vel argenteorum, ſicut in conviviis aliquorum, qui inde paſcunt oculos divitum, unde pauperes paſcere debuerunt. Bernard. Loquens divitibus in perſona pauperum: videte, inquit, quale ſi de faterna portione paſcere oculos veſtros, vita veſtra cedit vobis in ſuperfluas copias; noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Idem loquens de eccleſia: de ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum: Inveniunt curioſi quo delectentur, & non inveniunt miſeri quo ſuſtentetur. Item ſatietas debet ibi eſſe, ut ſatis reputetur quod apponitur. Matth. 14. *Manducaverunt omnes & ſaturati ſunt*: hanc ſaturitatem potius facit gratia quàm ciborum multitudo. Hebr. ultimo. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis quæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

Levatio mentis ad Deum.

Quidam inter comedendum ſimiles porcis.

Alii canibus

Benedictio menſæ.

Sanctimónialis à dæmone obſidetur propter omiſſã benedictionem

Gratiarum actio.

Convivia qualia eſſe oportet reſpectu proximi.

Reliquiæ ciborum munde tractandæ.

Convivia noſtra qualia eſſe oporteat reſpectu noſtri.

Quatuor obſervandã hîc.

Paucitas ferculorũ.

Humilitas vaſorum.

Satietas moderatã.

Cum ſublevaſſet, &c. In multis locis loquitur Evangelium de ſublevatione oculorum Salvatoris: in quo monemur, ut oculos noſtros frequenter ſublevemus, Frequenter nobis reſpiciendum eſt cœlum, patria enim noſtra eſt ad quam tendimus. Hebr. ult. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*. Item locus eſt, ubi patrem chariſſimum habemus, quod Dominus voluit ponere in oratione Dominica. David Pſalm. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus*, ibi eſt theſaurus noſter. Matth. 6. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*. Ibi eſt & merces operum noſtrorum. Auguſtinus. Labor te terret, vide mercedem. Ibi etiam eſt Dominus cujus defenſione continuè egemus. David Pſalm. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum*. qui oculos cordis habet ad Deum, oculi divinæ miſericordiæ ſunt ſuper eũm. Pſalm. 31. *Firmabo*

Chriſtus ſæpe oculos ſublevavit.

ſuper

ſuper te oculos meos. Gloſſa. Non auferam oculos meos à te, quia tu ſemper levas oculos tuos ad me. Sublevat oculos Jeſus turbam refecturus. Exemplo ergo ejus & tu leva oculos cordis, beneficium pauperi daturus; attende imaginem Dei in paupere, cogita eum eſſe filium Dei & fratrem Chriſti. Item membrum Chriſti; & quod ſibi Chriſtus reputat fieri quod pauperi fit. Matth. vigeſimo-quinto. *Quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Hieronymus. Quoties manum pauperi porrexeris Chriſtum cogita. Item elevat Jeſus oculos patrem rogaturus. Joan. 17. *Sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater clarifica filium tuum.* Exemplo ergo ejus eleva oculos cordis in oratione ad Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem, ut de eo confidas, & id quo indiges faciliùs impetres. Attende potentiæ Dei nihil eſſe difficile, & ejus ſapientiæ miſeriam tuam notam eſſe, bonitati verò ejus proprium eſſe miſereri ſemper & parcere. Item elevat oculos Jeſus perito in lege reſponſum daturus Lucæ 10. *Suſpiciens Jeſus dixit: Homo quidam deſcendebat*, &c. Diſcipulos docturus Lucæ 6. *Elevatis oculis in Diſcipulos dicebat. Beati pauperes*, &c. Exemplo ergo ejus tu populum docturus oculos cordis eleva ad Deum, agnoſcens quia *omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Eccleſiaſtici 1. Et ab ipſo eſt petenda. Jacob. 1. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo*, &c. De ipſa eſt Deo gloria danda. Eccleſiaſtici ult. *Danti mihi ſapientiam dabo gloriam.* Item elevat oculos Dominus ſanaturus ſurdum & mutum, *ſuſpiciens enim in cœlum ingemuit*, ut habetur Marc. 7. Inſinuans difficultatem quæ eſt in converſione ejus qui ſurdus eſt ad auditum verbi divini, & mutus ad confeſſionem & orationem. Item elevat oculos in ſuſcitatione Lazari, inſinuans difficultatem quæ eſt in converſione ejus, qui eſt in peccato conſuetudinis, habens ſupra ſe lapidem obſtinationis. Exemplo ergo ipſius cum aliquid facturus es quod multum habet difficultatis, ut eſt correctio peccatoris, eleva oculos cordis. 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos dirigamus ad te:* Correctio peccatoris eſt unum de operibus ad quæ homo ex ſe non poteſt. Eccleſiaſtæ 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexit.*

Quando oravit Patrem.

Quando explicavit lapſum hominis.

Quando ſanavit ſurdum & mutum.

Quando ſuſcitavit Lazarum.

In re magna peragenda ad Deum confugiendum.

Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos. Notandum quòd *bis* Salvator refecit turbam. *Primo* ex quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus. *Secundo* ex ſeptem panibus & paucis piſciculis.

Refectio per quinque panes indicat doctrinam veteris teſtamenti.

Prima refectio deſignat doctrinam veteris teſtamenti habentem quinque libros Moyſi, velut quinque panes hordeaceos. Hordeum cibus eſt jumentorum, exterius habens aſperitatem, interius verò medullam ſuavem, ſic doctrina illa fuit cibus populi rudis, & quaſi animalis intus habens ſuavem medullam ſpiritualis ſenſus. 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Habuit etiam doctrina illa, velut duos piſces, Prophetiam & Pſalmos. Auguſt. In duobus piſcibus intelliguntur Pſalmi & Prophetæ temperantes auſterum ſaporem legis, de his tribus habetur Lucæ ultimo. *Quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis & Pſalmis de me.*

Secunda refectio, ſignificat doctrinam novi Teſtamenti quæ habet ſeptem panes, quia in ea ſeptiformis gratia Spiritus ſancti revelatur & datur, & habet piſciculos, ſcilicet, ſanctos; quorum exemplo fideles reficiuntur. Secundum Bernardum. Quinque panes ſunt contritio cordis, confeſſio oris, jejunium, eleemoſyna, oratio, & quia durities eſt in his, ideo dicuntur hordeacei. Et notandum panes Salvatoris & panes diaboli diſſimiles eſſe. Panes Salvatoris exterius habent aſperitatem, interius ſuavitatem ad modum hordei. 2. Corinth. 1. *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ſic & per Jeſum Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Pſal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Panis diaboli exterius habet ſuavitatem, interius aſperitatem. Proverb. 20. *Suavis eſt homini panis mendacij & poſtea os ejus implebitur calculo.* *Duo piſces* ſunt exempla Sanctorum: exempla Confeſſorum ſunt ut piſcis elixus. Exempla Martyrum, ut piſcis aſſus. Hi piſces dant ſaporem panibus, quia ſecundùm Gregor. Si exempla antiquorum patrum recolimus, nihil grave eſt quod ſuſtinemus: Vel quinque panes cognitio ſui pudor commiſſi, dolor, admiſſi, timor judicii, horror inferni. Duo piſces ſunt ſpes & fides, quæ prædictos panes comeſtibiles faciunt per ſaporem quem apponunt. Quis enim illos panes comederet, niſi de venia & gloria ſperaret, & quomodo ſperaret, niſi Dominum benignum crederet.

Refectio per ſeptem panes indicat doctrinam novi teſtamenti.

Alii ſunt panes Chriſti.

Aliit panos diaboli.

Duo piſces exempla Sanctorũ.

Alia explicatio variâ panum & piſcium.

Duo piſces ſpes & fides,

Aliter quinque panes intelligi poſſunt dolor contritionis, rubor confeſſionis, ciborum abſtinentia, vigilia, diſciplina, ut panes dicamus ea quæ ad pœnitentiam pertinent. Pſalm. 101 *Cinerem tanquam panem manducabam.* Hi panes ſunt ariſtoſi & pungitivi. Quis dolor debeat eſſe in contritione innuitur. Jerem. 6. Ubi comparatur planctui unigeniti. *Accingere cilicio & conſpergere cinere, Luctum unigeniti fac tibi.* Planctus unigeniti magnus eſt, quia in eo erat ſpes poſteritatis: ſic multum debet dolere, qui merita ſua amiſit, in quibus erat ſpes æternæ retributionis. Iſa. 13. comparatur dolor iſte tortionibus ventris, & dolori parturientis: *Dolores*, inquit, *& tortiones tenebunt, quaſi parturientes dolebunt.* 2. Machab. 9. *Apprehendit eum dirus dolor viſcerum.* Rubor confeſſionis ſignificatus eſt per mare rubrum, in quo Pharao ſubmerſus eſt cum exercitu ſuo. Exod 15. ſic diabolus cum univerſitate vitiorum ſubmergitur in amaritudine ruboris confeſſionis. Judas meruit principatum inter fratres qui, aliis trepidantibus, primus intravit mare rubrum, ut dicit Magiſter in hiſtoriis. Judas mare rubrum ingreditur, cum pœnitens nullo obſtante rubore, peccatorum turpitudinem confitetur. 1. Machab. 5. Dixit Timotheus: *Si timuerit Judas tranſire torrentem prævalebimus adverſus eum. Si autem tranſierit non prævalebimus.* De aliis tribus quæ ad ſatisfactionem pertinent, habemus in Chriſto. De abſtinentia Chriſti legitur Matth. 2. Luc. 4. de vigilia. Matth. 26. & Mar. 14 *Non potuiſtis una hora vigilare mecum:* & Luc. 6. *Et erat pernoctans in oratione.* Eccleſiaſtici trigeſimo primo, *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.* De diſciplina Chriſti habetur Iſa. 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Matth. 27. *Jeſum flagellatum tradidit eis.* Eccleſiaſtici trigeſimo. *Qui diligit filium aſſiduat illi flagella.* Hebr. 12. *Si extra diſciplinam eſtis jam non eſtis filii, ſed adulteri.* Eccli. 33. *Cibaria & virga & onus aſino, panis & diſciplina, & opus ſervo.* *Duo piſces* ſunt eleemoſyna & oratio. Eleemoſyna ad modum piſcis qui mundus erat, ſecundùm legē pennas habet, hilaritatem, & ſupererogationem. 2. Cor. 9. *Non ex triſtitia aut ex neceſſitate: Hilarem enim datorem diligit Deus.* Luc. 10. *Si aliquid ſupererogaveris ego cum rediero, reddam tibi.* Supererogat, qui non ſolum de ſuperfluis, ſed etiam de neceſſariis pauperi dat, ut beatus Martinus. Orationis etiã duæ ſunt pennulæ, quibus aſcenditur in cœlum, ſcilicet, lachrymoſa devotio, & humilitas. Tob. 12. Dicitur de primo. *Cum orares cum lachrymis*, &c. *Ego obtuli orationem tuam Domino* Iſa. 38. dicit Dominus Ezechiæ. *Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* De ſecundo Eccleſiaſtici 35. *Oratio hu-*

Panes pœnitentiæ.

Qualis debeat eſſe dolor de peccatis.

Rubor confeſſionis ſimilis mari rubro.

Tria ad ſatisfactionem pertinentia, Abſtioentia, Vigilia.

Duo piſces, eleemoſyna, & oratio,

Digitized by Google

mulantis ſe nubes penetrat.

Alia explicatio quinque panum.

Aliter *quinque panes* poſſunt intelligi quinque partes doctrinæ ſacræ hominibus aſperſæ.

I. Panis.

Prima eſt pars illa, qua peccata hominibus oſtenduntur odibilia, tanquam ea, quæ Deus per ſe odit. Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus*: impietas per ſe, impius propter eam. Ejuſdem 13. *Nihil odiſti eorum quæ feciſti* unde cum omnia præter peccatum fecerit, nihil illorum odit propter ſe & tanquam ea quæ per ſe ſunt nociva, ſine ipſis nihil eſt homini nocuum. Nulla enim nocebit adverſitas, ſi non dominetur iniquitas, ut docet Gregor.

Odium peccati.

II. Terror.

Secundus panis eſt illa pars doctrinæ qua terror peccatoribus incutitur, dum ſupplicia parata illis oſtenduntur, & gladius evaginatus ſuper capita eorum. Proverb. 19. *Parata ſunt deriſoribus judicia & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* David. Pſal. 7. *Niſi converſi fueritis gladiũ ſuum vibrabit.* Iob 19. *fugite à facie gladii, quia ultor iniquitatis eſt gladius.* Iſte panis eſt pungitivus, quia pœnam habet timor. 1. Ioan. 4. Hunc panẽ apponebat Ioannes Baptiſta Matth. 3. *Progenies viperarum, quis monſtravit vobis fugere à ventura ira.*

III. Pudor.

Tertius panis eſt illa pars doctrinæ quæ nobis pudorẽ ingerit de fœditate peccatorũ noſtrorũ, vel inſultationibus dæmonum, vel de preſentia Dei, & conſpectu ejus & curiæ cœleſtis, vel de generatione noſtra. Bernardus pudet indigna geſſiſſe degeneri noſtro, pudet tanto patri vixiſſe degenerem.

IV. Dolor.

Quartus panis eſt illa pars doctrinæ, quæ nobis dolorem ingerit, ut quæ oſtendit peccatum eſſe mortem ſpiritualem dividentem animam à Deo. Auguſtinus vera mors eſt quam homines non timent ſeparatio animæ à Deo qui eſt beata vita animarum. Iſaiæ 59. *Peccata veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* Jerem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi*, &c.

V. Ira ad vindicãda peccata nobis.

Quintus panis eſt illa pars doctrinæ, quæ in nobis iram ſanctam excitat ad ulciſcendas Dei contumelias in nobis, & reſiſtendum dæmonibus & deſtruenda peccata. Pſal. 4. *Iraſcimini & nolite peccare.* Duo piſces, ſunt illa pars doctrinæ, quæ ad ſpem & amorem pertinent: his aſperitas prædictorum panum dulcoratur: ſperantibus enim & amantibus Deum, quantumlibet aſpera, ſuavia ſunt propter eum

Et notandum quod panes hordeacei ſunt tribulationes, piſces ſunt conſolationes. Panes verò quibus turba reficitur quinque ſunt, cùm piſces ſint duo; quia plures ſũt tribulationes turbæ, quàm conſolationes. *Martha* enim *turbatur erga plurima.* Luc. 10. Perfectis verò dat Deus piſces, non tantùm duos, ſed 153. Ioan. ultimo. David Pſal. 93. *Secundùm multitudinem* dolorum meorum, &c. 1. Corinth. 1. *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis*, &c. Primus panis eſt infirmitas innata. Secundus eſt pœna à Deo illata. Tertius eſt contumelia à proximo dicta. quartus eſt injuria facti à proximo illata. Quintus eſt cordis anguſtia ex proximi miſeria. Hæ tribulationes panes ſunt, qui animam reficiunt. 3. Regum 22. *Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis.* Iob. 9. *Saturatus afflictione & miſeria* Thren. 3 *Saturabitur opprobriis. Duo piſces* ſunt ſpes, & amor: ſpes eſt piſcis marinus, nutritur enim in amaritudine tribulationum, ſecundum illud. Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem: probatio ſpem.* Charitas eſt piſcis aquæ dulcis, qui nutritur in flumine illo cujus impetus lætificat civitatem Dei: iſte piſcis ad modum illius piſcis qui mundus erat ſecundùm legem, pennulas habet, *patiens eſt, benigna eſt.* 1 Corinth. 13.

Panes tribulationum.

Duo piſces ſpes & amor.

Facite homines diſcumbere:

Erat autem fœnum multum in loco.

Duodecim documenta refectio ſpiritualis per prædicationem facta.

Notandum quod hæc refectio corporalis figura eſt refectionis ſpiritualis, quæ fit verbo Dei: & attende *duodecim* circa hanc refectionem quæ inſtruunt nos circa ſpiritualem refectionem.

I. Quibus prædicetur fructuosè, quibus non.

Primum eſt, quod populus qui reficitur, ſuper fœnum diſcumbit: in quo oſtenditur, quod in eo qui verbo Deo reficitur, caro debet eſſe ſubdita ſpiritui. *Omnis* enim *caro fœnum.* Iſa. 40. Non eſt prædicandum crapulâ & ebrietate gravatis. *Anima* enim *ſatiata calcabit favum.* Proverb. 27. Bernardus. Ante carnem ſtudiis diſciplinæ edomitam, & emancipatam ſpiritui, ante ſpretam & abjectam ſæculi hujus pompam & ſarcinam, indignè ab impuris lectio ſacra præſumitur Idẽ quomodo nempe lux in caſſum circumfundit oculos cæcos, vel clauſos, ita animalis homo nõ percipit ea quæ Dei ſunt.

II. Qualis debeat eſſe doctrina Doctorum

Secundum eſt, quod Salvator panes quos habebat Puer, accipit, non novos creat, ſed eos multiplicat: in quo duo oſtenduntur, ſcilicet, quod *non venit legem ſolvere ſed implere.* Matth. 5 Item quod doctrina Eccleſiæ fundari debet ſuper ſcripturam auctenticam. Matth. 13. *Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt patri familias qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.*

III. Quid obſervare debeant Doctores.

Tertium eſt, quod in cœlum aſpicit. Hilarius: honorem patris, inquit, à quo erat ipſe confeſſus, ut qui adeſſent intelligerent, à quo tantæ virtutis aſſumpſiſſet effectũ, dirigentes & ipſi, oculos mentis: ſic qui habet inſtruere populum, oculos dirigere debet ad Deum cujus donum ſapientiæ eſt *Omnis* enim *ſapientia à domino Deo eſt.* Eccleſiaſtici 1.

IV. Gratiarum actio.

Quartum eſt, quod gratias agit; ſicut hic dicitur: Cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Chryſoſtomus docet nos antequam menſam tangamus, gratias agere, quod potius videtur eſſe de menſa ſpirituali faciendum, quam de corporali.

V. Benedictio.

Quintum eſt, quod benedixit. Matth. 14. *benedixit & dedit diſcipulis ſuis*: ſic qui inſtruit populum orando impetrare debet divinam benedictionem. Coloſſ. 4. *Orate pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti.* Heſter ultimo. *Tribue domine ſermonem compoſitum in ore meo.* Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana. Regina Heſter, pro ſuæ gentis temporali ſalute locutura, apud regem oravit, ut in os ejus congruum ſermonem Deus daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum ſalute in verbo & doctrina laborat. Item Auguſtinus. Orando, inquit, pro ſe, ac pro illis, quos allocuturus eſt, ſit orator, antequam doctor.

VI. Expoſitio ſcripturæ.

Sextum eſt, quod panes frangit, ut dicitur. Matth. 14. In quo datur intelligi, quod expoſitio ad eum pertineat. Eodem enim ſpiritu quo ſcripturæ ſunt editæ ſunt expoſitæ. Bernardus. Super Cant. Cognoſcite dominum in fractione panis, ſic ſpectetis ad me ut non exſpectetis ex me.

VII. Minores doceantur à Majoribus.

Septimum eſt, quod diſcipulis dat, diſcipuli verò dant turbæ: in quo inſinuatur, quod minores expoſitionem recipere debent à majoribus. Pſal. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Montes æterni ſunt majores de Eccleſia, vitam æternam ſperantes, ſibi & aliis promittentes, qui à vero ſole lumen ſapientiæ primò recipiunt.

VIII.

Octavum eſt, quod panibus hordeaceis piſces addit, in quo inſtruuntur, qui populum habent inſtruere, ut non ſemper terreant; immo quandoque conſolentur: nec tantum rudia proponant, immo proponant aliqua delectantia. Auguſtinus. In libro de doctrina Chriſtiana. Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentẽ ut doceat, ut delectet, ut flectat, & addit: Docere, eſt neceſſitatis, delectare, ſuavitatis, Flectere victoriæ: docere debet, ut inſtruat; delectare, ut audientem

Concionatoris eſt, docere delectare, movere.

dientem detineat, flectere, ut moveat ad agendum.

IX. Satietas debet eſſe à Deo.

Nonum eſt quod refectio ejus ſatiat. Matth. 14. *Et ſaturati ſunt*, &c. Satiat autem ex paucis: ſic quod aliquis ſatietur in ſcriptura ſacra, à Deo eſt: niſi enim à gratia Dei ſit, quantò aliquis plus habet ſcientiæ, minus habet ſatietatis. In ſcripturis verò aliis non videtur eſſe ſatietas: Aggæi 1. *Comediſtis & non eſtis ſaturati*. Proverb. 13. *Iuſtus comedet & & replet animam, venter impiorum inſaturabilis eſt.*

X. Altiora rudibus non proponenda.

Decimum eſt, quòd fragmenta præcipiuntur colligi; ſic ſecretiora, quæ à rudibus capi nequeunt non ſunt negligenter habenda, ut dicit Gloſſ. ſuper Matth. 14.

XI. Concionatores non ſint prolixi.

Undecimum eſt, quod reliquiæ fuerunt magnæ, quod eſt contra multos qui nullas reliquias facere volunt, effundentes totum quod cogitaverunt, nihil inde reſervantes, prolixitate ſermonum gravantes auditores. Eccli. 21. *Verba ſapientum ſtatera ponderabuntur.*

XII. *Duodecimum* eſt, quod 12. Cophini ex fragmentis implentur. Chryſoſtomus pares eſſe numero Diſcipulis cophinos reliquiarum, eruditionis gratiâ factum eſt. Illi in quibus eſſe ſcientia videtur, ut cophini ſunt. Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana, quomodo Chriſtus ſciat, ego quid ſum; vix cophinus ſeminantis. Sic poteſt dici, quod Chriſtus eſt qui paſcit, cophinus prædicator. Spiritualiter tamen dici poſſunt cophini, qui ex ſcriptura, quam ſciunt, nec in ſe, nec in aliis proficiunt, qui vulgariter dicuntur ſacci litteris pleni.

DOMINICA V. IN QUADRAGESIMA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

SERMO LIX.

De cauſa & præludiis Paſſionis Chriſti, ad quæ Evangelium totum revocatur & explicatur.

Quis ex vobis arguet me de peccato,

Cauſæ paſſionis.

EVangelium hujus Dominicæ, quæ dicitur Dominica in Paſſione, *duo* oſtendit; ſcilicet *cauſam Paſſionis* Chriſti, & *præludia Paſſionis*. *Cauſa Paſſionis* fuit ejus prædicatio veritatis: de qua tangitur ibi. Si *veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* *Præludia* oſtenduntur *primo* in verbis ibi: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu*. *Secundo* in factis ibi: *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum*. Oſtenderat Dominus diſputans cum Judæis fallitatem diaboli cui ipſi credebant: hic oſtendit veritatem ſuam, cui nolunt credere, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* de peccato ſcilicet mendacij vel quolibet alio. Gloſſa. Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe non eſſe peccatorem. Job. 31. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo*, &c. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi.* Auguſtinus. Unde hæc, niſi quia eſtis filij diaboli, & non veritatis, ut ſubditur. *Qui eſt ex Deo*, fide, non tantum natura, *verba Dei*, ſcilicet veritatem, *audit*. Non ſolum auditu exteriori, ſed etiam interiori. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Auguſtinus. Noli attendere naturam, ſed vitium. Natura ex Deo ſunt, vitio non ex Deo: imitando enim diabolum filij diaboli facti erant, ſecundùm Auguſtinum. Quia præſciverat Dominus qui erant credituri; eos dicit *ex Deo*. Hoc autem, *ex Deo non eſtis*, dictum eſt ad eos, qui non ſolum peccato vitioſi erant, nam hoc malum commune erat omnibus, ſed etiam præcogniti, quod non erant credituri. *Nonne benedicimus nos*, &c. convicia ingerunt, quia reſpódere non poſſũt. Sed quomodo hoc dicunt: *benedicimus nos*? cùm ante non legantur dixiſſe. Hic reſpondet Chryſoſtomus: Quod licet Evangeliſta non dixerit, tamen ex hac ſerie intelligitur hoc ab eis multoties dictum eſſe. *Quia Saramitanus es tu*. Victor Samaritani ſuſceperant circumciſionem & legalia, non tamen deſiſtebant ab idololatria his: prædicaverat dominus. Ioan. 4. Ideo objiciunt ei, quod Saramitanus ſit, id eſt, ambiguus & incertus; & legis adverſarius. Sicut Samaritani dubij erant inter legem & idololatriam & legis adverſarii in cultura idolorum. *Et dæmonium habes*. Victor, quaſi dicerent: Arreptitius es *Ego dæmonium non habeo.* Beda Duo ei illata fuerunt; unum negavit, & aliud tacendo conſenſit. Cuſtos namque humani generis venerat, & ſi ſe Samaritanum non eſſe diceret, eſſe cuſtodem negaret. Sed quare non improperavit eis vitam eorum? Reſpondet Beda: Hic dominus in ſemetipſo patientiæ præbuit exemplũ, ut eo tempore, quo àproximis ex falſitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus. *Sed honorifico patrem*, attribuẽdo ei quę operor & quę loquor *Et vos inhonoraſtis me*, per falſa opprobria, ſed ſuper hoc judiciũ patris nõ effugietis; unde ſubditur: *Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat* ſcilicet pater. *Et judicet*, id eſt, puniet. Sed quomodo Ioan. 5. Dixit *Pater non judicat quemquam*, reſpondet Auguſtinus Quod duplex eſt judicium condemnationis, ſcilicet, & diſcretionis. De primo Joan. 5. *Pater non judicat quemquam*: De ſecundo hîc *Eſt qui quærat* gloriam meam *& judicet*. Diſcernendo eam à gloria veſtra, quia vos ſecũdũ ſęculũ gloriamini, ego nõ; ſed eá gloriá quã habui apud patrem antequam mundus eſſet. Ioan. 17. *Amen amen dico* &c. Non deſiſtit dominus à prædicatione propter contumeliam ſibi dictam. *Si quis ſermonẽ meum ſervaverit*, in corde, in ore, in opere, in corde per fidem, in ore per confeſſionem. Roman. 10. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. In opere per mandatorum impletionem. Pſalm. 102. *Memores ſunt mandatorum ejus ad facienda ea*. *Mortem non guſtabit in æternum*. Auguſtinus. Guſtabit, dictum eſt, pro eo, quod eſt experietur. Sed quid ſibi vult, quod hæc dicit loquens his qui morituri erant? reſpondet Auguſtinus. Videbat dominus aliam mortem, de qua nos liberare venerat, ſcilicet, mortem æternam, mortem ſecundam, ipſa eſt vera mors. Nam iſta, migratio eſt. Item. Auguſtinus. Quid eſt iſta mors, depoſitio ſarcinæ gravis; ſed ſi alia ſarcina non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur. *Nunc cognovimus*, per ea, quæ promittis, *quia dæmonium habes*, id eſt, mente alienatus es. Beda. Sicut acceptâ contumeliâ bonus melior fit; ita mali beneficio fiunt pejores. *Abraham mortuus eſt, & prophetæ; & tu dicis*, quaſi dicerent, loquendo impoſſibilia & inopinabilia, oſtendis te alienatum. Auguſtinus. Iſtâ morte qũa dominus vult intelligi, nec Abraham mortuus eſt, nec Prophetæ. Unde Dominus reſpondens Saducæis. Matth. 22. Dixit *Non legiſtis*, quomodo dixit dominus ad Moyſen: *Ego ſum Deus Abraham*, &c *Non eſt autem Deus mortuorum, ſed vivorum* Illi ergo vivebant *Nunquid tu major es patre noſtro Abraham*. Interlin. Provocant, ut aliquid diceret contra Abraham. *Qui mortuus eſt*, licet ſermonem Dei ſervaverit. *Et Prophetæ mortui ſunt*; quibus tamen non es major: ergo nec diſcipuli tui majores ſunt eis. *Quem te ipſum facis*, id eſt, fingis? Reſpondit Jeſus contra hoc, quod dixerant, quem te ipſum facis. *Si ego glorifico*, id eſt, glorioſum facio me ipſum, *gloria mea nihil eſt*, ſicut gloria ſimulatorũ, ut dicit Victor. Qui volũt videri, quod non ſunt nulla eſt, &c. *Eſt pater meus qui glorificat me*. Ex hoc ut dicit Aug. calumpniãtur Arriani fi-

Præludia paſſionis.

Homo natura bonus, vitio malus eſt.

Patientiæ exemplum.

Judicium duplex.

Quo judicio judicet.

Sermo Dei ſervatur tripliciter. In corde. In ore. In opere.

Mors duplex corporalis ſpiritualis.

Obiectio Arrianorũ.

Digitized by

dei noſtræ dicentes. Ecce maior eſt pater, quia glorificat filium. Contra quod dicit Auguſtinus. Non legis, & ipſum filium dicentem, quod glorificet patrem ſuum. Ioan. 17. *Ego glorificavi te ſuper terram.* Si ergo pater filium glorificat, & filius patrem, agnoſce æqualitatem, & corrige perverſitatem, *Et non agnoviſtis eum*, ſcilicet, patrem. Iſaiæ 1. *Iſrael me non cognovit. Ego autem novi eum.* Matth. 11. *Nemo novit patrem, niſi filius, & qui voluerit filius revelare*: & ne videatur hæc dicere ex arrogantia, ſubdit, ut dicit Auguſtinus. *Si dixero*, &c. Victor: Similiter mentitur, qui dicit ſe neſcire, quod ſcit, ſicut & ille, qui dicit ſe ſcire quod neſcit. *Abraham*, &c. Oſtendit ſe majorem eſſe Abraham, cujus contrarium credebant Iudæi *Pater veſter*, quantum ad carnis originem, *Exultavit ut videret diem*, hoc eſt cũ deſideravit diem meũ. Gloſſa. Credens exultavit ſperando, ut videret intelligendo tantum myſterium.

Obiectio Arrianorum reſponſio.

Alia Gloſſa. Incertum eſt, an diem temporalem, quo erat venturus in carnem, an diem æternitatis, ſed utrumque Abraham vidit; unde ſubditur: *Vidit, & gaviſus eſt.* Secundùm Chryſoſtomum, oſtendit dominus eos eſſe alienos ab Abraham qui in eo, in quo lætabatur, dolent. Secundùm Auguſtinum. Tunc vidit quando dixit ſervo ſuo: *mitte manum ſub femore meo & jura per Deum cœli.* Geneſ. 24. Secundùm Gregorium, Abraham diem domini vidit, cum in figura ſummæ Trinitatis tres angelos hoſpitio recepit. Geneſ. 18. Secundùm Chryſoſtomum, tunc vidit, quando voluit immolare filium. Geneſ. 22. *Dixerunt Iudæi*, ſolam in eo ætatem carnis penſantes, ut dicit Beda. *Quinquaginta annos*, &c. Dominus verò ab intuitu carnis ad divinitatis contemplationem trahens dixit eis *Amen* &c. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* De Abraham dixit fieret, eſſet, quia Abraham creatura fuit. De ſe verò dixit *Sum.* Chryſoſtomus. Hac dictione, Sum, utitur, ſicut pater eius. Exodi 3. *Ego ſum qui ſum.* Continuè enim eſſendi ſignificativa eſt dictio hæc, & ab omni eruta tẽpore: propterea blaſphemãtium videtur eis hoc verbũ: ideò eum lapidare volũt *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent*, id eſt; projicerent in eum. Gregorius. iſta æternitatis verba mentes Iudæorũ infideliũ ſuſtinere nõ valentes, ſolita crudelitate ad lapides currunt, & quem intelligere non poterant, obruere quærebant: ideò autem hoc genere mortis eum occidere volebant; quia videbatur blaſphemaſſe attribuendo ſibi verbum ad æternitatem pertinens, ut priùs dictum eſt; blaſphemus autem lapidatur. Levit. 24. Ieſus *autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* In quo notatur eius benignitas: unde Auguſtinus Ieſus tanquam homo, tanquam humilis, & benignus abſcondit ſe, cui quidem magnum non erat, ut eos continuè terra dehiſcente faceret abſorberi: ſed magis commendanda erat patientia. Et Gregor. Dicit quæ nobis hoc exemplo loquitur dominus, niſi ut cum etiam reſiſtere poſſimus, iram ſuperbientium humiliter declinemus.

Melius eſt credere, quã reſiſtere iræ.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SVMMARIVM.

De ſex virtutibus prædicatori neceſſariïs; ſexque perverſitatis Iudæorum argumentis.

SERMO LXI.

Quis ex vobis arguet me de peccato.

Sex ſunt Prædicatori neceſſaria.

IN hoc Evangelio proponitur nobis Salvatoris bonitas, quam imitemur & Iudæorum perverſitas, quam deteſtemur *Sex* verò commendat nobis in Salvatore neceſſaria illis qui habent illos inſtruere.

I. Irreprehenſibilis vita.

Primum eſt *vitæ irreprehenſibilitas*; ad quod pertinet illud: *Quis ex vobis*, &c. debet enim irreprehenſibiliter vivere, qui vitia aliorum habet reprehendere: alioquin dicitur ei illud. Luc. 4. *Medice curate ipſum*, & illud. Matth. 7. *Ejice primum trabem* de oculo tuo. Gregor. Quâ præſumptione mederi percuſſum properat, qui in facie vulnus portat. 2. Tit. 2. Cura te ipſum exhibere operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Verbum non rectè tractat, qui, quod ædificat verbo, deſtruit facto. Gregor. Superiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Idem, cuius vita deſpicitur, reſtat ut eius prædicatio contemnatur.

II. Veritas doctrinæ.

Secundum doctrinæ veritas, ad quod pertinet illud: *Si veritatem dico*, &c. Hæc duo ſocianda ſunt ad invicem veritas vitæ, & veritas doctrinæ: quæ ſi in eo, qui habet alios inſtruere, convenerunt, quod intenditur efficiunt: Si verò alterum defuerit, reliquum inefficax eſt, vel etiam recedit. Eccleſiaſtici 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt*, & veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. Vnde multum timendum eſt regnum eorum qui non habent veritatem vitæ. De facili enim errare poſſunt circa veritatem doctrinæ. Ideò iuxta verbum David. Pſal. 11. hodie *diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* In ore multorum non eſt veritas, quia cor eorum vanum eſt; ideo in multis impletur illud. Daniel. 8. *Proſternetur veritas in terra*: Modicum enim terreni lucri veritati præponitur. Pauci ſunt hodie qui veritatem tueantur, ideo corruit in plateis veritas. Iſa. 59. Pauci ſunt hodie imitatores Chriſti dicentis Ioan. 18. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut perhibeam teſtimonium veritati*

III. Humilitas.

Tertio eſt *humilitas*, quæ Dei gloriam quærebat, & propriam contemnebat. Ad quod pertinet illud. *Honorifico patrem meum*, & illud *Ego non quæro gloriam meam*; & quibuſdam interpoſitis, ſubditur. *Si ego glorifico me ipſum* gloria mea nihil. Humilitas eſt valdè neceſſaria ei qui habet alios inſtruere, ut non ſolum ſit in eo doctrinæ veritas ſed etiam intentionis puritas, ut quærat Dei gloriam & contemnat ſuam. Dei dupliciter debet quærere, ea videlicet quæ ſunt ad gloriam, prædicando ſicut legitur in Pſalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei* Cœli vocantur Apoſtoli à terrenis elongati, ſicut cœli à terra ſunt exaltati. Item profectum ſuum Deo attribuendo Eccleſiaſtici ult. *Danti mihi ſapientiam dabo gloriam*, Sapientia eſt, cum ſapientiâ virtutum condita eſt ſcientia. Meritò verò Deo gloriam tribuit, qui circa correptionem delinquentium proficit. Correctio hominis divinum opus eſt, non humanum. Eccleſiaſtici 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere quem ille deſpexerit* & ſicut Dei gloria quærenda eſt, ſic propria fugienda eſt. Vana enim gloria eſt velut aër corruptus noſtra opera corrumpens; ſicut aër corruptus ſanitatem corporum corrumpit: nec mirum ſi corruptum eſt, quod de loco corrupto procedit. Quis locus magis corruptus eſt quam veſica ſuperbiæ de qua vana gloria exit: hæc veſica proiicienda eſt in locum cinerum. Levit. 1. Quod fit cum per memoriam mortis ſuperbia reprimitur. Si quis verò glorificat ſe ipſum, gloria ſua nihil eſt quia: *non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10.

Dupliciter quæritur gloria Dei.

Vana gloria aer corruptus eſt

IV. Manſuetudo.

Quartum eſt *manſuetudo*, qua Dominus ad vitia ſibi dicta à Iudæis non movetur. Mitis enim eſt ut dicit Gloſſa ſuper Matth 9. Quem rancor vel ira non afficit, ſed omnia æquanimiter portat: homines inmanſueti, cum concitati fuerint, vel negant verum, vel pro convitio convitia reddunt, ſed Dominus de duobus ſibi obiectis, illud quod aliquo modo tolerari potuit, non negavit, ſcilicet ſe

eſſe Samaritanum, quod autem manifeſtè falſum erat, negans nullum convitium reddidit, cum tamen poſſet eos veraciter dicere dæmonium habere. 1. Petr. 2. *Qui cum malediceretur non maledicebat* &c. Beda. Hic Dominus in ſemetipſo præbuit exemplum patientiæ, ut eo tempore quo à proximis ex falſitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus. Rom. 12. *Non vosmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* E contrario autem *audito convitio os ſtultorum ebullit ſtultitiam.* Proverb. 15. Et ſi quid gratiæ habebat illud effundit. Manſuetudo valde neceſſaria eſt illis qui habent alios inſtruere. Sunt enim miſſi, ut medici, ad curationem phreneticorum, nec expedit ut phreneticus à medico occidatur, licet medico convitietur, unde ſuper illud Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in maxillam*, dicit gloſſ. docet verus medicus, quos ad ſalutem ægrotorum dirigit manſuetè tolerare, quod ille intulerit, in infirmitate. Hanc manſuetudinem commendat Dominus. Matt. 10. *Ecce ego mitto vos ſicut oves*, &c.

Doctores ſunt velut medici.

V. Charitas.

Quintum eſt *charitas*, propter convitia audita à beneficij collatione non deſiſtens, unde poſt illud verbum. *Dæmonium habes.* Subdit illam promiſſionem: Si quis ſermonem meum ſervaverit, &c. Cant. ult. *Fortis eſt ut mors dilectio*, & paulò poſt. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Charitas nec multitudine tribulationum, quæ per aquas multas, nec magnitudine pœnarum, quæ per flumina intelligitur, ſuperatur.

VI. Prudentia.

Sextum eſt *prudentia* benigna ſibi & aliis, à periculo cavens; ad quod pertinet illud. *Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo*, ad quod monet Dominus Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*; prudentes ſicut ſerpentes, ne falli poſſitis; ſimplices ut columbæ, ne fallere velitis.

Sex ſigna malitiæ Iudæorum.

Poſſumus etiam notare *ſex* quæ ad perverſitatem Judæorum pertinent. *Primum* eſt, quod non acquieſcunt veritati. Ad quod pertinet illud, *Si veritatem dico, quare non creditis mihi.* Humana ratio nata eſt diligere bonitatem; unde ex magna corruptione erat, quod veritati nolebant adquieſcere. Job 24. *Ipſi rebelles fuerunt lumini* hæc corruptio multum invaleſcet in noviſſimis temporibus. 2. Tim. 4. *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, & ſubditur *A veritate auditum avertent, ad fabulas convertentur.* Hæc corruptio multum etiam hodie abundat. Si enim unus ribaldus aliquid dixerit contra honeſtum virum, credent homines ſimplici verbo illius. Si verò decem honeſtæ perſonæ dicerent contrarium cum juramento, non crederent eis: Chriſto etiam qui veritas eſt. Joan. 14. nolunt homines credere: Chriſto, inquam, utilia docenti, terribiliter comminanti, æterna promittenti. De primo Iſaiæ 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.* De ſecundo Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* De tertio, ibidem. *Beati pauperes quoniam veſtrum eſt regnum Dei*: & Matth. 4. *Pœnitentiam agite*, &c. *Secundum* eſt, quod auditum negaverunt Deo loquenti, de quo ibi: *Propterea vos non auditis, quia* &c. Magna perverſitas eſt, cùm omnia membra humana Dei ſint, jure creationis, conſervationis, & emptionis, quòd diabolus ad voluntatem ſuam habeat uſum membrorum illorum: Domino verò uſus etiam aurium negetur. *Tertiũ* eſt, quod cùm ipſi dæmonium habeant, dicunt tamen eum dæmonium habere, qui dæmonia venerat ejicere Luc. 13. *Ecce hodie & cras ejicio dæmonia.* Ipſi, ad modum canis rabidi, manum miniſtrantis mordent, & ad modum phreneticorum in medicum deſæviunt, & volentem eos lavare maculant. Proverb. 9.

I. Non acquieſcunt veritati.

Mala de proximo citius creduntur quã bona.

II. Nolunt audire Deum loquentem.

III. Malum ſuum alteri imponunt.

Qui arguit impium ſibi maculam generat. *Quartum* eſt, quod maledictionem qua Salvatori maledicunt, benedictionem aſſerunt dicentes. *Non ne bene dicimus quia Samaritanus es tu*, & de hoc, cum hoc peſſimè dicunt; ideo Dei maledictionem incurrunt. Iſa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* *Quintum* eſt, quòd de beneficio pejores fiunt. Unde audita à domino illa ſalubri promiſſione. *Si quis ſermonem meum ſervaverit* convitium priùs ei dictum iteraverunt dicentes. Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Gloſſ. ſicut acceptâ contumeliâ bonus melior fit, ita mali fiunt de beneficio pejores. Tunc ſe cognoſcere dixerunt, cùm magis malitiâ excæcati fuerunt. *Sextum* eſt, quòd cum ipſi eſſent lapidandi, Salvatorem lapidare voluerunt; unde ſubditur. *Tulerunt lapides judæi, ut jacerent in eum.* Et *notandum* quòd cùm inimicitiæ poſitæ ſunt inter ſerpentem infernalem, & mulierem & ſemen ſerpentis & ſemen mulieris. Et mulier debebat conterere caput ſerpentis. Geneſ. 3. Sic homines naturaliter ſerpentes materiales lapidibus perſequuntur: ſic ordinata res eſſet, ut filij Dei ſemen ſerpentis infernalis lapidarent; ad minus ſpirituali lapidatione: de qua Eccleſiaſtici 22. *In lapide luteo lapidabitur piger*, ſicut Ioannes Baptiſta Phariſæos & Saducæos lapidabat. Matth. 3. Dicens: *Progenies viperarum quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira.* E contrario autem ſemẽ ſerpentis lapidat, hodie filios Dei, ſicut unigenitum Dei voluit lapidare.

IV. Malum dicunt bonũ.

V. Beneficio pejores fiũt.

VI. Lapidandi volunt lapidare Salvatorem.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS,

SUMMARIUM.

De tribus ad ſalutem neceſſarijs, veritate vitæ & doctrinæ Chriſti, quinque paſſionis capitibus & 12. alijs paſſionibus.

Amen Amen dico vobis. Si quis ſermonem meum ſervaverit, &c.

SERMO LXII.

Tria hic tractantur neceſſaria ad ſalutem.

TRia ſunt valdè neceſſaria homini illi qui vult ſalvare animam ſuam, ſcilicet, ut verbum Dei libenter audiat, & quod audierit firmiter credat, & ut verbum auditũ cuſtodiat memoriter retinendo & opere implẽdo. *Tria* autem verba dicuntur in hoc evangelio pertinentia ad hæc tria. *Primum* eſt illud; *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit.* *Secundum* eſt illud: *Si veritatem dico quare non creditis mihi.* *Tertium* eſt illud. *Si quis ſermonem meum ſervaverit.* *Auditus verbi* videtur eſſe principium boni, quia *fides eſt ex auditu* Rom. 10. *Auditus autem per verbum Dei.* Verè non eſt Dei, qui verba ejus audire dedignatur; quomodo enim præcepta Dei implebit, qui ea audire contemnit. Mandatorum impletio oſtendit veros ſervos Dei, unde Luc 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico*, qui viſo prædicatore in eccleſia tam citò recedit, ſervum diaboli ſe oſtendit Habacuc. 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Pedes Dei ſunt prædicatores qui nomen Dei portant per mundum, quibus intrantibus eccleſiam Diabolus in membris ſuis egreditur. qui aures, quæ ſunt naturaliter apertæ, verbo Dei claudit, quomodo cætera membra parata ad Dei obſequium habebit. Non eſt Dominus caſtri, qui non habet ſaltem ingreſſũ, nec videtur Dominus habere dominium illius, in quo per oſtium auditus non patet ſibi aditus.

I. Auditus verbum Dei.

Speciosi pedes Evangelizãtiũ.

Circa *Secundum* notandum, quòd neceſſarium eſt, quòd verbum Dei, quod auditur, firmiter credatur: in quo multi deficiunt, licet credere videantur. Bernard. Putas ne filium Dei reputat Ieſum quiſque ille, & qui comminationibus ejus

II. Fides firma.

non terretur, nec promiſſionibus allicitur, nec ſe præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit: multi audierunt illud. Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam*, & videntur illud credere, & tamen non cavent ſibi à mendacio nocivo proximo, de quo illud intelligitur: ſed non credunt verè. Quis enim venenum bibere audebit, de quo credit quod etiam exiſtens in ore, eum occidat; velut tale venenum eſt mendacium juxta verbum prædictum.

Mendaciū cavendum.

Item multi audierunt illud. 1. Corinth. 6. *Fornicarii regnum Dei non poſſidebunt*, & æſtimant ſe illud credere; tamen dicunt, ſe non poſſe continere: in quo oſtendunt ſe non verè credere voluptatem fornicationis eſſe mortiferam. Si enim verè hoc crederent, potiùs ſe non poſſe uti ea aliquatenus aſſererent Iob. 6. *Anguſtare quis poterit quod guſtatum afferat mortem.*

Fornicatio cavenda.

Item non videntur credere illud. Matth. 6. *Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*, qui modicam injuriam nolunt dimittere proximo, cum tot & tantis debitis teneantur Deo obligati. Quis enim non dimittat libenter unum pro mille.

Dimittendum proximo.

Item non videntur credere verè illud Sap. 14. *Homo per malitiam occidit animam ſuam*: qui à nocumento proximi nolunt abſtinere. Si enim illud verè crederent ſaltem timore proprii nocumenti à nocumento proximi abſtinerent. Pſal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipſorum*, id eſt, intrabit. Occidens enim proximi corpus, occidit animam ſuam.

Non nocēdum proximo.

Item non videntur credere eos qui rem alienam injuſtè capiunt, à diabolo capi, qui nullis exhortationibus ab uſurpatione rei alienæ cohiberi poſſunt. Auguſt. Præda quam vis rapere in muſcipula eſt, tenes alienum, & teneris à diabolo.

Furtum cavendum.

Item non videntur credere, quod non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, & quod neceſſe ſit in patibulo infernali pendere, vel malè poſſeſſa reddere, qui nullo modo induci poſſunt ad reſtituendum. Si periculum, quod eis imminet, cernerent, ſine dilatione quæ malè poſſident, reſtituerent. Item ſi viderent bona ſpiritualia quæ reſtituenda ſunt, quæ in infinitum ſunt meliora, ſine dilatione temporalia reſtituerent.

Reſtitutio facienda.

III. Impletio mandatorū.

Circa *tertium* notandum, quòd utilitas ſermonis auditi & crediti in hoc conſiſtit, quod ſermo cuſtodiatur memoriæ tenacitate, & operis impletione. Unde cuſtodientes verbum beatificantur. Luc. 11. *Beati*, inquit, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: & illud. Apoc. 1. *Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Senec. Non prodeſt cibus nec corpori accedit qui ſtatim ſumptus emittitur. Idem verum de cibo ſpirituali. Proverb. 10 Dicitur de ſapientia: *lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam*, & qui tenuerit illam Beatus. Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea ille eſt qui diligit me*; *habet* ſciendò, *ſervat* implendo.

Tres cauſæ ob quas mandata ſervanda.

Triplici ratione debet quilibet libenter ſervare mandata Dei. *Primo*, quia ſervans ea nullum bonum amittit, nec ſe, nec ſua perdit, nec perditur. Proverb. 19. *Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit.* Sapient. 16. *Sermo tuus hos, qui in te credunt, conſervat.* Eccleſiaſtici 15. *Si volueris mandata ſervare, ſervabunt te.* *Secundo* quia ſervans mandatum nullum malum incurrit. Eccleſiaſtæ 8. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali.* Quis non diligenter cuſtodiret lapidem pretioſum, quod poſſet ab omni corporali infirmitate cuſtodiri, & hîc dicitur. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.* Ad litteram. Adam ſi ſermonem Dei ſervaſſet, mortem corporalem non guſtaſſet: cauſa enim mortis fuit tranſgreſſio divini mandati. *Tertio*, quia, qui mandatum cuſtodit, bona ſibi æterna acquirit. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Tria mala infert mors corporalis.

Et *notandum* quòd mors corporalis tria facit: corpori animam aufert, à qua bona ſua habebat, unde inutile efficitur, id eſt, dolorem magnum infert & eſſe deſtruit. In duobus primis, aſſimilatur mors æterna morti corporali. Separat enim à Deo, qui eſt fons omnium bonorum. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti*, &c. Continuè majorem dolorem infert, quam ſit dolor mortis. In tertio verò non aſſimilatur; non enim facit mors æterna damnatos non eſſe, immo ſervatur eis vita, ut non ceſſet pœna. Apocal. 9. *Deſiderabunt homines mortem, & mors fugiet ab eis.*

Mors æterna qualis & quanta.

Tulerunt lapides Judæi ut jacerent in eum. In hodierno Evangelio oſtenduntur quædam præludia, vel anticipationes dominicæ paſſionis, quibus occaſionem dedit prædicatio. Sed ne aliquis crederet, hæc accidiſſe ex culpa prædicantis, primo oſtenditur quod in prædicante fuerunt illa *duo* quæ pertinent ad perfectionem prædicatoris, ſcilicet, irreprehenſibilitas, ſive *veritas vitæ*, & *veritas doctrinæ*. Ad *primum* pertinet illud: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ad *ſecundum*, illud: *Si veritatem dico, &c.* Et è contrario, perverſitas auditorum; & quantum ad intellectum, ibi: *Quare non creditis mihi.* Et quantum ad effectum, ibi: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Intellectus non credens veritati, eſt ut oculus lippus, qui ad lucem obtenebratur. Affectus cui non ſapit verbum Dei, eſt ut inſtrumentum guſtus amaro humore infectum. Auguſtinus. Palatum febricitantis habet, cui mel cœli inſipidum eſt. Eccleſiaſtæ 6. *Quam aſpera eſt nimium ſapientia in doctis hominibus* &c.

Occaſio & præludia Paſſionis Chriſti.

1. Irreprehēſibilitas vitæ quare neceſſaria.

Circa vitæ *irreprehenſibilitatem* notandum, quòd irreprehenſibilem decet eſſe illum qui aliorum vitia reprehendit. Alioquin ex omni parte arguitur; intus arguit eum conſcientia ſua. Jerem. 2. *Arguet te malitia & averſio tua increpabit te.* Vel arguit eum ſcriptura. Rom. 2. *Qui ergo alium doces te ipſum non doces, qui prædicas non furandum, furaris*, &c. Vel arguit eum turba, dicens: *cura te ipſum.* Lucæ 4. Vel arguit eum Dei juſtitia David Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras juſtitias meas*, &c.

2. Veritas doctrinæ cur neceſſaria.

Circa *veritatem doctrinæ* notandum, quòd illa veritas multum eſt neceſſaria prædicatori. Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana. Minùs intelligantur, minùs placeant, minùs moveant quæ dicuntur, vera tamen dicantur & multa. De his qui habent falſam doctrinam loquitur multū Dominus. Jer. 23. *Nolite*, inquit, *audire verba Prophetarū qui prophetant vobis, & decipiunt vos; viſione cordis ſui loquuntur.* In eodē: *Audivi quæ dixerunt prophetæ prophetantes vobis & decipiunt vos in nomine meo.* Item: *Ecce ego ad prophetas, qui aſſumunt linguas ſuas, & aiunt*, &c. De eodem habetur. Ezech. 13. *Deceperunt populum dicentes, pax, pax, & non erat pax*, &c.

Pſeudo Prophetæ non audiendi.

Quinque Paſſionis capita.

Circa præludia Dominicæ Paſſionis notandum, quod præter illa *quinque* principalia pertinentia ad Dominicam Paſſionem, quæ prædicit Dominus. Lucæ 18. Dicens: *Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum.*

Duodecim aliæ Paſſiones.

Poſſumus enumerare *duodecim* quæ paſſus eſt Salvator. *Primum*, eſt fames. Matth. 4. *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Ejuſdem 21. *Mane revertens in civitatem eſuriit.*

1. Fames.

Secundum, eſt ſitis, Ioan. 4. *da mihi bibere*; Ejuſdem 19. *ſitio.*

2. Sitis.

Tertium, eſt fatigatio ex labore Ioan. 4. *Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem.*

3. Hoſpitii defectus.

Quartum, eſt defectus hoſpitii. Lucæ 2. *Reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Matth. 8. *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*;

4. Paupertas.

reclinet: & Marci 11. *Circumſpectis omnibus cum jam veſpera eſſet hora exivit in Bethaniam.* Gloſſ. Circumſpectis; ſi quis enim eum hoſpitio reciperet. Tantæ enim paupertatis fuit & ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hoſpitium inveniret.
5. Tentatio. *Quintum*, eſt tentatio. Tentatus enim eſt à dæmone, & ab homine. De primo habetur. Matth. & Lucæ. 4. de ſecundo, habetur. Lucæ 10. *Quidam legis peritus ſurrexit tentans eum.*
6. Fletus. *Sextum*, eſt fletus de quo habetur Lucæ 19. Joan. 11. & Hebr. 5.
7. Vigilia. *Septimum*, eſt vigilia de qua Matth. 26. & Marc. 14. *Non potuiſtis una hora vigilare mecum*, Lucæ 6. *& erat pernoctans in oratione divina.*
8. Inſidiæ. *Octavum*, eſt inſidiatio, Matth. 22. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent Ieſum in ſermone.*
9. Obſervatio *Nonum*, eſt obſervatio, Lucæ 14. *cum ſtaret hydropicus ante eum obſervabant, ſi ſabbatho curaret.* Pſal. 36. *Obſervabit peccator juſtum.*
10. Irriſio. *Decimum*, eſt irriſio, Lucæ 16. *Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum.*
11. Opprobria quinque. *Undecimum*, eſt quod paſſus eſt opprobria, & poſſumus notare *quinque* genera opprobriorum. Detrahebant enim ejus *poteſtati*, *nobilitati*, *veritati*, *ſapientiæ*, & *bonitati*. De *primo* opprobrio habetur. Matth. 12. *Hic non ejicit dæmonia niſi in beelzebub principe dæmoniorum*, & ejuſdem. 27. *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere.* De *ſecundo* Matth. 13. *Nonne hic eſt filius fabri.* Marc. 6. *Nonne hic eſt faber.* De *tertio* habetur. Joan. 8. *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*, & Matth. 26. dixit princeps ſacerdotum; *Ecce nunc audiſtis blaſphemiam.* De *quarto* habetur hic dæmonium habes. Inſaniam enim volunt ei imponere. De *quinto*. Ioan. 9. *Scimus quia hic homo peccator eſt.* In eodem. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit.*
12. Attentatio mortis. *Duodecimum* eſt attentatio ad occidendum. Attentavit Herodes cum adhuc parvulus eſſet, occidere eum gladio. Matth. 2. Compatriotæ ejus tentaverunt occidere eum præcipitio. Lucæ 4. *Ducentes eum ad ſupercilium montis ut præcipitarent eum.* Iudæi tentaverunt occidere eum lapidibus, ut in hodierno Evangelio habetur.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium explanatur.

SERMO LXIII.

Cum appropinquaret Ieſus Hieroſolymam, & veniſſet Bethphage. *Matth.* 21.

Gloſſa. Bethphage erat viculus ſacerdotum. In monte oliveti habebant ſacerdotes viculos ad alenda pecora. Non enim habebant portionem hæreditariam in terra promiſſionis. Numeri penult. *Ite in caſtellum*: Hieruſalem vocat caſtellum deſpectivè: Caſtellum diminutivum eſt caſtri, *quod contra vos eſt*, id eſt, coram vobis ex oppoſito, ad literam. *Et ſtatim invenietis aſinam alligatam*, ad litteram: Erat in Hieruſalem aſina communiter uſibus pauperum deputata; forſitan ad portandum aquam, quia civitas arctabatur penuria aquæ; & erat in bivio alligata, ut cuicunque eſſet neceſſaria, aſſumeret eam, & die qua eam haberet, pabulum ei daret. Hæc aſina habebat pullum, qui ad idem nutriebatur. Matthæus ſolus facit mentionem de aſina; alii tres de pullo. Hujus cauſam reddit Beda, dicens, quod hi tres Evangelium græcè ſcripſerunt, Matthæus verò hebraicè, quia aſinam ſolutam & adductam refert, ut hebrææ gentis, ſi pœnituerit non deſperandam monſtraret eſſe ſalutem. *Quia Dominus his opus habet* propter myſterii ſignificationem. *Dominus* Interlin. Simpliciter omnium rerum cui ſervire debet omnis creatura *Aſinam alligatam & pullum cum ea.* Secundùm Gloſſ. Aſina ſignificat Iudæos jugo legis domitos, ſed tamen peccatis irretitos. Pullus eſt populus gentilium, cui nullus doctor frænum correptionis impoſuit, liber & laſcivus, qui & ipſe in vinculis peccatorum irretitus erat. Chryſoſtomus: Aſina Iudæa, quæ ſecundùm dominum mater eſt gentium Iſa. 1. Alia litera, vocaberis mater juſtitiæ & mater civitatum. *Ut adimpleretur*, id eſt, ex hoc adimpletum eſt, per Prophetam Zach. 9. *Dicite* ô prædicatores *filia Sion.* Gloſſa. Filia Sion eſt Hieruſalem ſita in monte Sion. *Nota* quod turris David, quæ erat in monte Sion, defendebat civitatem, quæ erat inferius, ſicut mater cuſtodit & defendit filiam; ideo una mater, alia vero filia dicitur. *Tibi*, id eſt, ad tuã utilitatẽ, ſi credas, contra te, ſi nõn credis. *Et pullum filium ſubjugalis.* *Nota* quod aſina græcè, latinè ſubjugalis dicitur; & utroque nomine ob eandem cauſam dicta eſt. Huic enim jumento primo inſedit homo, & à ſedendo latinus aſinum dixit. Græcus verò vocavit ſubjugale. Item *notandum* quod Marcus, & Lucas, & Ioannes non dicunt, eum ſediſſe niſi ſuper pullum; Matthæus verò videtur velle, quod ſederit ſuper pullum & aſinam; quod fieri potuit, licet brevis eſſet via. Potuit enim primo inſidere pullo, & quia fortè laſcivus erat, deſcendit & inſedit aſinæ: quod ſi ſuper pullum tantùm inſedit, Matthæus utrumque poſuit, propter myſterium. Zach. 9. Sic habet litera noſtra. *Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum aſinæ filium.* *Fecerunt ſicut præcepit illis.* Hic datur forma perfectæ obedientiæ: quod eſt non ſolum facere quod præcipitur, ſed etiam ut præcipitur. *Alii autem cædentes ramos palmarum* vel frondes. Marc. 11. *Oſanna* ſecundùm quoſdam eſt dictio ſimplex, æquipollens huic dictioni, ſalus; & ſecundum hoc ſenſus eſt *Oſanna*, id eſt, ſalus eſt *filio David*, id eſt, à filio David. Secundum Hieronymum. Oſanna compoſitum ex corrupto & integro quaſi Oſiana, id eſt, ſalva, obſecro. Oſi. Sonat ſalva, Anna, eſt interjectio obſecrantis, ſicut papæ admirantis; quæ quia in latino non habetur eloquio. Hieron. pro ea poſuit obſecro. Secundùm hoc ſic conſtrue. *Dicentes filio David Oſanna*, id eſt, ſalva obſecro. *Benedictus qui venit in nomine domini.* Id eſt ad honorem domini, quia adventus Chriſti non tantum homini, ſed etiam totius mundi ſalus eſt, terrena conjungens cœleſtibus. Alia Gloſſa. Quaſi ſalva, obſecro, in excelſis, implendo ſcilicet numerum angelorum. Fortè petebant ſublimitatem regni terreni, cum tamen neſcientes, propheticè regem cœli & angelorum prædicabant.

Aſina gentem Iudæorum ſignat. Pullus gentiles.

Explicatur aſina, & pullus.

Exemplum perfectæ obedientiæ.

Oſanna quid ſignificet.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De miſſione Apoſtolum; de mundi malis, ejuſque contemptu; de duplici Caſtello, de tribus virtutibus quas dominus in ingreſſu Hieruſalem docuit, prælatis & principibus neceſſarias.

SERMO LXIV.

Cum appropinquaret Jeſus Hieroſolymam, &c.

Quis honor Chriſto Hieroſolymam ingredienti exhibitus.

Evangelium quod legitur in hodierna proceſſione oſtendit honorem exhibitum Salvatori, venienti Hieruſalem ad locum paſſionis ſuæ. Et *primo* oſtenditur quomodo Hieruſalem venerit. *Secundo*, quomodo honor exhibitus ei fuerit, ibi: *Plurima autem turba* Venit autem Salvator inſidens humili jumento à diſcipulis adducto & præparato,

Quatuor notanda.

Circa adductionem verò quatuor nobis ſunt attendenda pertinentia ad ædificationem noſtram. *Primum* eſt, locus unde diſcipuli ſunt mihi. *Secundum* qui miſſi ſunt. *Tertium*, ad quem locum miſſi ſunt. *Quartum*, ad quid ſunt miſſi.

I. Vnde diſcipuli miſſi ſint.

Miſſi ſunt diſcipuli à monte oliveti: in quo ſignificatur eminentia dilectionis Chriſti, qua venit in Hieruſalem pro nobis paſſurus Joan. 15. *Majorem dilectionem nemo habet*, &c. Hanc dilectionem dicit Apoſtolus nimiam. Epheſ. 5. *Secundum charitatem ejus nimiam qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto.*

Charitas Chriſti indicatur.

Magna charitas fuit quod filium unigenitum miſit in carnem; major quod *in ſimilitudinem carnis peccati.* Rom. 8. Nimia, quod voluit pati pro nobis: Vel magna, quod miſit unigenitum *in ſimilitudinem carnis peccati.* Major, quod voluit mori pro nobis, nimia, quod tali genere mortis. Sap. 2. *Morte turpiſſima condemnemus eũ.*

Signa iræ Dei.

Vel ideò à monte oliveti eos miſit, ut deſignaret, quod ex eminentia miſericordiæ ſuæ fit, quod prædicatores & doctores per mundum ſpargit; ſicut ex magnitudine iræ tales ſubtrahuntur, ſicut ſterilitas corporalium agrorum, ex defectu victualiũ, & defectus pluviæ, & areſactio fontium & fluminum, ſigna ſunt iræ divinæ. Sic defectus victualium ſpiritualium, & pluviæ ſpiritualis, & ariditas fontium & fluminũ ſpiritualium, ſigna ſunt iræ divinæ. Defectum ciborum ſpiritualium comminatur dominus, Amos 8. dicens: *Mittam famem in terram, non famem panis, & ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Item ſicut exoculatio corporis ſignum eſt iræ; ita exoculatio ſpiritualis, quam comminatur dominus. Iſaiæ 26. *Claudam oculos prophetarum.* Item obtenebratio luminarium cœli ſignum eſt iræ. Joelis. 2. *Sol convertetur in tenebras*, &c Amos 8. *Tenebreſcere faciam ſolem in die luminis.* Luminaria in cœlo, Eccleſiæ ſunt doctores & prædicatores.

II. Qui miſſi ſint.

Circa *ſecundum* notandum, quod diſcipuli miſſi figuram tenent prædicatorum & doctorum Eccleſiæ. Duo verò miſſi ſunt ad commendandam dilectionem Dei & proximi, vel ſcientiam veritatis, & puritatem operis vel ad oſtendendum, quod tales notitiam utriuſque teſtamenti debent habere, & ordinata poteſtate pollere.

III. Quo miſſi ſint.

Circa tertium notandum; quod locus ad quem miſſi ſunt, dicitur caſtellum diſcipulis oppoſitum, ſignificans mundum qui deſpective dicitur caſtellum.

Contemptus mundi quia.

Deſpiciendũ enim eſt multis de cauſis. *Primo*, quia tranſitorius. Luc. 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Sapient. 5. *Tranſierunt omnia velut umbra.*

Cito tranſit. Affligit animam.

Secundo, quia cruciatorius Eccleſiaſtici 2. *Peccatori autem dedit Deus afflictionem & curam ſuperfluam, ut adjiciat, & congreget, & tradat ei qui placuerit Deo.* Ejuſdem 10. *Labor ſtultorum affliget eos.*

Adducit in damnationem. Adverſatur Deo

Tertio, quia cruciatus æterni eſt meritorius. Lucæ 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* *Quarto* quia Deo eſt adverſarius, adeo, ut Dei & amicitia ipſius non habeantur ſimul. Jacob. 4 *Quicunque voluerit eſſe amicus hujus ſeculi, inimicus Dei conſtituetur.*

Caſtelli deſcriptio.

Hoc caſtellum contra Deum munitũ eſt, cujus foſſatum eſt cupiditas, quod inde profundatur & dilatatur, unde videtur adimpleri, quod admirabile eſt dictu.

Fondamentum

Ex injectione enim terrenæ ſubſtantiæ cupiditas augetur: creſcit enim amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit. Lucæ 1. *Divites dimiſit inanes.* Amor cupiditatis eſt velut ignis græcus, quo diabolus quaſi conſumit, & facit non apparere quod in hoc foſſato projicitur.

Foſſa.

Alia foſſata per proceſſum temporis implentur; iſtud autem ſemper profundatur, quia per conſuetudinẽ de die in diem profundius in peccatum deſcenditur. Voluptas verò eſt velut aqua immunda hoc caſtrum cingens, & quaſi inexpugnabile reddens, in qua aqua adulatores velut ranæ coaxantes morantur. Pſal. 104. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.* In hac aqua magna pars eorum qui ad impugnandum hoc caſtrum miſſi ſunt, ſubmerſa eſt ut multi magni prælati Eccleſiæ qui vivunt delicatius, quàm principes terreni.

Turris. Materia. Murus.

Turris in hoc caſtro, ſuperbia eſt Mons ſuper quẽ caſtrum ædificatum eſt. Eſt materia ſuperbiæ, ut potentia, divitiæ, vel ſcientia. Muri ſunt ex peccatoribus induratis. Zach. 7. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem.* Job 41. *Indurabitur cor ejus quaſi lapis*:

Cæmentum

cæmentum vel bitumen eſt colligatio impietatis, vel turpis amor.

IV. Ad quid miſſi diſcipuli.

Circa *quartum* notandum, quod diſcipuli miſſi ſunt ad ſolvendum aſinam & ducendum, unde dictum eſt eis: *Solvite & adducite mihi.*

Septem vitia capitalia vincula ſunt, & ſeptem donis Spiritus S. ſolvuntur.

Vincula quibus aſina ligata eſt poſſunt intelligi ſeptem vitia capitalia, quæ ſolvuntur per ſeptem dona Spiritus ſancti: de quibus. Iſa 11. *Timor ſolvit ſuperbiam*, timoris enim comes eſt humilitas. De timore dicitur. Proverb. 14. *Timor domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Superbia eſt ruina mortis, ſivè mors ruinoſa.

Timore. Superbia. Scientia ira. Pietate, invidia. Fortitudine acedia.

Scientia ſolvit iram, ſicut ſtultitiã eam fovet. Iob 5. *Virum ſtultum interficit iracundia.* Pietas ſolvit invidiam, pietas enim malis proximi condolet, de quibus invidia gaudet. 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor.* Fortitudo accidiam, de quibus Proverb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortiũ divitias parat.*

Conſilio, cupiditas. Intellectu, luxuria. Sapientia, gula.

Conſilium ſolvit cupiditatem, ſive avaritiam. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, &c. Intellectus luxuriam. Pſal. 31. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Sapientia quæ pertinet ad guſtum ſpiritualem, ſolvit vitium gulæ. Auguſtinus. Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro; ita è contrario; Guſtata carne, deſipiunt ſpiritualia: unde filii Iſraël concupiſcentes carnes faſtidierunt manna. Numeri 11. & 21.

Aſina & pullus ſpiritualiter qui ſint.

Spiritualiter aſina ſignificare poteſt peccatores multis laboribus & doloribus preſſos: pullus verò illos, qui *in labore hominum non ſunt*, qui per campum licentiæ evagantur omne onus bonæ occupationis & ſolicitudinis abjicientes. Job 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum putat*, utrique vinculis peccatorum ſunt alligati. proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur.*

Homo ligatus peccato ægre ſolvitur.

Chryſoſtomus. Antequam peccemus liberi ſumus, ſed ſi ſemel operibus diaboli nos obligaverimus, jam noſtra virtute liberari non poſſumus. Sed ſicut navis, fracto gubernaculo, illuc ubi tempeſtas voluerit ducitur, ſic homo perdito auxilio gratiæ Dei, non facit quod vult, ſed quod diabolus. Sicut regem facit populus, tamen factum non poteſt repellere, ſic poſtquam homines thronum diaboli poſuerunt in cordibus ſuis, non poteſt jam eripere eos niſi Deus.

Dæmon alligat homines per varia membra

Et *notandum*, quod diabolus alligat peccatores ut jumenta non per unum membrum tantum, ſed etiam per multa, ſcilicet, per linguam, per oculos, per aures, per manus, per pedes. Oculos habent quaſi ligatos ad ea quæ turpiter amant, ut ad alia vix eos convertere poſſint. Idem intellige de aliis membris.

Ite in caſtellum quod contra vos eſt, &c.

Caſtellum duplex. Dei. Diaboli.

Notandum, quod *duplex* eſt caſtellum, *unum* quod Deus firmavit contra diabolum, quod ſignificatum eſt per Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, & ſignificat Eccleſiam, Lucæ 10. *Intravit Ieſus quoddam caſtellum.* *Aliud* eſt caſtellum, quod diabolus munivit contra Chriſtum: de quo Luc. 17. Cum *ingrederetur Ieſus quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi*, amatores, ſcilicet, mundi, tranſgreſſores decalogi. De hoc caſtello hoc dicitur, ſignificat enim mundum Chriſto & diſci-

& diſcipulis ejus oppoſitum, contra Deum munitũ.

Discipuli ad tria miſſi.

Mittit dominus diſcipulos ſuos ad *tria*, ſcilicet, ad mundum impugnandum, ad ſolvendum peccatores, & ad ducendum ad Ieſum. Figuratus autẽ eſt mundus per Jericho, & modus quo Jericho ſubverſa eſt, oſtendit, quomodo debet impugnari mundus. *Notandum* ergo quod filii Jſrael ſeptem vicibus circuierunt Jericho, & poſt clangorem tubarum, & clamorem populi muri ejus corruerunt; ſic ad mundi expugnationem valet quod conſideratione animi ſeptemplici circumeatur: circuitus ſunt ſeptẽ conſiderationes *ſeptem malorum* quæ ſunt in hoc mundo, quæ valent ad hoc, ut contemnatur quæ inſinuantur nobis. Sapient. 5.

Expugnatio Jericho docet quomodo mundus expugnandus.

Septem mala mundi.

I. Labor fatigantes.

Primum, eſt *labor*, amatores mundi fatigans, cujus fatigationis duplex cauſa eſt, ſcilicet, multitudo agendorum & multitudo impedimentorum. Tot enim reſiſtentias inveniunt in his, quæ agunt, quot impotentes non perficiunt, quod intendunt: Unde dicunt damnati. Sapient 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis; ambulavimus vias difficiles:* hoc ultimum referendum eſt ad reſiſtentias.

II. Negligentia meliorum.

Secundum, eſt *negligentia meliorum*, adeo enim intenti ſunt & diligentes circa bona temporalia, quod negligunt æterna: unde Luc. 14. Excuſant ſe invitati ad nuptias. Semen inter ſpinas ſuffocatum eſt Matth. 13. Ephraym & Manaſſes fratres fuerunt. Ephraym, fructificans interpretatur, Manaſſes, oblivio. Abundantia enim temporalium, & Dei oblivio ſe cõcomitãtur: ideo diciturDeut. 8. *Cave ne cum dederit tibi Dominus urbes & oppida cunctarumque opum copiam, obliviſcaris domini Dei*. Geneſ. 40. Pincerna Pharaonis in proſperitate oblitus eſt Joſeph interpretis ſui. Hoc malum inſinuatur cùm dicitur. Sapient. 5. *Viam domini ignoravimus.*

III. Vanitas.

Tertium, eſt *vanitas*: Bona enim præſentia non ſunt vera bona, nec mala pœnæ præſẽtia, vera mala ſunt, ſed ſunt quaſi umbræ verorum bonorum, & verorum malorum. Vera enim bona & vera mala ſunt futuræ vitæ. Sap. 5. *Omnia tranſierunt velut umbra:* hæc umbra figurata eſt in umbra juniperi. 3. Regum. 19. vel in umbra hederæ. Jonæ. 6. propter hanc vanitatem proſperitas amatorum mundi ſomno comparatur. Eccleſiaſtici 34. *Somnia extollunt imprudentes.* Job 20. *trãſiet ſicut viſio nocturna.*

IV. Fugacitas.

Quartum, eſt *fugacitas bonorum mundi*; de quo ibi: *tanquam nuncius præcurrens*. Omnia mundana quæ videmus decidere, ut flores, & ſimilia, præmittũtur quaſi nuncii, qui nunciant nobis mortem. Eccleſiaſtici 38. *Memor eſto judicii mei*: Sic enim erit & tuum Mihi heri, & tibi hodie, Quincunque ante te moritur, nuncius eſt tuus præcurrẽs ad mortem. Seneca. Voluptates non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles etiam ſi non nocent, fugiunt: potius aliquod bonum manſurum circumſpice, ſola virtus præſtat gaudium perpetuum ſecurum.

V. Periculum.

Quintum eſt *periculum*, quod inſinuatur ibi: *tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Sap. 5 Sicut naviganti per mare propinqua eſt cauſa pereundi, ſic viventi in hoc mundo. Bern. periculũ probat tranſeuntium raritas, & pereuntium multitudo Auguſt. Amas ſæculum, abſorbet te, amatores ſuos vorare novit, non portare.

VI. Mutabilitas.

Sextum, eſt *mutabilitas*, quæ notatur ibi: *Avis quæ tranſvolat in aere*: Sap. 5. Aſcendunt enim uſq; ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: vel ſi bene eſt, timent, ſi malè dolent, ita, quod nunquam in eodem ſtatu permanent.

VII. Vulnus occultum.

Septimum eſt *vulnus occultum*, quod bona hujus mundi amatoribus ſuis infligunt, quod notatur ibi: *tanquam ſagitta emiſſa*: ideò ſpinis comparantur. Matth. 13. & Luc. 8. Habacuc 2. Poſt illud: Væ qui multiplicat non ſua, ſubditur: *Nunquid non repente cõſurget qui mordeãt & ſuſcitabũtur lacerãtes te*

Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, &c. Tria vult Spiritus ſanctus oſtendi Eccleſiæ de rege ſuo, ſcilicet, ejus charitatem, manſuetudinem, & humilitatem. *Primum* datur intelligi ibi: *venit rex tuus* tibi, id eſt, ad tuam utilitatem. *Secundum* ibi: *manſuetus. Tertium* ibi *ſedens ſuper aſinam*, &c. & quæ à propheta ſunt pronunciata, Evangelium oſtendit eſſe exhibita De charitate habetur, Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet*, &c. De manſuetudine, & humilitate. Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Iſtæ tres gratiæ multum ſunt neceſſariæ illi qui habet alios regere. Debet enim præeſſe *humiliter*, *clementer* & *utiliter*. *Humiliter*, ut ſic populo præſit, ut Deo ſubſit, non tranſeat à miniſterio in dominiũ, in populo Deo ſerviat, nõ tyrannidem exerceat. Auguſt. Juſtitia eſt amor, ſoli amato ſerviens; & ideo rectè dominans. *Clementer* debet præeſſe, ut coactus pœnas inferat. Debet etiam præeſſe *utiliter*, ut libẽter beneficia conferat, potius quærat populo prodeſſe, quam emolumentũ temporale ab ipſis recipere. *Beatius eſt dare quam accipere.* Actuum 20. De *humilitate* dicit Bern. Cum omni indifferenter perſonæ ſit humilitas quædam turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto vis ejus major in majoribus, & clarioribus clarior comparatur Eccleſiaſtici 3 *Quanto major es, humilia te in omnibus*. *Manſuetudo* etiam multum neceſſaria eſt his, qui præſunt; unde *Moyſes* quem præfecit dominus populo ſuo, *erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*, Numeri 12. & 3. Regum 20. *Audivimus quod reges domus Iſrael clementes ſunt*. Proverb. 20. *Roboratur clementia thronus regis*, Eccleſiaſtici 10. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis*. Seneca. Nullum ex omnibus clementia magis quam regem aut principem decet. Idem: Iracundiſſimæ ac pro captu corporis pugnantiſſimæ ſunt apes, & aculeum in vulnere relinquunt. Rex ipſe ſine aculeo eſt, noluit illum natura ſævum eſſe: exemplar hoc omnibus regibus ingerens, pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: tantò moderatior animus hominum eſſe debet, quantò vehementius nocet. In ſignum manſuetudinis, quam debent habere, inunguntur reges Chriſtiani, & magni Eccleſiæ prælati. Item propter hanc manſuetudinem Chriſtus vocatur agnus. Iſaiæ 16. *Emitte agnum domine dominatorem terræ. Charitas* etiam neceſſaria eſt his, qui præſunt: periculoſiſſimum eſt populo habere hoſtẽ ſuum ſupra ſe. Thren. 1. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite*: oneroſum eſt etiam valde, aliquem habere ſupra ſe, niſi credat illum ibi eſſe pro ſe. Seneca. Illius magnitudo ſtabilis eſt, quam omnes, quam ſupra ſe, tam pro ſe ſciunt. Multi tamen rectores ſunt in Eccleſia, qui potius diabolum imitari volunt, quam Chriſtum, diabolus voluit eſſe *ſimilis altiſſimo*. Iſaiæ 14. ipſi verò volunt eſſe ſupra altiſſimum, dum volunt voluntatem ſuam fieri, & in his quæ Deo placent, & in his, quæ Deo diſplicent. Item diabolus ſervientes ſibi bonis ſpoliat Joelis 2. *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti.* Sic ipſi ſpoliant ſubditos ſuos Iſaiæ 3. *populum meum exactores ſui ſpoliaverunt*. Item diabolus ſervientibus ſibi pro præmio reddit ſuppliciũ: ſic ipſi illos, qui eos eligendo honoraverunt, poſtea affligunt. Ideò ſignificantur per ramnum Judic. 9. Ramnus quoddam genus rubi eſt, quod vulgo ſentice appellant, aſperum nimis & aculeatum eſt, ſicut ſentes, & ſecundũ Joſephum ad impetum venti naturaliter ignem producit Unde ſignificat ambitioſum, qui ſpinis vitiorum ſpinoſus eſt, qui ſpoliat ſubditos, ſicut ſpinæ lanâ ſpoliant oves, à quibus cõtingun-

Tres virtutes Chriſti.

Charitas.

Manſuetudo.

Humilitas

Tres gratiæ prælatis neceſſariæ.

Humilitas.

Clementia.

Utilitas.

Clementia principum commendatur.

Rex apum aculeo caret

Prælatorũ charitas.

Superbia.

tur qui ex ſe emittit ignem iræ, quo ipſe cum
ſubditis ſuis comburitur: qui ſe mollem & man-
ſuetum in principio exibet, deinde durum, quia
poſt tyrannidem exercet.

Chriſtus voluit ſedere ſuper aſinam multis de cauſis.

Sedens ſuper aſinam, &c. Multis de cauſis do-
minus ſuper aſinam ſedere voluit. *Primo* ut oſten-
deret ſe in manſuetis quieſcere. Chryſoſtomus non
in curru, vel equo ſuperbiæ, vel belli, ſed in aſina
pacis, quia in humilibus & manſuetis quieſcit.
Secundo, ad dandum exemplum manſuetis ad de-
ſtructioné ſuperbiæ, præcipuè illius ſuperbiæ, quæ
attenditur in equitaturis. Unde Zach. 9. Poſt
illud: *ſedens ſuper aſinam*, ſubditur: *diſpergam
quadrigam ex Ephraym & equum de Hieruſalem.*
Tertio ut oſtenderet in quo ſtatu erat homo in ad-
ventu ſuo, quia *comparatus erat jumentis inſipien-
tibus, & ſimilis factus*, erat *illis*, pſal. 48. Bernar-
dus. Ecce quomodo de grege facta eſt egregia
creatura, puto, dicerent jumenta, ſi loqui fas
eſſet: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus.* Geneſ.
3. Idem. An non tibi videtur ipſis beſtiis quodam-
modo beſtialior eſſe homo ratione vigens, & ra-
tione non utens? pecus quidem, ſi ſe ratione non re-
gat, excuſationem habet à natura. Voluit homo
aſcendere ad hoc, ut eſſet ſicut Deus, *ſciens bonum
& malum*, & ut beſtia factus eſt. Daniel. 4. dictum
eſt Nabuchodonoſor. *Regnum tuum tranſibit à te
& cum beſtiis atque feris erit habitatio tua: fœnum
quaſi bos comedes.* Similis erat homo ante adventum
Chriſti jumento & in morte & in vita Unde Hie-
ron: quid miſerius domine qui æterno mortis
terrore proſtratus ad hoc tantum ſenſum vivendi
acceperat ut periret, immo inferior erat jumento:
cùm enim jumentum mortem unicam debeat, ipſe
debebat duas temporalem ſcilicet, & æternam.

Homo miſerior beſtiis in hoc.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

De cæremoniis quibuſdam in tribus præcipuis, & aliis proceſſionibus Eccleſiæ obſervari ſolitis, & ſeptem in Dominica Palmarum factis.

SERMO LXV.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. *Ioan.* 12.

SIc habetur: *Turba multa quæ convenerat ad diem
feſtum cum audiſſet, quia Ieſus venit Hieroſoly-
mam, acceperunt ramos palmarum, & præceſſerunt
obviam ei.* Et ab hoc verbo nomen proceſſionis
fortè ſumptum eſt. Facit autem Eccleſia tres pro-
ceſſiones ſolemniores aliis. *Primam*, cum lumini-
bus, ſcilicet, in purificatione. *Secundam*, cum ra-
mis palmarum & floribus, ſicut in ramis palmarum.
Tertiam, cum vexillis & crucibus ſicut in aſcēſione.
In quibus *tria* commendantur fidelibus valdè neceſ-
ſaria ad ſalutem. In *prima* lumen ſapientiæ, in
ſecunda exemplum ſocietatis bonæ. In *tertia* amor
crucis pœnitentiæ. *Primum* oſtendit homini quid
fieri debeat *Secundum*, quid fieri valeat *Tertium*
verò de hoſte triumphat, ſicut & Chriſtus per cru-
cem de diabolo triumphavit qui timet quæ pœ-
nalia ſunt in mundo iſto, & ſuavia quærit, vix de
hoſte triumphat. Auguſtinus. Omnia terrena con-
tempſit homo Deus, ut contemnenda demonſtraret,
& omnia adverſa ſuſtinuit ut ſuſtinenda mon-
ſtraret, ut nec in iſtis timeretur adverſitas, nec in
illis ſperaretur felicitas. Seneca. quemadmodum
hoſtis pernicioſior eſt fugientibus, ſic omne fortui-
tum incommodum inſtat magis ex adverſo. Ioſue 7.
*Mi domine Deus quid dicam videns Iſraelem hoſti-
bus ſuis terga vertentem.* Iſta tria commendat etiam
nobis Eccleſia in proceſſionibus aliis, quas facit;

Tres proceſſiones ſolemnes. Cereorum. Ramorum Vexillorum Tria fidelibus commendantur.

Proſpera & adverſa æqualiter ferenda.

Cæremoniæ quædam Eccleſiæ.

poſt aquam enim benedictam, quæ baptiſmum
ſignat quo propriè fit purificatio, ſunt duo cerei,
in quibus lumen ſapientiæ deſignatur, qui duo ſunt,
propter duo teſtamenta; deinde reliquiæ ſanctorum
à quibus exemplum ſumere debemus. Tertiò,
eſt crux: hæc tria ſignantur in illis tribus, quæ in
arca teſtamenti continebantur: de quibus ad He-
bræos 9. In arca teſtamenti erat urna aurea, habens
manna, & virga Aaron, quæ fronduerat & ta-
bulæ teſtamenti: tabulæ teſtamenti pertinent ad
lumen ſapientiæ, virga Aaron ad pœnitentiam, ur-
na aurea habens manna, eſt homo ille Deus, quem
maximè debemus imitari.

Tria continebantur in arca teſtamenti.

Et Notandum *ſeptem* attendenda eſſe facta in die
tali quæ poſſunt eſſe materia ſermonis. *Primum* eſt,
quòd Deus venit voluntariè & tēpeſtivè ad locum,
ubi pro nobis pateretur. Iſa. 53. *Oblatus eſt quia
ipſe voluit*, & nos ergo ad confeſſionem volun-
tariè & tempeſtivè veniamus, patiamur libenter
pro eo qui pro nobis tot & tanta paſſus eſt. Pſal. 115.
Quid retribuam Domino &c.

Septem ſerva in Dominica Palmarum.

I. Promptitudo ad patiendum.

Secundum quòd veniens ad mortem honorem
ſuſcepit quem alias recuſavit. Joan. 6. *Ieſus cum
cognoviſſet quod venturi eſſent, ut raperent eum, &
regem facerent fugit in montem ipſe ſolus*; ideo Do-
minus veniens ad morté honorem ſuſcipere voluit,
ut oſtenderet quòd, qui gloriam quærunt in hac
vita ſimiles ſunt ei qui morti adjudicatus cum ho-
nore magno ire vellet ad locum mortis. Auguſti-
nus. Nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ, quam
curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum
ſtrare vel tardius ire permittitur, ſed omnes pari
motu urgemur. Gregor. Qui præſenti ſua-
vitate capitur quaſi per amœna prata ad interitum
ducitur.

II. Admiſſus honor.

Tertium eſt, quòd Dominus honorem illum
tam humiliter ſuſcepit. Bernard. Dominus ſicut in
paſſione patientiam, ſic in proceſſione humilitatem
exhibere curavit, in illa enim *tanquam ovis ad occi-
ſionem deductus eſt*. In proceſſione autem quia pa-
rabant ſe populi ut exirent ei obviam; nec eum
latebat, qui noverat quid eſſet in homine, prop-
ter quod & ipſe paratus eſt, non in curribus, &
in equis, non in frænis argenteis, aut ſellis auro
tectis, ſed humilis aſelli tergo inſidens, ſuperpo-
ſitis Apoſtolorum veſtibus, quas ego de pretioſio-
ribus regionibus fuiſſe non credo.

III. Humilitas

IV. Multiplex obſequium

Quartum eſt multiplex obſequium jumento
portanti illum exhibitum. Alii veſtimenta jumen-
to imponebant, ut Dominus illi mollius inſideret.
Alii proſternabant veſtimenta in via, per quam
jumentum iturum erat. Alii ramos & frondes ar-
borum: ſic magna reverentia exhibenda eſt homi-
mini, de quo creditur, quod Chriſtum portet & ad
hoc conandum eſſet, ut ſuavius illum portaret, & ne
ſe in via morum inquinaret. Sed è contrario tales
hodie punguntur contumeliis & irriſionibus, &
offendicula eis in via ponuntur, ac ſi intenderent
Chriſtum moleſtare in eis vel præcipitare.

pii perſecutionem patiuntur in via Domini

Quintum eſt quòd lætitiam Jeroſolymitarum
fletu miſcuit; de quo habetur, Lucæ 19. *Cum ap-
propinquaret videns civitatem flevit ſuper illam*, ut
oſtenderet illud, Proverb. 14 *Riſus dolore miſce-
bitur & extrema gaudii luctus occupat*: ut doceret
illud, Eccleſiaſtici 11. *In die bonorum ne immemor
ſis malorum* Eccleſiaſtici. 7. *Cor ſapientium, ubi
triſtitia, & cor ſtultorum, ubi lætitia.*

V. Lætitiæ fletu mixtæ.

Sextum eſt quòd ad extirpandam cupiditatem
quæ cauſa erat malorum, pro quibus flebat tan-
to zelo exarſit. Beda. Poſt enumerata mala in-
greſſus eſt in templum, ejecit vendentes & ementes
per hoc innuens, quod ruina populi maximè Sacer-
dotum culpa fuerit. Unde enim vendentes &
ementes percutit, oſtendit, unde radix perditionis
proſiliit

VI. Zelus ad extirpandam avaritiam.

Ruina populi à culpa Sacerdotum

proceſſit, 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, tam Sacerdotum, quam populi: cauſa erat, quod in templo commercia exercebant.

VII. Vſurariorũ è templo ejectio. Vſurarii latronibus ſimiles.

Septimum eſt, quòd uſurarios [qui non accipiebant etiam uſuram manifeſtam, ſed munuſcula fructuum] de templo ejecit, & latrones judicavit, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*: & indubitanter uſurarii tanquã latrones in futuro damnabuntur, ut ille, qui alium modum inveniendi victum ſuum neſcit in hoc mundo habere, quàm per latrocinium, qui mortem & periculum inceſſanter animæ ſuæ comedit & bibit. 2. Reg 23. Dixit David. *Non ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam*, noluit ergo bibere. Si David noluit bibere alienum periculum, multo minùs uſurarii debent proprium bibere.

DE EADEM.
SERMO QVARTVS.
SUMMARIUM.

SERMO LXVI

De duplici proceſſione ſalvatoris, triplici obſequio ei præſtito; de jumento, veſtimentis, deque cadentibus ramos ex arboribus.

Plurima autem turba, ſtraverunt veſtimenta ſua &c.

Duplex proceſſio Salvatoris.

DUplex proceſſio ſalvatoris recolitur hodie in Eccleſia. *Vna* quæ fuit à monte oliveti in Hieruſalem cum honore & reverentia, *alia* quæ fuit à Hieruſalem ad locum crucifixionis cum mœrore & verecundia. De *prima* loquitur evangelium quod legitur in proceſſione. *Triplex* obſequium exhibitum eſt ſalvatori ut oſtendit. Bern. his verbis: Conſiderare, inquit, libet triplex obſequium quod in proceſſione hac exhiberi video ſalvatori. *Primum* quidem à jumento, cui inſidet. *Secundum* ab his qui veſtimentum proſternunt. *Tertium* ab his, qui ramos de arboribus cædere perhibentur. Nonne omnes reliqui ex eo quod abundat ſibi, & quaſi ſine labore obſequuntur Domino, ſolum verò jumentum ſemetipſum exponit obſequio. Silendum mihi eſt, ut elationem caveatis, an magis loquar, ut habeatis conſolationem. Jumentum quidem cui inſidet nonne vos eſtis, glorificantes & portantes Deum in corporibus veſtris. Expendunt ſeculares homines in obſequium Domini, non quidem corpora, ſed quæ adjacent, cum de terrena ſubſtantia eleemoſynas largiuntur. Prælati ramos cædunt de arboribus, cum de fide & obedientia. Abrahæ, de caſtitate Ioſeph, de manſuetudine Moyſi cæteriſq; virtutibus evãgelizãt.

Triplex obſequium Salvatori præſtitum.

Qui intelligantur per jumentum. qui veſtimenta proſternunt.

Qui ramos de arboribus cædant.

Et *notandum* quòd per veſtimenta intelliguntur corpora vel bona opera. *Primò* modo veſtimenta in via proſternit, qui dat exemplum carnem mortificandi, vel eam martyrio exponendi. De veſtimentis bonorum operum dicitur. Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet*. Eccleſiaſtici 9. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*. Veſtimenta iſta in via proſternunt, qui ſequentibus bonorum operum exempla relinquunt; ſic Helias pallium ſuum reliquit Heliſæo. 4. Reg. 2. Secundi Mach. 2. *Adoleſcentibus exemplum forte relinquam*. Secundum Gloſſam, Ramos vel frondes cædunt, qui verba & ſententias de libris patrum excerpunt. Item qui viros ſpirituales hominibus ad imitandum proponunt. Arbores ſurgunt de terra & eriguntur ad cœlum: ſic viri ſpirituales. Alius eſt oliva, ſecundum illud. Pſal. 51. *Ego quaſi oliva fructifera in domo Domini*: de qua decerpitur ramus miſericordiæ. Alius eſt ut palma, ſecundum illud Pſal 19. *Iuſtus ut palma florebit*, item. Job 29. *Sicut palma multiplicabo dies*. Item. Can. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, de qua decerpitur ramus longanimitatis & patientiæ. Palma poſt centum annos fructificat, & viri ſancti poſt præſentem vitam fructum æternæ mercedis recipiunt. Geneſ. 21. Abraham centenario natus eſt Iſaac. Proverb. 31. in fine: *& ridebit in die noviſſimo*. Alius eſt cedrus, arbor, ſcilicet, imputribilis qui poteſt dicere, illud Eccleſiaſtici 24. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano*, de quo ramus continentiæ decerpitur. De aſſociatione proceſſionis & paſſionis quæ fit hodie, require in ſermonibus de epiſtolis.

Veſtimẽtorum explicatio.

Qui ſint Olivæ.

Palma.

Cedrus.

DE EADEM.
SERMO QVINTVS.
SUMARIUM.

SERMO LVII.

A quibus & quomodo Chriſtus honoratus fuerit, & honorandus ſit.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua &c.

Honor Chriſto exhibitus; à quibus & quomodo

IN his verbis oſtenditur honor exhibitus ſalvatori ad locum Paſſionis venienti. *Primo* oſtenditur à quibus ſit exhibitus, ibi: *Plurima autem turba* &c. *Secundo* quomodo ſit exhibitus, ibi: *Straverunt veſtimenta ſua in via*.

Exhibitus eſt ei honor à turba ſcilicet; à perſonis, pauperibus, ſimplicibus, & abjectis, non à divitibus, ſapientibus, & potentibus. ſimiliter accidit hodie ſecundum illud, 1 Corinth 1 *Videte vocationem veſtram fratres quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* &c. Divites & ſapientes, ſcilicet, ſcribæ & Phariſæi & potentes & ſapientes. Unum amicum divitem habuit, ſcilicet, Zachæum: de quo habetur, Luc. 19. Et unum Potentem ſcilicet, Centurionem. Matth 8. Et unum ſapientem, ſcilicet Nicodemum, Joan. 3. Ideo eum non amabant divites, ſapientes, & potentes, quia eis non nunciabat bona, ſed mala. E contrario verò pauperibus, ſimplicibus, & humilibus nunciavit bona, ut poteſt oſtendi ex teſtimoniis ſcripturæ quæ ſequuntur. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*. E contrario verò dicitur divitibus. Lucæ 6. *Væ vobis divitibus*. Item Matth. 11. *Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & revelaſti ea parvulis*. Lucæ 18. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur*. Matth. 18. *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum*. Ejuſdem 19. *Sinite parvulos venire ad me & nolite prohibere talium eſt enim regnum cœlorũ*. Turbæ Dominus miſerebatur. Matth. 15. *Miſereor turbæ quia jam triduo perſeverant mecum*.

Magnates Chriſtum oderant. Pauperes amabant.

Chriſtus parvulos & ſimplices amplectebatur.

Circa *ſecundum* notandum quòd exhibentes honorem veſtimenta in via ſternunt, ramos, vel frondes de arboribus cædunt, & in via ponunt, & clamando orant, & benedicunt. Via, penitentia eſt, per quam homo vadit ad Deum. Actorum 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* Iſa. 30. *Hæc via, ambulate in ea* In hac via veſtimenta ſternuntur, cum pœnitentiæ & tribulationi corpora exponuntur Sed veriſimile eſt quod ante veſtimentorum proſtrationem via fuerit expedita, & à luto, & à lapidibus & à ſpinis, ſi ibi erant. In quibus intelliguntur *tria*, quæ pœnitentibus ſunt neceſſaria, ante carnis mortificationem ſive jejunium, ſcilicet, *amotio peccatorum*, quæ intelligitur in amotione luti. *Dimiſſio odii* vel *rancoris* quæ intelligitur in amotione lapidum. Eccleſiaſtici 21. *Via peccantium complanata lapidibus*, odiis, ſcilicet, & rancoribus. Canis lapidẽ ſibi projectũ rodit, ſic iracundus verbum projectum in cor ſuum huc & illuc vertit. *Reſtitutio ablati* quæ intelligitur in amotione ſpinarum; ſpinæ enim vocantur divitiæ, Matth. 13. Et Lucæ 8.

Via quæ ſit ſpiritualiter

Tria pœnitentibus neceſſaria. Amotio peccati. Dimiſſio odii.

Reſtitutio ablati.

Illa tria ad diverſos ordinantur fines.

Primum, ordinat ad Deum, cum ſcilicet removentur ea, quæ in homine Deo diſplicent. *Secundum*, ſcilicet, dimiſſio odij, ordinat ad proximum. *Tertium* verò, ordinat ad temporalia bona ne homo nimis ea diligat retinendo contrà propriam ſalutem. Quod *primum* ſit neceſſarium, patet ex hoc quod legitur Iſa 58. *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*, & ſubditur: *Nonne hoc eſt jejuniũ quod elegi?* quaſi diceret, non; ſed illud quod ſubditur: *Diſſolve colligationes impietatis.* De *ſecundo* patet per illud Matth. 6. *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* De *tertio* patet per illud Auguſt. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Per poſitionem ramorum in via, cùm rami illi fuerint olivarum, ſecundum quod cantat Eccleſia: *Pueri hebræorum tollentes ramos olivarum*, ſignificatur eleemoſyna. Oliva enim propter oleum ſignificat miſericordiam: ramus autem olivæ opus eſt miſericordiæ. ſecundum quod habetur, Geneſ. 8. Quia poſt diluvium attulit columba ramũ olivæ ad Noë, ad deſignãdum ceſſationẽ diluvii. Signũ ceſſationis diluvii iræ Dei eſt miſericordia: Quia *beati miſericordes, quoniã ipſi miſericordiam cõſequentur* Mat. 5. Clamor duplex eſt ſcilicet, orationis & gratiarũ actionis. Oratio eſt illud *Oſanna in altiſſimis*. Gratiarum actio eſt illud: *Benedictus qui venit* &c Et inſinuantur nobis *tres* conditiones quæ valent ad hoc, ut oratio exaudiatur, ſcilicet, *devotio*, *fiducia*, *diſcretio*. *Primum*, in hoc, quòd dicitur Clamabant: Clamor eſt, ubi eſt intenſio vocis, ſimiliter devotio eſt intenſio deſiderii. Pſal. 33. *Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos.* Exod. 14. *Quid clamas ad me*, dicit Dominus ad Moyſen: tamen nihil legitur dixiſſe exterius. Ad *fiduciam* pertinet illud. *Filiò David*: David enim fuit miſericors. 1. Machab. 2. *David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula.* Reducitur ergo pater miſericors ad memoriam, eo quòd præſtat impetrandi fiduciam, ad quod etiam facit rememoratio humilitatis aſſumptæ. Bernard. Puto, jam ſpernere me non poterit Chriſtus, *os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Geneſ. 2. Ad *diſcretionem* pertinet illud: Oſanna in altiſſimis, id eſt, ſalva nos, obſecro in altiſſimis. qui petunt corporalem ſalutem, petunt ſalutem in imis: unde non petunt diſcretè. Matth. 6. *Primum quærite regnũ Dei* &c In univerſo ergo modo exhibendi honorem, oſtenduntur nobis *ſex*, pertinentia ad viam pœnitentiæ, ſcilicet *amotio peccati, dimiſſio odii, reſtitutio ablati; mortificatio carnis, eleemoſyna*, & *oratio*.

Oſtenditur illa tria neceſſaria eſſe

Oliva, miſericordiam denotat. Ramus, opus miſericordiæ eſt

Duplex clamor. Tres conditiones orationis ut exaudiatur. Devotio.

Fiducia.

Diſcretio.

Sex univerſim oſtenduntur neceſſaria ad pœnitentiam.

IN FESTO PASCHÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium exponit u

Maria Magdalenæ & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, &c. *Marc.* 16.

SERMO. LXVIII.

Ex Ioachim, Cleopha, Salome, tres Anna Marias.
Quas habuit junxit Ioſeph, Alphæo, Zebedæo.
Unius hæc mater, hæc quatuor, illa duorum.

IUncta Ioſeph, ſcilicet, Beata Virgo, fuit unius mater, ſcilicet, Chriſti: juncta Alphæo, fuit mater quatuor, ſcilicet, Iacobi Minoris, Simonis, & Iudæ, & Ioſeph. Iuncta Zebedæo, fuit mater duorum, ſcilicet, Iacobi Majoris & Ioannis Evangeliſtæ. *Emerunt aromata*, id eſt, ſpecies aromaticas vel redolentes, ſecundùm Lucam penultimo Mulieres quæ venerant de Galilæa, in die paraſceves, ſepulto Domino viderunt monumentũ, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus, & revertentes paraverunt aromata, & unguenta & ſabbatho quidem ſiluerunt ſecundùm mandatum: & cum tranſiſſet ſabbathum & rediiſſet licentia operandi, perfecerunt, quod minùs fecerant in paraſceve, ſabbatho ſuperveniente, & de hoc hîc loquitur Marcus: *Et valde mane unà ſabbathorum.* Interlin. id eſt, prima à ſabbatho, eadem enim prima ſabbathi dicitur, quæ nunc Dominica vocatur; *Veniunt ad monumentum orto jam ſole.* Marcus & Lucas ſatis hîc conveniunt, ſic enim legitur, Lucæ 24. *Una ſabbathi valde diluculo, venerunt ad monumentum portantes quæ paraverant aromata.* Mat. verò diſſentire videtur dicens. *Veſpere autem Sabbathi*, id eſt, nocte Sabbathi, *quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena & altera Maria videre ſepulchrum* Ad hoc dicit. Auguſt. in libro de Concordia Evangeliſtarum, quòd nomine veſperis, noctem ſignificat, à parte totum denominans; & eſt ibi Synecdoches & eſt ſenſus, *veſpere Sabbathi*, id eſt, nocte, quæ luceſcit in prima ſabbathi, id eſt terminatur ad primam diem à ſabbatho, id eſt, ad diem Dominicam: & innuitur, quod non qualibet parte noctis, ſed diluculo venerunt & viderunt juvenem ſedentem in dextris.

Concordia Evangeliſtarum.

Notandũ quòd Ioan 20. dicit duos angelos fuiſſe, ibi: *unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu* Lucas dicit eos fuiſſe ſtantes. Matthæus loquitur de uno ſedente ſuper lapidem revolutum. Marcus dicit: *juvenem ſedentem in dextris*, quem mulieres introeuntes in monumentum viderunt. Ad ſolvendam verò contrarietatem quæ videtur eſſe in his, valet quod dicit Chryſoſtomus, angeli primò ſedebant, ſed mulieribus aſſurrexerunt & ſteterunt juxta illas. Item, quòd dicit Hieronym: quod monumentum apud Marcum non locus ſepulti corporis dicitur, ſed quædam pars maceriæ ante ſpeluncam, in quam intraverunt mulieres: quod autem Marcus, & Matthæus dicunt unum angelum fuiſſe, dictum eſt propter eorum ſimilitudinem qui non negant eos plures fuiſſe; credendum eſt enim, quod duo vel plures fuerunt ſecundùm quod Ioannes & Lucas volunt *Coopertum ſtola candida.* Matth. ultimo dicitur, quòd *aſpectus ejus, erat ſicut fulgur veſtimenta ejus, candida ſicut nix.* Angelus nuncius reſurrectionis ſuo habitu indicat, qualis judex futurus ſit in generali reſurrectione. In candore enim nivis ſignificatur quod blandus erit juſtis. In terrore verò fulguris quod terribilis erit malis. *Nolite expaveſcere.* Gregor. Quaſi dicat paveant, qui non amant adventum Domini, vel ſupernorum civium, qui vitiis preſſi de eorum ſocietate deſperant. Vos autem quid timetis, qui veſtros concives videtis. *Ieſum quæritis*: quia multi dicebantur hoc nomine, determinat, de quo Ieſu intelligat dicens: Nazarenum crucifixum: & ſi verbis non creditis; *Ecce locus ubi poſuerunt eum. Et Petro.* Gloſſ. Petrus vocatur ex nomine, ne deſperet, ex negatione; niſi enim exprimeret nominatim eum angelus, qui magiſtrum negaverat, inter diſcipulos venire non auderet. Matth. ult. dicitur. *Citò euntes*; in quo innuitur, quod annunciatores Dominicæ reſurrectionis non debeant eſſe pigri, rumores enim tam boni cum feſtinatione debent nunciari.

Controverſia de uno vel pluribus angelis.

Solutio.

Qualiter Chriſtus Iudex venturus ſit,

Plures vocabantur Ieſus.

Cur Petrus nominatim exprimatur

Veloces nuncii reſurrectionis.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De mulierum devotione, Chriſti reſurrectione, angelorum in nos dilectione.

SERMO LXIX.

Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, & Maria Salome, &c.

NOtandum, quòd ſeries hujus evangelii hodierni *tria* nobis oſtendit, pertinentia ad ædificationem noſtram, ſcilicet, *mulierum devo-*

Tria tractantur hic

tionem, *capitis Eccleſiæ reſurrectionem*, *Angelicam ad nos dilectionem* : quæ *tria* videntur eſſe contra illa *tria*, quæ fuerunt in perditione humani generis, ſcilicet, *invidia Angeli apoſtatæ* peccatum ſuadentis, *perverſitas mulieris*, diabolo potiùs quàm Deo credentis, & *ſententia mortis* : de qua Geneſ 2. *Quacunque die comederitis, morte moriemini*.

I. Devotio mulierum. Devotio hæc varia fuit.

Circa primum notandum quòd mulieres multum fuerunt devotæ Chriſto. Ipſæ fuerunt devotæ ejus prædicationi, ſecutæ enim ſunt prædicationem ejus, Matth. 27. *Erant autem ibi multæ mulieres à longe quæ ſecutæ erant* Ieſum *à Galilæa miniſtrantes ei*. Item devotæ fuerunt ejus Paſſioni. Joan. 19. *Stabant autem juxta crucem mater ejus, & ſoror matris ejus*, &c. Item ſepulturæ : Magdalena ſepulturam ejus unctione prævenit, ipſa cum aliis aromata paravit. Marc. ult. Cum ſepeliretur mulieres aſpiciebant. Matth 27. *Erant autem ibi Maria Magdalena & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum*. Item devotæ fuerunt monumentum viſitantes in quo ſepultus fuerat. Matth. 28. *Venit Maria Magdalena & altera Maria videre ſepulchrum*.

II. Reſurrectio Chriſti.

Circa ſecundum notandum, quod reſurrectionem capitis noſtri nunciat Angelus, quæ nunciatio quaſi nova ſemper debet haberi : Sicut enim ea, quæ in Paraſceve leguntur de Paſſione Domini, quaſi recentia audiuntur & cum mœrore ; ſic quæ de Reſurrectione in Paſcha leguntur, cum lætitia audienda ſunt, & quaſi nova hæc eſt novitas, quæ non veteraſcit ; unde dies Paſchæ, dies boni nuncij eſt. 4. Reg. 7. *Si tacuerimus & noluerimus nunciare uſque mane, ſceleris arguemur*. Prov. 25. *Aqua frigida animæ ſitienti bonus nuncius de terra longinqua*. *Sex* verò nuncianda ſunt mundo in die Paſchæ. *Primum* eſt nobilis *triumphus Chriſti*. Mors & vita duello conflixere mirando ; dux vitæ mortuus, regnat vivus. Circa quem triumphum attendendus eſt modus pugnandi, quo triumphavit : vicit enim non percutiendo, ſed patiendo. Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti*, &c. Vicit ſapientiam non manifeſta potentia. Job. 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum*. Vicit ſilendo, non litigando. Iſa. 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, vade & tu fac ſimiliter ; contrariis pugna, non ſimilibus ; aqua contra ignem pugnandum eſt ; ſic ſilentio contra garrulitatem, ſapientia contra ſtultitiam, patientia contra fratris iram, non credas dedecus eſſe, ſi non vel repercutias, vel convitium pro convitio non reddas ; imo magnus honor eſt, cùm aliquis talibus cavet, ne os ſuum vel manum maculet. Proverb. 20. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus*. Seneca. Quibuſdam libenter parcas à quibus te vindicare faſtidias, & non aliter quàm ab animalibus parvis & inquinantibus reducenda eſt manus. *Secundum* eſt, quòd Chriſtus contrivit inferni *portas æreas & ferreos vectes confregit*. Pſalm. 106. Ideo carcer in quo amici Dei detinebantur, ruptus eſt ; ut jam non poſſit amicos Dei detinere. Oſeæ 13. *Morſus tuus ero inferne*. Qui mordet partem capit, & partem relinquit ; unde amicos de inferno extraxit, inimicos ibi reliquit. Væ illi qui carcerem inferni ſibi reparat peccatum mortale committendo. O ſi tantum gaudium eſt, cum aliquis liberatur à carcere Saracenorum, quantum gaudium fuit, cùm Chriſtus amicos ſuos de carcere inferni eduxit. *Tertium* eſt reſurrectio capitis noſtri, qui mortem deſtruxit. 1. Corinth. 15 *Ubi eſt mors victoria tua ? Quartum* eſt quod licet Chriſto poſt reſurrectionem defuerit miſeria, non tamen defuit ei miſericordia. Pincerna Pharaonis ſuccedentibus proſperis oblitus eſt interpretis ſui Geneſ. 11. & ſicut vulgariter dicitur : honores mutant mores. Sed Chriſtus in gloria reſurrectionis pietatem exhibet, ſicut & in ſtatu mortalitatis. Marc. ultimo *Surgens Ieſus mane prima Sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*. Ipſe etiam Simoni qui eum negaverat ſpecialiter apparuit. Lucæ ultimo & rediit ad Diſcipulos, Thomam in fide confirmaturus. Joan. 20 *Quintum* eſt quod nos reſurgemus cum caput noſtrum reſurrexerit. 1. Corinth 15. *Si reſurrectio mortuorum non eſt nec Chriſtus reſurrexit*. Similium meritorum apud eundem judicem ſimilis eſt remuneratio : Unde ſi Chriſtus ſerviendo Deo in corpore & anima, meruit remunerari in corpore & anima, & nos ſimiliter remunerandi ſumus. Non eſt veriſimile, quod Deus ſit minus in remunerando liberalis, quam homo ſerviendo : unde ſi homo in corpore & anima ſervit, Deus in corpore & anima remunerabit. Præterea ſi corpus non reſurgit non remuneratur homo, ſcilicet, anima, quæ non eſt homo, ideo jam non dicitur eſſe pigra caro quæ tanta gloria remuneranda eſt. *Sextum* eſt quod cœleſtis Hieruſalem recuperata eſt ; unde jam tempus eſt peregrinandi, ideo eadem die Dominus in ſpecie peregrini apparuit. Luc. ult.

Quantæ lætitiæ dies Paſchæ. — Sex hoc die nunciantur. — 1. Triumphus Chriſti. — Quomodo pugnaverit & vicerit. — Quomodo contra vitia pugnandum ſit. — 2. Fractio portarum inferni. — 3. Reſurrectio Chriſti. — 4. Miſericordia Chriſti. — 5. Reſurrectio noſtra. — Cauſa reſurrectionis Chriſti, & noſtræ. — 6. Cœleſtis patria recuperata.

III. Dilectio Angeli ad homines.

Dilectio Angeli ad homines jam patet. Angelus enim de cœlo deſcendens lapidis revolutione ſolicitudinem removet, quam habebant mulieres de ejus amotione, conſolatur eas : *Nolite*, inquit, *timere* : Reſurrectionem ejus nunciat, indicia reſurrectionis ejus dat : *Venite & videte locum*, mittit eas ad nunciandum reſurrectionem Diſcipulis, indicat locum ubi Chriſtus ſit videndus. Jam non habet mundus cauſam non diligendi mulierem, vel Angelum, qui perditionis mundi cauſa extiterant, cum eis ſatisfecerint, jam non eſt timenda mors, quam immortalitas conſequatur. Somnus eſt à quo reſurgitur, non mors. Pſal. 3. *Ego dormivi & ſoporatus ſum & exurrexi*. Mors corporalis eſt depoſitio veteris veſtis, quæ quaſi quidam ſaccus eſt. Pſalm. 29. *Conciſiſti ſaccum meum*, &c. Mors porta eſt per quam exitur à miſeria & tranſitur ad gloriam

Mors timenda non eſt.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Tria genera aromatum, quinque unctiones Chriſti, quatuor dotes reſurgentis, quatuor circa ſepulturam Dominicam conſiderantur.

SERMO LXX.

Maria Magdalenæ & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata ut venientes ungerent Jeſum.

Amaritudo pœnitentiæ quem habeat fructũ.

IN hoc quod Mariæ unguenta præparant, datur intelligi quod amaritudo pœnitentiæ ſuavitatem ſpiritualis conſolationis meretur, ſecundum Bernardum. Cum per fidem habitet Chriſtus in cordibus noſtris, Chriſtus in ſepulchro, eſt fides mortua in animo. Quid faciemus ei ? Quid fecerunt ei ſanctæ mulieres ? Emunt aromata, ut venientes ungerent illum. Nunquid ut ſuſcitarent ? ſcimus quod ſuſcitare noſtrum non eſt, ſed ungere nobis incumbit. Cur hoc ? ne fœteat qui hujuſmodi eſt, ne ſit cæteris odor mortis, ne effluat & penitus diſſolvatur. Emant aromata tres mulieres, mens, manus, lingua. De his ; ut arbitror, Petrus mandatum recepit ter paſcere gregem Domini Paſce, inquit, mente ; ore, opere ; paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Quærat igitur mens aromata ſua ante omnia compaſſionis affectum, deinde rectitudinis zelum & inter hæc diſcretionis ſpiritum non amittat, ad Galat. 6. *Qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*. Compaſſionis affectus multum quidem prodeſt, quia animus liberalis quem pro ſe viderit anxium, contriſtare erubeſcit, niſi priora ſibi vendicet compaſſionis affectus. In ſpiritu vehementi conterimus naves

Mens, manus, lingua, per 3. mulieres ſignificantur.

Mentis aromata.

chariſ.s, conterimus quaſſatum calamum, lignum fumigans extinguimus. Samaritanus vulneribus ſauciati vinum & oleum infundit Luc. 10. Pſal. 118. *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me.* Aro-

Propria voluntas.

mata dicta, nummo propriæ voluntatis ſunt emenda. Iſa. 55. *Venite emite abſque argento & abſque ulla commutatione vinum, & lac* dulcedinis. Gratia gratis datur, & cum emitur, gratis emitur, quia quod datur pro ea. nobis melius retinetur; propriam voluntatem dimittentes, nihil amittimus: etiam lucramur plurimum, commutantes illud in melius, ut communis fiat quæ fuit propria: Vo-

Zelus rectus Dei contumeliam & proximi miſeriam reſpiciens. Lingua aromata.

luntas communis Deo & proximo, zelo rectitudinis movetur, cum conſpicit Dei contumeliam, & affectu compaſſionis cum conſpicit proximi miſeriam. Linguæ aromata ſunt modeſtia in increpando, copia in exhortando, vel in orando, efficacia in perſuadendo. Aliquando quod ſanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exaſperat & exulcerat magis, quando negligentiæ additur impudentia, & impatientia cumulatur, ut qui in ſordibus erat ſordeſcat adhuc, declinans *in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*, ac more phrenetici non ſolum repellens, ſed & mordere ten-

Defectus Concionatorum.

tans medicum. Multis quoque non ſupperit verborum copia, ſed pro ſermonis inopia linguam ſuam ſentiunt adhærere palato quod interdum audientibus ſolet non parum obeſſe. Aliis verò ad manum eſt abundantia ſermonum, ſed quæ dicunt minus ſapiunt, & quia gratiam non habent quæ loquun-

Confeſſio.

tur minus efficacia ſunt. Aromata linguæ nummo confeſſionis emuntur; prius peccata tua confiteatis, quam ad purganda accedas aliena. Paret & ma-

Manus aromata.

nus aromata ſua, ne ſubſannet nos ſapiens, tanquam pigrum illum, cui labor ſit manum ad os porrigere. Sermo vivus & efficax, exemplum eſt operis, facile perſuadens quod intendimus dum factibile probat eſſe quod ſuademus. Aromata manus ſunt carnis continentia, miſericordia, patientia. Ante omnia perfectam continentiam quære, quam debes tibi ipſi: Nemo enim tibi te propinquior eſt; deinde adde miſericordiam, quam debes proximo, quia cum eo ſalvandus es. *Omnes enim qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Vide ne per impatientiam pereas, ſed univerſa ſuſtine pro eo, qui pro te maiora ſuſtinuit, & apud quem patientia infructuoſa non erit;

Subiectio.

patientia enim pauperum non peribit in finem. Pſal. 9. Aromata manus emenda ſunt nummo ſubiectionis hæc dirigit greſſus noſtros & ſanctæ converſationis gratiam promeretur. Qui non vult ſubdi ſuo ſuperiori non invenit ſuum inferius ſibi ſubditum.

Quinque unctiones Chriſti.

Et notandum quod *quinque* de cauſis corpus alicuius inungitur. Quandoque in ſignum honoris.
1. Vt 3. Reg. 1. Vnxerunt regem Salomonem in Sion.
Sic corpus Chriſti myſticum ungitur in baptiſmo
2. in ſignum regni futuri. Quandoque inungitur quis
ad ſanitatem. Eccleſiaſtici 38. *Vnguentarius unctiones conficiet ſanitatis*. Lucæ 10. Samaritanus infundit
vinum & oleum vulneribus ſauciati. Sic corpus
Chriſti myſticum ungitur in ſacramento confirmationis & extremæ unctionis Iacob. ultimo. *Infirma-*
3. *tur quis in vobis*, &c. Aliquando inungitur quis ad
ſuavitatem, ut Heſter 2. Puellæ, quæ præparabantur Aſſuero, utebantur oleo myrrhino, & quibuſdam unguentis, ſex menſibus. Sic corpus Chriſti
myſticum ungitur à viris ſanctis, dum exemplis
eorum in bono confortatur. 2. Corinth. 2. *Chriſti
bonus* odor ſumus. Eccleſiaſtici 7. *Melius nomen*
4. *bonum quam unguenta pretioſa.* Quandoque inungitur initurus certamen ne poſſit ab hoſte teneri,
ſic Chriſtus & Apoſtoli inuncti fuerunt gratia manſuetudinis, qua invincibiles extiterunt. Iſa. 61.
Spiritus domini ſuper me eo quod unxerit me ad annunciandum manſuetis miſit me. Quinto fit inunctio 5.
ut ſervetur corpus à putredine, hac de cauſa mulieres corpus Chriſti mortuum ungere voluerunt.

Corpus autem Chriſti mortuum intelligi poteſt vel illa pars Eccleſiæ quæ mundo mortua eſt. Coloſ. 3. Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto: Vel illa pars Eccleſiæ cuius vita genus mortis eſt. Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt mors quam vita amara*: Vel illa pars Eccleſiæ, quæ quandoque vixit vita gratiæ, nunc verò mortua eſt morte culpæ. Mulieres quæ maioris compaſſionis ſunt, quæ infirmis nolunt reſiſtere, & pauperibus ea quibus indigent, neſciunt denegare, figuram tenent prælatorum, qui aromata bonorum operum debe- (Prælati per mulieres has ſignantur.)

rent præparare ad ungendum corpus Chriſti mortuum tribus prædictis modis; ſed potius quidam ſpinas habent vitiorum: Quidam corpus Chriſti (Vitia Prælatorum.) pungunt & ſcandalizant, multi non timent deſævire in corpus Chriſti mortuum, vel gladio linguæ detrahentis, vel alio genere perſecutionis, non attendentes, quod lancea quæ percuſſit Chriſtum mortuum, dira vocatur, cum clavi dulces vocantur Ierem. 12. Secundum 70. *Nunquid ſpelunca hyenæ hæreditas mea mihi.* Gloſſ. Hyena, nocturna beſtia mortuorũ cadavera devorat & de ſepulchris effodit. *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti huius.* *Notandũ* quod reſurrectio Chriſti figura eſt ſpiritualis reſurrectionis quæ fit in præſenti (Reſurrectio ſpiritualis.) Apocal. 20. Beatus qui partem habet in reſurrectione prima. Eſt etiam pignus & ſecuritas reſurrectionis futuræ. Ea verò quæ accidunt circa ipſam, ſignificant ea, quæ fiunt in generali reſurrectione, & quæ facta ſunt in mundo, cum reſurrectio Chriſti per Apoſtolos nunciata eſt. Reſurrectio Chriſti nulli nota fuit homini, cum ipſe reſurrexit, ſed poſtea per angelum manifeſtata eſt, & per hoc quod cibum ſumpſit cum diſcipulis ſuis. Mors eius manifeſta multis fuit. Marc. 15. *Videns centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet*, &c. Sic multis mors propria nota eſt, nulli verò ſua reſurrectio ſpiritualis nota eſt, niſi Deus eam ei revelet, vel ex aliquibus ſignis eam intelligat, ideo poſſet homo eſſe in magno timore.

Terræ motus factus eſt magnus. Matth. ultimo: terræ motus in peccatore fit, cum movetur motu timoris qui expellit peccatum. Eccleſiaſtici 1. Vel cum terra quæ in eo erat ſurſum, fit deorſum Proverb. 26. *Cælum ſurſum, & terra deorſum.* Angelus de cœlo deſcendit, & lapidem revolvit, quando gratia cœleſtis infunditur duritiem lapideam removens, & os ad confeſſionem aperiens.

Et *notandum* quod angelus non revolvit lapidem, ut egreſſuro Chriſto aperiret, ſed ut egreſſum eius oſtenderet iam factum: iam enim reſurrexerat, ſic ſpiritualiter reſurgit peccator per contritionem antequam os aperiat ad confeſſionem. Item motio terræ ſignificavit motionem futuram in mundo ad prædicationem Dominicæ reſurrectionis. Deſcenſus angeli lapidem revolventis, gratiam Spiritus ſancti miſſam cœlitus, corda hominum emollientem indicat. Marc. ultimo, ſic legitur. *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti, & reſpicientes viderunt revolutum lapidem.* Bern. Si conſideremus quam magnum ſit ad nos, (Obſtinatus.) ſuſcitare qui huiuſmodi eſt quam difficile eſt accedere ad cor eius, quod lapidea quædam obſtinatio & impudentia clauſit, puto quod dicere neceſſe habeamus & nos: *Quis revolvet nobis*, &c. Fit tamen nonnunquam, ut ſolita pietate præparationem cordis noſtri audiat auris divina, & ad vocem virtutis eius reſurgat: qui erat mortuus. *Et ecce angelus domini*, ſcilicet, hilaritas quædam, in vultu ipſius, tanquam in oſtio monumenti, nobis apparet, &

fulgur

Fulgur quidam index reſurrectionis.

Jeſum quæritis Nazarenum, crucifixum, ſurrexit. *Notandum* circa Chriſti reſurrectionem, quod Chriſtus ſurrexit *cito*, & *vere*, & *non amplius moriturus*: *Cito*; quia tertia die non manſit mortuus, niſi uno die naturali integro; & tunc ad infernum deſcendit. Exemplo igitur Chriſti ſi ſpiritualiter mortuus es, ad hoc labora, ut quantocius poteris, reſurgas, & in ſtatu illo ad infernum deſcende, cogitando pœnam, quæ tibi parata eſt. Iſa 38. *Ego dixi in dimidio dierum*, &c. Chriſtus etiam ſurrexit *vere*. Lucæ ultimo. *Surrexit Dominus vere*, & apparuit Simoni. Non verè ſurrexit, cui dicitur, Apocal. 3. *Nomen habes quod vivas & mortuus es.* Surrexit etiam *non moriturus amplius*: *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Roman. 6. Lazarus ſurrexit. Joann. 11. Sed iterum moriturus. Qui ſurgendo *quatuor* dotes aſſumunt, non moriuntur iterum: Velut, quædam dotes animæ ſunt: *ſplendor ſapientiæ, impaſſibilitas patientiæ, humilitatis ſubtilitas, obedientiæ agilitas.* *Sapientia* multum facit ad vitæ conſervationem ſpiritualis. Proverb. 5. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam.* Talem effectum habet ſapientia reſpectu vitæ ſpiritualis, qualem habebat lignum vitæ reſpectu vitæ corporalis In eodem: longitudo dierum in dextera ejus Legitur de Sacerdotibus qui comederunt fructus arboris ſolis & lunæ quod vivebant quadringentis annis illæſi. Deuteron. penult. *De pomis fructuum ſolis & lunæ.* *Patientia* etiam multum valet ad conſervationem vitæ, ſpiritualis. Lucæ 21 *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Item *humilitas* multum valet ad idem, quia humilis humilitate ſua laqueos diaboli evadit. Sicut econtrariò ſuperbia multum facit ad mortem ſpiritualem. Bernardus. Sive jam exiſtens, ſive nondum; ſemper tamen ſuperbia erit cauſa ſubtractæ vitæ, vel gratiæ. Nunquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? *Agilitas* etiam *obedientiæ* multum valet ad idem; obedientes enim Deus tanquam ſuos obſervat, & exaudit, illi ſoli habent eum tanquam dominum. Lucæ ſexto. *Quid vocatis me Domine Domine & non facitis quæ dico.* Auguſtinus in libro de opere Monachorum: citius auditur oratio obedientis, quam decem millia contemnentis. Lucæ ultimo ſic habetur. *Quid quæritis viventem cum mortuis: non eſt hic, ſed reſurrexit.* In loco mortis vitam quærunt, qui in mundo iſto vel in peccato fœlicitatem quærunt. Auguſtinus. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non eſt ibi. Quomodo beata vita, ubi nec vita. Ideò in libro de Symbolo, vita quæritur à quibuſdam, ſed non invenitur quoniam non ubi eſt, quæritur. Oſeæ quinto. *In gregibus ſuis & in armentis ſuis vadent ad quærendum Deum, & non invenient.* Viventem quærunt cum mortuis, qui in clauſtris vitam carnalem ducere volunt, ubi vetus homo deberet eſſe crucifixus, de quibuſdam clauſtris poteſt dici illud Marc. *Surrexit non eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum.* Inſtitutores enim clauſtralium obſervationum, & fundatores Abbatiarum, poſuerunt Chriſtum in clauſtris. Sed jam non eſt in multis clauſtris. Linteamina & ſudaria, quæ vidit Petrus in monumento Domini, Joannis vigeſimo. Inveniuntur ibi, ſed Chriſtus inde ſurrexit. Primo Regum 19. Inventum eſt ſimulachrum & pedes caprarum loco David, ipſe verò inde receſſerat; ſimiliter in Clero ſuperpellicia, & alia figuralia inveniuntur hodie; Chriſtus verò ab eis pro magna parte receſſit. Spiritualiter: verbum propoſitum poteſt referri ad illum qui Chriſtum in Sacramento Altaris receptum, per peccatum à ſe repellit.

(Margin: Cito ſurgendum ei qui, — Verè ſurgendum. — Quatuor dotes eius qui verè reſurgit. — 1. Sapientia — 2. Patientia. — 3. Humilitas. — 4. Obedientia — Vera vita in hoc mundo non eſt. — Chriſtus recedit à clauſtris malè viventium. — Chriſtus recedit à malè communicantibus.)

Surrexit, &c. Eccleſia hoc tempore Reſurrectionis frequentat, & quaſi auribus hominum inculcat volens reſurrectionem habere in memoria à fidelibus. Primæ ad Timotheum ſecundo. Memor eſto Jeſum reſurrexiſſe à mortuis. Utilis autem eſt memoria iſta ad *tria*. *Primo* ad aſſecurationem fidelium de ſua reſurrectione. Membra enim ſuſcitabit, qui caput ſuſcitavit, & qui ſimiles fuerunt Chriſto ignominiâ Paſſionis, ſimiles ei erunt in gloria Reſurrectionis. Primæ Corinthiorum ſexto. *Deus & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Item ſecundæ Corinth. quarto. *Scientes quoniam ſuſcitavit Chriſtum Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit.* *Secundo* utilis eſt ad conſolationem fidelium contrà mortem, quæ futura, maximum infert timorem, præſens verò maximum dolorem. Non eſt timenda amiſſio ſacci veteris, pro quo reddetur pretioſa purpura. Item non eſt lugenda mors, quam immortalitas conſequitur, juxta verbum ſapientis. Non eſt timenda lenti runcini amiſſio pro quo reddetur bonus dextrarius. Non eſt timendus ſomnus mortis à quo Dei potentia ſuſcitabit. 1. Theſſal. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus ut non contriſtemini ſicut cæteri qui ſpem non habent.* *Tertio* utilis ad noſtram inſtructionem. Eſt enim figura ſpiritualis reſurrectionis, de qua dictum eſt prius. Item *notandum* quod ille qui meminit Dominicæ reſurrectionis debet cogitare modum quo reſurrexit, de quo dictum eſt prius, & modum quo poſt reſurrectionem ſe habuit, de quo dicetur in ſermone ſequentis Dominicæ: Et viam qua ad gloriam reſurrectionis pervenit, ſcilicet, humilitate paſſionis Lucæ ultimo. *Nonne oportuit pati Chriſtum & reſurgere à mortuis die tertia.* 2. Timoth. ſecund. *Si ſuſtinemus & conregnabimus.* Ideo in de Paſchæ poſt cantus pertinentes ad gaudium reſurrectionis reditur ad crucem, & Dominica poſt octavam Paſchæ, loquitur Epiſtola de Paſſione, & Chriſtus apparens Diſcipulis poſt reſurrectionem, oſtendit eis ſigna Paſſionis ſuæ. Eccleſiaſtici ſecundo. *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam.*

(Margin: Memoria reſurrectionis ad tria utilis. — 1. Ad aſſecurationem. — 2. Ad conſolationem. — 3. Ad inſtructionem. — Quomodò perveniatur ad gloriam)

Ecce locus ubi poſuerunt eum Notandum, quod *quatuor* leguntur de ſepultura Dominici corporis quæ inſtruunt fideles circa Dominici corporis receptionem *Primum*, quod in ſindone munda involutum eſt. Matthæi vigeſimo ſeptimo. Ad oſtendendum, quod recipiens corpus Dominicum, debet habere candorem innocentiæ & pudicitiæ, ut non habeat cor inquinatum vel nimio amore proprij boni, vel deſiderio alieni mali. Unde Gloſſa ſuper Matthæum 27. Sindone munda Jeſum involvit qui pura mente eum ſuſcipit. Marci penultimo. Joſeph autem mercatus ſindonem: hæc munditia à Deo comparanda eſt oratione humili, & caſtigatione corporis, & contritione mentis. Proverbiorum ultimo *Sindonem fecit & vendidit*: de hac munditia habetur Apocalypſis 19. Datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino candenti & ſplendido. *Secundum* eſt, quod Nicodemus Myrrham & Aloen attulit. Joannis 19. *Venit Nicodemus ferens mixturam Myrrhæ & Aloes quaſi libras centum.* In Myrrha quæ conſervat à putredine, intelligitur ſolicitudo præparandi ſe ante ſuſceptionem, & cuſtodiendi ſe poſt ſuſceptionem. Deuteron. 4. *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicite.* In Aloë quod habet etiam vim conſervandi & purgandi, intelligitur timor, qui purgat à peccatis. Eccleſiaſtici primo. *Timor Domini expellit peccatum*, timor etiam Domini conſervat. Proverbiorum 14. *Timor Domini fons vitæ ut declinet à ruina mortis.* Ejuſdem 15. Per timorem Domini declinat omnis à malo. *Tertium* eſt, quod in monumento exciſo in petra novo poſitum eſt. Petra eſt aliquis per firmitatem boni propoſiti: exciſio fit per amotio-

(Margin: Quatuor docentur per ſepulturam Chriſti. — I. Candor innocentiæ. — II. Solicita cuſtodia ſui ante & poſt communionem. — III. Firmum propoſitum)

hem proprii ſenſus, & propriæ voluntatis, quod fuit novum, ſecundum Matthæ. vel, *in quo nondum poſitus quiſquam fuerat* ſecundum Luc. 22. Et Ioan. 19. Hoc ſpecialiter pertinet ad eos qui ſervaverunt innocentiam baptiſmalem. Ad litteram decuit, ut nec uterus virginis, nec monumentum dominicum, ob reverentiam dominici corporis fuerit alteri commune. Similiter os illius, qui corpus dominicum ſumit, communicando, vel celebrando, debet reſtringi à multis malis & verbis ſæcularibus: unde os ſacerdotis non debet eſſe expoſitum ad verba ſæcularia, ſicut ora aliorum. Ezech. 44. *Porta iſta clauſa erit & non aperietur, & vir non tranſibit per eam.* Dominus enim Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam. Per portam oris ſacerdotalis intrat Deus in ſacramento altaris, dum ipſe celebrat & egreditur, dum ipſe prædicat. Ideò à multis debet cohiberi, quibus ora aliorum ſunt expoſita. Bern. Conſecraſti os tuum Evangelio, nugis illud aperire illicitum eſt, aſſueſcere ſacrilegum. Ierem. 15. *Si ſeparaveris* pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Debet ergo talis ſe ſervare ſicut os Dei. Sed hodie impletum eſt quantum ad multos, illud Oſeæ 8. Nunc factus eſt Iſraël in nationibus quaſi vas immundum. Numeri. 19. *Vas quod non habuerit operculum aut ligaturam deſuper immundum erit.*

IV. Silentium.

Quartum eſt quod magnum ſaxum poſitum eſt ad oſtium monumenti. Ad litteram, indecens erat, quod monumentum domini porcis & canibus eſſet expoſitum: ſic indecens eſt, quod poſt ſuſceptionem dominici corporis, os ſacerdotis de facili aperiatur. Vnde opus eſt clauſurâ, quæ non de facili moveatur. Bern. Sive aliquis ſit bonus, ſive malus, neceſſe eſt ut magnum ſaxum taciturnitatis ad os eius portatur. Si bonus eſt, ideò, ne gratiæ eius effundantur. Si malus eſt, ne verbis ſuis alios conturbet, Eccleſiaſtici 20. *Gratiæ fatuorum effundentur.* Prov. 26. *Qui imponit ſtulto ſilentium iras mitigat.* Ioſue 10. *Volvite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ.*

DE EADEM.

SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

De duplici Chriſti corpore, triplici ſepulchro. Quis, quando religionem ingredi, & quomodo ſe gerere debeat in ea. De Ieſu, id eſt, Salvatore; Nazareno, id eſt, florido.

SERMO LXXI.

Valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole.

Duplex corpus Chriſti.

NOtandum quod *duplex* eſt *corpus Chriſti*, ſcilicet *corpus* eius *proprium* & corpus *myſticum*. *Corpus proprium* poteſt conſiderari quaſi in *duplici* ſtatu, vel ut apparet in ſpecie ſua, vel ut latet in ſacramento altaris, quaſi ita *triplex* eſt eius ſepulchrum, vel monumentum ſcilicet illud in quo fuit proprium corpus eius mortuum & illud in quo nunc ſumitur in Sacramento, & religio in quo corpus eius myſticum mundo mortuum quieſcit. De quo poteſt intelligi dictum illud. Iſaiæ 11. *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* Sepulchrum clauſtri figuratum eſt in ſepulchro Eliſæi. De quo legitur. 4. Reg. 13. Quod timore latrunculorum proiectum eſt cadaver in ſepulchrum Eliſæi, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi revixit homo & ſtetit ſupra pedes ſuos. His verbis oſtenditur, qua intentione & quomodo quis debeat clauſtrum intrare, & qualiter ſe debeat habere. Eliſæus ratione nominis & actuum ſuorum figuram tenet Chriſti. Interpretatur enim Dei mei ſalutare. Timore latrunculorum infernalium intrare quis debet clauſtrum. Mortuus enim debet eſſe. crudele enim eſt ſepelire aliquem vivum. Habitus religioſorum eſt ſudarium eorũ, cum in eo ſepeliantur. In duobus caſibus ſepelitur quis vivus, quandoque propter iuſtitiam, ut cum, ſcilicet, aliquod ſcelus commiſit, & tunc in ſepulchro non quieſcit: Sic qui vivi mundo, clauſtrum intrant, multum ibi torquentur. Quandoque ſepelitur quis vivus propter cupiditatem ſepelientium, ut eius bona habeant. Sic multi in clauſtro ſepeliuntur nondũ mundo mortui. Diligenter eſſet attendendum antequam aliquis ſepeliretur in ſepulchro clauſtri, utrum ſpiritum mundi adhuc attraheret, divitias, vel delicias, vel honores appetendo.

Triplex ſepulchrum.

Mortuus contactu oſſium Eliſæi reſurgit.

Quà intentione quis religionem ingredi debeat.

Quomodo in ea vivere.

Circa admiſſionem cautela adhibenda.

Religioſus tripliciter mori debet.

Et *notandum* quòd *tripliciter* debet eſſe clauſtralis mortuus. *Primo*, quia morti propinquus eius aſſidua meditatione ſit. Archiſynagogus dixit: filiam ſuam eſſe mortuam. Matth. 9. *Filia*, inquit, *mea modo defuncta eſt.* Gregor: Se fere mortuum conſiderat, qui ſe moriturum non ignorat. *Secundo*, ſui deſpectione: ſic David mortuus erat. 1. Reg. 24. *Quem perſequeris rex Iſrael, quem perſequeris, canem mortuum?* *Tertio* debet eſſe ſibi mortuus, id eſt, ſuis concupiſcentiis, & Deo, id eſt, Dei beneplacito vivus. Rom. 14. *Nemo veſtrum ſibi vivit.* Gal. 2. *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Rom. 6. *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul vivemus cum illo.* In eodem: *Conſepulti ſumus cum illo* &c.

I. Meditatione.

II. Deſpectione ſui.

III. Sibi & concupiſcentiis.

Religioſus cum quibus converſari debeat.

Oſſa Eliſæi tangit quis quando eis ſociatur qui inflexibiles ſunt à rigore religionis, qui carnales ſuſtinent, exterius duri per patientiam, interius uncti divinis conſolationibus. Seneca. Cum his converſare qui te meliorem facturi ſunt, illos admitte, quos potes meliores facere. Sunt aliqui qui in viris religioſis inflexibilitatem calumniantur, quibus ſi crederetur, religio eſſet ſine oſſibus. nec durare poſſet. Qui in ſepulchrum religionis projicitur, reviviſcere debet, id eſt, vitam novam debet inchoare, & ſtare ſupra pedes ſuos in modico terram tangendo. 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Rigor laudatur laxitas reprehenditur.

Tẽpeſtivus ingreſſus in religionem ſuadetur.

In hoc quod valde mane venerunt ad monumentum datur exemplum veniendi citò ad religionem: *bonum erit viro cum portaverit iugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Threnorum. 3. Antequam aſſueverit quis vitæ ſæculari, bonum eſt vitam religioſam aſſumere. Ieremiæ 13. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam aut pardus varietatem, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* In hoc quod prima die à ſabbatho, ſcilicet, primo tempore apto ad laborandum veniunt, oſtenditur quod tunc aliquis debeat ingredi religionem, cum laborem, & onus religionis poteſt portare, & non expectare ætatem decrepitam, in qua religioni ſit oneroſus. Paterfamilias primo mane exiit conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. Attendendum eſt etiam, quod veniunt orto iam ſole. Poſtquam enim ſol intelligentiæ illuxit alicui, qui ſcilicet habet diſcretionem intelligens quid requirat religio, tunc poteſt in religionem recipi. Pueros non intelligentes quid ſit religio, cruci religionis affigi inhumanum videtur, conſuevit Eccleſia lumen cruci præferre. Diſcretio enim requiritur in eo, à quo crux religionis aſſumitur. Illud autem: *Quis revolvet nobis lapidem*, &c. Ad tentationem puſillanimitatis pertinet quæ volentibus intrare religionem, vel iam ingreſſis prima occurrit quam vocat Bernard. timorem nocturnum loquens de illo verbo. Pſa. 90. *Non timebis à timore nocturno.* *Lapis*, ſignificat apparentem duritiam religionis, quem lapidem ſuppoſuit Iacob capiti ſuo, videns ſcalam attingentem cœlos. Geneſ. 28. Illam enim duritiem pro mollitie habet, qui per eam ad cœleſtem gloriam ſe perventurum videt. Hæc eſt petra quæ fundebat rivos olei. Iob. 19. Apparens enim durities religionis oleum habet internæ, & æternæ conſola-

Adoleſcentes aptiores ſenibus.

Requiruntur anni diſcretionis.

Puſillanimitas ſeu timor religioſorum.

Durities religionis.

conſolationis. In hoc, quod Jeſus prædicitur videndus in Galilæa, quæ interpretatur tranſmigratio, datur intelligi, eum qui religionem intravit, oportere tranſmigrare de virtute in virtutem, ut Deus videatur per internam conſolationem in præſenti, & ſpem in futuro.

Incrementa virtutum in religione.

Jeſum quæritis Nazarenum non eſt hic: quaſi diceret, verè Jeſus Salvator, quem quæritis, licet venena, & linguæ Judæorum dixerint: *alios ſalvos fecit, ſeipſum ſalvum facere non poteſt*. Matth. 27. In eodem, *Salva temetipſum* Marc. ultimo ſic habetur: *Scio quod Ieſum qui crucifixus eſt quæritis*. Verè Nazarenus, ideſt, floridus, non fœtidus. Non enim dedit Deus, ſanctum ſuum videre corruptionem: Videbatur emarcuiſſe flos de radice Jeſſe, ſed ſi ſecundum vitam mortalem emarcuerat, jam refloruerat, ſecundum illud Pſalm. 27. *Refloruit caro mea*. Dixerant Judæi. *Si filius Dei es, deſcende de cruce*, credentes afflictionem tenere eum in cruce, ut non poſſet de ea deſcendere, cum potiùs ibi teneret eum amor ſalutis noſtræ: ſed qui crucifixus eſt, reſurrexit, & clauſura ſepulchri eum tenere non potuit. Ex quo manifeſtum eſt, quod nec afflictio eum invitum tenuit in cruce, exiluiſſent clavi ſi voluiſſet. *Ieſum quæritis*. Sanctæ mulieres quærunt, quem debent quærere, ſed non ubi debent: unde eis dicitur Lucæ 24. *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Nazarenus, id eſt, floridus cruci affixus fuit; Contempto enim flore mundanæ gloriæ, ipſe crucis ignominiam elegit. Hebr. 12. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, ipſe regnum fugit. Joannis ſexto. Ad crucem verò voluntariè venit. Sic floridus, factus eſt crucifixus: in reſurrectione factus eſt crucifixus, Nazarenus, vel floridus; quia ignominia paſſionis tranſivit ad gloriam reſurrectionis, immo ipſa crucifixio, vel crux florida facta eſt; quia in magno honore habetur: Crux enim tranſit de pœnis latronum, ad frontem Imperatorum, ut dicit Auguſtinus. Quid faciet Deus fidelibus ſuis, ſi tantum honorem dedit pœnis ſuis. Galat. ultimo: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Bern. ſuper Cantic. Sponſus ſibi nihil glorioſius putat, quàm Chriſti portare opprobrium.

Jeſus, id eſt, Salvator.

Nazarenus, id eſt, floridus.

Amor Chriſti in cruce.

Gloria crucis.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

De manifeſtationibus poſt Reſurrectionem, de miſſione Apoſtolorum, & poteſtate remittendi peccata, de duplici pace, Thomæ dubitatione & confeſſione.

SERMO LXXII.

Duæ manifeſtationes.

Cum ſero eſſet die illo una Sabbathorum, &c. *Ioan.* 20.

HOc Evangelium continet *duas* Chriſti manifeſtationes factas Diſcipulis in Jeruſalem. *Prima* facta eſt Thoma abſente ipſo die reſurrectionis. *Secunda* octava die Thoma præſente, die illa qua reſurrexit. *Vna Sabbathorum*, ideſt, una inter dies Sabbathorum, id eſt, ſolennium; quia tunc erant dies azymorum. *Et fores eſſent clauſæ*, domus ſcilicet, in qua domo erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum, ut ſcilicet clauſione oſtiorum & congregatione plurium minùs timerent. *Stetit in medio Diſcipulorum*. Ingreſſus januis clauſis, oſtendens in hoc quod corpus habebat glorificatum: hæc eſt enim natura corporis glorioſi, ut corpus ei non glorioſum reſiſtere non poſſit Gregorius. Quid mirum ſi poſt reſurrectionem januis clauſis intravit, qui antea non aperto utero Virginis exivit. Auguſt. in libro de concordia Evangeliſtarum. Ipſo die reſurrectionis ſuæ, excepto quod à mulieribus viſus eſt, *ter* ſe Dominus manifeſtavit. Petro *ſemel* Lucæ ultimo. *Iterum* duobus illis, quorum unus Cleophas. In eodem. *Tertio* plurimis jam inde loquentibus in noctis exordio, ut dicitur hîc. Mulieribus verò *bis* apparuit. *Primo* Mariæ Magdalenæ, flenti ad monumentū, Joan. 22. *Deinde* duabus mulieribus dum irent nunciare Apoſtolis. Matth. ultimo. Unde ſecundùm hoc apparuit quinquies ipſo die reſurrectionis, ultima autem illarum apparitionum fuit hæc. *Et dixit eis pax vobis. Ego ſum, nolite timere. Et cum hoc dixiſſet oſtendit eis manus & latus*, id eſt, cicatrices lateris & manuum, ne putarent eum eſſe phantaſma, & ut oſtendat ſe eſſe illum, qui paſſus eſt. Victor cicatrices vulnerum non ex impotentia curandi ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum, & ad fidem reſurrectionis aſtruendam, & ut idem corpus reſurgere, quod moritur, demonſtraret. *Gaviſi ſunt ergo*, &c. Impletum eſt quod dixit. Joan. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum*. Aug. Ad dubitantium corda ſananda, vulnerum ſunt ſervata veſtigia. Item per tactum vult, ut probent idem, *Palpate & videte quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet*.

Natura corporis glorioſi.

Quinque manifeſtationes.

Cicatrices vulnerum ſervatæ.

Gaudium Diſcipulorum.

Lucæ ult. *dixit eis iterum pax vobis*. Hortatur Dominus Diſcipulos ad paſſionem mittendos, *primo* ad mentis tranquillitatem dicens: *pax vobis* *Secundo* eos ſuo exemplo conſolatur dicens. *Sicut miſit me pater*, &c. *Tertio* dat gratiam qua officium injunctæ legationis impleant dicens: *Accipite ſpiritum ſanctum*. *Quarto* dat poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ibi: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. *Pax vobis*. Auguſtinus Iteratio, confirmatio eſt. Ipſe dat pacem ſuper pacem Unde ad ſignificandum pacem peccatoris in præſenti, & pacem æternitatis in futuro, bis dixit *pax vobis* Diſcipulis. Epiſcopus etiam in Miſſa bis dicit pax vobis. *Primo* vertit ſe Epiſcopus ad populum, quia pax peccatoris quandoque datur miniſterio Epiſcoporum. *Secundo* non vertit ſe ad populum, quia pax æternitatis non datur miniſterio Epiſcopi. *Sicut miſit me*, ideſt, ad quod miſit me, ſcilicet, ad Paſſionem. *Pater* qui me amavit, *ſicut miſit me*, ideſt, ea charitate, qua miſit me, *& ego mitto vos*. Chryſoſtomus, Hic elevat eorum animos. Vel ſic: *Sicut miſit me pater*, &c. Quia ad prædicandum mitto vos, ſicut ad prædicandum miſſus ſum. *Inſufflavit*. Aug. Inſufflando ſignificat Spiritum ſanctum, non Patris ſolius eſſe ſpiritum, ſed etiam ſuum; ſicut flatus erat ab eo, ita Spiritus ſanctus, qui dabatur in flatu. Quod eſt contra Græcos, qui dicunt quod Spiritus ſanctus non eſt à Filio. *Et dixit*: *Accipite Spiritum*. Secundum Chryſoſtomum. Non adhuc deprecatio fit ad patrem ſecundum illam promiſſionem Joann. 14. *Ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis*, ſed auctoritate dat eis virtutem, poteſtatem quandam ſpiritualem & gratiam: ſed non ut mortuos ſuſcitent & virtutes faciant, ſed ut dimittant peccata; diverſa enim ſunt chariſmata Spiritus ſancti. Sed nonne poteſtas dimittendi peccata erat data Petro. Matth. 16. & aliis ejuſdem 18. Poteſt dici, quod ibi fuit promiſſio ſeu prædictio hujus, hîc prædictionis impletio, ut hîc confirmatio. Sed adhuc objicitur, quod ſolus Deus peccata dimittit. Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me*. Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo ex me auxilium tuum*. Reſponſio. Solus Deus dimittit peccata, quantum ad culpam; pœnam verò poſſunt remittere miniſtri, ut dicit Dominus. *Quorum remiſeritis peccata*. Miniſtri enim partem pœnæ relaxant, ſed ſolus Deus totum indulget, ſcilicet, culpam & pœnam. Magiſter Hugo de ſancto Victore: Remittere eſt debitum temperare & in parte relaxare. Dimittere verò eſt ex toto indulgere, quod per Spiritum ſanctum fit. Chryſoſtomus. Si mali ſint valdè Sacerdotes, Deus, quæ ejus ſunt,

Pax datur. Miſſio mādatur.

Poteſtas ligandi & ſolvendi data.

Epiſcopus in Miſſa dicit, Pax vobis.

Diſcipuli ad quid ſint miſſi.

Inſufflatio Spiritum ſanctum ſignificat.

Poteſtas Petro & aliis promiſſa & data.

Deus dimittit peccata quoad culpam & pœnam. Et Miniſter homo dimittit peccata quoad pœnæ partē.

Remittere & dimittere differunt.

operabitur. Quid dico ſacerdotes, nec angelus nec archangelus operari quid poteſt in his quæ data ſunt à Deo, ſed pater & filius & ſpiritus ſanctus omnia diſpenſat. Sacerdos autem ſuam accommodat linguam, & ſuam tribuit manum. Item, ex hoc, quod hic dicitur, primò: *Accipite ſpiritum ſanctum*; poſt: *quorum remiſeritis peccata*, &c. Volunt quidam habere, quod nemo poſſit ligare, vel ſolvere, niſi habeat ſpiritum ſanctum, quod non eſt verum. Unde dicendum eſt, quod *dupliciter* dimittit aliquis pœnam peccatorum, vel ex officio tantùm, vel ex officio, & vitæ merito. Primo modo remittunt etiam mali. Secundo boni ordinati. Præterea ſpiritum ſanctum habent qui remittunt, id eſt, donum ſpiritus ſancti ſcilicet ordinem. Item per gratiam ſpiritus ſancti fit remiſſio peccatorum, quod in illo facto voluit Dominus dare intelligi, quod gratia ſacramentis datur, quæ per miniſtros Eccleſiæ miniſtrantur: Quod autem non requiratur in miniſtro gratia ſpiritus ſancti, patere poteſt ex hoc, quod ante paſſionem dedit hanc poteſtatem, & tamen ſine inſufflatione. Sic autem intelligendum eſt ſecundum Gloſſ. *Quorum remiſeritis*, &c. id eſt, quos dignos dimiſſione judicaveritis, duabus clavibus, id eſt poteſtatis & diſcretionis, *Remittuntur eis*. id eſt, tunc Deus approbat dimiſſionem: *Et quorum retinueritis*, id eſt, non remiſeritis, vel per vos vel per ſucceſſores veſtros, retenta ſunt, id eſt, non ſunt remiſſa. Sic rex principem mittens dat ei poteſtatem & mittere in carcerem, & dimittere.

Deus utitur miniſterio Sacerdotis.

Non neceſſaria bonitas miniſtri ad hoc, ut validè officium fiat.

Remiſſio peccatorum qualis.

Thomas autem unus ex duodecim, qui olim fuerant, & eſſe debebant. Non enim erant, niſi undecim, cum Iudas ſe ſuſpendiſſet. Matth 27. & Actuū 1. Sic aliquis dicitur de duodecim paribus Franciæ, licet non omnes ſint quia tot deberent eſſe. *Qui dicitur Didymus*, id eſt geminus, quia dubius etiam dicitur Thomas, id eſt, abyſſus, quia dubitando profundius novit. *Non erat cum eis quando venit Ieſus*, Contra. Lucæ ultimo. *Regreſſi ſunt in Ieruſalem diſcipuli illi quibus apparuit Dominus cum irent in Emaus, & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipſis erant, dicentes: Quia ſurrexit Dominus vere & apparuit Simoni, & ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dū autem hæc loquerentur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis: pax vobis*. Cùm ergo eſſent ſoli undecim Apoſtoli, & illi eſſent congregati, patet quod Thomas erat cum eis. Ad hoc reſpondet Auguſt. in 4. libro de concordia Evangeliſtarum: intelligendum eſt quod Thomas exierat inde, antequam eis loquentibus Dominus appareret: erat tamen cum aliis, quādo venerunt illi duo Diſcipuli. Poſt exitum verò Thomæ dū loquerentur, *quomodo cognoverunt eum in fractione panis*, apparuit eis Dominus; & poſtquam reverſus fuit Thomas, *dixerunt ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Niſi videro*, &c. Chryſoſtomus: Thomas non tantū illis non credidit diſcredens, quantum rem putans impoſſibilem eſſe, ſcilicet, reſurrectionem, unde non dixit: non credo vobis, ſed niſi videro, & miſero, non credo. Item Chryſoſtomus. Sicut ſimpliciter & cito credere eſt levitatis, ita ultra modum circumſcrutari, & multum inveſtigare eſt groſſiſſimæ mentis. Eccleſiaſtici 19. *Qui cito credit, levis eſt corde. Venit Ieſus januis clauſis*, ut priùs, & dixit: pax vobis. Victor, pacem offert, qui propter pacem venit. In prima viſitatione bis dixit: Pax vobis, quia in illa ſignificatur viſitatio præſens, per gratiam, in qua pax peccatoris datur, & pax æternitatis promittitur & præguſtatur. In hac viſitatione ſemel tantum quæ ſignificat viſitationem, quæ erit in octava Reſurrectionis, ubi unita pax erit, ſcilicet, pax æternitatis. *Infer digitum tuum huc*. Chryſoſt. Vide qualiter non expectat à Thoma prius rogari, nec audire aliquid tale, quale aliis dixerat: niſi videro non credam; ſed præoccupat eum, oſtendens per hoc, quomodo, cùm & hæc loquebatur ad condiſcipulos, ipſe aderat: etenim verbis eiſdem uſus eſt. *Infer digitum tuum huc*, ut cognoſcas per tactum, *& vide manus meas*, ut cognoſcas etiam per viſum, *& affer manum tuam*, id eſt, applica. Chryſoſt. Tu cum videris diſcredentem diſcipulum, excogita dominatoris clementiam, qualiter & pro una anima oſtendit ſeipſum vulnera habentem, & accedit, ut ſalvet unum, & etiam aliis groſſiorem exiſtentem. Gregor. Non hoc caſu, ſed divina diſpenſatione geſtum eſt, ut electus ille tunc deeſſet, quando aliis Dominus apparuit; poſt autem veniens, audiret, audiens, dubitaret, dubitans, palparet, palpans, crederet; egit namque miro modo ſuperna clementia, ut Diſcipulus dubitans, dum magiſtri vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis: dum enim ille palpando ad fidem reducitur, mens noſtra omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur. *Reſpondit Thomas, & dixit, Dominus meus*. Secundum quod homo, quem redemiſti ſanguine tuo. 1. Petr. 1. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati. Et Deus meus*. Per creationem, quem de limo creaſti, ut dicat Victor: & ſic confitetur Thomas utramque naturam in Chriſto, humanam & divinam. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*, non quod viſio ſit cauſa fidei, ſed adminiculum. Gregorius. Thomas aliud vidit, & aliud credidit, hominem vidit, & Deum confeſſus eſt. Auguſt. Non ait, tetigiſti, ſed vidiſti, quoniam generalis ſenſus quodammodo eſt viſus; quamvis dici poſſit, non auſum Diſcipulum tangere. Quærit Chryſoſtomus: qualiter corpus incorruptibile typos, id eſt, figuras demonſtrabat clavorum, & tangibile erat mortali manu. Et reſpondet: ne tumultueris, condeſcenſionis enim erat, quod fiebat: quod enim ſubtile erat, ut clauſis intraret januis, à groſſitie omni erutum erat, ſed ut crederetur reſurrectio, hæc oſtenduntur, & ut diſcant, quoniam ipſe eſt qui crucifixus fuerat, & non alius pro eo ſurrexit. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Chryſoſtomus, cum dixerit quis: nunc vellem eſſe ſecundum tempora illa, & videre Chriſtum mirificantem, excogitet. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Sed cum dicatur hoc pro futuris, quare non dicitur: beati qui non videbunt & credent, hoc reſpondet Auguſt. Præteriti inquit temporis uſus eſt verbis, tanquam ille, qui, quod erat futurum, in ſua noverat prædeſtinatione jam factum; nec ſolum propter futuros hoc dixit, ſed propter aliquos etiam diſcipulorum qui de facili crediderunt & talia non petierunt.

Ioannes dicit Thomā abfuiſſe.

Lucas ait adfuiſſe.

Reſponſio & conciliatio.

Cito credere non ſemper laudabile.

Pax alia præſens, alia futura.

Clementia Domini.

Dubitatio Thomæ nobis profuit.

Confeſſio S. Thomæ

Corpus glorioſum an tangi poſſit.

Quæſtio.

Reſponſio.

In conſpectu diſcipulorum ſuorum Chryſoſtomus. Videtur mihi ea, quæ fecit poſt reſurrectionem, dicere ſigna; ideo ait: in conſpectu diſcipulorum, poſt reſurrectionem enim non manifeſtavit ſe mundo, ſecundum illud. Joan. 13. *Adhuc modicum & mundus me jam non videt. Quæ non ſunt ſcripta*, Chryſoſtomus quærit: quare non omnia ſint ſcripta, quæ fecit? Et reſpondet: propter multitudinem. Deinde vero & excogitavit, quoniam qui nōn credit his quæ dicta ſunt, ne pluribus attenderet; qui vero hæc ſuſcipit nullo indiget alio in fidei ratiocinatione. *Vt credatis*, hoc pertinet ad preſens *ut credentes vitam* &c. hoc pertinet ad futuram vitam. *Quia Ieſus* hoc erat proprium nomen illius hominis. Lucæ 2. *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus quod vocatum eſt ab angelo, priùſquam conciperetur in utero*. Lucæ 1. *Vocabis nomen ejus Ieſum, eſt Chriſtus*, homo unctus, gratia ſpiritus ſancti. Pſalm. 44. Unxit te Deus oleo, &c. *Vitā habeatis æternā. In nomine ejus*, id eſt, in fide nominis ejus. 1. Joan. ultimo. Hæc ſcribo

Ieſus nomen propriū Chriſtus, id eſt unctus.

ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habeatis æternam qui creditis in nomine filij Dei, vel in nomine ejus, id eſt, per eum.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

SERMO LXXIII.

Sexdecim documenta ex dictis Chriſti poſt Reſurrectionem.

Dixit Jeſus pax vobis.

LEgitur Judicum 14. *De forti egreſſa eſt dulcedo.* Hoc dixit Samſon de Leone in cujus ore poſt mortem invenit favum mellis, ſed de Chriſto poſſumus idem dicere, qui eſt Leo de tribu Juda. Apocal. 5. Cujus os poſt paſſionem ejus dulcem habuit doctrinam. Et ex verbis ejus dictis poſt reſurrectionem *ſexdecim* documenta poſſumus accipere.
1. Pietas.
Primo, commendatur nobis pietas. Joan. vigeſimo. Ubi alloquitur mulierem flentem. *Mulier*, inquit, *quid ploras?* Hujus pietatis conſolantis lugentes magnus defectus eſt hodie in mundo iſto. Eccleſiaſtæ 4. *Vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lacbrymas innocentium & neminem conſolatorem.*
2. Temeritas cavenda.
Secundo, diſſuadetur temeritas Joannis vigeſimo. *Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Non debet ad Chriſtum in Sacramento Altaris accedere, in cujus corde nondum Chriſtus ad patris æqualitatem aſcendit, cum ei debitam reverentiam non exhibeat, ſed quaſi eum crucifigat, ad Hebr. 6.
Indignè cõmunicátes.
Rurſum *crucifigentes in ſemetipſis filium Dei.* 1. Corinth. 2. *Si cognoviſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*
Humilitas
Tertio, notatur humilitas. Joannis 20. *Vade autem ad fratres meos*: adeptus gloriam reſurrectionis, non dedignatur ſervos vocare fratres. Bernard. Cum omni indifferenter perſonæ humilitas ſit quædam turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto vis ejus major in majoribus, & in clarioribus clarior comprobatur.
4. Societas bona.
Quarto commendatur nobis bona ſocietas, ubi Magdalenam cum ſocia ſalutat Matthæi ultimo. Et Thomam cum aliis in fide confirmat. Joan. 20.
5. Manſuetudo.
Quinto manſuetudo. In eodem: *Nolite timere*: hoc multum neceſſe eſſet prælatis. Bernardus ſuper illud. Exultabimus, & lætabimur memores uberum tuorum. Cant. 1. Cur morſus à ſerpente parvulus conſcientiam refugit ſacerdotis, ad quam eum oportuerat tanquam ad ſinum recurrere matris.
6. Patientia.
Sexto patientia. Lucæ ultimo: *Videte manus meas*, ibidem: *oportuit pati Chriſtum*, Joannis ultimo: *Cum eſſes junior cingebas te.* Joan. 9. *Sicut miſit me pater & ego mitto vos.*
7. Pax.
Septimo Pax. Joan. 20. Ter eis pacem optat.
8. Fides.
Octavo fides. Joan. 20. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt.*
9. Spes.
Nono, Spes. Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum*, &c.
10. Charitas.
Decimo, Charitas. Joan. ultimo: Petrus interrogatur ter de amore.
11. Curioſitas cavenda.
Undecimo diſſuadetur curioſitas. Joan ultimo, dictum eſt Petro: *Quid ad te tu me ſequere.* Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta.* Non habet Deus unum proprium ſervientem, ferè enim omnes immiſcent ſe terrenis. *Quinque* autem alia ſpiritualiter pertinent ad miniſtros Eccleſiæ, quorum *primum* eſt,
12. Studium ſcripturæ.
ſtudere intelligentiæ ſacræ ſcripturæ. Lucæ ultimo. *O ſtulti, ô tardi.* Ibidem: *Incipiens à Moyſe*, &c. Et poſt, *aperuit eis ſenſum ut intelligerent ſcripturas.*
13 Et virtutis.
Secundum eſt, ſtudere virtuti. Lucæ ultimo. *Sedete in civitate quoad uſque induamini virtute ex alto.* Act. 1 *Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos.*
14. Sacerdotalis dignitatis cognitio
Tertium ſacerdotalis dignitatis cognitio. Joan 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis*, &c.
15 Recta intentio.
Quartum eſt intentionis directio. Joan. ultimo *Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis.*
16. Recta doctrina.
Quintum eſt ut debito modo doceant, quid fiet, ſi doceant utilia & ſi doceant efficaciter & inſtanter, & ubique.

Ad *primum* pertinet illud Marc. ultimo. *Docentes ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Ad *ſecundum* pertinet illud Joan. ultimo. *Paſce, paſce, paſce.* Paſce verbo, paſce exemplo, paſce temporali ſubſidio. Exemplum & temporale ſubſidium debent adjuvare verbum. Ad *tertium* & *quartum* pertinet illud Matth. ultimo. *Ite docete omnes gentes.* Item illud Marc. ultimo. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Iſta 16. documenta poſſunt intelligi folia ligni vitæ, ad quorum umbram æſtivo tempore deberent ſe homines obumbrare contra ardorem peccati Cant. 2. Sub umbra illius quem deſiderabam ſedi. Gregor. Dum ſacrarum ſcripturarum ſecreta ſcrutamur, quid aliud quam ad refrigerandum nos, opaca ſilvarum ingredimur.

Folia ligni vitæ.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Chriſti apparitiones 12. poſt reſurrectionem, & miſericordiam in eis relucens, cum ſeptem Spiritus ſancti donis & ſeptem exemplis, quæ ante Aſcenſionem ſuam Chriſtus monſtravit, imitanda proponit.

SERMO LXXIV.

Cum ſero eſſet die illa, una Sabbathorum, venit Jeſus, &c.

Apparitiones Chriſti decem ex Evangelio.

DEcem legimus apparitiones Chriſti in Evangelio. Quinquies apparuit ipſa die Reſurrectionis.
1. *Primo* Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Joan 20
2. *Secundo* eidem & alij Mariæ euntibus nunciare Diſcipulis Chriſti reſurrectionem, de qua hic habetur.
3. *Tertio* Petro. Lucæ ultimo.
4. *Quarto*, Diſcipulis euntibus in Emaus. Lucæ ultimo.
5. *Quinto* ipſis reverſis in Jeruſalem, & decem Apoſtolis, abſente Thoma, Joan. 20.
6. *Sexto* poſt octo dies in Jeruſalem apparuit Apoſtolis, præſente Thoma. Joan. 20.
7. *Septimo.* piſcantibus ad mare Tiberiadis, Joan. 21.
8. *Octavo* omnibus 11. in Galilæa Matth. ult.
9. *Nono* in cœnaculo ipſis recumbentibus, Actor. 1.
10. *Decimo* in monte Oliveti, Luc. ult.

Septem ex his apparitionibus ad ſeptẽ dona Spiritus S. referuntur.

Et *notandum*, quod *ſeptem* harum apparitionum Bernar. refert ad *ſeptem dona Spiritus ſancti* his verbis: In ſeptem apparitionibus quæ poſt reſurrectionem factæ leguntur, ſeptem illa dona Spiritus ſancti poſſumus invenire.
Timoris.
In prima ſpiritum timoris accipe, quando venientibus mulieribus ſanctis, deſcendit Angelus de cœlo, & terræ motus factus eſt, ita, quod ipſas timore perterritas oportuit ab Angelo conſolari.
Pietatis.
In ſpiritu pietatis apparuit Simoni, quia magna omninò & verè Domino Jeſu digna pietatis dignatio, quod ei quaſi ſingulariter & ante cæteros dignatus eſt apparere, quem præ cæteris de negatione ejus rea conſcientia confundebat.
Scientiæ.
In ſpiritu ſcientiæ duobus pergentibus in Emaus expoſuit ſcripturas, incipiens à Moyſe & Prophetis.
Fortitudinis.
In ſpiritu fortitudinis, januis clauſis, intravit, oſtendens manus & latus ſicut ſolent in ſignum virtutis clipeorum foramina demonſtrari
Conſilij.
In ſpiritu conſilij fruſtra in piſcatione laborantes mittere in dexteram rete conſuluit.
Intellect.s.
In ſpiritu intellectus: *aperuit eis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas.*
Sapientiæ.
In ſpiritu ſapientiæ, die quadrageſima eis apparuit, quando videntibus illis eſt elevatus, & viderunt filium hominis aſcendentem ubi erat prius. Uſque ad illam diem quaſi per ſtultitiam ſervos faciebat credentes: poſtquam verò aſcendit coram eis ad patrem, cœpit jam ſapientia dilatari.
Duæ apparitiones aliæ ex S. Paulo.
Plures fuerunt apparitiones quod innuit Paulus dicens: *Viſus eſt Jacobo, viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul.* 1. Cor.

15. Videntur tamen omnes apparitiones miſericor-
In omnibus illis apparet miſericordia Salvatoris.
diæ fuiſſe Miſericordia enim quæ filium Dei de
cœlo depoſuit & corpore induit juxta verbum.
Auguſt. Eum etiam poſt reſurrectionem detinuit,
ne tam citò in cœlum aſcenderet. Nunquid non
1. miſericordiæ fuit, quod Magdalenæ ad monu-
mentum flenti. Joan. 20. *De qua ejecerat ſeptem*
2. *dæmonia* Marc. ultimo primo apparuit. Item miſe-
ricordiæ fuit quod duas mulieres primo ſalutavit
Matth. ultimo. Ne mulieres de ſalute deſperent, eo
3. quod mulier cauſa perditionis extiterit *Item* miſe-
ricordiæ fuit, quod & Petro ſpecialiter, qui eum
negaverat, ne ex negatione deſperaret apparuit.
De qua apparitione tangitur. Luc. ultimo. *Item*
4. miſericordiæ fuit, quod duobus diſcipulis eunti-
bus in Emaus, cum triſtes eſſent, apparuit tardita-
tem credendi in eis reprehendens, & quæ ſcripta
erant de ipſo eis exponens, tandem in fractione
5. panis ſe cognoſci faciens. *Item* miſericordiæ fuit,
quod diſcipulis propter metum Judæorum congre-
gatis apparens. cicatrices vulnerum eis oſtendit, fi-
dem reſurrectionis aſtruens, & ad paſſiones eos
6. animans. Joan. 20. *Item* miſericordiæ fuit, quod
ad certificandum dubitationem Thomæ, ad diſci-
7. pulos redit ut ibidem habetur. Miſericordiæ *etiam*
fuit, quod diſcipulis piſcantibus apparens, qui
tota nocte laborantes nihil ceperant, conſilium eis
dedit, & petrum de paſcendis tam agnis quam ovi-
8. bus admonuit. Joan. ultimo. *Item* miſericordiæ
fuit, quod undecim diſcipulis apparens, poteſta-
tem ſuam eis oſtendit. Lucæ ultimo & Joan. 20.
Ad eorum ſecuritatem, dicens: *Data eſt mihi om-
nis poteſtas in cœlo & in terra*: Dedit etiam eis man-
datum de cunctis gentibus docendis, quod perti-
net ad ſapientiam. Promiſit etiam Eccleſiæ ſuam
9. præſentiam, quod pertinet ad bonitatem. *Item*
miſericordiæ fuit, quod recumbentibus diſcipulis
apparuit Marc. Ultimo. Et cum eis comedere vo-
luit. Actor. 1. Bern. loquens de illa apparitione,
inquit, benignitas ejus qui cognovit figmentum
noſtrum, nec dedignatur neceſſitates noſtras ſed
miſeretur, ſi tamen curam carnis non in deſiderio
facimus, ſed in neceſſitate. In illa etiam apparitio-
ne omni creaturæ Evangelium prædicari juſſit, &
expectare in Jeruſalem promiſſum ſpiritum voluit.
10. Miſericordiæ *etiam* fuit, quod in monte oliveti
apparens, benedictionem parvo gregi, quem in
terris relinquebat, inter perſecutores dedit. Luc.
Ultimo. Et videntibus illis in cœlum aſcendit.
Act. 1.

Chriſtus reſurgens ante aſcenſionem ſeptem exempla dedit.
Item notandum quod Chriſtus reſurgens ante
ſuam aſcenſionem his qui ſpiritualiter ſurrexerunt
multa exempla ſalubria dedit, de quibus cauſa bre-
vitatis *ſeptem* ponamus *Primum* eſt. quod poſt
hoc, mundo ſe non immiſcuit, licet aliquibus bo-
I. nis apparuerit. Sic faciendum eſſet ei, qui ſpiri-
tualiter reſurrexit. Seneca. Inimica eſt multorum
converſatio. Idem: quo major eſt populus, cui
admiſcemur, hoc periculi plus eſt, nihil adeò dam-
noſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo
II. reſidere. *Secundum* eſt, quod dixit Mariæ Magda-
lenæ. *Noli me tangere nondum enim aſcendi ad pa-
trem meum*. Ioan. 20. Non ſecurum homini tan-
gere mulierem, dum eſt in hac vita, nec etiam con-
ſanguineam, quia corpus mulieris ignis eſt: Ignis
III. vero neſcit conſanguinitatem. *Tertium* eſt, quod
pacem in ore habuit: columba ramum olivæ defert
in ore. Geneſ. 8. Sic qui ſpiritum ſanctum habet,
VI. verba pacis habere debet. *Quartum* eſt, quod loca
vulnerum oſtendit. Luc. ultimo. & Ioan. 20. Sic
qui reſurrexit, peccata ſua per confeſſionem oſten-
dere debet. Proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua
non dirigetur*. Oſeæ 13, *Colligata eſt iniquitas* Eph-
V. raim abſconditum eſt peccatum illius. *Quintum*
eſt, quod tangi ſe permiſit etiam in manifeſto. Sic,
qui verè reſurrexit in manifeſto ſuſtinet ut argua-
tur Sed ſunt quidam, qui videntur habere illud
apoſtema: *Noli me tangere*, qui dicunt illud. Exod.
21 Beſtia ſi tetigerit montem, lapidabitur. *Sextum* VI.
eſt, quod inſufflavit, & Spiritum ſanctum dedit.
Ioan. 21. Sed ſunt quidã qui potius ignem inferna-
lem ſpirant, & malignũ ſpiritum cordibus hominũ
inſpirant, ut ſunt malitiæ & turpitudinis conſiliato-
res. *Septimum* eſt, quod cibum ſumpſit, ſcilicet, pa- VII.
Cibus Chriſti poſt reſurrectionem. Panis. Piſcis.
nem. Ioan. ultimo, & piſcem. Luc. ultimo, & favum
mellis, Lucæ ultimo. In pane, ſacramentum altaris
intellige, quod habet ſpeciem panis: Piſces verò ſũt
ſancti, qui aquis tribulationum non ſubmergun-
tur, ſed meliorantur. Piſcis aſſus, Chriſtus paſſus.
Piſces aſſi, ſunt diverſi ſancti æſtu tribulationum
afflicti, unde aſſos piſces comedere, eſt ſanctorum
Favus mellis.
exemplis refici. In favo habente ceram, quæ eſt
materia luminis & mellis dulcedinem, intellige ſa-
cram ſcripturam quæ illuminat intellectum & affe-
ctum. Bene diſpoſito dulciter ſapit. Proverb. 16.
Favus mellis verba compoſita. Auguſt. O litteras
melle cœli melleas & Dei lumine luminoſas. Idem:
palatum febricitantis habet, cui mel cœli inſipi-
dum eſt.

DE EADEM.

SERMO QUARTUS.

SUMMARIUM.

De duplici Chriſti redivivi ad diſcipulos adventu. Quando ad eos venerit, quo in ſtatu eos invenerit. Quomodo ſe ad eos habuerit. De pace, de quiete mentis & corporis. Documenta prælatis, & ſubditis dantur, quam utilis ſit paſſionis memoria, intelligi datur.

SERMO LXXV.

Cum ſero eſſet, die illa, una Sabbathorum, &c.

Duplex adventus Chriſti redivivi ad diſcipulos. Primus. Tria conſiderãda hic.

HOc Evangelium oſtendit duplicem adventum Chriſti ad diſcipulos poſt reſurrectionem ejus. Et circa Primum adventum oſtenditur; quando ad eos venerit. *Secundo*, in quo ſtatu eos invenerit. *Tertio*, qualiter ad eos ſe habuerit. Tempus, quando venit, fuit dies reſurrectionis. *Cum ſero eſſet*, & erat *una Sabbathorum*. Status in quo eos invenit, quod fores erant clauſæ ubi congregati erant propter metum Iudæorum. Modus verò quomodo ſe habuerit, oſtenditur ibi: *ſtetit in medio* &c.

I. Quando Chriſtus diſcipulis apparuerit.

Circa *Primum* notandum, quod dies reſurrectionis illi eſt, qui tenebris erroris fugatis, lumine divinæ cognitionis á ruinæ culpæ reſurrexit in novitate vitæ. Prima Theſſ. ultimo. *Omnes vos filii lucis eſtis & filii diei*. Non ſumus filii noctis neque tenebrarum. Ad Roman. 6. *Sicut ipſe Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris; ita & nos facit in novitate vitæ ambulare*. Coloſſ. 3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite*, &c. Item cum ſero dies deficiat & finiatur, ſero eſt illi, cui per humilitatem in ſua æſtimatione dies quodammodo deficit, qui ſibi ipſi vileſcit ad quod monemur. Lucæ 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*. In hoc quod una Sabbatorum, innuitur, quod multipliciter ſit Sabbatum ſeu quies. Eſt enim quies corporis ſine quiete mentis, quæ non eſt vera quies: de qua Ieremiæ 48. *Requievit Moab in fecibus ſuis*. Et Iſaiæ 48. *Non eſt pax impiis dicit dominus*. Ejuſdem 57. *Impii quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt*. Quies iſta ridiculoſa eſt, cum quieſcit ſervus, quando laborat dominus, ſcilicet, ſpiritus. Trenorum 1 *Viderunt eam hoſtes & deriſerunt* Sabbatha ejus. Secunda quies eſt mentis, ſine quiete corporis.

Quies corporis.

Quies mentis.

Hanc habent illi qui carnem ſuam crucifigunt cũ vitiis & concupiſcentiis Levit. 16. *Sabbathum requietionis Deo eſt, & affligetis animas veſtras & nolite pondera portare in die Sabbathi*: Pondera, inquam, peccatorum. In eodem: *Non inferatis onera per portas civitatis huius in die Sabbathi*, ſcilicet per portas quinque ſenſuum. Exod. 16. *Requies Sabbathi, ſanctificata eſt, maneat apud ſe unuſquiſque, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*: Locum iſtum intellige mentis quietem. Tertia quies, eſt quies mentis & corporis, quæ erit in futuro. Iſaiæ ultimo. *Erit Sabbathum ex Sabbatho*. Vna ergo Sabbathorum, in qua dominus venit ad conſolandum humiles, eſt ſecunda quies, ſcilicet, tranquillitas mentis.

Quies mentis & corporis.

II. Quo in ſtatu Chriſtus diſcipulos invenerit. Timidos.

Circa ſtatum in quo diſcipulos invenit, notandum, quod ipſi erant præ timore in domo una congregati, & fores erant clauſæ. Primum pertinet ad iraſcibile cui neceſſarius eſt timor cautelæ. Bern. Super Cantic. In veritate didici nihil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non alta ſapere ſed timere. Proverb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*. Congregatio neceſſaria eſt concupiſcibili, ne per varia deſideria diſpergatur. Eccleſiaſtici 30. *Congrega cor tuum in ſanctitate*. Rationabili verò neceſſarium eſt, ut fores ſenſuum claudantur, ne ipſa mundana ſolicitudine inquietetur. Iſaiæ 26. *Vade populo meus intra cubilia tua claude oſtia ſuper te*. Portæ quinque ſenſuum, ſunt portæ fluviorum, id eſt, concupiſcentiarum. Naum. 2. Portæ fluviorum ſunt apertæ, & templum ad ſolum dirutum eſt; templum Dei anima eſt. 1. Corinth. 3. & 6. Quod ad terram diruitur, id eſt, ad terrena inclinatur, cum fores ſenſuũ apertæ ſunt. Poſſent hæc ad ſtatum Clauſtralium ſpecialiter referri: in quibus continentia fores ſenſuum claudit, ad delectationes corporales. Congregationem facit obedientia & paupertas voluntaria. Obedientia membra capiti coniungit. Paupertas voluntaria ſive charitas perfecta, omnia communicans, membra adinvicem coniungit, horum verò cauſa eſt timor mundani periculi.

Congregatos. Clauſos.

III. Qualiter ſe Chriſtus habuerit ad diſcipulos.

Circa *tertium* notandum quod Salvator ad diſcipulos veniens in medio ſtat, pacem eis optat, paſſionem ſuam ad memoriam eis revocat, aſpectu ſuo eos lætificat, mittendo ad prædicationem, inter perſecutores confortat, & neceſſaria ad officium iniunctum dat. In hoc quod ſtat, prælatos inſtruit, quorum eſt ſtare, non per inertiam iacere. pigritia enim eorum multum nocet Eccleſiæ. Matth. 13. *Cum dormirent homines venit inimicus & ſuperſeminavit zizania* in medio tritici. Item in hoc quod ſtat exemplum eis ſtabilitatis dat; ſtabilis debet eſſe prælatus, ut ad ventos tentationum non flectatur. Eccleſiaſtici 15. *Firmabitur in illo, & non flectetur*. Eiuſdem 5. *Non te ventiles in omnem ventum*. Quibuſdam verò prælatis convenit illud. Iob 21. *Erunt ſicut palea ante faciem venti*. Prælatus debet eſſe ſtabilis, reſiſtens malis: Vnde dicitur Iſaiæ 26. De urbe: Vrbs fortitudinis, ponetur in ea murus, & antemurale. Murus & antemurale in clauſtro, ſunt abbas & prior; vel prior, & ſubprior, qui ſunt neceſſarii ibi, ut diſſolutioni, cui unus non reſiſtit, alter reſiſtat. Sed ſunt qui in his muris ſolam calumniantur reſiſtentiam, dicentes, illos ſolos bonos eſſe prælatos qui nulli diſſolutioni reſiſtunt: ipſi volunt habere murum ſine lapide, qui de facili ſuffodiatur. Geneſ. Penultimo. *In voluntate ſua ſuffoderunt murum*. De his prælatis conqueritur dominus. Ezech. 13. *Non aſcendiſtis ex adverſo nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael*. Prælatus debet eſſe ſtabilis, & columna ædificium Eccleſiæ ſuſtinens Ierem. 1. *Dedi te in columnam ferream & in murum æneum*.

Stat in medio. Sollicitudo prælatorum. Conſtantia prælatorum. Subditorũ diſſolutio. Chriſtus mediator.

Item notandum quod mediator locum ſibi congruum elegit in medio ſtans, in hoc prælatis comitatem oſtendens. Sicut eſt indecens in corpore humano, ſi caput ad humerum dextrum vel ſiniſtrum declinet, ſic indecens eſt, ſi prælatus non omnes amet, vel non de omnibus curam debitam habeat. Exemplum debet accipere ab illo, qui præeſt omnibus, de quo legitur. Sap. 6. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus.

Comitas Prælatorũ, & æqualitas erga omnes.

Et ſciendum, quod Dominus in nativitate fuit in medio duorum animalium. Secundum aliam literam, in medio duorũ animalium cognoſceris. In paſſione fuit in medio duorum latronum. Ioan. 19. *Crucifixerunt duos latrones hinc & inde mediũ autem Ieſum*. In reſurrectione fuit in medio diſcipulorum, ut hic habetur. In iudicio verò erit in medio bonorum & malorum; ſtatuet enim hædos à ſiniſtris, oves autem à dextris. Matth. 25. In hoc quod Dominus ſtat in medio, commendat nobis medium virtutis. Virtus enim cõſiſtit in medietate inter ſuperfluitatem & indigentiam, hoc medio tutiſſimus ibis: iſtud medium tenuere beati. In medio duorũ animalium ſtans dominus, commendat nobis medium prudentiæ: Illa enim animalia dicuntur fuiſſe bos & aſinus. Iſaiæ 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe* domini ſui. In bove qui ruminat intelligitur curioſitas prophetiæ in populo gentili. In aſino intelligitur ruditas in populo Iudaico Geneſ. 22. *Expectate hic cum aſino*: in medio ergo bovis & aſini ſtat, qui nec ad curioſitatem philoſophorum gentilium declinat, nec ad ruditatem Iudaicam ſed media via incedit. Eccleſiaſtici 3. *Quæ præcepit tibi Deus, cogita ſemper, & in multis operibus eius ne fueris curioſus*. Exod. 13. *Primogenitum aſini mutabis ove*, id eſt, puerilem ſimplicitatem in ſimplicitatem cum diſcretione, quæ in ove intelligitur. Ovis enim ſimplex animal eſt, & tamen ruminat. Dominus autem ſtans inter duos latrones, commendat nobis medium temperantiæ, quod in hoc attenditur, ut ſi crucifigantur carnalia deſideria, tamen ſalvetur natura. Rationabile enim debet eſſe obſequium. Rom. 12. In latrone qui à dextris crucifigitur, intelligitur irrationabilitas pœnitentiæ, per dexteram enim ſpecies virtutis deſignatur. In latrone blaſphemante, qui à ſiniſtris crucifigitur, carnalitas intelligitur; quæ Deum blaſphemat, ſicut temperantia eum glorificat. Vtrumque cavendum eſt, & ne caro irrationabiliter affligatur, & ne carnaliter vivatur. Num. 20. *Via publica gradiemur nec declinabimus ad dexteram vel ſiniſtram*. Stans in medio diſcipulorum commendat nobis medium fortitudinis quod cavet & præſumptionem & puſillanimitatem. Præſumptio fuit in Petro dicente. Matth. 26. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*. Et Lucæ 22. *Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire*. Puſillanimitas fuit in diſcipulis in unum propter metum Iudæorum congregatis, quos exemplo ſuæ paſſionis ad medium fortitudinis vult revocare. Stans in iudicio in medio bonorum & malorum, commendat medium iuſtitiæ, quod cavet remiſſionem & crudelitatem. Crudelitas non novit parcere, remiſſio non novit mala punire. Iuſtitia verò tribuit unicuique quod ſuum eſt, malis pœnam, bonis præmia. De hac materia require in quarta Dominica Adventus in ſermone de illo verbo, Medius autem veſtrum ſtetit.

Chriſtus medius inter duo animalia. Virtus in medio conſiſtit. Bos, Gentiles. Aſinus, Iudæos ſignat. Chriſtus medius inter latrones. Mortificatio cum diſcretione fiat. Chriſtus medius inter diſcipulos. Præſũptio. Puſillanimitas. Fortitudo. Chriſtus medius inter bonos & malos in iudicio extremo. Crudelitas, remiſſio, iuſtitia.

Circa Secundum notandum, quod dominus veniens ad diſcipulos ſuos, pacem eis attulit, & vicarios ſuos pacem afferre voluit. Matth 10. *Intrantes domum ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui*. Multi tamen eorum potius ſolicitudinem & turbationem afferunt; tantam enim multitudinem ſociorum & equorum habent, quod in magna ſolici-

Secundus adventus Chriſti ad diſcipulos. Pompoſus comitatus prælatorũ.

tudine oportet eſſe hoſpites eorum proviſione. Item ſciendum quod dominus bis dicit diſcipulis: *pax vobis*; propter pacem temporis, & pacem æternitatis; de quibus Joan. 14 *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: & inter hæc oſtendit eis manus & latus oſtendens, quomodo fiat tranſitus ab una pace uſque in alteram. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*

Chriſtus bis pacem precatus.

Pax bona & mala. Mala, triplex. 1. Inordinata.

Et *notandum* quod eſt pax mala, ſicut & bona; & habet *tres* ſpecies. *Prima* eſt, pax inordinata, cum ſuperior obedit inferiori, ut ratio ſenſualitati, prælatus ſubdito, pater filio. Proverb 30. *Per tria movetur; & quartum ſuſtinere non poteſt*: per ſervum cum regnare cœperit terra. Ejuſdem 12. *Non decet ſervum dominari principibus.* Geneſ. 3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ.* *Secũda* ſimulata, qualis fuit Judæ. Lucæ 22. *Iuda oſculo filium hominis tradis?* 2. Regum 20. Dixit Joab ad Amaſam: *Salve mi frater, & percuſſit eum, & effodit inteſtina ejus.* De habentibus hanc pacem, dicitur in Pſalmo 11. *Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.* Item Pſ. 61. ore ſuo benedicebant, & corde ſuo male dicebãt. *Tertia* pax; eſt inquinata, pax ſcilicet eorum, qui ſunt concordes in malo: de qua Matth. 10. *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram,* ſed gladium. &c. Auguſtinus in libro 19. de civitate Dei capitulo 12. Pacem iniquorum, in comparatione pacis juſtorum: ille videt, nec pacem eſſe dicendam. qui novit præponere recta pravis & ordinata perverſis. Et ſciendum, quod dominus veniens ad diſcipulos poſt reſurrectionem, convenienter eis pacem optat, quam recedens ab eis ante paſſionem, eis reliquerat. Joannis 14. *Pacem relinquo vobis,* &c. Quam tribulatio paſſionis eis abſtulerat, quam morte ſua eis acquiſierat. Modum verò acquirendi ad memoriam revocavit, ſcilicet paſſionem ſuam, ut incitet ad diligentiam obſervandi.

2. Simulata.

3. Inquinata.

Pacis alia diviſio.

Item ſciendum, quod pax pectoris, ad quam primo incitat, pax eſt, quam mundus non poteſt dare, & quam nulla perſecutio ab amicis Dei poteſt auferre. Pax temporis, tantum bonum eſt, quod à ſuo contrario quæritur, ſecundùm Auguſt. in libro 19. De civitate Dei capitulo. 12. Pax Pectoris tantum bonum eſt, quod nulla guerra exteriori deſtruitur. Item notandum, quòd Dominus ad pacem monet, ad memoriam revocans, quæ paſſus eſt, contra illos, qui nolunt audire verbum de pace, cum memores ſunt injuriæ ſibi illatæ in hoc quod Dominus Paſſionem ſuam ad memoriam revocat diſcipulis in tribulatione poſitis inſtruimur, ut cum aliquid pro Chriſto patimur, ea quæ pro nobis paſſus eſt, cogitemus. Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.* 1 Petr. 4. *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Bernard. Videntes anguſtias Domini noſtri levius veſtras portabitis. Gregor. Si Paſſio Domini ad memoriam revocetur, nihil adeo durum eſt, quod non æquo animo toleretur. Paſſio Chriſti lignum eſt aquas tribulationis dulcorans, ſicut figuratum eſt. Exod. 15. In ligno, quod à Domino oſtenſum eſt Moyſi quo aquæ Marach, ſunt dulcoratæ, 1. Machab. 6. Elephantibus oſtendebatur ſanguis uvæ & mori ad acuendos eos in prælio: Sic ſanguis Chriſti conſideratus, acuere nos debet in pugna ſpirituali. Aſpectus ſerpentis ænei ſanabat à morſibus ignitorum ſerpentum Numer. 21. Ita aſpectus Chriſti in cruce, iram & impatientiam noſtram ſanat. Aſpectus Domini diſcipulos lætificat, in quo datur exemplum ei qui præeſt, ut talem ſe exhibeat, quod ejus præſentia ſubditos lætificet, non contriſtet; quod fiet, ſi ab eis ametur. Auguſtin. loquens de eo qui præeſt, & quamvis utrumque neceſſarium ſit, tamen plus amari à nobis appetit quam timeri Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Dei filio qui reſurrexerat. Gaudeas ergo tu, cum perpenderis aliquem à morte culpæ reſuſcitatum. Noli imitari perfidos Judæos, qui cogitaverunt, ut Lazarum à morte reſuſcitatum, interficerent. Joan. 12.

Chriſtus in paſſionem ſuam ad memoriam revocat.

Memoriã paſſionis Chriſti levat tribulationes noſtras.

Aſpectus Chriſti lætificat diſcipulos, & Prælatos inſtruit.

Amor præſtat timori

Gaudendũ de peccatore emendato.

Et ſciendum, quod convenienter Dominus pacem optat ſpecialiter diſcipulis ad prædicationem mittendis. Pax enim pectoris multum eſt neceſſaria prædicatoribus In aqua turbida imagines non videntur, & à mente turbata veritas, quæ prædicanda eſt non agnoſcitur. Item convenienter eos ſuo exemplo ad patientiam incitat dicens. *Sicut miſit me* &c. Quia prædicatoribus valde eſt neceſſaria patientia. In Pſalmo 91. *Bene patientes erunt, ut annuncient* &c Proverb 19. *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Eiſdem etiam ſpiritum ſanctum dat. Multum enim eſt eis neceſſarius ſpiritus ſanctus; oportet enim quod occupet eos totaliter, ut ſcientia ſit in intellectu, Charitas in affectu, Dulcedo in ſermone lux boni exempli in opere. poteſtatem etiam eis dat quia qui prædicant, poteſtatem debẽt à ſuperioribus accipere, non ſibi eam uſurpare quia, *qui poteſtatem ſibi injuſte aſſumit odietur.* Eccleſiaſtici. 20. Quod dictum eſt, ſicut miſit me pater &c. Pertinet ad ſapientiam; illud verò: Quorum remiſeritis peccata &c. Pertinet ad potentiam, illud verò Accipite &c. pertinet ad bonitatem.

Pax prædicatoribus neceſſaria.

Spiritus S. prædicatoribus neceſſarius.

Poteſtas prædicandi accipienda à ſuperiore.

Circa *primum* notandum, quòd filius cui ſapientia appropriatur miſſus eſt ad reformationem hominis, in qua ſapientiæ moderationem oſtendit non potentiam. Job. 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum.* Ejuſdem 40. *Quaſi hamo capies eum.* Item: *nunquid illudes ei quaſi avi?* Potuit uti potentia ſed noluit. Matth. 26. An putas, quòd non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones angelorum. Diabolus aſtutiâ hominem ſeduxerat. 2. Corinth. 11. *Timeo ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit, ita corrumpantur ſenſus veſtri* &c. Apocal. 12. *Projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocabatur diabolus, & Sathanas* qui ſeduxit univerſum orbem; ideo convenienter ſapientiâ contra eum uſus eſt. Et ſicut Chriſtus ad hoc miſſus eſt, ut ſapientiæ moderatione uteretur, ſic miſit ipſe diſcipulos ut eadem moderatione ſapientiæ uterentur. Noluit, ut facerent, ſicut illi, qui dicunt. Sap. 2. Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ Et *notandum* quòd operi factionis reſpondet opus reformationis. De *primo* dicitur, Geneſ. 2. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* De *ſecundo* dicitur hîc; *Inſufflavit* & cætera.

Sapientia ad miſſiones requiritur.

Sapientia Dei, Diaboli aſtutiæ oppoſita.

DE EADEM.

SERMO QVINTVS.

SUMARIUM.

De communitatis utilitate; veritate & utilitate fidei.

Poſt dies octo iterum venit Jeſus. SERMO LXXVII.

CIrca hunc adventum Domini ad diſcipulos *primo* nobis communitas commendatur, *ſecundo* veritas fidei oſtenditur, *tertio* habens veram fidem beatificatur. *Communitas* commendatur in hoc, quod Dominus Thomæ apparet in congregatione exiſtenti, non ſeparato ab ea: ſic filii Jacob congregati benedictionem patris receperunt. Geneſ. 49. Et ſpiritus ſanctus deſcendit ſuper diſcipulos in unum congregatos. Actor. 2. Utile

1. Communitatis utilitas.

eſt valde

Singularitas periculoſa.

eſt valde communitatem ſequi. In Pſalmo 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Periculoſa verò eſt ſingularitas. Eccleſiaſtæ 4. *Væ ſoli quia ſi ceciderit non habet ſublevantem ſe* Ovis extra gregem à lupo rapitur. Una candela citò à vento extinguitur, non ſic multæ. Diabolus ſciens, quod non ita poſſit prævalere uni congregationi, ſicut uni perſonæ, invitat ad ſingulare certamen, quod in Goliath ſignificatum eſt. 1. Regum 17. *Veritas fidei* oſtenditur in confeſſione Thomæ dicentis: *Dominus meus & Deus meus.* Deus, qui me redemiſti, Deus meus, qui me creaſti.

II. Veritas fidei. Quis verè Deum, & Dominum fiteantur; quis non.

Exemplo ergo Thomæ & nos verè Dominum & verè Deum confiteamur. Vere confitetur aliquis Dominum, præ omnibus ei obediendo: Deum vero, præ omnibus eum diligendo. Vera recognitio dominii obedientia eſt. Non confitetur eum Dominum, qui membris generationi deputatis, plus obedit circa mortifera, quàm Deo circa ſalubria. Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine Domine & non facitis quæ dico.* Item non verè confitetur eum Deum, qui aliquid plus quàm Deum diligit unde ſuper illud, Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt*, dicit Gloſſa: hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur. Non verè confitetur eum Dominum ſuperbus, à Deo ſe avertens, & ſe Deificans ſibi bona ſua attribuendo. Eſſe enim alpha & ô ſive principium & finis Dei eſt. Item non verè confitetur eum Deum avarus, pecuniam deificans. Epheſ. 5. *Avaritia eſt idolorum ſervitus.* Gloſſ. Avari Deus eſt nummus. Oſeæ 8. *Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola* Pſal. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum* Guloſus etiam non verè confitetur eum Dominum, cum deificet ventrem ſuum. Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.*

III. Credens verè, beatificatur.

Habens veram fidem *beatificatur*, ibi: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Similiter Lucæ. 1. *Beata quæ credidiſti*: & Matth. 10. *Beatus es Simon bariona* &c.

Mala facilius creduntur de proximo, quā bona.

Thomæ difficile credēti Domini reſurrectionē ſimiles ſunt, qui de facili mala de proximo credentes, bona de eis vix credere poſſunt. Ex levi ſuſpicione mortem culpæ de proximo credunt, reſurrectionē quæ fit per gratiam, vix credere poſſunt.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

SERMO PRIMUS.

SERMO LXXVII.

SUMMARIUM.

Quatuor ſignis Dominus bonum paſtorem oſtendit. De proprietate boni paſtoris, & Mercenarii. Quomodo Chriſtus oves ſuas cognoſcat, & ab eis ipſe cognoſcatur.

Ego ſum Paſtor bonus. *Joan.* 10.

Quatuor ſigna boni paſtoris. 1. 2. 3.

VOlens princeps paſtorum paſtores bonos præfici gregi, quem adquiſivit ſanguine ſuo, notificat paſtorem bonum. *Primo* exemplariter, dicens: *Ego ſum paſtor bonus.* *Secundo* deſcribendo, ibi: *bonus paſtor* &c. *Tertio* quia oppoſita juxta ſe poſita manifeſtiora ſunt, notificat mercenarium, qui contrarius eſt bono paſtori ibi *Mercenarius* &c. *Quarto* exemplum poſitum manifeſtat ibi: *Ego ſum Paſtor bonus & cognoſco oves meas* &c. *Ego ſum Paſtor* &c. Non fur; de quo prius locutus fuerat. Paſtor, inquam, bonus, non mercenarius.

Paſtor dupliciter ſumitur Communiter. Propriè.

Et notandum quòd nomen paſtoris *dupliciter* ſumitur, *communiter*, ſcilicet & *proprie*. *Communiter* dicitur paſtor, cui cura ovium commiſſa eſt, & officium paſtoris exercet: & ſic commune eſt bonis & malis. *Proprie* vero dicitur paſtor, qui hæc facit ſine debito gloriam Dei quærens, & ovium utilitatem. *Bonus paſtor.* Victor exprimit, quid ſit proprium boni paſtoris, *animam ſuam*, id eſt, vitam propriam corporalem *ponit* cùm opus eſt *pro ovibus ſuis* id eſt, pro ſpirituali vita hominum.

Quid ſit proprium boni Paſtoris.

Mercenarius autem &c. Notificat mercenarium per hoc quod fugit in adventu lupi; oſtendens damnū fugæ ipſius *Et lupus rapit* & cauſā fugæ ibi: *Mercenarius autem.* Auguſt. Quis ille mercenarius? & reſpondet: Sunt in eccleſia quidem præpoſiti non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda ſectantes, honores ab hominibus appetentes quiſquis talis eſt, mercenarius eſt Greg. Sunt nonnulli, qui dum plus terrenam ſubſtantiam quam oves diligūt meritū Paſtoris perdunt.

Quis Mercenarius, & quid proprium ejus. Quærit temporalia

Itē non paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſâ ſibi ab hominibus reverentiâ lætatur. *Qui non eſt paſtor.* Quantum ad meritum *cujus non ſunt oves propriæ*, id eſt, qui non amat utilitatem ovium tanquam propriam, utilitatem, inquam, ſpiritualem; ſed lac & lanam earum ſibi vult; ſecundùm illud, Ezech. 34. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini* &c. *Videt lupum venientem* Quis eſt lupus, niſi diabolus Gregor. Lupus eſt malignus Spiritus, qui caulis fidelium inſidians circuit, & mortes animarum quærit.

Dimittit oves. Fugit.

Et dimittit oves. Salutem earum negligendo, vel localiter recēdedo. Et fugit. Auguſtinus. Non occurrit reſiſtendo, vel peccata arguendo, quod eſt fugere. Item Auguſtinus. O mercenarie lupum veniētem vidiſti & fugiſti? Forte dices: ecce adſū, non fugi: fugiſti, quia tacuiſti, corpore ſtetiſti, ſpiritu fugiſti.

Lupus rapiens.

Gregor. Lupus veniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Lupus etiam intelligitur tyrannus. Gregor. Lupus ſuper oves venit cū quilibet injuſtus & raptor fideles atque humiles opprimit. Sed is qui paſtor eſſe videbatur, & non erat, relinquit oves & fugit, quia dū ſibi ab eo periculum metuit, reſiſtere ejus injuſtitiæ non præſumit: fugit autem non mutando locū ſed ſubtrahendo ſolatium. *Et lupus rapit.* Dum animas ad peccati delectationem trahit. Ezech. 34. *Facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum.* Et *diſpergit*, id eſt, ad diverſa vitia ſpargit.

Cauſa cur mercenarius fugiat.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt. Gregor. Sola cauſa eſt ut mercenarius fugiat, quia mercenarius eſt. Ac ſi apertè diceretur: ſtare in periculo oviū non poteſt, quia in eo, quod ovibus præeſt, non oves diligit, ſed lucrum terrenum quærit; dum enim honorem amplectitur, de temporalibus commodis lætatur, opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat. Item, Gregor. Fugit, quia timuit, timuit quia temporale plus æterno amavit.

An S. Paulus fugerit.

Et non pertinet ad eum de ovibus, id eſt, facit ac ſi non pertineret. Sed non-ne Paulus oves deſeruit lupi timore, cum à fratribus dimiſſus eſt in ſporta, & ſic evaſit præpoſitum Damaſci. 2. Corinth. 11. Reſpondet ad hoc Auguſt. quod ceſſit perſecutioni, & ſervavit ſe ovium utilitati, ſecundùm illud, Matth. 10. Si vos perſecuti fuerint in una civitate fugite ad aliam.

Quando Prælato liceat fugere.

Et *notandum* quòd aliud eſt, quando perſonalis eſt perſecutio Prælati, tunc enim debet cedere propter utilitatem ovium, quibus eſt præſens ſpiritu, licet ſit abſens corpore, ut dicit Auguſt. Aliud eſt populi perſecutio: tunc enim debet prælatus reſiſtere, & quaſi murum ſe opponere.

Quando non.

Ego ſum paſtor bonus. Poteſt intelligi hæc repetitio facta cauſa confirmationis, vel cauſa manifeſtationis: quod autem dixit ſimpliciter prius, hic probat, ſcilicet, ſe eſſe paſtorem bonum. Vel ideo dicit bis paſtorem bonum, quia non ſolum paſcit verbo

Digitized by Google

ſed etiam exemplo. Vel quia paſcit non ſolum in quantum homo, ſed etiam inquantum Deus. *Et cognoſco oves meas*. Quæ ſcilicet ſunt meæ, & per præſentem juſtitiam, & per prædeſtinationem æternam. 2. Timoth. 2. *Novit Dominus qui ſunt ejus*, vel ſecundùm Gregorium in homilia: cognoſco oves meas, id eſt, diligo. *Et cognoſcunt me meæ*, id eſt diligenter obſequuntur Qui enim veritatem non diligit adhuc minimè agnovit. 1. Joan. 2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.

Cognitio ovium.

Cognitio Paſtoris.

Notandum quòd diligere eas affectu, eſt cognoſcere, id eſt, recognoſcere, eas eſſe ſuas, vel facere recognoſci, quod ſint ſuæ: vel ſic. *Cognoſco oves meas*, id eſt, miſereor illarum, agnoſco eas miſeratione indigere. Proverb. 12. *Novit juſtus animas jumentorum ſuorum; viſcera autem impiorum crudelia*. Sed ne aliquis crederet, parem eſſe cognitionem ovium ejus cognitioni ſubdit. *Sicut novit me pater*, cui omnia perfectè ſunt nota: *Et ego cognoſco patrem. Et animā meam pono pro ovibus meis* ſecundū voluntatem patris quā agnoſco; pro ovibus, inquā, liberandis, & paſcendis: & quia non ſolum Judæā, ſed Gentilitatem redimere venerat, ut dicit Auguſtin. ſubdit. *Et alias oves habeo*. Per prædeſtinationem æternam, licet non per præſentem juſtitiam, Gentes ſcilicet, quæ non ſunt ex hoc ovili. De populo, ſcilicet Judæorum, *& illas oportet adducere*, id eſt, ad fidem meam ducere opportunitate congruitatis, non neceſſitatis. Luc. ultimo. *Nonne oportebat Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam. Et vocem meam audient*, non ſolum auditu interiori, ſed etiam exteriori, quæ eſt obedientia in auditu auris mihi obediendo. *Et fiet unum ovile*; id eſt, una Eccleſia de Judæis & Gentibus; & quia monſtruoſa eſſet, niſi haberet unum caput, ſubditur: *Et unus paſtor*.

Eccleſia una ex Iudæis & Gentibus Vnum caput ſeu unus Paſtor

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO LXXVIII.

Summarium.

De quatuor boni Paſtoris conditionibus.

Ego ſum Paſtor bonus &c.

Quatuor requiruntur ad bonitatē Paſtoris.

I. Recta intentio.

NOtandum quòd ad bonitatem paſtoris Quatuor requiruntur, ſcilicet, *rectitudo intentionis, ſolertia paſcendi, audacia reſiſtendi, diligentia cuſtodiendi*. Per Primum diſtinguitur paſtor bonus à mercenario. Mercenarius enim ſua quærit, bonus paſtor non; imo gloriam Dei, & utilitatem proximi. 1. Corinth. 10. *Non quæro quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. 2. Corinth. 13. *Non quæro veſtra ſed vos*. Dei gloriam quærit, per oſtium intrans. Joan. 10. *qui intrat per oſtium, hic paſtor eſt ovium*. Utilitatem gregis Chriſtus quæſivit, ſecundùm illud. Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant*, vitam inquam gratiæ, *& abundantius habeant*, ſcilicet, vitam gloriæ. Sed multi poſſunt dicere: ego veni ut vitam meam habeam, & abundantius habeam, quàm haberem in domo patris mei; qui è contrario mortem æternam habebunt. Væ illi, qui per mortem propriam vel alienam vult ſuſtentare temporalem vitam, non quærens de morte ſua vel gregis niſi ut ſolam lanam, & lac habere poſſit. Non ſic David fecit vir ſecundum cor Dei. 2. Reg. 23. *Num ſanguinem iſtorum hominum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam*.

Periculum avocat à cura animarum.

Amor Dei invitat.

Sciendum quod timor periculi qui eſt in officio paſtorali debet hominem ab ejus appetitu retrahere, & quaſi nolentem reddere. Amor tamen gloriæ Dei, & profectus gregis, eum qui idoneus eſt, ad ſuſceptionem debet cogere. Chryſoſtomus. Primatus fugientem deſiderat, deſiderantem horret. Auguſt. honor debet te quærere, & non tu honorem. Gregor. Sicut ille, qui vocatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt admovendus: Ita ille qui ſe ultro ingerit procul dubio eſt amovendus. Bern. Non volentes, non currentes, ſed cunctantes eligito, & compelle intrare; pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus: qui pro ſe rogat, jam judicatus eſt, nec intereſt, utrum per ſe, an per alium quis roget. Adulantē etiam & ad placitū uniuſcujuſque loquentem, unum de rogantibus puta, etiam ſi non rogaverit. Profectum populi multum debet amare prælatus. Joan. 3. majorem non habeo gratiam quam ut videam filios meos in veritate ambulantes. Intentio prælati debet eſſe, ut miniſtret non ut ſibi miniſtretur. Hieron. ſuper illud: Si quis epiſcopatū deſiderat, bonū opus deſiderat; opus, inquit, non dignitatem, laborem, non delicias, non creſcere faſtigio, ſed decreſcere humilitate, & ſervum omnium velle fieri propter Chriſtum.

Repellendi ultro ſe intrudentes.

In quo conſiſtat recta intētio Paſtoris.

II. Solertia paſcendi. Paſtores debent paſcere, Verbo doctrinæ.

Solertiam paſcendi debet habere paſtor, paſcendi, inquam, & verbo & exemplo, & temporali ſubſidio. propter quod ter dictum eſt Petro: *Paſce*. Joan. ultimo. Eccleſiaſtici 18. *Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum*. 37. Ejuſdem. Sapiens plebem ſuam erudit Ierem. 3. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina* 23. Ejuſdem. *Suſcitabo ſuper eos paſtores & paſcent eos*. 1. Petri 5. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*. Ad pabulum exempli monet Apoſtolus. 1. Timoth 4. *Exemplo eſto fidelium in verbo & converſatione*. ad Titū. 2. *In omnibus exemplum temetipſum præbe bonorum operum*. De pabulo ſubſidii temporalis, dicit Auguſt. Talis debet eſſe rector Eccleſiæ qui proponat verbum doctrinæ fidelibus ignorantibus, & menſam communicet indigentibus. Libenter audit linguam ejus loquentem, cujus dexteram expectat porrigentem. Ad ſolertiam paſcendi pertinet, quod doctrina ſit facilis, brevis, & utilis. De primo Proverb. 14. *Doctrina prudentium facilis*. Eccleſiaſtici 3. Ne abſcondas ſapientiam in decore ſuo. De brevitate. Auguſt. Sicut ingratus eſt, qui incognita obnubilat; ſic oneroſus eſt, qui cognita inculcat. Eccleſiaſtici 21. *Verba ſapientum ſtatera ponderantur*. Utilitatem doctrinæ commendat nobis Dominus. Iſa. 48. Dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus docens te utilia*: non dicit, ſubtilia Iſa. 19. *Confundentur plectentes & texentes ſubtilia*. Ejuſdem 2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres*.

Exemplo.

Subſidio.

Doctrina debet eſſe facilis.

Brevis.

Vtilis.

Subtilitas non requiritur.

III. Audacia reſiſtendi.

Audax ad Reſiſtendum debet eſſe prælatus, ſecundum illud, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. 2. Corinth. 12. *Libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*. Eccleſiaſtici 48. dicitur de Helia. *In diebus ſuis non pertimuit principem*. Job. 29. *Conterebam molas iniqui* &c. Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt*. De mercenario vero dicit Auguſt. Si ovis ejus deviat non revocabitur, ſi infirmatur, non medetur, ſi devoratur non lachrimatur, ſi ſubterfugiunt temporalia, quæ ipſe amavit, fugit & ipſe animas, quas amare ſimulavit. Nec ſolū debet ſe opponere tyranno, immò quodāmodo ipſi Deo. Ezech. 22. *Quæſivi de eis virum qui ſe interponeret ſepem & ſtaret oppoſitus contra me*. Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam aut dele me de libro quem ſcripſiſti*. Iſa. 64. Non eſt qui conſurgat & teneat te. Ierem. 7. *Noli orare pro populo iſto*, &c. *& non obſiſtas mihi*. Sapien. 18. *Properans homo ſine querela* &c. *Reſiſtit iræ*.

Opponere ſe debet Tyrannis.

Interponere ſe inter Deum & hominem.

IV. Cuſtodia ovium.

Item Diligenter ſunt cuſtodiendæ oves tanquam ſanguine Chriſti acquiſitæ Actor. 20. *Attendite vobis* &c. *Quam adquiſivit ſanguine ſuo*: ſicut diligenter ſanguinem Chriſti ſervares, ſic animas, quas

quas plus Chriſtus, quam ſanguinem ſuum amavit, diligenter debes ſervare. Præterea animæ tuæ in periculo tibi commiſſæ ſunt. 4. Reg. 10. *Quicunque fugerit ex omnibus his, quos adduxero in manus veſtras, erit anima ejus pro anima illius.* Ezech. 29. *Sanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram.* Geneſ. 43. *Non videbitis faciam meam niſi adduxeritis fratrem veſtrum minimum.* Debet ergo Paſtor cuſtodire gregem ſicuti vitam propriam. Ad diligentem verò cuſtodiam gregis *primo* requiritur, ut ſe ipſum cuſtodiat: Ipſo enim capto, grex eſt in periculo. 2. Reg. 18. *Si media pars è nobis ceciderit, non multum curabunt, quia tu unus pro decem millibus computaris:* dictum eſt David Ejuſdem 21. Juraverunt viri David dicentes. *Iam non ingrederis nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam in Iſrael.* 1. Reg. ult. *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul.* 3. Reg. ult. *Non pugnetis nec contra minorem nec contra majorem, ſed contra regem Iſrael. Secundo*, neceſſarium ut orando frequenter gregem Deo commendet. Matth. 14. Jeſus in monte orat cum navicula in mari jactaretur fluctibus: Joan. 17 Orat Jeſus pro grege ſuo. *Ego inquit pro eis rogo* Item. *Pater ſancte, ſerva eos* &c. In Pſal. 126. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Tertio* ut gregem ante oculos habeat, vel cordis, vel corporis. Eccleſiaſtici 7. *Pecora tibi ſunt attende illis* &c. Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui tuoſque greges conſidera.* Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi. Quarto*, ut malum manifeſtum diu in grege non ſuſtineat. 1. Corinth. 5. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Expurgate vetus fermentum.* Ibidem: *auferte malum à vobiſmetipſis.* Apoc. 2 *Scio quod non potes ſuſtinere malos. Quinto*, ut admonitionibus infirmorum multum inſiſtat. 1. Machab. 5. *Erat Judas congregans extremos, & hortabatur populum per totam viam donec veniret in terram Iuda.* Actorum. 20. *Nocte & die non ceſſavi cũ lacbrimis monens unumquemque veſtrũ.* 1. Theſſal. 4. *Conſolamini puſillanimes. Sexto*, ut de reddenda ratione frequenter cogitet. Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilãt quaſi rationem redditurі pro animabus veſtris.* Jerem. 33. *Adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis.* Ejuſdem 13. *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi?*

Paſtor debet primo ſe ipſum cuſtodire.

Secundo gregem in oratione Deo commendare.

Tertio, gregi attendere.

Quarto malum populi tollere.

Quinto, infirmos admonere & conſolari.

Sexto, de reddẽda ratione cogitare.

DE EADEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

SERMO LXXIX.

Honor & onus paſtoris ſpiritualis. Comminationes paſtoribus factæ. Quatuor modi, quibus gregem occidunt.

Ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus, &c.

Duo tractãtur.

I.

HIs verbis duo nobis oſtenduntur: ſcilicet honor paſtoralis officij & onus honor ibi. *Ego ſu paſtor bonus.* Onus ibi: *Bonus paſtor*, &c. In hoc apparet honor paſtoralis officij, quod altiſſimus hoc officium voluit habere in mundo iſto; ſicut prædictum erat per Iſaiam 40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcit, & in brachio ſuo congregabit agnos, in ſinu ſuo levabit, fætas ipſe portabit.* Loquitur de ipſo ad modum pij paſtoris: ipſe pavit nos doctrina & exemplo, & altaris ſacramento: ipſe in brachio cruce extento congregavit agnos, qui ſunt ſine lana & lacte ſpecialiter pauperes, qui in his intelliguntur. Joan. 11. *Ieſus erat moriturus pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Ipſe oſtenſione miſericordiæ ſuæ in altitudinẽ ſpei eos levavit, ipſe animas gravidas conceptione boni propoſiti confortando paſſionis ſuæ memoria, portavit. Oſeæ 11. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ovium. Geneſ. 46. Sic ſeculares, officium paſtorale deſpiciunt dedignantes paſcere gregem domini, vel propter ſuã nobilitatem, vel propter ſecularem poteſtatem, non attendentes, quod David dicit loquens in perſona Chriſti: *Ego conſtitutus ſum rex ab eo prædicans præceptum ejus.* Ad hoc venit ipſe altiſſimus in mundum Marc. 1. *Eamus in civitates & vicos proximos, ut ibi prædicem. Ad hoc enim veni.* Magnum reputant paſcere ventres, & dedignantur paſcere mentes: Cum tamen dicat Auguſtinus. Non eſt magnum paſcere ventres morientes, ſed magnum eſt paſcere animas in æternum victuras. Gloriantur paſcere porcos, & dedecus ſibi putant paſcere Dei filios. Matth. 8. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Seneca. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum.

Honor paſtoralis.

Quidam dedignantur paſcere oves.

Zelus animarum in Chriſto.

Onus paſtorale.

II.

Onus paſtoralis officij oſtenditur, cum dicitur, *Bonus paſtor* &c. Si honor te delectat, onus terreat, ſi paſtor non eſt bonus, in magno periculo eſt. Ad hoc verò quod ſit bonus, multum requiritur, ut ſcilicet, ſi opus fuerit, pro grege ſe exponat morti. Periculum magnum in quo eſt paſtor malus, patet ex diverſis comminationibus quas ei facit ſcriptura ſacra, & de multis pauca ponere ſufficiat. Jerem. 23. *Væ paſtoribus, qui diſpergunt & dilacerant oves paſcuæ meæ.* Ejuſdem 26. *Vlulate paſtores, & clamate, aſpergite vos cinere optimates gregis, quia completi*, &c. Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos.* A paſcendo ſe ipſos nõ prohibẽtur paſtores, nec negotiis, nec aliquibus debitis; à grege verò paſcẽdo de facili prohibentur. Zacha. 10. *Super paſtores iratus eſt furor meus.* Cũ omne animal diligit ſimile ſibi Eccleſiaſtici 13. Bene apparebit furor, cũ ſũmus paſtor ita deſæviet in paſtores. Sed lupi fuerunt; ideo merito dentes beſtiarum mittet in eos. Gregor. Conſiderate quid de grege agatur, quando lupi paſtores fiunt.

Comminationes factæ ad paſtores.

Notandum, quod recipiens officium paſtorale, animam ſuam in pignore pro ovibus ponit. Si bonus eſt, animam ſuam, id eſt animalitatem pro ovibus deponit, ſolicitudinem, & amorem, quem habiturus erat circa ſe, & ſuos, & ſua, in gregis ſolicitudinem & amorem commutando. Item animam ſuam, id eſt, vitam ſuam diſponit, honeſte converſando, ut pabulo boni exempli gregem paſcat. Item ſi opus fuerit, animam ſuam, id eſt, vitam ſuam corporalem pro grege morti exponit Paſtor multum debet eſſe ſolicitus & ſtrenuus circa ea, quæ pertinent ad ſalutem gregis. Proverb. 6. *Fili mi, ſi ſpopõderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneũ manum tuam*: ideò diſcurre, feſtina &c. Ezech. 33. *Sanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram.* Dominus dicturus Petro paſce, ter inquiſivit eum de amore ſuo, innuens quod paſtor debet amare gregem plus quam ſuam vitam corporalem. Dicitur etiam in Evangelio hodierno ſecundo: *Ego ſum paſtor bonus*; non ſolum paſcens verbo, ſed etiam exemplo. Sed ſunt qui interficiunt quos reficere debuerunt, Zach. 11. *Paſce pecora occiſionis, quæ qui paſcebant, occidebant.*

Quid ſit animam pro ovibus ponere.

Tripliciter paſtor gregem occidit.

Tripliciter occidit paſtor gregem. *Primo* ſuſtentationem corporalem ei auferendo. Eccleſiaſtici 34. *Panis egentium vita pauperum: qui defraudat eum, homo ſanguinis eſt.* Ibidem: *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.* 3. Regum 21. Dictum eſt regi Achab: *Occidiſti inſuper & poſſediſti. Secundo*, negligendo quæ pertinent ad officium paſtorale. Ezech. 33. *Si dicente me ad impium*, &c. *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Gregor. Tot occidimus, quot ad mortem quotidie tepidi & tacentes ire videmus. Tunc ſub-

I.

II.

jectus moritur ſine te, quando in cauſa mortis contradictorem pertulerit te. *Tertio* pabulum venenati exempli gregi miniſtrando. Rom. 14. *Noli cibo tuo* [III.]
illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Oſeæ 6. *Sacerdotum in via interficientium.*

Notandum, quod paſtor pro grege liberando morti ſe expoſuit; ſic cæteri paſtores pro grege conſervando morti ſe debent exponere, cum opus fuerit Gregor. in Homil. Primum nobis eſt neceſſarium, exteriora noſtra miſericorditer ovibus Chriſti impendere. Poſtremum verò ſi neceſſe ſit, etiam mortem noſtram pro eiſdem ovibus miniſtrare. Sed cum incomparabiliter longè ſit melior anima, qua vivimus, terrena ſubſtantia, quam exterius poſſidemus; qui non dat pro ovibus ſuis ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus eſt animam ſuam.

DE EADEM.

SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

[SERMO LXXX.] *Sermo hic loquitur, de ſex pertinentibus ad paſtores Eccleſiæ, quæ eis committantur. Quanta culpa & pœna eorum, qui vel per munera, ſanguinem, potentiam intrant in officia paſtoralia*

Ego ſum paſtor bonus.

NOtandum quod ſex pertinent ad bonitatem paſtoris. *Primum* eſt, ut debito modo intret [Sex pertinentia ad bonitatem paſtoris. 1.] per oſtium; & in hoc diſtinguitur à fure, qui aſcendit aliunde. *Secundum* eſt, ut oves cognoſcat. [2.] Joan. 10. *Cognoſco oves meas. Tertium* eſt, ut [3.] amet dominum ovium, & gratiâ illius, oves in tantum, ut pro eis, ſi opus fuerit, morti ſe exponat Joan. ultimo. *Petre amas me.* Ejuſdem 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* In hoc diſtinguitur à mercenario, qui fugit lupo veniente. *Quartum* eſt, ut antecedendo oves viam eis demonſtraret. Joan. 10. *Cum proprias oves emiſerit,* [4.] *ante oves vadit & oves eū ſequuntur. Quintum* eſt, [5.] ut eas paſcat. Joan. ultimo. *Paſce oves meas. Sextum* [6.] eſt, ut earum conſervationi & multiplicationi intendat. Unde hîc dicitur: *Alias oves habeo, quæ non ſunt de hoc ovili, & illas oportet adducere & fiet unum ovile, & unus paſtor*; & congregatio ad conſervationem facit.

Circa Primum notandum, quod oſtium Chriſtus [Debitus modus intrandi. I. Intrandum per Chriſtum & propter Chriſtum] eſt; per oſtium intrat, qui intrat propter Chriſtum, & per Chriſtum: non intrant propter Chriſtum, qui non quærunt Chriſti gloriam, & ovium utilitatem. Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt*: iſti non ſunt paſtores, ſed potius ovium tonſores. Jacob paſtor erat; Laban verò tonſor erat: fugit Jacob cum Laban iviſſet ad tõdendas oves. Geneſ. 31 Sic Chriſtus fugit eos, qui non curant paſcere, ſed ſolùm tondere. Ter dictum eſt Petro *paſce*, ſed nec ſemel dictum eſt: tonde, vel mulge, ut dicit. Bern.

Et *notandum*, quod non intrat per Chriſtum, qui intrat per *donum*, vel per *carnem* & *ſanguinem*, vel per *terrenam poteſtatem.* Per *donum* intrans Simoniacus eſt, ſive ſit munus à manu, vel [Non reſpicienda dona, ſãguis, potẽtiæ.] lingua, vel à corde: munus verò à manu poteſt eſſe vel pecuniæ, vel ſordidi obſequii. Damaſus Papa: Omnia crimina in comparatione Simoniacæ hæreſeos pro nihilo reputantur. Contra hoc peccatum magnum zelum habuerunt Sancti, ut patet ex teſtimoniis ſcripturæ quæ ſequuntur. 4. Reg. 5. dixit [Pœna Simoniæ.] Heliſæus ad Giezi: *lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo in ſempiternum.* Contra hoc peccatum videtur exarſiſſe in adventu primo Chriſtus, bis ejiciens ementes & vendentes de templo. De prima ejectione habetur Joan. 2. De ſecunda Matth. 21.

Et Actuum 8. Dixit Petrus Simoni Mago: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Hoc peccatum facit latrones in Eccleſia locum Dei obtinere. Joan. 10. *Qui non intrat per oſtium in ovile ille fur eſt, & latro,* non ſolum latro, ſed etiam ſacrilegus: abſurdum enim eſt ſacrilegum dicere illum, qui furatur calicem de Eccleſia, & non illum, qui furatur Eccleſiã cum calice, & cæteris pertinentibus ad Eccleſiã. Peccatum illud eſt valde periculoſum, quia oportet Simoniacum reſignare beneficiũ Simoniacè acquiſitum. Unde quaſi in naſſa diaboli eſt piſcis. Qui in [Pericula Simoniæ.] naſſam gurguſtinam, ingreſſus eſt, non de facili regreditur per locum, per quem intravit, & per alium non exit, niſi captus. Sic non de facili reſignatur beneficium Simoniacè acquiſitum, & aliter non eſt ſalus. Qui *per carnem* intrat, ut frequenter, poſt carnaliter agit. Joã. 4. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Petrus introductus per ancillam oſtiariam in atrium pontificis Chriſtum negavit. Joan. 18. [Reſpectus ſanguinis.] Sic, quem caro introducit, quæ ancilla eſt animæ, de facili negat Chriſtum. Hoc peccatum hominem maledictum reddit. Michææ 4. *Væ qui ædificatis Sion in ſanguinibus.* Hoc peccatum impedit ne Eccleſia regatur à Spiritu ſancto. Job. Penultimo. *Corpus ejus quaſi ſcuta fuſilia, & compactum quaſi ſquãmis ſe ſe prementibus: una uni conjungitur, & nec* [Culpa & pœna illius qui intrat per ſanguinem.] *ſpiraculum incedit per eas.* Hoc peccatum in multis locis Deum exhæredat. Bona enim, quæ dominus vellet dare filiis ſuis, Prælati dant conſanguineis ſuis. Contra illos qui intrare volunt per *terrenam potentiam* notandum, quod multiplex pœna talium legitur in ſacra ſcriptura. Numeri 16. Legitur de [Pœna eorum qui intrant per potentiam.] Core, quod cum 250. de majoribus Levitarum igne divino ſuccenſus eſt, quia ſacerdotium capere voluerunt. Ibidem legitur de Dathan, & Abiron, qui ducatui Moyſi invidebant, quibus jure primogenituræ videbatur deberi, cum eſſent de tribu Ruben primogeniti; quòd *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit eos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, & deſcenderunt vivi in infernum.* Item legitur. 4. Regum 15. & ſecundo paralip. 26. De Ozia rege, qui in feſto propitiationis indutus ſtola pontificali intravit in templum, ut incenſum poneret, quod factus eſt terræ motus, & percuſſus eſt in facie leprâ, & fuit leproſus omni tempore vitæ ſuæ. Et notandum, quod ille, quem diabolus introducit, voluntatem introducentis ſe poſtea facit. Bern. Qui infideliter intrat & non per Chriſtum, quid non infideliter agit, & contra Chriſtum.

Circa ſecundum notandum, quod oportet, ut [II.] paſtor oves ſuas agnoſcat. Proverb. 27. *Diligenter* [Cognoſcendæ oves] *agnoſce vultum pecoris tui*, &c. Ejuſdem 12. *Novit juſtus animas jumentorum ſuorum, viſcera impiorum crudelia.* Oportet ut interiora ſubditi agnoſcat prælatus, ut agnoſcat quis indigeat increpatione, quis conſolatione. 1. Theſſal. 4. *Corripite inquietos & conſolamini puſillanimes*: ſed multi ſunt ſicut ſtultus auriga Phaëton, de quo dicitur quod nec retinere valet, nec nomina novit equorum.

Item amor Chriſti, & ovium neceſſarius eſt paſtori. Unde Matth. 22. *Quomodo huc intraſti non* [III.] *habens veſtem nuptialem?* Veſtis nuptialis, eſt [Amandæ oves.] charitas, ſine qua nullus debet recipere curam animarum, qua charitate Deum habet charum ſuper omnia, & proximum ſuum citra Deum, & ſuper omnem terrenam ſubſtantiam. Bernard. ſuper Cantic. non otioſè toties repetitum eſt: *Petre amas me*, in commiſſione ovium: Et ego quidé id ad ſignificatum puto, ac ſi dixiſſet illi Jeſus: niſi me valde perfectè ames, hoc eſt, pluſquam tua, pluſquã tuos, pluſquam etiam te, nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus ſanguis meus utique effuſus eſt Paſtores

Dignitas & excellentia paſtorum.

Eccleſiæ ad multa admittuntur, quæ ſolum amicorum ſunt. *Primo* ad cuſtodiam corporis dominici; illud idem corpus, quod in utero virginali formatum eſt, ad verba ſacerdotis incipit eſſe ſub ſpecie panis. Sicut Deus pater filium ſuum commiſit beatæ virgini, ſic & cõmiſit ſacerdoti. Item ſicut Simeoni conceſſum eſt tenere filium Dei, ſic cõceſſum eſt & ſacerdoti. Caveat tamen quid inde faciat, ſicut enim Simeon infelix fuiſſet, ſi in lutum projeciſſet filium Dei, cum in manibus ſuis eum tenebat: Sic infelix eſt ſacerdos, qui corpus dominicum indigne tractat. Ierem. 26. *Ego autem ecce in manibus veſtris ſum, facite mihi quod bonum & quod rectum eſt in oculis veſtris. Veruntamen videte & cognoſcite quiaſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra civitatem iſtam & habitatores eius.* Velut occiſio eſt indigna ſumptio dominici corporis. Ambroſius: Qui indignè Chriſtum ſumit, idem eſt, ac ſi interficiat: & ſupra illud 1. Corinth. 11. *Qui autem manducaverit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini.* Gloſſa i. ita reus erit, ac ſi Chriſtum occiderit. *Secundo*, ad cuſtodiam ſponſæ Chriſti admittitur. *Tertio*, admittitur ad eius menſam. *Quarto*, ad oſculum. *Quinto*, ad conſilia & ſecreta, Ioan. 15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos; quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis. Sexto*, ad officium reconciliationis, ad quod non eſt admittendus filius iræ; quia ſecundum Gregor. Cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Bern. Væ filiis iræ qui nondum reconciliati, reconciliationis alienæ negotium, quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, apprehendunt.

Cõſecratio corporis Chriſti. — Peccatum indigne cõmunicantis. — Cuſtodia Sponſæ Chriſti. — Reconciliatio.

IV. Paſtor debet præire oves exemplo.

Circa quartum notandum, quod paſtorem oportet antecedere oves, exemplum bonum eis miniſtrando, & honeſtate vitæ excellendo, ſicut legitur. 1 Regum. 10. de Saul quod *ſtetit in medio populi; & altior fuit univerſo populo ab humero & ſurſum.* Item in eodem: *Certe videtis, quem elegerit dominus, quod non ſit ſimilis illi in omni populo.* Gregorius in moralibus: Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines bene vivendo præire. Item Gregorius: tantum debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum differre ſolet à grege vita paſtoris. Idem: quiſquis ſpeculator ponitur, in alto ſtare debet per vitam, ut poſſit prodeſſe per providentiam, & ſecundum Hieronymum: Nihil in tantum deſtruit Eccleſiam Dei, quàm clericos laicis eſſe deteriores. Iſaiæ 34. *Erit ſic populus, ſicut ſacerdos.* Et dicit Bern. & ut utinam ſic, & non peior populo ſacerdos.

V. Oves paſcere.

Circa quintum notandum, quod paſtoris eſt paſcere, pabulo, ſcilicet, verbi, exempli, & temporalis ſubſidii: vel ſecundùm Bern. pabulo prædicationis, operis, & orationis. Unde dictum eſt Petro ter: paſce, exemplo, ſcilicet, converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis.

VI. Conſervare oves.

Circa ſextum notandum, quod paſtor debet intendere his quæ faciunt ad conſervationem gregis, ut eſt congregatio ſive pacificatio eius. Oſeæ 1. *Congregabuntur filii Iſrael, & filii Iuda pariter, & ponent ſibi caput unum.* Et ſciendum quod qui deberent eſſe paſtores ſunt lupi. Ezech. 22. *Principes eius in medio eius quaſi lupi rapientes prædam.* Sophoniæ 3. *Iudices eius lupi veſpere, non relinquebant in mane.* Proverb. 28. *Leo rugiens & urſus eſuriens princeps ſuper populum pauperem.* Vulpes etiam facti ſunt multi doloſe rapientes. *Vox quidem eorum, vox Iacob eſt; manus autem, manus Eſau ſunt.* Geneſ. 27. Ezech. 13. *Quaſi vulpes in deſerto Prophetæ tui Iſrael erant.* Threnorum ultimo, dicitur de monte Sion: *vulpes ambulaverunt in eo.*

Paſtores mali, lupi, leones, urſi, vulpes.

Quinque alia pertinentia ad paſtorem.

Notandum, quod ſupra illud Ioan. ultimo: *Paſce oves meas.* Gloſſa enumerat quinque pertinentia ad paſtorem, ſcilicet, credentes, ne deficiant confortare, terreno ſubſidio, ſi neceſſe eſt, ſubditis providere, exempla virtutum præbere, adverſariis obſiſtere, peccantes corrigere.

DE EADEM.

SERMO QUINTUS.

SUMMARIUM.

Dei benignitas nos ſolatur, lupi infernalis crudelitas terret, ovium natura inſtruit.

Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, &c. SERMO LXXXI.

Notandum quod Evangelium hodiernum miniſtrat nobis materiam *conſolationis*, & materiam *timoris*, & noſtræ *ſimplicitatis*. Materiam *conſolationis* in hoc; quod oſtenditur nobis paſtoris noſtri bonitas. Materiam *timoris* in hoc, quod oſtenditur nobis lupi crudelitas, & noſtra indefenſa ſimplicitas: lupi crudelitas ibi: *Et lupus rapit*, &c. Simplicitas noſtra in hoc, quod oves nos vocat veritas.

I. Conſolatio noſtra.

Circa primum attendenda eſt Dei benignitas, qui noluit nos eſſe contentos fragilitate noſtrorum paſtorum; immo filium præfecit nobis paſtorem, & paſtorum principem. Prima Petri ultimo. *Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam.* Et ipſe verè fuit paſtor bonus, qui carnem ſuam dedit nobis in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium. Verè eſt ipſe paſtor bonus, cui non deeſt conſervandi voluntas, nec facultas. Chryſoſtomus. Maneamus ſub paſtore tali, & ſecuri à lupo erimus. Paſtorem enim habemus ita amantem nos, ut & animam pro nobis det. Cum igitur & potens ſit, & in tantum diligat, quid prohibet nos ſalvari? Nihil, niſi quidem nos deficerimus. Rom. 8. *Si Deus pro nobis quis contra nos? Deus qui iuſtificat quis eſt qui condemnet?* Bern. ſuper Cantic. Huic ſecurus me credo, qui ſalvare me velit, noverit, & poſſit. Voluntas eius indicatur ibi: *Animam meam pono pro ovibus meis.* Notitia ibi: *Et cognoſco oves meas.* Poteſtas in eodem capitulo Ioan. ubi dicitur: *Et non rapiet eas quiſque de manu mea:* & paulo poſt. *Nemo poteſt rapere de manu patris mei.* Vere bonus paſtor, qui ovem perditam quæſivit, & inventã reduxit, laſſatam in humeris reportavit. Lucæ 15. Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit.* Iſaiæ 53. Omnes nos quaſi oves erravimus. Item vere bonus paſtor eſt, qui ad paſcua optima oves ſuas reducit, ſcilicet, ad refectionem æternæ beatitudinis. Gregorius. Loquens de illo verbo Ioan. 10. *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Oves eius paſcua invenient, quia, quiſquis illum corde ſimplici ſequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Et ſubdit: paſcua electorum ſunt, vultus præſens Dei, qui dum ſine defectu conſpicitur, ſine fine mens cibo vitæ ſatiatur. Ezechiel. 34. *In paſcuis uberrimis paſcam eas: & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum. Ibi requieſcent in herbis virentibus & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Ego paſcam oves meas; & ego eas accubare faciam.* In his verbis, inſinuatur refectio animæ beatæ ſecundum tres vires. Refectio quantum ad rationabilem, ibi: *In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis,* paſcua uberrima erunt in cognitione Trinitatis & unitatis, quæ erit viſio paſcens, ſecundum Auguſtinum. Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te*, &c. Per montes excelſos intelliguntur rationes æternæ quæ ſunt in mente divina; quæ dicuntur montes propter eminentem modum cognoſcendi, quæ etiam pertinent ad refectionem rationabilis. Ad refectionem concupiſcibilis pertinet illud: *Requieſcent*, &c. Ad concupiſcibilem enim pertinet deſideriũ boni adquirendi & dilectio

Quæ paſcua ſint ovium Chriſti. — Trium potentiarum animæ refectio. — Rationalis. — Cõcupiſcibilis.

Digitized by Google

boni adquiſiti. Quies ergo quantum ad deſiderium boni adquirendi, pertinet ad refectionem concupiſcibilis: de quo ibi: *Requieſcet*: quantum verò ad dilectionem boni adquiſiti, dicitur: *In paſcuis pinguibus paſcentur*, ut in pinguedine, dilectionis eminentia intelligatur. In Pſalmo 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

Iraſcibilis. quantum ad iraſcibilem erit refectio ſecuritas boni adquiſiti, ad quod pertinet illud: *Et ego accubare eas faciam.* Simile Lucæ 12. *Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.*

2. Lupi crudelitas.

Circa lupi crudelitatem notandum quod lupus rapit, hominem à Deo ſeparando: diſpergit verò, diſcordiam ad proximum ſeminando; vel diſpergit, in diverſa peccata præcipitando, Matth. 12. *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Gregor. in homilia *Lupus diſpergit oves:* cum alium ad luxuriam trahit, alium in avaritiam accendit, alium ad ſuperbiam erigit, alium per iracundiam dividit.

Et notandum, quod cum alii lupi ſolis clamoribus exterreantur: lupus tamen infernalis inter oves habitat, & de illo verum eſt illud. Job 41. *Non fugabit eũ vir ſagittarius: in ſtipulã verſi ſut ei lapides fundæ.* Vix eſt dies, in quo oves ſpirituales non teneat vel per aures, dũ detractores libenter audiunt: vel per aliquod de aliis mẽbris quo peccatum committunt. Unde neceſſarium eſt valde, ut paſtor eis ſubveniat. Amos 3. *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filii Iſrael.* Legitur in libro de animalibus, quod lupus quando ſeneſcit, circuit civitates, & nocet hominibus, quoniam prædari non poteſt; ſic lupus infernalis magna parte poteſtatis ſuæ amiſſa in paſſione Chriſti, amplius circuit in fine temporum, quærens cui nocere poſſit.

3. Simplicitas ovis Chriſti.

Circa tertium notandum, quod in hoc, quod fideles oves dicuntur, ſimplicitas eorum & indefenſio, inſinuatur. Inter animalia enim quadrupedia majoris ſimplicitatis dicitur eſſe ovis, & minoris defenſionis: cætera animalia vel fuga, vel aſtutia, vel fortitudine, vel quia unguibus vel dentibus ſunt armata, ſecura ſunt ab hoſtibus ſuis, ſed ovis nihil tale habet. De lana & lacte dat paſtori eam regenti & defendenti: ſed non habet diſcretionem, qua, ſi erraverit, ſciat redire. Similiter eſt de ove ſpirituali. David Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit.* 3. Regum. 22. *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus errantes quaſi oves.* Simpliciores eſſe videntur homines brutis animalibus. Hieronymus: Cætera animalia in eadem retia pedicaſque non incidunt, quod hominibus accidit, qui in eaſdem pedicas diaboli, à quibus liberati ſunt, incidunt. Brutum animal in ore lupi clamat: Peccator verò peccatum ſuum non vult ſubmiſsè dicere ſacerdoti, ut de poteſtate lupi infernalis liberetur. Piſces non capiuntur hamo eſcâ non cooperto, homines verò capiuntur hamo pœnæ æternæ, quem eſca momentaneæ voluptatis operire non ſufficit. Multi etiam ſine defenſione ſunt, cum ſibilo unius verbi quandoque dejiciantur, *& funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.* Proverb. 5

Fideles homines oves cur, vocentur.

Alias oves habeo &c. *Et vocem meam audient.* Circa verbum propoſitum conſiderãdum nobis eſt, quare ille, qui non ſolum ſapiens eſt, ſed etiam ipſa ſapientia patris, fideles oves vocet, ad quod dicendum, quod in hoc, quod eos oves vocat, *ſeptem* gratias eiſdem commendat in ſeptem proprietatibus ovis deſignatas. *Prima* eſt fidei ſimplicitas, quæ in hoc nobis commendatur, quod ovis animal ſimplex eſt, in his, ſcilicet, quæ fidei ſunt. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.* Proverb. 10. Ambroſius: Auferantur argumenta, ubi fides quæritur. 2. Corinth. 11. *Timeo, ne*, ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. Sine diſceptatione credendum eſt de Deo, quod ipſe de ſe in ſacra ſcriptura docet. Hilarius. Soli Deo de ſe credendum eſt, qui ſe ſolus novit. Exod. 20. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Si enim levaveris cultrum tuum ſuper eum, polluetur.* Altare lapideum eſt fidei ſoliditas, ſuper quam non eſt levandum acumen ingenii, quod per cultrum intelligitur ut ingenium noſtrum in his, quæ fidei ſunt, auctoritati ſcripturæ non præponamus. Et *notandum* quod ovis animal ſimplex eſt, ruminat & findit ungulam. Sic qui habet ſimplicitatem fidei, ſcripturã ſacram debet ruminare, & ſecundum illam in cavendis & agendis diſcretionem habere. Eccleſiaſtici 3. *Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper, & in pluribus ejus operibus ne fueris curioſus.*

Septem proprietates ovis, 1. Simplicitas.

Secunda eſt timor, vel fuga mali quæ commendatur in hoc, quod ovis naturaliter timet lupum. Sic fidelis timere debet lupum infernalem vel peccatum. Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Nullus hoſtis poteſt nocere, niſi per iſtud, quia non nocebit adverſitas, ſi non dominetur iniquitas. Proverb. 27. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus* &c. 2. Timor ſeu fuga.

Tertio ſtabilitas, vel pax in hoc, quod ovis animal quietum eſt. Commendabile eſt, eſſe quietum. Et quantum ad corpus. Seneca in epiſtolis, primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Commendabile eſt etiam eſſe quietum mente. Joan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* Hebr. 4. *Relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.* Gregorius. Quid quietius, quam nihil in hoc mundo appetere? quid laborioſius, quam terrenis deſideriis æſtuare? Hinc eſt quod Iſraël Sabbathum accepit in munere. Ægyptus percutitur multa muſcarum multitudine. Sed de quibuſdam poteſt dici illud. Pſal. 13. *Contritio & infœlicitas, in viis eorum; & viam pacis non cognoverunt.* 3. Stabilitas ſeu pax.

Quarto, commendatur eis charitas, qua proximi utilitati debent intendere, in hoc, quod ovis eſt animal utile, ipſa eſt utilis ad victum & veſtitum. Ovis ſecundum Auguſtinum, mandatum Evangelicum implens, de duabus tunicis, dat unam non habenti, ſcilicet, homini, ipſa paſcit, & veſtit Dominum ſuum. Sic ovis ſpiritualis Chriſtum paſcit, & veſtit, ut ipſe dicturus eſt in judicio. Matth. 25. *Eſurivi* &c. *Nudus fui* &c. 4. Utilitas.

Quinto, obedientia, in hoc, quod ovis eſt animal tractabile, ſive obediens, ad quod pertinet verbum propoſitum: *vocem meam audient.* Sicut dicitur in libro de animalibus, paſtores docent oves feſtine ambulare, ad auditum alicujus vocis. 5. Obedientia.

Sexto, ſobrietas, in hoc, quod aridis veſcitur, modicis expenſis ſuſtentatur. Iſa. 49. *Super vias paſcentur, & in palmis erunt paſcua eorũ.* Seneca: Victus ſit tibi ex re facili, nec ad voluptatem ſed ad cibum accede, palatum tuum fames excitet non ſapores: deſideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes ut deſinant. 6. Sobrietas.

Septimo manſuetudo: in hoc, quod ovis malum non novit inferre, ſed potius ferre. Iſa. 53. *Quaſi ovis ad occiſionem ducetur.* Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Proverb. 20. *Ne dicas, reddam malum pro malo.* 7. Manſuetudo.

DOMINICA TERTIA.

SERMO UNICUS.

SERMO LXXXII.

SUMMARIUM.

Evangelii expoſitio.

Modicum & non videbitis me, &c. *Ioan.* 16.

Tria continentur hic.

HOc Evangelium *tria* continet. *Primo* quædam verba, quæ à Salvatore diſcipulis dicuntur. *Secundo* intellectus illorum verborum, à

Diſcipulis quæritur, ibi: *Quid eſt hoc, quod dicit nobis modicum?* *Tertio* verba illa à Salvatore declarantur ibi: *Plorabitis & flebitis vos. Modicum*, id eſt, parvum tempus reſtat, uſque ad hoc, quod patiar, & claudar ſepulchro & tunc *nō videbitis me*, id eſt, incipietis me nō videre. *Et iterum modicum & videbitis me*, id eſt, parvum tempus erit, ſcilicet, triduum poſtquam reſſuſcitatum me videbitis. Vel ſic: *Modicum & non videbitis*; id eſt, modico tempore abſcondar ab oculis veſtris, ſcilicet, per triduum. *Et iterum modicum & videbitis me*, id eſt, rurſum modico tempore apparebo vobis, ſcilicet, quadraginta diebus ante Aſcenſionem, & ſubdit, quare modicum dicens: *Quia vado ad patrem*. In Aſcenſione, ſcilicet, ad potiora bona Patris, vel ad patrem, id eſt Patris immortalitatem. *Notandum* quod hæc verba triſtia, ſcilicet, de ſeparatione ſua, ab eis multotiens revolvebat ipſis. Joann. 13. *Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum*. Ejuſdem 14. *Adhuc modicum & mundus me jam non videt.* In eodem. *Iam non multa loquar vobiſcum*. Ratio verò hujus eſt, ut auditione triſtium aſſuefaciat eos ferre ejus ſeparationem. Præterea conjuncta erat conſolatio, non enim ſolum dicebat, *Modicum & non videbitis me*, immo & ſubjiciebat, *& iterum modicum, & videbitis me*. Præterea dicendo, quia vado ad Patrem, oſtendebat non eſſe mortem, ſed potiùs tranſlationem. Unde hoc etiam faciebat ad conſolationem. *Dixerunt ergo*, &c. *Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum*, &c. Duplex cauſa potuit eſſe quare non intelligebant quæ dicebantur, ſcilicet, triſtitia Diſcipulorum, & contrarietas, quæ videbatur eſſe in verbis Domini dicentis; videbiti, s& non videbitis. Dicebant ergo eædem perſonæ vel aliæ. *Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum?*

Chriſtus occultam cogitationē cognoſcit, & dubitationem ſolvit.

Cognovit autem Ieſus quia hoc volebant eum interrogare Interlin. In hoc oſtendit ſe Deum, cum ſine verbis eorum intellexit dubitationem eorum. Jerem. 17. *Scrutans corda & renes Deus*. 1. Reg. 16. *Deus intuetur cor. Amen amen dico vobis*. Exponit quod dixerat, ſcilicet, *Modicum & non videbitis me. Secundo* inducit ſimilitudinem ad declarationem expoſitionis, ibi: *Mulier cum parit. Tertio* adaptat ſimilitudinem, ibi; *Et vos quidem nunc triſtitiam habetis*, &c. *Amen amen.* Geminatio nota eſt confirmationis *plorabitis* interius *& flebitis* exterius, ſcilicet, in triduo mortis, *mundus autem*. Secundum Auguſtinum hoc nomine ſignificati ſunt inimici, à quibus Chriſtus occiſus eſt, qui lætati ſunt Chriſto occiſo. *Vos autem contriſtabimini*, non ſolum de mea morte. ſed etiam de eorum exultatione. Lucæ ultimo, dicitur diſcipulis euntibus in Emaus. *Et eſtis triſtes, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, cognita mea Reſurrectione, vel Aſcenſione. Jerem. 31. *Convertam luctum eorum in gaudium* Tobiæ 3. *Poſt lacbrymationem & fletum exultationem infundis. Venit hora ejus*, hora, inquam, pariendi, vel patiendi. Lucæ 1. *Elizabeth impletum eſt tempus pariendi. Venit*. Præteriti temporis eſt. *Non meminit preſſuræ*, id eſt, doloris partus. Unde Sara nato ſibi Iſaac, dixit: *Riſum fecit mihi Dominus*. Geneſ. 21. *Nunc quidem triſtitiam habetis*. De audita morte mea. Joan. 16. *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum*, vel *habetis*, ideſt, in brevi habetis. Beda. Contriſtabuntur, cùm illum comprehendi, ab hoſtibus ligari, ad ultimum crucifigi videbunt. *Iterum autem videbo vos*. Poſt reſurrectionem. Joan. 14. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos & gaudebit cor veſtrum*. Joan. 14. *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino & gaudium veſtrum*, quod erit de reſurrectione, *nemo tollet à vobis. Quia Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur*, ad Romanos ſexto Vel *gaudium*, quod erit poſtquam confirmati fueritis virtute ex alto. Lucæ ultimo, *nemo tollet à vobis*. Beda. Gaudium eorum nemo tulit ab eis, quia etſi poſtmodum perſecutiones paſſi ſunt; ſpe tamen reſurrectionis & viſionis illius accenſi omne gaudium exiſtimabant, cùm in tentationes varias incidebant. Jacob. 1. Actuum 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati*.

Similitudo mulieris parturiētis.

Triſtitia electorum vertitur in gaudium.

Sancti perſecutiones cum gaudio paſſi.

Aliter legitur illud ſecundū Aug. *Modicum* &c. ut modicū intelligatur totū ſpatium præſentis vitæ in quo privandi erant viſione; non quia non viderunt eum, ſed quia non viderunt eū, ſicut prius, mortalem & ſecum converſantem. *Modicum & jam non videbitis me*. Interlin. ideſt, nunquam videbitis me mortalem, vel non videbitis me ſecundum deitàtem. Et dicitur præſens vita modicum comparatione æternitatis. *Et iterum modicum & videbitis me*. Quia electi poſt præſentem vitam veniunt ad Dei viſionem 1. Corinth. 13. *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum*. *Quia vado ad patrem*, hoc reſpicit illud, *& non videbitis me. Mulier cum parit triſtitiam habet*, &c. Auguſt. totius laboris ſui fructum, Eccleſia nunc parturit deſiderando, tunc eſt paritura cernendo; parturit gemendo, paritura lætando, parturit orando, paritura laudando. *Iterum videbo vos*, &c. Auguſt. Puto quod hoc non ad tempus illud referendum eſt, quo ſurrexit, eiſque carnem ſuam cernendam tangendamque monſtravit, ſed potius ad illud: de quo Joannes ait: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. 1 Joan 3. Iſa. 35. *Ipſi videbunt gloriam Domini & decorem Dei noſtri. Et gaudebit cor veſtrum & gaudium*, &c Iſa. 35. *Lætitia ſempiterna erit ſuper caput eorum*, &c. Aug. ibi ergo finis, qui ſufficit nobis, æternus erit: Nec enim nobis ſufficit finis, niſi cujus finis nullus finis. *Modicum & jam non videbitis me*.

Modicum aliter explicatur.

Præſens vita modicum reſpectu æternitatis.

Viſio Chriſti corporalis, & beatifica.

Moraliter poteſt verbum propoſitum intelligi duobus modis. Primo, ut modicum, intelligatur totum tempus uſque ad finem ſæculi, ſecundum Gloſſam. *Secundo*, ut modicum, quo Salvator non videtur, intelligatur tentationis vel tribulationis. Modicum quod videtur, intelligatur conſolationis. Secundum primum intellectum valet verbum propoſitum, ad contemptum præſentis proſperitatis, & ad tolerantiam præſentis adverſitatis. Contemnenda eſt præſens proſperitas, quaſi punctalis. Job. 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Item patienter toleranda eſt præſens adverſitas, quaſi momentanea, cui ſuccedit jucunditas divinæ viſionis. Eccleſiaſtici 1. Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis. Multi tamen non intelligunt hanc jucunditatem, dicentes, ſicut dicebant Diſcipuli. *Quid eſt quod dicit nobis modicum*, &c. *Neſcimus quid loquitur*. Auguſt. hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur. Sed cùm finitum fuerit, ſentietur, quam modicum fuerit. Poſſumus autem *tripliciter* oſtendere hanc modicitatem. *Primo* per ſacræ ſcripturæ auctoritatem. *Secundo* comparando tempus vitæ præſentis ad gloriæ æternitatem. *Tertio* comparando illud ad pœnæ infernalis diuturnitatem. Teſtimonia ſacræ ſcripturæ, quibus hæc modicitas oſtenditur, hæc ſunt, 1. Pet. 1. *Modicum nunc, ſi oportet contriſtari in variis tribulationibus*. 2. Corinth. 4. *Item momentaneum & leve tribulationis noſtræ*, &c. Prima Joan. 2. *Filioli mei noviſſima hora eſt*. Iſa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te. In eodem. *In momento indignationis meæ, abſcondi faciem meam parumper à te*. Jacob. 4. *Quæ eſt vita noſtra. Vapor eſt ad modicum parens*, &c. Specialiter temporibus noſtris vita hominis modica eſt. Pauci enim ſunt qui vivant uſque ad 70. annos. Vixit Adam 930. annis. Tunc non erat mirum ſi amabant præſentem

Modicum moraliter explicatur.

Brevitas vitæ huius tripliciter oſtenditur.

1. Sacræ ſcripturæ.

Digitized by Google

proſperitatem, vel timebant præſentem adverſitatem: ſed hodie nec eſt amanda proſperitas, nec timenda adverſitas, cum quaſi momentaneæ ſint.

1. Reſpectu æternæ vitæ.

Item patet hæc modicitas, ſi habeatur reſpectus ad æternitatem, minus eſt enim totum tempus præſentis vitæ in comparatione ad gloriam æternam, quam una gutta aquæ reſpectu maris totius. Rom. 8. *Non ſunt condigne paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

2. Reſpectu diuturnæ pœnæ inferni.

Item patet hæc modicitas, ſi habeatur reſpectus ad pœnæ infernalis diuturnitatem Unde dicunt damnati in inferno, Sap. 5. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra*, &c. Et paulo poſt: *Nos nati continuo deſinimus eſſe.*

II. Secundus ſenſus vocis Modicum.

Juxta ſecundùm intellectum ſciendum, quod amici Dei in hac vita nunc habent tentationem, vel tribulationem, vel conſolationem: ſicut oſtendit Bernard. loquens de illo verbo. Cantic. 1. *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Trahimur, inquit, cum tribulationibus & tentationibus exercemur: currimus cum interius conſolationibus & inſpirationibus viſitati, tanquam in ſuaveolentibus unguentis reſpiramus Sic

Tempus deſolationis & conſolationis.

nox ſpiritualis, & dies in eis ſuccedunt ſibi, ſic modicum eſt, & non videtur Salvator, & iterum modicum eſt, & videtur. Sic lætitia Dei Salvatoris ſubtrahitur & poſtea redditur. Bernardus ſuper Cantic. O modicum, non modicum, ô modicum longum, pie Domine modicum dicis, quod non videmus te. Salvum ſit verbum Domini mei, longum eſt multum valde nimis: Veruntamen utrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Idem loquens de illo verbo, Abacuc. ſecundo. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quomodo non tardabit, ſi moram fecerit: niſi quia quo ad meritum pluſquam ſatis eſt: non eſt tamen ſatis quantum ad deſiderium.

Chriſtus ſex de cauſis conſolationem ſubtrahit.

Et notandum quod multis de cauſis jucunda præſentia Salvatoris, alicui ſubtrahitur. *Primo* ut

1. Propter humilitatem conſervandam.

humilitas ſervetur, ne illam lætitiam credat ſe habere à ſe. Ideo Paulus ab Angelo Sathanæ colaphizatur, ne extollatur. 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me*, &c. *Secundo*, ut incauta

2. Propter ſecuritatem vitandam.

ſecuritas vitetur, quæ mater eſt negligentiæ, & periculo propinqua. Gregorius in Moralibus. Dum mens ſecura redditur, in torporem laxatur. Idem: mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Idem in Moralibus. Multis ſæpe grave periculum incauta ſecuritas fuit. Bernardus ſuper Cantica. Ne dixeris in abundantia tua, non movebor in æternum, ne cum gemitu cogaris dicere: Avertiſti faciem à me, & factus ſum conturbatus. Curabis ſi ſapis, in die malorum non immemor eſſe bonorum. Et in die bonorum, non immemor eſſe malorum. In die virtutis clama, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me in tempore tentationis conſolare, & diſtrahe me poſt te; ſic non deſeret te ſpes in tempore malo, & in bono providentia non deerit. *Tertio*,

3. Vt ardẽtius quæratur.

ut ardentius quæratur. Cantic. 3. *In lectulo meo per noctem quaſivi quem diligit anima mea*, &c. *Surgam & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.* *Quarto*, ut inventus

4. Vt fortius teneatur.

fortius teneatur. In eodem: *Tenui eum nec dimittam.* De his duobus ſimul dicit. Bernardus. ſuper Cant. Ideo ſubtraxit ſe, quo avidiùs revocaretur, teneretur fortius; præteriens teneri vult, abiens revo-

5. Vt clarius cognoſcatur ipſa.

cari. *Quinto*, ut pateat ex ejus abſentia, quid conferebat ſua præſentia, oſtendit infirmitas quantum bonum erat ſanitas, oſtendit guerrra quantum bonum erat pax, oſtendit tentatio, quantum

6. Et damnatio.

bonum erat mentis tranquillitas. *Sexto*, ut ex hac triſtitia perpendatur quam male ſit homini, ſi à Deo ſeparetur omnino, quod fiet in damnatione Jerem. 2. Scito & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Auguſtinus. Tale bonum eſt Deus, ut nemini eum deſerenti bene ſit.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Intendit Dominus his verbis conſolari Diſcipulos ſuos à quibus in brevi receſſurus erat quos prævidebat magnas tribulationes paſſuros, in quibus conſolatur etiam alios fideles qui multas tribulationes patiuntur. In Pſal. 33. Multæ tribulationes juſtorum. 2. Timoth. 3. *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patientur.*

Præcedit tribulatio.

Præmittitur in verbis prædictis deſolatio cum dicitur. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini*, ſubditur conſolatio ibi: *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, plorabitis & flebitis vos. Electi, hæc eſt vita Chriſtianorum. Piſcis nutritur in aquis & vita Chriſtiani in lachrymis. Iſa. 50. *Computreſcunt piſces ſine aqua.* Super illud Jacob. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*, dicit Gloſſa. Ne indignemini, ſi mali in mundo floreant, & vos patimini; quia non eſt Chriſtianæ dignitatis in temporalibus exaltari, ſed potius deprimi? mali nihil habent in cœlo, & vos nihil in mundo, ſed ſpe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. David Pſal 121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Item Pſal. 104. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Geminatio fletus referri poteſt ad duas ſpecies luctus, quas diſtinguit Gloſſa ſuper Matth. 5. His verbis prior eſt luctus pro peccatis, vel ſuis, vel alienis. In Pſalm. 118 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non cuſtodierunt legem tuam.* *Secundus* eſt ex deſiderio cœleſtis patriæ. Prior eſt irriguum inferius, ſecundus ſuperius, de quibus legitur Joſue 15. Et Judicum 1. Ille abluit præſentes ſordes: hic accendit acrius æternorum amatores. Vel geminatio iſta poteſt referri ad incolatum præſentis miſeriæ. David Pſal. 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*: & dilationem patriæ. David Pſal. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus dum recordaremur Sion.* Vel geminatio poteſt referri ad mala pœnæ, quæ fideles in ſe patiuntur, & ad mala culpæ, in quibus perſecutoribus compatiuntur. Quod autem ſubditur: *Mundus autem gaudebit*, facit ad augmentum utriuſque doloris, & compaſſionis. Cum enim mundus miſeriâ ſit plenus & miſeriam ſuam non intelligat; & ideo gaudeat, eo ipſo miſerior eſt. Auguſt. in libro Confeſſionum. Quid miſerius miſero non miſerante ſe ipſum. Item ſicut divitis menſa tentationem pauperis Lazari augebat, Lucæ 16. Sic gaudium mundi viſum, ad augmentum tentationis electorum facit. Auget etiam tribulationem eorum hoc, quod non ſolum patiuntur in ſe, ſed etiam in cæteris fidelibus. 1. Corinth. 12. *Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Eccleſia eſt velut unum corpus, in omnibus membris patiens atque dolens, ad quod poteſt referri illud: *Vos autem contriſtabimini.* Communis enim eſt triſtitia fidelium.

Sequitur conſolatio.

Proſperitas malorum in hoc mundo.

Duplex luctus bonorum in hoc mundo.

1. De peccatis ſuis vel alienis.

2. Ob dilationem ſeu deſiderium cœleſtis patriæ.

Malũ pœnæ quam ſuſtinent iuſti. Malum culpæ quam committũt perſecutores.

Mundus plenus miſeriæ.

Circa conſolationem eorum, quæ tangitur ibi: *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium* notandum quòd triſtitia, quam habent boni in præſenti, præferenda eſt gaudio mundi *ſeptem* de cauſis. *Primo* propter benedictionem quam habet à Deo. Matth. 5. *Beati qui lugent.* Item Lucæ 6. *Beati qui nunc fletis* è contrario autem gaudium mundi maledictũ eſt à Deo, ſecundum illud Lucæ 6. *Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram.* Quis audeat guſtare cibum ab aliquo ſancto maledictum: quantum ergo timendum eſt gaudium maledictum ab ipſo

Septẽ cauſæ cur. Triſtitia bonorum præfertur gaudio malorum.

1. Triſtitia benedicta; lætitia maledicta.

Digitized by Google

ab ipſo ſancto ſanctorum. Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea. Secundo*, quia ſapientes triſtitiam præſentem gaudio præſenti præeligunt; quòd autem ſapientes præeligunt, præeligendum eſt. Malunt ſapientes ſe ſanos eſſe lugentes quam phreneticos gaudentes. Eccleſiaſtæ 2. *Riſum reputavi errorem.* Eiuſdem 7. *Cor ſapientium, ubi triſtitia eſt: & cor ſtultorum ubi lætitia.* Ex fatuitate eſt gaudium huius mundi, immo ex cæcitate; ſecundum illud Lucæ 19. *Videns Ieſus civitatem flevit ſuper illam, dicens: quia ſi cognoviſſes & tu*, ſupple, fleres. Præelegit ſapientiſſimus, ſcilicet, Dei filius, in mundo iſto triſtitiam gaudio: unde dicit Bern. In ſermonibus: Chriſtum ſuper Lazarum & ſuper civitatem fleviſſe, & in orationibus pernoctaſſe: riſiſſe vero aut iocaſſe nunquã legimus. *Tertio*, quia triſtitia ſalubris eſt, licet ſit amara. Gaudium vero mundi mortiferum eſt. Eccleſiaſtici 7. *Inveni amariorem morte mulierem.* Mulier iſta, mundi eſt lætitia Gaudium mundi eſt velut vinum forte, capita debilia deſtruens, niſi aqua tribulationis miſceatur, ut patet in Salomone, qui non prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur. Eccleſiaſtæ 2. Et ideo infatuatus eſt, 3. Reg. 11. *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Iob. 28. Hoc eſt vinum damnatorum, de quo Amos. 2. Triſtitia verò eſt aqua ſapientiæ, id eſt, hominem ſapientem reddens; unde Iſa. 28. *Et tantummodo ſola vexatio dabit intellectum auditui.* Et Ieremiæ 6. Secundum tranſlationem. 70. Per omnem dolorem & flagellum erudieris Ieruſalem. *Quarto*, quia triſtitia convenit loco, in quo ſumus, & tempori. De loco dicit Auguſt. In valle miſeriæ ſumus, in qua eo magis flendum eſt, quo minus flemus. Ipſe puer naſcens fletu ſuo oſtendit, locum in quo ſumus, eſſe locum fletus. Auguſt. Super illud Epheſ. 5. Redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Puer, inquit, qui naſcitur à ploratu incipit, nec ridere poteſt: ſtatim natus plorat Propheta, ſuæ calamitatis lachrimæ ſunt teſtes miſeriæ, nondum loquitur, & iam prophetat. Tempus etiam in quo ſumus, tempus flendi eſt. Eccleſiaſtici 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi*: tempus flendi, eſt in præſenti, ubi eſt multa materia fletus, & lachrimæ ſunt in valore ſuo: lachrimæ in futuro, quantum ad reprobos, nullius valoris erunt. Electis verò materia fletus deerit. Materia fletus in præſenti ſunt Dei iniuriæ, & contumeliæ, & ſtrages animarum, incolatus præſentis miſeriæ; dilatio patriæ. Ordo congruus, ut vigilia fiat ante feſtum. Electi faciunt hic vigiliam in pane tribulationis & aqua doloris, poſt faciunt feſtum: reprobi verò prius faciunt feſtum, quam vigiliam; ipſi videntur facere feſtum ſtultorum. *Quinto*, propter brevitatem, habituri ſunt boni & mali triſtitiam & gaudium. Sed boni ſcientes, quod eſt præſentis vitæ, eſſe breve, quod vero eſt futuræ vitæ, eſſe longum, triſtitiam eligunt in præſenti, & gaudium in futuro. Auguſtinus. Sapientia ſanctorum eſt, hic temporaliter cruciari, & in æternum delectari. Mali verò e contrario faciunt. Iob 20. *Et gaudium hypocritæ*, ſcilicet, mundi, *ad inſtar puncti.* Electi non timent ſumere guttam amaritudinis, quam ſequatur abyſſus æternæ dulcedinis. E contrario, reprobi ſumunt guttam dulcedinis, pro qua habituri ſunt abyſſum æternæ amaritudinis. *Sexto*, quia triſtitia præſens electorum, habet adiunctam lætitiam in Pſal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, &c. Seneca: Viri boni gaudium eſt ex bona conſcientia, e contrario gaudium mundi eſt cum triſtitia, quia de malo gaudent. Prov. 2. *Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis* Malis verò tormentum animæ. Auguſt. Curre per ſingula, tot invenies animæ tormenta, quot vitia. *Septimo*, quia triſtitia electorum vertitur in gaudium, & e contrario, gaudium mundi, in triſtitiam. Et hoc habetur exemplum in divite & Lazaro Lucæ 16. Plus valeret lutum in brevi mutandum in aurum quam aurum in brevi mutandum in lutum. Ierem 31. *Convertam luctum eorum in gaudium.* De gaudio malo malorum, legitur. Proverb 14. *Extrema gaudii luctus occupat.* Amos 8. *Convertam omnes feſtivitates veſtras in luctum.* Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* In hac verò converſione attendendum eſt, quod una gutta triſtitiæ electorum mutabitur, quaſi in mille modios lætitiæ, & e converſo, una gutta gaudii reproborum, plus quam in mille modios triſtitiæ. Lucæ 6. *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis.*

II. Triſtitia ſapientum, lætitia ſtultorum.

III. Triſtitia ſalubris, lætitia mortifera.

IV. Triſtitia convenit loco & tempori.

Materia fletus.

V. Brevitas temporis.

VI. Triſtitia bonorum mixta lætitiæ. Gaudium malorum mixta triſtitiæ

VII. Triſtitia in gaudium, gaudium in triſtitiam convertitur

Mulier cum parit, triſtitiam habet. Mulier dicitur Eccleſia, vel anima fidelis, quia Deo ſubiecta eſt per obedientiam. Geneſ. 3. *Sub viri poteſtate eris.* Item, quia fœcunda, in Pſal 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans.* Item, quia compatiens, Eccleſiaſtici 36. *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger.* Item, quia herum molliens, id eſt, Chriſtum orando, eum ad miſericordiam flectens. Comparatur autem triſtitia animæ, vel Eccleſiæ, anguſtiæ parturientis propter acerbitatem. Threnor, 2. *Magna velut mare contritio tua.* Ierem. 6. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Item, propter brevitatem. 1. Pet. 1. *Modicum nunc, ſi oportet contriſtari.* Item, propter gaudium fructus ſequentis. De quo hic: *Cum peperit, iam non meminit preſſuræ propter gaudium. Item* notandum, quod Eccleſia parturit, & in prædicatoribus, & in pœnitentibus. Prædicator habet dolores ut parturientis, eiulando pro his, qui in utero moriuntur. Ierem. 4. *Ventrem meum doleo.* Ambroſius, ventrem meum doleo, ut prophetico utar eloquio, quia quem regeneraturus eram, amiſi. Item, pro his, qui in utero colliduntur Geneſ. 25. *Dedit Deus conceptum Rebeccæ, ſed collidebantur in utero eius parvuli: quæ ait: ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe erat concipere.* Item, pro his, qui à partu retrahuntur. Iſaiæ 37. Venerunt uſque ad partum filii, & virtus non eſt pariendi. Gregorius. Penſandum eſt quantus ſit prædicatoribus ſanctis dolor de cadentibus, quantus de ſtantibus timor: quantus fervor de converſis, quanta ſolicitudo de convertendis. Iob 39. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio*, &c. Apocal. 2. *Mulier in utero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur ut pariat.* Sed quidam cruciantur, ut pereant. Ierem. 9. Vt inique agerent, laboraverunt. Eccleſiaſtici 10. *Labor ſtultorum affliget eos*, &c. Pœnitens etiam habet dolores ut parturientis, in anguſtia contritionis, in erubeſcentia confeſſionis, in labore ſatisfactionis Geneſ. 3. *In dolore paries filios. Mulier cum parit*, &c. Oſtenditur hic, quod triſtitia eſt via ad gaudium. Gregorius. Si dulcia quærimus, neceſſe eſt ut amara toleremus.

Eccleſia vel anima comparatur mulieri parturienti.

Dolor prædicatorum.

Dolor pœnitentium.

Circa gaudium verò futurum, tria nobis hic inſinuantur. *Primo*, quod erit poſt triſtitiam, & ideò dulcius: e contrario erit in mundanis, quia deliciis & divitiis & honoribus ſunt aſſueti. Difficile enim eſt carere aſſuetis, & contrariis uti. *Secundo*, quod erit gaudium cordis ibi: *Et gaudebit cor veſtrum.* Gaudium amatorum mundi, eſt de exterioribus. *Tertio*, quod erit ſine fine: de quo ibi: *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Iſaiæ 52. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.

Diabolus habet gaudium futurum.

1.

2.

3.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de officio Spiritus ſancti mundum de Peccato, Juſtitia, Judicio arguentis; de quibus Clerici multò magis quàm ſeculares ſint arguendi. Fuſè illa tria explicat. Et quomodo Spiritus ſanctus Chriſtum caput, & Diſcipulos membra ejus, clarificaverit, oſtendit.

SERMO LXXXIII.

Vado ad eum qui me miſit, &c. *Joan.* 16.

Tria tractantur hic.

IN hoc Evangelio Dominus corporalem diſceſſum ſuum Diſcipulis, *primo* prædicit. *Secundo* miſſionem Spiritus ſancti eis promittit ibi: *Expedit ut ego vadam*, &c. *Tertio* effectum adventus Spiritus ſancti oſtendit, ibi: *Et cum venerit. Triplex* autem effectus oſtenditur Spiritus ſancti, ſcilicet, *mundi arguitio*, ibi: *Arguet mundum. Apoſtolorum inſtructio*, ibi: *Adhuc multa*, &c. *Chriſti clarificatio*, ibi: *Ille me clarificabit. Vado*, ideſt, in proximo vadam; & ita certum eſt, ac ſi jam eſſet præſens. *Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* ſicut conſueviſtis. Joan. 13. *Domine quo vadis?* dixit Petrus. Ejuſdem 14. *Domine, neſcimus quo vadis*, dixit Thomas. Secundum Chryſoſt. Audientes, quoniam abſque ſynagogis vos facient, & quoniam odient vos, & quoniam, qui interficiet vos, opinabitur culturam ſe offerre Deo; ita accidit, ut amiſſione locutionis detinerentur, & nihil ei loquerentur, triſtitia enim opprimebantur. Secundùm Auguſtinum oſtenditur in hoc quod manifeſtè erat aſcenſurus in cœlum, unde Gloſſa ſuper illud. *Vado ad eum qui me miſit*, ita palam ut nemo interroget, quod viſu corporali fieri cernat. Videbunt enim eum in nube aſcendentem, certi de gloria, Act. 1. *Et nemo ex vobis interrogat*, id eſt, interrogabit. *Sed quia hæc locutus ſum vobis triſtitia*, &c. Auguſtinus. Videbat quid ſua verba in eorum cordibus agerent; contriſtabatur namque in eis humanus affectus, quia carnalis deſolabatur aſpectus Noverat autem Chriſtus, quid eis potiùs expediret, quia viſus interior, ipſe eſt utique melior, quo eos conſolaturus erat Spiritus ſanctus. Beda dicit, quod magis triſtabantur de receſſu, quo eos deſerebat, quàm lætarentur de aſcenſu, quo patrem petebat. *Sed ego veritatem dico vobis.* Chryſoſt. Non dico quæ ad gratiam veſtram ſunt, ſed & ſi decies milleſies contriſtamini, audire oportet, quia confert. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Auguſt. *Expedit vobis*, ut hæc forma ſervi auferatur à vobis. Nolo ut adhuc me carnaliter diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis. Beda. Expedit, ut forma ſervi veſtris ſubſtrahatur aſpectibus, quatenus amor divinitatis altius veſtris infigatur mentibus. *Si enim non abiero, paraclitus*, ideſt, Salvator vobis promiſſus, *non veniet ad vos*, quia non eritis idonei eum recipere. Auguſt. Si alimenta terreſtria, quibus vos alui, ſcilicet, præſentiam corporalem, quam parvuli capere poteratis non ſubtraxero, ſolidum cibum, non eſurietis; ſi carni hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis. Auguſt. Non poteſtis capere ſpiritum, niſi ſecundum carnem noſſe deſiſtatis Chriſtum. 2. Cor. 5. *Et ſi noverimus Chriſtum ſecundum carnem*; ſed jam non novimus. *Et cum venerit*, &c. Oſtenditur *duplex* effectus Spiritus ſãcti in Diſcipulis. *Primus* eſt corroboratio affectus eorum, ibi: *Arguet mundum de peccato. Secundus* illuminatio intellectus: de qua ibi: *Docebit vos omnem veritatem. Arguet*, per vos, qui modo timidi eſtis, *mundum*, ideſt, mundi amatores. Auguſt. quia per Spiritum ſanctum diffundenda erat charitas in cordibus eorum. Rom. 5. *Quæ foras mittit timorem.* 1. Joan. 4. Quo impediti poſſent, ne arguere mundum auderent: Propterea dixit: *ille arguet mundum de peccato*, quod habet, *& de juſtitia*, quam non habet, *& de judicio*, quod non timet. *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Secũdum Chryſoſtomum: Arguet eòs de peccato infidelitatis, quia non crediderunt in Chriſtum. Secundo, de juſtitia Chriſti, quem peccatorem vocaverunt. Joann. 9. *Hic homo non eſt à Deo qui Sabbathum non cuſtodit.* Tertio de judicio, quo diabolus condemnatus eſt per eum, quem dixerunt habere dæmonium. *De juſtitia* verò, *quia ad patrem vado & jam non videbitis me.* Chryſoſtomus. Vide per hæc duo interemptam pernicioſam ſuſpicionem: neque enim peccatoris eſt, ad Deum ire, nec apud Deum ſemper eſſe. *De judicio vero, quia princeps mundi hujus*, ſcilicet, diabolus jam judicatus eſt per Chriſtum quem dixerunt dæmonium habere, Joan. 8. Chryſoſtomus; quia dicebant, dæmonium habes, hoc poſtea oſtenditur falſum eſſe. Non enim diabolum cœpiſſem, ſi peccato obnoxius eſſem. Nunc autem condemnatus eſt. Secundum Auguſtinum ſic exponitur de peccato infidelitatis: hoc enim peccatum, quaſi ſolum ſit, præ cæteris poſuit, quia hoc manente, cætera detinentur, & hoc diſcedente, cætera remittuntur. *Et de juſtitia*, quam omiſerunt, & imitati non ſunt. Mundus de peccato ſuo arguitur. De juſtitia verò aliena, ſicut arguuntur de lumine tenebræ. Quantum enim malum ſit eorum, qui non credunt, non ſolum per ſe ipſum, verum etiam ex bono poteſt apparere eorum, qui credunt; & quoniam iſta vox infidelium eſſe conſuevit: quomodo credimus quod non videmus; ideò credentium juſtitiam ſic oportuit definiri: *quia ad patrem vado, & jam non videbitis me.* Unde, ſecundùm Auguſtinum. Intelligitur de juſtitia credentium, ſive de juſtitia fidei, quæ eſt, credere quod non videtur: cùm juſtitia via ſit ad regnum, ſecundum illud Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus*, ſcilicet, juſtitiam ducentem ad regnum, meritò arguendi fuerunt à Spiritu ſancto, qui noluerunt imitari Chriſtum, euntem ad patrem per viam juſtitiæ. Aug. Jam non videbitis me, quomodo nunc vobiſcum ſum, ſcilicet, mortalem. De judicio, quod non timuerunt, & tamen timere debuerunt, quia princeps mundi hujus jam judicatus eſt, ſcilicet diabolus. De quo Joannis 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* 2. Petri 2. *Si Angelis peccantibus non pepercit*, &c *Jam judicatus.* Auguſt. Judicio ignis æterni irrevocabiliter deſtinatus. De hoc judicio mundum arguitur, quoniam cum ſuo principe judicatur, quem ſuperbus atque impius imitatur *Adhuc multa*, &c. Oſtendit, quod expedit ut vadat, per alium effectum Spiritus ſancti, qui eſt docere. *Adhuc multa habeo vobis dicere*; quaſi diceret, adhuc indigetis inſtructione, & non poteſtis portare modo, ideſt, nondum eſtis capaces. Ex hoc videtur quod aliqua tacenda ſunt carnalibus, quæ ſunt dicenda ſpiritualibus. 1. Corinth. 3. *non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis*, docens ſcilicet veritatem, *docebit vos omnem veritatem*, ſcilicet, veritatem viæ, & veritatem patriæ, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum ſicut dicit Victor. Vel omnem veritatem ſaluti neceſſariam. Auguſtinus quod ait: *Docebit vos omnem veritatem*, non arbitror in hac vita, in cujuſquam mente poſſe compleri; cum dicat Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Ex parte cognoſcimus*, ſed quia per Spiritum ſanctum fit, ut ad ipſam plenitudinem veniamus, ubi facie ad faciem videbimus. Ideo Dominus illam perfectionem nobis promiſit per charitatem

Triplex effectus ſancti Spiritus.

Abſentia corporalis Chriſti profuit Apoſtolis.

Duplex effectus Spiritus ſancti in Apoſtolis. Fortitudo & illuminatio.

Spiritus ſanctus arguit mundum de tribus.

De peccato.

De juſtitia.

De judicio.

Peccatum infidelitatis quantum ſit.

Juſtitia credentium.

Judiciũ de quo mũdus arguendus.

Spiritus S. illuminans.

Diverſa cõditio ſpiritualium & carnalium quoad inſtructionẽ.

tem Spiritus ſancti dicens: *docebit vos omnem veritatem*, vel docebit omnem veritatē vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ. De veritate vitæ dicitur Iſaiæ 38. *Memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto* De veritate juſtitiæ. Proverb. 18. *Accipere perſonam in judicio non eſt bonum, ut declines à veritate judicii* De veritate doctrinæ. Matth. 22. *Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Et bene dico: docebit vos veritatem, non falſitatem. *Non enim loquetur à ſemetipſo*, ideſt, non finget doctrinam novam à me ſeparativam, ſicut diabolus. Joan. 8. *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.* Secundum hunc ſenſum dicit ipſe de ſe. Joan. 14. *A meipſo non loquor*, ideſt, nihil proprium, nihil à patre alienum loquor. *Sed quæcunque audiet loquetur*, ideſt, certa & vera loquetur. Simile habetur Joan. 3. Quod vidit & audivit hoc teſtatur, ideſt quod certiſſimè novit. Ejuſdem 8. Ego quod vidi apud patrem, loquor. Certiora habemus, quæ à veris doctoribus accipimus, quàm quæ à nobis dicimus. Chryſoſtomus ſic continuat, quoniam dixit: confert me abire, & illum venire: & quoniam non poteſtis portare modo, tunc autem poteritis; & ne hæc audientes majorem ſpiritum exiſtiment, propterea ait: *à ſeipſo non loquetur*, hoc eſt. nihil contrarium, nihil proprium præter mea. Gloſſa: Audire illius eſt ſcire, ſcire verò eſſe. A quo ergo eſt illi eſſentia? Ab illo audientia, ſcilicet, ſcientia, quæ non eſt aliud quàm eſſentia. *Et quæ ventura annunciabit vobis.* In hoc inſinuatur, quod Deus eſt: Dei enim eſt videre futura, ut præſentia; hoc autem dicitur, ne credatur non eſſe æqualis patri, & filio, quia dictum eſt: *Non loquetur à ſemetipſo*, tamen non ſolum prædicet futura; immo etiam me clarificabit per ſigna quæ faciet fieri in nomine meo. Auguſt. Dupliciter hoc exponit his verbis: *Ille me clarificabit*; quia diffundendo in cordibus credentium charitatem ſpiritualeſque faciendo, declaravit, quomodo filius patri eſſet æqualis, vel quia per ipſam charitatem fiducia repleti, & timore repulſo, annunciaverunt Chriſtum hominibus: quod enim facturi erant in Spiritu ſancto, hoc eumdem ſpiritum dixit eſſe facturum. *Ille me clarificabit*, verba mea, quæ nunc occulta ſunt vobis, manifeſtando vobis. Et bene dico: *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, id eſt, conſona meis dicet. Chryſoſtomus: Una mea, & illius doctrina, & ex quibus ego debebam docere, ex eiſdem & ipſe docet. Nec æſtimetis alia eſſe quæ illius, & quæ mea: etenim illa mea ſunt & meæ applaudent gloriæ. Secundum Auguſtinum ſic exponitur: *De meo accipiet*, ſcilicet, de meo patre; ſed quia poſſent dicere: tu dixiſti, quia ipſe eſt ſpiritus veritatis, qui à patre procedit. Joan. decimo quinto. Non ergo accipiet à te, ſed à patre; ideo ſubdit: *Omnia quæ habet pater, mea ſunt*, ideſt communis eſt potentia & eſſentia mei, & patris, & etiam proprietas communis, ſcilicet, ſpiratio; propterea dixi vobis: *De meo accipiet*, ideſt, mea ſunt, quæ accipiet, *& annunciabit vobis.* Quærit Victor: cum idem ſit eſſe patris & filii, quare dicit *omnia quæ patris ſunt mea ſunt.* Reſpondet: omnia dicit, propter pluralitatem nominum eſſentialium, quia juſtitia, pietas, bonitas, ſapientia, potentia, & hujuſmodi, eadem ſunt Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Vado ad eum qui me miſit*, &c. Solent homines peregrinaturi prædicere familiæ ſuæ receſſum ſuum, & conſolari eam de receſſu ſuo: vel dicendo, ſe in brevi reverſuros, vel per perſonam idoneam ſe ei proviſuros; ſic Dominus receſſurus à Diſcipulis ſuis, & quaſi peregrinaturus, aſcendendo in cœlum, ſecundum illud Matt. 25. *Homo quidam peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos*: & receſſum ſuum eis prædixit, & conſolatus eſt eos; oſtendendo, ſe in brevi reverſurum ad eos; ut recoluit Eccleſia in Evangelio præcedentis Dominicæ. *Modicum & non videbitis*, &c. Item promittendo ſe eis proviſurum per Spiritum ſanctum, ut recolitur in hac Dominica.

Veritas vitæ. Veritas Juſtitiæ. Veritas doctrinæ. Diabolus mendax. Spiritus S. patri & filio æqualis. Spiritus quomodo filium Dei clarificavit. Fidem doctrina Chriſti & Spiritus S. Attributa divina tribus perſonis communia. Chriſti providentia de ſuis.

Et notandum quod cum Aſcenſio Domini prope ſit, ſecundum Eccleſiæ repræſentationem, convenienter legitur hodie Evangelium, continens verba, quæ dixit Dominus de Aſcenſione ſua in brevi futura. Duo autem ſpecialiter oſtendit hoc Evangelium, ſcilicet, Diſcipulorum deſolationem de receſſu Magiſtri audito, & exhibitam eis à Domino conſolationem In prima vero parte *tria* oſtenduntur. *Primo*, Aſcenſio Domini prædicitur, ibi: *Vado ad eum*, &c. *Secundo*, modus aſcendendi inſinuatur, ibi. *Nemo interrogat me quo vadis? Tertio*, ratio dicti contriſtantis Diſcipulos oſtenditur, ibi; *Quia hæc locutus ſū vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed veritatem dico vobis. Expedit vobis* &c.

De deſolatione & conſolatione.

Circa *primum* notandum, quod dominus de ſuo reditu ad patrem loquitur non tanquam de futuro remoto, ſed quaſi preſens eſſet. Exemplo ergo ejus reditum tuum ad Deum ſemper quaſi præſentem habeas, ne mors te inveniat imparatum. Lucæ 12. *Eſtote parati; quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Item exemplo domini vade ad eum qui te miſit, ſaltem ſpiritualiter. *Primo*, ei gratias referendo de bonis quæ ab eo acceperis. Eccleſiaſtici 1. Ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. Corvus non eſt reverſus ad arcam, ſed columba deferens ramum olivæ in ore. Geneſ. 8. Ramus olivæ, eſt verbum gratiæ, & miſericordiæ, quod debemus habere in ore, dicentes: *Miſericordiæ domini quod non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus.* Thren. 3. 1. Corinth. 15. *Gratia Dei ſum, id quod ſum. Secundo*, debemus ire ad Deum, ſapientiam ejus lucidè videntem omnes actus noſtros cogitando Boëtius: magna nobis, ſi diſſimulare nolumus, indicta eſt probitatis neceſſitas cum omnia agamus ante oculos judicis cuncta cernentis. Hebræorum 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Job. 26 *Nudus eſt infernus coram eo. Tertio* debemus ire ad Deum, mercedem laboris noſtri nobis coram eo paratam frequenter conſiderando. Auguſtinus. Labor te terret, vide mercedem *Quarto* diſtrictionem judicii ejus attendendo, ſicut faciebat Job. 31. *Quid faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus, & cum quæſierit, quid reſpondebo ei?*

I. Parandum iter ad Deum. 1. Referendo gratias. 2. Cogitando ſapientiam Dei omnia videntis. 3. Conſiderando præmia laboris noſtri. 4. Attendendo ſtrictum Dei Iudicium.

Circa *ſecundum* notandum quod Deus manifeſtè aſcendit, Actor 1. *Videntibus illis elevatus eſt*; non fuit neceſſe quærere, quo iret cum hoc eſſet manifeſtum. Exemplo ergo ejus & nos manifeſte de virtute in virtutem aſcendamus, & exemplū proficiendi proximo miniſtremus. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus* &c. Item *notandum*, quod non ſolum attendendum eſt, unde vel qua eatur, ſed etiam quo itur. Amici carnales in receſſu amicorum ſuorum de hoc mundo attendunt ſolum, unde ipſi eant ſcilicet, quoniam ab eis recedunt, & ideo plorant: ſic faciebant diſcipuli. Unde dicit Beda in Homilia: quod magis triſtabantur de receſſu, quo eos deſerebat, quam lætarentur de aſcenſu, quo patrem petebat. Item homines carnales non attendunt, quo à diabolo ducantur, ſed qua via ducantur unde per amæna prata ad interitum ducuntur. Sapiens verò finem viæ attendit. Boëtius. Non quod ſitum eſt ante oculos, ſufficit intueri: rerum exitus prudentia metitur; lumen mundanæ ſapientiæ modicum eſt, & non ſufficit ad hoc, ut ad illud videantur remota, ſed lumen ſapientiæ divinæ magnum eſt, unde ad illud videntur & propinqua & remota. Sapient 8. *Sapientia*

II. Modus aſcenſus Chriſti. Tria attendenda. Unde, Qua, Quo aſcendendum.

vincit malitiam : attingit à fine uſque ad finem fortiter, &c.

III. Dictum deſolationis ſeu triſtans diſcipulos.

Circa *tertium* notandum, quod Dominus non dimittit eis dicere utilem veritatem, licet eos contriſtantem. Exemplo ergo ejus dic hominibus, quæ eis proſint, etiam ſi diſpliceant. David: *Veritatem tuam non abſcondi in corde meo.* Pſal. 39. *Item labia mea non prohibebo*, ſupple, à veritate dicenda. Pſalm. 36. Seneca Monſtrabo tibi, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet, qui verum dicat. Idem dic eis, non quod velint audire, ſed quod non velint ſemper audiſſe: nec omne dulce guſtandum eſt, nec omne amarum projiciendum eſt. Simia inveniens amaritudinem in cortice nucis, projicit; ideo de dulcedine nuclei non guſtat. Sicut virtus eſt, placitis abſtinuiſſe bonis, ſic virtus eſt, ſuſtinere quæ diſplicent, veritatem ergo utilem & dicas, & audire non refugias.

Veritas dicenda licet diſpliceat.

Chriſtus conſolatur diſcipulos.

Expedit vobis, ut ego vadam. Conſolatur hic Dominus diſcipulos de ſuo receſſu contriſtatos per utilitatem ſequentem ſuum receſſum, ſcilicet, per adventum Spiritus ſancti. *Expedit vobis ut ego vadam.* Corda veſtra ſurſum tracturus. Matth. ſexto. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Joannis duodecimo. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Matth. 24. Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Item ſpem aſcendi poſt me, vobis daturus. Micheæ ſecundo. *Aſcendet iter pandens ante eos*, cum caput Eccleſiæ jam ſit in cœlo, & etiam multa membra corporis Eccleſiæ, ſperandum eſt, quod alia debeant ibi recipi. Non faciet Deus pater filio ſuo dimidium hoſpitium: Veriſimile eſt, quod illi, qui de noſtris ſunt ibi, trahant & nos illuc, niſi nos impediverimus. Deuteron. 33. dicitur Eccleſiæ: *Aſcenſor cœli, auxiliator tuus.* Item petitiones veſtras patri porrecturus atque pro vobis oraturus. Hebræor. 7. *Accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum juſtum*, &c. Item locum vobis paraturus. Joannis 14. *Vado parare vobis locum. Si autem abiero, & preparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiã vos ad meipſum.* Paravit nobis locum in aſcenſione, cœlum nobis in effectu aperiendo. Item præſentiam ſuam manifeſtam nobis ſubtrahendo, ut fides haberet meritum. Auguſtinus ſuper Joannem. Subtrahit ſe, & latet, ut ſit fides, quæ non eſt de re viſa. Gregorius in homilia: fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum. Item militibus dona daturus. Epheſ. 4. *Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus.* Item amorem carnalem amputaturus. Unde hic dicitur: *Si non abiero paraclitus non veniet ad vos.* Bernard. Niſi carnis præſentia ſubtrahitur, ſpiritualem gratiæ plenitudinem mens occupata non admittit. Si ita eſt, quis audeat de cætero carnis illecebris deditus paraclitum expectare, quid huic ſterquilinio, & illi conſolationi? Et *notandum*, quod affectus carnalis & turpis gratiam expellit: affectus carnalis & naturalis, gratiam, vel gratiæ plenitudinem impedit. Joan. 6. *Caro non prodeſt quicquam.* Hebr 6. Qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ. Iſa. 28 *Quem docebit ſcientiam & quem intelligere faciet auditum, ablactatos à lacte.* Bernard. Delicata eſt divina conſolatio, & non datur admittentibus alienam. Turpis affectus eſt in illis qui tantum amant filios, vel uxores, vel alios ſibi conjunctos, qui non timent offendere Deum, ne eos contriſtent, & ut eorum voluntatem impleant, ſicut fecit Adam. Geneſ. 3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ & comediſti*, &c. *maledicta terra in opere tuo.* Tales ſimiles ſunt pellicano qui dicitur effundere ſanguinem ſuum, ut vivificet pullos ſuos; morte enim ſua acquirunt, unde vitam ſuorum corporalem ſuſtentent. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Lucæ 6. *Date & dabitur vobis.* Danti corporalem conſolationem, ſive deſerenti, datur ſpiritualis conſolatio. Et cum venerit ille arguet, &c.

Affectus carnalis & turpis damna.

Tria facit Spiritus S.

Notandum, quod Spiritus ſanctus per ſpirituales viros in quibus habitat, malos arguit, bonos inſtruit, gloriæ Chriſti intendit. Ad *primum* pertinet illud: *Arguet mundum de peccato.* Ad *ſecundum*, illud: *Docebit vos omnem veritatem.* Ad *tertium* illud: *Ille me clarificabit.* Cùm Spiritus ſanctus ſit bonitas, & malitia ſit oppoſita bonitati; ſi Spiritus ſanctus in te eſt, non habebit malitia pacem juxta te, quin ſaltem arguas eam; ſicut aqua non eſt in pace, juxta ignem. *Item* cùm omne animal diligat ſimile ſibi. Eccleſiaſtici 13 Ille in quo eſt ſpiritus, qui eſt bonitas, omne bonum diligit, & inſtructionem & alia beneficia bonis, qui ſunt juxta ſe, impendit. *Item* cùm Spiritus ſanctus ignis ſit, cujus eſt tendere ſurſum; ille cui ineſt ſpiritus, divinæ gloriæ intendit. Primæ Corinth. 10. *Sive comeditis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud agitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ad hoc creati ſumus. Deut. 26. *Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem & gloriam ſuam.* Iſaiæ 34. *In gloriam meam creavi eum.* Item ſciendum quod cum Dominus peccatum prohibeat, & juſtitiam præcipiat, & non obedientibus ſibi multas comminationes faciat, & jam multos ſibi non obedientes terribiliter puniverit, valde reprehenſibilis eſt mundus, qui peccatũ facit, & juſtitiam omittit, & diſtrictum judicium Dei de inobedientia ſua non metuit.

1. Arguit malos.

2. Inſtruit bonos.

3. Intendit gloriæ Chriſti.

Quatuor de cauſis arguit Spiritus ſanctus.

Item notandum, *quadruplici* ratione arguere dicitur Spiritus ſanctus. *Primo* ad oſtendendum quod ille maximè ſe redarguit, qui Spiritum ſanctum abundantius accipit. Gregorius ſuper illud Job ultimo: *Auditu auris audivi te, nunc oculus meus videt te; ideo me reprehendo.* Quanto quis majoris gratiæ lumen recipit, tanto magis reprehenſibilem ſe agnoſcit: ſicut pulvis apparet in radio ſolis, qui non apparet in umbra. *Secundo*, ad inſinuandum, quod arguere non eſt alienum à benignitate, & amore, cum Spiritus ſanctus, qui eſt benignitas, & amor, dicatur arguere. Iſa. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe*; id eſt, de incendio amoris; Jeſſe enim interpretatur incendium. Apocal. 3. *Ego, quos amo, arguo.* *Tertio*, ad inſinuandum, quod manſuetudo & benignitas ſervanda eſt in arguendo. 2. Theſſal 3. *Nolite æſtimare ut inimicum, ſed corripite, ut fratrem.* Galat. 5. *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis.* David Pſal. 89. *Supervenit manſuetudo, & corripiemur.* Seneca. Vitia animi ſicut vitia corporis leniter tractanda ſunt *Quarto*, quia Spiritus ſanctus talem hominem facit, ut idoneus ſit arguere. *Tria* impediunt argutionem, ſcilicet, *reprehenſibilitas, ignorantia, & timor.* Hæc autem removet ſpiritus, qui purgat, illuminat, & corroborat. Ideo ſuper Apoſtolos deſcendit in ſpecie ignis, qui facit hæc tria. Quod reprehenſibilitas impediat arguentem, oſtendit Gregor. dicens: Superjectas ſordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. Eccleſiaſtici. 34. *Ab immundo quid mundabitur.* Matth. 7. *Quomodo dicis fratri tuo, ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo.* Ad impedimẽtum ignorantiæ referri poteſt illud Rom. 1. *Qui alium doces, te ipſum non doces.* Timor etiam impedit. Eccleſiaſtici 7. *Noli quærere fieri judex niſi valeas virtute rumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis. De peccato quidem*, ſupple, commiſſo, *quia non crediderunt in me.* Ex defectu fidei eſt, quod aliqui peccant, 1. Joan. ult. *Qui infidelis eſt, infideliter agit.* Et *notandum*, quod mundus multum eſt reprehenſibilis.

1.

2.

3.

4. Tria impediunt, quominus aliquis alios arguat.

Reprehenſibilitas propria.

Ignorantia.

Metus.

Mundus reprehenditur de incredulitate.

henſibilis de incredulitate. Non enim credit, quæ dicuntur ei de ſuo tranſitu. 1. Joan. 2. *Tranſibit mundus & concupiſcentia ejus.* Sic Loth viſus eſt quaſi ludens loqui, cum prædiceret genero ſuo deletionem Sodomæ. Geneſ. 19. Nec Noë credebatur de diluvio futuro, immo homines erant *comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, in quo intravit in arcam Noe, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes.* Matth. 24. Nunc non credit mundus venenoſitatem prohibitarum deliciarum. Eccleſ. 7. *Inveni amariorem morte mulierem*, ſcilicet, carnis voluptatem. Si enim eã crederet, prohibitas delicias caveret. Job 6. *Angustare quis poterit quod guſtatum afferat mortem.* Item non credit noxietatem divitiarum. Proverb. 1. *Vſquequo ſtulti, quæ ſibi noxia ſunt, cupient.* Item non credit utilitatem adverſitatum, Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt ira riſu.* Item non credit futuram pœnam peccatorum & triſtitiam in præſenti eis annexam. Eccleſiaſtici 21. *Via peccantium complanata lapidibus*, in finem illorum inferi & tenebræ, & pœnæ. *De juſtitia vero*, &c. Sciendum quod

Mundus reprehenditur de iuſtitia dimiſſa.

valde reprehenſibilis eſt mundus de juſtitia, quia eam dimittit, quæ tantum Deo placet & homini tantum prodeſt. Juſtitia adeo placet Deo, quod *in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Actor. 10. Et adeo eſt homini utilis, ut nihil lucretur qui eam amittit Gloſſa Auguſt. ſuper illud Pſalm. 61. *Rapinas nolite concupiſcere.* O lucra damnoſa invenis pecuniam, perdis juſtitiam! Qui juſtitiam deſerit miſeriam neceſſario aſſumit.

Iuſtitiæ cõmendatio & utilitas.

Aug. in libro de libero arbitrio: Tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea, niſi in miſeriam poſſit abſcedere. Juſtitia in præſenti egentem relevat, in futuro morte liberat. Proverb. 14. *Juſtitia elevat gentem.* Ejuſdem 10. *Nihil proderunt theſauri impietatis, juſtitia autem liberabit à morte.* Item reprehenſibilis eſt ex eo, quia ei detrahit; etiam juſtitiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti detraxit. Joan. 9. *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbathum non cuſtodit.* Item quia ad juſtitiam non reſpicit ut eam imitetur, immo potius reſpicit ad injuſtitiam. Summa enim malorum eſt juxta verbum ſapientis, quod vivunt ad exemplar ad pejorem formam, quam inveniunt, ſe informare volunt, cum tamen ſotularibus ſuis, vel veſtibus formam optimam eligant, potius de putrido pomo, quàm de ſano mordere volunt. Eccleſiaſtici 32. *Peccator homo vitabit correctionem, & ad voluntatem ſuam inveniet comparationem. De judicio*, &c.

Mundus de triplici iudicio arguẽdus.

Notandum, quòd de *triplici judicio* arguendus eſt mundus. *Primo*, de judicio non pertinente ad ſe, quod ſibi uſurpat. Matth. 7. Et Lucæ 6. *Nolite judicare.* Rom. 14. *Tu quis es qui judicas ſervum alienum*, &c. *Item* de judicio proprio quod negligit. De quo 1. Corinth. 11. *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Item* de judicio Dei quod non metuit, cum tamẽ Lucifer qui tam nobilis creatura fuit, jam judicatus ſit. Si ſuperbia in divite ſic judicata eſt, quid fiet de paupere ſuperbo, quis neſciat ſuperbiam magis tolerabilem eſſe in divite, quam in paupere. Eccleſiaſtici 25. *Tres ſpecies odivit anima mea & aggravor valde animæ illorum pauperem ſuperbum.* Damnatio ejus in exemplum magnorum poſita eſt. Ezech. 28. *In terram projeci te ante faciem regũ dedi te, ut cernerent te.* De his quæ pertinent ad terrorem divini judicij, require in tractatu de dono timoris, *ille arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.* Cum communiter

Clerici ob multas cauſas magis arguendi quam ſæculares de peccato.

de his arguendus ſit mundus, maxime de his arguendus eſt Clerus, qui amplius peccatum debuit cavere, & juſtitiam imitari, & judicium Dei metuere. *Peccatum* amplius debuit cavere, quia ejus peccatum magis & Eccleſiæ nocet, & Deo magis diſplicet. Eccleſiæ magis nocet, quia magis eam deformat, maculans debiliorem partem Eccleſiæ, ſcilicet, faciem. Job. 30. *Faciem meam conſpuere non verentur.* Et magis corrumpit, quia populus ad clerum reſpicit, & exemplum ab eo accipit Unde clerici poſſunt dicere illud, 1 Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo.* Judith. 8. *Quoniam vos eſtis presbyteri, ex vobis pendet anima illorum.* Deo vero magis diſplicet. *Primo*, propter donum ſcien- 1.
tiæ, quod peccatum clericorum multum aggravat. Gregorius. Ubi majus eſt donum ſcientiæ, tranſgreſſor majori ſubjacet culpæ. Jacob. 4. *Scienti bonum & non facienti peccatum eſt illi. Secundo*, quia ſti- 2.
pendia à Domino recipiunt, quod non parum aggravat quod eum offendunt. In Pſalmo 40. *Homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Sed terribile eſt quod ſequitur: *Tu autem Domine miſerere mei, & reſſuſcita me*, qui videor eſſe mortuus, *& retribuam eis.* Bernard. Honorati incedunt de bonis Domini, cui tamen honorem non deferunt. *Tertio*, quia ante faciem Do-
mini ſtant, quaſi continuè Iſa. 65. *Populus qui ad* 3.
iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper.

De Iuſtitia.

Juſtitiam maximè debent imitari clerici, qui ſunt
Sanctorum ſucceſſores. Unde, ſicut ſuccedunt in 1.
dignitate, debent ſuccedere in vitæ ſanctitate: quod tamen multi non faciunt. Bernardus ſuper Cantic. Succeſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. Propinquus Elimælech agrum ejus voluit habere, ſed uxorem ejus noluit ducere, ſed non potuit obtinere. Ruth 4. Qui ſuccedit in dignitate, oportet quod ſuccedat in vita, quaſi in uxore. Valde eſt periculoſum in terra Sanctorum malè vivere. Iſa. 26 *In terra Sanctorum iniqua geſſiſti, & non videbis gloriam Dei. Secundo*, ratione amplioris obligationis.
Amplius enim obligati ſunt, vel voto, vel Eccle- 2.
ſiæ ſtatuto: multa enim ſtatuta emanaverunt de vita & honeſtate clericorum. Sed de multis verum eſt illud: *Ipſi obligati ſunt & ceciderunt. Tertio*, ratio- 3.
ne ſacri miniſterii. Sacerdotes enim debent indui juſtitia, & ſic templum intrare, non ſicut Antiochus. de quo legitur 2 Machab. 5. qui auſus eſt intrare Templum univerſa terra ſanctius, & ſceleſtis manibus ſumens ſancta vaſa, contrectabat indignè, & contaminabat. Bernard. de miniſterio talium, ſic frequentare Pſalmos, ſic circuire altaria, laus eſt execrabilis, & omnino eſt peccatum.

De Iudicio.

Judicium multum debent metuere clerici, & maximè Prælati, cum ſcriptum ſit. Sapient. 6 *Judicium durissimum in iis, qui præſunt, fiet.* Non ſolùm durum,

Ratio à Clericis exigetur.

vel durius: exigetur enim ratio ab eis de talento accepto, vel de bonis temporalibus quorum diſpenſatores fuerunt & de animabus, quas in cuſtodia habuerunt.

De talento accepto.

Multum timendum eſt judicium quantum ad primum, ut patet ex verbis Gregorii dicentis: Sunt nonnulli qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, ſolius contemplationis ſtudiis inardeſcunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt. De quo ſtrictè judicentur, ex tantis proculdubio rei ſunt, quantis ad publicum venientes prodeſſe potuerunt. Gregorius. Penſemus, quod lucrum Deo facimus nos, qui, talento accepto, ad negotiationem ab ipſo miſſi ſumus. Etenim dicit. Negotiamini dum venio, ecce venit, ecce de negotio noſtro lucrum requirit. Quale ei

Quantum quiſque lucratus ſit.

lucrum de negotiatione noſtra monſtrabimus? ecce in majeſtate terribili, inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur, in illo examine electorum omnium reproborumque multitudo deducetur, & quid, unuſquiſque ſit operatus, oſtendetur. Ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus converſum, ut ita dexerim, mundum ducens apparebit Ibi Andræas 1.
poſt ſe Achaiam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam,

in conſpectu ſui judicis converſam ducent. Cùm igitur tot paſtores cum gregibus ante æterni paſtoris oculos veniunt, quid nos miſeri dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui venimus? Si fortè quis dicat: abii & abſcondi pecuniam tuam in terra, dicitur ei illud: *Servum inutilem projicite in tenebras exteriores* &c. Matth. 25. Item multum timendum eſt judicium, quantum ad diſpenſationem bonorum temporalium. Si enim de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem. Matth. 12. Item de cogitationibus, ſecundum Gregorium: & de momento temporis ſecundum Bernardum; indubitanter ratio exigetur de bonis temporalibus qualiter fuerint expenſa. Et cum dicat Hieronymus: Quicquid habent clerici pauperum eſt, & Bern. Facultates Eccleſiarum patrocinia ſunt pauperum, & ſacrilega eis crudelitate ſubripitur quicquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini, & poſſeſſores, ultra victum & veſtitum accipiunt. Quid facient qui pauperum bona malè expendunt? Si Dominus cum tanta ira dicturus eſt: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*. Matth. 25. Cum quanta ira dicturus eſt; eſurivi & cibum meum mihi abſtuliſtis. Timendum eſt etiam, quod temporalia accipiunt ab eis, quibus ſpiritualia non conferunt. Bernard. Indignus lana & lacte convincitur, qui non paſcit gregem. Auguſtinus: Penſemus, cujus damnationis ſit ſine labore hic percipere mercedem laboris. Gregorius: Penſemus, cujus ſit apud Deum criminis, nihil contra peccatum agere, & peccatorum pretium manducare. Bernardus: De talibus venient ante tribunal Chriſti ubi audietur pupillorum accuſatio gravis, allegatio dura, dum, quorum vixere ſtipendiis, nec diluere peccata. Idem: quid tibi, inſipiens, deliciæ ſapiunt, quid divitiæ illæ cæcos oblectant oculos, quibus tam gravi veritatis judicio, tam duræ te obligas rationi, univerſum quidem uſque ad noviſſimum quadrantem exigens.

De bonis temporalibus.

De cura animarum.

Item quantum ad tertium, valde timendum eſt judicium. Amator enim animarum, bene volet reddi ſibi rationem de illis. Sapien. 11. *Quoniam tua ſunt Domine qui amas animas*. Proverb. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus*. Modò animæ vilipenduntur. Jerem. 12. *Conculcaverunt partem meam*. Bern. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet; perit anima, & non eſt qui recogitet. *Sed adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis*. Jeremiæ 33. Aliquando Dominus dicet illud Hieremiæ 13. *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi? Ille me clarificabit* &c.

Clarificatio membrorũ duplex.

Circa Chriſti Clarificationem de qua multum loquitur Joan. Evangelium notandum, quòd eſt clarificatio *capitis & membrorum. Clarificatio membrorum* eſt *duplex*: 1. *Vna* quæ eſt purgatio cœtus bonorum à labe malorum. De qua Joan. 13. *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in illo*. Hæc clarificatio perficietur cum fiet illa ſeparatio; de qua habetur Matth. 25. Huic clarificationi deberent intendere prælati Eccleſiarum. Aliqui tamen contrarium agunt peſtilentibus implentes eccleſias. Iſa. 1. *Iuſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ*. 2. Lucæ 19. *Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*. *Alia* clarificatio inchoatur glorificatione animarum; ſed perficietur in reſurrectione corporum: & eſt valde conveniens quod ſancti qui hic glorificant Deum. 1. Corinth. 10. *Sive comeditis, ſive bibitis, ſive aliud agitis, omnia in gloriam Dei facite*, à Deo glorificentur, glorificati vero Deum perfectè glorificent atque laudent. Bern. Semivivus relictus in terra, ſemi laudare poſſum: ubi totus vixero, totus ibo in laudem.

Clarificatio capitis duplex.

Clarificatio verò *capitis* etiam *duplex*; ſcilicet, ſecundum humanitatem, & divinitatem. *Prima* fuit in reſurrectione & aſcenſione. De qua Joan. 7. *Ieſus nondum erat clarificatus*. Item ejuſdem 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius clarificet te*. Auguſt. humilitas in paſſione eſt oſtenſa, claritas in reſurrectione cœpit. *Secunda* Claritas ſecundum Deitatem eſt oſtenſio gloriæ & altitudinis, ſecundum quam filius eſt æqualis patri. De qua, Joan. 17. *Nunc clarifica me, tu pater, apud temetipſum claritate quam habui antequam mundus eſſet, apud te*. Ejuſdem 16. *Ille me clarificabit*.

Vna humanitatis.

Altera Deitatis.

Sex modis Spiritus S. clarificavit Chriſtum.

Sex modis clarificavit Spiritus ſanctus Chriſtum. *Primo*, oſtendens eum eſſe Deum; Deum enim, ſcilicet, Spiritum ſanctum, non potuit dare, niſi Deus. Auguſtinus: magna miſericordia Dei, donũ dat æquale ſibi: nam Spiritus ſanctus donum eſt. Oſtenderat ſe Chriſtus Dominum ante Spiritus ſancti miſſionem, Dominum maris, & eorum quæ ſunt in mari, ſe oſtendit, cum ſuper mare ambulavit, & mare ſe ſolidum ei præbuit, & ſtaterem in ore piſcis inveniendum prædixit. Item Dominum inferni, & eorum, quæ in inferno ſunt, quoniam contrivit portas inferni & Sathanam ligavit. Oſtendit ſe Dominum terræ, & eorum quæ in terra ſunt, infirmos curando, mortuos ſuſcitando, quando eadem manu, qua omnia fecerat, quæ defecerant, reficiebat. Oſtenderat etiam ſe Dominum aëris, & eorum, quæ ſunt in aëre, & cœli, & eorum quæ ſunt in cœlo, cum propria virtute aſcendit per aëra, nube lucida ſibi obſequente; & receptus eſt in cœlis, angelis ferentibus ei teſtimonium, quod in cœlum aſcendiſſet, ne putaretur in Paradiſum terreſtrem, vel alium locum tranſlatus; ſicut Helias & Enoch. In miſſione verò Spiritus ſancti oſtendit ſe Deum, dando Spiritum ſanctum, qui Deus eſt. Hic modus clarificandi oſtenditur, cum ſubditur: *quia de meo accipiet*, id eſt, à me dabitur; quia à me procedit.

1. Oſtendẽdo Chriſtum Deum eſſe.

Chriſtus oſtenderat ſe Dominũ eſſe, multis argumentis

Secundo, bonitatis effuſæ magnitudine. Bern. in ſermonibus: Cogitemus, fratres, ſuper nos & in nos opera Trinitatis: & ab initio mundi uſque ad finem, quàm ſollicita fuerit illa majeſtas, cui adminiſtratio pariter & gubernatio ſæculorum incumbit, ne nos perderet in æternum. Potenter quidem omnia fecerat, ſapienter omnia gubernat, & utrarumque rerum, tam potentiæ, quàm ſapientiæ ſigna manifeſtiſſima tenebantur in creatione & conſervatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis: Sed latebat in corde patris, cumulanda quandoque ſuper genus filiorum Adam. Sicut mundi creatio non potuit eſſe, niſi ab omnipotente, & gubernatio non potuit eſſe, niſi à ſummo ſapiente, ſic non potuit eſſe effuſio tantæ bonitatis, quæ in Pentecoſten facta eſt, niſi à ſummo bono.

2. Oſtendẽdo Bonitatis magnitudinem.

Tertio, clarificavit Spiritus ſanctus Chriſtum, ſecundum Gloſſam Auguſtini, faciendo viros ſpirituales, qui intelligere poſſent æqualitatem filii cum patre. Prius pauci fuere ſpirituales. De numero virorum ſpiritualiũ æqualitatem filii cum patre intelligentiũ fuit Joannes, Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre*. Vidimus id eſt, cognovimus, per miracula ab eo facta, & per vocem de cœlo lapſam, & per transfigurationem, reſurrectionem & aſcenſionem.

3. Faciendo viros ſpirituales.

Quarto, tollendo timorem ab eis, ut gloriam Chriſti toti mundo annunciare poſſent. Prius princeps Apoſtolorum ad vocem ancillæ negaverat Chriſtum, Matth. 26.

4. Tollendo timorem.

Quinto, quia Spiritu ſancto dato, credentes in Chriſtum, fecerunt majora miracula in nomine Chriſti, quàm Chriſtus fecerat. Joan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*, & ſubditur: *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio*.

5. Patrando miracula.

Sexto, quia in paucis per Spiritũ ſanctũ roboratis, de mũdo triũphavit, in duodecim

6. Superando mundum & convertẽdo

per paucos diſcipulos.

principibus, & ſeptuaginta duobus militibus. Bern. Licet magna & plane divina fuerunt miracula, quæ Dominus Jeſus geſſit in terris, hoc tamen ſuper omnia enituit, quod in paucis ſimplicibus totum mundum, & ſapientiæ ejus altitudinem ſibi ſubjugavit, cum ſupra creaturam rationalem non videatur eſſe niſi creator, non videtur quod potuit eſſe, niſi à Deo, quod timore mundano & humano ab iraſcibili ſublato, adeò fortes effecti sũt. Facti enim sũt quaſi omnipotẽtes. Bern nil omnipotẽtiam verbi clariorem reddit quã quod omnipotẽtes reddit qui in ſe ſperant, Denique *omnia poſſibilia ſunt credenti* Mar. 9. Paulus Philip. 4. *Omnia poſſum in eo qui me cõfortat.* Petrus potens fuit in cœlo Simonem volantem, dejiciendo, in terra cùm ad verbum ejus Ananias & Saphyra exſpiraverunt. Actuum 5. Rationabilem docuit omnem veritatem, concupiſcibilem inflammavit, & reſpectu Dei & reſpectu proximi. Ad primum pertinet donum timoris & fortitudinis. Ad ſecundum donum ſcientiæ, conſilij, & intellectus. Ad tertium donum pietatis & ſapientiæ. Pietatis tantæ fuerunt, ut pro ſalute proximi exponerent ſe morti, & tantam eſuriem & ſitim ſummi boni habuerunt, ut per ignem & gladium ad illud ire vellent. Si ſolus Deus poteſt hominem corrigere, ſecundum illud Eccleſiaſtæ 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexit.* Quomodo potuerunt ita totaliter immutari niſi à Deo? In miſſione Spiritus ſancti, ſpecialiter accidit, quod legitur. 2. Machab. 1. *Tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo*, ſol inquam juſtitiæ.

Potentia diſcipulorum poſt acceptum Spiritum S.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

SERMO LXXXIV.

Dividitur & explicatur Evangelium.

Amen, amen dico vobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, &c. *Ioannis* 16.

Prima pars tria continet.

I. IN hoc Evangelio *primo* Salvator ad conſolandum diſcipulos de diſceſſu ſuo virtutem ſui nominis eis indicat, quæ erat ſuppletura ejus præſentiam, dicens: *Si quid petieritis patrem in nomine*
II. *meo dabit vobis. Secundo*, ad conſolationem eorundem oſtendit ſtatum diſcipulorum ante diſceſſum ſuum & miſſionem Spiritus ſancti, & ſtatum poſt, ut appareat, quod eis expedit ut ab eis diſcedat, & Spiritum ſanctum eis mittat, Ibi: *Vſque modo non petiſtis quicquam: petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit* &c. *Tertio* verò ponit
III. Evangeliſta quædam verba diſcipulorum, quibus apparet ignorantia eorum, qui non intelligebant, quæ à domino dicebantur, nec intelligebant ſe non intelligere, ibi: *Dicunt ei diſcipuli: Ecce nunc palam loqueris*, &c. In *ſecunda* parte *primo* oſtenditur imperfectio eorum, & quantum ad affectum & quantum ad intellectum ante diſceſſionem & miſſionem Spiritus ſancti. *Secundo* perfectio eorum accepto Spiritu ſancto. Imperfectio quantum ad affectum, ibi: *Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo.* Imperfectio quantum ad intellectũ ibi: *Hæc in proverbijs*, &c. Perfectio verò quãtum ad intellectum, ibi: *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobiſcum*, &c. Perfectio quantum ad affectum ibi: *In illo die in nomine meo petetis. Si quid petieritis*, ſcilicet, aliquid, quod verè ſit, ut eſt æternum. *In nomine meo*, id eſt, meo nomine invocato, vel in virtute nominis mei, *dabit vobis.* Secundùm Auguſtinum, quia ſancti pro ſe ipſis exaudiuntur, non pro omnibus, ideò dicit: *dabit vobis.*

Secunda pars continet imperfectionem diſcipulorum & perfectionem.

Secundum Bedam, Ideo dicit *dabit vobis*, & non dabit ſimpliciter; quia ſi non eis, pro quibus petimus, dabit nobis, tamen præmium benignitatis noſtræ reſtituet. Dicit Auguſtinus quod non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis. Qui autem in nomine ejus petit, ſi non contra ſalutem ſuam petit, accipit quando debet accipere; quædam enim non negantur, ſed ut congruo dentur tempore, differuntur. *Vſque modo non petiſtis quicquam.* Gloſſa Interlin Confiſi meæ præſentiæ. *In nomine meo*, hoc eſt, in virtute nominis mei: quod dupliciter ſecundùm Auguſtinum poteſt intelligi; vel quia nomen ejus, ſicut cognoſcendum erat, non cognoverant, vel quia comparatione rei, quam petere debuerant, pro nihilo habendum erat quod petierant, quod erat tranſitorium, quaſi nihil eſt tranſitorium comparatione rei permanentis. *Petite*, id eſt, petetis, hoc ſcilicet, *ut gaudium veſtrum ſit plenum: & accipietis.* Vel ſic: *petite & accipietis*, quod petitis, ita, *ut gaudium veſtrum ſit plenum, & accipietis.* Vel ſic, *ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Auguſtinus ſuper Joannem: Hoc gaudium profectò non eſt carnale, ſed ſpirituale, & quando tantum erit ut ei jam aliquid non ſit addendum. Procul dubio tunc erit plenum gaudium, quod fletu non miſcebitur, ſicut præſens gaudium. Proverb. decimo quarto. *Riſus dolore miſcebitur. Hæc in proverbiis*, id eſt, ænigmatibus & obſcuritatibus, *locutus ſum vobis.* Chryſoſtomus: quia obumbrata erant, quæ dicta ſunt, ait: *hæc in proverbiis locutus ſum*: quæ, ſicut dicit Aug. ſolẽt homines audire, & nõ intelligere: unde dicit Victor, quæ uſquemodo dixi vobis quaſi proverbia ſunt, id eſt, obſcura, ſicut ſolent eſſe proverbia: quæ ſunt dicta brevia, aliud in ſuperficie verborum; aliud in virtute ſententiarum habentia. Baſilius: Proverbiorum nomen in verbis vulgaribus habere conſuetudo hominum ſolet, ea quæ ex traductione antiquitatis loquũtur. Sed hæc vulgi opinio eſt & communis; nobis autem proverbium eſt ſermo utilis, habens aliquid utilitatis in aperto. Plurimum autem ſenſum contegens in occulto. *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobiſcum*, id eſt, non obſcurè. Dicit autem hoc de tempore poſt miſſionem Spiritus ſancti. *Sed palam de patre meo annunciabo vobis*, ſcilicet, tempore ante aſcenſionem, ſecundum illud, Actuum primo. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Vel *annunciabo*, mittendo Spiritum ſanctum. Beda: Illam horam ſignificat, qua peracta paſſione ſua ac reſurrectione, Spiritus ſanctus erat gratiam daturus: tunc enim ſpiritualiter intus inſtructi, omnia quæ de agnitione divinitatis à mortalibus erant capienda cœperunt. *In illo die*, poſtquam vobis apparuero vel Spiritum ſanctum miſero *in nomine meo petetis*; in virtute, ſcilicet, nominis mei; quaſi diceret: tunc æqualitatem mei ad patrem cognoſcetis, aliter non petetis in nomine meo. Victor: In illo die miſſionis Spiritus ſancti, in nomine meo petetis, credentes me Deum eſſe; hoc eſt, petite & impetrabitis, quia in me Deum creditis. *Et non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis*; immo, ut Deus idem cum patre exaudiam. Auguſtinus. Super Joannem: In quantum homo pro nobis interpellat patrem: in quantum Deus eſt, exaudit cum patre: & ſic non eſt contrarium quod hic dicitur, ad illud 1. Joan. 2. *Advocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtũ*, &c. illud enim referendum eſt ad humanitatem; iſtud ad deitatem. Et bene dixi: *in illo die in nomine meo petetis* Patrem, ſcilicet; *Ipſe enim pater amat vos*; unde accipietis, quod ab eo petetis, *quia vos me amaſtis, & credidiſtis.* Hæc dictio (Quia) nota eſt ſigni, non cauſæ. Auguſt. Super Joannem, quia ille

Sancti pro ſe ipſis exaudiuntur, non pro omnibus.

Quid petendũ ſit.

Deus differt aliquando dare.

Quid ſit in nomine Ieſu petere.

Gaudium ſpirituale eſt.

Proverbiũ quid ſit.

Quomodo Chriſtus interpellet patrem pro nobis & ſimul exaudiat.

amat, ideo nos amamus. *Ipſe* enim *prior dilexit nos.* 1. Ioan. 4. Ergo hinc factum eſt, ut diligeremus, quia dilecti ſumus: vel ſic: *non dico, quia ego rogabo patrem de vobis: ipſe enim pater amat vos*; quaſi diceret, non oportet eum rogare de vobis, quaſi de inimicis: *ipſe enim amat vos*. Et vulgariter dicitur, quod non oportet multum rogare amicum pro amico. Quia vos me amaſtis; quaſi diceret, ipſe me diligentes diligit, id eſt, in amicitia conſervat, & gratiam eis augmentat. *Et credidiſtis quia ego à Deo exivi*, per generationem, & miſſus ſum ab eo. Eccleſiaſtici 24. *Ego ex ore altiſſimi prodii.* Micheæ 5. *Egreſſus eius ab initio dierum æternitatis. Exivi à patre*, &c. Hic oſtendit, quod vera eſt fides eorum. Auguſt. Sic exponit hæc verba: exit, inquit, à patre, quia de patre eſt, in mundum venit, quia ſuum corpus mundo oſtendit, quod de virgine aſſumpſit; reliquit mundum corporali diſceſſione, perrexit ad patrem hominis aſcenſione: nec mundum deſeruit præſenti gubernatione. *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.* Gloſſa. Interlin. Palam loqui æſtimant cum dictorum eius nequeant comprehendere myſteria. Auguſt. Super Ioannem: Illi uſque adeo non intelligebant, ubi nec ſaltem ſe non intelligere intelligerent. *Nunc ſcimus, quia ſcis omnia.* Beda in Homilia apertè oſtendit, quia loquens ad eos dominus, de his maxime diſputabat, quæ audire, & quæ interrogare volebant; hoc præveniens ultro offerebat. Vnde merito illum ſcire omnia, quaſi Deum confitentur, apertum namque divinitatis indicium eſt cogitationum noſſe ſecreta. *Et non eſt opus, ut aliquis te interroget*, cum interrogationes noſtras, antequam interrogemus, manifeſtes. Chryſoſtomus. Vides, quantum ad id, quod in mente eorum erat, reſpondit. In hoc credimus, quia à Deo exiſti, id eſt, filius Dei es, & à Deo miſſus. Auguſt. Super Ioannem. Prævidere cogitationes hominum Deo magnum non erat, ſed parvulis magnum erat, qui dicebant: *in hoc credimus quia à Deo exiſti*. Poſſemus referre illud: *Ecce nunc palam loqueris & proverbium nullum dicis*, ad tria quæ dominus dixit eis, ſcilicet, quod pater amabat eos, & quod à Deo erat, & ad patrem ibat, & ad hoc exhilarati ſunt, & intellexerunt. Facile enim intelligit quis quod audire diligit. Auguſt. Super Ioannem: Quod intelligenti eſt verbum, non intelligenti eſt proverbium.

Chriſtus exivit à patre per generationem

Deus ſecreta hominũ cognoſcit.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Documenta varia ad orationem pertinentia.

SERMO LXXXV

Amen dico vobis ſi quid petieritis, &c.

Conveniens tempus orandi.

LIcet ſemper orandum ſit ſecundum illud Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*: Specialiter tamen tempus orandi eſt ab hac Dominica uſque ad feſtum Pentecoſtes: & de his diebus qui ſunt ante aſcenſionem, hoc patet, cum ſint dies rogationum. Præterea cum ſecundum præſentationem Eccleſiæ, Advocatus eius iturus ſit ad curiam cœleſtem, tempus eſt formandi petitiones. In die etiam aſcenſionis tempus orandi eſt. Conſueverunt enim principes cum de novo recipiunt terras ſuas liberalitatem ſuam oſtendere. In die ergo aſcenſionis cum ſecundum repræſentationem Eccleſiæ rex regum regnum ſuum recepit, liberalitatem ſuam, orantes exaudiendo, oſtendit. In pſal. 4. *Mirificavit dominus ſanctum ſuum, dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.* Poſt aſcenſionem verò in oratione expectandus eſt Spiritus ſanctus, ſicut primi de Eccleſia fecerunt. Actuum primo. *Hi omnes unanimiter perſeverantes erant in oratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu, & fratribus eius.* Præterea poſtquam dominus noſter à terris aſcendit in cœlum, multiplicari debent nuncii aſcendentes. Geneſ. 28. Vidit Iacob ſcalam, & angelos aſcendentes & deſcendentes. Angeli, id eſt nuncii, aſcendentes ſunt fidelium orationes, deſcendentes ſunt divinæ inſpirationes & conſolationes. Gloſſa. Super illud Pſal. 87. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.* Magna virtus puræ orationis hic notatur, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & mandatum peragit, quò caro pervenire nequit.

Orationes noſtræ ſunt quaſi nuncii

Cum igitur hoc tempus ſit tempus orandi, convenienter in hac Dominica recoluntur in Eccleſia quædam verba à Salvatore dicta ante eius aſcenſionem & Spiritus ſancti miſſionem, quibus modum orandi indicat, & fiduciam impetrandi dat, & ad orandum provocat. *Primum* pertinet ad vim rationabilẽ. *Secundum* pertinet ad vim iraſcibilem. *Tertium* pertinet ad vim concupiſcibilem. *Primum* neceſſarium eſt, ne fructum orationis impediat ignorantia. *Secundum* ne eum impediat diffidentia. *Tertium*, ne eum impediat negligentia vel pigritia. Ad *primum* pertinet illud Matth. 20. *Neſcitis quid petatis*, & illud Iacob 4. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Ad *ſecundum* pertinet illud Iacobi 1. *Poſtulet autem in fide nihil haſitans: Qui enim haſitat, ſimilis eſt fluctui maris*, &c. Non ergo æſtimet homo ille quod aliquid accipiat à Deo. *Negligentia* etiam impedit fructum orationis. Vnde legitur in vitis patrum, quod quidam frater patiebatur moleſtiam à ſpiritu fornicationis. & abiit ſæpe ad ſeniorem ut pro ſe oraret. Cumque frequens oratio ſenioris eum non iuvaret, dominus nocte oſtendit ſeniori negligentiam fratris eſſe in cauſa quare non exaudiretur. Vidit enim ſenior monachum ſedentem & ſpiritum fornicationis in diverſis formis mulierum ludentem apud ipſum. & eum cum ipſis delectari: Vidit etiam angelum Dei aſtantem & indignantem graviter contra eundem fratrem, quia non ſurgebat nec proſternebat ſe in orationibus ante Deum, ſed magis delectabatur in cogitationibus ſuis. Cognovit ergo ſenior culpam fratris eſſe quod ipſe non exaudiebatur pro eo, & dixit fratri: Impoſſibile eſt diſcedere à te ſpiritum fornicationis, aliis pro te orantibus, niſi tu ipſe laborem aſſumas in ieiuniis, in orationibus, in vigiliis, rogans Deum cum gemitu. Auguſtinus in libro de baptiſmo parvulorum: Adiutor noſter dicitur Deus, nec adiuvari poteſt niſi qui ſponte aliquid conatur. Idem in libro de perfectione iuſtitiæ hominis: non adiuvatur, niſi qui & ipſe aliquid agat. Fiducia impetrandi datur in hoc, quod dicitur: *Amen amen dico vobis.* Geminatio enim huius dictionis, amen, fit ad confirmationem promiſſionis. Simile Geneſ. 41. Quod vidiſti ſecundo ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt. *Amen amen dico vobis*: ego qui ſum veritas. Ioannis decimo quarto. Et ideo non fallo cui nota eſt patris largitas, unde non fallor, qui *ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*, &c. Poteſt tamen intelligi illa geminatio facta contra duplicem deceptionem, quæ ſolet eſſe in promittentibus; frequenter enim accidit, quod non ſolvunt promiſſum, vel diminute ſolvunt; Dominus verò iuxta promiſſionem hic factam dat, quod petitur, & etiam plus quam petitur, ut oſtendi poteſt multis exemplis. Lucæ 1. Dum Zacharias oraret pro populo, additum eſt ei de filio naſcituro. Vnde dicitur ibi. *Exaudita eſt oratio tua. Et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Iſaiæ 37. Hoc dicit dominus de rege Aſſyriorum: non intrabit in civitatem hanc, & non jaciet ibi ſagittam, &c. Sed cum his additum eſt, quod centum octoginta quinque millia occiſa ſunt de exercitu eius

Tria docet Chriſtus pertinentia ad orationem.

Ignorãtia, diffidentia & negligẽtia impediunt fructũ orationis.

Monachus non exauditur ob negligentiam

Fiducia impetrandi.

Deus orantibus plus dat quàm promittit.

tu eius

tu ejus. Item Salomon petiit ſapientiam & addidit Deus divitias & gloriam. 3. Regum 3. Jacob. 1. *Qui dat omnibus affluenter*. Epheſ. 3. *Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundãter, quàm petimus, aut intelligimus, ipſi gloria in Eccleſia*. Item fiducia impetrandi datur in hoc, quod dicitur: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.*

Modus orandi quinque requirit

Ad formam vero petendi quam dominus indicat, *quinque* pertinẽt, ſcilicet, quid ſit petendum, à quo ſit petendum, quales, petere debeant, quomodo petendũ ſit & quibus.

I. Quid ſit petendum.

Quid ſit petẽdũ oſtẽditur, cum dicitur. *Si quid petieritis*. Ad idem pertinet illud: *In nomine meo*. Et illud *gaudiũ veſtrũ plenum ſit*. Petẽdũ eſt aliquid, quod ſit ſolidum, ſcilicet & permanens, non temporale, tranſiens & fugiens. Jerem. 4. *Aſpexi terram & ecce vacua erat, & plena nihil*, nihil, quoniam temporalia tranſeunt; vacua, quia non replent, ſed inanunt. Bern. Si aliquid ſoliditatis haberent replerent. Eccleſiaſtici 5. *Avarus non implebitur pecunia*. Luc. 1. *Divites dimiſit inanes*. Seneca de deliciis: non ſunt ſolidæ, nõ ſunt fideles, etiam ſi non nocent, fugiunt. Auguſtinus. O munde immunde, quid ſtrepis, quid avertere conaris tenere vis fugiens, quid faceres ſi maneres? Item petendum eſt non ſalutem impediens, ſed ad ſalutem valens, & hoc eſt petere in nomine ſalvatoris in quo non petit, qui divitias petit, quæ ſalutem impediunt. 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*, &c. Sapient. 14. *Creaturæ in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Item non eſt petendum bonum minimum, bonis & malis commune, ſed bonum ſummum, quod cor implere ſufficiat; unde cor plenum gaudium habeat. Auguſt. 15. libro de civitate Dei: Deſerto bono bonorum proprio lapſus eſt factus ad bonorum minimum, non bonis proprium, ſed bonis maliſque commune.

Quod ad ſalutem petitur, in nomine Salvatoris petitur.

II. A quo petendum ſit.

A *quo* eſt petendum, oſtenditur, cum dicitur, *petieritis patrem*. Dulce eſt nomen paternum & naturale eſſe cognoſcitur patribus utilia filiis providere. Luc. 11. Cum dixiſſent diſcipuli: *doce nos orare*. Ait illis: *cum oratis, dicite: Pater noſter, qui* &c. Bernardus: mihi dicatur oratio cujus principium dulce, nomine paterno, ſequentium petitionum obtinendarum mihi præſtat fiduciam Lucæ 11. *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto, magis pater cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*. Et ſuper illud, Matth. 6. *Pater noſter*, dicit Gloſſa: Quid negabit filiis, qui jam dedit quod pater eſt. Provideat tamen, qui petit, ut ſe filium exhibeat, non canem, ne audiat illud. Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus*.

III. Qui petere debeant.

Quales petere debeant, notatur, cum dicitur: *Amen Amen dico vobis, ſi quid petieritis in nomine meo, dabitur vobis*. His enim qui ſunt eis ſimiles, in Chriſtum credentes, & eum amantes, fit hîc promiſſio, tales enim erant diſcipuli, ſicut patet ex his quæ ſequuntur: *Pater*, inquit, *amat vos, quia vos me amaſtis & credidiſtis, quia à Deo exivi*.

Fides valet ad impetrandum.

Fides multum valet ad impetrandum. Matth. 15. *Sicut credidiſti, fiat tibi*. Ejuſdem 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaveritis*, &c. *Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis*. Dilectio etiam multum valet ad impetrandum, ut hoc intelligamus de dilectione operis non ſermonis. Joannis 14. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. 1. Joannis 5. *Hæc eſt charitas Dei, ut cuſtodiamus mandata ejus*. Iſidorus. Si id quod Deus præcepit, faciamus, id quod petimus, ſine dubio obtinemus Auguſtinus. Citius exaudietur una oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris. 1. Joan. 2. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quod quidquid* petierimus ab eo, accipiemus; quia mandata ejus, cuſtodimus. E contrario; *qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Proverb. 23. Gregorius in dialogo: quid mirum ſi poſtulantes tardè à domino exaudimur, qui præcipientem dominum tardius aut nullo modo audimus.

IV. Quomodo petendum.

Quomodo ſit petendum, oſtenditur, cum dicitur: *In nomine meo*, invocato, ſcilicet, nomine meo, vel in virtute nominis mei. Nomen ejus nomen eſt bonum, glorioſum & benedictum. David Pſal. 51 *Expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum*.

Nomen Ieſu efficax.

In hoc nomine facta ſunt miracula, in hoc nomine expulſa ſunt dæmonia, & impetrata beneficia. In Pſalmo 110. *Sanctum & terribile nomen ejus*, ſupple, dæmonibus. Marci ultimo. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Et Bernardus ſuper Cantic. Nomen ſponſi invocatum lenit & inungit. Idem: cui fons forte ſiccatus lachrimarum, invocato Jeſu non continuo erupit uberior, fluxit ſuavior? In Pſalmo 12. Sit nomen ejus benedictum. Joannis 14. *Quidquid petieritis in nomine meo hoc faciam*.

V. Pro quibus petendum.

Quibus peti debeat ad hoc, ut petitio neceſſario impleatur, oſtenditur, cum dicitur: *Dabit vobis*. Auguſtinus. Super Joannem: quia ſancti pro ſe ipſis exaudiuntur, non pro omnibus, ideo dicit: *Dabit vobis*. Indignitas ejus, pro quo oratur, quandoque impedit orationem.

Quare Deus ſanctos pro aliis orantes non ſemper exaudiat.

Jeremiæ 7. & 11. *Noli orare pro populo iſto, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam*. Ejuſdem 15. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Non eſt exauditus Samuel pro Saul. 1. Regum 16. *Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

Duo oſtenduntur in verbis domini.

In his verbis *duo* oſtenduntur, ſcilicet, *negligentia humana*, & *liberalitas divina*. *Primum*, ibi: *Uſque modo non petiſtis quicquam*. *Secundum*, ibi: *petite, & accipietis*, &c.

1. Negligentia humana.

Magno tempore fuerant cum domino diſcipuli, & neglexerant æterna petere, conſolatione corporalis præſentiæ ejus contenti. Similis negligentia in multis eſt hodie, qui temporali conſolatione contenti, quæ eſt à domino maledicta. Lucæ 6. *Væ vobis divitibus qui hic habetis conſolationem veſtram*. De gaudio æterno non curant, quæ negligentia non eſt parum reprehenſibilis, cùm tanta miſericordia negligitur, quæ in præſenti nobis à Deo exhibetur.

In inferno nemo exaudietur.

Aliquis enim locus eſt, ubi gratius haberetur, ſi hoc ibi à Deo diceretur: *petite & accipietis, ut gaudium veſtrũ plenum ſit*, quàm ſi daretur eis tanta maſſa auri, quantus eſt totus mundus. O quantum gauderet ille dives Evangelicus Lucæ 16. Qui, plus quam mille anni ſunt tranſacti, petiit guttam aquæ ſuper digitum Lazari, qui fuerat ulceribus plenus. Sed nondum obtinuit, ſi audiret: *petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit*.

Multi multum orant & nihil impetrant.

Si quis tamen dicat ego peto, nocte & die, Pſalmos & orationes in ore habeo. Reſpondeo. Si labia ad Deum habes, cor autem longe eſt ab eo non petis, ſed potius cum eo velle illudere, ludo, qui dicitur ad vendendum aſinum, videris. Iſaiæ 29. Secundum unã litteram. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*. Alia littera ſic habet: *eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me*, Deuteronom. 4. *Cum quæſieris dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris*. De quibuſdam tamen verum eſt, quod nec corde nec ore precantur, ſed potius diſprecantur: in quibus immunditia oris fructum impedit orationis. Gregor. Cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur cum os diſplicet, oratio nec placet nec placat. Ideo ſicut Evangelium hodiernum

provocat ad orandum, ſic epiſtola hodierna monet ad os refrænandum dicens: *Si quis putat ſe religioſum eſſe*, &c. Si quis tamen dicat, & cor & os habet ad Deum. Reſpondeo, quod ſi cum his manum extendit ad diabolum, non videtur adhuc verè à Deo petere, ſed potius Deum deridere; non ſolum corde & ore, ſed etiam manu petendum eſt, ut ad Deum manus extendatur ei obediendo & pauperi eleemoſynam dando. Propter quod cõvenienter monemur nos in Epiſtola hodierna, ut ſimus verbi factores. Multum enim valet ad hoc quod Deus exaudiat hominem orãtem quod homo exaudiverit Deum præcipientem, ut oſtenſum eſt in ſermone præcedenti: *Tripliciter* oſtenditur liberalitas divina in hoc quod dicitur: *Petite & accipietis*, &c. *Primo* in hoc quod ad petendum nos provocat.

2. Tripliciter liberalitas divina oſtenditur.

1. Provocat ad petendum.

Liberales hujus mundi inquirentes ſe fugiunt & ſe abſcondunt: Non eſt talis Dei liberalitas, quæ ad petẽdum hortatur. Auguſtin. ſuper Joann. Nõ tantum hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia; plus vult ille dare, quã nos accipere, plus vult ille miſereri, quàm nos à miſeria liberari. De hac provocatione ad orandum amplius habetur. Matth. 7. & Luc. 11. Petite, inquit, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Auguſt. Quandoque expoſuit iſta diverſificando. Unde Gloſſa: Ipſius ſuper Matth. 7. *Petite & accipietis*, &c. quaſi infirmus pedibus prius petat ut ſanetur, poſt quærat ut inveniat viam quæ ad propoſitum ducat; deinde cum illuc venerit, ut aperiatur, pulſet. Sed prius eſt petitio ſanitatis, ut vires dentur animo, quibus, quod præcipitur, impleri poſſit, viribus acceptis. Secunda, eſt inquiſitio viæ, quid enim ſunt vires per devium euntes, cum recta via ad deſtinatam perduxerit. Tertia, eſt pulſatio, ut quod clauſum eſt, inveniri poſſit. Secundum hoc: *Primum* pertinet ad *inſipientes*, *ſecundum* ad *proficientes*, quorum eſt conſiderare, qua via melius poſſint proficere, *tertium* ad *perfectos*, qui mortui ſunt mundo & ſe habent immediate ad regnum. Ad Coloſſ. 3. *Mortui eſtis*, mortuis vita æterna petenda eſt. Poſtea viſum eſt Auguſtino eſſe potius dicta iſta ad inculcationem; unde Auguſt. in gloſſa ſuper Matth. 7. Operoſe quidem, quid iſta tria inter ſe differant, exponendum putavi. Sed longe melius ad inſtantiſſimam petitionem omnia referuntur. Poteſt tamen ſic exponi: petite veniam, quærite gratiam, pulſate ad gloriam. Vel poſſunt intelligi hæc tria dicta contra tres defectus trium virium qui fructum orationis impediunt, qui ſunt modicitas fidei in rationabili, tepiditas dilectionis in concupiſcibili, parvitas ſpei in iraſcibili. Petat ergo fides ſine hæſitatione. Jacob. 1. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*; quærat *dilectio ſine ſimulatione*. Rom. 12 Pulſet ſpes ſine ceſſatione ut ei aperiatur, & non confundatur. Rom. 5. *Spes autem non confundit.*

Tres defectus orationis.

Secundo oſtenditur Dei liberalitas in hoc quod petentes accepturos eſſe quod poſtulant, pollicetur. *Petite* inquit, *& accipietis*. Matth. 7. Sic habetur: *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit & pulſanti aperietur* Et ad ſingula verba eſt intelligendũ piè & perſeveranter. Et *notandum*, quod pietas uno modo idem eſt quod miſericordia; ſecundum hoc piè petit, qui petit id quod non eſt contra ſalutem animæ Impiè verò, qui petit quod eſt contra ſalutem animæ Eccleſiaſtici 36. Miſerere animæ tuæ placens Deo. Item petit piè qui proximũ petentem miſericorditer exaudit; impiè, qui non vult proximum exaudire: cum tamen velit à Deo exaudiri, qui à Deo non accipit quod petit. Proverb. 21. Qui obturat autem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & nõ exaudietur quandoque pietas dicitur cultus Dei. Unde Gloſſa loquens de illo verbo. Job. 28. Secundum unam litteram: Ecce pietas eſt ſapientia, dicit: Pietatem hoc loco poſuit Dei cultum, ubi noſtra littera habet: *Timor Domini ipſa eſt ſapientia*, quæ græcè dicitur theoſebia, & ille cultus conſiſtit in ſpe & fide & charitate. Unde Iſidorus. 8. libro ethymologiarum Tria ſunt quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur, Fides, Spes, & Charitas. Et Auguſtinus in Enchiridio: Fide, ſpe, charitate colimus Deum. Piè ergo petit, qui petit ſine fidei hæſitatione, ſine diffidentia, & ſine deſiderij tepiditate.

Pollicitatio Dei liberalis.

Tres virtutes Theologicæ neceſſariæ ad cultũ Dei.

Perſeverantia etiam multũ valet ad hoc quod id, quod petitur, accipiatur; ſicut improbitas in curia Romana multum valet ad hoc, quod id, quod petitur, impetretur. Philip. *In omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum* Jacobi ultimo. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua* Romanorum 12. *Orationi inſtantes.* Ad oſtendendum quod multum valet perſeverentia in oratione, ponit Dominus exemplum de amico Lucæ 11. & exemplum de vidua. Ejuſdem 18. Et Geneſ. 32. Licet angelus dixiſſet Jacob: *Dimitte me*, tamen ait Jacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. De petente piè & perſeveranter intellige, quod dicit Auguſt. loquens de illo verbo David, Pſalm. 65. *Benedictus Dominus qui non amovit orationem meam & miſericordiam ſuam à me*. Si non eſt, inquit, amota oratio, ſecurus eſto, quod nec miſericordia.

Perſeverãtia ad impetrandum valet.

Tertio oſtenditur Dei liberalitas in hoc, quod ad petendum magna incitat, dicens: *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit*.

3. Liberalitas Dei incitat ad magna

Gaudium mundi vanum. Gaudium de Deo plenum.

Nota quod gaudium mundi vacuum eſt, Iſa. 29. *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus* &c. Gaudium verò de ſpiritualibus in præſenti eſt ſemiplenum, Gaudium verò de Deo, quod in futuro habebunt electi, plenum erit, 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Bernard. Illud eſt verum & ſolũ gaudium, quod non de creatura ſed de creatore concipitur, quod cum poſſederis nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt, omne dulce amarum, omne decorum fœdum; poſtremo quodcunque aliud delectare poſſit, moleſtum.

Item *notandum* quòd cum gaudium mundi ſit quaſi gutta una reſpectu gaudii futuri quod erit de Deo, ſecundùm illud, Sapient. 11. *Quaſi guttà roris ante lucani, ſic eſt orbis terrarũ ante te*. Ridiculum eſt petere à Domino univerſorum gaudium mundi, ſicut non decet petere à rege unam guttam vini vel aquæ. Item *petite & accipietis* &c.

Sex faciunt ad impetrandum quod petitur.

Sciendum, quod *ſex* ſunt quæ multum valent ad hoc, ut, quod in oratione petitur, accipiatur. *Primum* eſt *puritas cordis* unde ſuper illud Pſal. 65, *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo*, dicit Gloſſa. Puritas orationis exauditur. Auguſt. Munda tantum cubiculum cordis, intus eſt qui exaudiat.

I. Puritas mentis.

Peccata multum impediunt fructũ orationis, Iſa. 1. *Cum multiplicaveritis orationes veſtras, non exaudiam: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Thren. 3. *Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio.* Qui infirmitatem vult curare, ad materiam morbi debet recurrere, ut eam expellat; & qui vulnus vult curare, primo debet ferrum inde extrahere: Sic oratio, quæ eſt pro amotione alicujus adverſitatis, ideo non exauditur, quia peccatum, quod erat adverſitatis cauſa, retinetur; & ſi forte exaudiatur, ex ira Dei eſt, non ex miſericordia: exauditur aliquis ad malum ſuum. Oſeæ 13. *Dabo tibi regem in furore meo.* Jeremiæ 51. *In calore eorum ponam potum eorum.* Non eſt miſericordiæ, ſi vinũ detur febricitanti in

Peccata impediunt orationis efficaciam.

tanti in calore, licet illud multum petat. Super illud 2. Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*, dicit Gloſſa Auguſtini.

Nota, quod exauditur diabolus petens Iob tentandum, & non exauditur Apoſtolus petens ſtimulum amovendum. Illum exaudivit, quem diſpoſuerat damnare, & non exaudivit, quem diſpoſuit ſalvare: nam infirmus multa petit à medico quæ non dat, non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſanitatem. *Secundum* eſt *largitio eleemoſynarum*; munera præmiſſa faciunt, ut petitio ſequens facile exaudiatur. Iſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum* &c. *Tunc invocabis & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet ecce adſū: quia miſericors eſt Dominus Deus tuus*. Eccleſiaſtici 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis & hæc orabit pro te*. *Tertium* eſt *humilitas*, quæ valet ut ad miſericordiam moveatur, qui rogatur, ſi miſeria eius pro quo oratur ei exponatur, quod facit humilitas, abyſſus abyſſum invocat, abyſſus, ſcilicet, miſeriæ abyſſum miſericordiæ. Eccleſiaſtici 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat*. David Pſal. 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum*. Humilis eſt velut arbor plantata iuxta fontem divinæ miſericordiæ: de illa enim confidit. Ieremiæ 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino* &c. Et erit tanquam lignum quod tranſplantatur ſuper aquas. *Quartum* eſt *manſuetudo*. Proverb. 15. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem*. Reſponſio mollis eſt, cum aliquis recognoſcit ſe graviora meruiſſe quàm patiatur. Iudith. 9. *Humilium & manſuetorum ſemper placuit tibi deprecatio*. *Quinto fiducia*, Iacob. 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Bernardus. Quatenus in bonis Domini pedem fiduciæ poſueris, eatenus poſſidebis. Item nil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti. *Sextum* eſt *obedientia*; de qua dictum eſt prius.

II. Largitio eleemoſynæ.

III. Humilitas.

IV. Manſuetudo.

V. Fiducia.

VI. Obedientia.

Et *notandum* quod ſecundum qualitatem rei, quæ petitur, debet eſſe modus petendi. Cùm petitur regnum, quia magnum eſt quod petitur, magnè id eſt cum magno deſiderio debet peti. Auguſt. Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut tu diſcas magnum magnè deſiderare. Item, quia æternum eſt quod petitur, perſeveranter debet peti: de qua perſeverantia dictum eſt prius. Item quia tale bonum eſt, quod nulli eſt malum, & quod eſt neceſſarium, ſimpliciter eſt petendum: Temporalia verò quæ aliquibus ſunt noxia, ſub conditione ſunt petenda. Gloſſa. Auguſt. Super illud 2. Corinth. 13. Cùm ea quæ laudat Deus, & promittit, ab illo petitis, ſecure petite: Illa enim, Deo propitio, conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, & cum timore illi committite, ut ſi proſint, det, ſi ſcit obeſſe, non det; quid enim proſit, vel obſit, medicus novit, non ægrotus. Bernardus ad fratres de monte Dei, poſtulatio, inquit, eſt circa obtinenda temporalia & neceſſaria vitæ, in qua Deus poſtulantis comprobans bonam voluntatem: facit tamen quod ipſe melius iudicat, & dat libenter ſequi poſtulantem. Poſtulans verò debet fundare intentionem ſuam, in hoc, quod impletione poſtulationis ſuæ Deus laudetur, & glorificetur, & dilectio Dei in hominibus augeatur; & ut bonis fiat conſolatio, & infirmis caveatur peccandi occaſio: defectus enim temporalium eſt occaſio peccandi; Ideo dicit Salomon. Proverb. 30. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victus meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus?* Et egeſtate compulſus furer, aut periurem nomen Dei mei.

Qualitas petitionis reſpondens rei petitæ. Spiritualia abſolute petenda.

Temporalia ſub conditione.

Deus negat petiti in bonum petentis

DOMINICA POST ASCENSIONEM

SERMO PRIMVS.

SERMO LXXXVI.

SVMMARIVM.

Evangelium explanatur.

Cum venerit paraclitus, &c. *Ioan. 16.*

SIcut in Dominica proxime futura recolitur Spiritus ſancti miſſio, ſic hodie in Evangelio recolitur promiſſio facta de ipſo mittendo, cum quadam notificatione Spiritus ſancti reſpectu illorum à quibus eſt, ſcilicet, Patris & Filiiy & reſpectu eorum, quæ ab ipſo ſunt, oſtenditur enim multiplex eius effectus: & quia Spiritus ſanctus mittendus erat ad roborandum diſcipulos contra adverſa quæ paſſuri erant, tangitur in eodem Evangelio de tribulationibus illis, ibi: *hæc locutus ſum vobis. Cum venerit paraclitus*, id eſt, conſolator; ſic dicitur, ut ſperent ab eo conſolationem. *quem mittam vobis à patre*. Hic oſtenditur quod Spiritus ſanctus eſt à filio, ſed hoc habet filius à patre, *Spiritum veritatis*; hoc dicitur ut ab eo ſperent prædicationis gratiam, *qui à patre procedit*, penes quem auctoritas eſt: nec eſt dicendum, quod ita procedat à patre, quod non à filio, ſicut Græci dixerunt occaſione huius verbi, cum filius ſolet patri attribuere etiam quod ſuum eſt, quia quidquid habet, habet à patre: unde dicitur ſpiritus filii. Galath. 3. *Miſit Deus ſpiritum filii ſui* &c. Ad Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Ille teſtimonium perhibebit de me*, ſcilicet, de mea Deitate: nam tantum donum non poſſet dare niſi Deus. Item perhibebit de me vivente, qui credebatur mortuus. In hoc enim, quod mittam Spiritum ſanctum quem promiſeram, apparebit me reſurrexiſſe & vivere. Item in manifeſtatione ſignorum, quæ facta ſunt in adventu Spiritus ſancti. In nomine meo teſtimonium perhibebit de me contra Iudæos. *Et vos teſtimonium perhibebitis de me*, ſcilicet, de mea Deitate, vel de operibus meis, & vita mea, confirmati à Spiritu ſancto, *quia ab initio* prædicationis meæ *mecum eſtis*. Et ideo teſtimonium perhibere poteſtis in hoc quod noviſtis.

Nota quod diſcipuli ex hoc confirmant teſtimonium ſuum, quòd cum illo fuerant converſati. Actuum. 10. *Dedit manifeſtum eum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo*. 1. Ioan. 1. *Quod audivimus* &c. Actuum 4. Habetur de teſtimonio Apoſtolorum: *& nos*, inquiunt, *teſtes ſumus horum verborum. & Spiritus ſanctus*, &c. Beda in homilia: Adveniens ſpiritus teſtimonium perhibuit de Domino, quia diſcipulorum corda inſpirans, omnia quæ de illo erant ſcienda mortalibus, clara illis luce revelavit. Illi autem teſtimonium perhibuerunt, quia quæ ſpiritu intus docente, perceperũt, hæc abiecto timore priſtino, foris loquendo, etiam alliis miniſtrabant, ut dicit Auguſt. *Quia ille perhibebit, & vos perhibebitis*: ille in cordibus veſtris, vos in vocibus veſtris, ille inſpirando, vos ſonando. Ioan. 16. Hæc, ſcilicet, perſecutionem futuram, & odium mundi. *Locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini*, id eſt, offendiculum patiamini pro his, cum venerint recedendo à me. Simile, Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis*. Beda: Curavit pius magiſter futura diſcipulis pravorum bella prædicere, ut minus hæc venientia poſſent eos offendere, quia ſolent levius ferri adverſa quæ ante prænoſcuntur.

Triplex malum prædixit eis, quod erant paſſuri. *Primo* videtur eſſe damnum ſpirituale; de quo ibi: *Abſque Sinagogis facient vos*, id eſt, de

congregatione ſua ejicient vos. *Jam enim conſpiraverunt Judæi, ut ſiquis eum confiteretur Chriſtum, extra Synagogam fieret* Victor: hoc prædixit eis quod præcipue poterat eos turbare: nondum enim erant Eccleſiæ, immo ad templum ibant orationis cauſa. Actuum 3. *Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*: tamen ſecundum veritatem nullum malum erat eis à Synagogis Judaicis expelli, qui inde erant ſeparaturi, etiam ſi nullus eos expelleret, ut dicit Auguſt. ſuper Joannem *Secundum* malum eſt diffamatio. *Tertium* eſt mors corporis. De his habetur, ibi: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*; quaſi diceret: non ſolum ejicient vos è congregatione, ſed adeo malos vos reputabunt, ut occiſionem veſtram credant gratam Deo. Secundum Auguſtinum, hoc dicitur ad conſolationem eorum; quaſi diceret: licet vos à Synagogis ejiciant, tamen non timeatis ſolitudinem quia tot Deo adquiretis; *ut omnis qui interficit* &c. Auguſtinus. Hæc verba Dominus ſubjecit, tanquam ex hoc conſolaretur eos qui de Synagogis pellerentur. Non enim ait: Et venit hora; immo, ſed venit hora, ut intelligerent & gauderent tam multos ſe Chriſto adquiſituros, ut eos non ſufficeret Judæis de ſynagogis pellere, ſed nec ſinerēt vivere, ne omnes ad nomē Chriſti ſua prædicatione cōverterēt. *Non noverunt patrem, neque me*, hoc eſt non cognoverunt Deum, neque ejus filium. Beda: quia filius in patre, & pater in filio patet quod quicunque filio reſtiterant obſtinata mente, nec patrem noverunt. 1. Joan. 2. *Omnis qui negat filium, nec patrem habet.* Hæc locutus ſum, &c. De futuris ideo inſtruxi vos, ne ignaros & imperitos animos mala inopinata & improviſa turbarent, ſed præcognita, ac patienter accepta ad bona ſempiterna perducerent. Vt *cum venerit hora, eorum*: In neutro genere, ſcilicet adverſorum; vel hora eorum, ſcilicet, perſecutorum, ſcilicet, oportunitas perſequendi. Auguſtinus. Hora eorum, hora tenebroſa. Joan 17. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

De triplici Spiritus S. effectu, conſolatione, inſtructione, veritatis confirmatione.

SERMO LXXXVII.

Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. *Joan. 16.*

IN his verbis quæ in Evangelio hodierno leguntur promiſſio ſpiritus ſācti à Salvatore facta diſcipulis recolitur, fides inſtruitur, deſiderium accipiendi Spiritum ſanctum inquiritur. *Promiſſio* recolitur, cùm dicitur: *quem ego mittam* Promiſſio Spiritus ſancti duplici ratione hodie recolitur. Primò, quia illa miſſio Spiritus ſancti in diſcipulos famoſa & glorioſa in ſequente Dominica recolitur, ut præſens; ideo cōvenienter recolitur hodie, ut futura promiſſio illius miſſionis diſcipulis hodiè à Salvatore facta in Evangelio legitur. Secundò quia occulta miſſio Spiritus in fideles in hoc feſto facienda expectatur. Dabitur enim Spiritus Sanctus in hoc feſto paratis debito modo, licet aliter, & ad aliud quàm tunc. *Vnicuique enim datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* 1. Corinth. 12. Ideo miſſio illa fidelibus prædicitur, ut ad illam ſtudeant ſeparare. De præparatione verò ad receptionem Spiritus ſancti, require in primo ſermone epiſtolæ hodiernæ & ſequentis Dominicæ.

Fides inſtruitur in hoc, quod duæ perſonæ nominatim exprimuntur, ſcilicet pater & ſpiritus; filius verò ex vi correlationis intelligi datur. Item auctoritas patris oſtenditur in hoc, quod dicitur: *mittam vobis à patre.* Filij verò intelligi datur, cùm dicitur: *quem ego mittam vobis.*

Et *notandum* quòd falſitas erroris Græcorum dicentium Spiritum ſanctum non procedere à filio, qui originem habuit ex hoc, quod exprimitur, quod Spiritus ſanctus procedit à patre, & non exprimitur, quod procedat à filio, ſatis de facili poteſt oſtendi. Cum enim per ſe notum ſit, quod amor procedit ab amante, & Spiritus ſanctus ſit amor indubitanter quo pater amat filium & filius patrem, Spiritus ſanctus à patre & filio procedit. Præterea ſi eodem modo ſe habet amor, quo filius amat, ad filium, & amor quo pater amat, ad patrem; ſic amor quo pater amat, à patre procedit, & amor quo filius amat, à filio procedit. *Deſiderium* vero recipiendi Spiritum ſanctum incitatur in hoc, quod effectus multiplex oſtenditur quem habet Spiritus ſanctus in his, ad quos mittitur.

Error Græcorum de proceſſione Spiritus S.

Triplex verò effectus in prædictis verbis oſtenditur. *Primus* eſt *conſolatio*. qui effectus oſtenditur in hoc, quod paraclitus dicitur, interpretatur enim cō ſolator. *Secundus eſt inſtructio* vel *illuminatio*, qui effectus oſtenditur in hoc, quod Spiritus veritatis dicitur. *Tertius* eſt *veritatis confirmatio*; quæ *duplex* eſt, ſcilicet, *interior*, ad quam pertinet illud: *Ille teſtimonium perhibebit de me*; alia eſt *exterior*, ad quam pertinet illud: *& vos teſtimonium perhibebitis.*

Triplex effectus Spiritus S. in homine.

Circa Conſolationem notandum, quod Spiritus ſanctus non conſolatur quoſcunque, non enim illos conſolatur qui vanam conſolationem complectuntur; illis enim potius deſolatio maledictionis æternæ debetur. Luc. 6. *Væ vobis divitibus qui habetis hic conſolationem veſtram.* Sponſæ Chriſti habenti conſolationem cum mundo, ad ultimum non debetur à Chriſto ſponſo conſolatio, ſed potius flagellatio. Bernard. ſuper Cantic. Delicata eſt divina conſolatio, & non datur admittentibus alienam. Conſolatur Spiritus ſanctus fugientes mundi conſolationem. David Pſalm. 76. *Renuit cōſolari anima mea: memor fui Dei & delectatus ſum* Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniā ipſi conſolabuntur* Job 3. *Poſt lacrimationem & fletū exultationem infundis.* Greg. ſuper illud Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem* prius inquit, exurente triſtitia caligo detergitur, & ſic reſplendente raptim incircūſpecto lumine mens illuminatur. Item Greg. mens lachrimis baptizata in contemplatione videt limpidius. Item in moralibus plerumque fit ut in ipſis piis fletibus gaudij charitas erumpat, & mens quæ cæca jacuerat ad inſpectionem fulgoris intimis ſuſpiriis vegetata convaleſcat. Spiritus S. Deus eſt patiētiæ & ſolatii. Rom. 15. & Deuter. 8. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna.* Jacob multum timebat Eſau, quando illam viſionem vidit, pro qua dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Geneſ. 32. Item Stephanus in tribulatione poſitus vidit gloriam Dei. Actuum 7. Joannes in exilio poſitus vidit revelationes, quæ in Apocalypſi continentur. Item non conſolatur Spiritus ſanctus habentes triſtitiam hujus ſæculi, quæ mortem operatur. 2. Corinth. 7. Non debetur adulteræ, quæ de abſentia adulteri triſtatur, conſolatio, ſed potius afflictio illis debetur. Qui in ſe dolent fletibus quæ Deo diſplicent, iſte luctus in gaudium vertitur. Jerem. 31. *Convertam luctum eorum in gaudium.* Iſte luctus poteſt deſignari per aquas Marach, quæ in dulcedinem verſæ ſunt. Exod. 15. Item non conſolatur Spiritus ſanctus pigros & remiſſos, qui ſervitutem

Quos Spiritus S. non conſolatur.

Quos conſolatur.

Triſtitiæ hujus ſæculi non debetur conſolatio, ſed deſolatio.

vitiorum

vitiorum patiuntur. 2. Corinth. 11. *Suſtinentes ſi quis vos in ſervitutem redigit*, ſed illos, qui ſtrenuè tentationes ſuperãt, conſolatur. Apocal. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*. Vaſi immundo, ſcilicet, cordi vitiis pleno non infundet Spiritus ſanctus balſamum ſuæ conſolationis. *Spiritus Domini ſuper florem requieſcit*. Iſa. 11. Servanti mandata promittitur paraclitus. Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate: & ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis* Item non conſolatur Deus ſuperbum. Superbia enim mons Gelboe eſt in quem nec ros, nec pluvia deſcendit. 2. Reg. 1. Et ſi deſcenderet à vento vanæ gloriæ exſiccaretur. Superbus habet ventoſam plenitudinem, quæ conſolationem Spiritus ſancti repellit, ſed conſolatur Spiritus ſanctus humiles. 2. Corinth. 7. Bern. Magna & ſublimis virtus humilitas, quæ promeretur, quod non docetur, digna adipiſci, quod non valet addiſci: digna de verbo & à verbo concipere quod ſuis ipſa verbis explicare non poteſt.

Multis modis conſolatur Spiritus ſanctus

Mitigando tentationes

Et *notandum* quod Spiritus ſanctus *multipliciter* conſolatur. *Primo*, tentationem mitigando Iſaiæ 43. Cum pertranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne non combureris. Per aquam quæ habet mollitiem, intelligitur tentatio proſperitatis: in igne tentatio urens adverſitatis. Daniel 3. *Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.*

Dando virtutem pugnandi.

Secundo virtutem dando Lucæ ultimo. *Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto*. 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus, qui non patitur vos tentari ſuper id quod poteſtis: Sed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

Infundendo dulcedinem

Tertio dulcedinem infundendo Eccleſiaſtici 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis*, &c Bernard. Quid non temperabit dulcedo illa, quæ mortem quoque facit dulciſſimam, quæ reſiſtere poteſt aſperitas unctioni illi? Auguſt. Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro; unde cum tantam ſuavitatem Spiritus ſanctus afferat, ut totum mundum homini deſipere faciat, patet Sipiritum ſanctum eſſe Deum, & ſuper omnem creaturam.

Oſtendendo utilitatem tentationum.

Quarto utilitatem tentationum oſtendendo: Sic dominus conſolatus eſt Stephanum, oſtendendo ei fructum martyrij ſui, gloriam ſuam. Actuum 7. Hoc modo conſolatur Paulus Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et Jacob. 1. *Beatus qui ſuffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*, &c.

Quomodo Spiritus S. illuminet.

Circa ſecundum effectum Spiritus ſancti notandum, quod ipſe eſt Doctor Eccleſiæ Joan. 14. *Ille vos docebit omnia*. Ejuſdem 16. *Et cum venerit ſpiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem*: veritatem de humanis, veritatem de divinis, veritatem circa inferiora, ut contemnantur, veritatem circa ſuperiora, ut appetantur. Ipſe eſt Doctor juſtitiæ. Joel 2. *Filii Sion, exultate & letamini in domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem juſtitiæ.* Jſaiæ 30. *Dabit vobis dominus panem arctum & aquam brevem, & non faciet ultra avolare à te doctorem tuum*. Panis, eſt doctrina difficilis, & obſcura quæ attritione expoſitionis indiget, qua cum quodam labore utimur. Aqua vero eſt doctrina facilis ſine labore nobis utilis. Panis ergo arctus, & aqua brevis nobis data ſunt; quia doctrina ſacra in duobus mandatis de dilectione abbreviata eſt. Nec doctor avolat, quia Spiritus ſanctus ab Eccleſia nõ recedit: ipſe docet interius. Thren. 1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis & erudivit me*. Ignis in oſſibus, eſt Spiritus ſanctus in cordibus. Ad hunc doctorem recurrendum eſt. Auguſt. Super Ioannem Magiſteria forinſecus adjutoria & admonitiones quædam ſunt, cathedram autem habet in cœlo, qui corda docet.

Et ſciendum quod Spiritus ſanctus, Spiritus veritatis eſt, veritatem ſub umbra figurarum latentem detegens, mundi vanitatem contemni faciens, ſimulationem fugiens, errores hæreticorum & gentilium deſtruens. Hunc ſpiritum veritatis non capit Judæus, umbris figurarum adhærens; hunc ſpiritum non capit mundus, de ſpiritu vanitatis tumẽs. Joan 14. *Quem mũdus non poteſt capere*, ipſũ non capit hypocrita, ſanctitatem mentiens. Sap. 1. *Spiritus diſciplinæ effugiet fictum*; ipſum etiam non capit hæreticus vel gentilis ſpiritibus erroris attendens 1. Timoth. 4. *Spiritus manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.*

III. Quomodo Spiritus S confirmet veritatem. Teſtificatur de Chriſto.

Circa tertium effectum Spiritus ſancti qui eſt confirmatio veritatis, attendendũ eſt valde utilem eſſe veritatẽ, ad quam confirmandã teſtis adducitur Spiritus ſanctus: quid autem Spiritus ſanctus teſtificetur oſtenditur. 1. Joan. ultimo. *Spiritus, inquã eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas*. Secundũ Auguſtinũ: Omnia ſũt falſitas præter Chriſtũ; promittũt enim quod non ſolvũt. Temporalia vanitas ſũt, nõ veritas. Eccleſiaſtici. 1. *Vidi cuncta quæ fiũt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas ſunt*.

Oſtendit quanta ſit vanitas rerum temporalium.

Vanitas temporalium multis ſimilitudinibus oſtẽditur. Sapient. 5. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens*, &c. Et Ejuſdem: *Spes impij quaſi lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt; & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis*. Propter vanitatem temporalia ſomnio comparantur. Eccleſiaſtici 33. *Somnia extollunt imprudentes*. Job 20. *Tranſiet ſicut viſio nocturna*. Iſa 29. *Sicut ſomniat eſuriens*, &c.

Variis modis teſtificatur Spiritus S. de Chriſto

Spiritus ſanctus Chriſto teſtimonium perhibuit in hoc, quod ab eo datus eſt, ſecundum quod ipſe promiſerat; nobilitas enim doni nobilitati dantis atteſtatur. Item in diſcipulorum roboratione: Chriſtus enim per Spiritum ſanctum paucos milites adeo roboravit, quod per eos de toto mundo triumphavit. Petrus qui ad vocem ancillæ ante miſſionem Spiritus ſancti Chriſtum negaverat, Matth. 26. Accepto Spiritu ſancto invincibilis factus eſt. Item Spiritus ſanctus exhibuit ei teſtimoniũ in prædicatorũ exercitatione. Lucæ 21. *Ego dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt contradicere omnes adverſarij veſtri* Act. 6. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur*. Item miraculorum operatione, accepto enim Spiritu ſancto, *prædicaverunt ubique, domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Mar. ultimo.

Spiritus S fecit Apoſtolos & prædicatores idoneos teſtes. Mundando eos.

Sequitur: *Et vos teſtimonium perhibebitis*. Conveniens ordo, *prius* enim oportuit diſcipulos teſtimonium à Spiritu ſancto recipere, & poſt aliis perhibere. Spiritus ſanctus fecit eos idoneos ad teſtimonium perhibendum, mundando eos, ne exceptione à teſtimonio repelli poſſent. Ezech. 36. *Effundã ſuper vos aquam mũdam & mundabimini*, &c.

Inſtruendo

Secundo, eos inſtruendo, ut veritatem aſſerendam agnoſcerent. Joan. 16 *Docebit vos omnem veritatem*.

Roborando.

Tertio eos roborando, ut veritatem agnitam loqui auderent, Lucæ ultimo. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.*

Multa teſtimonia de Chriſto. Dei patris Spiritus ſancti.

Et *notandum*, quod Chriſtus multiplex teſtimonium habuit. Teſtimonium patris in baptiſmo. Matth. & Lucæ 3. & in transfiguratione Matth. 17. Item habuit teſtimonium Spiritus ſancti, columba ſuper ipſum deſcendente Matth & Lucæ. 3. & in die Pentecoſtes, Spiritu ſancto miſſo ab eo ſuper ejus diſcipulos in ſpecie ignis. Actu. 2

S. Ioannis Baptiſtæ. Miraculorum.

Habuit teſtimonium Joannis: *hic venit in teſtimonium*, de illo teſtimonio multum ſequitur in eodem capitulo & ejuſdem 5. *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati*. Item habuit teſtimonium

operum, de quo in eodem. *Ego habeo teſtimonium maius Ioanne; opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam, ea ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Item habuit teſtimonium ſcripturæ Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas, &c. illa enim ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Item habuit teſtimonium Apoſtolorum, de quo Iſaiæ 44. *Vos teſtes mei, &c.* Item teſtimonium ei perhibuerunt prædicando, & veritatem quam prædicabant, ſanctitate vitæ, & miraculis, & morte propria confirmando. Nemo ſani capitis mendacium morte propria auderet confirmare. Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis. Sed hodie multi, qui teſtimonium ei perhibere debuerunt, ad teſtimonium perhibendum idonei non ſunt. Alii corrumpuntur muneribus. Eccleſiaſtici 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum.* Alii timore mundano vel humano à teſtimonio ceſſant, trepidantes ubi non erat timor Proverb. 29. *Qui timet hominem cito corruet* Alii amore vel odio à veritate teſtimonii prohibentur. Bernardus. Amor vel odium veritatis neſcit iudicium. Item teſtimonium aliquorum non eſt conveniens propter contrarietatem: *confitentur enim ſe noſſe Deum; factis tamen negant*, ad Titum 1. hi ſunt de quibus. Matth. 23. *Dicunt enim & non faciunt.* Aliqui verò ſunt teſtes de auditu, non de viſu, qui multis annis audierunt Theologiam, & nunquam una die ſecundum eam vixerunt: tales teſtes non fuerunt Apoſtoli. 1. Ioan. 1. *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis*: immo nec de auditu videntur teſtes eſſe, cum aures audiendi non habeant. Matth. 13. *Qui habet aures audiendi audiat.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui peccat, non videt eum, nec novit eum*: famam eius audire potuerunt. Iob 28. *Audivimus famam eius.* In eodem: *Non invenitur ſapientia in terra ſuaviter viventium.*

Scripturæ.

Apoſtolorũ

Multi prohibentur à teſtimonio veritatis.

Teſtes minime idonei.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini, abſque Synagogis facient vos. Prævidens dominus multos excommunicatione eſſe ſcandalizandos, ſubiungit de ſcandalo & excommunicatione.

Et *notandum* quod aliquando iniuſte fertur excommunicatio, & tunc ſolet, qui excommunicatur, ſcandalizari, quandoque verò iuſte lata, ab eo, qui excommunicatur, vel ab eis, qui cum eo converſantur, contemnitur. In primo caſu patienter eſſet ferendum & abſolutio humiliter petenda; tunc enim non nocet ſed prodeſt, meretur enim tunc excommunicatus & in hoc, quod verecundiam ſuſtinet. Eccleſiaſtici 4. *Eſt confuſio adducens gloriam*, & in hoc, quod ſuperiori honorem exhibet, & in hoc, quod proximo exemplum patientiæ præbet. Tunc ad ſui conſolationem debet ad memoriam reducere, quod hic dominus dicit: *abſque Synagogis facient vos*; & illud Luc. 6. *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos.* Ioan. 9. *Conſpiraverunt Iudæi, ut ſi quis enim confiteretur Chriſtum, extra Synagogam fieret.* In ſecundo caſu notandum, quod multum timenda eſt excommunicatio iuſte lata; quia ſic excommunicatus eſt Sathanæ traditus, & quandoque tales ſtatim puniebat, ut Corinthium fornicantem: de qua habetur 1. Corinth. 5. Nunc autem non ſtatim eos punit ut in futuro magis puniantur. Gregor: Ad modicum gloriari ſinitur. ut fortius & atrocius in perpetuum feriatur. Item blande ſeducit, ſed poſt violenter ad ſupplicia trahit. Iob 21. Quare impii vivunt, &c. reſpondet. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Item ut excommunicatio timeatur & caveatur. Eccleſiaſtici 8. *Quia non profertur cito contra malos ſententia, filii hominum abſque timore ullo perpetrant mala.* De hac materia require in ſumma de vitiis, capitulo de contemnentibus excommunicationem.

Excommunicatio iniuſte lata, æque ferenda eſt.

Excommunicatio iuſte lata timenda eſt.

IN DIE PENTECOSTES.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Cur Chriſtus diſcipulis ſuis ſe manifeſtaverit, & non Mundo: Quomodo nobis ad SS. Trinitatem eundum, & illa ad nos veniat. Non pacem præſentem plenam, ſed futuram. Chriſti humanitatem ſublevatam cauſam gaudii noſtri eſſe debere.

Si quis diligit me ſermones meos ſervabit. *Ioan.* 14.

SERMO LXXXVIII

DVo continet Evangelium hodiernum, ſcilicet, reſponſionem domini ad interrogationem Iudæ Thadæi, & diſcipulorum conſolationem dolentium de receſſu audito: quæ incipit ibi: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus.* Dixerat dominus: *Mundus iam non videt me, vos autem videbitis me.* Ideo quæſivit ab eo Iudas: quæ cauſa eſſet, quare manifeſtaturus eſſet ſe eis, & non mundo. Vnde reſpondet ei dominus, oſtendens cauſam huius diſcretionis eſſe dilectionem, quæ probatur per mandatorum obſervationem: unde dicit. *Si quis diligit me, mandata mea ſervabit*, hoc eſt, qui diligit me affectu, oſtendet hoc in effectu. Gregor. Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. *Et pater meus diliget eum*, id eſt, oſtendet ſe diligere eum merito illius dilectionis, quia pater ab æterno dilexit, & quia pater diligit, cùm una ſit dilectio mei & patris. *Ad eum veniemus*, ego pater & Spiritus. Ioan. 14. *Apud vos manebit & in vobis erit*: Quaſi diceret, totius Trinitatis notitiam habebit, ſive exponatur de adventu ipſius poſt reſurrectionem, ſive de adventu ipſius in fine mundi. Beda: Chriſtum & patrem & Spiritum ſanctum ad eum veniſſe, nullus ambiguit, qui inſeparabilem ſanctæ Trinitatis naturam, virtutem, & operationem eſſe cognovit. *Et manſionem apud eum faciemus.* Poſtquam induti fuerunt virtute ex alto. Lucæ ultimo. Trinitas in eis manſit per gratiam, ſecundum quod exponitur de omnibus ſanctis; ſic intelligitur: *manſionem apud eum faciemus.* Gloſſa. Hic per gratiam & in futuro per gloriam. Auguſtinus. Veniunt ad nos Pater & Filius & Spiritus ſanctus: dum venimus ad eos, veniunt ſubveniendo; venimus obediendo, veniunt illuminando; venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo e contrario. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervabit.* Auguſt. Ecce expoſita eſt cauſa quare ſuis ſe manifeſtaturus eſt, & non alienis quos mundi nomine appellat: & ipſa cauſa eſt, quod ipſi diligant. Dilectio ſanctos diſcernit à mundo. *Et ſermonem*, &c. ne credatur parvus contemptus, ſi ſermo ipſius contemnatur, ſubdit auctoritatem dicens: & *ſermonem* vel ſermo *quem audiſtis, non eſt meus*; id eſt, mei hominis, vel ego, qui ſum verbum patris, non ſum à me ipſo, ſed eius, qui miſit, patris. Simile, Ioan. 14. *Quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor.* Eiuſdem 7. *mea doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Hæc locutus ſum vobis.* De manifeſtatione mea, & manſione in dilectoribus meis. *Apud vos manens*, corporali præſentia; & quia aliqua dixerat quæ non intellexerant, aliqua etiam de auditis obliti fuerant, ideo oſtendit Spiritum ſanctum manifeſtaturum eis obſcura & rememoraturum oblita.

Quare Chriſtus ſe diſcipulis manifeſtet non mundo.

S. Trinitas in homine manet.

Eundum nobis ad Trinitatem ut ipſa veniat ad nos.

Sermo Chriſti non contemnendus.

Paraclitus autem ſpiritus Gregor. Paraclitus græca locutione, latina advocatus dicitur, vel conſolator: qui ideo certe advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iuſtitiam patris intervenit, qui etiam exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleverit, exorantes facit. Ipſe enim Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis

Spiritus S. Advocatus dicitur.

gemitibus inenarrabilibus. Roman. 8. Ipſe poſtulat, quia ad poſtulandum eos quos repleverit, inflammat. Conſolator autem vocatur, quoniam dum de peccati perpetratione mœrentibus ſpem veniæ præparat, ab afflictione triſtitiæ mentem levat. *Quem mittet pater*, quia apud eum eſt auctoritas principii. Sed ne credatur minoritas eſſe in filio, ſubditur: *in nomine meo*, id eſt, ad honorem nominis mei, vel ad invocationem nominis mei: vel ſecundum Victorem, ad ſalutem credentium, quæ notatur in hoc nomine Jeſu. *Ille vos docebit omnia*, non intellecta, *& ſuggeret vobis omnia*, id eſt, ſubminiſtrabit, non ab imo, ſed ab occulto. Littera Auguſt. commemorabit vobis quæcunque dixero vobis, hoc eſt, ad memoriam revocabit oblita; vel ſic: *Docebit*, ut ſciatis, *& ſuggeret*, id eſt, incitabit, ut velitis & faciatis. *Et pacem relinquo vobis*: iterum antequam mittam vobis Spiritum ſanctum. Victor: tranquillitatem mentis, pacem peccatoris. Gregorius hic relinquo, illic do. *Pacem meam*, ſcilicet, pacem æternitatis, *do*, id eſt, dabo *vobis* ſequentibus *relinquo*, pervenientibus *do*. Auguſt. Pacem relinquit nobis iturus, pacem ſuam nobis dat, in fine venturus; pacem relinquit nobis, ut hic invicem diligamus. Pacem ſuam dabit nobis, ut nunquam diſſentire poſſimus. Item, ubi ait: *Relinquo vobis pacem*, non addidit, meam; quia nos talem pacem nunc habemus, ſi delectemur in lege Dei ſecundum interiorem hominem, ſed non eſt plena, quia habemus legem in membris repugnantem legi mentis. Roman. 7. Inter nos ipſos etiam pax eſt, quia credimus quod invicem nos diligamus. Sed nec iſta plena eſt quod ad invicem cogitationes cordis noſtri, non videmus. Itaque pax iſta nobis ab ipſo relicta, pax noſtra eſt; neque enim niſi ab illo habemus, & talem; ſed ipſe talem non habet, quia illi nihil repugnat in ſe ipſo, nec quicquam illum latet. Igitur ſi ſuſtinuerimus uſque in finem qualem accepimus, talem habebimus, ubi nihil repugnat ex nobis, & nihil invicem nos lateat in cordibus noſtris. Et ne intelligant, de pace temporis ſubdit: *non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ut ſine moleſtia mundo fruamini. Hanc enim pacem cum mundo, non venit ipſe mittere in terram, ſed gladium. Matth 10. gladium, intellige, contrarium hujus pacis.

Duplex pax nobis à Chriſto.

Pax inter homines hic plena non eſt.

Pax futura plena erit.

Non turbetur cor veſtrum, pro morte mea, *nec formidet*, pro infirmitate veſtra Auguſtinus. Hinc turbari, & formidare poterat cor illorum, quia ibat ab eis, quamvis venturus ad eos, ne forſitan gregem lupus hoc intervallo invadat; unde pro diſceſſu domini turbantur pro propria infirmitate timebant. Vel ſic: *Non turbetur cor veſtrum*, interius, *neque formidet*, afflictionem exteriorem. *Audiſtis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Vado*, inquit, per paſſionem ad patrem, & venio ad vos, ſcilicet, ad veſtram conſolationem & confirmationem. Si primum vos terret, ſecundum vos conſoletur. *Si diligeretis me*: hic oſtendit, quod non ſolum non debent triſtari de receſſu ſuo; immo etiam debent gaudere, quia ad patrem vadit, à quo glorificandus eſt, *ſi diligeretis me*, ſincera dilectione, omni carnalitate amota, *Gauderetis utique, quia ad patrem vado*, per paſſionem quam ſequetur reſurrectio & aſcenſio in carne glorioſa. *Ad patrem, quia pater major me eſt homine*. Auguſtinus. Per hoc erat iturus ad patrem, per quod non erat patri æqualis: per illud autem, in quo eſt æqualis unigenitus gignenti, nunquam à patre recedit. Sed quare ex hoc erat eis gaudium? Reſpondet Auguſtinus, quoniam naturæ humanæ congratulando, eo quod ſic aſſumpta eſt à verbo unigenito, ut immortalis conſtitueretur in cœlo, & ita fieret ſublimis, ut incorruptibilis pulvis ſederet ad dexteram patris.

Diſceſſus Chriſti à diſcipulis fuit etiam cauſa gaudii.

Natura humana in Chriſto ſublevata.

Quis non hinc gaudeat, qui hîc diligit Chriſtum, ut & ſuam naturam jam immortalem congratuletur in Chriſto, atque id ſe ſperet eſſe futurum per Chriſtum? *Et nunc dixi vobis*: ire me ad patrem & venire iterum ad vos, *ut cùm factum fuerit, credatis* eſſe factum me præſciente & volente per hoc me credatis Deum. Auguſtinus dicit: quia poſt mortem viſuri erant eum venientem & ad patrem aſcendentem, quo viſo, fuerant illud credituri, quod ipſe eſſet Chriſtus filius Dei: credituri autem non fide nova, ſed aucta, aut certè cum mortuus eſſet, defecta, cum reſurrexiſſet refecta. *Iam non multa loquar vobiſcum*. In hac mortali vita degens, in hoc oſtendit ſe cito iturum ad patrem. *Venit enim princeps mundi huius*, id eſt, prope eſt ut veniat diabolus in miniſtris ſuis ad me capiendum, & ducendum ad mortem. Mundum hîc vocat peccatores. Diabolus enim, ut dicit Chryſoſtomus, non principatur cœlo & terræ, ſed eis qui ſe tradiderunt ei. *Et in me non habet quicquam*: nullum omnino peccatum, vel morte dignum in Pſal. 68. *Quæ non rapui, tunc exolvebam. Sed ut cognoſcat mundus*, id eſt, humanum genus; *quia diligo patrem & ſic facio*, id eſt, pati volo. *Sicut mandatum dedit mihi pater*, id eſt, in hoc obedio patri, quaſi diceret, propter amorem patris mundo oſtendendum & obedientiam, hoc facio.

In Chriſto nihil culpâ vel morte dignum repertum.

Obedientia Chriſti erga Deum patrem.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Qui diligit Deum, mandata eius ſervat & diligitur ab eo; qui non diligit, non ſervat. Chriſti ſermo eſt etiam Dei patris; eius ſermonis intelligentia & executio à Spiritu ſancto petenda eſt.

Si quis diligit me ſermones meos ſervabit. *Ioan.* 14.

SERMO LXXXIX.

HOdie recolit Eccleſia illam abundantem & excellentem donationem Spiritus ſancti, quæ facta eſt diſcipulis quinquageſima die à reſurrectione. In epiſtola agitur de figura ſub qua datus eſt Spiritus ſanctus, ſed in Evangelio agitur de re figurata. Figura fuit ignis, ignis enim amorem deſignat, & in ſpecie ignis datus eſt; & quia Spiritus ſanctus amor eſt, & quia datus fuit, ut corda diſcipulorum amore inflammaret. Gregor. In homilia: foris apparentibus linguis igneis intus facta ſunt corda flammantia; quia dum Deum in ignis viſione ſuſcipiunt, per amorem ſuaviter arſerunt: Ipſe namque ſpiritus amor eſt. De re igitur, ſcilicet de dilectione Dei agitur in Evangelio hodierno: & *Primo* tangitur de amore, quem Deus à nobis exigit. *Secundo* de amore, quem Deus nobis exhibuit, ibi: *Venit enim princeps mundi huius & in me non habet quicquam, ſed ut cognoſcat mundus quia diligo patrem*. Et quia Deus vult à nobis amari non ſolum affectu, ſed etiam effectu, uterque modus oſtenditur. Primus modus diligendi in effectu, ibi: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*. Secundus modus diligendi in affectu, ibi: *Si diligeretis me, gauderetis utique*.

Duo in Evangelio tractantur: Quo amore amemus Deum. Quo amore Deus amavit nos. Deus amãdus affectu, & effectu.

Circa Primum verò *quinque* nobis oſtenduntur. *Primo*, quod obſequium, qui diligit Chriſtum, ei exhibeat, ibi: *Si quis diligit me*, &c. *Secundo*, quam utilitatem ex hoc recipiat, ibi: *Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. *Tertio*, quia oppoſita, juxta ſe poſita fiunt manifeſtiora, non diligentem Chriſtum notificat ibi: *Qui non diligit me*, &c. *Quarto*, ne ſermo ejus contemnatur, auctoritatem indicat, ibi: *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus*. *Quinto*, oſtendit ad quem recurrendum ſit pro ſermonis ejus intelligentia, vel gratia ad impletionem ſer-

Circa primum de amore noſtro erga Deũ quinque conſiderantur.

3. monis neceſſaria, ibi : *paraclitus autem ſpiritus ſanctus*, &c. *ille vos docebit omnia*, &c.

1.
Amor noſter erga Deum cuſtodia ſeu obſervatio mandatorum.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Hoc eſt obſequium, quod Chriſtus à diligente ſe requirit, ſcilicet cuſtodia mandatorum ipſius. Joannis 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*; hoc ſigno amicos ſuos agnoſcit. In eodem : *qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Gloſſa : Qui habet in memoria, & ſervat in vita : vel habet in faciendo, ſervat perſeverando. Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*: nec ſolum amicum reputat eum, qui ejus mandata ſervat, ſed etiã attinentem ſibi primo gradu attinentiæ. Luc. 8. *Mater mea, & fratres mei hi ſunt qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Cuſtodire ejus mandata, reputat Chriſtus veram dilectionem. 1. Joan. 5. *Hæc eſt charitas Dei ut mandata ejus cuſtodiamus.* Ejuſdem. 2. *Qui dicit, ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Loquitur de notitia experientiæ, quæ eſt per unionem & familiaritatem dilectionis. Item ejuſdem 3. *Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Gregor : in homilia.

Amor Dei igni comparatur.

De dilectione conditoris lingua, mens & vita requiratur. Inter elementa, ignis maximè videtur eſſe activus; ideo deſignat amorem Dei rectè, qui non eſt otioſus. Gregor: Amor Dei non eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt, ſi vero operari renuit, amor non eſt.

Quatuor modis ſervatur ſermo Chriſti.

Et *notandum*, quod ille, qui diligit Chriſtum, ſermonem ejus ſervat *quadrupliciter*, ſcilicet, in memoria retinendo, jugiter meditando, ſcipturis commendando, opere implendo.

1.
Memoria retinendo

Ad *primum* pertinet illud, in Pſal. 102. *Memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.* Proverb. 7. *Fili cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi.* In eodem : *Scribe legem meam in tabulis cordis tui.*

2.
Meditando jugiter.

De ſecundo legitur in Pſal. 27. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Deuter. 6. *Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens* Joſue 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Eccleſiaſtici 3. *Quæ tibi præcepit Deus cogita ſemper.*

3.
Scriptis commendando.

De tertio. Apocal. 14. *Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur.* Eccleſiaſtici 38. *Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis.*

4.
Opere implendo.

De *quarto* Eccleſiaſtici 15. *Si volueris mandata mea ſervare, ſervabunt te.* Proverb. 29. *Verbum cuſtodiens filius, abſque perditione erit.* Eccleſiaſtæ 8. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali.* Joan. 8. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum.*

Præceptum mutuæ dilectionis.

Et *ſciendum* quod præceptum vel ſermo Chriſti ſpecialiter poteſt intelligi præceptum de mutua dilectione. Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Ejuſdem 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Ejuſdem 15. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Legitur in vita beati Joãnis Evangeliſtæ, quod cũ ipſe deveniſſet ad ultimam ſenectutem & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur nec poſſet plura dicere verba, ad quamlibet pauſam dicebat hoc : Filii, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli & fratres, qui aderant, audientes, quod eadem verba ſemper diceret, dixerunt magiſter, quare ſemper hæc loqueris? qui reſpondit : quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Qui Chriſtum diligit, verè hoc præceptum ſervat. 1. Joan. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Ejuſdem 3. *Qui habuerit ſubſtantiam mundi hujus, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo?* Sequitur:

II.
Vtilitas amoris Dei.

Et pater meus diliget eum. Ecce utilitas quæ conſequitur ex hoc, quod Chriſtus diligitur. Similiter Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo : & ego diligam eum.* Multum debet homo deſiderare diligi à Deo, & amicitiam habere cum eo:

Amicus fidelis.

Deus enim eſt *amicus fidelis. Amico* verò *fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio argenti & auri, contra bonitatem fidei illius.* Eccleſ. 6.

Amici infideles quatuor modis deprehenduntur.

Alii amici *quadrupliciter* inveniuntur infideles.

1.

Primò, quia aliquando non amant, licet amentur : ſed nõ ſic de amico iſto. Prover. 8. *Ego diligentes me diligo.*

2.

Secundo, quia tempore adverſitatis deſinunt amare. Eccleſiaſtici 6. *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in tempore tribulationis*, ſed non ſic in amico iſto. Proverb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.*

3.

Tertio, qui amant vivos, inimici ſunt mortuorum ſpoliantes eos bonis ſuis. Eccleſiaſtici *Eſt amicus qui convertitur ad inimicitiam* : amicus verò iſte ſpecialiter in morte oſtendit ſe eſſe amicum, cum ſpiritum, qui de habitaculo corporis exit, in cœleſte habitaculum recipit.

4.

Quarto, quandoque amici patris, inimici fiunt filiorum; ſed amicus iſte propter patrem quandoque amat filios, uſque ad decimam generationem Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, faciens miſericordiã in millia his qui diligunt me.* Hic eſt amicus qui non dimittit niſi amittatur. Auguſtin. quarto libro Confeſſionũ. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te.

Deus ſuo nos amore prævenit.

Solus enim nullũ charũ amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur : nemo te amittit, niſi quia dimittit. Hic eſt amicus, qui poteſt inveniri, ſed non præveniri. 1. Joan. 4. *In hoc eſt charitas Dei, non quaſi nos dilexerimus Deum : ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miſerans.*

Oportet morte alium prævenire vel inimicum.

Noli ergo dicere non poſſum diligere proximum, niſi ipſe prius me diligat, immo exemplo Dei eum præveniaſ, & beneficiis ad amandum te attrahas. Lucæ 6. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.* Amicus iſte amat vehementer. 1. Joan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam unigenitum filium ſuum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

Deus amat nos utiliter & familiariter.

Item amat utiliter 1. Joan. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* *Item* amat familiariter, ut cohabitet in his quos diligit; unde ſubditur; *& ad eum veniemus.* Deuteron. 33. *Beniamin amantiſſimus Domini*, &c. *in eo quaſi in thalamo tota die morabitur.* Gregorus. in homilia : Penſate, fratres chariſſimi, quanta ſit iſta ſolennitas habere in cordis veſtri hoſpitio adventum Dei; certe ſi domum veſtram quiſquam dives aut Præpotens intraret, omni feſtinatione tota domus mundaretur, ne quid fortaſſe eſſet, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo ſordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. David Pſalm. 91. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudine dierum.* Sequitur : *Et manſionem apud eum faciemus* Gregor. in homilia : In quorundam corda venit, & manſionem non facit, quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt, ſed tantationis tempore hoc ipſum quod compuncti fuerant, obliviſcuntur. Sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi ea minime planxiſſent. Qui ergo verè Deum diligit, qui ejus mandata cuſtodit, in corde ejus Dominus & venit & manſionem facit, quia ſic eum amor Deitatis penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat.

Amicitia Dei utilis & honorata.

Et attende perverſitatem hominum, qui amicitiam humanam parum utilem, & quãdoque noxiam, multis laboribus & expenſis procurant : De amicitia verò Dei, qui amor digniſſimus eſt, quia magni honoris & magnæ utilitatis eſt, non curant; ſi magnus honor

eſt, eſſe ſervum regis, dicitur enim eſſe par comiti; quantus honor eſt, eſſe amicum regis cœleſtis. David Pſal. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, &c. Amicitia iſta eſt adeo utilis, ut cum ea nihil ſit inutile. Rom. 8 *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Sine ipſa vero nihil eſt utile. 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; charitatem vero non habeam, nihil mihi prodeſt.* Item, mira perverſitas aliquorum, qui Deo ad ſe venienti cum univerſitate bonorum oſtium cordis claudunt. Sapient. 8. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, id eſt, cum ſapientia increata. Apocal. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intraibo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Stat Dominus ad oſtium cum ad pœnitentiam expectat. Iſa. 30. *Expectat Dominus, ut miſereatur noſtri.* Auguſt. in epiſtolari: Erubeſcat humana pigritia, plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari. Oſtium cordis eſt voluntas; hoc oſtium clauſum tenetur, quandiu homo habet voluntatem peccandi, quia *in malevolam animam non introibit ſapientia.* Sapient. 1. Pulſat Dominus inſpirando & prædicando, beneficia conferendo, & affligendo Cant. 5. *Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea.* Si quis audierit vocem ejus, aure intelligentiæ & obedientiæ; aperiens oſtium voluntatis per conſenſum bonum, Deus intrat gratiam infundendo, & cœnat Deus cum eo, & ipſe cum Deo, quia condelectatur ipſe Deo & Deus illi. *Item* maxima perverſitas illorum, qui Deum in hoſpitio cordis ſui receptum à ſe quaſi manibus propriis impingendo expellunt; operibus enim malis, quæ perpetrant, Deum à ſe fugant: *qui dicebant Deo, recede à nobis*, Job 22. Turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes. Tales dum Deum à ſe pellunt, omne bonum à ſe projiciunt. Oſeæ ſeptimo. *Projicit Iſrael bonum.* Tales dum Deum à ſe projiciunt, diabolum introducunt. *Ad eum veniemus.* Interlin. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Pater, cui appropriatur poteſtas, veniens iraſcibilem roborat, Filius cui appropriatur ſapientia veniens, rationabilem illuminat, Spiritus ſanctus, cui appropriatur bonitas, concupiſcibilem ſanat. Ad robur iraſcibilis pertinet donum timoris & fortitudinis. Timor fugit vera mala, ſcilicet, mala culpæ, & pœnas æternas. Fortitudo ſuſtinet mala non vera, ſcilicet, mala pœnæ tranſitoriæ; & utrumque pertinet ad robur iraſcibilis. Gregorius. In via Domini timor operatur fortitudinem; in via ſæculi debilitatem. Proverb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Ad illuminationem rationalis pertinet donum conſilij, ſcientiæ, & intellectus. Dono intellectus ſapientiam in creaturis legimus Eccleſiaſtici 1. *Deus effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua.* Dono ſcientiæ à deceptione cavemus, quam bona præſentia faciunt, quæ mentiuntur ſe vera bona, cum potiùs ſint umbræ verorum bonorum Sapient. 5. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.* Dono conſilij bona tranſitoria in æterna commutamus. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, &c. Auguſtin. Præbe tectum & accipe cœlum. Ad ſanitatem concupiſcibilis pertinet donum pietatis & ſapientiæ. Dono pietatis proximi mala deſipiunt, & eis condolemus. Et per ſapientiam vera bona nobis ſapiunt. *Et manſionem apud eum faciemus.*

Dominus pulſat, & non aperitur ei.

Pulſat quatuor modis.

Malitia & ingratitudo hominum.

Tres vires animæ. Iraſcibilis, rationabilis, concupiſcibilis. Timor, Fortitudo

Conſilium Scientia, Intellectus.

Pietas. Sapientia.

Nota quod domus conſcientiæ malleo verbi Dei ædificatur. Jeremiæ 23. *Nunquid verba mea ſunt quaſi ignis ardens, & quaſi malleus conterens petras:* Hujus domus fundamentum eſt fides. Apocal. 21. *Fundamentum primum, jaſpis.* In jaſpide ſignificatur fides ſanctorum ſemper virens per bonam operationem, non marceſcens per perſecutionis ardorē. Altitudo muri, eſt ſpes, latitudo charitas, tectū humilitas. *Septem columnæ* in hac manſione exciſæ, ſunt ſeptem virtutes ſuſtentantes ſeptem onera quæ in nobis ſunt. Quorum *primum*, eſt onus proprij corporis de quo Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et Job. 28. *Qui fecit ventis pondus*; id eſt corpora dedit animabus, ne vento elationis exſufflarentur. Columna hoc onus portans, id eſt, portabile reddens, eſt diſciplina qua corpus caſtigatur. 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* *Secundum*, eſt onus tribulationis, de quo 2. Cor. 4. *Illud quod in præſenti momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Columna ſuſtentans eſt patientia. *Tertium*, eſt onus compaſſionis proximorum: de quo ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate.* Et columna ſuſtentans, eſt pietas *Quartum*, eſt onus blandæ tentationis quæ valde periculoſa videtur eſſe Eccleſiaſtæ 7. *Melior* eſt *ira riſu*, id eſt, adverſitas proſperitate. In Pſalmo 55. *Ab altitudine diei timebo.* Columna ſuſtentans eſt timor Domini ſine quo facile ruit ſpirituale ædificium. Eccleſiaſtici 27. *Si non in timore Domini inſtanter te tenueris, cito ſubvertetur domus tua.* *Quintum*, eſt onus dilationis præmium ſub quo onere multi defecerunt. David Pſal. 68. *defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.* Columna ſuſtentans, eſt longanimitas. *Sextum*, eſt onus ſtudij & laboris proprii. Matth. 20. *Qui portavimus pondus diei & æſtus.* Columna ſuſtentans, eſt interna lætitia, quæ eſt ex bono præſenti, vel expectato *Septimum*, onus prælationis eſt, de quo, Exodi 18. Dicit Jethro Moyſi: *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium ſolus iſtud non poteris ſuſtinere.* Colūna ſuſtentans, eſt prudentia portās onera.

Domus ſpiritualis fundamentum.

Altitudo. Latitudo. Tectum. Columnæ ſeptem. Onera ſeptē huius domus.

1. Onus proprii corporis.

2. Onus tribulationis.

3. Onus compaſſionis proximi.

4. Onus blandæ tentationis.

5. Onus dilationis.

6. Onus laboris.

7. Onus prælationis.

Sequitur: *Qui non diligit me ſermones meos non ſervat*: hoc ſigno perpenditur qui non diligit Deū ſcilicet mandatorum ejus tranſgreſſione; ſicut amicus reputatur mandata implens, ſecundum illud Joan. 15. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ* &c. Sic inimicus reputatur mandata tranſgrediens & inimicus capitalis: unde prima inobedientia hominis morte punita eſt Geneſ. 2. *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris* Et juſte ſic punita eſt; cum enim Deus hominem fecerit, ut mandatis ejus obediret, ſecundum illud Eccleſiaſtæ ultimo: Time Deum & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo; quia non fecit id, propter quod factus erat, deſtruendus fuit morte. Qui mandata Dei tranſgreditur, ejus dominium negat. Sicut enim obedientia vera, eſt recognitio dominii, ſic inobedientia vera negatio dominii. Unde Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Meritò ergo inimicus Dei reputatur qui mandata ejus non cuſtodit tanquam negans ejus dominium.

III. Odium Dei tranſgreſſio mandatorū.

Obedientia recognitio domini. Inobediētia negatio dominii.

Sequitur: *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus*, &c. Ex hoc verbo datur intelligi quod ſermo prædicatoris audiendus eſt non ut ſermo hominis, ſed ut verbum ab ore Dei procedens. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit* Matth. 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Jerm. 15. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Scripturæ ſacræ convenit illud Eccleſiaſtici 24. *Ex ore altiſſimi prodij.* Unde cum magna reverentia audienda eſt & pro reliquiis habenda. Item ex eodem verbo poteſt haberi, quod non eſt aſcribendum prædicatori, ſi bene prædicet, ſed Deo. Bernardus ſuper Cant. Mihi liquido conſtat nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ nec laus calami eſt, laudabilis ſcriptura

IV. Auctoritas verbi Dei.

Laus Deo non prædicatori aſcribenda.

vel picturà; nec gloria linguæ, vel labiorum bonus ſermo, unde gloria tibi pulvis putride? Unde autem blanditur tibi popularis favor, quod, verbum bonum & bene fortè deprompſeris, ſed Dominus Chriſtus dedit os & ſapientiam. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus*, &c. Gregor: in homilia. Niſi iſdem Spiritus ſanctus aſſiſtat cordi audientis, otioſus eſt ſermo doctoris: nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit; quia niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Item Gregor: Per vocem audiens non inſtruitur, quando mens per ſpiritum non ungitur.

Aſſiſtentia Spiritus S. auditoribus neceſſaria.

Ad effectum dilectionis pertinet illud: *Si diligeretis me, gauderetis utique* &c. Veræ dilectionis eſt gaudere bonis amici, & condolere malis. Sapiens idem velle, idem nolle ea demum vera amicitia eſt. Ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. 1. Corinth. 13. dicitur de charitate, quod *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati*. Ille vere Chriſtum diligit, qui compatitur malis ejus, & in capite & in membris, qui piè ſcilicet afficitur circa ejus paſſionem, & miſerias proximorum amovet, vel ſuſtinet compatiendo. 2. Cor. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor, quis ſcandalizatur & ego non uror?* Item qui verè diligit Chriſtum congaudet bonis ejus, & in ſe, & in membris. 1. Corinth. 12. *Si gloriatur unum membrum congaudent omnia membra*. E contrario, invidia vitium diaboli gaudet de malis alienis, & dolet de bonis. Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana Avertat, inquit, Deus peſtem invidiæ ab animis omnium hominum. Ne dum Chriſtianorum vitium diaboli invidentia, diabolicum vitium eſt, ſed habet matrem ſuam: ſuperbia vocatur mater invidiæ; ſuffoca matrem, & non erit filia.

Effectus dilectionis compaſſio.

Gaudium de alterius bono & dolor de malo. Invidia dolor de alterius bono, gaudium de malo.

Superbia filia Invidiæ.

Ad dilectionem, quam nobis Chriſtus exhibuit pertinet illud: *Et ego diligo patrem & ſicut mandatum*, &c. Dilexit Chriſtus patrem, non in verbo & lingua tantum, ſed opere & veritate, obediendo ei in eo quod erat graviſſimum, ſcilicet, in tolerantia mortis tam ignominioſæ. Bernardus: Mementote fratres, Chriſtus ne perderet obedientiam perdidit vitam: Exemplo ergo ejus obedias Deo, vel tenenti locum ejus etiam in his quæ graviſſima ſunt. *Siquis diligit me ſermonem meum ſervabit*. Eccleſia in hoc feſto miſſionem Spiritus ſancti occultam expectat, & illam famoſam Spiritus ſancti miſſionem, quæ in ſpecie ignis ſuper diſcipulos facta eſt, commemorat. Ad primam ſe præparat, pro ſecunda verò Deum glorificat & ei regratiatur. De utraque verò tangitur in Evangelio. Ad primam pertinet illud: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ad ſecundam pertinet illud: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo*. Et quia cuſtodia mandatorum præparat ad ſuſceptionem Spiritus ſancti, ideo præmittitur incitatio fidelium ad obſervationem mandatorum. Cum dicitur: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*; ad illud pertinet quod in vigilia Pentecoſtes legitur lectio, in qua agitur de obedientia Abrahæ. Item in Evangelio legitur: *Siquis diligit me, mandata mea ſervabit, & ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*.

Spiritus S. docet impletionem mandatorum.

Ad illud deſignandum datus eſt Spiritus ſanctus decima die ab aſcenſione Domini; obſervantibus enim decalogum Spiritus ſanctus datur. Si vis loqui de hac materia require in ſermone illo epiſtolarum: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, &c. Galat. 3. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus*. *Quadrupliciter* nominatur: Dicitur enim Spiritus ſanctus, ſpiritus veritatis; paraclitus amor ſive Charitas. De *primo* & *tertio* habetur hic De *ſecundo* & *tertio* Joan 14. *Rogabo patrem meum & alium paraclitum mittet vobis ſpiritum veritatis quem mundus non poteſt accipere*. Ejuſdem 15. *Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis*. De quarto dicit Gregorius ſuper illud. *Siquis diligit me*, Ipſe Spiritus ſanctus amor eſt. Et 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt*. Cum ſit Spiritus ſanctus, expellit immunditiam, & cùm ſit Spiritus veritatis, expellit errorem vel ignorantiam. *Item*, cum ſit paraclitus, ſive conſolator, expellit triſtitiam, & cum ſit amor, ſedat diſcordiã. *Primum* & *tertium* hic expreſse nominatur. Ad *ſecundum* verò pertinet illud *ille vos docebit omnia*. Ad *quartum* illud. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. De pace require in tractatu de beatitudinibus. Econtra ſpiritus malus, dicitur ſpiritus immundus. Matth. 12. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine*, &c.

Spiritus S. cur decima ab aſcenſu Chriſti die datus.

Variæ appellationes Spiritus S.

Amor.

Sanctus.

Paraclitus.

Spiritus veritatis.

Diabolus Spiritus immundus.

Item ſpiritus erroris. 1. Joan. 4. *In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris*. *Item* Spiritus vexationis. Matth. 15. *Filia mea malè à dæmonio vexatur*. *Item* ſpiritus eſt diſſectionis. Matth. 12. *Qui non congregat mecum diſpergit* Malus ſpiritus immunditiam amat; unde Matth. 8. Dæmones dicunt Domino: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*. Spiritus ſanctus amat puritatem; unde ſuper florem dicitur requieſcere. Iſa. 11. *Flos de radice ejus aſcendet & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*. & 1. Theſſal. 4. poſt illud: *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*. quibuſdam interpoſitis, ſubditur: *non vocavit nos in immunditiam, ſed in ſanctificationem*. Itaque qui hoc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſanctum in nobis. Spiritus malus tenebras ignorantiæ amat, & lumen ſapientiæ odit. Joan. 3. *Omnis qui male agit, odit lucem*. Econtra Spiritus veritatis amat lucem. Sapientiæ 7. Sapientia infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei In eodem: neminem diligit Deus niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens*. Regi, inquam, cœleſti. Item Spiritus malus eum in quo eſt affligit: Spiritus verò ſanctus eum lætificat. 1. Reg. 16. *Spiritus Domini receſſit à Saul: & exagitabat eum ſpiritus nequam*. Eccleſiaſtici 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis*. Sapient. 12. *O quã bonus & quam ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in nobis*. Spiritus ſanctus eſt manna abſconditum Apocal. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*. Item ſpiritus malus amat diſcordiam, Spiritus ſanctus amat concordiam. Sicut ſpiritus hominis non vivificat membra, niſi ſint ad invicem unita; ſic Spiritus ſanctus non vivificat membra à corpore Eccleſiæ per diſcordiam diviſa.

Spiritus erroris.

Spiritus vexationis.

Spiritus diſcordiæ.

Amores contrarii utriuſque Spiritus.

Sapientia quàm accepta.

DOMINICA TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium explanatur.

Homo quidam ex Phariſæis, Nicodemus nomine Joan. 3.

SERMO LXXXVIII.

IN hoc Evangelio *primo* ponitur Nicodemi deſcriptio. *Secundo* tangitur de adventu ejus ad Jeſum, & allocutione ipſius. *Tertio* ponitur inſtructio ejus facta à Chriſto. *Erat autem homo ex Phariſæis*, qui credunt reſurrectionem. *Princeps Judæorum*, unus de principibus Judæorum *hic venit ad Jeſum nocte*. Gloſſa Auguſt. Nocte forſitan ideo, quia Magiſter in Iſrael palam diſcere erubeſcebat, vel pro metu Judæorum. *Et dixit ei*. Non credens eum Deum eſſe, ſed Dei amicum & Prophetam magnum, *Rabbi*, id eſt, Magiſter. In hoc quod vocat Magiſtrum, innuit ſe velle ejus Diſcipulum eſſe.

Tria tractantur hic.

1.

2.

Scimus

Scimus quia à Deo veniſti, ſcilicet, miſſus ab eo, & oſtendit cauſam hujus ſcientiæ, dicens: *Nemo enim poteſt*, &c. vel ſic: *ſcimus quia à Deo veniſti magiſter*, id eſt, ad docendum, cum doctrinam ſigna confirment. *Nemo enim poteſt facere ſigna quæ tu facis niſi fuerit Deus cum eo.* Contra Matt. 7. *Multi dicent mihi in illa die Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* &c. Ad hoc dicendum, quod nullus facit ſigna niſi fuerit Deus cum eo. Sed non ſequitur, quod ipſi ſint cum Deo; quia hominem eſſe cum Deo, ponit unionem hominis & Dei, in bona voluntate. Deus vero dicitur eſſe cum homine propter virtutem divinitatis oſtenſivam, quam malus poteſt habere. Auguſt. in libro confeſſionū: Domine mecū eras, autem ego tecum non eram: loquitur pro tempore ante converſionem ſuam *Reſpondit Ieſus*, &c. Hic incipit dominus *primo* inſtruere Nicodemum de ſpirituali nativitate, *ſecundo* de ſua aſcenſione, ibi *Nemo aſcendit*, *tertio* de ejus paſſione, ibi: *Et ſicut Moyſes.*

1. Chriſtus inſtruit Nicodemum in tribus.

Et notandum, quod cum Nicodemus eſſet magiſter legis, quæ terrena promittebat, ſpiritualiter

I. inſtruendus erat de regno cœleſti, unde tria promittit ei dominus. *Primo* quod talis non poteſt intrare, immo oportet eum cœleſtem fieri, ſpiritualem vitam inchoando; inchoatio verò eſt illa nativitas ſecunda, de qua hic loquitur dominus. *Secundo* quod per ſe non poteſt intrare, immo oportet eum uniri illi, qui de cœlo deſcendit, cum quo aſcendet. *Tertio* quomodo qui de cœlo deſcendit, ingreſſum regni cœleſtis adhærentibus ſibi obtenturus ſit, quia morte ſua, cui morti charitas patris pro ſalute noſtra eum expoſuit, de quo ibi: *& ſicut Moyſes.* Inſtruens autem dominus Nicodemum de ſpirituali nativitate *primo* oſtendit, quod eſt neceſſaria ad ſalutem, *ſecundo* notificatur illa nativitas, *tertio* arguitur Nicodemus & ad humilitatē inducitur, ibi: *Tu es magiſter in Iſrael.* Reſpondit Jeſus voluntati Nicodemi qui venerat doceri à Chriſto. *Amen amen dico tibi.* Iteratio eſt ad majorem confirmationem. *Niſi quis renatus fuerit denuo*, id eſt, iterum, in græco eſt, deſuper. Et dicit Chryſoſtomus, quod exponitur dupliciter. Quidam ſic: Deſuper, id eſt, de cœlo: alij: ſic deſuper, id eſt, inſuper, ſive iterum: & huic expoſitioni conſonat litera noſtra quæ habet, denuo, *non poteſt videre regnum Dei.* Contra, illi qui ſunt in inferno dicūtur videre ſāctos Paradiſi uſq;ad diē judicij. David Pſal. 111. peccator videbit & iraſcetur, &c. Lucæ 11. Dives vidit Lazarum. Ad hoc reſpondendum eſt, exponendo illud regnum Dei, id eſt Deum qui eſt regnum, quem ſoli mundo corde videbunt Matth. 5. vel videre ſumitur pro experiri, & frui gaudio regni *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* Gloſſa, qui ſolam nativitatem carnalem novit quæ non poteſt denuo fieri. Modum ſecundæ nativitatis inquirit: *nunquid poteſt in ventrem*, &c. Sub dubio proponit manifeſtum inconveniens propter reverentiam quam habebat ad Chriſtum; & quia, ut dicit Chryſoſtomus lucidiorem doctrinam inquirebat: Chriſtus autem patienter ſuſtinens, nec ejus ignorantiam condemnans, ſecundū illud. Iſaiæ 42. *Calamum quaſſatum non conteret*, benignè ei reſpondet, aperiens ei amplius modum generationis; unde ſubditur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, Baptiſmi exterius abluente, *& Spiritu ſancto*, id eſt, gratia Spiritus ſancti interius mundante. Et intelligitur de his qui habent opportunitatem baptizandi, & pro tempore illo, quando veritas eſſet manifeſtata, & myſteria noſtræ redemptionis conſummata, & ſacramenta eſſent ſortita ſuum plenum effectum ſcilicet, poſt reſurrectionem, & Spiritus ſancti miſſionem. Vel ſic: *ex aqua & Spiritu ſancto.* Eſt triplex baptiſmus, ſcilicet fluminis, & flaminis, & ſanguinis: Et in duobus ultimis eſt generatio ſimilis primæ: & quia Nicodemus de carnali generatione mentionem fecerat, ideo adducit eum ab illa, dicens: *quod natum eſt ex carne, caro eſt*, id eſt, carnale, *& quod natum eſt ex ſpiritu*, id eſt, ex virtute Spiritus ſancti *Spiritus eſt*, id eſt, ſpirituale eſt.

Tria Chriſtus promittit.

Triplex Baptiſmus, Fluminis, Sanguinis Flamminis.

Non mireris, id eſt, non anxieris. Admiratio eſt ſtupor de magna viſione, *quia dixi tibi* hoc verbum, *oportet vos naſci* denuo; quia *ſpiritus ubi vult ſpirat*, id eſt, operatur liberè cùm ſit omnipotēs. *Et vocem ejus audis*, id eſt, operationem aliquo ſigno, aure exteriori percipis. *Sed neſcis unde veniat*, id eſt, qua cauſa hæc ſanctificet. *Aut quo vadat*, id eſt ad quod opus vel beatitudinem gratiam conferat. Secundùm Chryſoſtomū, ſic intelligitur: *non mireris*, anxiè quærendo modum generationis, de qua dixi tibi, quia *ſpiritus*, id eſt, ventus, *ubi vult ſpirat*, id eſt, libere flat. Et vocatur hîc voluntas naturalis motus ejus, non electio ſecundum voluntatem, ſicut dicitur è contrario Rom. 8. *Vanitati ſubjecta eſt creatura non volens.* Et vocem, id eſt, ſonum *ejus audis* corporalibus auribus. *Sed neſcis unde veniat*, id eſt, ex quibus theſauris ſit, quia quæſtio eſt apud Philoſophos, unde ventus flet. Pſ. 134. *Qui producit ventos de theſauris ſuis; aut quo vadat*, id eſt, ad quam utilitatem fiat, cùm tamen ſis certiſſimus de ſono: cum igitur in re corporali ſic deficis, quid de modo ſpiritualis generationis anxiaris? Vel ſic *non mireris* ſi dico quod ſenem neceſſe eſt iterum naſci, quia ſpiritui nihil eſt difficile. *Spiritus enim ubi vult ſpirat*, id eſt, ubi vult operatur, & quos vult ſanctificat & fit ibi punctuatio, & novus verſus incipit hic.

Et vocem ejus audis, meam ſcilicet, ad te loquentem quæ eſt vox ipſius ſpiritus, quia ipſe miſit me ſecundum quod ſum homo. *Et neſcis unde veniat* iſta vox mea, id eſt, de qua generatione loquitur, cum generationem carnalē mihi objicias. *Aut quo vadat*, id eſt, de qua cauſa dicam: quia *oportet vos denuo naſci.* Sequitur: *ſic eſt omnis qui naſcitur ex ſpiritu*, quaſi diceret, ſicut ſpiritus eſt occultus & inviſibilis; ſic, *qui naſcitur ex ſpiritu*, occultè & inviſibiliter naſcitur. *Tu es magiſter in Iſrael & hæc ignoras?* Auguſtinus ſuper Joannem: non inſultat ei ut ſuperior habeatur, qui omnibus præeſt, ſed quia vult eum naſci ex ſpiritu, quod nequit, niſi humilis, tumidum ex magiſterio humiliat. Interlin. Inflatus neſcis, humilis ſcies. *Amen amen dico tibi*, Nicodemo modum nativitatis ſpiritualis quærenti oſtendit dominus, quod non eſt ex defectu veritatis rei, nec ex defectu docentis, quod ipſe nativitatem illam non agnoſcit: ſed quia teſtimonio illius non acquieſcit & hoc eſt quod ſubditur: *Amen amen dico tibi: quod ſcimus*, ego & Prophetæ & Apoſtoli: vel ego, & Pater, & Spiritus ſanctus, loquimur; unde cum nihil ſciatur niſi verum, non eſt defectus ex parte veritatis rei quod me non intelligis. *Et quod vidimus*, in abſcondito Dei, teſtificamur, foris mundo. In hoc quod dicitur, *vidimus*, certitudo cognitionis oſtenditur. Magna enim eſt certitudo quę habetur de re quæ videtur. *Et teſtimonium noſtrum non accipitis*, licet in homine non ſit habere fidem; tamen in libertate hominis eſt, oblatam recipere vel non recipere, vel refutare, & vere, *teſtimonium noſtrum non accipitis*; quia *ſi terrena dixi vobis*, ut de templo corporis mei ſolvendo & in triduo à me ſuſcitando Joā. 2. *Et non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia*, id eſt, cœleſtem ſpiritus nativitatē, credetis. Sic exponit Victor. concordans Auguſtino & Bedæ: unde quærit Auguſtin. quod eſt illud terrenum quod dixit, quod non credebant homines, & reſpondet illud quod de templo ſuſcitādo dixerat; corpus enim ſuum de terra acceperat. Secundum Chryſoſtomum, terrenum

Res ſacramenti, occulta & inviſibilis gratia Spiritus ſācti

Teſtimoniū rei viſæ certum

Fides eſt donum Dei & non in poteſtate hominis. Liberum tamen eſt homini fidem recipere, vel reſpuere.

Terrenum illud non intellectum à Nicodemo exponitur.

illud fuit exemplum de vento ſecundum ipſum ſupra poſitum. Ponit etiam Chryſoſtomus aliam expoſitionem, vocans dominum illud terrenum quod non credebat Nicodemus. Et ſecundum cum generatio ſpiritualis quæ fit per baptiſmum terrena dicitur comparata ad divinam generationem, qua filius à patre generatur. Poſſet tamen intelligi illud terrenum hoc quod inchoatio ſpiritualis vitæ nativitas dicitur; eo quod corporali nativitati aſſimiletur.

Et nemo, &c. Gloſſa Bedæ ſic continuat: poſtquam increpavit, ad humilitatem invitavit, quia
II. ipſe diligenter his quæ audit intendit, inſtruit eum adhuc de cœleſtibus & terrenis, cœleſtis eſt ejus aſcenſus ad vitam: terrena ejus exaltatio ad mortem. Auguſtinus, quomodo aſcendit nemo, niſi qui deſcendit, non aſcenſuri ſunt in cœlum quos facit filios Dei. Et reſpondet cæteri erunt membra ejus ut unus aſcendat, 1. Corinth. 12. *Sicut unum corpus eſt & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum ſint multa, unum corpus ſũt. Ita etiam Chriſtus. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.* Deſcendit ſecundum quod eſt Deus, aſcẽdit ſecundum quod eſt homo, deſcenſus enim nihil aliud eſt quam manifeſtatio in carne, ut dicit Aug. ad Voluſianum, *filius hominis*, &c. Chriſtus ſcilicet cum membris ſuis, & quia cum deſcendit à patre non receſſit ſubditur: *Qui eſt in cœlo*: ſecundum quod Deus; cum hoc relativum, qui, ſit iterativum ejuſdem perſonæ, patet, quod una eſt perſona in duabus naturis, qui ſecundum divinã naturam in cœlo erat, ſecundum humanam naturam loquebatur Nicodemo.

Et ſicut Moyſes, &c. Hic inſtruit eum circa paſ-
III. ſionem ſuam *exaltavit ſerpentem in deſerto*. Numeri 21. Ad curandũ filios Iſrael à morſibus ſerpentum ignitorum: *Ita exaltari oportet filium hominis*, id eſt, Chriſtum ſecundum humanam naturam in crucis patibulo, ut omnis qui credit in eum, id eſt, fide tendit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam; nunc in ſpe, & tandem in re. Serpens æneus habuit ſimilitudinem cum ſerpentibus venenoſis, tamẽ non habuit venenum; ſic Chriſtus habuit ſimilitudinem carnis peccatricis, non tamen peccatum. 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit* Roman. 8. *Deus miſit filium in ſimilitudinem carnis peccati.*

Et notantur tria in verbo dicto, Primo, figura cum dicitur: *& ſicut Moyſes*. Secundo, veritas figuræ reſpondens, ibi; *Ita exaltari oportet filium hominis* Tertio, oſtenditur utilitas duplicis veritatis, ſcilicet evaſio mortis, & conſecutio vitæ æternæ, ibi: *Vt omnis qui credi*, &c. Auguſt. Figura præſtabat vitam temporalem, res præſtabat vitam æternam.

Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter Sunt quidam magiſtri qui veniunt à diabolo: à Deo veniunt, qui docent veritatem utilem: à diabolo qui habent doctrinam mendacem, vel ſuperfluam. Deus eſt veritas & bonitas: veritas in intellectu, & bonitas in affectu, Doctrina ejus verax & utilis, Pſal. 118. *Iuſtitia tua juſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Iſa. 48. *Ego Deus tuus docens te utilia gubernans te in via qua ambulas.* Utilem veritatem Chriſtus docuit; unde vidit eum Joannes *plenum gratiæ & veritatis*. Joan. 1. Luc. 3. *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebãt de ore illius.* Joãnis 18. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ejuſdem 8. *Si veritatem dico quare non creditis mihi?* Ipſe enim ambulavit *in magnis neque in mirabilibus* ſuper ſe. Sed utilia docuit ad ſalutem neceſſaria. Ipſe docuit per pœnitentiam delere præterita mala. Matth. 4. *Pœnitentiam agite*, &c. Docuit etiam cavere futura, Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam amplius noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat.* Item octavo. *Vade & jam amplius noli peccare.* Item docuit contemptum terrenorum & deſiderium æternorum Matth. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſaurum in terra, ubi ærugo & tinea demolitur*, &c. Item 19. *Vade & vende omnia quæ habes*, &c. Ejuſdem 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.* Ipſe etiã docuit mandatorum impletionem. Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ipſe docuit ſanctũ timorem & amorẽ Matt. 10 *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſũt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennã.* 1. Joan. 14. *Mandatũ novũ do vobis, ut diligatis.* Et 15. *Hoc eſt præceptum meum*, &c. In eodem. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Ipſe docuit manſuetudinem & humilitatem. Matt 10. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Auguſtinus. Putabas forte ſapientiam Dei dicturũ. Diſcite, quoniam cœlos feci & aſtra: non; ſed potius illud: quoniam *mitis ſum & humilis corde.* Doctrina etiam ipſius ad Nicodemum incepit ab eo, ſine quo non erat ſalus, cum dixit: *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Ber. Super Cantic: Scire ea prius, ampliuſque curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti: ſcias modum ſciendi, ut ſcias quo ordine, ut id prius quod maturius ad ſalutem; quo ſtudio, ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine ut tantum ad ædificationem tui vel proximi. Diabolus docet & falſa & inutilia, vel noxia. Joannis 8. *Ipſe eſt mendax & pater ejus.* Primum verbũ ejus ad hominem, fuit quæſtio noxia, quam ſecuta eſt ſolutio falſa. Geneſ. 3. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi?* & ſubditur? *nequaquã moriemini. Scit enim Deus* &c.

Cuſtodiam mandatorũ. Timorem. & amorem.

Manſuetudinem & humilitatem.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS

SERMO XCI.

SUMMARIUM.

Quam neceſſarius Spiritus S. Eccleſiæ ſit. De triplici vita, quintuplici nativitate hominis.

Amen amen dico tibi niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c

IN Dominica præcedenti recoluit Eccleſia quomodo Spiritus ſanctus Eccleſiæ ſit miſſus. In hac Dominica vult oſtendere quantum Eccleſiæ ſit neceſſarius; unde legitur hodie Evangelium in quo dominus inſtruens Nicodemum, oſtendit quod nullus regnum Dei ingreditur niſi prius renaſcatur. De hac verò ſpirituali nativitate volentes loqui, quia nativitas vitæ inchoatio eſt, prius diſtinguemus multiplicem vitæ inchoationem, ſive nativitatem.

Spiritus S. Eccleſiæ neceſſarius;

Notandum eſt ergo quod *triplex* eſt *vita* ſcilicet, vita *naturæ*, vita *gratiæ*, vita *gloriæ*. De *vita naturæ*. Jacob. 4. *Quæ eſt vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens.* Eccleſiaſtici 4. *Laudavi magis mortuos quã viventes, & feliciorem utroq; judicavi qui nec dum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.* De *vita gratiæ* dicitur ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Ibidem. *in fide vivo filij Dei.* Lucæ 15. *Frater tuus hic mortuus fuerat & revixit* De *vita gloriæ* legitur Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deũ verũ.* 1. Joan. 5. *Vitã æternã habebitis qui creditis in nomine filij Dei.* Vita naturæ contemptibilis eſt ſi deſit vita gratiæ, eſt enim quaſi vita latronis adjudicati morti qui jam ducitur ad mortem. Seneca: Omnes capitali ſupplicio condemnati ſumus. Auguſtinus. Nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ quam curſus ad mortem in quo nemo nec paululũ ſtare permittitur, ſed omnes pari motu urgemur. Hæc vita eſt nobis communis, & brutis. Eccleſiaſtici 3.

Triplex Naturæ.

Gratiæ.

Gloriæ.

Explicatur amplius.

Vita peccatorum peſſima mors.

ſiaſtici 3. *Vnus eſt interitus hominis & jumentorum & æqualis utriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſpirant omnia*. Hæc vita communis eſt etiam damnatis, quibus bonum eſſet, non eſſe. Matth. 26. *Bonum eſſet ei ſi natus non fuiſſet homo ille* Apocal. 9. *Deſiderabunt homines mortem*. Vita illa quædam mors eſt vel morte deterior Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt mors quã vita amara*. Geneſ. 2. *Quacunque die comedetis ex ea, morte moriemini*. Secundum unam expoſitionem mors ibi pœnalis vita vocatur, quæ eſt quaſi quoddam genus mortis. Vita gratiæ eſt media inter vitam naturæ, & vitam gloriæ. Ipſa eſt bonitas naturæ, & pretium gloriæ. Vita naturæ ſine vita gratiæ inutilis eſt, immo & periculoſa; vivens enim homo tantum illa vita eſt velut arbor ſine fructu excidenda, & poſt in ignem mittenda Lucæ 3. *Excide eam, ut quid terram occupat?* Bern. quam mitius me privares, ô amara mors, vitæ uſu, quam fructu: nam vita ſine fructu gravior mors eſt. Deinde duo mala parantur arbori infructuoſæ ſecuris & ignis. Vita gratiæ eſt, per quam tranſitus eſt ad vitam gloriæ. Rom. 6 *Gratia* Dei vita æterna, id eſt pretium vitæ æternæ. Hæc vita eſt multùm deſideranda; ideo Dominus Nicodemo vitam oſtendit hanc neceſſariam eſſe inchoandam. Vitam gratiæ filius Dei adeo charam habuit quod morte ſua nobis eam voluit adquirere; unde dicit Auguſtinus De eo quod vivificavit occiſus, hujus vitæ ſuſtentationi in mundo iſto voluit intendere. Marci 1. *Eamus in civitates & vicos proximos, ut ibi prædicem*: *Ad hoc enim veni*. Huic vitæ refectionem ſui ſacri corporis & ſanguinis voluit providere Joan. 6. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Circa vitam gratiæ ſpecialiter reprehenſibilis eſt dilatio inchoandi eam. Difficile eſt vitam malam conſuetam relinquere. Jeremiæ 13. *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam aut pardus varietatem ſuam, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Et hîc dicit Nicodemus: quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex. Seneca in epiſtolis: quidam tunc vivere incipiunt, cum deſinendum eſt; quidam autem deſinunt antequam incipiunt.

Quintuplex nativitas.

Item notandum quod multiplex eſt Nativitas. *Prima* eſt ſecundum carnem. *Secunda* eſt ſpiritualis, qua quis naſcitur in baptiſmo. *Tertia* eſt illa, qua quis naſcitur per pœnitentiam. *Quarta* eſt in ſuſceptione regiminis Eccleſiaſtici. *Quinta* eſt in ſuſceptione æterni præmii.

Prima carnalis.

Prima eſt miſerabilis: In illa enim naſcitur homo ad laborem. Iob. 5. *Secunda* eſt puræ divinæ miſerationis, ut cum parvulus abſque ulla præparatione in Dei filium adoptatur. *Tertia* eſt miſericordiæ cum iuſtitia ſociatæ, in qua miſericordia & veritas obviant ſibi, & juſtitia & pax oſculantur. *Quarta* eſt quandoque iræ, quandoque miſericordiæ. Oſee 13. *Dabo tibi regem in furore meo, & auferam indignationem meam*. *Quinta*, eſt bonitatis immenſæ, cum ſcilicet Deus majeſtatis ſervum ſuum vocat ad ſocietatem ſuam. Joan. 12. *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit*.

Prima nativitas tres habet comites, ſcilicet, bonorum inopiam, & malorum pœnalium abundantiam, & Dei iram. De *primo* legitur Job. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ* Eccleſiaſtici 5. *Sicut egreſſus ſum de utero matris nudus ſic revertar nudus*; 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum* &c. Ad *ſecundum* pertinet illud. Sap. 7. *Primam vocem emiſi ſimilem omnibus*: & ſuper illud Epheſ. 5. *Redimentes tempus* &c. Gloſſa Auguſt. Ex quo lapſus eſt Adam & paradiſo expulſus, nunquam fiunt dies niſi mali quod oſtendit puer qui naſcitur, qui à ploratu incipit, nec ridere poteſt: ſtatim natus plorat Propheta ſuæ calamitatis, lachrimæ enim teſtes ſunt miſeriæ; nondum loquitur, & jam prophetat. Ad *tertium* pertinet illud, Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ*: quod 3.
dicitur propter originale peccatum.

Secunda Nativitas ſpiritualis; Tres etiam comites habet.

Secunda Nativitas habet tres comites, ſcilicet peccati deletionem, gratiæ collationem, fomitis debilitationem. Peccati deletio figurata eſt in Ægyptiis ſubmerſis, filiis Iſrael tranſeuntibus per mare rubrum. Exod. 14. Gratiæ illuminatio, & fomitis debilitatio, deſignata ſunt in nube quæ 1
filiis Iſaël in die præſtabat refrigerium, in nocte ve- 2.
rò illuminabat eos, de qua nube ſimiliter habetur. 3.
Exod. 14. Et in Pſal. 77. *Deduxit eos nube diei*.

Tertia Nativitas per pœnitentiam. Tres item comites habet.

Tertia Nativitas ſimiliter tres habet comites, ſcilicet amaritudinem in contritione pudoré in confeſſione, laborem in ſatisfactione: de quo legitur, Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* Et Matth. 26. *Egreſſus foras flevit amare* De ſecundo Eccleſiaſtici 4. *Non confundaris pro anima tua dicere verum: eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens* 1.
gloriam. Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis* 2.
in quibus nunc erubeſcitis De labore habetur Sap. 3.
3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus* Et Prov. 20. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor & cùm receſſerit gloriabitur*.

Quarta Nativitas per promotionem malorum ad Eccleſiaſticas dignitates. Tres comites habet.

Quarta Nativitas habet tres comites, quo ad malos maxime majores, ſcilicet, qui promoventur ſecundum matris parturientis triſtitiam, naſcentium lætitiam, vulgi gementis anguſtiam. De triſtitia habetur Joan. 16. *Mulier cum parit triſtitiam habet*. Apocal. 12. *Clamabat parturiens & cruciabatur, ut pariat* Proverb. 10. *Filius ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ*. Geneſ 15. *Collidebantur parvuli in utero, & ait Rebecca, ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere*. Ejuſdem 38. *Dixit Thamar: quare propter te diviſa eſt maceria*. Frequenter enim in promotionibus fiunt ſchiſmata: Eliſæus ungens Hazel in regem flevit, prævidens, quæ mala facturus erat filiis Iſrael. 4 Regum 8.
De lætitia ejus qui promovetur, habetur. Proverb. 2.
17. *Homo ſtultus plaudit manibus ſuis cum ſpoponderit pro amico ſuo*. Urſus in hora nativitatis ſuæ ridet, poſtea nunquam: ſic qui in promotionibus ſuis lætantur, poſt multis adverſitatibus opprimuntur Zach. 11. *Paſce pecora occiſionis; quæ qui poſſederant, occidebant, & non delebant & vendebant ea, dicentes; Benedictus dominus divites facti ſumus*. De gemitu populi legitur, Proverb. 3.
29. *Cum impij ſumpſerint principatum, gemet populus* Ejuſdem 28. *Cum ſurrexerint impij abſcondentur homines*: ſicut cum falco elevatur abſcondunt ſe aves. In eodem. *Leo rugiens & urſus eſuriens princeps impius ſuper populum pauperem*. In fœtu urſi ſicut dicit Ariſtot. non apparent niſi ungues, in filiis raptorum, cùm in Eccleſia promoventur, apparet rapacitas Daniel. 7. *Dentes & ungues beſtiæ erant ferrei*. Ezech. 15. *Aſſume planctum ſuper principes Iſrael*. Et ſubditur: De leæna quæ poteſt intelligi alicujus magni prælati curia: *eduxit unum de leunculis ſuis. Leo factus eſt, & didicit prædam capere, homineſque comedere*. In eodem. Sceptrum dominantium planctus eſt, & erit in planctum. Et ipſi faciunt alios plangere, & ipſi vel in præſenti vel in futuro plangent. Quo ad bonos verò qui promoventur.

Tres item per promotionem bonorum.

Quinta nativitas habet très comites, ſcilicet, naſcentis triſtitiam: *Ipſe enim primam vocem emiſit plorans*. Sap. 7. Vulgi lætitiâ. Proverb. 30. *In multiplicatione juſtorum*, ſcilicet principum, *lætabitur vulgus*. Dei gloriam. Prov. 28. *In exultatione juſtorum multa gloria eſt*, id eſt, in proſperitate bonorum prælatorum.

Quinta nativitas ſimiliter tres habet comites, ſcilicet, gaudium ſine dolore. Iſaiæ 51. *Gau*

dium & lætitiam tenebunt, & fugient dolor & gemitus. Ejuſdem 65. *Gaudebo in populo meo, & non audietur in Ieruſalem vox fletus ultra.* Item habebunt quietem ſine labore Apocal. 14. *Ammodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Et vitam ſine morte. Sap. 7. *Iuſti in perpetuum vivent.* Apocal. 21. *Mors ultra non erit.*

Quinta Nativitas per adeptionem æterni præmii. Tres habet comites. 1. 2. 3.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

Summarium.

Quatuor ad ſalutem neceſſaria, Fides, Baptiſmus, Humilitas. Charitas. Apertio Cœli Chriſti Paſſioni, Aſcenſioni, Baptiſmo attribuitur. Quare Chriſtus per ſerpentem Æneum figuratus, quomodo in paſſione exaltatus, in quo ſimilitudo exaltati ſerpentis & Chriſti conſiſtat, & Virtus crucis.

SERMO XCII.

Nemo aſcendit in cœlum niſi qui de cœlo deſcendit.

QUatuor tanguntur in hodierno Evangelio, quæ multum valent ad ingreſſum regni cœleſtis. *Primum*, eſt fides Paſſionis Chriſti, de quo ibi: *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis ut omnis qui credit in ipſum non pereat*, &c. *Secundum* eſt ſuſceptio ſacramentorum Eccleſiæ ad quam pertinet illud: *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. *Tertium* eſt humilitas, de quo ibi: *Nemo aſcendit in cœlum* &c. Deſcenſus per humiliationem cauſa eſt, ut ad gloriā cœleſtem aſcendatur. Job. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Bernardus. Per humilitatem aſcendite ad ſublimitatem, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potiùs, quam aſcendat. Chriſtus cùm per naturam divinitatis non haberet quo aſcenderet, quia ultra Deum nihil eſt tamen per deſcenſum quomodo creſceret, invenit. Epheſ. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos.* *Quartum*, eſt charitas qua quis adhæret Chriſto. Solus enim Chriſtus caput, ſcilicet cum membris in cœlum aſcendit ad quod pertinet verbum prius dictum: *Nemo aſcendit in cœlum* &c. Unde multum deſiderandum eſt eſſe de corpore illo. David Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt* &c. Multùm timenda eſt ſeparatio à Chriſto: Unde dicebat Apoſtolus Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia?* In eodem: *Certus ſum quod neque mors, neque vita*, &c. *Poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Quatuor ad ſalutem neceſſaria. I. Fides. II. Sacramenta. III. Humilitas. IV. Charitas.

Tribus attribuitur apertio Cœli.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem &c. Cum *tribus* attribuatur apertio regni cœleſtis, ſcilicet, *Paſſioni* Chriſti *Aſcenſioni* ejuſdem *Sacramento* quo quis per ſpiritum renaſcitur, convenienter, poſtquam Eccleſia recoluit Chriſti Paſſionem, & Aſcenſionem & Spiritus ſancti miſſionem, in hac Dominica vult oſtendere fidelibus cœleſtis regni apertionem. Unde legitur in multis Eccleſiis viſio Joannis qua vidit oſtium cœli apertum, & in Evangelio agitur de illis tribus quæ pertinent ad regni cœleſtis apertionem, & primo de nativitate, quæ fit per ſpiritum ſanctum, ſecundo de Chriſti aſcenſione, tertio de ejus paſſione, ſcilicet in verbo propoſito. Et oſtenditur quibus regnum ſit apertum, eſt enim apertum renatis per Spiritum ſanctum, habentibus paſſionis fidem, & adhærentibus per charitatem ei, qui aſcendit in cœlum.

Circa verbum propoſitum Quatuor ad ædificationem noſtram nobis ſunt attendenda, ſcilicet, quare Chriſtus per ſerpentem ſit figuratus. Quare per æneum, & quare in paſſione dicatur exaltatus, & in quo ſimilitudo ejus exaltationis ad exaltationem ſerpentis attendatur.

Quare Chriſtus per ſerpentem ſit figuratus. I Triplex ratio. 1.

Circa Primum notandum, quod *triplici ratione* Chriſtus ſpecialiter in ſtatu crucis per ſerpentem figuratus eſt. *Primo*, quia de ſerpente fit remedium contra venenum ſerpentis. De ſerpente enim fit tyriaca. Item mira Dei virtute ſerpens fuit remedium contra venenum ſerpentium ignitorum. Numeri 21. *Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet*: ſic Chriſtus in cruce remedium fuit contra venenum antiqui ſerpentis. *Secundo* propter ſapientiam, qua in cruce vicit diabolum: Ibi enim Chriſti prudentia percuſſit ſuperbum Job. 26. Geneſ. 2. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Exod. 7. Serpens Moyſis devoravit ſerpentes magorum; & ſapientia Chriſti in cruce aſtutiæ dæmonum prævaluit. Et ibi diabolum volentem capere cœpit. Job. 40. *An extrahere poteris leviathan hamo.* 1. Corinth. 1. *Quod ſtultum eſt Deo, ſapientius eſt hominibus.* Stultum Dei dicitur Chriſti paſſio. In eodem, *verbum crucis pereuntibus, ſtultitia eſt*, id eſt, mundi ſapientibus. Gloſſa dicit: cùm deberet dicere ſapientibus, dicit, pereuntibus. 2.

Sapientes mundi pereuntibus comparat. tripliciter 1.

Sapientes mundi dici poſſūt pereuntes *triplici ratione. Primo* quia ad modum naufragantium his quæ poſſident inſeparabiliter adhærent. Bernard. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus aut quibus comparabimus illos quos videmus à terrenis & corporalibus avelli, ſepararique non poſſe. Profectò ſimiles ſunt his qui ſubmerſi periclitantur in aquis, quos nimirum videas tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere quod primo manibus occurrerit. *Secundo* ad modum ſubmergendorum, quaſi molam habent ligatam ad collum, ſcilicet, temporalia quæ amant contra Deum. *Tertio* quia in profundiori mari hujus mundi ad modum bonorum natatorum ſe ſe mergunt, unde accidit quod ſe ſubmergunt.

2. Duplex malum. Culpæ. Pœnæ.

Et *notandum* quod *duplex* eſt *malum* ſcilicet *malum culpæ*, & *malum pœnæ*. Sapientia Dei timet *malum culpæ*, & meritò tanquam illud quod diabolus in mundo iſto poſuit, & quod hominem diabolo ſimilem facit, & ad ignem præparatum diabolo hominem ducit. Sapientia vero mundi timet *malum pœnæ*, & fatuè cum illud fit à Deo, & in Deo fuerit, & ad Deum ducat. Gregor. Mala quæ nos hic premunt ad Deum nos ire compellunt. Sapientes hujus mundi ſimiles ſunt fleti puero pro alapa à matre ſibi data, & non pro culpa qua ipſam meruit, ipſi medicinam amaram timent, infirmitatem ad mortem non timent. Hanc fatuam ſapientiam Chriſtus in cruce deſtruere voluit, qui pro deſtruendis malis culpæ etiam alienis tantum malum pœnæ ſuſtinuit, ſcilicet, mortem, & tale genus mortis malum culpæ diligenter cupivit, ſed malum pœnæ gaudenter ſuſtinuit. Hebr. 12. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* *Tertio*, quia ſerpens in arcto foramine veterem pellem deponit, ſic Chriſtus in anguſtia Paſſionis depoſita mortalitate ad gloriam immortalitatis tranſivit. In Pſalmo 29. *Conciſdiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.*

Chriſtus deſtruxit ſapientiam hujus mundi. Tertia ratio.

II. Chriſtus figuratus per æneum ſerpentem Triplici ratione. 1. 2.

Circa Secundum notandum quod *triplici ratione* Chriſtus non per quemque ſerpentem, ſed per Æneum ſignificatus eſt *Primo* quia ſerpens æneus habet ſimilitudinem cum ſerpentibus habentibus venenum, tamen veneno caret; ſic Chriſtus habuit ſimilitudinem carnis peccatricis non tamen peccatricem. Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.* *Secundo*, quia æs non eſt fabricabile eo modo quo cætera metalla, extenſionibus non eſt ductibile in quo ſignificatur patientia Chriſti & ſanctorum invincibilis, qui

occidi poſſunt, flecti nequeunt. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Et licet æs ſic non poſſit duci, poteſt tamen poliendo decorari. Sic Chriſtum paſſio nõ vicit, ſed gloria immortalitatis decoravit. Hebr. 2. *Vidimus Chriſtum propter paſſionem*
3. *mortis gloria & honore decoratũ. Tertio*, quia æs ſonorũ eſt valde, in quo gratia prædicãdi & orãdi intelligitur, quam Chriſtus habuit. Pſal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia*, &c. Specialiter in cruce ſonorus fuit; ibi enim verbo & exemplo docuit, ibi *preces & ſupplicationes ad Deum cum clamore valido & lacrimis obtulit.* Hebr. 5. ibi clamans voce magna pretium noſtræ redemptionis exſolvit. Matth. 27.

III. Circa Tertium notandum, quod Chriſtus dicitur exaltatus in paſſione non ſolum propter exaltationem localem, quæ erat in illo genere mortis, quia ſic vulgari ſermone dicebatur, ſed propter ſpiritualem exaltationem, quæ eſt in illis qui carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis ad Galat. 5. Cujus figura fuit Chriſti paſſio. Exaltatur quis ſpiritualiter, cùm omnia quæ mundi ſunt ponit ſub pedibus ſuis, bona tranſitoria contemnens, mala tranſitoria non timens, ſed amplectens, ſicut fecit Chriſtus. Auguſtin. Omnia bona tranſitoria contempſit homo Chriſtus ut contemnenda monſtraret, & omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur fœlicitas nec in iſtis timeretur infelicitas. Ad oſtendendum bona temporalia eſſe contemnenda voluit eſſe elevatus à terra, Ad oſtendendum, mala tranſitoria non eſſe timenda, ſed potius amplectenda, voluit eſſe cruci affixus.

Qua ratione Chriſtus exaltatus in Paſſione.

Bona temporalia contemnenda, & mala non timenda.

IV. Circa Quartum notandum, quod illa ſimilitudo in *tribus* attenditur. Serpens æneus exaltatus eſt in deſerto, & Chriſtus in cruce deſertus eſt à mundo & ab amicis ſuis, etiam à patre videbatur eſſe derelictus. Iſa. 63. *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non erat vir mecum*, &c. Iob. 6. *Ecce auxilium non eſt mihi in me*, neceſſarii quoq; mei receſſerunt à
I. me. Pſal. 21. *Tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adjuvet* &c. Lucæ 23. *Deus meus, ut quid me dereliquiſti.* A multis etiam hodie ad crucem penitus deſeritur, pauci ibi volunt ei facere ſocietatem, vexillum Eccleſiæ, id eſt, vexillum crucis portando, quod mulierculis hodie relictum eſt. Ioan.
II. 19. *Stabant iuxta crucem Ieſu mater ejus & ſoror matris ejus. Item* exaltatus eſt ſerpens æneus, ut à cunctis à ſerpentibus percuſſis aſpiceretur. Numeri 21. *Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Sic ad literam Chriſtus in cruce exaltatus eſt, ut à cunctis poſſet videri, qui de diverſis partibus mundi cõvenerant in Ieruſalem propter feſtum paſchæ, ſic imago crucifixi in alto & in evidẽti in eccleſiis ponitur, ut ab omnibus fidelibus aſpiciatur, ut cogitent quid retribuant Domino pro omnibus quæ retribuit eis. Pſal. 115. Ber. Quid adhuc dormitat tua affectio immo non dormit ſed mortua eſt, ſi huic non reſpõdet beneficio. Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ſuæ: Memor enim eſſe debes quæ & quanta paſſa ſit pericula propter te in utero ſuo.* Non tamen tot, & tanta eſt paſſa pro te, quanta Chriſtus tamen multi multo tempore quidquid ſignificat
III. illa imago non attendunt. *Item* ſerpens æneus exaltatus eſt, ut percuſſis à ſerpentibus eſſet remedium: ſic contra morſus ſerpentum infernalium Chriſti paſſio efficax eſt remedium, unde ſubditur: *ut omnis qui credit in eum, non pereat*, &c. Origenes, tanta virtus eſt crucis, ut ſi in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati poſſit prævalere invidia. Si continuo ad memoriam eius reducatur, totius peccati & mortis fugit exercitus.

Similitudo exaltationis ſerpentis & Chriſti conſiſtit in tribus.

Pauci imitatores & ſocii crucis Chriſti.

Quare crux Chriſti in Eccleſiis altiori loco collocetur.

Chriſtus plus paſſus pro te, quàm mater tua.

Virtus crucis Chriſti.

DOMINICA PRIMA POST FESTVM SANCTÆ TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SERMO XCIII.

SUMMARIUM.

Evangelii parabola literaliter & moraliter explicatur.

Homo quidam erat dives. &c. *Luc.* 16.

EX hoc quod nomen Lazari exprimitur; videtur eſſe rei geſtæ narratio, nihilominus tamen parabola fuit; unde Gloſſa, quæ dicit, quod magis videtur narratio, quàm parabola, ſic intelligenda eſt, quàm parabola tantum: eſt enim parabola tamen res geſta fui, ſic ut vult Gregor. in homilia. Allegoricè, dives populum Iudaicum deſignat qui vitæ cultum exterius habet & acceptæ legis deliciis uſus eſt ad nitorem non ad utilitatem. Lazarus verò ulceribus plenus, ſignificat populum gentilem ulceribus peccatorum plenum. Hanc expoſitionem require in homilia. Gregor, *Homo quidam erat dives.* Divitias habens & amans *Biſſo.* Gloſſa: Biſſus eſt genus lini candidi & molliſſimi; *Et epulabatur quotidie ſplendide*, id eſt, lautè, ſive delicatè, vel gulose. *Et canes veniebant* Interlin. hos nec ipſe poterat removere à ſe, nec viſitator erat, qui removeret. *In ſinu Abrahæ.* Tradunt ſancti ad literam quod in loco pœnarum eſt pars ſuperior, quæ ora inferni dicitur, id eſt, extremitas habens aliquantam lucem; nec eſt contrariũ illud Io. 17. *Et in tenebris ſtravi lectulum meũ.* Illum enim locum vocat tenebras reſpectu viſionis Dei. Locus ille dicitur ſinus Abrahæ pro quiete vel tranquillitate ut ſinum maris dicimus, locum ſecretum, ventis & tempeſtatibus impervium: & licet ibi requieverint etiam cæteri ſancti ut Abraham; tamen ſpecialiter dicitur ſinus Abrahæ, quia Abraham prima fuit credendi via, & primus prædicans apertè fidem unius Dei. Sinus ergo Abrahæ ad literã intelligitur ſuperior pars inferni. Myſticè verò ſinus Abrahæ dicitur requies bonorũ: unde oramus animas defunctorũ collocari in ſinu Abrahæ. Mat. 8. *Dico vobis quod multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Et ſepultus eſt in inferno.* Gloſſa: Sepultura inferni pœnarum eſt profunditas, quæ ſuperbos & immiſericordes poſt hanc vitam vorat. *Pater Abraham*: inſinuatur quod Iudæus fuerit. *Vt intingat extremum digiti ſui in aquam.* Non dicitur hoc ideo, quod Lazarus digitum habuerit, ſed per hoc oſtenditur, quod dives minimum ſuffragium, ut eſt digiti intinctio, magnum beneficium reputaret, ſi conſequi poſſet. Gregorius in homilia: Ab extremo digiti ſe tangi deſiderat, qui æternis ſuppliciis datus optat operatione iuſtorum vel ultima participari. *Vt refrigeret linguam meam.* Interlin. In qua patior plura alia Interlin. Quia, ſicut mos eſt, etiã inter cõvivia loquacitati ſtuduit, refrigerari linguam petit, id eſt, animam quæ pro peccato linguæ cruciabatur: vel lingua poteſt intelligi aliquid animæ, ſimile linguæ. Vnde Auguſtin. Profiteri animam poſſe habere ſimilitudinem corporis & corporalium omnino membrorum, quisquis renuit, poteſt negare animam eſſe, quæ in ſomnis videt vel ambulare vel ſedere, vel huc vel illuc greſſu vel etiam volatu ferri. Item in Caſſiani voluminibus legitur quod animæ non ſunt otioſæ, neque nihilum ſentiant, cum dives ille in inferno ſe flamma cruciari clamet. Auguſt. Quomodo intelligitur lingua divitis flamma inferni, Sinus Abrahæ & huiuſmodi vix à manſuetis; à contentioſis verò nunquam invenitur. *Recepiſti*

Veræ res geſta an parabola fuerit.

Dives populum Iudaicum indicat.

Lazarus populum Gentilem ſignat

Luxus divitis.

Sinus Abrahæ ſenſu literali.

Abraham primus fidem unius Dei prędicavit apertè

Sinus Abrahę ſenſu Myſtico.

Infernum.

Dives ſuffragium petit.

Cruciatur damnatus in iis membris per quę peccavit.

bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.

Merita malorum compenſantur bono temporali hic. Peccata juſtorū purgantur adverſitate hic.

Nota, quod iſte dives aliquid boni habuit, ex quo bonum tranſitorium in hac vita recepit. Et Lazarus aliquid mali habuit, ſed ignis inopiæ purgavit. *Et in his omnibus*, id eſt, inter hæc omnia quæ me excuſant, unum eſt quod omnino me abſolvit, ſcilicet, quod nullo modo poſſum tibi ſubvenire, quia, *magnum chaos firmatum eſt inter nos & vos.* Ambroſ. Inter divitem & pauperem magnum chaos firmatum eſt, quia poſt mortem nequeunt mutari merita. Chaos intelligi poteſt pro diſtantia magna ſecundum meritorum differentiam: vel chaos dicitur via, id eſt, ex una parte inflexibilis Dei juſtitia; ex alia parte immutabilis meritorum exigentia. *Ut hi qui volunt tranſire ad vos non poſſint*, id eſt, ſi vellent non poſſent, vel qui volunt de natura, non tamen ſimpliciter volunt: ſicut Angeli confirmati de natura poſſunt peccare, gratia tamen hoc impedit; ſic electi naturali benignitate, reproborum vellent liberationem, niſi adeo juſtitiæ Dei eſſent adſtricti. Gregor. Juſtorum animæ, & ſi naturæ ſuæ bonitate miſericordiam habent: Jam tamen auctoris ſui juſtitiæ conjunctæ, tanta rectitudine conſtringuntur, ut nulla ad reprobos compaſſione moveantur *Rogo ergo te, pater*, &c. Ambroſius. Servus iſte dives magiſter incipit eſſe, cum nec diſcendi tempus habet neque docendi. *Ne & ipſi veniant in locum hunc tormentorum.* Non dives curabat illos, ſed ne per adventum illorum amplius torqueretur. Gloſſa. Servatur diviti ad pœnam & cognitio pauperis quem deſpexit, & memoria fratrum quos reliquit, ut de viſa gloria deſpecti, & de pœna inutiliter amatorum torqueatur. *Si Moyſen & Prophetas.* Hoc patuit in Chriſto, cui noluerunt poſt reſurrectionem credere.

Angeli boni natura peccabiles, gratia confirmati peccare non poſſunt.

Damnati aſpectu & præſentia ſociorum peccati magis torquētur.

Hoc Evangelio arguitur avaritia Phariſæorum. Boni & mali vita, finis, & ſtatus poſt mortē. Vita divitis & Lazari.

Homo quidam erat dives, &c. Hoc Evangelium vel exemplum dictum eſt contra Phariſæos avaros, irridentes Dominum exhortantem ad largitionem eleemoſynarum. Et deſcribit Dominus duas perſonos unum divitem & alterum pauperem. Et primo oſtenditur eorum vita. Secundo finis vitæ, ibi: *Factum eſt, ut moreretur*, &c. Tertio ſtatus eorum poſt mortem, &c. *Elevans autem oculos ſuos.* Ubi vita divitis deſcribitur, nomen ejus tacetur, dives fuiſſe commemoratur; qualiter divitiis ſit uſus, vel potius abuſus, oſtenditur: ubi verò vita pauperis deſcribitur nomen ejus exprimitur, & oſtenditur magna ejus miſeria, & ſine omni conſolatione humana.

I. Nomen divitis tacetur. Ratio 1.

Circa primum verò notandum, quod covenienter Dominus loquitur de divite, quaſi de ignoto, nomen ejus non exprimendo. *Primo*, quia dives in paupere Deum non agnovit. Matth 25. quod uni ex minimis meis non feciſtis, & mihi non feciſtis. Ideo Dominus meritò divitem quaſi non agnoſcit. Non habentibus oleum miſericordiæ, dicit Dominus: *Neſcio vos.* Matth. 25

2. *Secundo*, ad inſinuandum, quod dives, qui in mundo nomen cum offenſa Dei ſibi fecit, in cœlo nomine illo carebit, quod habent electi Proverb. 10 Nomen impiorum putreſcet, id eſt, deficiet. Octavo die, qua circumciſio fiebat, nomen imponebatur. Et generali circumciſione facta, in octava reſurrectionis nomen habebunt electi: de quo Apocal. 1. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptū.* Manna erit jucunditas viſionis divinæ: calculus candidus corpus immortale & glorioſum, nomen in calculo ſcriptū erit, quia filii Dei ex gloria corporis apparebūt.

Octavo die circumciſio fiebat & nomen imponebatur.

3. *Tertio*, quia nomina divitum tranſierunt per ora porcorum, ideſt, hominum beſtialium, à quibus laudantur; *vocaverunt* enim *nomina ſua in terris ſuis.* Pſal 40. ideo dicit Dominus. *Non tranſibunt nomina eorum per labia mea.* Quis pomum ore porci maſticatum libenter ponit in ore ſuo. Nomen malorum quod mundo eſt honorabile, Deo eſt abominabile. Lucæ 16. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.*

Nomē malorum honorabile hominibus abominabile Deo.

4. *Quarto*, quia dives malus Dei judicio quantum ad perſonam ſuam nihil eſt in valore; à mundo etiam valor ejus penſatur ex eis quæ ſibi adjacent, ipſemet etiam perſonam ſuam vilem habet, ſua ſibi præponendo: quia ſecundum Senecam nihil eſt ei ſe ipſo vilius. Pythagoras ſi pecuniam habueris, neceſſe eſt ut te ipſum, aut pecuniam vilem habeas. Cùm igitur perſona mali divitis modis prædictis nihil ſit, merito non nomine perſonæ, ſecundum quam quaſi nihil eſt, ſed ex his quæ adjacent notificatur. Seneca. Magnam pecuniam habet: hominem illum judicas? arca eſt. Quis ærario, quis plenis invidet loculis? & iſte quem dominum æſtimas pecuniæ, loculus eſt.

Dives pluris facit ſuas pecunias quàm ſeipſum. Æſtimatio divitis in divitiis ſita eſt.

II. Quos divites Deus abjiciat, quos admittat.

Circa ſecundum notandum, quod dives dicitur aliquis, vel quia divitias habet, vel amat: divitem primo modo Deus non abjicit, cùm ipſe ſit dives. Job 36. *Deus potentes non abjicit*, cùm & ipſe ſit potens; ſic Abraham dives fuerat, qui tamen in requie erat. Gen. 17 *Erat Abraham dives valde.* Sed divites ſecundo modo à regno Dei excluduntur. Matth. 19. *Facilius eſt, camelum intrare foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli & deſideria vana & inutilia quæ mergunt in interitum.* Hoc modo fuit dives iſte epulo. Qui divitias amant, non verè habent, vel poſſident eas, immo potiùs poſſidentur ab eis. Ideo viri divitiarum dicuntur: unde nomen Cain interpretatur poſſeſſio, qui figuram tenet avarorum; unde potiùs eſt avarus poſſeſſio, quàm poſſeſſor. Et *notandum*, quod licet habere divitias non ſit malum, tamen occaſio eſt malorum, quia ſecundum Senecam multum eſt divitiarum contubernio non corrumpi. Eccleſiaſt. 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Difficile eſt ſpinas divitiarum ab aliquo tractari, & ipſum non cruentari: ideo dives fuiſſe primo oſtenditur, ut materia ſequentium malorum agnoſcatur, ſcilicet, divitiæ.

Dives epulo fuit amator divitiarum.

Cain figura avarorum.

III. Tripliciter divites peccant.

Circa tertium notandum, quod tribus modis circa divitias contingit peccare, ſelicet, malè eas adquirendo, malè expendendo, malè retinendo. Per veterem legem manifeſtum erat quod injuſta acquiſitio erat damnabilis, furtum enim manifeſtè prohibebatur in ea. Sed hoc exemplo vult oſtendere Dominus, quod infidelis diſpenſatio & avara retentio poſſit eſſe damnabilis. Ad infidelem diſpenſationem pertinet illud: *Induebatur purpura & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.* Ad avaram retentionem pertinet illud: *Et nemo illi dabat.* Gregorius in homilia. In veteri lege non tenacia, ſed rapina mulctatur. Ibi res injuſtè ſublata reſtitutione quadruplici punitur. Hinc autem dives iſte non abſtuliſſe aliena reprehenditur, ſed propria non dediſſe: nec dicitur, quod quempiam oppreſſerit, ſed quia in habitis rebus ſe extulit. Hinc colligendum eſt, qua pœna mulctandus ſit, qui aliena diripit, ſi inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Item Gregor. Dives iſte non idcirco púnitus eſt, quia aliena abſtulit, ſed quia acceptis rebus ſemetipſum malè dereliquit: hoc ſolum fuit, quod hunc inferno tradidit, quia in ſua fœlicitate tumidus fuit, quia accepta dona ad uſum arrogantiæ inflexit, quia viſcera pietatis ignoravit, quia peccata ſua redimere, etiam cùm ſibi abundaret pretium, noluit.

1. Male acquirendo.

2. Male expēdendo.

3. Male retinendo.

Dives peccavit nō diſtribuendo ſua & malè utendo. Non autem injuſtè accipiendo aut retinendo aliena.

Laus divitiarum in bono uſu conſiſtit.

Et notandum quod bonum rerum temporalium non eſt poſitum in multitudine vel magnitudine earum, ſed in uſu Sap. 1. Omnia quæ extra nos ſunt dona, & quæ hominibus forte contingunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis eas, ſed quod

honeſtè

Bona vita non in longitudine, ſed in bono uſu conſiſtit.

honeſtè eis ſit uſus. Seneca docet non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpacio ejus, ſed in uſu. Idem intelligε de aliis rebus temporalibus. Ad malum ſuum divitias habuit, qui gratiam bene utendi illis non accepit. Eccleſiaſtici 5. *Eſt infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum domini ſui.* De divitiis ſuis dives iſte ſibi fuit prodigus, proximo ſuo avarus. Circa ſe uſus eſt eis ad ſuperfluitatem, proximo non ſubvenit ad magnam neceſſitatem; cùm dominus eſſet ei largus, ipſe domino in paupere fuit avarus; ideo fuit maledictus.

Superfluitas victus & veſtitus damnatur.

Auguſtin. Maledictus diſpenſator avarus, cui largus fuit dominus. Divitiis ſuis uſus eſt ad ſuperfluum veſtitum & victum. Veſtes enim pretioſas habere voluit ad gloriam. quod notatur ibi: *Induebatur purpura.* Item molles voluit habere ad delitias; ad quod pertinet, *Et biſſo*, quod eſt genus lini candidi & molliſſimi. Ad victum ſuperfluum pertinet illud: *Et epulabatur quotidie ſplendide.*

Veſtitus multis de cauſis reprehenſibilis.

Circa veſtitum notandum, quod veſtitus multis de cauſis poteſt eſſe reprehenſibilis. *Quandoque* propter ſumptuoſitatem, vel pretioſitatem. Gregorius in Homilia.

1. Sumptuoſus & pretioſus.

Sunt nonnulli qui cultum ſubtilium pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum; quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo divinus tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquetur apud inferos, biſſo indutus fuiſſet. Indignum eſt vili cineri fieri ſaccum purpureum: corpus noſtrum pulvis eſt, & in cinerem revertetur, ut quid perditio hæc? Indignum eſt cadaver putridum purpura involvi. Cùm pretioſitas ornatus prohibeatur mulieribus. 1. Tim. 2. Et prima Petri 3. Patet hanc pretioſitatem multo fortius eſſe reprehenſibilem in viris.

2. Multus & ſuperfluus.

Secundo, reprehenſibilis eſt veſtitus propter multitudinem, cùm mutatoria tot habentur, quòd à tineis comeduntur, & Chriſtus in pauperibus nudus remanet. Job. 24. *Nudos dimittunt homines, veſtimenta tollentes.* Tollere vel auferre dicuntur, quibus conferre tenentur, ſcilicet, pauperibus. Hieronymus. Aliena rapere convincitur, qui ultra neceſſitatem ſibi retinere comprobatur.

Clamor & querela pauperum.

Bern. Clamant nudi, clamant famelici, & conqueruntur, & ponit verba conquerentium, nobis, inquit, fame & frigore miſerabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extéſa in perticis, vel plicata in manticis? noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Jacobi 5. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.*

3. Curioſus.

Tertio, propter ſtudioſam curioſitatem. Gregor. Nemo æſtimet in luxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe; quia ſi culpa non eſſet, nullo modo Dominus Joannem de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet.

4. Non conveniens ſtatui.

Quarto, propter indecentiam, ut cum non eſt veſtitus ſecundum ſtatum perſonæ; ſicut cùm clericus militarem veſtitum vult habere, vel religioſus ſæcularem, vel vir fœmineum.

Prohibetur vir uti veſte muliebri & contra.

Sophoniæ 1. *Viſitabo ſuper viros indutos veſte peregrina.* Veſtis peregrina eſt, quæ non eſt ſecundum ſtatum perſonæ. Deuter. 22. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir veſtietur veſte fœminea.*

5. Glorioſus ad oſtentationem.

Quinto, propter glorioſam oſtentationem Eccleſiaſtici 9. *In veſtitu ne glorieris unquam.* Gregor. in homilia. Nemo veſtimenta præcipua niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet, ut honorabilior cæteris eſſe videatur: nam quod pro ſola gloria inani veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur; quia nemo vult illic pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri. Quam culpam poſſumus melius etiam è diverſo colligere; quia ſi abjectio veſtitus virtus non eſſet, Evangeliſta de Joanne vigilanter non diceret, erat veſtitus pilis camelorum.

6. *Sexto.* Propter præſumptioné: ex vanitate enim veſtis præſumitur vanitas mentis. Eccleſiaſtici 19. *Amictus corporis, &c. enunciant de illo.* Præſumptuoſus ob vanitatem.

7. Ambitioſus præſcribens Dei ordinationi.

Septimo, propter anticipationem. Dei enim ordinatione priùs oportet nos eſſe pannoſos, quantum ad corpus, quàm glorioſos. Lucæ 2. Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum. Phil. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ.* Zach. 3 dicitur de Jeſu, magno Sacerdote: *Auferte ab eo ſordida veſtimenta, & induite eum mutatoriis. Et epulabatur quotidie ſplendide.*

Convivia ſplendida aliquando commendantur. Aliquando reprehenduntur.

Notandum, quod in conviviis eſt aliquando ſplendor commendabilis aliquando reprehenſibilis: commendabilem facit hilaritas charitatis vel pietatis De quo Eccleſiaſtici 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Rom 12. *Qui miſeretur in hilaritate.* 2. Corinth. 9 *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Splendor reprehenſibilis eſt immoderatæ delectabilitatis, ut cùm quæritur ibi delectabilitas, non ſolum ſecundum guſtum, ſed etiam ſecundum viſum, ut in colore vini. Proverb. 23. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit in vitro.*

Splendor conviviorũ varius.

Attenditur etiam ſplendor iſte non ſolum quantum ad fercula, ſed etiam quantum ad vaſa aurea & argentea, vel ſuperflua luminaria, quantum ad cœnam Splendidè epulantur, qui plus expendunt ad paſcendum oculos hominum, quam ad paſcendum ventres. Bernar. Videte quale ſit hoc, de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita veſtra cedit vobis in ſuperfluas copias, veſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris.

I. Septem circumſtantiæ aggravãtes peccatum divitis.

Erat quidam mendicus. Hîc oſtenditur impietas divitis, & tanguntur *ſeptem* quæ ejus peccatum aggravant.
1. *Primum* eſt, quod erat unus: ſi enim plures fuiſſent, poſſet dicere, quis tot pauperibus ſufficeret dare? hoc pertinet ad illud: Quidam.
2. *Secundum* eſt, quod erat mendicus, in quo datur intelligi paupertatis magnitudo.
3. *Tertium*, quod jacebat ad januam ejus, ut dives dicere non poſſet: non vidi, in angulo fuit, aſpicere non potui. Gregorius in homilia. Haberet aliquam excuſationem forſitan dives, ſi Lazarus pauper & ulceroſus ante ejus januam non jacuiſſet. Si remotus fuiſſet, ſi ejus inopia non fuiſſet oculis importuna.
4. *Quartum* eſt, quod erat ulceribus plenus. Si non moviſſet eum ad compaſſionem paupertas, poterat eum movere magna infirmitas. Non enim ſolum ore clamabat ad divitem, ſed etiam toto corpore. Petrus Ravennenſis: auribus divitis obturatis, nihil eſſet vox unius clamantis. Unde dominus ad aperiendum cor ejus totum corpus pauperis vulneribus aperuit, ut quot eſſent vulnera, tot eſſent ora clamantia. Idem, purpura & biſſo, mollibus veſtimentis, & epulis blandis, crudelis anima viſcera ferrea nutriebat: quæ Dominus, humanæ ſalutis avidus inquiſitor, cupiens emollire, projecerat ante januam totius pietatis conflatorium ſcilicet Lazarum. Conflatorium dixit, propter ferrea viſcera Sed poteſt dicere illud. Jerem 6. *Fruſtra conflavit conflator malitiæ.*
5. *Quintum* eſt, quod pauperi vilia ſuffeciſſent, non quæſiſſet pretioſa vel delicata, quod notatur ibi: *Cupiens ſaturari de micis*, &c. Pauperem non dicent delitiæ. Auguſtinus de verbis Domini: Non cogantur divites pauperum cibis veſci, utantur conſuetudine infirmitatis ſuæ, & doleant ſe aliter ſuſtentari non poſſe: quia ſi conſuetudinem mutant, ægrotant. Edant ſuperflua, dent pauperibus neceſſaria, edant pretioſa, dent pauperibus vilia: & quidem pauperum ſunt reliquiæ, non delitiæ, non oblectamenta, ſed fragmenta. Non eſt mirum, ſi quis non velit dare quæ multum conſtant, ſed hoc eſt mirum, negare Deo panem in paupere. Job 22. *Aquam laſſo non dediſti & eſurienti ſubtraxiſti panem.*
6. *Sextum* eſt, impietas familiæ divitis ad quod

pertinet illud : & nemo illi dabat. Impius Dominus impiam habet familiam. Eccleſiaſtici 10. *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus. Septimum* eſt, quod canes divitis mitiores fuerunt pauperi quàm dives. De quo ibi : *Sed canes veniebant*. Petrus Ravennenſis : Canes pauperis ulcera curant magiſterio naturæ, dives pauperem negligit, accuſante natura. Idem : dives mitior fuit canibus ſuis, quàm pauperi. Canes enim aliquando pinguia, ſed nec micam de menſa ejus pauper recepit. Matth. 15. *Nam & catelli edunt de menſa dominorum ſuorum* In eiſdem verbis attende quatuor, quæ faciunt ad magnitudinẽ miſeriæ pauperis. *Primum* eſt, tanta paupertas ut micas habere non valeat. *Secundũ* eſt, tanta infirmitas, ut nulla pars ejus ulcere careat. *Tertium* eſt, viſa divitis copia. *Quartũ* eſt quod nulla conſolatio inde eſt accepta. Greg. in homil. Quantus, putamus, fratres chariſſimi, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certè ad pœnam poterat ſufficere paupertas : & ſi ſanus fuiſſet rurſum ſuffeciſſet ægritudo, etiam ſi ſubſidium adeſſet, ſed ut probaretur amplius pauper, ſimul hunc paupertas & ægritudo tabeſecit atque inſuper videbat procedentem divitem obſequentibus conſulciri, & ſe in infirmitate & inopia à nullo viſitari. Sequitur.

Quatuor oſtendunt miſeria Lazari.

II. Mors Lazari. Angelica obſequia Lazaro parata.

Factum eſt autem ut moreretur, &c. Hic oſtenditur finis vitæ, & attende, quod ei cui defuerat conſolatio humana, parata fuit conſolatio angelica. Petrus Ravennenſis : meritò pauperi præparantur officia angelica, cui tam crudeliter denegata fuerant humanitatis obſequia. Idem : non dedignantur portare eum Angeli, cui prius miniſtrabant Hebr. 2. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*. Qui non habent equos in hac vita, Angelos habent portitores in morte. Qui vidiſſet pauperem in illa vita miſera, reputaſſet eum infœlicem, & Deo exoſum, omni bono indignum : qui tamen dignus erat regno cœleſti, quem Deus in morte tantum diligere oſtendit, quòd ad ejus obſequium Angelos miſit. Lazarus fuit margarita in ſterquilinio latens ; ſicut dicit Gregorius de Romula, quæ in ſimili ſtatu fuit. Latebat, inquit, in ſterquilinio margarita Dei ſterquilinium, fratres, hanc corruptionem corporis appello ; ſterquilinium abjectionem paupertatis nomino. Aſſumpta eſt ergo margarita, quæ jacebat in ſterquilinio, & poſita eſt in cœleſtis regis ornamento. Econtrario : qui vidiſſet divitem in illa proſperitate, reputaſſet eum fœlicem & dilectum à Deo : & tamen Deus habebat eum odio ad mortem. Jam erat adjudicatus patibulo infernali. In Pſalmo 143. poſt illud ; *Promptuaria eorum plena* ; & cum ſubditur. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt* ; ſed ſubditur veritas divini judicii : *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Mortuus eſt autem & dives*, &c Non unica morte eſt mortuus ſed *triplici. Prima* eſt *culpa*, qua ſeparatur anima à Deo. 1. Timoth. 4. *Vidua*, id eſt anima à Chriſto ſeparata, *quæ in delitiis eſt vivens, mortua eſt. Secunda* eſt *natura*, qua ſeparatur anima à corpore : & de qua hìc. *Tertia* eſt *gehenna*, qua ſeparatur anima à gloria Apoc. 20. *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis : hæc mors eſt ſecunda. Et ſepultus eſt in inferno*. In profunditate enim pœnarum poſitus eſt. Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*.

Iudicia Dei & hominũ diverſa.

Lazarus margarita latens.

Triplex mors divitis.

Nota, bonorum mortem eſſe quaſi quandam portam per quam tranſitur ad gloriam Econtrario. Mors peccatorum, quæ peſſima eſt, quaſi quædam porta, per quam tranſitur ad gehennam. Job 21. Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt. De ſepultura corporis non loquitur hic dominus, quia quantumcunque ſit illa honorabilis ; tamen parum prodeſt ei cujus anima ſepelitur in inferno. Sepultura reprobi, eſt ut ſepultura aſini : de qua Jerem. 21. *Sepultura aſini ſepelietur*. Sepultura aſini talis eſt : dominus pellem retinet, & vermes carnes comedunt, oſſa ad pluviam & grandinem remanent. Sic bona exteriora, quæ per pellem intelliguntur, filii retinent & quandoque dominus terrenus. Vermes ad litteram comedunt carnes. Anima, quæ per perverſitatem oſſibus comparatur, pluviæ & grandini infernali aſſimilatur. De hac ſepultura exponitur illud Eccli. 10. Cùm moritur homo hæreditabit ſerpentes, ſcilicet infernales, quantum ad animam. Et beſtias, ſcilicet, filios vel dominos terrenos vaſtantes hæreditatem. Et vermes ad litteram, qui corpus comedunt.

Diverſa mors bonorum & malorum. Pompa ſepulturæ malorum nihil prodeſt.

III. Status eorũ poſt mortẽ. De hoc tria oſtenduntur.

Elevans autem oculos. Hic oſtenditur ſtatus eorum poſt mortem, & attendit hic tria, ſcilicet, ſtatuum mutationem, vindictam Dei congruentem, præſumptionem divitis perſeverantem.

I. Mutatio ſtatus alterius vitæ.

Circa primum nota, quod dives qui ſolebat eſſe ſupra, fuit infra, quod notatur ibi : *Elevans oculos*. Proverb. 19. *Superbum ſequitur humilitas*, id eſt, dejectio, *& humilem ſpiritum ſuſcipiet gloria*. Qui oculos ſuos ſtatuerat declinare in terram, nunc tardè eos elevat : oculos quos clauſerat culpa, jam aperuerat pœna. Gregor. Oculos culpa claudit, pœna aperit. *Item* erat in tormentis qui ſolebat eſſe in deliciis : qui in vita ſua bona receperat, nunc mala ſua recipiebat. Gregor. in homil. Si qui eſtis, qui in hoc mundo aliquid exterioris boni accepiſtis, ipſum, ut ita dicam, donum exterius pertimeſcere deberis, ne vobis pro quorundam veſtrorum actuum recompenſatione ſit datum, ne judex qui bona exteriora reſtituit, à retributione boni intimi repellat. *Item* mendicabat, à quo ſolebant alij mendicare. O quam grave erat ſuſtinere cruciatum ei qui aſſueverat deliciis, & dejectionem ei, qui fuerat in honore, & tantam indigentiam ei, qui fuerat in tanta abundantia. Multum eſſet conandum his, qui honoribus & divitiis aſſueverunt, ut ſalvarentur, intolerabile enim erit eis carere, & contraria ſuſtinere. Econtra Lazarus erat ſupra, &c. in deliciis & ejus beneficium quærebatur.

II. Vindicta divina congruens.

Circa ſecundum notandum, quod dives ſpecialiter in lingua memoratur cruciari, quia in lingua peccaverat. Sapient. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Petrus Ravennenſis : Si jam te poſſidet totum ignis inferni, quare ſolius linguæ deſideras æſtibus ſubveniri ? an quia lingua magis uritur, magis ardet, qua pauperi inſultavit, qua miſericordiã denegavit, & præcedit ad judicium, quæ præceſſit ad peccatum Et primo deguſtat cruciatus quæ cibos pretioſos & odorata pocula deguſtavit. Chryſoſtomus. Ubi peccatum ibi pœna. Gregorius. Quid eſt quod in tormentis poſitus dives linguam ſuam refrigerari poſtulat, niſi quod is, qui convivando magis de loquacitate peccaverat, per retributionis juſtitiam in lingua atrocius ardebat. Secundum ſenſum allegoricum, prout dives ſignificat populum Judaicum, dicit Gregorius in Homilia : Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quæ ſervare contempſit : ibi ergo amplius ardebit, ubi ſe oſtendit ſcire, quod facere noluit. *Item* qui micas Lazaro non dederat, guttam aquæ non accipit, quam poſtulat. Gregorius. Dives ille qui menſæ ſuæ minima dare noluit, in inferno uſque ad minima quærenda pervenit : nam guttam aquæ petivit qui micam panis negavit. *Notabile* verò eſt, quod guttam aquæ petivit ſuper digitum Lazari, qui fuerat ulceribus plenus, tunc non erat ita indignantis naturæ, ut eſſe ſolebat. Mille anni ſunt, quod eam petiit lingua ejus, & adhuc igne cruciatur, nec tamẽ adhuc obtinuit, nec unquam obtinebit. Prover. 28. *Qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit penuriam*. Ejuſdem 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & non exaudietur ipſe*. Præterea

ſecundum

ſecundum Gregorium: Torquebatur in gloria Lazari, quem habebat deſpectui. Item in timore damnationis fratrum, quos amaverat contra Deum; ſic torquebuntur prælati ſolicitudine & timore nepotum, vel conſanguineorum, quos male amaverunt.

III. Divitis præſumptio. 1.

Circa Tertium, attende, præſumptionem divitis, qui Abraham patrem vocat, à quo tamen degeneraverat. Petrus Ravennenſis: Si pius, ſi hoſpitalis in pauperem fuiſſes, filius Abrahæ eſſes. Qui generatoris opera non facit, negat genus, dicente Domino. *Si Abrahæ filii eſtis, opera Abrahæ facite* Joan. 8. Miſericordiam poſtulat, qui ſine miſericordia fuerat, quaſi neſciens illud Jacobi 2 *Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam.*

2. Impietas.

Item attende impietatem divitis adhuc perſeverantem, qui Lazarum dum viveret reliquit miſerum; nunc iterum vult eum efficere miſerum, vult enim eum facere redire ad miſeriam ſæculi. Flevit Dominus Lazarum ſuſcitaturus. Joannis 11. Qui ad miſeriam hujus ſæculi erat eum reducturus, petit dives Lazarum ſibi mitti, petit eum mitti ad fratres ſuos, ſic vult pauperem vexare: ſicut divites conſueverunt in hoc ſæculo pauperes vexare.

3. Stultitia.

Item perſeverat divitis ſtultitia, quæ mortuo putat magis eſſe credendum, quàm vivo, & quàm legi Dei Sic Saul per Pythoniſſam petiit ſuſcitari Samuelem quem volebat conſulere. 1. Reg. 28.

De prædicatione.

Et notandum, quod dives qui in vita ſua prædicationem deſpexerat, poſtquam ſenſit tormenta inferni, pro prædicatione zelare videtur: petit enim ad fratres ſuos Lazarum mitti, qui tormenta illa nunciet eis. Sic multi ſunt uſurarij & aliis vitiis irretiti, qui ad prædicationem venire nolunt; qui ſi illa tormenta ſenſiſſent, ipſimet prædicatores fierent.

Hæc parabola eſt ſpeculum divitum & pauperum.

Item notandum quod hoc exemplum eſt ſpeculum divitum & pauperum. Si dives es, & divitiis ad gloriam & delicias uteris & pauperibus avarus, & parcus exiſtis, finem ad quem devenit dives iſte conſequeris. Eadem via ad eundem finem ducit. Si verò juxta facultatem tuam pauperibus miſericors fueris, ſolatium habebis, quòd Abraham qui hoſpitalis fuit, erat in requie. Gregorius in Homilia: Verba lectionis ſacræ debent nos inſtruere ad implenda mandata pietatis. Quotidie Lazarum, ſi nos quærimus, inveniemus. Quotidie Lazarum, ſi non quærimus, cernimus. Ecce importunè pauperes ſe offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis interceſſores veniant, Certè nos omnino rogare debuimus, & tamen rogamur. Videte ſi negare debemus, quod petitur, quando patroni ſunt qui petunt. Item Gregorius. Dum pauper reprehenſibilis cernitur, moneri debet, & deſpici non debet. Si verò reprehenſionis nihil habet, venerari ſummoperè, ſicut interceſſor, debet. Sed ecce multos cernimus, quos cujus ſint meriti, neſcimus. Omnes ergo venerandi ſunt, tantoque neceſſe eſt, ut omnibus te humiliare debeas, quanto, quis ſit Chriſtus, ignoras. Idem, quando jacenti in terra porrigitis, ſedenti in cœlo datis. Si pauper es, attende finem pauperis, ut in paupertate tua ſolatium habeas, ſciens quod patientia pauperum non peribit in finem. Ille triſtem vitam pertulit, & ad lætam mortem pervenit. Sapiens, non quod ſitum eſt ante oculos, ſufficit intueri; rerum exitus prudentia metitur.

DOMINICA II. POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO XCIV.

SERMO PRIMUS.

Summarium.

Explicatur Evangelium.

Homo quidam fecit cœnam magnam. *Lucæ 14.*

SEcundum Gregorium hæc cœna magna eſt ſatietas internæ dulcedinis, quam nobis Deus præparavit, & vocatur cœna, non prandium, quia poſt cœnam nullum convivium reſtat, ſed poſt prandium reſtat cœna. Prandium ergo eſt refectio ſpiritualis quæ habetur in præſenti, de qua agitur Matthæi 22. Cœna verò eſt refectio præparata in fine ſæculi, de qua hîc agitur. *Et vocavit multos*, ſed pauci veniunt, quia nonnunquam ipſi, qui ei per fidem ſubjecti ſunt, æterno ejus convivio male vivendo contradicunt. *Et miſit ſervum ſuum.* Gloſſa Interlin. Prædicatores, qui dicuntur ſervus ſingulariter, quia in idem conveniunt. *Hora coenæ* id eſt ultima ætate, ſcilicet in fine ſæculi. Primæ Corinth. 10. *Nos ſumus in quos fines ſæculi devenerunt.* Primæ Joannis 2. *Scimus quia noviſſima hora eſt. Dicere*, id eſt, ad dicendum invitatis per legem & Prophetas. *Ut venirent* ut ſcilicet repulſo faſtidio ad guſtandum cœnam ſe præparent, *quia jam parata ſunt omnia.* Immolato enim Chriſto introitus regni patet. *Et cœperunt omnes.* Gloſſa Interlinearis. Qui venire noluerunt, & eſt dictum pro majori parte, ſicut dicitur quod omnes vadunt ad bellum, cum multi tamen remaneant. *Excuſare.* Gloſſa. Excuſat omnis qui terrena pluſquam cœleſtia diligit, etſi ad cœleſtia ſe tendere dicat. *Villam emi*, id eſt dominatum multo labore, adquiſivi, vel infœlici commercio, ſcilicet pretio animæ meæ, vel pretio regni cœleſtis comparavi. Hanc villam Lucifer emit, qui pro dominatione quam appetiit regnum æternum amiſit, *& neceſſe habeo exire*, à mei conſideratione, & ab æternorum contemplatione. Superbus extra ſe eſt, unde ſuper illud Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Gloſſa. Humilis foras non ejicitur, quod eſt tantum ſuperbi, qui nihil habet in bono interiori, nec hîc, nec in futuro. *Et videre illam*, id eſt, ſtudium meum ad illam applicare. *Rogo te habe me excuſatum.* Gregorius in Homilia. Dum dicit, rogo te, habe me excuſatum humilitas ſonat in voce, dum venire contemnit, ſuperbia in actione. Auguſtinus. In empta villa dominatio notatur & ſuperbia. Sequitur *Juga boum emi quinque.* Hæc excuſatio refertur ad concupiſcentiam oculorum, unde curioſitas procedit. Per quinque boves intelliguntur quinque ſenſus qui verſantur circa terrena, ſicut boves verſant terram Juga vero dicuntur, quia inſtrumenta ſenſuum combinantur, duæ enim aures ſunt, duo oculi, duæ nares. Duo etiam inſtrumenta guſtus lingua & palatum. Duæ manus quibus maximè fit tactus. Juga ergo boum ille emit qui ſervituti quinque ſenſuum curioſorum, cum labore & expenſis multis & damno regni cœleſtis ſe ſubjicit. Gregorius. Quia ſenſus corporales interna comprehendere neſciunt, ſed ſola exteriora cognoſcunt, rectè per eos curioſitas deſignatur, quæ dum alienam vitam quærit diſcutere ſemper ſua intima neſciens ſtudet exteriora cogitare. Auguſt. Secundus oſtendit juga quinque, id eſt, quinque ſenſus corporis qui nihil intelligit inveſtigandum, niſi quæ per hos adminiſtrantur, & ideo invitantes ad cœnam ſupernorum non ſequitur. Sequitur *& eo probare illa.* Gregor. Ipſa excuſantis verba à vitij ſui ſignificatione non diſcrepant, dum dicit eo probare illa, qui aliquando probatio ad curioſitatem pertinere ſolet. *Uxorem duxi.* Auguſtinus. Tertius uxorem ducit, quia voluptas carnis multum impedit. Gregorius. Quid per uxorem niſi voluptas carnis accipitur? Nam quamvis bonum ſit conjugium ad propagandam ſobolem divina providentia conſtitutum, nonnulli tamen per hoc non fœcunditatem prolis, ſed deſideria expetunt voluptatis, idcirco

per rem juſtam ſignificari poteſt non incongruè res
injuſta, *& ideo non poſſumus venire.* Inſinuatur
quod voluptas carnis valde ſit efficax impedimen-
tum ſalutis. Gregorius de his tribus impedimen-
tis ſimul. Dum hunc terrena cura occupat, illum
alieni actus ſagax cogitatio devaſtat. Alterius etiam
mentem voluptas carnis inquinat; faſtidioſus quiſ-
que ad æternæ vitæ epulas non feſtinat. *Et rever-
ſus ſervus*, &c. Sciendum quod ſicut prædicatores
cum proficiunt ad Deum redeunt gratias agendo,
ſic cùm obſtaculum inveniunt quaſi ei renunciant,
conſilium & auxilium ejus implorando. *Tunc ira-
tus*, &c. Loquitur de Deo more hominis in quem
motus non cadit, ſed dicitur iraſci quando facit
opera quæ congruunt irato. Iſa. 28. *Iraſcetur Domi-
nus ut faciat opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus
ab eo.* Punitio videtur eſſe opus peregrinum ab
ejus manſuetudine. *Exi cito in plateas*, id eſt, ad
eos qui ſunt in via lata & ſpacioſa quæ ducit ad
mortem. Matth. 7. Qui, ut dicit Auguſtinus, va-
gantur per campos licentiæ, putantes licitum eſſe
quidquid eſt libitum, *& vicos civitatis*, id eſt ad il-
los quos temporalium coarctat inopia, *& pauperes
ac debiles, cæcos*, &c. Cæci & claudi vocantur & ve-
niunt, quia infirmi quique, atque in hoc mundo deſ-
pecti plerunque tanto celerius vocem Dei audiunt,
quanto in hoc mundo non habent ubi delecten-
tur. Vel per hæc quatuor genera hominum intelli-
guntur peccatores humiles. Gloſſa. Notandum
quod ſicut peccatores fuerunt qui venire nolue-
runt, ita peccatores ſunt qui veniunt, ſed ſuperbi
peccatores deſpiciuntur, humiles eliguntur. Gre-
gorius. Pauperes debiles dicuntur qui ſuo judicio
apud ſemetipſos infirmi ſunt, nam pauperes quaſi
fortes ſunt qui politi in paupertate ſuperbiunt. Cæ-
ci ſunt qui nullum ingenij lumen habent. Clau-
di qui rectos greſſus in operatione non habent,
intellige hoc, vel ſimpliciter, vel ſui reputatione.
Exi in vias & ſepes. Gloſſa. Cum de vicis & pla-
teis vocat, Judæos ſignificat, qui tenere legem ſub
urbana vel in umbrana converſatione noverant,
cum de viis & ſepibus vocat agreſtem, populum
gentium ſignificat. Alia Gloſſa. Mittit ad vias cum
illos vocat qui jam in bonæ voluntatis tramite con-
ſtituti ſunt nullis cupiditatibus temporalium occu-
pati: Mittit ad ſepes cum illos vocat, qui culta
ab incultis ſecernunt, & curſus arcent beſtiarum,
id eſt bona à malis diſtinguunt & munimen fidei
adverſus diaboli tentamenta obtendunt, *& com-
pelle intrare*: hanc compulſionem facit adverſitas.
Gregorius. Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum
nos ire compellunt, *ut impleatur domus mea.* Gloſ-
ſa interlinearis, numerus prædeſtinatorum fide-
lium, qui numerus inexpletus non remanebit. *Ne-
mo virorum illorum*, excuſantium *guſtabunt cœnam
meam.* Gloſſa. Etiam qui per ſeram pœnitentiam
aliquando intrare quærant. Unde dicitur fatuis
virginibus. *Amen dico vobis neſcio vos.* Matth. 25.
Nemo ergo vocatus ſe excuſet.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

*De liberalitate Dei, hominum perverſitate, &
eam conſequente damno.*

SERMO XCIV.

Homo quidam fecit cœnam magnam, *&c.*

Tria docen- tur hac pa- rabola. Primũ ſex oſtendunt.

IN hac parabola tria nobis oſtenduntur, ſcilicet
Dei *liberalitas, hominum perverſitas*, & *ſequela
perverſitatis*, ſcilicet *damnum proveniens ex ea.*
Dei liberalitatem ſex oſtendunt. *Primum* eſt hu-
jus cœnæ notificatio. *Secundum* eſt cœnæ magni-
tudo, ibi: *Cœnam magnam. Tertium* eſt illorum qui
vocati ſunt, multitudo, ibi: *Vocavit multos. Quar-
tum* eſt quod nolentibus venire ad cœnam iratus
eſt, ibi: *Tunc iratus paterfamilias. Quintum* in-
ſtantia quam facit in vocando. Plures enim & ad
plura loca mittit pro convivis habendis. *Sextum* eſt
compulſio, de qua ibi, *compelle intrare. Perverſi-* Secundum
tatem hominum oſtendit triplex excuſatio quam tria.
vocati ad cœnam faciunt. *Damnum ſequens* ex hac Tertium;
perverſitate oſtenditur, ibi. *Dico vobis quod nemo
virorum illorum qui vocati ſunt guſtabunt cœnam
meam.*

Circa primum notandum quod avarus cum facit 1.
convivium occultat illud, ſed Deus ex liberalitate Dei libera-
ſua cœnam ſuam vult omnibus notam fieri. Unde litas.
ipſe & per ſe, & per ſervos ſuos nunciat eam. De ea
multum locuti ſunt ſancti; Iſa. 25. ſic legitur. *Faciet
& dominus exercituum omnibus populis in monte hoc
convivium pinguium, cõvivium vindemiæ pinguium
medullatorum, vindemiæ defecatæ.* In pinguedine
intellige gaudij plenitudinem. Joan. 16. *Petite &
accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.* In medul-
la quæ infra oſſa abſconditur gaudij ſecuritatem. In
eodem. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* In
defæcata vindemia gaudij puritatem hic, *dolore ri-
ſus miſcebitur.* Prov. 14. Sed ibi, *auferet Dominus
omnem lachrymam.* Iſa. 25. De hac cœna loquitur
etiam Iſa. 64. *Oculus non vidit Deus abſque te quæ
paraſti expectantibus te.* Item ejuſdem 65. *Servi mei
comedunt & vos eſurietis*, & de hac cœna locutus
eſt David Pſ. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*
Item Pſal 30. *Quam magna multitudo dulcedinis
tuæ Domine.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris
audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit
Deus diligentibus ſe.* De hac etiam loquitur Dominus
hic. Item Lucæ 22. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit
mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper
menſam meam in regno meo.*

Circa *magnitudinem* hujus cœnæ notandum quod Magnitudo
hæc cœna magna eſt diuturnitate, quia æterna. Iſa. hujus cœnæ ex octo par-
65. *Gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum.* tes
In eodem. *Exultabo in Hieruſalem & gaudebo in po-* 1,
pulo meo, & non audietur in ea vox fletus ultra. Ejuſ-
dem 51. *Venient in Sion laudantes, & lætitia ſempi-* 2;
terna ſuper capita eorum. Item magnum eſt quantum
ad convivas. Nulli enim convivæ erunt ibi niſi ma-
gni. Unde dixit Dominus Auguſtino, cibus ſum
grandium Geneſ. penult. *Aſer pinguis panis ejus,
& præbebit delicias regibus.* Aſer interpretatur bea-
titudo, ſoli reges deliciis æternæ beatitudinis fruen- 3.
tur. Magna eſt etiam cœna illa quantum ad ea quæ
parata ſunt. Multa enim, & magna, & valde dele-
ctabilia, & cum magnis expenſis ſunt parata. Verè
fercula multa erunt in cœna illa. Nihil enim erit
ibi quod non paſcat, quod refectioni non deſer-
viat. Unus enim in gloria alterius delectabitur, &
non ſolum in propria propter mutuam charitatem,
quæ communicabit omnia. Et licet ſufficiat ſervo, ſi
ſit ſicut dominus ejus, tamen cœna illa propter ſer-
vos amplificata eſt, ut ferculo divinitatis ſit additum
ferculum humanitatis. Charitas enim patris filium
incarnari fecit, ut electi non ſolum delectentur in
ejus deitate, ſed etiam in aſſumpta humanitate,
quam partem gloriæ oſtendere voluit in ſua transfi-
guratione. Matth. 17. Marci & Luc. 9. Fercula hu-
jus cœnæ figurata ſunt Numer. 13. in fructibus quos
attulerunt exploratores de terra promiſſionis, quæ
fuerunt ficus, uva & malogranata. In ficu intellige
dulcedinem divinitatis. Proverb. vigeſimo ſepti-
mo. *Qui ſervat ficum, comedet fructum ejus: & qui
cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur.* In uva Chriſti
humanitatem in torculari crucis expreſſam, in ma-
logranatis ſanctorum ordinatam ſocietatem, ordi- 4.
natè enim ſe habent grana in malogranato. *Item*
magna ſunt fercula hujus cœnæ. Unum enim fer-
culum

culum eſt quod ſolum ſufficeret. Joannis decimo-
quarto. *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit*
nobis In uno ferculo omnia adminiſtrantur, unde
Dominus dixit Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne*
bonum. Omne bonum adminiſtrabitur in illo, qui
5. erit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. *Item* valde
delectabilia parata ſunt. Delicias enim quibus ab æ-
terno Deus eſt beatus, ſervis ſuis in cœna illa com-
municabit. Cum ad ſervos non videantur pertinere
deliciæ, ex mira liberalitate eſt, quod Dei majeſtas
ſervis tantas delicias velit communicare. Plus ſunt
deliciæ illæ reſpectu deliciarum quæ ſunt in mundo,
quas Dei inimici lingunt, quam ſit mare reſpectu
unius guttæ aquæ. Bernardus. Illud eſt verum & ſo-
lum gaudium, quod non de creatura, ſed de crea-
tore concipitur, quod cum poſſederis nemo tollet
à te, cui comparata omnis aliunde jucunditas
mœror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt, omne decorum
fœdum, omne poſtremo quodcunque delectare
poſſit moleſtum. Tales ſunt deliciæ illius cœnæ
quod invitatio ad eas beatum reddit. Apoc 19. *Bea-*
ti qui ad cœnam nuptiarum Agni invitati ſunt.
Item eſuries hujus cœnæ beatum efficit. Luc. 6. *Bea-*
ti qui nunc eſuritis quia ſaturabimini. Solus odor
hujus cœnæ quem ſentiunt ſancti in præſenti, præ-
6. valet gaudio mundi *Item* magnis expenſis parata eſt
iſta cœna, quia morte Chriſti. Tanta eſt delectabi-
litas hujus cœnæ, quod ſancti qui prægustaverant
de ſuavitate illa, mortem non reputabant, qua ad
cœnam ſe pervenire ſperabant. Ad Roman. 8. *Non*
ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram
7. *gloriam quæ revelabitur in nobis. Item* magna eſt
cœna iſta quantum ad miniſtros, miniſtrabit enim
ibi filius Dei. Luc. 12. *Amen dico vobis faciet illos*
8. *diſcumbere & tranſiens miniſtrabit illis Item* Spiri-
tus ſanctus pigmenta ſuavitatis ibi propinabit. Ipſe
fluvio nectareo lætificabit civitatem Dei. David
Multitudo vocatorum. Pſal. 35. *Torrente voluptatis potab*[illegible] *eos,* &c. Circa
tertium notandum quod Dominus ad cœnā multos
vocavit. Matth. 22. *Multi vocati.* Immo omnes vi-
detur vocaſſe. Ejuſdem 11. *Venite ad me omnes qui*
laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Nec ſo-
lum vocat multos, immo & multis modis. Unde Gre-
gor. in homilia Vocat Deus per ſe, vocat per Ange-
los, vocat per Patriarchas & Prophetas, vocat
per Apoſtolos, per paſtores, vocat plerumque per
flagella, vocat aliquando per mundi proſpera, vo-
cat aliquando per adverſa, nemo contemnat, ne
dum vocatus excuſet, cum voluerit introire, non
Ira Dei in nolentes venire. valeat. Circa *quartum* notandum quod multum
iraſcitur Deus contra illos qui vocati ab eo nolunt
venire ad tantas delicias. Nec mirum, cum ad ſua-
ſionem diaboli currant ad infernales miſerias. Hæc
ira nobis oſtenditur Proverb. 1. *Vocavi,* inquit, *&*
renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit qui aſpi-
ceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpa-
tiones meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro
ridebo. Signum magnæ offenſæ erit, quod Domi-
Inſtantia vocandi. nus de morte filiorum ſuorum, quos ſanguine ſuo
redemit, gaudebit. Circa *quintum* notandum quòd
Dominus ad diverſa loca miſit pro convivis vo-
candis, immo ad omnia loca videtur miſiſſe. Pſalm.
18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines*
orbis terræ verba eorum. Vocatio eſt prædicatio
Marci ultimo. *Euntes in mundum univerſum præ-*
Compulſio ad cœnam, *dicate Evangelium omni creaturæ.* Circa *ſextum*
notandum quòd cum hoſpites non ſolum ſunt in-
vitandi, ſed etiam trahendi, Dominus ad cœnam
ſuam compellit intrare. Nonne compulit Paulum
qui viſu amiſſo converſus eſt Actuum 9. Item fi-
lium prodigum qui fame compulſus rediit ad pa-
trem ſuum Lucæ 15. Multis claudit Dominus viam
inferni, ut redeant in paradiſum. Oſeæ ſecundo.
Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria.
Gregorius in Homilia. Viæ noſtræ ſpinis ſeptæ
ſunt, quando in hoc quod male cupimus, dolo-
rum punctiones invenimus. Viæ noſtræ maceria
ſepiuntur, cum deſideriis noſtris duræ in hoc mun-
do objectiones reſiſtunt. Multi vinculo ægritu-
dinis ligantur à Domino, ne poſſint facere quod
non debent facere. Seneca. Infirmitati meæ gra-
tias ago, quæ cogit me non poſſe quod non debeo
velle. Multos perſecutores compellunt ire ad
Deum. Exodi 12. Urgebant Ægyptij filios Iſ-
rael velociter exire de Ægypto. Multos trahit Do-
minus ad ſe tribulationibus. Cantic. 1. *Trahe me poſt*
te. Bernard. Trahimur cum tentationibus exerce-
mur. Oſeæ 11. *In funiculis Adam traham eos, in*
vinculis charitatis. Multi timore periculi vovent
quod deſerent mundum, & intrabunt clauſtrum.
Auguſt Felix neceſſitas quæ ad meliora compellit.
Cum multis Dominus miſericorditer agit, in quos
multis ſævire videtur. Auguſtinus in libro Confeſ-
ſionum. Exercui omnia legitima tua, nec evaſi fla-
gella tua, nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæ-
viens & amariſſimis aſpergens offenſionibus om-
nes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem ſine
offenſione jucundari. Gregor. in Homilia loquens
de illo verbo *compelle intrare.* Alij vocantur &
venire contemnunt: alij vocantur & veniunt, alij
compelluntur, ut intrent. Vocantur quidem & ve-
nire contemnunt qui donum quidem intellectus
accipiunt, ſed eundem intellectum operibus non ſe-
quuntur; vocantur & veniunt, qui acceptam intel-
lectus gratiam operando perficiunt; quidam etiam
ſic vocantur, ut etiam compellantur, vident enim
quæ agere debeant, ſed hoc ex deſiderio non ſe-
quuntur. His plerunque contingit, ut eos in carna-
libus deſideriis ſuis mundi hujus adverſitas feriat,
apprehendere temporalem gloriam conentur & ne-
queant, & dum per alta pelagi quaſi ad grandio-
res curas hujus ſæculi navigare proponunt, ſemper
adverſis flatibus à delectationis ſuæ littore repel-
luntur; cumque ſe frangi deſideriis ſuis adverſan-
te mundo conſpiciunt, quid de ſe auctori ſuo de-
beant, commemorantur, ita ut ad eum erubeſcen-
tes redeant, qui cum ſuperbientes pro mundi amo-
re deſerebant.

Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Circa excu- II.
ſationes quæ perverſitates hominum oſtendunt no-
tandum quod valde perverſum eſt quod aliquis ſe
excuſet ne ad id veniat citra quod quieſcere non
valeat, quod naturaliter deſiderat, & propter quod
obtinendum factus eſt. Ad delicias hujus cœnæ
factus eſt homo, citra illas perfectè non quieſcit.
Auguſt. in libro Confeſſionum. Domine feciſti nos
ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat
in te Item valde perverſum eſt, aliquem ſe excuſa-
re, cum monetur ad hoc, quod omnino neceſſe ha-
bet facere, niſi velit æternaliter perire. Lucæ 10.
Porro unum eſt neceſſarium, ſcilicet ad cœnam
æternam pervenire. Item perverſum eſt alia negotia
prætendere, cum de illo negotio monemur, quod
ante omnia alia neceſſe habemus facere. Matth. 6.
Primum quærite regnum Dei. Hoc eſt negotium ne-
gotiorum, ſcilicet propriæ ſaluti intendere. Ad cœ-
nam iſtam, ad quam multi rogati nolunt venire,
etiam per medios gladios, ſi neceſſe eſſet, deberent
ipſi feſtinare. Bernardus. Quid eſt hoc, quod non
optamus etiam per medios enſes, ſi oporteat de-
clinare à tanta miſeria & ad tantam accelerare glo-
riam, niſi quod mortua eſt fides noſtra.

Circa excuſationē primi *quinque* ſpecialiter ſunt
advertenda. *Primum* eſt quod impedimentum ſa-
lutis ſuæ emit. *Villam*, inquit, *emi*: *ſecundum* eſt,
quod cum dominiū temporalium ſuſcepit, in ſervi-
tutē incidit unde ſubditur, *neceſſe habeo exire. Ter-*
tium eſt, quod cum cuſtodiæ aliorum intenditur,

negligentia circa ſui cuſtodiam incurritur, quod notatur in verbo *exeundi.* Cantic. 1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi.* *Quartum* eſt quod poſt emptionem videre villam vadit, quam ante emptionem videre debuit. Proverb. ult. *Conſideravit agrum, & emit illum.* *Quintum* eſt quod Domino multarum rerum temporalium, parva inde utilitas fit, viſio enim eſt fructus quem habet inde, ad quod pertinet illud: *& videre eam.* Eccleſiaſtes 5. *Ubi multæ opes, multi ſunt qui comedunt illas, & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis.* Et frequenter videt ſe damnificari in eis.

Circa ſecundum. Fatuitatem prætendentis ſecundam excuſationem oſtendit Bernardus his verbis. Jumentis, inquit, convincitur beſtialior & ſtolidior homo, qui juga neceſſitatis quinque ſenſuum propria ſubeat, voluntate. Nam ut mercedem pro opere ſuo quis tribuat, inauditum eſt. Quid juga boum emit, cui jugum ſuave gratis offertur? Quid eſt melius quinque eligere, quam unum? Quis poteſt ſervire quinque prædonibus, oculus, inquit, *meus depradatus eſt animam meam.* Thren. 3 Et ſciendum quod jugum quinque ſenſuum valde grave eſt, quia *non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu.* Eccleſ. 1. Tyrannidem magnam exercet ſenſualitas. Prov. 30 *Per tria movetur terra, & quartum ſuſtinere non poteſt, per ſervum cum regnaverit,* &c. Servus regnans eſt ſpiritus contra Deum intumeſcens. Stultus ſatiatus cibo eſt animus deliciis infatuatus. Mulier odioſa in matrimonium aſſumpta, eſt voluptas ſpiritui hominis amare juncta. Ancilla hæres dominæ eſt ſenſualitas dominium rationi auferens. Secundum Gregorium iſta excuſatio pertinet ad vitium curioſitatis, de quo Gregorius, Grave curioſitatis eſt vitium, quod dum cujuſlibet mentem ad inveſtigandam vitam proximi exterius ducit, ſemper ei ſua vitia abſcondit, ut aliena ſciens ſe neſciat, & curioſi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fit ignarus ſui. Eccleſiaſtici 21. *Pes fatui facilis in domum proximi ſui.*

Circa tertium, Circa excuſationem tertij notandum, quod ſi uxor ad litteram accipitur, nulla videtur excuſatio, cum enim uxor ſit adjutorium homini à Deo datum ſecundum illud Geneſ. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium.* Qui uxorem duxit, maxime ſi bona eſt, potentior videtur eſſe ad veniendum ad cœnam Dominicam, unde Eccleſiaſtici 26. *Mulieris bonæ beatus vir.* Si uxor iſta intelligatur voluptas carnis, ſecundum expoſitionem Gregor. datur ex hoc intelligi quod voluptas corporis hominem impotentem efficiat, & quaſi paraliticum, ad quod pertinet, *non poſſum venire.* Voluptas eſt mulier illa, de qua Eccleſiaſtæ 7. *Inveni amariorem morte mulierem,* &c. Vincula ſunt manus ejus. Oſeæ 5. *Non dabunt cogitationes ſuas ut revertantur ad Dominum. Spiritus fornicationum in medio eorum.*

III. Circa damnum ſequens ex perverſitate excuſantium ſe, quod oſtenditur verbo illo, *nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabit cœnam,* notandum quod juſtè iraſcitur Dominus contra illos qui contemnunt ejus cœnam tam delicatam & tantis expenſis paratam, ſicut iratus fuit contemnentibus manna. Numer. 21. *Nauſeat,* inquit, *anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Et ſubditur. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes.* Cœna iſta manna eſt *habens omne delectamentum & omnis ſaporis ſuavitatem.* Sap. 16. *Item* juſtè offenditur Dominus cum illi quos invitavit, & qui conſenſerunt ut venirent ad cœnam ſuam, venire nolunt, ut Chriſtiani. *Item* cum aliqui voto ſe obligant ad aliquas obſervationes, & poſt non curant eas obſervare, contra tales dicitur Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis.* Spiritu ſancto ſignatur, qui baptizatur, quia caracter ei imprimitur. *Item* qui votum religionis emittit ſignatur, quia per habitum à cæteris hominibus diſcernitur, qui ſpiritum contriſtat, cum ea quæ promiſit non obſervat 2. Petri 2. *Melius erat viam juſtitiæ non cognoſcere, quam poſt agnitionem retrorſum converti,* &c. Prov. 20. *Ruina eſt homini devotare ſanctos, & poſt, vota retractare.* Eccleſiaſtici 20. *Eſt qui præ confuſione promittit amico ſuo, & lucratus eſt eum inimicum gratis.* Proverb. 25. *Nubes & ventus & pluvia non ſequentes vir glorioſus: & promiſſa non implens.* Contra tales dicit Dominus exemplum de duobus filiis, quorum alter reſpondebat patri, quod nolebat ire in vineam, & tamen ivit: reliquus dixit, eo, & non ivit. Et Dominus ſubdit: *Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Matth. 21.

Iuſtè iraſcitur Dominus excuſantibus.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SERMO XCIV.

SUMMARIUM.

Hic ſermo delicias hujus cœnæ explanat.

Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.

COEna corporalis eſt refectio quam ſequitur ſomnus corporalis, cœna vero Dominica refectio eſt quàm comitatur ſomnus æternæ quietis. Cantic. 1. *Indica mihi ubi paſcas in meridie,* id eſt, in æternæ claritatis fœlicitate. Deliciæ mundanæ non poſſunt dici propriè cœna: uſum enim ipſarum ſequitur vexatio mentis, Sunt enim velut cibus inflativus, ventoſus & indigeſtibilis, illi enim qui plus habent de bonis iſtis temporalibus inflantur, & contra Deum & contra proximum. Job. 15. *Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus?* 1. Corinth. quarto. *In nobis diſcatis, ne unus in alterum infletur.* In eodem *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Primæ ad Timoth. ultimo. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere.* Item habent verba ventoſa, ſcilicet verba jactantiæ. Job. 16. *Nunquid finem habebunt verba ventoſa?* Item licet delectatio in bonis præſentibus ſit tranſitoria, tamen interminabilis eſt pœna. Proverb. 20. *Suavis eſt homini panis mendacij, & poſt implebitur os ejus calculo,* qui non poteſt maſticari vel digeri. Et notandum quod cum Deus præparaverit cœnam magnam, libenter debemus ei præparare cœnam parvam.

Diſcrimen inter delicias temporales & cœleſtes.

Duplicem cœnam vult ſibi Dominus parari. *Prima* eſt corporalis, quæ ei præparatur in paupere, Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* *Secunda* eſt cœna ſpiritualis, quæ ei præparatur in mente. Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo.* Et, *ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Stat Dominus expectando ad pœnitentiam. Iſa. 30. *Expectat Dominus ut miſereatur noſtri.* Pulſat ad oſtium cordis quod eſt voluntas, inſpirando, prædicando, beneficia conferendo, vel affligendo. Intrat Dominus gratiam infundendo oſtio cordis aperto per bonum conſenſum, ſicut ſol intrat in domum aperta feneſtra. Cœnat Dominus cum illo, in fide ejus & puritate operum delectando. Ipſe enim paſcitur inter lilia. Cantic. 2. Homo etiam cœnat cum illo de puritate conſcientiæ lætando. Deliciæ Dei ſunt cum filiis hominum. Prov. 8.

Duplex cœna Chriſto paranda eſt.

Et vocavit multos. &c. Si ad cœnam Dominicam ſumus invitati, *tria* debemus facere, quæ ſolent facere invitati ad cœnam magnam corporalem. *Primum* eſt temperare nos à cibo qui cœnam nobis poſſet auferre, & hæc eſt una ratio quare viri ſancti in præſenti jejunant, ſcilicet ne amittant illam

beatam cœnam, & ne contriſtent invitatorem ſuum, & expenſæ pro cœna factæ ab eis requirantur. Eccleſiaſtæ 10. *Væ tibi terra cujus rex puer eſt*
2. *& cujus principes mane comedunt.* *Secundo* debemus nos conſolari ſpe hujus cœnæ, ſi forte eſuria-
3. mus, vel forte ſitiamus, meditantes illud Lucæ 6. *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini.* *Tertio* debemus prægustare aliquid in contemplatione ne dilatione cœnæ deficiamus. David. Pſal. 33. *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt dominus.* Contemplatio verò circa tria verſatur. *Primo* circa creaturas viſibiles, *ſecundo* circa creaturas inviſibiles, *tertio* circa Dei inviſibilia, quæ ſpecies contemplationis nobilior eſt. Tullius. Cibus & pabulum animorum humanorum eſt cognitio & contemplatio ſempiternæ naturæ.

Contemplatio triplex eſt.

Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ &c. quia parata ſunt omnia. In hoc quod dicitur omnia parata datur intelligi, quod manuum ablutioni ſit intendendum. Væ illi qui negligẽtiâ abluendi manus tantam & talem cœnam amittet. *Et cœperunt omnes excuſare.* Cauſa hujus excuſationis eſt in experientia internæ & externæ dulcedinis, ut oſtendit Greg. in Homilia, his verbis. Corporales, inquit, deliciæ cũ non habẽtur, grave in ſe deſideriũ accendunt; cum verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. E contra, ſpirituales delitiæ cum non habentur in faſtidio ſunt, cum verò habentur in deſiderio. Quanto major earum ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur, quod avidius ſumantur. Et propterea non habitæ amari non poſſunt, quia ſapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Faſtidium verò ſpiritualis dulcedinis ſequitur fames bonorum temporalium: omnis enim peccator famelicus eſt, ut dicit filius prodigus de ſe Lucæ 15. *Ego*, inquit, *fame pereo.* Superbus famelicus eſt honoris, avarus famelicus eſt pecuniæ, voluptuoſus eſt famelicus delitiarum. Et ad hæc tria pertinent tres excuſationes, quæ ſequuntur Gregor. in Homilia. Quia guſtare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus miſeri foris famem noſtram, ea ſcilicet quæ nos famelicos reddunt.

DOMINICA TERTIA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

SERMO XCV.

Explicatur Evangelium.

Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores *Lucæ* 15.

Tria docentur hoc Evangelio.

HOc Evangelium tria oſtendit *Primo* Salvatoris miram dignationem recipientis peccatores ad ſe venientes. *Secundo* Scribarum & Phariſæorum indignationem murmurantium de hac receptione, ibi. *Et murmurabant* *Tertio* Salvatoris inſtructionem ſedantis hoc murmur, ibi *& ait ad illos parabolam iſtam.* *Erant appropinquantes* non ſolum corpore ſed etiam corde. *Publicani* Gloſſa. Qui publica vectigalia exigunt vel conducunt, & qui lucra ſæculi per negotia ſectantur, ſuper illud Rom. 13. *Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* Gloſſa. Tributum dicitur quod regiones ſolvunt, vectigal dicitur ſtipendium quod datur dominis quando per patrias vehitur. Vel tributum dicitur quod domi ſolvitur, vectigal quod ad domum domini vehitur: *& peccatores* publici. Simile Lucæ 7. *Mulier quæ erat in civitate peccatrix.* *Et murmurabant phariſæi & ſcribæ*, id eſt magiſtri legis. Gloſſa. Dupliciter errant, quia & ſe juſtos putant & ſunt ſuperbi; & illos reos putant, cum jam pœniteant. *Dicentes quia hic peccatores recipit* quaſi contrarius eſt legi quæ hoc prohibet, ſeparans Judæos à cohabitatione aliarum gentium Deutero. 7. *Non inibis fœdus cum eis, nec miſereberis eorum, nec ſociabis cum eis conjugia.* *Et manducat magiſter veſter* cum publicanis & peccatoribus. *Et ait ad illos parabolam iſtam*, id eſt ſimilitudinem. Tres parabolas propoſuit eis dominus, ſcilicet parabolam de ove perdita & parabolam de drachma perdita & de filio prodigo. In duabus primis reprehenditur auſteritas falſæ juſtitiæ, quia non quærit errantem, in tertia quia non recipit redeuntem. *Quis ex vobis homo habet centum oves* Gregor. in Homilia. Quia centenarius eſt numerus perfectus auctor hominum centum oves habuit, cum ſanctorum angelorum ſubſtantiam & hominum creavit. Et bene in illo ſtatu oves dicuntur, quia innocentes eos condidit, ſed una ovis tunc periit, quando homo paſcua vitæ reliquit. Demiſit nonaginta novem oves in deſerto, quia illos ſummos angelorum choros reliquit in cœlo. Cœlum autem deſertum vocatur, quaſi derelictum, tunc autem homo cœlum deſeruit, cum peccavit. Et dicitur cœlum deſertum ab homine, non quia cœlum adhuc habitaret, ſed habitaturus erat, ſi non peccaret. Ab angelo autem deſertum erat cum inde corruit. Lucæ 10. *Videbam ſathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Matt. 18. Sic legitur. *Nonne relinquit nonaginta novem in montibus*, id eſt, in excelſis, *& vadit ad illam quæ perierat.* Venit enim quærere hominem perditum in terra. Ezech. 34. *Ecce ego requiram oves meas*, &c. *Et cum invenerit eam ponit in humeros ſuos gaudens.* Gregorius. Oves in humeros ſuos poſuit, quia humanam naturam ſuſcipiens peccata noſtra ipſe portavit. 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo.* Ambroſius. Humeri Chriſti crucis brachia ſunt, illic peccata mea depoſuit Iſaiæ 53. *Vere langores noſtros ipſe pertulit.* *Et veniens domum*, id eſt, cœlum empyreum die aſcenſionis *convocat amicos ſuos & vicinos ſuos*, ſcilicet angelorum cohortes, qui amici ejus ſunt, quia voluntatem ſuam continuè in ſua ſtabilitate cuſtodiunt Joannis 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Vicini quoque ejus ſunt, quia claritate viſionis ejus aſſiduè perfruuntur. Matth. 18 *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei.* *Congratulamini mihi.* Nam ovis ipſa ſua culpa ſe perdidit, ego mea miſericordia eam inveni, meum gaudium eſt vita ipſius. *Dico vobis quia ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore*, &c. Per nonaginta novem juſtos uno modo intelliguntur ſancti angeli, qui nunquam peccaverunt Gloſſa. Si in nonaginta novem juſtis qui non erraverunt, nec indigent pœnitentia, angeli intelliguntur, videtur majus eſſe juſtificare impios quam juſtos creare & conſervare, quia & ſi utrumque æqualis potentiæ, hoc majoris gaudij & miſericordiæ, id eſt, majoris applauſus. Vel per nonaginta novem juſtos intelliguntur homines juſti, & ſecundum in hoc intelligitur de pœnitente fervente & de juſtis negligentibus, vel non ferventibus, ſicut Gregorius exponit. Magis, inquit, de peccatore converſo quam de ſtante juſto gaudium fit in cœlo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum qui nunquam tergum præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Agricola illã amplius terram amat, quæ poſt ſpinas uberes fruges profert quam eam quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem produxit. Et nota quod ſicut mater habens decem filios ſi decimus ægrotet magis eſt ſolicita de eo quam de his novem, & ſi ſanitatem recuperet magis gaudet de ſanitate ejus recuperata quam de ſa-

nitate in aliis novem conſervata. Item *majus gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente quam de multis juſtis* &c. Hinc diſtinguendum eſt inter affectum charitatis & effectum. Bern. Meliori major affectus, magis indigenti major tribuendus eſt effectus. *Aut quæ mulier* hæc mulier intelligi poteſt Dei ſapientia Proverb. 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam habens drachmas decem.* Secundum Bedam, drachma drachmæ eſt nummus habens certam quantitatem & imaginem regis impreſſam & nominis ejus ſuperſcriptionem. Per decem drachmas ſignificantur hic angeli & homines qui habent imaginem regis ſui, ſcilicet Dei impreſſam in ratione. Homines verò non ſolum habent impreſſionem imaginis, ſed etiam habent ſuperſcriptionem nominis, quia à Chriſto nominantur Chriſtiani. Unam ergo drachmam mulier perdidit, quando homo peccando à Deo receſſit. Sed mulier ad quærendam drachmam, lucernam accendit, quia Dei ſapientia ad quærendum hominem in carne apparuit. Lucerna enim eſt lux in teſta, ſcilicet verbum in carne. Tunc lucerna luxit quando Chriſtus inter homines claruit: accenſa autem lucerna evertit domum, quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis ſe noſtra conſcientia concuſſit. Domus namque evertitur cum conſideratione reatus ſui humana conſcientia perturbatur. In aliis libris habetur, emendat domum, ut dicit Gregorius in Homilia. Quia nimirum prava mens ſi non prius per timorem evertitur ab aſſuetis vitiis non emendatur. Everſa ergo domo invenitur drachma, quia dum perturbatur conſcientia hominis, reparatur in homine ſimilitudo Conditoris. Amicæ & vicinæ quas mulier convocat poteſtates cœleſtes ſunt, quæ ſupernæ ſapientiæ juxta ſunt per gratiam continuæ viſionis. Decem verò drachmas mulier habuit, quia novem ſunt ordines angelorum. Sed ut compleretur electorum numerus homo Chriſtus creatus eſt. Cæterorum expoſitio patet ex præcedentibus.

II. Appropinquaſſe peccatores ad Chriſtum mirum non eſt.

Erant appropinquantes ad Ieſum publicani & peccatores. Non erat mirum ſi Salvatori appropinquabant qui ſalute indigebant Matth. 9 *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* Aug. Domine medicus es, & ego æger ſum: miſericors es & miſer ſum, ſana ergo & miſerere. *Item* non erat
1. mirum ſi ei appropinquabant, qui eis tantum ap-
2. propinquaverat, quod primo gradu propinquitatis eis propinquus factus fuerat: aſſumendo enim carnem frater noſter effectus eſt, implens illud deſiderium Eccleſiæ, *quis mihi det te fratrem meum.* Cantic. ultimo. Veſte ſimili veſti peccatorum ſe induerat, miſit enim *Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, ad Rom. 8. Ideo non erat mirum ſi peccatores ad eum tanquam ad ſibi ſimilem accedebant Eccleſiaſtici 13. *Omnis caro ad ſibi ſimile conjungetur.* Bern. Super Cantica. Puto me ſpernere non poterit os de oſſibus meis & caro de carne mea. In Pſalm. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Aquæ decurrentes ſunt populi in mortem fluentes. Juxta decurſus aquarum filius Dei plantatus eſt
3. cum homo mortalis effectus eſt. *Item* non erat mirum ſi ei appropinquabant cujus manſuetudinem odoriferam à prophetis prædictam ſenſerant Zach. 9. *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* In Pſalmo 44. *procede & regna propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam.* Bernardus ſuper Cantic. Omnino propter manſuetudinem quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Jeſu, audientes quod non ſpernas peccatorem & pauperem non horres. Non horruiſti confitentem latronem, non lachrimantem peccatricem, nō Cananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telōnio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non impios crucifixores tuos. In odorē unguentorū horum currimus. Manſuetudo habet naturam quaſi adamantinam. Adamas ferrum ad ſe trahit, & manſuetudo ferrea corda trahit. Et *notandum* quod cum generaliter longè à peccatoribus ſit ſalus, aliqui adeo ſunt remoti ab ea, quod non poſſunt ei appropinquare, ut damnati, qui jam ſunt in inferno; Unde Lucæ 16. *Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis vidit Abraham à longe.* Et paulo poſt. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt*, &c. In præſenti verò vita, poſſibilis eſt appropinquatio & elongatio, & alij Deo appropinquāt, alij verò ab eo ſe elongant. De elongantibus dicit David. Pſal. 72. *Qui elongant ſe à te peribunt.* Elongatio verò iſta fit per pravum conſenſum, & per malam cōſuetudinem, hæc eſt via trium dierum qua itur ad infernum. Inter appropinquantes verò aliqui ſolo ore appropinquant Hieremiæ 12. *Prope es tu Domine ori eorum, ſed longe à renibus eorum* Iſa. 29. *Populus hic labiis honorat me.* &c. Aliqui verò appropinquant corde per contritionē ore per confeſſionem, opere per ſatisfactionem, & hæc eſt via trium dierum Exodi 15. qua ab Ægyptiis receditur, ut gratum Deo ſacrificium offeratur. Illis qui ſic appropinquant, appropinquat Deus Jacob. 4. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis.* Deus vero appropinquans intellectum illuminat. In Pſalmo 33. *Accedite ad eum & illuminamini*, &c. Affectum à rubigine vitiorum purgat, & ad bonum inflammat Deuteron. 4. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Item in arduis adjuvat. Pſalm. 62. David. *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Deus ad modum boni ſocij quando tranſitus eſt difficilis, manum extendit & juvat. Item ab hoſte conſervat Job 17. *Pone me juxta te & cujuſvis manus pugnet contra me.* David Pſa. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.*

De elongantibus ſe à Deo.

Et *notandum* quod libenter debent peccatores appropinquare ad Jeſum cum ipſe recipiat eos *libenter, feſtinanter, lætanter* & *frequenter.* Tria prima apparent in receptione filij prodigi. Pater eum libenter recepit, quia cum adhuc longè eſſet, vidit eum, & miſericordia motus eſt. Item feſtinanter eum recepit, quia occurrit ei. Lætanter eum recepit, ſicut patet ex amplexu & oſculo & ornatu & convivio quod exhibuit. Item *frequenter* recipit Salvator peccatorē Matt. 18 Non ſolum ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties Iſa. 55. *Derelinquat impius viam ſuā & revertatur ad dominum & ad Deum noſtrum & miſerebitur ejus, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Ut audirent illum. Notandum* quod ſicut initium recedendi à Deo eſt faſtidium doctrinæ, ut dixit Abbas Palladius in vitis patrum, ſic initium redeundi ad Deum eſt auditus ſanæ doctrinæ Eccleſiaſtici 6. *Si dilexeris audire, ſapiens eris.* Prov. 19. *Non ceſſes audire fili doctrinam.* Auditus verbi divini multum incitat ad bonum. Legitur de Herode qui valde impius fuit, quod audito Joanne multa faciebat. Marc. 6. Eccleſiaſtici 6. *Si videris ſenſatum evigila ad eum, & gradus oſtiorum ejus exterat pes tuus.* Prædicatores pedes ſunt Salvatoris deferentes nomen ejus per mundum. His pedibus debet peccator libenter appropinquare Deuteron. Penultimo. *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus.* Aliqui imitatores diaboli, cum iſti pedes prædicatores intrant Eccleſiam cito egrediuntur. Abacuc. 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.*

Ob quatuor libenter debent peccatores appropinquare Chriſto.

III. Phariſæi male murmurant.

Et murmuraverunt phariſæi & ſcribæ dicentes, quia hic peccatores recipit. Fatuè agebant phariſæi & ſcribæ murmurantes de hoc *Primo* quia obliti

ſuæ

ſuæ infirmitatis peccatores deſpiciebant, cum ipſi apud Deum contemptibiliores eſſent. Eccleſiaſtici 8. *Ne deſpicias hominem avertentem ſe à peccato, neque improperes ei. Memento quoniã omnes in corruptione ſumus.* Aliqui indigni ſunt apud Deum, qui magni ſunt in opinione hominum. Matth 20. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* Primi in opinione hominum, noviſſimi apud Deum. Ejuſdem 21. *Amen dico vobis quod publicani & peccatores præcedent vos in regno Dei. Secundo* quia

2. ſe juſtos putabant, cum eſſent ſuperbi: & illos eſſe reos, cum jam pœniterent. Ipſi de magnitudine infirmitatis ſenſum amiſerant ut Phariſæus ille de quo loquitur Gregorius in Homilia illius Evangelij. *Rogabat Ieſum quidam Phariſæus.* Luc. 7. Ecce Phariſæus veraciter apud ſe ſuperbus & fallaciter juſtus, ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de ſubventione qui ipſe quoque elationis vulnere ægrotabat, & ignorabat. Inter duos ægros medicus aderat, ſed unus æger in febre integrum ſenſum habebat, alter verò febre ſenſum perdiderat, qui hoc ipſum quod à ſalute longe eſſet, ignorabat. *Tertio* quia cum duo ſint in peccatore,

3. natura & vitium, naturæ verò debeatur compaſſio, vitio verò indignatio & diſtrictio, ipſi ſolam indignationem ad peccatores habebant. Gregorius in homilia hujus Evangelij. Vera juſtitia compaſſionem habet, falſa juſtitia dedignationem. Idem in alia Homilia Oportet ut ſolicitè diſcernamus, quia diſtrictionem debemus vitiis, compaſſionem naturæ. Si enim feriendus eſt peccator, nutriendus proximus: Si verò jam per pœnitentiam percutit ipſe quod fecit, jam noſter proximus

4. peccator non eſt. *Quarto* quia murmurant de hoc quod dominus rem ſuam recipit. Ad quod pertinet parabola de ove, quia ovis eſt animal ſimplex, & homo à ſerpente deceptus periit, ideo miſericordia Dei ei ſubvenit. Tria excitant pietatem Dei ad miſerendum, ſcilicet ſimplicitas, infirmitas & tenera ætas. *Ad ſimplicitatem pertinet illud* Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit.* Ad infirmitatem illud Lucæ 5. *Non egent qui ſani ſunt medico: ſed quia male habent:* Ad teneram ætatem quod do-

Tria excitant Deum ad, miſericordiam.

5. minus dixit. Joan. 21. bis *paſce agnos meos*, & ſemel tantum *paſce oves meas. Quinto* quia murmurant de hoc quod dominus eos recipit, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit Similitudo enim multum valet ad dilectionem Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* Ad hoc pertinet parabola de drachma quæ habet regis imaginem & nominis ejus ſuperſcriptionem. *Sexto* quod

6. murmurant de hoc quod recipit quos tantum dilexit, quod regni ſui hæredes eos eſſe voluit. Ad quod pertinet parabola de filio prodigo. *Si filij & hæredes quidem Dei.* Rom. 8.

Congratulamini mihi quia inveni ovem quæ perierat. In hoc verbo dominus charitatem, quam habet ad nos indicat. Ad pœnitentiam incitat, innocentiam commendat, charitatem indicat in hoc, quod oſtendit ſe gaudere de bono noſtro, amantis enim eſt gaudere de bono amati. Unde Galat 5. inter fructus ſpiritus gaudium aſſociatur charitati. *Fructus* inquit, *ſpiritus ſunt charitas, gaudium*, &c. Et 1. Corinth. 13. de charitate quod congaudet veritati, id eſt, veris bonis. Joan. 14. *Si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad patrem.* Ad pœnitentiam incitat in hoc, quod oſtendit ſe gaudere de pœnitentia noſtra, libenter enim facere debemus unde patrem cœleſtem lætificemus. Prov. 10. *Filius ſapiens lætificat patrem ſuum.* Et non ſolum ipſe de pœnitentia noſtra gratulatur, immo & amicos ſuos & vicinos convocat ad lætandum. Non reputat Deus aliquem amicum ſuum, qui de ſalute animarum non lætatur. Petrum etiam qui ita ardenter amabat ipſum, adverſarium reputabat, cum ſaluti humani generis adverſari voluit. Matth. 16. *Vade poſt me Sathana ſcandalum mihi es.* Pœnitentiam agendo Deo & angelis occaſioné lætitiæ damus. Ambroſius. Multum debet nos accédere ad probitatem, ut agamus quod illis gratum ſit, quorum affectare patrocinium & offenſam timere debemus. Numeri 28. *Oblationem meam & panes & incenſum odoris ſuaviſſimi offerte*, &c. Dicit Gloſſa Origenis. In diebus feſtis noſtris habet dominus feſtos ſuos dies. Eſt enim magna feſtivitas ſalus humana, puto quod per ſingulos, qui convertuntur ad Deum & in fide proficiunt, feſtivitas Deo oritur. Lætificat eum impudicus, ſi fit juſtus & caſtus cum juſtitiam colit; agit feſtum Chriſtus qui pro ſalute noſtra ſanguinem fudit, cú videt prodeſſe quod humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, agit feſta Spiritus ſanctus, cum in his qui convertuntur videt templa ſibi parari. Lætantur angeli ad quorum feſtivitates accedunt converſi; gaudium enim eſt in cœlis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Deo & angelis occaſionem lætitiæ damus, cum ſuper terram ambulantes converſationé in cœlis habemus. Vereor ne è contrario mala converſatio noſtra non ſolum terris, ſed & cœlo lamentationes inducat, & fortaſſis ipſi Deo, ut quid enim dixit; pœnitet me feciſſe hominem. Geneſ. 6. Innocentiam commendat in hoc quod hominem ovẽm vocat. Ovis eſt animal innocens, injurias novit ferre, non inferre Iſaiæ 53. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Cætera animalia lædunt: alia mordent dentibus, ut aries & taurus; alia percutiunt pedibus, ut equus & mulus; alia dilaniant unguibus, ut urſus & leo; ovis verò nullo iſtorum modorum lædit. Non eſt ovis Chriſti qui mordet detrahendo, vel impingit cornibus minores per potentiam opprimendo, vel percutit pede, id eſt, affectu proximo iraſcendo, vel eum odiendo, vel laniat unguibus aliena rapiendo. De proprietatibus ejus require in ſermone quinto Dominicæ ſecundæ poſt Paſcha.

Gaudium Dei de pœnitentibus.

Ovis quale animal.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO XCVI.

SUMMARIUM.

De gaudio ſuper peccatore pœnitente.

Dico vobis quod ita gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, &c.

HOc verbum ſpem in nobis erigit & deſperationi omnino locum obſtruit, ſicut ille qui pugnat in duello corporali, ad hoc tendit ut hoſtem ſuum faciat dicere malum verbum ſeu ultimum verbum, ſic diabolus in pugna ſpirituali ad hoc tendit ut eum quem impugnat, faciat dicere malum verbum, ſcilicet verbum deſperationis, quale fuit illud verbum Cain. Geneſ. 4. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Sed poſt verbum propoſitum nullus locus deſperationi relinquitur cum ex verbo Salvatoris habeatur, quod cœleſtis curia de cõverſione lætatur peccatoris Peccator converſus, eſt velut fera capta, aper eſt aliquis per luxuriam, urſus per gulam, & ſic de cæteris: Venationes delitiæ ſunt regum. De una fera capta delitias habet tota curia unius principis, de uno peccatore converſo lætatur tota curia cœleſtis. Deſiderabat Iſaac veſci venatione Geneſ. 27. Sic pater cœleſtis hanc venationem ſpiritualem deſiderat. Tale gaudium eſt de peccatore converſo, quale gaudium eſſet ſi filius regis ab igne qui dicitur infernalis vel ſancti Antonij liberaretur; ignis enim concupiſcentiarum ignis infernalis eſt. Pariſiis in

quantum ſit gaudium de converſione peccatoris.

Eccleſia beatæ virginis cantatur. *Te Deum laudamus*, cum ignis ille in aliquo extinguitur. *Item* tale eſt gaudium illud quale eſſet ſi filius regis qui ad patibulum duceretur, de manibus ducentium eriperetur, Proverb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* Alij ducuntur voluntarij, alij trahũtur quaſi inviti à fervore juvenili vel prava conſuetudine. *Item* tale eſt gaudium illud quale eſſet gaudium de victoria pugnantis, pugnant enim homines contra dæmones, quam pugnam Deus & angeli reſpiciunt, & ſi contingerit diabolum ab homine vinci, de victoria illa gratulantur. 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus.*

De converſo peccatore eſt feſtivitas quadruplex.

1. Nec ſolum gaudium eſt de converſione peccatoris, immo etiam feſtivitas magna. *Primo* eſt feſtivitas quaſi natalis filij Dei, quæ nativitas duplex eſt. Una in utero, in conceptione ſcilicet boni propoſiti. Iſa. 26. *A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Si lætatus eſt Abraham de conceptu Saræ, & Zacharias de conceptu Elizabeth, quare non lætetur Chriſtus de conceptu ſponſarum ſuarum? Secunda nativitas eſt ex utero in confeſſione peccatorum, vel manifeſtatione bonorum operum. Sicut reges terreni gratulantur herede ſibi nato, ſic & rex cœleſtis. Lætatus eſt Zacharias, nato Joan-
2. ne, & congratulabantur Elizabeth vicini, Lucæ 1. *Secundo* eſt feſtivitas Paſchæ & Reſurrectionis. Reſurrexit filius Dei à morte ſpirituali quæ eſt reſurrectio prima Apocal. 20. *beatus qui partem ha-*
3. *bet in reſurrectione prima.* Item ibi eſt tranſitus de profundo vitiorum ad ſublimitatem virtutum. *Tertio* eſt feſtivitas Spiritus ſancti, quæ receſſerat à
4. domo ſua propter immunditias peccatorum *Quarto* eſt feſtivitas regiæ coronationis; inunguntur enim qui convertuntur ad regnum cœlorum. Eccleſiaſtæ 4. *De carcere & catenis interdum quis egreditur ad regnum.* Et notandum quod illud (*gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis*, &c.) intelligitur de peccatore fervente, & juſtis non ferventibus, ut vult Gregor: ſuper illud Eccleſiaſticæ 9. *Melior eſt canis vivus leone mortuo.* Canis vivus eſt pœnitens prudens & ſtrenuus; leo mortuus juſtus piger, & accidioſus.

DOMINICA QUARTA POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Inter Evangelij explicationem agitur de miſericordia & ejus impedimentis, effectibus, incitamentis, impedimentorum remediis, & prædicationis oſoribus.

SERMO XCVII. Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. *Lucæ 6.*

Quinque monẽtur hoc Evangelio.

IN hoc Evangelio Dominus *Primo* ad miſericordiam monet. *Secundo* impedimenta miſericordiæ amovet, ibi: *Nolite judicare*, &c. *Tertio* duos principales effectus miſericordiæ ſuadet, ibi: *Dimitte & dimittetur vobis.* *Quarto* ponit incitantia ad illos, ibi *Menſuram bonam* &c. *Quinto* ponit cohibentia ab impedimentis miſericordiæ, ibi *Quid autem vides feſtucam in oculo?* &c.

Nolite judicare, &c. Interlin. Non tantum in
1. largitate beneficiorum ſitis miſericordes, ſed etiam in judicando. Gloſſa. De apertis quæ bono animo fieri non poſſunt permittitur nobis judicare. Alia Gloſſa. Sunt quædam media & incerta, quomodo fiant, quoniam & benè & malè poſſunt fieri. Neſcimus etiam qualis futurus eſt, qui nunc apparet malus, de ejus correctione deſperare, eumque quaſi abjectum reprehendere, temerarium eſt. *Nolite condemnare*, id eſt quod aliquis ſit condemnandus pronunciare vel aſſerere. *Facile enim eſt in oculis Dei ſubito honeſtare*, id eſt, ditare pauperem Eccleſiaſtici 11. Ejuſdem 18. *A mane uſque ad veſperam immutabitur tempus.* *Dimittite*, injurias, *& dimittetur vobis*, peccatum veſtrum, vel ſecundum aliam litteram, dimittimini à diabolo à quo tenemini. *Date* pauperibus temporalia, *& dabitur vobis* vita æterna, & etiam temporalia, ſi expedit. Proverb. 3. *De primitiis frugum tuarum da pauperibus & replebuntur horrea tua ſaturitate.* *Menſuram bonam*, id eſt legitimam: ſunt enim quædam menſuræ quæ propter parvitatem ſunt illegitimæ. Item *bonam*, id eſt de re bona. In Pſalmo 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* *Confertam*, id eſt plenam, vel manibus preſſam, *& coagitatam*, id eſt conquaſſatam, *& ſupereffluentem*, id eſt cumulatam, non raſilem. *Dabunt.* Interlin. pauperes erunt cauſa ut Deus det, qui occaſio promerendi fuerunt. *In ſinum veſtrum.* Sinus animæ duplex eſt, ſcilicet intellectus, qui implebitur gloria viſionis apertæ, & affectus, qui implebitur lætitia dilectionis perfectæ. *Eadem quippe menſura* &c. Beda. Generaliter de omnibus poteſt accipi, quæ mente, manu, lingua aguntur, quia ſecundum opera ſingulorum reddet Deus; quantitati meriti reſpondebit quantitas præmij in genere, id eſt magnum præmium, magno merito, & minùs minori. *Dicebat autem illis & ſimilitudinem* per eam invitans ad injuriam dimittendam. Hoc dixit Dominus contra Phariſæos ut patet Matth. 15. ubi diſcipuli dixerunt Domino, *Scis quia audito hoc verbo Phariſæi ſcandalizati ſunt?* & ait Dominus: *Sinite illos cæci ſunt & duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere?* id eſt ira vel odio excœcatus contra illum qui intulit vim & injuriam vitia ejus curare? Sed ſi tranquillus manſerit, cœcum vidente oculo, id eſt ſereno corde ad lumen ducere poterit. *Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere?* Interlin ſtultus ſtultum docere? *Nonne ambo in foveam cadunt?* id eſt, perditionem. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Gloſſa Si magiſter qui Deus eſt, non ſuas ulciſcitur injurias, ſed tolerando perfectiores minores reddere voluit, Diſcipuli qui homines ſunt hanc regulam imitari debent perfectionis. *Perfectus autem omnis eſt* &c. Matth. 23. *Unus eſt magiſter veſter.* *Quid autem vides?* hoc reſpicit ad id quod dictum eſt: *Nolite judicare* (*feſtucam*) id eſt quoddam levius peccatum [*in oculo fratris tui*) quod turbat oculum mentis, (*trabem*] id eſt gravius crimen (*quæ in oculo tuo eſt*) id eſt in mente tua (*non conſideras? aut quomodo potes?* &c. Gloſſ. Non potes minùs, ut iram in fratre emendare, donec majus, ut odium vel invidiam repellis de corde tuo (*Hypocrita ejice* &c.) Gloſſa. hi ſcilicet Hypocritæ odio vel livore accuſare omnia ſuſcipiunt, & volunt conſultores videri ſine exemplo ſuæ emendationis. Alia Gloſſa. Si quem vis reprehendere, primum vide utrum ei ſimilis ſis: quod ſi es, pariter ingemiſce, & non cum tibi obtemperare, ſed pariter conari mone. quod ſi non es ſimilis, tamen quia olim fuiſti vel eſſe potuiſti, condeſcende, & non ex odio, ſed ex miſericordia argue: raro enim & non ſine magna neceſſitate ſunt objurgationes adhibendæ, & non niſi reſpectu Dei & remota trabe ob oculo.

Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt

Plenus

1. Miſericordia.

Plenus eſt mundus iſte malis,& malis culpæ & malis pœnæ. Abūdat iniquitas ex parte mundi,& æquitas juſtitiæ ex parte Dei Aug. in libero de libro arbitrio. Nullo temporis intervallo iſta duo dividuntur, ut quaſi alio tempore non faciat aliquis quod debet; & alio patiatur, ne vel temporis puncto univerſalis pulchritudo turpetur. ut non ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Oſeæ 4. *Maledictum & mendacium, homicidiū & furtum & adulterium inundaverunt &c. Propter hoc lugebit terra.* Proverb. 14. *Miſeros facit populos peccatum.*

Objectio.

In hoc loco ubi ſunt tot & tanta mala, modo ſunt boni ſicut & mali, ſuper quo poſſet aliquis multum mirari, cum ſapientes hujus mundi, quando habent aliquam rem bonam & ſibi charam non ſoleant eam dimittere in loco malo, ſi aliter poſſint de ea diſponere. quomodo ergo Deus qui omnipotens eſt, qui bonos diligit ut filios chariſſimos, permittit eos in mundo iſto eſſe, cum mundi malitiam agnoſcat? Apoc. 2. *Scio ubi habitas ubi ſedes eſt Sathanæ.*

Reſponſio.

Ad hoc dicendum quod hoc facit Deus propter multas utilitates electorum & propter gloriam ſuam. Utilitates vero illas ponere non eſt præſentis negotij.

Triplex remedium contra mundi pericula. 1.

Sed ſciendum eſt quod triplex adhibet Dominus remedium electis ſuis contra mundi periculum *Primum* eſt quod citius eripit eos de mundo iſto Sap. 4. *Placens Deo factus dilectus & vivens inter peccatores translatus eſt, & raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius.* Et paulo poſt: *Placita erat Deo anima illius, propterhoc properavit eripere eum de medio iniquitatum* Iſa. 57. *Viri miſericordiæ colliguntur*; ſicut aliquis colligit ficus ſuos aliquantulum virides potius eligens illas habere tales, quam alius habeat eas magis maturas. Sic Dominus bonos in juventute colligit ne pervertantur, & à diabolo devorentur.

2. *Secundum* eſt quod in parte removet eos de mundo iſto, ſcilicet quantum ad partem illam quæ eſt melior & ſibi charior. Licet enim in mundo ſint corpore, alibi tamen ſunt corde. Philip. 3. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Qui continuè eſt in mundo iſto, corde & opere, vix eſt quin corrumpatur à malitia mundi. Amici Dei magna parte temporis morantur extra mundum, aliquando deſcendunt in infernum viventes ne deſcendant morientes; & in ignem inferni depurgant corda ſua à vitiorum rubigine ſicut aurum purgatur in fornace Eccleſiaſtæ 1. *Timor Domini expellit peccatum.*

3. *Tertium* remedium eſt quod Deus dat quaſdam gratias amicis ſuis, quibus mala in bona vertuntur. Majus eſt mala alicujus in bona converti, quàm penitus ab eo auferri. Hæ gratiæ ſunt patientia & miſericordia. Patientia propria mala hominis in bona convertit, miſericordia vero aliena. De anima quæ habet perfectè has gratias, vere poteſt dici illud Proverb. ultimo. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.* Mundus enim ei plenus eſt divitiis. Has duas gratias commendat nobis Eccleſia in hac Dominica: Patientiam in Epiſtola dicens: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis* &c. Rom. 8. Miſericordiam in Evangelio dicens: *eſtote miſericordes.* Et poſt illam admonitionem oſtendit *quare & quomodo* miſericordes eſſe debemus. *Quare*, ibi *pater veſter miſericors eſt quomodo ibi ſicut.*

Dubitatio ſicut.

Circa admonitionem notandum, quod cum Deus ſummè juſtus ſit, ſummè miſericors, poterit aliquis dubitare quare potius dicat dominus *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt*, quam, *eſtote juſti ſicut & pater veſter juſtus eſt.*

Reſponſio triplex. 1.

De quo triplex ratio poteſt aſſignari. *Prima* eſt quia miſericordia inter virtutes excellit, ſicut oleum ſupernatat aliis liquoribus, ſic miſericordia excellit reſpectu aliarum virtutum. Ipſa Deo maxime placet. Aug. Non eſt quod Deo ita amabiles faciat ut pietas, ipſa de diabolo efficacius triumphat. Unde ſuper id. *Miſericordia mea & refugium meum*, dicit Gloſſa. Pſal. 143. De nullo ſic vincitur diabolus, ut de miſericordia. Ipſa in omni neceſſitate ſubvenit. 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt.*

2. *Secundo* quia miſericordia loco in quo ſumus maxime competit, ſumus enim in valle miſeriæ. Mundus plenus eſt miſeria, ideo oportet homines plenos eſſe miſericordia

3. *Tertio* quia miſericordia patri naturaliter convenit. Sicut dilectio eſt paternus affectus, ſic & miſericordia, unde filios patris cœleſtis oportet imitari eū in miſericordia, & in hoc examinabit eos in die judicij. Miſereri ei proprium eſt, miſericordes faciet hæredes regni ſui, immiſericordes tanquam filios diaboli, mittet in infernū. Matt. 25. *Diſcedite à me maledicti*, &c. Juſtitia Domino congruit, ipſi debemus eam dimittere, & nobis uſurpare. Eccleſ. ult. *Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in judiciū.* Prov. 20. *Non dicas, reddam malū pro malo, expecta Dominum & liberabit te*, à labore videlicet vindicādi, & à debito gehennæ, quo te obligares vindicādo. Miſericordia debet eſſe homini in voluntate, juſtitia in neceſſitate. Cauſa quare miſericordes eſſe debemus oſtenditur, cum dicitur: *pater veſter miſericors eſt*, non ſolum in creaturis rationalibus, ſed etiam in irrationalibus; eſt hoc verum, quod ab eo à quo habent vitam, habent & modum vivendi. Aliter vivit agnus, aliter lupus, aliter filius regis, aliter paſtoris A patre ergo cœleſti, à quo habemus vitam per creationē, debemus habere modum vivendi per ejus imitationem. Ipſe propriè pater eſt. Matt. 23. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram.* A patre carnali habemus partē corporis valde modicum eſt quod ab eo nobis tunc datur, nihil etiam dat nobis de ſuo, ſed à patre cœleſti habemus corpus & animam. Aug. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator. Pater iſte ſuper omnia diligendus eſſet, de eo confitēdum eſſet præ omnibus. In hoc multum videntur errare homines, qui ita parum de ipſo confidunt.

Pater cœleſtis imitandus in tribus.

Et *notandum* quod pater cœleſtis filios degenerantes filios non reputat. Matt. 5. *Diligite inimicos veſtros* &c. *ut filij patris veſtri ſitis, qui in cœlis eſt.* *Specialiter* vult pater cœleſtis ut filij ejus imitentur ipſum in *tribus*: ſcilicet 1. in *ſāctitate*, Levit 19. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*: 2. in *beneficentia* inimicorum, Matt. 5 *Benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filij* &c. 3. & in *miſericordia*; de qua hic: *Eſtote miſericordes* &c. pater cœleſtis eſt perfectæ bonitatis. Perfecta vero bonitas malitiam non admittit, unde ſanctitas eſt. Item perfectam bonitatem aliena non impedit malitia, quin beneficia ſua tribuat, unde etiam inimicis benefacit. Item perfecta bonitas ſibi ſufficit ad hoc, ut in actum exeat, unde illis à quibus nihil ſperat miſericorditer ſubvenit.

Modus miſerationis divinæ qualis.

Circa modum miſerendi *notandum*, quòd Deus ita miſericors eſt, quod ejus miſericordia eſt in omnes Ipſe enim facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Matth. 5. Miſericordia ejus eſt in omni opere ejus Etiam puniendo miſeretur, ſemper enim punit citra condignum. Item miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Jacob. 2. *Miſericordia ſuperexaltat judiciū.* Ipſe miſerendo animam corpori præponit, non parcens corpori, ut animæ medeatur. Eſto etiam ſimiliter miſericors. Eccleſ. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Prov. 11. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors.*

Modis 11. Miſeretur Deus.

Et *notandum* quod Deus multipliciter miſeretur. 1. Ipſe miſeretur, indignum omni bono averſum ab ipſo revocando. Iſa. 30. *Erunt aures tuæ audientes vocem poſt tergum monentis.* 2. Item redire volentē patiēter expectādo. Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit.* Sap. 12. *Diſſimulās*

peccata hominum propter pœnitentiam. *Item* hoſtem
3. volentem redire paſcendo. Pſ. 146. *Qui dat jumen-
tis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus
eum*. Pulli corvorum ſunt filij dæmonum, filij inquã
4. per imitationẽ. *Item* cũ defẽdẽdo Thren. 3. *Miſeri-
cordia domini quod non ſumus conſumpti*. Dæmones
enim inimicũ Dei jugularent, niſi à Deo defẽdere-
tur. Bern. Si ſpiritus boni ſe elongaverint, impetũ
5. malignorũ ſpirituũ ſuſtinere quis poterit? *Item* poſt
multiplicem repulſam à vocatione non deſiſtendo.
Greg. Debemus miſericordiã Dei erubeſcere, & ſi
juſtitiã ejus nolumus formidare, qui tãto ampliori
improbitate contemnitur, quanto contemptus vo-
6. care non dedignatur Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pul-
ſo*. *Item* ad converſionem noſtram ſtudioſè operan-
do. In Pſal. 9. *Annuntiate inter gentes ſtudia ejus*.
Ipſe eſt ut faber qui equum inclavat ut ſibi rema-
neat David Pſ. 31. *Converſus ſum in ærumna mea dum
7. configitur ſpina*. *Item* pœnitentem benignè reci-
piendo, ut patet in filio prodigo. Luc. 15. Bern.
Miſericorditer & plenè remittit Deus. Non enim
damnat ulciſcẽdo, nec confundit improperando,
8. nec minus amat imputando. *Item* de ſtatu viliſſimo
ad ſtatũ regũ exaltando. Vilitas ſtatus oſtenditur, cũ
dicitur *de ſtercore erigens pauperem* &c. Pſ. 112. Item
converſo virtutem perſeverandi dando, Iſa. 40.
Qui dat laſſo virtutem. *Item* à periculis cuſtodien-
9. do, Iſa 9. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas*. *Item*
delinquẽtem miſericorditer corripiendo. In Pſ. 88.
10. *Si autem dereliquerint filij ejus legem meã* &c. *Vi-
ſitabo in virga iniquitates eorum*. *Item* non pœni-
11. tentem de malitia citra condignum puniendo. Pſal.
67. *Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas*.
Item. Perſeverantem in bono ſupra condignum
remunerando ſecundum illud. *Menſuram* &c.

II. Miſericordiæ impedimenta. *Nolite judicare*. Hic amovet impedimenta mi-
ſericordiæ, ea ſcilicet quæ ſunt falſæ juſtitiæ. Impe-
ditur enim miſericordia à falſa juſtitia. Et notandũ
quod ſunt quidam qui omnia volunt judicare, qui
extremum judicium Dei videntur velle evacuare.
Si enim hic omnia judicarentur, ad quid divinum
judicium in futuro ſequeretur. Si illis ad quos per-
tinet ex officio judicare diſtrictum manet judicium,
ſecũdum illud Sap. 6. *Judicium duriſſimum fiet his,
qui præſunt*, quid fiet de his, qui uſurpant ſibi judi-
cium?

Et *notandum* quòd *triplex* judicium eſt prohibi-
Judicium triplex eſt prohibitũ. tum vel diſſuaſum. *Primum* eſt cum judicat quis
perſonam, quæ non ſubeſt ejus judicio, quale eſt
judicium illorũ, qui judicant ſuperiores ſuos, qui
1. Deo ſunt exoſi. Prov. 6. *Sex ſunt quæ odit Deus, &
ſeptimum deteſtatur anima ejus oculos ſublimes*. Oculi
ſublimes ſũt qui reſpiciũt ſuperiores ſuos, ut eos ju-
dicẽt. Bern. Non obſervemus prælatos, ſed honore-
mus. Eccleſ. 8. *Non judices contra judicem, quia
quod juſtum eſt judicat*. Prælati tenentur reddere ra-
tionem pro animabus ſubditorũ. Hebr. 13. *Ipſi pervi-
gilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.
Subditi non tenentur reddere rationem pro anima-
bus prælatorum: quare ergo immiſcent hic ſe peri-
culo à quo Deus eos liberavit. *Secundum* eſt judi-
2. ciũ de his de quibus ſolus Deus habet judicare, ut
de intentione, vel de his quæ futura ſunt. 1. Reg.
16. *Homines vident ea quæ parent, Deus autem in-
tuetur cor*. Videre futura ut præſentia divinum eſt
Iſa. 41. *Annunciate quæ futura ſunt in futurum, &
ſciemus quia dij eſtis vos*. Ad hæc duo pertinet Gloſſa
quæ habetur ſuper Matt. 7. Duo ſũt in quibus judi-
ciũ temerariũ eſt cavendũ. Sunt enim quædam me-
dia &c. Require eam in expoſitione litteræ. *Tertiũ*
3. eſt judicium præceps quod fit non ſervato juris or-
dine. Job. 29. *Cauſam, quã neſciebam diligentiſſime
inveſtigabam*. Sunt qui judicant ad teſtimonium
unius, vel potius nullius, quia perſona teſtificans
eſt infamis, cui fides adhibenda non eſt, nec etiam
exigunt juramentum, & cum aliquis infamis depo-
nit aliquid contra aliquã perſonam honeſtam adeo
credũt ei, quod ſi decem viri juſti jurarent contra-
riũ, non adquieſcerent eis. Item aliqui ſunt prom-
ptiores ad condemnãdũ quam ad miſerandũ, contra
quos dicitur: *Nolite cõdemnare* Miſereri debet in
deſiderio, cõdemnare in neceſſitate. Micheæ. 6. *In-
dicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus
requirat à te, utiq; facere judicium & diligere miſe-
ricordiam*. Seneca in epiſtolis. Clementia ſangui-
ni alieno tanquam ſuo parcit, & ſcit hominis non
eſſe homine prodigè utendum.

Dimittite & dimittetur vobis. Hic monet ad
duos principales effectus miſericordiæ, ſcilicet ad III. Miſericordiæ effectus.
condonandum & donandũ, condonando offenſam,
donando beneficia. Condonanti condonat Deus.
Eccleſiaſtici 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, &
tunc deprecanti tibi, ſolventur tibi peccata tua*. Au-
guſt. Ad dilectionem inimicorum vos admoneo,
quia ad ſananda peccatorum vulnera nullum me-
dicamentum utilius eſſe cognoſco. quædam littera
ſic habet.

Dimittite & dimittemini & poteſt intelligi dic-
tum contra tria genera hominum. *Primo* contra Hujus dicti triplex explicatio.
tenentes iram, qui diabolum ſecum tenent & à dia-
bolo tenentur, tanquam ejus ſervi. Dimittere ergo
oportet eos diabolum, iram remittendo, ſi à dia-
bolo volunt dimitti. *Secundo* contra nimis aman-
tes pecuniam, qui eam incarcerant in arcis ſuis, &
cũ ea corda eorum incarcerantur. *Ubi enim eſt the-
ſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* Matt. 6. Immo quod
plus eſt, dum pecuniam male capiunt, à diabolo
capiuntur. Auguſt. Prædã quam vis rapere in muſ-
cipula eſt, tenes alienum, & teneris à diabolo.
Tales dum Pecuniam male adquiſitam reſtituendo
dimittunt, à diabolo dimittuntur. *Tertio* contra
nolentes confiteri peccata ſua; qui diabolũ quodam-
modo incluſum tenent, dum os ſuum nolunt ad
confeſſionem aperire, ut diabolum à ſe poſſint
expellere. Prov. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non
dirigetur, qui autem confeſſus fuerit & reliquerit
ea, miſericordiam conſequetur*.

Date & dabitur vobis. Danti pauperibus non Cur ſit dandum pauperibus.
ſolum dantur bona ſpiritualia in præſenti & cœ-
leſtia in futuro, immo etiam ei temporalia multi-
plicantur. Gregor. in dialogis. Terrenæ ſubſtan-
tiæ per hoc, quod pauperibus diſtribuuntur, mul-
tiplicantur. Proverb. 11. *Alij dividunt propria, &
ditiores fiunt. Alij rapiunt aliena, & ſemper ſunt in
egeſtate*. Ejuſdem 28. *Qui dat pauperi non indigebit.
Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam*. 3.
Reg. 17. Illi viduæ quæ Heliam pavit, farina & o-
leũ non defecerunt. Miſericors fideliter diſpenſat
pauca bona ſibi commiſſa, & ideo merito ſuper
multa bona conſtituitur. Matt. 25 Conquerebantur
quidã religioſi, quod non daretur eis ut ſolitum
erat: quibus unus de antiquis fratribus ait: intrave-
runt abbatiam iſtam duo ſocij, quorum alterum eje-
ciſtis, & ideo reliquus noluit vobiſcum remane-
re. Hi duo ſocij ſunt, date & dabitur, quos Domi-
nus in Evangelio aſſociavit. Non vultis dare, ideo
meritò non datur vobis.

Et *notandum* quòd dando temporalia pauperibus
quinque ſunt prævidenda. *Primum* eſt *ordo*, ut ſci- Quinque ſervanda in danda eleemoſyna.
licet prius det ſe ipſum Deo. Eccleſiaſtici 30. *Mi-
ſerere animæ tuæ placens Deo*. Non eſt accepta hæc 1.
compenſatio Deo, quod tua ei des, & te ei ſubtra-
has. Non eſt grata ei hæc diviſio. ut Deo des tua, 2.
& te diabolo: ſic fecit Cain Geneſ. 4. Reſpexit
Dominus ad Abel prius, & poſt ad munera ejus reſ-
pexit. *Secundo* eſt, ut des de tua ſubſtantia, non de
uſura, vel rapina Prov. 3. *Honora dominum de tua
ſubſtãtia*. Tob. 4. *De tua ſubſtãtia fac eleemoſynã* Ec-
cleſiaſtici

3. ſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus.*
Tertium eſt, *intentio recta*, ut non favore vel huma-
na laude hoc facias Matt. 6. *Cum facis Eleemoſinã*
noli tuba canere ante te. Elemoſynæ ſiniſtra inten-
tione datæ, ſunt ut ſemina, qua tollunt aves. Matt.
4. 13. Mar 4. Lucæ 8. Et ſicut fructus vermiculoſi,
quos concutit ventus. *Quartum* eſt *idoneitas per-*
ſonæ, cui datur. Danda eſt Eleemoſyna pauperi, &
maximè bono, Eccleſiaſtici 29. *Conclude Eleemoſi-*
nam in ſinu pauperis. Lucæ 14. *Cum facis convi-*
vium, voca pauperes. 4. Regum 4. Heliſæus implet
vaſa vacua. Hieron. Da pauperibus, non locuple-
tibus Eccleſ. 12 *Si benefeceris, ſcito cui benefeceris.*
5. In eodem. *Benefac juſto* &c. *Quintum* eſt *modus*, ut
ſcilicet detur ſecundum facultatem, & neceſſitatem
ejus, cui datur Tob. 4. *Si multũ tibi fuerit, abun-*
dãter tribue: ſi exiguũ fuerit, libenter impertiri ſtude.

Incitamenta miſericordiæ.

Menſuram bonam, &c. Hic ponit dominus incitantia ad principales effectus miſericordiæ; & primo incitat ad dandum magnitudo præmij quod Eleemoſynæ reddetur. Et *notãdum* quod qui pauperi dat Eleemoſinam, Deo dat mutuum Prov. 19. *Fœneratur Deo qui miſeretur pauperis* Ejuſdem 22. *Qui accipit mutuũ, ſervus eſt fœnerãtis.* Miſericors multum habet Deum ad voluntatem ſuam Et quia dans mutuum aliquando non recuperat tale quale dedit, immo deterius, vel non tantum, ideo dicit dominus. *Menſuram bonam dabunt*, ſupple, pauperes, *in ſinum veſtrum*, id eſt de re bona Circa *primum notandum* quod valde melius erit quod ſolvetur quam quod accommodatum fuit. Quod accommodatum fuit erat tanquam putridum, quia tranſitoriũ vel corruptibile, quod reddetur erit æternnm Aug. Præbe tectum & accipe cœlum. Circa *ſecundum* oſtenditur quod menſuram dabunt plenam & plenitudine non vana ſed vera, & menſuram cumulatam. Ad *primum* pertinet quod dicitur *confertam*, ad *ſecundum* quod dicitur *coagitatam*, ad *tertium*, quod dicitur, *effluentem.* Aug. Miſer homo qui fœneraris proximo, fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis.

Explicatur Evangelium.

Eadem menſura, &c. Terribile eſt hoc verbum illis qui avariſſimi ſunt Deo, cum tam prodigi ſunt mundo vel diabolo. Exemplum notabile habetur de hoc in divite epulone Lucæ 16, qui micas cadentes de menſa ſua pauperi ulceroſo non dedit Sepultus verò in inferno guttam aquæ obtinere non potuit. *Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere?* Hoc *dupliciter* incitat ad condonandum. *Primo* oſtenſione damni quod facit odium, excæcat enim: *Secundo* exemplo ſui magiſtri, ibi: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.*

Cæcitas prælati cur ſit reprehẽſibilis,

Et notandum quod cœcitas multum reprehenſibilis eſt in prælato Primum enim vitium eſt quo quis repellitur à miniſterio Dei Levit. 21. ubi ſic legitur. *Homo de ſemine tuo*, dictum eſt Aaron, *qui habuit maculã, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus ſi cœcus fuerit, ſi claudus*, &c. Prov. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens, iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit*, inutilem vocat cœcum. Cœcitas prælati valde eſt inutilis Eccleſiæ, vel periculoſa, cum ipſe ſit ejus ſpeculator. Iſaiæ. 56. *Omnes beſtiæ agri venite ad devorãdum, ſpeculatores ejus cæci omnes.* Ipſe etiam debet ducatũ præbere aliis, cœcus autem ſi cœco ducatũ præſtat, ambo in foveam cadunt. Periculoſius eſt cæco ducem cæcum habere, quam duce carere. Si enim ducem non haberet, viam prætentaret ut formica, quæ eſt animal cæcutiens, non præficit ſibi ducem, ſed habet velut quendam baculum à natura, quo viam prætentat: legitur enim 2. Regum 5. quod poſuerunt Jebuſæi cæcos & claudos ſuper muros Hieruſalem, in contemptum David, & dictum eſt ei: *Non ingrederis huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* Cæci & claudi ſuper muros poſiti ſunt prælati mali, cæci per ignorantiam, claudi per defectum virtutis, niſi iſti removeantur, non dominabitur Chriſtus perfecte in Eccleſia Eccleſiaſ. 10. *Qualis rector civitatis, tales & qui inhabitant eam.* Greg. Cum paſtor per abrupta gradiatur, neceſſe eſt ut grex in præcipitium trahatur. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Gloſſa Auguſt. ſuper illud Phil. 2. *Mortem autem crucis*, ecce habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum: quid ergo intumeſcis homo, ô pellis morticina quid tenderis? ô ſanies fœtida quid inflaris? princeps tuus humilis eſt, & tu ſuperbis. Caput eſt humile, & membrum ſuperbum.

V. Remedia impedimentorum miſericordiæ.

Quid autem vides feſtucam, &c. Hic intendit dominus cohibere à temerario judicio per cõſiderationem proprij peccati. Et notandum quod multum valet ad perfectionem quod homo frequenter defectus ſuos reſpiciat Bernardus Illam animam diligit Deus quæ ſine elatione ſe conſiderat, & ſine diſſimulatione judicat. Item ad fratres de monte Dei. Solicite temetipſum reſpicias, ab omnibus oculos averte. Sapientiæ. Proprium eſt ſtultitiæ aliena vitia cernere, ſua obliviſci. Bernardus. Egregium inſtrumentum eſſet oculus, ſi ſicut cætera, ſic etiam ſeipſum poſſet videre. Quod cum interiori oculo conceſſum ſit, ad exterioris exemplum ſeipſum negligens, vacat circa aliena. Cum multum vult non ſufficit redire ad ſe. Vaca tu ipſe tibi, multa materia ſolicitudinis es dicẽs, *trabem quæ in oculo tuo eſt non conſideras.* Chryſoſtomus. Qualiter in alienis oculis vides tam parva, in tuis tam magna tranſcurris Si te magis diligis quam proximum, quare ipſum procuras, & non magis te ipſum? Si autem teipſum contemnis, manifeſtum eſt quod non eſt procuratio, quod ipſum judicas. ſic Hydropicus corrigit eum cui digitus tumet, ipſe ſui ventris immemor. *Aut quomodo*, &c. Chryſoſtomus. Si in veritate argueres, ut ſalvares, plus te ipſum ſalvares. Nunquid potes alij benevolentior eſſe quam tibi Eccleſiaſtici 14. *Qui ſibi nequam, cui bonus?* Rom. 2. *Qui alium doces, teipſum non doces* Lucæ 4. *Medice cura te ipſum.* Greg. Improbus & impudicus eſt medicus qui aliis mederi appetit & proprium vulnus neſcit *Hypocrita ejice primum trabem*, &c. Hoc verbum pertinet ad ſacerdotem malum alios corripientem & ſe negligẽtem. Omnis ſacerdos ſi vult docere populum, primo doceat ſe ipſum, quia Laicus ſi magnum peccatum fecit, fuſtuca eſt quantum ad peccatum ſacerdotis. Super illud 2 Reg. 7. *Non ædificabis mihi domum, quia vir ſanguinis es*, dicit Gloſſa. Sordes tergere non valent manus quæ lutum tenent. Eccleſ. 34. Ab immundo quid mundabitur?

Appendix ſermonis hujus.

Eſtote miſericordes, &c. Corinth. 14. *In Eccleſia volo ſenſu meo quinq; verba loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua.* Exemplo ergo Apoſtoli *quinque* verba, ſcilicet quinque documenta utilia Evangelij hodierni vobis loqui volo ad inſtructionem veſtram. *Primum* eſt illud: *Eſtote miſericordes*, &c. *Secundum* illud: *Nolite judicare. Tertium* illud: *Nolite condemnare* &c. *Quartum* illud. *Dimittite*, &c. *Quintũ* eſt illud. *Date*, &c. Explanationes horũ verborum habes in præcedẽtibus.

Oſores prędicationis.

Notandũ quod fideles magis deberẽt gaudere cũ quinq; verba Evangelica eis exponũtur quã ſi quinq; Evãgelia integra eis proponerẽtur, quę ipſi non intelligerent. Cujus cõtrarium multi faciũt, libenter audientes Evangelium, cum non intelligunt. Si verò prædicator velit illud exponere, fugiũt ſicut diabolus aquam benedictã. Aqua benedicta qua dominus ejicit diabolum de mundo iſto, prædicatio eſt, quia ad modũ aquæ mundat Joan. 15. *Vos mũdi eſtis propter ſermonem quem locutus ſũ*

vobis. Diabolus qui in eis eſt, hanc aquam ſuſtinere non potens, fugit, & eos, quos in poteſtata ſua habet, ſecum ducit, ſicut aliquis ducit jumentum ſuum quo vult. Si diabolus aſpergeret alicui aquam ſuam maledictam, ſcilicet verba detractionis, vel alia verba mala, ipſi cito currerent illuc. Os detractoris eſt velut vas, in quo diabolus tenet aquam ſuam maledictam. In Pſalmo. 9 *Quorum os maledictione & amaritudine plenū eſt.* Quod aquam debeant ſequi fideles, oſtendit Eccleſia in proceſſionibus ſuis, in quibus aqua benedicta præcedit. Idem oſtendit dominus Lucæ 22. dicens: *occurret vobis homo amphoram aquæ portans. Sequimini eum.* Fatuitas talium multipliciter poteſt oſtē-

Similes ſunt.

1. di. *Primo* per hoc, quod ſimiles ſunt homini valde infirmo, qui conſilium medici, quo multum indiget, potius vult audire in lingua ſibi ignota, quam in lingua ſibi nota. Verba ſacræ ſcripturæ conſilia ſunt illius cœleſtis medici, cui nulla infirmitas eſt incurabilis, qui non poteſt fallere nec falli, qui ſe medicum vocat Matt. 9. dicens. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* *Secundo* per hoc, quod tales ſunt ſimiles homini,

2. qui veniſſet ad locum ubi eſſent magnæ reliquiæ, quibus dominus magnas virtutes operaretur, & dū eſſent involutæ, magnā eis reverentiā exhiberet; cū verò nudæ oſtenderentur, pedibus eas conculcaret, & hora illa, qua Deus per eas miracula facturus eſſet, fugeret. Reliquiæ ſunt verba Dei ut patet ex virtutibus, quas operantur; illuminant enim oculos cordis. David Pſ. 118. *Præceptū domini lucidū illuminans oculos.* Immo mortuos ſpiritualiter ſuſcitant. Joan. 5. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei & qui audierint vivent.* Si veſtis quæ corpus domini tetigit, pro reliquiis habetur, quomodo verba, quæ ex ore ejus proceſſerunt, ſancta non erunt? Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, &c. Has reliquias in earum oſtenſione vilipendit, qui, cum Evangelium eſt exponendum, fugit, in hora quando illuminari debet recedit, quia verba Dei tunc oculos cordis illuminãt, cum exponuntur, juxta illud. Pſalm. 118. *Declaratio ſermonū tuorū illuminat.* *Tertio* per hoc,

3. quod recedit, cum aromata magni odoris conterãtur, & magis redoleant. Scriptura ſacra eſt velut olla aromatū ſecundū illud Eccleſiaſtici 24. *Sicut cinnamomū & balſamū aromatizans odorem dedi.* Aromata conteruntur, cum ſcriptura ſacra exponitur Beda. Sermo Dei more aromatū quo ſubtilius quaſi terendo diſſolvitur, eo majorem ſuæ virtutis internæ fragantiam reddit. Tales ſunt ſimiles bufonibus, qui in vinea morantur, donec florere incipiat, ſed tunc egrediuntur, quando vinea incipit redolere. De odore ſcripturæ ſacræ legitur Eccleſiaſtici 24. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Hunc odorem non ſenſerunt illi, quibus diabolus nares ſpirituales præcidit Ezech. 23. *Naſum & aures tuas præcident.* *Quarto* per hoc,

4. quod potius volunt ſibi tradi panem, quo multum indigent non fractum, quam fractum, cum tamen illum frangere non poſſint. Diſcipuli cognoverunt Dominum in fractione panis Luc. 24.

DOMINICA QUINTA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO XLVIII.

SUMMARIUM.

Explicatio Evangelij & ſex virtutum.

Cum turbæ irruerent in Jeſum, id eſt, cum impetu accederent ad eum. Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth. *Lucæ* 5.

BEda, idem eſt mare Galileæ, mari Tiberiadis, ſtagnum Genezareth. Mare Galileæ dicitur à provincia adjacente, mare Tiberiadis à Tiberiade civitate, quam ædificavit Herodes in honorem Tiberij juxta locum illum. Stagnum Genezareth à proprietate lacus quaſi generans auras. Dicitur autem mare ſecundum Hebræos, qui omnem congregationem aquarum mare vocant. *Et vidit naves* una erat Petri, alia Zebedæi. *Piſcatores autem deſcenderant* à nave in litus. *Rogavit eum à terra reducere puſillum*, id eſt, elongare à litore, ne turba intraret cum eo. *Duc in altum*, id eſt, in profundū, navem. *In verbo tuo*, id eſt, ad verbum tuum, *laxabo rete.* Similiter autē Jacobū & Joannem Zebedæi filios ſcilicet circumdederat ſtupor. *Ex hoc jam homines eris capiens.* Beda. Nondum in apoſtolatum eligitur, ſed prædicitur quod aliquando ſit eligendus. Et *notandum* quod *triplex* fuit vocatio Apoſtolorum. *Prima* in ſimplicem notitiam Joan. 1. *Secunda* in familiaritatem, de qua hic. *Tertia* in Apoſtolatū Matt. 4. *Et ſubductis ad terrā navibus.* Gloſ. quia adhuc habent volſitatem redeundi ad propria, ſed tertia vocatione perfectè ei adhæſerunt.

Explicatio Evangelij.

Vocatio triplex Apoſtolorum.

Cum turbæ irruerent in Ieſum, &c. In hoc Evangelio juxta literā ad *ſex* monemur. *Primo* ad amorem divini verbi. *Secundo* ad obedientiam. *Tertio* ad charitatem mutuam. *Quarto* ad humilitatem. *Quinto* ad benignitatem. *Sexto* ad bonorum familiaritatem. Ad *amorem divini verbi*, exemplo turbæ irruentis ad ſalvatorem, ut verbum ejus audirent, ſicut tempore famis irruere ſolent pauperes in diſtributione Eleemoſinarum. Immiſerat dominus in eos famem ſicut promiſerat. Amos 8. *Mittam*, inquit, *famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Fames iſta quæ eſt appetitus cibi ſpiritualis, donum eſt ſalvatoris & ſignum ſalutis, ſicut appetitus cibi corporalis ſignum eſt ſanitatis corporalis. Faſtidium hujus cibi ſignum eſt langoris ſpiritualis. In pſalmo 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Ineſt brutis animalibus naturalis appetitus cibi. Unde currunt aves & piſces ad cibum, ſi eis projiciatur, & aves quæ vivunt de grano, frequentant locum ubi ſegetes excutiuntur, quæ autem vivunt de racemis, vineas frequentant. Inexcuſabiles ergo homines ſunt ratione utentes, qui cibum ſuum vel non agnoſcunt, vel negligunt, & porrigentem eum fugiunt. Ad *obedientiam* monemur exemplo Petri, qui cum per totam noctem laboraſſet inutiliter, tamen ad verbum domini navem ducit in altum, & retia laxat. Duabus de cauſis ſolet homo renuere opus ſibi injunctum, vel propter ſui fatigationem, vel operis infructuoſitatem. Petrus autem licet fatigatus eſſet, etenim infructuoſitatē laboris futuri ex infructuoſitate præteriti timere poſſet, tamen injunctum opus non renuit, ſed ſimpliciter obediit. Simplicitas obedientiæ multum grata eſt Deo. De hac commendat primitivam Eccleſiam in Pſalmo 17. *In auditu*, inquit, *auris obedivit mihi.* Ad *charitatem mutuam* monemur exemplo illorum qui erãt in navi Zebedæi, qui ad nutum eorum qui erant in navi Simonis, ad eos veniunt, & auxilium ei impendunt. Proverb. 18. *Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas munita.* Ad *humilitatem* monemur exemplo Petri ad genua Chriſti procidentis. *Exi à me domine, quia homo peccator ſum*, Lucæ 5. quaſi diceret non ſum dignus cohabitare tecum Gregorius in Moralibus Si te peccatorem conſideras, oportet ut à te dominum non repellas. Auguſtinus. Ut piſcator loquitur Petrus, Deum & dominum ſalutis ſecum habebat, & ei dicebat: *exi à me domine*, ac ſi infirmus medico acce-

Evangelium monet ad ſex.

1. Ad amorem verbi divini.

Faſtidium verbi Dei quam ſit malum.

2. Ad obedientiam. Inobedientia ex duobus oritur.

3. Ad mutuã charitatem

4. Ad humilitatem.

5. denti & eum curare volenti diceret, exi à me quia ego ægroto. Ad *benignitatem* monemur exemplo Salvatoris duobus modis. *Primo* in hoc quod turbam irruentem ad ſe non à ſe turpiter repellit, ſed accedens in navem eam à terra elongari facit. Aug. Non debet eſſe diſpenſator auſterus, ubi pius eſt Dominus. Lucæ 8. *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt*, &c. *Secundo* in hoc quod à Petro non recedit, immo conſolatur eum dicens. *Noli timere*, prædicens exaltationem Petri humiliati. *Ex hoc*, inquit, *eris homines capiens*. Auguſtinus in libro confeſſionum. O quam excelſus es Domine, & humiles corde ſunt domus tuæ. Lucæ 18. *Qui ſe humiliat, exaltabitur* Et *ſciendum* quod dictum eſt Petro, *eris homines capiens*, non aurum, non argentum. Secundæ ad Corinth. 12. *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*. Iſaiæ 13. *Suſcitabo ſuper vos Medos qui argentum non quærant, nec aurum velint*. Prædicator debet facere ſicut Joſeph. Geneſ. 47. congre-

6. gans triticum, ut omnes Ægyptios regiæ ſubjiceret ſervituti. Ad *bonorum ſequelam* vel *familiaritatem* monemur in hoc, quod *ſubductis ad terram navibus relictis omnibus ſecuti ſunt eum*, ſic adquirentes ejus familiaritatem, vocatio enim iſta, ut prius dictum eſt, fuit ad familiaritatem. Proverb. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, Amicus autem ſtultorum ſimilis illis efficietur*. Carbones mortui ſi ponantur cum vivis accenduntur; ſic qui in peccatis ſunt mortui, familiaritate bonorum vita gratiæ vivificantur.

Ad benignitatem duobus modis.

Ad bonorũ ſequelam.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium moraliter & inſtruuntur Concionatores.

SERMO XCIX.

Cum turbæ irruerent in Jeſum u[illegible]dirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnu[illegible] Genezareth.

Stagnum Genezareth mundum ſignificat.

PEr ſtagnum Genezareth mundus deſignatur.
1. *Primo* quia ſtagnum illud auras generat & varietas tentationum ad modum ventorum mundum iſtum perturbat. Matth. 7. *Flaverunt venti*, &c. Daniel. 7. *Videbam in viſione noctis, & ecce quatuor venti pugnabant in magno mari*. Ventus flans ab oriente eſt temperatio ſuperbiæ vel vanæ gloriæ quæ à nobilitate generis ortum habet. Ventus flans ab occidente eſt tentatio carnis; quæ caro non ceſſat tendere in occaſum. Ventus flans à meridie eſt tentatio invidiæ, quæ de proſperitate proximi af-
2. fligitur. Ventus flans ab aquilone eſt iræ vel odij ad diabolicam crudelitatem incitans. *Secundo* quia piſces de ſtagno ſapiunt aquam limoſam, ſic amatores mundi in verbis & operibus terram & lucrum ſapiunt. Philippenſ. 3. *Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt*. Joannis 3. *Qui de terra eſt, de*
3. *de terra loquitur*. *Tertio* quia ſtagnum illud dicitur mare ſecundum Hebræos, qui omnem congregationem aquarum mare vocant. Sic veri Hebræi in bonis hujus mundi intelligunt amaritudinem eſſe, adquiruntur enim cum labore. Eccleſiaſtæ 4. *Unus eſt, & ſecundum non habet, non fratrem, non filium, & tamen laborare non ceſſant*. Cum timore poſſidentur. Job 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus, & cum ſit pax ſemper inſidias ſuſpicatur*. Levit. 16. *Terrebit eos ſonitus folij volantis* Cum dolore. Eccli. 5. *Eſt & alia infirmitas quam vidi ſub ſole, divitiæ congregatæ in malum domini ſui*. Pereunt enim in afflictione peſſima.

Inſtructio prædicatorum.

In hoc quod Dominus non in ſtagno, ſed ſecus ſtagnum ſtat, inſinuatur quod prædicator à mundo ſeparare ſe debeat. Gregorius. Qui carnalibus actibus adhuc incubat, vitam aliorum, ſpiritualiter inſtruere, neceſſe eſt ut erubeſcat. In Pſalm. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis*. *Duæ naves*. Poſſunt intelligi duæ viæ ſalutis, ſcilicet via mandatorum. David Pſalm. 118. *Via mandatorum tuorum cucurri*: & via conſiliorum, quæ eſt navis Simonis, id eſt, obedientis, qui non ſolum ſervat præcepta, ſed etiam conſilia. *Navem Simonis*, Salvator aſcendit, quia conſilia implevit. Proverb. 8. *Ego in conſiliis habito*. Prædicator navem Simonis debet aſcendere. Decet enim prædicatorem & præcepta & conſilia implere, cum ad impletionem præceptorum & conſiliorum alios habet incitare. Matt. 5. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. *Piſcatores* Sunt prædicatores. Matth. 4. *Faciam vos fieri piſcatores hominum* Jerem. 16 *Mittam eis piſcatores multos, & piſcabuntur eos*, Abacuc. 1. *Facies homines quaſi piſces maris*. *Retia* ſunt ſermones divini quibus corda audientium Deo capiuntur.

Prædicator imitetur Apoſtolorũ quinque.

De retibus notandum quod Salvator vidit Petrum & Andræam mittentes retia in mare. Matth. 4. *Item* Jacobum & Joannem reficientes retia in eodem. *Hic* vero habetur quod piſcatores deſcenderant & lavabant retia. *Item* quod nave ducta in altum retia laxantur, & multum capitur, & quod rete rumpitur. *Item* Joannis ultimo. Rete in dexteram navigij mittitur & multum capitur. Jux- 1.
ta *primum* exemplo Petri & Andrææ mitte rete prædicationis in mare, id eſt, in illos qui ſunt in amaritudine vitæ, facilius enim convertitur, qui non habet in hoc mundo, in quo delectetur. Puer Ægyptius, quem Dominus ſuus reliquerat, qui etiam infirmari cœperat, adhæſit David 1. Regum 30. Sic Chriſto adhæret quem mundus deſpicit.
Juxta *ſecundum* exemplo Joannis & Jacobi retia 2.
prædicationis reficias. Non ſemper novos ſermones facias, nec jam factos vilipendas, ſed eos meliorare ſtude, & operam da, ut eos bene ſcias, & gratiam Dei dicendi habeas. Seneca. Vis ſapienter
loqui, loquere quod ſciveris. Juxta *tertium* poſt 3.
prædicationem noli extolli, ſed per humilitatem ad infima tua deſcende, & lava retia prædicationis humiliter deflens quod circa eam negligenter egiſti. Marc. 13. *Videte voſmetipſos*. Primæ ad
Timoth. 4 *Attende tibi & doctrinæ*. Circa *quartum* 4.
intellige non ſemper eſſe prædicandum in locis propinquis, in remotis enim major eſt fructus. Marci ult. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*.

Rete prædicationis rumpitur tripliciter.

Et *notandum*, quod rete prædicationis multis modis rumpitur. *Uno modo*, cum prædicator malo exemplo diſſipat, quod verbo ædificat. Gregorius ſuper Ezech. Ad hoc ut ferventer veritas prædicandi teneatur, neceſſaria eſt altitudo vivendi. *Secundo* cum ſcriptura erroneis opinionibus ſcinditur. 1. Corinth. 1. *Obſecro vos*, &c. *ut idipſum dicatis, & non ſint in vobis ſchiſmata*. *Tertio* cum hi, qui fidem receperunt, præceptis Dei non obediunt. Hierem. 2. *A ſæculo fregiſti jugum, rupiſti vincula*, & Marc. 5. legitur de dæmoniaco quod ſæpe catenis & compedibus vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet Et *notandum* quod magni piſces retia ſolent rumpere, ſic majores de Eccleſia præcepta Dei amplius transgrediuntur. Hierem. 5. dicitur de optimatibus *hi ſimul fregerunt jugum, ruperunt vincula*. Juxta *quintum* intellige prædica- 5.
tionem pro æternis factam valde fructuoſam eſſe. Rete enim in dexteram navigij mittitur, cum pro æternis prædicatur In veteri lege piſcabantur ad ſiniſtram navigij, temporalia enim promittebantur. Iſa. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*. Ad ſiniſtram etiam navigij piſcantur præ-

dicatores quæſtuarij, quorum prædicatio à populo contemnitur. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sciendum, quod piſcatio Petri nocte facta laborioſa & infructuoſa ſignificat piſcationem laborantium in acquiſitione temporalium.

Piſcatio duplex. 1. Cupiditatis. Et noctis. 2. Piſcatio vero in verbo Domini facta, ſignificat piſcationem laborantium in his quæ pertinent ad ſalutem animarum. Primam piſcationem facit *cupiditas*, ſecundam *charitas*. In nocte fit prima, quia qui malè agit odit lucem. Joan. 3. Job. 24. *Oculus adulteri obſervat caliginem.* Ejuſdem 3. *Viro cujus abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Et Auguſt. primo libro Confeſſionum. Spargis pœnales cæcitates ſupra illicitas cupiditates. Excæcatur aliquis quantum ad viſum corporalem in pelvi candenti, ſic ſpiritualiter excæcantur homines ardore cupiditatis. In Pſalmo 57. *Supercecidit ignis & non viderunt ſolem.* Ex igne pravæ concupiſcentiæ quidã fumus procedit, qui viſum interiorem impedit. 2. Eſt laborioſa. *Item* piſcatio cupiditatis multũ habet laboris. Sap. 5. dicunt damnati: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Eccl. 10. *Labor ſtultorũ affliget eos, qui neſciunt in urbem pergere.* 3. Eſt infructuoſa. *Item* infructuoſa eſt illa piſcatio, unde hic dicitur: *nihil cepimus.* Avarus nihil capit. 1. *Primo* quia temporalia cõparatione æternorũ nihil ſunt. Hierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihili.* In Pſal. 123. *Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Alia littera habet, *aquam* 2. *ſine ſubſtantia. Secundo* quia potius capiuntur, quam capiant; ſicut piſcis volens capere eſcam, capitur hamo. Auguſt. Præda quam vis rapere, in muſcipula eſt. Tenes alienum & teneris à diabolo. Avarus potius habetur quam habeat. Proverb. 13. *Eſt quaſi* 3. *dives, cum nihil habeat.* Verè nihil habet avarus, ſed potius habetur. *Tertio* quia licet horrea & cellaria avarorum multa capiant, ipſi tamen vacui remanent, & potius amittunt quam capiant. Lucæ 1. *Divites dimiſit inanes.* Tullius. Animus humanus, non arca, dives appellari ſolet. Quamvis illa plena ſit, & cum inanem te videbo, divitem non putabo.

II. Charitatis. Piſcatio charitatis multum capit. Cum enim anima una prævaleat toti auro mundi, ſi prædicator toto tempore vitæ ſuæ non lucraretur niſi animam unam, multum lucraretur. Avarus ſimilis eſt araneæ, quæ eviſcerando ſe telam præparat qua muſcas capiat. In bonis enim interioribus ſe damnificat, ut vilia adquirat. Iſa. 59. *Telas aranearum texuerunt.* Eccleſiaſtici 10. dicitur de avaro. *Projecit in vita ſua intima ſua.*

DOMINICA SEXTA POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

De ira, reconciliatione, falſa & vera Iuſtitia.

SERMO C. Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, &c. *Matth.* 5.

Iuſtitia Phariſæorum diminuta erat. IUſtitia Phariſæorum & Scribarum diminuta erat, & quantum ad illam partem juſtitiæ, quæ eſt declinare à malo, & quantum ad illam, quæ eſt facere bonum, & quantum ad cohibitionem animi. Quantum ad *primam partem* diminuta erat, quantum ad cohibitionem linguæ, & quantum ad cohibitionem manus. Quantum ad *primum*, quia non cohibebant animum ab ira, ut manum ab actu pravo. Quantum ad *ſecundum*, quia non cohibebant linguam à contumelia, ſicut manum à violentia. Item non cohibebant linguam à ſimplici mendacio, ſicut à perjurio. Quantum ad *tertium* quia permittebant minus malum ad vitandum majus, ſicut adulterium ad vitandum homicidium, ſicut patet in libello repudii. Deuteron. 25. Item concedebant ut provocatus alieno malo, malum inferret proximo, ut patet in lege talionis. Exod. 21. Quantum ad *ſecundam partem* diminuta erat juſtitia eorum, quia non faciebant bonum omnibus, ut inimicis. Levit. 19. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Alia tranſlatio eſt. Noſtra tranſlatio habet: *Diliges amicum ſuum. Item* bonum quod faciebant, non faciebant recta intentione, ſed ut viderentur ab hominibus.

Dictum eſt antiquis. Non occides. Exod. 20. *Qui autem occiderit, reus erit judicio*, id eſt, accuſatione ante judicem, vel judicio illo, de quo poſt illud Exodi 21. *Hæc ſunt judicia quæ propones eis. Si quis percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo*, non dicit culpæ fratris, cui licet iraſci, Non iraſcendum. *reus erit judicio*, id eſt, dignus accuſatione ante judicem: & intelligas hic de ira, quæ eſt cum deliberatione. Si verò ira iſta exeat extra per vocem non tamen exprimentem ſpecialiter contumeliam, debetur major pœna, quam ſi non exiret, & de hoc ſubditur. *Qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio*, id eſt, conſenſu judicum de ſententia danda in eum. Racha eſt interjectio indignationem exprimens. Si ira vero exeat extra per vocẽ exprimentem ſpecialem contumeliam, tunc debetur major pœna, quam ſi non exprimeretur ſpecialis contumelia, de quo ſubditur: *Qui autem dixerit fatue, reus erit ignis gehennæ.* Interlin. Non modicus furor eſt, illum, quem Deus ſale ſapientiæ condivit, infatuatum dicere. Nomine judicij & concilij & gehennæ deſignatur pœna infernalis, judicio minor, concilio major, gehenna etiam major quam concilio, hoc eſt, quod quando in judicio culpa diſcutitur, adhuc locus eſt defenſioni; in concilio cum jam culpæ certa pœna defertur, adhuc locum habet dilatio. In gehenna vero pœna jam diffinita ſine dilatione infertur, unde reus tunc eſt in peſſimo ſtatu. *Si ergo offers*, &c. Quia homo continuè eſt in Offenſo ſatisfaciendum. pugna ſecundum illud Job 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, non eſt mirum ſi quandoque cadens per iram offendat proximum, ideo poſtquam diſſuaſit iram dat conſilium, quid fiat ſi per iram aliquis proximum offenderit dicens: *ergo ſi offers*, &c. Vel ſic poteſt continuari. Oſtendit Dominus iram latentem eſſe damnabilem, item iram prorumpentem in contumeliam generalem vel ſpecialem. Sed quia ex his naſcitur odium quod eſt ira inveterata, ponit exhortationem contra odium dicens: *Si ergo offers*, id eſt, offerre vis, *munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſus te*, quem tu læſiſti, unde de te poteſt conqueri, *relinque*, &c. *& vade*: propoſito ſi actum non potes, *reconciliare fratri tuo*, quantum in te eſt, *& tunc*, ſcilicet facta reconciliatione quantum in te eſt *veniens*, id eſt, intentionem revocans ad id quod cœperas *offeres munus tuum. Niſi abundaverit juſtitia veſtra*, &c.

Et notandum eſt quòd *quadruplex* eſt juſtitia ad Iuſtitia quadruplex ad regnum non introducens. regnum non introducens. *Prima* eſt juſtitia tranſiens, *ſecunda* eſt juſtitia hic mercedem recipiens, *tertia* juſtitia remiſſe agens, *quarta* juſtitia excedens. De *tribus* primis dicit Bernardus. Omnis juſtitia tranſitoria, omnis juſtitia vendita, omnis juſtitia tepida erit in oblivione coram Domino. *Quarta* diſſuadetur Eccleſiaſtæ 7. *Noli eſſe juſtus multum.*

Prima in regnum non introducit, nec mirum 1. quia ante regni ingreſſum deficit. Hæc eſt juſtitia Iuſtitia tranſiens non perſeverans. non perſeverans. Talis eſt juſtitia illorum, qui pœnitentiam quam in Quadrageſima accipiunt, poſt Paſcha projiciunt, quos tempus Paſchale impotentes reddit, non ſolum in medietate temporis, ſed quaſi in ſex partibus temporis. qui enim ſex diebus

bus in ſeptimana poterant jejunare in Quadrageſima, poſt Paſcha non poſſunt jejunare ſexta feria, perſeverandum eſt in juſtitia inchoata & ſervanda eſt juſtitia tanquam res valde pretioſa, pretium enim eſt regni cœleſtis, unde vocatur juſtitia regni. Matth. 6. Job 27. *Juſtitiam meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* Apoc. 3 *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Secundum Bernard. Sola perſeverantia ſingularis filia eſt ſummi regis. Illa enim ſola cœleſtem hæreditatem obtinet.

2. Juſtitia vendita hic mercedem recipiens.

Vendita juſtitia eſt, quæ fit pro aliqua re tranſitoria, ut laude humana, vel pecunia, quæ ad regnum non introducit. Matth. 6. *Attendite ne faciatis juſtitiam veſtram coram hominibus ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* In eodem. *Receperunt mercedem ſuam.* Multum poſſunt timere homines, qui habent beneficia in quibus pecunia cauſa eſt, qua poſita ponitur ſervitium Dei, & qua ceſſante, ceſſat, ne juſtitia eorum ſit juſtitia vendita. Malach. 1. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito?* & ſubditur. *Non eſt voluntas mea in vobis dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Magnum zelum habuit Salvator ad negotiationem amovendam de templo. Joan. 2. *Auferte iſta hinc & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Bernardus ad Eugenium Papam. Plena eſt ambitioſis Eccleſia, jam non eſt quod horreat in ſtudiis ſuis & molitionibus ambitionis, non plus quam ſpelunca latronum in ſpoliis viatorum. Vendentes ſuam juſtitiam deridebit vera juſtitia dicens: *Ite ad vendentes & emite vobis,* Matth. 25. In Pſalmo 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Et quid fiet de juſtitia ſupervendita, ſcilicet de juſtitia illorum, qui habent multa & magna beneficia Eccleſiaſtica, quorum fructus percipiunt & male expendunt, & nihil vel parum in Eccleſia utilitatis faciunt. Multi in Eccleſia ſerviunt Deo, ſicut Judæi ſerviebant ei, ſcilicet pro temporalibus. Sed non ſic voluit Dominus. Unde Joan. ult. cùm monuiſſet Petrum ad implendum diligenter officium ſuum, non ſubdidit remunerationem in bonis temporalibus ſicut faciebat Judæis, ſed potius ſubdidit de morte quam paſſurus erat pro illo: *cum eſſes*, inquit, *junior cingebas te,* &c. Quidam etiam ſerviunt Deo ut Judas, eum venalem exhibendo. Juſtitia illorum qui præponunt Deo pecuniam, eſt idololatria Deo contumelioſa. Illud enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligit, ut dicit Gloſſa ſuper illud Philipp. 3. *Quorum Deus venter eſt.* Dum canis vadit cum duobus non agnoſcitur quis eorum ſit Dominus, ſed cum illi ſeparantur tunc agnoſcitur, remanet enim cum Domino. Sic agnoſcitur de multis cui ſerviant, utrum Deo vel divitiis. De multis creditur quod habeant veram juſtitiam, de quibus apparebit in die judicij quod fuit idololatria, ideo ſecurum eſſet contemptis divitiis ſoli Deo adhærere,

3. Juſtitia remiſſa ſeu tepida.

Juſtitia remiſſa fuit juſtitia Scribarum & Phariſæorum, de qua hic dicitur, *niſi abundaverit juſtitia veſtra,* &c. Et eſt verbum terribile; erant Scribæ eminentis ſcientiæ, quia Magiſtri Legis, erant Phariſæi eminentis vitæ. Secundum opinionem ſuam & aliorum pro certo putabant juſtitiam ſuam ſufficientem eſſe ad ſalutem, & tamen non erat, ſicut Dominus oſtendit. Sic multis videtur quod juſtitia eorum ſit ſufficiens ad ſalutem & tamen non eſt. Non eſt ſecurum confidere in opinionibus, & animam ſuam in incerto opinionum ponere, cum de facili credat intellectus, quod vult affectus. Pſalm. 72. *Tranſierunt in affectum cordis.* Auguſtinus in libro Confeſſionum. Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. In talibus melius eſt abundare quam deficere. Si quis amplius debito fecerit, Dominus bene ſciet remunerare illud, non eſt in hoc periculum. Sed ſi in modico defecerit non implens illud ad quod tenetur, ibi erit periculum, cui poſt hanc vitam non poterit ſubveniri. Proverb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.* Homo remiſſus ſiſtit citra debitum, & pro modico quandoque totum amittit. E contrario *cogitationes robuſti ſemper in abundantia.* Proverb. 21. Homo remiſſus diminuendo procedit, hodie facit aliquid, cras minus, Eccleſiaſtici 22. *Filia fatua in deminoratione fiet.* Ita accidit in vita ejus ſicut in ſtatua Nabuchodonoſor. Dan. 2. cujus caput fuit de auro optimo, pectus & brachia de argento, porro venter & femora de ære.

4. Juſtitia excedens, intemperata & ſine miſericordia.

Juſtitia excedens eſt juſtitia ſine miſericordia, quæ non eſt verè juſtitia. Gloſſa ſuper quintum Matth. Juſtitiæ lumen eſt miſericordia. Juſtitia ſine miſericordia in tenebris eſt, & eſt cœcus furor. Super illud Eccleſiaſtici 7. *Noli eſſe juſtus multum,* dicit Interlin. Summum jus, ſumma injuria eſt. De hac juſtitia tangit Gloſſa ſuper illud Lucæ 1. *Erant autem ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Ecce, inquit, temperata juſtitia. Plerumque hominum juſtitia durior querelas provocat. Hæc juſtitia in regnum non introducit, eo quod eſt ſine miſericordia, *judicium enim ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* Jacob 2. Miſericordia in Paradiſo loca diſtribuit, unde qui hic miſericors non fuerit, in paradiſo locum non habebit. Eccleſ. 16. *Omnis miſericordia faciet unicuique locum ſecundum meritum operum ſuorum & ſecundum intellectum peregrinationis illius*

Triplex cauſa huius iuſtitiæ.

Et *ſciendum* quod hujus intemperatæ juſtitiæ *triplex* ſolet eſſe cauſa. *Prima* inconſideratio propriæ infirmitatis. Proverb. 19. *Homo indigens miſericors eſt.* Galat. 6. *Conſiderans temetipſum ne & tu tenteris. Secunda* eſt ignorantia alienæ infirmitatis. Non agnoſcitur de facili aliena infirmitas niſi per propriam. Seneca. Regum animos induimus, illi obliti propriæ infirmitatis alienæ deſæviunt tanquam injuriam acceperint. *Tertia* eſt amor vanæ gloriæ vel laudis. Ex quo enim ventus vanitatis percutit ignem zeli, totus homo accenditur ita, quod non timet facere magnam ſtragem, ut juſtus dicatur. Sicut quidam judex pro culpa levi filium fecit occidi, ut diceretur bonus juſtitiarius; ſtultiſſimus mercator, qui vanam laudem ita carè emit. Juſtitia ad regnum introducens eſt juſtitia vera animum, linguam & manum cohibens, omnibus amicis & inimicis benefaciens, æterna quærens. Sed cum neſciamus an veram an falſam juſtitiam habeamus, unum remedium habemus ut ad humilitatem confeſſionis fugiamus, ad curiam divinæ miſericordiæ appellantes à curia juſtitiæ. Bernard. Apud Dominum fratres jus habere non poſſumus, quia in multis offendimus omnes. Sed nec fallere eum, ipſe enim novit abſcondita cordis, quanto magis opera manifeſta. Nec reſiſtere viribus, quoniam omnipotens eſt. Quid ergo reſtat, niſi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quidquid in aliis minus habemus, de ea ſupplere. Idem. Fugiamus ad miſericordiam & dicamus: *quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas,* &c. Pſalm. 62. & qui non poſſumus in veſtitu innocentiæ vel juſtitiæ, appareamus veſtiti confeſſione: *confeſſio* enim *& pulchritudo in conſpectu ejus.*

Juſtitia vera quæ ſit.

Humilitatis neceſſitas.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

De juſtitia Phariſæorum, quinto præcepto, & reconciliatione.

SERMO CI.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c. *Matth. 5.*

Diſcrimen veteris & novæ legis.

SOlent Magiſtri in ſcholis ſuos pueros faciliora per majores docere ſcholares, ipſi verò docent difficiliora majores. Magiſter Eccleſiæ Chriſtus eſt Joann. 13. *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.* Judæos qui pueriles fuerunt, & quaſi ſub virga, docuit Dominus per viros à Deo electos, quaſi per majores ſcholares, ſcilicet per Moyſen & Prophetas mandata leviora. Populum verò Chriſtianum quaſi magis capacem, docuit ipſemet doctrinam ſuperiorem vel ſublimiorem, ſcilicet legem novam.

Tria facit Chriſtus in hoc Evangelio.

Ad differentiam doctrinæ veteris legis & novæ pertinet Evangelium hodiernum, in quo tria facit Dominus. *Primo* oſtendit Judæorum doctrinam, (etiam ſicut docebant eam Scribæ ſive Magiſtri legis, & ſicut ſervabant eam Phariſæi, qui magnæ religionis videbantur eſſe) inſufficientem eſſe ad ſalutem. *Secundo* aſſumit quintum mandatum decalogi, ſcilicet: *non occides*, implens quod deerat illi mandato, oſtendens non ſolum manum cohibendam eſſe ab homicidio, ſed etiam animum ab ira, & linguam à contumelia: ibi. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides.* &c. *Tertio* oſtendit ab eo, qui aliquem læſerit reconciliationem ejus ſine dilatione eſſe quærendam, ibi: *Si offers munus tuum,* &c.

I. Juſtitia Scribarum fuit inſufficiens ob duo.

Circa primum notandum quod juſtitia Scribarum & Phariſæorum dupliciter eſt inſufficiens. *Primo*, quia erat forinſeca. Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis.* Et in eodem. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. Secundo* quia erat terrena, quantum ad intentionem plurium, unde fiebãt eis promiſſiones & cõminationes terrenæ. *Tria* promittebantur Judæis, ſcilicet, *bona terræ, vita temporalis, & pax. Bona terræ.* Deuter. 11. *Si obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio vobis,* &c. *Dabit pluviam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam.* Iſaiæ 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Vita.* Levit. 18. *Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis. Pax.* Michææ 4. *Concident gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in ligones.* Nobis vero promittitur *regnum cælorum, vita æterna, & pax peccatoris. Regnum cælorum.* Matth. 3 *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum. Vita æterna.* Ejuſdem 19. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres.* &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Pax.* Joan. 16 *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. Item* comminabatur eis Dominus mortem temporalem, Iſa. 1. *Quod ſi nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Nobis verò comminatur gehennam, vel ignem æternum, ut hic, *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Promiſſa veteris legis tria ſunt.

Promiſſa tria novæ legis.

Pœnæ utriuſque legis.

II. Suppletur defectus quinti præcepti vetãdo iram. Ira varia bona & mala.

Circa ſecundum notandum quòd Moyſes ſecurim poſuit ad ramum arboris, prohibens homicidium, Dominus verò tanquam ſapiens agricola ſecurim poſuit ad radicem, prohibens iram, ex qua ſequitur homicidium. Et *notandum* quòd eſt ira, qua aliquis iraſcitur fratri, quæ mala eſt, de qua hic. Omnis qui iraſcitur culpæ fratris, quæ ira bona eſt, de qua hic dicit Gloſſa. Juſta ira mater eſt diſciplinæ, & ira quæ eſt cum cauſa, judicium eſt, non ira. De hac habetur Eccleſ. 7. *Melior eſt ira riſu.* Ira verò qua quis iraſcitur fratri duplex eſt, quædam ſubita, quæ non eſt peccatum mortale, de qua in Pſalmo 4. *Iraſcimini & nolite peccare.* Alia cum deliberatione, quæ eſt peccatum mortale, de qua ſpecialiter intelligitur quod hic dicitur: *Omnis qui iraſcitur,* &c. Et ſciendum quod valde fatuus eſt homo qui iram non refrenat, Job 5. *Virum ſtultum interficit iracundia,* permittit enim eam in ſe dominari. Eccleſ. 7. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Sicut ſtultus eſſet qui carbonem vivum poneret in ſinu ſuo & requieſcere permitteret, ſic ſtultus eſt qui ignem iræ in ſinu permittit quieſcere. Ejuſdem 11. *Aufer iram à corde tuo.* Iracundus ſignificatur per Saul, de quo 1. Reg. ultimo. Arripuit Saul gladium ſuum & irruit ſuper eum. Gladius iracundorum intrat in corda ipſorum, prius enim iracundus animam propriam occidit, quam corpus proximi lædat. *Item* iracundi ſignificantur per Miniſtros regis Babylonis, qui ſuccenderunt fornacem, quæ eos ſuccendit. Daniel. 3. Auguſt ſuper illud. Pſal. 34. *In laqueum cadat in ipſum.* Sic putato malitiam eſſe quomodo ignem. Si vis incendere aliquid, illud quod admoves igni prius ardet, niſi ardeat non incendit aliud. Verbi gratia, cùm faculam apponis igni prius ardet, ut aliud poſſit incendere. Ita ergo malitia procedit ex te, & quid vaſtat ante, quam te? quomodo profundum ramum lædit, ubi radicem habet non lædit. Malitia tua ut alterum non lædat, fieri poteſt; quod autem tibi non noceat fieri non poteſt. Iracundus eſt quaſi aper, qui in venabula ſe impingit; & eſt quaſi inſanus, qui in ſemetipſum dentes vel manus convertit. De remediis contra iram vide tractatum de ira.

Iracundi per duo ſignificantur. 1.

2.

III. Quid offerendum.

Si offers, &c. His verbis reſpondetur quid offerendum, & ubi, & qualis offerre debeat. *Primum* ibi: *tuum*. *Secundum* ibi: *altare*. *Tertium* ibi: *tunc veniens offeres* (*ſi offers munus tuum*) id eſt, de proprio. Si enim eſſet de rapina, non placeret, Eccleſiaſtici 34. *Immolantis ex iniquo maculata eſt oblatio.* Prov. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Iſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum* (*Ad altare*) materiale, de quo in Pſal. 25. *Circundabo altare tuũ Domine.* Item ad altare ſpirituale, id eſt Chriſtum, de quo Exod. 20. *Altare de terra facies mihi* id eſt Chriſtum incarnatum credes. Vel ad altare fidei, ſuper quo facienda eſt omnis oblatio, *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. 11. Vel altare poteſt intelligi cor devotum quod altare eſt thymiamatis, de quo Exod. 30. *Facies quoque altare ad adolendum thimiama de lignis Sethim.* Super hoc altare offeruntur Domino cantica ſpiritualia. Coloſſ. 3. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus.* (*Et ibi recordatus fueris*) Hic inſinuatur quod oblaturus Domino, debet cor ſuum ſcrutari ne aliquid ſit in eo, quod Deo diſpliceat, Exod. 29, Filij Aaron jubentur lavare manus & pedes oblaturi in tabernaculo. Si bene placet Deo oblatio, non ei placet offerens. Gen. 4. reſpexit dominus ad Abel & munera ejus. Male dividit, qui ſe dat diabolo, & ſua Deo.

Ubi offerendum. Altare duplex.

Qualis offerens eſſe debeat.

De reconciliatione.

Et tunc veniens offeres munus tuum. Modum reconciliationis faciendæ tangit Chryſoſtom. in originali dicens. Si cogitatu offendiſti fratrem tuum, cogitatu reconciliare, ſi verbis offendiſti, verbis reconciliare, ſi factis offendiſti, factis reconciliare. Aliter Niſi quem factis læſiſti factis placaveris, ſine cauſa oras Deum, ſine cauſa Eleemoſynas facis De rebus quibus alios ſpoliaſti quid prodeſt tibi, ſi unus pro te orat, & alius adverſum te Deum interpellat. Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationibus*

bus iniquorum. Vnus ædificans & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor. Vnus orans & unus maledicens, cujus vocem exaudiet dominus.

De homicidio.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides, occaſione horum verborum dicunt quidam neminem occidendum, contra quem errorem multa invenies in tractatu virtutum capitulo ultimo de diſciplina. Et notandum quod multum debemus cavere ab homicidio, & ab homicidio noſtri, & homicidio alterius, & maximè noſtri. Occidit verò aliquis ſe ipſum, cum mortaliter peccat. Sapient. 16. *Homo per malitiam occidit animam ſuam.* Iob 5. *Virum ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Sapient. 1. *Os quod mentitur, occidit animam ſuam. Interficitis univerſi vos*, &c. Pſal. 61. Cavendum eſt etiam ab occiſione proximi, quæ fit multipliciter. *Primo corde* 1. Ioannis 3. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Secundo ore*, ut detractionibus vel adulationibus Proverb. 30. *Generatio quæ prodentibus gladios habet.* Hierem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Iob. 5. *Salvum fecit dominus egenum de gladio oris eorum.* pſal. 63. *Exacuerunt ut gladium linguas ſuas.* Item Pſ. 54 *molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Eccleſiaſtici 28. *Flagelli plaga livorem facit: plaga linguæ comminuet oſſa. Tertio gladio materiali.* Act. 12. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioãnis gladio. Quarto malo exemplo* Roman. 14. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.* 1. Corinth. 8. *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quinto taciturnitate mala* Ezech. 3. Et 33. *Si me dicente ad impium morte morieris, non fueris locutus ei ut ſe cuſtodiat à via ſua mala, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Gregor. Quia iuſto pereunte qui in peccatum cecidit, prædicator tacuit, eius ſanguinis reus tenetur. *Sexto incauta reprehenſione* Deut. 19. *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens*, &c. *in ſucciſione lignorum ſecuris effugerit manum, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit & occiderit: hic ad unam ſupradictarum urbium confugiet & vivet.* In ſilvam imus, cum per correctionem vitia incidere intendimus, ferrum labitur cum aſperior correctio debito exercetur. *Septimo duritia & immiſericordia* ad indigentes. Auguſt. Paſce fame morientem. Si non paviſti, occidiſti; Proverb. 28. *Qui ſubtrahit aliquid à patre*, ſupple de neceſſariis exhibendis, *& dicit hoc non eſt peccatum, particeps homicida eſt. Octavo*, bona pauperum rapiendo, Eccleſiaſtici 34. *Qui aufert in ſudore panem quaſi qui occidit proximum ſuum.* In eodem *panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinum eſt.*

(Left margin: Homicidium duplex. — Octo è modis occiditur proximus — 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.)

DOMINICA SEPTIMA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO CII.

SUMMARIUM.

Explanatur Evangelium, & acta moralia traduntur.

Cum turba multa eſſet cum Ieſu &c. *Marc.* 8.

Quinque ſunt in hoc Evangelio

IN hoc Evangelio *primo* oſtenditur quare turbam pavit, *ſecundo* unde eam paverit, ibi: *Et interrogabat eos quot panes habetis? Tertio* quomodo eam paverit, ibi: *& præcepit turbæ diſcumbere* &c. *Quarto* oſtenditur multitudo reliquiarum convivii, ibi: *& ſuſtulerunt*, &c. *Quinto* numerus manducantium, ibi: *erant autem qui manducaverant* &c. Ad modum paſcendi pertinent iſta ſcilicet quod turbam ſuper terram diſcumbere fecit. quod gratias egit & ipſemet panes fregit, quod eos diſcipulis dedit turbæ apponendos. Item benedictio piſcium, & pulmenti appoſitio. & quod ſaturavit eos quos pavit. *Miſereor*, &c. Gloſſa. Quod miſeretur eſt ex affectu humanæ compaſſionis, quod ſatiat tot ex tam paucis panibus ex poteſtate divina, *ſuſtinent me*, id eſt expectant. Sed quare, quia in montem aſcenderat & ſedebat, cum diſcipulis, ut dicitur. Math. 15. & ipſi propter curationem infirmorum ſuorum convenerant, Mathæus habet, *quia triduo jam perſeverant mecum.* Interlin. pro curatione ſuorum *ſeptem ſportas.* Sportæ vaſa ſunt quibus panis portatur. Et dicit Gloſſa, quod factæ ſunt de iunco & palmarum foliis. *Erant autem qui manducaverant quaſi quatuor millia.* Matt. addit: *extra parvulos & mulieres.*

Modus paſcendi qualis

Cum turba multa eſſet cũ Ieſu &c. Recolit Eccleſia in hodierno Evangelio unum de conviviis ſolemnibus factis à Salvatore in mundo iſto. Non legitur feciſſe niſi duo talia, quia melius iudicavit intendere refectioni animarum, quam corporum Auguſtinus. Non eſt magnum paſcere ventres morientes, ſed magnum eſt paſcere animas in æternum victuras. Octo vero oſtenduntur in hoc Evangelio facta à Salvatore pertinentia ad ædificationem noſtram *Primum* eſt quod turbam refecturus diſcipulos convocavit, & de hoc quod facturus erat cum eis tractavit. Gloſſa ſuper Math. 15. Dominus diſcipulos convocat ut doceat maiores conſilia ſua minoribus communicare, & ut ex locutione intelligant ſigni magnitudinem. Sunt aliqui qui credunt ſe ſibi ſufficientes, à nullo conſilium quærentes, qui putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt Roman 1. Auguſt Vbi dixiſti ſufficit, ibi defeciſti, ubi tibi placuiſti, ibi periiſti, Bern. Omnia illis deſunt, qui ſibi nihil deeſſe putant Proverb. 25. *Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, magis ſpem ille habebit inſipiens.* Gregor. Valde difficile eſt, ut is qui ſe ſapientem æſtimat, mentem ad humilitatem reducat. Item Gregor. Quia prima ſtultitia angeli elatio cordis fuit, vera ſapientia efficitur hominis, humilitas ſuæ æſtimationis. Eccleſiaſtici 32. *Fili ſine conſilio nihil facias Secundum* eſt quod dominus oſtendit quid ad paſcendum turbam eum moverit: ibi. *Miſereor*, &c. Non movit eum mundanæ gloriæ vanitas, ſed pietas. Sunt aliqui qui ideo faciunt magna convivia, ut largi dicantur, qui in veritate largi non ſunt, licet ventus vanitatis eis res ſuas auferat; ſicut arbor nucis larga non eſt, licet fructus eius à vento excutiantur.

(Right margin: Octo oſtenduntur in hoc Evangelio. — I. Conſultatio. — II. Miſericordia.)

Pietatem Salvatoris mundi multa movere potuerunt ut in actum miſerendi exiret. *Primum* fuit hoc quod turba erat, turba enim eſt miſeranda, quod vix eſt quin ſint in ea multi indigentes miſericordia & digni eà. Sunt in ea aliqui ſimplices defectum ſapientiæ habentes, aliqui verecundi, aliqui valde pauperes, aliqui magni meriti apud Deum. Turbæ impendebat Salvator beneficia ſua, ut beneficium inſtructionis Math. 5. *Videns turbas aſcendit in montem.* &c. *& aperiens os ſuum docebat eos*, &c. Item beneficium Salvationis vel ſanationis Matth. 14. *Exiens vidit turbam multam & miſertus eſt ejus, & curavit languidos eorum.* Item beneficium corporalis refectionis, de quo hic habetur. *Secundũ* fuit hoc quod triduo ſuſtinuerant eum vel perſeveraverant cum eo, ut dicit Mattheus. Multum valet perſeverantia ad impetrandum à domino quod ab eo petitur, ut dominus oſtendit Lucæ 11. in parabola de amico veniente de via. Item in parabola de iudice iniquo & vidua Lucæ. 18. Ad hoc ſuſtinuerat turba dominum, ut infirmos eius ſanaret. Si ergo infirmitates tuas ſpirituales vis ſanari, exemplo turbæ ſuſtine triduo dominum. Primus dies ſit dolor contritionis, ſecundus pudor confeſſionis, tertius labor ſatisfactionis, Hoc eſt triduum quod itur,

(Right margin: Chriſtum movit ad miſericordiam. — 1. 2.)

ut Deo gratum ſervitium offeratur, Exod. 5. Vel
primus dies poteſt intelligi cognitio veri, ſecun-
3. dus deteſtatio mali, tertius amor boni. *Tertio* movit
Dominum turbæ indigentia, quia non habebant
quod manducarent. Chryſoſtomus Sine indigentia
non feciſſet Deus mira. Hic oſtendit Dominus fa-
cto, quod Lucæ 14. oſtenderat verbo dicens: *Cum fa-*
4. *cis convivium, voca pauperes*, &c. *Quarto* potuit
eum movere, quia laboraverunt, unde dicit: *Qui-*
5. *dam ex eis de longe venerunt*. *Quinto* hoc, quod la-
boraturi erant, unde ipſe dicit. *Si dimiſero eos jeju-*
6. *nos, deficient*. *Sexto* hoc, quod erant in ſolitudine,
ubi neceſſaria venalia non inveniſſent, etiã ſi pecu-
niam habuiſſent: unde dicunt diſcipuli. *unde iſtos*
III. Septiformis gratia S. Spiritus. *quis poterit ſaturare panibus in ſolitudine? Tertium*
pertinens ad ædificationẽ noſtram eſt hoc, quod de
numero panum quæſivit. Voluit Dominus numerũ
panum à diſcipulis reſpõderi ut veritas miraculi per
hoc appareret, & ad commendationem ſeptiformis
gratiæ Spiritus ſancti. Alia refectio facta ex quinque
Explicatio 7 panum. panibus ſignificat doctrinam veteris legis. Iſta
facta ex ſeptem panibus ſignificat doctrinam novæ
legis, in qua ſeptiformis gratia Spiritus ſancti &
revelatur & datur. Hæ ſeptem gratiæ poſſunt in-
telligi, vel ſeptem dona Spiritus ſancti, vel ſeptem
virtutes, ſcilicet tres Theologicæ. Et quatuor tres
ordinant ad finem ſupremũ, ſcilicet fides. ſpes, cha-
ritas. quatuor circa illa quæ ducunt ad finem illum,
Agnoſcimus fide ſupremum finem bonum eſſe ſe
communicans, unde duæ oriuntur affectiones: ſci-
licet ſpes ex eo quod cognoſcitur eſſe bonum quo
nihil melius deſiderari poteſt, bonum enim eſt,
quod deſideratur ab omnibus, ut ait Dionyſius,
& hoc deſiderium pertinet ad charitatem. De qua-
tuor cardinalibus dicit Auguſt. Prudentia eſt dili-
gere quod diligendum eſt, fortitudo nullis avelli
moleſtiis, temperantia nullis illecebris, juſtitia
nulla ſuperbia. Attendendum verò eſt, quod Sal-
vator audito à diſcipulis quod ſeptem panes habe-
rent turbam diſcumbere juſſit, ad oſtendendum
quod pane contenti eſſe debeamus, quando alia
non inveniuntur, quod eſt contra quoſdam, qui di-
cunt quod pro ſolo pane non ponerent menſam, vel
IV. Contẽptus terrenorũ. non ſederent ad menſam. *Quartum* eſt quod eos ad
terram diſcumbere fecit, ad oſtendendũ quod in no-
va lege terrena contemni jubentur, quæ in veteri
promittebantur. Iſaiæ 1. *Si volueritis & audieritis*
me, bona terra comedetis. Matth. 19. *Si vis perfectus*
eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperi-
V. Gratiarum actio pro victu. *bus*, &c. *Quintum* eſt quod gratias egit. Debemus
gratias agere Deo in conviviis noſtris, cum gratias
agamus hominibus, etiam pro modicis beneficiis
ab eis receptis. 1. Timoth. quarto. *Nihil eſt rejicien-*
VI. Benedictio menſæ. *dum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sex-*
tum eſt quod panes & piſces benedixit, benedictio
etiam in conviviis noſtris non eſt negligenda, qua
oratur qui creavit & dedit cibum, ut det ſalubrem
ejus uſum, quod non eſt parvum donum. Seneca.
Stulto nulla re opus eſt, nulla enim re ſcit uti.
Idem. Doce non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio
ejus, ſed in uſu. Idem eſt intelligendum de aliis re-
bus. 1. Timoth. 4. dicitur de cibo quod ſanctifica-
tur per verbum Dei & orationem, ne ſcilicet ſit
noxius animæ vel corpori. Intravit diabolus in
ſanctimonialem, quæ ſine benedictione lactucam
comedit, ut legitur in dialogis S. Gregorij. *Septi-*
VII. Bonum exemplum. *mum* eſt quod piſces apponi juſſit, ad oſtenden-
dum quod cibis verbi Dei addendum eſt pulmen-
tum exempli boni. Magis enim ſuadent opera bo-
na quam verba, ut dicit Ambroſius. Seneca. Lon-
gum iter per præcepta, breve & efficax per exem-
VIII. Miſericordiæ fructus temporalis. pla *Octavum* eſt quod panes & piſces tantum
multiplicavit, quod poſtquam ex eis quatuor mil-
lia, præter mulieres & parvulos ſatiati ſunt, ſeptem
ſportæ plenæ fuerunt fragmentis, quæ remanſe-
runt, ad oſtendendum quod miſericordibus bona
temporalia multiplicantur à Deo. Lucæ 6. *Date &*
dabitur vobis. Gregorius in dialogis. Terrenæ
ſubſtantiæ per hoc quod pauperibus diſtribuun-
tur, multiplicantur. Proverb. 11. *Alij dividunt pro-*
pria & ditiores fiunt. Ejuſdem 28. *Qui dat pauperi,*
non indigebit. 3. Regum 17. Illi viduæ quæ Heliam
pavit, farina & oleum non defecerunt, donec plu-
via à Domino data eſt mundo. Potius Helias pavit
viduam, quam vidua ipſum, multotiens pauperes
potius paſcunt miſericordem, quam miſericors ip-
ſos. Quia miſericors fideliter diſpenſat pauca bona
ſibi à Deo commiſſa, ideo merito à Deo ſuper multa
conſtituitur. Matth. 25.

Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Tribus difficile eſt jejunare.
Notandum quod tribus generibus hominum valde
grave eſt jejunare, ſcilicet convaleſcentibus ab æ-
gritudine magna, itinerantibus, & pueris. His tri-
bus modis ſe habent qui de novo de peccatis ſuis
pœnituerunt, convaluerunt à multis & magnis æ-
gritudinibus, viam paradiſi ſunt ingreſſi, pueri
ſunt unius anni, vel menſis, & ideo cibus verbi
divini eſt eis neceſſarius, & ſine illo deficiunt.
Gloſſa Bedæ ſuper Matth. 15. Perit qui ſine pane
cœleſti ad patriam tendit. 3. Reg. 9. *Surge, comede,*
grandis tibi reſtat via. Thren. 1. *Facti ſunt prin-*
cipes ejus ſicut arietes non invenientes paſcua, abie-
runt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SERMO CII.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium myſticè.

Quot panes habetis? qui dixerunt ſeptem.

I. Septem panes ſignificant ſeptem vitæ ſpiritualis alimenta.

SEptem panes poſſunt intelligi quibus vita ſpi-
ritualis ſuſtentatur *primus* eſt opus virtutis, vir-
tus enim deficit, niſi exeat in opus; potentia vi-
dendi in eo, qui diu eſt in tenebris, deficit, cum
non exeat in actum ſuum, ſuſtentatur enim actu
ſuo: unde in perſona virtutum poteſt intelligi il-
lud Iſaiæ 4. *Panem noſtrum comedemus.* Panis
virtutum eſt opus earum, quo ſuſtentãtur. *Secundus*
eſt doctrina Deut. 8. *Afflixit te penuria & dedit*
tibi manna, cibum quem ignorabas tu & patres tui,
ut reſponderet tibi quod non in ſolo pane vivit homo,
ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Tertius
eſt exemplum Eccleſiaſtici 29. *Quæ in manu habes*
ciba cæteros. Bernard. Efficacior eſt vox operis quã
vox ſermonis. *Quartus* eſt ſacramentum altaris,
Joannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro*
mundi vita. Quintus eſt inſpectio creaturarum
Iſaiæ 29. *Erit viſio omnium quaſi viſio libri ſignati.*
Sextus eſt oratio, quæ multum roborat hominẽ.
Septimus eſt meditatio. De his duobus dicit Gre-
gorius. Vita hominum amor Dei, hunc fides con-
cipit, ſpes parturit, Spiritus ſanctus format &
vivificat, lactat lectio, meditatio paſcit, oratio
confortat. *Piſciculi* ſunt conſolationes, quas do- Piſciculi quid ſignificent.
minus dat in præſenti. In Pſalmo *ſecundum multi-*
tudinem dolorum meorum in corde meo conſolatio-
nes tuæ lætificaverunt animam meam. Joannis 14.
Rogabo patrem meum & alium paraclitum dabit
vobis. Et bene dicuntur piſciculi præſentes conſo-
lationes, reſpectu enim conſolationum quæ erunt
in patria, ſe habent ad inſtar puncti.

Bern. exponit quæ dicuntur in hoc Evangelio de S. Bernard. explicat hoc Evangelium de clauſtralibus.
clauſtralibus his verbis. Salvatorem fratres chariſ-
ſimi in deſertum ſecuti eſtis: Exiſtis ad eum extra
caſtra, ſed vereor ne quis forte in triduana expecta-
tione puſillanimis inveniatur, & in Ægyptum hujus
ſæculi nequam corde vel etiam corpore reverta-
tur. Propter hoc dicit ſcriptura, *Expecta Dominum*
viriliter

Pſal, 26. *viriliter age.* Idem. Viam trium dierum eas neceſſe
eſt in deſerto, ſi gratum Deo tuo offerre volueris
ſacrificium, & triduo ſuſtineas Salvatorem, ſi mi-
raculo panibus deſideras ſatiari. Prima eſt dies ti-
moris horrendum gehennæ ſuppliciũ demonſtrans.
Secunda dies eſt pietatis, qua reſpiramus in luce
miſerationum Dei. Tertia dies rationis, in qua
veritas innoteſcit, ut tanquam ex debito quodam
naturæ ſine alia conſideratione creatura ſubjecta
ſit creatori, ſervus ſerviat redemptori.

II. Eiuſdem 7. panum explicatio. Idem. *Septem panes* quibus reficiamini iſti ſunt.
Primus panis eſt verbum Dei, in quo vita homi-
Matth. 4. nis eſt, ſicut ipſe teſtatur. *Secundus* panis eſt obe-
Ioan 4. dientia, quoniam *meus*, inquit, *cibus eſt ut fa-
ciam ejus voluntatem qui miſit me.* *Tertius* panis
eſt meditatio ſancta, de qua ſcriptum eſt, meditatio
ſancta ſervabit te, & quæ in alio loco nominari vi-
Eccli, 15. detur, *panis vitæ & intellectus.* *Quartus* panis eſt
orantium lachrymæ. Pſal. 101. *Panem meum cum
fletu miſcebam.* *Quintus* labor pœnitentiæ. Nec
miraberis quod laborem aut lachrymas panem di-
xerim, niſi forte exciderit tibi quod in Propheta
legiſti. *Cibabis nos pane lachrymarum.* Pſal. 79 Item
Pſalmus 127. *Labores manuum tuarum quia man-
ducabis beatus es, & bene tibi erit* &c. *Sextus* pa-
nis eſt jucunda unanimitas ſocialis, panis, inquam,
ex diverſis granis confectus fermentante ſapientia
Dei. *Septimus* panis eſt Euchariſtia, quoniam, in-
quit, *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi
vita* Joan. 6.

III. Eiuſdem 7. panum alia explicatio. Item ſeptem panes ſecundum Bernardum, ſunt
ſeptem effectus miſericordiæ, ſeu ſeptem miſera-
tiones. *Prima* eſt quod à multis peccatis adhuc in
1. ſæculo poſitum cuſtodivit, non prima quidem in-
ter omnes quas mihi impendit ſed inter has ſeptem.
Quis enim non videat quod ſicut in peccata multa
non cecidi, ſic & in alia potui cecidiſſe peccata,
niſi me omnipotens ſervaſſet? Fateor & fatebor:
Pſal. 93. *Niſi quia Dominus adjuvit me paulo minus habi-
2. taſſet anima mea in inferno.* At miſeratio tua *ſecunda*
ſuper me Domine, quoniam poterit explicari ſer-
mone? Ego peccabam & tu diſſimulabas, non
continebam à ſceleribus, & tu à verberibus abſtine-
bas, prolongabam ego multo tempore iniquita-
3. tem meam, & tu Domine pietatem tuam. *Tertia*
miſeratio fuit quod viſitavit cor meum, & immu-
tavit ut amara fierent quæ prius male dulcia erant,
& qui lætabar cùm male facerem, & exultabam
in rebus peſſimis, ut recogitarem ei omnes annos
4. meos in amaritudine animæ meæ. *Quarta* miſera-
tio fuit quod pœnitentem miſericorditer ſuſcepi-
ſti, ut in numero eorum inveniret; de quibus Pſal.
trigeſimo primo *Beati quorum remiſſæ ſunt iniqui-
5. tates*, &c. *Quinta* miſericordia per quam mihi
continendi deinceps & emendatius vivendi præſti-
tiſti virtutem, ne recidivum paterer, & eſſet noviſ-
6. ſimus error priore pejor. *Sexta* miſericordia eſt
gratia promerendi, cum ſcilicet munus bonæ con-
7. verſationis indulges. *Septima* ſpes obtinendi, qua
donas homini indigno peccatori de tua totiens ex-
perta bonitate uſque ad cœleſtia ſperanda præſu-
mere. Item de miſerationibus divinis. Bernardus.
Sic onerat me miſerationibus Deus, ſic concludit,
ſic obruit beneficiis ſuis, ut onus aliud non poſſim
ſentire. Quid enim retribuam Domino pro omni-
bus quæ retribuit mihi? Tanta tribuit, tanta re-
tribuit, & tu mihi de alio onere loqueris? Deficit
ſpiritus meus. Prorſus deficit in tanta beneficiorum
conſideratione, & licet dignas non ſufficiam gra-
tias agere, ingratitudinem prorſus odit anima mea,
peremptoria ſiquidem eſt ingratitudo, hoſtis gra-
tiæ, ſalutis inimica.

*Vnde iſtos quis poterit ſaturare panibus in ſolitu-
dine?* Sicut cœlum ſolitudo eſt malis, ſecundum il-
lud Lucæ 15. *Dimiſit nonaginta novem in deſerto;*
ſic mundus ſolitudo bonis, qui licet ibi habeant
bona tranſitoria, ſunt tamen quaſi non habentes. 1.
Corinth. 7. *Qui gaudent tanquam non gaudentes,
& qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utun-
tur hoc mundo, tanquam non utantur.*

In hac ſolitudine dat Dominus ſeptem panes, IV.
ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus poſſamus con- Septem panes ſignificant 7 dona S. Spiritus.
tra carnem, mundum & diabolum: dono ſcilicet ti-
moris, ſcientiæ & pietatis poſſumus contra carnem,
dono conſilij & fortitudinis contra mundum, do-
no intellectus & ſapientiæ contra diabolum. Dono Donis tribus pugnatur contra carnem.
ſcientiæ cogitat quis vilitatem carnis, quando ipſa
ſit vas ſtercorum, immo latrina latrinarum, quoniã
aliæ latrinæ non ſordeſcunt niſi per ipſam. Unde di-
citur Judicum 3. quod percuſſo Eglon rege, per ſe-
creta naturæ ſtatim alvi ſtercora proruperunt. Non
apparuit prius eſſe latrina, ſed tunc apparuit. *Item* 1. Scientia.
dono ſcientiæ cogitat quis carnem eſſe domum rui-
noſam, ad cujus reparationem fruſtra quotidie labo-
ratur. Aggei 1. *Comediſtis, & non eſtis ſatiati.* Et ſub-
ditur *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſac-
cum pertuſum.* Saccus pertuſus eſt caro, de qua per
multa foramina effluunt ſordes. *Item* dono ſcien-
tiæ cogitat quis carnem eſſe carcerem interioris ho-
minis. In Pſal. 41. *Educ de carcere animam meam.* Ad
Roman. 7. *Infælix ego homo, quis me liberabit de
carcere mortis hujus?* id eſt de corpore. Hic carcer eſt
luteus, immundus & tenebroſus. Job 4. *Quanto ma-
gis qui habitant domos luteas.* Oſeæ 8. *Iſrael fa-
ctus eſt in nationibus, quaſi vas immundum.* In Pſal.
68. *Eripe me de luto.* Job 3. *Viro cujus abſcondita eſt
via, & circumdedit eum Deus tenebris.* *Item* dono
ſcientiæ agnoſcit quis carnem eſſe colubrum, de quo
dicitur, quod cum foveretur in ſinu ejus qui eum
liberaverat, complexus eum cœpit pungere, & cum
quereretur quid facis? reſpondit, naturam meam
facio. Sic caro reddit malum pro bono. Dicitur
quod mus in pera, coluber in ſinu, ignis in do-
mo male remunerant hoſpites ſuos. Dono ergo
ſcientiæ cognoſcitur caro eſſe coluber, & fugiendo
vincitur. Eccleſiaſtici 25. *Non eſt caput nequius ſu-
per caput colubri.* Ejuſdem 21. *Quaſi à facie colubri
fuge peccatum.* Item dono *timoris* poſſumus contra
carnem, quæ melius vincitur fugiendo, timoris enim 2. Timore.
eſt fugere. Proverb. 14. *Sapiens timet & declinat à
malo.* Ejuſdem 15. *Per timorem Domini declinat om-
nis à malo.* Item dono *pietatis* caro vincitur, unde
ſuper illud 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis* 3. Pietate.
eſt, dicit Gloſſa Omnis ſumma Chriſtianæ diſci-
plinæ in miſericordia & pietate conſiſtit, quam ali-
quis ſequens etſi lubricum carnis patiatur, vapulabit
quidem, ſed non peribit.

Dono *conſilij* & *fortitudinis* vincitur mundus.
qui impugnat proſperis & adverſis. Dono *conſilij* Donis duobus pugnatur contra mundum.
proſperitatem nobis utilem reddimus, dum ea quæ
non poſſunt ſervari retinendo, ſervamus diſtribuen-
do. Stultus eſt qui omne frumentum ſuum recon- 1. Conſilio.
dit in horreo, nihil inde ſeminans, cum pars ſe-
minanda eſſet, & pars ad uſum ſervanda. Geneſ. 47.
Reliquas partes permitto vobis in ſementem, &c.
Pauperes ſunt quaſi theſaurus vel ſacculus Eccleſia-
ſtici 29. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo.*
Luc. 12. *Vendite qui poſſidetis & date eleemoſynam,
facite vobis ſaccos qui non veteraſcunt, theſaurum
indeficientem in cœlis.* Dono *fortitudinis* adverſitas
nobis utilis redditur, dum patienter toleratur. 2. Fortitudine.

Dono *intellectus* & *ſapientiæ* diabolus vincitur.
Sunt enim pennæ ſpirituales, quibus in cœlum vo- Donis duobus pugnatur contra diabolum.
latur. Prov. 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos penna-
torum.* Gloſſa. Facile evadit laqueos in terris, qui
ſemper oculos habet in cœlis. Diabolus tentans 1. Intellectu.
de mundi gloria vincitur dono *intellectus*, cujus eſt
legere interiora, unde ſub mundi gloria videt igno-

miniam, ſecundum illud Phil. 3. *Gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt.* Oſeæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Item ſub temporali ignominia videt immarceſſibilem gloriam. Moyſes minabat greges ad interiora deſerti. Exod. 3. Sic interiora mundi inſpicienda ſunt ut abeo reſiliatur. Nahum. 3. *Qui viderit te reſiliat à te. Item* dono

Sapientia

ſapientiæ diabolus vincitur, dono enim ſapientiæ cœleſtis gloria prægustatur, & ſic mundana gloria abominabilis redditur. Lucæ 16. *Quod altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum.* Eccleſ. 1. *Vbi multa ſapientia, ibi indignatio multa.* 1. Machab. 2. *Gloria impii ſtercus & vermis. Et manducaverunt & ſaturati ſunt.*

Sex genera hominum non ſatiantur in menſa Domino

Notandum quod *ſex* ſunt genera hominum qui non ſatiantur ad menſam Domini. *Primi* ſunt illi, qui ad eam non accedunt, qui ſunt maledicti, ſecundum illud: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Pſalm. 118. In Pſalmo 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. Secundi* ſunt illi, qui accedentes ad menſam Domini non comedunt, ſed abſcondunt ut poſtea vendant, non adquieſcentes illi exhortationi divinæ, *comedite amici* &c. Cantic. 5. *Tertii* ſunt quidam homines ruſtici, qui ad menſam Domini tergum vertunt. Eccleſiaſtici 9. *Quoniam aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in ea excors.* Excors eſt qui ſuum cor habet alibi. *Quarti* ſunt homines ſæculari ſcientia ſatiati. Prov. 27. *Anima ſatiata calcabit favum. Quinti* ſunt homines faſtidioſi, qui nolunt audire niſi nova, & ex quo aliquid ſemel audierunt, licet illud neſciant, non poſſunt audire illud de cætero. Seneca. Faſtidientis animi eſt multa deguſtare. *Sexti* ſunt homines malevoli & detractores. Sap. 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia. Erant autem qui manducaverant quaſi quatuor millia.*

Hæc refectio in 6. differt ab alia.

Notandum quòd *ſex* ſunt in quibus hæc refectio Domini differt ab alia. *Primo* in hoc, quod fuerunt ibi quinque panes, hic vero ſeptem. *Secundo* in hoc, quòd illi fuerunt hordeacei, iſti creduntur fuiſſe triticei. *Tertio* in hoc, quod ibi ſederunt ſuper fœnum, hic ſuper terram. *Quarto* in hoc, quod ibi fuerunt quinque millia qui manducaverant, hic quatuor. *Quinto* in hoc quod ibi duo piſces hic piſciculi pauci. *Sexto* in hoc quod ibi duodecim cophini pleni his quæ ſuperfuerunt, hic ſeptem. Quid per panes ſeptem ſignificetur jam oſtenſum eſt. In

Explicatio huius refectionis.

pane hordeaceo ſignificatur timor pungitivus, & palea figurarum intelligentiam tegens, quæ in veteri lege abundabant. In pane triticeo amor ſuavitatis, in nova lege abundans. In diſcubitu ſuper fœnum oſtenditur quod in veteri lege deſideria carnis reprimebantur, in diſcubitu vero facto ſuper terram in hoc convivio oſtenditur quod in nova lege terrena contemni docentur: in hoc quod quinque millia fuerunt in alio convivio inſinuatur populum illum ſubditum fuiſſe quinque ſenſibus. Hic quatuor millia ſunt propter virtutes quibus ſpiritualiter vivitur, ibi duo piſces quia duæ perſonæ erant, quæ populum paſcebant rex & ſacerdos. In nova lege paſcitur populus ſanctus, qui multi ſunt. De ſexto dicit Chryſoſtomus quare duodecim cophini fuerunt, ubi plures manducaverunt, & reſpondet, forte ſportæ cophinis ſunt maiores. Poteſt & numerus ſportarum ad idem referri ad quod numerus panum, ſcilicet ad ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti.

DOMINICA OCTAVA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO CIII.

SUMMARIUM.

Evangelium explicatur de hæreticis, hypocritis, juſtis & peccatoribus.

Attendite à falſis Prophetis &c. *Math.* 7.

Impedimenta Eccleſiæ quatuor.

CVm ſint *quatuor* impedimenta Eccleſiæ in via præſentis vitæ, ſcilicet aperta perſecutio tyrannorum, deceptio hæreticorum, ſimulatio falſorum fratrum & fallacia Antichriſti & ſuorum, de duobus agitur in hoc Evangelio: *primò* de deceptione hæreticorum, ibi, *attendite* &c. *ſecundo* de ſimulatione fratrum. ibi: *Non omnis qui dicit mihi Domine.* Hæretici cum bene videantur vivere, male docent falſi fratres cum bene videantur docere, male vivunt.

Hic agitur de duobus.

De Hæreticis duo tractantur. 1. Quomodo ſit cavendi

In prima ergo parte monemur *primò* ut ab hæreticis caveamus, *ſecundo* docemur quomodo eos agnoſcere valeamus, ibi: *à fructibus eorum cognoſcetis eos. Attendite*, id eſt, diligenter cavete, *à falſis Prophetis* id eſt hæreticis, *qui veniunt ad vos* &c. Gloſſa. Licet hoc de omnibus qui aliud habitu & ſermone, aliud opere prætendunt poſſit accipi, tamen ſpecialiter de hæreticis, qui quadam pietatis veſte tecti venenato animo & intentione nocendi rapaces ſunt lupi, vel exterius ſi copia datur, vel interius corrumpendo. *A fructu eorum cognoſcetis eos.* Contra. Nonne multa bona faciunt quæ videntur eſſe fructus, quibus potius poſſunt reputari boni quam mali? Hoc ſolvit Gloſſa dicens: quod non cognoſcentur à veſte, ſed ab operibus, veſtem vocans opera de genere bonorum, quæ faciunt ad tegendam malitiam, quæ non dicuntur fructus, quia non ſecundum genus eorum ſunt. Alia Gloſſa. Si quando dicta vel facta malorum proſunt bonis, non hoc faciunt mali, ſed fit de illis Dei concilio, quia non eorum fructus eſt, ſed vitis quæ ſuper ſpinas quandoque exuberat. Sed carpendus eſt botrus, ſpina cavenda. *Nunquid colligunt* &c. Gloſſa. Vt ſpina non facit uvam, ſic bona arbor facit fructum bonum, mala malum, & non è converſo. Alia Gloſſa. Spinæ & tribulæ ſunt hæretici, à quibus nullus ſapientum ſanctitatem poterit invenire, ſed concidunt & cruentant approximantes *Sic omnis arbor* &c. id eſt, ſicut de arboribus prædictis non expectatur fructus dulces, ſic ab hominibus bonis talibus manentibus non exeunt fructus mali, id eſt opera pœnæ æternæ demeritoria. Arbor bona eſt vir bonus vel voluntas bona. Arbor mala eſt vir malus vel voluntas mala. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere*, intellige manens talis ſicut oſtendit Auguſtinus exemplum ponens de nive, quæ non poteſt calefieri, manens ſcilicet nix, cum enim calefit, fit aqua. Arbor bona poteſt fieri mala, & mala bona, ut ſalvus factus eſt Paulus, & Iudas Apoſtolus factus eſt proditor. Ad terrendum non facientes fructum bonum ſubditur comminatio cum dicitur. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*, per mortem, vel ſeparabitur de numero fidelium per excommunicationem in præſenti, vel in futuro per iudicii examinationem. Vnde Daniel. 4. dicitur de arbore illa *Succide illam & mitte in ignem. Et in ignem* gehennæ *mittetur. Igitur*, id eſt, quia mala arbor non poteſt bonos fructus facere, *ex fructu eorum cognoſcetis eos.* Vel ad illud proximum poteſt contineri, *omnis arbor*, ut fructus pro mercede ſumatur ſub hoc ſenſu, *igitur ex fructu*

2. Quomodò cognoſcendi.

Objectio Reſponſio.

Explicatur Evangelium.

eorum, id eſt ex mercede quam recipient, vel ex fructibus dum eos comedent, non dum eos faciunt. Proverb. 1. *Comedunt igitur fructus viæ ſuæ. Non omnis qui dicit Domine Domine* &c.

[II. De falſis fratribus.]

Hic agitur de falſis fratribus. Gloſſa. Sicut cavendi ſunt qui habent ſpeciem bonæ vitæ propter dogma nequitiæ, ſic & hi qui è contrario cum integræ doctrinæ & fidei ſint, turpiter vivunt. Lucæ 6 ſic habetur. [Objectio.] *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Contra hoc quod hic dicitur videtur eſſe illud Johel 2. *Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, & illud 1. Corint. 12. [Reſponſio.] *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto.* Ad quod dicendum, quod hic loquitur de vocali dictione & vera. Nemo autem poteſt dicere Ieſus eſt Dominus meus, niſi ſit ſervus ejus. Nemo autem eſt ſervus ejus niſi habeat Spiritum ſanctum. Unde Auguſtin. Propriè Apoſtolus ponit verbum quod eſt (*dicit*,) ſignificans voluntatem & intellectum dicentis. *Sed qui facit voluntatem patris mei*, ſervando ſcilicet ejus mandata, *ipſe intrabit*.

[Verum agitur de Hæreticis.]

Attendite à falſis Prophetis qui veniunt &c. In verbo *attendendi* monemur ad vigilantiam in cognoſcendo malum. Chryſoſtomus. Magna virtus boni eſt cognoſcere malum & firma tutela ſalutis ſcire quæ fugias. 1. Joan. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundũ.* 2. Petri 2. *Fuerunt pſeudoprophetæ in populo. Sicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas prædicationis* ſeu *perditionis*. Ab hæreticis qui falſi Prophetæ dicuntur vigilanter cavendum eſt, quia doloſi ſunt; unde ſignificantur per vulpes Samſonis Judicum 15. Et Cantic. 2. *Capite vulpes parvulas nobis*. Item Apoc. 9. comparantur ſcorpionibus, quia in facie, id eſt in principio blandiuntur, cauda verò, id eſt in fine pungunt. Joan. 2. *Omnis homo primum bonum vinum ponit*. Prov. 7. *Irretivit eum multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum*.

[Hæretici ſicut falſi vocentur.]

Et *notandũ*, quod hæretici dicũtur rectè falſi cum ipſi falſificẽt litteras regni cœleſtis, & monetã paradiſi Ipſi corrumpunt litteras ſacræ ſcripturæ quæ à filio Dei qui imago patris eſt, quaſi ſigillo appenſo confirmatæ fuerunt in cruce. *Oſtendam vos fabricatores mendacij & cultores perverſorum dogmatum*. Monetam verò Paradiſi falſant, aurum divini amoris ſubtrahendo ei, dum orationes, jejunia, eleemoſynas, amore vanæ gloriæ faciunt, quæ amore Dei facere debuerunt. Sequitur; *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*. Secundum Auguſt. Veſtimenta ovium ſunt blanda innocentum, cæteraque religionis ſigna, 2. ad Timoth 5: [De falſis fratribus.] *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Ovis dum vivit pelle ſua contegitur, mortua autem ove alter contegitur inde. Ovis viva eſt verè innocens, qui pelle honeſtæ converſationis ornatur Quaſi pellis ovis mortuæ eſt converſatio exterioris hypocritæ Gloſſa. Jejunia & orationes ſunt ſimulantis ſicut & ovis. Sed non debent oves pelles ſuas deponere, etſi aliquando lupi ſe eis contegant. *Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, vel ſpiritualiter corrumpendo, vel ſi poſſunt corporaliter perſequendo, ut patet in Arrio, cujus conſilio tempore ſuo omnes epiſcopi Catholici miſſi ſunt in exilium, ut vix inventi ſint tres. Epiſcopi qui obſiſterent & obviarent ei. [Diſcrimen inter ovem & lupum.] Actor. 20. *Scio quia intrabunt poſt diſceſſum meum lupi rapaces*. Chryſoſtomus Lupus tectus pelle ovina per vocẽ agnoſcitur & per actum. Ovis balat inclinata deorſum, lupus ululat contra cœlum. Hoc ſuperbiæ, illud humilitatis ſignum. Ovis herbam manducat, lupus carnem; qui ergo ſanguine gaudet & bellis, lupus eſt.

[Falſæ perſuaſiones de differenda emendatione vitæ deteguntur.]

Et *notandum* quod ſicut illi nos exterius decipiunt, qui ſpeciem boni prætendunt, cùm ſint mali, ſic etiam interius decipimur quibuſdam prænuntiabilibus, quaſi quibuſdam prophetiis habentibus ſpeciem boni. Threnor. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta*. Proponit aliquis recedere à peccato, ſed occurrit ei cogitatio dicens, quod poteſt hoc differre promittens longos dies cum adhuc juvenis ſit, vel quod ſatis alia vice recuperabit, vel quod non debet nimis terreri magnitudine peccati, & inducit ei exemplum de Magdalena & David, vel quod cum ſit lubricus poſt confeſſionem deterius cadet, vel quod omnia grandia peccata penitus redimet intrando religionem, vel eundo in terram ſanctam, & quod ſecurius eſt cadere modo, & poſt reſurgere, quam reſurgere, & iterum cadere velit. Profectò diabolicæ ſunt hujuſmodi cogitationes, immiſſæ enim ſunt ab Angelo malo, & de futuro ſunt 2. Corinth. 11. *Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis*.
Sed quod *prima* falſa ſit, patet per hoc, quod plures 1:
pelles agnorum inveniuntur in foro quam arietum: & frequentius moriuntur homines non ſenes, quam ſenes. In Pſalmo. *Viri impij non dimidiabunt dies ſuos*.
Secunda etiam patet eſſe falſam, non 2:
enim eſt in voluntate hominis egreſſus de peccato: peccatum enim naſſæ comparatur, à qua piſcis per ſe non exit, licet per ſe intrare poſſit. Item comparatur caſui elephantis, qui per ſe non reſurgit: vel fractioni vitri, vel teſtæ, quæ non conſolidantur.
Alia etiam prophetia fallax eſt. Exemplum 3:
enim David vel Magdalenæ non eſt ad hoc, ut ſi quis peccaverit non deſperet: nec omnibus facit Deus, quod illis fecit. Johel. 2. *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus?*
Alia etiam Prophetia fal- 4:
lax eſt, quæ ſolicitudinem facit de vulnere nondum recepto, & aufert ſolicitudinem de curando vulnere jam recepto. Qui cecidit ſolicitus debet eſſe quomodo ſurgat, & orare humiliter Deum ut operi ſuo porrigat dexteram. Job. 14. Sed qui ſtat, ſolicitus debet eſſe ne cadat. 1. Corinth. 10.
Alia etiam 5:
Prophetia fallax eſt Fatuum enim eſt quod aliquis proponat ſe facere magnam pœnitentiam cum infirmior erit, qui nunc non poteſt facere parvam.

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Senilis ætas minus potens eſt ad tolerandum onera quam juvenilis. Cum omne totum ſit majus ſua parte, qui non poteſt unum peccatum parvum redimere penitus, peccata magna quomodo poterit omnia redimere? Item cum militia ſit vita hominis Iob 7.
ſuper terram, & valde utiliter militetur cum peccata per pœnitentiam deſtruuntur, quanta fatuitas eſt ſenilem ætatem huic militiæ reſervare, ut aliquis nolit militare donec decrepitus fuerit Threnor 3. *Bonum erit viro cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia.*

[Hypocritæ ſeu falſi fratres cognoſcuntur potiſſimum à tribus.]

A fructu eorum cognoſcetis eos. Secundum Auguſtinum à *tribus* maximè cognoſcuntur hypocritæ. *Primum* eſt oppreſſio bonorum, opprimunt enim bonos perſequendo factis, & detrahendo verbis. *Secundum* eſt facilis reprehenſio aliorum, quod faciunt ut videantur zelum habere. *Tertium* eſt impatientia in adverſis, unde dicit Gloſſà, quod maximè diſcernuntur per impatientiam in tempore adverſitatis, quod manifeſtum eſt in hypocritis noſtri temporis, qui moventur ad contumelias ſibi dictas, quia gloriam quærunt. Hieronym. Non quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris. Qui laudem non appetit, contumeliam non ſentit. Specialiter tunc cognoſcuntur ex fructibus hypocritæ cum dignitates ſunt adepti: cognoſcuntur, inquam, quales prius fuerunt; unde cum quidam diceret: *Honores mutant mores*, alius corre-

Hæretici cognoſcuntur ex doctrina. xit: immo *monſtrant mores*. Item notandum quòd
hæretici poſſunt cognoſci ex *doctrina* & *vita*. Ex
doctrina Primo quia in occulto docent Proverb.
1. 9. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt*. E contrario Chri-
ſtus in aperto docuit & monuit docere. Joan. 18.
Ego palam locutus ſum mundo. In eodem *In oc-*
2. *culto locutus ſum nihil*. Matth. 10. *Quod in ore audi-*
tis, prædicate ſuper tecta. 2. Tim. 4. *Cum ſanam*
doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coa-
cervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus. *Ter-*
3. *tio* quia illa commendant quæ propinqua ſunt er-
roribus eorum. Unde virginitatem multum lau-
dant, ut matrimonio detrahant. 1. Timoth. 4.
Spiritus manifeſte dicit, in noviſſimis temporibus
diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus er-
roris & doctrinis dæmoniorum, & ſubditur: *prohi-*
4. *bentium nubere*. *Quarto* quia mulieres permittunt
docere, contra illud 1. Corinth. 14 *Mulieres in*
5. *Eccleſiis taceant*, & prima Timoth. 2. *Mulier in*
ſilentio diſcat Quinto quia non miſſi docent Hie-
rem. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi curre-*
bant Et *ſciendum* quod errores hæreticorum ex
aliquo vitio habuerunt originem: ut ex vitio lu-
xuriæ error illorum qui dixerunt opus carnis non
Ex vita. eſſe peccatum. Ex *vita* etiam cognoſcuntur hære-
tici, quia multum intendunt illis per quæ poſſunt
apparere ſancti, ut prolixitati orationum & ſi-
milibus. Marc. 12. *Devorant domos viduarum ſub*
obtentu prolixæ orationis.

peccata vocantur ſpinæ. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas?* Spinæ dicun-
tur peccata. Proverb. 24. *Per agrum hominis pi-*
gri tranſivi &c. *& ecce operuerunt ſuperficiem ejus*
1. *ſpinæ*. *Primo* eò quod mentem pungunt. Auguſt.
in libro de libero arbitrio. Nullo temporis in-
tervallo iſta dividuntur, ut quaſi alio tempore non
faciat quod debet & alio patiatur, ne vel tempo-
ris puncto univerſalis pulchritudo deturpetur, ut
ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Pro-
2. verb. 14. *Miſeros facit populos peccatum*, ad minus
miſeria remordentis conſcientiæ. *Secundo* quia
ſe complectuntur per comitantiã, quia peccatum
quod per pœnitentiam non diluitur, ſuo pon-
dere ad aliud trahit, ut dicit Gregor. *Tertio*
3. quia fructum bonorum operum impediunt. Hiere.
4. *Nolite ſerere ſuper ſpinas*. Spinæ exortæ ſuffo-
cant verbum Dei Lucæ 8. & Matth. 13. *Quarto*
4. quia ſunt materia ignis futuri. Iſa. 33. *Spinæ con-*
gregatæ igni comburentur. De his ſpinis non col-
ligitur uva niſi acerba. Hierem. 31. *Omnis homo*
qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes
ejus. Non credat peccator ſe poſſe habere veram
quietem in lecto conſcientiæ, dum erit plenus his
Peccatores cur ſpinæ dicuntur ſpinis. Spinæ etiam dicuntur ipſi peccatores, eò
quod pungant bonos. Cant. 2. *Sicut lilium inter*
ſpinas &c. quia ſunt materia ignis infernalis. 2.
Reg. 23. *Prævaricatores quaſi ſpinæ evellentur &*
cum igne ſuccenſo comburentur uſque ad nihilum.
De his ſpinis uva non colligitur, quia ex mala ſo-
Juſtus uva dicitur. cietate homo non efficitur bonus, Lucæ 24. *Quid*
quæritis viventem cum mortuis? Juſtus uva dici-
Spinæ dicuntur divitiæ. tur Oſeæ 9. *quaſi uvas in deſerto inveni Iſrael*.
Spinæ etiam divitiæ dicuntur, quia pungunt men-
tem per ſolicitudinem, dolorem & timorem, &
ſunt materia ignis cupiditatis, ſicut enim ligna
augent ignem, ſic divitiæ cupiditatem, quia *creſ-*
cit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Ex his ſpinis non colligitur niſi uva fellis:
Deutero. 32 *Uva eorum uva fellis* Spinæ etiam di-
cuntur tribulationes, Oſeæ 2. *Sepiam viam ſpinis*.
Hæ ſpinæ pungunt, ſed pungendo ſalubriter eru-
diunt. Eccleſiaſ. 22. *Pungens oculos deducit lacri-*
mas, & qui pungit cor profert ſenſum. Propter has
ſpinas ſancti erinacij dicuntur. In Pſalmo 103. *Pe-*
tra transfugium erinaciis. Ex his ſpinis velut qua-
dam ſepe clauditur Eccleſia Eccleſiaſtici 36. *Ubi*
non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio Ex his ſpinis Dei
virtute uva dulciſſima colligitur, dum Dominus
tribulatos conſolatur. Pſalm. 93. *Secundum mul-*
titudinem dolorum meorum in corde meo, conſolatio-
nes tuæ lætificaverunt animam meam.

Sequitur *Non poteſt arbor bona fructum malum* Bona arbor hic quid ſit.
facere. Bona arbor eſt homo bonus & juſtus vel Fructus bonæ arboris in hac vita.
bona volũtas, & intelligas hoc cõjũctim ſicut prius.
Et *notandum* quod fructus viri juſti in præſenti ſunt
12. in patria ſimiliter erunt 12. *Primus* in præſen-
ti eſt bonorum temporalium multiplicatio. Iſa. 1.
Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. 1.
Proverb. 13. *Cuſtoditur juſto ſubſtantia peccatoris*.
Job. 27. *Argentum eorum innocens dividet*. *Secun-*
dus eſt quod omnia tam proſpera quam adverſa 2.
ſerviunt eis, & ad ſalutem cooperantur. Ad Rom.
8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia coope-*
rantur in bonum. *Tertius* eſt continuum incre-
mentum bonorum ſpiritualium. Proverb. 4. *Ju-* 3.
ſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit
uſque ad perfectum diem. *Quartus* eſt radicatio 4.
eorundem Epheſ. 3. *In charitate radicati*. *Quin-*
tus eſt conſolationum ſpiritualium multiplicatio. 5.
Iſaiæ 66. *Ego conſolabor vos*. *Sextus* eſt ſecre- 6.
torum revelatio. Joan. 15 *Quæcunque audivi à*
patre meo, nota feci vobis. Amos 3. *Non faciet Do-*
minus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad
ſervos ſuos Prophetas. *Septimus* jucunditas in 7.
bene operando. Pſalm. 118. *In cuſtodiendis illis re-*
tributio multa. Eccleſiaſtici 25. *Homo qui jucunda-*
tur in filiis. Naturalis jucunditas animæ eſt in bo- 8.
nis operibus, ſicut hominis in filiis. *Octavus* eſt
victoria de diabolo. Jacob 4 *Reſiſtite diabolo &*
fugiet à vobis. *Nonus* fomitis debilitatio, quæ 9.
ſignificata eſt Joſuæ 11. ubi præcepit Dominus
Joſuæ, ut equos ſubnervaret. *Decimus* eſt expe- 10.
rientiæ eruditio, Eccleſiaſtici 34. *Qui non eſt ex-*
pertus, qualia ſcit? *Undecimus* eſt cognitionis 11.
divinæ prælibatio per contemplationem. Geneſ.
32. *Vidi Dominum facie ad faciem*. *Duodecimus* eſt 12.
ſpei roboratio. Gregor. Tanto ſpes in Domino
ſolidior ſurgit, quanto quis pro eo graviora ſuſtu-
lerit.

Sequitur de fructu juſtitiæ in patria, Sap. 3.
Habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarũ. In altera.
Primus eſt gaudium de egreſſu exilij Hierem. 31. 1.
In miſericordia reducam eos. *Secundus* eſt gaudium 2.
de abſolutione carceris corporis. Pſalm. 141. *Educ*
de carcere animam meam. Ad Rom. 7. *Infelix*
ego homo, quis me liberabit de carcere mortis hujus?
Tertius eſt gaudium de laqueorum, id eſt tenta- 3.
tionum evaſione. Pſalm. 123. *Laqueus contritus*
eſt *Quartus* eſt gaudium de liberatione à ſeptem
vinculis pœnalibus, quæ ſunt fames, ſitis, frigus, 4.
calor, laſſitudo, ægritudo, neceſſitas moriendi.
Iſa. 25. *Præcipitabit in monte iſto faciem vinculi* 5.
colligati ſuper omnes populos. *Quintus* de diaboli
dejectione. 1. Corinth. 15. *Ubi eſt mors victoria*
tua? Ad Rom. cap. ult. *Deus conteret Sathan ſub*
pedibus noſtris. *Sextus* eſt de pœnæ æternæ evaſio- 6.
ne, pro qua ſancti miſericordias Domini in æter-
num cantabunt. Thren. 2. *Miſericordia Domini*
quod non ſumus conſumpti, Iſaiæ. 4. *Exultatio his* 7.
qui ſalvati fuerint de Iſrael *Septimus* erit plena li-
bertas, de qua Rom. 8. *In libertatem gloriæ filiorum* 8.
Dei *Octavus* deſiderata ſocietas Matth. 8. *Multi*
ab oriente & occidente venient & recumbent cum 9.
Abraham, &c. *Nonus* eſt conſummata charitas,
tunc enim ex toto corde diligemus Deum. 1. Co- 10.
rinth. 13. *cum venerit quod perfectum eſt, evacua-*
bitur quod ex parte eſt. *Decimus* eſt Chriſti fra- 11.
tris noſtri deſiderabilis humanitas. Cantic. 8. *Quis*
mihi det te fratrem meum *Undecimus* eſt omnimo-
da pacis

da pacis tranquillitas. Pſalm. 4. *In pace in idipſum*, &c. Iterum. *Qui poſuit fines tuos pacem*. Duodecimus eſt confirmata ſecuritas. Pſalm. 90. *Non timebis à timore nocturno.*

Omnis arbor, id eſt tam Clericus quám Laicus,
Laicus comparatur olivæ. quam Religioſus. *Laicus oliva* debet eſſe, cujus
fructus debent eſſe opera miſericordiæ Pſalm. 51.
Ego ſicut oliva fructificavi in domo Dei. Hierem.
11. *Olivam uberem, fructiferam ſpecioſamque vocavit nomen tuum.*
Clericus vitæ. *Clericus* vero *vitis* debet eſſe
fructificans ſuavitatem odoris. Eccleſiaſtici 24.
Odor bonæ opinionis multum eſt neceſſarius eis.
2. Corinth. 2 *Chriſti bonus odor ſumus.* Debet
autem Clericus eſſe vitis non ſolum frondoſâ, ſed
Religioſus ficui. etiam fructuoſa Oſeæ 10. *Vitis frondoſa Iſrael,*
fructus adæquatus eſt ei. Religioſus vero debet eſſe
ficus ferens dulcem fructum Prove. 27. *Qui ſervat*
ficum, comedet fructus ejus. Hierem. 24. *Quid tu*
vides Hieremia ficus bonas, bonas valde, & ficus
malas, malas valde. Boni religioſi ſunt valde boni,
& mali valde mali. Aug. Sicut non inveni meliores
quã qui in monaſteriis profecerunt, ſic nõ expertus
ſum deteriores quam qui in monaſterio defecerunt.
De his tribus lignis legitur Judicum 9. quod imperium
ſuper ligna recipere noluerunt, quia oliva
pinguedinem, vitis lætitiam, ficus dulcedinem
relinquere noluit.

Ad bonum fructum pertinet. Et *notandum* quod ad bonitatem fructus *quinque* videntur pertinere. *Primum* eſt *utilitas fru-*
1. *ctus*, unde ſolent appellari ſteriles arbores, quæ
non ferunt utiles fructus. Fructus inutiles ferunt,
qui otioſa agũt ut qui ludũt in quadrageſima ne ſint
otioſi. Bern. Pro vitando otio otioſa ſectari ridiculũ
eſt. Hier. 22. *Scribe virũ iſtum ſterilem qui in diebus*
2. *ſuis non proſperabitur. Secundum* eſt ut ſit ſine corruptione,
unde fructus vermiculoſus non reputatur
bonus. Talẽ fructum ferunt hypocritæ Matt 23.
Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ſimi-
3. *les eſtis ſepulchris dealbatis* &c. *Tertium* eſt *gratus*
ſapor. Fructum grati ſaporis ferunt, qui cum lætitia
bona operantur. Pſalm. 99. *Servite domino*
in lætitia. Sapient. 8. *Non habet amaritudinem*
converſatio illius. Accidioſi ferunt fructus amaros,
qui aliis ſunt oneroſi, & alij eis. Eccleſiaſtici
30. *Non des triſtitiam animæ tuæ. Quartum* eſt
4. *ſanitas.* Fructum ſanum fert ille, qui diligenter
cavet ne proximũ ſuũ ſcandalizet Aug. In inceſſu,
habitu, & in omnibus motibus noſtris nihil fiat,
quod cujuſquam offendat aſpectum Job. 9. *Verebar omnia opera mea. Quintum* eſt *durabilitas.*
Fructum durabilem non ferunt, qui opera carnis
faciunt. Galat. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis,*
quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. Eccleſiaſtici
14. *Omne opus corruptibile in fine deficiet; & qui*
operatur illud, ibit cum illo.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Contra 5. genera hominum.

SERMO CV.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

HOc verbum dictum eſt á præcurſore Matth.
3. & á Salvatore ejuſdem 7. Ex quo apparet
quod Salvator dicit in prædicatione ſua, quod
præcurſor dixerat. Eſt contra quoſdam, qui dedignantur
dicere dicta ab aliis. Et poteſt intelligi
I. Contra otioſos. verbum propoſitum dictum contra *quinque* genera
hominum. Primo contra *otioſos*, qui nihil facere
volunt, qui poſtquam fuerint per mortem
exciſi, in ignem æternum mittentur. Matth. 25. *Servum
inutilem projicite in tenebras exteriores. Hi*
ſunt arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ,
ut legitur in Can. Judæ. Hujus otioſitatis cauſa
eſt error in quibuſdam, qui credunt eos nobiliores
eſſe qui nihil agunt, quam eos qui aliquid
agunt. Qui tali fatuitate laborant, quali laboraret
ille qui diceret meliores vineas quæ fructum non
ferunt, quam quæ ferunt: & ſalices infructuoſas
nobiliores quam arbores amigdalarum quæ fructum
ferunt; & porcos qui nihil faciunt nobiliora
animalia eſſe quam equos, quorum eſt aliquis
uſus. Job. 40. *Circumdabunt eam ſalices torrentis.*
Homines otioſi ſunt ſicut ſalices in aquis delitiarum
creſcentes, & velut porci in luto ſe volutãtes.
Quanta ſit fatuitas amare otium oſtenditur Prov.
12. ubi dicitur: *qui ſectatur otium ſtultiſſimus eſt*,
non ſolum ſtultus, vel ſtultior.

Et *ſciendum* quod homo otioſus *triplici miſeria* ſubjacet. *Prima* eſt quod infelicior eſt brutis Otioſus triplici miſeriæ eſt ſubiectus.
animalibus in hoc, quod inhibitum eſt ei comedere.
2. Theſſal. 3. *Si quis non vult operari, non*
manducet. Brutis animalibus non eſt hoc inhi- 1.
bitum: immo Deus paſcit ea Matt. 6. *Reſpicite*
volatilia cœli: & poſt, *& Pater veſter cœleſtis*
paſcit ea. Secunda quod eſt in magna afflictione,
plus enim durat ei una dies, quam homini occu- 2.
pato duo. Ipſe eſt quaſi totus famelicus: aures
eſuriunt rumores; gula cibum; oculi ſpectacula.
Proverb. 2. *Deſideria occidunt pigrum, noluerunt*
quicquam operari manus ejus, tota die concupiſcit
& deſiderat. Tertia eſt quod in magno eſt pericu- 3.
lo. Eſt enim velut homo inermis in medio inimicorum
ſuorum. Ille qui eſt in peccato, non exit
inde niſi ſe occupet. Seneca. A ſtultitiâ nemo
emergit niſi manum porrigat ad laborem. qui extra
peccatum eſt cito cadet niſi ſe occupet. Bernardus.
Omnium tentationum & cogitationum malarum
& inutilium ſentina eſt otium.

Secundo poteſt intelligi hoc verbum dictum III. Contra habentes flores & non fructum.
contra illos qui habent folia verborum ſine fructu
bonorum operum, qui verbo ſe recognoſcunt
Chriſtianos, non faciunt tamen opera quæ Chriſtianos
decent. Hi maledicti ſunt. Pſalm. 118.
Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Hi ſignati
ſunt per ficulneã cui dominus maledixit. Matt. 23.
cum non inveniſſet in ea niſi folia, ſtatim arefacta
eſt. Ficulnea, quæ dulces fructus debet ferre, rectè
ſignificat Chriſtianum, qui debet facere opera Deo
& angelis grata, qui ſi habeat tantum folia verborum,
maledictus eſt & arefactus, quia æterno igne
dignus. Magnum valde eſt eſſe Chriſtianum ſi
fidei opera concordent, aliter eſt periculoſum.
Judæi & Sarraceni poterunt ſe juſtificare in die judicij
reſpectu malorum Chriſtianorum. Poterunt
enim dicere Chriſto: Si noviſſemus te eſſe dominum
noſtrũ Jeſum Chriſtum, ſerviiſſemus tibi: iſte
verò Chriſtianus agnoſcens te dominum ſuum,
tibi ſervire noluit, immo contumelias tibi intulit.
Et *ſciendum* quod inter arbores habentes folia &
non fructus laudabiles, aliquæ habens folia pungitiva,
ut juniperus, quibus ſunt ſimiles detractores.
Hierem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.*
In Pſalm. 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Aliæ habent
folia fœtentia ut ſambuca, quibus ſunt ſimiles
luxurioſi, qui de peccato carnis libenter loquuntur
Epheſ. 5. *Fornicatio & omnis immunditia
non nominetur in vobis.*

Tertio poteſt intelligi dictum contra illos qui
III. Contra habentes flores & non fructum. flores habent, ſed non fructum. Flores intelligimus
hic opera de genere bonorum, quæ fiunt in
mortali, cum bona intentione. Et ſicut omnes flores
qui creſcunt in terra alicujus divitis hominis
non ſufficerent ei ad refectionem unius diei; ſic
ſi aliquis faceret tot bona in mortali quot totus

mundus facit, non ſufficerent ei ad hoc quod de illis poſſet vivere una die in paradiſo. Non tamen propter hoc ille qui in mortali eſt debet ceſſare à bonis operibus. Sicut enim in flore ſpes fructus eſt, ſic ſpes habetur de cõverſione illius qui facit libenter Eleemoſynas & alia opera de genere bonorum. Et ſicut flos vineæ bufones inde fugat, dominum verò vineæ lætificat; ſic quodammodo opera de genere bonorum fugant dæmones, & Deum & angelos lætificant, dum occaſionaliter ad pœnitentiã adducunt: *gaudium* enim *eſt in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Lucæ 15. Cantic. 2. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Fatuus eſſet qui nollet arbores ſuas ferre flores, quia flores non comeduntur; niſi enim flores præcederent, non ſequerentur fructus. Sic fatuus eſt, qui non vult facere bona opera dum eſt in mortali, quia illis non meretur vitam æternam. Multum tamen deberet conari ad removendum mortale, quod tot & tantos labores quaſi aufert ei, plus enim valet unum bonum opus extra mortale peccatum, quam infinita in mortali facta. Sed ſunt aliqui qui ad modum avarorum pro modico magna amittunt.

IV. Contra hypocritas.

Quarto poteſt intelligi hoc dictum contra hypocritas qui non faciunt fructum qui bonus ſit, licet bonus videatur; qui ſunt ſimiles arboribus quæ ſunt juxta mare mortuum, quarum fructus ante maturitatem virides ſunt; cum vero maturi ſunt, ſi incidas invenies in eis favillam & cinerem: ſic opera hypocritarum modo videntur meritoria vitæ æternæ, ſed quando dominus manifeſtabit qua intentione ea fecerint, apparebit quod fuerunt meritoria ignis infernalis. Modo hæretici per hypocriſim ſuam decipiunt homines qui credunt eos non poſſe eſſe hæreticos; quia multum jejunant, vel quia largas eleemoſynas dant, quaſi neſcirent quod homo poteſt habere os ſanum & manum ſanam, & tamen habet oculum ægrum.

V. Contra facientes ſtudio malos fructus.

Quinto poteſt hoc intelligi dictum contra illos qui apertè malos fructus faciunt, *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis:* Proverb. 2. Qui talis perverſitatis ſunt qualis eſſet mulier quæ potiùs vellet parere bufonem quam pulchros pueros, quos bruta animalia & terræ naſcentia damnabiles oſtendunt, cum illa fructus ſibi aſſignatos à Deo faciant, & iſti ab eis degenerent.

Ob duo debemus conari bonos fructus facere.

Et *notandum* quod *duabus* de *cauſis* multum debet homo conari ad fructum bonorũ operum. *Prima* quia illa ſecum defert in morte, cum divitias deſerit, & ab amicis carnalibus deſeritur Apocal. 14. *Opera illorum ſequuntur illos.* Unde nec pro filio, nec pro filia nec pro aliquo alio debet à bono opere ceſſare *Secũda* eſt quia valde periculoſum eſt homini fructũ bonorũ operum nõ facere ſecundũ verbum propoſitum *omnis arbor*, &c. Bernardus. Quam mitius me privares, mors amara vitæ uſu quam

S. Bernardus.

fructu, nam vita ſine fructu gravior mors. Denique duo parantur arbori infructuoſæ, ſecuris & ignis. In majori periculo ſunt homines qui fructum non faciunt quam canes vel porci; illi enim non debent niſi unam mortem, poſt mortem nihil mali habebunt. Homines vero mali debitores ſunt mortis temporalis & æternæ; excidentur enim morte temporali, & poſt comburentur igne æterno, ideo dicuntur arbores bis mortuæ in Cant. Judæ.

S. Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus. Duæ pœnæ ſunt excidi, & in ignem mitti. Multi gehennam horrent, ego autem caſum gloriæ illius multo majorem pœnam gehennâ eſſe æſtimo. Intolerabilis eſt gehenna: verùm etiam ſi ponat aliquis mille gehennas, nihil tale dicet quale eſt excidere à gloria illa, odio à Chriſto haberi, & audire, *non novi vos.* Etenim melius eſt decem millia ſuſtinere fulmina, quam faciem illam manſuetam averſam videre à nobis, & tranquillum illum oculum non ferentem videre nos.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

De duodecim proprietatibus arborum.

SERMO CVI.

Omnis arbor, &c.

TEmpore iſto libri Salomonis in Eccleſia leguntur, in quibus multa ſapientia invenitur, & à clero ſapientia à Deo petitur cum cantatur; *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Sap. Unde & populus tempore iſto exemplo cleri ſapientiam debet deſiderare & libenter addiſcere, & cum neſciat legere in libris Salomonis, alii libri ſunt eis aperiendi. Velut quidam libri ſunt hæ viſibiles creaturæ, *effudit* enim Deus *ſapientiam ſuper omnia opera ejus.* Eccleſiaſtici primo. Non eſt aliqua creatura in qua aliquid ſapientiæ legi non poſſit, etiam in formica, Proverb. 6. *Vade ad formicam ô piger, & diſce ſapientiam.* Salomon ſapientiam quæſivit in creaturis, diſputavit enim de terra naſcentibus ab hyſopo uſque ad cedrum, & de ſingulis animalibus aliquam propoſuit parabolam. Et Ariſtoteles interrogatus à quo tot & tanta didiciſſet, reſpondit à rebus quæ mentiri non norunt. Iſa. 29. *Erit vobis viſio omnium, quaſi verba libri ſignati.* Et nunc volumus vobis exponere librum quem nobis Dominus proponit in Evangelio hodierno, dicens: *Omnis arbor*, &c.

Creaturæ ſunt libri.

Talis liber eſt arbor unde 12. diſcenda.

Duodecim verò attendenda ſunt nobis circa arborem pertinentia ad noſtram ædificationem. *Primum* eſt illud Auguſtini. Arborem attendite, radicem figit in humili ut vertice tendat ad cœlum; ſic te primò humilia, ut deinde exalteris. Lucæ 18. I.
Qui ſe humiliat, exaltabitur. Gregorius. Origo virtutis humilitas eſt. Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id eſt humilitate parturit. *Secundum* eſt quod arbor quæ propter in- II.
temperiem hyemis ab operatione ceſſavit, redeunte temporis opportunitate operari incipit. Vade & fac ſimiliter. Ad Galat. ult. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, &c. Eccleſiaſt. 9. *Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare*, &c. Ejuſdem 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Eccleſiaſtici 14. *Particula diei bona non te prætereat.* Tertium eſt quod arbor III.
non operatur uno ſolo ramo, ſed in omnibus. Exemplo ergo illius omnibus membris tuis ſervias Deo: ore inſtrue proximum, lauda & ora Deum, & manus tuas libenter extendas ad pauperem, pedibus peregrinare, auribus libenter audi verbum Dei, & cantus Eccleſiæ, oculis libenter reſpice quæ te incitent ad Dei timorem vel amorem, vel humilitatem, vel proximorum compaſſionem. Cum videris aquam cogita quod aqua quandoque omnes inimicos Dei qui erant in hoc mundo ſubmerſit, ſcilicet tempore diluvij Geneſ. 7. & time. Cum videris ignem, cogita quod ignis quandoque omnes inimicos Dei comburet, & time. Cum reſpicis terram, cogita illam eſſe ſepulchrum tuum: terra enim es, & in terram reverteris, & humilia te. Cum vides miſeriam proximi tui, cogita te & ipſũ membra eſſe unius corporis, & compatere. 1. Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Cum reſpicis bona viſibilia, cogita omnia illa à Deo propter hominem facta, ut ſic ad Dei amorem accendaris Auguſt. Domine cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, undique dicunt mihi ut amem te, nec ceſſant hoc IV.
dicere omnibus. Quartum eſt hoc quod licet arbor creſcat inviſibiliter, tamen continuatione crementi

menti tantum proficit, quod arbor valde magna efficitur, in quo nobis perſeverantia commendatur, quæ ſola ſecundum Bernardum. Singularis eſt filia ſummi regis, illa enim ſola hæres eſt regni æterni, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Matth. 24.

Labor improbus omnia vincit. Item.
Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo.

V. Quintum eſt quod arbor non degenerat, ut alios fructus quam Deus ordinaverit, ferat ſecundum verbum Domini hic poſitum: *Nunquid colligit de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Arbori præceptum Deus poſuit, non præteribit. Solum ſunt duæ creaturæ quæ tranſgrediuntur Dei ordinationem; ſcilicet homo malus & diabolus, qui tantæ perverſitatis ſunt, quod potius volunt producere ſpinas unde in inferno incendantur, quam fructus unde in cœlis paſcantur. Cum homo peccat tale eſt, ac ſi vinea ſpinas produceret Vinea enim Domini Sabaoth domus Iſrael eſt, Iſaiæ 5. Sicut mulier horreſceret ſi videret ſe peperiſſe bufonem vel ſerpentem; ſic anima deberet perhorreſcere cum videret ſe pertuliſſe fructum innaturalem, ſcilicet mala opera.

VI. Sextum eſt quod arbor vehementer adhæret terræ, unde habet nutrimentum & crementum, & non unica radice tantum ſed multis. Secundum Philoſophos radix plantæ, ſimilis eſt ori animalis. Sic anima tua vehementer adhæreat Deo, unde habet omnia bona; veritati ejus adhære per fidem, liberalitati per ſpem, ſuavitati per dilectionem. Noli amplius credere vetulæ ſorciariæ quam Deo vel ejus miniſtro. Noli diffidere de Dei liberalitate ſicut illi qui per mortale à Deo recedunt ut ſuſtentationem ſuam habere poſſint, ac ſi diabolus
Pſal. 71. poſſet vel vellet melius providere eis quam Deus.
Noli guttas tranſitoriæ delectationis præponere
VII. fonti dulcedinis, ſicut faciunt Dei inimici, qui ſecundum verbum David, terram lingunt. Septimum eſt quod arbor humorem ſuum & nucleum diligenter ſervat, humorem duritiæ corticis operiendo, & nucleum teſta: ita tu humorem gratiæ diligenter debes ſervare quem fatuus infundit. Eccleſiaſtici 20. *Gratiæ fatuorum effundentur.* Bernard. Levis ſermo, ſed graviter vulnerat, aptiſſimum evacuandis cordibus inſtrumentum. Noli deſtruere opera tua mortaliter peccando, vel ab opere inchoato ante conſummationem deſiſtendo. Proverb. 18. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Mollis eſt qui difficultati quæ in opere
VIII. ſuo bono occurrit cedit, ab opere deſiſtendo. Octavum eſt quod arbor cultura indiget. Philoſophus, Puto quod omnes ſpecies plantæ quæ non fuerunt cultæ, ſilveſtres erunt. Excole ergo diligenter te ipſum ne quaſi arbor ſilveſtris fias, intende putationi
IX. ſeu purgationi tui ipſius. Joan. 15. *Eum qui fert fructum purgabit, ut fructus plus afferat.* Nonum eſt quod arbores ſilveſtres, ſecundum Philoſophum, magis fructificant quam hortenſes, ſed fructus hortenſium meliores ſunt. Studeas eſſe arbor hortenſis, magis intendens bonitati fructuum quam multitudini. In Pſamo 17. *Secundum puritatem manuum mearum retribues mihi*, non ſecundum pluralitatem
X. operum. Cant. 2. *Qui paſcitur inter lilia.* Decimum eſt quod arbores tranſplantantur, & ſecundum Philoſophum quidam fructus ſunt meliores uno loco quam in alio. Item *tempus eſt plantandi, & tempus evellendi quod plantatum eſt.* Eccleſ. 3. Item ſecundum Philoſophum plurimæ plantantur in vere, pauciſſimæ in hyeme, in autumno & in æſtate: ſic hominem tranſplantari oportet, & oportunius fit hæc plantatio in pueritia. Prov. 22. *Proverbium eſt, adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Hierem. 13. *Si mutare poteſt Æthyops pellem ſuam, aut pardus varietatem ſuam; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Unde- XI.
cimum eſt quod arbores ſilveſtres per inſitionem fiunt nobiliores Sic peccator qui eſt quaſi arbor ſilveſtris, per inſitionem verbi divini nobilior efficitur. Jacobi 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Et cum fructibus arboris prius porci infernales paſcerentur, post inſitionem defert fructum quo & Deus & Angeli delectantur. Duodecimum eſt cum rami arbo- XII.
ris cum fructibus magis onerati fuerint, magis inclinantur; ſic quanto plura bona opera feceris, tanto humilior ſis, & Deo te magis obligatum noveris, cum opera illa dona ejus ſint. 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis?*

Omnis arbor, &c. Hoc verbum *ſpecialiter* dictum eſt contra illos qui habent ſpeciem bonitatis, & non bonitatem. Unde Matth. 3. ſic habetur. *Videns autem multos Phariſæorum & Saducæorum*, &c. Et ſubditur. *Omnis arbor*, &c. Phariſæi & Saducæi religioſi erant ad minus exterius. Et Matth. 7. dicitur contra illos qui interius erant lupi, & exterius habebant veſtimenta ovium. Unde *ſpecialiter* hoc verbum pertinet ad religioſos, minus eſt enim tolerabilis in religione, qui non facit fructum, quam in ſæculo; ſicut arbores infructuoſas minus toleramus in horto exculto & clauſo quam in ſilva. Religio eſt quaſi hortus excultus & clauſus. Cantic. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*, &c. Unde de ficulnea plantata in vinea dicitur: *Succide eam, ut quid etiam terram occupat?* Lucæ 13. Fructus bonus dicitur fructus ſpiritus, ad Gal. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium*, &c. Plura de his fructibus in ſermonibus epiſtolarum decima quarta Dominica poſt octavam Pentecoſtes.

Cõtra quos ſit hoc dictũ

Religioſi.

Religio.

Non omnis qui dicit Domine, Domine, &c. Beda. Quid folia rectæ confeſſionis jactatis, qui bonos fructus non oſtenditis? *Notandum* quod quidam ſemel tantum dicunt *Domine*, qui hoc tantum habent in ore. De quibus Iſaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Alij dicunt bis *Domine*, qui credunt corde & confitentur ore, ſed contradicunt opere. Ad Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Alij dicunt ter *Domine*, quod non fit niſi in Spiritu ſancto. Gloſſa. Verè dicere Dominus Jeſus, eſt corde credere, ore confiteri, & operibus atteſtari; nam unum ſine altero, negare eſt. *Sed qui facit voluntatem*, &c. Dei voluntas eſt ut ſanctè vivamus, ſicut & ipſe ſanctus eſt. Levit. 19. *Sancti eſtote, ſicut & ego ſanctus ſum.* 1. Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas* Dei, *ſanctificatio veſtra.* In Pſalmo 14. *Domine quis habitabit*, &c. *Qui ingreditur ſine macula*, &c.

Dicentes domine triplices ſunt.

Voluntas Dei quæ ſit

DOMINICA NONA POST FESTUM SANCTÆ TRINITATIS.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium, & docentur quatuor per Dominum, & quatuor per Villicum.

SERMO CXIX.

Homo quidam erat dives qui habebat Villicum. *Luc.* 16.

IN hoc Evangelio primò ponitur parabola contra avaritiam Phariſæorum à Salvatore dicta, deinde oſtenditur ad quid ſit inducta, ibi: *Ego vobis dico, facite vobis amicos*, &c. *Qui habebat villicum.* Gloſſa. Villicus eſt propriè cuſtos villæ, ſed ponitur hîc pro œconomo, id eſt diſpenſatore; qui univerſam domus ſubſtantiam diſpenſat. *Quaſi diſſipaſſet.* Quaſi diceret, diffamatus eſt, quaſi diſſipa-

Explicatio Evangelii

tor . hæc & dictio quaſi nota eſt veritatis non ſimi-
litudinis. ſicut Ioan. 1. *quaſi unigenti à patre.* Se-
cundum Gloſſã : hæc diſſipatio in hoc attenditur ,
cum vel bona non debito modo congregantur, vel
malè expenduntur. *Et vocavit illum* , ut ſciret an
verum eſſet quod dictum erat de illo. Non enim fa-
cile credendum eſt dictis malis de alio. *Villicationis*
tuæ id eſt diſpenſationis tuæ. *Recipiant me.* Gloſſa.
Interlin. illi quibus miſericordiam impendero.
Centum cados olei. Beda Cadus græcè , amphora
dicitur latine , continens urnas tres. Chorus mo-
diis 39. impletur Iſidorus. Vrna menſura eſt quam
quaternarium vocant. Propriè autem dicitur vas ad
cineres mortuorum colligendos De choro di-
citur Ezech. 45. *Accipe cautionem , id eſt chartam ,*
in qua ſcriptum eſt debitum tuum : & dicitur à ca-
vendo : *& ſcribe octoginta.* Quintam partem dimit-
tit , primò dimidiam partem dimitit. Ratio po-
teſt eſſe quia chorus maior eſt menſura quam ca-
dus. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis* Glo-
ſſa Interlin. Non de fraude , ſed de providentia,
quamvis peccantem laudat ; propter fraudem vero
vocatur villicus iniquitatis. Et eſt hæc probatio à
minori : ſi enim ille qui cum diſpendio Domini ſibi
providit, commendatus eſt à Domino ſuo ; quan-
to magis commendatur iſte à Deo qui ſibi providet
legitimè. *Quia filii huius ſaeculi* &c. Beda. Cuius
quiſque opera agit, hic & eius filius dicitur Vnde fi-
lii ſæculi dicuntur, id eſt tenebrarum, & filii lucis id
Objectio. eſt æternæ viſionis. Sed quomodo verum eſt hoc ;
filii huius ſaeculi &c. Cum ſuper illud Pſal. 118. *Bo-*
num mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti , di-
cit Gloſſa quod plus diligit charitas legem Dei ,
quam cupiditas millia auri & argenti. Vnde & amor
ſanctorum amorem mundanorum ſuperat , & pru-
dentia prudentiam. Reſponſio. Non dicit *prudentes*
Reſponſio. ſimpliciter , ſed *prudentiores in generatione ſua*, ſcili-
cet in generatione carnali , non quod ita ſit , ſed
quod prudentiores videntur in carnalibus quam
filii lucis in ſpiritualibus. *Facite vobis amicos de*
mammona. Quandoque invenitur mammona ,
primæ declinationis , quandoque mammonis ,
tertiæ declinationis : & dicunt quidam quod mam-
mona nomen eſt divitiarum : mammon nomen
dæmonis eſt, qui præeſt divitiis , id eſt qui decipit
per divitias : habent enim dæmones officia ſibi
deputata. Beda in Homilia dicit quod mammo-
na lingua punica, lucrum dicitur. Gloſſa Bedæ hic
dicit , mammona iniquitatis vocat divitias , quia
ut frequenter iniquè adquiruntur. Auguſt. ſuper
Lucam. Omnis dives aut iniquus eſt , aut hæres ini-
qui. Vel iniquitatis dicuntur , quia retinentur ab
avaris. Vel iniquitas poteſt ibi ſumi pro inæqualita-
te, ſicut Eccleſiaſtici 42. *Melior eſt iniquitas viri*
quam mulier bene faciens. Etiam de divitiis ini-
quitatis , id eſt iniquè adquiſitis , ſcilicet per furtum
vel per rapinam , poteſt fieri eleemoſyna in caſu,
cum neſcitur cui ſit reſtituendum. *Vt cum defeceritis*,
ab hac vita mortali ; vel *cum defeceritis* à propriis
meritis , *recipiant in æterna tabernacula.*

II. Dominus docet nos quatuor, 1. *Homo quidam erat dives* &c. In hac parabola mini-
ſtrat nobis materiam ædificationis , & Dominus
& villicus Dominus in *quatuor. Primò* in hoc quod
diffamationi villici non leviter adquieſcit ; bona
enim facilè ſunt credenda de proximo , mala verò
non de facili. In malis enim verum eſt illud Eccleſia-
ſtici 19. *Qui citò credit , levis eſt corde.* Ad non
leviter credendum malum de proximo monemur
exemplo Domini. Geneſ. 18. *Deſcendam* , in-
quit , *& videbo* &c. Et vocato villico dicitur.
Quid hoc audio de te? 1. Ioan. 4. *Nolite omni ſpiritui*
credere. Secundo in hoc quod audita diſſipatione
2. bonorum ſuorum non neglexerit inquirere , & eſt
argumentum quod pro diffamatione ſola poteſt &
debet prælatus inquirere. Geneſ. 18 *Clamor Sodo-*
morum & Gomorraeorum multiplicatus eſt , deſcendam
& videbo. Negligentia & pigritia multis fuit cauſa
depauperationis , & temporalis & ſpiritualis. Pro-
verb. 23. *Veſtietur pannis dormitatio* Eccleſiaſtæ
10. *In pigritiis humiliabitur contignatio* , id eſt ti-
gnorum coniunctio , quæ eſt in ſuprema parte ædi-
ficii. Tigna ſunt ligna quæ dicuntur capiones , eò
quod mutuo ſe capiant. Piger differt ſubvenire do-
mui ſuæ malè tectæ & aliter deterioratæ , donec
totaliter corruit. Idem accidit in domo Eccleſiæ :
ex pigritia enim Prælatorum differtur ſubventio ,
quod tantum creſcit corruptio , quod iam non ha-
bet locum correptio. Hoc eſt quod plangit Iſa.
11. de Synagoga. *Vulnus & livor & plaga tumens*
non eſt circumligata , nec curata medicamine , nec fota
oleo. Tertio in hoc quod Dominus in villico iniqui- 3.
tatis quod laudabile eſt laudat. Sicut apis dimiſſis
immunditiis flori inſidet : ſic Dominus dimiſſis mul-
tis malis quæ erant in villico iniquitatis bonum
inter mala elegit quod laudet. Econtrario multi
inter bona malum eligunt deſiderio detrahendi
& vituperandi , ſimiles ſcabronibus , qui dimiſſis
floribus inſident ſtercoribus. De ſcabronibus ha-
betur Exod. 23. *Cunctorum inimicorum tuorum*
coram te terga vertam , emittens ſcabrones prius. Hi
ſunt ſimiles illis qui de pomo partim ſano , par-
tim putrido , putridum comedunt, quod ſanum eſt
projicientes. Hi quærunt impietatem in domo
iuſti , contra conſilium Salomonis Proverb. 24. *Ne*
inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti. Item
ipſi quærunt feſtucam , unde ſibi oculum eruant ,
avertentes ſe ab his, unde lumen boni exempli ha-
bere poterant. *Quarto* in hoc quod villicum de
remiſſione facta debitoribus , etiam cum damno 4.
ipſius Domini non increpat. Clementi Domino
placet clementia villici , unde Gloſſa dicit.
Chriſtus qui ad clementiam pronus eſt laudabit
diſcipulos , ſi in ſibi creditos miſericordes fue-
rint. Huic Domino valde ſunt diſſimiles principes
huius mundi , qui volunt ut præpoſiti eorum pau-
peres excorient , ut divitias eorum augeant. Micheę
3. *Odio habetis bonum & diligitis malum, qui vio-*
lenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum
deſuper oſſibus eorum. Ipſi ſunt generatio quæ proden-
tibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis ut co-
medat inopes de terra & pauperes de hominibus , Pro-
verb. 30.

Villicus etiam miniſtrat nobis materiam ædifi- III. Villicus etiam quatuor docet.
cationis in *quatuor. Primo* in hoc quod villicatio-
nem ſuam in brevi finiendam eſſe attendit. Idem 1.
attendere debet , quicunque habet aliquam po-
teſtatem ſæcularem. Eccleſiaſtæ 10. *Omnis poten-*
tatus brevis vita &c. *Rex hodie eſt & cras mo-*
rietur. Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum*
pecoris tui tuoſque greges conſidera, non enim habebis 2.
iugiter poteſtatem. Secundo in hoc , quod defectus
ſuos agnoſcit. *Fodere* , inquit *non valeo* &c. Ad li-
teram miniſtri divitum cum à miniſterio amoven-
tur egent , quia neſciunt ſibi aliter providere. De
futuro tamen poteſt intelligi , ubi nullum modum
providendi habebunt , qui hic ſibi non provident.
Dupliciter in præſenti providet ſibi qui indi-
get , vel operando vel mendicando , mendicando,
inquam , mutuum vel donum. Sed in futuro non
erit tempus operandi. Eccleſiaſtici 9. *Quodcunque*
poteſt operari manus inſtanter operare ; quia nec
opus , nec ratio , nec ſapientia , nec ſcientia erunt
apud inferos , quo tu properas. Ioan. 9. *Venit nox , in*
qua nemo poteſt operari. Mendicatio etiam ibi inu-
tilis erit. Proverb. 20. *Propter frigus piger arare no-*
luit , mendicabit ergo in æſtate , & non dabitur ei. &
Matth. 25. dictum eſt quinque virginibus mendican-
tibus : *ne forte non ſufficiat nobis & vobis , ite ad ven-*
dentes

dentes & emite vobis. Tertio in hoc, quod cogitavit quid eſſet facturus. *Quid faciam*, inquit, *quia Dominus meus auferet à me villicationem?* Sic frequenter cogitare debet peccator. Job 31. *Quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Quarto* in hoc quod contra paupertatem futuram remedium eligit amicitiam ſervorum Domini ſui. *Scio*, inquit, *quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas.* Notandum quod manſiones cœleſtes pauperum ſunt, illis enim datæ ſunt. Matth. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, unde ſi divites illud habere volunt, oportet ut illud à paupere emant. Divites habent domos in terra, pauperes in cœlo. Libenter ergo divites recipiant pauperes in domibus ſuis in terra, ut à pauperibus recipiantur in cœlo. Auguſt. Præbe tectum, & accipe cælum.

DE EADEM
SERMO SECVNDVS.

SERMO CXVIII.

SUMMARIUM.

De amicitia & faciendis amicis.

Facite vobis amicos, &c.

Amici faciendi de quo & ad quid.

IN verbo propoſito monet nos Dominus ad hoc, de quo per nos ſatis moniti eſſe deberemus, ſcilicet ut amicos nobis faciamus, oſtendens de quo & ad quid eos facere debeamus. De quo ibi, *de mammona iniquitatis.* Ad quid, ibi: *Ut cum defeceritis.* Vere per nos debemus eſſe moniti & rogati de faciendo amicos, cum hoc ſit utiliſſimum. Iſaiæ 48. *Ego Deus tuus docens te utilia.* Dionyſius. Optimi eſt optima addiſcere. Optimum inter actus humanos eſt amicos facere. Eccleſiaſtici 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio argenti & auri*, &c. Ejuſdem vigeſimo quinto. *Beatus qui invenit amicum verum.* Tullius in libro de amicitia. Omnibus rebus humanis anteponenda eſt amicitia, nihil eſt naturæ tam aptum, tam conveniens, ad res ſecundas vel adverſas. Ad conſervationem naturæ multum valet amicitia. Si proſperitas adſit, habes qui tecum gaudeat; ſi adverſitas, qui eam tecum ſuſtineat. Amicitia etiam prævalet conſanguinitati. Tullius in eodem. In hoc præſtat amicitia propinquitate, quod ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt. Sublata enim benevolentia, nomen amicitiæ tollitur, propinquitas remanet. Conſanguinitas facit ut aliquis ſit tibi propinquus, amicitia autem vera facit, ut aliquis ſit quaſi alter tu. Tullius. Qui verum amicum intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui; quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod dictu difficilius eſt, mortui vivunt. Qui Sanctos, vel Angelos, vel pauperes bonos, qui jam deceſſerunt fecit ſibi amicos, eſt in curia cœleſti ante Deum circa illos, cum nondum ibi ſit in propria perſona. *Item* qui pauperes bonos, qui adhuc vivunt, fecit ſibi amicos, eſt in eis cum Deo in oratione, cum in propria perſona impediatur negotiis ſæcularibus ab oratione: & cum in propria perſona ſit egens meriti, in eis abundat: & cum per ſe ſit debilis reſiſtere diabolo, in eis potens eſt. *Item* cum in propria perſona mortuus ſit, in amicis vivit, qui ei ſubveniunt, & teſtamentum fideliter exequuntur.

Amicitiæ præſtantia & utilitas.

Tria commoda amicorum Sanctorum.

Ad faciendum amicū duo ſunt neceſſaria.

Et notandum quod ei qui vult amicum facere *duo* ſunt neceſſaria. *Primo* ut in ejus electione diſcretionem habeat. *Secundo* ut his quæ poſſunt valere ad hoc, ut ametur, intendat. In electione amici *quatuor* ſunt neceſſaria. *Primum* ut ille qui eligitur ſit diſcretus, quia amicitiæ ſtultorum ſolent eſſe noxiæ. Proverb. 13. *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Licet ſtultus amandus ſit, tamen amicitiæ non ſunt cum eo ineundæ. Ad amicitiam pertinet habere idem velle & idem nolle cum amico & confidentiam & familiaritatem. Specialiter fugienda eſt amicitia illius ſtulti, de quo legitur. Eccleſiaſtici vigeſimo quinto. *Tres ſpecies odivit anima mea, &c. ſenem fatuum & inſenſatum.* Iſte ſenex fatuus eſt mundus, qui eſt quaſi in ſenio, & tamen in levitate & vanitate ſua remanet. Non ceſſat Dominus flagellare ipſum, & tamen non recedit ab eo fatuitas ipſius. Proverb. 27 *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas deſuper feriente pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus Secundum* ut ſit bonus. Tullius in libro de amicitia. Hoc primum ſentio, amicitiam niſi in bonis eſſe non poſſe, quomodo erit tibi amicus, qui ſibi ipſi eſt inimicus? Eccleſiaſtici 14 Qui ſibi nequam, cui bonus? David Pſalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Tertio* ut non ſit iracundus. Proverb. 22. *Noli eſſe amicus homini iracundo.* Homo iracundus eſt velut lignum ignitum quod exurit tangentem ſe, & velut lignum ſpinoſum quod pungit amplectentem ſe; ideo quamvis ſit amandus, tamen ejus familiaritas eſt timenda. Præterea amicitia ejus non duraret, vinculum enim amoris igne iræ in eo exureretur. *Quartum* ne ſit ſuperbus; ſuperbus enim neſcit eſſe ſocius, vult enim eſſe Dominus. Prov. 11. *Ubi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia.*

Quinque verò ſunt quæ ad hoc valere poſſunt ut ab eo ameris quam pro amico elegiſti. *Primum* eſt modeſtia in ſermone. Eccleſiaſtici 20. *Sapiens in verbis amabilem ſe facit, gratiæ autem fatuorum effundentur. Secundum* eſt ſimilitudo Eccleſiaſtici 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt.*

Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi.

Tertium eſt virtus. Tullius de amicitia. Nihil eſt virtute amabilius, nihilque quod alliciat magis ad diligendum. In eodem. Tanta eſt vis probitatis ut eam vel in eis quos nunquam vidimus; vel quod majus eſt, in hoſte diligamus. *Specialiter* valet ad hoc *virtus manſuetudinis.* Eccleſiaſtici 3. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris.* Manſuetudo ad modum adamantis habet vim attractivam. Ezech. 3. *Ut adamantem & ſilicem dedi faciem tuam. Quarto* valent ad hoc obſequia & beneficia. Sapiens. Hoc tempore obſequium amicos, veritas odium parit. Ignem amoris oportet nutriri lignis beneficiorum, alioquin deficit. Proverb 26. *Cum defecerint ligna, ignis extinguetur.* Obſequia etiam feras ad amorem incitant, & de inimicis amicos faciunt. Roman. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. Si ſitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus*, cor ejus accendendo ad amorem tui. *Quinto* valet ad hoc amor. Auguſt. Nulla eſt major ad amorem invitatio, quam prævenire amando. Seneca in epiſtolis. Quæris quomodo amicum facturus ſis, cito ego monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullo venefico carmine. Si vis amari, ama: ut ameris, amabilis eſto.

Sequitur videre de quo faciendi ſunt amici. Sunt enim faciendi de mammona, ſeu de divitiis iniquitatis. Sed quomodo eſt verum, cum ſcriptum ſit Eccleſ. 34. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium ante faciem patris.*

De quo amici faciendi.

Quatuor modis fiunt amici, de mammona iniquitatis. *Primo* cum integre reſtituuntur pauperibus ea quæ per rapinam vel furtum ab eis male habita ſunt, & humiliter petitur remiſſio de injuriis eis illatis differendo reſtitutionem. *Secundo* cum ignoratur cui ſit reſtituendum, & de conſilio Eccleſiæ pauperibus erogatur. *Tertio* cum aliquis contra prohibitionem Eccleſiæ lucratur, ut laborando in

Amici fiunt de mammona. 1. 2. 3.

feſtivis diebus, vel aliter, ita tamen quod non
tenetur ad reſtitutionem: tunc enim facienda eſt
medicina unde facta ſunt vulnera, & dandum
eſt de hoc pauperibus. His tribus modis poſſunt
fieri amici de mammona iniquitatis, ſcilicet de
divitiis inique acquiſitis *Quarto* faciendi ſunt ami-
4 ci de mammona iniquitatis, ſcilicet de divitiis, quę
inique ſervantur cum tenacitate ſcilicet nimia ve-
niali, vel mortali. Poteſt enim quis dãnari eò quod
non dat ſua. Matth. 25. *Diſcedite à me* &c. *Eſu-*
rivi &c. Et dives epulo damnatus eſt quia ſua non
Ad quid faciendi ſint. dedit. Lucæ 16. Ad quid faciendi ſunt amici o-
ſtenditur cum ſubditur; *ut cum defeceritis* &c.
Cato. Gloſſa. Non quoſlibet pauperes, ſed eos qui poſſunt
in æterna tabernacula recipere. Sapiens. *Cui des vi-*
Quibus benefaciendũ quibus non. *deto* Eccleſiaſtici 12. *Si benefeceris, ſcito cui bene-*
feceris. Ibidem *Benefac juſto, & invenies retribu-*
tionem magnam, & ſi non ab ipſo, tamen à Deo.
Ibidem *Da bono, & non recipias peccatorem. Be-*
nefac humili, & ne dederis impio. Quod intelli-
gendum eſt in duobus caſibus Unus eſt, ſi credatur
quod propter donum tuum negligat juſtitiam. A-
lius eſt cum datur intuitu impietatis, ut faciunt illi
qui dant hiſtrioni cauſa hiſtrionatus. Eccleſiaſtæ 7.
Bonum eſt ſuſtentare juſtum. Virum bonum debes
reputare attinentem tibi, exemplo Chriſti dicentis
Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris*
qui in cœlis eſt, ipſe meus frater & mater & ſoror
eſt. Et indubitanter prius eſt ſubveniendum filiis
Dei quam ſervis diaboli. Debent boni amare ſe
invicem, cum mali odiant eos. Joan. 15. *Quia de*
mundo non eſtis, propterea odit vos mundus. Boni
debent ſe amare, ſicut aliqui qui ſunt de una patria
amant ſe, cum conveniunt in alia regione, de mun-
do enim non ſunt, licet ſint in mundo.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Evangelij ſententiæ quædam explanantur.

SERMO CXIX.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

Per villicũ quid intelligatur.

Villicus poteſt intelligi quilibet homo cui Deus commiſit cuſtodiam ad minus ſui ipſius Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.* Sicut vulgariter dicitur bonum caſtrum cuſtodit, qui corpus ſuum cuſtodit; & melius, qui animam ſuam. Deuteron. 4. *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicite.* Proverbiorum quarto. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, ab ipſo enim vita procedit.* Et *notandum* quòd homo indiget magna cuſtodia, tanquam caſtrum undique obſeſſum. Job 19. *Obſederunt in gyro tabernaculum meum.* Impugnatur homo à dextris per proſpera, à ſiniſtris per adverſa, à poſteriori per declinationem præteritorum peccatorum, ab anteriori per novos laqueos tentationum, à ſuperiori per præſumptionem, ab inferiori per deſperationem.

Infamia ex peccato oritur.

Hic diffamatus eſt apud eum, &c. Notandum quòd ſicut fumus procedit ab igne, & fœtor à cadavere, ſic infamia à peccato. Non poteſt diu fieri ignis, quin fumus exeat inde, nec peccatum frequenter fieri, niſi infamiam diffundat. Diffamatur verò peccator, apud homines, apud creaturas, apud Deum. Cùm aliquis diffamatur abſque culpa ſua, cito decidit in infamiã & revertitur pœna in confingentes, ut accidit in presbyteris qui Suſannam accuſaverunt. Dan 13 Cum auditur aliquid contra virum bonæ famæ, debemus ſtupere, non credere, unde ibidem legitur *Obſtupuerunt ſervi vehementer, quia nunquam auditus fuerat ſermo hujuſmodi de Suſanna.* Eccleſiaſtici 19. *Qui cito credit, levis eſt corde.* Et poſt. *Audiſti verbum contra proximum tuum, commoriatur in te, fidens quia te non dirumpet.* Et alludit vulgari quod dicitur: *Ipſe creparet, niſi diceret.* Unde ſubditur: *à facie verbi parturit fatuus.*

Apud homines. Diffamatio ſine culpa.

Peccatum notorium.

Ubi verò peccatum alicujus notorium eſt, tollendum eſt de medio, ne alios inficiat, ſicut fecit Apoſtolus. 1. Corinth. 5. *Tollatur de medio veſtrum*, Et ſubditur: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Publicus peccator eſt ſicut domus igne accenſa in medio civitatis, de qua aliquando carbones prodeunt, qui alias domos comburunt. Unde dixit quidam.

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet. Eccleſ. 32. *Peccator homo vitabit correctionem, & ad voluntatem ſuam inveniet comparationem*, ſuper illud Iſa. 34. *Piloſus clamabit alteri.* Gloſſa. Perpetrata malitia perpetrandam invocat. Seneca, Socrati, Catoni & Lælio honeſtatem excuteret diſſimilis multitudo. Et poſt unum peccatum luxuriæ aut avaritiæ multum mali fecit. Econtrario unum bonum invitat ad aliud bonum. Proverb. 27. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.* Eccleſiaſtici 11. *Ab una ſcintilla augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis*, id eſt peccatum. Infamia eſt ut fœtor procedens de cadavere. Amos 4. *Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum ad nares veſtras.* Peccator occultus eſt ſicut cadaver ſepultum, quod non fœtet aliis hominibus, ſed fœtet Deo & Angelis ejus: peccator verò manifeſtus eſt ſicut cadaver inſepultum.

Sicut cadaver ita peccatum ob tria fœtet.

Et *notandum* quod tria faciunt ad hoc quod cadaver multum fœteat: ſcilicet quod in alto poſitum
eſt, & calor, & ventus. Propter *primum* peccatum
Prælati multum fœtet, & multos inficit. Hierem. 4.
51. *Ecce ego ad te mons peſtifer qui corrumpis uni-*
verſam terram. Sic accidit de Prælato malo, ſicut de
Antiocho. 2. Machab 9. qui tantum fœtebat, quod 3.
fœtore ejus gravabatur exercitus. Proſperitas
velut ſolis calor excitat ad fœtorem. Joſuæ 10, legi-
tur de quinque regibus, quod ſuſpenſi ſunt ſuper 5.
quinque ſtipites ad ſolem. Ventus quidem eſt qua-
ſi quoddam incitamentum ad fœtorem. Ad modum venti ſe habent verba hominum, quæ infamiam diſſeminant. Nec ſolum infamatur peccator apud homines, ſed etiam quodammodo apud cæteras creaturas, quæ eum accuſant, cum teneat eas incarceratas & incluſas; videlicet denarios in arca, frumentum in horreo, vinum in cellario. Unde quaſi de incarceratis loquitur Dominus Oſeæ. 2. *Sumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum, & liberabo lanam meam*, &c. Et Jacob. 5. *Agite nunc divites*, &c. Item quatuor elementa accuſant homines, quæ triplici voce ſecundum Hug. de ſancto Victore nos alloquuntur. *Accipe, redde, fuge, beneficium, debitum, ſupplicium.* Prima vox famulantis, ſecunda admonentis, tertia comminantis. Vox famulantis. Dicit cœlum: miniſtro tibi lucem in die, ut vigiles; tenebras in nocte, ut pauſes: ego ad oblectationem tuam gratas temporum viciſſitudines pario; temperiem veris, fervorem æſtatis, autumni plenitudinem, hyemis algorem. Aër dicit: vitalem tibi præbeo flatum, & omne genus avium ad tuum mitto obſequium. Aqua dicit: potum tibi præbeo, ſordes purgo, arentia rigo, & diverſorum genera piſcium ad tuum uſum nutrio Terra dicit: ego te porto, pane confirmo, vino lætifico. Vox admonentis Mundus dicit: ſervio tibi, qui factus ſum propter te, ut ſervias illi, qui me & te fecit propter ſe. Si ſentis beneficium, redde debitum, ne qui fecit te & me, puniet te per me. Vox comminantis. Dicit ignis à me combureris, aqua, in me demergeris; aer, in me ventilaberis; terra, á me abſorberis; infernus, à me deglutieris. Ideo dicitur Sapient. 5. *Armabit creaturam ad ultionem inimi-*

eorum. Ibidem *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Ejuſdem 16. *Creatura tibi creatori deſerviens exardeſcit in tormentum contra injuſtos.* Peccator etiam diffamatur apud Deum judicem & ultorem, quia opera clament contra facientem. Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Ejuſdem 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaorum multiplicatus eſt.*

Quaſi diſſipaſſet. Bona diſſipantur cum naturalia vulnerantur, gratuita auferuntur, & bona temporalia inutilia redduntur; hæc omnia per peccatum fiunt. De duobus primis habetur Lucæ 10. *Qui deſpoliaverunt eum*, quantum ad gratuita; *& plagis impoſitis*, quantum ad naturalia. Ad tertium poteſt referri illud Eccleſiaſtici 13. *Bona ſubſtantia; cui non eſt peccatum in conſcientia.* Oſeæ 8. Projecit *Iſrael bonum.* Seneca. Nihil eſt homini bonum ſine ſe bono. Et attende quod dicitur *bona illius.* Sive enim ſint bona naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, bona Dei ſunt, non noſtra, ſed nobis credita. 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis?* Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine.* Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.*

Pars Evangelij explanatur.

Quid hoc audio de te? quaſi dicat, de quo talia audire non debueram, cui omnia bona commiſeram. Hæc conſideratio retraxit Joſeph, ne peccaret cum uxore domini ſui Geneſ. 39. *Ecce,* inquit *dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt quod non tradiderit mihi, præter te quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* E contrario legitur de malis Job. 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum. Redde rationem villicationis tuæ.* De præſenti poteſt hoc exponi, & ſecundum hoc redditio villicationis ad confeſſionem etiam refertur. Confeſſio eſt quæ quædam computatio coram Dei Vicario. Bern. Computatio dilata multum facit obliviſci. Poteſt etiam intelligi de futuro, ſub hoc ſenſu *Redde,* &c. id eſt, cogita te redditurum Matt. 12. *De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij* Eccleſiaſtici 18. *Ante judicium interroga te ipſum.* Eccleſiaſtici ultimo. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Matth. 10. *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.*

DOMINICA DECIMA POST FESTUM
SANCTÆ TRINITATIS.
SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Evangelium explanatur & tria documenta dantur.

SERMO CX.

Cum appropinquaret Jeſus Jeruſalem, videns civitatem, flevit ſuper illam, &c. *Luc.* 19.

I. Explicatio Evangelij.

HOc Evangelium oſtendit nobis Salvatoris compaſſionem & zelum: compaſſionem in fletu de civitatis deſtructione; zelum in ejectione ementium & vendentium de templo & quotidiana prædicatione. *Cum appropinquaret*, non ſolũ corporis greſſu, ſed etiam cõpaſſionis affectu. *Flevit ſuper illam.* Ter legitur dominus fleviſſe; ſcilicet hic, & Joannis 11. & Hebr. 5. *dicens, quia ſi cognoviſſes*, quod imminet, & ſupple, fleviſſes, quæ modo exultas, *in hac die tua*, qua ſcilicet tibi lætaris & non Deo. Supple habes, vel ſunt tibi, *ea quæ ad pacem*, tibi temporalem faciunt, ut divitiæ, delitiæ, gloria, ſanitas tua corporalis, & eorum ſimilia, *nunc autem*, id eſt tempore lætitiæ *abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Supple mala imminentia, illa ſcilicet quæ ſequuntur *quia venient dies in te*, id eſt, contra te. Beda. Erit pœna quam imminere ignorat. *Et circumdabunt te inimici tui & anguſtiabunt.* Beda. Romani principes ad litteram dicuntur feciſſe tres aggeres ad capiendam Hieruſalem, *& circumdabunt te undique* obſidendo te. *& ad terram proſternent te &, filios qui in te ſunt*, alios de civibus tuis occidendo, & alios captivando, *eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Beda. Quos Deus viſitat vel miraculo vel præcepto. Hierem. 8. *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum; turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui. Populus autem meus non cognovit judicium domini.* Ad litteram factum eſt ut dominus prædixit, quia Hieruſalem funditus everſa eſt juxta vaticinium Iſaiæ 5. *Diripiam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Poſtquam redierunt Romani ipsâ everſâ, Judæi qui in ſpeluncis latuerant & ſilvis, redierunt Hieruſalem, & cœperunt venerari loca ſancta & reædificare. Quod audientes Romani miſerunt Helium Adrianum, qui funditus evertit eam, ita quod lapis ſuper lapidem non remanſit; & datum eſt edictum à Romanis, ne Judæus quis in tranſmarinis partibus habitaret. Poſt ædificavit modicam civitatem juxta locum ubi eſſe ſolebat, & à nomine ſuo Heliam nominavit, & longo tempore ſic dicta eſt. Et quod in alio loco Hieruſalem ſit quam eſſet cum dominus fuit crucifixus, patet ex hoc, quod locus in quo crucifixus eſt dominus, & hortus in quo ſepultus eſt, modo ſunt in medio civitatis, & tunc erant extra, ſicut patibula malefactorum hodie fiunt extra civitatem. *Et ingreſſus in templum cœpit* &c. Beda. Poſt enumerata mala ingreſſus in templum ejecit ementes & vendentes, per hoc innuens quod ruina populi maximè Sacerdotum culpa fuit. Dum enim vendentes & ementes percutit, oſtendit unde radix perditionis proceſſit. Alia vice ejecit eos ſcilicet poſt miraculum mutationis aquæ in vinum, quod ſolus Joannes narrat ſecundo Cap. De hac ejectione domini, quæ facta eſt in ramis palmarum, loquitur Matth. 21. & Marc. 11. & Luc. hîc ad litteram. In primo atrio templi fecerũt loca venalia ubi vẽditores & campſores erant quod fecerãt fieri ſacerdotes ex cupiditate, ut advenĩetes haberẽt paratũ quod offerrent; & quia aliqui nõ habebant unde emerent, poſuerunt ibi nummularios, à quibus mutuò acciperetur pecunia: & quia non audebant eis accommodare cũ ſuperabundantia manifeſtæ uſuræ, commodabant ſub nomine collibiorum: & dicuntur collibia munuſcula fructuum. *Scriptum eſt* Iſaiæ. 56. *Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Hierem. 7. *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum.* Iſaiæ 1. *Principes tui infideles, ſocij furum.* Oſeæ 6. *In domo Iſrael vidi horrendum, fornicationes Ephraim.*

II. Tria docet nos hoc Evangeliũ.

Videns Ieſus civitatem, &c. Ad *tria* monemur in hoc Evangelio. *Primum* eſt ut vano gaudio fletum præferamus, *ſecundum* eſt ut locis ſacris reverentiam exhibeamus, *tertium* eſt ut prædicationi frequenter intendamus. Ad *primum* monemur in hoc, quod dominus Hieroſolymitas, gaudentes facto & verbo ad fletum incitavit. Facto; dum reſpiciens Hieruſalem flevit: verbo: cum dixit: *quia ſi cognoviſſes & tu.* De hoc, ſcilicet, quare gaudio vano fletus vel triſtitia præferri debeant, vide ſermonem illum: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Et *notandum* quod *quadruplex fletus* Salvatoris poteſt haberi ex ſcriptura. *Primus* eſt fletus infantiæ illius, unde cantat Eccleſia: *vagit infans inter arcta*

Primum.

Fletus Salvatoris quadruplex

conditus præſepia. Sapient. *Primam vocem ſimi-
lem omnibus emiſi plorans*. *Secundus* eſt fletus quo
flevit ſuper Lazarum ad vitam revocandum Joan-
nis 11. *Tertius* eſt fletus quo flevit ſuper civitatem.
Quartus fletus eſt de quo habetur Hebr. 5. quo
creditur fleviſſe in cruce. Hi quatuor fletus Salva-
toris poſſut referri ad *quatuor ſpecies fletus*, qui qua-
Aliæ quatuor ſpecies fletus. ſi quatuor fluvij paradiſi animam irrigant & fœcun-
dant. *Primus* eſt fletus pro incolatu præſentis mi-
ſeriæ. Auguſt. In valle miſeriæ ſumus, in qua eo
magis flendum eſt, quo minus flemus. David Pſ.
119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*.
Secundus eſt fletus compunctionis, de quo David.
Pſalm. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*.
Item *exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia
non cuſtodierunt legem suam*. Pſalm. 118. *Tertius*
fletus compaſſionis Job. 30. *Flebam quondam ſu-
per eo qui afflictus erat* Hierem. 9. *Quis dabit capiti
meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, &
plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?*
Ad has ſpecies Salvatoris fletus referuntur. *Quartus* eſt pro dilatione patriæ. In Pſalm 136.
*Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus,
dum recordaremur Syon*. Ad primã ſpeciẽ fletus perti-
net fletus infãtiæ Salvatoris. De fletu infãtiæ dicitur
ſuper illud Epheſ. 5. (*Redimentes tempus quoniam
dies mali ſunt*) puer qui naſcitur á fletu incipit,
nec ridere poteſt ſtatim natus. Plorat propheta
ſuas calamitates, lachrimæ ſunt teſtes miſeriæ,
nondum loquitur & jam prophetat. Fletus quo
creditur fleviſſe in cruce, pertinet ad fletum com-
punctionis, qui eſt illorum qui ſunt in cruce pœni-
tentiæ. Fletus verò ſuper deſtructionem civitatis,
fletus fuit compaſſionis. Fletus ſuper Lazarum qui
ad vitam erat revocandus, cui gloria erat differen-
da, pertinet ad illam ſpeciem fletus qui eſt pro di-
latione patriæ.

Ad reverentiam locis ſacris exhibendam monẽ-
Secundum. mur in hoc, quod dominus vendentes & ementes
de templo ejecit. Et *notandum* quod multis mo-
dis ſe habet aliquis irreverenter ad ſacrum locum.
Locus ſacer irreverẽter tractatur. *Primo* in ſacro loco male vivendo, ut faciunt ma-
li religioſi. Exod. 3. *Solve calceamenta pedum tuo-
1 rum, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Iſaiæ
26. *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non vide-
bit gloriam Dei*. *Secundo* opus terrenum in Eccleſia
2. agendo. Auguſt. In oratorio nemo aliquid agat,
niſi id ad quod factum eſt, unde & nomen accepit
Marc. 11. legitur quod dominus non ſinebat ut
quiſquam vas transferret per templum. *Tertio* mo-
3. leſtiam ſacro loco inferendo, ut faciunt qui Eccle-
ſias frangunt. 1. Corinth. 3. *Si quis templum Dei
violaverit, diſperdet illum Deus*. *Quarto* locum ſa-
crum polluendo Pſalm. 78. *Polluerunt templum
4. ſanctum tuum*. Legitur de Pompeio, quod poſt-
quam illi qui cum illo erant templum domini pro-
fanaverunt ſtabulantes equos in porticu templi,
nunquam poſt pugnavit quin vinceretur, qui hac-
5. tenus fuerat fortunatiſſimus. *Quinto* proximo ibi
nocendo vel in rebus ſuis, ut qui rapiunt ea quæ ibi
repoſita ſunt, ſicut facere voluit Heliodorus. 2.
Mach. 3. qui graviter flagellatus eſt Vel in ipſis
perſonis, ut faciunt mulieres quæ oſtenſione ſuæ
pulchritudinis filios Dei occidunt. Hieron. gladius
6 igneus ſpecies mulieris eſt. *Sexto* filio Dei in pro-
pria perſona ibi contumeliam faciendo, ut faciunt
illi qui indignè celebrant vel communicant. Hebr.
10. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine miſera-
tione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto de-
teriora mereri putatis ſupplicia qui filium Dei con-
culcaverit*. Secundum Gloſſ. Chriſtum conculcat
qui eo indignè participat.

Ad intendendũ frequẽter prædicationi monemur
in hoc quod Salvator erat quotidie docens in tem-
Tertium. plo, cum verbum Dei panis quotidianus ſit, con-
venienter Salvator quotidie docens erat in templo.
Et notandum, quod illi ad quos pertinet ut præ- Cur ſit frequenter concionandum.
dicent, frequenter debent prædicare, cum in hoc
de ſacra ſcriptura multas habeant admonitiones, &
qui hoc negligunt multas comminationes: & de
multis paucas ponere ſufficiat. Iſaiæ 58 *Clama ne
ceſſes*. Eccleſiaſtici 11. *Mane ſemina ſemen tuum*,
&c Oſeæ 8. *In gutture tuo ſit tuba*. 2. Timoth. 4.
Teſtificor coram Deo &c. Prædica verbum, inſta
oportunè, importunè, oportunè quantum ad eos
quibus placet, importunè nolentibus. Ezech 3. & 33.
*Si dicente me ad impium: morte morieris, non annun-
ciaveris, nec locutus fueris ut avertatur vir in via
ſua impia & vivat, ipſe impius in iniquitate ſua
morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requi-
ram*. 1. Corinth. 9. *Væ mihi ſi non evangelizavero*.
Iſaiæ 6. *Væ mihi quia tacui*. Proverb. 11. *Qui abſ-
condit frumentum in tempore ſuo, maledicetur in
populis* Hierem. 48. *Maledictus qui prohibet gla-
dium ſuum á ſanguine*. Et ſicut qui docti ſunt in Ec- Cur concio libẽter ſit audienda.
cleſia, frequenter debent prædicare in Eccleſia:
ſic etiam indocti libenter & frequenter debent
prædicationem audire. Proverb. 19. *Non ceſſes au-
dire fili doctrinam*. Eccleſiaſtici 6. *Si dilexeris au-
dire ſapiens eris*.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Explicatur Evangelium.

SERMO CXI.

Videns civitatem flevit ſuper illam, &c.

Circa ſeriem hujus Evangelij 12. nobis atten-
denda ſunt pertinentia ad ædificationem no-
ſtram, *Primum* eſt hoc quod Salvator plorat, idẽ I:
oſtendens facto quod Salomon verbo dicens Eccle- Duodecim notanda ex hoc Evangelio.
ſiaſtici 2. *Riſum reputavi errorem*. Bernardus Chri-
ſtum ſuper Lazarum & ſuper civitatem fleviſſe &
in orationibus pernoctaſſe, riſiſſe vero aut jocaſſe
nunquam legimus. *Secundum* eſt quod plorat ſu- 1.
per civitatem non ſuper villulas, civitates enim
magis periculoſæ ſunt: in eis enim plus eſt ſapien- 2.
tiæ mundanæ, quæ ſapientiæ divinæ multum adver-
ſatur. Proverb. 26. *Vidiſtis hominem ſibi ſapientem
videri? magis ſpem ille habebit inſipiens*. Gregor. in
moralibus. Valde difficile eſt ut is qui ſapientem
ſe æſtimat, mentem ad humilitatem reducat, & re-
cte prædicantibus credat. Rom. 8. *Sapientia car-
nis inimica eſt Deo*. In civitatibus ſunt homines
magis ambitioſi, voluptuoſi & avari. *Tertium* eſt 3.
quod deſtructionem Hieruſalem quam facturus
erat ex juſtitia, deflet ex miſericordia. In oleo mi-
ſericordiæ debet ardere ignis zeli. Sorores germa-
næ ſunt juſtitia & miſericordia, unde aſſocian-
tur Matth. 5. *Beati*, inquit, *qui eſuriunt & ſitiunt
juſtitiam*. *Beati miſericordes*, &c. Gloſſa. Juſtitiæ
lumen eſt miſericodia, miſericordiæ virtus eſt ju-
ſtitia. Juſtitia ſine miſericordia cæcus fervor eſt,
miſericordia vero ſine juſtitia remiſſio eſt. Non ha-
bent hæretici veram miſericordiam, cum deſit eis
juſtitia; cum enim ſint miſericordes in fures & ali-
quos maleficos, immiſericordes ſunt in bonos. Qui
parcit zizaniæ, non amat frumentum; & qui par-
cit membro putrido corrumpenti cætera membra,
non amat membra ſana. *Quartum* eſt quod domi-
nus flens ſuper Hieruſalem dicit ei: *Si cognoviſſes
& tu*, ſupple, *fleres*, innuens ex defectu cognitio-
nis eſſe quod non flebat. Sic ex cæcitate eſt quod
aliqui in mundo iſto non flent ſed gaudent, ubi
tanta eſt materia flendi & tanti valoris ſunt lachri-
mæ. De malis quæ in hoc mundo videmus, patet
quod ſunt per ſe materia fletus, bona vero quæ hic
videmus

videmũs mala adducunt, ut ſunt divitiæ, ſanitas,
pulchritudo corporalis, & ſimilia. Eccleſiaſtici 11.
Si dives fueris, non eris immunis à delicto, unde
bona hujus mundi per conſequens materia ſunt fle-
tus. De valore ſeu virtute lachrimarũ vide in tracta-
tu de beatitudinibus, ubi agitur de luctu. *Quintum*
5. eſt quod gaudio Iſraelitatum fletum miſcuit, oſten-
dens facto illud Proverb. 14. *Riſus dolore miſcebi-
tur* & illud Eccli. 11. *In diebus bonorum non imme-
mor ſis malorũ. Sextũ* eſt quod causã hujus deſtruc-
6. tionis eſſe oſtendit, quod tempus viſitationis ſuæ
non cognovit. Viſitaverat dominus Ieruſalem per
ſervos ſuos, tandẽ viſitavit eãm per ſe ipſum, & eam
incorrigibilẽ invenit, & hoc fuit cauſa deſtructio-
nis eorum Matt. 23. *Quoties congregare volui filios
tuos quemadmodũ gallina congregat pullos ſub alas,
& noluiſti*, non projiciuntur ſotulares quam cito
apparuerit in eis foramen, ſed quando non habetur
ſpes de reparatione eorum. Idem accidit in pecca-
toribus. Tunc dominus Judæos reliquit, cum eorũ
incorrigibilitas apparuit. Super illud Pſ. 31. *Multa
flagella peccatoris*, dicit Gloſſa. Peccator domatur
flagello & freno, & utinam domaretur. Verendũ
enim eſt ne nimis reſiſtendo correctioni indomitus
mereatur relinqui, & ire in latam viam quæ ducit
ad mortem *Septimum* eſt quod ingreſſus urbem pri-
7 mo templum adiit. Chryſoſtomus proprium erat
boni filij ut veniens primò ad domum patris cur-
reret. Tu ergo imitator Chriſti factus, cum in ali-
quam ingreſſus fueris civitatem, primò ante omnẽ
8. actũ ad Eccleſiã curras. *Octavũ* eſt quod poſtquam
mala ventura civitati, deflevit, ut radicẽ illorum
oſtẽderet, cupidos & avaros de templo ejecit. Beda.
Poſt enumerata mala ingreſſus in templũ vẽdẽtes &
ementes ejecit, per hoc innuens quod ruina populi
maximè ſacerdotum culpa fuerit. Dum enim ven-
dentes & ementes percutit, oſtendit unde radix
perditionis proceſſit. *Nonum* eſt quod opus terre-
9 num in templo fieri non permiſit Marc. 11. legitur
quod dominus non ſinebat ut quiſquam vas tranſ-
ferret per templum. Vult dominus magnam reve-
rentiam etiã templo materiali exhiberi. David Pſ.
92. *Domum tuam decet ſanctitudo in longitudine
dierum*. Gen. 28. *Quam terribilis eſt locus iſte? non
eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli*. Multũ etiã
diſplicet Deo cum perſonæ Eccleſiaſticæ ſæculares
fiunt ſecũdũ illud Iſa. 24. *Et erit ſicut populus, ſic ſa-
cerdos*. *Decimum* eſt quod exemplũ zelãdi cõtra ſy-
10. moniacam pravitatẽ Eccleſiæ dedit, dum cum tanto
zelo vẽdentes & ementes de templo ejecit. Non le-
gitur Salvator in hac vita mortali tantam iram per
zelũ oſtendiſſe quantã oſtendit ibi. Tunc impletũ
fuit illud Pſ. 68 *Zelus domus tuæ comedit me*. Ber.
Eugenio Papæ. Si Chriſti diſcipulus es, ignoſcat
zelus tuus, exurgat auctoritas adverſus imprudentiã
hanc & generalem peſtem, intuere magiſtrum ſic
facientem, & audi dicentem, *qui mihi miniſtrat, me
ſequatur*, non parat aures ut audiat, ſed flagellum
quô feriat, verba nec facit nec recipit; nec enim ſe-
det judicans, ſed inſequitur puniens. Cauſam tamẽ
non tacet, quod Dei domum negotiationis feciſſent,
ergo & tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum
hujuſmodi negotiatores, ſi fieri poteſt; ſi non, ti-
meant, & tu flagellum tenes ſicut Deus. Contra
peccatum, contra naturam multum zelavit, cum
lege naturali mundus regebatur. Sic tempore gra-
tiæ multum zelavit cõtra pravitatem Symoniacam,
quæ eſt contra gratiam. Unde licet adventus ille
fuiſſet manſuetudinis, tamen iram ſuam contra
hoc vitium voluit oſtendere, ſicut juxta verbum
Bernardi: gehennalis flamma moram non ſuſtinens
11 Sodomæ prævenit tollere nationem. *Undeci-
mum* eſt quod uſurarios latrones vocavit, etiam
illos qui non recipiebant manifeſtas uſuras, ſed
fructus accipiebant pro uſuris, accommodantes his
qui offerre volebant. Uſurarij ſunt fures domeſtici,
& ideo magis nocivi. Nulla enim peſtis efficacior
ad nocendum quam familiaris inimicus. Ipſi tan-
quam fures damnabuntur in die judicij. Væ illi qui
alio modo neſcit victum ſuum adquirere in mundo
iſto niſi per furtũ *Duodecimum* eſt quod quibus in- 12.
tendendũ in templo ſit oſtendit. Orationi & doctri-
næ in Eccleſia intendendũ eſt. Ad primum pertinet
quod domus ejus dicitur *domus orationis*. Ad ſecun-
dum *quod erat quotidie docens in templo*. Eccleſia
domus eſt diſciplinæ ſicut orationis. Auguſtinus in
libro de doctrina Chriſtiana. Diſciplinæ domus eſt
Eccleſia Chriſti. Eccleſiaſtici ultimo. *Appropiate ad
me indocti & congregate vos in domo diſciplinæ*. His
duobus ſpecialiter intenderunt Diſcipuli in primi-
tiva Eccleſia, ſicut ipſi dicunt Actuum 6. *Nos vero*,
inquiunt, *orationi & miniſterio verbi inſtantes eri-
mus*.

Si cognoviſſes & tu. Hoc verbum dixit Salvator II.
flens Hieruſalem gaudenti & mala ſibi ventura non
providenti. Idem verbum debet dicere prædicator
flens vel dolens peccatori in hoc mundo proſpe-
ranti & parata ſibi tormenta non proſpicienti. Sic
loquebatur Paulus Philippenſibus. *Imitatores*, in-
quit, *mei eſtote, fratres, & obſervate eos qui ita am-
bulant ſicut habetis formam noſtram. Multi enim
ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem &
flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis inte-
ritus, quorum Deus venter eſt*. Phil. 3. Peccatores
ſunt *gens abſque conſilio & ſine prudentia, utinam
ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent*.
Deuteron. 32. Et *notandum* quod *ſeptem* mala quaſi
ventura ſunt peccatori per quæ ſi ea cogitet ad fle-
tum incitari poſſet. *Primum* eſt temporalium bono-
rum ſpoliatio, quæ fit ei in morte. Pſalm. 48. *quia* 1.
*cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet
cum eo gloria ejus*. Matth. 25. *Omni habenti dabi-
tur*, ſcilicet gloria, *& abundabit: & ei qui non ha-
bet*, ſcilicet gratiam, *& quod videbatur habere, au-
feretur ab eo*. Lucæ 12. *Stulte hac nocte repetent ani-
mam tuam à te, quæ autem paraſti cujus erunt? Se-* 2.
cundum eſt occurſus inimicorum. Thren. 1. *Omnes
inimici ejus apprehenderunt eam inter anguſtias*.
Bernard. O anima mea quis erit ille pavor, cum ti-
bi occurrentia catervatim illa teterrima monſtra
videbis, ad cujus confugies auxilium? *Tertium* eſt
amiſſio ſtatus pœnitendi, & miſericordiam conſe- 3.
quendi. Iſte ſtatus diſtinguit inter homines viatores
& dæmones. In Pſalm. 75. *ex tunc ira tua*. Item
Pſalm. 74. *Cum accepero tempus, ego juſtitias judi-
cabo*. Quartum eſt magna confuſio. Hierem. 20. 4.
*Confundentur vehementer quia non intellexerunt
opprobrium ſempiternum quod nunquam delebitur*.
Confuſionis ejus cauſa poterit eſſe operum denuda-
tio, vel beneficiorum Chriſti exprobratio, vel Dei
& Sanctorum deriſio. De primo habetur Eccleſia-
ſtici 11. *In fine hominis denudatio operum illius*.
Iſaiæ 47. *Revelabitur ignominia tua*, videbitur op-
probrium. Nahum. 3. *Revelabo pudenda tua in fa-
cie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, &
regnis ignominiam tuam*. Secundum beneficiorum
exprobratio, & ſpecialiter exprobratio Paſſionis
Chriſti, multum confundet eos, cum inſignia Paſ-
ſionis ſuæ eis oſtendet Chriſtus. Apparebunt cica-
trices in carne ejus, ut videant in quem pupuge-
runt. Zach. 12. & Apocal. 1. Matth. 24. *Tunc appa-
rebit ſignum filij hominis in cœlo*. De tertio dicitur
in Pſal. 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Do-
minus ſubſannabit eos*. Proverb. 1. *Ego quoque in
interitu veſtro ridebo*. Et in Pſal. 1. *Videbunt juſti &
timebunt, & ſuper eum ridebunt*, &c. *Quintum*
eſt ſeparatio reproborum ab electis. Matth. 13. *Exi-* 5.
bunt Angeli & de medio juſtorum malos ſeparabunt.

Verbũ hoc dicendum peccatori à concionatore.

Flendum eſt peccatori ob 7.

Ejuſdem 24. *Unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Oſeæ 13. *Conſolatio abſcondita ab oculis meis, quia ipſe inter fratres dividet.* Loquitur de inferno. *Sextum* eſt excluſio à gloria. Iſaiæ 26. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Alia littera noſtra ſic habet. *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei* Chryſoſt. Ego caſum gloriæ illius multo majorem pœnam eſſe gehennæ aio. Intolerabilis eſt gehenna: verum etſi millè ponat aliquis gehennas, nihil tale dicit quale eſt excidere à gloria. Matth. 25. *& clauſa eſt janua.* *Septimum* eſt
7. gehennalis pœnæ miſeria. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*, ſicut dominus oſtendit in multis locis in Evangelio, ut Matth. 8. 13. & Lucæ 13. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

III. Peccatoris 5. pericula. Notandum quod *quinque* ſunt pericula in peccatore. *Primum* eſt peccati inſenſibilitas. Ambroſius: graviſſimè, id eſt, periculoſiſſimè peccas qui
1. ignoras. Bernar. Scio membrum longius à ſalute abſiſtere quod obſtupuit, & ægrum ſeſe non ſentientem periculoſius laborare. Seneca. Initium ſalutis cognitio peccati. *Secundum* eſt remedij abo-
2. minatio proveniens ex quadam ventoſa plenitudine, de qua in Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* *Tertium* eſt perverſitas quæ eſt
3. in quibuſdam, qui adeo ſunt corrupti, quod dicunt bonum malum, & amant periculum ſuum. Iſaiæ 5. *Væ qui dicitis bonum malum*, &c. Eccleſiaſtici 3 *Qui amat periculum, in illo peribit.* Eccleſiaſtici 1. *Perverſi difficile corriguntur.* Ipſi deſtruuntur ab emundatione ſive emendatione, id eſt unde deberent emendari. Gregor. Cœleſtis medicus ægros non reſpicit, quos de medicamento deteriores fieri videt. Tales medicum reputant inimicum. Bernardus. Mira perverſitas: iraſcitur medicanti, & non iraſcitur ſagittanti. *Quartum*
4. eſt corruptio activa ſeu infectio aliorum. De peccatoribus qui non corrumpunt alios intelligitur illud Matth. 13 *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* In Hæreticis verò, quia bonos corrumpunt, quorum ſermo ſerpit ut cancer. 2 ad Timoth. 2. non habet hoc locũ. *Quintũ* eſt induratio in malo, qualis fuit in Pharaone. 1 Reg. 6. *Quare aggravatis corda veſtra ſicut aggravavit Ægyptus* & Pharao cor ſuum. Talis fuit in Judæis, & ideo perierunt Eccleſiaſtici 3. *Cor durum male habebit in noviſſimo.* Proverb. 28. *Qui mentis eſt dura corruet in malum.* Ejudem 29. *Viro qui corripientem ſe dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus*, &c. *Domus mea, domus orationis vocatur.*

IV. Domus Dei triplex. Notandum quod *triplex* eſt domus Dei, ſcilicet *ſuperior* Joan. 14. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* 2. Corinth 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur; quod ædificationem à Deo habeamus domum non manu factam, ſed æternam in cœlis.* Alia eſt domus *inferior* ſive *exterior*, de qua loquitur dominus in Evangelio, ſcilicet in verbo propoſito & Geneſ. 28. in figura hujus domus dicitur, *non eſt hic aliud niſi domus Dei*, &c. Tertia eſt domus *interior*, ſcilicet anima juſti. 1. Corinth. 3. *Templum domini ſanctum eſt, quod eſtis vos.* In eodem. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis?* Domus exterior figura eſt aliarum duarum, oſtendens quid in ſuperiori lateat, & quid in inferiori fieri debeat.

Tertia circa templũ habenda. Circa domum exteriorem, ſcilicet Eccleſiam verbum propoſitum ad tria debet nos incitare, ſcilicet ad ejus *amorem* & *venerationem* & *fiduciam impetrandi.* Ad *primum* excitat nos quod dicitur, *domus*
1. Amor. *mea.* Naturaliter amat filius domum patris, exemplum habemus de hoc in Chriſto, qui relictis parentibus remanſit in templo, & ait: *Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Lucæ 2. Et quando veniebat in Hieruſalem primò ibat ad templum, unde Gloſſa. Super Matth. 21. Ingreſſus urbem templum primo adiit, dans formam religionis, ut quocunque imus, primo domum orationis, ſi ibi eſt, adeamus, & per orationem Deo commendati, ſic ad agenda negotia recedamus. Frequenter etiam erat in templo, Lucæ 21 dicitur quod erat diebus docens in templo, noctibus autem morabatur in mõte Oliveti. *Ad venerationem* etiam Eccleſiæ invitat illud, *Domus mea*, domui enim Dei reverentiam exhibere debemus Malach. 2. 2. Veneratio.
Levi à facie nominis mei pavebat, divinis rebus reverentiam exhibendo. Geneſ. 28. *Quam terribilis eſt locus iſte?* Eccleſia eſt locus communis Deo & hominibus. Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis* 3. Reg. 18. *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum.* Domum Dei decet pulchritudo. David Pſalm 25. *Dilexi decorem domus tuæ.* 3. Reg. 6. *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Pulchritudo hujus domus indicare debet pulchritudinem cœleſtis domus, de qua Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Magnitudo etiam hujus domus inferioris, magnitudinis cœleſtis domus indicium eſt Baruch. 3. *O Iſrael quam magna eſt domus Dei* &c. Luminoſitate vero ipſius indicatur claritas cœleſtis, de qua, Apocal. 21. *Claritas Dei illuminat illam.* Celebritas officij indicat gaudij magnitudinem. Bern. Nihil adeo repræſentat in terris quendam habitationis cœleſtis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. *Fiduciam impe-* 3. Fiduciã impetrandi.
trandi, in Eccleſia nobis dat hoc quod dicitur, *Domus orationis*, ad hoc enim voluit hanc domum fieri, ut ibi oraremus, & orantes exaudiremur: ad quid enim vellet ibi nos orare, niſi & vellet nos exaudire? unde 3. Regum 9. cum Salomon petiiſſet ut orantes in templo exaudirentur, reſpondit dominus: *exaudivi orationem tuam*, &c. Et poſt. *Sanctificavi domum iſtam, & erunt oculi mei & cor meũ ibi cũctis diebus.* 2. Paralip. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus qui oraverit in loco iſto.* Et poſt. *Elegi & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant ibi oculi mei & cor meum cunctis diebus.* In eodem. *Cum compleſſet Salomon fundens preces, deſcendit de cœlo ignis, & devoravit holocauſta & victimas, & majeſtas domini replevit domum.* Exod. Ultimo. *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria domini replevit illud.*

Sequitur. *Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* *Notandum* quod Eccleſia quandoque fuit habitatio ſanctorum, poſt vero facta eſt ſpelunca Eccleſia quomodo ſit ſpelunca latronum.
latronum, quantum ad multos malos qui in ea latebant, tamen non licebat ibi homines malos eſſe apertè, ſed hodiè eſt manifeſta habitatio raptorum. Bern. Plena eſt ambitioſis Eccleſia. Jam non eſt quod horreat in ſtudiis & molitionibus ambitionis. Hodie clamatur non contra latrones, ſed contra innocentes; non contra lupos, ſed contra agnos.

DOMINICA UNDECIMA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO UNICUS.

SERMO CXL.

SUMMARIUM.

Evangelium in 3. partes dividitur & explanatur.

Dixit Jeſus ad quoſdam qui in ſe confidebant, &c.

Lucæ. 18.

Aſcenderunt

Explicatur breviis Evangelii. Pharisæi qui.

ASCenderunt in templum in monte ſitum, ſimile Actuum 3. *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum. Unus Phariſæus*, quaſi diviſus. Phariſæi diviſi erant à cæteris in quibuſdam traditionibus & obſervantiis. Ipſi habebant in manu & in fronte membranas, in quibus erat ſcriptus decalogus, in ſignum quod Dei præcepta habenda ſunt ante oculos cordis per jugem meditationem, & in manu per eorum impletionem. Item ſpinas ferebant in fimbriis palliorum, ut pungerentur cum incederent, & memores mandatorum Dei fierent. *Et alter Publicanus.*

Publicani qui.

Publicani dicebantur, vel quia publicè peccabant, vel quia publicè recipiebant vectigalia, vel quia merces ſuas vendendo omnibus publicabant. Publicanus erat apparentis malitiæ, ſicut Phariſæus apparentis bonitatis. *Raptores injuſti.* Rapina attenditur in violenta occupatione rei alienæ, injuſtitia in iniqua detentione. *Ieiuno bis in Sabbatho*, id eſt in hebdomada. *Dico vobis*, &c. Gloſſa Interlin. Poſita Phariſæi controverſia & Publicani, ponitur judicis ſententia, ut caveatur ſuperbia. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*, id eſt, pluſquam ille; vel ab illo, id eſt, ad comparationem ipſius. Similiter Hierem. 3. *Iuſtificavit animam ſuam adverſatrix Iſrael, comparatione prævaricatricis Iudæ.* Ezech. 16 *Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus.*

Dixit Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant &c. Hoc Evangelium continet quandam parabolam à Salvatore dictam, & *primo* oſtenditur ad quos ſit dicta. *Secundo* ponitur ipſa parabola: *Duo homines*, &c. *Tertio* oſtenditur ad quid docendum ſit inducta, ibi: *quia omnis qui ſe humiliat exaltabitur*, &c.

Tres Paſtores Evangelii.

Circa primum notandum quod hæc parabola dicta eſt ad quoſdam de ſe confidentes quaſi juſtos, & non vere juſtos, & aſpernantes cæteros.

Contra cōfidentes in ſe & aſpernantes cæteros.

Qui de ſe confidit, id eſt de viribus ſuis, vel quantum ad mali declinationem, vel boni operationem, valde fatuus eſt, cùm ſine Dei auxilio ad neutrum ſit ſufficiens. Etiam non ſumus ſufficientes ad bene cogitandum. 2. Corinth. 3 *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.* Iſta præſumptio multis eſt cadendi occaſio. Hierem, 48. *Eo quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis, & in theſauris tuis, tu quoque capieris.* Fatuus eſt etiam qui confidit de operibus ſuis bonis, cum non poſſit ſcire utrum verè bona ſint. Job 9. *Verebar omnia opera mea.* Eccleſiaſtici 9. *Sunt juſti atque ſapientes, & quorum opera ſunt in manu Dei, & tamen neſcit homo utrum amore vel odio ſit dignus.* Fatuus eſt mercator qui confidit in negotiatione cùm diſcernere neſciat de eo quod emit, an ſit aurum vel cuprum, argentum vel ſtannum. Prov. 11. *Qui confidit in divitiis ſuis, corruet.* Et non ſolum fatuus eſt qui de ſe confidit, ſed etiam maledictus, ſecundum illud Hierem. 17. *Maledictus qui confidit in homine.* Et paulo poſt. *Benedictus qui confidit in Domino.* Confidens de ſe eſt ſicut arbor plantata in terra arida quæ areſit, confidens vero in Deo eſt ſicut arbor benedicta plantata juxta fontem divinæ bonitatis, ubi radicem cordis per fiduciam poſuit. Unde Hierem. 17. dicitur de confidente in Domino, *erit tanquam lignum quod tranſplantatur ſuper aquas.* Ipſi erant tanquam juſti, & non verè juſti, cùm non haberent humilitatem. Ubi enim deeſt humilitas, non eſt alicujus gratiæ veritas. Gregor. Eam namque, quam non invenit humilem veritas, fugit mentem. Aſpernans cæteros fatuus eſt, cum corda eorum non poſſit videre ubi ſedes eſt bonitatis. Sicut cæcus naturaliter fatuus eſſet, ſi de coloribus vellet judicare. Sicut ſpiritus ubi vult ſpirat, Joannis tertio. *Spiritus ubi vult ſpirat* & ſubito eum qui malus erat, bonum efficit. Præterea in eo qui nunc eſt in mortali, forſitan eſt aliquid quod erit ei occaſio ſalutis, ut pietas informis. Ambroſius. Qui pietatem ſequitur etſi lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, ſed non peribit. In eo qui eſt in ſtatu gratiæ, forſitan eſt aliquid quod erit ei occaſio damnationis & caſus, ut indignatio adverſus peccatores. Proverb. 29. *Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior.* Item qui nunc eſt ut ſanctus, in Dei præſentia eſt diabolus; & econverſo, ut patet in Juda & Magdalena. Judas erat ſanctus, quia Apoſtolus & miracula faciens, tamen in Dei præſentia erat diabolus. Joannis ſexto. *Unus ex vobis diabolus eſt.* Magdalena vero ſeptem habebat dæmonia. Marc. ultimo, tamen in Dei providentia erat ſancta. Item notandum quod illi ad quos dicta eſt hæc parabola peccabant in Deum & in proximum. In Deum ſe juſtificando, in proximum cæteros aſpernando. Primum diſſuadetur. Eccleſiaſtici 7. *Non te juſtificet apud Deum, quoniam cognitor eſt cordis.* Ipſe qui ſe juſtificat, ſimilis eſt illi qui vult teſtis eſſe in cauſa propria, unde poteſt ei dici illud Joan 8. *Tu de teipſo teſtimonium prabes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Solus Deus teſtis eſt verax, qui non poteſt falli de bonitate conſcientiæ. David Pſalm. 88. *Teſtis in cælo fidelis.* 1. Regum 16. *Deus autem intuetur cor.* Homo bene poteſt falli etiam circa ſe. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc juſtificatus ſum.* Prov. 20. *Quis poteſt dicere, mũdum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* 1. Joan. 1. *Si dixerimus quoniã peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus.* Aſpernanti cæteros dicitur Rom 14. *Tu quis es, qui ſervum judicas alienum? ſuo domino ſtat vel cadit.* Iſa. 23. *Væ qui ſpernis, nonne & tu ſperneris?*

II. Phariſæi & Publicani diverſæ qualitates.

Duo homines proponuntur nobis ut duo ſpecula, Phariſæus ad hoc ut videamus in eo quanta ſit macula ſuperbiæ, Publicanus ad hoc ut in eo videamus quanta ſit virtus humilitatis. Videamus in ſuperbo Phariſæo quod non videbat in ſe. Superbus eſt ſibi quaſi ſpeculum mendax, unde recte ſignificatur per Naaman. 4 Reg. 5. qui interpretatur decorus ſibi, tamen erat leproſus. Superbia eſt lepra, quæ curatur in Jordane, id eſt, in deſcenſu humilitatis. *Aſcenderunt in templum.* Licet uterque aſcenderet quantum ad ſitum loci, tamen Phariſæus aſcendit per præſumptionem, ideo ruiturus. Proverb. 17. *Qui altam facit domum ſuam quærit ruinam.* Publicanus vero deſcendit per humilitatem, merito exaltandus. *Ut orarent*, non ut ſe oſtentarent, ut mulieres faciunt, quæ ita veniunt ad Eccleſiam, ut diabolus apparuit beato Martino, purpuratè ſcilicet, & id quod maxime diſplicet Deo offerunt ei, cum eum rogare volunt, ſcilicet ſuperbiam.

Phariſæi oratio.

Superbia intulit Deo primam contumeliam quæ ei illata eſt, unde non eſt mirum ſi Deus odiat eam *Phariſæus autem ſtans.* Status corporis in eo elationem indicat mentis: econtrario in eo qui debito modo orat humiliatio corporis humilitatem indicat mentis Iſaiæ 49. *Vultu in terra demiſſo adorabunt te.* Eccleſiaſtici, 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. Hæc apud ſe orabat.* Apud ſe orat, quia oratio ejus ad deum non aſcendit. Gregor. Oratio hominis placentis ſibi non aſcendit ad cælum. *Deus gratias ago tibi.* Secundum Interlin. qui aſcendit rogare non rogat, ſed ſe laudat, inſuper, & roganti inſultat. Et *notandũ* quod huic Phariſæo magis congrueret ſacrificium ſpiritus contribulati, quod eſt pœnitentium, quam ſacrificium laudis vanæ, vel gratiarum actionis, quæ eſt perfectorum. In Pſalmo 50. *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus.* Item Pſal. 49. *Sacrificiũ laudis honorificabit me. Non ſum ſicut cæteri hominũ.* quid ergo es Phariſæe? reputas te gigantem & alios locuſtas. Geneſ.

6. *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis.* Num.
13. *Vidimus monſtra quædam filiorum Enach. de ge-*
nere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ vide-
bamur. Gloſſa. *Quatuor* ſunt ſpecies tumoris: cum
Quatuor ſpecies ſuperbiæ. vel aliquis bonum quod habet, à ſe habere æſtimat;
aut ſi datum à Deo credit, pro meritis datum putat;
aut cum jactat ſe habere, quod non habet; aut cum
deſpectis cæteris appetit ſingulariter videri habe-
re quod habet. *Prima* ſpecie ſuperbiæ laborabat
Prima quis laboravit. qui dicebat Daniel. 4. *Nonne hæc eſt Babylon civitas*
magna quam ego ædificavi? Laboranti hac ſuperbia
dicitur 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepi-*
Qui ſecunda. *ſti?* &c. Illi qui habent *ſecundam* ſpeciem ſuperbiæ
extinguunt naturam gratiæ. Ad Rom 11. *Si gratia,*
jam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia.
Pſal. 55. *Pro nihilo ſalvos facies illos.* Laboranti *ter-*
Qui tertia. *tia* ſpecie dicitur Apoc. 3. *Tu dicis, quod dives ſum,*
& locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia miſer
es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.
Qui quarta *Quarta* ſpecie laborabat hic Phariſæus, qui reputa-
bat ſe ſingulariter juſtum, in quo multum decipie-
batur. Sic etiam decipiebatur Helias 3. Reg. 19. di-
cens: *remanſi ego ſolus*, &c. cum tamen multi re-
manſiſſent, ſicut ei dictum fuit. Gregor. Certum eſt
quod humilitatis radio ſe illuminat qui aliorum
bona ſubtiliter penſat, quia dum ea quæ ipſe fecit,
facta foris ab aliis conſpicit, eum tumorem ſuper-
biæ, qui intus de ſingularitate erumpere nititur,
premit Idem Gregorius. Sicut incentivum eſt
elationis conſideratio deterioris, ſic cautela humi-
litatis reſpectus melioris. *Raptores*, &c Cum duæ
ſint partes juſtitiæ, ſcilicet declinare à malo & fa-
cere bonum, primo oſtendit ſe habere primam
partem juſtitiæ, dicens: *Non ſum ſicut cæteri homi-*
num, & ſecundum ibi: *Jejuno bis in Sabbatho*, &c.
Et *notandum* quod ſicut inter accipitres aliqui ſibi
rapiunt & pullis ſuis, ut ſilveſtres; aliqui vero ra-
piunt dominis ſuis, ſcilicet domeſtici: ſic inter ra-
ptores quidam rapiunt ſibi, quidam vero dominis
ſuis, ut balivi. Ipſi habent peccatum, & domi-
ni commodum, Abacuc. 2. *Væ illi qui multiplicat*
non ſua: Injuſti. Injuſtos vocat avarè detinentes
ſua, ſicut raptores rapientes aliena. Eccleſiaſtici 4.
Declina aurem pauperi ſine triſtitia, & redde ei de-
bitum tuum. Velut etiam hic Publicanus. Gloſſa
Interlin. Ecce ex vicino Publicano, majoris tu-
moris occaſio. Superbia & ex bonis & ex malis pro-
ximi facit damnum ſuum. Si habet juxta ſe miſe-
rum, inde magis inflatur; ſi felicem, invidet & af-
fligitur. Econverſo humilitas ubique lucratur. Si
habet juxta ſe miſerum, compatitur, unde de
aliena infirmitate ſanatur, de aliena paupertate di-
tatur. Si fœlicem, magis inde humiliatur. *Jejuno bis*
in Sabbato. Jejunabat Phariſæus jejunio diaboli,
ſcilicet à cibis & non à malis. Iſidorus. Qui à ci-
bis abſtinent & mala agunt, dæmones imitantur,
quibus eſca ſemper abeſt, & culpa ſemper adeſt.
Ipſe cibo ſerpentis infernalis ſolvebat jejunium
ſuum, ſcilicet pulvere vanæ gloriæ. Iſaiæ 5. *Serpen-*
ti pulvis panis ejus. Decimas do, &c. Melius dixiſ-
ſet *reddo*, nihil enim dat domino temporali, qui cen-
ſum quem in terra ſua retinuit ei reddit. Pſalm. 23.
Domini eſt terra & plenitudo ejus, & ratione hujus
dominij ſibi decimas voluit reddi. Jejunando red-
debat Phariſæus quod ſibi debebat. Dando ei deci-
mas, reddebat Deo quod ejus erat. Sed in tertio de-
ficiebat, non enim reddebat proximo, quod ſuum
erat, cui erat injurioſus eum temere judicando.
Quæ à ſe excludit in ea Phariſæus incurrit. Et *notandum*, quod in ea quæ à ſe ipſe excludit, ſpi-
ritualiter incidit. Incurrit ſpiritualem rapinam,
dum titulum bonitatis ſibi uſurpat Incurrit inju-
ſtitiam, dum proximum temerario judicat. Ro-
man. 14 *Tu quis es qui ſervum alienum judicas ſuo*
domino ſtat, aut cadit. Incurrit ſpirituale adulterium,
dum gloriam, quæ quaſi ſponſa eſt Domini, ſibi
uſurpat. Iſaiæ 42. & 48 *Gloriam meam alteri non da-*
bo. Non ſic fecit Joſeph, qui noluit conſentire
uxori Domini ſui dicenti, *dormi mecum.* Geneſ. 39.
Bern. Indignum judicavit inglorium facere, qui ſe
fecerat glorioſum. Ad fidelem Chriſti ſervum per-
tinet dicere illud Pſalm. 113. *Non nobis Domine non*
nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Item qui ſe jactat
de jejunio, paſcitur vento Phariſæi.
Paſcuntur digitis hominum & popularibus auris.
Item qui ſe de decimatione jactat, ſpirituales de-
cimas & primitias Deo, qui eſt Alpha & Omega,
principium & finis, ſubtrahit, non attribuendo ei
principium & conſummationem boni operis. Per
foramen ſuperbiæ evacuatio bonorum in Phariſæo
facta eſt & introductio malorum. Eccleſiaſtici 25.
Ne des aquæ tuæ exitum vel modicum. Beda. Ec-
ce Phariſæus ad exhibendam abſtinentiam, ad im-
pendendam miſericordiam, ad referendas Deo
gratias oculum habet, ad humilitatis cuſtodiam
oculum non habet, & quid prodeſt ſi tota civitas
cuſtodiatur, & unum foramen, per quod hoſtes
intrent, relinquatur? *Publicanus autem ſtans à lon-*
ge. Innuit hoc quod ſeipſum deſpiciebat, immun-
dum ſe judicans & indignum appropinquare ſan- Publicani humilitas & pœnitentia.
ctis, quia leproſum ſpiritualem ſe reputabat. Simi-
le Matth 8 *Domine non ſum dignus ut intres ſub*
tectum, &c. Item Lucæ 5. *Exi à me Domine, quia*
homo peccator ſum. Non audebat oculos ad cœlum
levare, intelligens ſe reum eſſe. Rei enim non eſt
levare faciem. 2. Reg. 2. *Noli me ſequi, ne compellar*
confodere te, & levare non potero faciem meam ad
Joab fratrem tuum Sed percutiebat pectus ſuum; ſe
& Deum vindicans de ſe, percutiendo pectus, ſub
quo eſt cor, unde procedunt cogitationes malæ,
homicidia, &c. Matth. 5. *Dicens Deus propitius*
eſto mihi, quaſi dicat, Iniquitatem meam agnoſco
ſecundum illud. 2. Regum ultimo. *Ego ſum qui*
peccavi.
Duo homines aſcenderunt, &c. In hac parabola Alia explanatio parabolæ.
attende fatuitatem ſuperbiæ in Phariſæo, & diſcre-
tionem humilitatis in Publicano, & veritatem ju-
dicij in Chriſto. Sicut *ubi humilitas, ibi ſapientia.* Fatuitas ſuperbi Phariſæi ſeptuplex.
Proverb. 11. ſic ubi ſuperbia, ibi ſtultitia, nec unam
ſolam, immo ſeptem poſſumus invenire in Pha-
riſæo. *Prima* eſt, quia orationem ſuam à gratiarum 1.
actione incipit quod tale eſt, ac ſi quis Miſſam
inciperet à Deo gratias. Miſſæ confeſſio præmitti-
tur, & in gratiarum actione Miſſa finitur. Sic ju-
ſtus prius accuſator eſt ſui. Proverb. 18. Inchoan- Triplex bonum orationis à conſideratione malorum inchoatæ.
da eſt oratio à conſideratione malorum, ex hoc
triplex bonum provenit. *Primum* eſt *humilitas*, quæ
valde efficax eſt in oratione. Pſal. 101. *Reſpexit in*
orationem humilium. Eccleſiaſtici 35. *Oratio humi-*
liantis ſe nubes penetrabit. Secundum eſt *fletus*, qui
violentus eſt in precibus, juxta verbum Auguſtini
ſuper illud Pſalm. 38. *Auribus percipe lachrymas*
meas. Mundat etiam mentem, qua mundata ora-
tio facile exauditur. Auguſtinus. Munda tantum
cubiculum mentis, intus eſt qui exaudiat *Tertium*,
intenſio deſiderij, quæ multum valet ad hoc, ut
oratio exaudiatur. David Pſalm 9. *Deſiderium pau-*
perum exaudivit Dominus. Dicebat quidam quia
latrones docuerant eum orare. Latro conſiderans
mala culpæ à ſe perpetrata & mala pœnæ ſibi pa-
rata, cum multo deſiderio petit pœnam ſibi remit-
ti, & ſpatium vivendi ſibi concedi: ſic pecca-
tor conſiderans mala quæ fecit & tormenta quæ
Deus ſibi paravit, cum magno deſiderio veniam pe-
tere debet. *Secunda* fatuitas eſt, quod non credit 2.
ſolem juſtitiæ lucere niſi apud ſe, dum ſe ſolum ju-
ſtum putat. Bernardus. Nolo ut nuſquam arbitre-
ris ſolem lucere, niſi in cella tua. *Tertia* eſt quod 3.
gaudet de diſſimilitudine vel inæqualitate, dicens:
Gratias

Gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum,
quod tale eſt, ac ſi aliquis gauderet de inæqualitate
4. manuum vel oculorum ſuorum. *Quarta* eſt quod
Publicanum ſingulariter deſpicit, cum nullus deſ-
piciendus ſit.

Spernere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſe ſe,
Spernere ſe ſperni, quatuor ſunt dona ſuperni,

Philip. 2. *Superiores ſibi invicem arbitrantes.* Rom.
12. *Honore invicem prævenientes.* Bernardus. Qui
peccatum ſuum perfectè examinando ſemetipſum
intelligit, ſuum peccatum nullius peccato par eſſe
exiſtimat, quod non ſicut ſuum, intelligit Lucæ 14.
*Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſi-
mo loco.* Non dicit in medio, ſed in noviſſimo, ut
inferiorem omnibus te reputes. Ille qui nunc eſt
in mortali, forſitan habet aliquid in ſe, quod erit
ei occaſio ſalutis; & tu qui nunc es in charitate,
habes aliquid quod erit tibi cauſa damnationis.
5 *Quinta* eſt quod infirmitates ſuas abſcondit ei
à quo ſanationem ſuam quærere debebat, dicens
ſe non eſſe raptorem, injuſtum, adulterum.
In libro conſolationum. Boëtii. Si opem medi-
cantis expectas, oportet ut vulnus detegas.
Sexta eſt quod Eleemoſynam petiturus divitias
6. ſuas oſtendit. quod tale eſt, ac ſi aliquis mendicet
manu plena nummis. *Ieiuno*, inquit, *bis in
Sabbato*, &c, *Septima* eſt quod gloriatur de fal-
ſa moneta, ſcilicet de operibus quæ ſunt de ge-
7. nere bonorum abſque humilitate. Seneca. Apud ſa-
pientes ſunt honeſta, apud vulgus vero ſimulacra
Publicani 4. diſcretè facta. rerum honeſtarum. In Publicano vero humili inve-
nire poſſumus *quatuor* diſcreta facta. *Primum* eſt
1. *reverentia ſacrorum* quæ apparet ex hoc, quia à
longe ſtabat. Non ſic faciunt uſurarii, qui ponunt
2. ſe iuxta altare, cum Miſſa celebratur. *Secundum*
eſt quod oculos ad cœlum, non levat, nec mi-
rum cum cœleſtem curiam graviter offenderit
multoties, ut fulgur inde expectare poſſit, cœlum
etiam amiſerit, ut eius reſpectus cauſa doloris ei
eſſe poſſit. *Tertium* eſt quod percutiendo ſe, de
3. peſſimo hoſte ſuo vindictam ſumit. Peſſimus hoſtis
peccatoris eſt ipſe peccator, ipſe ſe ad mortem
vulnerat, ipſe ſe diabolo ligat, ligatum tradit, &
funem quo ſuſpendatur ad proprium collum ponit.
Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, &
funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.*
4. *Quartum* eſt quod miſeriam ſuam divinæ miſeri-
cordiæ opponit dicens: *Deus propitius eſto mihi pecca-
tori*, &c. Attendere vero debemus Dei benignam
pietatem in humilem Publicanum: non audet Pu-
blicanus appropinquare, & Deus ei propinquat.
Auguſtinus. Altus quidem es domine, vicinaris ta-
men humili & non ſe erigenti. Non audet ad cœ-
lum reſpicere, & Deus reſpectu miſericordiæ eum
reſpicit. David Pſal. 50. *Cor contritum & humilia-
tum Deus non deſpicies*, id eſt, reſpectu miſericordiæ,
eum reſpicere non dimittes. Publicanus pœnas
à ſe exigit, & Deus ei parcit; culpam ſuam agnoſ-
cit, & Deus ei ignoſcit. Gloſſa. Sicut humilis
non audet appropinquare ut Deus appropinquet,
non aſpicit ut aſpiciatur, premit conſcientiam, ſed
ſpem ſublevat, percutit pectus, pœnas à ſe exi-
git, ut Deus parcat, confitetur, ut Deus ignoſcat,
ignoſcit Deus quod ille agnoſcit. Veritatem iudi-
Æquitas judicii Chriſti. cii attende in Chriſto dicente: *Deſcendit hic juſtifi-
catus in domum ſuam ab illo*, &c. Et eſt hic argu-
mentum quod melior eſt peccator humilis, quam
iuſtus ſuperbus, Auguſtinus in libro de civitate Dei.
Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquid
apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſ-
pliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius
enim ſibi Petrus diſplicuit quando flevit, quam
placuit quando præſumpſit.

Ad quid docendum inducta ſit parabola oſten-
ditur cum dicitur. *Quia omnis qui ſe exaltat humi-
liabitur*, &c. Simile verbum habemus Lucæ 14. III.
& Matth. 23. Creatus eſt homo ad humile mi- Ad docẽdã humilitatẽ hæc parabola eſt inducta.
niſterium, quod ſi impleverit in præſenti, in fu-
turo exaltabitur: ſi vero ab eo receſſerit, in futuro
deiicietur. Proverb. 29. *Superbum ſequitur humi-
litas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria* Eccle-
ſiaſtici 11. *Sapientia humiliati exaltabit caput eius.*
Iob. 22 *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*, Exaltans
ſe Phariſæus humiliatus eſt, humilians ſe Publica-
nus exaltatus eſt. Exaltans ſe Lucifer deiectus eſt,
Lucæ 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur cadentem
de cœlo.* Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer?* &c.
Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo* &c.
*In terram proieciſſe ante faciem regum dedi te, ut cer-
nerent te.*

DOMINICA DUODECIMA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SERMO CXXIII.

SUMMARIUM.

*Tria tractantur, præcipuè circa miraculum
hujus Evangelii.*

Exiens Ieſus de finibus Tyri & Sidonis, &c. *Marc. 7.*

TYrus & Sidon civitates ſunt inter medios
fines Decapoleos. Gloſſa. Decapolis regio Explicatio brevis principii Evangelii.
eſt decem urbium trans Iordanem ad Orientem.
Quod autẽ dicitur venit *ad mare Galilææ inter medios
fines Decapoleos*, non ipſas eum intraſſe ſignificat,
nec mare tranſmigraſſe dicitur, ſed uſque ad mare
veniſſe atque ad locum qui medios fines Decapo-
leos longè trans mare poſitos reſpiciebat. *Et ſuſpi-
ciens*, id eſt ſurſum aſpiciens *quod eſt adaperire*, id
eſt aperiaris. *Quanto autem eis præcipiebat.* Gloſſa,
Sciebat ille qui omnia novit antequam fiant, quia
magis prædicarent, ſed hoc præcipiendo pigris
voluit oſtendere, quanto ſtudioſius quantoque
frequentius prædicare debeant, quibus iubet ut
prædicent, quanto illi qui prohibentur, tacere non
poterant.

Adducunt ei ſurdum & mutum. Circa hoc miraculum I.
à Salvatore factum Tria ſunt nobis attendenda Tria circa hoc miraculum notanda
pertinentia ad ædificationem noſtram. Primum
eſt quid per hunc ſurdum & mutum deſignetur.
Secundum, eſt modus quo curatur. Tertium eſt id
quod ex curatione eius ſequitur. Circa *primum* 1.
notandum quod per hunc ſurdum & mutum Surdus & mutus ſignificat peccatorem
peccator deſignatur, cui cum diabolus ceperit eum
loca illa obſtruit, per quæ facilius ab eo poſſet
expelli, & Deus introduci, ſcilicet, aures
& os, & facit eum ſurdum & mutum: ſurdũ ne con-
ſilium deliberatione ſua audiat: mutum ne con-
ſilium vel auxilium petere valeat. Verè ſurdus eſt
peccator qui clamorem univerſitatis creaturarum Surdus eſt peccator.
non audit, clamorem, inquam, in quo nos inci- 1.
tant ad Dei amorem. Auguſt. in libro confeſſionum.
Domine cœlum & terra, mare, & omnia quæ in
eis ſunt dicũt mihi undique ut amẽ te, nec ceſſant hoc
dicere omnibus ut ſint inexcuſabiles. *Item* verè ſur- 2.
dus eſt peccator, qui clamorem Salvatoris non au-
dit, clamorem, inquam, quo ſanguis eius nos
incitat, ut eum amemus, & ei vicem rependamus.
Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad mediatorem teſtamenti novi
Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem
quam Abel. Item* verè ſurdus eſt peccator, & qui
non audit tubam illam quam mortui audiunt. 1. Theſſ. 3.
4. *Ipſe dominus in juſſu & in voce archangeli & in tuba
Dei deſcendet de cœlo* Hieron. in epiſtolari. Sive
comedam, ſive bibam, ſive aliquid aliud faciam,
ſemper videtur inſonare auribus meis illa terribilis
tuba, ſurgite mortui & venite ad judicium *Item*
verè ſurdus eſt peccator qui tonitrua divinæ comi-

minationis, vel tonitruum ſententiæ extremi ju-
dicij non audit. In Pſal. 28. *Deus majeſtatis in-
tonuit.* Job. 26. *Cum illam ſermonum ejus vix au-
dierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus
intueri.* Item mutus eſt peccator, ſicut animal di-
Mutus eſt peccator & quare. citur mutum, licet habeat vocem, quia non habet
vocē formatā. Sic mutus dicitur qui nō habet verba
debita. Auguſt. In libro confeſſionum. Væ tacen-
tibus de te, quia loquaces muti ſunt. Nemo dicit
canem loqui, etiamſi latret, vel ranam, etſi toto die
coaxet.

Diabolus facit peccatorem ſurdū ad tria. Et *notandum* quod diabolus facit peccatorem ſur-
dum ad tria *Primo* ad clamorem pauperis, ut cum
Deum in paupere non audierit, merito à Deo non
exaudietur Prov. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad
clamorem pauperis, clamabit & ipſe & non exau-
dietur.* *Secundo* facit eum ſurdum fratri veniam
petenti, ut cum fratri remittere noluerit, nullum
peccatum ei à domino remittatur Eccleſiaſtici 28.
*Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti
tibi peccata ſolventur. Homo homini ſervat iram &
à Deo quærit medelam? In hominem ſibi ſimilem non
habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecabi-
tur?* Matt. 18. *Nonne oportuit & te miſereri conſervi
tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Aug. *Ego vos
ad dilectionem inimicorum admoneo, quia ad ſanan-
da peccatorum vulnera nullum utilius medicamentū
eſſe agnoſco.* *Tertio* facit eum ſurdum ad audiendum
verbum Dei, ut cum non audierit Deum præci-
pientem, Deus non audiat eum orantem. Proverb.
28. *Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio
ejus erit execrabilis.* Diabolus hominem facit
mutum ad quatuor: ad Dei laudem, ad orationem,
ad peccatorum confeſſionem, ad proximi inſtruc-
tionem.

II. In curatione ſurdi 7. facta ſunt. Circa modum curandi notandum, quod ſurdus
primo ad Salvatorem adducitur, *ſecundo* Salvator
pro illius ſalute rogatur, *tertio* à turba ejicitur,
quarto Salvator digitos in auriculam ejus mittit,
quinto linguā ſalivā tangit, *ſexto* in cœlum ſuſpicit,
ſeptimo gemit. Circa *primum* ſciendum quod peccato-
1. res multis modis ad Salvatorem adducuntur. Ali-
quando virtute prædicationis. Actorum 2. *His au-
ditis compuncti ſunt corde.* Matt. 26. *Gallus can-
tavit*, qui figuram tenet prædicatoris, *& recorda-
tus eſt Petrus verbi quod dixerat Ieſus, & egreſſus
foras flevit amare.* Aliquando adducitur correctio-
ne infirmitatis, & præcipuè cum timetur ne ſit ad
mortem Pſ 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorū,
poſtea acceleraverunt.* Iſaiæ 38. *Convertit Ezechias
faciem ſuam ad parietem, & flevit fletu magno.* Ec-
cleſiaſtici 10. *Curatio ceſſare faciet peccata maxima.*
Aliquando exemplo alterius vitam præteritam cor-
rigentis. Proverb. 27. *Ferrum ferro acuitur & ho-
mo exacuit faciem amici ſui.* Aliquando largitione
Eleemoſynarum Actor 10. dicitur Cornelio: *exau-
dita eſt oratio tua, & Eleemoſynæ tuæ commemoratæ
ſūt in conſpectu* Dei. Circa *ſecundū* notandum quod
2. precibus ſanctorum aliquando impetratur ſalus
alicujus. Unde Job ultimo dixit dominus ad ami-
cos Job. *Iob ſervus meus orabit pro vobis: faciem
ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia.* Luc.
13. Cuſtos vineæ impetravit de ficulnea ne abſcin-
3. deretur. Circa *tertium* notandum, quod in hoc
quod de turba ſanandus ejicitur, his qui volunt a-
gere pœnitentiam datur exemplum vitandi pravas
ſocietates. Simile habetur Matt. 9 Ejecta enim tur-
ba intravit in domum ut ſalvaret filiam Archiſyna-
gogi Job 39. dicitur de onagro qui deſignat con-
temptores mundi: *contemnit multitudinem civita-
tis.* Commendatur etiam in hoc deſertio mundi
per ingreſſum religionis. Hierem. 48. *Relinquite
civitates, & habitate in petra.* In Pſalmo 54. *Ecce
elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Circa *quar-
tum* notandum quod cum digito auris purgetur,
& digiti ſunt diſcreti ab invicem, in hoc quod di-
gitus in auriculam mittitur, purgatio intellectus à
ſenſu mundi, qui ſtultitia eſt apud Deum, & colla-
tio veræ diſcretionis intelligitur, quæ multum valet
ad ſalutem. Seneca. Initium ſapientiæ cognitio pec-
cati. Auris digito purgata eſt auris audiendi Matt.
13. *Qui habet aures audiendi audiat.* Circa *Quin-* 5.
tum ſciendum eſt quod ſaliva medium eſt guſtus, &
ſi corrupta fuerit decipitur in judicando guſtus de ſa-
pore cibi, ut patet in febricitantibus, quibus prop-
ter amarum humorem, quo palatum infectum eſt,
cibus qui dulcis eſt amarus videtur. Si verò ſit bene
diſpoſita ſaliva, bene judicat guſtus In ſaliva ergo
bene intelligitur gratia, quam dominus dat af-
fectui qua ipſe ſanatur, ut ſapiant ſibi res ut ſapere
debent. Sine ipſa amarum videtur ei dulce & è
converſo. Auguſt. Palatum febricitantis habet,
cui mel cœli inſipidum eſt. Iſaiæ 5. *Væ qui dicitis
bonum malum, & malum bonum,* &c. Circa *ſextum*
ſciendum eſt quod dominus ſanaturus ſurdum & 6.
mutum in cœlum ſuſpexit, unde diſcretio & gra-
tia ſint ſperanda oſtendit, à Deo enim ſperanda
ſunt non ab homine Jacob. 1. *Omne datum optimū
& omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens
à patre luminum.* Circa *ſeptimum* ſciendum quod 7.
in hoc quod dominus ingemuit, innuit quantū ſit fu-
giendum peccatum, quod tam difficile curatur,
quantum eſt ex parte peccantis. Idem voluit domi-
nus oſtendere flendo ſuper Lazarum ſuſcitandum
Joan. 1.

Circa octavum notandum quod ſanationem acti-
vam ex parte ſanati tria ſunt ſecuta, ſcilicet aurium III. E curatione quæ ſecuta ſi n.
apertio, ſolutio vinculi linguæ, recta locutio, ex
parte vero ſanantis, quod præcipit ne miraculum
alicui diceretur, & quod tanto amplius eſt publi-
catum, quantò publicatio à Salvatore magis pro-
hibita eſt. Circa *primum* ſciendum quod cum au- Tria ex parte ſanati.
ditus ſenſus ſit diſciplinæ perceptivus, rectè audi-
tus interior accipitur intellectus Duæ vero aures 1. Aurium apertio.
intelliguntur conſideratio gehennæ & conſideratio
gloriæ Conſideratio gehennæ eſt quaſi auris ſini-
ſtra, conſideratio gloriæ eſt quaſi auris dextra. Ob-
ſtruuntur vero aures iſtæ ſicut auris aſpidis terra
& cauda, id eſt concupiſcentia terrenorum & præ-
ſumptione pœnitentiæ finalis vel longævitatis. Hæ
aures aperiuntur cum deſiderium terrenorum mu-
tatur in deſiderium cœleſtium, & præſumptio lon-
gævitatis in ſpem æternitatis. Lingua interior po- Linguæ & loquela interior quid.
teſt intelligi affectus, loquela vero quæ expreſſiva
eſt intimæ voluntatis accipi poteſt deſiderium.
Hanc loquelam Deus exaudit, *deſiderium* enim *pau-
perum exaudivit dominus.* Pſal. 9. *Et ſolutum eſt* 2.
vinculum linguæ ejus Sciendum quod *triplex* eſt Linguæ ſolutio. Vinculum linguæ triplex.
vinculum linguæ impediens hominē ne peccata ſua
cōfiteatur *Primum* vinculū eſt *pudor*, ut accidit in
peccatis turpibus, ut ſunt peccata contra naturam,
unde ſodomia interpretatur muta. Epheſ. 5 *Quæ e-* 1.
nim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt dicere. Sicut
quādoque ille qui habet morbum in membro pudi-
bundo perit, eò quod præ verecundia eum non de-
tegit. ſic accidit in peccatis turpibus. Eccleſiaſtici
4. *Eſt confuſio adducens peccatum.* Hunc pudo-
rem excutere debet pudor extremi judiicj Nahum
3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam* 2.
gentibus nuditatem tuam. Quandoque *impunitas*
impedit confeſſionem. Eccleſiaſtici 5. *Ne dixeris:
peccavi, & quid accidit mihi triſte? altiſſimus enim
redditor eſt patiens.* Eccleſiaſtici 8. *Quia non pro-
fertur cito contra malos ſententia abſque timore ullo
filij hominum perpetrant mala.* Idem quandoque im-
pedit confeſſionem ſtulta ſpes alias pœnitendi &
confitendi. Eccleſiaſtici 5. *Ne tardes converti ad do-
minum, & ne differas de die in diem.* Job. 32. *Neſcio*

quamdiu ſubſiſtant, &c. Eccleſiaſtici 9. *Neſcit homo finem ſuum. Qui non eſt hodie cras minus aptus erit.*
Item quandoque impedit confeſſionem *deſperatio* de venia, vel *diffidentia* cavendi à peccato. Ge-
3. neſ. 4. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear, Et loquebatur recte.* Recte loquitur, qui bona Deo attribuit, & mala imputat ſibi. Oſeæ 13. *Perdi-*
3 Recta locutio. *tio tua Iſrael ex te, tantummodo ex me auxilium tuum.* Non recte locutus eſt Adam Geneſ. 3. *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi*, retorquens culpam ſuam in datorem, mulieris ſcilicet. Poteſt etiam rectitudo loquelæ intelligi & referri
Quinque verba S. Pauli explicantur. ad quinque verba, de quibus 1. Corinth. 14. *Volo quinque verba loqui in Eccleſia ſenſu meo magis, quam decem millia in lingua.* Primum verbum pertinet ad teipſum, ſecundum ad Deum, tria ſequentia ad proximum. Primo verbo te ipſum ante alios accuſas & condemnas. Proverb. 18. *Iuſtus prius*
1. *accuſator eſt ſui.* Secundo Deum laudas: & hoc verbum bene ſequitur primum verbum, quia prius
2. à peccato es mundandus, quam divinæ laudi intendas. Eccleſiaſtici 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore pec-*
3. *catoris.* Primo verbo aliorum trium ordinatè te habes in corripiendo proximum. Non dicatur tibi illud Rom. 2. *In quo alterum judicas, teipſum condemnas*: & poſt, *qui alium doces, te ipſum non doces*: Et Poëta.

Loripedem rectus, derideat Aethiopem albus.

2. Tim 2. *Solicite cura teipſum probabilem exhiberi Deo, operarium inconfuſibilem.* Matth. 7. *Hypocrita*
4. *ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Secundo verbo in reſponſionibus te exhibeas certum, non proferendo ambigua in conſiliis. Eccleſiaſtici 32. *Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum.*
5. Proverb. 24. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet.* Tertio verbo in expoſitionibus & exhortationibus dilucidum te exhibeas non obſcurum. 1. Corinth. 14. *Si neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus.* Et in eodem. *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur*, ideſt, qui loquitur obſcurè. *Qui autem prophetat*, ideſt, interpretatur, *loquitur ad*
Duo ex parte ſanantis. *ædificationem*, &c. *Et præcepit eis, ne cui dicerent.* Hic monemur exemplo Domini ad vitandam lau-
1. dem hominum. Simile habetur Matth. 17. *Nemini dixeritis viſionem donec filius hominis reſurrexerit à mortuis.* Et Marc. 1. dictum eſt leproſo mundato,
2. *vide nemini dixeris. Quanto autem plus præcipiebat*, &c. Hic innuitur quod laus humana eſt ſicut umbra, quæ fugit ſequentes, & ſequitur fugientes. Eccleſiaſtici 11. *Si ſecutus fueris, non apprehendes: & non effugies, ſi præcucurreris.* Seneca in libro de beneficiis. Gloria fugientes magis ſequitur. *Et eo amplius admirabantur*, &c.

Mundus tria miratur in bonis. Tria ſunt quæ mundani mirantur in electis ſcilicet: *contemptum temporalium.* Eccleſiaſtici 31. *Beatus qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ*
1. *theſauris, fecit enim mirabilia in vita ſua*: *humili-*
2. *tatem.* Eccleſiaſtici 11. *Erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput à tribulatione, & mirati ſunt in illo multi*: *item* taciturnitatem contra contu-
3. meliam. Matth. 27. *Non reſpondebat ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.*

Bene omnia fecit &c. Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Hoc non videntur
Explicatio illius dicti Evangelij credere illi, qui de operibus Dei murmurant; nec mulieres, quæ formam à Deo ſibi datam depingendo ſe mutant. Hieronymus de talibus dicit. Qua fiducia erigit ad cœlos vultus, quos conditor non agnoſcit?

DOMINICA DECIMA TERTIA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO CXIV.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium breviter & verbatim.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. *Luc.* 10.

IN hoc Evangelio *primo* commendatur nobis *humilitas, ſecundo charitas, tertio pietas.* Humilitas in hoc, quod diſcipuli quibus quaſi parvulis dominus arcana ſua revelaverat beatificantur, de qua revelatione præmiſſum eſt in eodem capit. Charitas in hoc, quod oſtenditur quod per dilectionem Dei & proximi ad vitam venitur, ibi: *hoc fac, & vives.* Pietas in hoc, quod poſt parabolam de Samaritano, qui erga ſpoliatum & vulneratum miſericordia motus eſt, ſubditur: *Vade, & tu fac ſimiliter.* Tria commendantur in hoc Evangelio.

Beati oculi, interiores & exteriores, non ſolum veſtri, ſed illorum *qui vident quæ vos videtis*, cognoſcentes ſacramenta illa, id eſt ſacra ſecreta quæ revelantur parvulis Matt. 11. & Luc. 10 *Multi Prophetæ*, futura prædicentes, *& reges*, ſe & alios bene regentes, vel *reges* ad litteram *voluerunt videre, quæ* id eſt qualia & qualiter *vos videtis*, ſcilicet me præſentem & miracula facientem: *& audire quæ auditis* doctrinam ſcilicet ex ore meo, *& non audierunt.* Gloſſa Prophetæ & juſti à longe gloriam Dei cognoverunt, & viderunt per ſpeculum in ænigmate, ſed Apoſtoli præſentem dominum habentes, & ab eo quæ volebant interrogantes non per angelos vel varias viſionum ſpecies videbant. *Et ecce quidam legis peritus*: Ambroſius, verba legis tenens, vim legis ignorans. Iſte habebat litteræ peritiam, ſed non ſpiritualem intelligentiam. *Surrexit*, ut melius audiretur, *tentans illum.* Cum iſte peritus eſſet in lege præſumitur non ignoraſſe mandatum quo venitur ad ſalutem. Unde non videtur interrogaſſe cauſa addiſcendi quod neſciret, ſed ut experientiam ſumeret ſcientiæ Chriſt. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Chryſoſtomus. Non dicit credendo. Prima juſtitia eſt cognoſcere Deum, ultima, opera facere.

Ille reſpondens dixit diliges dominum Deum tuum, &c. Lucas quatuor tangit pertinentia ad modū diligendi Dū. Deuteronom. 6. & Matt. 22. non ponūtur nisi tria. Et aliqui referunt quatuor, quæ ponit Lucas ad quatuor propter quæ Deus eſt diligēdus. Eſt enim diligēdus quia creator, dans eſſe; & quia glorificator, dans optimum eſſe. Verba tamen Deutero. videntur pertinere ad illas tres vires, quæ ſunt rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis. Fortitudo enim quæ tertio loco ponitur pertinet ad iraſcibilem. Verba verò Matthæi videntur pertinere ad illas tres vires, quæ ſunt intellectus, voluntas, & memoria. Unde mens, cujus eſt memorari, tertio loco ponitur. Lucas verò utrumque videtur tangere, ut idem accipias per hoc, quod dicit Lucas *ex omnibus viribus* per hoc quod dicitur in Deutero. *ex tota fortitudine* Et notandum quod ſecundum Gregor. verba iſta, *ex toto corde tuo* ponuntur ad inculcationem, ut ſit ſenſus, *ex toto corde tuo*, &c. id eſt, ex te toto. Secundum Auguſtinum ſic exponitur, *toto corde*, id eſt intellectu ſine errore: *tota anima*, id eſt voluntate tota ſine contradictione: *Omni mente tua*, id eſt memoria ſine oblivione. Secundum Bernardum ſic exponitur. *Toto corde*, id eſt ſapienter; *tota anima*, id eſt dulciter *tota virtute*, id eſt fortiter, ſive perſeveranter. Idem. Non abduci blanditiis, nec ſeduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt. Item. Bern. Diſce amare dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter ne illecti, pru- De dilectione Dei.

denter ne decepti, fortiter ne oppreſſi ab amore, do-
mini avertamur. Et *Proximum tuum ſicut te ipſum*,
id eſt, ad id, ad quod te ipſum, ſcilicet ad gratiã
in præſenti, & ad gloriam in futuro. Vel in quo te
ipſum, id eſt in Deo. Auguſtinus in libro de doc-
trina Chriſtiana. Quiſquis rectè diligit proximum,
hoc cum eo debet agere ut etiam ipſe toto corde,
tota anima, tota mente diligat Deum. Vel poteſt
intelligi, ut ſit ſenſus, hoc facias proximo, quod
tibi vis fieri; quod autem tibi non vis fieri, non
facias ei, ut duo præcepta juris naturalis, quorum
unum habes Matt. 7. aliud Tob. 41. & ſunt expoſi-
tiva hujus mandati. Iſidorus. Duo ſunt erga dilec-
tionem proximi ſervanda, ut beneficij impenſione
foveatur, & nullâ malitiâ lædatur.

Recte reſpondiſti. Laudat reſponſionem, non
laudat factum. *Hoc fac & vives* ſecundũ Gloſſam. In
hoc oſtendit quod per dilectionem ſolam venitur
ad vitam æternam. Matth. 19. *Si vis ad vitam
ingredi ſerva mandata. Ille volens juſtificare ſe ip-
ſum*, id eſt juſtum oſtendere, *dixit ad Ieſum, &
quis eſt meus proximus*? Hoc quæſivit, ut ſe juſtum
oſtenderet. Si enim dominus reſponderet ei. Ju-
dæus eſt proximus tuus, diceret ſe diligere om-
nem Judæum, & ſic omnem proximum, ſed verè
omnis homo proximus eſt, ſed Judæus non repu-
tat proximum niſi Judæum. Unde illud Deuter. 23
Non fænerabis proximo tuo, ſed alieno, ſic intelli-
git alieno, id eſt, gentili vel Chriſtiano. Poterat
dominus breviter reſpondere, omnis homo proxi-
mus tuus eſt, ſed maluit ſimilitudinem proponere
per quam oſtenderet etiam inimicum eſſe proxi-
mum. Ille enim qui incidit in latrones erat Hiero-
ſolymita. Samaritani vero Hieroſolymitis erant
inimici. Unde cum aliquæ gentes infeſtabant Ju-
dæos, Samaritani adhærebant eis. Oſtendendo er-
go inimicum eſſe proximum, oſtendit per conſe-
quens omnem hominem eſſe proximum.

Tres cauſas inſpiciendi in cœlum. *Suſpiciens autem Ieſus* &c. Et *notandum* quod
multis de cauſis aliquis in cœlum ſuſpicit. *Ali-*
1. *quando* ad oſtenſionem ſuæ infirmitatis; oppoſita
enim invicem collata, manifeſtiora ſunt. Job 35.
*Suſpice cœlum & intuere, & contemplare æthera,
quoniam altior ſit te. Quandoque* ad oſtẽdendũ quod
2. in adverſis in Deo confidere debemus, unde Daniel.
13. dicitur de Suſanna quod *flens ſuſpexit in cœlum,
3. erat enim cor ejus fiduciam habens in domino. Quan-
doque* ad innuendum quod bona à Deo non à nobis
habemus Iſaiæ. 22. *Non ſuſpexiſtis ad eum, qui
fecerat eam*, &c. Hac de cauſa in cœlum ſuſpexit vo-
lens oſtendere illud Joan. 7. *Mea doctrina non eſt
mea, ſed ejus qui miſit me.*

Homo quidam, ſcilicet genus humanum, *deſ-
cendebat*, in Adam peccante *à Hieruſalem*, id eſt
cœleſtis beatitudinis pace & viſione, *in Hiericho*,
id eſt in defectum hujus vitæ mutabilis & erroneæ,
& incidit in latrones, id eſt in poteſtatem dæmo-
num, *qui etiam deſpoliaverunt eum*, veſtem im-
mortalitatis, & innocentiæ auferendo, *& plagis*
peccatorum *impoſitis*, id eſt, illatis, quibus hu-
manæ naturæ integritas violatur, *abierunt*, non
ab inſidiis ceſſando, ſed eas occultando, *ſemivivo
relicto*; quia & ſi immortalitas poteſt auferri, ocu-
lus tamen rationis homini remanet, quo Deus
poteſt cognoſci. *Accidit autem ut ſacerdos*, &c.
Sacerdos & Levita pertranſierunt, quia ſacerdo-
tium legis & ejus miniſterium peccata non cura-
verunt, ſed ſolum oſtenderunt. Vel Sacerdos &
Levita intelliguntur, lex & prophetia quæ homi-
nem non ſanaverunt, ſed peccata oſtenderunt &
reprehenderunt *Samaritanus*. Dominus qui ani-
mas cuſtodit, iter faciens: pro nobis enim homo
factus eſt in mundo, veniens ſecus eum, ſcilicet
vulneratum, quia *in ſimilitudinem hominum factus
eſt, & habitu inventus ut homo.* Philip. 2. *Vi-
dens eum*, oculo clementiæ *miſericordia motus eſt*
ex cõpaſſione, *& appropians*, miſeratione, *alligavit
vulnera ejus* quia redarguens peccata cohibuit, *in-
fundens oleum*, ſpem veniæ pœnitenti tribuendo *&
vinum*, terrorem incutiendo, & *imponens illum in ju-
mentum ſuum*. Jumentum dicitur hîc caro Chriſti,
in qua peccata noſtra portavit 1. Petr 2. Huic ju-
mento ſauciatum impoſuit fidem incarnationis in-
ſpirando. *Duxit in ſtabulum*, id eſt in præſentem
Eccleſiã. Gloſſa. Non domũ, ſed ſtabulũ vocat, quo
nomine miſerias & fœtores hujus vitæ ſignificat, ne
homo in hoc exilio tanquam in patria gaudeat, &
curam ejus egit, quia circa ægrotum ſollicitus fuit,
& altera die, ſcilicet poſt reſurrectionem, quando
ſplendor lucis æternæ magis effulſit, *protulit duos
denarios* Gloſſa. Duo teſtamẽta quæ & nomẽ & imagi-
nem regis continent æterni, *& dedit ſtabulario*
Gregor Apoſtolis ſenſum aperuit, ut intelligerent
ſcripturas. *Curam illius habe, & quodcunque ſuper-
erogaveris*, &c. Supererogat qui prædicat, ſi ab
eis quibus prædicat ſumptus non accipiat, ut Pau-
lus. 1. Corinth. 12. Vel ſupererogat, qui non ſolũ
præcepta, ſed etiam concilia implet vel prædicat 1.
Corinth 7. *De virginibus præceptum non habeo, con-
ſilium autem do*, &c. *Cum rediero*, ad judicium,
reddam tibi Matth. 25. *Quia ſuper pauca fuiſti fi-
delis ſuper multa te conſtituam. Quis horum trium*,
&c *Qui fecit miſericordiam* Ambroſ. cognitio non
facit proximũ, ſed miſericordia ſecundum naturã eſt
Nihil enim tam ſecundũ naturam eſt quam naturæ
juvare conſortem. *Vade & tu fac ſimiliter*. Proximi ne-
ceſſitates ſublevãdo, ut te proximũ diligere ſicut te
ipſum manifeſtes

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM. SERMO CXV.

*Exponitur Evangelium copioſius: ſed quinque
ejus ſententiæ potiſſimum.*

Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c.

BEati fuerunt illi qui Chriſtũ preſentẽ ac mira- I.
cula facientem oculis cordis & carnis ſimul Beati varii.
viderunt. Et non ſolum illi beati fuerunt, ſed 1.
etiam illi qui oculis veræ fidei eum vident ſe- 2.
cundum illud Joan. 20. *Quia vidiſti me Thoma
credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt* Et
Lucæ 1. *Beata quæ credidiſti*. Magis beati ſunt illi
qui non ſolum habent fidem, ſed etiam in ſcriptura 3.
ſacra Dei voluntatem agnoſcunt, ut ſunt viri lite-
rati. Baruch. 4. *Beati ſumus Iſrael, quia quæ placi-
ta ſunt Deo, manifeſta ſunt nobis*. Unde in Pſalmo
dicitur de beato viro. *In lege domini fuit voluntas
ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Proverb.
3. *Beatus homo qui invenit ſapientiam & qui affluit
prudentia*. Item magis beati ſunt qui Chriſtum de
prope imitantur relictis omnibus eum ſequentes,
ut ſunt viri religioſi. Bernardus. Beatus eſt Do-
mine Jeſu, qui te hominem inter homines con-
verſantem diligenter obſervans, pro viribus ſe præ-
bet imitatorem tui. Beatiſſimi vero ſunt qui Chri-
ſtum vident facie ad faciem, ad quod poteſt refer-
ri illud 3. Reg 10. *Beati ſervi tui qui ſtant coram te
& ſemper audiunt ſapientiam tuam.*

Beati oculi qui vident, &c. Notandum quod II.
Eccleſia militans in ſtatu illo in quo non poteſt vi- Chriſtum
dere Chriſtum oculis carnis, libenter debet cernimus in hac vita
videre Chriſtum oculis cordis tanquam *ſpeculum* & quintuplici-
tanquam *meritum*, & tanquam *præmium* ſuum ter.
& tanquam *adjutorium* & *remedium*. De duobus
dicit Bernardus. Super Cantica. Utrumque mihi 1. & 2.
es Domine Jeſu & ſpeculum patiendi & præmium
patiendi

patienti utrumque fortiter provocat & vehementer accendit. Ipſe eſt nobis ſpeculum vivendi, ipſe, inquam, ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſpecioſam enim formam vivendi nobis tradidit. Bernardus. Quàm formoſum in forma mea te cognoſco Domine Jeſu, non ſolum propter divina quibus effulges miracula, ſed etiam propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam. *Item de merito,* dicit Bernardus. Meum meritum miſeratio Domini, nam plane non ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum non fuerit expers. Liquet illum erraſſe qui ait Geneſ. 4. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, quia non erat de membris Chriſti, nec pertinebat ad eum de Chriſti merito, ut ſuum præſumeret, ſuum diceret quod illius eſſet.

(Psal. 44. — 3.)

4. De *adjutorio* dicit David Pſalm. 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* De

5. *remedio* Joannis 3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Item *ſciendum* quod libenter & frequenter videnda ſunt nobis oculis cordis credenda, cavenda, agenda timenda, ſperanda. Credenda, ſunt articuli fidei; cavenda, ſunt peccata; agenda, opera virtutum; timenda, ſunt pœnæ futuræ; ſperanda, gaudia æterna. *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre*, &c. Deſiderium eorum in multis locis ſacræ ſcripturæ exprimitur. Numeri 24. *Orietur ſtella ex Iacob.* Et ſubditur. *Heu quis victurus eſt quando faciet illa Dominus?* Iſa. 64. *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes.* Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum*, &c. Aggei 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.*

III. Qui & cur Deus toto corde diligendus ſit.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. id eſt ex te toto. Auguſt. Totum exigit te qui fecit te. Sed noli triſtis eſſe quaſi nihil unde gaudeas remaneat. Ex hoc enim diligis te quod diligis Deum ex toto te. Item non dicas, nunquid amabo proximum? proximus enim in Deo diligendus eſt. Fons amoris debet naſci in alto, ut Deus primò ametur, & inde amor ad alios derivetur. Auguſt. in libro Confeſſionum loquens Domino; Beatus, inquit; qui amat te & amicos in te, & inimicos propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes chari ſunt in illo, qui non amittitur. Ideo debes diligere Deum ex toto te quia fecit te totum, redemit te totum, glorificatur totum, providet toti, & ad hoc monet te totus mundus. Auguſt. in libro confeſſionum Domine cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt dicunt mihi undique ut amem te, nec ceſſant hoc dicere omnibus, ita ut ſint inexcuſabiles. Non amat Deum ex ſe toto ſuperbus vel amator vanæ gloriæ, qui pulverem vanæ gloriæ, quæ nihil eſt, Deo præponit. Joan. 8. *Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt*: nec voluptuoſus, qui pro momentanea delectatione Deum deſerit. Gregorius. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat: nec avarus, qui pro nummo vel pro nihilo eum amittit, ut cum pro vendendis mercibus ſuis perjurium incurrit, & quandoque eas non vendit. Proverb. 10. *Cor impiorum pro nihilo*, &c. Et *notandum* quod Deus vult diligi non ſolum affectu, ſed etiam effectu. 1. Joan 5. *Hæc eſt charitas Dei ut mandata ejus cuſtodiamus.* Hæc eſt charitas ut ambulemus ſecundum voluntatem ejus Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Et *ſpecialiter* vult ſervari mandatum de dilectione proximi. Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

Alius modus diligendi Deum ex toto corde, anima, mente.

Et notandum quod toto corde ſive intellectu Deum amat, qui intellectum in obſequium Chriſti captivat, & qui ſtudium ſuum Chriſto dat, & ad Dei viſionem ardens anhelat. De primo legitur 2. Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequiū Chriſti.* Et *notandū* quod *quadruplex* debet eſſe *captivatio intellectus* noſtri. *Prima* ut in his quæ fidei ſunt Deo obediamus. Hilarius. Soli Deo de ſe credendū eſt, qui ſe novit ſolus. *Secūda* eſt ut melius de proximo quam de nobis ſentiamus. Seneca. Quod homines libenter de aliis, de te apud te male exiſtima. *Tertia* eſt ut ſenſū ſuperioris noſtri ſenſui noſtro præferamus, quod maximè faciendū eſt in religione. Bern. Lignum ſcientiæ boni & mali in paradiſo eſt cenſura diſcretionis in converſatione religionis penes patrem ſpiritualem, qui dijudicat omnia, & ipſe à nemine judicatur: nam ipſius eſt diſcernere, & aliorum obedire. *Quarta* eſt ut circa nos intendentes ab aliis oculos avertamus Bern. Temetipſum ſollicitè cuſtodi, & ut te ipſum cuſtodias ab omnibus oculos averte. Chriſto ſtudium ſuū dat, qui ea quibus adjuvamur in Deum ab eis quibus impedimur, ſagaciter ſecernit quod eſt prudentiæ, ut dicit Auguſtinus. Et qui doctrinam neſcientem Chriſtum faſtidit. Bern. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus. Item qui in creaturis Deum intelligit. Auguſt. Væ illis qui diligunt nutus tuos pro te Nutus tui ſunt omne creaturarum decus. *Tota anima* ſive *voluntate* amat, qui perfecte obedit Deo, quem nec timor mali tranſitorij, nec amor boni tranſitorij ab obedientia retrahit. *Tota mente* ſive *memoria* Deum diligit, qui ea quæ Deo diſplicent & ab amore ejus impediunt oblivioni tradit, ut ſunt injuriæ nobis illatæ, quæ cum cogitantur ſunt quaſi ferrum in vulnere, quod vulneris ſanationem impedit. Item ea quæ ad Dei honorem pertinent, & ad ſalutem animarum memoriæ infigit, quem magnus amor Dei, de alio quam de Deo cogitare diu non ſinit, ſicut ſolet accidere fatuè amantibus qui non poſſunt obliviſci quod amant. Bernard. ſuper Cantic. O amor impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis. Deus vult amorem cordis noſtri habere integrum Prov. 24. *Præbe fili mi cor tuum mihi.*

Captivatio intellectus quadruplex.

Homo quidam deſcendit de Hieruſalem in Iericho. Homo iſte figuram tenet peccatoris. Et ſciendum quod *ſeptem mala* accidunt ei qui per mortale peccatum à Deo recedit, quæ hic nobis inſinuantur. *Primum* eſt deſcenſus ſive potius dejectio quod inſinuatur ibi: *deſcendebat.* Peccavit Adam & à paradiſo terreſtri in hanc vallem miſeriæ deſcendit, & qui dominus erat creaturarum dominium in magna parte amiſit, ut etiam minimis animalibus eſſet ſubjectus, ut pulicibus. Aug. Homo dicit tibi convicium & iratus es: pulicibus reſiſte ut dormias. Itē qui ſimilis erat Deo, ſimilis factus eſt jumēto. Pſ. 48. *Homo cùm honore eſſet, non intellexit*, &c. Ber. Puto jumenta dicerent ſi loqui fas eſſet, ecce Adam quaſi unus ex nobis. Deſcendunt etiam alij qui per mortale peccatum à Deo recedunt, qui in ſtatu gratiæ erant quaſi ad portam paradiſi, in ſtatu culpæ ſunt ad portam inferni. Inter portam & domum non eſt niſi limen medium, & inter ipſos & infernum ſolum tranſverſum corporis videtur eſſe medium, Si enim ſic decedant, quaſi in puncto ad infernum perveniunt. Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Item cum omnia prius eſſent eorum, omnia enim tam proſpera quam adverſa ſerviebant eis, & ad bonum illorum erant ſecundum illud Roman. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Peccatori autem omnia cooperantur in malum, etiam ipſa mors Chriſti. Luc 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum*, &c. Fiunt enim peccando ſervi vitiorum ſecundum illud Auguſt. Malus tot dominorum ſervus eſt, quot vitiorum. Bern. An non ſervus cui

IV. Peccanti mortaliter ſeptem mala evenſunt. 1.

dominatur iniquitas & maximè, niſi tu ſervus indignius judices hominem tibi quam vitium dominari. Item, qui erat in ſtatu in quo erat Deo ſimilis inferior fit brutis animalibus, cum ſit duplicis mortis debitor, ſcilicet temporalis & æternæ, bruta enim ſolam mortem temporalem debent, poſtea nihil
2. mali ſentiunt. *Secundo* eſt amiſſio pacis quod inſinuatur ibi: *à Hieruſalem*, quod interpetatur *viſio pacis*. Joan. 16 *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.* Quam cito enim homo recedit à Deo habet bellum, illa enim pars ſecundum quam eſt imago Dei agens vices Dei movet homini bel-
3. lum remordendo eum. Job. 9. *Quis reſtitit ei & pacem habuit? Tertium* eſt mutabilitas quæ inſinuatur ibi *in Ieriche*, interpretatur enim *Luna* Thren. 1. *Peccatum peccavit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Iſaiæ 57. *Impij quaſi mare fervens quod qui-*
4. *eſcere non poteſt.* Pſalm. 1. *Non ſic impij, non ſic,* &c. *Quartum* eſt quod incidit in poteſtatem dæmonum de quo ibi: *Incidit in latrones.* Valde timendum eſt incidere in eorum manus, & mira inſania eſt quod aliquis audet obdormire in eorum poteſtate, cum ſint nobis inimiciſſimi. Multum debet advertere qui vult à Deo recedere, ad quem, ſi à Deo receſſerit, neceſſe habet ire juxta verbum Petri Joan. 6. *Domine ad quem ibimus?* Et non ſolum incidit in latrones, id eſt in poteſtatem dæmonum, qui mortaliter peccat, immo etiam tranſit in ſtatum latronis, ut dignus ſit infernali ſuſpendio, & jam funem quo ſuſpendendus ſit in collo habeat, qui prius erat filius Dei & dignus
5. cœleſti regno. Funis quo aliquis ſuſpenditur in inferno, eſt mortale peccatum. *Quintum* eſt deſpoliatio, de qua ibi. *Deſpoliaverunt eum.* Et notandum quod qui mortaliter peccat ſpoliatur virtutibus, quæ ſunt animæ veſtimenta & ornamenta. Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet.* Item ſpoliatur bonis operibus, amittit enim omnia bona opera quæ fecit. Ezech. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus quas fecit non recordabuntur, & in peccato ſuo morietur.* Item ſpoliatur bonis eccleſiæ, quorum erat particeps, dum erat in ſtatu gratiæ. Pſalm. 118. *Parti-*
6. *ceps ego ſum omnium timentium,* &c. *Sextum* eſt vulneratio, de qua ibi: *Et plagis impoſitis.* Et notandum quod diabolus illi, quem capit oculos eruit, aures & nares præcidit, manus & pedes amputat, lumbos convulnerat, latus confodit, viſcera effundit. Quandoque oculum dextrum eruit, cum procurat quod de æterna remuneratione non curat. 1. Regum, 11. Rex Jabes dixit nuntiis Saul. *In hoc feriam vobiſcum pactum, ut eruam vobis oculos dextros.* Quandoque uterque oculus eruitur. Samſoni uterque oculus erutus fuit Judic. 16. Auris præciditur, cum obedientia prælato debita, amittitur. Nares vero præciduntur, cum diſcretio ſpiritualis ſubtrahitur. Ezech. 23. *Præcident nares tuas & aures tuas.* Manus amputantur, cum exercitium bonorum operum ſubtrahitur. Pedes amputãtur, cum ſtabilitas boni propoſiti & exitus à malo vel progreſſus de bono in bonum præciditur, pedibus enim ſtat aliquis aut progreditur, Judic. 1. Comprehenderunt Adonibezec cæſis ſummitatibus manuum ac pedum ipſius. Lumbi convulnerantur, cum ad peccatum carnis aliquis pronus efficitur. Job. 16. *Convulneravit lumbos ſuos.* Latus confoditur, cũ amor fraternus amittitur. Numeri 33. *Erunt tibi quaſi clavi in oculis, & quaſi lanceæ in lateribus.*
7. Viſceræ effũdũtur in cupidis & avaris à quibus bona exteriora, cõtemptis internis æternis bonis deſiderantur. Ecc. 10 dicitur de avaro. *Projecit intima ſua.* Job. 16. *Effudit in terram viſcera mea. Septimum* eſt mors nobilioris partis ipſius, quod inſinuatur ibi: *ſemivivo relicto.* Signum hujus mortis eſt privatio ſenſus & motus. Damna enim maxima animæ non ſentit, qui minima damna corporis ſentiret. Item quamvis in ſtatu periculoſiſſimo ſit, tamen non poteſt ſe removere inde, niſi hoc Dei virtute fiat. Semivivus vel ſemimortuus poteſt dici peccator, vel quia vitæ gratiam perdidit & vitam naturæ retinuit, vel propter mutabilitatem ſecundum verbum. Auguſtinus in libro de Trinitate. Mutabilitas, inquit, non inconvenienter mortalitas dicitur. Item propter ſubtractionem vitæ ſuæ, continue enim aliqua pars ſubtrahitur 2. Reg. 14. *Omnes enim morimur*, non dicitur moriemur.

Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Ieriche, & incidit in latrones, Dicuntur latrones dæmones. Job. 29. *Simul venerunt latrones ejus.* Et notandum quod diabolus in multis latroni aſſimilatur. *Primo* in hoc quod dimittens vilia precio- 1.
ſa rapit Geneſ. 14. *Da mihi animas, cætera tolle* 2.
tibi. Secundo lumen prædicationis & conſilij odit, ſciens illud Proverb. 24 *Erit ſalus ubi multa conſilia.* Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem. Tertiũ* 3.
in hoc quod cum non poteſt intrare ut furetur per unum locum, alium ingreſſum quærit Diabolus, tentans Deũm in deſerto, poſtquam per vitium gulæ cum dejicere non potuit, ad alia ſe tranſtulit vitia tentans ipſum de illis Matth. 4. *Quarto* in 4.
hoc quod cum debile oſtium invenit, impingit: cum forte pertranſit. Oſtium forte eſt illud, qui habet firmum propoſitum ut diabolo reſiſtat, & omne 5.
mortale peccatum caveat, & à tali recedit diabolus Jac. 4 *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis. Quinto* illum quem invenit ſolum invadit. Solus eſt qui à ſocietate eccleſiæ ſeparatus eſt, cui multum eſt timendum illud Eccleſ. 4. *Væ ſoli* &c.

V. Dæmones aſſimulantur latronibus.

Item notandum quod multa ſunt remedia contra latrones infernales, de quibus pauca ponere ſufficiat. *Primum* ut domum conſcientiæ noſtræ frequenter ſcrutemur. Bern. Præter quotidianum 1.
orationis ſacrificium & lectionis ſtudium, conſcientiæ diſcutioni, compoſitioni, emendationi, 2.
pars ſua diei neganda non eſt. *Secundum* eſt ut ſomnum pigritiæ caveamus. Luc. 12. *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique.* Si- 3.
mile Matth. 24. *Tertium* eſt ut portam oris & feneſtras ſenſuum diligenter cuſtodiamus, *aſcendit* enim *mors per feneſtras.* Hierem. 9. Et *qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Proverb. 15. *Quartum* eſt ut lumen ſapientiæ habeamus, odit 4.
enim latro infernalis hoc lumen Job. 24. *Cum ſubi-* 5.
to apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis. *Quintum* eſt ut theſaurum noſtrum in loco tuto reponamus, ſcilicet theſaurizando in cœlo. Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo*, & bona noſtra commendando Deo & ſanctis, ut faciebat David dicens. *In manus tuas commendo ſpiritum* 6.
meum. Pſalm. 30. *Sextum* eſt ut orando ad Deum clamemus, clamor enim iſte exterret latrones infernales, Matth. 26. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.*

Remedia contra Dæmones.

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SERMO CXVI.

SUMMARIUM.

De habentibus curam animarum.

Curam illius habe.

QVia parabola iſta loquitur de cura, ideo de ipſa poſſet fieri ſermo habentibus curam animarum & comprehenduntur quatuor genera perſonarum in hac parabola ſcilicet ille qui incidit in latrones, & illi qui tranſeuntes juxta illum miſericordia moti non ſunt, & Samaritanus qui ſuper eum miſericordia motus eſt & ille cui

Quatuor perſonę parabolę.

in ſuo

in ſuo receſſu curam commiſit. Primus tenet figuram populi, de quo cura habenda eſt. Sacerdos & levita tenent figuram miniſtrorum ſynagogæ, qui in cura populi fuerunt negligentes. Samaritanus, qui interpretatur cuſtos, ſignificat Chriſtum qui cuſtos eſt. In Pſalmo 126. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem*, &c. Ille cui in receſſu ſuo curam commiſit, figuram tenet miniſtrorum eccleſiæ, quos dominus curam à ſe inchoatam perficere voluit.

Vltima denotat curam animarum habentes, de quibus ſex explicantur.

Miniſtris vero eccleſiæ curam animarum habentibus parabola iſta miniſtrat materiam timoris & conſolationis. Conſolationis primò in hoc quod dominus curam habuit, de qua ibi. *Curam illius egi*: *ſecundò* in hoc quod curam commiſit ibi; *Curam illius habe*, *tertiò* in hoc quod ſupereroganti præmium promiſit ibi: Q*uodcunque ſupererogaveris*. Materiam timoris *tria* miniſtrant, ſcilicet gravitas infirmitatis eius quem in cura habet, de quo hic; *abierunt ſemivivo relicto*; & quod dominus indicat anteceſſores eorum negligentes fuiſſe in hàc curá, ubi dicit quod ſacerdos & levita pertranſierunt: timendum enim eſt ne ſimiliter iudicet de multis modernis, & diligentia ſamaritani qui ita diligenter curam inchoavit, non enim negligenter eam conſummari voluit qui adeo diligenter eam inchoavit. David Pſal. 9. *Annunciate inter gentes ſtudia eius*.

1. Circa *primum* nota quod non ſolum Chriſtus curam habuit, ſed & propter hoc officium venit in mundum. In vita ſua huic officio intendit, & in hoc mortuus eſt. Auguſtin. Magna conſolatio membris ex capite. Non reputet ergo qui curam habet ſe ignominioſum habere officium, *magna enim gloria eſt ſequi dominum*, Eccleſiaſtici 23. Gaudeat ſe officium tale habere in mundo iſto, quale filius Dei habuit. Quanto glorioſius eſt Deum imitari quam diabolum, tanto glorioſius eſt curandis animabus intendere quam litibus. Auguſt. Nihil ſimilius eſt actibus dæmonum quam litigare. 1. Corinth. 6. *Secularia iudicia ſi habueritis inter vos, contemptibiles qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad iudicandum*. Curam habere eſt divinum officium ſapient. 12. *Non eſt alius Deus quam tu cui cura eſt de omnibus*. Sed ſpecialiter de animabus. Eiuſdem 11. *Parcis omnibus quia tua ſunt omnia domine, qui amas animas*.

2. Circa *ſecundum* notandum quod dominus curam commiſit. De officio advocationis hoc non legimus. Ei qui ad curam debito modo accedit, Dominus curam committit. Accedit vero modo debito, quem non ingerit ſtulta & præſumptuoſa ſuperbia vel cupiditas, ſed Chriſti amor & compaſſio proximi. Declinandus autem eſt locus ſuperior humiliter Chriſti exemplo, qui licet eſſet ſufficientiſſimus fugit cum vellent eum regem facere Ioan. 6. Auguſt. Locus ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, & ſi teneatur atque miniſtretur ut decet, indecenter tamen appetitur. Gregor. Pollens virtutibus invitus & coactus accedit ad regimen animarum. Prudenter quia eſt locus periculoſus. Auguſt. Quanto quis in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Superbia illum ad curam incitat, qui ibi quærit excellentiam propter ſe. Superbia eſt amor propriæ excellentiæ. Superbia enim omnis ſtulta eſt, ut ait Bernard. licet non omnis ſtultitia ſuperbia ſit, præſumptio indubitanter eſt, ſi vita deſit vel ſcientia. Auguſt. Prius vide ſi noſti diligere te ipſum, & committo tibi proximum ſicut te ipſum. Si vero non noſti diligere te, timeo ne decipias proximum ſicut te. Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Qui nunquam audivit de arte medicinali, qua temeritate præſumet mederi? Si verò adſit & vita & competens ſcientia & ſequatur Dei vocatio, ut præſentetur ab illo ad quem pertinet, & incuretur ab illo qui locum Dei tenet, nec intervenit pecunia vel preces carnales vel violentia, amore Dei curam quis ſuſcipere debet, hoc enim Dominus petiit à Petro poſt trinam interrogationem de amore factam. Auguſtin. Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium ſanctum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Movere etiam eum debet ad hoc compaſſio proximi exemplo Samaritani, qui videns vulneratum miſericordia motus eſt. Si hæc duo aliquem introducant, Deus ei curam committit Si vero præceptum eccleſiæ addatur, tunc trahit eum triplex funiculus cui nec debet nec poteſt reſiſtere, tunc non debet reſignationem facere nec quærere. Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*. Bern. in epiſtolis loquens cuidam, Congratulor, inquit, tibi quod exoneratus ſis. Sed vereor ne Deus à te exoneratus ſit, cuius procul dubio ordinationi reſiſtis, dum promotus ab illo, tu à te dejiceris.

Qui debito modo ad curam accedant, qui non.

Circa *tertium* notandum quod quantumcunque aliquis videatur excedere laborando vel expendendo pro ſalute animarum, licet etiam non proficiat non eſt ei timendum. fidelis enim eſt Deus qui promiſit quodcunque ſupererogaveris, &c. Sicut qui miniſtrant ægris corpore, multa præparant de quibus infirmi non guſtant, tamen ille pro quo faciunt, Chriſtus ſcilicet, ſolvet eis, ac ſi inde guſtaſſent. Sic accidit in his qui laborant pro ſalute animarum, retribuet enim eis Salvator, licet ipſi non proficiant. Et ſciendum quod cum una anima creaturis omnibus corporalibus prævaleat, plus eſſet laborandum pro una anima ut ſalva fieret, quam laboraretur pro omnibus quæ ſalvari non poſſunt. 3.

Circa *primum* verò illorum *trium* quæ habentibus curam animarum materiam timoris miniſtrant, notandum, quod *quatuor* dicuntur de illo qui incidit in latrones, quæ habentes curam animarum circa maiorem partem ſubditorum ſuorum inveniunt. *Primum* eſt *diſpoliatio*, peccanti enim mortaliter nullum bonum verum remanet. Seneca. Nihil eſt homini bonum ſine ſe bono. Oſeæ, 8. *Proiecit Iſrael bonum*. *Secundum* eſt *plagarum illatio*, & non unius plagæ tantum. Iſaiæ 5. *A planta pedis*, &c. *Tertium* eſt quod ibi relictus eſt, non enim inde recedere potuit. Licet peccator agnoſcat ſe eſſe in luto immunditiæ, & licet gladium divinæ iuſtitiæ videat evaginatum ſupra ſe, & licet ſciat ſe reputari fatuum & infelicem propter peccatum ſuum, tamen non poteſt inde ſe movere. Exod 15. *Fiant immobiles quaſi lapis*. *Quartum* eſt quod ſemivivus ſive ſemimortuus relictus eſt, vivus carne, mortuus corde. Vix tangeret eum pulex quin ſentiret ex parte carnis: ex parte animæ nec damna nec vulnera ſentit. Proverb. 23. *Vulneraverunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi*. Nec ſolum ſemimortui ſunt multi, ſed etiam pluſquam decem partes vitæ ſuæ amiſerunt. Seneca in epiſtolis. Quem dabis mihi qui aliquod precium tempori ponat, qui intelligat ſe quotidie mori: in hoc omnes fallimur, quod mortem non proſpicimus. Magna pars eius jam præteriit, quidquid ætatis retro eſt mors tenet. 4.

Incidenti in latrones quatuor acciderunt.

Circa *ſecundum* notandum eſt quod multis habentibus curam animarum timendum eſt ne Chriſtus iudicet eos ſimiles miniſtris ſynagogæ, ſcilicet ſine miſericordia, circa ſalutem animarum negligentiſſimos. Bern. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet, perit anima, & non eſt qui recogitet. Si cadit aſina, & non ſufficis ad ſublevandum, quæris adiutorem: ubi vero tot ſubditi iacent ſub onere

peccatorum ſuorum, adjutorés non quæris, & ſubvenire volentem non diligis.

6. Samaritani diligentia to ſpectatur. Circa diligentiam Samaritani 10. attende *Primo*
1. *aſpectum*, de quo ibi: *& videns illum.* exemplo illius conſiderare debet ſacerdos populum ſibi ſubditum. Joan 10. *Cognoſco oves meas.* Proverb. 12. *Novit juſtus animas jumentorum ſuorum, viſcera autem impiorum crudelia.* Si vero ſacerdos diligenter conſideret ſubditos, videbit aliquos adeo per ſuperbiam inflatos, ut viſum amiſerint. Aug. in libro confeſſionum. Nimis inflata facies claudebat oculos meos: alios veneno ſerpentis infernalis, ſcilicet invidia corruptos. Proverb. 14. *Putredo oſſium invidia*: alios ira & impatientia quaſi freneticos, ut ſe & familiam ſuam & patrem cœleſtem ore dilacerent: alios accidia languentes, & etiam ad paſcendum ſe impotentes, alios inflatos avaritia ad gulam, ut jam eis immineat ſuffocatio: alios eviſceratos Judæ ſimiles, *qui ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Actor. alios vero lumbis vulneratos, & ut uno verbo comprehendam, majorem partem corū videbis decapitatam, id eſt à Chriſto capite per mortale peccatum ſeparatam. Aug. ſuper Lucam. Sunt ne in te viſcera Chriſtianæ paſſionis, qui plangis corpus à quo receſſit anima, & non plangis animam à qua receſſit Deus? *Secundum* eſt *miſeri-*
2. *cordia*, de qua ibi: *miſericordia motus eſt.* Viſionem ſequitur miſericordia, ſeu compaſſio. Lucæ 19. *Si cognoviſſes & tu*, ſupple, *fleres.* Viſus & lachrymæ ad idem membrum pertinent, ſcilicet ad oculum. Oculus enim Eccleſiæ tenerior & compaſſibilior deberet eſſe cæteris membris, ſed oculus in calcaneum verſus eſt quantum ad duritiam, nec mirum eſt cum non minus calcaneo terram tangat per ſolicitudinem & amorem. *Tertium* eſt *appropia-*
3. *tio*, ibi: *& appropians.* Econtrario tunc aliqui elongant ſe, cum curam ſuſceperint, cum tamen tanta infirmitas & tot infirmorum indubitanter requirat Medici præſentiam. Seneca. Tantum habes negotij quantum Medicus in peſtilentia. *Quartum*
4. eſt *olei infuſio*, quæ eſt divinæ miſericordiæ oſtenſio, quæ ſpem erigit. *Quintum* eſt *vini infuſio*,
5. quæ eſt oſtenſio eorum, quæ timorem incutiunt ut ſunt pœnæ infernales. Iſaiæ 26. *A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.* Proverb. 1. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* *Sextum* eſt *vulnerum alligatio*, quæ fit
6. Sacramentorum exhibitione. Et eſt alligatio ad fluxum ſanguinis reſtringendum, quæ ſi ſit nimis ſtricta, læſionem facit; ſi nimis laxa, fluxum non reſtringit. *Medium tenuere beati.* Reprehenſibiles ſunt qui nimiis pœnitentiis onerant homines, juxta verbum Domini, Matth. 23. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum,* &c. Cum tamen Apoſtolis dictum ſit de Lazaro, *ſolvite eum, & ſinite abire.* Joan. 11. Item multi ſic onerant eos, quod quaſi non poſſunt abire. *Septi-*
7. *mum* eſt quod impoſuit eum in jumentum ſuum. Ejus qui habet curam eſt ſubditos portare, non ab eis portari exemplo Chriſti, qui *peccata portavit in corpore ſuo ſuper lignum.* 1. Petri 2. 1. Reg. 15. *Nunc quaſo porta peccatum meum.* Et Levit. 10. *Vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Dei.* Bern. quid jugum veſtrum ſuper illos aggravatis, quorum onera potius portare debetis?
8. *Octavum* eſt quod de loco ubi fuerat vulneratus eū removit. In quo inſinuatur, quod ad ſanationem ſpiritualem mutare locum expedit, in quo infirmitatem ſpiritualem incurrit, ut clericis bene expedit ire ad ſcholas, vel intrare in religionem bene ordinatam. Jerem. 48. *Sterilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, requievit in fecibus ſuis, non eſt transfuſus de vaſe in vas.* *Nonum* eſt quod receſſurus curam ejus 9.
alteri commiſit. Non ſic faciunt multi, qui ſi vocantur ad majus beneficium, volunt retinere minus quod prius habebant. Quod tenent non poteſt evelli ab eis, ſicut nec ab homine qui ſubmergitur. Bernard. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus avelli ſepararique non poſſe. Profecto ſimiles ſunt illis, qui ſubmerſi periclitantur in aquis, quos nimirum videas tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere quidquid manibus occurrerit. *Decimum* eſt quod 10.
illi cui commiſit, dedit duos denarios, per quos duo teſtamenta ſignificantur ſecundum Gloſſam, in quibus æterni regis nomen & imago continentur. In quo inſinuatur, quod habenti curam ſpiritualiter eſt neceſſaria notitia ſacræ ſcripturæ. Oculo Eccleſiæ lumen ſapientiæ multum eſt neceſſarium. Oculus corporis ſine lumine eſſet quaſi inutilis, ſic eſt de oculo Eccleſiæ. Medico ſpirituali neceſſaria eſt medicinæ ſpiritualis notitia, nec ei ſufficit quod ſciat cantare & legere. Quid ad infirmum de cantu Medici.

Accidit ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, Vitia Clericorum.
&c. Nota quod Archiepiſcopi & Epiſcopi, & Archidiaconi, & alij qui ſunt in ſacris ordinibus, ſicut præcellunt honore, ſic præcellere debent vitæ ſanctitate. Sed hodie pro magna parte in eiſdem vitiis inveniuntur ſicut ſubditi, unde hic habetur quod eadem via deſcendebat Sacerdos & Levita, qua ille qui incidit in latrones. Iſaiæ 24. *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* Aliquando deteriores inveniuntur. Jerem. 5. *Ibo ad optimates & loquar illis, ipſi enim cognoverunt judicium Domini & viam Dei ſui.* Viam Dei quantum ad manifeſta, judicium quo ad occulta. Et ſubditur: *Et ecce magis hi fregerunt jugum, ruperunt vincula.* Iſti ſunt qui prætereunt faciem avertentes. Amos 6. *Optimates, capita populi, ingredientes pompatice domum Domini.* Et ſubditur quibuſdam interpoſitis: *bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* Et *viſo illo præteriit*, ſcilicet ſpoliato & vulnerato. Forſitan ſi eſſet vulneratus & non ſpoliatus non ita pertranſirent, ſed intenderent. Sed hoc non propter vulnera ſananda, ſed propter ſpolia tollenda. 1. Paralip. 10. Venerunt & Philiſtim & detraxerunt ſpolia cæſorum, & bene dicitur ſpolia cæſorum; prius enim excommunicationis vulnus infligunt, & deinde ſpolia emendarum tollunt. Strenuorum militum non eſt ſpoliis intendere, ſed victoriæ. Ribaldi verò ſpoliis intendunt. 1. Mach. 4. *Non concupiſcatis ſpolia eorum, quia bellum contra vos eſt.*

DOMINICA XIV. POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

SERMO CXVI.

In hoc ſermone agitur de lepra & leproſis, item de Samaritano & caſtello religionis.

Cum iret Jeſus in Hieruſalem tranſibat per mediam Samariam, &c. *Lucæ* 17.

Littera plana eſt, nec indiget expoſitione. Recolit Eccleſia in Evangelio hodierno unum de miraculis à Salvatore factis, vel potius decem, ſci- 1. Quatuor circa hos leproſos notanda.
licet curationem decem leproſorum. Circa ſeriem vero Evangelij quatuor nobis attendenda ſunt pertinentia ad ædificationem noſtram: ſcilicet genus infirmitatis à qua Salvator curavit, infirmantium numerus, curationis modus, unius reditus ad Salvatorem.

Genus infirmitatis lepra fuit, per quam deſignatur

Genus morbi. tor peccatum. Vide ſermonem Dominicæ 2. poſt Epiph. *Cum deſcendiſſet Ieſus de monte ſecuta ſunt eum turba multa: & ecce leproſus &c.* Decem vero

2. Numerus leproſorum. fuerunt qui à lepra mundati ſunt per quos decalogi tranſgreſſores ſignificantur. Si vis loqui de præceptis decalogi, require de hoc in ſermone illo Epiſtolarum, *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, Dominica 13. poſt feſtum SS. Trinitatis.

3. Leproſi per quatuor curati ſunt. Circa tertium notandum quod modus curationis illorum leproſorum oſtendit nobis modum quo curanda eſt lepra peccati. Leproſi iſti crediderunt, unde Dominus dixit redeunti ad ſe: *fides tua te ſalvum fecit.* Item à longe ſteterunt, vocem levaverunt, & ſalvatori dicenti, *ite*, obedierunt. Et in his commendantur nobis quatuor, quæ multum valent ad emundationem lepræ ſpiritualis. *Primum* eſt *fides*, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

1. Hebr. 11. Fides oſtendit peccatori diſtrictam Dei iuſtitiam, quæ in Pſal. 6. furor dicitur. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Conſiderata autem hac iuſtitia peccator confugit ad Dei miſericordiam, ſicut & iſti leproſi dicentes: *Ieſu præceptor miſerere noſtri. Secundum* eſt *humilitas* quæ commendatur nobis in hoc, quod leproſi à longe ſtant,

2. quæ humilitas multum valet ad mundationem lepræ ſpiritualis ſicut oſtendit David quod hoc in ſe expertus fuerat dicens *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Pſal. 50. Item Pſal. 101. *Reſpexit in orationem humilium.* Leproſi ad litteram

3. elongari debuerant à ſanis quia lepra eſt morbus infecturus. *Tertium* eſt *magnitudo deſiderij*, quæ commendatur in elevatione vocis. Vocem levat qui deſiderium elevat, ut ſic deſideret ſpiritualia, ſicut prius deſideraverat terrena. Auguſt. O ſi poſſemus homines excitare, & cum eis pariter excitari; ut tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt illi amatores vitæ fugientis. Si homines tantum deſiderarent mundari à lepra ſpirituali, quantum deſiderant mundari à carnali, cito eſſent mundati. Sed qui facerent valde difficilia pro emundatione lepræ corporalis, nolunt facere facilia pro emundatione lepræ ſpiritualis. 4. Reg. 5. *Si grandem rem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras; quanto magis quia dixit tibi lavare & mundaberis.* Item qui nullo modo poſſet induci ad ea quæ ſibi occaſio eſſent lepræ corporalis, ut eſt cohabitatio leproſorum, non poteſt cohiberi ab occaſionibus lepræ ſpiritualis, libentius enim habitat cum leproſis ſpiritualiter, quam cum ſanis. Id circo Dominus non exaudit aliquos quia modicum habent deſiderium eorum quæ petunt, Vnde Aug. Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut tu diſcas magna magnè deſiderare. Magnitudo deſiderii clamor eſt cordis; quem Deus exaudit. Pſal. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Hoc clamore clamabat

4. Moyſes Exodi. 14. *Quid clamas ad me? Quartũ* eſt *obedientia.* Dominus dixit leproſis ut irent ad ſacerdotes, & dum irent mundati ſunt. Hæreticus nunquam mundatur quia nunquam vult ire ad ſacerdotem, dicens laicum ſibi ſufficere. In hoc quia mundantur prius quam ad ſacerdotes pervenirent, inſinuatur quod peccatori pœnitenti de peccatis ſuis & proponenti confiteri, remittuntur peccata ante confeſſionem. Vnde dixit David Pſal. 31. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Quid ergo timet peccator, qui cum bono propoſito venit ad ſacerdotem ut ei confiteatur, cum jam peccata ejus ab eo receſſerunt. Non eſt diſcretus Sacerdos, ſi eum ut peccatorem deſpicit, cum mundatus ſit.

4. A Samaritano quatuor diſcimus. Circa quartum notandum eſt quod ille unicus qui ad ſalvatorem rediјt ſamaritanus erat, qui interpretatur cuſtos, & tenet figuram illorum qui ſalutem animarum à ſalvatore receptam cuſtodiunt. Et commendantur nobis quatuor quæ multum valent ad ſalutis conſervationem. *Primum* eſt *viſus fidei.* Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Frequenter debet aſpicere ad lumen fidei pœnitens, beneficium remiſſionis peccatorum ſuorum quod valde magnum eſt, cum pro unico mortali homo debitor ſit mortis æternæ. Si pro remiſſione unius mortalis ſerviret Deo centum annis non eſſet nimis. Si eſſet debitor mortis temporalis, quæ eſt momentanea, libenter ſerviret quandiu viveret illi, qui ab ea eum liberaret, ſed quidam lumen fidei projiciunt poſt tergum ſuum, & ideo merito in foveam peccati & inferni corruunt. Proverb. 4. 2.
Via peccatorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant. Secundum eſt *velocitas* ſive *vivacitas*, Prover. 22. *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, & non erit ante ignobiles.* Eccleſ. 31. *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Pigritia eſt multis occaſio cadendi, ut his qui tantum dimittunt ſtillicidium malæ cogitationis cadere ſuper oculum cordis, præ pigritia vertendi oculum ad aliud cogitandum quod oculus, corrumpitur. Item ſi ignis infernalis, ſcilicet, ignis deſiderij ſuper pedem deſiderii affectus ceciderit permittunt pedem comburi præ pigritia excutiendi 3.
ignem illum. *Tertium* eſt *gratitudo.* Bern. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. Qui gratus eſt de beneficio collationis, dignus eſt ut addatur beneficium conſervationis. Econtra non eſt dignus dandis, qui non agit gratias de datis Aug. Quod dederat Deus gratis, tulit ingratis. Bern. Ingratitudo eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. *Quartum* eſt *vitatio occaſionum peccandi* Geneſ. 19. *Non ſtes in omni circa regione.* Eccli. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad ea ſuſcipient te.* Iſta *quatuor*, inſinuantur nobis in his quæ dicuntur de iſto Samaritano. *Primum*, ſcilicet aſpectus fidei ibi, *vidit quia mundatus eſt*: *ſecundum* eſt vivacitas vel velocitas ibi, *ut autem vidit. Tertium* gratitudo ibi, *reverſus eſt magnificans*, &c. *Quartum* ibi. *& hic erat alienigena.* Habent indigenæ multas occaſiones peccandi quas non habent alienigenæ, amici enim carnales ſunt multis occaſio peccandi, vel alia familiaritas. Valet etiam ad hoc quod aliquis non recidivet, quod ſe alienigenam reputat ſicut David. Pſal. 118. dicens. *Incola ego ſum in terra.* Item Pſal. 38. *Advena ego ſum apud te & peregrinus*, &c. Deut. 18. *Deus amat peregrinum*, &c. Quid eſt filius Dei per gratiam debet dicere cum David. Pſal. 72. *quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?* Contemnere debet hoc exilium plenum miſeria, quod ad eum pertinet ratione matris ſuæ Evæ comparatione regni quod ad eum pertinet ratione patris cœleſtis. 1. Ioan. 5. *Scimus quoniam omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum.* In hoc quod unus gratus eſt datori ſalutis ei novem ſint ingrati, inſinuatur quod peccatum ingratitudinis multum abundat. Iſa. 57. *Viam manus tua inveniſti, propterea non rogaſti* Gregor. Qui quæſitam felicitatem in terris invenit, auctorem qui eam tribuit non requirit.

4. Repetitio horum quatuor.

Quartum copiosè explicatur.

II. Lepra ſpiritualis ut corporalis quatuor modis curatur. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Notandum quod quatuor modis legimus lepram corporaliter curatam fuiſſe, ſcilicet ablutione aquę, ut lepra Naaman, 4. Reg. 5. *Lava te*, inquit, *ſepties in Iordane* &c. oſtenſione ſacerdotis, de hoc hic habetur: tactu manus Domini. Matth. 8. *Extendens manum ſuam tetigit eum*: manus occultatione, Exodi 4. Et poſſunt referri iſta ad quatuor quæ valent ad mundationem lepræ ſpiritualis. Primum pertinet ad dolorem contritionis, in aquis enim lachrimarum

ſepties ſe debet lavare ſpiritualiter qui leproſus eſt ut deploret ſeptem peccata criminalia quæ commiſit. Secundum pertinet ad erubeſcentiam confeſſionis. Tertium ad moleſtiam ſatisfactionis, Dominus enim leproſum ſpiritualiter tangit, cum infirmitatem ei attribuit, vel miniſterio ſacerdotis ei pœnam imponit, ſed quia hæc poſſunt fieri ad oſtentationem, & tunc non vere curatur lepra, ideo manus occultatio etiam eſt neceſſaria, ut quantum in ſe eſt opera ſua velit latere.

III. *Et hic erat Samaritanus.* Samaritanus ut dictum eſt prius cuſtos interpretatur, & figuram hic tenet illorum qui ſalutem à Deo acceptam cuſtodiunt. Poëta.

Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.

Tria diſcenda à Samaritano. Et notandum quod tria dicuntur de Samaritanis vel de Samaritano in evangelio quæ valent ad hanc cuſtodiam. Legitur Ioan. 4. quia exierunt de civitate ſua ad ſalvatorem, *& rogaverunt eum ut apud eos maneret, & manſit apud eos duobus diebus*, Lucæ 10. legitur de Samaritano quod ſuper vulneratum miſericordia motus eſt. & hoc legitur de Samaritano ſanato qui rediit ad Salvatorem ad regratiandum. *In primo* nobis commendatur bonorum familiaritas, quæ multum valet ad ſanationis ſpiritualis conſervationem. Proverb. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* In *ſecundo* commendatur miſericordia quæ multum valet ad idem. Eccli. 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc orabit pro te.* In eodem dicitur de eleemoſyna. *Gratiam eius quaſi pupillam conſervabit.* In *tertio* gratiarum actio, quæ multum valet ad idem. Pſal. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.*

IV. Religio eſt Caſtellum. *Cum ingrederetur in quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi.* Per hoc caſtellum quod erat inter Galilæam & Hieruſalem figuratur religio, quæ media eſt inter mundum & paradiſum, ubi paupertas foſſarum eſt, cuius foſſati profunditas multum valet ad huius caſtelli fortitudinem, murus eſt patientia, turris humilitas, quæ licet mundanis non rectè intuentibus videatur tendere in imum, tamen magnæ altitudinis eſt rectè intuentibus: è contrario vero eſt de ſuperbia, quod enim altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum. Lucæ 16. Sed de multis religionibus verum eſt illud Abacuc. 1. *Super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam.* Agger comportatur cum temporalia multiplicantur. Apocal. 12. *Draco poſt mulierem fugientem in ſolitudinem miſit aquam tanquam flumen*, id eſt abundantiam temporalium, *ut faceret eam trahi à flumine.*

Religioſorũ lepræ. In religione vero multiplex lepra invenitur. *Prima* eſt lepra *Simoniæ*, hæc eſt lepra Giezi 4. Regum 5. *Secunda* eſt *peccatum proprietatis*, hæc eſt lepra Naaman Syri, de quo legitur in eodem, quod *erat dives, ſed leproſus.* Proprietarii etſi ſint divites, ſunt tamen leproſi. *Tertia* eſt *peccatum inobedientiæ*, hæc eſt lepra Simonis, qui iudicabat ſalvatorem de familiaritate peccatricis. Luc 7. Inobedientes conſueverunt iudicare ſuos prælatos *Quartum* eſt *peccatum ſuperbiæ*, hæc eſt lepra Oziæ Regis. 2. Paralip. 26. Secundum Bern. lepra ſuperbiæ ſeptempliciter occupavit religiones, primo quantum ad amplitudinem poſſeſſionum & ædificiorum, ſecundò quantum ad gloriam veſtium, tertio quantum ad voluptatem corporum. Item duæ ſpecies lepræ ſunt in ore, ſcilicet iactantia in proſperis & verbum impatientiæ in adverſis. Duæ ſunt in corde, ſcilicet propria voluntas & proprium conſilium, & utraque lepra nimis peſſima eſt eoque pernicioſior, quò magis occulta eſt, & quanto plus abundat, tantò ſibi ſanior eſſe videtur quiſque. Hęc illorum eſt qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo ita ut nullius velint conſiliis adquieſcere. Hi ſunt ut dicit beatus Bernardus unitatis diviſores, inimici pacis, & charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, magni in oculis ſuis, ignorantes Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere. *Quinta lepra* eſt *invidiæ & murmurationis.* Hæc eſt lepra Mariæ ſororis Moyſis, quæ murmuravit contra eum. Numeri 12. *Sexta* eſt *inanis gloria.* Hęc eſt lepra manus Moyſis. Exod. 4. Quæ in ſinu munda fuit, extracta apparuit leproſa. Sic dum bonum opus manifeſtatur, aliquando lepra contrahitur. Ideo dicitur Matth. 6. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra tua.* *Septima* eſt *lepra carnalitatis.* Hæc eſt lepra quæ curatur tactu manus Domini Matth. 8. Manu Domini ille tangitur cui à Domino infirmitas vel alia pœna infligitur. Ad carnalitatem vero quatuor pertinent; ſcilicet peccatum gulæ, otium, luxuria, carnalis amicitia, vel familiaritas. Et hæ quatuor ſpecies lepræ poſſunt deſignari in quatuor leproſis, qui ſedebant in porta Samariæ. 4. Reg. 7. his enim vitiis frequenter infecti ſunt illi in quorum poteſtate ingreſſus religionis eſt.

DOMINICA XV. POST FESTUM SS TRINITATIS.

SERMO PRIMVS. SERMO CXVII.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. *Matth. 6.*

IN hoc Evangelio intendit Dominus inducere contemptum bonorum temporalium & amorem ſpiritualium. *Primo* oſtendit amorem temporalium impedire amorem ſpiritualium ibi: *Nemo poteſt.* *Secundò* amovet ſolicitudinem de neceſſariis corpori quæ ſolet eſſe occaſio amandi temporalia ibi: *Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis.* *Tertiò* oſtendit unde ſperanda ſunt neceſſaria corpori ibi: *Reſpicite volatilia cœli.* *Quartò* monet ut bona ſpiritualia quæramus faciens promiſſionem de temporalibus adiiciendis ibi: *Quærite autem primum regnum Dei*, (Intentum huius Evangelii. Quatuor in hoc Evangelio traduntur.)

Nemo poteſt duobus dominis: inter ſe diſſidentibus *ſervire, aut enim unum*, id eſt diabolum *odio habebit, & alterum*, id eſt Deum *diliget*: *aut unum*, id eſt diabolum *ſuſtinebit.* Auguſt. Nemo quidem diligit diabolum, ſed ſua cupiditate implicatus patitur eum, ut ſiquis alienæ ancillæ coniunctus propter ſuam cupiditatem duram patitur ſervitutem, & ſi non amet illum cuius ancillam diligit, *& alterum*, ſcilicet Deum *contemnet.* Auguſt. Non odio habebit, nullius enim conſcientia Deum odiſſe poteſt, multi enim ſunt de quibus ſcriptum eſt. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Pſal. 73. Ad hoc notandum quod nulla creatura Deum odit affectu etſi effectu; nec etiam diabolus odit Deum in quantum Deus eſt, ſed in quantum puniens eſt. Sicut latro non odit iudicem in quantum homo, ſed in quantum iudex eſt & vindex. *Nemo poteſt Deo ſervire & mammonæ.* Gloſſa Syra lingua mammona divitiæ dicuntur, quibus ſervire Deum negare eſt. Non dicit habere, quod fieri licet, ut bene diſpenſet, ſed ſervire, id eſt amare, quod eſt avari. Mammona nomen eſt dæmonis qui præeſt divitiis, non quod in eius ditione ſint, ſed quod his utitur ad decipiendum retinendo laqueis divitiarum. Interlin. dicit quod bonus diſpenſator non eſt ſervus, quia non ſervit divitiis. *Ideo*, ne ſcilicet cura eorum retrahamini ab æternis, *dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ*, ideſt, animalitati veſtræ quid manducetis. Principium tentationis avaritiæ eſt ſolicitum eſſe de neceſſariis corpori.

Diabolus enim ſecundum Gregor. Primò ſolicitat hominem ut quærat temporalia neceſſaria, quando vero eſt in opere ſolicitat eum ut quærat ſuperflua. Gloſſa. In ſudore vultus paratur panis, ſed labor exercendus eſt, ſolicitudo tollenda eſt, quæ mentem perturbat dum timet ne aut poſſeſſa diſpereant, aut elaborata non contingant. *Nonne anima*, id eſt vita veſtra, *plus eſt quam eſca*, &c. Gloſſa: qui dedit majora, id eſt vitam & corpus, dabit minora, ideſt victum & veſtes. In promiſſis veritatis nemo dubitet, ſit homo quod eſſe debet, mox adduntur ei omnia propter quem ſunt facta. *Reſpicite volatilia cœli*, quantum ad eſcam exemplum dat de volatilibus, quantum ad veſtes de liliis. *Nonne vos magis pluris eſtis?* id eſt majoris pretij, quia rationales & in filios adoptati, ut dicit Gloſſa Unde ſi Deus paſcit animalia irrationalia, veriſimile eſt quod potius velit paſcere filios ſuos. *Quis autem veſtrum*, &c. Hoc pertinet ad veſtimentum. Gloſſa. Illi curam tegendi corporis relinquite, qui illud ad hanc menſuram fecit pervenire. *Conſiderate lilia agri.* Alio exemplo oſtendit quod de veſtibus non debent eſſe ſoliciti. *Dico autem vobis quoniam nec Salomon*, qui floruit præ cæteris. Eccleſiaſt. 2. *Supergreſſus ſum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hieruſalem: in omni gloria ſua*, triplici ſcilicet ſapientiæ, potentiæ, divitiarum. Alia littera habet, *in omni regno ſuo coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Gloſſa. Quæ purpura regum, quæ pictura textricum poteſt comparari floribus: ipſe color dicitur operimentum florum, ſicut dicimus operuit iſtum rubor. *Et cras in clibanum mittitur.* Gloſſa. Cras pro futuro ponitur in ſcripturis, dicente Jacob, *exaudiet cras me juſtitia mea.* Geneſ. 30. *In clibanum.* Gloſſa. Alij libri habent in ignem, vel in acervum qui habet ſpeciem clibani: & poteſt clibanus poni vel pro fornace, vel pro acervo ad modum clibani facto. *Quanto magis vos*, ſcilicet veſtiet, *modicæ fidei.* Gloſſa. Permodica fides eſt quæ nec de minimis certa eſt. Alia Gloſſa. Quicunque in aliqua promiſſione dubitat, modicus eſt fide, & quanto plus dubitat, tanto minus invenit ea pro quibus ſolicitus fuit. *Nolite ergo ſoliciti eſſe.* Hic concluditur ex exemplis prius poſitis, & ſecundum Gloſſam inculcatio eſt, vel ſpiritualiter diſſuadetur hæc ſolicitudo, quæ procedit uſque ad querimoniam ſermonis, unde ſubditur, *dicentes quid manducabimus*, &c. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Gloſſa. Quid amplius habet gentilis, cujus infidelitas animum ſolicitat, & curis hujus vitæ fatigat. *Scit enim pater veſter*, &c. Interlin. qui bonis filiis viſcera ſua non claudit. Alia Interlin. *Dum patrem audis, non dubites de voce.* Gloſſa. Pater dat, niſi infidelitas veſtra avertat. *Quærite autem primum regnum Dei*, id eſt principaliter omnibus rebus cæteris illud præponendo, & omnia propter illud faciendo, *& juſtitiam ejus*, id eſt regni, quæ, ſcilicet ducit ad regnum, juſtitiam ſcilicet abundantem, ad differentiam ſcilicet juſtitiæ Scribarum & Phariſæorum, de qua ſupra ſcriptum. Matth. 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra*, &c. Secundum Gloſſam, regnum Dei quærimus ſectando juſtitiam ejus. Juſtitia vero regni eſt quam Chriſtus docuit obſervare, *& hæc omnia adjicientur vobis.* Gloſſa aliud quod principaliter datur, aliud quod ſuperadditur, quia in intentione æternitas debet eſſe, in uſu temporalitas Alia Gloſſa. Omnia ſunt filiorum, & ideo hæc omnia adjicientur non quærentibus, quibus ſi ſubtrahantur ad probationem eſt, ſi dantur ad gratiarum actionem.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Cur Deo & Dæmoni ſerviri non poſſit. Deinde cur Deo, & non diabolo, mundo, & carni ſerviendum ſit. SERMO CXVIII.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire, &c.

DOmini quibus nemo poteſt ſervire ſunt Deus & diabolus. Triplici vero ratione non poteſt eis aliquis ſervire, *primo* propter unius ſublimitatem, *ſecundo* propter alterius utilitatem, *tertio* propter voluntatum contrarietatem. Interdum multi habent unum ſervientem propter eorum paupertatem, quia nullus eorum ſufficeret ei providere, ſed nobiles & divites dedignantur aliquam habere ſocietatem in ſervientibus ſuis. Sic Dominus non vult habere diabolum ſocium in ſerviente ſuo. 2. Corinth. 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Diabolus adeo vilis Dominus eſt, ut primum ſervitium quod aliquis ei facit reddat eum indignum ſervire Deo. Eccleſiaſtici 13. *Quæ communicatio hominis ſancti ad canem*, Sicut indignum eſt ut reliquiæ canis homini ſancto apponantur, ſic indignum eſt ut qui diabolo ſerviunt ad Dei ſervitium recipiantur, niſi prius per gratiam renoventur. Voluntates Dei & diaboli multum ſunt contrariæ, Dominus enim lucem inhabitat & amat, & ad lumen ſapientiæ vult ſibi ſerviri. 1. Timoth. ultimo dicitur de Deo, *lucem habitat inacceſſibilem*, Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* Sapient. 7. *Neminem enim diligit Deus niſi eum qui cum ſapientia inhabitat.* Diabolus vero vult ſibi in tenebris ſerviri, lucem habens odio. Joan. 3. *Qui male agit, odit lucem.* Ipſe cum aſſumit aliquos ad ſuum ſervitium dicit eis quod dixit Nahas Jabitis. 1. Reg. 11. *In hoc feriam vobiſcum pactum, ut eruam vobis oculos dextros.* Item Deus vult ſibi ſerviri in puritate, ipſe enim paſcitur inter lilia. Cant. 2. 1. Theſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Pſalm. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit.* Diabolus vero vult ſibi ſerviri in ſpurcitia, unde petit ſe mitti in porcos. Matthæi octavo *Ipſe enim habitat in locis humentibus.* Job. 40 *In aridis requiem non invenit.* Matthæi 12. *Deus vero in altiſſimis habitat, ubi magna eſt munditia.* Eccleſiaſtici 24. *Ego in altiſſimis habito*, &c. *Item* Deus vult habere ſervientes humiles. Pſal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Diabolus vero vult ſuperbos, ipſe enim eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ Job. 41. Gregor. Evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, humilitas electorum. Cum ergo quam quiſque habeat cognoſcitur, ſub quo rege militet invenitur. *Item* Deus vult habere miniſtros honeſtè indutos, quod ſignatum eſt in miniſtris Salomonis. 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. & Proverb. ultimo dicitur de forti muliere quod *omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* Diabolus vero vult habere miniſtros dehoneſtantes, ita quod poſteriora eorũ appareant hominibus ſicut figuratũ eſt. 2. Reg. 10. ubi rex filiorum Amon ſervis David veſtes præcidit uſque ad nates: veſtes uſque ad nates præciſæ sũt, ita quod apparẽt pudibũda quãdo peccata aliquorũ carnalia hominibus ſũt nota. *Item* Dominus vult habere miniſtros concordes. Ipſe enim habitare facit unius moris in domo, id eſt unanimes Job. 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus.* Diabolus verò vult habere miniſtros diſcordes. Matth. 12. *Qui non colligit mecum, diſpergit.* *Item* diabolus vult ſervientes ſuos con-

1. Deo & Dæmoni ſervire non poteſt ob tria.

Cur ſervus Diaboli non poſſit eſſe ſervus Dei.

Voluntas Dei & Dæmonis ſunt contraria. 1.

2.

3.

4.

5. Pſal. 67.

gregare iſta temporalia. Exod. 5. *Diſperſus eſt po-* Deus ve- *pulus per Ægyptum ad colligendas paleas.* rò vult ſervientes ſuos diſpergere ſecundum illud, Pſalm. 111. *Diſperſit dedit pauperibus.* Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ ha-* *bes, & da pauperibus. Præterea* Deus & Diabolus
5. volunt habere ſervientes ſuos in omni tempore, & ideo indubitanter nemo poteſt illis ſervire. Ierem. 16. *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Luc. 1. *Serviamus ei in ſancti-* *tate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.*

II. Homo debet Deo ſervire ob duo

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Notandum quod neceſſe habet homo Deo ſervire, licet aliqui credant ſe ſine Domino eſſe poſſe. Job. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pul-* *lum onagri ſe liberum putat eſſe.* Debet homo ſervitium Deo ratione creationis. Bernard. Etiam infidelem urget naturalis juſtitia ſe totum tradere illi, à quo ſe totum habet. Ratione redemptionis: ad Corinth. 6. *Empti eſtis pretio magno* Cum ergo non poſſit homo duobus dominis ſervire, Beatus eſt ille qui Deum Dominum ad ſerviendum eligit. Pſalm. 143. *Beatus populus cujus eſt Dominus Deus ejus.* Pſal 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Et poſ-

Beatus eſt qui Deo ſervit.

ſunt *ſex* cauſæ aſſignari quare beatus eſt qui Deum pro Domino eligit. *Prima* eſt quia qui non habet
1. Deum Dominum, habet peſſimum Dominum ſcilicet diabolum, quæ ratio inſinuatur. Joan. 6. cum Dominus diceret Apoſtolis *nunquid & vos vultis abi-* *re? respondit Petrus, Domine ad quem ibimus?* profecto ſi ab eo receſſiſſent, in ſervitutem diaboli tranſiſſent. Hoc cogitare debet qui per mortale peccatum à Deo vult recedere. *Secunda* cauſa eſt quia Do-
2. minus iſte nobiliſſimus eſt, ut nulli ſit dedecus ſervire ei, ſervire enim ei regnare eſt. Si ſerviens regis terreni par eſt comiti, ut vulgariter dicitur, ſerviens regis æterni major eſt rege terreno. *Tertia* eſt,
3. quia Dominus iſte benignus eſt præceptor, præcipiens levia, honeſta, & ſervienti utilia. Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt.* 1 Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Pſal. 15. *Bonorum meorum non eges. Quarta* eſt quia Dominus vitæ fortiſſimus eſt protector. Pſal. 26. *Dominus protector vitæ meæ. Quinta* eſt, quia ipſe eſt liberaliſſimus remunerator. Geneſ. 15. *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Illi qui ne villulam unam lucrari poſſunt cum aliis dominis, cum iſto Domino lucrari poſſunt vitam æternam. Benignitatem ejus inſinuat Petrus. Joann. 6. dicens: *& nos credimus quia tu es Chriſtus filius Dei.* Chriſtus interpretatur unctus, unde intelligitur ejus benignitas, in hoc vero quia dicitur filius Dei ejus nobilitas. *Sexta* cauſa eſt, quia Dominus
6. iſte eſt ſapientiſſimus gubernator. nihil autem tantum expedit ſtulto quantum ſervire ſapienti, ut dicit Bernardus.

III. Diabolo non eſt ſerviendum.

Item notandum quod nullus diabolum debet eligere pro Domino multiplici ratione. *Primo* quod
1. inimicus noſter eſt. Bernard. in perſona Domini. quid cauſæ eſt quod inimico meo veſtroque libet potius ſervire quam mihi? non ille vos paſcit, non creavit. Si parva hæc videntur, gratis vos non ille, ſed ego vos redemi, non auro, non argento, non ſole, non luna, non aliquo Angelorum, ſed
2. proprio cruore. Si nec tam multiplici jure eſt elicere à vobis debitum famulatum, ſaltem obtemperate illi, qui plura pollicetur. Offerte nunc dona gratiæ futuris muneribus gloriæ cumulanda. *Secundo* quia implacabilis eſt ejus inimicitia. Gregorius: Stultum eſt ſervire diabolo offenſo, qui nullo pla-
3. catur obſequio. *Tertio* quia gravis eſt exactor gravi onere laborum & ſervitiorum opprimens, unde figuratus eſt per Pharaonem opprimentem filios Iſrael laborantes in luto, latere & palea, Exod. 1. De hac oppreſſione habetur. Sapient. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* Et ſicut filiis Iſrael præpoſiti fuerunt qui eos affligerent dicentes, *complete opus veſtrum quotidie.* Exod. 5. Sic prælati & tyranni mali ſe habent ad ſubditos. Hierem. 50. *Grex perditus populus meus, paſtores ſeduxerunt eos,* Et poſt. *Grex diſperſus Iſrael, leones ejecerunt eos.* 4.
Vel ſingula vitia poſſunt intelligi afflictores iſti. *Quarto* quia diabolus Dominus eſt litigioſus, non vult ſervum otiari à malo, unde ſtimulat eum ut peccatum addat peccato. Exod. 5. *Vacatis otio & idcirco dicitis eamus,* &c. Conſcientia vero naturaliter contradicit, unde eſt ibi jurgium figuratum Exod. 2. in hoc, quod vir Ægyptius jurgabatur contra Hebræum. Ideo dicitur Iſa. 57. *Cor impii quaſi mare fervens:* & in eodem. *Non eſt pax impiis.* Diabolo vero expulſo per gratiam ceſſat hoc jurgium. Proverb. 26. *Suſurrone ſublato jurgia quieſcunt.* Hoc jurgium habere magna moleſtia eſt, & magna tranquillitatio eſt carere ipſo. Proverb. 17. *Melior eſt buccella panis ſicca cum gaudio, quam* 5.
domus plena victimis cum jurgio. Quinto quia nihil ab eo tenemus, nec de expenſis ejus vivimus. Domini autem eſt terra & plenitudo ejus. Diabolus Pſalm. 23.
non poteſt dare unam feſtucam de ſuo ſervientibus ſuis. Quomodo panem quotidianum audet petere à Deo qui inimico ejus ſcilicet diabolo ſervit. *Sexto* quia ſervientibus ſuis daturus eſt ſupplicium 6.
pro præmio. Magna crudelitas eſt pro ſtipendio dare ſupplicium Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Proverb. 5. *Ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli.* Magna fatuitas hominum. Diabolus dicit: Ego ſervientes meos interficiam. Chriſtus dicit: Ego ſervientes meos reges æternos faciam. Et tamen plures ſervos habet diabolus quam Chriſtus. Chriſtus vocat ad regnum Matth. 25. *Venite benedicti patris mei percipite regnum:* & fugiunt homines. E contrario diabolus vocat ad patibulum, & infiniti eum ſequuntur. *Ultimo* quia diabolus ſe- 7.
ductor eſt. Joan. 8 *Ipſe eſt mendax & pater ejus.* Per mendacium primos parentes ſeduxit. Geneſ. 3. *Eritis*, inquit, *ſicut dii.*

IV. Mundo non ſerviendum.

Poſſunt etiam intelligi hi duo Domini, quibus nemo poteſt ſervire, Deus & mundus. Et notandum quod mundus non eſt eligendus pro Domi- 1.
no, *primo* quia exactor eſt gravis mundanorum negotiorum vel officiorum, & ſi amplecteris eum uno brachio, tenebit te duobus. Auguſt. Abſorbebit te, amatores ſuos vorare novit non portare. De onagro per quem deſignantur mundi contemptores legitur Job. 39. *Clamorem exactoris non audit.* 2.
Secundo quia litigioſus eſt mundus cauſis & litibus hominem implicans, & fœlix eſt ille qui dicit ut dixit Abraham ad Loth Geneſ. 13. *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te & paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus, ecce univerſa terra coram te eſt.* Proverb. 20. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à* 3.
contentionibus. Tertio quia mundus eſt crudelis Dominus ſpolians illos qui ei ſerviunt cum ab eo recedunt. Pſalm. 48. *Dives cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Job. 1. *Nudus egreſſus de utero matris meæ, nudus re-* 4.
vertar illuc. 1. Timoth. ultimo. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium nihil auferre poſſumus. Quarto* quia mundus eſt infidelis ſocius in mentiendo ſicut diabolus. Socius iſte figuratur per Laban qui interpretatur candidatio, quia per quandam pulchritudinem decipit. Laban multotiens decepit Jacob. Geneſ. 31. Unde Jacob tandem ab eo receſſit, ſic qui ſapiens eſt à mundo recedit, attendens quod ſervientibus ſuis male ſolvit quod promittit.

Poſſunt etiam intelligi hi duo Domini quibus nemo poteſt ſervire Deus & corpus. Et ſciendum

quod

quod corpus nullus debet eligere pro Dominoque ei ſerviat. *Primo* quia gravis exactor eſt, quid enim
1 ventri ſufficit? Juvenalis.

O quanta eſt gula quæ ſibi tantos,
Ponit, apros, animal propter convivia natum.

De hoc exactore dicitur Job. 3. *Vocem exactoris non audierunt.* Proverb. 30. *Tria ſunt inſatiabilia, & quartum quod nunquam dicit ſufficit. Infernus, Os vulvæ, terra quæ nunquam ſatiatur aqua, ignis vero nunquam dicit ſufficit.* Terra corporis non ſatiatur aqua delectationis. *Secundo* quia caro liti-
2. gioſa eſt Proverb. 19. *Tecta perſtillantia litigioſa mulier.* Et 17. *Tecta perſtillantia in die frigoris & litigioſa mulier comparantur.* *Tertio* quia crudelis licet blandiri videatur, Eccleſiaſt. 25. *Non eſt caput*
3. *nequius ſuper caput colubri, & non eſt nequitia ſuper iram mulieris.* Non timet caro facere quod viro ſuo, id eſt ſpiritui ſit cauſa mortis. *Quarto* quia caro eſt infidelis ſicut Dalila Samſonis, quæ eum
4. tradidit hoſtibus ſuis. Judic. 16.

DE EADEM.
SERMO TERTIUS.
Summarium.

Dicta quinta hujus Evangelij fuſius explicantur.

SERMO CIX.

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.

POſſumus intelligere verbum iſtud dictum eſſe. *Primo* contra hypocritas, qui exterius volunt ſervire Deo, & interius diabolo, de quibus Matt. 7. *Veniunt ad vos in veſtimentis ovium.* Iſaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* *Secundo* poteſt intelligi dictum contra quoſdam qui exterius volunt placere mundo, interius Deo, non attendentes illud Jacob. 4. Adulteri neſcitis quia amicitia hujus ſæculi inimica eſt Dei? Iſaiæ 27. *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt.* Pallium ſcilicet amoris. Valde fatua eſt anima quæ credit ſe poſſe placere ſponſo, dum ſponſus eam ſcit velle placere adultero diabolo. Tales volunt habere Deum quaſi incarceratum, cum non permittunt ſe ſocium oſtendere extra per bonam operationem. *Tertio* poteſt intelligi hoc eſſe dictum contra quoſdam qui ſimul agunt manifeſtè bona & mala, non attendentes illud Eccleſiaſtici 2. *Væ duplici corde &c. & peccatori terram duabus viis ingredienti.* Tales arant in bove & aſino, quorum animalium unum eſt mundum, aliud immundum contra prohibitionem Domini. Deuter. Tales ſunt ſimiles Samaritanis qui Deum colebant, & nihilominus idolis immolabant. 4. Reg. 17. Tales arguit Helias 3. Reg. 18. *Uſque quo*, inquit, *claudicatis in duas partes?*

Hoc dicitur contra tres. 1. 3.

Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Notandum quod homines liberales divitiis dominantur, avari vero eis ſerviunt, unde viri divitiarum dicuntur Pſalm. 75. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Chryſoſtomus. Divitiæ à ſervitute Dei nos expellunt in ſuam captivitatem. Ad hanc vero captivitatem *primo* pertinet quod avari cuſtodes ſunt divitiarum, non habentes cor, id eſt poteſtatem diſtribuendi eas ad utilitatem animarum ſuarum. Beda. Divitiis ſervit qui has cuſtodit ut ſervus, ſed qui ſervitutis excuſſit jugum diſtribuit ut Dominus. Bern. Super Cant. Quære, inquit à quovis eorum qui inſatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quid ſentiat de his qui ſua vendentes & pauperibus dantes regna cœlorum pro terrena ſubſtantia mercantur? Sapienter agunt, reſpondebit. Quære iterum, cur quod approbat non facit? Non poſſum, inquit, quare? profectò

II. Avari ſunt ſervi & captivi divitiarum. 1

quia domina avaritia nõ permittit, quia ſua nõ ſunt quæ poſſidere videtur. Ibidem. Si vere tua ſunt, expende ad lucra pro terrenis cæleſtia commutando; ſi non vales, fatere te pecuniæ tuæ non Dominum eſſe ſed ſervum, cuſtodem, non poſſeſſorem. *Secunda* facit ad ſervitutem quia avari divitiis ſuis ſunt inferiores; habent enim eas ſe ipſis chariores, ſi pecunia amittitur multum dolent. 2.

Ploratur lachrimis amiſſa pecunia veris.

De ſui vero perditione non dolent, Proverb. 23. *Verberaverunt me & non dolui.* *Tertio* quod divitiis obediunt, Eccleſ. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Adeo vero ſunt obedientes divitiis quod uſque ad contemptum Dei obediunt. Chryſoſtomus. Qui vult mandata avaritiæ facere, neceſſe eſt ut contemnat Dei mãdata. *Quarto* quod in divitiis congregandis vel conſervandis quaſi totam vitam ſuam expendunt. Quaſi quatuor nummos cenſuales ad modum ſervorum dant divitiis ſupra ſe, ſcilicet ſollicitudinem, amorem, locutionem & operationẽ. Ad gravitatem etiam hujus ſervitutis facit quod ipſi ſunt venales ſecundum id. Eccleſiaſt. 10. *Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet.* præterea non ſolum ſerviunt divitiis ſervitute duliæ, quæ exhibetur creaturis, ſed etiam ſervitute latriæ, quæ ſoli exhibenda eſt Creatori, unde hic dicit Gloſſa. Divitiis ſervire Deum negare eſt, Epheſ. 5 *Avaritia eſt idolorum ſervitus*, ut dicit Gloſſa. Avari Deus eſt nummus. Avarus ſe habet ad divitias tanquam eſſent ſummum bonum, ſumme eas diligendo, ſpem ſuã in eis ponendo, de eis melius quam de Deo ſentiendo. Se enim credit habiturum neceſſaria, ſi divitiis ſervierit. Præterea ubi Deus & divitiæ requirunt contraria, potius obedit divitiis quam Deo. Obedientia inter ſervos Dei & ſervos pecuniæ diſtinguit, Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Et *notandum* quod licet homo non poſſit ſervire Deo & divitiis, tamen aliquis poteſt ſervire Deo cum divitiis, & hoc multipliciter. *Primo* pro amore Dei eas contemnendo. Auguſt. Qui veram fidem de Deo habet, non quærit in his miſeriis fieri dives, non enim plus eſt ei mundus quam Deus. *Secundo* in acquiſitione earum, laborando ne pro neceſſariis ſibi furtum vel rapinam committat, ut habeat unde eleemoſynam faciat. Epheſ. 4. *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.* *Tertio* eas conſervando, ut oportunius diſtribuantur. Eccleſiaſt. 3. *Tempus adquirendi & tempus perdendi.* *Quarto* eas diſtribuendo, Eccleſiaſtici 29. *Tempus adquirendi, perde pecuniam propter fratrem & amicum, & ne abſcondas eam ſub lapide in perditione*, id eſt ſub duritia cordis.

3. Avarus ſervit divitiis cultu latriæ. Deo ſervitur in divitiis. 1. 2.

Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ. Notandum quod multiplex eſt ſolicitudo. Quædam eſt providentiæ ſpiritualis quæ ſuadetur. Proverb. 6. *Vade ad formicam ò piger & conſidera vias ejus.* Rom. 12. *qui præeſt in ſollicitudine*, ſupple præſit. *Alia* eſt ſollicitudo temporalis neceſſitatis, de qua inſtruitur homo Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* *Alia* eſt ſuperfluitatis & cupiditatis, quæ provenit ex immoderato amore terrenorum & diffidentia æternorum. Chryſoſtomus. Sollicitudo deſperationis eſt filia. Hæc diſſuadetur hic: & Phil. 4. *Nihil ſolliciti ſitis.* Proverb. 11. *Expectatio ſollicitorum peribit.* *Prima* eſt commendabilis, *ſecunda* tolerabilis, *tertia* vituperabilis, illa enim verbum Dei ſuffocat. Matth. 13. *Sollicitudo hujus ſæculi & fallacia divitiarum ſuffocant verbum Dei* mentem perturbat Luc. 10. *Martha Mar. ſollicita es & turbaris erga plurima.* Eccleſiaſtici 31. *Vigilia & cholera & tortura viro*

III. Sollicitudo triplex.

infrunito, ſcilicet intemperato circa divitias. Item excæcat, unde in fine Hierem. & in fine libri quarti Regum legitur quod Sedecias fuit excæcatus in Rebblatha, quæ interpretatur multa hic. *Nolite ſolliciti eſſe dicentes.*

Nota quod multæ cauſæ ſunt quare fideles non debent ſolliciti eſſe de neceſſariis vitæ. *Prima* eſt vitæ incertitudo: qui enim non eſt certus de futura vita, quid mirum ſi non eſt certus de neceſſariis vitæ futuræ: ſi enim Deo placuit dare vitam, veriſimile eſt quod placeat ei dare neceſſaria vitæ futuræ. *Nonne anima*, ideſt vita, *plus eſt quam eſca*, dicit Dominus, quaſi diceret, qui dat majora, dat minora. Hæc cauſa innuitur Luc. 12. Ubi poſt iſtud verbum, *Stulte hac nocte animam tuam repetam à te*, ſubditur, *ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis.*
2. *Secunda* cauſa eſt quod Dominus creaturis inferioribus homine victum & veſtitum abundanter miniſtrat, veriſimile eſt quod creaturam nobiliorem amplius diligat quam minus nobilem, & potius ei providere velit. Ad quod pertinet illud, *reſpicite volatilia cœli*. Item id, *conſiderate lilia agri*. Lucæ 12. ſic habetur, *conſiderate corvos*, &c. Deus paſcit illos, per quos filij diaboli intelliguntur; & veriſimile eſt ſi Deus paſcit filios diaboli, quod paſcat etiam filios proprios. Pſal 46. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Job 38. *Qui præparat corvo eſcam.* Et *notandum* quod pulli corvorum antequam nigreſcant à parentibus ſuis non paſcuntur, ſed paſcuntur rore cœli. Sed cũ nigreſcere incipiunt, paſcuntur carnibus cadaverum, & veriſimile eſt quod Deus hominibus neceſſaria provideret, niſi plumis peccatorum nigreſcerent.
3. *Tertia* cauſa eſt quod hæc ſollicitudo infidelibus aſſimilatur, quod innuitur ibi: *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Immo verò videtur eſſe infidelitas. Cùm enim Deus promittat regnum ſervientibus ſibi, & quærentibus primùm regnum & ejus juſtitiam, promittat additionem temporalium: ſicut infidelitas eſſet non credere primæ promiſſioni, ſic infidelitas eſt non credere ſecundæ intendere. Ambroſius. Indecorum eſt homini curare de cibo vel veſte qui militat regno. Rabanus. Quis rex devotis militibus debitam non procurat alimoniam? Quis famulis ſuis non miniſtrat cibaria? ſervi eſt ſollicitum eſſe quomodo Domino ſuo ſerviat, Domini vero eſt cogitare ut ſervus neceſſaria habeat. Sed ſi ſervus de ſe cogitat & non de Domino, non eſt mirum ſi Dominus ei non provideat.
4. *Quarta* cauſa eſt quod pater noſter cœleſtis ſcit nos indigere. Chryſoſtom. Qui ad fontem vadit non eſt ſollicitus de bibendo, nec ad prandium copioſum de comedendo. Quid times ſtulte? Dei providentia largior eſt fonte? Idem Chryſoſtomus. Qualis pater eſt qui non neceſſaria miniſtrat pueris, maximè cum non ignorat quod egent? Etiam Sarraceni & Judæi à lege naturali edocti filiis ſuis provident, & etiam feræ fœtibus ſuis, quomodo ergo pater miſericordiarum filiis non provideret, qui ſervos ſuos in deſerto pavit cibo de cœlo miſſo. Heliam etiam pavit corvo ei deferente panem & carnem. 3. Regum 17. Auguſt ſuper Matth. Scit cœleſtis Medicus quid nobis daturus eſt ad conſolationem, non enim homo ſine cauſa jumento ſuo cibaria ſubtrahit.
5. *Quinta* cauſa eſt quia ad futurum tempus pertinet ſollicitudo futuræ vitæ ſicut ad præſens pertinet ſollicitudo præſentis. Sufficit præſenti diei malitia ſua, id eſt, ſollicitudo pertinens ad eam.

IV. Hoc dictũ tria docet.

Quærite primum regnum Dei, &c. Hoc verbo *Dei liberalitas* nobis oſtenditur, *vita noſtra ordinatur*, *pretioſum à vili ſeparatur.* Liberalitas Dei in hoc oſtenditur, quod monet nos ad petendum magna. Auguſtinus. Non tantum hortaretur ut peteremus, niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia, plus vult ille dare quam nos accipere, plus vult ille miſereri quam nos à miſeria liberari. Liberalitas Dei cauſa fuit ut fierent quæcunque facta ſunt. Alia fecit ut eis daret, ſcilicet creaturas rationales; alia ut ea daret, cæteris ſcilicet creaturis, & cuilibet creaturæ ad indicium ſuæ liberalitatis dedit quandam liberalitatem. Auguſt. Judicium maximum divinæ liberalitatis eſt quod quælibet creatura cogitur ſe ipſam dare. *Vita ordinatur* in hoc, quod admonemur primò quærere regnum Dei & juſtitiam ejus. 2.
Adverte quanta ſit præpoſteratio facta in hominibus, qui illud quod primo ab hominibus dominus docet quærendũ, ultimo quærunt, differentes converſionem ſuã uſque ad extremã infirmitatem, quod eſt valde periculoſum. Aug. Periculoſiſſimum eſt, & interitui vicinum uſque ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Chriſtianus qui in baptiſmo eſt inunctus ad regnum cœlorum, quando perpendit ſe jus regni amiſiſſe, & infernale patibulum meruiſſe, debet intendere ad recuperandum illud, nec quieſcere deberet donec ſpem de ejus recuperatione haberet. Sed ſunt aliqui qui dum vivunt volunt malè agere, & tamen ſperant ad bonum finem pervenire, ſcilicet quærentes caudam equinam in vitulo, cum tamen caudam non ſoleant habere. Bona vita habet bonum finem, & mala malum. Ipſi ſunt ſimiles Balaam dicenti Numeri 23. *Moriatur anima morte juſtorum.* Tales per totam vitam ſuam parant manſionem in inferno, cum tamen nolunt ibi manere ſed in Paradiſo ipſi ſeminant maledictionem, & tamen volunt metere benedictionem, non attendentes illud ad Galat. 6. *Quod enim ſeminaverit homo hoc & metet.* Eccleſ. 25. *Quod in juventute tua non congregaſti, quomodo invenies in ſenectute tua?* Ipſi volunt de ſpinis colligere uvas, & de tribulis ficus, quærunt enim bonum finem in vita ſpinis peccatorum plena. 3.
Pretioſum à vili ſeparatur in hoc, quod Dominus non monet ad quærendum temporalia ſicut monet ad quærendũ regnũ & regni ejus juſtitiã, ſed promittit ea eſſe adjicienda. Separatio iſta pretioſi à vili valde placet Deo ſecundum illud Jerem. 14. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.*

Tria ſunt genera bonorum.

Et *notandum* quod tria ſunt genera bonorum; ſcilicet *bonum gloriæ*, *bonũ gratiæ*, *bonum temporale.* Primum intelligitur per regnum Dei, ſecundum per juſtitiam ejus, tertium ibi, *hæc omnia adjicientur vobis.* Primum eſt finis viæ, ſecundum via, tertium viaticum. Juſtitia regni eſt juſtitia perfecta, talis qualis eſt neceſſaria in regno Dei, cujus potentiæ nemo poteſt reſiſtere cum ſit omnipotens. David Pſalm. 138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es.* Sapientiam etiam ejus nihil poteſt latere. Item ejus bonitas, cum ſit ſumma, ſummè odit malum, & maximam vindictam ſumet de eo.

V. Hoc dictũ quadrupliciter intelligendum.

Quadruplici ratione hoc dictum poſſumus intelligere: *hæc omnia adjicientur vobis.* *Primo* quia qui habet juſtitiam regni, filius Dei eſt, unde debetur ei proviſio, quod tangit Gloſſa dicens: quia omnia ſũt filiorũ. 1.
Secundo quia bona temporalia bona infima ſunt, unde incurvatur homo quærendo ea, 2.
adquieſcens illi ſuggeſtioni diabolicæ Iſaiæ 51. *Incurvare ut tranſeamus.* Quam incurvationem non vult Dominus, ideo non monet peti. *Tertio* quia ſũt quandoque habenti noxia, unde Proverb. 1. *Uſquequo parvuli diligitis infantiam & ſtulti ea quæ ſibi noxia ſunt cupient?* & ſuper illud 2. Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*, dicit Gloſſa Auguſt. Cum ea quæ Deus laudat & promittit ab ipſo petitis, ſecurè petite, illa enim Deo propitio conceduntur: cum autem petitis temporalia, cum modo petite & cum timore committite, ut ſi proſint det: ſi ſcit ob eſſe non det, quid enim proſit vel obſit 3.

vel obſit medicus novit non ægrotus. *Quarto* quia bona modica ſunt, quæ indubitanter ab eo ſunt ſperanda, à quo regnum ſperatur. Rabanus loquens illi qui ſollicitus eſt de his bonis corporis. Noli homo exacerbare Deum pro te taliter cogitando. Dato regno ſuſpitas panem, indutus immortalitatis gloria, plangis corporis veſtimentum. Ambroſius. Indecorum eſt homini procurare de cibô vel de veſte qui militat regno. Novit rex quemadmodum militiam ſuam paſcat, alat, veſtiat, & malis providet; Deus quanto magis bonis providebit? Aug. Paſcebat contemnētē ſe. & deſeret ſequentēſe.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

SERMO CXX.

Evangelium in VII. puncta diviſum explicatur.

Ibat Ieſus in civitatem quæ vocatur Naim. *Luc* 7.

Septem puncta huius concionis.

Littera plana eſt nec indiget expoſitione circa ſeriem huius evangelii SEPTEM nobis conſideranda ſunt pertinentia ad ædificationem noſtram. *Primò* quid deſignet iſte *mortuus*. *Secundo* quid mortui *ſuſcitatio*. *Tertiò locus* ubi ſuſcitatur *Quarto multitudo* coram qua ſuſcitatur. *Quintò occaſio* ſuſcitationis. *Sexto modus* ſuſcitandi. *Septimo ſequela* ſuſcitationis.

I. Suſcitatus quid ſignificet. Tres a Chriſto ſuſcitati quid ſignificent. Mors & vita implex.

Deſignat autem mortuus iſte peccatorem. Et *notandum* quod tres mortuos legimus in evangelio Dominum ſuſcitaſſe, ſcilicet filiam archiſynagogi ſuſcitatam in domo, de qua habetur Matth. 9. & Marc. 5. & unicum filium viduæ ſuſcitatum ad portam civitatis, de quo habetur in evangelio hodierno. & Lazarum ſuſcitatum ad ſepulchrum Ioan. 11. in ſuſcitatione vero horum triū mortuorū oſtenſum eſt quod Salvator poteſtatē habet ſuper triplicē mortem, ſcilicet mortem naturæ, culpæ, & gehennæ, & ſuper triplicem vitam, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Item triplex mors culpæ deſignata eſt in morte horum trium, ſicut oſtenditur his verſibus.

Mens mala, mors intus, malus actus, mors foris, uſus.
Tumba puella, puer Lazarus, iſta notant.

Peccatum cur per mortem ſignificetur.

Et *ſciendum* quod ſpiritus ſanctus peccatum per mortem voluit deſignari ad oſtendendum quantum peccatum ſit fugiendum, & quantum de eo ſit dolendum cum commiſſum eſt. Peccatum fugiendum eſt ut mors. Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum*. De eo etiam dolendum eſt tanquam de morte. Sic dolere debet qui amicum ſuum videt in peccato mortali ac ſi videret eum mortuum, immo etiam plus. Eccleſ. 22. *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit*, & paulò poſt. *Luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ eorum*. Aug. Sunt ne in te viſcera Chriſtianæ compaſſionis, qui plangis corpus à quo receſſit anima, & non plangis animam à qua receſſit Deus? Mors corporis non eſt reputanda quaſi reſpectu huius mortis. Marc. 5. *Non eſt mortua puella ſed dormit*. In Pſal. 15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*, ſed *mors peccatorum peſſima*. Pſal. 33. Aug. Vera mors eſt quam homines non timent ſeparatio animæ à Deo. Sic dolendum eſt de peccato ut de morte unigeniti. Ierem. 9. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*. Vnde iſte fuit unicus matris ſuæ. Magis amat mater quæ habet unicum filium illum, quam ſi multos haberet, ideo amplius dolet de eius morte Vnde 2. Reg. 1. dicit David plangens Ionatham. *ſicut mater unicum amat filium, ita te diligebam.*

Peccatum comparatur morti. 1.

Et NOTANDUM quod *ſex* ſunt in quibus peccatum morti corporis aſſimilatur. *Primum* eſt quod mors ſeparat ab anima corpus à qua habebat valorem ſuum, unde remanet corpus quaſi truncus inutilis. Sic peccatum ſeparat animam à Deo, à quo habebat valorem ſuum, unde remanet anima quaſi nullius valoris: unde bonum eſſet ei non eſſe, niſi eſſet ſpes de eius ſpirituali reſurrectione. Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*. Oſeæ 7. *Væ eis quia receſſerunt à me*. Quanto Deus prævalet animæ, tanto deterior eſt ſeparatio animæ à Deo, quàm corporis ab anima. *Secundo* mors aufert ſenſum corpori, ſic peccatum animæ, Prover. 23. *Verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi*. Damnum corporis, bene ſentit peccator, ſed damnum animæ non, ideo dicitur ſemivivus relictus ſive ſemimortuus. Luc. 10. Ex parte animæ mortuus, ex parte corporis vivus. *Tertiò* mors aufert motum corporis ſic peccatum animæ, unde videmus aliquos peccatores qui cor ſuum per amorem poſuerunt in terra, vel carne propria vel aliena; & licet agnoſcant quod cœlum prævalet terræ. & anima & carni, tamen non poſſunt cor ſuum transferre ad meliora. ut videatur impleta eſſe in eis illa imprecatio Exod. 15. *Fiant immobiles quaſi lapis*. *Quarto* mortem ſequitur putrefactio, corruptio, & vermium generatio. peccatum etiam ſimilia his ſequuntur. Pſal. 5. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis*. Prover. 14. *Putredo oſſium invidia* 1. Machab. 2. *Gloria impij ſtercus & vermis*. Gloria hominis deberet eſſe teſtimonium conſcientiæ, ſed loco huius gloriæ eſt peccatori immunditia & remorſio conſcientiæ Iuvenalis:

Prima etenim eſt hæc ultio quod ſe. Iudice nemo nocens abſolvitur.

Iſaiæ ultimo. *Vermis eorum non morietur*. *Quinto* mortem ſequitur fœtor corporis, ſic peccatum ſequitur fœtor infamiæ vicinos interficiens. Ioel. 2. *Aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit* Ioan. 11. *Domine jam fœtet quadriduanus enim eſt*, habens peccatum cordis, oris, operis, conſuetudinis. Sed hunc fœtorem multi non agnoſcunt, quia fœtidi ſunt Bern. ubi omnes fœtidi ſunt, fœtor unius minimè ſentitur. *Sexto* mortem corporis ſequitur ſepultura, ſic peccatum ſequitur ſepultura animæ ſub lapide obſtinationis. Thren. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuerunt lapidem ſuper me.*

II Suſcitatio mortui.

Et ſicut mortuus iſte peccatorem figurat, ſic & ejus ſuſcitatio figurat peccatoris converſionem. Item ſicut multum timendum eſt peccatum & multum dolendum eſt de ipſo commiſſo: ſic multum deſideranda eſt peccatoris converſio; & multum gaudendum eſt de ipſa jam facta; eſt enim reſurrectio filii Dei. Luc. 15. *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat & revixit*. In eodem. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper peccatore*, quanto magis gaudium debet eſſe hic hominibus.

III. Locus ſuſcitationis.

Locus in quo hæc ſuſcitatio facta eſt porta eſt civitatis per quam mortuus efferebatur, & ad quam Salvator appropinquavit. Secundum Gloſſam. Porta qua effertur aliquis eſt de ſenſu, quo aliquis in peccatum corruit, ut qui videt mulierem ad concupiſcendum eam. Qui autem turpibus vel otioſis audiendis accommodat, Qui lingua commodat litigiis Hierem. 9. *Aſcendit mors per feneſtras*. Appropinquat autem Dominus portæ civitatis quando gratia ſalutaris cohibet ne tentatio per aliquem ſenſum ad effectum perveniat. Pſal. 118. *Averte oculos meos ne videant vanitatem*. Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis*. Oſeæ 2. *Sepiam viam tuam ſpinis*

IV Coram multitudine cur ſuſcitatio facta.

Suſcitatur autem mortuus iſte coram multitudine, cum in ſuſcitatione filiæ Archiſynagogi turbam ejecerit. Matth. 9. & Marc. 5. quia mortuus iſte ſignificat peccatorem, cuius peccatum hominibus notum eſt, qui pœnitentia ſua debet ædificare populum, ſicut malo exemplo ſuo corrupit eum.

Filia vero Archiſynagogi peccatorem occultum, qui occultè debet ſatisfacere: inſinuat etiam in hoc quod eſt turba tumultuans. Matth. 9. *Cum vidiſſet turbam tumultuantem dicebat: diſcedite.* Et eſt turba non ejicienda, ſcilicet turba compatiens, de qua habetur in hoc evangelio. Alias duas cauſas tangit Gloſſa, quare coram multitudine ſuſcitatus eſt. Multi, inquit, fuerunt cum Domino, multi cum vidua, ut viſo miraculo multi Dei laudatores fiant & teſtes.

V. Occaſio ſuſcitationis trium mortuorum.

Huius ſuſcitationis occaſio videtur fuiſſe fletus matris: cum enim eam vidiſſet Dominus *miſericordia motus ſuper eam dixit, noli flere.* Suſcitationis vero Lazari occaſio fuit fletus Mariæ & Iudæorum. Ioan. 11. *Quam cum vidiſſet plorantem & Iudæos qui erant cum ea.* Occaſio etiam fuit ſuſcitationis filiæ Archiſynagogi, quod pater Dominum rogavit. Sic valde neceſſarium eſt, quod aliquis roget pro eo qui in peccato eſt mortali, ipſe enim non eſt dignus ut à Domino exaudiatur. Ioan. 9. *Peccatores Deus non audit.* Et *notandum* quod valde deſolata erat mater huius defuncti: cum enim eſſet vidua, deerat ei ſolatium viri. Item cum eſſet ille unicus, erat ſine ſolatio filiorum. Abyſſus igitur miſeriæ abyſſum divinæ miſericordiæ invocavit.

VI. De modo ſuſcitandi quatuor. 1.

Ad modum ſuſcitandi pertinent iſta *quatuor:* ſcilicet Dominus ad mortuum acceſſit, loculum tetigit, portantes ſtare fecit, illi qui erat ſuſcitandus dixit: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Ad mortuum ſpiritualiter Salvator appropinquat, cum aliquam gratiam prævenientem ei dat, gratiam, inquam, gratis datam, non gratum facientem, ut deſiderium propriæ ſalutis, vel voluntatem miſerendi pauperibus, ut ſic Deus eius miſereatur, vel internam inſpirationem, vel exteriorem prædicationem.

2. & 3. Portitores quid ſignificent.

Loculum vero Dominus tangit cum affectum animi malum compeſcit. Portitores vero peccatoris ſecundum Gloſſam, ſunt immunda deſideria, vel adulantium blandimenta, quos portitores Dominus facit ſtare, cum talia facit ceſſare. Vel poſſunt intelligi iſti portitores fiducia diu vivendi, conſideratio alienæ culpæ, impunitas peccatoris, ſtulta ſpes pœnitendi in futuro, quam aliquis habet de magna Dei miſericordia. Contra primum dicitur. Iob 32. *Neſcio quamdiu ſubſiſtam.* Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo finem ſuum.* Iſ. 38. *Dum adhuc ordirer ſuccidit me.* De ſecundo Eccleſiaſtici 32. *Peccator homo vitabit correptionem & ad voluntatem ſuam inveniet comparationem:* Contra tertium dicitur Eccleſiaſtici 5. *Ne dixeris, peccavi, quid accidit mihi triſte?* Eccleſiaſtici 8. *Quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Contra quartum dicitur Eccleſiaſticici 5. *Ne dicas miſeratio Dei magna eſt.* In eodem: *ne tardes converti ad Dominum.*

De religioſis.

Quantum ad religioſos, portitores poſſunt intelligi iſta quatuor, ſcilicet recordatio vitæ prioris Numeri 11. *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto.* Rigor regularium obſervationum Actor. 15. *Hoc eſt onus quod nec nos nec patres noſtri portare potuimus.* Exemplum aliorum puſillanimum. Num. 13. Vbi dixit Caleph, *aſcendamus*, &c. dictum eſt ei. *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.* Deuter. 20. *Quis eſt homo formidoloſus & corde pavido, vadat & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum ſicut ipſe timore perterritus eſt.* Spes redeundi per pœnitentiam, quæ eſt in aliquibus ſtultis, non attendentibus quod corvus egreſſus de arca nunquam rediit ad arcam. Geneſ. 8. Loculus intelligi poteſt vel conſcientia, vel ipſum corpus quod eſt quaſi feretrum animæ mortuæ. Iſte loculus tangitur cum infirmitas à Deo emittitur: tunc ſtant qui portabant, quando membra à peccatis ceſſant. Peccator ſingulis membris quaſi pedibus utitur ad eundum ad infernum dum eis peccat, ac ſi crederet quod non ſatis citò illuc perveniret Proverb. 6. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo.* Attendendum eſt illud: *Adoleſcens, tibi dico ſurge.* Marc. 5. habetur. *Puella, tibi dico ſurge.* Non legimus hoc, *ſenex*, vel *anus*, *tibi dico ſurge*, vix enim à peccatis ſurgunt, qui in eis ſenuerunt. Hieron. Dum eſt parvulus hoſtis, interfice. Prover. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Iſaiæ 65. *Puer centum annorum morietur.* Ierem. 13. *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam.*

Suſcitationem ſecuta ſunt tria quo ad ſuſcitatum. 1.

Sequela ſuſcitationis quantum ad ſuſcitatum fuit triplex; ſcilicet quod reſedit, quod loqui cæpit, & quod Dominus illum matri ſuæ dedit. Primum pertinet ad compunctionem, ſecundum ad confeſſionem, tertium ad reconciliationem. Cùm fit abſolutio iniungitur ſatisfactio. In hoc autem quod dicitur, *Reſedit* & non *ſtetit* innuitur, quod peccator cum pœnitet, licet erigatur per bonam voluntatem, tamen adhuc jacet debilis ad operandum, & reſiſtendum tentationi. Iacet per timorem nondum certus de venia, timens ſibi de caſu futuro, ſtat tamen per ſpem. In hoc quod dicitur, cæpit loqui, innuitur, quod peccator, quamdiu eſt in ſtatu peccati, quaſi non loquitur, cùm irrationabilia proferat. In hoc autem quod dicitur, *dedit eum matri ſuæ*, innuitur, quod reſuſcitatus de novo à morte peccati matre indiget, aliter non diu viveret. Mater conveniens eſſet Dei ſapientia. Eccleſiaſtici 3. *Filii ſapientiæ eccleſia juſtorum.*

Duo quo ad aſſtantes.

Sequela ſuſcitationis quantum ad alios, fuit timor reverentiæ, & Dei magnificatio, & hoc eſt commune miraculis Chriſti, ſcilicet Dei gloria & laus, unde dicit Evangeliſta. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum*, &c.

Explicatio acclamationis ſeu concluſionis Evangelij.

Propheta magnus ſurrexit in nobis. Chriſtus magnus propheta fuit, quia verax in verbis, efficax in exemplis, potens in miraculis. Non erant prophetæ magni, in quibus ſpiritus mendax loquebatur. 3. Reg. 22. *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum.* Item non fuerunt magni prophetæ Cayphas & Balaam, licet vera dicerent, quia mali fuerunt. Vnde exempli efficacia eis defuit *Deus viſitavit plebem ſuam.* Notandum quod eſt quadruplex viſitatio. *Prima* eſt *ſubventionis* in pauperes. Iacobi 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt. Viſitare pupillos & viduas in tribulatione.* Matth. 25. *Infirmus fui, & viſitaſtis me.* Talis fuit viſitatio Salvatoris in primo adventu. *Secunda* eſt *mutuæ familiaritatis* inter amicos & notos. Talis eſt viſitatio ſpiritualis, quam facit Salvator homini. Iob. 10. *Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum.* Pſalm. 105. *Viſita nos in ſalutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum ad lætãdum in lætitia gentis tuæ.* *Tertia* eſt *correctionis*, ſicut prælati viſitant ſubditos. in Pſa. 88. *Si juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum.* *Quarta* eſt *damnationis*, de qua Iſa. 27. *In illo die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti.* Ibidem dicitur de vinea, *nocte & die ſervo eam, ne forte viſitetur contra eam* Iſa. 10 *Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venientis.* Ex ira Dei eſt, quod aliquis non viſitatur hic ad correctionem ut poſt viſitetur ad condemnationem. Oſeæ 4. *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ.*

DOMINICA

DOMINICA XVII. POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Evangelium ſuccinctè explicatur.

SERMO CXXI. Cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæórum, &c. *Luc.* 14.

Duo oſtendit Chriſtus in hoc Evāgelio. DOminus in hoc ſermone primò oſtendit Phariſæos, qui eum obſervabant, ut poſſint reprehendere, reprehenſibiles eſſe de avaritia, & Sabbathi violatione. *Secundo* proponitur parabola, per quam monet eos ad humilitatem, inſinuans eos eſſe reprehenſibiles de ſuperbia, de avaritia, & Sabbathi violatione. Et reprehenſibiles oſtendit per hoc, quod faciebant in Sabbatho opus cupiditatis, qui reprehendebant in eo factum in Sabbatho opus charitatis. (Expoſitio Evangelii.) *Et ipſi*, ſcilicet Phariſæi, *obſervabant eum*, ſi Sabbathum ſolveret. *Et ecce homo quidam hydropicus*, Gloſſa ὕδωρ, aqua, unde hydropiſis morbus aquoſus ſubcutaneus, de vitio veſicæ natus cum inflammatione turgente, & anhelitu fœtido. Et eſt proprium hydropici, quod quanto plus bibit, tanto plus ſitit. *Reſpondens Jeſus* inſidioſis obſervatoribus, cogitationibus ſcilicet eorum, quas tanquam Deus videbat, licet-ne Sabbatho curare ſine violatione Sabbathi. Gloſſa. Sabbathis præcipuè docet & operatur Jeſus, non ſolum propter ſpirituale Sabbathum, ſed etiam propter celebriorem populi conventum quærens ſalutem omnium. *At illi tacuerunt*. Gloſſa: meritò tacent, qui contra ſe dictum quidquid dixerint, vident. Si enim licet, cur obſervant: ſi non licet, cur pecora curant? *Sanavit eum ac dimiſit abire*. Corporaliter ſanatum volens ſe transferre ad ſanationem animarum. *Et reſpondens ad illos*, ſcilicet cogitationibus obſervatorum inſidioſorum: *Cujus veſtrum aſinus*, &c. Gloſſa. Competenti exemplo ſolvit quæſtionem, ut eos oſtendat Sabbathum violare in opere cupiditatis, qui eum arguunt in operibus charitatis. *Dicebat autem ad invitatos* ab ipſo principe Phariſæorum parabolam iſtam. Gloſſa: aliquid myſticè ſignificantem, *intendens*, id eſt, intelligens, quomodo primos accubitus eligerent, id eſt, eligere deberent in Eccleſia homines. Ideò ſuperiores perſonæ in humilioribus ſedibus ſedent, ſcilicet in remotioribus ab altàri, qui tamen ex uſu, modo reputantur digniores. *Dicens ad illos: Cum vocatus fueris*, &c. Expoſitio litteralis plana eſt. Myſticè nuptiæ iſtæ ſunt commixtiones Chriſti & Eccleſiæ, unde ſenſus eſt: *Cùm vocatus fueris ad nuptias*, id eſt, vocatus à Chriſto per inſpirationem, vel exteriorem prædicationem unitati Eccleſiæ fueris ſociatus, *non diſcumbas in primo loco*, id eſt, non extollas te præ cæteris in ſcientia vel meritis, *ne forte honoratior te ſit invitatus ab illo*, id eſt, ad fidem vocatus, *& veniens iſte, qui te & illum invitavit*, Deus ſcilicet, qui corda ſingulorum aut merita intelligit, *dicat tibi*, interius occultè, vel exterius manifeſtè, ut te revocet ab errore: *da huic locum*, id eſt, intellige te minorem illo, *& tunc incipias cum rubore*, &c. cùm confunderis, quia te aliis prætuliſti. *Sed cum vocatus fueris, recumbe in noviſſimo loco*, te minorem aliis reputando, *ut cùm venerit* in morte, vel ad judicium, vel per inſpirationem, *dicat, amice*, qui amaris & amas. Proverb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt. Aſcende ſuperius*, in præſenti ad majus meritū, vel in futuro ad majus præmium. Tunc erit tibi gloriæ coram ſimul diſcumbentibus, id eſt, in eadem fide manentibus, vel in eadem beatitudine quieſcentibus. *Quia omnis qui ſe exaltat*. Hic oſtenditur ad quid inducta ſit hæc parabola nimirum ad oſtendendum *quia omnis qui ſe exaltat*, incaute de meritis elevans ſe, *humiliabitur*, à Deo, & ſi non coram hominibus, *& qui ſe humiliat* de beneficiis, *exaltabitur*.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO CXXII. Cum intraſſet Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum.

Evangelium duo oſtendit. HOc Evangelium *duo* nobis oſtendit ſcilicet *Phariſeorum malitiam* Salvatori inſidiantem, & *Salvatoris prudentiam* inſidias eorum vitantem. Proverb. 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Nec ſolum eorum laqueos vitabat, ſed etiam ipſos laqueis eorum involvebat. Studebant Phariſæi ut ipſum reprehendere poſſent, ipſe vero eos reprehenſibiles convincebat, ſe vero laudabilem exhibebat. *Sex* vero ſunt in quibus Phariſæi poſſunt oſtendi reprehenſibiles ex hoc Evangelio. (De primò.) 1. *Primum* eſt quod ei quem paſcebant nocere intendebant; comedebant cum eo & ipſi inſidiabantur; habebant exteriorem juſtitiam & interiorem malitiam; pauperi Salvatori refectionem dabant, quem tamen ex invidia obſervabant. Matth. 23. *Væ vobis ſcribæ & phariſæi Hypocritæ, qui mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia*. In eodem. *Væ vobis qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*. Sic hodie in mēbris proditur ab his qui cum eo manducant & bibunt, ut vere poſſit dicere illud. Luc. 22. *Verumtamen manus tradentis me mecum eſt in menſa. Secundum* eſt, quod cum ipſi peccati pleni erant, peccatum quærebant in eo qui peccatum non fecit 1. Pet. 2. contra illud Proverb. 24. *Ne inſidieris & quæras impietatem in domo juſti* Pſ. 36. *Obſervabit peccator juſtū*. Sapiens. proprium eſt ſtultitiæ aliena vitia cernere, propria oblivisci. Mat. 7. *Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui*. *Tertium* eſt defectus compaſſionis. Non habebant ad paralyticum & alios compaſſionem, quia eorum calumniabantur curationem. Gregor. vera juſtitia compaſſionem habet, falſa indignationem. Matth 23. *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentem anetum & cyminum, & relinquitis quæ majora ſunt legis, miſericordiam & judicium & fidem*. *Quartū* eſt quod tacuerunt quando loqui debuerūt interrogati an liceret Sabbatho curare. Sic hypocritæ tacent, cum tempus eſt loquendi, & loquuntur, cùm tempus eſt tacendi. Potius volunt confundere hominem de peccato jam facto quam prævenire eum & occurrere faciendo; non intendunt corrigere, ſed correctionem alijs oſtendere Hieron. Multi præventi majoribus leviora inferunt malunt vituperare & damnare quam emendare. *Quintum* eſt quod de minimis habent magnam curam, de maximis parvam vel nullam: boves enim vel aſinos curant, de hominibus non curant. Bern. Optimi diſpenſatores rerum, qui de maximis minimam, de minimis maximam curam egerunt Ibidem. Cadit aſina & eſt qui ſublevet, perit anima & non eſt qui recogitet. *Sextum* eſt amor vanæ gloriæ. Eligunt enim primos accubitus. Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis & primas cathedras in ſynagogis*. Salvator vero in hoc Evangelio laudabilis oſtenditur, quia *potentia* ejus & *ſapientia* & *bonitas* ibi manifeſtatur (De ſecundo & tertio.) *Potentia* in paralytici curatione. *Sapientia* in hoc, quod reſpondet cogitationibus illorum. 1. Regum 16. *Homo videt quæ patent, Deus autem intuetur cor. Item* in hoc, quod exēplo evidenti convicit eos in curatione infirmorū Sabbathum non violari. *Bonitas* in hoc quod obſervatores ſuos inſtruit parabola propoſita

Phariſæi tria in Chriſto obſervarerunt.

humilitate. *Ipſi obſervabant eum. Notandum* quod Phariſæi obſervaverunt Salvatoris *ſapientiam*, *potentiam*, & *bonitatem*. *Potentiam*, cum dicebant Luc. 11. *Hic in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Sapientiam*, cum miſerunt Diſcipulos ſuos ut caperent Jeſum in ſermone. Matth. 22. *Bonitatem* verò, cum adduxerunt mulierem in adulterio deprehenſam. Joan. 8. Et cum obſervabant eum an Sabbatho curaret Joan. 9. *Hic homo non eſt à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit.* Salvator vero *tripliciter* confundit obſervationem eorum, ſcilicet per potentiam, hydropicum miraculosè curando; per ſapientiam, quæſtionem eis proponendo cui reſiſtere non audent; per bonitatem, beneficium inſtructionis ſuis inſidiatoribus impendendo. Et *notandum* quod occaſio obſervationis Phariſæorum erat quod ipſe peccata eorum arguebat Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* Iſaiæ 30. *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Eccleſiaſtici 11. *Bona in mala convertens inſidiatur, & in electis ponit maculam.*

Chriſtus tripliciter eos confundit.

Cur Phariſæi Chriſtũ obſervarint.

Taciturnitas triplex.

At illi tacuerunt. Notandum quod eſt *taciturnitas ſapientis*. Eccleſiaſtici 19. *Eſt tacens, & ipſe prudens.* Ejuſdem 20. *Eſt tacens qui invenitur ſapiens: & eſt tacens, ſciens tempus apti temporis. Sapiens tacebit uſque ad tempus.* Item eſt *taciturnitas ignorantis*. Eccleſiaſtici 20. *Eſt tacens non habens ſenſum loquela.* Ejuſdem 5. *Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo: ſin autem manus tua ſit ſuper os tuum.* Item eſt *taciturnitas inſidiantis*, de qua hic.

Curatio hydropici.

Ipſe autem apprehendens ſanavit illum. Gloſſa. Vitium quod iſte in corpore, Phariſæi geſtabant in mente, & ideo coram ipſis curat corporaliter, ut hoc exemplo diſcant curari ſpiritualiter. Et *notandum* quod iſte hydropicus figuram tenet avari, qui hydropico aſſimilatur in tribus: ſcilicet in *inflatione*, in *fœtido anhelitu*, in *ſiti inſatiabili*.

Hydropicus ſignificat avarum in tribus.

1. Dupliciter explicatur.

Inflationem poſſumus referre ad *ſuperbiam*, quæ comitatur divitias. Unde ſuper illud prima ad Timothæum 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere nec ſperare in incerto divitiarum.* Dicit Gloſſa. Vermis eorum ſuperbia. *Vel* iſtam inflationem poſſumus referre ad *ventris ingluviem*, quæ interdum divitias concomitatur, illi enim cui ſufficiebat unum ferculum cum pauper erat, non ſufficiũt tria quãdo factus eſt dives.

2.

Fœtorem vero anhelitus poſſumus referre ad conſilia corrupta quæ divites dant familiaribus ſuis Oſ. 9. *Ephraim educet ad interfectionem filios ſuos.*

3.

De *ſiti* verò avari planum eſt quod eſt inſatiabilis. Prover. 30. *Sanguiſuga duæ ſunt filiæ dicentes: affer, affer.* Sanguiſuga diabolus eſt, ſanguinem peccati ſemper ſugens & ſitiens, duæ filiæ ejus avaritia & luxuria, quæ dicunt *affer, affer*, Eccleſiaſt. 5. *Avarus non implebitur pecunia. Ipſe verò apprehenſum eum ſanavit ac dimiſit.*

Significat hydropicus & aridam manum habens duo vitia in tẽporalibus.

Duo ſunt vitia circa temporalium poſſeſſiones ſcilicet *cupiditas* & *avaritia*: cupiditas in accipiendo, avaritia in retinendo. Notandum eſt ergò quod *cupiditas* per hydropicum deſignatur, qui non ſatiatur. Poëta

Sic quibus intumuit venter ſuffuſus ab unda,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Avaritia verò deſignatur per hominem habentem manum aridam de qua habetur. Matth. 12. Modi verò ſanandi has infirmitates deſignant modos ſanandi hæc vitia.

Modi ſanãdi hæc vitia ſumuntur ex modis ſanandi hos duos ægros à Chriſto uſurpatis.

Habenti manum aridam dixit Dominus *extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati.* Manum extendere eſt, quæ per avaritiam erat contracta ad retinendum, laxare ad dandum Eccleſiaſtici 4. *Non ſit manus tua ad accipiendum porrecta & ad dandum contracta.* Gloſſa ſuper illud Matth. duodecimo *Extende*, &c. Nulla plus valet curatio. quam eleemoſynarum largitio. Fruſtra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes pro poſſe non extendit. Hydropicum vero ſanavit Dominus apprehenſum, & creditur apprehendiſſe manum ejus. Manum apprehendere eſt appetitum & uſum accipiendi cohibere. Cupidum diabolus apprehendit dum ipſe pecuniam contra Deum acquirit. Auguſtinus Præda quam vis rapere in muſcipula eſt: tenes alienũ & teneris à diabolo. Per manum qua rem alienam aliquis furatur tenet eum diabolus donec pœnituerit. Unde neceſſe eſt ut à Domino comprehendatur & à diabolo auferatur ad hoc quod ſanetur cupiditas.

Curatio hæc Sabbatho facta duo ſignificat.

Item notandum quod duo inſinuantur nobis in hoc quod Dominus Sabbatho curat. *Primum* eſt quod ille qui ab actu peccandi ceſſat, ſpiritualiter ſanatur. Iſ. 1. *Quieſcite agere perverſe. Secundũ* eſt quod certis tẽporibus propter animarum ſalutem licet vero contemplativo ſe ſtudio contemplationis ſubtrahere, quod figuratum eſt. Geneſ. 30.

Rachel & Lia contemplationem & actionem ſignificant.

Cum Ruben de agro mandragoras attuliſſet Liæ matris ſuæ, Rachel pro illis mandragoris Jacob virum ſuum conceſſit Liæ. Quod factum eſt tempore meſſis triticeæ. Meſſis triticea eſt activæ vitæ fœcunditas: tempus hujus meſſis tempus eſt oportunum actioni. Eccleſiaſtici 3. *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* Ruben Liæ matri ſuæ mandragoras affert, quando de exercitio boni operis procedit odor bonæ opinionis. Has mandragoras Rachel concupiſcit, cum animum contemplativi odor bonæ opinionis allicit. Tunc vir Rachelis Liæ conceditur, cum propter fructum boni operis & odorem boni nominis contemplativus ad actum convertitur.

Nuptię ſignificant duplex Chriſti convivium.

Cum invitatus fueris ad nuptias. Nuptias hic intelligimus convivium nuptiale Chriſti & eccleſiæ, & eſt duplex convivium, ſcilicet prandium & cœna. Prandium celebratur in fide, cœna in manifeſta Dei viſione. Prandium commune eſt non ſolum electis ſed & multis reprobis. Cæna vero ſolum eſt electorum, unde *beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Apoc. 19. Inter invitatos vero ad prandium multi confuſionem patiuntur ex diverſis cauſis, aliqui propter defectum puritatis conſcientiæ, aliqui propter defectum pietatis, aliqui propter defectum charitatis, aliqui propter defectum humilitatis. Ad *duo prima* poſſumus referre quod legitur Matth. 25. de fatuis virginibus quod acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum. Per oleum, quod lucet & ſuave eſt intelligitur puritas conſcientiæ quæ habet quandam ſuavitatem. Vel quia oleum ſupernatat alijs liquoribus. Per oleum deſignatur pietas, quæ eminet reſpectu aliarum virtutum. Illis qui ſectantur humanam laudem non habentes puritatem conſcientiæ, clauſa erit janua ſponſi; & eis pulſantibus dicetur: *Amen Amen dico vobis, neſcio vos.* Similis confuſio fiet his qui miſericordes non fuerunt, non enim miſericordiam conſequentur. Ad hanc confuſionem poteſt referri illud Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare.* Ad *tertium* pertinet illud Matt. 22. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Et ſubditur. *Ligatis manibus & pedibus ejicite eum in tenebras exteriores.* Veſtis nuptialis charitas eſt. Ad *quartum* pertinet quod hic dicitur. *Tunc incipies cum rubore noviſſimũ locũ tenere.* 4.

Primus accubitus quadrupliciter explicatur.

Non diſcumbas in primo loco. NOTANDUM quod in primo loco aliquis diſcumbit multipliciter. *Primo* alijs in corde ſuo ſe præferendo, ſic diſcumbebat in primo loco Phariſæus dicens: *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Luc. 8. *Secundo* primatum ambiendo ſicut Lucifer. Iſaiæ 14. *Ero ſimilis altiſſimo Tertio* primatum uſurpando ſicut Core cum ducentis & 50. majoribus Levitis Numeri 16. Et

Dathan & Abyron, de quibus legitur ibidem. *Quarto*, adepto primatu otium ſectando. Iſaiæ 14. *Sedebo in monte teſtamenti.* Bernardus O impudens & imprudens, millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei, tu vero aliis miniſtrantibus, aſſiſtentibus ſedere præſumis. De primo *Primus diſcubitus* multum habet ruſticitatis, cum ſcilicet aliquis vult ſedere altius aliis in proprio hoſpitio, & ibi inhonorat homines, ubi debuit eos honorare, ſcilicet in domo propriæ conſcientiæ. Non ſic faciebat Abraham Geneſ 18. *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis.* Gregorius in moral. Aperte, inquit, cernimus in quo loco ſe poſuerat, qui ſe pulverem & cinerem, cùm Deo loqueretur, æſtimabat. Qua ergo De ſecūdo pœna feriendi ſunt, qui ad ſumma non proficiunt, & de minimis ſe extollunt. *Ambitio* vero *primatus* multum habet fatuitatis, cum ſecundum Auguſt. quanto aliquis in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſetur. Ambitioſus videtur amare periculū ſuū, unde multum timendum eſt ne ipſe pereat. Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Salvator vero regnum fugit, ad crucem vero voluntarius ivit, ad Hebr. 12. *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* In quo Dominus voluit oſtendere, quod De tertio. aliquibus expediret magis quod eſſent ſuſpenſi quam in dignitate poſiti. *Vſurpatio* etiam *primatus* multum habet culpæ, quod oſtendit magnitudo pœnæ. Num 16. in Core & complicibus ſuis, qui igne divino ſuccenſi ſunt, & in Dathan & Abiron, quos devoravit terra cum tabernaculis ſuis & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque in infer- De quarto num. Item *ſectatio otij* in illo qui eſt in ſtatu prælationis multum eſt reprehenſibilis, cum ſcriptum ſit: Pſal. 120. *non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Nec mirum [illegible] nec dormiat neque dormitet qui impugnat Iſrael. Prælati eſt miniſtrare nō diſcūbere, *ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Matth. 20. *Ejus eſt non quieſcere, ſed diſcurrere.* Proverb. 6. *Si ſpoponderis pro amico tuo* &c. Et *notandum* quod triplex malum ſolet ſequi promotionem indignis

Promotionem indignis triplex malum ſequitur.

1 *Primum* eſt *acceleratio mortis* ipſius: Dei enim ordinatione mors ipſius acceleratur ut loco evacuato dignus ſubſtituatur. Ad quod illud pertinet, *da huic locum.* 2. *Secundum* eſt *magnitudo confuſionis*, dejectio enim ſequens ſublimationem plena eſt confuſione. Ad quod pertinet illud, *tunc incipies cum rubore*, &c. Oſeæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* 3. *Tertium* eſt *magnitudo tormentorum* Primi enim in dignitatibus, fient noviſſimi in tormentis. Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Sap. 6. *Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Ad quod pertinet illud: *noviſſimum locum tenere.*

Obiectioni reſpondetur circa hoc dictum

Recumbe in noviſſimo loco. Et quare non dicit in medio, cum ſcriptum ſit, *medium tenuere beati?* Ad hoc quod oſtiū Paradiſi humile eſt ideſt Chriſtus Joan. 10. *Ego ſum oſtium*, non eſt periculum quantumcunque ſe humiliet & inclinet, ſed ſi plus debito caput elevaverit, quantum eſt tranſverſu digiti unius caput ſuum allidet, & ab ingreſſu impeditur: ſic quantumcunque te humiliaveris non eſt periculum: ſi vero per ſuperbiam te amplius debito elevaveris, poterit impediri ingreſſus tuus in regnum. Matt. 18. *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Eccleſiaſt. 7. *Humilia valde ſpiritum tuum*, Quantumcunque humiliaveris te, Chriſto humilior non eris, ipſe enim fuit noviſſimus virorum. Iſaiæ 53. Item *notandum* quod tribus de cauſis recumbendum eſt nobis in noviſſimo loco.

Ob tria in ultimo loco eſt recumbendū

Primo propter humilitatem. Auguſt. Humilitas in imo eſt ideo non habet quo cadat. *Secundo* propter pacem, perflant enim altiſſima venti; locus vero inferior non eſt ita expoſitus ventis Iſaiæ 32. *Erit quaſi vir qui abſcondit ſe à vento, & qui celat ſe à tempeſtate.* *Tertio* propter exaltationem ſequentem, de qua ſequitur: *Qui ſe humiliat exaltabitur*, De hac vide ſupra parabolam de Phariſæo & Publicano.

Sex gradus aſcendendi ſuperius.

Amice aſcende ſuperius. Notādū quod multis gradibus aſcēdit aliquis ſuperius *Primo* mundū cōtemnēdo. Phil 3. *Quæ retro ſunt obliviſcens in anteriora me extendo.* In codē *Omnia arbitratus ſū, ut ſtercora.* *Secūdo* carnem ſpiritui ſubjiciendo. Nahum ultimo. *Intra in lutum & calca.* 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum.* *Tertio* animam ad ſui conſiderationem colligendo. Hierem. 31. *Statue tibi ſpeculam.* Diſcipuli receperunt ſpiritum in ſuperiori parte cœnaculi. Act. 2. *Quarto* ſtatum perfectionis aſſumendo Matth. 6. *Eſtote perfecti ſicut pater veſter perfectus eſt.* *Quinto* ſuperna contemplando Iſaiæ 58. *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* *Sexto* æterna apprehendendo. Tunc audietur verbum iſtud: *Amice aſcende ſuperius.*

DOMINICA DECIMA OCTAVA

POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium tripartito diviſum.

SERMO CXXII.

Audientes Phariſæi, quod Jeſus ſilentium impoſuiſſet Saducæis, convenerunt in unum, &c. *Matth.* 22.

HOc Evangelium continet duas quæſtiones, *Prima* à Phariſæis proponitur ſalvatori, & à ſalvatore ſolvitur, *ſecunda* à domino Phariſæis proponitur, cui reſpondent phariſæi. Sed reſponſio Phariſæorum à Domino deſtruitur, quod ſilentium impoſuiſſet cōvenienti reſponſione Saducæis.

I. Duæ quæſtiones in hoc Evangelio proponuntur.

Notandum quod tres erant ſectæ Judæorum diſtantes à communi vita & opinione aliorum ſcilicet *Phariſæi, Saducæi, Eſſei.*

Tres ſectæ Iudæorum

Phariſæi cultu auſtero & victu parco utebantur, traditiones ſuas ſtatuentes, quibus traditiones Moyſi determinabant, cartas in fronte & in brachio ſiniſtro gerebant, quibus decalogus inſcriptus erat: in fimbriis habebant ſpinas alligatas, quibus puncti deambulando memores mandatorum Dei fierent, præpoſitis ſuis & majoribus nunquam contrarium reſpondebant; & quia à communi hominum habitu diviſi erant, ideo Phariſæi dicebantur à phares, quod eſt diviſio.

Phariſæi quales.

Saducæi reſurrectionem mortuorum negabant futuram, animas mori cum corporibus putabant, nec angelos eſſe dicebant, ſolos quinque libros Moyſi recipiebant. Hi ſeveri nimis erant, nec inter ſe ſociales, ob quam cauſam Saducæos, id eſt, juſtos ſe nominabant

Saducæi quales.

Eſſæi vero ferè in omnibus monaſticam agebant vitam, nuptias faſtidientes, omnia communia habentes unguenta & oleum opprobrium reputantes, aſperitatem decus putabant, in veſte candida eſſe volebant, ob victus ſimplicitatem diutiſſime vivebant. De duabus primis ſectis facit mentionem evangelium; de tertia non. *Convenerunt*, ut multitudine vincerent, quem non poterant ratione. Chryſoſt. ſuper Matth. A veritate ſe eſſe nudos profeſſi ſunt, qui ſe multitudine armaverunt. *Vnus ex eis* pro omnibus, *tentans eum.* Interlin. non ſcire deſiderans. Gloſſa. Jam confutati erant in oſtenſione denarij, jam viderant Saducæos obmuteſcere, ſed tamen malevolentia & livor nutrit im-

pudentiam. Videtur tamen quod non quæſierit hic Obiectio. cauſa tentandi, cum Dominus, Marc. 12. commendet eum dicens: *Non longe es à regno Dei.* Ad Reſponſio quadruplex quod poteſt dici, ut qui tentans venit, potuit fieri quod reſponſione Domini correctus ſit, ut dicit 1. Gloſſa Vel tentatio non eſt mala quaſi volentis 2. decipere, ſed cauſa volentis amplius experiri 3. ignotum. Vel poteſt dici quod iſte malus acceſſit, & malus perſeveraverit, & illud Marc. 12. ſic intelligitur: *Non longe es à regno Dei*, quantum ad no- 4. titiam legis, per cujus ſpritualem obſervantiam eſt iter ad regnum Dei. Chryſoſt. ſuper Matth. Dicens, *non longe*, monſtrat adhuc diſtantem.

II. *Diliges Dominum*, &c. ſimile habetur Luc. 10. & Deuteron. 6. Expoſitionem hujus verbi quære ſupra 13. Dominica poſt Trinitatis. *Hoc eſt maximum*, dignitate, quia de re excellentiſſima. *Vel primum mandatum*, quia primum ordine prælationis, vel ordine diligendorum, vel propter primam tabulam, in qua ſcripta ſunt Dei præcepta, pertinentia ad dilectionem Dei *Secundum autem ſimile eſt huic*, non dicit par, ſed ſimile. Et dicitur ſimile, quia eſt de ſimili, ſcilicet de dilectione: vel quia eſt de homine ad ſimilitudinem Dei facto. *Diliges proximum tuum* &c. Levit. 19. *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum.* Septuaginta interpretes dicunt *proximum*. Expoſitionem hujus verbi quære ſupra in 13. Dominica *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ*. Gloſſa. ad hæc duo refertur totus decalogus, & monita Prophetarum ibi habēt finem. Interlin. illuc refertur ubi habet finem. Tria prima mandata decalogi ad dilectionem Dei pertinent ſeptem alia ad dilectionem proximi. Aliter etiam lex & prophetæ pendent in his mādatis, quia ea quæ lex & prophetæ præcipiunt in radice fundantur in dilectione, quia ſecundùm Greg. in Homiliis nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice dilectionis. Videtur tamen quod in altero ſolo horū mandatorum tota lex pendeat, ſecundum illud ad Galat. 5. *Omnis lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Ad quod dicitur quod in dilectione proximi intelligitur dilectio Dei: qui enim diligit proximum, debitè diligit eum propter Deum, & ita

III. Deum magis diligit.

Congregatis autem. Interlin qui ad tentandum venerant, occaſionem dederunt ſuæ confutationis. *Quomodo ergo?* Indirecta probatione confutat eos, oſtendens ex conceſſo ſequi David dixiſſe falſum, quod eſt inconveniens & etiam ſpiritum ſanctum, quod eſt impoſſibile. *David in ſpiritu vocat eum Dominum?* Interlin. Qui non ante eum ſervus extitit, ipſi enim eum credebant purum hominem, Explicantur fusè duo primi verſus Pſalmi 109. & ita filium David, quod non filium Dei. *Dixit dominus domino meo.* Hunc verſum dicunt Judæi Eliecer ſervum Abrahæ dixiſſe ad gratiarum actionem Domino ſuo redeunti cum victoria à cæde regum ſub hoc ſenſu: *Dixit Dominus*, id eſt Creator, *Domino meo* Abrahæ, *ſede à dextris meis, donec ponam*, &c. Quaſi diceret: Ego ſubjiciam hoſtes tuos &c. ſed hæc fabula eſt. Imò etiam ſic exponendum eſt. *Dixit dominus*, Pater, *Domino meo*, ſcilicet filio: Dictio noſtra prolatio eſt verbi vocalis, dictio Dei patris prolatio eſt verbi æterni. *Sede à dexteris meis.* Sedet filius ad dexteram patris, id eſt æqualis ei in quantum Deus, & fruitur potiſſimis bonis ejus & potiſſimo modo in quātum homo. Chriſtus in laboribus fuit in mundo iſto donec dictū eſt ſibi à patre *ſede à dextris meis*. Heb. 1. *Cui aliquando dixit angelorum. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos*, id eſt donec rebelles tuos tibi ſubjiciam, vel ſubjectione voluntaria ut credant volentes, vel ſubjectione coacta, ut in judicio puniantur & ſubſint inviti. Sed nunquid poſtea non ſedebit? ſolutio *donec* ponitur ibi ſicut cum dicitur. *Non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum* Matth. 1. *Scabellū pedum tuorum.* *Notandum* quod per pedes Chriſti Pedes Chriſti qui ſint ſignificantur ejus divinitas & humanitas. Humanitas propter ejus inferioritatem, divinitas propter portationem. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Pedes etiam Chriſti dicuntur prædicatores Nahum. 1. *Ecce ſupra montes pedes evangelizantis* Abac. 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* His pedibus omnia ſubjecta debent eſſe, ut terrena contemnant & tyrannos non timeant. Joſuæ 10. *Ponite pedes veſtros ſuper colla regum iſtorū, & nolite timere.* Iſa. ult. *Terra ſcabellum pedum meorum.* In futuro tamen omnia plenius erunt ſub ejus pedibus ſecundùm illud Malach. ultimo. *Calcabitis impios* &c. *Quomodo ergo filius ejus eſt?* Filius ſonat ſubjectionem, maxime ſecundùm uſum antiquorum patrum. Et *nemo poterat reſpondere*, Hier. Aio venena invidiæ ſuperari poſſe, ſed difficile conquieſcere.

DE EADEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Agitur de dilectione Dei & proximi & duo de illa data mandata explicantur. SERMO CXXIV.

Magiſter quod eſt mādatum magnum in lege? &c.

IN Evangelio hodierno Salvator commendat nobis Dei & proximi dilectionem, & inſtruit fidem. Dilectionem Dei & proximi commendat in Duo docet Chriſtus in hoc Evangelio. hoc quod dicit: *in his duobus mandatis*: *Diliges &c.* totam Legem & Prophetas pendere, aſſerens mandatum de dilectione Dei eſſe maximum & primum, mandatum verò de dilectione proximi eſſe ſimile illi: fidem vero inſtruit in hoc quod auctoritate ipſius David oſtendit Chriſtum dominum eſſe ipſius, qui tamen ſecundum carnem filius ejus eſt, unde relinquitur quod ſecundum aliam naturam ſit dominus ejus, ſcilicet ſecundum divinam, & ſic patet quod eſt Deus & homo.

Circa primum *notandum* quod ſic legitur Eccleſ. 35. *Salutare ſacrificium eſt attendere mandatis*, ſalutare id eſt cauſa ſalutis. Cum aliis ſacrificiis poteſt homo damnari, etiam cum ſacrificio altaris, cum hoc non. 1. Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Hierem. 11. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es?* Maxime verò attendendum eſt mandatis de dilectione Dei & proximi *quadruplici* ratione. *Prima* eſt Mandatum de dilectione Dei & proximi cuſtodiendum ob eius compendium. 1. quia in illis eſt quaſi abbreviatio legis. Hieron. Hac ſententia abbreviarium totius juſtitiæ dominico ore profertur: Auguſt. Si non valeas omnes paginas perſcrutari, omnia volumina ſermonum revolvere, omnia ſecreta ſcripturarū penetrare, tene charitatem, ubi pendent omnia. Idem in libro de doctrina Chriſtiana. Ut nemo excuſationem habeat in die judicij voluit Deus, ſicut ſcriptum eſt, conſummare & breviare verbum ſuper terram Hoc ipſum verbum conſummatum & abbreviatum non obſcurum eſſe voluit; ideo breve, ne non vacaret legere; ideo apertum ne quis dicat, non mihi licuit intelligere. Theſaurus eſt magnus divinarum ſcripturarū. Hic theſaurus abſconditus eſt in agro. Si piger eras ad perſcrutandum theſaurum, non ſis 2. Ob facilitatem duplicem. piger unam margaritam ſub lingua ferre, & quo vis ſecurus ambula. Hæc eſt margarita iſta. *Diliges* &c. *Secunda* eſt propter facilitatem, quæ in duobus attenditur. *Primo* in hoc, quod nullus poteſt

ſe excuſare

ſe excuſare ab eorum impletione nec paupertate, nec infirmitate, nec alio impedimento, ſicut à datione eleemoſynæ vel jejunij. Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt*, &c. De his duobus mandatis ſpecialiter poteſt intelligi illud 1. Joan 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*. *Secundo* quod quidquid fertur ſuper jugum amoris, leve efficitur. Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Auguſt. Omnia ſæva & immania prorſus facilia & prope nulla facit amor. Unde idem Auguſt. Comparat charitatem bigæ dicens: Quod jumentum per ſe non veheret, vehit in bigam duplicatum. Videbantur Jacob dies pauci præ amoris magnitudine. Geneſ. 29. Bernardus. O jugum ſancti amoris quam glorioſè laqueas, quam ſuaviter premis. *Tertio* propter gratitudinem dilectionis.

3. Quia dilectio Deo grata eſt. Dilectio enim quæ charitas eſt, gratiſſima eſt Deo, ipſa enim eſt gratia gratiarum. Sine ipſa aliæ gratiæ non ſunt gratiæ, non ſunt gratæ Deo. Sine ipſa nullum opus eſt gratum Deo, quidquid vero ex ea procedit Deo gratum eſt. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*. Specialiter vero diligit ipſam dilectionem qua ipſe diligitur. Super illud Pſalm. 32. *Exultate juſti in Domino*, dicit Gloſſa: Placet Deo, cui placet Deus. Specialiter vero placet ei illud, quo ipſe placet, ſcilicet amor. *Quarto* propter dilectionis utilitatem.

4. Propter utilitatem dilectionis. Dilectio enim ſuper omnia utilis eſt homini. Auguſtin. Attende quanta eſt charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera; ſi autem adſit, habentur omnia, vel in ſe, vel in aliis. Item Auguſtinus. Ubi charitas eſt, quid eſt quod poſſit obeſſe? ubi autem non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? 1. ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum*, &c. *charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*.

Præcepti de dilectione Dei explicatio duplex. *Secundum* Gloſſam ſic exponitur hoc præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideſt ex totó intellectu, ut nullum in confeſſione divinitatis relinquas locum errori: 1. *ex tota anima*, id eſt ex tota voluntate, ut ei nihil contrarium velis: *ex tota mente tua*, id eſt, in memoria nihil re- 2. miniſcens quo minus de Deo ſentias. *Aliter* etiam poteſt exponi ſic. Tria ſunt quæ nos retrahunt ab amore Dei: ſcilicet diabolus per ſuggeſtiones, caro per delectationes, mundus per tribulationes. Contra hæc tria debemus Dominum diligere tripliciter: ſapienter, ne ſuggeſtionibus diaboli ſeducamur: dulciter, ne delectationibus carnis alliciamur: fortiter, ne preſſuris mundi opprimamur:

Cur ſit maximũ mandatum. *Hoc eſt maximum & primum mandatum*. *Notandum* quod inter actiones ſeu affectiones animæ dignior eſt dilectio. Bernardus ſuper Cant. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus & ſenſibus in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, ſuo auctori reſpondere, vel de ſimili rependere vicem mutuam. Et ſi minus diligat creaturam quando minor eſt, tamen ſi ex toto ſe diligit, nihil deeſt ubi totum eſt. Tullius. Omnibus rebus humanis anteponenda eſt amicitia. Idem. In hoc præſtat amicitia propinquitati, quia ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt. Sublata enim benevolentia, nomen amicitiæ tollitur, propinquitas manet. Ad Coloſſ. 3. *Super omnia charitatem habete*. Aug. Reſpice ad munera Eccleſiæ, & univerſis excellentius charitatis munus cognoſces. Dilectio eſt unitio amantis & amati, & quantum eſt uniri Deo, & ſecundum ſe totum? 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. Benè ergo dicitur maximum mandatum illud: *Diliges Dominum*, &c.

Cur primum. Eſt etiam *primum*, fons enim amoris debet naſci in alto, ut Deus primo ametur, & deinde amor ad alios derivetur. Deus amandus eſt propter ſe. & alia propter Deum. Auguſt. Domine minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod non propter te amat. Amor pondus eſt trahens animam ad proprium locum, ſcilicet Deum. Auguſt. Amor meus pondus meum. Secundum Dionyſium eſt virtus ſurſum agens, ad id quod ipſum ſolum eſt propter ſe ipſum, ſolum eſt pulchrum & optimum.

Secundum ſimile eſt huic, quia ſimile præcipit ſcilicet dilectionem & in ſimilem materiam, ſcilicet in hominem ad Dei ſimilitudinem creatum; ſed modus differens eſt, qui determinatur cũ dicitur: *ſicut te ipſũ*. quod *tripliciter* poteſt intelligi. Explicatio præcepti de dilectione proximi.

Primo ſic illud diligas in proximo quod diligere debes in te ipſo, ſcilicet naturam, Dei imaginem & ſimilitudinem. Auguſt. Sic diligendi ſunt homines, ut eorum vitia non diligantur. Proximi ut nos amãtur. 1. *Secundo* ſic: id eſt, eo ordine quo te ipſum, id eſt infra Deum & ſupra temporalia, quod non facit avarus qui temporalia præponit proximo. 2. Proverb 12. *Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt*. *Tertio* ſic, id eſt ad illud ad quod te ipſum, ſcilicet ad gloriam æternam, non ad honores temporales ſicut amãt prælati conſanguineos ſuos. 3. Et *notandum* quod ignis fraterni amoris his indiciis ſe manifeſtat: ſcilicet *malorum compaſſione, bonorum gratulatione, debitorum dimiſſione, & rerum ſubventione*. Fraternus amor quatuor modis manifeſtatur. De *primo* habetur 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor*? De *ſecundo* 1. ad Corinth. 13. dicitur de charitate quod *congaudet veritati*. Luc. 15. *Congratulamini mihi*. De *tertio* Matt. 6. *Dimitte nobis debita noſtra* &c. De *quarto* 1. Joan. 5. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*? *In his duobus mandatis tota lex pendet*. Mandata primæ tabulæ pertinent ad Dei dilectionem. Mandata ſecundæ tabulæ pertinent ad proximi dilectionem.

Si vis loqui de decem mandatis vide ſermonem epiſtolarum Dominicæ XIII. poſt feſtum SS. Trinitatis. Aliã materiã ſermonis de hoc verbo: *Diliges Dominũ Deũ tuum* Quære proxime ſupra Dominica 13. Si vis loqui de his quæ incitant ad amorem Dei & proximi, vel de modo amandi Deũ & proximum, vel de ſignis amoris quære de his in tractatu de charitate. Alibi quærenda plura.

DOMINICA DECIMA NONA POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Evangelium primo ſuccinctè, deinde copioſè explanatur.

SERMO CXXV.

Aſcendens Jeſus in naviculam tansfretavit de terra Geraſenorum, & venit in civitatem ſuam, ſcilicet Capharnaum, ut habetur. *Marc. 2. Matth. 9.*

Quare Capharnaum dicatur civitas Chriſti oſtendit Auguſtinus in libro de concordia Evangeliſtarum his verbis. Explicatio Evangelii brevior. Quis dubitat Capharnaum eſſe civitatem Domini, quam non naſcendo, ſed miraculis illuſtrando ſuam fecit. Capharnaũ cur civitas Chriſti dicatur. Denique ſi in comparatione cæterarum regionum rectè diceretur, quodcunque oppidum Galilææ civitas Domini, multo fortius Capharnaum quæ ita excellebat in Galilæa, ut tanquam metropolis haberetur. *Videns autem fidem*. &c. Interlin. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem ſic valuit aliena, ut intus & extra ſanaret hominem? ergo videtur quod iſte ſanatus ſit fide aliena. Ad idem facit quod dicit Hieron. quod paralyticum ſanavit Dominus non ſua fide, cum ſenſu careret, ſed pro fide offerentium. Objectio. Sed contra. Parvuli qui non peccaverunt, in fide aliena ſalvari poſſunt: ſed adulti, qui per ſe peccaverunt, aliena fide ſalvari

non poſſunt. Solutio. Illi qui detulerunt paralyticum de congruo meruerunt ei gratiam. *Remittuntur tibi peccata tua.* Beda in Homilia. Pro culpa animæ etiam corpore infirmabatur, ideo ſanaturus corpus prius ſanat animam. *Hic blaſphemat. Nota* quod blaſphemia eſt, cum quis Deo injuriam irrogat verbo, quod fit tribus modis: ſcilicet cum Deo attribuitur quod ei non convenit, vel cũ de Deo negatur quod ei convenit, vel quando quod Dei eſt aliquis ſibi attribuit. Noverant ſcribæ qui erant magiſtri legis ſolum Deum peccata dimittere, ideo cum crederent eum non eſſe Deum reputabant eſſe blaſphemiam quod ſibi hoc attribuebat.

Solutio. Blaſphemia fit tribus modis.

Dominus autem miſertus erroris eorum, dupliciter oſtendit ſe Deum eſſe, & peccata eorum poſſe remittere. Per hoc *Primo* quod cogitationes eorum agnoſcit: videre enim cor hominis ſolius Dei eſt ſicut dimiſſio peccati. 1. Reg. 16. *Deus autem intuetur cor. Secundo* per hoc quod paralyticũ ſanat verbo. *Quid eſt facilius dicere,* id eſt dicto facere, *dimittuntur tibi peccata, quam dicere,* id eſt dicto facere ut ſurgat & ambulet. Chryſoſtomus. Quantò anima eſt corpore potior, tantò curatio animæ plus eſt quam corporis, ſed quia illud occultum eſt, addit quod manifeſtum eſt. Gloſſa. Beda. Quoniam hoc ſpirituale non creditis, probetur ſigno viſibili quod non minoris conſtat eſſe potentiæ. Sed nunquid ſecundum Auguſtinum, majus eſt facere de impio pium, quã creare cœlum & terram? Solutio. Aug. habuit reſpectum ad hoc, quod cum fit de impio pius, iniquitas impij reluctatur, & etiam juſtitia Dei videtur obviare, quæ vult vindictam, ſed in creatione cœli & terræ nihil fuit obvians vel reluctans, & ſic majus eſt facere de impio pium, id eſt majoris miſericordiæ. Unde ſuper Lucam dicitur; quod utrumque eſt æqualis potentiæ, ſed alterum majoris miſericordiæ ſcilicet facere de impio pium. *Ut autem ſciatis,* &c. Hoc tripliciter poteſt exponi. *Primo,* ſic, ut ſit, verbum Chriſti dirigẽtis ſermonem ad blaſphemãtes & jungatur ad illud: *Surge, tolle lectum tuum,* ſub hoc ſenſu, *ut ſciatis quoniam filius hominis,* &c. *Surge, tolle lectum tuum.* Hoc autem, *tunc ait paralytico* ſit verbum, ab Evangeliſta interpoſitum. Tunc ſcilicet poſtquã quæſierat ab eis *quid eſſet facilius dicere* &c. *Secundo* ſit ſuppletio hoc modo: *ut autem ſciatis quia filius hominis,* &c. Dicto faciam ut ſurgat & ambulet. *Tertio* poteſt intelligi ut totum ſit verbum evangeliſtæ dirigentis ſermonem ad nos ſub hoc ſenſu: ut autem ſciatis vos poſteri *quoniam filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralitico Filius hominis.* Interlin. quia idem eſt filius hominis & Deus. *Surge, tolle lectum tuum.* Gloſſa. Hier. Ut quod fuit teſtimonium veritatis ſit probatio ſanitatis, *& ſurrexit.* Gloſ. Magna virtus ubi ſine mora, ſalus, imperium comitatur. *qui dedit poteſtatem talem hominibus,* id eſt tam potenter operantem inter homines.

Chriſtus oſtendit ſe Deum dupliciter.

Obiectio ſolvitur.

Hoc dictũ tripliciter intelligi poteſt.
1.
2.
3.

Aſcendens Ieſus in naviculam, &c. Myſticè navicula eſt crux Chriſti, in qua toleravit amaritudinem doloris quæ fit ad modum maris magna: Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Et venit in civitatem ſuam,* ſcilicet Capharnaum. ſcilicet villam pulchritudinis vel conſolationis: pulchritudinis quantum ad intellectum, conſolationis quantum ad affectum Phil. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem,* &c. *Propter quod & Deus exaltavit illum.* Navicula etiam & pœnitentia, & bene dicitur navicula diminutione, cum brevis ſit reſpectu cruciatus æterni. Sapient. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas.* Hac navicula tranſeundum eſt nobis mare hujus ſæculi ut in civitatem cœleſtem perveniamus. *Et ecce offerebant ei paralyticum.*

Explicatio ſuſior Evãgelii. Navicula ſignificat, 1. Crucem Chriſti. 2. Pœnitentiam.

Circa hoc miraculum *duo* nobis ſunt attendenda pertinentia ad ædificationem noſtram, ſcilicet quare hoc miraculum ſit factum, & quid ſit in eo ſignificatum. Circa *primum* notandum quod hujus miraculi & aliorum quæ facta ſunt à Salvatore noſtro duæ ſunt cauſæ, ſcilicet *utilitas noſtra & Dei gloria.* Utilitas hujus miraculi oſtenditur ibi: *ut autem ſciatis,* &c. Voluit dominus hoc miraculo poteſtatem ſuam oſtendere, & in nobis fidem conſtruere. Alia cauſa tangitur ibi: *Videntes autem turba timuerunt, & glorificaverunt Deum.* Propter eaſdem cauſas miracula ſcribuntur & fidelibus recitantur. Joan. Penultimo. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis,* &c Tob. 12. *Opera Dei revelare & confiteri honorificum eſt.* Cum fideles audiunt miraculum Chriſti recitari, in fide debent confirmari, & incitari ad Deum glorificandum. Circa deſignationem hujus miraculi duo nobis ſunt attendenda, ſcilicet quid per hunc paralyticum deſignetur, & quomodo curetur, ut ſic modus curationis paralyſis ſpiritualis indicetur.

Circa hoc miraculum duo notanda ſunt.
I. Cauſa miraculorum Chriſti duplex.

Circa primum notandum quod paralyticus iſte ſignificat ſpiritualiter homines voluptuoſos delitiis aſſuetos. Paralyſis enim habet fieri ex immoderato cibo & potu. Paralyſim autem ſpiritualem quatuor mala ſequuntur ſicut corporalem. *Primum* eſt *tremor,* homines enim aſſueti delitiis crederent ſe eſſe mortuos, ſi una die abſtinerent à delitiis conſuetis Geneſ. 25. *En morior,* eſau, ait, *& quid mihi proderũt primogenita mea:* Luc. 15. dicit filius prodigus: *Ego autem hic fame pereo.* Tales *trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Secundum* eſt *inſenſibilitas.* Sicut enim in paralyſi conſtringuntur nervi ex frigiditate, vel oppilantur ex humiditate, vel læſi ſunt, & ſic impeditur tranſitus ſpirituum ad inſtrumenta ſenſuum. Et ſic eſt in ſpirituali paralyſi. Humiditate enim delitiarum impeditur ne Spiritus ſanctus intret ad cor hominis, & ideo inſenſibilitas eſt ibi. Non ſentit enim homo vulnera ſpiritualia vel damna, qui tamen damna temporalia bene ſentiret. Multum doleret ſi amitteret obolum. Ad morſum etiam unius pulicis multum iraſceretur, vulnus autem peccati mortalis non ſentit. Proverb. 23. *Verberaverunt me & non dolui, traxerunt me & non ſenſi.*

Paralyſis quid ſignificet. Quadruplex eius malum.

Pſalm. 13.

Et *ſciendum* quod eſt triplex inſenſibilitas *Prima* eſt inſenſibilitas propriorum defectuum, hanc facit ſuperbia: & è contrario humilitas ſenſus eſt propriorum defectuum Pſalm. 130. *Si non humiliter ſentiebam. Secunda* inſenſibilitas eſt alienæ miſeriæ quam facit avaritia vel immiſericordia. Ecõtrario pietas ſentit alienas miſerias ad Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* 2. ad Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Tertia* inſenſibilitas eſt divinæ ſuavitatis, hanc facit immunditia ſecundum carnem, quæ facit hominem quaſi porcum, ut ei ſapiant ſtercora & non aromata. Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Talibus dicitur ad Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt ſapite* E contrario munditia præparat ad ſentiendum Dei ſuavitatem Matth. 5. *Beati mundo corde.* Proverb. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem,* regem, inquã, cœleſtem, adeo ut ad ejus oſculum recipiatur. Labia interiora ſunt intellectus & affectus. quibus anima Deum oſculatur. *Tertium* malum eſt *immobilitas,* ſicut enim nervo contracto, vel oppilato, vel læſo privatur paralyticus motu, vel in toto vel in parte, ita & hic. Unde qui habet paraliſim ſpiritualem piger eſt ad omne bonum. Proverb. 21. *Deſideria occidunt pigrum, noluerunt quicquam manus* ejus

Inſenſibilitas triplex.
1.
2.
3.
III.
IV.

IV. *eius operari. Quartũ* malum eſt *mollities* quædã, quaſi
enim diſolvitur homo interior in aquis delitiarum,
& attenditur hic mollities in hoc quod talis cedit
omni duro, nihil enim grave ſuſtinere poteſt. Hie-
rem. 31. *Vſquequo diſſolveris delitiis filia vaga?* E-
zech. 7. *Omnes manus diſſolventur.* Prover. 18. *Qui
mollis eſt & diſſolutus, in opere ſuo frater eſt ſua opera
diſſipantis.* Et ſicut paralyſis corpus vel membrum
inutile reddit, ſic qui habet paralyſim ſpiritua-
lem, quaſi inutilis eſt, Iob. 15. *Quanto magis homo
abominabilis & inutilis eſt.*

Modos ſanandi paralyſim ſextuplex.

Circa modum ſanandi notandum quod Salva-
tor ſex fecit ſanando paralyticum illum *Primo*
fidem offerentium eum reſpexit. Hierem. 5. *Domi-
1. ne oculi tui reſpiciunt fidem.* Reſpiciunt, inquam,
2. reſpectu miſericordiæ. *Secundum* eſt quod paraly-
ticum, filium vocavit. Gloſſa. Humilis Dominus
filium vocat, quem ſacerdotes dedignantur tange-
re. Vel modo dimiſſis peccatis filius, & in hoc ex-
emplum dat his qui ſunt in prælatione non deſpi-
ciendi inferiores. Seneca. Servi ſunt immo homines.
Servi ſunt, immò humiles amici: Idem. Colant te
ſervi potius quam timeant. Non ſit homini parum,
quod Deo ſatis eſt, qui colitur & amatur. Eccleſia-
ſtici. 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit quaſi anima tua:
quaſi fratrem ſic tracta illum.* Senec. Sic cum inferio-
re vivas, quemadmodum velis tecum ſuperiorem
vivere. Item in hoc quod paralyticum filium vo-
cat, dat exemplum quod non deſpiciatur in adverſi-
tate, qui propinquus habetur in proſperitate.
Qui amabatur ſanus, amandus eſt infirmus: qui ama-
batur bonus, amandus eſt malus, quaſi ſpiritua-
liter infirmus, unde compaſſio debetur ei. Boëtius in
libro conſolationum. Nullus prorſus odio locus
relinquitur. Nam bonos quis niſi ſtultiſſimus ode-
rit? malos vero odiſſe ratione caret, nam ſicut cor-
poris languor, ita vitioſitas quoque quidam mor-
bus eſt animarum. *Tertium* eſt quod ad confiden-
tiam monuit dicens. *Confide,* &c. quod multum
valet ad impetrandum illud quo homo indiget.
Pſal 9. *Quoniam ſperavit in me, liberabo eum* Hie-
rem. 17. *Benedictus vir qui confidit in domino.* Ta-
lis eſt ſicut arbor benedicta, plantata juxta fontem
divinæ bonitatis, ubi habet radicem cordis, unde
in Pſal. 3. legitur. *Erit tanquam lignum quod plan-
4. tatum eſt ſuper aquas. Quartum* eſt quod prius ani-
mam quam corpus ſanavit, & convenienter cum in-
firmitas animæ cauſa ſit infirmitatis corporis, ceſ-
ſante autem cauſa ceſſat effectus: unde medicus pri-
mo debet ægrum monere ut cogitet de ſalute ani-
mæ, ne infirmitas animæ impediat operationem cir-
ca ægrum, alioquin videtur omittere aliquid eo-
rum, quæ pertinent ad ſanationem ægri. Cum ju-
mentum percutitur, videtur agnoſcere quare percu-
titur; vel quia extra viam eſt, & ponit ſe in via;
vel quia lentè incedebat, & meliorat paſſum ſuum.
Similia his debet agnoſcère qui à Domino per-
cutitur, ſi non eſt inſipientior jumento. Vnde ſi
eſt extra viam, id eſt in peccato mortali, debet pœ-
nitere, ſi eſt in via, & lentè id eſt pigrè incedit,
debet plura bona opera facere.

Infirmitates contingunt ob quinque.

Et *notandum* quod quinque modis infirmitates
contingunt ſecundum Gloſſam. *Primò* ut merita ju-
ſtis per patientiam augeantur, ut Iob. *Secundo* ad
cuſtodiam virtutum ut in Paulo 2. ad Corinth. 12.
Tertio ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra Nu-
meri. 12. & hic paralytico iſti. *Quarto* ad gloriam
Dei, ut cæco nato. Ioan. 9. & Lazaro eiuſdem. 11.
Quinto ad initium pœnæ, ut Herodi. Actor 12,
quatenus videatur hic quid in Inferno ſequatur.
5. *Quintum* eſt quod duplici ratione ſe non blaſphema-
re oſtendit. Primò per hoc quod cogitationes eo-
rum videt, ſecundò per hoc quod dicto facit ut pa-
ralyticus ſurgat & ambulet; opus enim & modus
operandi manum ſive virtutem oſtendit. Bern. lo-
quens de Chriſto: Eâdem, inquit, manu qua cun-
cta fecerat, quæ defecerant reficiebat. De omnibus
dixit & facta ſunt. Dicto etiam infirmos curabat,
& mortuos ſuſcitabat. Apoſtoli etiam in nomine
eius hæc faciebant. Actor. 3. *In nomine Ieſu Chri-
ſti Nazareni ſurge & ambula.* Chriſtus vero non in
nomine alterius, ſed ſolo imperio multos ſuſcita-
bat. Luc. 7. *Adoleſcens tibi dico ſurge, Sextum* eſt 6.
quod dicit ei. *Surge, tolle lectum tuum.* Non ſic per
medicos ſanitas redditur, ut tam cito fortitudo
habeatur.

Ecce offerebant ei paralyticum. Luc. 5. ſic legitur.
*Ecce viri portantes hominem in lecto qui erat pa-
ralyticus, & quærebant eum inferre & ponere ante
eum: & non invenientes qua parte illum inferrent præ
turba aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſubmi-
ſerũt eum cum lecto in medium ante Ieſu.* Hi quatuor
viri intelligi poſſunt Doctores Eccleſiæ, qui pec-
catorem portant & ſublevant, & ante Ieſum ponunt.
Hoc eſt triplex officium prælati. *Portare* debet præ-
latus ſubditum, unde currus dicitur 4. Reg. 2. *Pa-
ter mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Portat autem
Prælatus ſubditum multipliciter. *Primo* orando, un-
de dixit Saul Samueli. 1. Reg. 15. *Porta* inquit *quæ-* 1.
ſo peccatum meum. Secundo compatiendo. 2. ad Co-
rinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Ter-
tio* curam & ſolicitudinem habendo. Num. 11.
*Cur impoſuiſti pondus univerſi populi huius ſuper me?
Quarto* cibo ſpirituali ſuſtentando, Iſaiæ 66. *Ad
ubera portabimini.* Debet etiam prælatus ſubdi- 2.
tum ſuum *ſublevare*, ſpem veniæ ei dando, oſten-
dendo miſericordiam Dei paratam eſſe ad recipien-
dum, ut patet. Luc. 15. in ſuſceptione filii prodi-
gi revertentis. Debet etiam eum *ponere ante Ieſum*,
cum Deo reconciliando. Sed multi proniores ſunt 3.
ad eum tradendum ſathanæ per excommunicatio-
nem. Ioan 16. *Abſque ſynagogis facient vos* Eiuſ-
dem 9. *Iam enim conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis
confiteretur ipſum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.*
Tectum poteſt intelligi obſervatio conſiliorum.
Mat. 24. *Qui in tecto eſt, non deſcendat.* Per tectum
ante Ieſum ponitur, quia turba impediente aliter
ad eum deferri non poterat. Sic multi religio-
nem intrando conſilia conſervant; qui manentes in
ſæculo præcepta ſervare non poterant: qui non
poterat cavere ne raperet aliena, abiicit propria.
Turba vero impediens triplex eſt, ſcilicet turba co-
gitationum ſtrepens interius, & conculcans ter-
ram cordis, ne aliquid bonum germinet; & turba
inquietans exterius, ſcilicet multitudo negotio-
rum. Luc. 10. *Martha Martha ſollicita es, & turba-
ris,* &c. & turba cognatorum Iob. 21. *Propinquorum
turba in conſpectu eorum.* Turba impedit paralyticum
ne ante Chriſtum ponatur, ut hic habetur, & lan-
guidum ne Ieſum agnoſcat. Ioan. 5. Cæcos etiam in-
crepat ut taceant Matth. 20. Zachæo obſtabat ne
Ieſum videat. Luc. 19 Retardat parentes venire
ad Ieſum Marc. 3. Differri facit ſuſcitationem puel-
læ Matth. 9. Prorogat illuminationem cæci Marc.
7. Vel quatuor portitores intelligi poſſunt qua-
tuor quæ peccatores ad Ieſum adducere ſolent. *Pri-
mum* eſt conſideratio propriæ fragilitatis Iob. 17.
Putredini dixi pater meus es. Secundum eſt onus pro-
priæ iniquitatis. Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſ-
ſæ ſunt caput meum.* Thren. 1. *Convoluta ſunt & im-
poſita collo meo. Tertium* eſt conſideratio beneficio-
rum Dei. Iſaiæ 48. *Laude mea infrenabo te, ne inte-
reas. Quartum* eſt conſideratio ſuppliciorum infer-
ni Iſaiæ 33. *Quis poterit ex vobis habitare cum igne de-
vorante?* Vel illi quatuor adducentes paralyticum
poſſunt dici iſta *quatuor. Auditus prædicationis.*
Matth. 26. Petrus flevit amare ad cantum galli.
Actor. 2. *His auditis cõpũcti ſunt corde. Orationis aſſi-*

Portitores paralytici quid ſignificent.

Prælati officium triplex.

Tectum quid ſit.

Turba triplex.

Quot modis impediat.

Quid deinde 4 portitores ſignificent.

Quid tertio iidem ſignificent.

Qnid tertio idem ſignificent. *duitas.* Actor. 12 Petrus liberatus eſt à carcere pro quo fiebat oratio ſine intermiſſione. *Eleemoſynarum largitio.* Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime. Tribulationum multiplicatio.* Pſal.15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt.* Numer. 20. *Elevans Moyſes manum percuſſit virga bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Durities quæ non frangitur in prima tribulatione, frangitur in ſecunda.

Lectus, &c. quid ſignificent. *Surge, tolle lectum tuum.* Lectus eſt peccatum, in quo homo quieſcit, cum in eo delectatur. Ab hoc lectulo ſurgit, cum peccatum deſerit. lectum portat, cum peccatum eſt oneri & dolori, quod prius

Cito ſurgẽdum è lecto. fuerat ei quieti & delectationi. Ab hoc lecto ſine dilatione eſſet ſurgendum. Luc. 5. *Et confeſtim ſurgens,* &c. *Primo* quia in eo non quieſcitur, verè, ſicut nec in ſpinis Mich. 2. *Surgite & abite, quia non habetis hic quietem. Secundo* propter lecti hujus immunditiam, longe enim major eſt immunditia peccati quacunque immunditia corporali Unde magna eſt corruptio ſpiritus humani, qui potius vult morari in immunditia peccati, quam ſurgere inde: & qui debuit habere lectulum floridum Cant. 1. vult habere ſordidum. *Tertio* propter imminens periculum. Juſtitia enim Dei tenet gladium evaginatum ſuper jacentem, comminans ei mortem niſi ſurgat. Job 19 *Fugite à facie gladij. quia ultor iniquitatis gladius eſt. Quarto* propter verecundiam. Spectaculum enim eſt peccator jacens in hac immunditia, & Angelis & dæmonibus. 1. ad Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Tres lecti peccatoris. Item *notandum* quod peccator tres habet lectos in quibus vult quieſcere. *Primus* eſt *ſuperbia.* Abdias. *Si exaltatus fueris ut aquila, & inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Iſte lectus videtur eſſe honoris, ſed cito honor ejus in contumeliam convertetur quaſi in ſterquilinium. Job 20. *Si aſcenderit in cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur,* &c. *Secundus* eſt *voluptatis,* in quo videtur eſſe quies & delectatio. Sed plus eſt ibi amaritudinis, unde poſt illud Proverb. 7. *Texui funibus lectum meum,* ſubditur, *aſperſi cubile myrrha, & aloe & cynamomo. Tertius* eſt *avaritia,* qui habet pro culcitra ſpinas divitiarum, qui lectus eſt doloris, non quietis. Sed aliqui ex diuturnis punctionibus inſenſibiles facti, cruciatum non advertunt. Job 30. *Eſſe ſub ſentibus delicias reputabant.*

In domum vadimus. *Vade in domum tuam,* id eſt, in Eccleſiam per Sacramentorum perceptionem, quia qui fuerint extra peribunt. Geneſ. 7. omnes qui extra arcam inventi ſunt perierunt diluvio. Exod. 9. omne quod fuit in agro grandine percuſſum periit. Joſue 6. quidquid extra domum Rahab inventum eſt periit, id eſt, gladio interierat. *Vel* in domum, id eſt, in cœlum per jugem meditationem. Proverb. 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Beda in Homilia. Facile vitat laqueos in terris, qui ſemper habet oculos in cœlis. *Vel* in domum, id eſt in propriam conſcientiam, non in alienam curioſè diſcutiendo eam. Sap. 8. *Intrans domum meam conquieſcam,* non curſitabo per aliorum conſcientiam. Eccleſiaſt. 29. *Vita nequam hoſpitandi de domo in domum.* Et ejuſdem 21. *Pes fatui facilis in domum proximi.* Quidam ſunt velut hiſtriones quibus pejus eſt in domo propria quam in aliena. *Vel* in domum tuam, ſcilicet corporis vilitatem & fragilitatem conſiderando, hoc enim multum valet ad humilitatem. Nahum 3. *Intra in lutum & calca.* Bern. O anima domum habes, ſed cito caſura eſt domus tua, & niſi tibi provideris, ventis & pluviæ exponeris.

DOMINICA XX. POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. *Matth. 22.*

GLoſſa de invitatis ad nuptias ſolus Matthæus narrat. Aliud ſimile ex parte. Luc. habet 14. ſed de cœna idest, de æterno cõvivio, de quo nemo ingreſſus repellitur ſicut de præſenti Eccleſia. Gloſ. Lucas agit de ſtatu Eccleſiæ triũphantis, & ideo vocat cœnam, Matth. vero de ſtatu Eccleſiæ militantis.

Simile eſt regnum cœlorum, ideſt, præſens Eccleſia, *homini regi,* Deo patri, *qui fecit nuptias filio ſuo.* Interlin. per Incarnationis myſterium Eccleſiam filio ſuo copulavit, & eſt ſenſus. Negotium Eccleſiæ ſimile eſt tali negotio, quod eſſe potuit. *Et miſit ſervos ſuos,* prius Prophetas prænuntios Incarnationis, *vocare invitatos,* Judæos, quibus hoc in Patriarchis promiſerat Chriſtus Abraham imitatur: *Exi de terra tua.* Geneſ. 12. *Et nolebant venire* credendo. *Iterum miſit alios ſervos.* id eſt Apoſtolos, *ecce prandium meum paravi:* doctrinam ſcilicet juſtitiæ. Secundum Chryſoſtomum. Gloſſa verò hoc prandium vocat introitum regni apertum fide Incarnationis Chriſti, qui ante fuerat clauſus. *Tauri mei & altilia occiſa ſunt.* Gloſſa. Tauri ſunt patres veteris teſtamenti, quibus indulta eſt licentia inimicos quaſi cornu feriendi: *altilia,* præcones novi teſtamenti ab alendo, pinguia ab interna charitate, contemplationis penna ſuperna petentes. *Occiſa,* vel ab eo quod fuerant, vel per mortem carnis jam in requie poſiti. Gregor. Altilia ſaginata dicuntur ab eo quod eſt alere; altilia enim quaſi alitilia vocamus. *Et omnia parata.* Paratus eſt & locus & cibus. De loco Joan. 14. *Vado vobis parare locum.* Hebr. 11. *Paravit illis civitatem.* De cibo Pſalm. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Venite ad nuptias.* Interlin. Fide cum cæteris concordando. *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius in negotiationem ſuam.* Gloſſa. In villam ire eſt immoderatè terreno labori inſiſtere, negotiari verò terrenis lucris inhiare. Secundùm Chryſoſt. In villa intelligitur quidquid labore manuum fit, quod autem non labore manuum, ſed aliis lucris conſequitur, negotiatio appellatur. *Reliquos vero tenuerunt.* Sed etiam perſequuntur. *Rex autem cum audiſſet vocem ſanguinis.* Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me. Et miſſis exercitibus ſuis,* ſcilicet Romanis ſub Tito & Veſpaſiano, *perdidit homicidas.* Luc. 19. *Inimicos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite coram me. Et civitatem illorum,* ſcilicet Hieruſalem, *ſuccendite. Nuptiæ quidem paratæ ſunt,* ideſt Sacramentum Incarnationis apertum eſt. *Ite ergo ad exitus viarum.* Gloſ. Actiones viæ ſunt, exitus viarum, defectus actionum. Plerumque facile convertuntur, quos in terrenis actibus proſpera nulla comitantur. Ad exitus viarum jubet ire, ideſt ad gentes tranſire per diverſos errores vagantes, quibus exitus à via fidei, vel jubet trãſire ad pauperes, quibus defecit quid agant: *& quoſcunque inveneritis,* quia *non eſt acceptio perſonarũ apud Deum:* ad Ro. 2. & Act. 10. *Vocate ad nuptias.* Gloſſ. Adhuc alios vocat, quia ſermo Dei etſi alicubi laborat alicubi requieſcit. *Et egreſſi* de Judæa *in vias,* ſcilicet ſectas gentiũ, *congregaverũt bonos & malos.* Gloſſa, ſicut Eccleſia inter cœlum & infernum eſt; ita indiſtinctè bonos & malos colligit. Cœlũ locus eſt bonorum ſolùm, infernus verò locus malorũ ſolum. *Et impletæ ſunt nuptiæ,* ideſt, *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Intravit autem rex ut videret diſcũbentes,* id eſt, videri faceret. Dan. 7. *Iudiciũ ſedit & libri aperti ſunt.*

Diſcum-

Diſcumbentes: id eſt, fidem habentes. *Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*, id eſt fidem habentem & non opera charitatis. Poſtquam Dominus aſſociandæ ſibi Eccleſiæ ad nuptias venit. *Amice* per fidem non per operationem. Secundum Gloſſam amicus dicitur quia ad nuptias invitatus. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem*? &c. Chryſoſtomus ſuper Matth. Si aliquis cum nigra veſte inveniatur in nuptiis, ſordidat nuptiarum gloriam, ita qui opera habet tenebroſa inter Chriſtianos Chriſtianitati injuriam facit: homo itaque aut ſecundum locum eligat veſtem, aut ſecundùm veſtem eligat locum, alioquin audiet: *amice quomodo huc intraſti? at ille obmutuit*. Interlin. quia non eſt ibi locus negandi. *Ligatis manibus & pedibus*. Interlin. ligantur pœna qui ligati fuerant culpa à bonis operibus. Gloſ. Ligatur pœna, qui hic à malo noluerit ligari, id eſt cohiberi. *tenebras exteriores*, id eſt inferni, ut dicit Interlin. quia hic interiores cordis habent tenebras *fletus* oculorum in vanis vagorum & ſtridor dentium, qui de edacitate gaviſi ſunt. *Multi autem ſunt vocati* quod dixi, etſi de uno dixi, de multis eſt intelligendum *ſunt vocati*, fide ad nuptias: *pauci vero electi* ad regnum.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO CXXVII.

SUMMARIUM.

Explicantur ſex de parabola hujus Evangelij.

Simile factum eſt regnũ cœlorum homini regi &c.

Sex é parabola hac explicantur.

CIrca hanc parabolam à Domino propoſitam Sex nobis conſideranda ſunt, ſcilicet quæ ſunt hæ nuptiæ, quis ſponſus, quæ ſponſa, quod prandium nuptiarum, qui ſunt invitati, qui ad nuptias non veniunt, quis ſit ille qui propter defectum veſtis nuptialis à nuptiis expellitur.

Nuptię quę ſint.

Nuptias iſtas intelligimus conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ per Sacramentum incarnationis factam. Hæ nuptiæ celebratæ ſunt in utero virginali, unde Gregorius: Nuptialis thalamus eſt virginalis uterus. De hoc thalamo dicitur in Pſalmo. 18. *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Iſte thalamus fuit eburneus Pſalm. 44. *A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo*.

II. Spõſus quis ſit.

Sponſus harum nuptiarum eſt filius regis. Pſ. 71. *Deus judicium tuũ regi da, & juſtitiam tuã filio regis*.

III. Sponſa quę ſit. Eccleſia dicitur Cœlum ob tria.

Sponſa verò eſt Eccleſia, quæ hic regnum Cœlorum dicitur. Ipſa dicitur Cœlum *primo* propter inhabitationem Dei. Matth. ult. *Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi* Joan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. *Secundo* propter luminoſitatem, ſunt enim in ea viri ſancti habentes cæleſtis ſapientiæ claritatem & honeſtatis ſplendorem. Philip. 2. *Inter quos lucetis ſicut ſtellæ in firmamento verbum vitæ continentes*. Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*. *Tertio* propter vitæ ſublimitatem. Sicut enim exaltantur cœli à terra, ſic exaltata eſt à terrenis per contemptum eorum. Regnum verò cœlorum dicitur, quia in ea Deus dominatur.

Regnum cœlorum cur dicatur.

IV. Prandium & cœna harum nuptiarum quæ ſint.

Prandium nuptiarum harum eſt refectio ſpiritualis, quam habet Eccleſia in præſenti, cœna vero erit refectio in futuro. In prandio refectio incipitur, in cœna conſummatur, de qua conſummatione legitur Apoc. 19. *Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit ſe. Et datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino ſplendente & candido. Byſſinum ſunt juſtificationes ſanctorum. Et dixit mihi ſcribe beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Et notandum* quod in nuptiis mundi matutinale convivium majus eſt veſpertino, in nuptiis verò Chriſti eſt è contrario Ad convivium matutinale harum nuptiarum iſta pertinent: de fide incarnationis gaudere, ſcripturis ſacris refici, ſacramenta percipere. in ſpe cœnæ conſolationem habere. Et poſſumus diſtinguere *quadruplex convivium*; ſcilicet *mundi, fidei, cœli & inferni*. *Primum* ſignificatur per convivium quod fecit Balthaſar rex Babylonis, Dan. 5. In hoc convivio apponuntur deaurata ſed venenata. Hierem. 51. Calix aureus Babylonis De *ſecundo* convivio habetur hic quod ſignificatum eſt. Exod. 25. per menſam, ſuper quam ponebantur 12. panes propoſitionis. De *tertio* convivio habetur Iſaiæ 25. *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium omnibus populis*. Pſalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. In *quarto* convivio erit panis lapideus, & vinum felleum. proverb. 20. *Suavis eſt homini panis mendacij, poſt ea implebitur os ejus calculo*. Deuteron. 32. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*.

Convivia quatuor. 1. Mundi. 2. Fidei. 3. Cœli. 4. Inferni

V. Invitati ad nuptias venire nolentes qui ſint.

Ad nuptias iſtas primo invitati ſunt Judæi tanquam noti, & de parentela ſponſi, deinde illis nolentibus venire, Gentiles velut extranei. Et Notandum quod quatuor de cauſis aliqui invitati ad nuptias non veniũt ad eas. *Prima* eſt *error* vel *defectus fidei*, ad quod pertinet illud: *& nolebãt venire* id eſt credere. Hoc impedimentum eſt in eis, qui non credũt niſi ea quę vident, non attendentes quod etiã de parẽtibus carnalibus non poteſt haberi cognitio niſi per fidẽ. Quomodo poſſunt tales credere quod aliquis eos genuerit, cum hoc non viderent. Hæc incredulitas multum diſplicet Deo. Eccleſiaſt. 16. *In gente incredula exardeſcet ira*. Apoc. 22 *Timidis autem & incredulis* &c. *Pars illorum erit in ſtagno ardente igne & ſulphure Secunda cauſa* eſt *defectus amoris veri boni* ad quod pertinet illud: *illi autem neglexerunt*. Hoc impedimentum eſt in eis, qui pro nihilo habent terram deſiderabilem. Et *notandum* quod homines valde ſunt negligentes circa ſalutem propriam adeo, ut cum pedem boni propoſiti poſuerunt in via juſtitiæ, alium pedem differunt poſt ea ponere decem annis vel amplius, ſcilicet pedem boni operis, non attendentes gladium evaginatum, quem Dei juſtitia tenet ſuper eos Ideo prædicator multum debet inſtare his quæ timorem incutiunt quia *qui timet Deum nihil negligit* Eccleſ. 7. Eccleſ. 38. *Qui tenet aratrum, & gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitat*. Et *notandum* quod negligentia iſta apparet eſſe reprehenſibilis. *Primo* per hoc, quod tauri & altilia dicuntur occiſa: valde enim miſer eſt qui nihil vult facere pro propria ſalute, pro qua Deus tot & tanta fecit. Inſinuatur etiam in hoc quod ſi non venerint ad nuptias, requirentur ab eis expenſæ factæ. Requiret enim Deus mortem ſuam & ſanctorum ab his qui ad nuptias nolunt venire, pro præparatione enim convivij nuptialis ipſe & ſancti occiſi ſunt. *Secundo* apparet negligentia hæc reprehenſibilis per hoc, quod dicuntur omnia eſſe parata: jam enim non reſtat niſi ablutio manuum, ſcilicet purificatio operum. Væ illi qui propter pigritiam lavandi manus ſuas amittit talem refectionẽ Matt. 20. *ſpecialiter* reprehenduntur qui undecima hora ocioſi inveniuntur, undecima hora ſignificat tempus gratiæ *Tertia cauſa* in eis eſt *immoderatus amor tranſitorij boni*, ad quod pertinet illud: *Et abierunt alius in villam ſuã* Pſ. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã* &c. Hoc impedimentũ eſt in eis qui in ſervitio mũdi adeo occupati ſunt, quod nec ſibi nec Deo vacare poſſunt, ſed excuſationes prætendunt, de quibus dicitur Luc. 14. *Nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabunt cœnam meam*. Iſti Deum contemnunt, & ideo merito ab eo contemnentur Iſa. 33. *Væ qui ſper-*

Quatuor cauſæ non veniendi ad nuptias. 1. 2. Pſalm. 10

Negligentia ſalutis ob duo eſt reprehenſibilis. I. II.

nis, nonne & ipſe ſperneris? unde dicit Dominus, quod qui invitati fuerant digni non erant. *Quarta cauſa* eſt *appetitus alieni mali*, ad quod pertinet illud: *reliqui tenuerunt ſervos* &c. Hoc impedimentum eſt in eis, qui ſalutis adjutores reputant hoſtes, qui non poſſunt audire verbum de liberatione ſua, qui periculum ſuum amare videntur, ut non eſt mirum ſi ipſi pereunt. Eccleſiaſt. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hi ſunt homines malevoli, pro bonis mala reddentes, ad correctionem non pervenientes. Proverb. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo illius.*

VI. *Qui à nuptiis expellantur. Veſtis nuptialis quadruplex.*

Per illum qui à nuptijs expellitur propter defectum veſtis nuptialis, deſignantur illi qui habent fidem ſed non charitatem, Charitas enim veſtis nuptialis eſt, quæ *operit multitudinem peccatorũ*. 1. Petri 4. Operit enim turpitudinem noſtram. Vel veſtis nuptialis eſt fides cordis, vel juſtitia operis. Epheſ. 4. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſãctitate veritatis.* Sãctitas ad fidem refertur, per quam mundatur cor. Actor. 15. *Fide purificans corda eorum* Juſtitia ad bonum operationẽ refertur. Vel veſtis nuptialis eſt grata & ſancta converſatio. Hæc veſtis eſt in virginibus candida, in martyribus purpurea, in pœnitentibus violacea Sed *nota* quod quidam habent veſtimenta lutoſa, ut luxurioſi: alij ſanguinea, ut raptores & uſurarij: alij pulverulenta, ut cupidi: alij fumo obſcura, ut ſuperbi. Omnibus iſtis imminet damnatio, tanquam debita veſte non indutis. In eccleſia militante mixti ſunt reprobi cum electis, ſicut in area ſunt grana cum paleis. In arca Noe fuerunt animalia immitia cum mitibus Geneſ. 6. Gregor. Mali miſcentur bonis quia nequaquam perducitur ferrum animæ ad ſubtilitatem acuminis, ſi hoc non eraſerit limã alienæ pravitatis. Sed viſitabit Dominus diſcumbentes, & expellet veſtem nuptialem non habentes. Soph. 1 *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Tunc dicet cœtui reproborum, qui per unum intelligitur propter colligantiam in malo, quam habent ſicut vulpes Samſonis. Judic 15.

Cauſæ mirandi defectum huius veſtis, quinque.

Quomodo huc intraſti? &c. quaſi admiratur Dominus inveniens aliquem in eccleſia abſque veſte charitatis Hujus admirationis poſſunt eſſe quinque cauſæ. 1. *Prima* eſt quod Dominus tantum expendit ut ſponſa ſua hanc veſtem haberet, cum aliæ veſtes fiant vel de pilis animalium, vel de corticibus herbarum, vel viſceribus vermium ut veſtes ſericæ. Huic veſti voluit Dominus materiam miniſtrare quaſi de viſceribus ſuis, cum lateris ſui apertione amorem ſuum nobis oſtendit. Bern. Clavus penetrans, clavis reſerans factus eſt mihi, ut videam voluntatem Domini, quidni videam per foramen? clamat clavus, clamat vulnus. Idem. Patet arcanum cordis per foramen corporis.
2. *Secunda* eſt quod eccleſia ſcit hanc veſtem ſummè placere ſponſo ſuo, unde veſtem inconſutilem quæ erat figura hujus veſtis noluit dividi. Joan. 19. Hic & permiſerit corpus ſuum perforari. Auguſt. Tunicam hominis jam judicati in cruce pendentis carnifices Pilati non ſunt auſi conſcindere, & tu niteris charitatem Dei, immo charitatem quæ Deus eſt,
3. ſeparare præſumis? *Tertia* eſt quod iſtam veſtem oſtenſura eſt Eccleſia in illa magna curia, & neſcit qua hora debeat vocari Matth. 25. *Media nocte clamor factus eſt.* Ideo ſemper deberet eſſe parata. Ejuſdem 23. *& vos eſtote parati*, &c. ſed ſunt qui tunc primò volunt ordiri hanc veſtem quando deberet ſuccidi. Iſai 38 *Dum adhuc ordirer ſuccidit me.* Qui diſcretus eſt quærit lanam & linum ad contexendum hanc veſtem quam poteſt citò. Prover. ult. *quæſivit lanam & linum.* Lana & linum ſunt beneficia nobis à Chriſto exhibita. *Quarta* eſt quod Eccleſia ſcit, quod ſi hæc veſtis ei defuerit, turpitudo ejus toti mundo manifeſta erit, proverb. 10. *Univerſa delicta operit charitas.* Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videãt homines turpitudinem ejus* *Quinta* eſt quod 5.
Eccleſia ſcit quod non licet aliquem intrare regnum cœlorum abſque hac veſte. Heſt. 4. non licebat intrare aulam Aſſueri indutum ſacco. Saccus eſt timor ſervilis, cùm quo nemo intrat in regnum Cœlorum.

Charitas cur dicatur veſtis nuptialis.

Et *notandum* quod charitas dicitur veſtis nuptialis, quia nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ ſpecialiter charitatem requirunt. Sicut matrimonia fieri ſolent ad amicitias adquirendas vel augendas; ſic matrimonium filij Dei in incarnatione contractum factum eſt ad dilectionem Dei in homine augendam. Filius enim Dei factus eſt in incarnatione amabilis nimis. Bern. loquens de filio Dei incarnato. Non hoc loco, inquit, prædicatur magnus Dominus & laudabilis valde, ſed parvulus Dominus & amabilis nimis. Parvulus utique qui natus eſt nobis, qui prius erat pater, factus eſt frater, & qui prius erat Deus, ipſe ſocius, ipſe jam eſt nobis omne amabile. Tripliciter eſt aliquid amabile, vel ratione attinentiæ, vel beneficij exhibitione, vel quia delectabile. Ipſe caro noſtra & frater noſter eſt. Ipſe ſemetipſum dedit pro nobis. Bern. Multum meruit de nobis, qui immeritis dedit ſeipſum nobis. Delectationes etiam ſunt in dextrà ejus uſque ad finem. Ad amabilitatem etiam facit quod humanam naturam ſuæ aſſociare voluit in eadem perſona in perpetuum non ſeparandam. Quomodo enim majus ſignum amoris nobis oſtendere potuit?

DE EADEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

De vitijs non habentis veſtem nuptialem & de veſte nuptiali eaque ad prælatos & paſtores animarum accommodantur.

SERMO CXXIII.

Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?

I. *Explicatio ultimæ partis Evangelii. De carente veſte nuptiali.*

LOquitur Chriſtus habenti fidem & non charitatem & *primò* oſtenditur gratia à Chriſto ei exhibitia, *ſecundò* impudentia ingrata arguitur, *tertio* pœna ſubditur. *Primum* ibi, *amice*: *ſecundum* ibi, *quomodo hũc intraſti?* Impudentia reprehenditur ibi, quomodo huc intraſti? ingratitudo, *non habens veſtem nuptialem.* Ingratus enim fuit qui reamando vicem non reddidit. *Pœna* ibi ſubditur, *at ille obmutuit.* Amice, inquam, pro quo tanta feci, tanta dixi, tanta ſuſtinui: feci creaturas, dixi ſcripturas, ſuſtinui pœnas: feci miracula, dixi utilia, ſuſtinui crudelia. Ad *primum* pertinet illud. Pſal. 138. *Mirabilia opera tua.* Ad *ſecundum* illud Eccleſiaſtici 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Iſaiæ 48 *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia* Ad *tertium* illud Philip. 2. *mortem autem crucis.* Sap. 2. *Morte turpiſſima condemnemus eum.* *Quomodo huc intraſti?* quomodo nomen Chriſtiani uſurpaſti, cujus rem non habuiſti? quomodo locum in eccleſia occupaſti, quo indignus fuiſti? quomodo habitum tibi non competentem detuliſti? Ad *primum* poteſt referri illud Exod. 20. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum* Ad *ſecundum* illud Iſaiæ 22. quid tu hic? aut quaſi quis hic? loquitur ad præpoſitum templi. Ad *tertium* illud Matth. 7. *Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtibus ovium.* Pœna verò quæ *duplex* eſt ſubditur; ſcilicet *verecundia* & *alterius moleſtia.*

Eius pœna duplex. De prima.

De *prima* ibi: *At ille obmutuit.* Gregor. in Homelia. Tunc obmuteſcemus qui nunc operis mali ex-

cuſationes prætendimus, nec dabitur nobis locus audientiæ ubi nos arguent propriæ conſcientiæ. Idem. Omne argumentum ceſſat excuſationis, quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ animam intus accuſat. Hierem. 19. *Ego ſum judex & teſtis, dicit Dominus.* De altera pœna habetur
De ſecunda ibi: *ligatis pedibus*, &c. Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Eccleſ. 9. *Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia*, &c. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* De hoc ſervit peccator diabolo dum peccat, quod ſe ligat & ligatum diabolo tradit, unde non eſt mirum ſi in inferno ligatus ſit. Gregor. Pedes, qui viſitare ægrum negligunt; manus, quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere jam ex voluntate ligatæ ſunt. Quæ ergo nunc
Alia pœna duplex. ſponte ligantur, in vitio, tunc in ſupplicio ligabuntur invitæ. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* In fletu calor, in ſtridore frigus notatur. Job 24. *Ad calorem nimium tranſeat ab aquis nivium. Multi autem ſunt vocati.* Origenes ſuper Num. 14. Timendum eſt Chriſtianis ne hoc numero intrent in regnum cœlorum, quo filij Iſrael intraverunt in terram promiſſionis. 1. ad Corinth. 9. *Unus accepit bravium.*

II. Prælatis & curam animarum habentibus habenda eſt veſtis charitatis. Exhortatio ad illos. *Amice quomodo huc intraſti?* &c. Notandum quod hæc interrogatio, *amice quomodo huc intraſti?* &c. ſpecialiter poteſt intelligi facta illi qui intrat Eccleſiam per ſuſceptionem curæ, de illo valde mirum poteſt eſſe ſi ſine charitate intrat. Bernardus. Tu frater cui firma nondum propria ſalus ſatis eſt, cui charitas nulla eſt adhuc aut tenera, quanam dementia aliena curare vulnera ambis aut adquieſcis? Auguſt. ſuper primam Epiſtolam Joannis. Prius vide ſi jam diligere noſti teipſum & committo tibi proximum ſicut teipſum. Si autem nondum noſti diligere te, timeo ne decipias proximum ſicut te. Si amas iniquitatem non te diligis, *quia qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Pſalm. 10. Ideo Petrus ter de dilectione inquiritur. Joan. ult. ut curam gregis Domino nemo ſuſcipere præſumat, niſi gregem prius plus quam ſuos, plus quam ſua, plus quam ſe quantum ad vitam temporalem diligat. Joan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* Paſtor curam ſuſcipiendo animam ponit pro ovibus ſuis in pignore, & ſi neceſſe fuerit tenetur morti ſe exponere pro eis. Unde mira eſt inſania cæcæ cupiditatis, quæ non timet curam periculoſam ſuſcipere & morti ſe obligare, ut terrena poſſit acquirere.

Ab eis tria quærentur in die judicij. Item notandum quod tres quæſtiones facit Dominus prælatis in die judicij. *Prima* erit *amice quomodo huc intraſti?* utrum ſcilicet introduxit te nummus vel Deus, utrum ad honorem venerit vel ad
1. onus. Sed multi obmuteſcent qui non curant ſibi providere de hac quæſtione: improviſi enim de tam
2. perplexa quæſtione reſpondere non poterunt. *Secunda* erit quomodo vixiſti, aut ſicut paſtor, aut ſicut pecus? Iſaiæ 22. *quid tu hic?* Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos.* *Tertia*
3. erit quomodo rexiſti? utrum ſcilicet habueris te ſicut paſtor, aut idolum. Zachar. 11. *O paſtor & idolum derelinquens gregem.* Quomodo gregem ſervaſti? Hierem. 33. *Adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis.* Ezech. 34. *Vos greges mei dicit Dominus.* Exemplum boni paſtoris habes Geneſ. 31 in Jacob. *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt.* Has tres quæſtiones ſimul habes Judic. 18. ubi exploratores de Dan. dicunt Sacerdoti Micheæ. *Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti?* & ſatis competit reſponſio ejus prælatis noſtri temporis: *hic & hæc*, inquit, *præſtitit mihi Michaas & mercede me conduxit ut ſim ei Sacerdos*, pauci enim ſunt hodie qui Deo gratis ſerviant in Eccleſia ſua. Malac. 1. *Quis ex vobis eſt qui claudat oſtia mea & incendat altare meum gratuito. Non eſt voluntas mihi in vobis*, &c.

Non habens veſtem nuptialem. Poſſet etiam intelligi veſtis nuptialis duplex veſtis, de qua Prov. ultimo. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*; & in eodem. *Byſſus & purpura indumentum ejus.* III. Veſtis nuptialis explicatio. 1.
Biſſus inquam caſtitatis vel puritatis, & purpura charitatis. De biſſo habetur Apoc. 19. *Uxor agni præparavit ſe byſſino*, &c. Sicut nuptiæ iſtæ requirunt purpuram charitatis, ſic & biſſinum puritatis, puriſſima enim ſervanda eſt humana natura ex quo divinæ naturæ fuit aſſociata in Chriſto & ſanguine Chriſti lota. Sponſus Eccleſiæ candidus eſt & rubicundus. Cantic. 5 Et talem decet eſſe ſponſam ejus. Poteſt etiam intelligi veſtis nuptialis, veſtis conſtans interius ex univerſitate virtutum exterius vero ex decore honeſtæ converſationis pars interior habet multum ſuavitatis, exterior multum ſplendoris. De hac veſte dicitur in Pſalm. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* &c. Regina dicitur Eccleſia ab unctione charitatis quam recepit. Synagoga fuit ancilla quæ ſpiritum timoris accepit. Rom. 8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore.* In hoc verbo *aſtitit* notatur rectitudo & firmitas. Synagoga fuit generatio quæ non direxit cor ſuum. Ad ſtatum Synagogæ pertinet illud Pſalm. 37. *Miſer factus ſum & curvatus ſum.* Sed Eccleſia recta eſt ſpe & amore cœleſtium. Ipſa etiam Deo firmiter adhæret. Ad Rom. 8. *Certus ſum quod neque mors, neque vita*, &c. *poterit nos ſeparare à charitate.* Eccleſia ſtat à dextris, ea quæ in dextra Dei ſunt quærens. Proverb. 3. *Longitudo dierum in dextera ejus.* Hanc veſtem deauratam facit charitas, variam facit bonorum operum diverſitas. Explicatur locus Pſ. 44. Pſal. 77.

Decor vero exterioris converſationis conſiſtit in quatuor. *Primum* eſt *membrorum continentia.* Iſaiæ 33. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aurem ſuam ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat iniquitatem, ipſe enim in excelſis habitat.* *Secundum* eſt *obſervantia mandatorum.* Eccleſiaſtici 35. *Salutare ſacrificium eſt attendere mandatis.* *Tertium* eſt *patientia adverſorum.* Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* *Quartum* eſt *fraterna ſocietas.* Proverb. 18. *Frater qui juvatur à fratre quaſi civitas firma.* Veſtis iſta dignum facit ingreſſu regni cœleſtis. *Sicut veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem.* Iſaiæ 9. Converſationem oſtendunt quatuor.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicatur Evangelium, & duo quæſita expediuntur.

Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur, &c. Joann. 4. SERMO CXXIX.

IN hoc Evangelio quod continet ſanationem filij reguli. *Primo* oſtenditur inſtantia precum patris qui occaſionem dedit ſanationi filij: *ſecundo* ipſa ſanatio: *tertio* manifeſtatio miraculi: *quarto* utilitas miraculi. *Primum* ibi. *Rogavit eum*, &c. *Secundum* ibi. *Vade filius tuus vivit*, &c. *Tertium* ibi. *Interrogabat autem horam.* *Quartum* ibi. *Et credidit ipſe & domus ejus tota.* In hoc Evangelio quatuor oſtenduntur.

Erat quidam regulus. Regulus diminutum eſt ſumptum à rege, & erat ſic dictus à parvitate regni, vel quia erat de regali genere. *Capharnaum* Me-

tropolis eſt Galileæ. *Rogavit eum ut deſcenderet.* Quaſi non poſſet ſanare niſi eſſet præſens. *Incipiebat enim mori.* Dicitur ut neceſſitas petendi intelligatur. *Niſi ſigna minora & prodigia majora videritis,* &c. Auguſt. ſuper Joannem. Non ſine cauſa dicta ſunt prodigia, aliquid enim prætendunt; prodigium enim appellatum eſt quaſi prodicium quod procul dicat & aliquid futurum eſſe portendunt *non creditis* vos Galilæi. Sed quomodo ſalutem quærebat filio ſi non credebat?

Reſpondetur interrogationi primæ.

Reſpondit Gregor. in homiliis, dicens. Credebat antequam peteret, vel ſignum videret; ſed in fide dubitans, petiit enim ut deſcenderet, corporalem ergo præſentiam Domini quærebat, qui per ſpiritum nuſquam deerat. Minus itaque de illo credidit qui non putavit ſalutem poſſe dare niſi præſens eſſet & corpore. Chryſoſt. in homil. ſic ſolvit. Ante ſignum, inquit, non valde credidit. Si autem venit & rogavit nihil mirabile, aſſueverunt enim patres à multo amore non ſolum in quibus confidunt Medicis, ſed etiam in quibus non confident loqui: nihil volentes omittere eorum quæ ad curationem pertinent. *Dicit ei Ieſus, vade filius tuus vivit.* Quare non deſcendit Dominus ad filium reguli, cum ad ſervum centurionis non rogatus vel invitatus venturum ſe dicat. Matth. 8. *Veniam*, inquit, *& curabo eum.* Reſpondet Beda in Homil. dicens. Dominum feciſſe hoc ad increpandum ſuperbiam noſtram, qui in hominibus non naturam, ſecundum quam ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & divitias honoramus. Redemptor ergo noſter ut oſtenderet quod quæ alta ſunt hominum deſpicienda ſunt, & quæ deſpecta ſunt hominum deſpicienda non ſunt, ad filium reguli ire noluit, ad ſervum vero centurionis ire paratus eſt. *Credidit homo ſermoni*, &c. Credidit inquam, ſed imperfectè Gregorius in Homiliis. Incipit fidem habere in ſermone Jeſu. Chryſoſt. ſuper Matth. Non egrè nec ſane credidit, & hoc oſtendit ex hoc quod interrogavit qua hora dimiſit eum febris: volens diſcere utrum ex præcepto Domini ſanatus ſit. Simile dicit Auguſt. *Heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Ex quo patet quod non fuit ſuſcitatus ſed curatus. Illud autem quod dixit Dominus: *filius tuus vivit*, dixit ad oſtendendam magnitudinem morbi, qui ſecundum naturam erat ad mortem, & *& domus ejus tota*, ideſt ejus familia.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Varia docemur in 4. perſonis hoc Evangelio contentis.

SERMO CXX.

Erat quidam regulus, &c.

Evangeliũ agit de quatuor perſonis.

IN hoc Evangelio fit mentio de *quatuor* perſonis; ſcilicet de filio Reguli infirmante, de Regulo pro filio ſuo rogante, de ſervis Reguli ei occurrentibus & ſalutem filij nunciantibus, de Salvatore dante ſalutem omnibus.

Filius Reguli, de quo quatuor docentur.

Circa filium Reguli quatuor nobis oſtendit Evangelium quæ ad morum inſtructionem pertinent; ſcilicet genus infirmitatis & locum ubi infirmabatur. Speciem infirmitatis & horam curationis. *Primum* cum dicitur filius reguli *Secundum* cum dicitur infirmari in Capharnaum, *duo alia* ibi: *hora ſeptima reliquit eum febris.* Duo prima pertinent ad cauſam vel occaſionem infirmitatis ſpiritualis. Nobilitas enim & loci amœnitas multis ſunt occaſio peccandi. Ad litteram filij magnorum frequenter infirmantur etiam infirmitate corporali, quia ſecundum Hieron. Cibos regios morbi ſequuntur regij. Sed de ſpiritualibus infirmitatibus certum eſt hoc quod frequenter ſequuntur ex nobilitate generis.

1. Genus infirmitatis. [illegible]

Frequenter ſuperbia vitæ inde ſequitur, unde ſuper illud 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere*, &c. dicit Gloſſa. Auguſt. vermis divitum eſt ſuperbia: & quia ſuperbia ad ſui ſuſtentationem multis indiget, ſequitur inde concupiſcentia oculorum, quantum ad illam ſpeciem quæ eſt rapina, unde Ezech. 19. de leæna dicitur. *Tulit unum de leunculis ſuis, & leo factus eſt, & didicit prædam capere homineſque devorare.* Item, filij nobilium delicate nutriuntur, unde fiunt guloſi, & conſequenter luxurioſi, quod pertinet ad concupiſcentiam carnis. Signanter ergo filius reguli dicitur infirmari. Infirmatur autem in Capharnaum, quod interpretatur villa pinguedinis vel conſolationis, quia *prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Pſal. 72. & ea quæ dat Dominus eis ad conſolationem & gratiarum actionem, ipſi vertunt ad ſui corruptionem, ideo dicit Dominus. Luc. 6. *Væ vobis divitibus qui habetis hic conſolationem veſtram.* Proverb. 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos*, ideo dicit Auguſt. de doctrina Chriſtiana, quod nihil eſt infœlicius fœlicitate peccantium. Ipſæ conſolationes malorum quaſi in vulnera vertuntur. Gregor. in moralibus. Quot ſolatia ad vivendi uſum quærimus, quaſi tot medicamentis noſtræ ægritudini obviamus. Et ſubdit, hoc medicamentum in vulnus vertitur, quia exquiſito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo gravius deficimus, quod providè ad refectionem paramus. Circa *tertium* notandum quod febricitans intelligi poteſt peccator generaliter: ſicut enim febricitãs nunc habet calorem, nunc frigus & tremorem, ſic peccator habet inordinatum amorem boni tranſitorii. Unde ſuper illud. Pſal. 79. *Incenſa igni & ſuffoſſa* dicit Gloſſa. Auguſt. Omnia peccata duæ res faciunt in homine, ſcilicet cupiditas & timor. Et ſecundum hæc duo duplicem pœnam habebit peccator in inferno ſecundum illud Job 24. *Ad nimium calorem tranſibit ab aquis nivium.* Vel febris *ſpecialiter* poteſt intelligi peccatum luxuriæ. Auguſtinus. Melius eſt æſtuare febribus quam ardere libidinibus. Ardor luxurioſorum manifeſtus eſt, ſed non ſunt à timore immunes, quia ſecundum Poëtam.

pe corporaliter & ſpiritualiter variis vitiis.

2. Locus ubi infirmatur.

3. Species infirmitatis febris, quæ peccatorem in genere notat.

In ſpecie febris ſignificat luxuriam & avaritiam.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Vel febris poteſt intelligi peccatum cupiditatis, quod magnum timorem & magnum ardorem habet annexos. Pſalm. 13. *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Job 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus.* Eccleſiaſtici 23. *Anima callida quaſi ignis ardens non extinguetur donec aliquid glutiat.* Apocal. 16. *Æſtuaverunt homines æſtu magno.* Et notandum quod uſurarius laborat febre continua, cum alij cupidi laborant febre interpollata. Non ceſſat enim à peccato ſuo etiam ob reverentiam alicujus feſtivitatis. Et ſicut ex febre aliquando ſequitur mentis alienatio, ſic febricitantibus ſpiritualiter eſt inſania ſtultarum opinionum cum jactantia de præſenti vanitate. Circa *quartum* notandum quod terminatio febris ſpiritualis, ſeptem horis protenditur. *Prima hora* habet frigus timoris, cum ad ortum veri ſolis apparent homini mala culpæ quæ commiſit, & mala pœnæ quæ Dei juſtitia ei paravit, & inde tremor cordis. *Secunda hora* eſt cum ad augmentum lucis gratiæ conſiderat aliquis beneficia quæ à Deo recepit, & mala quæ econtrario intulit, & quod tot & tantas abominationes coram oculis Dei commiſit, & coram Angelo qui eum cuſtodit, & inde multum erubeſcit. *Tertia hora* fervida eſt fervore iræ cum febricitans appropinquat ſudori, cum ſcilicet incipit ſibi & peccatis ſuis iraſci. *Hora quarta* eſt doloris, in qua fervorem iræ ſequitur ſudor lachrymarum; vehementia enim caloris humor noxius in lachrymas quaſi in ſpiritualem ſudorem reſolvitur. *Quinta hora* eſt ſpes

4. Horæ curationis ſeu terminationis febris ſpiritualis ſeptem ſunt.

1. 2. 3. 4. 5.

ſpes veniæ cum infirmus humore noxio conſumpto
6. vel expulſo alleviatus incipit convaleſcere. *Sexta hora* eſt gratiæ vel gloriæ, cum ſcilicet infirmans
7. magis alleviatus in majorem ſpem erigitur. *Septima hora* eſt hora boni propoſiti, in qua eum relinquit febris & ipſe febrem, cum humore noxio penitus conſumpto natura per gratiam penitus alleviata quaſi evolat ad factorem ſuum & voluntate, & propoſito ei adhæret.

II. Regulus de quo tria notanda. 1. Circa Regulum tria ſunt conſideranda nobis: ſcilicet quod dicitur regulus non rex, & quod fides ejus licet diminuta ſalutem filij impetravit, & quod dignus reprehenſione fuit quia corporalem Domini deſcenſum petiit. Regulus eſt rex terrenus à regni modicitate in comparatione ad regnum cœleſte, licet etiam toti terræ dominaretur, terra enim velut punctum eſt reſpectu cœli. Senec. Punctum eſt iſtud in quo regnatur. Ab ultimis litoribus Hiſpaniæ, uſque ad Indos pauciſſimorum dierum ſpatium jacet, ſi navem ferat ventus. At cœleſtis illa regio per 30. annos velociſſimo ſideri viam præſtat. Facit etiam ad hoc quod rex terrenus regulus ſit, quod ipſe non dominatur omnibus quæ ſunt in regno ſuo etiam pulicibus & muſcis. Auguſt. in ſermone quodam. Homo dicit tibi convitium & iratus es & tumes, pulicibus reſiſte ut dormias. Etiam ſibi toti non dominatur, *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum* ad Galat. 5. & quod deterius eſt, ut frequenter ipſa iniquitas regi terreno dominatur. Bernard. in libro de conſideratione ad Eugenium. An non ſervus, qui dominatur iniquitas? & maxime: niſi tu forte indignius judices hominem tibi quam vitium dominari. Auguſt. in libro de civitate Dei. Malus tot dominorum ſervus eſt quot vitiorum. Tullius Omnis ſapiens liber, omnis ſtultus ſervus. Putatur-ne imperator hoc nomine dignus? quomodo autem hic tibi libero imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? Fides Reguli licet diminuta ſa-
2. lutem filio impetravit, in quo patet fidei virtus. Hierem. 5. *Domine oculi tui reſpiciunt fidem*. Reſpiciunt, inquam, reſpectu miſericordiæ. Alexander fide etiam informi impetravit quod montes conjungerent ſe ad incluſionem Judæorum. Regulus reprehenſione dignus fuit petendo corporalem deſcenſum Domini, in quo multi ei ſimiles ſunt, non cõfidentes de Chriſto cum eum orant, quia corporalem ejus præſentiam non vident, cum tamen fides devota eum tangat ſecundum illud. Luc. 8. *Quis me tetigit?* Et ſubditur. *Tangit me aliquis nam ego cognovi virtutem de me exiſſe*.

III. Servi Reguli de quibus tria nota. Circa ſervos etiam tria nobis attendenda ſunt, ſcilicet quod fuerunt Domino ſuo benevoli ſalutem filij nunciando, item Chriſto fuerunt benevoli laborem ejus nolendo, ſcilicet ne laboraret deſcendendo ad ſanationem infirmi, & tandem fuerunt participes ſalutis, *credidit* enim *regulus & domus ejus tota*. *Servo malevolo tortura & compedes*. Eccleſiaſtici 33. Servus vero benevolus devote exequens bona quæ Dominus præcipit fieri, illorum bonorũ particeps eſt, & valde carus eſt Deo & angelis ejus: Eccleſiaſtici 33 *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic tracta eum*. Auguſt. Maledictus diſpenſator avarus, cujus Dominus eſt largus. Hoc etiam *notandum* quod infirmitas filij Reguli occaſio fuit ſalutis Regulo & toti domui ſuæ. Sic tribulatio aliqua multos ſalvat, ut defectus prolis quando quidẽ eſt occaſio ut Dominus domus & uxor & familia devoti ſint Deo, & eius amicis, & eorum familiaritate occaſionaliter ſalventur.

Infirmitas iſta quibus fuerit ſaluti.

IV. Chriſtus de quo tria quoque notanda. Item circa Chriſtum ſpecialiter tria nobis ſunt attendenda, *ſcilicet* quia ad filium Reguli ire noluit etiam rogatus. Ad ſervum verò Centurionis ſe venturum dixit etiam non rogatus. Matth. 8. & Luc. 7. In quo condemnavit acceptionem perſonarum, quæ divitem propter divitias honorat, bonis pauperibus contemptis. Actor. 10. *Non eſt perſonarum acceptor Deus* Gregor. in moralibus. Perſonam hominis accipere eſt hominem, non quia homo eſt, ſed propter aliquid quod circa ipſum eſt honorare Seneca. Quemadmodum ſtultus eſt qui equum tentaturus non eum reſpicit, ſed ſtratum & frenum: ſic ſtultiſſimus eſt qui aut ex veſte aut ex conditione quæ modo veſtis circundata eſt hominem exiſtimat. Diſplicuit *etiam* Domino quod Regulus eum præſentem ubique non credidit. Nec mirũ ſi hoc diſplicebat ſalvatori, cum hoc multum impediat ſalutem. Multas enim immunditias homines caverent, ſi Dei præſentiam ubique per veram fidem agnoſcerent. Boet. in lib. conſolationis. Magna nobis ſi diſſimulare non velimus indicta eſt probitatis neceſſitas, cum omnia agamus ante oculos judicis cuncta cernentis. *Item* Dominus non exaudivit Regulum ad filium ejus corporaliter deſcendendo, ut ipſe volebat; exaudivit tamen eum, faciendo quod magis ei expediebat: in hoc enim quod abſens curavit fidem ejus, quæ diminuta erat, perfecit Gloſſa. Aug. ſuper 2. Cor. 12. Non eſt magnum à Deo exaudiri ad voluntatem, ſed ad utilitatem Ibidem dicit. Gloſ. Nota quod exauditur diabolus petens Job ad tentandum, non exauditur Apoſtolus petens ſtimulum amovendum. Exaudivit eum quem diſpoſuerat damnare, & non exaudivit eum quem diſ- 2. ad Cor. 12.
poſuerat ſalvare, nam & æger petit multa à medico quæ medicus non dat. Non exaudivit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſanitatem.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA

Post Festum SS. Trinitatis.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Tres expoſitiones Evangelii, 1. Brevis, 2 Longa, 3. Non totius Evangelij.

Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. *Matth.* 18.

SERMO CXXXI.

Myſticè rex iſte Chriſtus eſt, ſervus debens decem millia talenta; populus Judaicus eſt tranſgreſſionis decalogi reus. Hujus ſervi uxorem & filios Dominus venundari juſſit, quia prælatos & ſubditos ſimul cum tota ſubſtantia eorũ pro magnitudine delictorum externis nationibus tradidit, ut quod noluerũt voto, ſolverẽt tormento Hujus ſervi miſertus eſt Dominus, qui non ſolum captivitatẽ Judaicam abſolvit, ſed etiam peccatorum omnium veniam in adventu Chriſti ſe dare promiſit Conſervus ejus eſt gentilis populus debens ei centum denarios, id eſt recognitionẽ ſalutis ab eo datæ vel dandæ, quia *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*. Iſa. 2. Hujus conſervi noluit miſereri, quia gentes dignas miſericordia non reputavit. Servus iſte à Domino ſuo tortoribus traditus eſt, quia datus eſt in manus Romanorum, Sarracenorum, vel iniquorum miniſtrorum aliorum.

Perſonatã parabolæ brevis explicatio.

Simile eſt regnum cœlorum, id eſt Eccleſia militans, *homini regi*, id eſt Chriſto homini & regi regum. *Vel* id eſt, ſimile eſt negotium Eccleſiæ huic negotio quod potuit accidere. *Qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis*, id eſt, qui examinaturus eſt merita ſingulorum in judicio. In præſenti etiam ponit Dominus rationẽ cum ſervis ſuis vel per conſcien-

Brevis explicatio Evangelii.

tiæ illuminationem factam per ſcripturas vel creaturas. Remigius. Chriſtus meritorum examinator jam per ſcripturas cum ſervis ſuis rationem ponit. *Et cum cœpiſſet rationem ponere*, id eſt merita examinare, *oblatus eſt ei unus qui debebat*, &c. id eſt legis expletionē & pœnam pro multiplici eius tranſgreſſione. *Cum autem non haberet unde redderet.* Interlin. viribus ſuis hoc explere non poſſet, *iuſſit eum venundari*, id eſt æterno incendio mancipari. Vel iuxta Interlin. Permittit iuſto iudicio malignorum ſpirituum ſervum fieri: *& uxorem eius & filios*, &c. Interlin. Iuſſit pro cupiditatibus & operibus quaſi pro uxore & filiis pœnas ſolvere. *Procidens autem ſervus ille*, &c. Littera plana eſt. *Videntes autem conſervi eius*, id eſt angeli qui referunt geſta hominum ut dicit. Gloſſa ſuper Tob. 2. *Tunc vocavit illum Dominus ſuus*. Remigius. Vocatio iſta eſt intus in conſcientia. *Serve nequam*. id eſt non æquè agens negando conſervo miſericordiam prius à Domino tibi exhibitam. *Sic & pater*, &c. Gloſſa. Si non dimiſerimus ex corde quod in nos delinquitur, & hoc quod per pœnitentiam nobis dimiſſum erat à nobis exigetur.

Peccata dimiſſa quomodo redeant.

Et eſt argumentum quod peccata dimiſſa, propter peccatum odii redeunt. Circa quod diverſi diverſimodè dixerunt. Præpoſitus dixit redire in quatuor caſibus his verbis comprehenſis.

Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri.
Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.

Alii verò dicunt ea redire pro quolibet mortali peccato, quantum ad reatum. Quidam quantum ad maculam, quidam quantum ad ſolam ingratitudinem. Qui peccat poſtquam accepit à Deo remiſſionem peccatorum ſuorum, cum ſit ingratus de tanto beneficio, magis peccat, ita quod ingratitudo peccatum recidivantis aggravat. Hoc autem quod hic dicitur, *quo uſque redderet univerſum debitum*, quidam intelligunt de univerſo debito quod perſolvendum eſt, non de illo quod iam condonatum eſt, ſcilicet de miſericordia quam alii impendere debuit pro eo quod miſericordiam acceperat. Vel poteſt dici quod ſicut eſt unus denarius diurnus, licet ſtella à ſtella differat claritate, ſic una eſt pœna ſubſtantialiter ſcilicet carentia gloriæ & ignis & vermis, quæ ſunt pœna omnium mortalium. Vndè quia ille, qui non vult condonare fratri ſuo in ſe peccanti, debitor eſt iſtarum pœnarum, ideò peccata redire dicuntur, vel debita dimiſſa repeti, eadem enim debet eſſe in genere quæ prius.

Longa explicatio Evangelii. Matth. 18.

Simile eſt regnum cœlorum. Reſponderat Dominus illi interrogationi Petri: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?* dicens: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Sed ne aliquis vilipenderet eius reſponſionem non condonando peccanti in ſe, ſubdit Dominus hanc parabolam, in qua oſtendit quam periculoſum ſit non condonare fratri peccanti in ſe. Continet autem hæc parabola quod nobis poſſit timorem incutere & conſolationem dare. In eadem enim parabola nobis oſtenditur propter quod de Dei miſericordia poſſumus ſperare veniam, & de Dei iuſtitia timere pœnam. *Primum* nobis apparet ſi attenderimus quomodo ſervus nequam omnium debitorum ſuorum dimiſſionem obtinuit. *Secundum* ſi attenderimus quomodo debitorum ſuorum meruit repetitionem.

Conſolationem & timorem affert.

Circa *primum* notandum quod ſervus iſte ad rationem venit, ubi inſufficientiam ſuam agnovit & ſententiam iuſtitiæ ſibi congruam audivit. Ideo ad curiam miſericordiæ appellans, à Dei miſericordia plus quam peteret impetravit. Vade & tu fac ſimiliter, exige à te ipſo rationem vel in conſcientia tua, vel in lectione, vel in prædicatione. Eccleſiaſtici 18. *Ante iudicium interroga te ipſum.* Abac. 2. *Contemplabor ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Iob. 3. *Quid faciam cum ſurrexerit ad iudicium Dominus?* Diſtrictam etiam & frequentem computationem debes facere vicario Dei. *Diſtrictam*, ut nec minima prætermittantur. Matth. 10. *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.* *Frequentem*, ne quid excidat à memoria. Bern. Computatio dilata multa facit obliviſci. Iteranda vero eſt confeſſio, quotiens peccatum iteratur. Ioan. 11. *Eamus in Iudæam iterum.* Iudæa interpretatur confeſſio Pſal. 74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur.* In computatione verò tua apparebit tibi tua inſufficientia. Iob. 9. *Si voluerit quis cum eo contendere, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Bernard. O ſi cognoviſſes quam multa & quam multis debeas, videres quod nihil eſt quod facis. Primo debes Chriſto totam vitam tuam, quia ipſe pro tua poſuit ſuam. Secundo exigunt præterita peccata mea, futuram vitam meam, ut faciam dignos fructus pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid ſi tertium debitorem oſtendam qui eam vendicet ſibi. Puto quod deſideres gloriam quam oculus non vidit, &c. Nonne ad hoc emendum totum te & quæcunque poteris dare oportebit, & cum omnia compleveris, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Quarto debitori debes quod es, à quo totum habes: qui te fecit, & benè fecit, & cuncta miniſtrat. Cui horum proponis reddere quod debes? Debes etiam conſiderare ſententiam iuſtitiæ intolerabilem, ut timor ipſius inducat te in humilitatem pœnitentiæ. Vnde Chryſoſt. ſuper Matth. loquens de Domino iubente ſervum venundari dicit: terrere vult, ut per minas in ſupplicationem ducat. Iſaiæ 26. *A timore tuo Domine concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Conſiderata verò ſententia iuſtitiæ appellare debes ad curiam miſericordiæ, quæ ſuperior eſt, quia *miſericordia ſuper exaltat iudicium.* Iac. 2. Miſericordia eius ſuper omnia opera eius. A miſericordia humiliter petenda eſt venia. Eccleſ. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium*, &c. Miſericordia plus dat quam petatur, unde Chryſoſtomus in homiliis, famulus petit dilationem & accipit dimiſſionem. Simile habetur de latrone. Luc. 23. Auguſt. loquens de ipſo. Conſiderabat omnia facinora ſua, & pro magno habebat ſi vel in fine parceretur ei. Dominus autem continuo inquit: *Amen Amen dico tibi quia hodie mecum eris in Paradiſo.* Miſericordia obtulit quod miſeria diſtulit.

Ratio à nobis ipſis exigenda.

Danda Chriſti vicario diſtricta & frequens.

Effectus rationis à nobis redditæ.

Circa *ſecundum* notatur quod in ſervo nequam fuit duplex culpa, quam ſecuta eſt duplex ira, fuit enim ingratus Domino & immiſericors conſervo. Cum enim beneficium magnum à Domino accepiſſet, gratia Domini ſervo ipſius benefactor eſſe debuit. Miſericordiam etiam, quam libenter receperat, conſervo impertiri debuit. Ingratitudo ſiccavit ei fontem pietatis. Bernard. Ingratitudo eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Ipſe non miſerando conſervo, fontem miſericordiæ ſibi deſtruxit. Gloſſa ſuper illum Pſal. *Deus ultionum*, &c. Noli ſubvertere fontem miſericordiæ quam traxiſti. Chryſoſt. loquens de verbo illo *ſerve nequam*. Audiamus immiſericordes, quoniam non aliis ſumus crudeles, ſed nobis ipſis. Vis rememorari malorum, tibi ipſi rememorare & non alii. Immiſericordiæ quam habuit ad conſervum reſpondet ira conſervorum. De qua ibi: *videntes conſervi eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè*, &c. Angeli enim & ſancti multum offenduntur cum aliquis fratri ſuo non vult condonare. Ingratitudini reſpondet ira Domini

Duplex culpa ſervi, ingratitudo & immiſericordia.

Ob quam duplex ira in illum, conſervorū immiſericordiam. Domini ob

mini

Domini ob ingratitudinem. Tres eius effectus.

mini de qua ibi : *iratus Dominus*, &c. Habuit vero ira ejus triplicem effectum. Dixit enim ei convitium, improperavit beneficium & miſit eum in ſupplicium. Ad *primum* pertinet illud, *ſerve nequam*. Chryſoſt. Quando decem millia talenta debebat, non vocavit eum nequam, nec convitiatus eſt, quando autem ingratus fuerat, tunc dixit, *ſerve nequam*. Ad *ſecundum* pertinet illud, *omne debitum dimiſi tibi* Poeta.

Eſt aliqua ingrato multum exprobrare voluptas.

Carcer ſtabulum, palatium Dei.

Chryſoſt. in Homiliis. Duo quærit à nobis Dominus: & noſtra peccata recognoſcere, & aliis dimittere; qui enim ſua intelligit, facilius conſervo dimittit. De *ſupplicio* habetur ibi : *tradidit eum tortoribus. Notandum* quod Deus habet carcerem ubi peccatores torquentur, habet ſtabulum & palatium. Carcer ejus eſt infernus, palatium Paradiſus, ſtabulum mundus, in quo homo poſitus eſt; poſtquam comparatus eſt jumentis inſipientibus. Pſalm. 48. Bernardus. Puto jumenta dicerent, ſi loqui fas eſſet. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*. Geneſ. 3. Ad hoc figurandum Dominus naſci voluit in ſtabulo. Luc. 2. In carcere Dei ſunt ſoli mali, in palatio ſoli boni, in ſtabulo boni & mali. Illum qui huic ſtabulo præeſt vocat Dominus ſtabularium. Luc. 10. Væ illis qui diligunt fœtorem hujus ſtabuli, & non curant pervenire ad pulchritudinem palatij. Si tot pulchra & delectabilia conſpiciuntur in ſtabulo quid æſtimandum eſt de palatio? *Sic & pater meus cæleſtis*, &c. Hæc parabola introducta eſt contra tenentes odium. De quo ſi vis loqui require in tractatu de ira.

Parabolæ intentum.

Explicatio Evangelii non totius. Deus exiget rationem de quatuor.

Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui ponere rationem voluit, &c Notandum quod Deus exiget à nobis rationem de bonis nobis commiſſis, & de bonis omiſſis. Item de malis à nobis commiſſis, & de malis nobis dimiſſis. Ad *primum* pertinet parabola de villico iniquitatis, Luc 16. cui Dominus dicit, *Redde rationem villicationis tuæ*. Iſta computatio multum timenda eſt, multa enim bona nobis commiſſa ſunt, bona naturæ, fortunæ & gratiæ, & magni valoris. Si non haberemus reddere rationem niſi de tempore, multum timendum eſſet nobis. Bernardus. Nihil eſt pretioſius tempore, ſed heu hodie nihil vilius reputatur. Una hora temporis poteſt homo abſolvi à debito gehennæ, & regnum cœlorum lucrari. Bernardus. Omne tempus tibi impenſum requiretur à te qualiter fuerit expenſum. Idem. Sicut capillus non peribit de capite, ſic nec momentum de tempore. Eccleſiaſtici quarto. *Fili conſerva tempus*, præterea quis eſt qui ſciat æſtimare valorem oculi unius? Ad *ſecundum* pertinet parabola de talentis. Matthæi 25. ubi Dominus dicit ſervo pigro: *Serve male & piger*. Hæc computatio multum timenda eſt, cum Dominus dicat, *Inutilem ſervum projicite in tenebras exteriores*. Matth. 25. Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* Computatio *etiam* de malis commiſſis multum timenda eſt, cum Dominus poſiturus ſit rationem etiam de cogitationibus & verbis otioſis Matth. 12. *De omni verbo otioſo*, &c. Sap. 6. *Cogitationes veſtras ſcrutabitur*. Job 31. Nonne ipſe conſiderat vias meas? Gloſſa, Sicut Deus uniuſcujuſque vitam conſiderat, ſic greſſus dinumerat, ut nec minutiſſimæ cogitationes ejus judicio, ut verba tenuiſſima, quæ apud nos uſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant. Ipſe etiam exiget rationem à nobis de malis alienis. Geneſ. quarto. *Ubi eſt Abel frater tuus?* Ezech. 3. & 33. *Sanguinem ejus de manu tua requiram*. Ad *quartum* pertinet parabola hujus Evangelij de ſervo nequam. Hæc computatio multum timenda eſt, multum enim obligat peccati dimiſſio illum cui dimittitur. Pro quolibet mortali eſſet debitor pœnæ æternæ. Unde multum ingratus eſt qui tanti beneficij ingratus eſt, ſicut patet per hoc quod multum ingratus reputaretur qui liberatus à morte temporali benefactoris ſui immemor eſſet. Si vis loqui de his quæ timenda ſunt in hoc judicio, require de his in tractatu de timore. Si vis non timere illud judicium, judica in præſenti teipſum. Ad Corinth. 11. *Si noſmet ipſos dijudicaremus*, &c Micheæ 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, facere judicium, diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo*. Judicium facere debes quantum ad te, miſericordiam diligere quantum ad proximum, & ſollicitè ambulare propter Angelum qui te cuſtodit, & propter Deum, quia coram oculis Dei operaris.

Temporis cur maxime ratio reddenda ſit.

Luc. 21.

2. De bonis omiſſis.

3. De malis commiſſis

4. De malis dimiſſis nobis.

1. De bonis commiſſis nobis.

Quæ in hoc judicio timenda ſint. Quid bonũ ſit contra hunc timorem.

Debitores Dei ſumus.

Oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum, &c. Debitor aliquis eſt Deo multipliciter. ſcilicet ex facto alieno, ut propter peccatum primorum parentum naſcuntur omnes filij iræ. De hoc debito Eccleſiaſt. 40. *Grave jugum ſuper filios Adæ*. *Item* propter bona à Deo accepta corporalia & ſpiritualia, naturalia vel gratuita. 1. ad Corinth. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus*. *Item* eſt aliquis debitor Deo ex aliquo facto bono proprio, ut cum caſtitatem vovet, vel licitè jurat. Proverb. 20. *Ruina eſt homini devorare ſanctos; & poſt vota retractare*. *Vel* ex ſuo facto malo, ut cum quis contra Deum peccat tenetur ad ſatisfactionem. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. *Item* debitor eſt homo Deo ex jure naturali, vel divino, ut obſervationis mandatorum, quæ ratio dictat eſſe ſervanda. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*, ut eſt ſubvenire pauperi. Eccleſiaſt, 4. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam*. Iſaiæ 58 *Cum videris nudum, operi eum*. *Item* homo eſt debitor ex humana conſtitutione. Rom 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* *Primum debitum* non creſcit, *ſecundum* tanto magis creſcit, quanto majora naturalia à Deo accepimus Unde qui de bonis Dei gloriatur, ſimilis eſt ei qui de debitis ſuis gaudet, vel inſano qui de vinculis ſuis ridet. quales ſunt multi qui de ſcientia ſua vel eloquentia ſua gloriantur, quibus ſunt onerati quaſi compedibus. Proverb. 22. *Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas & qui vades offerunt ſe pro debitis*: *Tertium debitum* creſcit quanto plura promittimus & vovemus, quod eſt periculoſum, Eccleſiaſtici 20 *Eſt qui præ confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum gratis*.

De tribus primis debitis.

Vocat Deus quadrupliciter.

Tunc vocavit eum Vocat quandoque per inſpirationem in corde de malitia arguendo. Pſal. 49. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam*. Quandoque per ſcripturæ admonitionem, unde ſermo Dei adverſarius dicitur Matth 5. *Eſto conſentiens adverſario tuo*. Item quandoque per infirmitatem, Hierem. 6. Secundum litteram 70. *Per omne flagellum & dolorem erudieris Hieruſalem*. Tandem per mortem quaſi peremptoriè, quia incorrigibilem non ſuſtinet amplius vivere ne deterior fiat. Eccleſ. 19. *Qui odit correctionem, minuetur vita*.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA
POST FESTUM SS. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO CXXXII.

SUMMARIUM.

Evangelium exponitur.

Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt ut caperent Jeſum in ſermone. *Matth.* 22.

A*Beuntes*, ideſt corporaliter à Chriſto recedentes. *Ut caperent*, ideſt, ut aliquid quaſi eo ignorante extorquerent ab eo in quo poſſet argui. *Et mittunt ei Diſcipulos ſuos*. Interlin quaſi minus notos à quibus minus caveret & reprehenſi minus erubeſcerent *cum Herodianis* Eo tempore, ſcili-

cet diebus proximis ante Paſcha venit Herodes Te-trarcha in Hieruſalem ut purificaretur, & ſic in-tereſſet ſolennitati. Herodiani ergo dicuntur mi-lites eius qui convenerant. Iſtos ſecundum Gloſ-ſam miſerunt tanquam ignotos, ut facilius decipe-rent, & ut per eos ipſum caperent, quem timore tur-bæ per ſe capere non audebant. Secundum Chry-ſoſtomum diſcipulos ſuos mittunt cum Herodia-nis, ut ſi reſpondiſſet pro Herodianis diſcipuli eum accuſarent, ſi pro Phariſæis, Herodiani eum ac-cuſarent, Secundum Hieron. ſuper Matth. Phari-ſæi quoſdam Iudæos dicentes tributa danda eſſe Cæſari, & ſic faventes Herodi, dicunt Herodia-nos eſſe & non Iudæos. *Magiſter ſcimus* &c. Qui vult avem capere, laqueum tegit, ſic iſti volentes Dominum decipere blandè loquuntur. Pſalm. 54. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Chryſoſtomus ſuper Matth. Hæc eſt pra-va hypocritarum potentia, ſimulata laudatio. Si-cut qui non poteſt taurum ſubiugare propriis vi-ribus, mollibus manibus fricat eius cervicem, ut per blandimenta deprehendat. Interlin. Ideo eum laudant, ut laudatus myſterium cordis ſui ſimpli-citer eis aperiat, eoſque velit habere diſcipulos, *& non eſt tibi cura.* Interlin. Non times Prælatam perſonam. Gloſſa. Eo provocant, ut Deum magis quam Cæſarem timeat, & non debere tributa di-cat, ut inde quaſi auctor ſeditionis fiat. Contrarium tamen videtur ei quod hic dicitur, *& non eſt tibi cu-ra,* illud Sap. 6. *eſt illi cura de omnibus.* Solutio, ei de omnibus eſt cura conſervandi in eſſe, de ſolis vero rationalibus eſt ei cura quantum ad diſciplinam. 1. ad Corinth. 9. *Nunquid cura eſt* Deo *de bobus?* *Non enim reſpicis* &c. Interlin. Indiſcretè dicis veri-tatem majoribus & minoribus ſine acceptione per-ſonæ. Gregor. in moral. Perſonam hominis accipe-re, eſt hominem non quia homo, ſed propter ali-quid quod circa ipſum eſt honorare. *Licet cen-ſum dare,* &c. Hæc quæſtio emerſerat inter Iudæos. Phariſæi & ſcribæ dicebant indignum eſſe quod populus Domini tributa ſolveret regi terreno, qui primitias & decimas & multa alia ſolvebat regi Domino. Alii è contrario dicebant Romanis tri-butum eſſe ſolvendum pro communi omnium tu-tela. Et adeo invaluit perſuaſio ſcribarum & Phariſæorum ut negaretur tributum Romanis & pro eo ſpecialiter miſſi ſunt Titus & Veſpaſianus à Nerone ad evertendam Hieruſalem. Et fit hic ſermo de illo cenſu qui dicitur cenſus capitis, de quo tangitur, Luc. 2. & Matth. 17. *Dari Cæſari.* Hieron. ſuper Matth. Omnes reges Romani à pri-mo Caio Cæſare qui imperium habuerant Cæſares appellati ſunt. *Cognita autem,* &c. Non ſecundum verba eorum blandè, ſed ſecundum conſcientiam eorum aſperè reſpondet. *Quid me tentatis hypo-critæ?* Hieron. Hypocrita appellatur, qui aliud eſt aliud ſimulat, id eſt aliud intendit corde, & a-liud agit in opere. *Oſtendite mihi numiſma.* Interlin. Nummum qui pro cenſu ſolvitur, qui & imagi-nem habebat Cæſaris. Et ponitur hic impropriè; numiſma enim propriè eſt ipſa exaratio, ſcilicet inſcriptio imaginis regiæ & ſemper ſcriptionis re-gis. *Et illi obtulerunt ei denarium.* Interlin. Genus nummi qui pro decem nummis curſalibus vel ur-ſalibus reputabatur & ſolvebatur pro cenſu. Cuius eſt imago hæc? Gloſſa. Satis patet quod non ex ignorantia interrogat, ſed ut ad verba eorum com-petenter reſpondeat. Dicunt ei Cæſaris Tiberii privigni Cæſaris Auguſti, ſub quo paſſus eſt Do-minus. Dominus natus eſt ſub Auguſto, qui 18. an-no Tiberii paſſus eſt, & tunc habebat denarius ima-ginem Tiberii, qui tempore Auguſti habebat ipſius Auguſti imaginem. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæ-ſari,* ſcilicet tributum & pecuniam Cæſari, *& quæ ſunt Dei Deo,* ſcilicet victimas & decimas.

Obiectio ſolvitur.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

Summarium.

Septem capita Evangelio adnotantur.

SERMO CXXXIII.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, &c.

Septem notanda in hoc Evangelio.

CIrca ſeriem huius Evangelii *ſeptem* nobis at-
tendenda ſunt. *Primum* eſt illud quod Pha-
riſæi convenerunt. Mali conſilium ineunt, ſed I.
non inveniunt Chryſoſtomus ſuper Matth. Co-
lonus diaboli etſi Dei conſilium quærat, non in-
venit. Vide furem euntem ad furtum orantem ut
proſperetur; & fornicator ſignum crucis facit ſibi,
ut non comprehendatur, & tanto citius capietur,
quia neſcit juſtitia Dei patrocinium dare crimi-
nibus. Tale conſilium, quales conſiliatores. *Se-
cundum* eſt quod verbum Dei in verbo capere vo- 2.
lunt. Sed inutiliter, quia *fruſtra jacitur rete ante
oculos pennatorum.* Proverb. 1. Serpens factus ex
virga Aaron, ſerpentes factos ex virgis magorum
devoravit. Exod. 7. Sic Chriſti ſapientia aſtutiæ
mundi & dæmonum prævalet. In ſerpente ſapien-
tia vel aſtutia intelligitur. Sapientes mundi & dæ-
mones viros juſtos conantur in verbis capere.
Ideo in verbis, viri juſti multum debent cavere, &
qui non habent diſcretionem tacendi. Seneca Ta-
citurnitas homini ſtulto pro ſapientia eſt. Philoſo-
phus cuidam ruſtico tacenti in convivio dixit,
hoc ſolum ex doctis hominibus habes. Proverb.
17. *Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* Iob. 11.
Vtinam taceretis, ut putaremini ſapientes, Gregor.
loquens de illo verbo Eccleſ. 3. *Tempus tacendi &
tempus loquendi* prius, inquit, *tacendi* præmittit,
& poſtmodum ſubdit *loquendi*: quia non loquen-
do tacere, ſed tacendo debemus loqui diſcere. *Ter-
tium* eſt quod Dominus non reſpondet eis ſe- 3.
cundum verba oris, ſed ſecundum intentionem cor-
dis, cum ſermo ad hoc ſit ut cor hominis alteri
indicetur, verba tamen multorum potius cor ope-
riunt quam aperiant. Pſalm. 117. *Circumdederunt
me ſicut apes,* mel habentes in ore, aculeum retro;
tales ſunt Phariſæi *Quartum* eſt quod Dominus 4.
non tam cito reſpondet quæſtioni eorum ſed eos
interrogat, ex verbis eorum congruam reſpon-
ſionem eliciat, in hoc monens ad prudentiam con-
tra aſtutiam malorum. Matth. 10. *Eſtote prudentes
ſicut ſerpentes.* Proverb. 11. *Simulator ore decipit ami-
cum ſuum, juſti autem liberabuntur ſcientia. Quin-
tum* eſt quod laudatoribus iram oſtendit: & merito 5.
cum valde periculoſa ſit laudatio. Proverb. 29.
*Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur, rete
expandit proximo ſuo* Pſal. 51. *Sicut novacula acuta fe-
ciſti dolum* Novacula acuta dicitur furari barbam,
ſic adulatio virtutem. Auguſt. ſuper Pſalm. Duo
ſunt genera perſecutorum vituperantia & adu-
lantia. Seneca. Plus perſequitur lingua adulato-
ris quam manus interfectoris. Idem. Habet ſuum
venenum blanda adulatio. *Sextum* eſt quod nec 6.
timore nec favore à veritate deviat iudicii. Mul-
tis placuiſſet ſi dixiſſet cenſum non eſſe dandum
Cæſari, tamen non conſenſit. Ad Galat. 1. *Si homi-
nibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Exod. 23.
Non ſequeris turbam ad faciendum malum. Proverb.
29. *Qui timet hominem, cito corruet.* Non eſt ali-
quid faciendum in præiudicium alterius, etiam
propter favorem pauperum. Exod 23. *Pauperis non
miſereberis in iudicio.* Item Chriſtus propter favo-
rem cultus divini noluit aliquid facere in præiu-
dicium Cæſaris. *Septimum* eſt quod iuſſit attendi cu- 7.
ius eſt imago, præcipiens reddi Cæſari quod Cæſa-
ris erat, & Deo quod Dei erat. Gloſſa. Sicut Cæ-
ſar

ſar exigit impreſſionem ſuæ imaginis, ſic & Deus
animam lumine ſui vultus inſignitam. Chryſoſto-
mus. Tu mundum abjice exemplo Chriſti, & non
eris obnoxius mundano principi. Ipſe ordo verbo-
rum te inſtruat, ſcilicet *reddite* &c. prius enim re-
nunciandum eſt mundo ut expeditius adhæreatur
Deo. Rom. 13. *Reddite omnibus debita.* Debemus
ſuperiori obedientiam, inferiori diſciplinam, pari
æquitatem, omnibus fidem & veritatem. De hac
materia quære in ſermone Epiſtolarum Dominicæ
VIII. poſt feſtum SS. Trinitatis.

Perſonarum acceptio cavenda.

Non reſpicis perſonam hominum 2. Paralip. 19. *Non
eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Simile habe-
tur Actor. 10. ad Galat. 2. Dominus ſe facto oſten-
dit non eſſe acceptorem perſonarum, quando ad
filiũ reguli ire noluit, Joan. 4. ad ſervum vero cen-
turionis ſe vẽturum dixit Matth 8. Seneca. Quem-
admodũ ſtultus eſt qui equum tentaturus non ipſum
reſpicit, ſed ſtratum & frenum: ſic ſtultiſſimus eſt
qui ex veſte aut conditione quæ nobis modo veſtis
circumdata eſt, hominem exiſtimat.

Cujus eſt imago hæc? &c. Sicut voluit Dominus
ut tentatores attenderent cujus eſſet imago quæ eſt
imago denarij, ſic vult ipſe, ut nos attẽdamus, cujus
eſt imago quæ eſt in nobis. Et poteſt hæc quæſtio
tripliciter intelligi. *Primo* de interiori imagine na-
turali, *ſecundo* de interiori adquiſita, *tertio* de ex-
teriori. *Prima* indubitanter eſt Dei, Eccleſ. 17.
*Deus de terra creavit hominem, & ſecundum imagi-
nem ſuam fecit illum* In hac imagine pertranſit ho-
mo. Hanc imaginem vult Dominus ut attendamus
cujus ſit quinque de cauſis. *Prima* ut intelligentes
expreſſam ſimilitudinem noſtram ad patrem cœle-
ſtem, ut eum tenerius amemus. Licet naturalis amor
1. ſit inter patrem & filium, tamen tenerior ſolet eſſe
cum filius valde ſimilis eſt patri. Auguſt Amandus
2. eſt generator, ſed præponendus eſt creator. *Secunda*
eſt ut agnito tanto Dei beneficio pro eodem gratias
agamus. Sunt quidam non intelligentes magnitudi-
nem hujus beneficij quod Deus rationali creaturæ
ſpecialiter fecit Hi in vanũ videntur accepiſſe ani-
mas ſuas, iſti effecti ſunt ſimiles beſtijs ſecundum
illud: Pſal. 48. *Homo cum in honore eſſet non intelle-
xit.* Boëtius de conſolatione. Humanæ naturæ iſta
conditio eſt ut tunc tandem cæteris rebus excellat,
cum ſe cognoſcat. Ea tamen infra beſtias redigatur,
ſi ſe noſſe deſerit. Bern. Fit ut ſe ſe non cognoſcen-
do egregiæ rationis munere creatura irrationalium
gregibus incipiat aggregari. Deberent attendere
quantũ beneficium eſſet ſi eis reſtitueretur uſus ra-
tionis, qui etiam impeditus eſt. Ad hanc imaginem
pertinet capacitas æternæ beatitudinis, quæ ſolius
rationalis creaturæ eſt, quæ toti mundo prævalet.
Imago iſta eſt lumen, de quo Pſal. 4. *Signatũ eſt ſu-
3. per nos lumen vultus tui Domine. Tertia* ut imagini
Dei in nobis debitam reverentiam exhibeamus Ec-
cleſiaſtici 10. *In manſuetudine ſerva animam tuam,
& da illi honorem ſecundum meritum ſuum*, id eſt ſe-
cundum dignitatem ſuam. Indignum eſt ut creatu-
ra rationalis in hoc Deum inhonoret, in quo Deus
eam præ cæteris creaturis honoravit. Si nefas eſſet
imaginem beatæ Virginis in lutum projicere &
imaginem crucifixi, quantum nefas eſt imagi-
nem Trinitatis immunditia peccati inquinare? Au-
guſt. ſuper illud Pſalm. 72. *In civitate tua imaginem
ad nihilum rediges.* Merito inquit Deus imaginem
ipſorum ad nihilum rediget in cœleſti civitate,
quia ipſi in terreſtri civitate ſua imaginem ejus ad
4. nihilum redegerunt. *Quarta* ut propter interio-
rem pulchritudinem quæ divinæ ſimilis eſt, exte-
riorem quæ à pulchritudine brutorum vincitur &
adjuvari indiget contemnamus. Frater Guido
Cartuſienſis. Veſtes te ornant, pulchritudo eſſet,
ſi tu eas ornares. Valde contemptibilis eſt pul-
chritudo illa quæ neceſſe habet pellibus murium
& ſtercoribus vermium adjuvari. Pſalm. 44. *Om-
nis gloria ejus, filiæ regis ab intus*, &c. *Quinta* 5.
ut ei cui ſimiles ſumus natura, ſtudeamus ſimiles
effici gratia & gloria, in quo perfectio noſtra con-
ſiſtit, cujus rei naturalis amor nobis inſitus eſt,
nec perfectè quieſcit cor noſtrum abſque hoc. Au-
guſt. Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt
cor noſtrum donec requieſcat in te. Et ſuper illud
Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui
Domine*, dicit Auguſt. Loquens de lumine quo
imago creata inſignitur. Hoc lumen eſt totum & II.
verum hominis bonum. De imagine etiam adqui-
ſita quæſtio poteſt fieri, ut Dominus quaſi admi-
rans de imagine diaboli in templo ſuo poſita dicat,
cujus eſt hæc Imago? Quot vitia habet homo in
corde ſuo, tot dæmones habet pictos ibi. Qui de-
pingit dæmones in corde ſuo, videtur velle effigia-
re hic infernum. Unde videtur, quod non ſatis
citò credit ſe pervenire illuc. De tali dicet Domi-
nus in die judicij; *Reddite quæ ſunt diaboli.* Ad ta-
les pertinet illud. Tren 4. *Denigrata eſt facies eo-
rum ſuper carbones.* Nahum. 2. *Facies eorum ſicut ni-
gredo ollæ* Iſ. 13 *Facies combuſtæ vultus eorum.* Spe-
cialiter poteſt intelligi imago diaboli peccatum cru-
delitatis. Apocal. 14. *Siquis adoraverit beſtiam &
imaginem ejus, & characterem in fronte aut in ma-
nu acceperit hic bibet de vino iræ Dei.* Sunt autem
qui facies beſtiarum per diverſitatem vitiorum aſſu-
munt contra illud. Eccleſiaſtici 4. *Ne aſſumas fa-
ciem contra faciem tuam.* Per ſuperbiam aſſumunt
faciem leonis, per venenatam invidiam faciem
ſerpentis, per iram faciem apri, per accidiam fa-
ciem teſtudinis, per gulam faciem urſi, per luxuriam
faciem porci, per avaritiam faciẽ talpæ, per odium
faciem canis. Item ſunt aliqui qui habent ſeptem
capita & 10. cornua, ſimiles beſtiæ quam vidit
Joan. Apocal. 13. *Vidi*, inquit, *de mari beſtiam aſ-
cendentem, habentem capita 7. & 10. cornua.* 7 Capi-
ta habet hic, cui ſeptẽ peccata criminalia dominãtur.
10. cornua habet, qui per elationẽ decalogum impu-
gnat. *Tertio* poteſt eſſe quæſtio de imagine exterio- III.
ri *cujus eſt hæc imago*? O fatua mulier quæ te depin-
xiſti. Hieron. loquens de tali, qua fiducia, inquit at-
tollit vultus ad ſidera, quos conditor non agnoſcit?

Interior naturalis. *Hæc quinque de cauſis diligenter attendenda eſt.* *Imago triplex eſt in nobis.* *Interior adquiſita.* *Exterior.*

Item notandum quod ſex requiruntur in de-
nario, & ſimilia his requirit Deus in homine. *Pri-
mum* eſt imago ſua, quæ ſpecialiter poteſt intelli-
gi legis charitas, ſive ordinatus amor omnis boni.
1. Joan 4. *Deus charitas eſt. Secundum* ſuperſcri-
ptio Primo debent ibi eſſe ſcripta præcepta juris na-
turalis, illud ſcilicet. Tob. 4. *Quod tibi ab alio oderis
fieri, vide ne aliquando alij feceris.* Et illud Matth.
7. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homi-
nes, eadem & vos facite eis.* Deinde articuli fidei.
Tertium eſt gravitas. Ille denarius bonus eſt, qui in
ſtatera deſcendit. Lucæ. 14. *Cum invitatus fueris ad
nuptias, recumbe in noviſſimo loco. Quartum* eſt in-
flexibilitas. Non eſt bonus denarius qui de facili
plicari poteſt Eccleſiaſtici 15. *Firmabitur in illo &
non flectetur.* Epheſ. 4. *Nolite locum dare diabolo.
Quintum* eſt dulcis ſonus. Petr. 4. *Siquis loquitur,
quaſi ſermones Dei. Sextum* eſt integritas. Non pla-
cet Deo ille cui deeſt fides alicujus articulorum vel
obſervatio alicujus præceptorum. Jac. 2. *Quicunque
totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, fa-
ctus eſt omnium reus.*

Denarii ſex qualitates homini applicantur.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST FESTUM S. TRINITATIS.

SERMO PRIMUS.

SERMO CXXXIV

SUMMARIUM.

Hic ſermo pertractat duo miracula in hoc Evãgelio relata, variaque documenta ex ijs tam religioſis quam ſecularibus proponit.

Loquente Jeſu ad turbas, ecce Princeps unus acceſſit, &c. De eodem habetur *Marc*, 5. *& Luc.* 8.

Duo miracula huius Evangelii.

HOc Evangelium continet duo; ſcilicet hæmorroiſſæ ſanationem & filiæ Archiſinagogi ſuſcitationem. *adorabat eum.* Luc. dicit, quod cecidit ad pedes ejus. *Dicens filia mea modo defuncta eſt.* In Marc. dicitur, *filia mea in extremis eſt.* In Luca vero dicitur, *& hæc moriebatur,* quæ videntur eſſe contraria ei quæ dicitur hic defuncta. Solutio. Dicit Auguſtinus. Nihil in ejus verbis debemus inſpicere niſi vocem cui debent ſervire, nec mentiri quemquam. Sed ex aliis verbis dixerunt quid ille voluerit cujus verba dant. Nec miſeri aucupes vocum apicibus litterarum putant ligandam veritatem, cum utique non in verbis tantum, imò & cæteris ſignis aliorum non ſit niſi animus requirendus. Poteſt ergo dici quod filia Archiſinagogi in extremis erat quando pater ejus venit ad Jeſum, ut dicit Marc. Sed poſtea mortua, ut dicit Matth. Auguſt. Sic ſolvit de concordia evangelica: dicens quod Matthæus præſens fuit miraculo, & perpendit per exteriora quod mens patris erat, quod Dominueret ad filiam quam dimiſerat in extremis, ut eam ſi nondum erat mortua ſanaret: ſi verò eſſet mortua, quod potius credebat, eam reſſuſcitaret. Matth. ergo verba mentis poſuit, Marc. verò verba oris, unde Gloſſa. Marcus & Lucas dicunt nomine Jairum Archiſinagogum, & filiam non mortuam, ſed morti proximam. Sed Matth. cauſa brevitatis dicit rogaſſe, quod conſtat tamen factum eſſe; nec attendit verba patris, ſed quod interrogavit & voluit. Ita enim deſperabat, ut potius vellet reviviſcere quam (quod non putabat) vivam inveniri poſſe. Utrumque ergo petitum eſt, ut vel morientem ſalvaret, vel mortuam ſuſcitaret. *Et ecce mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur.* De hac muliere dicit Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 7. quod poſtquam ſanata eſt, fecit ſtatuam in curia ſua ad imaginem Chriſti, quæ habebat veſtem, & in veſte fimbrias, ut viderat Chriſtum habere, & hanc habebat in magna reverentia. Herbæ verò ſub illa ſtatua creſcentes, quæ ante nullius virtutis erant, cum ad ſtatuæ fimbrias attingerent, tantæ erant virtutis, ut multi infirmi inde ſanarentur. Hieron. etiam dicit in hiſtoria tripartita libro 7. quod cùm Julianus apoſtata cognoviſſet in Cæſarea Philippi, quod liberata ſanguinis profluvio fœmina conſtruxerat ſimulacrum, eo depoſito ſuam ibi imaginem collocavit, quæ fulminis ictu fracta eſt. Statuam verò Chriſti tunc quidam Paganorum trahentes fregerunt, poſtea Chriſtiani collegerunt & in Eccleſia condiderunt. *Confide filia.* Gloſſa. Credidit utique quæ petit, ſed inculcat robur & perſeverantiam fidei. *Et cum vidiſſet tibicines,* lamentabile carmen cantantes. Judæi enim in funeribus propinquorum multam habebant diligentiam, & faciebant magnas expenſas ita ut multi depauperarentur, ut tradit Joſephus. *Non eſt mortua puella ſed dormit,* tam in anima, quam in corpore. *Ecce mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur,* &c.

Concordantur Evangelii.

De ſtatua hæmorroiſſæ.

I. Circa primum miraculum duo notanda.

Circa hoc miraculum duo ſunt nobis attendenda, ſcilicet quid per hanc mulierem deſignetur, & quomodo ipſa ſanetur. Notandum ergo quod mulier iſta fluxum ſanguinis patiens, quæ in via curatur, peccatorem manifeſtum ſignificat; ſicut puella mortua quæ in domo ſuſcitatur, occultum peccatorem. Threnor. 1. *Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.* In fluxu ſanguinis intelligitur fluxus peccati. Oſeæ 4. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Eſt autem duplex fluxus ſanguinis: unus fluxus menſtrualis, per quem deſignatur peccatum ex infirmitate, de quo Levitic 15. *Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur;* alius eſt continuus, per quem deſignatur peccatum ex certa malitia, de qua Levit. 15. *Mulier quæ ſanguine fluere non ceſſat, quamdiu huic paſſioni ſubjacebit immunda erit.* In hoc, quod prius ſanatur hæmorroiſſa quam puella in domo mortua, ſignificatur quod prius convertuntur manifeſti peccatores quam occulti. Oſeæ 13. *Colligata eſt iniquitas Effraim, abſconditum eſt peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Parturiens tunc dolet quando non poteſt partum emittere: ſic in magna miſeria ſunt occulti peccatores, qui in confeſſione peccata ſua non audent propalare dicentes illud Eccli. 23. *Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit: quem vereor?* & ſubditur: *& non intelligit quoniam omnia videt oculus ejus.* Ezech. 8. *Certe vides fili hominis quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris. Dicunt enim non videt Dominus nos.* Diabolus *ſub umbra dormit, in ſecreto calami.* Job 4. In tali enim loco non inquietatur cum nullus credat ibi eum eſſe. Manifeſtus peccator confunditur de peccato ſuo, quæ confuſio eſt ei occaſio converſionis. *Eſt enim confuſio adducens gloriam.* Eccleſiaſtici 4. Pſal. 67. *Dixit Dominus ex Baſan convertam.* Baſan interpretatur confuſio. Mich. 4. *Venies in Babilonem & ibi liberaberis.* Pſal. 71. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Matth 21. *Amen dico vobis, publicani & peccatores præcedent vos in regno Dei.* Medici in quos hæmorroiſſa multum inutiliter expendit. Marc. 5. & Luc. 8. ſunt Phariſæi & legum ſæcularium Doctores, qui multa de virtutibus promittunt, ſed nullum animabus remedium conferunt. In Medicis ſubſtantiam ſuam expendit, qui vires naturalis ingenij ſtudio tali conſumit. Iſaiæ 55. *Quare appenditis argentum non in panibus.* Specialiter ſubſtantiam diſſipant qui in libris Poetarum vires ingenij ſui conſumunt. Prov. 10. *Qui innititur mendaciis, hic paſcit ventos.* Doctrinæ Philoſophicæ & ſcientia poetica ſunt ſirenes uſque ad exitium dulces, quæ non ſolum ægrum non ſanant, ſed infructuoſis affectuum ſpinis uberem hominis ſegetem necant vel exterminant. Secundum verbum Boëtij in libro conſolationum, Joannes Evangeliſta ad Cratem Philoſophum. Sicut vana medicina eſt ea qua morbus non extinguitur, ſic vana doctrina eſt ex qua vitia non curantur animarum.

I. Hæmorroiſſa & filia Archiſinagogi quid ſignificent.

Qui ſint Medici inutiliter expendant.

Circa modum ſanandi notandum quod mulier iſta Jeſum acceſſit, ſed retro & dixit: *Si tetigero,* ſcilicet *fimbriam veſtimenti.* Accedit anima peccatrix ad Jeſum fide. Hic eſt primus acceſſus ipſius Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* In hoc quod retro acceſſit innuitur nobis timor Domini & verecundia quæ multum valent ad ſanationem ſpiritualium infirmitatum. Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Philoſophus. Erubuit, ſalva res eſt. De non erubeſcente dicitur. Hiere. 3. *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Simile ei quod legitur de hac muliere habetur Luc. 7. de Magdalena. *Stans,* inquit, *retro.* In hoc quod dixit intra ſe, *ſi tetigero,* &c. innuitur nobis confidentia quam habuit de virtute divinæ bonitatis, quæ ad ſanationem ſpiritualem multum valet. Hierem. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas.* Quod autem dicit *tetigit,* referri poteſt ad dilectionem, fides enim ſi ſit cum dilectione Deum tangit. Aliter verò fimbria veſtimenti tangit, qui de ſe humiliter ſentit, qui Chriſti hominis converſationem & ſanctorum in minimis imitatur. Veſtimentum Chriſti eſt humanitas, item ſancti, de quibus dicitur Iſaiæ

I. Hemorroiſſa ſananda quid fecerit.

Fimbria tangitur tripliciter.

Iſaiæ 49. *His omnibus velut ornamento veſtieris.* Fimbria vero eſt minima pars veſtis, unde fimbriam tangit, qui in minimis Chriſtum & ſanctos imitatur. Secundum Gloſſam. Hæc mulier credidit, dixit, tetigit, quia his tribus, ſcilicet fide, verbo, & opere omnis ſalus adquiritur.

Christus ſanaturus 4. fecit. Et NOTANDUM quod Chriſtus ſanaturus hanc mulierem *quatuor* fecit. Ad mulierem converſus eſt, eam vidit, ad confidentiam monuit, & filiam vocavit. 1. *Primum* pertinet ad hoc, quod mulier retro acceſſit, & eſt in hoc magnum ſolatium peccatori verecundo, qui ſe indignum judicat conſpectu divino, ad talem enim convertit ſe Dominus. Iſaiæ ultimo. *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperem ſpiritu.* *Secundum* pertinet ad aſpectum fidei, 2. reſpicit enim Deus reſpectu miſericordiæ fidem veram, unde dictum eſt ei, *fides tua te ſalvam fecit.* Hierem. 5. *Oculi tui reſpiciunt fidem*, reſpectu inquam illo de quo, Sap. 4. *Reſpectus eius in electos eius.* Luc. 22. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* 3 *Tertium* pertinet ad illud quod intra ſe dicebat, *ſi tetigero*, &c. Habebat aliquam confidentiam, ſed admonitio ſalvatoris erat ad robur & illius confidentiæ perſeverantiam. Matth. 9. dictum eſt paralytico, *confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* 4. *Quartum* pertinet ad hoc quod mulier fimbriam tetigit, humilitate enim meretur anima exaltari ut filia reputetur. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Lucæ 14. & 18. & Matth. 23.

II. De ſecundo miraculo. Suſcitata puella quid ſignificet. De tribus mortuis à Domino ſuſcitatis quid ſignificent, & quare morte corporis ſignificetur peccatum vide ſermonem 16. *Domine filia mea defuncta eſt.* Filia iſta defuncta in domo ſuſcitata ſignificat peccatorem occultum, modus verò ſuſcitationis ſignificat modum ſuſcitationis eius qui in peccato eſt occulto. Circa modum vero iſtum *ſex* attendenda ſunt. Circa modum ſuſcitationis 9. notanda. 1. *Primum* eſt quod pater pro ea rogat, in quo innuitur orationis ſuffragium. Pater Jairus dicebatur, quod interpretatur illuminans vel illuminatus, unde ſignificat cœtum ſanctorum, qui à Deo illuminati illuminant alios, ſicut montes radios ſolis tranſmittunt ad valles. Pſal. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Item Pſ. 120. *Levavi oculos meos in montes.* *Secundum* eſt quod dicit: *Veni impone manum tuam ſuper eam & vivet*, 2. gratia adjutrix intelligitur, quæ & de profundo peccatorum extrahit. Amos ultimo *Si deſcenderunt uſque ad infernum, inde educet eos manus mea.* 3. *Tertium* eſt quod juſſit tibicines exire carmen lugubre cantantes: tales tibicines ſunt qui inaniter gaudent. Gaudium mundi carmen lugubre eſt & quaſi in luctum convertetur Amos 8 *Vertam feſtivitatem veſtram in luctum*, &c. Et quia gaudium illud frequenter eſt de hoc, de quo potius eſſet lugendum. Eccleſiaſtici 2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi*, &c. 4. *Quartum* eſt quod turbam tumultuantem juſſit recedere. Hæc turba deſignat importunas cogitationes, quæ animas quandoque opprimunt, quod ſignificatum eſt 4. Reg. 7. per ducem illum in cuius manu rex incubuerat, quem conculcavit turba in introitu portæ Samariæ. 5. *Quintum* eſt quod admiſit Petrum, Jacobum & Joannem. Hos tres elegit Dominus intereſſe ſuæ transfigurationi. Matth. 17. & orationi. Matth. 26. & hic puellæ ſuſcitationi, ſecundum Chryſoſtomum propter eminentiam quam habebant. Hieron, dicit in his tribus vocatis oſtenditur privilegium dignitatis eorum, ut tribus idoneis teſtibus mundus credat. Item propter fidem Trinitatis. & hæc eſt ratio Bedæ. Sed moraliter per hos tres ſignificantur ea quæ ſunt ad pœnitentiam neceſſaria. Quia Joannes gratia interpretatur, in Joanne ſignificatur gratia, in qua eſt motus contritionis. Voluntas liberi arbitrij ſine ea non ſufficit ad contritionem. Rom. 7. *Velle mihi adjacet, perficere bonum non invenio.* 1 ad Corinth. 15. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quia Petrus agnoſcens interpretatur, in Petro intelligitur confeſſionis agnitio. Pſal. 50. *Iniquitatem meam ego cognoſco.* Super illud Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, &c. dicit Gloſſa Si detegis, Deus tegit: & ſi agnoſcis, Deus ignoſcit. Et quia Jacob luctator interpretatur, in Jacobo intelligitur labor ſatisfactionis. Mich. 4. *Dole & ſatage filia Sion.* *Sextum* eſt quod aſſumpſit patrem & matrem puellæ, valet enim ad ſuſcitationem peccatoris meditatio originis propriæ. Unde quidam. 6.

Unde ſuperbit homo, cuius conceptio culpa.
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.

Pater & mater qui ad ſuſcitationem peccatoris neceſſarij ſunt, ſunt illi de quibus loquitur Job 17. *Putredini dixi, pater meus es.*

Vel iſta puella mortua ſignificare poteſt animam clauſtralis mali. Jairus vero figuram tenet prælati, nam interpretatur illuminans vel illuminatus. Illuminatus debet eſſe prælatus, & alios illuminare doctrina vel exemplo. 1. ad Timoth. 4. *Exemplum eſto fidelium in doctrina & converſatione.* Et ſicuti filia figuram tenet clauſtralium, ſic hæmorroiſſa ſecularium malorum, qui ſunt in profluvio ſanguinis, quia in carnalibus vitiis. Infirmitas filiæ non determinatur, quia peccata clauſtralium ſpiritualia ſunt & magis occulta. Unde peccatum eorum eſt murmur eorum qui crucem ferunt non ſpontaneè, deſignati per Simonem Cyreneum, quem angariaverunt ut ferret crucem, de quo Matth. 27. & Marc 15. & Luc. 23. Aliud eſt *impatientia.* Proverb. 19. *Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum.* Homo enim iracundus primo nocet ſibi, unde Prudentius. Miraculum puellæ ſuſcitatæ religioſis accommodatur. Hæmorroiſſa ſeculares ſignificat. Vitia religioſorum. 1 Murmur. 2. Impatientia.

Ipſa ſibi eſt beſtis veſana, ſeque furendo.
Interimit moriturque ſuis ira ignea telis.

Aliud eſt *odium* quod non eſt parvum peccatum. 1. Joan. 3. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Aliud eſt *invidia*, quæ multum hominem affligit. Job 5. *Parvulum occidit invidia.* Aliud eſt *negligentia*, quæ Dei maledictionem incurrit. Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Domini negligenter*, ſecundum aliam litteram. Aliquando contingit in clauſtris, ut qui ſpiritu fervebat, tepidus & remiſſus fiat, & ſic bona quibus abundabat amittit. Proverb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.* Et 18. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Mollis eſt qui cedit unicuique duritiei. Diſſolutus eſt qui nullo vinculo amoris ad bonum opus ligatus eſt. Egeſtas ſequens remiſſionem figurata eſt in ſomno Pharaonis. Geneſ. 41 Qui primò vidit ſeptem boves craſſos & pulchros nimis, & totidem fœdos confectoſque macie. 3. Odium. 4. Invidia. 5. Negligentia. 6. Tepiditas.

Circa modum ſuſcitationis *duo* occurrunt ſcilicet ſuffragium orationis, de quo petendo dat nobis exemplum etiam Pharao dicens. Exodi 8. *Ego dimittam vos ut ſacrificetis*, & ſequitur, *rogate pro me.* Et Saul Samueli 1. Reg. 15. *Nunc queſo porta peccatum meum.* Et Actor. 8. *Precamini vos pro me ad Dominum*; dixit Simon Magus. Et 12. *Petrus ſervabatur in carcere, oratio autem fiebat*, &c. Specialiter bonus paſtor debet orare pro grege. Rom. 1. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* *Secundo* ſeparatio à turba quod valde neceſſarium eſt illi qui vult ſanare animam ſuam. Tob. 3. *Tu ſcis Domine*, dixit Sara, *quia nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me prabui.* Senec. Socrati, Ciceroni & Lælio honeſtatem excuteret diſſimilis multitudo. Hieron. Nihil adeo noxium eſt bonis moribus quam in aliquo ſpectaculo reſidere. Job 39. de bono clauſtrali, *contemnit multitudinem* Ex ſuſcitatione duo diſcenda. 1. Oratio. 2. Separatio. 7. Tibicines quid ſignificent.

civitatis. Tibicines poſſunt intelligi malitiæ perſuaſores vel carnales illecebræ qui & per Sirenes deſignantur, de quibus. Ovidius.

Sirenes ſunt monſtra maris, quæ voce canora.
Quaslibet admiſſas detenuere rates.

Iſaiæ 13. *Sirenes in delubris voluptatis.* Perſuaſores etiam malitiæ per fiſtulam Mercurii intelliguntur qua ſopivit Argum cuſtodientem vaccas, de quo Ovidius.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Et ſignificat virum circumſpectum, qui plerumque ab illis decipitur. Vel tibicines ſunt adulatores, de quibus Ezech. 13. *Væ illis qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus.* Turbam & tibicines Dominus Jeſus excluſit, quia doctrina ejus impedimentum boni & occaſiones peccandi præſcidit. Admiſit etiam Petrum, Jacobum & Joannem, in quibus virtutes clauſtralibus maximè neceſſariæ ſignificantur. In Simone Petro obedientia Eph. ultimo. *Filij obedite præpoſitis veſtris.* In Jacobo qui luctator interpretatur, virtus patientiæ, qua contra tribulationes luctamur. Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti.* In Joanne, qui erat diſcipulus quem diligebat Jeſus, charitas Eccleſiaſtici 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum*, &c. Pater & mater admiſſi ſunt, quia neceſſaria ſunt in clauſtro paterna diſciplina & materna ubera, unde quidam:

Turba & tibicines excluſi ab hoc miraculo. Admiſſi apoſtoli tres.

Pater & mater.

Verbera patris habes, ubera matris habe.

Bern. Erudimini qui judicatis terram. Diſcite vos ſubditorum matres debere eſſe, non dominos. Studete magis amari quam metui; & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica. Patres corripiendo, matres fovendo vos exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite ubera. In hoc vero quod hæmorroiſſa citius ſanatur quam filia ſuſcitatur, ſignificatur quod difficilius convertuntur mali clauſtrales quam mali ſeculares, quia minus humiles; quantum enim aliquis diſtat ab humilitate, tantum à ſalute.

Cur hæmorroiſſa citius ſanata ſit.

Circa hoc miraculum 7. notanda.

Item NOTANDUM quod *ſeptem* facta ſunt circa ſuſcitationem hujus puellæ, quæ poſſunt valere ad inſtructionem.
1. *Primum* eſt quod turbam adeſſe noluit, turba enim à bono multos impedit. Eccleſiaſtici 18. *Ne oblecteris in turbis nec in modicis, aſſidua enim eſt commiſſio illorum.* Quidam philoſophus interrogatus quid eſſet inimiciſſimum homini, reſpondit alter homo. Quidam ſenex in vitis patrum: quando Moyſes intrabat nubem, cum Deo loquebatur; quando autem exibat, cum populo: ſic monachus, qui in cella eſt, loquitur cum Domino; quando egreditur loquitur cum dæmonibus.
2. *Secundum* eſt quod tibicines inde ejecit, per quos ſignificantur laudatores. Eccleſiaſtici 20. *Qui edunt panem illius falſæ linguæ ſunt* Oſeæ 7. *In malitia ſua lætificaverunt regem, & in mendaciis ſuis principes.* Iſaiæ 3. *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt.* Proverb 27. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens maledicenti ſimilis erit.*
3. *Tertium* eſt quod flentibus dixit, quid turbamini & ploratis? innuens illos qui flent in morte amatorum ſuorum debere dirigere intentionem ſuam. Sunt enim qui potius videntur plorare ſe ipſos quam amicos mortuos, ut qui plorant pro damno quod eos ſequetur ex morte amicorum ſuorum, cum lachrimæ illæ potius deberent eſſe compaſſionis, compati enim debet amico qui recedit ſolus & nudus. Job 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ.* Timere debet ne hoſtes ſui, id eſt peccata ejus ſequantur eum. Apocal. 14 *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Item ne dæmones qui eum expectant, in eum poteſtatem habeant. Unde beatus Martinus diabolo expectanti ait, Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies. Compati etiam debet de hoc, quod tranſit ad regionem ignotam ſibi, & quod tot & tantas intulit contumelias Domino regionis illius, ſuper quibus neſcit eum adhuc eſſe placatum.
4. *Quartum* eſt quod dixit puellam non eſſe mortuam ſed dormire, fide enim mortui dormiunt, & qui amicos Dei occidunt, occaſionem dormiendi ſomno quieto eis conferunt. Joan. 11. *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit vivet.* Gloſſa. Credens etiam mortuus vivit: ſicut non credens vivens mortuus eſt. Quis fatuum non reputet eum, quem videat lugere eo quod amicus ſuus dormit? Sic eſt fatuum lugere de morte amicorum Dei.
5. *Quinto* manum puellæ tenuit, in quo ſignificatum eſt quod qui vult ſpiritualiter ſuſcitari, manum debet ponere in manum Dei. Pſal. 72. *Tenuiſti manum dexteram meam.* Manum tuam tenet Deus ſi eam à malo cohibes, ſi pauperi eam libenter extendis, ſi firmiter ad voluntatem eius operari proponis. Et hoc firmum propoſitum requiritur ad hoc quod aliquis ſpiritualiter ſuſcitetur
6. *Sexto* præcepit puellæ ſurgere. Epheſ. 5. *Surge qui dormis.* Tunc anima ſurgit, cum torporem negligentiæ à ſe excutit, cum ad cœleſtia ſe erigit. & tunc in hominem dominium ſibi vendicat.
7. *Septimum* eſt quod juſſit ei dare manducare, quod fecit ut eſſet judicium veræ ſuſcitationis Quidam magicis artibus videntur ſuſcitare mortuos, ponentes characteres ſub aſcellis, & faciunt eos ambulare & confabulari, ſed non poſſunt facere ut manducent. Juſſit ei dare manducare, ut dicit Ambr. ad teſtimonium vitæ; ut non phantaſma, ſed veritas crederetur. Item ad oſtendendum quod ſpiritualiter ſuſcitati pane ſpirituali indigeant, parvulis enim frequens cibus neceſſarius eſt, alioquin deficiunt.

Quod minus habes hic de hiſtoria require Marc. 5. & Luc. 8. Quia prius hæmorroiſſa ſanatur, quam filia Archiſynagogi ſuſcitetur, ſignificatur quod prius homo ſanetur quo ad carnalia vitia, quam quo ad ſpiritualia. Eccleſiaſt. 25. *A muliere factum eſt initium peccati*, ſic à muliere, id eſt carne inchoanda eſt ſanatio, unde in Gloſſa ſuper Matth. 4. dicitur, quod in pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi hæc prius refrenetur, fruſtra contra alia vitia laboratur. *Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.* Luc. 8. dicitur quod præcepit ne cui dicerent, quod factum eſt propter duo.

Hæmorroiſſa cur prius ſanata.

Chriſtus voluit hoc miraculum facere ob duo.

1. *Primo* propter myſterium, quod ſecreta culpa ſecreta indiget pœnitentia Eccl. 7. *De negligentia purga te cũ paucis.* Publica vero culpa publica indiget pœnitentia, 2. ad Timoth 5. *Peccantes coram omnibus argue.* Item propter exemplum, ut nos in magnis factis doceat fugere gloriam. Eccleſ. 9. *Non zeles gloriam & opes peccatoris.*

Finis Sermonum ſecundæ Partis.

GVILIELMI PARISIENSIS SERMONES DE SANCTIS

DE SANCTO ANDRÆA APOSTOLO.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

E prima vocatione ſancti Andreæ & ſequelâ Chriſti in hoc Evangelio conſcriptâ ſex imitanda proponuntur. Agitur etiam de religioſa obedientia, quæ ad ſcalam Iacob accommodatur, & 7. obedientiæ gradus ex S. Bernardo explicantur.

Stabat Joannes & ex diſcipulis ejus duo, &c. *Ioannis 1.*

S. Andreæ tres vocationes. RECOLIT hodie Eccleſia beati Andreæ primam vocationem, tres enim diſtinguuntur vocationes. *Prima* eſt ad ſimplicem cognitionem, de qua legitur in Evangelio hodierno. *Secunda* fuit ad familiaritatem, de qua legitur Lucæ 5. quando ſecuti ſunt Jeſum ſubductis ad terram navibus, adhuc tamen voluntatem habebant redeundi ad ſua, ut tangit Interlinearis. *Tertia* fuit ad diſciplinatum, de qua legitur Matthæi 4. quæ cras in Evangelio recoletur.

In prima vocatione ſex imitanda proponuntur. Ubi verò prima vocatio beati Andreæ deſcribitur Sex imitatione digna nobis in eo commendantur: ſcilicet *familiaritas ſancta, fides prompta, operatio bona, interrogatio diſcreta, obedientia parata, pietas non inſida vel ocioſa.* Primum ſcilicet

I. Familiaritas cum bono habenda, ejuſque commoda. Familiaritas Sancta commendatur in hoc, quod Andreas fuit diſcipulus Joannis quem ex utero matris Spiritus ſanctus gratia replevit. Lucæ. 1. Qui pluſquam Propheta fuit, quo inter natos mulierum major non ſurrexit Matth. 11. quantum valeat ad ſalutem habere familiaritatem cum homine qui ſit converſationis ſanctæ & doctrinæ ſanæ, ſatis perpendi poteſt ex hoc, quod quaſi unum verbum auditum à Joanne videtur fuiſſe occaſio vocationis Andreæ, ſcilicet illud verbum: *Ecce Agnus Dei* Eccleſiaſtici 37. *Cum viro ſancto aſſiduus eſto. Quemcunque cognoveris obſervantem timorem* Dei, *cujus anima eſt ſecundum animam tuam.* Seneca. Cum illis verſare qui te meliorem facturi ſunt. Proverb. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus vero ſtultorum ſimilis illis efficietur.* Carbo mortuus poſitus cum vivis accenditur, ſic ille qui malus eſt occaſione ſocietatis bonæ interdum bonus efficitur. Pſal. 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocenti innocens eris.* Eccleſiaſtici 7. *Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.*

Secundum ſcilicet fides prompta commendatur II.
in hoc, quod Joanni dicenti: *Ecce Agnus Dei,* Fides prōpta.
tam citò credidit Andreas. De credulitate etiam commendatur beata virgo Lucæ 1. Dixit Eliſabeth *beata es quæ credidiſti.* Et Abraham. Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* E contrario Zacharias punitus eſt à Deo, quia non credidit Angelo promittenti ei Joannem, ad tempus enim mutus effectus eſt Luc. *1.*

Tertium ſcilicet operatio bona commendatur III. Operatio bona.
nobis in eo, quod Andreas eum quem agnum Dei eſſe credidit, greſſu corporis ſecutus fuit Non ſolùm autem greſſu corporis ſecutus eſt eum, ſed officio prædicationis & eodem genere mortis. Nam in cruce ſuſpenſus biduo vivens funibus non clavis cruci affixus prædicavit, habens aſtantia viginti millia hominum. Quem cum populus vellet de cruce deponere, ſplendor cœleſtis circumdedit eum per dimidiam horam, ut nullus eum videre poſſet, & abſcedente lumine ſimul cum lumine ſpiritum tradidit. Huius ſancti Andreæ feſtivitas pro tan- S. Andreæ feſtum cur circa Adventum celebretur.
to circa initium dominici Adventûs celebrari conſuevit, quoniam ipſe vocatus à Jeſu Jeſum præcipuè manifeſtavit adveniſſe in carnem, ut ſatis oſtendit Evangelium hoc Vigiliæ Joannis 1. conſcriptum. Cùm Joannes Baptiſta Jeſum primò vocat agnum Dei, Andreas poſtea vocat Rabbi & Meſſiam. Deinde Philippus per ſalvatorem vocatus vocat eum filium Joſeph à Nazareth, quem ſcripſit Moyſes & Prophetæ. Ecce Chriſtum continentiam & materiam divinarum ſcripturarum. Et Nathanael vocatus per Philippum vocat Jeſum Rabbi filium Dei. Quibus pro meritis confeſſionis fidei Jeſu Chriſti, ipſemet Jeſus ait: *Videbitis ⁊*

*gelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium homi-
nis.* ſicuti Geneſ. 28. Jacob vidit in ſcalâ angelos
aſcendentes & deſcendentes & dominum ſcalæ in-
nixum, quia in Dei Eccleſia capiti Chriſto funda-
mento Eccleſiæ Angeli adminiſtrant pariter &
membris vivâ fide Chriſto incorporatis. Non er-

Fides ſine operibus qualis ſit.

go ſufficit fides ſine operatione. Jacobi 2. *Si fides
non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* In eo-
dem. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides
ſine operibus mortua eſt.* Bernardus ſuper Cantic.
Quid eſt fides quæ non operatur ex dilectione niſi
cadaver exanime? Bene honoras Deum munere
fœtido, &c. Fides mortua inferior eſſe videtur fi-
de dæmonum. Jacobi 2. *Tu credis quod unus eſt
Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiſ-
cunt*, quod plus eſt. Ecce dæmones viderunt & tre-
muerunt, homines viderunt & interfecerunt.

IV. Interrogatio ſalutaris ubi Salvator habitet & inveniendus ſit

Quartum ſcilicet interrogatio diſcreta commen-
datur in hoc, quod Andræas quæſivit à ſalvato-
re ubi habitaret. Multum valet homini ad hoc ut
ſalvetur. Interrogare diligenter de his quæ perti-
nent ad ſalutem. Specialiter valet multum ad ſa-
lutem cognoſcere ubi Salvator habitet, & ubi in-
veniri poſſit. Notandum ergo quod Salvator in

Ubi & in quibus habitet Salvator.

multis locis habitare dicitur. *Habitat* in his, qui
conſilio bonorum ſe regunt, Proverb. 8. *Ego ſapien-
tia habito in conſilio & eruditis interſum cogitatio-*
1. *nibus.* Ejuſdem 24. *Erit ſalus ubi multa conſilia.*
Salus non eſt ſine Salvatore. *Item habitat* Salvator
2. cum bona ſocietate. Matthæi 18. *Ubi enim duo vel
tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio*
3. *eorum. Item habitat* in pace. Pſal. 75. *In pace factus
eſt locus eius.* Ad quod ſignificandum noluit naſci
in hoc mundo donec pax eſſet per univerſum mun-
dum. Ad idem deſignandum voluit ut Salomon, id
4. eſt, pacificus ædificaret ſibi templum. *Habitat etiam*
in humilibus. Iſaiæ ultimo. *Ad quem reſpiciam niſi
ad pauperculum & contritum ſpiritu & trementem
ſermones meos. Item habitat* in mundi hujus con-
temptoribus. Qui mundum habent ſub pedibus al-
5. tiſſimi ſunt, & ideò meritò altiſſimus in eis habitat
6. Eccleſ. 24. *Ego in altiſſimis habitavi. Item habitat*
in tribulatione. Unde in Pſalmo 90. dicitur, *cum
ipſo ſum in tribulatione.* Bernardus. Quantumcun-
que tribulatio ſæviat non putes te derelictum, ſed
memineris ſcriptum eſſe, ego cum ipſo ſum in tri-
bulatione. Daniel 3. vidit Nabuchodonoſor cum
tribus pueris in fornace poſitis quartum ſimilem
7. filio Dei. *Item habitat* in verè obedientibus, quod
ſignificatum eſt Geneſis 28. ubi Jacob vidit ſcalam
deſignantem viam obedientiæ. Hanc ſcalam vidit

Scala Iacobi obedientiam ſignificat.

Jacob dormiens in itinere lapide ſuppoſito capiti.
In quo nota quod perfectè obediens debet dormi-
re in via hujus ſæculi à ſtrepitu & ab amore tempo-
ralium. Item debet Chriſto adhærere mente. Scala
illa eſt obedientia, & latera ejus duo, paupertas
& continentia.

Quatuor de hac ſcala ad obedientiã referuntur.

Notandum verò quod de hac ſcala dicuntur *qua-
tuor. Primum* quod erat ſtans ſuper terram, in quo
notatur rectitudo intentionis, quæ debet eſſet ag-
gredientibus viam obedientiæ contra temerariam
intentionem quorundam. *Secundum* quod cacu-
men tangebat cœlum, in quo notatur quod con-
verſatio religioſorum debet eſſe in cœlis. *Tertium*
eſt, quod angeli aſcendunt & deſcendunt per ſca-
lam, in quo notatur quod vita obedientiæ debet
eſſe vita Angelica. *Quartum* eſt quod dominus
erat innixus ſcalæ, in quo notatur quod dominus
paratus eſt juvare obedientes, vel quod obedientia
immediatè ſe habet ad Deum, nullum enim inter-
vallum eſt vel modicum inter mortem verè obe-
dientis & Dei viſionem. Unde in Pſalmo 72. *Te-
nuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua,*
&c. Hæc ſcala ſecundùm beatum Bernardum ha-
bet *ſeptem gradus.* Quorum *primus* eſt *libenter obe-
dire*, quem gradum ſicut ipſe dicit, non poteſt aſ-
cendere qui voluntatem præcipientis non ſuam fe-

Scalæ hujus vel obedientiæ 7. gradus.

cerit. Libenter obediebat qui dicebat, *meus cibus* 1. Libenter obedire.
eſt ut faciam voluntatem eius qui miſit me. Joannis
4. Paulus oſtendit ſe paratum ad Dei voluntatem
cum dixit Actuum 9. *Domine quid me vis facere?*
Sed quidam ſimiles ſunt ruſticis qui dominis ſuis
nullum ſervitium volunt facere niſi coacti. Tales
ſunt ſicut Simon Cirenæus qui crucem Domini
portabat in angariâ. Matth. 27. *Secundus gradus* 2. Simpliciter obedire.
eſt *obtemperare* ſive *obedire ſimpliciter.* Bernard.
Poſt præcipientis imperium, multos videmus mul-
tas facere quæſtiones, quare hoc, & unde treve-
rit hoc conſilium, & quis invenerit. Unde oritur
murmuratio, excuſatio, impaſſibilitas, ſimulatio,
advocatio amicorum. Unde Pſal. 17. *In auditu au-
ris obedivit mihi.* Gregorius. Qui veſtri curam ſe-
mel nobis credidiſtis, quid rurſum de vobis intro-
mittitis? *Tertius gradus* eſt *obedire hilariter.* 2. ad 3. Hilariter obedire.
Corinthios 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Ber-
nard. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermone, mul-
tum colorant obedientiam. Obſequentis nubiloſa
corporis compoſitio, & facies tenebris triſtitiæ ob-
fuſcata, devotionem ab animo receſſiſſe ſignificat.
Ad Philip. 2. *Omnia facite ſine murmuratione. No-
tandum* quod ille qui cum murmure Domino obe-
dit ſimilis eſt rotæ curri, quæ murmurat ex defectu
unctionis, & etiam quaſi qui alium præcedere non
vult, ſicut neque rota rotam. Unde dicit, non fa-
ciam hoc niſi ille fecerit. Eccleſiaſtici 31. *Præcordia
fatui ſicut rota curri. Quartus gradus* eſt *obedire
velociter.* Lucæ 19. dictum eſt Zachæo: *feſtinans de-* 4. Velociter obedire.
ſcende, & feſtinans deſcendit. Et ſubditur remune-
ratio. *Hodie*, inquit, *Huic domui ſalus facta eſt.* &
Matth. 4. dicitur de Petro & Andrea, *at illi continuo
relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Valdè gratum eſt
principibus cum præcepta eorum velociter implen-
tur. Proverb. 22. *Vidiſti hominem velocem in ope-
re ſuo? coram regibus ſtabit. Quintus* eſt *adimplere* 5. Obtemperare viriliter.
mandatum viriliter. Bernardus. Manum tuam miſi-
ſti ad fortia, agendum eſt inſtanter & conſtanter
obediendum. Ad Philip. 2. *Factus eſt obediens uſ-
que ad mortem* Bernardus Mementote fratres, Chri-
ſtus ne perderet obedientiam perdidit vitam. *Sex-* 6. Humiliter obedire.
tus gradus eſt *obedire humiliter.* Lucæ 17. *Cum omnia*
feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inuti- 7. Obedire perſeveranter.
les ſumus. Septimus gradus eſt *obedire indeſinenter*
ſive *perſeveranter.* Bernardus. Perſeverantia ſin-
gularis eſt filia ſummi regis. Prima ad Corinth. 6.
Sic currite ut comprehendatis, id eſt perſeveranter.
Item *notandum*, quod Jacob poſtea dixit, *quàm
terribilis eſt locus iſte*, ſcilicet locus religionis, pro-

Locus ſanctus ut religio cur ſit terribilis.

pter Dei præſentiam, propter quod ſe debent ha-
bere ſollicitè quia dominus eſt præſens. Micheæ 6.
Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, &c. Et ſequitur
ſollicite ambulare cum Deo tuo, &c. Item terribiles
propter pœnam, quâ puniti ſunt, qui in locis ſan-
ctis peccaverunt, ut patet de pœna luciferi & ipſius
Adami. Quintum, ſcilicet obedientia parata com-

V. Obedientia parata.

mendatur in hoc, quod cum dixiſſet dominus An-
dreæ & alij diſcipulo Joannis *venite & videte, vene-
runt & viderunt ubi maneret.* Obedientiam voluit
Salvator ſpecialiter diſcipulos ſuos docere, immo
ipſemet eam addiſcere voluit ſecundùm illud Hebr.
6. *Ex his quæ paſſus eſt didicit obedientiam.* Ipſe de

VI Pietas fida & occupata. Tripliciter hic peccatur.

inobedientia diſcipulos ſuos exanimat, & cum in-
venerit in aliquo paratam obedientiam multum in-
de gaudet Pſ. 17. *In auditu auris obedivit mihi.* Sextũ
ſcilicet pietas non infida commendatur in hoc,
quod Chriſtum inventum fratri ſuo indicavit. Non
fuit infidus nec ocioſus, bonum enim inventum
fratri

Tripliciter hic peccatur.

fratri ſuo communicavit & cum ad Jeſum adduxit. Circa quod eſt *notandum*, quòd quidam ſunt qui nec ad Jeſum veniunt nec adducunt, ſicut ſunt perniciosè mali & exemplo malo pernicioſi, quales erant illi quibus dictum eſt Matthæi 23 *Clauditis Regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis nec introeuntes intrare ſinitis.* Quidam autem adducunt & non veniunt, ſicut ſunt illi qui ſibi nequã ſunt & alijs boni, quibus dici poteſt illud Matthæi 16. *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.* Alij verò veniunt ut videtur, ſed non adducũt, quod non videtur ſufficere homini litterato. Item non ſufficit hoc prælato, qui venator debet eſſe, cui dicit dominus: *affer mihi de venatione tua.* Geneſis 27. Item non ſufficit piſcatoribus quibus dicitur: *afferte mihi de piſcibus quos prendidiſtis.* Joannis 21. Item non ſufficit paſtori, cui dicitur illud Hieremiæ 13. Ubi eſt grex qui datus eſt tibi? Apoſtoli & venerunt & adduxerũt, Petrus adduxit Italiam, Joannes adduxit Aſiam, Andræas Achaïam, &c.

IN FESTO S. ANDRÆÆ APOSTOLI.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Explicat hic ſermo tria prima dicta Epiſtolæ, agitque de fructibus rectè credentium & de 12. confuſionibus non rectè credentium in judicio extremo futuris.

SERMO II.

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, dicit enim ſcriptura: omnis qui credit in illum non confundetur. *Ad Rom.* 10.

Iſa. 28. ſecundum aliã litterã.

SOlenniſat hodie Eccleſia de beato Andræa, qui fidei ferventiſſimæ fuit, qui fidem ſuam confiteri non timuit nec erubuit, ideo ad honorem ipſius hodie Epiſtola legitur in qua de fide agitur. Et in principio ejus *tria* nobis de fide oſtenduntur: *primo* quod fide cordis homo juſtificetur, *ſecundo* quod confeſſione oris homo ſalvetur, *tertio* quis fructus rectè credentes conſequatur. Ad *primum* pertinet illud, *corde creditur ad juſtitiam*; ad *ſecundum* illud, *ore autem fit confeſſio ad ſalutem*: ad *tertium*, *omnis qui credit in illum, non confundetur.*

De fide tria hic tractantur.

I. Fide cordis juſtificamur quadrupliciter.

Corde creditur ad juſtitiam, id eſt per fidem cordis homo juſtificatur. Ad Rom. 3. *Arbitramur hominem per fidem juſtificari*, &c. Et Actuũ 15. *Fide purificans corda eorum.* Et *notandum* quod quadrupliciter fides valet ad juſtitiam.

1. *Primo* timorem domini introducendo quo peccata expelluntur. Eccleſiaſtici 1. *Timor domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Iſa. 26. *A timore tuo Domine concepimus & quaſi parturivimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Fides oſtendit nobis Dei omnipotentiam, cui nec poſſumus reſiſtere nec eam effugere; & Dei ſapientiam, cui mala noſtra non poſſumus abſcondere; & Dei bonitatem, quæ ſumma eſt, & ſũme odit mala, & in æternum ea puniet. Et ex his timor introducitur: ſicut enim conſideratio patibuli maleficos terret, ſic tormenta futura lumine fidei conſiderata peccatores terrent.

2. *Secundo* valet fides ad juſtitiam ſpem introducendo, oſtendit enim miſericordiam redemptoris unde venia ſperatur & impetratur. Bern. Super Cant. Non peccare Dei eſt juſtitia, hominis verò juſtitia, eſt Dei indulgentia. Idem Bern. Meum meritum miſeratio domini, non planè ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum inops non fuerit.

3. *Tertio* fides valet ad juſtitiam, amorem regni & juſtitiæ, quæ via eſt ad regnum, introducendo: fides enim oſtendit regnum cœlorum juſtis eſſe paratum, & juſtitiam eſſe viam ad illud, unde quærit juſtitiam, quærit & obtinet. Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus.*

4. *Quarto* fides valet ad juſtitiam, quia dirigit intentionem quæ eſt juſtitia ſive bonitas operum, unde ſuper illud. Rom. 3. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem.* dicit Auguſt. ubi fides non erat, verè opus bonum non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit Primum obſequium quod anima facit Deo obſequium fidei eſt, fides enim eſt obſequium ſalutis humanæ ut dicit Auguſt. Et notandum quod non dicitur hic *creditur* ſimpliciter, ſed *corde creditur*: quia cætera poteſt homo nolens, cætera non poteſt niſi volens, ut dicit Gloſſa Auguſtini.

II. Confeſſione oris ſalvamur.

Sequitur. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Auguſt. Non incaſſum additum eſt hoc, nam penè omnes qui Chriſtum coram perſecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, ut illi qui per pœnitentiam revixerunt, ut Petrus Item, Auguſt. Cur Petrus diluit quod ore negaverit, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde tenebatur? Confeſſio oris in martyribus erat ad æternam ſalutẽ & ad temporalem mortem: è converſo negatio in his qui timore vel verecundia deficiebant, erat ad ſalutem temporalem, ſed ad æternam mortem. Matth. 16. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eã.* Et *notandum* quod fidei cordis & confeſſioni oris reſpondent duo ſacramenta in Eccleſia, ſcilicet ſacramentum *baptiſmi* & ſacramentum *confirmationis.* In baptiſmo aquâ exterius abluitur corpus, fide autem interius purificatur animus. In ſacramento autem confirmationis in fronte ſignum crucis efficitur, & interius animus confirmatur, ne erubeſcentia fidei confeſſio impediatur. Unde Auguſt. non ſine cauſa ſignum crucis fit in fronte, id eſt in ſede pudoris, ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat. Peccatum fuit Petro ore negare, cum crederet corde. Diſcedat ergo mala verecundia, accedat ſalubris confeſſio. Non erubeſcamus de Chriſti nomine, inſultemus nobis quod credimus in Chriſtum crucifixum, & in occiſum, planè dico in occiſum, ſed hoc in illo occiſum eſt quod ſumpſit de me, non quo fecit me. Luc. 9. *Qui me erubuerit & ſermones meos, hunc & filius hominis erubeſcet cum venerit in majeſtate ſua & patris & angelorum.*

Duobus prædictis reſpondent duo Sacramenta.

III. Fructus rectè credentium.

Sequitur. *Dicit enim ſcriptura, omnis qui credit in illum non confundetur.* Oſtenſio eſt quod habens fidem cordis juſtus ſit, quia in judicio ubi dominus juſtitias judicabit, ibi quæ ſit vera juſtitia apparebit, qui crediderit in Chriſtum à confuſione, immunis erit quod non eſſet niſi per fidem Chriſti juſtificatio fieret. Et *notandum* quod in illo mundo incredulus confundetur, ubi totus mundus omnia peccata ejus videbit, cum agnus Dei in quem ipſe non credidit, ea non abſtulerit. Hierem. 20. *Confundentur vehementer quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum quod nunquam delebitur.* Ejuſdem 23. *Dabo vos in opprobrium ſempiternum & in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* *Item* notandum quod non dicitur *Omnis qui credit illum*, vel *omnis qui credit illi, non confundetur*, ſed *omnis qui credit in illum.*

In judicio extremo confundentur increduli.

Item non rectè credentes duplicis generis.

1. Multi qui credunt Chriſtum eſſe Deum, ei non obedientes tanquam Deo, in futuro confundentur, cum ſcilicet cum comparatione eorum infideles juſtificabuntur. Manifeſtum enim erit quod ipſi damnabiliores erunt qui cum Chriſtum per fidem cognoviſſent eſſe Deum, non tanquam Deum glorificaverunt, quam multi infideles quos in parte ignorantia excuſabit, qui ſi Chriſtum Deum cognoviſſent, eum glorificaſſent. Ad malum eorum erit fides ipſorum; fides enim oſtendet eos fuiſſe Chriſtianos, opera verò mala

eorum oſtendent eos Chriſti fuiſſe inimicos. Fides oſtendet quod fidelitatem Chriſto debuerunt, opera verò oſtendent quod fidem ei non exhibuerunt,
3. & per conſequens quod proditores fuerunt. *Item* multi, qui credunt ei adhibendo fidem his quæ in lege ejus ſcripta ſunt, in judicio confundentur, cum invenientur deferre ſecum litteras ſuæ damnationis. Per legem enim cujus ipſi notitiam habuerunt conſtabit, quod qui talia peccata agunt regnum Dei non poſſidebunt. In libro verò conſcientiæ propriæ invenietur ſcriptum ſcriptura facta propria manu eorum, quòd ipſi talia fecerũt. Quædam enim notæ à malis operibus relinquuntur in corde hominum. Unde Gloſſa Origenis ſuper illud Rom. 2. *Cogitationum accuſantium aut defendentium*, &c. Sciendum, inquit, quod in illa die cogitationes accuſabunt animas vel defendent. Non utique cogitationes quæ tunc erunt, ſed iſtæ quæ nunc ſunt in nobis, quarum notæ quædam & ſignacula in corde noſtro relinquuntur velut in cera, quæ in occulto cordis poſita in illa die revelari dicuntur. *Omnis qui credit in illum*, id eſt qui fide efficaciter tendit in illum, *non confundetur*. Minus dicit, & plus ſignificat, immo honore inæſtimabili honorificabitur. Sicut homo mortuus non vadit, ſicut fides mortua in Deum non tendit. Sed fides viva eſt illa, quæ tendit in Deum deſiderio & opere. Item ſicut homo debilis cum in itinere impedimentum invenit, iter non perficit: ſic fides tepida timore vel pudore prohibetur ne ad Deum proficiſcatur. Fides ergo viva & fervens eſt, de qua in Deum efficaciter tenditur. Qui hanc fidem habet pro Chriſto ſuſtinet confuſionẽ tranſitoriam, ideo meritò non ſuſtinebit confuſionem æternam. Felix confuſio tranſitoria quæ liberat ab æterna. Hæc eſt confuſio adducens gloriam Eccleſiaſtici 4.

Rectè credentes non confunduntur.

Et Notandum quod multa ſunt quæ videntur facere ad magnitudinem confuſionis reproborum in futuro, de quibus *duodecim* ponere ſufficiat.

Cauſæ 12. concluſionis reproborum in judicio extremo.

1. *Primum* eſt nuditas, de qua Apocal. 16. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ne nudus ambulet.* O quam erubeſcibile erit nudum eſſe inter tot & tantos ita pulchrè veſtitos Pſalm. 44. *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*, &c. Regina
2. dicitur Eccleſia. *Secundum* eſt turpitudo de qua ſubditur Apocal. 16. *& videant turpitudinem ejus*. Tot turpitudines in reprobis apparebunt, quot peccata habebunt. Tunc apparebit veritas illius verbi. Pſal. 31. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Beatus qui tunc habebit charitatem, quæ operit multa peccata. Proverb. 10.
3. *Univerſa delicta operit charitas. Tertium* eſt ingratitudo. Valdè enim erubeſcibile erit, cum toti mundo de aliquo apparebit, quòd ipſe fuerit ingratus ſuo creatori, proviſori, defenſori. Magna etiam erit cordis amaritudo, cum alicui dictabit conſcientia,
Deuteron. 32. quod Deum, qui eum genuit dereliquit, & oblitus fuerit domini creatoris ſui. Inſignia etiam paſſionis judicem præcedent, ut beneficium redemptionis reprobis ad memoriam revocetur, & de ingratitudine tanti beneficij confundantur. Zach. 12. *Aſpicient ad me quem confixerunt* Et Apocal. 1. *Videbit eum*
4. *omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Quartum* eſt crimen infidelitatis ſeu proditionis: non ſolum enim beneficijs Chriſti non reſponderunt, immo etiam benefactorem ſuum à quo paſcebantur & veſtiebantur impugnaverunt, & ei multiplices contumelias intulerunt Pſal. 40. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Item Pſal. 54. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Tu verò homo unanimis*, &c. *qui mecum dulces capiebas panes*, &c. O quantum ille erubeſcere poterit de quo toti mundo manifeſtum erit quod contra dominum ſuum proditor fuit. *Quintum* eſt Dei irriſio activa. Pſal. 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Proverb. 1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Sextum* eſt ſanctorum lætitia de eorum pœna. Pſal. 57. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam. Septimum* eſt mendicitas cum ignominioſa repulſa. Proverb. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate & non dabitur illi* Mat. 25. dictum eſt fatuis virginibus oleum mendicãtibus. *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Eiſdem etiã dicentibus, *Domine Domine aperi nobis*, reſponſum eſt, *Amen dico vobis, neſcio vos.* & Luc 16. negatur diviti epuloni gutta aquæ, quam petit ad refrigeriũ linguæ *Octavum* eſt collatio ſtatus in quo erunt ad ſtatũ quem amiſerunt. Satis confundi poterunt qui facti ſunt cæteris creaturis viſibilibus ſuperiores, quando videbunt ſe inferiores, & qui ad Dei ſimilitudinem creati ſunt, ejus qui non eſt ſocij erunt. Melius enim eſſet eis non eſſe, quam eſſe, ſicut in Diabolo. Ideo Mat. 26. dicitur de Juda. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Apocal. 2. *Memor eſto unde excideris. Nonum* eſt *conſideratio gloriæ ad quam creati ſunt*, & ad quã multi ex eis alioquin jus habuerunt, & ad quam fratres ſuos videbunt aſſumi. Oſeæ 13. *Conſolatio tua abſcondita eſt ab oculis meis, quia infernus inter fratres dividet.* Chryſoſt. Omnes gehennæ ſuperat cruciatus carere bonis quibus in poteſtate habuerat perfrui. *Decimum* eſt contemptibilitas rerum propter quas tanta bona amiſerunt. Bern. Væ væ. Vapor eſt ad modicum parens quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod univerſitatis ſcientia fraudat, quod ſummæ privat dignitatis honore. Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia tanquam umbra. Undecimum* eſt illud durum verbum quod audient. *Diſcedite à me maledicti.* Matth. 25. Meritò dicit Deus *diſcedite à me* illis qui dixerunt Deo *recede à nobis.* Job. 21.

5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.

Duodecimum eſt quod aſſociati dæmonibus in pœna, quorum ſocij fuerunt in culpa, ducentur coram toto mundo ad patibulum infernale. Et ut breviter dicam, tanta erit confuſio reproborum in futuro, quod dicent montibus *cadite ſuper nos*, & collibus *cooperite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Apocal. 6.

Omnis qui credit in illum non confundetur. Poteſt hoc intelligi de preſenti, qui enim ſubſtinet aliquid pro Chriſto quod mundus dicat ignominioſũ, ſecundum veritatem, non confundetur, imo gloria eſt ei, quod multipliciter poteſt oſtendi. *Primo* per hoc quod ſancti qui clarius videbant quam cœli, quia corda mundiora habebant, hoc gloriam reputabant. Unde ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* 2. Corinth. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Ad Galat. 6. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Actor. 5. *Ibãt Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro Nomine Ieſu contumeliam pati.* Hieron. Apud Chriſtianos non eſt miſer qui patitur contumeliã, ſed qui facit. *Secundo* oſtẽditur per hoc, quod triumphus patientiæ quem habet qui pro Chriſto ignominiam ſuſtinet, eſt triumphus glorioſiſſimus ſecundum illud. Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* Triumphus non eſt confuſio, ſed res glorioſa. *Tertio* per hoc quod eſt aſſimilari Chriſto quod eſt magnæ gloriæ. Secundum illud. Eccleſiaſtici 23. *Gloria eſt magna ſequi Dominum.* Bern. ſuper Cantica. Sponſa Chriſti nil ſibi glorioſius reputat, quam Chriſti portare opprobrium. Sicut glorioſum eſt alicui militum cum fert arma regis, ſic glorioſum eſt Chriſtiano cum fert ſtigmata Chriſti Jeſu. Ad Galat. 6. *Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.* Aug. Stigmata

Rectè credentes in hac vita non confund' oſtẽditur tripliciter.
1.
2.
3.

gmata appellavit notas pœnarum, quas de perſecutionibus patiebatur. Stigma ſtigmatis dicitur punctum, vel nota alicui ferro aliquo facta.

DE EODEM.

SERMO TERTIVS.

SERMO III.

SVMMARIVM.

Tutus hic ſermo occupatur tantum circa unum Evangelij dictum, quod quadrupliciter exponit. Deinde agit de duobus alijs dictis Evangelicis huic ſimilibus; quomodo nimirùm miniſtri Chriſti ipſum imitari ac ſequi debeant.

Venite poſt me, &c. *Matt 4.*

Hoc dictum quadrupliciter explicatur.

SOlent homines ſic loqui ſuis ſervientibus vel viam ignorantibus, vel timentibus periculum viæ, vel aſperitatem. Convenienter ergo hoc dicit
1. Salvator his quos vocabat ad miniſterium ſuum, ut ſic eos ad humilitatem moveret. & de via cer-
2. tos redderet, & contra adverſitates quas paſſuri erant in via eos animaret. *Venite*, inquit, *poſt me*, tanquam miniſtri poſt Dominum ſuum. Miniſter enim dicitur quaſi minor ſtatu. Eius eſt ſequi non præire. Matth. 20. *Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe. ſit veſter ſervus, ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Ioan. 13. *Non eſt ſervus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior illo qui miſit illum.* Eiuſdem 15. *Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, non eſt ſervus maior Domino ſuo.* Bernard. Deus, inquit, ſe ſubdit hominibus, & tu dominari geſtiens te tuo præponis auctori. Idem. Nullum venenum, nullum gladium plus
3. formido quam libidinem dominandi. Item, *Venite poſt me*, qui errare non poſſum. Alij ſancti errare potuerunt, unde ſequens eos potuit errare, Chriſtus vero errare non potuit. & ideo ſequens eum non errat Ioan 8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Auguſtin. Ambula per Chriſti humilitatem ut venias ad æternitatem. Chriſtus patria eſt, quo imus, ad illum imus, per illum imus, quid time-
4. mus ne erremus? Item, *venite poſt me*, protectorem, adiutorem, conſolatorem. Non eſt timendum ei qui poſt Chriſtum vadit. ipſe enim ſic eum protegit, ut nihil ei noxium ſit. Geneſ. 15. *Noli timere Abram. Ego protector tuus* Pſalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Idem Pſalm. 22. *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Item* non eſt timenda aſperitas ſequenti Chriſtum è proximo. Si enim occurrit aliqua difficultas in via, Chriſtus tanquam bonus ſocius manus ei extendit, & auxilium impendit. Pſalm. 62. *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Pſalm. 72. *Tenuiſti manum dexteram meam. & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria*
2. *ſuſcepiſti me. Item* eunti poſt Chriſtum magna conſolatio eſt hoc ipſum quod vadit poſt eum, labor enim ipſius conſideratus, eius laborem relevat. Bern. Videntes anguſtias Domini noſtri levius noſtras portabimus. Auguſt. Magna conſolatio membris ex capite, &c. Thren. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.*

Sequentis Chriſtum duo commoda.

Et Notandum quod illud quod dictum eſt Petro & Andreæ ſpecialiter, dictum eſſe aliis miniſtris Chriſti generaliter. Ioan. 12. *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur.* Ideo eis diligenter attendendum eſt quæ via à qua declinaverit, & per quam viam inceſſerit, ut eum ſequi poſſint. Vnde ſciendum eſt eis quod Chriſtus viam voluptuoſam cavit, ipſe enim elegit quod carni moleſtius eſt ut dicit. Bern. Merito enim eam cavit tanquam tenebroſam & lubricam à dæmonibus inhabitatam. Via voluptuoſorum iuxta verbum. Pſalm. 34. eſt *tenebræ & lubricum & angelus Domini perſequens eos.* Tenebroſa eſt via illa ex fumo procedente de igne pravarum concupiſcentiarum. Lubrica verò eſt ſicut viæ humidæ & unctuoſæ. Lubricę ſolent eſſe quę à dæmonibus inhabitantur. Behemoth enim habitat in locis humentibus. Iob 40. In hac via diabolus Chriſtum ponere voluit cum de peccato gulæ primo eum tentavit. Matth. 4. Sed ipſe ſapienter eam declinavit incedens per viam ſobrietatis quæ ſicca eſt & à lapſu ſecura *Item* declinavit Chriſtus lutum divitiarum. Abacuc. 2. *Væ qui multiplicat non ſua. Vſquequo aggravat ſuper ſe denſum lutum.* Recte autem declinavit hoc lutum tanquam tenaciſſimum, lapidibus complantatum, ſpinis plenum. Cuius tenacitatem oſtendit Matth. 19. dicens: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum Cælorum.* Hoc lutum lapidibus eſt complantatum, quia divitias ſequuntur ſcandala, lites & diſcordiæ. Vnde Geneſ. 13. dicitur de Abraham & de Loth, quod erat ſubſtantia eorum multa, & non quibant habitare communiter, unde facta eſt rixa inter paſtores gregum ipſorum. Eccleſ. 21. *Via peccãtium complanata lapidibus.* Spinis etiam plena eſt, ſpinis inquam compunctionum, eſt enim ſolicitudo in divitiarum congregatione, timor in earum conſervatione, dolor in earum amiſſione. Per viam paupertatis pulchram & pacificam Chriſtus inceſſit. Proverb. 3. *Via eius pulchra & ſemita eius pacifica. Item* Chriſtus montem ſuperbiæ declinavit, montem inquam arentem & peſtilentem. mons enim Gelboë eſt, in quem nec ros, nec pluvia deſcendit. 2. Regum 1. Hic eſt mons in quem Lucifer angelus aſcendit, & diabolus factus eſt, iuxta illud Bernardi. Per vallem humilitatis Chriſtus inceſſit, vallem inquit amœniſſimam & fertiliſſimam. Ad amœnitatem faciunt aquæ gratiarum, quæ ibi abundant. Eccleſiaſtici 40. *Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis.* Pſalm. 103. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Medium montium vallis eſt. Aqua etiam facit ad fertilitatem. Pſalm. 64. *Valles abundabunt frumento.* Studeamus ergo Chriſtum ſequi per viam ſobrietatis, paupertatis & humilitatis. Bernardus. Beatus eſt, Domine Ieſu, qui te hominem inter homines converſantem, diligenter obſervãs pro viribus ſe præbet imitatorem tui.

Miniſtris Chriſti declinandæ tres viæ quas Chriſtus declinavit & incedendum tribus viis quibus ille inceſſit.

1. Voluptatis & ſobrietatis.

2. Divitiarũ & Paupertatis.

3. Superbiæ & Humilitatis.

Matth. 10. dicitur *qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus:* voluit Salvator noſter ut miniſtri eius ſequerentur eum converſationis ſimilitudine ſecundum illud. Ioan. 12 *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur.* Scilicet maxime voluit ut eum ſequerentur paſſionis imitatione, ut patet ex pluribus locis ſacræ ſcripturæ. Item Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me* Item Lucæ 14. *Qui non bajulat crucem ſuam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* & ut ſupra Matthæi 10. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et 1. petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.*

Miniſtri Chriſti debeat ei ſimiles eſſe maximè paſſione.

Circa quod *notandum*, quod Dominus ſcit amicos non eſſe eligendos nec probandos ad menſam, ſed in arduis & aſperis, unde non reputat eum amicum qui ei ad menſam ſocietatem facit, ſed eum qui in adverſitate etiam timore mortis eum non deſerit. Ideo dicit *qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Eccleſiaſtici 2. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Eiuſdem 6. *Si poſſides amicum in tentatione poſſide illum, & ne facile credas ei teipſum. Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum & non permanebit in die tribulationis.* In eodem: *eſt amicus ſocius menſæ, & non permanet in die ne-*

Amici Chriſti debent ei ſociari in adverſis.

ceſſitatis. Dominus vult ut ſervus ſuus non ſit eo delicatior. Auguſt. Fruſtra meliorem vel molliorem viam ſperamus niſi qua præceſſit eamus, qua duxit ſequamur. Si à veſtigiis eius erramus, perimus. Non vult Dominus habere ſocium in bonis qui non fuit ſocius in malis. Qui non compatitur, non conregnabit: qui non fuerit cum eo in prælio, non erit cum eo in triumphali gaudio. Aliqui volunt talem ſocietatem Chriſto facere qualem facit uſurarius mercatori indigenti mutuo, qui vult eſſe ſocius in lucro & non in damno. Secundum Chryſoſtomum crucem tollit qui paratus eſt ad omne periculum propter Deum, ut Paulus Actuum 21. *Ego*, inquit, *non ſolum alligari, ſed etiam mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Ieſu Chriſti.* Tribus vero modis tollitur crux, ſed duobus modis determinat. Gloſſa dicens. Crux duobus modis tollitur vel cum per abſtinentiam corpus afficitur, aut per compaſſionem proximi affligitur.

DE SANCTO NICOLAO.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Sermo hic ex vita S. Nicolai ſex imitatione digna nobis proponit. In principio verò & fine aliqua in laudem ſancti dicuntur.

SERMO IV.

Ecce ſacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo & inventus eſt iuſtus. *Eccleſiaſt.* 44.

Eccleſia recitando hoc verbum benè demonſtrat nobis *beatum Nicolaum*, & fit hæc demonſtratio oculis cordis, & quaſi Dei digito, quia Spiritus ſancti magiſterio. Et demonſtratur nobis tanquam vir admirabilis, imitabilis, honorabilis. Admirabilis propter miraculorum operationem, imitabilis propter ſanctam converſationem, honorabilis propter adeptam dignitatem. In hac vita præſenti fuit indutus ſtola gloriæ ſacerdotalis, nunc indutus eſt ſtola gloriæ cœleſtis. Operatio miraculorum virtutem ſive poteſtatem nobis oſtendit, quam habuit in terra exiſtens, ex qua æſtimare poſſumus, quam poteſtatem habeat nunc exiſtens in cœlis. Poteſtas enim non eſt diminuta, imò augmentata, cùm omnipotenti aſſiſtat, ut merito de eius ſuffragiis plurimum confidere poſſimus. Pſal. 4. *Scitote quoniam mirificavit Dominus ſanctū ſuum*, operatione ſcilicet miraculorum. *Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum*, ſupple meritis & precibus eius. Sex verò ſunt in quibus eum debemus imitari. *Primum* eſt hoc quod iugum Domini ab adoleſcentia ſua portavit. *Secundum* eſt hoc, quod ſanctitatem vitæ ſuæ à carnis maceratione inchoavit. *Tertium* eſt hoc, quod amorem ſacræ ſcripturæ habuit. *Quartum* eſt hoc, quod Eccleſiam frequentavit. *Quintum* eſt, quod gloriam mundi ſprevit. *Sextum* eſt, quod pietatis operibus operam dedit: iſta ſex planè habentur in vita ſua. Circa primum notandum, quod valdè expedit, quod imitemur ipſum in adoleſcentiæ bonitate iuxta illud Threnorum. *Bonum eſt viro*, cùm *portaverit iugum ab adoleſcentia ſua.* Quadruplex bonum ex hoc provenit. *Primum* eſt ſecuritas, quæ etiam quadruplex eſt, prima eſt ſecuritas à timore, quo cruciantur, qui in peccatis morantur, ne à morte præoccupentur. Seneca pulchrum eſt, antè mortem conſumare vitam, deinde expectare ſecuram reliquam temporis partem. Secunda eſt ſecuritas à caſus timore: minus enim poteſt caſum timere, qui in adoleſcentia bonus fuit, cùm habeat bonitatem magis ſibi adhærentem iuxta illud quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu. Proverb. 22. *Proverbium eſt adoleſcens iuxta vitam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Tertia ſecuritas eſt ab igne purgatorii, in quo parum eſt reſpectu eius, qui tardè vitam bonam inchoavit. Auguſtinus: miro modo ignis ille gravis eſt. Etſi non æternus ſit, exuperat enim omnem pœnam, quam aliquis in hoc mundo perpeſſus eſt. Quarta eſt ſecuritas à dubietate illa, in qua ſunt, quæ in fine vitæ ſuæ penitent, de qua dubietate dicit S. Auguſtinus. Duæ res ſunt aut ignoſcitur, aut non ignoſcitur, quid horum tibi futurum ſit neſcio. Tene certum & dimitte incertum. Item quoniam multa ſunt, quæ impediunt & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt & interitui vicinum ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. *Secundum* bonum eſt conſuetudo difficilia ad facilitatem reducens. Secundum illud, quod malè fers aſſueſce feres. Sapiens, optima forma vivendi eligenda eſt, quam iucundam reddet aſſuetudo. *Tertium* bonum eſt magnitudo tam meriti quam præmii: qui enim Deo ſervit diutiùs, remunerabitur melius. Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* *Quartum* eſt, quod ſervitium eius Deo eſt gratius, cùm de flore vitæ ſuæ Deo offerat. Qui florem iuventutis ſuæ diabolo offerunt, & fecem ſenectutis ſuæ Deo reſervant, timere poſſunt, ne de fece infernalis miſeriæ bibant. Pſal. 74. *fex eius non eſt exinanita.* Item in ſecundo multum expedit hominem beatum Nicolaum imitari. Impugnatio enim diaboli incipit ex parte carnis, ut patet in primis parentibus. Geneſ. 3. item in Chriſto Matth. 4. In pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi hæc prius refrenetur, fruſtra contra alia vitia laboratur. Item in tertio ſcilicet amore ſacræ ſcripturæ multum expedit imitari eum, ut ſcilicet verba ſacræ ſcripturæ libenter audiamus, & exemplo eius in pectoris armariolo condamus. Proverb. 8. *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie.* Fores ſunt doctores, Lucæ 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei.* Pſalm. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* Seneca omnia ſervient tibi, ſi Philoſophiæ ſervieris, & recte contemptum carnalis voluptatis amor ſacræ ſcripturæ ſecutus eſt. Secundum illud Iſaiæ 28. *Quem docebit ſcientiam*, &c. *ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus* Bernardus ſuper cantica. Ante carnem diſciplinæ ſtudiis edomitam, & ſpiritui ſubditam, & ante ſpretam & abiectam ſæculi pompam & ſarcinam indignè ab impuris lectio ſancta præſumitur. Item in quarto multum expedit eum imitari, ut ſcilicet exemplo eius, qui ivit cum parentibus, nunc ſolus Eccleſiarum tenebat limina, eccleſiam frequentemus. De eodem habemus exemplum in Chriſto, qui quando veniebat in Hieruſalem, primò ibat ad templum. Vnde ſuper Matthæum dicit Gloſſa. Ingreſſus urbem primò templum adiit, dans formam religionis, ut quocunque imus, primò domum orationis, ſi ibi eſt, adeamus, & per orationes Deo commendati, ſic ad agenda negotia accedamus. Chriſoſtomus proverbium erat boni filii, ut veniens primò curreret ad domum Patris, Chriſtus amiſſus in Eccleſia invenitur. Beata Virgo invenit eum in templo. Lucæ 2. in Eccleſia conſolatio recipitur. In templo recepit Simeon conſolationem Iſrael, quam expectaverat, ut habetur ibidem. Item in quinto multum expedit eum imitari, ut ſcilicet in bonis, quæ nos agimus, mundanam gloriam non quæramus, & ut bona temporalia, quæ habemus pro æterna gloria non pro tranſitoria expendamus. Gregorius, fatuum eſt inde tranſitoria quærere unde poſſumus æterna habere. Nicolaus occultiſſimè voluit bona temporalia diſtribuere, ut mundanam gloriam perfectiùs poſſet cavere. Contemnenda eſt vana gloria, quia parum vel potiùs nihil valet: & quia multùm

Margin notes (left): Deſcriptio S. Nicolai. — Invocandum S. Nicolaum. — Sex imitari in ipſo debemus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. — Ex bonitate adoleſcentiæ quadruplex bonum. 1.

Margin notes (right): 2. — 3. — 4. — Quam bonum Deo in iuventute ſervire. — Auditio ſacræ ſcripturæ commendatur. — Ante omnia Eccleſia frequentanda. — Quomodo bona diſtribuenda ſint.

conſtat, & quia multùm nocet. Quia parum valet, comparatur pulveri, qui eſt pars minima terræ. Michex. 7. *Lingent pulverem quaſi ſerpentes*, cùm vanitas dicantur omnia, quæ videntur ſub ſole, tamen gloria mundana tanquam vaniſſima hoc nomen ſibi appropriavit. Valorem vanæ gloriæ eſſe parvum, vel potiùs nullum oſtendit Dominus. Joan 8. *Si ego glorifico meipſum gloria mea nihil eſt*. Vana gloria multum conſtat, plus expenditur in mundo iſto pro ea, quam pro gloria æterna, plura expenduntur ad paſcendum oculos, quam ad paſcendum ventres. Sapiens: non magno nobis conſtat fames ſed ambitio, pulchritudines veſtiũ & aliæ pulchritudines & exteriores oſtentationes pro magna parte propter gloriã mundanã fiunt. Gregorius. Nemo pretioſa veſtimenta niſi ad inanẽ gloriam quærit, videlicet ut cæteris honorabilior videatur. Nemo vult pretioſis veſtibus indui, ubi à nemine poteſt videri. Multum etiam nocet vana gloria ſalutem hominum impediendo. Joan. 5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam accipitis ab invicem*. Et ejuſdem 12. dicitur de quibuſdam, qui non confitebantur Jeſum, quia dilexerunt magis gloriam hominum, quàm Dei. Multi facilè ſalvarent animas ſuas, ſi amor gloriæ mundanæ ceſſaret in eis. Chryſoſtomus. Tolle hoc vitium ut non velint homines hominibus apparere, & facilè omnia vitia reſecantur. Item in ſexto multùm expedit eum imitari, ut ſcilicet pietatis operibus inſiſtamus: ſicut enim oleum ſupernatat aliis liquoribus, ſic pietas excellit reſpectu aliarum virtutum, ipſa eſt quæ Deo magis placet. Auguſtinus. Non eſt quod Deo ita amabiles faciat ut pietas ipſa, de diabolo maximè triumphat, unde ſuper illud Pſalm. 143. *Miſericordia mea & refugium meum*, dicit Gloſſa, de nulla re ſic vincitur diabolus ut de miſericordia. Ipſa in tribulatione maximè ſubvenit. Unde dixit beatus Nicolaus quibuſdam nautis, quos à naufragio liberaverat. Libenter pauperibus ſubvenite, quia nullum bonum hominis in periculo conſtituti ſic Deus approbat ut eleemoſynam, ſi tamen non ob mundi fiat gloriam. His ſex operibus quaſi ſex gradibus aſcendit beatus Nicolaus ad ſummum ſacerdotij gradum. Unde ad honorem ipſius legitur hodie illud Eccleſiaſtici 44. *Non eſt inventus ſimilis illi qui non*, &c. Ideò fecit illi Dominus, &c. ſic ſolebant creſcere in Eccleſia, meliores enim fiebant ſuperiores, & qui quantum ad vitam tenent infimum locum, quantum ad dignitatem tenent ſupremum. Sic fiunt noviſſimi primi. Merito etiam horum operum ad cæleſtem gloriam pervenit. Meritò Deus ei cæleſtem gloriam dedit, qui propter ipſum gloriam mundi ſprevit. Joan. 8. *Gloriam meam non quæro, eſt qui quærat & judicet*. *Item* merito illum Deus glorificavit, qui in terra in ejus miniſterio ſe humiliavit. Joan. 12. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus*. Job. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*. Proverb. 29. *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria*. *Item* merito Deus illum glorificavit, qui in mundo iſto Dei glorificationi intendit. 1. Reg. 2. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite*.

Deus ſanctum Nicolaum merito glorificavit.

2.

3.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo tria circa thema docet, & quomodo S. Nicolaus ea præſtiterit in fine demonſtrat.

Eſtote parati, quoniam qua hora non putatis filius hominis veniet. *Lucæ* 12. SERMO V.

EStote, inquam, parati ad adventum judicis, qui erit in morte uniuſcujuſque, vel in fine mundi. Qui paratus eſt ad unum adventum, paratus eſt ad alterum. Eccleſiaſtici 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum vel ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit*. Auſter, Spiritus ſanctus, unde irrigatio interior & calor ſancti amoris. Aquilo, Diabolus, unde ſiccitas ſpiritualis & congelatio.

Tria nobis attendenda ſunt circa verbum propoſitum. *Primo* ad quos admonitio iſta pertineat, *ſecundo* quare impleri debeat, *tertio*, quomodo impleri valeat. Pertinet autem admonitio iſta *primo* ad eos qui ſe parare differunt, *ſecundo* ad eos qui præparationem inchoatam non perficiunt, ſemper ſe parantes & nunquam parati, *tertio*, ad eos qui jam parati apparatum deſtruunt. Non eſt differenda præparatio illi qui jam deberet eſſe paratus, qui non habet ſecuritatem unius diei in qua poſſit ſe præparare. Licet enim Deus remiſſionem peccatorum pœnitenti promiſerit, nulli tamen craſtinum diem promiſit, ſicut dicit Auguſt. Eccl. 5. *Non tardes converti ad dominum, & ne differas de die in diem, ſubito enim veniet ira ejus*. *Item* qui inceperit ſe præparare, præparationem ſuam debet perficere, non enim ſolum vult Deus nos eſſe in præparatione, imo vult nos omnes paratos eſſe. Sed de quibuſdam verum eſt illud Senecæ. Nihil habemus facti, in futurum noſtra diſtulimus. Multi poſtquam inceperunt ſe præparare, peccata ſua confitendo non curant præparationem perficere ablata reſtituendo. *Item* qui ſe præparaverunt cavere debent ne apparatum ſuum deſtruant. Apocal. 16. *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet*.

Tria circa thema notanda.

I. Ad tres hæc admonitio pertinet.

De primis.

De ſecũdis.

De tertiis.

Circa ſecundum notandum quod quatuor ſunt quæ multum debent nos movere ad ſollicitè laborandum ut parati ſimus. *Primum* eſt *magnitudo honoris* ad quem vocati ſumus. Væ illi qui negligentia præparandi ſe amiſerit tantum honorem. Honor iſte oſtenditur. Matthæi 25. *Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum vobis paratum à conſtitutione mundi*. Infœlix valde reputaretur, qui electus eſſet in Epiſcopum vel ad majorem dignitatem, ſi propter hoc dignitatem amitteret quod à nuntiis impræparatus inveniretur. Vel ſi poſt electionem crimen committeret propter quod ſuſpendium mereretur. Heu quot ſunt quibus de gloria cæleſti ſimiliter accidit. *Secundum* eſt *magnitudo expenſarum* quas fecit Chriſtus pro hac gloria nobis comparanda. Matthæi 22. *Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias*. *Tertium* eſt *magnitudo periculi* quod imminet ſi imparati inventi fuerimus. Damnum erit irreparabile, nunquam honorem illum recuperare poterimus, & qui non habebit regnum habebit tormentum æternum. Matth. 25. *Et dicet Rex illis qui à ſiniſtris ſunt. Recedite à me maledicti in ignem æternum*. *Quartum* eſt multitudo eorum qui negligentes ſe præparare perierunt. Plures hac negligentia perierunt quam ſint viventes hodie. Dicebat eis diabolus, adhuc benè facietis pœnitentiam, hoc modo ſunt in inferno, & nunquam pœnitentiam agent. Fatuus eſt qui illi men-

II. Quatuor incitare nos debent ut ſimus parati.

1.

2.

3.

4.

dacio adquieſcit, quo ſcit tot millia hominum periiſſe. Eccleſiaſtici 29. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.*

Et notandum quod non dicit Dominus *parate vos*, ſed dicit *eſtote parati*, & hoc duplici ratione. *Prima* eſt quod non eſt in poteſtate noſtra quòd mors veniat, vel non prandere eſt in poteſtate patrisfamilias, ideo non oportet prandium ſemper eſſe paratum, ſed tempore opportunò eſt parandum. Sed cum qui ingreſſurus eſt navem ad transfretandum cum ventus flaverit opportunus, cum hoc non ſit in ejus poteſtate, ſemper oportet eum eſſe paratum. Bernardus loquens differenti converſionem ſpe diu vivendi dicit, quid de futuro miſer tam temerariè præſumis tanquam tempora & momenta pater in tua, & non magis in ſua poſuerit poteſtate. *Secunda* eſt quia mors non providetur. Vindemiæ etſi non ſint in poteſtate noſtra, perpenditur tamen quando ſunt venturæ, & tunc vaſa præparantur, nec oportet ea ſemper eſſe parata. Sed non ſic eſt de morte, Unde ſubdit Dominus poſt illud *eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*. Veniet inquam ad judicium particulare quod eſt in morte uniuſcujuſque vel ad judicium generale, ergo oportet nos eſſe paratos hora qua non putatur venturus: multo fortius qua putatur venturus, ergo omni hora. Matthæi 24. *Veniet Dominus ſervi illius in die qua non ſperat*. Eccl. 9. *Neſcit homo finem ſuum*. Seneca. Neſcis quo loco mors te expectat, ideo tu eam omni loco expecta.

Ob duas cauſas debemus eſſe parati.

2.

III. Quatuor cauſæ quod imparati inveniantur.

Circa tertium notandum quod *quadruplex* poteſt eſſe *occaſio* quod quis imparatus inveniatur. *Prima* eſt *negligentia* addiſcendi. Matthæi 25. Fatuæ virgines in adventu ſponſi inveniuntur imparatæ. Proverb. 10. *Qui indocti fuerint, in egeſtate cordis morientur.* *Secunda* eſt *dilatio converſionis* fiducia pœnitendi in fine, quæ fiducia multum habet fatuitatis. Unde talis facit ſicut aliquis faceret, qui habens quatuor jumenta, & onera ad quæ portanda vix ſufficerent, debiliori ex ipſis vellet imponere. Senio enim quod eſt debiliſſima pars vitæ vult totum onus imponere pœnitentiæ. Legitur in vitis patrum, quod beatus Arſenius qui habitabat in eremo Siciliæ audivit vocem dicentem ſibi, egredere & oſtendam tibi opera hominum, & egreſſus vidit Æthyopem nigrum cum ſecuri cædentem ligna & facientem grandem ſarcinam, & tentabat levare, & præ magnitudine non poterat: & iterum cædebat alia ligna, & addebat ſarcinæ. Expoſuit ergo hanc viſionem dicens. Qui cædebat ligna & adhuc ſuper ſarcinam addebat, homo eſt oneratus multis peccatis, & ſemper addit alia peccata, cum oporteret ea deponere & demere. *Tertia* eſt *varietas viarum* per quas incedit, ut cum aliquis nunc agit bene, nunc male; nunc ſervit Deo, nunc mundo; nunc incedit per viam paradiſi, nunc per viam inferni; nunc procedit, nunc retrocedit; nunc ædificat, nunc deſtruit. Eccleſiaſt. 34. *Unus ædificans & alter deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* Et ejuſdem 2. *Væ duplici corde*, &c. *& peccatori ingredienti in terram duabus viis.* *Quarta* eſt *defectus pietatis*. Jacobi 2. *Iudicium ſine miſericordia fiet ei qui non fecerit miſericordiam.* Contraria his quatuor multum valent ad hoc quod aliquis paratus inveniatur, & maximè pietas; de operibus enim pietatis fiet diſceptatio, & miſericordia aſſignat loca in paradiſo. Ideo miſericordia multum præparat hominem. Pſal. 111. *Beatus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio.* Eccl. 16. *Omnis miſericordia faciet unicuique locum ſecundum meritum operum illius.* Beatus Nicolaus non fuit negligens in addiſcendo, Eccleſiæ enim frequentans limina ſacra pectori condebat mandata,

1.

2.

3.

4. Contraria his nos paratos reddunt, maximè quartum.

Quomodo hæc 4. S. Nicolaus habuerit.

ſicut de eo cantat Eccleſia. Ipſe enim non diſtulit ſe præparare, imò incepit ſe præparare cum adhuc mammillas ſugebat. Ipſe non inceſſit variis viis ſive duplici via, imò habuit ſimplicitatem commendabilem, de qua in Epiſtola ad fratres de monte Dei. Simplicitas eſt perfectè ad Deum converſa voluntas, unam petens à Domino, hanc requirens. Ipſe ſoli Deo placere intendens ſic volebat pauperibus bona ſua diſtribuere ut ipſi neſcirent. Ipſe etiam erat valde compatiens, & ſuper afflictos pia geſtans viſcera.

DE BEATA LUCIA VIRGINE.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone circa verba thematis quatuor expenduntur.

Sponſus ſanguinum tu mihi es.
Exodi. 4.

SERMO VI.

VErbum iſtud dictum eſt Moyſi à ſponſa ipſius, ſed non minus potuit verè dici Chriſto à ſponſa ipſius, ſcilicet à beata Lucia, de qua hodie ſolenniſat Eccleſia. Sponſa Moyſi dixit hoc ei propter ſanguinem filij effuſum in ejus circumciſione. Sed beata Lucia potuit hoc dicere Chriſto propter ſanguinem proprium effuſum pro ejus amore. Juxta verbum propoſitum quatuor nobis conſideranda ſunt ad noſtram ædificationem. *Primo* ſponſi humilitas tale matrimonium dignantis. *Secundo* virtus ſponſæ pro amore ſponſi tam ardua audentis. *Tertio*, illud quod ſponſam ad audaciam tantam animare potuit. *Quarto* gloria qua ſponſus ſponſæ ſuſtinentiam remuneravit.

Circa verba themaatis 4. conſiderantur.

Humilitas ſponſi apparet ſi conſideretur quis cui ſit ſponſus. Altiſſimus eſt ſponſus, ſponſa paupercula ancilla Admiranda & commendanda eſt humilitas in tanta ſublimitate. Bernard. Non eſt magnum eſſe in abjectione humilem, ſed magna prorſus & rara virtus eſt humilitas honorata. Idem Neſcio quo pacto vis humilitatis major in majoribus, & clarior in clarioribus comprobetur. De hac humilitate perbia noſtra confunditur. Majeſtas tanta ſocietatem matrimonialem pauperis ancillæ (quæ ſocietas maxima & familiariſſima eſt) non dedignatur, multi vero ſocietatem minorum dedignantur, cum tamen ſecundùm formam à ſalvatore nobis traditam nos inferioribus ſubdere debeamus. Matth. 3. ait Salvator Joanni renuenti baptizare eum *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem iuſtitiam*, id eſt humilitatem, ſubdendo nos inferiori.

I. Sponſi Chriſti humilitas.

Virtus ſponſæ apparet, ſi attendamus quæ & quanta pro Chriſto ſuſtinuerit. *Primo* temporales divitias contempſit. Ipſa petiit à matre ſua ut daret ei properanti ad auctorem integritatis, quod erat datura eunti ad hominem moriturum auctorem corruptionis: & cum mater conceſſiſſet ut faceret quid ſibi placeret, res earum ſunt diſtractæ & in neceſſitates pauperum expenſæ. Ipſa *etiam* carnales delitias pro Chriſto deſpexit & gloriam mundi ſprevit. *Item* ſponſo ſuo Chriſto virginitatem immaculatam conſervavit. Cum enim Paſchaſius conſularis comminaretur ei quod faceret eam ad lupanar duci, ipſa tanto opprobrio non exterrita, nec à ſuo propoſito mota, reſpondit nunquam inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis, de voluntatibus enim judicat altiſſimus Si me invitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. *Ipſa* ignem magnum in Nomine Jeſu Chriſti ſuſtinuit, pice, reſina, & ferventi oleo ſuper eam jactatis. Ipſa *etiam* pro Chriſto gladium ſuſtinuit qui in gutture ejus merſus eſt, & licet vulnus lætale ſuſcepiſſet;

II. Sponſæ S. Luciæ virtus, in quibus eluxerit.

1.

2.

3.

4.

5.

ſuſcepiſſet, tamen poſt orationi propter inſtructionem noſtram operam dedit.

Adhortatio admiratio nem.

Cum hæc beata Virgo ſimilis nobis paſſa fuerit ſexus fragilioris, quid eſt quod non ſolum difficile, imo impoſſibile nobis æſtimamus, illud quod ipſa fecit. Gregorius loquens de ſancta felicitate. Cum ad illud, inquit, examen terribile venerit judex diſtrictus, quid nos viri dicemus, cum hujus fœminæ gloriam viderimus? De debilitate mentis noſtræ, quæ tunc nobis viris excuſatio erit, quando hæc oſtendetur quæ cum ſæculo etiam ſexum vicit? Non poſſunt multi minis vel promiſſionibus ad continentiam adduci, dicentes ſe non poſſe continere, hæc verò à voto continentiæ nullis potuit tormentis avelli. Bernardus in Epiſtola ad fratres de monte Dei. Ignoſce Domine, ignoſce, excuſamus, tergiverſamur, ſed non eſt qui ſe abſcondat à lumine veritatis tuæ. Vix eſt aliquis qui ea, quæ ad te ſunt, experiri velit quid poſſit, etiam quod promptiſſimè poteſt, quicumque ſecundum carnem vel ſeculum, ſive timor impulerit, ſive cupiditas traxerit.

III. Sponſę hujus audacia Triplex effuſio ſanguinis S. Luciæ.

Attendendum verò eſt quod Chriſtus beatæ Luciæ fuit non ſolum ſponſus ſanguinis, ſed etiam ſanguinum, ipſa enim pro Chriſto quaſi *tripliciter* ſanguinem ſuum fudit. Ubi pro *prima* effuſione computamus, quod bona temporalia, quibus vita ejus erat ſuſtentãda, pro Chriſto pauperibus di-
1. ſtribuit; quem modum loquendi habemus. Eccleſ. 34. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat eum, homo ſanguinis eſt.* Pro *alia* verò effuſio-
2. ne ſanguinis computamus, quod ipſa contemnens carnales delitias pro Chriſto carnem ſuam mortifi-
3. cavit. Pſal. 43. *Propter te mortificamur tota die.* *Tertia* effuſio ſanguinis fuit, cum gladius in guttur ejus merſus eſt. Vult Chriſtus ſponſam ſuam ſic ei adhærere, ut non poſſit eam ab ipſo ſeparare nec amicus nec inimicus. Amicus non poteſt ſecundum illud ad Epheſ. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Et ſubditur. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Inimicus etiam non poteſt, prælegit enim gladio hoſtis occidi magis quam fidem Chriſti debitam violare. Ipſa debet dicere exemplo Pauli, *quis me ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia*, &c.

Quid S. Luciam ad hanc audaciam animarit.

Item *certa ſum quod neque mors neque vita*, &c. *Poterit me ſeparare à charitate Dei*, ad Rom. 8. Ad hanc verò audaciam potuit eam animare paſſio Chriſti. Oſtendebatur elephantibus ſanguis uvæ & mori ad exacuandum eos in prælio. 1. Machab. 6. Ad Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit adverſus temetipſum contradictionem à peccatoribus ut non fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.*

Chriſtus ſexies in paſſione ſua fudit ſanguinem.

Sicut beata Lucia potuit dicere Chriſto? Sponſus ſanguinum tu mihi es, ſic & Chriſtus potuit dicere ei: Sponſa ſanguinum tu mihi es. Sanguinem enim ſuum pro ipſa fudit non ſemel, ſed pluribus vicibus, ſex enim vicibus creditur Chriſtus ſanguinem ſuum fudiſſe pro ſalute noſtra. *Primo* in circumciſione Lucæ 2. *Secundo* in agonia ejuſdem 22. *Tertio* cum flagellatus eſt ligatus ad columnam Matthæi 27. *Quarto* in ſpinea coronatione. *Quinto* in crucifixione. In eodem. *Sexto* in lateris apertione Joannis 19. Sed quantum ad multos poteſt dicere Chriſtus quæ utilitas in ſanguine meo? In quibuſdam amor terrenus ſic ſanguinem Chriſti operit quod nullum ſignum ejus ab aliis videtur, paſſionem enim ipſius in nullo imitantur. Ipſi etiam non vident ſanguinem Chriſti ut ad patiendum aliquid pro eo animentur. Job 16. *Terra ne operias ſanguinem meum.*

IV. Sponſę gloria quanta ſit.

Gloria ſcilicet qua Chriſtus ſponſæ patientiam remuneravit, exuperat ejus meritum. Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*, &c. Gloria illa inexplicabilis eſt 1. Corinth. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, &c. quanta ergo gloria præparata eſt ſponſæ præ cęteris diligenti habetur. Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* In hoc quod ſpecialiter dicitur de adoleſcentulis inſinuatur excellens earum dilectio.

Diverſus ſtatus ſponſæ in hac & altera vita.

Qui ſponſus ſanguinum fuit ſponſæ ſuæ in hoc exilio, apparet ei ſpecioſus forma præ filiis hominum in cœlo, imo apparet ei ſplendor gloriæ. Hebr. 1. Candor lucis æternæ. Sapient. 7. Ibi lætificat eam in gaudio cum vultu ſuo. In nuptiis Chriſti in præſenti deficit vinum gaudij, & implentur hydriæ aqua tribulationis, ſed Chriſtus mutat aquam in vinum exultationis. Joannis 16 *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Sponſa in hoc exilio eſt ut pauper ancilla, ſed in cœlo eſt ut Regina. Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, &c In hoc exilio eſt in gloria, in cœlo vero coronata multiplici corona. Cantic. 4. *Veni de libano ſponſa mea, veni coronaberis.* Gloria ſponſæ eſt ut gloria ſponſi Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole*, hæc mulier eſt ſponſa ſponſo conformis.

DE BEATO THOMA APOSTOLO.

SERMO PRIMUS.

SERMO VII.

Summarium.

Quinque tractat hic ſermo de ædificio ſpirituali.

In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. *Ad Epheſ. 2.*

HOdie recolit Eccleſia quomodo Dominus miniſterio S. Thomæ, cujus feſtum colimus, palatium paraverit Regi Indiæ. Tempore autem iſto adjuti precibus beati Thomæ debemus parare habitaculum regi gloriæ qui in proximo eſt venturus, unde convenienter admonitio Apoſtoli de habitaculo Deo præparando hodie in Eccleſia recitatur.

Quinque tractantur de ædificio ſpirituali.

Notandum autem quod ſpirituale ædificium ad modum materialis ædificij *primo fundatur, ſecundo erigitur, tertio perficitur, quarto conſecratur, quinto inhabitatur*, unde dicitur ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum*, &c. *In quo omnis ædificatio conſtructa* ecce fundamentum; *creſcit*, ecce erectio, *in templum*, ecce conſummatio, *ſanctum*, ecce conſecratio; *in tabernaculum Dei*, vel *habitaculum*, ecce inhabitatio.

I. Fundatur fide.

Fundatur Primo per fidem. Ad fundamentum iſtud eſt primarius lapis Chriſtus, ſive fides Chriſti, quem pontifex, id eſt pater ſignatum cruce ponit in fundamento noſtro, id eſt in corde, & habet *quinque* virtutes: *humiles exaltat, diviſos congregat, debiles confortat, infirmos ungit, peccatores ſalvat.* Unde dicit Apoſtolus *ſuperædificati*, &c. *Summo*, ecce *primum*; *angulari*, ecce *ſecundum*, *lapide*, ecce *tertium*, *Chriſto*, ecce *quartum*, *Jeſu*, ecce *quintum*.

Fundamenti virtutes quinque.

II. Erigitur ſpe Spei 4. parietes, ſeu 4. ſperanda.

Secundo erigitur per ſpem. Erigit autem ſpes *quatuor parietes*, quia quatuor ſunt quæ ſperare debemus. *Prima* ſpes ſive paries eſt *reſurrectionis* verſus occidentem. *Secunda immortalitatis* ſive *impaſſibilitatis* verſus aquilonem, unde panditur omne malum. Hierem. 1. *Tertia aſcenſionis* verſus orientem, *Quarta fruitionis* verſus auſtrum. Cantic. 4. *Veni auſter perfla hortum meum.*

1. Reſurrectio Boni gaudebunt de quatuor.

Circa *reſurrectionem* notandum quod eſt reſurrectio bonorum læta & malorum triſtis, eſt enim bonis gaudium *de liberatione corruptionis*. Rom. 8. *Creatura liberabi-*

tur à ſervitute. Item *de claritate.* Philip. 3. *Salvatorem expectamus*, &c. Item *de receptione* animæ tanquam ſi mater filiam, uxor maritum diu abſentem reciperet. Item *de dotibus* Matth. 13. *Fulgebunt juſti ſicut ſol*, &c. De malorum triſtitia dicitur Job 3. *Pereat dies in qua natus ſum*, &c. Triſtantur mali *de confuſione* quam habebunt de peccatorum ſuorum manifeſtatione. Nahum. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Eccleſiaſtici 11. *In fine hominis denudatio operum illius.* Item *de judicis viſione.* Lucæ 21. *Tunc videbunt filium hominis.* Tunc videbunt eum Judæi, qui hic eum videre noluerunt Sap. 2. *Gravis eſt nobis etiam ad videndum.* Item mali qui cum in tenebris ſuis abominantur. Item triſtantur *de conjunctione animæ & corporis.* Duo enim perpetui inimici conjunguntur. Anima tunc dolebit de corpore tanquam ſi homo ardentem loricam indueret. Et quia duplicabitur pœna. Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum*, &c. Pſal. 108. *Operiantur ſicut diploide.* Circa *immortalitatem* nota quod & boni & mali erunt immortales. *Precipitabit* enim *Dominus mortem in ſempiternum*, quo ad bonos. Iſa. 25. Sed mali optabunt mortem & fugiet ab eis. Boni tamen erunt impaſſibiles. Apocal. 21. *Abſterget Deus omnem lachrimam ab oculis* ſanctorum. Mali vero paſſibiles erunt omni genere paſſionum, calore, frigore, ſtridore dentium, ſiti, fame, infirmitate, odio, invidia, & cæteris malis omnibus. Iſaiæ 65. *Servi mei comedent, vos autem eſurietis.* Circa *aſcenſionem* nota quod quatuor erunt ordines hominum in die judicii. Quidam judicabunt & judicabuntur & regnabunt, ut Apoſtoli & Apoſtolici viri. Matthæi 19. *Vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me*, &c. Quidam judicabuntur & non judicabunt & ſalvabuntur, ut mediocriter boni Math. 25. *Eſurivi & dediſtis mihi manducare*, &c. Quidam nec judicabunt nec judicabuntur, ut infideles Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Quidam non judicabunt ſed judicabuntur, ut cæteri mali Matth. 25. *Eſurivi & non dediſtis mihi manducare.* Sententia malorum eſt. *Ite maledicti in ignem æternum.* Non credentes tres habent turmas Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Mali Chriſtiani habebunt ſeptem turmas ſub ſeptem vexillis. *Prima* eſt homicidarum, quorum Dux eſt Caïn, *ſecunda* opprimentium pauperes, quorum Dux eſt Nero, *tertia* adulterorum, quorum Dux eſt Lamech, *quarta* eſt deriſorum, quorum Dux eſt Cham, *quinta* eſt ſimoniacorum, quorum Dux eſt Giezi & Simon magus, quo ad vendentes & ementes bonum ſpirituale, *ſexta* uſurariorum, quorum Dux eſt Judas, qui propter avaritiam vendidit Dominum, *ſeptima* proprietariorum, quorum Dux eſt Ananias & Saphira, quo ad ſpirituales. Sententia bonorum eſt. *Venite benedicti*, &c. Circa *fruitionem* bonorum notandum, quod ut dicit Auguſt. Sine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur: hic viſus, hic affectus, hic actus erit omnibus. Idem. Vocabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus, ecce quid erit in fine? Ex viſione utique dilectio, & ex his fruitio ſive comprehenſio. In fruitione ſive comprehenſione tanta erit dilectio, quod neceſſariò prorumpemus in laudem, vocalem ſecundum Caſſiodorum, mentalem ſecundum Auguſtinum.

Mali triſtabuntur de tribus.

2. Impaſſibilitas bonorũ. Paſſibilitas malorum.

3. Aſcenſio. Quatuor ordines hominum in judicio.

Turmæ tres infidelium Fidelium ſeptem.

4. Fruitio bonorum.

III. Tertio ædificium ſpirituale perficitur charitate. quare *charitas operit multitudinem peccatorum.* Jacobi 5. & eſt *vinculum perfectionis.* Coloſſ. 3. Propter hoc dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar*, &c. *Charitatem autem non habuero*, &c.

Perficitur charitate.

IV. Quarta conſecratur, Unde Pſal. 45. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Sanctificavit autem oratione, aſperſione, unctione quemadmodum Epiſcopus templum materiale. Oravit *verbo*, aſperſit *lachrimis*, unxit *ſanguine*. De *primo*. Joan. 17. *Ego pro eis rogo.* Rogat autem mali amotionem, unde ibidem. *Non rogo ut tollas eos de mundo*, &c. Item ſanctificari veritate. Ibid. *Pater ſanctifica eos in veritate.* Item in bono conſervari. Ibidem. *Pater ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi.* Item uniri. Ibidem: *ut ſint unum.* Item commorari ſecum. Ibidem. *Pater volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* De *ſecundo* dicitur. Hebr. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido & lachrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* De *tertio* ad Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad novi teſtamenti mediatorem Ieſum & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* Rogat pro peccatoribus cicatricum oſtenſione. Ad Rom. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis.* Hoc attendant qui raro & tantum verbo tenus volunt orare pro ſalute propria. *Secundo* ſanctificavit ſepties aſpergendo. Levit. 4 dicitur quod pro populo offerebatur vitulus, in cujus ſanguine ſacerdos tingebat digitum & aſpergebat ſepties in conſpectu Dei. Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech eſt Chriſtus, populus Iſraël eſt totum genus humanum, Synagoga eſt ipſa Eccleſia, vitulus eſt Corpus Chriſti, Iſte Sacerdos intingit digitum in ſanguine proprio in quo ſignificatur redemptio. 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis*, &c. Septies aſpergit, quare ſepties ſuum ſanguinem fudit. *Prima effuſio* in circumciſione ejus fuit in ablutionem peccati originalis, unde facta eſt in illo membro per quod contrahitur peccatum originale. *Secunda effuſio* fuit in oratione ad emundationem peccati venialis, quia ſubjecit ſenſualitatem rationi Lucæ 22. *Pater transfer à me*, ecce motus ſenſualitatis, *veruntamen non ſicut ego volo*, &c. Ecce ſubjectio ſenſualitatis ſub ratione, & ex inordinatione ſenſualitatis eveniunt peccata venialia. *Tertia effuſio* fuit in flagellatione propter ablutionem culpæ omiſſionis, propter omiſſionem enim infliguntur flagella Lucæ 12. *Servus ſciens voluntatem Domini ſui*, &c. *Quarta effuſio* fuit in coronatione ad ablutionem erroris, qui exprimitur in ſpina, quia non eſt ſine punctione cordis. Unde hæretici dicuntur habere cauteriatam conſcientiam. 1. ad Timoth. 4. *Et cauteriatam habentium conſcientiam.* Proverb. 24. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urtica, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Per pigritiam & negligentiam naſcuntur ſpinæ, id eſt errores qui pungunt. *Quinta effuſio* fuit in manuum perforatione in ablutionem mortalis in commiſſione, in opere Per manus opera ſignificantur, per dexteram opera in proſperitate, per ſiniſtram opera in adverſitate. *Sexta effuſio* in pedum confixione fuit, ad delendam culpam commiſſionis in affectu ſive in voluntate. *Septima* in lateris apertione fuit, ad delendam culpam commiſſionis in cogitatione, per latus ſignificantur cogitationes quæ exeunt à corde. De his omnibus. Apocal 1. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* *Tertio* ſanctificavit ungendo. Pſal 44. *Unxit te Deus* &c. Ungitur quis quinque de cauſis. *Primo* in ſignum honoris, ſic unxerunt regem Salomonem in Gihron, 3. Reg. 1. Sic ungimur in baptiſmo in ſignum regni futuri. *Secundo* ad ſanitatem. Eccleſiaſtici 38. *Unguentarius conficiet unguenta ſuavitatis.* Sic ungimur Sacramento confirmationis, & extremæ unctionis. Jacobi ultimo. *Infirmatur quis ex vobis*, &c. *Tertio* ad ſuavitatem Heſter 2. Puellæ quæ præparabantur Aſſuero, ungebantur oleo myrtino & quibuſdam unguentis ſex

menſibus

Conſecratur vel ſanctificatur tribus modis.

1. Oratione tripliciter.

1. Verbo quin tupliciter.

2. Lachrimis.

3. Sanguine.

2. Aſperſione ſanguinis ſeptẽplici. Septem effuſiones ſanguinis Chriſti.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

3. Unctione quintuplicicer.

1.

2.

3.

menſibus. Sic ungimur nos ut exemplo quaſi bono odore alios conſortemus. 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus*. Eccleſiaſtici 7. *Melius eſt nomen*
4. *bonum quam unguenta pretioſa.* *Quarto* ungitur in bellum iturus, ne poſſit ab hoſte capi. Sic Chriſtus & Apoſtoli ſunt uncti gratia manſuetudinis, qua invincibiles extiterunt Iſa. 61. *Spiritus Domi-*
5. *ni ſuper me, eo quod unxit me.* *Quinto* ut corpus conſervetur à putredine. Sic uncta fuerunt antiquorum corpora, & ſic ungimur ne putreſcamus in ſtercore noſtro, id eſt, fœtore luxuriæ.

V. Inhabitamur à S. Trinitate in tribus potentiis per 7. dona Spiritus ſancti.

Nobis ſic fundatis, erectis, conſummatis, conſecratis, inhabitamur à tota Trinitate, Joannis 14. *Ad eum veniemus & manſionem apud eum*, &c. Gloſſa. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Pater, cui appropriatur potentia, veniens iraſcibilem roborat. Filius, cui appropriatur ſapientia, veniens rationalem illuminat. Spiritus ſanctus, cui appropriatur bonitas, veniens concupiſcibilem ſatiat. Ad robur iraſcibilis pertinet donum timoris & fortitudinis. Timor fugat vera mala, ſcilicet mala culpæ & pœnæ æternæ, fortitudo ſuſtinet mala non vera, ſed tranſitoria mala pœnæ, & utrumque pertinet ad robur iraſcibilis. Gloſſa. In via Domini timor operatur fortitudinem, in via ſæculi debilitatem· Proverb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Ad illuminationem rationalis pertinet donum conſilij, ſcientiæ & intellectus. Dono intellectus ſapientiã legimus in creaturis. Eccl. 1. *Deus effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua.* Dono ſcientiæ à deceptione cavemus, quam bona præſentia faciunt, quæ ſe vera bona mentiuntur, cum potius ſint umbra verorum bonorum. Sapient. 5. *Tranſierunt hæc omnia velut umbra.* Item dono conſilij bona tranſitoria in æterna commutamus. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, &c.* Auguſt. Præbe tectum, & accipe cœlum. Ad ſanitatem concupiſcibilem pertinet donum pietatis & ſapientiæ. Dono pietatis proximi mala deſipiunt dum de eis dolemus, & per ſapientiã vera bona ſapiũt nobis.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Ex duobus Adventibus Chriſti ad Diſcipulos ſuos docet nos duo hic ſermo. Primo quid ad digne ſuſcipiendum Chriſtum à nobis exigatur imitatione Diſcipulorum Chriſtum ad ſe venientem ſuſcipientium. Secundo exemplo Chriſti ad Diſcipulos venientis, quomodo in congregatione rectè verſari debeamus.

SERMO VIII.

Poſt dies octo erant Diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis, &c. *Ioannis* 20.

Duplex adventus Salvatoris ad diſcipulos.

HOdie in Evangelio duplex adventus Salvatoris ad Diſcipulos recolitur: *unus* fuit Thoma abſente, & *alter* Thoma preſente. Tempore etiam iſto adventus Salvatoris à fidelibus expectatur, ideo & de adventu Salvatoris ad nos loqui propoſuimus. Et ſi diligenter attendatur in quo ſtatu erant Diſcipuli cum Salvator ad eos venit, apparere nobis poterit qualiter Salvator à nobis expectandus ſit. Item ſi diligenter attendamus qualiter Salvator ad Diſcipulos veniens inter eos ſe habuerit, apparere nobis poterit qualiter ſe debeat habere qui vivit in congregatione.

Duo ex hoc Adventu nobis diſcẽda.

I. Status diſcipulorum veniente Salvatore docet nos 4. ad Salvatorem dignè ſuſcipiendum neceſſaria.

Circa Primum notandum quod cum Salvator ad Diſcipulos venit ipſi in timore erant, ſero factum erat, in unum erant congregati, & fores erant clauſæ, in quibus quatuor inſinuantur nobis valde neceſſaria ad hoc ut Salvatorem quem expectamus dignè ſuſcipiamus. *Primum* eſt *timor* qui domum conſcientiæ mundat, ſecundum illud. Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Timor damnationis introducit amorem Salvatoris & deſiderium adventus
1. ejus. Iſa. 26. *A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus ſpiritum ſalutis.* Amantes Salvatorem ab eo amantur & viſitantur. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Si quis diligit me mandata mea ſervabit & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*, &c. Viſitat Dominus deſiderantes adventum ipſius. Aggæi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Sicut in primo adventu non venit niſi deſideratus, ſic ſpiritualiter venit ad eos qui eum deſiderant. *Secundum* eſt *contemptus mun-* 2.
danæ gloriæ, quod ſignificatur in hoc quod ſero factum erat. Ad eum Dominus venit cui lux mundanæ gloriæ occubuit, & verè eam contemnit, ſicut Jacob, poſtquam ſol occubuerat Dominum vidit. Geneſ. 28. Amor mundanæ gloriæ multis eſt cauſa quod Salvator ad eos non venit: cum enim ad adventum Salvatoris ſe deberent præparare, intendunt mundanæ gloriæ, vel veſtes pretioſas ſibi præparando, vel ſuperbos hoſpites invitando. *Tertium* eſt *uni-* 3.
tas. Non viſitat Salvator homines diſcordes; nec viſitat hominem ſingularem, ſicut nec viſitavit Thomam ab aliis ſeparatum. Pſalm. 75. *In pace factus eſt locus ejus*, 2. ad Corinth. ult. *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum.* 1. ad Corinth. 14. *Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.* *Quartum* eſt *ſtabi-* 4.
litas, qua aliquis in domo conſcientiæ manet, & non curioſè exterius evagatur. Exod. 16. *Maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*, ſcilicet die quietis. Fores ſenſuum claudendæ ſunt, & ſic Salvator eſt expectandus. Iſaiæ 26. *Vade populo meus, intra cubicula tua, claude oſtia ſuper te.* In oratione vel ſtudio cum ſilentio expectandus eſt Salvator. Threnorum 3. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*

II. Chriſtus veniens ad diſcipulos etiam 4. nos docet neceſſaria ad bene vivendum in congregatione.

Circa ſecundum notandum quod Salvator ad Diſcipulos veniens in medio eorum ſtat, pacem commendat, infirmum confortat, abſentes laudat, in his oſtendit qualiter ſe habere debeat, qui in congregatione vivit. In medio ſtare debet, ut omnes diligat, non debet ſe à quibuſdam per diſcordiam ſeparare & aliis carnali amore conjungere. Eccleſiaſtici 6. *Noli fieri pro amico inimicus proximo.* *Item* debet ſtare in medio, medietatem inter ſuperfluitatem & indigentiam tenendo. Hoc medio tutiſſimus ibit. Hoc medium tenuere beati. Hoc eſt medium in quo virtus conſiſtit. Non velit eſſe nimis juſtus, nimia enim juſtitia occaſio eſt quærelæ. Unde Gloſſa & ſuper illud. Luc. 1. *Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Ecce temperata juſtitia. Plerumque hominum juſtitia durior quærelam provocat. Eccleſiaſt. 7. *Noli eſſe juſtus multum.* Mediocritas eſt via regia qua populo Dei incedendum eſt. Num. 20. *Via publica gradiemur non declinabimus ad dexteram vel ſiniſtram.* Stare in medio maximè prælato congruit. Sicut eſt indecens in corpore humano ſi caput ad humerum dextrum vel ſiniſtrum declinet, ſic indecens eſt ſi prælatus non omnes amet. Exemplum debet accipere ab eo qui præeſt omnibus, de quo legitur. Sapient. 6. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus.* *Item* qui in congregatione vivit, verba pacis debet habere in ore, quæ pacem non turbent, ſed potius eam faciant & foveant. Columba ramum olivæ defert in ore. Geneſ. 8. Sic qui Spiritum ſanctum habet, hæc verba pacis debet habere. Proverb. 15. *Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt conteret ſpiritum.* Eccleſ. 20. *Sapiens in verbis amabilem ſe facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.* Fere omnium turbationum vel plurium quæ

1. In medio tripliciter ſtandum. 1. 2. 3.

2.

ſunt in congregatione occaſio eſt peccatum linguæ. Multum timenda eſt lingua quæ non refrænatur. Jacobi 3. *Lingua noſtra ignis eſt univerſitas iniqui-*
3. *tatis.* Hierem 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* *Item* cum qui eſt in congregatione infirmus, debemus confortare, non deſpicere.

Chriſtus primo Adventu diſcipulos ad patientiam roboravit.

Confortavit Dominus in *primo Adventu* diſcipulos ad patiendum infirmos exemplo patientiæ ſuæ oſtendens eis manus & latus, qui modus confortandi multum pertinet ad prælatos qui exemplo ſuo alios debent animare ad aſperitates tolerandas. Ad idem etiam debet eos animare memoria Dominicæ Paſſionis. 1. Petri 4. *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini*, &c. Bernard. Videntes anguſtias Domini noſtri levius veſtras portabitis. Paſſio Chriſti lignum eſt aquas tribulationis dulcorans, ſicut figuratum eſt. Exod. 15. in ligno quod oſtenſum eſt Moyſi à Domino quo aquæ marach ſunt dulcoratæ.

Secundo Adventu confirmavit Thomam in fide per tres ſenſus.

In *ſecundo Adventu* ad diſcipulos Thomam in fide infirmum confirmavit, adeo ut nullus locus dubitationis fidei in ore remaneret: ſecundum enim triplicem ſenſum oſtendit quod ipſe erat vivens qui prius mortuus fuerat. Secundum auditum hoc oſtendit per vocem ſuam quæ eis nota erat. ſecundum viſum dicens: *Vide manus meas*, ſecundum tactum dicens, *affer digitum tuum, & mitte in latus meum*.

Chriſtus Thomæ divinitatem ſuam oſtendit.

In hoc etiam ſe eſſe Deum oſtendit, quod ea quæ ipſo abſente Thomas dixerat ei replicavit, ſcilicet de videnda fixura clavorum & mittenda manu in latus: unde dicit Gregorius Carnotenſis Epiſcopus. quid mirum ſi mira devotione mox exclamavit: *Dominus meus & Deus meus*? Non enim erat jam quod de divinitate illius & de veritate reſurrectionis hæſitaret aliquatenus, quem nec arcerent clauſtra, nec laterent
4. ſecreta. *Item* exemplo Domini qui abſentes commendat, non præſentes, cavere debet qui eſt in congregatione, ne præſentes adulando laudet vel abſentibus detrahat.

Non blandiendum.

Chryſoſt. Blanditores in facie laudant coram domeſticis, vir autem ſapiens cum laudatur in facie, flagellatur in corde. Timenda eſt adulatio quia multum eſt nociva. Adulanti poteſt dici illud. Pſalm. 51. *Sicut novacula acuta feciſti dolum*. Novacula acuta furatur barbam, adulator virtutem. Hieron. Pulchrè adulator diffinitur apud Philoſophos, blandus inimicus. Seneca. Habet ſuum venenum blanda oratio.

Non detrahendum.

Non eſt detrahendum abſenti, licet ipſe non audiat, quia Deus audit. Sap. 1. *Auris cœli audit omnia*.

Appendix de S. Thoma ex Gregorio Carnotenſi.

Gregorius Epiſcopus Carnotenſ. Loquens de hoc verbo, *mitte manum tuam*: Ecce deprehenſus es, ô Apoſtole, cuncta tibi replicantur à Domino, quæ pridie locutus fueras velut de abſente. Heu mihi Domine tanquam non ſint oculis tuis omnia nuda & aperta meos ab illis infideliter & inſipienter avertens, indigna cogito, vana loquor, operor prava.

Iob 13.

Poſuiſti in nervo pedem meum & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti: at ego miſer ſicut lepus, ut aiunt, dumetis caput infigens, dum videntem me non video, me quoque videri non reputo. Quam beatus Domine qui ſub teſtimonio tuo ſemper agit, loquitur, meditatur, immo verò qui ſub teſtimonio tuo ſe vivere ſemper attendit, nam ſine tuo teſtimonio nemo vivit.

DE EODEM,
SERMO TERTIUS.

SERMO IX.

SUMMARIUM.

Hic ſermo I. quinque potiſſimum cauſas affert, cur Chriſtus diſcipulos cadere permiſerit. II. Chriſtus pietatem ſeu miſericordiam in quatuor conſolationibus apparuiſſe demonſtrat. III. Docet quomodo adhærentes Deo beatificentur, & qualis fides beatificet.

Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, &c. *Ioannis.* 20.

Duo hic notanda.

Circa narrationem hujus Evangelij duo ſunt nobis ſpecialiter attendenda, ſcilicet Diſcipuli infirmitas, & Salvatoris pietas.

I. Infirmitas diſcipulorum Chriſti.

Circa infirmitatem Diſcipuli penſandum nobis eſt, qualiter Salvator noſter permiſerit quod beatus Thomas in fide dubius fuerit, & ſimilis dubitatio poteſt eſſe de aliis diſcipulis, quare permiſerit eos cadere. Virtus enim tentationis tempore Paſſionis in eis irruens, timore concuſſionis oppreſſit, ſicut accidit filiis Job 1. Matth. 26. *& relicto eo omnes fugerunt*.

Cur Chriſtus diſcipulos cadere permiſerit.

Permiſit Dominus Judam ſic cadere, ut non reſurgeret, permiſit etiam ut Petrus caderet ter negando eum. Petrus negat, Joannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt Hujus autem permiſſionis quinque cauſas poſſumus aſſignare.

Cauſæ quinque.

Prima eſt ſanctarum congregationum excuſatio. Sciebat Dominus quod maledici ſanctis congregationibus detra- 1.
herent cum aliquos ex ipſis cadere viderent, ideo ad eorum excuſationem multos vel potius omnes de illa primitiva congregatione cadere permiſit. Maledici libentius bonis quam malis detrahunt. Ipſi faciem Domini conſpuere non verentur. Marci 14. Facies Eccleſiæ cœtus eſt perſonarum quæ ſunt ſublimiores in Eccleſia, in quarum pulchritudine maximè conſiſtit pulchritudo Eccleſiæ, ſicut in pulchritudine faciei maximè conſiſtit pulchritudo corporis. Quos libentius maculant maligni, qui timere poſſunt illud Eccl. 26. *Qui peſſimant plebem meam invenient perditionem*. *Secunda cauſa* eſt pœniten-
tium conſolatio; qui enim peccant, & pœnitere 2.
volunt, conſolationem in exemplis talium accipiunt, ut de venia obtinenda ſpem habeant. Bernard. ſuper Cantic. Omnino propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus. Prius te Domine audientes, quod non ſpernas pauperem, peccatores non horreas. Non horruiſti confitentem latronem, non lachrimantem peccatricem, non Cananæam orantem, non deprehenſam in adulterio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem unguento-
rum tuorum currimus. *Tertia cauſa* eſt de ſe præ- 3.
ſumentium humiliatio. 1. ad Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Auguſt. 14. libro de civitate Dei. Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod manifeſtum peccatum unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant ſalubrius enim Petrus ſibi diſplicuit cum flevit, quam placuit cum præſumpſit. *Quarta* eſt pro-
fectus electorum, qui ex caſu eorum ſequitur. Rom. 4
8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Reſurgent etiam electi poſt caſum cautiores, humiliores, devotiores & peccato-
ribus magis cõpatientes. *Quinta* quantum ad Tho- 5.
mam eſt confirmatio Eccleſiæ in fide.

Cur S. Thomas ceciderit.

Gregorius in homilia. Nunquid, inquit, caſu geſtũ creditis ut electus ille diſcipulus tunc deeſſet, poſt autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet & palpans crederet. Non hoc caſu, ſed divina

diſpenſatione

diſpenſatione geſtum eſt : egit namque miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus dubitans dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, vulnera in nobis ſanaret infidelitatis : plus enim nobis Thomæ infidelitas quam fides credentium diſcipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita ſolidatur. Simile habetur de Joſeph. Matthæi 1. qui de conceptu Mariæ dubitavit vel timuit, & per Angelum certificatus eſt, ut certificatio ejus, certificatio eſſet Eccleſiæ.

II. Pietas Chriſti apparuit 1. generaliter conſolando diſcipulos.

Circa pietatem Salvatoris notandum quod pietas ejus multum apparuit in generali conſolatione diſcipulorum, qua omnes conſolatus eſt, pacem eis optando, licet omnes peccaverant eum relinquendo. Amplius vero apparuit in hoc quod ſpecialiter eos confortavit, qui ſpecialiter eum offenderant, ut Petrum cui ſingulariter apparuit. Luc ultimo. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Petrus etiam ſingulariter nominatus eſt, cum reſurrectionem ſuam diſcipulis nuntiari voluit. Amplius pietas ejus in hóc apparuit, quod infirmitati periculoſiori majus remedium adhibuit, ſcilicet dubitationi circa fidem in beato Thoma, quæ periculoſa eſt, quia fundamentum bonorum deſtruit. Et quia difficilius peccatum erroris ab hominibus expellitur quam cætera peccata. Ad confirmandum beatum Thomam ſalvator venit, & viſioni ejus & palpationi vulnera expoſuit, & dehortationem ab infidelitate & exhortationem ad fidelitatem ſubdidit dicens. *Noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Chryſoſtomus. Cum videris diſcredentem diſcipulum excogita dominatoris clementiam, qualiter & pro una anima oſtendit ſeipſum vulnera habentem, id eſt vulnerum cicatrices, & accedit ut ſalvet unum, & etiam aliis groſſiorem exiſtentem. Pietas etiam ejus multum apparuit in generali conſolatione fidelium, quam fecit dicens : *quia vidiſti me Thoma credidiſti. Beati qui non viderunt & crediderunt.*

2. Specialiter, confortando Petrum.

3. Confirmando dubitantem Thomam.

4. Adhærentes Deo variè beatificantur.

Circa quod verbum notandum quod valde bonum eſt adhærere Deo, variis enim ex cauſis beatificantur adhærentes ei. Aliqui *credendo*, de quibus hic dicitur. Aliqui *videndo*. Lucæ. 10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Aliqui *audiendo*. Lucæ 11. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Aliqui *portando*. Ibidem. *Beatus venter qui te portavit.* Aliqui *ſequendo*. Bernardus. Beatus eſt, Domine Jeſu, qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans, pro viribus ſe præbet imitatorem tui. Item *notandum* quod non qualiſcunque fides hominem beatificat, ſed ſi fuerit recta, ſcilicet ſecundum Dei revelationem, quam ſacra ſcriptura indicat. Unde Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* *Item* ſi primæ veritati ſit innixa, ut etiam deficientibus miraculis & aliis adminiculis maneat, ſecundum illud quod hic dicitur : *Beati qui non viderunt & crediderunt.* *Item* ſi fuerit magna, ut etiam in magnis promiſſionibus factis fiduciam habeat, qualis fuit fides beatæ Virginis. Lucæ 1. *Beata quæ credidiſti, quia perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino.* In eodem. *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna*, &c. *Item* ſi fuerit firma, ut nihil contrarium ei prævaleat. Matthæi 11. *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, id eſt qui pedem intellectus non offenderit ad infirmitatem humanitatis meæ, non credens me Deum, quia videt me hominem.

Qualis fides beatificet. 1. 2. 3. 4.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone explicatur thema ex Iſaia deſumptum, oſtenditurque Chriſtum eſſe gloriam, tum aliorum, ſed præcipuè Domini, ſcilicet Patris ſui cæleſtis : quatuor etiam rationes afferuntur, cur Chriſtus gloria tempore illo nominetur.

Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt. *Iſaiæ* 40.

Proœmium.

SEptuaginta interpretes ſic habent, *& videbit omnis caro ſalutare Dei.* Hæc Prophetia quam propoſuimus pertinet ad Nativitatem Salvatoris de qua ſolenniſamus, & ſonat idem quod Evangelium, hoc excepto quod Prophetia prædicit futurum quod Evangelium aſſerit factum; quam Prophetiam vobis explanare volumus ad Dei gloriam & noſtram ædificationem.

Gloria Domini eſt Chriſtus.

1. Chriſtus eſt gloria Patris ſui.

Gloria Domini eſt filius Dei. *gloria* enim *Patris eſt Filius ſapiens*, Proverb. 10. ſecundum aliam litteram. Si gloria patris carnalis eſt filius ſapiens, quantò magis gloria patris cæleſtis eſt filius ille qui eſt ipſa ſapientia. Mira gloria eſt Dei patris habere filium ſummæ potentiæ, ſummæ ſapientiæ, ſummæ bonitatis, ſibi coæqualem & coæternum. Qualis pater talis filius; pater glorioſus, immo ipſa gloria; & filius non ſolum glorioſus, ſed etiam ipſa gloria, unde & ſplendor gloriæ dicitur. Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ.* Gloſſa. Patri filius eſt coæternus ſicut igni ſplendor eſt coævus. Gloria Domini incarnatione facta eſt gloria Virginis. Hæc eſt ſingularis gloria Mariæ habere filium cum Deo communem. Nunquid filius ſapiens eſt gloria matris ſicut & patris ? Ipſe etiam eſt gloria electorum. Unde Simeon tenens eum vocavit eum gloriam plebis Iſraël. Lucæ 2 Plebs Iſraël eſt cœtus electorum qui Deum hic vident per fidem, & in futuro viſuri ſunt per ſpeciem. Ipſe eſt gloria replens Eccleſiam militantem & triumphantem, quod figuratum eſt in hoc, quod gloria Domini replevit Tabernaculum perfectum. Exodi ult. Similiter & templum Salomonis cum Salomon preces compleſſet. 2. Paralip. 7. tabernaculum figura fuit militantis Eccleſiæ, templum triumphantis. Ipſe etiam eſt gloria totius generis humani : multum enim exaltata eſt humana natura in hoc quod cum divina in eadem perſona eſt ſociata, ſi crux multum exaltata eſt in hóc quod ad modicum tempus corpori Chriſti eſt conjuncta; quantum exaltata eſt humana natura quæ divinæ in una perſona eſt ſociata, nunquam ab ea ſeparanda. Ipſe etiam gloria eſt omnis creaturæ & ſpiritualis & corporalis. Unde Eccleſia cantat de ipſo, exivit per auream portam lux & decus univerſæ fabricæ mundi. Hæc eſt gloria quam petiit ſibi oſtendi Moyſes. Exod. 33. *Oſtende*, inquit, *mihi gloriam tuam.* Cui Dominus : *Oſtendam tibi omne bonum.* Gloria iſta, quam prædixit Iſaias, revelandam, eſt revelata, cum naſcens in mundo iſto in carne eſt manifeſtata.

2. Matris ſuæ.

3. Electorum.

4. Hominum omnium.

5. Creaturarũ omnium.

Gloria Domini eſt verbum Dei Chriſtus.

Modus autem revelationis ſubjungitur, & quæ ſit hæc gloria oſtenditur, cùm dicitur ; *& videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.* Quod os Domini locutum eſt, eſt verbum Dei patris oſtenſivum. Sicut verbum mentem loquentis oſtendit, nec facit hoc ex inſtitutione, ſicut verba noſtra tranſeuntia ex inſtitutione ſignificant, ſed ex expreſſiſſima ſimilitudine, quia perfecta imago eſt Dei patris, ejuſdem potentiæ, ejuſdem ſapientiæ, ejuſdem bonitatis, ut qui videt unum videat al-

terum ſecundum illud Ioanis 14. *Qui videt me, videt & patrem meum*, & hæc eſt gloria ipſius patris, quod habeat tantum & talem filium. Hoc verbum omnis caro videbit, id eſt omnis homo videre poterit pariter, id eſt æqualiter dives & pauper, nobilis & ignobilis. Sicut apparuit ſtella regibus, ſic Angelus apparuit paſtoribus. Nobilior creatura manifeſtavit eum paſtoribus quam regibus. Idem Iſaias prophetat quod Joannes Evangelizat. *Verbum*, inquit, *caro factum eſt*, id eſt homo, *& habitavit in nobis*, inter pauperes, ut ab omni homine etiam à paupere poſſit videri, *& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre*. Licet enim gloria ſacco mortalitatis eſſet operta, tamen divinis miraculis eſt cognita. *Aliter* os Domini intelligi poteſt cœtus Prophetarum, ut ſit ſenſus. *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt*, id eſt quem cœtus Prophetarum promiſit. Littera ergo noſtra ipſius ſublimitatem oſtendit vocans eum gloriam & verbum. Littera vero ſeptuaginta interpretum oſtendit quod pertinet ad pietatem vocans eum ſalutare Dei. Ipſe Salvator eſt ſalutare, volens, ſciens & valens. Bernardus. Illi ſecurè me credo qui ſalvare me velit, noverit & poſſit. Loco ejus dicit eum Joannes, *plenum gratia & veritatis*. Conveniens mediator eſt qui eſt plenus gratia apud Deum, ut quod vult ab eo impetrare poſſit, & qui plenus eſt veritate ut confidentem in ſe decipere nolit ſicut vanitas innitenti fulcimentum non præſtat, ſic veritas innitenti fulcimentum non denegat. Hoc quod pertinet ad pietatem expreſſius oſtenditur in Evangelio. Matth. 1. ubi introducitur Angelus loquens ad Joſeph: *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, &c.

Ioan. 1.

2. Prophetæ.

3. Salvator.

Cur Chriſtus gloria nominetur tempore humiliationis ſuæ rationes quatuor.

Sed quæ ratio eſt quod filius Dei tempore ſuæ humiliationis toties gloria nominatur ut in verbo præpoſito. Item in Pſal. 84. *Ut inhabitet gloria in terra noſtra, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi.* Item cantat Eccleſia: *mane videbitis gloriam ejus* Iſa 60. *Gloria Domini ſuper te orta eſt.* Item *gloria ejus in te videbitur.* Ibidem. Hujus rei ratio quadruplex poteſt aſſignari. *Prima* eſt ut ſuperbia inaniter gloriantium confundatur. *Secunda* ut ejus humiliatio gratior habeatur. *Tertia* ut ejus contumelia hoc tempore ſummopere caveatur. *Quarta* ut tempore iſto ejus glorificationi intendatur. Recolitur hoc tempore gloria Domini hominibus revelata ſed ſacco induta. Quis ergo miſero vermiculo gloriandi remanet locus, ubi ille qui non ſolum glorioſus eſt, ſed ipſa gloria, ſub ſacco mortalitatis noſtræ abſconditur? Ipſe eſt Rex Ninivæ qui ſurrexit de ſolio ſuo & indutus eſt ſacco. Jonæ 3. Saccum carnis noſtræ ideo aſſumpſit, ut in eo pro nobis pœnitentiam ageret. Quid ergo nobis agendum eſt pro nobis? Auguſt. Filius Dei non habebat ut flagellaretur, ad hoc carne indutus eſt ut ſine flagello non eſſet. Multum poteſt in eo confundi ſuperbia inaniter gloriantium. Auguſt. Medicina tumoris hominis eſt humilitas Chriſti, erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Ideo etiam oſtenditur humilitari ſublimitas, ut gratior ſit nobis ejus humilitas. Sicut deteſtabilior eſt ſuperbia in paupere quam in divite, ſic humilitas laudabilior eſt in perſonis ſublimibus quam in inferioribus Bernard. in libro de conſideratione. Cum omni indifferenter perſonæ humilitas ſit quædam turris fortitudinis à facie inimici, neſcio quo pacto vis ejus major in majoribus & in clarioribus clarius comprobetur. Tempore etiam illo ab ejus contumelia multum cavendum eſt, hoc enim requirit ejus *ſublimitas, humilitas & charitas*. *Sublimitas* hoc requirit: cum enim ſcriptum ſit de Chriſti crucifixoribus, quod ſi cognoviſſent eum, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. ad Corinth. 2. quam inexcuſabiles ſunt illi qui eũ quem ex tot teſtimoniis agnoſcunt eſſe Dei gloriam, non timent inferre contumeliam. *Humilitas* inquirit idem, quia Dei ordinatio eſt, ut qui ſe humiliat exaltetur. Proverb. 29. *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Job 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.* Quanto ergo tempore iſto magis pro nobis eſt humiliatus, tanto hoc tempore magis eſt à nobis glorificandus. *Charitas* etiam ipſius hoc requirit quia ipſe ſtuduit ad hoc ut nos honoraret. Pſal. 9. *Annunciate inter gentes ſtudia ejus.* Item nos creando honoravit, quia ad imaginem & ſimilitudinem ſuam nos fecit. Eccleſiaſtici 17. *Deus de terra creavit hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum.* Ipſe etiam recreando nos honoravit, quia humanam naturam & divinam in eadem perſona ſociavit. Ipſe voluit inglorius apparere ut nos poneret in honore. Auguſt. Redemit, inquit, venditus, vivificavit occiſus, honoravit injuriatus. Ipſe morte propria gloriam æternam nobis paravit. Quanta ergo ingratitudo eſt cum aliquis illum inhonorat, qui honorem ipſius ſic procurat. Multum etiam poteſt Deus offendi cum in omnibus aliis creaturis videt ſuam gloriam ſecundum illud. Iſaiæ 6. *Pleni ſunt cœli & terra gloria ejus.* In homine vero, qui Deum præ cæteris debuit honorare, tanquam magis honoratus ab eo, videt ſuam contumeliam. Item cum Deus creaverit hominem ſpecialiter in ſuam gloriam juxta illud. Deuteron. 26. *Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem & nomen & gloriam ſuam.* Quantum poteſt offendi cum ipſe inceſſanter infert contumeliam. Item quanta dementia eſt cum homo ſemetipſum inhonorat, quem Deus ſic honorat. Eccleſiaſtici 10. *Quis honorabit exhonorantem animam ſuam?* Tempore iſto gloriæ ſalvatoris noſtri venturi, intendere debemus, ut ipſi tanquam illi, qui eſt gloria Domini & rex gloriæ, locum gloriæ præparemus, & ad ejus honorem veſtes gloriæ aſſumamus, & delitias gloriæ provideamus. Hæc enim tria facere ſolemus cum aliquam perſonam honorabilem ſuſcepturi ſumus. De *primo* dicit David, qui fuit vir ſecundum cor Dei. Pſal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Nec eſt neceſſe quærere Deo locum glorioſiorem corde humano, ſi tamen fuerit modo debito præparatum. Seneca. Scitote homines tam bene culmo quam auro tegi. Contemnite omnia quæ ſupervacuus labor velut ornamentum ad decus ponit. Cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil eſt magnum. Cor humanum ſine comparatione majus eſt mundo, cum ſit capax Dei, cui mundus comparatus eſt quaſi gutta roris. Sapient. 11. *Quaſi gutta roris antelucani ſic eſt ante te orbis terrarum.* Cor humanum eſt palatium regium, ſi tamen ibi debito modo conſulatur, imperetur & pareatur, imo regnum Dei. Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Eſt etiam cœlum cœlorum, cujus habitatio eſt Deo gratiſſima Proverb. 8. *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Hic locus eſt debito modo paratus, ſi ſit paratus ut dictat ſumma pars animæ, ſecundum quam maximè attenditur ſimilitudo ejus ad Deum, quæ pars ſemper remurmurat malo. Anima ſic parata locus eſt gloriæ ſecundum illud. Pſal. 75. *In pace factus eſt locus ejus.* Sine hac pace eſt cor hominum quaſi domus perſtillans, in qua non eſt quies Proverb. 17. *Tecta perſtillantia & litigioſa mulier comparantur.* Ad *veſtes gloriæ* monemur. Iſaiæ 52. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem civitas ſancta.* Veſtes gloriæ dicuntur veſtes ſpirituales ad differentiã veſtium corporis, quæ ſunt veſtes ignominiæ. Bern. Qui gloriatur in veſte ſimilis eſt furi glorianti de cauterio, quia propter peccatum à Deo introdu-

1. Ut ſuperbia noſtra confundatur.

2. Ut ejus humiliatio exaltetur.

3. Ut ab ejus contumelia caveatur ob tria.

1. Ob ipſius ſublimitatem.

2. Ob eius humilitatem.

3. Propter charitatem illius, quæ quæ in multis apparet.

Indignitas eſt ingratitudo inhonorantium Deum.

4. Ut eius glorificationi intendatur præparando nos ad honorificè eum nunc ſuſcipiendum, quod fit tripliciter.

Locum honorificum præparando.

Locus iſte eſt animus ſeu cor noſtrum.

Eius excellentia.

Hic locus quomodo bene ſit paratus.

1. Veſtes ornatas induendo.

Veſtes ſunt tres virtutes.

ctus eſt uſus veſtium, Veſtes in hoc feſto convenientes erunt *puritas*, *humilitas*, *charitas*, Puritas eſt velut veſtis de byſſo, humilitas velut veſtis violacea, charitas velut veſtis purpurata. *Delitiæ gloriæ* quibus Deus paſcendus eſt, ſunt eius laudes. Pſal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum*, &c. *Immola Deo ſacrificium laudis*, &c. Licet Deus cibo corporali in ſe non egeat, tamen paſcendus eſt eo in membris ſuis. Sed cibus proprius eius eſt laus, & ſic cibus iſte dicitur glorioſus, cum ſcriptũ ſit. Pſal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Glorificatio vero iſta non debet eſſe ſolius oris, ſed etiam cordis & corporis. 1. Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro*. Quidam labiis Deum glorificant, corde autem & opere eum blaſphemant. 1. ad Corinth. 10. *Sive ergò manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Gloſſa. Si modum debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, quantaſcunque laudes lingua ſonet vita blaſphemat. Iſa. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*.

Cibis delicatis cum paſcendo. quid ſunt illi cibi.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SERMO XI.

SUMMARIUM.

Hic ſermo ad benedictionem à Chriſto naſciturо percipiendam ex themate duo nobis potiſſimum facienda præſcribit.

Oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorare. *Sapient.* 16.

Proœmialis.

NAtivitatem ſalvatoris cras ſumus celebraturi &, niſi per nos ſteterit, eius benedictionem accepturi; ideo vobis oſtendemus quid facere debeamus, ut eius benedictionem ſuſcipiamus, ſecundum verbum propoſitum debemus eum *prævenire* & *adorare*.

Duo iuxta thema facienda ſunt.

1\. Salvatorem debemus prævenire.

Prævenire autem debemus *ſex modis*, *Primo* à lecto pigritiæ ſurgendo, indecens enim eſt Chriſtiano ſi ortus veri ſolis in eodem lecto eum jacentem inveniat. Proverb. 24. *Vſquequo piger dormies* 2. Rom. 13. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*.
1\. *Secundo* impedimentum ſeu obſtaculum amovendo,
2\. ſicut enim ſol, qui oculos corporis illuminat, licet liberaliſſimè lucem ſuam impendat, tamen ſi groſſum corpus oppoſitum fuerit officium ipſius impedit. Sic licet iſte verus ſol liberaliſſimus ſit, impeditur tamen peccatorum oppoſitione, ne eius beneficium recipiatur. Iſaiæ 59. *Iniquitates
3\. veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis*. *Tertio* faciem interiorem ad eum convertendo, meditando ſcilicet de tempore iſto, & adventum ipſius deſiderando. De ilis qui verterunt ei tergum & non faciem non eſt mirum ſi ab eo non illuminantur.
4\. Auguſt. 4. libro Confeſſ. Dorſum habebam ad lumen & ipſa facies mea non illuminabatur. *Quarto* ad verum ſolem appropinquando. Pſal. 33. *Accedite ad eum & illuminamini*, &c. Iacobi 4. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis*. Appropinquatio iſta fit non loco ſed ſimilitudine. Salvatori hoc tẽ-
5\. pore appropinquat qui ſtatum ſuum meliorat, qui proponit eum de cætero expreſſius imitari. *Quinto* ſe humiliando ſicut recepturi benedictionem epiſcopalem monentur ut ſe humilient ad benedictionem. Sic qui benedictionem ſalvatoris hoc
6\. tempore volunt recipere debent ſe ad eum humiliare, *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Iacobi 4. *Sexto* ſalvatori benedicendo vel in ſe vel in membris ipſius. De benedictione ipſius in ſe dicitur. Eccleſiaſtici 43. *Benedicentes exaltate eum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude: exaltantes autem replebimini virtute*. Proverb. 11. *Anima quæ benedicit impinguabitur*. In membris etiam ipſius debemus benedicere ſalvatori, eleemoſynas abundanter ei dando, ut ſic benedicamur ab eo in præſenti benedictione gloriæ, & in futuro benedictione gloriæ. Vnde Matthæi 25. *Venite benedicti*. Ad Corinth. 29. *Qui ſeminat in benedictione, in benedictione & metet*, Lucæ 6. *Date & dabitur vobis*.

II. Chriſtum debemus adorare, ad quod varia nos monẽt.

In hac ſolennitate etiam attendendum eſt ad adorationem, ad quod monet nos eccleſia in principio officii matutinalis dicens: *Chriſtus natus eſt nobis, venite adoremus*. Ad idem monemur exemplo regum qui venientes ad locum ubi puer erat, procidentes adoraverunt eum Matth. 2. Viri religioſi pronuntiata nativitate ſalvatoris in capitulo, proſternunt ſe Deum corde & corpore adorantes. Ad idem invitat nos conſuetudo ſecularium: cum enim filius alicuius principis venit recipere terram quæ iure hæreditario ad eum pertinet, recognoſcitur eius dominium: adorando ſic dominium Regis noſtri ad nos venientis debemus recognoſcere adorando. Idem etiam requirit Dei ordinatio, qui vult ut qui ſe humiliat exaltetur. Vnde filius altiſſimi pro nobis hoc tempore humiliatus multum à nobis eſt exaltandus, quæ exaltatio maximè fiet adoratione. Ad idem facit quod parvi multum ſolent adorare magnos, cum dignantur viſitare eos, & quod negat facultas ſupplet in eis devota voluntas. Zachæus parvus gaudens ſuſcepit ſalvatorem. Lucæ 19. Elizabeth cum beata Virgo eam viſitaſſet ait: *Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Lucæ 1. & David Pſal. 8. *Quid eſt homo quod memor es eius?* &c. Devotiſſimè ergo ſuſcipiendus eſt à nobis filius Dei ad nos veniens. Bern. Fratres hic eſt hæres, devotè ſuſcipiamus eum, ſic enim & hæreditas noſtra erit. Filius Dei non tantum venit regnum accipere, ſed regnum æternum dare. Ideo enim filius Dei factus eſt homo, ut hæredes faciat filios Dei iuxta verbum. Bern. Regnum eius eſt in manu ipſius ad dandum ſicut cantat Eccleſia. Si honoraverimus eum, erimus ipſius cohæredes. Vult pater ut honoremus eum ſecundum illud. Matth. 21. *Noviſſime miſit ad eos filium ſuum dicens, verebuntur filium meum*. Sed multi videntur facto dicere quod ibi ſequitur: *hic eſt heres venite occidamus eum*. *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis filium Dei & oſtentui habentes*, ad Hebr. 6. Valde reprehẽſibiles ſunt qui à Deo receſſerunt. Ierem. 17. *Domine omnes qui te derelinquunt confundentur*. Ipſi pro peſſimo Domino optimum derelinquunt: tale enim bonum eſt Deus ut nemini eum deſerenti bonum ſit, ſicut dicit Auguſt. Oſeæ 7. *Væ eis quia receſſerunt à me*. Ierem. 2. *Scito & vide quia malum eſt & amarum te dereliquiſſe Dominum Deum tuum*. Ipſi relinquendo eum proiecerunt omne bonum. Oſeæ 8. *proiecit Iſrael bonum*.

Chriſtus quomodo ſit ſuſcipiendus.

Quare ſit honorandus.

Inhonorãtes & deſerentes Deum quales ſint.

Adoratio quid ſit.

Circa adorationem verò, cui intendendum eſt, notandum, quod adoratio divinæ maieſtatis eſt profeſſio, ut maieſtatem intelligamus, quod ſignificatur per hoc adverbium *ſummè*, cum dicitur ſummè potens, ſummè ſapiens, ſummè bonus. Adorans recognoſcit plenum Dei dominium in ſe & ſui plenam ſubiectionem, quæ recognitio fit quatuor modis: *Corde*, *verbo*, *corpore* & *rebus*. Recognitio cordis eſt nobilior, & ideo gratior Ioannis 4. *Venit hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate, nam pater tales quærit qui adorent eum*. Ad recognitionem cordis quatuor pertinent: *Fides*, *amor*, *timor*, & *ſpes*. Ad *fidei* recognitionem pertinet ut credamus Deo ſicut ei credendum eſt, propter ſe ſcilicet

Fit quatuor modis.

1\. Corde.

Ad hoc quatuor pertinent.

1\. Fides.

& ſuper omnia tanquam primæ veritati. Item ad eam pertinet ut digna Deo credamus de eo, ut ſummam potentiam, ſummam ſapientiam, ſummam bonitatem & conſequentia ad hæc, ut ſcilicet quoniam ipſe eſt omnium bonorum Creator & ſervientium ſibi liberaliſſimus remunerator. Eorum vero qui pertinaciter ſibi ſunt rebelles zelatiſſimus ultor.

2. Timor.

Timore recognoſcimus Dei maieſtatem, non qualicunque timore, ſed tali quali timendus eſt ille cuius potentiæ nemo poteſt reſiſtere, vel eam fugere, cuius ſapientiæ nihil poteſt abſcondi, quæ cum ſit ſumma, ſummè odit malitiam & ſine fine puniet quos in ea pertinaces invenerit.

3. Spes.

Spes etiam pertinet ad recognitionem, ſpes, inquam, talis qualis ponēda eſt in eo cuius potentiæ facillimū eſt. Liberare ab omni miſeria, cuius ſapientiæ notiſſima eſt miſeria noſtra. Abyſſus enim miſericordiæ non invocat abyſſū miſeriæ niſi agnoſcatur. Item eius bonitati proprium eſt miſereri & parcere, qui propter liberalitatem fecit quæcunque fecit.

4. Amor.

Amore etiam pertinet ad recognitionem, amor, inquam, talis qualis ille amandus eſt, qui eſt optimus in ſe, & eo amore digniſſimus, qui etiam fons eſt omnium bonorum à quo omnia bona ſuſcepimus, quæ habemus vel habuimus, & quæ ſuſcepturos nos ſperamus.

Hæc quatuor ſimilia ſunt quatuor ſpeciebus aromaticis in thymiamate.

Hæc quatuor ſunt velut quatuor ſpecies aromaticæ in thymiamate ſpirituali. De thymiamate habetur. Exodi 30. *Talem compoſitionem non habebitis in uſus veſtros, quia ſanctum Domino eſt. Homo quicunque fecerit illud ut odore illius perfruatur, peribit de populo ſuo.*

Has ſpecies non habent quatuor genera hominum.

Primam ſpeciem non habent mulieres ſacrilegæ plus credentes ſortilegis & divinis quam Deo. *Secundam ſpeciem* non habet qui timore verbi deriſorii vel alterius mali tranſitorii ceſſant à pœnitentia inchoata vel alio bono. *Tertiam ſpeciem* non habent qui non ſperant ſe habituros neceſſaria, ſi Deo ſervierint, ut ſunt uſurarii, vel fatuæ mulieres. *Quartam* non habent avari, qui plus amant pecuniam quam Deum, qui indubitanter idolatræ ſunt. Gloſſa ſuper illud. Ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt*, &c. Hoc ab homine colitur quod præ cæteris diligit.

2. Fit adoratio verbo.

Verbo recognoſcit eccleſia maieſtatem Dei & plenum dominium, cum dicit Chriſto: *tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus.*

3. Corpore

Corpore fit hæc recognitio, inclinatione, genuflexione & proſtratione. Iſaiæ 45. *Mihi curvabitur omne genu*, Deo excelſo.

4. Rebus.

Rebus fit hæc recognitio, cum decimæ offeruntur Domino, in ſignum univerſalis dominii.

Adoratio aliquorum eſt illuſio.

Et *notandum* quod adoratio quantum ad multos videtur eſſe illuſio ſicut Chriſto genuflexione illuſum eſt à crucifixoribus ſuis. Matthæi 27. Vt cum ab aliquo genuflectitur qui diaboli ſervus eſt & ei obſequitur: vel cum aliquis recognoſcit bona ſua à Deo ſe habere, & tamen cum petit Chriſtus aliquid ab eo per pauperem, non vult ei dare. Auguſtinus in perſona Domini. De eo quod dedi tibi de meo peto & mihi non donas.

DE EODEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo 5. tractat ex Evangelio. 1. primò Agitur de conceptione Chriſti. 2. & 3. aliqua in Ioſepho & Angelo imtanda proponuntur 4. Præcipuè de Nomine Ieſu aliqua traduntur, cujus occaſione. 4. Motiva ſalutis noſtræ afferuntur. 5. Circa rationem nominis hujus, in Evangelio allatam duo notantur.

SERMO XII.

Ioſeph fili David noli timere accipere Mariam *Matth.* 1.

I. Quid in hoc Evangelio tractetur.

IN Evangelio hodierno oſtenditur quod Chriſtus patrem carnalem non habuit, ſed de Spiritu ſancto conceptus fuit, id eſt operante vel operatione Spiritus ſancti, & ad hoc oſtendendum introducitur Ioſeph ſuper hoc dubitans & angelus de hoc eum certificans.

Hoc triam teſtimonio probatur.

Et *notandum* quod conceptio Chriſti *tripliciter* probata eſt, eſſe non de patre carnali, ſed de Spiritu ſancto, teſtimonio ſcilicet *Dei & angeli & hominis.* Teſtimonio Dei ſcilicet miraculo: ſplendor enim procedebat de facie Virginis, ut legitur in Evangelio Nazaræorum. Teſtimonio angeli de quo habetur hic. Teſtimonio hominis, ſcilicet Iſaiæ prophetæ dicentis: *ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Iſa. 7.

III. In Ioſepho 4. imitanda proponuntur.

Item notandum quod in Ioſeph quatuor nobis commendantur.

1.

Primo juſtitia ibi: *Ioſeph*, ait, *cum eſſet homo iuſtus*, Ioſeph, tanquam homo iuſtus volens cavere offenſam Dei & ſcandalum proximi, & facere quod eum decebat, nolebat eam ſecum retinere, ne ſi res mala eſſet, videretur conſcius eſſe peccati & reus. Proverb. 18. *Qui tenet adulteram ſtultus eſt & inſipiens.*

2.

Secundo commendatur in nobis eius *pietas*, ibi: *& nollet eam traducere*, ne ſicut adultera puniretur. Interlin. Pro traducere græci habent propalare.

3.

Tertio commendatur nobis eius *prudentia* in hoc, quod mediam viam elegit ut occultè eam dimitteret. Dimittere eam voluit quia iuſtus, occultè quia pius. Gloſſa. Vera virtus eſt cum nec pietas ſine iuſtitia, nec iuſtitia ſine pietate eſt, quæ ſeparatæ ab invicem dilabuntur.

4.

Quarto maturitas ibi: *hoc autem eo cogitante.* Gloſſa. Hic docemur diu deliberandum eſſe in incertis ne peccemur temeritate levitatis.

III. In Angelo quatuor

1.

In angelo vero certificante Ioſeph *primo* attendendum eſt, quod cum Ioſeph incertus eſſet an res eſſet bona vel mala, ipſe hoc in meliorem partem determinat, exemplo ergo eius dubia in meliorem partem interpretari debemus. Interpretatio dubii in meliorem partem, eſt interpretatio angelica, interpretatio verò in deteriorem eſt diabolica. Talem interpretationem fecit diabolus per ſerpentem loquens Evæ dubitanti, Geneſ. 3.

2. 3. & 4. Tria officia Angelis.

In angelo *etiam* attendenda ſunt *tria* pertinentia ad officium angelicum ſecundum beatum Dionyſium, *purgat* enim & *illuminat & perficit*.

1.

Purgat ab inordinato timore quantum ad effectum, dicens Ioſeph. *Noli timere*, &c. Item purgat à noxia dubietate quantum ad intellectum dicens: *quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt.* Gloſſa de ea naſci eſt in lucem produci, in ea vero naſci eſt concipi.

2.

Illuminat, oſtendens prolis ſexum & nomen dicens: *pariet autem filium & vocabis nomen eius Ieſum.*

3.

Perficit vero prolem commendando, & ſic ad amorem eius inflammando dicens: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum.*

Imitanda concionatoribus.

Hæc tria ſcilicet purgare, illuminare & perficere, pertinent etiam ad homines quorum eſt evangelizare: debent enim purgare ab errore & inordinata affectione, illuminare ad cognitionem viſus veritatis, & perficere accendendo ad ordinatum amorem bonitatis.

IV. De Nomine Ieſu tria notanda.

De nomine vero ipſius notandum quod eſt *nomen bonum, nomen glorioſum, & nomen benedictum.*

Eſt bonum Ad ſalutem noſtram curandam 4. movere nos deberent.

1.

Nomen bonum eſt, Pſalm. 51. *Expectabo nomen tuum quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.* Hoc nomen bonum erat in conſpectu beati Bernardi ſicut ipſe oſtendit ſuper illud. Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* Si diſputes, inquit, aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, cui fons fortè ſiccatus eſt lachrimarum, invocato Ieſu nominè continuò erumpit uberior, fluit ſuavior. Nomen ſalvatoris bonum eſt timenti ſuam damnationem & amanti ſuam ſalutem. Et *Notandum* quod *quatuor* ſunt quæ deberent hominem movere

vere ad amorem propriæ ſalutis. *Primum* eſt deſiderium ſalutis, quod videmus in creaturis inferioribus. Columba manens ſuper aquas, ubi videns umbram accipitris fugit. Cantic. 5. *& reſidet ſuper fluenta pleniſſima.* Item vix poteſt lapis ita cautè accipi ut in aves projiciatur, quin agnoſcant & fugiant. Ovis naturaliter fugit lupum; oculus ſtatim ſe claudit ſi aliquid ei noxium appropinquaverit, omnia illa faciunt creaturæ irrationales deſiderio propriæ ſalutis: quomodo ergo eſt excuſabilis creatura rationalis ſi propriam non dilexerit ſalu-
2. tem? *Secundum* eſt magnitudo & multitudo infirmitatum humani generis. Infirmitas ipſius tanta eſt ut multis ſenſum auferat. Bernardus in libro de conſideratione. Scio membrum longius à ſalute aſſiſtere quod obſtupuit, & ægrum ſe non ſentien-
3. tem periculoſius laborare. *Tertium* eſt multitudo periculorum quæ ſunt in mari hujus mundi. Quod periculum probat ſecundum Bernardum tranſeuntium raritas & pereuntium multitudo. In mari Marſiliæ vix ex quatuor navibus transfretantibus perit una: in mari hujus mundi vix ex quatuor anima-
4. bus ſalvatur una. *Quartum* eſt futuræ damnationis præviſio. Dives epulo ignem infernalem ſentiens, rogat ut adjutor ſalutis ad fratres ejus mittatur ne ad locum tormentorum veniant. Lucæ 16. Sic peccator ſi frequenter cogitaret ſuam damnationem
2. confugeret ad ſalvatorem. Hoc *nomen* Ieſus eſt *glorioſum*. Ad gloriam hujus nominis *primo* facit auctoritas nuntiantis illud, quia Angelus Lucæ 1. Item nuntiavit illud Joſeph, de quo habetur hic. *Secundo* facit ad gloriam hujus nominis hoc quod ipſum eſt terribile dæmonibus. Pſal. 110. *Sanctum & terribile nomen ejus.* Matth. 8. Quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? cur veniſti ante tempus torquere nos? *Tertio* hoc quod in iſto nomine facta ſunt miracula. Matthæi ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*, &c. *Quarto* quod in hoc nomine impetrabant Apoſtoli quod volebant. Joan. 15. *Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* *Quinto* hoc quod in ipſo omne genu flectitur, *cœleſtium terreſtrium & infernorum*, ad Philip. 2. Hoc *nomen*
3. etiam eſt *benedictum* Pſalm. 71. *Sit nomen ejus benedictum in ſæcula.* Item eodem Pſalm. *benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum*, & merito nomen ejus benedicitur à quo benedictio æterna obtinetur.

Eſt glorioſum Ad hoc 5. faciunt.

Eſt benedictum.

V. Ratio vero nominis oſtenditur cum ſubditur: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum*, &c. Circa quam rationem duo attendenda ſunt ſcilicet à quibus ſalvet & quos ſalvet. Dicitur enim ſalvare à peccatis, non ab hoſtibus corporalibus, ſicut fecit Joſue, ſalvare enim à peccatis ſolius Dei eſt dicit. Interlin. Unde in hoc oſtenditur eſſe Deus. Iſaiæ 34. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Luc. 5. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?*
2. Salvat autem populum ſuum, ſcilicet veros *Iudæos* peccata ſua confitentes. Bern. Quidquid remordet conſcientiam, confitere humiliter & purè & fideliter. Ipſe ſalvat circumciſos noxia deſideria vel ſuperflua reſecantes. Item ipſe ſalvat *Iſraelitas* in ſpeculo ſacræ ſcripturæ Deum videntes. Ipſe ſalvat veros *Hebræos* viſibilia iſta tranſeuntes, qui loquuntur lingua hebræa, ut faciebat Paulus 1. ad Corinth. 7. *Præterit*, inquit, *figura hujus mundi.* Sic etiam loquebatur Job. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Job 10. Sic loquebatur Jeſus. Lucæ 12. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.*

Circa rationem nominis duo notanda.

1. A quibus ſalvet.

Quos ſalvet. Hi triplices ſunt, Iudæi, Iſraelitæ, & Hebræi.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI.

SERMO PRIMUS.

SERMO XIII.

Summarium.

Oſtendit hic ſermo ex themate Prophetico. I. ſex cauſas, quare Mundus ante Chriſti Nativitatem in umbra mortis verſatus fuiſſe dicatur. II. remedium hujus mali avertendi fuiſſe Lucem, nimirum Chriſtum in hunc Mundum venientem. III. modum curandi Mundum fuiſſe humilitatem Chriſti, ut pote parvuli.

Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. *Iſaiæ 9.*

Et ſubditur quibuſdam interpoſitis. *Parvulus autem natus eſt nobis.* Prophetia eſt de nativitate Salvatoris de qua hodie ſolennizamus. Et oſtendit nobis Tria hæc Prophetia: *Primo* periculum in quo mundus erat ante Salvatoris ortum, *ſecundo* remedium, *tertio* declarat ſubveniendi modum qui modus ſubveniendi fuit per humilitatem. *Primum* tangitur ibi: *Habitantibus in regione umbræ mortis.* *Secundum* ibi: *Lux orta eſt eis.* *Tertium* ibi: *Parvulus enim natus eſt nobis.*

Thema tria oſtendit.

Ante ortum Salvatoris mundus erat regio umbræ mortis ſex de cauſis. *Primo* propter oblivionem pertinentium ad ejus ſalutem, maximè propter oblivionem juſtitiæ. Unde Job 3. *Obſcurent eum tenebræ & umbra mortis.* Interlin. id eſt, oblivio quæ delet memoriam ut mors vitam. Ideo in Pſal. 87. vocatur in terra oblivionis qui juſtitiæ divinæ non meminit quæ eum inceſſanter percutit 1.
nunc fame, núc ſiti, nunc calore, nunc frigore nunc labore, nunc infirmitate, nunc morte. Percutit Dei juſtitia mundum de ſummitate Virgæ, & tamen vix poteſt portare, quid fiet cum percutietur de groſſo, immo de gladio. *Secundo* propter abun- 2.
dantiam culpæ, quæ culpa eſt umbra mortis & ſimilitudo diaboli, quæ dicitur mors Apocal. 6. *Qui ſedebat ſuper illum nomen illi mors.* Hæc eſt umbra quam columba, id eſt habens Spiritum ſanctum timet & fugit, propter quam etiam deprehendendam ſedet ſuper aquas ſcripturæ ſacræ. Cantic. 5. *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum.* Oculi Eccleſiæ ſunt clerici, qui ſpecialiter ſuper aquas ſcripturæ ſacræ ſedere deberent, ut agnoſcentes umbram accipitris infernalis fugerent eum. *Tertio* propter pœnalis miſeriæ abundantiam. Tanta eſt miſeria præſentis vitæ, ut genus mortis vi- 3.
deatur. Eccleſiaſt. 4. *Laudavi magis mortuos quam viventes.* Eccleſ. 30. *Melior eſt mors quam vita amara.* Gregor. Vita peccantis laboribus plena eſt. Cum luctu agitur, & cum lachrimis amittitur. *Quarto* propter propinquitatem variarum cauſa- 4.
rum pereundi. Cauſis pereundi corporaliter & ſpiritualiter plenus eſt mundus. Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum & in muſcipulas pedibus inſipientium.* Paulinus Epiſcopus Auguſtino. Hoſtis noſter, cui mille nocendi artes, tam variis impugnandus eſt telis, quam impugnat inſidiis. Eccl. 9. *Super arma dolentium ambulabis.* Dolentes ſunt dæmones, qui ſecum flammarum incendium portare dicuntur, qui viſibilibus iſtis quaſi armis utuntur ad occidendum hominem. *Quinto* propter in- 5.
fernalis miſeriæ ſimilitudinem, miſeria enim præſentis vitæ eſt quaſi quædam imago infernalis miſeriæ, & ſic eſt umbra mortis, ſcilicet æternæ, quæ

I. Mundus fuit in umbra mortis ante Chriſti nativitatem ob ſex cauſas.

Miſeriæ inferni quatuor.

dicitur mors ſecunda. Apocal. 2. *Qui vicerit non*
lædetur à morte ſecunda. In inferno ſunt tenebræ
Matth. 22. *Projicite eum in tenebras exteriores.*
Ibi eſt ignis & vermis. Iſaiæ ult. *Vermis eorum*
non morietur & ignis non extinguetur. Item ibi eſt
confuſio & horror. Job 10. *Ubi nullus ordo ſed ſem-*
piternus horror inhabitat. Ibi etiam eſt habitatio dæ-
monum. Sic in mundo iſto ſunt tenebræ ignorátiæ.
Proverb 4. *Via impiorum tenebroſa.* Ibi etiam eſt
ignis concupiſcêtiæ & vermis remordêtis conſcien-
tiæ. Ibi tot ſunt habitationes dæmonum quot ſunt
mali. Ibi etiam eſt omnimoda confuſio, quod enim
deberet eſſe intra eſt extra, quod deberet eſſe ſupra
eſt infra, quod deberet eſſe retro eſt ante, quod de-
beret eſſe à dextris eſt à ſiniſtris. *Primum* accidit in
hypocritis qui pulchritudinem quam deberent
quærere interius quærunt exterius. Matth. 23. *Væ*
vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis
quod de foris eſt calicis & paropſidis. Væ vobis ſcri-
bæ, &c. quiſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. Item ac-
cidit in hominibus mundanis, qui ſe ornant exte-
rius & interius inornatos dimittunt, ſimiles ſter-
quilinio exterius nive tecto. Aug. Cum iniquis
omnia ſunt pulchra, & ipſi ſunt turpes. *Secundum*
accidit in his qui deberent obedire ſuperioribus
ſuis, & potius volût eos ſibi obedire. Hebr. ult. *Obe-*
dite præpoſitis veſtris, &c. Item accidit in ſervis dia-
boli, qui ſublimantur. Eccleſ. 10. *Vidi poſitum*
ſtultum in dignitate ſublimi & divites ſedere deor-
ſum. Vidi ſervos in equis & principes ambulantes
quaſi ſervos ſuper terram. *Tertium* accidit in mini-
ſtris Eccleſiæ, qui intentionem quam habere debe-
rent ad æterna habent ad temporalia. Hierem. 7.
Facti ſunt retrorſum & non ante. *Quartum* accidit
in eis qui reputant dextrum quod reputandum eſt
ſiniſtrum, eis proſperitatem reputant & prodeſ-
ſe, quæ eis maxime adverſatur. Gregor. Cùm om-
nis fortuna timenda ſit, magis timenda eſt proſpera
quam adverſa. Hæc enim ſerviendo erudit, illa blã-
diendo ſeducit: ſicut magis timendus eſt excœcans
quam illuminans, ſic proſperitas magis timenda eſt
quam adverſitas. Eccleſiaſt. 10. *Cor ſapientis in dex-*
6. *tera ejus & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* *Sexto* propter
ſuperbam à vero lumine averſionem. Averterat
ſe mundus per ſuperbiam à vero ſole, & ideo
umbra erat & umbra mortis, quia umbra ſuper-
biæ mortifera eſt: ſub hac umbra dormit diabo-
lus. Job 40. Auguſt. in libro de confeſſione. Dor-
ſum habebam ad lumen & ad hæc quæ illuminant
faciê, & ipſa facies illam quæ illuminata eſt cerne-
bat, non illuminabatur. & ſuper Rom. 1. *Errave-*
runt in cogitationibus ſuis & obſcuratum eſt inſipiens
cor eorum, &c. dicit Gloſſa. Quia ſuperbia erat in
eis obumbravit eos cœcitas: quod enim curioſitate
invenerunt, per ſuperbiam perdiderunt. Quod
Deus dederat gratis tulit ingratis.

Miſeriæ huius Mundi etiam ſunt 4.

Quatuor generibus hominum contingunt hæ miſeriæ.

II. Remedium umbræ huius depellendæ fuit Lux, Chriſtus ſcilicet. Chriſtus dicitur Lux.

Remedium oſtenditur cum dicitur: *Lux orta*
eſt eis. Chriſtus ſcilicet, qui eſt lux vera quæ illu-
minat omnem hominem, &c. Joannis 1. Ejuſdem
8. *Ego ſum lux mundi.* Item 12. *Ego lux veni in*
mundum. Et Notandum quod multis de cauſis
Chriſtus lux dicitur. *Primo* ad oſtendendum quod
de matre ſua natus ſit. Lux non damnificat illud
unde oritur, ſic Chriſtus matrem non damnifica-
1. vit auferendo ei Virginitatem. Boet. Nec ſideri ra-
dius ſuam minuit claritatem, nec virgini filius ſuam
2. integritatem. *Secundo* ad oſtendendam ipſius & pa-
tris coæternitatem Lux coæva eſt ei unde oritur,
& ſi illud eſt æternum ipſa coæterna, ſic filius co-
3. æternus eſt patri *Tertio* ad oſtendendam ipſius cum
patre unitatem, unitatem inquam eſſentiæ. In luce
contingit, radium generantem & generatum eſſe
unum, ut quando radius perpendiculariter deſcen-
dit in domum per feneſtram & cadit in terram, ge-
nerat ex ſe radium reflexum, qui radius reflexus re-
velatur per eandem viam per quam radius deſcen-
dit, & ita duo radij generans & generatus ſunt
unum, ſic pater & filius ſunt unum. *Quarto* ad 4.
oſtendendam virtutem Chriſti. Lux enim magnæ
virtutis eſt, principium enim eſt generationis, om-
nia enim generantur ſecundum aliquem lucis influ-
xum, ut dicit Philoſophus. Dionyſius in libro de
divinis nominibus. Nihil eſt viſibilium quo radius
non recipiatur ſecundum propriæ claritatis ſu-
perexcellentem magnitudinem, ſed ad generatio-
nem corporum ſenſibilium committitur, & ad vi-
tam ea movet & nutrit & auget & perficit & pur-
gat & renovat. Sic Chriſtus principium eſt per
quod omnia facta ſunt. Joan. 1. Per quem etiam
omnia regenerantur. Sap. 7. *Vapor eſt virtutis*
Dei & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis
Dei ſincera. *Quinto* ad oſtendendam Chriſti ſa- 5.
pientiam. Lux manifeſtativa eſt & ſui & cæterarum
rerum, ipſa per ſe videtur & alia mediante ipſa;
ſic & Chriſtus & ſe & omnia alia manifeſtat.
Joan. 14. *Manifeſtabo ei meipſum.* Ejuſdem 17. *Pa-*
ter manifeſtavi nomen tuum hominibus. Ejuſdem 13.
Vocatis me magiſter & Domine & benedicitis, ſum
etenim. Sapient 7. *Candor eſt lucis æternæ.* *Sexto* ad 6.
oſtendendam Chriſti bonitatem. Lux inter creatu-
ras viſibiles magnæ bonitatis eſt, unde ejus bonitas
inter creaturas prius indicatur. Geneſ. 1. *vidit Deus*
lucem quod eſſet bona. Bonum habet eſſe diffuſivum,
lux vero multum eſt diffuſiva, undique enim radios
diffundit & ſe communicat. Dionyſius. Sol omnia
quæ eum participari poſſunt illuminat, & ſuper-
extentum habet lumen in omnia. Si quid radios
ejus non participat, hoc non infirmitatis aut
brevitatis eſt illuminativæ ejus diſtributionis, ſed
per aſſumptionis luminis importunitatem. Ideo
Chriſtus bene dicitur lux pro tempore nativitatis
quando ſeipſum dedit. Item lux pulcherrima eſt
viſibilium formarum & oculis delectabilis. Eccle-
ſiaſt. 11. *Dulce lumen & delectabile oculis videre ſo-*
lem. Rectè ergo Chriſtus lux dicitur, & propter
bonitatem quæ eſt ſuavitas, & propter diffuſionem
vel communicationem ipſius: unde Sap. 8. dicitur
de ſapientia increata quod eſt imago bonitatis
Dei. Et *notandum* quod vera lux unica eſt, licet fal-
ſi oculi multas fingant ſibi luces. Falſus oculus
eſt impietas. Zachariæ 5. *Hic eſt oculus eorum in*
univerſa terra Avaritia eſt oculus avari, cui lucet
terra quæ eſt corpus tenebroſum. Luxuria eſt ocu-
lus luxurioſi, unde de ea quæ eſt ſimilis bufoni
videtur luxurioſo quod ſit ſimilis lunæ vel ſoli.
Unde quidam de ſacerdote cupido conquerente de
tumultu cujuſdam molendini, quod ſi ei daretur,
in cytharam ſuaviſſimam ei verteretur.

Modus ſubveniendi declaratur dum dicitur. III.
Parvulus enim natus eſt nobis. Periculum maximum
fuit ſuperbia, ideo remedium fuit per humilitatem.
Factus enim eſt, qui erat maximus infans parvu-
lus, ut exemplo ejus cæteri humiliarentur. Iſaiæ
64. *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes*, & à
facie tua montes defluerent, id eſt ſuperbi humi-
liarentur. Auguſt. Medicina tumoris hominis eſt
humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus,
quia humilis factus eſt Deus. Gregor. Quanta
virtus humilitatis, propter quam veraciter edo-
cendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt uſque
ad paſſionem parvulus factus eſt. Bernard. Studea-
mus effici ſicut parvulus iſte, diſcamus ab eo quia
mitis eſt & humilis corde, ne magnus ſcilicet Deus
ſine cauſa factus ſit homo parvulus.

Modus adhibendi remedium fuit humilitas Chriſti parvuli.

DE EADEM

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

SERMO XIV.

Ex hiſtoria hujus Evangelij quatuor potiſſimam tractanda hic ſermo deſumit.

Exiit edictum à Cæſare Auguſto ut deſcriberetur omnis orbis. *Lucæ* 2.

Evangeliſt quatuor tractat.

EVangelica hiſtoria quæ hodie recitatur in Eccleſia Quatuor nobis oſtendit. *Primo* ubi Salvator natus ſit. *Secundo* quam curam mater ipſius de ipſo nato habuerit, ibi: *Et pannis involvit eum*, &c. *Tertio* quod nativitas eius paſtoribus ſit revelata, ibi: *Paſtores erant in regione eadem*, &c. *Quinto* quomodo ea quæ de ſalvatoris nativitate paſtoribus ſunt dicta ab ipſis ſunt comperta, ibi: *Paſtores loquebantur ad invicem.*

I. De loco Nativitatis Chriſti duo tractantur.

I. Occaſio veniendi in Bethleëm.

Vbi vero primum oſtenditur duo nobis declarantur, ſcilicet occaſio qua Ioſeph cum uxore ſua prægnante in Bethleëm aſcenderit, & beata Virgo filium ſuum ibi pepererit. Occaſio Adventus ipſorum in Bethleëm fuit edictum Auguſti Cæſaris de orbe deſcribendo, ipſe enim volens ſcire numerum provinciarum & civitatum & villarum & perſonarum quæ erant ſubiectæ Romano imperio, voluit ut de villis convenirent homines ad civitates unde originem duxerant. Ideo Ioſeph cum uxore ſua venit in Bethleëm, unde David, de cuius progenie erant, fuerat oriundus, 1, Regum 17. Et Notandum quod Auguſtus Cæſar, cuius Regni Anno 42. Salvator natus eſt, licet inter homines maximè poteſtatis eſſet, tamen Dei ordinatione prohibuit ne aliquis eum Dominum vocaret, quaſi cedens vero Domino in mundum venienti. Tria vero in regno eius fuerunt, quæ conditionem regni ſalvatoris indicabant. Subiecti enim ipſius ſubjectionem ſuam profitebantur, ſolventes nummum argenteum, imaginem & ſuperſcriptionem eius habentem & decem nummos uſuales valentem. Ipſi etiam deſcribebantur, & pacis abundantia fruebantur, unde duodecim annis circa nativitatem ſalvatoris in tanta pace regnavit ut ad litteram videretur eſſe impletum illud Iſaiæ 2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces.* Profeſſio ſubiectionis atteſtabatur eius poteſtati, deſcriptio ſapientiæ ſeu diſcretioni, pax bonitati, quæ tria habet Salvator in ſummo. Ipſi enim data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Matthæi ult. In ipſo etiam ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ad Coloſſ. 2. Ipſe etiam accepit ſpiritum non ad menſuram. Ioannis 3. Vult Salvator eos qui ſubiecti ſunt regno ſuo eius dominium liberè profiteri. Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Vult etiam ut ſeipſos ei reddant eius imagine inſignitos; non enim placet ei diviſio illorum qui ſua offerunt Deo & ſeipſos diabolo. Vult etiam ut ſui præter imaginem gratiæ, ſimilitudinem quaſi ſuperſcriptionem habeant, qua mandata decalogi impleant. Ipſe etiam electos in æternitate deſcribit, ſecundum illud Lucæ 10. *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Ipſe eſt princeps pacis Iſaiæ 9. Erat diſcordia inter Deum & hominem propter præcepti dati homini transgreſſionem. Erat etiam diſcordia inter homines propter cultus diverſitatem. Item erat diſcordia inter homines & angelos. Nam ſicut dicit Gregor. qui extranei eramus à Deo, extraneos nos angeli deputabant. Sed hæc omnia pacificavit Salvator in mundum veniens, Coloſſ. 1. *Pacificans quæ in cœlis & quæ in terris.* Epheſ. 2. *Ipſe eſt pax noſtra* Iſaiæ 17. *Pacem faciet mihi.* Item ad ea quæ pacis erant doctrinâ & exemplo monuit. Ipſe pacem noſtram carè emit. Iſaiæ 53. *Diſciplina pacis ſuper eum*, &c. Ipſe finis regni cæleſtis pacem poſuit; illuc non intrat hoſtis. Iſaiæ 42. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*

Regnum Chriſti & Auguſti in tribus ſimilia fuerunt.

2. Circa locum nativitatis 4. notanda.

Circa locum vero nativitatis quatuor ſunt attendenda. *Primum* eſt quod naſcitur in terra aliena. *Secundum* eſt quod naſcitur in villa parvula. *Tertium* quod naſcitur in Bethleëm. *Quartum* quod naſcitur in via. In terra naſcitur aliena ad oſtendendum quod hæc pars mundi in qua homo exulat eſt ei terra aliena licet in ea inveteratus ſit. Baruch. 3. *Inveteraſti in terra aliena.* Ipſe eſt in ea quaſi advena & peregrinus. Aliunde enim venit, & ad alium locum tendit. De paradiſo terreſtri fuit expulſus & ad paradiſum cœleſtem tendit. Pſal. 38. *Advena ego ſum apud te & peregrinus.* Hebr. ult. *Non habemus hic manentem patriam, ſed futuram inquirimus.*

1. Cur ſit natus in terra aliena.

2. Cur ſit natus in parva villa.

Ipſe eſt in villa parvula conceptus, in villa parvula natus, ſed in civitate regia, ſcilicet Hieruſalem crucifixus. In magnis enim Civitatibus plus eſt ſapientiæ mundanæ quæ inimica eſt Deo. Ibi etiam plus regnat concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Aſcenſus Mariæ à Nazareth ubi conceperat in Bethleëm ubi peperit, deſignat aſcenſum à flore boni propoſiti ad fructum boni operis. In quibuſdam Chriſtus concipitur & non naſcitur, immo quaſi obortum paritur quia bonum propoſitum ad opus non perducitur.

3. Cur in Bethleëm ſit natus.

Rectè etiam in Bethleëm Chriſtus naſcitur, cuius nomen domus panis interpretatur, cum ipſe ſit panis vivus qui de cœlo deſcendit. Ioannis 6. Ante Chriſti nativitatem erat mundus plenus famelicis hominibus. Omne enim quod eſt in mundo eſt concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. 1. Ioan. 2. Et quid eſt aliud concupiſcentia carnis niſi fames delitiarum? quid concupiſcentia oculorum niſi fames divitiarum? quid ſuperbia vitæ niſi fames honoris? In perſona horum famelicorum dicit filius prodigus. Lucæ 15. *Ego autem hic fame pereo.* Hos famelicos panis iſte ſatiat, dum Chriſti gratia famem ſive ardorem concupiſcentiæ ſedat. In hoc etiam quod Chriſtus in Bethleëm naſcitur, datur intelligi, quod ad hoc quod Chriſtus in aliquo naſcatur ſpiritualiter multum valet refectio verbi divini. Vnde Bernard. in ſermon. Conſidera quod in Bethleëm Iudæ Chriſtus naſcitur, & ſollicitus eſto quomodo Bethleëm Iudæ inveniaris, & jam nec in te quidem ſuſcipi dedignetur. Bethleëm eſt aliquis per verbi divini refectionem, Iuda eſt per humilem confeſſionem.

4. Cur ſit natus in via.

Ipſe in via natus eſt, ad oſtendendum quod vita præſens via eſt ad mortem. Gregor. in Homilia. Quid eſt vita mortalis niſi via? & quale ſit fratres mei perpendite, in labore viæ laceſcere, & tamen viam nolle finire? Nocte & die inceſſanter ad mortem tendimus, ſingulis diebus unam magnam dietam ad mortem facimus. Aug. Nil aliud eſt tempus præſentis vitæ, quam curſus ad mortem, in quo nemo vel parvulum ſtare vel tardius ire promittitur, ſed omnes pari motu urgemur.

II. De cura matris erga natum filium.

Cura quam pia mater habuit de filio fuit; quod cum eum peperiſſet, ipſa *eum pannis involvit, & reclinavit eum in præſepio, qui non erat ei locus*, ſupple alius, *in diverſorio.* Diverſorium dicitur platea vacua inter duos muros deſuper cooperta, habens duos exitus, ubi homines divertere ſolebant, ibi manſerunt non invenientes hoſpitium propter multitudinem quæ in Bethleëm convenerat, ut dicit Sanctus Chryſoſtomus.

D. Virgo cum filio quatuor defectus paſſa eſt.

1. Defectus familiæ.

Et videntur nobis inſinuari *quatuor defectus* in verbis prædictis, quos beata virgo cum filio ſuo paſſa eſt. *Primus* eſt *defectus familiæ.* Solēt mulieres

cum pariunt habere aliquam mulierem quæ eis aſ- ſiſtit, quæ curam prolis gerit, quam veriſimile eſt beatam virginem non habuiſſe, per hoc quod ipſa puerum pannis involvit & in præſepium reclinavit. Ad idem facit hoc quod extranea erat, nec erat in alicujus hoſpitio ſed in diverſorio, & nox erat

2. Defectus operimenti

profunda. *Secundus* videtur fuiſſe *defectus operimenti*, pauci enim panni quos pauper mater habebat peregrè profecta ſine pellibus, non videntur bene ſuffeciſſe tenero puero de nocte & in medio hyemis Bern. in ſermon. Et certè cum tanta neceſſitas eſſet, nullam audio pellium fieri mentionem. De igne etiam nulla fit mentio, qui valde neceſſarius fuiſſet ei ad illuminationem & calefactionem.

3. Defectus lecti.

Tertius defectus videtur fuiſſe *lecti*. Præſepe pro lecto habuit. Præſepe non eſt lectus nec locus dormitationis, ſed refectionis potius eſt menſa jumentorum quam lectus.

4. Defectus habitaculi

Quartus videtur fuiſſe *defectus habitaculi*. Non habuit ſufficiens habitaculum, adeo enim fuit anguſtum, quod non fuit locus ubi puer collocaretur niſi præſepium. Hos defectus pati voluit ille à quo eſt omnis ſufficientia, ut tuos defectus suppleret, & ut in ipſis cum aliquos defectus pateris ſolatium haberes, magna enim eſt conſolatio membris ex capite, ut ait Auguſtinus.

III. De revelatione nativitatis Chriſti paſtoribus facta duo traduntur.

Circa revelationem dominicæ nativitatis duo ſunt nobis attendenda: ſcilicet quare ſit ſpecialiter facta paſtoribus ſuper gregem ſuum vigilantibus, & revelationis modus.

1. Paſtoribus facta cur ſit.

Multiplici enim ratione facta eſt paſtoribus.

1. *Primo* ad commendationem ſimplicitatis Mundus deridet ſimplicitatem ſecundum illud Job 12. *Deridetur juſti ſimplicitas.* Deus vero amat eam & eſt familiaris ei. Proverb. 3. *Cum ſimplicibus ſermocinatio illius.* 1. Corinth. 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus.*

2. *Secundo* ad commendationem vitæ laborioſæ. Bern. in ſermon. Quam multi nobiles ſecundum carnem, quam multi ſapientes hujus ſæculi hora illa ſtratis mollibus quieſcebant, & nemo eorum dignus habitus eſt novam videre lucem, ſcire magnum illud gaudium, audire angelos cantantes: *Gloria in excelſis Deo.* Agnoſcant ergo homines, qui in labore hominum non ſunt, quod viſitari ab Angelis non merentur.

3. *Tertio* ad commendationem vitæ paſtoralis ad litteram, cujus fuerunt antiqui patres. Geneſ. 26. *Viri paſtores ovium ſumus.*

4. *Quarto* ad commendationem vigilantiæ in paſtoribus ſpiritualibus. Gregor. Quid eſt quod vigilantibus paſtoribus angelus apparuit, eoſque Dei claritas circumfulſit, niſi quod illi præ cæteris videre ſublimia Dei merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſolicitè ſciunt, dumque ipſi piè ſuper gregem vigilant, divina ſuper eos gratia largius coruſcat. Valde conveniens fuit, ut nativitas agni paſtoribus nunciaretur. Iſaiæ 16. *Emitte agnum Domine*, &c. Joannis 1. *Ecce agnus Dei.* Item valde conveniens fuit ut princeps paſtorum, qui ovem perditam veniebat quærere paſtoribus revelaretur.

2. Paſtoribus quomodo facta ſit.

Ad modum vero revelationis ſex pertinent. Angelus enim per quem fuit revelatio juxta paſtores ſtat, claritas Dei eos illuminat, Angelus eos confortat, gaudium nativitatis eis nunciat, ſignum eis dat, & ne parva videatur unius Angeli auctoritas multitudo Angelorum glorificat & nativitatis utilitatem indicat dicens: *pax hominibus bonæ voluntatis*, Chriſtum ſcilicet ſuſcipientibus non perſequentibus. Iſaiæ 57. *Non eſt pax impiis dicit Dominus.* In hoc quod Angelus juxta paſtores, ſtat duo nobis oſtenduntur, ſcilicet concordia & reverentia Angeli ad hominẽ. Gregor. Priuſquam redemptor noſter per carnem naſceretur, diſcordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate & munditia per culpæ primæ meritum perque quotidiana delicta longe diſtabamus. Sed quia cognovimus regem noſtrum, recognoverunt nos Angeli cives ſuos, & quos infirmos abjectoſque deſpexerant, jam ſocios venerantur. Hinc eſt quod Loth & Joſue Angelos adorant, nec nos adorare prohibentur, Joannes vero prohibetur adorare. Apocal. ultimo. *Vide ne feceris.* Item Angeli humanam naturam quaſi infirmam contemnere auſi non ſunt, quam ſuper ſe in rege cœli venerantur. In hoc quod claritas Dei eos circumfulget oſtenditur, quod vera lux orta ſit in mundo. Malach. ultimo. *Vobis timentibus nomen meum orietur ſol juſtitiæ.* In hoc quod Dei claritas eos circumfulſiſſe dicitur, luminis abundantia oſtẽditur, quod ſecundum Gloſſam, in tota ſerie veteris teſtamenti non invenitur. Homine avertente ſe à vero lumine per præcepti tranſgreſſionem factæ ſunt tenebræ ſpirituales, quas comitabatur horror ſive timor. Ideo dixit Angelus. *Nolite timere*, Tenebras comitabatur triſtitia ſecundum illud Tobiæ 5. *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo.* Ideo dixit Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Item mũdus ſuperbiam Angeli apoſtatæ imitabatur, ideo ſpecialiter humilitas ſalvatoris nati paſtoribus indicatur: *invenietis*, inquit, ſe occultantem, *infantem*, non ſe jactantem, *pannis involutum*, quantũ ad humilitatem habitus, *& poſitum in præſepio*, quantũ ad domum & lectum, habentem ſtabulum pro domo & præſepium pro lecto. Et quia pro nobis humiliatus eſt, à nobis eſt glorificandus. Auditur multitudo Angelorum Deum glorificans, & exemplo ſuo ad Dei glorificationem nos incitans, & utilitatem nativitatis quæ eſt pax nobis indicans. Diſtributio illa angelica dans gloriam Deo & hominibus pacem, licet valde ſit utilis hominibus, ſuperbo tamen non placet ut dicit Bern. Gloriam meam alteri non dabo, ait Dominus: & ſuperbus ego; inquit, eam licet non dederit uſurpabo.

IV. De invento Chriſto à paſtoribus 3. notanda

Circa paſtores, qui ad locum nativitatis tranſierunt, & ſicut ab Angelo audierunt invenerunt, tria nobis attendenda ſunt. Quod tranſire in Bethleẽm non differunt, quod feſtinanter incedunt, quod cognita ſalvatoris nativitate divinæ laudi intendunt. *Primum* ibi: *factum eſt ut diſceſſerunt Angeli. Secundum* ibi *venerunt feſtinãtes. Tertium* ibi: *reverſi ſunt glorificantes.* Sicut verbum Angeli initiantis Chriſti nativitatem non inaniter audierunt, ſic multitudinem Angelorum glorificantem Deum imitati ſunt.

DE BEATO STEPHANO PROTHOMARTYRE.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Cum in hac vita certandum nobis ſit, proponit nobis hic ſermo ex Actibus Apoſtolorum certamen S. Stephani, ut illud imitemur, præcipuè in ſeptem. Circa finem verò tria monemur, quæ ad hanc pugnã nobis conducant.

SERMO XV.

Cum eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, &c. *Actuũ* 7.

Certamen ſeu martyrium cur nobis proponatur.

SOlent homines certamen libenter aſpicere. Hodie vero proponitur nobis certamen quoddam, non ſolum hominibus, ſed etiam Deo & Angelis ejus ſpectabile, ſcilicet certamen prothomartyris Stephani. Certamen illud ipſe rex Angelorum militem ſuum pro ipſo legitimè certantem aſpexit. Aſpexit etiam miles Dominum ſuum eum coronare volentem, aſpexit illum cujus adjutorio erat triumphaturus, aſpexit etiam gloriam quam ab ipſo poſt triumphum erat accepturus. Hoc certamen hodie debemus oculis cordis attentè

aſpicere

aſpicere, ut ad pugnam armemur, & de modo pugnandi inſtruamur. Oſtendebatur Elephantibus ſanguis uvæ & mori ad exacuendum eos in prælium. 1. Machab. 6. Sic ſanguis Chriſti & martyrum oſtenditur fidelibus ut ad pugnam animentur. Bernard. In mundo iſto quaſi in ſtadio certaminis poſiti ſumus, ubi Chriſtus mortuus eſt. Qui ergo hic livorem vel plagas non ſuſceperit, in futuro iudicio miles glorioſus minimè apparebit. Auguſt. Ideo natus eſt Dominus ut moreretur pro ſervo, ne ſervus timeret mori pro domino. Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes.* Sed quia aliquis poſſet dicere non poſſum quod Chriſtus potuit, ipſe enim erat gigas geminæ ſubſtantiæ. Ideo exemplum Stephani nobis proponitur, qui purus homo fuit. Auguſtinus. Si multum à te putas imitari Dominum tuum, attende Stephanum conſervum tuum. Idem. Multum ad te quia infirmos oculos habes intueri ſolem, lucernam vide. Ecce lucet lumen Stephani, lucet lucerna iſta. Homo erat, homo es ſed non accepit à ſeipſo. Nunquid accepit & clauſit tibi? fons communis eſt, bibe unde bibit, beneficio Dei accepit, abundat qui dedit, quod tu pete, accipe.

Excuſationi reſpondetur.

Modus pugnandi S. Stephani in 7. imitandus.

Diligenter attendendus eſt nobis modus certandi quem habuit Stephanus, ut de modo pugnandi in eo inſtruamur. *Septem* verò attendenda ſunt, circa modum illum. *Primum* illud quod cæleſtia
1. intendit: Secundum illud: *intendens in cælum.* Conſideratione vero cæleſtium terrena & tranſitoria deſpexit. Gregor. Vileſcunt temporalia, cum conſiderantur æterna: non curat qui vitam mortalem amittit pro Chriſto, cum conſiderat vitam immortalem ſe accepturum ab eo. Sapiens. Non eſt lugenda mors quam immortalitas ſequitur. 2. Machab. 7. *E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Qui divitias terrenas pro Chriſto amittit, non curat, ſi æternas ab eo ſe recepturum ſperat. Hebr. 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam* Conveniens modus ſervandi tranſitoria eſt perdendo. Ioan 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui animam ſuam odit in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* Videtur etiam perditio, & eſt in melius commutatio. Matthæi 16. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam.* Gloſſa. Qua-
2. ſi dicatur agricolæ frumentum ſi ſervas, perdis, ſi ſeminas, renovas. *Secundum* eſt quod certavit non percutiendo ſed ſapiendo: mala pœnæ fortiter ſufferendo, non inferendo. Non eſt boni viri mala inferre, ſicut nec ignis eſt frigere. 1. Thim. 6. *Tu autem homo Dei ſectare patietiam.* Apocal. 13. *Hac eſt patientia fides ſanctorum.* Eccleſiaſtici 1. *Uſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis.* In eodem 2. *Qui timent Dominum cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius.* Glorioſiſſimi triumphi ſunt triumphi patientiæ. Proverb. 16. *Melior eſt patiens*
3. *viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* *Tertium* eſt quod plus malis perſecutorum condoluit quam de propriis doluit. Fulgentius. Plus illorum dolebat peccata quam ſua vulnera. Plus illorum impietatem quam ſuam mortem. Nec mirum, illorum impietatem mortalem ſequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Signum vero quòd magis doluit de malis perſecutorum, quam de proprio malo eſt hoc, quod flexis genibus & cum clamore pro eis oravit. Beda pro ſe ſtans oravit, pro inimicis genuflexit, quia maior eorum iniquitas maius ſuplicandi remedium requirebat. Auguſt. Diſcernit juſtum à peccatoribus: pro iuſto ſtans petebat, quia mercedem exigebat; pro peccatoribus genua flexit, quia ſciebat quoniam difficile pro tam ſceleratis poſſet exaudiri quamvis iuſtus, quamvis ſub corona conſtitutus, & non præſumpſit ſed genuflexit, non attendens quid dignus eſſet petendo accipere, ſed quid illi digni eſſent à quibus volebat horrenda ſupplicia removere. Beatus Stephanus in patientia habuit pietatem iuxta verbum, 2. Petri 1. Sicut ſi frater tuus inſanus manu una gladio ſe transfoderet, & alia tibi alapam daret, plus doleres de magno malo quod inferret ſibi, quam de parvo quod inferret tibi. Sic amplius dolendum eſt de ſpirituali morte perſequentium, quam de corporali patientium. *Quartum* eſt quod mala culpæ diligenter
cavit peccata ſunt peiores hoſtes quos habemus. 4.
Alii enim hoſtes non poſſunt nobis nocere niſi per iſtos. Nulla enim nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, ideo totis viribus his hoſtibus reſiſtendum eſt. Auguſtinus. Frenate iram, quæ vos ſtimulat ad vindictam, ira enim ſcorpio eſt. Si te ſitis internis flammis excitaverit, magnum aliquid putas ſi te de inimico tuo vindicaveris. Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipſam iram te converte, quia ipſa eſt inimica tua, quæ occidit animam tuam; in iſtam ſævias, quia melior
eſt. qui vincit iram, quàm qui facit civitatem. *Quintum* eſt quod magna bona diligenter ſervare voluit, 5.
ſcilicet Spiritum ſanctum & bona ſpiritualia, ut innocentiam ſuam. Proverbiorum. 4. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* Domine, inquit, ſuſcipe Spiritum meum, & redde mihi promiſſum tuum. Pſal. 36. *Cuſtodi innocentiam.* Seneca. Ridiculum eſt odio
nocentis innocentiam perdere. *Sextum* eſt quod 6.
contrariis repugnavit ſicut aqua repugnat contra ignem, ſapientiâ repugnandum eſt contra ſtultitiam, bonitate contra malitiam, manſuetudine contra iram, charitate contra odium, conferendo bona inferentibus mala. Noli imitari in ho-
ſte tuo quod in eo odis & deteſtaris. *Septimum* eſt 7.
quod ad orationem recurrit, orando, omnipotentis adiutorium impetravit Ioſaphat rex Iuda 2. Paralip. 20. Turris fortiſſima nomen Dei, ad ipſum currit iuſtus & exaltabitur. Cum adiutorium omnipotentis Dei impetratur, orando, impetrans fortior, & quodammodo altior hoſte efficitur. In his ſeptem imitari debemus S. Stephanum in certaminibus noſtris, in quibus continuò ſumus. Militia enim id eſt tentatio ſeu pugna eſt vita hominis ſuper terram. Iob 7.

Nos pugnantes qui aſpiciant.

Attendere etiam debemus quod curia cæleſtis certamina noſtra aſpicit, ſicut certamen Stephani aſpexit. 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus.* Aſpicit Chriſtus pugnantes pro ipſo, qui victores coronabit. Et è contra vero victos cruciabit. Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Viriliter ergo nobis pugnandum eſt, ne in aſpectu eius confundamur. Cavendum verò nobis eſt ne ſoli pugnare præſumamus. Solus pugnare præſumit, qui in tribulatione pro adiutorio ad Deum orationem non mittit. 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus, qui non permittit vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Specialiter commendare debemus nos orationibus beati Stephani, quia iuxta verbum beati Auguſtini, multo magis nunc exauditur pro veneratoribus quam tunc exauditus eſt pro lapidatoribus. Quia multum efficax ſit eius oratio oſtendit Auguſt. his verbis. Ut noverit ſanctitas veſtra quantum valuit oratio ſancti Stephani Martyris, recurrite nobiſcum ad Saulum, qui cum ipſe lapidaretur, lapidantium veſtimenta ſervabat, ut tanquam manibus omnium ipſe lapidare vi-

Soli ne pugnemus.

S. Stephani orationibus commendare nos debemus.

deretur, qui ad lapidandum exertos reddebat. Hic audivit vocem dicentem ſibi. Actor 9. *Saule, Saule quid me perſequeris.* Propter mala quæ habuiſti in me olim, habui perdere te, ſed Stephanus oravit pro te. Igitur eliſus eſt filius perditionis, & erectus eſt vas electionis. Si ſanctus Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum uſque hodie non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus, quia in terram inclinatus exauditus eſt Stephanus.

DE BEATO JOANNE EVANGELISTA.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

SERMO XVI.

Hic ſermo juſtum præmittit Exordium, & in duas partes dividitur. In quarum prima explicando primum dictum thematis agit de amore vel amicitia inter Chriſtum, Ioannem & quamlibet animam devotam. In altera ex altero thematis dicto cauſam affert hujus amoris, nimirum ſimilitudinem, quod Chriſtus & Ioannes lilium ſit, ubi tria lilij accidentia afferuntur, quæ de S. Ioanne explicantur, taciteque fidelibus ſequenda proponuntur.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia. *Cant.* 2.

Exordium.

Amici Chriſti ſunt triplices. Qualis S. Ioannes fuerit.

HOdie ſolennizat eccleſia de ſingulari amico Chriſti, ſcilicet beato Ioanne. *Generaliter* ſunt amici Chriſti, qui eius mandata cuſtodiunt ſecundum illud. Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Speciales* amici Chriſti fuerunt Apoſtoli quibus ſecreta ſua revelavit. Ioannis 15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos*, &c. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à patre nota feci vobis. Singularis* vero amicus eius fuit Ioannes, quem Chriſtus pro ſe ſuæ matri tradidit Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Sicut ſingularis perſona proprio nomine ab aliis perſonis diſcernitur, ſic Ioannes dilectione Chriſti ab aliis diſcipulis diſtinguitur. Ioan. ult. *Converſus Petrus vidit diſcipulum quem diligebat Ieſus.*

Amicum eſſe Dei quantum ſit.

Si magnum eſt eſſe ſervum regis cœleſtis, ſerviens enim regis, par dicitur eſſe comiti, & ſervire Deo regnare eſt, quam magnum eſt eſſe amicum Dei, non ſolum generalem, ſed ſpecialem, ſed etiam ſingularem? Item cum ſecundum Tullium in libro de amicitia omnibus rebus humanis amicitia ſit anteponenda humana, quantum appendenda eſt amicitia Dei. Auguſtinus. Reſpice ad munera Eccleſiæ & univerſis excellentius charitatis munus cognoſces. De hoc ſingulari amico Chriſti, de quo ſolennizamus, vobis loqui volumus. Ideo ad eius commendationem & noſtram ædificationem verbum propoſitum de cantico amoris ſumptum proſequi volumus.

Propoſitio. De amicitia inter Chriſtum & Ioannem duo tractabuntur ex themate.

In quo *duo* nobis oſtenduntur pertinentia ad Chriſti & Ioannis amicitiam, ſcilicet *modus amandi & ratio amoris: modus amandi* ibi: *Dilectus meus mihi & ego illi. Ratio amoris* ibi: *Qui paſcitur inter lilia.*

I. Modus amandi in primo dicto thematis comprehenſus. Defectus primi dicti quadrupliciter ſuppletur & explicatur

Circa Primum attendendus eſt defectus locutionis & quomodo ſuppleri poſſit. Mos eſt amantium cum defectu loqui, propter vehementiam enim affectionis ſingultu & gemitu loquela interrumpitur. *Quadrupliciter* verò verbum propoſitum ſupplere poſſumus. *Primo* ſic. Dilectus meus cooperatur mihi & ego illi. Sicut vir, vel mulier non eſt arbor ſufficiens ad fructum carnalem producendum, immo oportet quod ſint duo in carne una prolis procreandæ. Ideo maximus amor eſt inter coniuges. Sic homo non eſt ſufficiens ad ſpiritualem fructum producendum, ſcilicet ad opus meritorium, immo Deus & homo cooperantur, homo per arbitrii libertatem, Deus per gratiam. 2. Corinth. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ideo maximus amor debet eſſe hominis ad Deum.

quomodo Chriſtus ſit nobis & non illi ſimus.

1.

2.

Secundo ſic poteſt ſuppleri. Dilectus meus congruit mihi & ego illi, ipſe eſt candidus & rubicundus. Cantic. 5. & talis eſſe ſtudeo. Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* Dilectus fuit candidus in egreſſu mundi, fuit enim velut lilium ex lilio virginali. Rubicundus vero in egreſſu mundi, quia ſanguine paſſionis rubricatus. Ipſe fuit candidus perfecta puritate, rubicundus charitatis igne, qui duo colores amantibus ſunt gratiſſimi.

3. Dicti huius pars prima.

Tertio poteſt ſic ſuppleri. Dilectus meus eſt mihi, id eſt ad meam utilitatem, mihi natus eſt, mihi vixit, mihi mortuus eſt, mihi reſurrexit, mihi ad dexteram Dei patris ſedet. Mihi natus eſt ſecundum illud. Iſa. 9. *Parvulus natus eſt nobis.* Mihi vixit, quia ſuam vitam in meam utilitatem expendit. Nocte intendebat orationi & die prædicationi & miraculorum operationi. Mihi mortuus eſt, ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis* Galat. 2. *Dilexit me, & dedit ſemetipſum pro me.* Mihi reſurrexit. Reſurrectio enim ſua pignus & ſecuritas fuit reſurrectionis meæ. 1. Corint. 15. *Si reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus fuit vel reſurrexit.* Mihi ad dexteram patris ſedet, ad Heb. 7. *Accedens per ſemetipſum ad Deum; ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et eiuſdem 9. *Ieſus introivit in cœlum ut appareat vultui Dei pro nobis.*

Accommodatur S. Ioanni.

Specialiter utilitati beati Ioannis Chriſtus intendit, quando faciebat ſpecialem gratiam tribus diſcipulis, quorum Ioannes unus erat. Vt in transfiguratione. Matthæi 17. ad quam admiſſi ſunt. Et Marc 5. In puellæ ſuſcitatione, quando faciebat gratiam duobus, ipſe erat unus ex eis. Vnde ipſe ſolus & Matthæus duas habent dignitates in eccleſia Dei. Ipſi ſunt de numero quatuor evangeliſtarum, & duodecim Apoſtolorũ. Fecit etiam ei gratiam quam nulli alii creaturæ fecit, quod matri ſuæ ipſe eum tradidit.

Pars ſecunda.

Sequitur. *Et ego illi.* Sicut Chriſtus nobis, id eſt ad noſtram utilitatem fuit, ſic nos debemus ei, id eſt ad eius honorem eſſe. Rom. 14. *Nemo noſtrũ ſibi vivit & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus ſive morimur, Domino morimur* In eodem. *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Bern. Cui mihi iuſtius vivendum eſt quàm ei qui ſi non moreretur ego non viverem? iuſtè ſibi vendicat vitam meã, qui pro mea poſuit ſuam. Ioannes ut ſe totaliter daret Deo, voluit non eſſe in matrimonio. 1. Corinth. 7. *Qui cũ uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

4. Pars prima dicti.

Quarto modo ſic poteſt ſuppleri. Dilectus meus mihi eſt omne quod deſidero. Pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Ipſe eſt omne bonũ, Exod. 33. *Ego oſtendã tibi omne bonũ.* Ideo diligens non expreſſit quid ſibi eſſet dilectus quia illud ineffabile eſt quod omnem ſenſũ & intelligentiam excedit.

Pars altera.

Sequitur *& ego illi.* Quid diligens ſit dilecto non expreſſit cauſa jactantiæ vitandæ, quare magnum quid eſt ei. Ipſe eius reputatione eſt filius matris ipſius, & ideo quaſi frater eſt eius, immo quod plus eſt, ipſe eſt ei alter ipſe. Tullius. Verum amicum qui intuetur tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundãt, & imbecilles valẽt, &, quod dicto facilius eſt, mortui vivunt. Ioannes Chriſto mortuo loco eius vixit matri ſuæ. Ipſe vero potuit dicere illud Galat. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Magnum quid Chriſtus eum reputavit, cum eum pro ſe matri ſuæ reliquit. Si enim meliorem in mundo inveniſſet, veriſimile eſt quod eum pro ſe matri reliquiſſet.

II. Cauſa amoris in altero dicto thematis contenta.

Sequitur *qui paſcitur inter lilia.* In quo oſtenditur quare Chriſtus Ioannem dilexerit, ideo eum ſic dilexit, quia lilium ſicut Chriſtus fuit. Cantic. 1. *Ego flos cãpi & lilium convallium.* Lilium habet can-

S. Ioannes fuit lilium ob tria.

1\. Ob triplicē candorem. Sapientiæ.

dorem & odorem & mitigat dolorem. Triplicem candorem habuit Joannes. Ipſe habuit candorem *ſapientiæ*, & hæc eſt candor lucis, ideo ille, qui eſt candor lucis æternæ, eum dilexit. Eccleſiaſtici 15. *Replevit enim ſpiritu ſapientiæ.* Ipſe recubuit ſuper pectus Domini. Joan. 23. Et cœleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris altius potavit, ut dicit Auguſt. In pectore enim Chriſti erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ipſe ſedit ſupra fontem vitæ, à quo fonte abundantiam ipſe habuit, ut eſſet unus de magnis fluviis Paradiſi ad terram Eccleſiæ irrigandam.

Innocentiæ Munditiæ. Ad tres vires animi referuntur.

Habuit etiam Joannes candorem *innocentiæ*, mala enim in manſuetudine ſuſtulit, non intulit. Habuit etiam candorem *munditiæ* carnis, Virgo enim eſt electus à Domino & virgo ſemper permanſit. *Primus* candor pertinet ad vim rationalem, *ſecundus* pertinet ad iraſcibilem, *tertius* ad concupiſcibilem.

2\. Ob triplicē odorem cujus triplex cauſa

1\.

Ipſe etiam lilium fuit quantum ad *odorem*, multæ enim redolentiæ fuit. Triplex poteſt eſſe cauſa magnæ redolentiæ. *Prima* eſt *flatus venti*: ſicut accidit in hortis ubi ſunt arbores herbæ aromaticæ, quæ ad flatum Auſtri multum redolent. Cantic 4. *Veni Auſter perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

2\.

Secunda eſt *contritio ſpecierum*, ut cum ſpecies pulverizantur, plus enim redolent pulverizatæ quam integræ. Cantic. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarij.*

3\. Applicantur hæc tria S. Ioanni.

Tertia eſt cauſa *ignis*, ut accidit in thure. Eccleſ. 50. *Quaſi thus ardens in igne.* His tribus modis Joannes

1\.

magnam redolentiam habuit. Ipſe fuit hortus delitiarum. Si delitiæ ſunt Dei eſſe cum filiis hominum. Proverb. 8. quantæ delitiæ ei ſunt eſſe cum filio hominis, ſcilicet cum illo quem filium Virginis haberi voluit? Ille hortus delitiarum auſtro Spiritus ſancti aſpirante & arcana Dei ei inſpirante cœleſtis doctrinæ redolentiâ abundavit.

2\.

Ipſe etiam fuit apotheca ſancti ſpiritus ſpecierum gratiarum plenus, unde & Joannes, id eſt, in quó eſt gratia, dictus eſt, ſpecies aromaticæ ſunt contritæ in eo quodammodo, quia tribulationibus eſt afflictus. Ipſe in fervente oleo eſt poſitus & in exilium miſſus. Ipſe etiam venenum bibit, in quo magnæ redolentiæ fuit. In manſuetudine enim tribulationes ſuſtinuit & de ipſis Deo gratias reddidit.

3\.

Ipſe etiam fuit velut fornax Spiritus ſancti. Sicut enim à Deo multum eſt dilectus, ſic Deum, & in ſe & in membris ejus multum dilexit. Magna ejus charitas omne bonum dilexit, & bonis operibus abundavit, & ſic ignis charitatis in eo redolentiæ cauſa fuit.

Ex his tribus triplex redolentia S. Ioannis colligitur.

Unde, & breviter colligamus, ipſe habuit redolentiam *ſapientiæ* dicendo. Sapientia enim *ſicut cinnamomum vel balſamum aromatizans odorem dat*. Eccleſiaſtici 24. Habuit etiam redolentiam *charitatis* bona amando & agendo, & redolentiam *manſuetudinis* mala cum gratiarum actione ſuſtinendo.

3\. Ob mitigationem doloris vel miſeriarum relevationem.

Ipſe etiam fuit lilium quantum ad doloris mitigationem, miſeriam hominum non ſolum ſpiritualem ſed etiam corporalem relevando, unde gemmas valde pretioſas, quas Anton. Philoſophus in foro ob mundi gloriam frangi fecerat, oratione facta ſolidavit, ut earum pretium pauperibus poſſet erogari.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SERMO XVII.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone agitur de falſa mundi & vera Chriſti amicitia quibuſque modis hanc S. Ioannes ſibi compararit, oſtenditur.

Beatus qui invenit amicum verum.
Eccleſ. 25.

Expoſitio brevis thematis. Propoſitio de tribus agendum.

Amicum verum, id eſt Chriſtum, invenit beatus Joannes, de quo ſolennizamus, unde beatus fuit hic beatitudine viæ, & nunc beatus eſt beatitudine patriæ. *Tria* vero volumus vobis oſtendere circa verbûm propoſitum. *Primo* quod in mundo non inveniatur amicus verus, *ſecundo* quomodo Chriſtus ſit amicus verus, *tertio* quomodo beatus Joannes hunc amicum invenerit ſeu acquiſierit, ut ſic pateat quomodo à nobis inveniri poſſit.

I. Mundus quid ſit & cui non detur in illo amicus verus.

Circa primum notandum quod illi vocantur mundus qui amant bóna mundi, ſcilicet divitias & honores & delitias uſque ad contemptum Dei & ſuorum, ſic ſumitur. Joannis 1. *Et mundus eum non cognovit.* Inter tales non invenitur verus amicus ſapiens. Hoc primum ſentio niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe. Eccleſiaſtici 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus eſt?* quomodo diliget alium qui non diligit ſe? Pſalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Verè odit eam, cum procuret ſibi mortem æternam, nec ſolum animam odit, ſed etiam carnem, cui idem procurat. Qui odit animam odit & carnem, qui providet animæ providet & carni. Si enim bene fuerit animæ in futuro; bene erit & carni. Unde ſecundum beatum Bernardum: nihil eſt melius corpori quam ſalutem animæ providere. Quis dicat patrem familias amicum eſſe familiæ ſuæ, ſi viderit eum percutere clavâ uxorem ſuam in capite & eam occidere, & idem faciat in cæteris domeſticis ſuis. Sic facit uſurarius familia ſuæ cum facit eos conſentire peccato ſuo, & ſic inimici hominis domeſtici ejus. Matthæi 10. *Effraim deducent ad interfectionem filios ſuos.*

II. Chriſtum eſſe amicū verum ex triplici falſitate amicorum oſtenditur.

Circa ſecundum notandum, quod Chriſtus verus amicus eſt. Ab eo longe eſt *triplex falſitas*, quæ ſolet in mundi amatoribus inveniri.

1\.

Prima eſt quod aliquando non amant licent amentur. Non ſic eſt in Chriſto. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diliget me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum.*

2\.

Secunda eſt quod tempore adverſitatis deſinunt amare. Eccleſiaſtici 6. *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in tempore tribulationis.* Non ſic Chriſtus Proverb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.* Quid valeat iſte amicus apparet in anguſtiis infirmitatis, vel mortis, vel æterni judicij, ubi nullus poteſt ſubvenire, ſi ipſe non ſubveniat.

3\.

Tertia eſt quod eos quos amant vivos non amant mortuos. Eccleſiaſt. 6. *Eſt amicus qui convertitur ad inimicitias*, vel mortuos ſpoliando, vel quæ commiſſa ſunt ab amico non exequendo, vel hæredibus cauſam movendo. Non ſic Chriſtus, immo in morte ſpecialiter ſe eſſe amicum oſtendit, cum ſpiritum qui de habitaculo corporis exit in cœleſte habitaculum recipit. Ipſe propter patres amat filios. Exod 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me.*

III. S. Ioannes Chriſti amicitiam

Circa tertium notandum quod *quatuor* potuerunt facere ad hoc quod Joannes cum Chriſto

hanc amicitiam habuerit. *Primum* eſt quod omnia
Sibi quatuor rebus comparavit. pro Chriſto reliquit, etiam patrem ſuum cui erat
neceſſarius juvando ipſum in acquiſitione neceſſa-
1. riorum arte piſcatoria. Matthæi 4. & Lucæ 5. Re-
liquit etiam uxorem quam volebat ducere, de
nuptiis enim volentem eum nubere vocavit Deus,
ut dicit Hieronymus. Et quia delitias carnales prò
Chriſto deſeruit, ideo ſpirituales delitias in Chri-
ſti familiaritate habuit. Joannes ideo veram ami-
citiam acquiſivit, quia vanam amicitiam pro Chri-
ſto contempſit.

Non capit optatum, qui non largitur amatum.
Jacob. 4. *Adulteri neſcitis quia amicitia hujus
mundi eſt inimica Deo. Qui ergo voluerit eſſe ami-*
2. *cus hujus ſeculi inimicus Dei conſtituetur. Secun-
dum* eſt quod juvenis ad Chriſti ſocietatem venit,
quod patet ex hoc, quod tam longo tempore poſt
Chriſti paſſionem vixit. Ipſe florem juventutis ſuæ
Deo obtulit, quod valde gratum Deo fuit Hiere-
miæ 2. *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam*
3. *tuam. Tertium* eſt quod in cordis & carnis purita-
te ſimilis fuit. Sapient. 6. *Incorruptio facit proximū
Deo.* Eccleſiaſtici 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia con-
veniunt.* Ambroſius ſuper Pſalmum. *Beati imma-
culati in via,* &c. Eſt inſitum bonum, ut unuſ-
4. quiſque virtutes in aliis amet. *Quartum* eſt quod
multum amavit. Seneca Monſtrabo tibi amatorium
ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficij
carmine. Si vis amari ama. Amor ejus patet ex ſcri-
pturis ipſius, quia ſecundum Gregorium. Omne
quod loquitur igne dilectionis vaporatur. Patet
etiam ex hoc quod refert Hieron. de ipſo ſuper
Epiſtolam ad Galatas, quod cum ipſe Epheſi mora-
retur, & vix ſenex inter Diſcipulorum manus ad
Eccleſiam deferretur, non poſſet plura dicere ver-
ba, ad quamlibet pauſam hoc dicebat: *filioli alter-
utrum diligite.* Tandem verò diſcipuli & fratres
qui aderant affecti tædio, quod eadem & eadem
ſemper audirent, dixerunt: *Magiſter quare hoc
ſemper loqueris.* Qui reſpondit, *quia præceptum
Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.*

DE SANCTIS INNOCENTIBUS

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

*Præſcribit hic ſermo remedium tribulatis, prin-
cipio ex geſtis Chriſti, deinde ex verbis the-
matis conſilium dando innocentiæ cuſtodien-
dæ & vindictæ cavendæ.*

SERMO XVIII.

Cuſtodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam
ſunt reliquiæ homini pacifico. Injuſti autem
diſperibunt: ſimul reliquiæ impiorum
interibunt. *Pſalm. 36.*

RÉcolit hodie Eccleſia quomodo Herodes ma-
litiâ parvulos Innocentes occiderit, ut inter
eos Chriſtum parvulum occideret, quod tamen
facere non potuit quia parvulus ille noluit. Occi-
ſi ſunt parvuli pro Chriſto, vixit ipſe, & occiſi me-
lius vixerunt. Pro ipſo amiſerunt vitam miſeram
ab ipſo recepturi vitam beatam. Plus dico mo-
riendo à morte liberati ſunt, quia à præſenti vita,
quæ genus mortis eſt. Eccleſiaſtici 30. *Melior eſt
mors quam vita amara.* Auguſtinus. Beatam
vitam quæritis in regione mortis? non eſt ibi, quo-
modo enim beata vita, ubi nec vita. Quod ſcri-
ptura referente audivimus, hoc quotidie videmus.
Perſecutiones Mundanæ quales. Malignus Rex parvulos occidit, & majores quo-
tidie in mundo iſto opprimunt minores. Eccleſ. 4.
*Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub cœlo ge-
runtur & lachrimas innocentum, & neminem con-
ſolatorem, nec poſſe eorum reſiſtere violentiæ cuncto-
rum auxilio deſtitutos.* Decipiunt aſtuti ſimplices
perſequuntur maligni innocentes, infirmos con-
culcant potentes: nec incipit hoc de novo, immo
incepit ab initio mundi. Serpens callidus decepit
ſimplicem mulierem. Geneſ 3. Cain malignus oc-
cidit Abel innocentem: ejuſdem 4. Miſerabilis guer-
ra partes videntur agere in partes, ex una parte ſim-
plicitas ex alia aſtutia. Ex una parte infirmitas, ex Chriſti ſa-
alia potentia. Ex una parte innocentia, ex alia ma- pientia remedium
litia. Unde eſt conſilium parti invalidæ, ut ad tribulatis.
ſapientiam Chriſti recurrat, *ſapientiam* enim *non
vincit malitia.* Sapient. 7. Sapientia Chriſti paupe-
ris liberat parvam civitatem, quæ eſt cœtus electo-
rum. Eccleſiaſt. 9. In eodem. *Melior eſt ſapientia
quam arma bellica.* Sapient. 6. *Melior ſapientia
quam vires, & vir prudens magis quam fortis.* Sa-
pientia Chriſti fuit inter nocentes innocentiam
ſervare, & potius eligere cum innocentia mori
quam amiſſâ innocentiâ vivere. 1. Petri 2. *Cum
malediceretur non maledicebat; cum pateretur non
comminabatur; tradebat autem ſe judicanti injuſte.*
Iſaiæ 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcit.*
Hieremiæ 11. *Ego quaſi agnus manſuetus, qui por-
tatur ad victimam.* Iſaiæ 8. *Ecce, ego & pueri mei,
quos dedit nobis Dominus in ſignum.* In ſignum, Item verba
inquam, innocentiæ uſque ad mortem ſervandæ. thematis in
Attendere debent infirmi qui in hoc mundo pre- quibus duo
muntur verba David Pſal. 118. quæ propoſuimus, ſunt.
qui fuit vir ſecundum cor Dei, qui ſuper ſenes in-
tellexit, cujus verba ſunt Spiritus ſancti ſoliloquia.
In verbis propoſitis parti dictæ guerræ quæ inva-
lidior videtur primò conſilium dat, deinde oſten-
dit ea quæ eam poſſunt inducere, ut conſilium da-
tum impleat.

Conſilium quod datur eſt illud: *Cuſtodi innocen- 1.
tiam.* Gloſſa ne extorqueatur à te. Senec. Ridicu- Conſilium datur innocentiæ ſervandæ ob tres cauſas.
lum eſt odio nocentis innocentiam perdere. *Tri-
plici ratione* conari debemus ad cuſtodiam innocen-
tiæ. *Primo* quia facile amittitur, *ſecundo* quia eâ 1.
amiſſâ omnia amittuntur, *tertio* quia ea ſervata Quia facile
omnia ſervantur. Facile amittitur innocentia, quia amittitur,
facto & *verbo* & *voluntate* & *omiſſione. Facto* du- quadrupliciter.
pliciter, & cum bona aliena auferuntur & cum Facto.
mala aliis inferuntur. Auguſt. Omnis homo qui
alium in corpore perſequitur, prius ipſe in corde
ſuſtinere perſecutionem cognoſcitur. Idem. Nemo
habet injuſtum lucrum ſine juſto damno, ubi dam-
num ubi lucrum: lucrum in arca, damnum in
conſcientia Tulit veſtem & perdidit fidem, ac-
quirit pecuniam & perdidit juſtitiam, quantum ad
illam partem juſtitiæ quæ eſt innocentia. Auguſt.
Malitia tua ut alteri non noceat fieri poteſt quod
autem tibi non noceat fieri non poteſt. Non po- Verbo,
teſt manere innocentia cum malitia. *Verbo* amitti-
tur innocentia, ut cum alius proximo detrahit vel
convitiatur, vel in malum ejus mentitur. Auguſt.
Fraudator prius & pejus læditur damno innocen-
tiæ, quam proximus pecuniæ. In Pſalmo 7. *Lacum
aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam* Voluntate.
fecit. Voluntate etiam nocendi amittitur, ut cum
aliquis odit proximum ſuum. *Omnis* enim *qui odit
fratrem ſuum homicida eſt.* 1. Joan. 3. Qui vero Omiſſione.
homicida eſt indubitanter innocens non eſt. *Omiſ-
ſione* etiam amittitur, ut cum aliquis non ſubvenit
indigenti fame pereunti ſecundum illud Auguſti-
ni. Paſce fame eſurientem, ſi non paviſti, occidi-
ſti. Si innocentia amittitur omnia bona amittun- 2.
tur. Conjungunt homines Deo ſcilicet innocentia Quia ea
& rectitudo, ſecundum illud. Pſal. 24. *Innocentes* amiſſa bona
& recti adhæſerunt mihi. Unitate voluntatis maxi- amittuntur.
mè adhæret quis Deo, voluntatem vero unam
cum Deo habemus, ſi iraſcibilis ſit ſine perverſita-
te, & concupiſcibilis ſine curvitate. Primum fa-
cit

cit innocentia, ſecundum rectitudo. Innocentia adverſatur malignitati, quæ eſt appetitus alieni mali: rectitudo curvitati, quæ eſt appetitus inordinatus tranſitorij boni. Hæ duæ gratiæ hominem reddunt conformem Deo, & ſic faciunt cum ipſi adhærere. Pſalm. 91. *Rectus eſt Dominus Deus noſter & non eſt iniquitas in eo.* Expulſa vero innocentia per malitiam, jam homo non adhæret Deo, & ſic jam Deum amiſit. Iſaiæ 19. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum noſtrum. Item* amiſſa innocentia amittitur funditus juſtitia, innocentia enim fundamentum eſt juſtitiæ. Primum fundamentum Juſtitiæ eſt ne cui noceas, deinde ut communi utilitati deſervias. Si innocentia ſervatur, cuncta bona ſervantur. Unde cum Adam innocentiam ſervavit, nihil ei nocuit. Nihil etiam nocet his hodie

3. Quia ea ſervata bona cuncta ſervantur.

qui innocentiam ſervant Eccleſiaſt. 8. *Qui cuſtodit præceptum non experietur quicquam mali.* Auguſt. Quid times hominem, ô homo, in ſinu Dei poſitus? tu de ſinu illius noli cadere. Quicquid ibi patieris ad ſalutem valebit, non ad perniciem. Matth. 10. *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.* Quæ videntur noxia, innocenti ſunt utilia ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Auguſtinus. Ecce prophanus hoſtis nunquam beatis parvulis tantum potuit prodeſſe obſequio quantum profuit odio. Innocentia armatura Dei eſt, quam ſi habueris tu cum tuis ſalvus eris. Job 22. *Salvabitur innocens.* Ejuſdem 4. *Quis unquam innocens periit?* Innocentia enim

Innocentia qualis ſit veſtis.

veſtis eſt, ſine qua nullus intrat cœlum. Pſal. 23. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* &c. *Innocens manibus*, &c. Hanc veſtem neceſſe habemus deferre ante judicem. Ideo latro infernalis conatur nos ea ſpoliare. Hac veſte ſpoliatus eſt deſcendens de Hieruſalem in Hiericho qui incidit in latrones Lucæ 10.

II. Ad conſiliũ hoc ſequendum innocentia tria afferuntur.

Sequitur *& vide æquitatem*, &c. In quibus verbis *tria* oſtenduntur nobis quæ debent hominem inducere ut innocentiam cuſtodiat, & malum pro malo non reddat. *Primum* eſt *conſideratio divinæ æquitatis*, ad quod pertinet illud: *Vide æquitatem*, id eſt cogita æquo Dei judicio hoc fieri quod tu malum pateris, & divinæ juſtitiæ congaude, hoc enim pertinet ad perfectionem juſtitiæ, perfecta enim juſtitia eſt non ſolum juſtitiam facere, ſed etiam pati. De primo habetur Proverb. 21. *Gaudium eſt juſto facere judicium.* De ſecundo 2. Regum 16. *Dimitte eum*, ait David, *ut maledicat. Dominus enim præcepit ei.* Vel ſic: *Vide æquitatem*,

1. Explicatio hujus dicti duplex.

id eſt non facias aliquid niſi æquum. Si reddis malum pro malo iniquus es, *contra teipſum, contra proximum, contra Deum. Contra teipſum*, interficiendo animam tuam, eò quod proximus tuus læſerit corpus tuum, licet culpa animæ tuæ non fuerit. *Contra proximum tuum*, cui infirmanti ad mortem, vel jam mortuo non condoles, ſed ſævis in eum & odis. Amare debuiſti infirmum vel mortuum quem amaſti vivum. *Contra Deum* etiam iniquus es, quia jus ejus uſurpas dum te vindicas Deuter. 32. *Mea eſt ultio*, &c. Ordinem juris pervertis, dum in cauſa in qua es actor vis eſſe judex. Præterea dies aſſignata eſt ad juſtitiam plene faciendam, interim treugæ debent eſſe, & partes debent eſſe ſub protectione Domini. Deo ergo injuriaris, cum treugas ejus frangis. Proverb. 20. *Ne dicas: Reddam malum pro malo, expecta Dominum & liberabit te*, à dolore ſcilicet vindicandi, à debito gehennæ quo te alligas vindicando. Præterea ad plenum vindicabit te, infernali patibulo hoſtem tradendo. Tu ad plus non poſſes ei nocere niſi ad mortem aſini ſui, brevem & momentaneam, ſcilicet ad mortem corporis ſui. *Secundum* eſt *fructus patientiæ*, quod tangitur

Reddens malum pro malo contra tres peccat.
1.
2.
3.
2.

ibi: *quia ſunt reliquiæ homini pacifico*, id eſt pacem inter injurias ſervanti. Bona innocentium non ſunt omnia præſentis vitæ, immo meliora expectant in futuro, propter quæ patienter ſuſtinent ſi bona tranſitoria eis auferuntur vel mala inferuntur Hebr. 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*, &c. *Tertium* eſt *pœna malitiæ*. de qua tangitur ibi: *Injuſti diſperibunt*, id eſt in corpore & anima interibunt. Vel primo morte tranſitoria peribunt, poſt æterna, in quo deterioris conditionis ſunt quam bruta animalia. Vel diſperibunt, id eſt pereuntes diverſa ſupplicia ſuſtinebunt. *Ignis enim ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*, Pſal. 10. Et non ſolum habebunt malorum abundantiam, ſed etiam bonorum inopiam, de qua ſubditur, *Similes reliquiæ impiorum interibunt.* Job 27. *Dives cum dormierit nihil ſecum afferet.* Sap. 5. *Spes impij quaſi lanugo quæ à vento tollitur.* 3.

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Quinque ad ædificationem noſtram ex Evangelio hic ſermo proponit, ex quibus ſingulis tria documenta depromit.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge & accipe puerum, &c. *Matthæi 2*

SERMO XIX.

In hoc Evangelio 5. nos ædificant.

CIrca hiſtoriam hodierni Evangelij *quinque* nobis materiam ædificationis miniſtrant. *Primo* parvuli, qui occiduntur. *Secundo* parvulus, qui in eis ad occidendum quæritur. *Tertio* Herodes, qui in parvulos malignatur. *Quarto* Dei bonitas, quæ parvulorum innocentium oppreſſionem patitur. *Quinto* pietas Eccleſiæ, quæ eis compatitur.

I. Innocentes per tres virtutes.

In his qui occiduntur tres gratiæ fidelibus commendantur: ſcilicet *humilitas, innocentia, puritas.* Humilitas in hoc, quod fuerunt parvuli, innocentia in hoc, quod fuerunt innocentes, puritas in hoc, quod fuerunt virgines. Hæ tres gratiæ ſunt multum neceſſariæ homini, quia ordinem habent ad id quod eſt ſupra, & ad id quod eſt juxta, & ad id quod eſt infra. Propter primum neceſſaria eſt humilitas, propter ſecundum innocentia, propter tertium puritas. Humilitas ſuperiori honorem debitum reddit. Eccleſ. 3 *Magna potentia ſolius Dei, & ab humilibus honoratur.* Innocentia proximum non lædit. Puritas ab inquinatione bonorum infimorum hominem cuſtodit. Humilitas non ſolum gratia eſt, ſed etiam receptaculum aliarum gratiarum. Per vallem humilitatis aquæ gratiarum abundanter fluunt. Jacob 4. & 1. Petri 5. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Virtus humilitatis in capite Eccleſiæ maximè commendatur. Auguſtinus 14. libro de Civitate Dei. Nunc in civitate Dei peregrinanti in hoc ſæculo maximè commendatur humilitas, & in ejus rege qui eſt Chriſtus maximè prædicatur. Contrarium huic virtuti vitium elationis in ejus adverſario qui eſt Diabolus maximè dominari ſacris litteris edocetur. Ad docendum humilitatem filius Dei carnem ſumpſit, & in illa paſſus eſt. Gregorius. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter edocendam, his qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem parvulus factus eſt.

In quo multi prælati ſunt multum ei diſſimiles, qui non modicum facerent ut verè humilitatem docerent. Verè eam docet, qui non ſolum docet eam verbo, ſed etiam exemplo. Innocentia vero fundamentum eſt juſtitiæ. Tullius. Primum fundamentum juſtitiæ eſt ut nulli noceas, deinde ut communi utilitati deſervias. Puritas verò quæ eſt velut candor ſpiritualis, eſt quaſi campus vel ſubſtramentum aliarum gratiarum; ſicut in picturis color albus, eſt ſubſtramentum aliorum colorum. Eccleſiaſtici 26. *Gratia ſuper gratiam mulier pudorata & ſancta.* Sancti innocentes fuerunt velut flores martyrum. Unde Auguſtinus de ipſis. Hi jure, inquit, dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos velut primas Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina decoxit. Ipſi primos ictus in exercitu Chriſti receperunt. Tres gratiæ in eis nobis commendatæ ſunt velut flores ſanctitatis & quaſi initia. Ipſe etiam primos ictus receperunt: humilitas ictum recepit in Lucifero, puritas in Adam, innocentia in Cain.

II. Chriſtus parvulos tripliciter. In parvulo qui in nece puerorum quæritur triplex materia ædificationis nobis miniſtratur. Tribulatio enim cito incepit, ipſe parvulus in Ægyptum fugit, Joſeph & Mariam ſocios itineris ſui habuit. 1. Propter *primum* ne indigneris ſi tribulationem patiaris. Joan. 15. *Mementote ſermonis quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* 2. ad Timoth. 3. *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur.* Hieron. A cunabulis Eccleſiæ non deſinit iniquitas premens & juſtitia patiens. 2. Propter *ſecundum* cautè declina pericula, maximè ſi adhuc parvulus es. Proverb. 22. *Aſtutus videns malum abſconditus eſt.* Parvuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia, ſicut parvuli tranſeuntes per vicos ab æquis vel curribus conculcantur. In *tertio* inſinuatur nobis quod filius Dei parvulis neceſſarius eſt, qui eos doceat & cuſtodiat. 3. Joſeph ſecundum interlinearem figurat prædicatores, quorum doctrina neceſſaria eſt parvulis. Maria amaritudinem pœnitentiæ, qua vita parvulorum condienda eſt, ne putrefiat. Eccleſiaſtici 22. *Flagella & doctrina omni tempore ſapientia*, id eſt ſunt cauſæ ſapientiæ.

III. Herodes etiam tripliciter. In Herode qui in parvulos malignatur materia ædificationis nobis triplex miniſtratur. Ipſi ambitio cauſa eſt tantæ malitiæ, illuſus valde iraſcitur, parvulos perſequitur. 1. Propter *primum* multum timenda eſt ambitio. Bernard. in Serm. Ambitio eſt ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis. 2. Propter *ſecundum* qui diabolo illuſerunt evadendo à manibus ejus parare ſe debet ad tentationes. Cum magna enim ira ad eos redit & cum magna multitudine vitiorum & dæmonum. In Pſal. 3. *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me.* Sicut multiplicantur inſequentes eum qui evaſit de carcere, plures enim ſunt quam qui cuſtodiebant cum in carcere. 3. Propter *tertium* parvuli diabolici à nobis occidendi ſunt ſicut Herodes parvulos Chriſti occidere vult. Fas enim eſt & ab hoſte doceri. Pſal. 136. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos ſuos uſque ad petram. Principiis obſta*, &c. Geneſis 3. dictum eſt ſerpenti de muliere, *ipſa conteret caput tuum.* Hieron. Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur, totus ſtatim illabitur. Filij Iſraël in morte primogenitorum liberantur à poteſtate Pharaonis. Exod. 12. Qui bonis quæ inchoantur reſiſtunt, ſimiles ſunt Herodi. Bernardus in Serm. Herodiana malitia & Babylonica crudelitas eſt naſcentem extinguere religionem & allidere parvulos Iſraëlis. Si quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur, repugnat planè. Cum Ægyptiis parvulos germinis necare conatur, immo cum Herode perſecutore perſequitur ſalvatorem. Sunt aliqui qui Herodianam malitiam excedere videntur, qui ante nativitatem ſpiritualem conceptum ſuffocant, vel diſſuaſione vel irriſione, in quo pejores videntur eſſe dracone infernali, qui ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperiſſet filium ejus devoraret. Apocal. 12. Ille enim ſaltem expectabat quouſque peperiſſet.

IV. Bonitas Dei tripliciter. Bonitas Dei nobis *tripliciter* miniſtrat materiam ædificationis quæ occiſionem innocentium patitur. Malitiam Herodis diſſimulare videtur, tamen poſt cum parvulis miſericorditer; & cum Herode ſeverè operatur. Dilexit Chriſtus parvulos ſicut dilectus eſt à patre ſuo, qui eum tribulationi expoſuit. Joannis 15. *Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos.* Licet Herodis malitiam diſſimulaverit, tamen eum poſtea multum punivit. Cum parvulis vero valde miſericorditer egit; cum mortis debitum convertit eis in pretium regni cælorum. Terra corporis noſtri in Adam onerata eſt debito mortis: hæreditas vero tranſit cum onere ſuo ad poſteros: mortis ergo debitores erant parvuli, quos tamen Deus recepit tanquam pretium cœleſtis regni. De neceſſitate fecit quaſi virtutem. Rapuit eos ne à malitia immutarentur. Sapient. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, &c. In eodem *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Feſtinavit remunerare eos. Eccleſiaſtici 11. *Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat.* Sed ſunt qui parvulos iſtos pro Chriſto occiſos damnare volunt. Contra damnantes hos Innocentes. Contra quos loquitur Bernardus in Serm. dicens. Ille pro Chriſto trucidatos infantes inter martyres dubitet coronari qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quomodo charos ſibi pueros, puer qui natus eſt nobis, non contra nos, pro ſe pateretur occidi? quod utique ſolo nutu prohibere poterat, niſi melius nobis & eis aliquid provideret, ut quemadmodum infantibus tunc quidem circumciſio, nunc verò baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem, ſic pro eo ſuſceptum martyrium illis ſufficeret ad ſanctitatem. Si quæris eorum merita apud Deum ut coronarentur, quære apud Herodem crimina ut trucidarentur. An forte minor & Chriſti pietas quam Herodis iniquitas, ut hic quidem potuerit innoxios trucidare, Chriſtus non poterit propter ſe occiſos coronare? Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur. Debuit ergo Dei bonitas illis dare vitam gloriæ, quibus occaſionaliter abſtulit vitam naturæ. Aſſuerus largitus eſt munera juxta munificentiam principalem. Heſt. 21. Auguſtinus in Serm. Qui potuit natus habere prædicatores Angelos, narratores cœlos, adoratores magos, potuit & illis, ne pro eo morerentur præſtare, niſi ſciret illa morte non perituros, quin potius majori felicitate victuros. Abſit, abſit, ut ad liberandos homines Chriſtus veniens, de illorum præmio, qui pro eo interficerentur nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis à quibus interficiebatur oravit.

V. Eccleſia in tribus. Eccleſia nobis materiam ædificationis miniſtrat tripliciter. Multum enim compatitur eis in feſto eorum cantica lætitiæ ſubticendo ſicut in paraſceve, quod non facit Eccleſia de alio ſancto niſi de Chriſto. Pro vindicta eorum multum orare videtur. Unde in feſto eorum cantat: *Vindica Domine ſanguinem ſervorum tuorum qui effuſus eſt.* Honorat eos ſolennitatem eorum ſolennitati Chriſti ſociando. Prælatis Eccleſiæ imitanda hæc tria. Exemplo primi debent rectores Eccleſiæ multum compati afflictioni innocentum. Econtrario,

trario tamen accidit Eccleſiaſtici 4. *Vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur & lachrimas innocentum & neminem conſolatorem.* Item deberent multum vindicare in eos qui innocentibus & reſiſtere non valentibus injurias inferunt, & eos qui humilitate parvuli ſunt honorare.

IN FESTO S. THOMÆ CANTUARIENSIS EPISCOPI.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

SERMO XX.

Hic ſermo occaſione ex themate ſumpta agit de certamine ſpirituali, maximè de ejus neceſſitate ac fine.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. *Eccleſiaſt.* 4.

Explicatur thema breviter.

Ad certandum tria pertinent.

IN his verbis monet Spiritus ſanctus ad certandum, oſtendens certandi modum. Ad certandum monet cum dicit, *agonizare*, id eſt *certa*. Ad modum vero certandi pertinent tria. *Primum* eſt ut fine debito certetur, ad quod pertinet illud, *pro juſtitia, pro anima tua. Secundum* eſt quod in certamine perſeveretur, ad quod pertinet illud, *uſque ad mortem certa. Tertium* eſt ut certantes de Dei adjutorio confidamus & non de noſtris viribus præſumamus, ad quod pertinet illud, *& Deus expugnabit*, &c. Per primum oſtenditur nobis quod certamen, ad quod monemur ſit ſpirituale. Per ſecundum oſtenditur nobis, quod pugnandum ſit viriliter.

Neceſſitas pugnandi ex variis cauſis nobis incumbit.

Neceſſitatem pugnandi habemus cum in campo certaminis ſumus. Secundum Chryſoſtomum tria loca habet Deus. Unus eſt locus certantium, ſcilicet mundus. Alter eſt locus eorum qui victores ſunt, ſcilicet cœlum. Tertius eſt locus eorum qui victi ſunt, ſcilicet infernus. In loco ergo certaminis ſumus, dum in hoc mundo vivimus. In mundo iſto, quaſi in ſtadio certaminis poſiti ſumus, in quo Chriſtus mortuus eſt. Qui hic livorem vel plagas non ſuſcepit, in futuro mundo miles ineglorioſus apparebit. Job 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Eccleſiaſtici 3. *Tempus belli & tempus pacis.* Tempus belli eſt tempus præſentis vitæ. In campo iſto certaminis inceſſanter impugnamur. Gregor. Diabolus aſſidua tentatione nos pulſat, ut ſaltem tædio vincat. Nec ſolum in una parte impugnamur, immo undique. Pſal. 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt.* Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium hominum factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Potentiores etiam hoſtes noſtri inviſibiles ſunt, & ideo magis timendi. Hieron. Tunc maximè impugnaris, ſi te impugnari neſcis. Corona nobis parata eſt ſi vicerimus; patibulum vero infernale, ſi victi fuerimus. Jacobi 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationes, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* 2. ad Timoth. 2. *Qui in agone contendit non coronabitur niſi legitime certaverit.* Minus dicit, & plus ſignificat. Non ſolum enim non coronabitur qui legitimè non certaverit, immo etiam infernali ſupplicio affligetur.

Certandum pro anima.

Pro anima certandum nobis eſt. Homines carnales & animales pro corpore & neceſſariis corpori certant, ſicut & bruta animalia, quæ licet ſint ejuſdem ſpeciei, pugnant tamen ad invicem pro cibo & manſione. Certamen vero virorum ſpiritualium pro anima eſt, pro cuſtodia animæ ſoliciti ſunt, corpora ſua deſpicientes, ſalvatorem imitantes, qui cum corpus pateretur ait; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Luc. 23. Simile habetur. Actor. 7. *Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum* ait Stephanus. *Specialiter* vero *pro juſtitia* certant tanquam ad ſalutem neceſſaria. Eccleſiaſtici 30. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ.* Homines curioſi certant pro ſcientia, quod diſſuadet Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Stultas*, inquit, *& ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.*

Pro juſtitia duplici.

Juſtitiam vero pro qua certandum eſt dupliciter poſſumus intelligere. 1. Vel bonitatem generaliter pro qua conſervanda & augmentanda certandum eſt. Sic juſtitia ſumitur. Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus.* Gloſſa. Juſtitia regni eſt omnia quæ Chriſtus docuit obſervare. Juſtitia hoc modo nobis multum neceſſaria eſt, cum ipſa etiam ante judicem venturi ſumus. Pſal. 16. *Ego in juſtitia apparebo in conſpectu tuo.* Væ illi qui in adventu judicis ea carebit. Pſal. 5. *Non permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Item Pſal. 36. *Injuſti diſperibunt.* Habenti juſtitiam nihil noxium eſt, nec etiam mors. Numeri 23. *Moriatur anima mea morte juſtorum.* 2 Juſtitiam etiam poſſumus intelligere prout jus eſt utilitati communi ſerviens & unicuique jus ſuum reddens. Ambroſ. in libro de paradiſo. Juſtitia magis alij quam ſibi prodeſt, & utilitates ſuas negligit. Communia emolumenta præponens. Auguſtinus in libro de libero arbitrio. Juſtitiam qui dicam eſſe niſi virtutem qua ſua cuique tribuuntur. Pro juſtitia ſic ſumpta nobis certandum eſt. In ipſa enim, ſicut ait Tullius, maximus eſt ſplendor honeſtatis. Dum ipſa amittitur, nullum lucrum quod fiat reputatur. Unde ſuper illud Pſal. 61. *Rapinas nolite concupiſcere*, dicit Gloſſa. Omnia lucra damnoſa: invenis pecuniam & perdis juſtitiā. Pro iſta uſque ad mortem certandum eſt etiam incluſivè, ut antequam ipſa amittatur, potius mors ſuſtineatur. Ipſa enim ſecundum Senecam eſt vinculum ſocietatis humanæ, unde quod ſocietas humana nobilior ſit ſocietate animæ & corporis potius timenda eſt injuſtitia quæ vinculum hujus ſocietatis ſolvit, quam mors quæ ſocietatem corporis & animæ deſtruit. *Iuſtitia perpetua eſt & immortalis: injuſtitia autem mortis acquiſitio.* Sap. 1. Amanda eſt juſtitia tanquam à morte æterna liberans. Injuſtitia vero timenda tanquam mortis æternæ cauſa, Proverb. 10 *Nil proderunt theſauri impietatis, juſtitia vero liberabit à morte.* Beati iſti qui juſtitiam amant. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Beati etiam qui ſequuntur. Proverb. 15. *Qui ſequitur juſtitiam diligetur à Domino.* Juſtitiam ſequitur, qui eam habet tanquam ducem, illud faciens quod judicat eſſe juſtum. In quibuſdam juſtitia non impedit, ſed ſequitur, ut in illis qui dicunt. Sapient. 2 *Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ.* Item beati qui pro juſtitia aliquid patiuntur. Matth 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*, &c. 1. Petri 3. *Si quid patimini propter juſtitiam, beati.* Qui pro juſtitia patiuntur, habebunt in mundo altero juſtitiam pro ſe, ſicut ipſi hic pro juſtitia ſteterunt, unde ſententia pro ipſis dabitur, nihil enim poterit ibi contra juſtitiam fieri.

Deus pro taliter certantibus pugnat.

Sequitur. *Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Deus amator juſtitiæ, certamen quod fit pro juſtitia ſuum reputat, unde certantes juvat & hoſtes eorum expugnat. Exodi 14. *Deus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Etiam cum viri ſancti pro juſtitia moriuntur, inimici eorum expugnantur, Caro quæ eſt familiaris inimicus expugnatur, quando occiditur Mundus & dæmones expugnantur, quando in morte viri ſancti plenè à periculis mundi & à poteſtate diaboli liberantur.

S. Thomas quomodo certaverit.

Beatus Thomas, de quo ſolennizamus, viriliter certavit, à tyranno enim flecti non potuit. Unde ad laudem ejus recitatur hodie illud. Eccleſiaſtici 15. *Firmabitur in illo, & non flectetur.* Ipſe uſq; ad

Mortem triplicem ſuſtinuit.

mortem certavit. Primo ſuſtinuit exilium ſeptenne, & bonorum ſuorum confiſcationem; ſuſtinuit etiam triplicem mortem. *Prima* fuit carnis mortificatio, habebat enim cilicium ad carnem. *Secunda* fuit compaſſionis: tota enim cognatio proſcripta eſt & omnes ejus amici & familiares. Quotquot antem annos diſcretionis attigerunt tactis ſacroſanctis compulſi ſunt quod mari tranſito ſtatim beato Thomæ ſe præſentarent, ut compaſſionis gladio compulſus animi rigorem ad regis inflecteret voluntatem. Tertia mors fuit quam gladius corporalis intulit. Ipſo vero mortuo Deus inimicos ejus expugnavit. In brevi enim fere omnes perſecutores ejus morte miſerabili perierunt, libertatem etiam Eccleſiæ, pro qua certabat obtinuit mortuus, quam non potuit obtinere vivus.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SERMO XXII.

SUMMARIUM.

Sermo hic primo parabolam explicat, deinde occaſione ipſius duo de ſervis traduntur, tertio demum loco damnationis ſervi inutilis in hac parabola contenti, cauſæ quatuor afferuntur.

Seruum inutilem projicite in tenebras exteriores *Matth. 25.*

HOc verbum terribile eſt ſervis generaliter, cum ex ipſo pateat quod ſola inutilitas ad eorum damnationem ſufficiat. Simile habetur. Proverb. 14. *Iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit.* Specialiter tamen terribile eſt ſervis habentibus intelligentiam ſacræ ſcripturæ, propter quod dictum eſt. quod ut manifeſtum fiat. *Primo* explanationem parabolæ breviter ponemus. *Secondo* oſtendemus quod omnes ſervi ſumus. *Tertio* tangemus de diverſitate malorum ſervorum. *Quarto* oſtendemus quare inutilitas ſervorum intellectum ſcripturarum habentium oſtendatur eſſe damnabilis.

quatuor in hoc ſermone tractantur.

I. Parabola explicantur

Notandum ergo quod homo proficiſcens eſt Chriſtus in cœlum aſcendens. Gloſſ. Locus carnis terra. Chriſtus ergo carnem noſtram ad peregrina duxit, quando cælum aſcendit. Secundum Gloſſam. Quod cuique datum eſt in rebus mundanis vel ſpiritualibus pro talento computatur. Quinque talenta accepit, cui datur ſcientia exteriorum miniſterio quinque ſenſuum comparata & exercenda, quæ triplex eſt: ſcilicet politica pertinens ad regnum civium, domeſtica pertinens ad regnum familiæ, privata pertinens ad regnum ſui ipſius. Duo talenta accipit, qui intellectum & operationem accipit. Talentum unum accipit, qui capit intelligentiam ſcripturarum. Quinque talenta lucratur, qui ſe à viſibilium voluptate cuſtodiens ab his etiam nos amovendo compeſcit. Duo talenta lucratus eſt, qui prædicando & mira operando ad ſimilia homines inducit. Talentum vero unum acceptum abſcondit, qui lucrum ſpirituale de ſcripturæ intelligentia non quæſivit. Et contra ſervum iſtum inutilem verbum propoſitum ſpecialiter eſt dictum.

II. Servos nos eſſe triplices oſtenditur.

1. Factitios.

Circa Secundum notandum quod omnes ſervi Dei ſumus. *Facticij, empticij, conductitij. Facticij,* quia ad hoc facti ut Deo ſerviamus. Eccleſiaſtes ult. *Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo.* Si ad ſerviendum factus eſt homo, & non vult hoc facere, deſtruendus eſt, unde juſtiſſimè inobedientia morte punita eſt. Geneſ. 2. *Quocunque die comederitis ex eo morte moriemini* Vere dignus planè eſt morte, qui tibi Domine Jeſu Chriſte recuſat vivere. *Empticij.* 1. Corinth 6. *Empti eſtis pretio magno.* Bern. Cui juſtius vivendum eſt mihi quam ei, qui ſi non moreretur, non viverem? Juſtè ſibi vindicat vitam meam, qui pro mea poſuit ſuam. Ab eo qui redemptori ſuo non vult ſervire poteſt redemptor pretium redemptionis ſuæ requirere, ſcilicet mortem ſuam. Servi etiam *conductitij* ſumus, quia mercede cœleſti conducti. Geneſ. 15. Dixit Dominus Abrahæ: *Ego merces tua magna nimis.* Ingratus eſt valde qui pro tanta mercede non vult ſervire factori & redemptori ſuo, pro modica vero mercede ſerviret alij cui non tenetur.

2. Emptitios.

3. Conductitios.

III. Servi mali quadruplices in Evangelius explicantur.

Circa Tertium notandum quod *quatuor* genera malorum ſervorum nobis in Evangelio inſinuantur, ſcilicet *ſervus inutilis ſervus diſſipator, ſervus nequam, ſervus proditor.* De ſervo inutili habetur in verbo propoſito. De ſervo diſſipatore. Lucæ 16. *Hic diffamatus eſt apud eum quaſi diſſipaſſet bona ſua.* De ſervo nequam. *Matthæi* 18. *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi*, &c. Servi proditores fuerunt qui dixerunt: *hic eſt heres. Venite occidamus eum & habebimus hereditatem eius, & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam & occiderunt.* Matthæi 21. Duo prima genera ſervorum male ſe habent ad ea quæ ſunt intra ſe. Tertium male ſe habet ad id quod eſt juxta ſe. quartum directe ad id quod eſt ſupra ſe tranſiens à miniſterio in dominium hæreditatis exhæredans Dominum ſuum. *Servus inutilis* damnatur peccato omiſſionis, à quo pauci immunes ſunt, pauci tamen hoc periculum intelligunt. Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* Delicta dicuntur quaſi derelicta, peccata ſcilicet omiſſionis. *Diſſipator* bonorum Domini eſt homo voluptuoſus, unde Lucæ 15 dicitur de filio prodigo, quod diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe. Voluptuoſi ſunt ut porci, quos legio dæmonum præcipitavit & mortui ſunt in aquis. Matth. 8. Multi quos miſit Dominus ad expugnandum caſtellum mundi ſunt ſubmerſi in aqua foſſati hujus mundi, ſcilicet in aqua voluptatis. *Servi nequam* ſunt ſuperbi, qui ſe oneroſos exhibent his quorum onus portare debent, conſervis ſuis non compatientes, ſed eos potius comprimentes. Bernardus ſuper Cant. Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum onera potius portare debetis. Matth. 24. *Si dixerit malus ille ſervus, moram facit Dominus meus venire, & caperit percutere conſervos ſuos,* &c. *Veniet Dominus ſervi illius in die qua non ſperat. Servus proditor* eſt Prælatus carnalis, qui vult eſſe Dominus bonorum illorum, quorum ſolus eſt miniſter, & beneficia quæ deberet filiis Dei, dat ſervis diaboli, qui ſunt ſui conſanguinei.

1. Servus inutilis quis ſit

2. Servus diſſipator quis ſit.

3. Servus nequam quis ſit.

4. Servus proditor quis ſit.

IV. Cauſæ quatuor afferuntur cur ſervus inutilis damnetur.

1.

Circa quartum notandum quod *quadruplex ratio* eſſe potuerit quare Dominus inutilitatem ſervi habentis intelligentiam ſcripturarum damnabilem eſſe judicavit. *Prima* eſt quia talentum hoc valde utile eſt, ut aliquis eo debito modo utatur. Si prædicator toto tempore vitæ ſuæ prædicando non lucraretur niſi unam animam, majus lucrum eſſet, quam ſi terrenis intenderet, & totum mundum lucraretur *Secunda* eſt quare multum talentum hoc negligitur in majoribus perſonis. Impedit illud poteſtas ſæcularis. Sacerdotium enim & regnum non convenerunt in unum, ſed utinam non adverſus Dominum & adverſum Chriſtum ejus. Archiepiſcopi & Epiſcopi habent regalia. In minoribus perſonis cantus quandoque impedit, qui licet bonus ſit & ad Dei gloriam pertineat, non tamen eſt præponendus prædicationi. Nullus ſenſus præponendus eſt ſenſui Apoſtolorum, qui in tantam abundantiam receperunt Spiritum ſanctum. Unde his inſtandum eſſet, quibus hi inſtiterunt, nec pro aliquo opere eſſent negligenda. Hæc fuerunt prædicatio & oratio. Lucæ 19. *Erat quotidio*

2.

Pſalm. 2.

tidie docens in templo. Marc. 6. *Circuibat Caſtella, in*
3. *circuitu docens.* De ejus oratione habetur in multis locis. De Apoſtolis habetur. Actor. 6. *Nos vero*
4. *orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Tertia* eſt quod Eccleſia in hoc multum damnificatur. Bernard. Modica ſeminis detractio non modicum eſt meſſis detrimentum. *Quarta* eſt quod Deus per hoc multum oſtenditur. Iſaiæ 6. *Væ mihi quare tacui.* Proverb. 11. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.* Jerem. 6. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Prædicatio ſpecialiter poteſt dici opus Dei. Ezech. 3. *Si dicente me ad impium,* &c. 1. Corinth. 9. *Væ mihi ſi non evangelizavero.*

DE EODEM.

SERMO TERTIVS.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo docet primo quid miniſtris Chriſti exemplo S. Thomæ faciendum ſit, & octo hoc non facientes enumerat. Secundo agit de mercede Chriſtum ſequentium.

SERMO XXII.

Si quis mihi miniſtrat me ſequatur; & ubi ego ſum, ibi & miniſter meus erit.

Joannis 12.

Duo docet hoc dicto. Duplex ſinis eius.

IN his verbis oſtendit Dominus quid miniſtro ſuo ſit faciendum, & quid pro opere ſuo expectandum. *Primum* ibi: *me ſequatur.* *Secundum* ibi: *Et ubi ego ſum* &c. Recitatur autem hoc verbum hodie ad beati Thomæ commendationem & ad noſtram ædificationem.

1. S. Thomas Chriſtum imitatus eſt in ſex.
Beatus Thomas mandatum implevit & promiſſam mercedem recepit, ipſe ſic Chriſtum ſecutus eſt, quod eum conſecutus eſt. *Sex* verò ſunt in quibus Chriſtū imitatus eſt. *Primum* eſt quod pauperibus
1. humiliter miniſtravit: ſingulis enim diebus quando poterat pauperibus pedes lavabat, ſingulis quatuor argenteos conferens, quando vero per ſe hoc facere non poterat, per alium hoc impleri faciebat. In hoc Chriſtum imitatus eſt qui diſcipulorum pedes lavit. Joan. 13. *Si ego lavi pedes veſtros Dominus & magiſter, & vos debetis alter al-*
2. *terius lavare pedes.* Matth. 20. *Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.* *Secundum* eſt, quod vias duras cuſtodivit. Habebat cilicium ad carnem in Pſal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Bernard. Chriſtus elegit quod carni moleſtius eſt, hoc ergo melius & magis eligendum. Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* 2. Corinth. 4. *Mortificationem Ieſu ſem-*
3. *per in corpore noſtro circumferentes.* *Tertium* eſt quod hominibus ſe conformavit, quantum ſibi licuit & eis expedire vidit, ſic & Chriſtus, ſecundum illud. Matthæi 11. *Venit filius hominis manducans & bibens,* &c. Seneca. Intra omnia diſſimilia ſic frons noſtro populo communicat. Idem. Id agamus ut meliorem vitam ſequamur quam vulgus novit contrariam. Alioquin quos emendare volu-
4. mus fugamus à nobis & avertimus. *Quartum* eſt quod ad patiendum voluntarius fuit. Unde cum perſecutoribus gladiis extractis eum inſequentibus monachi aditum Eccleſiæ præcludere vellent, occurrit beatus Thomas hoſtibus, & eis oſtium reſeravit dicens: Non Eccleſia ut caſtrum obſeranda eſt. Sic Chriſtus voluntariè venit ad crucem Iſaiæ 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Petrum etiam volentem captionem ſuam impedire prohibuit.
5. Joannis 18. *Mitte,* inquit, *gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater non vis ut bibam illum?* *Quintum* eſt quod pro Dei voluntate, id eſt pro libertate Eccleſiæ animam ſuam poſuit, ſicut & Chriſtus fecit; Joannis 11. *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* 1. ad Timoth. 3. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis,* &c.
Sextum eſt quod infirmitati eorum qui ſecum erant 6.
parci voluit, unde perſecutoribus ſuis inhibuit ne aliis nocerent dicens: Si caput meum quæritis prohibeo ex parte Dei ne cuiquam clerico vel laico noceatis: ſic Chriſtus ait eis qui volebant eum capere Joan. 18. *Si me quarites ſinite hos abire.* Exem- S. Thomas nobis imitandus.
plo beati Thomæ nos Chriſtum debemus ſequi, ſi eum volumus conſequi, quod pauci faciunt. Bernardus ſuper cantica. Quam pauci poſt te Domine ire volunt, cum tamen nemo ſit qui ad te pervenire nolit, hoc ſcientibus cunctis quia delectationes in dextera tua uſque in finem. Et propterea volunt omnes te frui & non ita imitari. Conregnare cupiunt, ſed non compati. Non curant quærere, quem deſiderant invenire: cupientes conſequi, ſed non ſequi.

Et notandum quod hoc verbum *qui mihi miniſtrat me ſequatur* poteſt intelligi dictum contra octo genera hominum. *Primi* ſunt otio torpentes ſervi pigri, occaſiones quærentes ut vitent labores. Proverb. 22. *Dicit piger, leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* Ejuſdem. *Dicit piger, leo eſt in via, leæna in itineribus.* Matth. 25. *Serve male & piger, ſciebas, quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſpargo, oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis.* *Secundi* ſunt præire volentes, ſenſum ſuum Chriſti ſapientiæ præponendo, qualis fuit Petrus dicens Chriſto: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc,* cui Dominus: *vade poſt me Sathanas ſcandalum mihi es* ſuper illud. Pſal. 69. *Convertantur retrorſum* dicit Gloſſa. Petrus præcedendo Sathanas, ſequendo diſcipulus Chriſti fuit. Chriſtum etiam præire volunt, quibus ea quæ Chriſto ſufficerunt non ſufficiunt. Joan. 15. *Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo.* Bernard. Deus ſe ſubdit hominibus, & tu dominari geſtiens, tuo te præponis auctori. Auguſt. Fruſtra molliorem viam ſperamus, niſi qua præceſſit eamus, qua duxit ſequamur: ſi à veſtigiis erramus, perimus. *Tertii* ſunt circa impertinentia ſibi attendentes. Unde Petro dicenti de Joanne: *Domine hoc autem quid?* ait Dominus: *Quid ad te, tu me ſequere.* *Quarti* ſunt Chriſtum in tribulatione deſerentes, ſicut fecerunt Apoſtoli tempore paſſionis. Matth. 26. *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Eccleſ. 22. *Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius, ut in bonis illius læteris.* *Quinti* ſunt lucrum temporale pluſquam Chriſtum ſequentes. Seneca. Mel muſcæ, frumentum formicæ, cadavera lupi, prædam turba, homo vero hominem. Talis erat ille qui dixit Domino: *ſequar te quacunque ieris,* volens eum ſequi propter temporale lucrum. Cui Dominus: *vulpes foveas habent* &c. Tales etiam erant illi quibus Dominus ait. Joan. 6. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia de panibus meis manducaſtis.* *Sexti* ſunt qui fugiunt Chriſtum. Duo genera hominum videntur fugere Chriſtum, ſcilicet qui tribulationes fugiunt. Pſalm. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Ipſi ſunt ſimiles Jonæ, qui fugiebat à facie Domini. Jonæ. 1. Proverb. 28. *Fugit impius nemine perſequente,* immo potius Deo in ſuccurſum ejus veniente; tribulatio enim ſuccurſus eſt miſſus à Deo. Deum etiam fugiunt homines puſillanimes in bonitate de Deo non ſentientes, qui licet pro Deo, quid poſſint, faciunt, tamen ſe odiri à Deo æſtimant. *Septimi* ſunt ſervi nequam potius diaboli malignitatem quam Dei bonitatem imitantes, qualis erat ille cui dictum eſt. Matthæi 18. *Serve nequam omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergo & te oportuit*

Prima pars thematis eſt contra octo genera hominum. 1. 2. Matthæi 16. 3. Joan. ult. 4. 5. Matthæi 8. 6. 7.

miſereri conſervi tui ? *Octavi* ſunt verbum Dei diſpenſantes & contraria doctrinæ ſuæ facientes, & ſic ſeipſos confundentes. Hieron. Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia

Summa horum 8. colligitur.

loquaris tacitus quilibet reſpondeat : cur ergo hæc quæ dicis non facis ? Ut ergo breviter colligamus, qui Chriſto miniſtrat eum ſequatur, ut ſicut miniſtrum ſe confitetur ore, ſic oſtendat opere. Dominum ſuum nolit præire, ſic ei adhæreat, ut nec inutili occupatione, nec in tribulatione eum deſerat, plus ipſum quam temporalia lucra diligat, bonitas Dei in ejus bonitate reſplendeat, vita ejus doctrinæ ipſius non contradicat.

II. Merces ſequentis Chriſtum eſt honor.

Sequitur *& ubi ego ſum*, &c. In quo oſtenditur quid ſit expectandum implenti dictum mandatum. Auguſtinus. Pretium operis quo illi miniſtratur eſt eſſe cum illo ſine quo nunquam eſt bonum & cum quo nunquam eſt male. Et ad explanationem hujus promiſſi ſequitur. *Si quis mihi miniſtraverit honorificabit eum pater meus.* Auguſtinus. Qui dixerat *ubi ego ſum* hoc intelligitur expoſuiſſe cum dicit, *honorificabit eum pater meus*, & ſubdit Auguſt. Quem majorem honorem poterit accipere adoptatus, quam ut ſit ubi eſt unctus noſter æqualis factus divinitati, ſcilicet conſociatus æternitati. 1. Regum 2. *Quicunque honorificaverit me glorificabo eum.* Qui Deum honorat miniſtrando, glorificatur ab eo præmium recipiendo. Honor ille multum conſolatur amicos Dei in tribulationibus ſuis. Bernardus. Quid eſt quod non optamus per medios enſes ſi oporteat tantam declinare miſeriam, & ad tantam accelerare gloriam, niſi quod mortua eſt fides noſtra. De ſignis quibus poteſt perpendi illius gloriæ magnitudo. Vide ſermonem Dominicæ quartæ poſt octavam Pentecoſtes. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis.*

DE EODEM.

SERMO QVARTVS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo I. de quinque viis Chriſti, ut eum ſequi & conſequi poſſimus. II. de tribus ad miniſtrum Chriſti requiſitis. III. de tribus locis Chriſti, qui præmij loco etiam ejus miniſtris tribuentur.

Si quis mihi miniſtraverit me ſequatur.
Ioan. 12.

SERMO XXIII.

1. Viæ Chriſti quinque.

VT Chriſtum poſſis ſequi & ſic conſequi attende multiplicem viam ipſius. *Prima* fuit de cœlo in virginis uterum, quando exinanivit ſe formam ſervi accipiens. Philipp. 2. Hæc fuit via humilitatis contra ſuperbiam. *Secunda* fuit de utero virginis in mundum, quando natus eſt in diverſorio & pannis involutus & poſitus in præſepio. Lucæ 2. & hæc fuit via paupertatis contra avaritiam. *Tertia* fuit de præſenti vita per multas tribulationes ad mortem, & hæc fuit via doloris contra luxuriam. *Quarta* fuit de cruce ad inferos unde ſanctos patres eduxit, & hæc fuit via charitatis. Zachar. 9. *Tu autem in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu.* *Tandem* his peractis rediit ad patrem in cœlum, & hæc fuit via gloriæ & honoris.

Sequitur. *Et ubi ego ſum ; illic & miniſter meus erit.* Joan. 14. *Accipiam vos ad meipſum.* Qui fuit ejus ſocius in via, erit ſocius ejus in hoſpitio. Et

2. Tria debet habere miniſter Chriſti.

notandum quod Chriſtus in miniſtro ſuo *tria* ſpecialiter requirit quantum ad meritum ut dignus ſit recipere promiſſum præmium, ſcilicet *decorem, diſcretionem* & *fidelitatem*. Ad *primum duo* pertinent ſcilicet *puritas*, & *morum honeſtas*. Ad *puritatem* pertinet illud. Pſalm. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrat.* Ad *morum honeſtatem*, illud Petri 2. *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam*, &c. Hæc *duo* notantur Exod. 40. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen. Applicabis Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus & miniſtrent mihi & unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* Lotio pertinet ad puritatem, ſacræ veſtes ad morum honeſtatem. *Diſcretionem* etiam requirit in miniſtro ſuo, ut agnoſcat quid placeat Domino ſuo & quid familiæ ejus expediat, Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* Luc. 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens*, &c. *Fidelitatem* etiam requirit in miniſtro & quantum ad perſonam ſuam & quantum ad bona ſua. quantum ad perſonam, ne eum hoſtibus prodat vel in adverſis deſerat. Quantum ad bona, ne ea diſſipet. Eum prodit, qui in domum conſcientiæ hoſtem ejus, ſcilicet diabolum introducit. Pſal. 40. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos*, &c. De diſſipatione habetur Lucæ 16. de villico qui diffamatus eſt apud Dominum quaſi diſſipaſſet bona ſua.

Decorem duplicem. 1. 2. Vtraque. 2. Diſcretionem. 3. Fidelitatem duplicem.

Locus in quo Chriſtus eſt, *tripliciter* nobis notificatur. Dicitur enim eſſe in lumine ſecundum illud. 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem.* Item dicitur eſſe ad dexteram patris, ubi ſunt Dei delectationes. Hebr. 1. *Sedet ad dexteram majeſtatis in excelſo.* Item dicitur ſedere in throno. Apocal. 3. *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno ſicut & ego vici & ſedi cum patre meo in throno ejus.* Miniſter ergo Chriſti erit ubi Chriſtus eſt. Habebit enim perfectæ cognitionis claritatem, quantum ad primum. Habebit & amoris ſuavitatem, quantum ad ſecundum, fruetur enim præſentia rei amatæ. Habebit etiam magnam dignitatem quæ in throno intelligitur. Primum pertinet ad vim rationalem, ſecundum ad concupiſcibilem, tertium ad iraſcibilem.

3. Locus Chriſti triplex. Locus miniſtrorum Chriſti etiam triplex.

IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone agitur de variis circumciſionibus corporalibus, ſed præcipuè de circumciſione ſpirituali, de 7. vel 8. diebus circumciſionis ſpiritualis, denique de nomine Ieſu.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, &c. SERMO XXIV.
Luca 2.

Circumciſionis utilitates.

IMplet puer Jeſus legem circumciſionis quam pro nobis ſuſcepit, quod utique magnum eſt gratiæ munus. habet autem circumciſio propter donum obedientiæ plures utilitates. quia debilitat libidinoſam concupiſcentiam, quæ viget in membro iſto virili. Ipſa etiam eſt impletio pacti Creatoris ad Abraham, adhærendi ſcilicet Deo per cultum, de quo pacto Dominus jubet habere recordationem. Iſaiæ 51. *Attendite ad petram unde exciſi eſtis.* Sicut autem in membris noſtris ſæpe pro unius membri infirmitate alteri adhibetur curatio, ita pro totius corporis Eccleſiaſtici putredine auferenda, hodie cauterium quoddam infixum eſt capiti Chriſto. Et quod dignatius eſt, caput Chriſtus hodie formam habet peccatoris, ut tu pœniteas peccata tua, quod fit *ſeptem* diebus. *Prima* per juſtitiam teipſum pro delictis puniendo. *Secunda* per prudentiam fugam à malis eligendo. *Tertia* per fortitudinem pias operationes quærendo. *Quarta* per temperantiam incontinentes mo-

Pœnitendū ſeptem diebus.

tūs voluntatis refrenando. *Quinta* pro obedientiam adverſa & dura aggrediendo. *Sexta*, per patientiam eadem tolerando. *Septima* per humilitatem acquiſitas virtutes conſervando. Et *octava* die diſcretionis operi nomen imponendo, ut ſcilicet ordinatè fiat. *Ordinatione* enim *tua perſeverant dies*. (Pſal. 118.) Dies inquam virtutum. Sic poſtquam conſummati ſunt dies octo, adſcribitur fidelis ſaluti.

(Hæc ſolennitas ob duo celebratur.) Notandum autem quod duplici ratione hodierna ſolennitas celebratur, ſcilicet propter Salvatoris circumciſionem, & nominis eius publicationem, & de his duobus agitur in Evangelio hodierno. *Primo* de circumciſione, *ſecundo* de nominis publicatione. Circumciſio pertinet ad veritatem humanitatis, nomen publicatum ad maieſtatem Deitatis. Bernard. Circumciſio veritatem humanitatis nomen ſuper omne nomen gloriam indicat maieſtatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius. Ieſus vocatur tanquam verus Dei filius. Et ſicut Abrahæ circumcidendo nomen mutatum eſt. Geneſ. 17. Item ſicut in baptiſmo Chriſtianis nomen imponitur, ſic Iudæis in circumciſione nomen imponebatur. In ſuſceptione ſacramenti vita ſpiritualis inchoatur, cuius comparatione vita naturæ vita non eſt vocanda. Recte ergo tunc nomen imponitur, cum vera vita inchoatur. Circumciſio nobis proponitur ad imitationem. Nomen nobis publicatur ad invocationem, *quicunque* enim *invocaverit nomen Domini ſalvus erit*. Ioëlis 2.

I. (Circumciſio triplex.) Et *notandum* quod eſt *triplex circumciſio*. Circumciſio Iudæorum, circumciſio Chriſtianorum viatorum, circumciſio beatorum. *Prima* eſt carnis, quæ præcepta eſt Iudæis, & jam ceſſavit. *Tertia* verò erit cum omnis corruptio ab electis auferetur. *Media* vero circumciſio eſt circumciſio ſpiritualis; de qua Bernard. in ſerm. *Fratres nos circumcidi neceſſe eſt, non littera, ſed ſpiritu & veritate, nec in uno membro tantum, ſed in toto corpore ſimul. Licet enim magis in ea parte in qua Iudæis mandata eſt circumciſio regnet concupiſcentia, univerſam tamen occupat carnem. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in nobis ſanitas, nec eſt pars aliqua quæ tabida non ſit hoc veneno. Propterea ſicut parvulus adhuc in fide & dilectione populus congruum ſibi mandatum exigua circumciſionis accepit. Sic ubi crevit in virum perfectiorem toto jubetur corpore baptizari, quæ eſt totius hominis integra circumciſio. Hinc eſt quod Salvator noſter circumcidi octavo die, & poſt annum triceſimum dignatus eſt crucifigi, ubi corpus diſtenſum eſt univerſum. Cuius ſimilitudini mortis complantamur & nos, ut ſcribit apoſtolus, quod noviſſime traditum eſt obſervantes.* (Ad Rom. 6.) (Qualis & qualium partium debeat eſſe circumciſio hæc.) Circumciſio debet eſſe integra, ſicut ridiculum ſe facit qui in parte barbam ſuam radit, ſic qui in parte circumciſionem ſpiritualem facit, & in parte ſe incircumciſum relinquit. Debemus circumcidere nos interius & exterius. Interius quantum ad cogitationes & deſideria, exterius quantum ad ſingula membra. Ad cordis circumciſionem monemur. Hierem. 4. *Circumcidimini Domino & auferte præputia cordium veſtrorum*, &c. (Locus Iſaiæ de circumciſione hac explicatur.) De exteriori circumciſione habetur. Iſaiæ 33. *Quis poterit habitare cum igne devorante?* id eſt cum Deo qui eſt ignis rubiginem malitiæ conſumens. Et ſubditur. *Qui ambulat in iuſtitiis*. Hoc poteſt referri ad circumciſionem pedum, *& loquitur veritatem*: ecce circumciſio linguæ. *Qui projicit avaritiam ex calumnia & excutit manus ſuas ab omni munere*: ecce circumciſio manus. *Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem*: ecce circumciſio auris. *Et claudit oculos ſuos ne videat*: ecce circumciſio oculi. (Circumciſione ſpirituali octo circumcidenda ſunt.) In hoc quod conſūmatis octo diebus puer circūcidebatur poteſt intelligi quod octo ſunt quibus ad perfectionem circumciſionis ſpiritualis pervenitur.
1. *Primo* præcidenda eſt peccati gloriatio. Pſal 51. *Quid gloriaris in malitia?* Qui de malitia gloriatur, ſimilis eſt illi qui de hoc gloriaretur, quod in lutum fœtidiſſimum cecidiſſet. *Secundo* præcidenda eſt peccati defenſio. Pſalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ*, &c. 2. *Tertio* peccati conſuetudo. Aliqui ſunt qui iugiter repetunt infernalem viam, quaſi timerent eam oblviſci. Hierem. 2. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas?* 3. *Quarto* ipſum opus peccati. Iſaiæ 1. *Quieſcite agere perverſe*. 4. *Quinto* verba peccati. Epheſ. 5. *Fornicatio & omnis immunditia aut avaritia non nominetur in vobis*. 5. Eiuſdem 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat*. *Sexto* peccati conſenſus. Eccleſiaſt. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. 6. *Septimo* delectatio peccati per deſiderium. 1. ad Corinth. 10. *Non ſimus concupiſcentes malorum*. 7. *Octavo* cogitatio peccati quæ eſt ultima radix peccati. Iſaiæ 1. *Lavamini mundi eſtote auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. 8.

Bernard. in Serm. 3. de Circumciſione Domini
,, Octo dies his verbis diſtinguit. Naſcitur, inquit (Ex S. Bernardo dies octo ante circumciſionem Vi. denda editio recentior S Bernardi.)
,, homo quando ſol iuſtitiæ ortus in animo peccato-
,, rū tenebras illuminat, horrendum Dei iudiciū in-
,, ternis obrutibus offert: addens ad terroris vincu-
,, lum brevem dierum numerum, & finem incertum.
,, Hæc plane veſpera eſt, ad quam demorabitur fle-
,, tus? ſed neceſſe eſt addi matutinam lætitiam, ut au-
,, ditam faciat nobis mane Dominus miſericordiam 1.
,, ſuam. Sic enim fit veſpere & mane dies unus. Eſt (Dies Iuſtitiæ.)
,, autem dies iſta dies Iuſtitiæ, reddens unicuiq; quod
,, ſuum eſt, nobis miſeriam, Deo miſericordiam. In
,, hac die puer naſcitur. Secunda eſt prudentiæ. In
,, hac die de præſenti ſæculo nequam fugere eligit. di- 2.
,, cens cum propheta: Odivi eccleſiam malignan- (Dies prudentiæ)
,, tium, &c Sed nondum ſufficit hoc, forte enim vult
,, eligere ſolitudinem non ſatis attendens propriam
,, infirmitatem. & periculoſam diaboli lectam. Ideo 3.
,, neceſſaria eſt tertia dies quæ eſt dies fortitudinis. (Dies Fortitudinis.)
,, In hac die eligit congregationem. quæ pro forti-
,, tudine ſua terribilis eſt ſicuti caſtrorum acies ordi-
,, nata. Væ autem ſoli quia ſi ceciderit non habet ſu-
,, blevantem. Ideo potius dicit: Odivi eccleſiam ma-
,, lignantium, & ſubdit David: Lavabo inter inno-
,, centes manus meas. Eluceſcat in te dies temperan- 4.
,, tiæ, ut quæras quomodo refrenari poſſint inconti- (Dies Temperantiæ.)
,, nentes motus voluptatis, cervicoſi motus elatio-
,, nis. Deinde neceſſe eſt ut eluceſcat dies patientiæ, 5.
,, per quam omnia dura & aſpera tacita amplectaris (Dies Patientiæ.)
,, conſcientia. in cogitatione tua ſemper partē ma-
,, giſtri quoad potes adverſum temetipſum iuvans: &
,, te quidem in omnibus accuſare, illum magis excu-
,, ſare laborans. Porro jam in hoc cavendum tibi 6.
,, arbitror à ſuperbia: unde David: veruntamē Deo (Dies humilitatis.)
,, ſubiecta eſto anima mea, ab ipſo enim patientia
,, mea. Nonne tibi videtur hic occaſione patientiæ
,, tentationem ſenſiſſe ſuperbiæ? Ideo neceſſarius eſt
,, dies humilitatis. Deinde dies devotionis in qua 7.
,, nihil laborioſum eſt, ſed totum ſuave. Hæc dies (Dies Devotionis.)
,, paucorum. Si quis videtur hanc habere, non con-
,, tinuo credat ſibi. Neceſſe eſt maximè ſi novitius
,, eſt, nec præfatos aſcendit gradus. Plus enim Do-
,, minus puſillos corde blanditiis ſolet allicere. Sed
,, noverint qui huiuſmodi ſunt gratiam hanc præſti-
,, tam eſſe non datam. Hoc autem timendum eſt ei
,, qui tāta devotione omnia facit, ne cū ſequitur af-
,, fectionem, corpus deſtruat per immoderatā exer-
,, citationem. Ergo neceſſarium eſt lumen diſcretio- 8.
,, nis, quæ mater virtutum eſt. & conſummatio per- (Dies Diſcretionis.)
,, fectionis. Hæc eſt octava dies, in qua circumcidi-
,, tur puer, ut non plus vel minus fiat. Sed quia rara
,, iſta avis eſt, huius diſcretionis locū ſuppleat vir-
,, tus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil II.
,, aliter quam imperatum ſit faciatis. Hactenus Bern. (Nominis Ieſus publicatio.)

De nomine pueri notandum quod Evangeliſta oſtendit prius nominis publicationem ibi: *voca-* 1.

tum eſt nomen ejus Ieſus. Secundo dignitatem ibi: *Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam*, &c. Origenes. Vocabulum Jeſu glorioſum omni adoratu cultuque digniſſimum, nomen quod ſuper omne nomen non decuit ab hominibus appellari, nec ab eis afferri in mundum. Sed ab excellentiori quadam majorique natura, hoc nomen vocatum eſt ab Angelo ſalutante Mariam priuſquam in utero conciperetur Lucæ 1. Hoc etiam vocatum eſt ab Angelo certificante Joſeph de conceptu Mariæ poſtquam puer in utero conceptus eſt, priuſquam natus eſſet. Matthæi 1. Et ſicut hoc nomen prius vocatum eſt ab Angelo quam ab homine, ita rem nominis ſalutem ſcilicet prius adeptus eſt Angelus quam homo. Unde Bernard. in Serm. Idem Salvator & Angeli & hominis, ſcilicet hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Et *notandum* quod nomen iſtud quadrupliciter excellit alia nomina.

2. Dignitas ejus. Quadrupliciter alia nomina excellit.

1. *Primo ſublimitate.* Unde Philip 3. *Dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in Nomine Ieſu omne genu flectatur.*
2. *Secundo ſuavitate.* Bernardus. Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Canticorum 1. *Oleum effuſum nomen tuum.*
3. *Tertio poteſtate* in mirabilibus faciendis. Marci ult. *In nomine meo ejicient dæmonia.* &c.
4. *Quarto utilitate.* Actor 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* De hoc nomine vide ſermonem in vigilia natalis Domini: *Ioſeph fili David*, &c.

DE EPIPHANIA DOMINI.

SERMO PRIMUS.

SERMO XXV.

SUMMARIUM.

Hic ſermo agit de triplici apparitione ſeu Epiphania Chriſti hoc die facta, ad deſtruenda tria aut ſeptem opera Diaboli.

In hoc apparuit filius Dei ut diſſolvat opera diaboli 1. *Ioannis 3.*

quatuor in hoc ſermone de apparitione Chriſti agentur.

HOdie apparitionem Salvatoris celebramus; circa quam quatuor ſumus vobis oſtenſuri: ſcilicet qualiter & quare Salvator apparuerit, & qualiter, & quare ejus apparitio celebranda ſit. Duo prima inſinuantur nobis in verbo propoſito. Primum ibi: *filius Dei.* Secundum ibi: *ut diſſolvat*, &c.

I. Quomodo apparuerit Salvator.

Circa Primum notandum, quod Salvator hodie ſic apparuit, quod acies fidei ad cognoſcendã virtutem deitatis penetravit. Ambroſius in ſerm. Quomodo apparuerit requiramus, non quod in mundo antea non fuerit, cum mundus per ipſum factus ſit, ſed quod tunc primis ſignis atque miraculis credentium cordibus Deus Chriſtus illuxerit. Idem Si prius natus ex virgine oculis carnalibus videbatur, tamen non apparebat, quare virtutem ejus adhuc fidei acies ignorabat. In nativitate apparuit filius hominis, ſed hodie apparet filius Dei & Dominus. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à patre.*

Quomodo in Nativitate & in Epiphania apparuerit.

In nativitate apparuit ejus humanitatis infirmitas & infantuli parvitas, hodie verò apparuit ejus celſitudo, virtus & magnitudo. Auguſtinus in Serm. Quæ eſt iſta humilis celſitudo, infirmi fortitudo, parvuli magnitudo? Triplex hodie memoratur Salvatoris apparitio.

Triplex apparitio Salvatoris hodie colitur.

Prima facta fuit tredecima die ab ejus nativitate. *Secunda* fuit tredecima die & triceſimi anni ejus, quando ſcilicet baptizatus fuit à Joanne. *Tertia* fuit ſicut creditur eadem die anno revoluto, cum in nuptiis aquam mutavit in vinum.

De 1. Math. 2.

Prima facta fuit in apparitione ſtellæ, per quam oſtendit ſeipſum eſſe cui cœleſtia famulantur. Auguſtinus in Serm. Quid erat illa ſtella niſi mirifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei, inuſitatum Virginis partum, inuſitato ſplendore clamaret. Cui poſtea non apparenti, Evangelium toto orbe ſuccederet.

Dei Matth 4.

Secunda in baptiſmo ubi teſtimonio patris, gloria ejus quaſi unigeniti apparuit. *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus*, &c. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti*, &c.

De 3. Joan. 2.

Tertia in nuptiis, ubi aquam mutavit in vinum, in qua mutatione ſe Dominum terrenorum eſſe oſtendit. Ambroſius in Serm. Nemo poteſt mutare naturam, niſi qui Dominus eſt naturæ. Idem Magnum planè ſignum, & ad Dei credendam ſufficiens majeſtatem. *Hoc ſigno manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Joan. 2.

Iterum de illis.

In *ſecunda* apparitione oſtenſus eſt unigenitus patris, & ſic ejuſdem ſubſtantiæ cum ipſo. In *prima* oſtenſus eſt Dominus cœleſtium, in *tertia* terrenorum, & ſic ejuſdem potentiæ cum patre.

II. Quare Salvator apparuerit. Tria opera Diaboli.

Circa ſecundum notandum quod Diabolus tria opera in hoc mundo fecerat. Procuraverat enim *hominum excæcationem, inquinationem, afflictionem.* Ad tantam cæcitatem devenerant homines, quod divinum honorem lignis & lapidibus exhibebant, & cultum quem ſoli factori ſuo impendere debebant, operibus manuum ſuarum impendebant. Cæcitatem verò ſecuta eſt inquinatio. Qui enim lutum non videt non cavet. Unde omni genere ſpurcitiarum inquinati erant. Inquinationem verò peccati juſtè ſequitur afflictio. Auguſt. in libro de libero arbitrio. Nullo temporis intervallo iſta duo dividuntur, ut quaſi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur, ne vel temporis puncto univerſalis pulchritudo turpetur, ut ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Proverb. 14. *Miſeros facit populos peccatum.* Oſeæ 4. *Maledictio, homicidium, mendacium, furtum, & adulterium inundaverunt.* Et ſubditur. *Propter hoc lugebit terra.*

Ad hæc deſtruenda facta eſt triplex apparitio Chriſti.

Et ut hæc tria opera diaboli diſſolveret apparuit filius Dei. Apparitio facta per ſtellam fuit contra cæcitatem mundi. Stella enim quæ exterius ſplenduit, figurabat lumen fidei, quod in cordibus gentium radiare fecit, ſicut tenebræ ſolis in paſſione Chriſti figurabant tenebras infidelitatis quæ erant in cordibus Judæorum. Unde Auguſtinus in Serm. Iſtam novam ſtellam declaravit natus qui antiquum ſolem obſcuravit occiſus. Illa luce inchoata eſt fides gentium, illis tenebris accuſata eſt perfidia Judæorum. Stella enim figurabat lumen cœleſtis doctrinæ, quo regenda erat Eccleſia. 1.

2. *Secunda apparitio* quæ facta fuit in baptiſmo fuit contra ſecundum opus diaboli, ſcilicet inquinationem. Sponſus enim Eccleſiæ qui eſt ſplendor gloriæ Hebr. 1. paravit balneum, quo ipſe ſe balneavit, baptiſmum ſcilicet, non aquam maculans, ſed virtutem abluendi donans. Ambroſius in Serm. Qualis ſalvatoris eſt baptiſmus, in quo purgantur potius fluenta quam purgant, novo enim ſanctificationis genere Chriſtum non tam lavit unda quam lota eſt.

3. *Tertia apparitio* ubi aqua in vinum mutata eſt, fuit contra tertium opus diaboli, ſcilicet afflictionem. Mutatio enim aquæ in vinum ſignificat aquam tribulationis mutandam eſſe in vinum conſolationis. Quæ mutatio in parte jam facta eſt, quia filius Dei mala pœnæ tolerando, ea nobis toleranda reddidit. Magna enim conſolatio membris ex capite, ut dicit Auguſtinus. Spes etiam futuri gaudij tribulationes præſentes quodammodo dulcorat. Perfectè vero hæc mutatio fiet in futuro, tunc enim una gutta aquæ tribulationis in mille modios gaudij vertetur. Pro una enim hora qua aliquis afflictionem pœnitentiæ ſuſtinuerit, mille annis in delitiis paradiſi erit.

III. Quomodo

Circa tertium notandum, quod ſicut filius Dei

celebranda ſit Epiphania. Imitādo Chriſtum debemus diſſolvere opera Diaboli tripliciter.

Dei in hoc mundo apparuit ut opera diaboli diſſolveret, ſic apparitionem ipſius ita celebrare debemus, ut ejuſdem operibus deſtruēdis intendamus, lumen cæleſtis doctrinæ amando, puritati acquirendæ & conſervandæ ſtudendo, aqua tribulationis pœnitentialis hydrias implendo, quæ nobis vertatur in vinum ſpiritualis conſolationis in præſenti, & æternæ in futuro. Eccleſiaſtici 1. *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.* Gregor. Si dulcia quærimus, neceſſe eſt ut amara toleremus.

IV. Epiphania celebranda eſt ob quadruplicem nativitatē

Circa Quartum notandum, quod cùm gaudio magno celebranda eſt apparitio Salvatoris, ſicut enim dicit Gregor. Nativitas hodierna altior eſt quodammodo natali Salvatoris noſtri. Poſſumus autem diſtinguere *quadruplicem nativitatem*, de qua hodie gratulari debemus.
1. *Prima eſt nativitas æterna*, de qua filius Dei de patre naſcitur, quæ teſtimonio patris nobis hodie declaratur. In natali celebramus temporalem Chriſti nativitatem ex matre, ſed hodie celebramus digniorem illam quæ ex patre. Unde Ambroſ. Pater qui tunc obumbravit in virtute, nunc clamat in voce; qui tunc umbram præſtitit nativitati, modò teſtimonium perhibet veritati. *Hic eſt*, inquit *filius meus dilectus*, &c. Præclarior eſt ſecunda quam prima
2. nativitas *Secunda* eſt *ſpiritualis* nativitas, qua per fidem in cordibus gentium verus ſol naſci cæpit.
3. *Tertia* verò eſt *nativitas ſacramentalis*, qua in mēbris ſuis in aquis baptiſmi naſcitur; quam Ambroſius comparat Nativitati Salvatoris quæ fuit ex virgine dicens: Gloriemur quia filium genuit mater & caſta eſt, & quia Chriſtum lavit unda & ſancta eſt. Illi eſt collata virginitas, iſti collata fæcunditas; illa virum procreavit & virgo eſt, iſta generat plures & pura eſt; iſta propter Chriſtum neſcit
4. alium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum. *Quarta* eſt *nativitas beata* qua inchoatur vita æterna, quæ in mutatione aquæ in vinum eſt figurata. Unde Ambroſius in Serm. Credendum eſt jam ex hoc mortalem hominem in immortalem poſſe converti, quando vilis ſubſtantia in pretioſam converſa eſt ſubſtantiam.

Ad ſeptem opera diaboli diſſolvenda venit Chriſtus in Mūdum.

In hoc apparuit filius Dei, &c. Poſſumus diſtinguere ſeptem opera diaboli ad quæ diſſolvenda filius Dei carne aſſumpta modo apparuit. *Primum* eſt *obſcuratio*, de qua Iſa. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnā.* Ejuſdem 60. *Ecce tenebræ operient terrā & caligo populos.* Diabo-
1. lus odit lucem. Joan 3. *Omnis qui male agit odit lucem*; & amat tenebras. Job 24. *Oculus adulteri obſervat caliginem.* Cōtra hoc opus diaboli venit filius
2. Dei tanquā lux vera. *Secundum* opus diaboli eſt *congelatio*. *Ventus aquilo*, id eſt diabolus, *flaverat & congelaverat cryſtallum ab aqua.* Eccleſiaſt. 45. Non ſolum corda hominum congelata erant in glaciem, ſed etiam in cryſtallum. Congelatio diverſarum naturarum res conjungit; facit enim lapides ſic adhærere terræ, ut vix ſeparari poſſint. Sic flatus tentationis diabolicæ corda hominum, quæ quaſi cæleſtia ſunt, terræ per cupiditatem & avaritiam fecerat adhærere, ut à terrenis non poſſent ſeparari. Contra hanc congelationem venit filius Dei legem igneam afferens, ignem amoris verbis, exemplis, & beneficijs in cordibus hominum
3. ſuccendens. *Tertium* opus eſt *ligatio*. Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Hoc ſervitio ſervit peccator diabolo, quod manibus proprijs funes facit quibus ſe ligat, & diabolo ligatum ſe tradit. Contra hoc opus diaboli venit filius Dei, qui ſolvit compeditos & poteſtatem ſolvendi miniſtris Eccle-
4. ſiæ dedit. Matthæi 16. *Quartum* eſt *oneratio*. Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Congregaverunt homines materiam ignis infernalis, trahebant enim quaſi plauſtrum ſpinis peccatorum omnium, quibus in inferno incendendi erant. Iſa. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum* Contra hoc opus diaboli venit filius Dei & onus peccatorum noſtrorum quantum ad pœnam ſuper ſe ſumpſit. Iſai 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore noſtro ſuper lignum.* Joan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi* *Quintum* opus eſt *deformatio* cujus 5. Operis hujus cauſa triplex.
triplex cauſa erat. *Prima* erat monſtruoſa perverſitas, quod enim poſuit Deus in ſummo, animam ſcilicet volens eam dominari carni, diabolus poſuerat eam in imo. Item faciem animæ, quam Deus vult eſſe verſam ad anteriora, ſcilicet ſpiritualia & æterna, diabolus converterat ad poſteriora, ſcilicet ad caduca. Pſalm 20. *Pones eos dorſum.* Hierem. 2. *Verterunt ad me tergum & non faciem.* Ejuſdem 7 *Facti ſunt retrorſum & non ante.* Quod debuerat eſſe intus, poſuerat extra ſecundum illud Eccleſiaſtici 10. quod dicitur de Avaro: *projecit i[illegible]a ſua in vita ſua.* *Secunda* cauſa eſt membrorum præciſio. Ezech 23. *Naſum tuum & aures tuas præcident.* *Tertia* decoloratio. Thren. 4 *Denigrata eſt facies eorum ſuper carbones.* Sic diabolus pingit imaginem ſuam in animabus peccantium. Imitantur eum *qui ſunt in parte ipſius.* Sap. 1. Contra hoc opus venit filius Dei, qui eſt imago patris, ut homines conformantes ſe ei à deformitate hac reformarentur. *Sextum* eſt *vilificatio*, quam 6. Factum duplici modo
diabolus dupliciter procurat. *Vno* modo dum homines venales efficit pro momētanea voluptate fœda. Prover. 6. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis.* *Secundo* cum homines ad peccata redire facit. Hier. 3. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas.* Proverb. 26. *Quaſi canis qui revertitur ad vomitum ſuum; ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.* Contra hoc opus filius Dei apparuit, & ut pretioſos nos faceret ſeipſum nobis pretium poſuit, ut non minori pretio nos de cætero venderemus Auguſtinus. Appendite ex pretio ne tibi vileſcas. *Septimum* opus eſt *tyrannica dominatio*. Diabolus tan- 7.
quam ſimia regnum effigiare voluit, & ſedem ſibi ex adverſo ſtatuit. Iſaiæ 14. *Ponam ſedem meam ad aquilonem.* Ipſe ad modum ſimiæ ſuper humeros hominum ſedere contendit. Contra hoc opus ejus filius Dei apparuit, qui tyrannidem ejus compeſcuit. Joan. 12. Princeps mūdi hujus ejicietur foras.

DE EODEM.

SERMO SECVNDVS.

SUMMARIUM.

Exponit hic ſermo 4. modos ſeu ſtatus Chriſti apparentis.

SERMO XXVI.

Apparuit benignitas & humanitas ſalvatoris noſtri Dei, &c. *Ad Titum 3.*

QVadruplicem ſtatum Salvatoris poſſumus diſtinguere. In *primo* apparuit benignitas & humanitas, in *ſecundo* latet humanitas, apparet tamen benignitas, in *tertio* apparet humanitas & ſeveritas, in *quarto* apparebit non ſolum benignitas & humanitas, ſed etiam divinitas *Primus* ſtatus fuit dum erat in hac vita mortali, *ſecundus* eſt modò, *tertius* erit in hoc mundo, *quartus* poſt mundum.

Quadruplex ſtatus Salvatoris apparentis.

Circa *primum* notandum quod benignitas dicitur abundans bonitas ſe & ſua communicans, qualis eſt Dei bonitas, quæ creaturæ capaci ſui, ſci-

Primus modus apparitionis Chri-

ſicet creaturæ rationali, ſi digna fuerit, ſe communicabit, ut ſicut beatus eſt clariſſimè ſuam pulchritudinem inſpiciendo & ſummè ſuam ſuavitatē amando; ſic creatura rationalis beata erit manifeſtata eius viſione & perfecto eius amore. Hanc benignitatem ſeu bonitatem abundantem voluit Dominus perſuadere homini, & in creatione uſus eſt ad hoc quaſi argumento univerſitate creaturarum, quas non ſolum liberaliter, immo etiam liberales creavit Deus, ut dent ſemetipſas. Lux dat ſe. ſimiliter calor, & ſic de cæteris. Auguſtinus. Indicium maximæ divinæ bonitatis eſt, quod quælibet res cogitur dare ſeipſam. Sed quia poſſet aliquis dicere, non ſequi, etſi Dei bonitas det ſua quod propter hoc det ſeipſam: ideo Dominus ſe viſibilem facit, ut donatione ſui viſibili, inviſibilem ſui donationem perſuaderet, & ſic apparuit benignitas & humanitas, id eſt in humanitatę. *Non ex operibus*, &c. Quaſi diceret hoc beneficium non fuit proportionale meritis noſtris, ſed ſuæ miſericordiæ, nec poteſt cogitari maior fluvius de fonte divinæ miſericordiæ procedens. Secundum magnitudinem fontis, fuit magnitudo fluvii, unde ſubditur: *Secundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* F[ilius] Dei factus eſt filius virginis, ut qui donabilis erat à Deo, donabilis eſſet à virgine. Solent dicere ſapientes huius mundi: *ſufficit unus dator in una domo.* Econtrario divina liberalitas videtur dixiſſe: *Non eſt bonum, patrem eſſe datorem filii ſolum, faciamus ei adiutorium*, ſcilicet beatam virginem. Solent avari oblata ab aliis recuſare, ne oporteat eis ſua dare: è contrario Dei bonitas voluit accipere de noſtro, ut nos acciperemus de ſuo. Auguſtinus. Dubitas quod non velit tibi dare bona ſua, qui non dedignatus eſt pro te ſuſcipere mala tua. Sicut apparuit ſalvatoris benignitas, ſic apparere debet & tua. Noli Deo eſſe avarus tempore illo, quo fuit tibi tam largus. Apparere etiam debet tua humanitas. In quibuſdam tamen apparet beſtialitas. Bernardus, Puto iumenta dicerent ſi loqui fas eſſet, Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis. Seneca. Quoſdam ventri obedientes loco animalium numeremus, non hominum. Non apparet humanitas in detractoribus, qui canes vel ſerpentes eſſe videntur. Eccleſiaſtici 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minus eo habet qui occultè detrahit.* Detractores ad modum canis homines mordent, Galat. 5. *Si ad invicem mordetis, videte ne ab invicem conſumamini.* Non apparet humanitas in raptoribus, qui urſi, vel lupi, vel leones eſſe videntur. Proverb. 28. *Leo rugiens & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* Daniel 7. *Ecce beſtia aliena ſimilis urſo.* Cui dictum eſt: *Surge, comede carnes plurimas.* Sophon. 3. *Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpere*, &c. In hominibus doloſis non apparet humanitas, vulpes enim eſſe videntur. Lucæ 13. *Dicite vulpi illi*, vulpem vocat Herod. Et *notandum* quod aliquis leo eſt per ſuperbiam, ſerpens per invidiam, aper per iram, teſtudo per pigritiam, urſus per gulam, urſus enim ſequendo dulcedinem mellis capitur, porcus per luxuriam, talpa per avaritiam.

Chriſti per benignitatem humanitatem aſſumendo.

Benignitas ſeu bonitas Dei quid ſit & qui appareat in creaturis & in Deo.

In nobis apparere debet benignitas & humanitas, non beſtialitas.

1. Non apparet humanitas in detractoribus.

2. In raptoribus.

3. In doloſis. Varia vitia faciunt nos varias beſtias.

Circa *ſecundum* ſtatum notandum quod nunc apparet Salvatoris benignitas, licet lateat eius humanitas. Specialiter autem apparet in Sacramentis Eccleſiæ, in baptiſmo & pœnitentia, ubi peccatoribus peccatum dimittit, pacem eorum adeo carè emens, quod dat eis regnum cœlorum. Et licet non appareat nobis eius humanitas, patri tamen apparet pro nobis. 1. Ioan. 2. *Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem*, &c. In Pſalm. 83. *Reſpice faciem Chriſti tui.* Bernard. Securum habes ô homo acceſſum ad Deum, ubi habes filium ante patrem, & ante filium habes matrem: filius oſtendit patri latus, & vulnera, mater oſtendit filio pectus & ubera: nec ulla ibi timeri poterit repulſa, ubi tot charitatis concurrunt inſignia.

Secundus modus apparitionis Chriſti.

Circa *tertium* ſtatum notandū quod in mundo apparebit humanitas & ſeveritas. Unde ſecundum illum ſtatum vocat eum Propheta leonem. Oſeæ 11. *Quaſi leo rugiet.* Amos tertio. *Leo rugiet, quis non timebit?* Bernardus in Sermonibus. Quoniam benignus apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem ſimilem expectare poſſumus iudicii diſtrictionem. Ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende. Immenſus eſt enim Deus & infinitus in iuſtitia ſicut & in miſericordia, multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum. Propter hoc benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati ſeveritatem videamus ſecuri.

Tertius modus.

Circa *quartum* ſtatum notandum quod poſt iudicium apparebit electis non ſolum benignitas & humanitas ſed etiam divinitas. Iob 33. *Videbunt faciem eius in iubilo.* In Pſalmo 20. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Iſaiæ 33. *Regem in decore ſuo videbunt.* In illa apparitione erit perfectum gaudium electorum. Bernard. Revera illud eſt verum & ſolum gaudium quod non creatura ſed de Creatore accipitur, quod cum poſſederis nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde iucunditas mœror eſt, omnis ſanitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne quod cum aliud delectari poſſit, moleſtum. Auguſt. Si mali poſſent, mallent in inferno Deum videre, & in pœnis, quam extra pœnas Deum non videre.

Quartus modus.

DE EODEM.

SERMO TERTIUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo tria potiſſimùm tractat I. thema explicat. II. occaſione triū Regum Chriſtianos reges eſſe docet & quomodo regere debeant tradit. III. ex hiſtoria horum triū Regum 7. nobis imitanda proponit.

SERMO XXVII.

Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui, *Iſaia 60.*

I. Explicatur thema.

PRophetia eſt de vocatione gentium ad fidem Chriſti. Hæc videtur hodie eſſe impleta quantum ad ultimam partem. Ambulaverunt enim reges in ſplendore ſtellæ quæ ſignum erat regis nati. De cuius nativitate prælocutus erat. Iſa. dicens ad Hieruſalem: *Super te orietur Dominus. Super* dicitur, quia ſuper merita hominum fuit Chriſti adventus: vel quia *viſitavit nos oriens ex alto.* Luc. 1. Vel quia *qui de cœlo venit ſuper omnes eſt.* Ioan. 3. Nativitatem iſtam dixit Propheta eſſe populi illius, quia Chriſtus populo illuminando natus eſt ſecundum illud. Iſaiæ 9. *Parvulus natus eſt nobis.* Ambulaverunt etiam reges in ſplendore Chriſti, cum cæteri reges ad fidem eius converſi ſunt, ut Conſtantinus, Heraclius & Theodoſius. Et poteſt hoc intelligi de quadruplici ſplendore Chriſti, ſcilicet ſplendore doctrinæ, gratiæ, exempli & miraculorum. Vel ſpecialiter ſplendor poteſt eſſe ſine propria gloria, in quo ſplendore reges ambulaverunt, cum contempta propria gloria Chriſti gloriam quæſierunt. Apocal. 21. *Ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem.* Et ſecundum hoc, hæc duo: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui*, reſpōdent duobus quæ præmiſit Iſai. *Venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Chriſtus lumen eſt humani generis & gloria patris. Ioan. 8. *Ego ſum lux mundi.* Prover. 10.

Iſte locus de Nativitate Chriſti xpo nitur.

Gloria

Gloria patris; filius ſapiens. De ſplendore gloriæ dicitur Baruch 5. *Oſtendet ſplendorem ſuum in te.* Reges qui fidem Chriſti ſuſceperunt, Eccleſiæ valde devoti fuerunt, ſecundum illud Iſaiæ 49. *Erunt reges nutritii tui & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Eiuſdem 60. *Mamilla regum lactaberis.* Hodie & reges in ſplendore Chriſti ambulabunt, dum fideles bene ſe regentes ac ſplendorem doctrinæ & exempli Chriſti proficiunt.

II. Cur Deus ex gentibus reges primos vocaverit. Chriſtiani quomodo in baptiſmo reges inunguntur.

Et *notandum* quod Chriſtus voluit reges eſſe illos qui primi de gentibus ad fidem eius venerunt, ad deſignandum quod Deo ſervire eſt regnare, & quia ſervientes eis regnum cœlorum ſunt accepturi. Ideo Chriſtiani in baptiſmo inunguntur, & hoc tripliciter. In vertice, ut in ſuperiori parte animæ dignitatem regiam conſervent, nec ſervituti vitiorum eam ſubjiciant. In pectore ut viſcera miſericordiæ in proximos habeant. In ſcapulis ut onus Chriſti manſuetè portent. Fideles qui bene ſe gerunt, vitam regiam ducunt. In eis enim debito modo conſulitur, imperatur, obeditur.

Fideles quomodo ſint reges.

Seneca. Multos reges, ſi ratio te rexerit. Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Seneca. Vis magnum imperium dabo tibi, impera tibi. Tullius. Omnis ſapiens liber, omnis ſtultus ſervus. Nec putatur hoc nomine imperator dignus. Quomodo vel cui liberè imperabit, qui ſuis cupiditatibus imperare non preſt? Hoc quod tres reges fuerunt, referri poteſt ad fidem Trinitatis: vel ad hoc quod fideles *tria* habent regere, *manum*, *linguam*, *cor*. Primum regnum latum, ſecundum latius, tertium latiſſimum. Regenda ſunt hæc tria, ut à malis cohibeantur & bonis actibus ſervire cogantur.

Cur tres reges vocati ſint à Deo. Regnum fidelium triplex, duplici modo regendum. Primo modo cohibenda manus à tribus malis.

Regenda eſt manus ut *à tribus* cohibeatur, ſcilicet *à tactu immunditiæ, à peccato violentiæ & avaritiæ.* Propter *primum* Monachi ſunt accincti Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Caro ad modum picis inquinat tangentem. De *ſecundo* arguuntur Iudæi. Iſaiæ 58. *Percutitis pugno impiè.* ad Rom 12. *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* De *tertio* habetur Eccleſiaſtici 4. *Non ſit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta,* Iſaiæ 33. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, ipſe in excelſis habitat.*

2. Lingua.

Regenda eſt *lingua* ut cohibeatur à detractione & adulatione & aliis vanis. Hierem. 5. *Diſperdite ſatorem de Babylonia, & tenentem falcem in tempore meſſis.* Sator Babyloniæ eſt detractor, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Lingua vero adulatoris falci comparatur, quæ amplectendo ſecat. Lingua etiam detractoris eſt quaſi arcus occultè feriens. Hierem. 9. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii.*

3. Cor.

Regendum eſt *Cor* ab immundis cogitationibus, ut à pravis deſideriis cohibeatur, locus enim eſt ſacrificii. Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Cor contritum,* &c. Legitur Geneſ. 15. de ſacrificio Abrahæ, quod deſcenderunt volucres ſuper cadavera & abigebat eas Abraham, ſic cogitationes malæ à corde ſunt abigendæ. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem odoris ſive unguenti.* Eccleſiaſt. 10.

[illegible] ſecundo modo hæc tria occupanda in bonis.

Occupanda ſunt etiam tria prædicta bonis actibus. Benedicta manus quæ à bono opere non ceſſat. Pſalm. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es,* &c. Benedicta lingua quæ ſolum benedicit. Iacob 3. *Ex ipſo ore procedit maledictio & benedictio. Non oportet fratres mei hoc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* Benedictū cor quod eſt quaſi avis cadavera & ſtercora fugiens, & floribus virtutum incidens & aromata diligens. Proverb. 27. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor.*

Circa hos reges nobis attendenda ſunt *ſeptem* quæ ad ædificationem noſtram valere poſſunt.

III. Et hiſtoria Evangelica de tribus regibus ſeptem ad ædificationem noſtrã explanantur.

1. *Primum* eſt quod lumen cæleſte, ſtella ſcilicet fuit occaſio perveniendi ad Salvatorem, ſic lumen cæleſtis ſapientiæ eſt initium perveniendi ad ſalutem. Sap. 6. *Initium ſapientiæ eſt veriſſima diſciplinæ concupiſcentia.*

2. *Secundum* eſt illud quod audacter quærunt *ubi eſt qui natus eſt rex Iudæorum.* Exemplo ergo eorū non erubeſcas de his quærere quæ pertinent ad ſalutem animæ tuæ. Attendendū vero eſt quod Chriſtus rex Iudæorum eſt, id eſt confitentium. Illi enim ab eo reguntur qui frequenter defectus ſuos recolligunt & confitētur. Bern. Cōputatio dilata multa facit obliviſci. Auguſt. Initium iuſtitiæ noſtræ confeſſio peccatorum noſtrorum. Bernardus in Serm. Quidquid minus eſt perfectionis, humilitas ſuppleat confeſſionis. Hieron. in Epiſtolis. Secunda poſt naufragium eſt tabula, humiliter confiteri culpam.

3. *Tertium* eſt quod videntes ſtellam multum gaudent. Exemplo ergo eorum gaudeas ad lumen cæleſtis doctrinæ quod non minus amandum eſt quam lumen ſtellæ. Stella illuminabat oculos corporis, lumen doctrinæ illuminabat oculos cordis. Stella ducebat ad Chriſtum mortalem, doctrina cæleſtis ad Chriſtum immortalem. Stella ducebat ad diverſorium & præſepium, doctrinæ lumen ad cœlum glorioſū. Stella ad Chriſtum ducebat ad regionem ſuam reverſuros, lumen doctrinæ ducet ad Chriſtum ſine fine cum ipſo manſuros. Attendendū eſt etiam quod dicitur: *gaviſi ſunt gaudio magno valde.*

Gaudendi materia nobis eſt triplex.

Triplex enim eſt materia gaudii, ſcilicet vita naturæ cum his quæ ad eam pertinent, vita gratiæ cum ſuis pertinentiis, & vita gloriæ. De *primo* legitur, Ioan. 16. de muliere quæ peperit quod non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo.

De 1.

De *ſecundo*. Luc. 15. *Gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* In eodem. *Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & revixit.*

De 2.

De *tertio* dicitur Luc. 10. *In hoc gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.*

De 3.

Ad hæc tria iuvat lumen ſapientiæ cæleſtis.

Lumen cœleſtis ſapientiæ facit ut homo de his tribus debito modo gaudeat. Ipſum facit ut vita naturæ hominis ſit utilis: ſine ipſo enim eſt noxia, ut patet in hominibus & animabus damnatis, quibus melius eſſet non eſſe, quam ſic eſſe. Ipſum dat vitam gratiæ, quia *doctrina bona dabit gratiam.* Proverb. 13. Ipſum perducit ad vitam gloriæ. Sap. 6. *Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* Gaudendū eſt de illo gaudio magno, quia dat vitam gratiæ: gaudendum etiam eſt valde gaudio magno quia ducit ad vitam gloriæ.

4. *Quartum* eſt quod procidentes adorant, in quo dant nobis exemplum humilitatis quæ valde efficax eſt in oratione. Eccleſiaſt. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Vnde mulieres malè præparant ſe ad orationem, quæ tunc ornatus ſuperbos aſſumunt, cum cauſa orandi ad eccleſiam vadunt.

Adoratio quid ſit explicatur dupliciter. Adoratio duplex interior & exterior.

Adoratio eſt divinæ maieſtatis profeſſio, maieſtas verò dicitur quod intelligitur per hoc adverbium *ſummè*, cum dicitur ſummè potens, ſummè ſapiens, vel ſummè bonus. Vel adoratio eſt recognitio divinæ dominationis, ſive ſit interior recognitio, ſive ſit exterior. Interior fit fide, ſpe, charitate. Auguſt. in Enchir. Fide, ſpe, charitate colimus Deum. Exterior vero fieri poteſt voce, aut inclinatione, aut genuflexione, vel proſtratione.

5. *Quintum* eſt quod tunc theſaurum aperiunt, cùm cum ſalvatore ſunt. Gregorius. Deprædari deſiderat, qui theſaurum publice in via portat. Multi de quibus percipiebatur quod ferrent pecuniam: iugulati ſunt à latronibus, qui ſe eis ſociabant. Ezechias amiſit, quæ nuntiis regis Babylonis oſtendit 4. Regum 20. Eccleſiaſt. 4. *Vbi fuerint multi manus claudit.*

6. Numerans

Sextum eſt quod munera Chriſto offerunt: Aurum thus & Myrrham, quod quantū ad ſeculares poteſt

referri ad eleemoſynam, orationem & jeiunium.
Gum de ſæcularibus explicantur. Tob. 12. *Bona eſt oratio cum jeiunio & eleemoſy-*
na; magis quam theſauros auri condere. Auguſt. in
Serm. A nobis aurum accipit, ſi eleemoſynam fa-
ciamus; thus ſi orationem fundamus; myrrham ſi
pro eo moriamur. *Aurum* offert qui Deum re-
Qui aurum offerant Chriſto. cognoſcit omnium bonorum ſuorum Dominum &
ſe ſolum diſpenſatorem. Proverb. 14. *Acceptus eſt*
regi miniſter intelligens. Luc. 14. *Omnis qui non*
renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus
diſcipulus. Sunt multi qui divitias ſuas diabolo plus
quam Deo offerunt, dum in eius ſervitio eas ex-
Qui Diabolo. pendunt. Servis diaboli prodigi, pauperibus Chri-
ſti avari, immo divitias ſuas idolum faciunt, dum
eas ſuper omnia diligunt. *Thus* offerunt humiles,
Thus Deo offerunt humiles. qui ad modum thuris ad ardorem divini amoris
quaſi annihilant ſe in odorem Deo ſuaviſſimum.
Cantic. 1. *Nardus mea dabit odorem ſuum.* Nardus
humilis hic beatam humilitatem deſignat, & ſi-
cut humiles thurificant Deo, ſic ſuperbi diabolo,
Superbi thurificant Diabolo. quia ad odorem divini ardoris ad nihilum redi-
guntur. Superbia ſecundum veritatem nihil eſt in
valore. Galat. 6. *Qui putat ſe aliquid eſſe cum ſit nihil*
ipſe ſe ſeducit. Capita mulierum mala intentione
ornata ſunt velut thuribula diaboli, quæ aliis mu-
lieribus fœtorem ingerunt, dum ad ſimilitudi-
nem earum exemplo provocantur. Superbi fœto-
rem intolerabilem Deo ingerunt, propter quem
fœtorem Dominus in cœlo Luciferum tolerare no-
luit ſed eum de cœlo præcipitavit. Luc. 10. *Vi-*
Myrrham qui Chriſto bene vel male offerant. *debam ſathanam de cœlo cadentem. Myrrham* offert,
qui carnem ſuam pro Chriſto macerat. Sed ſunt ali-
qui qui tunc potius myrrham apponunt, cum jam
corpus computruit, & vermibus vitiorum ple-
num eſt. Sunt etiam aliqui, qui cum grano myr-
rhæ corpora condire volunt, non attendentes
quod modicum myrrhæ ad corporis & cordis con-
2. ſervationem non ſufficit. Quantum ad religio-
De Religioſis. ſos exponit Bernardus has oblationes his verbis.
Si ſolum aurum obtuliſſent, videri poterant pau-
pertati matris conſulere. Nunc autem thus & myr-
rham pariter offerentes ſpirituales oblationes in-
ſinuant. Aurum inter divitias ſæculi videtur ex-
cellere, quod per Dei gratiam nos omnes obtuli-
mus, qui pro eius nomine ex integro dereliqui-
mus ſubſtantiam huius mundi. Iam vero neceſſe eſt
ut qui terrena contempſimus, flagranti deſiderio
cæleſtia requiramus. Si offerimus & thuris odora-
mentum, erit etiam gratum ſacrificium & accepta-
bilis oblatio noſtra. Si cum auro & thure myrrha
fuit, quæ licet amara ſit, tamen conſervat corpus
quod mortuum eſt per peccatum, ne fluens in vi-
3. tium putefiat. Poſſunt etiam hæ tres oblationes
De tribus ſtatibus hominum. referri ad tria genera hominum, ſcilicet *laicos, cle-*
ricos & clauſtrales. Laici offerunt *aurum* qui dotant
Aurum de Laicis. Eccleſias, aſſignantes miniſtris Eccleſiæ tanquam
advocatis ſuis unde ſuſtētētur. Etiam cōfidunt quod
ipſi cauſam eorum tueantur, quia ipſi neſciunt de-
fendere. Vnde miniſtri Eccleſiæ ſunt proditores,
ſi bona eorum recipiunt, & de cauſa eorum def-
Thus de Clericis. fendenda, ſe non intromittunt. *Clerici* debent *thus*
offerre quia charitatis igne & zelo ſalutis anima-
rum in flamma odoris bonæ famæ populo debent
Myrrha de clauſtralibus. miniſtrare, & ad modum thuris per humilitatē qua-
ſi in nihilum reſolvi. *Clauſtrales myrrham* offerre
debent, cum enim ipſi mundo ſunt mortui, carnem
7. ſuam condire debent myrrha diſciplinæ. *Septimum*
eſt quod reſponſo accepto non redeunt ad Herodē,
ſicut Moyſes tacens clamabat. Exod. 14. & Suſan-
na, Daniel 13. ſic iſti affectu interrogabant quid
Recidivorū inſipientia quanta. divina vellet voluntas, de reverſione ad Herodem
meruerunt reſponſionem. Et *notandum* quod talis
eſt inſania eorum qui ad peccata relicta redeunt,
qualis eſſet ſi quis voluntariè rediret ad carcerem
inimici ſui, de quo evaſit, vel rediret per viam in
qua ſpoliatus eſt & graviter vulneratus. Talis bru-
tis inſipientior videtur eſſe, qui ad laqueos non re-
deunt quos evaſerunt. Aves cæteraque animalia in
eaſdem pedicas retiaque non incidunt. Eccleſiaſtici
21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum, & ſi acceſ-*
ſeris ad ea, ſuſcipiunt te.

DE EODEM.

SERMO QVARTVS

SERMO XXVIII.

SUMMARIUM.

Ex quatuor propoſitis unum tantum tractat hic ſermo, nempè quinque oſtendentia magnitudinem ſeu excellentiam nati Regis Chriſti Domini.

Cum natus eſſet Ieſus in Bethleēm Iudæ, &c.
Matthæi 2.

CIrca ſeriem Evangelicæ hiſtoriæ Quatuor ſunt Quatuor tractanda proponuntur.
nobis attendenda: ſcilicet regis nati celſitu-
do, Magorum diſcretio, Iudæorum duritia, &
Herodis malitia.
Celſitudinem regis nati *quinque* nobis indicant. I. Celſitudinem nati Regis 5. demonſtrant.
Primum eſt multiplex Prophetia de eius nativitate
ſcripta, quæ ab Evangeliſta oſtenditur eſſe impleta.
Quando rex vel alius magnus venturus eſt ad ci-
vitatem aliquam præmittuntur varii nuntii, & I. Variæ Prophetiæ ſeu prædictiones de illo.
multum eſt ſi per dimidium annum mittuntur ante.
Sed rex iſte in mundum venturus nunciatus eſt à di-
verſis prophetis ante per multa tempora. Prophe-
tavit Michæas. *Et tu Bethleem*, &c. locum nativi-
tatis eius nuntians Micheæ 5. Quæ prophetia oſten-
ditur eſſe impleta cum dicitur: *in Bethleem Iuda.*
Prophetavit Iacob de tempore nativitatis Geneſ.
49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda & dux de femo-*
re ſuo donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expe-
ctatio gentium. Hoc tempus adveniſſe jam oſtendit
Evangeliſta dicens: *In diebus Herodis regis.* Fini-
to enim regno Iudæorum Herodes alienigena re-
gnum ſibi jam occupavit. Prophetavit Baalam de
ſigno nativitatis huius regis. Numeri 24. *Orietur*
ſtella ex Iacob. Quæ prophetia oſtenditur imple-
ta cum dicitur: *Vidimus ſtellam eius in oriente.* Con-
veniens fuit ut eius nativitas, qui ſalvaturus erat
credentes in ſe tam ex Iudæis quā ex Gētilibus, non
ſolum prænuntiaretur per Iudæos, ſed etiam per 2.
gentilem Balaam. *Secundum* eſt quod ipſe natus
eſt rex Iudæorum; alii poſtquam ſunt nati, reges ef-
fecti ſunt, ipſe vero rex erat cum natus eſt, non
ſolum Iudæorum ſed etiam ſæculorum. Magi gen-
tiles eum regem Iudæorum dixerunt. Pilatus etiam
gentilis nulla aura vanitatis afflatus in eius Paſ-
ſione titulum ſcripſit: *rex Iudæorum*, quem titu-
lum Iudæi conati ſunt, ingerendo ſe emendare, ut
dicit Auguſt. Velint aut nolint rex eſt Iudæorum,
cum etiam per ſervos ſuos eis dominetur, Iudæi
enim ſervi ſunt Chriſtianorum. *Tertium* eſt ſtel- 3.
læ quæ eum demonſtravit. Auguſt. Abſcondeba-
tur in ſtabulo & cognoſcebatur in cœlo. Idem
cœlos angeli habitant & ſidera exornant, utrique
enarraverunt gloriam Dei, cum verbum Caro fa-
ctum eſt, cum cœleſtia à gloria Chriſti non tacue-
runt, Pater teſtimonio ſuo eum glorificavit, Spi-
ritus ſanctus deſuper eum in ſpecie columbæ de-
ſcendit, Angelus paſtoribus apparendo, Stella
magos dirigendo, Cœlum propter Chriſtum ba-
ptizatum ſe aperiendo. Cum ergo verbum Caro
factum laudet lingua cæleſtis, quomodo ab eius 4.
gloria ceſſare poteſt lingua carnis? *Quartum* eſt
quod reges tres de longinquo venientes regem
natum quæſierunt & adoraverunt & muneribus ho-
noraverunt

Reliqua tria adhuc tractanda ſunt.

noraverunt. Auguſt. Magnum ſacramentum, in præſepio jacebat, & magos ab oriente ducebat. *Quintum* eſt quod à rege Herode timebatur Auguſt. Quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos reges curia terrebat infantis? Idem Pie timeant reges ad patris dexteram jam ſedentem, quem rex impius timuit adhuc matris ubere lac ſugentem.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

SERMO VNICVS.

SERMO XXIX.

SUMMARIUM.

Explicantur in hoc ſermone verba thematis de Sacramentis novæ legis, eorumque duo principales effectus afferuntur, quorum quilibet in tres alios ſubdividitur.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino &, invocate nomen ejus. *Iſaiæ 12.*

Duplex effectus Sacramentorum ex themate deducitur.

IN verbis iſtis duplex effectus Sacramentorum agitur & ſufficienter exprimitur, Mundus quippe duplici incommodo tenebatur, ſcilicet culpæ & pœnæ ſive miſeriæ. *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.* Rom. 3. Sed Chriſtus attulit abundantiam gratiæ contra miſeriam, *gratiam enim & gloriam dabit Dominus*, ſicut ait Pſalm. 83. Hoc duplex beneficium prædixerat in Chriſto Iſa. habendum dicens. *Haurietis*, &c. promittens *primo* in præſenti abundantiam gratiæ ſalvantis á culpa ibi: *haurietis aquas*, &c. *ſecundo* in futuro lætitiam reſurrectionis glorioſè liberantis ab omni miſeria ibi: *Et dicetis in illa die.*

I. Gratia liberationis à culpa in via præſenti, quæ tres effectus habet.

1. Largitas gratiæ Sacramétalis.

Gratia vero lavantis à culpa declarat *tres conditiones*: *Largitatem* ſcilicet ibi: *haurietis aquas*; *utilitatem in gaudio*; *perennitatem*, *de fontibus Salvatoris. Largitatem* quidem in anima, ſicut temporibus Noë ad purgationem mundi factum eſt diluvium aquarum corporalium. Geneſ. 7. ſic temporibus Chriſti ad mundi purgationem factum eſt diluvium aquarum ſpiritualium ſecundum illud Eccleſ. 50. *In diebus eius emanaverunt putei aquarum*, &c. In cujus ſignum de latere ejus fluxit aqua in ablutionem peccatorum. Joan. 19. Factus eſt fons patens domui David ſcilicet vulnus in latere apertum in ablutionem peccatorum actualium & originalium. (Zach. 13.) Neceſſarium autem erat diluvium gratiarum, quia in mundo inundaverat diluvium aquarum culparum, ſecundum illud Oſeæ 4. *Maledictum & mendacium, furtum & homicidium & adulterium inundaverunt*, &c. Has aquas antiqui haurire non poterant, quia non dabatur gratia in Sacramentis eorum, erant enim ſicut ciſternæ diſſipatæ quæ continere non valent aquas ſuas. Propter quod Dominus conqueritur de Judæis ſervantibus legalia poſt ejus adventum. Hierem 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas*, &c. Sacramenta vero novæ legis continent abundantiam gratiarum. Ideo monet. Iſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.*

Sacramentorum veteris legis ſiccitas.

2. Vtilitas ejuſdem.

Vtilitatem gratiæ ſacramentalis oſtendit cum addit *in gaudio*, peccatum quippe aufert duplex gaudium, internum ſcilicet mentis & gaudium divinæ viſionis. Tob 5. *Quale* inquit, *gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo*, &c. Sed gratia ſacramentalis tollit triſtitiæ cauſam, id eſt peccatum, & reſtituit utrumque gaudium: *fluminis* namque id eſt gratiæ Sacramentalis *impetus lætificat civitatem Dei* (Pſalm. 45.) *Auditui meo*, ait Pſal. 50. *dabis gaudium & lætitiam* Eccleſ. 15. *Iocunditatem & exultationem theſaurizabit ſuper eum.*

3. Perennitas eiuſdem.

Perrennitatem gratiæ Sacramentalis oſtendit cum addit: *de fontibus Salvatoris*, aqua enim fontium jugiter fluit, ſic gratia Sacramentorum Evangelicorum perennis erit ſecundum illud. Joan. 4. *Qui biberit ex aqua hac fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Quia Sacramentorum quidem veterum uſus ceſſavit. Levit. 9. *Novis ſupervenientibus vetera projicietis*, ſed Sacramentorum novorum virtus ſemper duravit. Iſaiæ 58. *Erit ſicut fons cuius non deficient aquæ. De fontibus* vero *Salvatoris* pluraliter dicit quia ſeptem ſunt fontes Sacramentales ex quibus aquarum Sacramentalium abundantia fluit. *Percutiet fluvium in ſeptem rivis.* Iſa 11.

Salvatoris fontes ſunt ſeptem Sacramenta.

De fonte quidem baptiſmi fluit aqua ad mundationem culpæ originalis, de fonte pœnitentiæ ad mundationem culpæ mortalis. De fonte unctionis extremæ ad emundationem culpæ venialis. De fonte ſacri ordinis ad emundationem ignorantiæ maculæ, oculorum intellectum obſcurantis, quia in ea confertur clavis ſcientiæ. De fonte Euchariſtiæ ad mundationem malitiæ, quaſi maculæ affectum corrumpentis. De fonte confirmationis ad mundationem infirmitatis, quaſi maculæ iraſcibilem deturpantis. De fonte conjugii ad mundationem concupiſcentiæ, quaſi maculæ concupiſcibilem animæ partem fœdantis. His quippe ſeptem ablutionibus mundatur lepra humani generis in aquis Jordanis qui interpretatur humilis deſcenſus, id eſt in vertice paſſionis, quæ ineſt Sacramentis. 4 Reg 5. Hoc eſt lavacrum aquæ in verbo vitæ in quo Eccleſia mundatur, ut exhibeatur Chriſto non habens maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi in die glorioſæ reſurrectionis Epheſ. 5. Sic ergo in verbis iſtis primò tangit effectum gratiæ à culpa lavantis.

II. Gloria liberans à pœna vel miſeria in via futura, cuius tres ſunt effectus.

Deinde tangit effectum gloriæ à miſeria liberantis, ibi: *& dicetis in illa die*, &c. quem deſcribit à *tribus*. *Vnus* enim effectus gloriæ in ſanctis erit *perfecta illuminatio* in ſecretorum revelatione quia dies erit. *Alter devota gratiarum actio* de evaſione malorum omnium, quia erit confeſſio. *Tertius aſſidua laudatio* de adeptione omnium bonorum, quia erit nominis Dei invocatio.

1.
2.
3.

De effectu primo.

Erit quidem *perfecta illuminatio* in revelatione ſecretorum, veniet enim Dominus *qui revelabit abſcondita tenebrarum* 1. Corinth 4. *Orietur timentibus nomen Domini ſol juſtitiæ.* Malach. ult. Nec ultra occidet eis ſol. Iſa. 60. *Non occidet ultra ſol tuus.* Unde non erit ultra nox, ſed dies & claritas in perpetuum. Zacha. ult. *Erit dies una quæ nota eſt Domino.* O, inquit Bernardus, vere meridies plenitudo fervoris & lucis, ô ſolicitatio & umbrarum exterminatio, ô quoniam hyems abiit & receſſit.

De ſecundo effectu.

Erit etiam devota gratiarum actio pro evaſione malorum omnium: *neque* enim *mors*, *neque luctus*, *neque dolor erit ultra.* Apocal. penult. Sed de evaſione eorum *devota gratiarum actio.* Iſai. 51. *Gaudium & lætitia audietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Confitebuntur* enim *cœli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum.* Pſal. 88 *Benedictio* enim *& claritas, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro.* Apocal. 7.

De tertio effectu.

Sic etiam erit *aſſidua Dei laudatio* de adeptione omnium bonorum, videbimus enim ut ait Auguſtinus vacabimus atque laudabimus. Nam tota die & nocte non tacebunt ſancti laudare nomen Domini Iſa 62. Hoc erit unum & commune officium Angelorum & hominum laudare Deum.

Concluſio ſermonis.

Sic ergo in verbis propoſitis tangit Iſa. duplicem Sacramentorum effectum, ſcilicet gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro, quem duplicem effectum tangit ſcriptura per oleum Samaritani & vinum. Luc. 10. Quo duplici remedio ſanantur vulnera ſauciati generis humani tam pœnarum quam culparum præſtante ipſo Samaritano redemptore humani generis, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

DE BEATO ANTONIO ABBATE.

SERMO PRIMVS.

SERMO XXX.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo ea, quæ in themate de juſto dicuntur, de S. Antonio & alijs juſtis explicat.

Juſtum deduxit Dominus per vias rectas & oſtendit illi regnum Dei.

SUmptum eſt de libro Sapient. 10. ubi ſic legitur. *Sapientia profugum ira fratris juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* Et eſt ſcriptum de Jacob, qui malitiam fratris ſui Eſau irati ſapienter fugit, cujus viam Dominus direxit & regnum ſuum ei oſtendit. *Vidit* enim *in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen ejus tangens cælum, & Angelos* Dei *aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. Eccleſia tamen propoſitum in laudem beati Antonij aſſumit & oſtendit nobis in verbo iſto *meritum* & *præmium* ipſius, *meritum* ibi: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas. Præmium* ibi: *& oſtendit illi regnum* Dei.

Duo ex themate de S. Antonio oſtenduntur.

I. Meritum S. Antonii de quo duo demonſtrantur.

Ubi vero *meritum* oſtendit, *primo* oſtendit *meriti radicem, deinde* oſtendit *meriti varietatem.* Radicem meriti in hoc quod dicit *juſtum*, varietatem meritorum in hoc quod dicit eum per vias rectas deductum

1. Meriti radix, juſtitiæ S. Antonii quadruplex.

Circa *primum notandum* quod beatus Antonius tanquam verè juſtus nihil de re aliena malè retinere voluit, unde intelligens ſe omnia à Deo habere, omnia voluit ei reddere, omnia in ſervitio ejus expendendo, & hæc eſt vera juſtitia. Bernard. Etiam infidelem urget naturalis juſtitia ſe totum tradere ei à quo ſe totum habet.

1\. 2.

Ipſe ut liberius poſſet Deo ſervire voluit ſe à mundo elongare, & vitam eremiticam ducere: juxta illud. Pſal. 54. *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Unde vicini eum deicolam nuncupabant, ut refert Anaſtaſius Alexandrinus Epiſcopus. Juſtitia ſervi eſt Domino obedientiſſimum eſſe. Juſtitia amici eſt pro amico propria damna negligere.

3\.

Ipſe ſe cognoſcens Dei ſervũ, Chriſto obedientiſſimus fuit, unde non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia ejus implevit, ideo in laudem ipſius aſſumitur illud. Eccleſiaſtici 45. *Dedit ei Deus cor ad præcepta.* *Ipſe* humilis Dei amicus pro ipſo damna propria neglexit, amore enim Chriſti ſuos & ſua reliquit.

4\.

Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt.*

2\. Meriti varietas, per tres vias vel ſtatus ductus eſt S. Antonius.

Circa *meritorum varietatem notandum*, quod beatum Antonium Dominus de loco periculoſo eduxit, de virtute in virtutem duxit, & per vias rectas ad viſionem regni perduxit. *Primum* pertinet ad ſtatum incipientis. *ſecundum* ad ſtatum proficientis, *tertium* ad ſtatum perfectionis.

1\. E Mundo eductus eſt per viam vel ſtatum incipientium.

De loco periculoſo eductus eſt, cum mundum deſeruit. Mundus eſt locus periculoſus cauſis pereundi plenus. 1. Joan. 5. *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Auguſtinus. Amas ſæculum abſorbebit te: amatores ſuos vorare novit, non portare. Idem ſuper Joan. Si delectat te mundus, ſemper vis eſſe immundus. Fuga qua beatus Antonius ut cæteri ſancti mundum fugerunt, convenienter figurata eſt per fugam qua Jacob fugit Eſau.

Amatores, Mundi ſimiles ſunt Eſau & belluis.

Amatores enim mundi ſunt ſimiles Eſau, homines enim ſunt belluini, ſicut Eſau homo piloſus fuit & quaſi belluinus. Auguſtinus in libro de diſciplina Chriſtiana. Belluinus es amando talia qualia belluæ. Belluas Deus in faciem proſtratas fecit paſtum quærentes de terra, te in duos pedes erexit, de terra tuam faciem ſurſum attendere voluit. Non diſcordet cor tuum à facie tua, ut habeas faciem ſurſum & cor deorſum. Quid eſt ſurſum habere cor, niſi quod dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c.

Pſal. 16. Eſau ſimiles ſunt in quatuor.

Belluini ſunt qui ad modum beſtiarum *ſtatuerunt oculos ſuos declinare in terram.* Fuit Eſau *gulæ obediens, venationi intendens, mortem fratris ſitiens, damna primogenituræ venditæ parvi pendens*, in quibus amatores mundi ei aſſimilantur.

1\.

Primum pertinet ad carnis concupiſcentiam quæ in eis regnat: & ſicut jumẽtum non habet in poteſtate viſo aliquo delectabili ſibi refrenare concupiſcentiam ſuam, ſic nec ipſi, ſicut accidit in Eſau. Geneſ. 25. *En morior, quid mihi proderunt primogenita.*

2\.

Secundum pertinet ad concupiſcentiam oculorum, ſive ad avaritiam quæ in amatoribus mundi regnat, qui multum venãtur, ſed parum capiunt, immo ipſi poſtea capiuntur. Auguſt. Præda quam vis capere in muſcipula eſt: tenes alienum & teneris à Diabolo. Gregor. Ad compedes onerat, quidquid præter neceſſaria curat.

3\.

Tertium pertinet ad ſuperbiam vitæ, *Veniet*, inquit, *Eſau luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Geneſ. 27. Ventus ſuperbiæ in eo ſuccenderat ignem odij & iræ, quod frequenter accidit in amatoribus mundi. Qui *etiam* parvi pendunt ſpiritualia damna, ſic legitur de Eſau, *qui abiit parvi pendens quod primogenita vendidiſſet.* Sicut porci margaritas pedibus calcant, ſic ipſi bona ſpiritualia deſpiciunt. Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas nolite ſpargere ante porcos.*

De virtute in virtutem ductus eſt, per viam proficientium.

Beatum Antonium Dominus de virtute in virtutem duxit. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Proverb 4. E contrario injuſti deteriorando procedunt. Eccleſiaſtici 22. *Filia fatua in deminoratione fiat.* Anima remiſſa dicitur filia propter defectum virilitatis ſeu virtutis, fatua vero propter defectum diſcretionis, cujus bona quotidie diminuuntur. Similis eſt ſtatuæ Nabuchodonoſor, cujus caput melius erat quam cætera membra.

3\. Ad viſionem regni inductus eſt per viã perfectorum.

Beatum Antonium per vias rectas Dominus ad regni viſionem duxit. Et *notandum* quod rectitudo *dupliciter* agnoſcitur, ſcilicet *regulæ rectæ applicatione.* & *medij ad extrema comparatione.* Rectum enim eſt cujus medium non exit ab extremis.

Rectitudo viarum S. Antonii duplex.

1\. Rectitudo regulæ eſt imitatio Chriſti & ſanctorum Pſal. 18. 4.

Vita beati Antonij recta fuit, quia Chriſto & ſanctis fuit conformis. Regula recta eſt vita Chriſti, qui ſpecioſus eſt formâ præ filiis hominum. Ipſe pulcherrimam nobis regulam vivendi oſtendit. Alij ſancti potuerunt errare, ipſe non. Beatus Antonius Chriſto ſe conformare voluit, unde audiens illud evangelicum in eccleſia legi: *Si perfectus vis eſſe*, &c mox illud implevit.

Matth. 19

Ipſe quod rectum in viris ſanctis aſpiciebat imitabatur: unde legitur in vita ipſius, quod proprias gratias fratrum quos viſitabat velut apes mellis dulcedinem à floribus hauriebat.

2\. Rectitudo medii cum extremis congruentis tripliciter.

Vita etiam ejus recta fuit, quia medium ab extremis non diſcrepabat. Initium vitæ hominis non habet divitias, cum homo nudus naſcatur; non habet gloriam, cum de immũdo ſemine concipiatur; non habet delitias, puer enim à ploratu incipit, ut dicit Auguſt. Finis etiam hominis non habet divitias, cum homo nudus in terram revertatur; nec delitias, cum in magno dolore homo moriatur; nec gloriam, cum ſub terra ponatur & ab hominibus & brutis animalibus conculcetur. His extremis medium vitæ beati Antonij conforme fuit. Ipſe enim divitias & delitias & mũdi gloriam contempſit.

1\.

Quod contẽpſerit *divitias*, patet per hoc, quod diſcum argenteum, quem diabolus projecerat in via, per quam ipſe tranſiturus erat, accipere noluit. Deinde ingentem maſſam auri jacentem in itinere conſpiciens, rapido curſu quaſi magnum incendium devitavit.

2. *Delitias* etiam contempſit, ſemel in die poſt ſolis occaſum comedebat, nonnunquam tribus diebus
3. vel quatuor jejunans. Quarto die & panem & ſalem & potum aquæ permodicum ſumebat. Quieti vero membra, commendans aliquoties ſuper nudam humum jacebat. *Gloriam* contempſit propter quam vitandam interius deſertum adiit. Verè ergo per vias rectas eum Dominus duxit. Iſa. 26. *Semita juſti recta eſt, & rectus callis juſti adambulandum.*

Quatuor virtutibus Cardinalibus ducitur juſtus per vias rectas.

Quatuor virum juſtum deducunt per vias rectas: ſcilicet *ſapientia*, quæ velut lucerna viæ rectitudinem indicat. *Juſtitia* quæ ut per eam ambuletur indicat vel impetat. *Temperantia* quæ facit ut non declinetur ad dexteram. *Fortitudo* quæ facit ut non declinetur ad ſiniſtram. Ad dexteram declinat qui boni tranſitorij cupiditate deviat Ad ſiniſtram qui timore tranſitorij mali viæ rectitudinem derelinquit. Neutro modo beatus Antonius declinavit, quia & bona tranſitoria perfectè contempſit, & mala tranſitoria fortiſſimè ſuſtinuit. Eccleſiaſtici 2. *Væ illis qui dereliquerunt rectas vias & divertunt in vias pravas.*

II. Præmium S. Antonij viſio regni Dei duplex. In hac vita viſio duplex per fidem & contemplationem.

Sequitur. *Et oſtendit illi regnum Dei.* Per fidem vivam vidit beatus Antonius regnum Dei, dum fuit in hac vita mortali. Manifeſtè vero illud vidit cum Deus in illud ipſum induxit, cum dictum eſt ei: *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. Vidit etiam regnum Dei in contemplatione, cum enim à dæmonibus laceratus eſſet, elevans oculos ad cælum cœlo aperto vidit ad ſe lucem influere & dæmones diſparere, & receſſit dolor corporis penitus. Et præſentiam Domini intelligens ait: *ubi eras Ieſu bone: ubi eras, quare à principio non affuiſti*, & vox ad eum: *Antoni hic eram, ſcilicet expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia viriliter dimicaſti, in toto orbe te faciam nominari.* Aliquando ab angelis in ſublime raptus eſt, cujus tranſitum dæmones prohibere voluerunt contra eum peccata ab exordio nativitatis replicantes, liber tamen cum Angelis aſcendit, & ſtatim ad ſtatum priſtinum rediit.

Diabolus contraria facit cum ſuis.

Et *notandum* quod ſicut Dominus juſtum deducet per vias rectas, ſic diabolus injuſtum per vias pravas, & quandoque per manifeſtè pravas, quandoque per eas quæ videntur rectæ cum ſint pravæ. Manifeſtè pravæ ſunt viæ illorum qui aliena rapiunt. Rectæ verò videntur & pravæ ſunt, qui aliena non rapiunt, ſed ſua nimis diligunt, qualis fuit dives evangelicus Luc. 16. Proverb. 16. *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem.* Diabolus his, quos ducit regnum ſuum non oſtendit, immò abſcondit. Oculis enim velatis eos vult ducere ad patibulum infernale. Proverb. 4. *Via impiorum tenebroſa.*

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO XXXI.

SUMMARIUM.

Continet thema hujus ſermonis 4. verba, quæ in ſermonis 4. partibus ſpiritualiter explicantur, & S. Antonio etiam accommodantur.

Venatio leonis onager in eremo.
Eccleſiaſtici 13.

Proœmium

SOlent homines libenter videre animalia ſilveſtria. Solent etiam libenter videre venationem vel avium vel terreſtrium animalium. & tantò libentius quanto venatio eſt magis extranea & minus conſueta. Silveſtre animal volo vobis oſtendere onagrum in ſolitudine habitantem, ſcilicet beatum Antonium vitam Eremiticam ducentem. Venationem etiam volo vobis oſtendere non venationem hominis feras inſequentis, ſed venationem leonis infernalis circa captionem onagri, ſcilicet beati Antonij, ſtudioſè laborantis, de qua venatione poteſt intelligi verbum propoſitum. *Venatio leonis*, &c. Circa quod verbum *quatuor* vobis oſtendere volo, ſcilicet quare beatus Antonius onager dici poſſit, & quare vitam eremiticam ſibi elegerit, item quare diabolus leo vocetur, & quare onagrum ſtudioſè venetur.

Quatuor circa thema tractuntur.

1 Quare S. Antonius onager dici poſſit Mũdani homines aſino domeſtico ſimiles ſunt in quatuor.

Circa *primum* notandum quod aſinus domeſticus eſt animal oneriferum, multum ſervituti addictum, & parvam gratiam conſequitur ſecundum multitudinem laborum quos patitur, unde ſignificat mundi amatores qui multum ſunt onerati. Matthæi 11 *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Ipſi ſunt onerati onere culpæ & pœnæ. Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Ipſi habent molam aſinariam ad collum ligatam, de qua loquitur Dominus Matth. 18. Ipſi dimiſſi ſpinis peccatorum & vadunt ad infernale incendium. Ipſi in magna ſervitute ſunt. Malus enim, ut dicit Auguſtinus, tot dominorum ſervus eſt quot vitiorum. Ipſi habent tot dominos quot poſſeſſiones, non enim res eorum ipſis ſunt ſubjectæ ſed ipſi rebus, unde viri divitiarum dicuntur in Pſal 75. Ex ſua ſubjectione parvam gratiam conſequuntur. In fine enim mundus eos nudos tranſmittit. Arena eſt terminus maris, quæ eſt infructuoſa & ponderoſa. Similiter accidit in mari hujus mundi. Amatores enim mundi fructum non habent de labore ſuo & onerati remanent debito multæ pœnæ. Roman. 6. *Quem fructum habuiſtis in quibus nunc erubeſcitis?* Aſinus domeſticus onager efficitur quando ab onere dicto aliquis expeditus & à ſervitute dicta liberatus mundum deſerit & ſolitudinem eligit, ut beatus Antonius, quod non facit propria virtute ſed dono divinæ gratiæ. Unde Job 39. dicit Dominus ad Job. *Quis dimiſit onagrum liberum & vincula ejus quaſi ſolvit?* ſupple, *niſi ego.* Secundum Gregorium. Onager ſignificat eos qui remotæ converſationis ſecreta appetunt; qui Dei dono liberantur à ſervitute negotiorum ſæcularium quæ magna eſt, & vincula eorum ſolvuntur in terra, ſcilicet retinacula carnalium deſideriorum, & non eſt parvum beneficium. Pſal. 115. *Dirupiſti vincula mea tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Sequitur in Job *cui dedi in ſolitudine domum.* Hoc fit cum ſancti à carnalibus deſideriis remoti ſilentium mentis inhabitant. Oſeæ 2. *Ducam eum in ſolitudinem, & ibi loquitur ad cor ejus. Et tabernaculum ejus in terra ſalſuginis*, ſupple *dedi.* Salſugo ſitim accendere ſolet. Quia ergo viri ſancti, quamdiu in hujuſmodi vitæ ſanctæ tabernaculis degunt, æternam patriam ſitiunt, in terra ſalſuginis habere tabernaculum perhibentur. De hac ſiti legitur in Pſal. 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Contemnit multitudinem civitatis*, & quia non vult ei cohabitare, nec ei in moribus conformari, cohabitationem fugit quaſi periculoſam. Seneca, Quo major eſt populus cui admiſcemur, hoc plus periculi eſt. Eccleſiaſtici 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis; aſſidua enim eſt commiſſio illorum.* Hierem. 48. *Relinquite civitates*, &c. Non conformatur multitudini, ſecundum illud. Roman. 12 *Nolite conformari huic ſæculo.* Exod. 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum Clamorem exactoris non audit.* Exactor eſt diabolus, qui ſemel homini nummum malæ ſuaſionis contulit, & quotidie hujuſmodi debiti reatum quærit. Vel exactorem ventrem dixit, qui quotidie à nobis quoddam debitum exigit. Abſtinentes vero dum violenta gulæ deſideria re-

Quomodo S. Antonius ex aſino domeſtico onager factus ſit.

Locus Jobi de onagro id eſt, ſolitario homine & Mundi deteriore explicatur.

primunt, quaſi clamantis exactoris verba contemnunt, ſed rectè petentis verba audiunt. *Circumſpicit montes paſcua ſua*, altas ſcilicet contemplationes internæ refectionis, vel altas ſententias ſcripturæ ſanctæ. Vel montes dicuntur Angeli, vel viri ſancti, quos circumſpicit, vel ut inde veniat ſibi auxilium, vel ut inde ſumat exemplum; & mente quoniam perquirit æterna, ſcilicet quæ nulla ſucceſſione temporum marceſcunt, quorum conſideratione terrena deſpicit.

2. Cur S. Antonius vitã eremiticam elegerit. Pericula ſpiritualia deſerti huius Mundi.

Circa *ſecundum* notandum quod beatus Antonius meritò deſerti habitationem habitationi mundi prælegit. Deſertum enim mundi periculoſius eſt quacunque ſolitudine plures cauſas habens pereundi ſpiritualiter, quam ſolitudo corporaliter. Quidquid enim in hoc mundo aſpicitur occaſio poteſt eſſe homini pereundi. Ideo homo ſapiens in omnibus metuit Eccleſiaſtici 18. Sapient. 14. *Creatura in odium hominum facta ſunt & in tentationem animæ hominum & in muſcipulam pedibus inſipientium.* In ſolitudine ſunt feræ indomitæ, ſed domabiles, in Mundo vero indomabiles. Tanta eſt ibi indomabilitas, quod unum membrum ſcilicet lingua domari non poteſt. Jacob. 3. *Omnis natura beſtiarum, volucrum & ſerpentum, & cæterorum domantur & domata ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt.* Innumerabilia ſunt animalia venenata in deſerto mundi. Quis venenum linguæ poterit explicare? *Lingua eſt inquietum malum, plena veneno mortifero.* Iacob. 3. Pſal. 13. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Multi ſunt ſerpentes in deſerto mundi ſecundum illud Eccleſiaſt. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil minus eo habet, qui occulte detrahit.* Multi in eo urſi & leones. Proverb. 28. *Leo rugiens & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.* Multi ſunt apri in eo. Pſal. 79. *Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Multi etiam lupi ſecundum illud. Sophon. 3. *Indices eius lupi veſperæ.* Non videtur minus periculoſum eſſe venire inter homines quam inter lupos. Interrogatus quidam Philoſophus, quid eſſet inimiciſſimum homini, reſpondit alter homo. Veniens inter homines timere debet & occidere & occidi, lædere & lædi, periculoſum eſt ei videre & videri, audire vel audiri. Bernard. Detrahere aut detrahentem audire quid horum damnabilius, non facile dixerim, oculi hominum quaſi vim venenandi habent, bona noſtra quo ad valorem adnihilant ad modum baſiliſci. Viſus hominis occaſionaliter nos interficit. Solo ore lupus nobis nocet, homo vero non ſolum ore, nec minus ore quam lupus. Quaſi ignis exit de ore hominis. Jacob. 3. *Lingua ignis eſt.*

3. Quare diabolus leo nominetur. Diabolus aſſimilatur leoni in quinque.

Circa *tertium* notandum quod diabolus per leonem figuratur, eo quod in multis ei aſſimilatur. Leo habet collum rigidum & inflexibile. Non enim eſt collum ejus articuloſum, ſed eſt unius oſſis, in quo ſignificatur inflexibilitas diaboli & ſuorum. Job 15. *Cucurrit adverſus Deum collo extenſo.* Job 41. *In collo ejus morabitur fortitudo.* *Item* leo habet os latum & fœtidum, in quo figuratur capacitas diaboli & ſuorum. Iſa 5. *Propter hoc dilatavit infernus animam ſuam.* Proverb. 1. *Deglutiamus eum quaſi infernus viventem.* Pſal. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* *Item* leo habet ungues recurvos, in quo figuratur rapacitas diaboli & ſuorum. Eccleſiaſtici 4. *Non ſit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta.* *Item* leo habet oſſa duriſſima & ſine medulla, in quo ſignificatur durities & immiſericordia diaboli & ſuorum. Job 41. *Indurabitur cor eius quaſi lapis.* Abſque medulla piæ affectionis ſunt membra diaboli. Roman. 1. Sine affectione, ſine fœdere, abſque miſericordia. Si oſſa leonis colliduntur ad invicem, exit inde ignis, ſic cum impatientes verbo ſe collidunt exit inde ignis iræ. Proverb. 16. *Vir inſipiens fodit malum, & in labiis ejus exardeſcit ignis.* Ejuſdem 26. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.* 5.

4. Quare diabolus venationem inſtituat.

Circa *quartum* notandum, quod ſicut divites hujus mundi habent animalia domeſtica, ut gallinas, porcos, anſeres, quæ impinguant refectione abundanti & quiete, & iſta habent ad manum ſine labore, & impinguata occidunt: ſic diabolus habet homines mundanos velut animalia domeſtica, quæ impinguat abundantia temporalium & otio. Dicitur in libro de natura animalium, quod multa animalia craſſa ſunt in ventre, & maximè quæ ſunt pauci motus. Hos habet diabolus quaſi ad manum, & impinguatos occidit, & magnum feſtum facit. Zach. 11. *Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant occiderunt.* Tamen cum diabolus venator ſit non ſufficit ei hoc, immò vult habere venationem, unde viros ſpirituales venatur, & circa eorum captionem ſtudioſè laborat. Abac. 1 *Incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus.* Qualiter beatum Antonium venatus ſit, vide in ſermone præcedenti, vel in vita ipſius. Quomodo S. Antonius venatus ſit.

DE SS. FABIANO ET SEBASTIANO.

SERMO UNICUS.

SERMO XXXII.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo potiſſimum de fide ſanctorum: de ejus merito, quod in triplici Victoria malorum & operatione Juſtitiæ conſiſtere docet. De ejus præmio, de tribus virtutibus fidei ſanctorum & totidem noſtræ ad imitationem ſanctorum. Ad finem oſtenditur, quomodo tria priora fuerint in ſanctis Fabiano & Sebaſtiano.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. *ad Hebr.* 11.

HIs verbis meritum ſanctorum martyrum, & præmium nobis indicatur, fides eorum commendatur, & qualis fides noſtra eſſe debeat inſinuatur. Meritum indicatur cum dicitur, *ſancti vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam*: præmium cum dicitur, *adepti ſunt repromiſſionem.* Fides eorum commendatur, cum oſtenditur fuiſſe cauſa quod regna vicerunt, juſtitiam fecerunt, repromiſſiones adepti ſunt. Qualis fides noſtra eſſe debeat inſinuatur, cum virtus fidei eorum declaratur, quæ nobis in exemplum proponitur. In hoc themate quatuor inſinuantur.

1. Meritum ſanctorum in duobus conſiſtit.

Circa *primum* notandum quod meritum ſanctorum in *duobus* fuit, ſcilicet in hoc quod mala vicerunt & bona fecerunt. De *primo* ibi: *vicerunt regna.* De *ſecundo* ibi: *operati ſunt juſtitiam.* Sancti fide vicerunt regna mundi, carnis & diaboli. Regnum mundi, contemnendo divitias; regnum carnis, contemnendo delitias; regnum diaboli, contemnendo honores. De *prima Victoria* dicitur 1. Joan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Quidam mundum vincunt divitias ſibi ſubjiciendo, alii eas abjiciendo. Subjiciendo, quia eas retinentes & habentes ſub ſe, ex hoc quodammodo ſunt altiores & ad expugnationem inimici potentiores, faciunt enim inde largas eleemoſynas. Qui modus expugnandi inimicum valde efficax eſt, unde ſuper illud Pſalm. 143. *Miſericordia mea & refugium meum*, dicit Auguſt. De nulla te ſic vincitur

1. In triplici victoria trium malorum.

1. Mundi vel divitiarum duplici ratione

1. Subjiciendo ſibi divitias

vincitur diabolus, ut de miſericordia, & Eccleſiaſtici 29. dicitur de Eccleſia, *ſuper ſcutum potentis & ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit.* E contrario cupidi & avari non ſubjiciunt ſibi terrena, ſed ſe terrenis. quæ enim malè acquirunt ſuper humeros ſuos ponunt, & quaſi vivos ſe ſepeliunt, ſimiles talpæ quæ terram quam fodit ſuper ſe ponit.

Avari ſubjiciunt ſe divitiis.

2. Abjiciendo divitias.

Abjiciendo mundum vincunt, qui amore Chriſti mundum relinquunt, qui ad modum luctantium ſe terrenis ſpoliant, ne diabolus habeat quo eos teneat, & ſic eos dejiciat & devincat. Lucæ 14. *Omnis ex vobis qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Sancti viri divitias contempſerunt, quia eas eſſe muſcipula diaboli agnoverunt. Aug. Præda quã vis rapere, in muſcipula eſt, tenes alienum & teneris à diabolo. *Item* quia futuras divitias his longè meliores intellexerũt. Hebr. 10. *Rapinã bonorũ veſtrorũ cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Gregorius. Vileſcunt temporalia, dum conſiderantur æterna, ſuper illud 1. ad Timoth. ult. *Sectare juſtitiam, pietatem, fidem,* &c. dicit Gloſſa.

Sancti contempſerunt divitias ob duo.

1. Carnis vel delitiarum.

Qui veram fidem de Deo habet non cupit in miſeriis ſæculi fieri dives. *Delitias* fide contempſerunt, quia corpora ſua morti eſſe condemnata cognoverunt. Seneca. Omnes capitali ſupplicio condemnati ſumus, corpus enim eſt ſervus malevolus, quem non decent delitiæ. Eccleſiaſt. 33. *Servo malevolo tortura & compedes.* Iſa. 11. *Erit fides cinctorium renum ejus. Honores* contempſerunt, quia eos confuſione plenos intellexerunt. Philip. 3. *Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.* Lucæ 16. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Hæc tria regna Moyſes fide vicit, unde Hebr. 11. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*: ecce contemptus honoris, *magis eligens affligi cum populo Dei, quam peccati temporalis habere jocunditatem*: ecce contemptus delitiarum, *majores divitias æſtimans theſauro Egyptiorum improperium Chriſti*, ecce contemptus divitiarum, *aſpiciebat enim in remunerationem.*

3. Diaboli vel honorum.

Quomodo Moyſes hæc tria fide vicerit.

2. In operatione juſtitiæ.

Sancti juſtitiam operati ſunt, à qua nullo tormento ceſſare voluerunt. Seneca. Vir bonus ab honeſto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla re invitabitur. Hæc fuit eſuries & ſitis ſanctorum ut poſſent juſtitiam operari. Beatos ſe reputabant cum pro juſtitia tormenta ſuſtinebant. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Item. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* 1. Petri 3. *Si quid patimini propter juſtitiam beati.*

3. Præmium fidei Sanctorum.

Et ſicut ſancti caverunt mala prohibita & impleverunt mandata, ſic adepti ſunt repromiſſionem, de qua, ſubditur: *adepti ſunt repromiſſionem*, ſcilicet *coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Jacob. 1. Omnium autem horum fides radix fuit. Cæteræ virtutes radices ſunt ſuorum operum, ſed fides radix eſt cæterarum virtutum. Auguſt. ſuper Joan. Sicut in radice arboris nulla apparet prorſus ſpecies pulchritudinis, & tamen quidquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris ex illa procedit; ſic ex fidei humilitate quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, procedit. Item Gregor. Sicut rami ſine radicis virtute areſcunt, ita quælibet opera, licet bona videantur, nulla ſunt, ſi à fidei ſodalitate deſtituantur.

1. 2. & 3. Fidei Sanctorum & noſtræ tres virtutes Sanctorũ.

Et *notandum* quod fides ſanctorum fuit *magna, viva & firma. Magna* fuit, unde ſua magnanimitate regna vicit: *viva* fuit, unde fructum juſtitiæ protulit: *firma* fuit, conſtanter enim omnia adverſa ſuſtinuit: ſic fides noſtra *magna* debet eſſe, ut eâ omnia tranſitoria contemnamus. *Viva* etiam debet eſſe, ne à bonis operibus ignavia ceſſemus, *fides* enim *ſine operibus mortua eſt* Jacob. 2. Item debet eſſe *firma*, ut in eâ perſeveremus, *vitam* enim *illam expectamus quam Deus daturus eſt illis, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Tob. 2.

Noſtræ.

Quomodo S. Fabianus mala vicerit justitiam fecerit & præmium adeptus ſit.

Item *notandum* quod beatus Fabianus mala vicit, unde cum tractaretur de electione Papæ in ſignum ſanctitatis candida columba ſuper caput ejus de cœlo deſcendit, & ab omnibus in Papam electus eſt. Ipſe etiam juſtitiam fecit, quia factus Papa in miniſterio ſuo diligentiam habuit, unde miſit ſeptem diaconos per omnes regiones Chriſtianorum, tradens eis ſeptem ſubdiaconos, qui notarius præfuerunt, & ſic geſta martyrum collecta ſunt. Ipſe repromiſſiones adeptus eſt; per martyrij enim palmam ad vitam tranſivit beatam. Beatus etiam Sebaſtianus regnavit, qui Imperatorem reprehendere non timuit. Juſtitiam operatus eſt; Chriſto enim quotidie ſedulum exhibebat officium, & fideles inter tormenta deficientes confortare curavit, unde ei poteſt dici illud Job 4. *Vacillantes confirmaverunt ſermones tui & genua trementia confortaſti.* Interlin. In genibus prius apparet tremor. Ipſe etiam intelligens quod Chriſtus pro ipſo mortuus fuerat, ei vicem reddens mori pro eo voluit, & ſic ad gaudia à Chriſto promiſſa pervenit.

Eadem de S. Sebaſtiano demonſtrantur.

DE BEATA AGNETE VIRGINE.

SERMO VNICVS.

SERMO XXXIII.

SUMMARIUM.

Sermo iſte duas partes complectitur, in quarum prima explicatur thema univerſaliter de Eccleſia, in ſecunda ſpecialiter de S. Agnete, ad quam imitandam in fine monemur.

Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.

Cant. 1.

Duæ partes huius ſermonis inſinuantur.

VOx eſt ſponſi ad ſponſam, ſcilicet Chriſti ad Eccleſiam. tamen poteſt eſſe vox Chriſti ſpecialiter ad beatam Agnetem, cujus hodie celebramus ſolennitatem.

I. Circa thema tria notanda univerſaliter de Eccleſia.

Circa verbum hoc *tria* nobis conſideranda ſunt. *Primum* quod ſponſa inter aves turturi aſſimilatur. *Secundum* eſt quod à pulchritudine genarum potius quam à cæteris membris commendatur. *Tertium* eſt in quibus pulchritudo genarum turturea attendatur. In *primo* ſponſa de caſtitate amanda & fide thori ſervanda admonetur, quam ſponſus in ſponſa maximè requirit. Hoc enim in turture ſignificatur, quæ amiſſo compare, quaſi voto vidualis continentiæ ſe abſtrinxerit, alium ulterius non admittit, ſed ab oſculo alieno, & à tactu impollutam ſe cuſtodit. Bernard. Turtur eſt luctus amica, opacæ ſolitudinis familiaris incola, forma ſimplicitatis, exemplum caſtitatis: ſic Eccleſia, quæ eſt ſponſo ſuo viduata, qui corporalem præſentiam ei ſubtraxit & in cœlum aſcendit, immaculatam ab hoc ſæculo ſe cuſtodit, inſtar turturis ſolitudinem eligens, ſecundum illud Pſalm. 54. *ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine.* Apocal. 12. datæ ſunt mulieri duæ alæ ut fugiat in deſertum. Hæ duæ alæ poſſunt intelligi contemptus mundi & amor cœleſtis regni, & ſi non habeat ſolitudinem corporis, habet tamen mentis, de qua Bernard. ô anima ſancta, eſto ſola, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus elegiſti. In hoc etiam quod inter aves, turturi primò aſſimilatur, quæ turtur pro voce habet rugitum ſicut columba gemitum, inſinuatur quod prima vox venientium ad Deum & copulantium ſe Chriſto ſponſo debet eſſe rugitus pœnitentiæ. Pſal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* In hoc quod ſponſa à genarum pulchritudine commendatur, inſinuatur, quod hi qui habent Eccleſiam, de honeſtate amanda admonentur: genæ enim quæ continent dentes cibum conterentes,

1. Sponſa aſſimilatur turturi ob tria.

1. Ob caſtitatem etiam conjugalẽ.

2. Ob ſolitudinem corporis & mentis.

3. Ob pœnitentiæ luctum.

2. Sponſæ pulchritudo à genis, id eſt Eccleſiæ doctoribus commendatur.

& in quibus magna pars pulchritudinis corporis conſiſtit, doctores Eccleſiæ deſignant, qui cibum ſcripturæ conterunt, & auditoribus comeſtibilem reddunt, quorum honeſtas Deo multum placet & ad pulchritudinem Eccleſiæ multum valet, quia parum proficit eorum doctrina, ſi deſit vita honeſta. Item dicit ſponſus ſponſæ, Cantic. 2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Circa *tertium* notandum quod ad pulchritudinem genarum turturcam *tria* pertinent. *Primum* eſt *caſtitas*, debent enim eſſe ſine corruptione doctrinæ vel vitæ. 2. Corinth. 4. *Non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei.* *Secundum* eſt *rubor*, rubricati enim debent eſſe *quadruplici* rubore. *Primus* eſt *rubor ſanctæ verecundiæ*, quæ verecundia eſt timor in turpi facto & fuga rei indecentis. Omnem enim inhoneſtatem timere debent & fugere. Eccleſiaſtici 7. *Gratia verecundiæ mulieris ſenſatæ ſuper aurum.* *Alius* eſt rubor *paſſionis Dominicæ*, debent enim habere memoriam ejus & deſiderium imitandi eam. Cantic. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* *Tertius* eſt *rubor patientiæ.* *Quartus compaſſionis.* Patientes debent eſſe in propriis malis, compatientes in alienis malis. Et hæc ſunt duo genera martyrij. De patientia dicit Gregor. ſine ferro & flamma martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo conſervemus. Martyrium vero compaſſionis non unico genere hominem torquet, ſecundum illud 2. ad Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* &c. Rubor iſte qui in genis Eccleſiæ debet eſſe intelligitur in hoc, quod genæ turturis colorem rubeum aſpectibus hominum inferunt, cui immixtus color eſſe videtur, hiacyntinus, color ſcilicet æthereus, per quem cœleſtis intentio deſignatur, quæ genas Eccleſiæ pulchras reddit, labores enim & paſſiones Eccleſiæ & compaſſiones exornat, ſicut terrena intentio labores & dolores reproborum denigrat. Hierem. 9. *Ut inique agerent laboraverunt.* Et hæc cæleſtis intentio eſt tertium, pertinens ad pulchritudinem genarum Eccleſiæ.

3. Pulchritudo genarũ Sponſæ in tribus conſiſtit.
1. In caſtitate.
2. In rubore quadruplici.
Duo genera martyrii patientia & compaſſio.
3. In intentione cæleſti.

II. Specialiter verbum propoſitum poteſt eſſe vox Chriſti ad dilectam ſponſam ſuam, ſcilicet beatam Agnetem, quæ ad modum turturis caſta fuit, & fidem thori integrè Chriſto ſervavit. De ea dicit Ambroſ. pulchra facie, ſed pulchrior fide, fidelitate pulchrior fuit, quoniam dicebat filio Præfecti eam ſollicitanti: *Diſcede à me fomes peccati, quia jam ab alio amatore præventa ſum. Non potero alium aſpicere, & illum derelinquere. Illi ſoli ſervo fidem.* Genas ejus ornavit rubor ſanctæ verecundiæ, quia omnem rem indecentem timuit & cavit. De verecundia dicit. Bernard. ſuper Cant. Neſcio ſi quicquam gratius verecundia in moribus hominum deprehendi queat. Verecundia omnium eſt ornatus ætatum, ſcilicet in tanta ætate amplius pulchriuſque eniteſcit. Genas beatæ Agnetis rubor Dominicæ Paſſionis ornavit, ſcilicet duas vires animæ, vim cognitivam, ſcilicet & vim affectivam. In cognitiva fuit memoria Dominicæ Paſſionis, in affectiva deſiderium imitationis ipſius, unde ipſa dicebat: *ſanguis ejus ornavit genas meas*, & iterum: *poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Poſuerat ſignum in faciem ejus, ſcilicet amoris maximi, quo dilecta fuerat à Chriſto, ſcilicet beneficium redemptionis, quod in memoria habebat, de quo Joan 15. *Majorem hac dilectionem*, id eſt majus ſignum dilectionis, *nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Amor iſte totum amorem ejus exigebat. Bernard. ſuper Cantic. Super omnia reddit te amabilem mihi bone Jeſu. Calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ, hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat ſibi totum. Redemptionis beneficium totius vitæ noſtræ requirit obſequium. Bernard. Juſte ſibi vendicat vitam meam qui pro mea poſuit ſuam. Exemplo hujus beatæ Virginis & nos genas mentis pulchras habere ſtudeamus, ut cui ipſa placuit, placere valeamus. Facies mentis intentio eſt, cujus genæ pulchræ ſunt, ſi anima intendat rei, cui debet, & ſine quo debet. Bernard. ſuper Cant. Cogita animæ faciem mentis intentionem, ex qua nimirum rectitudo operis, ſicut ex facie pulchritudo corporis æſtimatur. Inquirere Deum propter ſe ipſum ſolum; hoc planè eſt utramque faciem bipertitæ intentionis habere pulcherrimam. Intendere autem quaſi in Deum & non propter Deum, hypocritæ planè animæ eſt. Porro è contrario intendere in alium, tamen propter Deum, non otium Mariæ ſed Marthæ negotium eſt.

II. Specialiter S. Agneti quædam ex dictis accommodãtur.
1. Ejus caſtitas & fidelitas.
2. Ejus verecundia.
3. Ejus meditatio & imitatio Paſſionis Dominicæ.
S. Agnetem imitemur maximè in bona intentione.
S. Bern. de bona & mala intentione.

DE BEATO VINCENTIO MARTYRE.

SERMO PRIMUS.

SERMO XXXIV.

SUMMARIUM.

Plurima affert hic ſermo neceſſaria in pugna ſpirituali ad Victoriam & præmium reportandum juxta verba thematis, quæ etiam S. Vincentio accommodantur.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. *Apocal. 2.*

CUm *tria* ſint neceſſaria ei qui pugnat ut vincere valeat, ſcilicet *diſcretio, fortitudo, audacia*, benignus Dominus militantem Eccleſiam ſcripturis ſacris inſtruit, ne defectu diſcretionis in certamine ſuccumbat, adjutorium etiam gratiæ ei præſtat ut fortitudinem habeat, exemplis & promiſſionibus eam animat, ut audacem eam reddat.

Tria in pugna victuro neceſſaria ſunt.

1. Diſcretio.

Circa *primum* notandum quod diſcretio multum valet ad victoriam. Proverb. 24. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus. Quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia ſunt*: Eccleſ. 9. *Dicebam ego ſapientiam meliorem eſſe fortitudine.* In eodem *Melior eſt ſapientia quam arma bellica.* Sap. 6 *Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens quam fortis.* Et quia ſapientia tantum valet in bello, ideo Poëtæ fabulati ſunt Palladem Deam ſapientiæ, Deam eſſe belli. Duodecim ſtultitias quibus multi in bello ſpirituali ſuccumbunt, vide in tractatu de prudentia. Cap. 3.

2. Fortitudo per gratiam tribus virtutibus acquirenda.
1. Humilitas. Pſalm 41.

Circa *ſecundum* notandum, quod *tria* multum valent ad hoc quod aliquis adjutorium gratiæ habeat, & ſic fortis in bello fiat. *Primum* eſt *humilitas.* Jac. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Aquæ gratiarum ad vallem humilitatis confluunt. Humilitas oſtendendo ſuam miſeriam incitat ad miſerendum Dei miſericordiam. Abyſſus enim abyſſum invocat, abyſſus miſeriæ, abyſſum miſericordiæ. Oratio humilis eſt nuntia ſuccurſum Dei impetrans. Eccleſiaſtici 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Humilitas gloriam victoriæ Deo attribuit, & propter hoc totum pondus prælij eidem imponit. Cujus enim eſt victoriæ gloria? ejus eſt & pugna. *Secundum* eſt *ſpes. Bonus enim Dominus, ſperantibus in eum.* Thren. 3. Hierem. 19. *Benedictus eſt qui confidit in Domino*, & ſubditur. *Erit tanquam lignum quod plantatur ſuper aquas.* Ipſe eſt velut arbor juxta fontem divinæ miſericordiæ plantata, à qua ſperat ſe adjuvari, & à qua habet robur. Iſaiæ 30. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Ejuſdem 40. *Qui ſperant in Domino habebunt fortitudinem.* Pſal. 124. *Qui confidunt*

2. Spe.

ſidant in Domino ſicut mons Syon. Tertium eſt *pietas.* Pietati proximo ſubvenienti in ſuis neceſſitatibus, divina pietas in certamine non deeſt. Ideo hoſti prævalet, unde dicitur de Eleemoſyna Eccleſiaſt. 29. *Super ſcutum & lanceam potentis pugnabit pro te contra inimicos tuos.*

3. Pietate.

9. Audacia excitanda exemplis & promiſſis maxime S. Vincentij.

Circa *tertium* notandum, quod inter exempla quibus Eccleſia militans in certamine animatur, unum de magis efficacibus eſt exemplum beati Vincentij, cujus hodie feſtum celebratur. Inter promiſſiones verò valde conſolatoria eſt promiſſio nobis propoſita, quæ in ipſo impleta eſt indubitanter. Ipſe Vincentius fuit & re & nomine. Ipſe, ut dicit Auguſtinus, vicit in pœnis, vicit exuſtus in ignibus, vicit ſubmerſus in fluctibus, vicit vivus, vicit mortuus. Non eſt victus à malo vel culpæ vel pœnæ, ſed vicit in bono malum. Ipſe vicit diabolum tentationibus ejus non conſentiendo. Jacob. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Vicit etiam ejus miniſtrum, ſcilicet Dacianum adeo manifeſtè, ut non diceret Dacianus verbum malum. Ait enim victi ſumus. Ipſe vicit in aëre etiam aculeo extentus. Ipſe vicit in igne ſuper candentis ferri machinam poſitus. Ipſe vicit in terra in teſtis acutis ſuper eam proſtratis. Ipſe vicit in aqua in mari projectus, & poſt glorioſam victoriam ad eſum ligni vitæ eſt receptus. Si vis vincere ſicut ipſe vicit, tribulationes non fugias. Non eſt ſtrenui militis tormenta fugere, ſed in his potius abſque peccato in armis ſe exercere. Velut torneamenta tribulationes ſunt, has beatus Vincentius non fugit. Unde

S. Vincentius cur re & nomine talis fuerit.

Vincere volentibus quæ facienda, quæve cavenda ſint.

1. ſcriptum eſt de eo: intrepidus Dei athleta candentis ferri machinam ultro conſcendit. Item moras carnificum arguendo ad pœnas alacriter properabat. Jacob. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis* In tribulatio-

2. nibus patientia addiſcitur. Judic. 3. *Hæ ſunt gentes quas reliquit ut eis erudiret Iſrael. Item* ſi vincere vis, noli magis timere equo tuo quam aſcenſori, id eſt corpori quam ſpiritui. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non*

3. *poſſunt occidere. Item* nunquam incedas inermis, continuè enim es in bello. Epheſ. 6. *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.*

4. Si quid in armis tuis diruptum fuerit, illud non differas reparare. Frequenter reparare debemus arma ſpiritualia, ut patientiam & humilitatem. Eccleſ. 2. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & ti-*

5. *more, & prepara te ad tentationem.* Nec hoſti adjutores procures, nec arma miniſtres, hoſti familiari,

Galat. 5. ſcilicet carni. Adjutores procurat, qui varias delitias ei præparat, quod periculoſum eſt: ſi enim caro, quæ concupiſcit adverſus ſpiritum, ceperit habere delitiarum præparamenta & irritamenta, fiunt duo contra unum & periclitatur conſcientia, ut habetur in Epiſtola S. Bernard. ad fratres de monte Dei. Hoſti arma miniſtrantur, cum immoderato cibo & potu

6. corpus impletur. *Item* cave ne ſolem ante oculos habeas, ut gloriam mundanam concupiſcas. Hæc enim multis fuit occaſio ut vincerentur. Job 31. *Si vidi ſolem cum fulgeret,* &c. Joan. 5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam accipitis ab invicem,* &c.

7. *Item* cave ne hoſtis in oculos tuos terram injiciat, ut in bonis quæ agis terrenam intentionem habeas, Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam, totum corpus tenebroſum erit.* Oculus dicitur intentio, cor-

8. pus congeries operum. *Item* cave ne habeas crines nimis longos, immo ad modum pugilis habeas eos breves & junctos, ne per eos à diabolo capiaris. Crines nimis longos habet, qui variis cogitationibus nimis per ea quæ mundi ſunt evagatur. Crines

9. juncti ſunt, ſi fuerint de his quæ ad charitatem pertinent, vel accendendam vel conſervandam. *Item* cave ne hoſtis te altior exiſtat: tu potius procura ut eo altior ſis, ut ſcilicet converſatio tua in cœlis ſit tunc dicere poteris illud Pſal. 30. *Super inimicos meos factus ſum,* id eſt deorſum aſpexi tormenta eorum deſpiciendo. Hoſte altior fuit beatus Vincentius, cum diceret Daciano. Ecce jam in ſublime agor & ipſos principes tuos altior deſpicio.

Qui exemplo Vincentij vicerint, ad eſum ligni vitæ pervenient. Lignum vitæ hic intelligitur ſumma bonitas, quæ hic præguſtatur, ſecundum illud Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Præmium Vincentij.

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO XXXV.

SUMMARIUM.

Quatuor hic docet ſermo circa thema in ejus exordio ſatis perſpicuè propoſita.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei mei. *Apocal.* 2.

Quatuor circa themà traduntur.

CIrca verbum propoſitum *quatuor* ſunt nobis attendenda. *Primum* quare tempore gratiæ promiſſiones fiant vincentibus, cum tempore veteris legis ſoleant fieri mandata ſervantibus. Deuteron. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus,* &c. *Secundum* eſt quid vincere debemus, ut promiſſiones aſſequamur. *Tertium* eſt quid ſit lignum vitæ cujus eſus vincentibus promittitur. *Quartum* eſt quare eſus ligni dandus non reddendus eſſe aſſeritur.

1. Diſcrimen veteris & novæ legis.

Circa *primum* notandum quod ſecundum Bernardum. Bona vita eſt bona agere & mala pati, & ſic perſeverare uſque ad mortem. Initium juſtitiæ fuit veteris legis, ſcilicet mandata ſervando, bona agere. Ad tempus vero gratiæ pertinet perfectio juſtitiæ, ut non ſolum bona agamus, ſed mala ſuſtineamus, & in his perſeveremus, & ſic victores exiſtamus. Ad tempus veteris legis pertinet juſtitiam operari, ad tempus verò gratiæ non ſolum juſtitiam operari, ſed etiam neceſſe eſt pro juſtitia pati Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* 1. Petri 3. *Si quid patimini propter juſtitiam beati,* &c.

2. Septem victæ vincentibus ſeptem promiſſiones factæ ſunt in Apocalypſi. Apocal. 2. 3. & 21. cap.

Circa *ſecundum* notandum quod ſeptem regna vincere debemus ut Chriſti promiſſiones aſſequamur, id eſt ſeptem capitalia vitia, quæ ſignificata ſunt per ſeptem gentes quas expugnaverunt filij Iſraël ut terram promiſſionis haberent, de quibus legitur Judic. 3. Verè hæc ſunt regna quæ ſancti per fidem vicerunt. Hebr. 11. Septem autem promiſſiones in Apocalypſi continentur vincentibus factæ, quæ ad victoriam horum ſeptem vitiorum poſſunt referri, quarum *una* eſt verbum propoſitum, quæ poteſt referri ad vitium gulæ. Hoc vitium prius infeſtat hominem. Hoc vitio tentati ſunt primi parentes. Hoc etiam primo tentatus eſt Dominus in deſerto Matth. 4. ubi dicit Gloſſa. In pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi prius hæc refrenetur, fruſtra circa alia vitia laboratur. Vincenti hoc vitium dat Dominus edere de ligno vitæ, prolongatur enim ei in præſenti vita corporis & continuatur in eo vita ſpiritualis. In futuro verò dabitur ei vita beata & immortalis. Primi parentes vitio gulæ devicti de ligno vitæ non comederunt, quo immortales fierent & neceſſitati moriendi addicti ſunt. Homines abſtinentes diutius vivunt. Eccleſiaſtici 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* E contrario *vigilia & cholera & tortura viro infrunito.* Ejuſdem 31. *Secunda promiſſio* eſt Apocal. 2

Gulam vincentibus. Apocal 2.

Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis. Quod po-
Lururiam vincentibus Apocal.3. teſt referri ad vitium luxuriæ. Qui vicit hoc vi-
tium in præſenti pulchrum habet veſtimentum,
ſcilicet candorem caſtitatis, & in futuro pulchrius
habebit, luxurioſus habet *veſtimentum mixtum ſan-*
guine, quod erit in combuſtionem & cibus ignis. Iſa.
9. *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*
3. Item vincentibus Apocal.2. Hebr.13. *Tertia promiſſio* eſt Apocal. 2. *Qui vice-*
rit non lædetur à morte ſecunda, quæ poteſt referri
ad vitium iræ. Qui hoc vitium vicerit, mala hujus
mundi patienter tolerando, quæ ſolent concitare
hominem ad iram & odium & impatientiam, non
Mors prima & ſecūda quid ſit. lædetur à morte ſecunda. Prima mors eſt in cor-
poris diſſolutione, ſecunda in damnatione. Qui
timent præſentia non futura, ſunt ut equi umbrati-
ci, umbram timentes malorum, & non vera mala.
Sapient. 5. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.*
4. Invidiam vincentibus Apocal.2. *Quarta promiſſio* eſt Apocal. 2. *Vincenti dabo man-*
na abſconditum, quod poteſt referri ad vitium in-
vidiæ. Animus benignus qui ſine invidia eſt, ſo-
cius Chriſti eſt & membrorum ejus bonis ipſorum
congaudens & malis compatiens: & ſicut hic ſocius
eſt paſſionis, ſic ſocius erit conſolationis, unde
habebit manna abſconditum. Animus vero invi-
dus ſocius eſt diaboli in lucro & in damno, de ma-
lis proximi gaudens, de bonis dolens, unde ſo-
cius erit diabolicæ deſolationis. *Quinta promiſſio*
eſt Apocal. 3. *Qui vicerit faciam eum columnam in*
5. Superbiam vincentibus Apocal 3. *templo Dei mei.* Et poteſt referri ad vitium ſuper-
biæ, qui hanc vicerit columna eſt in templo infe-
riori per ſuſtentationem aliorum. In ſuperiori vero
erit columna, cum ſit flexibilis ut arundo. *Sexta*
promiſſio eſt Apocal. 3. *Qui vicerit dabo ei ſedere in*
6. Acediam vincentibus Apocal.3. *throno*, quod poteſt referri ad vitium acediæ. Hic
non eſt locus quieſcendi, ſed in futuro. Bernardus
loquens ad Luciferum. O impudens & imprudens
millia millium miniſtrabant ei & decies centena
millia aſſiſtebant ei, & tu aliis miniſtrantibus &
aſſiſtentibus ſedere præſumis. Hic eſt locus labo-
randi. 2. Timoth 2. *Labora ſicut bonus miles Chri-*
7. Avaritiam vincentibus Apocal.21. *ſti.* *Septima promiſſio* eſt Apocal. 21. *Qui vicerit*
poſſidebit hæc, & ero illi Deus & ipſe erit mihi filius.
Hæc promiſſio referri poteſt ad vitium cupiditatis,
quod qui vicerit contemnendo terrena, poſſidebit
cœleſtia. Beatus ille qui terrenas poſſeſſiones con-
Mundus totus ſeu univerſa vincenda ſunt. temnendo fit Dei hæres & Chriſti cohæres. *Item*
quia dicitur *vincenti*. Simpliciter ſine determina-
tione aliqua, poteſt intelligi. *Vincenti* univerſa
dabo edere, &c. Vult Dominus militem ſuum tan-
tæ virtutis eſſe, ut totum mundum vincat ſicut ipſe
vicit. Joan. 16. *Confidite quia ego vici mundum.*
Mundum vincit qui omnia tranſitoria deſpicit.
Deſinit enim timere, qui deſinit ſperare & amare.
Qui nihil in hoc mundo ſperat & amat, nihil in
hoc mundo timet.

3. Christus triplicis vitæ principium eſt. Circa *tertium* notandum quod lignum vitæ
Chriſtus eſt. Pſal. 1. *Tanquam lignum quod planta-*
tum eſt ſecus decurſus aquarum. Ipſe eſt principium
triplicis vitæ, ſcilicet *naturæ, gratiæ, & gloriæ.* De
vita naturæ dicitur. Geneſ. 2. *Inſpiravit in faciem*
ejus ſpiraculum vitæ De *vita gratiæ.* Joan. 6. *Verba*
quæ ego loquor ſpiritus & vita ſunt. Epheſ 2. *Con-*
vivificavit nos in Chriſto. De *vita gloriæ.* Joan. 6.
Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes?
Ejuſdem 10. *Et vitam æternam do eis.*

4. Circa *quartum* notandum quod præmium pro-
miſſum vincentibus omne meritum excedit. Ideo
bene dicitur *dabo* non *reddam*. Roman. 8. *Non ſunt*
condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriã
quæ revelabitur in nobis. Vincenti datur, contra pu-
ſillanimes pugnam non aggredientes, vel contra
remiſſos ſemper pugnantes & nunquam vincentes,
vel contra molles ante victoriam deficientes. *Dabo*
dicitur contra præſumentes.

IN CONVERSIONE SANCTI PAULI.

SERMO VNICVS. SERMO XXXVI.

SUMMARIUM.

In principio hujus ſermonis oſtenditur S. Pauli *converſionem tam juſtis quàm injuſtis con-ducere. In reliquo deinde ſermone ex hi-ſtoria converſionis hujus 12. puncta pro ædi-ficatione noſtra explanantur.*

Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipu-
los Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum,
& petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum. *Actor.* 9.

HOdie cum magna exultatione & Dei gloria- S. Pauli cõverſio prodeſt & convertendis
tione recolitur in Eccleſia beati Pauli con- peccatoribus & converſis juſtis.
verſio, & meritò quia ejus converſio & peccatori-
bus & converſis, felix eſt inſtructio. Erigit enim
peccatores ad ſpem, & converſis dat vivendi for-
mam. Et *juſtis* quidem diligenter attendenda eſt
ne peccatores deſpiciant. Qui enim peccator eſt, Iuſtis.
ſanctus futurus eſt, immo jam in Dei providentia
ſanctus eſt, ut patet in Paulo: & qui nunc eſt ſan-
ctus, in Dei præſcientia jam eſt quaſi diabolus, ut
patet in Juda Joan 6. *Nonne ego duodecim vos ele-*
gi, & unus ex vobis diabolus eſt. Habebat Paulus
malitiam *in corde*, ſecundum illud, *ſpirans cædis*,
id eſt anhelans ad cædem. Habebat etiam minas Triplex malitiæ Pauli.
in ore ſecundum illud *ſpirans minarum.* Minas
enim ut ignem ſpirabat, non ab alio incitatus, ſed
alios ſuccendens. Habebat malitiam *in opere* ſe-
cundum illud: *Acceſſit ad principem ſacerdotum*,
&c. Non proponebat parcere etiam muliebri ſe-
xui, unde ſubditur: *Ut ſi quos inveniret hujus vi-*
tæ viros, & mulieres, &c. Nec ſe præparabat ad
converſionem per aliquam bonam operationem
immo dum perſecutioni Chriſti in membris ejus
intenderet, Chriſti miſericordia converſus eſt.
Peccatoribus etiam attendenda eſt ipſius converſio, Peccatoribus ob duo;
ſpem enim illorum erigit & *ignorantiam* inſtruit.
Sunt aliqui peccatores qui converſi volunt uti vo-
luntate imperfecta. *Vult & non vult piger.* Pro-
verb. 13. Sed diffidentia & ignorantia eorum con-
verſio impeditur. Sed attendenti Pauli converſio-
nem nullus locus relinquitur deſperationi. In ea
& peccatores circa ſuam converſionem multum in-
ſtruuntur. Bernardus in ſermone loquens de me-
moria hujus converſionis. In hac, inquit, memo-
ria & peccator ſpem veniæ concipit, ut provoce-
tur ad pœnitentiam; & qui jam pœnitet, perfectæ
converſionis accipit formam

Duodecim verò nobis ſunt attendenda circa bea- Ex hiſtoria converſionis S. Pauli 12. notanda pro ædificatione noſtra.
ti Pauli converſionem, quæ valere poſſunt ad no-
ſtram ædificationem. *Primum* eſt *quod lux eum*
circumfulget, per quam intelligitur Dei gratia ad
converſionem neceſſaria, ſine ea enim non fit ve-
ra converſio. Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael tantum-* 1.
modo ex te, ex me autem auxilium tuum. Occide-
re poteſt ſe homo, ſed non à morte ſuſcitare. Spiri-
tus eſt vadens & non rediens. Piſcis per ſe poteſt 2.
naſſam intrare, ſed per ſe non poteſt inde exire. *Se-*
cundum eſt *quod in terram cadit*, in quo deſignatur
motus humilitatis, qui multum valet ad converſio-
nem, *humilibus* enim *Deus dat gratiam.* Jacob. 4.
Ad terram cadit, qui terram ſe agnoſcit. Geneſ 3.
Pulvis es & in pulverem reverteris. Qui habet ca-
ſtrum forte ſitum, in rupe, non eſt mirum ſi guer-
ram velit habere cum potente. Sed factus eſt il-
le, qui non habet manſionem, niſi de palea, quæ
cito comburi poteſt, ſi cum potente guerram ha-
bere velit. Angelus cum immortalis ſit, habet
quaſi caſtrum ſuper rupem ſitum. Homo verò
qui habet corpus mortale, habet manſionem
quæ

quæ facillime poteſt comburi, ſolo enim calore
febrili ſine igne in cinerem redigitur. Ideo valde
3. fatuus eſt ſi omnipotenti repugnare præſumit. *Ter-
tium* eſt quod à Deo reprehenditur dicente ſibi:
Saule Saule quid me perſequeris? & ſubditur: Ego
ſum Chriſtus, id eſt Salvator, *durum eſt tibi contra
ſtimulum calcitrare*. Ad hanc quæſtionem, *quid me
perſequeris?* nulla cauſa rationabilis poteſt reſpon-
deri. Duabus de cauſis perſequitur aliquis alium,
aut propter ipſius culpam, vel propter utilitatem
propriam. Propter culpam Salvatoris eum non
perſequebatur, non enim Salvator nocuerat ei,
immò ab eo multa beneficia acceperat pro quibus
potius debuit ei obſequi quam perſequi eum. Item
perſequendo eum utilitatem non conſequebatur,
immò potius ſibi nocebat. Sicut enim bos recal-
citrans ſtimulum ſibi infigit, ſic peccator Deo re-
pugnans non nocet, ſed ſeipſum lædit, *homo* enim
4. *per malitiam occidit animam ſuam* Sapient. 16.
Quartum eſt quod cum dicit, *Domine quid me vis
facere?* oſtendit Deo voluntatem ſuam paratam ei
ab obediendum. Gloſſa Indica voluntatem tuam,
& ego obediam. Intellexi quod ſtimulus compel-
lebat eum ad opus ſicut dicit Gloſſa. Stimulus, in-
quam, divinæ percuſſionis. Auguſtinus. Non eſt
converſus quando proſtratus eſt in terram, ſed
quando dixit: *Domine quid me vis facere?* Veriſ-
ſimè ab Angelis dictum eſt: *Pax hominibus bonæ
voluntatis*. Luc 2. Bona voluntas quæ divinæ
voluntati eſt ſubjecta, qua habita pax habetur. Si-
cut cera mollis habilis eſt ut in ea imago ſigilli im-
primatur; ſic voluntas prompta ad obediendum
quaſi materia eſt totius honeſtatis. Bernardus in
Epiſtola ad fratres de monte Dei. Quicunque bo-
nam voluntatem habet, totum habet quicquid ei
ad benè vivendum opus eſt. In eadem Epiſtola. Sim-
plicitas voluntatem ſimplicem & bonam quaſi fu-
turi boni informem materiam in primordio ſuæ
converſionis auctori ſuo offert formandam. Ber-
nardus loquens de hoc verbo: *Domine quid me vis
facere?* Hoc planè fratres perfectæ converſionis
eſt forma. *Paratum*, inquit, *cor meum Deus, pa-
Pſal. 36. ratum cor meum. Paratus ſum & non ſum turba-
Pſal. 118. tus, ut cuſtodiam mandata tua*. Et ſubdit O verbum
breve, ſed plenum, ſed vivum & efficax, ſed dignum
omni acceptione. Quam pauci inveniuntur in hac
Luc. 18. parte obedientiæ forma Idem heu plures habemus
illius cœci Evangelici quam novi hujus Apoſtoli
imitatores. *Quid vis*, ait Dominus ad cœcum, *ut
5. faciam tibi? Quintum* eſt *quod ad diſcipulum mit-
titur, ut ab eo inſtruatur*, in quo ſecundum Gloſ-
ſam Exemplum diſcendi datur & ſuperbia incre-
patur, ut nullus alium indignum æſtimet, à quo
doceatur quod ignorat. Seneca. Primum docu-
mentum, ut nullam doctrinam contemnas: non
dedigneris doceri etiam à formica. Proverb. 6. *Va-
6. de piger ad formicam & diſce ſapientiam. Sextum*
eſt *quod apertis oculis nihil videbat*, & erat tribus
diebus non videns, in quo oſtenſum eſt, quod
oportet eum, qui convertitur ſenſum proprium
deponere ut ſenſum Domini poſſit recipere. Ro-
man. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*.
Auguſtinus. Si dicendo te eſſe ſapientem ſtultus
factus es, dic te ſtultum & ſapiens eris. Proverb.
26. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis
ſpem illo habebit inſipiens*. Sicut nimietas ſalis de-
terior eſt in cibo quam modicitas, ſic nimietas ter-
renæ ſapientiæ animalis & diabolicæ potius impe-
dit converſionem quam ſimplicitas. Auguſtinus in
ſermone de converſione Pauli. Ut interiori luce ful-
geret cor ejus, ejecta eſt exterior ad tempus, ſub-
tracta eſt perſecutori, ut redderetur prædicatori,
& ſubdit cauſam. Eo enim tempore quo cætera non
videbat, Jeſum videbat, ita ut in ejus cœcitate my-
ſterium informaretur credentium, quoniam qui
credit in Chriſtum, ipſum intueri debet, cætera
nulla computare. Creatura vileſcat ut creator dul-
ceſcat. *Septimum* eſt *quod ad manus trahitur*, in
quo intelligitur exemplum bonum quod multum 7.
neceſſarium eſt ei qui convertitur. Qui inter ma-
los converſantur, quaſi ad manum in infernum tra-
huntur. Senec In vitium alter alterum trudimus.
Quomodo ad ſalutem revocari poſſunt, quos vul-
gus retinet, populus impellit. Illi vero qui inter
bonos converſantur quaſi ad manum in paradiſum
trahuntur. Proverb. 13. *Qui cum ſapientibus gra-
ditur ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis illis ef-
ficietur*. Eccleſiaſtici 7. *Diſcede ab iniquo & deficient
mala abs te*. Ejuſdem 37. *Cum viro ſancto aſſiduus
eſto, quemcunque cognoveris habere timorem Dei.
Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui com-
municaverit ſuperbo induet ſuperbiam*. Ejuſdem 13.
Octavum eſt *quod* Paulus *invenitur orans*. Luc. 18.
Oportet ſemper orare & non deficere. Ante conver- 8.
ſionem debet orare peccator Salvatorem, ut operi
manuum ſuarum dexteram porrigat, & opus manuũ
ſuarum non deſpiciat, ſine enim reſpectu miſericor-
diæ ipſius peccator non corrigitur. Eccleſiaſtes 7.
*Conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere quem
ille deſpexerit*. Poſt converſionem vero debet orare
ut Deus gratiam datam cuſtodiat ei. Cito enim bo-
num amittitur niſi à largiente cuſtodiatur, ut dicit
Gregorius Poëta.

Non minor eſt virtus quam quærere parta tueri.

Nonum eſt *quod ſurgens baptizatus eſt*. 9.

Qui converſus eſt ad Sacramenta Eccleſiæ fre-
quenter debet accedere & ad Sacramenta pœniten-
tiæ. Sacramenta fontes gratiarum ſunt. Qui enim
debito modo ad ea accedit vel gratiam vel augmen-
tum gratiæ recipit. Iſa 12. *Haurietis aquas in gau-
dio de fontibus Salvatoris. Decimum* eſt *quod acce-
pto cibo confortatus eſt*. Illis qui novam vitam in- 10.
choant valde neceſſarium eſt, ut refectionem ſpiri-
tualem frequenter recipiant, verbum Dei audien-
do, panis enim eſt qui cor hominis confirmat. Mul-
tum enim valet panis iſte ad augmentum & robur
novi hominis. *Undecimum* eſt *quod ingreſſus in
Synagogas prædicabat* de Jeſu quod eſſet filius Dei, 11.
gratia Dei in eo vacua non fuit. 1. Corinth. 15. immò
in eo ſtrenuè operata eſt, & hoc commendabile eſt
in eo qui ad Deum convertitur, ut ferventer ope-
retur. Bernardus in Epiſtola ad fratres de monte
Dei. Si incipis, incipe perfectè, ſi in profectu es,
hoc ipſum perfectè agere ſtude. Sicut enim viſus
deficit niſi in actum exeat, ſicut apparet in illis qui
diu manent in tenebris, ſic virtus deficit niſi ope-
retur, operibus enim quæ ab ea exeunt quodam-
modo ſuſtentatur. Gratiæ congruit illud Geneſ.
30. *Da mihi liberos, alioquin moriar. Duodecimum*
eſt *quod ipſe invaleſcebat & confundebat Iudæos* af- 12.
firmans, quoniam hic eſt Chriſtus, in quo commen-
datur nobis perſeverentia. Commendabilis valde
eſt perſeverantia ubi adeſt reſiſtentia. Perſeveran-
ta, ſecundum Bernardum, ſummi regis eſt filia. Illa
enim ſola eſt hæres regni æterni. Tantum valet ul-
timus dies quo aliquis bene vivit quantum omnes
præcedentes, quantum ad hoc, quia ſi illa die malè
vixiſſet, tota præcedens vita perdita eſſet.

IN DIE PURIFICATIONIS MARIÆ.

SERMO UNICUS.

SERMO XXXVII.

SUMMARIUM.

Incitat nos hic ſermo ad tres virtutes primo ex hodierni Evangelij loco, deinde ex alio loco ejuſdem Evangeliſtæ.

Poſtquam impleti ſunt dies Purificationis Mariæ, &c. *Luc.* 2.

1. Trium rerum memoria in hoc feſto agitur.

HOdie recolit Eccleſia aliqua retroactis tem-
poribus facta, & inſinuat aliqua ex retroactis
quotidie fidelibus facienda. *Tria* recolit jam facta:
ſcilicet quod beata Virgo diebus purificationis ex-
pletis templum ingreſſa ſit, & quod Simeon Sal-
vatorem multum deſideratum cum gaudio magno
ſuſcepit, & quod Salvator cum parentibus ſuis
cum legalibus hoſtiis Domino ſit oblatus. Memo-
ria *primi* facti monet fideles ut ad divina accedant
puri. Memoria *ſecundi* facti monet eos ut ad Dei
beneficia ſint devoti. Memoria *tertij* facti ad hoc
monet eos ne in conſpectu Domini compareant
vacui. Exemplo beatæ Virginis in feſto iſto de-
bemus eſſe purificati. Quid prodeſt remanenti in
ſua ſpurcitia recolere quod beata Virgo templum
ingreſſa eſt pura & munda? Licet ſemper debe-
mus eſſe purificati, ſpecialiter tamen in feſto Pu-
rificationis Mariæ. Feſtum porcorum non purifi-
cationis celebrat qui remanet in immunditia ſua
in hoc feſto, & eſt quaſi *ſus lota in volutabro luti.*
2. Petri 2. Sanctus Dominus, miniſtros ſanctos re-
quirit Prima ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei*
ſanctificatio veſtra. Levi. 20. *Sanctificamini & eſtote*
ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.
Eccleſiaſtici 2. *Qui timent Dominum præparabunt*
corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt ani-
mas ſuas. Epheſ. 1. *Elegit nos Deus ut eſſemus ſan-*
cti & immaculati in conſpectu illius. Exemplo Si-
meonis ad Dei beneficia debemus eſſe devoti, ut
de beneficiis à Deo promiſſis habeamus magnum
gaudium, ad exhibita non ſimus ingrati, ad ex-
hibenda vero ſimus parati. Parum prodeſt homini
tepido qui ad Salvatorem nullam habet affectio-
nem Simeonis recolere devotionem, qui Salva-
torem promiſſum tantum deſideravit, & de eo
ſuſcepto tantum gaudium habuit. Filius videtur
eſſe perditionis, qui non amat amatorem Salva-
toris. Exemplo parentum Chriſti apparere debe-
mus in conſpectu Domini fructu juſtitiæ pleni,
ſecundum illud Pſal. 16. *Ego autem in juſtitia appare-*
bo in conſpectu tuo. Debemus etiam habere luctum
& pro bonis omiſſis & pro malis commiſſis. Quæ
duæ ſpecies luctus deſignantur in avibus habenti-
bus gemitum vel rugitum pro cantu. Luctum etiam
debemus non ſolum habere pro malis propriis, ſed
etiam pro alienis. Quid prodeſt ſervo otioſo &
inutili riſum pro luctu in valle lachrimarum ha-
benti recolere quod parentes Chriſti fructum Deo
acceptiſſimum obtulerunt & nihilominus hoſtias
lachrimabiles dederunt. Proverb. 24. *Iracundiam*
ejus inutilis ſuſtinebit. Matth. 25. *Servum inuti-*
lem projicite in tenebras exteriores. Tria prædicta
habuit Simeon. Puritatem habuit cum eſſet timo-
ratus. *Timor* enim *Domini expellit peccatum.* Ec-
cleſiaſtici 1. Et in timore Domini declinatur à ma-
lo. Proverb. 14. Vacuus coram Domino non ap-
paruit, juſtus enim fuit. Ad Dei beneficia non fuit
indevotus. Erat enim expectans conſolationem
Iſraël.

2. Imitanda B. Virgo in puritate.

2. Imitandus Simeon in devotione.

3. Imitandi parentes Chriſti in fructuoſitate juſtitiæ.

Hæc tria habuit S. Simeon.

III.

Ad *tria* prædicta incitat nos Dominus Luc. 12.
dicens: *Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ar-*
dentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus
expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à
nuptiis. Ad *puritatem* pertinet illud: *ſint lumbi veſtri.*
Ad *fructuoſitatem* illud: *& lucernæ ardentes in mani-*
bus veſtris. Ad *devotionem* illud: *& vos ſimiles,* &c.
Primum neceſſarium eſt nobis quantum ad nos ip-
ſos: *ſecundum* quantum ad proximum, *tertium*
quantum ad Deum. Lumbos oportet præcingi, id
eſt deſideria reſtringi, & deſideria carnalia & deſi-
deria ſpiritualia. Carnalia deſideria ſunt *lumbi car-*
nis, ſpiritualia ſunt *lumbi mentis.* De *primo* dici-
tur in Pſalm 37. *Lumbi mei impleti ſunt illuſioni-*
bus, & non eſt ſanitas in carne mea. De *ſecundo* di-
citur. 1. Petri 1. *Succincti lumbos mentis veſtræ. Lum-*
bi carnis ſuccindendi ſunt *fortitudine* & *temperan-*
tia. Fortitudine in adverſis, temperantia in proſpe-
ris. Proverb. ult. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*
3. Reg. 20. *Ponamus ſaccos in lumbis noſtris.* In
ſaccis aſperitates pœnitentiæ intelliguntur. *Lumbi*
mentis præcingendi ſunt *juſtitia* & *prudentia.* In-
tellectus præcingendus eſt prudentia, ne defluat ad
iniquitatem. Iſa. 11. *Erit juſtitia cingulum lumbo-*
rum ejus. Ad deſignandum quod lumbi quatuor
dictis virtutibus præcingendi ſunt. Cingulum Aa-
ron & filiorum ejus quatuor colores habebat. Erat
enim ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto
& byſſo retorta. Exod. 39. Hyacintus cum ſit cæ-
rulei coloris & naturæ perviæ ſignificat pruden-
tiam. Purpura quæ eſt ſanguinei coloris & ſangui-
ne tingitur ſignat fortitudinem; coccus cum ſit
rubei coloris ſignificat zelum juſtitiæ. Byſſus cum
ſit candidi coloris ſignificat munditiam temperan-
tiæ. His virtutibus lumbi viriliter præcingendi ſunt,
unde Job 38. *Accinge ſicut zona lumbos tuos.* Et quia
fides virtutes has debet dirigere, dicitur Iſa. 11. *Erit*
fides cinctorium renum ejus. Lucernæ ardentes de-
bent eſſe in manibus, ut ſcilicet ferventer opere-
mur, & ſic lucem boni exempli populo miniſtre-
mus. Et notandum quod in tenebris præſentis vi-
tæ *triplex lucerna* nobis neceſſaria eſt. Lucerna *bo-*
næ intentionis, lucerna *verbi divini,* & lucerna *bo-*
ni operis. De *prima* dicitur. Matth. 6. *Lucerna cor-*
poris tui eſt oculus tuus. Corpus hic dicitur ope-
rum congeries, ejus lucerna eſt oculus bonæ inten-
tionis. De *ſecunda* dicitur in Pſalm. 118. *Lucer-*
na pedibus meis verbum tuum. De *tertia* lucerna
bonæ operationis habetur in verbo propoſito, &
Matth. 5. *Luceat lux veſtra,* &c. Sequitur, *& vos*
ſimiles hominibus. Simeon & alij patres antiqui ex-
pectabant primum Salvatoris adventum, nos vero
expectare debemus ſecundum ejus adventum. Ipſi
expectabant ſalvatorem qui nuptias celebravit in
utero virginali, unde ipſe exivit *tanquam ſponſus*
procedens de thalamo ſuo, & poſtea oblatus eſt in
templo. Nos vero expectare debemus quando ipſe
revertatur de nuptiis qui in cœlo celebrantur. Ipſi
expectabant eum qui erat ab omni miſeria liberatus,
nos vero expectare debemus eum qui nos à miſe-
ria per gratiam ſuam illuſtraturus, & ad gloriam
introducturus eſt. Ad *primum* pertinet quod di-
xit: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Ad *ſecun-*
dum pertinet quod vocavit eum *lumen.* Ad *ter-*
tium pertinet quod vocavit eum *gloriam.*

Ad hæc tria ex alio loco Evangelico incitamur.

1. Ad puritatem præcingendo lumbos duplices.

Lumbi carnis duabus virtutibus præcingendi ſunt.

Lumbi mentis aliis duabus virtutibus præcingendi.

Cinguli Aaron quatuor colores has 4. virtutes ſignificat.

2. Ad fructuoſitatem tenendo lucernas triplices.

3. Ad devotionem expectando Salvatorem tripliciter. Pſalm. 18.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo primò per tria feſta S. Petri tres hominum ſtatus inſtruit, deinde docet Deũ tripliciter bene & nos tripliciter malè exaltari.

SERMO XXXVIII. Exaltent eum in Eccleſia plebis & in cathedra Seniorum laudent eum; *Pſalm.* 106.

Explicatio thematis. NOmine cathedræ intelligitur Pontificatus & dignitas beati Petri. Pro quo dicitur *exaltent eum.* Quem eum ſcilicet Dominum, pro quo præmittitur *confiteantur Domino miſericordia ejus.* & poſt ſubditur. *Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra Seniorum*, id eſt Apoſtolorum *laudent eum*, ideo dicit Auguſtinus. Hoc dicitur ad magnificentiam feſtivitatis hodiernæ. In cathedra Seniorum, id eſt dignitate Apoſtolorum hodie ſublimatus eſt Petrus.

I. Tria feſta S. Petri ad tres ſtatus hominum referuntur. Conſidera ergo Petrum in cathedra ſublimatum, ab Herodis carcere liberatum, martyrio coronatum. Hæc ſunt tria feſta ejus, feſtum promotionis, feſtum liberationis, feſtum paſſionis. Hæc feſta Petri Eccleſiam videntur erudire. Unde feſtum cathedræ eſt ad inſtructionem Prælatorum, feſtum liberationis ad inſtructionem activorum, feſtum Paſſionis ad inſtructionem contemplativorũ. Conſiderandum eſt qualiter ad cathedram ſublimatus eſt Petrus. *Non carnaliter, non violenter, non ſimoniace.*

Quomodo S. Petrus non fuerit promotus, 1. *Non carnaliter*, quia non per carnem & ſanguinem, ſicut quidam quamvis ſint infames, tamen à carnalibus introducuntur, ſicut Abimelech. Judic. 9. *Conſiderate quia os noſtrum & caro ſum.* &c. Sed Petrus non fuit cognatus promoventis. Matth. 4. *Ambulans juxta mare*, &c. *Item non violenter*, quia non per poteſtatẽ regalem vel papalem, ſicut quidam ſunt intruſi, cum ſecundum illud ad Hebr. 5. *Nemo ſibi aſſumat honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, &c. Exemplũ de Alchimo. 2. Mac. 14. Mat. 4. Ambulans vocavit eos, unde facti ſunt Apoſtoli, non per violentiam pietatis, ſed ex gratia vocantis. *Item non ſimoniace*, quia non interfuit ſimoniaca cupiditas. Mat. 4. *Relictis retibus.* &c. Unde Matth. 19. ait Petrus: *ecce nos reliquimus omnia*, &c. Sic ergo feſtum promotionis inſtruit Prælatos. Feſtum vero liberationis à carcere inſtruit activos. Carcer enim eſt miſeria corruptionis originalis in qua detinetur homo. Job 7 *Nunquid mare ego ſum aut cetus, quia circumdediſti me carcere?* Pſal. 141. *Educ de carcere animam meam.* ad Rom. 7. *Infelix ego*, &c. Duæ catenæ, ſcilicet pronitas ad malum & difficultas ad bonum quibus abſolvitur homo adjutorio gratiæ deſignantur per angelum, cum dicitur *angelus Domini aſtitit.* Actor. 12. Excitari dicuntur cogitatus qui conſopiti ſunt in fantaſijs. Erigi dicitur affectus voluntatis, unde excitavit eum dicens: *Surge velociter, præcingere & calciate*, &c. Quæ ſunt præambula ad iter & ſignificant prænarrationem bonæ operationis, & tunc cadit catena de manibus, ut poſſit dicere *nunc ſcio*, &c. cum facilis efficitur ad declinandum malum & operandum bonum. Feſtum Paſſionis eſt ad inſtructionem contemplationis ſive religioſorum. Crux enim eſt religio, Matth. 16. *Qui vult venire poſt me*, &c. De hoc dicitur Petro. Joan. ultimo. *Cum ſenueris extendes manus tuas.* In extenſione manuum ſignificatur abrenuntiatio proprietatũ; manus enim extéræ nihil poſſunt retinere, in cingulo votum caſtitatis inductione *quo tu non vis* votum obedientiæ ſive relictio proprij ſenſus.

II. Deus in S. Petro à duobus honoratur. *Exaltent eum*, &c. Duplex cultus divini honoris exprimitur in Petro. Honor à ſimplicibus, unde *exaltent eum in Eccleſia plebis*; & honor à doctis & majoribus, unde *in cathedra ſeniorum.* Exaltent ergo *corde, ore & opere.*

Deus tripliciter exaltandus. 1. Corde. Exaltent corde dignè de eo ſentiendo. Pſal. 63. *Accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* Homo ad cor altum accedit, cum de divinis cogitat vel inquirit. Deus ergo exaltatur, cum quidquid eſt dignum vel honorificum de eo cogitatur, & ſemper incomprehenſibiliter æſtimatur Eccleſiaſtici 43. *Ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Terribilis Dominus, & magnus vehementer & mirabilis potentia ipſius. Glorificates Dominũ quantũcunque potueritis, ſupervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis, major eſt enim omni laude.* Nota totam autoritatem. Sic fallitur illa temeritas qua noſtri Philoſophi irruere cupiunt in divina. Eccleſiaſtici 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper.* Unde Moyſi dicitur. Exod. 19. *Deſcende & conteſtare populum*, &c. Sic exaltatur Deus in corde digne de eo ſentiendo.

2. Ore. Exaltatur ore dignè laudando Pſalm. 117. *Deus meus es tu, confitebor tibi Deus meus es tu, & exaltabo te.* Non ſolum in cogitatione quo ad meipſum, ſed in locutione quo ad proximum. Pſalm. 33. *Magnificate Dominum mecum*, contra invidos qui non ſinunt quod Deus per alios magnificetur docendo & prædicando. Contra invidos. Sicut ille invidus qui nunciavit Moyſi. *Heldad & Medad*, &c. Et reſpondit Moyſes *quid æmularis*, &c. Num. 11. Miniſter Moyſi doctor & prædicator legis dicitur, ſed dicat Cancellarius vel Prælatus, *quis mihi tribuat ut omnis populus prophetet?* Non poterat Saul rectis oculis aſpicere David, nec ſuſtinere laudes ejus. 1. Reg. 18. Immo dicebat *mihi dederunt mille*, &c. ideo voluit lancea transfodere illum. Lancea criminatio vel detractio eſt, Job 16. *Circumdederunt me lanceis ſuis*, &c. Lumbi vulnerantur, quando recto fine damnantur. Contra quos dicit Pſal. 33. *Magnificate Dominum mecum.* Hinc exemplum habemus in Salvatore, qui per talem invidiam traditur detractione, conſpuitur vilificatione, crucifigitur ſcriptorum damnatione 2. Petri ultimo *Chariſſimi frater noſter Paulus.*

3. Opere. Item exaltatur opere dignè conſervando. Tob. 13. *Regem ſæculorum exaltate in operibus veſtris.* 1 Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

III. Exaltantes ſemetipſos reprehenſibiles ſunt. Multi ſunt ex quorum converſatione non exaltatur Dominus, ſed potius blaſphematur. Iſa. 52. *Tota die nomen tuum blaſphematur.* Exaltent ergo Deum non ſeipſos. Pſal. 65 Qui exaſperant *non exaltentur in ſemetipſis* Exaſperatur Dominus propter peccata clericorum in malitia obſtinatorum. Ezech. 2. *Domus Iſrael exaſperans eſt.* Quidã enim de auditoribus increduli ſunt veritati, quidam ſubverſores verborum veritatis, quidam ſcorpiones, id eſt detractores veritatis, facie blandientes, caudâ pungentes. Iſti ergo non exaltentur in ſemetipſis, ſed exaltent Deum in Eccleſia plebis.

Tripliciter ſemetipſos exaltant aliqui. Non exaltentur, inquam, nec *corde*, nec *ore*, nec *opere.* Non corde per ambitionem & præſũptionem, non ore per jactantiam; non opere per oſtentationem. Unde Pſal. 130. *Domine non eſt exaltatum cor meũ*, per ambitionem, *neque elati ſunt oculi mei*, per præſũptionem, *neque ambulavi in magnis*, per jactantiam magnificando ſermonem, quia ſcio, quod *Dominus diſperdat univerſa labia doloſa, quia dixerunt linguam noſtram magnificabimus*, ſcilicet in mirabilibus ſuper me, per oſtentationem in converſatione, in veſtitu, in ornatu, &c. quæ mundani ſu- Pſalm. 11.

tantur. Nam ſalvator in evangelio damnavit hanc triplicem exaltationem, dicens Luc. 14. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Exaltationem *cordis* damnavit, Matth. 23. Vbi cum prohibuiſſet ambitionem honoris, dicendo: *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram*, prohibuit etiam præſumptionem dicens: *nec vocemini magiſtri*, quorum alter in ſæcularibus alter in religioſis poterit contingere, & ſtatim ſubdit: *Qui ſe exaltat humiliabitur.* Proverb. 16. *Contritionem precedit ſuperbia, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus* 2. Paralip. 32. de Ezechia dicitur: *Humiliatus eſt cum exaltatum eſſet cor eius.* Exaltationem *oris* damnavit Luc. 18. Vbi ad exemplum introducit Phariſæi jactantiam, & humilem confeſſionem publicani, & ſtatim ſubdit: *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis qui ſe exaltat*, &c. Hæc eſt exaltatio jactantiæ, de qua Iac. 3. *Lingua modicum membrum eſt, & multa exaltat.* Hoc etiam in verbis ſacræ ſcripturæ exprimunt aliquando docentes & prædicantes, propter quod in figura vineæ dicitur. Ezech. 17. *Mater tua quaſi vinea iuxta aquas*, &c. Mater noſtra eſt quilibet doctor & prædicator, qui per Evangelium generat nos Deo. Hæc plantata eſt iuxta aquas, id eſt ſcripturas. Pſalm. 1. *Erit tanquam lignum* &c. per frondes verba intelliguntur. Exaltatio ſtaturæ eſt, elatio iactantiæ. Videre altitudinem in medio paradiſi eſt vané gloriari & extolli in medio clericorum fructus ædificatio vel utilitas, quæ vento urente, id eſt elatione gloriæ per verbum iactantiæ areſcit & ſiccatur. Exaltationem *operis* damnavit Dominus, Lucæ 14. in parabola de invitatis, ubi dicitur *recumbe* &c. & ſtatim ſubditur *qui ſe exaltat humiliabitur.* Vtinam hoc attenderent tales & immundi carnales, qui quamvis in ſacris promoveantur ad Eccleſiaſticas dignitates, tamen peccatis exigentibus nec eſt eis ſecundum terminos occupare locum in Eccleſia vel dignitatem, prout dicit Apoſtolus Philip. 3. *Multi ambulant, de quibus ſæpe dixi vobis*, &c Ideo væ eis niſi attendant illud. Pſalm. 36. *Inimici verò Domini, mox*, &c. Hinc etiam conſolatur nos Dominus ſuper talibus Matth. 11. *Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltaberis?* Vtinam etiam attenderent avari & inſatiabiles redditiuum & præbendarum quod dicit Pſalm. 36. *Vidi impium*, &c. *tranſivi*, &c. ideo *dixi iniquis nolite inique agere.* Pſal. 74. Nunquid æquum eſt ut quis duas præbendas teneat, & alius melior illo nullam habeat? utinam illud attenderent arrogantes, qui quamvis nullius meriti ſint, tamen primum locum uſurpant, quamvis dicat. Hierem. 49. *Arrogantia cordis tui decepit te, in cavernis & apprehendere niteris altitudinem collis*, id eſt dignitatem ſedis Epiſcopalis ſcilicet. *Cum exaltatus fueris*, &c.

[Margin: Hæc triplex exaltatio in Evangelio damnatur. 1. Cordis. 2. Oris. 3. Operis. Contra Eccleſiaſtes.]

DE SANCTO MATTHIA APOSTOLO.

SERMO VNICVS.

SERMO XXXIX.

SVMMARIVM.

In Exordio hujus ſermonis David & Saul comparantur cum S. Matthia & Iuda proditore. In prima vero parte ſermonis agitur de ſeptem vitijs, quæ Deus in electis ſuis vel non attendit, vel rejicit, contra quam Mundus facit in ſuis. Secunda pars ſermonis abeſt.

Non elegit Dominus ex iſtis. Adhuc reliquus eſt parvulus & paſcit oves. 1. *Reg.* 19.

HÆc verba dicuntur ubi hiſtoria tractat de reprobatione Saulis & electione David regis, ubi legitur quod Propheta Samuel miſſus fuerit ad inungendum in regem unum de filiis Iſai. Qui cum veniſſet, Iſai. pater David propoſuit coram Samuele ſeptem filios qui erant domi, David exiſtente in paſcuis & interrogante Samuele Dominum: *ſi coram Domino eſſet Chriſtus eius*, pro unoquoque pronunciavit in ſpiritu: *non elegit Dominus ex iſtis*, ſubinferens ergo Samuel & quærens ab Iſai *ſi completi eſſent filii.* Quo reſpondente, *adhuc reliquus eſt parvulus qui paſcit oves.* ſubdit ſcriptura de eo *quod erat rufus*, &c. Et conveniunt verba illa feſtivitati hodiernæ, in qua commemoramus qualiter reprobato Iuda electus eſt Matthias ad Apoſtolatum. Reprobatio ergo Saulis, reprobationem oſtendit Iudæ proditoris, electio David in regnum, electionem Matthiæ indicat in Apoſtolatum, quod patet. Saul enim & Iudas *in tribus* aſſimilantur, *in affectu cupiditatis, in ſcelere impietatis, in crimine deſperationis.* Saul enim *in affectu cupiditate*, cum contra Dei præceptum pinguiora animalia Amalech retinuiſſet. 1. Reg. 15. ſpecie ſanctitatis excuſavit facinus dicens: Samueli: *pepercit populus melioribus ovibus & armentis ut immolaret Domino Deo tuo, reliqua vero occidit.* Sic Iudas Iſcarioth ſimili affectu cupiditatis cum fur eſſet & loculos haberet, cum ſancta illa mulier unguentum pretioſum in obſequium dominicum impenderet, in hæc verba prorupit dicens: *ut quid perditio hæc?* &c. non dixit quia ad eum pertinebat dare pauperibus, ſed quia fur erat, &c. Ioan. 12. Procul dubio volebat palliare furtũ ſub ſpecie pietatis. Similes ſunt ergo in affectu cupiditatis. *Secundo* ſimiles ſunt in *ſcelere impietatis*, Saul enim ſancti David fuit perſecutor, qui & ipſe exprimit Salvatorem. Iudas autem facti Salvatoris traditor & proditor. *Tertio* ſunt ſimiles *in crimine deſperationis.* Saul enim ex deſperatione ſeipſũ occidit 1. Reg. ultimo. Iudas verò ex deſperatione ſeipſũ ſuſpẽdit. Mat. 27. Saul ergo Iudã exprimit proditorem, & reprobatio Saulis reprobationẽ proditoris. Reprobato Saule David in ũgitur in regẽ reprobato Iuda proditore Mat. eligitur in Apoſtolum, ſecundum quod recitatur Actor. 1. Vbi dicitur quod divino ductu ſors cecidit ſuper Matthiam, & non ſuper aliquem diſcipulorum. 70. Quid aliud oſtẽdebatur niſi quod pro reliquis diſcipulis dici poſſit, non elegit Dominus quemquam ex iſtis ad tantum officium, ſcilicet ad tantum gaudium. Pro Matthia dici poſſet, *adhuc reliquus eſt parvulus* Quæ omnia fructuoſius ad laudem beati Matthiæ & gloriam tractabuntur, ſi ea convertamus ad inſtructionem noſtram.

[Margin: Hiſtoria thematis refertur. Accommodatur reprobatio ni Iudæ & electioni Matthiæ. 1. Saul & Iudas in tribus ſimiles ſunt. 1. 2. 3. 2. David & Matthias in electione ſimiles.]

Non elegit Dominus quemquam ex iſtis, &c. quæramus Duo: Primò qui ſunt quos non elegit Dominus de quibus dicitur *non elegit Dominus.* Secundò qualis debet eſſe ut eligatur à Deo, pro quo dicitur *adhuc reliquus eſt parvulus.* De Primo iuxta hiſtoriam ſeptem ſunt differentiæ inquirendæ propter quas non eligatur aliquis à Deo. Sic enim dicit ſcriptura, *adduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, qui dixit non elegit*, &c. *Septem* ſunt differentiæ notandæ in his qui excluduntur à divina electione, *primo conſanguinitas, ſecundo nobilitas, tertio fragilitas, quarto puſillanimitas, quinto ſuperbia, ſexto falſitas, ſeptimo cupiditas.* Quæ *ſeptem* per illam regulam electionis. Exod. 18. excluduntur, qua dicebat Ietro Moyſi: *Provide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderint avaritiam.* Per *primum* excluditur *conſanguinitas* cum dicit: *provide de omni plebe*, non tantum de tua conſanguinitate vel affinitate. Per *ſecundum nobilitas*, cum dicit *de plebe*, quaſi diceret non tantum de nobilibus & magnatibus, ſed de plebe, de infimis provide ad regnum. Per *tertium fragilitas* quia enervatur mens per mollitiem muliebrem & pueri-lem,

[Margin: DVO attenda hoc ſermone proponuntur. 1. Septem electio divina non attendit, vel reprobat, vel damnat. quæ mondana attendit, vel non reprobat, nec damnat. Oſtenduntur ex electione in Exodi libro facta.]

lem, propter quod dicit *viros*, id eſt viriles non mulicbres vel pueriles. Per *quartum* excluditur *puſillanimitas*, cum ſubditur *potentes*. Quod dicit *provide potentes*, magnanimes, fortes, qui non ſint ut arundo vento agitati. Per *quintum ſuperbia*, cum dicitur *timentes Deum*, quaſi diceret provide timentes Deum & humiles non elatos nec ſuperbos, qui nec Deum nec hominem verentur. Per *ſextum falſitas*, & hoc eſt quod dicit *in quibus ſit veritas*. Per *ſeptimum cupiditas* cum dicitur *qui oderũt avaritiam*. Ecce circumſtantiæ ſeptem quæ excludunt perſonas à divina electione, propter quod dicitur *non elegit Dominus ex iſtis*, ex iſtis, inquam, ſeptem. Circa quod *notandum* quod divina electio duas perſonarum differentias non attendit, ſcilicet conſanguinitatem & nobilitatem. Duas reliquas reprobat, ſcilicet fragilitatem & puſillanimitatem. Tres ultimas damnat, ſcilicet ſuperbiam, falſitatem & cupiditatem.

Duo quæ Deus non attendit.
1
Conſanguinitas.

Non attendit ergo divina electio conſanguinitatem. Unde filiis Zebedæi per matrem petentibus ut unus ſederet ad dexteram, alius ad ſiniſtram, reſpondit Dominus: *neſcitis quid petatis*, &c. & ſubdit: *Sedere ad dexteram vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis*, quaſi diceret, ex meo quod habeo vobiſcum commune, ſcilicet conſanguinitatem, non habeo quod dem vobis regnum, & hoc eſt quod dicit: *Non eſt meum dare vobis*. Conſanguinitatem ergo divina electio non attendit, quamvis in Eccleſia multi promoveantur ratione conſanguinitatis. Sed væ illis qui ædificant Sion in ſanguinibus. Mich. 3. De quo habemus exemplum Judic. 9. in quodam qui dicebatur Abimelech filius primus Gedeonis, qui volens regnare ſuper Sichimitas allegabat ſic pro ſe: *Conſiderâte quia os veſtrum & caro veſtra ſum*, & promotus occidit 70. fratres ſuos, excepto uno ſcilicet Jonatha filio Gedeonis. Et apponitur contra Sichimitas talis parabola à Jonatha: *Ierunt ligna ſilvarum ut ungerent ſuper ſe regem, dixeruntque olivæ impera tu nobis*. Tria ibi introducuntur ligna quæ nolunt promoveri, oliva, ficus, vitis, quorum quodlibet rationem aſſignat. Ratio olivæ eſt quod nequit deſerere pinguedinem ſuam. Ratio vitis, quod nequit deſerere jocunditatem. Ratio ficus eſt, quod nequit deſerere dulcedinem. Deinde introducitur rhamnus regnare deſiderans dicens: *Si vere me regem conſtitueritis, venite & ſub umbra mea requieſcite*, &c. Cujus parabolæ interpretatio hæc eſt. Ligna ſilvæ infructuoſa apta incendio ſunt mundani carnales abſque fructu bonorum deputandi æterno incendio. Oliva eſt pœnitens, aſpernator delitiarum. Ficus pauper ſpiritu, contemptor divitiarum; vitis autem humilis aſpernator bonorum. Ideo tria ponuntur, quia in his tribus excellentiis conſiſtit mundana promotio, in delitiis, divitiis & honoribus. *Oliva* ergo eſt pœnitens anima. Habet enim amaritudinem humoris ſive doloris in radice, quæ poſt convertitur in ſuavitatem unctuoſitatis in fructu, unde poſtmodum eliquatur oleum. Sic pœnitens in principio aliquantulum patitur amaritudinem pœnæ vel tentationis, quæ poſtmodum convertitur in ſuavitatem divinæ conſolationis. pſalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum*, &c. 2. Corinth. 1 *Sicut abundant Paſſiones Chriſti in nobis*, &c. Unde falluntur carnales miſeri qui timent aſperitatem religionis, quia ſine dubio ſecundum illud Job 29. *Petra effundit rivos olei*, duritia apparens religionis convertitur in rivos divinæ conſolationis. Si ergo vocaretur oliva ideſt talis fidelis anima pœnitens ut ſublimaretur in delitiis reſpondet: *quomodo poſſum deſerere pinguedinem meam*? Pinguedo iſta eſt Spiritus ſancti conſolatio. Pſal 61. *Sicut adipe & pinguedine*, &c. *Ficus* vero eſt pauper ſive contemptor divitiarum. Ficus, inquam, fructifera, non ficus illa in qua non reperit Dominus niſi folia, quæ maledicitur ab eo & ſtatim areſcit, quæ ſignificat magiſtros & prædicatores evangelicam paupertatem tantum habentes in foliis verborum, ſed nihil in fructibus operum. Hi maledicuntur à Deo & fiunt aridi abſque humore gratiæ & compunctionis ſicut patet. Sed ficus ſancta anima pauper ſpiritus ſi vocetur ut promoveatur in divitiis reſpondet, *quomodo poſſum deſerere dulcedinem*? Verè paupertas ſpiritualis generat fructus dulces, propter quod dicebat ſponſa Cant. 2. *Fructus ejus dulcis gutturi meo*. Quærunt cupidi dulcedinem in divitiis, ſed non inveniunt niſi amaritudinem in eis, quia labore acquiruntur, timore poſſidentur, anxietate diſpenſantur, dolore amittuntur. *Vitis* eſt humilis anima aſpernatrix bonorum. Vitis enim flectit ramos & ſignificat humilem animam quæ affectiones & operationes ſuas humiliter inflectit per ſui & nullius alterius contemptum. Si vocatur ut promoveatur in honoribus reſpondet, *quomodo poſſum deſerere vinum*? Vinum iſtud eſt ſpiritualis devotio, quod juxta Pſalm. 103. *lætificat cor hominis*, quia revera non niſi in humili mente profluit. Renuit igitur promoveri oliva, ficus, & vitis: id eſt pœnitens, pauper ſpiritu, & humilis. Pœnitens in delitiis, pauper in divitiis, humilis in honoribus Ideo demum venitur ad rhamnum. *Rhamnus* tota eſt aculeata, & ſicut dicitur ex coagitatione ventorum ignem emittit, unde ſe & alias arbores comburit. Tales ſunt hi miſeri, qui ratione ſanguinis promoventur, quorum ſi videres animas, per omnes partes videres aculeos erumpentes concupiſcentiarum gulæ & luxuriæ & omnimoda libidinis incentiva, unde poſtmodum ignis mali exempli & perditionis egreditur, quo perit qui eligitur & qui eligunt, ſicut dicitur de Abimelech Judic 9. Et hoc ſufficit illis qui eliguntur ratione conſanguinitatis.

Math. 29., Parabola cap 9. Iudic. de 4. lignis explicatur & ad mundanam electionem accommodatur, quam tria ſpernũt, quartum appetit & accipit.

De primo ligno olivæ.

De ſecundo ligno ficus. Marci 11.

De tertio ligno vitis.

De quarto ligno rham.

2.
Nobilitas duplex, ſcientiæ & generis.

Sicut divina electio non attendit conſanguinitatem, ſic nec nobilitatem. Nota quoſdam nobilitat *ſcientia*, quoſdam *genus*: nec hos nec illos attendit divina electio. Unde Bernardus. Videte fratres vocationem veſtram, non multi ſapientes intra vos nec multi nobiles. Hi ſunt, ut utar verbis Baruch. 3. *Gigantes ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, nec viam diſciplinæ invenerunt, propterea perierunt*. Gigas eſt monſtrum naturæ, nec creſcentia gigantea eſt de intentione naturæ, ſimiliter nec magnificentia quam dicunt nobilitatem eſt aliquid ſecundum naturam Omnes enim naturâ ſumus pares, ſed varia opinio hominũ illud introduxit: *unus eſt* enim *introitus ad vitam & exitus unus, & nullus ex regibus habet aliud naturæ initium*. Sapient. 7. Similiter magnificentia ſcientiæ nihil eſt in eſſe gratiæ, aliter dæmones magni eſſent coram Deo Hi ergo ſunt gigantes ſcientes bellum, nam per hos contentiones & ſchiſmata in Eccleſia ſuſcitantur, propter quod mater Eccleſia poteſt uti verbis Rebeccæ Geneſ. 25. quæ cum colliderentur in utero ejus parvuli ait: *Si ſic mihi futurum erat, quid fuit neceſſe concipere*? parvuli iſti Jacob lenis & Eſau piloſus carnalis & ſpiritualis eſt, qui hodie colliduntur & contendunt, & tamen ſpirituales ibi conſolatur ſcriptura dicens: *Quia major ſerviet minori*, ſcilicet carnalis ſpirituali.

Duo quæ Deus reprobat.
1.
Fragilitas.

Sunt & alij quos divina electio reprobat. Reprobat enim fragiles, fragiles dico muliebres & pueriles, de quibus indignatio per comminationem dicitur Iſa. 3. *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eorum*. In quo maxime dolendus error in Eccleſia plangendus eſt, quod pueris conceduntur & præbendæ & curæ animarum, quamvis ſecundum divinam legem ad nullum horum admittantur. Num. 8. *Hæc eſt lex Levitarum à 25.*

annis & ſupra ingrediuntur ut miniſtrent in taber-
naculo fœderis. Cumque quinquageſimum annum com-
pleverint, &c. *Cuſtodiant quæ ſibi fuerint commiſſa*,
&c. Non admittit lex divina ad miniſterium ta-
bernaculi miniſterium puerorum, quia nullum ad-
mittit niſi à vigintiquinque annis & ſupra. Quo-
modo ergo ita pueris conferuntur præbendæ & di-
gnitates? Non admittit etiam lex divina iuvenes
ad cuſtodiam vaſorum, niſi completo 50. anno.
Quomodo ergo conceditur pueris cuſtodia ani-
marum? Gloſſa ſuper illum locum dicit. Levitæ à
25. anno in miniſterio ſerviant, in quinquageſimo
cuſtodes vaſorum fiant, quia qui impugnantium
vitiorum certamina per conſenſum delectationis
tolerant, curam aliorum ſuſcipere non præſumunt,
ſed cum intima ſecuritate tranquillitatem ſecuti
animarum cuſtodiam ſortiuntur. Sed heu nobis quia
pueri dati ſunt nobis, & heu iterum quia effœmi-
nati dominantur, carnales & molles, & etiam, proh
dolor, Sodomitæ. Vnde in libro, 1. Machab. 14.
lamentabiliter dicitur quod in arce Sion erat quod-
dam genus hominum, *qui inferebant magnam pla-*
gam caſtitati.

4.
Puſillanimitas.
Puſillanimes duplices.

Sunt alii quos electio divina reprobat ratione
puſillanimitatis, unde in exercitu Domini accla-
matur. Deuter. 20. *Qui eſt formidoloſus*, &c. Ho-
rum ſunt duo genera. Quidam timent, ut magiſtri,
qui ita audaces ſunt in cathedra ad pronuntian-
dum veritatem, ſed poſt modicum ſunt ſicut canes
muti non valentes latrare in curia Prælatorum,
quia non audent moleſtare à quibus accipere ſpe-
rant, unde timent diſplicere. Alii timent à cauſa
interiori accuſante eos prava conſcientia, ideo ti-
ment ſemper, ne ea quæ faciunt in occulto prodeant
in lucem, ideo deterret eos *ſonus folii volantis*. Le-
vit. 26. id eſt verbum ſiniſtrum cuiuſque, pro-
pter quod dicitur. Iob. 15. *Sonitus timoris ſemper in*
Pſal. 41.
auribus illius, &c. Inde eſt quod declinat cor ſuũ in
verba malitiæ ad excuſandã excuſationẽ in peccatis.

Tria quæ Deus damnat.

Non elegit Dominus de quibus diximus, & de
quibus dicturi ſumus, quos divina electio dam-
dat, quales ſunt *ſuperbi*, de quibus Iſai. 28. *Væ co-*
ronæ ſuperbiæ. Hypocritæ Matth. 23. *Væ vobis Hypocri-*
tæ. Cupiat Luc. 6. *Væ vobis divitibus* Omnibus iſtis
væ, id eſt, æterna damnatio imminet. Pro ſuper-
5.
Superbia vel ambitio.
bis ergo, quos divina electio damnat, qui nec Deum
nec homines verentur, & aperta fronte ex ambi-
tione agitati inſurgunt cum Core & Abiron con-
tra Moyſem, id eſt legem Dei, aſſero pœnam tri-
plicem ambitioſorum. Core qui periit igne Num.
Triplex pœna ambitioſorũ.
16. Pœnam Dathan & Abiron, qui viventes deſ-
cenderunt in infernum, eodem cap. Pœnam Oziæ
qui voluit uſurpare ſibi ſummum ſacerdotium
& percuſſus eſt leprâ 2. Paralip. 26. Pœna ergo
ignis per deſignationem eſt exemplum ambitionis:
pœna deſcenſus ad infernum in vita eſt certitudo
damnationis, pœna lepræ corruptio erroris. Quæ
omnia tales apprehendunt, cum eorum ambitio
omnibus ſit manifeſta, damnatio certa, error in do-
ctrina. Hæc enim eſt lepra, quæ eſt morbus conta-
gioſus, quæ per anhelitum inficit. Propter quod
præcipitur Levit. 13. quod leproſus habeat os ve-
ſte contectum, quia ſine dubio talibus imponitur
ſilentium. Magna fuit cura Spiritui ſancto de lepro-
Locus Numerorum explicatur.
ſis ne alios inficerent, unde Num 5. præcipitur
ut ejiciantur de caſtris omnes leproſi, & qui ſemi-
ne fluunt, & polluti ſuper mortuo. Leproſus eſt
qui in doctrina corrupta & mendaci anhelitu infi-
cit audientes, ſemine fluit qui verbum Dei ad ter-
renam concupiſcentiam inflectit, pollutus eſt ſuper
mortuo ex contactu qui aliis pollutum exemplum
oſtendit. Sic ergo ſuperbos reprobat divina electio.

6.
Falſitas ſeu mendacium.

Sed contra mendaces divina electio invehitur.
Horum autem quidam habent mendacium in vi-
ta, quidam in doctrina. In vita ut Hypocritæ, qui-
Mendaces duplices.
bus volentibus ſequi Chriſtum verbotenus, ſed cor-
de lucrum vel temporalia, reſpondetur in illo qui
1
In vita, ut Hypocritæ.
dicebat. Matth. 8. *Magiſter ſequar te quocunque ieris.*
Reſpondit Ieſus: *vulpes foveas habent*, &c. Volebat
enim ſequi Dominum ut accepta poteſtate curandi
infirmos, expellendi dæmonia, aquireret lucrum
vel temporalem gloriam. Ideo temporalibus om-
nibus ſe carere Dominus oſtendit dicens: *Vul-*
2.
In doctrina ut pſeudo prophetæ duplices.
pes foveas, &c. Alii ſunt mendaces in doctrina, ut
pſeudo-prophetæ de quibus Hierem 23. *In prophe-*
tis, Samariæ vidi fatuitatem & prophetabant in Baal.
Et in prophetis Ieruſalem vidi adulterium & iter men-
dacii. Et poſt ſubditur *Nolite audire verba propheta-*
1.
Similes falſis prophetis Samariæ.
rum, qui ſeducunt vos. Quod videtur hodie in
prædicatoribus modernis. In prophetis Samariæ
dicit ſe vidiſſe fatuitatem. Samaria interpretatur
cuſtodia. Fatuitas vero in prophetis Samariæ eſt
illa, ut puta de qua in perſona talium dicebat. Abac.
2. *Super cuſtodiam meam ſtabo.* Et ſequitur. *Con-*
templabor ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpon-
deam ad arguentem me. Talis contemplatio fatua
eſt malorum magiſtrorum, qui ſemper prædica-
tioni quæ fiunt attendunt, ſi quid dicatur ad vitu-
2.
Similes falſis prophetis Hieruſalem.
perium vitiorum ſuorum, & poſtea componunt reſ-
ponſionem ad arguentem ſe, unde ſunt iſtæ conten-
tiones & excuſationes modo in ſermonibus. In
prophetis Ieruſalem, quæ interpretatur viſio pa-
cis, prædicatores illi ſignificantur, qui ſemper pa-
Deſiderantur 7. & tota 1. pars hujus ſermonis.
cem & ſecuritatem, qui in ſceleribus ſuis ſunt, an-
nuntiant: *dicentes pax pax, cum non eſſet pax.*

DE SANCTO GREGORIO PAPA.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Sermo hic primo oſtendit feſta ſanctorum ob tria celebrari, deinde octo gratias ſeu virtutes S. Gregorij tractat, & prima harum ſcilicet ſapientiæ, 12. excellentias enumerat.

SERMO XL.

Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: Invocavi, & venit
in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis
& ſedibus, & divitias nihil eſſe dixi in cõparatio-
ne illius *Et paulo poſt.* Venerunt mihi omnia bo-
na pariter cum illa. *Sapient.* 7.

Sanctorum feſtivitates ob tria inſtituit Eccleſia.
Ob Deum.

Eccleſia quæ ſolennizat hodie de beato Grego-
rio, ſolennizando de aliquo ſancto reſpectũ ha-
bet ad tria. *Primo* ad Deum: vult enim oſtendere
liberalitatem in ſervientes ſibi, qui pro momentaneo
ſervitio eos remunerat, qui eos inexplicabili ho-
nore honorat in cœlis, & ſuper reges & impera-
tores honorari facit meritis, ut verè Deus glorioſus
ſit in ſanctis ſuis. Super qua liberalitate Eccleſia
eum multum laudat, ſervientes ſibi tam laudabi-
liter remunerantem, & eum ad glorificandum fi-
deles provocat. Ioan. 12. *Si quis miniſtraverit mihi*
honorificabit eum pater meus 1. Reg. 2. *Quicunque ho-*
norificabit me, glorificabo eum. Qui autem me con-
temnunt me, erunt ignobiles, id eſt, viles. Habet etiã
2.
Ob ſanctum.
reſpectum ad ſanctum, cui vult honorem impen-
dere, & ſic gratiam & ſuffragia eius acquirere, &
eius beatitudini congaudere, hæc enim ſequela
charitatis, gaudere cum gaudentibus. 1. Corinth.
Roman 12.
12. *Si gloriatur unum membrum congaudent omnia*
3.
Ob ſuam utilitatem triplicem.
membra. Ad ſe etiam habet reſpectum, quia ad uti-
litatem ſuam feſta celebrat. Triplex autem utili-
tas ex ſolennitatum celebratione provenire de-
1.
bet. *Prima* quia ſanctius tunc fideles debent vi-
vere, ſicut calix ſanctus & conſecratus ſanctius
ſervatur quam aliud vas non conſecratum, & lo-
cus dedicatus alicui ſancto quam non dedicatus.

Sic &

Sic & dies ſanctius cuſtodiri debet alicui ſancto dedicatus quam non feſtivus. Exod. 20. *Memento ut diem ſabathi ſanctifices*, id eſt ſanctum ſerves. Sed heu hodie plura mala fiunt in uno feſto quam in aliis diebus ſeu non feſtivis. Ideo ſolennitates multorum à dæmonibus irridentur. Thren. 1. *Viderunt*
2. *eam hoſtes & deriſerunt ſabbatha ejus. Secunda utilitas* eſt quia à terrenis operibus ceſſant ut Deo in-
3. tendant. Pſal. 45 *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. Tertia* eſt quod gratias ſancti ad ſui ædificationem conſiderant.

Octo gratiæ S. Gregorij

Poſſumus autem *octo gratias* beati Gregorij vobis oſtendere, in quibus poteſtis exemplum accipere. *Prima* eſt *amor ſapientiæ* propter quam in laudem ejus convenienter aſſumit Eccleſia verba propoſita.

1 Amor ſapientiæ, de qua tria oſtendantur.

In quibus *primo* oſtenditur quomodo ſapientiam acquiſivit, ibi: *optavi & invocavi. Secundo* quantum ſapientiam amaverit, ibi: *præpoſui*, &c. *Tertio* quantum ſapientia ei profuerit, ibidem: *venerunt mihi omnia bona*, &c.

1. Quomodo eam acquiſiverit.

Principium acquirendi ſapientiam eſt deſiderium addiſcendi eam Sapient. 6. *Facile invenitur ab his qui diligunt illam & qui quærunt eam. Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt* &c. Et paulo poſt. *Dignos ſe ipſa circuit quærens*, &c. *Initium enim ipſius eſt veriſſima diſciplinæ concupiſcentia.* Oratio etiam multum valet ad acquirendum ſapientiam, unde in verbis propoſitis ſubditur: *invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Sapientia donum Dei eſt. Secundum illud Eccleſiaſtici 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Jacob. 1. *Si quis indiget ſapientia poſtulet*, &c. Quod in beatum Gregorium ſpiritus ſapientiæ venerit, patet ex hoc, quod Petrus ejus diſcipulus columbam vidit ſuper ipſum.

2. Quantum eam dilexerit.

Amor quem beatus Gregorius ad ſapientiam habuit oſtenditur cum dicitur: *præpoſui illam regnis & ſedibus*, ſcilicet potentiis & dignitatibus.

3. Quantum ei profuerit, quamque pretioſa ſit.

De utilitate patet in Salomone. 3. Reg. 3. Qui poſtulans ſapientiam prætulit eam omnibus aliis, & divitias nihil eſſe duxit præ illa. Gloſſa. Omnia pretioſa ejus comparatione vileſcunt. Proverb. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus.* Item eſt pretioſa margarita, qua inventa omnia venduntur, ut ipſa comparetur. Matth 13. In multis ſapientia prævalet divitiis & aliis bonis terrenis.

Duodecim excellentiæ ſapientiæ.

Et poſſumus 12. enumerare quæ ad excellentiam ſapientiæ pertinent. *Primum* eſt quod ſapientia
1. eſt bonum, cujus dominationem Deus ad manum
2. retinuit. Proverb. 2. *Dominus dat ſapientiam. Secundum* eſt quod ſub pretio non cadit. Job. 28. *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* Ibidem. *Neſcit ho-*
3. *mo pretium ejus. Nec adæquabitur ei aurum. Tertium* eſt, cum datur non amittitur vel minuitur, immo potius augetur, quia ſecundum proverbium: Nobilis ſcientia theſaurus, diſtributa ſuſcipit incrementum, & avarum dedignatur poſſeſſorem: niſi publicetur, elabitur. Non ſic eſt de divitiis temporalibus. Boëtius. O anguſtas inopeſque divitias, quas nec habere totas pluribus licet, nec ad quem-
4. libet ſine cæterorum paupertate veniunt. *Quartum* eſt quod ab homine auferri non poteſt, eſt enim in arca cordis, in qua homo non habet poteſtatem. Seneca. Sapiens infra ſe omne bonum ter-
5. minabit. *Quintum* eſt quod ibidem multum fructum facit. Non ſic eſt de auro & argento, quod cum in arca fructum non faciat, minimæ arenæ, comparatur, quæ eſt ſterilis. Sapient 7. *Omne aurum in comparatione illius eſt arena exigua.* Primi & puriſſimi ſunt fructus ejus. Primi, quia ſtipiti ſunt coëvi, puriſſimi, quia impermixtiſſimi. Pro-
6. verb. 14. *In gaudio ipſius non miſcebitur extraneus. Sextum* eſt quod ipſius fructus ſunt honoris. Eccleſiaſtici 24 *Flores mei fructus honoris*, &c. Ejuſdem 6. *Exiguum in ea laborabis, & cito de generationibus illius edes.* Flores intelligi poſſunt prima deſideria & primi conceptus. *Septimum* eſt quod ad munditiam facit, cum divitiæ maculent: Proverb. 7.
3. *Viæ ejus viæ pulchræ.* Propter hoc quod divitiæ inquinant comparantur luto Sapient. 7. *Quaſi lutum æſtimabitur argentum & aurum in conſpectu illius.* Abac. 2. Dicitur de congregante divitias, *uſquequo aggravat contra ſe denſum lutum. Octavum* eſt quod ſapientia hominem reddit ſecurum, cum di- 8.
vitiæ hominem in timore ponant. Proverb 3. dicitur de ſapientia *ſemitæ ejus pacificæ.* De divite vero dicitur Job 15 *Sonitus terroris in auribus ejus ſemper, & cum ſit pax, ſuſpicatur inſidias. Nonum* eſt quod ſapientia habet jucunditatem, cum divi- 9.
tiæ habeant dolorem propter quod ſpinæ dicuntur. Sapient. 8. *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Decimum* quod ſapientia eſt cauſa ſalutis, cum divitiæ ſunt occaſio perditionis. Iſa. 10.
33. *Divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia* Eccleſiaſtes 7. *Plus habet eruditio & ſapientia quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.* Non ſolum tribuunt, ſed etiam conſervant. Proverb. 3. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam* Quod lignum vitæ faceret quantum ad vitam corporalem, hoc ſapientia facit quantum ad vitam ſpiritualem. *Undecimum* eſt quod ſapientia bona temporalia acquirit & conſer- 11.
vat, non è converſo Salomon accepta ſapientia temporalium abundantiam habuit. 3 Reg. 3. Proverb. 8. *Mecum ſunt divitiæ & gloria. Duodecimum* eſt quod ſapientia facit ut divitiæ ſint utiles, ab ea enim eſt 12.
laudabilis uſus earum. Senec. Stulto nulla re opus eſt, nulla re ſcit uti. Proverb. 17. *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cum ſapientiam emere non poſſit.* Bonum divitiarũ conſiſtit in laudabili uſu earum. Ideo poteſt dici illud. Sapient. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

2. Gratia dulcedo eloquij. Luc. 6.

Secunda gratia quæ in beato Gregorio fuit, fuit *dulcedo eloquij*, quod patet ex ſcripturis ejus, ex abũdantia enim cordis os loquitur. Non erat mirum ſi dulcedo eloquij erat in ore, cum dulcedo Spiritus ſancti erat in corde & mente. Eccleſiaſtici 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Multum placet hæc dulcedo auditoribus. Eccleſiaſtici 40. *Tibia & pſalterium dulcem faciunt melodiam, ſed ſuper utraque lingua ſuavis* Prov. 16. *Qui ſapiens eſt corde appellabitur prudens, & qui dulcis eſt eloquio majora reperiet*, majorem ſcilicet gratiam & gloriam. Lingua ejus fuit calamus velociter ſcribentis. Pſal. 44.

3. Abſtinentia

Tertia gratia eſt *abſtinentia magna*, quia in tanta deliciarum copia fuit valde abſtinens, ut præ magnitudine abſtinentiæ & orationũ ſedulitate infirmatus vix ſubſiſtere videretur. Ipſe à matre ſua Cilinia crudis leguminibus paſcebatur, ut in vita ipſius legitur. Abſtinentia ad ſapientiam eum diſpoſuit, ſicut & pueros, de quibus habetur. Daniel. 1.

4. Humilitas perfecta.

Quarta gratia eſt *humilitas perfecta*, quæ valde laudabilis eſt in homine magno. Scilicet non eſt magnum in abjectione eſſe humilem. Magna prorſus, ſed rara virtus humilitas honorata.

Tria ſigna humilitatis S. Gregorii
1

Primum ſignum ejus humilitatis fuit, quod ſub habitu ſæcularis dignitatis habuit humilitatem. Primo bonitatem ſuam occultare voluit. Mente enim voluit famulari Deo ſpecie tenus in mundo. Sed proceſſu temporis perpendit quod non ſolum exteriori converſatione in mundo teneretur, ſed etiã mente. Et defuncto patre ſuo ſex monaſteria in Sicilia conſtruxit, ſeptimũ vero infra urbem Romam fabricavit. In quo multis ſibi ſociatis fratribus religioſè vixit. Etiam *aliud* ejus humilitatis fuit *ſignum*, quod cum clerus & ſenatus 2.
& populus eum in Pontificem Romanum elegiſſent. Ipſe Imperator deſtinavit literas quod aſſenſum præberet, & cum litteræ ad manum præfecti urbis veniſſent, & ab ea eſſent diruptæ, ipſe hoc cognito diſſimulatione habita in cavernis habitare

voluit, in quibus cum quæreretur, indicio ful-
gidæ columnæ ſuper eum de cœlo dependentis eſt
inventus. *Aliud ſignum* humilitatis fuit, quod pri-
mus in principio epiſtolarum ſuarum ſe ſervum ſer-
vorum Dei deſcribi diffinivit. Cum doctrina ejus
eſſet ſaluberrima, in comparatione tractatuum
aliorum, eam furfur nominabat. Et dum viſum
5. legi prohibebat, ut in vita ipſius legitur. *Quinta*
Fortitudo. *gratia* eſt *fortitudo* in infirmitate. Licet enim lan-
gueret, tamen corpori ſuo nullam quietem dare vo-
luit, quin aut oraret, aut legeret, aut dictaret, aut
ſcriberet. 2. ad Corinth. 11. *Virtus in infirmitate*
6. *perficitur. Sexta gratia* eſt *contemptus divitiarum*
Contemptus divitiarum. in abundantia earum, quod laudabile eſt valde. Se-
nec. Multum eſt divitiarum contubernio non cor-
rumpi. Quidam Eremita, cui Dominus revelave-
rat quod manſionem cum Gregorio acciperet, in-
gemiſcens de hoc quod inopia quam ſuſtinuerat,
parum ſibi profuiſſet ſi manſionem cum Gregorio
reciperet qui tantis divitiis abundaret, audivit à
Domino, cur audes paupertatem tuam Gregorij
divitiis comparare, qui tantam quam habes ino-
piam magis diligis quam Gregorius divitias tantas?
7. *Septima gratia* eſt *pietas magna*. Magnus enim
Pietas. eleemoſynarius fuit, ſicut patet ex vita ipſius.
Octava gratia quod Domino fuit dedicatus, ſicut
8. patet ex aſſiduitate quam habuit, licet eſſet nego-
tioſiſſimus. Idem patet ex officio Eccleſiæ quod or-
dinavit, unde ſatis congruit ei quod loquitur de
David: *De omni corde ſuo laudavit Deum, & dile-*
xit Dominum qui fecit illum. Eccleſiaſtici 47. Et
paulo poſt. *Et ſtare fecit Cantores contra Altare,*
& in ſono eorum dulces fecit modos. Et dedit in cele-
brationibus decus, & ornavit tempora uſque ad con-
ſummationem vitæ, ut laudarent nomen Domini.

DE BEATO BENEDICTO ABBATE.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte in pricipio oſtendit quomodo S. Bene-
dictus mundum deſeruerit. Poſtea ex Pſalmo
54. tres ſententias potiſſimum de contempla-
tivis vel mundi deſertoribus explanat.

SERMO XLI. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo,
& requieſcam? *Pſalmo* 54.

HOdie ſolennizat Eccleſia de Beato Benedicto,
quem Spiritus ſanctus hominum ſpiritua-
lium auctorem & rectorem de mundo eduxit, &
in ſolitudinem duxit ſicut & Salvatorem. Matth.
Quomodo quarto. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu*, &c.
S. Benedictus mundũ Beatus Benedictus volens mundum deſerere Spi-
deſeruerit ritum ſanctum ducem & doctorem habuit. Ipſe
& vanitatẽ mundum perfectè contempſit, quia ſecundum
ejus ſpreverit. Gregor. à pueritia cor ſenile geſſit. Vanitatem mun-
di contempſit, quia nulli voluptati animum de-
dit. Etiam contempſit ſcientiam, quia cum Romæ
ſtudiis temporalibus deditus fuiſſet ſecundum Gre-
gor. cernens in eis multos per abrupta abire vitio-
rum & perire, eum quem quaſi in ingreſſu mun-
di poſuerat pedem retraxit, ſcienter neſcius & ſa-
pienter indoctus. Divitias contempſit, quia relictis
omnibus fugit. Et cum in quodam loco per quod-
dam miraculum per ipſum factum in admiratione
magna haberetur, ipſe plus mala mundi appetens
quam laudes, deſerti loci ſeceſſum petiit. Ipſe ſe-
cundum Gregorium ſcripſit Monachorum regu-
lam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.
Pſalmus, Quod Spiritus ſanctus per ipſum & alios mundi
unde thema deſertores egit per os David ad Eccleſiæ profectum
deſumptũ, in verbo propoſito nobis revelare voluit. Et eſt di-
de contem- ctum verbum propoſitum in perſona hominis inter
malos exiſtentis, à quibus mala multa patitur pœ- platívis
næ, quibus perturbatur & timet ne in mala cul- mundi de-
pæ labatur in medio perſecutorum, unde præmitti- ſertoribus
tur: *Cor meum in me turbatum eſt, & formido mortis* explicatur.
cecidit ſuper me. Mors animæ odium eſt, ſicut dile- 1.
ctio vita eſt. Incitatus ergo his malis deſiderat
tranſire à labore vitæ activæ ad quietem contem-
plativæ, unde dicit: *Quis dabit mihi pennas?* O-
ſtendens eſſe pennas neceſſarias tranſeunti ſive fa- Pennæ con-
cienti hunc tranſitum, quæ pennæ ſunt dona Dei templativorum ſunt
& humili oratione ſunt impetrandæ. Hæ pennæ virtutes, maxime
ſunt virtutes ſecundum Auguſtinum, quibus mens dux.
ad cœleſtia elevatur. *Specialiter* tamen poſſunt in-
telligi *contemptus mundi & amor cœleſtis regni.* Ma-
lach ult. *& ſanitas in pennis ejus.* Apocal. 12. legi-
tur quod *datæ ſunt mulieri duæ aquilæ magnæ ut vo-*
laret in deſertum. Hæ pennæ ſecundum Auguſti-
num alicui dantur, cum à Deo virtutes miniſtrantur,
vel cum ligati cura & officio paſtorali ſolvuntur.
Dantur etiam quando ab aliqua occupatione terre-
na aliquis abſolvitur.

Sequitur, *ſicut columbæ*. Hic notandum quod ille 1.
qui de mundo tranſit ad ſolitudinem debet aſſi- Contemplativi mũdi deſertores columbæ ſimiles ſunt in quatuor.
milari columbæ in *quatuor*. *Primo* ut gemat, *ſecun-*
do ut ſuper aquas ſcripturæ ſacræ ſedeat; *tertio* ut in
foraminibus petræ frequenter maneat, *quarto* ut ad
arcam cum ramo olivæ redeat. Columba gemi-
tum habet pro cantu. Gemere debet qui ſæculum 1.
relinquit pro malis quæ in ſæculo commiſit. Iſa 59. Gemendo.
Quaſi columbæ meditantes gememus. Super aquas 2.
ſacræ ſcripturæ reſidere debet ſecundum illud. Sedendo ſuper aquas
Cant. 5. *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivos aquarum,*
quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſ-
ſima. Oculi Eccleſiæ ſunt viri contemplativi, qui
debent eſſe ſuper libros ſacræ ſcripturæ & habere
lacteum candorem. Duabus de cauſis columba
aquæ appropinquat, vel ut ſitim extinguat, vel ut
videns in aqua umbram accipitris eum fugiat; ſic
viri contemplativi juxta ſcripturam ſacram eſſe de-
bent, ut ardorem concupiſcentiæ mundi refrige-
rent, & videntes umbram accipitris infernalis fu-
giant, unde Gloſſa ſuper verbum propoſitum. So-
lent columbæ juxta aquæ fluenta reſidere, ut vo-
lantium in aqua umbram videant, & ſic vigiles vi-
vant. Sic ſancti in ſcripturis fraudes dæmonum
proſpiciunt, & à deceptione quam attendunt quaſi
ex umbra hoſtem cognoſcunt & fugiunt, quæ fluen-
ta pleniſſima dicuntur, quia de quibuſcunque con-
ſilium quæritur, per illam ad plenum inveni- 3.
tur. Debet etiam frequenter permanere in fora- Manendo
minibus Petræ meditatione Paſſionis Dominicæ, ſe- in foraminibus petræ.
cundum illud. Cantic. 2. *Columba mea in forami-*
nibus petræ. Chriſtus in ſtatu Paſſionis velut petra
fuit, quæ non flectitur, etſi frangitur. Occidi enim
potuit, ſed non valuit ad malum flecti. Foramina
hujus petræ ſunt vulnera ipſius Chriſti, in qui-
bus meditatione manere debet vir contemplativus.
Ad arcam etiam debet redire per compaſſionem, 4.
debet enim habere viſcera pietatis ad eos quos in Ad arcam
mundo reliquit. Sic habebat qui dicebat: *Quis in-* redeundo
firmatur & ego non infirmor? 2. Corinth 11. Corvus cum ramo
de arca miſſus ad eam non rediit, columba autem olivæ.
rediit portans ramum olivæ ſecum. Auguſt. Co-
lumba quærit à moleſtiis evolare, ſed dilectionem
non amittit & ſemper gemit. Sic bonus vult ſe
ſeparari corpore ab his quibus non poteſt prodeſ-
ſe, ſcilicet non amore amans correptionem ipſo-
rum & dolens prævaricationis ruinam. Ramum
olivæ in ore portat cum Dei miſericordiam oran-
do impetrat

Sequitur *volabo & requieſcam*. Volatus eſt elon- 5.
gatio à terrenis, quantum ad ſolicitudinem & amo-
rem. De quo ſubditur: *Ecce elongavi fugiens, &*
manſi in ſolitudine. Fugiens ſe elongat, qui à turba de-
ſideriorum

ſideriorum in alta Dei contemplatione ſe ſublevat. Manet in ſolitudine, qui perſeverat in remota mentis intentione. Huiuſmodi volatum ſequitur quies. Quid quietius quam nihil appetere in hoc mundo? Quid laborioſius quam terrenis deſideriis æſtuare? Hinc eſt quod Iſrael Sabbatum accepit in munere, Ægyptus percutitur muſcarum multitudine.

In terrenis non eſt quies ob tria.

Tribus de cauſis non eſt quies in his tranſitoriis. *Primò* propter velocem eorum tranſitum. Quomodo enim quies eſt in re tranſeunte. De tranſitu eorum dicitur. Sap. 5. *Tranſierunt omnia velut umbra. Secundò* propter cruciatum, ſpinæ enim ſunt cruciantes amatores ſuos, de quibus loquitur Dominus. Matth. 13. & Luc. 8. In ſpinis quieſcere quis poteſt? *Tertiò* propter onus. Non quieſcit qui valde eſt oneratus. De hoc onere dicit Bernard. Beatus qui poſt ea non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Auguſt. in libro de verbis Domini. Abjice divitiarum onera à te, abjice vincula voluntaria, abjice anxietates & tædia quæ Adam plurimos annos inquietabant. Hieron. in Epiſtola Si habes in poteſtate tua, rem tuam vende: ſi non habes, projice quæ cor tuum laniant. Quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor tuum cum eis evellendum erit. Hic poteſt referri quod ſubditur: *Expectabam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Salvum*, inquit, *fecit*, cuſtodiens me ne malis inter quæ eram inclinatus puſillanimitate conſentirem, & ne in iram vel odium perſecutorum tempore tribulationis inciderem. In expectatione Domini quieſcere debet vir contemplativus, Et nunc quæ eſt expectatio mea in medio domus meæ. Thren. 3. *Pars mea Dominus, propterea expectabo eum.* Habentis Spiritum ſanctum eſt dicere illud: *Quis dabit mihi pennas?* Spiritus malignus contrarium ſuggerit, ut homo deſideret ſibi dari impedimenta pennarum. Apoc. 12. *Miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aliquam tanquam flumen, ut faceret eam trahi à flumine*, id eſt opulentia temporalium, ut à fluxu temporalium traheretur In quibuſdam pennæ virtutum ſunt tanquam viſcatæ. Auguſt. Amor temporalium viſcus eſt ſpiritualium pennarum. Senec. Quiſquis vitam volet agere tutam, iſta viſcata beneficia devitet.

Pennæ tres malæ. Corvi. Vulturis. Strutionis.

Sunt qui pennas non columbæ, ſed corvi, vel vulturis, vel ſtrutionis habere volunt. *Corvi*, qui religionem intrant ut ibi voluptuoſe, vivant: *Vulturis*, ut divitias habean; t vultur enim eſt opis rapax: *Strutionis*, qui inanē vel vanam gloriam expectant Iob. 39. *Penna ſtrutionis ſimilis eſt pennæ herodii & accipitris*, ſicut hypocrita ſimilis eſt iuſto. Pennas virtutum dat ſolus Dominus virtutum Gregor. Incaſſum laborat qui aliunde virtutes acquirendas putat quam à Domino virtutum. Non intrant multi ut volent, ſed ut ventre & pectore, id eſt ſollicitudine & amore ſerpant ſuper terram, imitatores eius cui dictum eſt: *Super pectus tuum gradieris* Geneſ 3. Tales non habent requiem, quomodo enim veram requiem habet, qui ſemper ſequitur & non aſſequitur? Eccleſ. 33. *Quaſi qui apprehendit umbram, & ſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Temporalia mendacia dicuntur, quia non ſolvunt quantam promittunt plenitudinem, ſed potius exinaniunt Lucæ 1. *Divites dimiſit inanes.*

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

SERMO PRIMUS.

SERMO XLII.

SUMMARIUM.

Hoc ſermone explicatur Angelica ſalutatio & varia Virtutes D. V. proferuntur.

Ave, gratia plena, Dominus tecum. *Lucæ* 1.

Aut qui ſit. Evæ & Mariæ triplex differentia.

AVe everſum nomen Evæ. Ave dicitur, quaſi ſine væ, id eſt ſine maledictione. Eva triplicem habuit maledictionem: ſcilicet corruptionis in conceptu, gravitatis poſt conceptum, doloris in partu. E contra beata Maria triplicem habuit benedictionem. Fuit enim ſine corruptione fœcunda, ſine gravitate gravida, & ſine dolore puerpera. Ideo iuſtè ſalutata eſt ab angelo per hoc nomen *Ave*, id eſt ſine væ, ſcilicet corruptionis, gravitatis & doloris. Et *nota* quod in ſalutatione virginis angelus primo appoſuit. *Ave gratia plena, Dominus tecum*, Eccleſia addidit *Maria* Eliſabeth ſubiunxit, *benedicta tu in mulieribus*, &c. Et quid ſignificat hoc niſi quod in ſalutatione virginis Mariæ conveniunt Eccleſia triumphans & Eccleſia militans & Synagoga quæ per Eliſabeth deſignatur.

Hæc ſalutatio à quibus facta ſit, & quid ſignificent.

Plenitudo gratiæ triplex.

Gratia plena, ad Dominum per humilitatem, ad Angelos per virginitatem, ad homines per fœcunditatem. Prover 11. *Mulier gratioſa inveniet gloriam.* Hæc plenitudo gratiæ eſt fomitis extinctio, veritatis agnitio, virtutis dilectio. Primum eſt fuga vitiorum & parat animum, ſecundum perficit intellectum, tertium conſummat affectum. *Gratia plena*, ſed magis quam Stephanus de quo dicitur. Actuum 6. *Plenus gratia & fortitudine*, & minus quam Chriſtus de quo dicitur. Ioan. 1. *Plenum gratia & veritatis.* Stat ergo in medio beata virgo Maria. Unde Eccleſ. 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* Stephanus plenus fuit plenitudine apta, Chriſtus plenitudine cumulata, Maria medium eligens plena fuit plenitudine æqua. Prima ſufficit, ſecunda effluit, Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, tertia perfecta eſt. Iſta plenitudo refertur ad quatuor virtutes cardinales, *quibus nihil melius eſt in vita.* Sap. 8. Quæ ſunt Temperantia, Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, quas ſicut ait quidam ſanctus, ſingulas invenimus tripliciter ordinatas in beata virgine.

1.

2.

Virtutes Cardinales quomodo habenti D. V.

Ex temperantia habuit carnis pudicitiam, ſermonis modeſtiam, cordis munditiam. Ex prudentia ſiluit turbata, intellexit audita, reſpondit ſapienter ad propoſita. Ex iuſtitia reddidit omnibus quod debebat, duris corde geſſit morem in ſua deſponſatione, in filii circumciſione, in legali purificatione, afflictis exhibuit compaſſionem. Ioan. 2. *Fili vinum non habent.* Sanctis reddidit communionem, quia erat cum mulieribus & diſcipulis in oratione perſeverans. Actor. 1. Ex fortitudine propoſitum virginitatis aſſumpſit, aſſumptum tenuit rei tam immenſæ fidem exhibuit. *Fiat*, inquit, *mihi ſecundum verbum tuum*, Propter iſta quatuor bene proportionatur ſibi arca Domini quadrangulata. In his quatuor virtutibus recta deſcribitur ſicut quadrangulus quatuor lineis rectis, & ſicut quadrangulus addito gnomone creſcit, creſcit quidem & non alteratur; ſic beata virgo arca Domini quadrangulata addito ei Ioſeph, quod additamentum vel augmentum interpretatur, in coniugio, crevit in utero, & non alteratur, quia virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum. Hæ ſunt duodecim ſtellæ in corona, de quibus dicitur Apocal. 12. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum.* Has tamen duodecim ſtellas dicit Bernard, duodecim prærogativas virginis, propter quas etiam dicitur gratia plena.

Duodecim ſtellæ vel prærogativæ D. V.

Qui ſunt quatuor cœli fulſerunt enim quaſi ſtellæ de cœlo, Mariæ generatio, angelica ſalutatio, Spiritus ſancti superventio, filii Dei inenarrabilis conceptio. Fulſerunt in carne quatuor, virginitatis primiceria, ſine corruptione fœcunda, ſine gravitate gravida, ſine dolore puerpera. Fulſerunt in corde quatuor, devotio humilitatis, reverentia pudoris, magnitudo

Digitized by Google

credulitatis, marty rium cordis.
Dominus tecum. Dominus, tota Trinitas. Quam
Explicatio multiplex dicti hujus Dominus tecum. Quomodo Dominus fuerit cum D. V.
Pater elegit. Cant. 6. *Pulchra ut luna, electa ut ſol.*
Filius deſponſavit. Pſal. 18. *Ipſe tanquam ſponſus.*
Joan. 3. *Qui ſponſus eſt habet ſponſam.* Spiritus ſan-
ctus conſecravit, unde *benedicta, gratia plena.* Unde
cantatur quod eſt *templum Domini, ſacrarium Spiri-*
tus ſancti. Tecum, quia te ſibi aſſociat pater in uni-
tate prolis, quia filius patris, filius eſt virginis, ſci-
licet unus Chriſtus *Tecum*, quia filius te ſibi aſſo-
ciat in cauſa humanæ ſalutis, quia ſicut mors in-
travit per virum & fœminam, ſic vita per Chriſtum
& virginem. Roman. 5. *Sicut per unum hominem,*
&c. *Tecum*, quia Spiritus ſanctus te ſibi aſſociat in
agenda cauſa hominis, quia ipſe eſt advocatus.
Joan. 14. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus*, &c. De
illa canitur. *Eia ergo advocata noſtra.* Item *tecum* in
corde, unde *gratia plena.* Proverb. 9. *Dominus ſa-*
pientia. Apoc. 3. *Sto ad oſtium.* *Tecum* in ore. Prov.
ult. *Os ſuum aperuit*, &c. 3. Reg. 22. *Spiritus Domi-*
ni. Gen. 49. Nephtal. cervus. Cant. 4. *Eloquium tuum*
dulce. Tecum in operatione juxta illud Sap 9 *Emit-*
te illam de ſede, ut mecum ſit & mecum laboret. Cant.
5. *Manus meæ diſtillaverunt myrrham.* Item *tecum*
communicans tibi ſuam divinitatem, ut ei commu-
nices carnem virginalem. *Tecum*, ut qui jam ſpiritũ
tuum replet, cito ventrem tuum impinguet & ube-
ra ſugat. *Tecum*, quia tu ſemper fuiſti & es ſecum.
Pſalm. 72. *Ut jumentum factus ſum, & ego ſemper*
Quomodo cum triplici genere hominum Dominus ſit
tecum. *Dominus tecum.* *Nota*, Dominus dicitur eſſe
cum contritis ut medicus. Iſaiæ 61. *Ut mederer con-*
tritis corde. Pſal. 146. *Qui ſanat contritos corde.* Iſa.
57. *Habitans cum contrito & humili ſpiritu.* Cum
tentatis & tribulatis ut bellator robuſtus. Hierem.
20 *Dominus mecum eſt tanquam bellator fortis.* Hie-
rem. 15. *Bellabunt adverſum te & non prævalebunt,*
quia ego tecum ſum ut ſalvem te. Cum grege totius
Eccleſiæ ut cuſtos & paſtor. Matth. 28. *Vobiſcum*
ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Ezech. 34.
Ego paſcam oves meas. Pſal. 126 *Niſi Dominus cu-*
Quomodo cum Maria.
ſtodierit civitatem. Samaritanus Lucæ 10 Cum Ma-
ria autem eſt ut ſponſus cum ſponſa, quos unit uni-
cus amor. 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, unus ſpi-*
ritus eſt Pſalm 27. *Mihi adhærere Deo bonum eſt.*
D. V. fuit gratia plena ob tres virtutes præcipue.
In hoc quod dicitur *gratia plena virginitas, cha-*
ritas, humilitas ſpecialiter ſignantur. Gratia enim
eſt quaſi balſamum, & ideo vas purum, ſolidum &
profundum requirebat. quid prius Mariæ virgi-
nitate? virgo ante partum, virgo in partu, virgo
poſt partum. Quid ſolidius Mariæ charitate? dilexit
enim continuè & perſeveranter, toto corde, tota
Humilitas quadruplex divæ Virginis ad quatuor beatitudines Evangelicas ſeſeitu.
anima, tota mente. Quid profundius Mariæ humi-
litate? habuit enim illos quatuor gradus, qui tan-
guntur in verſibus beati Malachiæ.
Spernere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſeſe,
Spernere ſe ſperni.
Primum pertinet ad *beati pauperes ſpiritu.* *Secun-*
dum pertinet ad *beati mites.* *Tertium* ad *beati qui*
lugent, qui enim nihil niſi lugendum conſiderant
in ſe, de facili ſe ſpernunt. *Quartum* ad *beati qui*
eſuriunt & ſitiunt, &c qui enim eſurit & ſitit juſti-
tiam, haberi contemptui ſuſtinet patienter. Pro-
pter hæc quatuor dicitur. Cantic. 4. *Tota pulchra*
Salutans D. V. debet ſimilis eſſe Angelo in tribus virtutibus.
es amica mea, & macula non eſt in te Si vis ergo in-
gredi ad virginem & ſalutare eam, oportet ut ſis
Angelus. Angelum faciunt tria, *puritas, charitas,*
humilitas. Puritas carnis. Hieron. In carne præter
carnem vivere angelicum eſt non humanum. Chari-
tas in communicatione vitæ ſupernæ civitatis. Pſal.
121. *Participatio ejus in idipſum.* Humilitas angeli-
In his religioſi ſunt ſimiles Angelis.
ca probatur in obedientia & miniſterio. His tribus
modis clauſtralis vita comprehendit formam ange-
licam, quia per hæc tria de mundo exitur ad reli-
gionem. Puritas enim abjicit concupiſcentiam car-
nis, Charitas concupiſcentiam oculorum, Humili-
tas ſuperbiam vitæ, & qui hæc tria abjicit jam in-
trare poteſt ſecretè in cellam vinariam ad ſalutan-
dam Mariam dicendo *Ave Maria*, &c.
Sequitur *Dominus tecum*, præmiſit Dominus Ga-
brielem, ſed ipſe prævenit ad virginem, unde ſpon-
ſa Cantic. 2. *Ecce ille veniet ſaliens in montibus,*
tranſiliens colles. Quod Gabriel attendens non dixit
Mariæ, præpara hoſpitium Domino meo, quia Do-
minus meus veniet, ſicut alij nuntij faciunt, ſed hoſ-
pitium præparatum inveniens & Dominum ſuum
prævenisse ſciens dixit *Dominus tecum.* *Nota* quod D. V. gratia plena dicta eſt ob tres virtutes.
tria dicuntur ei ad manifeſtationem trium virtu-
tum. Primum *gratia plena*, propter ejus humilita- Humilitatem.
tem. Erat enim quaſi vas vacuum volens repleri, &
quantũ poſſibile ad plenitudinẽ. 4. Reg. 4. Heliſæus
implevit vaſa vacua, ideo vaſa quæ non ſunt vacua
ſed plena nõ implebit Dominus gratiâ ſuâ, ſed potius
evacuabit. Job. 20. *Divitias quas devoravit evomet,*
& de ventre ejus extrahet illas Dominus. Fuit etiam Caſtitatem.
quaſi vas mundum in caſtitate, quia virgo ante par-
tum, virgo in partu, virgo poſt partum. Ideo Heli-
ſæus infudit oleum ſuum. Sed vaſis quæ ſunt im-
munda, non habentia operculum, non infundetur
oleum gratiæ, immo acetum iræ & belli. Hierem. 51.
Collidis mihi vaſa belli, &c. fuit quaſi vas ſolidum in Dilectionẽ.
perfecta dilectione, quia dilexit ex toto corde, ex
tota anima ex tota mente, ideo ſtetit in ipſa oleum
gratiæ. Sed in vaſis quæ ſunt fracta non ſtat oleum
Dei. Scilicet fluit & decurrit. Eccleſiaſtici 21. *Cor*
fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non
retinebit. Item *Dominus tecum*, propter pacem & Dominus fuit cum D. V. ob pacẽ & ſolitudinis amorem
ſolitariam vitam. Invenit enim eam Angelus in con-
clavi, non in platea, non in chorea, ideo Dominus
ſecum. Sed qui non ſunt in comitatu Domini ſunt
ſoli. & non ſolitarij, quibus dicitur Eccleſiaſtici 4. *Væ*
ſoli, quia ſi ceciderit non habet ſublevantem ſe. Sci-
licet qui in comitatu malo ſunt, illos deſolabit Do-
minus, ideſt faciet illos ſolos.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit ex themate I. diem hunc fe-
ſtum eſſe commendabilem ob tria. II. fuiſſe
tribus diem boni nuntij. III. ob tria nos re-
prehenſibiles & damnabiles eſſe poſſe in hoc
feſto.

SERMO XLIII.

Hæc dies boni nũtij eſt Si tacuerimus, &c. 4. *Reg.* 7.

ROm. 5. *Quia ubi abundavit delictum, ſupera-* Hæc dies eſt commẽdabilis ob tria.
bundavit gratia. Sed nota tria verba ad hu-
jus diei commendationem, quia hæc dies boni nun-
tij dies eſt. Ex *primo* enim claritas patet, hæc eſt 1.
enim dies clara ſive ſplendida, & hoc propter re- Ob claritatem triplicem, ſeu triplicis luminis refulgentiam.
fulgentiam triplicis luminis ad illuminationem
hujus diei. Refulget enim *lumen angelicum* in ve-
niendo de cœlo ad virginẽ, quia *miſſus eſt Angelus,*
&c. Nunquam enim cum tanto ſplendore venit, ita
quod *expaveſcit virgo de lumine.* *Lumen virgi-*
neum in reſpondendo & ſuas virtutes oſtendendo,
uſque enim ad diem hanc clauſum fuit lumen hoc
in ſecreto cubiculo & non cognoſcebatur. Sed jam
ex deſcriptione virginis, ex ſalutatione Angeli,
ex reſponſione ſua ſatis ſplendet, quæ, qualis, &
quanta fuit illa virgo. Eccleſ. 26. *Sicut ſol oriens*
in altiſſimis, &c. *Lumen divinum* in carnem aſſu-
mendo, non enim ipſe lux prout eſt in fonte ſuo
potuit eſſe viſibilis, niſi incorporaretur quodam-
modo cum nube carnis noſtræ. Et ideo qui cogno-
vit teſtimonium perhibuit: *Lumen ad revelatio-*
nem, &c. Luc. 2. Joan. 1. *Ut teſtimonium perhiberet*

de lumine. Ex *ſecundo* dignitas privilegiata, & ideo cum diſtinctione dicitur *hæc dies.* Sunt enim tria
2. Ob dignitatem.
mirabilia privilegia hujus diei, ſcilicet quod virgo fœcundatur, ſed non niſi ex Deo vivo, unde dicitur *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te. Ideoque & quod naſcetur,* &c. Deus humanatur, ſed non niſi ex virgine: *concipies & paries,* &c. Iſa. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium,* &c. Homo reconciliatur, ſed non niſi mediatore Deo & homine. 1. Timoth. 2. *Unus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Et Iſa. 45. *Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Pſalm. 48. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi,* &c. Ex *tertio* jucunditas diei, un-
3. Ob jucunditatem.
de hæc dies grata & læta, quia hæc dies boni nuntij eſt.

II. Hæc eſt dies boni nuncii ob tria.
Dicitur autem hæc dies boni nuntij propter tria, quia bonum Gabrieli qui nuntiat, Mariæ cui nunciatur, filiis Evæ, id eſt nobis pro quibus nunciatur. *Primum* patet ex tribus.
1. Gabrieli bonus in tribus.
Fit enim divinorum ſecretorum nuntius conſcius. Unde Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel,* cœleſtis ſponſi paranymphus, *ad Virginem deſponſatam viro,* quaſi pertractans
2. Mariæ in tribus.
connubia, ſponſæ ſecretarius, *ingreſſus Angelus ad eam,* &c. Hæc tria præ aliis Gabriel habuit, & ideo bonum ei. *Item* bonum & jucundum Mariæ. Quod ſi vis ſcire vide nova quæ attulit. *Ave,* inquit, *gratia plena.* Exenia quæ obtulit: *Ecce concipies & paries filium,* &c. Munera quæ promiſit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Et iſta tria aſſumuntur ſecundum triplicem allocutionem Angeli, attulit enim ei nova & inaudita, magna & inconſueta, ſi-
1.
cut patet in ſalutatione Virginis: *Ave,* inquit, *gratia plena.* Nova prorſus & inaudita ſalutatio hujuſmodi, nunquam alicui talia verba nunciata ſunt, tam læta conſilia, tam profunda myſteria. *Ave,* inquit. Ecce Virgo cum tot involverant væ filios Evæ, illa non ſolum ſine væ, ſed cum omni gratiarum plenitudine, ſive in comparatione ad ſe, & ſic dicitur *gratia plena;* ſive comparatione ad ſuperiorem, & ſic dicitur *Dominus tecum;* ſive in comparatione ad inferiorem, & ſic dicitur *benedicta tu.* Sola enim inter omnes ſine væ, & ideo benedicta præ omnibus, & ideo Dominus tecum præ omnibus, & ideo gratia plena: invenit ſi quidem gratiam, & abundanter hauſit, ita quod toti mundo refudit. Vas
2.
ergo plenum tange & refunde ad hoc. Hæc ſunt nova, ſed ſupra conſuetudinem *pariet Virgo.* Sed ne timeas audi exenia majora & mirabilia quæ obtulit in propoſitione nuntij. *Ecce,* inquit, *concipies & paries filium,* &c. Exenium eſt iſtud quod *Virgo concipiet & pariet,* quem & qualem? Salvatorem. *Vocabis nomen ejus Ieſum,* &c. Prolem Dei. *Hic erit magnus,* &c. Regem perennis ſæculi. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris,* &c. Vel mundi redemptorem. *Vocabis nomen ejus Ieſum,* &c. Mundi autem redemptor fuit in patibulo. Mundi judicem: *erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur,* & hoc in judicio, qui modo humilis & filius fabri appellatur. Mundi regem: *Et dabit illi Dominus*
3.
Deus ſedem, &c. Rex autem mundi in cælo. Iſa. 33: *Regem in decore ſuo videbunt.* Sed quomodo fiet iſtud angele quod Virgo pariat? Audi Maria quod implicat majora & incomprehenſibilia: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te,* quia à Spiritu ſancto conſecratur. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* A patre præparatur, *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* A filio imprægnatur, *quod naſcetur ex te ſanctum,* &c. Et ſic fit totius Trinitatis triclinium nobile, verbi tamen incarnati hoſpitium ſpeciale, &
4. Filiis Evæ ob varia
ſic patet quomodo bonum Mariæ. Eſt *etiam* bonum omnibus filiis Evæ. Imo tantum bonum, quod nunquam tantum bonum prius vel poſt nuntiatum eſt. In hac enim legatione, ſicut dicit quædam Homilia, tractatum eſt de incarnatione filij Dei, innovatione legis, reparatione humani generis, expulſione diaboli, ſpoliatione inferni, reſtauratione cæli, aditu paradiſi. Hodie revelatum eſt conſilium quo peccatum originale tollitur, mors occiditur, vita redditur, & homo de domo ſervitutis liberatur, & à Deo in filium adoptatur, ad antiquam patriam reducitur. Si intelligeret mundus quantam gloriam ſibi reparaſſet hæc dies, ſuper omnes dies hunc diem feſtivum haberet. Hæc eſt prima feſtivitas & principium & origo aliarum feſtivitatum. Nota ergo quod bonum nuntium nobis ſimiliter propter tria. *Primo* quod ſatiatur ardor & ſitis antiquorum deſideriorum: & ſicut dicitur. Proverb. 25. *Aqua frigida animæ ſicut bonus nuntius,* &c. *Item* deſtruitur & ſuperatur virtus inimicorum ſicut dicitur 2. Reg. 18. *Bonum nuntium apporto Domine mi Rex, judicavit enim Dominus,* &c. *Item* ſalvatur grex perditorum, & ſic dicitur. Luc. 2. *Annuntio vobis gaudium magnum.*

Filiis Evæ bona eſt hæc dies in tribus potiſſimum. 1. 2. 3.

III.
Si vis amplius procedere poſt nuntium cœleſtis annuntiationis, quod hæc dies recolit, accipe debitum humanæ laudis quod requirit. *Si tacuerimus* inquiunt, *& noluerimus nuntiare uſque mane,* &c. Optime inferunt ex præcedentibus, ubi enim tot ingeruntur gaudia, quomodo locum habent ſilentia? Vide ergo quod tria ſunt reprehenſibilia & damnabilia ex parte noſtra. *Primo* ſi taceremus & ſi celaremus, ideo dicit: *Si tacuerimus,* &c. Iſa. 6. *Væ mihi quia tacui,* &c. Quod fit *tripliciter,* vel *in mente* per defectum recognitionis. Pſal. 76. *Cogitavi dies antiquos,* &c. Pſal. 105. *Obliti ſunt Dominum qui ſalvavit eos.* *In ore* per defectum gratiarum actionis. Pſal. 102. *Benedic anima mea Domino,* &c. *In opere* per defectum dignæ recompenſationis. Pſal 115. *Quid retribuam Domino,* &c. *Secundo* ſi nuntiamus & prædicamus, unde ſubditur, *& non nuntiaverimus.* Tob. 12. *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare honorificum eſt.* Quod fit tripliciter, ſive *ſermonibus* Proverb. 25. *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inveſtigare ſermonem,* &c. ſive *hymnis & canticis.* Coloſſ. 3. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino Canticis ſpiritualibus,* &c. Sive in *converſatione.* Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* *Tertio* ſi nuntiare moramur, & ideo addunt *uſque mane,* &c. Immo nec uſque ad horam nec momentum. *Sceleris,* inquiunt, *arguemur, & ſceleris triplicis. Ingratitudinis ad Virginem* quam privat laudibus ejus. Bernardus, Taceat laudes tuas, qui neſcit miſerationes tuas. 1. Reg. 2. *Quicunque honorificaverit me,* &c. *Iniquitatis ad proximum.* Proverb. 11. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis. Impietatis ad ſeipſum,* quem ex ingratitudine defraudat beneficiis. Eccleſiaſtici 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt,* &c.

Ob tria in hac die reprehenſibiles reddimur.
1. Tripliciter.
2. Tripliciter
3. Triplicis ſceleris.

DE S. AMBROSIO EPISCOPO
SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo omnis in prælatorum exhortatione & inſtructione conſumitur.

Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c. *Matth. 24.* SERMO XLIV.

Exordium. Applicatio thematis ad hoc feſtum.
ECcleſia ſolennizat hodie de uno ſervorum Domini Jeſu Chriſti, ſcilicet S. Ambroſio, quem ipſe ſuper ſervos ſuos conſtituit, qui in miniſterio ſuo bene ſe habuit, & pro illo honorem à Domino accepit. Ideo convenienter ad gloriam Domini

& ſervi & fidelium ædificationem recitantur hodie
Item ſpe cies. in Evangelio verba quibus Dominus tales ſervos
docuit & remunerationem repromiſit. Ad gloriam
ſervi pertinet quod fecit quod docuit; ad gloriam
Domini quod implevit, ſervo quod promiſit, ad
ædificationem fidelium pertinet iſta recitatio; iſta
enim recitatione incitamur ad ſervi imitationem ut
In quatuor puncta dividitur. conſequamur ſimilem remunerationem. In verbis
vero propoſitis *quatuor* nobis Dominus determinat,
primo quales ſervos velit eſſe, *ſecundo* determinat
auctoritatem quam vult eos habere, *tertio* apponit
cui vult eos intendere, *quarto* remunerationem
quam vult eis dare. *Primum* ibi: *fidelis ſervus*: *Secundum* ibi: *quem conſtituit Dominus*. *Tertium*
ibi: *ut det illis cibum in tempore*. *Quartum* ibi:
beatus ille ſervus.

Status prælatorum difficultas. Interrogatione vero inſinuat talium ſervorum
raritatem dicens: *quis putas eſt*, &c. quaſi dicat rarus eſt ſimilis. Eccleſiaſtici 31. *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula, quis eſt hic & laudabimus eum*? Proverb. 20. *Multi miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet*? In illa autem
multitudine regum populi Judæorum de qua loquuntur libri Regum tres boni reges inveniuntur,
alij mali fuerunt. Chryſoſt. Miror ſi quem contigerit de his qui principantur ſalvari in tantis injuſtitiis & tanta pigritia. Altitudo dignitatum eſt
mons in quo ceciderunt fortes Iſraël 2. Reg. 1. Facile obſtupeſcit aliquis ibi. Quam facile eſt in alto
ſe conſtituentem obſtupeſcere & de vita periclitari,
ideo locus ſuperior locus terribilis. Num. 25. *Tolle cunctos principes populi & ſuſpende eos contra ſolem in patibulum*. Gloſſa. Hæc ſi cogitarent homines,
principatus non ambirent. Sufficit pro peccatis
propriis argui & reddere rationem. Supra illud.
1. ad Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, dicit Gloſſa Auguſtinus. Locus
ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, etſi ita
teneatur & adminiſtretur ut decet, indecenter tamen appetitur. Chriſtus fugit volentes cum facere regem Joan. 6. Qui tamen voluntariè venit ad
crucem. Hebr. 12. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem* &c. Legitur de Auguſtino quod fugiebat ab omni civitate in qua non erat Epiſcopus, ne in Epiſcopum ſumeretur. Licet autem hic
locus timeri debeat non ambiri, tamen *quatuor* ad
Tolerabilis redditur per quatuor. hoc faciunt ut ſtatus ille ſit tolerabilis. *Primum* eſt
mandatum Domini. Joan. ult. *Simon Joannis diligis me plus his? paſce oves meas*. Quod mandatum
1. inculcatur cum ſubditur iterum, *paſce oves meas*.
Super illud 1. ad Timoth. 3. Gloſſa. *Si quis Epiſcopatum deſiderat*, &c dicit Gloſſa Auguſtinus. Otium
ſanctum quærit charitas veritatis, negotium ſanctum ſuſcipit neceſſitas charitatis. *Secundum* eſt
2. amor proximo compatiens. Periculoſum eſt ſubvenire naufragantibus; multi tamen amore proximi huic ſe exponunt. Bernardus. De naufragantibus loquens. Si qui, inquit, ad eos forte veniant
ut ſubveniant, non nunquam apprehenſos ſolent
involvere adeo ut jam nec ſibi nec illis auxilium
3. ferre valeant *Tertium* eſt fiducia in principe paſtorum, qui Eccleſiam ſuam cuſtodit. Pſal. 126 *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem*, &c. Vult tamen precibus excitari. Matth. 8. Chriſto dormiente navicula operitur fluctibus, ſed Chriſtus excitatus imperat ventis & mari, & fit tranquillitas. Ex defectu
fiduciæ multi Chriſto periclitantur. Matth. 14. Petrus ambulans ſuper aquas timens ventum mergitur,
4. & de fidei modicitate à Domino increpatur. *Quartum* eſt fiducia in cuſtodia Angelorum Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te*, &c. Iſa. 62. *Super muros tuos Hieruſalem cuſtodes conſtitui*. Bernardus. Benignus es Domine, qui non es contentus noſtrorum
fragilitate murorum, ſed ipſis hominum cuſtodibus Angelorum cuſtodiam ſupponis.

Circa qualitatem ſervorum notandum quod Dominus vult habere miniſtrum humilem & utilem. Primum punctum. Quales eſſe debeat Prælati.
Ad humilitatem pertinet quod dicitur *ſervus*. Ad
utilitatem quod dicitur *fidelis & prudens*. Pauci
inveniuntur qui hoc habent. Pauci verò qui utiliter, pauciores qui humiliter præſunt. Qui ſuper Tres virtutes habere debent.
alios eſt, ſi non eſt eis utilis, eſt quaſi onus projiciendum. Seneca. Illius magnitudo ſtabilis eſt,
quam omnes tam ſupra ſe quam pro ſe ſciunt.
Bernard. Fidelis qui diligit, prudens qui intelligit. Oportet fidelem eſſe, ne fallere velit; prudentem, ne falli poſſit; ſervum ſe reputare, non Dominum. 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti*. Bernardus in Epiſtolis. Si Chriſtus te miſit, æſtimabile eſt te non 1. Humilitas.
miniſtrari, ſed miniſtrare veniſſe. Idem verus ſucceſſor Pauli dicit; quia non dominamur fidei noſtræ, ſed adjutores ſumus gaudij veſtri. Item Bernardus ad Eugenium papam. Non ad dominandum Iſa. 1.
opinor te elevatum, nam & propheta cum ſimiliter elevaretur audivit, ut evellas & deſtruas & ædifices & plantes. Quid horum faſtum ſonat, ruſticam magis vitam. Sudoris ſchemate quodam ſpiritualis ſudor expreſſus eſt. Diſce ergo, ſarculo tibi
opus eſt non ſceptro. Luc. 22. *Qui major eſt veſtrum fiat ſicut junior, & qui præceſſor ſicut miniſtrator. Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*. Univerſaliter ad miniſtrum pertinet humilitas, cum miniſter dicatur minor ſtatu: ſed præcipuè ad miniſtros qui habent humilem Dominum,
qualis fuit Chriſtus. Matth. 11 *Diſcite quia mitis ſum & humilis corde*, &c. Idem. Deus ſe ſubdit hominibus & tu dominari geſtiens tuo te præponis auctori? Auctor ille qui major eſt inter miniſtros
Chriſti, ſervum ſervorum ſe nominat. Fideles vult 2. Fidelitas duplex.
Chriſtus eſſe ſervos ſuos, & pro eo tolerando mala & tractando bona ejus. De illo Eccleſiaſtici 22. 1. Tolerando mala.
Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius, ut in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis. Bernardus. Fidelitas non eſt in
eis qui tam cito diabolo ſe reddunt quam citò tentantur, nec ad Dominum nuntium orationis pro
ſuccurſu mittentes, nec ſuccurſum expectantes.
Tractando bona Domini debet miniſter eſſe fidelis ea conſervando ad utilitatem Domini, ea bene 2. Tractando fideliter bona Domini triplicitèr.
diſpenſando, ea multiplicando. *Primo modo* non
eſt fidelis qui bona Domini ſua facit, vel qui ea ex 1.
negligentia perire permittit. Proverbiorum 24 *Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ*. *Secundo modo* Hoc non facit.
non eſt fidelis qui inde paſcit oculos hominum unde debuit Chriſtum in ſuis membris. Bernardus loquens de Eccleſia. De ſumptibus egenorum ſervit 2. Hoc non facit.
oculis divitum. Inveniunt curioſi quo delectentur,
& non inveniunt miſeri quo ſuſtententur Item qui inde ſe voluptuoſè paſcit, unde dicit Dominus de ſervo malo. *Si dixerit ſervus ille malus, moram facit Dominus meus venire*, &c. *Manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſervi illius in die qua non ſperat & hora qua ignorat & dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis*. Matth. 24 Non 3. Hoc non facit.
ſe habuit Judas fideliter in diſpenſando, qui dabat
uxori & filiis quod dandum erat pauperibus & multiplicandum. Non ſe habuit fideliter ſervus piger,
qui timore perdendi abſcondit pecuniam Domini 3. Prudentia.
ſui. Matth. 25. Prudentes etiam vult eſſe Dominus
ſervos ſuos. Proverb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens*. Chryſoſt. Conſcientia Deo placet, ſapientia hominibus prodeſt ſi tamen fidelis quis fuit,
laicum facit, ſacerdotem autem non facit Eccleſiaſtici 10. *Rex inſipiens perdet populum ſuum*. Proverb. 28. *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam*. Specialiter duæ ſpecies prudentiæ Duæ ſpecies prudentiæ.
neceſſariæ

neceſſariæ ſunt diſpenſatori Chriſti, ſcilicet prudentia quæ nobis commendatur in villico iniquitatis Lucæ 16. & docilitas quæ eſt prudentia docendi imperitos, quam petiit Salomon tanquam ſibi valde neceſſariam qui populum Domini habebat regere. 3. Reg. 3.

Secundum punctum. A quo prælaturam accipere debeant.

Ad auctoritatem pertinet illud: *quem conſtituit Dominus*, &c. Non debet aliquis ſe ingerere. Hebr. 5. *Nec quiſquã aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo ſicut Aaron.* Joan. 10. *Qui non intrat per oſtium in ovile*, &c. Bernardus. Quid mirum ſi infideliter intrat qui non intrat per Chriſtum? A diabolo & non à Chriſto conſtituitur, qui mediante pecunia intrat, vel per preces carnales, vel violentia principum, & principaliter amore terreni lucri.

A Diabolo accipitur quatuor modis.

1. *Simoniacus* qui intrat mediante pecunia multum poſſet dolere cum ſimonia hæreſis nuncupetur. Unde Gloſſa ſuper illud. Matth 21. *Et cathedras vendentium columbas evertit* hinc eſt quod hæreſis ſimoniaca damnatur. Simile habetur. Joan. 12. Qui *vero* per preces carnales intrat maledictus eſt Abac. 2. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus.* Qui *vero* violentiã præficitur principum, dignus eſt
2. terræ hiatu abſorberi vel igne comburi. Num. 16. Chore cum ducentis & quinquaginta de majoribus
3. levitis igne ſucceſſus eſt, quia ſacerdotium rapere voluit. Dathan & Abiron, qui ducatum Moyſi invidebant, terra deſtructa & dirupta ſub pedibus eorum & aperiente os ſuum devorati ſunt cum tabernaculis ſuis & univerſa ſubſtantia ſua, deſcen-
4. deruntque in infernum. Illi *etiam* qui amore temporalium principaliter præficiuntur digni eſſent exuſtione ſicut Nadab & Abiu. Levit. 10. Bernardus. Si quis alienum in divino præſumpſerit offerre officio morietur in iniquitate ſua, etſi patrem habeat Aaron. Eccleſiaſtici 20. *Qui poteſtatem aſſumit injuſte, odietur.*

Tertium punctum. Quid Prælatis agendum ſit.

Operatio cui intendere debent oſtenditur cum dicitur: *ut det illis cibum in tempore*, intellige cibum in tempore ſermonis divini vel exempli boni. *In tempore* additur, quia *omni negotio tempus eſt opportunitatis.* Eccleſiaſtes 8. & Eccleſiaſtici 20. *Ex ore fatui reprobatur parabola, quia non didicit illam in tempore ſuo.* Chryſoſtomus. *Qui ſemper ægrotat, ſemper illi ars medici opportuna videtur.* Item doctrina & conſolatio ſacerdotis ſemper opportuna eſt, maximè autem tempore tribulationis, ſicut navi gubernator ſemper quidem ſed maximè in tempore tempeſtatis, nam in perſecutionibus naturalis intellectus deficit.

Paſcere maximè debent.

Ex hoc verbo, *ut det illis cibum in tempore* perpendi poteſt quod maximè attendendum eſt in paſtore ut paſcat. Ad hoc enim ponitur. Seneca quæ conditio rerum, eadem regula eſt homini, non quam formoſa ſed quam recta ſit quæritur. Hierem. 3. *Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Joan. ult. *Paſce, paſce, paſce.* Eccleſiaſtici 18. *Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* Ejuſdem 37. *Sapiens plebem ſuam erudit,* Ezechiel 34. *Suſcitabo ſuper eos paſtores & paſcent eos.* 1. Petr. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini* Zachar. 11. *Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant, occidebant.*

Quartum punctum. Quam remunerationem & unde habituri ſint.

Ad remunerationem pertinet, *beatus ſervus ille, quem cum venerit Dominus ejus invenerit ſic facientem*, ſcilicet in cura gregis vigilantem & cibum ei ſpiritualem fideliter miniſtrantem. Et ſubditur. *Amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Interlin. Non ut ſolus, ſed ut præ cæteris æterna habeat gaudia. Chryſoſtomus. Unuſquiſque pro ſuo bono remuneratur, ſacerdos autem pro bonis omnium, habebit enim pro bonis propriis aureolam, & ex acquiſitione aliorum aureolas. 1. ad Theſſal. 2. *Quæ eſt ſpes noſtra & gaudium aut corona gloriæ, nonne vos?* Sicut agricola habet ſpem magnam in agros quos bene excoluit & ſeminavit, ſic prælatus in ſubditos quos diligenter inſtruxit. Joan. 3. *Majorem horum non habeo gratiam quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*, cum multi prælati diſſimiles ſint, &c.

DE BEATO GEORGIO MARTYRE.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermone iſto thema, quod in 5. dicta dividitur, explicatur.

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, &c. SERMO XLV.
Matth. 16. Luc. 9.

VErbum propoſitum dixit Salvator cum Petrus ejus paſſionem voluiſſet impedire eo loquente de ſua paſſione. *Abſit à te Domine, non erit hoc tibi.* Cui Dominus: *Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis quæ Dei ſunt.* In verbis vero propoſitis Dominus oſtendere voluit, quod non ſufficiebat non impedire quin ipſe pro ſalute noſtra non pateretur, immo eum qui ſalvari volebat oportebat eſſe paratum pro Chriſto pati. Circa verbum propoſitum inſinuatur. *Primo* nobis charitas eorum qui poſt Chriſtum ire volunt. *Secundo* oſtenditur libertas quam habent homines circa hoc ut poſt Chriſtum eant vel non eant, nemo enim cogitur ad eundum poſt eum. *Tertio* ponitur triplex abnegatio. *Quarto* abnegationis ratio. *Primum* ibi; *Si quis*, &c. *Secundum* ibi: *vult.* *Tertium* ibi: *abneget*, &c. *Quartum* ibi: *Qui volunt animas ſuas*, &c.

Matth. 16. Thema quatuor docet.

1. Dictum primum thematis explicatur. Si quis vult venire poſt me.

Circa *primum* notandum quod rarus eſt qui poſt Chriſtum vult ire. Bernardus, quam pauci Domine poſt te ire volunt, cum tamen nemo ſit qui ad te pervenire nolit. Tales volunt facere ſaltum nimis magnum, qui totam vitam volunt tranſilire. Sunt multi qui nolunt poſt Deum ire, aſcenſum deſiderantes, non attendentes quantum præcipitium ſubſecutum ſit Diaboli aſcenſum. Luc. 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Iſa. 14. *In cœlum aſcendentem*, &c. Et ſubditur. *In infernum detraheris in profundum laci.*

Circa *ſecundum* notandum quod liberum eſt homini ire poſt Chriſtum, vel poſt mundum, vel poſt diabolum. Auguſtinus. Meliores judicavit Deus ſervos ſuos ſi ei liberaliter deſerviunt. Magnitudo præmij ſufficere debet hominibus ad incitandum eos ut veniant poſt Chriſtum, & magnitudo tormenti cohibere eos ne eant poſt diabolum; ideo non eſt neceſſaria coactio. Chryſoſt. Si quis aurum daret aut theſaurum proponeret, ſi vocaret cum violentia, multo magis currerent homines quam ſi proponerentur quæ ſunt de cœlis.

Dictum alterum thematis explicatur: abneget ſemet ipſum.

3. Abnegatio triplex.

Circa *tertium* notandum, quod eum qui Chriſtum ſequitur oportet abnegare non ſolum ſua & ſuos, ſed etiam ſemetipſum. Ad *primum* pertinet illud Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ad *ſecundum* illud Matth. 10. *Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Luc. 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem*, &c. *Non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Ad *tertium*, *abneget ſemetipſum*, &c. Hieron. Cur timido animo expectans es Chriſtiane, hæreditatem ſæculi cohæres Chriſti? Servus Chriſti nihil præter Chriſtum habens perfectus es. Vociferatur Chriſtus: *Si quis vult poſt me venire*, &c. Et ego

onuſtus arbitror me ſequi Chriſtum.

Abnegatio ſui duplex

Dupliciter abnegat quis ſeipſum. *Primo* ſeipſum quaſi exuendo, proprium ſenſum & etiam propriam voluntatem diſponendo, ſenſum Chriſti & voluntatem aſſumendo. Sic abnegavit ſe Paulus. Galat. 2. *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Secundo* abnegat ſe, qui ſe non ſuum reputat ſed Chriſti, ad cujus voluntatem vult operari.

Ob quatuor rationes nos abnegare & Deo dare debemus.

Et notandum quod fidelis *quatuor modis* debet ſe abnegare & Deo ſe dare. *Primo* tanquam Creatori à quo corpus & animam mutuo accepit. Sap. 15. dicitur de factore falſorum Deorum: *mutuatus*
1. *eſt ſpiritum qui finxit illos. Secundo* ratione redem-
2. ptionis. Bernard. Cui juſtius mihi vivendum quam ei, qui ſi non moreretur pro me non viverem, & juſtè ſibi vendicat vitam meam, qui pro me poſuit ſuam. Rom 14. *In hoc mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit ut vivorum & mortuorum dominetur.* 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mor-*
3. *tuus eſt & reſurrexit. Tertio* tanquam defenſori, ſicut aliquis tenens caſtrum contra quem tenere non poteſt, reddit caſtrum Domino. Hoſtis noſter inviſibilis valde potens eſt. Job 41. *Non eſt poteſtas in terra, quæ ei valeat comparari.* Nos vero ſumus valde impotentes. Refertur de quodam, qui cum vehementer tentaretur de peccato carnis, nec poſſet amplius ſe tenere, ut ei videbatur, qui proſtratus ante crucem ait: Domine hoc modicum terræ quod à te habeo non poſſum amplius ſervare, reddo tibi ſcilicet corpus meum, defende eam; & ſta-
4. tim ceſſavit tentatio. *Quarto* tanquam reddituro ſe meliorem, lætanter poni debet in Dei ſervitio hæc vita mortalis, ut ab eo recipiatur vita immortalis Sapiens. Non eſt lugenda mors quam immortalitas ſequitur.

Dictum tertium thematis explicatur: tollat crucem ſuam. Varii modi tollendi crucem.

Sequitur. *Et tollat ſuam crucem.* Tempore perſecutionis crux tollitur, cum martyrium toleratur: tempore pacis tollitur crux, cum per abſtinentiam corpus vel per compaſſionem proximi animus affligitur. Crucem abſtinentiæ tulit qui dicebat: *Caſtigo corpus meum*, &c. 1. ad Corinth. 9. Crucem etiam compaſſionis tulit cum dixit, 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* ſecundum Chryſoſt. Crucem tulit, qui ad omne periculum fuit paratus propter Deum ut Paulus Actor. 21. *Ego autem non ſolum alligari, ſed etiam mori paratus ſum pro nomine Domini Ieſu Chriſti.* Crux à cruciatu dicitur, quæ eſt ſemper portanda ut amor Chriſti, oſtendatur.

Crux unde dicatur.

In verbo tollendi duo notanda.

In verbo *tollendi* duo ſunt: ſcilicet manifeſtatio, ut ſit ſenſus *tollat*, id eſt levet.
1. Hierem. 6. *Levate vexillum, quia malum viſum eſt ab aquilone.* Non eſt glorioſum Domino Jeſu cum ejus vexillum non audent portare milites ejus. Illud abſcondunt non audentes pœnitentiam facere
2. niſi ſub mundi converſatione *Secundo* in verbo *tollendi* notatur ſpontanea ſumptio, quod dicitur *crucem ſuam*, & referendum eſt ad hoc ut crux pœnitentiæ aſſumatur quæ congruit aſſumenti. Non omnes naves onerandæ ſunt uno onere ſecundum Chryſoſt. *Suam* dicit, ne putes crucem Chriſti ſufficere ſine tua. Galat. 6. *Vnuſquiſque onus ſuum portabit.*

Dictũ quartum thematis: Sequatur me. Qui crucem tollant & Chriſtum non ſequantur.

Sequitur: *& ſequatur me.* Crucem tollit ſed Chriſtum non ſequitur qui in diaboli ſervitio cruciatur qui quotidianis cruciatibus æternum meretur cruciatum, qui ſcalam quam ad cœlum debuit applicare inferno applicat. Scala in cœlum eundum eſt, cruce ſcilicet, ſi geratur ſicut Chriſtus in cœlum aſcendit per crucem quam tulit Joan. 19 *Et bajulans ſibi crucem.* Cruce ſignari debent Chriſtiani, ſecundum illud Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Ad hoc etiam quod tollens crucem Chriſtum ſequatur pertinet, ut manſuetudinem & omnem patientiam oſtendat, & in cruce pœnitentiæ perſeveret. Non debet ſecum diſpenſare qui crucem aſſumpſit, ut eam deponat. Bernard. Suſpecta eſt mihi fateor tua diſpenſatio, & vereor illudi in hoc regimine diſcretionis à prudentia carnis.

Qui crucem tollant & Chriſtum ſequantur.

4. Dictũ quartum thematis explicatur: qui voluerit animam ſuam &c. Abnegationis ratio & utilitas.

Circa *quartum*, ſcilicet abnegationis rationem notandum quod *qui vult animam*, id eſt, vitam temporalem ſalvare, vitam perdit æternam, & eſt ſimplex relatio, quaſi dicatur agricolæ, frumentum ſi ſervas perdis, ſi ſeminas renovas. Et innuitur in Gloſſa illa quod bona præſentia ſunt bona ſeminalia vel inutilia, parva enim ſunt & non durabilia, unde ſeminanda ſunt ut multiplicentur & conſerventur ſicut frumentum. His duabus cauſis ſervantur dum in Chriſti ſervitio expenduntur, ut in vitam æternam commutentur. Bona etiam quæ ad uſum præſentis vitæ ſeminantur, dum ex eis bona æternæ emuntur, quodammodo ſervantur, quæ in ſe ſervari non poſſent. Bernard. Erras ſi manſuras putas tibi divitias quæ tot per manus hominum tranſierunt. Et ſicut bona hujus mundi ſeminalia, ita & pars mundi in qua ſumus quaſi veſtibulum eſt. & non principalis mundus. Seneca. In veſtiſtibulo hujus mundi habitamus. Bernard. Loquens de hoc verbo: *Qui voluerit animam ſuam, &c.* Prudentius animam perdis ut cuſtodias, quam cuſtodis ut perdas; ideo Dominus docet animas perdere. Gallenus & Hypocrates; ejus conſilio acquieſcas, cujus vis eſſe diſcipulus.

Non capit optatum qui non largitur amatum.

Non accipit æterna bona, qui pro Chriſti amore non vult dare temporalia, &c.

DE BEATO MARCO EVAGELISTA.

SERMO VNICVS.

SERMO XLVI.

Summarium.

Sermo iſte docet quomodo in Chriſto manendum, & quæ commoda ex ejus manſione percipiantur, quæque incommoda ex contrario.

Manete in me & ego in vobis. *Ioan. 15.*

Duo in hoc ſermone aguntur.

VErbum propoſitum pertinet ad tempus Paſchale in quo ſumus, & ad beatum Marcum cujus feſtum celebramus.

1 Spectat ad tempus Paſchale. Quomodo Chriſtus in nobis & nos in illo maneamus.

Ad tempus Paſchale pertinet, quia cum hoc tempore frequenter dicat Eccleſia Chriſto: *Mane nobiſcum Domine, &c.* in verbo propoſito erudimur quomodo Chriſtus retineatur. *Manete in me & ego in vobis.* In Chriſto manet qui amore ei adhæret, & implet hoc ut neque timore boni tranſitorij eum deſerat nec timore mali. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet.* In charitate vero manere eſt mandata Dei ſervare. Joan 15. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Activè & paſſivè eritis diligentes me & dilecti à me. Aliter eſt de dilectione Dei quam hominis. Aliquando qui amat hominem non vult facere ejus voluntatem, ſed potius ejus utilitatem eligens. Sic aliquando pater ſapiens facit filio & medicus prudens infirmo, homo enim aliquando vult quod ſibi non expedit vel ex ignorantia vel ex voluntatis perverſitate. Auguſtinus. Non exaudit ad voluntatem ſed ad utilitatem. Sed Deum amare eſt ejus voluntatem velle & facere, cum ipſe bonorum noſtrorum non egeat, niſi quod expediat. 1. Joan 5. *Hæc eſt charitas ut ejus mandata cuſtodiamus.*

Manſio in Chriſto.

mus. Manſio illa manſio eſt deſiderabilis, manſio *lucida, ſecura, jocoſa, glorioſa, omnibus bonis fertilis. Lucida* manſio. Pſalm 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Deus illuminat hanc manſionem. Apocal 21 *Et lucerna ejus eſt agnus* Non permittit Deus eum qui in ipſo habitat periculosè habitare vel errare. *Secura* ergo hæc eſt habitatio. *qui manet in charitate, in Deo manet.* Auguſt Quid ſecurius? quid times hominem, homo in ſinu Dei poſitus, tu de illius ſinu noli cadere quidquid ibi patieris ad ſalutem tibi valebit, non ad pernitiem. *Jocoſa* eſt. Deum & hominem lætificat, ſecundum illud quod oſtenditur hic. Joan. 15. *Hic locutus ſum vobis ut gaudium veſtrum ſit plenum, & ut gaudium meum in vobis ſit*, ut ſcilicet in præſenti de vobis gaudium ego & vos de me plenè in futuro habeatis.

De obedientia.

Glorioſa eſt. Nuſquam enim glorioſius manet quiſquam quam in Deo. *Omnibus bonis fertilis* eſt, ubi eſt enim obedientia, ibi datur Dei benedictio, & quantum ad mali amotionem & quantum ad bonorum abundantiam. Luc. ult. *Eduxit eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis benedixit eis.* Bethania interpretatur domus obedientiæ. De benedictionibus obedientium habetur. Deuteron. 28. *Veniant ſuper te omnes benedictiones iſtæ & apprehendent te, ſi tamen præcepta ejus audieris. Benedictus in civitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ.*

Manſio in Mundo qualis.

E contrario manſio in mundo iſto, quo ad ſolicitudinem & amorem, habenda eſt tanquam *tenebroſa, periculoſa, ignominioſa, moleſtiis plena, bonis deficiens.*

Tenebroſa.

In tantis tenebris ſunt quod ſeipſos non vident, & quod videtur in eis lumen, in veritate tenebræ ſunt.

Periculoſa.

Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum in regione umbræ mortis manent. Infinitæ cauſæ ſunt pereundi in mundo Bernard. Periculum probat tranſeuntiũ raritas & pereuntium multitudo.

Ignominioſa.

Mundus ſtabulum eſt, unde ejus habitatio ignominioſa eſt.

Moleſta.

Ejus habitatio multas habet moleſtias, in ſpinis enim manet qui divitias diligit.

Infructuoſa.

Manſio iſta infructuoſa eſt, ſicut enim arena terminus eſt maris Marſiliæ, ſic & maris mundi terminus eſt vel finis infructuoſitas. Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis*: Mundi amatores magis onerati de mundo iſto recedunt quam alij. Sterilis eſt hæc habitatio, maledicta eſt manſio talis, ubi eſt defectus boni & abundantia mali. Deuteron. 18. *Si nolueris audire legem Domini Dei tui, &c. venient ſuper te iſtæ maledictiones & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.*

De inobedientiæ incommodis & damnis.

Inobedientia primo aufert homini dominium Bernard. Inobedienti copiam ſui aufert Deus, tantus obedientiæ amator, ut mori potius quam non obedire maluerit. Inobedientia aufert Deo & dat diabolo, cujus ſervum eum efficit. Ideoque merito amittit Deum qui Dominus eſt in quantum Dominus. 1. Regum 15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatria nolle acquieſcere.* Gloſſa: Sola obedientia eſt quæ meritum fidei poſſidet, ſine qua infidelis quiſque convincitur. Gregor. in Moral. Contra creditorem ſuperbiæ eſt præceptum ejus peccando tranſcendere, quia quaſi à ſe jugum Domini excutit cui per inobedientiam ſubeſſe contemnit. Secundo inobedientia aufert homini beneficia Dei. Gregor. Dignum eſt ut ab ejus beneficiis ſit quilibet extraneus, qui ejus nimirum juſſionibus non vult eſſe ſubjectus. Inobedientiam etiam ſequitur multiplex malum, malum culpæ & malum pœnæ. Malum quod invenit inobediens ſibi eſt inferius, quia ſuo ſuperiori non obedit Geneſ. 3. Ideo inobediens moleſtiis etiam ſuis affligitur multis. Unde ſpiritus malignus exagitabat Saül poſt inobedientiam, 1. Reg. 16. Auguſt. in libro Confeſſ. Juſſiſti Domine & ſic eſt ut pœna ſibi ſit inordinatus amor Confuſio etiam ſequitur in inobedient am. Oſeæ 10. *Confundentur Iſrael in voluntate ſua* Iſaiæ 5. *Confundentur omnes qui repugnant ei.* Sequens propriam voluntatem confundetur, id eſt contrarium ei accidet ejus quod intendit: cum enim non habeat gratiam apud Deum & homines, ideo multa non conceduntur ei quæ alij concederentur. Jonas fugere voluit ne iret ad locum ad quem mittebatur, fecit tamen Dei voluntatem licet invitus. Gregor. Ecce Jonam Dei fugitivum tempeſtas invenit, ſors ligat, mare ſuſcipit; & quia auctoris voci obedire renitebatur ad locum quo miſſus fuerat ſuo onere reportatur Qui Domino ſuo non vult ſubjici, hoſtibus ſubjicitur. Joſue. 7. *Anathema in medio Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus.*

II.
Spectat ad Marcum.
Quomodo diſcipuli Chriſti in ipſo & ille in ipſis manſerit.

Ad beatum Marcum pertinet verbum propoſitum, ſcilicet *manere*, &c. quod dictum fuit diſcipulis Chriſti, qui pro ipſo omnia reliquerunt, quibus tribulatio imminebat & in capite ſuo & in ipſis. Diſceſſurus erat Chriſtus ab eis, propter quod exoſi facti ſunt hominibus. Voluit ergo cum eis Chriſtus manere, ut in eo manerent, non recedentes ab eo deſiderio eorum quæ reliquerant, aut timore tribulationum quæ eis imminebant, ſed ut ei adhærerent obediendo ei, licet ipſe recederet ab eis quantum ad corporalem præſentiam, cum eſſet cum eis voluntatem eorum implendo, unde ſubdit. *Si manſeritis in me & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Item *ſi manſeritis in me*, mecum in tribulatione perſeverando, *& ego in vobis manebo*, in futuro beatificando. 2 Corinth. 1. *Si ſocij fueritis paſſionum, ſocij eritis conſolationum* Hanc admonitionem bene adimplevit beatus Marcus, qui in tormentis ab eo ſeparari non potuit.

S. Marcus cur per leonem figuratus ſit.

Ipſe convenienter per leonem figuratus eſt. Ezech. 1. & Apocal. 4. non ſolum propter miniſterium, ſed etiam propter ſtrenuitatis exemplum. Proverb. 28. *Juſtus confidens abſque terrore erit.* Ejuſdem 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.* Gregor Juſtus ut Leo confidit, quia eum diligit quem nemo invitus amittit.

DE BEATO PETRO MARTYRE.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone quatuor dicta thematis exponuntur & S. Petro Martyri accommodantur.

SERMO XLVII.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. 2. *ad Timoth.* 4.

S. Petrus Martyr ſimilis fuit S. Paulo Apoſtolo in 4. dictis thematis.

VErba ſunt Pauli prædicentis ſuum martyrium, & ſatis competunt beato Petro martyri, de quo hodie ſolennizamus, qui in multis ſimilis fuit Paulo. Sicut enim Paulus ultimus fuit Apoſtolorum, ſic iſte temporibus noſtris ultimus fuit martyrum. Similis fuit ei in vita, quia ſanctam vitam celibemque duxit. Similis fuit ei in morte, Paulus occiſus eſt capitis obtruncatione, ille capitis vulneratione. Similis in cauſa mortis, quia pro fide occiſus eſt. Similis in coronatione, quia præter communem gloriam cum Paulo habet ſpecialem coronam Virginum, prædicatorum, martyrum. Hæc quatuor in verbis propoſitis per ordinem tanguntur. Ad vitam bonam pertinet illud: *bonum certamen certavi,* &c. Ad mortem glorioſam illud: *Curſum conſummavi.* Ad cauſam mortis illud: *fidem ſervavi.* Ad gloriam poſt mortem illud: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ,* &c.

Primum dictum explicatur

Certamen bonum certavit, quod eſt quaſi quodam bellum, juxta illud. Job. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, non ait *ſub terra* quia ibi captivitas. Non ſuper cœlum, quia ibi ſecuritas, ſed ſuper terram, ubi eſt locus & quaſi tempus certaminis Bernard. in Serm. Illa eſt domus lætitiæ, iſta militiæ, hæc inquam vrbs fortitudinis noſtræ. Illa eſt civitas requiei noſtræ. Propterea ſi victorioſi fuerimus hic, illic erimus glorioſi. habentes loco galeæ diadema, ſceptrum palmam pro gladio, pro ſcuto chlamidem deauratam, pro thorace ſtolam jucunditatis. Bernard. In mundo iſto quaſi in ſtadio certaminis ſumus poſiti. Cuſtodes hujus campi ſunt Angeli Militiæ ſunt principium annorum diſcretionis & mors corporis Extra campum parata eſt corona victoribus in cœlo, victis patibulum in inferno. In hoc campo tria nobis indicuntur certamina juxta illud.

Triplex certamen contra tres hoſtes, maximè carnē explicatur.

Mundus caro, dæmonia,
Diverſa movent prælia.

Habemus enim contra carnem quaſi bellum inteſtinum, cum mundo quaſi bellum civile, cum diabolo quaſi bellum hoſtile. Inſtruit caro contra nos aciem carnalium motuum, mundus aciem temporalium tribulationum, diabolus aciem ſpiritualium tentationum. Primum igitur certamen movet caro ſecundum illud Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*. Gloſſa. Hoc in bonis manifeſtum eſt, in quibus eſt ſpiritus Dei. *Spiritus autem adverſus carnem*, ſed non eſt diffidendum, quia ſpiritus id eſt ratio gratia Dei adjuta concupiſcit adverſus carnem. Nec non illud eſt vitium cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, cui ultimo contraria virtus eſt, cum ſpiritus concupiſcit adverſus carnem In hoc certamine multos caro vincit, etiam qui fortes videbantur. Multos vulneratos per malam concupiſcentiam dejecit per operis expletionem, fortiſſimi quoque interfecti ſunt ab ea. Exemplum de Samſone, quo nemo fortior; David, quo nullus manſuetior; Salomone, quo nemo ſapientior. Hoc inſtruit contra nos aciem carnalium motuum. Rom. 7. *Video aliam legem*. Gloſſa, ſcilicet fomitem peccati, qui regnat in membris meis, ut in oculo ad concupiſcendum, in manu ad operandum & hujuſmodi, *repugnantem legi mentis meæ*, id eſt legi & rationi meæ conjunctis in unum, *& captivantem me* per conſenſum & operationem *in legem peccati*, id eſt in peccatum, *quæ eſt in membris meis*, id eſt in carne. Hanc hoſtem vicit beatus Petrus. Legitur enim de ipſo, quod carnem ſuam aſſidua cibi & potus parcitate reſtrinxit, & in Deum juſtificationibus aſſiduè exercebatur. Nocturnam quietem convertebat in ſtudium lectionum, & ſomni tempus vigiliis occupabat; dies autem impendebat commodis animarum, vel prædicando, vel confeſſiones audiendo, vel contra hæreticos diſputando, unde virginitatem integrè cuſtodiſſe, nec mentis habuiſſe corruptelam nec corporis. & nullius mortalis criminis ſenſiſſe contactum, & quia virgo & corpore & mente permanſit, corpus ejus poſt mortem Dominus diu integrum ſervavit, nam populis poſt annum ſine corruptione & fætore oſtenſum fuit, quia adhuc adoleſcens mundum reliquit, ideo eum Dominus vivum honoravit Inſultus diaboli vicit, quia voluntatem ſuam humiliter alienæ ſubjecit, religionem intrans & pro obedientia Romanæ Eccleſiæ periculo mortis ſe exponens, ideo merito ſuper dæmones ſuperbos poteſtatem accepit, unde multas poſſeſſas dæmoniacas mulieres liberavit.

Quomodo S. Petrus carnem vicerit.

Quomodo diabolum vicerit.

Secundum dictum explicatur & S. Petro accommodatur.

Curſus conſummatio fuit mors ejus glorioſa. Auguſt. Nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ quam curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare vel tardius ire permittitur, ſed omnes pari motu urgemur, ſicut aquæ ad mare currunt, ſic homines ad mortem. Delitio hujus curſus eſt mors peccatorum, qui in fine hujus curſus cadunt in infernum, ideo mors peccatorum peſſima. *Mala* eſt eorum nativitas in originali, *pejor* eſt vita in criminali, *peſſima* mors in mortali. Conſummatio curſus ſanctorum eſt mors de qua in Pſalm. 151 *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. Quæ *triplex* eſt: ſcilicet *bona* eorum qui moriuntur in Domino. Apocal. 14. ſcilicet in fide Domini & confeſſione. *Melior* eorum qui moriuntur cum Domino, ſcilicet in cruce aſperæ pœnitentiæ, ſicut ſunt religioſi & latro dexter. *Optima* eſt eorum, qui moriuntur pro Domino, ſcilicet martyrum. Beatus Petrus mortuus fuit bona, quia in Domino, id eſt in fide, unde ait *in manus tuas Domine*, &c. & dixit Symbolum fidei. *Item* morte meliori, quia in aſpera religione, in qua fere 30. annis converſatus eſt. *Item* morte optima, quia effuſo ſanguine pro Chriſto datum eſt ei illud donum de quo Philip. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam pro illo patiamini*. Multum deſiderandum eſt hoc donum. 2. Reg. 18. *Quis mihi det ut moriar pro te?* &c.

Mors peccatorum triplex.

Pſalm. 115.

Mors juſtorum triplex

S. Petri mors talis triplex. 1 2 3

Cauſa mortis fuit conſervatio fidei. fides fundamentum Eccleſiæ. Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ideo nititur diabolus eam deſtruere, & quaſi fundamentum Eccleſiæ diruere, ideo ſancti multum nituntur eam conſervare juxta illud. Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, ut ſcilicet corpus pro capite exponatis pro fide Chriſti ſcilicet. Pro hac plantanda occiſus eſt Chriſtus, pro hac dilatanda Apoſtoli, pro defendenda martyres primi, pro conſervanda ab erroribus doctores. Hic martyr noviſſimus fidem non ſolum ſervavit in corde credendo, ſed etiam ore contra hæreticos ferventiſſimè prædicando & defendendo, etiam in opere martyrium ſuſtinendo. Ipſe ſemper orabat ut non permitteretur mori, niſi pro eo ſanguine fuſo & cum pro fide mortuus ſit, poſt mortem glorioſus vixit, juſtus enim ex fide vivit. Vita ejus per motum, id eſt per opera patuit & per miracula. Sanctus Petrus poſt mortem multos hæreticos convertit, ſimilis Samſoni qui moriendo Philiſtæos interfecit. A corporalibus etiam infirmitatibus multos liberavit, hydropicam ſanavit, puerum qui de alto ceciderat liberavit, detractorem ſuum curavit, puero muto loquelam reſtituit.

Tertium dictum explicatur etiam de S. Petro

Rom. 1.

Glorioſè poſt mortem eſt coronatus corona juſtitiæ. Jacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe*, &c. Pſalm. 8. *Gloria & honore coronaſti eum Domine*. Gloria communi omnium ſanctorum & honore ſpeciali aliquorum. ſcilicet corona ſpeciali Virginum. de qua Cantic. 4 *Veni de libano, veni coronaberis*. Gloria ſpeciali doctorum. Phil. 4. *Gaudium meum & corona*. Gloria ſpeciali martyrum. Apoc. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Quaſi triplici coronæ coronatus eſt, liliorũ, violarum & roſarum. Quem Dominus ſic honoravit in cœlis, honoremus & nos in terris, ut ejus precibus ad cœleſtem gloriam perveniamus.

Quartum dictum ibidem etiam de S. Petro explicatur.

S. Petrus coronatus fuit corona communi & triplici ſpeciali.

DE SANCTIS PHILIPPO ET JACOBO.

SERMO VNICVS.

Summarium.

Oſtendit hic ſermo, occaſione thematis, potiſſimum peccatorum inſaniam ex quinque.

SERMO XLVIII. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, &c. *Sap. 5.*

Ecclesia ſolennizans hodie de duobus Apoſto-
lis, ſcilicet Philippo & Jacobo, ponit ante
oculos cordis noſtri ſublimitatem gloriæ quam à
Domino ſuſceperunt & humilitatem miniſterij
quod ei exhibuerunt, finem viæ ad quem venerunt,
& viam per quam venerunt. Cognitio finis viæ
dirigit in electione viæ. Error vero circa finem
viæ errare facit in eligendo viam, quia neſcit quam
viam tenere debeat. Multi vitam ſanctorum repu-
tant inſaniam & ſtultorum vitam, vitam vero ma-
lorum ſapientiam, non attendentes fines ad quos
tendunt. Si fines agnoſcerent aliter judicarent, ſic
apparet ex verbis propoſitis eorum qui in inferno
Tria ex themate tractanda, proponuntur quorum tantum primum tractatur, alterum in fine ſermonis perſtringitur, tertium planè omittitur.
ſunt, qui peccaverunt. In quibus nobis oſtendi-
tur *primo* error quem in hoc mundo habuerunt
de vita ſanctorum ibi: *nos inſenſati*, &c. *Secundo*
error quem habuerunt circa finem viæ ibi: *finem
illorum ſine honore. Tertio* recognoſcentes verita-
tem quam in inferno agnoſcunt ibi: *Ecce quomodo
computati ſunt inter filios* Dei.

Circa primum notandum quod *quinque modis*
poteſt manifeſtari inſania eorum qui malè vivunt.
Primo teſtimonio reproborum, qui jam in inferno
ſunt. Fortiſſimum teſtimonium eſt quod aliquis
I. Inſania male viventiũ ex 5. oſtenditur.
perhibet contra ſeipſum. Ignis infernalis tales ex-
citavit & aperire fecit oculos ut veritatem cogno
ſcant & recognoſcant oculis quos culpa aperit.
Efficax eſt teſtimonium ejus qui in carcere Domi-
1. Ex teſtimonio damnatorum.
ni poſitus eſt. Sic in gravi infirmitate latrones
cum torquentur veritatem confitentur. Sap 2. *Con-
tumelia & tormento interrogemus eum. Secundo*
2.
quod ſimpliciter ſtultus eſt qui ignorat quod debet
ſcire, ſed pluſquam ſtultus eſt & quaſi inſanus, qui
ignorat & neſcit ſe ignorare. Talis ſtultus eſt & cre-
dit ſe ſapientem eſſe, qui multum eſt longè à ſa-
pientia. Qui enim credit ſe habere eam, nec eam
quærit, nec acquirit, & cum ſtultitiam ſuam putat
eſſe ſapientiam, pro nullius ſapientia eam relin-
quit. Gregor. de talibus. Tanto inquit à Deo lon-
gè ſunt, quanto in ſe humiles non ſunt. Proverb.
26. *Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, magis ſpem
illo habebit inſipiens* Mira cæcitas eorum qui nec
3. Ex peccantium triplici ſtultitia.
cæcitatem ſuam vident. *Tertio* quia triplex appa-
ret ſtultitia vel inſania alicujus, *circa ſua*, vel *cir-
ca ſuos*, vel *circa ſeipſum*. Qui peccat ſimpliciter
1. Circa ſua.
agit *circa ſua* ad modum Eſaü, modica comeſtione
hæreditatem ſuam amittentis. Geneſ. 25. Amittit
etiam omnia bona ſua quæ ſunt, & partem ſuam
de omnibus bonis Eccleſiæ. Pſal. 118. *Particeps ego
ſum omnium timentium te.* De quo mortali pecca-
to verum eſt illud Job 31. *Ignis eſt uſque ad con-
ſummationem devorans.* Filius prodigus devoravit
omnem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus viven-
do luxuriosè Luc. 15. Stultè ſe habent circa ſua, qui
ſuper ſpinas peccatorum ſeminant Una ſpina mor-
2. Circa ſuos
talis peccati omnia bona ſuffocat. Hierem. 4. *No-
lite ſerere ſuper ſpinas. Circa ſuos* fatuè ſe habet in-
3. Circa ſeipſum.
terficiens uxorem ſuam & filios & filias & ſervos
& ancillas, faciens eos conſentire uſuris vel alij
mortali peccato. *Circa ſe* fatuè habet peccator ma-
num in ſemetipſum injiciens & ſeipſum occidens.
Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam ſuam.*
Quis inſanum non reputat illum, qui requiſitus,
quo eat, dicat vado ſubmergere vel ſuſpendere me.
Qui in mortali peccato eſt facit quotidie unam die-
tam ad infernale ſuſpendium. Item quis inſanum
non dicat eum, qui ſpinas unde comburendus eſt
voluntarie congregat. Spinæ illæ ſunt peccata.
Quarta inſania illa poteſt dici vel oſtendi per hoc
quod in peccatoribus multa ſigna apparent quæ in — 4. Ex ſignis variis inſanorum.
inſanis ſolent inveniri. In aliquibus invenitur ri-
ſus nimius quaſi phrenetici. Proverb. 2. *Lætantur
cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* In
aliis timor immoderatus quaſi lunatici. Levit. 26.
Terrebit eos ſonitus folij volantis. Hoc accidit in il-
lis qui pro verbis hominum dimittunt ſervire Deo.
In aliis vero eſt ira immoderata quaſi in areptitiis
qui Deum blaſphemant & ſibi & chariſſimis ſuis
maledicunt. In aliis vero eſt inſania ſimilis inſa-
niæ illius qui credebat ſe caput non habere, cum
tamen videret, biberet & comederet & audiret,
quæ à capite ſunt. Quidam enim ſic ſe habent
ac ſi animam non haberent, quæ eſt quaſi caput
hominis, quia excellentior pars. Ad literam, non
poteſt perſuaderi, quod habeant animam, cum
tamen guſtent, videant, audiant, quod eſt ab ani-
ma. Hoc ipſum quod dubitant an animam habeant,
animæ eſt. *Quinto* poteſt oſtendi inſania diſcur-
rendo per ſingula vitia. I*nſania ſuperbi* patet per — 5. Ex variis vitiis.
hoc, quod ſe, qui nihil eſt, aliquid magnum pu-
tat. Galat. 6. *Qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit,* — 1. Superbia.
ipſe ſe ſeducit. Item ex hoc quod vanam gloriam,
quæ nihil eſt, in ea expendit, ex quibus gloriam
Dei potuit habere. Joan. 8. *Si ego glorifico meipſum
gloria mea nihil eſt.* Item ex hoc quod ab ore Dei
famelico damnabiliter ſubtrahit, unde oculos ho-
minum inutiliter paſcit. Item ea expendit, unde de-
bita ſua pro quibus in horrendo carcere ponendus
eſt, ſolvere potuit. *Inſania invidi* patet ex fatuitate
ipſius. Item ex hoc quod venenoſis ſe paſcit, ſalu- — 2. Invidia.
bria vero quaſi abominabilia relinquit. *Inſania ira-
cundi* patet ex hoc, quod ira furor brevis eſt. Ira- — 3. Iracundia.
cundus igne iræ ſe & ſua incendit; ipſe etiam ſe oc-
cidit ut tunicam hoſtis ſui perforare poſſit, unde
Gloſſa ſuper illud. Pſal 36. *Gladius eorum intret
in corda ipſorum*, ita inſaniunt quaſi quis per cor-
pus ſuum gladium mittat ut tunicam alterius ſcin-
dat. I*nſania accidioſi* patet ex hoc, quod pigritia
excutiendi ignem infernalem qui ſupra ſe cecidit, — 4. Acedia.
ſe comburi permittit. Bernard. Abſcondi ignem in
ſinu meo, & exuſto jam latere, jam nudatis viſceri-
bus & ſanie defluente adhuc conſulendum eſt an
excutiam illum. *Inſania guloſi* quantum ad ebrioſos
patet. Seneca. Nihil aliud eſt ebrietas, quam vo- — 5. Gula.
luntaria inſania. Oſeæ 7. *Cœperunt principes fure-
re à vino.* Item inſania guloſi patet quantum ad eos
qui ex guloſitate ſua mortifera comedunt, ut rem
furtivam, vel rapinam, vel per uſuram male ac-
quiſitam. *Inſania* etiam *luxurioſi* patet, qui præ
omnibus amat gladium quo à diabolo occidatur; — 6. Luxuria.
ſcilicet fatuam mulierem. Gregor. Ignea eſt ſpecies
mulieris. *Inſania cupidi* patet, quod exquirit mul-
tos laqueos occultos, ſcilicet uſuræ vel ſimoniæ, — 7. Avaritia.
quibus ſe perimat. Proverb. 27. *Cor iniqui exquirit
mala.* Item ex hoc, quod cum re furtiva ad judi-
cem ſæviſſimum non timet ire, dum non vult
malè acquiſita reſtaurare, potius eligens ſuſpendi
quam ea reſtituere.

Sequitur. *Vitam illorum æſtimabamus inſaniam.*
Sanctiſſimos mali reputaverunt inſanos, ut Chri- — Iudicium malorum contemnendum.
ſtum & Joannem Baptiſtam. Joan. 8. *Nonne benedi-
cimus nos quia Samaritanus es tu & dæmonium ha-
bes:* Matth. 11. *Venit Ioannes neque manducans neq;
bibens, & dicũt dæmoniũ habet.* Scilicet oportet viros

ſanctos non moveri ad talia judicia, ſed contemne-
re. 1 Theſſal. 3. *Miſi vobis Timotheum*, &c. *Nemo*
veſtrum moveatur in tribulatione, ipſi enim ſcitis
quod in hoc poſiti ſumus. 2. Reg. 14. *Sicut Angelus*
Dei ſic eſt Dominus meus rex, ut nec benedictione nec
maledictione moveatur. Matth. 5. *Beati eſtis cum ma-*
ledixerint vobis homines, &c. Vituperium malorū
laus eſt, & laus eorum vituperium. Seneca. Tam
turpe ſit tibi laudari à turpibus, quam laudari ob
turpia. Item malis placere, laudari eſt à turpibus.
Cur boni non agant inſipienter. Æſtimant mali bonos in contemptu temporalium
inſipienter agere, non attendentes quod non agat
inſipienter cambitor qui monetam minus valentem
dat pro magis valente. Tota verò temporalia bona
dat pro æternis. Non facit inſipienter, qui frumen-
tum ſuum ſeminat, ut illud renovet & augeat, nec
qui theſaurum ſuum ponit in loco ſecreto Matth. 6.
Theſaurizate vobis theſauros in cœlo. Item non agit
inſipienter qui in ſervitio alicujus expendit runci-
num ſuum lentem, pro quo ſuſcepturus eſt ab eo
velociſſimum dextrarium.

II. Cauſam erroris circa vitam bonorum & malo-
rum circa finem nota, de quo ſubditur: *& finem il-*
lorum ſine honore. Boëtius. Non quod rectum eſt
ante oculos ſufficit intueri, rerum exitus prudentia
metitur. Proverb. 12. *In ſemita juſtitia vita, iter de-*
vium ducit ad mortem. Eccleſiaſtici 21. *Via peccan-*
tium complanata, & in fine illorum inferi & tene-
bræ & pœna.

DE INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic quinque puncta circa thema pertractat.

SERMO XLIX. Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt; his autem qui ſalvi fiunt virtus Dei eſt.
1. Corinth. 1.

Circa thema V. Puncta tractantur. CIrca verbum propoſitum ad ædificationem no-
ſtram *quinque* ſunt nobis attendenda. *Primo*
ratio hujus diverſitatis, quod ſcilicet prædicatio
crucis aliquibus eſt ſtultitia, aliquibus virtus Dei.
Secundo qui ſunt iſti pereuntes. *Tertio* id quod eis
eſt ſtultitia ſecundum veritatem eſt ſapientia, &
quod eis eſt ſapientia judicio Dei eſt ſtultitia. *Quar-*
to qui ſunt iſti qui ſalvi fiunt. *Quinto* quomodo
crux Dei virtus Dei eſt.

I. Ratio primi eſt diverſa diſpoſitio cordium, ſicut
enim unus cibus uni eſt dulcis, alteri amarus propter
diverſas palati diſpoſitiones, ſic eadem res uni eſt
virtus alteri ſtultitia. Auguſtinus. Palato non ſano
pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris
odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.

II. Circa ſecundum notandum quod pereuntes di-
cuntur mundi ſapientes. Unde Gloſſa ſuper verbum
propoſitum, cum diceret ſapientibus, dicit pereun-
Mundanos facile perire per tria oſtenditur. tibus. Quia ſapientes hujus mundi ſunt pereuntes
tripliciter poteſt intelligi & manifeſtari. *Primo* per
1. hoc quod mare hujus mundi eſt valde periculoſum,
quod manifeſtat raritas tranſeuntium & multitudo
pereuntium. In mari Marſiliæ de quatuor navibus
vix perit una, in mari hujus mundi de quatuor
animabus vix evadit una. Et ſicut in mari vel in alta
aqua accidit, quod illi qui habent peritiam natan-
di multoties periclitantur, unde proverbium eſt,
quod natator bonus ſit ſui ſubmerſor. Confidens
enim de peritia natandi periculum non timet, un-
de aliquando ibi remanet. Sic etiam ſapientes hu-
jus mundi in profundo ipſius converſantur, nul-
lum mundi periculum timentes, & ideo frequen-
ter pereunt. Si veram ſapientiam haberent, peri-
culoſa timerent. *Secundo* poteſt hoc manifeſta- 2.
ri per verbum Bernardi dicentis. Quibus aſſimila-
bimus homines generationis hujus, aut quibus
comparabimus illos quos à terrenis videmus &
corporalibus avelli non poſſe? profecto ſimiles ſunt
iis qui ſubmerſi periclitantur in aquis, qui nimi-
rum tenentes nec ulla ratione quod primum ma-
nibus occurrit dimittentes quicquid ſit illud; licet
ſit tale quod prodeſſe omnino non poſſit, & ſi qui
forte ad eos ut ſubveniant veniunt, apprehenſos
ſecum tenent, ut nec ſibi nec ipſis auxilium ferre
valeant. In hoc magno & ſpacioſo mari miſeri
dum perituris adhærent, omittunt ea quibus ap- 3.
prehenſis ſalvare poſſent animas ſuas. *Tertio* po-
teſt demonſtrari per hoc, quod tales ſunt ſimiles
homini molam aſinariam ligatam in collo haben-
ti, jam in aquam projecto, quia non ſolum habent
lapidem centum talentorum collo ligatum, ſed
unam domum amoris vinculo habent cordi liga-
tam, unde amici eorum deberent eos redimere &
antequam permitterent eos perire, quilibet deberet
ad hoc adjuvare de ſuo. Uxor vero promittere debet
de cætero ſe parcè victuram, ut maritum ſuum ſic vi-
deret evadere.

Circa tertium notandum quod principium ſa- III. Pſal. 110.
pientiæ ſit timor Domini & ſint duo genera malo-
rum, ſcilicet malum culpæ & malum pœnæ. Sa-
pientiæ mundanæ principium eſt timor mali, ſcili-
cet pœnæ, quod cum non ſit verum malum ſed bo-
num tanquam illud quod eſt à ſummo bono, ſcili-
cet Chriſto, & ducat ad ſummum bonum ſecun-
dum illud Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad
Deum citius nos ire compellunt, patet hoc quod
ſapientia hujus mundi verè ſtultitia eſt. Non enim
timenda ſunt mala pœnæ, immo amanda & am-
plectenda exemplo Chriſti, *qui propoſito ſibi gaudio*
ſuſtinuit crucem. Hebr. 12. Item 1. ad Corinth. 1.
Quod ſtultum eſt Deo, ſapientius eſt hominibus. Cum
vero malum culpæ verè malum ſit, quod perfectè
Chriſtus cavit, ſapientia Dei, cujus principium eſt
timor hujus mali, vera ſapientia eſt. Ante Chriſti
paſſionem malum pœnæ timebatur, malum vero
culpæ à multis non timebatur nec cavebatur, immo
Chriſtus cruci affigi voluit ut veram ſapientiam quæ
eſt in ſuſtinendo mala pœnæ & cavendo mala cul-
pæ doceret. IV.

Circa quartum notandum quod ſecundum Gloſ-
ſam, qui ſalvantur ſunt credentes in ipſum Joan. 3.
Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto ita exal-
tari oportet filium hominis, ut qui credit in eum, &c.
Aliter tamen qui ſalvi fiunt poſſunt intelligi humi-
les. Unde ſuper illud. Joan. 6. *Hæc eſt voluntas*
ejus qui miſit me patris, ut omne quod dedit mihi pa-
ter non perdam, dicit Gloſſa. Datus eſt mihi humi-
lis, de tumentibus perit, de puſillis nihil. Gregor.
Evidentiſſimum eſt ſignum reproborum ſuperbia,
electorum humilitas. V.

Circa quintum notandum quod hoc quod crux Crux Dei virtus dicitur ob quinque.
Dei virtus dicitur poteſt referri ad *quinque*. *Primo*
ad hoc quod Chriſtus in cruce diabolum vicit, &
hominem ab illius poteſtate liberavit & mortem 1.
deſtruxit. 1. Corinth. 1. *Quod infirmum eſt Dei, for-*
tius eſt hominibus. *Secundo* ad nobiles triumphos 2.
quos viri ſancti habent per patientiam. Proverb.
16. *Melior eſt patiens viro forti.* Senec. Magni ani- 3.
mi eſt injurias in ſumma patientia pati. *Tertio* ad
hoc quod ſignum crucis vel memoria multum va-
let contra tentationes. Origen. Tanta eſt virtus
crucis ut ſi mente fideliter habeatur, nulla pecca-
ti prævalere valeat invidia. Si continuo ad memo-
riam ejus revocemus triumphum, totius effu-
giet peccati & mortis exercitus. Nullus dæmonum

prope ſtare poteſt, videns gladium in quo devictus eſt atque dejectus. Et *notandum* quod quatuor ligna dicuntur fuiſſe in cruce Domini. *Cedrus, Cypreſſus, Oliva, Palma*, in quibus deſignatur quadruplex efficacia quam habet ſignum crucis vel memoria. *Prima* eſt quod fugat malas cogitationes, quod deſignatur in cedro, quæ dicitur fugare ſerpentes. *Secunda* quod in tribulatione præſtat conſtantiam, quod deſignatur in Cypreſſo quæ nullius venti impulſu comam amittit, ut dicit Gloſſa ſuper illud Eccleſiaſtici 24. *Sicut Cypreſſus in monte Sion.* *Tertia* amaritudinem pœnitentiæ nobis temperat, quod deſignatur in oliva, cujus liquor eſt cibi condimentum. *Quarta* eſt quod de hoſte triumphat, & eum fugat, quod ſignatur in palma, unde victores ſolent coronari. In his quatuor caſibus cruce nos conſuevimus defendere, vel cum aliqua mala cogitatio ſurgit, vel cum aliquod periculum ſubito emergit, vel cum dolor aliquis nos arripit, vel cum aliquod fantaſma Diaboli ſe noſtris ſenſibus objicit. *Quarto* poteſt referri ad miracula, quæ ad ſignum crucis facta ſunt in Inventione ſanctæ Crucis, de qua hodie ſolennizamus. Ad contactum Crucis dominicæ mortuus unus ſuſcitatus eſt. Cum enim tres cruces inventæ eſſent, & dubitaretur quæ eſſet Crux Domini, & tactus fuiſſet mortuus crucibus latronum, qui cum ipſo fuerant crucifixi, ad tactum ſolius Crucis Domini ſurrexit. *Quinto* poteſt referri ad virtutem, quam habet crux in benedictionibus. Ideo nullus verecundetur cruce, cui conferamus eam ut coronam, etenim omnia quæ ſecundum nos ſunt, per crucem perficiuntur, regeneratio & conſecratio, &c.

Quatuor ligna materialia crucis ſpiritualiter explicantur

Ob hæc quatuor cruce nos ſignamus.

4.

5.

DE S. JOANNE ANTE PORTAM LATINAM.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte tria tractat de S. Ioanne.

SERMO L. Converſus Petrus vidit alium diſcipulum quem diligebat Jeſus ſequentem, qui & recubuit ſuper pectus ejus & dixit, Domine quis eſt qui tradet, &c. *Ioan. ult.*

Tria de S. Ioanne tractantur.

FIlius Dei, qui venit in mundum ut mundum erudiret, multos diſcipulos habuit, inter quos unus chariſſimus fuit Joannes, de quo ſolennizamus. Qualis autem hic diſcipulus fuerit oſtenditur nobis in verbis propoſitis, in quibus *primo* apparet ejus *humilitas*, referens enim de ſe quæ faciunt ad ejus laudem, ſe non nominavit. *Secundo dilectio* Magiſtri ad eum ibi: *quem diligebat Ieſus, qui & recubuit ſupra pectus eius.* *Tertio auctoritas* ejus ad alios diſcipulos ibi: *& dixit, Domine quis eſt qui tradet te?*

I. Humilitas eius.

Humilitas apparet in hoc, quod de ſe tanquam de altero loquitur. Simile habes de Paulo. 2. Corinth. 12. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum uſque ad tertium cælum.* Omnis laus in proprio ore ſordeſcit, ideo dicitur. Proverb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum.* Ad verè humilem *tria* pertinent. *Primum* eſt ut bona ſua abſcondat ſecundum illud. Matth. 6. *Cum oraveris intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora patrem tuũ in abſcondito.* E contrario ſuperbi bona ſua oſtendunt, ut Phariſæus Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbatho,* &c. *Secundum* eſt ut mala ſua & defectus cognoſcat & confiteri non erubeſcat, ut faciebat Paulus 1. Corinth. 15. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* 1. Timoth. 1. *Qui prius blaſphemus fui & perſecutor & contumelioſus,* &c. E contrario ſuperbus mala ſua palliat & tegit, ut Adam. Geneſ. 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno vitæ & comedi.* *Tertium* eſt verus humilis mala ſua recognoſcendo & bona ſua abſcondendo vilis vult reputari, non humilis prædicari, ſecundum verbum Bernard. E contrario ſuperbus ſi qua opera facit humilia, ex eis videri appetit, ſecundum illud: glorioſa res eſt humilitas, qua palliari appetit ſuperbia ne vileſcat.

Humilis & ſuperbus in tribus differunt.

II. Gratia & amor Chriſti ad S. Ioannem. Cauſa huius quæ fuerit. Ioannes quid ſonet.

Joannes qui perfectè humilis fuit, lectionem quam à Magiſtro audivit, ſcilicet humilitatis. Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde,* bene retinuit, & ideo gratiam magiſtri habuit, humilibus enim Deus dat gratiam. Jac. 4. Ipſe fuit Joannes & re & nomine. Joannes interpretatur in quo eſt gratia: Specialiter dilexit eum Chriſtus. Si magnum eſt diligi ab homine magno, quantum eſt tunc diligi à Deo? Non diligebat eum, quia ſolum eum diligeret, ſed quia plus omnibus diligebat eum, & quia majora ſigna dilectionis oſtendebat ei, non affectu carnali, nec quia erat conſanguineus, ſed affectu ſpirituali. Et poteſt aſſignari *triplex ratio* hujus oſtenſionis. *Prima* eſt quia junior cæteris Apoſtolis mundum reliquerat, quod valde gratum erat Deo. Thren. 3. *Bonum eſt homini cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* De primis fructibus fiunt exenia grata magnatibus. Micheæ 7. *Præcoquas ficos deſideravit anima mea.* Pater minori filio magis applaudit, ſic Chriſtus majora ſigna dilectionis Joanni oſtendit. *Secunda* eſt quod perfectius ceteris diſcipulis carnis voluptatem reliquit, eſt enim Virgo electus à Domino. Ipſe ſponſam pro Chriſto reliquit, vocatus eſt enim de nuptiis ut ait Hieron. Ideoque pro Chriſto carnales delitias reliquerat, quia volebat ut in eo ſolatium haberet. Bern. Delicata eſt divina conſolatio, nec datur facile admittentibus alienam. *Tertia ratio* eſt, quia contemplationi plus aliis animum ſuum dabat, unde cæteris ſcribentibus quæ erant humanitatis, ipſe ſcripſit quæ erant divinitatis, ideo per aquilam figuratus eſt. Ezech. 1. & Apocal 4. Oſtendit majora ſigna dilectionis Chriſtus Mariæ quam Marthæ, & Joanni quam Petro, ipſe enim erat magiſtro magis familiaris. *Tria* autem fuerunt ſigna familiaritatis. *Primum* quia ſupra pectus ejus in cœna recubuit. *Secundum* quod matrem chariſſimam in cruce ei commendavit, patri animam, virgini vero Virginem beatam. *Tertium* vero fuit quod ſine dolore martyrij voluit eum finire vitam, quia anima eius parum carni adhærebat, quaſi ſine dolore ſeparata fuit.

Ob tria præ cæteris à Chriſto dilectus eſt S. Ioannes. 1.

2.

3.

Tria ſigna amoris Chriſti maioris erga S. Ioannem.

III. Authoritas S. Ioannis inter condiſcipulos. Cauſa huius.

Et quia familiarior erat Chriſto, ideo inter diſcipulos magnæ fuit auctoritatis, unde Petrus caput Apoſtolorum, quod per ſe interrogare auſus non fuit, per Joannem interrogavit, annuens ei quod quærebat, quis eum traditurus eſſet. Solebat Petrus non ſolum interrogare, ſed etiam reſpondere Chriſto aliquando pro omnibus Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Et alibi Matth. 26. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Tunc non auſus fuit interrogare, forſitan quia corripiens Dominum de ſua paſſione, durè fuerat ab eo redargutus. Matth. 16. Quem Petrus habuit mediatorem ad Chriſtum, ſtudeamus habere interceſſorem & mediatorem in curia cæleſti, tanquam & regi & reginæ familiariſſimum, qui nepos eſt reginæ & quaſi filius. Dixit enim Chriſtus matri de ipſo Joan. 19. *Ecce filius tuus.* Ipſe cognatus eſt regis & quaſi alter ipſe, quem matri ſuæ pro ſe dimiſit. Ipſe negotium ſalutis noſtræ efficaciſſimè procurare poterit.

Alios ſermones require in alio feſto ſancti Ioannis.

DE BEATO DOMINICO CONFESSORE.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Principio occaſione ſumpta ex themate docet hic ſermo omnibus hominibus, ſed præcipuè Clericis & Religioſis, ſtudendum eſſe, ut placeant Deo ob tria, idque duobus modis obtineri. In reliquo deinde ſermone docetur S. Dominicum ſimilem fuiſſe Enocho in nomine, & in ſex aliis, quæ ad ſecundum modum placendi Deo, nimirum ut ſanctum Dominicum imitemur, referuntur.

SERMO II. Enoch ante tranſlationem habuit teſtimonium placuiſſe Deo. *Hebr. 11.*

Omnes homines ſtudere debent ut placeant Deo.

STudium & deſiderium omnium hominum ad hoc debet eſſe ut Deo placeant, pro Dei placito placitum faciant, & pro Deo placitum relinquant, Sapiens.

Eſt virtus placidis abſtinuiſſe bonis.

Sic ſuum placitum perfectè obtinebunt, illud ſcilicet quod animæ ſummè placet, quod ſic placet quod nunquam vel nulli diſplicet, cujus comparatione alia placentia ſunt. Secundum magnitudinem ejus cui placere quærunt debet eſſe magnitudo ſtudii & deſiderii eorum. Hieron. in Epiſtola. Tanto majori ſtudio placendi opus eſt, quanto majus eſt placitum. Licet ſtudium & deſiderium omnium hominum debeat eſſe ad placendum Deo, maximè tamen clericorum & religioſorum. (Maxime Clerici & Religioſi ob tria.) *Primo* quia multa deſideria placentia reliquerunt, ut ei totaliter intenderent & amplius ei placerent. 1. Cor 7. *Qui ſine uxore eſt ſollicitus eſt quæ Dei ſunt ut placeat Deo, qui autem cum uxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt.* *Secundo* quia ſtare habent in conſpectu Domini, qui habent miniſtrare Deo quod valde periculoſum eſt, quibus iratus eſt Dominus. Principes hujus ſæculi vix poſſunt ſuſtinere quod illi quibus offenſi ſunt veniant ante eos. Quid ergo cum ante regem regum quaſi continuè ſtat qui eum offendit? Abac. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris.* Epheſ. 1. *Elegit nos Deus ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu illius.* David Pſalm. 17. *Ero immaculatus cum eo.* De his qui licet Deo diſpliceant, tamen ſtant in conſpectu illius, conqueritur Dominus. Iſaiæ 65. *Populus qui ad iracundiam me provocat ante faciem meam ſemper eſt.* Quando Dominus diu ſuſtinuit, aliquando hac de cauſa eos interficit ſecundum illud, Levit. 10. *Sanctificabor ego in his qui appropinquant mihi*, id eſt ſanctus apparebo, peccata eorum non diſſimulabo, ſed de illis vindictam ſumam. *Tertio* quia Deum pro aliis debent placare, unde oportet eos Deo placere. Bernardus. Non placas, ſi non places, cur ergo Sacerdos. Idem Væ filiis iræ, qui nondum reconciliati ſunt, officium reconciliationis ſibi aſſumunt. Eccleſ. 44. *In diebus ſuis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* (Duo illis maximè conſideranda. 1. Sacra ſcriptura.) Clericis & religioſis frequenter ponendum eſt ante oculos cordis ſpeculum ſacræ ſcripturæ, ut ſi fuerit in eis fœditas aliqua, videant eam & removeant. Hieron. in Epiſtolis. Impoſſibile eſt Deo quemquam poſſe placere, qui quid ei placeat ignorat, fieri etiam poteſt ut obſequendi officio offendat, qui quomodo obſequi debeat ante non didicit, (2. Sanctorum exempla.) frequenter etiam recognoſcendi ſunt ab eis viri ſancti, qui Deo excellenter placuerunt, ut imitando eos Deo placeant, quia ſecundum verbum Senecæ niſi ad regulam prava non corriges.

(S. Dominicus fuit ſimilis Enocho in nomine Enochi interpretato.) De numero virorum Deo excellenter obſequentium fuit beatus Dominicus, de cujus tranſlatione hodie ſolennizamus, ad quem verbum propoſitum referre volumus quod dicit Apoſtolus de Enoch, qui fuit ſeptimus ab Adam, & ſatis competenter poteſt ad eum referri, cum ipſe fuerit valde ſimilis Enoch. Secundum hunc modum loquendi vocat veritas Joannem Heliam. Matth. 11. *Omnes Prophetæ & lex uſque ad Ioannem prophetaverunt, & ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias qui venturus eſt*, &c. Tunc intellexerunt diſcipuli, quod de Joanne Baptiſta dixiſſet eis. Beatus Dominicus fuit Enoch ſecundum nominis interpretationem, interpretatur enim cum Deo ambulans vel ædificans. Proficiendo de virtute in virtutem cum Deo ambulavit, prædicatione ſua fidem ædificavit. Econtra cum diabolo ambulant, dum in malo proficiunt, qui quanto à Deo plura bona recipiunt, tantò magis poſtpoſiti ſunt Pſalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Enoch ante tranſlationem habuit teſtimonium placuiſſe Deo. Sed beatus Dominicus etiam ante tranſlationem, & in tranſlatione, & poſt teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Nunc de his in quibus fuit ſimilis Enoch proſequamur. (Item in aliis ſex.) Sex quæ de Enoch poſſumus habere ex ſcriptura ſacra. *Primũ* eſt quod fuit fidelis. Heb. 11. *Fide Enoch tranſlatus eſt.* *Secundum* eſt, quod cum Deo ambulavit. Geneſ. 5. *Tertium* quod timore judicij homines ad pœnitentiam incitavit, unde legitur in Epiſtola Judæ. *Prophetavit autem de his ſeptimus ab Adam dictus Enoch. Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes & arguere omnes impios*, &c. *Quartum* quod Deo excellenter placuit. Sap. 4. *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt.* Eccleſiaſtici 49. *Nemo natus eſt in terra qualis Enoch.* *Quintum* eſt quod tranſlatus eſt. *Sextum* eſt quod gentibus ſapientiam eſt daturus. De his duobus legitur Eccleſiaſtici 44. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus ſapientiam.*

(1. In fide ſeu zelo fidei.) Quantum ad primum fuit beatus Dominicus ſimilis Enoch, quia fuit valde fidelis, cum vitam ſuam ad fidei defenſionem expendere voluit, ut contra Hæreticos fidem defendere poſſet. Ipſe patriam ſuam reliquit, in terram Albigenſium venit, ubi multos labores, multas irriſiones ſuſtinuit, periculis multis ſe expoſuit, abſtinentiis immoderatis corpus ſuum afflixit, intelligens enim quod hæretici magnæ abſtinentiæ ſimplices homines deciperent, ut eis poſſet reſiſtere, quandoque per totam Quadrageſimam jejunavit in pane & aqua, & ſuper tabulam nudam jacuit. Ipſe ad defenſionem fidei ordinem Prædicatorum inſtituit. (Clerici malæ vitæ S. Dominico diſſimiles reprehenduntur.) Quantum ad hunc zelum fidei multi miniſtri Eccleſiæ ſunt ei valde diſſimiles. Fidem in ſe perimit qui mala opera agit, *fides* enim *ſine operibus mortua eſt*, Jac. 2. Fides dicit Deo illud Geneſ. 30. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Bernardus. Bene places Deo tuæ fidei interfector. Fides eſt primogenita virtutum, unde quaſi primogenitam Dei occidit, qui fidem habens mala opera agit. Mali miniſtri Eccleſiæ vita ſua fidem impugnant. Quaſi maximum argumentum quod habent hæretici contra fidem Catholicam eſt eorum mala vita, dicimus enim ſiquidem Domino crederent, non ſic viverent Quis credit alicui ſi cibum aliquem delicatum venenatum aſſerit, & tam citò illum comedit. Job 6. *An guſtare aliquis poterit quod guſtatum afferat mortem?* Præterea quam ſecuritatem habet homo ſimplex, quod Sacerdos non mentiatur, quem ſcit non timere fornicari, vel adulterari vel ſimoniam committere. Et licet conſtaret de Sacerdote malo quod nollet decipere mentiendo, tamen timeri poteſt, ne ipſe decipiatur, peccatum enim hominem excæcat. Auguſt. Errat

quiſquis veritatem ſe cognoſcere putat ſi adhuc nequiter vivat, cum modicum pulveris injectum oculo corporis eius viſum impediat, quid poteſt facere magna moles terram occupans injecta oculo Eccleſiæ? Quomodo clarè videt ille, in quo ignis concupiſcentiæ eſt, ex quo multus procedit fumus? Quomodo ſapientiæ lumen ad eos venit, qui ſpurcitia manuum ſuarum illud à ſe prohibent? Eccleſiaſtici primo. *Concupiſcens ſapientiam ſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Ejuſdem 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt; & veritas ad eos qui operantur illam revertetur.* Apocal. tertiò. *Collyrio unge oculos tuos ut videas.* Collyrio oculi ut videant, unguntur, cum ad agnoſcendam veri luminis claritatem intellectus noſtri aciem meditatione bonæ operationis adiuvamus.

II. In hoc quod cum Deo ambulavit tripliciter.

Quantum ad ſecundum fuit ſimilis Enoch. Verè enim cum Deo ambulabat, quod *tribus* de cauſis poteſt intelligi dictum. *Primò* quia Dei offenſam ſollicite evitavit, *ſecundò* quia Deo propter ſe adhæſit, *tertiò* quia Deo valde familiaris fuit. Offenſam Dei ſolicitè cavit, vivens ac ſi Deum juxta ſe videret.

1. Cavendo offenſam Dei.

Quiſquis turpe facis quod me ſpectante rubeſ res.

Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes.

Boëtius.

Magna nobis ſi diſſimulare nolumus indicta eſt probitatis neceſſitas; cum agamus ante oculos judicis cuncta cernentis. Mich. 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te: utique facere judicium & juſtitiam & diligere miſericordiam & ſollicite ambulare cum Deo tuo.* Ille cum Deo ambulat, quem iniquitas ab eo non ſeparat, cum innocenter vivit, Iſaiæ 59: *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Pſalm. 24. *Innocentes & recti adhæſerunt mihi.* Et notandum quod quidam ambulant *contra Deum*, quidam *ante Deum*, quidam *poſt Deum*, quidam *cum Deo*. *Contra Deum* ambulat, qui mundum uſque ad Dei contemptum amat, *amicus* enim *hujus mundi, inimicus Dei, conſtituitur.* Iacob. 4. Iob 15 *Currunt adverſus Deum erecto collo, & pingui cervice armati ſunt.* In colli erectione intelligitur amor præeminentiæ; in pinguedine verò rerum affluentia, quia aliqui inveniuntur qui in malis ſuis ſe defendunt. Superbia currit in infernum ſicut humilitas in paradiſum. Auguſtinus. Væ homini cuius auriga eſt ſuperbia, neceſſe eſt enim ut præceps eat. Navicula Petri pro magna parte vento ſuperbiæ agi videtur unde timendum eſt ne ſcopulis illidatur & frangatur. Pro magna parte ſui nimis quærit altitudinem ſæcularem, unde timendum eſt de ruina. Proverb. 17. *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam.* Hodie abominatio ſtat in loco ſancto in multis Eccleſiis. Matth, 24. *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat.* Abominatio eſt ſæcularis altitudo, ſecundum illud, Luc. 16. *Quod altum eſt apud homines, abominatio eſt ante Deum.*

Quatuor genera ambulantium.

1. Contra Deum qui ambulent.

2. Ante Deum qui ambulent.

Ante Deum ambulat, qui per viam delicatam & latam portam intrare vult regnum cœlorum, cum Chriſtus per arctam viam & anguſtam portam intraverit. Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta & arcta eſt via quæ ducit ad vitam,* &c Luc. ult. *Nonne oportuit pati Chriſtum & ſic intrare in gloriam ſuam?* Fruſtra molliorem vitam ſperamus, niſi qua præceſſerit eamus. Ioann. 25. *Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo.* Ante Chriſtum volebant ire filii Zebedæi volentes conregnare, ſed non compati. Matthæi 20. Similiter & Petrus volens impedire Chriſti Paſſionem, cui dictum eſt: *Vade poſt me Sathana* Matth. 16. *Poſt Deum* ambulant pœnitentes. Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* *Cum Deo* verò ambulant innocentes; ſecundum illud Apocal. 3. *Habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, ambulant mecum in albis quia digni ſunt.* Sic beatus Dominicus cum Deo ambulavit, qui virginitatem toto tempore vitæ ſuæ ſervavit.

3. Poſt Deum qui ambulent.

4. Cum Deo qui ambulent.

Aliter etiam cum Deo ambulavit, quia ei propter ſe adhæſit. Videntur multi in Eccleſia ambulare cum Deo, qui potius ambulant cum divitiis. Quando canis ambulat cum duobus ſimul euntibus, neſcitur quis ſit Dominus eius, ſed ſi ſe ſeparaverint, tunc agnoſcitur, quia canis ſequitur Dominum ſuum. Sic dum in Eccleſia ſunt divitiæ, non agnoſcitur quis Chriſtum ſequatur vel divitias. Sed tempore Antichriſti cum fiet ſeparatio divitiarum ab Eccleſia, tunc agnoſcetur. Tunc *derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario.* Iſaiæ primo. Beatus Dominicus ſicut erat Dominicus nomine, ſic voluit eſſe Dominicus re, & ut totaliter eſſet Domini, divitias voluit relinquere ſciens illud eſſe verum, *non poteſt ſervire Deo & mammonæ.* Matth. 6. Mammona Syra lingua divitiæ. Chryſoſt. Divitiæ a Dei ſervitute nos expellunt in ſuam captivitatem. Vnde de Pſalm. 75. *Viri divitiarum* dicuntur avari. Et ſicut beatus Dominicus verè fuit Domini ſic voluit adhærentes ſibi verè domini eſſe unde ei competit illud. Exod 32. *Si quis Domini eſt jungatur mihi.* Et ſubdit: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta ad portam per medium caſtrorum, & occidat frater amicum & proximum ſuum.* Qui verè Domini eſt non habet amorem nimium ad nepotulos ſuos, imo ſi ſciret placitum Deo eſſe, eſſet paratus occidere filium ſuum. Geneſis 22. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem,* &c. *non poteſt meus eſſe Diſcipulus.*

2. Adhærendo Deo propter ſe, non propter divitias more malorum Eccleſiaſticorum.

Item beatus Dominicus cum Deo ambulavit, quia cum Deo fuit valde familiaris, de die nullus eo communior, de nocte nullus eo in oratione ferventior, De die intendebat operibus miſericordiæ, de nocte orationi & contemplationi. Pſalm. 41. *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam & nocte canticum eius.*

3. Deo familiariter utendo.

Quantum ad tertium fuit ſimilis Enoch, quia Prædicator fuit valde fervens, unde mater eius antequā ipſum conciperet vidit in ſomnis ſe geſtare catulum accenſam in ore faculam bajulantem, quæ totum mundum incendere videbatur. Ipſe opus Apoſtolicum, Angelicum & divinum, ſcilicet prædicationem, quæ pro negligentia Prælatorum quaſi extincta erat, ſuſcitavit. Iſtud opus Apoſtolicum erat ſecundum illud 1. Corinth. primo. *Non miſit me Deus baptizare, ſed evangelizare.* Gloſſa. Auguſtinus. Perfectè baptizare etiam minus docti poſſunt, perfectè autem evangelizare multò eſt difficilioris & rarioris operis. Ad hoc quod aliquis perfectè evangelizet, oportet quod totus à Spiritu ſancto occupetur, ut ſcilicet ſcientia ſit in intellectu, caritatis dulcedo in ſermone, lux boni exempli in opere. Opus iſtud eſt angelicum. Luc. 2. dixit Angelus. *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Et illud Iſaiæ 61. *Evangelizare pauperibus miſit me.* Opus etiam divinum eſt, cum filius Dei hoc opus exercuit. Marc. 1. *Eamus in civitates & vicos proximos, ut ibi prædicem, ad hoc enim veni.* Exercuit autem excellenter hoc opus ad modum primorum Prædicatorum Eccleſiæ, Apoſtolorum ſcilicet, cui excellentiæ aureola habetur. Vnde ſuper illud Exod. 25. *Et ſuper illam coronam aureolam alteram,* dicit Interlinearis. In hac figuratur eorum remuneratio, qui in doctoribus excellunt. Nunquid habituri ſunt aureolam Doctores cupidi & avari qui con-

III. In ferventi prædicatione.

Quæ faciat Prædicatorem perfectum.

Prædicatores mali arguuntur.

temptum temporalium verbo prædicant, & con-
trarium exemplo malo agunt? Qui ut videtur, po-
tius mammonæ quaſi Deo ſerviunt, principaliter
enim pro temporalibus operantur. Qui hic merce-
dem ſuam recipiunt, quæ eſt ratio ut cumuletur eis
merces in futuro, qui hic prius recipiunt quam me-
reantur. Sed quid erit de illis qui divitias non ha-
bent de facto, ſed tantum habent eas in deſiderio?
Sed nunquid illi inter excellentes doctores nume-
randi ſunt. Videtur quod non. Sicut ille qui ha-
bet integritatem in carne, & corruptionem in men-
te, manens talis non eſt dignus aureolâ. Hieronym.
Nihil prodeſt habere virginitatem, ſi mente quis
nupſerit.

IV. In illo quod Deo placuit in tribus.

Quantum ad quartum fuit beatus Dominicus ſi-
milis Enoch, excellenter enim Deo placuit, cum
habuerit fidem vivam, converſationem puram, do-
ctrinam ſanam, quæ tria ſpecialiter placent Deo.
Fides adeo placet ei, quod ſine ea impoſſibile eſt
placere Deo. Hebr. 11. Eccleſ. 1. *& quod beneplaci-*
tum eſt illi fides & manſuetudo. Puritas etiam mul-
tum placet ei Cantic. 2. *Qui paſcitur inter lilia.* Ze-
lus etiam animarum multum placet ei, nullum enim
ſacrificium majus eſt Deo quam zelus animarum,
ut dicit Gloſſa Gregor. Ezech. 4. *Sume tibi ſartagi-*
nem ferream.

V. In translatione. S. Dominicus habuit divinum teſtimonium quod placuit Deo translatione.

Circa quintum notandum quod habuit beatus
Dominicus ante translationem teſtimonium pla-
cuiſſe Deo à patre & filio, & ſpiritu ſancto, *tres*
enim ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater. Ver-
bum. & Spiritus ſanctus. 1. Joan. 5. Pater, cui attri-
buitur potentia dedit ei teſtimonium dando ei vir-
tutem in miraculorum operatione. Filius, cui at-
tribuitur ſapientia, qui & verbum patris dicitur, de-
dit ei teſtimoniũ in ſapientis verbi adminiſtratione.
Spiritus ſanctus cui attribuitur bonitas, dedit ei te-
ſtimoniũ in bona converſatione.

In translatione.

In translatione ve-
ro ſua teſtimoniũ habuit odoris mirabilis, qui de ejus
corpuſculo exivit, cũ fœtor ſecundum naturã ab eo
exire deberet. Et *notandum* quod diverſis ſanctis
dedit Dominus diverſa teſtimonia placentiæ ſuæ
vel in morte, vel poſt mortem. Aliquibus dedit te-
ſtimonium lucis, ut Joanni Evangeliſtæ & Andreæ,
ſuper quos lux magna in morte apparuit. Aliqui-
bus verò teſtimonium unctionis, ut S. Nicolao &
S. Catharinæ. Aliquibus vero teſtimonium odoris,
ut beato Dominico. Et convenienter inſtitutori Or-
dinis prædicatorum fratrum tale teſtimoniũ datum
eſt, cum odor boni exempli multũ neceſſarius ſit prę-
dicatoribus, unde dicebat ille egregius prædicator,
Chriſti bonus odor ſumus, 2. Corinth. 2. & monebat
ad hoc Timotheum & Titum, 1. ad Timoth. 4.
Exemplum ergo fidelium eſto, &c. Tit. 2. *In omni-*
bus prabe te exemplum bonorum operum. Qui ha-
bet doctrinam bonam & exemplum malum ſedet
in cathedrá peſtilentiæ. Maximus defectus hujus

Pſalm. 1.

odoris erat, cum Dominus dedit Eccleſiæ beatum
Dominicum. Multum enim nocet Eccleſiæ Dei,
quod illi qui habent eam docere pro magna parte
fœtore mali exempli eam corrumpunt. Hierem.
51. *Ecce ego ad te mons peſtifer, qui corrumpis uni-*
verſam terram. Valde conveniens fuit, ut de cor-
pore illo, unde dum viveret, exierant verba ſa-
pientiæ, exiret etiam poſt mortem ſuavis odor &

Pſalm. 1.

& non fœtor. Non fuerat in vita ipſius ſepulchrum
patens guttur ejus, ideo poſt mortem convenien-
ter non fœtor ſed odor ſuavis inde exivit. Et poſ-
ſumus diſtinguere triplicem translationem ejus.

Poſt translationem triplicem.

Prima fuit de loco periculi in locum ſecuritatis. *Se-*
cunda de loco laboris ad locum quietis, hoc fuit
in tranſitu ejus de mundo ad cœlum, eadem enim
die & hora qua defunctus eſt oſtenſus eſt cuidam
fratri aſcenſus animæ ejus in cœlum. *Tertia* fuit
translatio corporis ejus de loco humili ad locum
honoris, de qua ſolennizamus.

VI. In hoc quod ejus translatio utilis fuit aliis.

Circa ſextum notandum quod Enoch non eſt
translatus ſibi ſoli, ſed utilitati Eccleſiæ, ut tempo-
re neceſſitatis ejus ſubveniat, tempore enim Anti-
chriſti mittetur ei daturus ſapientiam, quia tunc ei
conſulet contra aſtutias Antichriſti. Sicut beatus
Dominicus non ſibi ſoli translatus eſt, ſed utilitati
Eccleſiæ, ut ſcilicet ſubveniat ei in ſuis neceſſitati-
bus. Et notandum quod magna fiducia debet ha-

Fiduciam ad S. Dominicum debemus habere ob duo. 1. Ob voluntatem nobis ſubveniendi.

beri in eo, non enim deeſt ei *voluntas* ſubvenien-
di vel *facultas*. Cum beatus Dominicus tantum fue-
rit compaſſus peccatoribus, cum eſſet in pœnitenti
vita, quod pro ſalute eorum paupertati & laboribus
ſe expoſuerit, veriſimile eſt quod adhuc velit juva-
re eos. Pietas enim ejus non eſt diminuta ſed po-
tius augmentata, quoniam ante fontem miſericor-
diæ aſſiſtit. Præterea charitas quæ eſt igniculus,
cujus caminus eſt in Paradiſo. Ipſe vendidit libros
ſuos, quando erat in ſcholis ſcholaris & pretiũ illo-
rum diſtribuit pauperibus. Prætęrea ipſe novit per
experientiam infirmitatem humanam, quæ tantum
hodie abundat, quod non ſic antiquitus. Veriſimi-
le eſt quod velit humilibus ſubvenire. *Poteſtas* ve-

2. Ob facultatem nobis ſuccurrendi.

rò ſubveniendi, non deeſt ei, multum enim Deus
amat modernos ſanctos, qui abundante tanta ma-
litia in mundo ſanctitatem ſervaverunt, & valde
magni meriti ſunt apud Deum. Rogemus eum, qui
Deo excellenter placuit, ut impetret nobis, ut hic
placeamus Deo.

DE BEATO BARNABA APOSTOLO.

SERMO VNICVS.

SERMO LI.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de amore ſeu amicitia inter Deum & homines.

Vos Amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio
vobis. Ioan. 15.

Amicitia quanti ſit facienda.

OMnibus rebus humanis anteponenda eſt ami-
citia ut dicit ſapiens. Eccleſiaſtici 6. *Amico fi-*
deli nulla eſt comparatio, & non eſt digna pondera-
tio auri & argenti. Venit Deus in mundum ut ami-

Amicitiam hominum, quomodo Deus ambiat.

citiam hominum ſibi acquirat, rogavit homines
univerſitate creaturarum ut eum amarent. Auguſt.
Domine cœlum terra & omnia quæ in eis ſunt di-
cunt mihi ut amem te, nec ceſſant hoc dicere om-
nibus. Mandaverat eis per Moyſen & Prophetas
ut eum amarent, tandem venit ipſe & multiplicis
beneficij exhibitione & æternæ gloriæ promiſſio-
ne amicos ſibi acquirere voluit. Acquiſivit amici-
tiam Apoſtolorum, de quorum numero fuit beatus
Barnabas, cujus hodie feſtum celebramus. Docuit
etiam homines quomodo amicitiam Dei poſſent
acquirere. Doctrina vero iſta nobis hodie in Evan-
gelio recitatur, cum dicitur: *Vos amici mei eſtis*,

Quanti hoc ſit faciendũ.

&c. In hoc quod Deus amicitiam hominum digna-
tur quærere, apparet nobis ejus magna benignitas.
Si pauper quærat amicitiam divitis non eſt miran-
dum quia eo indiget, ſed cum Deus ſit ditiſſimus,
homo pauperrimus, mirum eſt quod Deus, qui
bonorum noſtrorum non eget, quærit amicitiam
hominis? Pſal. 8. *Domine quid eſt homo quia me-*
mor es ejus? Job 7. *Quid eſt homo quia magnificas*
eum? &c. Auguſt. Domine quid ſum ego ut me
amare te jubeas, & niſi hoc faciam irritaris & mi-
naris mihi ingentes miſerias? Ad hanc quæſtio-

Fragilitas hominis quadruplex.

nem *quid eſt homo?* reſponderi poteſt quod homo
eſt res fragilis naturaliter. Iſa. 40. *Omnis caro fœ-*
num. Pauper gratia, gratiæ enim gutta datur ei.
Matth. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis*,
&c. Abundans in culpa, Geneſ. 8. *Senſus & cogita-*
tio humani cordis ad malum prona ſunt ab adoleſcen-
tia

Tria circa amicitiam Dei notanda.

riaſua. plenâ miſeria Job 14 *Homo natus de muliere*, &c. Circa Dei amicitiam *tria* nobis attendenda ſunt, ſcilicet quare multum debeat honorari, quomodo poſſit acquiri, quibus ſignis valeat percipi.

I.
Valde optanda eſt ob tria

Circa primum notandum quod amicitia eſt multum optanda, quia valde eſt *honorabilis* & multum *utilis* & *durabilis*.

1.
Quia valde eſt honorabilis.

Si magnum eſt eſſe ſervum regis terreni, quam magnum eſt eſſe ſervum regis æterni? quam magnum eſt eſſe ejus amicum? Pſalm. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, non ſolum honorati ſunt in cœlo, ſed etiam in mundo. Major honor exhibetur modico pulveri amici Dei quam uni magno terreno principi. Ad quærendam Dei amicitiam laborabant omnes ſancti in mundo iſto.

Quia valde utilis eſt.

Valde *utilis* eſt hæc amicitia, amicis enim Dei omnia ſunt quaſi amica, proſunt enim eis. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. Econverſo inimicis Dei omnia quaſi ſunt inimica. Ipſimet ſunt ſibi inimici. Pſalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Eccleſiaſtici 20. *Fatuo non erit amicus*. In futuro magis apparebunt iſtæ inimicitiæ, quando pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos. Sapient. 5. Gregor. offenſo Creatore omnis creatura damnatum habet odio. Ipſi ſancti qui multum amaverunt peccatores in mundo iſto, lætabuntur cum viderint vindictam.

Pſal. 57.

Quia valde eſt durabilis.

Durabilis eſt amicitia iſta, morte enim non deficit, ſed creſcit 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*. Auguſtinus in libro confeſſ. loquens de hoc amico, nemo te amittit, niſi qui dimittit.

II.
Acquirenda eſt tribus modis.

Circa *ſecundum* notandum quod Dei amicitia acquiritur *primo* Deum amando. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*. Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo*.

1.
2.

Secundo mandata ejus implendo, juxta verbum propoſitum: *Vos amici mei eſtis*, &c. Et maximè implendo præceptum de dilectione, de quo præmiſſum eſt: *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, &c.

3.

Tertio quæ ipſe diligit diligendo & quæ ipſe odit odiendo. Ipſe diligit bonum gratiæ & odit malum culpæ. Pſ. 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum*. De malis ad quæ habet ſpeciale odium, habetur Prov. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus. Oculos ſublimes*, &c. Septimum quod deteſtatur eſt *ſeminare inter fratres diſcordiam*. Per contrarium vero intelligas quod ſpecialiſſimè amat eos qui inter fratres procurant concordiam vel amicitiam.

III.
Acquiſitæ ſigna tria.
1.

Signa quibus amicitia divina perpendi poteſt ſunt hæc. *Unum* eſt cum aliquis habet ad verbum Dei magnum amorem, ut illud libenter audiat, memoriter teneat, opere impleat. Hieron. Qui diligit diligetur & cuſtodit beneplacitum ſuum. Luc. 10. Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum oris illius. Ejuſdem 2. *Maria conſervabat omnia verba hæc*, &c. Joan. 14. *Qui habet mandata mea & ſervat ea ille eſt qui diligit me*.

2.

Aliud ſignum eſt cum aliquis piis libenter largitur bona ſua. 1. Joan. 3. *Qui habuerit hujus mundi ſubſtantiam & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Cant. ult. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam*.

3.

Aliud ſignũ eſt cum mala libenter ſuſtinet pro Deo. Eccleſiaſtici 2. *Insigne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis*, id eſt pœna interrogat ſi quis veraciter amat.

Hæc ſigna habuit S. Barnabas.

Beatus Barnabas ad verbum Dei magnum amorem habuit, qui ſicut legitur in vita ipſius Evangelium Matthæi ſecum ferebat, & impoſitione manus & Evangelij infirmos curabat. Bona ſua libenter pro Chriſto dedit, qui vendito agro ſuo pretium ad pedes Apoſtolorum poſuit. Actor. 4. Mala pro Chriſto libenter ſuſtinuit, qui voluntariè ivit ubi ſe ſcivit moriturum eſſe & pro Chriſto paſſurum, &c.

DE BEATIS GERVASIO ET PROTASIO *SERMO UNICUS.*

SERMO LIII.

SUMMARIUM.

Hic ſermo hortatur nos ad ſuſtinentiam malorum hujus vitæ, ad contemnendum odium Mundi & ad perſeverantiam.

Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, qui autem perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit. *Matth. 24.*

Ad ſuſtinentiam malorum dupliciter monemur.

HOdie monet Eccleſia fideles ad ſuſtinentiam malorum hujus mundi *verbo* & *exemplo* in Evangelio, ubi doctrina Salvatoris exhortans diſcipulos ad ſuſtinentiam malorum recitatur.

1.
Exemplo SS. Martyrum.

Exemplo in hoc, quod ſuſtinentia beatorum martyrum Gervaſij & Protaſij recolitur.

2.
Verba dupliciter.

In *verbis* vero propoſitis Salvator diſcipulis malum quod paſſuri erãt prius prænuntiavit dicens: *Eritis odio*, &c. *Secundo* ad tolerantiam ſpe ſalutis eos animat dicens: *Qui perſeveraverit*, &c. Secundum Gregorium, *ideo mala eis denuntiat ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint præſcita. Minus enim jacula feriunt quæ prævidentur, & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum communimur*.

Tribulationes primorum de Eccleſia quantæ fuerint.

Gravis tribulatio fuit primis de Eccleſia, quod ab hominibus obruebantur. Gravior vero erat quia odiebantur ab his à quibus debebant diligi. Marc. 13. *tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filij in parentes, & morte eos afficient*. Gregor. *Minorem dolorem mala ingerunt quæ ab extraneis inferuntur, plus vero in nobis ea ſæviunt quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus, quia & cum damno corporis mala nos cruciant amiſſæ charitatis. Hinc eſt quod de Iuda traditore ſuo per pſalmiſtam*. Pſal. 54. *Dominus dicit. Si inimicus meus maledixiſſet mihi*, &c. *Item*. Pſal. 40. *Homo pacis meæ in quo ſperavi*, &c. *Ac ſi de traditore ſuo apertis vocibus dicat: tranſgreſſionem eius tanto gravius pertuli, quanto hanc ab eo qui meus eſſe videbatur, ſenſi*. Graviſſima fuit tribulatio, quia à mundo odiebantur qui ab eo erant diligendi, ſcilicet quia nomen Jeſu bonum, ſalubre hominibus & glorioſum portabant.

Odium Mundi non eſt curandũ Dei ſervis ob ſeptem

Circa odium quod habet mundus ad ſervos Dei notandum quod ſervi Dei non debent de hoc mirari his de cauſis. *Primo* quod ipſum Dominum mundus odivit Joan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*. Auguſt. magna conſolatio membris ex capite. Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum ſuum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum*. Joan. 15. *Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*. Et quod gravius ſolet eſſe, mundus ſine cauſa ipſum odio habuit, juxta illud. Pſal. 68. *Odio habuerunt me gratis*. 'mo odio eum habuerunt, unde eum diligere debuerunt, ſecundum illud. Pſal. 108. *Poſuerunt adverſum me mala pro bonis & odium pro dilectione mea*.

1.

Secundo quia mali homines hujus mundi ſeipſos habent odio, unde non eſt mirum ſi alios odio habent. Eccleſ. 14. *Qui ſibi nequam cui bonus*. Quod mali ſe habeant odio patet ex hoc quod mali amant, ſcilicet ſua vitia. Qui amat vitium odit animam. Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam*.

2.

Tertio quod mali odiunt majores amicos quos habent Matth. 10. *Inimici hominis domeſtici ejus*. Nonne odit uſurarius uxorem & filios & filias, dum eos jugulat faciendo eos conſentire peccato ſuo? ſuo. Oſeæ 9. *Effraim deducet ad interfectionem*

filios ſuos. Quartò quia boni non ſunt de hoc mundo, ideo non eſt mirum ſi mundus odiat eos tanquam extraneos, ſicut canis ſolet odire extraneos canes ſupervenientes, Ioan. 17. *Ego dedi eis ſermonem meum, & mundus eos odio habuit, quia de mundo non ſunt.* Ioan. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.*
5. *Quintò* quia boni ſunt mundo diſſimiles, diſſimilitudo verò occaſio eſt odii, ſicut ſimilitudo amoris. Eccleſiaſtici 13. *Omne enim animal diligit ſibi ſimile.* Sapient. 2. *Gravis eſt nobis ad videndum, quia diſſimilis eſt aliis vita illius.*
6. *Sextò* quia boni ſunt mundo contrarii teſtificantes contra ipſum. Ioan. 7. *Non poteſt mundus vos odiſſe, me autem odit, quia teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt.* Mali ſimiles ſunt avibus noctis, unde odiunt lucem bonorum operum, & ſpecialiter lucem ſanctæ doctrinæ: Ioan. 3. *Qui male agit odit lucem.* Iob 24. *Si ſubito apparuerit aurora arbitrantur umbram mortis.* Amos 55. *Odio habuerunt corripientem in porta.* 3. Reg. penult. dixit Achab de Michæa: *Ego odi eum quia non prophetat mihi niſi malum.* Iſa. 30. *Loquimini nobis placentia.*
7. *Septimò* quia mali habent palatum cordis infectum de febre iniquitatis, & ideo bona quæ eis deberent placere diſplicent, & ſapida ſunt eis amara. Mich. 3. *Odio habetis bonum.* Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Proverb. 14. *Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infamis graditur via.* Eiuſdem 29. *Abominantur impii eos qui in recta via ſunt.* Philoſophus quidam cum diceretur ei: homines te contemnunt, ait: nec illi aſinos, nec ego eos curo. Senec. Malis diſplicere, laudari eſt. Idem. Nondum fœlix es, ſi turba te non deridet. Boni non ſolum patienter, ſed etiam libenter & lætanter ſuſtinere debent odium malorum, cum veritas dicat: *Beati eritis cum oderint vos homines.* Luc. 6. Diligendi erant qui nomen Salvatoris portabant, cum valde bonum ſit, & bonum utile hominibus. Pſalm. 51. *Expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.* Sanctis qui non habent palatum cordis infectum de febre iniquitatis valde ſuave eſt nomen illud. Bernardus ſuper illud Cantic. primo. *Oleum effuſum nomen tuum.* Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Cuius fons lachrymarum ſiccatus, invocato nomine Ieſu continuè erit uberior, fluxus ſuavior. Nomen Ieſus eſt bonum timenti ſuam damnationem, amanti ſuam ſalutem, nomen eſt ſaluberrimum. Actor. 4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Non eſt hoc nomen erubeſcibile, ſed glorioſum, terribile verò eſt dæmonibus. Matth. 8. *Quid nobis & tibi Ieſu Dei fili cur veniſti ante tempus torquere nos?* In hoc nomine facta ſunt miracula. Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* In hoc nomine impetrabant Apoſtoli quod dicitur Ioan. 15. *Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*, &c.

Perſeverantiæ utilitas & neceſſitas. Sequitur: *Qui perſeveraverit uſque in finem*, &c. Multum amplectenda eſt perſeverantia, hanc ſacra ſcriptura multum commendat. Apocal. 2. Eiuſdem 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Eiuſdem 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Perſeverantia bona conſervat, ſicut diſſolutio perſeverantiæ bona diſſipat. Prov. 18. *Qui mollis eſt & diſſolutus, frater eſt opera ſua diſſipantis.* Mollis eſt qui cedit malis. Diſſolutus eſt qui nullius amore ligatus eſt ad bonum. Auguſtinus. Magnum donum Dei perſeverantia, qua dona cætera conſervantur. Perſeverantiæ diabolus maximè inſidiatur, ſciens quod illa ſola coronatur. Bernardus in epiſtola. Scias diabolum ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiari, quam ſolam virtutem novit coronari. Geneſ. 3. *Tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Et 1. Corinth. 9. *Unus accipit bravium*, ſcilicet perſeverans. Bernardus. Perſeverantia eſt ſingularis filia ſummi regis, virtutum finis & conſervatio. Gregorius in Moral. Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur, quia & fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas veniat, deficit. Ultimus dies perſeverantis plus videtur valere quam omnia quæ præceſſerunt, ſi enim illa dies defeciſſet, præcedentia perdidiſſet.

DE BEATO IOANNE BAPTISTA.

SERMO PRIMUS.

SERMO LIV.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone oſtenditur qualis lucerna Chriſti fuerit S. Ioannes; & quomodo imitandus.

Paravi lucernam Chriſto meo, inimicos autem ejus induam confuſione, *Pſalm.* 131.

Circa vocem lucerna tria tractabuntur.

VErbum eſt Dei Patris. Circa quod verbum *tria* ſunt nobis attendenda, ſcilicet quæ fuerit hæc lucerna, qualiter parata, & quæ ipſius ſic paratæ fuerit efficacia.

1. Quæ ſit lucerna hæc ſcilicet S. Ioannes. Imitandus in lucendo & ardendo quomodo.

Primum oſtendit Auguſtinus cum dicit. Hæc lucerna eſt Ioannes Baptiſta præco Verbi, paranymphus ſponſi, lucerna Chriſti. Idem oſtendit Salvator Ioannis quinto, dicens de Ioanne. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Bernardus. Tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; ardere & lucere perfectum; ardere & non lucere perverſum; non lucere, nec ardere, nec fervere, ſed fumum emittendo fœtere, peſtiferum. Invenitur lumen ſine ardore, ut quercus putrida lucens in tenebris, in lumine vero non ſic. Inter malos lucent aliqui qui habent aliquid de genere bonorum, ut caſtitatem corporalem, ipſi tamen ſunt in multis vitiis. Ipſum etiam lumen eorum quandoque eſt tenebræ, cum ſiniſtram intentionem contineant. Matth. ſexto. *Si lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, quantæ ipſæ tenebræ ſunt?* Hoc lumen vanum eſt & ſine calore. In luna inlumen vanum eſt lumen, quod vanum eſt, quantum ad hoc, quod creſcit & decreſcit, tale eſt lumen eorum, qui laudes hominum concupiſcunt. Bernardus. Qui conſcientias ſuas in alienis labiis ponunt, modo magni, modo nulli ſunt, ſecundum quod adulantium linguis vel vituperare placuit vel laudare. Eccleſiaſtici 27. *Sapiens manet in ſapientia, ſed ſtultus ut luna mutatur*, unde ardere parum eſt. Super 2. Corinth. 8. *Provideamus bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*, dicit Gloſſa. Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis. Propter vos autem fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in nobis. Duæ res ſunt conſcientia & fama; conſcientia tibi, fama proximo prodeſt. Qui conſcientiæ fidens famam negligit crudelis eſt. Ardere & lucere perfectum eſt, ſi lux ex ardore procedat, ſi vero fervor procedat ex ſplendore eſt perverſum. Bernardus in Serm. Non ait lucens & ardens, quia Ioanni ex fervore ſplendor non fervor prodiit ex ſplendore; ſunt enim qui in eo lucent, quia fervent, ſed magis fervent quia lucent: At iſti plane fervent non ſpiritu charitatis, ſed ſtudio vanitatis fumum emittendo fœtore peſtiferum. Majores Eccleſiæ ſunt eius lucerna. Matth. 5: *Vos eſtis lux mundi.* Sed hæc lucerna in magna parte extincta eſt fumum emittens peſtiferum dum malo exemplo ſubditos corrumpit. Hierem. 51. *Ecce ego ad te mons peſtifer qui corrumpis univerſam terram.* Legitur in libro de natura animalium, quod equa ad fumum candelæ abortivum facit. Exemplo malorum Prælatorum Eccleſia ſuos amittit. Lucerna Chriſti, ſcilicet Ioannes, accenſa eſt in eius ſanctificatione, ſed fuit ſub modio, dum ipſe fuit in utero materno. Manifeſtata verò eſt in eius prædicatione, viſa vero eſt extingui

in eius

in ejus decollatione. Verè ardens & vehementer
accenſus quoniam ſic præoccupavit flumina cæle-
ſtis fontis, ut jam Chriſti ſentiret adventum, qui
nec dum poterat ſentire ſeipſum. Idem fuerat Joan-
nes lucerna ardens, ſed adhuc ſub modio. Potuit in
illo tempore ſolum illuminare modium ſuum, ſci-
licet lucere matri. Quis tibi indicavit matrem Do-
mini mulier ſancta? *ut facta eſt*, inquit, *vox ſaluta-*
II. *tionis in auribus meis, exultavit*, &c.

Quomodo & à quo hæc lucerna parata fuerit. Quomodo fulſerit.

Qualiter hæc lucerna parata ſit perpendi poteſt,
ſi attendatur à quo ſit parata. Paravit eam Deus pa-
ter ſicut novit eam eſſe parandam, parata eſt Chri-
ſto Domino qualiter ei decuit. Fulſit hæc lucerna
triplici lumine, ſcilicet lumine multiplicis præro-
gativæ. De ejus prærogativis require in ſequenti
1. ſermone. *Erit magnus*, &c. *Item* fulſit lumine do-
ctrinæ. Bern. Joannem non prædicatio ſed inſpi-
2. ratio docuit, quem replevit Spiritus ſanctus in ute-
ro matris. *Item* habuit verba ignita ut Helias. Luc.
3. 1. *Ipſe præibit ante eum in ſpiritu & virtute Eliæ*.
Eccleſ. 48. *Surrexit Helias Propheta quaſi ignis &*
4. *verbum ejus quaſi facula ardebat*. Fulſit *etiam* vita
Exemplo octuplici. boni exempli. De exemplis vero quæ nobis mon-
ſtrat *octo* ponere ſufficiat. *Primum* eſt *abſtinentia*.
1. Luc. 1. *Vinum & ſiceram non bibet*. Matth. 3. *Eſca*
2. *ejus erant locuſtæ & mel ſilveſtre*. Ejuſdem 11. *Venit*
Joannes non manducans neque bibens. *Secundum*
exemplum fuit *veſtimenti aſperitas & vilitas*. Matth.
3. *Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum*.
Ejuſdem 11. *Quid exiſtis videre in deſerto hominem*
mollibus veſtitum? Secundum quod dicitur in Gloſ-
ſa. Servus Dei non debet habere veſtimentum ad
3. decorem vel ad delectationem, ſed tantum ad tegen-
dum indecorem. *Tertium* eſt *exemplum puritatis*
Angelicæ, virgo enim fuit. Tertium ſequitur duo
præcedentia. Diabolus victus de gula non tentat de
libidine, ut dicit Gloſſa ſuper Matth. 4. Propter hanc
puritatem vocatur Angelus Malach. 3. & Matth. 2.
4. *Ecce ego mitto angelum meum*. *Quartum* eſt *exem-*
plum fugiendi mundum. Luc. 1. dicitur de ipſo quod
erat in deſerto uſque ad tempus oſtenſionis ſuæ in Iſ-
rael. Pſal. 54. *Ecce elongavi fugiens & manſi in ſoli-*
tudine. Duplex fuit ratio quare in deſertum fugit ne
ſcilicet oculis viſurus Salvatorem videret mundi
vanitatem, & ne levi ſaltem maculare vitam famine
5. poſſet. *Quintum* eſt *exemplum humilitatis*, qui cum
tantæ famæ eſſet quod Chriſtus poſſet credi, confeſ-
ſus eſt ſe non eſſe Chriſtum, ſed ejus vocem. Greg.
in Homil. loquens de ipſo, cum tantæ, inquit, vir-
tutis eſſet ut Chriſtus credi potuiſſet, elegit ſolidè
ſubſiſtere in ſe, ne humana opinione inaniter ra-
peretur ſupra ſe. Signum etiam ejus humilitatis fuit
6. quod ait Joan. 1. *Non ſum dignus ut ſolvam corrigiã*
calceamenti ejus. *Sextum* eſt *ſignũ conſtantiæ*. Matth.
11. *Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem ven-*
to agitatam? quaſi diceret: *non*, nam audacter ve-
ritatem dixit & conſtanter mortem *pro ea ſuſtinuit*.
7. *Septimum* eſt *exemplum zeli boni*. Fuit autem zelus
ejus ordinatus, primo contra peccata propria, non
quod jam ceſſarent, ſed quod non eſſent. Bern.
Conſidera hominem angelico promiſſum oraculo,
conceptum miraculo, ſanctificatum in utero, &
novum in homine novo pœnitentiæ mirare fervo-
rem. Apoſtolica perfectio eſt *habentes alimenta &*
quibus tegamur, his contenti ſimus. 1. ad Tim. 6.
Matth. 11 Joannes hoc contempſit. Audi Dominum.
Joannes, inquit, venit non manducans neque bi-
bens, planè nec veſtiens. ſicut ei non eſt locus niſi
forte aliquorum irrationabilium animalium ſic nec
pilus cameli humanum eſt indumentum. Bern. Quid
nos irrationales ſicut reptilia cibos exquirimus de-
licatos. Joannes ſanctus homo miſſus à Deo, immo
angelus ſicut ait propheta, quo major nullus inter
natos mulierum, ſanctiſſimum corpus ſic caſtigat, ſic
affligit, ſic attenuat. Zelum habuit contra aliena pec-
cata, unde: *genimina viperarum*, &c. Octavum eſt
exemplum devotionis in Deum, cujus amantiſſimus
& devotiſſimus fuit. Qui ad vocationem Chriſti ad
ſe exultavit, in Jordane cum baptizaturus contre-
muit, ſic ejus exemplo in adventu Chriſti ad te in
membris ſuis exultes, & ad res ſacras reverentiſſimè
te habeas. Malach. 2. *Levi à facie nominis mei paveat*.

Sequitur de efficacia hujus lucernæ, quod eſt con- III. quæ fuerit efficacia hujus lucernæ
fuſio inimicorum Chriſti. Ad litteram teſtimonium
Joannis multos confudit Judæos, & adhuc poteſt
confundere eos. Matth. 2. *Baptiſmus Joannis unde*
erat? e cœlo an ex hominibus? Et ſubditur, *& reſ-*
pondentes dixerunt, neſcimus. Quidquid ei reſpon-
debant videbant ſibi imminere confuſionem. Quæ-
ſierunt à Joanne quis eſſet, Joan. 1. Et credidiſſent
ei, ſi dixiſſet ſe eſſe Chriſtum. Joan. 5. *Vos voluiſtis*
exultare in luce ejus, ut crederitis eum eſſe Chri-
ſtum, ut dicit Interlinearis. Unde multo magis ei
credere debuerunt, ferenti teſtimonium de alio.
Multo enim amplius valet teſtimonium alicujus pro
aliquo quam pro ſe. Teſtimonium etiam Joannis
confundere poteſt multum inimicos Chriſti. Vene-
rat Joannes Domino parare plebem perfectam, &
ideo perfectè abſtinebat à vitiis & fulgebat virtu-
tibus. Multi cum ſimile officium habeant in contra-
rium agunt, &c.

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO LV.

SUMMARIUM.

Hic ſermo oſtendit excellentiam ſeu magnitudi-
nem S. Joannis ex tribus quorum quodlibet
in quatuor ſubdividitur.

Amen dico vobis non ſurrexit major Joanne, &c.
Matth. 11.

VErbum illud protulit ipſe Salvator Dominus
noſter Jeſus Chriſtus ad laudẽ præcurſoris ſui, Verbis thematis extollitur S. Joãnes dupliciter.
in quo miro modo extollitur ipſe beatus Joannes, tũ
propter laudãtis certitudinẽ, tum propter laudis ma-
gnitudinẽ. Propter laudantis certitudinẽ, quia ipſe
laudavit qui neſcit mentiri, non adulari nec falli po-
teſt, propter quod dicit. *Amen dico vobis*, &c. Certi-
tudine aſſero, non ex relationis fama, non ex ſuſpi-
cionis conjectura, non ex ſimulationis apparẽtia, ſed
ex certa ſcientia, ſicut dicitur Joan. 2. *Ipſe enim Je-*
ſus ſciebat quid eſſet in homine. Ipſe enim vivus ſer-
mo dicitur & efficax, in ejus conſpectu nulla latet
creatura, eſt verbum æternum, cui antequam crea-
rentur, omnia ſunt cognita. Propter magnitudinem
laudis extollitur, quia excepto Chriſto & ejus ſan-
ctiſſima matre, nullus ei præponitur, quod apparet
in ſententia verborum.

Sed videamus quantus ſit ille qui ſic extollitur & Privilegia & magnitudo S. Joannis penſatur ex tribus.
magnus prædicatur ab eo qui non mentitur, nam dũ
conſidero Joannem naſcentem, ex utero video ip-
ſum magnum magnitudine admirabili, talis eſt ma-
gnitudo ſingularis privilegij. Beatus Joannes dicitur
magnus ideo, quia formatus à potentia patris altiſ- I.
ſimi, & ſi omnes pater altiſſimus formavit adjuvan- Ex Nativitate quadrupliciter.
do naturam, hunc ſpecialiter formavit admirando
ſuper naturam. Luc. 3. Zacharia & Elizabeth non
erat filius *eo quod Elizabeth eſſet ſterilis & ambo pro-* 1.
ceſſiſſent in diebus, &c. Et ita Joannes natus eſt de
ſterili & utero ſenectutis, & ideo formatus à po-
tentia Dei patris, propter quod in perſona ejus di-
citur Iſa. 49. *Et nunc hæc dicit Dominus formans me*
ab utero &c. *Ratio* autem quare formatus eſt à patre
altiſſimo, quia præire debebat Chriſtum in divino Ratio huius magnitudinis.
teſtimonio, non humano. Ipſe enim Dominus di-
cit. Joan. 5. *Ego teſtimonium ab homine non acci-*
pio. Sed teſtimonium accipitur à Joanne, ergo
Joannes non tantum homo, ſed etiam plus

quam homo. quia divinus homo & formatus à Deo,
quod eſt contra eos qui minus ſunt quam homo
quia belluinus homo. Eccleſiaſtes 3. *dixi de filiis ho-*
minum ut probaret illos Deus & oſtenderet eos ſi-
miles eſſe belluis, Unde rectè convenit ei quod di-
citur Job 1. *Erat vir ille magnus inter omnes orien-*
tales. Orientales ſunt qui habitant juxta ortum
ſolis. Tales fuerunt Apoſtoli & alij diſcipuli qui
fuerunt tempore Chriſti. Inter omnes tales fuit
Joannes magnus, & iſti fuerunt magni viri in ter-
ra. Beatus ergo Joannes adeo magnus fuit in terra,
ut verè dictum ſit *inter natos mulierum, &c.* Magnus
etiã *ſecundo* quia viſitatus à præſentia verbi Incarna-
2. ti, ſi etenim à verbo multi viſitantur ſpiritualiter, iſte
ſpecialiter à verbo viſitatus eſt corporaliter, dicitur
enim Luc. 1. quod poſtquam Maria concepit abiit
in montana, &c. propter ſerviendi deſiderium,
ſciens quod quanto quis major eſt, tanto debet
eſſe humilior. Unde ejus filius non venit mini-
ſtrari ſed miniſtrare. Matth. 20. Hic datur exem-
plum ſubſerviendi. Gloſſa. diſcant ſanctæ mulie-
res quam ſedulitatem debeant prægnantibus co-
gnatis; Verbum incarnatum in utero Virginis ve-
nit ad beatum Joannem in utero ſterilis, unde ip-
ſum ſalutavit, & ipſe reſalutando exultavit, & qua-
Ratio hujus. ſi curialis ſervus Dominum ſuum ad ſe venientem
cum hilaritate & reverentia ſuſcepit. *Ratio* autem
quare viſitatus eſt à Verbo, quia ipſum præire de-
bebat in vocali officio, ſecundum quod ipſe dixit
de ſe Joan. 1. *Ego vox clamantis, &c.* Vox rectè
dicebatur, quia ſicut vox exprimit verbum in cor-
de conceptum & manifeſtat, ſic beatus Joannes
verbum natum & abſconditum in carne. Si ergo
magna vox eſt quæ magnum verbum annuntiat,
rectè Joannes per illam vocem intelligitur, de qua
Apocal. 1. *Audivi quaſi vocem magnam tubæ, &c.*
Vox tubæ magna, vox aquarum major, vox toni-
trui maxima, Joannes ergo fuit vox maxima, ut
inter natos mulierum non ſurrexerit major, &c.
3. Magnus *tertio* quia ſanctificatus à gratia Spiritus
ſancti, & ſi multi ſanctificantur in baptiſmo, iſte
tamen ſpecialiter ſanctificatus eſt in utero, de quo
Luc 1. *Spiritu ſancto replebitur*, unde rectè conve-
nit ei quod Dominus dixit. Hierem. 1. *Priuſquam*
Ratio hujus. *te formarem, &c. Ratio* autèm quare ſanctificatus
eſt, à Spiritu ſancto eſt, quia præire debebat Chri-
ſtum in ſpiritu Prophetico, ſecundum quod dici-
tur. Luc 1. *Præibit ante illum in ſpiritu & virtute*
Heliæ, in ſpiritu ſcilicet Prophetiæ & virtute pru-
dentiæ, unde Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in*
nobis. Verè magnus, quia plus quam Propheta.
Magnus *quarto* quia nominatus à lingua Angeli
4. Domini, cum enim alij nominentur impoſitione
humana, beatus Joannes nominatus eſt denomina-
tione Angelica, unde Luc. 1. *Angelus apparuit*
Zachariæ & dixit ei, &c. Hujus nominis denun-
tiator Angelus fuit, ſed Deus impoſuit, quod in
perſona Joannis dicitur. Iſa. 49. *Dominus ab ute-*
Ratio. *ro vocavit me, &c. Ratio* quare nominatus ab an-
gelo eſt, quia præire debebat Chriſtum in actu an-
gelico, ſecundum quod de ipſo dictum eſt per Ma-
lachiam Prophetam. 3. *Ecce ego mitto angelum meũ*.
Si igitur magnum Dominum Joannes denuntiabat
& viam ejus parare venerat, rectè illi cõvenit quod
II. de Domino dicitur, Iſa. 9. ſecundum aliam trans-
Ex converſatione in Mundo quadrupliciter. lationem: *vocabitur magni conſilij Angelus*.
Verè angelus magnus in conſilio, magnus in provi-
dentia, & adeo magnus, ut *inter natos mulierũ*, &c,
Conſidero etiam Secundo beatum Joannem con-
1. Magnus fuit magnitudine meriti humilitatis. verſantem in mundo, & video ipſum magnitudi-
ne mirabili, qualis eſt magnitudo meriti. Magnus
fuit beatus Joannes non præſidentia dominij. Hac
dicitur homo magnus ex potentia. Ille vero dici-
tur magnus, qui conculcat magnum adverſarium,
& talis eſt Joannes. Proverb. 16. *Melior eſt patiens*
viro forti. Aut qui ſubjugatur per humilitatem, &
ideo quanto aliquis humilior, tanto Dominus ma-
jor, ſecundum quod dicitur, Matthæi 18. *Quicum-*
que humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte. Hanc ma-
gnitudinem habuit beatus Joannes, quia cum tan-
tus eſſet ut ab hominibus putaretur Chriſtus, ipſe
non ſolum ſe Chriſtum negabat, ſed ſervum inuti-
lem & indignum ſe reputabat, unde dicebat, *poſt me*
veniet qui ante me factus eſt, & cujus non ſum di-
gnus ſolvere corrigiam calceamenti ejus, hoc eſt ex-
traneum inter omnia obſequia. Hanc magnitudi-
nem imitari debemus ſecundum conſilium ſapien-
tis. Eccleſ. 3. *Quanto magnus es*, &c. Sed iſtam
magnitudinem non imitantur præſumptuoſi, qui
ſunt magni corde, contra quos dicitur, Job 15. *Quid*
te elevat cor tuum? Contra tales eſt illud Pſal. 130.
Domine non eſt exaltatum cor meum. Derelinqua-
mus iſtam falſam magnitudinem, & imitemur Joan-
nem per humilitatem, ut ſimus magni. Magnus 2.
etiam fuit excellentia magiſterij, hinc dicitur ho- Magnitudine magiſterij.
mo magnus ex ſapientia. Ille vero magnus magi-
ſter eſt, qui facit quod docet, ſecundum illud.
Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit*, &c. Benedicit,
qui fecerit, unde aliquis quantumcunque doceat,
quantumcunque ſciat, non eſt magnus, niſi faciat,
unde & ibidem dicitur. *Qui ſolverit unum de man-*
datis iſtis minimis, &c. non ſolum minimus, im-
mo etiam nullus vocatur, quantumcunque ſit ſciens.
Hanc magnitudinem habuit beatus Joannes, quod
enim docuit prius fecit, quod bene innuit. Luc. 3.
Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem; non
dicit *dictum*, ſed *factum*, quia tanquam bonus ma-
giſter cæpit facere & docere. Hanc magnitudinem
debemus imitari, quod doctrina fidei non conſiſtit
in ſermone ſed in virtute, unde dicitur Actor. 4.
Virtute magna reddiderunt Apoſtoli teſtimonium
reſurrectionis Chriſti. Unde & Paulus 1. Corinth.
2. *Sermo noſter & prædicatio*, *&c.* ſed hanc non
imitantur viri deſidioſi, qui volunt docere & ni-
hil facere, ſimiles Phariſæis, de quibus Matth. 23
Alligant onera gravia & importabilia, *&c.* Ma-
gnus etiam fuit auctoritate judicii. Qui dicitur 3.
homo magnus ex juſtitia, ille eſt magnus judex, Magnitudine iudicij.
qui ſervat cenſuram judicii, non tantum in extra-
neos, ſed etiam in domeſticos, ſed ille maximus
qui in ſeipſum, ſecundum illud Eccleſ 10. *Ma-*
gnus eſt judex & potens in honore, ſed non eſt major
eo qui timet Dominum Deum. Quia judex ille pu-
nit alios, ſed qui timet Deum punit & judicat ſe-
ipſum, & ideo magnus eſt, quia non judicabitur
ſecundum illud 1. Corinth. 11. *Si noſmetipſos dijudi-*
caremus, non utique &c. Hanc magnitudinem ha-
buit beatus Joannes, quia quamvis eſſet innocens
per aſperitatem vitæ in ſemetipſum diſtrictam fere-
bat judicij cenſuram, unde de eo dicitur. Luc 1.
Erit magnus coram Domino, &c. Similiter dicitur
quod cibus ejus fuit locuſta. Hanc autem magni-
tudinem imitari debemus qui fuimus peccatores. &
quanto majores fuimus in culpis, tanto ma-
jores eſſe debemus in pœnitentiis, ſecundum Con-
ſilium Eccleſiaſtici 29. *Minimum pro magno placeat*
tibi, ut ſicut fuit peccator in abundantia, ſic pœni-
tens in penuria. Sed hanc non imitantur viri deli-
tioſi, qui volunt eſſe in commeſſationibus & ebrie-
tatibus, & pro centum peccatis vix volunt ſolum
jejunare. Tales non ſunt computandi inter ma-
gnos judices, ſed inter magnas meretrices, quia
non ſunt viri ſed fœminæ, unde in perſona fœminæ
in Apoc. 17 ſignantur *Veni oſtendã tibi dãnationem*
meretricis magnæ, id eſt gẽtis delitioſæ, &c. Magnus 4.
etiã fuit ducatu exempli Hic dicitur homo magnus Magnitudine exempli.
ex fama. Ille vero magnus eſt dux, qui non ſolũ habet
nomen, ſed rem nominis, ſecundum quod dicitur

ad laudem Joſuë, Eccleſ. 46. *Fuit magnus ſecundum nomen ſuum maximus in ſalutem, electorum Dei*, gentis ſcilicet: aliquando nomen non eſt magnum ſed vanum, & fama ſimulatæ rei debet infamia judicari. Hanc magnitudinem habuit beatus Joannes, ſecundum quod de ipſo veritas dicit. Joan. 5. *Ille erat lucerna ardens*, non quia luceret per ſe, ſed quia ab alio habebat quod luceret, ſicut luna à ſole. Unde de Chriſto & ipſo poteſt exponi illud Geneſ. 1. *Fecit duo luminaria magna*, id eſt Chriſtū & Joannem. *Luminare majus*, id eſt Chriſtum, *ut præeſſet diei*, ſcilicet ipſi Eccleſiæ; *& luminare minus*, id eſt Joannem, *ut præeſſet nocti*, quantum ad inſtructionem Synagogæ. Et ſicut luna creſcit & in conſummatione minuitur, ſecundum quod ipſe dixit, *me oportet minui*, id eſt purum hominem reputari. Hanc magnitudinem imitari debemus juxta mandatum Domini. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra, &c.* Sed hanc non imitantur viri vanè glorioſi, qui ſola apparentia & laude hominum ſunt contenti, contra quos Proverb. 25. *Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris*, ne ſcilicet dum vis eſſe magnus in conſpectu hominum fias abominabilis apud Deum, ſecundum illud Luc. 16. *Quod altum eſt apud homines, &c.* Ideo hanc magnitudinem vanitatis contemnere debemus.

III. Ex æterna eius beatitudine quæ magna eſt quadrupliciter.

Conſidero tertio beatum Joannem regnantem in cœlo, & video eum magnum magnitudine retributionis, qualis eſt magnitudo præmij Rom. 8. *Quos juſtificavit hos & magnificavit.* Non eſt dubium quin ille qui dixit Abrahæ, Geneſ. 15. *Ego ero merces tua magna nimis*, quin & ipſe Joanni dixerit idem. Magna nimis, quia magna ſecundum

1. omnem modum & ſuper omnem modum, eſt enim ejus menſura immenſitas & finis infinitas. *Primo* illa merces eſt magna *longitudine æternitatis*, ſecundum quod dicit Apoſtolus, 2. Corinth. 4. *Illud quod eſt in præſenti momentaneum & leve, &c.* Ideo adhortans aliquos ad ſuſtinendum modicum, ad Hebr. 10. dicit. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem*; quia pro momento temporis acquiritur longitudo æternitatis ſecundum illud, Pſalm. 90. *Longitudo dierum, &c.* quam beatus qui tantam poſſidet mercedem Valde mortuum habet deſiderium; qui hanc non deſiderat. Sed qui vult ad hanc vitam longam pervenire, neceſſe eſt ut contemptum habeat mortalis vitæ, ſecundum illud Domini: Joan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* Sed è contra per amorem vitæ

2. mortalis pervenitur ad mortem; ut ibidem dicit: *Qui amat animam ſuam perdet eam.* Magna eſt *etiam* merces beati Joannis *latitudine ubertatis*. Baruch. 3. *O Iſrael quam magna eſt domus Dei.* Et ſi ſit ampla, tamen non eſt vacua ſed abundans & repleta. Pſal. 35 *Replebuntur ab ubertate.* Hujus ubertatis dulcedinem reperire cœpit qui dicebat: Pſalm. 30. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, &c.* O quam beatus eſt qui ad ubertatis longitudinem meruit pervenire. Sed valde durus eſt qui hanc non appetit, ſed ad hanc pervenire non poteſt niſi per amaritudinem paupertatis in cantico beatæ Virginis: *Eſurientes implevit bonis.* Nam per ubertatis amplitudinem pervenitur ad paupertatis magnitudinem, ſicut dicitur, Geneſ. 41. *Ubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo:* ſicut etiam dicitur in Job. 27. *Dives cum dormierit*

3. *nihil ſecum auferet* Magna etiam illa beati Joannis merces *ſublimitate honoris*, ſecundum quod in Pſalm. 20. dicitur. *Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo, in ſalutari*, id eſt, *in Chriſto*, quia *cum apparuerit Chriſtus vita noſtra, & nos apparebimus cum ipſo in gloria*, ad Coloſſ. 3. *Salvatorem expectamus, &c.* ad Philip. 3. O quam magnus eſt beatus Joannes, qui ad tantam honoris ſublimitatem meruit pervenire, unde de eo vere dicitur: *Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo.* Valde durus eſt qui hanc magnitudinem non deſiderat, ſed ad hanc magnitudinem non poteſt quis pervenire niſi per parvitatem vilitatis. Job 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Nam è contra à gloriæ ſublimitate pervenitur ad ignominiæ parvitatem. Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, &c.* Magna *etiam* illa merces 4.
profunditate pacis. Adeo enim erit in intimis collocata, ut per ipſam nunquam exeatur extra, unde illius pacis profunditas ſignata eſt per requiem Chriſti in terræ profundo ſive in ſepulchro. Ipſe enim Chriſtus eſt pax noſtra & requievit ſub terra die Sabbathi, & figurabat magnitudinem illius quietis. O quam magnus eſt beatus Joannes, qui ad hanc pacis magnitudinem meruit pervenire, ut de eo vero poſſet dici quod ſcribitur. 3. Reg. 10. quod *magnificatus eſt rex Salomon ſuper omnes Reges.* Salomon rex pacificus, qui in pace regnavit, in pace magnificatus eſt valde. Durus eſt valde qui ad hanc pacem pervenire non appetit, ſed pervenire non poteſt niſi per virtutem quietis temporalis. Sicut enim dicitur. Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Nam è contrario per quietem ocioſitatis pervenitur ad laborem æternum, unde 1. Theſſ. 5. *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperveniet interitus.*

DE BEATO JOANNE ET PAULO.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Duo ex themate docet hic ſermo.

SERMO LV.

Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. *Luc. 12.*

Sicut dicit Gloſſa ſuper illud Pſal. 79. *Incenſa igni & ſuffoſſa.* Omnia peccata duæ res faciunt in homine, ſcilicet cupiditas & timor, ſic etiam amor Dei & timor ejus ducit ad omne bonum. Ideo cæleſtis magiſter volens docere diſcipulos ſuos utilia, docuit eos non amare temporalia bona, & non timere tranſitoria mala. In verbis vero propoſitis quæ in Evangelio hodierno continentur *primo* monet eos ut occiſores corporis non timeant, *ſecundo* oſtendit quem timere debeant; ibi: *timete eum, &c.* (Duo ex themate docet hic ſermo.)

I. Occiſores corporis non eſſe timendos ob tria.

Circa Primum notandum quod ſicut dicit Chryſoſt. Omnia mala operatur timor mortis; omnia bona contemptus mortis. Jerem. 10. *Nolite timere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Seneca. Mors, exilium, luctus, dolor, non ſunt ſupplicia ſed tributa. Sed multi cum requiruntur ut ſolvant debita, poſtulant inducias, cum tamen poſſint ſolvere ſtatim quaſi mali debitores. Proverb. 29. *Qui timet hominem, cito corruet* Tribus de cauſis non debent terreri amici Dei ab his qui corpus occidunt. *Primo* quia ſunt amici Dei, amicis enim Dei ſunt omnia amica & utilia, ſunt enim eis non vana. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Eccleſ. 8. *Qui cuſtodit præceptum non experietur quidquam mali.* Inimicis vero Dei ſunt omnia inimica, nocent enim eis proſpera & adverſa. Magna enim eſt conſolatio filiis Dei quod perſecutor virgam habens, in 1.

manum patris eorum habet, patris inquam, miſericordiarum, cujus ſapientiam nihil poteſt latere, cujus potentiam nihil poteſt ſuperare, unde veriſimile eſt quod perſecutor non affligat eos, niſi in quantum pater viderit eis expedire. Iſa 10. *Virga furoris mei Aſſur.* Magnum ſolatium eſt amicis Dei omnipotentia. Hoc ſolatium adhibuit Dominus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam, cum timerent ne illi qui occiderant magiſtrum eorum eos occiderent. *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Matth. ult. Timere debent amici Dei ſuper omnia illud quod aufert amicitiam Dei, ſcilicet peccatum. Manente ejus amicitia omnia ſunt in tuto. Luc. 10. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Ideo notabiliter dictum eſt: *dico vobis amicis meis, &c.* Inimicis Dei omnia ſunt timenda. Geneſ. 4 Caïn poſt peccatum: *quicunque invenerit me occidet me.*

2. *Secundo* non ſunt timendi corporis occiſores, ſed potius amandi; quia corpus eſt hoſtis noſter familiaris. Ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem* Nulla autem peſtis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus, ut ait ſapiens. Obſequuntur qui perſequi videntur occidendo hoſtem noſtrum qui plus poteſt nocere Proverb. 28 *Fugit impius nemine perſequente.* Obſequium iſtud videbatur deſiderare, Apoſtolus Paulus dicens Rom. 7. *Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Qui liberat à corpore, à ſordido liberat carcere. Pſalm. 141. ſecundum aliam litteram. *Educ de carcere animam meam.* Corpus in mortali peccato, corpus mortis dici poteſt, quia vivere in eo eſt quaſi mors vel morte deterius. Eccleſiaſticus 30. *Melior eſt mors quam vita amara.* Item corpus mortis dici, quia addictum eſt neceſſitati moriendi. Seneca Nullum majus ſolatium mortis quam ipſa mortalitas, quam neceſſitas moriendi. Chryſoſtomus. Si gratis poſt modicum morituri ſumus, quare ante modicum in cauſa Dei cum gloria non morimur, ut fiat voluntarium quod futurum fieri eſt neceſſarium. Seneca. Nemo tam ſtultus eſt quin malit ſemel cadere,

3. quam ſemper pendere. *Tertio* non ſunt timendi corporis occiſores, quia modica eſt eorum poteſtas, poſſunt enim in corpus & non in animam, poſſunt ante mortem non poſt, poſſunt inferre tormentum momentaneum, non æternum.

II. Deum animæ & corporis occiſorem eſſe timendum.

Sequitur. *Timete eum qui poſtquam, &c.* Timendus eſt ille qui poteſt non ſolum in corpus ſed etiam in animam, & non ſolum ante mortem ſed etiam poſt mortem, qui non ſolum infert pœnam tranſitoriam ſed etiam æternam, poteſtas illa timenda eſt. Illum debemus timere cui nihil poſſumus abſcondere. Juſtitiam ejus debemus timere; quam nec prece nec pretio poſſumus corrumpere. Bonitatem illam debemus timere, quæ ſummè odiens malum, illud puniet ſine fine. Gregorius. Quidquid eſt quod exterius ſentis, per hoc ille metuendus eſt, qui hoc interius diſponit Auguſtinus, Si creaturæ, &c. Deum time, non ipſas, quia omnia ſub ipſo. Idem. Et ſi cupiditatem per te habeas, poteſtatem nocendi, ſi ille non dederit non habes. Ideo Deus homo ſtans ante hominem ait. Joan 19 *Non haberes poteſtatem in me, niſi tibi deſuper datum eſſet.* Nec ipſe diabolus vel unam oviculam potuit tollere viro Job niſi prius diceret: *mitte manum tuam*, hoc eſt, da poteſtatem. Job 1. & 1. Machab. 2. *A verbis iniqui peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis eſt. Extollitur hodie, & cras non invenietur.* Iſaiæ 51. *Quis tu ut timeas ab homine mortali & à filio hominis, qui quaſi fœnum areſcit?* Ejuſdem 8. *Dominum exercituum ipſum ſanctificate*, æſtimantes eum ſanctum, & ſanctitatis amatorem. *Ipſe pavor veſter & ipſe terror veſter.*

De SS. Martyribus Joanne & Paulo.

Beati martyres quorum hodie feſtum celebramus ab his qui occidunt corpus non fuerunt territi, immo ad Martyrium fuerunt parati, & voluntarij, unde dixerunt Juliano qui dederat eis inducias decem dierum martyrij ſui, jam decem dierum inducias exiſtima præteriiſſe & quod te minaris poſtea facturum, hoc jam perfice, quia poſt mortem ad gloriam feſtinabant pervenire, ad quam nos perducat, qui ſine fine vivit & regnat Amen.

DE BEATO PETRO APOSTOLO.

SERMO VNICVS.

SERMO LVI.

SUMMARIUM.

Primo demonſtrat hic ſermo quanti fiat officium paſtorum Eccleſiæ à Deo. Deinde quatuor qualitates Eccleſiæ paſtorum affert & explicat.

Simon Joannis diligis me plus his. *Joan. ult.*

Officium paſcendi alios quanto opere diligat Salvator.

Eccleſia ſolennizans de principe Apoſtolorum, multa nobis recitat de ipſo ad gloriam Dei, & ipſius commendationem, & noſtram ædificationem. Specialiter vero in Evangelio hodierno recitatur nobis quomodo Salvator officium paſcendi ei commendaverit, quod officium ſpecialiter Salvator diligit, cui in hoc mundo intendere voluit. Joan. 10. *Ego ſum Paſtor bonus.* Ad hoc etiam in mundum venit. Marc. 1. *Eamus in civitates & vicos proximos ut ibi prædicem, ad hoc enim veni.* Hoc officium diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem multum commendavit. Poſtquam Thomam in fide reſurrectionis confirmavit, fere in omni apparitione illud commendavit. Commendavit illud Petro cum tertio diſcipulis ſuis ſe manifeſtavit. Joan. ult. de quo habetur in Evangelio hodierno. Item commendavit illud diſcipulis cum apparuit eis in Galilæa, Matth. ult. *Ite docete omnes gentes.* Item in die aſcenſionis Marc. ult. *Euntes in mundum univerſum, &c.*

Hoc officiũ Petro commendans Chriſtus quatuor facit.

Commendans autem hoc officium Petro *quatuor* facit. *Primo* Simonem vocat & Simonem Joannis. *Secundo* de dilectione ſui eum interrogat. *Tertio* ad officium paſcendi gregem ter eum invitat Bis ad paſcendum agnos, ſemel ad paſcendas oves. *Quarto* genus mortis ſignificat, quod Petrus paſſurus erat pro eo dicens *Cum eſſes junior cingebas te, &c.* In his *quatuor* oſtenditur ordinatio vitæ eorum, qui gregem Dei habent paſcere. *Primo* ſe debent ponere in via, ut impleant quod docent. *Secundo* debent operam dare ut in amore Dei proficiant. *Tertio* officio paſcendi debent inſiſtere. *Quarto* ſi opus fuerit pro grege debent animas ſuas ponere.

Ex his quatuor qualitates apparent paſtorum Eccleſiæ.

I Obedientia ſeu impletio doctrinæ ſuæ.

Ad Primum pertinet quod Dominus Petrum Simonem vocat, interpretatur enim obediens. Prædicator primo debet obedire doctrinæ ſuæ. Auguſtin. in libro de doctrina Chriſtiana. Non obedienter auditur, qui ſe ipſum non audit. Gregor. Cum imperio docetur quod prius agitur quam dicitur, nam doctrinæ quis ſubtrahit fiduciam, cum conſcientia præpedit linguam. 1. ad Timoth. 4. *Attende tibi & doctrinæ.* Et Prov. 9. *Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris.* Bernardus. Non eſt ſapiens qui non eſt ſapiens ſibi. Simonem vocat quia obedire debet religioſus, & præceptis divinis, & ſtatutis majorum, & ammonitionibus eorum. Simon Joannis, debet eſſe vir religioſus non Simon Ciræneus, qui angariatus eſt ut crucem Domini ferret, Joannes interpretatur gratia, obedientia gratiæ eſt omnibus gratis data, & talis eſt Deo grata. Timendum

De obediẽtia.

eſt ne obedientia illorum ſit Deo parum grata, qui non obediunt niſi cum gladius ſuper caput eorum extrahitur, cum ſcilicet in virtute obedientiæ præcipitur, ac ſi diceretur: Gladio æternæ pœnæ ferieris, ſi hoc non feceris. Multum à nobis amanda eſt obedientia, cujus Salvator fuit diſcipulus & doctor. De primo dicitur ad Hebr. 5. *Cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam.* Didicit in membris ex his qui paſſi ſunt in ſe, vel didicit per experientiam. Ipſe docuit obedientiam in mundum veniens. Joan. 6. *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam*, &c. Item in mundo manens Joan. 4. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Etiam de mundo exiens. Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater ſic facio.* Bernardus. Mementote fratres, Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. In ſignum hujus inclinato capite emiſit ſpiritum. In domo obedientiæ Salvator ponit illos, quorum ſalutem deſiderat, ibi dat benedictionem, inde aſcenditur in cælum. Luc. ult. *Eduxit eos foras in Bethaniam*, quæ interpretatur domus obedientiæ *& benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret receſſit ab eis & ferebatur in cælum.* Religiones ſcholæ ſunt obedientiæ. Erit magna confuſio in die judicii his, qui 90 annis fuerunt in ſcholis vel amplius, & in obedientia non profecerunt, ſicut magna confuſio alicui eſſet qui 20 annis in ſcholis fuiſſet & in ſcientia non profeciſſet.

II. Dilectio Dei, non ſui vel ſuorum. Circa profectum & Dei amorem notandum, quod ad perfectionem divini amoris pertinet, ut bona tranſitoria contemnant & tranſitoria mala non timeant. Auguſtinus. Domine te minus amat qui tenon amat propter te. 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem* Auguſtinus ſuper Joan. Amor in eo qui paſcit oves Chriſti in tam magnum debet ſpiritualem creſcere ardorem ut vincat etiam mortem naturalem & timorem. Tertiam interrogationem de amore refert. Bernardus ad hoc quod paſtor debet plus amare Chriſtum quam ſua vel ſuos vel ſeipſum. Item contra hos vigilat toties inculcata vox iſta Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere non quæ Jeſu Chriſti, & vult Auguſtinus inculcationem eſſe factam contra homines ſe ipſos amantes, de quibus habetur. 2. ad Timoth. 3. *Scito quia in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes*, quod eſt radix multorum malorum: & ſubdit; *Cupidi, ſuperbi, elati*, &c. *voluptatum magis amatores.* Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuis velint eſſe dediti voluptatibus, ſe convincuntur amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & ſubveniendi & Deo placendi charitate. Item Auguſtinus ſuper Ioan. Neſcio quo explicabili modo quis ſeipſum non Deum amat. Quiſquis Deum non ſeipſum amat, ſe amat. Qui ei non poteſt vivere de ſe, moritur amando ſe. Non ergo ſe amat, qui ne vivat ſe amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non ſe diligendo magis diligit, qui propterea ſe non diligit, ut eum diligat, de quo vivit.

III. Vigilantia in officio paſcendi. Triplex modus paſcendi. Circa officium paſcendi notandum, quod quod multum eſt acceptum Deo. Ierem. 3. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini. Tripliciter* debet paſtor paſcere, ſcilicet *exemplo, verbo, temporali ſubſidio.* Ad pabulum exempli monet Apoſtolus. 1. ad Timoth. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione*, &c. Ad Tit. 2. *In omnibus exemplum præbe teipſum bonorum operum.* De aliis duobus dicit Auguſtinus. Talis debet eſſe rector Eccleſiæ, qui proponat verba doctrinæ ignorantibus & menſam ſuam communicet indigentibus. Libenter audit linguam ejus loquentem cujus dexteram expectat porrigentem.

Bis monetur Petrus paſcere agnos, qui nec lanam nec lac paſtoribus miniſtrant, & ſemel oves. Quia ſciebat Chriſtus paſtores Eccleſiæ parum facturos illis à quibus non ſperaretur utilitas temporalis, & quia juvenes frequentiore indigent refectione ſpirituali quam ſenes, ſicut etiam corporali.

IV. Facultatum & vitæ expoſitio pro ovibus. Oportet etiam quod paſtor, ſi neceſſe fuerit, animam ponat pro ovibus, ſicut princeps paſtorum fecit, & petivit facere, & voluit de quod ſubditur: *Cum eſſes junior*, &c. *Cum autem ſenueris extendes manus tuas* crucifigendus. Ad hoc autem ut venias *alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Auguſtinus. Hunc invenit exitum negator & amator præſumendo elatus, negando proſtratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo conviciatus. hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum pro grege paſcendo promiſerat. Sed quomodo morietur pro grege paſcendo, qui nec unam parvam refectionem pro eo vel pravum lectum ſuſtinere vellet? Gregorius. Primum nobis eſt exteriora noſtra pro ovibus noſtris impendere. Poſtremum verò ſi neceſſe fuerit, etiam animam noſtram pro eiſdem ovibus miniſtrare, ſed cum incomparabiliter longè melior anima ſit qua vivimus, quam terrena ſubſtantia quam exterius poſſidemus, qui non dat pro ovibus ſuis ſubſtantiam ſuam, quomodo pro eis daturus eſſet animam ſuam?

IN COMMEMORATIONE S. PAULI.

SERMO VNICVS.

SERMO LVIII.

SVMMARIUM.

Hic ſermo thematis 5. dicta pertractat & explicat, eaque S. Pauli tranſitui ſeu mortis de qua hoc feſtum, accommodat.

Tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Ideoque repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. 2. *Ad Timoth.* 4.

Primum dictum thematis de tranſitu ſeu obitu S. Pauli tractatur. Eccleſia retulit hodie tranſitum beati Pauli à valle miſeriæ ad locum gloriæ, & congratulatur ei de corpore mortis exeunti, lucrum quod diu concupierat conquirenti, bonum quod ſecutus fuerat apprehendenti Veriſimile eſt quod in exitu à mortali corpore multum gratulatus ſit ſpiritus ejus qui ait: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ad Roman. 7. Multum lucrum acquiſivit ſibi mors quæ eſt naturæ debitum, commutata in regni cœleſtis pretium. Ad Philip. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Hodie ſummum bonum apprehendit quod tanto tempore ſecutus fuerat. Ad Philip. 3. *Sequor ſi quomodo apprehendam.* Duo themata de illo habet & ſermo tractat. Sciens Dominus deſiderium quod Paulus habebat de tranſitu ab hac vita mortali, propinquitatem illius tranſitus ei revelavit, & de victoria ſua & corona eum ſecurum reddit, quod Timotheo verbis propoſitis ſcripſit In quibus *primo* propinquitatem reſolutionis ſuæ indicat. *Secundo* oſtenſionem laboris ſui & coronæ demonſtrat. Primum ibi: *Tempus*, &c. Laborem ſuum oſtendit ibi: *Bonum certamen*, &c. Coronam ibi: *In reliquo*, &c. Id eſt in futuro, *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.*

I. De obitus propinquitate Paulo revelata. Simile ei quod hic dicitur. *Tempus meæ reſolutionis*, &c. habetur. 2. Petri 1. Ubi Petrus dicit. *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſicut Dominus ſignificavit mihi.* Propinquitas vero mortis Paulo revelata non eum terruit, cum haberet in deſiderio mortem & vitam in patientia. Ad Philip. 1. *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſ-*

ſolvi & eſſe cum Chriſto, multo melius permanere in carne neceſſarium propter vos. Proverb. 28. *Iuſtus ut leo confidens abſque terrore erit.* Ejuſdem 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.*

Quæſtio? Quærit Auguſtinus quomodo Paulus potuit dicere: *bonum certamen certavi*, &c. cum adhuc reſtabat tempus paſſionis, quam ſibi impendere prædixerat, tam magna conflictio, tam magna lucta, tam grave, & tam grande certamen, ad cujus conſummandum curſum adhuc illud deerat, ubi erat futurus acrior & crudelior inimicus, & ſubdit hanc reſponſionem;

Reſponſio. hoc dicit non re plena, ſed ſpe firma, quia de victoria futuri certaminis & curſus conſummatione certum eum ſecurumque fecerat, qui ſibi paſſionem imminere jam revelaverat, ideo quod futurum fuit præſumpſit, & tanquam fuerit, indicavit. Magnam ſecuritatem videbatur habere cum diceret ad Rom. 8. *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti*, &c. *tribulatio, anguſtia?* &c. Et poſt. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita*, &c

II. De ejus certamine vel labore & corona ſeu præmio. Tempus hujus vitæ triplex.

Circa *ſecundum* notandum quod tempus hujus vitæ tempus eſt certandi, tempus peregrinandi, tempus acquirendi.

1. Tempus certandi. *Tempus certandi*, quia *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Job. 7. Bernardus. In mundo iſto tanquam in ſtadio certaminis poſiti ſumus, ibi Chriſtus mortuus eſt, qui vero hic livorem vel plagas non ſuſcepit, in futuro mundo, miles inglorius apparebit.

2. Tempus peregrinandi. Nunc eſt *tempus peregrinationis.* 1. Petr. 2. *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos.* Pſal. 38. *Advena ego ſum apud te & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Ad hanc peregrinationem pertinet quod animus hominis tendat ad Dei fruitionem, unde animo iſto non eſt manendum cum corpus ejus currat ad mortem. Auguſt. libro Confeſſion. Feciſti nos ad te & inquietum eſt cor noſtrum donec veniat & requieſcat in te. Idem. Nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ quam curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum vel tardius ire permittitur, ſed omnes pari motu urgemur. Ad hoc etiam ut homo ad alium locum tendat facit velox tranſitus rerum temporalium. Sap. 5. *Tranſierunt velut umbra omnia.* Item mutabilitas hujus vitæ Job 14. *Tanquam flos egreditur, & conteritur & fugit velut umbra, & nunquam in eod. ſtatu permanet.* Ad idem facit quod locus iſte non eſt patria ſed exilium, ideo ſancti ad locum meliorem & ad bona meliora anhelant.

3. Tempus acquirendi. Nunc eſt etiam *tempus acquirendi* ſecundum illud Eccleſiaſtes 3. *Tempus acquirendi & tempus perdendi.* Nunc eſt tempus acquirendi animas Chriſto nunc eſt tempus acquirendi vitam immortalem. Nunc eſt tempus perdendi bona tranſitoria & acquirendi æterna. Eccleſiaſtici 29. *Perde pecuniam propter fratrem.*

Secundum dictum ibe mətis tractatur. Certamen reſpicit id quod eſt contra curſum. Ideo bonis infimis non debent electi adhærere, ſed ad permanẽtia properare. Fides enim reſpicit illud quod eſt ſupra vel juxta. Fidem vero debemus ſervare Deo & proximo.

Certamen ſeu tentatio triplex hujus vitæ. Quantum ad primum dicit Apoſtolus: *Bonum certamen certavi.* Servos Dei impugnat in mundo illo corruptio carnis, vanitas mundi, malitia diaboli. Inſultus carnis ſunt tentationes luxuriæ, inſultus mundi ſunt tentationes cupiditatis, inſultus diaboli ſunt tentationes ſuperbiæ. qui tentationibus cedit & conſentit, malè certat, & vincitur, & ſuſpenditur. qui reſiſtit, benè certat, & vincit, & coronatur. 2. Timoth. 2. *Non coronabitur niſi qui legitime certaverit.*

Quomodo S. Paulus vicerit. *Tentationes carnis* Apoſtolus vicit, caſtè enim vixit. 1. ad Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum & inſervitutem redigo.* Ad deſignandum candorem caſtitatis ipſius in martyrio ejus de corpore ſuo unda lactis exivit.

2. *Tentationes cupiditatis* vicit, quia divitias perfectè contempſit, ideo convenienter recitatur in Evangelio hodierno. Matthæi 19. *Ecce nos reliquimus omnia* Ad Philip. 3. *Quæ fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtũ detrimeta, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.*

3. *Tentationes ſuperbiæ* vicit, quia humillimus fuit. 1. Corinth. 15. *Ego ſum*, inquit, *minimus Apoſtolorum.* Epheſ. 3. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias gratiæ Chriſti.*

Tertium dictum. *Sequitur. Curſum conſummavi.* Vita mortalis ſecundum Greg. via eſt in qua Paulus cucurrit, quam velociter & ſtrenue executus eſt, ut Deus mandavit 1. Corinth. 9. *Ego ſic curro non quaſi in incertum.* Ipſe ſic cucurrit quod comprehendit. In eodem *Sic currite ut comprehendatis.* Hebr. 12. *Curramus ad propoſitum nobis certamen.* Bern. Qui amat ardentius, currit velocius, & perveniet citius. Ipſe curſum conſummavit, quia nec bonis mundi viſitatus detineri potuit, nec malis vinculis, nec etiam cathenis curſus ejus impeditus fuit. Ad Epheſ. 4. *Obſecro vos ego vinctus in Domino.* In vinculis etiam poſitus à prædicatione non ceſſavit. Sunt alij qui curſum contrarium faciunt, *quorum pedes ad malum currunt.* Proverb. 1. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Pſ. 13 De ipſis dicit Pern. Alacrius currunt ad mortem, quam nos ad vitam, non tantum de die ſed etiam de nocte, nec tantum diebus non feſtivis ſed etiam feſtivis, non tantum pedibus ſed omnibus membris tendunt ad infernum. Quidam vero bene currentes ante curſus conſummationem cadunt & collum fragunt ſibi,

Quartum dictum. Sequitur *fidem ſervavi*: Apoſtolus Chriſto fidelem ſe exhibuit, ejus enim gloriam, non ſuam quæſivit. Nomen ejus coram gentibus & regibus portavit & filiis Iſraël, & ipſi non ſermonem facere volunt, &c. Caput ejus dum præciſum fuit, nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti clara voce perſonuit. Ipſe talentum ſibi commiſſum fideliter diſpenſavit. 1. Corinth. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 2. Corinth. 11. *In laboribus plurimis.* 1. Corinth. 15. *Abundantibus omnibus laboravi.* Ipſe Evangelio quod per revelationem Domini Ieſu Chriſti didicerat Eccleſiam illuminavit, & odore bonæ famæ eam confortavit. 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus.* In morte ejus lux magna ſuper eum apparuit & odor maximus de corpore ejus exivit.

Quintum dictum. Fidelitati vero ejus corona reddita eſt ſecundum illud Apocal. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* De quo ſubditur: *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Iuſtitia dicitur quantum ad illud quod eſt condignum, munus vero eſt quantum ad illud quod eſt ſupra condignum. Vel juſtitia poteſt dici facta comparatione præmij ad meritum, munus vero habito reſpectu ad radicem merendi, quæ gratis datur, & quantum ad hoc intelligitur illud Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es Domine*, &c.

DE BEATA MARGARETA

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Oſtendit hic ſermo in quibus non ſit gloriandum, & in quibus gloriandum ſit. 2. Virgini in tribus gloriandum eſſe demonſtrat.

SERMO LIX.

Qui gloriatur in Domino glorietur. 1. *Corinth.* 1.

CUm homo creatura nobilis ſit & ad gloriam regni cœleſtis creatus, naturaliter appetit gloriari, ideo neceſſarium eſt ſcire in quo gloriari debeat, ne forte unde confundi poſſit gloriam quærat.

rat. In quo autem gloriari debeat oſtendit Apoſtolus in verbo propoſito dicens: *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Non debet homo gloriari in malis. Pſ. 1. *Quid gloriaris in malitia?* &c. Gloriatio iſta eſt talis ac ſi aliquis gloriaretur de hoc quod in lutum fœtidum cecidiſſet, peccatum enim res immundiſſima eſt. Item non debet gloriari in bonis hujus mundi Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur dives in divitijs ſuis.* In ſapientia mundana non debet aliquis gloriari, quia ſapientia hujus mundi eſt ſtultitia apud Deum. Ipſa enim eſt velut lumen lignorum putridorum, quod de nocte apparet, de die non. In tenebris hujus vitæ videtur eſſe ſapientia, ſed in futuro apparebit quod ſit inſipientia. De fortitudine etiam corporis non debet aliquis gloriari, quia *fortioribus fortior inſtat cruciatus.* Sap. 6 Hoc eſt gloriari de fortitudine ſui hoſtis, cum corpus adverſetur ſpiritui. De divitijs non debet etiam aliquis gloriari, quia non proderunt divitiæ in die ultionis, quia gloriari de multitudine divitiarum quæ amantur contra Deum, eſt gloriari de hoc quod habet magnam molam ad collum, qua mergendus eſt in profundum inferni. In Domino debet gloriari, qui gloriatur, vel poteſt gloriari de hoc quod habet Dominum Deum, cum ſit optimus Dominus. Pſ. 32. *Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus.* Idẽ, Pſal. 143. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus. Ambroſ. Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo. *Item* poteſt aliquis gloriari in Dei cognitione ſecundum illud. Hierem. 9. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire & noſſe me.* Baruch. 4. *Beati ſumus Iſrael, quia quæ placent Deo manifeſta ſunt nobis.* *Item* poteſt quis gloriari in gratia Domini, quam oſtendit ſe habere. 2. Corin. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, quando Spiritus ſanctus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei. *Item* poteſt quis gloriari in Dei imitatione, ut cum exemplo Chriſti bona tranſitoria deſpicit vel tribulationes patienter ſuſtinet Eccleſiaſtici 23. *Magna gloria eſt ſequi Dominum.* Sic gloriabatur Paulus. Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Gloriari debet Chriſtianus in hoc, quod judicio Domini ſui Chriſti eſt glorioſum non mundi judicio Judicio Chriſti glorioſa res eſt humilitas, qua appetit palliari ſuperbia ne viloſcat. Altitudo verò ſæculi, judicio Dei res eſt ignominioſa. Luc. 16. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum.* In quo debet Chriſtianus gloriari & in quo non, require in feſto ſanctæ crucis in ſermone illo: *Mihi abſit gloriari* Amor qui eſt inter ſervum Chriſti, & Chriſtum, cum ſit unio amantis & rei amatæ, facere debet ut Chriſti ſervus glorietur de bonis quæ pertinent ad gloriam Chriſti, gloriam enim Chriſti ſuam debet reputare Sicut mater de amore quem habet ad filium, de exaltatione filij gloriatur, ut cum ſit Epiſcopus, vel aliter ſublimatur. Sic ſervus Chriſti debet gloriari de hoc quod Dominus ſuus ſedet ad dexteram patris, & data eſt ei omnis poteſtas in cælo & in terra, & quod in nomine ejus omne genu flectatur. Debet ſervus Chriſti gloriari in Domino, hoc eſt in bonitate & virtute Domini ſui, ut ſi quid boni habet ei attribuat qui fons eſt omnium bonorum, ſi quid boni agit virtuti ejus attribuat. 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti: ſi autem accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis.* Beata Margareta cujus hodie feſtum celebramus in Domino gloriari potuit, quia ipſius virtute carnem, mundum, diabolum vicit Carnem vicit, quia virginitatem ſemper habuit & ſervavit; mundum vicit, quia tyranni præcepta & tormenta contempſit. Bona etiam mundi non concupivit nec mala timuit Diabolum vicit, cujus aſtutias deprehendit, & pedẽ ſuum ſuper caput ejus poſuit, ſicut patet perlegenti vitam ipſius.

In quibus gloriandũ non ſit.

In Deo gloriandum, quomodo.

Gloriandũ in humilitate.

Item in gloria Chriſti

De S. Margareta.

Spiritualiter iſta bona virgo gloriari poteſt in Domino quia Domino eſt ſociata tanquam ſponſo. Honorabiliſſimum eſt tale connubium, cum creatura creatori ſponſa efficitur. Si tantus eſt honor habere ſponſum regem Franciæ, quantus honor eſt habere regem gloriæ? Magnum honorem faceret Chriſtus virgini, ſi dignaretur eam in ancillam aſſumere, ſervire enim regi æterno regnare eſt cum eo, Quantum ergo honorem ei facit cum eam in ſponſam accepit atque elegit? Ipſa non eſſet digna diſcalciare eum, cum ille quo major inter natos mulierum non ſurrexit, dixit, ſe non eſſe dignum ſolvere corrigiam calciamenti ejus Joan. 1. Mirabilis honor eſt cum ille qui Angelos habet pro ſervis humilem virginem pro ſua ſponſa elegit, cum quanta exultatione eſſet ei cantandum, *ipſi ſum deſponſata cui Angeli ſerviunt.* Tamen exultationi miſcendus eſt timor, multum enim debet timere ne inferat contumeliam à quo tantam ſuſcepit gloriam Pſalm. 2 *Exultate ei cum tremore.* Hoc nobile connubium verum connubium eſt. Carnale autem connubium eſt quaſi ſignum & quædam pictura. Ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Connubium carnale quod cũ homine mortali contrahitur, morte ſolvitur ſecundum illud, 1. Corinth. 7. *Si dormierit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri, cui vult nubat in Domino.* Connubium vero ſpirituale quod cum Deo immortali contrahitur morte non ſolvitur, immo ſponſa per mortem ad ſponſi fruitionem perducitur Hoc connubium non ſolum eſt honorabiliſſimum, immo & jucundiſſimum & fructuoſiſſimum. Jucunditas verò in præſenti inchoatur, ſed in futuro perficitur Sed cum oculus non vidit Deus abs te quæ præparaſti diligentibus te quanta præparaſti ſponſæ omnia præter te contemnenti, integro te amore amanti? Quis exprimere valeat jucunditatem quam ſponſæ Dei habebit cum ſponſum ſuum facie ad faciem intuebitur? Huic jucunditati juxta verbum beati Bernardi cõparata omnis aliunde jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor, omne dulce amarum omne decorum fœdũ, omne aliud quantũcumq; delectari poſſit moleſtũ Spe hujus jucunditatis contemnere debet ſponſa Chriſti omnẽ vanam jucunditatem ſæculi, unde ſecundũ conſuetudinem aliquorũ cum virgines conſecrantur legitur in Evangelio: *plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Et in introitu miſſæ cantatur: *Vultum tuum Domine,* &c. Et in communione dicitur: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* &c. Fructuoſiſſimum eſt hoc connubiũ, cum enim ſtatui conjugali debeatur fructus triceſimus, viduali vero ſexageſimus, virginali debetur cẽteſimus Unde Mat 13. dicitur de ſemine quod cecidit in terram bonam, quod aliud dedit fructum triceſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum. Virgo Deo conſecrata habet majorem fructum, quia ſoli Deo habet intendere, illa verò quæ eſt in carnali conjugio habet intendere viro & mundo. 1. Corin. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Dei ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi quomodo placet viro.* In futuro vero habebit majorẽ fructum præmii, quia præter commune præmiũ habebit aureolam. Non curet ſponſa Chriſti, ſi non habeat fructum carnalem, cum habeat ſpiritualem. Ad Galat. 5. *Fructus ſpiritus charitas gaudium, pax,* &c. Non curet ſi non habeat illum fructum viperarum qui matrem affligit & aliquando matrem occidit & frequenter matri cauſa damnationis exiſtit, attendat quod dicit Dominus Luc. 23. *Venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles quæ non ge-*

Virgini gloriandum de ſpirituali connubio cum Chriſto ob tria

1\. Ob honorabilitatem connubii

Diſcrimen inter connubium ſpirituale & carnale

2\. Ob eius jucunditatem

3\. Ob eius fructuoſitatem

nuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Item illud Sap. 3. *Felix ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Item non curet ſi non habeat filios qui frequenter ſunt mali, patrem & matrem faciunt maledici, quos parentes coram toto mundo ad patibulum videbunt duci. Eccleſiaſtici 16. *Ne jucunderis in filiis impiis ſi multiplicentur, &c. Melior eſt enim unus qui timet Deum, quam mille filij impij, & utile eſt mori ſine filiis, quam relinquere filios impios.*

DE SANTA MARIA MAGDALENA.

SERMO PRIMVS.

SERMO LX.

SUMMARIUM.

Principio hujus ſermonis unctio Mariana literaliter explicatur, in reliquo vero ſermone ſpiritualiter & præcipuè de pœnitentia agenda ſex duplici exemplo S. Mariæ Magdalenæ.

Domus impleta eſt ex odore unguenti. *Ioan.* 12.

Explicatio literalis unctionis Marianæ.
Vnctio duplex
Vnguentũ quale.

BIs unxit Maria Dominum. *Primo* in Galilæa in converſione ſua, Luc. 7. *Secundo* in Bethania, de quo habetur, Matth. 26. & Joan. 12. Hac unctione unxit Maria & pedes & caput. De pedibus dicit Joãnes, de capite dicit Matthæus & Marcus 14. Unguentum de quo facta fuit hæc unctio fuit de nardo, quod genus unguenti eſt pretioſum. Nardus herba parva & calida eſt, ut dicit, Nicol. ſuper illud Cant. 1. *Nardus mea dedit odorem ſuavitatis.* Marcus dicit hoc unguentum fuiſſe nardi ſpicati de ſpicis & foliis confecti, quod genus eſt pretioſius quam confectum ex radicibus. Joannes dicit *nardi piſtici*, id eſt fidelis piſtis græcè, fides latinè. Unguentum illud fuit piſticum fidele fideliter confectum abſque commixtione vel ſophiſtica admixtione. Odore unguenti ad literam domus iſta repleta eſt, magnæ enim erat redolentiæ, memoria enim devotionis Mariæ quaſi odore unguenti ſuaviſſimi replenda erat domus Eccleſiæ ſicut Dominus inſinuat. Matth. 26. *Vbicunque predicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.*

Odoris diffuſio.

Odoris ſeu unguenti explicatio ſpiritualis.

Et notandum quod memoria ſanctorum odori unguenti comparatur, quia odor aromaticus, poſtquam res eſſe deſinit vel ad alium locum transfertur, reſtat quod ſuavitate delectat, virtute confortat, Proverb 27. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor.* Sic memoria ſanctorum poſt tranſitum eorum de mundo reſtat, quod corda fidelium delectat & confortat. Aliter eſt de memoria malorum, *perit enim memoria eorum cum ſonitu*, ceſſante enim ſonitu campanarum ipſis ſepultis ceſſat memoria eorum, & ſi remanet non redolet, ſed fœtet Proverb. 10. dicitur: *Memoria juſti cum laudibus, nomen autem impiorum putreſcet.* Eccleſiaſtici 10. *Perdet Dominus memoriam ſuperborum & relinquet memoriam humilium.* Exod. 10. *Delebo memoriam Amalech ſub cœlo* Memoria Mariæ ſuavis eſt in odore, in ore, in aure ſicut memoria Joſiæ. Eccleſiaſtici 49. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta eſt opus pigmentarij, in omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini.* Memoria ejus eſt quaſi compoſitio vel confectio odorifera Verè eſt opus pigmentarij, filius Dei ſanare volens genus humanum, ſciens nihil adeo impedire ejus ſanationem, niſi mali exempli fœtorem pigmenta fecit in mundo, quorum redolentia confortarentur qui ſpiritualiter infirmabantur. Eccleſiaſtici 38. *Vnguentarius faciet pigmenta ſuavitatis & unctiones conficiet ſanitatis.* Devotio Mariæ in corde ſuavis eſt dum cogitatur, in ore dum dicitur, in aure dum auditur, & quaſi muſica in convivio vini. Harmonia & conſonantia valde ſuavis eſt cum corda lætificata ſunt vino.

Diſcrimen inter memoriam ſanctorum & peccatorũ.
Pſalm 9.

Odor unguenti Marianieſt eius exemplum pœnitẽtiæ.

Exempla ſex pœnitentiæ Marianæ.

Et poſſumus Sex exempla ex Evangelio hodierno colligere quæ utilia ſunt ad ædificationem Eccleſiæ. *Primum* eſt *acceleratio eundi ad ſalvatorem*, 1.
quæ eſt contra vitium dilationis, quo multum laborat genus humanum. Seneca. Nihil facti habemus, noſtra diſtulimus in futurum. & id non habemus, cum nondum ſit. Aliqui ſunt etiam qui nec habent futurum, nullum propoſitum habentes, non curantes niſi quod unus tranſeat dies poſt alium. Ipſi ſunt animalia ſine cauda, ipſi ſunt velut navis dimiſſo gubernaculo ventis expoſita. Proverb. 23. *Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo.* Cujus vitij dilationis habemus exemplum in hoc, quod dicitur ut contigit quod Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, &c. Secundum Gloſſam genus marmoris eſt, in quo alia unguenta ſervantur incorrupta. Videbatur habere rationalem cauſam dilationis Nec tempus nec locus videbatur eſſe plorandi peccata ſua. *Omnia tempus habent.* Eccleſ. 3. *Omni negotio tempus eſt & opportunitas.* Ejuſdem 8. Non eſt tempus moleſtandi homines dum ipſi comedunt, ſicut in luctu muſica narratio importuna, ſic luctus importunus videtur eſſe in convivio. Eccleſ. 7. Ponitur quaſi ex oppoſito domus luctus ad domum convivij. Ipſa ſuper convivantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lachrimas obtulit, ut ait Gregor. Locus etiam non videbatur eſſe, cum ipſa eſſet publica peccatrix, & dominus domus eſſet Phariſæus. Phariſæi vero peccatoribus indignabantur. Matth. 9. Exemplo ergo ejus ſi in peccato es non differas inde exire, vel ſi es in loco periculoſo non differas inde recedere. Bernardus, abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto jam latere, nudatis jam viſceribus, jam ſanie effluente conſulendum eſt an excutiam illum? Sicut quando carbo inſilit in ſinum alicujus ſtatim excutitur, ſic peccatum mortale quam cito perpenditur amovendum eſt, bona enim hominis conſumit. *Eſt enim ignis uſque ad conſummationem devorans & omnia eradicans genimina.* Job 31. Item qui ſibi videt imminere periculum in mundo, debet relinquere mundum, eſt enim velut fornax igne infernali ſuccenſa, & draco infernalis igni fumus non ceſſat ſpirare ibi. Job 41. *Anhelitus ejus prunas ardere facit & flamma de ore ejus egreditur.* Iſaiæ 54. *Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas.* 1. Joan. 5. *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Johel 1 *Ignis comedit ſpecioſa deſerti.* Quid differt de mundo exire, qui videt ſe incipere comburi, qui crines cogitationum jam habet combuſtos, & veſtes pro magna parte combuſtas? Ita qui femoralia ſua igne luxuriæ jam amiſit. Quantum viri ſpirituales inſtare debeant illis qui in mundo periclitantur ut inde exeant inſinuatur eis. Geneſ. 19. inſtantia quam Angeli fecerunt, Loth ut de Sodomis exiret & ſuos educeret, quia delendus erat locus ille. *Secundum exemplum* eſt *verecundia*, de quo ibi: *Stans retro, &c.* Bernard. Quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet ei pœnitentis verecundia. Sicut qui cecidiſſet in latrinam, refugeret videri, ſic qui in peccatum cecidit notorium, corde debet verecundari. Peccatum erubeſcibile eſt, nihil videtur erubeſcibile, niſi ipſi peccatum. Etiam nuditas corporis non erat erubeſcibilis ante peccatum. Immunditia corporis non eſt immunditia comparatione peccati. Matth. 15. *Non lotis locis manibus manducare, non coinquinat hominem*

Eccleſiaſtici 12.

2.

minem. Multum deberet erubeſcere peccator cum conſiderat bona quæ à Deo receperit. Et cum conſiderat etiam mala quæ à contrario reddidit.
3 Canis non eſt ingratus Domino ſuo, ſicut peccator Deo. *Tertium exemplum* eſt *humilitas*, de quo dicitur: *Secus pedes Domini*. De ejus humilitate poteſt intelligi illud. Cant. 1. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*. Per nardum, quæ parva eſt & odorifera herba, intelligitur hujus peccatricis humilitas, quæ Chriſto multum placuit. Bernard. loquens ad animam peccatis oneratam. Non tibi, quæcunque es anima talis, non tibi ille locus vilis aut deſpicabilis videatur, ubi ſancta peccatrix peccata depoſuit, induit ſanctitatem Igitur beatæ pœnitentis exemplo proſternere & eſto miſera, ut deſinas eſſe miſera. Humilitatem à principio ſuæ converſionis arripuit, nec eam deſeruit donec Chriſtum videre & tangere meruit poſt ejus reſurrectionem. Legimus ſex vicibus ipſam ſtetiſſe & ſtare voluiſſe juxta pedes Domini. Luc 10. *Sedens ſecus pedes Domini*, & Luc. 7. *Stans retro ſecus pedes Domini*, Joan 11. *Videns eum cecidit ad pedes ejus*. Joan. 12. *Unxit pedes Domini*. Quinto voluit pedes Domini tangere, ſed non eſt permiſſa. Joan. 20. *Noli me tangere*. Gloſſa hic innuitur quod pedes ejus amplecti voluit. Matth. ult. legitur de ipſa & ſociabus ejus: *Acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus*. Ad pedes ejus ſtat peccator humilis, qui inferiorem ſe reputat minimo quem de corpore Chriſti myſtico credit eſſe, pedes enim ſunt infima membra corporis. Qui eſt in mortali peccato, canem ſe debet reputare Apocal ult. *Foris canes*, & omnem in quo videt ſigna quod bonus ſit debet reputare quaſi Dominum ſuum, tanquam eum qui filius eſt Domini ſui: conſueverunt enim ſubditi filios dominorum ſuorum Dominos vocare. Hac humilitate obtinuit mulier Chananæa à Chriſto quod voluit. Matth. 15. licet duritiam ei prius oſtenderit. *Non eſt bonum*, inquit, *ſumere panem filiorum & mittere canibus* Cui ipſa *etiam*, ſupple, non eſt hoc bonum, panis integer ad canem non pertinet, ſed micæ. *Nam catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Chriſtus comparaverat eam cani, ipſa ſeipſam catello, quod eſt diminutivum, & filios Dei dominos vocat. Pſal. 101. *Reſpexit in orationem humilium*. Et cum vix poſſet eſſe, quod homo qui in peccato mortali eſt, utilitatem ſuam verè agnoſceret, quin exempla de ſtatu illo deſideraret. Eſt enim ut canis, immo cane inferior, quia duplicis mortis debitor tempo-
4 ralis & æternæ. *Quartum exemplum* eſt *doloris*, quem oſtendunt lachrimæ, de quo ibidem: *Lachrimis cœpit rigare pedes ejus*. Gregor. Quo dolore ardebat, quæ flere inter epulas non erubeſcebat? de fletu ejus habemus, Joan. 11. *Ieſus ut vidit eam plorantem*. Et ejuſdem 20. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans*. In eodem. *Dicunt ei Angeli: Mulier quid ploras?* & poſt. Dominus adhuc inveniens eam dicit ei: *Mulier quid ploras*: Cui multi diſſimiles ſunt, qui nunquam pro peccatis ſuis unam guttam lachrimarum fundunt, neſcientes quid ſit peccatum, ſi enim hoc ſcirent potius ſanguine lavarent, ſicut Chriſtus fecit. Apocal. 1. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*.
5 *Quintum* eſt *exemplum fervoris* & eſt contra vitium remiſſionis vel tepiditatis; ipſa enim cum tanto fervore pœnitentiam recepit, quod nec ſibi nec ſuis pepercit. Solent mulieres diligenter ſervare os ſuum, & crines ſuos multum amare, ipſa pedes oſculatur, & de crinibus ſuis fecit terſorium pedum. Ipſa non timet pretioſum unguentum quaſi perdere, perditionem lucrum reputat, ſi ſolum Chriſto placet. Philip. 3. *Propter quem omnia detrimentũ feci & arbitror ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciã*. Gregor. de ipſa. Quot in ſe habuerat oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta: convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum Deo ſerviret in pœnitentia, quidquid extra ſe Dominum contemplatur in culpa. Cui multum ſunt diſſimiles, qui pœnitentiam inchoare differunt, &c. Incipiunt remiſsè & quaſi mortui agunt. Bernard. ad fratres de monte Dei. Si incipis, incipe perfecte: ſi imperfectus es, hoc ipſum perfectè agere ſtude. Si perfectionis aliud exemplum non habeas, teipſum in temetipſo metire. *Sextum* eſt *exemplum* 6
patientiæ. Phariſæus vocat eam peccatricem, cum ipſe eſſet potius peccator. Martha eam accuſabat. Luc. 10. Apoſtoli ſunt ei moleſti. Matth. 26. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* omnia patienter ſuſtinet, Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. ad Hebr. 10. *Patientia nobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſionem*. Apocal. 13. *Hæc eſt patientia, fides ſanctorum*.

DE EADEM.

SERMO SECUNDUS.

SERMO LX.

Summarium.

Thema hujus ſermonis maxime ad Religioſos ſpectat, ideoque de illis explicatur, duodecim documenta iis præſcribuntur.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Luc.* 10

Hodierna ſolennitas devotè celebranda eſt ab omnibus tam juſtis quam peccatoribus & ſæcularibus & clauſtralibus, ſed ſpecialiter à clauſtralibus, qui contemplativam ducunt vitam, quorum Maria exemplar eſt & ſpeculum. Duæ enim ſorores Martha & Maria duas vitas deſignant, activam & contemplativam, de quibus dicit Iſidorus de ſummo bono Activa rebus humanis bene utitur. Contemplativa vero mundo renuncians, ſoli Deo vivere delectatur. Vitam contemplativam nobis commendat Salvator in verbo propoſito quam vir religioſus debet habere in deſiderio, licet aliquando habeat in patientia. Ipſa optimo intendit, ei etiam adhæret quod neceſſarium eſt. Ipſa dicit. *Mihi adhærere Deo bonum eſt*. Ipſa in morte non amittit quod amavit, ſed tanto liberius fruetur. Activa in morte eum cui adhæſerat deſerit.

Thema ad religioſos maximè ſpectat.

Activæ & contemplativæ diſcrimen.

Pſalm. 72.

Multà attendenda ſunt religioſis ſalubria documenta, quæ Maria eis miniſtrat, de quibus *duodecim* nunc tangere nobis ſufficiat. *Primum* eſt ut volentes ingredi religionem diſcretionem habeant, locum ſalubrem eligendo, ſaluti ſuæ principaliter intendendo. Hoc documentum datur eis in hoc, 1.
quod ut cognovit Jeſum in domo Simonis accubuiſſe, illuc venit ut ab eo ſalutem obtineret. Ex cauſis diverſis accedebant homines ad Jeſum. Aliqui ut ſalutem corporalem obtinerent vel ſibi vel ſuis. Aliqui ut ab eo paſcerentur, Joan 6. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ex panibus manducaſtis & ſaturati eſtis*, Maria non ſic. Si vis intrare religionem, elige locum ubi religio ſervetur, junge te illis qui ſalutem ſuam operantur. Filius videtur eſſe perditionis qui locum pereuntium ingreditur. Fatuum eſt aliquem religionem intrare, quam conſpicit perire, ſed ſi ibi eſſet exire deberet. Seneca. Non tantum corpori ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere oportet. Intrantibus religionem diſſolutam dici poteſt illud verbum angelicum. *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Luc. 24. Non debet aliquis religionem principaliter intrare propter commodum tempo-

Duodecim documenta pro religioſis.

rale, ut propter divitias vel delitias. Eccleſ.4. *Cu-*
ſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini, pedem,
inquam, intentionis. Sunt aliqui qui pedem iſtum
in coquina ponunt, qui monachi coquinarij ſunt.
2. *Secundum* eſt ut cum intraverint, mala quæ commi-
ſerunt in ſæculo defleant. Maria abundantia lachri-
marum pedes Domini rigat. Hierem. 6 *Luctum*
unigeniti fac tibi planctum amarum. Luctum quia
luges mortem propriam, cum mater plorans uni-
genitum defunctum, lugeat alienum: id eſt debet
novitiatus tempore compunctione peccata ſua de-
lere & humiliter confiteri. Diligenter ſunt inſtruen-
di de modo confitendi, & ut puritati conſcientiæ
3. quærendæ & conſervandæ intendant. *Tertium* eſt
ut verecundiam habeant, quæ fuga eſt rei indecen-
tis. Vel ſecundum Auguſtinum timor in turpi facto
etiam multum refrenat ab actibus inhoneſtis. Ve-
recundiæ eſt quod Maria retro ſtat. Bernard. ſuper
Cantic. Neſcio ſi quidquam gratius verecundia in
moribus deprehendi queat. Verecundia eſt om-
nium ornatus ætatum, ſed in tenera ætate amplius
4. pulchriuſque enitescit. *Quartum* eſt ut humiliter
ſe habeat. Ad humilitatem pertinet, quod Maria
ſecus pedes ſtetit. Pedes ſunt infimæ partes corpo-
ris. In corpore juxta pedes ſtat, qui nulli ſe præ-
ponit. Luc. 14. *Recumbe in noviſſimo loco*, &c.
5. *Quintum* eſt ut ad omnes patientiam habeant. Ma-
ria patienter ſuſtinet Phariſæi indignationem, Mar-
thæ accuſationem, Luc. 10. Apoſtolorum moleſta-
tionem, Matth. 26. Qui patiens eſt multa guberna-
tur ſapientia. Proverb. 14. *Sextum* eſt ut amore fer-
6. veant. Fervorem amoris Mariæ oſtendunt ejus ob-
ſequia, de quibus Salvator eam laudat. Item quod
Dominus ait: *remittuntur ei pecca multa, quoniam*
7 *dilexit multum*. *Septimum* eſt ut obedientiam prom-
ptam habeant Prompta obedientia Mariæ oſten-
ditur, ubi Martha dixit ei: *Magiſter adeſt, & vocat*
te. Et ſubditur: *illa ut audivit ſurrexit cito*. In au
8. ditu auris obedivit ei. *Octavum* eſt ut quietem dili-
gant. Seneca. Primum argumentum mentis com-
poſitæ eſt poſſe & conſiſtere & morari ſecum. De
quiete Mariæ habes. Luc. 10. *Sedens ſecus pedes Do-*
9. *mini*, &c. Item Joan. 11. *Maria domi ſedebat*. *No-*
num ut ad ſilentium habeant amorem. Auguſt. Lo-
quela ſit in neceſſitate, taciturnitas in jucũditate. Si-
lebat Maria cum diverſi loquerentur, ſed pro eâ
loquebatur Salvator. Audivit auris ejus vocem di-
centem ſibi: *Arſeni fuge, tace, quieſce*. Hæ ſunt
10. radices non peccandi, &c. *Decimum* eſt ut verba
non proferant inutilia. Ad Epheſ. 4. *Omnis ſermo*
malus de ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus eſt
ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.
Utiliter loquebatur Maria. Verba ipſius quæ in Evã-
gelio leguntur vel ſunt de Deo vel cum Deo Joan.
11. *Domine ſi fuiſſes hic frater meus*, &c. Ejuſdem
penultimo. *Tulerunt Dominum*, &c. Et poſt. *Do-*
11. *mine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi*. *Undecimum*
eſt ut compaſſionem habeant ad proximum. *Duo-*
12. *decimum* eſt ut devotionem habeant ad Deum. Hæc
duo deſignata ſunt in hoc, quod Maria unxit &
pedes & caput Jeſu. De pedibus habetur, Joan. 12.
De capite habetur Matth 26. Bernardus ſuper Can-
tica diſtinguit triplex unguentum his verbis. Bo-
num eſt contritionis unguentum, quod de recor-
datione peccatorum conficitur. Melius devotionis,
quod fit de recordatione beneficiorum Dei. Porro
optimum, quod utraque vincit unguentum pieta-
tis. Unguento contritionis debent uti in ſe ingre-
dientes religionem ad mentis curationem; unguen-
to vero pietatis uti debent ad pedes Chriſti, ut eis
compatiantur qui ſunt in miſeria, vel in mundo, vel
in purgatio. Unguento vero devotionis debent
uti ad caput, ut de beneficiis à Deo acceptis gratias
agant, &c.

DE BEATO JACOBO APOSTOLO.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Dividitur hic ſermo in duas principales partes
ſecundum duplicem finem Eccleſiæ *in cele-*
brandis ſanctorum feſtivitatibus. In pri-
ma vita & laudes S. Iacobi referuntur. In
ſecunda agitur de patiendo & ſtrenuè ope-
rando, ut in iis S. Iacobum & alios ſanctos
imitemur. SERMO LXL

Poteſtis bibere Calicem quem ego bibiturus ſum?
Dicunt ei: poſſumus. *Matth.* 20.

ECcleſia in ſolemnitatibus ſanctorum duobus in- In feſtis
tendit: ſcilicet commendationi ſanctorum & ſanctorum
fidelium ædificationi. duo ſpectat Eccleſia.

Circa commendationem S. Jacobi cujus feſtum I.
hodie celebramus notandum, quod Jacobus major Vita & lau-
eſt dictus, quia prius eſt à Deo vocatus quam alter des S. Iaco-
Jacopus Alphæi filius. Ipſe fuit unus ex illis qua- bi.
tuor primo vocatis, de quibus habetur, Matth. 4.
Ipſe fuit Zebedæi filius, nepos beatæ Virginis, Do-
mini conſanguineus, frater diſcipuli quem dilige-
bat Jeſus. Familiaris fuit Chriſto, ita quod ad mul-
ta ſecreta Chriſti admiſſus eſt cum Petro & Joan-
ne fratre ſuo, ad quæ alij Apoſtoli admiſſi non ſunt.
Ut in ſuſcitatione filij Archiſynagogi. Matth. 9.
Marc. 5. Lucæ 8. Et in transfiguratione. Matth. 17.
Marc 9. Luc. 9. Adhuc vivens Chriſtum vidit in
gloria ſua. Item in die cœnæ cum Dominus ora-
turus ſeceſſiſſet à diſcipulis dicens: *ſedete hic donec*
vadam illuc & orem. Et aſſumpto Petro & duobus
filiis Zebedæi, cœpit contriſtari & mæſtus eſſe. Matth.
26. Ipſe adhuc vivens multum terribilis fuit dæmoni-
bus. Unde dixerunt, nos non poſſumus feſtucam
attingere quæ in cubili tuo eſt. Ipſe Chriſto pro
ſe paſſo primus inter Apoſtolos vicem reddidit ab
Herode occiſus. Actor. 12. *Occidit Iacobum fratrem*
Ioannis gladio. Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino*,
& ſubditur. *Calicem ſalutaris accipiam*, &c. In
hoc non modicum honorẽ Deus ei fecit, quod ipſum
pro eo inter Apoſtolos primo martyrium ſuſtine-
re voluit, & ad gloriam prior pervenit. Solent Ba-
rones pro dono petere ut primum. bellum habeant.
Magnus honor eſt pro Chriſto pati. Ad Philip.
1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum*
credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. Actor. 5.
Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quo-
niam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam
pati. Ipſe in miraculis & ſubventionibus fidelium
poſt mortem prærogativam habuit. Ipſe martyrium
complevit ipſa die & hora, qua Dominus paſſus eſt
ſcilicet VIII. Kalend. Aprilis VIII. Unde dicit Ca-
lixtus Papa. & erat dies annuntiationis Domini.
Et VIII. Kalendas Auguſti, translatus eſt ad Com-
poſtellum, & tertio Kalend. Janvarij ſepultus. Vo-
luit autem Eccleſia ejus feſtum octavo Kalendas
Auguſti tempore magis congruo celebrari. Ad com-
mendationem ipſius faciunt verba propoſita. Quæ-
ſivit Dominus ab eo & fratre ejus an calicem bibe-
re poſſent quem ipſe erat bibiturus, qui calix ipſi
Domino terribilis fuiſſe videtur cum diceret: *Pa-*
ter ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Matth. 26.
Ipſi tamen confidenter reſponderunt; *poſſumus*. In
quo apparet eorum magnanimitas. Sancti ad ſu-
ſtinendum pro Chriſto multum ferventes fuerunt,
ut patet in Paulo. Actor 21. *Paratus ſum*, ait, *non*
ſolum alligari, ſed etiam mori pro nomine Ieſu. Et

Thomas Joannis 11. *Eamus & moriamur cum illo.* Et hi dicunt: *poſſumus.*

II. Ob tria ſancti multa paſſi ſunt. *Triplici ratione* ſancti multum pertulerunt. *Primo* propter amoris magnitudinem, quem ad Chriſtum habuerunt. Amor enim magnus fecit ut multum vellent, & ideo multum poſſent. Geneſ. 29.

1. Ob amorē magnum ergo Deū. *Videbantur Iacob dies pauci præ amoris magnitudine* quibus pro Rachele ſerviebat. Auguſt. Omnia ſæva & immania prorſus facilia & propè nulla facit amor. Bernardus. Qui amat ardentius, currit velocius & pervenit citius. Et in libro de ſpiritu & anima dicitur, quod amor eſt per deſiderium currens & per gaudium requieſcens; per deſiderium in appetendo, per gaudium infruendo. Ideo aliqui in his quæ ad Deum pertinent parum poſſunt, quia

2. Ob confidentiam in Deum. parum volunt. *Alia cauſa* eſt quod multum de Deo confidunt, & ideo à Deo adjutorium magnum recipiunt. Bernardus. Quanto citius in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eo citius poſſidebis. Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Fortitudo Domini quodammodo eſt dum eos juvat. Bernardus. Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit quam quod omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant, fiducia in Deo viventium fortiſſimos reddit, unde dicebat Vincentius tyranno: Dei virtute videbis me plus poſſe qui torqueor,

3. Ob divinā conſolationem. quam poſſis ipſe qui torques. *Tertia cauſa* eſt, quia à Deo conſolationem recipiunt, quæ amaritudines tribulationum eis dulcorat. Bernardus. Quem non obtemperabit dulcedo illa, quæ mortem quoque facit dulciſſimam. Ad Philip. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* &c.

Mali pati non poſſūt ob ſeptem cauſas. E contrario variis de cauſis mali non poſſunt ea quæ facilia ſunt. *Vna* eſt *ignavia.* Joſuē 18. *Quo adusque marceſſitis ignavia.* *Secunda* eſt *debilitas*

1. ex infirmitate relicta. In Pſal. 30. *Infirmata eſt in paupertate virtus mea.* *Tertia* eſt *à cibo ſpirituali*

2. *abſtinentia nimia.* Pſal. 101. *Aruit cor meum, quia*

3. *oblitus ſum comedere panem meum.* *Quarta* eſt *alterius oneris gravitas*, ut accidit in eis qui onus gra-

4. ve & pravæ conſuetudinis ſibi aſſumpſerunt, ideo onus Chriſti leve portare non poſſunt, quod figuratur per eum qui emerat juga boum quinque, & non poterat venire. Lucæ 14. Pone graviſſimam ſarcinam, pone molam aſinariam, pone quinque ju-

5. ga boum, non hominum qui ſunt inſipienter onuſti. *Quinta* eſt *premij cæleſtis vilipenſio.* Iſta cauſa eſt in eis qui pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Auguſtinus. Labor deterret, vide mercedem. Qui agnoſcunt præmium, libenter implent præceptum. Geneſ. penultimo. *Vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod eſſet optima, & ſuppoſuit humerum ad portandum.*

6. *Sexta* eſt *defectus divini adjutorij*, quæ cauſa accidit in his qui ſe fingunt, quorum infirmitatem Spiritus ſanctus non juvat. Sapient. 1. *Spiritus ſanctus*

7. Puſillanimitas. Cuius duplex cauſa. *diſciplinæ effugiet fictum.* *Septimum* eſt impedimentum irriſionum & diſſuaſionum mundanarum, quibus homines puſillanimes nimis credunt. Duplex ſolet autem eſſe cauſa hujus puſillanimitatis. *Vna* eſt amor placendi mundo. Seneca. Defines timere ſi ſperare deſines. *Alia* eſt error, quod credunt eſſe timendum quod potius eſt deridendum. Deriſiones malorum quas bonis faciunt contemnendæ ſunt & deridendæ. Ridiculum eſt quod cæci derident videntes & claudi rectè ambulantes. Seneca. Æquo animo audienda ſunt impiorum convitia & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus. Proverb. 14. *Ambulans recto itinere & timens Deum deſpicitur ab eo qui infami graditur via.* Ejuſdem 29. *Abominantur impij eos qui in recta via ſunt.* Non ſolum non ſunt timendæ irriſiones, immo etiam appetendæ. Seneca. Nondum felix es, ſi turba nondum te deridet. Item non quod multis, ſed quibus placeas, cogites.

Obquinque cauſas ſtrenuē operandum. Item notandum quod *quinque de cauſis* ſolent ſtrenuè operari qui propter corporis utilitatem operantur, & iſtis de cauſis ſtrenuè operari debent qui in ſervitio Dei operantes ſalutem animæ ſuæ deſiderant. *Vna cauſa* eſt quia laborant in proprio

opere, ut in proprio agro, vel vinea fructum mul- 1.
tum habeant. Hac de cauſa ſtrenuè debent operari, qui pro ſalute animæ ſuæ operantur, quia talia opera propriè ſunt eorum. De his enim verum eſt. Apoc. 14. *Opera illorum ſequuntur eos.* Ambroſius. Non ſunt bona hominis quæ ſecum ferre non poteſt, ſola miſericordia eſt comes defunctorum. *Secunda* 2.
cauſa eſt cum majoritati laboris reſpondere debet majoritas mercedis. Hac de cauſa ſtrenuè operari debent qui ſalutem ſuam quærunt, *unuſquiſque enim propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem*, 1. Corinth. 3. *Tertia* eſt *cauſa* cum brevita-
te temporis arctantur. Hac de cauſa debent etiam 3.
ſtrenuè operari qui ſalutem ſuam quærunt, quia neſciunt quam diu hoc poterunt. Galat 6. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.* Eccleſiaſtes 9. *Quæ poteſt manus tua inſtanter operare.* *Quarta* eſt *cauſa*
cum redire volunt in gratiam Domini quem offen- 4.
derunt. Hac de cauſa ſtrenuè operari debemus, quia in multis offendimus omnes. 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*, &c. *Quinta* eſt cum co-
ram tremendo Domino de labore reddenda eſt ra- 5.
tio. Hac de cauſa etiam ſtrenuè operari debemus. Bernardus. Omne tempus tibi impenſum requiretur à te qualiter fuerit expenſum. Job 31. *Quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit quid reſpondebo ei?*

DE BEATO PETRO AD VINCULA.

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de tribus vinculis ſancti Petri, & ex iis nos erudit, quomodo circa vincula maxime corporalia & ſpiritualia, id eſt, mala pœna & culpæ, nos gerere debeamus.

Quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. *Matth 6.* SERMO LXII.

TRia feſta celebrat Eccleſia ad honorem beati Petri. Primum eſt feſtum Cathedræ ejus, ſecundum martyrij ejus, & tertium feſtum hodiernum, quod dicitur feſtum Petri ad vincula. In quo feſto recolit Eccleſia quomodo Petrus vincula corporalia in carcere Herodis ſuſtinuit, à quibus eum Dominus miraculosè liberavit, & hoc in Epiſtola hodierna recitatur. In Evangelio vero recolitur quomodo poteſtatem ſolvendi vincula ſpiritualia à Chriſto ſuſceperit. In matutinis autem recitata ſunt quæ Dominus fecit in vinculis Petri. Sicut enim Dominus eum miraculosè de vinculis liberavit, ſic & multa miracula Deus per ipſa vincula fecit. *Primum* pertinet ad Petri bonitatem *Secundum* ad ejus poteſtatem, quam in hac vita habuit. *Tertium* ad poteſtatem, quam habet in cœlo exiſtens. *Primo* monemur ut mala pœnæ fortiter ſuſtineamus. *Secundo* ut mala culpæ odiamus & deſtruamus. *Tertio* ut Deo adhæreamus & eum honorare ſtudeamus, qui ſervos ſuos uſque ad glorificationem pro pœnis adducit.

Tria feſta S. Petri. In hoc tria recoluntur.

I. Vincula pœnalia. Circa mala pœnæ quinque notanda. Circa primum notandum, quod ille quem Dominus in carcere in vinculis pœnalibus ponit, ut illa vincula patienter ſuſtineat attendere debet corpus ſuum ſtultum eſſe vel potius inſanum, & ideo

in vinculis eſſe ponendum, ne forte ſibi vel alteri noceat, ne ſe in aquam vel ignem præcipitet. Proverb. 30. *Per tria movetur terra, & quartum ſuſtinere non poteſt*, &c. *Per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo.* Qui ſtultus eſt jejunus, inſanus ſaturatus
2. eſt, quod manifeſtè accidit in corpore. *Item* attendere debet corpus ſuum malevolum qui dominum ſuum nititur fugere vel ei rebellare, *ſervo malevolo tortura & compedes.* Eccleſ. 33. Attendere *etiam*
3. debet quod nititur inimicari ſpiritui, ideo ligandum eſt ut poſſit à ſpiritu ſuperari. Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem.* Hoſtis familiaris eſt corpus, ideo debet multum timeri. Nulla enim peſtis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. Attendere *etiam*
4. debet quo animo Deus det tribulationes. Ille enim ſolus de flagello murmurat, qui animum percuſſoris ignorat, ut dicit Gregorius. Si ille cui datur tribulatio eſt in peccato mortali, eſt in loco valde immundo, ideo Deus eum vinculis ligat ut extrahat. Si ergo vincula vult dirumpere, in loco immundiſſimo, ut videtur, vult remanere. Vilem ſe habet, qui non ſuſtinet ut educatur de lacu miſeriæ & de luto fecis. Viliorem ſe habet quam ſuum aſinum, cujus eductionem in ſimili caſu procuraret. Si in bono ſtatu eſt, ponit eum Dominus in vinculis, ut eum retineat ne ab eo fugiat, unde dicere debet cum David. Pſal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt* Non debet ſe ſociare illis qui dixerunt Domino Deo, *recede à nobis.* Bernardus. Quantumcunque ſæviat tribulatio, non putes te derelictum eſſe, ſed memineris ſcriptum eſſe. *Cum ipſo*
5. *ſum in tribulatione. Item* attendere debet quod ad cælum in tribulatione trahimur. Cantic. 1. *Trahe me poſt te.* Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Oſeæ 11. *In funiculis Adam traham te, in vinculis charitatis.* Vincula charitatis ſunt pœnæ corporales. Noli vincula dirumpere, ſi vis ad cœlum pervenire. Si placet Deo ut in vinculis corporalibus maneas, placeat & tibi: ſi placuerit Deo te ab eis eripi, hoc à Deo recognoſcas, & ei gratias agas dicens: *Dirupiſti vincula mea tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

(Margin: Tribulatorum duplex ſtatus. Malus. Bonus. Iob 21. Pſal. 115.)

II Circa vincula ſpiritualia attendendum eſt, quod Salvator in mundum venit ut ea ſolveret, ligari voluit ut ea ſolverentur. Unde attendere debet homo qualia ſint illa vincula pro quibus ſolvendis oportuit Chriſtum ligari. Chriſtus Dominus cap-
1. tus in peccatis noſtris, poteſtatem habet ſolvendi, & hæc vincula dedit Petro, quem vicarium ſuum reliquit in mundo His vinculis vult Diabolus hominem ligari, ne ſe poſſit defendere, vel ab eo fugere, ut eum poſſit tanquam jumentum ducere, & ut illo fune poſſit eum in inferno ſuſpendere. Libenter deberet peccator ad illam manum accedere quæ hæc vincula diſſolvit. Vincula peccatorum ſi non ſolvuntur in præſenti, non ſolventur in futuro, immo dicetur de eo. qui in vinculis invenietur: *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. Iſta vincula abſque virtute divina non ſolvuntur. Pſal. 145. *Dominus ſolvit compeditos.* Attendenda *etiam* eſt fatuitas illorũ, qui
2. hoc vinculo diaboli ſe faciunt quodammodo vinctos, dum cogitationẽ malam volvunt & revolvunt, filium filio jungunt cum cogitationi concupiſcentiam addunt Filium iterum filio jungunt cum ratio concupiſcentiæ conſentit, & tunc eſt funiculus tri-
3. plex qui difficile rumpitur. Eccleſiaſtes 4. *Item* attendenda eſt fatuitas illorum, qui non curant de diruptione vinculorum illorum in ſe vel amicis ſuis, cum de liberatione à vinculis corporalibus multam curam habeant.

(Margin: Vincula ſpiritualia. Circa mala culpæ tria notanda.)

III. Circa miracula facta per vincula beati Petri notandum, quod catena quam attulit filia Theodoſij Imperatoris à Jeroſolyma miraculoſa facta eſt una cum catena quam habebat Papa, ac ſi ſemper fuiſſent una. Item per eam quidam dæmoniacus liberatus eſt à dæmonio, & quædam puella ab infirmitate gutturis. Nota quod cum Deus honorat tormenta ſanctorum in terris, faciens majorem reverentiam exhiberi pulveri vel oſſibus eorum vel panniculis quam exhibeatur magnis principibus hujus ſæculi, argumentum eſt efficax honoris quem ipſi habent in cœlis.

(Margin: Vincula miraculoſa. S. Petri.)

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Varias virtutes affert S. Petri hic ſermo, quas prælatis neceſſarias eſſe oſtendit, præcipue tres.

SERMO LXIV.

Beatus es Simon barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. *Matth. 16.*

Eccleſia quæ ſolennizat hodie de beato Petro multa nobis de eo recitat ad Dei gloriam & beati Petri commendationem & noſtram ædificationem. *Tria* vero nobis oſtendit de ipſo Evangelium hodiernum, ſcilicet ipſius *ſenſum, virtutem & dignitatem. Primum* ibi: *beatus es. Secundum* ibi: *tu es Petrus. Tertium* ibi: *Tibi dabo claves*, &c. Senſus virtutem regit, virtus ad dignitatem idoneum reddit. Qui Dei locum debet tenere, ſenſum divinum & Dei virtutem debet habere, ut altitudini prælationis reſpondeat altitudo mentis. Altum eſt cor quantum ad intellectum, ſi habeat divinum ſenſum. Quantum ad affectum eſt cor altum, ſi ſit contra mundum, ita ut eum nec mala tranſitoria à malo deterreant, nec bona tranſitoria ad malum alliciant, & tunc verè eſt ad modum petræ firmus. 2. Reg. 14. *Sicut angelus Domini ſic eſt Dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur.* Notandum quod Salvator Petro poteſtatem clavium collaturus *primo* eum examinavit, *ſecundo* eum poſt reſponſionem commendavit, *tertio* dignitatem quam erat ei daturus indicavit. Examinavit autem eum primo de fide aliena, ibi: *quem dicunt.* Secundo de propria, ibi: *vos autem*, quia prælati reddituri ſunt rationem non ſolum pro ſe ipſis ſed etiam pro aliis. Poſt reſponſionem vero Petri Salvator eum commendavit quantum ad converſationem & cognitionem ibi, *beatus es*, &c. Deinde oſtendit etiam onus quod accepturus erat pro honore. Onus ibi: *Super hanc petram.* Honor ibi: *Tibi dabo.*

(Margin: Tria de S. Petro innuit Evangelium. Prælatorũ dio requiſita. Chriſtus collaturus S. Petro claves tria egit.)

Tria Petrum reddiderunt commendabilem: Scilicet *cognitio revelata* à patre cœleſti, *obedientia prompta, ſimplicitas columbina.* Ad *primum* pertinet illud: *beatus es.* Gloſſa. Tam altæ fidei confeſſor. Ad *ſecundum* pertinet illud: *Simon*, quod interpretatur obediens. Nam prælatus debet obedire ſuo ſuperiori ſicut vult inferiorem ſibi obedire. Ad *tertium* pertinet illud: *Barjona*, id eſt filius columbæ. Simon ratione nominis figuram tenet viri religioſi, ratione vero officij tenet figuram prælati, & uterque beatus eſt ſi eum Spiritus ſanctus introducat & revelet non caro & ſanguis. *Notandum* quod fides Chriſtiana altiſſima eſt. *Primo* tranſcendendo ſenſum corporeum, unde dicitur Hebr 11. *Argumentum rerum non apparentium. Item* tranſcendit intellectum humanum, redigit enim eum in captivitatem. *Item* tranſcendit naturæ curſum, quia operatrix eſt miraculorum Miraculum vero ſecundum beatum Auguſtinum eſt opus arduum

(Margin: Tria S. Petrum commendabilẽ reddiderũt. Fides Chriſtiana altiſſima eſt ob quatuor.)

&

Hanc S. Petrus confeſſus eſt quadrupliciter.

& inſolitum. Tranſcendit *etiam* vincendi poteſtatem & principatum. Sancti enim *per fidem vicerunt regna*. Hebr. 11. Fidem altiſſimam confeſſus eſt Petrus. *Primo* verbo ibi: *Tu es Chriſtus*. *Secundo* facto cum ex fervore fidei ſupra mare ambulavit. Joan. ult. *Tertio* miraculis in quibus quodammodo magiſtraliter proceſſit, quia ad umbram ipſius infirmi ſanati ſunt. Actor. 5. Quod videtur majus fuiſſe quam quod ad Chriſti fimbriam infirma ſanata eſt Matth 9. *Quarto* ſupplicus, quia & flagella & crucem pro Chriſto ſuſtinuit. Fidei confeſſio quantum ad multos de Eccleſia multum diminuta eſt & remanſerunt ſola fidei verba, unde multum deberent timere ne ſint ſicut ficus à Domino maledicta, cum non habebat niſi folia & nihil de fructu.

Marci 11.

I.
Sapientia revelata ſeu divina prælatis neceſſaria.

Fundatores Eccleſiæ habuerunt cognitionem à patre cœleſti revelatam 1. Corinth. 1. *Non multi ſapientes ſecundum carnem*. Deſtructores vero Eccleſiæ nunc habent ſapientiam ſecundum carnem, qui putant melius regi Eccleſiam per ſapientiam humanam quam divinam. Sapientia revelata à Deo rex Salomon populum Dei rexit. Et dixit quidam Philoſophus beatas eſſe reſpublicas ſi eas ſapientes regerent aut qui ſapientiæ ſtuderent. Neceſſaria eſt ſapientia divina his qui præſunt in diſpoſitione bonorum temporalium, in qua hanc debent tenere regulam. *Quod ſupereſt date eleemoſynam*. Luc. 11. *Item* in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, ubi debet teneri illud. Eccleſiaſtici 12. *Benefac juſto*. *Item* in diſpenſatione Sacramentorum, ubi debet ſervari illud Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Actor. 8. Dixit Petrus Simoni: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Sed multi dicunt hodie pecunia tua mecum ſit. *Item* in juſta divinorum executione. Deutr. 16. *Iuſte quod juſtum eſt exequeris*.

Maximè in quatuor. 1. 2. 3. 4.

II.
Obedientia etiam neceſſaria prælatis.

Obedientia Petrum reddit commendabilem. Actor 5. *Oportet Deo magis obedire quam hominibus*. Primus prælatus Eccleſiæ, non tantum Petrus, ſed etiam Simon vocatus eſt, quia non ſufficit in prælato credendorum cognitio ſi deſit mandatorum impletio. *Fides* enim *ſine operibus mortua eſt*. Jacob. 2. Habuit Petrus quadruplex mandatum. *Vnum* de piſcando Luc. 5. *Duc in altum & laxate retia*. *Aliud* de dimittendo peccata. Matth. 18. *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. *Tertium* de paſcendo. Joan. ult. *Quartum* de ſequendo ad crucem Joan. ult. Sed *quidam* officium piſcandi convertunt in officium venandi & aucupandi. Baruch. 3. *Qui in avibus cœli ludunt*. *Quidam* etiam officium culpas relaxandi convertunt in officium malignandi, hi ſunt prophetæ qui mordent dentibus. Micheæ 3. *Quidam* etiam officium piſcandi convertunt in officium deprædandi. Iſa. 3. *Vos depaſti eſtis vineam meam*. *Quidam* etiam deberent eſſe obſecutores & facti ſunt perſecutores Chriſti & ſuorum. Philip 3. *Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico inimicos crucis Chriſti*.

Obedientia S. Petri in 4. conſiſtit.

Contrariũ fit his 4. à quibuſdam prælatis.

III.
Simplicitas columbina prælatis neceſſaria.

Simplicitas columbina reddit Petrum commendabilem, unde *Barjona*, id eſt filius columbæ nominatus eſt. Ipſe fuit de numero illorum quos Chriſtus monuit ut eſſent ſimplices ſicut columbæ. Matth 10. Olim ad cuſtodiam columbæ, id eſt Eccleſiæ ponebantur filij columbæ carentes felle malitiæ, ut Moyſes mitiſſimus factus eſt princeps Synagogæ, & Petrus princeps Eccleſiæ. Hodie vero ponuntur leænæ filij Ezechielis 3. *Leæna mater tua*. Hodie præfertur leonina ferocitas columbinæ ſimplicitati. Olim melior fuit prælatus qui minus habuit de felle plus de melle, hodie è converſo fit. Debet autem *quadruplex* ſimplicitas eſſe in prælato, videlicet ſenſus ut ſit ſine aſtutia fraudis. Iſa 29. *Væ profundi corde*. *Secundo* affectus ſive intentionis. Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c.* *Tertio* lectionis vel ſermonis. Matth. 5. *Sit ſermo veſter eſt, eſt, non non*. *Quarto* converſationis. Prov. 10. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*.

Simplicitas quadruplex

IN INVENTIONE SANCTI STEPHANI.

SERMO VNICVS.

SERMO LXV.

SUMMARIUM.

Hic ſermo quatuor tractat circa thema de S. Stephano nobis imitanda.

Cum eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei, & ait: ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. *Actor.* 7.

Quatuor tractantur. Circa thema de S. Stephano.

Beatus Lucas in verbis propoſitis, *quatuor* nobis oſtendit circa beatum Stephanum, de cujus corporis inventione hodie ſolennizamus *Primo* abundantem gratiam quæ in eo fuit. *Secundo* ſuam devotionem ad Deum quam in paſſione ſua habuit. *Tertio* beneficium quod in ea Dominus exibuit. *Quarto* glorioſam confeſſionem quæ ei mortis occaſio fuit. *Primum* ibi: *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto*. *Secundum* ibi: *intendens in cœlum*. *Tertium* ibi: *vidit gloriam*. *Quartum* ibi: *ecce video cœlos apertos*.

I.
Triplex plenitudo S. Stephani.

Circa *primum* notandum quod beatus Lucas oſtendit beatum Stephanum triplicem plenitudinem habuiſſe, ſcilicet plenitudinem *fidei* Actor. 6. *Elegerunt Stephanum plenum fide*. Et plenitudinem *gratiæ* & plenitudinem *fortitudinis*. In eodem: *Stephanus plenus gratia & fortitudine*. *Prima* plenitudo pertinet ad credenda, *ſecunda* ad diligenda, *tertia* ad toleranda. Signum plenitudinis fidei fuit operatio miraculorum, de qua Lucas dicit. *Faciebat ſigna & prodigia magna in populo*. *Secunda* plenitudinis ſignum fuit quod pro inimicis poſitis genibus oravit. Signum *tertiæ* plenitudinis fuit quod non ſolum patienter ſed etiam lætanter martyrium ſuſtinuit. Lapides enim torrentis illi dulces fuerunt & eos gaudens ſuſcepit. Gratia qua plenus fuit intelligenda eſt charitas quæ caput eſt virtutum & gratia gratiarum, & ad illud pertinet quod dicitur plenus Spiritu ſancto. Hæ tres gratiæ ſunt multum neceſſariæ homini in præſenti vita *Lumen fidei* multum neceſſarium eſt in tenebris hujus ſæculi, cum abſque eo patrem cœleſtem non cognoſcamus, à quo & ſub quo ſumus, à quo omnia bona ſuſcepimus, & ad quem redire debemus. Hæc habuit viſum ſuum in præſenti, in futuro enim videbimus quod nunc credimus. Apocal. 13. *Hæc eſt patientia & fides ſanctorum*. *Patientia* enim valde neceſſaria eſt, qui enim illam non habet eſt tanquam homo habitans in medio inimicorum ſuorum. Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*. 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia*. *Charitas* enim multum neceſſaria eſt, ſine ipſa enim non proſunt cætera. Auguſt. Ubi charitas adeſt, quid eſt quod poſſit obeſſe? Magna charitas ejus fuit quod in illa lapidum ruina cum alius oblivisci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille Domino commendabat inimicos, ut dicit Maximus. Vicerat in eo ſenſum corporeæ Paſſionis affectus internæ compaſſionis Plus tunc dolebat illorum peccata, quam ſua vulnera; plus illorum impietatem, quam ſuam mortem. Non habet fidei plenitudinem aliquis, ſi ſi-

Triplex ſignum hujus plenitudinis.

Triplex hæc plenitudo cur ſit neceſſaria, 1. 2. 3.

fides ejus nòn ſit viva, vel integra, vel ſi ſit modi-
Qui habeāt fidei plenitudinem. qui non. ca. De fide mortua habetur. Jacob 2. *Si fides non habet opera mortua eſt in ſemetipſa.* Auguſt. Fides cum dilectione fides eſt Chriſtiani, fides ſine dilectione fides eſt dæmonis, immo fides Chriſtianorum qui Deum non timent videtur inferior eſſe fide dæmonum Jacob. 2 *Tu credis quod unus eſt Deus, benefacis, dæmones credunt & contremiſcunt.* Auguſt. Utinam quomodo dæmones vident viderent homines & ſic Salvatorem agnoſcerent. Ecce dæmones viderunt & timuerunt, homines viderunt & occiderunt. Ad fidei integritatem pertinet, ut omnes articuli credantur vel explicitè vel implicitè. De fidei modicitate reprehenditur Petrus, Matth. 14. *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Ejuſdem 16. Reprehenduntur diſcipuli de eodem. *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei?*

II. Devotio S. Stephani. Circa *ſecundum* notandum quod reprobi in terram intendunt ſecundum illud, Pſal 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Stephanus vero in tribulatione ſua in cœlum intendebat, nec mirum quia in terra locum non habebat. Ejicientes enim eum extra civitatem lapidabant. In cœlo theſaurum ſuum habebat. Matth 6. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Et inde auxilium ſperabat. Pſalm. 120. *Levavi oculos meos in montes.* In cœlum mox iturus erat ſicut S. Martinus, qui ait: ſinite me cœlum videre, ut ſuo itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.

III. Puritas S. Stephani. Circa *tertium* notandum Stephanum magnæ puritatis fuiſſe, qui adhuc in carne poſitus Dei gloriam vidit, quam alij ſancti vident poſt mortem. Ideo apparuit perſecutoribus ſuis ſimilis angelo Actor. 6. Vidit gloriam Dei Paulus in raptu, Petrus, Jacobus & Joannes viderunt ſimilitudinem gloriæ in transfiguratione, Stephanus vero vidit veram gloriam in ſua perſecutione, facta eſt hæc oſtenſio ad adverſariorum confuſionem, S. Stephani conſolationem, aliorum martyrum animationem & ad virtutis martyrij manifeſtationem, per quod ſtatim pervenitur ad gloriam.

IV Confeſſio S. Stephani. Stephanus videns cælos apertos oſtendit nobis triplex refugium. Securum refugium noſtrum eſt cælum, non alius locus. Circa *quartum* notandum, quod Stephanus tanquam martyrum primicerius, morte primiceria commilitones ſuos animat dicens: *Ecce video cælos apertos.* Oſtendens eis ſecurum refugium, ſcilicet *Domini exemplum, paratum auxilium, deſiderabile præmium.* Securum refugium eſt cœlum. Pſal. 90. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* Ante paſſionem Chriſti non habebatur illud refugium quando clauſum fuit cœlum. Servi enim Dei qui occidebantur, deſcendebant in regionem adverſariorum, ſcilicet in infernum, ideo non erat mirum ſi timebatur bellum. Infra cœlum non eſt recipere locum ſecurum, nec in mundo, propter perverſitatem hominum, nec in aëre iſto, propter habitationem dæmonum, nec in Paradiſo terreſtri, propter igneum gladium qui prohibet homini ingreſſum. Cœlum vero locus ſecurus eſt, ubi machinæ non timentur propter loci altitudinem, nec famis inopia propter loci ubertatem, nec proditio propter habitantium fidelitatem. Exemplum egregium in martyribus eſt exemplum Chriſti, qui pro ipſis ſan-
1. Chriſti exēplum pro martyribus. guinem ſuum fudit. Oſtendebatur elephantibus ſanguis uvæ & mori ad acuendum eos in prælio. 1. Machab 6. Hoc exemplum proponit Petrus dicens: *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum.* 1. Petri 2. Et Paulus ad Hebr. 10. *Conſiderate enim,* &c. Chriſtum imitatus eſt beatus Ste-
S Stephanus imitatus eſt Chriſtum in quatuor. phanus *Primo* in cauſa mortis, quia veritatem conſtanter docuit. *Secundo* in loco, quia extra civitatem ejectus fuit. *Tertio* in zelo, quia pro perſecutoribus oravit. *Quarto* in modo, quia volun-
2. Auxilium. tariè ſuſtinuit mortem. *Auxilium paratum* vidit, quia vidit filium hominis ſtantem quaſi paratum ad adjuvandum. Juvat Chriſtus milites ſuos *primo* Chriſti quadruplex
arma miniſtrando, gratias ſcilicet dando. 2. Machab. ult. *Accipe gladium ſanctum,* &c Boëtius. 1.
Talia arma tibi contuleramus, quæ niſi prior abjeciſſes, in virtute fraternitatis tuerentur. *Secundo* adverſarios reprimendo, unde diabolus non potuit 2.
nocere Job, niſi licentiaretur. *Tertio* militibus ſuis auxilium mittendo. Pſalm. 90 *Angelis ſuis,* 3.
&c. *Quarto* Deum pro eis rogando ad Rom. 8. Præmium,
Qui etiam interpellat pro nobis. *Præmium deſiderabile* vidit, quia gloriam Dei vidit, quia filium hominis vidit à dextris virtutis Dei, ubi eſt locus ſanctorum.

DE BEATO LAURENTIO

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone quatuor dicta thematis de S. Laurentio, & aliis tribulationem patientibus explicantur. SERMO LXVI.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. *Pſalm.* 16.

VErſus iſte eſt pars illius Pſalmi: *Exaudi Domine juſtitiam meam.* In quo ſecundum hominem orat Chriſtus adjuncta ſibi voce corporis ſui, quod eſt Eccleſia, ut dicit Caſſiodorus, & poteſt de quolibet martyre intelligi, & ſpecialiter de beato Laurentio, qui ad litteram ignem paſſus eſt. Circa cujus paſſionem *quatuor* nobis in verbis propoſitis oſtenduntur. *Primo* quod paſſio ejus ad probationem fuit, ibi: *probaſti.* *Secundo* quod in ea conſolationem recepit ibi: *& viſitaſti.* *Tertio* quod probatio fortis fuit, ibi: *igne,* &c. ignis enim maximè affligit. *Quarto* quod in ea laudabiliter ſe habuit, ibi: *& non eſt inventa,* &c. Quatuor dicta thematis de S. Laurentio & aliis tribulatis explicantur. Primum dictum.

Circa Primum notandum quod examinari ſolent, qui ad dignitatem ſublimantur, & quanto dignitas major, examinatio tanto eſt fortior: ſic Deus tribulationibus vult examinari quos ad dignitatem regni cœleſtis vult ſublimare. *Attendendum* vero eſt ei qui tribulationem patitur à quo & ad quid ſibi tribulatio detur. Datur enim ei à Deo patre miſericordiarum, qui nihil noxium vult ei dare, ideo patienter ſuſtinenda eſt. Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* Ad hoc etiam datur ut per eam homo probetur, & probatus ad regnum cœlorum admittatur. Unde lætanter recipienda eſt, & ex hoc ſpes de regno habendo concipienda eſt. Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe.* Jacob 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tentationes incideritis.* In eodem. *Beatus vir qui ſuffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Tribulatis notandum à quo detur tribulatio & ad quid detur.

Item attendendum eſt quod dicit *cor meum.* Exemplo ipſius illi qui promoventur ad dignitates Eccleſiaſticas ad cor debent reſpicere, non ad nobilitates, vel alias conditiones corporis. Proverb. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Seneca. Quemadmodum ſtultus eſt, qui tentaturus equum non ipſum reſpicit ſed ſtratum & frenum, ſic & qui hominem ex veſte vel ex conditione quæ modo veſtis eſt exiſtimat. Et *notandum* quod *tripliciter* Dominus aliquem probat: ſcilicet in rebus ſuis, vel in amicis, vel in propria perſona. Primo modo probavit Job ſecundum illud, Job 1. *Extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Eundem probavit etiam in amicis, cum domus corruens in qua liberi ejus Cor probandum. Deus probat tripliciter.

Geneſ. 22. erant eos oppreſſit, ut habetur ibidem. Sic etiam probavit Abraham cum præcepit ei ut offerret ei filium ſuum unigenitum in holocauſtum. In perſona propria etiam probavit Job cum percuſſit eum à planta pedis uſque ad verticem ulcere peſſimo, Job 2. Beatum Laurentium probavit Dominus duobus modis & fidelem eum invenit. Corpus ejus torquendum tyranno expoſuit, tradidit etiam ei theſauros Eccleſiæ quos nec avarè retinuit nec infideliter diſpenſavit, ſed *diſperſit dedit pauperibus juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*. Diſperſit diverſis, & diſcretè ſpargendo, quod ad eleemoſynarum abundantiam pertinet, dedit non vendidit, ab omi munere manus excuſſit. Iſaiæ 33. Quia nec munus à corde, id eſt humanum favorem; nec munera linguæ, id eſt humanam laudem; nec munus à manu, id eſt humanum obſequium vel retributionem quæſivit, ſed ſecreto pauperibus non divitibus theſauros diſtribuit. Ipſe indutias ei tribui petiit, ut per manus pauperum theſauros in cœlum poſſet mittere. Cujus contrarium multi faciunt, qui dum vivunt bona ſua dare nolunt, ſed executoribus diſtribuenda relinquunt, qui ut frequentius infideliter agunt.

S. Laurentium probavit Deus dupliciter. Pſalm. 111. v. 9. explicatur. Quomodo S. Laurentius eleemoſynas diſperſerit.

Eleemoſyna ante mortem facienda.

Eleemoſyna quæ ante mortem datur multo melior eſt quam quæ poſt mortem datur. Sic eſt enim de ipſa ſicut de candela, quæ cum fertur ante eum qui per locum tenebroſum vadit viam ei oſtendit, cuſtodit ut non in foveam lutum cadat quod non facit candela quæ poſt dorſum ei fertur. Sic Eleemoſyna facta ante mortem cuſtodit hominem ne in foveam inferni cadat, facta autem poſt mortem ſi jam in foveam inferni cecidit, nunquàm de ea exibit propter eam. Sequitur. *Juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*. Tripliciter manet juſtitia beati Laurentij, *primo* in ſucceſſorum imitatione, *ſecundo* in Eccleſiæ militantis venerabili recordatione *tertio* in æterna retributione.

S. Laurentii juſtitia quo modo maneat.

Secundum dictum.

Et *viſitaſti nocte*. Nox tribulatio dicitur, quia ſenſualitatem perturbando obſcurat. Viſitatio conſolationis ſequitur ſuſtinentiam tribulationis. Paulus præ aliis afflictus raptus eſt in tertium cœlum. 2. Corinth 12. Joannes in exilio recipit ſolatium divinarum revelationum. Ad Rom. 15. *Deus patientiæ & ſolatij*, &c.

Tertium dictum. Deus ſuos examinat vel probat quatuor modis.

Sequitur. *Igne me examinaſti*. Ad litteram Laurentius igne examinatus eſt & inde puriſſimus exivit. Examinat Deus ſervos ſuos multis modis. *Aliquando* tangendo eos infirmitate corporis, ſicut cambitores examinant argentum tactu lapidis, ſic examinavit Job. *Mitte manum tuam & tange os ejus & carnem, & videris quod in faciem benedicat tibi*. Job 2. *Item* ſicut ſonitus vaſis vacuitatem oſtendit vel campanæ fracturam, ſic pari modo patiens tribulationem oſtendit gratiæ plenitudinem vel vacuitatem, & virtutum perfectionem vel defectum. Unde de martyribus cantatur. *Caduntur gladiis more bidentium, non murmur reſonat*, &c. *Item* ventus tentationis, & ſpecialiter ventus laudis & vituperij oſtendit quæ ſit palea & quod granum, cum immobile manet. 1. Corinth. 4. *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer*. Proverb 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantium*. Item probatur aliquis igne ad litterã, vel igne vehemẽtis tribulationis. Eccl. 27. *Vaſa ignis probavit fornax & homines juſtos tentatio tribulationis*. Sap. 3 *Sicut aurũ in fornace probat eos*. Eccli. 2. *In igne probatur aurũ & argentũ, homines vero receptibiles in camino humiliationis*. Aug. in libro de civitate Dei. Sub uno igne aurũ rutilat & palea fumat. Habuit S. Laurentius ignẽ divini amoris in corde, ignem materialẽ in carne. Ignis cordis ſuperavit ignem carnis. Unde dicit Ambr. de ipſo In quantum in illo fidei ardor fervet, in tantum ſupplicij flamma frigeſcit, Salvatoris ardor reſtinxit tyranni ardorem.

1.

2.

3.

4.

Sequitur. *Et non eſt inventa in me iniquitas*. Optimè ſe habuit beatus Laurẽtius in illa probatione. ſuſtinuit enim eam *patienter, gratulanter & lætanter*. *Patienter*, quia non eſt prohibitus paſſione à Chriſti Confeſſione. Unde dicebat: *interrogatus te Dominũ confeſſus ſum*. *Gratulanter*, quia gratias agebat ſuper carbones. Unde dicebat: *aſſatus gratias ago*. Sicut pinguia aſſata gratioris ſaporis ſunt quam elixa, ſic gratiarũ actio magis placet Deo in adverſis quam in proſperis. *Lætanter*, ſecundũ illud: *gaudeo plane quia hoſtia Chriſti effici merui*. Non eſt inventa in Laurẽtio iniquitas nec reſpectu Dei nec reſpectu proximi, ut ſcilicet contra Deum murmuraret, vel perſecutores odiret. Iniquum eſt ut aliquis perſecutorẽ odiat, qui ſibi coronã perpetuam fabricat, Pſ. 128. *Super dorſum meum fabricaverunt peccatores*, ſupple *coronam perpetuam*. Item Pſal. 117. *Circumdederunt me ſicut apes*, mel æternæ dulcedinis mihi preparando. Iniquum etiam eſt perdere Creatorem ſuum propter corpus ſuum. & timere perdere runcinum lentis in ſervitio Dei, qui optimũ dextrariũ redditurus eſt ibi Ambr. Mori non timeo, quia bonum dominum habeo.

Quomodo ... Laurentius ... tribulatione. 1. Patienter. 2. Gratulanter. 3. Lætanter. Perſecutores ... non odiendi.

DE EODEM,

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

In principio ſermonis, proponuntur tres cauſæ, quare ſanctorũ feſta celebrantur. Deinde explicantur triũ virtutum utilitates, in quibus S. Laurentium imitari debemus, poſtea duplex ſcopus Evangelij, & in fine duplex ſolatium tribulatorum explanantur.

SERMO LXVII

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Ioan. 12.

Bernardus in ſerm. Tria ſunt quæ in feſtivitatibus ſanctorum vigilanter conſiderare debemus: ſcilicet exemplum ſancti, ejus auxilium, confuſionem noſtram. Conſiderandum eſt nobis quomodo ſanctus ad tantam gloriam devenit, & eum ſequi debemus ut ad ſimilem gloriam veniamus. Sequentes vero eum debemus ab eo auxilium ſperare, & orationis obſequio illud impetrare. Solent homines benigni ſequentes ſe juvare, cum ad locum difficilem ad tranſeundum venerint. Item cum ſanctus nobis ſimilis fuerit & ex eadem materia ex qua nos, confundi debemus quod videtur nobis impoſſibile ut faciamus poſt tot exempla & tot adjutoriis, quod ipſe fecit qui nec tot adjutoria habuit, cum via Paradiſi jam trita ſit, ut etiam ſtultus vir tranſiret per eam, & tot etiam adjutoria habemus in cœlo, quod niſi negligentia noſtra nos impediat, illuc aſcendemus.

In feſtis ſanctorum tria ... conſideranda ... neceſſaria ... feſtorum.

In beato Laurentio cujus hodie feſtum celebramus *tres gratiæ* fuerunt nobis multum neceſſariæ in hac vita, in quibus eum imitari debemus *Fides, miſericordia, patientia*. Fides cæcos illuminavit, miſericordia theſauros Eccleſiæ pauperibus diſtribuit, patientia aſſatus gratias egit. Ad miſericordiam pertinet quod dicitur in Epiſtola 2. ad Corinth 9. *qui parce ſeminat, parce & metet*. Item, *hilarem datorem diligit Deus*. Ad patientiam pertinet Evangelium, ubi Dominus ſuadet mortem tranſitoriam non eſſe timendam, & vitam temporalem non eſſe diligendam. Ad fidem pertinet quod cantatur in miſſa: *Levita Laurentius bonum opus operatus eſt, qui per ſignum crucis cæcos illuminavit*. Fides videtur eſſe primus radius ſolis ſpiritualis ad cor humanum valde neceſſaria nobis, cum ſimus in tenebris & umbra mortis Luc. 2. *Viſitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & umbra mortis ſedent*. Contra lumen fidei non prævalet malum, attingit etiam à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter. Fides

Beatum Laurentium in ... virtutibus ... imitari debemus.

Fidei ... tas.

oſtendit nobis æterna mala & bona, ut non reputemus tranſitoria. Gregor. Vileſcunt temporalia cum conſiderantur æterna. Et ſuper illud 1. ad Timoth. ult. *Sectare juſtitiam, fidem, pietatem*, dicit Gloſſa. Qui veram fidem de Deo habet, non cupit in his miſeriis fieri dives. Nec pluris eſt ei mundus quam Deus. Fidem vero ſequitur miſericordia & patientia. Agnoſcens enim æterna bona & mala, libenter bonis tranſitoriis comparat æterna, & libenter ſuſtinet mala tranſitoria, ne incidat in æterna. Miſericordia & patientia multum ſunt neceſſaria homini in mundo iſto, qui plenus eſt malis. Miſericordia aliena mala nobis in bona convertit; patientia vero mala propria.

Miſericordiæ & Patientiæ utilitates.

In Evangelio hodierno intendit Dominus extirpare duas radices peccatorum ſcilicet timorem tranſitorij mali & amorem tranſitorij boni, de quibus dicit Gloſſa ſuper illud. Pſal 79. *Incenſa igni & ſuffoſſa* Omnia peccata duæ res faciunt in homine, ſcilicet cupiditas & timor. Ad *primam* pertinet illud: *niſi granum frumenti*. Ad *ſecundam* illud: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*. Ad *primum* notandum, quod ſicut putrefactio grani quæ mors

Evangelii duplex ſcopus.

1\. eſt, dicitur eſſe via ad multiplicationem, ſic per mortem temporalem eſt homini tranſitus ad permanentem vitam à tranſitoria, ideo non eſt timenda mors tranſitoria. Sapiens non eſt lugenda mors quam immortalitas conſequitur. Auguſt. 13. libro de civitate Dei, Deus fidei gratiam præſtitit, ut mors quam conſtat mihi eſſe contrariam, inſtrumentum fieret per quod tranſiretur ad vitam. Chriſto & ſanctis ejus per mortem afflictionis crevit gloria; ſicut Eccleſia tribulationibus multiplicata eſt. Pſalm. 140. *Singulariter ſum ego donec tranſeam*

2\. Exod. 1 Quanto magis affligebantur filij Iſrael tanto magis multiplicabantur. Circa *ſecundum* notandum, quod qui amat animam ſuam, ſcilicet vitam, perdet eam. Qui amat præſentem vitam, amore ejus martyrium declinando, vel patientiam facere nolendo, perdet æternam vitam, ſuper illud Matth. 16. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam*, dicit Gloſſa, quaſi dicatur agricolæ, frumentum ſi ſervas, perdis: ſi ſeminas, renovas. Ubi innuitur quod bona præſentia ſunt ut ſemina, parva ſcilicet & non in ſe durabilia. Unde ſeminanda ſunt ut multiplicentur & conſerventur, ſicut fit de frumento. Vita præſens ſeminatur cum in Chriſti ſervitio expenditur, ut pro ea æterna recipiatur. Bona etiam præſentis vitæ ſeminantur, cum illis æterna emuntur. Auguſt. Præbe tectum & accipe cœlum. Bernard. Erras ſi manſuras tibi putas divitias quæ per tot manus hominum tranſierunt

Et notandum quod in tribulationibus duplex habemus ſolatium: ſcilicet *Chriſti exemplum*, ex quo ſubdit Dominus: Joan. 12. *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur*, id eſt imitetur, & *præmium*, de quo ſubditur: *Ubi ſum ego ibi & miniſter meus erit*. De

Duplex ſolatium tribulatorum.

1\. *primo* dicit Auguſt. magna conſolatio membris ex capite. Eccleſiaſtici 23. *Magna gloria ſequi Dominum*. De *ſecundo* dicit Auguſt. Præmium operis

2\. quo illi miniſtratur eſt eſſe cum illo ſine quo nunquam eſt bene, & cum quo nunquam eſt male. Et ſubditur exponendo. *Si quis miniſtrat mihi, honorificabit eum pater meus*. Auguſt. Quod dixerit *ubi ego ſum*, &c. hoc intelligitur expoſuiſſe cum dicit: *honorificabit eum pater meus*. Nunquam majorem honorem accipere adoptat, quam ut ſit ubi eſt Dominus. Hic honor multum conſolatur amicos Dei. Gregor. Conſideratio præmij minuit vim flagelli.

DE BEATO HYPPOLITO MARTYRE.

SERMO UNICUS.

SERMO LXVIII.

SUMMARIUM.

Occaſione thematis agitur in hoc ſermone de confeſſione & erubeſcentia Chriſti tam noſtra quam ipſius.

Dico vobis, omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo & angelis Dei. *Luc.* 12.

HOdie celebrat Eccleſia feſtum beati Hyppoliti, quem timor mortis à confeſſione Chriſti prohibere non potuit. Immo Cæſari dicenti ſibi: nunquid magus factus es, quia corpus Laurentij diceris abſtuliſſe liberè & conſtanter dixit: non feci hoc ut magus, ſed ut Chriſtianus. Pro qua confeſſione mortem ſuſtinuit & ad gloriam æternam pervenit, ideo in Evangelio hodierno convenienter recitatur promiſſio à Chriſto facta confitentibus ſe, quæ in beato Hyppolito eſt impleta.

Circa quam promiſſionem propoſitam *quatuor* nobis ſunt attendenda ad ædificationem noſtram. *Primum* eſt quod ſola fides cordis ad ſalutem non ſufficit *Secundum* quam confeſſionem Chriſtus à fidelibus requirit. *Tertium* eſt quam confeſſionem confitentibus ſe promittit. *Quarto* tangitur de comminatione quam negantibus ſe vel erubeſcentibus ſe facit. Ad *primum* pertinet illud Roman 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*. Auguſt. Velut in caſſum additum eſt hoc, nam pœnè omnes qui Chriſtum coram perſecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore non confitendo perierunt, niſi illi qui pœnitentia ut Petrus revixerunt. Item Auguſt. Cur Petrus lachrimis diluit quod ore negaverat, ſi ad ſalutem ſufficiebat quod corde tenebat? Chryſoſt. Si ſufficit Chriſto quia tu cognoſcis eum etiam ſi confeſſus non fueris, ſufficiat tibi quod cognoſcat te Chriſtus etiamſi te confeſſus non fuerit. Idem. Si ſufficeret fides cordis, tantummodo cor creaſſet tibi Deus; nunc autem & os creavit & quinque ſenſus. Confeſſio oris in martyribus erat ad æternam ſalutem & ad temporalem mortem. E contra negatio in his qui timore mortis vel verecundia deficiebant, erat ad ſalutem temporalem & ad mortem æternam. Matth. 16. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam.*

Circa promiſſionem à Chriſto in themate factam 4. notanda.

1. Fidem cordis ſine confeſſione non ſufficere.

Et *notandum* quod fidei cordis & confeſſioni oris reſpondent duo Sacramenta in Eccleſia, ſcilicet Sacramentum baptiſmi & confirmationis. In baptiſmo corpus aqua abluitur exterius, fide autem interius purificatur animus. Actor. 15. *Fide purificans corda eorum*. In ſacramento confirmationis in fronte ſignum crucis efficitur & interius animus confirmatur, ne erubeſcentia fidei in confeſſione impediatur Unde Auguſtinus non ſine cauſa ſignum crucis fit in fronte, ſcilicet in ſede pudoris ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat. Circa ſecundum notandum quod triplex eſt confeſſio Chriſti. *Prima* fit ſolo ore. *Secunda* non fit ſolum ore ſed etiam ſervitij redditione, ſed ſemiplena, id eſt non libera. *Tertia* autem fit plena & libera ſervitij redditione *Prima* parū vel nihil placet Deo, *ſecunda* placet, ſed non perfectè, *tertia* vero placet *Prima* eſt ridiculoſa, & Deo contumelioſa, & habet negationē ſibi contrariā. Ridiculoſa eſt ridiculū enim eſt quod aliquis in aliqua arbore ſola folia dicatur habere & non alia. Sic qui Chriſtū cōfitetur ſolū ore, ſola habet

Baptiſmi Sacram. valet ad fidem cordis. Confirmationis Sacram valet ad confeſſionem oris

2. Confeſſionem Chriſti eſſe triplicem unam valere, duas non.

Prima tria habet vitia.

1.

folia

Folia verborum. Deo contumelioſa eſt ideo, quia ad Dei contumeliam facit quod aliquis à Deo ſeudum ſe habere recognoſcit, & tamen ſervitiũ ei ma-
3. nifeſtè negat tanquam eius inimicus. Negationem verò habet contrariam; facto enim negatur quod verbo
• aſſeritur. Ad Titum 1. *Confitentur ſe noſſe Deum; factis*
Altera cur nõ ſufficiat. *autem negant.* *Secunda* confeſſio Deo non ſufficit, quam faciunt illi qui reddunt Deo ſervitia, ſed tantum in illis in quibus mundus præbet aſſenſum. Cum enim Dominus ſit rex regum, vult ſe regulariter timeri, & non vult homagium ſibi fieri ſalvo alio homagio. Ideo dicitur. Matth. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Circa. *tertium* notandum quod con-
3. Confeſſio Chriſti qualis ſit. feſſio quam Chriſtus ſuis confeſſoribus promittit fiet cum dicet fidelibus: *Venite benedicti patris mei percipite regnum.* Matth. 25. Vel cum dicet: *Euge ſerve bone & fidelis.* In eodem. Et de illo quem confitebitur dicet: *Vbi ego ſum, illic erit & miniſter meus*. Ioan. 12. Dicit Gloſſa. Qui per filium habet acceſſum ad patrem, per filium habet acceſſum ad patris viſionem. Sequitur de commina-
4. Comminatio Chriſtũ negantibus vel erubeſcentibus qualis ſit. tione quam fecit Chriſtus negantibus vel erubeſcentibus ſe Luc. 12. *Qui negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Interlinearis. Non perducetur ad viſionem patris qua perfruuntur ſancti. Luc. 9. *Qui me erubuerit & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua & ſanctorum angelorum.* Chriſtum erubeſcit qui ob ruborem vel verecundiam non vult ei Deus dicere vel eum Deum appellare. Hunc filius hominis erubeſcit, id eſt abnegat, ut dicit Interlinearis. *Cum venerit ad iudicium in maieſtate ſua*, id eſt in forma humana glorificata, in qua ibi apparebit præſens maieſtate ſibi communi & ſanctorum angelorum qui cum eo apparebunt ſecundum illud. Matth. 13. *Exibunt angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.*

Erubeſcentibus Chriſtum quid futurum ſit. *Et notandum* quod Chriſtus non agnoſcet fatuas virgines, nec eis aperiet. Matth, 25. Erubeſcentes vero ſe erubeſcet, immiſericordes vero confundet, id eſt immiſericordiam ſuam præparando. Matth. 25. Virgines fatuæ quæ acquiſierunt vanam gloriam, meritò non admittentur ad veram gloriam, nec agnoſcentur à Deo, quia ei in operibus ſuis nolue-
Exemplum. runt placere ſed mundo. Erubeſcentibus Chriſtum ſic accidet, ſicut cuidam ſcholari Pariſienſi accidit, qui cum eſſet indutus veſtibus precioſis, & à ſociis ſuis multum honoraretur, & viſitaſſet eum pater in humili habitu, timens ne eum ſocii ſui contemnerent, ſi ſcirent eum habere talem patrem, rogavit patrem ſuum ut nullo modo indicaret eis, ſimulans eum non eſſe patrem ſuum. Vnde & cum ſervientibus fecit eum comedere cum gartione domus, quod pater patienter ſuſtinuit. Sed cum finito prandio ſcholaris duxiſſet eum ſecretò in cameram ſuam & quæſiviſſet ab eo quid attuliſſet ei, oſtendit ei pater denarios quos ei attulerat aſſerẽs quod nec unum de illis haberet. Tu negaſti me fili, ait pater, & ego te. Nunquã de cætero comedes vel bibes de aliquo quod mittam tibi. Immiſericordes confuſi quaſi inhumani dæmonibus ſociabuntur & ignem mittentur. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Item *notandum*
Erubeſcere Chriſtum triplex habet vitium. quod reprehenſibiles ſunt qui negant Chriſtũ, etiam timore mortis vel vexatione tormentorum. Sed maximè reprehenſibiles ſunt qui erubeſcunt eum, qui ſcilicet pro erubeſcentia dimittunt ei ſervire vel bene agere. Hæc erubeſcentia multum habet fatuitatis & multum timiditatis, & Deo valde contu-
1. Multũ habet fatuitatis melioſa eſt. Fatuitatis multum habet talis erubeſcentia in religioſa perſona, glorioſum enim eſt Deo ſervire præcipuè inter malè agentes, vel coram eo qui malè agere conſuevit. Qui habet hanc erubeſcentiã ſimilis eſt ei qui erubeſceret de hoc quod faceret ſicut ſolitus eſſet facere, vel de hoc quod inter lepro ſos eſſet ſanus vel inter inquinatos mundus. Valde fatuum eſt erubeſcere admirationes mendicorũ hominum ſauciorum, vel cæcorum & claudorum, dum videntes & rectè incedentes derident. Seneca. Æquo animo toleranda ſunt imperitorum vitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus. Potius appetendæ ſunt tibi hæ deriſiones quam timendæ. Senec. Nondum felix es, ſi nondum te turba deridet. Matth. 5. *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines.* Hæc erubeſcentia multum habet timidita-
tis, quam qui habet ſimilis eſt ei, qui ſic erubeſcit Dominum ſuum quod eum deſerit propter latratum canum qui non mordent. Mundus enim iſte eſt velut catellus irriſionibus latrans contra eos qui benefaciunt. Mordere neſcit, quia benefacientes non percutit, & cum ſatis latraverit, tacebit. Taciturnitate ſuperari poteſt. In eis qui ſic erubeſcunt impletur illud Levitici 26. *Terrebit eos ſonitus folij volantis.* Et poſt. *Fugient quaſi gladium.* Folium volans eſt verbum irriſionis quod terret tales, quod plus timent, quam Dei gladium, qui paratus eſt occidere. Exod. 15. *Evaginabo gladium meum interficiet eos manus mea.* Item contumelioſum eſt Chriſto quod anima quæ non eſſet digna eſſe eius ancilla, ſponſum tantum erubeſcat. Admiranda eſt & graviter punienda hæc erubeſcentia quinque de cauſis. *Prima* eſt quia ſponſus ille non eſt ignobilis, vt ideo erubeſcendus ſit. Eius nobilitatem indicat angelus. Luc. 1. *Hic erit magnus & filius altiſſimi vocabitur.* Et Pater. Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus.* Et Salomon. Prov. vlt. *Nobilis in portis vir eius quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Eius nobilitas tunc apparebit cum in majeſtate judicabit. *Secūda* quia non eſt deformis immò *ſpecioſus forma præ filijs hominum.* Ipſe eſt *candor lucis* Pſal. 44.
æternæ. Sapient. 7. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, &c. Hebreor. 1. *Tertia* quia eſt ſponſus legitimus non adulter. Ipſa lex naturalis hunc ſponſum animæ ſignat Bernardus in libro de diligendo Deo. Infidelem urget naturalis iuſtitia ſe totum tradere illi à quo ſe totum habet. *Quarta* quia eſt ſtrenuus pugnator qui animam ſingulari pugna acquiſivit. *Quinta* quod ipſe eſt vehementiſſimus amator, quem mors non potuit ſeparare ab amore ſponſæ. Hunc ſponſum non erubeſcebat, quæ dicebat. *Ipſi ſum deſponſata, cui angeli ſerviunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur.*

Right margin: 2. Multũ habet timiditatis. 1. Contumelioſum eſt Chriſto ob quinque cauſas. 1. 2. 3.

IN ASSUMPTIONÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINS.

SERMO PRIMVS.

SVMMARIVM.

Hic ſermo conſtat principio & alijs tribus partibus. In principio agitur de Aſſumptione D. V. In parte prima afferuntur ſex modi colendi D. V. In ſecunda oſtenditur D. V. admirabilem eſſe ſecundum 4. ſtatus ſuos. In tertia explicantur quatuor dicta thematis.

Quę eſt iſta, quę aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſupra dilectum ſuum. *Cant. ult.* SERMO LXVIII.

HOdie recolunt fideles tranſitum matris Dei ab hac vita mortali & exitum eius ab hoc ſæculo nequam per mortem, ſicut filius eius exierat inde. Poſt quam ab hominibus ad ſepulchrũ eſt deducta, ab angelis ad cœlum eſt perducta, vbi à filio ſuo eſt ſuſcepta cum gloria qua ipſa digna fuit, & quæ eius filium decuit. Bernardus. Quis cogitare ſufficiat quam glorioſa ea die mundi regina proceſſit, & quanto devotionis affectu tota in eius occurſum cœleſtium legionum multitudo prodierit, quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quam placido vultu, quam ſerena facie quam

divinis amplexibus à filio ſuſcepta & ſuper omnem creaturam exaltata, cum eo honore quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum filium decuit Aſſumptionem ejus & boni & mali & ſapientes & inſipientes recolunt, ſed nimirum recolendi differentia eſt. Sapientes enim recolunt eam ut recolenda eſt, inſipientes non.

Sex modi recolendi aſſumptionem D.V.

1. Congratulatio.

Ad debitum modum recolendi ſex pertinent. *Primo congratulatio, ſecundo imitatio, tertio laudatio, quarto orationis ſupplicatio, quinto obſequiorum exhibitio, ſexto admiratio.* Debent fideles congratulari ei. Sicut enim filius Dei dixit Apoſtolis. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad patrem.* Joan. 14. Sic virgo beata poterat dicere *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad filium.* Bernardus. Si Mariam diligimus? gaudebimus utique quia vadit ad filium. Congratulabimur ei, niſi forte (quod abſit) inventrici gratiæ inveniamur omnimodè ingrati. Gaudium ſequela eſt amoris, ſecundum illud Galat. 5. *Fructus ſpiritus, charitas, pax, gaudium.* Amor eſt, ſicut amantis ſic & amati. Amantes habent idem velle & idem nolle, de eodem gaudentes & dolentes. Cantic. 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua,* dicitur per Spiritum ſanctum in perſona virginis. Et ſubditur oratio fidelium. *Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum.* In hoc feſto cantat. Eccleſia. *Hodie Maria virgo cœlos aſcendit, gaudete quia,* &c.

Objectio.

Bernardus tamen contra hoc objicit his verbis. Plangendum plus nobis quam gaudendum eſſe videtur. Quantum enim de ejus præſentia cœlum exultat, nunquid non conſequens eſt, ut tantum lugeat inferior iſte mundus abſentiam ſuam? Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis eſt hic manens civitas, ſed eam inquirimus ad quam hodie mater benedicta pervenit.

2. Imitatio.

Imitari debent fideles mundi Dominam quaſi eam ſequentes. Sicut enim *gloria magna eſt ſequi Dominum.* Eccleſiaſtici 23. ita & ſequi Dominam. Bernardus. Præceſſit nos regina noſtra & tam glorioſè ſuſcepta eſt, ut fiducialiter Dominam ſequantur ſervuli clamitantes, *trahe nos poſt te.* Specialiter debent eam imitari in puritate humilitate, charitate, & pietate.

3. Laudatio

Debent etiam laudibus eam proſequi. 2. Reg. 6. David arcam Domini cum jubilo induxit in Jeruſalem. Arca in quam Deus theſaurum ſuum poſuit, ubi prætium noſtræ redemptionis poſuit, ad quam Eccleſia in ſuis neceſſitatibus recurrit, eſt beata virgo. De ſuis laudibus dicit. Bernardus. A laudibus non debet ceſſare humana mortalitas, cum hominis ſola natura ſupra ſpiritus immortales exaltatur in virgine. Prius erat exaltata ſed aſſociata divinæ.

4. Supplicatio

Debent etiam fideles matri Domini quæ in cœlum aſcendit pro ſalute ſua ſupplicare, non enim eſt veriſimile quod in die honoris & coronationis ſuæ à filio ſuo patiatur repulſam 3. Reg. 2. dixit Salomon matri ſuæ: *pete mater mea, non enim fas eſt ut avertam faciem meam:* Bernardus. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam judicis mater, & mater maximè ſuppliciter & efficaciter, ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Idem. Pretioſum munus terra noſtra hodie in cœlum direxit, ut dando & accipiendo feliciter amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis, unde data optima & dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo in altum virgo dabit dona hominibus, ſi quidem nec facultas ei deeſſe poterit nec voluntas. Cœlorum regina eſt, miſericors eſt, mater eſt unigeniti filij Dei.

5. Obſequiorum exhibitio.

Debent etiam fideles obſequiis ſuis benevolentiam captare, ad honorem ejus jejunando, loca in quibus honoratur viſitando & modis aliis. Multum enim placet filio honor qui matri exibetur.

6 Admiratio

Recolenda eſt etiam Aſſumptio ejus cum admiratione, cum ipſi Angeli de ipſa mirati ſunt, juxta verbum propoſitum à Spiritu ſancto per Salomonem dictum. De qua admiratione Bernardus. Ipſi inquit curiæ cœleſtis principes in tantæ novitatis conſideratione clamant cum admiratione. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto,* &c. Cantic. 3. Rationabilem cauſam admirandi habuerunt Angeli, cum viderunt matrem Dei ſuper choros Angelorum exaltari, ſciebant enim quod humana, quæ ſecundum modum naturæ minor eſt angelica, Pſal. 8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* poteſt Angelis æquari per virtutis meritum Matth. 22. dicitur de hominibus, qui *ſunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Per privilegium vero gratiæ poteſt homo Angelis præferri, quod accidit in duabus perſonis, ſcilicet in Chriſto & matre ejus. Unde Chriſto aſcendente admirantes dixerunt Angeli. *Quis eſt iſte rex gloriæ?* &c. Pſal. 23. De matre etiam ejus aſcendente dixerunt admirantes. *Quæ eſt iſta?*

D. V. fuit admirabilis ſecundum diverſos ſtatus

Ante Nativitatem ſuam,

Circa admirationem notandum. quod ſicut dictum eſt per Iſa 9. de Chriſto: *Vocabitur nomen ejus admirabilis,* ſic & mater ejus admirabilis fuit, & hoc ſecundum diverſos ſtatus ipſius. Admirabilis fuit antequam eſſet nata, cum in utero fuit ſanctificata. Pſal. 45 *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Cito inchoavit ſanctitatem ſuam.

3. Poſt Nativitatem, Locus Cant. 3 explicatur

Item mirabilis fuit poſt nativitatem ſuam in converſatione, unde dicit Spiritus ſanctus per Salomonem Cantic. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarij?* Ipſa per deſertum paupertatis proficiendo de bono in melius aſcendit. Ipſa ſpe & amore ſupernorum ſe erexit, virgula fumi per humilitatem exilis. Ignis tribulationis agens interius ſpiritum ejus exaltans, velut in fumum odoriferum Deo & Angelis redegit, & per humilitatem quaſi annihilavit in myrrham diſciplina carnalium deſideriorum mortificatam, & à carnali putrefactione conſervatam. In thure vero intelligitur gratia orationis. Quod autem ſequitur, *& univerſi pulveris pigmentarij* ad univerſitatem virtutum referendum eſt quæ in ea fuit. Aromata pulveriſata plus redolent, ſic ſancti per laboris tribulationes contriti majorem odorem ſuavitatis ſpirant. Cum homo pulvis ſit, ſecundum illud, Geneſ 3. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Gratia facit eum pigmentarium. Geneſ. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis.*

3. In conceptione Filii Dei.

Item mirabilis fuit in filij Dei conceptione. Bernard. Fide concipit virgo, peperit virgo, manet virgo, quis non miretur? Sine corruptione concepit, ſine gravamine gravida fuit, ſine dolore peperit.

4. In aſſumptione ſua. Explicatio quatuor dictorum thematis.

Valde admirabilis fuit in Aſſumptione, ad quod pertinet interrogatio angelorum propoſita. *Quæ eſt iſta,* &c. Ad quod reſpondet Auguſt. Mater Dei regina cœli, domina mundi, porta paradiſi.

1. Quæ eſt iſta

Mater Dei, quia genuit Filiũ Dei, Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* Ipſa habuit ſuper ipſam maternæ auctoritatis imperium, quod nulla alia creatura habuit. Auguſtinus. Singulariter illa fœmina habuit, ut videret ſibi naſcendi humilitate ſubditum, quem non ſolum humana, verum etiam angelica creatura veneratur & adorat altiſſimum. Regina cœli eſt de ſpoliis inferni ruinas reparans Angelorum Bernardus. Per te cælum impletum eſt, infernus ſpoliatus, ruinæ civitatis Jeruſalem reſtauratæ. A principio mundi regem habuerant ſed non reginam. Sed hodie regina Heſter ſublimata eſt ad regnum Aſſueri Domina mundi eſt, unde Maria interpretatur. Per ipſam reparatus eſt Mundus Unde Auguſtinus loquens ad eam. Tuo ſingulari commercio mundo ſuccurriſti perdito. Porta Paradiſi eſt. quia antequã ipſa eſſet, nullus homo paradiſum intravit cæleſtem, unde dicit ei

Eccleſia. *Tu regis alti janua.* Ad hanc portam debet pulſare, qui vult intrare, eam amando, de ipſa ſperando, eam laudando, & orando, & ei obſequendo. Cauſæ admirationis ſubduntur, cum dicitur. *Aſcendit de deſerto.* Deſertum mundus dicitur. Joël. 1. *Ignis comedit ſpecioſa deſerti.* Mundus ad modum deſerti tranſeuntibus eſt horribilis, deficiens bonis, habitatio potius beſtiarum quam hominum. Timent viri ſancti tranſitum hujus deſerti. Eccleſiaſtici 18. *Homo ſapiens in omnibus metuit.* Sapient. 14. *Creaturæ in odium hominum factæ ſunt, & in tentationem*, &c. Una gutta divinæ gratiæ non poteſt haberi in hoc deſerto niſi de cœlo veniat, nec poteſt ſitis unius animæ ſedari ex omnibus bonis hujus mundi, quia ut dicit beatus Auguſtinus, animam ſolius Dei capacem quidquid minus Deo eſt, implere non poteſt. Multæ belluæ ſunt ibi & pauci viri. Auguſtinus. Belluinus eſt homo amando talia qualia belluæ. Idem. Non diſcordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem ſurſum & cor deorſum. Multa ſunt ibi venenata animalia per malignitatem. Pſal. 57. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* Multi leones & urſi per rapacitatem. Prov. 28. *Leo rugiens & urſus eſuriens princeps impius ſuper populum pauperem* Multi ſunt vulpes per doloſitatem. Luc. 13. *Dicite vulpi illi*, loquens Dominus de Herode. De hoc deſerto ſolebant omnes deſcendere in infernum ante Chriſti paſſionem, poſt etiam major pars hominum. Alij enim illuc deſcendunt per ambitionem, ut Dathan, & Abiron, qui ambientes principatum incitaverunt ſeditionem contra Moyſen. Num. 16. *Deſcenderuntque vivi in infernum.* Alij per amorem divitiarum. Luc. 16. *Mortuus eſt dives & ſepultus in inferno.* Alij per amorem deliciarum Job 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Multum mirari potuerunt Angeli quod aſcendebat cum affluentia de loco ubi eſt penuria & cum deliciis de valle miſeriæ & afflictionis, & quod in eis non inveniebantur pares deliciæ quos in civitate Domini fluminis impletus lætificat, quia vultu gloriæ Dei voluptatis torrente potabantur. Deliciæ iſtæ erant gratiæ quæ virginem paradiſum voluptatis fecerant, ut ibi filius Dei inhabitaret. Plantavit Dominus paradiſum voluptatis à principio ubi hominem poſuit, ſed nobiliorem paradiſum paravit filio ſuo, ſcilicet beatam virginem. Quidni delicias dixerim decus virginitatis cum munere fœcunditatis humilitatis inſigne, diſtillantem favum charitatis, viſcera miſericordiæ, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis. Verba illa Bernardi, ſingula pondus habent. Honorabile eſt decus virginitatis quæ ponit in ſtatu angelico, & quaſi ſponſam ſociat Deo. Ipſa eſt delectabilis Deo ſecundum illud, Cantic. 2. *Paſcitur inter Lilia.* Humilitatis inſigne eſt electorum ſecundum illud Gregorius. Evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, humilitas electorum. Humilitas virginis delectabilis fuit Deo & curiæ cœleſti. Ejus redolentiam filius Dei ſenſit in cælis, dum virgo eſſet in terris. Cant. 1 *Cum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Item charitas ejus veſtis inæſtimabilis odoris delectabilis fuit curiæ, ſecundum illud, inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis ejus. Item pietas ſummè placens Deo valde fuit illi curiæ delectabilis. Auguſt. Nihil eſt quod ita amabilem faciat Deo ut pietas. Item ſatis poterant mirari videntes plenitudinem gratiæ eſſe in ſexu muliebri, qui ſolebat exoſus eſſe mundo, eo quod mulier fuerat cauſa perditionis humanæ. Item mirari multum de hoc poterant, quia videbant prærogativam gloriæ in muliere quæ propter dictam cauſam fuerat opprobrio. Et notandum quod beata virgo habuit delicias generales, quæ conſiſtunt in ſecuritate, in manifeſta cognitione primæ veritatis & guſtu ſummæ ſuavitatis. Speciales ſunt homini qui habet aliquam rationem ſpecialem amandi Chriſtum & gloriandi in eo, quam non habet angelus. Et aliquo modo contemplatur ejus humanitatem, quod non angelus. Gloriantur angeli in Chriſto quaſi in Domino, homines quaſi in fratre ſuo. Contemplantur angeli humanitatem Chriſti ſolo intellectu, homines intellectu & ſenſu. 1. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere* Delicias ſingulares habuit, quia mater fuit, ſi gloria patris eſt filius ſapiens. Proverb. 15. nunquid gloria matris eſt filius qui eſt ipſa ſapientia. Non parva gloria eſt immo maxima habere Deo patri filium communem. in quo nec prima ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Illa quoque cauſa admirationis eſſe potuit, quod erat innixa ſupra dilectum ſuum, in quo ejus oſtenditur familiaritas ad filium, ſicut diſcipuli quem diligebat Jeſus in hoc familiaritas apparuit quod ſupra pectus Chriſti diſcubuit, Joan. ult. Nec mirum ſi mater innitebatur ei, eo quod ſuper matrem pluries etiam puer innixus fuerat. Mirantur angeli quod ipſa ei inhæreat à quo angelicæ poteſtates revertendo reſiliunt. Per hoc etiam intelligitur matris poteſtas. Qui enim alicui innititur, virtutem ejus quodammodo ſibi aſſumit, & ea utitur. Sic mater de omnipotentia filij quantum vult aſſumit. Bernard. Quomodo miſereri non poteris mater omnipotentiæ? Et notabiliter dicitur mater filij, quia alij filij non ſunt totaliter matris, ſed in iſto nihil habet pater carnalis. Mater fuit ejus totaliter, ei in omnibus obediendo, ideo ipſe merito eſt matris, voluntatem ejus perfectè implendo.

2. Aſcendit de deſerto. Mundus ſit ſimilis deſerto.

Quales belluæ ſint in Mundo.

Qui ex Mundo deſcendant in infernum.

3. Delitiis affluens.

Explicatur S Bernardus D V. delitias vocãs ob ſex.

1. Ob Virginitatem.

2. Ob Humilitatem.

3. Ob Charitatem.

4 Ob pietatẽ.

5. Ob plenitudinem gratiæ.

6. Ob gloriæ prærogativam.

D V habuit delitias generales.

Singulares

4 Innixa ſupra dilectũ

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Conſtat hic ſermo duabus partibus. In prima quatuor particulæ ſive dicta thematis de D.V. explicantur, omiſſa quinti dicti explicatione. In altera vero aliquot rationibus & convenientiis oſtenditur D.V. in anima & corpore in cœlum aſſumptam fuiſſe, idque piè credendum ex ſententia S. Bernardi & Auguſtini concluditur.

SERMO LXX.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? *Cant. 6.*

VErba propoſita quæ Salomon edoctus à Spiritu ſancto dixit, Eccleſia eodem ſpiritu edocta in laudem beatæ Virginis aſſumit. Quibus verbis beatam virginem fidelibus demonſtrat, & quæ ipſa ſit cum admiratione interrogat, notificans eam & ſecundum ſtatum viæ, & ſecundum ſtatum patriæ. In hoc quod eam fidelibus demonſtrat, ipſos ad attentionem incitat: ſicut enim oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita debent eſſe oculi Eccleſiæ ad beatam virginem. Quæ dictione demonſtrativa utitur, quod demonſtratur conſpicit, & alium ad conſpiciendum inducit. Eccleſia ergo filios in mari hujus mundi fluctuantes quantum vellet ad portum ſalutis per ſe dirigere non valens, ad directionem eos mittit, ſcilicet ad Mariam quæ ſtella maris hebraicè interpretatur. Luc. 1. *Nomen virginis Maria.* Bernard. Si inſurgunt venti tentationum, ſi incurris ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. In periculis, in an-

I. Explicantur thematis partes quatuor de D.V.

1. Quæ eſt iſta?

Maria in periculis invocanda.

guſtijs, rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam in-
voca. non recedat à corde, non recedat ab ore,
ut impetres ejus auxilium, ne deſeras converſatio-
nis exemplum. Ipſam ſequens non devias, ipſam ro-
gans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa
tenente non corruis, ipſa protegente non metuis,
ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia ad portum
pervenis, & ſic in temetipſo experiris, quod me-
ritò dictum ſit *Maria* nomen virginis. In hoc
quod Eccleſia de ipſa ſic interrogat, deſiderium
agnoſcendi fidelibus commendat, qui enim inter-
D.V. cur elucidanda
rogat, deſiderare videtur ut ſciat. Cum magno de-
ſiderio audienda eſt & legenda ſcriptura ſacra quæ
de ipſa loquitur, multis enim occaſio ſalutis extitit.
Eccleſiaſtici 24. *Qui elucidant me, vitam æternam
habebunt*. Ejus elucidatio non ſolum elucidantibus,
ſed etiam illis quibus fit, occaſio ſalutis extitit. Cum
enim humilitas & cæteræ virtutes ejus & gratiæ om-
nibus oſtenduntur, ipſi ad ejus imitationem pro-
vocant. Item cum abundantia pietatis ejus notifi-
catur eis, ipſi invocant eam; invocata autem invo-
cātibus deeſſe non conſuevit. Bernard. Sileat miſe-
ricordiam tuam virgo beata quiſquis invocatam te
in ſuis neceſſitatibus ſibi meminerit defuiſſe. Admi-
Cur admiranda
randa eſt beata virgo propter magna ei à Domino
facta & propter nova in ea facta. Luc. 1. *Beatam me
dicent omnes generationes*, &c. Magnum fuit quod
Dominus mulierem Deo & mundo exoſam propter
Evæ prævaricationé gratioſam fecit. Item magnum
fuit quod fontem omnium gratiarum in ea poſuit.
In ea etiam valde magnum fuit, quod eam Angelo-
rum & hominum Dominam fecit. Quia ſuper Sera-
phim ſenes alas habentia eam exaltavit, regina ap-
paruit. Pſal 44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, &c.
2. Quaſi aurora.
Beata virgo quaſi aurora fuit, quia de bono in
melius proficiens, ad perfectionem pervenit. Sic
progredi debet juſtus. Proverb. 4. *Iuſtorum ſemita
quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfe-
ctum diem*. Item quaſi aurora fuit in Salvatoris con-
ceptione, quia verum ſolem genuit, & tenebris
ignorantiæ & culpæ finé impoſuit. Fuit etiam qua-
ſi aurora in ſua Aſſumptione, cum ſua claritate cœ-
lum decoravit. Aurora conſurgens tantam clarita-
tem adducit, quod claritas luminariorum noctis
diſpergi videtur. Sic claritas virginis claritatem ci-
vium cœleſtium ſuperauit. Ipſa etiam adhuc quaſi
aurora quotidie pié flagitantibus verum ſolem ſpi-
ritualiter adducit & diem ſalutis eis illuceſcere facit.
Ipſa eſt illa aurora in qua cœtus antiquorum patrum
per Jacob cum Angelo luctantem deſignatur & be-
nedictionem obtinuit. Orando luctabantur antiqui
patres cum Deo ut veniret. Iſaiæ 62. dicitur *Non
quieſcam donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus*.
Luctando benedictionem obtinuerunt, qui per
beatam virginem ipſum receperunt, in quo benedi-
cendæ erant omnes gentes, Ipſa erat aurora furibus
infernalibus tremebunda. Job 24. *Si ſubito apparue-
rit aurora, arbitrantur umbrā mortis*. Multi nō pro-
Progrediendum in divino ſervitio.
grediuntur quaſi aurora, potius ſimiles veſperi quā
auroræ, in quibus tenebræ culpæ invaleſcentes per
peccatum mortale lucem gratiæ fugant. Cauſa pro
magna parte eſt quod aliqui non progrediuntur, ſed
retrocedunt, quod voluntatem proficiendi non ha-
bent. Bernard. Magna pars profectus eſt velle profi-
cere. Auguſt Noſtrum non eſt regredi, jam ceſſet
omnis ignavia, ſi volumus non redire, currendum
eſt. Leo Papa. In deridendi inciderunt periculum,
qui proficiendi perdiderunt appetitum. Barnard. In
via vitæ non progredi, regredi eſt.
3. Pulchra ut Luna.
Beata virgo pulchra eſt ut luna. Luminare enim
noctis eſt lucens eis, qui ſunt in nocte peccati. Pro-
pinquiſſima inter planetas eſt luna terræ Sic bea-
ta virgo inter ſanctos paratior eſt his qui in hac val-
le miſeriæ habitant, miſericorditer ſubvenire. Item
luna mediatrix eſt luminis, cum enim mundus lu-
men ſolis propter aliquid interpoſitum ſibi & ſoli
non poteſt recipere, luna illud communicat. Sic
beata virgo tam filium quam radium à vero ſole
procedentem ſuſcepit & humanitate obumbratum
mundo dedit. Bernard. Cùm tu dignus non eras cui
filius Dei daretur, datus eſt Mariæ, ut per eam acci-
peres quidquid haberes. Ut luna pulchra fuit, quæ
ex parte ſolis habet pulchritudinem ſuam. In his
enim quæ Dei ſunt ſapiens fuit. Luna quanto pro-
pinquior eſt ſoli, tantò ejus lux minus nobis appa-
ret. Sic beata virgo cum vera lux in ea recepta
fuit, per humilitatem lucem gratiæ ſuæ occultavit,
unde tunc ait: *Ecce ancilla Domini*. Luc. 1.
Ipſa fuit electa ut ſol verus, ut eſſet regina cœ- 4. Electa ut Sol.
lorum ſicut ipſe rex, ſimillima fuit ſoli, huic ſe-
cundum illud. Apocal. 12. *Mulier amicta ſole*. Bern.
Veſtiſti nube ſolem & ipſa ſole veſtiris. Electa
etiam fuit ut ſol corporalis, qui eſt luminare ele-
ctum, fons luminis & caloris, lumen habens indefi-
ciens, luminare par ſibi non habens Beata virgo pul-
chra ut luna quantum ad eos qui ſunt in nocte pec-
cati. Electa ut ſol, quantum ad eos qui ſunt in ſta-
tu juſtitiæ, qui ſub ea in luce cognitionis & caloris
divinum amorem perficiunt & ad perfectionem
perveniunt, timent enim eam dæmones & fugiunt.
In quocumque ergo ſtatu es, devotus ſis ei & ab ea
ſperes conſilium & auxilium. In hoc quod dicitur
electa ut Sol & ſole amicta inſinuatur dotata qua-
tuor dotibus: ſcilicet claritate, agilitate, ſubtilitate,
impaſſibilitate, quæ in ſole deſignantur. Radius
enim ſolis clarus eſt, agilis eſt, ut ſubitò ab orien-
te in occidentem tranſeat. Subtilis eſt, quia vitrum
intrat ſine ejus læſione. Impaſſibilis eſt, ut nec gla-
dio nec alio lædi poſſit. Matth. 13. *Fulgebunt juſti
ſicut Sol*. Bernard. Quis erit ſplendor animarum
quando ſolis ſplendorem habebit lux corporum? II.
Quæritur utrum beata virgo tantum aſſumpta D. V. in anima & corpore aſſumpta multis convenientiis & rationibus [illegible] maxime ex [illegible] SS. Auguſt. & Bernardi.
ſit in anima, vel in anima & corpore. Hieron. de-
finire noluit ſed ambiguum reliquit. Auguſt. au-
tem pié credit quod in anima & corpore aſſum-
pta fuerit, & multis rationibus hoc aſtruere vo-
luit, & ſibi Bernard. beatæ virgini devotus in mul-
tis ab ea edoctus conſentiens fuit, ut patet ex
verbis ſuis quæ ſequuntur Si oculus non vidit,
nec auris audivit, & in cor hominis non aſcendit,
quæ præparavit Deus diligentibus ſe, quid præ-
paravit gignenti ſe & (quod omnibus certum eſt)
præ omnibus diligenti? Thronum quippe Dei,
thalamum & tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi
eſſe ubi & ipſe. Tantum theſaurum dignius eſt cœ-
lum ſervare quam terra, meritò enim non putre-
dinis reſolutio, ſed incorruptibilitas ſequitur in-
tegritatem tantam. Sciendum *etiam* hoc de aſſum-
ptione beatæ virginis, quod Chriſtus ſe exceptum
eſſe voluit ab illa generali ſententia Adæ dicta.
Pulvis es & in pulverem reverteris. Geneſ. 3. Cor-
pus enim ejus mortuum, non eſt in pulverem reda-
ctū ſecundū illud. Pſ. 15. *Non dabis ſanctum tuum
videre corruptionem*. Si ergo in hoc parcere ſibi vo-
luit, verſimile eſt quod in eadem matri ſuæ peper-
cit. Boni enim filij eſt amplius parcere matri ſuæ
quam ſibi, immo etiam communiter mali filij hoc
faciunt, ut filii infidelium à lege naturali edocti.
Si ergo illi qui ſunt mali hoc faciunt quis ſani ca-
pitis audeat hoc negare de optimo filio? *Item* quis
noſtrum matrem ſuam à vermibus comedi permitte-
ret, qui ſine difficultate hoc prohibere valeret?
Quomodo ergo non verſimile eſt ut filius ille, cu-
jus ſpiritus ſuper mel dulcis, cujus benignitas & hu-
manitas in virgine ſumpta mundo apparuit, ma-
trem ſuam dulciſſimam putreſieri & à vermibus
comedi permiſit, cum facillimè hoc prohibere
potuerit? *Item* cum voluerit matrem ſuam crep-

ſam

tam eſſe ab illa generali ſententia Evæ dicta: *in dolore paries*, cur non voluerit eam ereptam eſſe à generali ſententia Adæ dicta: *in pulverem reverteris.* In exceptione illa manifeſtè apparet, quod potius voluit parcere matri ſuæ quam ſibi. Voluit enim pariendo eam gaudere ſicut cantat Eccleſia.

Dum paris & gaudes cantant cœli agmina laudes.

Se autem voluit in nativitate flere. Auguſt. Puer à ploratu incipit. Sap. 7. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* *Item* qui in anguſtijs paſſionis ma-
5. Matth. ult. tris ſuæ curam habere voluit, nunquid accepta poteſtate omni in cœlo & in terra, de ea non curavit?
6. *Item* Auguſt. Si Ieſus, quem ſcimus omnia poſſe, voluit integram matrem virginitatis ſervare pudorem, cur non velit incorruptam à putredinis ſervare fœtore? Idem. Nunquid ad eius benignitatem pertinet matris honorem ſervare, qui legem qua matris honorem præcepit, non venit ſolvere ſed adimplere. Quam igitur in vita præ cæteris ſui gratia conceptus honoravit, pium eſt credere quod eam in morte etiam ſpeciali gratia honoravit. Potuit illam à putredine & pulvere alienam facere, qui ex ea naſcens potuit virginem relinquere. Putredo namque & vermis opprobrium eſt humanæ conditionis, opprobrium verò contrarium eſt honori: matrem ergo perfectè non honoravit, ſi ab hoc opprobrio eam non ſervavit. *Item* Bernard. Pu-
7. to, Chriſtus me ſpernere non poterit os de oſſibus meis & carnem de carne mea? Si nos ſpernere non poteſt, quomodo eam ſpernere potuit à qua carnem ſuam ſumpſit? Vnde Auguſt. de ipſa. Tota tranſlata eſt, ne pars maneret cum verbo & pars in ver-
8. me. *Item* qui non ſolum ſanctorum corpora in honore vult haberi in terris, immò etiam tormenta ſua, ſcilicet crucem & clavos & ſimilia, nunquid corpus ſuæ matris voluiſſet haberi in honore aliquo in terra, niſi in maiori honore eſſet in cœlo?
9. *Item* quis non videat indecens valde eſſe, quod in tota natione cœleſti reginæ deeſſet ei ornatus ſui glorioſiſſimi corporis, cum rex cœleſtis in ornatu tali appareret? Nunquid conveniens fuit, ut ſicut in corpore regis ſcriptum erat, *rex regum & Dominus dominantium*, ſic & in corpore reginæ idem eſſet ſcriptum, ut ſicut ex quatuor dotibus corporis glorificati apparebit regis, ita apparet & reginæ.
10. *Item* Auguſt. Si meritò pro omnibus Mariæ viventi donata eſt gratia, nunquid non erat in morte intuenda? Abſit. Nam ſi omnium ſanctorum mors eſt precioſa, Mariæ ſanè erit precioſiſſima, quæ tantam Dei gratiam comitem habuit, ut mater Dei dicatur & ſit. Conſideratis ergo omnibus his vera ratione ſentio, confitendum Mariam ad æternitatis gaudia glorioſè aſſumptam Chriſti benignitate cæteris honoratius ſuſceptam & ad communem putredinis vermis & pulveris humilitatem non
11. eſſe adductam. *Item.* Si in poteſtate ſalvatoris eſt de ſanctorum capite capillum non perire, ergo & matrem ſuam anima & corpore integram poſſe ſervare. Et ſi nullus fidelium dubitat hæc eum poſſe, cur dubitandum eſt etiam quod ad tantam benignitatem attinet eum voluiſſe? Cum leproſo dicente Chriſto: *Domine ſi vis potes me mundare*, Matth. 8. Chriſtus *volo* reſpondit, quis niſi perverſiſſimus audeat dicere, quod matrem ſuam quam à putrefactione & vermium comeſtione facillimè ſervare potuit ſervare noluerit? *Item* Auguſt.
12. Si Deus ſola gratia inter crepitantes flammas non ſolum corpora puerorum illæſa, ſed ut veſtimenta ſervare voluit inuſta, cur abjiciat in matre propria, quod elegit in veſte aliena? Item Auguſtinus: Ionam in ventre ceti præter naturalem uſum ſibi ſervavit incorruptum ſola miſericordia, cur Mariam incorruptam præter naturam non ſervabit? Gratia ſervatus eſt Daniel in intemperatiſſima fame leonum, & non eſt ſervanda Maria tantis donata meritis dignitatum? *Item* Auguſtinus. Læ- 13.
tatur Maria lætitia inenarrabili anima & corpore in filio proprio, per filium proprium, quem in utero ſuo geſſit, quem genuit, quem fovit & aluit Dei genitrix, miniſtratrix, Deique ſectatrix, de qua quicquam aliter ſentire non audeo, aliter dicere non præſumo. Suſcipiat hanc fraterna charitas, & ſi refragari his elegerit, tamen non vult dicere hoc Chriſtum non poſſe: proferat ergo quare non conveniat velle. Si ergo ſunt vera quæ dixi, tibi Chriſte gratias ago, quia de ſancta virgine matre tua non niſi ut dignum eſt ſentire potui. Si ergo dixi ut potui, approba obſecro Chriſte & tu & tui. *Item* ad idem. Voluit Chri- 14.
ſtus totus eſſe matris ſuæ ſecundum carnem, ſcilicet ut patrem carnalem non haberet. Voluit etiam matrem ſuam totam eſſe eius, ut alios filios ſecundum carnem non generaret. Qui ex ea voluit generari, glorioſam matrem ſuam noluit communicare homini, nunquid eam voluit communicare vermi?
Item. Si conveniens fuit ut Chriſti glorioſa reſur- 15.
rectio acceleraretur, ut per hoc viris ſpes ſuæ glorioſæ reſurrectionis daretur; ſic neceſſe fuit ut beatæ virginis reſurrectio acceleraretur, ut muliebri ſexui naturaliter magis puſillanimi & maiorem materiam diffidendi habenti, eo quod fuiſſet occaſio perditionis mundi, ſpes ſuæ reſurrectionis daretur. Vterque ſexus de paradiſo terreſtri electus eſt, uterque in cœlo debuit apparere in augmentum perfectæ reparationis. Qui ad honorem mulierum, mulieris filius voluit eſſe, non viri, & poſt reſurrectionem ſuam mulieri prius apparere, humanam naturam in anima & corpore exaltare voluit in muliere ad inimicorum humani generis horrorem & reparatoris ipſius laudem. In corpore & anima filius & 16.
mater ſunt in cœlo ſecundum illud, Pſalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua.* Apocal. 11. Apertum eſt templum & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo. Piè ergo Auguſtino & Bernardo credi poteſt, quod in corpore & anima mater Domini ſuper choros angelorum exaltata ſit.

DE BEATO BERNARDO ABBATE.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone explicantur verba thematis de S. Bernardo in duobus, quibus nos quoque inſtruimur.

Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, ſimilem fecit illum in gloria ſanctorum. *Eccleſiaſtici 45.*

SERMO LXXI.

VErba propoſita quæ de Moyſe ſunt ſcripta hodie in laudem beati Bernardi aſſumit Eccleſia. In quibus nobis Duo oſtenduntur, ſcilicet eius Gratia & Gloria. Hæc ſunt duo dona pretioſa, quæ Deus dat electis ſecundum illud. Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ad Gratiam pertinet illud: *Dilectus Deo & hominibus.* Ad Gloriam quod ſequitur: *Cuius memoria in benedictione eſt*, &c.

Verba thematis, Bernardo accōmodantur in duobus.

Circa Primum notandus eſt ordo, primò enim providendum eſt ut ſimus dilecti à Deo, deinde ab hominibus. Quærenda eſt dilectio divina etiam cum odio paterno vel fraterno vel etiam filiorum, ſi aliter haberi non poteſt. Paratus fuit Abraham occidere filium ſuum ad præceptum Domini. Geneſ. 22. Et Levitæ occiderunt fratres & amicos

I. In gratia ſeu amore apud Deum & homines, Dilectio Dei præferēda eſt dilectioni hominum.

Exod 32. Luc 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Veſtis charitatis debet eſſe ſuper cõtexta, ut ab amore Dei inchoetur, homines vero propter Deum amentur Fons amoris cum in alto oritur, ut cum Deus propter ſe & ſuper omnia amatur, ad inferiores convenienter derivatur, ut propter Deum homines amentur, Auguſt. in libro Confeſſionum. Domine beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te ſolus enim nullius charitatem amittit, cui omnes in illo cari ſunt, qui non amittet te, nemo amittit, niſi qui dimittit.

A Deo amamur ob 4. quæ habuit S. Bernardus 1 Caſtitas.

Et *nota* quod *quatuor* ſunt quæ ad hoc valent, ut aliquis à Deo ametur, quæ verè in hoc ſancto fuerunt. *Primum* eſt *carnis munditia*, propter hanc Joannes dictus eſt diſcipulus quem diligebat Jeſus Joan. ult. Cant 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia*. puritate enim delectatur. Sap. 6 *Incorruptio facit proximum Deo.* Carnis munditiam habuit beatus Bernardus. Ipſe fuit deliciarum carnalium contemptor maximus. Ipſe fuit magnæ abſtinentiæ ita quod in his, quæ ſumebat, ſaporem non diſcernebat. Aliquando ſagimen crudum per errorem ſibi oblatum pro butyro ſumpſit. Aliquando oleum pro potu, & ſolam ſibi aquam ſæpe dicebat, quam dum ſumebat, fauces & guttur ejus refrigerabat. Caſtitatem tanquam theſaurum magnum ſervavit. Cum enim aliquando curioſius aſpiciendo defixos oculos aliquamdiu tenuiſſet, ad ſe reverſus & confuſus, in ſtagno frigidarum aquarum, quod proximum erat, collo tenus inſilit & tamdiu ibi permanſit, donec pœnè exanguis effectus à calore carnalis concupiſcentiæ refriguit. Item quædam hoſpita ſua cum ad lectum ejus veniſſet clamavit: latrones, latrones, non dimittens præ verecundia clamare. Quod multi non faciunt, potius eligentes caſtitatem amittere quam clamando erubeſcentiam ſuſtinere, ſequenti vero die cum quæreretur ab eo quid clamans habuiſſet, reſpondit: verè aderat latro hoſpita ſcilicet, caſtitatem mihi volens auferre, theſaurum inæſtimabilem.

2. Humilitas. *Secundum* vero fuit *humilitas*, propter quam dicitur David vir ſecundum cor Dei. 1 Regum 13. Et Marc. 9. in ſignum amoris quem habet Deus ad humiles, amplexatus eſt parvulum. Et Benjamin frater minimus, Geneſ. 43. vocatur amantiſſimus Domini, Deut. 33. Valde humilis fuit beatus Bernardus, illius ſignum eſt, quod ordinis Ciſtercienſis plantulam novam ac modicam intravit, ut lateret tanquam vas perditum, & ſicut in vita ejus legitur, cæteros arbitrabatur ſanctos eſſe & perfectos. ſe autem incipientem eſſe & novitium. Ipſe etiam ait de ſe. Alieno ſenſui magis credidi quam meo. Cum vires ei deficiebant ad opera quæ alij faciebant, ad viliora opera fugiens, laborem humilitate compenſabat.

3 Manſuetudo. *Tertium* eſt *manſuetudo*, propter hanc Moyſes Deo dicitur ſpecialiter dilectus, *erat enim mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur ſuper terram.* Num. 12. Manſuetudo multum aſſimilat Deo, cujus bonitatem aliena malitia non perturbat, ideo Deo amabilem facit. Beatus Bernardus valde manſuetus fuit, unde de ſe ait: Læſus vindictam non experij. Cum quadam die quendam Canonicum regularem collegium ſuum poſtulantem nollet recipere, ille quaſi inſanus in eum irruens, percuſſit eum tam graviter in maxillam, ut ſuccederet rubor: in quem cum vellent irruere qui aderant, præcepit vir ſanctus eum non tangi, ſed cautè eum educi & curam illius haberi. De illo legitur, quod interpellatione rarius utebatur, monitis potius & obſecrationibus agens.

4. Dilectio Dei. *Quartum* eſt *dilectio*, diligit enim Deus eos qui ſe diligunt, alioquin eſſet infidelis. Bernardus in epiſtolis Nemo ſe amari diffidat, qui jam amat. Libenter Deus amorem noſtrum quem prævenit ſubſequitur. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum.* Beatus Bernardus Deum multum dilexit, cujus ſignum eſt quod offenſam ejus ſtudioſè cavit.

Signum triplex amoris S. Bernardi erga Deũ. 1. Cum eo adhuc puerulo dolore capitis laboranti quædam mulier eſſet adducta ut ejus dolorem ſuis carminibus mitigaret, cum indignatione clamans eam à ſe repulit.

2. Signum *etiam* hujus amoris fuit, quod omnia pro ipſo reliquit. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe.* Interlinearis, in Dei dilectione. *Vade & vende omnia quæ habes*, &c. Seneca. Nemo dignus Deo, qui opes non contempſit. Temporalia amata, ſecundum beatum Bernardum, inquinant, ideo amans ea amplexu divini amoris non eſt dignus.

3. *Item* ſignum amoris fuit, quod Deo quos potuit acquiſivit, unde non plus quam cum triginta ſociis ordinem Ciſtercienſem intravit.

Ab hominibus ob tria amamur. 1. Ob Humilitatem. Humilitas etiam multum valet ad hoc, quod aliquis diligatur ab hominibus, ſicut enim odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia, ſic amabilis eſt Deo & hominibus humilitas.

2. Ob Manſuetudinem. Et ad idem valet manſuetudo, ſecundum illud. Eccleſiaſtici 3 *In manſuetudine opera tua perfice & ſuper hominum gloriam diligeris.*

3 Ob dilectionem. Valet etiam ad idem dilectio. Seneca. Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine, ſi vis amari, ama.

II. In gloria. Sequitur. *Cujus memoria in benedictione eſt*, &c. Militanti Eccleſiæ memoria ejus eſt in benedictione. Laudabilis enim eſt juxta illud. Proverb. 10. *Memoria juſti cum laudibus.* Ipſe verè laudabilis eſt, excellentiſſimè enim vixit, gratioſiſſimè docuit, manifeſtiſſimis miraculis fulſit, cum non humana inſtructio ſed divina inſpiratio ſapientem fecit. Quod in ſcripturis ſpecialiter ſenſit in ſilvis maxime & in agris meditando & orando confitebatur ſe didiciſſe, & in hoc nullos magiſtros aliquando ſe habuiſſe, niſi quercus, inter amicos dicere ſolebat.

S. Bern. Similis fuit ſanctis tripliciter. 1. Quod autem ſequitur, *ſimilem fecit illum in gloria ſanctorum*, *primo* poteſt referri ad hoc, quod ſicut Moyſes mira opera faciendo populum Dei à ſervitute Ægyptiaca liberavit, ſic beatus Bernardus multis miraculis effulgens infinitos à ſervitute vitiorum eripuit & multos à periculo mundi ad religionem adduxit, quaſi quaſdam mutationes Dei contra hoſtes ipſius.

2. *Secundo* poteſt referri ad hoc, quod ſicut Deus Moyſi recitavit ſua myſteria & vultus ejus claritate reſplenduit radiorum, ut non poſſent in eum reſpicere filij Iſrael Exod. 34. Sic beato Bernardo ſecreta multa revelavit, ut cœleſti luce illuminatus multum Eccleſiam illuminaverit. *Tertio* poteſt referri ad hoc quod in gloria cœleſti receptus eſt, ut illis eſſet ſimilis in gloria, quibus ſimilis fuerat in gratia.

DE BEATO BARTHOLOMÆO

SERMO UNICUS.

SERMO LXXII.

SUMMARIUM.

Hic ſermo primo tria proponit de S. Bartholomæo. Deinde 12. ex quibus cœleſtis gloriæ magnitudo probatur.

Quicunque honorificaverit me glorificabo eum. 1. Reg. 2.

Tria circa S. Bartholomæum notanda. HOdie celebramus beati Bartholomæi ſolennitatem qui fuit unus de magnis amicis Dei. Circa quem *tria* attendere debemus. Ejus ſanctitatem ut eam viriliter imitemur, ejus pietatem ut de ea auxilium ſperemus. ejus gloriam in terris & in cœlo à Domino exhibitam, ut amicitiam hujus Domini deſideremus, qui amicos ſuos ſic facit honorari.

honorari. *Tria* ad ſanctitatem ejus pertinentia, in
1. Sanctitas ejus in tribus imitanda. quibus eum imitari debemus, indicat nobis ipſius
vita, quæ hodie in Eccleſia recitatur: ſcilicet quod
fuit temporalium contemptor aſſiduus fervens orator
& idololatriæ zelantiſſimus perſecutor & deſtru-
1. ctor. Ad *primum* pertinet, quod poſtquam filiam
regis Polimij ſanaverat, quæ fuerat lunatica, & ab
ea dæmonium expulerat, rex aurum, argentum &
lapidem pretioſos ei præſentari voluit. Cum autem
poſtea Apoſtolus cum ſolo rege oſtio clauſo
apparuiſſet, dixit regi: quid me quæſiviſti cum auro
& arg nto? ego nihil terrenum vel carnale deſidero,
2. cui multi contrarij ſunt quorum portæ pau-
peribus clauſæ ſunt, divitibus apertæ. Ad *ſecundum*
pertinet quod ipſe centies flexis genibus orabat in
die & centies in nocte. Et quidam dæmoniacus clamavit.
Apoſtole Dei Bartholomæe, incendunt me
3. orationes tuæ, oratio enim fervore incenſa dæmones
incendit. Idololatriæ perſecutor & deſtructor
fuit, idola enim confringebat & dæmones ab hominibus
expellebat. Unde ait ipſe Regi Polimio:
Filius Dei victor diaboli miſit nos in omnes provincias
ut expellamus miniſtros ejus, qui per templa
habitant ut homines qui eos colunt de poteſtate
ejus, qui victus eſt, auferamus. E contrario multi
hodie idola faciunt ut guloſi, *quorum Deus venter*
eſt. Ad Philip 3. Et qui ſectantur avaritiam, *quæ eſt*
2. Pietas ejus. *idolorum ſervitus*. Ad Epheſ. 5. Pietas ejus apparet
ex hoc quod Angeli boni non permittebant eum
eſurire nec ſitire nec fatigari, & ex ſubjectione dæmonum
quos ligabat, & ad confractionem idolorum
ſuorum & ad deſtructionem deceptionum ſuarum
3. Gloria ejus. cogebat, ut patet in vita ipſius De gloria ei in
terra & in cœlo exhibita patet quod valde eſt magna,
unde bene in eo impleta eſt promiſſio à Deo
facta quam propoſuimus. *Quicunque honorificaverit*
me, &c. Honorificabit eum beatus Bartholomæus
orando centies flexis genibus in die & centies
in nocte, ut prius dictum eſt. Item gloriam
Deo dandam ad dæmones tranſlatam ad eum revocando
jure viciſſitudinis debuit glorificari à Deo.
Gloria ipſius cœleſtis inexplicabilis eſt ſicut & aliorum
ſanctorum.

Gloriæ cœleſtis magnitudo patet ex duodecim. Item duodecim ſunt quibus magnitudo illius gloriæ
aliquatenus poteſt perpendi *Primum* eſt quod
Deus carè vendidit gloriam iſtam etiam amiciſſimis
ſuis. Petrus eam emit crucis patibulo, Paulus am-
1. putatione capitis. Et veriſimile eſt quod ipſe non
deceperit eos, cum ſit amicus fideliſſimus. Immo
quod plus eſt, ipſemet emit gloriam iſtam chariſſimè
ſuis amicis, ſcilicet crucis ignominia, unde ve-
2. riſimile eſt gloriam iſtam magnam eſſe quam Chriſtus
tanta ignominia emit. *Secundum* eſt gloria pulchritudinis
quam videmus etiam in iſtis inferioribus
creaturis, cum omnia quæ Dominus fecit mirabilis
ſint pulchritudinis. Idem videmus in pratis.
Matth 6 *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt*. Et
ſubditur. *Dico vobis, quoniam nec Salomon in omni*
gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Et poſt.
Si fœnum agri quod hodie eſt & cras in c'ibanum mittitur
Deus ſic veſtit, quanto magis vos modica fidei.
3. *Tertium* eſt gloria pulchritudinis in his quæ ſapientia
artificis fiunt. Videmus quod ea quæ fiunt
ex lignis & lapidibus & metallis, quæ cum de terra
ſumuntur parvam habent pulchritudinem, erunt
miræ pulchritudinis, ut patet in gloria Salomonis.
3. Reg. 10. *Videns regina Saba omnem ſapientiam Salomonis*
& domum quam ædificaverat, &c. *non habebat*
ſpiritum. Quid ergo gloriæ habebunt amici
4. Dei cum Deo placuerit eos decorare ſecundum magnitudinem
potentiæ divinæ? *Quarto* poteſt apparere
magnitudo gloriæ ejus ex verbis ſanctorum
quibus Deus revelavit eam, ut habetur Iſa. 64. *Oculus*
non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Et 1. ad Cor 2. *Oculus non vidit, nec*
auris audivit nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit
Deus diligentibus ſe. Ad Rom. 8. *Non ſunt*
condignæ paſsiones hujus temporis ad futuram gloriam
quæ revelabitur in nobis. Et 2 Corinth. 4 *Id quod*
eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra
modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur
in nobis. Geneſ. 15. *Ego ſum merces tua magna*
nimis. Exod. 33. ait Moyſes ad Dominum *Oſtende*
mihi gloriam tuam. Qui reſpondit ei. *Oſtendam*
tibi omne bonum. Proverb. 11. *Deſiderium juſtorum*
omne bonum. David in Pſal. 138. *Nimis honorati ſunt*
amici tui Deus *Quinto* per hoc quod legitur Matth. 5.
17. in transfiguratione Domini factum quod *facies*
reſplenduit ſicut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba
ſicut nix. Voluit enim illis Dominus oſtendere
gloriam quam habitura ſunt corpora noſtra in reſurrectione.
Sexto honor quem contulit cruci quæ 6.
ei ſervivit Auguſt. Crux de pœnis latronum tranſivit
ad frontes imperatorum. Quid faciet Deus fidelibus
ſuis? &c Ambroſ. ſuper Pſal. *Beati immaculati*.
Si opprobrium tuum, gloria eſt Domine?
quanta eſt gloria tua? Tuæ ergo participatione gloriæ
quid erimus? Cujus ſumus opprobrio glorioſi.
Septimo honor quo Chriſtus honorat ſanctos in ter- 7
ra Major eſt reverentia pulveribus vel oſſibus Sanctorum
vel etiam panniculis quibus induti ſunt,
quam exhibeatur maximis principibus hujus mundi.
Veriſimile eſt quod multum ſit honoraturus eos
in cœlis, quos facit tantum honorari in terris *Octavo* 8.
per hoc quod gloria eorum erit ſimilis gloriæ
Dei, juxta illud 1. Joan. 3. *Fil j Dei ſumus, ſed nondum*
apparet quod erimus, ſed cum apparuerit ſimiles
ei erimus. Veriſimile eſt quod illa creatura quæ
in naturalibus ſimilis Deo exiſtit & operatione
Deum imitata eſt, multum debeat decorari & Deo
in gloria aſſimilari. Rom 8. *Quos prædeſtinavit conformes*
fieri, imaginis filij ſui. *Nono* locus in quo 9
Chriſti benignitas vult eos eſſe Joan. 12 *Ubi ego ſum*
illic & miniſter meus erit In eodem 17. *Pater quos*
dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum & illi ſint mecum, ut
videant claritatem meam. Et Lic. 22. *Et ego diſpono*
vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut
edatis & bibatis ſuper menſam meam. *Decimo* quod
regnum habebunt. Matth 25. *Venite benedicti patris* 10.
mei, percipite regnum, &c. Apocal. 21. *Et regnabunt*
in ſæcula ſæculorum. *Undecimo*. Coronæ precioſitas. 11.
In Pſal 20. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide*
pretioſo. Lapis pretioſus iſte, Deus eſt. Hæc eſt
illa pretioſa margarita, quam qui invenit vendit
omnia quæ habet & emit eam Matth. 13 Circa coronam
iſtam non ſolum attende valorem lapidum
ſed etiam ſplendorem, eſt enim ſplendor gloriæ.
Apocal 21 *Civitas non eget ſole & luna ut luceant*
in ea, nam claritas Dei, illuminabit eam. Attende
etiam coronæ decorem quam decenter ſcilicet corona
conveniat capiti; caput enim cordis ad eam &
propter eam factum eſt Auguſtin. in libro Confeſſion
Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor
noſtrum donec quieſcat in te *Duodecimo* quod 12.
Deus eos myſterio proprio honorabit. Luc. 12 *Præcinget*
ſe & faciet illos diſcumbere & tranſiens miniſtrabit
eis Hæc miniſtratio erit divinæ faciei. in
qua ſunt ſummæ delitiæ oſtenſio David Pſal 20 *Lætificabis*
eum in gaudio cum vultu tuo, Job 33 *Videbit*
faciem ejus in jubilo Nunc facies ejus abſcondita
eſt David Pſal 30 *Quam magna multitudo dulcedinis*
tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te.
Job 26 *Qui tenet vultum ſolij ſui & expandit ſuper*
illud nebulam ſuam. Tanta eſt hæc gloria, quod in
ſpe illius gloriæ ſancti gloriantur, ad Rom 5. *Gloriantur*
in ſpe filiorum Dei, &c.

DE BEATO AUGUSTINO

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Explicatur in hoc ſermone thema de virtutibus naturalibus, & ſupernaturalibus generatim & ſpeciatim ſancti Auguſtini.

SERMO LXXIII

Quaſi vas auri, ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. *Eccleſiaſtici* 50.

S. Auguſtinus variis creaturis comparatur in Epiſtola hac. — 1 Quatuor cœleſtibus. — 2 Quinque terreſtribus.

ECcleſia quæ hodie de ſancto Auguſtino ſolennizat, eum commendare deſiderat, & quia lingua ejus commendationem exprimere non ſufficit, diverſis creaturis eum comparat, ut quælibet earum laudis aliquid oſtendat. Et *primo* comparat eum quatuor creaturis cœleſtibus, ſcilicet ſtellæ matutinæ in medio nebulæ lunæ plenæ. Soli effulgenti, arcui cœli, qui eſt radius ſolaris in nube aquoſa. *Deinde* comparat eum quinque creaturis terreſtribus, ſcilicet floribus ut roſæ & lilio, thuri redolenti, igni effulgenti, vaſi de auro lapidibus pretioſis ornato, arboribus, ut olivæ pululanti & cypreſſo in altitudinem ſe extollenti. Similitudinem vaſis aurei lapidibus pretioſis ornati hic proſequi volumus omiſſis aliis cauſa brevitatis.

Thema duppliciter explicatur de S. Auguſtini virtutibus. — I. De naturalibus tripliciter. — 1. De rationali.

Notandum ergo quod prima pars verbi propoſiti referri poteſt ad bona naturalia ſancti Auguſtini. Secunda ad gratuita & ſecundum hoc ſanctus Auguſtinus *Vas* fuit quantum ad vim rationalem, *ſolidum* quantum ad iraſcibilem, *auri* quantum ad concupiſcibilem. In anima vero rationali poſſibile eſt omnia fieri ſecundum Philoſophiam. Ita ſecundum eum, eſt anima vas capax omnium. Verè *vas admirabile, opus excelſi*. Eccleſiaſtici 43. Rationalis. Sanctus Auguſtinus non ſolum fuit capax ſed & multum perſpicax, habuit enim rationem valde penetrantem, unde ipſe de ſe refert, quod ſine magiſtro intellexerit libros Logicorum, qui valde ſunt difficiles. Soliditatem habuit quantum ad iraſcibilem, fuit enim difficile frangibilis ab adverſis. Non fuit puſillanimis, ſic quod difficultati ſibi occurrenti cederet. Aurum fuit quantum ad concupiſcibilem, ad quam pertinet amor, qui excellit inter alias paſſiones ſicut aurum inter metalla. Fuit etiam valde amicabilis, habilis amare & amari Proverb. 18. *Vir amicabilis ad ſocietatem magis erit amicus quam frater.* Item ſigna amicabilitatis ejus ſunt verba quæ dicit quarto libro confeſſionum. Mortuo quodam amico ſuo quem diligebat multum, cum dixit fuiſſe dimidium animæ ſuæ. Nam & ego, inquit, ſenſi animam meam & animam illius unam fuiſſe in duobus corporibus, & ideo horrori mihi erat vita quia nolebam dimidius vivere.

2. De iraſcibili. — 3. De concupiſcibili.

Alia explicatio de naturalibus.

Vel quaſi vas fuit quantum ad rationem, ſolidum quantum ad memoriam, optimæ enim memoriæ fuit. Non fuit cor ejus ſicut cor ſtulti Eccleſiaſtici 21. *Cor fatui quaſi vas confractum & omnem ſapientiam non timebit.* Auri fuit, quantum ad voluntatem.

II. De gratuitis dupliciter.

Poſſunt tamen verba propoſita totaliter referri ad gratuita, quæ nobis ſunt mirabilia, ita ut illud *auri ſolidum* referatur ad virtutes Theologicas, iſtud verò *lapidibus pretioſis ornatum* ad Cardinales. Secundum hoc fuit *quaſi vas* per fidei humilitatem, *ſolidum* per ſpei firmitatem, *auri* per charitatem.

1. De virtutibus Theologicis. — 1 Humilitate Fidei.

Circa *primum* notandum quod licet cor humanum capax ſit Dei & creaturarum, & capacitas creaturarum minor ſit capacitate Dei, humilitas tamen fidei (quæ juxta verbum Apoſtoli Chriſtum facit habitare in cordibus noſtris) cor noſtrum facit vas quod Dei eſt capax. Cor ſancti Auguſtini cum fuit ſuperbum non fuit capax Dei, ut ipſe de ſe dicit in libro Confeſſion. Tumore meo, inquit, ſeparabar à te, minus inflata facies mea claudebat oculos meos. Superbia eſt occaſio quod aliquis cadat in errorem vel in eo detineatur. Humilitas vero ab errore liberat & ſervat liberatum, cum ſcilicet aliquis magis vult aliis credere quam ſibi. Nam ſuperbo oculo veritas non videtur. Super illud Hierem. 49. *Arrogantia tua decepit te & ſuperbia cordis tui* Gloſſa. Superbia facit hereticum. Auguſtinus dicit Superbia meretur illud. Abac. 2. *Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.* Gregor. de ſuperbis Tanto à Dei luce longius ſunt, quanto apud humiles non ſunt. Spes hominem firmum facit Hebr. 6. *Fortiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut ancheram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis.* Sequitur de Spe Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, ſuam ſcilicet in divinam: unde cum Dei fortitudo ſit omnipotentia quodammodo omnipotentes fiunt. Bern. ſuper Cant. Nil omnipotentiam verbi clariorem reddit quam quod omnipotentes facit omnes qui ſperant in ſe. Denique poſſibilia omnia ſunt credenti. Charitas hominem facit aurum. Aurum eſt pretioſum, ſpecioſum, ponderoſum, ideo bene ſignificat charitatem quæ pulchra dilectio dicitur Eccleſ. 24 *Ego mater pulchræ dilectionis*. Ipſa etiam eſt pretium regni cælorum. ipſa eſt animæ pondus Aug. Hoc eſt amor in ſpiritibus, quod pondus in corporibus. Pondus ordinat corpora & quieſcere facit in locis ſuis: ſic charitas animam ordinat & facit eam quieſcere in loco ſuo quod eſt Deus. Gregor. Animæ humanæ locus eſt Deus. De auro charitatis dicitur. Apocal. 3. *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum & probatum ut locuples fias.* Quantum perfecerit ſanctus Aug. in his quæ ſunt fidei, patet ex ſcriptis ſuis. Firmitas ſpei ſuæ patet ex hoc, quod poſtquam ſacramentum baptiſmi accepit, ſpem omnem quam habebat in ſæculo relinquebat. Charitatis profectus patet ex hoc, quod vivere voluit ſecundum regulam à ſanctis Apoſtolis conſtitutam, quæ jubebat omnia eſſe communia, unde de eo canit Eccleſia: *vulneraverat charitas Chriſti cor ejus.* Verè aureum fuit vas iſtud, non fictile nec ligneum. 2. Timoth. 2. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia.* Vaſa fictilia polluta frangebantur. Levit. 11 & 5. lignea lavabantur. Aurea lavabantur, & ſi lotio non ſuffecit, igne purgabantur. Joſue 6. Aurum & argentum, æs & ferrum Domino conſecrata ſunt, cætera vero igne ſuccenſa ſunt. Vaſa fictilia ſunt illi, qui non ſuſtinent correptionem, qui ab emendatione deſtruuntur. Hodie abundant in Eccleſia vaſa fictilia. Thren 4. *Quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* ſanctus autem Auguſt. fuit vas bene lotum aquis lachrimarum Flebat uberrimè in hymnis & canticis, ut de ipſo cantatur. Igne etiam tribulationis purgatus eſt, multos enim labores ſuſtinuit, & multos perſecutores habuit propter hæreſes quas expugnabat, unde rubigine amota vas puriſſimum factum eſt. Prov. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* Ipſe fuit *vas in honorem ſanctificationis & utile Domino*. 2. Timoth. 2. Sicut aliter ſervatur calix quam ſcutella communis. Sic aliter ſervare ſe debent clerici & religioſi. Sed hodie factus eſt Iſrael quaſi vas immundum. Et ſpecialiter ora ſua ſervare deberent Bern. Conſecraſti os tuum Evangelio nugis illud aperire illicitum eſt aſſueſcere ſacrilegium. Sanctus Auguſtinus non fuit vas ſine operculo, de quo Num. 19. *Vas quod non habuerit operculum nec ligaturam,*

Ad Epheſ. 3. — De ſuperbia. — 3 Spes. — Charitas. — Quomodo S. Auguſtinus habuerit has virtutes. — Qualis vas fuerit. — De variis vaſis explicatio ſpiritualis.

figuraram, immundus erit. Ipſe in menſa ſcriptum habebat illa metra.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam.
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

Unde ſi forſitan detractio emergeret dicebat, quod ſi non tacerent, aut verſus illos deleret, aut à menſa recederet. Ipſe fuit vas pretioſum quod deſcribitur Prov. 20. *Aurum & multitudo gemmarum & vas pretioſum labia ſcientiæ*, id eſt ſcientia in labiis ut ſit paratiſſimus ad inſtruendam Eccleſiam, vas eſt pretioſum, ſimile habetur Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.* Sunt aliqui ut ſaccus litteris plenus, qui unum verbum neſciunt dicere ad ædificationem Eccleſiæ, licet ſcientiam habeant in corde. Iſti ſunt vaſa non pretioſa, immo inutilia. Tale non fuit ſanctus Auguſtinus, ſed valde pretioſum, quale ex auro & multitudine gemmarum fieri ſolet.

De virtutibus Cardinalibus. 1. Prudentia. Sequitur. *Ornatum lapide pretioſo* unus lapis pretioſus eſt *prudentia.* Hic lapis eſt adeo pretioſus, ut eum reddat pretioſum in quo eſt. Prov. 17. *Pretioſi ſpiritus vir eruditus.* Felix qui hunc lapidem invenit. Prov. 3. *Beatus vir qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia.* Hic lapis bene reſplenduit in ſancto Auguſt. ut in ejus ordinata vita & ſcientia magna. Prov. 9. *Scientia ſanctorum prudentia.* Quæ eſt ſcientia operandorum. Homines boni & curioſi ambulant in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Viri vero ſancti circa agenda incedunt, docentes qualiter opera noſtra poſſint Deo eſſe grata & nobis utilia.

2. Temperantia. *Alius* lapis pretioſus eſt *temperantia*, qui eſt inæſtimabilis valoris, ſecundum illud Eccleſ. 26. *Non eſt digna ponderatio continentis animæ.* Hic lapis multum reſplenduit in beato Auguſtino, qui menſa frugali ſive temperata & parca uſus eſt, ut legitur in vita ejus. Veſtimenta mediocria habuit, annulum nunquam tulit, legitur enim eum dixiſſe: fateor, de pretioſa veſte erubeſco, & ideo cum datur mihi vendo eam, ut quia veſtis non poteſt eſſe communis, pretium ſit commune.

3. Fortitudine. *Tertius* lapis eſt *fortitudo*, quæ hominē inter mala hujus mundi illæſum cuſtodit. Hæc dicit homini illud Iſa. 43. *Cu tranſieris per aquas tecum ero & flumina non obruent te.* Hæc mala in bona convertit. Lapis iſte multum reſplenduit in ſancto Auguſtino, qui multas perſecutiones ſuſtinuit & multum laborioſus fuit. Licet ipſe eſſet Epiſcopus & curam paſtoralem haberet & prædicaret & impugnationi hæreſis intenderet, cauſas etiam piè & diligenter audiret non ſolum fidelium ſed & infidelium cum interpellabatur ab eis, tamen numerus ſcriptorum ejus extenditur plus quam ad mille & triginta. Proverb. 14. *Ubi apparent plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bovis.*

4. Iuſtitia. *Quartus* lapis pretioſus eſt *juſtitia.* Hic lapis eſt adeo pretioſus, ut qui eum amittit, quidquid acquirit, pro nihilo reputetur. Unde ſuper illud Pſal. 61. *Rapinas nolite concupiſcere.* Gloſſa. O lucra damnoſa, invenis pecuniam, perdis juſtitiam. Hic lapis multum in ſancto Auguſtino reſplenduit, qui ſe totum Deo, à quo ſe totum habebat, reddidit. Bern. etiam infidelem urget naturalis juſtitia ſe totum tradere illi à quo ſe totum habet. Auguſt. Juſtitia eſt amor ſoli amato ſerviens.

IN DECOLLATIONE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Sermo iſte ex etymo nominum S. Ioannis & Herodis agit I. de duobus generibus. II. de S. Ioanne, & quolibet ſervo Chriſti ſimili S. Ioanni. III. inducit Ioannem exemplum Religioſorum & Prædicatorum.

SERMO LXXIV. Herodes miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput Joānis in diſco, & decollavit eū in carcere. *Marc. 6*

Diſcus quid ſit? Diſcus hic dicitur ſcutella magnæ capacitatis in ſuperiori parte lata. Evangelium hodiernum præter hiſtoriam, quæ oſtendit Herodis perverſitatem, continet martyrii profunditatem.

I. Duo genera hominum ſunt in mundo ſimilia S. Ioanni & & Herodi. Ad cujus intelligentiam Notandum quod duo ſunt genera hominum in mundo iſto. Alii enim bona exteriora diligunt & quærunt, alii verò exteriora deſpiciunt. Primi deſignantur per Herodem, ſecundi per Joannem. Interpretationes vero nominum iſtorum his ſignificationibus ſatis congruunt.

Ioannes & Herodes quid ſignificent? Joannes interpretatur in quo eſt gratia, Herodes pellibus glorians, ſive pelliceus glorioſus. Joannes eſt, qui deſiderabilia ſua habet in ſe, de quibus gloriatur ſecundum illud. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. Corinth. 1. Herodes eſt qui bona exteriora quærit & diligit, & ſi ea habeat, de illis gloriatur. Hæc eſt differentia inter amicos Dei & mundi. Amator mundi in exterioribus habet cor ſuum, amicus Dei non, Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Gloſſa. Superbi eſt ejici foras, qui nihil de bonis interioribus curat. Si non curas de pulchritudine corporis vel deliciis carnis, ſignum eſt quod ad Chriſtum verè veniſti. Amatores mundi in pellibus gloriantur, quia in exterioribus, avarus in divitiis, non curans de bono interiori, unde Eccleſiaſtici 10. *Hic enim animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Voluptuoſus gloriatur in pelle carnis, ſuperbus in apparentia, plus appetens videri quam eſſe. Sed hæ pelles detrahentur, & tunc anima coram diſtricto judice nuda apparebit. Pelle carnis detracta cæteræ pelles non remanent cum peccatore. Pſal. 48. *Cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Amator mundi eſt pelliceus, quaſi conſtans ex pellibus ſicut cepe, totus in exterioribus ſimilis eſt vulpi, cujus pellis dicitur prævalere carni. Luc. 13. Dictum eſt à Domino de Herode: *dicite illi vulpi.* Amator mundi quaſi mercator eſt pellium anguillarum. Diabolus illudit ei ſicut aliquis illudit ſocio ſuo de pomo parato, pomum ſibi retinens, paraturam relinquens ei. Geneſ. 14. *da mihi animas, cætera tolle tibi.* Joannes autem habet omnia bona ſua intus. Seneca. Sapiens intra ſe omne bonum terminabit. Item loquens de ratione recta. Aliena, inquit, & exteriora pro vilibus habet, omne enim bonum in animo eſt.

II. Ioannes quomodo fuit ſervus Chriſti. Et notandū quod ſanctus Joānes fuit ſervus Chriſti fideliſſimus eremi cultor, officio doctor. Ipſe eſt exēplar ſpecialiter religioſorum & eorum qui populum Dei habent docere. Servus Chriſti fidelis fuit in virtute proficiendo, digito eum demonſtrando, Chriſti gloriam propria gloria neglecta quærendo. Cui multum diſſimiles ſunt multi Chriſtiani, qui confitentur verbis ſe noſſe Deum, factis autem negant, ſimiles eluſoribus Chriſti, qui ore cum laudabant dicentes: *Ave rex Judæorum*, opere vero blaſphemabant *dantes ei alapas in facie & percutientes caput arundine.* Ipſe gloriam Chriſti quæſivit, unde dicebat: *illum oportet creſcere, me autem minui.* Joan. 3.

Ioan. id eſt ſervus Dei quis ſit. Quomodo decapitetur ſpiritualiter. Joannes in carcere, eſt ſervus Dei cui mundus diſplicet, & eſt carcer ei. Iſte ab Herode decapitatur, cum inſanus à mundo reputatur. Matth. 11. *Venit Ioannes non manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet.* 4. Reg. 9. dictum eſt de quodam filio Prophetarum miſſo ab Heliſæo ad Jehu: *quid venit inſanus iſte ad te?*

1. Item decapitatur, cum ab eo in quo erat gratia, Chriſtus qui eſt caput Chriſtianorum, per mortale peccatum ſeparatur.

2. Item caput Joannis abſcinditur, cum dominium rationi aufertur.

3. Sicut fit in multis, in quibus loco hujus capitis caput aſininum, vel caninum, vel porcinum aſſumitur. Caput aſininum aſſumpſit ille, in quo ſtultitia dominatur vel odium, & ſic de cæteris vitiis.

4. Item caput abſcinditur, cum charitas quæ caput eſt gratiarum amittitur.

III. *Joannes quo modo ſit exemplū Religioſorum.* Joannes etiam exemplar eſt religioſorum, qui mundo relicto deſertum in tenera ætate petunt, ut mundi pericula fugiant, linguam ſuam mundam ſervent, & quietam vitam ibi inducant. Multum placet Deo cum aliquis juventutis florem ſibi offert. Hierem. 2. *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam.* Joannes petijt deſertum,

Ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſet.

Quid prodeſt ei qui deſertum clauſtri petijt, quod mundum reliquerit, ſi ita malè linguam ſuam cuſtodit in clauſtro, ſicut faciebat in ſæculo, verbis ſuis non timens præſentem conturbare, vel abſenti detrahere? unde Iac. 1. habetur. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio* Fuit beatus Joannes in deſerto uſque ad tempus oſtenſionis ſuæ Iſrael. Luc. 1. Pſalm. 54. *Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine.* Audivit Arſenius vocem dicentem ſibi: Arſeni, fuge, tace, quieſce. Hæ ſunt radices non peccandi qui in religione cavet ſibi à decurſu per mundum lectioni & orationi & ſanctæ meditationi intentus, vitat multas occaſiones peccandi. Qui ſecutus eſt Chriſtum pauperem in deſertum religionis, non debet timere defectum neceſſariorum, cum Dominus pavit turbam quæ cum ſecuta fuerat in deſertum, dedit etiam filijs Iſrael manna in deſerto. Pſalm. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* Sap. 16. *Eſca Angelorum nutriviſti populum tuum.*

IV. *Ioannes fuit exemplum prædicatorum in tribus* Joannes etiam exemplar eſt illorum qui docent populum Dei, quantum ad illa *tria* in quibus commendat eum Dominus. Matth. 11. Propheta & plus quam Propheta fuit, mollibus ſe non induit levitatem arundinis non habuit. 1. *In ſcientia.* Neceſſaria eſt doctori *ſcientia* qua clare videat, ut ſit Propheta futura videns, & plus quam Propheta, ut demonſtret digito, quod docet verbo aperte docendo, & exemplum bonum monſtrando. Proverb. 14. *Doctrina prudentium facilis.* 2. *In mortificatione ad Corinth. 9.* Debet *etiam* carnem ſuam mortificare ſecundum verbum Apoſtoli dicentis: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Joannes indutus erat pilis Camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus Eſca vero ejus mel erat ſilveſtræ & locuſtæ. Matthæi 3. Vita rigida decet eum qui monet alios ad pœnitentiam. 3. *In conſtantia.* Debet *etiam* habere conſtantiam in prædicatione veritatis. Arguebat Joannes Phariſæos, & Saduceos dicens: *Progenies viperarum quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?* Matth. 3. Arguebat etiam Joannes Herodem Marc. 6.

IN NATIVITATE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

SERMO PRIMUS.

SUMMARIUM.

Explicat hic ſermo tria dicta thematis, eaque D. V. accommodat.

SERMO LXXII. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.
Numeri 24.

Tria circa D. V. hic tractantur ex themate. Verba iſta dicta ſunt à Spiritu ſancto de beata virgine, de cujus Nativitate Eccleſia hodie ſolemnizat In quibus verbis TRIA oſtēduntur, ſcilicet initiū vitæ ipſius, ejus progreſſus, & profectus quem ab ea habet mundus. *Primum* ibi: *Orietur Stella, &c.* *Secundum* ibi, *Conſurget &c.* *Tertium* ibi: *Percutiet.*

I. *Ipſius ortus ſtellæ ſimilis.* Circa *primum* notandum quod ſtella habet incorruptionem. Corpora inferiora corruptibilia ſunt ratione materiæ quæ eſt poſſibilis ad ſuſceptionem alterius formæ ab ea quam habet, ubi elementata compoſita ſunt commixtione elementorum ſibi contrariorum. In ſtellis verò non ſic eſt, unde habent perpetuitatem, unde ſtella habet lucem in ſe. *Stellarum proprietates quinque D. V. convenientes.* Lumen etiam emittit ex ſe, cum non ſit ſolum lucida ſed etiam luminoſa. A terris eſt remota, ſolatium eſt mundi, de nocte etiam ornatus eſt cœli. Quantum ad has quinque proprietates Beata Virgo ſtellæ comparatur, & ideo à Spiritu ſancto convenienter ſtella vocatur. 1. Nam in ortu ſuo fuit ſtella mundi, illuminata enim fuit ante ortum, & præſervata ab originali corruptione, & habebat lucem gratiæ, ideo nativitas ejus celebratur. *Nativitates feſtæ tres celebrantur.* Triplex nativitas celebratur, Nativitas Salvatoris qui plenus fuit gratia in conceptu & in ortu. Nativitas præcurſoris, de quo Lucæ 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Et nativitas Mariæ, de qua ſcriptum eſt: *Orietur ſtella ex Jacob, &c.* Auguſt. de ea dicit. Neque feſtivis laudibus honoraretur, ſi non ſancta naſceretur. Eſt itaque virgo regina miris honorum titulis cumulata. quæ proculdubio ſancta fuit antequam nata. Nec fallitur ſancta Eccleſia, diem nativitatis ejus ſanctum reputans & annua ſolennitate ſuſcipiens. Ego puto quod copioſior ſanctificationis benedictio quam in aliis ab utero ſanctificatis in eam deſcenderit, qui non ſolum ipſius ortum ſanctificaret, ſed vitam ejus deinceps ab omni peccato immunem conſervaret. 2. Etiam non ſolum Beata Virgo lucem in ſe habuit; ſed etiam ad modum ſtellæ lucem emiſit, ſalva virginitatis ſuæ integritate filium generando, qui eſt lux vera, Joannis 1. Etiam ipſa dum fuit in hac vita mortali lucem boni exempli mundo miniſtravit. Nunc verò radios beneficiorum ſuorum ſuper genus humanum emittit. 3. A terris remota fuit, quantum ad amorem, bona enim terrena deſpexit; à gloria mundi fuit remota, quia fuit humillima; à divitijs mundi, quia pauperrima, à delitijs, quia ſanctiſſima. 4. Ipſa eſt ſolatium ipſorum, qui patiuntur tenebras culpæ vel ignorantiæ, lumen beneficiorum ſuorum eis largiendo & ad portum ſalutis eos dirigendo. Lucæ 1. *Et nomen virginis Maria,* id eſt, *ſtella maris.* 5. Ipſa eſt ornatus cœli ad modum ſtellæ, magnitudine gloriæ ſuæ decorans paradiſum. Eccleſiaſt. 43. *Species cœli gloria ſtellarum.* Euſd. 26. *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.*

II. *Profectus ipſius D. V. cur ſtella & virga vocetur.* Sequitur de progreſſu virginis, ad quod pertinet illud: *Conſurget virga de Iſrael.* Beata virgo dicitur ſtella & virga. Stella quia mente in cœlo manſit, virga quia corporaliter manſit in terra. 1. Solent nobiles perſonæ habere duplices manſiones, in alto & in imo, ſic in beata virgine fuit. 2. Vel ſtella ideo dicitur, quia radices beneficiorum ſuorum inferius mittit. Virga verò eò quod fructum ſurſum produxerit, ſcilicet illum fructum terræ ſublimem, per quem cœleſtes cives reficiuntur. 3. Vel ſtella & virga dicitur, ad inſinuandam duplicem naturam, fructus ipſius ſtellæ lux eſt, fructus virgæ terrenus. Fructus virginis fuit natura humana luci æternæ mixta. *Virga iſta quomodo ſurrexerit.* Virga iſta conſurrexit, quia ſecundum omnes vires in altum ſe levavit. Secundum vim rationalem conſurrexit, quia ſapientiam & divinorum cognitionem vehementer dilexit & abundanter habuit, Luc. 2. *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Gregor. Quid de Deo non ſapiebat, in qua Dei ſapientia latebat? Secundum vim iraſcibilem ſurrexit, quia ad ad reſiſtendum malis culpæ & ad tolerandum mala pœnæ magnam vim intra ſe erexit *Diſcrimen nominū Iacob & Iſrael.* Et *notandum* quod licet idem fuit Jacob & Iſrael; tamen ſignanter dicitur ſtella naſci ex Jacob & virga conſurgere de Iſrael. Jacob nomen habuit à ſupplantatione

accelerata, quam ſtatim in utero facere voluit, & creditur, ut dicit magiſter in hiſtorijs, ſanctificatus fuiſſe in utero materno. Ad inſinuandam ergo paternæ imitationis formam inaccelerata ſanctificatione & hoſtis ſupplantatione, dicta eſt naſci ex Jacob, Iſrael autem dictus eſt, poſt luctam cum angelo, poſt quam luctam ait, Geneſ. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Ad inſinuationem paternæ imitationis, in ſublimitate contemplationis virga dicitur conſurgere de Iſrael.

III. Profectus Mundi ab ipſa. Moab quid ſignificet.

Sequitur de profectu quem habet mundus, ad quem pertinet illud. *Et percutiet duces Moab*, qui dicuntur dæmones, ſcilicet ſuperborum rectores, diabolus per viam ſuperbiæ inceſſit dicens: *ſimilis ero altiſſimo.* Iſa 14. & per eam ſeducere voluit hominem dicens: *Eritis ſicut dij.* Geneſ. 3. Et dux eſt eorum qui per hanc viam incedunt. Iob 41. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Per Moab intelliguntur homines ſuperbi, qui ex patre diabolo per imitationem ſunt, qui etiam parentes veteres imitantur; Moab enim interpretatur *ex patre* Iſ. 16. *Audivimus ſuperbiam Moab.*

Quadruplex explicatio dicti tertij thematis

Quadrupliciter Beata Virgo duces Moab percuſſit: vel quia Chriſtum ducem humilium concepit & peperit, vel quia de dæmonibus triumphavit, vel quia humillima fuit, & ſic in ſe de ſuperbis dæmonibus ſuperbiam humiliavit, vel quia his qui tentantur ſubvenit, ut ſuperbos dæmones vincere poſſint.

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Sermo hic D. V. domui in themate propoſitæ comparat, duoque de illa pertractat.

SERMO LXXIII.

Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit colomnas. *Proverb. 9.*

DVO circa D.V domũ Dei tractantur.

DOmus quam filius ſibi ædificavit qui eſt patris ſapientia eſt virgo beatiſſima. Circa quam domum verba propoſita duo nobis oſtendunt, ſcilicet domus *decorem & ſtabilitatem*: Domus decorem ibi, *ſapientia ædificavit*,

I. Decor huius domus. Duo circa hoc notanda. 1. A quo fuerit ædificata

DECOREM DOMUS iſtius perpendere poſſumus, ſi attendamus *à quo & cur* ſit ædificata. Solet ædificium eſſe pulchrius, ſecundum quod artifex ſapientior, vel eſt perſona cui ædificatur excelſior. Quale ergo credendum eſt illud ædificium fuiſſe, quod ipſa Dei ſapientia ædificavit filio ſuo Deo, regi regum. Vt breviter dicamus, talis fuit illa Domus, qualem ſapientia novit ædificare, & qualem ad opus ipſius ſapientiæ decuit ædificare. Hanc domum ædificavit ſapientia, ut ad tempus in ea corporaliter, & in æternum ſpiritualiter inhabitaret. Prius enim inhabitavit virginis mentem quam ventrem. Domus illa fuit ſanctiſſima tanquam domus ſancti ſanctorum Pſal. 45. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Eccleſiaſtici 23. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.*

Domus illa qualis fuerit.

Domus iſta fuit ſereniſſima, ut rex rex regum poſſet ibi quieſcere; ad quod valuit ei taciturnitas & carnis integritas; taciturnitatem habuit in jucunditate, loquelam in neceſſitate. Porta hujus domus clauſa fuit, & ſine læſione integritatis, ſol intelligentiæ in eam influxit, cum ſol viſibilis per eam ſine ejus læſione tranſijt. Auguſt. Vnde ſordes in domo ad quam nullus habitator acceſſit, ſed ſolus ad eam ejus fabricator venit Domus iſta humillima fuit, & tamen valde alta fuit. cum altiſſimi capax fuerit. Domus iſta licet valde paruula videtur, capax tamen eſt immenſi. Domus illa fuit eburnea, quantum ad conſcientiam, ſed domus aromatum fuit, quantum ad bonam famam. Nobiliſſima fuit inter domos eburneas, ex quibus Chriſtum delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Pſalm 44. De cujus aromaticitate habetur, Eccleſiaſtici 24. *Sicut cinamomum & balſamum aromatizans odorem dedi.*

2. Cur fuerit ædificata.

Hanc domum ſapientia ædificavit non ſolum ſibi, ſed etiam nobis: Domum refrigerij his qui ſunt in pugna, propitiationis his qui lapſi ſunt. De domo refrigerij habetur in Pſalm. 65. De domo propitiationis, habetur 1. Paral 28.

Domus iſta, i. eſt D. V. tribus virtutibus Theologicis fuit prædita. Fide.

Domus illa fide fuit firmiſſima, ſpe altiſſima, charitate latiſſima. Fundamentum fidei habuit firmiſſimum, unde cum tempore paſſionis Chriſti adventum vehementiſſimæ tribulationis, domus aliæ, id eſt Apoſtolorum corruerint, ipſa ſtetit, ipſa fidem rectè in Sabatho ſancto tenuit, ideo ab Eccleſia tali die ſpecialis honor ei exhibetur.

Spe.

Ipſa ad verbum Angeli ſtatim ſperavit altiſſimum unde ait: Luc. 1. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, & tunc ſtatim altiſſimus puræ creaturæ dedit, quod eſt mater Dei cœli & terræ, regina Angelorum & hominum domina.

Charitate.

Signum charitatis ejus fuit, quod poſt conceptionem filij Dei aſcendit in montana, cum feſtinatione ſalutare Eliſabeth.

II. Stabilitas huius domus: Columnis 7. ſtabilita fuit.

Ad STABILITATEM DOMUS pertinet illud: *excidit columnas ſeptem.* Non ſolum ſapientia Dei voluit hanc domum ædificare, ſed etiam multis columnis eam ſtabilire, quia.

Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.

Lapicidina unde hæ columnæ ſunt exciſæ, eſt corpus ſanctorum, excellentes gratiæ quas diverſi ſancti ſingillatim habuerunt, in virgine ſunt collectæ.

1.

Prima columna fuit *timor Dei*, ſicut de filio ejus ſcriptum eſt Iſa. 11. *Replebit eum ſpiritu timoris Dei*, ita dici poteſt eam ſpiritu timoris fuiſſe repletam, timor enim eam ſic replevit & occupavit, quod vanitas locum in ea habere non potuit. In timore iſto ipſa declinavit occaſiones peccandi. Proverb 15. *In timore Domini declinatur à malo* In hoc timore ipſa ad verba Angeli turbata eſt, unde dictum eſt ei ab Angelo: *Ne timeas Maria*, Luc 1 Sine hac columna non diu ſtat ædificium ſpeciale. Eccleſiaſt: 27. *Si in timore Domini inſtanter te non retinueris, citò ſubvertetur domus tua* Hanc columnam deſtruit temeraria ſecuritas & timor malus, unde Hieronym. Securitas mentis tempeſtas eſt. Prover. 29. *Qui timet hominem, citò corruet*, ubique & ſemper timere debemus ubique enim ſunt cauſæ pereundi. Proverb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Eccleſiaſtici 18. *Homo ſapiens in omnibus metuit.*

2.

Secunda columna fuit *prudentia*, quæ ædificium ſpirituale, valde forte efficit. Proverb. 24. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir prudens robuſtus & validus.* Sap 6. *Melior eſt ſapientia quam vires.* Signum prudentiæ ipſius fuit, quod cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio Angeli, an eſſet ſalutatio proditoris aut Salvatoris. Ad illam ſpeciem prudentiæ quæ dicitur cautio pertinet diſcernere mala boni ſpeciem habentia. Salutatio proditoris eſt, cum aliquis aliquem ſalutat cujus mortem quærit & deſiderat, ut qui vult vitam ſervare per mortem culpæ. Ad prudentiam etiam eius pertinet, quod prudenter interrogavit dicens: *Quomodo fiet iſtud?* Et audita de filio memoriter retinuit Viri cœleſtes ſtabiliuntur prudentia ſecundum illud, Proverb. 3. *Stabilivit cœlos prudentia.*

3.

Tertia columna eſt *humilitas*, quæ ad modum turris fortis eſt Bernard. Cum humilitas omni perſonæ indifferenter turris quædam fortitudinis ſi à facie inimici, neſcio tamen quo pacto vis ejus major in majoribus, & clarior in clarioribus comprobatur. Sine hac columna non ſtat ædificium ſpirituale, neo ſine hac columna erigitur ſed corruit. Humi-

litas eſt aquæ ductus, qua gratia venit, per quam peccator regeneratur. Deus enim humilibus dat gratiam, Humilitas virginis patet ex verbo illo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. *Quarta columna* eſt *pietas*, qua homo
4. efficitur valde fortis. Vnde dicitur de Eleemoſyna, Eccleſ. 29 *Gratiam quaſi pupillam conſervabit.* Pietas virginis patet ex illo verbo, Ioan. 2. *Vinum non habent.* *Quinta columna* eſt *ſocietas bona*. quæ ædifi-
5. cium ſpirituale multum ſuſtentat, Proverb. 18. *Frater qui adjuvatur à fratre quaſi civitas munita.* Eccleſiaſtes 4. *Melius eſt duos eſſe ſimul quam unum, habent enim emolumentum ſuæ ſocietatis.* Si unus ceciderit, habet ab altero fulcimentum. Qui eſt in bona ſocietate, tot habet columnas quot bonos ſocios. Bonam ſocietatem Beata Virgo habuit, cum à
6. Chriſto Ioanni ſociata fuit. *Sexta columna* eſt *occupatio honeſta*, quæ ædificium ſpirituale multum ſuſtentat. Auguſtinus. Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Hanc columnam Beata Virgo habuit, victum ſuum acu quærens. Pſal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*
7. *& bene tibi erit. Septima columna* eſt *vitæ auſteritas*, ad quam pertinet paupertas, victus & veſtitus aſperitas. Paupertatem habuit Beata Virgo, & veriſimile eſt quod abſtinuerit à delicijs carnis ſecundum guſtum, ſicut ab illis quæ ſunt ſecundum tactum. Vnum enim eſt antecedens ad reliquum. Matth. 12. in locis aridis ſpiritus immundus requiem non invenit. Gloſſa. Super Matth. 4. In pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi prius hæc refrenetur, fruſtra contra alia vitia laboratur.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRVCIS.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Thematis verba in hoc ſermone de tribus explicantur. In fine eſt appendix de Evangelio & feſto hoc.

Ego Dominus humiliavi lignum ſublime & exaltavi lignum humile, ſiccavi lignum viride & frondere feci lignum aridum. *Ezech.* 17.

SERMO LXXVII.

Thema de tribus explicatur.

VErba propoſita poſſunt intelligi vel de ligno vitæ, vel de cruce cui caput Eccleſiæ affixum eſt, vel de cruce pœnitentiæ cui membra affiguntur ſecundum illud ad Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.*

I. De ligno vitæ id eſt Chriſto pars prima thematis.

Secundum PRIMVM INTELLECTVM notandum, quod lignum vitæ dicitur ſapientia increata filius Dei. Proverb. 3. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam.* Hoc lignum erat altiſſimum, nec cognoſcebat ſapientia humana quomodo poſſet ſublimari. Sed Dei Sapientia viam qua ſublimaretur invenit, viam ſcilicet humanitatis. Humiliatum eſt ergo ſublime in filij Dei incarnatione & paſſione. Humiliatus eſt altiſſimus & factus parvulus pauperis mulieris filius, qui tota vita mortali pauper manſit, ab hominibus contemptus eſt, cruce affixus, inter ſceleratos eſt deputatus, & ut totum dicatur, adeo eſt humiliatus, ut virorum appareret noviſſimus, Iſa. 53. Chriſti humilitas homines ad humilitatē provocat. Auguſtinus. Medicina tumoris hominis eſt humilitas Chriſti. Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quia Chriſtus humilis factus eſt, Gregor. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter erudiendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem parvulus factus eſt? Lignum exaltatum eſt in reſurrectione & aſcenſione. Lignum viride ſiccatum

Pars ſecunda thematis.

eſt, cum Deus pater filium ſuum qui nihil habebat cremabile perſecutoribus expoſuit, & quaſi in arido eos in Chriſto operari permiſit. Lucæ 23. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum aridum fronduit, cum caro eius mortua in reſurrectione refloruit, cum poſt eius aſcenſionem doctrina eius per Apoſtolos in mundo invaluit.

II. De Cruce Chriſti. Pars Prima thematis.

Iuxta *ſecundum intellectum* notandum, quod gloria mundi ante filii Dei incarnationem valde lignum ſublime fuit, ſapientia enim mundana eam altam reputavit. Sed hoc lignum ſublime Deus humiliavit, cum filius Dei humanatus perfecta humilitate mundi gloriam contemnens, eam exemplo ſuo & verbo contemptibilem eſſe voluit. Ioan. 8. *Ego gloriam meam non quæro.* Lucæ. 16. *Quod altum eſt hominibus, abominatio eſt ante Deum.* Lignum humile Deus exaltavit, ſcilicet lignum crucis, quod erat vile, ſicut patibulum hodie eſt vile, ubi ſcelerati ſuſpenduntur. Quod *quinque modis* exaltatum eſt.

Crux quinque modis exaltata eſt. 1.

Primò contactu membrorum Chriſti in reſperſione ſanguinis. Vnde cantat Eccleſia,

Arbor decora & fulgida ornata regis purpura.
Electa digno ſtipite tam ſancta membra tangere.

Sicut crux contactu ſancti ſanctorum ſancta effecta eſt, ſic contactu altiſſimi facta eſt alta & contactu regis gloriæ glorioſa. *Secundò* exaltatum eſt in veneratione fidelium Chriſti ſecundum illud Eccleſiaſtici 24. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*, 2.
id eſt in ſancta Eccleſia, interpretatur enim Cades ſancta. Honoratur crux communiter à fidelibus adoratione, & in hoc quod in fronte depingitur. Auguſt. Crux de pœnis latronum tranſivit ad frontes imperatorum. Quid faciet Dominus fidelibus ſuis, qui tantum honorem contulit pœnis ſuis? A clero in Eccleſia crux honoratur, cum in divino officio laudes eius extolluntur, honoratur etiam cum à prædicatoribus populo virtus crucis declaratur. *Tertiò* 3.
exaltatum eſt miraculorum operatione, & ſpecialiter quando Heraclius arcem tenens imperii, devicto Coſhroe rege Perſarum crucem deferens venit in Ieruſalem, odor vincens omnia aromata populo redoluit, ſuſcitatus eſt mortuus, cæcis redditus eſt viſus, paralitici ſunt ſanati, leproſi mundati, plurimi à dæmonibus liberati. *Quartò* in hoc quod be- 4.
nedictiones in Eccleſia cum ſigno crucis fiunt. Sap. 14. *Benedictum lignum per quod fit iuſtitia.* Ante Chriſti paſſionem lignum crucis erat adeo maledictum, quod maledictus erat qui pendebat in ligno. Hodie adeo eſt benedictum quod ſine ipſa eſt benedictio non 5.
fit. *Quintò* exaltatū eſt de eiectione hoſtium corporalium & ſpiritualium. Conſtantinus Imperator Maxentium devicit fiduciam habens in cruce, etiam Heraclius Coſhroem. Hoſtes etiam inviſibiles ſignū crucis multum vincit, quilibet enim diabolus timet enſem in quo lætale vulnus accepit. 1 Corinth. 1. *Verbum crucis gentibus ſtultitia eſt, his autem qui ſalvi fiunt virtus Dei eſt.* Origenes. Tanta eſt virtus crucis, ut ſi mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere poſſit invidia, ſed cōtinuò ad memoriam eius totius peccati & mortis fugiet exercitus. Sequitur *ſiccavi lignum viride.* Mundi gloria videbatur virere & gloria eſſe, Deus autem eam ſiccavit, oſtendendo eam non eſſe veram gloriam, & parum duraturam, & in ignominiam commutandam. Non eſt vera gloria quam quis habet apud inglorios, ſcilicet malos. Non eſt vera gloria qui eſt de re in gloria, ſcilicet de vili corpore. 1. Machab. 2. *Gloria impij ſtercus & vermis*, quia corpus eſt ſaccus ſtercorum & materia vermium. Parum durat hæc gloria ſecundum illud Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Gaudium hypocritæ eſt vana gloria Iſa. 40. *Omnis caro fœnum omnis gloria eius quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos.* Gloria mundi citò vertitur in ignominiam ſecundum illud Oſeæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Cito fit ignominia ſuperbi gloria.

Pars altera thematis.

Frondere fecit Deus lignum aridum. Lignum enim crucis & mortis vile inſtrumentum vitale factum eſt & fructuoſum, ex quo triumphator mundi in ea pependit. De fructu eius dicitur Cant. 7. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius.* Palma eſt arbor triumphalis, de qua victores coronantur, & ſignat crucem. De hoc ligno cantat Eccleſia. *Nulla ſilva talem profert, fronde, flore, germine.* Frondes pertinent ad doctrinam quam Chriſtus nos docuit, crux enim ſecundum beatum Auguſtinum non tam fuit patibulum morientis quam cathedra docentis. Flores pertinent ad virtutes quas nobis in cruce commendavit. Fructus fuit redemptio mundi.

III. De cruce pœnitentiæ Chriſtianorum. Pars prima thematis.

Secundum TERTIUM INTELLECTUM notandum, quod voluptas ſæculi lignum ſublime fuit ante incarnationem filij Dei, appreciabatur enim multum à ſapientia mundi. Sed Deus hoc lignum humiliavit, cum Chriſtus quod carni erat moleſtius elegit iuxta Bern. verbum, & melius & magis eligendum eſſe docuit. Luc. 6. *Væ vobis divitibus qui habetis hic conſolationes veſtras* Lignum vero humile auſteritatem ſcilicet pœnitentiæ, exaltavit in hoc quod induens ſaccum mortalitatis noſtræ pœnitentiam pro peccatis noſtris agere voluit. Ipſe fuit qui civitatem Eccleſiæ pœnitentia liberavit. Auguſt. Filius Dei non habebat ubi flagellaretur, ad hoc carnem indutus eſt, ut ſine flagello non eſſet. Ipſe hoc lignum exaltavit cum ait: *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Matth. 4. eiuſdem.

Pars ſecunda thematis.

Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur. Deus lignum viride ſiccavit cum voluptatem carnis mortiferam eſſe docuit. Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Eccleſ. 7. *Inveni amariorem morte mulierem* per quam voluptas ſignatur. Lignum aridum frondere fecit cum mortuos in peccatis pœnitentiâ reſuſcitavit. Pœnitentia virga Aaron & frondens, florens & fructum faciens: floret in contritione per propoſitum ſerviendi Deo, frondet in confeſſione, fructum facit in ſatisfactione.

Num. 17.

Explicatio Evangelij. Ioan. 12.

Et NOTANDUM quod Evangelium huius feſtivitatis eſt illud: *Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Et ſequitur expoſitio exaltationis. *Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Exaltatio ergo Chriſti eſt ſua mors in cruce, quam & Iudæi intelligentes dixerunt. *Nos audivimus ex lege quod Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis?* Quam intellectionem ipſi non habebant infusâ ſapientiâ, ſed magis ſtimulatâ conſcientiâ.

Ioan. 12.

Vnde eis dicit. *Adhuc modicum lumen eſt in vobis.* Vnde ad quæſtionem, cum Iudæi fidem non habeant, reſpondet Apoſtolus ad Rom. 9. *Offenderunt enim in lapidem offenſionis & in petram ſcandali* Quæ ſententia etiam habetur Iſa. 8. & 1. Petri 2. Quia Iudæi excæcationem in Chriſto paſſi ſunt, divinitatem eius in humilitate latentem contemnentes. A Chriſti ergo fidelibus Exaltatio ſanctæ crucis ideo celebratur, quia in ea fides crucis, plurimum manifeſtatur, cum Heraclius devotione crucis accenſus, quæ dehonorabatur à Coshroa, ipſam crucem Angelo viſibiliter apparente & edocente humiliter Ieroſolymam reportavit, Coshroa interfecto, ubi & multa renovabantur crucis miracula, Chriſtus enim venit mundum ſalvare non perdere. Ideo immemor iniuriæ & memor gratiæ, affixus ligno illacrimabat populo. & ut peccata noſtra dilueret de viſceribus miſericordiæ hoc fundebat unguentum. Luc. 23. *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* De gloria crucis require in ſecundo ſermone de ſancto Andrea. *Qui non accipit crucem*, &c. Item ſermones pertinentes ad crucem require in Paraſceve & in Inventione ſanctæ crucis.

Feſtum hoc cur celebretur.

DE SANCTO MATTHÆO APOSTOLO.

SERMO PRIMUS.

SERMO LXXV.

SUMMARIUM.

Hic ſermo explicat duplex opus Evangeliſtæ, idque nobis imitandum proponit.

Opus fac Evangeliſtæ. 2. *ad Thimoth.* 4.

HOdie celebrat Eccleſia feſtum beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, in quo fideles non debent tantum operam dare ut eius gratiam acquirant, ſed vitam eius diligenter debent attendere, ut eam imitari valeant, ad quod pertinet invitatio propoſita.

Duo opera Evágeliſtæ.

Circa quod notandum quod duplex eſt opus Evangeliſtæ. ſcilicet bona nuntiare, interpretatur enim bonus nuncius, & ad memoriam ea ſcripto commendare. Circa PRIMUM notandum quod cum à Deo venerimus, & ad Deum reverſuri ſumus, & à Deo nos miſſos reputamus neceſſe eſt, ut ſic nos habeamus, ut ad eum revertentes qui nos miſit, boni nuntij, ab eo reputemur, alioquin cum diabolo ad ignem mittemur. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.*

I. Bona nunciare.

Quatuor ſpectant ad bonum nuntium.

Et NOTANDUM quod quatuor pertinent ad bonum nuntium. *Primum* eſt ut ſemper ſit paratus, non debet primo tunc incipere parare ſe quando dicitur ei ut vadat. 1. Pſalm. 118. *Paratus ſum & non ſum turbatus.* Item Pſalm. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratus erat Samuel cum dicebat: *Ecce ego. Et cucurrit ad Heli.* 1. Reg. 3. Et ibidem ait: *Loquere Domine quia audit ſervus tuus.* Item paratus erat Angelus, qui Tobiam iuniorem duxit Tob. 5. *Egreſſus Tobias invenit iuvenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum,* Sic parati erant ſubditi Centurionis. Matth. 8. *Dico huic vade & vadit, & alij veni & venit.* 2. *Secundum* eſt velocitas Proverb. 22. *vidiſti hominem velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erat ante eos ignobilis.* Nuntius bonus eſt velox curſor. Bernardus. Qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. 2. Timoth. 4. *Curſum conſummavi.* Et de Chriſto: Pſalm. 18. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* David Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Sed quidam ſunt qui videntur eſſe mortui. Non enim apparet quod ſe moveant proficiendo in aliquo. Bernardus. Magna confuſio, ardentius deſiderant ſæculares pernitioſa quam nos utilia, alacrius currunt ad mortem quam nos ad vitam. 3. *Tertium* eſt diligentia, ut ſcilicet ad hoc ſtudeant, ut quod iubentur bene faciant. Non enim facere, ſed bene facere meritorium eſt, alioquin dæmones mererentur. De Chriſto legitur Marc. 7. *Bene omnia fecit.* Et Luc. 14. *Factum eſt ut imperaſti.* Quidam præceptum Dei onus reputant, & nihil aliud videntur quærere niſi quod ab onere illo ſint expediti. *Quartum* eſt ut animum ſuum non habeant fixum ad locum aliquem, vel ad opus aliquod, ſed totaliter dependeant à voluntate imperantis. 4. Ezech 1. *Quocunque ibat ſpiritus, illuc euntes pariter elevabantur, ſequentes eum.* Volubilitas obedientiæ ſequi debet quod Spiritus ſanctus imperanti dictaverit. Placere debet nuntio quod videt placere ei qui mittit eum, Auguſtinus in libro Confeſſion. Optimus eſt miniſter, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipſe voluerit, ſed potius hoc quod à te audierit.

Circa SECUNDUM opus Evangeliſtæ notandum, II.

Bona nunccia ſcriptis cõmendare. Lex Dei in corde ſcribenda.

quod non ſufficit Chriſtiano doctinam Evangelij audire vel alij dicere, ſed debet eam in corde ſcribere ut in memoria eam retineat Scriptura eſt certa deſignatio & ſtabilis. Deus voluit ſcribere Decalogum Judæis in tabulis lapideis. Exod. 31. Et cum tabulæ eſſent fractæ, iterum voluit eum alias ſcribere alia vice. Exod. 34. Item voluit ut doctrina Evangelij ſcriberetur non ab uno tantum ſed à quatuor Evangeliſtis. Sic legem Dei in corde tuo ſcribas, & ſi ſemel ſcripta deleta fuerit, iterum ſcibas eam. Eccleſiaſtici 38. *Sapientiam ſcribe in tempore neceſſitatis*, &c. Hierem 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*, &c. Proverb. 3. *Deſcribe in tabulis cordis*, loquitur de miſericordia & veritate circa quæ lex verſatur. In eodem. *Fili mi ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat.* Quid prodeſt conceptio quam ſtatim mors ſequitur. Sic parum valet ſuſceptio doctrinæ vel ſapientiæ. ſi ſtatim oblivio ſequatur. Oblivio quædam mors ſapientiæ eſt ſecundum Gregor. Item quid prodeſt aliquid ponere in ſaccum pertuſum? Eccleſ. 21. *Cor fatui quaſi vas confractum & omnem ſapientiam non tenebit.* Inutile eſt imprimere figuras in aqua, cum eas non ſervet. Item inutile eſt capere feram, ſi capta tam cito evadat, vel capere cibum ſi ſtatim emittatur. Seneca in epiſtolis Non prodeſt cibus in corpore qui ſtatim ſumptus emittitur. Sic parum prodeſt doctrinam Evangelii audire, niſi memoriter teneatur Luc 2. *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Multum poſſet confundi, qui 20. vel 30. annis fuit Chriſtianus, & vix poteſt dicere quattor verba Evangelij, cum unus hæreticus addiſcat modico tempore magnam partem Evangeliorum.

Ob quatuor cauſas parum proficitur in doctrina ſacra.

Et *notandum* quod quatuor de cauſis poteſt accidere quod aliquis Chriſtianus ita parum proficiat doctrinam ſacram addiſcendo. *Prima* eſt defectus concupiſcentiæ ad addiſcendam. Sapient. 6. *Initium ſapientiæ eſt veriſſima concupiſcentia diſciplinæ.*
1. *Secunda*, eſt quod ſapientia mundi cor eius occu-
2. pavit, unde non habet ubi Dei ſapientiam recipiat. Seneca de quibuſdam. Ideo inquit, non diſcunt multi, quia ſupervacua didicerunt. *Tertia* eſt quia cor eius quaſi terra juxta viam, quæ parvà occaſione fit via, & tranſeunt homines per eam. Unde ſemen ibi deperit Luc. 8. Sic multi tot habent cogitationes mundanas, etiam dum ſunt in ſermone, & poſtquam receſſerunt, quod nihil remanet in
3. eis doctrina audita. *Quarta* eſt quod nihil repetunt de his quæ audiunt. Auguſtinus ad fratres de monte Dei. Non tantummodo agendum eſt ut cum aliqua delectatione vel ſine grandi nauſea dies tranſigatur, ſed ut etiam dum peractâ dietâ ad profectum mentis ſemper aliquid in conſcientia reſideat, aliquid quotidie in theſaurum cordis congregetur. Theſaurus cordis eſt memoria. Idem de quotidiana lectione. Aliquid in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fidelibus dirigatur & rurſus revocetur. Crebrius ruminetur, quod propoſito conveniat, quod intentionem perficiat, quod animum dirigat quod alibi eum cogitare non libeat. Animal non ruminans immundum eſt Levit. 11.

Evangeliſtæ Matthæi opus quod fuerit. Imitandus in hoc.

Opus Matthæi Evangeliſtæ fuit facta Chriſti hominis deſcribere, unde Ezech. 1. Et Apocal. 4. Inter animalia quibus quatuor Evangeliſtæ deſignantur, figuratus eſt Matthæus per hominem. Ergo ipſum imitatur qui facta Chriſti & converſationem ejus diligenter attendens ei pro viribus aſſimilatur. Bern. Beatus eſt Domine qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans pro viribus ſe præbet imitatorem tui.

DE EODEM.

SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone quatuor tractantur circa vocationem S. Matthæi.

Cum intraſſet Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt illum. *Matth. 9.*

SERMO LXXVI.

Vectigal quid? Telonium quid?

LUc. 5. additur *relictis omnibus* ſecundum Gloſſam, τέλος græcè, vectigal latinè dicitur. Vectigal verò dicitur à vehendo, quia datur de his quæ vehuntur. Telonium verò dicitur locus ubi vectigal recipitur. Eccleſia de beato Matthæo ſolennizans in Evangelio ejus vocationem nobis recitat, circa quam *quatuor* recitat ad Dei gloriam & noſtram ædificationem, quæ attendere debemus, ſcilicet *modum vocandi*, *modum ſequendi*, *vocantis affectum*, *vocationis effectum*.

Quatuor circa vocationem S. Matthæi tractat hic ſermo.

I. Modi vocandi de quo duo.

1. Quod Chriſtus S. Matthæum reſpexit.

Ad MODUM VOCANDI *duo* pertinent, ſcilicet quod Salvator vocandum reſpexit & ſequi juſſit. Reſpectio divinæ miſericordiæ cõverſionem peccatorum neceſſariò præcedit. Sapient. 4. *Reſpectus ejus in electos illius.* Luc. 22. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* Et ſubditur. *Egreſſus foras flevit amare.* In quo cõfunditur repromiſſio quorundam nequiſſima, quæ multos perdidit, qua credunt eſſe in poteſtate ſua converti cum voluerint. Oſeæ. 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo ex me auxilium tuum.* Iob. 12. *Si deſtruxerit nemo eſt qui ædificet, ſi incluſerit hominem nemo eſt qui aperiat.* Eccleſiaſtes 7. *Conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*, id eſt aſpectu miſericordiæ non reſpexerit In quo etiam confunditur indignatio quorundam, qui impatienter ſuſtinent, ſi non corrigantur peccatores ad eorum verba, ac ſi neſcirent correptionem eorum eſſe divinam. Si quis vero converſus fuerit, ſapientiæ ſuæ & eloquentiæ inſipienter hoc aſcribunt. Non confert virtutem incedendi vel gradiendi ille, qui præfert lucernam gradienti, nec confert vitam comedenti qui cibum ei adminiſtrat. Nec campana confert gratiam orandi, ſed ad locum orationis vocat. Nec tuba poteſtatem dat pugnandi ſed monet ad pugnandum: Sic prædicatio juvat ad hoc quod homo vità gratiæ vivat, ſalubria agnoſcat, viam paradiſi incedat. Sed niſi Deus operetur, non poteſt in iſta ſine Deo. Oratio præmittenda eſt prædicationi & gratiarum actiò debet ſubſequi. Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana loquens de Doctore. Orando, inquit, pro ſe aut pro illis quos allocuturus eſt, ſit orator antequam Doctor. Idem in eodem. Si regina Heſter pro ſuæ gentis temporali ſalute locuta apud regem oravit ut in os ſuum congruum ſermonem daret Deus, quantò magis orare debet ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum ſalute in verbo & doctrina laborat. Poſt ſermonem vero non eſt negligenda gratiarum actio. Ingratitudo enim eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ Ubi dicit Bernardus.

Concionatorum reprehenſio & inſtructio.

2. Quod ſe ſequi juſſit.

In hoc quòd ſequi juſſit, dedit prædicatoribus formam efficaciter inſtruendi. Efficacior eſt vox operis quam vox ſermonis, ut ait Bernardus. Et ſicut dicit Seneca. Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Et *notandum* quod Chriſtus multoties legitur monuiſſe ad ſequendum ſe. Monuit ad hoc aliquos temporalibus intendentes, ut Petrum & Andræam Matth. 4. Ad idem monuit Petrum jam diſcipulum factũ, ſed præcedere volentem

Monitio triplex ad ſequelam Chriſti

Matth. 16.

Matth. 16. *Vade poſt me Sathana.* Monuit eundem jam paſtorem factum ad idem, ſed circa impertinentia intendentem Joan. ult. *Quid ad te? tu me ſequere.* *Primam* monitionem implet paupertas voluntaria per mundi contemptum. Unde ſequitur: *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum.* *Secundam* implet obedientiæ humilitas, & pertinet illa monitio ad Religioſos jam factos, in quibus eſt valde reprehenſibile cum præcedere vult qui deberet ſequi, ſecundum illud Pſ. 69. *Avertantur retrorſum,* &c. Petrus ſequendo Chriſti diſcipulus, præcedendo Sathanas fuit. Non quieſcit religio, ſi ſint pedes ſurſum & caput deorſum, ut ſcilicet ſint ſupra qui deberent eſſe infra. Auguſtinus in libro confeſſionum. Minus ordinata, inquieta ſunt, ordinata autem quieſcunt. Idem in eodem. Juſſit Deus & ſic eſt, ut pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus. *Tertiam* autē monitionem implet charitas, zelum habens ad ſalutem animarum. Valde enim reprehenſibilis eſt otioſitas in illis qui debent intendere ſaluti animarum, qui debent ſubvenire pereuntibus in mari hujus mundi: 1. Timoth. 4. *Prædica verbum, inſta opportune,* Proverb. 6. *Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui & captus propriis ſermonibus; fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui, diſcurre, feſtina.* Seneca. Tantum habes negotij, quantum medicus in peſtilentia.

Primā monitionem implet paupertas.
2. Obedientia.
3. Charitas.

II. Modum ſequend. de quo duo.
I. Quod S. Matthæus cito Chriſtum ſecutus eſt.

Ad modum ſequendi *duo* pertinent, ſcilicet quod velociter ſecutus eſt, & quod omnia reliquit. In primo datur exemplum peccatoribus non obdurandi corda contra admonitiones divinas, ſed facile adquieſcendi eis. *Cor enim durum male habebit in noviſſimo, & qui amat periculum in illo peribit.* Eccleſiaſtici tertio. Exemplum etiam de hoc habemus in Judæis, qui propter duritiam cordis percuſſi ſunt in deſerto. Numeri 12. Et Hieroſolymitis, qui deſtituti fuerunt, quia obdurati erant ad prædicationem Chriſti & Apoſtolorum. Lucæ 19. *Non relinquetur in te lapis ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Hic objiciunt Porphyrius & Julianus hæretici in hoc loco arguentes imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum qui ſtatim ſecuti ſunt Salvatorem, quibus reſpondet Hieronymus in originali ſuper Matth. dicens. Tantæ virtutes tantaque ſigna præceſſerant, quæ Apoſtoli, antequam crederent, viderunt, quod minimè dubitare potuerūt. Certè fulgor & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex ipſo aſpectu ad ſe trahere poterat. Videmus etiam in magnete lapide hoc eſſe, unde dicitur quod annulos & feſtucas & ſtipulas ad ſe copulat; quantò magis Dominus rex omnium ad ſe trahere poterat quos volebat. Et Gloſſa ſuper illud: *Secutus* eſt non levitate ductus, ſed virtute operum & divina potentia intus operante tractus. Et *notandum* quod ſanctus Matthæus ſapienter egit in hoc quod ſequens Chriſtum terrena reliquit. *Primo* quia currentem erat ſecuturus. Bernardus loquens de illo verbo Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* Optimè, inquit, & non ad inſipientiam tibi, quia exultavit ut gigas ad currendam viam, & currentem ſequi non poteris oneratus. *Secundo*, quia per anguſtam portam erat tranſiturus. Bernardus. Fœlices exonerari, qui ſequi poſſunt expediti, arctiſſimum enim foramen nos expectat. Attendamus neceſſe eſt ingredi per anguſtam portam. Quid tu camele gibbum? quid tu pecunioſe ſacculos proditoris tollis? Non ſic impie non ſic ingredieris foramen acus, hujuſmodi ſarcinas non admittit. *Tertio* quia per mare periculoſum mundi erat nataturus. Nemo enim cum ſarcinis enatat, ut ait Seneca. *Quarto* quia per viam arduam aſcenſurus oneratus difficile aſcendit. Pſal. 83. *Beatus cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* *Quinto* quia niſi ea relinqueret, ab eis erat relinquendus. Bernardus loquens Petro. Tranſit, inquit, mundus & concupiſcentia ejus, & relinquere magis expedit quam relinqui.

Objectiones Porphirii & Iuliani refutantur.
2. Quod Chriſtum ſequēs omnia reliquit, in quo ſapienter egit.

III. Affectum vocantis.

Vocantis affectus eſt nobis diligenter attendendus, ſcilicet magna Salvatoris benignitas notorium peccatorem vocans ad familiarem ſocietatem quem voluit in Eccleſia duplicem habere dignitatem, ut ſcilicet eſſet Apoſtolus & Evangeliſta, in quo nullum habet ſimilem ſibi niſi Joannem Evangeliſtam. Humilitas pœnitentiæ parificatur innocentiæ. Bernardus. Fugiamus ad miſericordiam, & dicamus, quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, & qui non poſſumus in veſtitu innocentiæ ſeu juſtitiæ, appareamus in veſtitu Confeſſionis. Pſalm 95. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus.* Benignitas Salvatoris apparet in hoc, quod Publicanos recipit non ſolum ad colloquium, ſed etiam ad convivium. Et murmurantes ſuper hoc prudenter inſtruit & à murmure compeſcit.

Pſal. 62.

IV Effectum vocationis.

Effectus vocationis etiam nobis attendendus eſt, ſcilicet appropinquatio Publicanorum ad Jeſum exemplo Matthæi ſperantes à Salvatore veniam conſequi. Nullus jam locus deſperationis relinquitur, ex quo Publicanus, Apoſtolus & Evangeliſta efficitur. Bernardus ſuper Cantic. Omnino propter manſuetudinem quæ in te prædicatur currimus poſt te Domine Jeſu, audientes quod non ſpernis pauperem, peccatorem non horres, non horruiſti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non Publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem horum unguentorum currimus.

De convivio S. Matthæi.

Luc. 5. Exprimit convivium magnum Salvatori à Levi ſive Matthæo in domo ſua factum propter convivium corporale quod Matthæus fecit Salvatori. Fuit nobile convivium ſpirituale quod ei exhibuit ſecundum illud. Apocal. 3. *Si quis aperuerit mihi, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Ipſe peccator cibus delicatus eſt Deo Gen. 27. *Affer mihi duos hædos optimos, ut faciam eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur.* Lucas dicit. Convivium magnum factum eſt. Verè magnum eſt tale convivium, quia de reliquiis comedunt Angeli. Luc. 15. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Bernard. Lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum.

DE BEATO MAURITIO ET SOCIIS EJUS.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo I. ex tribus oſtendit nobilitatem triumphi ſeu victoriæ SS. Martyrum & noſtræ. II. quomodo fides hujus victoriæ cauſa ſit demōſtrat.

SERMO LXXX.

Sancti per fidem vicerunt regna. *Hebr.* 11.

Duo tractantur ho: ſermone ex themate.

I. Nobilitas triumphi SS. Martyrum quæ patet ex tribus.

ECcleſia quæ ſolennizat hodie de Beato Mauritio & ſociis ejus, verbum propoſitum aſſumit in laudem eorum, in quo *Nobilitatem triumphi* eorum inſinuat, & *Cauſam victoriæ* demonſtrat. *Primum* ibi: *vicerunt.* *Secundum* ibi: *per fidem.* Iſti ſancti non unum militem ſolum vel civitatem, vel unum regnum, ſed regna plura vicerunt. *Regnum* ſcilicet *hominum*, *dæmo-*

num, & *cœlorum*. *Regnum hominum* vicerunt, dum iniquis juſſionibus tyranni acquieſcere noluerunt, ut ſcilicet Chriſtianis nocerent, vel honorem Deo dandum ad Deos gentium, qui omnes ſunt dæmonia transferrent. Verè tyrannum vice-
1. runt, qui morte ab illo illata à Chriſto ſeparari non potuerunt. Auguſtinus Invictus eſt cui non poteſt auferri quod amat. *Regnum dæmonum* vicerunt,
2. qui his tribus vitiis ſcilicet concupiſcentiæ carnis & concupiſcentiæ oculorum & concupiſcentiæ vitæ cæteriſque tentationibus non conſenſerunt.
3. *Regnum cœlorum* vicerunt, quod quaſi quadam violentia obtinuerunt. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Nobilitatem hujus triumphi quam hi ſancti martyres habuerunt,
2. non feriendo, ſed parcendo, primo oſtendit Chriſtus rex gloriæ qui hunc modum triumphandi ſibi elegit. Cum enim poſſet habere duodecim legiones Angelorum quibus hoſtes ſuos ſuperaret, patientiâ potius voluit eos ſuperare. 1. Corinth. 1. *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Proverb. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium*. Seneca. Magni animi eſt injurias in ſumma patientia pati. Glorioſum eſt valde in hoc mundo vincenti Chriſto aſſimilari Eccleſiaſtici 23. *Magna gloria eſt ſequi Dominum*.

Ex imitatione Chriſti.

3. Ad nobilitatem hujus triumphi facit ejus raritas, paucis enim contingit hoc quod perfecta patientia ſibiipſis dominentur ipſorum victores. Seneca. Innumerabiles ſunt, qui populos, qui urbes habuerunt in poteſtate, pauciſſimi qui ſe. Super illud Job. 4. *Ubi eſt fortitudo tua*. Dicit Gloſſa. Qui ſe vincit, contra omnia fortis eſt. Unus homo perfecte patiens à toto mundo vinci non poteſt. Seneca, facilius eſt gentem quam virum unum vincere. Et ſuper illud. *Qui dominatur animo ſuo, fortior eſt expugnatore urbium*, dicit Gloſſa Minorem gloriam habet urbes expugnare quam ſeipſum. Extra ſunt illi qui vincuntur, patiens autem ſuperat hoſtem qui jam ſecum eſt in arce. Difficilius eſt hoſti reſiſtere cum jam caſtrum intravit. Hoſtem familiariſſimum vincit qui ſe ipſum vincit. Nulla verò peſtis eſt efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. Iſta victoriâ habitâ de ſeipſo nulla ſervitus remanet ignominioſa. In illis verò qui civitates expugnaverunt multiplex ſervitus ignominioſa remanet. Auguſt. Malus tot Dominorum ſervus eſt quot vitiorum. Bern. An non ſervus cui dominatur iniquitas? niſi tu indignius judices hominem tibi quam vitium dominari?

Ex raritate huius triumphi.

De victoria ſui.

II. CAUSA VICTORIÆ FIDES.

Cauſa Victoriæ fuit Fides. 1. Ioan. 5. *Hæc eſt Victoria quæ vincit mundum fides noſtra. Quis autem eſt qui vincit Mundum, niſi qui credit quoniam Chriſtus eſt filius Dei*? quod intelligendum eſt de habente fidem vivam. De mortua dicit. Bernard. Nec mirum videri poteſt ſi nequaquam fides vincit quæ nec vivit. Et *notandum* quod mundus duabus manibus nobiſcum pugnat, dextra proſperitatis & ſiniſtra adverſitatis, proſperis alliciens, adverſis terrens, quem ille vincit, qui credit Chriſtum eſſe filium Dei. Qui enim hoc credit, novit eum fuiſſe ſummè bonum, nec habuiſſe defectum veri boni, nec præſentiam veri mali. Unde cum in eo temporalis proſperitas defuerit, & adverſitas adfuerit perpendere poteſt temporalem proſperitatem non eſſe verum bonum, nec eſſe appetendam, nec temporalem adverſitatem eſſe verum malum, nec eſſe timendam. Auguſt. Omnia bona terrena contempſit homo Deus, ut contemnenda monſtraret: & omnia mala terrena ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur infœlicitas. Fides eſt ſcutum triangulum, quod circumdat veritas Dei. Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*. Ideo *primus angulus* eſt, fides de pœnis inferni, *alius* de bonis æternis, *tertius* fides Chriſti mediatoris. Fides oſtendit his qui ſunt in pugna ſpirituali, ex una parte regnum Dei paratum ſi vicerint, ex alia parte patibulum infernale ſibi paratum ſi victi fuerint, & hæc cauſa eſt ſtrenuè pugnandi & vincendi. Bernard. Quid eſt quod non optamus, etiam per medios enſes, ſi oporteat, tantam declinare miſeriam & ad tantam accelerare gloriam, niſi quod mortua eſt fides noſtra? Fides oſtendit Chriſtum his qui ſunt in pugna *tripliciter*: ut ſtrenuum ducem, ſtrenuè agendi exemplum dantem, ut fortiſſimum adjutorem, ut liberaliſſimum remuneratorem. &c. *Primo modo* 1.
oſtendit ſe Chriſtus Apoſtolis cum eſſent intus in domo propter metum Judæorum, oſtendens eis manus & latus. Joan. 20. Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes*. *Secundo modo* oſtendit ſe Stephano. Actor. 7. 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus qui non permittit vos tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. *Tertio modo* oſtendit ſe Deus Abrahæ, Geneſ. 3.
15. *Noli timere, ego protector tuus & merces tua magna nimis*. Auguſt. Labor te terret, vide mercedem. Fides eſt ſapientia illa quam non vincit malitia. Sap. 7. *Attingit enim à fine uſque ad finem fortiter*, à fine inquam cogitationis uſque ad finē operis. Fides enim oſtendit cogitationem malam eſſe, velut caput ſerpentis infernalis, cui fortiter reſiſtendum eſt. Hieron. Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur, ſtatim labitur.

Mundus duabus manibus nobiſcum pugnans, fide quomodo vincatur.

Fides eſt ſcutum triangulare.

Fides pugnantibus oſtendit Chriſtum tripliciter.

Fides invincibilis eſt ob ſuam ſapientiam.

DE SANCTO MICHAELE.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

In hoc ſermone explicatur thema de Eccleſia militante & dividitur in duas partes, quarum prima in alias duas ſubdividitur.

Factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone. SERMO LXXXI.
Apocal. 12.

Tempus belli & tempus pacis. Eccleſ. 3. In præſenti eſt tempus belli. *Militia eſt enim vita hominis ſuper terram*. Job. 7. Tempus pacis in futuro, quod pertinet ad eccleſiam triumphantem, cujus fines Deus poſuit pacem. Iſaiæ 23. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Tempus belli pertinet ad Eccleſiam militantem, de cujus bello Joannes in verbis propoſitis duo nobis oſtendit, ſcilicet magnitudinem prælij & magnitudinem adjutorij. *Primum* ibi: *factum eſt prælium magnum in cœlo*, id eſt, in militante Eccleſia. Hoc prælium magnum præcipuè eſt factum poſtquam diabolus à cordibus hominum ejectus eſt per fidem Chriſti. Joan. 12. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Secundum*. ibi: *Michael &c*. Primum incutit timorem, ſecundum ſublevat ſpem, dando conſolationem.

Thema explicatur de Eccleſia militante, dividiturque in duas partes.

1. Dividitur in duo.

Circa Primum *duo* oſtendemus, ſcilicet quare Eccleſia dicatur cœlum, & quomodo prælium ejus ſit magnum. Notandum ergo quod Eccleſia militans tempore gratiæ ſecundum ſtatum in quo pater eam poſuit & eam eſſe voluit, rectè cœlum dicitur ratione quadruplici. *Primo* quia de cœlo deſcendit, *ſecundo* quia ad cœlum tendit ibi ſine fine manſura, *tertio* quia mente in cœlo verſatur, *quarto*

1. Eccleſia militans cœlum vocatur ob quatuor.

to quia cœlo aſſimilatur. Eccleſia de cœlo deſcendit ſecundum illud Apocal. 21. *Ego Ioannes vidi ſanctam civitatem novam Ieruſalem deſcendentem de cœlo.* Sicut aliquis dicitur facere imaginem ratione formæ, licet ſecundum materiam eam non efficiat, ſic Eccleſia militans quantum ad formam de cœlo deſcendit, ſapientiam ejus & virtutem inde recepit, *fontem ſapientiæ, verbum Dei in excelſis* ut habetur Eccleſiaſtici 1. id eſt ad erudiendum eam de quo deſcendit. Matth. 23. *Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus.* Auguſtinus. Cathedram habet in cœlo, qui corda docet in terra. Primi de Eccleſia cum eſſent Idiotæ, manifeſtè edocti fuerunt à Deo. Actor. 10. Auguſt. Ideo deſcendere de cœlo civitas illa dicitur, quoniam cœleſtis eſt gratia qua Deus eam facit & poſſe ſcire & velle. Quod à Deo habet, Actor. 1. *Accipietis virtutem ſupervenientis ſpiritus ſancti in vos.* Eſſe gratiæ ſancti potius reputant
2. quam eſſe naturæ. 1. Corinth. 15 *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Eccleſia in cœlum tendit & cœleſtia in operibus ſuis intendit, illa enim ſibi ſunt promiſſa. Matth. .& 4. *Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* A cœleſtis regni promiſſione inchoavit legem novam Salvator. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Synagoga terrena intendebat quæ ſibi promittebantur. Iſaiæ. 1 *Si volueritis & audieritis me, bona*
3. *terræ comedetis.* Eccleſia etiam in cœlis converſatur ſecundum illud ad Philip. 3. *Noſtra converſatio*
4. *in cœlis eſt.* Converſabatur Apoſtolus in cœlo meditatione, deſiderio & ſpe. 2. Corinth. 4. *Non contemplantibus nobis ea quæ videntur.* Eccleſia cœlo aſſimilatur ſecundum ſtatum in quo eam Salvator poſuit & eam eſſe voluit. Poſſumus autem circa cœlum *ſex proprietates* attendere, in quibus Salvator voluit Eccleſiam ei aſſimilari. Cœlum eſt locus ſublimis, habitatio ſpirituum, locus ubi eſt perfecta obedientia, perfecta concordia, perfecta ordinatio, ubi etiam jugiter reſonat vox laudis & gratiarum actio.

Eccleſia cœlo aſſimilatur in ſex proprietatibus.

1. In ſublimitate.

Cœlum locus ſublimis eſt, cum multum diſtat à terra. Sic Chriſtus voluit Eccleſiam ſuam eſſe in ſublimitate vitæ & multum elongatam à terrenis. Ideo ad contemptum terrenorum ſpecialiter conſuluit Dominus. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe &c.* Et in eodem. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Iſai. 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ*, quas tenui & tenendas docui, dicit Salvator, qui erat patris ſapientia & ſapienter proceſſit in extirpatione vitiorum, ſecurim prædicationis ponens ad radicem malitiæ, quæ eſt cupiditas 1. Timoth 6. *Radix omnium malorum cupiditas.* Non fiet perfecta correctio in Eccleſia Dei, niſi extirpationi cupiditatis in eâ intendatur. Cupiditas tantum exercetur quantum ad multos in Eccleſia Dei, quod etiam ſe venales exhibent, & ipſum Deum, ſcilicet Spiritum ſanctum Eccleſiaſtici 10 *Nihil iniquius quam amare pecuniam, hic enim animam ſuam venalem habet.* Quantum ad hanc primam proprietatem, non videtur Eccleſia eſſe cœlum, ſed potius terra quantum ad plures, nec minus amare terrena quam amaverit Synagoga. Hierem. 6. *A majore uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent.*

Defectus huius proprietatis in aliquibus.

Cœlum locus eſt ſublimis, maximè empyreum. Unde dicit Philoſophus, quod ante corpus in quo eſt diverſitas luminis, eſt aliquid ſupra in quo eſt uniformitas luminis. Primum eſt cœlum, ubi ſunt ſtellæ fixæ, ſcilicet firmamentum, & quod eſt infra ipſum, ubi ſunt planetæ. Secundum eſt cœlum empyreum quod Chriſtus voluit Eccleſiam eſſe. & locum luminis, habentem cœleſtis ſapientiæ claritatem & honeſtatis ſplendorem. Unde poſuit in ea viros ſplendentes luce doctrinæ & boni exempli, & velut quaſdam ſtellas, ſecundum illud ad Phil. *Inter quos lucetis quaſi ſtellæ in firmamento verbum vitæ continentes.* Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* Sed hodie pro lumine ſapientiæ cœleſtis, eſt lumen ſapientiæ terrenæ, quod aſſimilatur lumini ligni putridi, quod de nocte non de die apparet. Sic ſole intelligentiæ apparente, manifeſtum erit quod terrena ſapientia ſtultitia fuit, & de multis ſtatutis humanis quod iniqua fuerunt, ſicut Dominus oſtendit de aliquibus ſtatutis Scribarum & Phariſæorum. Quantum ad proprietatem hanc potius Eccleſia terra eſt quam cœlum, quantum ad plures. & loco ſtellarum ſunt mala culpæ.

2. In habitatione.

Item cœlum eſt habitatio ſpirituum, cœlum inquam empyreum quod quando factum eſt, Angelis ſtatim repletum eſt. Illi ſpiritus ſunt immediatè à Deo, non ab alio, Deo totaliter ſe debent & exhibent. Sic Deus voluit Eccleſiam eſſe habitationem hominum ſpiritualium non carnalium, quos Deus introduceret, in Eccleſiam, quorum ſervitium haberet. Joan. 8. *Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt.* Primi de Eccleſia ſpirituales fuerunt. 2. Corinth. 10. *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus.* Qui in carne ſunt placere Deo non poſſunt, ideo Deum non placant. Bernard. Si non places non placas. Prælatus ſi ſpiritualiter præcedat, beatus eſt; ſi vero carnaliter præcedat, Sathanas à Deo reputatur & eſt ſcandalum Eccleſiæ Dei, Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, &c.* Et ejuſdem 27. *Vade poſt me Sathana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Carnalis Prælatus ſaluti eſt adverſarius, plus enim poteſt impedire ſalutem animarum quam multi diaboli.

Defectus huius proprietatis.

3. In obedientia.

Item cœlum eſt locus perfectæ obedientiæ, quantum ad continens & contentum. Pſal. 148. *Præceptum poſuit & non præteribit.* Matth. 6. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Sed quantum ad multos obedientia mutata eſt. Eccleſ. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.*

4. In concordia.

Item cœlum locus eſt ubi eſt perfecta concordia Job 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus* Hanc voluit Chriſtus eſſe in Eccleſiâ, ſed hodie pro magna parte locus eſt diſſenſionis.

5. In ordinatione.

Item cœlum eſt locus ubi perfecta eſt ordinatio, ibi enim ſunt novem ordines Angelorum, ſcilicet novem cœtus ordinatiſſimè ſe habentes, in aliquo dono convenientes & cum eorum ſit cõtemplari & operari, ſecundum hoc diſtinguuntur.

De 9. choris Angelorum.

Ad perfectionem contemplationis pertinent tria Cognoſcere, diligere, quieſcere. Ab excellentia dilectionis dicuntur Seraphim; ab excellentia cognitionis dicuntur Cherubim; ab excellentia quietis Throni. Operari vero quis dicitur dupliciter, vel imperãdo, vel miniſteriũ exequendo. Ad tres medios pertinet imperium, ſcilicet Dominationes, Principatus, Poteſtates. Dominationes habent poteſtatem ordinatam ſuper Angelos confirmatos in bono. Principatus ſuper homines vertibiles bonum & malum. Poteſtates ſuper Angelos obſtinatos in malo. Miniſterium pertinet ad infimos, ſcilicet, Virtutes, Archangelos, Angelos. Virtutum eſt mira agere, Archangeli dicti ſunt à denuntiatione ſecretorum excellentiſſimorum, Angeli à denuntiatione aliorum.

Defectus huius proprietatis.

Voluit Chriſtus in Eccleſia perfectam eſſe ordinationem, ſed è contra ibi eſt deordinatio; quod debuit eſſe ſupra, ſcilicet cœlum eſt infra. Proverb. 25. *Cœlum ſurſum, terra autem deorſum.* Quod debuit ante eſt retro Hierem. 7. *Facti ſunt retrorſum & non ante.* Quod debuit eſſe ſiniſtrum eſt dextrum. Multi malum pœnæ fugiunt & reputant adverſum, malum verò culpæ quam plures amplectuntur, medicinam ſcilicet tribulationis timent, vulnera negligunt. *Item* in cœlo jugiter reſonat gra-

In laude & gratiarum actione. Defectus hujus proprietatis. 1.

tiarum actio & vox laudis. Sic voluit Chriſtus eſſe
in Eccleſia, ſed multi licet ibi voce laudent, blaſ-
phemant opere. Auguſt. ſuper illud 1. Corinth. 10.
Sive comedatis, ſive bibatis. Si modum naturæ de-
bitum immoderatio voracitatis excedit & vinolen-
tia te ingurgites, quantaſque laudes lingua reſo-
net, vita blaſphemat. Circa prælij magnitudinem

2. Eccleſiæ prælium magnum eſt ob quinque.

notandum, quod hoc prælium magnum eſt *quinque*
modis. *Primò* duratione, durat enim à tempore il-
lo quo dictum eſt draconi. Geneſ 3. *Inimicitias*
ponam inter te & mulierem. *Secundo* continuitate.
1. Gregor. Aſſidua tentatione nos pulſat, ut ſaltem tæ-
2. dio nos vincat *Tertiò* impugnantium multitudine,
3. unde ſubditur poſt verbum propoſitum: *Draco &*
angeli ejus pugnabant. Secundum Haymonem. An-
geli dracones dicuntur quicunque conſenſerunt ei,
cum dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium*, &c.
Iſa. 14. Secundum Bedam, non ſolum illi ſed etiam
4. homines, qui laqueis peccatorũ ſunt irretiti. *Quarto*
impugnantium fortitudine. Job 41. *Non eſt poteſtas*
in terra quæ ei valeat comparari. *Quinto* modorum
5. impugnandi varietate; impugnat enim quaſi infinitis
modis. Auguſtinus, Hoſtis noſter cui mille nocendi
artes tam varijs expugnandus eſt telis, quam im-
pugnat inſidijs.

II. Sequitur de adjutorij magnitudine, ad quam perti-
net illud: *Michael & angeli ejus*, &c. Michael præ-
poſitus fuit ſynagogæ ut angelus dixit Danieli: Ne-
mo adjutor meus fuit in omnibus his niſi Michael.
Princeps noſter. Daniel. 10 Ejuſdem 12. *In tempore*
illo conſurget Michael princeps magnus qui ſtat pro
filijs populi tui. Et forſitan de illo intellexit Domi-
nus. Exod. 23. *Ecce ego mitto angelum meum qui*
præcedat, & cuſtodiat in via, & introducat ad locum
quem paravi. Ex quo verò ſynagoga ipſum cruci-
fixit Michael translatus eſt ut ſit princeps Eccleſiæ.
Angeli vero ejus dicuntur angeli ad cuſtodiam
hominum deputati. Præliantur autem, vel diabo-
lum coërcendo, vel in tentatione confortando.
Draco verò dicitur Lucifer. Iſtud adjutorium mag-
num eſt nobis ſolatium. Bernardus. quid ſub tan-
tis cuſtodibus timeamus vel ſuperari vel ſeduci?
minus autem ſeducere poſſunt. Idem. Bene tecum
agitur ô mater Eccleſia in loco peregrinationis tuæ,
de cœlo in terram venit auxilium tibi,

DE BEATO HIERONYMO

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Explicat hic ſermo quatuor dicta thematis de quatuor operationibus, juſti, eaque in fine S. Hieronymus accommodat.

SERMO LXXXII.

Os juſti meditabitur ſapientiam & linguâ ejus loquetur judicium Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus.

Pſalm. 36.

Thema cõtinet quatuor operationes juſti quatuor dictis.

HIs verbis vita juſti nobis deſcribitur cujus *qua-*
tuor ſunt *operationes* ſcilicet: *meditatio, locutio,*
voluntas & exterior operatio. Et oſtenditur his verbis
quomodo vir juſtus ſe habet ad hæc quatuor. *Primo*
quomodo ſe ad meditationem habeat ibi: *Os juſti*
meditabitur ſapientiam. *Secundo* quomodo ad locu-
tionem ibi: *loquetur judicium*. *Tertio* quomodo
ad voluntatem ibi: *Lex Dei*, &c. *Quarto* quo-
modo ad aliam operationem ibi: *& non ſupplanta-*
buntur greſſus.

De primo tria notanda.

Circa *primum tria* ſunt nobis attendenda. *Primo*
quare à Spiritu ſancto, cujus pſalmi ſunt ſoliloquia,
1. *Os* vocetur intellectus, *ſecundo* quare vocetur *os ju-*
ſti, *tertio* in quibus ori corporis aſſimiletur. Ideo
autem intellectus à Spiritu ſancto os dicitur, ut ex
hoc intelligatur quæ ei reverentia debeatur. Si
enim os corporis ab immunditia corporali ſer-
vatur, cum immunditia corporalis non repute-
tur reſpectu ſpiritualis, quam diligenter debet
os ſpirituale à ſpirituali immunditia ſervari? non
ſunt ergo negligendæ cogitationes malæ. Bene au- 2.
tem intellectus dicitur *os juſti*, juſtus enim os cor-
dis reputat os ſuum. Eccleſiaſtici 21. *In corde ſapien-*
tum os illorum. Juſtus os jumenti, ſcilicet corporis,
os ſuum non reputat; in vanum enim accepit ani-
mam, qui ſolo cibo jumenti & veſtitu & cæteris
neceſſarijs corporis contentus eſt. Juſtus autem non
ſic, ſentit enim quod non in ſolo pane vivit homo.
Deuteron. 8. Injuſtus ſua ſibi præponit. Auguſtinus.
Adeo cœcitas mentis invaluit, adeo abſurduit ho-
mo, ut omnia velit habere bona præter ſeipſum.
Vult habere ſotulares bonos & pulchros & ſe ma-
lum & deformem. Idem. Ecce cum iniquis omnia
ſunt pulchra & ipſi ſunt turpes. Os cordis in *tribus* 3.
aſſimilatur ori corporis, datum enim eſt *ad loquen-*
dum, ad edendum, ad oſculandum. Sic os cordis
cogitatio eſt & ſpiritualis loquela, quæ debet eſſe
de his quæ pertinent ad Dei gloriam & utilitatem 1.
humanam. Alia cogitatio abuſio eſt intellectus.
Joan. 8. *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* Os 2.
etiam cordis eſt ad comedendum Eccleſiaſtici 24.
Sicut Cinamomum & balſamum aromatiZans odo-
rem dedi. *Tertio* eſt ad oſculandum cœleſtem ſpon-
ſum. Ex hoc apparet quanta munditia debetur huic
ori. Quomodo anima quæ habet os immundum au-
det dicere. Cantic. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui?*
Et ibidem 8. *Quis mihi det ut inveniam te ſolum*
foris, ut oſculer te? Item ſponſa cui oſculum ſponſi
cœleſtis promittitur ſæpe debet abſtergere os cordis.
Auguſt. in epiſtolis ad fratres de monte Dei. Spiritus
ubi vult, quando vult, & quomodo vult ſpirat. Sed
hominis eſt præparare cor, voluntatem expediendo
ab occupationibus non neceſſariis. Os ergo juſti
meditabitur ſapientiam, non temporalia quæ Apo-
ſtolus æſtimavit ut ſtercora. Philip. 3. Ideo juſtus
ſapientiam meditatur, quia non vult nunciari ſuo
ori ut immunditia illud polluat, nec ſapientiæ cui
os illud conſecratum eſt.

Os cordis ſimile eſt ori corporis in tribus.

Explicatio brevis dict. primi.

Sequitur. *Et lingua ejus loquetur judicium*, id
eſt, ſententiam examinatam vel judicatam. Exa-
minate debemus verba quæ prælaturi ſumus *triplici*
ratione *Primo* quia oportebit ea tranſire per Dei
judicium ſecundum illud. Matth. 1·. *De omni verbo* 1.
quod locuti fuerint homines reddent rationem in die
judicij, ideo expedit ut ſaltem per judicium no- 2.
ſtrum tranſeant ante. *Secundo* quia in hoc conſiſtit 3.
magna pars juſtitiæ noſtræ. *Item* quia verbum no-
ſtrum de proximo dictum, teſtimonium eſt pro eo
vel contra eum.

De 2. Sermo noſter examinandus triplicìter.

De 3.

Sequitur. *Lex Dei ejus*, &c. Lex Dei eſt in cor-
de, quoniam eſt cordis, id eſt, quoniam placet ho-
mini. Pſal. 1. *In lege Domini voluntas ejus*. Item
Pſalm. 118. *Quoniam dilexi legem tuam Domine*.
Similiter ibidem. *Bonum mihi lex oris tui*, &c.
Lex eſt regula ad quam voluntatem noſtram dirige-
re debemus.

De 4. dict.

Sequitur. *Et non ſupplantabuntur greſſus ejus*. &c. 1.
Greſſus hominis ſupplantantur, cum opera & labo-
res eius quaſi furtim ſurripiuntur. Sicut accidit eis,
qui cum pro temporalibus 40. annis laboraverunt
& amplius, inveniuntur in illo ſtatu, in quo fue-
runt ab initio: ſicut enim nudi egreſſi ſunt de utero
matris ſuæ, & nudi revertuntur illuc. Sic depre-
hendet Dominus ſapientes in aſtutia ſua Job 5.
Item greſſus ei ſupplantantur, cui bona opera au-
feruntur, vel eum deſerunt, eo quod in mortali
ſiant, propter quod meritoria non ſunt, vel quæ

prava intentione fiunt, ut ſint tenebræ quæ videntur lumen. Matth. 6. *Si lumen quod in te eſt tenebræ ſunt.* Aliquando auferuntur opera poſtquam ſunt facta, ſcilicet quando aliquis in peccatum mortale cadit. Ezech. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus quas fecit non recordabuntur.*

Quatuor iſtæ S. Hieronymo accommodantur. Pſal. 1.

Verba ſacra jam propoſita congruunt beato Hieronymo, qui in lege Domini meditatus eſt die ac nocte, ſtudioſiſſimus enim fuit. De quo ſanctus Auguſtinus: non contemnendum arbitreris ſanctum Hieronymum, qui Græco & Hebræo eruditus eloquio, ad Orientalem Eccleſiam tranſiens in locis ſanctis piè & religioſè uſque ad ætatem decrepitam vixit. Lingua ejus locuta eſt judicium: transferendo enim de Hebræo in Latinum magnam diligentiam habuit. Unde ſanctus Auguſtinus de ipſo inquit: trium linguarum peritus ſermone fuit, ita ut ex Hebræo in Latinum eloquenter Scripturas ſacras tranſtulerit, cujus interpretatio cæteris præfertur, quoniam & verbis tenacior eſt & perſpicuitate ſententiæ clarior atque ut à Chriſtiano interprete verior. Ipſe etiam judicium Dei futurum multum timuit, & de eo multum locutus fuit. Unde dicebat: Ego in ſcelerum meorum ſepulchro lateo, quia peccatorum vinculis colligatus diutius clamorem illorum expecto: Hieronyme veni foras, ego etiam omnia tuta timeo. Lex Dei fuit in corde ipſius, *in lege* enim *Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.* In lege, inquam, addiſcenda, implenda, & docenda. Pro ea diſcenda profectus eſt ad Gregorium Nazianzenū Conſtantinopoleos urbis Epiſcopum, pro ipſa implenda & ſuos & ſua deſeruit, & mare tranſiens & deſerta petens quadriennem pœnitentiam valde arctam fecit. Poſt per quadraginta annos ſeniles apud Athenelytos manens, urbem bono ſpirituali opere replevit. Lex charitatis quæ eſt ſpecialis lex Dei in corde ipſius verè fuit. Cujus ſignum fuit quod hoſpitalitati intendebat, unde ipſe ait de ſe, in monaſterio hoſpitalitati ex corde intendimus, & omnes ad nos venientes præter ſolos hæreticos læta fronte recepimus, advenientium pedes abluimus. Etiam leonem in pede infirmitatem habentem clauſtrum ejus ingredientem, cum fratres ejus perterriti fugerent, velut hoſpitem ſuſcepit, & curam illius haberi voluit. Qui curatus, inter fratres quaſi domeſticum animal commoratus, ſocius factus eſt, & cuſtos aſini illius clauſtri. Greſſus ejus non ſunt ſupplantati, opera enim ipſius hoſtis fraudulenter non ſurripuit, ſed in via cœleſtis regni perſeverans ad regnum æternum pervenit.

Pſal. 1.

DE SANCTO FRANCISCO.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo thema explicat de merito & præmio S. Franciſci, & aliorum Sanctorum. Præcipuè verò agit de ſuperborum ſtultitia & humilium ſapientia.

SERMO LXXXIII

Sapientia humiliantis ſe exaltabit caput illius, & in medio magnatorum illum conſedere faciet. *Eccleſiaſtici 11.*

Thema oſtendit duo de S. Franciſco.

IN verbis propoſitis oſtenduntur nobis *duo* de beato Franciſco, de quo hodie ſolennizamus, ſcilicet ejus *meritum & præmium.* Meritum ibi: *Sapientia humiliantis ſe.* Præmium ibi: *& in medio magnatorum*, &c.

I. De ſtultitia elationis Angelicæ & humanæ.

Circa *primum* notandū, quod Angelus elatus, dum cupiens ſe æquare Deo, ſe exaltare voluit, caput ſuum ſcilicet Dominum, qui eſt caput creaturarum rationalium, quantum in ſe fuit dimiſit, unde non exaltavit caput ſuum, ſed membrum, & ſic perverſitatem intolerabilem in univerſitate rerum voluit facere; & hoc fuit prima ſtultitia & maxima vel una de maximis, quæ nulla corrigitur ſapientia. Gregorius. Prima ſtultitia Angeli fuit cordis elatio, Angelum, qui erat valde capacis intelligentiæ, ſic infatuavit, quod infatuatus ait, *ero ſimilis altiſſimo*, Iſa. 14. In quo duo oppoſita multiplicata ſunt. Si enim creatura eſt ſimilis Deo ſimilitudine æqualitatis, jam non eſt altiſſimus, quia jam æquatur ei creatura, quod enim per ſuperabundantiam dicitur uni ſoli convenit. Per exaltationem autem de ſe dejectionem meruit, fugiendo enim ſubjectionem honorabilem, incurrit ſubjectionem ignominioſam, ſervus enim factus eſt vitiorum: & qui erat creatura nobiliſſima, factus eſt quaſi ſanguiſuga ſanguinem peccatorum ſugens. Proverb. 30. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ.* Qui Dei viſionem ſitire deberet, nunc ſitit ſanguinem culpæ. Inferior eſt ſerpentibus & bufonibus, quantum ad hoc quod ipſe eſt in miſeria culpæ & pœnæ, cum illi ſolum ſint in miſeria pœnæ. De his tribus, ſcilicet infatuatione Angeli, elatione, dejectione dicitur. Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum*, &c. *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo, in terram projeci te* Iſa. 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer*, &c. Exaltatio cauſa fuit dejectionis. Lucæ 10. *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Stultitia etiam hominis elati, mulieris ſcilicet credentis ſerpenti dicenti: *eritis ſicut dii*, &c. Caput ſuum non exaltavit, ut Deum honoraret, mandatum ejus adimplendo: imò caput ſuum quodammodo dimiſit, & membrum exaltare voluit, ideo dejectionem meruit, & de ſtatu fœlicitatis ad ſtatum miſeriæ tranſivit. Stultitia verò illa, ſapientia corrigi potuit, corrigenda autem fuit per ſapientiam humilitatis. Decrevit enim Deus, ut ait Ambroſius, non intromitti hominem, id eſt ad Dei contemplationem non admitti niſi homini tanta exiſteret humilitas, quæ omnibus ſuis ſufficere poſſet, ſicut in primo homine tanta fuit ſuperbia, quæ omnibus ſuis nocuit. Et notandum quod humilitas principium ſapientiæ videtur eſſe, & quædam cauſa, unde Gregorius. Prima ſtultitia Angeli fuit elatio cordis. Subditur vera ſapientia. Auguſtinus de verbo Domini. Quantò humilius Maria ſedebat, tantò amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatis vallem de ſupercilio montis. Humiliatus antonomaſticè poteſt intelligi Chriſtus, caput ſcilicet cum membris. Item cum eſſet ſummus factus eſt infimus; cum eſſet primus, factus eſt noviſſimus in humilitate enim judicium ſublatum eſt. Huic capiti ſoli humiles tanquam membra adhærent, unde ſuper illud Joan. 17. *Omne quod dediſti mihi*, dicit Gloſſa, tantum humiliatus eſt in corpore cujus Chriſtus eſt caput. Non poteſt eſſe gibboſitas, niſi aliquod membrum capiti ſuperponatur, vel æquetur. Chriſto humilitatis fuit gloriam propriam non quærere, ſed gloriam patris ſui. Joan. 8. *Ego gloriam meam non quæro.* In eodem. *Ego glorifico patrem meum.* Ibidem. *Si ego honorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Sic ergo ſapientia humilitatis fuit ſe per humilitatem dimittere, & quærendo gloriam Dei caput ſuum exaltare. Quæ duo verè fuerunt in beato Franciſco, fuit enim propriæ gloriæ perfectus contemptor, & Dei gloriæ amator, ſicut patet ex vita ipſius, & ſic à Deo glorificari meruit.

Geneſ. 3.

Hæc ſtultitia humilitatis ſapientiam per Chriſtum & ſanctos correcta fuit.

Actor. 8.

Sapientia Mundi tripartita.

Et *notandum* quod ſapientia mundi, quæ Dei judicio veriſimiliter eſt ſtultitia ſecundum illud 1. ad Cor. 3. *Sapientia hujus mundi eſt ſtultitia apud Deū*, *tripartita* eſt. *Prima* pars ejus pertinet ad mundi gloriam, *ſecunda* ad divitias, *tertia* ad delitias. *Primam* ſtultitiam oſtendit eſſe in parabola de decem Virginibus, unde vocat fatuas virgines ſuperbas, mundi gloriam quærentes. *Illam* quæ pertinet ad

1. Matth. 25.

divitias oſtendit eſſe ſtultitiam Luc. 12. Ubi illi, qui dilataverat horrea ſua & illis repletis dicebat: *Anima mea multa habes bona repoſita in annos plurimos,* &c. dictum eſt: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te,* &c. *Tertiam* oſtendit ſtultitiam Luc 16. in parabola de epulone, qui epulis tranſitoriis ſitim æternam incurrit. Mille anni ſunt & ultra quod lingua ejus ardebat igne infernali, & guttam aquæ deſiderabat à digito Lazari qui leproſus fuerat, & non obtinuit, nec unquam obtinebit. Contra tres partes ſapientiæ mundanæ attulit filius Dei ſapientiam *tripartitam*: ſcilicet humilitatis, paupertatis & cruciatus ſive crucifixi. De *prima* habetur in verbo propoſito. De *ſecunda* Eccleſiaſtes 9. *Civitas parva, &c Et inventus eſt in ea pauper & ſapiens & liberavit urbem per ſapientiam ſuam* Proverb. 28. *Sapiens videtur ſibi vir dives, pauper autem prudens ſcrutabitur eum.* De *tertia* dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. *Nihil judicavi me ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Auguſtinus dicit Sapientia Sanctorum eſt hîc temporaliter cruciari & in æternum delectari. Sapientia humilitatis vera ſapientia eſt, & recta eſt via ad gloriam humiliatiô. Luc. 14. *Qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Ipſa humiliatio eſt exaltatiô, altitudo enim congruens creaturæ rationali, & perfecta ſubjectio ad Deum. Præterea qui ſe humiliat & Deum glorificat, ab eo meretur glorificari. 1. Reg. 2. *Qui me glorificaverit, glorificabo eum.* Eccleſiaſtici 3. *Magna potentia ſolius Dei, & ab humilibus honoratur.* Talis quaſi pretio mundanæ gloriæ, quam pro Chriſto contemnit, veram gloriam acquirit Bern. Filius Dei cum non haberet quo aſcenderet, quia ultra Deũ nihil eſt, tamen per humilitatem invenit quomodo creſceret. Sapientia vero ſuperbi eſt vera ſtultitia, dũ enim deſerit Dei ſubjectionẽ honorabilẽ, incurrit ſubjectionẽ deteſtabilem. Reg. 2. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Pſal. 72. *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Luc. 16 *Quod altum eſt hominibus, abominatio eſt apud Deum* Bene ergo agit, cum aliquis ſubtrahit ſe ſubjectioni corporis & diaboli vitiorum. Auguſtinus. Malus tot dominorum ſervus quot vitiorum. Altitudo ergo ſuperbi in quantum exaltat ſe reſpectu Dei, abominatio eſt; vel in quantum exaltat ſe reſpectu proximi, iniqua eſt: vult enim de fratre ſuo, quem natura fecit ſibi parem quaſi ſcabellum pedum facere, ut ipſe exaltetur. Seneca Si videris unum velle dominari aliis, in hunc nunquam uſum teneas, quia cum ſit contumelia fratri, fit contumelia & tibi Contumelia enim unius fratris quodammodo in contumeliam alterius redundât. Altitudo etiam illius qui ex bonis inferioribus ſe, gloriam mendicat naturæ humanæ, cum ſit naturaliter ſuperior, æquè ſubjiciens eſt & contumelioſa. Sapientia humilitatis multum abundavit in beato Franciſco, unde ab ea voluit ſuum ordinem nuncupari, ut dicerentur fratres minores, non pauperes fratres, non diſcalceati.

Sapientia Dei & SS. tripartita contraria ption.

Sapientia humilis eſt vera ſapientia.

Sapientia ſuperbi eſt vera ſtultitia.

II. Sequitur *In medio magnaterum conſedere eum faciet.* Magnates dicuntur nobiles, potentes, prælati. In medio nobilium, ſcilicet filiorum Dei fecit eum conſedere, cum in cœlum receptus eſt, & in medio eorum ſecundum ſtatum infirmitatis & utilitatis, & ſecundum ſtatum virtutis & gloriæ. Hi ſunt filii in ſtatu infirmitatis, qui non poſſunt ſe defendere à muſcis & pulicibus Vel in ſtatu vilitatis Eccleſiaſtes 10. *Vidi ſervos in equis & principes quaſi ſervos ambulantes ſuper terram.* Sed in patria mutatus eſt ſtatus. Et cum humiliatio ſit cauſa glorificationis, ex magnitudine humilitatis perpendere debemus gloriæ magnitudinem. Ipſe valde pius fuit in hac vita mortali. Pietas verò ejus augmentata eſt non diminuta. Ipſe etiam novit per experientiam infirmitatem magnam, in qua eſt hodie natura humana. Non deeſt ei voluntas ſubveniendi neque facultas. Multum amat Deus ſanctos modernos, qui inter tot & tam malos boni ſunt.

DE BEATO DIONYSIO ET SOCIIS EJUS MARTYRIBUS.

SERMO UNICUS.

SUMMARIUM.

Affert hic ſermo ſeptem rationes ex Cap. 3. Sap. cur Deus ſuos affligi ſinat ad tollendam tentationem, hoc admirantium.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, &c. *Sapient.* 3. SERMO LXXXIV.

HOdie ſolennizat Eccleſia de beato Dionyſio & ſociis ejus, qui pro Chriſto multa tormenta paſſi ſunt. Super hoc autem, quod Chriſtus fideles ſervos, immo chariſſimos amicos ſuos ſic permittit tractari, poſſet aliquis admirari & moveri, cum ita de facili poſſet eos liberare. Septem verò oſtenduntur nobis in lectione de libro ſapientiæ ſumpta quæ ad miſſam leguntur, quæ ſi quis diligenter attendat, de iſta Dei tolerantia nec mirabitur nec movebitur.

Septem rationes ex Capite 3. libri Sap. afferuntur ad tollendam admirationem vel tentationem quod Deus ſuos affligi permittat.

Primum eſt quod licet ſervorum ſuorum corpora perſecutoribus exponat, tamen id quod eſt in eis pretioſius, ſcilicet animam protegit & ſalvat, ad quod pertinet illud: *Juſtorum animæ* Sic Chriſtus in tribulatione Paſſionis corpore ſuo perſecutoribus expoſito patri ſuo ſpiritum commendavit Sic Principes terreni cum guerram habent cum potente homine villas quas tenere non poſſunt exponunt, omnino tamen caſtra muniunt. Et notandum quod animæ omnium ſunt in manu Dei, quantum ad voluntariam ſubjectionem, & ideò ſunt in manu Dei quantum ad protectionem. Pſal. 26. *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* Magna ſecuritas eſt eſſe in manu Dei, cum non ſit qui de manu ſua poſſit eruere. Pſal. eod. *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.* Bernard. Qui manet in charitate, in Deo manet, quid ſecurius: Auguſt Anima juſti non ſolum eſt in manu Dei, ſed in ſinu, quid times, inquit hominem, homo in ſinu Dei poſitus? tu de ſinu illius noli cadere, quidquid ibi patieris ad ſalutem tuam valebit, non ad perniciem. Eccleſiaſtes 8 *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Corpora ſanctorum erunt in manu tortorum, animæ verò eorũ in manu Dei. Job 9. *Terra data eſt in manu impii.* Animæ injuſtorum in manu diaboli, animæ juſtorũ in manu Dei Valde periculoſus eſt ſtatus injuſtorũ cum ipſi ſint in ore lupi infernalis: lupus cũ accipit ovem ſine læſione defert eã donec à paſtoribus & canibus ſit elongatus; cũ verò elongatus eſt, eam occidit. Sic diabolus eis facit quos capit, in præſenti cavetut manſuetę eos tractet, in futuro verò aliter ſe ad eos habebit. *Secundum* eſt quod in præſenti tribulatione brevi & levi æternam pœnam evadunt, ad quod pertinet illud: *& non tanget illos tormentum malitiæ*, de quo dicitur Joan. 8. *Si quis ſermonem meum ſervabit*, &c Cujus comparatione mors temporalis mors non reputatur, cum ſit deſiderabilis. Apocal. 9. *Deſiderabunt homines mortem, & fugiet ab eis mors.* Secundum Greg. Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per eam æternam evadere non dubitant. *Tertium* eſt error ſtultorum circa tranſitum eorum, ad quod pertinet illud: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori.* Tranſitum mortis reputant, cum potius ſit deſtructio ſeu ceſſatio mortis, quam vitæ præſentis, quæ eſt quaſi genus mortis, immò morte deterior

rior

tior Eccleſiaſtici 30 *Melior eſt mors quam vita amara*. Mors iſta eſt liberatio à carcere vili, ubi multas miſerias ſuſtinuit ſpiritus. Pſal 141. *Educ de cuſtodia animam meam*. Rom 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis hujus*? Tranſitus ſanctorum eſt exitus à miſeria, ingreſſus ad gloriam, finis miſeræ vitæ, ſed inchoatio beatæ vitæ, ideo potiùs eſt nativitas quam mors. Non videbatur beatus Dionyſius mortuus quando cadaver ejus ſe erexit, & caput ſibi amputatum per duo fere milliaria deportavit. Poteſtas etiam quam ipſe habet poſt mortem eum ſupereſſe mortuum oſtendit, quod enim petit pro illis qui ſibi ſunt devoti, à Domino juxta promiſſionem ſibi factam impetrabit. Cum enim eſſet in carcere & fideles confortaret, reſplenduit lux de cœlo ſuper eum, in qua Chriſtus apparens dixit: ſic facies fortiter & erit memoria tua in laude, dilectio & benignitas quam habes pro quibuſcunque
4. petieris impetrabis. *Quartum* eſt error ſtultorum circa paſſiones juſtorum, quia credunt eos pro malis ſuis exterminari; cum tamen ad gloriam probentur quæ tanguntur ibi: *Ab itinere juſto abierunt in exterminium*, *Deus tentavit eos & invenit eos dignos ſe*. Florenus recipiendus ponderatur, projicitur, flectitur, inciditur, ſuper lapidem trahitur, ab his vexationibus liber eſt florenus qui
5. malus apparet. *Quintum* eſt pax quam in tranſitu ſuo acquiſierunt. Videntur ſuperari ab hoſtibus ſuis, ipſi tamen in veritate eos ſuperant, & liberati à carne hoſte familiari & ad nocendum efficaciori, & à diabolo potenti valde aſtuto & malitioſo, & à mundo valde periculoſo, pacem perfectam habent. Iſaiæ 32. *Sedebit populus meus in pulchritudi-*
6. *ne pacis* in morte, *ut requieſcant à laboribus ſuis*. Apocal 14. *Sextum* eſt conſolatió quam habent interius licet affligantur exterius, ad quod pertinet illud: Et *ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt* Sapiens Non eſt lugenda mors quam immortalitas conſequitur. De illa conſolatione dicit Bern. Quid non temperabit dulcedo illa, quæ etiam mortem facit dulciſſimam. *Septimum* eſt quod pro pœna levi & momentanea redditur illis merces æterna, ad quod pertinet illud: *In paucis vexati in multis bene diſponentur*, pro paucis quæ ſuſtinent malis, multa bona habebunt, immò omne bonum. Exod 33. Dixit Moyſes *Oſtende mihi gloriam tuam. Qui reſpondit, oſtendam tibi omne bonum*. Rom 8 *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. dicit Auguſt. Si labor te terret, vide mercedem. Gregor. Conſideratio præmij minuit vim flagelli.

DE BEATO LUCA EVANGELISTA.

SERMO UNICUS.

SERMO LXXXV

SUMMARIUM.

Hic ſermo explicat thema de Eccleſia militante doctrina Evangelica & Evangeliſtis. In fine agitur de Evangeliſtis generatim & de S. Luca ſpetiatim.

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui dividitur in quatuor capita. *Geneſ. 2.*

MOyſes, qui ea quæ in Paradiſo terreſtri fuerunt, vidit in ſpiritu, ſcripſit inter alia & dicit ibi fuiſſe fluvium de loco voluptatis egredientem, Paradiſum irrigantem, in quatuor capita ſe dividentem.

Paradiſus terreſtris ſimilis eſt Ecclesiæ militanti.

Paradiſus terreſtris eſt figura Eccleſiæ militantis multis de cauſis. *Primo* quia Paradiſus fuit locus in quo Dominus voluit probare hominém in obedientia, ſic in Eccleſia militante probantur homines in obedientia, qui bene ſe habent in ea, admittuntur ad triumphantem Eccleſiam, qui male ſe habent non. Unde Simon beatificatur. Matth 6 & ei dantur claves regni cœlorum. Si parentes primi de Paradiſo, ubi tunc erant, ejecti ſunt, non ſperent ſe in cœleſtem Paradiſum ingreſſuros qui obedire no-
2. lunt. *Secundo* quia Paradiſus terreſtris licet in terra ſit, tamen in loco eſt valde alto. Unde dicitur quod attingat uſque ad lunarem globum, nec ad eum aquæ diluvij pervenerint: ſic Eccleſia militans licet corpore ſit in terra, mente facta eſt in cœlo. Philip. 3. *Converſatio noſtra in cœlis eſt*, ideo ſecura eſt. Proverb 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Gloſſa. facile evadit laqueos in terris,
3. qui oculos habet in cœlis. *Tertio* quia in Paradiſo eſt perpetua aëris temperies, ut ait Iſidorus, ſic in Eccleſia præcipuè quantum ad illos qui ſe regunt ſecundum ſapientiam Chriſti, quæ eſt quaſi temperies; ſunt enim quaſi ſupra mundum, cum eum contemnunt, unde & non mutantur ſecundum ejus mutabilitatem. Seneca. Talis eſt ſapientiſſimus qualis mundus, &c.

4. *Quarto* eſt locus valde amœnus; eſt enim locus & hortus omni genere ligni pomiferarum arborum conſitus, ait Iſidorus. Sic in Eccleſia militante ſunt arbores cœleſtes diverſæ in Paradiſum transferendæ. Pſal. 51. *Ego ſicut Oliva fructifera*, &c. ibi etiam ſunt varij fructus ſpiritus. Galat. 5. *Fructus*
5. *ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax* &c. *Quinto* erat ibi lignum ſcientiæ boni & mali. Bernard. ad fratres de monte Dei. In Paradiſo lignum ſcientiæ 1. Corinth. 2.
boni & mali. Cenſura diſcretionis eſt penes virum ſpiritualem, qui dijudicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. Ipſius eſt diſcernere, aliorum obedire. Multa mala proveniunt in Eccleſia Dei ex hoc quod judicium diſcretionis, quod ad ſuperiores pertinet, inferiores diabolica ſuggeſtione uſurpant. Eius ligni ſcientiæ bon. & mali primos parentes de Geneſ. 3.
6. Paradiſo expulit. *Sexto* fuit ibi lignum vitæ primis parentibus expoſitum & conceſſum. Lignum vitæ in Eccleſia Chriſtus eſt Proverb. 3. *Lignum vitæ eſt his qui apprehendunt eam*. Hoc ligno pacificatur, qui Chriſti exemplum imitatur. Bernard. Beatus eſt Domine, qui te hominem inter homines converſantem diligenter obſervans, pro viribus
7. præbet ſe imitatorem tui. *Septimo* ſecundum Iſidorum, Paradiſum undique flammeo motu & igneo cingebatur, ſic Eccleſia igne tribulationis undique cingitur ne ad eam hoſtes acceſſum habeant, ſicut Alexander contra ſerpentes deſerti vallaſſe exerci-
8. tum ſuum incendio dicitur. *Octavo* ſecundum Iſi- Pſam. 99.
dorum Angelorum prælium Paradiſum cuſtodit, ſic Deus Angelis ſuis mandavit de Eccleſia, ut cuſtodiant eam in omnibus viis ſuis. fluvius Paradiſum Eccleſiæ irrigans eſt doctrina Chriſti.

Eccleſia ſuper fluvium eſt fundata.

Notandum quod Chriſtus voluit Eccleſiam ſuam eſſe ſuper fluvium ſecundum illud. Pſalm. 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem aquarum*, ſicut civitates beatorum ſuper fluvium ſolent fundari. Et proveniunt & perveniunt quatuor bona Eccleſiæ de illo fluvio

Quatuor commoda huius fluvij ſeu doctrinæ Evangelicæ.

1. *Primum* bonum eſt *medicina*. Joan. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis* Ad litteram fluvij qui ſunt in civitatibus mundant eas à ſordibus. *Secundum* eſt *ſpiritualium*
2. *bonorum abundantia*, fluvius enim doctrinæ Chriſti venit de Paradiſo, ubi eſt omnium bonorum abundantia. Eccleſiaſtici 24. *Ego quaſi fluvius Dorix & quaſi aqua ductus de Paradiſo exivi*. Dorex interpretatur medicamentum generationis, & fit ibi ſermo de ſapientia Dei. Negligentia eorum qui ſunt juxta fluvium iſtum, eſt, ſi habeant defectum vel lignorum vel victualium; abundanter enim adducit

eis fluvius ille ligna exemplorum ſanctorum, quibus igne divini amoris ſuccendantur: abundanter etiam miniſtrat eis materiam ſpiritualis refectionis. *Tertium* eſt *fortitudo* contra hoſtes ſpirituales. Sub-
3. mergitur enim in fluvio doctrinæ Evangelicæ Pharao. Unde ſcholares qui in patria ſua non poſſunt ſe defendere à diabolo, Pariſiis ubi clauſi ſunt undique aquâ ſcripturæ ſunt ſecuri à diabolo. *Quar-*
4. *tum* eſt *viriditas*. Eccleſiaſtici 40. *Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.* Quando alia ſunt arida, ſolent eſſe viridia quæ ſunt ſuper aquas: ſic cum illi qui ſunt aridi infernali incendio parati, qui adhærent doctrinæ ſacræ virides ſunt habentes regni cœleſtis opera meritoria. Gregor. Nil habet viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis.

Doctrina Evangelic. eſt fluvius vitæ & torrens aureus.

Doctrina Evangelica dicitur torrens ille de quo Ezech. 47. *Vivent omnia ad quæ venerit torrens.* Ipſa eſt fluvius vitæ. Joan. 6. *Verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt.* Si fluvius balſami ad aliquem veniret, cum gaudio magno reciperetur, quantò cum gaudio ſuſcipiendus eſt fluvius vitæ, immo qui eſt ipſa vita? non enim minus bonum eſt quam ipſa vita. Mortem ſuam amare videtur qui non amat fluvium vitæ. Proverb. 8. *Qui me oderunt diligunt mortem.* Vel doctrina Evangelica torrens aureus eſt. Job 22. *Dabit pro terra ſilicem & pro ſilice torrentes aureos.* Gregor. Ad ſe converſis pro terra ſilicem dat quia pro infirma actione fortitudinem dat robuſti operis; pro ſilice torrentes aureos, quia pro robuſto opere doctrinam multiplicat claræ prædicationis. Non eſt plangenda paupertas illius qui torrentem aureum à ſe repellit. Doctrina Evangelij poteſt intelligi aurea virga divini amoris. David Pſal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Fluvius ille à fonte ſapientiæ initium habuit Eccleſiaſtici 1. *Fons ſapientiæ verbum in excelſis.* In Geneſi dicitur egredi fons de loco voluptatis. Locus voluptatis Chriſtus eſt. In eo eſt divinitas qua ſpiritus noſter delectatur, & humanitas qua corpus noſtrum delectabitur. Societas deitatis ad humanitatem Chriſti nobis materiam delectationis miniſtrabit, quando ſcilicet videbimus, quod frater noſter verus Deus ſit. Quatuor capita in quibus ſe fluvius iſte dividit ſunt quatuor Evangeliſtæ; ſcilicet Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes ſecundum ſanctum Auguſtinum. Flumina in quæ dividitur fluvius Paradiſi ſub terra eunt, & poſt longos tractus erumpunt, ut tanquam ſuis fontibus nota eſſe perhibeantur. Sic Evangelia quatuor Evangeliſtis divinitus inſpirata, ab eis ſunt prædicata & ſcripturæ tradita, unde ipſi fuerunt quaſi quatuor fontes, Iſaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Cum magno gaudio eſſet haurienda aqua iſta, eſt enim ſaporis valde grati. Unde & verba Chriſti dicuntur verba gratiæ. Luc. 4. *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore illius.* Proverb. 25. *Aqua frigida animæ ſitienti eſt grata & nuntius bonus de terra longinqua.*

Fons huius fluvij quis? Cap. 1. Locus voluptatis eſt Chriſtus.

Fluvius huius 4 capita ſunt quatuor Evangeliſtæ.

Evangeliſtæ etymon. Evangeliſtarum præeminentia.

Evangeliſta interpretatur bonus nuntius. Evangeliſtæ videntur habere præeminentiam reſpectu Apoſtolorum, qui non fuerunt Evangeliſtæ, quia Evangelica doctrina in Apoſtolis fuit quaſi torrens modico tempore irrigans Eccleſiam Dei, doctrina verò Evangeliſtarum fuit fons indeficiens. Ipſi Evangeliſtæ non ſolum prædicaverunt, ſed etiam ſcripſerunt, quia ſicut dicit ſanctus Auguſt. inter omnes ſcripturas præcellit Evangelium. Multum amandi & honorandi ſunt Evangeliſtæ ab eis qui propriam ſubſtantiam deſiderant, ipſi enim reſervaverunt verbum divinum quod poteſt ſalvare animas noſtras Jacob 1. Ipſi ſe habuerunt ad Eccleſiam ſicut Joſeph ad Ægyptum qui frumentum collegit, unde populus poſtea ſuſtentatus eſt, unde vocatus eſt Joſeph Salvator mundi. Geneſ. 41. Sic Evangeliſtæ collegerunt frumentum collectum in Eccleſia, de quo Zach. 9. Perditus eſſet mundus niſi doctrina Evangelij eſſet ſervata. Iſaiæ 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma & Gomorrha eſſemus.* Inter Evangeliſtas alios Lucas de quo hodie ſolennizamus in hoc excellit, quod primordia ſalutis noſtræ diligenter ſcripſit: ſcilicet præcurſoris conceptum, & nativitatem ejus, etiam de Angelo ad beatam virginem miſſo, & de conceptione filij Dei, & ſicut dicit Ambroſius ſuper Lucam plura nobis geſtorum Domini miracula revelavit, & non ſolum actus Salvatoris ſed etiam actus Apoſtolorum ſcripſit. Ad commendationem etiam ipſius facit quod ſancti Pauli fuit ſocius laudabilis, unde illud Pauli, 2. ad Corinth. 8. *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, quidam de Luca hoc intelligunt. Fuit etiam ei chariſſimus. Coloſſ. ult. *Salutat vos Lucas medicus chariſſimus.* 2. ad Timoth. ult. *Lucas eſt mecum ſolus.* Hic neque uxorem neque filios carnis propagatione habuit, ſed ſine crimine die noctuque Domino ſerviens octogeſimo tertio vitæ ſuæ anno ſpiritu ſancto plenus obiit, &c.

Utilitas.

S. Lucæ vita & laudes.

DE SS. SIMONE ET JUDA.

SERMO UNICUS.

SERMO LXXXVI

Summarium.

Tractat hic ſermo quædam de Introitu, Epiſtola & Evangelio hujus feſti. In fine quædam ad ipſos Apoſtolos Simonem & Judam ſpeciatim ſpectantia tractantur.

Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. *Pſalm.* 138.

Introitus Miſſæ. Cur hoc feſto Introitus habeatur.

QUoniam amicitia cum Deo ſive dilectio honorificat præ cæteris virtutibus, cum charitas mater ſit virtutum & forma honor vero exhibitio ſit reverentiæ in ſignum virtutis, hinc Eccleſia de ſanctis Apoſtolis Simone & Juda ſolennizans ait: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Ubi primo tangitur eorum exaltatio, quia *nimis honorati*, & exaltationis medium, ſcilicet dilectio Dei, quia *amici tui Deus*. Deſiderat ergo Eccleſia eorum gloriam ſempiternam celebrando proficere & proficiendo celebrare, ut patet intuenti collectam. Epiſtola. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Quæ verba tractans devotus Bernard ſic ait. *Magna nobis à Deo collata gratia, quando nobis deſerviunt univerſa, eo quod diligentibus eum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. In quo ne te terreat ſanctitatis nomen, quoniam non ſecundum meritum ſed ſecundum propoſitum, non ſecundum affectionem, ſed ſecundum intentionem ſanctos vocat juxta illud*, Pſalm. 85. *Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum. Si quid ergo aliquando minus recte feceris, ut eſt humana fragilitas, non in eo perſiſtere ſed emendare pro viribus ſtudueris, ſanctus eris & tu, cui tamen interim clamare neceſſe eſt: Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum. Huic ſancto omnia cooperantur in bonum, quia etiam inimici & hoſtes pro nobis faciunt. Nam cum in corde compungimur & in cubilibus conſcientia ſuper delictis pœnam illa reducit ſpem veniæ repellens præterita & futura peccata & propulſans tentantia vitia. Qui etiam perfecte ſenſerit peccati onus & animæ læſionem, exteriorem pœnam aut non*

Epiſtola. Bern. ſuper unum dictæ Epiſtolæ. Videnda editio recentior in ſerm. 1. de duabus menſis.

non ſentiet aut non reputabit laborem. Diligenti ergo Deum ſecundum præparationem gratiæ Dei, omnia etiam ſæculi mala cooperantur in bonum.

Quatuor gradus ſcalæ in gloriã electorum ex Epiſtola.

Et ex hac epiſtola trahuntur quatuor gradus ſcalæ aſcenſus in gloriam electorum. *Primus prædeſtinatio*, quæ eſt gratiæ præparatio. *Secundus vocatio*, quæ conſiſtit in adjuvando cogitationem de fide. *Tertius juſtificatio*, quæ reſpicit remiſſionem peccatorum & bonam operationem. *Quartus magnificatio* concernens omne genus virtutis.

Ordo horum graduum.

Et eſt ordo horum quatuor graduum, quia per appoſitam gratiam quam præparavit Deus eſt quod credimus verbo prædicationis. Ipſam autem vocationem fidei ſequitur juſtificatio. Hebr. 10. *Iuſtus ex fide vivit*. Ad juſtificationem verò ſequitur magnificatio.

De primo gradu.

Quo ad *primum* dicitur in Epiſtola. *Prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij Dei, ut ipſe Dei filius eſſet primogenitus in multis fratribus*. Ad primogenitum autem pertinet jure hæreditas patris. Et diſpenſatio ejuſdem fratribus: ſecundum illud enim quod Dei filius primus ſine peccato natus & primus impaſſibilis reſurgens habet fratres & dignatus eſt vocare fratres, omnes qui per ejus primatum in gratia Dei renaſcuntur. Nam cauſa noſtri Deus pater tradidit eum morti, ut ex ejus morte gratia nobis regenerandi in adoptionem filiorum Dei exoriretur, ex morte enim Chriſti noſtra vita fluxit, ſicut illud mirificè oſtendunt fluxus ſanguinis & aqua de latere Chriſti jam mortui, unde in ortu ejus ex virgine Evangeliſta Lucas Eccleſiæ hoc Sacramentum expreſſit cum de virgine matre pariente verbum plenum gratia & veritate dixit: *Et peperit primogenitum*.

Luc. 2.

Non quod virgo Maria poſt Jeſum alium paritura eſſet filium, ſed quia Jeſum quem progenuit ſalutis noſtræ auctorem Evangeliſta ſic expreſſit.

De ſecundo

Quo ad *ſecundum* dicitur de Epiſtola *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* ubi conatus diaboli, quo nititur retrahere à fide, dicitur accuſatio juxta illud Pſalm. 82. *Cogitaverunt unanimiter adverſus teſtamentum*.

De tertio.
De quarto.

Quoad *tertium* dicitur in Epiſtola: *Deus qui juſtificat*, & modus juſtificationis ſubiungitur: *quoniã Chriſtus Ieſus mortuus eſt*, ad peccata & delicta delẽda, *& reſurrexit*, propter juſtificationem noſtram, *ſedet ad dexteram Dei*, hoc eſt in potioribus bonis, *pro nobis interpellans* miſerationem & repreſentationem, grave videlicet genus mortis quod pro nobis ſuſtinuit vultui paterno offerendo, ut noſtri miſereatur.

Accõmodantur hæc Apoſtolis.

Quo ad *quartum* ſequitur in Epiſtola. *Quos juſtificavit illos & magnificavit. Quis ſeparabit nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto?* Et ſupra. *Proprio filio non pepercit Deus*, &c. Sic ergo ex Epiſtola traditur ſanctos Apoſtolos non ex eorum meritis ſed ex Dei dilectione ad ſempiternam gloriam perveniſſe.

Evangeliũ.
Amor Dei.

Sicut ſcriptum eſt: Joan. 15. *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Electio autem eſt ipſius gratiæ.

Evangelium. *Hæc mãdo vobis ut diligatis invicem*. Joan. 15. Ad hoc elegit Salvator diſcipulos ſuos ut fructum afferrent manentem, fructus ille charitas eſt. Galat. 6. *Fructus ſpiritus charitas*, &c. Fructum illum indicit & imperat Salvator diſcipulis ſuis in exordio Evangelij dicens: *hæc mando vobis ut diligatis invicem*.

Odium Mundi.

Nam & ſignum diſcipulatus Chriſti dilectio eſt juxta illud Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis*. Ab hoc fructu dilectionis cæteræ virtutes tanquam à capite deſcendunt. Ad dilectionem autem Dei odium ſequitur mundi, & odium Mundi proficit ad imitationem Chriſti & ad virtutis augmentum. Mundus enim odit quos cernit nolle quod ipſe diligit, unde & ſemetipſum Salvator ponit in exemplum dicens: Joan. 15. *mementote ſermonis mei, quia ſi perſecuti ſunt me perſequentur & vos, me autem odio perſecuti ſunt gratis*. Et: *Qui me odit, & patrem meum odit*, quia patris & filij eſt una dilectio ſicuti & una natura, unde Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta*: ſicut ergo Chriſtus ex odio ſuorum perſequentium augmentavit noſtrã ſalutem, ſic & odia mundi proficiunt valde diligentibus Deum non ex ſe ſed ex Dei præſtito: ſicuti etiam de Paſſione Chriſti dicimus fructum ejuſdem non fuiſſe ex malitia Judæ ſed ex gratia Chriſti, benigniter in bono malum.

Vita & Martyrium SS. Simonis & Iudæ.

Qualiter autem Simon Cananæus & Judas Thadæus electi à Chriſto ad Apoſtolatum miſericorditer paſſi ſunt advertendum. Nam poſt aſcenſionem Salvatoris Apoſtoli illi per diverſas terras prædicaverunt fidem Chriſti, effugaverunt ſerpentes à magis productos ad illudendum hominibus & converſos plures baptizantes & docentes in fide Chriſti. Inſurrexerunt contra eos inſani Pontifices eos captivantes & ad immolandum idolis eos trahentes, ubi dæmones dij templorum apparebant frangentes idolorum imagines & fulgure templum devaſtatum eſt & magi comminuti, ſed ſancti Apoſtoli à Pontificibus templi ſunt interfecti.

Etymõ horum Apoſtolorum. Preces Alberti Magni ad hos Apoſtolos.

De quibus etiam mentio fit in Canone Miſſæ ſub his verbis: *Simonis & Thadei*. Simon frater Jacobi minoris, qui & Cananæus dictus eſt à Zelo quem habuit Chriſtianæ religionis, quem Albertus Magnus in ſua Letania ſanctorum ſic exorat. Interceſſione quæſumus Domine ſancti Simonis Cananæi fac nos Zelum virtutis ſemper habere, de virtute in virtutem proficere, & tuorum ſemper impleri delectationibus mandatorum. Sed Judas Thadæus interpretatur corculus, propter diligentẽ cordis cuſtodiam, de quo ad Deum ſic orat Albertus. Impetret nobis quæſumus Domine Judas Thadæus Apoſtolus tuus puritatem cordis & conſcientiæ, & in tuæ laudis Confeſſione faciat eſſe conſortes.

DE OMNIBUS SANCTIS,

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Iſte ſermo agit primò de fide & dilectione in Deum. Deinde quatuor cauſas affert, cur Dei amicitia appetenda ſit. Poſtea quinque rationes adducit, ob quas ſancti lapidibus pretioſis comparentur. Demum ratio affertur, cur hoc feſtum inſtitutum ſit.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. *Rom.* 8. SERMO LXXXVII.

Thema ad quatuor incitat.

VERBUM propoſitum quod hodie in Eccleſia recitatur, incitare poteſt nos ad *quatuor*, ſcilicet ad *fidei firmitatem*, *Dei dilectionem*, *patientiæ æquanimitatem* & *humilitatem*.

1\. Ad *fidei firmitatem* poteſt incitare quod dicitur. *Scimus*. Gloſſa. Nos majores & doctores quorum auctoritati credendum eſt, non dicit credimus. Exemplo ergo ipſius & tu firmus ſis in his in quibus ſapientia Dei, mundi ſapientiæ contradicit.

Sapientia Dei & Mũdi ſunt contraria in tribus.

1\. Sapientia mundi infelicem pauperem reputat, è converſo Dei ſapientia eum beatum judicat, Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum* &c.

2\. Item ſapientia mundi ſublimes reputat quos mundus honorat: è converſo dicit ſapientia Dei: *quod altum eſt in hominibus, abominatio eſt apud Deum*. Luc. 18.

3\. Item ſapientia mundi dicit felices qui gaudio ſæculi perfruuntur, è converſo dicit ſapientia Dei. *Beati qui nunc fletis*. Et. *Væ vobis qui nunc ridetis*. Luc. 6.

2\. Ad Dei *dilectionem* incitare poteſt utilitas dilectionis divinæ cum dicitur: *Diligentibus Deum omnia*

cooperantur, &c. Gloſſa. Tales enim Deus conſolatur proſperis, exercet adverſis. Jam propria ipſorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia contradictione ſapientia, odio benevolentia. Adeo utilis eſt Dei dilectio, ut cum ea omnia ſint utilia. Auguſtinus. Ubi charitas adeſt, quid poteſt deeſſe? ubi vero charitas non eſt, quid poteſt prodeſſe?

Tertium & quartum omiſſa ſunt, Amicitia Dei ob quatuor appetenda eſt.

Et *notandum* quod *quatuor* de cauſis multum optanda eſt nobis Dei amicitia. *Primo* propter amici hujus fidelitatem Eccleſiaſtici 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt ponderatio digna argenti & auri.* Homines aliquando non amant eos à quibus amantur, in Deo vero hoc non accidit. Prov. 8. *Ego*
1. *diligentes me diligo* Joan 14. *Qui diliget me diligetur à patre meo, & ego diligo eum.*
2. *Secunda cauſa* amicitiæ eſt utilitas, nihil enim fructuoſius diligi poteſt ſecundum verbum Bernardi. Utilitas hujus amicitiæ ſive aliorum apparet in neceſſitate vel infirmitate, à qua ipſe liberare vult, cum alij amici hominem deſerunt, tunc amicus ille hominem ſuſcipit. Pſal. 71 *In voluntate tua deduxiſti me & cum gloria ſuſcepiſti me.* Et in judicio, ubi non habebis amicum, ſi Deus non erit amicus. Eccleſiaſt. 20. *Fatuo non erit amicus.* Omnia amica ſunt ei cui Deus amicus eſt,
3. cum cooperentur ei in bonum. *Tertia* eſt inimicitiarum eius damnoſitas, omnia ſunt inimica inimicis Dei, ipſi etiam ſibimet ipſis inimici ſunt Pſ. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* In futuro verò magis apparebunt inimicitiæ, quando *pugnabit orbis terrarum cum illo contra inſenſatos.* Sapient. 6. Gregor. Offenſo Creatore omnis creatura damnatum odio habet, etiam & ipſi ſancti, qui multum amaverunt peccatores in præſenti, lætabun-
4. tur cum viderint vindictam. *Quarta* eſt amandi Deum neceſſitas. Magnam habemus neceſſitatem amandi Deum, de qua require in ſermonibus de tempore ex epiſtolis & evangelijs de amore & amicitia, ubi habes quod multum debet homo deſiderare diligi à Deo & amicitiam habere cum eo.

Sancti comparantur lapidibus precioſis ob quinque cauſas.

Et notandum quod *quinque* de cauſis ſancti per lapides precioſos deſignatur. *Primo* quia nullis pœnis à rectitudine fidei flecti potuerunt, poſtquam Spiritu ſancto cælitus miſſo roborati ſunt: lapis enim non poteſt flecti, licet poteſt frangi. De illis
1. ſciptum eſt: *Occidi poſſunt flecti nequeunt.* Eccleſiaſtici 15. *Firmabitur in illo & non flectetur.* Non ſic aliqui qui ad modum arundinis ad quemlibet flatum venti moventur, eo quod radicem cordis non habeant fixam in ſolido æternitatis, ſed quaſi in palude rerum temporalium. Eccleſiaſtici 5. *Ne te ventiles in omnem ventum.* In eis quoque impletur illud Levit. 26. *Terrebit eos ſonitus folij volantis*, exterriti enim ad verbum irriſionis, rectitudinem vitæ deſerunt. *Secundo* propter eorum impu-
2. tribilitatem. Lapis precioſus licet diu maneat in luto, non tamen putreſcit ibi. Sic ſancti licet commixti inter gentes fuerint; non tamen didicerunt opera eorum. Sic non potuerunt flecti malis pœnæ, nec malis culpæ potuerunt torqueri, ipſi illæſi ſervati ſunt in fornace Babylonica Mundi ſicut pueri Daniel. 3. Unus mittebatur ad regnum unum, & convertebat illud & non convertebatur ab illo. Hierem. 15. *Ipſi convertentur ad te, & tu non converteris ad illos. Tertio* pro-
3. pter eorum modicitatem. Lapides pretioſi ſunt modici, in comparatione lapidum communium. Sic & ſancti modici fuerunt per humilitatem: unde & puſillus grex dicuntur. Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Matth. 11. dicuntur parvuli. *Et revelaſti ea parvulis.* Ad litteram Deus elegit pauperes & ſimplices ut eſſent humiliores. 1. Corinth. 1. *Videte vocationem veſtrum fratres, quia non multi inter vos ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus ut confundat ſapientes, &c.* Quarto propter 4.
precioſitatem. Lapides precioſi licet ſint minimi quantitate, magni tamen ſunt valore, unus enim valet mille lapides communes. Idem accidit in viris ſanctis, Eccleſiaſtici 16. *Melior eſt unus timens Deum quam mille filij impij.* Unus de filijs Dei in ſtatu gloriæ indubitanter præferendus eſſet mille alijs hominibus, qui damnati eſſent. Et idem verum eſſet de illo, qui in ſtatu gratiæ eſt, quod eſſet melior cæteris hominibus qui eſſent in ſtatu culpæ, mortali ſcilicet, ſi non eſſet ſpes quod mutarentur à malitia, hoc ſalvo, quod entis ad nō ens non eſt comparatio, niſi abuſiva, ut mali ad bonum in bonitate, nec ejus quod nihil eſt vel minus ad id quod eſt *Bonum eſſet ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* Matth. 26 Lapides precioſi deſpiciuntur à ſimplicibus hominibus & pedibus conculcantur. Matth. 7. *Margaritas nolite projicere ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.* 1. Corinth. 3. *Tanquam purgamenta mundi hujus facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.* Gloſſa. Purgamentum eſt ferri vel pomi, aut etiam quidquid de materia qualibet ut purgatior habeatur abjicitur. Ad Heb. 11. *Egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Quinto* quia 5.
admirandi erant virtutibus in ſpiritualibus, charitate, patientia & ſimilibus. Gregor. Ego virtutem patientiæ ſignis & miraculis majorem credo. Et miraculis, quæ ſunt ſigna ſpiritualium, majora videntur feciſſe miracula quam Chriſtus. Joan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet & majora horum faciet, quia ego ad patrem meum vado. Et quidquid petieritis patrem in nomine meo hoc faciet vobis, ut glorificetur pater in filio.* Item poſt. *Si aliquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Quodammodo omnipotentes fecit eos Chriſtus. Bern. Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti Marc. 9.

Ratio inſtitutionis hujus feſti.

Poteſt & quadruplex ratio hujus ſolennitatis aſſignari. Duas tangit Rabanus his verbis. Legimus in eccleſiaſticis hiſtorijs quod ſanctus Bonifacius à Phoca Cæſare impetravit donari Eccleſiæ Chriſti templum Romæ quod ab antiquis pantheon antea vocabatur, quod hoc quaſi ſimulacrum omnium videbatur eſſe Deorum. In hoc igitur eliminata omni ſpurcitia, fecit Eccleſiam in honorem ſanctæ Dei genitricis atque omnium martyrum Chriſti. Quære in legenda ſive lectionibus diei præſentis.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

SERMO UNICUS.

SERMO LXXXVIII.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de quatuor faciendis à nobis hac die.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Apocal.* 14.

Quatuor hodie facienda fidelibus.

HOdie debent fideles Quatuor facere: *Mortuis ſubvenire, propriam mortem in memoria habere, quæ cauſa mortis fuerit attendere, effectum mortis in hominibus advertere.*

1. Fidelibus defunctis ſubveniri debemus

Primo orando & modis alijs debemus mortuis ſubvenire. 2. Machab. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Non eſt differenda vel negligenter agenda ſubventio ejus qui in ignem ceciderit. 1. ad Corinth. 3. *Salvus erit ſed tamen quaſi per ignem.* Auguſtinus. Miro modo gravis eſt ignis ille, licet non ſit æternus, exuperat enim omnem pœnam quam quis paſſus

paſſus eſt in hoc mundo. Iob. 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ad Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Magna impietas eſt negligere ſubventionem eorum qui igne cruciantur, & maximè his qui ad hoc tenentur ex conventione, vel propinqui, vel filij parentibus ſuis, vel ratione accepti. Si magna impietas eſt ſubventionem iſtam negligere, quanta impietas eſt eam vilipendere? ut faciunt qui dicunt ſuffragia non prodeſſe mortuis. Eccleſiaſtici 7. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

II. Veri fideles propriam mortem meditari debent.

Secundo mortem propriam meditari debemus, & hoc valde utile eſt. Eccleſiaſtici 7. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum convivii. Ibi enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit.* Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ibi debet reſonare vox cordis dicendo illa. Eccleſiaſtici 38. *Memor eſto iudicii mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri & tibi hodie.* Vox eſt mortui ad viventem, cui reducitur mors ad memoriam, & meritò, cum citò à memoria ſoleat excidere. Et dicitur mors iudicium, quia ſic homo in iudicio apparebit ut mortuus fuerit. Eccleſiaſtes 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Mors dicitur iudicium, quia eſt pœna iuſto Dei iudicio homini pro peccato inflicta. Seneca. Omnes capitali ſupplicio condemnati ſumus. Iudicium mortis, iudicium eſt regni, nullius Apoſtoli. Iob 18. *Calcet ſuper eum quaſi rex interitus.* Hoc judicium eſt ſine omni acceptione perſonarum Eccleſiaſtici 41. *Hoc iudicium à Domino omni carni.* Iudicium mortis eſt, non iudicium ſuſpicionis, quale fuit iudicium Salomonis, cum reddidit infantem veræ matri. 3. Reg. 3. Sed eſt iudicium certitudinis, ubi homo reddetur veræ matri ſuæ, ſcilicet terræ. Eccleſiaſtici 40. *Grave iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Iob. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*, id eſt in uterum matris, ſcilicet terræ. Sequitur. *Sic erit & tuum.* Non eſt homo qui vivat & non videat mortem. Sapient. 7. *Vnus introitus eſt omnibus ad vitam & ſimilis exitus.* 1. Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, ſed nec quicquam auferre poſſumus.* Sequitur. *Mihi heri, tibi hodie*, non dicit tibi cras, duplici ratione. *Primo* quia ſicut dicit Auguſtinus. Dominus promittit remiſſionem peccatorum, ſed nulli promittit craſtinum. *Secundo* quia mori non ceſſamus. 2. Reg. 14. *Omnes morimur*, &c. Item Eccleſiaſtici 8. *Omnes morimur & in gaudium volumus venire.* Seneca. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc fallimur quod mortem proſpicimus. Magna pars eius præteriit, cum mors ſit privatio vitæ. Quantum tranſiit de vita, tantum moritur de homine. Vnde qui victurus erat ſexaginta annis & iam vixit quinquaginta, non ſolum ſemi mortuus eſt, ſed tantum ad quinque partes ſui mortuus eſſe videtur.

Locus Eccleſiaſtes explicatur de morte.

Pſal. 88.

Hodie non cras mortem dum dicitur ob duo.

1.

2.

III. Cauſa mortis perpendenda, peccatum ſcilicet.

Tertiò attendere debemus quæ fuerit cauſa mortis. Sapient. 1. *Deus mortem non fecit.* Et paulo poſt. *Impij manibus & verbis acquiſierunt eam.* Bernardus ad milites templi. Nihil congruentius eſſe poteſt, quam ut mors ſpiritualis operata ſit mortem corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria vivam. Geneſ. 2. *Quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Ezech. 18. *Anima qua peccaverit ipſa morietur.* Ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Cum homo ſit factus, ut Deo factori ſuo obediret, & noluerit facere id ad quod factus erat, iuſto Dei iudicio dignus fuit deſtrui. Bernardus. Planè morte eſt dignus qui tibi Domine recuſat vivere peccati effectus ſervus. Mors oſtendit quid ſit peccatum. Neſcivit Adam quid fecerat cum peccaverat, ſed mortuo Abel filio ſuo, quem intellexit mortuum eſſe propter peccatum ſuum, plenius agnovit quid peccando fecerat, & dans ſe luctui, dicitur fuiſſe centum annis in luctu. Magnum malum ſequens ex facto alicuius, ſolet eſſe occaſio multorum, quare de facto ſuo multum pœniteat vel doleat, ut ſi garrio unus ex facto alicuius mortuus fuerit, fortior magni doloris cauſa extitit. Multum ergo dolendum eſt de peccato, ex quo tantum malum ſecutum eſt, quantum eſt mors. Et attende in malo eius longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum. Longitudinem in hoc, quod malum iſtud durabit uſque in finem mundi, omnes enim morientur propter peccatum. Latitudinem in hoc, quod per totum mundum hæc pœna extenditur. Profundum in hoc, quod etiam parvulus unius diei, vel qui eſt in utero materno, vel qui pauperrimus eſt propter peccatum moritur. Sublimitatem in hoc, quod uſque ad altiſſimum pervenit, ſcilicet uſque ad filium Dei. Peccatum offenſionis propinquos qui tibi mortui ſunt occidit, & etiam qui tibi remanſerunt, & teipſum occidit. Quanto ergo odio deberes illud odire, cum pro morte unius ſolius amici tui hominem odio habeas? Eſt etiam alia cauſa quare peccatum odire debeas, quia opus diaboli eſt. Omnia quæ ſunt in mundo iſto opera Dei ſunt præterquam peccatum. Ad quod deſtruendum filius Dei venit in mundum. 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Ideò qui ex parte Dei ſunt debent illud odire. Pſal. 96. *Qui diligitis Dominum odite malum.*

De Adamo memorabile quid?

Quatuor differentiæ mortis.

Peccatum odiendum ob duo.

IV. Effectus mortis conſiderandi.

Quartò debemus advertere effectum mortis, qui valde diſſimilis eſt in diſſimilibus. Bonum enim facit beatum, ut hic dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Malum autem facit infirmum. Pſ. 33. *Mors peccatorum peſſima.* Eccleſiaſt. 41. *O mors quam amara eſt memoria tua homini iniuſto.* Et in eodem. *O mors iuſtum eſt iudicium tuum homini indigenti*, ſcilicet pauperi ſpiritu. Eccleſiaſtes 11. *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguuntur præterita.* Præterea probat mors vana fuiſſe quæ preceſſerunt, & ſapientiam huius mundi ſtultitiam fuiſſe, quæ attenditur circa divitias, delitias & honores. Cum enim nihil ſecum auferat homo in morte, apparet eum fatuè egiſſe in divitiarum congregatione & in ſui exaltatione. *Item* cum à vermibus comedatur, apparet eum fatuum fuiſſe in delitiarum preparatione, fatuum enim eſt multum curare qualem carnem vermes ſunt comeſturi, utrum pinguem vel macilentam.

Vitam præteritam fuiſſe vanam mors oſtendit duplicater.

1.

2.

DE BEATO MARTINO

SERMO PRIMVS.

SUMMARIUM.

Agit hic ſermo de Miſericordia duplici, corporali ſublevandæ miſeria corporali & ſpirituali ſeu veſte ſpirituali nuditati ſpirituali contegendæ neceſſaria.

SERMO LXXXIX.

Nudus fui & cooperuiſtis me. *Matth.* 25.

ECcleſia hodie ſolennizans de beato Martino, duo nobis de ipſo recitat, ſcilicet gratiam & gloriam: humile miniſterium quod Chriſto exhibuit, & glorioſum præmium quod ab eo ſuſcepit. Inter gradus vero virtutum quarum eminentiam habuit,

Duo de S. Martino in eius ſolito oſtendit Eccleſia.

oſtendit nobis ejus pietatem, de qua ſpecialiter vobis loqui propoſui; ſicut enim oleum ſupernatat liquoribus, ſic pietas alijs gratiis præeminet. Nec enim eſt quod ita Deo amabilem faciat, ut pietas, juxta verbum Auguſtini. De nullo ſic vincitur inimicus diabolus ut de pietate, ſicut dicit Gregor. ſuper illud Pſalm. 143. *Miſericordia mea & refugium meum.* Hæc gratia gratior eſt nobis in miſeria poſitis. Bern. Miſericordia miſeris dulcior ſapientia. Pietas beati Martini patet ex hoc quod nudo obvianti ſibi pallium diviſit, ideo dignus audire fuit illud: *Nudus fui & cooperuiſtis me.* Nec de hoc Chriſtus eius tranſitum expectavit vel extremum iudicium, immo ſequenti nocte audita eſt vox Chriſti alloquentis multitudinem angelorum, Martinus adhuc Cathecumenus hac me veſte contexit, Chriſtus verè implevit, illud ſapientis.

De miſericordia S. Martini.

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito, &c.

Miſericordia duplex duplici miſeriæ præſtanda.

I. Corporalis. Tria de illa notanda,

Poteſt autem intelligi verbum propoſitum & de nuditate corporali. Primo modo tria nobis oſtenduntur in verbo propoſito, ſcilicet cui danda eſt eleemoſyna. & *ad quid*, & *quomodo* indigenti danda eſt eelemoſyna, unde dicit Chriſtus: *Nudus fui*, &c. Quidam eleemoſynam dant his, qui non indigent, contra illud Domini in Evangelio Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos neque divites*, &c. *Sed cum facis convivium voca pauperes*, &c. Debet autem fieri eleemoſyna ad naturæ ſuſtentationem, non ad ſuperfluitatem, unde dicitur *cooperuiſtis me.* Simile habetur. 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* *Alimenta* dicit non *oblectamenta*: *tegamur* dicit non *ornemur.* Modus dandi in hoc attenditur, ut ſicut Chriſto eleemoſyna detur, unde dicit Chriſtus: *Nudus fui*, &c. *Quatuor* cogitare debet ille à quo pauper eleemoſynam petit. *Primo* quis putat, quoniam Chriſtus. Hieron. Quotieſcunque manum extenderis pauperi, Chriſtum cogita. *Secundo* quid petat, quoniam ſuum. Auguſt. in perſona Dei. De meo peto & mihi non donas? *Tertio* ad quid petat, quoniam ad uſuram centuplam. Auguſt. Miſer homo quid fœneraris proximo tuo? Fœnerare Deo, centuplum accipies. & vitam æternam poſſidebis. Sic fœnerareris uni Iudæo, ſi hoc poſſes ſine peccato. *Quarto* quia ab eo à quo maiora petiturus es. Sapiens.

1. Cui danda ſit Eleemoſyna.
2. Ad quid danda ſit.
3. Quomodo ſit danda.

Quatuor cogitãda ei à quo pauper petit Eleemoſynam.
1.
2.
3.
4.

Ne dubitas cum magna petas impendere parva.

Beatus Martinus habito reſpectu ad pauperem videtur magna conceſſiſſe dando ei dimidium pallij ſui. Sed habito reſpectu ad Chriſtum cui dedit videtur minus feciſſe; cum enim pallium eſſet Chriſti & eo indigens, totum videbatur ei eſſe exhibendum vel maior pars, non enim videtur ſervus æquandus eſſe Domino. Et *notandum* quod Chriſtus voluit multum facere pro pauperibus, ut exemplo eius alij multum pro eis facerent in mundo. Pſalm. 11. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Pauperum etiam ſocietatem elegit, quando inter reges & imperatores eſſe potuit, toto tempore vitæ ſuę pauper eſſe voluit. Luc. 9. *Filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Regnum cœlorum pauperibus dedit. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, &c. Et quod eis fieret ſibi fieri declaravit reparare. Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Vę illis quibus Chriſtus dicere poterit: *Nudus fui & non cooperuiſtis me, & unde tegi debui mihi abſtuliſtis.*

2. Quanti Chriſtus pauperes fecerit.

II. Spiritualis. Pro nuditate ſpirituali veſtis duplex fidelem

Sequitur de nuditate Spirituali & veſte ei reſpondente. Notandum ergo quod omnibus fidelibus duplex veſtis eſt neceſſaria ſecundum illud Proverb. ult. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* In eodem. *Byſſus & purpura indumentum ejus.* Byſſus, inquam, puritatis & purpura charitatis. Fideles enim debent eſſe fideles amicis & accenſi amore omnis boni. Qualis enim ſponſus eſt, talis debet eſſe ſponſa. Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Apocal. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet & videant homines turpitudinem eius* Veſtibus religioſorum virorum neceſſaria eſt conſtantia, interius ex univerſitate virtutum, exterius verò ex honeſtæ converſationis decore. Pars interior multum habet ſuavitatis, pars exterior multum habet ſplendoris. Decor exterioris converſationis conſiſtit in *quatuor.* *Primum* eſt membrorum continentia. Iſa. 33. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Qui obturat aures ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum, ipſe in excelſis habitabit.* *Secundum* eſt mandatorum obedientia, Eccleſiaſtici 35. *Salutare ſacrificium eſt obedire mandatis.* *Tertium* patientia adverſorum Lucæ 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* *Quartum* eſt fraterna ſocietas. Proverb. 18. *Frater qui adiuvatur à fratre quaſi civitas firma.* Veſtis iſta dignum facit ingreſſus cœleſtis, ſicut *veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem.* Quibuſdam diabolus veſtes præſcindet, ſicut Hanon rex filiarum Ammon legitur feciſſe nuntiis David 2. Reg. 10. per manifeſtam enim incontinentiam denudata ſunt eorum pudibunda. Quidam *etiam* veſtem partitam habent, qui in parte novitatem vitæ aſſumpſerunt, in parte vitæ vetuſtatem retinuerunt contra illud. Matth. 9. *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus.* Majores doctrina & exemplo procurare debent minoribus veſtem ſpiritualem.

fidelium omnium.

Veſtis duplex religioſorum interior & exterior.

Decor exterioris veſtis, id eſt converſationis quadruplex.
1.
2.
3.
4.

Iſa. 9.

Veſtes duplices vitandę.
1.
2.

DE EODEM.
SERMO SECVNDVS.
SUMMARIUM.

Docet hic ſermo ex themate cur & quando oculos ad Deum habere debemus.

SERMO XC.

Oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. *Pſalm.* 24.

CVm Eccleſia de beato Martino hodie ſolennizat, gratias eius fidelibus debet oſtendere ut eas imitentur. Vna vero gratia ipſius fuit quod oculos cordis libenter habuit ad Deum & oculos corporis ad cœlum. Exemplo cuius fideles oculos cordis libenter habere debent ad Deum, & ad idem excitamur exemplo David iuxta verbum propoſitum.

Imitandus S. Martinus ut oculos noſtros ad Deum habeamus.

Et notandum quod *octo* ſunt quæ nos ad hoc incitare poſſunt. *Primum* eſt corporis humani figura, dedit enim Deus homini figuram corporis erectam; & rectitudo lineæ ad rectitudinem bonorum. Seneca. Cum cætera animalia natura deiecit ad paſtum, hominem erexit ad ſidera, homines polum conſpectant, animalia cætera terram.

Ad hoc incitant & provocant nos octo.
1.

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre.
Iuſſit.

Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana. Non diſcordet cor tuum à facie tua. Non habeas ſurſum faciem & cor deorſum, indecens enim eſt cor belluinum inhabitare corpus humanum. Cor belluinum habent qui oculos cordis ſtatuerunt declinare in terram. Pſalm. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Bernardus. Puto quod univerſa dicerent ſi loqui fas eis eſſet. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, &c. Geneſ. 3. *Secundum* eſt natura animæ: ſicut enim ignis naturaliter tendit ſurſum & terra deorſum, ita anima naturaliter tendit ad Deum. Auguſtinus in libro confeſſionum. Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Oculus animæ ad Dei viſionem eſt 2.

creatus, hic enim non ſatiatur oculus viſu, ſed in
Dei viſione erit ejus ſatietas Pſ.16. *Satiabor cum ap-*
paruerit gloria tua. Viſio Dei perfectio eſt oculi inte-
rioris. Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant*
te, &c. Super illud Pſal.90. *Oſtendam illi ſalutare*
meum, dicit Gloſſa quod viſio eſt tota merces. *Ter-*
3\. *tium* eſt univerſitas creaturarum. Auguſtinus. Nu-
tus tui ſunt Domine omne decus creaturarum. Ma-
gnitudo creaturarum oſtendit Dei potentiam, va-
rietas & pulchritudo ſapientiam, utilitas Dei boni-
tatem. *Quartum* eſt multitudo beneficiorum quæ
4\. à Deo ſuſcipimus & ſuſcepimus, ſcilicet beneficium
creationis, incarnationis, redemptionis, guberna-
tionis, defenſionis & conſervationis; conſervatio-
nis, inquam, in eſſe, vel in bene eſſe, vel ut non in
5\. nihilum redigamur. *Quintum* eſt multitudo malo-
rum quæ ſuſtinemus, ſcilicet culpæ & pœnæ, ad
quod pertinet verbum propoſitum: *Oculi mei ſem-*
per, &c. *Ipſe evellet de laqueo pedes*, qui ſunt in la-
queis vel in compedibus diaboli. Reſpice in me,
quia *ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis Ecce*
ſicut oculi ſervi in manibus Domini ſui, ita oculi no-
ſtri ad Dominum Deum noſtrum. Pſal.122. *Sextum*
6\. eſt magnitudo mercedis, quam ab eo ſperamus.
Auguſtinus. Labor te terret, vide mercedem, &c.
7\. *Septimum* eſt æternitas pœnarum quam ab ipſo ti-
memus. Proverb.28. *Viri impij non cogitant judi-*
cium, qui autem requirunt Dominum animadver-
8\. *tunt ei.* *Octavum* eſt multiplex utilitas quæ ſequi-
Vtilitas triplex hujus rei. tur ex hoc quod oculos cordis ad Deū habemus. *Vna*
utilitas eſt quod Deus habet oculos ſuos ad te, ſi tu
oculos tuos habes ad eum. Pſ.33. *Oculi Domini ſuper*
1\. *juſtos* Iterū Pſ.31. *Firmabo ſuper te oculos meos.* Gloſſa.
Non auferam oculos meos à te, quia tu ſemper le-
2\. vas oculos tuos ad me. *Secunda* utilitas, quia ſic
multæ tentationes vitantur. Proverb.1. *Fruſtra ja-*
citur rete ante oculos pennatorum. Gloſſa. Facile eva-
3\. det laqueos diaboli, qui oculos habet in cœlis Job
18\. *Abſcondita eſt in terra pedica ejus.* *Tertia* utilitas
quod ſecundum diverſas de Deo meditationes
oriuntur diverſæ affectiones, in quibus anima mul-
tum proficit. Nam meditationem divinæ ſapientiæ
omnia aſpicientis ſequitur pudor, meditationem
divinæ miſericordiæ ſequitur ſpes, meditationem
divinæ bonitatis ſequitur affectio amicitiæ, medi-
tationem divinæ ſuavitatis ſequitur amor.

Oculi noſtri ſint ad Dominum ſemper dupliciter. Et *notandum* quod oculi noſtri debent eſſe ad Do-
minum ſemper, & tempore proſperitatis & adver-
ſitatis, & tempore juventutis & ſenectutis. Qui-
dam tempore adverſitatis recurrunt ad Dominum,
1\. Tempore proſperitatis & adverſitatis tempore proſperitatis de ipſo non curantes, cor
ignobile habentes, in corde enim nobili plus pro-
ficiunt bona quam mala. Contrarium autem fit in
corde ignobili. Quidam etiam in juventute de Deo
2\. Tempore juventutis & ſenectutis non curantes in ſenectute ad Deum recurrunt, quaſi
non tenerent juventutem à Deo ſicut & ſenectutem.
Cum melior ſit juventus ſenectute, pro illa potius
& in illa ſerviendum eſt Deo & ad Deum oculos ha-
bere debemus, ut ab eo exemplum ſumamus, adju-
Epilogus torium ſperemus, præmium expectemus.

Conſiderantes ergo fratres chariſſimi hujus ſan-
cti Confeſſoris & Pontificis ſanctam vitam nobis
imitandam, propoſitam, ſtudeamus ambulare dignè
Deo fructificantes in omni bono. Nam ex donis ſi-
ve talentis Dei receptis obligamur reportare eadem
cum uſura quæ & data ſunt nobis ut Deo adhærea-
mus Quod beatus Martinus ſua interceſſione face-
re ac impetrare dignetur.

DE BEATA CÆCILIA VIRGINE.

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

Sermo hic explicando parabolam Evangelicam multas pulchras doctrinas in medium affert.

Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. *Matth.* 25. SERMO XCI.

HÆc parabola de decem virginibus à Salvatore
dicta & à Matthæo ſcripta recitatur in Eccle-
ſia, quoniam ſolemnizamus ad beatæ Cæciliæ com-
mendationem & noſtram ædificationem, circa quā
quatuor nobis ſunt attendenda. *Primo* quid per has Quatuor in hac parabola explicantur,
virgines deſignetur. *Secundo* circa prudentes, in
quibus earum prudentia attendatur. *Tertio* circa
fatuas, in quibus attendatur earum fatuitas. *Quar-*
to quæ in hac parabola de ſponſo dicantur.

Circa Primum notandum quod in ſcriptura ſa- 1.
cra aliquando dicuntur virgines quæ habent carnis Virgines in ſcriptura dicuntur tripliciter
integritatem. Auguſt. ſuper illud 2 Corinth. 11. *De-*
ſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chri-
ſto. Virginitas carnis corpus eſt intactum. Aliquan- 1
do dicuntur virgines continentes ſe à delectationi-
bus. Secundum ſenſum iſtum ſic inter virgines com- 2.
prehenduntur & fatuæ & prudentes. Gloſſa. Decem
virgines ſunt quæ ſe à luxu ſæculi continent. Quan-
doque verò nomen virginis ſtrictius ſumitur, ut 3
non comprehendat niſi prudentes virgines, & ſe-
cundum hoc dicit Auguſtinus quod virginitas men- Hæc virginitas conſiſtit in tribus virtutibus
tis conſiſtit in hoc quod fides ſit integra, ſpes ſo-
lida & charitas ſincera. Et pertinent hæc tria ad tres
vires animæ, rationalem, concupiſcibilem & ira-
ſcibilem. Fides integra eſt quæ credit omnia cre- Fide
denda, hanc non habent mulieres ſortilegæ Spes Spe
ſolida eſt quæ innititur Deo, ſicut ſummæ veritati,
quæ innitenti ſibi modo debito ſe non ſubtrahit.
Vanitas innitenti ſibi fulcimentum non tribuit. Ali-
qui Deo ita tenuiter innituntur ac ſi eſſet baculus
arundineus. In divitiis vero & honoribus ita con-
fidunt, ac ſi non eſſent fallaces, qui merito cor-
ruunt Proverb. 11. *Qui confidunt in divitiis ſuis cor-*
ruent. 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præ-*
cipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divi-
tiarum, ſed in Deo vivo. Charitas ſincera eſt quæ Charitate
amat Deum propter ſe, cui non miſcetur inordina-
tus amor terrenorum. Regnum cœlorum, id eſt Ec- 2.
cleſia, cujus vita eſſe debet regia & cœleſtis ſimilis Eccleſia ſimilis eſt regno cœlorum
eſt decem virginibus Sic enim in ea accidit ſicut
in negotio hujus parabolæ accidere potuit. Illa vi- regia ob tria
ta regia eſt, in qua conſulitur, imperatur, paretur
modo debito, hoc enim pertinet ad regnum bene
diſpoſitum Cœleſtis eſt Eccleſia *origine*, *converſa-* Cœleſtis ob tria
tione, *ſimilitudine*. Ad *primum* pertinet illud Apocal.
21\. *Vidi civitatem ſanctam Ieruſalem, deſcenden-* 1
tem de cœlo. Intelligenda eſt deſcendiſſe de cœlo
formaliter, ſcilicet quantum ad gratiam, quæ ſan-
cta eſt. Ad *ſecundum* pertinet illud ad Philip. 3. 2.
Noſtra converſatio in cœlis eſt. *Similitudine* cœle- 3.
ſtis eſt, quia à terrenis eſt remota, quantum ad Habitatio Dei eſt
amorem, ſicut cœli exaltantur à terra Item Ec-
cleſia habitatio eſt Dei, locus amoris & gaudij,
ornata virtutibus & ſanctis operibus ſicut cœlum 3.
ſideribus, & arcana Dei in ea celantur Lampades, Actiones virginum in hac parabola explicantur
id eſt opera luminoſa habent, qui ſe à delectatio-
nibus continent, ſive hoc faciant propter Deum,
ſive propter mundum, amore ſcilicet laudis mun-
danæ vel gratiæ Cum ſponſus venturus ſit ei ap-
propinquant non loco ſed ſimilitudine. Virgines ej

obviam exeunt, quæ ponendo mundum ſub pedibus per contemptum eorum quæ in mundo ſunt ei appropinquant, voluntati ejus concordando & excundo à proprio ſenſu & propria voluntate ſe elevando. Thren. 3. dicitur de contemptore mundi, *levavit ſe ſupra ſe.*

II. Prudentiæ virginum prudentium in tribus conſiſtit.

Circa Secundum notandum quod prudentia virginum prudentium in tribus conſiſtit. *Primum* eſt quod oleum in vaſis ſuis accipiunt, *ſecundum* eſt quod de inſufficientia ſua metuunt, *tertium* quod in adventu ſponſi paratæ ſunt. Prudentia ſponſæ maximè attenditur in ſtudio placendi ſponſo. Hieron. in Epiſtolis. Tantò majori ſtudio placendi opus eſt, quantò major eſt cui placendum eſt 1 ad Corinth 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Dei ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*, amore verò maximè placet ei. Seneca. Si vis amari, ama. Maximè vero ſponſus à ſponſa amatur in pauperibus parentibus vel in membris ſuis, quod ad paupertatem pertinet, quæ ſponſo ſuo maximè placet. Nil enim eſt quod ita nos Deo amabiles faciat, ut eſt pietas, ut dicit Auguſtinus. Prudentia ergo maxima virginis eſt, ut in vaſe cordis oleum habeat charitatis & pietatis, Bernardus. Caſtitas ſine charitate eſt lampas ſine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, caſtitas non placet. Sicut dilectio Dei honorabilis eſt ſapientia, ſic defectus divinæ dilectionis eſt contemptibilis ſapientia. Magna fatuitas eſt non cavere defectum illius rei, ſine qua cætera non proſunt 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Auguſtinus. Attende quanta eſt charitas, quæ ſi deſit habentur fruſtra cætera. Si autem adſit, alia omnia habet vel in ſe vel in aliis. Oleum etiam poteſt intelligi propter ſuavitatem. Oleum habet in vaſe ſuo, qui Deum amat & ab eo amatur & credit ſe ei placere: glorioſiſſimum enim eſt à rege gloriæ amari. 2. ad Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Prudentia magna eſt humiliter de ſe ſentire & de inſufficientia propria timere Proverb 11. *Ubi humilitas, ibi ſapientia.* Magna eſt etiam prudentia ſponſæ ad adventum ſponſi ſemper eſſe paratam, cum adventus ejus non prævideatur. Ad apparatum verò duo pertinent, ſcilicet byſſus virginalis puritatis, & purpura ferventis charitatis. Proverb. ult. *Byſſus & purpura indumentum ejus.* Apocal 19. tangitur de primo *Venerunt nuptiæ agni & uxor ejus paravit ſe. Et datum eſt illi ut operiat ſe byſſino ſplendenti & candido.* Bene parata eſt ſponſa quando ornata eſt ut ſponſus, qui eſt candidus & rubicundus Cantic 5.

Maximè in duabus virtutibus ſponſo maximè placentibus. Pietate. Charitate. 2. 2. 3. Apparatus conſiſtit in duabus virtutibus.

III. Fatuitas virginum in tribus conſiſtit.

Circa Tertium notandum quod fatuitas fatuarum virginum in *tribus* conſiſtit. *Primum* eſt quod oleum non habent in vaſis ſuis, quærentes laudem & gloriam ab hominibus. *Secunda fatuitas* quod de gloria Dei quæ vera eſt non curant & quam habere poſſent, vanam ſibi gloriam ab hominibus vendicantes Joan. 5. *Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* *Tertia fatuitas* eſt quod imparatæ dormiunt & dormitant. Cum enim intrare deberent, ſeparare nolunt. Prov. 24. *Parum, inquam dormies modicum dormitabis, & pauxillum conſeres manus, ut quieſcas, & veniet tibi quaſi curſor egeſtas & pauperies quaſi vir armatus.*

IV. Tria de ſponſo dicta explicantur. 1.

Circa Quartum notandum quod tria de ſponſo dicuntur, ſcilicet quod moram facit. media nocte ſubito venit, morantes janua clauſa ſe neſcire oſtendit. *Mora* ſponſi miſericordia eſt, ut ſcilicet ſe præparent qui ſe præparare neglexerunt, ſed multi ex ejus bonitate malitiam contrahunt, peccantes in ejus miſericordiam, quibus frequenter accidit quod cum eſſet eis miſericordia neceſſaria, non habent eam. Rom. 2. *An ignoras quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit. Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram*, &c. *Secundo* nocte venit ſponſus, ſubito enim media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit. Prima Theſſal *Dies Domini ſicut fur ita in nocte veniet.* 2. Clamor ille determinatur. 1. Corinth 15. ubi dicitur: *Canet enim tuba.* Et prima Theſſal. 4. *In voce angeli & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Tertio* ſponſus oſtendit ſe neſcire morantes janua clauſa. Auguſt. Poſt mendacium non patet pretium aut meritorum locus. Apocal. 3 *Claudit & nemo aperit.* 3.

Beata Cæcilia verè virgo prudens fuit, quæ oleum charitatis & pietatis in vaſe cordis habuit. Magna enim fuit ea gratia, cum de pauperibus fuit, & ab amore ſponſi nullo tormento ſeparari potuit. Mundi gloriam ſprevit, contra quam cilicium geſtavit veſte deaurata foris, & ornata byſſo virginalis puritatis & purpura martyrii in thalamum ſponſi ſui recepta fuit.

Beata Cæcilia quomodo fuerit virgo prudens.

Notandum quod ſecundum Hilarium & Hieronymum in denario numero virginum deſignati ſunt judicandi de perfectione aut negligentia operum virtutum. Verum fatuæ virgines in aliena laude ſcilicet hominum fulciunt ſua deſideria, carentes oleo bonorum operum in conſcientiis, & ideo earum lampades, id eſt fidei lumina extinguuntur, quæ foventur operibus miſericordiæ. Unde ſecundum Chryſoſtomum Evangeliſta vocat oleum quodcunque circa indigentes auxilium ſive in eleemoſyna, ſive in virtutibus, ſive in conſiliis.

Explicatio brevior parabolæ.

Quia ergo deſponſati ſumus in fide Deo viro animæ, & reddituri ſumus rationes operum quæ in corpore geſſimus, ideo hic exornemus lampades ſenſuum noſtrorum uſibus rectis & ſalvificis, ignoramus namque diem judicii, ideo ſollicitè præparemus bonorum operum lumen. Magna eſt enim Dei ſeveritas poſt judicium, cujus ante tam ineffabilis prærogata eſt miſericordia. Sic enim ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*, omnium remuneratori.

Epilogus exhortatorius.

DE BEATO CLEMENTE PAPA
SERMO SECUNDUS.

SUMMARIUM.

Hic ſermo ad vigilandum ex themate hortatur primò fideles omnes conſideratione Mortis & Iudicii, deinde Prælatos duas alias ob cauſas.

SERMO XCII.

Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. *Matth. 24.*

ECcleſia ſolennizans hodie de beato Clemente, qui ſuper gregem Domini fideliter vigilavit, ad ejus commendationem recitat exhortationem ad vigilandum à Domino factam, & ab ipſo impletam. Dominus verò ad vigilandum exhortans oſtendit triplicem eſſe vigilandi neceſſitatem. *Prima* eſt *Domini venturi reverentia*, *ſecunda* eſt *hoſtis malitia*, *tertia gregis commiſſi charitas.* Incitamur ad vigilandum, ut aſpiciamus ad id quod eſt infra. Ad *primum* pertinet illud *Vigilate*, &c. Ad *ſecundum* illud *Si ſciret pater familias*, &c. Ad *tertium* illud. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens?*

Vigilandi triplex neceſſitas.

Vigilantia ad quam hortatur nos in duobus attenditur, ſcilicet in ſolicitudine de his quæ ad ſalutem

adventus Dominici ad judicium. Adventus Domini duplex.

tem pertinent, & ſtrenuitate declinandi ab his quæ ſunt mala, & faciendi bona. Et intelligitur verbum propoſitum de adventu ad judicium, ſed diſtinguitur *duplex judicium*: ſcilicet *judicium univerſale*, quod erit in fine mundi, & *judicium particulare*, quod eſt in morte uniuſcujuſque: & ad adventum

1 Ad judiciũ univerſale.

ad utrumque debet ſe quilibet præparare. De adventu ad judicium univerſale ſolicitus erat S. Hieronymus qui dicebat: *Sive comedam ſive bibam, ſive aliquid aliud faciam, ſemper inſonare videtur auribus meis illa terribilis tuba. Surgite mortui venite ad judicium.* Et Job 31. *Quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus*, &c *Et cum quæſierit quid reſpondebo ei*? Meditatio illa multum valet ad ſalutem impetrandam. In vitis patrum dixit Abbas Amon cuidam fratri interroganti aliquem ſermonem. Vade & fac aliquando cogitationem tuam qualem faciunt illi qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant homines ubi eſt judex? & quando veniet? & in expectatione pœnarum ſuarum plorant. Sic & Monachus debet animam ſuam objurgare dicendo. Væ mihi quia habeo adſtare ante tribunal Chriſti & actuum meorum reddere rationem. Si ſic ſemper meditatus fueris poteris ſalvus eſſe. Item in vitis patrum dixit Abbas Helias tres res timeo. Una eſt quando anima mea egreſſura eſt de corpore; alia quando occurſurus ſum Deo; tertia quando proferenda eſt ſententia. Ad præparationem monemur. Eccleſiaſtici 18. *Ante judicium interroga teipſum.* In eodem. *Ante judicium præpara tibi juſtitiam.* Pſal. 111. *Beatus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio.* Malum valde & nocivum eſt quod de judicio non cogitant. Pſal. 9. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Et ſubdit. *Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Proverb. 28. *Viri iniqui non cogitant judicium, qui autem requirunt Dominum animadvertunt omnia.* Adventum

2 Ad judiciũ particulare.

Domini ad judicium particulare vigilanter expectare debemus, ut jugem memoriam mortis habeamus, & ſic vivamus quaſi cras morituri ſimus & judicandi.

Mortis memoria conducit ad ſex.

Nota quod valde utile eſt memoria mortis. Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Hieron. Platonis eſt ſententia & omnium ſapientum, vitam meditationem eſſe mortis. Sapiens. Summa eſt Philoſophia, aſſidua mortis conſideratio, valet enim

1 mortis memoria ad *ſex*. *Primo* ad fugam vitiorum vel ſaltem fiendorum. Sicut timent latrones judicis adventum, ſic vitia mortem. Terribilis eſt eis locus iſte, quaſi porta inferni, aut ex toto hominem tunc deſerunt, aut certe contemnunt. E contrario vitia in his ſecura ſunt, qui non habent mortis ſuæ memoriam. Thren. 1. *Sordes ejus in pedibus ejus, non*

2 *eſt recordata finis ſui.* *Secundo* valet ad contemptũ mundi. Hieron. Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Eccleſiaſtes 11. *Si multis annis vixerit homo, & in omnibus his lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum malorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.*

Triplex Mundi vanitas arguetur in morte.

In morte vanitatis arguuntur illa omnia quæ pertinent ad ſapientiam mundi. Illa pars quæ pertinet ad congregationem & conſervationem divitiarum vanitatis arguitur, quando hinc nudus revertitur in terram, ſicut nudus egreſſus fuerat de utero matris ſuæ. Job 1. Illa pars quæ pertinet ad delitias vanitatis arguitur, quando corpus delicatè nutritum vermibus in eſcam datur. Quæ pertinent ad honorem mundi vel gloriam arguuntur vanitatis, quando ille qui ſuper alios eſſe volebat, ſub terra ponitur & vadunt ſuper eum aſini & porci.

3 *Tertio* ad ſui contemptum, facit enim quod homo cognoſcat ſe quaſi per reſolutionem, qui modus cognitionis veriſſimus eſt. Et hoc eſt quod David orat dicens: *Sciant gentes quoniam homines ſunt*, id eſt de humo. Inde eſt humilitas. Qui ſic ſe cognoſcit cum Pſal. 9.

videt in ſe inſurgere aliquem motum ſuperbiæ, dicit ſibi: *quid ſuperbis terra & cinis*? Eccleſiaſtici 10. Non debet eſſe terra ſuper alias creaturas, cum naturaliter inferior ſit aliis. Et cineri non expedit hoc, ne à vento diſpergatur. *Quarto* ut homo re- 4

ctè ſe regat in via præſentis vitæ, ſicut aves caudâ ſe regunt volando per aëra & piſces natando per aquam, ſic ſapiens fine ſe regit in his quæ ſunt ad finem. *Quinto* ad temperandam lætitiam præſen- 5

tem; ſicut & alia mala pœnalia corda deſtituunt, unde *riſus dolore miſcebitur & extrema gaudij luctus occupat.* Proverb. 14. Et Eccleſiaſtici 11. *In die bonorum non immemor ſis malorum.* *Sexto* ad hoc quod 6

homo rectè judicet de præſenti vita & futura. Qui enim per meditationem ponit ſe in ſtatu mortis, quaſi in medio præſentis vitæ & futuræ, & utramque de prope videt, non fallitur viſus ejus. Ille qui ſe tenet in initio vitæ ſuæ non interponens ſibi medium præſentis vitæ & futuræ, quandoquidem ſe ſperat victurum, non bene poteſt judicare de vita futura, ſicut fecerat dives ille qui dicebat animæ ſuæ: *multa bona habes repoſita in annos plurimos, epulare*, &c. *Cui Dominus: hac nocte repetent animam tuam à te.* Dominus repoſuit eum in finem vitæ ſuæ. Lucæ 12.

Item notandum quod Dominus venturus eſt ad judicium *ad perſcrutandum*. Sophon. 1. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* Bernardus. Quid tunc in Babylone, ſi in Jeruſalem manet ſcrutinium. Maximè ſcrutabitur Prælatos. Sap. 6. *Audite hoc reges*, &c. *Interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur.* Magnum erit ſcrutinium quod erit de cogitationibus & de verbo otioſo. In eodem. *Potentes potenter tormenta patientur.* Item venturus eſt *ad puniendum* & maximè ſuperbos. Pſal. 30. *Retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* Iſai 2. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum.* Ejuſdem 28. *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ.* Mich. 1. *Calcabit Dominus ſuper excelſa terræ.* Item venturus eſt *ad remunerandum* humiles Iſa. 61. *Ad annunciandum miſit me*, &c. *Ut darem eis coronam pro cinere*, id eſt gloriam pro humilitate pœnitentiæ.

Ad Judiciũ venturus eſt Dominus. 1 2 3

II. Hoſtis malitia. Prælatioffi cia quinque.

Circa ſecundum notandum quod Prælatus paterfamilias dicitur, ad modum enim patrisfamilias debet ſubditos ſuos *agnoſcere, docere, veſtire, paſcere, protegere*. Ad *primum* pertinet illud Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.* Joan. 10. *Agnoſco meas.* Proverb. 12. *Novit juſtus animas jumentorum ſuorum.* Prælatus ſubditos ſuos *docet*, cum exẽplo ſuo bono eos ad honeſtatem converſationis inducit. De *veſtitu* Proverb. ult. *Quæſivit lanam & linum & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* In eodem *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*, ſcilicet fortitudine & decore. In eodem. *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Et de *pabulo* habetur in Evang. Joan. 21. *Paſce agnos meos.* De *protectione*. 1. Machab. 3. *Protegebat Iudas gladio caſtra Iſraelis.*

1 Subditi agnoſcere. 2 Docere. 3 Veſtire. 4 Paſcere. 5 Protegere.

Per ſimile oſtenditur, quod ſit vigilandum. Si enim vigilaretur pro terreno incommodo, multo magis vigilandum eſſet pro majori incommodo vitando. Unde illud. *Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret*, exponit Chryſoſtomus dupliciter. *Primo* vocat *furem diabolum*, domum mentem, quam ſi intrat per negligentiam janitoris, id eſt rationis ſpoliat domum veſtimentis juſtitiæ, auro ſapientiæ, argento innocentiæ. *Secundo* vocat *furem mortem* quia occultè venit. 1. ad Theſſal. 5. *Dies Domini ſicut fur ita in nocte veniet.* Apocal. 3. *Si non vigilaveris, veniam tibi tanquam fur.* Sicut fur domum intrat & perfodit, ſic mors ſpiritu dormiente habitaculum carnis corrumpit & animam violenter perfodiens extrahit.

Fur hic ſignificat duo. 1. Diabolum. 2. Mortem.

Circa Tertium notandum quod qui gregi do-
III. Charitas gregis. minico præeſt, multum debet eum movere ad vigilandum. Rom. 12. *Qui præeſt in ſolicitudine*, ſupple *præſit*. 2. ad Timoth. 4. *Tu vero vigila*, loquitur Timotheo, qui erat Epiſcopus. Actor. 20. de rectoribus Eccleſiæ Epheſiorum. *Vigilate memoria retinentes*, &c. Alia pertinentia ad iſtam materiam require in ſermone ſancti Gregorij de illo verbo *vigilate*, &c. Et in feſto ſancti Ambroſij in ſermone illo: *Quis putas eſt fidelis?* &c.

IN FESTO S. CATHARINÆ

SERMO VNICVS.

SUMMARIUM.

In principio comparat hic ſermo S. Catharinam forti mulieri, de qua thema loquitur. Deinde explicat thema de filiis & ſervis Dei, & circa finem de S. Catharina.

SERMO XCIII. Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, tu verò ſupergreſſa es univerſas *Proverb. ult.*

VErbum propoſitum quod dictum eſt à Salomone in laudem fortis mulieris ſatis conve-
S. Catharina quomodo fuerit mulier fortis Salomonis. nienter beatæ Catharinæ convenit, de qua hodie ſolennizamus, quæ verè fortis fuit, cum eam nec proſperitas nec adverſitas vincere potuit, quam diabolus duabus manibus impugnaverat, nec eam dejicere poterat, quia nec bona hujus mundi potuerant eam allicere, nec mala terrere ut à Chriſto ſeparatetur. Parvulum caſtrum quod habuit, id eſt caſtrum corporis ſui toto tempore vitæ ſuæ defendit contra hoſtem tam potentem ſcilicet diabolum. Ipſa nobiliſſimam ſpeciem fortitudinis, ſcilicet patientiam habuit. Proverb. 16. *Melior eſt vir patiens viro forti.*

Circa verbum propoſitum Primo attendendum
Tria circa thema tractantur. I. Animæ juſtæ ſunt filiæ. Animæ peccatrices ſunt ſervæ. eſt quod animæ juſtæ filiæ dicuntur non ſervæ vel ancillæ. Animæ peccatrices ancillæ ſunt & ſervæ diaboli. Auguſtinus. Malus tot dominorum ſervus eſt quot vitiorum. Sap. Omnis ſapiens liber, omnis ſtultus ſervus putatur. Bernardus. An non ſervus cui dominatur iniquitas. Avarus ſervus vocatur & venalis eſt. Eccleſiaſtici 10. *Nihil iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam venalem habet.* Luxurioſus ſervus eſt, ſcilicet membrorum pertinentium ad generationem, quibus contra Deum & ſalutem animæ ſuæ obedit. Illius obedientiæ ſervitutem oſtendit Dominus. Luc. 6. *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Melius eſſet ſervum unius leproſi eſſe quam illorum membrorum. Superbus eſt ſervus vanæ gloriæ, ad cujus imperium aliquando morti ſe exponit, ut patet in militibus gloriam mundanam ſectantibus. Iracundus ſervus eſt malitiæ adeo ut ejus motum à ſe excutere non poſſit, unde fatetur ſe non poſſe remittere odium.

Qui ſervi Dei ſunt divitias non congregant ſed
II. Filij & ſervi Dei quas congregent divitias. paupertatem, qui enim divites efficiuntur pluribus indigent quam ante, ad minus indiget familia cui multa ſunt neceſſaria, & omnes indigentiæ eius ſunt Domini. Eccleſiaſtes 5. *Vbi multæ opes, multi ſunt qui comedant eas.* Et quid prodeſt poſſeſſori niſi quod cernit divitias oculis ſuis? & ſi multum amet eas, cum videt eas comedi, tale eſt ac ſi videret ſe comedi. Boet. Illud verum eſt, neminem quam pluribus indigere, quam qui plura poſſidet. Filij Dei & filiæ congregant veras divitias, virtutes & virtutum opera. Bernardus. Veræ divitiæ non ſunt opes, ſed virtutes quas ideo conſcientia parat ut in perpertuum dives fiat. Secundum Bernardum. Aurum & argentum ſunt terra rubea & alba, quæ non virtus eorum ſed error hominum pretioſa facit. Sap. 7. *Omne aurum comparatione ſapientiæ arena eſt exigua, & quaſi lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Et notandum quod *quinque modis* ditatur aliquis: ſcilicet *theſauri inventione, ſeminatione, aſſociatione, negotiatione, liberali Domini cui ſervit remuneratione.* Ditantur quinque modis. *Primo modo* ditat hominem *voluntaria paupertas.* Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcōdito in agro.* 1. Theſauri inventione ditat religioſos ſtatus tripliciter. Ager eſt religio ubi regnum cœlorum eſt abſconditum, id eſt vita regia & cœleſtis, quæ terræ amotione invenitur. Una pars terræ, id eſt terrenitas amovetur, quando amor divitiarum deſeritur per abrenuntiationem proprietatis. Alia pars, quando amor delitiarum amovetur per votum caſtitatis & propoſitum abſtinentiæ regularis. Alia pars, quando amor honoris deſeritur per humilitatē obedientiæ. Sic inveniuntur veræ divitiæ & delitiæ & honor verus. De divitiis patet ex verbo Auguſtini dicentis. Aurum habens in arca dives eſt, Deum habens in conſcientia dives non eſt: conjunge Deum & aurum, arcam & conſcientiam. De delitiis patet Proverb. 15. *Secura mens quaſi juge convivium.* Eccleſiaſtici 30. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* De gloria 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Vita regia eſt in religione, cum debito modo ibi conſulitur, præcipi- 2. Seminatione ditat pietas ſeu Miſericordia. tur, obeditur, cœlum eſt ibi, ubi Deus habitat, & ubi eſt locus luminis & amoris & divinæ laudis. *Seminatione* ditat *pietas* 2. Corinth. 9 *Qui parce ſeminat parce & metet.* Super illud. Matth. 16. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere*, &c. dicit Gloſſa, quaſi dicatur agricolæ, frumentum ſi ſervas perdis: ſi ſeminas renovas. Bona præſentia quaſi ſeminalia ſunt, parva ſunt & parum durabilia, unde ſeminanda ſunt ut multiplicentur & conſerventur. *Aſſociatione* ditat *charitas.* Gregorius. Penſent invidi quantum bonum eſt charitas quæ 3. Aſſociatione ditat charitas. aliena bona ſine labore ſua facit. Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te. Negotiatione* ditat *prudentia*, ad quod pertinet parabola de talen- 4. Negotiatione ditat prudentia. tis. Matth. 25. *Remuneratione* Domini liberalis ditat *humilitas*, qui enim in ſervitio Domini humiliatur ad regnum cœleſte exaltatur. 1. Reg. 2. *Qui-* 5. Remuneratione ditat humilitas. *cumque honorificaverit me glorificabo eum.* Humilitas Deum honorat, ideo honoratur ab eo meritò. Eccleſiaſtici 3. *Magna potentia ſolius Dei eſt & ab humilibus honoratur.*

Sequitur. *Tu ſupergreſſa es univerſas.* Et notandum quod beata Catharina dives eſt & ſibi & nobis III.
propter meritum aureæ & aureolæ. Aurea debetur S. Catharinæ duplex meritum.
impletioni ſanctorum præceptorum, unde videtur pertinere ad virtutem juſtitiæ. Item ipſa videtur 1. Aureæ.
etiam habuiſſe meritum triplicis aureolæ ſecundum tres vires animæ; ſecundum rationalem, con- 2. Aureolæ triplicis.
cupiſcibilem & iraſcibilem, quæ triplex aureola videtur pertinere ad tres alias virtutes Cardinales. Ipſa enim fuit prædicatrix, virgo & martyr. Primum pertinet ad vim rationalem & ad excellentiam prudentiæ. Secundum ad concupiſcibilem & pertinet ad excellentiam temperantiæ. Tertium ad iraſcibilem & ad excellentiā fortitudinis, mors De primo.
enim eſt maximum terribilium quæ timentur. Ad *virginitatem* pertinet lac in decollatione ejus fluens de corpore. Ipſa erat de numero illarum quæ lacte ſunt lotæ Cantic. 5. Ad virginitatem etiam pertinet frequentatio Angelorum, qua cognoſcitur ejus virginitas, dum ipſa eſſet in carcere, etiam miniſterium ab ipſis ei in ſepultura exhibitum. Ad *prædicationem* ejus pertinet quod ſepulta eſt in monte De ſecundo.
Sinai, ubi lex fuit data. Conveniencer in ea aſſociatus eſt candor ſapientiæ candori virginalis munditiæ, quæ etiam habuit ruborem charitatis & patientiæ, ut byſſo & purpura ornata eſſet, ut eſſet

candida

candida & rubicunda ſicut ſponſus ejus Cant. 5. Meritum verò martyrij datum eſt ei, ut qui ei devoti fuerint, ſalvi fiant. Ad quod pertinet oleum ex ejus tumba manans. In quo apparet illud, ad gladium Ieſu bone, rex tu meum da paradiſo ſpiritum collocans pacatiſſimum. Et fac miſericordiam, meam agentibus memoriam. Vox de cœlo inſonuit, veni dilecta jam veni, intra thalamum ſponſi tui, &c. qui te laudant ſalvi fiant.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

SERMO VNICVS.

Summarium.

In principio ſermonis hujus variæ acceptiones vocis Dominicæ domus explicantur. In reliquo verò ſermone agitur de tribus dedicationibus ſpiritualibus.

SERMO XCIV.

Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum *Pſalm.* 92.

Domus Domini in ſcripturis pro familia ſũ, & quomodo ſancta eſſe debeat.

IN ſacra ſcriptura quandoque domus pro familia ſumitur, ut in Pſal. 14. *Domus Iſrael benedicite Domino*, & in multis aliis locis. Nos verò ſumus de familia Domini, quia de menſa ejus. vos verò recumbentes, ego autem debeo miniſtrare, & iſtam domum, id eſt, iſtam familiam decet ſanctitudo. Quia ſanctus debet eſſe qui miniſtrat verbum Dei. Unde Pſalm. 49. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras juſtitiam meam?* &c. Item ſancti debent eſſe qui recumbunt in menſa Domini, unde Dominus. Matth. ſeptimo *Nolite ſanctum dare canibus.* Ideo rogemus Dominum, &c. *Domum tuam*, &c. Multipliciter ſumitur domus in ſacra ſcriptura, ſed nunc ſufficiat de quadruplici. Eſt enim domus Dei ſuperior in cœlis, ſcilicet triumphans Eccleſia: Inferior in terris, ſcilicet militans Eccleſia. Interior ſpiritualis ſcilicet, fidelis anima. Exterior materialis, hoc eſt oratorium vel baſilica. De *prima* Joannis decimo quarto. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* De *ſecunda* ad Hebræos tertio. *Erat Moyſes fidelis in domo ejus.* De *tertia* prima Corinthiorum tertia. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Ad Hebr. tertio. *Chriſtus tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus.* De *quarta* Iſa. 56. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Hanc quadruplicem domum Dei decet ſanctitudo. Decet enim ut ſanctus Dominus Deus Sabaoth habeat ſanctam domum. Pſal. 64. *Sanctum eſt templum tuum.* Et in Levitico multotiens dicitur. *Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum.* Et quia non tantum ſanctus, ſed etiam æternus & in æternum ſanctus eſt Dominus, ideò domum ejus decet ſanctitudo, non ad horam tantum, ſed in longitudine dierum, hoc eſt in perpetuum. Ut autem jugis & perpetua ſit ſanctitudo domus Domini, propter hoc fit dedicatio. Videmus enim in domo Dei exteriori & materiali, quod antequam dedicata fuerit poteſt alij uſui non ſancto deputari, ſed poſtea non poteſt. Unde Auguſt. In oratorio nemo aliquid agat niſi ad quod factum eſt. Ipſe etiam Dominus ejecit de templo vendentes & ementes dicens eis. Joan. 2. *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis*, quaſi diceret: domus iſta dedicata eſt Deo, & nihil in ea debetis facere niſi ſanctum. Hujus domus Dei materialis dedicationis hodie feſtum agimus, unde propoſitum verſiculũ qui ei competit hodie frequenter decantamus. Sed non tantum domus iſtius debemus agere feſtum, ſed aliarum domorum, quæ Deo magis ſunt gratæ, quæ non à puro homine, ſed ab ipſo Deo Chriſto dedicantur. Domum enim iſtam materialem dedicat Epiſcopus purus homo, ſed alias domos dedicat *Chriſtus Pontifex futurorum bonorum* Hebr. 9. *Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum*, 1. Pet. 2. Nunc autem de aliarum domorum dedicatione videamus. Et *primo* de militante Eccleſia, cujus expoſitio ad allegoriam pertinet, *ſecundo* de fideli anima, cujus ſermo ad mortalitatem ſpectat, *ultimo* de domo ſuperiori, quam ſermo anagogicè reſpicit, prædictum verſiculum exponamus.

Alia quadruplex acceptio domus Dei.

Qualis ſanctitas deceat hanc domum. 19 & 20. Cap.

Materialis domus hodie feſtum dedicationis eſt.

De trium aliarum domorum dedicatione thema explicatur.

I. De dedicatione Eccleſię militantis allegoricè.

Dicitur ergo de Eccleſia militante *domum tuam*, &c. Eccleſiam militantem decet ſanctitudo, ut ſit ſancta, & miniſtros ſanctos habeat, & hoc ut magis deceret, tu Domine dedicaſti eam, Ad Epheſios quinto: *Chriſtus dilexit Eccleſiam & tradidit ſemetipſum pro ea, ut illum ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam neque rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Hic Apoſtolus *tria* principaliter tangit. *Primum* eſt *cauſa* motiva ex parte Chriſti ad dedicandum domum iſtam, *ſecundum*, *modus* ipſius dedicationis, *tertium* eſt *finis* quem in hoc intendebat. *Cauſam* motivam tangit cum dicit: *Chriſtus dilexit Eccleſiam*, amor enim movit eum. Pſalm. ſexageſimo octavo. *Zelus domus tuæ comedit me. Modum* dedicationis tangit cum dicit: *& tradidit ſemetipſum*, &c. Non enim alium Epiſcopum miſit. Et ſicut Epiſcopus ſcalam aſcendit in dedicatione ut inungat Eccleſiam in crucibus ibi factis, ita Chriſtus aſcendit ſcalam crucis ut domum ſuam ungeret oleo ſui ſanguinis: ſed quia in dedicatione non tantum fit inunctio, ſed & aſperſio aquæ, ideo & bene ſubdit Apoſtolus: *Mundans eam lavacro aquæ*, id eſt per baptiſmum *in verbo vitæ.* Hoc eſt verbum quod accedit ad elementum & fit ſacramentum. Quod dicitur verbum vitæ, quia mortuos in peccato vivificat hoc ſacramentum. *Finem* dedicationis tangit Apoſtolus cum dicit: *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam*, &c. Glorioſam per imitationem paſſionis Chriſti, ſicut cantat Eccleſia: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ad Galat. ult. *Mihi abſit gloriari*, &c. *Non habentem maculam* aperti & notorij peccati, *neque rugã*, duplicitatis & hypocriſis. Hæc eſt ergo ſanctitudo Eccleſiæ & finis dedicationis, ſcilicet imitatio paſſionis Chriſti, mundities vitæ contra maculam aperti peccati, veritas ſive ſimplicitas contra hypocriſin. Et de hac dicit: *Domum tuam Domine* &c. Indecens enim eſt ut poſtquam ſic ſanctificata & dedicata eſt à Domino Jeſu Chriſto ſanctitudinem amittat. Sed heu hodie iſta longitudo multum videtur abbreviata. Nam licet ipſa Eccleſia veram ſanctitudinem amittere non poſſit, tamen multi ſunt in ea numero, qui merito de ea non ſunt. Thren. 1. *Egreſſus eſt à filia Sion*, id eſt ab Eccleſia militante quæ eſt filia Sion id eſt, Eccleſiæ triumphantis. *Omnis decor ejus* ſcilicet iſte triplex decor ſupradictus. Pauci enim ſunt qui gloriam habent in imitatione Paſſionis Chriſti, imo potius gloriantur in divitiis, in deliciis, &c. de quibus ad Phil. 3. *Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Et: ſi nos haberemus zelum Apoſtoli, fleremus cum ipſo. Unde Joel. 1 *Accingite vos & plangite ſacerdotes*, &c. *quoniam interiit de domo Dei noſtri ſacrificium* mortificationis carnis, de quo ad Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei*, &c. *& libatio* lachrimarum & devotionis *de domo Dei*, id eſt de Eccleſia. Unde flendum eſſet & plangendum, ſicut Mathathias plangebat. 1. Machab. 2. *Væ mihi ut quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem civi-*

De ejus dedicatione ex verbis tria notanda.

1.

2.

3.

Sanctitas ejus triplex

Longitudo ejus abbreviata.

Quo ad primam ſanctitatem.

tatis ſanctæ, ſancta in manu extraneorum facta ſunt, templum ejus ſicut homo ignobilis, &c quia amiſit nobilitatem & gloriam quam deberet habere de imitatione Paſſionis Chriſti. *Vaſa gloriæ ejus*, id eſt miniſtri Eccleſiæ qui deberent hanc gloriam ſervare *captiva abducta ſunt*, à Nabuzardan principe coquorú, id eſt ingluvie ventris, *hujuſmodi* enim, ut dicitur ad Rom. ult. *Chriſto non ſerviunt ſed ſuo ventri*. Ecce qualiter magna pars Eccleſiæ non eſt glorioſa per imitationem paſſionis Chriſti. Eſt etiam habens maculam notorij & notabilis peccati, habet enim maculam in oculis, id eſt in prælatis, de quibus Iza. 5. *Peccatum ſuum ſicut ſodoma prædicaverunt*. Propter hoc dicitur Oſe. 6. *In domo Iſrael vidi horrendum*. Et ſubdit. *Ibi fornicationes Effraim*. Per Effraim qui interpretatur frugifer intelliguntur divites laici, qui fornicantur & corporaliter per libidinem, & ſpiritualiter per avaritiam. Ad Epheſ. 5. *Avaritia eſt idolorum ſervitus*. Sic ergo habet maculam aperti peccati. Habet etiam quo ad multos rugam hipocriſis. Unde Luc. 12. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hipochriſis*. Jam enim abundantia fermenti totã maſſam corrũpit diſcipulorũ. Hæc eſt ruga quæ pellem, id eſt converſationẽ plicat & partem mundiorem exterius oſtendat. Bernardus. Tempora iſta planè fœda ſunt à fermento phariſæorum quod eſt hypochriſis, ſi tamen hypocriſis dici debet quæ præ abundantia latere non poteſt. Patet ergo qualiter à filia Sion egreſſus eſt omnis decor ejus, nam glorioſa non eſt per imitationem paſſionis, maculata per notorium peccatum, rugata per hipocriſim, & ſic ſanctitudinem quæ ipſam decebat in longitudine dierum amiſit.

Quo ad ſecundam.

Quo ad tertiam.

II. De dedicatione animæ fidelis moraliter. Dictum Domini ad Zachæum de fideli, maximè religioſa anima exponitur.

Moraliter *domum tuam*, &c. de fideli anima exponitur. De hac hodie cantatur quod Dominus dixit. Luc. 19. *Zachæe feſtinans deſcende* &c. Zachæus interpretatur juſtus conſilio, & ſignificat virum juſtum & præcipuè religioſum, qui non ſolum juſtitias præceptorum ſed conſiliorum adimplere feſtinat. Et tamen dicit ei Dominus: *deſcende* per humilitatem, quia aliter non remaneret Dominus in domo, id eſt in anima ipſius, quia ipſe dicit Iſa. ult. ſecundum aliam tranſlationem. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos*. Ut autem in hac domo jugiter & in longitudine dierum habitet, ipſam decet ſanctitudo in longitudine dierum, quia Dominus in ſancto habitat, & propter hoc dedicat eam ſicut prædictum eſt. De cujus dedicatione dicitur 1. Theſſal. 5. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur*, ut ſcilicet ſitis ei ita dedicati & appropriati, quod non poſſit in illa die conqueri quod ſpiritus veſter & anima & corpus non integrè ei ſervierunt, nemo enim duobus dominis ſervire poteſt. Oſeæ 10. *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibũt*. Scitis autem quod antequam Epiſcopus dedicet Eccleſiã, oportet quod præparetur præcipuè in tribus ſcilicet ut dealbetur, cruces in ea pingãtur, & ab omnibus evacuetur. Similiter ſi volumus ut Domin⁹ in nobis ſibi dedicet domum, hæc tria faciamus, quæ etiam faciũt religioſi in triplici voto ſuo. Evacuant enim ſe ab omnibus per renuntiationẽ proprietatis, dealbãt ſe per votum caſtatis, cruces faciũt per votũ obediẽtiæ uſque ad mortem Hæc etiam innuit Apoſtolus eſſe facienda, qui antequam diceret, *ipſe Deus ſanctificavit vos*, præmiſit *omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. Et ſtatim ſubjungit, *ipſe autem Deus ſanctificet*, &c. Et ne dubitent ſubjungit, *fidelis eſt Deus qui vos vocavit, qui & faciet* dedicationẽ domus ſuæ in vobis.

Sanctitas ejus.

Pſal. 21.

Dedicatio ejus.

Matth. 6.

Tria præparamenta ad hanc dedicationem.

Sex in dedicatione materiali fieri ſolita ad ſpiritualem applicãtur.

Notandum ſunt *ſex* quæ fiunt in dedicatione, ſcilicet *circuitio, aqua aſperſio, oſtij pulſatio, inſcriptio, crucium inunctio, luminis accenſio*. Hæc fiunt ſpiritualiter à Chriſto Pontifice noſtro in dedicatione fidelis animæ. Circuit eam cuſtodiendo & protegendo. Pſal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Iſte autem Angelus Chriſtus eſt, qui mittit Angelos ſuos ad cuſtodiendum nos. Zach. 9. *Circuibo domum meam*, ideſt fidelem animam *ex his mihi militant mihi*, ideſt Angelis, immo per ſeipſum. Pſal. 124. *Dominus in circuitu populi ſui*. Aſpergit Dominus domum iſtam aquis gratiarum & lachrymarum. Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor*. Per hyſopum quæ eſt herba humilis intelligitur humilitas, per quam Dominus aſpergit animam aquis gratiarum, quia humilibus dat gratiam, & lachrymarum, quia humilitas facit hominem cognoſcere defectus ſuos & inde flere. *Item* pulſat tribulationibus & tentationibus, ut videat & faciat videri utrum homo dormiat per pigritiam. Luc. 12. ut cum venerit & pulſaverit confeſtim aperiatur ei. Venit Dominus cum tribulationẽ immittit, aperitur ei per patientiam & gratiarum actionem. Et tales gaudere debent, unde ait Angelus ad Tobiam. Tob. 12 *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. *Item* inſcribit Dominus inſpirando & ſuam voluntatem docendo. 2. Cor. 3. *Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. quaſi diceret: Dominus ſcripſit legem veterem in tabulis lapideis, ſed legem novam ſcripſit in cordibus noſtris. *Item* cruces inungit, cum in tribulatione & in auſteritate pœnitentiæ conſolationem infundit. Pſal. 44. De Chriſto & de quolibet juſto: *Dilexiſti juſtitiam*, ideſt pœnitentiam quæ delicta corrigit & emendat, *& odiſti iniquitatem propterea unxit te Deus in æternum*. Bernard. Multi vident cruces noſtras, qui non vident noſtras unctiones. Et ideo multi fugiunt pœnitentiam. Sicut ſimia ſentiens corticem nucis amarum, & non conſiderans dulcedinem nuclei, projicit nucem. Si ſentirent unctionem dulcedinis, proculdubio currerent ad crucem, Cantic. 1 dicit ſponſa. *Trahe me poſt te*, ſcilicet per viam crucis, hæc eſt enim via arcta quæ ducit ad vitam. Et poſt ſubdit. *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. Odor unguentorum conſolationis faciet nos currere per viam iſtam. Et his omnibus peractis ſequitur luminis accenſio, quia per hoc accendit Dominus aliis lumen exempli, ut dicitur Iſa. 49. *Dedi te in lumen gentium*. Tales facit currere per terram, portantes pacem & illuminantes patriam. Per hoc ergo dedicat ſibi Dominus domum interiorem, id eſt animam fidelem. Et appropriat & conjungit Pſalm. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo. Adhæſit anima mea poſt te*, quare? *quia me ſuſcepit dextera tua*. Et domum iſtam ſic dedicatam decet ſanctitudo in longitudine dierum.

1: Circuitio:

2. Aſperſio:

3: Pulſatio:

4: Inſcriptio:

5: Inunctio:

6: Accenſio:

III: De dedicatione Eccleſiæ triumphantis anagogicè. Sanctitas illius: Dedicatio illius:

Anagogicè de Eccleſia triumphante poteſt exponi *domum tuam*, &c. quia ibi non intrat niſi ſanctum. Pſal. 23. *Quis aſcendet in montem Dei*, &c. Sanctitas enim eſt veſtis nuptialis, ſine qua non intratur ad nuptias paradiſi Matth. 22. *Quomodo huc intraſti?* &c. Et hoc in longitudine dierum, quia hæc eſt domus non manufacta Eccleſia in cœlis. 2. ad Cor. 5. *Habemus domum non manufactam, æternam in cœlis*. Hujus dedicatio fiet in generali reſurrectione, ſicut dicitur ſuper titulum Pſal. 29. Qui eſt de dedicatione domus David, ideſt Chriſti. Tunc verè dedicabuntur juſti, id eſt Deo dicabuntur, ideſt conjungentur, hic enim nullus ita dedicatur, quin adhuc poſſit à Deo ſeparari, ſed ibi nullus poterit. Pſalm. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, quare? quia *in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Ad hanc dedicationem perducat nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS
RERVM PRÆCIPVARVM,
IN HIS TRIBVS TOMIS CONTENTARUM.

A

Abbas. Vide titulum *Prælatus* & *Clericus.*

Abnegatio Quomodo quis abnegare non ſolum ſuos, & ſua, ſed etiam ſe ipſum debeat. *Part. 3. in Feſ. S Georgij Martyris ſerm. unico §. circa 3. & §. circa quartum folio* 415.

Abraham Patriarcha. Abraham proponitur imitandus, & præcipuæ eius virtutes explicantur. *Part. 1. Dominica 13. poſt Trinitat. ſerm. 2. per totum.*

Abſtinentia. Abſtinentia commendatur ob multa bona, quæ inde ſequuntur. *Part. 1. Dominic. in ſeptuag. ſerm. 4. à numero 2. uſque ad finem*; ubi plura de abſtinentia.

Acceptio perſonarum. Cavenda eſt acceptio perſonarum exemplo Chriſti. *P. 2. Dominic. 4. Adventus, ſ. 3. §. Mediusveſtrum.*

Item *Part. 2. Dominic. 23. poſt Trinit. ſerm. 2. § Non reſpicis.*

Accubitus primus. Quid ſit accubitus primus, & qui dignus accubitu primo qui non *explicatur Part. 2. Dom. 17. poſt Trinit ſerm. 2. §. Non diſcumbas.*

Adam primus parens. Peccatum Adami cauſa meritiſſima fuit omnium miſeriarum humanarum, Deuſque ob hoc peccatum merito eum & ſucceſſores omnes punivit. *part. 1. Dominic. in ſexageſima ſerm. 1. toto.*

Adam flevit mortem Abelis filij ſui centum annis & quare? *part. 1. Dominic. 11. poſt Trinit. ſerm. 1. num 1.*

Adoleſcentia. Quadruplex bonum ſequi ſolet ex Adoleſcentia benè collocata. *p. 3. in Feſto S. Nicolai Epiſc ſerm. 1. poſt initium.*

Adoratio. Definitio adorationis. *part. 3. in Vigilia Nativitatis Domini ſerm. 2. numero 4. & ſeq.*

Item quomodo ea fieri debeat *loco citato.*

Item diviſio eius in interiorem & exteriorem. *part. 3. in Feſt. Epiphania ſerm. 3 num. 9. circa medium.*

Adventus. Adventus Chriſti tres ſunt. Primus in Carnem. Secundus in mentem. Tertius ad Iudicium *part. 1. Dominic. 1. Adventus. ſerm. 1. per totum.*

Cur Eccleſia Adventum Chriſti in carnē nobis ſingulis annis repræſentet. *p 2 Domin. I. Adventus ſerm 1. medio. §. Notandum ergo.*

Quomodo quivis ad triplicem Chriſti Adventum præparare ſe debeat. *part. 2. Dominic. 1 Adventus ſerm. 2. toto.*

Adventus Chriſti triplex meritò magni faciendus eſt ob plurimas rationes allatas *part 2. Dominic. I. Adventus ſerm. 5 toto.*

Adventus Chriſti ad Iudicium conſolatur bonos & hortatur ad ſpem & gaudium concipiendum. *p. 2. Dom. 2. Adventus ſ. 4. tot.*

Advocatus. Advocati mali ſimiles ſunt Diabolo. *part. 2. Dominic. I. in Quadrageſima ſerm. 1. circa finem.*

Adulatio. Remedium contra Adulationem affertur *part. 2. Dominic. 3 Adventus ſerm. 4. circa finem.*

Afflictio Septem efficaces rationes afferuntur, cur Deus in hoc Mundo ſuos ita affligi permittat. *part. 3. in Feſto Sanctor. Martyrum Dionyſij & ſocior. ſerm. unico toto fol. 464.*

Vide tit. *Crux & Tribulatio.*

Amor, Amicitia, Amicus.

Amor Dei erga nos, & viciſſim noſter erga Deum explicatur *part. 1. Dominic. 3. in Quadrag. ſerm. 5.*

Definitio amici fidelis. *part. 2. Dominica Pentecoſtes ſerm. 2. num. 2. § Et pater meus.*

Amicus infidelis ſeu non fidelis quatuor modis facile deprehendi poteſt. *loc. cit.*

Ad amicos & amicitiam faciendam multa requiruntur. *part. 2. Dominic 9 poſt Trinit. ſerm. 2. toto.*

Amici Chriſti ſunt triplices, Generales, Speciales, Singulares. *part. 3. in Feſto S. Ioannis Evangeliſta ſerm. 1. toto.* Vbi fusè agitur de amicitia inter Chriſtum & animam quamlibet devotam.

De amicitia inter Deum & hominem. *part. 3. in Feſto S. Barnaba Apoſt. ſerm. unic toto fol. 425.*

De amicitia vera & falſa fusè *part. 3. in Feſto S. Ioannis Evangeliſta ſerm. 2. toto.*

Amicitia Dei appetenda eſt ob 4. potiſſimum cauſas. *part. 3. in Feſto Omnium Sanctorum ſerm. unico.*

Amamur à Deo ob 4. potiſſimum cauſas, Caſtitatem, Humilitatem, Manſuetudinem, & Dilectionem. Et ob eaſdem cauſas homo etiam amatur ab alio homine. *part. 3. in Feſto S. Bernardi Abb. ſerm. unic. toto f. 449. & ſeqq.*

Angelica ſalutatio. Explicatur pulchrè & fusè *part. in Feſto Annunciationis B V. Mariæ ſerm. 1. toto.*

Anima Animabus in purgatorio ſubveniendum eſſe multa ſuadent *part. 2. Dominica 15. poſt Trinit. ſerm. 2. n. 2. & ſeqq.*

Anima bona & ſancta in ſacra ſcriptura quatuor habet nomina, mala vero & reproba totidem *part. 2. Dominic. 1. Adventus ſerm. 3. initio num. 1. & 2.*

Animæ corruptiones, ut cupiditas, ira &c. quaſi ſpirituales lepræ curantur *part. 2. Domin. 2. poſt Octavam Epiphania ſerm. 1. num. 2 & ſeqq.*

Antiphona Antiphonæ maiores. O in Adventu cantari ſolitæ, quid ſignificent? *p. 2. Dominica 1. Adventus ſ. 4. § Notandum.*

Apparitio Chriſti Chriſtus poſt Reſurrectionem 12. apparuit: decies apparuiſſe patet ex Evangelio, bis ex S. paulo: Quid tot apparitiones nobis indicent *Vide part. 2. Dominic. 1. poſt Paſcha ſerm. 3. toto.*

Arbor. Duodecim proprietates Arborum moraliter explicantur. & nobis applicantur. *part. 2. Domi. 8. poſt Trinit. ſerm. 3. toto.*

Arundo. Peccator arundini comparatur & merito. *part. 2 Dominic. 3. Adventus ſerm. 4. toto.*

Aſcenſio Chriſti. Modus, quo Chriſtus aſcendit in cælum, & quomodo eum ſequi debeamus ac poſſimus. *part. 2. Dominic. 4. poſt Paſcha ſerm. unico num. 2. §. circa ſecundum.*

Vide tit. *Chriſtus.*

Avaritia. Avarus eſt ſervus divitiarum, & ſervit ijs cultu latriæ, adeoque eſt Idolatra *part. 2. Dominic. 15. poſt Trinit. ſ 3.*

B

Bacchanalia. De ijs agitur *part. 2. Dominic. in Quinquageſima ſerm. 1. initio*

Baptiſmus Baptizati cur Chryſmate inungantur *part. 1. Dominic. 4. Adventus ſerm 1. num. 4. § conſcientia*

Baptiſmus eſt triplex flaminis, fluminis & ſanguinis, & qua ratione quivis conferatur. *part. 1. Dom. 2. in Quadra. ſ. unic.*

Item *part. 2. Dominica SS. Trinitatis ſerm. 1. medio*

Baptiſmi duodecim effectus exponuntur. *part. 1. Dominic. 6. poſt Trinit. ſerm. 1. num. 1.*

Beati. Beatorum Gloria qualis ſit, & unde? *part. 1. Dominic. 4. poſt Trinit ſerm. 2. per totum*

Benignitas Dei. De Dei benignitate agitur *part. 1. Dominic. 14. poſt Trinit ſerm. 1. num. 7.*

Blaſphemia. Blaſphemia fit tribus modis. 1. quando aliquid Deo tribuitur, quod ei non convenit 2. quando aliquid Deo negatur, quod ei convenit. 3. quando quis aliquid, quod Deo convenit, ſibi attribuit. *part. 2. Dominic. 19. poſt Trinit. ſerm. unico initio.*

Bonitas Dei. De Dei bonitate *p. 1. Dominic. 14 poſt Trinit. ſ. 1. n. 6.*

Item de eadem. *part. 2. Dominica in ſeptuageſ. ſerm. 2. initio.*

Boni. Boni, qua ratione inter malos benè vivere poſſint documenta *part. 1. Dominica 3. poſt Paſcha ſerm. 2. num. 3.*

Bonos ſi mali oderunt non mirandum. *part. 1. Dominica 2. poſt Trinit. ſerm. unico num. 1.*

Bravium. Bravium vitæ æternæ comprehendere cupientes, à quibus expediti, & quomodo ſe gerere debeant. *part. 1. Dominica in Septuageſ. ſerm. 2. per totum.*

C

Cæcitas mentalis. Cæcitas mentalis in multis pejor & periculoſior eſt cæcitate corporali. *part. 2. Dominica in Quinquag. ſerm. 2. num 2. & ſeqq.*

Curatur triplici modo. *loco cit.*

Calum. Cæleſtis Hieruſalem ſeu Cælum commendatur nobis à 4. potiſſimum circumſtantijs, ad nos excitandos, ut eò peregrinari ſtudeamus. *p. 1. Dominic. 4. in Quadrag. ſ. 1. per tot.*

Caremonia Eccleſiaſtica præcipuæ Ceremoniæ in Eccleſia adhiberi ſolitæ explicantur; ſcilicet Cereorum, Ramorum, Vexillorum, &c. *part. 2. Dominica Palmarum ſerm. 3. ferè toto.*

Explicantur autem præcipuè hæ, quæ in Dominica Palmarum adhibentur *loc. cit. ſerm. 4. toto.*

Caro. In quibus Carni non ſit conſentiendum. *part. 1. Dominic. 3. poſt Paſcha ſerm. 2.*

A Carnalibus deſiderijs maximè luxuria cur ſit abſtinendum *part. 1 Dominica 3. poſt Paſcha ſerm. 1.*

Vide tit. *Peccatum & Lepra*

Caſtitas. Caſtitas ſeu Continentia commendatur *part. 1. Dominica 14. poſt Trinit ſerm. 1. num 11. & 12.*

Certamen. quomodo nobis ad exemplum Sanctorum præcipuè S. Stephani Protomartyris ſit in pugna ſpirituali pugnandum, & quæ ad certamen hoc invitent. *part. 3. In Feſto S. Stephani ſerm. unico toto.*

Item quàm neceſſarium ſit pugnare hanc pugnam ſpiritualem. *p. 3. in Feſto S. Thomæ Cantuarienſ. Epiſ. ſerm. 1. toto f. 385. & ſeqq.*

Triplex certamen contra triplicem hoſtem ſpiritualem, ſcilicet Carnem, Mundum, Diabolum explicatur. *part 3. in Feſto S. Petri Martyris ſerm unico §. Certamen & ſeqq fol 417. & ſeqq.*

Charitas Charitas vera quæ ſit, & quàm precioſa; è contra carentia ipſius quàm noxia. *part. 1. Dominica in Quinquag. ſerm 1. per totum*

Charitas ſeptem bona affert, & ab octo malis cuſtodit, quæ recenſentur *loc. cit. ſerm. 2. per totum.*

Charitatis neceſſitas & utilitas *loc. cit. ſerm 3.*

Item Charitatis veræ utilitates *part 1 Dominic. infra Octavam Aſcenſionis Domini ſerm. 3. per totum.*

Charitatis Dei precioſitas & neceſſitas. *part. 1 Dominic. 1. poſt Trinit ſerm. 1. per totum.* Vbi etiam quædam motiva demonſtrantur ad Charitatem Dei & proximi incitantia.

Charitatis opera valde bona & neceſſaria ſunt *part 1. Dominic. 16. poſt Trinit. ſerm. 1. num. 3.*

Charitate radicati & fundati bono ſunt loco. *part. 1. Dominic. 16 poſt Trinit. ſerm. 2. per totum.* Vbi fusè agitur de Charitate Dei & proximi.

Vide etiam tit. *Dilectio & amor.*

Chriſtus. Chriſto ſerviendum eſt ob triplicem rationem allatam *part. 1. Dominic 3. Adventus ſerm. 1. à num. 4. uſque ad finem.*

Chriſtus parvulus, quomodo ſe geſſerit, & quæ virtutum exempla nobis dederit. *part. 1. Dominic. infra Octavam Nativit. Domini. ſerm. 1. per totum.*

Chriſtus quomodo in mundo fuerit peregrinus? *part. 1. Dominic. 3. poſt Paſcha. ſerm. 2 num 2*

Chriſti ſumus tripliciter; Iure Creationis, Conſervationis, Redemptionis. *part. 1. Dominic. 14. poſt Trinit ſerm. 2. per totum.*

Chriſtus tantam habuit gratiam & ſapientiam in primo ſtatu Conceptionis ſuæ quantam habuit Anno trigeſimo ætatis ſuæ. *p. 2. Dominic. infra Octavam Nativitatis ſ. 4 initio & ſeqq.*

Quomodo Chriſtus amittatur, & amiſſus inveniri poſſit. *part. 2. Dominica infra Octavam Epiphaniæ ſerm. 3. toto.*

Chriſtus cur voluerit tentari? cur poſt Baptiſmum? cur in deſerto? & quomodo tentatori Diabolo reſtiterit? *part. 2. Dominic 1. in Quadrag. ſerm. 2. toto.*

Cur Chriſtus jejunaverit? cur 40. dies, & non plures vel pauciores? cur ante, & non poſt Reſurrectionem ſuam? *part. 2. Dominic. 1. in Quadrag ſerm 3. num 2. & ſeqq.*

Chriſtus ter cibo indiguiſſe legitur. *part 2. Dominic. 1. in Quadrag. ſerm 3. num. 2. § poſtea eſuriit*

Qualem autem cibum eſurierit, & adhuc eſuriat, *Vide loc. cit.*

Sepultura Chriſti quatuor nos docet nobis valdè utilia & neceſſaria *part. 2. Dominica Paſcha ſerm. 1. §. Ecce locus.*

Chriſtus Reſurgens à Reſurrectione ſua uſq; ad Aſcenſionem exemplum nobis dedit in ſeptem potiſſimum rebus *part. 2. Dominic. 1. poſt Paſcha ſerm 3 §. Item notandum.*

Cibus Chriſti poſt Reſurrectionem ſuam fuit triplex, panis, piſcis & favus mellis. *part. 2. Dom. 1. poſt Paſcha. ſ. 3. in fine.*

Modus quo Chriſtus in Cælum aſcendit, & quomodo imitandus ſit, docetur *part. 2. Dominic. 4. poſt Paſcha ſerm. unico num 2. § circa ſecundum.*

Chriſtus ſexies in Paſſione ſua fudit ſanguinem, ubi autem, & quomodo? *part. 3. in Feſto S. Luciæ Virg. & Mart ſerm. unico num. 3. fol. 366.*

Hoc idem, ſed paulo aliter tangitur *loco cit. in Feſto S. Thomæ Apoſtoli ſerm. 1. numero 4.*

Chriſtianus Chriſtianum eſſe non eſt magnum, ſed bonum Chriſtianum. Quis autem ſit bonus quis malus Chriſtianus fusè explicatur *part. 1. Dominic. 10. poſt Trinit. ſerm. 1. per totum.*

Cibus. Homo duplicis naturæ duplici quoque cibo indiget, quinam autem cibus ille ſit *Vide part. 2. Dominic 1. in Quadrag. ſerm. 3. num. 3. §. ſcriptum eſt.*

Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam triplicem cibum habuit; panem, piſcem, & favum mellis *p. 2. Dom. 1. poſt Paſc ſ. 3. in fine.*

Circumciſio. De Chriſti Circumciſione, item de Circumciſione ſpirituali, & eius utilitate fusè agitur *part. 3. in Feſto Circumciſionis Domini ſerm unico ferè toto.*

Clauſtrum. quid ſit Clauſtrum, & quæ bona ſint in vero clauſtro ſeu deſerto *part. 2. Dominic. 3. Adventus ſerm. 5. toto.*

Clericus. Clerici ob multas cauſas in Iudicio magis arguendi ſunt, quàm ſæculares *part. 2. Dominic 4 Paſcha ſerm. unico num. 3. § Notandum.*

Omnes quidem homines, ſed maximè Clerici & Religioſi ſtudere debent placere Deo *part. 3. in Feſto Tranſlationis S. Dominici ſerm. unico ferè toto fol. 422.*

Vbi etiam media dantur id exequendi.

Vide plura tit. *Prelatus, Religio, Religioſus.*

Cognitio ſui. Sui ipſius cognitio cuivis valde eſt neceſſaria *part. 1. Dominic. 11. poſt Trinit. ſerm. 3. per totum.*

Commemoratio Fidelium. Quid in die commemorationis fidelium Defunctorum cuique noſtrum ſit faciendum *part. 3. Commemorat. fidelium Defunct. ſerm. unico toto.*

Communitas. Communitas valdè utilis & neceſſaria eſt *part. 2. Dominica 1. poſt Paſcha ſerm. 5. num. 1 Initio.*

Vide tit. *Congregatio*

Communio. Invitamenta ad ſæpè & dignè communicandum *part. 1. In die ſancto Paſcha ſerm. 3. per totum.*

Compaſſio. Cur Chriſto compati debeamus? quot cauſæ compaſſionis & quid ſit compaſſio? *p. 1. Dominica Palmarum ſ. 2. per tot.*

Compaſſio habenda eſt erga proximum, maximè ob defectus quos fortè proximus patitur. *part. 1. Dominica 22 poſt Trinit. ſerm. 2. ferè toto.* Vbi multa de Charitate erga Deum, proximum, & ſeipſum.

Concio Concionator. Conciones cur habendæ, & cur ſedulò audiendæ ſint *part. 2. Dominic. 1. Adventus ſerm. 1. initio.*

Sex potiſſimum virtutes concionatori neceſſariæ ſunt, quales autem? *part. 2. Dominic. 5. in Quadrag. ſerm. 2. ferè toto.*

Inſtruitur Concionator. *p. 2. Dominic. 5. poſt Trinit. ſerm. 2. toto.*

Boni Concionatores laudantur; mali vero reprehenduntur *p. 3. in Feſto Tranſla. S. Dominici ſ. unico §. Quantû ad tertium f. 425.*

S. Ioannes Baptiſta fuit verum exemplar verorum Concionatorum, & maximè in tribus; In ſcientia, Mortificatione, & Conſtantia. *part. 3. in Feſto Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ ſerm. unico ſine fol. 453.*

Confeſſio Confeſſio Sacramentalis commendatur fusè ob neceſſitatem ſuam *part. 1 Dominica 24. poſt Trinit. ſ. unico toto.*

Cõfeſſionis malæ ſunt 7. ſpecies, ſed corriguntur *l. cit. n 4. & ſeqq.*

Eiuſdem conditiones neceſſariæ. *loc cit. num. 5. & ſeqq.*

Confeſſionis faciendæ 7. motiva. *part. 2. Dom. 3. in Quadrag. ſerm. 4 à medio uſque ad finem.*

Objectiones contra Confeſſionem refutantur *loc. cit.*

Confeſſio non differenda. *part. 2. Domin. 3 in Quadrag. ſ. 5. initio*

Confuſio. Cauſæ duodecim aſſignantur cur reprobi in extremo Iudicio confundantur *part. 3. in Feſ. S. Andreæ Apoſtoli ſerm. 2. §. Et notandum.*

Congregatio. Quomodo in Congregatione aliqua ſit vivendum *part 3. in Feſto S. Thomæ Apoſtoli ſerm. 2. num. 2.*

Vide titul. *Communitas.*

Converſatio. Noſtra converſatio ſecundum Apoſtolum ſemper ſit in Cælis *part. 1. Dominica 23. poſt Trinit ſerm. 2 toto.*

Converſio. Converſis ad Deum recenter, quæ ſint neceſſaria *part 1. Dominica 4. poſt Paſcha ſerm. unico.*

Converſio S. Pauli profuit & Peccatoribus, & Iuſtis, quomodo? *part. 3. in Feſto Converſionis S. Pauli ſerm. unico toto fol. 402.* Vbi plurima ad ædificationem noſtram.

Convivium. Convivia quomodo debeant eſſe reſpectu Dei, proximi, & noſtri *p. 2. Dom 4. in Quadrag. ſ. 1. §. Et notandum.*

Conſcientia. Conſcientia comparatur domui materiali ſecundum omnia, ſcilicet Altitudinem, Latitudinem, &c. *part. 2. Dominica Pentecoſ. ſerm. 2. num. 2. §. Nota quod.*

Correctio Quibus incumbat peccatores corrigere, & quomodo correctio debeat eſſe conſtituta. *part. 1. Dominica 15. poſt Trinit ſerm. 1. circa finem*

Crapula. Crapulæ Antidoda. *p. 1. Dominica 3. poſt Trinit. ſ. 1. n. 3.*

Crux. Quatuor ligna materialia, ut Cedri, Cypreſſi, Olivæ, Palmæ Crucis ſpiritualis ſpiritualiter explicantur *part. 3. in Feſto Inventionis S. Crucis ſ. unico §. circa quintum fol. 410.*

Cura Animarum. Quomodo Curam Animarum habentes ſe gerere debeant. *part. 2. Dominica 13. poſt Trinit. ſerm. 3. toto.*

Item in quibus Curati delinquant *loc. cit.*

De cura animarum plura *part. 2. Dominica 14. poſt Trinit ſerm unico §. circa quartam.*

Curati habere debent veſtem Nuptialem ſcilicet Charitatem; & tria maximè requirentur ab eis in die Iudicij *part. 2. Domin. 20. poſt Trinit. ſerm. 3. num. 2.*

Curſus. Curſus de quo loquitur S. Paulus 1. ad Corinth. 9. triplex explicatur ad Mortem, Infernum, & Paradiſum *part. 1. Dominica in Septuag ſerm 1. per totum.*

Currendum ſpiritualiter quomodo? & quæ incitare ad id nos debeant. *part. 1. Domin. in Septuag. ſerm. 3. per totum.*

D

Dæmon. Dæmoni reſiſtendum eſt maximè fide & Vigilia. *part. 1. Dominica 3. poſt Trinit. ſerm. 2. per totum.*

Dæmon hominem tripliciter potiſſimum vexat *p. 2. Domin. 1. Quadrag. ſ. 2. num. 1. & ſeqq.*

Fortitudo Dæmonis magna eſt. *p. 2. Domin. 3. in Quadrag. ſ. 1. n. 5. circa finem.*

Sed poteſtas ejus ligata eſt, ideoque non timenda. *loc. cit.*

Arma Dæmonis ſunt varia *loc. cit.*

Inſidiæ ejus *loc. cit num. 6.*

Dæmon varijs modis ejicitur, & ex varijs locis à Deo *p. 2. Domin 3. in Quadrag. ſ. 3. toto.*

Cur Dæmoni non ſit ſerviendum multæ rationes. *p. 2. Domin. 15. poſt Trinit. ſ. 2. num. 3.*

Dæmoniacus Per Dæmoniacum intelligitur homo peccator, quanta autem ſit miſeria hominis peccatoris fusè declaratur *p. 2. in Quadrag. ſ. 2. toto.*

Debitor. Debitores nos eſſe non carni, ut ſecundum Carnem vivamus, ſed ſpiritui fusè oſtenditur *p. 1. Dom. 8. poſt Tri. ſ. unic. tot.*

Decalogus. Obſervatio Decalogi duodecim bona parit, quæ recenſentur. *part. 1. Dominic. 13. poſt Trinit. ſerm. 1.* Vbi plurima valde utilia tractantur de decem præceptorum obſervatione.

Decalogus eſt quaſi Alphabetum, ſeu initium Doctrinæ, quam neceſſariò diſcere debemus & ſcire, *loc. cit.*

Dedicatio In Dedicationibus materialibus adhiberi ſolita, ut circuitio, aſperſio &c. ad ſpiritualem Dedicationem applicantur. *p 3. in Feſto Dedic. Eccle. ſ. unic. § Notandum ſunt ſex.*

Defunctus. Fidelibus defunctis ſubveniendum eſſe, aliquot rationes. *p. 3. in Commemor. fidel. Def ſ. unic. num. 1. fol. 469.*

Delicatus. Delicatè viventium fatuitas oſtenditur *part. 2. Domin.*

nic. in Septuageſima ſerm. 4. *num.* 1.

Deliciæ. Deliciæ humanę cavendæ *part.* 1. *Dominic.* 23. *poſt Trinit. num.* 3.

Deſcenſus. Deſcenſus Chriſti quadruplex explicatur. *part.* 1. *Dominica Palmarum ſerm.* 1. *medio.*

Deſertum. Mundus ob quatuor cauſas deſertum vocari poteſt & haberi *part.* 2. *Dominic.* 4. *Advent. ſerm.* 1. *uſque ad n.* 1.

Detractio. Remedia valde bona contra Detractionem. *part.* 2. *Dominic* 3. *Advent. ſerm.* 4. *circa finem.*

Devotio. In hac virtute imitandus Simeon ſenex. *part.* 3. *in Feſto Purific. B. V. Mariæ ſerm. unic. poſt initium & ſeqq.*

Deus Deum imitari quare & in quibus potiſſimum poſſimus ac debeamus. *part.* 1. *Dominic.* 3. *in Quadrageſ. ſerm.* 1. *per totum.*

Cur Deo ſerviendum plurimæ rationes? *part.* 2. *Dominic.* 15. *poſt Trinit. ſerm* 2 *ferè toto.*

Diffidentia. Diffidentia de Deo reprehenditur. *part.* 1. *Dominic.* 9. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 1. *circa finem.*

Dilectio. Dilectio proximi vera quæ ſit? *part.* 1. *Dominic.* 2. *poſt Trinit. ſerm unic. num.* 3.

Dilectio proximi conſiſtit in hoc, ut ei in neceſſitate ſubveniamus. *part.* 1. *Dominic.* 15. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *per totum.*

Ad dilectionem proximi tria maximè nos movere debent. *part.* 1. *Dominic.* 18. *poſt Trinit. ſerm* 1. *num.* 1.

Qui Deum diligit, mandata ejus ſervat, & diligitur ab eo; qui non diligit eum, mandata ejus non ſervat, &c. *part.* 2. *Dominic. Pentecoſtes ſerm.* 2. *toto.*

De Dei & proximi dilectione copioſè agitur. *part.* 2. *Dominic.* 13. *poſt Trinit. ſerm.* 1 *toto: & etiam ſequenti.*

Item. *part.* 2. *Dominic* 18 *ſerm.* 2. *toto poſt Trinit.*

Vide etiam, Titulos *Amor*, *Charitas.*

Diſcipuli Chriſti Diſcipuli Chriſtiani fuerint vocati ante vel poſt Nuptias in Cana Galilææ celebratas. *part.* 2. *Dominica* 1. *poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.* 1. *poſt initium.*

Diſcretio. Diſcretio habenda eſt circa temporalia ob periculum *part.* 1. *Dominicâ* 18. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 3.

Diſpenſator Diſpenſatores ſunt triplices: & eorum fidelitas ſuadetur. *part.* 1. *Dominic.* 3. *Adventus ſerm.* 4. *toto.*

Dives. Divitiæ. Divites in Deo qui ſint? Et contra divites hujus Mundi qui ſint? & in quibus differant. *part.* 1. *Dominic.* 18. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *toto.*

Divitiæ contemnendæ ob multa *part.* 1. *Dominic.* 23. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 2.

Divites tripliciter peccant; malè acquirendo; malè expendendo; malè retinendo. *part.* 2 *Dominic.* 1. *poſt Trinit. ſerm. unico n.* 3.

De peccatis divitum plura *loc. cit.*

Dominus. Dominus prope eſt etiam peccatoribus, & quidem potiſſimum ſex modis *part.* 1. *Dominic.* 4. *Adventus ſ.* 3. *per totum.*

Quare Eccleſia tempore Adventus hoc dictum frequentet; (Dominus prope eſt:) *part.* 1. *Dominic* 4. *Advent. ſerm.* 4. *toto.*

Quomodo Domini erga ſervos, & viciſſim ſervi erga Dominos ſuos conſtituti eſſe debeant. *part.* 2. *Dominica* 2. *poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.* 4. *circa medium.*

Duobus Dominis ſimul ſerviri non poteſt: & cur. *part.* 2. *Dominic.* 15. *poſt Trinit. ſerm* 2. *toto.*

E

Eccleſia. Eccleſia tempore Quadrageſimæ, maximè Dominicâ Lætare, ob ſeptem potiſſimum cauſas, jure lætatur. *part.* 1. *Dominic.* 4. *in Quadrag. ſ.* 2. *à num.* 2. *uſq. ad finem.*

Eccleſiæ fides quanta ſit *part* 2. *Dom.* 1. *poſt Oct. Epiph. ſ.* 4. *fine.*

Eccleſia comparatur Navi. *part.* 2. *Dominica* 3. *poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.* 1. *initio.*

Septem vitia tanguntur, quibus obnoxij ſunt Eccleſiæ Miniſtri. *part.* 2. *Dominic.* 3. *in Quadrag. ſerm.* 1. *num.* 3.

Eccleſia militans comparatur cum Cælo ob varias convenientias. *part.* 3. *in Feſto S. Michaëlis Archangeli ſerm. unico toto.*

Electio. Electi ad Cælum unde & quibus indicijs cognoſci poſſint. *part.* 1 *Dominic.* 17. *poſt Trinit. ſerm.* 2.

Paucitas Electorum demonſtratur. *part.* 2. *Dominic. in Septuageſima ſerm.* 2. §. *circa Sextum.*

Diſcrimen inter electionem divinam & humanam. *part.* 3. *in Feſto S. Matthiæ Apoſtoli ſerm. unico ferè toto.*

Quæ Deus attendat in Electione, & quæ Mundus. *loc. cit.*

Eleemoſyna. Eleemoſynam dans quinque debet conſiderare. Primo quis petat? Secundo quid petat? Tertio ad quid petatur? Quarto cur petat? quinto à quo Deus petat, ut det Eleemoſynam. *part.* 1. *Dominic.* 1. *poſt Epiphan. ſerm. unico.*

Epiphania. Epiphania idem eſt, quod apparitio; apparuit autem Chriſtus in die Epiphaniæ tribus vicibus ad deſtruenda tria vel ſeptem opera Diaboli. *part.* 3. *in Feſto Epiphaniæ ſerm.* 1. *toto.*

Quomodo Dies Epiphaniæ ſit celebrandus. *loc. cit*

Erubeſcentia. Erubeſcere Chriſtum, cum confeſſionem de ipſo facere deberemus, grave & valde periculoſum eſt. *part.* 3. *in Feſto S. Hyppoliti Mart. ſer. unico toto maximè* §. *Et notandum f.* 444.

Euchariſtia Euchariſtiæ indignè ſumptæ damna & pericula. *part.* 1. *in die Sancto Paſcha ſerm.* 1. *toto.*

Exaltatio. Exaltantes ſemetipſos reprehenduntur, & quinam hi ſint? *part.* 3. *in Feſto Cathedræ S. Petri ſ. unico n.* 3. *toto f.* 405.

Exaltatio S. Crucis. Crux olim contumelioſa & vilis hodie quinque potiſſimum modis myſticis exaltata eſt. *part.* 3. *in Feſto Exaltat. S. Crucis ſerm. unico num.* 2. *fol.* 456.

Excommunicatio. Excommunicatio non facilè fulminanda *part.* 2. *Dom.* 4. *poſt Octav. Epiphaniæ ſerm.* 2. *fine.*

Iuſtè lata timenda. *part.* 2. *Dom poſt Aſcenſionem ſerm.* 2. *fine.*

Excuſatio. De excuſatione agitur *part.* 2. *Dom.* 2. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 2. §. *circa excuſationem.*

Exorciſmus. Exorciſmi Iudæorum. *part.* 2. *Dom.* 3. *in Quadrageſ. ſerm* 1. *circa medium.*

F

Familiaritas. Familiaritas bonorum habenda eſt, ob bona & commoda plurima indè conſequentia. *part.* 3. *in Feſto S. Andreæ Apoſtoli ſerm.* 2. *initio.*

Fermentum. Fermento cur peccatum comparetur? *part.* 1. *in Dom. Paſcha ſerm.* §. *Fermentum.*

Feſtum Abuſus magnorum Feſtorum. *part.* 2. *Dominic. infra Oct. Epiphaniæ ſerm.* 2. *medio.*

Feſta Sanctorum Eccleſia ob tres potiſſimum cauſas inſtituit. *part.* 3. *in Feſto S. Gregorii Papæ ſerm. unico initio fol.* 409.

Item. *part.* 3. *in Feſto S. Laurentii Martyr. ſerm* 1. *initio fol.* 441.

Fides. Fides vera qualis eſſe debeat? *p.* 1. *Dom.* 1. *poſt Paſcha ſ.* 1. *toto.*

Fidei effectus. *loc cit. ſerm.* 2. *num.* 2.

Fide cordis iuſtificamur quadrupliciter. *part.* 3. *in Feſto S. Andreæ Apoſtoli ſer.* 2. *initio & ſeqq.* Vbi plura de vera fide.

Merita, Præmia, & effectus fidei Sanctorum. *part.* 3. *in Feſto Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani ſerm. unico toto fol.* 399.

Cauſa victoriæ ſanctorum Martyrum eſt Fides. *part* 3. *in Feſto ſanctorum Martyr. Mauritii & ſociorum ſerm unico fol.* 460.

Filius. Filius diligitur à patre propter tria *part.* 1. *Dominica* 3. *in Quadrageſ ſerm.* 3. *num.* 1.

Firmitas boni propoſiti Firmitas boni propoſiti conſtanter à Deo petenda eſt. *part.* 1. *Dom.* 18. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 1.

Fletus. Flendum eſt peccatori ob 7. cauſas. *part.* 2. *Dom.* 10. *poſt Trinit. ſerm* 2. *num.* 2. & 3.

Fornicatio. Fornicatio fugienda. *part.* 1. *Dom.* 9. *poſt Trin. ſer.* 1. *n.* 2.

Fortuna. Fortuna proſpera magis timenda, quam adverſa. *part.* 1. *Dominic.* 21. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 3.

Fraternitas. Fraternitas vera ad quid proſit, & quæ eam impediant. *part.* 1. *Dom.* 3. *poſt Paſcha ſerm.* 2. *num.* 4. & 5.

Frequentia. Hominum frequentia valdè eſt periculoſa. *part.* 2. *Dom.* 3. *Adventus ſerm.* 5. *fine.*

Frequens cogitatio de Deo multum prodeſt. *part.* 1. *Dominic.* 16. *poſt Trinit ſerm.* 1. *num.* 2.

Fuga. Quando liceat Prælato ſeu Paſtori ſpirituali fugere ab ovibus, quando non? *part.* 2. *Dom.* 2. *poſt Paſcha ſer.* 1. §. *Et notandum.*

G

Gaudium. Gaudium in Domino, qualia pariat bona, & contra Mundi gaudium, qualia mala? *part.* 1. *Dominic.* 4. *Adventus ſerm.* 1. *num.* 1. 2. 3.

Gaudendum etiam in Quadrageſima & cur? *part.* 1. *Dominic.* 4. *in Quadrageſ. ſerm.* 2. *toto.*

Gaudium & gloriam in hoc Mundo quærentes fatui ſunt. *part.* 1. *Dominic. Palmarum ſerm.* 1. § *Tertio.*

Quale gaudium ſit Deo & Angelis ſuper peccatore pœnitentiam agente. *part.* 2. *Dominica* 3. *poſt Trinit. ſerm. unico ſeu primo num.* 3. §. *Congratulamini.*

Item. *loc. cit. ſermone ſecundo toto.*

Gloria. Gloria Regni Cæleſtis explanatur. *part.* 1. *Dominic.* 16. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 3.

Cur Chriſtus per Iſaiam Gloria nominetur, & quibus maximè Gloria fuerit *part.* 3 *In Vigil Nativit. Domini ſerm.* 1. *per tot.*

Magnitudinem Gloriæ Cœleſtis ex duodecim potiſſimum rationibus agnoſcere poſſumus. *part.* 3. *in Feſto S Bartholomæi ſerm. unico* §. *Item duodecimo, & ſeqq fol.* 451.

Gloriatio. Gloriatio Diabolica & Mundana quæ ſit, & quam ea mala ſit; & contra Gloriatio Chriſtiana, quàm bona. *part.* 1. *Dominic. in Sexageſ. ſer.* 1. *uſque ad* §. *Et nota.*

Gloriantes de talentis ſibi à Deo datis taxantur. *part.* 1. *Dominic.* 10. *poſt Trinit. ſer.* 3. *num.* 2.

Gloriatio ſui exploditur *p.* 1. *Dom.* 13. *poſt Trin. ſerm.* 1. *num.* 1.

In quibus rebus gloriandum ſit, & in quibus non? *part.* 3. *In Feſto S. Margaritæ Virg. & Mart. ſerm. unico ferè toto folio* 435.

Gratia. Gratia Redemptionis noſtræ explicatur. *part.* 1. *Dom.* 1. *in Quadrag. ſerm* 1 *initio.*

Gratiis gratis datis abutentes ſunt quadruplices, & taxantur *p.* 1. *Dominic.* 10. *poſt Trinit ſerm.* 3. *à num.* 2. *uſque ad finem.*

Gratia Dei, quàm maximè homini ſit neceſſaria in hac vita? *p* 1. *Dom.* 11 *poſt Trin. ſer.* 2. *per totum.* Vbi ſeptem modi attinguntur, quibus ſe homo ad gratiam Divinam inhabilem reddit.

Gratiam Dei quomodo aliquis acquirere poſſit. *part.* 1. *Domin.* 12. *poſt Trinit. ſer* 2.

Gratia malorum non eſt curanda *part* 2. *Dom. infra oct. Ep ſ* 2 *fine.*

Gratiarum actio Gratiarum actio ſemper & ſedulo facienda *part* 1. *Domin* 18 *poſt Trin ſerm.* 1 *num* 1 *fusè*

Gratitudo Exempla Gratitudinis *p* 2 *Dom. in Quinquag. ſer.* 2. *n* 5.

H

Hæreticus quomodo cavendus, & quomodo cognoſcendus ſit? *part.* 2 *Dominic.* 8. *poſt Trinit. ſer.* 1 *num.* 1. & *ſeqq.*

Hieruſalem. Hieruſalem Cæleſtis commendatur à quatuor, ad conſolandum eos, qui illuc peregrinantur per Viam Pœnitentiæ, & excitandum eos, qui hoc iter nondum ingreſſi ſunt. *part.* 1. *Dom.* 4. *in Quadrag. ſerm.* 1. *per totum.*

Homo. Homo ſpectata forma exterioris corporis ſui ac membris docetur, qualiter ſe habere debeat interius. *part.* 1. *Domin.* 2 *Adventus ſerm* 2. *per totum*
Homo ſibi ipſi tripliciter eſt inſufficiens. Primo ut ſe in eſſe conſervet. Secundo ut bonam vitam inchoet, ac in ea perſeveret, ac proficiat. Tertio ut cor deſideriis terrenorum ſatiet. *part.* 1 *Dom.* 12 *poſt Trinit ſer* 1 *per totum.*
Homicidium Homicidium eſt duplex circa ſe & proximum. *part.* 2. *Domin* 6 *poſt Trinit ſerm* 2 *num* 1 § *Audiſtis.*
Homicidium circa proximum fit duodecim modis *loc.cit.*
Honor. Honores mutant mores Explicatur hoc adagium *part.* 2. *Dom.* 3. *Adventus ſerm* 1 *medio*
Hoſtia Hoſtiam vivam, ſanctam & Deo placentem, quinam Deo offerant, & quinam non? *part* 1. *Domin. infra Octavam Epiphania ſerm* 1. *per totum*
Humilitas Humilitas prædicatur. *part.* 1. *Domin.* 17. *poſt Trinit. ſerm* 2.
Quæ ſit perfecta humilitas? *part* 3. *In Feſto S. Gregorii Papa ſerm. unico circa finem fol.* 409.
Item tria ſigna humilitatis *loc cit*
Hydria. Spiritualiter exponuntur ſex hydriæ in Canæ Galileæ Nuptiis appoſitæ. *part* 2. *Dominic.* 1. *poſt Octavam Epiphania ſerm* 3
Hypocrita Quomodo hypocrita ſit cognoſcendus? *part.* 2. *Domin.* 8. *poſt Trin ſer* 1. *num.* 2 § *à fructibus.*

I

Iactantia Vide tit *Gloriatio*
Idololatria. Idololatria fugienda. *part.* 2. *Dom* 9 *poſt Trinit ſerm.* 1 *num.* 2.
Idolum Origo Idolorum. *part* 2. *Dom* 3. *in Quadrag. ſerm.* 1. *initio* § *Et notandum.*
Varia nomina Idolorum. *loc. cit.*
Ieiunium Cur Chriſtus ieiunaverit? cur quadraginta dies & non plures vel pauciores? cur ante & non poſt Reſurrectionem? *part.* 2. *Domin* 1. *in Quadrageſ ſerm* 3. *num* 2. *& ſeqq.*
Ieſus. Varia ad ſalutem noſtram in nomine Ieſus notanda. *part.* 3. *In Vigilia Nativit. Domin: ſerm.* 3 *num* 4. *& ſeqq.*
Publicatio huius nominis *part.* 3. *in Feſto Circumciſionis Domini ſer. unico fine.*
Incarnatio. Tempus Incarnationis dicitur tempus plenitudinis, ſeu plenitudo temporis & cur? *part* 1. *Domin. infra Octavam Nativit. Domini ſerm* 2. *num.* 1 *& ſeqq.*
Modus Incarnationis & finis explanatur. *loc. cit. à num.* 2. *uſque ad fin.*
Infirmitas. Infirmitas contingit homini quinque potiſſimum ob cauſas, quæ fusè narrantur & explicantur *part.* 2 *Domin* 19. *poſt Trinit.* §. *Et notandum.*
Ingratitudo Ingratitudo de beneficio Redemptionis noſtræ maximè timenda ob plurimas cauſas fusè explicatas. *part.* 1. *Dominic.* 1. *in Quadrag. ſerm.* 1 *per totum.*
Ingratitudinis abſurditas, quintuplex, & eius damna. *part.* 1. *Domin* 18. *poſt Trinit. ſerm* 1. *num.* 1. *circa medium.*
Inimicorum dilectio. Inimicorum dilectionem imitari debemus in Chriſto ob multa bona. *part.* 1. *Domin* 3. *in Quadrag. ſerm.* 2 *per totum.*
Innocentia. Conſilium datur ſervandæ Innocentiæ ob tres graviſſimas cauſas. *part* 3. *in Feſto SS Innocent. ſerm.* 1 *num.* 1 *& ſeqq.*
Inſufficientia Inſufficiens eſt homo in tribus Primo ut ſe conſervet in eſſe. Secundo ut bonam vitam inchoet, ac in ea perſeveret & proficiat. Tertio ut cor deſideriis terrenis ſatiet. De quibus fusè *p.* 1. *Dom* 12. *poſt Trinit ſerm* 1 *per tot.*
Inobedientia. Incommoda & damna Inobedientiæ *part.* 3. *in Feſto S. Marci Evangeliſta ſerm. unic. circa medium fol.* 416. *& ſeqq.*
Invidia Invidiæ natura, & quibus inſit *part.* 1. *Domin.* 15. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 4.
Reprehenditur invidia. *part.* 2. *Domin. in Septuag ſerm* 2. §. *circa tertium.*
Damnabilis Iudæorum Invidia declaratur. *part.* 2. *Dominic.* 3. *in Quadrag. ſerm.* 1. *circa medium.*
Quam ſit pernicioſa *loc. cit. ſerm.* 5 *initio*
Imitatur Diabolum. *loc cit.*
Contra Invidiam agitur etiam *part.* 3. *in Feſto Cathedra S. Petri ſerm. unic. num.* 2. *fol.* 405
Ioannes Baptiſta. Ioannes Baptiſta in vinculis fuiſſe dicitur duplici ſenſu. *p* 2. *Dominic.* 3. *Advent ſerm.* 1. §. *Quantum ad Inſtructionem* Ubi plura alia de eodem.
Laus S Ioannis Baptiſtæ magna & mira. *loc. cit. ſerm* 2. *num.* 5. *& ſeqq.*
Excellentia eius fusè oſtenditur. *part.* 3. *in Feſto S. Ioannis Baptiſta ſerm* 2. *toto*
Item quam rectè lucerna eſſe poſſit ac ſit. *loc. cit ſerm.* 1. *toto.*
Ioſeph B.V. Coniux. Quando fuerit mortuus *part.* 2. *Dominic.* 1 *poſt Octavam Epiphania ſerm* 1. *initio*
Ira. Varia eſt ira mala & bona. *part.* 2. *Dominica* 6 *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num,* 2: § *circa ſecundum.*
Iudæi. Sicut Iudæi Chriſtum in carne malè receperunt, ita multi Chriſtiani nunc Chriſtum malè accipiunt. *part.* 2. *Dominica* 1. *Adventus ſerm* 4. *initio*
Iudicium univerſale. Qualia ſigna ante Iudicium univerſale ſint præceſſura, item cur ea ipſa? *part.* 2. *Dom.* 2. *Adventus ſer.* 1. *toto.*
Signa hæc, quæ futura ſunt in ſole, luna, &c. myſticè etiam explanantur. *p.* 2. *Dominic.* 2. *Adventus ſerm* 2. *num.* 1. *& ſeqq.* Ubi plura de Iudicio univerſali.
Ratio ſeu modus, quo Iudex ad Iudicium venturus eſt. *part.* 2. *Dominic.* 2. *Adventus ſerm* 3 *toto.*
Iuſtitia. Iuſtitiæ commendatio & utilitas. *part.* 2. *Dominic.* 4. *poſt Paſcha ſerm. unico num* 1. §. *Item notandum.*
Quæ vera, quæ falſa ſit Iuſtitia *part.* 2. *Dominic.* 6. *poſt Trinit. ſer.* 1. *toto.*
Iuventus. Quadruplex bonum ſequitur ex adoleſcentia ſeu Iuventute benè collocata. *part.* 3. *in Feſto S. Nicolai Epiſcopi ſerm.* 1. *poſt initium.*

L

Labor. Ad laborandum manibus multa ſuadent. *part* 1. *Dominica* 19. *poſt Trinit. ſerm* 2. *num* 3.
Lachryma Chriſti. Cur Chriſtus fleverit, & quid nos doceant lachrymæ Chriſti. *p.* 2. *Dominic.* 10. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 1.
Lapis. Cur Chriſtus ad tentationem Dæmonis ex lapidibus panem non fecerit, aſſignatur triplex cauſa. *part.* 2. *Dominica* 1. *in Quadrageſ. num.* 3. *circa medium.*
Lapſus. Lapſus in peccatum fit ob tria, ſcilicet ob timorem vanum mali, ob cupiditatem boni temporalis, & ob ignorantiam gravitatis lapſus. *part* 1 *Dominic.* 9. *poſt Trinit. ſer.* 2. *num.* 2
Cur Chriſtus Diſcipulos ſuos labi permiſerit, quinque potiſſimum rationes aſſignantur. *part.* 3. *in Feſto S. Thoma Apoſtoli ſerm.* 3. *initio.*
Lepra. Leproſus. Peccatum eſt lepra, de qua *part.* 2. *Dominic* 2. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 1.
Quibus modis leproſus Evangelicus Matthæi 8. à Chriſto fuerit mundatus; & quomodo leproſus ſpiritualis, id eſt, peccator mundari poſſit. *p* 2. *Dominic.* 2. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 2. *toto.*
Ritus purgandi leproſos, & diſcernendi in Veteri Teſtamento. *part.* 2. *Dom* 2. *poſt Octav Epiphan ſerm* 2. *num.* 3. *& ſeqq.*
Oſtenditur etiam hoc ritu, quid faciendum leproſo ſpirituali. *loc. cit.*
Lepra ſpiritualis, quæ eſt peccatum, quomodo ſit curanda *part.* 1 *Dominic.* 14. *poſt Trinit ſerm. unico ferè toto.*
Lex. Diſcrimen Veteris & Novæ legis. *p.* 3. *in Feſto S Vincentii Martyr ſerm.* 2. *initio fol.* 400.
Liber. Libri quatuor, ex quibus variæ virtutes addiſcendæ, explicantur, ſcilicet liber Gloriæ, Gratiæ, Creaturarum, & Scripturarum *part* 1. *Dominic* 2. *Adventus ſerm* 1. *toto.*
Liberalitas Liberalitas ſuadetur ex duodecim motivis. *part.* 1. *Dom.* 10. *poſt Trinit ſer* 1. *toto*
De liberalitate Dei erga nos agitur *part.* 2. *Dominic.* 2. *poſt Trinit. ſerm.* 2 *num.* 1.
Libertas. Libertas in Cælo quintuplex. *p.* 1. *Dominic.* 4. *in Quadrag. ſerm.* 1. *num.* 3.
Lignum vitæ Lignum vitæ ſeu Spiritus ſancti gratia, & eius utilitates explicantur. *p.* 1. *Dom.* 14. *poſt Trinit. ſerm* 1. *per tot.*
Lilium. Tria accidentia lilij explicantur, & applicantur quidem S. Ioanni Evangeliſtæ, ſed etiam fidelibus omnibus ſequenda proponuntur. *part.* 3. *in Feſto S. Ioannis Evang. ſerm.* 1. *in Altera parte.*
Lingua. Linguæ cuſtodia, quam ſit neceſſaria. *p.* 1. *Dom.* 5. *poſt Paſcha ſerm unico num* 2.
Item *p.* 1 *Dom.* 19. *poſt Trinit ſerm.* 2. *n.* 2.
Locus ſacer. Locus ſacer irreverenter tractatur ſex potiſſimum modis. *p.* 1. *Dom.* 10. *poſt Trinit. ſerm.* 1 *n.* 2. 3. *Ad reverentiam.*
Longanimitas. De longanimitate Dei *p.* 1. *Dominic.* 9. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 5.

M

Magnates. Cauſæ cur ſæpe Magnates & Magnatum filij corporaliter & ſpiritualiter laborent. *part.* 2. *Dom.* 21. *poſt Trinit. ſerm* 2. *initio.*
Malitia. Mala propria & aliena concupiſcenda non ſunt ob quaſdam cauſas aſſignatas *part.* 1. *Dominica* 9. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *ferè toto.*
De malitia Phariſæorum plura tractantur, quæ etiam omnibus malitioſis applicari poſſunt. *p.* 2. *Dom.* 17. *poſt Trinit. ſerm* 2.
Manſuetudo. Manſuetudo Dei. *p.* 1. *Dom.* 14. *poſt Trinit. ſerm* 1. *numer* 8
Manſuetudinis definitio, & quibus conveniat. *p.* 1. *Dom.* 17. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 2.
Mare. Cor peccatoris Mari comparatur, quia agitatur à quatuor gravibus ventis *part.* 2. *Dominic.* 3. *poſt Octavam Epiphania ſer.* 1. §. *Et ecce motus.*
Maria V. Maria Virgo commendatur in Nuptiis Canæ Galileæ ob duo, ſcilicet ob pietatem & poteſtatem, quam habuit. *p.* 2. *Dom.* 1. *poſt Octav. Epiphan. ſer.* 4.
Tres maximè virtutes commendantur in B. V Maria, paucitas, brevitas, & utilitas in loquendo. *part.* 2. *Dom.* 1. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 4. *toto.*
Laudes Mariæ V *part.* 2. *Dom.* 3. *in Quadrag ſerm.* 5. *medio.* §. *Extollens, &c*
Maria V. imitanda in variis virtutibus maximè in puritate. *part.* 3. *in Feſto Purificat. B.V. ſerm unico fol.* 404
Sex modi colendi Beatam Virginem præſcribuntur *part* 3. *in Feſto Aſſumpt. B.V. ſer.* 1. *ab initio uſque ad* §. *Circa admirationem.*

Item probatur verè fuiſſe eam & adhuc eſſe admirabilem, multis titulis. *loc. cit.* §. *Circa admirationem.*

Demonſtratur Eam corpore & anima in Cælum aſſumptam eſſe multis rationibus, convenientijs & teſtimonijs *loc. cit. ſ.* 2. *n.* 2.

Comparatur merito ſtellæ, ob varias ſtellarum proprietates convenientes B. Virg. *part.* 3. *in Feſto Nativit. B. V. ſ.* 1. *n.* 1 *& ſeqq.*

Verè etiam comparatur Domui, quam Sapientia ſibi ædificavit. *loc. cit. ſerm.* 2. *toto.*

Martyrium. Gloria & Triumphus Martyrum extollitur. *part.* 3. *in Feſto SS. Martyrum Mauritij & ſoc. ſerm unico fol.* 454.

Matrimonium. Matrimonium eſt triplex, Carnale, Spiritale, & inter hæc duo medium *p.* 1. *Dom* 1. *poſt Oct. Epipha. ſerm.* 2.

Matrimonium commendatur. Inſtruuntur Conjuges carnales. Chriſtus cum Matre ſua & Diſcipulis adſunt Nuptijs, & quomodo? Tribulationes conjugum æquo animo ferendę. *part.* 1. *Dominic* 1. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 2 *toto fusè*

Matrimonium ſpiritale inter Deum & humanam naturam, item inter Deum & animam fidelem per Baptiſmum & pœnitentiam, &c. *part.* 2. *Dominic.* 1. *poſt Octavam Epiphan. ſerm.* 3 *ferè toto.*

Medicus Qui ſua in medicos inutiliter expēdant *part.* 2. *Dom.* 24. *poſt Trinit. ſerm. unico num.* 1. *in Marginali.*

Membrum. Singula membra corporis humani quid nos doceant. *part* 1. *Dominic.* 2. *Adventus ſerm.* 2. *toto.*

Membra exhibita immunditiæ & iniquitati exhibenda Iuſtitię in ſanctificatione *part.* 1. *Dominic* 7 *poſt Trinit. ſerm. unico.*

Mendacium. Mendacium damnatur à Deo *part.* 3. *in Feſto S. Matthia Apoſtoli ſerm unico num.* 6. *fol.* 406.

Diviſio mendacij *loc. cit.*

Meritum. Merita malorum compenſantur hic bono temporali *p.* 2. *Dominica* 1. *poſt Trinit. ſerm unico* §. *Nota.*

Miniſtri Chriſti. Miniſtri Chriſti quibus virtutibus inſtructi eſſe debeant, ut debito modo Eidem miniſtrent. *part.* 3. *Dominic.* 3. *Adventus ſerm* 2. *toto.*

Miniſter Chriſti ne Dominus eſſe velit, *part.* 1. *Dominic.* 3. *Advent. ſerm.* 3. *num.* 1.

Miniſtrorum Chriſti qualitates. *loc. cit. num.* 2.

Quid illis faciendum ſit ſcilicet Miniſtris Chriſti? & qui tales non ſint? item merces horum verorum miniſtrorum. *part.* 3. *in Feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi ſerm.* 5 *toto. fol.* 385.

Ad verum Chriſti Miniſtrum tria potiſſimum requiruntur; decor, diſcretio, & fidelitas. *loc. cit. ſerm.* 4 *initio fol* 388.

Miniſtri Eccleſiæ Miniſtri Eccleſiæ 7. vitijs ſunt obnoxij, quę autem hęc ſint *part.* 2. *Dominic.* 3. *in Quadrag ſerm.* 3. *num.* 3.

Miraculum. Diſcrimen miraculorum Veteris & Novi Teſtamenti. *part.* 2. *Dominic.* 3. *Adventus ſerm* 1. *initio.*

Miſericordia Miſericordię emolumenta *part* 1. *Dominic.* 5. *poſt Paſcha ſerm unico num* 3.

De Miſericordia etiam agitur fusè. *part.* 2. *Dominic.* 4. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *ferè toto.*

Item de Miſericordia corporali & ſpirituali *part.* 3 *in Feſto S. Martini Epiſc. ſerm* 1. *toto fol.* 469. *& ſeqq.*

Miſſio Apoſtolorum. Unde ſit facta? quo? & ad quid Miſſio Apoſtolorum? *part* 2. *Dominica Palmarum ſerm.* 2. *toto.*

Poteſtas Apoſtolis conceſſa ligandi & ſolvendi in Miſſione *part.* 2 *Dominica* 1 *poſt Paſcha ſerm.* 1. § *Luca ultimo & ſeqq.*

Modeſtia. Modeſtia commendatur *part.* 1. *Dominica* 4. *Adventus ſerm.* 1. *num.* 4.

Item. *part.* 1. *Dominic.* 4. *poſt Trinit. ſerm.* 1. *num.* 10.

Modicum Omnes hujus Mundi tribulationes modicum quid ſunt. *part.* 2. *Dominic.* 3 *poſt Paſcha ſerm. unico toto.*

Mors Mortuus Mortuus corporaliter comparatur mortuo ſpiritualiter *part* 1. *Dominic* 10. *poſt Trinit ſerm* 2. *toto.*

Mors ſępe prę meditanda, ſicut & cauſa ejus, quę eſt peccatum; & effectus. *part.* 2. *commemoratione Fidel. Defuncti ſerm unico num.* 2. *&* 3. *fol* 467.

Memoria Mortis conducit, & habenda eſt ob multas utilitates inde provenientes *part.* 3. *in Feſto S. Clementis Papæ ſerm. unico* §. *Nota quod valde. fol* 472.

Mortificatio Mortificatio ſpiritalis quomodo fieri debeat. *part.* 1. *Dominic.* 14. *poſt Trinit ſerm.* 2. *fine.*

Munditia. Mundare nos à quibus vitijs debeamus, ſi ſanctificationem noſtram certam velimus facere. *part.* 1 *Dominic in Quadrag. initio.*

Mundatur homo per 4 media maximè, quę autem illa ſint, *part.* 1. *Dominic.* 2. *in Quadrag. ſerm. unico poſt initium.*

Munditia quanta ſit virtus. *part.* 1. *Dominica* 5. *poſt Paſcha ſerm. unico num.* 4.

Mundus. Mundi gaudium quanta pariat mala. *part.* 1. *Dominic.* 4. *Adventus ſerm.* 1. *num.* 3.

Mundus in quantum homines impugnet, & quomodo à nobis impugnari debeat. *part.* 2. *Dominic.* 1. *poſt Paſcha ſerm.* 2. *Initio*

Mundus aſſimilatur mari ex cauſis duodecim *part.* 2. *Dominica* 3. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 1. *ferè toto.*

Sex cauſæ afferuntur, quare Mundus ante Chriſti Nativitatem juxta Iſaiam dictus fuerit fuiſſe in umbra Mortis, & quibus medijs fuerit è tenebris hiſcè erutus. *part.* 3. *In die Nativit. Domini ſerm.* 1. *toto*

Quomodo hic, qui Mundum cupit deſerere, debeat eſſe conſtitutus, ad exemplum S. Benedicti. *part.* 3. *in Feſto S. Benedicti Abbat. ſerm. unico toto fol.* 410.

Murmur. De murmure agitur *p.* 2. *Dom. in Septuag. ſ.* 1. *medio.*

N

NAtivitas Domini. Sex cauſę afferuntur, cur ante Chriſti Nativitatem ab Iſaia Propheta Mundus dictus fuerit, fuiſſe in umbra mortis, & quibus medijs ex ea fuerit erutus. *part.* 3. *In die Nativitatis Chriſti ſerm* 1. *toto.*

Navigatio. Navigationis ſimilitudine pulchrè oſtenditur, quomodo de ſalute noſtra ſolliciti eſſe debeamus. *part.* 1. *Dominic.* 1. *in Quadrag. ſerm.* 3.

Neceſſitas. In neceſſitate proximo ſubveniendum, tam ſpirituali, quàm corporali. *part.* 1. *Dom.* 15. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *toto.*

Negotiatio. Negotiatio cum Deo & Diabolo quàm ſit diſſimilis *part.* 1. *Dom.* 1. *in Quadrag. ſerm.* 2. *à num.* 2. *uſque ad finem.*

Nuntius. Quatuor requiruntur ad bonum Nuntium. Primum ut ſemper ſit paratus ire. Secundum velocitas in eundo. Tertium diligentia. Quartum ut animum ſuum non habeat fixum ad certum aliquod, ſed totus dependeat à voluntate mittentis; *part.* 3. *in Feſto S. Matthæi Apoſtoli ſerm.* 1. *n.* 1. *& ſeqq.* Quę omnia moraliter cuivis hominum applicari poſſunt.

Nuptiæ. De Nuptijs carnalibus agitur fusè. *part.* 2. *Dominica* 1. *poſt Octavam Epiphania ſerm.* 2. *toto.*

Vide tit. *Matrimonium.*

O

OBedientia. Obedientia ſuadetur. *part.* 1. *Dominic.* 5. *poſt Paſcha ſerm. unico num.* 1.

De obedientia Eccleſiæ. *part.* 2. *Dominic.* 1. *poſt Octavam Epiph. ſerm.* 4. *medio.*

Circumſtantiæ Obedientię explicantur, & comparatur Obedientia cum ſcala Iacob. *part.* 3. *in Feſto S. Andreæ Apoſtoli ſerm.* 1. *numero* 4. §. *Notandum verò fol.* 359.

Obedientię utilitas, & inobedientiæ damna tanguntur. *part.* 3. *In Feſto S. Marci Evang. ſerm. unico fol.* 416. *& ſeqq.*

Oblatio. Quid ſit offerendum, ubi offerendum, & quomodo offerens conſtitutus eſſe debeat? *part.* 2. *Dominica* 6. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 3.

Occaſio. Occaſiones ſeptem ad peccatum trahentes fugiendæ. *part* 1. *Dominic.* 9. *poſt Trinit. ſerm.* 2. *num.* 5.

Oculus. Oculos ſemper ad Deum habere juxta Pſalmiſtam docemur *part.* 3. *in Feſto S. Martini Epiſc. ſerm.* 1. *toto fol.* 469.

Odium. quantum malum ſit odium contra proximum. *Vide part.* 1. *Dominic.* 2. *poſt Trinit. ſerm. unic. num.* 1.

Malorum Invidia & odium non eſt curandum ob multas cauſas, recenſitas *part.* 3. *in Feſto SS. Martyrum Gervaſij & Protaſij ſerm. unic.* §. *Circa odium fol.* 425.

Vide tit. *Invidia.*

Opus. Opera. Opera tenebrarum dicuntur peccata ob triplicem rationem aſſignatam *part.* 1. *Dominica* 1. *Advent. ſerm. n* 3.

Opera bona facienda ſunt ob quatuor bona, quę inde ſequuntur enumerata *part.* 1. *Dom.* 1. *Advent. ſerm.* 3. *à n. uſque ad fin.*

Oratio Orationis veræ ac vigilantis utilitates. *part.* 1. *Dominic. infra Octavam Aſcenſionis Domini ſerm.* 3. *per totum.*

Ut apud Deum oratione aliquid impetremus ſex ſunt nobis facienda ad imitationem mulieris Chananeæ *part.* 2. *Dominic. in Quadrag. ſerm.* 2. *num.* 3. *& ſeqq.*

Cur Orationes noſtras Deus ſubinde differat exaudire quinque cauſæ aſſignantur. *p.* 2. *Dom.* 1 *in Quadrag. ſerm.* 2. *num.* 6.

Orationis fructuoſę & infructuoſę ſpecies. *loco citato num.* 6. §. *Clamat dicens*

Ejuſdem tres conditiones requiſitę ut exaudiamur. *part.* 2. *Dominica Palmarum ſerm.* 4. *circa finem.*

Multa documenta orationem bonam concernentia tradit. *part.* 1. *Dominic.* 5. *poſt Paſcha ſerm.* 2. *per totum.*

Oratio Dominica Fusè explicatur. *part.* 1. *Dominica* 5. *poſt Trinit. ſerm unico toto.*

Otium De otio agitur *part.* 2. *Dominic. in Septuag ſ.* 2. *medio.*

Oſtium. Ovile. Ovis. Qui ſint hi, qui non intrant per verum oſtium in Ovile, ut Simoniaci, qui habent reſpectum ſanguinis, qui violenter, &c. Item periculum eorum, qui ſic intrant. *part.* 2. *Dominic.* 2. *poſt Paſcha ſerm.* 4. *toto.*

Ovium natura, & proprietas noſtra eſt inſtructio. *part.* 2. *Dominica* 2. *poſt Paſcha ſerm.* 5. *num.* 3 §. *Circa tertium.*

P

PArabola. Quid ſit parabola? & cur Chriſtus parabolicè ſit locutus quinque aſſignantur cauſæ *part.* 2. *Dominic. in Sexageſima ſerm.* 1. *initio.*

Parentes Cura Parentum de liberis maximè in ijs, quę ad animæ ſalutem ſpectant. *part.* 2. *Dominic.* 2. *in Quadrageſima ſerm* 2. *num.* 5.

Paſſio Chriſti. Cur Eccleſia tempore Paſſionis Dominicę ad agendam pœnitentiam nos extimulet. *part.* 1. *Dominica in Paſſione ſerm.* 1. *toto.*

Memoria Paſſionis Dominicę quinque affert bona enumerata. *loco citato num.* 3.

Item. *part.* 1. *Dominic. poſt Paſcha ſerm.* 1.

Quatuor modi explicantur, quibus Chriſtus paſſus eſt, & etiamnum patitur. *part.* 1. *Dominic.* 2. *poſt Paſcha ſerm.* 2. *toto.*

Paſſionis Dominicæ ſeria meditatio conducit ad plurima bona ſpiritualia conſequenda *part* 1. *Dom.* 16. *poſt Trinit. ſ.* 2. *toto.*

Paſſio Chriſti eſt conſolatio juſtorum. *p.* 2. *Dom. in Quinquag.*

ſerm.1. circa med.

Cauſæ & præludia Paſſionis Dominicæ declarantur *part 2. Dom. 5. in Quadrag. ſerm 1. toto.*

Paſtor ſpiritualis. Signa veri paſtoris ſpiritualis, in quibus differat, à mercenario, & quomodo ſe erga oves ſibi concreditas gerere debeat *part.2. Dominic 2. poſt Paſcha ſerm 1. toto.*

Quando liceat paſtori fugere à ſuis ovibus, quando non? *loc. cit.*

Quatuor conditiones requiruntur in vero paſtore, ſcilicet vera intentio, ſolertia paſcendi, audacia reſiſtendi & cuſtodia ovium *part.2. Dom. 2. poſt Paſcha ſerm.2. toto.*

Item ſex aliæ conditiones requiſitæ ad verum & legitimum paſtorem *loco citato ſerm.4.*

Honor & onus paſtoris ſpiritualis. *loc. cit. ſerm 3. num. 1. 2. & ſeqq.*

Comminationes malis paſtoribus factæ à Deo *loc. cit.*

Paſtores mali tripliciter Gregem occidunt *loc. cit.*

Quanti faciat Deus officium Paſtorum ſpiritualium, & quales qualitates huiuſmodi habere debeant. *part. 3. in Feſto S. Petri Apoſt ſerm. unico toto fol* 417

Vide tit. *Prælatus.*

Patientia. De vera patientia agitur *part. 1. Dom. 14. poſt Trinit. ſerm.1 num.4.*

Merces patientiæ. *part. 2. Dominic. 1. poſt Octav. Epiphan. ſerm 4. medio.*

Paucitas Electorum. Timor incutitur ob paucitatem Electorum. *part.2. Domin in Septuag. ſerm.2 §. Circa ſextum*

Pax. Cur Chriſtus Diſcipulis ſuis bis pacem precatus fuerit? *part.2 Dom 1. poſt Paſcha ſer 4. §. Circa ſecundum.* Vbi plura de pace.

Pax in Cælo ad Deum, ad nos, ad proximum. *p. 1. Domin. 4. in Quadrag. ſerm.1 num 2*

Peccatum. Peccator Peccator dormienti in quatuor ſimilis eſt. Primo quia uterque mortuo eſt ſimilis. Secundo quia uterque laborat fantaſia. Tertio quia uterque non vera ſed falſa pericula timet. Quarto quia neuter ſuam deceptionem intelligit *part 1: Domin.1. Advent. ſerm 2. num 1. toto*

Cito à peccato ſurgendum eſt ob quatuor incommoda aſſignata. *part.1. Dom 1 Advent. ſerm.2 à num 2. uſque ad fin.*

Peccata dicuntur opera tenebrarum tripliciter. *part 1. Dom.1. Advent ſerm 3.*

Prope eſt Dominus etiam peccatoribus, & quidem potiſſimum ſex modis. *part.1 Dom 4 Adventus ſerm 3 per tot.*

Quæ peccatorem movere debeant, ut convertatur. *part 1. Domin. 1 poſt Trinit. ſerm.2. toto.*

Remedium ne peccata in Confeſſione occultentur. *part. 2. Domin. 3. Advent ſerm 2. fine.*

Peccata in Confeſſione non ſunt celanda *loc. cit ſerm 3. circa fin.*

Peccatum magis fugiendum eſt quam lepra ob multa, declarata. *part 2. Dom.2. poſt Octav. Epiphania ſerm.1. toto.*

Peccator comparatur canibus in quatuor Cani convenientibus. *part 2. Dom 2. in Quadrag. ſerm 2. num 6. circa med.*

Quanta ſit miſeria hominis in peccato mortali exiſtentis declaratur ex comparatione dæmoniaci illius Lucæ 11. qui fuit cæcus & mutus *p.2 Dom.3. in Quadrag ſerm. 2. ferè toto.*

Peccator dicitur ſurdus & mutus, & quare? Item quomodo curari poſſit. *part 2. Domin.11 poſt Trinit. ſerm unico toto.*

Peccanti mortaliter ſeptem gravia mala eveniunt, qualia autem ſint vide. *p.2. Dom.12 poſt Trinit ſerm.2 num 2.*

Inſania peccatorum & ſtultitia clarè & fusè oſtenditur. *part.3. in Feſto SS Apoſtoli Philippi & Iacobi ſerm unico toto fol.*419.

Pentecoſte. Quæ beneficia in die Pentecoſtes a Chriſto & Spiritu ſancto nobis ſint collata videre eſt *part. 1. in Feſto Pentecoſtes ſerm 1 toto.*

Peregrinatio Quales conſuetudines Iudæi habuerint in peregrinationibus ſuis annuis ex lege Moſaica faciendis. *part 2. Dom. infra Octavam Epiphania ſer.1. toto.*

Perſeverantia Tria vitia impediunt perſeverantiam in bono, qualia vero ſint *Vide part* 1. Dom.22. *poſt Trinit. ſerm.1.*

Vtilitas, & Neceſſitas perſeverantiæ in bono. *part.3. in Feſto SS. Martyr. Gervaſ. & Prothaſ ſer. unico § Sequitur fol.*4:5.

Pænitentia. Exemplar veræ pœnitentiæ fuit S. Maria Magdalena, quam imitari quivis debeat, qui verè pœnitere velit, & maximè in ſex *p 3. in Feſto S Maria Magdalena ſer. 1. § Et poſſumus fol* 436.

Prælatus. Requiſita Prælati, ut Chriſto ſummo prælato conformiter prælaturam gerat. *p 2 Dom. in Sexageſ. ſer.1. §. Exiit qui ſeminat. & ſeqq.*

Prælatus conſtans eſſe debet in virtute Iuſtitiæ *p.2. Dom.1. poſt Paſcha ſer 4 num 3.*

Pompoſus prælatorum comitatus reprehenditur. *loc. cit §. Circa ſecundum*

Prelati de tribus rationem reddere debent in die Iudicij. *part. 2. Dom 10 poſt Trinit ſer.2. num.2.*

Inſtructio & exhortatio ad Prælatos & Præſides Eccleſiaſticos. *p.3 in Feſto S Ambroſii Epiſc. ſerm. unico toto fol* 414

Variæ virtutes, quas S Petrus habuit, prælatis neceſſariæ oſtenduntur. *p.3 in Feſto S. Petri ad Vincula ſerm.2. toto fol* 440

Prælatorum quinque officia deſcribuntur. *part.3. Feſto S. Clementis Papæ ſer. unico §. Circa ſecundum fol.*473.

Præparatio. quomodo quivis præparare ſe debeat ad triplicem Chriſti Adventum, ſcilicet ad Adventum in Carnem, in mentem, ad Iudicium. *part.1. Dom.1. Advent. ſerm.1. toto*

Præparatio ad diem Natalis Domini duplex, eſt, peccata abjiciendo, & bona opera præſtando. *part.1. Dom. 4. Adventus ſermo 3. toto.*

Vt ad Chriſti Adventum præparati ſimus plurima ſuadent, quæ videri poſſunt *part. 3. Feſto S. Nicolai Epiſc. ſerm.2. toto*

Præſumptio. Præſumptio de perſeverantia in bono eſt valdè noxia. *part. 1. Dom.12 poſt Trinit. ſerm.1. num.2.*

De præſumptione agitur etiam *part.1. Dom. 22. poſt Trinit. ſerm 1. initio.*

Item, *part.2 Dom. in Septuageſ. ſerm. 2. §. Circa quartum.*

Princeps. Cauſæ cur principes & principum filij ſæpè corporaliter, & ſpiritualiter laborent. *part. 2. Dominic. 21 poſt Trinit. ſerm. 2. initio*

Proceſſio Cauſa aſſignatur, cur in die Palmarum Proceſſio habeatur, adeoque coniungatur Paſſioni. *part. 1. Dom. Palmarum ſerm.1. initio & ſeqq.*

Profectus. Impedimenta profectus ſpiritalis *part. 1. Dom. 15. poſt Trinit per aliquot §§.*

Promotio Eiuſdem *loc cit.*

Prophetia. Admirandæ Prophetiæ, tam in Veteri, quam Novo Teſtamento de Chriſto. *part.1. Dominica infra Octavam Natalis Domini ſerm 1 toto.*

Proverbium. quid ſit Proverbium? *part.2. Dom.5. poſt Paſcha ſerm. 1 poſt initium*

Proximus. Proximus diligendus; quare? & quomodo? *part: 1. Dominic 3 poſt Epiphan. ſerm unico toto.*

Vide tit. *Amor. Charitas Dilectio.*

Prudentia. Quæ ſit prudentia vera, quæ non V. *part. 1. Dominic. infra octavam Aſcenſ Domini ſerm 2. toto.*

Vide tit. *Sapientia.*

Puer. Puerilia. Puerilia in hominibus profectæ ætatis exterminanda, quæ autem ſint, & quot potiſſimum. *Vide part.1. Dom. in Quinquageſ. ſerm. 4. toto.*

Pugna. Ad pugnam ſpiritualem rectè inſtituendam, ut vincamus, inſtruimur. *part.1. Dom.21. poſt Trinit. ſerm. 1. toto.*

Item *ſerm. ſequenti toto.*

Requiſita ad hanc pugnam ſpiritualem, ut inde victoriam reportemus. *part.3. Feſto S. Vincentii Mart ſerm.1. fol* 400.

Puritas. Imitanda eſt in hac virtute puritatis B V. Maria. *part 3. Feſto Purific. B. V. M ſerm unico initio & medio.*

Purgatorium. Animabus in purgatorio ſuccurrendum. *part. 1. Dominic.15. poſt Trinit. ſerm.2. num.2. & ſeqq.*

Vide tit. *Anima.*

Puſillanimitas. Puſillanimes & de ſua ſalute diffidentes eriguntur *part.1. Dominic. in Paſſione ſerm.2. initio.*

Q

Q*Vadrageſima* Quadrageſima eſt tempus omnium pretioſiſſimum ad benè operandum. *part.1. Dominic.1 in Quadrageſ. ſerm.3. circa fin.*

Cur Eccleſia quadrageſimali tempore ad gaudia nos invitet. *part. 1. Dom 4. in Quadrag. ſerm.2 toto.*

Cur Chriſtus 40. dies jeiunaverit? cur non plures vel pauciores? Item cur ante Reſurrectionem & non poſt? *part. 2. Dominic.1. in Quadrag. ſerm.3. num.2. & ſeqq*

R

R*Atio reddenda.* Deo ob 4. maxime reddenda eſt ratio, quæ autem iſta ſint. *Vide part.2. Dom.22 poſt Trinit. ſerm. num.3. Simile eſt.*

Recidivus. Relapſus in priſtina peccata unde proveniat, & quomodo cavendus *part 1. in die ſancto Paſcha ſerm.2. toto*

Recidivi poſt Baptiſmum vel pœnitentiam pejores fiunt. *part.2. Dom.3 in Quadrag ſerm 2. num 6 & ſeqq.*

Pœna recidivorum maior erit cæteris pœnis *loc. cit.*

Septem mala declarantur provenientia ex recidivatione *loc. cit. ſerm 3. medio, &c.*

Recidivus comparatur Incendiario, Naufrago, Cani, &c. *loc cit.*

Octo cauſæ aſſignantur, ex quibus recidivus ſit pejor. *loc cit.*

Recidivorum quanta inſania? *part. 3. in Feſto Epiphania ſerm.3. fine.*

Redemptio. Beneficium Redemptionis multi in vacuum recipiunt, quinam autem hi ſint? *Vide part.1. Dom.1. in Quadrageſ. ſerm.1. circa fin.*

Regimen. Superiores ad clementer regendum adiguntur. *part.1. Dom.17. poſt Trinit. ſerm 1. initio.*

Religio, Religioſus. Religionis Ingreſſus. Religioſi ad benè vivendum incitantur, monendo, ne conformentur huic ſæculo, ſed ut reformentur mente. *part.1. Dom. infra Octav. Epiphania ſer. 2. toto.*

Per ingreſſum religionis contrahitur Matrimonium ſpirituale. *part. 2. Dominica 1. poſt Octavam Epiphania ſermo 3. circa finem*

Status Religionis Navi comparatur. *part. 3. ſerm. 3. Dominic. 3. poſt Octavam Epiphania per totum.*

Item Vineæ. part.2. Dominica in Septuageſ. ſerm.3. num.2. §. Item, Vinea Vbi plura de Ingreſſu in Religionem.

Ingreſſuris Religionem quid ſit faciendum? *part 1. Dominica in Quinquageſ ſermo 1. num.3. §. Tertium eſt.*

Quis & quando aliquis Religionem ingredi debeat ac poſſit, & quomodo ſe in ea gerere debeat. *part. 2. Dominica in Paſcha*

ſerm.4.

ſerm 4. toto.

Religio ſeu ſacer ordo comparatur Caſtello munito. *part.1. Dom. 14. poſt Trinit. ſerm. unico. num.4 § Cum ingrederetur.*

Vitia Religioſorum enumerantur, & curantur. *loc cit.*

Item *part. 2. Domin.24 poſt Trinit ſerm. unico num.2. §. Vel iſta puella.*

Plura de Religioſis *part 2. Dom.16. poſt Trinit. ſerm. unico numer.6.*

Omnes quidem homines, ſed maximè Clerici & Religioſi ſtudere debent placere Deo, potiſſimum ob tria enumerata. *part 3. Feſto Translat. S Dominici ſerm unico ferè toto fol.421.* Vbi etiam media traduntur id exequendi.

Exemplar Religioſorum S Ioannes Baptiſta. *part. 3. Feſto Decollationis Eiuſdem ſerm. unic. num.3 fol. 453.*

Duodecim documenta dantur Religioſis *part.3. Feſto S. Mariæ Magdalenæ ſerm 2. toto fol.4:6.*

Renovatio. Renovationem ſpiritalem hominis ſuadent aliæ Creaturæ, ut Ignis, ſerpens, aquila, cervus, accipiter, phœnix, &c. *part.1. Dom.19. poſt Trinit ſerm.1. toto*

De renovatione mentis plura *ſermone ſequenti.*

Reprobus. Cauſæ duodecim, cur reprobi in extremo Iudicio confundantur. *part. 3. Feſto S. Andreæ Apoſtoli ſerm. 2. §. Et notandum*

Reſurrectio. Quibus hominibus iuxta Prophetiam Simeonis Senis, poſitus ſit in Ruinam & Reſurrectionem? *part.2. Dom infra Octavam Natalis Domini ſerm. 2. toto.*

Quomodo Reſurrectio ſpiritalis hominis fieri debeat, ut rectè fiat & verè. *part 2. Dom. Paſcha ſerm 3. med.*

De Chriſti Reſurrectione agitur *part.2. Dom. Paſcha ſerm 2. num. 2. & ſeqq.*

Rex. Quomodo quivis Chriſtianus ad exemplum trium Regum Rex eſſe poſſit & debeat. *part. 3. Feſto Epiphaniæ ſerm 3. num. 1. & ſeqq.*

Trium Regum munera ſcilicet Aurum, Thus, Myrrha applicantur diverſis hominum ſtatibus *loc. cit. num 3. & ſeqq.*

Rixa. Rixam excitantes quam ſint mali *part. 1. Dom 15. poſt Trin ſerm.1. num. 3.*

Robur. Robur ſpiritualis, & incrementum virtutum, quid ſit, & in quibus conſiſtat. *part 2. Dom infra Octavam Nativitatis Chriſti ſerm.4. toto.*

Ruina. Quibus Chriſtus iuxta Prophetiam Simeonis Senis poſitus ſit in Ruinam & Reſurrectionem *part.2. Domin. infra Octavam Nativitatis Domini ſerm. 2. toto.*

S

Sacramentum. Sacramenta Novæ legis duplicem habent effectum, ſcilicet gratiam & gloriam *part. 3. in Octava Epiphaniæ ſerm unico toto.*

Salus Tria homini ad ſalutem ſunt neceſſaria Verbum Dei auditum cum fructu Fides firma, & impletio mandatorum Dei. *part.1 Domin 5 in Quadrageſ. ſerm 3. toto.*

Salutatio Angelica. Explicatur ſalutatio Angelica fusè. *part.3. Feſto Annunciationis B.V. Mariæ ſerm. 1. toto.*

Sancti Dei. Sancti Dei a S Paulo mortuis aſſimilantur, ſed cur? *part.1. Dominic.6. poſt Trinit. ſerm. 2. num 3.*

Merita & Orationes Sanctorum ſunt valdè efficaces. *part.3. Dom. 2. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.3 initio.*

Orant pro nobis. *part.2. Dom 2 in Quadrag. ſerm. 2. num.5.*

Quomodo ſancti per fidem regna vicerint, operati ſint Iuſtitiam, & adepti repromiſſiones. *part. 3. Feſto SS. Martyr. Fabiani & Sebaſtiani ſerm unico toto. fol. 398*

Sapientia. Sapientia Mundi triplex confutatur, ſcilicet Gloriatio. Divitiæ, & Deliciæ. *part.1. Dominica 23. poſt Trin. ſerm.1. toto.*

Deſiderium addiſcendæ veræ ſapientiæ, & cur addiſcenda? *part.1. Dom.2. Adventus ſerm.1. initio.*

Duodecim Excellentiæ ſapientiæ veræ enumerantur. *part. 3. Feſto S. Gregorij Papæ ſerm. unico § Et poſſumus fol 408.*

Scandalum. Quam mali ſint ſcandala cauſantes *part. 1. Dom.14. poſt Trin. ſerm. 1. num.3.*

Secta Iudæorum Tres ſectæ fuerunt apud Iudæos: Saducæi, Eſſæi, Phariſæi, qualis autem quævis fuerit, videre eſt. *part. 2. Dom. 18. poſt Trin. ſerm 1. initio.*

Securitas. Securitas temeraria damnatur *part.2. Dom. 3. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.2.*

Semen. Chriſtus ſeminat bonum ſemen tripliciter, potentia, bonitate, ſapientia. Inimicus vero homo ſeminat ſemen malum etiam tripliciter; Importunitate, Malignitate, Aſtutia. *part.2. Dom. 2. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm 2. toto.*

Cur Chriſtus ipſe exiverit ſeminare ſemen & cur in terram malam ceciderit ſemen. *part 2. Dominic Sexageſ ſerm.3 toto.*

Sepultura Chriſti Sepultura Chriſti quatuor nos docet valde utilia, quæ autem illa ſint. *Vide part.2. Domin. Paſcha ſerm. 3. §. Ecce locus.*

Sepultura Hominis. Mortui ſepultura docet nos contemnere concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ. *part.1. Dom. Palmarum ſerm.1. medio.*

Servus Servire. Servi inutiles, infideles, nequam quinam ſint? *part. 1. Dom.3. Adventus ſerm.1. à num.1. uſque ad 4.*

Servire Deo non eſt ita grave uti putatur. *part.1. Dom.7. poſt Trin. ſerm. unic. num.2.*

Quomodo ſervi erga Dominos conſtituti eſſe debeant. *part.1. Dom. 2. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.4. circa fin.*

Fusè agitur de ſervis utilibus & inutilibus, maximè verò de inutilium ſervorum pœna & damnatione *part 3. Feſto S Thomæ Cantuarienſ Epiſc. ſerm.2. toto fol. 385. & ſeqq.*

Simonia. Pœna & periculum Simoniacorum. *part.2. Dom 2 poſt Paſcha ſerm 4. poſt initium.*

Sinceritas. Sinceritas in quo conſiſtat, & quam ſit neceſſaria. *part.1. Dom 22. poſt Trinit. ſerm 2. à medio uſque ad fin*

Singularitas. Quàm periculoſa ſit ſingularitas declaratur. *part.2. Dom 1. poſt Paſcha ſerm.5. initio*

Societas bona & mala. Societas Chriſti ambienda, & qua ratione ad eam perveniri poſſit. *part 1 Dom 6 poſt Trin ſerm 2. n 1 & 2.*

Societas mala fugienda. *part. 1. Dominica 13. poſt Trinit. ſerm.2. num. 1.*

Sollicitudo. Sollicitudo de ſpiritualibus, non de temporalibus commendatur *part.1. Dom.4. Adventus ſerm.2. toto.*

Sollicitudo eſt multiplex, quę probetur, quæ non. *part 2. Dom. 15 poſt Trinit ſerm.3. num 3.*

Sollicitudo temporalium fugienda, ſpiritualium vero amplectenda. *part 1. Domin 1 poſt Epiphan. ſerm unic. num.1.*

Antidoda ſollicitudinis nimiæ erga terrena. *part.1. Dom. 3. poſt Trinit. ſerm.1. num 2.*

Spiritus ſanctus. Ad ſpiritum ſanctum quomodo nos parare debeamus. *part. 1. Dominic. infra Octav. Aſcenſ. Domini ſerm. 1* Vbi plura de Spiritu ſancto

Cur S. Spiritus in ſpecie linguarum ignearum apparuerit? Item Spiritus S. 7. dona per ſeptem operationes ignis explicantur. *part.1. Dominica Pentecoſtes ſerm 2 toto.*

Spiritus ſanctus in quibus requieſcat, in quibus non? *part.1. Dominic Pentecoſtes ſerm 3. toto.*

Spiritus ſancti Gratia imploranda; & quomodo? *part. 1. Dom. 14. poſt Trinit. ſerm 1 toto fuſiſſimè.* Vbi multa attinguntur de S. Spiritus operationibus.

Diverſa munia S spiritus, & diverſi eorundem effectus tanguntur. *part.2. Dom.4 poſt Paſcha ſerm unic ferè toto.*

De eodem. *part.2 Dom infra Octavam Aſcenſion Domini ſer.1 toto.*

De eodem *loc. cit. ſerm.2. toto.*

Dona S. Spiritus recenſentur, & eius effectus potiores. *part.2. Dom Pentec. ſerm 2.*

Varia S. Spiritus Nomina. *loc cit.*

Sponſus. An S. Ioannes Evangeliſta fuerit ſponſus in Nuptiis Canæ Galileę nec ne? *part.1. Dom.1. poſt Octavam Epiphan. ſerm. 1. poſt initium.*

Subditus. Subditi obediant ſuis ſuperioribus *part.1. Domin.17. poſt Trinit. ſerm 1 poſt initium.*

Superbia. Superbia intellectus, ſeu humana ſapientia execranda. *part.1. Dominic.2. poſt Epiphaniam ſerm. unico toto.*

Superbiæ Antidoda. *part.1. Dom.3. poſt Trinit ſerm 1. num.1.*

Quatuor ſpecies ſuperbiæ explanantur. *part.2. Dom. 11. poſt Trin. ſerm unico num 2.*

Superbia à Deo damnatur. *part 3. Feſto S. Matthiæ Apoſtoli ſerm. unico num 5 & ſeqq fol. 406.*

Pœna ſuperborum *loc. cit.*

Quanta ſit ſtultitia ſuperbire, & ſapientia ſe poſſe humiliare. *Vide part.3. Feſto S Franciſci ſerm. unico toto fol 461.*

Symbolum Symbolum Fidei explicatur. *part.1. Dominic.1. poſt Paſcha ſerm 1.*

T

Tempus. Quomodo nunc ſit tempus acceptabile explicatur triplici modo *part.1. Dom 1 in Quadrag. ſer 2. uſque ad num.2.*

Tenebræ. Cur peccata dicantur opera tenebrarum? *part. 1. Dom. 1. Adventus ſerm.3. num.2.*

Tentatio Hæc ſunt in tentatione obſervanda, quæ in tempeſtate maris. *part.2. Dom 4. poſt Octavam Epiphaniæ ſerm.1. fine.*

Solatium in tentationibus *loc. cit. ſerm 2.*

Tentatio Chriſti facta à Dæmone animat nos ad tentationes. *part. 2. Dominic.1 in Quadrag. ſerm.2. num. 1. & ſeqq.*

Quomodo tentationibus ſit reſiſtendum. *loc. cit. numer.5. & ſeqq.*

Dæmon duodecim modis nos tentat, qui autem hi ſint. *Vide loc. cit. num.4 & ſeqq.*

Terra ſancta Motiva, cur ad Terram ſanctam ſit peregrinandum. *part 2. Dominica infra Octavam Epiphaniæ ſerm 2.*

Timor Deus, qui animam & corpus poteſt occidere, & mittere in gehennam timendus eſt, non autem homo, qui occidere poteſt tantum corpus. *part.3. Feſto SS. Martyr. Ioannis & Pauli ſerm. unic toto fol 429*

Tribulatio. Tribulationes & miſeriæ patienter ferendæ. *part. 1. Dom. in Sexageſ ſerm.1 num.2.*

Tribulationes honori nobis ducendæ, & libenter à nobis ſuſcipiendæ. *part.1 Dom in Sexageſ ſerm.2 § Et nota.*

Amaritudo tribulationum condienda, quomodo? *part.1. Dom.4. poſt Trinit ſerm.1. initio.*

Tribulationis duodecim fructus ſpecificantur. *part. 1. Domin.4. poſt Trinit ſerm.1. toto.*

Quatuor aliæ utilitates Tribulatorum. *part.2. Dom.3. poſt Octav. Epiphan ſerm.2.*

Omnes huius mundi tribulationes modicum quid ſunt. *part. 2. Dom 3. poſt Paſcha ſerm unico toto.*

Remedium præſcribitur tribulatis *p.3. in Feſto SS. Innocen. ſ.1. f 18.*

De tribulatione plura, & quid in ea obſervandum ſit. *part.3.*

Feſto S. Laurentij M. ſerm.1. ferè toto ſol. 442.
Tribulati duplex ſolatium habent ; Exemplum Chriſti, & præmium ab eo promiſſum. *loc. cit. ſerm.2. circa fin.*
Septem efficaces rationes afferuntur, cur Deus ſuos in hoc mundo affligi permittat. *part.3. Feſto SS. Martyr. Dyoniſij & ſoc ſer. unico toto ſol 464.*
SS. Trinitas. SS. Trinitatis tres partes explicantur : ſcilicet Gratia, Charitas, & Communicatio. *part.1. in die SS. Trinitatis ſerm unico toto.*
Ss. Trinitas venit ad nos, ſi nos ad Eam veniamus. *part. 2. Dom. Pentecoſtes ſerm.1.*

V

V*Ana gloria.* Quam noxia ſit vana gloria. *part.1. Dominic. 15. poſt Trinit. ſerm 1. num.2.*
S. Ioannes Baptiſta inſignis Gloriæ vanæ contemptor, nobis ad exemplum proponitur *part.2. Dom.4. Adventus ſerm 3.*
Vide tit *Gloria. Gloriatio.*
Vanitas In morte triplex huius mundi vanitas arguetur ; qualis? *part.3. Feſto S Clementis Papæ ſerm.unico § Nota quod valde utile ſol. 472.*
Verbum Dei. Dignitas & valor verbi Dei. *part. 2. Dom. in Sexageſ. ſerm.1.num 2. §. Circa ſecundum.*
Aſſimilatur ſemini. *loc. cit.*
Periculum, ſi contemnitur. *loc. cit.*
Auditio Verbi Dei eſt triplex. *loc.cit. ſerm.2. toto.*
Vide tit. *Concio, Concionator.*
Veſtis. Veſtitus. Veſtibus ſpiritualibus induti eſſe debent Chriſtiani ob multas cauſas? *part 1. Dominic. 4. poſt Epiphaniam ſerm. unico num.1.*
Veſtis fidelium, quæ eſt innocentia, commendatur à multis circumſtantiis, à colore, odore, artificio *loc cit. num.2.*
Veſtitus reprehenſibilis eſt multis de cauſis aſſignatis. *part.2 Dom. 1. poſt Trinit. ſerm.unico num.3. §. Circa veſtitum.*
Via Viator. Viator ad Cælum ex hac vita tendens inſtruitur ; quid faciendum, & quid cavendum in hac via ſit. *part.1. Dominic. 20. poſt Trinit ſerm unico toto.*
Via Domini multa habet commoda præſertim tria *part. 2 Dom. 4. Adventus num.2. & ſeqq.*
E contra via Diaboli totidem habet incommoda *loc.cit. num 1.*
Victoria. Nobilitas Victoriæ ſeu Triumphi SS. Martyrum extollitur *part.3 Feſto SS. Martyr. Mauritij & ſoc. ſol. 459.*
Vidua. Reprehenduntur viduæ, quæ verè viduæ non ſunt. *part.2. Dominica infra Octavam Natalis Domini ſerm.3 §. Circa fin.*
Vinea. Vinea Evangelica tripliciter fusè explicatur. *part 2. Dom. in Septuageſ ſerm.3 toto.*
Virgo. Vera in tribus maximè gloriari poteſt, quæ autem ſint. *Vide part 3. Feſto S. Margaritæ Virg. & Mart. ſerm. unico §. Spiritualiter ſol 435.*
Virginitas. Quam ſit pretioſa Virginitas, & quam diligenter cuſtodienda. *p.2. Dom infra Octavam Natalis Domini ſer.3. §. Circa.*
Virtutes Cardinales. Quantum proſint cuique hominum virtutes Cardinales. *p.2. Dominic.3. Adventus ſerm.3. toto.*
Vita. Vivens corporaliter comparatur vivo ſpiritualiter. *part.1. Dominica 10. poſt Trinit. ſerm.2. toto.*
Vita hominis triplex eſt ; vita Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ, & quomodo ſe invicem habeant. *part.1. Dominic. 11. poſt Trinit. ſerm.3. circa fin.*
Idem repetitur & fusè explicatur *part.2. Dominica SS. Trinitatis ſerm 2. initio & ſeqq.*
Vitium Septem vitia capitalia comparantur ſeptem Dæmonibus *part.2. Dominica 3. in Quadrag. ſerm. 4 ferè toto.*
Septem vitia capitalia vincentibus, ſeptem à Deo promiſſiones factæ ſunt *part.3. Feſto S. Vincentij Mart. ſerm. 2. initio ſol. 400.*
Vide tit. *Peccatum.*
Unctio. Chriſtus quinque ob cauſas unctus fuit ; cur? *part. 2. Dominic. Reſurrectionis Domini ſeu Paſcha ſerm.3. §. Et notandum.*
Vocatio. Dignitas vocationis quanta ſit. *part.1. Dominic. 17. poſt Trinit ſerm.1. num 3.*
Inſtantia vocationis Divinæ, & varij modi, quibus Deus hominem vocat *part.2. Dominic.2. poſt Trinit. ſerm.2. num.1. fusè.*
De modo vocandi, & ſequendi vocantem ; de affectu vocantis, & effectu vocationis pluribus agitur. *part. 3. Feſto S. Matthæi Apoſtoli ſerm.2. toto.*
Vox. Deus eſt vox clamans ob triplicem clamorem ; Generalem per Creaturas ; ſpecialem per viros ſanctos ; ſingularem per Chriſtum, de quibus pluribus agitur. *p.2. Dom.4. Adventus ſer.1. numer.2. & ſeqq.*

Z

Z*Elus.* Quantus fuerit zelus animarum in Apoſtolis, & aliis Sanctis *Vide part.1. Dom.16. poſt Trinit ſerm.1. num.1.*
Zyzania. Zizania eſt nomen cujuſdam herbæ, quæ alio nomine vocatur lolium. *part.2. Dom.4. poſt Octav. Epiphan. ſerm 1.*

SUMMARIA

SVMMARIA ET THEMATA OMNIVM CONCIONVM IN HOC Opere tripartito contentarum,

IN PRIMA PARTE SVPER EPISTOLAS DOMINICARVM.

Dominica prima Adventus.

SERMO PRIMVS.

THEMA. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Rom.13. folio 1

Adventus Chriſti tres ſunt, & totidem ad eos præparationes.

II. Thema. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Rom.13. 2

Peccator dormienti in quatuor eſt ſimilis. Cito à peccato ſurgendũ eſt, ob quatuor incõmoda.

III. Thema. *Dies appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum. Induamur arma lucis &c.* Rom.13. 3

Præparare nos ad diem Natalis Domini, peccata abjiciendo, & opera bona præſtando debemus.

Dominica ſecunda Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Rom.15. 4

De quatuor libris ex quibus variæ virtutes addiſcendæ.

II. Thema. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Rom. 15. 6

Qualiter ſpectata forma exterioris corporis humani, ac membris eius, homo ſe debeat habere interius.

Dominica tertia Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.* 1. Cor.4. 7

De inutilibus & infidelibus & nequam ſervis Chriſti, & cur Chriſto ſerviendum ſit.

II. Thema. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.* 1. Corinth.4. 8

Quibus virtutibus miniſtri Chriſti inſtructi eſſe debeant, ut ei debito modo miniſtrent.

III. Thema. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.* 1. Corinth. 4. 10

Sermo hic I. perſuadere Chriſtiano nititur, ut miniſter Chriſti non Dominus eſſe velit II. qualitates aliquot miniſtro Chriſti convenientes exponit. III. quas ob cauſas bonum ſit Chriſto ſerviendum, edocet.

IV. Thema. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* 1. Corinth 4. 11

Sermo iſte agit de fidelitate triplicium diſpenſatorum Dei.

Dominica quarta Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt.* Philip. 4. 13

Sermo hic explicat epiſtolam. Præcipuè autem agit de tribus. I. Gaudium in Domino quæ bona II Gaudium Mundi quæ mala pariant, & III. quomodo modeſtè ſeu rationabiliter vivendum ſit.

II. Thema. *Dominus prope eſt. Nihil ſoliciti ſitis.* Ad Philip. ult. 15

Oſtendit hic ſermo Dominum nobis prope, hoc eſt, propenſum vel propitium eſſe. Ideo monet, ut de ſpiritualibus non temporalibus ſoliciti ſimus.

III. Thema. *Dominus prope eſt, &c.* 16

Sermo hic oſtendit Dominum prope eſſe hominibus maximè peccatoribus ob ſex cauſas.

IV. Thema. *Dominus prope eſt, &c.* 17

Sequens ſermo tres affert cauſas quare hoc dictum. Dominus prope eſt; Eccleſia nunc frequentet, quarum præcipua eſt, ut ad bene ſuſcipiendum Chriſtum in Natali eius nos præparemus, eaque præparatio in quibus conſiſtat, edocet.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Quanto tempore hæres parvulus eſt nihil differt à ſervo.* Ad Galat. 4. 19

Hic ſermo oſtendit I. qui ſe Chriſtus parvulus habuerit & II. quæ virtutum exempla nobis exhibuerit.

II. Thema. *At ubi venit plenitudo temporis, &c.* Ad Galat 4. 20

Sermone ſequenti. I. explicatur cur tempus Incarnationis dicatur tempus plenitudinis vel plenitudo temporis. II Modus Incarnationis, qualis & III. finis Incarnationis quis fuerit explanatur.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Obſecro vos per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, &c.* Rom.12. 21

Explicatur hoc ſermone thema, maximè qui ſint ij qui corpora ſua Deo offerant hoſtiam vivam ſanctam, Deo placitam aut contrarium.

II. Thema. *Nolite conformari huic ſæculo, &c.* Rom.12. 22

Et hoc ſermone thema exponitur, quatuor vero præcipuè tractantur. I. monet ne conformemus nos ſæculo. II. ut reformemur mente III. explicat quomodo fideles ſicut membra corporis humani ad invicem ſe habere debeant. IV. Religioſos ad bene vivendum incitat.

Dominica prima poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO VNICVS

Thema. *Qui præeſt in ſolicitudinem (ſupple) præſit.* Rom 12. 24

Hic ſermo docet ſolicitudinem ſæcularem vitandam fidelibus & ſpiritualem amplectendam prælatis. Deinde quæ ſint conſiderande dantibus eleemoſynam, quando pauperes eam petunt.

Dominica ſecunda poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO VNICVS.

Thema. *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos, &c.* Roman.12. 25

Dehortatur nos iſte ſermo à ſuperbia intellectus ſapientiave mundana & hortatur ad veram prudentiam.

Dominica tertia poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO VNICVS

Thema. *Nemini quicquam debeatis, &c.* Ad Rom. 13. 26

Hoc ſermone agitur de dilectione, maximè proximi, quare & quomodo is ſit diligendus.

Dominica quarta poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO VNICVS.

Thema. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera Miſericordiæ, &c.* Coloſ.3. 27

Sermo ſequens tradit quibus ſpiritualibus veſtimentis & quas ob cauſas Chriſtiani induti eſſe debeant.

Dominica in Septuageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Sic currite ut comprehendatis.* 1. Corinth.9. 29

Agitur hoc ſermone de triplici curſu ad mortem, Infernum, & Paradiſum: Item de iis, quæ currentem à comprehendendo bravio æterno vel Paradiſo impediunt, & quæ ad hoc adjuvant.

II. Thema. *Sic currite, &c.* 30

Docet hic ſermo à quibus expediti eſſe debeamus & quomodo currendum ſit, ut æternum bravium comprehendamus.

III. Thema. *Sic currite, &c.* 31

Tradit hic ſermo quomodo ſit currendum ſpiritualiter & quæ ad curſum iſtum incitare nos debeant.

IV. Thema. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* 1 Corinth 9. 35

Occaſione thematis & temporis huius oſtendit hic ſermo,

Ppp ij

I. fatuitatem delicatè nunc viventium. II. commendat abſtinentiam à variis ipſius utilitatibus. III. quatuor ſpecies abſtinendi recenſet.

Dominica in Sexageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Miniſtri Chriſti ſunt & ego. Vt minus ſapiens dico plus ego. In laboribus plurimis, ſupple, oſtenſus ſui miniſter Chriſti, &c.* 2. Corinth 11. 35

Sermo hic tractat principio materiam ſpectantem ad præcedentem Dominicam, peccatum nimirum Protoplaſti miſeriæ huius vitæ cauſam fuiſſe, eumque ac poſteros jure à Deo punitos fuiſſe. Deinde maximè ex huius Dominicæ Epiſtola exemplo S. Pauli confirmat nos ad patienter ferendas tribulationes & tentationes.

II. Thema. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut in habitet in me virtus Chriſti.* 2. ad Corinth. 12. 36

Sequens ſermo agit. I. de gloriatione Diabolica & Mundana quę mala ſunt, & de Chriſtiana quæ bona eſt. II. cur tribulationes nobis honori ducere eaſque libenter ſuſcipere debeamus.

Dominica in Quinquageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c.* 1. Corinth. 13. 37

Sermo hic agit de charitate & maximè tria. I. quid ſit vera charitas deſcribit. II. ex eius etymo pretioſitatem ipſius deducit. III. carentiæ eius damnoſitatem oſtendit.

II. Thema. *Charitas patiens eſt &c* 38

Explicantur hoc ſermone ſeptem bona, quæ nobis charitas, affert, octo mala, à quibus nos cuſtodit.

III. Thema. *Charitas nunquam excidit,* 39

Hic ſermo I. thema tripliciter explicat. II. Charitatis neceſſitatem ac utilitatem docet, tribus rebus eam comparans.

IV. Thema. *Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* 39

Hortatur hic ſermo provectæ ætatis homines puerilia ut evacuent exemplo Apoſtoli, idque I. cur & II. quomodo faciendum.

Dominica prima in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Corinth. 6. 40

Explicat hic ſermo dupliciter gratiam Dei, de qua hæc Epiſtola loquitur Deinde edocet cur timenda ſit ingratitudo de beneficio Dominicæ Redemptionis, & qui hoc in vacuum recipiant.

II. Thema. *Ecce tempus nunc acceptabile, &c.* 2. Cor. 6. 41

Iſte ſermo I. explicat tripliciter quomodo nunc ſit tempus acceptabile (vel tempus Nundinarum ſpiritualium, quo merces ſpirituales comparari poſſint) reſpectu trium temporum maximè tempori, extra quadrageſimam. II. docet quam diſſimilis ſit negotiatio cum Deo, vel cum Dæmone inſtituta.

III. Thema. *Ecce nunc tempus acceptabile, &c.* 2. Corinth. 6. 43

Sermo hic duabus ſimilitudinibus navigationis & curationis medicinalis, aliiſque motivis allatis, ad ſalutem propriam procurandam hoc tempore Quadrageſimæ nos invitat ac incitat.

Dominica ſecunda in Quadrageſima.

SERMO VNICVS.

Thema. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, &c.* 1. Theſſ 4. 45

Docet hic ſermo quomodo ſanctificari & à quibus vitiis emundari debeamus, ut Dei voluntati ſanctificationem noſtram cupientis morem geramus.

Dominica tertia in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi.* ad Epheſios 5. 47

Docet hic ſermo I. quare. II. in quibus Deum imitari debeamus, ut ad eius perfectiſſimum exemplar & doctrinam, vitam noſtram corrigamus.

II. Thema. *Eſtote imitatores Dei, &c.* ad Eph 5. 48

Hortatur hic ſermo ad triplicem bonitatem divinam imitandam maximè ad dilectionem inimicorum, ut filij Dei reputari poſſimus.

III. Thema. *Eſtote imitatores Dei, &c.* ad Epheſ. 5. 49

Hic ſermo tractat de amore Dei patris in nos ut filios ſuos & noſtri viciſſim erga illum ut patrem noſtrum. II. de dilectione Chriſti erga nos & noſtra in illum per oblationem.

Dominica quarta in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* ad Galat 4. 50

Commendatur hoc ſermone cœleſtis Hieruſalem à quatuor ad conſolandos eos, qui iam per pœnitentiam ad eam peregrinantur & & excitandos, qui viam pœnitentiæ adhuc ingreſſi non ſunt.

II. Thema. *Lætare ſterilis quæ non paris, &c.* ad Galat. 4. 52

Oſtendit hic ſermo. I. cur hoc tempore pœnitentiæ ad gaudium invitemur, & II. quas ob res gaudendi nunc habeamus cauſas.

Dominica quinta in Paſſione.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, &c.* ad Hebr 9. 53

Demonſtrat hic ſermo quomodo exemplo Paſſionis Dominicæ Eccleſia hoc tempore peccatores ad aggrediendum pœnitentiam extimulare conetur, & iam pœnitentes eodem confirmare ſtudeat.

II. Thema. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, &c.* 55

Explicantur hoc ſermone. IV. verba thematis & ad quatuor genera vitiorum hominum corrigenda diriguntur.

Dominica Palmarum.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu.* Philip. 2. 56

Docet ſermo iſte ex officio Eccleſiæ hujus Dominicæ de Proceſſione & Paſſione Domini conjunctis gloriam & felicitatem hujus mundi contemnere & humilitatem exemplo Chriſti ſectari, ut in futuro exaltemur cum illo. Epiſtola toto ferè ſermone explicatur.

II. Thema. *Hoc ſentite in vobis, &c.* 57

Sermo iſte tres modos exponit ſentiendi in nobis quod fuit in Chriſto Ieſu.

In die ſancto Paſchæ.

SERMO PRIMVS

Thema. *Expurgate vetus fermentum, &c.* 1. Corinth. 5. 59

Intendit hic ſermo nos abſterrere ab indigna ſumptione Euchariſtiæ explicando Peccati huius damna ac pericula Item docet à quibus peccatis expurgari & qualium virtutum diſpoſitiones habere debeant ad hoc ſacrum digne acceſſuri.

II Thema. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* 61

Hic ſermo hortatur nos, ut caveamus nobis à relapſu in priſtina peccata poſt Paſcha, ne Chriſtum rurſus crucifigamus, vendamus, &c. Sed exemplum Chriſti pro nobis occiſi & ſanguinis ejus pro nobis effuſi pretium conſiderantes, pro ſanctitate noſtra conſervanda quædam etiam, quæ ad hoc neceſſaria præſcribit præſtemus Deinde cum Chriſtus in Epiſtola Paſcha hoc eſt, tranſitus noſter vocetur, recenſet tres tranſitus peccatoribus faciendos, ad quorum difficultates ſuperandas Dei auxilium in primis & alia tria nobis neceſſaria ſint.

III. Thema. *Itaque epulemur non in fermento veteri, &c.* 63

Hic ſermo ponit quinque. I. quibus ad tollendam indignationem moveat eos, qui ob eam in paſchate non communicant. II. invitat nos ad communicandum, & quomodo bene communicandum ſit, tradit.

Dominica prima poſt feſtum Paſchæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum.* Ioan. 5. 64

Hoc ſermone agitur de fide. I. qualis eſſe debeat virtus Fidei. II. explicatur ſymbolum fidei Apoſtolicum, interſerendo moralia.

II. Thema. *Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum.* 66

Hic ſermo oſtendit. I. quomodo Mundus impugnet & quomodo à nobis vincatur. II. aliquot Fidei effectus explicat.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

SERMO PRIMVS

Thema. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.* 1. Petr. 2. 67

Docet ſermo ſequens. I. cur memoria Paſſionis Dominicæ tempore paſchali præ aliis temporibus habenda ſit. II. cur ad umbram arboris crucis Chriſti confugiendum ſit tam hoc, quam aliis temporibus.

II. Thema. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, &c.* 68

Refert hic ſermo. I. quatuor modos, quibus Chriſtus paſſus eſt & etiamnum patitur II. tres modos ſequendi ipſum recenſet.

Dominica tertia poſt Paſcha.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam.* 1. Petr. 2 69

Sermo iſte docet quare à carnalibus deſiderijs, maximè luxuria, abſtinendum, & quomodo ijs reſiſtendum ſit.

II. Thema. *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere à carnalibus deſiderijs.*

Varia docet hic ſermo. In quibus carni non ſit conſentiendum. II. Quomodo Chriſtus fuerit peregrinus ſuper terram, & juſti quomodo eum imitati, peregrini eſſe debeant. III. ut benè inter malos vivamus & ad hoc quid opus. IV. ad quid poſſit fraternitas, quęque eam impediant

Dominica quarta poſt Paſcha.

SERMO VNICVS.

Thema. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, &c.* Iac. 1. 72

Prooemio hujus ſermonis docemur, quæ in Paſchate recenter converſis neceſſaria ſint. Reliquo ſermone Epiſtola & maximè quatuor ejus dicta explicantur.

Dominica quinta poſt Paſcha.

SERMO VNICVS.

Thema. *Eſtote factores verbi & non auditores tantùm, fallentes vosmetipſos.* Iac. 1 73

Sermo hic ad quatuor virtutes exercendas nos hortatur, quas in eo videas.

Dominica infra octavam Aſcenſionis.

SERMO PRIMVS.

Them. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus.* 1. Petr 4. 75

Hic ſermo monet nos ut exemplo diſcipulorum domini hoc tempore ad Spiritum S ſuſcipiendum nos paremus. Et I. aliqua proponit nobis de ſpiritu S. quę ad hanc præparationem faciendam nos moveant. II. verò quędam proponit quæ ad ſuſcipiendum ſpiritum S. diſponant.

II. Thema. *Eſtote prudentes, &c.*

Sermo iſte agit de prudentia bona ac mala. 76

III. Thema. *Eſtote prudentes, &c* 78

Recenſentur hoc ſermone aliquot utilitates, quas oratio vigilans parit & charitas, quę veſti comparatur.

In die Pentecoſtes,

SERMO PRIMVS.

Thema. *Erant omnes pariter diſcipuli in eodem loco.* Actorum 2. 78

Hic ſermo oſtendit. I. quæ beneficia à Chriſto & S. ſpiritu hodie hominibus collata ſint, ob quæ Deus ſit glorificandus. II. Exemplo diſcipulorum Chriſti proponit aliqua, quibus ad dignè recipiendum S. ſpiritum præparemur, quod ad fidelium utilitatem pertinet.

II. Thema *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Actor. 2. 80

Affert hic ſermo rationes aliquot cur S. ſpiritus in ſpecie linguarum ignearum apparuerit. Deinde ſeptem operationes ignis ſeptem S. ſpiritus donis accommodat.

III Thema. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ &c.* 89

Explicatur. I hoc ſermone quomodo tres ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum, à S. ſpiritu in columbę, flatus & ignis figuris, olim apparente inſtituantur. II. in quibus S. ſpiritus requieſcat, in quibus non. III. diverſam eſſe repletionem S. ſpiritus, quid faciendum ut eo repleamur, & repletionis hujus quę ſint ſigna.

In die ſanctæ Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis.* 2. Cor. ultim. 82

Explicat hic ſermo tres partes thematis de SS Trinitate. I. pars (gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti) filio Dei II (Charitas Dei.) Deo Patri III. (Communicatio S. Spiritus) ſpiritui ſancto accommodatur.

Dominica prima poſt Dominicam SS. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum ut vivamus per eum* 1. Ioan. 4. 83

Præmittit hic ſermo quędam de charitatis pretioſitate, neceſſitate &c. Deinde ſex motivis ex amore Dei erga nos ductis amorem Dei & proximi nobis accendere conatur.

II. Thema. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 1. Ioan. 4. 85

Hic ſermo multa affert, quibus peccatori timorem incutiat, ut convertatur.

Dominica ſecunda poſt Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Nolite mirari ſi odit vos mundus, &c.* 1. Ioannis tertio. 87

Hoc ſermone explicatur tota Epiſtola. I. rationes ſeptem afferuntur, cur mirandum non ſit quod Mundus bonos odio ſequatur. II. agitur de odio proximi quantum malum ſit. III. in quibus operibus dilectio proximi oſtendenda & quę vera dilectio proximi ſit, demonſtratur.

Domminica tertia poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis*, 1. Petr. 5. 88

Sermo ſequens continet tres exhortationes, quibus ad evitanda tria mala, quę Mundus ſequacibus generat, nos hortatur.

III. Thema. *Vigilate quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, &c.* 1. Petr. 5 89.

Docet hic ſermo reſiſtere Diabolo, Fide & Vigilia. quatuor item modos excitandi ſomnolentos proponit, & duo impedimenta ne evigiletur vitanda monet.

Dominica quarta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Non ſunt condigna Paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 90

Sermo iſte oſtendit quot modis paſſionum ſeu tribulationum amaritudo conciliãda ſit bonis, quibus modis tamen mali non juvatur. Fructus quoque tribulationis duodecim recenſet.

Thema *Non ſunt condigna Paſſiones hujus temporis, &c.* 91

recenſentur. I. hoc ſermone octo, ex quibus Gloria Beatorum colligi poſſit. II. referuntur ſex, quorum quodlibet triplex eſt, quæ Beatis Gaudiorum cauſæ exiſtunt.

Dominica quinta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Omnes unanimes in oratione eſtote.* 1 Petr 3. 93

In exordio hujus ſermonis agitur aliquid de tribus bonis operibus. In prima parte traditur, cur orare libenter diſcere debeamus. In ſecunda præfatio & ſingulæ dein orationis Dominicæ petitiones explicantur.

Dominica ſexta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema *Quicunque Baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus* Rom. 6. 95

Hoc ſermone agitur de Baptiſmo. Et primò cùm per Baptiſmum ſanguine Chriſti loti ſimus, monet nos partim ut immunditiam peccati varias ob cauſas timeamus ac vitemus, partim, ut huic ablutioni interius exteriuſque convenienter vivamus. Secundò effectus Baptiſmatis duodecim proponit & exponit.

II. Thema. *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto* Rom. 6. 97

Hic ſermo tria tradit. I. ſocietas Chriſti in cœlo cur ſit deſideranda, Dæmonum in inferno cur ſit timenda II qua via ad ſocietatem Chriſti perveniendum ſit III. cur ſancti mortui in hac Epiſtola appellentur.

Dominica ſeptima poſt Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Rom 6. 98

Sequens ſermo docet. I. quomodo ſicut membra exhibita fuerunt ſervire immunditiæ & iniquitati, ita exhibenda ſunt ſervire juſtitiæ in ſanctificatione. II. reprehendit homines ob vitia quædam, quæ ab eis circa ſervitium divinum committuntur.

Dominica octava poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus, &c.* Rom 8. 99

Sermonis hujus. I. pars commendatur in themate, illudque explicat, II. quid & quibus debeamus oſtendit.

Dominica nona poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Non ſumus concupiſcentes malorum, &c.* 1. Corinth. 10. 101

Sermone hoc pars hujus Epiſtolæ exponitur. Duo autem præcipuè tractantur I. cur mala tam propria quam aliena concupiſcenda non ſint. II. exemplis duobus ex libris Moſis deſumptis à quatuor vitijs abſterremur.

II. Thema, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat* 1. Corinth. 10. 103

Explicatur hoc ſermone thema, & tria præcipuè traduntur. I. omnimodam certitudinem haberi non poſſe abſque revelatione, an ſimus in bono ſtatu, aut ſi ſimus, an in eo perſeveraturi; opinionem tamen ac fiduciam, quod ſimus in ſtatu gratiæ, formari poſſe ex tribus ſignis. Lapſum in peccatum fieri ob tria ad hunc caſum cavendum occaſiones ſeptem fugiendas eſſe.

SUMMARIA.

Dominica decima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* 1 Corinth. 10 — 104

Hic ſermo inprimis thema explanat. Deinde quanta ſit malitia, turpitudo ac infelicitas mali Chriſtiani male ſervientis Deo legem ejus non ſervando: è contra verò quanta felicitas ac dignitas ſit boni Chriſtiani, edocet.

II. Thema. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, &c.* 1 Corinth. 12 — 107

Comparatur hoc ſermone vivens & mortuus corporaliter ad viventem ac mortuum ſpiritualiter.

III. Thema. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, &c.* 1 Corinth. 12 — 108

Agit hic ſermo contra quinque genera hominum vitioſorum, potiſſimum verò ad virtutem liberalitatis exercendam nos excitat. 12. Motivis.

Dominica undecima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Tradidi vobis inprimis quod & accepi. Quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, &c.* 1 Corinth. 15 — 110

Sermo ſequens docet ad quę bona ſpiritualia meditatio paſſionis ac mortis Domini conducat.

II. Thema. *Gratia Dei ſum id quod ſum.* 1. ad Corinth. 15 — 111

Tradit I. hic ſermo quàm neceſſaria ſit homini gratia Dei in hac vita. II. modos 7 cavendos enumerat quibus aliquis ſe indignè vel indebitè habet ad eam.

III. Thema. *Gratia Dei ſum id quod ſum.* — 112

Oſtendit inprimis hic ſermo quam neceſſaria ſit nobis cognitio noſtri. Dein occaſione thematis notificat nobis quid ſimus per naturam, culpam, ac gratiam. Demùm ejuſdem occaſione docet, cur in S. Paulo gratia vacua non fuerit, & quare nobis cavendum ſit ne ea in nobis otioſa exiſtat.

Dominica duodecima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Corinth. 3. — 113

Hic ſermo hominem tripliciter inſufficientem eſſe docet I. ut ſe in eſſe conſervet, & quomodo circa hoc peccetur. II. Vt bonam vitam inchoet, in ea perſeveret, ac proficiat, &c. qui in hoc peccetur. III. Vt cor deſiderijs terrenis repleat ſeu ſatiet, idque ob tres rationes.

II. Thema. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* — 114

Hic ſermo. I. tradit quomodo aliquis Dei gratiam acquirere ſeu ſalvare animam ſuam poſſit. II. triplicem ſufficientiam noſtram pertractat.

Dominica decima tertia poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini ejus.* Gal. 3. F. 115

Verſatur hic ſermo circa Decalogum I. in communi docens, quas utilitates ejus obſervatio afferat, & quę ad pręcepta divina ſervanda inducere nos debeant. II. in ſpecie Decalogi pręcepta vel conjunctim vel diviſim explicans, oſtendendo maximè ad quæ illa nos dirigant, & in quibus contra illa peccetur.

II. Thema. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, &c.* — 118

Tractat hic ſermo de Abrahæ virtutibus, meritò apud Deum, & promiſſionibus ei à Deo factis. Item multa ex ejus vita imitanda nobis proponit.

Dominica decima quarta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Fructus Spiritus eſt Charitas: gaudium: pax patientia, &c.* Galat. 5 — 119

Agit hic ſermo de ligno vitę: Spiritu S. ſcilicet in corde hominis gratiam Dei habentis velut in Paradiſo ſituato & de varijs effectibus ac virtutibus fructuum hujus ligni, iſt eſt Spiritus ſancti.

II. Thema. *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Galat. 5 — 128

Hic ſermo oſtendit non Chriſti eſſe duplici modo, ſecundi modi ſex ſigna, In fine additur aliquid de Crucifixione & cruce hominis Chriſtiani.

Dominica decima quinta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Gal. 6 — 129

Exponuntur hoc ſermone primæ Epiſtolæ dicta & tria potiſſimum tractâtur. I. Quæ profectum ſpiritualem impediant, quę promoveant, & in quibus rebus attendendum ſit. II. Quàm perverſa ac nociva vitia ſint vana gloria, excitatio litium, &c. Et invidiâ tertiò peccantes quomodo corripiendi ſint.

II. Thema. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, &c.* Gal. 5 — 131

Hic ſermo hortatur nos ad portanda onera proximi, ſeu ad ſubveniendum proximo tam in onere ſeu malo culpæ quàm pœnæ præcipuè animabus in purgatorio.

Dominica decimâ ſexta poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Epheſ. 3 — 133

Hoc ſermone duo potiſſimum tractantur. I. Epiſtola per totum ſermonem explicatur. II. Agitur de V. quæ Apoſtolus tanquam neceſſaria ſaluti ſuorum Epheſiorum flexis genibus à Deo rogavit, quæ eadem nobis quoque ad eundem finem neceſſaria ſummopere à Deo efflagitanda ſint.

II. Thema. *In charitate radicati & fundati, &c.* Ad Epheſ. 4 f. 135

Hic ſermo oſtendit. I. Varijs rationibus, quàm bono loco ſint, qui in Charitate radicati ac fundati ſunt, & quàm malo, qui non ſunt. Deinde de Charitate Dei, ac proximi, itemque de gloria regni cœleſtis paucula tangit.

Dominica decima ſeptima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis.* — 136

Sermo inſequens thema explicat. Item ſuperiores ad clementer regendum & ſubditos ad libenter parendum hortatur. Poſtea docet, quare & quomodo dignè ambulandum ſeu convenienter vivendum ſit triplici vocationi divinę, maximè ei, quâ ad regnum cœleſte vocamur.

II. Thema. *Obſecro vos cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis* Ad Epheſ. 4 — 138

Addit hoc ſermo ſeptem in ultima parte præcedentis ſermonis relatis, alia ſex neceſſaria electis ſeu vocatis ad regnum cœleſte. Maximè verò agit de Humilitate, Manſuetudine, & Charitate.

Dominica decima octava poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu.* 1 Corinth. 1 — 139

Commendat nobis hic ſermo tres virtutes. I. Gratiarum actionem ſeu beatitudinem. II. Dilectionem proximi. III. Diſcretionem ſeu metum de temporalibus habendum

II. Thema. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, quia in omnibus divites facti eſtis.* 1 ad Corinth. 1 — 142

Agit hic ſermo de divitibus in Deo & divitibus in Mundo.

Dominica decima nona poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ* Ad Epheſ. 4 — 142

Hic ſermo I. tradit cur peccatum vetuſtas vocetur. II. hortatur, ut renovemus nos ab eâ, exemplo & modo creaturarum aliquarum. III in fine quaſdam Epiſtolæ ſententias explicat.

II. Thema. *Renovamini, &c.* — 143

De tribus agitur hoc ſermone. In principio & fine de renovatione mentis pauca. II. De cohibenda lingua à mendacio & Irâ moderandâ. III. De labore manuum & quatruplici ejus bonâ intentione, ſeu fine.

Dominica vigeſima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Videte quomodo cautè ambuletis.* Epheſ. 5 — 143

Inſtruit hic ſermo viatorem hujus vitę ad cœlum tendentem, docendo, quid ipſi faciendum, cavendumque ſit, ut ſecurè ad terminum regni cœleſtis perveniat.

Dominica vigeſima prima poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus, &c.* Epheſ. 6 — 146

Hic ſermo ad pugnam ſpiritualem bene pugnandum nos erudit, & excitat.

II. Thema. *Accipite (id eſt, induite vos) armaturam Dei.* Ad Epheſ. 6 — 147

Sermo ſequens in Epiſtolam poſtillat ſeu commentatur & maximè armaturam militis Chriſtiani commendat & explicat.

Dominica vigeſima ſecunda poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Confidimus in Domino Ieſu, quia qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu.* Phil. 1. — 148

Sermo iſte agit de profectu & perſeverantia fidelium in bona vita. Ac primò tria vitia profectum iſtum impedientia pandit. Deinde quatuor cauſas affert, cur Apoſtolus de ſuorum perſeverantia bene ſperare potuerit, quod ad omnes fideles referri potest. Demum docet hominis perfectionem tribus efficit & conſtituit.

II. Thema. *Teſtis mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti, &c.* Ad Phil. 1 — 149

Sermo hic commentatur in partem poſteriorem Epiſtolæ, maximè verò agit de charitate & ſinceritate.

Dominica vigeſima tertia poſt Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema, *Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.* Phil. 3 f. 151

ſermone ſequent. I. Thema explicatur. II. Agitur de triplici

ſapientiâ

ſapientiâ ſeu juſtitiâ mundana, circa gloriationes, & divitias & delitias.

II. Thema *Converſatio noſtra in cœlis eſt.* Phil. 3 152

Sequens ſermo oſtendit. I. Quomodo converſatio Apoſtoli fuerit in cœlo, ut eum imitemur in hoc. II. Docet cur libenter in cœlo & inviti in Mundo eſſe debeamus. In fine comparat Mundum Iericho.

Dominica vigeſima quarta & ultima poſt Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *In diebus illis ſalvabitur Iuda* Hierem. 23. 153

Iſte ſermo intendit præparare corda hominum ad Adventum ſeu natalem filij Dei, præmittit ergo procemij loco explicationem loci Oreæ de quærendo Deo à peccatore & Hieremiæ de ſalute ſperandâ ex Adventu Chriſti à Iudâ, id eſt, confitentis. inde per totum ſermonem agitur de ſacramento confeſſionis, de quo principaliter quinque tractantur quæ optimè digeſta, ac diviſa in ſermone facile invenias.

IN SECVNDA PARTE SVPER EVANGELIA.

Dominica prima Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Dicite filia Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus, &c.* Matth. 21.

Thema explicatur & docetur cur, cui & quid hoc tempore ſit concionandum: V. afferuntur cauſæ, cur adventum Chriſti in carnem Eccleſia repræſentet hoc tempore. 159

II. Thema. *Dicite filia Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus.*

Ex verbis Thematis occaſione deſumpta quatuor traduntur quæ præparationi ad triplicem Domini Adventum valde accommodata ſint. 160

III. Thema. *Dicite filia Sion, &c.*

Nominibus bonæ & malæ animæ in ſcriptura datis, illa ad bonam vitam eruditur & hæc à mala abſterretur. 162.

IV Thema. *Dicite filia Sion, ecce rex tuus tibi venit, &c.* 163

Sicut Iudæi Chriſtum in carne venientem malè receperunt, ita nunc Chriſtianos ad Adventum Chriſti in mentem & ad judicium malè ſe parare; quique Chriſti adventum in carnem deſideraverint ex Antiphonis ſapientialibus, ut vocant demonſtratur. Tres etiam præparationes ad Adventum Dei in mentem afferuntur, &c. quę ejus deſiderium in peccatore excitare debeant.

V. Thema. *Dicite filia Sion, ecce rex tuus venit tibi, &c.*

Multæ rationes quare tres Adventus Chriſti magni faciendi ſint. 164

Dominica ſecunda in Adventu.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, &c.* Lucę 21. 165

Procemij loco duo ponuntur principia ſapientiæ divinę. II. occaſione 2. principij & Evangelij agitur de ſignis judicium univerſale pręcedentibus & eorum cauſis.

II. Thema. *Erunt ſigna in Sole & Luna, &c.* 166

Myſticè explicantur ſigna judicium extremum pręcedentia: ſub finem tractantur de ſtatu ſeu timore Angelorum ac hominum tempore judicij

III. Thema. *Nunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate.* Lucæ 2.

Explanantur ſingula verba thematis & modus quo Iudex ad judicium univerſale venturus eſt. 168

IV. Thema. *His autem fieri incipientibus, &c.* eod. fol.

Conſolatur bonos & hortatur ad ſpem & gaudium concipiendum ob Adventum Iudicij 2. ſimilitudinem de ficu ad hoc judicium accommodat, & ultima verba Evangelij explanat, in ſummâ virtutum; tractatu de timore. Igitur his quatuor ſermonibus totum Evangelium ordine eſt expoſitum.

Dominica tertia Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* Matth. 11.

Explicat. I. partem Evangelij ſeu interrogationem Ioannis, & I. affert duas duorum P. P ſententias circa interrogationem Ioannis II. Ex eadem parte inſtruit mores circa varia. 169

II Thema *Et reſpondens Ieſus ait illis.*

Explicatur. II. pars Evangelij ſeu verba & reſponſum Chriſti, maximè verò ad finem laudes & præconia Ioannis. 171

III. Thema. *Illis autem abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Ioanne, &c.*

Vtilitas quatuor virtutum Cardinalium, à quibus S. Ioannes commendatur. 172

IV. Thema. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? &c.*

In quibus peccator arundini ſimilis ſit, & quod Ioannes & juſtus vir ei ſimilis non ſit. 173

V. Thema. *Quid exiſtis in deſertum videre, &c.* eod. fol.

Clauſtrum deſerto & clauſtrales ijs quæ in deſertis inveniuntur, maximè feris comparantur. In fine docetur, quam ſit periculoſa hominum frequentia.

Dominica quarta Adventus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem &c.* Ioan 5.

Breviter explicatur Evangelium, & duo dubia circa illud ſolvuntur. 175

II. Thema. *Ego vox clamantis in deſerto, &c.* eod. fol.

Explanatur thema, & I cauſæ quatuor afferuntur cur Mundus deſertum vocari & haberi poſſit. II aliquot rationes, quare Deus clamans & Ioannes cęterique prędicatores vox clamantis Dei nimirum, cenſendi ſint: duplicem eſſe viam Diaboli & Dei, qualeſ eę ſint, & quomodo via Dei in quinque ſtatibus præparanda ſit.

III. Thema. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, &c* 178

Totum Evangelium explicatur. In principio Iudęorum ad Ioannem legatorum in interrogando perverſitas, & Ioannis in reſpondendo probitas declaratur. Reliquo ſermone uſque ad finem varia explanantur Evangelij dicta.

Dominica infra octavam Natalis Domini.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Et erant pater ejus & mater ejus mirantes ſuper iis quæ dicebantur de illo.*

De admirandis ſeu mirabilibus De Chriſto dictis, & de admirandis ab eo dictis & factis. 180

II. Thema. *Ecce poſitus eſt in ruinam, &c.* 181

Explicatur dictum terribile Simeonis & tractantur terribilia quædam circa Chriſtum. Aliqua etiam in ipſo imitanda proponuntur.

III. Thema. *Et erat Anna Propheteſſa, &c.* 182

Continet hic ſermo potiſſimum commendationem Annæ à ſeptem virtutibus, quæ alijs imitandę proponuntur.

IV. Thema. *Puer autem creſcebat & confortabatur (hæc pertinent ad corpus) plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo (hæc pertinent ad animam.)* Luc 2. eod fol.

De incremento & robore ſpirituali ad exemplum parvuli.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, &c.* Luc 2.

Totum Evangelium breviter explicatur & doctrinę aliquę immiſcentur, pręcipuè de conſuetudinibus Iudęorum in peregrinationibus Hieroſolymam ex lege faciendis 183

II. Thema. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, &c.* 3. 184

Hortatur nos exemplo Marię & Chriſti in hoc Evangelio contento ad plurimas virtutes exercendas.

III. Thema. *Cum factus eſſet Ieſus annorum* 12 &c. 185

Quomodo inſtar parentum Chriſti viri contemplativi Chriſtum amittant, amiſſum quęrere & invenire debeant.

Dominica prima poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.* Ioan. 2. 186

Explicatur Evangelium totum breviter & quędam doctrinæ immiſcentur.

II. Thema. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, &c.* 187

I. Commendatio Matrimonij carnalis. II. Inſtructiones conjugum carnalium

III. Thema. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, &c.* 188

Agitur breviter de Matrimonio inter Chriſtum & humanam naturam, poſt uſque ad finem fuſiùs de Matrimonio ſpirituali inter Deum & animam, per baptiſmum, per pœnitentiam, de quâ multa, & per Religionis ingreſſum.

IV. Thema *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, &c.* 190

De S. Marię pietate & poteſtate, de obędientia Eccleſię, mercede patientiæ, fide Eccleſiæ.

V. *Dicit Mater Ieſu ad eum, &c.* eod. fol

De tribus virtutibus B. V. in ſermone; & de ſeptem verbis ejus quæ in Evangelio locuta eſt, imitanda omnibus, maximè religioſis.

Dominica ſecunda poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecuta ſunt eum turba multa* Matth. 8. 191

Comparatur I. peccatum Lepræ. II. oſtenditur quomodo 8. ſpecies lepræ ſpiritualis curentur 8. beatitudinibus Evangelicis, & quomodo eædem ſpecies voluntatem ac intellectũ corrumpant.

II. Thema. *Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecuta ſunt eum turba multa, & ecce leproſus veniens adorabat eum.* 193

Explicatur totum primum miraculum, cujus occaſione variæ doctrinæ afferuntur.

III. Thema. *Cum autem intreiſſet Capharnaum acceſſit ad eum Centuriõ, &c.* 194

Explanatur ſecundũ miraculũ interjectis aliquibus documentis.

IV. Thema *Cum autem intreiſſet Ieſus Capharnaum, &c.* 195

Varia pro ædificatione noſtra in Chriſto, Centurione & ejus ſervo diſcenda proponuntur.

Dominica tertia poſt octavam Epiphaniæ

SERMO PRIMVS.

Thema. *Aſcendente Ieſu in naviculam ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Matth. 8. 196

In quibus Eccleſia navi, ejus Prelati naucleris, & Mundus mari aſſimilatur, de tentationibus quaſi quatuor ventis in mari cordis humani flantibus. Peccator item comparatur mari.

II. Thema. *Aſcendente Ieſu in naviculam, &c.* 198

Tres optimi effectus hujus Evangelij exponuntur. Damnatur temeraria ſecuritas, conſolatio tentatis, inſtructio tribulatis adhibetur.

III. Thema. *Aſcendente Ieſu in naviculam, &c.* *ead. fol.*

De ſtatu religioſo, qui navi comparatur

Dominica quarta poſt octavam Epiphaniæ.

SERMO PRIMVS.

Themã. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo, &c.* Matth. 13. 199

Explicatur totum Evangelium.

II. Thema. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo.* *ead. fol.*

De IV. perſonarũ operationibus in agro Eccleſię circa homines.

III. Thema. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo.* 200

Quid ſit ager iſte de quo in Evangelio; item quid in eo ſeminetur, & qui ſeminent.

Dominica in Septuageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Matthei 20. 201

Explicatur totum hoc Evangelium.

II. Thema. *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, &c.* 202

De Dei bonitate, negligentiâ hominum, fide excitanda, præſumptione reprimendâ, timore incutiendo.

III. Thema. *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias* 203

Iſte ſermo parabolam iſtam de triplici vinea explicat.

Dominica in Sexageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum turbâ plurima convenirent, &c.* Lucæ 8. 205

In prima parte Evangelium explicatur, in ſecunda mores inſtruuntur, agiturque de quinque. I. De ſeminante, ſeu virtutibus prælato neceſſarijs. II. De ſemine ſive verbo Dei. III. De agro ſeu corde hominis. IV. De defectu, & V. De profectu ſeminis.

II. Thema *Qui habet aures audiendi audiat, &c.* 208

Interpretatio Parabolæ à Chriſto factæ exponitur.

III Thema. *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, &c.* 210

Duo dubia de Chriſto ſeminante ſolvuntur.

Dominica in Quinquageſima.

SERMO PRIMVS.

Themã. *Aſſumpſit Ieſus duodecim & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c* Lucæ 18. 210

Tractatur parte prima hujus Evangelij de prænuntiatione paſſionis Dominicæ. De prænuntiatione octo explanantur de paſſione quinque quæ Chriſtus paſſus eſt & adhuc patitur in ſuis.

II. Thema *Factum eſt autem cum appropinquaret Iericho cœcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans, &c.* 212

De ſecunda parte Evangelij, videlicet illuminatione cœci, multáque documenta tradit occaſione Chriſti, cœci & cœcitatis.

Dominica prima in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS

Thema. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo.* 215

Totum Evangelium explicatur.

II. Thema. *Ductus eſt Ieſus in deſertum, &c.* 216

De Chriſti tentatione ſex tractantur tentatis conſideranda & applicanda.

III. Thema. *Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum, &c.* 218

Tria dicta Evangelij tractantur. Occaſione I. de ductu ſeu regimine filiorum Dei & Dæmonis. Occaſione II. De jejunio Chriſti & quadrageſimæ, itemque de eſurie Chriſti triplici. Occaſione III. De tribus tentationibus & tentatoribus.

Dominica ſecunda in Quadrageſima

SERMO PRIMVS.

Thema. *Et egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis; &c* Matth. 15. 220

Evangelium explicatur.

II. Thema. *Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, &c.* *ead. f.*

De quinque perſonis hujus Evangelij

Dominica tertia in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS.

Themã. *Erat Ieſus ejiciens dæmonium & illud erat mutũ.* Luc 11. f. 223

Evangelium in octo particulas dividitur & explicatur.

II. Thema. *Erat Ieſus ejiciens dæmonium & illud erat mutum* 225

De miſeria Dæmoniaci & peccatoris, de miſericordia Dei, de charitate offerentium miſeros Deo. Ad quæ Dæmon homines mutos reddat: quanti referat peccatoris agnoſcere ſuam miſeriam. Quæ peccata ſint miniſtrorum Eccleſiæ.

III. Thema *Erat Ieſus ejiciens dæmonium, &c.* 226

De dæmonibus ejectis cœlo, corporibus obſeſſis, mundo, animabus; & ſeptem modis ejicitur ex homine.

IV. Thema. *Erat Ieſus ejiciens Dæmonium, &c.* 227

De ſeptem vitijs capitalibus, & ſeptem motivis confeſſionis.

V. Thema. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine. &c.* 229

Confeſſionem non differendam, nemini invidendum, hoſti reſiſtendum, verbum Dei non faſtidiendum. De ſeptem malis recidivationis, octo cauſis, ob quas recidivus pejor fiat, laudibus B. M. Virginis, factores legis beatos eſſe.

Dominica quarta in Quadrageſima.

SERMO VNICVS.

Themã. *Abijt Ieſus trans mare Galilææ.* Ioan 6. 231

Evangelium explicatur, De refectione corporali & ſpirituali. Qualia convivia noſtra, qualis prædicatio, & quales prædicatores eſſe debeant; qui panes, qui piſces ſint.

Dominica quinta in Quadrageſima.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Ioan. 8. 235

De cauſa & præludijs paſſionis Chriſti, ad quæ Evangelium totum revocatur & explicatur.

II. Thema. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* 236

De ſex virtutibus prædicatori neceſſarijs, ſexque perverſitatis Iudæorum argumentis.

III. Thema. *Amen Amen dico vobis. Si quis ſermonem meum ſervaverit, &c.* 237

De tribus ad ſalutem neceſſarijs, veritate vitæ & doctrinæ Chriſti, quinque Paſſionis capitibus & 12. alijs paſſionibus.

Dominica in Ramis Palmarum.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum appropinquaret Ieſus Hieroſolymam & veniſſet Bethphage.* Matth. 21. 238

Evangelium explanatur.

II. Thema *Cum appropinquaret Ieſus, &c.* *ead. fol.*

De miſſione Apoſtolorum; de mundi malis ejuſque contemptu; de duplici Caſtello, de tribus virtutibus quas Dominus in ingreſſu Hieruſalem docuit, prælatis & principibus neceſſarias.

III. Thema. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.* Ioan. 12 14²

De ceremonijs quibuſdam in tribus præcipuis & alijs proceſſionibus Eccleſiæ obſervari ſolitis, & ſeptem in Dominica Palmarũ factis.

IV Thema *Plurima autẽ turba ſtraverunt veſtimẽta ſua. &c* f. 143

De duplici proceſſione Salvatoris, triplici obſequio ei præſtito; de jumento, veſtimentis, deque cædentibus ramos ex arboribus.

V. thema *Plurima autẽ turba ſtraverunt veſtimẽta ſua, &c.* *ead. f.*

A quibus & quomodo Chriſtus honoratus fuerit, & honorãdus ſit.

In Feſto Paſchæ

SERMO PRIMVS.

Thema. *Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* Marc. 16. 244

Evangelium exponitur.

II. Thema. *M. Magd. & M. Iacob. & M. Salome.* *ead. fol.*

De Mulierum devotione, Chriſti reſurrectione, Angelorum in nos dilectione.

III. Thema. *Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata ut venientes ungerent Ieſum.* 245

Tria genera aromatum, quinque unctiones Chriſti, quatuor dotes reſurgentis quatuor circa ſepulchrũ Dominicum conſiderãtur.

IV. Thema *Valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam ſole.* 248

De duplici Chriſti corpore, triplici ſepulchro. quis, quando

religionem ingredi, & quomodo ſe gerere debeat in ea. De Ieſu, id eſt, Salvatore; Nazareno, id eſt, florido.

Dominica prima poſt Paſcha.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum ſero eſſet die illo una Sabbathorum, &c.* Ioan 20. 249

De manifeſtationibus poſt reſurrectionem, de miſſione Apoſtolorum, & poteſtate remittendi peccata, de duplici pace, Thomæ dubitatione & confeſſione.

II Thema. *Dixit Ieſus pax vobis, &c.* 251

Sexdecim documenta ex dictis Chriſti poſt reſurrectionem.

III. Thema. *Cum ſero eſſet die illa, una Sabbathorum, venit Ieſus, &c.*

Chriſti apparitiones XII poſt reſurrectionem, & miſericordiam in eis relucens, cum ſeptem Spiritus ſancti donis & ſeptem exemplis, quæ ante Aſceſſionem ſuam Chriſtus monſtravit, imitanda proponit.

IV. Thema. *Cum ſero eſſet, die illa, una Sabbathorum, &c.* 252

De duplici Chriſti redivivi ad diſcipulos Adventu. Quando ad eos venerit, quo in ſtatu eos invenerit. Quomodo ſe ad eos habuerit. De pace, de quiete mentis & corporis. Documenta prælatis, & ſubditis dantur, quam utilis ſit Paſſionis memoria, intelligi datur.

V. Thema. *Poſt dies octo iterum venit Ieſus.* 254

De communitatis utilitate, veritate & utilitate fidei.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Ego ſum Paſtor bonus.* Ioan. 10. 255

Quatuor ſignis Dominus bonum Paſtorem oſtendit. De proprietate boni Paſtoris, & Mercenarij. Quomodo Chriſtus oves ſuas cognoſcat, & ab eis ipſe cognoſcatur.

II. Thema. *Ego ſum Paſtor bonus, &c.* 256

De quatuor boni paſtoris conditionibus.

III. Thema. *Ego ſum Paſtor bonus, &c.* 257

Honor & onus paſtoris ſpiritualis. Comminationes paſtoribus factæ. Quatuor modi, quibus gregem occidunt.

IV. Thema. *Ego ſum Paſtor bonus, &c.* 258

Sermo hic loquitur, de ſex pertinentibus ad Paſtores Eccleſiæ, quæ eis committantur. quanta culpa & pœna eorum, qui vel per munera, ſanguinem, potentiam intrant in officia paſtoralia.

V. Thema. *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* 259

Dei benignitas nos ſolatur, lupi infernali crudelitas terret, ovium natura inſtruit.

Dominica tertia poſt Paſcha.

SERMO VNICVS

Thema. *Modicum & non videbitis me, &c.* Ioan. 16. 261

Evangelij expoſitio.

Dominica quarta poſt Paſcha.

SERMO VNICVS.

Thema. *Vado ad eum qui me miſit, &c.* Ioan. 16. 264

Agit hic ſermo de officio Spiritus ſancti mundum de peccato, Iuſtitia, iudicio arguentis; de quibus Clerici multo magis quam ſeculares ſint arguendi. Fusè illa tria explicat. Et quomodo Spiritus ſanctus Chriſtum caput, & diſcipulos membra eius clarificaverit, oſtendit.

Dominica quinta poſt Paſcha.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Amen Amen dico vobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, &c.* Ioannis 6. 269

Dividitur & explicatur Evangelium.

Thema. *Amen Amen dico vobis ſi quid petieritis, &c.* 270

Documenta varia ad orationem pertinentia.

Dominica poſt Aſcenſionem.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum venerit Paraclitus, &c.* Ioan. 6. 273

Evangelium explanatur.

II. Thema. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.* Ioan. 16 274

De triplici Spiritus S. effectu, conſolatione, inſtructione, veritatis confirmatione.

In die Pentecoſtes.

SERMO PRIMVS.

Thema *Si quis diligit me ſermones meos ſervabit.* Ioan. 14. 276

Cur Chriſtus diſcipulis ſuis ſe manifeſtaverit & non Mundo: Quomodo nobis ad SS. Trinitatem eundum, ut illa ad nos veniat. Non pacem præſentem plenam, ſed futuram. Chriſti humanitatem ſublevatam cauſam gaudij noſtri eſſe debere.

II. Thema *Si quis me diligit ſermones meos ſervabit.* Ioan 14 277

Qui diligit Deum, mandata eius ſervat & diligitur ab eo; qui non diligit, non ſervat; Chriſti ſermo eſt etiam Dei patris; eius ſermonis intelligentia & executio à Spiritu S. petenda eſt.

Dominica Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Homo quidam ex Phariſæis, Nicodemus nomine.* Ioan. 5. 280

Evangelium explanatur.

II. Thema *Amen Amen dico tibi niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.* 282

Quam neceſſarius Spiritus S. Eccleſiæ ſit. De triplici vita, quintuplici nativitate hominis.

III Thema *Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cælo deſcendit* 284

Quatuor ad ſalutem neceſſaria, Fides, Baptiſmus, Humilitas, Charitas. Apertio cœli Chriſti Paſſioni, Aſcenſioni, Baptiſmo attribuitur. Quare Chriſtus per ſerpentem Æneum figuratus; quomodo in Paſſione exaltatus. In quo ſimilitudo exaltati ſerpentis & Chriſti conſiſtat, & virtus eius.

Dominica prima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Homo quidam erat dives, &c* 16. 285

Evangelij parabola literaliter & moraliter explicatur.

Dominica ſecunda poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* 14. 289

Explicatur Evangelium.

Thema. *Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.* 290

De liberalitate Dei, hominum perverſitate & eam conſequente damno.

III Thema. *Homo quidam fecit cœnam. &c.* 292

Hic ſermo delicias huius cœnæ explanat.

Dominica tertia poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Erant appropinquantes ad Ieſum publicani & peccatores.* Lucæ 15. 293

Explicatur Evangelium.

II. Thema. *Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, &c* 295

De gaudio ſuper peccatore pœnitente.

Dominica quarta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt* Lucæ 6. 296

Inter Evangelij explicationem agitur de miſericordia & eius impedimentis, effectibus, incitamentis, impedimentorum remedijs, & prædicationis oſoribus.

Dominica quinta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum turba irruerent in Ieſum, id eſt, cum impetu accederent ad eum. Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth.* Lucæ 5. 300

Explicatio Evangelij & ſex virtutum.

II. *Cum turba irruerent in Ieſum ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth.* 301

Explicatur Evangelium moraliter & inſtruuntur concionatores.

Dominica ſexta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, &c.* Matth. 5. 302

De ira, reconciliatione, falſa & vera iuſtitia.

II. Thema. *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra, &c.* Matth 5. 304

De juſtitia Phariſæorum, quinto præcepto, & reconciliatione.

Dominica ſeptima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum turba multa eſſet cum Ieſu, &c.* Marc 8. 305

Explanatur Evangelium, & octo moralia traduntur.

II. Thema *Quot panes habetis? qui dixerunt ſeptem.* 306

Explicatur Evangelium myſticè.

Dominica octava poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Attendite à falſis Prophetis, &c.* Matth 7. 308

Evangeliũ explicatur de hereticis, hypocritis, iuſtis & peccatoribus

II Thema. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* 311

Contra V genera hominum.

III. Thema. *Omnis arbor, &c.* 312

De XII. proprietatibus arborum.

Dominica nona poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Homo quidam erat dives qui habebat Villicum,* Lucæ 16 313

Explicatur Evangelium, & docentur quatuor per Dominum, & quatuor per Villicum.

II. Thema. *Facite vobis amicos, &c.* 315

De amicitia & faciendis amicis.

III. Thema. *Homo quidam erat dives, qui habebat Villicum.* 316

Evangelij ſententiæ quædam explanantur.

Dominica decima poſt feſtum S. Trinitatis

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cum appropinquaret Ieſus Hieruſalem, videns civitatem, flevit ſuper illam, &c.* Lucæ 19. 317

Evangelium explanatur, & tria documenta dantur. 318

II. Thema *Videns civitatem flevit ſuper illam, &c.*

Explicatur Evangelium.

Dominica undecima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema *Dixit Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant, &c.* Lucæ 18. 321

Evangelium in tres partes dividitur & explanatur.

Dominica duodecima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Exiens Ieſus de finibus Tyri & Sydonis, &c.* Marc 7. 323

Tria tractantur, præcipuè circa miraculum huius Evangelij.

Dominica decima tertia poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c.* Lucæ 10. 325

Explicatur Evangelium breviter & verbatim

II. Thema. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c.* 326

Exponitur Evangelium copioſius, ſed quinque eius ſententiæ potiſſimum.

III. Thema. *Curam illius habe.* 329

De habentibus curam animarum.

Dominica decima quarta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Cum iret Ieſus in Hieruſalem tranſibat per mediam Samariam, &c.* Lucæ 17 330

In hoc ſermone agitur de lepra & leproſis, item de Samaritano & caſtello religionis.

Dominica decima quinta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Matth. 6. 332

Explicatur Evangelium.

II. Thema. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c.* 333

Cur Deo & Dæmoni ſerviri non poſſit. Deinde cur Deo & non Diabolo, mundo, & carni ſerviendum ſit.

III. Thema. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c.* 335

Dicta quinque huius Evangelij fuſius explicantur.

Dominica decima ſexta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Ibat Ieſus in civitatem quæ vocatur Naim.* Lucæ 7. 337

Evangelium in VII. puncta diviſum explicatur.

Dominica decima ſeptima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema *Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum, &c.* Luc. 14 339

Evangelium ſuccinctè explicatur.

II. Thema. *Cum intraſſet Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum, &c.* ibid.

Duo in hoc ſermone tractantur; Prudentiam Salvatoris, & malitiam Phariſæorum.

Dominica decima octava poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Audientes Phariſæi, quod Ieſus ſilentium impoſuiſſet Saducæis, convenerunt in unum, &c.* Matth. 22. 341

Explicatur Evangelium tripartito diviſum.

II. Thema *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege, &c.* 343

Agitur de dilectione Dei & proximi, & duo de illa data.

Dominica decima nona poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Aſcendens Ieſus in naviculam tranſfretavit de terra Geraſenorum, & venit in civitatem ſuam, ſcilicet Capharnaum ut habetur.* Marc. 2. Matth. 9. 345

Evangelium primò ſuccinctè, deinde copioſè explanatur.

Dominica vigeſima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Matth 22. 346

Explicatur Evangelium.

II. Thema. *Simile eſt regnum cælorum homini regi, &c.* 347

Explicantur ſex de Parabola hujus Evangelij.

III. Thema. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* 348

De vitiis non habentis veſtem nuptialem & de veſte nuptiali eaque ad Prælatos & Paſtores animarum accommodatur.

Dominica vigeſima prima poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Erat quidã regulus cuius filius infirmabatur, &c.* Ioan. 4 349

Explicatur Evangelium & duo quæſita expediuntur.

II. Thema. *Erat quidam regulus, &c.* 350

Varia docemur in IV. perſonis hoc Evangelio contentis.

Dominica vigeſima ſecunda poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO VNICVS.

Thema *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Matth. 18. 351

Tres expoſitiones Evangelij I. brevis, II. Longa, III. Non totius Evangelij.

Dominica vigeſima tertia poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt ut caperent Ieſum in ſermone.* Matth. 22. 353

Evangelium exponitur.

II. Thema *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, &c.* 354

Septem capita Evangelio adnotantur.

Dominica vigeſima quarta poſt feſtum S. Trinitatis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Loquente Ieſu ad turbas, ecce princeps unus acceſſit, &c. De eodem habetur.* Marc 5 & Lucæ 8. 356

Hic ſermo pertractat duo miracula in hoc Evangelio relata, variaque documẽta ex iis tam religioſis quã ſæcularibus proponit.

IN TERTIA PARTE DE SANCTIS TOTIVS ANNI.

In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Stabat Ioannes & ex diſcipulis eius duo, &c.* Ioan. 1. 359

E prima vocatione ſancti Andreæ & ſequela Chriſti in hoc Evangelio conſcripta ſex imitanda proponuntur. Agitur etiam de religioſa obedientia, quæ ad ſcalam Iacob accommodatur & 7. obedientiæ gradus ex S. Bernardo explicantur.

II. Thema. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, dicit autem ſcriptura: omnis qui credit in illum non confundetur.* Ad Rom. 10. 361

Explicat hic ſermo tria prima dicta Epiſtolę, agitque de fructibus rectè credentium & de XII. confuſionibus non rectè credentium in iudicio extremo futuris.

III. Thema *Venite poſt me, &c.* Matth 4. 363

Totus hic ſermo occupatur tantum circa unum Evangelij dictum, quatrupliciter exponit. Deinde agit de duobus aliis dictis Evangelicis huic ſimilibus, quomodo nimirum miniſtri Chriſti ipſum imitari ac ſequi debeant.

De S. Nicolao.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt iuſtus.* Eccleſiaſtici 44. 364

Sermo hic ex vita S Nicolai imitatione digna nobis proponit. In principio vero & fine aliqua in laudem ſancti dicuntur

II. Thema. *Eſtote parati, quoniam qua hora non putatis filius hominis veniet.* Lucæ 12. 365

Hic ſermo tria circa thema docet & quomodo S. Nicolaus ea præſtiterit in fine demonſtrat.

De beata Lucia Virgine.

SERMO VNICVS.

Thema. *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Exodi 4. 366

In hoc ſermone circa verba thematis quatuor expenduntur.

De beato Thoma Apoſtolo.

SERMO PRIMVS.

Thema. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Ad Epheſ. 2. 367

Quinque tractat hic ſermo de ædificio ſpirituali.

II. Thema. *Poſt dies octo erant diſcipuli eius intus & Thomas cum eis, &c* Ioan 20 369

Ex duobus Adventibus Chriſti ad diſcipulos ſuos docet nos duo hic ſermo. Primò quid ad dignè ſuſcipiendum Chriſtum à nobis exigatur imitatione diſcipulorum Chriſtum ad ſe venientem ſuſcipientium Secundò exemplo Chriſti ad diſcipulos venientis, quomodo in congregatione rectè verſari debeamus.

III. Thema. *Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum.* Ioan 20. 370

Hic ſermo I. quinque potiſſimum cauſas affert; cur Chriſtus diſcipulos cadere permiſerit II. Chriſtus pietatem ſeu miſericordiã in quatuor conſolationibus apparuiſſe demonſtrat III. Docet quomodo adhærentes Deo beatificentur, & qualis fides beatificet.

In Vigilia Nativitatis Domini.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.* Iſaiæ 40. 371

Hoc

Hoc ſermone explicatur thema ex Iſaia deſumptum, oſtenditurque Chriſtum eſſe gloriam tum aliorum, ſed præcipuè omnium, ſcilicet Patris ſui cœleſtis, quatuor etiam rationes afferuntur, cur Chriſtus gloria tempore iſto nominetur.

II. Thema. *Oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorare.* Sapient. 16. 173

Hic ſermo ad benedictionem à Chriſto naſcituro percipiendam ex themate duo nobis potiſſimum facienda præſcribit.

III. Thema. *Ioſeph fili David noli timere accipere M.* Mat. 1. 474

Hic ſermo V. Tractat ex Evangelio. I. Agitur de conceptione Chriſti: II. & III. aliqua in Ioſepho & Angelo imitanda proponuntur. IV. Præcipuè de Nomine Ieſu aliqua traduntur, cujus occaſione IV. Motiva ſalutis noſtræ afferuntur V. circa rationem nominis hujus, in Evangelio allatam duo notantur.

In die Nativitatis Domini.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Habitātibus in regione ūbra mortis lux orta eſt eis* Eſ. 9 375

Oſtendit hic ſermo ex themate Prophetico. I. ſex cauſas, quare Mundus ante Chriſti Nativitatem in umbra mortis verſatus fuiſſe dicatur. II. remedium hujus mali avertendi fuiſſe Lucem, nimirum Chriſtum in hunc Mundum venientem III. modum curandi Mundum fuiſſe humilitatē Chriſti ut pote parvuli.

II. Thema *Exijt edictum à Cæſare Auguſto ut deſcriberetur omnis orbis.* Lucæ 2. 377

Ex hiſtoria hujus Evangelij quatuor potiſſimum tractanda hic ſermo deſumit.

De beato Stephano Protho-Martyre.

SERMO VNICVS.

Thema. *Cum eſſet Stephanus plenus ſpiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, &c.* Actuum 7. 378

Cum in hac vita certandum nobis ſit, proponit nobis hic ſermo ex Actis Apoſtolorum certamen S. Stephani, ut illud imitemur, præcipuè in ſeptem Circa finem verò tria monemur, quæ ad hanc pugnam nobis conducant.

De beato Ioanne Evangeliſta.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Cant. 2 380

Hic ſermo juſtum præmittit. Exordium, & in duas partes dividitur in quarum prima explicanda primum dictum thematis agit de amore vel amicitia inter Chriſtum, Ioannem & quamlibet animam devotam. In altera ex altero thematis dicto cauſam affert cujus amoris, nimirum ſimilitudinem, quod Chriſtus & Ioannes lilium ſit, ubi tria lilij accidentia afferuntur, quæ de S. Ioanne explicantur, taciteque fidelibus ſequenda proponuntur.

II. Thema *Beatus qui invenit amicum verum.* Eccleſiaſt. 25 381

Hoc ſermone agitur de falſa mundi & vera Chriſti amicitia, quibuſque modis hanc S Ioannes ſibi comparatit, oſtenditur.

De ſanctis Innocentibus.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Cuſtodi Innocentiam & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Injuſti autem diſperibunt ſimul reliquiæ impiorum interibunt.* Pſ 36. 382

Præſcribit hic ſermo remedium tribulatis, principio ex geſtis Chriſti, deinde ex verbis thematis conſilium dando innocentiæ cuſtodiendæ & vindictæ cavendæ.

II. Thema *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: ſurge & accipe puerum, &c.* Matth. 2. 383

In Feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Pro juſtitia agoniza pro anima tua, uſque ad mortem certa pro juſtitia, Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccleſiaſtici 4. 385

Hic ſermo occaſione ex themate ſumpta agit de certamine ſpirituali, maximè de ejus neceſſitate ac fine.

II. Thema. *Servū inutilē projicite in tenebras exteriores* Mat. 25 386

Sermo hic primò parabolam explicat, deinde occaſione ipſius duo de ſervis traduntur, tertio demum loco damnationis ſervi inutilis in hac parabola contenti, cauſæ quatuor afferuntur.

III. Thema. *Si quis miniſtrat mihi me ſequatur, & ubi ego ſum ibi & miniſter meus erit.* Ioan. 12. 387

Iſte ſermo docet primò quid miniſtris Chriſti exemplo S. Thomæ faciendum ſit, & octo hoc non facientes enumerat. Secundò agit de mercede Chriſtum ſequentium.

IV. Thema. *Si quis mihi miniſtraverit, me ſequatur.* Ioan 12 f. 388

Agit hic ſermo I. de quinque vijs Chriſti, ut eum ſequi & conſequi poſſimus II. de tribus ad miniſtrum Chriſti requiſitis. III. de tribus locis Chriſti, qui præmij loco etiam ejus miniſtris tribuentur.

In die Circumciſionis Domini.

SERMO VNICVS.

Thema *Poſtquam conſummati ſunt Dies octo ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus, &c.* Lucæ 2. 389

In hoc ſermone agitur de varijs circumciſionibus corporalibus, ſed præcipuè de circumciſione ſpirituali, de VII. vel VIII. diebus circumciſionis ſpiritualis, denique de nomine Ieſu.

De Epiphania Domini.

SERMO PRIMVS.

Thema. *In hoc apparuit filius ut Dei diſſolvat opera Diaboli.* 1. Ioan. 3. 390

Hic ſermo agit de triplici apparatione ſeu Epiphania Chriſti hoc die facta ad deſtruenda tria aut ſeptem opera Diaboli.

II. Thema. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, &c.* ad Titum. 392

Exponit hic ſermo IV. modos ſeu ſtatus Chriſti apparentis

III. Thema *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Iſaiæ 60 392

Hic ſermo tria potiſſimùm tractat. I. thema explicat. II. occaſione trium regum Chriſtianos reges eſſe docet, & quomodò regere debeant tradit. III. ex hiſtoria horum trium Regum 7. nobis imitanda proponit

IV. Thema. *Cū natus eſſet Ieſus in Beth Iuda, &c.* Mat 2. f. 394

Ex quatuor propoſitis unum tantum tractat hic ſermo, nempè quinque oſtendentia magnitudinem ſeu excellentiam nati Regis Chriſti Domini.

In octava Epiphaniæ.

SERMO VNICVS.

Thema. *Haurietis aquas in gaudio de fōtibus Salvatoris, & dicetis in illa die: cōfitemini Domino & invocate nomē ejus.* Iſ. 14. 395

Explicantur in hoc ſermone verba thematis de ſacramentis novæ legis, eorumque duo principales effectus afferuntur, quorum quilibet in tres alios ſubdividitur.

De beato Antonio Abbate.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* 396

Iſte ſermo ea, quæ in themate de juſto dicuntur, de S. Antonio & alijs juſtis explicat.

II. Thema. *Venatio leonis onager in eremo.* Eccleſiaſt 13. 397

Continet thema hujus ſermonis IV. verba, quæ in ſermonis IV. partibus ſpiritualiter explicantur, & I. Antonio etiam accommodatur.

De SS. Fabiano & Sebaſtiano.

SERMO VNICVS.

Thema. *Sancti per fidem vicerunt regna operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones* ad Hebr 11. 398

Agit hic ſermo potiſſimùm de fide ſanctorum: de ejus merito, quod in triplici Victoria malorum & operatione Iuſtitiæ conſiſtere docet De ejus præmio, de tribus virtutibus fidei ſanctorum & totidem noſtræ ad imitationem ſanctorum Ad finem oſtenditur, quomodo tria priora fuerint in ſanctis Fabiano & Sebaſtiano.

De beata Agnete Virgine.

SERMO VNICVS.

Thema. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Cant 1. 399

Sermo iſte duas partes complectitur, in ſecunda ſpecialiter de S. Agnete ad quam imitandam in fine monemur.

De beato Vincentio Martyre.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei* Apocal. 2. 400

Plurima affert hic ſermo neceſſaria in pugna ſpirituali ad Victoriam & præmium reportandum juxta verba thematis, quæ etiam S. Vincentio accommodantur.

II. Thema. *Vincenti dabo edere de ligno vitā, quod eſt in Paradiſo Domini* Apocal. 2 401

Quatuor hic docet ſermo circa thema in ejus exordio ſatis perſpicuè propoſita.

De converſione ſancti Pauli.

SERMO VNICVS.

Thema. *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum.* Actor. 9. 402

In principio hujus ſermonis oſtenditur S. Pauli converſionem tam juſtis quàm injuſtis conducere. In reliquo deinde ſermone ex hiſtoria converſionis hujus XII. puncta pro ædificatione noſtra explanantur.

In die Purificationis Mariæ.

SERMO VNICVS.

Thema. *Poſtquam impleti ſunt dies Purificationis Mariæ, &c.* Lucæ 2. 404

Incitat nos hic ſermo ad tres virtutes primò ex hodierni Evangelij loco, deinde ex alio loco ejuſdem Evangeliſtæ.

In Cathedra ſancti Petri.

SERMO VNICVS.

Thema. *Exaltent eum in Eccleſia plebis & in Cathedra ſeniorum laudent eum.* Pſalm. 106 405

Hic ſermo primò per tria Feſta S. Petri tres hominum ſtatus inſtruit, deinde docet Deum tripliciter bene & nos tripliciter malè exaltari.

De ſancto Matthia Apoſtolo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Non elegit Dominus ex iſtis. Adhuc reliquus eſt parvulus & paſcit oves.* 1. Reg. 16. 406

In exordio hujus ſermonis David & Saul comparantur cum S. Matthia & Iuda proditore. In prima vero parte ſermonis agitur de ſeptem vitiis, quæ Deus in electis ſuis vel non attendit, vel rejicit, contra quam Mundus facit in ſuis. Secunda pars ſermonis abeſt.

De ſancto Gregorio Papa.

SERMO VNICVS.

Thema. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe dixi, in comparatione illius.* Et paulo poſt: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sapient. 7. 408

Sermo hic primo oſtendit feſta ſanctorum ob tria celebrari, deinde octo gratias ſeu virtutes S. Gregorij tractat, & primæ horum, ſcilicet ſapientiæ, XII. excellentias enumerat.

De beato Benedicto Abbate.

SERMO VNICVS.

Thema. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Pſalm 54. 410

Sermo iſte in principio oſtendit quomodo S. Benedictus Mundum deſeruerit. Poſtea ex Pſalmo 54. Tres ſententias potiſſimum de contemplativis vel Mundi deſertoribus explanat.

De Annuntiatione B. Virginis Mariæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Lucæ 1. 411

Hoc ſermone explicatur Angelica ſalutatio & variæ virtutes D.V. proferuntur.

II. Thema. *Hæc dies boni nuntij eſt, ſi tacuerimus, &c.* 4. Reg 7. 412

Hic ſermo oſtendit ex themate I. diem hunc feſtum eſſe commendabilem ob tria, II. fuiſſe tribus diem boni nuntij III. ob tria nos reprehenſibiles & damnabiles eſſe poſſe in hoc feſto.

De S. Ambroſio Epiſcopo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c* Matth 24 413

Hic ſermo omnis in Prælatorum exhortatione & inſtructione conſumitur.

De beato Georgio Martyre.

SERMO VNICVS

Thema. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me, &c.* Matth. 16. Lucæ 9. 415

Sermo iſte thema, quod in V. dicta dividitur, explicatur.

De beato Marco Evangeliſta.

SERMO VNICVS.

Thema. *Manet in me & ego in vobis.* Ioan 15. 416

Sermo iſte docet quomodo in Chriſto manendum & quæ commoda ex eius manſione percipiantur, quæque incommoda ex contrario.

De beato Petro Martyre.

SERMO VNICVS.

Thema. *Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2. Timoth. 4. 417

In hoc ſermone quatuor dicta thematis exponuntur & S. Petro Martyri accommodantur.

De ſanctis Philippo & Iacobo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, &c.* Sap 5. 419

Oſtendit hic ſermo, occaſione thematis, potiſſimum peccatorum inſaniam ex quinque.

De Inventione ſanctæ Crucis.

SERMO VNICVS

Thema. *Verbum Crucis pereuntibus ſtultitia eſt, his autem qui ſalvi fiunt virtus Dei eſt* 1. Corinth 1. 420

Sermo hic quinque puncta circa thema pertractat.

De S. Ioanne ante Portam Latinam.

SERMO VNICVS.

Thema. *Converſus Petrus vidit alium diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit ſuper pectus eius & dixit, Domine quis eſt, qui te tradet, &c.* Ioan. ult. 421

Sermo iſte tria tractat de S. Ioanne.

De beato Dominico Confeſſore.

SERMO VNICVS

Thema. *Enoch ante translationem habuit teſtimonium placuiſſe Deo* Hebr. 2. 422

Principio occaſione ſumpta ex themate docet hic ſermo omnibus, hominibus, ſed præcipuè Clericis & Religioſis, ſtudendum eſſe, ut placeant Deo ob tria, idque duobus modis obtineri In reliquo deinde ſermone docetur S. Dominicum ſimilem fuiſſe Enocho in nomine, & in ſex aliis; quæ ad ſecundum modum placendi Deo, nimirum ut ſanctum Dominicum imitemur, referuntur.

De beato Barnaba Apoſtolo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Ioan. 15. 424

Agit hic ſermo de amore ſeu amicitia inter Deum & homines.

De beato Gervaſio & Protaſio.

SERMO VNICVS.

Thema. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, qui autem perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit.* Matth. 9. 425

Hic ſermo hortatur nos ad ſuſtinentiam malorum huius vitæ, ad contemnendum odium Mundi, & ad perſeverentiam.

De beato Ioanne Baptiſta.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Paravi lucernam Chriſto meo, inimicos autem eius induam confuſione.* Pſal 131. 426

In hoc ſermone oſtenditur qualis lucerna Chriſti fuerit S. Ioannes; & quomodo imitandus.

II. Thema *Amen dico vobis non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Matth. 11. 427

Hic ſermo oſtendit excellentiam ſeu magnitudinem S. Ioannis ex tribus, quorum quodlibet in quatuor ſubdividitur.

De beato Ioanne & Paulo.

SERMO VNICVS.

Thema. Dico *autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus & poſt hoc non habent amplius quod faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Lucæ 12. 429

Duo ex themate docet hic ſermo.

De beato Petro Apoſtolo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Simon Ioannis diligis me plus his?* 430

Primo demonſtrat hic ſermo quanti fiat officium paſtorum Eccleſiæ à Deo Deinde quatuor qualitates Eccleſiæ paſtorum affert & explicat.

In Commemoratione S. Pauli.

SERMO VNICVS.

Thema. *Tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, ſervavi fidem. Ideoque repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 2. ad Timoth. 4. 431

Hic ſermo thematis V. dicta pertractat & explicat, eaque S. Pauli tranſitui ſeu morti de qua hoc feſtum, accommodat.

De beata Margarita.

SERMO VNICVS.

Thema. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* 1. Corinth. 1. 435

Oſtendit hic ſermo in quibus non ſit gloriandum, & in quibus gloriandum ſit. II Virgini in tribus gloriandum eſſe demonſtrat.

De ſancta Maria Magdalena.

SERMO PRIMVS

Thema. *Domus impleta eſt ex odore unguenti.* Ioan. 12. 436

Principio huius ſermonis unctio Mariana liberaliter explicatur in reliquo vero ſermone ſpiritualiter & præcipuè de pœnitentia agenda ſex duplici exemplo S. Mariæ Magdalenæ.

II. Thema. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Lucæ 10. 437

Thema huius ſermonis maximè ad Religioſos ſpectat, ideoque de illis explicatur, duodecim documenta iis præſcribuntur.

De beato Iacobo Apoſtolo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? dicunt ei poſſumus.* Matth. 20. 438

Dividitur hic ſermo in duas principales partes ſecundum duplicem finem Eccleſiæ in celebrandis ſanctorum feſtivitatibus. In prima vita & laudes S. Iacobi referuntur. In ſecunda agitur de patiendo & ſtrenuè operando, ut in iis S. Iacobum & alios ſanctos imitemur.

De beato

De beato Petro ad Vincula.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis* Matth. 16. 439

Agit hic ſermo de tribus vinculis ſancti Petri, & ex iis nos erudit, quomodò circa vincula maximè corporalia & ſpiritualia, id eſt, mala pœnæ & culpæ, nos gerere debeamus.

SECVNDVS.

Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Matth. 16. 440

Varias Virtutes affert S. Petri hic ſermo, quas Prælatis neceſſarias eſſe oſtendit, præcipuè tres.

In Inventione ſancti Stephani.

SERMO VNICVS.

Thema *Cum eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto intendens in cælum vidit gloriam Dei & Ieſum ſtantem à dextris Dei & ait: ecce video cælos apertos & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Actor. 7. 441

Hic ſermo quatuor tractat circa thema de S. Stephano nobis imitanda.

De beato Laurentio Martyre.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Pſalm. 16. 442

In hoc ſermone quatuor dicta thematis de S. Laurentio, & aliis tribulationem patientibus, explicantur.

SECVNDVS.

Thema. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Ioan. 12. 443

In principio ſermonis, proponuntur tres cauſæ, quare ſanctorum feſta celebrentur. Deinde explicantur trium virtutum utilitates, in quibus S. Laurentium imitari debemus. Poſtea duplex ſcopus Evangelij, & in fine duplex ſolatium tribulatorum explanantur.

De beato Hyppolito Martyre.

SERMO VNICVS.

Thema. *Dico vobis, omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo & Angelis Dei.* Lucæ 12 444

Occaſione thematis agitur in hoc ſermone de confeſſione & erubeſcentia Chriſti tam noſtra quam ipſius.

In Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens innixa ſupra dilectum ſuum.* Cant. ult. 445

Hic ſermo conſtat principio & aliis tribus partibus. In principio agitur de aſſumptione D. V. In parte prima aſſeruntur ſex modi colendi D. V. In ſecunda oſtenditur D. V. admirabilem eſſe ſecundum IV. ſtatus ſuos. In tertia explicantur quatuor dicta thematis.

SECVNDVS.

Thema. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Cant. 6. 447

Conſtat hic ſermo duabus partibus. In prima quatuor particulę ſive dicta thematis de D. V. explicantur, omiſſa quinti dicti explicatione. In altera verò aliquot rationibus & convenientiis oſtenditur D. V. in anima & corpore in cœlum aſſumptam fuiſſe, idque piè credendum ex ſententia S. Bernardi & Auguſtini concluditur.

De Beato Bernardo Abbate.

SERMO VNICVS.

Thema. *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, ſimilem fecit illum in gloria ſanctorum.* Eccleſiaſtici 4. 449

In hoc ſermone explicantur verba thematis de S. Bernardo in duobus, quibus nos quoque inſtruimur.

De beato Bartholomæo Apoſtolo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Quicumque honorificaverit me glorificabo eum.* 1. Reg. 2. 450

Hic ſermo primo tria proponit de S. Bartholomæo: Deinde XII. ex quibus cœleſtis gloriæ magnitudo probatur.

De beato Auguſtino.

SERMO VNICVS.

Thema. *Quaſi vas auri, ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Eccleſiaſtici 50. 452

Explicatur in hoc ſermone thema de virtutibus naturalibus, & ſupernaturalibus generatim & ſpeciatim ſancti Auguſtini.

In Decollatione ſancti Ioannis Baptiſtæ.

SERMO VNICVS

Thema. *Herodes miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput Ioannis in diſco, & decollavit eum in carcere.* Marc. 6. 453

Sermo iſte ex etymo nominum S. Ioannis & Herodis agit I. de duobus generibus. II. de S. Ioanne, & quolibet ſervo Chriſti ſimili S. Ioanni. III. inducit Ioannem exemplum Religioſorum & Prædicatorum.

In Nativitate beatiſſimæ Virginis Mariæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moabi.* Numeri 24. 454

Explicat hic ſermo tria dicta thematis, eaque D. V. accommodat.

SECVNDVS.

Thema. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas.* Proverb. 9. 455

Sermo hic D. V. domui in themate propoſito comparat, duoque de illa pertractat.

In Exaltatione ſanctæ Crucis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Ego Dominus humiliavi lignum ſublime & exaltavi lignum humile, & ſiccavi lignum viride & frondere feci lignum aridum* Ezech. 17. 456

Thematis verba in hoc ſermone de tribus explicantur. In fine eſt appendix de Evangelio & feſto hoc.

De ſancto Matthæo Apoſtolo.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Opus fac Evangeliſtæ.* 2. Timoth. 4. 457

Hic ſermo explicat duplex opus Evangeliſtæ, idque nobis imitandum proponit.

SECVNDVS.

Thema. *Cum tranſiſſet Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.* Matth. 9. 458

In hoc ſermone quatuor tractantur circa vocationem S. Matthæi.

De beato Mauricio & ſociis ejus.

SERMO VNICVS.

Thema. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Hebr. 11. 459

Hic ſermo I. ex tribus oſtendit nobilitatem triumphi ſeu Victoriæ SS. Martyrum & noſtræ. II. quomodo fides hujus Victoriæ cauſa ſit demonſtrat.

De ſancto Michaële.

SERMO VNICVS.

Thema. *Factum eſt prælium magnum in cælo. Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone.* Apocal. 12 460

In hoc ſermone explicatur thema de Eccleſia militante: dividitur in duas partes, quarum prima in alias duas ſubdividitur.

De beato Hieronymo.

SERMO VNICVS.

Thema. *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus.* Pſalm. 36. 462

Explicat hic ſermo quatuor dicta thematis de quatuor operationibus juſti, eaque in fine S. Hieronymo accommodat.

De ſancto Franciſco.

SERMO VNICVS.

Thema. *Sapientia humiliantis ſe exaltabit caput illius; & in medio magnatorum conſidere faciet* Eccleſiaſtici 11. 463

Hic ſermo thema explicat dę merito & præmio S. Franciſci, & aliorum SS. Præcipuè verò agit de ſuperborum ſtultitia & humilium ſapientia.

De beato Dionyſio & ſociis ejus Martyribus.

SERMO VNICVS.

Thema. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, &c.* Sapient 3. 464

Affert hic ſermo ſeptem rationes ex 3. cap. Sap. cur Deus ſuos affligi ſinat ad tollendam tentationem, hoc admirantium.

De beato Luca Evangeliſta.

SERMO VNICVS.

Thema. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradyſum, qui dividitur in quatuor capita.* Geneſ. 2. 465

Hic ſermo explicat thema de Eccleſia militante doctrina Evangelica & Evangeliſtis. In fine agitur de Evangeliſtis generatim, & de S. Luca ſpeciatim.

De SS. Simone & Iuda.

SERMO VNICVS.

Thema. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Pſalm. 138. 466

Tractat hic ſermo quædam de Introitu, Epiſtola & Evangelio hujus feſti. In fine quædam ad ipſos Apoſtolos Simonem & Iudam ſpeciatim ſpectantia tractantur.

De omnibus Sanctis.

SERMO VNICVS.

Thema. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Rom. 8. 467

Iſte ſermo agit primo de fide & dilectione in Deum. Deinde quatuor cauſas affert, cur Dei amicitia appetenda ſit. Poſtea quinque rationes adducit, ob quas Sancti lapidibus pretioſis comparentur. Demum ratio affertur, cur hoc feſtum inſtitutum ſit.

In Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

SERMO VNICVS.

Thema. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apocal. 14. 468

Agit hic ſermo de quatuor faciendis à nobis hac die.

De beato Martino.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Nudus fui & cooperuiſtis me.* Matth. 25. 469

Agit hic ſermo de Miſericordia duplici, corporali ſublevandæ miſeriæ corporali & ſpirituali ſeu veſte ſpirituali nuditati ſpirituali contegendæ neceſſaria.

SECVNDVS.

Thema. *Oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Pſalm. 24. 470

Docet hic ſermo ex themate cur & quando oculos ad Deum habere debeamus.

De beata Cæcilia Virgine.

SERMO VNICVS.

Thema. *Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.* Matth 25. 471

Sermo hic explicando parabolam Evangelicam multas pulchras doctrinas in medium affert.

De beato Clemente Papa.

SERMO VNICVS.

Thema, *Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Matth. 25. 472

Hic ſermo ad Vigilandum ex themate hortatur primo fideles omnes conſideratione Mortis & Iudicij, deinde Prælatos duas alias ob cauſas.

In Feſto S. Catharinæ.

SERMO PRIMVS.

Thema. *Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, tu vero ſupergreſſa es univerſas.* Proverb. ult. 474

In principio comparat hic ſermo S. Catharinam forti mulieri, de qua thema loquitur. Deinde explicat thema de filiis & ſervis Dei, & circa finem de S. Catharina.

In Dedicatione Templi.

SERMO VNICVS.

Thema. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo, in longitudinem dierum.* Pſalm. 92.

In principio ſermonis hujus variæ acceptiones vocis Dominicę Domus explicantur. In reliquo verò ſermone agitur de tribus Dedicationibus ſpiritualibus.

FINIS.

AD SUPPLEMENTUM OPERUM

GUILLELMI PARISIENSIS EPISCOPI

PRÆFATIO.

ECCE præter integrum Guillelmi Pariſienſis opus ex editione Veneta, Sermonumque priſtinam collectionem, prodeunt in lucem eximij quatuor Tractatus ex inſignis Eccleſiæ Carnotenſis Bibliotheca noviſſimè eruti, atque appendicis & ſupplementi vice hîc annexi. Sunt autem *Nova quatuor tractatuum editio.*

1. TRACTATUS DE TRINITATE, notionibus & prædicamentis in divinis.

2. Liber DE ANIMA.

3. Poſterior pars Tractatus illius qui in editione Veneta inſcribitur, *NOVUS TRACTATUS DE POENITENTIA.*

4. Tractatus DE COLLATIONE ET SINGULARITATE BENEFICIORUM.

Novos illos tractatus ſuo ordini, qualis exhibebatur in Codice Carnotenſi, reſtituere non potuimus; quia typis mandata propemodum erant omnia priorum editionum opera, cum à nobis poſtulata fuit ejuſdem codicis manuſcripti copia. Unde etiam factum eſt, ut non licuerit Venetam editionem ad fidem illius corrigere, & neceſſe fuerit novorum tractatuum editionem feſtinantius urgere. Nemini vero dubium eſſe debet quin quatuor iſti Tractatus Guillelmo Arverno, inter Epiſcopos Pariſienſes hujus nominis tertio, Theologo & Scriptori celeberrimo tribuendi ſint. Hoc enim non obſcure teſtantur ſtylus pinguior, adeoque etiam cognitu facilior, frequentes aliorum operum allegationes, & eorumdem dogmatum, quod & alibi facere ſolet, crebræ identidem repetitiones. Fidem etiam facit codex manuſcriptus Eccleſiæ noſtræ, in quo opera iſta Guillelmo Pariſienſi nominatim aſcribuntur, & cæteris ejus libris hinc inde interſeruntur, ut ex ſubjecto ordine librorum ejuſdem codicis clarius agnoſcetur.

Libri DE TRINITATE meminit ſæpiſſime ipſemet Guillelmus Pariſienſis, à quo & inſcribitur. *Prima pars primi ſapientialis & divinalis magiſterij*, vel *primus tractatus*, vel *Tractatus primus primæ Philoſophiæ*. Quare & liber de Univerſo ab eo appellatur *ſecunda pars primi ſapientialis & divinalis magiſterij*. Quinetiam 1ª. partis de Univerſo cap. 23. ſub finem non ſolum tractatus ejuſdem de Trinitate, ſed etiam ſpeciatim mentio fit capituli de prædicamentis, quod quidem cum unum eſſet ſed longiuſculum, in quatuor ultima capitula partiti ſumus. De hoc igitur capitulo ſic habet loco ſupradicto. *De ipſo vero errore* (ex codice Carnot. legendum eſt *Creatore*) *ibidem patefactum eſt tibi in capitulo de prædicamentis & prædicationibus quæ fiunt in rebus divinalibus, quia creare non dicit aliquid in creatore.* Ejuſdem etiam tractatus de Trinitate & capituli ultimi de prædicamentis quaſi unius meminit Author in libro de Anima quem edimus parte quinta capituli tertij. Quare nulla relinquitur dubitatio quin tractatus hic genuinus ſit fœtus Guillelmi Pariſienſis quem etiam eo titulo inter cætera ejus opera primum recenſet Abbas Trithemius. In eo agit Author primò de exiſtentia, ſimplicitate & omnipotentia Dei, quæ omnia, ut ſolemnis eſt ei argumentandi conſuetudo, probantur metaphyſicis rationibus ad inſtar geometricarum demonſtrationum reductis. Deinde Trinitatem perſonarum divinarum ſimilibus argumentis & exemplis nonnullis perſuadere aggreditur. Denique poſt accuratam omnium fere quæ *Liber de Trinitate.*

ad ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium pertinent tractationem, varios qui de Deo fieri poſſunt prædicandi modos expendit in quatuor ultimis capitulis. Ubi pauca quædam de ſcientia, voluntate, & prædeſtinatione divina ſummatim perſequitur & delibat.

Supplementum Tractatus de Poenitentia.

Tractatus novi de Poenitentia Supplementum quod edimus, indubitatum eſſe Guillelmi Pariſienſis opus patet, cùm ex ſupradictis, tùm maxime ex ipſa interciſione precationis illius ad Deum quæ habetur cap. 18. editionis Venetæ, ubi ſupprimitur majori ex parte, integra vero cum reliqui operis ſerie in codice noſtro continetur. Nihil porro videtur aliud eſſe, quam *ſecretæ confeſſionis exemplum*, ut habet titulus ejuſdem capitis 18. in eadem editione Veneta. Continet enim orationem Pœnitentis ad Deum revertentis, ſecretam ſingulorum peccatorum expoſitionem, & mutuum de illis Presbyteri & Pœnitentis colloquium.

Tractatus de Collatione Beneficiorum.

In opuſculo de Collatione Beneficiorum hoc potiſſimum agit Guillelmus noſter, ut oſtendat quænam præcipua ſint Prælatorum munia, quænam debeat eſſe, & quam pura ſive vocantis ſive vocatæ perſonæ intentio. In ultimo capite, quod toti etiam tractatui nomen dedit, multis argumentis probat Beneficiorum, quorum unum ſufficiens ſit vitæ neceſſario victu & veſtitu ſuſtentandæ, pluralitatem illicitam eſſe: oſtenditque imprimis Eccleſiam ſic debito ſibi famulatu & obſequio defraudari: neque id pio charitatis conſilio, ſed pravæ potius cupiditati tribuendum eſſe. Nemini vero ſcrupulus injici debet ex eo quod paſſim negare videatur peccatores poſſe fieri & eſſe miniſtros Eccleſiæ; etenim mentẽ ſuam interpretatur hac appoſita diſtinctione *propoſito ſeu voluntate* miniſtros non eſſe ſcribens, ratus alioquin verè Clericos eſſe *propter characterem Clericalem & obligationem* Deo & Eccleſiæ ſerviendi contractam: præſertim cum aſſerat diſertiſſime cap. 5. ſub finem nec ſuffragiorum nec ſacramentorum virtuti aliquid ex miniſtrorum indignitate derogari. In eundem ſenſum Chriſtianos eos eſſe negat qui Chriſtiani non vivunt, quamquam eos & Fidem & Baptiſmi characterem habere poſſe fateatur. Quare ſicubi ſcripſit membrum Eccleſiæ non eſſe qui charitatem non habet, benigne quoque exponi nullo negotio poterit. Quod ſi tractatus hic à Trithemio & aliis quibuſdam de ſingularitate vel pluralitate Beneficiorum inſcribatur, de qua agitur tantum in ultimo capite; inde factum eſt quia ſæpiſſime denominatio à meliori & nobiliori parte deſumitur, vel quia duos tractatus ex uno eodemque efficere, ut Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Colvenerius in notis ad Cantipratenſem, Philippus Labbeus in appendice ad librum Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quoniam autem in eo capite de ſingularitate Beneficiorum non meminit Guillelmus noſter definitionis à ſe factæ Pariſiis anno 1238. quâ cõmunibus Theologorum Pariſienſium ſuffragiis ſancitum eſt Thoma Cantipratenſi teſte lib. 1. apum cap. 19. *duo beneficia dummodo unum valeret quindecim libras Pariſienſes, teneri cum ſalute animæ non poſſe*; veriſimile ſit tractatum hunc ante annum 1238. ſcriptum eſſe, imo & ante celebrem illam diſputationem quæ tribus annis antea de eodem argumento agitata fuiſſe ab eodem Cantipratenſi narratur. Porro diſſertationem hanc una cum capitulo de ſingularitate duorum inſtar tractatuum editam eſſe in 4°. Argentorati, anno 1507. teſtantur Georgius Colvenerius in notis ad Cantipratenſem, & poſt eum Philippus Labbeus. Verùm editionem iſtam nobis conſulere non licuit, quia nuſquàm comparare potuimus.

Liber de Anima.

Animæ humanæ tractationem Theologico more inſtituere ſe ſtatim ab initio profitetur Guillelmus Pariſienſis: ubi ſanè de ſpirituali ejus natura, & immortalitate; de corruptione per peccatum, & reſtitutione per Gratiam; de ſtatu ejus extra corpus, & de variis ejuſdem ſive dotibus ſive morbis, multa fuſe admodum, & copioſe diſputat. Præter illa autem quæ ſuprà adduximus clare ſatis innoteſcit librum illum de anima Guillelmi Pariſienſis opus eſſe; hoc enim & ipſe quoque agnoſcit multis in locis, ſed præcipue partis 3. de Univerſo, parte 2. capitulo 3. & partis 1æ. parte 1. cap. 55. ubi teſtatur ſibi propoſitum eſſe ſcribere integrum & completum de anima humana tractatum. Quamvis enim aliis in locis videatur reſpicere ad ſuum illum de anima tractatum quaſi jam à ſe compoſitum, ſic intelligendum videtur, quod ea jampridem explicuerat diſcipulis ſuis è ſuggeſtu, quæ poſtea accuratiùs elimata ediderit. Idipſum autem de omnibus ejus operibus veriſimile eſt, nempe dictata prius fuiſſe privatim, & expoſita diſcipulis, quam data in publicum & in unum veluti corpus redacta; nullo quippe diſcrimine poſteriores libros in prioribus, & vice verſa allegaſſe compertum eſt. Ubi hoc etiam obſervandum, quod his ut plurimum utatur verbis, *ſicut audiviſti, ſicut dixi tibi*, quæ ea jam alias explicata fuiſſe dumtaxat oſtendunt.

An ſit Guillelmi Pariſienſis.

Aliquem forte moveat quod habet codex Carnotenſis hæc verba ad calcem libri de Anima. *Explicit liber de Anima quem compoſuit vir elevatæ intelligentiæ & profundæ ſpeculationis Dominus Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, cujus ſepulchrum monſtratur in choro Eccleſiæ Pariſienſis cum imagine cuprea mire fabricatum &c.* Certum eſt enim Guillelmum noſtrum ſepultum fuiſſe in S. Victoris, ad cujus ædes ſub finem vitæ præſertim ſæpius diverſabatur. Nihilominùs

hilominùs

hilominus tamen præterquam quod idem quoque legitur ad finem tractatus de Univerſo, iſta potius confirmant librum eſſe Guillelmi Pariſienſis ex teſtimonio diſertiſſimo Librarij, quam dubium ullum injiciant ex ejuſdem errore, quo deceptus exiſtimavit æreum illud, quod Odonis eſt de Soliaco, eſſe Guillelmi Pariſienſis monumentum. Trithemius quidem Abbas, & poſt eum Bellarminus unius duntaxat tractatus de animabus humanis mentionem fecere; verùm titulus iſte noſtro huic libro de anima magis favet, quam opuſculo de immortalitate animæ, quod videtur eſſe ex illo ampliori tractatu excerptum.

Faceſſit majus negotium quod legimus in libro de anima brutorum vel etiam plantarum animas eſſe incorporeas. Præterquam quod enim in tractatu ſpeciali de animæ immortalitate brutorum animas materiales putat, propoſitio de ſpiritualitate animarum in brutis tanto viro indigna videri poteſt. Verùm quod attinet ad tractatum de immortalitate, oſtendi liquidò poteſt ſuſpectam eſſe illius fidem in editione Veneta, multiſque in locis & interpolatum & vitiatum eſſe, multas etiam paginas turbatas & tranſpoſitas, ut facile intelliget qui duo priora capita tractatus illius legerit ex codice Carnotenſi inferius deſcripta. Ne vero in his diutius morer, in loco qui objici poteſt ex eodem tractatu varietatem video. Ubi enim habet editio Veneta, *Quod ſi quis quærat de anima animali vel brutali an materialis forma & ipſa ſit*. In codice Carnot. & quidē ad mentem Authoris accommodatius, legitur, *an immaterialis forma & ipſa ſit?* videlicet ſicut & anima rationalis. Hâc autem omiſſa quæſtione quam alibi diſcuſſerat, reſpondet oſtendendo modum quo animæ pecudum materiales dici poſſint, quatenus ex materia ſua pendent quantum ad eſſe & quantum ad operari. *Cum omnis*, inquit in prædicto tractatu de immortalitate, *ejus operatio ex illa materia pendeat, & cum ejus eſſentia extra materiam ſuam eſſet inutilis & otioſa: & hoc ergo modo forma materialis eſt anima brutalis & vegetabilis, & hoc eſt ex materia ſua pendens & quantum ad eſſe & quantum ad operari, & cum materiæ deſtructione deſtructibilis*. In quibus videre eſt animabus brutorum modum quemdam materialitatis aſſignari, non autem negari omnino immateriales. Adde quod ſicut in libro de anima meminit libri de immortalitate, ita vice verſa in libro de immortalitate ad librum de anima reſpicere videtur, cum ea argumenta, quæ late tractantur in eodem libro de anima, leviter attingit, ſubjungitque ſtatim ab initio capitis tertij, *nunc autem ex propriis immortalitatem aſtruere tentabimus*. Quod quidem teſtimonium luculentiſſimum pro authoritate libri de anima, ſupprimitur in editione Veneta, quam ſequitur hæc recentior.

Cū tractatu de immortalitate cōparatur.

Tractatus autem utriuſque convenientia facit, ne ita facile in animum inducere potuerim priorem illam de ſpiritualitate brutarum animarum ſententiam in poſteriore de immortalitate libro retractatam eſſe. Quippe in utroque tractatu mortales eſſe putat brutorum animas hac duplici ratione tum propter dependentiam ex materia quantum ad eſſe & quantum ad operari, tum propter inutilitatem earum extra corpora ſua. Sed ne adeo novum & inſolens videatur hocce Guillelmi Pariſienſis dogma de ſpiritualitate ſimul & mortalitate animarum in pecudibus, paucis attingendum eſſe exiſtimavi, quanta olim fuerit & nunc etiam eſt de animæ ſubſtantia diſputatio, ut ex hac etiam qualicumque diſputatione vera animæ humanæ ſpiritualitas & immortalitas magis illuſtretur.

An ſententia Guillelmi Pariſ. de ſpiritualitate animarū in brutis retractata ſit.

Omnes animas ſive hominum ſive brutorum ſpirituales & immortales exiſtimavit Pythagoras, cum docuit & à corporibus belluinis ad humana, & ab humanis ad belluina animarum tranſmigrationem perpetuo fieri. Errorem tam craſſum aliqua ex parte correxit Plato, cenſuit tamen ut multis videtur inter quos Guillelmus noſter libro de immortalitate circa finem, animas pecudum ſpirituales & immortales eſſe, & quod immortalitatem quidem attinet, ſi ita ſenſerit, intolerabilis eſt error. E Chriſtianis Tertullianus libro de anima hominum animas corporales putat, at immortales eſſe qui præcipuus eſt rei cardo aſſerit & contendit. Neque vero alienam eſſe arbitror S. Auguſtini expoſitionem l. 10. de Gen. ad litteram, quod ſcilicet Tertullianus *animæ timuit ne nihil eſſet ſi corpus non eſſet, nec de Deo valuit aliter ſapere: qui quoniam acutus eſt, interdum contra opinionem ſuam viſa veritate ſuperatur*. Enimvero Tertullianus ab animæ ſubſtantia vel leviſſimam materialitatem videtur excludere cap. 9. cum nec aërem, nec lumen, nec ignem, aut aliquid ſimile eſſe affirmat, ſed *ſubſtantiam ſubtiliorem quæ præ ipſa*, inquit, *tenuitatis ſublimitate de fide corporalitatis periclitetur*. Adde quod cap. 11. contra Hermogenem contendat non ex materia, ſed ex Dei flatu animam conſiſtere, & cap. 32. non conſtare ex elementis. Vnde fit ut quamvis Deum ipſum dixiſſet corpus, cum non elementare illud, nec materiale putet, quid aliud quam naturæ ſpiritualis eſſe Deum, imo & animam humanam exiſtimavit? Cum autem alibi ſatis manifeſte animæ ſpiritualitatem innuat, jam tum deflexiſſe videbitur ad Montani ſchiſma cum librum de anima ſcriberet; quippe qui ibidem errorem ſuum de animæ corporalitate ex phantaſticarum Montani mulierum viſionibus confirmet.

Veterum de anima ſententiæ.

Cap. 3. l. de Pœnit.

De brutorum animabus nihil diſerte affirmat Tertullianus: verumtamen vel bruta animalia machinarum inſtar artefactarum eſſe, vel animas eorum modo quo ſupra ſpiri-

Idem quod ſupra.

ā iij

tales exiſtimavit. Nempe cap. 18. libri de anima laudat Comici Epicharmi dictum; *animus audit, animus cernit, reliqua ſurda & cæca ſunt*: & de ſuo quoque addit, *Quis mihi exhibebit ſenſum non intelligentem quod ſentit, aut intellectum non ſentientem quod intelligit?* quæ quidem explicari non poſſunt niſi ad ſenſum alterutrius propoſitionis, & maximè prioris. Lactantius Firmianus libro de ira Dei cap 7. ad ſenſum poſterioris magis accedit, cum brutis quoque rationem & providentiam intelligentiam & cogitationem ineſſe ſcribit, ut ſola penè religione, ac Dei cultu, & notitiâ à brutis homo differre videatur. Claudianus Mamertus l. 1. cap. 21. probat herbam quoque & fruticum vitam eſſe *incorporalem, & inlocalem & impartibilem*. Eadem ſententia eſt authoris illius anonymi in libro τῶν ἀζῶν περὶ ψυχῆς qui editus eſt unà cum Origenis Philocalia. Poſtquam enim oſtendit Platonem à Numenio male intellectum quaſi ſenſerit in Phædro animas pecudum immortales eſſe, cum in dialogis paſſim mortales aſſerat; oſtendit ipſe ex ſua ſententia omnes brutorum etiam, & plantarum animas incorporeas eſſe.

Guillelmi Pariſienſis ſententia de incorporeitate cujuſvis animæ.

Guillelmus Pariſienſis incorporeitatis dotem non ita propriam eſſe docet animæ rationali, ut ei ſoli conveniat, ſicut convenit immortalitas; iiſdemque ſimul argumentis oſtendit cujuſlibet animæ ſpiritualem eſſe naturam. Hæc autem omnia eo recidunt argumenta ut neque ſenſus, neque vita ex ulla poſſint corporeâ diſpoſitione corpori cuicumque competere. Quantumcumque enim immutetur materia, nunquam fiet ut vel minimum vitæ inde exurgat, niſi aliquid prætérea extrinſecus adveniat quod non ſit pura puta corporalis forma. Quæ ſit vis rationum iſtarum quæ in omnes partes verſantur à Guillelmo noſtro, & multis coloribus induuntur penes lectorem judicium eſto. Simili ſanè argumento in ſchola S. Thomæ probata aliunde ſpiritualitas animæ rationalis explicatur, ubi de formarum ſubſtantialium eductione ſermo eſt. Alias enim omnes formas excepta rationali educi aſſeverant, quia ſecundum S. Thomam l. 2. contra Gentes c. 86. educi formam è potentia materiæ nihil aliud eſt quam *educi in eſſe per materiæ tranſmutationem*. Cum igitur vi actionis tranſmutantis materiam fiant omnes formæ materiales, è ſinu quoque materiæ educi cenſentur. Sed non ita ſe habet de anima rationali; quantumvis materiam immutes vi tranſmutationis illius præcisè nunquam emerget forma illa quæ ex libro de anima demonſtratur eſſe incorporea & extrinſecus adveniens. Adduci poteſt explicationis ergo cereæ maſſæ exemplum Ariſtoteli familiare: ex hujuſce etenim cereæ maſſæ quâvis immutatione variæ figuræ exurgunt ſive quadratæ, ſive rotundæ, & aliæ hujuſmodi, adeo ut ex vi actionis qua ſtringitur, & premitur cera producantur, neque vero ulla forma producitur quæ non plane cerea ſit, & ceræ ipſi immerſa; niſi forte extrinſecus accedat quædam auri vel oricalchi incruſtatio, quæ quidem quantumcumque ceram verſes ſuſque deque ex ea nunquam immutatione emerget, nec proinde ex cera educta, aut ceræ immerſa intelligi poteſt. Formæ ſubſtantiales materiales inſtar cereatum figuratum ſunt, anima rationalis aureæ iſti incruſtationi non abſimilis eſt, quia quantumvis perturbent, & commoveant materiæ maſſam cauſſæ naturales, nihil inde præcisè quod ſit rationis principium vel actus exiliet, ſed formæ ſolummodo materiales actuum, motuum, cæterorumque accidentium naturalium principia & origines.

Tres præcipuæ de animabus irrationalibus ſententiæ.

Similem fere ſenſum habere videntur omnia Guillelmi Pariſienſis argumenta, quibus oſtendit animam quamlibet pecudum quoque & plantarum ſpiritalem eſſe. Mirum vero eſſet quomodo non animadvertiſſet vir adeo ſubtilis, & acutus diſcrimen duarum illarum opinionum quæ nunc ventilantur Carteſianos inter & reliquos de ſchola Philoſophos: quorum illi plantarum & pecudum formas ſolummodo accidentales, hi vero ſubſtantiales ſed materiales eſſe contendunt. Non potuit ſane quin agnoverit utramque ſententiam, ſi in aliis rebus materialibus formas ſubſtantiales corporeas admiſerit. Spreta tamen poſteriore; niſi in eam tandem quomodocumque recidat, refellit acerrime priorem, & quemdam præcipuum illius defenſorem ſub *erronei* nomine ſæpius inſectatur. Quatenus quidem pro animæ rationalis prærogativa depugnat optime meo quidem judicio, argumentatur: quatenus vero inde etiam colligit animarum ratione carentium ſpiritualem naturam plus nimio probat. Quamquam autem hanc Authoris noſtri ſententiam non poſſimus omnino approbare: ut excuſetur tamen aliquomodo, advertendum eſt tam latum diſcrimen non eſſe mediæ ſententiæ, quæ animas viventium rationis expertium ſubſtantiales & materiales putat, ab extremarum altera ut cum alterutra conciliari prorſus non poſſit. Etenim qui accidentales formas eſſe animas pecudum exiſtimant, pecudeſque ipſas veluti horologia quædam & machinas divina arte compactas, minus quidem aſſequi videntur primum & radicale principium motuum omnium atque actionum vitalium. Verumtamen non adeo longe ab hac ſententia recedunt authores mediæ ſententiæ, ſi ſecundum Ariſtotelem, quem preſſius hic ſequuntur ſancti Thomæ ſectatores, philoſophari velint. Cum enim apud rigidiores Peripateticos *quidquid movetur ab alio moveatur*, neceſſe eſt oppido ani-

malia & plantas quæ à ſeipſis moventur, ſic variis artubus partibuſque formari, ut in eorum corporibus, quomodo ſe habet in horologij rotis, diſtinguatur pars movens & pars mota. Quomodocumque vero ſtruatur hæc machina corporis viventis ſive ab accidentali, ſive à ſubſtantiali forma, dummodo ſubſtantialis illa forma per ſe exiſtens, aut per ſe movens non ſit, ſed inſtar modi ſubſtantialis materiam afficiens; certe parum differre videtur, adeoque nec mirum eſt ſi utramque ſimul ſententiam mediam & extremam Guillelmus noſter impugnaverit.

Jam vero ſi comparemus cum ſententiâ Guillelmi Pariſienſis extremarum altera, & Carteſianæ è diametro oppoſita communem illam quam mediam diximus; & quidem juxta axiomata à pleriſque recentioribus vulgo recepta, nullum aut certe modicum diſcrimen intereſſe perſpicuum erit, adeo medium videtur ſemper extremorum alterum, adeo recentiores cum Guillelmo Pariſienſi formas omnes ſubſtantiales, licet corporeas vocitent, reapſe tamen ſpirituales aſſerunt. De formis gravium & levium cum ſentiunt principia eſſe motus ſurſum ac deorſum, nec diſpoſitive ſolum, ſed etiam effective; quid aliud quam formas illas per ſe operantes, atque ita per ſe ſubſiſtentes, & ſpirituales effingunt? Cum autem vita motus ſit ab intrinſeco principio prodiens, & à quadam, ut aiunt, elevatione formæ ſupra materiam ſuam proveniens, nemo non videt animas viventium prorſus omnium ad ſpiritualem naturam, quæ in ea elevatione conſiſtit, propius accedere. Adde quod ſecundum vulgaris Philoſophiæ dogmata formæ quælibet ſubſtantiales materiales exiſtentiam ſuam partialem, realitatem, entitatemque propriam materiæ veluti ſupereminentem habent, quare nec longe multum à vera ſpiritualis naturæ ratione diſcedunt. Igitur ſolo nomine tenus à vulgari Philoſophia differt Guillelmus Pariſienſis. Exiſtimant illi animas viventium ratione carentium materiales eſſe, quia ex materia ſua pendent quantum ad eſſe & quantum ad operari. Et hoc etiam modo materiales illas eſſe affirmat Guillelmus Pariſienſis in utroque tractatu. Imminuit hocce Guillelmi noſtri dogma vim argumentorum quibus apud multos, quorum ego ſententiam amplector, animæ humanæ immortalitas demonſtratur. Verum imminuit quoque communior philoſophorum ſententia, é quibus bene multi animæ rationalis immortalitatem phyſicis rationibus demonſtrari non poſſe, nec proinde eo quo ſpiritualis eſt, immortalem eſſe arbitrantur.

Guillelmi Pariſienſis ſententia cū recentioris Philoſophiæ dogmatibus conciliatior.

Quandoquidem in examine libri de anima diutiùs immorati ſumus, omiſſis aliis quæ agitari potuiſſent, reſtat ut moneamus lectorem in iis edendis quatuor tractatibus uſos nos fuiſſe unico codice Carnotenſi paulo poſt annum 1300. deſcripto mendis multis, perpetuiſque abbreviationibus referto. Quare vix fieri potuit ut editio hæc noſtra erratis prorſus omnibus careat, præcipue cum exſcripta Carnoti ex eodem codice exemplaria Aureliam mittenda fuerint, ut ibidem prelo mandarentur. Ignoſce igitur candide lector, ſi uno aut altero loco interturbatum ſenſum reperias: Quæcumque occurrent ſive codicis, ſive preli vitio errata, non impedient quominus mentem Authoris aliquatenus aſſequi poſſis. Ut autem melius caperes ordinem librorum Guillelmi Pariſienſis, & ea etiam quæ jungendo vel dividendo capitula immutavimus, ſeriem omnium ejuſdem operum qualis exhibetur in Codice Carnotenſi ſubjecimus, notatis aſteriſco quæ hic de novo in lucem prodeunt; librorum etiam hactenus non editorum capitula prout in eodem codice diſtinguuntur addidimus, cum ſingulis argumentis, vel ubi deerant, capitum initiis. Tuum eſt amice lector noſtram hanc qualemcumque operam æqui bonique conſulere.

Monitum.

ORDO LIBRORUM GUILLELMI PARISIENSIS
ſicut in tribus Voluminibus codicis manuſcripti inſignis Eccleſiæ Carnotenſis recenſentur.

IN PRIMO VOLUMINE IN FOLIO.

TRactatus de Fide & de Legibus capitula 48. Ad calcem legitur *Explicit de Fide & Legibus tractatus Guillelmi Pariſienſis. Incipit quoddam proœmium quod ſecundum aliquos idem Guillelmus compoſuit. Cum inter ſapientiales, ſpiritaleſque, &c. Iſte prologus eſt vel debet eſſe in principio tractatus de Sacramentis.*

Tractatus de Sacramentis habet capitula 96. Ad calcem legitur. *Explicit liber Guillelmi Pariſienſis de Sacramentis.*

Tractatus de Virtutibus dividitur in tres partes.

Prima pars tractatus de Virtutibus habet 44. capitula. Ad calcem legitur. *Explicit*

prima pars iſtius tractatus. Deo gratias.

Secunda pars continet capitula 16. longiuſcula. Ad calcem legitur. *Explicit ſecunda pars hujus operis. Incipit tertia pars.*

Tertia pars continet cap. 20. longiora. cap. ultimum de Retributionibus SS. habet 9. folia integra. Ad calcem legitur. *Explicit tractatus de Virtutibus & Moribus, & ſic eſt finis totius libri magiſtri Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi.*

IN SECUNDO VOLUMINE IN FOLIO.

TRactatus de Trinitate cap. 44. Ad calcem habetur. *Explicit primus tractatus divinalis magiſterij Guillelmi Pariſienſis, ſcilicet de Trinitate, notionibus & prædicamentis in divinis.*

Sequuntur capitula ejuſdem tractatus cum ſingulis argumentis.

PRologus Libri.

Capitulum Primum. *Quod ens de aliquo dicitur ſecundum eſſentiam, & de aliquo ſecundum participationem.*

Cap. II. *Quod illud quod habet eſſe ſecundum eſſentiam eſt incauſatum.*

Cap. III. *Quod illud ens eſt omnino ſimplex, à circumveſtione accidentium alienum.*

Cap. IV. *Quod illud ens eſt unum & nullo modo commune.*

Cap. V. *Quod illud ens eſt cauſſa omnium aliorum.*

Cap. VI. *Quod omne eſſe ſecundarium neceſſario dependet à primo eſſe.*

Cap. VII. *Quod omne eſſe potentiale à primo eſſe dependet, & ab ipſo educitur ad actum.*

Cap. VIII. *Quod potentia eſt principium effectuum & operationum.*

Cap. IX. *Quod eſt aliqua prima potentia per ſeipſam omnipotens, & ſua voluntate, & ſua ſapientia.*

Cap. X. *Licet ſapientia, & voluntas & potentia divina ſit æterna, non oportet aliquem effectum fuiſſe ab æterno.*

Cap. XI. *Quod voluntas divina novas res producit immutabilis omnino permanens.*

Cap. XII. *Quod res omnes de exuberantia ſupremi largitoris juxta ſuum beneplacitum effluunt.*

Cap. XIII. *Recapitulatio præcedentium quorundam.*

Cap. XIV. *Quod in prima fontali eſſentia ſunt tres res, quarum una habet eſſe fontaliter & primitive, ſecunda per generationem, & tertia per proceſſionem.*

Cap. XV. *Quod una emanatio quæ eſt per modum generationis, eſt ſapientia ſive Verbum; alia eſt per modum doni ſeu amoris qui eſt nexus amborum, videlicet Spiritus Sanctus.*

Cap. XVI. *Quod prima emanatio per modum generationis producitur ſicut intellectio, vel verbum ab intelligente.*

Cap. XVII. *Quod verbum eſt ſuo intelligenti coæquale per omnia.*

Cap. XVIII. *Quod verbum divinum eſt Patri coæternum.*

Cap. XIX. *Quod verbum divinum & ejus locutor eſt una eſſentia.*

Cap. XX. *Quod primogenitor & primogenitus communicant in aliqua re tertia.*

Cap. XXI. *Quod Spiritus Sanctus per modum puri doni & perfectiſſimi amoris procedit.*

Cap. XXII. *Quod amor quo Pater & Verbum ſe diligunt, eſt eadem eſſentia cum ipſis & æqualis per omnes.*

Cap. XXIII. *Quod inter primos amantes ſit poſſibile eſſe unum amorem.*

Cap. XXIV. *Quod omnia ſint ſubjecta filio & Spiritui Sancto ſicut Patri.*

Cap. XXV. *Quod in ſingulis rebus beatiſſima Trinitas reluceat.*

Cap. XXVI. *Quod in anima rationali imago Trinitatis reperitur.*

Cap. XXVII. *Quod Trinitas perſonarum ſimplicitati & unitati eſſentiæ non derogat.*

Cap. XXVIII. *De differentia & diverſitate trium perſonarum ab invicem.*

Cap. XXIX. *Quod relationes in divinis non ſunt res à perſonis diſtinctæ.*

Cap. XXX. *Quod notiones nihil addunt ipſis perſonis divinis.*

Cap. XXXI. *Quod relationes non ſunt res ſuperadditæ rebus comparatis.*

Cap. XXXII. *Quod eſſe Patrem non dicit aliquid novum in Patre, ſed filium ad quem ſe habet Pater.*

Cap. XXXIII. *Quod per generationem filij æternam nulla mutatio vel aliquid aliud accidit in Patre.*

Cap. XXXIV. *Quod actio agentis, & effectuatio non ſunt res diſtinctæ.*

Cap. XXXV. *Quod iſtæ præpoſitiones a, abs, & cæteræ important ſolum principium productionis filij & nihil novum in Patre.*

Cap. XXXVI. *Quod Paternitas, ut Paternitas eſt, non dicit aliquid, ſed magis habitudinem ſeu ad aliquid.*

Cap XXXVII

Cap. XXXVII. *Concordantur diverſæ opiniones de notionibus.*
Cap. XXXVIII. *Quod propriè loquendo Paternitas non dicitur genuiſſe, nec filiatio genita fuiſſe.*
Cap. XXXIX. *Quod ex poſitione Paternitatis nihil acceſſit ipſi Deo, nec ex remotione aliquid detrahitur, vel diminuitur.*
Cap. XL. *Quod ſive Paternitas concedatur eſſe ab alio, ſive non; tamen oportet concedere filiationem ab alio eſſe.*
Cap. XLI. *De numero communi notionum.*
Cap. XLII. *De diverſitate notionum.*
Cap. XLIII. *Quod Pater & filius una ſpiratione producunt & ſpirant Spiritum ſanctum.*
Cap. XLIV. *De diverſitate prædicamentorum & modorum loquendi Deo attributorum.*

Tractatus de Univerſo 1ª pars habet cap. 83. Ad calcem. *Explicit prima pars iſtius partis.*

2. Pars habet cap. 73. Ad calcem legitur explicit primus *liber ſapientialis ac divinalis magiſterij Guillermi Pariſienſis. Deo gratias.*

3. Pars habet 176. cap. Ad calcem habetur *explicit liber ſecundus Deo gratias.*

4. Pars habet 90. cap. Ad calcem, paulo diverſis characteribus ſcribitur. *Explicit tractatus de Univerſo quem edidit vir excellentis & elevati ingenij dominus Guillermus Pariſienſis Epiſcopus*, quæ ſequuntur ita craſa ſunt ut legi tamen poſſint, *cuius ſepulchrum in choro Eccleſiæ Pariſienſis cum imagine cuprea elevata monſtratur.* Sequuntur tituli ſingulorum capitulorum ſine ulla librorum vel numerorum diſtinctione.

Liber cur Deus homo habet 10. cap. in fine legitur. *Explicit cur Deus homo Domini Guillermi Pariſienſis Epiſcopi.*

IN TERTIO VOLUMINE.

Liber de Anima habet 7. capitula, partes verò 153. ut habentur infra. Ad calcem hæc leguntur. Explicit tractatus de Anima traditus à nobiliſſimo Philoſopho Guillermo Pariſienſi. Deo gratias.

Sequuntur argumenta cum diſtinctionibus partium & capitulorum libri de Anima.

Prologus libri oſtendit hanc ſcientiam tranſcendere limites philoſophorum naturalium. Enumeratio capitulorum.

I. Capitulum habet ſeptem partes.

1. *Pars oſtendit definitionem animæ.*
2. *Oſtendit quod humanitas non eſt anima, ſed eſt homo ipſe.*
3. *Deſtruit errorem negantium animam eſſe.*
4. *Oſtendit quod anima non poteſt intelligere ſe non eſſe.*
5. *Quod anima eſt ſubſtantia, & quod potentia animæ eſt ipſa ſubſtantia animæ.*
6. *Quod animal non ſit compoſitum ex ſubſtantia & accidente.*
7. *Ponit exempla ad declarationem præcedentium.*

Cap. II. habet 17. partes.

1. *Pars oſtendit quod corpus hominis manet idem per totam vitam.*
2. *Quod anima non ſit numerus ſeipſum movens vel harmonia.*
3. *Proponit incorporeitatem animæ.*
4. *Oſtendit quod anima non ſit res corporea.*
5. *Recitat opinionem ponentem animam eſſe corpus æthereum.*
6. *Oſtendit quod nullum corpus cæleſte eſt vita.*
7. *Oſtendit quod corpora cæleſtia non ſcintillant vitam in aërem inferiorem.*
8. *Quod anima non ſit aliquod corpus.*
9. *Quod anima non ſit corpus cæleſte.*
10. *Recitat opinionem ponentem animam eſſe ignem.*
11. *Reprobat prædictam opinionem.*
12. *Quod anima humana eſt impartibilis.*
13. *Quod omnis intellectio eſt impartibilis.*
14. *Reſpondet ad quandam authoritatem Ariſtotelis.*
15. *Revertitur ad oſtendendum quod anima non ſit corpus.*
16. *Oſtendit eandem concluſionem aliter.*
17. *Oſtendit quod actiones voluntatis ſunt liberæ, ſed operationes brutorum non.*

Capitulum 3. habet 14. partes.

1. *Oſtendit quod anima ſit pura forma immaterialis.*
2. *Removet motivum poſitionis contrarij.*

3. *Item quod anima ſit ſimpliciter impartibilis.*
4. *Quod inhærentia formæ ad materiam vel ſubjectum non ſit res ſuperaddita ipſi formæ.*
5. *Quod potentia non ſit res ſuperaddita rei potenti.*
6. *Quod potentia vel poſſe creatoris eſt ipſemet creator.*
7. *Quod potentiæ animæ non ſint diſtinctæ ab ipſa anima.*
8. *Quod eſt quædam potentia animæ ſui & aliarum correctiva & quædam imperativa.*
9. *Quod virtus imperativa ſc. voluntas principatur ſicut rex in regno & virtus rationalis eſt ſicut conſiliarius regni principis.*
10. *Quod voluntas non eſt cæca, ſed eſt cogitativa & apprehenſiva.*
11. *Quod anima propriè non eſt pars hominis.*
12. *Quod anima per actus, diſpoſitiones & operationes ſuas clare cognoſcitur.*
13. *Quod homo certius cognoſcit animam ſuam, quam quamcumque diſpoſitionem corporalem alterius rei.*
14. *Quare aliqui homines dicunt ſe ignorare animas ſuas.*

Capitulum 4. habet 4. partes.

1. *Recitat opiniones ponentium plures animas in eodem homine.*
2. *Quod embryo non vivit per animam matris in utero.*
3 *Quod in homine non ſunt ponendæ plures animæ.*
4. *Quod membra formantur & fabricantur ante infuſionem animæ.*

Capitulum 5. habet unam & quadraginta partes.

1. *Quod anima filij non ſit ab animâ patris ac matris.*
2. *Quod anima à ſolo Deo creatur & infunditur.*
3. *Quod anima non generatur ex temperantia elementorum & qualitatum ſuarum.*
4. *Reprobat opinionem Alexandri de generatione animæ.*
5. *Quod anima non ſit nec generatur, nec exhibetur de potentia vel potentialitate corporis.*
6. *Quod anima non eſt materialis ſeu educta juxta opinionem Alexandri.*
7. *Quod formæ intelligibiles non fiunt in intellectu materiali ſeu poſſibili per ſolam receptionem earum ab aliqua intelligentia agente & movente ſeu illuminante.*
8. *Quod virtus intellectiva eſt productiva formarum intelligibilium.*
9. *Quod anima non creatur extra corpus humanum antequam infundatur.*
10. *Quod rebellio ſeu defectus & perverſitates hominis à principio nativitatis ſunt plagæ, & ægritudines contra naturam.*
11. *Quod homo & qualiter rebellionem & ægritudinem primam in ſeipſo experitur.*
12. *Oſtendit quod plaga ſeu rebellio prima eſt ex peccatis primorum parentum providentia univerſalis gubernatoris inflicta.*
13. *De corruptione & perverſitate virium animæ.*
14. *Quod potentia intellectiva regit alias potentias tanquam earum domina.*
15. *Quod anima naturaliter magis diligit bona ſpiritualia inſenſibilia quam corporalia & ſenſibilia.*
16. *Recapitulatio præcedentium.*
17. *Quod anima in ſuo ſtatu nobili exiſtens poteſt intelligere particulariter ſenſibilia & corporalia.*
18. *Quod Creator eſt ab anima ſingulariter cognoſcibilis.*
19. *Quod anima in ſtatu ſuæ ſanitatis non attendit ad ſenſibilia, niſi ab aliqua cauſſa excitetur.*
20. *Quod anima non fruſtra utitur organis & membris corporeis.*
21. *Quod cognitio ſenſibilium eſt principaliter ad cognitionem & amorem creatoris.*
22. *Quod anima dejecta eſt à ſua naturali luminoſitate.*
23. *Quod anima ex ejus commixtione cum corpore læditur & inficitur.*
24. *Oſtendit remedia contra prædictam infectionem.*
25. *Quod melius eſt animæ ex pugna, quam fuiſſet ex pace naturali.*
26. *Quod anima non cognoſcit ita clare nunc ſicut in ſtatu ſuæ innocentiæ.*
27. *Quod anima non quieſcit niſi in mundo ſpirituali in quo eſt gloria & pax.*
28. *Quod anima non fuit ſufficienter quietata in primo ſtatu ſuæ innocentiæ.*
29. *Proponit immortalitatem animæ humanæ.*
30. *Inveſtigat immortalitatem animæ.*
31. *Quod anima mediante organo tanquam inſtrumento exercet actum ſentiendi.*
32. *Quod potentia videndi non dependet ab organo ſenſitivo.*
33. *Quod alterius ſenſus perditione viget.*
34. *Quod tenebroſitas miſeriæ originalis impedit animam à cognitione ſuæ immortalitatis.*
35. *Quod non oportet animam mori in ſolutione vinculi ipſius quod habet ad corpus.*
36. *Quod quamvis anima naturaliter vivificet corpus, ipſa poteſt continue proficere.*
37. *Quod omnis anima humana poteſt naturaliter proficere.*
38. *Quod homo perverſus poteſt naturaliter proficere.*

39. *Quod anima in infinitum poteſt proficere.*
40. *Quod anima humana habet potentiam naturalem ad ſemper eſſe.*
41. *Declarat dictum Ariſtotelis quod quædam habent potentiam ad ſemper non eſſe.*

Capitulum 6. habet 46. partes.

1. *Oſtendit quod anima humana non eſt determinata ad quandoque non eſſe.*
2. *Quod infirmitates & debilitates non ſunt in anima ſed in corpore.*
3. *Quod cum limitatione animæ ad eſſe non ſtat poſſe proficere in infinitum.*
4. *Quod ægritudines corporis non lædunt animam.*
5. *Quod ex ægritudinibus corporalibus anima multotiens ſanatur.*
6. *Quod cujuſlibet animæ vires naturaliter vigere natæ ſunt in ſenectute & fortificari.*
7. *Quod mors non advenit animæ ex conſortio ad corpus mortale.*
8. *Quod mors non advenit animæ ex propria defectibilitate.*
9. *Quod propter mortem corporis nihil de eſſe ipſius animæ perditur ac deperit.*
10. *Quod anima non eſt creata propter aliquod bonum ſenſibile ſeu corporale.*
11. *Quare non omnes animæ attingunt ad finem ſuum?*
12. *Quod anima per originalem corruptionem effecta eſt dormiens & ſomnolenta.*
13. *Dicit immortalitatem ex inclinatione ſua naturali quam habet ad Deum.*
14. *Quod vitia quæ dicuntur ægritudines animæ, non tollunt immortalitatem eius.*
15. *Oſtendit immortalitatem animæ ex infatigabilitate eius.*
16. *Quod vera fœlicitas eſt infaſtidibilis.*
17. *Quod immortalitas non eſt diſpoſitio adveniens animæ cum fœlicitate.*
18. *Quod anima à depreſſionibus liberata naturaliter figitur, & quieſcit in ſuo fine & inſeparabiliter.*
19. *Quod ægritudo originalis plurimas animas impedit ab adeptione ſui finis.*
20. *Quod anima in primo ſtatu ſuæ libertatis habuit fœlicitatem naturalem incomparabilem ſupremæ fœlicitati.*
21. *Oſtendit immortalitatem animæ ex comparatione diſpoſitionum ſuarum & accidentium ad ipſam.*
22. *Proponit modos ponendi immortalitatem animæ per ſapientialem & divinalem ſcientiam.*
23. *Proponit immortalitatem animæ ex bonitate Creatoris.*
24. *Oſtendit immortalitatem animæ ex parte providentiæ Creatoris.*
25. *Quod anima non ſufficienter præmiatur in hac vita per virtutes & opera earum.*
26. *Quod Creator non ſolum providet animabus de eſſe, ſed etiam de bene eſſe.*
27. *Oſtendit immortalitatem animæ ex parte juſtitiæ Creatoris.*
28. *Quod mali non poſſunt niſi quantum permittit Creator juſtiſſimus.*
29. *Oſtendit immortalitatem animæ ex parte magnificentiæ & largitatis Creatoris.*
30. *Oſtendit immortalitatem animæ ex parte gloriæ Creatoris.*
31. *Oſtendit immortalitatem animæ ex reſuſcitatione mortuorum.*
32. *Oſtendit immortalitatem animæ ex teſtimonio Sanctorum & Prophetarum.*
33. *Oſtendit quid eſt exceſſus mentis & qualiter accidit.*
34. *Oſtendit quod ex vehementi amore accidit animæ raptus ſeu mentis exceſſus.*
35. *Quod anima in raptu clarè & nude intuetur ipſas res.*
36. *Oſtendit quid eſt eſſe in ſpiritu & qualiter evenit.*
37. *Oſtendit quæ & ubi eſt regio lucis in qua videt anima quando eſt in ſpiritu.*
38. *Oſtendit immortalitatem animæ ex priſca ſanitate corporis.*
39. *Quod magis propriè corpus eſt in anima, quam anima in corpore.*
40. *Qualiter concedendum ſit quod anima eſt in corpore.*
41. *Recitat opiniones de loco proprio animæ in corpore.*
42. *Quod Creator omni rei creatæ præſens eſt & indiſtans.*
43. *Quod anima eſt tota in qualibet parte ſui corporis ſentiente.*
44. *Quod anima non eſt in eſſe & aliis partibus viventibus & non ſentientibus.*
45. *Oſtendit modum infuſionis animæ in corpus.*
46. *Oſtendit ſi anima eſſet ſolum in una parte corporis, utrum poſſet reſiduum corporis vivificare.*

Capitulum ſeptimum habet 24. partes.

1. *Oſtendit quod potentia intellectiva cognoſcit non ſolum univerſaliter ſed etiam ſingulariter.*
2. *Quod ſcientia de Creatore eſt ſumma perfectio potentiæ intellectivæ.*
3. *Recitat opinionem de intellectu agente, & intellectu materiali.*
4. *Oſtendit quod non eſt ponendus agens diſtinctus ab intellectu poſſibili & materiali.*

5. *Oſtendit quod inter intelligibilia & intellectum poſſibilem non eſt ponendus intellectus agens medius irradians intellectum poſſibilem vel materialem.*

6. *Quod non eſt ponendus intellectus agens ſeparatus & appropriatus intellectui poſſibili.*

7. *Quod principia ſcientiarum ſunt lumina per ſe ipſa naturaliter illuminantia potentiam cognitivam.*

8. *Vbi & in quo ſunt principia & eorum ſignificationes.*

9. *Oſtendit quod inclinatio naturalis potentiæ intellectivæ eſt determinatè ad ſummam & luminoſiſſimam veritatem.*

10. *Quomodo ſcientia cauſſæ inducit ſcientiam effectus.*

11. *Vtrum cauſſa per ſeipſam vel aliquam ſimilitudinem inducat notitiam effectus.*

12. *Oſtendit quæ eſt natura intellectus ſpeculativi.*

13. *Oſtendit quid eſt intellectus adeptus.*

14. *Quis eſt ille intellectus quem petebat propheta, dicens*: da mihi intellectum ut diſcam mandata tua.

15. *Oſtendit quid eſt ſynderesis quæ ponitur eſſe ſuperior portio rationis.*

16. *Oſtendit quod conſcientia non eſt potentia naturalis virtutis intellectivæ.*

17. *Quod ſcientiæ non corrumpentur in morte propter defectum phantaſmatum.*

18. *Quod licet ſcientiæ non erunt neceſſariæ ad felicitatem, tamen ad decorem & ornatum ipſius beatitudinis probabile eſt eas remanere.*

19. *Quod ſcientiæ virtutes & dona gratiarum non remanebunt in ſtatu gloriæ.*

20. *Oſtendit quomodo intelligitur illud quod* charitas nunquam excidit.

21. *Quod charitas viæ, & charitas patriæ ſunt diverſæ in ſpecie.*

22. *Quare animæ defunctorum non viſitant amicos viventes.*

23. *Quod animæ defunctorum poſſunt ſcire ea quæ fiunt in vita præſenti.*

24. *Quomodo anima ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata ſit? &c.*

Explicit liber de Anima quem compoſuit vir elevatæ intelligentiæ, & profundæ ſpeculationis dominus Guillermus Pariſienſis Epiſcopus, cujus ſepulchrum monſtratur in choro Eccleſiæ Pariſienſis cum imagine cuprea mire fabricatum, cujus memoria in benedictione, & per Dei gratiam anima in concilio juſtorum & congregatione. Amen. Amen.

RHetorica divina habet cap. 55. Ad calcem legitur. *Explicit Rhetorica divina de oratione domini Guillermi Pariſienſis.*

* TRactatus de Pœnitentia habet cap. 21.

Cap. XVII. *Incipit ha ha ha Domine pater.* Hujus edit. pag. 229
Cap. XVIII. *Si dicat peccator, Domine vigilans.* p. 231. col. 2.
Cap. XIX. *Cum repetes à proximo tuo.* p. 233. col. 1.
Cap. XX. *Convertimini ad me in toto corde.* p. 238. col. 2.
Cap. XXI. *Debet humiliter & devote audire totum.* p. 247. col. 1.

* TRactatus de Collatione Beneficiorum habet cap. 11. In fine legitur. *Explicit tractatus Guillerm. Pariſ. de Collatione Beneficiorum.*

Sequuntur initia capitum.

PROLOGUS INCIPIT. *Vmbram Behemoth.* p. 248. col. 1.
CAPITULUM PRIMUM. *Dicemus igitur primo puritatem vocationis.* p. 248. col. 2.
Cap. II. *Prælati igitur officium eſt ædificare.* p. 249. col. 1.
Cap. III. *Secundum officium Prælati eſt.* p. 250. col. 1.
Cap. IV. *Tertium officium eſt Paſtoris.* p. 250. col. 2.
Cap. V. *Quartum officium eſt officium Procuratoris.* ibidem.
Cap. VI. *Quintum officium Prælati.* p. 251. col. 1.
Cap. VII. *Sextum officium Prælati.* ibid.
Cap. VIII *Imprimis igitur quærimus hic an poteſtas.* p. 252 col. 1.
Cap. IX. *Poſt hæc quærimus utrum ad hoc.* p. 253. col. 2.
Cap. X. *Poſt hæc quærimus an requiratur conſenſus.* p. 254. col. 2.
Cap. XI. *Poſt hæc autem aggrediemur.* p. 258. col. 1.

Tractatus

PRÆFATIO.

TRactatus de Immortalitate animæ ſine inſcriptione habet tria capitula, quorum duo hic ſubjicimus, quia inſtituto noſtro ſerviunt, & Venetam editionem, quam ſequitur hæc recentior, emendare poſſunt.

LIBRI DE IMMORTALITATE ANIMÆ, Cap. primum ſive Prologus.

NOſſe debes ex aliis quod quatuor modis humanis conſulitur erroribus. Et primo quidem, Senſu per experientiam. 2°, Pœnâ per legem. 3°, Philoſophiâ per probationem. 4°, Divinitùs per Prophetiam & revelationem. In quo apparet quam noxium & quam pernicioſum divina bonitas reputaverit errorem humanarum animarum circa ſeipſas, & maximè illum qui eſt de immortalitate naturali illarum, quoniam deſtruit fundamentum honeſtatis & religionis totius. Quid enim reſtat diffidentibus de ſua immortalitate animabus, cum nulla ſit ſpes vitæ alterius, & nulla obtinendæ veræ fœlicitatis fiducia, niſi omnium proſtitutio vitiorum ? & ipſa honeſtas quid aliud eis reputabitur quam dementia ? dum enim ſe vident fraudari præſentibus, & alia non expectant, nullo modo ſuaderi poterit iis niſi quod honeſtatis perſuaſio aliud non eſt quam imperitorum deceptio, & ipſa laudabilis morum profeſſio deceptorum deliramentum. Ex quo humanarum rerum intolerabilis perturbatio, vitæ omnimoda confuſio, & extremum malorum omnium creatorum ex honeſtate conſequitur. Merito igitur tam noxio errori tot medicamenta oppoſuit divina miſeratio, ut lex per pœnas medeatur contumacibus; Philoſophia per probationes ignorantibus; & Prophetia per revelationem divinam authoritatem venerari volentibus; ſenſus quoque experiri volentibus non ſolum teſtimonio accepto à reſurgentibus, & ab altera vita redeuntibus, ſed ab ipſis animabus ſuis ſeipſas, & à corpore & ab aliis abſtrahere volentibus, & ad ſeipſas ſe colligentibus. Hæ enim indubitanter ſentiunt ſe nihil habere cum morte, & ſeorſim ſe eſſe à regione mortis. Agnoſcunt etiam continuitatem ſuam ad fontem vitæ, & nihil eſſe interponibile ſibi & fonti vitæ, quod fluxum vitæ ſuper illas impediat, & avertat. Sed iſta experientia animabus inſenſibilibus, effuſis, atque diſperſis; & in corporibus propriis incarceratis eſt impoſſibilis. Qualiter ergo huic errori Philoſophia probationibus occurrat, docere in præſentibus tentabimus.

CAP. II.

NUnc jam noſti de doctrina Logicæ quod ſyllogiſmus non demonſtratio niſi cum fuerit ex propriis. Tranſcendentia enim & extranea cum aptata fuerint concluſionem cujus certitudo in quadam complexione & ordinatione ſyllogiſtica conſiſtit, non faciunt nobis ſcientiam demonſtrativam. Hujuſmodi tamen ſyllogiſmorum imperitia & defectus, & cognoſcendæ quoque veritatis aviditas cogit nos eſſe contentos. Propter quod prima radix eſt juſtitia creatoris, & judicium futurum quam radicem probationis immortalitatis animæ non nos primi, ſed ante nos alij poſuerunt. Siquidem ſi anima humana poſt vitam iſtam non viveret vanè hic & fruſtra Deo ſerviretur. Cum in vita iſta & religio plurimum ſui tormentum habeat & afflictionem poſt vitam iſtam, ſecundum hoc utilius eſſet animæ humanæ negare Deum omnino, & omni vanitati & voluptati ſe proſtituere, quam ſanctè & juſte vivere, & Creatorem debita honorificentia & devotione colere. Si enim non curat Deus cultores & veneratores ſuos, ubi ejus potentia ? cum nec in vita iſta propter hoc ſit eis niſi deterius, nec in alia melius ſit eis, cum alia non ſit futura poſt iſtam. Si autem non curat, ubi ſapientia ejus ac bonitas ? Aut enim ignorare, aut non amare videbitur amatores ſuos & veneratores : quorum alterum deſtruit ejus ſapientiam, alterum vero bonitatem. Hæc eſt igitur radix per quam conati ſumus aliquando oſtendere animæ vitam eſſe poſt iſtam. LIBRUM DE ANIMA INNUIT,

Alia radix erat nobis ipſa Dei juſtitia qua poſita neceſſe eſt futurum eſſe judicium: quoniam in hac vita nec mali recipiunt quod merentur, nec boni; quia & bonis hic male, & malis bene. Ubi ergo juſtitia Dei, cum utrique contraria meritis ſuis recipiant, ſi poſt iſtam vitam non eſt judicium, quod utique non eſt poſt iſtam vitam, ſi alia vita non eſt ?

Tertia autem radic ad idipſum uti ſolebamus, quæ eſt iſta omnis juſtitia exit in judicium, quam nec ignorantia meritorum, nec difficultas aliqua aut impoſſibilitas retributionis prohibet. Juſtitiam autem divinam aliquo iſtorum prohiberi vel impediri impoſſibile eſt. In judicium igitur illam exire neceſſe eſt, & in hac vita non exit ſicut à ſenſu dictorum exemplorum accepimus. Exibit igitur poſt hanc, & erit una vita poſt hanc

Hac etiam quarta radice uti ſolemus, hac videlicet quia ſapientiſſimus ac benigniſſimus Deus aliquid melius providit electis ſuis quàm vita iſta habeat, aut non; ſi non; ego per ſapientiam ipſam decepti ſunt, & maxime invenirentur erronei; & ſapientia duce deceptiſſimi; cum totum bonum ſuum contemnerent & abjicerent: ſoli vero mali ſapienter hic viverent vel caute agerent; cum ſoli bonum ſuum quærerent. Reſtat igitur ut aliquid melius quam habeat vita iſta electis ſuis & cultoribus Deus providerit? & hoc non in vita iſta, in alia igitur. Et ita eſt vita præter iſtam ſaltem animarum bonarum. Quare ſi nihil deterius præparavit Deus animabus malorum, quam habeat vita iſta, tunc non ſolum impune mali ſunt, ſed etiam bono ſuo mali ſunt, & ex malitia ſua eſt eis melius, quod divinæ bonitatis æquitas qualiter ſuſtinebit?

CAP. III.

NUnc autem ex propriis immortalitatem aſtruere tentabimus. Primum igitur ordinabimus radices quas à Philoſophis accepimus, &c. *ut in editione veteri.*

Obſerva præterea in hoc capite tranſpoſitionem eſſe notabilem ſiquidem quæ habentur in hac editione (quæ facta fuit juxta exemplar Venetæ) pag. 334. circa litteram H. in columna priori cum reliqua ſerie uſque ad columnam poſteriorem pag. 335. circa litt. B. reponi debent pag. 332. circa litteram G. in columna poſteriori.

Ad calcem codicis Carnotenſis leguntur argumenta capitum libri de Oratione ſeu de Rhetorica divina.

PRIMVS TRACTATVS DIVINALIS MAGISTRI GVILIELMI PARISIENSIS, SCILICET DE TRINITATE, NOTIONIBVS, ET PRÆDICAMENTIS IN DIVINIS.

PROLOGVS.

De modis cognoſcendi res divinas.

Tres modi cognoſcendarum rerum divinarum

OPORTET te prænoſſe in iſto ſacro & divinali magiſterio, tres eſſe cognoſcendi modos in hoc conſiderationem facientibus.

Primus Prophetia ſive revelatione. Secundus virtute; propter quod dixit Ariſtoteles, quia metaphyſica plus eſt virtus quam ars. Et per iſtos duos modos ſcientia divinalis, non ſicut ars, aut diſciplina, ſed ſicut lex tradita eſt. Quia primus cognitionis modus, quo propheticæ revelationi creditur, eſt convenientior. Et ſecundus, quo per obedientiam fidei ſuper ſenſum humanum cognoſcitur, ſalubrior: Authoritate enim prophetica & eruditis & ineruditis conſulitur; & obedientia intellectus, quæ fides eſt, divinæ authoritati gloria ſua redditur, dum ſenſus humanus obedientia fidei eidem ſubjicitur. Tertius modus eſt qui per viam probationis & inquiſitionis acquiritur: quem modum ideo divina authoritas non elegit; quia per ipſum non niſi eruditorum conſuli poteſt erroribus. Vulgo enim per viã probationũ ſatisfieri non poteſt.

Primus igitur modus Prophetarum eſt: Secundus legi divinæ ſubditorum ſimplicium. Et primus quidem è duobus modis cognoſcitur divinitus; hoc eſt divino munere. Tertius vero eſt Philoſophantium, & ex toto cum ipſis agendum ſuſcepimus, non quia fides hujuſmodi videlicet ſuaſa & exorta probationibus apud dominum meritum & gratiam non habeat; ſed morem eis gerentes juxta conſuetudinem eorum eis ſatisfacere conabimur: quantum nos in iſta parte adjuvare fuerit divinæ dignationis largitio, quantum peccata aut noſtra, aut eorum non impedient, quantum occupationes permittent, quantum ipſa noſtra parvitas pro ipſarum rerum magnitudine & difficultate valuerit. In aliis ergo doctrinis & diſciplinis ſcias exerceri paleſtram ingenii, & philoſophiæ tyronum quaſi quædam geri prælia. Hic autem periculoſiſſimum bellum agitur contra errores impietatis; & glorioſa victoria inde corona gloriæ perennis ſperatur. ſi ſaluberrima veritas velut de manibus contradicentium impiorum emittatur. In aliis velut ferrum, plumbum, & aurichalcum effoditur; hic opes ſuperlativè & theſaurus pretioſiſſimus invenitur, qui ſolus ditare ſufficiat poſſeſſores.

Modus quẽ author ſequi debeat.

Comparatio.

Inventio divinæ veritatis reges facit.

Cæterorum venatione ignobilis præda capitur, & quæ ad hujuſmodi comparationem nec venatio dici debeat. Hic regnum veritatis acquiritur debellatis erroribus. Si quidem ſola rerum divinarum veritas inventores ſuos reges efficit, & aliorum rectores. Huic theſauro effodiendo velut ligones & foſſoria, & inſtrumenta inveniendi parat logica: Huic prædæ capiendæ, ſeu venandæ probationum parat venabula, texit retiacula. Huic regno expugnando fabricat, & acuit ſyllogiſmorum tela.

CAPUT I.

Quod ens de aliquo dicitur ſecundum eſſentiam, & de aliquo dicitur ſecundum participationem.

SCito quod ens & eſſe multiplices habent intentiones: & quod non eſt eis ratio, vel diffinitio, ſicut doceberis in ſequentibus. Videntur autem ſimiles habere intentiones eis quas aſſignant ei quod eſt bonum: bonum namque dicunt, aut ſubſtantia, aut participatione; quemadmodum color albus ſubſtantia, ſive eſſentialiter dicitur; eò quod eſſentia ejuſdem ſit albedo. Superficies vero alba dicitur participatione; in habendo ſivè participando albedinem, non in eſſendo albedo ipſa. Sic & bonum eſſentialiter dicitur, eo quod ejus eſſentia ipſa bonitas eſt; qua dicitur bonum: aliud vero participatione in habendo vel participando bonitatem quæ ipſa eſſentia participantis non eſt adhuc. Ad hunc modum & ens cujus eſſentia eſt ei eſſe, & cujus eſſentiam prædicamus cum dicimus eſt; ita ut ipſum & ejus eſſe quod aſſignamus cum dicimus, eſt ſint res una per omnem modum. Aliud vero dicitur participatione in habendo ſcilicet quod nullo modo eſt idem cum eſſentia ipſius ſubſtantiæ entis.

Album, bonum, & ens aliud per eſſentiam aliud per participationem,

De hoc ergo legis in libro de hebdomadibus Boetij, quoniam omne eſſe ſimplex eſt eſſe ſuum & id quod eſt unum habet; alioquin ſimplex ipſum partibile eſſet in participans & participatum cum aliud eſſet ens ipſum, aliud ejus eſſe: Eſſent igitur participans & participatum quaſi conjunctum ex illis duobus, hoc eſt ipſum ens non eſſet ſimplex.

Probat authoritate Boetij de ente.

in ultimo. Hanc etiam diviſionem bene leges in eodem libro, ratio autem quæ cogit ita eſſe hæc eſt; omne enim quod de quocumque dicitur, aut eſſentiale eidem eſt, aut accidentale: hoc eſt aut eſſentia, aut de eſſentia, quæ eſt pars eſſentiæ, aut vero præter eſſentiam, & hoc eſt quod vocamus accidentale quod quæ ſecundum participationem haberi & dici, dicimus: Ens igitur de unoquoque, aut ſubſtantia, aut participatione dicitur. Dicitur autem de quodam ſubſtantialiter, de quodam participatione dicetur: & quoniam non poteſt dici de unoquoque ſecundum participationem, neceſſe eſt ut de aliquo dicatur ſecundum eſſentiam.

Et ratione

Si enim ſecundum participationem de unoquoque diceretur, nullus ſubeſſet intellectus eidem, eo quod nunquam finiretur. V. g. ſi nunquam diceretur bonum, niſi ſecundum participationem, nulla eſſet intentio hujus nominis bonum; bonum namque dicitur quid ſecundum hoc in habendo bonum quod eſt bonum. Si eſt ipſum habens, erit igitur, A, bonum in habendo bonum quod eſt, B: Sed rurſum B, eſt bonum in habendo bonum quod eſt A, nec bonum quod eſt C: Si B, eſt bonum in habendo A, erit igitur A, bonum in habendo habens A. Erit igitur bonum participatione participante ipſum A. Bonitas igitur ipſius A, cauſa erit ſuæ cauſæ, erit enim ſecundum hoc cauſa bonitatis ipſius, B, B, cauſa erit bonitatis ipſius A; A, enim bonum erit in habendo bonum quod erat B: quare idem eſt cauſa ſuæ cauſæ, & dabit danti ſibi prius naturaliter quam ipſum habeat quod det; prius namque ipſi dabit quam recipiet ab eodem. Quare neceſſe prius recipere bonitatem ipſum A, quam dare, prius igitur recipiet quam det ipſi A, prius igitur habebit bonitatem ipſum A, quam B. Et è converſo. Hoc autem manifeſtè impoſſibile eſt & frivolum.

Ens non poteſt dici de unoquoque ſecundum participationem

Reſtat igitur ut B, ſit bonum in habendo bonum quod eſt C, & hoc ibit in infinitum. Eſt igitur complicata, & involuta infinitas participatorum, & participantium in intentione hujus nominis bonum; eſt enim dicere bonum habens bonum. Explana igitur bonum ſecundum, & erit intentio habens bonum, bonum: & hoc erit in infinitum. quare relinquitur nihil hujus nominis bonum, niſi ipſum habens infinities replicatum; & hæc infinitas non figit, nec finit intellectum. Quod ſi dixerit quis, quod relinquitur aliquid in intentione hujus nominis bonum, propter hoc quod dicitur habens infinities, manifeſtum eſt hoc eſſe falſum, eo quod nihil cadat in intentione ejuſdem, niſi participans & participatum, & hoc eſt habens, & bonum; ſed claudit in intentione ſua hoc ipſum habens: cum nunquam niſi ſecundum participationem dicatur: quare bonum non eſt reſiduum ab eo quod eſt habens, ſed eſt tota intentio habentis, & boni. Poſito igitur hoc, quod omne bonum participatione ſit bonum, infinitum eſt; & nihil quod bonum dicitur: palam ergo eſt quod de aliquo dicitur ſecundum eſſentiam: per hanc eandem viam monſtrabitur, quod ens non poteſt dici de unoquoque ſecundum participationem: quare neceſſe eſt ut de quodam dicatur ſecundum eſſentiam, ut finiatur intentio & intellectus ipſius.

Idem probat ex eo quod non detur proceſſus in infinitum.

Scito autem quod modi dicendi quos diximus, videlicet modus dicendi ſecundum eſſentiam, & ſecundum participationem neceſſario ſequuntur. Modus enim dicendi ſecundum eſſentiam, & ſecundum participationem, ut oſtendimus, ſine altero eſſe non poteſt, ſicut neque participans inquantum participans eſt poteſt eſſe ſine participato. Ad hunc modum, modi dicendi per ſe, & per accidens ſibi invicem obligati ſunt, ſed modus dicendi per accidens ſolus eſſe non poteſt ullo modo; non enim poſſibile eſt, ut aliquid dicatur de aliquo ſecundum accidens, & de nullo dicatur per ſe; ſubjectum namque per accidens, totumque extraneum eſt, & non proprium ſubjectum. Si enim proprium eſſet ei, deberet eſſe prædicatum per ſe; quia eſſet per ſe ipſum proprium illius propoſitionis ſubjectum, & non ſecundum accidens. Si vero extraneum eſt, & non proprium ſubjectum, tunc aliud eſt prius, & proprium; & hoc eſt quod dicitur per ſe ſubjectum, de quo prædicatum per ſe dicitur: V. g. cum album non ſit proprium ſubjectum ejus quod eſt ſanare, ſed dicatur de eo ſecundum accidens, & non primo, erit neceſſario aliud de quo per ſe & primo dicetur: & hoc erit primum & proprium ejus paſſionis, quod eſt ſanare ſubjectum; quia modus dicendi qui eſt per accidens ſolus eſſe non poteſt, ſicut neque paſſio abſque proprio & primo ſubjecto.

Modus dicendi ſecundum eſſentiam & ſecundum participationem ſe conſequuntur.

Ut & modi dicendi per ſe & per accidens.

Similiter modus dicendi ſecundum quid non poteſt eſſe abſque modo dicendi ſimpliciter, & ſi de nullo dicitur ſimpliciter, impoſſibile eſt quod de aliquo dicatur ſecundum quid; niſi enim de primo diceretur ſimpliciter, ſecundum quid diceretur de toto; quia ſi ſecundum quid diceretur de illo, non eſſet illud dignius prædicatum de toto, quam ſecundum ipſum, poſtquam non magis de illo dicitur quam de toto; cum de utroque dicatur tantum ſecundum quid Non ergo verum eſt ut de toto dicatur ſecundum quid, niſi, de eo, ſecundum quod de toto dicitur, dicatur ſimpliciter. Cum ergo aliquem trium iſtorum modorum in aliquo reperis, neceſſe eſt, ut primum unde etiam dividitur modum reperias in eodem; alioquin ſecundarius modus ſtare non poteſt, ut oſtendimus; eo quod primitivi velut radices, & fundamenta ſunt aliorum quos jam nominavi ſibi ſecundarios.

Modus dicendi ſecundum quid non poteſt eſſe abſque modo dicendi ſimpliciter.

CAPUT II.

Quod illud quod habet eſſe ſecundum eſſentiam eſt incauſatum.

OPortet autem te ſcire, quia eſſe duas habet intentiones, & una earum eſt reſiduum à circumveſtione & varietate accidentium, & hoc eſt propriè quod nominatur eſſentia, ſive ſubſtantia, & accipitur in intentione hac cum hujuſmodi determinatione intentio quæ eſt eſſe omne, vel aliæ, & ſignificat illud ſolum quod diffinitiva oratione ſignificatur ſive nomine ſpeciei. Hoc igitur eſt quod dicitur ſubſtantia rei, & ejus eſſe, & ejus quidditas: & hoc eſt eſſe, quod diffinitio ſignificat, & explicat, & hoc ipſum dicitur rei eſſentia. Secunda autem intentio hujus quod eſt eſſe, eſt illud quod dicitur per hoc verbum, eſt de unoquoque, & eſt præter uniuſcujuſque rationem. In nullius autem ratione accipitur eſſe, quidquid imaginati fuerimus, ſive hominem, ſive aſinum, ſive aliud, ut in ratione ejus eſſe intelligamus; eo ſolo excepto de quo eſſentialiter dicitur: ejus namque eſſentia niſi per ipſum eſſe intelligi non poteſt, cum ipſa, & ejus eſſe omnimodo ſint una res.

Duplex eſſe [illegible]

Eſt & alia via ad oſtendendum illos duos modos dicendi, ejus quod eſt eſſe duarum intentionum, quas jam declaravimus omne namque quod eſt, aut ipſum eſt ſibi ipſi eſſe, aut aliud eſt ei eſſe: hoc autem eſt dicere, quia quod dicitur de unoquoque per hoc verbum eſt, aut eſt idipſum, aut aliud: In unoquoque autem in quodam idipſum, in quodam vero aliud. Si vero unicuique aliud eſt eſſe quã ipſũ, ſic tunc neceſſe ut circulariter ſit, vel ſecundũ rectũ; & erit hoc in infinitum. Si circulariter, erit ergo A, eſſe ſcilicet ipſi B, & B, ipſi A: A, ergo erit eſſe

[illegible] ratione.

ipſi ſuo eſſe : quare prius erit ipſi ſuo eſſe , & ita præcedet in eſſendo ipſum ſuum eſſe , & prius habebit eſſe, quam ipſum ſit.

Probat idẽ quia ſic eſſe eſſet prius & poſterius ſeipſo.

Accidit autem etiam quod ex hoc quod ipſum eſt cauſa eſſendi ipſi ſuo eſſe , & è converſo , ſic accidet etiam ipſum eſſe prius ipſa cauſa eſſendi: quare erit prius priori ſe , multo fortius erit prius ſe ipſo , & poſterius una & eadem conſideratione, quoniam totum hoc erit in quantum eſt : & inquantum enim eſt , non eſt niſi prius A , & hoc non eſt niſi inquantum B : non enim B, eſt cauſa eſſendi ipſi A , niſi inquantum B eſt , ſed neque ipſum niſi per A , & ita non niſi inquantum ipſum A , eſt. Quare A non erit, niſi quia ipſum eſt , & inquantum ipſum eſt : & ita idem erit cauſa ſui ipſius , & prius & poſterius ſe ipſo , inquantum ipſum eſt, quod non eſt niſi una conſideratio. Quod ſi fuerit non ſecundum rationem, ut B, ſit eſſe ipſi A, & ipſi B , ipſum C, & hoc finem non habet , accidet ex hoc omne eſſe, & infinitum eſſe , & non claudi , neque finiri cogitatione , neque loquela ulla , eſſe namque ipſius A , eſt ipſum B, non abſolutè & præciſè , neque in quacumque conſideratione , ſeu intentione ſed inquantum ens ; non enim ipſo poteſt A , eſſe niſi inquantum ipſum , jam ens. Igitur eſt eſſe ipſi A , inquantum ipſum B , eſt jam habens eſſe, quod eſt dicere jam habens C : ut igitur explicemus eſſe ipſius, dicemus quod ipſum jam habens, & in quantum habens C, eſt eſſe ipſi A: C ergo erit eſſe ipſi B per modum eſſendi, inquantum ſcilicet jam habens eſſe quod eſt D; eſſe ergo ipſius A , eſt B , habens C , C , dico habens D , & de ipſo D , adhuc eadem reſtat explicatio. Quare nondum eſſe ipſius A , explicatum ſive explicitum eſt. Non habebit igitur finem explicatio hujuſmodi : quare nec eſſe eſt ipſius A : eſſe igitur ipſius A , eſt infinitum : quare non conſequitur ipſum cogitatio, neque loquela. Hoc autem totum eſt , quia in ente A , intelligitur ens B , & in ente B , ens C , & hoc finem non habet. Nec aliter intelligitur ens B , niſi infinita illa complicatio , & convolutio intelligatur. Vel igitur in intellectu noſtro capietur, & claudetur infinitas , quod impoſſibile eſſe ſentit apud ſe intellectus : vel impoſſibile erit aliquod eſſe intelligi, cum eſſe ſecundum hoc infinitum ſit. Nos autem cum eis qui intellectum , & finitionem , ſive fixionem intellectus deſtruunt , eoque philoſophandi viam obſtruunt, & ſcientiæ ipſius principium , & radicem , quæ verè verus eſt intellectus , deſtruunt , dum infinita & inintelligibilia ponunt , & ineffabilia , diſputationem nullatenus aggrediemur, dimittentes eos ire in adinventionibus ſuis , videlicet in immenſum erroris, & tenebras infinitatis & incertitudinis ponentes. Quare neceſſitas intelligendi ponere cogit , videlicet quod eſt , de quodam dicitur ſecundum eſſentiam, & de quodam non ſecundum eſſentiam. Similiter & ens Et faciemus ſciri quod omne illud de quo dicitur ſecundum eſſentiam eſt non cauſatum, cauſatione formata intellige, quam ſolam viderunt Philoſophi, non enim viderunt cauſationem effectivam intimam , de qua aliquid infra loquimur : Hæc enim eſt quam infra deſcribimus, & quoniam de omni creato neceſſe eſt ut dicatur non ſecundum eſſentiam.

Cuius eſſentia eſt eſſe non eſt cauſatum cauſatione formata. Philoſophi non cognovere cauſationẽ effectivam intimam.

Primum autem id rememorandum eſt quia nomina quæ ſecundum eſſentiam dicuntur, illa propriè nomina ſint ; ſola illa namque nominant : accidentalia vero non nominare , ſed denominare proprie dicuntur : Ex. g. hoc nomen homo eſt proprium ſpeciei , & rationi omnium hominum ; unde nec minus dici debet , nec unum eorum propriè nominari : Albus vero nullius nomen eſt, ſed neque album nominari , immo denominari dicitur : per hoc ergo dicendum eſt , quod hoc nomen homo nominat , & propriè nomen eſt : albus vero rectè eſſe nomen non poteſt, ſed magis denominatio.

Accidentalia non nominant ſed denominãt.

Redeamus ergo , & dicamus , quia poſtquam ens de quodam dicitur eſſentialiter ipſum eſt proprium nomen ejus, de quo eſſentialiter dicitur , & propriè nominat ejus eſſentiam , per quam eſſentiale eſt ſive unius, ſive multorum communiter : de illo igitur dicitur ſecundum veritatem, quia ſecundum eſſentiam , ſive ſubſtantiam, quæ in unaquaque re veritas ejuſdem rei dicitur. Item inſeparabile ab eodem ; quoniam de primo dicitur eſſentialiter, nec actu , nec ratione eſt ſeparabile ab eodem : ſive enim eſſentia illius ſit de quo dicitur, ſive pars eſſentiæ , inſeparabile eſt actu, & ratione ab eadem . eſſentiale autem eſt quod vel ipſa eſſentia tota , vel pars eſſentiæ ejus cui eſſentiale dicitur : quare manifeſtum eſt quoddam eſſe , quod non ſolum impoſſibile eſt non eſſe, ſed etiam intelligi non eſſe.

Eſſe de ſolo Deo dicitur ſecundum veritatem.

Et ab eo inſeparabile eſt.

Item quoniam affirmatio non ſolum non eſt ſuſceptibilis negationis , ſed etiam intellecta negatione alicujus circa hoc affirmationem fieri, inintelligibile eſt , palam eſt quod ens hujuſmodi negationem eſſentiæ ſuæ ſuſcipere impoſſibile: qua de cauſa ens hujuſmodi non ens , ſeu non eſſe intelligere etiam impoſſibile eſt Quoniam autem omne cauſatum , intellige cauſatum quale declaravimus , & cauſa ſimiliter habet eſſe acquiſitum , & de non eſſe eductum per cauſam ſuam in eſſe : neceſſario circa omne cauſatum ſunt eſſe & non eſſe , quoniam eſt in ipſo : non enim eſt prohibens à ſe ipſo ſuum non eſſe, nec eſt dans ſibi ipſi ſuum eſſe , ſed eſt ſuſtinens & recipiens illud. Eſt igitur potentiale & ſuſceptibile utriuſque quoniam in ipſo eſt.

Solus Deus eſt quem impoſſibile eſt intelligi non eſſe.

Qua de cauſa hujuſmodi eſſe de quo ſcilicet eſſe ſecundum eſſentiam dicitur , non eſt creatum , cum ipſum ſecundum ſe non ſit receptibile affirmationis & negationis eſſendi , ut diximus , ſed ſic ipſum ſuum eſſe, ſe & per ſe oppoſitum ipſi ſuo non eſſe , quemadmodum affirmatio ſuæ negationi , & ideo non ſit receptibilis illius , nullum enim oppoſitum receptibile eſt ſui oppoſiti, inquantum id oppoſitum eſt eidem. Amplius autem quoniam affirmatio non habet eſſe vel fieri circa negationem vel negatione ; cum enim in eodem ſe nullatenus compatiantur, multo minus altera patietur alteram in ſeipſa.

Illud ens de quo eſſe ſecundum eſſentiam dicitur non poteſt eſſe creatum.

Aliud eſt ergo eſſe circa quod vel in quo habent fieri & eſſe affirmatio & negatio , ab ipſa negatione & affirmatione. Aliud eſt igitur cauſatum ab ipſo ſuo eſſe & ab ipſo non eſſe , aliud enim neceſſe eſt eſſe ſuſceptibile ab ipſo quod ſuſcipitur & aliud acquirens ab ipſo quod acquiritur : quare omne cauſatum aliud eſſe à ſuo eſſe neceſſe eſt. Quod igitur idem eſt cum ſuo eſſe neceſſario eſt non cauſatum.

CAPUT III.

Quòd illud eſt ens omnino ſimplex à circumveſtione accidentium alienum.

IAm incipit elucere ens eſſentiale eſſe neceſſe æternum, & incorruptibile, non cauſatum [cau-

Deus neceſſario æternus.

ſatum autem intellige non à forinſeco cauſante, forinſeco, id eſt non communicante cum eo eſſentiam, & ideo non cauſante de eſſe & per ſe ſolum, cujus cauſationem perfectam vocamus] ideoque ingenitum & ſimplex in ultimo ſimplicitatis hoc eſt per omnem modum. Si enim quocumque modo compoſitum aut reſolubile eſſet, neceſſario & cauſatum eſſet; omne namque compoſitum cauſatum eſt partium componentium, & ipſius compoſitoris qui eſt conjunctor & ordinator partium in ipſo compoſito

Ingenitus ſimplex.

In ſequentibus multiplici via ad cognitionem hujuſmodi eſſe deducimus te, cum de eſſe potentiali & acquiſito loquimur: interim ergo teneamus quod hoc ens primum & eſſe primum quod non eſt prius neque altius; quia ſi fuerit eo prius, aut altius, erit neceſſario ſimplicius & cauſa iſtius. Priora namque ſunt cauſæ ſequentium, ſi fuerint priora in eodem ordine: ideo autem oſtendimus ipſum non eſſe cauſatum, ſi nemo fuerit altius & prius eo. Alterius ordinationis eſſe frivolum eſt & vanum, cum prioritas & poſterioritas ſimplex ejuſdem ordinis dicantur: hoc autem jam eſſet ei quaſi è regione. Nos autem faciemus ſciri in ſequentibus quia nec eſſe, nec ens eſt huic è regione, & quoniam non eſt ordo, nec ordinatio niſi qui incipit ab ipſo, nec terminatur in ipſo.

Primum & altiſſimum omnium entium.

Clarum etiam jam tibi ex iis quæ præceſſerunt quoniam eſſe iſtud & ens illud eſt ſpoliatiſſimum; quoniam non eſt ei circumveſtio eſſentialis ulla, hæc autem circumveſtio compoſitio eſt, nos autem compoſitionem omnem & cauſationem jam ab eo prohibuimus eſſentialem: vel circumveſtionem voco quale eſt in ſpecie quæ continet eſſentiam generis ſui circumveſtitam diverſis accidentibus. Quod ſi quis dixerit quod hujuſmodi eſſe non eſt prohibitum, quoniam debeat eſſe circumveſtitum varietate & decore accidentium. Scire debet quod inter accidentia & hujuſmodi eſſe neceſſario ſunt ſubſtantiæ ordine eſſendi, quare accidens natum eſt, conjungi hujuſmodi eſſentiæ, ſive hujuſmodi eſſe, cum inter ipſa ordine eſſendi neceſſario intercedant ſubſtantiæ. Ex. g. accidentia quæ nata ſunt fieri in ſocrate & poſt ſocratem ſunt, impoſſibile eſt conjungi ſpeciei, vel generi ſuo quo ſocrates eſt, & hoc eſt quoniam ſocrates intercedit qui conjunctionem iſtam recipit, & à remotioribus prohibet.

Ens primum ſpoliatiſſimum eſt ab omni circumveſtione.

Cauſa autem in hoc eſt, quoniam accidens exigit ſuæ congruentiæ & ordini ſubjectum quanto proximius poteſt ideo primo & ſecundario eſſe nullum accidens conjungibile eſt propter nimiam remotionem & diſcrepantiam ipſorum in eſſendo, cujus exemplum eſt quoniam ſcientia non eſt nata fieri in corpore, nec albedo in anima: fiet autem hoc manifeſtius cum de eſſe accidentibuſque loquemur in ſequentibus.

Accidentia in primo & ſecundario eſſe conjungi non poſſunt.

CAPUT IV.

Quod illud ens eſt unum & nullomodo commune.

Deus non eſt aliquid commune.

QUoniam autem jam patefecimus in his quæ præceſſerunt, quia hujuſmodi eſſe de quo locuti ſumus ſimplex eſt, & in ultimo ſimplicitatis, & ſpoliatum ab omni circumveſtione eſſentiali palam debet eſſe ipſum eſſe commune nullomodo. Non enim poteſt eſſe commune eſſentiale, quia tunc eſſet aut genus, aut ſpecies, aut differentia, ſed unumquodque iſtorum reſolubile & veſtitum veſtitione eſſentiali, & compoſitum: unumquodque iſtorum autem difficile eſt; nam explicabile aliter non eſt, non eſt ergo aliquomodo iſtorum modorum trium: quod ſi fuerit commune accidentale, tunc erit magis cauſatum, & non erit primum eſſe, ſed omnium eſſentiarum & omnium infimum eſſe atque debiliſſimum, hic enim manifeſtus eſt ordo & modus eſſendi accidentis.

Amplius in eo quod eſt unum, & ſimplex, per omnem modum in ultimo unum, multitudinem non eſt reperire, multitudinem dico eſſentialem, quia eſt reperire multitudinem aliam quam verbis ſibi congruentibus vocamus perſonalem, quam ſtabiliemus in ſequentibus unitione eſſentiali: Per hunc ergo modum erit res in omnibus iis communibus. Jam autem oſtendimus quoniam ens per eſſentiam unum eſt per omnem modum, & impartibile, hoc eſt ſimplex in fine ſimplicitatis: neceſſe eſt ergo ipſum non eſſe commune & eſſe unum numero, & hoc aliquid. Si enim ex hoc quod ipſum eſt ens per eſſentiam ipſum eſt indiviſibile & impartibile per omnem modum, univerſalitas autem prohibet hujuſmodi impartibilitatem impoſſibile eſt igitur ipſum eſſe univerſale ſive commune, quia neceſſe eſt ipſum eſſe ſingulare & hoc aliquid.

Sed quid unum numero.

Amplius omne commune eſſentiale prius eſt ordine eſſendi quocumque ſuo particulari & ſpoliatius illo, & cauſa ipſius & pars eſſentiæ particularis inquantum particulare. Jam autem oſtendimus illud quod eſt hujuſmodi non habere ſupra ſe ſpoliatius, neque cauſam, quæ prius ordine eſſendi præcedit. Quare non eſt poſſibile, quod aliquid quod ſit ens per eſſentiam, ut diximus, ſit ordinatum & numeratum ſub communi eſſentiali quocumque: ens igitur per eſſentiam non eſt commune eſſentiale ſub quo ſit multitudo ordinata poſt ipſum, & numerata ſub eo. Quia ergo commune eſſentiale eſt, quoniam ens dicitur ſecundum hanc intentionem per eſſentiam ſingulare & incommunicabile erit multitudine eſſentiali. Item quoniam uni prima numeri unitas eſt, non unitas ratione, quoniam ipſa perſonaliter multiplex eſt, & potentia multitudo. Propter hoc igitur impoſſibile eſt primum unum eſſe communicabile: debet enim primum unum eſſe & actu & poteſtate indiviſibile, non actu ſolum: primum igitur unum non poteſt non eſſe actu ſolum numero indiviſibile: debet igitur & actu & poteſtate eſſe indiviſibile: non poteſt igitur eſſe numerabile ſive commune. Præterea omne unum refertur ad unum numero ſicut omne: idem igitur unum numero eſt primum unum, igitur præcedit aliud omne unum: præcedit ergo omne unum ratione tantum: quare primum unum præcedit omne communicabile ſive commune: non igitur eſt ſub aliquo univerſali, ſive communi; quod enim ſub quocumque communi ſive communicabili, neceſſario eſt poſt ipſum: unum igitur communicabile ſive commune dicitur de uno primo, quod eſt unum & indiviſibile per omnem modum; ſed ens per eſſentiam oſtendimus jam dici de illo: igitur ens per eſſentiam non eſt commune ſive univerſale.

Nec poteſt ordinari & numerari ſub communi eſſentiali quocumque.

Unum de Deo dicitur non eſt commune ſed ut eſt indiviſibile per omnem modum

Si quis igitur inſtare voluerit dicens ſecundum hoc, quoniam igitur ſingularia, quæ ſunt numerata ſub quocumque communi, & ordine poſt ipſum, debent præcedere ipſum eſſe commune, eo quod illa ſint unum numero, illud vero unum ratione: ſcire debes hujuſmodi una adunata eſſe, & non eſſe una uſquequaque: nos autem dicimus de primo uno nonadunato per modum aliquem, & quo nec actus nec intellectus invenit ſimplicius. Dico etiam quod nihil prohibet una numero adunata poſteriora eſſe aliquibus eorum quæ ſunt una ratione: hoc autem eſt, quia ipſa concreta habent in ſe multitudinem præter totam eſſentiam ſive rationem ſui communis, & ideo multiplicatiora ſunt, & compoſitiora ſuo communi. Nos autem jam oſtendi-

mus neque commune neque ſingulare eſſe ſpoliatius uno primo poſt quod non eſt unum altius aut ſimplicius.

Tertiam affert præcedenti objectioni ſolutionem.

Addemus & aliam manifeſtationem. Ad hoc ergo dico quia ſi fuerit multitudo eſſentialiter ſub hujuſmodi eſſe, neceſſum eſt, quod unumquodque multitudinis eſſe ſit ſpoliatum: Jam enim manifeſtum eſt ex iis quæ præceſſerunt, quoniam omne quod eſt ens per eſſentiam, ſpoliatum eſt; ita ut non ſit ſpoliatum eo prius aut altius: quare unumquodque iſtius multitudinis erit æque ſpoliatum ipſi communi ſuo quod eſt ens per eſſentiam: & hoc ipſum impoſſibile eſt, cum niſi ex nova alia additione commune judicari non poteſt; ſi enim abundat in nullo unumquodque multitudinis, erit æque ſpoliatum ipſi communi ſuo, quod eſt ens per eſſentiam, in quo unita ſunt: tunc quemadmodum non differunt ſecundum ipſum commune, neque ſecundum ſe adinvicem differunt. Item quoniam ſecundum hoc unumquodque erit idem per omnem modum cum ipſo communi poſtquam nullum eorum abundat in aliquo ab ipſo communi: igitur & ad invicem erunt eadem per omnem modum Si idem in nullo abundaret ab eo quod eſt homo, profecto idem eſſent per omnem modum, cum differre non poſſit ab eo niſi per ſuperabundantiam, vel additionem.

Solutio alterius objectionis.

Quod ſi dixerit quis, conditiones, & circumveſtiones accidentales addi ipſi communi, & per eas fieri multitudinem in effectu ſub ipſo communi; quamquam ipſum jam prohibuimus, ſcilicet veſtiri hujuſmodi eſſe conditionibus accidentalibus; accidit inde unumquodque in ſua ſingularitate eſſe potentialiter, & non per eſſentiam, cum ejus eſſe ſit concretum & adunatum ex ipſo communi, & conditionibus illis. Jam enim patefecimus omne eſſe adunatum ex multitudine, non eſſe per eſſentiam, & erit ibi eſſe acquiſitum, ſcilicet ſingulare & individuale; & per hanc viam oportebit omne eſſe ſingulare eſſe acquiſitum Hujus autem facilis eſt deſtructio, quoniam eſſe ſingulare non poteſt acquiri niſi per eſſe ſingulare; commune enim inquantum commune eſt non facit eſſe debere eſſe ſingulare; neceſſe enim habet novam additionem, qua perveniatur ab ipſo deſcendendo ad eſſe ſingulare, quod non poteſt aliter acquiri niſi per eſſe ſingulare. Quare aut erit circulus, aut ibit in infinitum. Circulum autem in ſupradictis jam deſtruximus, infinitum vero ſecundum rem infra deſtruemus loco ſuo. Non omne igitur eſſe ſingulare acquiſitum eſt; omne autem eſſe ſingulare quo prius eſt eſſe commune acquiſitum eſt, ut oſtendimus ex novis conditionibus quæ ipſum eſſe commune individuant; ergo aliquod eſt eſſe quo non eſt prius eſſe commune, quare nec ſub ipſo. Certum eſt autem quod ipſum eſt ens per eſſentiã, cum ipſi non ſit acquiſitum ſuum, id eſt eductum de potẽtialitate, ſive de poſſibilitate in effectum: & hoc eſt quoniam ex primo cauſante, cauſatum, inquam, cauſatione perfecta, neceſſario eſt purus actus, immixtus potentialitati, & imperfectioni, cum ſit pure ex puro actu, mixtum vero impoſſibile ſit eſſe ex uno puro, † & ex illo purè. Igitur ens per eſſentiam non eſt commune.

Neceſſe eſt eſſe aliquod eſſe ſingulare primum omnium.

† & ex alio puro.

Jam igitur certum debet eſſe tibi, quod ens per eſſentiam ſingulare primum eſt, & quod non eſt ei commune eſſentiale ſuperius ipſo, quoniam ſecundum hoc ſingularitas ipſius eſſet acquiſita, & eſſet ei potentialis, & ita non eſſet ens per eſſentiam ſecundum omnem ſuum modum, neque unum in fine unitatis. Si autem ſingularitas ſua eſſet ei acquiſita, tunc non ejus ſingularitas eſſet prima, & hoc eſt; quoniam commune non eſt ſufficiens, ut per ipſum acquiratur, vel ſibi vel alij ſingularitas: quare non eſſet ſingularitas ejus acquiſita, niſi per ſingulare, cujus ſingularitas præcederet illam. Eſſet etiam ſecundum hoc omnis ſingularitas acquiſita, ſi nulla eſſet prima: Ex quo accideret nullam eſſe acquiſitam; eo quod non inveniretur origo certa, & radix ſingularitatis, & appropriationis. Univerſale etiam ſive commune præcederet verè unum, & eſſe potentiale, quod eſt eſſe commune, præcederet etiam actu & in effectu quod eſt ſingulare.

Enti quod eſt ſingulare primum nihil eſt commune eſſentiale ſuperius.

Item quia vera unitas eſt non adunata ex multitudine per aliquem modum: manifeſtũ autem eſt, quoniam non eſſet adunata ex multitudine, niſi eſſet vera multitudo, niſi eſſet & vera unitas. Verum autem unum non habet ſupra ſe cõmune, quod jam claruit ex dictis; omne namque ſingulare quod eſt ſub communi vel poſt commune habet adunatam unitatem ex ipſo communi, & conditionibus quibus individuatur. Neceſſe eſt autem reſolutionem omnem & diviſionem finem habere, alioquin non finiretur intellectus: ſi enim multitudo reſolveretur in multitudinem, & hoc finem non haberet, nec ipſe intellectus interius figeretur in multitudine; ponit enim intellectus radicem multitudinis unitatem, & in ea terminatur numerus multitudinis: Multitudo namque non eſt nata figere in ſeipſa, ſive terminare intellectum, ſed inquantum ipſa terminatur in unitatem.

Multitudine prior unitas.

Similiter & reſolubile non figit aut finit intellectum ſed inquantum finitur vel atomis ſuis. Multitudo igitur reſolventes ducit ad veram unitatem quæ non dividetur per aliquem modorum, & reſolutio ad veram atomum quæ non reſolvitur. Impoſſibile eſt autem terminum diviſionis aut reſolutionis, eſſe communem multitudinem: quia commune illud aut haberet ſingulare ſub ſe, & poſt ſe, aut non: ſi ſic, quidquid de communi diceretur, & de ipſo ſingulari: quia ſingulare quod eſt poſt commune, & ſub eo eſſet terminus ultimus multitudinis & reſolutionis. Nos autem jam prohibuimus iſtud: namque ſingulare quod eſt ſub communi neceſſario reſolvitur in ipſum commune, & id quod abundat à ſuo communi, ſive id ſit eſſentiale quo abundat, ſive non; ſi autem non eſt ei ſingulare ſub ipſo, igitur ipſum non eſt commune, & hoc eſt quod nos intendebamus, ſcilicet primum unum ſpoliatum non eſſe ſub communi ullo eſſentiali.

Diviſionem & reſolutionem non poſſe terminari ad aliquid commune.

Quia igitur de illo dicitur ens per eſſentiam ſecundum hanc intentionem, ſingulare eſt & proprium nomen ejus quod quærimus. Hoc igitur, non fruſtra ſe nominavit. Exodi 4. ad Moyſem, *qui eſt*, quod teſtimonium fieri ſufficit ad certitudinem eorum quæ diximus. Similiter Sapientiæ 13. nominatur, *qui eſt*, & Job ad ipſum dicit, *tu enim ſolus es*. Hoc ergo unum eſt eo modo quo diximus: ipſe namque ſolus eſt eſſentialiter, frequenter autem ipſum Deum & dominum univerſi, ſive Deum & dominum ſæculorum: ſed iſta magis ſonant nobis laudem ipſius & gloriam ex ipſo noſtro uſu loquendi & intelligendi.

Proprium nomen Dei qui eſt.

Ens verò adeo declarat ejus eſſentiam, ut ipſe per ipſum innoteſcere voluerit filiis Iſraël, quo uno noto nota ſint omnia quæcumque de eſſentia ipſius dici poſſunt. Sequitur quod ipſum eſt ens primum, verum, unum, & purum, cujus puritas non ſit adumbrata multitudine ullo modo, & in cujus veritate nihil ſit concretum, nihil adunatum, nihil omnino duplex, cujus eſſentia in ordine eſſentiarum altiſſima, & prima fixa, & ſtans in ſe ipſa, quieta, & pacata à tumultu permutationum.

Ex quo nomine cætera attributa Dei per ſequelam neceſſarium deducuntur.

Attende autem quod dignius eſt in ſe eſſe unum per omnem modum quam ex numero eſſe multa. Sed etiam ordine eſſendi prius eſt ſimpliciter, qui eſt ſimplex omnimodo: nullo modo reſolubile dignius eſt ut ſit, eo quod eſt compoſitum, & per aliquem modorum reſolubile, magis notum & propinquius intellectui, quoniam reſolubilia, & multa non notificantur, niſi per hoc; ideo autem neceſſario priora ſunt intellectu quoniam priora ſunt in eſſe, intellectus autem exemplum eſt rerum.

Intellectus exemplum eſt rerum.

Item non habet quidditatem, nec diffinitionem; omne namque diffinibile, & quocumque modo explicabile aliquo modo reſolubile eſt, & veſtitum: per viam igitur intellectus non eſt natum cognoſci, niſi per ſe; per viam autem ſenſus cognoſcitur utcumque ex teſtimonio ſenſibilium. Ergo ipſum per ſe impreſſum eſt intellectui noſtro, inquantum ens, inquantum autem Deus & dominus, non eſt ex primis apprehenſionibus, & hic eſt modus quo errant imperiti intellectu circa ipſum.

Deus per ſe imprimitur intellectui, inquantum ens, non autem inquantum Deus & dominus.

CAPUT V.

Quod illud ens eſt cauſa omnium aliorum.

QUod autem ipſum ſit cauſa & author omnium, ex hoc palam eſt, quoniam omne quod eſt poſt ipſum cauſatum eſt, & compoſitum: quoniam omne ens non per eſſentiam eſt compoſitum, & habet eſſe acquiſitum per aliquod aliud quam ipſum ſit. Hoc in ſequentibus docebimus. Quia igitur omne cauſatum cauſatum eſt à priori ſe ordine eſſendi, & unumquodque immediate cauſatum ab immediate præcedente ſe; quoniam ex neceſſitate cauſa eſt immediata ejus quod ordine eſſendi ſequitur ipſum immediate & aliorum ordinatorum ſequentium, per hoc quod ipſum eſt cauſans cauſantia ipſorum. Quocumque igitur modo adveniat eſſe unicuique cauſato, quia ipſum ſolum eſt fons primus eſſendi, palam eſt quoniam omne eſſe quod eſt, ipſum ab ipſo eſt, cum non ſit fons eſſendi præter ipſum.

Quod cauſatum eſt, eſt ab immediate præcedente ſe.

Quanta igitur cæcitate duo principia erronei & imbecilles habent, jam clare patet; jam enim oſtendimus quod ejus eſſe ſolitarium eſt per omnem modum, & quoniam non eſt ei compar aut coævum aliud, & quoniam non eſt ei contrarium: eſſentia enim non habet contrarium niſi non eſſe, non eſſe vero abſolute nihil eſt, nec poteſt eſſe principium eſſendi alicui, ſicut nec poſita radice eſt reperire ramum qui non ſit à radice, & poſito fonte venire omnem aquam neceſſe ab illo; ſic poſita una radice eſſendi, & uno fonte impoſſibile eſt reperire eſſe quod non ſit ab illo; ens enim non niſi ab ente inquantum eſt, defluere non poteſt: ſi autem ens ab ente, & eſſe ab eſſe.

Ens illud non habet contrariũ.

Omnia ab illo ſunt.

Omne igitur ens debet ſuum eſſe & omne ens debet ſe primo enti, cum non ſit ens niſi ab ipſo, & per ipſum, & per hoc manifeſtum eſt, quod univerſum eſt fluxus, & exuberantia eſſe ejus, quod eſt fons univerſalis eſſendi: quare omnia inquantum ſunt ejus fluxus, ſunt exuberantia primi puriſſimi hujus fontis; & intantum poſuerunt multi de nobilioribus philoſophorum omnia bona; inquantum ſcilicet de puriſſimo fonte eſſe defluunt.

Omnia entia ſunt fluxus & exuberantia primi entis.

Nos vero nondum pervenimus illuc, niſi oporteat certificare intentionem ejus, quod eſt bonum, & ejus quod dicitur malum. Sed ſufficit nobis in hoc loco inveniſſe fontem primum ac puriſſimum eſſendi, cujus fluxus & exuberantia eſt continuitas generationis, & univerſa ſeries ſæculorum cum omnibus mirabilibus ſuis mirificentia ſua, & decore univerſo. Et eſt poſſibilitas univerſi, velut excipiens fluxus ipſius, velut ſi aër recipiat ipſum lumen toto ſinu capacitatis ſuæ, penetranſque ipſum per totum: ſic penetrat, & implet poſſibilitatem univerſi affluentia, & vehementia primi, & fontalis eſſe pro capacitate receptibilium magis aut minus influens totum autem hoc per eſſentiam ſuam quæ eſt bonitas prima & benignitas largiflua, &c.

Vt ſe habet aër ad lumẽ ſic omnia entia ad primũ eſſe.

CAPUT VI.

Quod omne eſſe ſecundarium neceſſario dependet à primo eſſe.

POſt hoc loquemur de eſſe ſecundo, quod nominatur nominatione expreſſa, & propria eſſe indigentiæ, & eſſe potentiale, & eſſe falſum, & eſſe fluens, & hujuſmodi eſt eſſe quod cæpit eſſe. Eſſe ergo indigentiæ eſt quod eget alio ad hoc ut ſit, nec venit in eſſe niſi alio dante eſſe, aut aliter ut veniat adjuvante. Eſſe vero potentiale quod quidem in ſe, & per ſe ipſum conſideratum invenitur non prohibens ſuum eſſe; verumtamen in hac conſideratione nondum invenitur habere eſſe, ſed tamen invenitur prope, ut habeat eſſe, & hæc appropinquatio nominatur in eo poſſibilitas. Eſſe vero falſum quod exterius eſt tantum; cum vero interius conſideratum fuerit, invenitur nondum habens eſſe, quemadmodum falſum argentum nominatur, quod exterius prætendit veritatem ſpeciei, quæ eſt ſpecies & eſſentia argenti, cum interius eam non inveniatur habere; ſic & ens falſum, cum interius conſideratum fuerit, hoc eſt in quidditate, & ratione eſſentiæ ſuæ non invenietur in eo eſſe, ſed habens ipſum, velut ſuperficie tenus, velut operiens & adumbrans quidditatem ipſius. Eſſe vero fluens quod ſe debet exuberantiæ, & copioſitati alterius, quoniam quod eſt, non eſt niſi de ſuperabundanti copioſitate alterius. Eſſe vero pendens quod quantum in ſe eſt recidit in non eſſe, quod autem ſtat debet alij. Et hæ igitur ſunt nominationes eſſe ſecundi, quod eſt cauſatum, & hæ rationes nominationum: cæteræ vero nominationes illius quarum rationes id eſt expoſitiones, & declarationes nunc ponimus, hæ ſunt: derivativum, datum, ſive receptum, veſtitum, debitum, ſubditum, compoſitum, reſolubile, multum, ſive adunatum, mixtum, ſociatum, cauſatum, & unaquæque intentionum via certiſſima eſt producens inquiſitionem intelligentis ad primum eſſe.

Eſſe indigentiæ.

Eſſe potentiale.

Eſſe falſum.

Eſſe fluens.

Eſſe pendens.

Sunt nominationes eſſe ſecũdi.

Et iſtud oſtendemus in ſingulis. Eſſe namque indigentiæ non eſt natum eſſe ſolum, ſed eget alio ad hoc ut ipſum ſit. Hoc eſt clarum ex ratione ſuæ intentionis, quam ei aſſignavimus; quia ſi poſueris ipſum infinitum non habebit ad hoc complementum in ſe ipſo, eo quod ejus intentio ſit indigentia alterius & inopia, quæ ipſi non ſufficiat. Quod ſi dixeris, quia nihil prohibet unum ex hujuſmodi quæ ſunt eſſe indigentiæ indigere alio, & illud iterum tertio, & hoc in infinitum: & propria entium infinitas erit indigens alio ultra ſe; non enim refert an habeat primum, an non habeat hæc infinitas, ideo ipſa non magis ſibi ipſi ſufficiet, quam unum aliquod de ipſa.

Eſſe indigentiæ eget alio ut ſit.

Item quid ſic multiplicantur in ea indigentiæ adjumenta quæcumque namque adjumenta credebas te adinveniſſe per ipſam, tot etiam indigentias congregaſti & æquales, quia unumquodque eorum æque eget adjuvante, ſeu ut adjutum ab illo indiget ipſo: quare non eſt ſufficientior in ſe ipſa hujuſmodi infinitas, quam quodcumque eorum quæ ſunt in illa: æqualia namque æqualibus additis æqualia manent: æquales ergo manent in ipſa infinitate indigentiæ, & adjuvatio ſicut prius in unoquoque quod erat de infinitate illa. Infinitas igitur æque

Quæcumque adjumenta indigentiæ creatura adinventa fuerint, & ipſa indigent alio.

Infinitas in eſſe indigentiæ ſi quæ eſſet, æque

æque indiget alio extra ſe ipſam ſicut unumquodque illius : in nullo igitur proficit aberrans per devia infinitatis.

Item attende quod in ordine cauſarum media cauſa non eſt ſufficiens, ut faciat debere eſſe extremum quod eſt poſt ipſam, ſed eget cauſa præcedente ipſam, propria ſcilicet ſua à qua recipit quod dat cauſato ſuo : inquantum media eſt, dico, quoniam intantum eſt ipſa recipiens & dans, recipiens quidem ab anteriori & dans poſteriori; media ergo cauſa ex intentione qua media eſt, non eſt ſufficiens facere debere eſſe per ſe illud ad quod eſt media tantum; ſed eſſe indigentiæ ſive finitum, ſive infinitum ponatur, non habet ex hoc quod eſt eſſe indigentiæ, niſi intentionem medij in ordine cauſarũ; non enim poteſt eſſe primũ cauſativum, cum ſecundum hanc intentionem de ſuo non habeat quod det cauſato, medium autem eſt de intentione medij in ordine cauſarum : non enim poteſt cauſare aliquid per ſe, ſicut nec infinitas media cauſativa per ſe eſt.

Oſtendemus autem lucidiori via, quod eſſe indigentiæ, ſive finitum ponatur, ſive infinitum, impoſſibile eſt, ut ſufficiat ad hoc ut aliud ſit : ſit enim B, eſſe indigentiæ ut ſufficiat ad hoc ut ſit C, ſive B, ſit finitum ſive infinitum B, indiget ipſo A Quia igitur B. ſufficit ad hoc, ut ſit ipſum C, ſufficiens autem eſt præter quod nihil aliud requiritur, nihil igitur præter B. exigitur ad eſſe C : poſito igitur non eſſe A, nihilominus erit C, & eo quod tunc non erit A, non erit B. & cum non erit B, non erit C. Quare poſito non eſſe A, ex neceſſitate non erit C. B, igitur non erit totum quod exigebatur ad eſſe C, quoniam ad hoc non exigeretur poni A : exigitur ergo A, ad hoc ut ſit B : B, igitur ſolum non ſufficit ad hoc ut ſit C : eſſe igitur indigentiæ non poteſt ſolum eſſe ſive finitum, ſive infinitum ponatur, nec ſufficere ſolum ad hoc ut aliud ſit : neceſſe igitur eſt ut ſit eſſe præter eſſe indigentiæ, quod per affirmationem & negationem oppoſitum eſt. Hoc autem non poteſt eſſe ſolum eſſe indigentiæ, ut oſtendimus.

Item quoniam eſſe indigentiæ neceſſario eget eſſe ſufficientiæ, quoniam cauſatum ſufficienter alioqui non eſſet, nec poſſet eſſe cauſatum ſufficienter per eſſe indigentiæ, neceſſe eſt ut primum cauſetur per eſſe ſufficientiæ : eſſe igitur indigentiæ neceſſario inducit inquiſitionem diligentiæ ad eſſe ſufficientiæ, & hujuſmodi ideo eſt eſſe quod nullo eget. Per viam ſimilem eſſe potentiale deducet nos ad eſſe neceſſe per ſe ipſum, & hoc eſt quoniam potentiale, per hoc quod eſt potentiale, non potens eſt ut ipſum habeat eſſe, vel ut veniat in eſſe; potentiale enim de eſſentia & intentione ſua non habet in effectum, eo quod poſſibilitas ſola per ſe non ſufficit ad effectum; quia ſi hoc eſſet, † non contingeret quod poſſibilitas præcederet effectum

Item potentiale dicitur comparatione eſſendi in effectu potens ſcilicet recipere effectum eſſendi : intendo autem quod ſolum potens eſt recipere facit ipſum indigere donatore ipſius eſſe : quare eſſe potentiale non venit, nec educitur de poſſibilitate eſſendi in effectum per ſolam potentialitatem, ſed per eductorem alium, qui eſt acquirens ei effectum eſſendi : eductor autem qui eſt educens de poſſibilitate in effectum neceſſario plus habet ipſa poſſibilitate; quoniam niſi amplius haberet non poſſet eſſe agens in effectu; quia poſſibilitas ſola nõ ſufficit per ſe ad eſſendum in effectu, nec ad agendum in effectu : præter ipſam igitur poſſibilitatem habet eſſe effectum eſſendi, & effectum agendi, non habuit autem totum hoc per poſſibilitatem ſolam : fuit ergo eductor tertius per modum quo diximus ipſum debere eſſe, quia ſi ſecundus eductor ponatur eductus de poſſibilitate ſua in effectum & eſſendi & agendi, egebit iterum eductore alio ubi neceſſe erit ex iis quæ diximus & occurrere eductorem primum in quo non ſit aliud poſſibilitas, & aliud effectus, quoniam ſi conſideramus univerſum in ſe ipſo, non inveniemus in ipſo niſi poſſibilitatem : in univerſo ſecundum ſe ipſum non ponitur niſi poſſibilitas quoniam univerſum in ſe ipſo eſt tantum potentiale; quare univerſum eſt adhuc non ens in effectu : in ſe enim ſi eſt ens in effectu, & extra ipſum non eſt quod det ei eſſe in effectu, quoniam extra univerſum nihil eſt. Univerſum ergo nullomodo eſt ens in effectu : quare poſito quod unumquodque ſit potentiale, hoc autem ex neceſſitate erit neceſſe per ſemetipſum : oppoſita namque ſunt affirmatio & negatio, & neceſſe eſt per ſe; eſt enim neceſſe eſſe, quod in ipſo conſideratum invenitur habere eſſe in effectu, & prohibens ſuum non eſſe : unde & hoc ipſum ſonat nomen ipſius, ſcilicet ut per ſe ipſum conſideratum ſit non ceſſans eſſe.

Eadem fere via oſtendetur verum eſſe, ſive eſſe veritatis per ſemetipſum : ſi enim non eſt verum ſecundum ſe, ſed omne quod eſt, eſt falſum in ſe ipſo; igitur univerſum eſt falſum in ſe ipſo, & aliunde non poteſt fieri verum, cum extra ipſum nihil ſit, videlicet extra univerſitatem entium : quare & in ſe & extra erit falſum univerſum, nec interius nec exterius habebit eſſe : interius non habebit eſſe quoniam in ſe eſt falſum : exterius non habebit, quoniam non eſt à quo habeat, cum nihil ſit extra ipſum Eodem modo nullo exiſtente fonte eſſendi, non erit & fluens eſſe : ſi enim totum eſſet fluens, non haberet unde flueret, nec tamen à ſe ipſo flueret, nec per modum circuli, nec per modum infiniti quoniam utrumque illorum jam prohibuimus, nec ab alio, cum aliud non ſit. Eadem via palam eſt quod univerſum recideret in non eſſe niſi eſſet ſtans per ſe ipſum fundamentum univerſi, & ſuſtinens ipſum fortitudine & virtute ſua : totum namque pendens abſque ſuſtentatione neceſſe eſt ruere : univerſum ergo rueret, & recideret in non eſſe, niſi eſſet virtus per ſe ipſam ſtans & portans univerſum : quia igitur ſtat univerſum, non ſtat neceſſario niſi virtute ſuſtinentis, & portantis ipſum, quod enim de non eſſe, ſive poſt venit in eſſe recidit in eo unde eductum eſt, quantum in ipſo eſt : poſſibilitas namque ipſius non ſufficit tenere ejus eſſe quin effluat; non enim ex neceſſitate poſſibilitatis conjunctio ipſius & ſui eſſe, ſed conjunctio ipſius eſt potentialis, cujus ſunt ambo, poſſibilitas ſcilicet & ipſum eſſe.

Juxta hunc modum derivativum eſſe te deducet ad primitivum, quod aliunde non oritur, & fluens ad fontale redundantiſſimum : alioquin totum areſceret, & nulla eſſet aqua, cum nulla inveniretur origo. Similiter & debitum eſſe te deducet ad abſolutum, ſcilicet quod nulli ſe debet, ſi enim totum eſt debitum, non eſt cui ſe debeat : cum extra totum nihil ſit, & ita debitum erit univerſum, & ipſum erit tanquam debitor abſque creditore. Eodem modo ſubditum te deducet ad eſſe liberum quod nulli ſubeſt : ſi enim totum ſubeſſet, & preeſſet, nec ſubeſſet quid cum non inveniretur quid præeſſet, quia nec per modum circuli nec per modum infiniti. Sic veſtitum via eſt inveniendi ſpoliatum; alioquin eſſet veſtitio ſola ſive veſtitum ſine veſtito : omnia enim quodammodo veſtiunt primum eſſe, ſed hoc à longe : quoniam intimum eſt omnium quæ ſunt præterquam quod ſit ſubjectum eorum aut pars. Sed quemadmodum dicéremus ſol eſt veſtitus nube ſub qua videtur, ſic ſub quadam nube univerſi ipſe univerſitatis auctor intellectu conſpicitur

Secundum hoc & compoſitum ducit ad incom-

Marginal notes (left): Ita neget ... o cauſa ... ſi ſum, ſi ... unumquodque illud. — Cauſa media ... ſi ... non eſt ſufficiens. — Idem demonſtrat quod ſupra, & ex ipſo eſſe indigentiæ probat eſſe ens per ſe ſufficiens. — Per eſſe indigentiæ creatorem probatur ... ſufficientiæ ... eſt Deus. — Et per eſſe potentiale ... neceſſe. — † *Videtur hic ſine particula negat.* — Potentiale ... indiget ... donatore.

Marginal notes (right): Ex ente falſo, verum, ex ente fluenti, fons ipſe, ex ente dependenti ens per ſeipſum ſtans demõſtratur. — Eſſe derivativum deducit ad primitivum, fluens ad fontem, debitum ad abſolutum, ſubditum ad liberum, veſtitum ad ſpoliatum. — Univerſitatis auctor ſub quadam univerſi nube conſpicitur. — Compoſi-

tum ducere ad cognitionem ſimplicis, adunatum ad cognitionem unius.

poſitum & reſolubile ad atomum, ultra quod nec eſt reſolutio, nec compoſitio, omnis enim compoſitio finem habet ad atomum. Sic adunatum adducit ad unitum, quod ſolum eſt vere unum; non enim eſset vera multitudo niſi eſset & unitas vera; nec eſset vere multiplex & adunatum ultimum, niſi eſset vere ſimplex, & omnino inadunatum primum, Similiter & adunatum dicit recipiens; ſi enim totum eſſet recipiens, totum eſset vacuum. Radix autem oſtenſionis in iis, & in ſimilibus eſt à minori & ab oppoſitis, ſcilicet quod prioribus prius, & majoribus magis debentur congruentia prædicata; ut ſi adunatum eſt, multo fortius & unum: & ſi compoſitum, multo fortius & ſimplex: & ſicut in ordine intelligendi prius ſunt & majora, & digniora & in ordine eſsendi: quoniam quemadmodum eſt in imaginibus, ita debet eſse in rebus; & quemadmodum in exemplis, ita in exemplaribus: in intellectu autem imagines ſunt; & exempla rerum: nihil autem abſurdius poteſt quam ponere poſteriora quibus minus debetur eſſe, & negare priora quibus magis debetur.

In ordine intelligendi prius ſunt majora & digniora, igitur & in ordine eſſendi.

Nominationes propriæ primi eſſe

Hæ igitur propriæ ſunt intentiones primi eſse, quibus & eſt, & nominatur veriſſime eſſe eſſentiale eſſe, quidquid eſt eſſe, & illud quod eſt eſſe ſufficientiæ, eſſe neceſſe ſive neceſſitatis, ſive actuale purum eſſe veritatis; deinde eſſe fixum, eſſe non cauſatum, eſſe primitivum, eſſe fontale, eſſe abſolutum, quod debet eſſe omnino liberum, & omnino inſubditum, eſſe ſpoliatum in ultimo judicatur ideo quod nudiſſimum: deinde eſſe ſimplex in ultimo ſimplicitatis, eſſe irreſolubile & omnium reſolutionem: quaſi atomus poſt omnia occurrens, non ſicut pars, ſed ſicut principium primum, & finis ultimus. Demum eſſe inadunatum omninò ſive unitum, nihil habens concretum, nihil duplex vel admixtum, purum, ſolitarium, deinde eſſe dativum, & nominationes iſtæ numero ſunt ſexdecim propriæ, & quaſi eſſentiales primi eſſe. Oppoſitæ vero nominationes communes ſunt omnium aliorum, viæ autem evidenter ducentes in ipſum: dativum enim non receptivum ad quod neceſſario ducit dabile receptum: ſi enim non eſſet eſſe receptivum totum eſſet vacuum; quoniam hoc non eſſet eſſe niſi receptibile, & hoc eſt dicere quoniam non eſſet aliquis niſi alveus, receptibile enim per hoc quod eſt receptibile non eſt niſi ſicut alveus.

Eſt neceſſario, aliquid dans nec recipiens, & quod eſt cauſa nec cauſatum.

Si igitur totum eſſe quod eſt univerſitas, non eſſet niſi receptivum, & nihil eſſet dativum nec receptivum: & juxta analogiam oppoſitorum, cum dans & recipiens per ſe oppoſita ſint, ſimiliter dans & non dans, & iterum recipiens & non recipiens: quia igitur media indubitanter ſunt omnia, & alterum extremorum neceſſario erit & reliquum: eſt enim indubitanter recipiens eſſe & non dans, & unum recipiens & dans ſunt in mediis per quæ cauſantur alia, & iterum nec recipiens nec dans: erit igitur dans, nec recipiens. Eodem modo erit rationari in cauſa & cauſato, ſi enim invenitur nec cauſa, nec cauſatum, & cauſatum, & non cauſa, invenitur cauſa ſive cauſans & non cauſatum.

CAPUT VII.

Quod omne eſſe potentiale à primo eſſe dependet, & ab ipſo educitur ad actum.

In entibus creatis aliud eſt quidditas, aliud eſſe eorum.

POſtquam autem ſtabilitus eſt fons affluentiſſimus affluens de exuberantia ſua ſuccedentium ſibi ſeries ſæculorum, & virtus portans omnem virtutem, & radix fixa per ſe ipſam, cui innituntur & à quà pendent omnia, relinquitur nobis inquiſitio de modo eſſendi univerſitatis potentialis. Quoniam autem ens potentiale eſt non ens per eſſentiam, tunc ipſum & ejus eſſe quod non eſt ei per eſſentiam, duo ſunt revera, & alterum accidit alteri, nec cadit in rationem, nec quidditatem ipſius. Ens igitur ſecundum hunc modum compoſitum eſt & reſolubile in ſuam poſſibilitatē ſive quidditatem, & ſuum eſſe. Ex quo manifeſtum eſt ipſum eſſe cauſatum ab educente poſſibilitatem ejus in effectum eſſendi, & à conjungente ipſum eſſe cum poteſtate ipſius: non enim potentiale venit ad effectum per ſolam poteſtatem, ut ſuprà oſtendimus; ſed per participationem, cujus autem participatione an primi ſcilicet eſſe an alterius, quod fluat ab eo, nondum ex iis quæ diximus certum eſt.

Quod eſt per participationem, debet participare ab ente per eſſentiam.

Nos autem faciemus ſciri quoniam non niſi participatione primi eſſe, & quod nihil eſt eſſe omnino niſi eſſe primum, namque quod participatur, aut eſt, aut non eſt: ſi non eſt, nec participatur, quia non erit ens aliquod: ſi vero eſt, aut erit per eſſentiam, aut participationem; quod ſi per eſſentiam, ipſum igitur eſt primum eſſe: participatione igitur primi eſſe erit eſſe potentiale: & hoc eſt quod nos intendebamus Si vero ipſum eſt participatione, neceſſe eſt ut participatum ab ipſo aut ſit ſimiliter, aut per eſſentiam, quod ſi participatione & hoc ibit in infinitum Aut igitur occurrit non ens ut ejus participatione dicatur aliud eſſe quod nos jam deſtruximus, aut occurrit ens per eſſentiam: ſed & ſic propoſita non fraudatur, eſt enim hoc velut ſi diceretur, A eſſe participatione B, & B cauſa immediata, verumtamen nihilominus verum eſt quod eſſe potentiale non eſt niſi participatione primi eſſe mediata, ſive immediata.

Nullius creati eſſentia eſt ipſū eſſe.

Hæc ergo ratio eſt certificans, ens dictum de poſſibilibus prædicari, primum eſſe; eſſe enim participationis non eſt nominatum ex participato, nec per ipſum eſt aliquid, niſi inquantum ipſum eſt primum eſſe. Primum igitur eſſe per ſe ipſum ſolum primo & principaliter eſt eſſe omnium: cujus participatione omnia eſse dicuntur, nullius autem eſsentia eſt ipſum niſi ſua prima, à qua ſunt univerſa quæ ſunt Ex his igitur patet qualiter ipſe ſit implens omnia ſicut per Jeremiam dicitur 24. *Cælum & terram impleo ego*, & qualiter ſit penetrans omnia clarum eſt, cum ipſe ſit plenitudo, & perfectio, ſuæ paſſibilitatis; paſſibilitas eſt enim velut alveus accipiens affluentiam ipſius velut vacuum profundum quod ſola divinæ copioſitatis redundantia, ſive exuberantia implet. Non autem conturbet te identitas participati, quaſi per hoc cogaris omnia æqualiter & univoce confiteri, quia ſanitas una prædicatur de homine & urina & medicina & cibo, non tamen univoce & æqualiter ad hunc modum ſe habet in primo eſse, & ſi enim ab omnibus participetur, non tamen æqualiter, nec uno modo.

Ipſum eſſe eſt eſſentia una, pura, ſolitaria & implens omnia ad modum ſparſi luminis.

Eſt ergo ipſum eſse omnibus eſse quo ſunt, non autem quod ſunt; quoniam ipſum nihil eorum eſt, quæ ſunt participatione ipſius, ſed eſt eſsentia una, pura, ſolitaria, omnibus incommunicans, & immixta, implens tamen omnia ad modū ſparſi luminis ſuper univerſum, & hac impletione, ſive perfuſione faciens ad ſe relucere omnia; & hoc eſt eis eſse, relucere ſcilicet ad ipſum quod non faciunt niſi per ipſum, in habendo ſcilicet ipſum; ſicut aër relucet ad illuminatorem ſuum, inquantum potentiale eſt ei: non enim eundem ſplendorem numero habet quem habet ſol: quia enim nec hoc ſoli potentiale eſt, eoquod ſplendor ejus affixus eſt materiæ; unde non eſt potentiale, niſi in una materia, ſolum vero abſolutum & liberum per omnia implens & illuſtrans eſt in prima eo quod ipſum nec locus nec materia teneat alligatum & adhærens ſibi.

Deus eſt vita omnium ſicut anima eſt vita corporis.

Exemplum autem hujus eſt ut quemadmodum anima eſt vita corporis, ſic omnium eſse Deus intelligatur;

telligatur; ſicut ſeparari ab anima, mori eſt ipſi corpori, ſic ſeparari à Deo ſit rebus deſtrui: ſicut etiam anima imprimis eſt vita ſpirituum, deinde nervorum & carnis & oſſium, ſic Deus priorum prius eſſe, deinde per illa aliorum: Et quemadmodū ſi una anima eſſet multorum corporum, nihilominus ſalva eſſet multitudo corporum: ſic una eſſentia altiſſima quæ Deus eſt, unum eſt eſſe omnium ſcilicet quo ſunt: ſalva tamen eſt rebus ſua eſſentialis diverſitas, quoniam ut diximus eſſe quo ſunt non eſt eis eſſentiale, ſed quaſi accidit. Hic eſt intellectus & explanatio ſermonis inquantum capio. Sermo enim iſte antiquorum eſt theologorum ſimul & philoſophorum, quibuſdam igitur eſt Deus eſſe eorum quæ ſunt immediate, alijs autem per illa. Quemadmodum ſi dicatur quod anima in ipſis & immediate eſt vita ſpirituum, per illos vero vita eſt aliorum: ſic primorum entium quæ ſcilicet immediate ex illo ſunt, videlicet cauſatorum, quæ ſola Dei voluntate ſunt non per media aliqua Deus eſt eſſe. Illa vero eorum eſſe ſunt ex participatione primæ cauſæ quæ ipſorum eſſe conjuncta ſunt. V. G. anima humana hujuſmodi eſt quoniam creata eſt à Deo non per media cauſata aliqua ab illo. Hujuſmodi igitur & eſſe quo eſt & vitam qua vivo ponemus Deum ſecundum hoc: quia vero ex ejus conjunctione corpus humanum & eſt & vivit, dicemus quod Deus per illam eſt eſſe corporis humani, quia corpus nonniſi per illam velut mediam & deferentem participare poteſt eſſe primum, ſicut nec vitam. Sive autem ita ſit ſive aliter, dubitari tamen non poteſt omnia eſſe vel participatione primi eſſe qualiter diximus, vel participatione alicujus quod ex illo fluit, ſicut lumen ſparſum ſuper omne: indicium autem hujuſmodi eſt quoniam adeo amant & appetunt eſſe quod unaquæque res ſeipſam negligere videtur, & exponere propter ipſum eſſe: quemadmodum omne totum partes ſuas, & partes illas fortiori amore complectitur in quibus videtur magis conſiſtere eſſe ipſius, ut caput manus periculis objecta tuetur; ſed ſi in alia parte crederet eſſet ſuum, profecto & caput pro ea exponeret & etiam omne quod eſt: totam enim poſſibilitatem ſuam exponit ut eſſe conſervet, aut ne amittat ipſa. Gratia igitur & electione omnium quæ ſunt, & aliud, & melius omnibus his quæ ſunt oſtenditur ipſum eſſe: non poteſt igitur accidere eſſe ſecundū ſe, ſed neceſſario omni ſubſtātia & accidente melius eſt, pro cujus amiſſione unumquodque damnum ſuæ eſſentiæ negligit; univerſitatem namque in eis quæ per naturam, ſive natura ejus ſunt univerſaliter errare impoſſibile eſt. Amore igitur ſuo, & deſiderio, & electione ſua clamat univerſitas hoc eſſe optimum; cum omnia ipſa univerſitas poſtponat incredibilis, aut ſurdus eſt qui clamorem univerſitatis non audit: quoniam autem & ubique ſit eſſentialiter, ex his etiam non eſt dubium, cum ubique ſit ens, & ipſum illius eſſe neceſſe ſit eſſe.

An Deus ſit eſſe omnibus immediaté an mediate ſi...lum.

Surdos eſſe qui clamorem univerſitatis de Deo non audiant.

Item cum per hoc ipſum quod eſt eſſe omnium & ſingulorum neceſſe ſit ipſum eſſe ubicumque aliquid eſt eorum quæ ſunt, eſſe vero nominat ejus eſſentiam nudam & puram pura & expreſſa nominatione. Quare manifeſtum eſt ipſum ubique eſſentialiter; ſed & illud, quod debere eſſe dicit Apoſtolus ad Corinthios 11. *omnia ex ipſo, per ipſum, & in ipſo*. ſatis & hinc eluceſcit: ab ipſo, ſicut ab authore: per ipſum, ſicut per ipſum eſſe ſunt; in ipſo ſicut in eſſe: nec enim aliud eſt dicere in ipſo, quam in eſſe, cum ipſum non ſit niſi eſſe. Adeo autem in ipſo ſunt omnia, ut evelli ab ipſo ſit eis deſtrui, & cadere, vel trudi in non eſſe. Univerſitatis igitur amor ad ipſum univerſale bonum communiſſimumque ſecundum totum obtineatur ab omnibus & ſingulis: & ſummus amor omnium ſummum bonum; & purus amor, primam bonitatem ipſium eſſe certiſſimo ſigno declarat. Purum autem amorem ideo dico quia nec cum alio, nec ob aliud amatur ab omnibus, ſed ipſum purum & nudum eſſe appetunt. Et totam ſequelam eſſe ipſius, hoc eſt bene eſſe, & magnifice, & delectabiliter, & ſi quid eſt aliud hujuſmodi propter ipſum negligunt, ſi diſcrimen amiſſionis ipſius eſſe immineat eiſdem &c.

Ipſū quod eſt eſſe omnium neceſſe eſt eſſe ubique.

Univerſitatis amor ad Deum.

Quis purus amor?

CAPUT VIII.

Quod potentia eſt principium effectuum & operationum.

Qualiter autem ab ipſo exeunt quæ ab ipſo ſunt; aut per naturam, ut lumen à lucido; an per ſapientiam, & voluntatem, quæ nominatur in ipſo benignitas, & conveniat dici de eo quod ipſe eſt artifex univerſi non ſolum creator, & ſi eſt potens ſuper omnia, & qualiter hoc: & de ſapientia ipſius, an ſit ipſe, an aliud, & num eſſet in eo ut cognoſcat omnia, & ſeipſum: & de bonitate ejuſdem an cogat eum facere quidquid poteſt, ſicut homines debilis cogitationis opinati ſunt; de quo argumentantur, quia niſi totum faceret quod poſſet, & ſciret facere, avarum ſeu invidum argueret, aut aliud potentiam, aut aliud voluntatem arguunt, ſi quid poteſt quod non velit, neceſſe habemus explicare in hoc magiſterio.

Proponit de quibus agendum ſibi ſit in ſequentibus.

Primum de poteſtate, ſive de potentia prima, & propter hoc de potentia abſolutè, & poteſtate, & de differentia ipſarum: deinde de omnipotentia, & quid ſit eſſe omnipotentem: poſt hoc de ſapientia prima & univerſaliter, quæ eſt ſol & lumen intellectorum omnium, ars, ſpeculum, & exemplar univerſi primi, inſpectorum imago, & ſpeculum ut dicitur ſapientiæ 7. & primi loquentis verbum in quo ſeipſum dixit, & omnia; quæ & patris omnipotentis filius dicitur: ſic & de ſuavitate, ſive amore quo ambo ſe complectentes exuberant, vel congruentius ſperant, philoſophando aliquid per ſuaſionem dicere, licet fides vera ſuaſionem omnino reſpuat quod in tractatu virtutum plenius diſſeremus.

Pergit proponere quæ tractare debeat.

Tractatus de virtutibus, oſtenſor ordine l. de Trinitate.

Iterum igitur dicamus quod potentia nominatur principium operationum, & eſt exuberantia vel radius ipſius eſſe, de qua exeunt operationes & hoc alio nomine dicitur virtus, & nominatur potentia agens, ſive activa, per hunc modum diximus in igne eſſe potentiam calefaciendi, ſubtilizandi & diſgregandi hæterogenea; eo quod de exuberantia, & vehementia ſeu extenſione ſui eſſe, vel naturæ ſuæ exundat in has operationes ſuper contingentem, vel obviantem ſibi materiam. Secundo modo potentia dicitur ſuperioritas & eſt velut denominatio, quæ tamen non eſt niſi obedientia, vel conſenſu alienæ voluntatis & dicitur vulgato nomine poteſtas qua nempe reges & alij præſidentes ſunt, prout ſubditorum voluntas ſive obedientia facit: & hæc nominatur obedientia ſive conſenſus eorum per quos fieri debet id cujus potens dicitur. Tertio potentiam nominare conſuevimus eam qualitatem quâ reſiſtitur paſſionibus, qualis eſt duritia in lapide: ea namque repellit multas ex paſſionibus agentium in ipſum, aut non, videlicet ubi fuerunt paſſiones vehementes & fortes ſuper fortitudinem reſiſtentem. Potentiarum autem iſtarum aliæ ſunt quas comitatur deliberatio, & voluntas: qualis eſt poteſtas gradiendi, & hæ vocantur rationales; eo quod

Tres acceptiones potentiæ ſeu poteſtatis.

Ad agendum.

Ad impetrandum.

Ad reſiſtendum.

actus & operationes ſuas non exuberat niſi alieno imperio: aliæ ſunt quas non comitatur, & nominantur irrationales, qualis eſt potentia ignis quam diximus: hæc enim cum habuerint obviantem ſibi materiam poſſibilem, & idoneam, & congruentem actionis ſuæ exuberat in illam velut fluxum operationis ſuæ, quemadmodum cum continget ligna combuſtibilia, aut ceram, aut plumbum, vel ſtannum.

Poſſibilitas ſumpta pro idoneitate recipiendi impreſſiones potentiarum activarum & pro debili potentia ad operationes ſuas.

Poſſibilitas vero nominatur potentia, & idoneitas recipiendi impreſſiones potentiarum activarum, qualis dicitur poſſibilitas in ovo, quâ idoneum eſt ut recipiat impreſſiones quæ ſunt formatio animalis ex eo; & hujuſmodi poſſibilitas vulgariter dicitur eſſe in ovo unde eſſet. Vel poſſibilitas vulgariter dicitur poteſtas & potentia debilis ad operationes ſuas, cum ex ea quantum in eâ eſt poſſibile eſt exire & non exire operationes; & hoc eſt, quoniam non ipſa nata eſt eſſe principium operationum hujuſmodi, quemadmodum uſitate dicimus unumquemque hominem habere poſſibilitatem eſſendi regem. Homo ergo poſſibilitatem habet ut fiat rex, hoc eſt debilem potentiam, & inopem, & quæ non ſit nata ad hoc ut homo ſit rex. Verumtamen natum eſt eſſe unum eorum ex quibus ſit rex; cum id quod eſt eſſe regem ei non debeatur, cum ipſa nata eſt eſſe primum eorum quæ exiguntur ad eſſe regem. profecto autem eis debetur, quæ taliter & poſſibiliter ei adveniunt, & hæc poſſibilitas differt à priori, in hoc tantum quod ab accidenti recipit perfectionem, & non ex eo quod ad hoc nata eſt.

Poſſibilitates remotæ

Hic autem reminiſci oportet poſſibilitates quaſdam eſſe remotas, ut niſi per multa media veniant ad finales operationes ſuas: qualis eſt poſſibilitas in ſeminibus eſſendi ex eis. Alia ejuſdem ſpeciei ſemina; ex grano namque per multa media germinatur granum, & ex nuce nux, & ex pomo pomum, & ex animali animal, & omnia receptibilia, quæ non perfectè apta ſunt: qualis eſt poſſibilitas lapidum in lapidicina, & lignorum in arboribus ad hoc ut recipiant perfectionem eſſendi domum; oportet enim potentiam activam prius multipliciter obviare, & tandem ordinationem & conjunctionem recipere, antequam fiat domus.

De poſſibilitate materiæ an ſit relatio.

Quoniam autem niſi ſint ſibi quidam ex nobilibus philoſophantium poſſibilitatem eſſe relationem quam ſuſtinet materia & propter hoc omne quod cœpit materiatum eſſe eo quod in omni quod cœpit, non eſſe præceſſit ipſum eſſe; & ita poſſibilitas effectum: quæ poſſibilitas, inquiunt, ſi nihil eſt, neque præcedit ipſum effectum; ſi vero aliquid eſt non poteſt eſſe niſi relatio, quam ſuſtinet materia: materia enim modo quodam eſt principium fiendi in ipſa ipſum eſſe in effectu: neceſſe autem habent ponere materiam æternam, quoniam aliter oporteret, quod poſſibilitas in ea præcederet effectum eſſendi: quare ipſa ſimiliter eſſet materiata, & hoc finem non haberet: vel tandem neceſſe eſſet occurrere aliquam materiam æternam Sed nec ſic effugiunt, quia & ſi non tempore, nullatenus neceſſe, ut poſſibilitas præcedat effectum; quare ipſam poſſibilitatem quæ jam eſt in effectu ſui principij omne quod eſt eſſe relationis, non dico ſui eſſe, cujus comparatione & reſpectu dicitur poſſibilitas, præcedet alia; & hoc finem non habebit: nec etiam per hoc poſſibilitas æterna ponatur & hoc eſt quoniam quod accideret in tempore prioritate poſſibilitatis, idem accideret neceſſe eſt poſita prioritate in ordine naturæ.

Si materia non ſuſtinet, poſſibilitatem non habebit eſſe.

Deinde talis materia non habebit eſſe cum ipſa ſuſtineat poſſibilitatem, ſicut ſemen neceſſario habet eſſe ſeminis, quod ſuſtinet poſſibilitatem quam habet ad eſſe animal, ſic & materia per eſſe ſuum quod habet ſuſtinet poſſibilitatem ſuam. Quod ſi quis dixerit, quod ejus eſſe eſt poſſibilitas, eſſentia ſua relatio ſit; quis autem dubitat accidens egere ſubjecto ſuo exiſtenti per ſe, antequam veniat accidens, quod ſuſtineatur ab illo, & cujus adventu perficiatur, & compleatur eſſe: cogit igitur veritas ut poſſibilitas omnino non ponatur in materia ſcilicet ea ſola quam diximus, quæ ſcilicet nata eſt ſecundum ſe recipere, aut quæ nata eſt eſſe principium ex accidente. Unde quoniam ens poſſibile intelligitur prope eſſe, nec ſolû eſt prope eſſe, per principiû materiale ſi illud habeat, ſed eſt principiû agês, utraque enim appropinquatio ſui cauſativi ad eſſe neceſſaria, quod prope eſt, per materias quæ aptæ ſunt, ut recipiant eſſe ipſorum in ſe, & etiam per principia agentia ſua: cui enim dubium eſt domum propinquiorem eſſe ipſi eſſe, cum ejus materia & principium agens ipſius id eſt artifex ſimul † poſſunt quam cum non eſt niſi materia ipſius id eſt lapides & ligna, ſed etiam ſi non eſſent lapides & ligna, haberet autem artifex potentiam cauſandi ea, numquid non eſſet poſſibile eſſe domû? eſſet utique.

† Poterunt.

Poſſibilitas non eſt niſi ab efficiente & creatore.

Quid igitur eſt ipſa poſſibilitas, & in quo eſt niſi in artifice ipſo, cum nihil ſit aliud ſuſtinens ipſam; poſſibilitas enim materialium potentia eſt, efficientis vel creatoris: niſi forte poſſibilitas dicatur in eis privatio prohibitionis ſui eſſe, ut chimera in cujus intentione clauditur contrarietas naturarum non compatientium ſe: homo vero cum conſideratus fuerit in ſe non invenient intentionem ejus quod prohibeat ſuum eſſe, eo quod de intentione naturarum quæ in eo continentur, non ſit in eis diſcrepantia aut repugnantia. Manifeſtum igitur fecimus non eſſe poſſibile poſſibilitate quam ſuſtineat materia. Et hoc ipſum veritas fidei approbat; poſſibilis namque fuit mundus antequam mundus eſſet, ſed poſſibilitas iſta fuit potentia creatoris, ut jam didiciſti, quoniam & de materia & de forma permixtis verum eſt quod potentiale fuit ipſas eſſe antequam eſſent.

Quamvis ſemper fuiſſet materia, præceſſiſſet tamen poſſibilitas illem ordine naturæ.

Quod ſi dixerit quis non eſt verum quoniam ſemper fuerunt vel ſemper fuit materia; non enim evadit veritatem: quoniam habere principium in tempore non dat novam poſſibilitatem, non aufert priorem: quare quod accidit eis de poſſibilitate ipſa ſi cœperint, neceſſe eſt ut poſsibilitas eſſendi in eis præcedat effectum eſſendi, ordine dico eſſendi ſimpliciter, non dico ordine eſſendi in tempore.

Quid ſit potentia lineæ apud geometras.

Quod autem potentia lineæ vocatur apud geometras quadratum ipſius, metaphora eſt, eo quod quadratum fluxus vel motus lineæ ſit in ſimili æqualitate tantum. Hæ igitur ſunt potentiæ & poſſibilitates quas diximus, quidam tamen potentiam in naturalibus, poteſtatem in moralibus, poſſibilitatem in rationibus, magis quidem ſecundum euphoniam, quam ſecundum analogiam affirmaverunt

CAPUT IX.

Quod eſt aliqua prima potentia per ſeipſam omnipotens & ſua voluntate & ſua ſapientia.

Prima potentia eſt ad utrumque oppoſitorû per ſeipſam operatur nec ab alio vel cogi vel prohiberi poteſt.

Ex his autem quæ jam dicta ſunt relinquitur nobis inquiſitio primæ potentiæ Dicimus ergo quia prima potentia debet eſſe, quam non præcedit alia, & quæ longius eſt ab ipſa impotentia, & debilitate; pura ſiquidem priora ſunt mixtis, & perfecta diminutis, ſufficientia indigentibus, & fortiora debilibus; eo quod debilia fortibus neceſſario

neceſſario innitantur? potentia autem quæ non eſt niſi per alterum oppoſitorum diminuta eſt comparatione ejus quæ poteſt ſuper utrumque: V. G. ignis non poteſt niſi ſuper calefacere: non enim eſt in eo ut calefaciat vel non calefaciat, cum obviaverit calefactibili, ſed neceſſe habet calefacere tantum.

Alioquin diminuta eſſet.

Si autem eſſet ignis potens ſuper utrumque oppoſitorum neque haberet neceſſe facere alterum. Hæc igitur diminutio prohibet potentiam ignis longiſſime eſſe ab impotentia, augmentatio autem & diminutio prohibet potentiam ignis longiſſime eſſe ab impotentia. † Actio namque & diminutio inclinatio eſt ejus & propinquatio ad impotentiam; hujuſmodi igitur impoſſibile eſt potentiam eſſe primam. Alia autem diminutio potentiæ & imperfectio eſt, quod prohiberi poteſt, vel impediri ab operatione ſua; qualis etiam potentia eſt eadem ignis quæ fortitudine contrarij ſui prohiberi poteſt, quare non eſt uſquequaque fortis ſuper operationem ſuam, ſed in hoc eſt quædam imperfectio & diminutio potentiæ, quia ipſa non poteſt ſuper operationem ſuam niſi adjuta per aliud id eſt aut ſcilicet per receptibile, aut per medium, aut per inſtrumentum: quæ igitur nullo iſtorum indiget perfectior, & ut ita dicam potentior eſt, hoc eſt longius eſt ab impotentia; cum illa nihil poſſit per ſe ſolam, hoc autem poſſit. Similiter autem, & quæ cogi poteſt non eſt fortiſſima, eo quod actio ſit ſemper à fortiori. Prima igitur & perfectiſſima fortiſſimaque potentia eſt quæ per ſe poteſt ſuper utrumque oppoſitorum & quæ totam operationem ſuam fluit de ſe ſola, & per ſe ſolam, quæ fortitudine ſua nec cogi nec prohiberi poteſt: hujuſmodi enim nihil habet admixtum impotentiæ, ſed eſt potentiſſima remotiſſimaque ab impotentia, cum illa nihil poſſit per ſe ſolam.

† *Coactio vel contractio.*

Prima potentia non eſt acquiſita ſed per eſſentiam.

Item quia prius eſt poſſe per ſeipſam, quam poſſe per aliud, ne eatur in infinitum, neceſſe eſt primum potens eſſe potens per ſeipſum. & eſſe potens per potentiam ſuam; quia ſi fuerit potens non per eſſentiam ſuam erit ei acquiſita potentia ſua: quia igitur potentia prior eſt omni eo quod eſt ex potentiâ, erit igitur ipſa potentia prior eo ipſo, per quod acquiſita eſt, & hoc eſt impoſſibile, quia illud eſt neceſſario cauſa potentiæ ipſius: quare potentia prima non eſt, niſi ipſum primum potens; nec ejus potentia niſi ejus eſſentia.

Coactio autem & prohibitio à fortiori ſunt: non eſt autem fortius eo, quoniam innituntur omnia eſſentiæ ipſius: ejus igitur poſſe nec cogi nec prohiberi poteſt per vim extrinſecam.

Prima potentia eſſentialis eſt primo potenti fortiſſima &c.

De ipſo autem palam eſt, quoniam eſt eſſe fortiſſimum: cum ipſum neceſſario ſit forte per eſſentiam; alioquin non eſt primum in fortitudine: prima igitur potentia, & prima fortitudo neceſſario eſſentiales ſunt primo potenti, & primo forti; quoniam ſi acquiſitæ, non eſſent primæ neque eſſentiales; & ſi non eſſent eſſentiales, eſſent acquiſitæ; omne namque non eſſentiale eſt acquiſitum habenti, quoniam accidentario ineſt ei tantum, & hoc eſt, quoniam ſi habens fuerit tantum, tunc eſt fortitudo ejus & potentia ipſius. Si vero non fuerit cauſatum, tunc ejus fortitudo, aut erit idem quod ipſum, & tunc ipſe nec eſſentiales ſunt; aut aliud, & tunc neceſſario cauſatæ: unum ſolum enim neceſſario eſt eſſe non cauſatum ut ſupra oſtendimus. Quia igitur fortiſſima eſt virtus ſuſtinens omnia, & abundantiſſima quæ implet omnia, & à qua ſunt omnia, hic neceſſario potentia, & fortitudine prima & ſumma eſt affluentia: quare nec influendo eſt hauſibilis nec operando fatigabilis, nec coactioni aut prohibitioni ceſſibilis, aut obnoxia, operationes ſuas de ſuo totaliter effluens, quæ niſi eſſet ſuper potentias, & ſuper oppoſita ipſarum, nullatenus prima aut pura eſſet, ut diximus.

Impotentiæ tres; arctatio ad oppoſitorum, ceſſibilitas coactionis, & obnoxietas prohibitionis.

Jam igitur illuxit nobis prima potentia eſſentialis primo potenti quæ non eſſet prima, niſi eſſet impotentia & debilitate impermixtiſſima. Impotentiæ autem tres ſunt quas nominavimus diminutio ſive arctatio potentiæ ipſius ad alterum oppoſitorum ſolum. Deinde ceſſibilitas coactionis, & obnoxietas prohibitionis: & hæc eſt omnimoda potentia cui ſcilicet ex nulla ſui parte ſit læſio ſive diminutio; ut læſio ad coactionem & prohibitionem referatur, diminutio ad arctationem in altero oppoſitorum: non enim poſſibile intellectum ponere aliam priorem, aut fortiorem, ſive ab impotentia longinquiorem: quod ſi potuerit intellectus aliam quæ non ſit hujus intentionis, neceſſario minor erit ejus, aut fortitudo aut amplitudo. In his autem duobus conſiſtit omnipotentia, ut jam diximus.

In fortitudine & amplitudine conſiſtit omnipotentia.

Ex omnipotentia Dei probatur eſſe ubique.

Quod vero per eſſentiam poteſt primum potens facit ipſum debere eſſe ubique, ubi poteſt aliquid: quemadmodum ſi rex aliquis non poſſet niſi per eſſentiam, proculdubio ubique & eſſet neceſſario ubi aliquid poſſet: ideo autem non prohibetur rex alicubi poſſe ubi non eſt ipſe, quoniam poteſtas ejus obedientia eſt ſubditorum; ideoque ubi & obedientes ſubditi, ibi & poteſt: ſed indubitanter non poteſt per eſſentiam ſuam; niſi ubi ipſe eſt. Sed & illud palam eſt ex præmiſſis, quia primum potens fieri non poteſt magis aut minus potens, neque impotens ullomodo nec per ſeipſum magis, nec minus, nec aliter ſi habere poſſit, quam habeat: potentia autem ipſius non eſt niſi ipſe, ipſa quoque ejus eſſentia: nihil autem ſuæ eſſentiæ poteſt in minus vel in deterius fieri, vel in majus creſcere: igitur nec potentia ipſius in ſe ipſa. Hoc autem eſt, quia poſſe ipſius nullo modorum prædictorum ex rebus aliis, ſed res ab ipſo magis, ideoque quæ ab ipſo ſunt in eſſentiam ipſius nihil læſionis trahere poſſunt, ut ideo minus, aut deterius ſit, cum ipſum ſit fortiſſimum. Hæc igitur ſunt quæ debuerunt præmitti ad hoc quod faceremus ſciri, quod ejus poſſe eſt ſuper omnia, & ipſum eſt poſſe ampliſſimum ad utrumque oppoſitorum aliquid facere, vel non facere, quæ duo indicant apud ipſum electionem & voluntatem; ut cum velit poſſit facere & nō facere, & niſi faceret tunc vel utrumque eſſet ab eo vel neutrum: non poteſt autem eſſe quod utrumque ſit quia tunc faceret & non faceret idem.

Præter potentiam neceſſe eſt ponere in Deo voluntatem & electionem.

Præter poſſe igitur neceſſe habes ponere voluntatem, & electionem apud ipſum, eo modo quo ei congruit poſſe, namque æquale eſt ſecundum ſe aliquid facere, & non facere; quia igitur fluit facere ex eo, & quandoque non fluit; cum ab eo coactionem & prohibitionem jam prohibuimus, nec eſſe inveniri apud ipſum extrinſecus quædam media, & adjumenta & receptibilia. Nos vero loquimur de ijs operationibus quæ ſunt ejus non propter ſe, ſed immediatè ab ipſo jam potenti generaliter, quæ ſi nullæ eſſent nec eſſent mediate aliquæ ab ipſo; impoſſibile namque eſt infinita intervenire media, quæ omnia media circa ſint, per deſcenſum namque in infinitum vaneſceret effectus in non ens, quemadmodum lumen per infinita tranſiens actu.

Sed jam redeamus ad id in quo eramus, & dicamus, quod potentia quæ eſt ſuper facere, & non

facere, cum non ſit magis ad facere ſecundum ſe quam non facere, operatur aut per ſe ſolam, aut non, non eſt autem ſuperius illa ullomodo: neceſſario ergo inclinatur ad faciendum per electionem, & non faciendum ſimiliter.

Non poteſt aliter determinari Deus ad operandum quam per electionem.

Item quia facere & non facere ex eodem ſolo & per ſe eſse non poſsunt, ergo quod eſt ſuper utrumque oppoſitorum non eſt ſolum, ſed habet neceſsario ſecum, quo poſſit ex ipſo quandoque non facere, quandoque facere, & è converſo. Hoc autem quod ipſum poſse trahit quandoque ad faciendum, quandoque ad non faciendum, cum non trahatur cauſaliter, nec ab extrinſeco, eſt id quod vocatur electio, vel voluntas. Aliter autem trahi ad faciendum aliquid primum potens, vel ab extrinſeco nefas eſt, cum neceſse ſit omnium factorum optimum finem intendere. Attende autem quod receptibile vel inſtrumentum vel adjumentum non cogit potentiam ſuper † utrumque oppoſitorum operari. ſed adhuc eſt libera, & etiam habet intrinſecus ea quæ exigit extrinſecus ad complementum ſuæ operationis: quod ſi neceſsario haberet operari, tunc cum adſunt ei præſto ad ſuam operationem adinventa non eſset procul dubio ſuper utrumque oppoſitorum; idem enim prorſus accidit in ea potentia quæ ſuper alterum ſolum determinata eſt, cum enim adſint extrinſecus quę ad operationem ſuam exigit, operabitur neceſſario, cum autem additio eorum defuerit non operabitur. Quod igitur ad hunc modum ſe habet non eſt ſuper utrumque oppoſitorum: quare quod ſuper utrumque oppoſitorum eſt liberum, habet operari & non operari, etiam cum adfuerint ei quæ ſuffragantur extrinſecus. Quod igitur operatur, aut non operatur facit electio, & voluntas, qua eligit potentia & quandoque è converſo: Primi ergo potentis operationes ſunt per electionem, ſive voluntatem inquantum dico ſunt per primam potentiam.

† *Super alterutrum.*

In quo conſiſtat libertas electionis.

Quam irrationale autem ſit primam potentiam ponere irrationalem non niſi qui irrationabilis eſt ignorat.

Irrationale eſt 1. potentiam ponere irrationalem.

Hæc igitur eſt omnipotentia primi potentis, ut nec poſſit cogi ad id quod non vult, nec prohiberi ab eo quod vult, & hoc eſt ei ſuæ magnitudine libertatis: voluntatem autem aut electionem ubi cognitio non eſt, impoſſibile eſt eſſe: quare prima potentia neceſſario ſecum habet cognitioné, & voluntatem. Licet autem primam ſapientiam & rerum mirificentia, & ordo pulcherrimus, & frequentia quam in viciſſitudinibus temporum videmus ſufficienter ſuadeat rationalibus, aliter tamen aſtruere tentabimus, quia dubium non eſt ſapientiam eſſe vel apud ipſum, vel apud alium, vel actu, vel potentia ſaltem; eamque vel eſſe omnem acquiſitam, vel eſſe quandoque non acquiſitam, poſterioremque eſſe omnem acquiſitam, primamque eſſe eſſentialem, ſi qua eſt hujuſmodi manifeſtum eſt

Cognitionem neceſſario eſſe ubi eſt electio & voluntas.

Inquiramus autem primum an voluntas per quam operatus eſt omnia primus potens, ſit ei acquiſita an eſſentialis? cum igitur non poſſit ei poſterior adeſſe cognitio quam voluntas ipſius; imo ſi altera præcederet alteram, cognitio voluntatem præcederet jure; præſertim cum voluntas ipſa electiva intelligatur, quâ ipſe elegit potius res eſſe, quam non eſſe, & facere eas, quam non facere; deliberatio autem electionem præcedat ubique, ordo poteſt eſse hujuſmodi.

Voluntas Deo non eſt acquiſita ſed eſſentialis.

Sapientia igitur non adeſt ei poſterius ipſa voluntate: adeſſet autem poſterius ei ſi acquiſita ſit, non per eſsentiam. Igitur inerit eſsentialiter ei, quia ſi fuerit ei voluntas acquiſita, neceſse eſt ipſam fluxiſse ab ejus eſsentia ſuper eſsentiam, aut extrinſecus ab alio: non poteſt autem ut ab ejus eſsentia fluxerit ſuper ſeipſam voluntas, unde ſecundum aliud dans ſibi voluntatem & ſecundum aliud recipiens, cum in ea non ſit aliud, & aliud, ſicut eſt in medicante ſeipſum, ubi quod movet in anima ipſius eſt, quod vero recipit ſanitatem in corpore ipſius eſt.

Deinde quis dubitat omnem voluntatem acquiſitam eſſe ab ipſo volito per apprehenſionem: quod ſi fuerit per modum iſtum, jam igitur præcedit in ipſo apprehenſio voluntatem: quare apprehenſio omnium, ſive cognitio per hanc viam invenitur apud ipſum: ſequitur autem ex hoc ut voluntas ipſa ſit cauſa ſui ipſius: quia cum ſit à rebus quæ ab ipſa, & per ipſam ſunt, à ſeipſa eſt per res ipſas. Præterea res ipſæ cum adhuc non eſſent, & elegit formationem earum eſſe potius, quam non eſſe, neceſſario earum eſſe fuit apprehenſum, & cognitum, & electum, & volitum: ipſæ autem omnino non erant, omnino autem non ens cauſa eſſe non poteſt ejus quod eſt. Cognitionis igitur, & electionis quæ fuit de ipſis non poterant ipſæ eſſe cauſæ: quare non fuerit acquiſita per eas, nec fuerunt acquiſitæ primo factori per eſſentiam ſuam, igitur non ſunt ei acquiſitæ, quare ſunt eſſentiales.

Cognitionis & electionis Dei res ipſæ cauſæ nõ fuerũt ſed effectus.

Quod ſi dixerit quis eas nõ potuiſſe cognoſci donec eſſent: operatio ergo earum non fuit ſecundum electionem & voluntatem, ſed fuit tantum fortuita, nos autem oſtendimus primam potentiam operari quæcumque operatur ſecundum electionem & voluntatem Manifeſtum autem eſt quod factor ad faciendum non indiget rebus ipſis quas facit, ad hoc ut eas ipſas faciat, ſed poſtquam eas fecerit poterit indigere jam factis ut ſint ei exẽplaria ſive inſtrumenta ſive alia adjumenta ad alias. Item ſecundum modum iſtũ velle eſſet ei acquiſitum per apprehenſionem: apprehenſio igitur aut eſt ei acquiſita, aut non: ſi fuit ei acquiſita, tunc eſt ei acquiſita per res ipſas, ſed res tunc non erant omnino, quare apprehenſio hæc venit in eſſe per omnino non ens. Si vero ſit ei acquiſita per ſeipſum, oportebit idem dici de voluntate: nos autem jam prohibuimus illud: ſequitur igitur juxta ea quæ diximus, cognitionem & voluntatem non eſſe ei acquiſitas, quare neceſſe eſt ipſas eſſe eidem eſſentiales. Scire igitur & velle ſuum eſt ei per eſſentiam ſuam id eſt eſſentiale, non acquiſitum: potentia igitur ipſius, ſapientia ipſius & voluntas ſunt ei eſſentiales, nihil autem eſt ei eſſentiale præter ipſum, ut jam oſtendimus. Quoniam igitur eſt ſua potentia, & ſua ſapientia & ſua voluntas: ſicut ergo ſuæ eſſentiæ nihil eſt cauſa, ſed magis ipſa eſt cauſa omnium. Et omnino ſicut eſſentia ejuſdem nec magis nec minus recipere poteſt apud ſe & ſecundum ſe, ſic nec velle illius: quemadmodum autem quod eſt non magis ad unum quam ad aliud, ſed æqualiter inquantum eſt ſe habet ad omnia; ſic & quod poteſt non magis recipit unum quam aliud, ſed per ſe ſolum & apud ſe poteſt quod poteſt, & hoc eſt quia potentia ejus omnino apud ſeipſam & per ſeipſam libera eſt, ut nõ ſit alligata magis uni quam alij; quare æqualiter poteſt omnia.

Quoniam prima potentia omnia operatur per electionem & voluntatem tũ ipſa tum potentia, voluntas & ſapientia Deo eſſentiales ſũt & ipſe Deus,

Eadem via oſtendemus quod æqualiter novit omnia: & hoc eſt quoniam ejus ſapientia abſoluta & libera eſt non obligata ullomodo rebus, nec pendens ex illis, ſed per ſeipſam eſt ſapientia; quod autem eſt per ſeipſum omnium æqualiter eſt ſapientia, & æqualiter ſciuntur in illa omnia; non enim cognoſcitur ullomodo res in illa niſi ipſa per ſeipſam reſpiciat in res determinatas aliquas, ut ſit de illis ſolum, aut de illis magis, hoc autem non eſt eo ipſo quod eſt ſapientia, quare eſſe ſuo libero & abſoluto per omnem modum eſt ſapientia, & ideo æqualiter omnium. Per hunc modum & de voluntate idem dicetur apud ipſam & per ſeipſam: non tamen negamus quædam eſſe magis vol.ta & magis placita

Quod ſapientia per ſeipſam eſt nõ alligata rebus, & æqualiter ſciuntur omnia in ipſa. Idem de voluntate colligis.

Deo, ſed quæ ſit in his intentio dicemus ſuo loco. Hæc autem voluntas, & benignitas, & bonitas nominatur plerumque, ſed ad hæc explicanda nondum venimus. Tria autem hæc ſunt una perfectio artificis, & omnis operatio laudabilis ex iis eſt, poteſtate ſcilicet, ſapientia & voluntate, horum vicem imperantis tenet voluntas, miniſtrantia affluentiam operandorum potentia, fabricantis & formantis ſapientia, *& omnia per ipſam facta.*

Idem probat ex eo quod eſſentia Dei pura libera & ſpoliatiſſima eſt.

Ad hæc autem omnia oſtendenda ſuffeciſſet intelligentibus reminiſci, quod eſſentia primi entis pura, & libera eſt, & ſpoliatiſſima, non obligata materiæ vel appendentiis ejus. Exemplum autem hujus eſt eſſentia quæ eſt perfectio vegetabilium quæ adeo alligata eſt materiæ vegetabilium, ut nec eam movere de loco ad locum valeat: eſſentia vero quæ eſt brutorum magis imperans ſuæ materiæ, & ideo minus alligata eidem; propter hoc jam capax infimæ cogitationis effecta: anima vero rationalis adhuc minus alligata materiæ in qua eſt, & ideo adhuc altioris cogitationis: ſed ſanctorum virorum anima adhuc minus alligata fuit, ideoque adhuc cognitione ſublimior eſt, ſed & Prophetæ rapti nonnunquam leguntur aliquatenus à corpore ſeparati ut viſiones viderent; ſic & phrenetici & abreptitij per hoc quod animas ferè ſolutas habent à corporibus ſublimioris cognitionis efficiuntur.

Intellectionis Dei luminoſitas eſt abſolutio ab alligatione materiæ.

Et hæc igitur ſunt indicia quibus ſuaderi poteſt omnem eſſentiam ſpoliatam & liberam intellectivam eſſe, eo quod immerſio in materiam obtenebratio ſit ipſius eſſe: unde & letheum flumen vocaverunt materiam nonnulli ex Philoſophantibus: nuditas igitur ipſius eſt luminoſitas ipſius, ſive abſolutio ab alligatione materiæ. Eſt enim expeditio intuendi ſe & alia, potiſſimum autē intuendi ſe ipſam, ad quod exemplum animæ humanæ manifeſtum eſt, fortaſſis autem de hoc erit nobis ſermo diffuſior cum de donis loquemur in tractatu virtutum.

Citat tractatum virtutum quaſi poſteriorem.

Non oportet autem immorari in iis, quoniam primum ens quod eſt primum aliis neceſſe eſt eſſe purum ex omnibus modis, & ideo quæcumque eidem inſunt, ſive de eodem dicuntur, imprimis & maximè de eo dici, ſicut ipſum primum eſt & maximum; & ita neceſſe eſt omnia ſua prima eſſe & maxima: proportionalia enim ſunt ipſum & ſua, & unumquodque aliorum & ſua illorum: quare erunt permutatim proportionalia, ut ſicut eſt ipſum ad alia, ſic ea quæ ejus ſunt prima & maxima neceſſe eſt eſſe ad omnia quæ aliorum ſunt. Sapientia igitur & bonitas & quæcumque alia illius in ultimo ſunt, alioquin nec maximæ eſſent nec primæ eſſent, non maximæ, quoniam quæ eſſentialiter inſunt, & majora ſunt, & inquantum inſunt, quam quæ non eſſentialiter: ſicut magis calidus ignis, & magis ineſt ei calor, quam ei quod calidum eſt. Primo ergo & maximo omnia quæ inſunt ſunt prima & maxima, & primo & maximè: & hoc eſt nobilitas ejus, & præcellentia ultima, ut nihil ei ſit ſecundarium, aut minus, aut diminutum; ſed omnia in ultimo perfectionis, ultra quam non ſit cogitare perfectionem.

Quæ inſunt Deo prima & maxima ſunt, ut & ipſe primus ac maximus.

Potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei præſtantiam exemplis manifeſtat.

Et poſſe igitur, & ſcire, & velle ſunt ei in ultimo nobilitatis, & in ſupremo præſtantiæ. Imaginare ergo ſi potes potentiam ejus ſicut fontem abyſſalem, inexhauſibilem, redundantiſſimum magnificorum, & mirificorum operum quibus non ſit numerus: eodem modo & ſapientiam ejus fontem abyſſalem luminis, flammarum artificiorum cæterarumque illuminationum ſpiritualium: ſimiliter & bonitatem ſive voluntatem, ſive amorem quo diligit omnia bona imaginare velut fornacem abyſſalem ignis ſpiritualis, qui amor eſt, & juxta iſtos modos quære tibi vias ad imaginandum ex iis ſimilibus corporalibus magnificentiam & mirificentiam ipſius; & qualiter ſit ei ultimitas nobilitatis ex omnibus modis ſuis, & primitas atque maximitas, & copioſitas affluentiſſima per omnem modum. Et revertamur ad id in quo eramus, & dicamus quia primæ poteſtati, ſive dominationi ſubſunt omnia, quoniam non eſt aliud ab ea niſi per voluntatem ipſius, nec tenet aliquid in eſſe, niſi quod vult, & quando vult, & quomodo vult, omnino vero nec prohiberi, nec cogi poteſt. De his autem, mala ſi ab ea ſint, & qualiter ſuo loco dicemus. Hæc igitur poteſtas eſt univerſale imperium, & dominatio coercens omnia. Similiter autem & ſapientia prima lux per ſe ipſam, ut jam oſtendimus, ſe ipſam & omnia alia oſtendens quod eſt lucis proprium.

Comparatio ſapientiæ divinæ cum noſtra.

Noſtra vero ſapientia eſt velut impreſſa per modum exempli, & velut infuſum & illuminatum, & velut liber ſimilitudinibus rerum inſcriptus, & velut apparitio formarum in ſpeculo reſultantium, eſt enim ſpeculum intellectus noſter, in quo intelligibilium reſultant apparitiones. Prima vero ſapientia neceſſaria eſt velut exemplar omnium per ſe ipſum, non inſcripta, vel inſculpta exterius, ſed per eſſentiam ſuam eſt exemplar omnium: quare ipſa eſt primum intelligibile, & id quod vocant quidam mundum Archetypum: & propria debet dici ſapientia, & ars univerſi: ſimiliter ſpeculum & imago & ratio, quoniam apud eum ſunt rationes, & ideæ exemplares omnium, non impreſſæ, vel infuſæ, ſive adventitiæ, ſive acquiſitæ ullo modo, ſed eſſentialiter: quare omnia ſunt unum in illa, eo quod ejus eſſe & eſſentia unum ſunt per omnem modum. Ipſa igitur eſt lumen præclarum, ultra quod non eſt lumen: quare ipſa eſt lumen luminum omnium, quoniam omne aliud lumen eſt lumen quod luminatur, non lucens per eſſentiam, quia ſi fuerit aliud ab ea quod ſit lumen per eſſentiam ſuam, cui luminoſitas ſua ſit eſſentialis, erit ejus lucere, & ejus eſſe res una: quare lucere eſt ei eſſentiale; jam autem prohibuimus illud eſſe cui eſſe ſit eſſentiale. Hæc igitur cauſa eſt quare ipſa nominatur lux, & lux eſſentialis ipſa ſua eſſentia lucens & illuminans, & per hoc dicitur liber vitæ, ſcriptum veritatis, quia in ea eſt legere ſeries omnium ſæculorum, & in ea ſcripta ſunt eſſentialiter omnia, non quia eſſentiæ omnes in ipſa ſint, ſed exemplares omnium ideæ, per modum quem diximus. Per hanc viam eſt philoſophari de voluntate ipſius quæ dicitur benignitas pura, quam nihil externum movere potuit: totum enim quod amat ſibi ipſamet eſt, quare non finis movens exterius, cum voluntas ipſius acquiſita non ſit: Hoc ergo modo voluit eſſe quæ ſunt quo largius vult eſſe opera longanimitatis, ſive gratuito exuberans illa de abundatia ſuavitatis, quæ eſt largitas. Sic ipſe gratis voluit & gratuito, nihil commoditatis accreſcere ſibi ſciens ex rebus. Cui ſi laus quædam & gloria exterius ſubſecuta fuerit in commodum glorificantium infunditur, alioquin negotiatrix & mercenaria eſſet benignitas, quæ velut quodam finis ſui pretio veniſſet ad opera. Quia igitur gratis voluit, ut res eſſent. Eſſentialiter igitur benigna eſt, quoniam hæc eſt ratio benignitatis gratuita, ſcilicet alicui commodi cujuſque bona voluntas, abſit ab eo ſimoniaca iſta benignitas.

Nihil Deo accreſcit commoditatis ex rebus.

CAPUT X.

Licet ſapientia, & voluntas, & potentia divina ſit æterna, non oportet aliquem effectum fuiſſe ab æterno.

QUoniam autem poteſtas primi potentis, ſapientia primi ſapientis, & benignitas, ſive

Proponit rationem

Per peripateticorum omnia æterna eſſe dicentium.

† *externa*

voluntas volentis non ſunt eidem acquiſitæ, ſed eſſentialiter inſunt ei, opinati ſunt inter philoſophantes præcipui ſcilicet peripatetici ejuſdem operationes æternas eſſe, eo quod † æterna non induxerunt ipſum ut vellet aliquando ſic, nec factus eſt potens alicujus, ut jam ſcimus: quia igitur tota ſufficientia operationum ipſius ſunt tria hæc quæ nominavimus, nihil autem amplius exigitur ad hoc ut exeat artifex in opus niſi fortaſſe extrinſeca adjutoria, qualia ſunt receptibilitas patientis & propinquitas ipſius ad agendum, aut media ipſa: univerſalis autem artifex non eguit unquam iis adjutoriis, quantum ad primas operationes ſuas; alioquin non eſſent primæ. oportuit enim prius fieri hujuſmodi adjuvantia. factio igitur hujuſmodi adjuvantium præceſſit, potentia igitur primi factoris non eſt adjuta extrinſecus: quare ipſe primus factor eſt tota ſufficientia eorum quæ exigebantur ad eorum eſſe & neceſſaria ſunt & ipſa ab æterno, neque præter ipſum primum factorem neceſſe videtur eſſe & hoc idem, ſive immediate ſive per medium etiam ab eo aliquid fiat, quia de medio, & de aliis adjutoriis eodem modo eſt ratiocinari, quia etiam exteriora omnia quibus indigere poterat ejus operatio ab ipſo neceſſario ſunt, quare immediatè ab ipſo, & tunc æterna quemadmodum diximus, eadem autem & de mediis occurreret ratio: hæc igitur via deducet eos ad hunc finem ut cogat dicere omnia æterna.

Solvit prædictam objectionem & probat res eſſe ut vult Deus vel nunc vel ſemper.

Dicemus igitur quia voluntas divina abſolute & quacumque conſideratione, non eſt cauſa eſſendi aliquam rem, V. g. quia Deus vult aliquam rem eſſe, non facit eam debere eſſe nunc. ſed quia vult nunc eſſe hoc ſine dubio facit eam neceſſario nunc eſſe. Voluntas igitur eſſendi ſemper, & voluntas eſſendi nunc, facit eam eſſe nunc & voluntas eſſendi ſemper facit eam eſſe ſemper. Voluntas autem divina eſt ut ſit ordo in rebus, & ſit una poſt alteram ſic ergo non oportuit motum, vel cœlum eſſe æternum, quia ipſe non voluit, niſi ut eſſet in tempore: tamdiu igitur neceſſe eſt unumquodque eorum eſſe quamdiu fuit beneplacitum ipſum incipere unde autem manifeſtum eſt mundum non eſſe æternum, quia creatum, vel factum, vel eductum de poſſibilitate ſua in effectum confiteri oportet; quia creationem ejus fuiſſe neceſſe eſt, quæ ſecundum ipſos nec in tempore, nec in æternitate, nec neceſſario, nec æterna eſt, nec habet initium exiſtentiæ ſuæ, nec habebit finem: erit igitur creatio mundi, non igitur increatus fuerit, quod eſt omnino frivolum, ſi non in tempore vel in inſtanti fuerit, tunc mundus neceſſario creatus eſt in tempore, & ex tempore.

Item primus factor aut operatus eſt ad hoc ut eſſet mundus aut non; ſi non, qualiter ergo cauſa ipſius, aut artifex dicatur: ſi ſic, ejus operatio aut habuit moram, aut non; ſi ſic, aut finitam & hoc eſt tempus, & ita in tempore, & ex tempore acquiſitum eſt ei eſſe: ſi infinitam, tunc impoſſibile eſt vere mundum eſſe creatum, eo quod infinitum, interminabile eſt. Quod ſi moram non habuit, tunc neceſſario inſtantanea fuit, & conſummata in ipſo nunc, cum ſubito factus eſt mundus ſecundum hoc. Amplius aut infinitum eſt quod adhuc fluxit de tempore, aut non; ſi ſic, qualiter infinitum, cum jam tranſierit totum? infinitum enim ſimpliciter intranſibile eſt, infinitum in numerando, intranſibile eſt in numerando.

Probat mundum non fuiſſe æternum duplici dilemmate.

Deinde ſi nihil prohibuerit quin totum tranſiret nec tranſire prohibebit in eo quod adhuc futurum, quin totum tranſeatur, & quin etiam verum futurum ſit aliquando, totum illud tranſiſſe, ſicut eſt verum modo totum illud de tempore tranſiſſe, quod uſque in præſens nunc defluxit. Quod ſi verum erit aliquando totum quod futurum eſt de tempore tranſiſſe: non igitur infinitum eſt quod de tempore futurum eſt. cum ſit ex utraque parte ſui terminatum, quod enim de tempore terminum initialem habet præſens nunc, finalem autem habet id in quo primum verum erit ipſum totum tranſiſſe. Quod ſi quis dixerit quod infinitas ſua debet prohibere ipſum finiri, quemadmodum præteritam præteriti jam temporis partem prohibet incapiſſe; non hoc quæſtionem habet, ſi non prohibeatur tota futura elapſa, ſicut prior.

Reſpondet alteri peripateticorum objectioni, de æternitate mundi.

Id cui maximè innituntur, & velut principio utuntur in probationibus ſuis hæc propoſitio eſt, quæ eſt. intellectus purus & verus teſtatur: quod ſi eſſentia una ſic eſt modo, ſicut erat ante, cum non erat ab ea aliquid, nec modo erit ab ea aliquid: & hoc eſt principium totius erroris quo erraverunt in hoc. Quod autem id falſum ſit ſic oſtendimus: aut poteſt Deus creare aliquid quod nullo modo pendeat ex his quæ ſunt, aut non poteſt; ea quæ ſunt intelligimus alia ab ipſo: ſi non poteſt, hoc eſt idem ac ſi diceretur non potuit cauſare niſi unum ſolem, & finis potentiæ ejus in his quæ ſunt, quaſi non potuerit cauſare alium mundum quam cauſaverit, nec alium ſolem, aut aliam lunam. Jam autem oſtendimus, & in hoc nobiſcum convenient, quod per electionem, & voluntatem operatus eſt primus potens: quæ igitur ſit electio, ſi alia cauſare non potuit? poſtquam non erat ei liberum cauſare, vel facere alium mundum, aut majorem, aut minorem aut meliorem. Quis quæſo arctaverit ejus potentiam ad iſtam artem? an quia forte non ſufficiebat facere majorem, aut meliorem; hoc autem inde apparet eſſe impoſſibile, quia poſſe primum eſt poſſe abſolutum, & poſſe ſimpliciter, non poſſe hujus aut illius, ut eſt in nobis poſſe currendi, aut non currendi. Quod ſi dixerit quis quod poſſe primi potentis nominat aliquid facere; hoc autem falſum, quoniam iſte homo poteſt generare, qui tamen non generabit, & poſſunt eſſe homines ex generatione ejus, qui tamen non erunt, & animæ eorum creari quæ tamen non creabuntur.

Quid faciat potentiam determinatam exponit.

Redeamus autem & dicamus, quia potentia certi & determinati ſimiliter alligata eſt aliquomodo aut inſtrumento, aut ſubjecto, quibus trahitur ad proprium finem, ſcilicet potentia gradiendi in pedibus & aliis quibus greſſus perficitur, quæ ſua forma in illa ad greſſum aptata ſunt, & generaliter quod ad unum aliquem finem eſt facit debere potentiam non eſſe liberam, & abſolutam omnibus modis: quod enim ultra finem præſcriptum nihil poteſt, aut prohibens facit, aut impotentia. Quod enim fortes aquæ & copioſæ exuberant, & variæ & multæ de affluentia & copioſitate fontis eſt, quod igitur raræ, aut paucæ, aut invalidæ ex defectu. Item quia poſſibile in ſe ſimpliciter dicitur & non alicui, nec ad aliquem determinate, ergo & potens per ſemetipſum non alicui us erit participatione & determinate potens, ſed erit potens ſuper poſſibile abſolutum: poſſibile enim eſt potens recipere eſſe, potens vero per ſemetipſum eſt abſolutè potens dare abſolutè, quod non eſt potens dare per ſemetipſum non magis potens eſt dare uni quam alteri; quia tunc non poſſet dare per ſemetipſum ſolum, ſed eſſet potentia ejus alligata aliquo modo rebus, aut pendens ex rebus: quæcumque enim eſt per ſemetipſum ſolum, æqualiter eſt, quare potens dare per ſemetipſum non reſpicit niſi potens recipere per ſemetipſum abſolutè.

Probat Deum non mutari creatione alicujus de novo.

Potentia igitur abſolutè prima neceſſario eſt ſuper poſſibile abſolutum, ut diximus: certum eſt autem quod hujuſmodi quod ex rebus quæ ſunt non pendeat aliquo modo poſſibile eſt in ſe ipſo: primus igitur potens eſt potens ſuper illud: poteſt ergo

dare

dare eidem eſſe, cum illud ſit in ſe ipſo potens recipere. Poſito ergo poſſibili, ſcilicet quod det ei eſſe nullum accidet impoſſibile. Eſto ergo idipſum quod modo tenetur: aut igitur prima potentia, & eſſentia eſt ut erat prius omnimodo, aut non: ſi ſit, nihil igitur prohibet unam eſſentiam eſſe ſicut erat cum non erat aliquid ab ea: intellectus igitur purus & verus non teſtatur contrarium. Si vero non eſt ſicut erat prius, tunc facta eſt in ipſo variatio & permutatio & hoc ipſi non recipiunt, & merito: ſed nec in rebus, nec ſi in rebus oportet ſtatim variationem eſſe aliquam, ſive permutationem in eſſentia illa, cum non pendeat ex rebus ullomodo: quare creatione ejus nihil novum oportet fieri, aut in ipſo creatore aut in rebus

Ex eo quod aliquid ſit novi deſtruit rationem aſſertorum æternitatis mundi ex nova productione mutationem in Deo ſe reputantium.

Jam igitur deſtructum eſt illud erroris principium quod ipſi vocabant puri intellectus & veri teſtimonium: non enim dubium, quin quemadmodum dator ad receptorem, ſic potens dare ad potentem recipere, quia potens primus ſuper poſſibile abſolutè quodammodo dicitur. Alia etiam via deſtruimus errorem iſtum & dicemus, quia aut eſt aliquid novi aut omnia ſunt æterna, novæ certè permutationes, aut nihil eſt tempus aut motus: & in hujuſmodi deſtructione non oportet nos immorari. Si vero aliquid eſt novum vocem ipſum A: aut igitur tota erit ſufficientia eorum quæ exigebantur ad eſſe A. aut non; & vocemus ſufficientiam cui nihil deeſt, nec pars, nec modus, nec operatio, nec aliquid aliorum quæ adjuvant operationem quoquo modo, dum tamen illud exigat ad eſſe ſuum illa operatio. Si fuit iſta ſufficientia ſecundum hunc modum eorum quæ exigit eſſe ipſius A, ergo & ipſum A, erit prius, quare non eſt novum; hoc enim vocamus novum, quod prius non erat, & modo eſt. Si vero non erat tota ſufficientia; ſic igitur ad eſſe ejus non erat ſufficiens, & ita erit hoc in infinitum, aut ponetur in aliquo tota ſufficientia ſua, & eſſe tamen ipſum non eſſe per illam; & erit verum, quod hæc multitudo eſt ut prius eadem omnino cum ab ea eſt hæc nova eſſentia, nec tamen prius erat ab ea, & ſi non eſt omnimodo ut prius, aliquis ex modis deeſt qui exigebatur ad hoc ut ipſum creatum eſſet: quare non eſt tota ipſa multitudo.

Idem confirmat quia ſequeretur dari proceſſum in infinitum.

Quia profectò iſte modus eſt ut determinavimus, de ipſa multitudine, poſitum autem erat totam multitudinem eſſe: quare relinquitur eis ut vel ponatur hoc ire in infinitum aut hoc factum ſit quod impoſuerunt intellectui non puro. Quod ſi dixerint, hoc ire in infinitum, unumquodque cauſatum ſecundum eos quod non eſt æternum egebit infinitis, non enim eſt ſermo niſi de iis rebus quibus indiget infinitis aliis. Hoc autem inde manifeſtum, quia & cauſæ uniuſcujuſque finitæ, & adjumenta finita, & operationes finitæ quibus indiget cauſa efficiens in unoquoque ad hoc ut operetur, impoſſibile enim erit aliquid fieri de novo, cum ad hoc ut fiat aliquid neceſſe ſit eſſe omnia: quare unamquamque operationem comitabuntur infinitæ & unumquodque motus infiniti. Neceſſe enim fieri B, ad hoc ut fiat A, cum A, indigeat ipſo B: ſimiliter & ad hoc ut fiat B, neceſſe eſt fieri C cum C, ſit quod deerat ad hoc ut eſſet vel fieret B, & ita oportebit fieri infinita ad hoc ut unumquodque fiat, hoc autem inde manifeſtum eſt eſſe impoſſibile, cum in uniuſcujuſque creatione, ſive generatione finita ſint quæ operantur, & cauſæ omnes finitæ, ſicut & adjuvantia, & media, & ea ſecundum quæ eſt ipſa operatio, & finita ſint quæ intenduntur.

CAPUT XI.

Quod voluntas divina novas res producit immutabilis omnino permanens.

Probat voluntatem non mutari cum producit aliquid novũ.

JAm igitur certum fecimus, quod cauſa una ſive unum ſit ſive multa, eſt ut erat prius, cum non operabatur, & modo operatur: & hoc eſt indicium gubernationis & providentiæ Dei altiſſimi cujus nutu & voluntate eſt, ut quandoque operetur quæ prius non operabatur, cum nec in ipſis fiat ulla mutatio aut adjumenti additio: habent enim totum quod neceſſe eſt ad operandum. Voluntas autem operantis omnino eſt ut poſt apud imperantem & volentem: ab æterno namque voluit, ut hoc fieret nunc: & non ante, nec prius, † niſi voluntate ejus eſſet aliquid novum additum operantibus mediis inter ipſum, & poſtremum effectum, cum ſufficiant eis ad operandum ea quæ eis data ſunt ab ipſo, non enim ſufficiat ponderoſo pondus ad aliud acquirendum, niſi ſuum naturale; verumtamen ſi acquirit id quo fuerint ei acquiſita loca media. certum enim eſt quod ignis effectivus eſt aduſtionis; vidit tamen Moyſes rubum ardentem non arderi. & aqua nata eſt fluere, ſteterunt tamen fluctus maris rubri. & aquæ jordanis ad tranſitum filiorum Iſraël. Aut igitur ignis immutata eſt potentia, aut nova data eſt rubo ad reſiſtendum: & ita non fuit mirabile quod rubus non adurebatur, cum vel ignis non haberet ſufficientem ad hoc potentiam, aut rubus ad reſiſtendum novam potentiam recepiſſet, qua ſe illæſum tueretur; & eſſet illuſio, & non miraculum, cum non eſſet ignis verus qui videbatur aut verus rubus qui naturam aduſtibilem amiſiſſet. Illuſum quippe eſſet Moyſi, cum rubus quem aduſtibilem credebat, tunc aduſtibilis non eſſet, aut ignis qui aduſtivus erat, non aduſtivus videretur. Idem & de aquis remanentibus.

† *f. l. Nec niſi voluntate ejus eſſet aliquid novum additum operantibus mediis inter ipſum & poſtremum effectum cum non ſufficiant eis &c.*

Valde perturbatus eſt locus iſte.

Rubus incombuſtus Moyſi viſus propriam naturam retinuit ut & ignis ipſe quamvis non combureret.

Rectius igitur eſt ut ignis omnino ſalva natura ſua in rubo fuerit, & rubus in poſſibilitate ſua naturali permanens omnino illæſus extiterit. Quia igitur natura ſua ſufficiens ad urendum appoſito ſibi combuſtibili, certum eſt quod ſi poſt modum aduſiſſet rubum, eſſentia ipſius ignis ſit per omnia ſicut prius cum non adurebat, non enim oportuit ad perficiendum aduſtionem addi ei virtutem novam, vel augmentum virtutis; cum eidem natura ſua in hoc ſufficeret, & in omnibus diſpoſitionibus ſuis omnino ſalva & illæſa ipſa perſiſteret, ut oſtendimus, ne miraculum præſtigioſa putaretur illuſio, igitur una eſſentia eſt ignis ſicut cum non exibat ab ea aduſtio, & ſuſceptibile ut prius. Cauſa autem prima apud ſe per omnem modum immutabilis, nec eſt in aliquo immutans ignem ut aliquid eidem afferat novum, aut aliquid quod prius haberet auferret. Quod ſi quis dixerit quia alligatam tenebat ejus potentiam Deus: quæro an alligatio iſta aliquid eſſet aut nihil? Si nihil, tunc verum eſt quod diximus ſupra, quia eſſentia ignis omnino eſt ut prius: ſi vero aliquid eſt quod faciat ignem in effectu † mulcebrem, qui tamen poteſtate aduſtivus erat, fantaſtica fuit miraculum illud illuſio, non veritas.

† *Vox inuſitata quo ſignificetur demulceri & emolliri vis ignis.*

Natura tota ſervit divinæ voluntatis imperio, abſque ſui mutatione ulla.

His igitur exemplis manifeſtum eſt eos impoſuiſſe puro & vero intellectui falſum teſtimonium. Sed obliti ſunt ejus quod ipſi quidem rectè dixerunt quia natura non operatur ſecundum electionem & voluntatem, ſed ad modum ſervientis: quia revera pendet à nutu, & voluntate omnibus imperantis dominationis: cum enim toto eſſe ſuo pendeat ab ipſa, impoſſibile eſt ut ſit ei abſolutum & liberum

operari abſque nutu & beneplacito illius. Et hoc eſt in quo erraverunt plus attribuentes naturæ, quã ipſa poſſet, non attendentes quod totum poſſe divino ſubeſſet arbitrio. Impoſſibile namque eſt ut lux effluat de ſe lumen abſque diviſione & diminutione ſui ipſius, & omnino abſque læſione eſſentiæ ſuæ, ne creare videatur lumen ipſum per ſe ipſam, & hoc eſt quia in ſe ipſa indigens eſt. Qui igitur abundat, & exuberat illud aliunde lumen habet, quare lux non eſt cauſa luminis per ſe ipſam, ſed alij debet ut ſit cauſa: quemadmodum & quod eſt datori debet ipſius eſſe, & hoc ipſum quod eſt cauſa luminis recipit à fonte univerſali abſque ſua ulla vel alterius mutatione. Ejus exemplum eſt ecclipſis ſolis in ipſa paſſione Salvatoris veri ſolis, cum ſol extraxiſſe radio dicitur, quod utique per ſe ſol non potuit, ſicut neque ſpargere. Quæ igitur cauſa fuit, ut lux per radios lumen non ſpargeret, totum erat cœleſtis arbitrij: ut enim uſque ad exuberantiam impleatur fons luminis de implentiis omnia beneplacito eſt, ut moderetur largitionum ſuarum indefeſſam effluentiam pro voluntate ſua, & beneplacito ejuſdem ſubeſt.

Cauſalitatem cauſarum creatarum ad Deum refert & variis exemplis illuſtrat.

Iſti autem ſic loquuntur tanquam Deus naturas ſub ſe ipſis reliquerit, & non cura ſuæ gubernationis eas coerceat moderetur, & ordinet: & tanquã per ſe ipſas aliquid poſſint, quod profecto ſi eſſet univerſum minimæ ſtaret cum repugnantibus invicem naturis, & ſe mutuo deſtruentibus. Sed hic indubitanter verum eſt, quia poteſtas naturarum ſola voluntas eſt conditoris, nec aliquid contra eam, nec ſupra ipſam, nec præter ipſam poſſunt, & hæc quieta & pacata apud ſe per omnem modum. Hoc principium & lex eſt omnium motionum & mutationum naturalium, ſi namque ſibi relinquerentur illæ neceſſario reciderent in non eſſe, ſed quæ voluntate creatæ ſunt, voluntate ſtant adhuc, & tenentur in eſſe, & operationes earum regit qui tenet, & ſalvat ipſas, ſive intelligatur à nobis modus ille gubernationis, ſive non: & certas & limitatas habent virtutes, ſive ſis ſufficiens comprehendere eas, ſive non. quare nulla eſt omnino neceſſitas ipſi naturæ quantum in ipſa eſt, ut operetur & effluat de ſe aliud; ſed hoc cogit, & facit vehementia, & velut torrens primi fluxus. Cujus exemplum inter ſenſibilia maxime adeſt in ſole, vehementia enim & abundantia luminis facit, ut etiam radij ulterius effluant, & illuſtrent ſibi vicina. Aliud exemplum ejuſdem eſt torrens vel fluvius inceſſanter fluens, in quo unda undam impellit, & ulterius effluere cogit: ſic fluvius bonitatum, & torrens ſuavitatis fluens à primo fonte cogit ſingulos rivos, & fluxus ulterius effluere. Fluvius autem iſte eſt univerſitas, rivuli vero univerſitatis ſingula, impellunt igitur ſe mutuo fluxus hujuſmodi dum ab invicem mutuo recipiuntur, & mutuo unus ſuper alium fluunt, & viciſſitudo iſta in mundo ſenſibili viget; in mundo vero intelligibili hoc eſt in univerſitate ſpiritualium ſuperiora ab inferioribus non videntur recipere, ſed magis è contrario. Aliud exemplum eſt in anima humana à qua indeſinenter fluens vita ad modum luminis totum corpus illuſtrat, & indeſinenter fluxus iſte repetitur copioſitate & affluentia ſui fontis, quoniam fons univerſalis jugi influxione vitæ ſemper redundare cogit in corpus, quamdiu capax vitæ eſt & ad receptionem vitæ idoneum.

Exponit iterum cauſalitatem cauſarum ſecundarum, ut eã videatur ſoli Deo tribuere.

Naturæ igitur non ſunt ſufficientes effluere ex ſe alia, niſi inquantum uſque ad redundantiam implentur influxione primi fontis eorum poſſibilitas, & hoc quidem ut effluerent & exuberarent in alias cogit primi fluxus copioſiſſima vehementia omnino ſubeſſe beneplacito influentis ut ſtare faciat ipſum, & detineat cum voluerit abſque ulla omnino ſui ipſius mutatione: ſic autem fluxus à natura aliqua eſt non de plenitudine ejus quoniam hoc eſt illi impoſſibile ut det eſſe alij per ſe ipſam eo quod ſic ordinaverit eſſentias creator & ordinator earum: ſic etiam ordinate impleat ut ordinem eſſentiarum imitetur ordo illuſtrationum, hoc eſt quoniam omnis plenitudo, & omnis perfectio non poteſt fluere niſi à primo fonte, & ſi per media oportear eam effluere, nec poteſt ſe debere alij, niſi illi; niſi forte quis dicat quod illuminatio debet ſe feneſtræ, quod quidem dicendum non eſt etſi illuminatio domus indigeat feneſtra. Magis igitur dicendum eſt quod debet ſe ſoli comparatione primi, quemadmodum feneſtræ comparatione † ſolis. Omnem enim fluxum à primo deſcendentium viæ quædam & feneſtræ mediæ naturæ ſunt non cauſæ niſi aliquantulum abuſive accepimus nomen cauſæ. Sicut autem fluvius loca contigua replet per quæ tranſit, & iis impletis exundat in alia, ut eas ſimiliter impleat; ſic exuberantia primi fontis propinquiores ſibi prius implet eſſentias, & plenitudinem earum facit medium impletionis aliarum: quemadmodum fluvius plenitudinem concavitatis quam impleverit viam habet ad implendum alia, & ſternit eam quaſi viam ſibi ad illa loca, non enim viam habebat qua tranſiret fluxus ejus ad illa

† ſ leg.

Comparationes ſecundi.

CAPUT XII.

Quod res omnes de exuberantia ſupremi largitoris juxta ſuum beneplacitum effluunt.

Quod Deus fluxum ſuæ benignitatis ſiſtat juxta beneplacitum ſuum.

QUod igitur poſſe creaturarum ultra legitimos fines & præſcriptos extenderunt, manifeſtum eſt quod & unicus omnium Philoſophantium nobiliſſimus vidit: dixit enim quod indicium largitatis datoris bonitatis eſt obedientia univerſorum ad ipſum, hoc eſt quia unaquæque res compellitur dare ſe ipſam, quod quidem rebus natura eſſe non poteſt, ut ſe ipſas dent, ſed cogit illud copioſiſſima largitas univerſalis largitoris. Niſi quis dixerit naturam eſſe unicuique rei Imperatoris univerſalis imperium ſive beneplacitum. Verumtamen placuit creatori ſiſtere fluxum ſuæ bonitatis in unaquaque ex rebus, ut non habeat poſſe res ipſa ulterius effluendi; neque amplius, aut minus, propter ſtatum fluxus in ipſa, de fluxu habebit. Sicut ſi lumen ſiſteret in feneſtra, nec plus, nec minus luminis haberet: quare ſol propter hoc nec amplius, nec minus efflueret. Nec moveat te reflexio, aut reverberatio luminis, quia multiplicationem facit quemadmodum accidit in ſpeculis concavis, quia non facit reflexionem ſtatus ipſe, ſed fluxus: cujus exemplum eſt redundantia aquæ de pleno, non enim redundantiam facere poteſt ſtatus aquæ in pleno, ſed copioſitas ejuſdem, & fluxus. Sicut eſt in lumine ad hunc modum, & in naturis ſe habet, ut propter hoc nec magis, nec minus de fluxu primi fontis recipiant, quia viæ ſunt ulterioris effluxionis, & impletionis, quam ſi beneplacitum eſſet creatoris in ipſis ſiſtere fluxum ſuæ copioſitatis. Quare in ſe eodem modo prorſus ſunt cum eſt ab eis, vel per eas fluxus ſuper alias. Et tamen eſt beneplacitum creatoris ut non ſic, ſed reſiſtat in eis: ſicut eſt in exemplo rubi ardentis, & non adusti. unde & ardens ſecundum creatorem, quem imitari quolibet modorum impoſſibile eſt.

Licet Deus detineat vel effundat fluxum copioſitatis ſuæ non tamen ei advenit aliquid novi.

Non enim ex hoc quod quandoque detinet fluxum copioſitatis ſuæ, & quandoque effundit oportet aliquid novum eidem advenire, hoc enim eſt fortitudo, & copioſitas atque libertas poteſtatis ſuæ ut totum poſſit per ſe ſolum, & per eſſentiam ſuam;

Et

Et eſt bonitas, & benignitas ſua ut totum velit non inductus, non ſuaſus, non illectus, non coactus extrinſecus: & totum videat non illuminatus; quia ipſe per eſſentiam ſuam lumen eſt præclarum atque puriſſimum, præter quod non ſit lumen aliud, ſcilicet ipſi lucens in ultimo, & illuminans per ſe ipſum. Quia igitur in paſſione deinde ſalvatoris non fluxit luminoſitas ſolaris non oportuit eſſe extinctionem, aut immorationem luminis in ipſo ſole, licet & hoc fieri potuit; ſed ſalva & illæſa per omnia luminoſitate ſolari potuit creator facere, ut non effluerer luminoſitas per aërem. Et hoc eſt quod intendebamus manifeſtare ſcilicet errorem Philoſophantium in hoc quod neceſſitatem cauſandi & fluendi in alias poſuerunt in naturis; cum fluxus iſte, & cauſatio, ſi diligenter attendatur, magis ſit compulſio primæ largitatis. Nullomodo enim poſſibile eſt ut det eſſe quod ipſum recipit, det dico de ſe; ſi vero dat, & non de ſe, neque de ſuo, tunc via eſt acquirendi eſſe aliis, non dator; & nuntius quodammodo deferens eſſe, præcipuè ſi ad hoc recepit ut daret: hoc enim ideo ejus qui dat miniſterio deferens, ſcilicet alienum donum. Quare cauſa non eſt eſſe, niſi quia prius eſt, & intentio cauſalitatis non eſt niſi ordinatio prioritatis, ſcilicet ut cauſa dans eſſe intelligatur niſi quæ de ſe, & de ſuo dat præter primam univerſalem aliam eſſe impoſſibile eſſe manifeſtum eſt, niſi per modum quo diximus. Naturarum igitur & naturalium diſpoſitionum creator cauſa eſt, media vero, & quæ ipſi nominaverunt cauſas ad ſenſum cauſæ ſunt, ad rationem autem & veritatem ipſe ſolus: eo quod operari quidem videntur quæ de primo fonte fluunt cujus fluxus & meritum non adverterunt. Ideoque ſenſum ſicuti cauſas media vocaverunt. Quia igitur ſolus creator ſolus eſt in ſe ipſo, ſolus in ſe copioſus, ſolus de ſe & de ſuo dans manifeſtum eſt, quia ſolus eſt veri nominis cauſa.

Cauſæ ſecundæ ad ſenſum tãtum cauſæ ſunt, ſolus Deus veri nominis cauſa eſt.

CAPUT XIII.

Recapitulatio præcedentium quorumdam.

Creator eſſentia altiſſima eſt per ſe ſufficiens cui omnia ſubſunt.

ET jam quidem claruit ex his quæ præceſſerunt, quod eſſentia altiſſima eſt eſſe ſufficientiæ per ſe, & quod non eſt comparatione ejus coæquata alia, & quod ei ſubeſt univerſitas abſolutè non ſolius ordine poſteritatis ſed neceſſitate obedientiæ; & quia ipſa eſt dominatrix imperantiſſima ſæculorum, & quod omne beneplacitum ejus ut velit eſt quædam ſpontanea neceſſitas univerſo, & quod in ejus imperio non eſt ei rebellio, aut contradictio poteſtatis, & voluntatis quæ ejus omnino beneplacito ſubeſt: adeo ut nihil eam commutet, aut ordinet utens ea in adjumentum bonorum ſuorum, ut omnis mala voluntas ejus bonitati etiam non intendens, & invita deſerviat: & quod univerſum eſt velut verbum aut nutus, quo rationabilibus poteſtatem, ſapientiam & bonitatem ſuam loquitur: & quod univerſitas velut liber, aut tabula eſt creatoris mirificentia. & decore ſcriptus, rectè Philoſophantibus ad legendum, & ad diſcendum magnalia ejus apertus, & explicitus; & quia ipſa eſt quodammodo totius libri ſumma ad quam aperiendam, & elevandam tota ejuſdem libri vergit intentio. Ex quo illuxit nobis erroneorum vanitas, quibus in verbis hujus libri inſiſtere viſa eſt Philoſophiæ veritas. Singulæ quidem creaturæ, ſingula verba quodammodo, per creaturas ſuas de ſe loquentes, & poteſtatem, & ſapientiam, & bonitatem ſuam nobis immittentes. Iſto libro eget rudis, & elementaris intellectus: tanto autem apertius, lucidiuſque in ipſo creatore ipſum legat; quanto in ſe ipſa, quam in nutu, vel in ſigno ſuo perfectius, veriuſque veritas ipſa agnoſcitur.

Vniverſum autem eſt velut verbum Dei & nutus. Liber & tabula Dei mirificentia inſcripta.

Quod igitur ipſa ſit univerſalis poteſtas, univerſitas ſua ipſa faceret obedientia, quia ſapientia univerſalis univerſa coercens ordinatiſſimè, ſpecioſitaſque ipſa ſit ſuavitas univerſalis, non ſolum ſuavitas illa quæ velut perfuſa univerſitatis delectat utentes, ſed amor tenaciſſimus quo ei adhæret, atque ipſam complectitur univerſitas atteſtatur, & electione ſua ipſam præfert omnibus, & quaſi omnia ſuper ipſum negligit, dum eſſe ſuum unaquæque res toto poſſe ſuo conſervat atque deffendit. Eſt enim unicuique creaturæ eſſe quaſi quoddam creatori adhærere; & quod ſit bonorum omnium bonum clamat, & quoniam ipſa ſit potentia per eſſentiam ſuam, cujus amplitudo non habet coarctationem, & ejus poteſtas immuniſſima eſt à coarctatione, & prohibitione per omnem modum. & quod ipſa eſt ſapiens per eſſentiam, quæ eſſentialiter lux eſt, & ſpeculum univerſi, & ars, & liber, & ſæculum intelligibile, ſive mundus Archetypus, lumen præclarum omnium, pura lux, expers omnino tenebrarum, & umbrationis, cui omnia nuda, & æqualiter nota: & quoniam ipſa eſt volens, ſeu gubernans per eſſentiam benigna & larga benignitate, & largitate eſſentiali & gratuita, quæ nec ſuaſa, nec coacta nec venaliter munera ſua dat, ſed gratis omnimodo.

Vniverſitas creaturarũ Dei ſapientiam potentiam & bonitatem clamat.

CAPUT XIV.

Quod in prima fontali eſſentia ſunt tres res, quarum una habet eſſe fontaliter, & primitive ſecunda per generationem; & tertia per proceſſionem.

SEquitur ergo, ut aggrediamur ſi quomodo ſuadere poterimus, quod ipſam primã eſſentiam communicant tria quodammodo, licet unum ſint per omnem modum, & quod ipſam communicant, & in ea eſſentialiter, non participatione: in quo neceſſe habemus laxare artem, & circumſcriptam verborum rectitudinem cum balbutientes ſimus parvulis intellectu adhuc, donec eruditæ diſſertationis capaces effecti ſint. Dicimus igitur ex licentia diſputantium, & docentium tria quodammodo, & tres res, licet fides circumſpectioribus, & congruentioribus verbis eumdem intellectum noſtrum prædicet. Tria igitur, aut tres dicimus communicare primam eſſentiam, quorum unum habet eam fontaliter & primitivè, ſecundum per generationem ab illo, tertium per proceſſionem, qualiter decet eſſe primi doni à primo datore. Et de primo quidem dubitationem abſtulimus, palam namque eſt ex eis quæ jam diximus, quia unus eſt fontaliter; & primitivè habens altiſſimam eſſentiam; fontaliter autem intelligo, non ab alio ullomodo, & primitivè quod idem eſt. Hujuſmodi igitur fons eſt omnibus quæ poſt ipſum ſunt, atque principium.

Tria ſunt quæ communicant primam eſſentiam, & de primo quidem habente ipſã fontaliter ſupponitur:

Hujus fontis prima emanatio neceſſario eſt ſecundum copioſitatem ipſius, non ſecundum capacitatem recipientis; prius enim eſt unicuique quod ſecundum ſe quam quod ſecundum aliud: prior eſt igitur primo fonti emanatio ſecundum ſe, ſive ſecundum copioſitatem ſuam, quam ſecundum aljud.

Item prius eſt quod non indiget niſi uno, quam quod indiget duobus, prior igitur eſt emanatio quæ non indiget niſi fonte, quam quæ indiget fonte & alio.

Probat eſſe in Deo emanationem 1 quia prior eſt emanatio quæ ſecundum ſe. 2. Quia prior eſſe debet emanatio à fonte quæ non indiget niſi fonte.

3. Quia poſſe per ſe & agere per ſe antecedit poſſe per aliud, & agere per aliud.

Item ſi non eſſet emanatio à primo fonte quæ non indiget fonte ipſo, & alio: tunc non eſſet primus fons potens in ſe ipſum in primam emanationem: quoniam autem certum eſt quod ſicut poſſe ad poſſe, ſic agere ad agere: poſſe vero per aliud, aut cum alio neceſſario antecedit poſſe per ſe, & ſic agere per aliud agere per ſe ipſum: prima igitur actio eſt ex primo agente per ſe ſolum. Ad hunc primum modum oportet aliquid emanare ex primo fonte per ſe; alioquin non erit primum. Quod autem paucioribus eget neceſſario prius eſt, & perfectius.

4. Quoniã omne dans ſecundum ſe dat neceſſario quod habet.

Item omne dans ſecundum ſe dat neceſſario quod habet: quod ergo recipit eſſe à primo fonte recipit eſſe quod habet ipſe primus fons, aut quale habet primus fons, recipit igitur à primo fonte eſſe neceſſe per ſe ipſum, quoniam illud ſolum habet primus fons & ſolum tale, non enim habet alterius modi. Exemplum vero hujuſmodi eſt, quoniam ſi lucidum ſecundum ſe daret lucem, aut daret quantum habet, & qualem, aut ipſam quam habet; ſi autem ſecundum aptitudinem recipientis ſecundũ quod exigit aptitudo ipſius dabit Hujus eſt exemplum in aëre & aqua & vitro quæ à lucido pro varietate aptitudinum ſuarum varietatem recipiunt illuminationum.

5. Quia ab eodem inquantum idem non eſt diverſitas.

Item ab eodem inquantum idem non eſt diverſum, nec diverſitas, ſicut nec ab albo inquantum album, nec à nigro inquantum nigrum: ſimiliter ab uno inquantum unum, neque multa, neque multitudo, & à tali inquantum tale, nec alterius modi, neque varietas, & velut diſſimilitudo: & generaliter ex altero oppoſitorum, inquantum tale impoſſibile eſt eſſe alterum. Ex primo igitur fonte ſecundum ſe impoſſibile eſt eſſe aliud, aut alterius modi, quoniam inquantum emanans ſecundum ſe eſt unus & idem, & ejuſdem modi per omnem modum. Prima igitur emanatio à primo fonte, nec aliud, nec alterius modi eſt à primo fonte.

6. Quia prima pluralitas quæ magis accedit ad unitatem eſſentialis eſſe non poteſt.

Item quæ minus diſtat ab unitate minor eſt neceſſario multitudo, quam quæ magis diſtat à multitudine; quæ igitur pluralitas proxima eſt veræ unitati, & primæ illa eſt minima pluralitas, & minimè etiam pluralitas. Impoſſibile eſt autem ut minima ſit ſi eſſentialis eſt: impoſſibile eſt igitur primam pluralitatem eſſe eſſentialem: prima igitur dualitas aut trinitas, non eſt eſſentialis: ſed primus fons, & prima emanatio ſunt prima dualitas; quare impoſſibile eſt ipſos eſſe multa eſſentialiter; quoniam minus multa ſunt quorum eſſentia una omnino, quam quorum eſſentiæ diverſæ: quare prima pluralitas aut relatio aut rationis aut hujuſmodi eſt, nullatenus autem eſſentialis.

7. Ex eo quod idipſum recipiatur quod habet dator.

Item ſecundum idem eſt datio, & receptio, & neceſſario recipitur idipſum quod habet dator non enim ſubeſt illi cauſa diverſitatis ulla: quia igitur primus eſt emanans primam emanationem ſecundum ſe, & prima emanatio recipit ab ipſo ſecundum ipſum; alioquin non eſſet neceſſarium quod non recipit niſi quod habet ipſe: quare recipit quale habet eſſe & qualiter

8. Ex ſimilitudine quæ intercedit effectum inter & cauſam.

Item unicuique effectui eſt cauſa ſecundum ipſam & neceſſario inter cauſam, & effectum prima eſt, & eſſentialis ſimilitudo, ſive convenientia. Ex unoquoque enim ſecundum ſe non procedit niſi ſimillimum: diſſimilitudo autem non eſt ab uno ſecundum ipſum. Quare primus fons, & prima emanatio ſimiles ſunt prima ſimilitudine, & ſumma, quoniam inter eos nulla intervenit cauſa diſſimilitudinis, quoniam ſecundum idem emanat ille, & emanatur hic. Quia igitur inter eſſentiam altiſſimam primitivam, & quamcumque aliam nulla eſt omnino convenientia, nec in genere, nec in ſpecie, impoſſibile eſt primam emanationem eſſe alterius eſſentiæ, quam potentia: prima igitur emanatio eſt prorſus idem eſſentia cum ſuo fonte primitivo, licet ex modo differat ab ipſo.

9. Ex eo quod prima pluralitas communicat primum unum eſſentialiter.

Item omnis multitudo neceſſario communicat eſſentialiter unum quod eſt immediatè ante ipſam: V. g. multitudo ſingularium unum univerſale communicat, à quo procedunt immediatè, non enim aliter eſſet una multitudo quæ non unum aliquid communicaret, & ibi dividerent; unum enim ratione, & unum numero conjunctione ſua non faciunt multitudinem niſi forſaſſe ſub communi uno quod dividunt, & communicant: quare neceſſario prima pluralitas eſſentialiter unum communicabit quod eſt immediatè ante ipſam: quod ſi fuerit unum illud unum ratione, tamen non erit in eo terminata prima pluralitas. Erit igitur ultra ipſum neceſſario pluralitas: non erit igitur prima quæ in illo uno unitur. Reſtat igitur ut ſit unum numero, quod ſecundum modum intelligentiæ noſtræ præcedit primam pluralitatem eſt primum unum. Quare prima pluralitas communicat primum unum eſſentialiter, & ita primum unum ex modo aliquo plura, vel plures.

10. Ratio quod prima emanatio plurimum habet actualitatis & minimum potentialitatis.

Item quod remotiſſimum eſt à primo fonte eſſendi minimè eſt in effectu, maximè autem in potentia: ita ut potentialitas maximum ejus obtineat, actus vero minimum; & hoc eſt tempus, & omnis diſpoſitio non permanens quæ quaſi præſentialiter in effectu Quod igitur in ea facit maxima elongatio à primo, & minima appropinquatio, hoc facit ſumma appropinquatio & minima elongatio permutatim. Prima igitur emanatio plurimum habet actualiter, & minimum potentialiter; quod ſi ejus potentia non habet neceſſe eſſe per ſe ipſam, ſed fuerit potentiale eſſe in ſe ipſa, igitur prima emanatio in ſe ipſa nihil habebit omnino neceſſitatis, ſive actualitatis. Qualiter autem quod eſt neceſſitate ſecundum ſe ſit, tamen poſſibile in ſe non eſt videre, cùm iſta duo nec ſpecie, nec genere communicent, imo in ſe oppoſita quomodo ſint: quare alterum non communicabit alterum ſecundum ſe. Prima igitur emanatio non erit in omni parte poſſibilis, ſed eſt neceſſario inquantum emanatio potentialis inquantum cauſata eſt. quare ejus eſſentiam erit neceſſe eſſe primam.

Expoſitio verborum Philoſophicorum quibus uſi fuerat.

Quoniam verba iſta Philoſophica ſunt neceſſe eſſe, poſſibile, cave qualiter poſſibile congruere poteſt ei eſſe quod eſt actus purus effluxione quæ fit de eo, & ſecundum ipſum ſolum. Nam emanabit quaſi mixtum ex poſſibili & neceſſe: hoc autem eſſet ſi poneremus primam prolem, & primum donum per ſe ſive ſecundum ſe poſſibile, per eſſentiam vero neceſſe eſſe, omne enim quod ſecundum aliquid eſt potentiale & ſecundum aliquid eſt neceſſe, neceſſario eſt quaſi mixtum ex potentiali & neceſſe. Unde autem iſta mixtio? cum ipſum emanet ex puro neceſſe ſolo, & ſecundum illud non magis ponas poſſibilitatem ex ſimilitudine aliorum cauſatorum, quoniam longè diſſimilis eſt cauſatio primæ prolis ex primo parente, & primi doni ex primo largiente cæteris cauſationibus. Quamquam igitur cauſata ſit proles non tamen poſſibilis, ſicut neque minor ullo modorum quam cauſa ſua. Et hoc idem in primo dono dicimus. Primum igitur neceſſe eſt cauſa prima, prima proles nobiliſsima, primum donum magnificentiſsimum. Hoc igitur dictum ſit ſicut diſputantes ſyllogiſamus ex iis quæ concedit reſpondens ſcilicet quod vocata eſt poſſibile primo genita proles, & primum donabile donum

Probat id quod

Item dico quod prima emanatio ex primo fonte eſt unum per omnem modum, & ſimplex in ultimo;

quia

ſupra ex ſimplicitate primæ emanationis.

quia ſi fuerint in ſe multa, ut reperiat in ea intellectus hoc & hoc, tunc ex uno multitudo per ſe, & ex eodem diverſitas; quod niſi ſomnians intellectus non recipit. Deinde ipſa ex quibus compoſita eſt emanatio aut communicant in ſpecie aut non; quod ſi non fuerint communicantia in ſpecie, ſunt autem ex primo fonte ſecundum ſe immediate: Unde igitur in illis diverſitas? non enim ex primo fonte, cum totum quod habent à primo recipiant. Ex primo autem ſecundum ſe non poſſet eſſe diverſitas, ſi vero communicant in ſpecie totum non differt ſpecie ab ipſis, ſed fortaſſe numero, aut magnitudine. Quia igitur ſimplicia neceſſario ſunt priora compoſitis, & per conſequens toto neceſſario partes, partes primæ emanationis priores ſunt in ipſa prima emanatione: quare aliquid præcedit primam emanationem quod non eſt primus fons, quod autem non eſt primus fons neceſſario eſt emanatio ex illo. Igitur ſi quam poſueramus primam non eſt prima ſed antecedit ipſam alia, & ita occurret aliqua prima quæ neceſſario extat per omnem modum una: nihil autem eſt unum per omnem modum, quod non ſit eſſentia altiſſima, non quod ipſa eſſentia emanat ex fonte quocumque, ſed ipſa emanatio ex primo fonte communicat cum ipſo in prima eſſentia altiſſima

Exemplo fontis & aquæ fluentis ex eo proceſſionẽ filii exponit.

Hæc igitur nominatio fontis, & emanatio legitur ſapientiæ ſeptimo, & congruenter aptatur primæ dualitati, & adjuvat aliquatenus infirmum intellectum, quia fons omnis & ſua emanatio neceſſario ſunt una aqua, non quia eſt ex aqua, ſed quia aqua: nec aqua emanat inquantum aqua, tamen emanatio quæ utique non eſt niſi aqua, ex fonte eſt, & emanat fons, inquantum fons emanationem ſive fluvium Eſt igitur per modum aliquem aqua ad fontem viſibilem in quo eſt, & hoc quod eſt ab ipſo fonte, quod eſt eſſentia altiſſima, ad ipſum qui fontaliter, & primitivè habet ipſam, & ad ipſum qui eſt prima emanatio ab ipſo, & habet eamdem per emanationem. Hic igitur fons primus non copioſè emanavit ſi in deorſum tantum flueret, ſed neceſſario emanat in latus duos neceſſario & non plures, eos adæquans ſibi plenitudine ſua.

Quod eſſentia de ſe ipſa non generet, quã-quam ab ea & ex ea ſpargatur lumen eſſẽdi ſuper univerſum

Attende autem quod eſſentia de ſe omnino nihil emanare poteſt, quod enim de ipſa recipiat eſſentiam, utique non recipiet niſi ipſam, non enim in ea alia inveniretur: quia igitur de ea non niſi de eſſentia quia nullomodo invenitur aliud, neceſſario eſſet ipſa eſſentia emanans de ſeipſa & ita eſſet ipſa generans ſe ipſam, & genita à ſe ipſa. Non autem negamus quin ab ea & ex ea ſpargatur lumen eſſendi ſuper univerſum, ſed de ea impoſſibile eſt. Plus enim eſt dicere de ea, quam ex ea, vel ab ea, nec enim intelligimus eſſentiam ex hoc quod eſſentia eſt pacatiſſima & quietiſſima omnino in ſe, & apud ſe, non habens in ſe actu vel poteſtate niſi eſſe: quare de ipſa nihil omnino eſſe poteſt niſi eſſe, quia nec ipſa, nec aliud cum ea, nec actu, nec poteſtate ſit: non enim de ea exeunt rerum creatarum eſſentiæ, ſed eſſentiæ ipſæ eſſe ab ea recipiunt Impoſſibile enim eſſet multa eſſe quæ ſunt, ſi hoc eſſet quod de ea exirent: ſed res apud ſe, & in ſe multæ ſunt; apud ipſam vero quantum ex prima eſſentia eſt non habent diverſitatem ullam. Ergo converti in ſe eſſentiam altiſſimam, aut effluere de ſe in ſeipſam, nihil eſt; ſed ea eſt ſibi lux omnium pacatiſſima & quietiſſima non irradians ſuper ſe, videns omnia, ſed quietiſſimè, & pacatiſſimè præter omnem modum generationis in ſe ipſa, cui nulla ex operationibus omnino congruit, niſi cauſare, aut dare eſſe poſt ipſam. Ens enim inquantum ens non poteſt niſi in eſſentiam; quoniam inquantum ens non intelligitur niſi ſuper illa: quare ens inquantum ens nihil habet apud ſe, ſed eſt nudiſſimum & ſpoliatiſſimum: quare ex illo nihil exit per ſe, niſi per modum quo diximus: generatim vero omne quod per ſe ſolum generativum, ac fæcundum eſt, neceſſario habet apud ſe illud cujus eſt generativum, & fæcundum, & eſt de illo quaſi prægnans & gravidum.

Generationem eſſe oſtendit ex plenitudine & copioſitate rei, eãque eſſe potentiarum, & cauſationum primã & perfectiſſimam.

Terra namque ſi per ſe ſolam generativa eſſet aliquorum aut herbarum, aut animalium neceſſario gravida eſſet ipſorum, & haberet ea velut in quodam ſecreto, ſive ſinu, ſive gremio fæcunditatis ſuæ. Hæc igitur de ſe gigneret, quæ de occulto ſinu ſuæ fæcunditatis in lucem, & manifeſtationem educeret, & eſſet procul dubio potentia ejus plenior, atque copioſior ſi fæcunda hoc modo eſſet, quam modo ſit; cum modo aliunde recipit quod recipit, & non de ſe aut per ſe gignit, ſed ab alio recipiens. Non enim dubium eſt quin poſſit plus qui de ſe quam qui non de ſe, vel de alio, & qui poteſt in æquale, quam qui non poteſt niſi in minus: ſufficientior etiam eſt qui de ſe, & per ſe ſolum poteſt, quam qui de alio, & qui poteſt in æquale, quam qui non poteſt niſi in minus: ſufficientior etiam eſt qui de ſe, & per ſe ſolum poteſt, quam qui de alio, & per aliud. Quia igitur prima potentia ſeorſum eſt ab omni indigentia, ſed & in ſe copioſa neceſſario intelligitur, atque pleniſſima impoſſibile eſt eam eſſe ſterilem, & infæcundam, ſed magis generativam, atque fæcundam; omnium enim potentiarum copioſiorem, atque perfectiorem generativam eſſe manifeſtum eſt, atque largiorem; generativa enim aſſimilat & adæquat ſibi per omnia generatum. Major namque copioſitas eſt, poſſe de ſe dare, quam non poſſe dare, niſi de alio, ſic & de ſuo, quam de alieno. Generatio igitur cauſationum prima eſt, atque perfectiſſima prius enim neceſſario, & magis cauſa eſt, quod creat de ſe quam quod creat de alio vel per aliud.

Probat generationem eſſe omniũ cauſationũ primam & perfectiſſimam ex aſſimilatione & adæquatione generati ad genitorem.

Item generatum perfectius cauſatur à genitore, quam aliud cauſatum à cauſatore ſuo, quod oſtendit aſſimilatio, & adæquatio ipſius ad cauſatorem ſuum: cauſatio enim, aut factio, aut effectio non aſſimilat cauſatum ſuo cauſatori aſſimilatione ultima, & completa, ſed hoc facit neceſſario generatio quare generatio cauſationum omnium prima eſt atque perfectiſſima; quare neceſſe eſt ut præcedat cauſatorẽ inquantum generator, inquantum cauſatorẽ intellige. Quia igitur fæcunditas, aut copioſitas excellentia eſt, neceſſe eſt primam potentiã fæcundiſſimam eſſe, & eſſe generativam per ſe ipſam, eſſeque gravidiſſimam atque prægnantiſſimam, ſi dicere fas eſt, quod & ipſa de ſe dicit Iſaiæ ultimo. *Si ego qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero.*

Generationem filii oſtendit eſſe non potuiſſe, niſi acceperit quod erat in patre ſcilicet eſſentiam, eamque totam utpote impartibilem.

Jam autem certum eſt nobis, quia partus ejuſdem eſt ſuper omnes creaturas, & ſuper omnia tanto quanto generare plus eſt, quam creare, & de ſe, quam de nihilo ad eſſe adducere; non enim in gremio, ſive in ſinu, ſive in utero generativæ fœcunditatis accepit, niſi quod in eo invenit. Quare primum partum, ſive prolem primam primo generatori per omnia ſimilem eſſe neceſſe eſt, hoc enim ſonat generare, genus ſuum, hoc eſt † maneriem de ſe ipſo dare. Intellige autem ſi potes diſſimilitudinem unde eſſet inter ipſos, aut diverſitatem eſſentialem; non enim dedit de ſe genitor niſi quod habebat in ſe: quod ſi dedit ei aliam eſſentiam quam propriam illam, utique non dedit de ſe, ſed de alio, & alieno, non de ſuo; aliena enim omnis alia eſſentia. Deinde quomodo de ſe? ſi non aut eſſentiam, aut partem eſſentiæ dederit; ſed eſſentiam per omnem modum impartibilem eſſe jam claruit, Igitur totam ipſam eſſentiam

† Galliciſmus eſt infra etiam uſurpatus & in libris de Univerſo.

dedit primo partui, ſive proli primus parens, ſive genitor alioquin non generatio, aut partus eſſet ibi, hoc eſt inter eos.

Probat primum filium ſimillimum eſſe primo parenti quia exilit ſecũdum fœcunditatem potentiæ generativæ.

Item ſi pro fœcunditate, ac copioſitate potentiæ generativæ eſt ipſe partus qui de ea exilit, ſecundum ſe proles æqualis erit ipſi parenti, ſimillima per omnia, & imago ejus expreſſiſſima: cui enim dubium eſt, ſi mater hoc de ſe eſſentialiter ſola, & per ſe ſolam generaret filium, quin aut totam daret eſſentiam ſuam, aut partem neceſſario; alioquin non de ſe generaret, ſed de alio, ſi alienum quod utique non eſt ſuum daret.

Exponit quæ de filij generatione dicuntur in ſcriptura.

Cur igitur abſurdum eſt tibi primam potentiam nominare primum patrem, & primum exeuntem ex illa nominare primum filium, ſive primam prolem; & primum patrem illum primæ generationis, & ſinum primæ fœcunditatis, & plenitudinem primæ eructationis? hæc enim omnia ſe nominat ipſe in David, *filius meus es tu, ex utero ante luciferum genui te*. Ex utero utique id eſt ex ſe ipſo. Item *eructavit cor meum verbum bonum*. Ipſe filius in Joanne. *Unigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit illum*, id eſt patrem. Græcus vero habet in gremio, pro eo quod eſt in ſinu. Sed & os primæ locutionis ipſe filius patrem nominat ſecundum Salomonem. *Ego ſapientia de ore altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam*. Prima igitur proles ſapientia eſt. Unde autem prodit niſi de ipſo altiſſimo primo Parente, aut Patre ut oſtendimus.

CAPUT XV.

Quod una emanatio quæ eſt per modum generationis eſt ſapientia, ſive verbum: alia eſt per modum doni, ſeu amoris, qui eſt nexus amborum, videlicet ſpiritus ſanctus.

Quod potentia omnis ſpiritualis non operetur niſi per modum intellectus aut voluntatis.

QUod igitur os altiſſimi ipſe, aut prima proles ſapientia ſit, non ex hoc ſolo claret, quia ipſa eſt prima eſſentia; quæ in ſe ſapientia eſt, ut oſtendimus, ſed etiam ex hoc quod virtus, & potentia omnis ſpiritualis quæ in ſe eſt intellectus purus non agit, ut operetur, niſi per modum voluntatis, aut intellectus; & totum hoc eſt dicere per modum ſapientiæ; non enim agit corporaliter, hoc eſt motu, & actione corporali, ſed motu ſi fas eſt dicere, & actione ſpirituali: motus autem, & actiones ſpirituales non ſunt, niſi aut in ipſas eſſentias quæ moventur, aut ab ipſis; non enim ſunt in exteriora, aut ab exterioribus, cujuſmodi operationes ut ita loquar non egeant aliquo niſi operatore ſuo; intellectus enim non indiget niſi fortaſſe illuminatore ſuo, & hoc cum ipſe non eſt lux. Redeamus autem, & dicamus quod potentia ſpiritualis non poteſt eſſe gravida, niſi aut ſapientiæ quæ eſt ſapientia in effectu, aut voluntatis; quemadmodum intellectus humanus cum acquiſierit habitum alicujus artis gravidus eſt artis in effectu, hoc eſt meditationum, & verborum quæ ſunt verba rerum, quarum ipſa eſt, & de quibus eſt.

Quod intellectus generativus eſt non voluntas.

Quia igitur prima operationum, & actionum ſpiritualium intelligere eſt; velle namque ſequitur intelligere, neceſſario primus operator eſt intellectus: primus autem operator generator eſt, ut oſtendimus, primaque potentiarum omnium generativa eſt, quare ejus actus omnium primus. Igitur omnium operator eſt intellectus generator & fœcũdus, aut gravidus: Intellectus autem non eſt gravidus voluntatis: quoniam voluntas, ſive amor, ſive deſiderium non poteſt eſſe proles ipſius; & hoc eſt, quoniam in una vi ſecundum ſe non ſunt nec in unum genus: parens autem, & proles neceſſario in unum genus, & † maneriem: parens autem proli dat & genus, & nomen: Intellectus autem & voluntas ſolvit inquantum intellectus & inquantum voluntas conſiderantur nec nomine nec genere, hoc eſt manerie † communicant, ſed in diverſas ſpecies tranſeunt, quæ ſunt apprehenſio & affectio: una autem ſpecies per generationem nuſquam eſt alia.

† *Galliciſmus ut ſupra.*

Galliciſmus.

Amor non generatur primo quia cauſatur nõ ſibi ſed alij.

Diligenter autem attende, quia amor naſci non poteſt, neque cauſatio ejus poteſt ullomodo eſſe nativitas; & hoc eſt quoniam eſſe amorem eſt eſſe donum, & propter hæc cauſare amorem eſt cauſare donum, inquantum donum; cauſari autem inquantum donum eſt cauſari alij, non ſibi; generari autem eſt cauſari ſibi ipſi: quia igitur amor non poteſt cauſari niſi alij, manifeſtum eſt quoniam non poteſt generari, vel naſci; & ideo non poteſt eſſe filius.

2. Quia donare via eſt obtinendi non eſſendi cauſatum.

Amplius quoniam eſſe amorem eſt eſſe donum, amare neceſſario erit donare, donatio autem & datio per ſe via ſunt obtinendi, ſive habendi cauſatum, non autem eſſendi, generatio autem via eſt eſſendi per ſe generato.

3. Generator ex terminis generationis, & donationis qui diverſi ſunt.

Amplius dator ex eo quod dator non intendit proli, ſed generator & in illam ſolam ex eo quod generator eſt. Item generationis terminus is eſt, eſſe; dator dationis, & donationis terminos habet; actus autem diverſi, quorum & terminus & intentiones diverſæ.

Intellectũ non eſſe fœcundum voluntate quia generatio non eſt in aliam ſpeciem.

Apparet igitur evidens differentia inter generationem primæ prolis & proceſſionem primi doni: vis autem generativa, ſicut didiciſti in naturalibus ſpeciem conſervat, & ideo non eſt generatio ulla ſpecies alterius. Quare intellectus primus generativus, non eſt gravidus voluntatis, neque voluntas eſt proles illius. Ex quo relinquitur proles ejus eſſe ſapientia; & hoc eſt quod dicit Eccleſiaſticus, *primum omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ* ab ævo cauſans prolem primi genitoris intellectus, ſcilicet per ſe gravidiſſimi atque fœcundiſſimi ſapientiam & intellectum prudentiæ: creatur autem non quia de nihilo, ſed quia de materia non eſt ullo modo.

Intellectus fœcunditatem probat ex eo quod formas ſibi per ſenſus acquirat.

Facile autem eſt tibi videre, quia primus intellectus gravidiſſimus, atque fœcundiſſimus eſt in ſe ſi conſideres, quod intellectus noſtri per acquiſitionem formarum quodammodo ſibi fœcunditatem velut ex agentibus in eos formis extrinſecus acquirant. Adeo autem innatum eſt intellectui generare, & effluere de ſe ipſo lucem aliam, ut totum ſe conferat ad venandum per ſenſus, ut ſe ipſum fœcunditate impleat. Ex quo apparet primum intellectum ex omni parte, & modo perfectiſſimum eſſe neceſſario, & gravidiſſimum.

Probat generationem intellectus ex habitibus qui pariunt ſcientias.

Conſidera autem quoniam habitus noſtri ſcientiarum quos acquirimus fœcunditates ſunt, & impregnationes quædam intelligentiarum noſtrarum, ex quibus quodammodo partus ſcientiarum, atque ſermonum edamus, & velut de plenitudine earum eructamus. Habitus namque fontes ſunt exuberantium ſcientiarum in effectu, velut plenitudines ejuſmodi eructationum, & tanquam matrices fundantes hujuſmodi partus. Quod autem aliunde acquirit intellectus noſter neceſſario habet de primo, & fontali, ac fœcundiſſimo intellectu. Si igitur non miraris in intellectu noſtro exterius à rebus, vel rerum formis quodammodo impregnato, & fœcundato hujuſmodi partus, ſive generationes ſcientiarum, ſcilicet in effectu, ſi adeptus fuerit habitum qui eſt in eo hujuſmodi fœtus, atque graviditas, & quaſi comedendo cibum veritatis, atterendo velut quibuſdam dentibus perſcrutationem, atque rationem ſe impleverit. Si hujuſmodi eructationes non mireris, deſine mirari in intellectu per ſe ipſum fœcundiſſimo, atque gravidiſſimo.

primogenito ſapientiæ partu & de ventre omnibus ſapientiæ theſauris refertiſsimo, atque pleniſsimo primæ prolis ſive primi verbi eructationem. Admiraberis autem hoc exemplo ſi te erexerimus ad intelligendum, quod habitus ſcientialis, & ſcientia in effectu non differunt, ſed una eademque ſcientia ſecundum eſſentiam exivit de ſinu, ſive gremio habitus qui in illa erat poſitus promptiſsima ſcientia, aut in potentia promptiſsima eſt habitus: quare una, & eadem ſunt habitus ipſe, & partus ejus ſecundum eſſentiam.

Oſtendit partum intellectus perfectiſſimi perfectiſſimum eſſe.

Addamus autem & huic declarationem aliam, quoniam manifeſtum eſt intellectum ſeipſum intelligere, videlicet quia intellectus noſter, id eſt vis intellectiva vis eſt generativa, & velut matrix quædam ſcientiæ, vel ſapientiæ: verum generationem iſtam non ſufficit complere per ſe ſolum, imo indiget velut quadam excolitione ſtudij, & ſcientiatione doctrinæ, & experientiæ; ut intelligas, quia doctrina ſemen eſt quod per aures, aut oculos jacitur in materiam intellectus, & ſimiliter & ſenſum excipere velut ſcientia quædam ſunt quæ per ſenſum à rebus quæ extra ſunt recipit intellectus; poſtmodum autem ſi fertilis, aut ferax ſapientiæ fuerit, & impedimenta non prohibuerit velut prolem quamdam nobilem educit ſapientiam. Cum autem quædam particulariter ſciantur, ſive per experientiam, ſive per doctrinam, ideo fruſtratur, & tamquam per abortum non ipſam ſapientiam, ſed partes ejus profert, & propter hoc dicitur quod ſcientiæ iſtæ indigent generatione & tempore. Ad hoc igitur ut perficiat generationem iſtam ſapientiæ adjutorijs iſtis indiget, remotio autem indigentiæ, & oppoſitio perfectionis intellectum non deſtruunt, imo adjuvant, atque perficiunt: ponamus igitur intellectum noſtrum, ejus eſſe perfectionis, ut totum quod poteſt per hæc adjutoria poſsit de ſe ſolo, & per ſe ſolum: jam ergo non erit ei neceſſe hujuſmodi excolitio, & ſcientiatio: de ſe igitur ſolo, & per ſe ſolum gignet, ſive pariet ſcientiam, & hoc non fruſtratim, neque per partes, neque diverſis temporibus, ſed & totam ſimul; quoniam totum in ſe habet quod ei neceſſarium eſt ad gignendam ſapientiam Omnium igitur quorum naturaliter capax ſapientia eſt uno profert partu, & quod multis abortitionibus prius faciebat uno perfecto partu complebit. Sic autem ſapientia genita neceſſario eſt ejuſdem eſſentiæ cum parente ſuo, vi ſcilicet intellectiva, quoniam vis intellectiva non transfundit per generationẽ iſtã in illam, niſi eſſentiã quã habet, nec ipſa proles poteſt à parẽte trahere niſi eſſe quod parens habet. Attende autem quia iſta ſapientia, vel ſcientia genita unum eſt verbum quod omnia ſibi naturaliter ſcibilia loquitur ſpiritualiter, ſimiliter vis intellectiva, & una cogitatio ſive viſio qua omnia ſimul videt, & cogitat, & unum exemplum omnium talium ſcibilium, & velut ſæculum quoddam intelligibile omnium illorum.

Quæ ſit differentia noſtrũ intellectum & intellectum Dei perfectiſſimum.

Quia vero noſter intellectus poſſibiliter tantum habet & etiam ad modicum quod ille primus, ac vagifluus intellectus habet actu perfectiſſimo & ad totum, hoc eſt ad ſapientiam univerſalem perfectiſſimam generandam, neceſſe eſt ita eſſe apud illum pro modo ſuæ immenſitatis, & excellentiæ, quomodo eſſet apud noſtrum ſi ita eſſet ut poſſemus pro modo noſtræ parvitatis, & indigentiæ. Quoniam autem prima potentia non eget eductore alio quo educatur ad actum, ſed ipſa eſt ſibi ſufficiens per omnia, manifeſtum eſt ipſum nec fuiſſe nec poſterius unquam fore niſi in actu: quare æterna eſt prima generatio & coæternus æterno patri primus filius. Potentia namque quæ de ſe ſola, & per ſe ſolam operatur, nullo egens alio à ſe, quæ in ſe per omnem modum ſimplex eſt & ejus actus ſimplex eſt, & neceſſario non habet moram in egreſſu ſuo in actum ſuum Quis autem dubitat generationem omnem quæ in intellectu eſſe poteſt ſimplicem eſſe & ſubitaneam, hoc eſt præter omnem moram & menſuram temporis? unius dico & ſimplicis generationem, non enim particulatim gignere poteſt impartibilem per omnem modum.

Exponit nonnulla quæ in ſacris codicibus de ſapientia increata dicuntur.

Ex his vero quæ jam didiciſti quæ in libro ſapientiæ 7. capite dicuntur clara ſunt, ſcilicet ſapientia primogenita *vapor eſt virtutis Dei*, vapor quidem copioſitate, & fœcunditate ignis ejuſdem virtutis cum igne ſuo. Certum autem eſt tibi quod generatio adæquat, & aſſimilat ſapientiam genitam per omnia genitori ſuo, cum de ipſo, & per ipſum ſolum genita ſit: quare virtute æquales ambo ſunt. Vel vapor dicatur quoniam emittit de ſe virtus Dei patris velut ſuæ fœcunditatis partũ, & ſuæ plenitudinis exuberantiam, quæ non poteſt aliud eſſe, quam illud cujus erat plenitudo, ſeu de quo eſt plenitudo. Sic & quod emanatio claritatis Dei ſincera. Quid enim claritate Dei intelligi poteſt niſi pater ipſe luminoſus: luminoſus dico ſapientia, hæc enim claritas ejus eſt, & ipſa à Deo in ſe copioſa ut abſque ſui diminutione & detrimento æquale ſibi per omnia lumen emanaret & funderet. Eodem modo & quod dicitur *candor lucis æternæ* hoc eſt ſplendor puriſſimus de fontali luce radians, emicans, atque exiliens. Hoc idem eſt quod Apoſtolus ad Hebræos dixit *ipſum filium ſplendorem gloriæ Dei patris*, niſi gloria Dei patris luminoſitas intelligitur. Hic eſt igitur ſplendor gloriæ Dei patris, hic eſt paternæ luminoſitatis ſive corruſcantia ſive effulgentia, ſive radioſitas. *Speculum autem ſine macula* dicitur majeſtatis, quia in eo reſultat puriſſime atque pleniſſime majeſtas, ſeu magnitudo patris; in ipſo namque eſt videre patrem, ſicut ipſe dicit in Joanne *qui videt me, videt & patrem* non ſolum per ſimilitudinem, quia ſcilicet ipſe imago eſt patris, atque ſimilitudo; ſed & ſecundum eſſentiam, cum eadem ſit illius, & patris eſſentia, ut jam didiciſti. Eſt ergo ſpeculum paternæ majeſtatis, quia ejuſdem majeſtatis cum patre, ejuſdemque per omnia magnitudinis: imago vero bonitatis ejuſdem hoc eſt ejuſdem eſſentiæ; bonitas namque amborum eſſentia eſt, & nominatur ſic nomine congruentiſſimo Unde & philoſophi individuum ejus dicunt bonitatem puram, vel rem bonitatis; quia paterna bonitas à Deo in eo relucet, ex eo quod pater ei omnimodam æqualitatem non invidet; non enim minus bonum quã ipſum eſſet ipſum genuit; bonitas nãque bonitatem alij invidere non poteſt: ideo ergo imago bonitatis Dei patris inquantum paterna bonitas totum quod habebat profudit, abſque tamen ſuæ paternitatis ratione. Ex partu igitur paterna fœcunditas merito illuxit, & in partu reſultat.

CAPUT XVI.

Quod prima emanatio per modum generationis producitur ſicut intellectio, vel verbum ab intelligente.

Intellectus divinus ſeipſo lux eſt nec indiget illuminatore ſicut noſter.

NUnc redeamus, & dicamus, quod intelligere eſt omnium operationum perfectiſſima quoniam intelligere non eget niſi intelligente ipſo, ad hoc ut compleatur, hocque dico quantum eſt de ipſo intelligente; quod enim intelligere noſtrum indiget intellectu ipſo illuminante, & inſcribente ſpeculum noſtræ virtutis intellectivæ inde eſt, quia virtus noſtra in ſeipſa non eſt lux intelligibilis ſed magis tenebra, & lux illuminabilis. Virtus igitur intellectiva, quæ eſt ſibi, & in ſeipſa lux, ad intelligendum non eget illuminatore alio.

De reflex-

Item ipſa eſt converſio, & reflexio lucis intelle-

xione lucis intellectivę in ſeipſa quod ſit perfectiſſima.

ctivę in ſeipſam. Et hęc cauſa eſt quare perfectiſſima eſt omnium operationum (ut utamur licentia communiter diſputantiú, atque philoſophantium in hujuſmodi ſermonibus) ideoque omnium operationum ſimpliciſſima, quæ utique non eget niſi unó ſimpliciſſimo, & quæ non effluit exitum ab operatore ſuo. Cum autem intelligere fuerit operari, non eſt ipſum intelligere, niſi generatio intellectus. Quod dico quia intelligere, aut cognoſcere quod congruit eſſentiæ altiſſimæ, nullomodo eſt operari ipſam in ſe; quoniam ipſi non poteſt ullomodo eſſe motus, nec operatio, quæ ſit converſio ipſius in ipſam: ex quo debeat eſſe aliquid per generationem ad alterum modum eſſendi: hoc enim jam patefecimus; neceſſario enim in ſe, & ſecundum ſe intelligitur divina eſſentia quietiſſima, atque pacatiſſima in ſe, licet extra ſe exuberans, & exundans ſuper poſſibile de quo proceſſit jam ſermo.

Intelligere alio modo ſumitur eſſentialiter, alio modo pro dictione verbi.

Quia igitur prima operationum eſt intelligere, intelligere dico acceptum, ut eſt operari, non eo modo quo divinæ eſſentiæ congruit. Intelligere autem per modú iſtú, nó eſt niſi generatio intellectus, intellectus autem verbum eſt interius: manifeſtum eſt omnium operationum primam eſſe generationem, quæ primi verbi loquela vel dictio eſt: quare dictio ſive loquela præcedit operationes & factiones. Habes igitur jam unde lucere tibi incipiat quid eſt quod in ſcriptura ſacra ſcriptum eſt: *dixit vero Deus & factum eſt ita, & hoc multotiens & illud verbo Domini cali firmati ſunt*, quæ omnia hinc facile delucebunt.

Quod apprehenſum per intellectum ſit primum principiú operandorum.

Utrum autem intellectus imago debeat eſſe ejus à quo gignitur jam non edoceri te oportet; cum intellectum omnem imaginem intellecti eſſe non dubites: alioquin ſignum ejuſmodi naturale eſſe non poſſet: manifeſte auté intellectum aut apprehenſum eſt neceſſario ipſú eſſe quod eſt genitor intellectus, qui ipſum ſe quodammodo impingat intelligibilitate per imaginé ſuá: quare maxime intelligitur inter omnia quæ per ipſum & ſecundú ipſum intelliguntur. Certum eſt autem omnium operationum quæ per electionem & voluntatem fuerint apprehenſionem eſſe principium. Voluntatem enim neceſſario præcedit apprehenſio, & ex ea eſt apud operatorem, aliter non ipſe operatur: quare quidquid ex voluntate, ſive per ipſam debet eſſe, debet ſuum eſſe neceſſario ipſi apprehenſo, quod eſt movens per ſeipſum primo loco operatorem. Hoc quidem apud nos evidentiſſimum eſt; forma namque genita primum in imagine, ſive mente artificis eſt principium movens artificem interius, quemadmodum voluntate & deſiderio eſſendi illam exterius in materia. Deinde exterius per voluntatem movet membra, motu membrorum inſtrumenta, horum tandem motu movet materiam. Vides igitur quia principium omnium iſtorum motuum prima forma eſt exiſtens in mente artificis, quæ movet ipſum deſiderio eſſendi eam in materia exteriori ſecúdum quod ei competit; non enim ipſa eadem numeró imprimitur, id eſt impreſſione, & motu recipitur in materia ſtatuæ, quia neceſſario alia eſt imprimens & alia impreſſa. Quid autem putas formam illam niſi verbum mentale artificis, quo ipſam ſtatuam exteriorem apud ſe dicebat intelligibiliter, aut imaginabiliter, antequam faceret? quam utique quia ſic dixit, & fecit poſtea, utique primum dixit & poſtea facta eſt.

Exemplo exponit generationem verbi divini, remotis imperfectionibus intellectus noſtri.

Hujus igitur exempli conſideratione utcumque tibi elucere poteſt, qualiter *dixit* primus Pater, *& facta ſunt*; ſed cave de verbis noſtris, de eo numquam noſtra, ſed ſua dicere volumus; forma namque quam dicere volumus intellectum primogenitum, & imaginem Dei patris, non exterius à rebus quæ omnino non erant patri aut impreſſa, aut inſcripta; quoniam per omnem modum impaſſibilem eum intelligimus, ſed de patre ipſo tamquam de inſpectore imago primæ pulchritudinis, & ultimi decoris exilivit, tanquam de intelligente intellectus, & de loquente verbum, de ore gravidiſſimo ſapientia, vel partus.

CAPUT XVII.

Quod verbum eſt ſuo intelligenti coæquale per omnia.

Primogenitus intellectus eſt perfectiſſima imago Dei patris.

Quia igitur primogenitus ipſe intellectus pleniſſima eſt, perfectiſſimaque imago Dei patris, ejuſdemque per omnem modú eſſentiæ, neceſſe eſt unú eſſe æqualiter, & æque potentem patri. Similiter eadem de cauſa æque bonum eſt, hoc eſt ut ſit ad unum dicere æquale patri per omnia, æqualiter nominandum, deinde æque laudandum, magnificandum, omniſque per omnia honoris & gloriæ; quia primi honoris, & ultimæ gloriæ, poſtquam non ſit ullomodo, aut honor, aut gloria; ſed eſt cum patre æqualiter per omnia ultimitate ipſa gloria.

Oſtédit exemplo artificum debere eſſe verbú in Deo.

Non autem dubium eſt omnium intellectui, niſi forte quem fantaſiæ funditus ſubverterút, & errores obruerunt omnem artificem prius neceſſario moveri in ſeipſo, quam movere aliud: hoc quidem in artificibus, qui apud nos ſunt, dubitationem non habet. Omnem enim artificem neceſſe eſt habere in effectu in ſeipſo, alioquin non operaretur: exemplaria autem prægigni apud nos in mente artificis antequam operetur dubium non eſt; ſimiliter ipſum prius moveri in ſe, & operari quam moveat, vel operetur exterius certum eſt. Sicut apud artifices noſtros per modum eorum congruit, ſic apud patrem univerſorum primum, & nativum artificem per modum quo ſibi congruit eſſe neceſſe eſt: quod enim per acquiſitionem acquirant noſtri artifices, hoc habet in ſe, & de ſe neceſſario primus artifex, ac fontalis.

Habitus & ſcientia ab eo exuberãs ſunt idem eſſétialiter.

Certum enim eſt quod habitus non amittit eſſentiam ex eo quod ipſe exuberat ſcientiam in effectu, nec potentia ulla ex actu ſuo amittit eſſe quod ex ea affluit eſſentiæ actus ſui. Si igitur poſuerimus nos habere in intellectu noſtro habitum ſcientiæ adeo perfectum, ut non poſſit eſſe niſi in effectu, videbimus ipſum habitum, & ſcientiam quam ex ipſo exuberat, unius eſſe eſſentiæ. Certum eſt enim habitum eſſentialiter ſcientiam eſſe, & principiorum eorundem, quorum effectus eſt, & eodem modo prorſus ex eiſdem. Quod ſi quis dixerit, quod hæc eſt differentia in modo, quia ipſo habitu ſcitur in habitu, non in actu; nos jam removimus iſtud cum diximus ipſum habitum hujus perfectionis, & copioſitatis eſſe, ut natus ſit ſemper eſſe effectu: deinde ſcire in habitu ſecundum quod intelligere non eſt niſi ſcire in potentia, ſed tamen promptiſſima, ſive expeditiſſima. Quod autem dicitur potentia, hæc diminutio eſt imperfectionis & elongatio aliqua ab effectu: quare non dat eſſentiam perfectiſſimo habitui, nec adjuvat ad eſſentiam ipſius. Et nos quidem hanc imperfectionem omnino removimus ab illo habitu de quo eſt nobis conſideratio: relinquitur igitur idem eſſe ſcire ſecundum utrumque; & eamdem ſcientiam eſſe, & habitum, & ſcientiam quæ ex habitu exuberat.

Sed diverſus eſt modus habédi duntaxat.

Vide igitur habitum cum ſua emanatione unius eſſentiæ prorſus eſſe, ſed habitum ipſum habere eſſentiam illam fontaliter, & primitive ei; manationem autem per derivationem ab ipſo habitu, quia ſi ipſe habitus eſſet eſſentia cujus eſſe non eſſet acquiſitum ei eſſet neceſſario primæ generationis, &

fœcunditatis

fœcunditatis intellectus, & ejus exuberantia primus filius. Sic igitur ſe habent primus genitor, & primus filius, eſt enim primus pater velut fons & habitus; filius vero exuberans ſapientia vel ſcientia &c.

CAPUT XVIII.

Quod verbum divinum eſt patri coæternum.

Verbum eſt neceſſario ab æterno, nec potuit eſſe verbum exterius niſi ſupponatur interius.

Dicamus autẽ quod vel poſſibile fuit loqui ſeipſũ primo intellectui eo modo quo ei congruit, vel non; modus autem congruentiæ ipſius perfectio eſt loquelæ ſpiritualis, ut ſcilicet quanto perfectior eſt intellectus in intelligendo, & cognoſcendo, tanto perfectius ſeipſum eloqui poſſit, & alia; primo autem ſe deinde alia. Perfecta autem locutio perfecta eſt perfecti verbi generatio, ſive prolatio ſpiritualis: quare primo intellectui poſſibile fuit eloqui ſe, & alia elocutione perfecta, quæ eſt perfectum verbum ſpirituale. Hoc autem eſt plena imago intellecti, ſive intellectorum, vel dicti ſive dictorum: ſi autem poſſibile fuit ei redit ratiocinatio in id in quo eramus, nempe quia potentia illa gravida de ſe & fœcunda de ſe & neceſſario eſt, & neceſſe ſit ipſam fuiſſe neceſſario Quod autẽ neceſſario eſt, eſt effectu ab æterno. Si vero non fuit ei poſſibile eloqui ſeipſum niſi exteriori verbo, quod nos ſuperius vocamus univerſum, tunc erit verbum exterius, cui nõ ſubeſt interius verbũ quod eſt frivolum; inde namque verbum dictum eſt, quod vocat rem ad animam audientis: quare verbum interius maxime congruentiſſimeque verbum eſt; verbũ vero exterius per accidens. Nos vero jam patefecimus in ſuperioribus, quia prædicatio per accidens ſola eſſe non poteſt, ſed eget neceſſario eo quod per ſe. Quare verbum quod per accidens verbum eſt eget neceſſario verbo quod eſt verbum per ſe.

Non poteſt eſſe verbum exterius niſi ſit internus ſine quo primũ ens mutũ erit.

Univerſum igitur non eſt verbum exterius, niſi ſubſit ei verbum interius, quod eſt per ſe vehens rem per ſeipſam, in hoc eſt vehens primum vectorem, ſcilicet intellectum, qui imago rei eſt, & propter hoc vehit eam ad animos, & in animos auditorum: quod ſi non fuerit poſſibile ei eloqui ſeipſum, & alia per verbum, quod ſit imago ſua expreſſiva, & quod debeat dici primum verbum, poſt quod non eſt verbum prius actu, vel intellectu tunc eſt ipſum eſſe mutũ. Quare &c. cum loqui ejus videi ſeipſius ſit, ſed in alio, & hoc proprie cæcitas ſit in potentia ſcilicet videndo in alio, vel ſigno, vel imagine: cæcus enim in ſeipſo videt interius, ſed exterius in imaginatione viſibili omnino nihil videt. Abſurdiſſimum autem videtur, quod ipſe dedit alijs omnibus, ipſum præ omnibus non habere: unde unaquæque res ſeipſam imagine ſua loquitur: videntibus namque facies inſpectoris ſeipſam loquitur inſpectori in ſpeculo per imaginem ſuam expreſſivam; ſic & omnia ſenſibilia per imagines ſuas ſeipſa loquuntur intellectibus noſtris.

Unicuique rei ſuam imaginem verbum eſſe quo innoteſcat.

Unaquæque igitur res imagine ſua velut quodam verbo ſeipſam loquitur, & ſuæ imaginis generativa quodammodo eſt: omnibus igitur loquentibus ipſe omnium locutionum auctor erit mutus, & omnibus ſe per imagines ſuas manifeſtantibus omnium auctor latebit, & non erit ullum ſuæ majeſtatis expreſſivum, propriumque ſignaculum, nec habebit apud ſe, vel in ſe unde innoteſcat: in univerſitate ſic clamante ſolus ipſe non audietur, ſolus obmuteſcet, & univerſitate relucente & reſultante in ſpeculis ſenſuum, & intellectuum noſtrorum ſolus ipſe nuſquam relucebit.

Primam imaginem alterius eſſentiæ nõ poſſe eſſe cum primo inſpectore.

Quod ſi dixerit quis minora etiam inferiora omnia eſſe imagines ab ipſis quorum imagines ſunt, quia imago viſibilis in ſpeculo ad perfectum terſo & limpido, ejus erit omnino puchritudinis cum facie inſpectoris, cujus eſt imago: imago vero primi inſpectoris neceſſario eſt eſſentia quæ non eſt recepta in alia, ſed eſt ſtans per ſeipſam. Et hoc eſt, quoniam neceſſario eſt ſuo inſpectori ſimillima ſimilitudine ultima, & decore ultimo; non enim poteſt reſultare extra eſſentiam inſpectoris. ſi enim recepta fuerit in alia eſſentia, ſive ipſa fuerit alia eſſentia quam prima, tunc nulla erit omnino ſimilitudo inter primam imaginem, & primũ inſpectorem; eo quod prima eſſentia nec genere, nec ſpeciẽ communicat cum alijs, nec accidente ullo, cum ipſa ſpoliatiſſima ſit. Prima igitur imago, nec imago dicetur merito, ſi alterius eſſentiæ quam primus inſpector fuerit, quoniam nec eſſentia nec accidente ſimilis ei eſt: non habebit igitur primus verus ſolus quod omnibus largitus eſt.

Quia naturale eſt intellectui loqui & generare verba loquela primi & maximi & perfectiſſimi intellectus. Prima & maxima & perfectiſſima eſt.

Vide ergo quod naturale eſt intellectui, ut patet in nobis loqui, & generare verba, qui non eſt contentus propria loquela interiori, ſed etiam extraneis, & exterioribus verbis loquitur per corpus: & ſtatim ut verba de rebus concepit, aut interius in ſeipſo ea eructat, aut exterius verba interiora verbis exterioribus induit & per auditum in auditores invehit: quia igitur maxime intelligentis maxime eſt loqui, & perfectiſſime intelligentis perfectiſſime loqui, & perfectiſſimum verbum neceſſe eſt primum atque perfectiſſimum intellectum primo, perfectiſſimeque locutum. Quis enim dubitat quin loquela omnis expreſſe in intellectu ſit? alioquin nec loquela dicenda eſt, palam igitur eſt quia loquela intellectus eſt, quare maximi maxima eſt, primi prima, & perfectiſſimi perfectiſſima, & uniti unita.

Locutio interior primus eſt effectus quare nullus ſecutus eſt exterior ſi iſte non præceſſit.

Item quoniam prima potentia intellectiva ſemper eſt in effectu, ſemper eſt in locutione interiori: loquela namque, vel locutio interior primus, & per ſe & immediatus effectus eſt virtutis intellectivæ: quare nullus ſecutus eſt effectus, ſi iſte non præceſſit, & iſti debent ſuum eſſe neceſſario ſequentes effectus. Loquela igitur interior primi intellectus principium eſt omnium quæ poſt ipſum ſunt. Intellige autem ſi potes virtutem intellectivam in effectu, & cum ſilentio; apud nos utique impoſſibile eſt per modum noſtrum, quare apud primam virtutem intellectivam impoſſibile ſimiliter erit per modum ſuum; actus enim intelligendi non intelligitur neceſſario, niſi loquela verborum, vel locutio. Et hæc non eſt neceſſario niſi formæ, ſive imaginis intelligibilis.

Quod non ſit prima virtus intellectiva ſine loquela.

Quod ſi quis dixerit primam virtutem intellectivam eſſe omnino præter loquelam interiorem, & eſſe neceſſarij, & æterni ſilentij, privabit eam ſuo primo effectu; non enim dubium eſt intellectum in effectu primum effectum eſſe virtutis intellectivæ, ſublato autem primo effectu per quem via eſt ad ſequentes, neceſſario prohibentur ſequentes: quare ſublata primi verbi generatione impoſſibile erit eſſe quæ ſunt; primo enim effectui neceſſario tota ſe debet ſequentium ordinatio Quæ autem alia diverſitas quantum ad eſſe in effectum inter virtutem intellectivam primam & noſtram, niſi quia illa non eget eductore alio, noſtra autem eget; noſtra aliunde recipiens loquitur, eo quod per ſe infœcunda ſit, fœcundabilis tamen; illa ſufficientiſſima eſt educere de ſeipſa effectum ſuum, verbum ſcilicet ſuum. Quod igitur noſtra apud ſe facere non poteſt niſi adjuta, hoc utique facit per ſeipſam adjutore nullatenus indigens prima.

Quod actus primus virtutis intelligentis primæ ſit verbum,

Item quis dubitat quin illud quod maxime eſt habitu, & prima ſcientia eſt in effectu, quæ utique non erit prima, ſi non fuerit generativa formæ, ſive imaginis intellectivæ, eo quod impoſſibile eſt virtutem intellectivam non venire in effectum

quod exemplum eſt primi operatoris, cæterorū vero exemplar.

ſuum primum, & ideo quæ ſic educitur prima eſſe non poteſt, aut erit ſibi ſufficiens in hoc ſcilicet ut educat de ſe actum ſuum primum, & tunc neceſſario generativa eſt non ſolum fœcunda, ſed generativa per ſeipſam intellectus in effectu, quod dicitur & eſt imago intelligibilis, & verbum verum. Quare primus actus virtutis intelligentis primæ neceſſario verbum primum, quod ipſe genuit per ſe & de ſe. Quia igitur evenire non potuit ut eadem potentia in actum educeretur niſi per primum, manifeſtum eſt primum creatorem & generatorem & factorem aliorum eſſe principium, ejuſque generationem præceſſiſſe univerſam ſeriem ſæculorum. Quoniam autem omne quod ex arte, vel ſapientia eſt, neceſſe eſt exemplum eſſe ejus artis vel ſapientiæ ex qua, & ſecundum quam eſt; omne autem quod eſt à primo, ex ipſo eſt per ſapientiam & voluntatem; & neceſſe eſt omne quod eſt ab ipſo eſſe. Primum autem exemplum primi operatoris impoſſibile eſt extrinſecus ab ipſo eſſe, intellectus enim non poteſt primum extra ſe operari, non enim natus eſt intellectus quicumque qui operator ſit primum extra ſe operari, & nihil in ſeipſo primum: ſicut enim intellectus paſsivus natus eſt primum recipere imaginem intelligibilem, ſic ſimiliter intellectus qui pati & recipere non eget ab alio natus eſt primo gignere imaginem intelligibilem. Certum enim eſt quod operatio intellectiva non eget niſi intellectivo: quare operatio primi intellectus non erit ab alio, ut fiat ſuper aliud, ſed tunc operatio prima intellectus per ſeipſam actu non eget niſi ipſo agente, ſive operatore ſuo. Ex intellectu autem quid debet eſſe primum niſi intellectus? Exemplum ſcilicet intellectus primo agentis, exemplare faciendorum extrinſecus. Quare verbum quod eſt inter primum operatorem, & exteriorem operationem ipſius quæ ex eo eſt per modum ſapientiæ & electionis, neceſſario eſt exemplar interius exterioris operationis exemplum vero primi operatoris: & hoc eſt quod nominavimus ſuperius verbum ipſius operantis primi, quo apud ſe dicit exemplum † cujus illud exemplar.

† Leg. quod illius exemplar.

Sive primus operator egeat exemplari, ſive non; neceſſario tamen inter exemplum exterius, & primum operatoré neceſſario debet intervenire exemplum interius.

Quod ſi dixerit quis quod primus operator quoniam in ſeipſo eſt ſapientia ex omnibus modis ſuis perfecta non eget exemplari alio, ſed ipſa eſt ſibi ſufficiens exemplar omnium exemplorum ſuorum. Reſpondemus ei quia ſive egeat alio exemplari, ſive non; neceſſe tamen eſt ut ſit ordo debitæ congruentiæ ſuæ in iis quæ ab ipſo ſunt; non enim poteſt eſſe principiatum ex primo quod non ſit niſi exemplum exterius quoniam exemplum interius neceſſario prius ordinat intellectus noſter. eſtque ſimilius exemplari ſuo, & perfectius cauſatum eſt: quare neceſſario propinquius intervenit: igitur neceſſario inter exemplum exterius & primum operatorem qui ab aliquo non operatur exemplum interius eſt

---

CAPUT XIX.

Quod verbum divinum non ſit niſi unum.

Non poſſunt eſſe duo verba quia idem eſſet ſecundum eſſentiam, & ſecundū ſignificationē.

QUod autem primum verbum quo ſeipſum, & omnia locutus eſt primus locutor unum eſſe debeat, inde manifeſtum fiet; quia ſi fuerit primo locutori aliud verbum primum, quale determinavimus quod ſit imago expreſſionis ejus ultimæ, & ſimilitudinis primæ, erunt ambo verba ejuſdem eſſentiæ cum ipſo primo locutore, quare ad invicem: erunt igitur idem per omnem modum ſecundum eſſentiam, ſed & in ſe, quia ejuſdem imago & ſecundum idem: quare uterque perfectiſſima, quare ſecundum ſe totum uterque imago erit ipſius primi inſpectoris, & ipſius ſecundum ſe totum: idem autem eſt verbū quod eſſentia, & ſignificatione idem eſt. Quare illa duo idem verbum.

Nugatio eſſet repetitio ejuſdem verbi quod ſignificatione nihil addit, nec in re, nec in modo.

Item ſecundum hoc nugatus eſſet Deus Pater bis idem ſufficienter & perfectiſſime locutus: nugatio enim repetitio eſt ejuſdem verbi, vel æquivalentis ſcilicet inutilis: inutilis autem eſt quæ ſignificatione nihil addit nec in re nec in modo. Hoc autem totum eſt hujuſmodi, cum omnia æqualiter per utrumque per omnem modum dixit ipſe, etiam ſecundum hoc locutus fuiſſet quod non prodeſſet, quod ipſe nobis inhibet. Redeuntes autem ad ea quæ præceſſerunt facile clareſcet illud quæ eſſet inter verba ipſa diverſitas, quia ab eodem per omnem modum eumdem ſecundum idem non erit niſi idem: Ab eodem igitur locutore per omnem modum eodem modo, nonniſi idem verbum: quare neceſſario nonniſi unum verbum primum, atque perfectiſſimum.

Nō eſt niſi unum verbum quia non eſt niſi una veritas primi locutoris, & una ejus intentio expreſſa.

Deinde quid eſt unum verbum niſi unius veritatis expreſſio, vel unius intentionis, vel vox vel imago? Quia igitur prima una veritas primi locutoris & una intentio per omnem modum neceſſario unum eſt verbum, ſeu ipſius expreſſio. Sic enim unum ſolum dicere intendebat primus locutor. Qualiter autem pluralitas locutionum intelligitur ubi nec plures nec pluribus modis locutus eſt, & ipſorum verborum modis omnibus eſſentia una? qualiter duo nomina intelliguntur, quorum una eſt per omnem modum eſſentia unum ſignificatum, & ſignificandi modus? ſed & illud attende, quia ex altero oppoſitorum non eſt alterum: ex uno igitur primo ſecundum ſe non eſt multitudo, neque pluralitas Unde igitur pluralitas verborum? ſed propoſitiones quas ſupra induximus ad idem faciunt.

Operatori ſufficit unū exemplar ſufficientiſſimum nec debent eſſe plura exēplaria quā exemplar.

Item primum verbum exemplar eſt omnium eorum quæ per ipſum effecta ſunt à factore primo. Quis autem operator non eſt contentus exemplari uno ſufficientiſſimo per omnia? ſecundum hoc autem incompatibiliter plura eſſent exemplaria, quam exemplar. quæ enim eſt ratio ponendi duo potius quam plura, & finita quam infinita? cum eadem facilitate locutus eſt primus locutor unum, & multa, & loqui potuit finita & infinita verba eadem facilitate: plura igitur ſecundum hoc locutus fuiſſet, quam fecerit, & plures eſſent neceſſario artes, quam artium operatum; cum è contrario debere eſſe manifeſtum ſit. Et in hoc quidem volumus ſupervacue laborare, quoniam prima unitas non eſt generativa per ſe multitudinis, præcipue cum generet inquantum una eſt, hoc eſt de ſe, & ſecundum ſe: ipſa vero una eſt per omnem modum.

Non poteſt eſſe aliud verbum, nec à primo, verbo quia generativū non eſt; nec à patre, quia de eadem fœcunditate non poteſt eſſe generationum multitudo.

Quod autem ipſum primum verbum finis ultimus dicitur generationis, ſic inde manifeſtum eſt: quia verbum non eſt generativum niſi verbi, quod ex ratione ipſius quod eſt generatio manifeſtum eſt; ſi vero generativum eſt verbi utique æqualis per omnia ſibi, & de ſeipſo, aut de alio de ſeipſo impoſſibile eſt, cum ipſum in ſe non habeat fontalem copioſitatem, ſed totum quod habet habeat per derivationem. Si vero de fœcunditate ipſa patris, tunc idem verbum de eadem fœcunditate, tunc de patre primo erit generatio, quare erit idem verbum ſicut prius, quia de eodem ſinu ejuſdem fœcunditatis non poſsit eſſe per ſe generationum multitudo, ſive pluralitas.

Verbū verbi eſſe non poteſt, quia æquale eſſet per omnia ipſi verbo de quo gignitur.

Item verbū verbi æquale erit per omnia ipſi verbo de quo gignitur: quare ipſum verbū ſecundū hoc erit loquela omnium in ſe, & loquela verbi ipſius de quo genitum eſt: erit igitur idem verbum primum, & ſecundum ſicut ſupra diximus: quoniam ejuſdem eſſentiæ & ſignificationis per omnia.

Non poteſt

Item verbum non habet à loquente inquantum eſt, niſi ut

verbū aliud verbum generare, quia non poteſt habere nec à ſeipſo, nec à patre.

niſi ut ſit verbum ipſius loquentis: loquens inquantum eſt loquens non eſt niſi generator verbi inquantum verbum. Non habet igitur verbum à loquente ſuo ſive generatore niſi ut ſit verbum: non habet igitur ab ipſo ut ſit loquens locutione quæ ſit alterius verbi generatio, quia non habet ab ipſo inquantum generator, aut locutor ipſius. Sed neque à ſeipſo habet ut ſit ipſum ſimiliter loquens, vel locutor alterius, quemadmodum primus eſt locutor ipſius. quia ſecundum hoc omnino ipſum eſſet primus locutor. Præterea totum quod habet, habet à locutore ſuo, ſi enim haberet à ſe vel in ſe fontalem hermenenſim, hoc eſt interpretationem, neceſſario eſſet primus locutor, non primi locutoris loquela, impoſſibile autem eſſe primum verbum eſſe primum locutorem non eſt dubium; quare ipſum nullatenus habet in ſe, & à ſe fontalem hermenenſim, ſed neque derivatam, cùm à locutore ſuo non habeat niſi quod habet inquantum verbum: ex illo igitur non eſt ulterioris verbi generatio. Accedit etiam prior nugatio quam oſtendimus, cum ſecundum verbum nihil addat ſignificationi omnino vel modo ſignificandi.

Denique quia ſic daretur proceſſus in infinitum.

Sequitur & infinitas vel replicatio inutilis, cui non ſit finis, iſta enim infinita verborum, & indeterminata genealogia eſſet locutio primi locutoris verbum & verbum verbi ejuſdem verba ſunt ſicut verbum mentis & verbum vocis ejuſdem loquentis primi, vel nihil aliud omnino eſt quam infinita nugatio. Deinde ſi conſideraverimus verbum in ſe, & imaginem; inveniemus ipſum nullam habere converſionem in ſe vel ad ſe; ſed ad loquentem; hoc eſt ad id quod ipſo dicitur, & imaginantem, & ad id cujus eſt imago reflectit. Vides igitur verbum & imaginem in ſe & per ſe potius converſivam habere virtutem, quam effluxivam; vel retorſivam, quam proceſſivam, vel generativam: imago igitur prima derivationem generationis in ſeipſa ſiſtit & in ſe intuentes ipſam in generationem reflectit, ut & hoc debeat primæ generationi & una ſit per omnem modum. Si autem primogenitus eſſet generans, & genitus: aut hoc eſſet ſecundum idem aut ſecundum diverſa; quod impoſſibile propter oppoſitionem generatoris & geniti: ſecundum diverſa ſimiliter cum in ea nulla ſit omnino diverſitas in ſe, in ſe enim ex omnibus modis ſuis ipſum unum eſſe neceſſe eſt.

CAPUT XX.

Quod primogenitor & primogenitus conveniunt in aliqua re tertia.

Quod ſe mutuo & ſummo amore ſe diligant pater & filius

ET huc uſque quidem de primogenitore & primogenito, quod communicent neceſſario eſſentiam altiſſimam ſuadere ſtuduimus; & quod in ſe primogenitus unigenitus etiam eſt genitori ſuo primo, & ipſi neceſſario ſunt prima dualitas per modum quo eis congruit eſſe duos. Nunc vero quod alia ſit eis communio, quam eſſentialis, ſive in eſſentia illa altiſſima, & quod ibi neceſſario communicent in tertio quod neuter eorum eſt mōſtrare conabimur: ita ut prima dualitas illa ſola non ſit, ſed neceſſario requirat tertiam unitatem, quæ communis eſt ſocietas eorum; & hoc eſt quod nominatur apud veræ fidei profeſſores primæ ſocietatis beatiſſimum fœdus, & primi amoris primus fructus, & primi complexus gaudium, ſive ſuavitas, primæ pacis vinculum, prima concordia, primum complacitum: uſitata autem & certa appellatione poteſt nominari ſpiritus ſanctus, primum & æternum donum, theſaurus donorum omnium, & gratiarum fons, charitas qua ſe complectuntur primus genitor, & ejus unigenitus, de qua etiam in univerſum exuberat ingens ſuavitatis ubertas omnia perfundens, quæ univerſos delectat utentes, quod autem primo ſummoque ſe invicem complectantur amore primus genitor, & ejus unigenitus, prima ſummaque amoris in utroque bonitas, ſed & mutuæ cognitionis ultima certitudo manifeſtè oſtendunt. Sicut autem nomine cognitionis ad congruentiam eorum utimur, hoc eſt præter noſtræ conſuetudinis intelligentiam, more ſuo & congruentiā ad eos transfluentes: ſic & nomine amoris pro modo eorum uti volumus. Optimus igitur optimum clariſſima cognitione notum non amare non poteſt, & ſi etiam pater filium non amare poteſt, optimus tamen optimum non amare non poteſt. Summe igitur diligendus ſumme diligendum neceſſario diligit, & non diliget ipſum minus quam diligendus ſit: quare ſummo amore diligit, & primo, quem æqualiter ſibi diligendum plene noverit.

Item probat ex eo quod pater filium diligat, is maxime qui maxime pater eſt.

Item ſi debet eſſe amor inter patrem & filium quia pater & filius: ergo inter maxime patrem & maxime filium maximus erit: maxime autem patrem eſſe qui de ſe ſolo, & per ſe ſolum, primoque pater eſt, non poteſt eſſe dubium per ea quæ jam diximus. Quare primogenitum maxime filium eſſe manifeſtum eſt: ſi enim alterum relatorum maxime dicitur neceſſario & reliquum: & eiſdem rationibus quibus ille maxime pater, erit iſte neceſſario maxime filius. Quare alterius ad alterum eſt in alterum amor primus & ſummus. Et in alijs quidem laborare nos non oportet; quoniam inter ipſos, quorum uterque optimus ſit; prima pax primaque amicitia, & inter primum patrem, & primum filium, cum uterque ponatur primo maximeque diligendus, ſit amor naturalis, nulli dubium eſſe, per modum quo amorem ibi eſſe congruit. Si enim ibi vere filius, & vere pater, ſic & veræ congruentiæ, non noſtræ conſuetudinis amorem ibi eſſe neceſſe eſt, ſic & primum fœdus: neceſſario enim primi ſe invicem amantes primo fœdere ſibi invicem colligari. Et ſi noſtræ conſuetudinis intelligentiam præcedant iſta, neceſſario tamen ſi vere duo ſint quorum uterque optimus ſumma bonitas, unitas ſumma & concordia, mutuuſque ſummæ bonitatis complexus. Sicut enim primus pater omnium eſt generationum fons atque principium, & primogenita ſapientia omnium cognitionum & luminum quæ poſt ipſam ſunt eſt appropriatum quodammodo principium; ſic omnium amicitiarum atque concordiarum ſive ſocietatum, neceſſe eſt primam ſocietatem eſſe principium: utque primum verbum primaque loquela omnium verborum, & loquelarum principium eſt, & primogenita ſapientia omnium cognitionum & luminum, quæ poſt ipſam ſunt origo eſt, ſic primus affectus. qualiter enim omnium intellectuum eſt primogenitus intellectus principium, omnium effectuum primus, ut ita dicam, affectus: qualiter omne lumen cognitionis primogenitum lumen habet principium, & omnis ſuavitas affectionis primam ſuavitatem velut effectivam habebit, & quaſi quoddam appropriatum principium.

CAPUT XXI.

Quod Spiritus Sanctus per modum puri doni, & perfectiſſimi amoris procedit.

Non amari niſi quod

QUia igitur de amore ipſo inter eos nullatenus dubitari poteſt de modo ipſius loqui

videtur bonum, vel neceſſariū, vel ſuave, vel utile, vel magnificum.

aliquid aggrediamur, Dico nihil amari apud nos per ſe, & propter ſe, niſi quod eſt, & videtur bonitas. Quare bonum multipliciter dicitur; neceſſarium, ut cibus, vel cibi ſatietas, vel inſtrumentum, vel vita ipſa; ſuave & delectabile, ut ſaporitas ipſius cibi; utile, ut medicinalitas in ipſo cibo; magnificum & altum, ut pretioſitas quam nobiles amant ut ſplendidi epulatores habeantur. Certum eſt autem quod amabile non amatur, niſi cum fuerit apprehenſum, & bonitas ejus, hoc eſt quod in eo amatur, ſive per quod ipſum amatur & penetrat per apprehenſionem in affectum virtutis concupiſcibilis, aut ejus quæcumque illa ſit ſecundum quam eſt amor ille.

Quid ſit amor & quis ſit ſimoniacus & mercenarius.

Eſt igitur amor velut hiatus cordis, & fames quædam apud nos ad prægultandam per affectum ſuavitatem velut per os intellectus in ventrem aut palatum affectus transfuſam: & iſte amor ſimoniacus & mercenarius eſt, qui ſe venalem pro aliquo quatuor prædenominatorum finium velut pretio, aut mercede exhibet. Nullus hujuſmodi amor, ut proprie, & vere; † ſed negatio, ſed ſymoniaca venalitas: non enim congruit proprie, ut aliquis ſeipſum amare dicatur; amor enim omnis relatio eſt, & ad aliud ſe habet. Quidquid autem ſit de hoc, tamen amor hujuſmodi donum dici non debet amantis, ſed magis amati pretium venaliter ex mercedibus jam dictis redditum: donum enim omni inde donum quia datur, & non mercedi tanquam pretium redditur. Solum igitur quod de benignitate gratis exeat donum eſt

† *Loquamur.*

Amor gratuitus eſt donum.

Quod igitur maxime ſignificat gratis, maxime donum, & quod primo exit ex benignitate, inquantum benignitas amor eſt puriſſimus atque gratuitus Amor igitur gratuitus à labe iſta ſymoniaca purus eſt primum donum, & primo & maxime inter omne donum exterius, quod eſt donum verum ſecundum rationem aſſignatam, ex amore nempe natum exire primo, & immediate ex benignitate: ſed eget neceſſario amore intercedente ipſum, quia prius exit amor ex ipſa benignitate: quare ipſe eſt primum donum, & vulgariter etiam amor dari dicitur, & eſt omnium donorum gratiſſimum atque rariſſimum: unde & per ſeipſum expetitur, & quæritur à recte & præter ſymoniacam venalitatem amantibus: illo enim dato dantur omnia, & illo retento retinentur omnia. Unde & vere ſinecereque amantes ſeipſos ſibi invicem dediſſe dicuntur, & ſe mutuo, & amor mutua amicorum poſſeſſio.

Non minor eſt amor divinæ benignitatis quā partus fœcunditatis.

Quia igitur non minor eſt primi, & altiſſimi patris, benignitas, ſive bonitas, quam ejuſdem fœcunditas; neceſſario non minor erit amor, ſive gratia & primum donum ab ipſo procedens, quam ejus partus.

Inter benignitatem Dei & dona eius exteriora neceſſario debet intercedere amor.

Item quoniam inter benignitatem, & dona exteriora quæ ab ipſa procedunt, neceſſario ineſt amor quo prædonato impoſſibile eſt exteriora non donari, neceſſe eſt de prima benignitate inquantum benignitas eſt primo procedere amorem qualis tantæ benignitati congruit, deinde per amorem dona exteriora.

A maximo datore non poſſe eſſe niſi maximum donū & amorem.

Item quod à maximo datore datur ſecundum ſe maximum eſſe datum, vel donum neceſſe eſt: maxime autem dator in eo eſt maximus dator, quia maxime benignus ſecundum ſe dat quod maximum eſt omnium donorum: ſed hoc eſſe amorem manifeſtum eſt in eo, quod benignus amorem ſuum primo dat, deinde conſequenter & ex amore alia; quare amorem omnium donorum maximum, & primum eſſe neceſſe eſt.

Nullū donum eſſe poſſe niſi ex aliquo amore.

Item omnium donorum quocumque modo fiant, fontem, atque principium amorem eſſe, etiam de ſapientibus clarum eſt; ſive enim gratis, ſive ex amore ſymoniaco fiat donatio, ex amore tamen fieri nulla dubitatio eſt; amari enim illum, aut cui fit donatio aut illud propter quod fit donatio nulla quæſtio eſt. Quare primus & ſummus amor primi ſummique largitoris donorum omnium maximum eſt & omnium principium: ſicut enim amor qui apud nos eſt ad dona quæ apud nos ſunt, ſic amor qui apud Deum ad dona quæ ab ipſo: amorem autem à ſeipſo non poſſe eſſe manifeſtum eſt, quia amor neceſſario donum eſt de benignitate procedens in alium, proceſſu dico reſpectus, non ſui ipſius

Eſt de bonitate noſtra amor; ergo de prima bonitate.

Item quia de bonitate noſtra amor noſter ſit, neceſſario de bonitate, aut bono primo amor eſt, bono inquam primo inquantum eſt bonitas.

Ex cognitione amorem eſſe probat in Deo.

Item cui dubium eſt quin amoris principium cognitio ſit & quin ipſum ordine intelligentiæ noſtræ præcedat.

In amantibus neceſſario amor eſt ab amante procedens in quo differat amor divinus ab humano.

Item cui dubium quin amantes ſe omnes neceſſario principium ſint amoris ſive amicitiæ ſuæ. His igitur omnibus clarum eſt amorem omnem eſſe neceſſario ab aliquo qui ſi gratuitus omnino fuerit, & in ſubjecto ex omnibus modis impaſſibili neceſſario erit ab ipſo, & erit amans ejus dator atque principium.

Item omnis amans apud nos eſt principium amoris quo amat, ſed non primum; amatum namque principium primum eſt amoris actione ſua in amantem, primum in vim ejus apprehenſivam, deinde per illam in motiva: unde amor paſſio eſt illata ab amato, & vulnus plerumque dicitur amor, tunc etiam cum ſanctus eſt atque caſtiſſimus, Canticorum cap. 5. *Vulneraſti cor meum*, ſic igitur apud nos verum eſt, quod amor paſſio eſt, & vulnus inflictum ab amato ipſi amanti; ibi vero utroque exeunte per modum omnem impaſſibili nihil omnino recipit amans ab amato.

Amor divinus eo perfectior quo purius & magis ſolitarie de bonitate procedit non ab alio.

Non igitur illatus, aut inflictus eſt amor ipſi amanti, eſt igitur de pura bonitate procedens ipſius amantis. Si apud nos intellexerimus amantem impaſſibilem & omnino nihil recipientem ab amato, alia demonſtratio eſt amorem ibi eſſe de pura benignitate ſive bonitate amantis, & eſſe donum ejus gratuitum in amatum, quod non ideo minus amaret, quia ab amato nihil reciperet; ſicut & propria luminoſitate cognoſcens, non ideo minus cognoſcit, quia à cognito ipſo non illuminatur: & videns per ſeipſum non egens illuminari luce vel colore extrinſeco, non ideo minus videt, quia non eget extrinſeca illuminatione. Sicut tanto amplius veriuſque cognoſcit omne quod per ſe ſolum cognoſcit, quam quod eget alio extrinſeco illuminatore, quanto ad cognoſcendum lucidius atque perfectius: ad hunc modum in amore ſe habere neceſſarium eſt, ut tanto verius amet, atque perfectius; quo ad amandum ſuaſore, aut eductore, ſive motore non eget alio; ſed & ipſe amor tanto gratior, ſive magis gratuitus, quanto de puriori benignitate ſive bonitate amantis purius & magis ſolitarie proceſſit: & magis verus amor, & magis proprius, quem motor extrinſecus non emit, nec ſuaſit, nec extorſit. Ex his igitur conſiderationem illic facientibus, non videtur diſperſa eſſe prima amicitia, maximeque gratuita atque puriſſima, nullaque comparabilis ei, ſed ſuæ cognitioni æqualis, & bonitati proportionalis, quod eſt ut pro bono amantis, & amati ſit ipſa dilectio & pro modo cognitionis. Apud nos ſiquidem duo faciunt ut bonum diligamus, ſcilicet illius, & noſtra bonitas: quia igitur utraque ibi in ultimo, ſcilicet & bonitas in amante, & amato, & mutua cognitio: neceſſe eſt ut & amor inter utroſque ſit in ultimo pro modo ſuo quo decet utrumque.

Comparatur proceſſio amoris cum proceſſione filii.

Item ſi neceſſe fuit primum intellectum gravidum eſſe intellectus primogeniti, & patris luminoſitas gravida ſit æqualis ſibi luminis: neceſſe eſt ut paterna bonitas ſive benignitas larga ſit amoris: ſicut enim intellectus ad loquelam interiorem quæ eſt primogenita proles ipſius, ſic neceſſario benignitas ad gratiam, quæ eſt amor puriſſimus. in hoc ſcilicet ut ſicut de intellectu primo neceſſario proceſſit alius primogenitus ipſius; ſic oporteat de benignitate fontaliter larga procedere gratiam amoris, etſi per modum alium: non enim amorem filium bonitatis dicimus, ſed donum; hic enim eſt quem obtinet neceſſario amatus ab amante primo tanquam ſuum. Non autem ita ſe habet in filio primogenito omnis creaturæ; non enim filius, eo ipſo quod naſcitur donum eſt; ſed amor eo ipſo quod procedit donum eſt; quod datur amato, ſed primum, & habet ipſum amatus omnis inquantum amatus, per modum quo quis dicitur habere gratiam aut amorem diligentis ipſum, non quia neceſſario ipſe amator infundatur, quod tamen nonnunquam contingit, ut poſt hæc docebimus; ſed prima ſua proceſſione primus amor primo amato infunditur, eſt tamen amor ipſius, & habet ipſum apud primum amantem, ut diximus de gratia, & amore exemplo vulgari & noto.

Et utriuſque differentia aperitur.

illum transfunderet, quia ſecundum hoc non de ſe toto, ſed de parte ſui illum generaret. Utrum autem eumdem amorem numero eſſe oporteat primogenitoris in primogenitum, & ipſius in primogenitorem, apud fideles dubium eſſe non poteſt, de eſſentia ipſius amoris primi qui eſt ei cum ipſo primogenitore & ipſo primogenito eis rationibus quibus unitas eſſentiæ ipſius primogeniti cum genitore ſuo monſtrata eſt, monſtrari facile poteſt. Per æqualitatem autem facile patet, & quam bonus enim eſt pater tam bonus eſt filius, & è converſo: quare æqualiter diligendi: quia igitur æque boni, diligendi æque; aut dilecti adinvicem, ut diligendi: æque igitur dilecti, ut boni: quare æqualis dilectio bonitati amborum: omne autem aliud ab utroque unum non eſt utrique, aliud intelligo ſecundum eſſentiam. Quare dilectio qua ſe complectuntur non eſt aliud ab utroque ſecundum eſſentiam, ſed ejuſdem eſſentiæ eſt cum utroque

Item quia primum donum neceſſario eſt à prima largitate ſive benignitate ſive bonitate ſecundum ſe, neceſſe erit ejuſdem eſſe eſſentiæ, & æquale ſuo largitori per omnia. Sed hujuſmodi ratiocinationes ex prædictis ad ſpiritum ſanctum facile aptabuntur.

Primū donum quod eſt à prima largitate ſecundum ſe ei æquale eſſe debet.

CAPUT XXII.

Quod amor quo Pater & verbum ſe diligunt eſt eadem eſſentia cum ipſis & æqualis per omnia.

Ex maxima benignitate Dei probat maximum eſſe donum primæ largitionis, adeoque eſſentialem eſſe largitionem.

DEclaratio vero ſtabiliens evidenter primæ generationis prolem, & primæ largitionis donum, hæc eſt quoniam ex primo fonte neceſſe eſt duas eſſe redundantias; cum enim jam certum ſit fontem primum ex omnibus modis ſuis primum eſſe & maximum; neceſſe eſt igitur, illum eſſe in ultimo & maximo redundantiæ: copioſitas vero, aut fœcunditas eſt & de hac eſt redundantia generationis; aut benignitas ſive liberalitas & de hac eſt redundantia largitionis. Sicut enim de vacuitate, & inopia avaritiæ eſt retentio, ita de pleno & abundanti largitatis ſive liberalitatis largitio. Quia igitur copioſitas eſt primo fonti per modum omnem in ultimo & maximo, generatio prima atque largitio ſunt apud eam in ultimo, & maxime, & ideo eſſentiales. Primæ igitur generationis proles & primæ donum largitionis ſunt ex omnibus ſuis in ultimo, & maximo; & propter hoc primogenita proles in ultimo eſt nobilitatis atque perfectionis omnimodæ, & primæ largitionis donum in ultimo magnificentiæ. Ubi autem largitio prima eſſentialis non eſſet, prima non eſſet, nec eſſentialis, † eſt imo de ſuperfluo animalium, ſicut alibi didiciſti.

† *Supplendum eſt ſicut nec eſſentialis eſt animaliū generatio.*

Amplius utraque redundantiarum iſtarum niſi eſſet de ipſo fonte, & niſi de ſuo, ſicuti in animalibus de ipſis eſt redundantia generationis, neque proprie de ſuo, imo de ſuperfluo; nec prima eſſet, nec maxima Nec mirum ſi inter Abraham & Iſaac eſt eſſentialis diverſitas, cum non de ſe, ſed de ſuo ſuperfluo illum genuerit, & neque de illo ſolo genitus ſit; mater enim aliquid addidit: & iterum nec totum Iſaac ambo genuerunt imo ſolum corpus illius, anima enim deſuper infuſa eſt: ſed ſi de ſe ſolo & per ſe ſolum, & totum Iſaac genuiſſet, neceſſario aliquo modo unum cum illo eſſet, unum dico numero & alio modo; nihilominus alius ab illo remaneret, eo quod parentem & prolem neceſſe eſt aliquo modo differre; alioquin idem eſſet cauſa ſui, & generaret ſe; non enim partem eſſentiæ ſuæ in

Filius & ſpiritus ſanctus unum ſunt cum patre quia generatio filii eſt à patre ſolo & de patre ſolo nec ſecundū partem, & æqualis eſt dilectio bonitati amborum.

CAPUT XXIII.

Quod inter primos amantes ſit poſſibile eſſe unicum amorem.

Prima amicitia magis eſt una in ſe quā primis ipſi amantes.

REvertamur autem ad oſtendendum quoniam eſt poſſibile unum numero amorem eſſe inter primos amantes ſe invicem: Quia igitur omne uniens neceſſario magis unum eſt in ſe quam ſint ea quæ per ipſum, vel in ipſo uniuntur. Neceſſario prima amicitia magis una eſt in ſe, quam ipſi amantes: ipſi autem unum ſunt eſſentialiter: igitur non ſolum ſecundum eſſentiam una eſt, ſed etiam ſecundum quod amicitia eſt: igitur una amicitia, & unus amor numero inter ipſos.

Si duo eſſēt amores indigerent alio amore quo uni rētur & ſic in infinitum.

Item ſi duo eſſent amores, tunc æque indigerent ad ſocietatem ſuam & unionem alio vinculo quo invicem ſociarentur, ut primus Pater & primus filius, & non eſſet finis amoris ſecundum hoc, cum unus amor numero inter duos eſſe non poſſet.

Prima & ſumma amoris unio conſiſtere debet in unitate non ſolum objecti amati ſed etiam in amore ipſo.

Item quia eadem eſt bonitas amborum quam uterque in altero diligit & qua utrique alterum diligunt, de eadem bonitate in eamdem bonitatem, & ejuſdem bonitatis amor idem: non niſi enim quia boni, & inquantum boni ſe invicem diligunt: ſunt autem eadem bonitate boni, quare de eadem bonitate eſt alteri in alterum dilectio. Duobus autem ex eodem ſe invicem diligentibus neceſſario erit idem amor ab eodem & ſecundum idem amatis. Cum autē ampliori conſideratione conſideravimus, quod omne quod diligit ſibi pater primus, diligit & ipſi filio; quia totum quod diligit ſibi honoris totum diligit filio totum potentiæ, totū ſapientiæ, totum quod eſt omnino diligendum: hoc enim inter veros amicos apud nos etiam invenitur ut ſibi per omnia idem ament, & eodem modo: quanto magis igitur apud primos & maximos & veriſſimos ſui invicem amatores qui maximo amore conſociantur & uniti ſunt: maxime autem uniti ſunt amore quibus non ſolum eſt unitas amatorum, ſcilicet qui amantur; ſed etiam ipſius amoris, quam qui in altero ſolum uniti ſunt; quia illa prima eſt, & ſumma amoris unio, neceſſe erit eam eſſe non ſolum in amatis, ſed etiam in amore ipſo. Unus igitur eſt amor,

quo invicem primi aman[illegible]es complectuntur ſe; alioquin in quo magis uniti eſſent primi amantes.

Quia quod habet filius, à patre habet, à filio procedit donum amoris, non ſolum ſicut à patre ſed etiam ut idem donũ.

Cum autem attenderimus quod filius verbum primum eſt, fiet manifeſtum nobis, quod nihil procedere poteſt ab ipſo, niſi procedat à patre; à verbo enim ſecundum ſe nihil procedit niſi quod procedit à loquente, nec ab imagine reſultante in ſpeculo niſi quod procedit à fonte: quare amor qui procedit à filio, procedit etiam à patre: ex parte igitur patris non differunt duo illi amores, quoniam uterque primo, & immediate procedit à filio & per ipſum à patre. Hoc autem eſt quod non debet facere differentiam ullam, habet enim filius à patre; ut ab ipſo procedat amor: ſi autem non habet à patre, niſi quod habet ipſe pater (ex eo enim ſecundum ſeipſum natus eſt filius) ab eo igitur accepit illud quod in eo invenit; quare non ſolum ab ipſo procedit donum amoris ſicut à patre, ſed etiam ut idem donum.

Vnitas eſt in exterio[illegible] in unive[illegible] ſcili[illegible] go mul[illegible] majo[illegible] in interiori dono quod propinquius eſt unitati primæ.

Item quis dubitet exteriora dona eadem prorſus eſſe patris & filij, & in eis communicare per omnia patre[illegible], ut nihil ſit donum unius quod non ſit donum alterius? Idem igitur donum primum amborum eſſe neceſſe eſt. Si enim in exterioribus donis nulla poteſt eſſe diverſitas, multo magis in interiori dono primo exterioritas multiplicativa eſt, interioritas vero adunativa, & unita: eſt enim univerſum unum ſpecie, qui quanto plus elongatur à centro, tanto amplius apparet in eo diverſitas, & multitudo partium, circa vero centrum unitas, & multitudo partium, circa vero centrum unitur: ſic univerſaliora unitiora & ſimpliciora; & ſingularia ſenſibiliora & multiplicatiora, velut circumveſtione formarum, & conditionum multiplicantur & ingroſſantur. Interiora igitur intelligibilia ſunt propinquiora principio, exteriora remotiora, quæ velut diſperſiora ab eo exeunt. Si igitur in illis omnimoda unitas quæ multitudini ipſa elongatione ab unitate prima obnoxia ſunt, multo fortius in propinquioribus unitati primæ, hoc eſt in dono interiori primo.

Vbi nec amatorũ nec amantium diverſitas eſt, amor multiplicari non poteſt.

Item neceſſe eſt ut amantium diverſitas vel amatorum amoris diverſitatem efficiat ubi ipſa plura amata non ſunt, nec alio modo amantes, nec moventia plura, amor multiplicari non poteſt.

Vnius veritatis etiam apud nos una eſt cognitio, unius bonitatis patris & filij una dilectio, nec ex parte amantium in patre & filio multiplicari poteſt ne quid filio competat, quod non patri.

Item unus eſt amor veræ dilectionis quo nos diligimus patrem, & filium; unius enim veritatis una eſt cognitio, ſicut unius coloris, vel lucis ſenſibilis una eſt neceſſario viſio ſenſibilis, & eorum quæcumque viſa ſunt ſub illa una per modum omnem; quia igitur una eſt veritas ſub qua cognoſcuntur & videntur ab illis, quibus jam gloriari & gaudere ſua viſione conceſſum eſt, una eſt neceſſario cognitio, ſive viſio ipſorum patris ſcilicet & filij. Et ad hunc modum quia una eſt neceſſaria bonitas, qua & in qua diliguntur, una eſt neceſſario dilectio, qua diliguntur; ſicut enim veritas cognitionem, ſic bonitas amorem non multiplicat. Si vero ex parte amantium, tunc erit aliquid de filio, quod non de patre; & ex hoc aliquid à filio quod non à patre; quod nos jam deſtruximus: ſi enim in proximis diſcrepant neceſſario & proportionaliter in diſtantibus: quoniam quanto propinquiora ſunt primo quæ ſunt ex ipſo, tanto unitiora ſunt in ſe; quanto remotiora tanto multiplicatoria ſunt & diſperſiora.

Quia ſummum eſt gaudium patri de filio, neceſſe eſt quod in eo communicent ambo, ſummũ enim bonũ communicabile eſſe debet.

Item gaudium & ſuavitas non eſt niſi amor quietus; quietus autem eſt, cum obtinet ipſum amatum; aliter enim quietus eſſe non poteſt: amor enim velut pondus eſt trahens amantem in amatum, amatum vero ad modum loci naturalis ſe habet ad amantem. Quia igitur ſummus amor eſt patris in filium, & è converſo, & perfecta obtentio unius in alterum, perfectiſſime enim habet filium, & perfectiſſime eſt conjunctus ipſi; quoniam ſemper habet in ſinu ſuo, ſeu gremio: gaudium enim eſt conjunctio amantis & amati, & hoc idem voluntate. Summum igitur gaudium eſt patri de filio & è converſo: non autem ſummum eſt niſi in eo communicet & filius; privatum enim gaudium, quod ſcilicet alium habere non contingit tam impoſſibile eſt eſſe commune quam privatum eſſe maximum; majus enim gaudium neceſſe eſt eſſe commune quam privatum, & generaliter communicabile, quam incommunicabile magis bonum magis communicabile, communicabilitas enim auget bonitatem: benignitas enim in ſe majus bonum quam bonitas, inquantum bonitas eſt; eſt enim benignitas velut exundans in alias bonitas, non eſt autem exundans niſi communicabilitate, quare communicabile ſive commune oportet eſſe primum gaudium, alioquin ſummum non erit; cum communicabile magis ſit in ſe quam privatum. Non eſt autem mirandum ſi unus amor uniat eos qui eſſentialiter unum ſunt per omnia, cujus ſimile apud amantes noſtros, ideo non invenitur, quia amantes noſtri unius eſſentiæ eſſe non poſſunt, & ideo nec unum in ſe diligere. Nos autem in ſequentibus ſimilitudinem trinitatis in rebus creatis quæremus, potiſſimum autem in mente humanâ, quæ ad imaginem & ſimilitudinem beatæ Trinitatis in ſcriptura facta legitur.

Quod ſpiritus ſanctus donũ ſit, non autem genitus ſit.

Item primum vinculum in ſe diviſum, & vinculo alio egere, & primam ligationem illigatam, & primã ſocietatem non eſſe ſociatam, & primum fœdus non eſſe fœderatum per ſe, credendum non videtur: primum etiam donum dari ab utroque neceſſe eſſe conſideramus, & quod exterioribus donis conſequens ſit ejuſmodi diverſitas, & ipſũ nullatenus eſſe creaturam eo quod in patrem propinquior utroque & conjunctior videatur eſſe quam ipſi ab invicem. Hic igitur amor ſpiritus ſanctus, velut aſpiratio facta quaſi mutuus favor in alterutrum, inſpirata ſuavitas eſt non genita: amor enim in hoc procedit ut ſit alterius & amantem ipſius amati ſuum efficiat. Donum igitur amor eſt in quo ſeipſum & quæ ſua ſunt donat amato.

Quod filius ſua proceſſione ſit hæres patris.

Filius igitur ſic procedit à patre ut hæres ſua proceſſione, hæres inquam & dominus univerſorum quæ patris ſunt non dono, ſed jure hæreditario, & naturali: ſpiritus vero proceſſione ſua efficitur alterius dono non jure efficitur, efficitur inquam amati, & primum amatorem ſuum ipſius facit amati, & omnia etiam quæ ipſius amatoris ſunt jure ipſius amati facit per gratiam. Filius igitur duobus modis dominus eſt ſæculorum quia unius eſſentiæ cum patre; ex quo ſine dubio competit ei univerſale & indiviſum ſæculorum imperium; ſed etiam jure hæreditario nativo ut diximus. Per gratiam etiam amoris quo à patre ineffabiliter diligitur, etiam omniũ quæ patris ſunt poſſeſſorem, & dominum, ipſius veriſſimi perfectiſſimique authoris lex, quæ etiam apud mundanos amantes invicem ſervatur, indubitanter efficit. Et ſi enim dominatio univerſalis filio jure hæreditario non competeret, neceſſario ipſa ultimata amoris perfectio omnia quæ patris ſunt ſua eſſe & integra dominatione ipſum poſſidere facit: ſic enim apud noſtros amicos eſt, nec enim aliud eſt amor ſive amicitia, quam voluntaria communio bonorum. Quare neceſſario ipſa veritate ineffabilis amicitiæ communia ſunt omnia bona patris in filio.

CAPUT XXIV.

Quod omnia ſunt ſubjecta filio, & ſpiritui ſancto ſicut patri.

Tripliciter omnia ſubjecta ſunt filio.

CLarum igitur debet eſſe poſt hæc, tripliciter omnia ſubjecta eſſe filio primogenito omnis creaturæ 1. quia unus eſt cum patre creator & dominator ſæculorum, non enim ſolus pater creator eſt neque ſolus pater Deus eſt. 2. Jure hæreditario & primogenituræ ut diximus. 3. Dono habet univerſale imperium & ſæculorum omnium regnum. Jure namque creationis omnia ſua ſunt, & ſi non eſſet hæres univerſorum, eo quod per ipſum & ab ipſo facta ſunt omnia ſecula. Deinde jure hæreditario hæres eſt univerſorum & ſi per ipſum non eſſent facta ſæcula; licet namque filius hæreditatem non acquirat, nihilominus tamen eidem debetur, atque à patre paratur hæreditas. 3. Licet utrumque iſtorum abeſſet, amor tamen qui omnia quæ patris ſunt filio chariſſimo communicat eidem plena dominatione & coæquali quæ patris ſunt ſubjicit; non enim amaret filium optimus pater quantum diligendus eſt, neque quantum ſeipſum, neque ut talem, & tantum, niſi in patre totum omnino quod patris eſt poſſideret.

Quod donum amoris ab utroque procedat.

De ipſo vero dono amoris primitivi, quod ab utroque procedat ex ante dictis utrumque delucet; amantes enim qui omnino ab invicem, nec per apprehenſionem, nec per affectionem aliquid patiuntur, neceſſario principium ſunt amoris qui ſe invicem complectuntur. Quod autem eodem modo principium ſunt, dubium eſſe non poteſt eos non niſi eodem modo ſe prorſus diligere: ubi etiam non eſt dubium ſic procedere ſicut gratiam primam aut donum primum ab amante in amatum: qui vero amor ad alterutrum ligationem aliam haberet, ſi ſeipſo ligatos habeat utrumque & amantem & amatum.

Amor immediatus eſt nexus patris & filii, nec alio opus eſt amore medio.

Hinc clariſſimum eſſe debet quod ſi amatur ipſum amatum, ſolus amor eſt medius, ea dico conjunctione, qua per gratiam amoris conjuncti vel ſociati invicem ſunt; cum iſte amet ſecundum ſe: quare amor immediatus eſt utrique, non alio vinculo uterque inhærens, ſed ſe ipſo; ſicut alias de relatione didiciſti, quia cum ipſa ſit in ſe ligatio ipſius ad relativa ſua, ſive extremitates ſuas. Hujuſmodi quidem radices plures ſupra diximus, ubi diximus primam ſocietatem non eſſe ſociatam, & alia quædam hujuſmodi. Quod vero de amore gratiæ primitivæ alium amorem procedere nec opus ſit nec verum, inde manifeſtum eſt; quia amor in hoc procedit ut ipſe ſit primum donum amantis in amato, quod obtinet amatus ab amante per ſe ipſum: ſi ergo amor ſecundus procederet à primo tunc in ſecundo, & per ſecundum obtineretur primus, & non per ſeipſum. Et hoc eſt quod prohibet ipſe amor ſecundum ſe, ſcilicet ut amor per aliud ſit donum & per aliud aut in alio donetur; quoniam non eſſet ſecundum hoc ipſe amor primum donum & maximè donum, cum per aliud aut in alio donaretur

Si eſſent plura dona ultimum eorum maximè eſſet & ſolum per ſe donum Si finem non haberet iſta proceſſio amoris nihil prorſus

Deinde autem haberet finem iſta proceſſio, aut non haberet; quod ſi haberet eſſet ultimum ejus maximè donum, quoniam ipſum ſolum per ſe ipſum eſſet & donum & dativum, datum vero cætera omnia in aliis, & per alia, ipſum non ſolum in amore alio ſequenti non donaretur, & ita primum donum nunc donum eſſet & ultimum maximè & augeretur gratia ex hujus deſcenſu quæ inde minui debet, inde enim gratia, quia ſecundum ſe, & per ſe eſſet donum. Si vero finem non haberet iſta proceſſio non eſſet ibi reperire veram gratiam quæ ſcilicet ſecundum ſe & per ſe eſſet donum; cum primũ donaretur in ſecundo, & ſecundum in tertio: quare nullum eſſet purum & ideo neque donum; ſi enim non eſſet reperire aliquid verè album, nec album ſimpliciter (in quo ſufficiunt tibi quæ ſupra de his diximus)

Eſſet ſecundum ſe, & per ſe donũ.

Finis eſt ut ſcias primum genitorem ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur fontalis & primitivæ jucunditatis ſive generationis ſinum, ſive gremium, ſive uterum; primæ locutionis os per omnia perfectiſſimum; primi actus primam abundantiſſimamque potentiam, quam neceſſe ſit ſemper eſſe in effectu ſuæ primæ perfectionis; primi ſplendoris fontalem, & primitivè luminoſam lucem; primæ eructationis ſemper effluentem plenitudinem; primum exemplar, primus ſui ipſius & maximus interpres, & elocutor: filium vero primogenitum partum eſſe primæ fœcunditatis patris, qui ſe totum explicuit, dum de eo æqualis genitori per omnia filius exibuit, primæ virtutis intellectivæ hermenenſis, & primi locutoris verbum primum, & cætera omnia per correlativam oppoſitionem ad patrem, unde primi exemplaris pulchritudo inſilit atque reſultat. Spiritus vero ſanctus intelligatur eſſe primi amoris in alterutrum primorum amantium ſpirata ſuavitas, primæ gratiæ donum, primæ largitionis fundus; cujus obtentu tota hauritur prima benignitas quo tota ſe effundit gratuita puriſſimaque bonitas; quo primo per ſe, & maximè, & ſingulariter poſſidetur, ſive obtinetur donator ſuus, & prohibetur merito creatura eſſe, quia donatione ſua cogit donari creatorem, & poſſeſſione ſua poſſideri; impoſſibile autem eſt ut in dono creaturæ detur creator primo, nec prius dari creatura putetur quam ipſe creator: omnis autem dator neceſſario dat primo ſeipſum, ſi dator eſt veri nominis.

Expoſitio per modum recapitulationis quid ſit Pater, filius, & ſpiritus ſanctus.

Congruebat autem ut fons bonitatis de ſe primo derivaret præclariſſimum lumen cognitionis deinde de ſuavitatem amoris ſui; quibus duobus & beatitudinis conſiſtit integritas, & aliorum omnium ex his duobus pendet diverſitas ex forma namque exemplari, & amore eſſendi illam per ſigillationem in his quæ extra ſunt eſt neceſſario totum quod per artem & ſapientiam factum eſt artificis: hæc autem duo ſunt primum verbum & primus amor. De amore enim formæ apprehenſæ eſt quod amantur ejus exempla exterius, hoc eſt ea quæ per eam ſigillata ſunt & imagines quædam ejus ſunt. Vides igitur quod fecit omnia Deus per filium, & ſpiritum ſanctum: Omnia igitur ab ipſo patre ſunt originaliter & fontaliter ab ipſo exiſtentia, velut de potentiæ ſuæ copioſiſſimo & indeficientiſſimo fonte; omnia ſunt per filium formantem, & ſigillantem unumquodque forma ſua & decore; omnia ſunt in ſpiritu ſancto, velut quodam gremio & ſinu amoris omnia fovente, nutriente & conſervante, ſapientiæ 16 *Nutrici gratiæ tuæ deſerviebant*, quæ gratia ſpiritus ſanctus neceſſario intelligitur ad Rom. 11. *Omnia per ipſum, in ipſo & ab ipſo* Nihil tamen prohibet unumquodque iſtorum ad omnium iſtorum quemlibet pertinere.

Ex cognitione & amore tota conſtat beatitudinis integritas, & alia omnia ex his duobus derivantur.

Ex his quidem facile dileſceſcet quia beata Trinitas ſolus & verus Deus, eſt proprie vita, lumen, & gaudium in ultimo vita, quæ nihil omnino commune cum morte habet ſed eſt eidem impermixtiſſima puritate pacis primæ, & hoc eſt aliquid quo mors non appropinquat per aliquem modorum, neque deſtructio ulla, neque ſecundum eſſentiam, neque ſecundum accidens, neque actu, neque poteſtate, neque ratione; alioquin non eſſet à morte tam remotiſſima, neque eidem impermixtiſſima impermixtione poſtquam non eſt alia & remotio-

Vita, lumẽ, & gaudium trinitati appropriantur, & vera quidem pag tri.

ne poſtquam non ſit alia nec actu nec intellectu; à morte & corruptione quam remotiſſima, ideoque neceſſario vita intellectiva, vel non acquiſita. corporalis enim omnis acquiſita eſt, & procedit à vita ſpirituali corpus illuminante & regente. Hanc igitur neceſſe eſt ſemper eſſe in effectu, alioquin nec primam nec perfectiſſimam eam eſſe poſſibile eſſet: vita intellectus in effectum vivendi neceſſe eſt eſſe in hermenenſi & loquela & intellectione; ſimiles enim ſpiritualiter: & apud ſe inſopitus intellectus in potentia tantum eſt vivens ad modum habitus ſcientiæ † ejus inſopitus effectus: quare neceſſario in loquela ſpirituali eſt ſemper in effectu, & in effulgentia de ſe & in ſe & in eructatione de propria plenitudine in ſe ipſo, ſicut appareret in habitu copioſo cum eſt in effectu, ut ſupra oſtendimus.

† *Abundare iſta eſt inſopitus effectus, & hic ſane locus corruptus eſt.*

Quod verbum lumen ſit, ſpiritus ſanctus gaudium & quæ ſit vita ſanctiſſimæ trinitatis

Eſt igitur vita iſta cum lumine coæterno ſibi, quod de ſeipſo eradiat & eructat; & hæc eſt interpretatio ſpiritualis pleniſſima & perfectiſſima ipſius, & verbum quod non eſt aliud ab ipſo, & ideo imago & filius de eorum conſortio exuberat gaudium, & ultimæ ſuavitatis mutuum in alterutrum eorum complacitum; quo ſive gaudio, ſive amore ſuaviſſimo neceſſario omnium habent curam, & imperium, & dominium ad modum veriſſime ſinceriſſimeque ſe amantium. Beata igitur trinitas in ſe ipſa eſt vita fontalis, & lumen effulgens & eructatum de plenitudine ipſius, & gaudium mutuæ invicem aſpirationis & mutuum ut ita dicatur omnimodi favoris. Et eſt ex hoc fons vitæ & luminis & gaudij in ſe, & ad ſe, & ſecundum ſe lumen & gaudium: mirabiliter tamen iſta tria unita ſunt in ſe, & unum gaudium, non enim eſſe dubium poteſt, quin gaudere in ſe ipſo vivere ſit nec ſolum vivere, ſed vivere etiam beate: quare gaudium hujuſmodi vita eſt beata; ſimiliter loqui ſpiritualiter quemadmodum hic intelligimus vivere eſt, & ſi quis conſideret preſſius ipſum vivere intellectus etiam in effectu: quare per modum eundem locutio vita eſt, & loquela ipſa, de ipſa vero vita quin ipſa vita ſit in ſe ipſa dubium eſſe non poteſt.

De triplici vel quadruplici vita apud nos.

Non mireris autem ſi tres apud nos aut quatuor vitæ inveniantur: Prima corporalis quæ eſt ſalvatio corporis per reparationem jugem nutrimenti. Secunda eſt apprehenſiva ſecundum quam diximus viſum mortuum aut extrinſecum vivere in effectu cum eſt in actu ſuæ apprehenſionis. Tertia effectiva ſecundum quam dicimus mortuum vel mortificatum appetitum, aut vim generativam, in natura frigidis qui ad opera generationis emortui ſunt: quod ſi non debet eſſe dubium vitam corporalem vitam eſſe quæ eſt quædam mortis compenſatio, ſive reſtauratio, non debet eſſe dubium de aliis. Quis enim dubitat quin videre in effectu ſit ipſius vivere viſus, ſicuti appetere ipſius appetitus. Sicut ergo & videre & cognoſcere in effectu eſt ipſius vivere viſus, ſic & appetere ipſius appetitus.

Trium iſtorum unum quodque ſigillatim & vitam eſſe & lumẽ & gaudiũ.

Sic ergo & gaudere, & cognoſcere in effectu vivere eſt in effectu, unde & in melancholicis rationabilem emortuam dicimus, & in letargicis ſenſitivam. Quia igitur unumquodque illorum trium vita eſt, inde manifeſtum eſt, quia nec actu, nec potentia eſt ibi hoc & hoc, ſed unitas & ſimplicitas in ultimo; nihil enim dici poteſt de primo uno quod non ſit unum in ultimo; alioquin eſſet unum ipſum, & vere multa, unum dico per omnem modum, & multa per aliquem; & hoc eſt quoniam cum primum unum ſit vita quæ eſſet hoc & hoc, eſſet ipſum hoc & hoc per hoc ipſum quod eſt vita; quia eſt vita in ſe, & non aliunde; alioquin verum quod jam prohibuimus in illo. Quare per hoc ipſum quod eſt eſſet multa, & compoſitum. Nos autem jam oſtendimus ipſum eſſe unum in ultimo, quare neceſſe eſt vitam unam in ſe ipſo per omnem modum, eo modo & lumen & gaudium, cùm fuerit utrumque vitâ prima; quoniam utrumque eſſet eſſentia altiſſima & prima. Quare vita prima non erit una ſolitaria vita, quare iſta tria vita una & eadem per omnem modum. Ad hunc modum idem lumen ea eſſe manifeſtum fiet; quilibet enim illorum lumen eſſentiæ primæ quæ eſſentialiter & per ſe ipſam lumen eſt. Per hanc eamdem viam manifeſtum erit tria hæc & tres iſtos vivendi modos omne gaudium eſſe ſive beatitudinem. Non enim negari poteſt pertinacitate quacumque Deum beatiſſimum eſſe beatitudinem, puriſſimumque gaudium, & ex modis omnibus perfectum: perfectum autem ex modis omnibus quo majus excogitari non poteſt maximi boni maxima fruitio eſt. Apud ipſum igitur ſummum bonum & nulla ex parte comparabile aliis gaudium eſſe manifeſtum eſt. Vide autem utrum alio à ſe beatus eſſe poſſit, omne namque bonum magis habet in ſe quam dedit aliis, & majus eſt bonum ipſe ſcilicet quam poſſet eſſe aliis: V. g. poteſtas major, ſapientia major, major bonitas eſt ipſe ſibi quam aliquid aliud eſſe poſſit eodem.

Maximum gaudium Deo eſt de ſe ipſa.

Item primum gaudium non poſſet eſſe de alio, quam de ſe; primum enim eſt gaudere de ſe, deinde de ſuis, tandem de aliis. Primo igitur gaudet de ſe, ſicut primò habet de ſe ad videndam propriam pulchritudinem, poſtquam non eſt alia, & eſt utrumque iſtorum in ultimo, ſcilicet conſpectus propriæ pulchritudinis, & conſpectus propriæ locutionis, & ipſa ſunt in ultimo, & maximè ſecundum ſe. Maximum igitur gaudium eſt ei de ſe ipſo, ſed ſibi de ſe non poteſt aliud eſſe à ſe. Quare ipſum gaudium ipſe eſt ne alio à ſe putetur beatus, & illud † non adeptus æſtimetur non beatus, & beatitudo ei aliunde à foris ſcilicet advenerit.

† *Et illud adeptus æſtimetur non de ſe beatus.*

Probat idẽ quod ſupra quia eſſentia Dei ipſa beatitudo eſt.

Item ipſa altiſſima eſſentia prima ſecundum ſe eſt beatitudo; ea enim ſecundum ſe beatus eſt Deus, ne minori bono quam ipſum ſit beatus putetur: ipſa igitur eſſentia in illa beatitudo eſt: quare primum gaudium, & prima gloria, prima vita, & primum lumen de illa procedens, & primum gaudium, de conſortio amborum ſunt ſimul & ſigillatim, unde unum gaudium & una beatitudo, & una eademque gloria in ſummo & ultimo, ultra quam nec beatitudo, nec gaudium, nec gloria.

CAPUT XXV.

Quod in ſingulis rebus beatiſſima trinitas reluceat.

Poſtquam de appropriationibus egit, tranſit ad inquirenda veſtigia Trinitatis quæ vocat poſteriorẽ faciem Dei.

VIde ergo quo uſque te duximus, ut tria quodammodo ſint, & per omnem modum unum: neceſſario igitur appropriatur unicuique ipſorum ex modo aliquo, & intentione quod vita eſt aut lumen, aut gaudium, & neceſſario ratione, & modo altero, & intentione altera: quare neceſſe habemus ne confundere videamur trinitatem intentiones iſtas aperire & in his & in aliis. Primum igitur qualiter in rebus ſingulis beatiſſima trinitas reluceat, & qualiter ex unaquaque umbra quædam & ſimilitudo ipſius ſit, imo & veſtigium: & quia dictum eſt: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam non videbis quia non videbit me homo & vivet,* inquirere tentabimus, de poſterioribus igitur iſta poſteriora primum conſideramus. Hæc autem ſenſibilia ſunt, dico autem quoniam in omni ſenſibili invenimus varietatem quamdam, & circumveſtionem naturalium accidentium, facies quædam eſt ipſius ſenſibilis, ſed facies exterior, qua

ſe

ſeipſum indicat unumquodque ſenſibile ſenſibus, quare velut verbum vocis ſe habet, cum non ſimilitudinis ſignum ſit, ſed fortaſſe relationis aut cognitionis

Veſtigium trinitatis exponit in ſubiecto, accidentiũ ornatu, & amore, quo ſe mutuo complectũtur.

Hæc igitur varietas utrum unum ſit cum ſubjecto, an aliud diffinire modo ſuperſedemus, ſufficiens arbitrantes quod ipſa verbum ſit ſubjecti per ipſam ſe ipſum ſenſibus quodammodo & forte proprie loquentis. Subjectum vero loquens eſt ipſam & per os ipſius eſt, cum tota varietas naturalium accidentium de ſubjecti ipſius eſſentia prodire non dubitetur. Illa enim naturalia unicuique accidentia vocamus, quæ de natura ipſius & in ipſo naſcuntur. Qualis vero amor inter ipſum, & naturalia ejus accidentia, quæ ſunt ſpecioſitas ejus exterior, & facies decora, ipſi naturæ motus & mutationes oſtendunt: primum vide qualiter omnia corpora naturaliter fugiunt loca ſuæ naturæ contraria, & inſequuntur quæ naturæ ſuæ exteriori conveniunt. Hoc in animalibus & univerſis viventibus reperies. De ipſis vero viventibus vide qua ſollicitudine quæ natura exterius neceſſaria ſunt eis ad conſervationem decoris exterioris ſui quærant, & qualiter ſe quodammodo exterius ornare ſtudeant, in promptu hoc frondes, & folia, & cortex arboris hoc pili animalium, & ordinatio figuræ & coloris in illis oſtendunt. Corvus pullos ſuos niſi nigros conſpexerit abjicit, pavones caudarum ſuarum mirantur pulchritudinem, aqua lutoſitatem ſuam ſtatim ut paruit excutiunt. Adeo autem amat unumquodque ſenſibilem illum quo circumveſtitum eſt decorem, ut omnia alia ſuo decore circumveſtire nitatur, & ſibi certet aſſimilare. Et hæc cauſa eſt certaminum omnium quibus in mundo pugnant contrarietates.

Quo amore accidentium ſpecioſa varietas ſubiectũ ipſum complectatur.

De amore vero quem habet ipſa in proprium ſubjectum ſpecioſitas, nulla debet eſſe dubietas; cum ab ipſo ſeparari ſe nullatenus patiatur, & ipſa ſeparatio deſtructio ejus ſit. Nos autem intendimus de amore naturæ, qualem eſſe inter materiam & formam Philoſophi poſuerunt qui ſine dubio debet eſſe amorum naturalium maximus, quem maximè prima materiæ & formæ unio, ſic & naturæ complexus oſtendit. Vide igitur tria hæc in unoquoque ſenſibilum, ipſam ſcilicet ſpecioſitatem circumveſtientem, & ipſum ſubjectum, & ipſum amorem quo ſe invicem complectuntur, & invenies velut loquentem eſſentiam ſubjecti, & velut verbum ejus ſpecioſitatem qua circumveſtitum eſt, & velut donum amoris inter ipſa quo ſe complectuntur, quo etiam exterioribus ſua largiuntur. Vide largitatem ſolis, qui radios ſuæ luminoſitatis tam late ſpargit.

Non reperitur tamẽ in iis veſtigiis perfecta ſimilitudo.

Quod ſi fortaſſe inter ea tria non pure inveniatur uſquequaque primæ unitati reſpondens unitas, ſcias umbram veritati uſquequaque proportionalem eſſe non debere, & quanto aliquæ elongatiores ſunt à primo principio, tanto minus veræ unitatis & trinitatis ſimilitudinem habent. Umbra enim uſquequaque non ſervat figuram corporis à quo jacitur, neque veſtigium formam pedis à quo imprimitur, neque imago reſultans in ſpeculo per omnia ſimilis poteſt eſſe faciei inſpectoris. Et nos quidem in præcedentibus oſtendimus quod nulla ex rebus creatis poteſt eſſe ad integrum ſimilitudo creatoris, & quoniam non eſt poſſibile ut communicent cum eo in genere, vel ſpecie, vel numero, vel accidente quæ ſola ſimilitudinem efficiunt. Similitudo autem quam aſſignamus omnium ſimilitudinum poſtrema eſt, & ordine & parvitate imitationis. Non igitur mirabile ſi multum diſcrepat quod in minimo convenit. Qui vero ipſam hujuſmodi circumveſtionem dicunt idem eſſe cum ipſo ſubjecto, idem dico ſecundum eſſentiam, vocant ipſam circumveſtionem non abſtractam: Sed magis in ſinu quodammodo, & gremio ſubjecti hærentem, quoniam ſecundum modum abſtractionis non eſt ipſa hujuſmodi varietas. circumveſtio & decor ſubjecti; quoniam neque accidit ullomodo ipſi ſubjecto, ſed eſt ſpecies abſtracta abſolutæ eſſentiæ & ſeparatæ quidditatis à quidditate ſubjecti, nempè radioſitas effulgentis, & ſe ipſum loquentis ſubjecti.

Idem oſtẽdit in artificiatis ubi ære ſtatua & utriuſque complexu trinitatis veſtigium oſtendit.

Quare expreſſior erit ſimilitudo ſecundum modum iſtum, quoniam ſic dicetur verbum æris ipſa figura ejus, ſcilicet ipſa ſtatura vel imago quæ utique in ſinu potentiæ ejus erat antequam educeretur ad actum: eductio igitur ipſius ad actum elocutio fuit ipſius potentiæ, quæ ſe ipſam effudit in actum: & non eſt dubium unum prorſus eſſe ſubjecto & eſſentia, hoc æs, & hanc ſtatuam; cum tamen dubitari non debeat ipſum æs velut parentem eſſe, ipſam vero ſtatuam æris prolem, quam adjuvante actione artificis velut partum quemdam de ſinu, & gremio potentiæ ſuæ edidit. Quod † ſi figuram à natura, ſentiri vero actus dicis cum Ariſtotele, tunc manifeſtum eſt, quod parens, & proles, & loquens, & verbum ipſum, æs ſcilicet, & ſtatua coæqualia ſunt; cum alterum ex altero eſſe nulla dubietas, coæqualia dico ſecundum ordinem eſſendi in tempore, non abſolutè eſſendi; & ſicut alterum ex altero, ſic idem tamen ſecundum eſſentiam ſunt, & idem ſubjecto, & idem numero, ſed & alterum ex altero: & qui videt alterum, videt & alterum: æs enim in ſtatua, ſtatua in ære, & eadẽ æritas amborũ, eſtque utriuſque forma eſſentialis, & ſpecifica. Æs igitur individuum, & inquantum æs eſſentia nuda eſt amborum communis, ſenſibile vero, vel formale, parens vel loquens; ſtatua vero vel imago, proles & verbum: per formam autem eſt verbum æris ſe ipſum loquentis, & proles ejuſdem partum ſuæ fœcunditatis educentis. In materia vero & forma ex eodem mutuo complexu, & amore lucidiſſimum eſt trinitatis exemplum: potiſſimum autem cum manifeſtum fuerit, tria hæc unum eſſe ſecundum eſſentiam.

† Locus vitiatus f. leg ſortiri vero accidens ab arte.

Idem oſtendit in materia & forma rerum naturaliũ, & oſtendit ſimul materiam ſecundum ſe non habere eſſe.

Videamus ergo hoc in prima univerſali & univerſum ſuſtinẽte materia prima & forma: quia igitur ſic ſe habent ambæ, & hoc ſit ita materia quod non materiatum, & habita forma quod non formatum; quia materia ſecundum ſe nullum eſſe habet quemadmodum ſemen humanum. Non habet ſecundum ſe ut ſit aut Socrates, aut Plato, aut germen; vel nux non habet ſecundum ſe ut ſit hujuſmodi arbor nucis, potius quam illa, aut hoc granum potius quam illud. Sic autem ſe habet prima materia quæ ſecundum ſe non eſt formata per aliquem modorum ad omnia formata & materiata. Materia igitur prima nullum habet eſſe eorum quæ ſunt poſt ſe ipſam, eſſe dico factum aut creatum, quoniam ipſa eſt primum ſuſtinens, & forma ſenſibilis ultimum ſuſtentatum, & ipſa eſt primum recipiens; forma vero ſenſibilis ultimum receptum; quare ſecundum ſe nullum omnino habet eſſe quoniam omne eſſe eſt poſt primum eſſe verum, & purum, & eſt receptum ab ipſo aliquo modo: quoniam igitur materia ſecundum ſe non eſt recipiens nec habens ſed receptiva, manifeſtum quoniam ipſa ſecundum ſe non habet eſſe. & quoniam non eſt quid, nec habet quidditatem, quia ſi hoc eſſet quod hoc haberet ſecundum ſe, & eſſet intelligibilis ſecundum ſe: hoc enim principium eſt primæ Philoſophiæ ut omne quod eſt ſit intelligibile, & ſicut eſt ſit & intelligibile: quia igitur ſecundum ſe non eſt intelligibilis, non erit quid, nec habebit eſſe ſecundum ſe. Si enim ſecundum ſe intelligibilis eſſet, eſſet ei aſſimilabilis intellectus per formam, quam

ipſa recipit, hoc enim eſt intelligere, aſſimilari ſcilicet & fieri exemplum intellecti in effectu; formam vero impoſſibile eſt à non habente imprimi, & impoſſibile exemplum alterius fieri, niſi per formam & niſi formatum ſit in ſpeculum intelligentiarum noſtrarum. Sic etiam non cadit in ſenſum niſi aut forma ſenſibilis, aut formatum ſenſibile, & hoc per ipſam: ſic & in intellectu ſe habere neceſſe eſt; quare materia ſecundum ſe intelligibilis non eſt, & ideo ſecundum ſe non eſt, neque eſt quid actu, ſed quid potentia.

Et eo quod materia nō habet eſſe concludit idem eſſe actu eſſe materiæ & formæ.

Quod ſi quis dixerit ipſam eſſe ſubſtantiam quamdam rudem receptibilem formarum, potentia quidem unumquodque materialium ex illa, actu vero nullum; nihilominus tamen apud ſe, & ſecundum ſe ſubſtantiam quamdam eſſe: quemadmodum cera ipſa in ſe, & ſecundum ſe cera eſt actu, potentia vero quælibet eſt imaginum formabilium ex illa: ſcire debes quod cera non eſt in effectu cera, per hoc quod eſt materia, imo per hoc quod eſt formatum quadam forma certa ſpecifica, quæ eſt cereitas. Nos primam materiam intelligimus quæ tantum materia eſt, ita quod nullatenus in ſe, & ſecundum ſe formata ſit, alioquin prima non eſſet ſi in ſe formata & materiata eſſet. Eſt igitur prima materia ex omnibus modis ſuis materia, materia autem per hoc quod materia, nullum eſt in ſe actu eorum quæ ex ipſa formabilia ſunt, ſed nec aliud habet in ſe eſſe ſecundum ſe & actu eſſe: igitur eſſe ejus in effectu & eſſe formæ in effectu ſunt unum eſſe, & idem nec aliud quam adductio materiæ ſunt, quam una generatio, aut creatio, aut alterius modi factio: quare idem eſſe in effectu materiæ & formæ. Vide igitur quod materia & forma poteſtate & ratione differunt, ſed eſſe ipſo non differunt, imo neceſſario unum ſunt in effectu, non enim poſſunt eſſe diverſa in effectu, cum unus per omnem modum ſit earum effectus. Fortaſſis autem aliqua eſt per hoc via qua ſuaderi poſſet omnem potentiam, & ſuum effectum actu, effectum unum eſſe, etſi alius modus inter eas differentiæ inveniri poſſet. Non autem dubium eſt omnem actum liberum eſſe potentiæ ſuæ & prolem & partum. Quod ſi prima materia non egeret adjutore alio, ſed de ſe primam formam peperiſſet: quid aliud diceres primæ formæ generationem, niſi ipſius primæ materiæ partum, & elocutionem, ſed realem, utique non vocalem; quoniam non ſignum ipſum vocale rei alicujus, ſed rem ipſam quam in ſinu & gremio ſuæ potentiæ potentialiter tantum tenebat edidiſſet; & hoc verbo ſuo materia intelligitur, atque cognoſcitur, alias ſicut jam diximus non intelligibilis, niſi quemadmodum tenebræ viſibiles, aut ſilentium audibile.

Idem expē-dit in materia ſecunda.

Quod ſi quis dixerit materiam primam nihil conferre, ſed magis è converſo, conſideret hoc ex materiis ſecundis, & jam inveniet unamquamque velut parentem eſſe ejus quod ex ipſa formale & initiale eſt: ut eſt videre in ovo & ſeminibus & fructibus, & inveniet non ſolum vim receptivam in ipſis ſed generativam; in ſeminibus enim eſt vis generativa ſeminum ſuæ ſpeciei, & herbarum, & plantarum. Vis autem generativa eſt vis cui forma ipſa quæ reperitur in potentia debet ſuum eſſe; in his autem materiis manifeſtum eſt generata ab his, & ex his generari, eſſe & proles & partus, & verba relativa quædam materiarum ſuarum ſecundarum ſunt. Quæro igitur an verum ſit quod planta potentia eſt in ſemine ſuo, hoc habet ſenſus, & communis ſermo Philoſophantium: quia igitur in materia † nec in planta poteſtate eſt ſemen ſuum, ſicut dicitur quod ipſum ſemen poteſtate eſt planta ipſa. Vides igitur quia poteſtate unum ſunt, quoniam propoſitiones de poſſibili, & de contingenti particulares convertuntur, materia igitur generaliter per modum qui eſt materia, quia per poſſibilitatem ſuam unum eſt cum materiali ſuo, cum prole ſua, & partu, & verbo reali, & debet hoc eſſe in prima materia & prima forma ſicut in ſecundis, quoniam nihil amplius debet poſſe ſecunda materia in ſuam formam, quam prima materia in ſuam, ſed debet ſe habere proportionaliter & in effectu, & in potentia unum ſunt materia & forma generaliter: ex modo tamen duo ſunt, & materia parens, & ſinus & gremium generaliter formæ, & elocutrix ſeu interpres, forma vero partus & proles & verbum reale.

† *Nempe in planta.*

Amor materiæ & formæ mutuus unus & idē eſt.

De amore vero quo ſe complectuntur quis aut quantus ſit per modum quo inter eos amorem dici fas eſt, inſeparabilitas earum oſtendit, & intelligimus naturalem, non apprehenſivam; naturalem, non voluntariam; & non eſt amor iſte diminutus, cum ſit utique æqualis, non enim alio ligatur forma materiæ & materia formæ, quam utraque earum, alio dico ſecundum eſſentiam, quoniam hoc habet materia ex hoc quod materia ut deſideret formam & acquiſitam firmiſſimè, & quantum in ea eſt indiſſolubiliter amplectatur, nec niſi per violentiam ab ea ſeparari ſe patiatur: ſimiliter & forma de ſe habet hoc idem. Quare amor iſte non eſt alterutri eorum acquiſitus, ſed innatus ſive naturus, ut ita loquamur, nec modo eſt donum quo ſe invicem poſſident gratis, & amplectuntur. Et hanc amicitiam poſuerunt aliqui ex nobilioribus Philoſophorum unum ex principiis; quia hoc amore velut exurgit materia in omni generatione, formam recipit generati, non tam cauſa eſt de largitate & copioſitate agentis quam de fœcunditate materiæ & attractione vehementis deſiderij. Hæc eadem amicitia conſervat omnia generata, & prohibet quantum poteſt corruptionem ab eis. Videamus autem ſi alius eſt amor quo ſe complectuntur, quam ſit utralibet earum. Dico ergo quod materia non amat formam niſi per id quod materia eſt, neque forma amatur niſi per id quod forma eſt, amat enim formam ipſa materia tanquam perfectionem ſuam & actum, & ipſa forma non amat in materia niſi ſe ipſam, non amat in ipſa imperfectionem ipſam, ſed potius perfectionem, quæ ipſa eſt: non enim eſt aliquid amabile in materia ſecundum quod materia non eſt, non eſt inquam actu, ſed potentia; & hoc eſt quod ipſa forma non diligit niſi ſe ipſam in materia: quare idem eſt amatum ab utraque parte, & ſecundum idem, quia ipſa forma ſecundum ſe & ab eodem in effectu, ut ſupra oſtendimus. quare idem amor eſt.

In quo cō-ſiſtat religionis illud trinitatis exponit ut materia patrem, forma filium, complexus ſpiritum ſanctum et habeat.

Ergo hoc ſubjectum commune poſſibilitatis & perfectionis velut communis eſſentia divinitatis. Idem enim quod eſt poſſibile erit in effectu, idem quod eſt potentiale erit perfectum, ejuſdem enim eſſentiæ ſunt qualitas potentia & actus: ejuſdem dico eſſentiæ ut ſubjecti, non quod eamdem habeant eſſentiam, vel quidditatem ſed ipſe amor quo ipſum poſſibile inquantum poſſibile ſuam amat perfectionē, impoſſibile eſt eſſe adventitium ipſi poſſibili: eo enim ipſo quo poſſibile eſt amat perfectionem ſuam: quare ipſe amor procedit ei de ipſa poſſibilitate ſua, & eſt coævus ordine eſſendi ipſi poſſibili, inquantum poſſibile, nec diligit aliud poſſibile quam ſe, tamen perfectionem ſuam diligit, ſive ipſum perfectum (aliud dico ſecundum eſſentiam etſi ſecundum rationem.) Amorem autem iſtum non eſt ſeparari ab illis duabus intellectu, quæ vero intellectus ſeparare non ſufficit neceſſario unitas adunata eſt ex materia & forma & mutuo complexu earum qualiter umbra quædam trinitatis reluceat. Sed imperfectio & impoſſibilitas quæ ineſt ei ex parte ſua aſſimilari creaturam

creatori

creatori univerſali nullatenus obſunt: non enim ſunt exemplum ejus niſi ſecundum illud quod ab ipſo recipiunt, & hoc eſt generale omnium exemplorum, ut ſcilicet exemplum ſui exemplaris non ſit, niſi per illud quod ab ipſo recipit, & propter hoc imperfectio impoſſibilitatis non adjuvat ſimilitudinem imo minuit. In hoc autem quod materia velut in occulto ſuæ poſſibilitatis potentialiter habet formam, & velut conceptam geſtat eam in utero quodam ſuæ potentiæ ſine dubio umbra quædam, & veſtigium licet pertenue eſt ſummi patris imperfectione imminuente veſtigium, & denſante umbram, & inclinante eam in partem ſuam, quæ eſt ei pars tenebrarum: non enim habet quo reluceat ſimilitudine, niſi ex parte lucis & à luce; quod vero relucentiam ejus ad illam lucem attenuat hoc eſt ei ex parte propriarum tenebrarum, in quam jugiter recideret niſi forma eam ab hujuſmodi fluxu cohiberet. Si quis vero quærat unde eſt, quod materia minus relucet ad patrem, quam forma ad filium, & unde imperfectior, hoc eſt quærere unde materia eſt, & unde forma: † materiam enim eſſe formam forma eſt; non igitur poſſibile erat ut materia eſſet ſine forma. Similiter poſtquam beneplacitum erat creatoris, ut formam crearet neceſſario creavit eam in eſſe formæ

† Materiam enim eſſe, à forma eſt; vel materiam enim formatam eſſe, à forma eſt.

Veſtigium trinitatis in figuris triangulorum.

In figuris vero relucet beatæ trinitatis ſimilitudo in triangulo æquilatero, qui prima eſt figurarum planarum pluralitate diſcreta & determinata. Angulum namque ſuperficiem eſſe, quam duæ lineæ alterno contractu ſuo ex altera parte claudunt, dubium eſſe non debet: quod diviſio angulorum & æqualitas & inæqualitas, & majoritas & minoritas & cæteræ hujuſmodi paſſiones quas Geometra certificat de ipſo angulo, ut de proprio earum ſubjecto evidenter oſtendunt. Nos autem ad alia feſtinantes non morabimur. Quod ſi quis dixerit punctum ſuperficiei eſſe angulum ſcilicet vocabit A; ipſum punctum angularem, & tunc diviſiones angulorum & majoritates, & minoritates, omnino nihil ſunt; aut vocat angulum partem aliquam ſuperficiei, aut ipſam totam: utrumlibet autem dicat propoſitum noſtrum non impedit. Si enim totam ſuperficiem quæ clauditur ex altera parte A, B, & A, C, lineis dicat angulum A: ſubtendimus angulo A, B, C, lineas quarum tres illi anguli ſunt una & eadem ſuperficies quæ ipſa triangulus. A, B, C. Quod ſi partem ſuperficiei angulum dixerit illum terminabimus linea ſubtendente angulum & claudetur triangulus, & ſic accidet idem quod prius. Videtur ergo quia A, B, C, revera tres anguli ſunt; cum tamen ipſi ſint una ſuperficies, & eadem per omnia, ita quod unuſquiſque eorum eſt ſuperficies. Eſt igitur ſuperficies velut eſſentia communis tribus angulis, quemadmodum altiſſimam eſſentiam communicant tres quos nominavimus: triangulus vero velut trinitas ipſa eſt. quemadmodum enim trinitas beata & ſumma, nullus eſt ſigillatim trium, ſic triangulum angulum non dicimus ut triangulum trinitatem angulorum intelligas, non ipſam ſuperficiem triangulam: tamen quia dicitur ſuperficies triangula, aut velut appellatio trianguli intelligi poteſt; aut tanquam diviſum, ut ſic dicatur ſuperficies trianguli, ut eſſentia divina dicitur trina: nemo tamen eſt qui dubitet triangulum angulum non eſſe, licet ipſi ſint eadem ſuperficies, & angulos ipſos verè tres eſſe, licet ipſa ſint eadem ſuperficies, & ſigillatim unuſquiſque, & in ſumma omnes.

CAPUT XXVI.

Quod in anima rationali imago trinitatis reperitur.

Veſtigium trinitatis eſt in vita quâ anima communicat corpori.

POſt hæc autem in ipſa anima rationali humana exemplum & imago trinitatis primæ tanto evidentius reperitur quanto de ea ipſa ſcriptura veritatis eam ad imaginem & ſimilitudinem Dei perfectam expreſiæ teſtatur, de aliis omnino tacens. Primum igitur, & vulgare eſt, & notiſſimum qua potentia imperet corpori, ut vitæ redundantia & copioſitate ipſum impleat: quæ poteſtas ſeu potentia tam fœcunda & copioſa vitæ & operationum patris omnipotentis quoddam exemplum eſt, qua providentia & ſapientia naturali & provideat nutrimentum & diſtribuat, moneat, regat, quæ ſapientia exemplum & imago primogenitæ ſapientiæ à qua merito eſſe deprehenditur: quis autem & quantus ſit ei amor ad ipſum, & ea quæ ejus ſunt robur videlicet, agilitas, ſanitas & pulchritudo? qui amor exemplum quoddam & imago primi amoris à nullo dubitare poſſe videtur Et hæc quædam umbræ ſeu radij ſunt quibus in ipſo corpore relucet trinitas ipſa quæ in anima humana eſt, & ex ipſa in ejus corpore. Ipſa autem anima primæ trinitatis umbra, ſive veſtigium, ſive radius quare hæc tria, quæ jam nominavimus ipſius umbræ umbra ſunt & ideo tenebris noſtræ cognitionis intimior velut umbra quædam primæ veritatis, atque ſatis evidenter ut diximus: quare ipſa umbra prima expreſſiorem ſervat neceſſario ſimilitudinem primæ veritatis. Dico ergo quia in anima humana eſt neceſſario vita & apprehenſio, & affectio; hujus vitæ umbra id eſt fluxus quidam eſt vita ipſa qua vivit corpus, & qua vivit anima, & qua vivit homo: unde tres vitæ umbræ ejus ſunt, vitalis quam reperis in vegetabilibus; & animalis, quam vides in animalibus; & humana, quæ eſt ejus qua apud ſe vivit anima ipſa umbra expreſſioris ſimilitudinis: & hoc multiplici perfectione ſua.

In animæ ipſius vita qua vivit apud ſe.

Dico ergo quod vita ipſa, qua vivit apud ſe anima ipſa parens eſt apprehenſionis, & donatrix affectionis, præcedit enim vita apprehenſionem quæ eſt in ipſa vita potentialiter: quare velut materia aut parens ipſius eſt; hæc enim materialis cauſa eſt in qua velut potentia eſt, de qua actione educibilis vel extractibilis eſt. Quis autem dubitat de vita exire apprehenſionem non ſecundum actum. Nos autem intelligimus, hic apprehenſionem non ſecundum actum, imo apprehenſionem ut vivat habitu aut potentia. Quia igitur vita hæc præcedit ordine eſſendi apprehenſionem neceſſario cauſa ejus eſt: quod autem cauſa velut parens manifeſtum eſt, quia cum non dubitemus in pueris vitam hanc eſſe in effectu in animabus eorum, apprehenſionem vero intellectivam non in eis eſſe in effectu, & non eſſe fixam, certum habemus inde maximè, quoniam omni intelligenti prius eſt intelligere ſe & virtuti intelligenti prior occurrit ipſa ſive ipſius præſentia veritatis quã res quæ extra ipſam ſunt poſſint occurrere per ſimilitudines ſuas, tunc igitur primũ habet intellectum & rationem in effectu potentia apprehẽſiva, non quidem de potentia ſenſitiva, quia per operationem ipſius revera factum eſt.

Intellectus prius ſe ipſum apprehendit quã alia; atque ex vita eius procedit apprehenſio.

Primum illa non potuit in majus nec in nobilius quam ipſa eſſet ut exiret de ea: præterea ordine eſſendi abſolute non eſt prior, ſed ordine temporis, adjuvativa ſcilicet ipſius aliquo modorum: deinde eſt nobilior longè quam potentia ſenſitiva & mortalis, cũ illa ſit immortalis: reſtat igitur ut exeat de potẽtia ſibi proxima, quin & priori ſecundũ ordinẽ, &

immortali ſicut ipſa eſt Eſt ergo vita ipſa quam nominavimus, quoniam in iſta erat ſine dubio potentialiter, & illa erat velut gravida ipſius, quam eo tempore quo diximus, velut fætum maturum eduxit ad partum: quia igitur vis intellectiva prius apprehendit ſe eſſe vel vivere & eſſentiam ſuam, ſive vitam quam aliam quamque ſimilitudinem apprehendit; neceſſario prius ipſam vitam de qua neceſſario velut partus exivit apprehendit vis intellectiva quæ ut diximus aut veritas eſt vitæ de qua proceſſit, aut imago: & hoc eſt quod intendimus, quia intellectus iſte qui de vita procedit verè proles eſt ipſius, quoniam imago eſt de ipſa velut utero ſeu gremio procedens: nec dubium eſt quin prius apprehendat ordine recto vitam ſuam, ſive vivere ſuum, quam intelligere ſuum; quoniam prius eſt ei ſive propinquius. Quia igitur vitam ipſam apprehendit per ſe neceſſario ipſum eſt verbum & intellectus ipſius vitæ.

Iſta tria vita, intellectus, & affectus non ſunt in anima neque ut partes neque ut accidentia ſed ſunt una eſsētia.

Sed dimittamus iſtud & dicamus, quia iſta tria vita ſcilicet, intellectus, & affectus neceſſario ſunt una eſſentia; quoniam enim in anima humana ſunt, neceſſario in ea ſunt aut ut partes, aut ut totum ipſum quod eſt anima, aut ut accidentia; ſi ut totum habemus propoſitum, quoniam totum ipſa eſt anima rationalis de qua nobis eſt ſermo: ſi vero ut partes, tunc debet eſſe ex operationibus earum una operatio; palam autem eſt quia ab ipſo vivere & ipſo intelligere, & ipſo affici non poteſt ullo modo operatio aliqua compoſita eſſe ſic inter ſe ordinata ut ſit cauſa & effectus. Quod ſi dixerit quis non ideo debere eſſe unam operationem ex operationibus, quia potentia una compoſita eſt ex potentiis, delirus eſt, nec eſt quod Phyſicus aſſerendus ſit. Proportionalium namque ſi alterum eſt, eſt & alterum; quare quia proportionales ad invicem potentiæ & operationes erit permutari ut quemadmodum potentiæ ad invicē ſic operationes: non igitur ſunt iſtæ potentiæ in anima ſicut partes: quare relinquitur ut ſint in ea ſicut accidentia, & tunc non differt anima bruti ab ipſa humana niſi accidētaliter: quoniam non differt niſi hujuſmodi potentiis, aut alio ex hujuſmodi: hoc autem eſt quod debet ſciri ex aliis ſcientiis: quare quælibet earum eſt in ea ſicut totum, & ita unum ſunt prorſus ſecundum ſubjectum æquale, licet tres ſint; & cum conſideramus ipſam vitam intellectus in ſe ipſa ſecundum quod eſt vita intellectus ſive intellectiva, ſive intellectualis, invenies eam manifeſtè potentiam gravidam intellectus quoniam diximus, & geſtare in utero illum.

De eductione formæ è materia & eductione intellectus formalis ab intellectu fontali & materiali.

Quod ſi ad ſecretiora Philoſophiæ reſpexeris ſcito quod agere nihil aliud eſt, quam formam extrahere de ſinu materiæ in qua ipſa forma erat potentialiter, & inde agere ad actum ducere quod in potentia ſolum erat rectè intelligitur, quod V. g. formæ ſenſibiles agunt prius in animam per organa ſenſuum ut formetur in ea intellectus in effectu, hoc eſt quod de ea per multas hujuſmodi paſſiones extrahitur & propter hoc verum eſt quod fontalis aut gravidus & fæcundus intellectus eſt tantum fontalis antequam pariat intellectum quem velut in utero geſtat, & hic eſt intellectus qui debuit vocari materialis; ſecundū vero quod proles illius debet dici formalis quoniā ad modū formæ velut de materia extrahitur ſicut diximus.

De differētia vitæ humanæ à vegetabili & ſenſibili, & quod vita intellectiva ſe ipſam

Vide autem ne erres in hoc quod nominavimus fontalem ipſam potentiam animæ humanæ vitam, cogitans de vita corporali, & penè ſenſibili, de qua non eſt nobis ſermo, ſed de illa cujus iſta umbra eſt & fluxus longè diſſimilis: hoc autem ipſo ordine operationum clarum eſt, evidentiſſimus enim eſt ordo operationum quæ ſunt animæ noſtræ per corpus, & in corpore; prima enim omnium eſt vivere ipſum corporale, ſecundo quod eſt ſentire, tertio ipſum affici corporaliter amore & deſiderio corporali. Hi autem radij ſunt, vel umbræ eorum quæ in anima ipſa apud ipſam ſunt; ſicut autem umbra ad umbram, & veſtigium ad veſtigium, & fluxus ad fluxum, & redundantia ad redundantiam; ſic veritas ad veritatem, & fons ad fontem: quare idem ordo atque varietas neceſſario eſt in eis quæ ſunt apud animam ſecundum ipſam intelligibiliter ſcilicet; habes igitur quod ipſum vivere intellectus velut parens eſt ejus, quod eſt intelligere; & ipſum affici donum utriuſque, per nos clarum faciemus: ſic autem hæc potentia ad potentiam ſicut parens, & tertia ad ambas velut donum utriuſque. Si enim conſideramus ipſam animam intellectum, invenies eam poſſibilem ad intellectum, in hoc enim naſcitur hujuſmodi vita ut potentialis ad intellectum & velut in ſinu ſuæ potentialitatis clauſum geſtat illum, quod ex partu ejuſdem cognoſcitur cum ipſum tempore quo diximus educat in lucem effectus. Hoc autem certum eſt per hoc quod vita illa cujus umbra & fluxus eſt vita vegetabilium non eſt poſſibilis educere de poteſtate ſua ſeu potentialitate intellectum ſimpliciter, nec etiam vita animalis ſenſibilis abſolutè: quare iſta eſt procul dubio & ordine ſublimior & copioſitate fæcundior. Vita tamen animalis educit quandam diſciplinam de ſinu ſuæ copioſitatis; quædam enim animalia diſciplinabilia ſunt; verum ſuæ ignobilitatis hujuſmodi potentia parit prolem, non hujuſmodi nobilitatis, & perfectionis. Eſt igitur vita hæc ſeu intellectus materialis ſecundum eam intentionem quam tibi determinavimus fontalis, & primus intellectus, & virtus interpretativa prima: intellectus ſecundus verbum interpretationis, ſed potentiale quidem rerum quæ extra ſunt, ipſius vero de qua naſcitur potentiæ ſemper in effectu: unde intelligentem omnem intelligere ſe habere vim intelligendi neceſſe eſt, etſi non ſit ei liberum cogitare quamdiu depreſſus eſt fantaſiis. Intelligenti enim intelligere ſe neceſſarium eſt, cogitare autem, & intueri ſe ipſum ut eſt, hoc eſt nudam ſuam eſſentiam, dum adumbratus & oneratus eſt inſcriptis fantaſiis non ei liberum aut facile, tranſverſum neceſſario trahentibus ipſum ad ea quorum ſimilitudines ſunt, & à quibus inſcriptæ ſunt: hæc enim eſt natura ſignorum intelligibilium quibus mentes noſtras res ipſæ quæ extra ſunt ſemper trahunt, ut ad alia cogitare non permittant: unde cum aliqua nobis preſſius impreſſa ſunt, & alias impreſſiones à nobis removent, & ad ea quorum ſimilitudines ſunt neceſſario nos trahunt etiam dormientes. Hoc autem manifeſtum faciunt paſſiones amoris & odij, & invidiæ, & timoris, quæ cum vehementius invaluerunt, & fuerit fixio earum fortis in nobis, & penetrans intima noſtra excludant à nobis ſollicitudines alias & paſſiones.

intelligat licet variis quandoque phantaſiis & paſſionibus alio diſtrahatur.

Quo ſe amore mutuo diligant intellectus qui parens, & intellectus qui partus eſt eius.

Quo autem & quanto affectu ſe invicem complectantur inde manifeſtum fiet, quoniam ipſa quæ intellectum noſtrum adjuvant miro amore complectuntur: ſufficit autem nobis in hoc exemplum oculorum & viſus quem amore ſciendi & intelligendi in effectu præter cæteros ſenſus diligimus, eo quod ad venandas res quæ extra ſunt liberior & latior. Amor autem iſte non eſt procul dubio niſi propter intelligere in effectu, quemadmodum ſi viſus noſter in effectu perfectus eſſet in his quæ circa ſolem & lunam & ſydera ſunt, non eſſet nobis neceſſaria ſcientia Aſtronomiæ, nec amaremus eam. Quod ſi tantus eſt affectus fontalis intellectus in iſtum ſenſum, & alios propter ipſum intellectum; quantus igitur eſt in ipſum intellectum. ſed iſte affectus amoris gratuitus eſt tantum; non enim venaliter

aut

aut ſymoniacè diligit ipſum, ſed gratis & æqualiter etiam diligit ipſum pro indifferenti habens ipſum amittere ſe, & ipſum: cum ſine ipſo eſſe ejus vacuum eſſet omnino, & inutile, quoad hoc ipſum, qui nec hoc ipſum dignoſcere poſſet. Quid enim aut utilitatis, aut jucunditatis haberet eſſe prioris intellectus abſque iſto? Sed redeunt nobis ea quæ ſuperius de materia & forma percurrimus; non enim eſt ſicut materia iſta primitiva & fontalis cum ei perfectionem ipſam abſtulimus & diligendo illam non diligit niſi ſeipſum in effectu. E converſo vero de ipſo intellectu quantum amet ipſum fontem ſuum, & quantum ei obligatus ſit ex ipſa ſollicitudine providendi, & venandi ei perfectiones ſuas ſecundas manifeſtum eſt, & auferendi ab eo omnem imperfectionem. Quis enim ignoret, quo ardore tenebras erroris perſequatur & lucem veritatis inſequatur? Vides ergo quo ſtudio imperfectiones quæ ſunt in ipſa materia ſua excutere ardeat, & perfectiones ejus quærat.

Quod ille amor mutuus idem ſit amborũ & idem eſſentialiter cum ambobus.

Quod ſi quis dixerit, quod hoc quærit ſibi, non illi materiali, de cujus potentialitate exit; nos reſpondemus quia ipſi materiali de cujus potentialitate eſt, & quod in ipſo non diligit niſi ſe, quoniam verò diligit perfectionem ipſius materialis neceſſario diligit ſe; cum ipſe perfectio ejus ſit: & hæc eſt cauſa quæ cogit eundem eſſe amorem amborum in alterutrum. Amor autem iſte non poteſt eſſe aliud eſſentialiter ab utroque iſtorum; quoniam ſi aliud eſſet, illud neceſſario intercederet inter ipſum & primum fontalem intellectum, qui eſt prima derivatio ipſius; cum eſſet ligatio ipſorum ad invicem; quare uterque propinquior quam illa ad invicem, & hoc impoſſibile; illa enim neceſſario proxima, cum iſte intellectus ſit immediata potentia in illo, ille vero immediatus actus ex illo. Et redibimus per viam iſtam qua ſupra de primo genitore & primo genito jam tranſivimus: omnes enim illæ cooperationes & ſimilitudines artificis, & artis, & amoris illorum ad invicem hic occurrunt, & revera occurrere debent: cum ergo iſta obſcura vel diminuta tibi videbuntur, illuc recurre.

Idem oſtẽdit in intellectu glorificato.

Quoniam autem in gloria ſua ultima & decore ultimo & beatitudine promiſſa ſimillima eſt futura anima humana conditori ſuo; & hoc eſt quoniam de immediata conjunctione ſua relucebit ad ipſum velut ſpeculum terſiſſimæ puritatis reddens faciem inſpectori ſuo, ut fides vera certitudine novit. Nos autem dicimus, quod perfectio ejus, eſt abſque dubitatione ulla completio, & perfectio ſuæ poſſibilitatis, completio dico & perfectio ultima ut ſit ei quies neceſſario, & impoſſibile ſit aliquid acquirere ultra perfectionem iſtam; non enim eſſet perfectio ultima, neque perfectio etiam abſolutè illa poſtquam eſſet alia. Quis autem dubitat intellectum poſſibilem natum intelligere omnia eſſe ſpeculum omnium, & rationem in effectu: quare ſæculum intelligibile & quemdam mundum archetypum in effectu & ſæculum intelligibile primum primogenitum verbum ſupra diximus. Vides ergo intellectum noſtrum in perfectione ſua ultima imaginem perfectam & exemplum perfectum primogeniti verbi: ſicut autem actus ad actum, ſic potentia ad potentiam: quare tunc ipſa potentia quæ ſinus eſt & patens noſtri intellectus neceſſario erit perfecta imago & ſimilitudo primogenitoris: quare ligationes ſive amores qui incidunt erunt neceſſario proportionales. Vide quo te perduximus ut intelligas quod fides prædicat *cum apparuerit* per intelligere in ſpeculis intelligentiarum noſtrarum *ſimiles ei erimus*: quare neceſſe eſt animam humanam perfectam ſimilitudinem eſſe, & exemplum primæ trinitatis: & verum eſt utique *quod creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ad hoc ſcilicet ut imago & ſimilitudo ejus eſſet, ad imaginem quippe ſuam, & actum omnem potentiam creatam eſſe nemo niſi impeditus & erroneus dubitet. Hæc igitur ſimilitudo ſive imago humana potentialiter eſt; accedit autem ad actum ſuum ultimum Philoſophando, quod eſt contra errores & tenebras falſitatis, & ignominiæ, contra pravitates affectionum ſuarum dimicando; lucem veritatis per ipſum lumen ejus, quod eſt una fides ac ſalutaris, & ſuavitatem bonitatis per odoris ſui veſtigium, quod eſt ſpes, deſiderio & amore caſtiſſimo, & ſupermundano inſequendo.

Idem oſtẽdit in intellecto ſeparato ſe ipſum intelligente quod eſt verbum gignere.

Addemus etiam aliam manifeſtationem, ad hoc imaginabimur intellectum nudum ſeparatum à corpore intelligere ſe ipſum nude, & intueri ipſum per ſe & in ſe non prohibitum obſtrepentibus imaginibus fantaſiarum. Dico igitur quod intelligere ſe eſt ei loqui ſe; intellectus enim verbum eſt ſpirituale & loquela ſpiritualis intellectiva prima, & ſecunda, ex qua etiam exterior loquela nomen habet; quare intelligere ſe eſt loqui ſe ſpiritualiter, loqui autem eſt verbum gignere vel proferre: ergo ipſe intellectus gignit verbum ſpirituale de ſe; verbum autem ſpirituale eſt imago ejus cujus eſt verbum: gignit igitur imaginem de ſe, & in ſe hoc modo loquendo vel dicendo ſe; neceſſario plus enim eſt ei intelligere ſe, quam eſſe, inquantum eſſe non habeat in effectu intelligere, aut ſi vis ei contingat in effectu. Quid autem plus habere poteſt intelligere ſe, quam eſſe, cum eſſe numquam habeat in effectu, intelligere autem ſemper ei contingat in effectu. quid autem plus habere poteſt intelligere ſe quam eſſe, niſi generationem verbi quam diximus, quæ eſt effulgentia ipſius de ſe?

Quod hoc verbum nõ poſſit eſſe aliud à genitore intellectu. Quæ hac parentheſi clauduntur abundare videntur & alieno loco poſita.

Neceſſario igitur ibi generatio, nec poteſt imago hæc aliud eſſe à genitore ſuo intellectu; quia alia eſſentia de illo exire non potuit per ſe, & ſecundum ſe; ad hoc enim multas ſuperius radices poſuimus. (Quæro autem utrum amet intellectus pulchritudinem ſuam quam intuetur ſic? & non eſt dubietas quin amet, de quo amore remitto te ad ea quæ de iis ſuperius dicta ſunt.) Nova enim eſſentia ab uno agente in ſe, & ſecundum ſe recipi non poteſt; eo quod eſſentialis diverſitatis nulla cauſa ſubſit; tota enim actio iſta ab uno eſt inquantum unum, & in ſe ipſum: ſiquidem in aliud eſſet, poſſet ipſum patiens aliquid diverſitatis afferre ei quod ex illa actione generatum eſt: quemadmodum frigidum patiens à calido non ſtatim calorem recipit, receptæ diſpoſitioni partem propriæ diſpoſitionis immiſcet, & recipitur primo tepiditas.

Deinde ſi novæ eſſentiæ verbum gigneretur, eſſent ibi duo intellectus diverſarum eſſentiarum, eſſet alter receptus per alterum: quare contraria ineſſent ei ſecundum idem; cum intellectus agens ſecundum idem reciperet intellectum genitum & daret, & ita ibi receptor & dator ejuſdem eſſet ſecundum idem & ſecundum unum, hoc eſt ſecundum ſe ſolum, & per ſe ſolum ageret. Ex hoc igitur manifeſtum eſt non poſſe eſſe novæ eſſentiæ & diverſæ verbum genitum à genitore ſuo, & gignere verbum hujuſmodi non eſt ipſum gignere aliud eſſentialiter; & quod debeat eſſe novæ eſſentiæ; ne ejuſdem dator & receptor ſecundum idem intelligatur, hoc eſt in quo ſecundum hanc conſiderationem & comparationem non intelligitur pati-

bilitas. Ex quo etiam ſequitur quod idem magis & minus haberet ſecundum ſe. Eo igitur & altero & alter datum ſive receptum: & hoc eſt quoniam omne datum majus eſt apud datorem, in eo quod dator eſt ſimiliter prius & poſterius de eodem ſecundum idem accideret dici eodem modo de amore quo complectitur ſeipſum loquens per modum iſtum intellectus quod non ſit novæ eſſentiæ oſtenditur.

Deſcribit perfectam ſimilitudinem gloriæ.

Evidentiſſimum autem eſt totum hoc in intellectu glorificato hoc eſt cujus potentialitas tota in effectum ſuum ultimum & perfectionem exivit, ut diximus; ibi enim intelligentior, & verbum ſuum exit in exemplum verbi primogeniti, & † ſecundum intelligibile in effectu: quare eſt verbum quo ſimul dicit ſe totum ſecundum potentiam & omnia ſecum. Eodem modo ſentit ſe amore ultimo alligatum, inde verbo ſuo, & hoc gratuito dono: & ſic potentia intellectiva ab omni potentialitate ſua ſeorſum in ultimo ſuæ libertatis & amplitudinis, & in ultimo ſuæ perfectionis & actualitatis, vinculis mortis & mortalitatis diruptis, & laqueis omnibus paſſionum, quibus velut compedita tenebatur in corpore contritis per omnem modum abſoluta & liberata jugo præſentis hujuſmodi, & ærumnoſæ ſervitutis excuſſo & corruptione corporis, quæ velut moles oneroſa ipſam aggravabat & in incorruptionem gloriæ commutata, fantaſiarum tenebris diffugatis de objecto præfulgentioris lucis velut ultimæ terſionis & puritatis ſpeculum exemplum & imaginem primogeniti verbi de ultima impletione redundans eructat. Ibi primogenitum verbum ſimilitudine ſua & immediata conjunctione ſua ipſam jungit atque ſigillat. Ibi primæ ſuavitatis amor velut caminus è vicino conſurgens affectum noſtrum potius ſenſibili quam enarrabili ſuavitate inflammat. Ibi fontalis illa primogenitoris copioſitas potentiæ noſtræ primæ poſſibilitatem, velut fluminibus eorum quæ primo nominavimus duiorum incumulat, ſicque noſtræ poſſibilitatis atque capacitatis impleta ſinuoſitas redundat in corpus quatuor illas dotes glorificatorum corporum.

† Secundū intelligere in effectu, id eſt in actu.

Verbum admittit in viſione beatifica.

Veſtigium Trinitatis in intellectu locutore intellectu & amore utriuſque qui non vident cæci ſunt ad lucem.

Quia igitur in ultima perfectione animæ humanæ relucet in effectu ultimæ ſimilitudinis trinitatis quædam facies, & in poſſibilitate iſtâ, & tenebris poſſibilitatis radicaliter eam relucere neceſſe eſt: ſicque per hoc manifeſtum; quod in libro Geneſeos ſcriptum eſt. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Imago igitur ad potentiam, ſimilitudo ad effectum ultimum referatur: & addiſce venerari ſcripturam, quæ cum ſit tam ſimpliciter & humiliter ſcripta, tamen profunda, ardua, & ſecreta in ea deprehenduntur. Quod autem una ſit mens humana, quæ & eſt Trinitas, hoc eſt quod explico, quod tria ſint, intellectus locutor, & intellectus, & amor alterius in alterum, & unumquodque iſtorum trium tota eſſentia mentis ſit, ſicut in radice & potentialitate. Radix vero poſſibilium & effectuum facile eluceſcit niſi fortaſſe de luce ſolis cum cæcis diſputationem aggreſſi ſumus, quibus primum neceſſe eſt addiſcere an videre, an tueri poſſint lucem: lux autem oculorum ſpiritualium, intellectus ſcilicet & rationis veritas eſt, ſed ad hoc cæcus ignorat, ignorat enim lucem & quid lux ſit. Horrendum eſt autem animam ponere velut accidentium aggregatum ex potentiis ſuis, præſertim cum nulla omnino conjunctio, nullus modus aptationis earum. Quod ſi ita eſt tunc tres neceſſario ponuntur animæ in corpore humano.

Tria iſta eiuſdem eſſentiæ ſunt teſtimonio animæ.

Nos autem ſcimus ipſius neceſſe eſſe potentiam, cujus & actus: quare cujuſmodi erit potentia intelligere, ejuſdem erit & intelligere in effectu: & ideo neceſſario ejuſdem eſſentiæ ſunt virtus & potentia fontalis intellectiva quam B. Auguſtinus vocat memoriam, & intellectus in effectu: ejuſdem etiam neceſſario ſunt cognoſcere, & amare; non enim amat niſi cognoſcens, & quia cognoſcens: quare effectus & intellectus neceſſario ſunt unum, & in uno ſunt eorum paſſiones neceſſario; alioquin ignorans ignoratum ex toto diligeret, accidit etiam ut amans totum ſe amare ſentiat: anima nempe ſeparata & ſpoliata confitetur de ſe quod ego quia novi, diligo, & inquantum novi: quod utique nullo modo in ſe ſentiret niſi in eodem eſſentialiter amor, & notitia fierent. Senſus igitur amborum in uno & eodem manifeſtat unum eſſe illas duas virtutes ſecundum eſſentiam ipſius mentis. Ego ipſa, non aliud, ego ipſa patior vulnus amoris iſtius, vulnus iſtud mihi infixum ego ipſa doleo, non aliud dolere ſcio, non aliquod aliud unum de his quæ apud animam ſunt, & ipſa ſola novit; ipſi igitur ſoli credendum: veriſſimè enim dictum eſt illud. *Nemo novit ea quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis*, quod utique de ſpiritualibus intelligitur, de corporalibus autem nos multa melius novimus quæ alij ignorant, (de ſe videlicet.) 1. Cor. 2. 11.

Quod ſi quis dixerit quod diſputatione certificandus eſt, utrum gaudeam an non? cum iſtud multo magis certum ſit in me eſſe, alias enim nullum problema ſenſu determinandum eſt. Senſus autem interior certiſſimus ſenſus, & interiori noſtro terminabitur problema iſtud, ut diximus. Jam claruit utcumque unam eſſe eſſentiam primogenitoris, & primogeniti, & primi doni ſive primi amoris, quos vitam, & lumen, & gaudium primæ beatitudinis appropriatis vocibus ſuperius appellavimus.

Et inutilis eſt ad hoc diſputatio.

CAPUT XXVII.

Quod Trinitas perſonarum ſimplicitati, & unitati eſſentiæ non derogat.

His ſolum qui tenentur in admiratione veniteqnod eſſentia de ſingulis perſonis dicatur non ipſæ de ſe invicem ad quod affert exemplum trianguli.

QUaliter autem verum hoc eſt, quod unum hoc aliquid ſit primus genitor qui non ſit primogenitus, aut è converſo: ſimiliter & de primo dono ſe habet. Qualiter quidem de uno & eodem per omnem modum dicatur, ſcilicet de eſſentia altiſſima, & hæc ipſa de omnibus & ſingulis, nec tamen illi de invicem in admirationem velut cæcutienti adhuc, & tenebris ſuæ conſuetudinis involuto intellectui. De differentiis autem eorum quæ & quot ſint, & quid ſint, & an præter eſſentiam eorum aliquid ſint in re, an noſtrarum apprehenſionum modi quidam quibus res veræ reſpondeant certum fecere tentabimus. Videtur autem ſufficere debere exemplum trianguli quod ſupra poſuimus, ubi manifeſtum eſt tres angulos unam ſuperficiem eſſe & eandem, & illam dici de unoquoque ipſorum, ipſos vero de invicem nullatenus. Sunt igitur ipſi tres anguli idem hoc aliquid ſecundum eſſentiam, ſuperficies videlicet illa quæ tribus lineis clauditur, nec tamen iſte ille eſt, aut è converſo.

Affert & exemplum panni ſemel in die in varia ornamenta reformati.

Addamus & illud exemplum. Non eſt jam dubium iis qui ſcilicet videre poſſunt in die uno, quod de eodem panno ſit ſimul ſupertunicale, & opertorium & ſcapulare, hoc eſt teſtimonio oculorum ſuppoſuimus. Vides igitur unam panni eſſentiā quæ de quolibet iſtorum ornamentorū dicitur pannus enim eſſentia cōmunis eſt trium ornamentorum illorum, & in illa conveniunt, & communicant,

& de omnibus & ſingulis illa dicitur: tria vero ornamenta ibi eſſe quæ ab invicem differunt, & de invicem non prædicantur, imo ſpecie differunt, qualis quidem ſpecies invenitur in hujuſmodi, nullus niſi cæcus dubitare poſſit; non enim ſupertunicale opertorium eſt, aut è converſo, neque ſcapulare; ſed ſpecie differunt & ſunt tres ſpecies revera ornamenti: ornamentum enim genus eorum omnium eſt ſimilium: ſpecies autem idem genus è regione dividentes non prædicantur de ſe invicem. Valet idem ſimilitudo fontis, & rivi ſive fluvij, & ſtagni de quibus non dubitatur quin ſint eadem aqua quæ ibi eſt velut communis eſſentia. Fons, fluvius, primus genitor, & primus genitus, velut ſtagnum omnium chriſmatum fluenta continens, qui omnes ſpiritus intelligibiles capiat, ut legitur Sap. 7. ſcilicet velut in quo tota paternæ & filialis bonitatis ſe effundit copioſitas.

Idem probat exẽplo annuli & fibulę ex auro.

Quod ſi intellexeris de eodem auro ſimul fabrefactum annulum & fibulã, & quod hoc artificio fabricatum ſit, quod oras capucij infibulet decenter, & in digito decenter ſedeat, adjuvaberis hoc exemplo; & erit tibi communis eſſentia quam communicant annulus & fibula, cum tamen annulus & fibula ſpecie differant, & de invicem prædicari non poſſint. Cum igitur eadem eidem ſint, ſcilicet auro annulus & fibula, invicem autem eadem non ſint, imo ſpecie diverſa; & tamen aurum de utroque dicatur: multa tamen de auro prædicantur, quæ de neutra earum, & ſimiliter de utraque multa dicuntur, quæ tamen de auro dici impoſſibile eſt. Quod totum teſtimonio exemplorum certum faciemus; annulus quippe aureus eſt, & vere dicitur annulus iſte aureus, nec agitur ullo modo per locutionem iſtam, de auro iſto. Quod ſi fieret ſermo iſte cum dicitur iſte annulus aureus, non eſſet verum quod per eam dicimus; nullo quippe modo aſſignabile prædicatum iſtud aureum auro; aurum enim & aureum oppoſita ſunt, & nomine & ratione, ut de ſe invicem nullatenus prædicentur; ſicut materia & materiatum. Quod nomen annuli nullatenus nominat aurum, nec ſignificat, ut ſic dicamus modo, ſed impoſitum revera ornamentum digito: nec univocantur materia & materiatum ſub eodem nomine umquam, ut idem nomen eis imponatur per modum ejuſdem rationis. Item quod aurum & aureum nulli eidem impoſita ſint, nec de eodem per ea agitur unde & de ſe invicem prædicantur. Eſt enim annulus aureum hoc & è converſo; & abſolute annulus aureus non ſolum aureum hoc: manifeſtum igitur eſt quod non de eodem agitur cum dicitur hoc aurum, nec idem nominatur, nec eidem impoſita ſunt nec eſt ad modum ejus quod dicitur ſedente Socrate, hoc ſedens eſt & hoc muſicum eſt: quippe de eodem agitur & non eſt ſociari in oppoſitum utraque, muſicum ſcilicet, & ſedens etſi diverſis de cauſis. Unde rationabilis eſt in hoc probatio Ariſtotelis, quia ſine dubio volentes vocare Socratẽ vocavimus ſedentem, aut muſicum, ſcientes nos agere per nomina illa accidentis de eodem, quia de Socrate ipſo & per nomina autem hoc aureũ aurum nõ intendimus unquam agere de eodẽ, & generaliter aliud eſt videre ipſum aurum & aliud generaliter loqui & agere de auro quocumque; cum tamen non dubitetur iſte annulus eſſe hoc aurum, cum agetur de annulo; nec dicentes iſte annulus agitur de hoc auro: propter hoc non agimus de eodem, quia nihil verum eſt de quo agatur utrumque quia de eodem auro nec de eodem annulo.

Et exemplo angulorum & ſuperficiei.

Eodem modo ſe habet in omnibus exemplis, quæ ſupra poſuimus in angulis & ſuperficie; quia ſi per nomen anguli ageretur de ſuperficie ipſa; etiam per accidens eſſet verum, quia iſte angulus eſſet ille; ſicut verum eſt quod hoc ſedens eſt, hoc muſicum; & eſſet idem angulus major & minor recto, & rectus & ſemirectus, & obtuſus, & acutus: quæ omnia in tribus angulis orthigonio, & amblygonio, & exugonio concedi oporteret. Et in his quidem amplius nos immorari non oportet. Jam igitur non debet videri mirum, ſi primogenitus non dicatur de primogenitore, aut è converſo; de eodem nullomodo per nomina primogenitoris & primogeniti; quia neceſſario duo ſunt genitus & à ſeipſo. Quare igitur unum ſunt eſſentialiter, ut diximus, & ſunt hoc unum veriſſime quod eſt eſſentia prima, & ab invicem differunt, ita ut nullomodo de ſe invicem prædicentur.

CAPUT XXVIII.

De differentia, & diverſitate trium perſonarum ab invicem.

Probat aliã eſſe inter patrem & filiũ differentiam, quam differentiam relationis.

MErito igitur quæritur cujuſmodi ſit differentia hæc cum qua eſt eſſentialis per modum omnem unitas; & neceſſe ut accidentalis ſit, aut modi fortaſſe apud philoſophos innominati. Accidentales autem ibi differentias eſſe, ubi non cadit ulla accidentium varietas per aliquem modorum, nec cogitabile quidem aut fingibile eſt. Quare modum alterum tentabimus & inquirere & aſſignare. Quod ſi aliquis dixerit, quia relatione differunt, recte utique dicit, ſed relatio ſolum mutuam de invicem prædicationem prohibere non ſufficit, nec additio eorum accidentium: album enim & ſedens de eodem, & de ſe invicem prædicantur, licet prædicatio illa per accidens ſit & non ſecundum ſe: nullo autem modo verum eſt quod pater eſt filius & è converſo. Ad hunc modum idem eſſe ſimile & æquale, & de ſe invicem dici nihil prohibet, licet ratione differant. Apud nos etiam Pater eſt Filius alterius ſcilicet. Neceſſario igitur alia eſt differentia inter patrem & filium quam differentia relationis; quia differentia relationis de invicem mutuam prædicationem, ſaltem ſecundum accidens ſuſtinet: illa vero quæ eſt inter primogenitorem & primogenitum eam nullatenus admittit.

Idem probat ex ſuppoſitione quod pater non genuiſſet, filius vero genitus nõ fuiſſet.

Item manifeſtum eſt quod nulla cauſa pendet à ſuo cauſato, & quod genitor non pendet aliquo modo ex ipſo genito, niſi fortaſſe in eo quod genitor à genito relative dicitur: quia ergo poſſibile eſt nobis intellectu ponere primogenitorẽ non genuiſſe primogenitum, quo intellecto procul dubio primus genitor revera genitor non eſt; ſed tamen eſt, quia quod eſt, non hoc à generatione pendebat, ſed magis è converſo. Eodem modo hanc poſitionem recipit intellectus noſter ut ſcilicet primogenitum intelligamus nunquam fuiſſe genitum, ſed tamen eſſe: nunquam igitur iſte ille erit, abſit. Quod ſi hæ relationes ſupervenientes iſtam identitatem nullatenus prohiberent, cum paternitas & filiatio, nec aliud, nec alium facere ſufficiant; præſertim cum inter accidentia omnium fere magis extrinſecus relatio ſit: quare adhuc paternitas eſt & filius, cum tamen iſtæ relationes ſupervenerint. Imaginari etiam poſſumus ex tempore cœpiſſe etiam fuiſſe generationem iſtam: ſi igitur generat pater, aut quod eſt jam & fuit generat, aut qui nondum eſt generat: & vel incipit abſolute eſſe quod generatur, vel ſolum incipit eſſe ad aliquid, aut hujuſmodi; ſi incipit eſſe abſolute, habet ergo neceſſario illud eſſe cui ſupervenit eſſe ad aliquid cum genitus eſt, & recipit à patre primum illud, deinde recipit aliud aliquo ordine, ordine dico eſſendi non temporis.

Relationes quodam.

Item quis dubitat ad aliquid neceſſario velle ſubjectum habere aut quid, aut quantum; aut

modo accidunt perſonis divinis.

† *Ideſt natura.*

quale, & non poſſe eſſe ullomodo niſi poſtquam iſta fuerint? omne enim ad aliquid accidit, & eſt ſeparabile actu aut ratione, quare neceſſario patri accidit præter intellectum & intentionem ſuæ nativitatis † ut ſit pater; & filio ſimiliter ut ſit filius: impoſſibile enim eſt, ut eſſentiale ſit quocumque modo quod ad aliud dicitur, quoniam omne eſſe fruitur neceſſario eſſentialibus ſuis nihil habens neceſſario ultra: quare quæ præter ſunt neceſſario accidunt ad ipſum: alioquin extremitates eſſentiales eſſent ipſi relato; quidquid enim eſt eſſentiale ipſi eſſentiali eſſentiale eſt; quia quidquid inſeparabile eſt inſeparabili inſeparabile eſt. Ad aliquid ergo omne neceſſario accidit ei, cujus eſt tamquam denominatio. Pater igitur & filius accidunt ſicut in beata Trinitate fas eſt iſtud dicere: quare accidunt primo.

Non poteſt primo accidere eſſentiæ divinæ eſſe patrem & filium.

Quod ſi quis dixerit quod accidit eſſentiæ altiſſimæ primo ipſam eſſe patrem & filium ſui ipſius, & genuiſſe ſeipſam: hic autem propriæ falſitatis indubitabilis evidentia per ſeipſam corruit, ideoque deſtructioni ejuſmodi parcendum. Igitur habemus aliud aſſignare ſubjectum primum ejus quod eſt ad aliquid; cum igitur nundum ab ipſo aliquid conſideraverimus, neceſſario inter ipſum ſubjectum quod ſubeſt paternitati, & ſubjectum quod ſubeſt filiationi differentiam inveniemus aliam, quam ejus quod eſt ad aliquid.

Alia eſt differentia inter patrem & filiũ præter relativã, quia non agitur de eodem cum dicitur iſte genuit. iſte genitus eſt.

Amplius iſte qui genuit & inquantum iſte, aut differt ab eo qui genitus eſt inquantum ipſe, aut non; ſi non, neceſſario de eodem agitur cum dicitur iſte qui genuit, & iſte qui genitus eſt; quoniam ſub alterius differentijs neceſſario relinquitur idem, utrumque autem ſpoliatur & abſtrahitur differentia ex toto, cum dico iſte facta deſignatione ejus qui genuit, & cum dico iſte facta deſignatione ejus qui genitus eſt, nulla erit ibi differentia omninò niſi ejus quod eſt ad aliquid. Illud autem totum utrumque ſublatum eſt neceſſario: de eodem igitur agitur per utramque demonſtrationem. Verum igitur erit quod iſte genuit iſtum de eodem factà demonſtratione, & idem genuit ſe quod nullus intellectus interius recipit. Relinquitur igitur neceſſario differentiam eſſe inter primogenitum, & primogenitorem præter eam differentiam quæ eſt ad aliquid.

Si ſublatis relationibus idem maneat ſubjectum vel idem ſeipſum gignit & à ſeipſo gignitur, vel ſola relatio quod eſt alterationem eſſe non generationẽ.

Amplius. Quid ſubeſt denominationi quæ fit per hoc quod dicitur pater, & fit à paternitate? ſi ſubeſt eſſentia, iſtud jam deſtruximus; quoniam eſſentiam recipere utramque illarum denominationum, aut etiam alteram impoſſibile eſt; non enim gignere, aut generare eſſentiam poſſibile eſt: ſi verò non ſubeſt ambobus, habemus idem inconveniens. Idem intelligo in ſe præter comparationes illas relativas, quod ſcilicet idem remaneret ſublatis ambabus relationibus, tunc neceſſario ſubſunt illis duabus relationibus ſubjecta, quæ in ſe etiam, hoc eſt præter illas relationes ſunt. Non eſt igitur ſola differentia inter primogenitorem & primogenitum, illa inquam ſola differentia quæ eſt ad aliquid; quoniam ſecundum hoc eſſet ibi vera paternitas aut filiatio; & quoniam ejuſdem ad ſe impoſſibile eſt eſſe veri nominis paternitatem aut filiationem, accideret ſolum ad aliquid ibi genitum eſſe; cum id quod ſubeſt ipſi ad aliquid idem prorſus ſit utriuſque hoc eſt ſub utraque relatione: quemadmodum alterationis motu ſolum accidens ſecundum quod eſt alteratio gignitur; ſubjectum autem remanet ſub utroque termino motus. Eodem modo ponitur hic paternitas & filiatio in generatione, ut albedo & nigredo in alteratione quoniam unum ſubjectum utriuſque ponitur utrobique, ſola autem varietas terminorum ipſorum motuum: alteratio igitur dicenda eſt inter patrem & filium, non generatio quoniam ſolum ad aliquid illò modo ineffabili egreſſum eſt in effectum eſſendi.

Si ſola relatio gigneret & gigneretur nõ gigneretur niſi ipſa generatio adeo. que eſſet generatio ſui ipſius.

Item generatio ſecundum hoc eſſet generatio ſui ipſius quoniã non gigneretur ibi niſi ipſa generatio: hoc autem planum, ſi temporalem illam generationem imaginati fuerimus; id enim quod ſubeſt ipſi generationi prius erat, quare illud non eſt aliquo modo genitum per generationem iſtam, ut veniat in eſſe. Igitur ipſa ſola genita eſt cum correlatione ſua. Secundum hoc non magis genitus eſt filius, quam pater; ipſe enim propter ſuum ad aliquid, filiationem ſcilicet genitus eſt filius, eò quod filiatio egreſſa eſt in effectum eſſendi, & factum eſt, ut ita dicam, non ut filius eſſet abſolute, ſed ut filius eſſet filius & hoc fuit ei generari vel genitum eſſe. Erit autem de patre neceſſario idem, cum ejus paternitas ſimiliter acquiſita ſit eidem. Si enim generatio filiationis fuit filio generatio; paternitatis generatio ipſi patri erit generatio. Qui igitur ponit ſublatis relationibus nullo modo differre patrem & filium, cogitur neceſſario ponere utrumque genitum eſſe, & eſſe utrumque filium. Qui enim acquiſitio ſui ad erit generatio alterius, & nõ alterius? quare vel uterque genitus eſt vel neuter. Ex quo oportebit primum genitorem eſſe ſui ipſius æque ut & filium; æque enim acquiſivit ſibi ſuum proprium ad aliquid, ut filio: quare ſi hoc eſt ei gignere filium, hoc erit ei gignere ſeipſum.

Si generatio eſſet in ipſã generationem, motus eſſet in ſeipſum, imo ſimul eſſent motus & quies.

Item quis intelligit quod generatio ſit in ipſam generationem & non in aliud? impoſſibile eſt indubitanter omnem motum eſſe in aliud, non in ſeipſum neceſſe eſt; motus enim via eſt acquirendi aliud quam ipſe ſit, & via eſt non finis; alioquin in ipſa eſſet quies, in fine enim motus omnis quieſcit ab ipſo motu. & ita in ipſo motu eſſet quies ab ipſo motu, & ita ſimul oportet eſſe motum, & quietem ipſi motui contrariam, imo ceſſationem ab ipſo motu Manifeſtum igitur nullum motum eſſe in ſeipſum, vel ad ſeipſum; ne idem ſit via & finis ejuſdem acquiſitionis, vel ſit idem in potentia & in actu: ſic quæritur per motum ipſe motus, cum jam in effectu habeatur, & ſint ſimul motus & quies in idem, & in eodem, & ab eodem. Licet ergo motum omnino ibi cogitare pia fides exhorreat, tamen ſicut per congruentiam primogenitoris. & primogeniti ibi generationem dicimus, eadem licentia diſputantium & philoſophantium motum ſupermundanum & ineloquibilem, ut quidam dicit, dicere permittitur ſalvo piæ fidei, & puro intellectu.

Recapitulatio præcedentium.

Ex his igitur omnibus neceſſariò relinquitur nobis generationem illam non eſſe ad ſe, nec in ſeipſam, & filiationem nullo modo eſſe terminum ac finem generationis, ſed conſequens; omni quippe generationi accidens acquiri neceſſe eſt, ſed huic generationi accidens non eſt ejus per ſe & finaliter principaliter acquiſitio; ſcilicet accidens, ſive ad aliquid, ſive alterius modi accidens.

Quod eſſe relativa ſupponit eſſe ad ſe.

Sequuntur igitur errorem iſtum alia inconvenientia, & aliæ abſurditates: non enim recipit aliquid ad aliquid niſi poſtquam fuit ad ſeipſum: nec poteſt eſſe ad aliquid prima prædicatio, ſed neceſſario conſequitur abſolutam: quare patrem primum neceſſe eſt prius eſſe aliquid ſuæ proprietatis in ſe & ad ſe, deinde eſſe, vel referri ad alium. Et de filio idem oportet, cum enim conſideraverimus relativa quæque, inveniemus neutrum eſſe dignius cauſam alterius, quam è converſò. Quemadmodum etiam inveniemus illa coæqueva per omnia & neutrum prius altero in comparatione & cõſideratione ſua relativa; & propter hoc non magis erit filius à patre inquantum filius, quam è converſo, quoniam non magis habet filius à patre, ut ſit filius quam pater à filio ut ſit pater; filiatio quippe non magis à

paternitate

paternitate quam paternitas ab ipſa dependet. qui igitur hoc ponunt nō adverterunt de prædicamento relationis quoniam non poteſt eſſe ipſum quid aut quantum, aut quale.

Patri neceſſe eſt aſſignari aliud eſſe quam relativum & eſſe eſſentiæ.

Revertamur igitur & dicamus quia ſi pater filium non haberet, eſſet tamen nihilominus; non enim eſt ex hoc quod habet filium quia tunc æque eſſet à filio, ut filius ab ipſo: eſſet igitur etſi non haberet filium, eſſet utique potentia habens filium, quare non eſſet Deus tantum, aut divina eſſentia; quoniam illa nec actu nec potentia generativa eſt: neceſſe eſt igitur ut aſſignetur ei aliud eſſe quam eſſe patrem, & quam eſſe eſſentiam altiſſimam, in quo & ſecundum quod ſit generativus ipſe? non autem ex parte eſſentiæ generativus eſt, quoniam ſecundum hoc & ipſa eſſentia generativa eſſet, & ipſe filius generativus ex parte eſſentiæ ejuſdem.

Et illud eſſe eſt eſſe perſonale.

Relinquitur igitur eſſe appropriatum omnibus modis incommunicabile, & omnibus modis ſingulare ultimæ individualitatis; & hoc eſt quod vocant eſſe perſonale ab eo & per ſe quod vocant perſonam, ut non uniatur in ea pluralitas ulla per aliquem modorum Eſſentia enim etiamſi pater ſit, & incommunicabilis incommunicabilitate & indiviſibilitate eſſentiali, non tamen abſolute eſt incommunicabilis pluralitati, neque nata eſſe per ſe abſolute & ſimpliciter, imo nata eſſe in pluribus, & de pluribus dici. Perſona vero Patris nullomodo de pluribus nata eſt dici, ſed per ſe ſeparatiſſima prædicatione ab omni multitudine, ſive pluralitate. Et hæc eſt intentio quæ dicitur in definitione perſonæ, individua ſubſtantia; individuam enim ſubſtantiam de uno ſolo prædicari oportet per omnem modum. Hoc autem per modum iſtum non competit eſſentiæ altiſſimæ, cum ipſa de pluribus prædicetur una, quippe pluralitas neceſſario eſt inter primogenitorem, & primogenitum, & commune amborum donum, alioquin nec vere filius hic eſſet nec vere Pater ille, nec vere donum amborum tertius.

Quomodo concedendum ſit eſſentiam divinam eſſe perſonam.

Non tamen negandum divinam eſſentiam eſſe perſonam, abſque ulla dubitatione divina eſſentia quælibet eſt trium perſonarum, & quoniam perſona dicitur de divina eſſentia rationalis naturæ individua ſubſtantia. Licet autem hæc diffinitio de eſſentia altiſſima prædicetur, non tamen eſt diffinitio ipſius eſſentiæ, non enim de ea primo & per ſe, ſed de perſona & per illam de eſſentia altiſſima. Amplius individua eſt prima ſubſtantia cujus prohibet imaginatio aliquid eſſe ſub illa, aut poſt illam in ſubſtantiali coordinatione: ſed imaginatio altiſſimæ eſſentiæ ſecundum modum intelligentiæ noſtræ non prohibet tres perſonas primas ei ſubordinari, licet nec ordine eſſendi nec temporis illā præcedat. Quare non eſt abſolute & ſimpliciter dicenda individua altiſſima eſſentia, ſed alias ſolum eſſentias prohibet, de quibus etiam prædicari imaginatio ſuæ individualitatis prohibet: de pluribus vero perſonis non ſemet prohibet, ſed etiam cogit. Si quæ præceſſerint plene recolantur.

CAPUT XXIX.

Quod relationes in divinis non ſunt res à perſonis diſtinctæ.

De quatuor modis loquendi de eſſentia & perſonis.

IAm igitur claruit nobis ex his quod in ſumma & beata Trinitate invenitur neceſſario eſſentiale, & cōſuevimus illud deſignare per nomina denominativa neutrius generis, eo quod diſtributiva ſunt maxime, & minimæ ſignificationis, & hoc congruit eſſentiæ, eo quod eſſentia per modum & intellectum eſſentiæ intelligitur in veritate, & puritate ſpoliata, & nuda ab omni circumveſtione, & conditione; & invenitur in eadem Trinitate eſſe perſonale ultimæ individualitatis, ac incommunicabilitatis in quo non unitur, aut communicatur pluralitas, per aliquem modum; & conſuevimus illud deſignare pronominibus demonſtrativis maſculini generis quę cautiorem habent demonſtrationem ad nos, quam ea quæ ſunt neutrius generis, eò quod minus abſtrahunt quam ſubſtantiva, & inveniemus eſſe ad aliquid, ut eſſe patrem, & eſſe filium, verbum, imaginem, caracterem, fontem, fluvium &c. hujuſmodi multa: & quoniam Pater ibi dicitur neceſſario, & paternitas, & filiatio, & abſtractiva omnia hujuſmodi relationum. Quoniam igitur eſſe paternitatem non eſt eſſe hoc eſſentialiter, ut faciemus ſciri, nec eſſe habent perſonaliter, nec eſſe ad aliquid, neceſſario habemus aſſignare quartum eſſe, ut ſic liceat modo dicere. Hæc igitur neceſſitas ad quatuor genera vocabulorum nos deducit, nec ab ipſis rebus, & modis eſſendi rerum locutiones & modi loquendi, ut quidam delirant, ſed veriſſima ſigna veriſſimarum rerum; ſalvo ſemper quod neque adhuc certū eſt qualiter ſcilicet ibi una res, & plures veraciter & fideliter dici poſſit.

De 4 generibus vocabulorum quæ ſunt notionalia quæ dicuntur abſtractè à relativis.

Quoniam igitur neceſſe habemus deſignare eſſentiam altiſſimam appropriatis, & cōgruentibus ſibi vocabulis quæ ipſi & perſonis nulla ratione conveniant, & neceſſario habemus aſſignare appropriatum eſſe, & abſolutum, perſonale, & abſtractum ab omni comparatione & reſpectu ſive relatione, & illud idem comparatum ſeu relatum; nec potuit hoc fieri iiſdem nominibus; eo quod unus & idem intellectus non poſſit eſſe abſolutus & comparativus ſive ſuſpenſivus ad aliud. Proceſſerunt ex hoc neceſſario duo genera vocabulorum abſoluta videlicet perſonalia & comparativa, & de ipſis etiam comparationibus abſtracte neceſſe habemus conſiderationes facere, & eas prædicare & aſſignare adjective; ex hoc exivit etiam nobis aliud genus vocabulorum, quæ vocantur notionalia, eo quod perſonarum comparationes & differentias vocent notiones. Vide unde ortum habent tot locutionum modi, ſcilicet ut res diſtinctè & liquide ſignificarentur. Hæc enim eſt cauſa inventionis omnium ſermonum.

Notiones non eſſe aliquid adjacens perſonis aut ſeparatum ab iis.

Primum igitur dicamus de hujuſmodi comparationibus, ſive differentijs, ſive notionibus, an ſint præter ipſas perſonas quarum ſunt comparationes, an habeant ſecundum ſuum eſſe quid affixum aut adjacens ipſis perſonis, aut non, ſed ſint ſeparatæ eſſentiæ, quod quidam ſomniare auſi ſunt; an ſint ipſæ perſonæ ſubjecto & eſſentia ſcilicet conſideratione notionis diſquirendum eſt ut poſſumus. Si igitur paternitas aliquid eſt quod non eſt Deus aut erit ex tempore aut erit æternum, aut erit habens initium: quod ſi fuerit ex tempore, neceſſe eſt Deum incepiſſe eſſe patrem ex eodem tempore; non enim potuit prius eſſe pater, quam eſſet paternitas nec ſine paternitate, quare nec filius ab æterno genitus eſt, ſed fuit quando non fuit: nos autem non dubitamus coæternū patri filium Si vero paternitas quoddam æternum eſt, cum tamen non ſit Deus, neceſſario ponitur creatura, & ſic creatura ponetur æterna; cum tamen creaturam omnem incœpiſſe neceſſe ſit & habuiſſe eſſe poſt non eſſe: eo quod poſſibilitas & potentialitas in creaturis neceſſario precedit actum exiſtendi.

Idem probat quia ſic paternitas creata eſſet, & per filium

Amplius, paternitas erit Deus aut ex Deo, non autem Deus, ut ipſi ponunt; erit igitur ex Deo, igitur erit creatum; quod ſi fuerit ex Deo ſolo, non per aliud ſed per ſe immediate, & ſic filius non erit via per quam filius procedit à patre: hoc autem generaliter dicimus, generationem ſcilicet viam exiſtendi filium à patre; quare per illam exivit filius

à patre, & fuit ei via ad naſcendum, ſive exeundum à patre: omne enim quod non eſt Deus, ſi à Deo eſt neceſſario eſt à filio, ut jam oſtendimus: quod autem eſt à filio per creationem ipſam eſt: quare poſterior erit filio ipſo generatio, generatio quippe patris qua pater genuit, & generatio filij, qua ſcilicet genitus eſt coæquevæ ſunt, neutra creatura, neutra non Deus; ne aliquid inter patrem & filium quod creatura ſit, & non Deus inter eſſe putetur ad hoc ut filius naſceretur. quod ſi non coæquævæ filio invicē tamen coæquevæ præcedere potuerunt filium. Igitur ſequitur ipſum ordinem eſſendi generatio ſua & ita prius eſt, quam ſit ejus generatio, & quam ſit genitum; cum tamen non ſit niſi per generationem nec habeat eſſe quod naſcendo non cepit. Erit igitur prius quam naſcatur, quoniam præcedet nativitatem ſuam. Non erit igitur ſapientia illa Dei patris primogenita ante omnem creaturam quoniam nativitas ejus ponitur creatura antequam nullatenus eſſe poſſit.

Idem probat quia paternitas aut filiatio eſſe nō poſſunt ſubſtātia, nec accidens.

Amplius paternitas hæc vel ſubſtantia erit, aut accidens; ſi ſubſtantia qualiter eſſe patrem erit eſſe ad aliquid? cum ſubſtantia ſecundum ſe non ſit ad aliquid, ſic non habeat ut faciat aliud dici ad aliquid. Qualiter autem dicetur nativitas filij quædam ſubſtantia quam ipſe filius creavit? ſed dimittamus hoc quoniam per ſeipſum omnem opinionem refugit. Si eſt accidens † paternitas, ſe deberet filius illi. hoc ipſum quod natus eſt, quod genitus eſt, ſi enim album debet albedini quod album eſt, debebit utique filius Dei filiationi quod filius Dei eſt ita debebit creaturæ quod filius Dei eſt, & habebit à creatura quod filius Dei eſt, & erit ei creatura cauſa eſſendi filium Dei; qua nihil abſurdius cogitari poteſt; cum ante eſſet filius quam eſſet ulla creatura: & nos quidem ſuperius monſtravimus quod omnem aliam creationem præceſſit generatio, ſive ſit factio ſeu formatio; & quod primogenitus eſt neceſſario, & certe Deus, & mediatrix cauſa inter primum genitorem, & omne quod eſt ab ipſo. Ex hoc palam eſt quod genitum neceſſario prius eſt creato, & quod creatum non exit ad eſſe, niſi per genitum: generatio ergo præcedit omnem creationem, & omnem creaturam.

† *l. filiatio.*

CAPUT XXX.

Quod notiones nihil addunt Perſonis divinis.

Recēſet tres opiniones diverſas de notionibus.

QUoniam autem non ignotæ autoritatis poſuerunt hujuſmodi operationes, ſeu notiones non eſſe ſecundum veritatem, interpretantes in tropos & figuras omnem autenticum ſermonem de his, dicentes tropicū eſſe ſermonem ubicumque per modū abſtractionis de paternitate aut filiatione ſit ſermo inſtar vulgariſſimæ locutionis, qua uſitate dicemus, rogo paternitatē tuā id eſt te patrē. Alij vero antiquiores nō tamen authoritate inferiores poſuerunt eas non quidem eſſe, ſed adeſſe tribus perſonis. Tertij vero qui multitudine ſequentium celebriores in hoc ſunt poſuerunt eas revera eſſe, ſed non accidere veraciter ipſis perſonis, ſed magis eſſe ipſas perſonas hoc quodam modo ut pater ſit ipſa paternitas qua pater eſt, & filius ipſa filiatio qua filius eſt.

Eadem non eſt intentio, ſive ratio eius quo eſt pater & quo eſt iſte.

Veritatem autem iſtam ut eſt conſtituere tentabimus, deinde qualiter ipſam veritatem ſonant, & in ea conſonant, licet ſibi invicem diſſonæ, nec unam veritatem poſſe ſonare videantur, elucidare conabimur. Primum itaque neceſſe eſt Deum Patrem eo ipſo eſſe Patrem quo & iſtum, demonſtrato aliquo, aut non; quod ſi ſic, idem igitur eſſet ei eſſe iſtum, & eſſe patrem: quis enim poſſe dubitare videatur ſi eo ipſo quo eſt iſte eſt pater, & è converſo, idipſum eſſe patrem, & eſſe iſtum? hoc autem manifeſtum eſt impoſſibile idem ſcilicet eſſe ad aliquid, ſive eſſe patrem, & eſſe abſolutum. Quis enim non videat aliam eſſe intentionem qua dicitur iſte eſt iſte, & aliam qua dicitur iſte eſt pater? Non enim eadem poteſt eſſe intentio abſoluta, & ſuſpenſa ad aliud, qui enim dicit iſtum nulla ratione dicit iſtum eſſe patrem; aliud autem indubitanter neceſſe eſt eſſe idquod dicitur ab eo quod non dicitur (non dico ſubjecto, ſed ratione, ſive relatione ſive alio quolibet modo; unum quippe per omnem modum ibi eſſe eſſentiam per Dei gratiam non dubitamus;) ſi vero eſt aliud ipſum eſſe iſtum, & eſſe patrem aliquid addit intentio patris ſuper intentionem ejus quod eſt iſte; cum intentio ejus quod eſt pater reſolvatur in iſtum, hoc eſt in intentionem ejus quod eſt iſte. Non autem eſt utile ut calumnieris vocabulum, quod eſt aliquid, quaſi non ſit conveniens ut intentio comparativa debeat nominari aliquid; non enim volumus uti de eo vocabulo ad nominandum ut libet. Sed neque expedit calumniari quod diximus intentionem ejus quod eſt pater reſolvi in intentionem ejus quod eſt iſte, & intentionem comparationis, quoniam ſufficit nobis in hoc intentio ſubjecti ejus quod eſt pater quod ſcilicet ſubjectum vocatur ſubſtantia nominis, & dicitur omne nomen ſignificare ſuſtantiam cum qualitate: ubi non dubitatur ſubſtantia eſſe id cui ipſum nomen impoſitum eſt, & qualitas eſſe intentio ipſa comparativa, à qua nomen impoſitum eſt illi: quia igitur non ab illo ſubjecto ipſi impoſitum eſt, neceſſe eſt aliud eſſe quolibet ex modis id à quo impoſitum eſt, ut tamen indubitanter ſit duarum intentionum. Nec debet quemquam movere quod Deus & deitas ſint una intentio per omnem modum, non tamen Pater & paternitas; & hoc eſt quoniam intentionem habet concretam atque compoſitam & reſolubilem in duas ut oſtendimus. Deus ergo per modum primum & intentionem quo eſt nomen divinæ eſſentiæ ejuſdem eſt intentionis cum hoc nomine deitas. Verum hoc nondum ſatis perſcrutaris, ſed velut ad expediens & ad alia feſtinantes. Ex his igitur videtur paternitas aliquid additum iſti & præter intentionem qua eſt iſte.

Relatio eſt velut à foris affixa.

Deinde ſi eſt relatio eſt velut à foris affixa & adhærēs quolibet modo ſubjecto; advenit enim ſive adeſt ſubjecto jam completo & ſtabilito & hoc à foris & ad aliud. Neceſſe eſt igitur eam aliud eſſe ab ipſo ſubjecto, neceſſe enim eſt Deum dici patrem, aut ab eo quod à foris habet: omnia quippe relativa videntur à foris prædicare, & videntur à foris magis aliquid habere, quam in ſe ſicut dicit Boetius in libro ſuo de Trinitate. Ex eo autem quod pater pater eſt, habet utique velut à foris filium, non autem videtur aliquid habere præter hoc in ſeipſo; quemadmodum grammaticus aliquid habet neceſſario in ſe, & hoc ipſo nomine dicitur; grammaticus quippe dicit aliquid in ſubjecto, grammaticam enim dicit in eo.

Relationes nihil cedere aut minuere ſubiecto probat authoritate Auguſtini & Boetii.

Simile vero non videtur aliquid dici in ſubjecto, ſed magis ei adeſſe; & hoc quidem Boetius dicit quoniam relationes nihil addunt, vel minuunt ſubjectis quæ per ipſas invicem referuntur. Hoc autem in multis quidem dubitationem non habet; ſed ſicut in exemplo Auguſtini c. 16. quo petit in libro 5. de Trinitate quare nummus prætium eſt, nihil omnino recipiens cum prætium ſit, & generaliter in omnibus; nullum enim relativorum, quæ aut apprehenſionem, aut affectionem prædicant aliquid addunt, aut minuunt, aut dicūt in ſubjecto cui velut paſſive aſſignantur; ut amatum & apprehenſum nihil in amato vel apprehenſo dicunt. Et hoc eſt quoniam æque de entibus & de non entibus dicuntur; nihil enim prohibet & amari eum qui non eſt & apprehendi,

apprehendi, & amatum pati ab amante aut apprehenſum ab apprehendente affectiones quales ſunt locutiones, laudationes, prædicationes, ſubjectiones & id genus: ei quippe qui laudatur nihil advenit ex eo quod laudatur, nihil recipit à laudante omnino. Et ad modum iſtum ſe habet de alijs. Dicit autem Boetius quoniam Deus etſi ſit ſine quantitate magnus, & ſine qualitate bonus; non tamen eſt ſine relatione relatus: quod qualiter verum poſſit eſſe difficile, aut impoſſibile eſt videre, ſi relationes addunt vel diminuunt ſubjectis ſuis. Si enim tropice dicitur quantus aut qualis per hoc quoniam ipſe ſua quantitas, & ſua ipſa qualitas eſt quibus aut bonus aut quantus dicitur, neceſſario ibi erit relatus tropice, quoniam ipſe eſt ſua relatio qua refertur.

Idem probat ex eo quod ſervat ſuam proprietatem ſola relatio cum prædicatur in Deo.

Amplius ſi ideo ſine quantitate magnus, & ſine qualitate bonus, quia prædicamenta illa quantitas, aut qualitas ſcilicet, cum ad Deum transferuntur non ſervant proprietatem ſuam & conſuetum apud nos modum prædicandi, relatio vero excepta eſt: quare ſolum prædicatum relationis proprietatem & modum conſuetum ſervat, & retinet; neceſſe eſt nihil omnino ibi addere vel minuere ſubjecto, vel nihil omnino dicere in ſubjecto. Si enim aliquid dicit nullam habet omnino ſuæ exceptionis cauſam, ideo cum indubitanter illa duo prædicamenta ſcilicet quantitas & qualitas excepta ſunt à divinis prædicationibus, quia aliquid adjiciũt & dicunt in ſubjecto. In illis autem ſubjectis nihil vere dicitur aliud ab ipſis. Si igitur hunc modum habet prædicamentum relationis ut aliquid addat ſubjecto, vel aliquid dicat in illo, propter eandem cauſam nec locum habebit ibi. Videtur igitur ibi pater in patre nihil dicere omnino, ſed magis aliquid ei eſſe non in eo, & filius videtur aliquid dicere filio non in filio. & ſimile dicit aliquid albo, non in albo, & æquale dicit eſſe bicubito non in bicubito. & hæc videtur intentio certiſſima fuiſſe Boetij in libro de Trinitate.

CAPUT XXXI.

Quod relationes non ſunt res ſuperadditæ rebus comparatis.

Si eſſet tantum ſimilitudo duarum albedinum neceſſario eſſet ejuſdem eſſentiæ ſecundum ſpeciem.

QUod autem veritas ita ſe habeat intelligentibus monſtrari poteſt evidenter. Primum quoniam ſi relatio creatura eſſet † quanti ſuo eſſe? omnis autem operatio & cauſatio naturæ quæ utique eſt cauſatio dat eſſe quod habet; ſi inquam dat eſſe per ſuum eſſe, quemadmodum ex calore non niſi calor; per ſe dico, hoc eſt ubi calor per ſuam eſſentiam agit. Et ad hunc modum ſe habet in alijs. nihil omnino natum eſt dare eſſe, quod non habet dare inquam per ſuam eſſentiam. Si igitur ſimilitudo tantum eſt duarum albedinum. neceſſario eſſet ejuſdem eſſentiæ ſecundum ſpeciem.

† *eg. quantum ad ſuum eſſe.*

Quod ſimilitudo duarum albedinum cauſã habere non poſſit.

Amplius. Qualiter aget album in album per albedinem ipſam, cum album ab albo nullomodo poſſibile ſit per albedinem ipſam? ſecundum & hoc qualiter eſſet ut albedo agat in proprium ſubjectum? ab albedine quippe recipitur ſimilitudo ipſa ſui ſubjecti, & inquantum jam album: quare de albedine ipſa recipitur aliquid in proprio ſubjecto ſupra ipſam albedinem & per ipſam: quare ipſum ſubjectum agit & patitur in ſeipſum, & per idem, & ſecundum idem, quoniam per ipſam albedinem, & inquantum album. Quare contraria inerunt eidem ſecundum idem. Qualiter autem verum eſſet quod hæc albedo ſecundum ſe effluat de ſe, vel ad ſe tam differentem eſſentiam ab ipſa: correlativa autem albedo ad hoc ſine dubio adjuvat ut † albedo cauſatum per ſe ipſarum duarum albedinum.

† *Leg. ut ſimilitudo cauſatum ſit per ſe.*

Item unde aget ſubjectum quod eſt in oriente album in ſubjectum quod eſt in occidente ſimiliter album vel ſubjectum quod eſt ſub terra in ſubjectum quod eſt ſupra terram? manifeſtum igitur eſt huic albo ex eo quod aliud eſt album nihil omnino advenire par naturam, cum hæc albedo æque quieta ſit ab omni operatione, & actione, & motu, cum aliud eſt vel ſit album, & cum non eſt vel ſit aliud album. Qualiter enim tunc credenda eſt operari in proprium ſubjectum cum album aliquid aut eſt aut ſit, quaſi expergefacta tunc per adventum ſociæ albedinis.

Pariete in oriente dealbato nihil poteſt advenire pariete albedo in occidente poſito.

Item qui facit primum album, unum ſolum operatur, albificationem ſcilicet; qui vero facit ſecundum album duo operatur, velit nolit, ſcilicet albificationem & aſſimilationem quas intellectus recipiet hic: quod ſi operatione nulla naturali, vel motu duæ albedines cauſant ſimilitudinem. Igitur nulla paſſione vel mutatione ſubjecta earum efficiuntur ſimilia. Quare nihil omnino recipiendo, aut amittendo efficiuntur ſimilia; pati enim non eſt niſi aut recipere aut amittere. Quare aſſimilari non dicit aliquid fieri in ſubjectis: igitur nihil dicit in ſubjecto ſimile. & hoc eſt quod quærebamus.

Non poteſt dici quod qui primũ ſubjectum album faciat ſolam operetur albificationem, qui vero ſecundum, duo faciat, albificationem ſcilicet, & aſſimilationem

Item nihil prohibet cauſam efficientem intellectu abſtrahere & ſeparare ab effectu, aut è converſo & omnino omnium quæ ſeparatas habent eſſentias ſive diverſas poſſibilis eſt abſtractio & ſeparatio; quare poſſibile eſt nobis abſtrahere & ſeparare ſimilitudinem ab ipſis cauſis ſuis & è converſo: quemadmodum eclipſim nihil prohibet nos intelligere præter ſolem & è converſo: poſſibile quippe eſt nobis imaginari aërem remanere illuminatum eodem lumine quod à ſole recipit etiam cum ſol abſceſſerit, & è converſo ſolem præſentem ſuper noſtrum horrizontem nihil prohibet nos imaginari aëre remanente in ſuis tenebris.

Intellectu ſeparari poſſunt quæ diverſas habent eſſentias.

Ad hunc ergo modum ſi ſeparatas habent eſſentias iſtæ duæ albedines & iſtæ duæ ſimilitudines, nihil prohibet nos ab invicem intellectu eas ſeparare; cauſalitas quippe iſta prohibere non ſufficit, cum non minor inveniatur cauſalitas in exemplis quæ poſuimus ubi ſeparationem cauſæ & effectus prohibere non ſufficit. Nulla autem alia inter eos invenitur colligatio aut communio. Poſſibile igitur erit nobis imaginari ſimilitudinem inter duo ſubjecta deſtituta altera de cauſis ejus, hoc eſt deſtructa altera albedinum ſive qualitatum ejuſdem ſpeciei quæ ſimul cauſant ipſam ſimilitudinem. Quare intelligimus A, & B, ſimilia eſſe, ſive A, eſſe B, ſimile; & tamen A, non eſſet tale quale B, cum altera qualitatum ex quibus erat ſimilitudo jam non ſit. Hoc autem indubitanter nullus intellectus recipere aut fingere poteſt, ut ſcilicet A, ſit ſimile B, nec tamen tale quale B; quoniam hoc eſt dicere A, eſſe diſſimile B, A, ſcilicet non eſt tale quale B. Palam igitur eſt quoniam intellectus non dividit atque ſeparat ſimilitudinem ab ipſis duabus qualitatibus unius ſpeciei neque è converſo; non enim recipit hanc poſitionem aliquis intellectus ut A, ſit tale quale B, præter A, eſſe ſimile B, aut è converſo. Quis enim hoc fingere apud ſe poteſt, ut prius ſit A, & B, participantes qualitates ejuſdem ſpeciei quam hæ ſint tandem ſimiles?

Intellectu ſeparari nõ poſſunt duæ albedines à ſimilitudine mutua aut è cõverſo ſimilitudo ab albedinibus.

Quod ſi nec ordo prioritatis eſt inter eas, nec eſſentiarum mutua ab invicem ſeparabilitas quæ omnia neceſſario ſunt inter cauſas efficientes & cauſata ſua, non igitur ſe habent ad invicem

Quæ nec intellectus aut ſeparat aut dividit aut o dinat idem ſunt.

ut cauſæ efficientes & cauſata earum. Quare neceſſario ſequitur ut habeant ſe ad invicem per modum quem diximus; quæ enim intellectus nec ſeparat nec dividit nec ordinat ad invicem neceſſario eadem ſunt.

Probat idē eſſe de ſimilitudine atque idētitate.

Hoc autem per identitatem poteſt oſtendi; quod enim eſt identitas in eſſentialibus, eſt ſimilitudo in accidentalibus: nihil autem poteſt cogitari identitas eſſe niſi una eſſentia repetatur. Quæ enim eſt alia intentio qua dicitur A idem eſſe B, niſi quod dicitur id eſſe quod B, ſi enim vera eſt ratio quam ponit Ariſtoteles de eodem numero, videlicet eadem numero ſunt quorum nomina ſunt plura, res autem una, erit igitur identitas ſub pluribus nominibus eſſentiæ unitas, velut à conjugatis. Quod ſi quis dixerit pluritatem nominum operari aliquid ad eſſe ipſius identitatis, advertat nullum nomen nihilomnino operari poſſe in id cujus eſt nomen, nec aliquid evenire nominato vel accreſcere ex nominatione, vel nomine; quoniam æque contingit nominari ens & non ens, & è converſo. Deinde quid vocabit nomen ſi vocem ipſam, manifeſtum eſt aut non eſſe plerumque omnino, aut nunc unam & poſtmodum aliam, quæ omnino non agit in nominatum: ſi vero rem ipſam nominis, qualiter albedo & muſica faciunt, quod hoc album ſit idem huic muſico? magis quidem diverſificare natæ ſunt quam unire.

Accidentia non faciunt idem vel diverſum.

Præterea ſecundum accidentia nec idem dicitur nec diverſum. Quod ſi diverſa accidentia ſua diverſitate efficerent in eodem ſubjecto identitatem, igitur idem accidens ſua identitate vel unitate in ſubjecto operabitur diverſitatem: quoniam contrariorum contrariæ ſunt cauſæ. Neceſſario demum verum erit tunc, quod hoc album inquantum album eſt, eſt idem muſico; cum albedo & muſica cauſæ ſint identitatis illius, & hoc eſt frivolum. Reſtat igitur ut identitas nihil horum cauſam habeat.

Item nihil differt dicere idem numero vel unum numoro: quare identitas numero unitas numero erit, ſed per modum alterum: quod ſi identitas ponitur relatio ejuſdem ad ſe ſecundum ſe, tunc erit identitas ab ipſa eſſentia rei per ſe & ſecundum ſe: hoc autem non eſt eſſe relationis proprie quod ratione relationis caret; relationis quippe eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere: hoc autem in eo quod idem dicimus non videtur verum.

CAPUT XXXII.

Quod eſſe patrem non dicit aliquid novum in patre; ſed filium ad quem ſe habet pater.

Alia dicunt eſſentiam rei alia aliquid in illa alia aliquid ab alio alia aliquid alicuius alia aliquid ex aliquo.

REdeamus autem & dicamus velut per narrationem, quod eorum quæ dicuntur alia dicunt eſſentiam rei, alia vero aliquid in illa, alia vero dicunt aliquid ab alio, alia vero aliquid alicujus, alia aliquid ex aliquo: & ad hunc modum multas eſt reperire intentiones dicendi. Ut ſit ad unum dicere, alia dicunt rem ipſam ut eſſentialia nomina videlicet generum & ſpecierum; alia rem aliquid habere in ſe, ut quantum & quale: hæc autem mutatio quantitatis fieri non poteſt, nec alteratio qualitatis, nec hujuſmodi nominum quæ quantum aut quale dicunt nec etiam permutatio, quin aliquid addatur, aut auferatur ſubjecto, nec ſine paſſione, vel motu permutari, licet ibi nomina; non enim contingit ibi aliquid nunc nominari album vel nigrum nullo addito ſubjecto, aut ablato ſubjecto: nec bicubitum nec tricubitum nulla additione vel ablatione facta in ſeipſo aut immoto omnino ſubjecto.

Aliter ſe habet in relativis quā in aliis omnibus quippe cum pereant relationes abſque ulla mutatione.

Verum in relativis aliter ſe habere neceſſe eſt, ut dicit Boetius in libro ſuo de Trinitate; ſi enim A, eſt æquale B, modo, præter omnem mutationem ipſius A, poſſibile eſt ut fiat inæquale ipſi B, & hoc eſt quoniam moto B, non eſt neceſſe moveri A, & deſtructa & diminuta magnitudine ipſius B, non eſt neceſſe mutari quolibet ex modis ipſum A; hoc enim qui ponit vanus & excors dicitur plane ſcilicet quod ex mutatione quæ fit in ipſo B, neceſſe eſt aliquid deſtrui in ipſo. A, videlicet relationem æqualitatis qua referebatur ad ipſum B; neceſſe eſt per modum eundem, & rationem infinitas relationes deſtrui ex eadem cauſa quocumque deſtructo. Quid enim poſſibile eſt eſſe vel excogitari quod non ad omnia referatur, ſaltem relatione quæ eſt diverſitas? quo nihil mirabilius excogitari poteſt. Ecce moritur pater meus, moritur itaque & filiatio qua ego eram filius, & quodammodo innumerabilia alia moriuntur in me quibus referebar ad illum.

Ex eo quod cauſa & principium agit nihil omnino debet accreſcere ei.

In his igitur non oportet nos immorari, ſi enim manifeſtum fuerit quod ex ipſo quod agit cauſa, & principium quoddam nihilomnino debet accreſcere ei, vel advenire: manifeſtum erit eo ipſo quod cauſa eſt nihil omnino ei, in ſeipſo adeſſe. Et de quibuſcumque nullam dubitationem habet, veriſſime quippe & maxime dicitur Deus & principium & cauſa omnium, hoc autem nec proprie, nec vere diceretur, ſi aliquid in ipſo diceretur per hoc quod cauſa aut principium dicitur. Manifeſtum autem eſt principium per intentionem qua eſt principium non eſſe ullo modo principium ſibi ipſi, nec eſſe principium aliquid eſſendi in ſeipſo, ſed magis alij, & in alio, principium enim alij, & ad aliud dicitur, & cauſa ſimiliter. Si igitur principalitas aut cauſalitas quædam eſt præter eſſentiam ejus quod dicitur principium; & virtutem ſecundum quam eſt principium agens, aut cauſa; aut diſpoſitionem adjuvantem ipſum ad hoc ut operetur: neceſſe eſt ut vel ipſum ſit ei principium eſſendi aut non: ſi ſic, igitur vel ipſa, vel alia: quod ſi ipſa, igitur intercedet velut ligatio inter cauſam ſuam & ſeipſam, & per modum iſtum erit cauſa, quare ſua cauſa ſit cauſa, & ita cauſa erit, & principium ſui ipſius; quoniam cauſa erit ipſi cauſæ ſuæ ut cauſet ipſam & præcedet ſuum eſſe neceſſario, cum neceſſe ſit prius cauſam eſſe cauſam quam operari, operari vero prius eſt eſſentia ipſa quæ viam habet eſſendi ad ipſum operari. Hoc igitur per ſe refugit omnem intellectum & opinionem.

Idem probat ex eo quod non detur proceſſus in infinitum.

Si vero alia principalitate ſive cauſalitate eſt principium prius cauſalitatis aut principalitatis, quam ipſa ſit neceſſario, conſequitur principalitatem & cauſalitatem infinitas; quoniam de ſecunda erit eadem inquiſitio quod ſic ibit in infinitum; & impoſſibile erit, aliquid eſſe alicujus principium; quoniam impoſſibile erit venire ad ultimam principalitatem & cauſalitatem quæ tunc cauſa eſt aut principium ipſius B, infinita enim tranſire impoſſibile: ſi enim infinita fieri oporteret ad hoc ut aliquid fieret impoſſibile eſſet aliquid fieri. Si vero aliquid occurrit quod ſit principium & cauſa, non autem principalitate & cauſalitate quæ ſit aliquid in ipſo ut ipſi ponunt, neceſſe igitur eſt & in omni quod dicitur principium ſimiliter ſe habere, aut æquivoce dici principium, & cauſam: impoſſibile eſt quippe cauſam aut principium in quodam dicere aliquid per intentionem unam. Manifeſtum autem eſt quod in eo quod veriſſime aut maxime cauſa eſt nihil omnino dicit. Quare ſecundum veritatem ſuæ intentionis nihil dicit in aliquo; veriſſima

enim

enim & propria ejus intentio eſt quæ veriſſime & maxime dicitur.

Idem probat ex eo quod agens eo ipſo quo agens eſſet patiens, recipiens ſcilicet actionem.

Sed deſcendamus, & dicamus quod agere ſecundum hoc eſſet pati: ſi enim agens eo ipſo quo agens eſſet recipiens actionem, quemadmodum patiens eo ipſo quod patiens eſt recipiens ipſam paſſionem; ſive agens recipiens ſit ab ipſo, ſive ab alio, eo ipſo quod agens erit patiens ſive ab ipſo ſive ab alio cum ſit recipiẽs ſupra ſeipſum actionem.

Idem probat quia ſi ita eſſet nullum eſſet principium immediatum.

Item ſi actio aliquid eſſet in ipſo agente neceſſe eſſet ipſum habere cauſam & principium eſſendi: hoc autem erit ei principium, & cauſa eſſendi per actionem, aut non, per actionem dico quæ ſit aliquid in ipſo quod eſt ei principium eſſendi: ſi per actionem hoc ibit in infinitum. Et ex hoc accidit impoſſibile eſſe, ut perveniatur unquam ad hoc ut ſit ei principium; quoniam neceſſe habet primum infinitas operari actiones priuſquam perveniat ad ultimum. Accidet autem ſecundum hoc aliquid impoſſibile eſſe cauſam & principium immediatũ alicujus. quod per infinita neceſſariũ ſit venire ad effectionem uniuſcujuſcumque. Si vero neceſſe habet principium & non per actionem quæ aliquid ſit in illo qui cauſa ſit efficiens ipſius actionis & qui efficiat ipſam, nec tamen effectio aliquid eſt in ipſo efficiente, & tamen veriſſime dicitur efficere ibi cum nihil dicatur in principio illo principium efficiendi, nec minus ſit aut recipiat ipſa actio à principio ſuo quam ipſum quod per actionem eſt: cur non idem recipiant in ipſo cauſato ultimo? ſi enim A, eſt cauſatum ipſius B, per actionem nec poteſt eſſe niſi per actionem, qualiter recipiunt quod actio ipſa cauſata eſt à ſuo principio; & non per mediam actionem? qualiter medium & via erit actio eſſendi ipſi B. cum longius ſit ab utroque extremorum quàm illa ab invicem? nec enim genere nec prædicamento communicat cum alterutro eorum ſcilicet cum A, vel cum B. Qualiter ſecundum emanat aut exit quolibet modo de eſſentia ipſius actionis tam longe, aut tam aliena à ſuo principio: per naturam quippe nulla eſſentia affluit de ſe aliam neque ſecundum ſpeciem neque ſecundum genus quantum eſt in ipſa eſſentia affluente: quod enim ex grano herba & ſpica & ariſta & palea nõ hoc ſoli debetur eſſentiæ grani, ſed materiæ humoris in qua primum operatur virtus generativa grani ſeminati, & virtute ipſius terræ: ſed ſi granum per eſſentiam ſuam ſolam & ſolum operetur non poſſet intervenire ulla ſpecierum alienarum diverſitas. Quemadmodum eſt in operatione luminis ex luce & caloris ex calore.

Idem probat authoritate Ariſtotelis.

Palam igitur debet eſſe quod actio nihil debet eſſe in agente. Hoc autem & Ariſtoteles vidit qui dixit idem ſubjecto actionem & paſſionem, ſed relationem ſecundum rationem differre, quemadmodum viam quæ eſt ab athenis ad thebas & viam quæ eſt à thebis ad athenas. Idem ergo eſt actus ſive actio ignis & paſſio aëris: ſed actus ignis inquantum ab igne, paſſio aëris inquantum in aëre aliunde ſive ab alio. Quis enim dicat ſoli aliquid advenire eo quod modo recipio lumen ipſius per oculos meos, cum prius non reciperem? ſi enim aperuero oculos meos ad lumen ejus recipio utique lumen ejus, ſed nunquam ex hoc facta eſt in eo ipſius mutatio, non quod actio ipſi propter hoc advenit aut accrevit. Extendo manum meam ad ignem, ut calefiam, nunquid ex hoc nova actio impreſſa igni? an neceſſe eſt omnem dantem recipere eo ipſo quod dat cum prius non daret? & omne movens & mutans moveri & mutari eo ipſo quod movet & immutat aliud modo? quippe actio in motu & omnis motus in actione; ſed in his quidem laborare alterius eſt negotij, & ſupervacui intelligentibus.

Duplicis ſunt generis agentia alia quæ ſunt aliis principia abſque ulla ſui mutatione, alia quæ non agunt niſi paſſa.

Ponamus ergo ea quæ manifeſta ſunt, & dicamus quod principiorum alia ſunt alijs principijs abſque ulla ſui mutatione quale Deus eſt & qualia ſunt ea quorum exempla poſuimus; non enim neceſſe eſt moveri ignem ad hoc ut moveat aërem contiguum motu alterationis, neque ad hoc ut adurat obviantem ſibi materiam. Alia vero non agunt niſi paſſa, nec dant niſi recipiant, nec movent niſi mota; quale principium eſt aqua ipſi motui molendini, non enim per eſſentiam ſuam aut virtutem quantumcumque ſuam movet molendinum immediate. Similiter & ſecuris eſt principium ipſius ſectionis ligni, verumtamen non niſi mota hoc poteſt. Similiter & anima principium eſt motus voluntarij ipſi animali, verum non niſi quodam motu, & mota: & hoc eſt quoniam non per eſſentiam ſuam & virtutem immediatam ad motum movet ipſum corpus animalis; ſed voluntate quam voluntatem eſt ei prius acquirere, aut per apprehenſionem aut aliquo modo ex modis in aliud non reflectendi actionem ſuam in ſe. Secundum autem errorem iſtum omne principium agendi eſſet principium agendi primo & maxime in ſe, & hoc eſt quoniam omne agens primo recipit à ſeipſo actionem ſcilicet ſuam, & ita primo agit in ſe, & patitur à ſe, & hoc ſecundum idem, quia ſecundum idem aliud eſt ei principium agendi, & recipit & dat ſibi ſuam actionem. Sed etiam quid erit ſecundum eos iſta datio vel receptio? vide quanta dementia agglomerant ſibi & multiplicant infinitatem diſputationum & relationum & actionum & paſſionum. Manifeſtum igitur actionem non eſſe aliquid in agente, & omne ad aliquid non dicere aliquid in ſubjecto cum ipſo ad aliquid.

Præpoſitiones a, ab, & in, nihil dicunt in ſubjecto.

Amplius autem per iſtas propoſitiones A, & Ab, & In nihil dicitur in ſubjecto, ſed idipſum & prorſus quod per relativa, quamvis aliter. Ad minus hoc non dubitamus, quin per eas nihil ponitur in ſubjectis; quoniam quidquid aliud eſſet neceſſario eſſet ab aliquo, & in aliquo, & per aliquid, & præter aliquid, & propter aliquid: quare excreſcerẽt nobis infinita ſimilia ex unoquoque; nihil enim eſt reperire tale quod non ſit ab aliquo, & propter aliquid, & ſic de alijs hujuſmodi. Cum igitur eſſe ab aliquo id quod deſignatur hac propoſitione, Ab, aut eſt iterum ab aliquo, & ita non habebit finem. quia igitur impoſſibile eſt ut excreſcat per modum iſtum ab uno infinitas, impoſſibile eſt aliquid poni in ſubjecto quocumque modo ex hujuſmodi præpoſitionibus, nec in ipſis relativis, eo enim ipſo quod aliquid ab aliquo eſſe dicitur illud eſt principium dici. Quod igitur facit hoc nomen principium per ſe hoc facit ablativus cum propoſitione. Unde inolevit uſus rectiſſimus, ut dicimus hanc præpoſitionem Ab, deſignare originem, hoc eſt rem ablativi eſſe originem, ſive principium: non autem ex hoc quod ipſa eſt origo ſive principium aliquid in ea ponitur, ſed magis in alio invenitur, in illo ſcilicet cui deſignatur.

Recapitulatio præcedentium.

Hoc igitur firmiter teneatur ipſum ſcilicet quod eſt principium alicui non ex neceſſitate aliquid habere in ſe, quod debeat dici principalitas, & ſit novum aliquid in ipſo præter virtutes & diſpoſitiones quibus eſt ei principium agens, ſicut in igne determinavimus; non enim eſt aliquid in igne ex hoc quod eſt principium caloris aëri præter ipſum calorem qui indubitanter eſt alijs caloris fons atque principium: ſed revera in aëre aliquid eſt ex hoc quod eſt principium caloris, calor ſcilicet ipſe qui calor ignis eſt principiũ eſſendi. Propter hoc igitur dicitur fons caloris & principium agendi, non ſibi fons. quia nihil ab ipſo fluit in ſeipſo, ſed aëri. Hæ igitur prædicationes merito non ſecundum rem, &

nihil addere vel minuere ſubjectis, & omnino non poſſe variare eſſentiam divinam à Boetio dicuntur. Si enim pater carnalis aut mater abſque ulla ſui mutatione & motu & quacumque ſuæ ſubſtantiæ diminutione generent, nihil omnino reperiri poſſet in eis quod vocari poſſet paternitas, & hoc eſt quoniam ei nihil adveniret novum, cum præter omnem ſui mutationem, & motum, & ſubſtantiæ diminutionem genuiſſet: ſi enim aliquid ei ex hoc novum adveniſſet non præter omnem ſui mutationem, & motum, & ſubſtantiæ diminutionem genuiſſet.

Eſſe patrem nihil aliud eſt quam habere filium.

Reſtat igitur ut ibi nihil ſit novum præter ipſum filium & nihil de novo habere, vel acquiſiviſſe patrem, præter quam ipſum filium. Sed revera filium habet quem prius non habebat; quia pater eſt cum prius non eſſet: eſt autem pater non habendo aliquid, ſed habendo æquale velut à foris & ſimile ſibi non in habendo novum aliquid in ſe Pater igitur non dicit aliquid in patre, ſed magis ex conſequentia aliquid patri, vel patrem ipſum alicui cum enim dico iſte eſt pater illius, non quid ſit pater, aut quid habeat in ſe dicitur ſed quid ſit alij, & quod ipſe habet filium. aut ipſe filius illum. Quod autem in ſe habeat aliquid velut formam nec dicitur ab aliquo, nec intenditur. Quando autem dicitur albus aut bonus aut longus aliquid in ſe habere, non à foris aliquid dicitur, & intenditur: quando vero pater nihil omnino habere niſi filium dicitur.

CAPUT XXXIII.

Quod per generationem filij æternam nulla mutatio vel aliquid aliud accidat in patre.

Paternitas nihil addit patri ſive non advenerit, ſive temporalis fuerit & advenerit.

QUoniam autem de primogenitore non dubitat pia fides, quin ipſum primogenitum abſque ulla per modum omnem mutatione genuerit, & quod omnino nihil ei accreverit vel acceſſerit præter filium ex generatione, ſi tamen & hoc dici poteſt; non enim locum habent ibi acceſſio & adventus ullo modorum. Palam eſt patrem per hoc quod pater eſt nihil omnino dici in patre, nec patrem aliquid habere in ſe, ſed habere filium, hoc utrumque ex conſequenti dicitur. Hoc autem palam fiet, ſi generationē iſtam temporalem intellexerimus, hoc enim cauſa explorationis nobis & pia fides concedit & intellectu noſtro poſſibile eſt. Intelligamus igitur primum genitorem omnino ſic genuiſſe filium primogenitum ex tempore ſicut credimus ipſum genuiſſe ab æterno; hoc enim ſolam æternitatem à generatione ſeparamus. Quia igitur non eſt dubium ullo modorum mutationem ullam acceſſiſſe primogenitori, ſed præter omnem modum mutationis, & motus genuiſſe primogenitum. Manifeſtum eſt ſolum primogenitum adveniſſe de novo. Certum autem eſt quod pater ipſe prius non erat, ſed cœpit eſſe: paternitas autem aut fuit prius, aut non: quod ſi fuit prius, & fuit paternitas neceſſario fuit & pater, quare & filius. Quod ſi fuit & non fuit paternitas, ſed advenit ei ut eſſet paternitas idem erit quod & de patre; quoniam cum ibi nulla acceſſerit mutatio neceſſario neque pater dicet aliquid in patre, neque paternitas niſi fortaſſe filium. Quare manifeſtum eſt quod intendimus quod pater non in habendo aliquid in ſe eſt pater, niſi fortaſſe in habendo filium quem utique æternaliter habet in ſe. Si vero paternitas non fuit, & modo eſt in patre: igitur præter omnem modum mutationis pater non genuit filium, cum ipſe mutatus ſit in acquirendo paternitatem quam prius non habebat, & ei acceſſerit paternitas.

Paternitas non poteſt eſſe à patre.

Deinde paternitas ſecundū hoc aut erit pater; aut non: quod ſi ſit pater cum paternitas incœpit eſſe hoc eſt impoſſibile, quoniam poſtquam cœpit eſſe erit ex neceſſitate à patre, quare non erit ipſe pater; alioquin pater factus eſſet aliquid eorum quæ ab ipſo ſunt Si vero non eſt pater, aut erit Deus, aut non: quod ſi fuerit Deus, non cœpit eadem ratione; omne enim quod cœpit ab ipſo eſt, quare non eſt ipſe. Paternitas igitur non erit Deus ſecundum hoc: ſi autem non eſt Deus, igitur nec in Deo erit: quare non in patre, cum ipſa non ſit pater. Non habet dubitationem per hanc intentionem pater nihil omnino dici in patre, quoniam nec id quod pater eſt poſſibile eſt dici in patre per hanc intentionem pater, nec id quod non cœpit. Si enim cœpit impoſſibile eſt quod ſit pater, & ideo impoſſibile quod in patre, ne mutatus in generando primogenitum intelligatur. Si vero non cœpit aut neceſſario erit pater paternitas ipſa eo ipſo quod paternitas, aut non: ſi erit pater ipſe & non cœpit ſecundum eſſe quo eſt paternitas, igitur prius fuit, & prius filius quod jam removebamus. Si vero non cœpit, ſed eſſe ſuum quo eſt id quod eſt, ſed cœpit eſſe paternitas quemadmodū & pater non cœpit eſſe quod eſt, ſed eſſe pater ſecundum poſitionem iſtam tunc erit eadem de eo inquiſitio quæ & de patre: & quæritur utrum dicatur per intentionem paternitatis aliquid in ipſa, aut non; & ſi aliquid de illo erit rurſus eadem dubitatio, quæ & de paternitate. Quare ſolutio iſta non eſt evaſio difficultatis, ſed ejuſdem replicatio, & tranſlatio novæ difficultatis, nec tamen minoris ingeſtio ſeu illaqueatio. Deinde ſecundum hoc pater idipſum dicet in patre quod pater ipſe eſt, ſed aliter aut aliud; cum paternitas ipſa pater ſit: ſi enim idipſum non diceret cum aliud in patre eſſe impoſſibile ſit quam quod pater eſt, nunquam vere de patre diceretur quod ſit pater. Non autem difficultatem conſtituimus cum aliud aut aliquid relationem vocamus, ſicut & ipſum patrem & filium; nondum enim iſtam dictionem obſervare poſſumus, eo quod generaliter & communiter diſputare de ijs cogimur.

Paternitas in patre carnali nihil eſt præter patrem ipſum.

Fortaſſis autem iſtud aliquem movet ad ponendum paternitatem quamdam eſſe in patre carnali, eo quod non ſine motu ſuo, & mutatione, & paſſionibus multis & corporalibus & ſpiritualibus, & tandem transfuſione ſubſtantiæ ſuæ generatur filius: & eſſe videtur ei paternitas velut quoddam hujuſmodi operationis veſtigium. Hoc autem nihil omnino tale cogitari fas eſt, nec univerſalis omnino modus mutationis. Quia igitur in patre carnali omnino nihil tale poneretur, ſed præter omnem modum mutationis eſſet ab eo filius, nihilominus in primogenitore nihil omnino ponendū eſt præter paternitatem, quæ per nullum modorū videtur poni aut pater ipſe aut filius, quemadmodū in actione & paſſione ſupra determinavimus. Idem enim eſt paſſio in aëre quod eſt actus ignis, ſed in igne eſt effective, in aëre autem eſt in ſubjecto: ſic paternitas & filiatio poſſent videri idem prorſus eſſe ſcilicet paternitas ad patrem, filiatio ad filium; neceſſario enim idem eſſe videtur generatio activa, & hæc eſt paternitas, & generatio paſſiva, & hæc eſt filiatio: ſecundum omnes cauſalitas & effectivitas per modum eumdem idem prorſus ſubjecto videntur: ſed præpoſitio & poſtpoſitio rationem diverſitatis explicare videntur in cauſalitate & effectualitate, & actione, & paſſione. Sic forte & illud dicatur quod in eis quæ per eſſentiam ſuam operatur non aliud eſt cauſalitas, quam ipſa eſſentia, omni enim alio ſublato adhuc remanet cauſa quæ per eſſentiam cauſa eſt. Si enim nullo alio eget ad hoc ut operetur niſi eſſentia ſua, nullo igitur alio egebit ad hoc ut ſit. Item ſi cauſa aliquid diceretur in illo, omnino impoſſibile eſſet aliquid per eſſentiam ſuam album, grammaticum,

Item ſicut impoſſibile non eſt aliquid debere ſoli eſſentiæ ſuæ quod eſt album aut grammaticum, ita neceſſario impoſſibile non eſt quod aliquid debeat eſſentiæ ſuæ, quod ſit cauſa ut operetur.

CAPUT XXXIV.

Quod actio agentis & effectuatio non ſunt res deſtinata.

Cauſa dicitur ex ſubſecutione effectus ex præceſſione cauſæ.

RESTAT igitur ut cauſalitas nihil omnino ſit in eo quod cauſa dicitur, ſed magis ipſum referat in aliud, vel aliud à foris velut apponat ſubjecto non imponat. Et hoc quidem docet Boëtius Quod ſi verum eſt, cauſalitas igitur non erit aliquid impoſitum, ſed magis appoſitum ſubjecto, quaſi ei velut à foris; & hoc eſt quod ſemper intendimus. Quare neceſſario ipſe effectus eſt ipſa cauſalitas, ſed appoſitus ſive propoſitus illi. Ad hunc igitur modum effectualis non erit ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam cauſa ipſa, ſive principium niſi ſecundum quod ei effectus dicitur poſtpoſitus; quia ſi ex præceſſione cauſæ effectus dicitur effectus, á ſubſecutione effectus cauſa dicitur cauſa Ubi dubitandum non videtur quin præceſſio & ſecutio idem ſint ſubjecto, quemadmodum via ab Athenis ad Thebas, & via à Thebis ad Athenas: & ingreſſio & egreſſio à loco in locum contiguum: ante enim & poſt ſic ſunt; ſic altitudo & profunditas, & dextritas & ſiniſtreitas aliquid in dextro & ſiniſtro ſunt, ſed ubicumque unum numero ſunt.

Paternitas nihil omnino ponit in primo genitore quàmquam aliquid dicetur in patre carnali.

Sive igitur Paternitas ponatur in patre carnali, ſive non, paternitas omnino non videtur aliquid ponenda eſſe in primo genitore; in patre quippe carnali motus & mutationes multæ & pars ſubſtantiæ quam transfundit in filium videntur alia cauſa eſſe ponendi paternitatem aliquid in hujuſmodi patre. Hic vero ſeorſum omnis motus & mutatio: ſolus pater de ſe, & per ſe ſolum abſque ullo alio quolibet modo primogenitum edidit: nec tamen per hoc quod dicimus edidit ullum modum motus, aut mutationis intelligimus. quod ſi primus primogenitor totam ſubſtantiam ſuam transfundit in primogenitum, totam tamen retinuit; hoc enim eſt primæ fæcunditatis ut totam ſuam ſubſtantiam transfundens in primogenitum totam tamen retineat, & abſque ullo ſubſtantiæ ſuæ detrimento totam ſubſtantiam in prolem primogenitam ſuam transfundit.

Nihil intervenit medium inter primogenitorem & primogenitum niſi communio eſſentiæ & communio amoris qui eſt ſpiritus ſanctus.

Sicut igitur per hoc ipſum quod dicò transfundit nullus omnino motus, nulla ullorum modorum mutatio intelligitur, ſic generaſſe præter omnem modum mutationis & motus intelligitur. Igitur nec aliquid ei abfuiſſe generanti, ſi non genuiſſet; ſed ſolus de ſe ſolo ſolum filium, & nudus de ſe nudo nudum filium nullo interveniente genuiſſe intelligitur. Sic intelligendus eſt neceſſario eſſe pater de ſe & à ſe ſolus, & ſolo, & nudus, & nudo, nullo interveniente inter ſe & filium, quod ſit inter ipſos velut ligatio naturæ ſive eſſentiæ, quæ non eſt niſi ipſa una altiſſima eſſentia quam communicant æqualiter & communione gratiæ & amoris, quem vocavimus ſuperius ſpiritum ſanctum; quare paternitas intelligi non debet velut ligatio relativa intercedens inter patrem & filium. Et ſi inter patrem & filium carnales aliquid tale intercedere intelligi convenientius poſſet: & hoc eſt pars eſſentiæ patris quam habet in ſe filius carnalis quæ videtur eſſe ligatio eorum & poſſet intelligi paternitas & filiatio carnalis ſimul; ſola quippe illa eſſentiæ paternæ portio quam transfundit pater carnalis in filium remanet poſt peractam generationem. Unde iſta ſola ſine communione illius ſola videtur eſſe filius: unde & illa eſſe filiatio inquantum ex illa eſt filius, inquantum vero à patre transfuſa paternitas eſſe videtur, quemadmodum in actione & paſſione ſe habere conſentit Ariſtoteles. Eritque ſecundum hoc pater inquantum ab eo eſt portio ſuæ eſſentiæ in filio, filius vero inquantum eſt habens portionem ſuæ eſſentiæ.

Generatio paſſiva & activa in Deo nihil aliud eſt quam ipſa eſſentia ſecundum modum diverſum.

Ad hunc modum igitur nihil prohibet dici poſſe ipſam altiſſimam paternitatem & filiationem eſſe in ſubjecto quod fere omnes dicunt; verum rationem non explicant quam intendimus. Eſt enim ſecundum modum unum paternitas, ſecundum alium filiatio, inquantum quippe à patre eſt in ipſo filio intantum paternitas eſt, inquantum vero in filio, ſive habet eam filius filiatio erit. Et hoc eſt, quoniam generatio ubi nullus eſt omnino motus mutationis non poteſt intelligi niſi eſſentia ipſa abſque ullo modorum mutationis. Sed revera eſſentia ab uno, hoc eſt quemadmodum deſignatur præpoſitione Ab paternitas quippe eſſentiam dicit, ſed ſuper addit modum deſignandi præpoſitionis Ab: & filiatio ſimiliter, ſed ſuperaddet præpoſitionem In; quod oſtenditur per generationem activam & generationem paſſivam quas neceſſe eſt unum eſſe in ſubjecto, quemadmodum actionem & paſſionem. Poteſt autem manifeſtum fieri quod diximus per hoc, quoniam generare non eſt primogenitori niſi dare filio eſſentiam, nec generari eſt filio niſi recipere, ſed dare & recipere non accipi poſſunt ibi ſecundum intentiones verbales noſtræ conſuetudinis: non enim poteſt convenienter accipi per intentioné illam ibi verbum recipiédi niſi ut intentio ejus ſit habere ab alio. Sic autem habere eſſentiam ab alio non eſt niſi eſſe ab alio. Igitur habitus eſſentiæ non eſt ex neceſſitate niſi eſſentia altiſſima quæ cogitari poteſt eſſe; ſed inquantum eſt filio ab alio, & paternitas per modum eumdem, ſed inquantum de patre ſive à patre eſt in altero. Quid enim eſt filio eſſe filium, niſi habere eſſentiam de patre? quod ſi hoc eſt igitur filiatio erit habitus eſſentiæ de patre, hoc eſt eſſentia de patre data filio, ſed per modum quo ei congruit quem ſuperius explicuimus Licet autem filiationem ipſam dicamus eſſe filium non ideo cogimur dicere, igitur eſſentia eſt filiatio, cum filiatio ipſa eſſentia ſit eo quod eſſentia, non per modum quod eſt eſſentia filiatio eſt; ſed recepta ſive data, quare ſecundum accidens; omnes quippe recipiunt, quod generatio eſt eſſentia, non tamen eſſe generationem eſt eſſe eſſentiam, niſi fortaſſe per modum accidentis & extranei. Hanc autem difficultatem totam facit noſtræ conſuetudinis ſermo tranſlatus ad ea quæ ſupra nos ſunt, apud nos quippe dare plerumque motum aliquem ſignificat: ibi vero motum excogitare nefas eſt, ſimiliter & de generatione ſe habet.

CAPUT XXXV.

Quod iſtæ præpoſitiones A, Ab & cætera important ſolum principium productionis filij & nihil novum in patre.

Si aliquid dicitur eſſe à patre non per hoc dicitur aliquid in patre ſicut rec è converſo.

MULTOS autem perturbant præpoſitiones, A, Ab, In: ſed nos ut potuimus ſatisfecimus illis, oſtendentes eas omnino nihil ponere quibus apponuntur, ſed trahere magis, & ſuſpendere intelligentem ad aliud: non negamus tamen hanc præpoſitionem, Ab, deſignare utcumque rem ablativi ſui eſſe rem ſequentis principium: Cùm enim filius à patre eſſe dicitur, pater oſtenditur eſſe indubitanter filio eſſendi principium, ſed per hoc ipſum ſecundum hoc quod pater principium dici-

tur, non aliquid in ipſo dicitur, ſed magis alij; filio quippe aliquid dicitur eo ipſo quod pater principium ejus dicitur, & filium habere eſſe à patre indubitanter oſtenditur.

Unde in filio aliquid adinvenitur, nihil autem in patre; ſed à patre magis, & hoc in alio. Nec debet videri ſicut aliquid dicitur eſſe à patre, ut per hoc dicatur eſſe in patre, ſicut è converſo nemo miratur quod propter hoc aliquid dicitur eſſe in patre, non eſt ut intelligatur aliquid dici eſſe à patre. Nulla enim ratio cogit, ut ex, A, ſequatur, In, potius quam è converſo, & ut per A, In, & non è converſo. Nemo autem eſt qui dubitet cum dicimus ego cogito de aliquo, quod per hanc impoſitionem de eo nihil omnino dicitur in illo de quo cogitatur: & iterum ſi dixero cogitatio mea incipit ab illo, nihil oportet ex hoc quod dicitur eſſe ab illo, eſſe in illo à quo cæpit cogitatio: imo ſi dixero hoc eſt primum in cogitatione mea, vel ultimum nihil omnino dico in primo aut ultimo.

Explicamus divina ſecundum noſtrum concipiendi modum.

Vides igitur manifeſte ex his exemplis, quoniam non debent quemquam conturbare præpoſitiones, quoniam nec per denominativa ordinabilia etiam eſt neceſſe aliquid dici in ſubjectis, ſive in denominativis ſuis. Primus igitur genitor oſtenditur eſſe principium, & velut terminus in ordine eſſendi ipſi filio, licet ibi ordinem temporalem nefas ſit cogitare, ſed ſecundum intelligentiam noſtram hoc dictum ſit, quia primo judicamus habere eſſe ipſum qui fontaliter & primitivè habet eo qui velut per derivationem, & quaſi conſequenter. Cum igitur ſecundum intelligentiæ noſtræ conſuetudinem primum patrem, ſecundum filium, & tertium ſpiritum ſanctum accipimus, nec tamen primitivè aliquid ibi intelligimus, niſi fortaſſe ſecundum privationem: ſic & patrem principium dicimus cum ſecundum noſtræ conſuetudinis modum neceſſario patrem dicere, & intelligere compellamur.

Nomen patris & pronomen demonſtrativum ejus idem ſignificant ſed modo diverſo.

Alius autem qui multos conturbat & confundit modus eſt, cum enim exploratiſſimum, atque certiſſimum habeant patris nomen, & pronomen demonſtrativum perſonæ patris idem ſignificare, ſed modo diverſo, quia cum nomino patrem, & cum pronomino ipſum, ſive demonſtro ſignifico utrumque; de modo ipſo neſciunt an aliquid ſit, & quid ſit, & quid cum quæritur ab eis, utrum modus ille aliquid ſit, an nihil omnino confunduntur neſcientes ſe explicare, vel evolvere. Nos autem hic multum non laborabimus, ſed hoc certum debet eſſe rationalibus quod modus omnis res eſt, & quod eſt in ſe res aliqua; ex rebus modus eſt, & circumſtantia: alia autem ſibi ipſi altera conſideratione. Quis enim dubitat rectam viam rem aliquam eſſe? & tamen recta via modus eſt quo quis dicitur moveri rectè; nihil enim aliud eſt dicere quemquam moveri rectè, quam per rectam viam; ſed quid eſt dicere aliquem operari ſapienter aut artificioſe, niſi operari per ſapientiam, aut per artem? hoc igitur manifeſtum eſt quod una eademque ſapientia & principium eſt operationis, & modus ejuſdem

Modus & res ipſa idem ſunt, & modus quo pater eſt, & modus quo filius eſt nihil aliud ſunt quam pater & filius, ſive eſſentia ipſa ut ex patre.

Unde & operatio vulgo ſapiens dicitur à principio ſuo, vel modo ſuo ſimiliter, & male operari quis dicitur quia malum, aut ex malo, aut ad malum. In quo exemplo manifeſtum eſt nihil aliud modum eſſe quo quis male operari dicitur, quam aut principium, aut finem operationis, aut ipſum operatum Et ad hunc modum ſe habet de aliis ubicumque modus eſſe aut intelligi dicitur. Modus igitur generationis, aut modus quo pater eſt aut dicitur pater non erit niſi res ipſa; filius enim modus ipſe eſt generationis ſuæ ex patre ſive eſſentia ipſa quam habet ex patre. Hunc autem modum ſignificamus, quoties dicimus filium naturaliter, aut eſſentialiter natum ex patre; nihil enim fingere eſt ibi aliquid quod per hoc adverbium eſſentialiter deſignetur. Quid enim per hoc adverbium ſapienter niſi ipſa ſapientia, & per hoc adverbium rectè niſi rectitudo deſignari poteſt? His igitur exemplis de modo & modis palam videtur eſſe. Quod ſi apud alios aliter ſe habeat; ibi tamen neceſſario ſic eſt, ut jam diximus.

CAPUT XXXVI.

Quod paternitas ut paternitas eſt non dicit quid, vel aliquid, ſed magis habitudinem, ſeu ad aliquid.

Exponit ſententiam eorum qui notiones non eſſe ſed adeſſe ſtatuunt.

EX his igitur quæ jam tot ac tanta diſperſimus, & veritas ipſa de notionibus palam eſſe poteſt, & qualiter omnes ſecundum rationes quas de his aſſignavimus ipſam veritatem loquantur, licet modis & verbis diverſis. Qui enim notiones adeſſe ponunt rectiſſimè & veriſſimè hoc ponunt, vel dicunt; relativa quippe ſibi invicem non inſunt niſi ad rationes eorum iſtud forte referatur; quia revera relativorum alterum in ratione alterius intelligitur & ineſt neceſſario. Cum autem iſtud de eſſe paternitatis interrogantur, utrum ſcilicet ipſa ſit, vel non ſit Deus? Reſpondent non eſſe interrogandum de ipſa ſecundum quod paternitas; quoniam ſecundum modum iſtum non eſt, ſed adeſt, paternitas enim per intentionem principalitatis non eſt quid, nec eſt, ſed adeſt. Quare neque eſſe paternitatem eſt eſſe ſed magis adeſſe. Et hoc quidem rationabiliter diceretur: ſi enim eſſe patrem non eſt eſſe, ſed adeſſe, inquantum patrem dico, hoc eſt pars relationis, nec paternitas in quantum paternitas erit quid, & ſi eſſe Patrem non eſt eſſe nec habere aliquid, eſſe paternitatem non eſt eſſe, nec habere aliquid; ſi enim album eſſe non eſſet quid, nec habere aliquid nec albedo ſecundum quod albedo erit aliquid cum eſſe album ſit habere albedinem.

Paternitas inquantum paternitas non eſt aliquid.

Subtiliter igitur, etſi non valde perſcrutate dictum eſt paternitatem in eo quod paternitas non eſſe aliquid & in hoc omnes conſentiunt quod ſcilicet eſſe paternitatem non eſt quid. Paternitas igitur ut paternitas non eſt ſubjectum de quo conveniat interrogari utrum ſit Deus an non ſit Deus. Quemadmodum ſi quis velit interrogare utrum hoc album ut hoc album ſit aliquid, nec enim eſt ſubſtantia, nec accidens, nec eſt quod abſolutè & præciſe. Hic tamen ſecus eſt quoniam per hanc intentionem, hoc album, deſignatur in parte ſubſtantia, ut ſubſtantia, & inſuper additur ſupra notio accidentis. Quare fortaſſis rectè dicitur hoc album ſubſtantia eſſe qualis, aut colorata, aut alba. Sed neque genus neque ſpeciem poſſibile eſt ei aſſignare: & hoc eſt quoniam nec ſub genere nec ſub ſpecie eſt hoc album. Unde ſimiliter ſignificat aut nomina generum & ſpecierum & individuorum: quemadmodum contingit & in aliis. Pannus enim & veſtis ſimilitudinem quandam habent eſſentialem in ſignificando. Poſſum igitur dicere aurum figuratum aut formatum ſic vel fabricatum: quotiens vero poſſim dicere pannus ſit, nec dubitatur veſtis eſſe pannus nec annulus aurum.

Supponit generationem primo geniti in tempore paternitas an fuiſſet prius licet totum quod poteſt dici paternitas prius fuerit.

Ad hunc modum ſi intellexerimus primogenitum ex tempore, non poſſumus dicere verè paternitas fuit prius, licet totum quod poteſt dici aut cogitari paternitas prius fuerit; quia revera eſſentia data filio prius filio, filius autem non prius fuit Si quis velit hoc dicere quod paternitas, eſt ipſe filius, verum eſſet utique quod paternitas ut paternitas prius fuiſſet. Sed quem forte nihilominus

nus falleret. Sicut igitur annulus ut annulus, aut veſtis ut veſtis, nec verè poteſt & propriè dici aurum, nec aurum figuratum; nec veſtis pannus: ſic paternitas non poteſt dici fuiſſe. Hoc autem manifeſtum fiet exemplo relativorum, album enim ut album & albedo ut albedo fuit prius cum hoc ſolum erit album: Similitudo vero ut ſimilitudo non fuit prius, nihil enim indubitanter advenit huic albedini ex eo quod aliquid factum eſt ſimile illi albo: dicitur igitur hic facta ſimilitudo, cum tamen nihil omnino ſit factum in iſto, & fieri dicitur A, ſimile B, cum tamen nihil novum factum eſt in A: ſicut autem A, factum eſt ſimile B, ſic facta eſt ſimilitudo A, ad B. Conſtat tamen quod nihil novum factum eſt in A: quare eſſe ſimilitudinem non eſt eſſe quid, accidit igitur alicui; quoniam de quocumque dicatur, aut dicitur de eo per eſſentiam, & hoc jam prohibuimus; quoniam in A, nihil omnino eſſentialiter factum eſt. Verum ibi dicitur ſimilitudo hoc ipſum quod eſt ſimilitudo nō eſt quid eſſentiale nec eſſe ſimilitudinem eſt eſſe quid. Accidit igitur alicui eſſe ſimilitudinem Verum quoniam ad modum eſſentialium & ſpiritualium nominum ſignificat, hæc intentio ſimilitudo dicitur facta ſimilitudo inter A, & B, vel ejus quod eſt A, ad ipſum B, & cum ſit ſimilitudo ipſa ſecundum ſubſtantiam & eſſentiam, albedo tamen nec nomine illius nominatur, nec ſermo de hoc eſt ſermo de illa.

Probat exemplis paternitatē idem eſſe quod patrē, non tamen ſermonem de illa, & de ipſo eſſe ſermonem ſic de filio.

Quemadmodum in auro & annulo exemplificamus, ut ſi aliquod aurum fabricatum fuit, ut ſit annulus, & monile, ſive fibula, & armilla: aut idem pannus fuerit ſimul ſupertunicale & opertorium & ſcapulare. Licet utrumque ſubjecto unum ſint, tamen nec idem ſermo de his, nec eſſe hoc eſt eſſe illud, nec aliquid fieri in hoc eſt aliquid fieri in aliquo aliorum. Ad modum iſtum ſe habet in albedine, & ſimilitudine; quoniam fieri ſimilitudinem vel eſſe, non eſt albedinem fieri, aut eſſe, nec affirmare, vel negare hanc eſt affirmare, vel negare illam. Quia igitur ſimilitudo non eſt quid, nec eſſe ſimilitudinem eſt eſſe quid, interrogatio de ſimilitudine non eſt interrogatio de quo, & ſicut veriſſimè dicitur ſimilitudo non fuit, albedo tamen fuit: ſicut veriſſimè quod hoc quod eſt paternitas fuit, paternitas tamen non fuit: ſic id quod annulus, aut veſtis fuit, nec tamen veſtis, nec annulus fuit, A, ſimile factum eſt cum B, abſque ulla ſui mutatione & abſque ullius acquiſitione: ſic & Deus factus eſt pater nihil in ſe recipiendo ſecundum poſitionem illam qua intelligebamus generationem primogeniti ex tempore, per viam igitur iſtam nihil accidit inconveniens, ſi dixerimus paternitatem idipſum quod patrem, nec tamen ſermonem de patre eſſe ſermonem de ipſa; & filiationem idipſum eſſe quod filium, nec tamen ſermo de illo eſt ſermo de illa, nec eſſe illum eſt eſſe illam. Et iterum nihil prohibet nos dicere paternitatem & filiationem unum eſſe numero, nec tamen hanc eſſe illam, ſicut actionem & paſſionem unum eſſe ſubjecto & eſſentia concedimus cum Ariſtotele, non tamen hanc eſſe illam recipimus, non tamen armillam eſſe annulum, aut monile.

Duas notiones & comparationes eſſe & neutram de altera prædicari, & tamen unum eſſe.

Recipio igitur duas notiones & duas comparationes eſſe & neutram de altera prædicari, & tamen unum eſſe, ſicut recipimus in exemplis quæ poſita ſunt. Quia igitur paternitas eſt ipſe pater, & ipſe pater verè dici poteſt, & ipſa divina eſſentia, non autem filius verè dici poteſt: quemadmodum ſimilitudo A, ad B, verè dici poteſt albedo ipſius B: Sed ſimilitudo B, ad A, poteſt revera dici, ſicut & eſt ſimilitudo ipſius B, ad A. Datio quippe eſſentiæ ipſe dator congruentius & melius intelligitur quam receptor, & receptio eſſentiæ receptor ipſe, non negamus tamen quin datio & receptio ejuſdem eſſentiæ unum ſubjecto ſint: ſed datio & receptio ſic neceſſario differunt, ut paternitas & filiatio, aut quemadmodum actio & paſſio, qui modus demonſtrandi idem eſt. Dationem igitur aptemus ibi datori quoniam etſi datum transfundit datio in receptorem, non tamen ſeipſam, nec ipſa tranſit in receptorem ſed datum: receptio vero reſiſtit in ipſo receptore. Hoc igitur magis approbandum videtur ut paternitas non dicatur filius, & ſi idipſum ſit quod filius, ſed magis pater: nec albedo ſimilitudo ipſa quæ ſecundum illam eſt & filiatio non dicatur pater, & ſi idipſum ſecundum eſſentiam ſit quod pater; non enim identitas iſta cogit mutuam prædicationem, quod apparet in patre & filio inter quos eſt omnimoda eſſentialis unitas, non tamen mutua de ſe invicem prædicatio.

Paternitas eſt magis patri quam filii licet utrumque ſit ſubjecti & eſſentiæ.

Quod ſi quæratur quare magis eſt paternitas ipſa pater ipſe quam filius cum utrumque ſit ſubjecti ſive eſſentiæ identitas. quid amplius habet paternitas ad patrem quam ad filium, hoc utique eſt quia pater de ſe ipſo pater eſt. & non eſt pater adjutus aut recipiens aliquid aliunde: quare paternitas ejus non habet ullo modo ei eſſe velut forinſeca. Quare paternitas ejus & ipſe & in ipſo eſt. Hæc igitur amplius paternitas habet ad patrem quam filius, quod patri à ſe ipſo eſt quod ſit pater, quidquid vero ei à ſe ipſo neceſſario eſt ipſe; non hoc autem modo dicimus ei eſſe filium quemadmodum paternitatem; quoniam paternitas ejus eſt ſua, alio modo quam filius ejus ſit ſuus: ſicut ſimilitudo aliter eſt ipſius ſimilis, aliter vero ejus ad quem eam habet qui ſimilis eſt.

Notionem qua notio eſt non eſſe aliquid.

Quoniam autem eſſe notionem non eſt eſſe aliquid, nec etiam velut eſſe ſi attenderimus diligentius quod nihil eorum quæ vero eſſe & fixo debentur de notionibus dicitur; ut V. g. paternitas nec cauſare nec generare; nec ſanare, nec redimere, nec incarnata fuiſſe filiatio aut crucifixa dicetur; hujuſmodi quippe prædicationes entis verè & per ſe ſunt ut entia vere & per ſe ſunt. Licet autem recipiamus filiationem vere eſſe & habere eſſe, tamen veritatem illam eſſendi non dicit hæc intentio filiatio, ſicut hæc intentio ſimilitudo non dicit. Veritatem eſſentiæ licet dicat quamdam veritatem qua ſcilicet ſimilitudo ſimilitudo eſt, ſed hæc veritas aliud eſt, unde non eſt veritas eſſendi propriè & abſolutè Accidit autem illud eſſe ſcilicet ſimilitudinem poſt verum & naturale eſſe, quod eſt eſſe albedinis, & poſt primum verum eſſe quaſi accidit ut pater ſit, & accidit ei quodammodo paternitas Hoc tamen dicimus ſicut fas eſt ibi talia dici, & etiam paternitatem jam habenti pleniſſimum ac veriſſimum eſſe, ſed & ipſa paternitas non habet primum, & verum eſſe per illud quod paternitas eſt, ſed quia idipſum eſt quod pater aut quod Deus: ſicut annulus non habet eſſe auri per hoc ipſum quod annulus, ſed quia annulus accidit habent illud eſſe propriè & per ſe.

CAPUT XXXVII.

Concordantur diverſæ opiniones de notionibus.

Quare ali... qui no... nec e... diverunt.

QUi vero in tropos interpretantur ea quæ de notionibus abſtractè dicuntur, vocantes paternitatem ipſum patrem, ipſam veritatem indubitanter loquuntur, ſed non perſcrutate non enim nominant patrem nomine paternitatis, neque è converſo, ſed ipſam identitatem reſpiciunt quam diximus quæ eſt inter paternitatem & patrem ipſum. Iſtas igitur notiones nihil dicunt eſſe, & hoc utique verè ſecundum intentionem ſuam, quoniam revera paternitatem ejus nemo unquam dixit aliud

eſſe, quam patrem ipſum: & hæc eſt intentio ipſorum, notiones ſcilicet nihil eſſe ſuperadditum perſonis, quod ſit velut ligatio, & differentia perſonarum divinarum ad invicem. Hoc enim modo poſuerunt quidam relationes in rebus ut ſint velut quædam additio rebus ipſis ad comparandas res & referendas adinvicem. Hoc autem certum eſt nihil omnino poſſe eſſe præter eſſentiam ipſam altiſſimam quæ una eſt per omnem modum, & tres perſonas. Revera igitur paternitas nihil eſt additum patri, aut ſuperadditum ad hoc ut eſſet pater, quia nec dico albo aliquid additum in ſe ad hoc ut fieret ſimile, ſed additum exterius: & facta eſt inter eos ſimilitudo quæ tamen nec novum aliquid eſt inquantum ſimilitudo; nec vetus aliquid, ſed orta eſt, & facta eſt ut ſimilitudo: eam tamen eſſe vel fieri non eſt eam eſſe vel fieri aliquid nec eam addi eſt etiam aliquid addi. Et hoc eſt quoniam ſubjectum factum eſt eſſe non recipiendo aliquid in ſe, ſed revera additum eſt ei aliquid à foris Sic & æterno patri æternaliter etiam adeſt coæternus ei filius, & eſt inter eos paternitas & filiatio, quas tamen eſſe non eſt propriè & verè aliquid eſſe, vel aliqua & quas etiam advenire ſi ex tempore advenirent non eſt aliquid vel aliqua advenire. Sic igitur intentio eorum vera eſt, & à via communi non diſcrepat; quoniam paternitas non aliquid novum eſt coadunatum eſſentiæ patris, & etiam ſecundum quod paternitas non eſt aliquid determinatum eſſe; quoniam nec ex genere, nec ex ſpecie nec ex primo & vero eſſe nominatur cum nominetur paternitas, nec eſſe paternitatem eſt eſſe in eſſe determinato, & fixo, ſed tantum quod accidit poſt fixum & determinatum eſſe, & adeſt ordine intelligendi noſtro. Ob hanc igitur cauſam paternitatem eſſe negaverunt: niſi quis fortaſſe cum eis vocare vellet paternitatem ipſum patrem.

Quomodo explicare ſe debeant qui ſentiūt id quod ſupra.

Hi igitur facile ſe expediunt quia tamen ſit eis ſermo de paternitate. quia ſit pater ipſe, omnia ſunt eis inexpedita, ſi autem aliud rectiſſimè dicunt illud aliud omnino nihil eſſe: ſi autem reſponſum fuerit eis id vocari paternitatem unde pater pater eſt, quemadmodum id vocamus omnes albedinem unde album album eſt; dicunt quia pater non aliunde pater eſt quam à ſe ipſo, & nullo pater eſt niſi ſeipſo. Et hoc utique rectè dicunt quoniam de ſe ſolo & nudo, & per ſe ſolum & nudum genuit de ſe ſolo & nudo. Se igitur ipſo, & à ſe ipſo eſt pater, & hoc dubium non eſt quoniam præter ipſum nihil adfuit ad hoc ut generaret niſi pater: quare paternitas nihil eſt niſi paternitatem ipſum patrem intellexerimus. Sed nihilominus in eamdem viam reducunt ſe, cum dicunt patrem de ſe genuiſſe; generatio quippe ponitur quæ aliquid eſt, aut nihil: ſi nihil, vacuum videtur & inane vocabulum: ſi vero aliquid eſt, aut generationem eſſe eſt patrem eſſe, aut non: ſi ſic, eadem ratione erit filium eſſe, & pater filius erit: quod abſit. Si vero generationem eſſe non eſt patrem eſſe, nec filium, licet generatio ipſa pater ſit, aut filius: redierunt jam ad nos cum non vocent jam generationem ipſam patrem; quia ſi generationem eſſe eſt patrem eſſe, procul dubio generationem activam vocant patrem. Quod ſi hoc modo dicant, quia generationem activam eſſe eſt patrem eſſe, generationem vero paſſivè ſumptam eſt filium eſſe: igitur ſpirationem eſſe erit patrem eſſe. Quare idem erit patrem eſſe. & filium eſſe ſecundum eos. quippe ſpiratio nominabit ſimul patrem, & filium, quare ſermo de ſpiratione erit ſermo de patre, & filio quare pater erit filius.

De ſpiratione communi patris & filij.

Neceſſe igitur habent ſpirationem ponere communem intentionem ad patrem & filium; quoniam ſi una ſingulari denominatione denominaretur pater & filius, impoſſibile eſſe videretur eos eſſe duos. Quare ſicut ſpirator commune eſt amborum ſcilicet patris & filij, & ſpiratio communis erit amborum intentio nominans ambos communiter. Et hoc ſecundum eos non eſt inconveniens, neque in hoc à nobis diſcrepant, quia nec nos aliquid adjicimus cum paternitatem ponimus, nec aliquid illi detrahunt non ponentes illam; eam quippe ponere non eſt ponere aliquid, nec eam detrahere eſt detrahere: quemadmodum annulum poſuerunt quidam ſpeciem moralem, nec propter hoc aliquid novum ponebant præter ea quæ alij ponunt; nihil enim novum in auro ponebant hi priores; quoniam omnino nihil in annulo eſſe faciunt præter ipſam auri ſubſtantiam & figuram qua annulus annulus eſt. In hoc igitur & hi conveniunt qui ſpeciem moralem ponunt hujuſmodi generis ornationem, non enim aliquid novum ponunt præterquam quod & alij, & tamen hi dicunt ſpeciem illam omnino nihil eſſe, hi contendunt eam eſſe, & dicunt ſicut ſuperius latius diſſeruimus quod annulus non nominat aurum, nec per ſe, nec per accidens, ſed nominat aureum, nullatenus nominat aurum, neque materia materiatum, ſed velut compoſitione appoſitionis ſe habent ad invicem.

Iſtæ diverſæ ſententiæ non ſic diſferunt quaſi una aliquid ponat quod altera non ponat.

Numquid iſtæ ſententiæ jam diſſident ab invicem: ut altera aliquid ponat, altera illud idem deſtruat non, quoniam ita vocat ſpeciem moralem compoſitum ex ſpecie naturæ & forma morali ſive civili, & hoc eſt annulus: quod neutra ſententiarum deſtruit, & cui omnino nihil detrahit Non enim eſt quæſtio inter eos, utrum annulus ſit nihil, vel aliquid eorum quæ ſunt annulus, neque de conjunctione eorum ex quibus eſt annulus, neque de nullo eſt diſcrepantia inter eos, ſed iſti annulum quidem in ſpeciem vocant, illi vero contendunt ex ſubſtantia & accidente nihil omnino poſſe compoſitum eſſe, & negant annulum quid eſſe inquantum annulum: iſti vero annulum quid eſſe dicunt, non utique naturæ, ſed civile morale, & ſpeciem eſſe ornamenti ipſum dicunt quod non dubitatur. Alij vero non habent qui dicant niſi quod ſit vulgo & uſualiter ſpecies ornamenti appelletur & habeatur annulus, non tamen veri nominis ſpecies intelligi poteſt, cum ex ſubſtantia & accidente nihil unum verè fieri poſſit; hujuſmodi quippe compoſitum nec ſubſtantia, nec accidens eſſe poterit.

CAPUT XXXVIII.

Quod proprie loquendo paternitas non dicitur genuiſſe, nec filiatio genita fuiſſe.

Alij unam & eamdem eſſe perſonæ & differentiæ notionem, alij aliter ſentiunt.

AD hunc igitur modum ſe habent ſententiæ de notionibus, quia ad unum impoſitum eſt hoc nomen pater, & quod velut pro qualitate ſignificat, quibuſdam non placet nominare notionem, aliis vero placet. Et de eo, & à quo nomine impoſitum eſt nulla eſt diſſonantia, aut diſſenſio inter eos Verum alij contendunt notionem nihil ibi verè poſſe nominare niſi perſonam, aut eſſentiam; eo quod ibi nihil omnino aliud eſſe videtur quolibet modo; qui enim dicunt perſonarum notiones, aut differentias, nihilominus per hanc intentionem differentiam nominant perſonam, vel perſonæ differentiam. Hi vero reſpicientes rem ipſam unam eſſe quæ ſit ſimul, & perſona, & perſonæ differentia, volunt modis omnibus notionem unam eſſe perſonæ & differentiæ. Quod ſi res ex omnibus modis ſuis una eſſet convenirent, & neceſſe eſſet unam eſſe notionem, & hoc ipſum ita ſe habere oporteret in auro & annulo in auro & aureo; non autē ita ſe habere in præmiſſis palā fecimus.

Item

Ratione & re differunt perſonæ & differentiæ earum, licet ſubiecto & eſſentia unū ſint.

Item certum eſt perſonam eſſe ratione differentiæ, & unamquamque à ſua differentia, quod ex ratione ſeu definitione perſonæ palam eſt. Si autem alia ratio, alia neceſſario erit notio; differentia autem notionis differentia eſt ſecundum rem, & non nomine tantum: quare & ratione & re differunt neceſſario perſonæ, & differentiæ earum, licet ſubjecto & eſſentia unum ſint; non autem ſubjecto immediato: (quod conſuevimus dicere ubi res una nominatur utrumque, ſcilicet à duobus ut album & muſicum, idem nominat perſonam quæ ambo ſunt; quoniam ambo neque eſſentiam nominant, neque perſonam, neque perſonæ differentiam) ſed alterum perſonam, alterum differentiam perſonæ, & revera ambo ſunt una perſona patris, & una eſſentia divina, & una notio, ſive differentia patris: ſicut annulus & aurum neque ſpeciem naturæ, neque ſpeciem ornamenti ambo nominant, ſed alter ſpeciem ornamenti, alterum ſpeciem naturæ: ſunt tamen ambo & ſpecies ornamenti & ſpecies naturæ, quoniam & ambo & aurum ſunt & annulus.

De diſtinctione paternitatis à patre qualis eſt auri ab annulo aureo.

Quemadmodum reſpondemus interrogantibus de annulo & auro utrum re ipſa differant, an nominatione ſola, cum tamen una res ſint, & dicimus reipſa quia annulus ratione differt ab auro etiam ſic figurato: non enim aurum ſic figuratum eſſe eſt aurum aliquid eſſe, ſed annulum eſſe eſt aureum ornamentum eſſe; aurum enim figuratum eſſe nulla ratione aurum dici poteſt, etſi ornamentum aureum: quare manifeſtum eſt unum non eſſe alterum, quoniam ſi nominaretur aurum per hanc intentionem annulus, aurum ſaltem per accidens reciperet omnem prædicationem quæ annulo aſſignabilis eſt; hanc autem prædicationem quæ per intentionem ejus quod dicitur aurum aſſignatur nulla ratione recipere poteſt; nullo quippe modo aureum de auro poteſt veraciter dici. Palam eſt igitur re ipſa differentiam inter annulum & aurum eſſe, & ad hunc modum ſe habet in paternitate verè dici qua de patre non poſſunt, & è converſo, licet quippe pater veriſſimè filium genuiſſe dicatur, non tamen paternitas verè genuiſſe filium dici poteſt. Et licet verè dicatur filius Dei incarnatus, & morte ſua redemiſſe mundum, non tamen congruit ut de filiatione hoc dicatur, nec filiatio genita fuiſſe dicenda eſt, licet hoc veriſſimè filio congruat. Nemo autem inficiari poteſt quin eodem modo contingat denominationem quæ fit per hanc intentionem pater abſtrahere à ſubjecto quod eſt ibi velut ſubſtantia nominis, ſeu denominatio illa aliquid ſit quolibet modo à patre, ſive non; & quin nominari contingat eam, & congruat paternitatem: & propter iſtam abſtractionem non eſt neceſſe abſtrahi ſubjectum, & cum explicata fuerint illa duo nihil commune videtur habere, ut V. g. ſi reſolvimus hanc intentionem pater, neceſſario occurrent nobis perſona patris eo ipſo quod iſte, aut hæc perſona, & nondum eſt aut intelligitur generans; quia nullatenus eadem eſt hæc intentio, iſte, & hæc intentio, genitor, ſed eſt velut abundans altera ab altera.

Diverſæ ſunt intentiones eſſe perſonalis quod ſignificatur per hanc vocē, iſte, & generationis, licet res una ſit & iſte, & generatio.

Quia igitur invenitur in reſolutione genitoris ſive patris intentio perſonæ cujus eſt perſonale eſſe abſolutum, & inſuper intentio generationis, hoc non eſt intentio ejus quod eſt iſte, & cujus intentio non eſt eſſe perſonale; non enim generatio nominat perſonam ex eſſe ſuo perſonali abſoluto, & cū abſtraximus ipſam perſonam ab intentione genitoris reſoluta, & explicata remanebit nobis intentio generationis integra, & in nullo omnino diminuta. Non poteſt autem eadem eſſe intentio quæ abſtrahitur & illa quæ non abſtrahitur: quare diverſæ ſunt intentiones iſtius ex eſſe, ſive in eſſe ſuo perſonali, & generationis in eo quod generator. Quare hoc eſſe non erit illam eſſe; licet res fuerit una iſte, & generatio, quæ revera ſunt & eſſentia divina & ipſa perſona patris.

Poſitione paternitatis nihil addi aut eſſentiæ altiſſimæ aut perſonarum trinitati: exēplis probat.

Vides igitur quia cum unum ſint, alterum ab altero abſtrahere, & altero abſtracto alterum integrum & illæſum remanere per omnia nihil prohibet. Quemadmodum ſe habet in exemplis de annulo, & fibula & armilla ibi alternas abſtractiones & ſeparationes facere annulum ab armilla, & fibula, & è converſo: nec unitas illa eſſentialis cogit unam eſſe eorum deſtructionem, aut generationem. Ad hunc modum ſe habet in ſupertunicali, & coopertorio; quia poſſibile eſt deſtrui coopertorium manente ſupertunicali, & è converſo; modica quippe laterum lacinia, aut colligatione ſupertunicale eſt ſolum coopertorium nullo deſtructo, cum tamen res una eſſent, & omnino nihil ex colligatione illa deſtructum videatur. Videri igitur manifeſtè poteſt quod cum ſit coopertorium nihil addi neceſſario eſt ipſi eſſentiali, & intimo ſubjecto quod eſt pannus. Ad hunc modum cum ponimus paternitatem nihil addimus aut eſſentiæ altiſſimæ, aut perſonarum trinitati, & qui non ponunt nihil detrahunt; quoniam paternitatem, ut ſæpe diximus, detrahere non eſt aliquid detrahere, ſicut nec detrahere ſimilitudinem albo in ſe, nec ponere eam eſt ponere novum aliquid in albo: ſic & poſitio paternitatis non eſt poſitio alicujus in patre, ſed revera poſitione paternitatis poſita ponitur patris filius, & nihil aliud, cujus poſitione debeat dici aliquid poni, aut patri aut filio; niſi quemadmodum diximus jam ex poſitione filiationis ſecundum quam ponitur filio pater, non autem in filio.

Omnequod in Deo ponitur idem eſt, non autem aliud ab eo cui ponitur.

Quod ſi quærat quis, cur igitur ponitur paternitas cum eam ponere non ſit ponere aliquid? Si enim detracta nihil omnino detrahitur patri, nihil omnino aliis perſonis, nihil omnino divinæ eſſentiæ, & ea poſita nihil omnino amplius hic videtur ſupervacua aut nulla eſſe poſitio. Sed argumentatio iſta eſt tanquam conveniat omne quod ibi ponitur aliud eſſe ab eo cui vel in quo ponitur; cum è converſo ſe habere neceſſe ſit ibi; ibi enim tres ipſas perſonas unam eſſentiam eſſe neceſſe eſt. Si autem filius de patre ſolo & nudo ſit, & non per medium quocumque modo, ſed de illo verè & purè & ſolitariè, unde generatio? generatio quippe media eſt, & medium ad eſſe aliud, via autem medium eſt inter eſſe potentiale, & eſſe actuale; ab altero quippe in alterum per generationem velut per viam venitur: ibi vero nihil omnino interceſſiſſe inter patrem & filium ad hoc ut eſſet filius à patre, & de patre certiſſimum eſt. Quare generatio nullo modo videretur poſſe eſſe ibi aliquid: quolibet modo nihil erit ibi velut via per quam eſt filius à patre. Et hoc utique in ore omnium celeberrimum eſt filium ſcilicet per generationem à patre eſſe, ſic autem deſignari videtur cauſam aliquo modo eſſe filio; generatio quippe cum generato cauſa quædam eſſe videtur. Solus autem pater principium & cauſa eſt filio, ſi tamen cauſam ibi nominari fas eſt. Quare aut generatio non poneretur veri nominis generatio, aut ponetur eſſe pater: ſi autem ponitur eſſe pater, cum ſolus pater ponatur principium & cauſa filio, non excluderetur generatio, cum ipſa generatio pater ipſe ſit.

Exemplum trianguli affert ad ſolvendam difficultatē de notionibus.

Similis autem controverſia fuit quandoque circa triangulum & ſuperficiem triangularem de quibus aliquid ſuperius exempli cauſa locuti ſumus. Nonnulli enim arctati & conturbati rationibus angulum nihil omnino eſſe poſuerunt, nullum ſermonem de angulo recipientes niſi prædetermina-

rent angulum quem multi intédebant omnino nihil eſſe. Sed ſi qui dicebant angulum punctum angularem, aut ſuperficiem quam & quantam præmunientes ſe in difficultatem recidebant, quam effugere intendebant. Certè iſti nihil deſtruebant deſtruentes angulum & nihil omnino detrahebant triangulo; tria quippe latera, & quidquid laterum ambitu continetur concedebant triangulo, angulum autem conſtantiſſimè affirmabant nihil penitus eſſe; eo ſolo inducti, quia neque totam ſuperficiem audebant dicere angulum, ne confiteri cogerentur angulum eſſe triangulum, nec partem ullam ſuperficiei triangularis, eo quod de nulla parte hi magis ſibi poſſe dicere videbantur quam de alia.

Demonſtratio ſuperioris exempli.

Ad hoc igitur exemplum recurrendum quoties urgeri videbimur propter quid paternitatem ponamus; quia ſicut triangulo nihil addimus ponentes angulum, ſic neque ponendo paternitatem aliquid addimus patri in ipſo patre, & ſicut qui angulum deſtruebant nihil omnino nec ſecundum intentionem ſuam, nec ſecundum rem detraxerunt triangulo ſic eſt hic. Angulus enim ut angulus non eſt eſſentia, nec eſſentiale aliquid, quoniam ipſum nec eſt tr angulum eſſe, nec ſuperficiem eſſe quoniam hunc angulum eſſe, non eſt hanc ſuperficiem eſſe quacumque demonſtrata, & hoc eſt quoniam idem angulus remanet reciſa alia parte ſuperficiei illius: quæcumque quippe baſes ſubtendantur ei angulo idem angulus eſt, angulus enim A, communis eſt & unus neceſſario triangulo, A, D, E, totali & triangulo A, B, C, partiali, & ſi iterum reſcinderetur ſuperficies eadem verſus A, per lineam F, G, adhuc angulus A, communis eſſet tribus angulis A, F, G, & A, B, C, & A, D, E, & hoc quantumlibet fieret hujuſmodi reciſio ſemper remaneret idem angulus, non autem maneret eadem ſuperficies, quia ſimul maneret pars & totum. Quare nulla eſt ibi omnino ſuperficies quam eſſet ſi angulum A, eſſe diceres, è converſo. Et ad hunc modum oſtendi poteſt quoniam angulum eſſe non eſt quid eſſe, unde & ponere ipſum non eſt ponere aut detrahere aliquid; nihil enim eſſentiale eſt ſignare in triangulo quod non aut punctus, aut linea aut ſuperficies ſit. Hæc enim ſunt eſſentialia & ſuperficiei eſſe Angulus autem inquantum angulus nihil horum habet eſſentialiter, quare angulus ut angulus non eſt quid, nec ipſum eſſe eſt quid eſſe, & intentio anguli non eſt intentio eſſentialis, nec ſpecifica, nec generalis & communis, velut intentio quæ eſt quid, ſicut ſupra diximus de intentione annuli, & veſtis, & manifeſtum eſt quoniam angulus eſt, nec addit ſubſtantiam, id eſt partem triangulo; quoniam nec punctum, nec lineam, nec ſuperficiem; nec partem alicujus iſtorum; ſed nec accidens videtur addere, hoc quippe eſt acumen exterius quod angulus interius, qui enim acuit partem corporis nihil addere, ſed magis detrahere videtur, & acutum non in habendo, ſed magis in non habendo dici videtur.

CAPUT XXXIX.

Quod ex poſitione paternitatis nihil acceſſit ipſi Deo, nec ex remotione aliquid detrahitur, vel diminuitur.

Divinæ eſſentiæ nihil acceſſit ex generatione

HÆc autem omnia induximus ne iſti ſimilia abhorreant & mirentur in intellectualibus, quæ tamen omnem intellectum ſuperant: quidam enim omnia ignota & inaudita ſibi nova arbitrantur, etiam cum apud nos ſermone ſunt celeberrima, & non ſolum ſermone verum & reipſa intetius imperſcrutata. Non igitur abhorreant qui hoc videre ſufficiunt, paternitatem nihil ſua poſitione ponere, vel addere in ſumma & beata illa Trinitate, & ſua detractione nihil diminuere quia & divinæ eſſentiæ nihil accreſcit ex generatione: licet verum ſit quod ipſa alias non eſſet filius, niſi ſcilicet unigenitus eſſet aut gigneretur; ipſa enim non recipitur ut ſit filius, ſed magis recepta eſt, licet intemporaliter: neque ſi filius non eſſet aliquid ei detractum fuiſſet quod eſſentia eſt, niſi hoc quod indubitanter nec filius eſſet ipſa, nec ipſa filius. Filium enim eſſe eſt quemdam eſſe, & ſi non ſit eſſentiale, nihilominus tamen eſt æque inſeparabile & actu, & ratione, & etiam per generationem acceptam per quam accidentale nihil accipitur nihil acquiritur niſi ſecundum accidens ſicut dicit Hilarius *quod quidquid habet filius naſcendo accepit, non tamen ex tempore.* Sic intellige, accepit, & ſimilia quoties eis utimur, quia per generationem habet ut ſit, & quidem ad hoc, & in hoc naſcitur ut ſit quid; in eſſe enim perſonale primo ingreditur per generationem: Hinc autem velut conſequens eſt eſſe eſſentiale, quoniam in eſſe perſonali, & cum ipſo, & per ipſum datum eſt filio, ſicut fas eſt in iis ſermonibus illa intelligere.

Hoc autem certiſſimè tenentur quod eſſe per ſe & primo acquiſitum per generationem veri nominis impoſſibile eſt eſſe accidentale, aut ſeparabile, actu, vel ratione; ſed nudiſſimum: non enim intelligenda eſt perſona patris, aut filij, aut ſpiritus ſancti concreta ex eſſentia altiſſima, & relatione paternitatis, aut filiationis, aut ſpirationis; quia nec verè una eſſet nec ſimplex, nec ſecundum hoc etiam ſubſtantia hujus nominis pater, & cæterorum ſimiliter: ſed ipſa eſſentia altiſſima: qualitas vero eorundem nominum relatio eſſet. Quare quoniam omne nomen nominat ſubſtantiam ex qualitate ſua, nomina illa non nominarent niſi eſſentiam. Deinde qualitas ejuſmodi nominum poneretur in eſſentia ipſa. Ex quo accideret eſſentiam genitricem eſſe & filiam. De hoc autem ſuperius latius egimus oſtendentes quia eſſe perſonale neceſſario eſt eſſe ſpoliationis ultimæ, & quod non habet ordinem illum prioritatis, aut poſterioritatis ad ipſum eſſe eſſentiale. Non enim ullo modorum pater eſt prius perſona, quam ipſe ſit eſſentia, nec è converſo. Quemadmodum nec verè dicitur quod eſſentia animæ rationalis prior ſit quam alia ex tribus viribus rationalibus concupiſcibili, & iraſcibili. Quod totum diligenter conſiderantibus facile apparet quod ordo nullus invenitur inter eos, ordo dico eſſendi, ſic nec operandi. Et ſi non eſſet apprehenſio, dico fœminæ, nihilominus eſſet motus ad ea quæ ſunt virtutis generativæ: & ſic de iraſcibili eſt etſi nulla ſit apprehenſio. Verum non cadit ſuper aliquid determinate indubitanter, niſi particularis fuerit apprehenſio. Nonnullos quippe iratos videmus, nec tamen ira eorum ſuper aliquid determinate eſt, niſi per apprehenſionem eis obviaverit, & tamen nihilominus ardent velut flamma, quæ non niſi ſeipſam conſumit, donec aliquid obviet quod ſtatim adurat. Sic eſt & de flammis, aut beſtiis aut hominibus qui obviantes ſibi per apprehenſionem ſtatim adurunt excandeſcentes in eos.

Perſona patris aut filii aut ſpiritus ſancti concreta non eſt ex eſſentia altiſſima & relatione.

Exemplum affert trium virium animæ & probat non poſſe eſſe prioritatem & poſterioritatem eſſentiam inter perſonas.

Sed revertamur & dicamus quia ordo qui videtur nobis inter vires illas tres animarum noſtrarum ex accidenti eſt & in particularibus ſecundum ſe non æquævæ videntur. Hoc autem non dubitetur in ſumma illa Trinitate nihil omnino prioritatis aut poſterioritatis poſſe eſſe cōparatione ipſius eſſentiæ altiſſimæ ut videlicet prior ſit ipſa Trinitas ipſa communi tribus perſonis eſſentia aut è converſo

è converſo. Neque ſimiliter inter quamque ex perſonis & ipſam eſſentiam altiſſimam poſſibile eſt eſſe ordinem hujuſmodi. Impoſſibile eſt quippe inter duo quorum utrumque eſt ſpoliatiſſimum eſſe ordinem prioritatis, aut poſterioritatis: quod enim ſpoliatiſſimum, atque nudiſſimum eſt, nihil poteſt habere prius ſe niſi per modum cauſæ fortaſſe: perſonis autem illis tribus nullo modo cauſa eſſentia altiſſima, neque illa ab illis vel ex illis eſt. Hoc igitur certum habeatur quare non per modum cauſæ præcedere poteſt eas eſſentia illa nec per modum ſimplicioris aut ſpoliatioris, quoniam & hæc, & illæ ſimplices & ſpoliatiſſimæ ſunt in ultimo, & alius modus proceſſionis reperiri non poteſt.

Nominatio & intentio paternitatis non eſt intentio patris.

Nunc igitur illud dicamus quoniam nihil debet prohibere intentionem qua pater pater eſt aut filius filius eſt, aut ſpiritus ſanctus ſpiritus ſanctus eſt abſtrahere, & nominare paternitatem, aut filiationem aut ſpirationem, ſive proceſſionem; & quod nominatio aut intentio paternitatis non eſt nominatio aut intentio patris. Nec cogimur hoc dicere per hoc quod paternitas & pater ſunt res una: ſicut oſtendimus in angulo, & ſuperficie, & panno, & veſte, & auro, & annulo, & quod non ſunt iſta unum numero per modum illum quo muſicus, & medicus; quo hoc album, & hoc ſedens unum nominant, licet denominatione diverſâ: neque muſicum nominat propriè medicum, neque intentio ejus nominatio dicenda eſt, ſed velut deſignatio ex accidente, neque eſſe muſicum aut album eſt eſſe, aut eſſe quid, ſed magis habere: Intentio igitur albi, & muſici eſt intentio habentis aliquid non quidditatis neque cujuſmodi; qui enim dicit muſicum non dicit quid, ſed habens quid; intentio vero paternitatis intentio eſt ad modum quidditatis, & qui dicit paternitatem non dicit per ſe habentem aliquid nec eſſe paternitatem eſt eſſe aliquid, ſed eſt revera, & eſſe quidem quid, & non ſimiliter. Quare leviter inducti videntur qui intentionem paternitatis poſuerunt intentionem patris; non enim cogere debuit eos hoc quod paternitas & pater res una ſunt, ſicut & exemplis & rationibus oſtendimus. Sed neque hoc quod pater ſolus & nudus de ſe ſolo & nudo & per ſe ſolum & nudum abſque ullo alio quolibet modo genuit filium; non enim cum dicimus paternitatem, aut generationem adfuiſſe, non dicimus aliquid aliud quam patrem adfuiſſe. In hoc ergo ſolo diſſentire videntur quod paternitatem patrem vocant, illa ratione inducti quod pater & paternitas non poſſunt eſſe res niſi una.

CAPUT XL.

Quod ſive paternitas concedatur eſſe ab alio, ſive non, tamen oportet concedere filiationem eſſe ab alio.

Exemplo ſimilitudinis oſtendit nihil patri aut filio perire vel accidere.

ALij vero de paternitate volunt interrogati, eo quod eſſe paternitatem non dicant eſſe: & hoc utique rectè quoniam paternitatem deſtrui non eſt, deſtrui aliquid vel aliquod eſſe, ſicut de ſimilitudine ſupra diximus. Si enim intellectu noſtro poſuerimus unamquamque trium perſonarum à nullo eſſe, quemadmodum de patre ipſo hoc certum habemus certum eſt hoc nihil omnino ibi periſſe, quemadmodum in ſimilitudine dicimus; nihil enim omnino perit albo perempta ſimilitudine, perit inquam, aut acquiritur in ſe ipſo. Similiter eſt quod revera iſte jam non eſt pater, nec ille filius. Sed numquid perit quod vel eſſet eſſentiale alterutri eorum, vel accidentale? abiit. Nihilominus haberet filius in ſe quod modo non habeat neque pater; niſi quod patrê habeat filius quem modo non haberet, & ille filium: ſed hoc non eſt eum amplius, aut minus aliquid habere in ſe quemadmodum, & A, album, cum B, eſt album, nec amplius nec minus habet, quam cum non eſt album. Hoc excepto quod ſimile habet, quod aliter non haberet, ſed habere ſimile non eſt ipſum habere aliquid in ſe.

Oſtendit quomodo aliqui paternitatem nihil eſſe putaverunt quippe quæ ad nullum prædicamentum revocari poſſit.

Quod ſi quis quærat utrum eſſe paternitatem dicatur de patre, aut per eſſentiam, aut non per eſſentiam; & ſi per eſſentiam, nec actu igitur, nec ratione erit ſeparabile ab illo, quod manifeſtum eſt eſſe falſum, quoniam nihil prohibet nos ſeparare & abſtrahere à perſona patris paternitatem. Si vero dicitur de patre non per eſſentiam, reſtat igitur ut dicatur de eo per aliquem novem modorum: ſed inter eos nullus magis videtur ei convenire, quam ad aliquid, & ita per modum eundem dicitur pater & paternitas. Non videtur autem paternitas ad aliquid eſſe ullo modo, niſi eo modo ut dicatur paternitas alicujus paternitas: qua enim paternitas eſt non videtur eſſe ad aliquid, & ſi fortaſſe alicujus. Quare paternitati neceſſario aſſignandus eſt modus prædicari extra decem prædicamenta. Quod ſi paternitas ſecundum quod paternitas nec quid eſt, nec quale, nec quantum, & ita de aliis, ſed nihil horum eſt inquantum paternitas, inquantum igitur paternitas extra univerſitatem eſt, ſi tamen eſt inquantum paternitas. Ideo igitur nullum rectè ſermonem de paternitate quidem admittere velle ſibi viſi ſunt, & hoc exemplis ſuperioribus refelli facile poteſt: eſſe quippe annulum, aut veſtem nulli decem prædicamentorum congruere videtur.

Oſtendit paternitatē ab alio eſſe non poſſe, nec a patre, nec à filio nec ab eſſentia.

Si autem interrogati fuerimus utrum paternitas ſit ab alio, vel non ſit ab alio cum eſſe relationis eſſe cauſatum merito videri poſſit non eſt aſſignare ut videtur à quo ſit. Si enim à patre, non erit ipſa ipſe pater; alioquin ipſe eſſet ſui ipſius: ſi vero ab alio aut à filio utique, aut ab eſſentia: & ita paternitas debebit filio quod pater eſt, quare habet à filio quod genuit ipſum, & ita filio ipſi generatio eſt. Quare ipſe erit cauſa quare genitus eſt, & ita oportebit ipſum cauſam eſſe ſui ipſius. Si vero eſſentiæ divinæ debet pater quod pater eſt videtur utique de illa genuiſſe, & non de ſe magis. Deinde ſi paternitas à patre eſt utique aut cauſata, aut facta, aut genita, aut ſpirata: & ita aut filia erit ſi genita, aut donum ſi ſpirata, aut creatura vel factura, ſi cauſata vel facta.

An filiatio ſit ab alio.

Sed quidquid ſit de paternitate de filiatione neceſſe videtur eſſe ut ponatur ab alio eſſe; ſi enim ponatur non eſſe ab alio, qualiter verum erit filium eſſe ab alio? Nihil autem eſt ibi non ab alio, niſi aut eſſentia, aut pater ipſe, aut fortaſſe paternitas. Quare poneretur neceſſario aliquid iſtorū eſſe filiatio ut filiatio. Deinde quonam modo poneretur ipſū eſſe filij perſonale eſſe ab alio, à patre ſcilicet, & filiatio quæ velut conſequens ejus, & ſequela, & poſt ipſum, poneretur non eſſe ab alio; quod ſi fuerit ab alio, neceſſe eſt ut aſſignetur ei modus eſſendi.

De modo quo filiatio eſt ab alio.

Quare aut nata, aut facta, aut creata, aut ſpirata videretur eſſe ab illo à quo eſt. Quod ſi ejus eſſe nec eſt filiatio, nec eſt creatum, nec genitum, nec ſpiratum neceſſe eſt ut aſſignetur ei quintus eſſendi ab alio modus; modus enim cauſationis, ſi veri nominis eſt ibi cauſatio, adeſt ſecundum eſſe quo eſt filiatio à patre, & de patre; vel eodem modo ut filius, vel non eodem modo: quod ſi eodem modo prorſus eſt à patre, & de patre, ut filius; igitur erit filia, ſi enim ſpiritus ſanctus prorſus eodem modo eſſet à patre, & de patre, ut filius, neceſſe eſſet ipſum eſſe filium: ſola quippe differentia in modo eſſendi à patre prohibuit utrumque eſſe filiū. Quare ſi identitas in modo eſſendi ſive procedendi à patre eſſet omnimoda neceſſe eſſet utrū que eſſe filiū

Quare filiatio erit filia, ant filius. Si autem non eodem modo ſint à patre & de patre, aſſignabitur igitur modus procedendi. Nos autem ſi diceremus quod filiatio ab ipſo patre eſſet, non tamen quod de patre ſit, aut eodem modo à patre ut filius, audebimus dicere quoniam non immediate à patre eſt, ſed velut ex conſequentia, & per filium: Sequitur quippe filij perſonam filiatio, & eſt poſt illum ordine quem ibi fas eſt cogitare. Verum illud ſciendum eſt quod eſſe filiationis ubi eſt filiatio non oportet eſſe ſic cauſatum, ut factum aut genitum putari poſſit: hi enim modi ſpecificantium eſſe ſunt, & ſubſtantialium, & perſonalium quæ ſunt utique eſſe ſecundum rem, & ſecundum veritatem ipſam rerum non eorum quæ rebus accident quodammodo & ex conſequentia.

Exemplum in poſſeſſione vaſis quid ipſa poſſeſſio ſit.

Sicut eſt quod aureum vas poſſeſſionem alicujus dicimus, nec tamen eſſe quo poſſeſſionem alicujus dicimus. & quod eſſe dici debeat, ſed magis accidit: licet intentio poſſeſſionis non ſit intentio accidentis ex omnibus modis: non enim intentio poſſeſſionis eſt habere aliquid, ſed magis ſequitur ipſam habere, non videtur etiam poſſeſſio vaſis vas ipſum eſſe, quoniam poſſideri non eſt ipſum eſſe, ſicut nec poſſidere eſt eſſe ipſi poſſidenti; ſed neque ex hoc quod poſſidetur vas ipſum aliquid in ſe acquiret, niſi fortaſſe dominium vel poſſeſſionem. Revera enim dominium habere & poſſeſſionem habere dicitur quod prius dici non poterat. Quia igitur ipſa poſſeſſio aut jus vocare poteſt, quid autem voluerint aliqui vocare jus non certum habemus; quoniam nihil habet Dominus vaſis in vaſe niſi vas ipſum, & nihil habet in auro niſi aurum ipſum, habet autem jus in auro & in vaſe. Nihil eſt igitur ibi fingere quod ibi revera dicatur jus, niſi aurum ipſum, aut vas ipſum, niſi forte cauſa aliqua qualis eſt emptio, aut aliquid ejuſmodi. Hoc igitur exemplo adjuvamur cum de filiatione interrogamur in hoc quod nullus modus cauſationis propriè, & ſecundum ſe aſſignari poteſt poſſeſſioni vel juri, ut creata vel facta vel genita videtur, ſi quis eam ut poſſeſſionem conſideret: & hoc eſt quoniam eſſe poſſeſſionis nec fixum eſt, nec habens fixionem. His autem duobus debentur modi omnes cauſationum. Addemus autem lucidiorem & ampliorem his manifeſtationem cum de prædicamentis loquemur inquantũ ad verã Trinitatẽ transferũtur.

CAPUT XLI.

De numero communi notionum.

Diverſitas ſententiarũ circa numerum notionum.

DE numero vero notionum ipſarum etiam diſſentire videntur ſacri Doctores. Alij quippe quinque, alij tantum tres ponentes, alij enim duas aſſignant patri proprias, innaſcibilitatem ſcilicet, & paternitatem, unam propriam filio generationẽ paſſivè ſumptam, ſive filiationem, unam propriam ſpiritui ſancto ſcilicet proceſſionẽ, unam autem, quæ & quinta eſt, communem patri & filio ſcilicet ſpirationem Una quippe ſpiratione communiter & cõmuniter ſpirant ſpiritum ſanctum. Alij autem ſolas paternitatem, filiationem, & proceſſionem ponunt, dicentes omnino & rationibus aſtruere nitentes, innaſcibilitatem nihil eſſe novum præter aliam ex tribus, aut omnino nihil eam eſſe niſi forte privationem, aut negationem, de quibus nemo dubitat ipſas omnino nihil eſſe.

Rationes quibus aliqui contendunt aſtruere innaſcibilitatem notionem non eſſe.

Hæc igitur ſunt rationes quibus poſſunt niti, quoniam intentio innaſcibilitatis aut eſt ſolum non eſſe ab alio, & hoc nihil eſt; aut eſt non eſſe natum, & hoc iterum nihil, & congruit etiam ſpiritui ſancto: quare non erit proprium patris aut erit non eſſe ab alio cum aliquo alio. Quod ſi quis dixerit quod innaſcibilis eſt, qui non eſt ab alio, & qui aliis eſt principium eſſendi; aut intelligit per aliis creaturas ſolas, aut perſonas filij aut ſpiritus ſancti ſolas, aut intelligit communiter alia. Quod ſi creaturas ſolas, intentio igitur innaſcibilitatis, & ratio congruunt eſſentiæ divinæ, ipſa enim à nullo eſt, & eſt cauſa communis omnium principium eſſendi, quare non erit innaſcibilitas notio patris propria. Si autem intelligit perſonam filij, & perſonam ſpiritus ſancti per hoc quod dicit aliis, & illas ſolas intelligit, nullam novam notionem deſignavit, quoniam pater non eſt principium filio, nec ſpiritui ſancto, niſi per generationem & ſpirationem quæ deſignantur per intẽtionem principij communiter. Innaſcibilitas igitur ut eſt, & inquantum eſt, nihil eſt niſi paternitas, aut ſpiratio quantum eſt ex parte notionis: ſcilicet ex parte hujuſmodi quod non eſt eſſe ab alio, nec aliquid eſt, nec alicujus modi.

Idem alia ratione cõfirmatur.

Quod ſi & hoc dicatur quod innaſcibilitas eſt per rationem iſtam paternitas aut ſpiratio, non eſt ratio quare magis eſt altera quam reliqua; & ita neutra erit, vel utraque: Si utraque illa erunt una & eadem notio. Amplius, ſecundum hoc innaſcibilitas non erit alia numero notio; communiter namque dicitur principium filij & ſpiritus ſancti in ratione innaſcibilitatis nec determinatur quod ſic eſt principium. Quare per hoc quod eſt pater eſt principium in cõmuni. Nulla igitur eſt ei notio ſingularis quoniã ratio ejus non facit, imo non patitur eam eſſe ſingularem: paternitas enim eo ipſo quod paternitas non eſt alia paternitas id eſt quam habet pater ad filium in eſſendo ei principium, nec illa eſt quam habet ad ſpiritum ſanctum; ſed in communi conſiſtit principium, & principalitas in ratione innaſcibilitatis. Quare nec una notio erit numero innaſcibilitas ſecundum hoc nec duo, nec aliquid unum numero.

Reſpondetur expoſitioni admittentium innaſcibilitatem qui per, alia à patre, cætera intelligunt, etiam filium & ſpiritum ſanctum.

Quod ſi dixerit quis, quod per alia intelligit univerſaliter ut à Deo, ut comprehendat filium, & ſpiritum ſanctum; & quod intentio ejus eſt patrem innaſcibilem eſſe, hoc eſt eſſe principium omnium etiam filij, & ſpiritus ſancti: hæc autem ſoli patri congruit principalitas univerſalis, & ei velut conſequens eſt ipſa negatio quæ eſt non eſſe ab alio, ſive non habere principium, non autem pars ejus eſt, nec illa ullo modorum neque ut pars in declarationem, ſive rationem innaſcibilitatis venit, ſcilicet velut conſequens unum, & ſatis rectè; ſed potius innaſcibilitas ſecundum veriſſimam, & propriam, & perſcrutatam rationem ſuam principalitas univerſalis eſt. Ab errore indubitanter cæpit reverti, ſed veriſimilitudine, non veritate; aut enim eadem principalitate univerſali ſcilicet à qua pater principium eſt, aut non: ſi ſic, aut illa principalitate eſt pater, aut non: ſi ſic, igitur eſt paternitas; nullo quippe modò pater pater eſt niſi paternitate, quare principalitas univerſalis erit, & hoc erat innaſcibilitas ipſa perſcrutata ratione.

Probat per vocem alia omnia, & ipſos etiam filium & ſpiritum ſanctum comprehẽdi non poſſe.

Ad hoc igitur per iſtam viam venitur, ut innaſcibilitas non ſit alia nova notio à paternitate ipſa: ſi vero illa principalitate principium eſt ipſi filio, cum igitur juxta illos duos modos eſſendi principium duæ principalitates in patre ſint, quæ etiam duæ notiones ſunt, & duæ relationes, erunt neceſſario in Deo duæ correlativæ notiones: hoc autem multæ abſurditates ſequuntur. Primo excreſcet numerus notionum in ſeptenarium quia idem eſt ratiocinari in ſpiritu ſancto & eadem via prorſus erit deducens ad hoc ut ſimiliter notiones ſint in ipſo, eo quod neceſſe eſt patrem duobus modis eſſe principium ipſius eiſdem prorſus rationibus. Deinde filium oportebit alio modo eſſe à Patre quam per generationem. Ad ultimum autem quoniam una eſt principalitas ipſa patri ad omnia una dico per modum omnem erit neceſſario correlatio in om-

† l. per creationem.

nibus. Quare idem modus eſſendi à patre erit omnium. Certum autem eſt creaturas nullum habere modum eſſendi niſi per † generationem . quare iſte modus cogetur neceſſario eſſe filio & ſpiritui ſancto. Alia igitur erit relatio principalitatis in patre ad filium & ſpiritum ſanctum, alia ad creaturas, alia inquam incommunicans & ſpecie & genere. Si vero ea principalitate univerſali non eſt principium filij, eodem modo nec ſpiritus ſancti: aut igitur erit per illam principium creaturarum, aut non; ſi ſic, & per eam non eſt principium filij, nec ſpiritus ſancti, ut jam diximus, ergo ſolummodo creaturarum hæc autem principalitas congruit & filio, & ſpiritui ſancto, & eſſentiæ communi trium perſonarum. Quare innaſcibilitas congruet filio, & non erit propria patris; congruet etiam ſpiritui ſancto. Quare igitur erit iſta notio in qua confunduntur tres perſonæ & ipſa eſſentia? Notio quippe à noſcendo dicta eſt, hat vero à nullo dignoſcitur.

Aliam ſimilem expoſitionem refellit, quod innaſcibilitas patris non ſit ad filium & ſpiritum ſanctum & creaturas communiter.

Quod ſi dixerit patrem illa principalitate referri ad univerſalitatem omnium, non autem ad ſingula univerſitatis, quemadmodum & alibi contingit, quod ſervus aliquis eſt univerſitatis, vel collegij alicujus, nullius tamen de univerſalitate ſervus eſt ad totum enim pars dicitur, non autem ad partium aliquam, & pars univerſalitatis ad univerſalitatem dicitur, non autem ad partem. Hoc autem locum hic habere non poteſt, quoniam idem eſt Deo patri eſſe principiú, & eſſe actorem omnium, ſed ut actor ſingulorum & principium negari non poteſt; nullo quippe modo dubitandum eſſe manifeſtú eſt Deum principium eſſe omnium, & actorem & ita quod nullus; quoniam fides eſt quod omnium & ſingulorum principiú eſt & nos idipſum in eis quæ præceſſerunt certum fecimus. Propterea creatio operatio ſingularis † & citra ſingularem & particularem. Amplius certum eſt quod ab æterno non fuit Deus pater omnium principium, ſed tantum filij & ſpiritus ſancti, ſicut nec creator nec conſervator fuit niſi ex tempore. quare ex tempore cœpit eſſe author omnium ac principium: nihil autem incœpit eſſe Deus, niſi relatione & reſpectu creaturarum. Quare principalitas illa cœpit ex tempore; innaſcibilitas autem ab æterno eſt, ab æterno quippe pater innaſcibilis eſt.

† l. & circa ſingulare & particulare.

Aliam innaſcibilitatis rationẽ dilemmate precludit.

Si autem dixerit innaſcibilitatem patris perfectionem ejus, & plenitudinem fontalem copioſiſſimam qua ipſe ſufficiens eſt ſibi. & etiam alijs: quam ſufficientiam ſequitur ab alio nihil habere; & alijs poſſe dare: eadem erit via de hoc quod dicit dare; quia dare erit univocum ad filium & ſpiritum ſanctum ſcilicet & creaturas, vel non, hoc eſt quia pater revera dat filio ut ſit, & ſpiritui ſancto ſimiliter, dat etiam creaturis eſſe: aut idem utrimque modus donationis, aut non: & redibit ratiocinatio ad id in quo eramus. Si vero ex univerſali hoc eſt ex eo quod eſt dator in communi ſive principium omnium eſt ei principalitas quædam quæ ſiſtit in communi. nec eſt principalitas qua eſt principium filio aut ſpiritui ſancto, ſed eſt principium omnium in communi. Non autem ſic quoniam ſic ponere imprimis eſt ponere hominem qui non ſit aliquis ex hominibus; cum hæc principalitas non ſit aliqua ex principalitatibus determinatis particularitate aliqua: ſed nihilominus cum paternitate pater principium eſt filio particulariter & inſuper eſt ei principium principalitatis in communi cum ſpiritu ſancto, & rebus omnibus creatis. Sic igitur ea principalitate particulari determinata eſt pater determinate, & ex correlatione filius eſt filius determinate: ſed ex communi illa principalitate eſt pater principium in communi, & filius correlatione erit principiatus aut creatus in communi cum ſpiritu ſancto, & rebus creatis. Hoc autem ponere error eſt & imbecillitas intellectus; quoniam univerſalitas & particularitas nullatenus multiplicant res, ſecundum numerum; non enim Socrates, & homo duo ſunt ex neceſſitate, duo dico numero, licet fortaſſe ex ratione, & modo aliquo. Ad hunc modum principalitatem aliquam individuatam non oportet duo eſſe numero.

Sententia authoris de innaſcibilitate.

Sciendum autem quod omnis aſſignatio, quæ ſoli patri congruit principium eſt filij, & ſpiritus ſancti; non tamen hac aſſignatione deſignatur notio: notio enim eſt certa & individuata proprietas qua dignoſcitur aliqua ex perſonis ab alia. Intentio igitur qua pater principium omnium dicitur non eſt intentio notionis. Manifeſtum autem eſt jam ex his quæ diximus quod innaſcibilitas non eſt notio per intentiones ſuas quas perſecuti ſumus. Et qui voluerit intentionem innaſcibilitatis declarare, vocabit eam fontalem, aut abſolutam plenitudinem, aut primitivam: & hoc eſt ad filium relata fœcunditas, aut paternitas, aut generatio: ad ſpiritum ſanctum autem largitas, aut benignitas, aut ſpiratio: ad creaturas autem abſolute creatio. Et eſt una res numero & ſubjecto fœcunditas, & largitas ejus; quia & ipſemet: ſed tamen ad filium fœcunditas eſt, ad ſpiritum ſanctú autem benignitas, & hæc eadem ad creaturas creatio. Ex una quippe fontali plenitudine paterna & hauſit filius, & ſpiritus ſanctus; totum quippe quod habebat fontalis illa plenitudo uterque obtinet, ab illa enim & de illa hauſerunt. Creaturæ autem etſi ab illa, non tamen de illa, ſed de nihilo Hanc autem plenitudinem deſignant illa negatio quæ eſt non eſſe, aut non habere ab alio, & affirmatio quæ eſt dare alijs: ſed datio non eſt intentio innaſcibilitatis, etſi res una ſint, quemadmodum & pater & divina eſſentia Innaſcibilitas autem non eſt ad aliquid; quoniam & plenitudo fontalis ad aliud non eſt, nec dicitur; niſi forte alicujus habentis: ſcilicet videtur ſecundum ordinem intelligentiæ noſtræ innaſcibilitas præcedere dationem, & quædam ei cauſa eſſe; de plenitudine quippe datio eſſe fierique videtur.

CAPUT XLII.

De diverſitate notionnm.

Innaſcibilitas nõ eſt ad aliquid.

DIfficultas igitur hæc qua multi ſe involverunt, inde eſt quod innaſcibilitatem declarant per ea quæ ſunt ad aliquid, cum ipſa ad aliquid non ſit. Demum utuntur argumentationibus illis tamquam eſſentialia eſſent. Hæc igitur plenitudo fontalis quæ prohibet patrem emanationem aut fluxum eſſe, & ex qua patris emanatio quædam eſt filius, & fluvius; ſpiritus ſanctus torrens; & creaturæ nutus, ut dicit B. Auguſtinus. Ipſe Pater eſt innaſcibilitas, ſicut & paternitas, & ſpiratio: verum ipſa eſſe paternitas dicenda non eſt; quoniam illa non eſt ad aliquid, ut diximus, & paternitatem ipſam præcedere videtur, & eſſe cauſa quædam ſecundum ordinem noſtrum intelligendi: ſed principalitas ipſa neceſſario aut divideretur in paternitatem, & creationem; aut erit ſubjecto una cum his tribus. Diſtinguendum igitur erit inter innaſcibilitatem & paternitatem; quoniam hæc ad aliquid, illa vero non; & individuata proprietas, illa vero commune quiddam ad tres quas aſſignamus & hic modus cõgruentior eſt ad ſervandam uniformitatem judicij in his quæ ſunt circa notiones. Verum qui dixerit plenitudinem iſtam ad filium fœcunditatem eſſe, ad ſpiritum ſanctum benignitatem, ſive ſpirationem, ad creaturas autem creationem ſeu aliam intentionem convenientem ei relatione creaturarum, non errabit; nec ex eo cogetur dicere, quod paternitas,

Citatur locus B. Auguſtini 2. parte 1. partis de univerſo his verbis. Nutus tui ſunt omne creaturarum decus.

& innaſcibilitas ſint eadem notio; quoniam eſſe relationis eſt ad aliquid ſe habere: quia igitur ad aliquid ſe habere eſt paternitatis, quantum ad filium, vel filiationem; ad aliquid eſt ſpirationis, quantum ad ſpiritum ſanctum; neceſſario aliud erit eſſe iſtius, aliud illius. Si autem aliud eſſe, & aliud eas ſecundum illud eſſe. Hic igitur erit modus diſtinguendi innaſcibilitatem ab alijs, & hic modus erit eam confœderandi & uniendi cum alijs, & in neutro eſt, ut ſupra multoties explicavimus.

Quod non ſequatur aliqua notio in ſpiritu ſancto contraria innaſcibilitati in Patre.

Quoniam autem contraria ſequuntur perſonam ſpiritus ſancti eis conſequentibus quæ aſſignavimus innaſcibilitati, ſequitur enim perſonam ejus eſſe derivationem flumen ſeu emanationem ex alio, & negatio illa quæ eſt non dare per modum quidem quo pater dat ipſi & filio id eſt neque per generationem, videri poſſit alicui quod contraria notio innaſcibilitati aſſignāda eſſet ſpiritui ſancto. Sciendum autem quod derivatio, aut emanatio, aut ſpiratio ſequitur ſpiritum ſanctū ita ſcilicet ut eis ipſe cauſa ſit aut cauſam illarum in ſe habeat. Quin potius ſicut generatio in ſe cauſa eſt generatis apud nos, & via quædam eis ad eſſe quod per generationē acquiritur, ſic & datio donis quæ apud nos ſunt; datio enim quædā generatio eſt quodammodo primi doni apud nos, & primi dati, quod eſt amor noſter gratuitus. Datio quippe amoris amatio ipſa eſt, amatio vero amoris aut ſpiratio aut generatio ſecundū largam apud nos intentionem. Si igitur ſpirationem intelligimus in ſpiritu ſancto ad modū generationis in filio, non autem quod ſpiratio ullomodo generatio intelligi poſſit; hoc enim in præcedentibus tranſivimus, ſed illud ſicut via, & exitus ſpiritus ſancti eſt à patre & de patre. Quare per intentionem qua eſt ſpiratio aut generatio ultimo in motu magis ſecundum ordinem intelligentiæ noſtræ præcedit hæc quidem filium, illa vero ſpiritum ſanctum, quam ſequatur. Proceſſio igitur non videtur ullo modo ſequi perſonam ipſam ſpiritus ſancti, ſic neque generatio filij, velut motus conſiderata dico filiatio, non ut filiatio in quiete ſcilicet conſiderata videtur utique ſequi perſonam filij, & velut accidere ei.

Comparatio proceſſionis paſſive ſumptæ in ſpiritu ſancto cum innaſcibilitate patris.

Quod ſi quis dixerit eodem modo proceſſionem ſeu donabilitatem paſſive cōſideratam in quiete ſequi ſpiritum ſanctum. Sed proceſſio ſecundum modum iſtum non ſequitur ſpiritum ſanctum alia de cauſa, niſi quia hæc perſona eſt, hoc eſt ratione ſui eſſe perſonalis. Et ſimiliter dicimus de filio quia filiatio non ſequitur ipſum niſi ratione ſui eſſe perſonalis; quia enim à patre, & de patre per generationem, ideo filius: & ſpiritus ſanctus, quia à patre aut filio & de patre vel filio per modum dationis, ideo procedens. Pater vero quia fœcundiſſimus aut fertilis ideo generat, ideo pater. Unde licet non aliunde ſit ei ſua fœcunditas, & in ſe fœcundus ſit, cum expreſſe fœcunditati debeatur generatio & plenitudini emanatio. Unde per intentionem ipſius eſſe ſui perſonalis quod utique per omnia ſimillimum habet ſpiritui ſancto, ſcilicet per fœcunditatem naturalem quæ cum ipſo eſt debetur ei paternitas aut generatio. Et indubitanter ſecundum ordinem intelligentiæ noſtræ fœcunditas, aut fertilitas generationem præcedit. & cauſa eidem eſſe videtur apud nos, & ibi ſecundum ordinem intelligentiæ noſtræ. Sed eſto quod fœcunditas paternitas ipſa ſit etiam per intentionem quæ eſt paternitas, & quæ fœcunditas eſt; fontalis tamen & paternitas, & innaſcibilitas non erunt ipſa ut diximus paternitas. Quod ſi rectaratio ejus quod eſt notio & intentio primitiva attendatur, nihil prohibet privationem eſſe notionem eo quod per ipſam dignoſci res habeat, cujus notitia quæritur, ſicut eſt in exēplo illo de ove non ſignata, quæ eo utique quod non ſignata eſt à ſignatis dignoſcitur in non habendo utique quod habēt aliæ, nō in habendo aliud quàm habeant aliæ.

Cum & ipſis negationibus ſicut & affirmationibus res dignoſci poſſint numerum quinque notionum nihil augere prohibet.

Quia igitur dignoſcere eſt per vias duas, per differentias ſcilicet ipſas quæ in dignoſcendis diverſæ ſunt ut eſt in albo in nigro: & per hoc quod aliquid ineſt, vel adeſt quolibet modo alteri quo non adeſt, vel ineſt eo modo reliquis; nec minus unum dignoſcimus, aut diſtinguimus per privationē, & habitum, ſive per affirmationē, & negationem, quam per habitus ſolos, aut affirmationes ſolas, nihil prohibet æque privationes, & negationes notiones eſſe, atque habitus, & affirmationes. Hoc autem abhorrent qui modos, & vias diſtinguendi neque diſtinguere, neque dignoſcere ſufficiunt; cum tamen vulgaribus, & ruſticanis exemplis ita eſſe edoceantur etiam inviti. Plures ergo eſſe notiones quam quinque nihil prohibet, quas determinavimus; quoniam major numerus notionum nihil majus, aut minus addit, nec minor aliquid detrahit. Verum perſcrutandum erit hoc diligentius, cum de prædicamentis agemus.

CAPUT XLIII.

Quod Pater & filius una ſpiratione producant, & ſpirant ſpiritum ſanctum.

Probat ſpiritum ſanctū à patre & filio una communiter procedere propter æqualitatem filii cum patre.

INterim breviter oſtēdere tentabimus unā eſſe ſpirationē qua pater & filius ſpirant ſpiritū ſanctū. Inde eſt quoniam unus eſt ipſe ſpiritus ſanctus, uno modo per omnē modū ſpiratus communiter & cōcorditer ab ambobus, quemadmodū una eſt per omnem modum datio communis exterior patris & filij. Omne enim quod dat pater dat filius, & una eademque datione: tanta enim eſt unitas & naturæ, & amoris neceſſario inter patrem, & filium, ut omne quod à patre eſt neceſſario à filio ſit, & nihil omnino à patre ſit quod ipſe non velit eſſe à filio æqualiter, & eodem modo prorſus. Hoc enim & natura in patre, & filio carnalibus cogit, ut totum quod eſt à patre liberalitatis, aut probitatis totum velit pater eſſe à filio, nec minus quam à ſe; imo ſi poteſt & ubicumque poteſt mavult, quod aſcribatur ad gloriam filio, quam ſibi. Propter hoc igitur ipſe primus, ac ſummus pater neceſſario vult ſpiritum ſanctum eſſe æque à filio, atque à ſe, & modo prorſus eodem. Si enim exterior omnis proceſſio una eſt à patre, & filio una numero proceſſione procedit ab illis; una quippe creatione creatum omne quod creatur ab ambobus nulla alia creatione creatur à patre, & alia à filio; nullius enim poſſibile eſt duos eſſe creatores ſecundum idem eſſe.

Idem probat ex communi cæterarum proceſſione ambarum perſonarum, & variis exemplis.

Ad hunc modum ſe habet & in exterioribus alijs proceſſionibus, omnia enim dona quæ procedunt in creaturas, ab ambobus procedunt communiter, & concorditer una numero proceſſione: quare multo fortius neceſſe eſt primum donum communiſſimè, concordiſſimeque una numero ab illis proceſſione procedere. Magis quippe neceſſe eſt uniri propinquiora principio, elongatio quippe multiplicativa, & ingroſſativa circumveſtionibus, & conditionibus multis, proximitas veroſpoliativa, & ut ita dicā ſubtiliativa reducenſque ad unitatē principij: de qua re aliquid ſuperius nos meminimus. Propter hoc autē quod filius hoc habet à patre ut ab eodem procedat ſpiritus ſanctus, pater vero à nullo habet ut ab eo procedat ſpiritus ſanctus, non oportet aliū modum proceſſionis eſſe quo procedit à patre, aliū quo procedit à filio. Non enim alio modo diſgregatio viſus à corpore, alio modo à ſuperficie, nec alia eſt diſgregatio à corpore albo, alia à ſuperficie alba, una enim numero diſgregatio viſus in oculo ſit, & à ſuperficie & ab albedine: nec habet ſuperficies ab albedine ut diſgreget alia diſgregatione, aut alio modo, iſte enim

enim oculus & una diſgregatione diſgregatur, & uno modo ab albedine & ab albo, ſive à corpore, ſive ſuperficie; licet ſuperficies, & corpus hoc habeant ab albedine. Non igitur quod albedo de ſe, vel à ſe diſgregat hoc cogit aliam eſſe digregationem, aut diſgregandi modum ipſius albedinis, quam ipſius albi, quod utique hoc idem ideſt hanc eandem diſgregationem habet ab albedine. Et hoc utique generaliter ſic ſe habet ubique eſſe: ſive dantis, ſive recipientis una eſt operatio; ſicut in ſole, & luce ejus una illuminatio, & unus modus illuminandi, & unus dies, & modus diei per omnem modum ab ambobus eſt; ab igne & calore eſt una aduſtio, & unus aduſtionis modus omnino in lignis. Hæc enim exempla ſunt B. Auguſtini de patre & filio; ut enim lux à ſole, ſic filius à patre, ut calor ab igne. Similiter poſſunt & de his accommodatiora exempla multa reperiri.

Quomodo intelligi debeat eſſe unus ſpirator.

Sed neque una numero ſpiratio cogit unum ſpiratorem eſſe patrem, & filium; unum dico ſpiratorem tamquam unam perſonam: ſicut neque ex exemplis prædictis una illuminatio aëris, ſive dies unus nulla ratione cogit ſolem & lucem ſuam unum eſſe quolibet modo, aut ignem & calorem ſuum. Et fortaſſis autem & tropo & modo ſicut unum principium ſpiritus ſancti dicuntur pater & filius, ſic & unus ſpirator ejuſdem dici poſſunt. Verum ſicut unitas ibi ad principationem, ſic hic ad ſpirationem refertur. Quemadmodum uſualiter dicitur quod aliqui duo unus dominus ſunt ejuſdem ſervi quem poſſident pro indiviſo. Ubi manifeſtum unitatem referri ad dominationem, ſive ad dominum non ad dominantes ipſos. Unde intentio relationis eſt unus dominus, ideſt unius dominationis ad unum ſervum, ſive unicè & ſingulariter dominantis. Ad modum iſtum ſe habent principium id eſt una principiatio quæ intelligitur velut gemina ſubſtantia plurale eſt ſecundum iſtam intentionem, qualitas vero ſingularis; duas quippe perſonas ſubſtantia ſua colligit ſub una principiatione. Sicut in hoc nomine dominus manifeſtius videtur quando diximus quod iſti duo ſunt unus dominus iſtius ſervi.

Non poſſe ſpirationis unitatem exponi in ſententia eorum qui perſonas niſi notionibus differre non credũt.

Hoc igitur non dubitetur eſſe ſive verbis noſtris, ſive alijs quis rem explicare voluerit. Magis autem urget iſtud eos qui perſonas niſi notionibus differre nullatenus credunt, contra quos latius in præcedentibus diſputavimus: ſi enim non ſunt duæ perſonæ pater, & filius niſi dualitate, ut ſic dicatur notionum ſuarum quæ ſunt paternitas, & filiatio, neceſſe igitur eſt eoſdem unam eſſe perſonam unitate notionis quam ſpirationem eſſe dicimus. qualiter enim illæ ſuæ diverſitate diverſificabunt eos, & hæc ſua unitate eoſdem non uniet; cum oppoſitorum oppoſitas cauſas, & effectus eſſe dubitari non poſſit. Quare accidere videbitur eis patrem & filium ex modo, & cauſa altera unam eſſe perſonam.

Quomodo intelligi debeat quod pater & filius dicuntur ſe diligere ſpiritu ſancto.

De hoc autem quod pater, & filius diligere ſe dicuntur ſpiritu ſancto, cùm diligere ſit eis eſſe, licet ex ſacris doctoribus multi & magni ablativum non cauſaliter, ſed indicative, ſive in cauſam indicationis interpretantur, ut dicant ſpiritũ ſanctũ indicium certum, & cauſam manifeſtã patrem diligere filiũ, eo quod cõmuniter & concorditer ab illis procedit, & propter hoc eſſe dilectionis communis amborum eſt eſſentiæ. Verum quidem dicunt ſecundum intentionẽ relationis, ſed explicare ad perfectum & liquidum non videntur. Quoniam autem non dubitetur ſpiritus ſanctus amor eſſe patris & filij, & hac nominatione vocant eum ſacri doctores & expoſitores omnes, certum eſt nihil prohibere, quin prædicetur per verbum diligendi cum dicitur pater diligit filium; quod ſi eſt, ſublata eſt omnis dubitationis difficultas. Quis enim dubitat duplicem eſſe communionem inter patrem & filium, & eos unum eſſe naturaliter, ſive per eſſentiam, & inſuper inter eos eſſe communionem amoris? & hanc utique unitatem, ſive communionem amoris oravit ſuis 17. Joannis. *Pater ſerva eos ut ſint unum ſicut & ego & tu unum ſumus.* Sint inquam, unum unitate, & communione amoris, ſicut ego & tu. Priorem enim unitatem, ſcilicet eſſentialem, qua ipſe & pater unum ſunt, & unus ſolus, ac verus Deus quis eum oraſſe deliret? cum eam ſciret impoſſibilem, & ipſe una cum patre multos eos, & ut multitudinem oraſſet, quaſi vellet confundere in unum, quos in multos diſcreverat. Nulla vero cauſa eſt, ut dilectio nominetur, & per hoc nomen dilectio agatur de ipſo: cum & verbum diligendi non ſignificabit ipſum, ſed neque ars neque ratio patitur hoc, ut per alterum conjugatorum ſignificetur alterum, alterum vero minime cum neceſſe ſit alterum conjugatorum dici quatenus & alterum. Dicamus igitur quod pater diligit filium amore qui eſt amborum communis eſſentia, ut eſt utique amborum, & amor qui eſt ſpiritus ſanctus & neuter eorum. Unde vere dupliciter unum ſunt pater & filius, & duplicem coronam habent, & ſic dupliciter ſe diligunt naturaliter ſcilicet, & eſſentialiter quod idem eſt, & gratioſe, ut ſic dicatur. Quod igitur dicitur Pater diligere filium ſpiritu ſancto amor eſt utique gratiæ, quæ eſt amborum commune in utrumque donum, & communis in alterutrum amplexus, & eſt in utroque, neuter tamen eorum eſt. Vinculum igitur gratuiti amoris prædicatur quando dicitur pater diligere filium ſpiritu ſancto, & quid ſit vinculum iſtud ablativi determinant.

CAPUT XLIV.

De diverſitate prædicamentorum & modorum loquendi Deo attributorum.

Quod in Deo tria conſiderari poſſint vel eſſentiæ, vel perſonæ, vel comparatio perſonarum.

NUnc autem ad prædicamenta & locutiones quibus de Deo loquentes utimur & quas à cõſuetudine noſtra ad ipſum transferimus tranſeamus, & regulam fidei etiam in ipſis ſermonibus, non ſolum in rebus obſervare & diffundere ſciamus. Primum igitur dicendum eſt quod de Deo loquentes aut per ſe de illo loqui neceſſe eſt, hoc eſt ſine comparatione creaturarum, aut in comparatione aliqua de illis. Quod ſi de Deo ſine reſpectu, & comparatione creaturarum loquimur, neceſſe eſt ut aliquid eorum quæ ſunt ſignificetur, quæ autem ejus ſunt non poſſibile eſt excedere ternarium; omne quippe quod ejus eſt aut eſſentia ejus eſt, aut perſonarum aliqua, aut perſonarum invicem comparatio, ſive differentia quam notionem vocari diximus: hoc eſt aut eſſentiam ipſam divinam ſignificant, aut perſonam, aut notionem. Et hoc eſt quoniam nec fingere etiã nobis eſt poſſibile ad Dei eſſe ſecundum ſe niſi ea quæ determinamus. Quod ſi alia via iſtud oſtendere licet dicimus, omne quod ibi eſt, hoc eſt, in ſumma Trinitate aut commune eſſe trium perſonarum, aut proprium alicujus illarum, & omnino quidquid ibi dicitur per modum iſtum, & communiter, & proprie dici neceſſe eſt. Quod ibi communiter dicitur ſola eſſentia; nihil enim aliud communicant, vel duæ ex perſonis, vel omnes ad invicem niſi eſſentiam, niſi forte communem aliquam notionem quemadmodum pater, & filius ſpirationem communicant. Nos autem hoc dicimus quod perſonæ ſcilicet per ſe nihil omnino communicant niſi eſſentiam illam altiſſimam, ſpiratio autem & aliæ notiones non communicantur ſecundum ſe à perſonis, quoniam nec inſunt ſecundum ſe; non enim iſte, ut demonſtretur Pater, ſpirator

eſt ſpiritus ſancti, ſecundum quod eſt iſte, eſt ſecundũ ſe: & hoc eſt quoniam eo ipſo quod eſt iſte, eſſentia eſt; hoc eſt quidquid habet iſte inquantum iſte demonſtrato patre, quidquid, inquam, habet commune cum filio per modum eumdem eſſentia illa altiſſima eſt. Fatendum enim eſt quod pater inquantum iſte Deus eſt, & filius inquantum iſte & inquantum hæc perſona Deus eſt; alioquin accideret ei ut Deus eſſet. Si enim inquantum iſte nihilominus inquantum pater longius quippe videtur intentio patris ab intentione eſſentiæ. Quare ſi non ſecundum propinquiorem ineſt ei ut Deus ſit nihilominus ſecundum illam quæ remotior eſt, abſit autem hoc à cordibus fidelium.

Idem quod ſupra & quod eſſentialia prædicentur in quid.

Redeamus autem ad id in quo eramus & dicamus, quia omne quod communicant ſecundum ſe communicant, & comparatio aliqua earum ad invicem eſt. Si quid vero proprium habent; aut ſecundum ſe eſt eis proprium, & hoc non poteſt eſſe niſi eſſe perſonale uniuſcujuſque earum; aut erit eis proprium non ſecundum ſe, & hoc erit eis neceſſario ad modum comparationis relativæ; alias enim in ipſas perſonas, vel communem earum eſſentiam prædicationes earum cadere impoſſibile eſt, cadere inquam in eas ſecundum ſe, niſi per modum quem ſuo loco determinabimus. Quare neceſſario prædicationes & locutiones omnes quibus de Deo ſecundum ſe, hoc eſt ſine reſpectu, & relatione ad creaturas loquentes utimur ternario prædicto claudi neceſſe eſt. Omnes igitur ſermones hujuſmodi aut eſſentiales, aut perſonales, aut comparationes ſive notionales eſſe neceſſe eſt: eſſentiales enim ad prædicamentum pertinere, & quod quid dicitur ſua prædicatione determinare. Manifeſtum interroganti namque quid eſt perſonarum quælibet, rectiſſimè reſpondebimus, quoniam Deus eſt, & quoniam creator eſt, & quoniam Dominus eſt, aut omnipotens. Hoc autem ſecundum intentionem principalem, & ſecundum id quod nominatum dicimus; *Vnus enim Deus & pater omnium nobis eſt.* Quod ſi ad eſſentiam non pertinent nihil prohiberet tres Deos, aut Dominos dicere, ſicut nec prohibemur tres perſonas dicere. Dignoſcuntur autem quod hæc eſſentialia ſola de tribus perſonis in ſumma dicuntur per modum iſtum, tres perſonæ ſunt unus Deus, unus Dominus, & omnino nullum eorum cum adjectione pluralitatis prædicare poteſt: & fortaſſe nullum eorum; quod amplius eſt, plurale habet; imo quod eſt eorum proprium tantum & nulli alij ſecundum illam dico rationem communicabile eſt. Unde tres dij, aut Domini, vacua, & caſſa intentio eſt; cum enim unus numero per omnem modum ſit qui Dominus, & Deus dicitur nihil omnino habet intentionis intelligibilis, quod dicuntur Domini; ex uno quippe aggregato, nec actu, nec intellectu fieri poteſt, cum unum per omnem modum eſſe intelligatur. Cum enim dixerimus Deus & Dominus, ſi de eodem agatur utrumque, per hanc intentionem Dominus nulla eſt aggregatio nec actu nec intellectu, cum omnino nulla intelligatur fieri additio cum idem per modum eumdem eidem ex omnibus modis ſuis addi actu vel figmento cogitationis impoſſibile ſit. Niſi quis diceret repetitionem additionem, vel aggregationem eſſe, quaſi dixerit ter idem aggregationem, aut additionem ejuſdem ad ſe fieri, neſciens aliud eſſe ter idem nominare, aliud nominationem facere ſive aggregationem.

1. Cor. 8. & Eph. 4. 6.

Quæ ad eſſentiam non pertinent pluraliter dici poſſunt eſſentialia non item.

Impoſſibile eſt fingere pluralitatẽ in eo quod modis omnibus unũ eſt.

Item quoniam impoſſibile eſt imaginatione ſua, vel cogitatione fingere pluralitatem in uno, quod per modum omnem intelligitur unum. Cum enim per modum omnem unum ponitur, neceſſario nullo modo multa: quare ſi in eo quod unum ex modis ſuis omnibus unum ponitur, quocumque modo fingitur pluralitas, fingitur in eo quod nullo modorum eſt multitudo, ſive pluralitas: Quare fingeretur circa unum aliquid, & in uno per omnem modum contradictio. Hoc autem intellectus qui fictionem iſtam recipiat nondum creatus eſt, nec poteſt hoc quiſquam dubitare, nec intra ſe poteſt intellectus fingere fictionem iſtam.

Creatori & creaturæ non poteſt competere eiuſdem rationis dominatio.

Palam igitur eſt cum dicitur Dominus, & Dominus, ſive numerando, ſivè aggregando, ſi de eodem agitur nullomodo pluralitatem non ſolum eſſe fingi poſſe. quare ſi hoc intelligatur idem fieri per hanc dictionem, Deus, nullus intellectus eſt qui fingere poſſit. Si vero non de eodem per modum omnem agitur per hoc nomen, Dominus, ut cum ſcilicet primo, & ſecundo dicitur Dominus, & Dominus. Agetur igitur de Creatore, & creatura ſimul, quæ ſi univocari poſſent hoc eſt in unum nomen & rationem convenire, habere plurale hoc nomen, Dominus, nihil prohiberet. Verum hoc eſt impoſſibile ut in unum nomen & rationem conveniat, & hoc eſt quoniam dominatio creaturæ non eſt niſi, aut inſtrumentum Dei, & hoc cum legitime dominatur ipſa creatura; aut eſt tyrannica & violenta; & hoc quotiens graſſatur, aut ſævit in ſubditos aut varietas tantum eſt & hoc quotiens ſolo nomine dominationis contentus eſt qui dominari dicitur. Nihil autem iſtorum in unam notionem convenit cum dominatione divina. Sufficit autem nobis teſtimonium prophetarum qui tam crebro *Dominus nomen illi.* Deinde autem ſufficiat nobis teſtimonium Domini dicentis. *Ego Dominus hoc eſt nomen meum.* Quod utique non dixiſſet niſi proprium nomen eſſet de communi quippe nomine nullus verè dicere poteſt hoc eſt nomen meum.

Quomodo differant Dei & creaturarum dominatio

Quod ſi quis quærat utrum aliquid ſignificetur illa locutione, *& tamen non tres Dii.* Reſpondemus hanc eſſe intentionem ut oratio illa tres Dii aut tres Domini nihil verum ſignificare intelligatur; quia non eſt verum aliquid hic, vel aliqua tali locutione & oratione ſignificari poſſe, videri poſſet ſuperficie tenus ſolum videre ſufficienti, eis autem qui intus videre poſſunt, atque manifeſtè omnino, nihil ſignificari oratione quæ velut affirmatione negatur ibi, quæ quidem oratio aliquid ſignificare videtur cæcutienti intellectui, & exterius adhuc hærenti propter conſuetudinem qua adhuc involutus eſt. Non enim diſcernit adhuc intentionem ejus quod eſt, Dominus, apud nos recta intentione qua ipſum accipi neceſſe eſt, cum ad dominantiſſimam majeſtatem transfertur. Ipſe quippe abſolutè & ſimpliciter Dominus & eſt, & dicitur verum: Creatura nec ſimpliciter, nec abſolutè, ſed tantum ex delegatione dominatur, ſcilicet tantum dominari dicenda eſt in eo quo magis ſervit; legitime quippe imperare magis ſervire eſt Deo, & etiam ſubditis quam dominari vel imperare. Quod autem fideles eidem ſubſunt velut medico quidem, & curatori, non autem ut Domino, ſed tantum propter Dominum unum in ipſo præſide vel præpoſito ſuo ſubſunt, ut ita dicam, Domino. Unde & ipſe qui præeſſe dicitur velut portitor eſt, & interpres divinæ voluntatis, non autem ſuæ imperator. Quod ſi timore ei ſubſint aliqui non ei quidem ſubſunt, ſed pœnæ quam utique timent. Unde tota eorum obedientia redemptio quædam eſt à pœna, quam per obedientiam contendunt effugere: ſi vero aliquo modo familiari, aut ſpe, emptio eſt quæ ſe operit obedientia finis quippe amoris illius & ſpei hujuſmodi obſequiis velut emitur. Eſt igitur interius negatio quæ obedientiam, aut ſervitutem exterius ſe mentitur. Sed dimittamus hoc certum habentes quod omnino omne nomen eſſentiale proprium eſt ipſius eſſentiæ, commune autem perſonarum, hoc eſt communiter dicibile de perſonis. Si autem proprium

eſt,

eſt, neceſſario cum nomen eſſentiæ ſit, non habebit plurale ſecundum eam utique rationem qua nomen eſt ipſius eſſentiæ. Inde igitur ſcietur eſſentiale non eſſe quod habet quolibet modo plurale.

Non poſſūt eſſe duo dij aut duo principia nec hoc poteſt concipere intellectus quilibet.

Qui autem duos Deos & duo principia poſuerunt exterius pluralitatem fingunt, interius enim impoſſibile eſt. Si enim intelligunt principium per intentionem ejus abſolutam, neceſſario intelligunt ipſum purum, ſpoliatiſſimum eſſe, ſimplexque in ultimo eſſe, aut ſpoliatiſſimum quod dividi quolibet modo impoſſibile eſt; non enim reſolubile eſt in ſimpliciora, & rudiora, cum ipſum ſit ſpoliatum, & ſimplex in ultimo; nec in particularia, cum hujuſmodi diviſio per adunationem neceſſario fiat, dividentia enim neceſſario abundant ab ipſo diviſo: quare utrumque eorum eſt ſpoliatum, aut nudum in ultimo, hoc autem eſt quod nihil eſt. Neceſſario enim aut communicant ipſum eſſe, aut non communicant: quod ſi communicant, bonum igitur & malum quæ neceſſario ſunt poſt ſuum eſſe, aut accident ei aut inerunt eſſentialiter. Quod ſi inſunt eſſentialiter: neutrum igitur ſecundum perfectionem ſui eſſe eſt principium, cum ſit adunatum eſſentialiter ex eſſe & altera differentiarum quæ ſunt bonum & malum. Si vero accidunt differentiæ illæ, non erit principium malorum eſſentialiter malum, quod tamen ipſi ponunt. Quare manifeſtum eſt ipſos interius non loqui, cum verborum ſuorum interiora non ponunt. Si enim ſecundum interiora ſic ponerent, viderent utique eſſe, ante quod non eſt aliud, ſecundum ſe non eſſe multiplex, neque multiplicabile; quoniam neque per eſſentialia ſuperaddita multiplicabile eſt, cum ponatur principium abſolutè, ſed non ut pars, ſed per modum principij agentis, nec ullomodo compoſitum intelligatur, nec actu ſcilicet, nec poteſtate: quare nullo modo receptibile, ſcilicet adunationis eſſentialis. Bonum vero, & malum non poſſunt ſecundum errorem iſtum eis adeſſe per modum accidentium, cum ipſi ponant eſſentialiter alterum bonum, alterum malum Palam igitur ex iſtis, quod exterius tantum habentes, rem iſtam ut eſt interim non vident. Sed ſive videant eam, ſive non, verum eſſe neceſſe eſt principium non eſſe hoc modo multiplicabile, nec poſſe hoc fingere intellectum qui interius intueri ſufficiat Quod ſi illi illa fictio eſt impoſſibilis, multo fortius cæcutienti intellectui, & de veritate ipſa vaniſſimè ſomnianti. Planè igitur dici debet, quod qui dicit duos Deos, aut tres exterius loquitur, & non interius, & ſine intellectu hoc dicit, ſi ſecundum veram rationem ejus quod Deus eſt Deos dicere intendat: ſi vero ſecundum rationem alteram hoc fortaſſe poſſibile eſt, nec contradicimus. Quoniam igitur nec multa principia, nec multos Deos, nec multos Dominos poſſibile eſt eſſe, ſed nec intelligi, nec fingi, inutilis autem prorſus eſt ſignificatio qua uti impoſſibile eſt. Nomina igitur illa nihil penitus ſignificant ſecundum veritatem, quare ſingularia eorum propria ſunt ſignificatione, & eſſentialia, hoc eſt eſſentiæ altiſſimæ nomina ſingulariter eam & propriè nominantia. Hæc autem regula de ſubſtantivis eſt.

De eſſentialibus adiectivè ſumptis an pluraliter dici poſſint.

De adjectivis quippe quibus eſſentia divina adjectivè prædicatur fortaſſis poſſibile eſt, & ea pluraliter habere. & pluraliter putari ſecundum analogiam nominum adjectivorum, adjectiva quippe confuſa ſunt quantum ad prædicationem ſuam, ſic quod numerum non diſcernant, ex eo quod pluralia dico, niſi hoc cogat ea facere principalis ſignificatio; ſicut eſt in numeralibus, quæ principalitate ſignificationis ſuæ numerum neceſſario determinant. Unde albus & grammaticus non magis unam albedinem, aut grammaticam prædicare habent quam multos & in plurali & in ſingulari. Unde & cætus Philoſophantium dicitur Grammaticus non ab una numero grammatica. † Grammatica enim nata eſſet fieri & commune in multis, verum diceretur, iſti ſunt grammatici ab una numero grammatica.

† *Si enim Grammatica nata eſſet fieri una & communis in multis.*

Ipſa etiam eſſentialia pluraliter dici poſſunt ſi nomine adiectivo prædicentur.

Sic volunt quidam quod tres perſonæ rectè dicuntur omnipotentes adjectivè, licet prædicent omnipotentiam quæ utique divina eſſentia eſt. Nec obſtat quod divina eſſentia cum una per modum omnem ſit pluraliter prædicatur ſicut nec in exemplo quod poſuimus per modum iſtum. Quod autem dicitur in Symbolo non tamen *tres perſonæ omnipotentes ſed unus omnipotens* intelligitur, hæc dictio omnipotentes ſubſtantivè, & ne hoc quis abhorreat dicitur in Cantico Exodi 21 *Omnipotens nomen ejus*, cum non poſſit eſſe nomen, omnipotens, niſi ſubſtantivè captum; adjectivè quippe acceptum nullius nomen dici debet, ſed nec aliquid nominare, magis vero & congruentius dicendum eſt denominare Recipiendum igitur videtur tres omnipotentes, tres ſumpti ſubſtantivè, & omnipotentes adjectivè, quia ſi omnipotentes ſubſtantivaretur, ad perſonas etiam ſubſtantivè reciperetur; ſed neque neceſſaria eſt nobis hujuſmodi ſubſtantivatio, neque recipienda eſt; ab omni enim ſpecie mala abſtinendum eſt, nec tantum cavendum redargui. Ubi igitur vocabula poſita ſufficiunt nobis ad exprimendas intentiones noſtras ſupervacuum eſt nova ponere & confingere. Nulla autem eſt adeo notæ & evidentis falſitatis locutio cui vera ſignificatio imponi non poſſit. non tamen faciendum eſt nobis quibus per Apoſtolum præcipitur *Prophanas vocum novitates devitare.*

De vitandis novis vocabulis & de iis qui vel participatione vel imitatione Dei & Domini vocati ſunt.

Quod ſi quis improbus inſtet ut novas imponamus ſignificationes vocabulis, cum de rebus agitur quibus declarandis, & diſſerendis, jam poſitæ ſufficiunt, hic non veritatis intentione ſtudere, ſed aut ſubverſioni, aut oſtenſioni ſapientiæ, quam in hoc ipſe ſe indubitanter non habere oſtendit. Interim ergo hoc ſuaſiſſe ſufficiat quod Deus & Dominus non poſſunt univocè dici de uno, & de altero non eſſentialiter, ſive ſecundum participationem; licet enim dii multi & domini multi dicantur. hoc tamen aut participatione dicitur, ſicut illud Pſalmi. *Ego dixi dij eſtis*, &c. & in Exodi 9 capitulo. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, aut imitatione aliqua divinitatis ſive divinæ naturæ, ut angelos bonos & malos Deos: & *ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt*, ut legitur Sapientiæ 11. eo quod immortalitate, aut futurorum, & occultorum prædictione divinam naturam imitari viderentur.

CAPUT XLV.

De prædicatione perſonalium.

Quod pluralitas ex perſonis ſingularitas vero ſit ab eſſentia.

PErſonalia vocabula dignoſcuntur è contrario ab eſſentialibus, pluralia quippe ſunt, & pluraliter de Deo, hoc eſt de eſſentia divina dicuntur. Hoc autem eſt principium quoniam de tribus perſonis in ſumma, aut de dua-

bus ſingulariter dici non poſſunt, & hoc eſt quoniam nullo modorum multæ ſint tres divinæ perſonæ niſi perſonaliter, nullo modo unum niſi eſſentialiter: quare omnis pluralitas quæ de Deo prædicatur perſonalis eſt, & omnis ſingularitas de tribus perſonis poſſibilis eſſentialis eſt; nullo quippe modo Deus eſt plures niſi perſonaliter, nullo modo eſt unus niſi eſſentialiter. Quare quidquid ut ita dicam plures de ipſo ponuntur, perſonale eſt, & quidquid unum per modum eumdem ibi eſt, eſſentiale eſt; quoniam nec alius modus ibi pluralitatis, nec alius ſingularitatis reperiri poteſt. Omnino igitur pronomen maſculini generis perſonale eſt; unde & nos dicunt tres perſonæ in 3. Geneſeos *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis.*

De variis pronominũ maſculinorum & neutrorum prædicatione.

Rectè igitur dicitur hi tres, & iſti tres, & alij ſunt, & iſte, & iſti, & ille tertius; cum adjectiva ordinabilia non ſubſtantivantur, ut primus, ſecundus, & tertius. Et prima enim, & ſecunda, & tertia perſona rectè dicitur. Pronomina vero neutrius generis eſſentialia ſunt. Unde nec iſta, demonſtrata eſſentia dici poteſt pluraliter retento pronomine, nec ſimiliter hæc. Eſſentias autem multas ibi demonſtrare non poſſunt, cum non ſubſint ibi. Ad perſonas autem ſignandas non utitur eis regula ſermonum fidei. Si autem quærat quare hoc? licet ſufficere debeat nobis in hoc ſacrorum eloquiorum auctoritas à qua edocti ſimus hanc elocutionum regulam, & ſacrorum doctorum eruditio quæ iſta diſtinxit vocabula; tamen hæc videtur ratio hujuſmodi diſtinctionis quod pronominibus maſculinis etiam in communi ſermone non utuntur niſi ad ſubſtantias rationales individuas quæ perſonæ dicuntur. Non enim conſuevimus, hic aut iſte, dicere demonſtrantes aſinum, aut brutum, aliter niſi cum adjunctione grammatica; & rectè dicitur, iſte, aliquo homine, aut angelo demonſtrato, & iſta, fœmina demonſtrata; non autem aut aſina, aut lapide demonſtratis. Si autem hoc ſit privilegium ſubſtantiarum rationalium, ſive perſonarum quod idem eſt, & indulgeatur hoc ſubſtantiis rationalibus, quibus ſolis loquelæ beneficium infinitum conceſſum eſt, ut de ſe facilius & expeditius loquantur, quam de aliis, & velut per antonomaſiam ſubſtantivorum ad mutuam de ſe locutionem per nomina, ſicut & ipſæ cæteris omnibus aliis antecellunt, & ſolæ ſibi per loquelam notæ ſunt, quare ad mutuas ſui deſignationes paucioribus egent, eo quod ſuas invicem differentias, & ſe ipſas maximè dignoſcunt. Neutra vero in ſe ſpoliatiora videntur, & abſtractiora; illa enim ſecum ſaltem determinant, iſta vero videlicet neutra à ſexu abſtrahunt, nec ſolum à ſexu, ſed etiam ab omni forma, & accidente. Et hæc eſt cauſa quare eſſentiæ maxime contrahunt.

Quod maſculina, non neutra ſint nomina perſonarũ & quarum propria.

Eſſentia enim uniuſcujuſque reſiduum à circumveſtione eſt, nec intelligitur eſſentia ulla, niſi per abſtractionem omnis adunati quolibet modo ab eſſentia eſt igitur iſta cauſa, quare propoſitum eſt neutris merè, hoc eſt abſtractè, quantum eſt de vi propriæ ſignificationis ſignificare eſſentiam; maſculina vero quoniam concretiora ſunt, & minus abſtracta & ad diviſiones, & diſtinctiones, & differentias quaſlibet ex formis procliniora perſonalia remanſerunt in divinis locutionibus, & apud nos perſonalia erant, & adhuc ſunt. De nominibus vero perſonarum ipſarum dubitari non debet ipſa eſſe perſonalia, qualia ſunt iſta nomina pater, filius, & ſpiritus ſanctus; & iterum, genitor, unigenitus, primogenitus, donum. Sed & de hoc nomine, Trinitas, certum eſt ipſum eſſe perſonale, quoniam trium perſonarum in ſumma nomen eſt, velut collectivum. Unde & de illis in ſumma prædicatur, de nulla autem per ſe ſingulariter; de nulla enim poteſt verè dici quod ipſa trinitas ſit. Quod ſi quis quærat quid ſit in nomine illo ſubſtantia? quid qualitas dicimus quia perſonæ ipſæ ſubſtantia ipſius nominis ſunt; idem vero qualitas ejus eſt, quod eſt qualitas hujus nominis, tres licet non per modum eumdem. Trinitas igitur à qua tres denominantur qualitas eſt hujus nominis, Trinitas, de qua quid ſit ipſa, cum de ſignificatione numeralium nominum loquemur, aliquid dicemus.

An perſonalia ſignificẽt quid, an ad aliquid,

Nunc autem de perſonalibus hic dicendum, quod ipſa plura efficiuntur, eo quod perſonæ multiplicentur in trinitate: eſſentialia vero ſecundum ſibi congruentes rationes non ſolum ibi non pluraliter dici impoſſibile eſt; eo quod eſſentia quolibet modo ibi multiplicari etiam intellectu impoſſibile eſt, niſi quis intellectum delirum & ſomniatorem intellectum dicere contendat. De perſonalibus ad quod ex prædicamentis ſpectare, & reduci debeant non immerito quærendum videtur; quoniam perſonalium alia præter intentionem perſonarum addunt intentionem ejus quod eſt ad aliquid, ad quod pertinere dubitandum non eſt. Alia vero nihil omnino addunt, ſed perſonas ipſas ſimpliciter, & abſolutè & nude ſignificant quale eſt hoc nomen perſona, & pronomina perſonalia. De his igitur quæritur utrum quid ſignificent aut quantum aut quale; ad aliquid enim nullomodo: reſtat igitur ut ad quid, aut quantum, aut quale reducantur. Quoniam autem individualia nomina ad prædicamentum ſuorum generalium, & ſpecialium neceſſario reducuntur (Non enim ſpecies in uno prædicamento, & genus in alio) videntur hic, & iſte, cum de perſonis agitur ad prædicamentum quid eſt pertinere Qualiter enim magis ad prædicamentum quod quid eſt ſpectabit, hic ſocrate demonſtrato, quam aliqua ex divinis perſonis demonſtrata? aut enim eſſe, iſte, eſt ei eſſentiale & eſſe quid, aut non: ſi ſic, igitur perſonalia ſignificabunt eſſentiam, & ſignificabunt quid. Si autem non eſt eſſentiale, nec eſſe quid: igitur poteſt ſeparari actu vel ratione Et hoc impoſſibile; nullo quippe modo eſt ſeparabile ab iſto eſſe iſtud.

Perſonalia quæ non purè & nudè ſignificant, eſſentiale quid ſignificant.

Deinde qualiter non ſignificabit quid, & eſſentiale quid, quod rem purè, & nude, & à nullo coadunatam ex modo aliquo. Accidet autem ſecundum hoc eſſentialiter dici ipſam eſſentiam de perſonis & magis eam dici de iis quam ipſam de ſe, hoc autem impoſſibile eſt. Nihil enim poſſibile eſt aut propinquius, aut prius de quocumque dici, aut magis quam ipſum de ſe; cum non intervenire aliud neceſſe ſit inter rem, & ſe ipſam. Hoc quidem in ſimplicibus per modum omnem, in complexis quippe ſecus ſe habere neceſſe eſt. Quoniam omni ſpecie prius eſt genus, & unamquamque partem diffinitionis præeſſe neceſſe, quam diffinitionem ipſam, quod utique non eſt niſi ſpecies exſpoliata, & reſoluta intelligibiliter tantum, non ſecundum actum

De eſſentia logica ipſius perſonæ & de differentia perſonæ ab eſſentia ſecundum Theologicam ſpeculationem.

Item filius ad hoc genitus eſt ut eſſet iſte, & ut eſſet hæc perſona, & hoc eſt eſſe quid per generationem primo, & maximè. Eſſentiam vero divinam non habet primo per generationem; quia illa ex omnibus modis ſuis ingenita eſt,

eſt, ſed per eſſe perſonale habet utique eſſe eſſentiale. Quare indubitanter illud habet primo ſecundum ordinem quem ibi cogitare fas eſt, quod eſt ſecundum ordinem intelligentiæ, eſſe perſonale habet primo, quia eſſentiali nihil ſublimius, aut intimius. Nos autem hic non immorabimur amplius, ſed dicemus quoniam hujuſmodi perſonalia de quibus agitur, hoc eſt abſtracta, ad primum prædicamentum logicum pertinent indubitanter, & ſignificant quid logicum; non autem quid ut hic intendimus, ſed eſſentiam logicam indubitanter ſignificant; quoniam rem nudam pure & abſque ullo modorum comparationis, & hoc eſt intentio eſſentiæ apud Logicos, & apud Philoſophos quibus eſſentia eſt res quædam nuda, ſpoliata & abſtracta ab omni conditione, & comparatione, quæ præter rationem ſuæ ſpeciei quolibet modo adunata aut concreta intelligitur. Non autem eſt hoc intentio eſſentiæ ſecundum Theologicam ſpeculationem; quoniam intentio iſta non diſtinguit ullo modorum perſonam ab eſſentia, utrique quippe æqualiter congruit. Alia autem eſt intentio eſſentiæ & perſonæ, intentio quippe perſonæ duas habet † maneries individualitatis, & immutabilitatis: eſſentia vero alterum ſolum. Eſt enim perſona ex omnibus modis per ſe, hoc eſt non admittens ullo modo per ſe multitudinem, nullomodo unibilis multitudini, nullo modo dicibilis de multitudine, ſed prædicationis omnibus modis ſolitariæ, ſive ſingularis. Eſſentia vero licet una, & ſingularis per omnem modum in ſe ipſa intelligatur, cõmunicabilis tamen & unibilis pluribus, & quæ alia ſui, ut ita dicam, generis pati non poſſit, nec coeva, & generaliter quæ ab illa non ſint, quare inſociabilis, ſive ſimilis ſocietatis per modum omnem impaſſibilis.

† Galliciſmus eſt, maniere, quo ſignificatur modus & ratio alicujus rei.

Comparat perſonam cum eſſentia & eſſentiam cum perſona.

Perſonæ vero ſociabiles neceſſario adinvicem ſocietatis, & communionis, & ſimilitudinis mutuæ; & æqualitatis capabiles, de quibus ſuadere ſtuduimus quod earum † ſola potuit eſſe, aut poteſt, aut poterit. Adjuvimus etiam intellectum ad fidem conantes ſimilitudinibus quæ apud nos ſunt ut potuimus, fortaſſe non ut egeret. Hic igitur eſſentia dicitur quam tres illæ perſonæ communicant perfecte & integre, & quod ſunt perfectè, & integrè, & ſigillatim, & in ſumma, & æqualiter per omnem modum. Eſſentia igitur eſt hic quod non ſolum ſpoliatiſſimum, & nudiſſimum eſt ab omni adunatione, & circumveſtione; & eſt prohibitum habere compar, aut coevum, aut cauſam quolibet modo; ſed etiam neceſſe eſt ex pluribus totaliter & æqualiter haberi, & eſſe plures ita quod unumquodque eorum. Perſona vero differentem habet intentionem, quoniam perſona prohibitiva eſt pluralitatis à ſe modis omnibus, & communicabilitatis, & æqualitatem non fugiens, imo amplectens, ut quæ cauſa eſſe poſſit alij, per modum eſſendi de illa, aut cauſam habere, & hoc eſt quoniam nec ante eſſe intelligere & unum ſit eſſe, nec poteſt eſſe contingit non eſſe aut non ens. Hoc igitur eſt quare eſſentia nec ab alio, nec de alio eſſe poteſt, & de qua nihil eſſe poteſt, hoc eſt quod nihil habet præter ſe; perſona vero eſſentiam habet, & hoc ſecundum ſe non per modum accidentis ullo modo. Perſona vero unaquæque eo ipſo quod eſt, ipſe, perſonarum quavis demonſtrata, eo ipſo eſt hoc ipſum, eſſentia divina demonſtrata; non quod eſſe iſtum, ſit eſſe hoc; ſed velut intimum perſonæ iſtius eſt eſſentia ipſa, non quod perſona minus ſpoliata ſecundum eſſe ſuum perſonale intelligatur, quam ipſa eſſentia; aut quin æque ſimplicem in ultimo eam eſſe neceſſe ſit; ſed ad modum intelligentiæ noſtræ nudius, & ſolitarius eſt eſſe eſſentiale, quam eſſe perſonale. Et tamen nihil omnino aut amplius, aut minus, aut diverſum habet alterum altero, ſed ſicut diximus ſæpius jam, quod aurum hoc ab hoc annulo nihil amplius, aut minus habet, cum tamen hoc aurum eſſe non ſit hunc annulum eſſe. Certe figuram qua annulus annulus eſt habet hoc aurum eodem modo quo iſte annulus; ideo enim non niſi uno modo eſt in quocumque eſt hæc figura, nec niſi uno modo impreſſa, ſive per naturam impreſſa fuerit ſive ab arte. Verum intentio annuli non eadem eſt, quæ intentio hujus auri ſic figurati. Quod autem hic accidit ſive ex figura, ſive ex modo habendi figuram ibi ſic eſſe neceſſe, ut fides † præſtabit. Verum dubitare non poteſt eſſentiam non modo eodem de ſe dici, & de perſonarum unaquaque & perſonarum unamquamque alio modo habere ſeipſam modo eſſentiam, ſi tamen & ſeipſam habere quolibet modo dicenda eſt.

† Prædicat.

Quod per omnem modum identitas eſt inter eſſentiam & perſonas.

Quod ſi quis calumnietur hoc, non proficit: quoniam neceſſe habet recipere, quod perſona non per modum eumdem habet eſſe perſonale, & eſſe eſſentiale; & quoniam non per modum omnem identitas eſt inter eſſentiam & perſonam, cum non omne quod de perſonarum qualibet dicitur neceſſe ſit etiam dici de eſſentia ipſa, immo quod dici impoſſibile eſt de eſſentia, quæ tamen neceſſe eſt dici de perſona aliqua, immo qualibet, aut è converſo. Quare hoc ſolum ibi in admirationem noſtræ rationis venire relinquitur qualiter verum ſit perſonarum quamlibet eſſentiam eſſe cum multa de eſſentia, quæ tamen de perſona dici non poſſunt, dici manifeſtum ſit. In hoc autem remittemus te ad exempla quæ ſupra poſuimus de auro, & annulo; & ſuperficie & angulo; & veſte, & panno; ſive de armilla, & fibula, & annulo, & ſi qua alia ad idem diximus.

Nota ibi quid eſt eſſentia & quomodo pater non eſt copioſior ea nec filio licet filius non poſſit generare & pater hoc poſſit.

Inſtant autem exactores vehementius quærentes quid ibi vocet fides ſacra eſſentiam? quid perſonam? quibus reſpondemus quod id vocatur ibi eſſentia quod nec de alio, nec aliud de illo, & cui ſecundum ſe eſt oppoſitum non eſſe; & quod communicant tres perſonæ perfectiſſime, & ſigillatim, & in ſumma, & in quod reſpicit omne poſſibile directe, & per ſe; quoniam ad aliud dicitur poſſibile, quemadmodum luminabile reſpicit ad fontem luminis, non per modum illum quo luminabile reſpicit in lucem iſtam, licet ſol ipſe fons luminis ſit; ſed hoc à luce, & per lucem. Sic eſſentia eſt fons ipſe eſſendi ſecundum ſe, & eſt fluens, & radians ſupra omne poſſibile quod lucet in effectu, & relucet ad ipſam, ut aër non ad ſolem, ſed ad lucem ipſam. Licet igitur & rectiſſime, & propriiſſime perſonarum quælibet fons eſſendi ſit; tamen hoc magis videtur congruere ipſi eſſentiæ, inquantum eſſentia; pater enim fons ſecundum ſe eſſendi poſſibilibus creatis aut creabilibus, non tamen verior, aut copioſior pater ipſe quam eſſentia ipſa ſit, neque filius minoris copioſitatis aut † libertatis eſſendi, quam pater ipſe; cum ipſe generare non poſſit, pater autem hoc poſſit. Et idem eſt dicere de ſpiritu ſancto; non enim ferrum auro pretioſius, aut melius, quia valet aut poteſt ſerra aut falce quod non aurum.

† Vbertatis.

CAPUT XLVI.

Pergit eſſentiam cum perſonis conferre.

De perſona: ſi multiplicatione

HOc autẽ ſufficiat nobis aſſignaviſſe de eſſe ipſo eſſentiali, quod ipſum eſt quod non dividitur per aliquem modorum, & in quo non eſt reperire

& quod omnium multiplicationum 1. generatio ſit.

hoc, & hoc ſed hoc tantum : eſſe vero perſonale neceſſario dividitur per modum quem diximus, & neceſſario habet pluralitatem, ſive multitudinem congruentiæ ſuæ, & cogit hoc neceſſario ſingularitas ſua, ut ſit diviſibile per modum communis in multos, & plures; & hoc eſt quoniam ipſum eſt primæ, & ſummæ indiviſibilitatis, quæ non poteſt eſſe ſola ullo modo. Hoc enim per ſingula oſtendimus; quoniam nec prima fœcunditas quæ intelligitur pater potuit eſſe ſine prole; nec primus genitor & primogenitus potuerunt eſſe ſine tertio, dono ſcilicet primo. Qualiter autem pater optimus, & filius optimus ſine amore mutuo eſſe poſſent; cum ſine amore boni, nec bonitas ipſa intelligi poſſit; eo enim ſolo nos beati ſumus, quod amatores boni. Sed & inter bonos quis amorem poſſe non eſſe deliret? quoniam etſi non amor noſtræ conſuetudinis inter primogenitorem, & primogenitum cogitari debeat ullo modo, ſed pro modo cum quo decet eos, & pro modo congruentiæ ſuæ ipſum ibi neceſſe eſt eſſe. Quod ſi omniũ numerabilium & multiplicabiliũ genitorẽ primum eſſe neceſſe eſt, ſecundum vero prolem ſive filium, tertium vero donũ mutui amoris palam eſt ſingularitatem perſonalem ſolam eſſe non poſſe. Hoc autem inde manifeſtum eſt, quoniam prima additio ſupra unitatem primam multiplicabilem & numerabilem neceſſario eſt per generationem, eo quod omnium multiplicationum prima neceſſario eſt generatio; omnium enim cauſationum prima eſt generatio, omnis autem multiplicatio cauſatio eſt, quod enim auget unitatem in numerum cauſa eſt, & cauſatio multiplicatio eſt particularium: non enim aliud eſt multiplicatio, quam multitudinis cauſatio, ſive effectio, omnium autem cauſationum multitudinis prima eſt generatio. Quod enim primo multiplicat generatio eſt. Prima enim multiplicatio eſt de multiplicante ipſo; primum enim eſt multiplicare ſe, deinde alia, & primum eſt de ſe multitudinem explicare, deinde de alio. Quare prima unitas, & ſumma eſt neceſſario multiplicabilis; alioquin unde multitudo? quare multiplicabilis per generationem.

Eſſentiam cum perſona comparat ut oſtẽdat immultiplicabilẽ eſſe eſſentiã multiplicari vero perſonas.

Eſſentia igitur divina eſt principium abſolute, cui non eſt principium neque compar, neque coæquævum aliquid, fons eſſendi, & principium creabilibus ſolis, communicabilis neceſſario pluribus, & in plures hoc modo multiplicabilis, hujus nec diviſio nec particulatio eſt aliquo modorum; ſed eſt ſingularis, & ſolitaria ut diximus: nec communicatur quemadmodum genus, aut ſpecies, ſed totaliter, & integre ũna numero in pluribus ſigillatim, & in ſumma. (Genus vero aut ſpecies non unum numero eſt, ſed ratione, & per modum iſtum eſt in pluribus, non autem totaliter & integre abſolute, ſed ſecundum rationem, quæ quidem tota ſecundum partes ſuas, quæ partes ejus ſunt in eo quod ratio ſpeciei eſt aut generis eſt in unoquoque particularium) eſtque mera, & pura, ſpoliatiſſima per omnem modum recipiens velut in oppoſitum ſuæ irradiationis poſſibile creabile, unde, † & eſſe, dictaque fons eſſendi per hoc, hoc ipſum quod eſt eſſe fontem eſſendi quod eſt eſſe vacuum, ſcilicèt eſſe creati ſolum. Inde etiam eſſentia, quod eſſentiam rei uniuſcujuſque vocare conſuevimus, rem ipſam nudam ſpoliatam à quidditate ſuæ ſpeciei. Perſona vero eſt quæ neceſſario habet, & compar, & coæquævũ, & ſimile ſimilitudine prima, & ſumma & æqualitate prima & ſumma: quæ neceſſario aut de alia eſt, aut alia de illa, & hoc eſt dicere mutuæ multiplicationis per iſtum modum, ut neceſſario vel multiplicans ſit, vel multiplicata. quoniam eſſe perſonale neceſſe eſt ut concomitetur pluralitas, quæ non eſt niſi per multiplicationem unius in duas, quemadmodum pater quodammodo multiplicavit ſe in duos, cum de ſe filium genuit aut eſt duorum in tres quemadmodum ambo ſcilicet pater & filius multiplicaverunt ſe quodammodo in tres, ſpiritum ſanctum ſpirando. Hæc eſt autem multiplicatio multitudinis, aut pluralitatis explicatio de ſe. Hoc igitur modo eſſe perſonale ſequitur multiplicatio, aut communicatio. quoniam multiplicatio non eſt niſi cauſatio, aut principatio vel active vel paſſive, eſſentia vero qualiter non ſit per modum iſtum multiplicabilis jam oſtendimus. Eſtque eſſe perſonale individualitatis ultimæ ex utraque parte: quare nec diviſibile, nec cõmunicabile, ut ſæpè jam diximus, & in altero differt ab eſſe eſſentiali; quoniam omne eſſe eſſentiale, etſi indiviſibile ſit, communicabile tamen eſt, & neceſſario plurium perfectè & integrè.

† Et ex ſe.

Neceſſe eſſe primũ principium & unũ eſſe & primæ in ſe multiplicationis.

Hoc igitur interſeruimus propter vehementes exactores certæ diſcretionis, & diſtinctionis inter eſſentiam & perſonam: quoniam neceſſe eſt primum principium & unum eſſe, & primæ in ſe multiplicationis, & primo & æternaliter multiplicaſſe ſe in ſe per modum quem fides ſacra præſcribit, hoc eſt per generationem, & ſpirationem. Quare evidentiſſima indicia ſunt generatio quæ in rebus ſit, & largitas ipſa rerum creatarum qua omnes diſpoſitiones ſuas tanta velut profuſione diſpergentes alijs communicant: cujus lucidiſſimum exemplum lux ipſa, eſtque ſeipſa execrabilis avaritia quam univerſa natura deteſtatur, & totis viribus largitatem complectitur. Nos vero hic confuſe utimur hoc nomine principium ex licentia docentium, & diſputantium hoc nomine, multiplicatio, intendentes ut poſſumus vel in modico ſatisfacere hujuſmodi exactoribus, & tremulum caput veteris hominis utcumque fulcire.

Quam contraria naturæ avaritia.

Quod eſſe perſonale non ſit accidentale commune.

De hoc autem quod eſſe perſonale cõmune eſt tribus perſonis, ſive quod de hoc ipſo quis: cujuſmodi vero particularia ſunt iſte & ille: & non immerito quæritur cujuſmodi cõmune ſit trium perſonarum? utrum ſcilicet cõmune eſſentiale aut cõmune accidentale: cõmune vero accidentale eſſe eſt impoſſibile eſſe perſonale, quoniam eſſe iſtum ut diximus nõ eſt eſſe accidentale, ſed eſt eſſentiale logicum vel phyſicum, ut diximus. quare & eſſe perſonale, quoniam unumquodque particularium quod ei ſecundum analogiam ſubeſt eſt eſſentiale per modum iſtum.

Idem probat quia eſſe perſonale actu, nec ratione ſeparabile eſt a quacumque perſonarũ.

Item nec actu nec ratione eſt ſeparabile à quacumque perſonarum, non eſt igitur commune accidentale. Quare & commune ſubſtantiale per modum logicum; & ita vel genus, vel ſpecies vel differentia.

Idem probat, eſſe perſonale non eſſe commune per modũ generis & ſpeciei quia de ſe quamdam infinitatem habet.

Item quis, ſive perſona prædicatur de pluribus differentibus numero in quid ſecundum modum logicum, igitur eſt ſpecies. Quare perſonæ erunt ejuſdem ſpeciei, non igitur erunt unum numero. Accidet etiam ſecundum hoc ſpeciem iſtam ſub genere aliquo eſſe. In hoc dicendum eſt quod quis nullo modo ſpecies eſt, cum ſit infinitum, ſpecies autem omnis determinata & finita forma certa, & ſpecifica; nec determinat ullomodo, ſed eſt ad modum tranſcendentis; hoc enim dicitur de omnibus non tamen aut eſſentialiter, aut ſecundum accidens, ad minus autem hoc verum eſt: ſed neque quis, neque quid interrogatus de quocumque poteſt illud reſpondere convenienter. quæ enim eſt reſponſio hæc quando interrogatur de aliquo quid ipſum? ſi reſpondeatur, quoniam ipſum eſt quid, aut quis? infinitum eſt utrumque, & ideo quæſtionẽ hujuſmodi neutrum convenienter ſolvit. Perſonas autem ſolum noſſe prohibet ipſarum nuditas, atque ſimplicitas quæ ambæ in ultimo ſunt. Unde volentes eas diſtinguere neceſſario ex comparationibus mu-

tuis eas diſtinguimus, donec eas revelata facie videamus: ibi enim non opus erit nobis forinſecus ad diſtinguendas eas ad invicem, ſed magis forinſeca earum ex ipſis dignoſcemus: forinſeca vero ipſarum comparationes ipſarum mutuas vocamus, eo quod velut à foris eas habent, & quaſi ſequelam ipſius eſſe perſonalis.

Deinde quia genus non poteſt unam ſolùmòdo ſpeciem continere.

Prohibet etiam hoc idem quoniam nullum genus ſub una ſpecie contentum eſt: quare genus illud cui ſpecies iſta ſubeſſet, neceſſario contineret altiſſimam ſpeciem oppoſitam huic. E diverſo igitur dividatur genus illud; quare erunt ſimul natura, & ita aliquid eſſet coæquævum ipſi Trinitati quod neceſſario eſt cauſatum. Dubitari autem nullo modo debet beatam Trinitatem antecedere omnia, cum ipſa creatrix omnium ſola, perſona vero ad Patrem non eſt ſuperius, niſi ad modum accidentis; quod inde manifeſtum eſt, quoniam Pater eſt ad aliquid, alterum, non quale neutrum ſub altero, ſed forte ſicut hoc ſub uno, aut hoc coloratum ſub colorato.

Quælibet perſona divina eſt ſimplex in ultimo, quare non habet individuationem, aut particulationem.

Quod ſi quis quærat qualiter eſſe perſonale cum ſit ſpecifice commune aut particuletur, aut individuetur? Utrum ſcilicet iſte inquantum iſte cum habeant iſtud commune eſſe, ſcilicet perſonale, habeant aliquid amplius, ut ſit adunatum ex illo ſuperaddito, & illo communi, quemadmodum ſe habet in aliis particulatis, & individuatis, & ita iſte inquantum iſte, quacumque ex perſonis demonſtrata, non ſit ſimplex in ultimo: ſed adunatum ex illo communi, & intentione ſcilicet ejus quod eſt perſona, aut quis, aut eſſe perſonale, & quodam ſuperaddito ad perficiendam individuationem, ſive particulationem qua iſte iſte ſit, & ita non ſit ens perſonale ſimplex in ultimo? Nos autem jam reſpondimus in hoc, & diximus comparationibus quas habent velut à foris. Unde non eſt ibi adunatio, nec comparatio in iſto ſecundum quod iſte, neque dicimus quod eſſe perſonale ſit velut eſſentiale commune neque perſona; intentio namque perſonæ ſecundum quod perſona eſt intentio velut forinſeca ex privationibus, & negationibus ſicut ſupra expoſuimus. Verum ſi quis dixerit quod perſonæ nihil eſſentiale logicum communicant, quoniam nec genus, nec ſpeciem, nec differentiam rectè dicit. Et propter hoc ſicut non eſt inter eas per modum eſſentialis communio, ſic nec vera particulatio, aut individuatio: vera quippe particulatio eſt partitio communis eſſentialis, quæ appropriationis ſuper additione facit unum individuum eſſe adunatum ex intentione communi, ſive eſſentialis proximi quod ſpecies, & eſt & dicitur appropriatione ſuperaddita intentioni ipſius ſpeciei. Ubi autem vera ſpecies non eſt, nec verum individuum, & ubi non eſt, verè univerſale, nec eſt verum particulare; ubi quippe non eſt verum totum, nec veram partem eſſe poſſibile eſt.

Quomodo intelligi debeat B. Aug. cum dicit patrẽ de eſſentia ſua genuiſſe filium.

Si autem ab eo quod eſt eſſe perſonale eſſentiam perſonalem dicere volunt ut evadant objectiones quæ ex dictis B. Auguſtini emergunt de Deo ſcilicet, quod dicit Patrem de eſſentia ſua genuiſſe filium, non multum approbo per hæc verba hanc intentionem exponentem, eo quod profana omnis etiam verborum novitas in tam arduis tuta eſſe non poſſit. Quod ſi voluerit interpretari verba illa Auguſtini ut dicat ipſũ intellexiſſe hoc de eſſentia patris logica id eſt de patre nudo, & puro ſicut etiam apud logicos, & alios Philoſophantes nominari ſupra diximus, non tam reprobo: quia & eandem intentionem, præter ſolam logicès nominationem, pia fides & corde tenet, & ore celebrat. Auguſtinus tamen dicit quod hoc ſolum ibi illud de illo dicitur, quod ambo non ſunt, ut filius non dicitur ibi de filio eſſe, quia ambo filij non ſunt aut filius, neque pater ibi de patre eſſe dicitur quoniam non ambo pater, *ſed filius inquit dicitur eſſentia de eſſentia, & lumen de lumine & ſapientia de ſapientia quia ambo una eſſentia, una ſapientia, non duo lumina.* Ex quo videtur quod ubi dicit filium eſſe eſſentiam de eſſentia & poſt exponens ſe dicit *ideo filium dixi eſſentiam de eſſentia quia ambo una eſſentia, & hoc ſolum ibi illud de illo non dicitur quod ambo non ſunt*; nihil autem ibi ambo ſunt niſi eſſentia, nihil ambo non ſunt ibi niſi perſona. Igitur eſſentia dicitur ibi ſumpta eſſentialiter tantum, & ita mens & intentio B. Auguſtini videtur eſſe quod filius ſit de eſſentia ipſa communi trium perſonarum; & quoniam eſt de aliquo non per generationem videri poteſt genitus ab eſſentia, & de eſſentia, & ita filius eſſentiæ. Sed non eſt dubium quin fides ſacra de ſola perſona patris genitum filium doceat, & nullatenus de eſſentia vel ab eſſentia. Quare eſſentiam patris Auguſtinum vocaſſe patrem ipſum dubitandum non eſt ex conſuetudine noſtra qua unũquemque apud nos vocamus eſſentiam ſuam ex cauſa quam aſſignavimus.

Reſpondet obiectioni factæ cõtra allatam expoſitionem.

Quod ſi quis inſtare velit illi regulæ B. Auguſtini qua docet dignoſci eſſentialia vocabula ubi dicitur illud de illo ut explicavimus, ſi inquam velit inſtare in hoc nomine, perſona, quare hoc nomen perſona ſic dicitur, nec tamen eſſentiale eſt? Verè enim Dei filius eſt perſona de perſona; quia hæc perſona ſcilicet filij perſonatur de perſona patris, non tamen ambo perſona una ſed duæ. Reſpondemus in hoc quod hoc nomen perſona noviter inventum fuerat, ut per ipſum quoquo modo ſatisfieret omnibus interrogantibus de Patre, & de filio & de ſpiritu ſancto, quo tres, aut quonam modo tres ſunt, ideo & non curant de eo Auguſtinus, eo quod furatum eſſet, & uſurpatum aliunde. De hoc vero quod Auguſtinus dicit hoc nomen, perſona, ſignificare ſubſtantiam, poſſumus reſpondere quod revera ſubſtantiam, vel eſſentiam logicam, & noſtræ conſuetudinis, ut ſupra tetigimus, vel ſubſtantiam, id eſt non ad aliquid, ſed abſolutè; eo quod omnia prædicamenta quæ ibi veraciter prædicantur ad ſubſtantiam, id eſt non ad aliquid reducantur. Subſtantiam igitur dicemus, id eſt ad ſe. Multi tamen dixerunt authoritate Auguſtini inducti, quod tempore Auguſtini commune erat ad eſſentiam & ad perſonam; ſecundum hoc unde eſſet cum ad ſignificationem perſonarum à noſtra conſuetudine tranſlatum eſſet. Si enim ad eſſentiam ſignificandam tranſlatum eſſet, confuſio potius facta eſſet per ipſum perſonarum & eſſentiæ, quam diſtinctio, vel diſcretio. Certum autem eſt apud nos quoniam propter perſonas ſolas inventum eſt. Approbandum autem videtur quod eſſe perſonam ſit eſſe quem, & eſſentiam eſſe, ſit eſſe quid; & eſſe quem eſt in ſe majoris diſtinctionis, & certitudinis, quam eſſe quid. Unde quis, & quid velut generaliſſima ſunt continentia eſſentialia & perſonalia prædicamenta ſecundum modos Theologicos ut jam ſæpè diximus, eſſentialia igitur prædicantur in quid, perſonalia in quem, ut jam liceat determinare.

CAPUT XLVII.

De reliquis ſive eſſentialibus ſive perſonalibus prædicamentis.

Utrum eſſentia ſignificetur ſuis nominibus Deus & Trinus.

Dubitaverunt autem quidam de hoc nomine Deus, utrum eſſentiale, aut perſonale eſſet? quod ſi eſſentiale eſſet tantum, qualiter verum eſt de filio, aut ſpiritu ſancto quod ipſe ſit Deus de Deo? Amplius qualiter dicitur Deus trinus, & Trinus.

tinus? aut enim de eſſentia hoc verum erit quod ipſa trina eſſet, aut de nullo verum erit; de nulla perſonarum veraciter dici poteſt, quod ipquippe perſonarum veraciter dici poteſt, quod ipſa trina ſit, ſed una tamen. Quod ſi de ipſa eſſentia recipiendum videatur; quid igitur prædicabitur per hanc dictionem, trina? ſi enim terna diſtinctio, tunc impoſſibile eſt quod dicitur cum eſſentia indiſtincta ſit, dico per modos illos ut diſtinguatur quolibet modo in tres. Deinde nullæ notiones in eſſentia. Amplius autem, hoc nomen Deus eſt nomen eſſentiæ, & tunc intentio ejus eſt velut hæc intentio eſſentia divina, & ſecundum hoc nec Deus genuit, nec Deus genitus quoniã eſſentia divina nec genuit, nec genita eſt. Aut eſt nomen perſonæ, & tunc intentio ejus eſt velut intẽtio hæc perſona divina, & tunc nulla veritas huic locutioni Deus trinus; cum perſona trina divina eſſe non poſſit. Aut commune eſt intentione ad eſſentiam, & perſonam; & tunc intentio ejus eſt velut hæc intentio eſſentia, vel divina perſona communiter, quaſi ſub diſtinctione convertibiliter, & poteſtate, non ſecundum actum: & ſi hoc, tunc verum eſt tres deos eſſe, quemadmodum & verum eſt tres eſſentias divinas, vel perſonas eſſe. Hoc autem & dictum, & cogitatum abſit à nobis.

Definit hanc vocẽ Deus ad eſſentiam pertinere.

Dicemus igitur quod hoc nomen, Deus, propria intentione ſuâ eſſentiale tantum eſt, & nomen eſſentiæ tantum: verum propter identitatem perſonarum plerumque utimur eo ad ſignificandas perſonas: ſicut aurum ad ſignificandum vaſa aurea, argentum ad ſignificandum argentea ſæpius aſſumitur, vaſa quippe aurea, & argentea aurum plerumque nominamus, ſic & Deum eſſe, quod divinum eſt, id eſt eſſe id in quo Deitas ſive divinitas eſt. Et propter hoc quamlibet ex perſonis per hoc nomen, Deus, communiter nominamus, ſic & Deum eſſe. Idem autem eſt unamquamque perſonarum eſſe Deum, & nominari hoc nomine Deus.

Hanc vocẽ trinus multiplicare perſonas, ſicut & vox triplex eſſentia.

De eo autem quod quæritur; qualiter ſcilicet verum ſit quod Deus trinus eſt? reſpondent quidam quia nihil prohibet ibidem agi de eſſentia, & planè & indubitate recipiunt eſſentiam altiſſimam trinam eſſe. Intentio autem ejus quod eſt trina juxta etymologiam nominis eſt hæc trium ſcilicet una, vel tribus una: quemadmodum & Iſidorus etymologizat Trinitatem, *trium unitatem*. Eſſentia igitur divina trina eſt, id eſt tribus una, & communis. Prædicatur igitur & locutione illa unitas; non præciſe, & abſolutè, ſed unitas trium, quæ trinitas juxta Iſidorum vocatur. Et erit verum ſecundum hoc quod trinitas unitas eſt, non autem unitas quæ trinitati opponitur, ſed identitas eſſentialis. Hæc enim intentio locutionis ut ipſi interpretantur, trinitas trium unitas, hoc eſt eſſentialis identitas, non autem unitas perſonalis; quia unitati perſonali opponitur trinitas perſonalis: quare neutra eſt altera. Quod ſi quis velit proficere ad hoc quod adverbia numeralia diviſiva multiplicativa ſunt, & multiplicant ſuppoſitiones ſubſtantivorum quibus adjunguntur, ut ſi quis dixerit triplex cappa, aut triplex pallium de tribus palliis, aut cappis; ſic agitur eodem modo ſi triplex Deus dicendum eſſet, de tribus perſonis ageretur, quia triplex multiplicativum eſſentiarum. Eodem modo hæc dictio trinus multiplicativa eſt perſonarum. Unde per hanc intentionem, trinus Deus, de tribus perſonis agitur, & ſimiliter ſi dicatur Deus eſt trinus, eadem erit multiplicatio perſonarum, non erit hoc inconveniens, & fortaſſe intentioni ipſius loquentis erit magis accommodatum.

Secundum autem quod omnia ad aliquid perſonalia ibi ſunt. Nec eſt inſtantia in nomine, Dominus; quoniam ipſum non dicitur ſine reſpectu & comparatione creaturarum: nos autem de aliis hic non intendimus, niſi de iis quæ de Deo dicuntur præter reſpectum, & comparationem creaturarum. Similiter de his nominibus, miſerator, & miſericors, & ſimilibus non eſt nobis modo ſermo; quoniam iſta omnia reſpectu & comparatione aliqua ad creaturas dicuntur. Hæc autem ſunt quæ dicuntur ibi ad aliquid Pater, filius, & ſpiritus ſanctus. Similiter verbum, lux, imago, virtus, caracter, ſplendor, & lumen ſecundum rationem ſuam quæ eſt fluxus lucis, ſive eructatio. Similiter manus, brachium, dextera, os, figura: & iſta duodecim ad filium ſpectant ſine reſpectu, & comparatione creaturarum.

Nomina ad aliquid perſonalia ſunt niſi dicant reſpectum ad creaturas.

Sunt autem alia quæ pertinent ad eum reſpectu & comparatione creaturarum quæ ſunt ars, exemplar, ratio univerſi, lex, hæres univerſorum, mediator, redemptor, angelus, pontifex, ſacerdos, vitis, hoſtia, oſtium, fundamentum, lapis, petra, ſponſus, vir, propugnator, advocatus; & ſi quæ ſunt alia: judex, princeps pacis, pax, legifer, & rex; quæ omnia ad aliquid ſunt, & comparatione creaturarum ad ipſum ſpectant.

Quædam nomina quæ reſpectum habent ad creaturas ad filium pertinent.

Ad ſpiritum ſanctum pertinent iſta ſine reſpectu & comparatione creaturarum amor, donum, dilectio, charitas, nexus, vinculum, unitas, fœdus, concordia, complexus, ſuavitas, gratia, pax, ſpiritus vitæ, ignis, ardor, chariſma, digitus Dei; & hoc ſine reſpectu creaturarum. Ex reſpectu vero creaturarum, & comparatione ſpectant ad ipſum & filium fluvius, flumen, torrens, emanatio, virtus; *Donec induamini virtute ex alto*, Lucæ ultimo, & 12. Ad Corinthios: *Chriſtum dico virtutem Dei, Deique ſapientiam*; fons gratiæ, fons aquæ vivæ, pax, & fœdus.

Nomina ad ſpiritum S. pertinentia.

Quædam autem ſic eſſentialia appropriantur perſonis, & fiunt tranſlatione perſonalia: ſicut poteſtas cum patri attribuitur, & appropriatur; & ſapientia cum filio attribuitur, & appropriatur; quædam enim prædicare divinam eſſentiam, ad quam referendum eſt, & id quod judex omnium vivorum dicitur.

De eſſentialibus quæ perſonis appropriantur.

Quæ vero affectivas paſſiones noſtra conſideratione ſignant, effectus affectionum in creaturis prædicant in Deo vero nihil, ſed ab ipſo, in cujus oſtenſione ſuperius laboravimus. Dicit autem Auguſtinus in libro de trinitate quod Deum iratum dici *non facit turbationis affectus, ſed ultionis effectus*. Ad hunc autem modum miſereri, & clementem eſſe, & velle ſecundum hoc omnium hujuſmodi una interpretatio: velut ad modum volentis aliquid facit, & miſeretur, & iraſcitur; non enim congruit divinam eſſentiam vocari quolibet nomine, ut cum prædicatur per hoc verbum iraſcitur, dicatur iratus; & cum per hoc verbum miſeretur, dicatur miſeratio. Quæ vero aut ſubſtantiam, aut potentiam prædicant divinam eſſentiam neceſſario prædicant; magis quippe ad Deum ſpectare videntur quam ad res, & magis in Deo prædicationem faciunt, quam ab ipſo.

Quod ea nomina quæ paſſiones in Deo ſignificant nihil dicant in Deo.

Similiter iſta verba prædeſtinat, reprobat, ad Deum ſpectant principali prædicatione ſua: verumtamen in creaturis deſignant conſequenter alteris gratiam finalem, & gloriam; alteris culpam finalem, & damnationem. Unde verè dicitur quod ex gratia prædeſtinavit iſtum Deus, quia utique ex gratia eſt, & finalis gratia, & gloria. Et ad hoc refertur cauſalitas deſignata non ad principale deſignatum ſignificatum: nihil enim cauſa eſt principalis ſignificati hujus verbi prædeſtinat, ſed propter conſequenter deſignata rectè dicitur ex gratia

De prædeſtinatione, reprobatione, & dilectione Dei.

tia prædeſtinatus, ideo finaliter bonus, & æternaliter beatus, ut principale ſignum cauſæ illorum duorum oſtendatur. Hoc tamen verum eſſe nihil prohibet, quod ex meritis reprobat ut cauſalitas ad conſequenter deſignata referatur; non enim merita cauſa ſunt principalis ſignificati, ſed revera cauſa ſunt conſequenter ſignificatorum. Hæc autem ſunt finalis malitia, & damnatio æterna; ex meritis quippe ſuis finaliter malus fuit, vel erit iſte, vel fuit futurus, & ex iiſdem meritis æternaliter damnandus: qui voluerit negare hujuſmodi locutiones ex meritis ſuis reprobatur quis, poterit utique propter ſpeciem malam; quoniam cauſalitas referri videtur ad principale, licet hujuſmodi multas neceſſe habet recipere quæſtiones: quales ſunt iſtæ quare Deus diligit iſtum? quia ipſe eſt bonus, vel ex meritis: quæ utique recipiendæ non eſſent, niſi cauſalitas ad effectum dilectionis referretur, non ad principale ſignificatum: ſi tamen ibi aliud gratum quam dilectionis effectum dicimus; Deum enim non affectu diligere, ſed effectu dicimus. Secundum illam interpretationem diligit, id eſt ad modum diligentis ſe habet, dando, conſervando, protegendo, multiplicando data, adjuvando, promittendo ampliora: ſicut & dicimus Deum velle omnes homines ſalvos fieri hoc eſt effectu; ad modum quippe volentis hoc ſe habet, dum hortatur, movet, conſulit, aut dum affert auxilium gratiæ quo ſalutem adipiſcatur, dum vias quæ à ſiniſtris ſunt ſepivit, & vallavit inferno ipſo, ne in ſiniſtram declinaremus. De quibuſdam tamen vere dicitur magis velle ſalutem eorum quibus majora largitur auxilia. Si autem dicatur, Deus diligit iſtum quia bonus eſt, non ideo quia diligit bonus eſt, non oportet utrumque propriè verum eſſe; quia enim diligit dando, aut conſervando, aut aliud faciendo, quod diligentium eſt facere, ideo bonus eſt. Iterum, quia bonus ideo diligit eum, ut bonitatem ei conſervet, aut augeat, aut nutriat, & ſi quid aliud tale eſt.

Quomodo dicendum ſit Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

Ad hunc modum ſe habet de hoc nomine miſſus, ſive miſſionem in carnem, ſive miſſionem ad illuſtranda corda fidelium ſignificet. Sufficit enim dicere quod tantum ſignificet non quidem in Deo, ſed ab ipſo, aut ut ab ipſo: ſicut incarnatus carnem prædicat, non filium Dei tanquam partem, aut ſi humanam naturam prædicet, non prædicat eam ut ejus, ſed ex tempore, & non prædicat eſſentiam divinam ullo modo ex communi via. Similiter ſecundum hoc prædicat miſſionem, quæ dicitur ortus luciferi in cordibus fidelium, novam gratiam ſcilicet quam prædicat in illo ad quem illuſtrandum miſſus dicitur.

De miſſione filii & ſpiritus ſancti.

De verbis vero quæ prædicant notiones, clarum eſt quæ ſunt verbum generandi, & verbum ſpirandi, & quod cum eis nomina eſſentialia ad perſonas transferunt; quemadmodum cum dicitur Deus genuit, aut Deus genitus eſt, quoniam ille qui eſt Deus genuit, aut genitus eſt, & in iis omnibus locutionibus attendendum illud quod veritas locutionis exigit, & regula fidei quæ verba indicet. Res autem & perſonaliter, & eſſentialiter invenitur, ut apud Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana Pater, & filius, & ſpiritus ſanctus tres res, una ſumma res dicuntur. Quare commune eſt ſicut & alia multa.

De verbis quæ prædicant notiones, & quod res eſſentialiter & perſonaliter dicatur.

Quæ vero apud nos quantitatem, aut qualitatem determinant, certum eſt, cum illuc transferuntur non eam ſervare intentionem. Intentio vero quanti, & qualis intentio eſt accidentis, & eſſendi in ſe aliud & participationis non eſſentiæ. Quantum enim & quale in habendo in ſe quid dicitur locutione noſtræ conſuetudinis: Deus vero magnus, aut juſtus, non in habendo, ſed in eſſendo dicitur: ſicut homo albus in habendo in ſe albedinem dicitur, non eſſendo album; color vero albus dicitur non in participatione nec in habendo aliquid in ſe ſed in eſſendo ipſa albedo, & ad hunc modum & in aliis dicendum eſt generaliter.

Quomodo de Deo dicantur quæ quantum aut quale ſignificant.

Quæ vero ad locum, & tempus pertinent nihil menſurationis temporalis, aut localis in ipſum refundunt; ſed præſentiam localem, aut temporalem Dei inſinuant qualem quidem decet de eo cogitare, etenim ſemper, aut ubique ipſum Deum eſſe dicimus; non diffinitione, aut menſuratione hoc dicimus, ſed præſentia, qualis quidem eum decet, non ſitualis, aut terminis ſignabilis; ſicut neque vitam in corpore ſitualiter, aut ſignabiliter dicimus, ſed præſentia, & colligatione.

De iis quæ tempus & locum deſignant.

Sed utrum paternitas prædicet quid, aut quale dubitandum videtur. Palam autem eſt quod intentio paternitatis non eſt intentio Theologica eſſentialis, ſed neque intentio perſonalis per modum eumdem; eſſe quippe paternitatem non eſt eſſe iſtum, quocumque ex tribus perſonis demonſtrato, ſed neque quid logicum videtur eſſe paternitas; quoniam neque genus, neque ſpecies, eo quod nullum ſubeſt individuum. Quare paternitatem eſſe hoc aliquid, & eſſe eſſentiam eſſet eſſe hoc aliquid, & per modum eumdem ibi eſſent duo hoc aliquid, quoniam eſſentia eſt hoc aliquid, & logicè. Amplius notio velut univerſale eſt ad illam, & alias notiones, & non eſt ſecundum accidens ſuperius, ſive commune illarum quemadmodum coloratum ad hunc, ſed ordine rectiſſimo ſupra eſt communitate ordinata, ac finitum & determinatum eſt finitione certa, & hoc ipſo, notio eſt univerſale recta ratione. De illis deinde dicitur univoce, quare non eſt ad modum accidentis notio, ſed neque ad modum differentiæ communis quale ullo modo dicatur. Eſt igitur ad modum ſpeciei neceſſario cum ei non ſubſint niſi ſingularia. Amplius eſſe notionem aut accidit paternitati, aut non accidit: quod ſi accidit, erit ſeparabile vel actu, vel ratione; hoc autem nullo modo videtur. Si non accidit, erit neceſſario ſpecies ejus, aut genus, aut differentia. Quare eſſe notionem eſt quid eſſe logicè, & eſſe perſonam ſcilicet, & eſſe eſſentiam. Similiter igitur videtur ut mutuo ad invicem prædicentur, & eſſe horum ſub aliquo aliorum ſit; cum enim eſſe hominem ſit eſſe quid, & eſſe animal, ſimiliter impoſſibile eſſet ea de invicem prædicari, ſive alterum de altero. niſi alterum ſub altero, aut in toto aut in parte eſſet.

Quid prædicent paternitas & aliæ notiones an quid an univerſale, an accidens?

Videmur igitur rationibus ſuaſiſſe notionem non eſſe aliquid trium quæ numeravimus, ſed determinandum ſicut ſacri doctores determinant, ut ſcilicet dicatur eſſe commune, ſitque velut certum prædicamentum continens notionalia abſtracta, & habet ſe quodammodo ad modum generis notio; quoniam non ſignificat eſſe eſſentiale generis, in his igitur remittemus te ad ea quæ de his præceſſerunt.

Notionem non eſſe aliquid triũ enumeratorum.

De numerabilibus autem non aliud determinandum videtur quam quæ apud Philoſophos determinata ſunt. Primum igitur hoc ſciendum quod unum eſt ſecundum rationem ſuam perſcrutatam in ſe indiviſum, & ab aliis diviſum. Ad hunc modum conſiderandum eſt de perſonis, & eſſentia; unaquæque enim perſonarum una eſt in ſe, ſcilicet indiviſa per omnem modum & ab aliis diviſa prædicatione & negatione. Hæc igitur eſt ars vera diviſiones, & conjunctiones ſingulis congruentes intelligere, & adaptare, & modos dicendi unum noſſe, ſcilicet ut

De numeralibus idẽ ſtatuendum quod Philoſophi determinant.

ſciatur quod quemadmodum, & quotiens eſt conjungere, ſic & totiens eſt dividere. Quare igitur quædam continuatione, quædam conjunctione colligationis, quædam origine, quædam loco, quædam jure, quædam capite conjuncta ſunt, quædam mutua identitate, & prædicatione. Ideo & lignum, & ſtagnum unum, & aqua una, ſive fluvius, & gens una, & populus unus, & genus unum, & unumquodque idem ei quod multipliciter dicitur. Duæ igitur perſonæ duæ ſunt diviſione, quæ eis congruit, & hoc eſt negatio, ſive diviſio mutua ab invicem; quia nec hæc eſt illa, aut è converſo. Et hoc ubique attendendum qualiter unum & multa dicuntur. Alia enim diviſio in perſonis non reperitur niſi negationis, aut differentiarum comparatarum quas aſſignavimus. Diverſæ igitur eſſe ſuo perſonali, conjunctæ vero eſſe ſuo eſſenciali; ut ſicut idem unum communicant integrè, perfectè & æqualiter; ſic iſtud ſibi dividunt diverſè de illo ſibi ſuum unaquæque vendicans. Et hæc eſt intentio unius & multi ubique.

Explicit primus Tractatus divinalis magiſtri Guilielmi Pariſienſis, ſcilicet de Trinitate, notionibus & prædicamentis in divinis.

GVILIELMI PARISIENSIS TRACTATVS DE ANIMA

PROLOGVS.

Oſtendit hanc ſcientiam tranſcendere limites Philoſophorum naturalium.

Alia ſcientiá eſt quæ de anima humana tractat ab ea quæ de anima in genere.

QUI ſcientiam de anima aliis ſcientiis annumerant, eamque unam de undecim partibus philoſophiæ naturalis eſſe dixerunt, atque ſcripſerunt, non arbitror eos idipſum ſenſiſſe de ea quæ de anima humana ſpecialiter ac per ſe eſt ſcientia: nobiliores namque atque ſublimiores diſpoſitiones ipſius quas in ipſa hujuſmodi ſcientia perſtrutari & declarare intendo, ſupra naturam ſunt, & ſupra rēs omnes natuales.

Dignitas animæ humanæ.

Quod enim cauſata vel facta ſit ad imaginem Dei, ſicut in lege legitur Hebræorum, quod & divinæ ſimilitudinis forma, ſicut ait Mercurius Ægyptius in libro de Deo deorum, naturalis Philoſophus non attingit: omnis enim ejus intentio in rebus naturalibus verſatur totaliter, & ad creatoris ſupereminentiſſimam altitudinem non attingit. Quapropter imago & ſimilitudo creatoris, divinæque ſimilitudinis forma, ut eſt dico imago & ſimilitudo illius, & divinæ ſimilitudinis forma tam longé eſt ab intentione naturalis artificis, quam longé ipſe creator & ejus divinitas à rebus ipſis naturalibus, inquantum ſunt res naturales, & ſcientiis naturalibus ſubjectæ.

Scientia de anima humana pertinet ad ſapientiale & divinale magiſterið.

Amplius imaginis, & veritatis, reique ſive exemplaris & ſimilitudinis ſuæ, per ſe quod eſt dicere, inquantum ſunt imago & ſimilitudo, una eſt ſcientia, & unius artificis eſt cognoſcere de utriſque. Cum igitur cognitio creatoris quæ per Philoſophiæ vias acquiritur, ſolius ſit primi ſapientialis & divinalis magiſterij, erit ex neceſſitate cognitio imaginis & ſimilitudinis ſuæ pertinens ad idem magiſterium ſolum. Denique ſunt aliæ ſublimes diſpoſitiones, nobiliſſimæque comparationes ipſius ad creatorem, ſine quarum cognitione nullo modo poteſt compleri hæc ſcientia de anima humana; alioquin in ſui principio ignota & in præclaritate ſua obſcura remaneret anima humana, ipſaque ejus ſcientia parte ſua magis utili ac præſtantiſſima detruncata, &c.

Diviſió totius tractatus in ſepté capitula.

Et quoniam incalluit quorumdam cæcitas, & invaluit imbecillitas covſque etiam, ut animam humanam eſſe negaverint, & adhuc negent; ſtabiliam imprimis eſſe ipſius, & intendo quod faciam te ſcire quia ipſa eſt, nec non & omnem erroneum qui videre prævaleat diſtinctionem omnis contradictionis neceſſario eſſe veram, & non eſſe poſſibile contradictionem ſimul dici de eodem. Deinde, hoc eſt in ſecundo capitulo, perſcrutabor eſſentiam ejus, & ea quæ ſunt ipſius per ſe, ſive ſecundum ſe, videlicet utrum ſimplex an compoſita? Tertio de partibus ipſius compoſitionis quæ, & quot, & quales ſint? Si qui & partes poſuerunt. Poſt hoc utrum una an multæ ſint in homine uno. Quinto de ipſo modo ingreſſus ipſius in eſſe, videlicet utrum per generationem; ſic quod alij dicunt, ex traduce, vel per creationem, quæ eſt operatio ſingularis omnipotentis creatoris. Sexto loquar de ſtatu ejus in corpore; videlicet in hac vita, an ſit ei naturaliter conveniens, an ex alia cauſa in hunc ſtatum devenerit? Ubi deſtruam errorem Ariſtotelis qui hunc ſtatum naturalem poſuit animabus humanis. Septimo proſequar comparationem ipſius ad creatorem, ubi declarabuntur tibi fines ſingularium virium nobilium, perfectiones inquam ultimæ, in quibus, & ex quibus conſiſtit perfectio ejus ultima, quæ fælicitas & gloria noń immerito nominatur.

CAPITULUM PRIMUM.

Pars prima oſtendit definitionem animæ.

Definitio animæ ab Ariſtotele tradita expenditur.

INcipiam igitur cum auxilio Dei, & dicam imprimis quid eſt quod dicitur Anima? hoc enim eſt unum ex principiis doctrinæ & diſciplinæ, videlicet quid eſt? quid dicitur de quo agendum eſt? Anima igitur eſt provt diffinit Ariſtoteles, *perfectio corporis phyſici organici potentia vitam habentis.* Hæc autem ratio generalis eſt ad animas humanas, & ad animas cæterorum animalium, nec non ad animas vegetabiles. Non intret autem in animum tuum, quod ego velim uti ſermonibus Ariſtotelis, tanquam authenticis ad probationem eorum quæ dicturus ſum, qui ſcio locum dialecticum ab auctoritate tantum eſſe, & ſolum facere poſſe fidem, cum propoſitum meum ſit & in hoc tractatu, & ubicumque poſſum certitudinem facere demonſtrativam, poſtquam non relinquitur tibi demonſtrationis ullum veſtigium.

Corpus inſtrumétum eſt animæ.

Intellexit igitur Ariſtoteles, *corpus organicum Phyſicum*, quod eſt dicere inſtrumentale corpus, quod natura ipſa fabricavit, & aptavit ad operationes, ita videlicet ut & ipſa aptitudo ex ejus figura appareat Dolabra quidem & gladius corpora organica ſunt, id eſt inſtrumentalia & operationibus quibuſdam fabricata, & aptata, quod ex ipſis figuris evidenter habet. Verum natura non fabricavit ea, nec adaptavit ſic ad ſuas operationes, vi-

delicet ad dolationes & bella: corpus vero uniuſcujuſque animalis natura ipſa fabricavit & adaptavit ad operationes, quæ naturaliter unicuique animali congruunt, ſicut manus ad operationes, pedes ad greſſus, linguam & labia ad formandas voces in iis duntaxat animalibus quæ vocant, ideſt voces formant.

Quomodo dicatur corpus viventis potentia vitam habens. Quod autem ſubjunxit *potentia vitam habentis*, non convenienter poteſt intelligi niſi de corpore quod poſt mortem remanet animalis; non enim convenienter dici poteſt homo vel aliud animal potentia vitam habens, cum vita ſit ei eſſentialis, & vivere ſit ei eidem eſſe in effectu, nec ſeparabilis ſit ab eo vita actu vel intellectu. Vivere autem quod potentialiter ineſt accidit, & advenit ſupra totam completam rei eſſentiam tanquam forinſecum, utpote quod nec totum eſſe ſit, nec pars ipſius, ſed præter neceſſitatem totam eſſendi. Quod ſi quis dixerit quod ipſe homo vel aliud animal per hoc eſt potentia vitam habens quoniam non imprimis, ſed quaſi ſecundo, & conſequenter, quoniam ab anima & per animam; dico quia non expedit, nec decet de neceſſitate philoſophantem contendere cum hujuſmodi homine, qui ſic vult abuti vocabulis, ut non communi more, neque ut plures, ſed ſingulariter, & à ſe ſolo intelligendus loquatur.

Quod corpus non destruitur in morte animalis. Si quis etiam dicere voluerit quia in morte animalis, ſive ſit homo, ſive ſit aliud animal, deſtruitur corpus ejus, multum longè aberrant ab opinione communi, & conſuetudine hominum qui credunt ſe conſervare corpora mortuorum Mirrha, & Aloë, & Balſamo, atque pulvere cedrino per multos annos poſt mortem. Medici quoque per medicamenta ſua putant conſervare ſe poſſe corpora quorumdam animalium, & quorumdam aliorum partes. quod ſi eſſet verum, videlicet ut corpus humanum quod prius vivebat morte hominis deſtrueretur: unde igitur eſſet illud, quod omnes homines vident poni in feretris, & recondi in ſepulchris? non enim per generationem factum eſſe videri poteſt, per creationem quidem non eſt poſſibile, cum nulla ſit utilitas, nullus uſus membrorum illius, quoniam nulla operatio quæ & aptitudini illorum congruat: quapropter ſupervacuè crearetur hujuſmodi corpus, hoc eſt in hujuſmodi forma, & aptitudine membrorum. Hoc autem quam longe ſit à ſapientia, & bonitate creatoris nemo intelligens ignorat; nullus enim hominum adeo inſipiens eſt ut dolabram vel aliud inſtrumentum per quod nihil operari poſſet fabricare attentaret. Per generationem quoque manifeſtum eſt corpus novum non eſſe poſſibile poſt mortem tam ſubito advenire, cum generatio ejus longo tempore indigeat, ut genitor etiam ibi fingi non valeat.

Ligna post abſciſſionē eadem ſunt, idem de foliis floribus, & fructibus. Amplius. Secundum errorem iſtum fabri lignorum, quos vulgo carpentarios dicimus, incredibiliter errarent qui ligna de ſilvis ſe colligere, & cædere credunt, cum poſt mortem arborum nova ligna loco eorum quæ prius in ſilvis erant ſuborirentur. Medici etiam & Apothicarij multo diſpendio, multiſque detrimentis errarent, qui credunt ſe & fructus & folia & flores & radices nec non & partes lignorum in Apothecis ſuis ſervari; cum non ſervetur niſi quod permanet, & nihil eorum remanet poſt mortem, hoc eſt poſt receſſum ſive extinctionem vitæ vegetabilis in eis. Dimittam autem hujuſmodi delitamenta, de quibus nec mentionem feciſſem niſi quoſdam ea tenentes audiviſſem. Manifeſtum igitur eſt Ariſtotelem in ratione illa *corpus eſt poteſtate vitam habens*, intelligere corpus quod remanet poſt mortem hominis, vel alterius animalis, vel etiam vegetabilis ſeu plantæ. Illi enim propriè convenit potẽtia vitam habere, quemadmodum ſi quis dicat de aëre quod potentia lumen habet; & quemadmodum remanet aër tenebroſus poſt abſceſſum luminis quod à ſole receperat; ſic remanet corpus mortuum & vita privatum quam ab anima recipiebat.

PARS SECUNDA.

Quod humanitas non eſt anima, ſed homo ipſe.

Anima eſt forma. QUoniam autem dicit Ariſtoteles in libro de anima quoniam corpus quidem materia eſt, anima vero forma. Et iterum cum tripliciter dicatur ſubſtantia, & hoc quidem ſicut materia, id vero ſicut forma quæ jam erat aliquid eſſe, tertium vero ſicut compoſitum jam ex iis, anima quidem non materia eſt neque compoſitum, ſed forma.

Humanitas non eſt anima ſola. Viſum eſt aliquibus quod ipſa humanitas, qua homo eſt homo, anima ipſa ſit; quoniam perfectiva forma videtur hominis. Errant autem indubitanter, quod & ipſa hominis nominatio qua homo nominatur oſtendit; nominatur enim homo ab humo, hoc eſt à corpore terreno. Propter hoc humanitas non eſt anima ſola, ſed anima eſt perfectio ipſius corporis, perfectio, inquam, eſſentialis ipſius, quæ & pars illius eſt, & cum materia prima componit & conſtituit illud. Hoc inde manifeſtum eſt, quia ſi corpori aëreo vel ferreo conjungeretur anima humana, ita ut ex illis eſſet unum compoſitum, manifeſtum eſt quod illud non eſſet homo, quod indubitãter eſſet, ſi ſola anima eſſet humanitas. Sicut enim ab albedine album eſſe neceſſe eſt omne id in quo albedo eſt, ſic & ab humanitate omne id in quo humanitas eſt hominem eſſe neceſſe eſt, & intendo ſi humanitas in eo eſt eſſentialiter, & tanquam pars ipſius. Ex conſequenti autem, & ex propinquo ex iis quæ dicam fiet tibi lucidior ſermo Ariſtotelis quem dicit in ratione ſeu definitione animæ.

PARS TERTIA.

Deſtruit errorem negantium animam eſſe.

Indigniſſimi hominum qui negant animam humanam eſſe. PRoſequar vero ante hoc deſtruere errorem inſaniſſimum hominum, qui nec hominis nomine digni ſunt, negantes animas humanas eſſe; procul dubio enim id de ſuo eſſe per iſtam negationem removent, quo ſublato impoſſibile eſt hominem eſſe, ſublata namque vita, quæ anima remota removetur, & ea poſita ponitur, manifeſtum eſt hominem non eſſe quod remanet, ſed tantum corpus mortuum, cui rationem hominis quæ eſt animal greſſibile, bipes neſcio, ſi unquam auſi ſunt ſibi attribuere.

Qui negat animam humanam neſcit quid ſit negare & affirmare & nihil proſſus intelligit. Et ut fiat evidentius quod intendo, interrogabo unum ex iis ſi intelligit vel ſcit ſe negare, & quid eſt quod dicitur animam humanam eſſe? Et ſi dixerit quod non intelligit vel ſcit ſe negare hoc, vel quid eſt ipſum negare vel affirmare, interrogabo cum iterum, utrum intelligat vel ſciat ſe intelligere vel ſcire vel hoc vel aliud? Qui ſi dixerit, non manifeſtum eſt ipſum eſſe extra univerſitatem errorum & imbecillium, ſicut dicit Avicenna in philoſophia ſua prima, neque homo hujuſmodi homo eſt cum quo diſputandum ſit, vel ſermo alius conferendus. Procul dubio homo non eſt qui non intelligit nec ſcit quid ſit affirmare vel negare, nec intelligit repugnantiam affirmationis & negationis, neque ſcit quid ſit intelligere vel ſcire, ſed neque ſcit an de uno & de eodem dici poſſunt affirmatio & negatio, neque cognoſcit hujuſmodi impoſſibilitatem contradictionis. Quapropter duo iſta principia

† ſ l. non idem eſt affirmatio, & negatio, nec de eodem affirmatio vel negatio.

cipia prima philoſophiæ quæ ſunt non eodem affirmatio & negatio, & de eodem affirmatio vel negatio indubitanter ignorat. Quæ ignorantia cadere non poteſt in ſubſtantiam aliquam intelligentem. Manifeſtum eſt igitur ipſum eſſe ſine intellectu, quare non eſt cum eo agendum de iis quæ ad philoſophiam pertinent potius quam cum aliquo bruto; neque enim differre videtur ab illo cum ſine intellectu ſit.

quare cum hujus modi non eſt diſputandum.

Amplius cum ipſemet dicat & confiteatur ſe nec intelligere nec ſcire, impoſſibile eſt quod ei acquiratur intellectus vel ſcientia, cum non ſit poſſibile iſta eſſe ignota alicui ex philoſophantibus quod ea habeat. Propter hoc igitur omnes negligendi ſunt & non curandi homines hujuſmodi, ut pote qui adeo longe ſunt ab omni intellectu, & ſcientia, ut ad ea nullo modo valeant attingere.

quod ſi dicant ſe ſcire & intelligere, ſecundũ partem illã quæ anima eſt intelligere dicentur non ſecundum totam.

Si vero dicit ſe ſcire & intelligere quid eſt affirmatio & negatio, & contrarietatem eorum, & quod neceſſe eſt de omni altera earum dici verè, impoſſibile autem ambas veras eſſe ſimul: tunc interrogandus eſt etiam de ipſo ſcire ſuo, vel intelligere quod indubitanter ſcit apud ſe & in ſe eſſe: an ſit in eo ſecundum totum? an ſit ſecundum partem tantum? Quod ſi dixerit quia ſecundum totum, tunc neceſſe eſt ut ipſe totus intelligat, ita videlicet ut quælibet ejus pars. Quapropter & ejus pes, & manus, & quilibet digitorum ejus intelliget, & ſciet. Ad quam inſaniam concedendã non eſt adhuc auditus aliquis deveniſſe. Quod ſi dixerit quia ſuum intelligere & ſuum ſcire non eſt in eo ſecundum totum, ſed ſecundum partem, eſt igitur in parte illa per ſe & propriè. Quemadmodum cum criſpus dicatur aliquis ſecundum partem ſuam tantum quæ eſt caput ejus, erit criſpitudo in capite illius per ſe & propriè. Quare neceſſe eſt ſuum intelligere & ſuum ſcire eſſe in aliqua parte ipſius & de illa per ſe & propriè dici, & propter illam de toto.

Cũ id quod intelligit in homine non ſit corpus nec pars corporis neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam incorpoream totius corporis reginã.

Quare pars illa per ſe & propriè intelligit & ſcit, quemadmodum caput criſpi hominis per ſe & propriè criſpum eſt. De hac etiam parte quæro an ſit pars corporis, an non? quod ſi pars corporis eſt, aut igitur corpus; & erit pes aut manus, aut aliquid aliorum membrorum, eſt igitur ac ſi dicat manum vel pedem hominis intelligere & ſcire quod nemo adhuc dixit. Quod ſi non fuerit pars corporis ipſius hominis, neque corpus aliud, jam concedat adverſarius id quod intendebam, videlicet quod id in quo propriè & per ſe eſt intelligere in homine & ſcire eſt, & hoc eſt quod propriè & per ſe intelligit & ſcit in homine, nec eſt corpus ipſius hominis, nec pars illius. Quapropter cum neceſſe ſit id eſſe ſubſtantiam, neceſſe eſt id eſſe ſubſtantiam incorpoream, & quia per id quod eſt intelligens & ſciens in homine regitur ipſum corpus ejus, ejuſque motus, & omnes operationes ejus voluntariæ. Manifeſtum eſt in homine eſſe ſubſtantiam incorpoream totius corporis reginam, ſubſtantiam dico, incorpoream viventem, cum manifeſtum impoſſibile ſit intelligere vel ſcire eſſe ſubſtantiam non viventem.

Qui animã humanam eſſe aliud corpus aſſerunt ab humano corpore, eam propriè in homine eſſe non confitentur.

Nemo autem locutus eſt de anima humana qui illam non intelligat per hanc rationẽ ſeu deſcriptionem, & qui eam non nominat ſubſtantiam viventem incorpoream intelligentem & ſcientem per ſe & propriè, totumque hominem, hoc eſt omnia interiora hominis & exteriora regentem. Quod ſi dixerit id in quo eſt intelligere & ſcire quibus dicunt homines ſe intelligere & ſcire non eſſe totum corpus, ſed neque partem illius, ſed quoddam aliud corpus, quod tamen eſt intelligens & ſciens propriè & per ſe, cum negare non poſſit, id eſſe regens totum hominem, ut prædixi, non effugit totaliter veritatem; Confitetur enim illud animam humanam eſſe: hoc tamen erroris adhuc retinet quod ipſam ſomniat eſſe corpus, cum non confiteatur ſubſtantiam reginam totius corporis intelligentem & ſcientem propriè & per ſe in homine eſſe, quæ tamen alia ſit ab ipſo corpore humano, confitetur procul dubio animam humanam in homine eſſe, & hoc utique verè. Quod vero ſubſtantiam hujuſmodi corpoream eſſe dicit hoc procul dubio falſum & impoſſibile admiſcet veritati, quem errorem deſtruam deſtructione irrefragabili in ſequentibus.

Corpus humanum inſtrumentũ eſt, adeoque propter animam cui ſervire debeat.

Amplius manifeſtum eſt nullum inſtrumentum eſſe propter ſe, ſed propter operatorem, ad hoc videlicet ut ei ſerviat in operationibus quæ fieri habent per ipſum. Cum igitur corpus humanum organicum ſit quod eſt dicere inſtrumentale, imo cum ſit inſtrumentum unum ad multas operationes aptum, natum & fabricatum, neceſſe eſt operatorem eſſe cui naturaliter ſerviat, quique eo naturaliter uti debeat. Hic autem operator eſt quem vocamus animam humanam.

Animæ exiſtentiam oſtendere operationes illas quæ per corpus fiunt tanquã per inſtrumentum.

Amplius quis non videat cæcitatem iſtam, vel potius qui eam credere poſſit in aliquo homine eſſe, ut videat operationes & inſtrumentum per quod fiunt, & nihilominus credat non eſſe operatorem qui inſtrumento illo utatur, & per ipſum operationes illas exerceat. Hunc autem, ſicut prædixi, operatorem animam omnes homines uſualiter vocant.

Deinde quià inſtrumentum non imperat nec ſervit ſibi ipſi.

Amplius manifeſtum eſt nullum inſtrumentum imperare ſibi, vel ſervire ſibi ipſi, uſus autem omnis inſtrumenti non eſt niſi operatio quæ per illud exercetur. Quia igitur nullum inſtrumentum ſe ipſo utitur nullum operatur à ſemet ipſo vel per ſemet ipſum, nulla igitur operatio quæ per inſtrumentum fit ab ipſo eſt; eſt autem omnis hujuſmodi operatio à potentia operandi per inſtrumentum illud vel utendi illo. Potentia igitur utendi quocumque inſtrumento, vel operandi per illud non eſt ipſius inſtrumenti, quemadmodum nec operatio, cum ejuſdem ſemper ſint potentia & actus. Quare manifeſtum eſt potentiam exercendi operationes quæ exercentur per corpus humanum non eſſe ipſius corporis humani, neceſſe autem eſt illam eſſe alicujus, & in aliquo. Quare alterius & in altero quam ſit corpus humanum, & illud eſt propriè & per ſe potens exercere hujuſmodi operationes per corpus humanum, & eſt exercens illas per ipſum & propter hoc effector vel operator earum. Hunc autem ſicut prædixi animam vocant omnes intelligentes & intellectus omnium, & intentio non eſt aliud in parte iſta niſi quod ipſe eſt anima humana.

Eodem modo de animabus brutorum ratiocinandũ eſſe de vegetabilibus.

Eodemque modo eſt ratiocinari de anima cujuſcumque alterius animalis, circa quam erraverunt illi qui illam potentiam quandam & virtutem corporis animalis, & non ſubſtantiam eſſe dixerunt: de anima etiam vegetabili nihilominus convenit, & poſſibile eſt ratiocinari.

Idem probatur ex motibus qui non ſunt naturales corpori humano ut moveri ſurſum ante & retro &c.

Amplius manifeſtum eſt omni intelligenti, corpori humano naturalem motum eſſe qui eſt ad medium ex virtute ſuæ ponderoſitatis. Cum igitur nulli corpori ſint duo motus naturales, manifeſtum eſt omnes alios motus qui ſunt ſecundum locum innaturales eſſe corpori humano, quare ex alio principio & virtute neceſſe eſt alios motus ineſſe. Habet igitur motorem alium, quam naturam propriam à quo movetur aliis motibus, ſcilicet quoniam ſunt ante, & retro, dextrorſum, & etiam in ſurſum. Hunc autem motorem ego nomino animam humanam, & ipſe eſt quem inquiro, & cujus eſſe ſtabilire intendo.

Item ex eo quod imperentur motus illi, ſintque voluntarii.

Amplius quoniã iſti motus voluntarij ſunt & fiunt voluntate hominis imperante, imperante inquã imperio quod non eſt niſi velle vel concupiſcere, imperare autem, & miniſtrare ſive obedire contraria ſunt

evidenter, & propter hoc non ſunt in eodem ſecundum idem. Quare in eodem homine non eſt idem imperans motus hujuſmodi, & miniſtrans ſive efficiens illos, vel ad minus non ſecundum idem. Secundum igitur aliud eſt imperans illos ipſe homo, & ſecundum aliud efficiens vel miniſtrans illos. Id autem ſecundum quod eſt imperans illos eſt illud in quo per ſe eſt imperium, quo imperantur motus illi ſimiliter illud quod eſt efficiens illos eſt obediens ſive miniſtrans propriè & per ſe. Quare in homine uno aliud eſt imperans motus iſtos propriè & per ſe, aliud eſt miniſtrans vel efficiens illos. Hoc autem eſt quod invenire & ſtabilire intendebam, videlicet motorem imperantē motus hujuſmodi, quē ſicut ſæpe jam dixi, animam humanam nomino.

Ex ipſo imperio concludit nobilitatem animæ ideoque & ſubſtantiam eſſe.

Et eodem modo ſtabiliretur eſſe animæ brutalis. Et quoniam longe nobilius imperare quam ſervire, & imperativum omni miniſtrativo naturaliter præcellit; quoniam ad invicem ſe habent ſicut Dominus & ſervus, vel dominans & ſerviens, cum manifeſtum ſit totum corpus humanum ad modum miniſtrantis ſe habere ſive ſervientis. Ad hujuſmodi imperantem, ſive dominantem; imo quod minus eſt ut inſtrumentum ad operantem, & per illud manifeſtum eſt motorem hujuſmodi hos motus imperantem longè nobiliorem eſſe ipſo corpore humano, & propter hoc eſſe ſubſtantiam; cum accidens omne ſua ſubſtantia longe ignobilius eſſe neceſſe ſit.

Intelligere & ſcire in hominibus probat non eſſe per formas corporales.

Amplius intelligere & ſcire quod manifeſtum eſt eſſe in hominibus, ſi in homine non eſt niſi corpus, erunt igitur in corpore ipſius: & quoniam intelligere & ſcire non eſt niſi per formas & ſimilitudines rerum quæ intelliguntur & ſciuntur, non erunt intelligentiæ & ſcientiæ hujuſmodi niſi per formas quæ habent eſſe in corpore. Quapropter cum in corpore non habeant eſſe niſi formæ corporales, non erunt intelligere & ſcire hujuſmodi, niſi per formas corporales: formæ autem corporales non ſunt propriè ſigna vel ſimilitudines niſi rerum corporalium: impoſſibile igitur erit homines intelligere propriè, niſi res corporales; quare nec creatorem, nec alia ſpiritualia poſſibile erit intelligere hominibus.

Idem probat ex eo quod omne corpus non intelligat.

Amplius ſi forma corporalis per exiſtentiam ſuam in corpore facit corpus intelligens, ſicut iſte ponit erroneus, neceſſe eſt omne corpus intelligens eſſe, cum in omni corpore inveniatur cauſa hujuſmodi videlicet exiſtentia formæ corporalis in ipſo.

Ex præſtantia actionū iſtarum intelligere & ſcire quæ non competunt corpori ratione corporeitatis ſuæ concludit incōparabilem rebus corporalibus animæ humanæ dignitatem.

Amplius manifeſtum eſt omni intelligenti, corpus ex natura corporeitatis ſuæ non poſſe habere intellectum vel ſcientiam, ſimiliter intellectum & ſcientiam non poſſe eſſe in corpore, ex eo videlicet quod corpus. Quare in corpore humano non ſunt iſta per hoc quod eſt corpus, nec in homine ratione corporis aut per corpus. Cum igitur manifeſtum ſit ea eſſe in homine, neceſſe eſt ea eſſe in eodem ratione alterius, aut per aliud quam ſit corpus, quod indubitanter corpore longè nobilius eſt longèque præſtantius; quemadmodum & iſtæ ſecundæ operationes videlicet intelligere & ſcire omnibus corporalibus operationibus incomparabiliter præcellentiores ſunt. Quapropter operator earum per ſe omni corpore incomparabiliter eſt ſublimior.

PARS QUARTA.

Oſtendit quod anima non poteſt intelligere ſe non eſſe.

Nemo poteſt ignorare ſe intelligere & intelligere eſſe apud ſe, nec intelligere eſſe ſecundum ſe totum, aut ſecundum corpus.

ADDAM autem iſtis dictum mirabile, ſed inventu mirabilius, & dicam quod non eſt poſſibile homini intelligere animam ſuam non eſſe; ſi enim poſſibile eſt hoc ei, eſto igitur quod ipſe intelligat animam humanam non eſſe. Dico igitur quia ipſe intelligit ſe intelligere hoc; non enim poſſibile eſt intelligentem aliquid quidquid illud ſit, ignorare ſe intelligere illud, quapropter intelligit & ſcit intellectus ſe intelligere hoc: quare ſcit hoc ſuum intelligere eſſe apud ſe, & in ſe. Scit antem indubitanter & intelligit intelligere non eſſe niſi in intelligente. Quapropter vel ſe totum intelligere, vel aliquid ſui. Certiſſimum autem habet ſe totum non intelligere id eſt neque corpus ſuum, neque partem ſui corporis, quapropter ſcit & intelligit aliquid in ſe vel apud ſe intelligens eſſe quod non eſt corpus ejus neque pars illius.

Id vero animam vocari in homine.

Et hoc eſt quod vocatur anima in homine videlicet id quod eſt intelligens in eo propriè, & per ſe, & propter quod ipſe homo & intelligere & ſcire poteſt, & ſecundum quod intelligens & ſciens eſſe dicitur. Scit igitur & intelligit tale quid videlicet intelligens & ſciens per ſe & in ſe ipſo: quare intelligit & ſcit illud eſſe. Et hoc eſt quod vocatur anima humana in homine. Manifeſtum eſt igitur ipſum intelligere & ſcire animam ſuam eſſe, & quoniam non poſſunt ſimul intelligere aliquid eſſe, & aliquid idem non eſſe, conſequens eſt ipſum non intelligere animam ſuam non eſſe. Et hoc eſt quod declarare intendebam, videlicet quod non eſt poſſibile ulli homini intelligere animam ſuam non eſſe. Quicumque igitur ponunt animam humanam non eſſe, ponunt indubitanter quod nec intelligunt nec intelligere poſſunt.

Impoſſibile eſt animam ignorare illud eſſe quod intelligit, cum poſſibile nō ſit vel non ens intelligere, vel quod intelligit non eſſe.

Et ſi volueris per viam iſtam ratiocinari de anima humana, erit via facilior & ratiocinatio expeditior. Si enim poſſibile eſſet animæ humanæ intelligere ſe non eſſe, cum neceſſe habeat ſcire & intelligere omne ſuum intelligere, intelligeret igitur & ſciret ſe intelligere illud: quare intelligeret & ſciret ſe eſſe, cum impoſſibile ſit eam ignorare quod intelligit eſſe, nec poſſibile ſit vel non ens intelligere vel intelligens non eſſe. Quare manifeſtum eſt animæ humanæ non eſſe poſſibile intelligere ſe non eſſe. & ad hunc modum ſe habet de omni ſubſtantia intelligente.

Colligit quæ jam probaverat omnem animam quæ negat ſe eſſe vel ponit ſe non eſſe ſcire nec intelligere quid loquatur.

Jam igitur feci te ſcire per hoc quia omnis anima quæ negat ſe eſſe, vel ponit ſe non eſſe, nec ſcit nec intelligit quid loquatur. Et propter hoc nullus ex hominibus negantibus animam humanam eſſe, vel ponentibus ipſam non eſſe, ſcit vel intelligit quod negat, vel aſſerit in parte iſta; cum non niſi propter animam, & ſecundum ipſam intelligat vel ſciat aut ſcire vel intelligere dicatur. Quemadmodum ſi ejus caput criſpum non eſt multo minus ipſe criſpus, nec homo propter id erit vel dicetur, & ſic finitur quarta pars.

PARS QUINTA.

Quod anima eſt ſubſtantia, & quod potentia animæ eſt ipſa ſubſtantia animæ.

Anima brutorum accidens non eſt quia ejus abſentia corruptio eſt & mors animalis.

ET quoniam quidam erroneus & imbecillis, qui à ſimilibus ſibi ſciolus putabatur, negavit animam brutalem ſubſtantiam eſſe, non inconveniens neque ad propoſitum uſquequaque non pertinens errorem ipſius deſtruere, per quem non paucos forſitan involvit. Aggrediar igitur hoc. Dico igitur quia ſi anima illa non eſt ſubſtantia, cum ſit de rebus creatis, erit de neceſſitate accidens, quapropter aderit & aberit præter ſui ſubjecti corruptionem. Quapropter cum receſſerit à quocumque animali, erit receſſus præter corruptionem illius, quare & præter mortem, cum mors animalium corruptio ſit ipſorum. Erunt igitur animalia immortalia omnia, & incorruptibilia per mortem; cum abſentia accidentis per ſe nec corruptionem, nec mortem inducere poſſit.

2. Quia animal mortuũ differt à vivente plus quam accidentaliter.

Amplius ſecundum hoc non differret animal mortuum à vivente niſi differentia accidentali, cum non differat niſi anima: anima autem accidens ſolummodo ſit.

3. Quia vivere in animalibus ſicut & in homine eſt eſſe.

Amplius cum nullum accidens vel faciat, vel præſtet eſſe ſubjecto in quo eſt, abſentia ſua non auferet eſſe neque inducet eidem non eſſe. Vivere igitur non erit eſſe in animalibus. Æque igitur erunt animalia mortua ſicut viventia. Sicut aer non minus eſt cum illuminatur, & cum lumen ab eo receſſerit. Quæro utrum de hominibus idem ſentiat, videlicet quia mortui non minus ſunt quam viventes: quod ſi idipſum ſenſerit, cum dicit ei univerſitas hominum quæ tota clamat ſe amittere charos ſuos cum moriuntur. & quamdiu ſunt mortui hi- get eos tanquam qui non ſunt. Si vero non idipſum dixerit de hominibus vivere igitur † æquitate dicitur de hominibus & de aliis animalibus.

† f. l. æquè

4. Quia animalia generantur cum vitam ingrediuntur.

Amplius generationem dicit Ariſtoteles ingreſſum in ſubſtantiam, non in accidens, & generationem manifeſtum eſt eſſe acquiſitionem ipſius eſſe, atque eſſentialis formæ in ſubſtantiis generabilibus. Impoſſibile igitur erit generari animalia irrationabilia, cum vitam ingrediuntur, cum nec recipiant niſi accidens.

5. Quia accidens nec vivit nec vitam habet nec proinde poteſt præſtare.

Amplius hujuſmodi accidens nec vitam habet in ſe, nec vivit: quapropter quaſi mortuum eſt in ſe, & vita carens: quod autem vita caret in ſemetipſo vivificare aliud non poteſt Anima igitur irrationalis non vivit neque animabit corpora animalium irrationalium, ſed neque alia anima animat ea, quare inanimata erunt ex neceſſitate corpora animalium irrationabilium & omni modo non viventia.

6. Quia ſic animal genus non erit neque eius ſpecies aſinus æquus, &c.

Amplius cum animal ab anima dicatur, & ipſa accidens ſit, erit animal ab accidente denominatum: quapropter accidet eſſe animal omni animali irrationabili. Non erit igitur animal genus, neque ejus ſpecies equus, aſinus, &c.

7. Quia ſi anima nihil eſt præter compoſitionem partium corporis ſic corpus eſſet animal per ipſam formam corporis ſeu corporeitatem.

Amplius erroneus iſte ſic manifeſtavit errorem ſuum, ut diceret animam irrationabilem non eſſe ſubſtantiam, ſed potentiam provenientem ex conjunctione vel compoſitione partium corporis, & ex concurſu generantium ipſum corpus hujus animalis, & ex hac potentia dicit hujuſmodi animalia vivere, ſentire, imaginari, & voluntariè moveri quodammodo ex ipſis. Quære igitur cujus, & in quo ſit hujuſmodi potentia? de quo non inveniet quid reſpondeat, niſi hoc unum, videlicet quod corporis illius eſt; cum enim ſit animal totius illa potentia, animal vero non ſit niſi corpus illud, videlicet corpus hujuſmodi animalis habens hujuſmodi potentiam illius corporis eſſe. Quapropter corpus illud erit animal per formam corporalem, hoc eſt per formam corporis, videlicet quæ eſt per corporeitatem ſuam, cum ſit eidem per compoſitionem ſive per complexionem ſuam. Quare utraque forma ſolummodo corporalis eſt præſertim cum nihil ſpirituale ponat hujuſmodi corpori.

8. Quia animal eſſet ex ſolis diſpoſitionibus corporalibus.

Amplius omnia illa ex quibus dicit hujuſmodi potentiam provenire corpori animalis corporalia tantum ſunt, & intendo in hoc quia corporales diſpoſitiones, & accidentia tantum ſunt. Quare ex ſolis diſpoſitionibus corporalibus erit omne animal irrationale, cum hujuſmodi potentia ſit animalitas ſive anima, & ex illa ſit, animal eſſe quod animal eſt.

9. Quia ſentire imaginari & reminiſci longè nobiliores operationes ſunt quam quæcumque diſpoſitiones corporales.

Amplius ſentire, imaginari & reminiſci longè nobiliores operationes ſunt, quam quæcumque operationes corporales. Quare ex incomparabiliter nobilioribus cauſis & principiis. Potentiæ igitur ex quibus ſunt longè nobiliores ſunt omnibus virtutibus & diſpoſitionibus corporalibus: Omnes autem cauſæ ſemper ſunt nobiliores ſuis effectibus ſive cauſatis. Formæ igitur & diſpoſitiones ex quibus ſunt hujuſmodi potentiæ nobiliores ſunt quam ipſæ. Manifeſtum igitur eſt eas non eſſe corporales, quidquid autem intelligere poteſt in iis, quæ ponit cauſas hujuſmodi potentiæ, corporale tantum eſt. Conjunctio enim partium corporis quæ utique corpora ſunt: ſimiliter complexio, & concurſus generantium, ſive ſemina generantia intelligat ſive parentes corporales tantum diſpoſitio eſt.

10. Quia intelligit omnis intelligens in ipſo ſentire receptionem formæ ſenſibilis in organo, & cognitionem quæ per illam fit. quare ſi anima nihil aliud eſſet quam diſpoſitio quædam accidentalis oculus eſſet animal, inſtrumentũ ſimul, & operator.

Amplius in ipſo ſentire duo intelligit omnis intelligens, videlicet receptionem formæ ſenſibilis in organo ſenſus, & cognitionem, ſive judicium quod per illam fit tanquam per ſignum: de receptione vero. & impreſſione formæ ſenſibilis manifeſtum eſt ipſam eſſe à ſenſibili forinſecò, & imprimi ab eodem in organo ſenſus, exempli gratia, in oculo fit à re viſibili impreſſio ſimilitudinis corporis illius Cognitio autem fit in illo oculo aut in alio ſubjecto: quod ſi in eodem oculo, ubi autem fit in eodem eſt in oculo igitur eſt cognitio illa qua cognoſcitur viſibile forinſecum per impreſſionem quæ fit in oculo, in quocumque autem cognitio eſt illud cognoſcit Quapropter cognoſcit oculus viſibile, ſimiliter & videbit illud cum cognitio illa veriſſimè tantum viſio ſit: hoc autem uſque ad hæc tempora nec viſum eſt nec auditum: Secundum hoc enim neceſſe habebit concedere oculum animal eſſe, & ſic de aliis partibus animalis, neceſſe quoque habebit concedere de omni inſtrumento quod ipſum operatur operatione quæ per ipſum eſt. Quare unumquodque membrorum erit inſtrumentum ſibi ipſi: erit igitur ſimiliter unumquodque inſtrumentum, & operator; & quoniam omnis operator nobilior & dignior eſt inſtrumento ſuo erit unumquodque membrorum nobilius ac dignius ſe ipſo.

11. Quia ſi oculus eſſet inſtrumentũ & operator etiam etiam inſtrumentũ propter ſe.

Amplius cum omne inſtrumentum ſit propter operatorem erit omne inſtrumentum propter ſe, cum omne inſtrumentum hujuſmodi ſit etiam operator operans per illud.

12. Quia potentia illa non poteſt dici una nec multiplex.

Amplius potentia hujuſmodi aut erit una, & impartibilis, aut partibilis compoſita ex pluribus; quod ſi fuerit una & impartibilis, non erunt igitur ex illa multæ & diviſæ operationes ſecundum ſpeciem. Quapropter videre, audire, guſtare, atque cæteræ hujuſmodi operationes non erunt omnes ex illa, ſed una ſola; aliæ vero erunt ex aliis potentiis. Una igitur illarũ ſola erit ex anima, aliæ non erunt ex illa, ſed erunt ex aliis animabus ex neceſſitate: non enim poſſibile eſt ut potẽtia vidẽdi anima ſit potius quam potẽtia audiendi vel guſtandi Quapropter quot ſunt in unoquoque animali potentię, tot erunt in animali eodem animæ, quare nullum animal irrationale animal unum erit, ſed grex animalium. Quod ſi dixerit qui a potentia hujuſmodi compoſita eſt ex potentiis prænominatis, & aliis ſimilibus. Dico in hoc quia cum proportionales ſint hujuſmodi potentiæ, hoc eſt ſimiliter ſe habentes ad actus ſuos, erit permutatim ut quemadmodum ſe habet actus earum ad invicem, ſic & potentiæ illæ ſe habent ad invicem. quare quemadmodum ex actibus non eſt poſſibile quod ſit unus actus compoſitus ex illis, & propter hoc ſit, neque unam potentiam poſſibile eſſe ex potentiis eſſe compoſitam. Quare non eſt poſſibile ut potentia illa qua dicit animal eſſe animal una potentia ſit, quemadmodum neque unus actus poteſt eſſe qui componitur ex actibus potentiarum prænominatarum. Qui igitur ponit potentiam unam eſſe ex hujuſmodi potentiis perinde eſt, ac ſi ponat unum actum ex omnibus actibus illis, hoc autem manifeſtum eſt impoſſibile.

Quod potẽtia illa quã ponit ad verſarius non ſit una & impartibilis.

Amplius potentia hujuſmodi ſi eſt una & impartibilis neceſſe eſt eam eſſe in parte animata corporis animalis, aut eſſe in qualibet, maximè ſi in illa

parte eſt vita & ſenſus. Quod ſi fuerit in qualibet parte, jam ad hoc devenit errone s iſte ut ſe ponat accidens unum numero eſſe in ſubſtantijs multis, & in quolibet eorum totaliter.

Si potentia illa eſſet una in multis partibus corporis putreſcentis una parte tráſiret illa potentia à ſubiecto in ſubjectum.

Amplius. Si caro putreſcat per morbum aliquem, & medecinalibus adjutorijs renovetur, accidit ex neceſſitate alterutrum duorum, videlicet ut potentia hujuſmodi quam ponit accidens eſſe mutet ſubjectum, & tranſeat à carne per putrefactionem ad carnem novam, ſi eadem potentia eſt quæ fuit in carne illa. Si vero alia fuerit tunc ex neceſſitate erit aliud animal, quoniam ab alia anima. Et cum prior potentia eſſe deſierit per putrefactionem carnis, neceſſe eſt animal mortuum eſſe per disjunctionem animæ ſuæ, & extinctionem vitæ ſuæ. Fortaſſis autem quæret utrum tota caro per putrefactionem corrumpi poſſit, atque totaliter renovari. Veriſimile attamen eſſet fidei communi conſonum, & concordans hoc non eſſe poſſibile ſine morte, & reſurrectione ipſius animalis; mors enim in homine mors corporis ſolum eſt. Præſertim cum quædam ex partibus, & membris humani corporis, & aliorum animalium nec putrefactionem, nec aliam corruptionem recipere poſſibile ſit abſque morte ipſius, vel animalis, qualia ſunt cor & hepar & ex nervis & venis multi & multæ. Dico igitur quoniam ſi potentia quam iſte homo poſuit vitam, vel animam animalis eſſet aggregatio omnium antedictarum potentiarum; cum ex eis una aliqua potentia eſſe non poſſit, ſicut neque actibus earum actus unus, tunc revera anima animalis cujuſcumque nihil eſſet unum.

Quod nõ poſſit dici potentia illa continuitate quadã una eſſe, ut partes animalis.

Quod ſi dixerit quià potẽtia illa una eſſet quemadmodum color picæ unus eſt ex tribus contrarijs albo ſcilicet, & nigro unitis ad invicem, & continuatis cõtinuitate qua cõtinuatæ ſũt partes corporis ipſius. Reſponderi ei poteſt quoniam illi colores non ſunt continuati, neque continuitate uniti quoniam non eſt color unus ex albo & nigro quæ ſunt in corpore picæ: Si enim eſſet color unus ex illis vel albus, vel niger, vel medius. Manifeſtum eſt autem quoniam nec albus, nec niger color ille, ſed neque medius; cum non ſit ex mixtione duorum extremorum, ſed neque terminus communis poteſt eſſe copulans & continuans duos illos colores. Cum enim impartibilis ſit hujuſmodi terminus ſecundum latitudinem impoſſibile eſt quod in parte communicet cum colore nigro, & in parte cum colore albo; cum partes ſecundum illum modum quo eos copulet, hoc eſt ſecundum latitudinem non habeat. Sed neque mixtus, & per mixturam medius inter illos duos colores eſſe poteſt, cum enim linea ſit vel ad modum lineę, hoc eſt ſecundum latitudinem impartibilis, nullo modorum vel mixtibilis eſt vel receptibilis mixturæ, ſicut neque punctus; neque enim recipit intellectus punctum puncto miſceri poſſe. Quapropter ſi iſta habet veritas ut dixi, unitas ſive continuitas corporis non eſt potens, aut ſufficiens efficere unitatem, ſive unionem per quam multitudo illa potentia una ſit. Quemadmodum igitur unumquodque animal non erit unum animal ſed grex animalium ſecundum errorem iſtum, ſic nulla erit una anima animalis cujuſcumque, quin potius aggregatio animarum.

Nulla qualitas adveniens puro corpori prohibet ipſum purũ eſſe, & nihil habens ſubſtantiæ ſpiritualis.

Amplius nullum accidens nulla qualitas adveniens puro corpori prohibet ipſum eſſe purum corpus; non enim propter hoc quia albedo eſt in nive, vel margarita, ipſa nix vel margarita minus corpus purum eſt: quare cum potentia iſta quam dicit animam animalis irrationabilem accidens ſit, non prohibetur corpus animalis corpus merum ſeu purum eſſe, ſive ſubſtantiam merè corpoream. Quare omne animal irrationale erit corpus merum, & purum, & intendo nihil habens ſubſtantiæ ſpiritualis.

Sentire eſt omni actu corporali præſtãtius, quare diſpoſitionem aliquo modo ſpiritualem poſtulat.

Amplius ſentire eſt omni actu corporali hoc eſt meri corporis longe nobilior atque præſtantior: quare & potentiam ex qua eſt, neceſſe eſt omni potentia corporali præſtantiorem eſſe longéque nobiliorem. Eſt igitur impoſſibile ipſam eſſe corporalem, & intendo potentiam corporalem quæ corpori ineſt per hoc quod eſt corpus, ſive per corporeitatem ſuam, ſive diſpoſitionem aliam quamcumque quæ ſpiritualis non ſit.

Vbi recipiatur ipſa ſenſatio, & ubi viſione perficiatur.

Amplius quoniam cujus eſt potentia ejuſdem eſt actus, potentia, inquam, agendi, ſimiliter potentia patiendi; neceſſe eſt ut cujus eſt potentia patiendi, neceſſario ſit & ipſa paſſio. Quare ſi ſentire pati eſt, erit in eodem in quo & potentia ſentiendi. Jam etiam dixi tibi quia ſentire duo habet in ſe, videlicet recipere impreſſionem ab eo quod ſentitur, & judicare de illo, judicare inquam qualiter ſit, & recipere quidem impreſſionem à foriſeco ſenſibili quæ in organo ſenſus eſt, & illi imprimitur ab agente ſenſibili, quemadmodum paſſio vel impreſſio quæ eſt à lucido vel colorato in humore criſtallino qui eſt in oculo indubitanter ſit recipere: judicare autem quale ſit illud ſenſibile non eſt humoris criſtallini, neque in eo. Si igitur eſt in corpore, vel erit in nervo optico, vel in ſpiritu viſibili. Verum nemo adhuc uſque delirativ, ut diceret nervum vel ſpiritum viſibilem aliquid cognoſcere, vel de aliquo judicare. Nobilior autem pars in corpore humano, vel alterius animalis nulla ponitur eſſe vel dicitur quam nervus aut ſpiritus. Quare ſi in neutro illorum potentia videndi eſt, in nulla partę corporis erit; cum enim iſtę digniores ſint, irrationabile eſt & nullo modorum conveniens ut nobiliſſimæ potentiæ in ſubſtantijs ignobilioribus ſint.

Os, quatuor humores, caro, & cartilago non ſentiunt, ſed in nervis & ſpiritibus ſenſus conſiſtit.

Amplius neque in medulla, neque in oſſe, neque in aliquo quatuor humorum, neque in ipſa carne, vel cartilagine eſt potentia ſentiendi, neque ullus ſenſus; quoniã neque tactus qui eſt primus omnium ſenſuum, & ſine quo nullum animal viveret, propter quod ſenſum neceſſitatis primum philoſophi vocaverunt. Et hæc quæ dico de inſenſibilitate partium corporis animalis à ſenſu manifeſta ſunt. Et quod multi opinantur dentes dolere, & ſe pati dolorem in dentibus error eſt indubitanter; cum enim neque dens, neque aliud os dolere poſſit in corpore animalis, pellis vero ſeu pellicula quæcumque ſit in toto corpore animalis non dolet, niſi ſit pellicula nervoſa, ſive venoſa, quemadmodum eſt illa quæ vocatur pia mater, & hæc eſt illa quæ circumvolvit, aut circumveſtit cerebrum, quæ procul dubio vehementer ſenſibilis eſt propter venoſitatem ejus, & nervoſitatem continentem multitudinem ſpirituum qui è viciniori adhærent animæ, quam aliqua quæ in corpore ſit animalis. Manifeſtum eſt igitur ex omnibus his quia potentia ſentiendi imprimis eſt & maximè in nervis, atque ſpiritibus. Quapropter illi imprimis & maxime animalia ſunt: quemadmodum quod imprimis habet albedinem, album eſt prius & maximè, ſic quod imprimis & maxime animam habet, neceſſe eſt imprimis & maxime animal eſſe. Quare illi duo vel erunt unum animal, vel duo animalia, cujuſmodi deliramentum nemo uſque hodie ſomniavit.

Videre, audire, & ſentire univoce dicuntur de homine & de aliis animalibus.

Amplius videre, & audire, & quodcumque aliud ſentire univoce dicitur de homine, & de quolibet alio animali, quare & potentia ſentiendi; cum potentiæ iſtæ videlicet ſentiendi proportionales ſint actibus ſuis, & de potentia vivendi ſimiliter ſe habet. Quemadmodum igitur potentia hæc videlicet exercendi actus animales anima eſt quâ omne animal irrationale animal eſt, ſic eadem potentia in homine erit anima qua homo animal eſt, & per eumdem modum quo unumquodque animal animal eſt.

Recapitulatio quorumdam de quibus ſupra.

Jam autem feci te ſcire in præcedentibus quia ſecundum errorem iſtum animal non prædicatur in quid, neque ut genus de aliqua ſpecie irrationabilium animalium; ſed in quale tantum, & ſecundum accidens: quare non erit homo animal per modum iſtum; cum animal per modum iſtum non ſit niſi corpus tale, hoc eſt cui accidit vel quod participat potentiam antedictam, homo autem cum præter illud animal partem ſui habeat eſſentialem animam rationalem; homo enim compoſitum eſt ex hujuſmodi corpore & anima rationali: Quare neutrum illorum eſt homo. Igitur non eſt animal per modum iſtum, aut igitur nullo modo eſt animal, aut eſt aliud animal per aliquem modum, videlicet eſſentialiter, & non ſecundum accidens, ſive ſecundum participationem. Illud igitur animal quod eſt homo eſt totum ad illud animal, quod eſt animal ſecundum accidens; cum contineat illud, & inſuper animam rationalem. Aut igitur eſt animal ex illa potentia ſive per illam quam erroneus iſte delirat animam eſſe, aut per aliam animam. Quod ſi per eamdem, erit igitur idem animal quod per illam non erat animal niſi ſecundum accidens, ut prædixi. Ab eadem ergo idem animal eſſe neceſſe eſt. Jam autem oſtenſum erat tibi animal illud partem hominis eſſe & nullo modorum hominem.

Homo non poteſt eſſe animal per aliam animam.

Si vero per aliam animam, illa igitur aut erit anima rationalis, aut alia; quod ſi fuerit alia, neceſſe eſt alterutram eſſe ſuperfluam. Cum enim ex anima rationali ſecundum hoc ſit animal, erit ex eadem vivens & ſentiens: quare erit ei potentia ſentiendi, & exercendi alios actus animales, & propter hoc erit ei duplex potentia hujuſmodi. Quare duplex videre, duplex audire, & duplices omnes alij actus animales, in quo manifeſtum eſt unum viſum non eſſe poſſibile diſtingui ab alio, neque unum audire ab alio, & ſic de alijs. Manifeſtum igitur eſt hoc eſſe unum de impoſſibilibus, cum manifeſtum impoſſibile ſit eſſe duas animas in uno corpore, quarum altera ſuperflua ſit. Quod ſi ſit alia quam anima rationalis, illa videlicet qua homo eſt animal, tunc manifeſtior eſt ejus ſuperfluitas. Si enim ex illa, & per illam eſt homo animal, & potens exercere omnes actus animales, tunc ex anima rationali non erit potens exercere eoſdem; alioquin rediret prius inconveniens videlicet de duplici potentia, & actibus, & de ſuperfluitate alterutrius potentiarum, & alterutrorum accidentium.

Deducit inconveniens quod ſc. ex anima rationali homo non eſſet potens ſentire.

Amplius ſecundum hoc non eſſet homo potens ex anima rationali vivere, vel ſentire; ſed ex anima illa ſomniata, & eſſent duæ animæ ad minus omnium hominum. Verum de hoc audies me in ſequentibus: hoc enim nonnulli ſomniaverunt, nec ſolum quod duæ, ſed etiam quod tres: ubi erroris deſtructionem videbis in ſequentibus. Nec prætermittendum eſt tibi hic quod homo iſte, nec ſequi Ariſtotelem merito videri debet, cum Ariſtoteles evidenter dicat corpus quidem materiam, animam vero formam, intendens de animo generaliter, non ſolum de anima rationali, ſed etiam formam hujuſmodi ſubſtatiam eſſe teſtatur ibidem; ſicut prædixi in præcedenti ſermone ejuſdem videlicet tripliciter, inquit, cum dicatur ſubſtantia & hoc quidem ſicut materia, alterum vero ſicut forma, tertium vero ſicut compoſitum. Jam ex his nullus intelligentium ignorat quia non eſt poſſibile ex ſubſtantia & accidente eſſe compoſitum. Cauſa autem in hoc eſt quoniam hujuſmodi compoſitum neque ſubſtantia eſſet, neque accidens, cum nullum totum poſſibile ſit eſſe partem ſuam, neque è converſo, neceſſe vero ſit omne quod eſt præter creatorem benedictum aut eſſe ſubſtantiam, aut accidens eſſe.

PARS SEXTA.

Quod animal non ſit compoſitum ex ſubſtantia & accidente.

Refellit ſententiam cujuſdam negantis iſtam propoſitionem, homo albus eſt homo.

SCio tamen me vidiſſe erroneum qui planè aſſerebat quod homo albus non eſt homo, intendens quod homo quâ homo albus compoſitum aliquod eſſet ex homine & albo, ſeu albedini. Quod ſi eſſet tunc quemadmodum homo albus non eſt homo ſecundum iſtum, ſic eſſet verum ſecundum errorem ipſius quod homo albus non eſt albus, & multo fortius, quia homo albus non eſt niger, ſimiliter neque medio colore coloratus. Quapropter homo albus non eſſet habens albedinem ſed neque alius eſſet habens albedinem quam homo albus, nullus igitur homo eſſet habens albedinem, quare ſecundum hoc nullus homo eſſet albus.

Oſtendit idem quia ſic album in illius ſententia nihil eſſet.

Amplius ſecundum hoc album nihil eſſet, quoniam nec eſſet homo, nec aliquid aliud juxta hanc viam, vel potius nihil eſſet album; quoniam res alba non eſſet res: quare non eſſet aliqua res, & ita non eſſet aliquid, nihil igitur eſſet album, id eſt res alba, neque res nigra. Quapropter nihil eſſet res colorata, & ita nihil eſſet coloratum, & procederet hoc donec veniretur ad hoc quod nihil eſſet ens quoniam nihil eſſet res; ens enim ſicut album de unoquoque ſecundum accidens, & ſecundum participationem dicitur, excepto creatore benedicto ſolo, de quo ſolo eſſentialiter dicitur ſicut didiciſti in prima parte divinalis magiſterij alibi. Quapropter res ens neque eſſet res, neque ens: ſequerentur & aliæ ex hoc incredibiles abſurditates, & magis irridendæ quam per vias probationum deſtruendæ, qualis eſſet illa videlicet quoniam homo qui albet non eſt albus; non enim negare potuit hominem albeſcere, negabat tamen hominem eſſe album. Quod ſi iſte qui ponit animam irrationalem potentiam quandam eſſe quæ tamen non eſt ſubſtantia, ſed accidens, intellexit animal compoſitum eſſe ex corpore & potentia hujuſmodi, intellexit igitur animal irrationale compoſitum eſſe ex ſubſtantia & accidente. Quapropter poſuit ipſum nec eſſe ſubſtantiam, nec eſſe accidens, & ſequuntur eum omnes prænominatæ abſurditates, & multæ aliæ non minus irridendæ, quas ego propter prolixitatem prætereo.

Animam, ſi ponatur potentia accidentalis ſenſu & vita carere neceſſe eſt.

Amplius ſicut ſæpe dixi in præcedentibus cum iſte erroneus ponat hujuſmodi potentiam animam eſſe, procul dubio non ponit eam animam rationalem eſſe, neque vegetabilem tantum: Ponit igitur eam animam irrationalem eſſe; & cum ponat eam accidens, neceſſario habet ipſam ponere ſine ſenſu & vita. Stupendum enim eſt valde in accidente ponere ſenſum, & magis incredibile eſt illud quod nec vitam habet neque ſenſum, vitam & ſenſum præſtare ſubjecto in quo eſt. Si enim albedo non diſgregaret viſum & non eſſet ipſa diſgregativa viſus, nullo modo præſtaret hoc ſubjecto in quo eſt, neque faceret ut ſubjectũ ejus eſſet diſgregativũ viſus per illam. Cum igitur nullâ aliâ potentiâ diſgregatiuvm viſus ſit album, ſive per aliam quam ipſa albedo diſgregativa ſit: ſic neceſſe eſt animal irrationale non alia potentia ſentire, vel ſenſibile eſſe, quam anima ipſius vel ſentiat vel ſenſibilis ſit. Et quemadmodum non prohibetur albedo quin de ea prædicetur, & actus quem ſubjectum agit per eam, videlicet diſgregare, & etiam ipſa diſgregativa-vit, id eſt potentia diſgregandi: ſic non prohibetur anima irrationabilis ab actibus animalib⁹ quos per ipſam exercet animal. Quapropter quemadmodum albedo & diſgregativa veriſſime dicitur, & diſgre-

gans: ita anima rationalis veriſſimè ſenſitiva dicitur, & ſentiens, ſimiliter & imaginativa & imaginans, cognitiva quoque & cognoſcens.

Contraria nata ſunt fieri circa idem adeóque & rationale & irrationale circa genus ſuum quod eſt animal.

Denique merito videri tibi poteſt erroneus iſte nec ipſa puerilia rudimenta logicæ, id eſt ipſa initialia attigiſſe; cum manifeſtum ſit eum ignoraſſe quia contraria circa idem naturaliter & eſſe habent & fieri. Quapropter rationale & irrationale circa idem genus neceſſe habent eſſe: ſecundum autem errorem ipſius rationale circa genus eſt, irrationale vero circa accidens; animal enim non dicitur de animalibus irrationalibus ut genus, neque prædicatur, ſed ſecundum accidens tantum ſicut audiviſti per errorem iſtum. Debes autem ſcire quia homo iſte non fuit auſus concedere animam irrationalem ſubſtantiam eſſe formidans, ne cogeretur confiteri ipſam ſubſtantiam incorruptam ac ſi hoc eſſet intolerabile inconveniens tanquam ex illo, neceſſe haberet conſequenter confiteri illam eſſe immortalem. In quo non immerito videri poteſt ipſum in eum errorem inductum fuiſſe ut crederet omnem ſubſtantiam incorpoream immortalem vel incorruptibilem eſſe.

Tractatus ſpecialis de immortalitate animarum humanarum.

Quare animæ bruto-rū intereāt non autem anima hominis.

Jam autem feci te ſcire in tractatu ſingulari de immortalitate animarum humanarum, quoniam omnis anima irrationalis mortalis eſt, ſive corruptibilis ex naturali defectibilitate ſua, & recidens in non eſſe à quo per omnipotentem virtutem creatoris educta erat in eſſe. Permittit autem illud creator nolens continere vitam vel eſſe præter corpus in quo eſt. Et cauſa in hoc eſt, quoniam otioſa & ſupervacua eſſet vita ejus extra corpus, cum non ſit nata operari niſi in corpore, & per illud. De anima vero rationabili jam notum eſt tibi ex eodem tractatu, & etiam alio quia nobiliores ac præſtantiores operationes ejus ſunt ei non per corpus, ſed ſeorſum à corpore, videlicet poſt ſeparationem ab illo, & declarabitur hoc tibi declaratione lucidiori & evidentiori in tractatu iſto, ſi Deus voluerit.

Anima humana ſe ipſam ignorare non poteſt, ſed ipſa ſibi nota eſt notitia certiſſima.

Deſtructo autem errore iſto revertar ad illud in quo eram, & dicam quia patefactum eſt tibi in præcedentibus nullam animam rationabilem vel aliam ſubſtantiam intelligentem intelligere poſſe vel credere, vel etiam dubitare ſe non eſſe. Et addam quod mirabilius dictu videtur quia non eſt poſſibile eidem ignorare ſe eſſe vel ſe ipſam: ubi faciam te ſcire quia unicuique animæ rationali notum eſt ſuum eſſe, & nota ipſa ſibi notitia certiſſima qua certitudine nulla major.

PARS SEPTIMA.

Ponit exempla ad declarationem præcedentium.

Exemplum à motu navis ex quo debeat intelligi gubernator.

VERUM quoniam exempla non parum adjuvant imperitos, & interdum majorem fidem eiſdem faciunt, quam etiam demonſtrationes, ad intellectum ipſorum proponam aliqua eis hic. Dicam igitur quia homo ignorans animam humanam eſſe ſimilis eſt imbecilli qui videns navim ferri per aquam, & cognoſcens quia cavetur ei à periculis, videlicet ab alliſione ſcopulorum, & ſaxorum & quia declinatur ab eis inceſſus ejus; videt etiam nunc erigi & extendi velum ejus nunc complicari & deponi, gubernaculumque ipſius nunc huc nunc illuc intorqueri: videt remos quamdiu movetur navis ordinatè moveri, & cum omnia hæc videat non cognoſcit ineſſe gubernatorem tanquam ſi navis per ſemetipſam hæc omnia efficere poſſet.

A motu ipſius corporis humani.

Et eſt altera comparatio de imbecilli qui videt corpus humanum moveri & caveri à periculis caſus, ceſpitationis, ſive impactionis: videt nunc figi alterum pedem, & alterum elevari, & moveri donec & ipſe figatur, deinde illum, qui fixus erat & fixionem alterius expectabat, & finem motus ejuſdem, elevari & ferri in anteriora, & deinde figi, & expectare rurſum elevationem & motum alterius, donec iterum figatur & quieſcat expectans ſimiliter motum, & fixionem ipſius. Cum igitur videat pedes ſe ſic adjuvantes, ad invicem expectantes, aliáque motui illi ſuffragantia, & propter brevitatem intellectus, non intelligit motorem principalem totius corporis & motus ipſius rectorem.

Exempla doctrinæ à textrino & fabrilibus.

Similis eſt etiam homini homo iſte nec hominis homine dignus qui aſpiciens in textrinum & videt texi, & alias operationes quæ ad texturam pertinent videt fila unum poſt aliud necti & ordinari, & tanquam pannus per ſemet texere ſe poſſet, & fila filis conjungere, inſtrumentaque quibus aggreganturi, & ad invicem aſtringuntur, movere ita artificiosè, ut ea moveri intuetur; nec tamen crederet eſſe textorem. Ubi quidem de eo non aliud cogitandum niſi quod fruſtra animam rationalem habet homo hujuſmodi, quem brutalis deſipientia depreſſit & eam in illa ſepelivit. Sic ſe habet & de alijs artificijs. Quemadmodum ſi quis aſpiciat in domum carpentarij, & videat in ea dolabras, ſecures, biſacutas, runcinas, aliaque quæ artificio carpentario deſerviunt; intueretur etiam varias operationes, & motus inſtrumentorum hujuſmodi, & tamen neget ibi carpentarium eſſe tanquam inſtrumenta hujuſmodi ſe per ſe movere poſſint, & operari opus quod ibi fabricatur, & arcam quæ ibi fabricatur, vel aliud opus artificiale ibidem fabricare videat. Et nihilominus dubitet fabrum vel artificem ibi eſſe, vel unum, vel plures qui inſtrumenta illa moveant, & per illa operentur. Iſte homo nihil mihi differre videtur ab aſino vel alio quolibet animali brutali.

Exemplum doctum ab ordine familiæ unde cognoſcitur paterfamilias.

Eſſet aliud conveniens exemplum contra iſtam brutalem deſipientiam de domo varijs utenſilibus refertiſſima, multiplicique, & copioſa ſupellectile apparata, aſpiciatque in ea coquos, & cibaria, vaſaque coquinaria diverſa, ignes diverſos ad coquenda cibaria, nec non & colaria ac purgatoria inſtrumenta quibus ſuperflua ſeu inepta & inconvenientia depurgantur, & expelluntur, apta vero depurantur; familiamque multam ibi paſci, & nutriri conſpiciat evidenter, qua cæcitate poterit ignorare patremfamilias domui illi atque familiæ præeſſe? Nec dubium eſt ſingula membra paſci in corpore animalis etiam vegetabilis, & mira æqualitate diſtribui alimenta, & juſtiſſima proportione, ita ut nullum ex membris, vel plus debita portione inde percipiat.

Error negantium animam ab omnibus artificijs impugnatur.

Et ſi in alijs artificijs juxta exemplum iſtud conſiderationem facere volueris, invenies errorem iſtum quaſi ab omnibus artificijs impugnari, & obrui: & ad hunc modum ſe habet de inſtrumentis. Quis enim videns dolabram, & ſecurim, & non ſtatim agnoſcat propter operatorem ſeu fabrum lignarium factam eſſe? Eodem modo ſe habet ad cytharam. Quis enim videat eam & non ſtatim cogitet de citharœdo? quod ſi ſonum ejus audiverit, & concentum, quis adeo demens eſt ut per ſe ipſam reſonare putet muſicos ſonos? Et ſi poſſibile eſſet, ut non viſo citharœdo cithara ſonaret, quemadmodum fit in organis, hoc eſt multarum fiſtularum muſicis inſtrumentis, nullo tamen modorum abeſſe crederet citharœdum, aut muſicum alium qui numeros & fiſtulas moderaretur & regeret.

Simile quid eſſe in horologijs.

Nec te conturbet motus horologiorum qui per aquam fiunt, & pondera quæ quidem ad breve tempus, & modicum fiunt, & indigent renovatione frequenti, & aptatione inſtrumentorum ſuorum, atque operation forinſeci, aſtrologi videlicet qui peritiam habet hujus artificij. In corporibus vero animalium

animalium vel etiam vegetabilium totum intus eſt, intra ea ſcilicet, quod motus earum atque partium ſuarum moderatur, & regit, ac modis omnibus perficit.

De diſtributione variarum partium in corpore animalis.

Et attende quia in omni corpore hominis, ſive alterius animalis unum eſt ſecundum quod principaliter imperat, omnia vero alia ſerviunt: & de his quæ ſunt inſtrumenta manifeſtum eſt, quoniam omnis operatio per modum quod eſt inſtrumenti ſervitium eſt utens eo & operans per ipſum. De partibus vero inſtrumentorum ſive membrorum quæ ſunt nervi, & venæ, & ligamenta oſſium, vel aliarum partium manifeſtum eſt, quoniam in ipſis operationibus quæ per ea fiunt deſerviunt. Quam abſurdum autem ſit principalitatem iſtam & virtutem toti alicui, imo totis omnibus corporibus accidenti attribuere, ſicut in præcedente memorato errore audiſti, nemo niſi inſanus permittitur ignorare.

CAPITULUM SECUNDUM.

PARS PRIMA.

Oſtendit quod corpus hominis manet idem per totam vitam.

Proponit ſententiam Avicennæ & argumentum quo animam oſtendit eſſe ſubſtantiã.

ET quoniam jam ſtabilitum eſt eſſe animæ humanæ, aggrediar declarare & notificare eſſe ipſius & eſſentiam ejuſdem atque ſubſtantiam: Ratiocinatio autem qua Avicenna arbitratus eſt ſe declaraſſe animam eſſe ſubſtantiam, & nullo modo accidens, nec doctrinæ nec fidei congruit chriſtianæ. Suppoſuit vero corpus omnis animalis terreſtris continuè deficere, & deſtrui per reſolutionem, & conſumptionem, per motum & calorem naturalem, & propter hoc nullo modorum permanere: aut igitur permanet anima, aut non. Quod ſi nec anima permanet, ſed deſtruitur, Ergo totus homo vel aliud animal. Quapropter nullus homo permanet, & nullus qui heri fuit eſt hodie. Ex quo ſequitur quod nemo fuit natus, nemo fuit puer; alius enim erit homo cum ſit adoleſcens, vel juvenis, aut ſenex. Si vero anima remanet cum corpus non permaneat propter prædictam jugem conſumptionem, & jugem reſtaurationem, atque innovationem; neceſſe eſt animam hodie eſſe in alio corpore, quam fuit heri. Si igitur accidens eſſet quæcumque anima humana, vel alterius animalis, ſequeretur accidens mutaſſe ſubjectum. Et hoc eſt unum de impoſſibilibus.

Refellit prædictam ſententiam, 1. diſſolutio illa corporis continua mors eſſet.

Verum doctrina iſta non tantum contraria eſt fidei Chriſtianæ, quin etiam in ſe eſt impoſſibilis. Cujus declaratio hæc eſt, non eſt poſſibile hominem permanere corpore ejus deſtructo; mors enim nihil amplius operatur in eis qui moriuntur niſi deſtructionem corporis. Quapropter vita iſta non eſſet niſi infinitè intraret, & inceſſanter anima humana. Quapropter ſingulis momentis novum corpus generaretur in quolibet animali, etiam in homine quolibet, & eſſet generatio ſubita & inſtantanea, nec fieret in tempore.

2. Corpus non viveret quia non permaneret.

Amplius ſecundum hoc nec ipſum corpus viveret cum non permaneret; non enim vivit quod non aliqua particula temporis ſaltem vivit.

3. Quia diverſitas numerica tam à materia quam à forma repetitur.

Amplius ſi ex alijs lignis, & alijs lapidibus numero ædificaretur domus manente forma eadem numero; manifeſtum eſt quoniam alia eſſet domus illa, quam prior; alia inquam numero. Et hoc ſolum propter diverſitatem materiæ. Quare & alius erit homo numero propter alietatem ſive diverſitatem corporis, diverſitatem inquam numero cum corpus materia ſit, anima vero forma, nec poterit prohibere diverſitatem iſtam numero unitas vel identitas formæ. Et quoniam via tibi patenter aperta eſt ad deſtructionem iſtius impoſſibilis, imo viæ multæ jam patent tibi, ad hoc non laboro ulterius propter deſtructionem ipſius.

Stabilit ſuã ſententiam & refellit contrariam ex fide reſurrectionis.

Dico igitur quia revera manet idem corpus ſive caro eadem toto tempore vitæ cujuſcumque hominis ſcilicet & illa reſurrectura eſt in reſurrectione generali. Secundum autem errorem iſtum non eſt ratio ulla propter quam reſurgere debeat unum ex corporibus illis infinitis, potius quam aliud. Quare neceſſe eſſet omnia illa reſurgere, & propter hoc reſurgeret unus hominum maximè adultorum cum infinitis corporibus hoc eſt habens unam animam & infinita corpora, quo monſtro nullum majus poëtarum fabulæ confixerunt.

Idem oſtẽdit ex eo quod nutritiva ſit cõſervativa individui.

Amplius nec reparatio nec reſtauratio veræ rationis, neque conſervatio fieret in corporibus animalium, ſive hominum, ſive aliorum per nutrimentum. Non enim conſervatur quod non permanet: nullum autem corporum hominis, vel aliorum animalium permanet etiam ad modicum temporis. Quare nec reparatio nec reſtauratio ut prædixi per nutrimentum eſſet. Qualiter igitur vis generativa conſervativa ſpeciei dicitur? Vis vero nutritiva conſervativa individui? cum nullum individuum conſervetur per eam; manifeſtum enim eſt quod nulla anima conſervatur per eam; cum nulla nutriatur, ad minus rationalis. Sed neque ullum corpus humanum per eam conſervatur, cum non permaneat etiam modicum temporis; jugis enim eſt & continua ſecundum ipſos conſumptio corporis humani, & aliorum animalium, quæ nutrimentis ſuſtentantur. Et ſuper hoc non eſt opus ut amplius diſputetur, nec ego alia de cauſa de iſta Avicennæ ratiocinatione mentionem feci, niſi ut appareat tibi quid habeat difficultatis, vel quod verius eſt falſitatis, iſte ſermo Avicennæ, &c.

PARS SECUNDA.

Quod anima non ſit numerus ſe ipſum movens; vel harmonia.

Refellit ſententiam Platonis quod anima moveat ſeipſam.

ET ne ſis facilis ad omnes ſermones philoſophorum credulitatis, jam per me declarati ſunt errores ipſorum. In ſermonibus vero Platonis & Philolai non oportet te multum intendere curioſè, quoniam mendaces ſunt evidenter, vel metaphorici, & de ſermone platonis quo dicit animam eſſe ſubſtantiam ſe per ſemetipſam moventem, audiſti Ariſtotelem in phyſico auditu, & probationes quas adduxit ad declarandum quia non eſt poſſibile aliquid moveri à ſe ipſo, vel aliquid movere ſe ipſum; & declarabitur tibi in ſequentibus, quoniam non eſt poſſibile ut anima humana motu ſuo moveat corpus humanum motu locali, quin potius neceſſe eſt ipſam quieſcere ſpiritualiter, & fixam eſſe quotiens movet corpus motu locali. Ubi etiam faciam te ſcire, quia ſi moveretur motu ſpirituali, neceſſe haberet illa hora deſiſtere ab illo motu locali.

Pythagoras eſt intelligendus metaphoricè cum dicit animã eſſe numerum.

Pythagoras vero qui poſuit animam eſſe numerum ſe ipſum moventem, ſi propriè ſecundum planum ſermonis ſui hoc intellexiſſet procul dubio animam in genere accidentis poſuiſſet; cum omnis numerus accidens ſit: à genere ſubſtantiæ illam per conſequens removiſſet, quod de tanto philoſopho ſentire nemo ſapiens poteſt.

Philolaus quoque cũ dixit eſſe harmoniã, cujus tamẽ rationem puerilem cenſet.

Philolaus quoque animam qui harmoniam poſuit eſſe; cum omnis harmonia relatio ſit, & ad aliquid, & nullo modorum ſubſtantia, eam in viliori genere accidentium collocavit: cum manifeſtum ſit inter omnia accidentium genera eſſe debiliorem relationem, ſeu ad aliquid, & propter

hoc elongatiſſimum à genere ſubſtantiarum. Quapropter non ſecundum planum ſermonis ſui, ſed magis ſecundum metaphoram juxta morem platonicorum intellexiſſe videtur animam eſſe harmoniam: illa namque ratio quæ ipſum ad hoc induxiſſe creditur à quibuſdam, non tam debilis & frivola, quam etiam puerilis eſt. Quoniam inquit animam harmoniæ ſimillimam eſſe; ſimillima autem omnia in eandem ſpeciẽ convenire neceſſe eſt, quoniam nulla quæ diverſarum ſpecierum ſunt, poſſibile eſt eſſe ſimillima, quoniam ipſa diverſitas in ſpecie magna valde diſſimilitudo ſit. Quapropter in ſpeciem harmoniæ neceſſe fuit animam cadere, ut eis viſum fuit.

Refellit quoque ex eo quod idẽ diceretur de figuris, coloribus, pulchritudine, quibus adeo delectantur homines.

Hujuſmodi autem homines non attendebant quod iſta ratiocinatio ad hoc eos deducit ut omnes colores, & figuræ omnes, & pulchritudines corporales ſimillimæ eſſent animabus humanis, cum in eis eouſque delectentur, ut omnes delicias ſpirituales hujuſmodi delicijs poſtponant, & uſque in inſaniam per delectationem hujuſmodi pervertantur. Quare figuras & alios colores aliaſque pulchritudines corporales in eamdem ſpeciem cadere cum anima neceſſe eſt. Et ex hoc ſequitur animam quæ carne delectatur, & vino, carnem vel vinum eſſe, & quæ aromatibus aromata eſſe, quo nihil abſurdius cogitari poteſt; ſecundum hoc enim nihil unum eſſet anima, cum tanta varietate rerum ac multitudine delectetur. Poſtquam enim non eſt poſſibile eam delectari niſi ſuo ſimili, neceſſe eſt eam eſſe ſimilem rebus omnibus quibus delectatur, nec ſolum ſimilem ſecundum alicujus accidentis participationem, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam: Poſuit enim eam Philolaus ſimilem eſſe harmoniæ ſecundum intentionem iſtorum, non ſecundum accidens, ſed potius ſecundum veritatem ſuam & ſubſtantiam harmoniam eſſe.

2. Quia animæ quæ contrariis delectantur eſſent contrariæ.

Amplius autem inveniuntur animæ hominum delectari contrarijs; alius enim pace, alius bello delectatur. Neceſſe eſſet animas eorum eſſe contrarias, & non unius ſpeciei.

3. Quia mutarentur animæ quoties mutant delicias.

Amplius cum tam frequenter mutent animæ humanæ delicias, ut nunc uno, nunc contrario eadem anima delectetur, contingeret ex neceſſitate animam illam mutare ſubſtantiam ſuam; cum ſimilitudo ejus non ſit ſecundum accidens, ſed ſecundum ſubſtantiam ponatur.

4. Quia ſimilitudo cum impediat apprehenſionem impedit & delectationẽ in guſtu.

Amplius manifeſtum eſt quia ſimilitudo cum impedit apprehenſionem, impedit & delectationem quominus fiat ex ſimili apprehenſo: cujus indicium eſt quia ſi ſaliva proprium haberet ſaporem, non eſſet delectatio ſecundum guſtum in alijs ſaporibus, & hoc eſt quia alij ſapores non ſentirentur, ſicut apparet in febricitãtibus ex cholera quibus infectio ſalivæ cholerica omnia guſtabilia facit eſſe amara.

Et in viſu.

Nec jam dubium eſt ſimiliter, quin ſi pupilla colorem haberet proprium, aliorum colorum non eſſet receptibilis. Quapropter cum non ſit videre niſi per receptiones paſſionum quæ fiunt à luce & coloribus in ipſa pupilla, nullus color videretur. Cauſa autem in hoc eſt, quia color pupillæ prohiberet ab ea colores alios, quoniam colores duo non compatiuntur ſe in eodem ſubjecto, ſive ſint colores contrarij, ſive ſint ejuſdem ſpeciei. Similiter color non recipit ſecum ſimilitudinem, ſive impreſſionem alterius coloris in ſuo ſubjecto. Exempli gratia, ſi pupilla albi coloris eſſet, nõ eſſet paſſibilis alio albo. Non enim albũ agit naturaliter in album: cũ omnis actio naturaliter per contrarietatem ſit, & fiat. Quippe non eſſet poſſibile per albam pupillam aliquid album videri. Et intendo, quia non eſſet poſſibile aliquid quod eſſet album, videri per pupillam quæ eſſet alba, quoniam ſicut prædixi prohibitum eſſet omne aliud album imprimere ſimilitudinem hujus coloris in pupillam hujuſmodi, & ipſa ſimiliter eſſet prohibita recipere impreſſionem ipſius ab illo. Et hæc cauſa propter quam inſtrumenta omnia ſenſuum creata ſunt in diſpoſitionibus aptis ad receptiones impreſſionum à rebus ſenſibilibus.

Et in auditu ubi oſtẽdit ab anima nõ poſſe percipi harmoniam ſi ipſa ex harmonijs cõpoſita ſit.

Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his quoniam ſi anima harmonia eſſet vel ex harmonijs eſſentialiter compoſita, non ſolum in harmonijs forinſecus non delectaretur, ſed neque eas ſentiret, aut perciperet, quod neque illæ poſſibiles eſſent ſimilitudines ſuas imprimere in illam: quod ſi forſitan aliquam ex harmonijs perciperet, illam ſolam perciperet quæ ipſa eſſet, vel illas ex quibus cõpoſita eſſet. Accideret etiã eam audire inceſſanter illas, vel illam, quemadmodum accidit in homine qui patitur aurium tinnitum, à cujus auditu numquam quieſcit, niſi major aut fortior ſonus tinnitum hujuſmodi ex ejus auribus fugaverit, & excuſſerit, aut occupatio ſomni, vel alia ab hujuſmodi tinnitu illum averterit.

5. Quia anima nõ ſemper illam ſentit nec eam ſentiẽdo ſemper delectatur.

Amplius ſi anima eſſentialiter harmonia eſſet, harmonia inquã ex ſonis, ſive quæ in ſonis, & inter ſonos eſſe nata eſt: ſicut inceſſanter ſentit gaudiũ, vel triſtitiam quæ in ipſa eſt, ſic incomparabiliter fortius non ceſſaret ab ipſa ſenſus & delectatio harmonica; eſſet enim eſſentialiter harmonica, cujus ſoni ſi ceſſare poſſent, deſtrueretur ipſa harmonia: Et propter hoc eſſentia ipſius animæ deſtrueretur: quod ſi ceſſare non poſſent, eſſet igitur apud eam, & in ea inceſſabilis concentus harmonicus, utpote eſſentialis eidem. Quare eſſet & delectatio ejus in illo continua non habens interpolationem: Omnis autem anima ſcit & teſtificatur apud ſe ipſam iſtud non eſſe poſſibile.

6. Quia non quæreret harmonias extrinſecus quæ ſuaviſſimam haberet apud ſe.

Amplius ſecundum hoc harmonias forinſecus non quæreret anima, cum in ſe ipſa concentum ſuaviſſimum, imo omnes cantationes jocundiſſimas haberet. Neceſſe enim eſſet eam eſſe, non quamcumque harmoniam, aut qualemcumque, ſed præexcellentiſſimam creatoris ſapientia inſitam.

Philolaum iterum refellit, ſi de ſenſibili ſono locutum dicat.

Jam igitur feci te ſcire per hæc, quia Philolaus aut metaphorice locutus eſt in ſermone quo dicit animam harmoniam eſſe, aut omnino quod harmonia eſſet ignoravit: neque enim eſt fingere cujus harmonia vel ad quid, aut quæ harmonia eſſet anima vel ad quid harmonizaret. Quemadmodum dici conſuevit de nervis, aut cordis citharæ, vel de fiſtulis organorum ad invicem, quemadmodum dicitur quia nervus harmonizat ad nervos, & fiſtula ad fiſtulam, harmonizat inquam ſeu reſonat diapazon, aut diapente, aut aliam ſymphoniam: & quoniam ſi concentus eſſet continuus in eſſe petroſo quod eſt inſtrumentum auditus, continua eſſet auditio illius; multo fortius neceſſe eſt ſi ipſa anima harmonia eſt eſſentialiter, eam numquam vacare ab auditu, vel nobiliori ſenſu hujuſmodi: multo enim magis impoſſibile eſt eam vacare à quocumque eorum quæ eidem eſſentialia ſunt, quam carere aliquo eorum quæ illi à foris adveniunt. Amplius quæ harmonia eſſet hujuſmodi quæ nec audibilis eſſet ipſi animæ nec cuique alteri.

Si vero de intelligibili harmonia intelligendus ſit, metaphoricè locutum aſſerit.

Ad hoc igitur tandem deveniet Philolaus ut eam dicere habeat intelligibilem harmoniam, & non ſenſibilem eſſe: ex quo apparebit illum in ſermone ſuo locutum fuiſſe metaphorice, & aperiet ſe per alia hujuſmodi, & neceſſe habebit idem Philolaus ediſſerere quorum harmoniam vel interius quæ ſit anima ſecundũ intentionem ipſius. Facile eſt autem tibi videre quia quanto profundius, quantoque perſcrutatius inveſtigaris ſermonem ipſius, tanto inquã erroneũ ſive abuſivum illum eſſe cognoſceres. Et hæc quidem ſic diſputavi ut puerilibus ingenijs, & ad modicum exercitatis aliquatenus patefacerẽ. Et poſſem utique de ſermone Pythagoræ diffuſius ac diligentius diſputare; quod & indubitanter

feciſſem niſi etiam imperitis viæ facillimæ ad deſtructionem illius apparerent.

PARS TERTIA.

De incorporeitate animæ.

Proponit incorporeitatem animæ.

POST hoc autem aggrediar removere corporeitatem ab eſſentia animæ humanæ, & declarare nobilitatem ſubſtantiæ ejus, cujus pars aliqua ſpiritualitas eſt: Non enim tota nobilitas animæ humanæ ſpiritualitas eſt ipſius, ſed revera pars aliqua ipſius eſt; in multis namque ſpeciebus aliis ſubſtantiarum ſpiritualitas invenitur, ſicut jam frequenter audiviſti. Debes autem & hîc reminiſci quia ſpiritualitas, & corporalitas contraria ſunt. Et propter hoc eadem eſt earum ſcientia, & diſciplina, nec eſt plenè cogitare alteram altera remanente prorſus ignota.

Oſtendit quod anima non ſit res corporea.

Dico igitur quia corporeitas per hoc quod eſt corporeitas non eſt præſtans vitam, vel corpori cujus eſt, vel alij; ſicut neque corpus per hoc quod eſt corpus vel vivum eſt vel vitam habens. Manifeſtum eſt etiam imperitiſſimis innumerabiles ſpecies corporum non ſolum vita carere, ſed etiam nec poſſibilia eſſe vitam habere, nec vivificabilia eſſe. Manifeſtum igitur eſt corporeitatem non præſtare vitam ſubſtantiæ corporeæ cujus eſt ipſa corporeitas. Aut igitur anima humana & quæcumque alia etiam non habebit vitam, & ita erit corpus mortuum ſicut terra, vel aqua, aut erit ei vita aliunde quam corporeitate. Illud autem ex quo ſive per quod eſt ei vita, neceſſe eſt vivens eſſe, quod enim in ſe vivens non eſt, ſed vita carens, impoſſibile eſt præſtare vitam alij ſive vivificare illud. Neceſſe igitur eſt illud vivere ſive vitam habere in ſemetipſo. Et quoniam omne vivens neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam; cum impoſſibile ſit manifeſtum quodcumque ex accidentibus vivere, neceſſe eſt ſubſtantiam eſſe id omne ex quo vel per quod anima quæcumque vivit.

Idem quod ſupra oſtendit ne ſcilicet detur proceſſus in infinitũ ſi anima ſe ipſa non præſtet vitam.

Hujuſmodi autem ſubſtantiam neceſſe eſt in ipſa, & de ipſa eſſe, aut in ipſa, & non de ipſa. Quod ſi fuerit in ipſa, erit igitur in ipſa anima quæ in animali eſt animans ipſum, & de ipſa tanquam pars ipſius: quare erit ipſa animata, & propter hoc non erit anima ſed animatum: erit etiam ipſa habens animam; & de illa reſtabit ſimilis quæſtio. Si vero non fuerit de ipſa anima id ex quo, & per quod vivit, ſed in ipſa: Erit igitur in ipſa ſicut accidens, & ſicut forinſecum & adventitium, quemadmodum lumen in aëre. Quapropter ſicut naturaliter aër in ſe, & per ſe eſt lumine carens, ſic naturaliter anima in ſe ipſa & per ſe ipſam erit vitâ carens, & propter hoc mortua in ſemetipſa, ſicut corpora inanimata. De illo quoque ex quo, & per quod vivit ipſa anima, relinquitur ſimiliter quomodo vivit? an ſit vitam habens ſive vivens? Si enim non eſt vivens, ſive vitam habens, non erit poſſibile ipſum vitam præſtare alij vel vivificare illud, quapropter nec præſtabit vitam animæ, nec vivificabit illam. Erit igitur ipſa anima non habens vitam, & propter hoc nec viva nec vivificata. Et non oportet ut prolixiorem faciam tibi ſermonem hunc, cum evidenter videas quia nec in infinitum poteſt res iſta currere, ſed neque poſſibile eſt eam ſtare ſtatu convenienti, & cujus impoſſibilitas etiam per ſemetipſam non appareat.

2. Quia omne corpus eſt merum corpus adeoque anima ſi corpus eſt erit merum corpus.

Amplius omne corpus eſt merum corpus, & intendo merum corpus quod non habet ſubſtantiam ſpiritualem partem ſibi, quemadmodum & merum ſpiritum nemo intelligit eſſe niſi ſpiritualem ſubſtantiam, quæ nihil habet corporeum vel corporeæ ſubſtantiæ. Quapropter ſi anima corpus eſt, erit ex neceſſitate merum corpus; merum autem corpus non eſt poſſibile vivere per ſe, quoniam tunc viveret per hoc quod eſt corpus, ſive per corporeitatem; quare neceſſe eſſet ipſam vivere per aliud: Omne autem vivens per aliud neceſſe eſt animatum eſſe; quod autem animatum eſt impoſſibile eſt animam eſſe; impoſſibile igitur eſt, animam eſſe corpus.

3. Quia ſic anima eſſet vivens aliunde, & à foris.

Amplius ſecundum hoc anima non eſt vivens in ſemetipſa, neque per ſe, ſed aliunde & à foris.

4. quia ſi anima eſſet corpus eſſet inanimatũ vel animatum, ſi animatum vel anima rationali vel alia.

Amplius ſi eſſet corpus, eſſet vel animatum corpus, vel inanimatum: quod ſi eſſet animatum, eſſet animatum tunc anima rationabili vel alia: quod ſi anima rationabili, eſſet igitur ex illa & anima quæ eſt animatum homo compoſitus integer. Cum igitur homo nihil aliud ſit quam ſubſtantia ex corpore, & anima rationali compoſita: anima autem pars hominis ſit; erit ex neceſſitate anima ipſa homo ſimul, atque pars hominis. Si vero anima irrationabili animata fuerit anima ipſa, tunc erit ex ipſa, & illa alia anima, qua ipſa animata eſt, compoſitum animal irrationale, quod & erit pars hominis. Unde igitur erit ratio vel rationabilitas homini; non enim à parte animæ ſuæ poſſibile eſt ut ſit ei ratio, vel rationabilitas; cum nec ipſi animæ ſit ratio, vel rationabilitas: neque à parte corporis ſui poſſibile eſt illam id eſſe, ſed neque à parte animæ, videlicet qua ipſa anima animata eſt, cum anima illa irrationabilis ſit. De illa igitur anima reſtabit quæſtio, videlicet utrum corpus ſit, an non? Quod ſi dixerit illam non eſſe corpus, cum tamen irrationalis ſit, ſicut dicitur; quanto fortius igitur ipſa anima rationalis corpus non erit; cum manifeſtum ſit incomparabiliter nobiliorem illam eſſe, quam ſit anima irrationalis, & propter hoc remotiorem eſſe incomparabiliter ab ignobilitate corporeitatis. Si vero dixerit ipſam eſſe corpus inanimatum: erit igitur corpus non vivens, & propter hoc omnino mortuum: Quapropter non erit poſſibile ipſam præſtare vitam corpori humano, ſive vivificare illud.

5. Quia ſi eſſet corpus eſſet vel compoſitũ. vel ſimplex neutrum vero ſtare poteſt.

Amplius ſi illa ſit corpus, erit ex neceſſitate aut ſimplex aut compoſitum: quod ſi ſimplex, erit ex neceſſitate aut unum ex elementis quatuor, aut ex quinta eſſentia: quod ſi fuerit ex quinta eſſentia, erit ex neceſſitate ei figura & motus. Jam enim declaravit Ariſtoteles omni corpori eſſe motum, & non eſſe poſſibile uni corpori eſſe niſi motum unum naturalem: quapropter omnes alij motus erunt unicuique corpori violenti. Quod igitur omni genere motus localis movet anima humana corpus humanum, neceſſe erit ut vel moveat ipſum motibus ſuis vel non. Quod ſi moveat ipſum motibus ſuis, habet igitur multos motus quorum vel aliquis eſt voluntarius, vel nullus. Quod ſi aliquis, igitur movetur voluntate, ac quoniam motus voluntarius ab anima eſt, movetur ab anima. Cum igitur ſit corpus voluntariè motum, ſicut ponit adverſarius, erit corpus animatum: quapropter erit anima pars ipſius: non erit igitur corpus, neque anima ſimpliciter; ſed compoſitum ex iis: quoniam cum ſit corpus voluntariè motum neceſſe eſt ipſam eſſe animal. Et idem accidit de anima ipſius: aut enim erit corpus, aut non erit corpus. Et inde patet tibi via deſtructionis quam audiſti, &c.

PARS QUARTA.

Utrum anima ſit corpus cæleſte.

Recitat opinionem ponentem eſſe corpus cæleſte.

QUoniam autem viſum eſt quibuſdam, qui in Philoſophia eminere niſi ſunt, totum cœlum cum partibus ſuis omnibus vitam eſſe, & intendo totum quod eſt à luna ſupra. Veriſimile eſt opinionem hujuſmodi erroneorum, qui animam

K ij

corpus æthereum ponunt eſſe ex opinione hujuſmodi hominum lunaticorum, aut ſupra lunam habitantium hoc accepiſſe, ſi tamen ſermones eorum audierunt.

quam ex Prophetis deſumere ſe putant. Ezech. 1.

Et quoniam opinionem hujuſmodi firmare conati ſunt ex ſermonibus cujuſdam ex Prophetis Hebræorum ſic dicentes, vel interpretantes ſcintillas aëris candentis emicantes ex vultibus animalium, quæ in viſione ſua prophetica ille ſe vidiſſe ſcripſerat, ſcintillas illas aſperſiones quaſdam vitæ eſſe quas diffundunt animalia illa in aëra noſtræ humanitatis. Et hæc eſt cauſa, ut eis viſum eſt, propter quam attrahimus aëra in ſuſtentationem vitæ noſtræ. Similiter & omnia animalia ſpirantia, quapropter vix ad modicum vel breviſſimum carere, & abſtinere poſſumus aſpiratione, & reſpiratione tanquam à neceſſario alimento, & ſuſtentatione vitæ noſtræ. Quia igitur præſumptivus videtur ſermo iſte, & eſt hominum qui de intelligentia obſcuriſſimæ viſionis illius præſumpſerunt, conveniens eſt non præterire ſermonem hujuſmodi indiſcuſſum.

Oſtendit quod nullū corpus cæleſte eſt vita.

Dico igitur quia hujuſmodi homines aut intellexerunt cœlos & ſtellas corpora eſſe, aut non: quod ſi intelligunt eſſe corpora, impoſſibile eſt ut cum hoc intelligant ea totaliter eſſe vitam. Aut enim opinantur ea eſſe corpora animata, & viventia, aut non. Quod ſi animata & viventia intelligunt ea eſſe in parte ſolummodo vitam; omne namque corpus animatum in parte vita eſt, quod eſt dicere, quantum ad animam, quæ pars ejus eſt, ſi eo modo animatum eſt, ut ex anima & corpore compoſitum ſit. Si vero aliter eo modo videlicet, ut corpus humanum, vel alterum alterius animalis: tunc manifeſtum eſt ipſum non ſolum non eſſe vitam, ſed etiam non habere vitam, niſi potentia, & quaſi à foris. Quapropter neutro modorum poſſunt ſomniare corpora illa vitam eſſe, dummodo ea eſſe corpora veri nominis opinentur: non vero intelligibile eſt ullo modorum quod color albus qui & albedo eſt, cum ſit albus ſecundum eſſentiam vel ſubſtantiam, ſit albus ſecundum participationem. Quapropter qui credunt corpora vitam eſſe, quod eſt ſecundum eſſentiam vel ſubſtantiam, neceſſe habent credere illa non eſſe viventia ſecundum participationem, neque animata anima quæ vel pars eorum ſit, vel à foris, hoc eſt niſi ea parte viveret ſua conjunctione, vel unione ad illa: quemadmodum ſe habet in corporibus hominum, & aliorum animalium.

Exponit' ſententiam contrariā.

Jam autem ad hoc deducti ſunt hujuſmodi erronei homines, ut concedant ſolem, & lunam, & ſtellas, & ipſos cœlos non eſſe corpora; ſed ſicut prædixi unumquodque eorum eſſe vitam tantum, & eſſe lumina, vitamque in aëre noſtræ habitationis ſcintillantia, quod eſt dicere tanquam ſcintillas aſpergentia. Cum autem quæritur ab eis, quomodo figurata ſint lumina illa, & formam ſphæricam habentia, cum figuræ hujuſmodi vel formæ qualitates corporum ſint, ſimiliter & motus continuus non niſi corporis ſit diſpoſitio, ſicut declaravit Ariſtoteles in libro phyſicorum; nihil aliud habent quod delirent, niſi quia lux nobilior, atque prior eſt omnibus corporibus, & propter hoc ſenſibus incorporeis vicinior, & tanquam media inter utraque. Propter quod vita eſt à parte ſubſtantiarum incorporalium ſpiritualium, & abſtractarum, quibus immediata propinquitate ſubjungitur: à parte vero corporum ex ſimili appropinquatione ſunt eis figuræ, & formæ, non quidem veræ, ſed apparentes, atque potius verarum figurarum, & formarum, quæ propriæ ſunt ſimilitudines corporum aliquæ. Et de motu neceſſe habent ſimiliter delirare.

Hujuſmodi igitur homines ſenſu non indigent, cum ſenſui non credant, cum videant moveri corpora cæleſtia, negant ea moveri, non credentes ſenſui oculorum ſuorum. Deinde neceſſe habent confiteri vacuum eſſe totum quod eſt à luna ſupra; cum ſpirituales ſubſtantiæ locum replere non poſſint, veriſſiméque proprium corporis ſit, & inſeparabilis ſequela corporeitatis loci repletivitas.

Quam teſtiſ teſtimonio ſenſū & quia ſpatium quod eſt ſuper lunam non poſſit dici vacuū.

Quod vero lux loci repletiva non ſit manifeſtum eſt, ex hoc quod aër qui utique corpus eſt ſecum illam in eodem loco totaliter recipit, quod nullo modorum fieret ſi illa repletiva loci eſſet; quoniam potius excluderet eam, & repelleret à ſe ipſo, & loco ſuo, quemadmodum excludit & pellit aquam de vaſe longi, ac ſtricti orificij, cum merſum in aqua fuerit orificio ipſius ad profundum obverſo; neque enim una ſtilla intrare in vas illud permittitur. Cujus nulla alia cauſa cogitari poteſt niſi corporeitas aëris vas illud implentis, & aquam ab ingreſſu repellentis; & hoc eſt judicium quo Philolaüs in libro de ſpiritualibus ingeniis probat aëra eſſe corpus, &c.

Lucem non eſſe loci repletivam oſtendit ex aëre eam admittente, aquam vero repellente.

PARS QUINTA.

Oſtendit quod corpora cæleſtia non ſcintillant vitam in aërem inferiorem.

Oſtendit quod corpora cæleſtia non ſcintillant vitam in aërem inferiorem.

DE vita veró quam ſcintillare dicunt in iſtum aëra cæleſtia corpora, merito quærendum eſt ab eis an ſubſtantia ſit, an accidens. Quod ſi ſubſtantia eſt, & ſubſtantia utiqué corporea, atque perennis exiſtentiæ, neceſſe eſt per deciſionem emicet, atque diſſiliat in aëra iſtum. Quapropter cum continua ſit iſta deciſio, & ex quo cæpit tranſacti ſint jam anni ſex millia, & amplius; jam totum cælum conſumptum eſſet per illam, vel ſaltem notabiliter atque deformiter detritum. Niſi forte dicere audeat renovationem ac reparationem fieri continuè cælis & ſtellis, per quam defluxionis hujuſmodi conſumptio continuè reſtauraretur. Quapropter generabiles & incorruptibiles poneret cælos, & omnia cæleſtia, & quod eſt majoris inſaniæ infirmioris ſubſtantiæ, atque debilioris eſſe quam ſint multa ex terreſtribus corporibus. De quibus manifeſtum eſt quod non ſit in eis continua conſumptio, ſicut apparet in balſamo, & diamante; id eſt adamante, ut de ligno cedri veriſimiliter creditur à multis, quia imputribile ſit. De ferro vero & ære ſi à rubigine ſerventur, vix eſt videre vel deprehendere conſumptionem aliquam fieri in eis. Nota vero jam ſunt hominibus artificia quibus rubigo & ærugo arceantur ab hujuſmodi metallis.

1. Quia cæli corruptibiles eſſent & debilioris naturæ quā multa ex terreſtribus.

Amplius iſtæ ſcintillæ quæ trahuntur ab hominibus & aliis animalibus per reſpirationem ſubſtantiæ incorporeæ ſunt, & vitæ immortalis ſecundum errorem iſtum. Quid igitur fit de eis? an revertuntur ad cælum à quo eas deſcendiſſe dicitur? an remanent apud nos, & in hac regione noſtræ habitationis? Præterea cum aliæ poſt alias ſimili modo veniant, aggregantur-ne, & uniuntur, aut remanent diſperſæ, & diſgregatæ? Quod ſi unum continuum fit ex illis creſcens per iſtas novas additiones continuè, tunc neceſſe eſt vitam noſtram in immenſum augeri. Et quoniam hujuſmodi ſubſtantiæ vita perennes ſunt, & nullo modo deſtructibiles, conveniens eſt vitam noſtram perennem eſſe, & nullo modo morti obnoxiam.

2. Quia ſcintil'æ quæ abſtrahuntur ab hominibus & aliis animalibus eſſent ſubſtantiæ incorporeæ & immortales.

Amplius quis erit iſte modus ſuſtentationis vitæ noſtræ, & aliorum animalium per ſcintillas hujuſmodi? aut enim intrabunt in animas noſtras, & unientur eis, aut per unionem aggregabuntur eis, aut intrabunt corda in quibus ſedem vitæ poſuerunt

3. Quia non poteſt intelligi quomodo ſcintillæ illę vitam noſtram ſuſtineant.

aliqui ex philoſophis, aut pulmonem per quem maximè fit attractio reſpirationis. Unionem autem ad animas noſtras neque cogitare poſſibile eſt. Si enim unum fieret ex illis, & animabus noſtris, illud nec eſſet anima humana, neque illa eſſet illæ; niſi forte quis dicat quia id compoſitum eſſet anima humana. Quapropter neceſſe haberet dicere animam humanam creviſſe additione ſcintillarum hujuſmodi. Crementum autem aut eſſet per nutrimentum, quemadmodum fit in corporibus, aut eſſet per additionem, & hoc per modum quo creſcere dicitur acervus lapidum, cum ei alij lapides apponuntur. Jam autem didiciſti ex aliis quia in cremento corrumpitur, atque deſtruitur nutrimentum, crementum dico corporum noſtrorum, & aliorum animalium. quapropter ſi per hunc modum creſcerent animæ noſtræ ex additione ſcintillarum hujuſmodi, neceſſe eſſet ſcintillas hujuſmodi deſtrui & extingui, & propter hoc mori. Quomodo igitur mortuæ vitam noſtram nutrirent atque augerent?

4. Quia ſi ſcintillæ quæ ſunt naturæ cæleſtis ſecundum illos corrumperentur, & ipſum cœlum.

Amplius ſecundum hoc totum cœlum mortale & extinguibile eſſet, & hoc per conjunctionem ad infirmius, atque debilius ſe; ſcintillæ namque hujuſmodi partes cœli ſunt ſecundum ipſos, & cujus pars corruptibilis eſt, neceſſe eſt corruptibile id eſſe. Extinguuntur autem conjunctione ad corpora noſtra, videlicet cum intrant ea per reſpirationem. Si vero creſcerent per additionem earum, quemadmodum creſcit acervus lapidum ex additione aliorum ſuper ipſum, neceſſe igitur eſſet unumquemque noſtrum aliam habere hodie animam, quam habuerit heri, vel habebit cras, quemadmodum manifeſtum eſt acervum lapidum viginti alium eſſe, hoc eſt non eumdem, quam ſit acervus lapidum quinquaginta.

5. Quia ſcintillæ non poſſunt eſſe nec impartibiles quia ſic uniri non poſſent animæ noſtræ ut putant, nec partibiles, quia ſic corporeæ eſſent.

Amplius hujuſmodi ſcintillæ aut partibiles ſunt, aut impartibiles. Si impartibiles qualis igitur poteſt eſſe unio earum ad ſubſtantiam animæ humanæ impartibilem; neque enim cōtinuatio, neque contiguatio, neque mixtio locum habet inter eas. Si vero partibiles ſunt quemadmodum flammulæ, vel ſcintillæ viſibiles, conjungentur igitur ad invicē & continuabuntur, & erit unum ex illis quemadmodum ex ſcintillis una flamma. Reſtabit igitur de ipſis utrum ſit in eis ſignare trinam dimenſionem, & tunc videbuntur corporeæ eſſe, & propter hoc impoſſibile erit ipſas eſſe vitas, ſicut jam feci te ſcire in præcedentibus.

6. Quia expiratio auferret vitæ noſtræ totū quod ei conferebat reſpiratio.

Amplius cum attrahuntur per reſpirationem aut emittentur per expirationem, aut retinebuntur non emiſſæ. Quod ſi emittuntur, auferet igitur expiratio vitæ noſtræ totum quod ei conferebat, ſive contulerat reſpiratio; cum nulla earum retineatur, niſi fortè quis dicat quod aliqua earum diſpoſitio retenta eſt in animabus noſtris; alioquin fruſtra attractæ viderentur, quemadmodum nutrimentum quidem tale per omnia emittitur quale fuerit intromiſſum.

7. Quia dici non poteſt quod ſcintillæ hujuſmodi emittantur in nullo immutatæ.

Amplius ſi in nullo immutatæ emittuntur, ad quid aliæ attrahuntur? nihil enim aliud aut aliter poſſunt quæ ſuper adveniunt quam priores. Quapropter manifeſtum eſt quia ſupervacuè & prorſus inutiliter attrahuntur, quemadmodum dixi de nutrimento per omnia ſimiliter immutato.

Quod dici non poſſit ſcintillationes hujuſmodi eſſe accidentia.

Quod ſi dixerit quia ſcintillationes hujuſmodi accidentia ſunt. Dico quia iſtud non eſt minus erroneum quam primum: quoniam non eſt dignoſcere genus in quo, vel ſub quo ſint; non enim poſſibile videtur poſſe eas collocari niſi in genere qualitatum. Denominatio autem ab illis ſi veræ vitæ ſunt non eſt niſi vivere, vel vivens, ſed ut accidens, vel vivere vel vivens efficiat cui videatur?

8. Quia ſcintillationes illæ ex quo ſunt in aëre facerent aërem vivere.

Amplius cum in aëre ſunt hujuſmodi ſcintillationes ex neceſſitate facerent illum & vivere, & viventem: hoc autem eſt deliramentum novum quod nemo adhuc ſomniavit.

9. Si & aer moreretur quoties per reſpirationē attraheretur ſcintilla.

Amplius accideret ſecundum hoc ipſum aëra mori, & extingui quotiens reſpirando attrahitur, ſi ſcintilla hujuſmodi ſpoliaretur. Si vero tranſirent in corpora noſtra, tunc mutarent accidentia illa ſubjectum ſuum, aëra videlicet, à quo tranſirent ad corpora noſtra.

10. Quia cū ſint ejuſdem ſpeciei ſcintillationes illæ, non poſſent continuè ſpargi in aëra.

Amplius cum totus aër reſperſus ſit hujuſmodi ſcintillationibus, non reciperet alias ejuſdem ſpeciei. Quapropter non erit verum hujuſmodi ſcintillas continuè ſpargi in aëra. Et juxta has vias facile eſt tibi alias ratiocinationes ad deſtructionem hujus erroris invenire.

PARS SEXTA.

Quod anima non ſit aliquod corpus.

Oſtendit animam nō eſſe corpus 1 quia duo corpora nō poſſunt eſſe ſimul.

ADdam etiam & alia quibus manifeſta fiat incorporeitas non ſolum animæ humanæ, ſed etiam aliarum. Dicam igitur imprimis quia nullum corpus recipit intra ſe aliud corpus, omne autem corpus quod vivit totaliter, recipit in ſe vitam & animam totaliter, cum ſit animatum totaliter & vivens ſecundum omnem ſui partem, ſicut apparet in oſſe quod totaliter vivit, cum ſecundum omnem ſui partem creſcat. Eodem modo ſe habet & de carne quæ totaliter, hoc eſt dicere ſecundum omnem ſui partem, & recipit & habet intra ſe animam. Declaratum igitur eſt tibi per hoc animam non eſſe corpus; alioquin duo corpora eſſent in eodem loco totaliter.

2. Quia corpus non ſubit aliud corpus ſine læſione & diviſione.

Amplius corpus non intrat aliud quin diviſionem faciat illius, vel diviſionem patiatur ab ipſo. Omnis autem anima intrat corpus quod animat, atque vivificat abſque ulla diviſione, & læſione illius, & etiam ſui ipſius. Similiter & habitat in eodem, & quod plus eſt, conſervat ipſum, atque vivificat ſua inhabitatione in illo. Manifeſtum igitur eſt ipſam non eſſe corpus, cum omne corpus ſuo ingreſſu in aliud & ſua exiſtentia in illo diſſolutionem & deſtructionem efficiat.

3. Quia ſic per mortem ſoluta anima corpus non rigeſceret, ſed potius molleſceret.

Amplius ſi anima corpus eſſet poſt receſſum ipſius à corpore, corpus remaneret minus durum & rigidum, & propter hoc magis in omnem partem flexibile. Apparet autem evidenter è contrario quia corpora mortuorum morte rigeſcunt, atque dureſcunt, & ligna omnia mortua in nullo morte id eſt extinctione vitæ ſuæ penitus flecteſcunt ſive molleſcunt. Quod ſi dixerit quia tanta eſt ſubtilitas ſubſtantiæ animæ ipſius tantaque ut dicatur mollities, ut receſſus ejus in nullo imminuat rigorem, vel duritiem corporis in quo erat. Et in hoc evidenter errare videtur quia aër utrem quem impleverit rigidat & indurat, receſſuque ſuo & exitu ab illo relinquit illum omnino flexibilem atque plicabilem, cum tanta ſit ſubtilitas, tantaque mollities ipſius aëris.

4. Quia ſentire non eſt actus corporis per modum quo eſt corpus.

Amplius ſentire non eſt actus corporis per modū quo eſt corpus, & intendo per corporeitatem ſuam, quoniam tunc neceſſe eſſet omni corpori eſſe actum iſtum. Et etiam vivere quod eſt multo inferius, multoque minus nobile, ſicut ſæpe audiviſti: ſi igitur eſt corpori, eſt ei per aliud quam per hoc quod eſt corpus, ſive per corporeitatem ſuam. Quapropter manifeſtum eſt quod illi alij & per ſe, hoc eſt per naturam ſuam, & in eo etiam eſt tanquam in ſubjecto proprio & cujus eſt per ſe. Et quoniam non eſt dicendum quia ſentire non ineſt homini, vel alteri animali, niſi per animam & rationem ipſius. Manifeſtum animam ſive hominis ſive alterius animalis cujuſcumque non eſſe corpus.

Nec te conturbet quod antiqui philoſophi lati-

Solvit objectionem inductam à teſtimonio Philoſophorum latinorum qui animā aëra, & Hebræorum qui ſpiritū ventum vocaverunt.

norum aëra ipſam animam vocaverunt. Similiter & ſpiritum gens Hebræorum vocat ventum; quapropter ij ventum non aliud intelligere potuerunt adhuc quam aëra. Nec eſt mirum ſi aëra ſpiritum vocaverunt; cum apud nos etiam ſpiritus, & aër, & anima, & omnis ſubſtantia nobilis abſtracta ultimatiſſimè nominatur. Verum tu debes ſcire in hoc quod ipſi Philoſophi Italici inter animum & animam, quemadmodum nos inter ſpiritum & animam diſtinguunt; animam quippe nos ab eo quod animat, hoc eſt vivificat, adminiſtrat & regit corpus: ſpiritum vero eam nominamus ad ſe ipſam abſque comparatione ipſius ad corpus. Et intendo quod quantum ad vires per quas operatur in corpore per illud anima eſt. Spiritus autem abſolutè & ſimpliciter atque eſſentialiter.

Quomodo differant animus & anima, vel anima & ſpiritus.

Nec intelligas quod duo numero quod eſt dicere ſubjecto & eſſentia, hoc eſt neceſſitate eſſendi & veritate, ſunt anima & ſpiritus, & quod ex illis compoſita ſit anima vel ſpiritus, vel tertium aliquid ex ambobus, ut faciam te ſcire in ſequentibus. Animus vero apud Philoſophos, ut prædixi, idem qui & ſpiritus apud nos. Voluerunt igitur ipſo genere maſculino ſtrenuitatem ipſius atque nobilitatem inſinuare, nec non & dignitatem regiminis, & imperij quo corpori imperat, quæ procul dubio magis congruit ſexui maſculino.

Ex teſtimonio animæ intelligentis oſtenditur animam non eſſe partibilem.

Addam autem ad hoc teſtimonium omnis animæ intelligentis, & faciam te ſcire quod omnis anima intelligens intelligit, ſcit, teſtificatur ſe non eſſe partibilem, &c.

PARS SEPTIMA.

Quod anima non ſit corpus cæleſte.

1. Quia deberet anima ſi eſſet corpus cæleſte habere figurā ſphæricam quæ tamen motui recto ineptiſſima eſt.

CONveniens autem eſt ut præmittam tibi aliqua contra imbecillitatem iſtorum, qui animam humanam corpus cæleſte eſſe dixerunt, & contra ſequaces Heraclij qui ignem illam eſſe poſuerunt, & imperitis rationes eorum hoc ipſum ſuaſerunt. Dico igitur quia ſi anima etiam quæcumque corpus cæleſte eſſet, neceſſe eſſet figuram vel formam ſphæricam illi eſſe; hæc enim eſt omnium figurarum ſeu formarum nobiliſſima, ac perfectiſſima, & propter hoc motui nobiliſſimo id eſt circulari aptiſſima, ſicut Ariſtoteles ſenſiſſe & ſcripſiſſe in primo cœli & mundi manifeſtum eſt. Quapropter conſequens eſſet animæ formam vel figuram ſphæricam eſſe, de qua manifeſtum eſt quia motui recto ineptiſſima eſt, propter quod & ad movendum corpus motu quocumque recto inconvenientiſſima, ſi non niſi ſuo motu moveret illud.

Errores circa figuram animæ.

Vides autem evidenter quia error iſte non minus puerilis eſt eorum errore, qui poſuerunt animæ humanæ formam, ſeu figuram pueri parvuli inducti ad hoc in ſpeculatione picturarum; hujuſmodi enim formæ ſeu figuræ pinguntur propter brevitatem intellectus, & paucitatem exercitationis vulgarium hominum in rebus ſpiritualibus.

2. Quia dici non poteſt qua virtute è cœlo deſcenderent cum neque natura, neque violentia, neque voluntate id fieri potuerit.

Qua virtute quoque ſpheræ iſtæ animarum de regione cæleſti in hanc noſtram habitationem deſcenderent non eſt hujuſmodi erroneis poſſibile reſpondere; cum neque natura corpus cæleſte deſcendere poſſibile ſit, neque voluntate, neque violentia; natura quidem non, cum deſcenſus motus rectus ſit, & propter hoc corpori cæleſti naturaliter impoſſibilis. Voluntate ſimiliter non eſt poſſibile; cum voluntarius motus omnis non ſit niſi volentis, & non niſi animam habentis, & animalis: manifeſtum autem eſt nullam animam vel animam habere, vel animal eſſe. Et hoc jam ſcis ex iis quæ præceſſerunt. Violentia quoque ipſas antedictas ſpherulas deſcendiſſe inde manifeſtum eſt impoſſibile eſſe ei, quia non eſt poſſibile etiam fingere quod violentiam illam eiſdem intulerit, & non niſi per violentiam in iſta noſtra habitatione vel etiam modicum retineri poſſent. Quapropter non eſſent hic voluntariè, & hoc eſt omnium animarum humanarum teſtimonio impoſſibile manifeſtum: Omnes enim animæ humanæ quæ de ſe ipſis aliquid ſcire vel debent, vel poſſunt, quod dico propter animas parvulorum, & furioſorum morionum, & alias quomodo libet occaſionatorum, ſciunt ſe volenter, & libenter hic eſſe, & paucas admodum hinc libenter exire: & hoc non niſi tunc cum vehemens deſiderium exeundi in creatorem illas accenderit, & ſpes conſortium ejus obtinendi illas firmaverit, & jocundaverit.

Amplius quare in vaſe tam multas aperturas habente, ut eſt corpus humanum, vel etiam ad horam tam ſubtile contra naturam ſuam teneri poterit? præſertim cum nihil appareat obſiſtens motui ipſius, & prohibens illud ſurgere à loco tam incongruenti naturæ ſuæ.

3. Quia non poteſt dici quomodo tam ſubtile corpus contra naturam hic retineatur.

PARS OCTAVA.

Recitat opinionem ponentem animam eſſe ignem.

Heracliti ſententia quod anima ſit ignis.

POST hæc expediam me & te de eorum errore qui ſecuti ſunt Heraclitum, & præmittam omnia quæ videntur eos induxiſſe in errorem iſtum, atque diſſolvam quæſtiones ipſorum in hoc. Horum igitur primum fuit, quia calore ſublato de corpore hominis, vel alterius animalis, tollitur & vita ab eodem, eoque adveniente advenit. Quapropter ut dicunt ex calore hujuſmodi evidenter eſt vita: illud autem ex quo vita eſt homini, vel cuique animali alij vita eſt procul dubio, animam igitur calorem eſſe neceſſe eſt. Nec refert apud eos an calorem, an ignem dicant eam eſſe, cum calorem non ipſum calere, ſed principium & cauſam efficientem ejus quod eſt calere ignem eſſe intendunt. Heraclitus autem rex omnium principium & cauſam ignem eſſe poſuit & etiam benedictum ac ſupereminentiſſimum creatorem. Quia igitur poſito iſto igne quo calet in vita homo, vel quodcumque aliud animal ponitur vita in eo, & remoto removetur, neceſſe eſt vitam eſſe ex illo per ſe, quemadmodum dicit Ariſtoteles, *per ſe eſt quo poſito ponitur, & quo remoto removetur.*

Primum fundamentum calor naturalis quo extincto mors eſt. Cod. Cornel. part. 10.

Secundum quia ut ignis ſublatis lignis & aliis pabulis extinguitur, ſic & vita ſublatis nutrimentis.

Secundum eſt quia ſublatis alimentis aufertur anima, & intendo uſu alimentorum, & poſitis ipſis ponitur, quemadmodum accidit in igne qui ſublatis lignis, vel alio quocumque pabulo ipſius extinguitur, & deficit, & eo adhibito vel durante durat & vivit. Eſt igitur vita in homine, & in aliis animalibus indubitanter ignis, qui cibis & potibus ſuſtentatur, & permanet, deficientibus autem illis deficit, vita autem quid aliud quam principium, & cauſa vivendi in hominibus, & aliis animalibus intelligi poteſt? animam vero nemo hominum dixit adhuc niſi principium per ſe, & cauſam vivendi immediatam, tam in homine quam in aliis animalibus, & hanc eandem vitam eſſe utrorumque omnes homines intelligunt, & intendunt. Conſequens igitur eſt animam, ſive vitam humanam, & aliorum animalium ignem eſſe.

3. Quia ut ignis ſic etiam animæ natura eſt alia corpora deſtruere & convertere in nutrimentum ſuum.

Tertium eſt ad quid quærunt homines & alia animalia nutrimenta ciborum & potuum? Dico, inquiunt, quia propter animam; animata enim ſola nutrimenta requirunt, nullum autem inanimatorum vel curat vel indiget nutrimentis. Quare ex anima eſt, hoc eſt propter ipſam, cum ea poſita ponatur inquiſitio nutrimentorum, & ea remota removeatur.

moveatur. Anima igitur eſt quæ indiget hujuſmodi nutrimento, & quæ nutritur, & ſuſtentatur conſumptione ipſorum. Hæc autem procul dubio natura eſt ignis videlicet alia corpora quibus prævaluerit deſtruere, atque convertere in nutrimentum ſuum.

Concluſio Heracliti.

Manifeſtum igitur eſt ex iis, ut dicunt, animam ignem eſſe poſſibile eſſe, quod eſt dicere ſecundum intentionem eorum & ſecundum omnem ſpeciem ſuam. Et intendo rationalem animam ut vegetabilem. Tu inquiunt, fingis inviſibilem quandam & incorpoream ſubſtantiam quæ nutrimentis non indiget, nos autem loquimur quæ evidentia ſunt, &c.

PARS NONA.

Reprobat prædictam opinionem.

Explicat dictum Ariſtotelis per ſe eſt quo poſito ponitur, & quo remoto removetur.

INcipiam igitur reſpondere ordine ratiocinationibus iſtis, & dicam quia ſermo Ariſtotelis quo dixit, quia *per ſe eſt quo poſito ponitur & quo remoto removetur*, taliter intelligendus eſt ſub hoc ſenſu, quo poſito id eſt cujus poſitione ponitur; tunc enim indubitanter cum poſitio alicujus cauſa eſt poſitionis alterius, erit remotio ejus cauſa remotionis alterius.

Reſpondet primæ rationi Heracliti.

Non autem ſic eſt de calore naturali in corporibus animalium, & de vita in eiſdem; non enim calor hujuſmodi cauſa vitæ eſt, neque remotio illius cauſa remotionis vitæ, quin potius è converſo, ſed ſecundum concomitantiam, indubitanter verum eſt quia poſito calore hujuſmodi ponitur & vita. Et intendo quando & quamdiu ponitur calor iſte, ponitur & vita in hominibus & aliis animalibus. Poſſet etiam ſimiliter argumentari & de ſanguine, quia cum ceſſat ſanguis, ceſſat & vita in animalibus habentibus ſanguinem. Et de multis etiam membris poſſent ſimiliter ratiocinari ſicut de corde, & hepate, & capite; quia quolibet iſtorum ſublato tollitur & vita, cum nullum ipſorum vita ſit. Sed revera comitatur ea vita, ita ut ſine eis non ſit in animalibus.

Solvit argumentum ductum ab alimentis oſtendens ipſa alimenta immediate eſſe propter corpus mediate dumtaxat, & finaliter propter animam.

Quod autem quærit propter quid animalia quærunt nutrimenta, & cum tam vehementi deſiderio? quare pugnant pro eo, rabiéque & rapina illud inquirunt multa ex animalibus, quin etiam dolo & arte, ſicut araneæ & quædam alia? Dico quia propter animam ſunt omnes hujuſmodi inquiſitiones finaliter, non autem immediate; & intendo quia propter corpus & membra animalium fiant ad hoc videlicet ut corpus, & membra per nutrimentum alantur: fiunt autem inquiſitiones hujuſmodi nutrimentorum finaliter, & noviſſimè propter animas animalium; & hoc eſt, quoniam corpora animalium, membra, & eorum conſervatio non eſt niſi propter animas, quoniam inſtrumenta non ſunt niſi propter operationes. Immediatè igitur ſunt propter corpora, & membra animalium conſervanda, quæ niſi per nutrimentum in vita iſta qua in mundo iſto vivimus, conſervari non poſſunt. Manifeſtum igitur eſt tibi ex iis quia infirma & invalida eſt ratiocinatio eorum, ad hoc ut cogat animam ignem eſſe.

Idem ſolvit quia inde potius concludas mēbra ipſa cū igne ſimilitudinem habere.

Poſſent etiam qui ita ratiocinantur ſimiliter ratiocinari de corpore, & membris uniuſcujuſque animalis; quia videlicet patitur unumquodque conſumptionem alimentorum, quemadmodum ignis conſumptionem lignorum. Nemo tamen per hujuſmodi ratiocinationem ad hoc hactenus deductus eſt ut crederet animalia, vel membra eorum ignes eſſe. Poterat autem concludere ex hujuſmodi ſimilitudine quod animalia, vel corpora eorum, vel membra aut ignes, aut ignibus ſimilia, aut ignes in ſe habentia ſunt.

Ignis ſive caloris naturalis virtus mirabilis.

Quapropter manifeſtum eſt concluſionem hujuſmodi præproperam eſſe, & ultra quam debeat eſſe feſtinatam. Calor igitur naturalis, ſive vitalis, ut aïunt medici, vel ignis quidem eſt vel igni utcumque ſimilis. Propter quod dixiſſe videntur magiſtri Alchymiæ: oportet, inquiunt, te habere ignem mulcebrem, quod eſt dicere non ferventem, non comburentem qualis eſt ignis humani corporis, qui revera mulcebertimus eſt, quamquam decoquat, & digerat, atque conſumat cibos, & potus quibus homines utuntur; mira namque virtus eſt hujuſmodi ignis, ſive caloris, videlicet qui eſt in corporibus animalium quod evidenter apparet in igne, ſive calore ſtrutionis qui tam facilè digerit & decoquit ferrum, in nutrimentumque ſtrutionis id convertit. Narrare etiam tibi poſſem virtutes mirabiles ignis, qui in generibus metallorum, gemmarum, & lapidum pretioſorum evidenter appareat; nulli enim exercitato, & intelligenti in rebus Alchymiæ dubium eſt longè fortiorem eſſe calorem naturalem quam ſit calor ignis ardentis, & combuſtivi, atque ſenſibilis qui eſt apud nos; hic enim vix liquefacere aut emolleſcere chryſtallum ſufficit, ille autem & adamanta & diamanta reſolvit, & excoquit qui lapides congelatione vehementiſſima eouſque duruerunt, ut ferrum eis cedat, & diamanti penetrabile ſit.

Qui differunt adamas & diamas niſi quod hæc gallica, & latina dictio eſt.

Diſcrimen quod intercedit ignem inter naturalem, & ignem elementarem; & animam inter & calorem naturalem.

Quamquam igitur ex parte aliqua calor hujuſmodi calori ignis ſimilis ſit, multum tamen intereſt, & multipliciter diſſimilis eſt; ille namque ſi in humano corpore eſſet, & vitam corporis humani ſtatim extingueret, & ipſum corpus velociſſime deſtrueret atque conſumeret. Ignis autem ſive calor non ſolum corpori parcit non furens in ipſum, ſed etiam mira ſuavitate conſervat illud, & intendo conſervationem procurat, dum nutrimentum velut arte quadam naturæ coquus doctiſſimus præparat coquendo, depurando, & aptando ipſum ad convenientiam naturæ illius. Tam longe eſt igitur tamque differens ab eſſentia animæ ipſius, quam ignis coquinæ differt à patre familias qui toti domui non ſolum coquinæ præeſt.

Ex vario membrorū & inteſtinorum, quæ coquinalia inſtrumenta vocat, apparatu probat neceſſitatem admittendi animam.

De eo vero quod dixit, nos fingere inviſibilem quamdam incorporeamque ſubſtantiam, ſatisfactum tibi debet eſſe ex his quæ præceſſerunt; non enim figmentum à quocumque intelligente reputari poteſt poſitio, vel aſſertio patris familias in domo; in qua tanta familia paſcitur, & regitur, in qua tanta ſuppellex tantaque varietas utencilium, & inſtrumentorum conſpicitur, & familia iſta membra ſunt, & partes eorum in corpore animalis; quæ omnia in eodem à naturali quodam præceptore, ac præfecto paſcuntur & reguntur. Supellex vero varia coquendis, excoquendis, & depurandis cibariis, aliiſque coquinalibus deputata officiis inteſtina manifeſta ſunt. Quia igitur hujuſmodi domus rectorem, & patrem familias omnes intelligentes animam vocant, manifeſtum eſt quia non fictione, ſed veritate, ac neceſſitate cogente anima in domo hujuſmodi ponitur ſicut ubi tot inſtrumenta, tot & tam variæ operationes operator eſſe non falſo fingitur, quin potius indubitanter atque veriſſime per tot indicia inibi eſſe cognoſcitur.

Animam vero non debere dici ignem quia principium ignis & caloris naturalis eſt ſicuti nec lux ſolis nec motus corporum excitans calorem ignis dicitur.

Quod ſi animam ignem eſſe poſuerunt pro eo quod principium & cauſa vivifici ſive vitalis caloris eſt, abſque dubio abuſione intolerabili nominationem ignis in eam extenderunt. Manifeſtum enim eſt lucem principium & cauſam eſſe caloris, nemo tamen intelligens lucem ſolis ignem eſſe dicit. Quemadmodum enim calor in ſimplicibus corporibus prima diſpoſitio eſt, & humiditas ſecunda, frigiditas tertia; & ſiccitas quarta ſicut apparet ex ordinatione quatuor elementorum: ſic in corpo-

poribus animatis calor vitalis prima diſpoſitio eſt procedens ab anima, & vitam adjuvans, ut prædixi; cum enim ea ſit virtus animæ per quam corpus, cui conjungitur, quod & perficit, conſervare poſſit, & regere, ejuſdemque naturale officium hoc requirat, eſt eidem etiam virtus per quam hujuſmodi calor ex ea procedat, cujus miniſterio & operatione præparantur & aptantur nutrimenta provt convenit ſuſtentationi, & conſervationi corporum animatorum. Et jam oſtendi tibi exempla caloris vitalis qui eſt in corpore ſtrutionis, quoniam calor qui procedit ab anima non eſt ejuſdem ſpeciei cum calore ignis viſibilis, qui eſt apud nos, quin potius eſt longè nobilior, & eſt mulcebris, atque conſervativus ſubjecti in quo eſt; ille vero furens eſt in proprium ſubjectum, & deſtructivus ejuſdem, peſſiméque remunerans hoſpitem ſuum: devorat enim ipſum. Erraverunt igitur manifeſtè qui ob hanc cauſam animam ignem vocaverunt, videlicet quia principium eſt, & cauſa caloris hujuſmodi; motus enim in groſſis corporibus, atque terreſtribus principium eſt, & cauſa caloris abſque ulla dubitatione, nemo tamen motum dicit eſſe ignem.

Cum flamma nihil aliud ſit quã fumus incenſus nunquam eadẽ perſeverat, adeoque ſi anima eſſet ignis nunquam eadẽ permaneret.

Ut autem evidenter videas impoſſibilitatem erroris iſtius, reminiſci te oportet ejus quod alibi didiciſti, videlicet quod flamma eſt fumus incenſus, & quando continua fit reſolutio fumorum ex lignis ardentibus, neceſſe eſt novos fumos ex lignis inceſſanter accendere, & inceſſanter accendi: quapropter novas flammas continuè generari, & alias extingui: nulla igitur flamma permanet ex igne hujuſmodi etiam ad modicum tempus. Declaratum igitur eſt tibi per hoc quod ſi anima humana, vel alia quæcumque ſecundum hunc modum ignis eſſet vel flamma, nulla anima etiam per horam permaneret in corpore cujuſcunque animalis. Sed fieret renovatio animarum abſque numero in unoquoque animali, quemadmodum fit renovatio fumorum & flammarum in unoquoque rogo. Neceſſe igitur eſſet unumquodque animalium animas innumeras habere per hujuſmodi ſucceſſiones & renovationes. Ex quo etiam ſequeretur nullum animatum etiam ad momentum permanere; cum enim anima in omni animato præcipua pars ſit, tanquam perfectio & forma ipſius, ea deſtructa impoſſibile eſt illud permanere. Sic autem eſt deſtructio ſecundum errorem iſtum, & renovatio continua animarum in unoquoque animato, quemadmodum flammarum in unoquoque rogo, &c.

PARS DECIMA.

Quod anima humana eſt impartibilis.

Oſtendit animam humanam eſſe impartibilẽ proindeque incorporeã 1. Quia intelligit ſecundum ſe totam, & ipſum ſuum intelligere impartibile eſt.

HIS autem ita determinatis expediam me & te de promiſſo illo quo promiſi in præcedentibus, quia facerem te ſcire teſtimonio uniuſcujuſque animæ intelligentis incorporeitatem & impartibilitatem ipſius. Dico igitur quia omnis anima intelligens intelligit etiam ſe intelligere. Similiter ſcit ſe intelligere, & intelligit ſe ſcire hoc: intelligit igitur ipſum ſuum intelligere eſſe, & eſſe apud ſe, vel in ſe. Et ſi interrogaveris eam de ipſo ſuo intelligere, utrum ſit in parte ipſius, an in ea tota; neceſſe habebit reſpondere quod in ipſa tota; alioquin intelligeret partem ſui ſolummodo intelligere, non ſe: quemadmodum homo ſeipſum videns non dicit ſe eſſe ipſum niſi ſecundum quid, ſimpliciter autem non dicet ſeipſum. Omnis autem anima dicit ſe ſimpliciter intelligere quandocumque cogitatu ſe inſpicit, non poteſt videre partem ſui intelligere & partem non intelligere. Neceſſe igitur eſt eam totam intelligere. Quia igitur intelligere impartibile eſt partitione continuitatis, neceſſe eſt ſubjectum in quo eſt per ſe, & ſimpliciter impartibile eſſe; ipſum autem verè & propriè intelligens ſubjectum eſt proprium & verum ejus quod eſt intelligere. Quod autem anima humana eſt verè & propriè intelligens, manifeſtum eſt ipſam eſſe ſubjectum verum, & proprium impartibile diſpoſitionis, quæ videlicet eſt ipſum intelligere. Neceſſe igitur eſt eam impartibilem eſſe, & propter hoc incorpoream; cum jam declaratum ſit apud Ariſtotelem & multos alios omne corpus in infinitum partibile eſſe.

Amplius intelligere eſt actus ſubitaneus, & perficitur in inſtanti, & hoc unuſquiſque interius ſentit apud ſe, & in ſe. Cum enim intelligit anima tua hominẽ in univerſali intelligit eum totum ſimul, non partem ipſius poſt partem, quoniam nec cogitat tunc de parte vel partibus hominis: quapropter intelligens illud impartibile, atque indiviſibile eſt: perficitur igitur in inſtanti: nullum autem partibile partitione continuitatis recipit aliquam diſpoſitionem in inſtanti, ſed partem poſt partem recipit, donec perficiatur illa ejus mutatio, alioquin mutaretur continuum ſecundum ſe totum in inſtanti, hoc autem eſt unum de impoſſibilibus.

2 Quia intelligere eſt in inſtanti.

Quod ſi quis dixerit quia illuminatur aër, qui eſt inter ſolem & terram illuminatione ſubita, quæ perficitur in inſtanti: Reminiſci debes eorum quæ audiviſti in alio tractatu, ubi declaratum eſt per me id non eſſe poſſibile; quoniam idem neceſſe eſſet dici de aëre denſo, & raro, & propter hoc de aqua. Manifeſtum autem eſt quia iſta ſunt videlicet denſitas & nubiloſitas quæ reſiſtunt illuminationi, & propter hoc retardant eam; ibi autem eadem ſive pari velocitate fit illuminatio ubi non habet reſiſtentiam, atque retardationem. Quapropter manifeſtum eſt tibi per hoc non eſſe poſſibile ullomodorum illuminationem aëris etiam quanticumque poſſe perfici in inſtanti.

Solvit objectionem etiam de illuminatione quam probat in inſtanti fieri non poſſe, 1 quia pro varia corporis raritate aut denſitate tardius fit aut velocius.

Ex quo etiam patefactum eſt tibi homines huiuſmodi nimis credidiſſe ſenſu oculorum ſuorum qui quantum aberrant à veritate potuiſſent cognoſcere in motu ſolis, & melius in motu cujuſcumque ſtellæ, motu dico diurno & nocturno, id eſt quo fiunt dies & nox. Vix enim deprehenditur viſu motus hujuſmodi; & quaſi non moveri videntur ſtellæ, cum in ictu oculi id eſt in apertione vel clauſione ipſius tranſeat unaquæque longe majus ſpatium quam mille miliariorum: ſicut igitur velociſſimus eſt motus ſtellarum, cum videatur tardiſſimus; ſic motus lucis, ut ita dicatur, licet ſubitus videatur ad ſenſum oculorum, non fit tamen niſi in tempore.

2. Quia licet motus ſolis pateatur lentiſſimus, imo nec percipiatur, attamen velociſſimus eſt.

Addo etiam quia motus caloris, uti ita dicatur, vel calefactio ex neceſſitate poſſet perfici ſimiliter in inſtanti, neque enim magis receptibilis eſt aër luminis quam caloris neque lux fortior ad operationem illuminationis, quam calor ad operationem calefactionis. Quapropter fieret calefactio in inſtanti, & propter hoc motus alterationis qui eſt à frigiditate in calorem perficeretur in inſtanti.

3. Quia ſic etiam ipſa calefactio quæ alteratio eſt fieret à lumine in inſtanti.

Ipſa etiam illuminatio eſt motus à tenebra in lumen, jam autem declaravit Ariſtoteles in libro Phyſicorum motum localem regulam eſſe, & quaſi exemplum motuum aliorum.

4. Quia & ipſa illuminatio eſt motus à tenebra in lumen.

Amplius ſecundum hoc ſi minueretur lux, aut fieret illuminatio ab illa minori luce in inſtanti, aut non: quod ſi fieret in inſtãti, nihil igitur adderet majoritas lucis ad velocitatem illuminationis. Contrario autem ſe habet in aliis diſpoſitionibus; major enim calor velocius calefacit ejuſdem propinquitatis, quantitatis atque calefactibilitatis corpus. Similiter & major ponderoſitas, majorque levitas velocius

5. Quia nihil poſſet addere majoritas lucis ad velocitatem illuminationis.

velocius movent in æqualibus temporibus corpora ſua. Quare neceſſe eſt majoritatem luminis addere ad velocitatem illuminationis Si igitur lux in aliqua quantitate illuminat quantulumcumque in inſtanti major lux illuminabit idem in minori quam inſtanti. Et hoc eſt quód nemo ignorat eſſe impoſſibile cum inſtans ſit in ultimitate parvitatis continuæ, propter hoc & inſtans quaſi non ſtans dicitur eo quod ejus duratio impartibilis ſit.

PARS UNDECIMA.

Quod omnis intellectio eſt impartibilis.

Oſtendit 1. quia intellectio mutatio eſt quæ ita in inſtanti recipitur ut pars non recipiatur poſt partem.

REVERTAR igitur, & dicam quia intelligere quo intelligitur res una in inſtanti perficitur: cum igitur anima humana recipit hanc mutationem, recipit in inſtanti videlicet qua fit de non intelligente aliquid in effectu intelligens. Omnis autem diſpoſitio quæ recipitur in inſtanti impartibilis eſt; ſi enim partibilis eſſet, reciperetur pars ejus poſt partem.

Pars 13. *tod. Car. not.*

2. Quia non poteſt dici intellectio habere partes, nec quæ ſint intellectiones.

Amplius ipſum intelligere quo res una ſola intelligitur dico, quia non habet partem & partem; ſi enim haberet partem & partem, partes illę aut eſſent apprehenſiones, aut non: quod ſi eſſent apprehenſiones, aut eſſent apprehenſiones intellectivæ, aut non; & intendo quod unaquæque illarum eſſet intelligere, ſive intellectio. Quod ſi unaquæque illarum eſſet intelligere, unaquæque earum intelligeret omnia illa, vel illud quod intelligit per illud intelligere, quod eſt aggregatum ex omnibus partibus illis, vel aliquam partem illius, vel aliud quod nec eſſet intellectum per totum, nec pars illius. Quod ſi per unamquamque earum intelligeretur totum illud, intelligeretur igitur totiens quot eſſent partes illæ, & propter hoc non intelligeretur ſemel tantum: unus autem intelligens ſentit hoc eſſe falſum, & impoſſibile inter ſemetipſum ſeu in ipſo: una enim notione ſcit unuſquiſque intelligere ſe ſemel tantum id quod notificatur ei per illam, niſi forte voluerit iterato intelligere illud, & repetere intellectum ipſius.

Nec quæ ſint ipſius intellectionis, partes, quaſi ipſum intelligere rei incomplexæ poſſit eſſe aggregatū ex multis partibus quia ſcit unuſquiſque ſe in inſtanti cognoſcere rem illam.

Si vero per partes illas quas dicit partes eſſe ipſius intelligere, quo intelligit rem illam, intelligit partes ipſius, manifeſtum eſt hoc non eſſe verum quoniam intellectus quo intelligitur homo in univerſali, vel aliud incomplexum non eſt intellectus aggregatus ex omnibus intellectibus partium, alioquin eſſet intellectus complexus non unius; intellectus enim diffinitionis intellectus complexus eſt, & aggregatus ex multis videlicet ex intellectibus partium diffinitionis ipſius. Intellectus veró hominis, ut hominis intellectus incomplexus eſt, & non aggregatus ex multis intellectibus. Quapropter manifeſtum eſt quia per partes quas fingit eſſe ei quod eſt intelligere quo intelligitur homo vel aliud incomplexum, non intelliguntur partes ipſius, vel illius intellecti, ſed neque totum illud: aut ergo nihil intelligitur per aliquam earum aut intelligitur quoddam quod neque totum illud eſt incomplexum, neque pars illius, ſed quoddam aliud forinſecum ab illo. Hoc autem ſcit unuſquiſque intelligens impoſſibile apud ſeipſum, & intra ſemetipſum; cùm enim intelligit quis hominem, vel aliud incomplexum, manifeſtum eſt ei quia in hora illa ſeu potius in inſtanti non intelligit aliquid aliud quod nec ſit homo, nec pars illius

Colligit idē argumentū quaſi intelligere non poſſit eſſe nec ex partibus quæ ſint intellectiones nec quæ ſint aliquid aliud quam intellectio.

Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quoniam ſi partes haberet ipſum intelligere quo intelligitur incomplexum ut incomplexum, quia nulla earum intelligitur aliquid, quapropter nulla eſſet intelligere; non enim poſſibile eſt intelligere eſſe quo nihil intelligatur. Jam igitur feci te ſcire quia intelligere non eſt partibile in partes, quarum unaquæque ſcit intelligere; ſed neque in partes quæ ſunt alterius generis apprehenſiones videlicet quæ ſunt ſenſus, ſeu ſenſationes, aut imaginationes; ex ſenſibus enim ſive ex multis ſentire, aut ex multis imaginari impoſſibile eſt compoſitum eſſe intelligere vel intellectionem ſimulatione in parte ex iis, & in parte ex illis.

Inde verò deducit & ipſum ſubjectum intellectionis debere eſſe impartibile & incorporeum.

Jam igitur declaratum eſt tibi intelligere quo unum incomplexum intelligitur non eſſe compoſitum ſive partibile: quapropter ſubjectum ejus verum ac proprium impoſſibile eſt eſſe partibile. Illud autem voco ſubjectum verum, & proprium extra quod nihil habet ſui ipſum intelligere. Si igitur verè, & propriæ intelligit vel animus humanus, vel anima humana aut ſpiritus humanus, ſeu alió quocumque nomine nominari debet id quod in homine præſtantiſſimum eſt; & intendo id quod corpus ejus vivificat, regit, & adminiſtrat, quo ipſe homo ſe & omnia ſuá gubernat ſi inquam hóc verè & propriè intelligit, manifeſtum eſt illud impartibile eſſe, & propter hoc incorporeum. Quapropter cum impoſſibile ſit accidens quidquam ſcire, vel intelligere, dubitari non poteſt de cætero animam humanam ſubſtantiam incorpoream, & impartibilem eſſe partitione continuitatis.

3. Quia ſpiritale eſt cui competunt actus omnino ſpirituales quales ſunt intelligere, & ſcire.

Amplius quoniam intelligere & ſcire actus ſunt omnino incorporales, & intendo corporibus omnimodo incongruētes, neceſſe eſt eos eſſe alterius modi ſubſtantiis congruentes, & cùm ſint actus ſpirituales, neceſſe eſt appropriatos eos eſſe ſubſtantiis ſpiritualibus. Quapropter manifeſtum eſt animam humanam incorporalem eſſe, & actus ejus omnes, qui ei per ſe congruunt, & ſecundum ſe, ſpirituales eſſe; & intendo per ſe & ſecundùm ſe illos actus, quos nō exercet per corpus ſive miniſterio corporis.

Solvit objectionem ex operationibus corporalibus quas exercet anima deſumptam.

Cum autem ſpiritualem veriſſimè ſubſtantiam eam eſſe jam tibi manifeſtum ſit, nihilominus tamen vides evidenter eam exercere corporales operationes per ipſum corpus, & membra ſicut eſt dolare, ſecare, ſcribere, & ædificare, & pono tibi exempla de iis operationibus. Propter hoc quidam imbecilles more avicularum pavore conſternatarum formidaverunt exempla hæc, & hujuſmodi alia propter ſermonem Ariſtótelis quo dicit. *Quia ſi quis dixerit animam ſcire, vel intelligere, perinde eſt ac ſi diceret eam texere, vel ædificare; anima vero nec ſcit nec intelligit, ſed homo in anima.* Tu igitur reminiſcere hic eorum quæ proximè audiviſti: propriè enim, & maximè alba eſt ſuperficies corporis albi, quoniā in ea eſt ipſa albedo tanquam in primo per ſe proprioque ſubjecto ac vero. Quapropter ſi per ſe ac propriè imprimiſque & maximè ſuperficies alba eſt, erit igitur imprimis anima & per ſe, propriéque, & maximè ſciens, & intelligens; homo autem ſecundum ipſam & rationem ipſius, quemadmodum audiviſti de criſpo & criſpitudine.

Ex eo quod Ariſtoteles & alii philoſophi agnoverint corpus eſſe inſtrumentū animę, oſtēdit actiones illas quæ exercentur per corpus animæ ipſius eſſe.

Amplius cum nec ipſe Ariſtoteles, nec alius de iis qui ad modicum in philoſophicis doctrinis exercitus eſt dubitaverit, corpus animalis cujuſcumque animæ illius eſſe inſtrumentum, & ſingula ejuſdem membra ſingula ipſius eſſe inſtrumenta. Similiter cū pro certo noverint, quia quorum ſunt inſtrumenta eorundem ſunt operationes quæ per illa efficiūtur, abſque ulla dubitatione ſciverunt operationes quæ per corpora vel membra eorum fiunt, operationes eſſe animarum, quarum illa inſtrumenta eſſe videbant, nec in hoc dubitare ullatenus potuerunt. Texere autem & ædificare evidenter operationes ſunt quæ per inſtrumenta hujuſmodi exercentur ab hominibus, quapropter operationes animarum humanarū eas eſſe neceſſe eſt. Sicut igitur manus & pedes veriſſimè ſunt inſtrumēta animę humanę in corpore exiſtētes habente manus & pedes, ſic veriſſimè texere & ędificare, & alię hujuſmodi operationes quæ

per manus & pedes fiunt, evidenter ſunt operationes animæ illius.

Idem probat ex eo quod ejuſdē ſit operatio cujus & uſus inſtrumenti.

Amplius cujus eſt inſtrumentum ejus eſt & uſus inſtrumenti, uſus autem inſtrumenti non eſt niſi operatio quæ per illud perficitur. Manifeſtum autem eſt quia & totum corpus humanum, & ſingula ipſius membra inſtrumenta ſunt animæ humanæ. Quare & omnes operationes quæ per illa fiunt veriſſimè operationes ſunt animæ humanæ. Texere autem & ædificare de hujuſmodi operationibus ſunt: indubitanter igitur texere, & ædificare operationes animæ humanæ ſunt.

Idem quia & ipſe Ariſtoteles de anima ſeparata concedere debet quod intelligat niſi faciat miſerrimam;

Amplius quid dicet Ariſtoteles de anima humana ſeparata? negabit-ne de ea ſcientiam & intellectum? quod ſi negaverit, neceſſe habet igitur eam ponere poſt ſeparationem à corpore miſerrimam, quoniam cæca eſt; quod eſt dicere nihil ſcientem aut intelligentem. Quapropter ſecundum hoc nihil erit gloria animarum poſt corpora. Vana igitur erit ſpes ſperantium, & ſupervacua vita animarum poſt ſeparationem à corporibus. Si vero dixerit ſcientiam & intellectum animas humanas habere etiam cum ſeparatæ ſunt, hoc eſt ſeorſum ſunt à corporibus humanis, tunc manifeſtum eſt animas per ſemetipſas atque apud ſe & in ſemetipſis ſcire & intelligere tunc, non autem hominem in anima; cum ille morte corporis deſierit eſſe. Sed & cum animam humanam eſſe ſeparabilem à corpore quemadmodum partem ſaltem intellectivam Ariſtoteles ipſe dixerit in libro ſuo de anima, non effugiet quin confiteri cogatur ſeparationem hujuſmodi noxiam, ac perniciosiſſimam eſſe animæ humanæ, aut ſcientiam & intellectum eidem eſſe, cum per ſe fuerit & ſeorſum à corpore. Si vero ſeparatione à corpore amittit ſcientiam & intellectum, neceſſe eſt ut amittat & omnes virtutes; cum in ſubſtantia nec ſciente nec intelligente impoſſibile ſit aliquam virtutem eſſe. Manifeſtum igitur eſt quia ſecundum hunc ſermonem Ariſtotelis, & intelligentiam quam eidem imponunt iſti imbecilles perniciosiſſima eſt animæ humanæ ſeparatio à corpore; cum per eam & omnem ſcientiam & omnem intellectum amittat.

Denique quia ſi nulla operatio animæ per ſe competeret, tanto minus operatio per corpus.

Amplius ſecundum hoc nec per ſe, quod eſt dicere ſeorſum à corpore, nec in corpore quidquam ei poſſibile eſt operari; poſtquam enim nec ſcire nec intelligere poſſibile eſt ei vel extra corpus vel in corpore, quanto minus poſſibiles ei erunt aliæ operationes quas in corpore & per corpus operari dicitur à multis, ſicut eſt videre, audire, texere, ædificare? Manifeſtum enim eſt quia ſcire & intelligere totaliter in anima ſunt, ita videlicet quod nihil ſui habent in corpore; ſi enim pars ejus quod eſt ſcire vel ejus quod eſt intelligere eſſet in corpore, neceſſe eſſet corpus ſaltem in parte ſcire vel intelligere, cum partem illam ſcientiæ vel intellectus haberet, partem inquam illam quæ in eo eſſet. Quod ſi nulla pars in eo eſſet, totum igitur ſcire vel intelligere quod eſt in homine vel apud hominem in anima ipſius eſt: ejus autem unaquæque eſt diſpoſitio, & de illo ſolo verè, & propriè dicitur in quo eſt totaliter, & intendo nihil ſui habens extra illud. Quare de anima humana verè ac propriè dicitur omnis ſcientia, & omnis intellectus qui apud hominem vel in homine eſt.

PARS DUODECIMA.

Reſpondet ad quandam authoritatem Ariſtotelis.

Quid ſentiendum ſit de authoritate Ariſtotelis, & ut intelligenda ſit prædicta authoritas de ſcientia ſenſitiva & imaginativa.

cod. Carnot. p. 14.

IAm igitur feci te ſcire per hæc quia vel non verè ſentit Ariſtoteles quod prædicto ſermone ſuo expreſſit, vel non rectè ſermonem illum in ſenſum illum interpretantur, quo negaverunt animam humanam ſcire vel intelligere. Quamquam autem in multis contradicendum ſit Ariſtoteli ſicut revera dignum & juſtum eſt, & hoc in omnibus ſermonibus quibus dicit contraria veritati, ſic ſuſcipiendus eſt id eſt ſuſtinendus in eis omnibus in quibus rectè ſenſiſſe invenitur. Quia igitur ſcientia ſenſitiva & imaginativa aliquid videntur habere in corpore, vel forſitan totum quod ſunt & habent in corpore, nihil ſui in ipſa eſſentia animæ proculdubio hujuſmodi ſcire non eſſe animæ humanæ non immerito videri poteſt. Scientiæ namque huiuſmodi non videntur eſſe niſi formæ imaginabiles, hæ vero formæ totaliter eſſe videntur in organo imaginativæ virtutis; & de intellectu imaginationis ſimiliter ſentiendum videtur.

Si ſpecies imaginativæ eſſent veluti liber & litteræ, ſeparata anima à corpore, iſ deſinerent ſcientiæ.

† ſ. ſubaudiendum eſt ceſſant

Provide vero & circumſpectè dixi hominem ſcire & intelligere in anima, quoniam etiam ſi formæ illæ remanerēt in organo imaginationis poſt animæ ipſius receſſum, non remanerent tamen ſcientiæ in effectu; ſunt enim ſicut litteræ, ſive liber cum applicatæ fuerint per organū ſuum animæ humanæ. Cum vero ab ea ſeparatæ fuerint † eſſe litteræ, ſive liber in effectu; non enim erit aliquid ſciens, vel legens per eas in effectu, neque in potentia, niſi forſitan anima illa cui liber erat ſive litteræ in corpore cum eſſet, de qua veriſimile eſt imo neceſſe quod ei deſervirēt ſicut prius, ſi corpus reſumeret, & organum imaginationis illas ſimiliter habens inveniret.

Reiicit prædictam Ariſtotelis expoſitionem quaſi minus convenientem textui latino quamquam forte græco non repugnet.

Verum expoſitio iſta Ariſtotelis multum longè videtur eſſe ab intentione ipſius, cum ipſe generaliter removeat ſcire & intelligere ab anima. Expoſitio autem iſta cum ſit multum particularis videtur ſolummodo de quodam ſcire & intelligere, ſcilicet de imaginationis ſcire & intelligere. Forſitan autem apud græcos hoc eſt in græco eloquio intentio Ariſtotelis aptior eſt, & alia in prædicto ſermone quam noſtra latinitas exprimat. Proinde mihi videtur abuſivum valde ut formæ illæ imaginabiles intellectus vel ſcientia dicantur, & omnino ut ſcientia vel intellectus apud hominē vel in homine extra animā ponātur, quemadmodum & de virtutibus: non enim adhuc auditus eſt aliquis prudentiam vel juſtitiā in corpore vel parte corporis poſuiſſe; alioquin non eſſent ornatus vel pulchritudines animarum humanarum ipſæ virtutes, ſimiliter neque ſcientiæ, aut intellectus perfectiones eſſent animarū noſtrarum.

2. quis nemo libros & litteras ſcientiam vocavit.

Amplius nemo adhuc vocavit libros ſcientiam niſi per abuſionem notiſſimā, eſſentialiter autem & propriè nullus unquam opinatus eſt ut videlicet litteræ vel liber ſcientiæ eſſent. Quapropter ſi formæ hujuſmodi in organo imaginationis impreſſæ velut litteræ vel liber ſint, quos extra ſe conſpicit, abuſione intolerabili ſcientiæ vel intellectus dicuntur. Omnibus igitur iis diligenter inſpectis, atque penſatis, tutius eſt cōtradicere interpretationi, & ſenſum quē imponunt iſti imbecilles ſermoni Ariſtotelis antedicto, & veriſimilius eſt ut prædixi latinitatē noſtrā intentionē Ariſtotelis nobis nō explicare in parte iſta.

PARS DECIMATERTIA.

Revertitur ad oſtendendum quod anima non ſit corpus.

Proponit rationem Avicennæ ponentis animam rationalem ſpiritualem eſſe, facta hipotheſi hominis nullo ſenſu utentis;

HIS igitur ita ſe habentibus revertar ad illud in quo eram, & intendo ad declarationem ſpiritualitatis animæ humanæ, & ponam tibi adhuc declarationem quam adducit Avicenna in hoc ipſum. Dicit igitur quia ſi poſuerimus hominem in aëre velatā faciē habentē, & omnino nullo ſenſu utentē, & qui etiā nullo ſenſu fuerit uſus, nō eſt dubiū quin poſſibile ſit hominē hūc cogitare & intelligere. quapropter ſciet ſe cogitare, vel intelligere, & ſciet

cum

eum ſe eſſe; & ſi interrogaverit ſemetipſum an habeat corpus? procul dubio dicet ſe non habere corpus, & eodem modo negabit de ſe partes omnes & ſingulas corporis humani. Negabit ſe habere caput, ſimiliter ſe habere pedes, & manus, & ad hunc modum de aliis, concedet ſe habere eſſe & negabit inquit Avincenna ſe habere corpus, aliud autem erit apud ipſum eſſe quod concedet de ſe, aliud verò quod negabit de ſe: quia igitur negabit de ſe eſſe corpus, concedet autem de ſe eſſe ſuum, ſive quod habet & ſentit ſe habere, neceſſe eſt eam habere eſſe quod non eſt corporis & propter hoc neceſſe eſt ipſam non eſſe corpus.

2. Id oſtendit propter diſpoſitiones ſpirituales ſciētias videlicet & virtutes animæ humanæ competentes.

Amplius cum omni animæ intellectuali manifeſtū ſit diſpoſitionum alias eſſe ſpirituales, alias eſſe corporales, corporales autem diſpoſitiones non poſſe eſſe in ſubjecto ſpirituali. Sic manifeſtum eſt ſpirituales diſpoſitiones non poſſe eſſe in ſubjecto corporali. Quæ autem ſunt ſpirituales diſpoſitiones, niſi ſcientiæ & virtutes, horumque contraria; de quibus omnibus manifeſtum eſt nihil eorum poſſe eſſe in corpore? Cum igitur manifeſtum ſit ea omnia eſſe in anima, ſolamque animam receptibilem eſſe ipſorum omnium, manifeſtum eſt animam humanam quæ proprium ſubjectum eſt hujuſmodi non eſſe corpus.

3. Quia nullas diſpoſitiones corporales ſuſcipit.

Amplius potes arguere circa hæc omnia à contrariis, à ſimili, & à proportione; & invenies evidenter ſpirituales diſpoſitiones in ſola anima eſſe, nullam autem in corpore eſſe; & propter hoc manifeſtum tibi fiet animam humanam nullo modorum eſſe corpus. Debes autem reminiſci eorum quæ audiviſti in tractatu de ſpiritualibus & abſtractis ſubſtantiis, ubi inveniſti per me, quia corporeitas & ſpiritualitas diſpoſitiones contrariæ ſunt, & propter hoc ſequuntur & comitantur contraria, & propter hoc quæcumque per ſe admittit corporalitas, repellit à ſe ſpiritualitas. Quapropter quemadmodum ſpiritualis ſubſtantia, nec corporalitatem, neque aliquam ex diſpoſitionibus per ſe comitantibus illam admittit in proprio ſubjecto: ſic nec corporalis ſubſtantia ſpiritualitatem, aut aliquam ex diſpoſitionibus quæ illam ſequuntur vel comitantur in ſe non recipit, ſed eas potius à ſe repellit. Quapropter quemadmodum ſi anima humana corpus ſive corporalis ſubſtantia eſſet ſpirituales diſpoſitiones intra ſemetipſam non reciperet aut admitteret; ſic cum diſpoſitiones ſpirituales intra ſe omnes ſuſcipiat, videlicet ſcientias & virtutes & utrorumq; cōtraria, manifeſtum eſt ipſam ſpiritualem ſubſtantiā veriſſimè eſſe.

4. Quia nullo ſenſu ſenſibilis eſt anima humana.

Amplius cum omne corpus vel viſibile ſit, vel alio ſenſu ſenſibile: anima autem humana nec viſibilis ſit, nec alio ſenſu ſenſibilis; manifeſtum eſt ipſam non eſſe corpus. Quod ſi dixerit aëra corpus eſſe, nec tamen aliquo ſenſu ſenſibile, manifeſtum eſt ipſum errare. cum aër frigidus & aër calidus ſenſu tactus certiſſimè ſentiatur, ipſa autem corpulentia aëris tactu ſentitur, cum evidenter repellat equitantes & ambulantes per aëra, & maximè cum ventus fortis ipſum commovit. In molendinis autem quæ tantum vento moventur & molunt quis ignoret corpulentiam aëris eſſe, quæ rotas illas molendinarias tam fortiter circumvolvāt: animam autem aëra eadem cauſa vocaſſe videntur, quoniam græco eloquio ἄνεμος, ventus dicitur. Propter quod anima aëra fieri, & ventum dixerunt, eo quod ventum & aëra ſpirando & expirando attrahimus & emittimus, & ſine eo vita noſtra deficeret.

Anima omnis rationalis ſcit ſe ipſam eſſe ſpiritualem.

Quoniam autem omnis anima humana intelligens & rationalis, quod dico propter animas antedictas & occaſionatas, impeditas inquam impedimentis antedictis, omnis inquam talis anima, videlicet ab hujuſmodi impedimentis libera, intelligit ſe intelligere, & ſcit ſe hoc intelligere. Intelligit etiam ſe hoc ſcire, quapropter ſcit & intelligit ſe habere in ſe ſcientiam & intellectum hujuſmodi. Intelligit igitur, & ſcit ſe eſſe ſubjectum hujuſmodi diſpoſitionum, de quibus manifeſtum eſt quia ipſæ ſunt diſpoſitiones ſpirituales. Quapropter notum eſt omni animæ hujuſmodi, quod ipſa eſt ſubjectum receptibile ſpiritualium diſpoſitionum, & notum eſt etiā eidem ſubjectū ſpirituale receptibile eſſe ſpiritualium diſpoſitionum. Quapropter manifeſtū eſt omni animæ hujuſmodi notum eſſe quod ipſa eſt ſubſtantia ſpiritualis, & propter hoc quod ipſa non eſt ſubſtantia corporalis, non eſt ei poſſibile ignorare.

Spiritualitatem animæ oſtendit ex eo quod ſicut color non poteſt eſſe in anima humana ita nec grāmatica poſſet eſſe in corpore.

Quod autem ita ab invicem diſcrepantes ſint ſubſtantia ſpiritualis, & ſubſtantia corporalis, & earum utrarumque propriæ diſpoſitiones, ut prædixi, exēplo uno manifeſtum eſt. Cui enim non eſt evidentiſſimum quod quemadmodū color non poteſt eſſe in anima humana, ſic grammatica vel muſica non poteſt eſſe in corpore? Intende igitur diligenter iſtā contrarietatem, quæ eſt inter ſpiritualitatem & corporeitatem, & diſpoſitiones ſequentes, atque comitantes illas, & apparebit tibi videnter animam humanam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem.

Item ex affectionibus ejuſdē animę quę ſunt impartibiles, atque adeo ſpirituales.

Si autem volueris negotiari ad inveniendum ſpiritualitatem, & impartibilitatem animæ humanæ per affectiones ſpirituales ipſius quæ ſunt amor, & odium, triſtitia, & gaudium, ſpes. & timor, & alia hujuſmodi, invenies unamquamque earum impartibilem eſſe juxta quod vidiſti in ſcientia & intelligentia unius incomplexi; non enim dubitari debet nec in aliquo intelligente dubitatur, an ſciētia geometriæ partes habeat ſcientias, & ſingularum propoſitionum ejuſdem partis Et ſimiliter ſe habet in ſcientia propoſitionis unius, quia cognitio ſubjecti, & cognitio prædicati illius partes ſunt cognitionis ſive ſcientiæ totius propoſitionis. Sic gaudium de rebus multis, ſi de unaquaque illarum gaudetur proculdubio compoſitum eſt ex gaudiis omnibus quæ de rebus illis habentur. Gaudium vero de una re ex neceſſitate impartibile eſt; ſi enim compoſitum eſſet, ex neceſſitate compoſitum eſſet ex gaudiis, diſpoſitiones enim quæ non ſunt gaudia, non eſt poſſibile ut veniant in compoſitionē diſpoſitionis quæ eſt gaudium. Et intendo de gaudio unoquod de una re ſola eſt, & de gaudio ſpirituali, non corporali.

Quāmquā forte non eſt idem ſentiendum de gaudio corporali.

Fortaſſis enim aliquid gaudium corporale non eſt totum ſimul, ſed in tempore partem habens in parte temporis: quemadmodum ſe habet in gaudio quod ex cibo eſt vel potu, de quo manifeſtum eſt quod tamdiu durat quandiu maſticatio cibi delectabiliter eſt & deglutitio ipſius. Similiter & delectatio quæ eſt ex potu tamdiu durat, quamdiu ipſa potatio, hoc eſt potus ipſius ſimplex. De delectatione vero quæ eſt ex balneo, præſertim ex balneo delicato, qualia fieri conſueverūt apud Græcos, & in partibus Ægypti & Syriæ, quæſtionem forſitan habet, utrum cōpoſita & partibilis juxta partibilitatem corporis ipſius balneati: ex omni enim parte quam occupat balneum hujuſmodi videtur eſſe delectatio. Et forſitan opinatur aliquis quod delectatio illa in omni hujuſmodi parte partem habeat: erit igitur cōpoſita juxta compoſitionem corporis, ſive partis in qua eſſe videtur, quapropter videbitur non eſſe in anima balneati.

Quia tamē anima humana eſt eſſentialiter in qualibet parte corporis dici poteſt gaudium eſſe impartibile ſicut & ipſa anima.

Dico igitur in hoc quia qui ponit animam humanam eſſe totam eſſentialiter in qualibet parte corporis ſui, quæ vivit. & per quam ſentit facilè ſe expedit à cognitione hujuſmodi. Delectatur enim anima humana cum qualibet parte corporis ſui, in qua ſentit delitiam balnei ſive balneum delectans. Et propter hoc non eſt neceſſe ut delectatio compoſita ſit juxta compoſitionem corporis antedictam, quin potius ſimplex eſt, & impartibilis juxta

ſimplicitatem & impartibilitatem ſubjecti quod eſt anima. Nihil autem prohibet animam delectari in diverſis partibus corporis, & membris ſimul: & delectationes quidem hujuſmodi, ſicut prædixi, in tempore & tempore certo ſumuntur.

Gaudium ſpirituale quod eſt de Deo eſt impartibile.

Revertar igitur ad illud in quo eram, & dicam de gaudio ſpirituali quod eſt de ipſo creatore vel de aliis, quorum apprehenſio non eſt per corpus, quia impartibile eſt quantum eſt de ſui eſſentia: durat autem per tempus, & iteratur ſæpiſſimè, quemadmodum ſciunt viri ſancti, & dilecti Deo altiſſimo, quibus datum eſt ſentire gaudia hujuſmodi. Cum igitur gaudet anima humana gaudio hujuſmodi, certumque habeat illud gaudium in ſe eſſe totaliter, nihilque ſui hoc eſt gaudij eſſe in corpore, quemadmodum nec apprehenſio creatoris neque cognitio in corpore humano eſſe poteſt, manifeſtum ei eſſe ſuum ſeorſum eſſe à corpore, hoc eſt differentiſſimum, & inſuper ſimplex & impartibile, quemadmodum ſentit ipſum gaudium hujuſmodi ſimplex eſſe & impartibile, cujus certiſſimè novit ſe eſſe ſubjectum. De induſtria vero prætereo tibi quæſtionem hanc qua quæritur qualiter apprehenſio ſit partibilis. Si tamen hoc eſt verum, delectatio ex illa non erit impartibilis; videtur enim in propoſito de balneo apprehenſio ſenſibilis ipſius balnei & corporis balneati compoſita. Quapropter & delectatio quæ ex illa eſt apprehenſione compoſita eſſe non immerito videre poteſt. Quantum autem pertinet ad veritatem præpoſitam non eſt diſſimiliter ſentiendum, quantum mihi videtur, de apprehenſione & delectatione quæ ex illa eſt in parte iſta, quia ſi altera impartibilis & altera ſimiliter. Forſitan autem alibi diſcutietur illud perſcrutatius.

PARS QUATUORDECIMA.

Oſtendit eandem concluſionem aliter.

3. Quia ſi anima eſſet corpus deberet creſcere iuxta incrementa corporum, adeoque & ipſa animata eſſet.

ADdam autem præcedentibus probationibus quas adduxi ad oſtendendam incorporeitatem animæ humanæ, & dicam quod ſi anima humana eſſet corpus, aut eſſet ejuſdem quantitatis in majoribus, & minoribus hominibus; in parvulis, & ſenibus; aut non. quod ſi eſſet ejuſdem quantitatis in omnibus hominibus, cur non & diſpoſitiones ipſius æquales eſſent in omnibus. Nos autem videmus creſcere diſpoſitiones ejus, & minorari videlicet virtutes, & vitia, & habitus omnes acquiſitos, ut memoriam, imaginationem, & etiam ingenium ſive ingenioſitatem. quemadmodum igitur neceſſe eſt corpus creſcere creſcentibus membris ſuis, ſic creſcere non immerito videri poteſt anima humana creſcentibus iis, quæ tanquam membra ipſius eſſe videntur & videri debent iſtis imbecillibus. Si vero non ſunt ejuſdem quantitatis animæ humanæ in omnibus hominibus, ſed in minoribus minores, in majoribus majores, creſcent igitur juxta incrementa corporum ſuorum. Quia igitur omne quod creſcit animatum eſt imo animatum neceſſe eſt eſſe, conſequens eſt omnem animam humanam eſſe corpus animatum.

2. Quia vel poſſibile eſt animam intelligere ſe non eſſe corpus, vel non: ſi primum ergo eſſe corporis ſeparabile eſt ab anima, Se-

Amplius aut eſt poſſibile animam humanam intelligere ſe non eſſe corpus; aut non. Quod ſi dixerit quia eſt poſſibile, eſt igitur corpus ſeparabile ab ea, ſaltem intellectu: quare neque genus eſt ejus, neque ſpecies, neque differentia ſpecifica; & propter hoc nullo modo ſubſtantiale ipſius. Non eſt igitur ſubſtantialiter ſive eſſentialiter anima corpus. Si vero dixerit quia non eſt poſſibile animæ humanæ intelligere ſe non eſſe corpus manifeſtum eſt hominem errare qui hoc dicit, cum tot & tam ſapientes animæ humanæ affirment ſe, non eſſe corpora, & inſanos reputent contrarium ſentientes. Accidit etiam ſecundum hoc ſolos ſapiẽtes animas ignorare ſe, & omnino non intelligere ſuum eſſe ſi ſuum eſſe corporis eſt, omnes vero ſapientes animæ teſtificantur ſe non cogitare de corpore, vel de eſſe corporis, cum de ſe vel ſuo eſſe cogitant.

cundum dici non poteſt, ut patet teſtimonio ſapientum.

1. Quia cum poſſibile ſit animæ humanæ ſe intelligere eſſe incorpoream neceſſe eſt eam eſſe.

Amplius aut poſſibile eſt intelligere animæ humanæ ſe eſſe ſubſtantiam incorpoream ſpiritualem, aut non. Quod ſi non eſt poſſibile: igitur multo fortius non eſt poſſibile eidem hoc affirmare; cum non ſit poſſibile alicui loqui, vel affirmare quod non intelligit. Manifeſtum autem eſt, ut prædixi, tot & tantos ſapientes hoc affirmare, & negare contrarium tanquam impoſſibile Si vero poſſibile eſt animæ humanæ intelligere ſe eſſe ſubſtantiam incorpoream & ſpiritualem; dico quia cum ſeparatio & conjunctio contraria ſint, quemadmodum impoſſibile eſt animæ humanæ ſeparatio intellectiva à ſe ipſa cujuſcumque quod ei eſſentiale eſt; ſic neceſſe eſt impoſſibile ei eſſe conjunctionem intellectivam contrariam alicujus quodcumque illud ſit quod contrario ſe habet ad illam. Et intendo è contrario ſe habere ad illam omne quod ab ea eſſentialiter ſeparatum eſt, quod eſt dicere naturali impoſſibilitate ab ipſa remotum atque prohibitum, ne vel ſit illa vel de illa. Dicam autem apertius illud videlicet, quia ſicut non eſt poſſibile ei ſeparare à ſe ipſa intelligendo proprium genus vel propriam ſpeciem vel quodcumque aliud ex eſſentialibus ſuis, ſic non eſt eidem poſſibile conjungere ſibi, vel unire intellectu genus alienum vel ſpeciem alienam vel quodcumque aliud ex eſſentialibus alienis & ab ipſa eſſentiali diverſitate naturaliter diſparatis Quapropter ſicut non eſt ei poſſibile ut intelligat ſe non eſſe quod eſt ſecundum genus vel ſpeciem, ſic non eſt eidem poſſibile ut intelligat ſe eſſe quod non eſt; eſſe inquam eſſentialiter, & intendo eſſentialiter eſſe ſecundum genus, vel ſpeciem, vel ſecundum quodcumque aliud eorum quæ eſſentialiter dicuntur, & non ſecundum accidens: poſſibile enim eſt animæ ſtultæ & intelligere & credere ſe eſſe ſapientem, & animæ non bonæ ſe eſſe bonam, & non juſtæ juſtam. Cum igitur poſſibile ſit animæ humanæ intelligere ſe eſſe ſubſtantiam incorpoream ſpiritualem, eſſe inquam eſſentialiter, quoniam nihil horum trium niſi eſſentialiter dicatur, & nullo modo ſecundum accidens; manifeſtum eſt animam humanam eſſentialiter ſubſtantiam incorpoream & ſpiritualem eſſe.

Solvit difficultatem propoſitam de accidentalibus quod anima non poſſit eſſentialia ignorare poſſit autem accidentalia.

Quod ſi quis dixerit quam ob cauſam de accidentalibus diſpoſitionibus ſuis poſſibile eſt animæ humanæ & intelligere & credere aliter quam ſe veritas habeat, & non de eſſentialibus ſuis. Reſpondeo in hoc, quia eſſentialia ſua ignorare non eſt poſſibile eidem. Et hoc faciam te ſcire in eis quæ ſequuntur poſt hæc. Accidentalia vero ſua multoties latent eam ſicut apparet in præmiſſis exemplis. Nec mirum quia indubitanter minus adhærentia ſunt eidem, & minus propriè ſe oſtendunt illi quam eſſentialia ſua.

4. Idem probat ex eo quod anima imperet corpori toti, imo etiam ſpiritibus motui ſervientibus quibus nihil inter ipſa corpora præſtantius

Amplius Omnis anima intelligens, & de ſemetipſa conſiderationem faciens intelligit, & evidenter cognoſcit ſe evidenter imperare corpori ſuo totaliter & intelligo totalitatem iſtam univerſitatem membrorum, & ſingula eorundem, & eodem modo ſe habet de ſpiritibus, quos in corporibus animalium medici ponunt eſſe: per eos namque imperant motum nervis, & chordis, aliiſque ligaturis membrorum Quapropter neceſſe eſt ipſam eſſe naturaliter nobiliorem ac ſuperiorem omnibus iis, cum impoſſibile ſit manifeſtum igno-

bilius nobiliori, vel æque nobili imperare, & nemo dubitet naturale eſſe imperium hujuſmodi, cum proprium ſit animæ ad corpus, eo quod hoc quidem eſt imperativum, illud vero miniſtrativum, ſicut dicit Ariſtoteles. *Secundo* topicorum Cum igitur ſpiritibus hujuſmodi nullum ponatur nobilius aut æque nobile corpus, neceſſe eſt animam omni corpore nobiliorem eſſe, & propter hoc nullo modorum eſſe corpus.

5. Quia etiã per velle anima imperat ſuo intellectivo.

Amplius quia nulla anima intelligens ignorat ſe totaliter intellectivam vel ſaltem aliquid ſui intellectivum eſſe, manifeſtum eſt ipſam imperare ſuo intellectivo, ſive quod ipſa eſt, ſive quod eſt aliquid ejus: imperat autem ei evidenter cogitare, inveſtigare, diſputare intelligibiliter: & intendo illud non eſſe niſi velle, cum tendit ſuper aliqua ex hujuſmodi operationibus Cum igitur iſtæ operationes longè nobiliores ſint omnibus operationibus corporalibus, neceſſe eſt id quod eas efficit longè eſſe omni corpore nobilius Et quoniam omne imperans longè naturaliter nobilius eſt omni eo cui naturaliter imperat, longè nobilius eſt ex neceſſitate id quod eſt imperativum in anima humana prædictis operationibus, per modum quo eſt imperativum illarum, inquantum videlicet eſt effectivum earum. Manifeſtum igitur tibi eſt per hoc quoniam longè ſuper emineat omni corpori anima humana quoniam etiam eminet ei quod eſt intellectivum in ipſa hoc eſt effectivum trium prædictarum operationum inquantum eſt effectivum illarum

6. quia vis non poſſit inferri ei quod eſt imperativũ in anima humana, ſcilicet voluntati.

Amplius omni corpori naturaliter inferri poteſt violentia circa propriam & naturalem operationem: quemadmodum igni, ut non calefaciat calore ſenſibili, & aquæ, ut non frigeat ſimiliter frigiditate ſenſibili, & de igne quidem jam docuerunt magiſtri Alchymiæ. quia vero aquam naturaliter non frigeſcere, & etiam calere tam crebro, contingit ut nullus inde dubitare permittatur, conſequens eſt poſſibile eſſe de igne & ut non caleat & ut etiam frigeat frigiditate accidentali quod eſt dicere ſenſibili. Id vero quod eſt imperativum in anima huma ſive vis imperativa ipſius non eſt poſſibile ut prohibeatur invita ab operatione ſua propria quæ eſt velle. Id autem quod eſt in ea vel apud eam imperativum, ſive vis aut virtus imperativa nobilis atque ſuperior voluntas eſt ſicut alibi didiciſti. Concupiſcibilis namque inferior & iraſcibilis, quas cum brutalibus animabus & irrationalibus communicare videtur, inferiores ſunt & ignobiliores imperativæ; non enim liberæ ſunt, neque ſuæ poteſtatis videlicet ut ſeipſas ab operationibus propriis avertere, vel etiam compeſcere, aut quocumque modo temperare ſe poſſunt: bruta quippe animalia non libertate ſe agunt, aut ducunt ad ea quæ concupiſcunt ſed tanquam neceſſitate rapiuntur ad ea, aque præcipiti impetu feruntur in illa. Similiter & ab eis quæ fugiunt, ſeu declinant non libere ſe avertunt, ſed tanquam neceſſitate repelluntur ab ipſis.

PARS DECIMAQUINTA.

Quod actiones voluntatis ſunt liberæ; ſed operationes brutorum non.

Libertatis ...ó eſt quod ...anes obſequantur dominis, ſed ...imore & ...more ad ...oc neceſ. ...tio im-pelluntur p... uſ. in eod. Capit. not.

NEc te conturbet ſuper hoc diſciplina, quæ apparet in canibus aut aliis animalibus quæ ad nutum vel juſſum dominorum ſuorum venire ad eos, & ab ipſis abire videntur, multaque alia facere tanquam liberè, & voluntariè, atque tanquam ex propria poteſtate. Scito igitur in hoc quod amor & timor dominorum adeo dominatur hujuſmodi canibus ut eos juxta modum prædictum vel impellat in ea quæ placere eis æſtimant, vel repellat ab iis à quibus per dominos abſterrentur: non enim eſt in libera poteſtate ipſorum ut timori vel amori hujuſmodi non cedant; modis enim omnibus ſervi ſunt hujuſmodi paſſionum non habentes eis contradicere, nec valentes eas avertere à ſe, vel reprimere ullo modorum.

Quia voluntas liberrima eſt merito culpatur in ea peccatum, in brutis nõ item.

Voluntas autem quoniam in ſe eſt liberrima eſt, ſuæque per omnia poteſtatis quantum ad antedictam operationem ſuam, & propter hoc ſuæ correctionis eſt, atque directionis Quapropter merito requiritur ab ea rectitudo in operatione ſuâ quæ eſt velle, meritoque culpatur in ea peccatum quod eſt contrarium rectitudini: hinc eſt quod cum brutis animalibus non agitur de moribus aut virtutibus. Et intendo quia non requiritur ab eis rectitudo ſeu pulchritudo honeſtatis nec fuit adhuc aliquis adeo imbecillis intellectus, ut ea peccare diceret, aut aliquid quod agerent imputandum eis crederet ad peccatum Quod ſi homines ſervitute paſſionum hujuſmodi naturaliter depreſſi eſſent, atque totaliter, nihilque libere agerent, non eſſet poſſibile eos peccare eſſetque iniquiſſimum culpare eos pro quacumque actione Quare & laudare eos ſimiliter. ſtultiſſimum eſſet; neceſſitas enim, & impoſſibilitas naturalis laudem penitus excludunt & vituperium, meritumque & culpam ab hominibus circa hujuſmodi. Quemadmodum enim non eſt laudandus lapis ex eo quod deſcendit, & movetur in deorſum, neque culpatur ſi moveatur in ſurſum, cum alterum faciat neceſſitate naturali, alterum vero violentia invincibili: ſic neque homines laudandi vel vituperandi eſſent, ſi neceſſitate naturali ferrentur ad operandum, vel impoſſibilitate naturali averterentur, atque prohiberentur ab operando.

Solvit objectionem hominibus quæ imputanda eſſe oſtendit quæ ex viribus inferioribus agunt propter imperativã virtutem quæ in eis eſt.

Quod ſi quis dixerit, quia ſecundum hoc non ſunt culpandi homines pro his quæ ex viribus inferioribus agunt. quoniam illa faciunt, ex viribus quas communicant cum animalibus brutis: Et propter hoc illa faciunt ut bruta animalia quod eſt dicere neceſſitate non libertate. Reſpondeo in hoc quia hujuſmodi vires non ſic ſe habent naturaliter in hominibus, ſed ex corruptione originali factæ ſunt effrænes atque præcipites, ipſique nobili imperativæ ac ſuperioris ſuæ rebelles. Prævalet autem & dominatur eis imperativa nobilis ſuperior, & poſſibile eſt ei coërcere eas, & frænare impetum earum, & avertere hominem quominus ſequatur eas: apud bruta autem animalia non eſt hujuſmodi viribus rector aut moderator, & propter hoc non eſt propter quod imputari debeat eis ad laudem vel vituperium quidquid agunt. Quia igitur in hominibus eſt poteſtas qua ſe regant, & rectè agant, ſe ſeque contineant ne poſt paſſiones hujuſmodi habeant, juſtiſſimo judicio imputatur eis quidquid contra rectitudinem honeſtatis & morum pulchritudinem agunt.

Comparatio totius hominis eſt regno vel civitate bene ordinata.

Ut autem magis ac magis innoteſcat tibi natura & nobilitas animæ humanæ, dico per modum laudationis id quod in evidenti eſt, & probationis certificatione non indiget; videlicet quia anima humana ſimilitudinem regni quandam habet bene ordinati & civitatis bene conſtitutæ; quoniam in ea eſt voluntas tanquam rex & imperator; & vis intellectiva ſeu ratiocinativa ſicut conſiliarius illius; virtutes vero inferiores, videlicet iraſcibilis, & concupiſcibilis, & motivæ vires, quod eſt dicere quæ ſunt executivæ motus, ſicut miniſtri ſunt, quorum officium eſt juſſa exequi voluntatis ſuper eas regnantis, & imperantis; ſenſus vero omnes miniſtri ſunt & diſcurſores foris hab-

& illac abeuntes, & forinſeca quæcunque apprehenderint renuntiantes.

In quo conſiſtat bona vel prava adminiſtratio regni hujuſmodi.

Fœliciter igitur & laudabiliter regnum illud adminiſtratur & rectè regitur, cum ratio rectè conſulit. & voluntas ejus conſilio imperat, miniſtrique inferiores juſſa ſolummodo exequuntur, nihil ſibi contra imperantis dominium uſurpantes, ſed ejus imperium ſolummodo exequentes; ejus inquam imperium quod de conſilio ſolo rationis proceſſit; ſed tanquam ſervi ſicut revera ſunt, ut prædixi obedientia præſidentis eiſdem voluntatis ſint contenti. Et quoniam manifeſtum eſt ſenſus omnes in multis nuntios eſſe fallaces atque mendaces, cavendum eſt & hujuſmodi conſiliario, & hujuſmodi regi, & imperatori à mendaciis eorum, quod eſt dicere ne credat eis contra veritatem. Cum autem è contrario ſe habet regnum hujuſmodi, videlicet ut conſiliarius iſte perverſè conſulat, & rex iſte vel imperator ſervis antedictis non imperet, ſed potius ſerviat, ita ſcilicet ut ipſi poteſtate ſua imperent, & hoc rex ipſe ſuſtineat, & quæ imperant fieri conſentiat, tunc datum eſt regnum iſtud in manibus ſervorum viliſſimorum ac nequiſſimorum, & rex ipſe miſerabili ſervitute atque turpiſſima eiſdem ſubditus eſt. Quapropter regnum hujuſmodi totum ſubverſum eſt, cum nec juſtitia, nec judicium in eo fiat; ſervi enim hujuſmodi inimiciſſimi ſunt honeſtatis. Quapropter nihil rectum, nihil honeſtum in eodem regno fieri patiuntur.

Vita hominis brutalis eſt ſi ſerviat ſenſibus.

Inde eſt quod tota vita hominis quæ per hujuſmodi ſervos totum vivit quod vivit, & totum agit quod agit vita brutalis eſt, manifeſtum enim eſt animalia bruta ſervis iſtis omnimodo ſubdita eſſe, & tota vita ſua ſervire iiſdem. Et attende quia quamvis ſimilitudo iſta pulchritudinem & ſuavitatem moralitatis habeat, nihilominus tamen evidenter continet veritatem quandam pertinentem ad ſcientiam de anima naturalem, nec ob hanc cauſam rejicienda eſt, cum morum compoſitio non ſolum naturæ inimica non ſit, quin potius ipſam purificet, dirigat, perficiat, & exornet.

CAPITULUM TERTIUM.

PARS PRIMA.

Quod anima ſit pura forma immaterialis.

Oſtendit animam nō eſſe corpus quia nec dici poſſit materia vivens ſenſu & apprehenſione carens, nec materia vivens ſenſu & apprehẽſione prædita.

POST hæc autem revertar ad complendum ſermonem, ac perſcrutationem de unitate ac ſimplicitate naturæ humanæ, per quam dico ipſi non eſſe partes, quarum altera ſit materia ejuſdem, altera vero forma: quod vero impartibilis ſit partitione continuitatis jam declaratum eſt tibi per ea quæ præceſſerunt. Reſtat igitur declarandum declaratione completa, quia non eſt ei materia ullo modorum, quoniam ipſa eſt potius forma pura per omnem modum immateriata, ſive immaterialis: ſi enim eſſet ei materia quæ pars ejus eſſet, neceſſe eſſet hujuſmodi materiam aut vivam eſſe, aut non vivam. Quod ſi viva eſſet aut eſſet eſſentialiter viva quod eſt vita, aut eſſet viva ſicut homo vel aliud animal, & intendo vitam habens partem ſui: aut eſſet à foris vivificata per vitam ſibi conjunctam, quemadmodum corpus hominis vel alterius animalis, quod per conjunctam ſibi animam vivificatur & vivit. Quod ſi fuerit vita in ſe, aut erit vita non habens apprehenſionem; & intendo nec ſenſum, nec imaginationem, nec memoriam, nec aliquam ex nobilibus apprehenſionibus, aut non. Quod ſi fuerit habens apprehenſionem videlicet ſenſum, vel aliquam aliam: erit igitur animal vel animalis. Quapropter non erit materia animæ humanæ neque pars alia; quoniam ſecundum hoc anima humana animatum eſſet, cum haberet animam partem ſui, & eſſet pluſquam anima, & anima poſterior, cum omne totum poſterius ſit omni parte ſua. Amplius ſecundum hoc non eſſet materia, ſed materiatum: ſi vero non eſt ei apprehenſio, cum tamen ſit vita, & vivens; erit igitur ſicut anima vegetabilis, aut ipſum vegetabile; vivens enim ſine omni apprehenſione procul dubio vel anima vegetabilis eſt, vel vegetabile.

Idem oſtendit ſimili fere argumento hac ratione quod ex materia non ſit aliquis actus aut vita per ſe;

Amplius ſi eſt vita in ſe, ex ea igitur eſt vivere per ſe: manifeſtum autem eſt quia ex materia pura non eſt aliquis actus per ſe: quapropter ſi eſt materia, non erit materia pura, ſed materia habens partem ſui per quam vivit, & propter hoc erit animal vel animatum; omne enim quod vivit per partem ſui eſt animatum. Quapropter impoſſibile eſt materiam hujuſmodi animatum eſſe, ſi materia pura eſt. Quod ſi non eſt materia pura, ſed materiatum, reſtabit eadem quæſtio de materia illius, & ibit res in infinitum, vel occurret materia aliqua pura non materiata. Revertar igitur, & dicam quia ſi materia eſt animæ humanæ, materia inquam veri nominis & veræ rationis quæ pars ejus ſit, non eſt poſſibile ut ſit vita in ſe ſive vivens eſſentialiter, nec poſſibile eſt ut ſit vivens per partem ſui; quia tunc eſſet animatum hujuſmodi materia: neque poſſibile eſt ut ſit vivens per ſibi conjunctum aliud quam per ipſam formam cum qua componit & conſtituit animam humanam. Aut igitur omnino non vivit, aut vivit per formam hujuſmodi: quod ſi vivit per formam hujuſmodi; vivit igitur vita fere ſimiliter qua vivit corpus humanum.

Colligit aliud inconveniens ſcilicet animam humanam fore mortalem.

Cauſa autem in hoc eſt, quoniam anima humana ex eadem forma & per eandem qua vivificat corpus, vivificat & materiam illam, ex eodem autem & ſecundum idem extrema neceſſe eſt ſimilia eſſe. Verum igitur eſt quod dixi, quia materia animæ humanæ per formam ejuſdem vivit vita ſimili, qua vivit corpus humanum: & ut taceam de aliis inconvenientibus neceſſe erit eam eſſe mortalem ſimili morte qua mortale eſt corpus humanum. Quapropter ex omnibus iis manifeſtum eſt animam humanam non eſſe materiatam, materia inquam viva vel vivificata; alioquin præſtaret vitam materiæ ſuæ, & penderet ex materia ſua, quemadmodum & corpus humanum pendet ex eadem.

Colligit animam nō poſſe eſſe materiam vivam nullis prædictis modis.

Jam igitur feci te ſcire per hæc quia non eſt poſſibile ut animæ humanæ ſit materia viva quocumque trium prædictorum modorum: & hoc eſt dicere nec viva eſſentialiter; ita videlicet ut ipſa ſit vita; nec vivens ex parte ſui, quemadmodum vivit animal omne; nec vivens per conjunctionem ad vitam, ſive ad vivens per ſemetipſum, & hic eſt modus quo vivit corpus cui anima conjuncta eſt. Quapropter neceſſe eſt ſi materia eſt illi, hoc eſt animæ humanæ, materiam hujuſmodi prorſus mortuam eſſe, hoc eſt modis omnibus vita carentem. Quapropter animam ipſam neceſſe eſt vivam & mortuam eſſe, cum compoſita ſit ſecundum errorem iſtum ex parte viva, & ex parte mortua, &c.

Removet motivum poſitionis contrarij. parisa in eod. Cor. not.

Conveniens quoque eſt ut deſtruam hic cauſam erroris iſtius quæ cauſa videlicet induxit hujuſmodi imbecilles in errorem iſtum. Dico igitur quia iſti receptibilitatem omnem formarum attribuere & impoſuere materiæ; hinc eſt quia cum viderent animam humanam receptibilem eſſe multarum formarum, ſicut ſcientiarum & virtutum, pluriumque aliarum diſpoſitionum, poſuerunt ei eſſe materiam, opinantes receptibilitatem ex materia eſſe, nec poſſe

poſſe receptibilitatem ullam eſſe ſine materia. Quod ſi eſſet, quia cujus eſt potentia ejuſdem eſt & actus; & cujus magis eſt potentia ejuſdem eſt magis & actus. Si igitur receptibilitas hujuſmodi formarum imprimis & magis eſſet materiæ, quam delirant eſſe animæ humanæ, eſſet receptio formarum & diſpoſitionum quæ in anima humana recipiuntur materiæ illius imprimis, & maximè: quare ſcientiæ & virtutes cæteræque diſpoſitiones ſpirituales quæ in anima recipiuntur, imprimis & maximè reciperentur in materia illa: quare eſſent illius formæ & diſpoſitiones imprimis & maximè. Illa igitur materia eſſet imprimis & maximè ſapiens, & virtuoſa; anima verò conſequenter, & propter illam: quemadmodum quoniam ſuperficies imprimis & maximè colorata eſt, conſequenter vero & propter illum corpus & eſt, & dicitur coloratum. Hoc autem eſt inconveniens quod nemo adhuc auditus eſt ſomniaſſe; mortuam vero & omnino vita carentem ſubſtantiam ſapientem, aut virtuoſam eſſe quis audeat vel etiam valeat delirare?

Oſtendit proprium eſſe ſubſtātiæ, & quidem primæ ſuſcipere contraria, adeoque & formæ ſubſtantiali cōpetibile.

Debes etiam ſcire quia eodem errore delirant circa omnes abſtractas, ac nobiles ſpiritualeſque ſubſtantias; nullam enim earum immaterialem vel immateriatam credunt. Quod ſi adverterent proprium eſſe ſubſtantiæ eſſe ſuſceptibile contrariorum, cum forma ſubſtantialis omnis ex neceſſitate ſubſtantia ſit, cognoſcetur indubitanter proprium iſtud convenire ſubſtantiali formæ. Quod ſi quis dixerit quia proprium iſtud non eſt proprium niſi primæ ſubſtantiæ. Dico quia nec hoc prohibet ipſum ab aliqua ſubſtantiali forma, cum omnis ſubſtantialis forma cujuſcumque ſubſtantiæ etiam prima ſubſtantia ſit, quod eſt dicere individua, ſingularis, & hoc aliquid.

Idem oſtēdit ex eo quod ſecundum hoc eſſent diſpoſitiones maximè propriè materiæ ipſius.

Amplius ſi receptibilitas propriè, ac verè, maximéque materiæ eſſet, neceſſe eſſet actum ejuſdem qui eſt receptio ejuſdem propriè, ac verè, maximéque rationis ipſius eſſe. Ejuſdem autem ſunt receptio cujuſcumque recepti, & habere, ſeu habitus illius: quare verè, ac propriè, maximéque & imprimis haberet hujuſmodi materia ſcientias, & virtutes, omneſque alias perfectiones hujuſmodi, & propter hoc gratiam omnem & meritum. Quapropter neceſſe eſſet eamdem omnem gloriam, & præmium ipſam obtinere, & hoc non quocumque modo, ſed quemadmodum prædixi propriè ac verè imprimiſque & maximè. Quis autem ferat tam impoſſibilia, & inopinabilia delirantem? videlicet ut & hic merita remunerabilium operum hujuſmodi materiæ propriè, ac verè ſint, & in noviſſimo gloria futuræ retributionis, quæ eſt ſicut ſæpè audiviſti felicitas incogitabilis, & omnibus quæ hic bona vel dicuntur, vel putantur, vel pro certo bona eſſe cognoſcuntur per omnem modum incomparabilis, præſertim cum hujuſmodi materia non niſi mortua, & vita per omnem modum carens intelligi poſſit.

Item ex eo quod non niſi operationibus debeatur præmium quæ operationes non ſunt à materia, ſed à forma.

Amplius quoniam ejuſdem ſunt præmium & meritum, nec niſi promerenti dandum ſit præmium, operationes autem merita propriè ac verè ſint. Manifeſtum autem ſit operationes non eſſe à materia, ſed à forma; merita igitur nec materiæ debentur, nec ei attribuenda ſunt, ſed formæ. Quapropter ratione formæ debentur merita, & propter hoc ratione ipſius debentur, ſive ipſi, ſive animæ humanæ propter ipſam. Quoniam autem immaterialitas hujuſmodi communis eſt animabus humanis, & ſubſtantiis nobilibus abſtractis, neceſſe eſt communes eſſe probationes & declarationes immaterialitatis iſtius animabus humanis & iſtis ſubſtantiis. Quapropter cum in tractatu de hujuſmodi ſubſtantiis plenè tibi ſatisfecerim de immaterialitate earum, ſatisfactum eſt tibi in eodem de immaterialitate animarum humanarum. Non eſt igitur neceſſe ut repetam tibi hic probationes, & declarationes iſtas; inutilis quippe eſſet repetitio hujuſmodi, & præſtaret impedimentum in præſenti tractatu. Verum quoniam in hoc adhuc ſum, ut removeam ab anima humana compoſitionem omnem, faciam te ſcire unitatem ac ſimplicitatem ejus quæ prohibet ab ea partem & partem, & aggrediar deſtruere errorem quorumdam qui putaverunt eam compoſitam eſſe ex viribus ſive potentiis ſuis naturalibus, propter quod & dixerunt eam nominatione puerilitatis ſuæ & imbecillitatis totum potentiale, totumque virtuale, &c.

PARS SECUNDA.

Quod anima ſit ſimpliciter impartibilis.

Oſtendit animam nō poſſe componi ex potentiis 1. quia ſicut ex actibus non poteſt aliquid unum componi ita nec ex potentiis 2. Quia ex ſimilibus impartibilibus non poteſt aliquid componi.

Deſtructio autem hujus erroris hæc eſt quoniā cum ſint proportionales potentiæ ſimiles actibus ſuis erit & permutatim; ut quemadmodum potentiæ ſe habeant ad invicem, ſic & actus. Quapropter quemadmodum ex actibus animæ humanæ nihil naturaliter componitur, neque etiam componibile eſt ex illis: ſic non erit poſſibile ex potentiis unum aliquod componi, quare vel anima humana non erit unum aliquid, vel non erit aliquid, & propter hoc nihil.

Amplius ut ex ſimilibus impartibilibus aliquid componatur manifeſtum eſt impoſſibile eſſe; cum enim ſimilia ſint non erunt conjungibilia per modum continuationis, aut per modum contiguationis, ſicut jam declaravit Ariſtoteles in libro phyſicorum, neque minus evidenter in tractatibus & libris ſuis. Si igitur ex conjunctione illorum aliquid unum conſtituitur, neceſſe eſt ut unum in alio ſit, & propter hoc omnia de unoquoque illorum, & unumquodque in unoquoque. Hoc autem unum eſt ex iis quæ nova & inaudita uſque ad hæc tempora deſipientia ſomniavit; quod enim potentia videndi in potentia audiendi ſit, & è converſo, aut quod omnes potentiæ hujuſmodi in unaquaque earum ſunt, inauditum eſt adhuc aliquem deliraſſe; omne enim illud in quo eſt potentia citharizandi potens eſt citharizare per illam. Et ad hunc modum ſe habet de omnibus aliis. Quapropter conſequens eſt ſecundum errorem iſtum unamquamque poſſe omnes actus aliarum: quapropter potentia videndi poterit audire, & guſtare, & de unoquoque aliorum actuum ſimiliter. Quod ſi una potentia poteſt in omnibus omnes actus aliarum, ſupervacuæ igitur ſunt aliæ. Amplius cum ſecundum hoc potentia videndi ſit in oculis ſive in nervo optico, erit potentia audiendi ibidem cum ſit in illa, & viceverſa erit potentia videndi in auribus, ſive in tympano auditus, ſive in nervo petroſo.

3. Quia diſpoſitiones impartibiles ſicut ſunt virtutes non poſſunt eſſe niſi in ſubjecto impartibili,

Amplius nulli intelligenti dubium eſt, quin diſpoſitio impartibilis ſit in ſubjecto impartibili, & multæ ſimiliter diſpoſitiones impartibiles ſicut ſuæ virtutes in ſubjecto uno impartibili, ſcilicet in anima videlicet bene compoſita, beneque diſpoſita, ſive conſtituta, vel ordinata. Neque dubium eſt ſimiliter ipſas non eſſe commixtas, vel continuatas, aut contiguatas, imo quod eſt mirabilius diſtinctiſſime in anima ordinatas, ac ſpecioſiſſime collocatas, nulloque modo ſe invicem coanguſtantes omni rationabili certiſſimum eſt, & propter hoc unam eſſe virtutem ex illis impoſſibile eſt. Etſi vero in uno ſubjecto ſunt, non uniuntur tamen ad invicem unione conjunctionis, qua unum ex eis conſtituatur; unitas enim ſubjecti ſola per ſe non ſufficit ad hoc ut unum

aliquid conſtituatur ex omnibus diſpoſitionibus quæ in eo ſunt; alioquin ex quantitate & qualitate quæ ſunt in eodem ſubjecto eſſet unum aliquid: hujus autem impoſſibilitas manifeſtata eſt, cum ſic eſt compoſitum non eſſet res alicujus prædicamenti. Cum igitur potentiæ illæ omnes diverſarum ſpecierum ſint, ſicut apparet ex diverſitate actuum illarum, & alia unitio, vel unitas, aut etiam conjunctio non ſit inter illas niſi unitas ſubjecti, & communicatio illius, manifeſtum eſt ex illis nihil unum eſſe compoſitum.

4. Quia anima non eſſet aliud quam acervus ex illis potentiis

Amplius aut anima humana eſt ex illis omnibus totaliter & ſufficienter compoſita, aut aliquid aliud præter illas venit in compoſitionem illius. Quod ſi ex illis eſt ſolum totaliter compoſita, nihil igitur aliud eſt ipſa anima humana quam acervus ſive aggregatio ipſarum, cum nec ipſæ ſecundum hoc unitate vel conjunctione ſubjecti unitæ ad invicem ſint, eo quod nullum ei ſubjectum ſubſit, poſtquam nihil aliud veniet in compoſitionem animæ humanæ, & ad invicem nullo modorum unitæ vel conjunctæ ſint.

5. Idem colligit dilemmate quo probat potentias illas non poſſe dici ſubſtantias, nec accidentia.

Amplius hujuſmodi potentias aut intellexit eſſe ſubſtantias, aut accidentia. Quod ſi intellexerit eas eſſe ſubſtantias, ſequuntur cum inconvenientia quæ non eſt tibi neceſſarium per omnia explicari. Horum autem primum eſt quoniam unaquæque hujuſmodi ſubſtantiarum erit vivens, ſive vita per ſemetipſam, & propter hoc erit anima cum non poſſit fingi ſubſtantia eſſe niſi incorporea: ſubſtantia autem vivens per ſemetipſam, & non ſpoliata, ſed conjuncta corpori abſque ulla dubitatione anima eſt: quare tot animæ erunt unicuique animali quot & hujuſmodi potentiæ. Si vero intelligit potentias iſtas accidentia eſſe, cum ponat ibi nihil aliud venire in compoſitionem animæ humanæ: ponit igitur accidentia illa eſſe ſine ſubjecto, & ipſam animam humanã compoſitam eſſe ex accidentibus, & propter hoc cogitur eam ponere non eſſe ſubſtantiam, ſed potius eſſe accidens, vel aggregatio accidentium. Si vero dixerit aliquid aliud venire in compoſitionem animæ humanæ, neceſſe eſt ipſum eſſe unum aliquo trium modorum quos in præcedentibus audiviſti, aut eſſe mortuum hoc eſt dicere vita carens & invivificabile. Jam autem expeditus es de hoc per ea quæ præceſſerunt in tractatu iſto, & multo plenius atque diffuſius per ea quæ didiciſti in tractatu de ſubſtantiis ſpiritualibus nobilibus abſtractis. Illud enim reſiduum ab omnibus potentiis animæ humanę ſi omnino mortuum eſſet non eſſet poſſibile ullo modorum ut pars eſſet animæ humanæ, ſicut jam didiciſti. Si autem vivens eſſet vel per ſemetipſum, vel partem ſui eſſet anima vel animatum. Neutro autem iſtorum modorum ſe habens poteſt eſſe pars animæ humanæ, vel venire in compoſitionem ipſius. Quare neceſſe habent confiteri nihil eſſe reſiduum ab omnibus potentiis in anima humana: erit igitur omnes ſuæ potentiæ ſimul acceptę, vel una ex ipſis, vel partes aliquæ ex eiſdem, & hoc eſt quod multum declinant, multumque abhorrent confiteri. Dicunt enim potentias animæ qualitates naturales eſſe in ea quibus ornatur, ac perficitur eſſentia ſive ſubſtantia illius. Quapropter potentia ratiocinandi erit qualitas adveniens ſubſtantiæ animæ humanæ præter neceſſitatem, ac præter totalitatem eſſentiæ ipſius. Et intendo ita ut nullo modorum pars illius ſit, ſed ſuper totalitatem ipſius eidem adveniens, & ſuper appoſita. Quod ſi eſt, tunc potentia ratiocinandi accidet, & erit accidentalis animæ humanæ: omne vero quod eſt accidens alicujus impoſſibile eſt ut ſit forma ſubſtantialis alterius, cum omnis forma ſubſtantialis ſubſtantia ſit, nec poſſibile ſit ullo modorum ut una & eadem res ſubſtantia ſit & accidens.

6. Quia ſi non ſit animæ rationali niſi accidentalis ratiocinandi potentia nõ facit hominem ſubſtantialiter differre à brutis.

Amplius cum potentia ratiocinandi imprimis & maxime animæ humanæ ſit, communiter autem & propter ipſam ſit hominis: impoſſibile autem ſit, ut magis ſit alterius quæcumque forma vel diſpoſitio quam ejus cujus eſt imprimis & maximè, non erit igitur ſubſtantialiter ſive ſecundum ſpeciem homo per eam à cæteris animalibus differens.

7. Probat ratiocinandi potentiã eſſe eſſentialem homini, quia venit in definitionem illius.

Amplius cum omnis differentia ſubſtantialis denominatio ſit ſumpta à ſubſtantiali, alioquin nullo modorum veniret in rationem vel diffinitionem ſpeciei; cum in eam non veniant niſi ea ſola quæ ſunt de neceſſitate, veritate, ac quidditate diffiniti. Quapropter rationale cum veniat in diffinitionem hominis neceſſe eſt ſumptum eſſe ab eo quod eſt ipſi homini eſſentiale. Rationalitas igitur ſive potentia ratiocinandi eſſentialis eſt homini, quare multo magis ipſi animæ rationali ſive humanæ, cum ei magis inſit, quoniam primo & per ſe.

8. Oſtendit potentias non diſtingui ab anima ſubſtantialiter, quia alioquin anima ipſa rationalis non differet ab irrationali niſi accidentaliter.

Amplius cum abſtraxeris intellectum vel ſeparaveris ſubſtantiam animæ rationalis ab omnibus iis potentiis, quod utique tibi poſſibile, ac facile eſt ſecundum poſitionem hominum hujuſmodi, eo quod accidentia ſunt ſecundum ipſos, & prętertotum eſſe animæ humanæ, aut inveniretur ſubſtantia animæ humanæ per ſemetipſam differens à ſubſtantia animæ brutalis, aut non. Et ſi non inveniatur differens ab illa, ſed per adventum ſolum potentiarum à quibus diſtinguitur, efficiturque differens ab illa, non differt ergo niſi accidentaliter; cum accidentia ſubſtantialem vel eſſentialem differentiam efficere non poſſint; nec aliud eſt ab illa ſecundum ſpeciem; cum accidentales differentiæ non faciant aliud numero, vel ſpecie, vel genere, ſed alteratum ſolum, ſicut alibi didiciſti. Quod ſi anima rationalis non eſt aliud ſecundum ſpeciem quam anima irrationalis, igitur multo minus homo per illam aliud erit quam animal irrationale ſecundum ſpeciem. Ut igitur omnia hęc ad liquidum & certum tibi clareant declaranda eſt ratio, & intentio ejus quod eſt potentia & poſſe.

PARS TERTIA.

Quod inhærentia formæ ad materiam vel ſubjectum non ſit res ſuperaddita ipſi formæ.

De modis ſignificandi diverſa in verbis ſecund. grammaticos.

SCITO igitur quià antiqui Grammatici qui præceſſerunt me, & multi qui in tempore meo fuerunt diſtinguunt verba quæ prædicantur, dixeruntque quædam illorum prædicant quod in ſe eſt, & quædam ſolummodo quod in alio eſt. Intentio eorum erat quod quædam de verbis ſignificabant & prædicabant diſpoſitiones, ponebantque eas in ſubſtantiis de quibus dicebantur; quædam vero non ſignificantes ex ſemetipſis ponebant in ſubjectis de quibus dicebantur diſpoſitiones per conjuncta ſibi nomina ſignificatas. Et exempla horum ſunt in hac dictione, albet, & in hac dictione, fit album; & eſt dicere quià ſecundum hanc diſtinctionem, albet, ſignificat & ponit quod in eo eſt, videlicet albedinem quam inſtitutione ſua eſſentialiter ſignificat, & ponit eam in ſubjecto de quo dicitur: verbum vero quod eſt, fit, aſſumit ſignificationem à nomine quod ipſum ſequitur, & ponit ſignificatum illius in ſubjecto in quo dicitur, quemadmodum cum dicitur hoc ſentum fit album, albedinem ſolam ponit verbum fit in ſento. Juxta modum iſtum cum dicitur albedo ineſt vel inhæret nivi, iſta duo verba inhæret & ineſt, ſolam albedinem ponunt in nive, neque aliquid ſignificat alterutrum eorum niſi albedinem.

Debes autem ſcire non leviter, neque abſque ratione

Probat hoc ex eo quod inhærentia non poſſit cenſeri diſtincta ab accidente niſi detur proceſſus in infinitum.

tione hoc fuiſſe dictum ab eis; ratio namque hæc quam dicam eos ad hoc induxiſſe videtur: ſi enim verbum inhærendi ſignificaret inhærentiam quam utique non eſt poſſibile eſſe niſi accidens, eſſet ex neceſſitate inhærentia hujuſmodi in ſubjecto; & quoniam eſſe in ſubjecto non eſt inhærere ſubjecto, inhæreret ex neceſſitate inhærentia ſubjecto proprio, inhæreret autem vel ſeipſa, vel alia inhærentia: ſi alia, tunc iret res in infinitum, & eſſent infinitæ inhærentiæ ſive ligaturæ inter unumquodque accidens, & proprium ſubjectum: ſi vero inhæret ſeipſa, quomodo prohibetur albedo inhærere ſubjecto in quo eſt ſimiliter ſeipſa.

2. Idem probat quia cũ dicitur ſuperficies alba ſola ponitur albedo.

Amplius cum ſuperficies dicitur alba aut ponitur albedo, aut inhærentia ipſius. Quod ſi albedo eſt, igitur ſuperficies eſt alba per albedinem abſque ullo medio: quapropter ad hoc ut ſit alba ſuperficies non requiritur niſi albedo ipſius, cum ipſa ſufficienter per temetipſam albam illam efficiat: quapropter non requiritur ad hoc inhærẽtia illa: quare vel eſt inhærẽtia hujuſmodi, vel ſupervacuè ponitur.

Quod idem 3. probat ex eo quod poſita albedine ponitur ſuperficies alba & ea remota removetur.

Amplius poſita albedine in ſuperficie omni alio ſecluſo ſive remoto ponitur ſuperficies alba, & hoc ſolo remoto removeretur tam actu, quam intellectu, ſive ratione: quare remota inhærentia hujuſmodi nihilominus eſt ſuperficies alba.

4. Quia ſecundum Grammaticos nihil aliud eſt album quam habens albedinem.

Amplius ſecundũ doctrinam grammaticorum nihil aliud eſt album, quam habens albedinem; ſimiliter & calidum nihil aliud eſt quam habens calorẽ: quapropter habendo albedinẽ eſt album quidquid eſt album, non inhærendo habet albedinem. Debes autem ſcire quia quidam erronei dixerunt, & hoc videlicet quod album non ſignificat albedinem, vel potentiam, ſed habitum albedinis; cum eſſe album, inquiunt, ſit eſſe habens albedinem, habens autem albedinem non albedinem ſignificat directè, ſed habitum albedinis: ſicut enim album ad albedinem, ſic habens ad habitum: quare ſi ſecundum veriſſimam rationem, ac propriam intentionem album eſt habens albedinẽ erit habens habitũ. Quapropter album non erit habens albedinem, ſed habens habitum albedinis; veniet autem hoc in infinitum, quoniam ſi habens habitum non dicit duos habitus, ſed dicit ſolum habitũ albedinis: dicet igitur habẽs albedinẽ ipſam albedinẽ: proportionalia enim ſunt habẽs albedinem ad albedinem, & habens habitum quemcumque ad illum. quare ſi habens habitum ad illum non dicit niſi habitum ſignificatum per accuſativũ, habens albedinem, non dicit niſi albedinem ſignificatam per ſimiliter junctum verbo accuſativum.

5. Quia quantitates & qualitates propinquiores ſunt ſubſtantiis quam relationes.

Amplius cum qualitates & quantitates ſint propinquiores & viciniores ſubſtantiis quam relationes, ſive ad aliquid; manifeſte circa ordinem naturæ eſt non poſſe conjungi qualitates, & quantitates ſubſtantiis, niſi per medias relationes: ſi quid autem eſt habitus vel inhęrentia proculdubio in genere relationum & de prædicamento relationis eſt. Quapropter eſt impoſſibile ut non niſi per medias illas conjungantur quantitates & qualitates ſubſtantiis, vel ſint in eis; cum enim medium naturale naturaliter propinquius ſit utriſque extremorum quam illa ad invicem; impoſſibile eſt medium naturale eſſe inter quæcumque duo extrema quod ab utroque eorum remotius eſt. Cum igitur relationes & ad aliquid naturaliter remotiores ſint à ſubſtantiis quam quantitates & qualitates, impoſſibile eſt eas media eſſe naturalia inter has & illas. Quare habitus & inhærentia & quæcumque alia ſunt hujuſmodi impoſſibile eſt ut media naturaliter ſint inter ſubſtantias atque quantitates & qualitates. Quapropter verbũ habendi, & verbum inhærendi non ponunt de iis de quibus dicuntur niſi ſignificata per nomina quæ illis adjunguntur. Quapropter cum dicitur album habere albedinem, vel albedinem inhærere albo, non ponitur in albo per modum habendi vel inhærendi niſi albedo.

Idem confirmat ex puro intellectu & loquentis & audientis.

Intellectus quoque purus & verus teſtatur unicuique prædictos ſermones loquenti, & omni ſimiliter audienti quia non intendit aliud ponere in albo, nec audiens hujuſmodi ſermone intelligit aliquid poni in albo per illos. Interroga etiam pictores, & quilibet eorum reſpondebit tibi quia in eo quod pingit non intendit ponere niſi colorem, nec intendit niſi colorare illud. Etſi interrogaveris eum de habitu, vel inhærentia colorum ad illud quod pingit, & reſponderit tibi jurans quod nec cogitat nec cogitavit de altero eorum. Dicet etiam ſe non intelligere quid eſt quod dicitur per hoc verbum. eſt. in omni ſermone quo adjungitur ei nomen à parte poſteriori, ſcilicet prædicatum, niſi ipſam copulam eſſe & ligaturam ſubjecti & prædicati, nec aliud ponere in ſubjecto, vel affirmare de illo niſi quod eſt in prædicato ſibi adjuncto. Ex. g. Cum dicitur Socrates eſt albus, ſolam albedinem affirmat de Socrate & ponit in illo, nec credo quod aliquis aliud illa enuntiatione affirmari vel prædicari intelligit de Socrate, vel poni in illo.

PARS QUARTA.

Quod potentia non ſit res ſuperaddita rei potenti.

Non poteſt intervenire aliquid per modũ juncturæ & unionis ſignificatum per particulam eſt in propoſitionibus identicis.

QUIDAM autem ex hujuſmodi hominibus oratione laſciviæ, plus quam philoſophiæ gravitas patiatur, utentes dixerunt in omni oratione in qua ſpecies de individuo prædicatur hoc verbum, eſt, ſignificare nati & naturæ oſculum quod eſt dicere ſpeciei & individui, tanquam aliquid conjungat ſpeciem & individuum. Secundum autem eos & omnes alios hujuſmodi falſa eſſet omnis enunciatio in qua idem prædicatur de ſe, quemadmodum oratio in qua dicitur iſte homo eſt Socrates, cum nec oſculum, nec alia ligatura, ſive junctura poſſit eſſe ejuſdem ad ſe, & intervenire inter aliquid & ſeipſum. Merito autem quærendum eſt ab hujuſmodi hominibus cum dicitur albedo eſſe in albo, utrum per verbum eſſendi ſignificetur hujuſmodi habitus vel inhærentia eorum. Si reſponderit quia ſignificatur per hoc verbum eſt habitus hujuſmodi, vel inhærentia intolerabiliter deviat; cum ſignificatio hæc ſit præter intellectum & intentionem, & etiam cogitatum omnis loquentis, & omnis etiam audientis. quapropter hujuſmodi homo perverſor eſt locutionum, & intolerabiliter diſcolus: quapropter nec cum eo ſermo conferendus eſt. Si vero dixerit quod nihil aliud ſignificatur per hoc verbum, eſt, niſi eſſentia ipſius albedinis, tunc verum eſt ſicut ipſe cõfitetur quia neque habitus neq; inhærentia albedinis ſignificatur per illud.

Nec in relationibus dum prædicantur.

Evidentius autem fiet hoc, ſi volueris uti hoc verbo habendi in locutionibus quę ſunt ad aliquid, vel de relativis aut relationibus, quales ſunt, iſte habet ſimilem, habet parem, habet æqualem: nihil vero ſignificatur iſtis locutionibus quam ſi diceretur iſti homini eſt ſimilis, iſti homini eſt ęqualis, de quibus manifeſtum eſt quod neque habitum, neque inhærentiam ſignificant. Sequeretur vero difficultas inexplicabilis de habitu hujuſmodi in quo eſſet; non enim videtur potius debere eſſe in altero duorum æqualium, quam in reliquo: & hoc modo oporteret unum accidens numero in duabus eſſe ſubſtantiis: quapropter neceſſe habebit ponere duos habitus penitus ſimiles & ejuſdẽ ſpeciei, hoc autẽ nõ eſſe poſſibile declarabitur. Si enim intellexerimus alterũ illorũ duorũ habituũ deſtrui, altero permanẽte nihilominus erit verũ quod hoc ſimile habet vel æquale illud. quapropter & illud habet hoc æquale ſibi.

Nec in ſermonibus eſſ

Si vero habent uti in ſermonibus eſſentialibus verbo habẽdi, videlicet in quibus nõ prędicatur accidẽs,

ſentialibus in quibus non prædicatur accidens.

apparebit manifeſtius quod dixi quales ſunt iſti ſermones, hæc res habet ſubſtantiam vel eſſentiam. Non enim poteſt ſomniare aliquis inter rem aliquam, & eſſentiam ſuam ſive ſubſtantiam ligaturam aliquam intervenire, vel conjunctionem ejuſdem ad ſe aliquam eſſe; cum inter aliquam rem & ſe ipſam non poſſit intelligi aliquid eſſe: quidquid enim medium intelligeretur ex neceſſitate divideret inter illud & ſe.

Idem oſtendit quod ſupra, quia accidens illud conjungens eſſentiam cum re ipſa prius eſſet ipſa eſſentia.

Amplius hujuſmodi habitus accidens eſſet conjungens rem & eſſentiam ſuam: eſſet igitur naturaliter prius quam res quæ conjungeretur cum eſſentia ſua: quapropter prius eſſet naturaliter in re, quam eſſentia rei ejuſdem: quapropter prius eſſet naturaliter aliquod accidens ſuo ſubjecto ſive eſſentia ejuſdem.

Item quia eſſet ſeparabile adeoque & eſſentia ſeparabilis.

Amplius ſi habitus quo res habere dicitur eſſentiam ſuam accidens eſſet, neceſſario eſſet ſeparabile à re illa actu vel intellectu: eſſet igitur intelligibile rem aliquam eſſe, & non habere eſſentiam. Apparere igitur evidenter poteſt ex iis & aliis quæ ex proximo dicam hic, & ex his multo magis quæ didiciſti in prima parte ſapientialis & divinalis magiſterij nondum eſſe completam ſcientiam apud nos prædicamentorum atque modorum prædicandi.

Oſtendit præterea verbum poteſt nihil ponere in re de qua dicitur quia æque dicitur de ente & non ente.

Dicam igitur quia verbum poteſt non ponit aliquid ſupra eſſentiam ejus de quo dicitur, ex hoc apparet manifeſtè, quod dicitur de ente & non ente univoce, æque enim poteſt cogitari ens, & non ens, & è converſo, & æque amari, vel odio haberi, quod nullo modorum verum eſſet, ſi verbum poteſt diſpoſitionem aliquam poneret in utriſque; cum in non ente nulla omnino ſit diſpoſitio, & propter hoc nulla præſentialiter in eo poni poteſt, & de eo natura verè affirmare.

2. Quia dicitur de pluribus animabus rationalibus quod creabuntur.

Amplius quoniam veriſſimè dicitur poſſe quod omnino non eſt, nec aliquid illius: quemadmodum de innumerabilibus animabus humanis certiſſimum eſt, quod creabuntur & erunt quæ jam omnino non ſunt, neque aliquid earum; quare veriſſimè dicitur de unaquaque earum quod hæc anima poteſt eſſe: verum ſi hoc verbum poneret in ea aliquam diſpoſitionem in non ente poneret, & hoc præſentialiter. Falſo igitur eam in anima non ente poneret, falſoque igitur affirmaret illam de illa; cum nec in illa, nec in alio non ente poſſibile ſit aliquam eſſe diſpoſitionem quamdiu non eſt. Non eſt tamen dubium quia cum dicitur de quocumque non ente quod ipſum poteſt eſſe, quia revera in eo ponitur eſſe, ſed non actualiter, aut præſentialiter, ſed potentialiter tantum, ſive in potentia. Jam autem expoſuit Avicenna intentionem ejus quod eſt in potentia, & dicit quod res illas in potentia eſſe dicimus, quarum eſſe non eſt longè ut fiat; potentialitas igitur hæc ſive propinquitas ad eſſe privatio ſecundum ipſum eſt elongationis ab eſſe quæ nullam diſpoſitionem cogit eſſe in re de qua dicitur.

Solvit objectionem petitam ex eo quod dicitur aliquid amari poſſe quia aliquid eſt quod amare poſſit.

Quod ſi dixerit quia per hujuſmodi ſermones hoc poteſt cogitari, hoc poteſt amari, hoc poteſt timeri, prædicatur & affirmatur potentia qua quis poteſt illud cogitare, vel amare, vel timere; non effugit ſic; quia etiam non exiſtente hujuſmodi ſubjecto videlicet quod poſſit cogitare vel amare, vel timere veriſſimè dicitur quod hoc poteſt cogitari, vel amari, vel timeri, ſed de ipſo quod nondum eſt dicitur ſimiliter quia poteſt eſſe: cur igitur non dicetur de eodem ſimiliter, quia etiam ea quæ ſunt poſſunt eſſe qualia ſunt amare, timere, cogitare. Evidentius autem erit quod hic intendo declarare ſi ſermo quo creator dicitur poſſe, vel potens perſcrutate examinatus fuerit.

PARS QUINTA.

Quod potẽtia vel poſſe creatoris eſt ipſemet creator.

DICO igitur quia creator ſicut veriſſimè potens eſt, ſic veriſſimè ac propriè poſſe dicitur, quapropter veriſſima ac propriſſima eſt enuntiatio hæc de eo, creator poteſt, creator eſt potens. Jam autem declaratum eſt in prima parte primi ſapientialis ac divinalis magiſterij, quoniam ipſe non poteſt, nec potens eſt per aliud à ſe, & propter hoc quod potentia qua poteſt vel potens eſt, non eſt aliud ab ipſo, aliud inquam ſubjecto, vel eſſentia, ſeu veritate: quapropter cum dicitur de eo quia poteſt vel potens eſt, non additur aliquid per hujuſmodi prædicationem, vel ponitur ſupra ipſum. Quapropter potentia quæ hujuſmodi ſermonibus prædicatur, vel affirmatur non eſt aliud additum ſupra ipſum, vel in ipſo. Et eadem via declarabitur tibi hoc de omnibus quæ non poſſunt niſi per ſemetipſas vel eſſentias ſuas. Et ſi anima humana ſecundum hunc modum poteſt vel potens eſt quoties dicitur de ea quia poteſt vel potens eſt, non ſit additio ſupra ipſam vel ejus eſſentiam, nec poſitio in ipſa, cum nihil addi poſſit ſibi ipſi ſupra ſe vel poni in ſe ipſo.

Cum dicitur creator poſſe aliquid nihil proin. de ipſo ſuper additur.

Quod ſi dixerit quis quia enuntiationes hujuſmodi quibus dicitur quia creator poteſt, vel potens eſt impropriæ ſunt, & non ſunt veræ juxta proprietatem ac rectam intelligentiam nominum vel verborum, dico quia errat homo hujuſmodi, & laborat intolerabili imbecillitate ac brevitate intellectus. Quod facile eſt tibi ſcire per hoc quod dicam videlicet quia quemadmodũ albius eſt quod nigro impermixtius; ſic potentius quod impoſſibilitati impermixtius, ſicut ait Ariſtoteles. Omne autem quod albius eſt, & verius & proprius album eſt, quã quod eſt minus album; quod autem eſt unumquodque proprius & verius, hoc verius & proprius dicitur. Manifeſtum igitur eſt quod creator benedictus veriſſimè & propriſſimè poſſe & potens dicitur, cũ manifeſtum ſit eum eſſe in ultimitate impermixtionis ad impotentiam, quod eſt dicere in proprietate & veritate ultima potentiæ.

Non poſſunt dici eſſe enuntiationes creator poteſt, creator potens eſt, impropriæ eſſe quia ille veriſſimè potens eſt qui eſt in ultimitate impermixtionis ad impotentiam.

Amplius quemadmodũ puriſſima & veriſſima nomineque potentiæ digniſſima eſt potentia quæ ab impotentia remotiſſima & in ultimitate remotionis ab illa; ſic potens veriſſimè atque puriſſimè propriſſiméque dicitur qui hujuſmodi potentia potens eſt, & veriſſimè ac puriſſimè de eo dicitur quia poteſt & quia potens eſt. Quapropter nullatenus per modum abuſionis aut figuram cujuſcumque improprietatis dicitur de creatore quia poteſt & quia potens eſt.

2. Quia illa potentia maxime promeretur potentiæ nomen quæ longiſſime eſt ab impotentia.

Amplius cum dico quod eſt albedo potens in actũ diſgregandi viſum, aut per hoc verbũ, poteſt, additur ſupra ipſam albedinẽ potentia quæ non eſt ipſa albedo, aut non: ſi additur, erit igitur diſgregativum viſus aliud quã albedo, & de ipſa diſgregatione reſtabit eadem quæſtio, cum de ea non ſit dubiũ quin poſſit diſgregare viſum; ex hoc enim nominatur diſgregativitas tanquam virtus & potentia, ex qua eſt actus qui dicitur diſgregatio viſus: aut igitur poteſt in hunc actum per ſemetipſam, ſive per eſſentiã ſuã, aut per aliud. Quod ſi per aliud, ibit igitur res in infinitum, & tunc nulla erit potẽtia, nec virtus ex qua debeat eſſe hujuſmodi actus. Jam autem remota eſt & deſtructa infinitas cauſarum in omni genere cauſalitatis, & declaratus eſt ſtatus earũ tibi per me plene, & per Ariſtotelẽ in parte iſta. Circulus autem & reflexio in cauſis ſimiliter impoſſibilis eſſe tibi declaratus eſt. Relinquitur igitur ex iis quod diſgregativitas per ſemetipſam ſive per eſſentiam ſuam potens eſt diſgregare viſum. Manifeſtum autem eſt quod diſgregativitatem non eſt poſſibile aliud eſſe quam ſit albedo, quod eſt dicere, quia

3. Id probat exemplo albedinis quæ per ſe ipſam abſque ullo ſuper addito poteſt diſgregare viſum.

non eſt poſſibile illam eſſe formam, vel perfectionem albedinis. Tunc enim neceſſe eſſet ſubeſſe ei materiam cum qua conſtituit eſſentiam albedinis, eſſetque albedo ex materia & forma. Et hoc nolo amplius laborare, quia tibi patent viæ multæ ad deſtructionem erroris iſtius. Si vero nihil ſubeſt diſgregativitati, nihil igitur habet albedo in eſſentia præter ſolam diſgregativitatem. Eſt igitur ipſa diſgregativitas, quia quidquid poteſt per diſgregativitatem poteſt per ſemetipſam; id autem per quod poteſt ſive diſgregare ſive aliud potentia eſt apud illam. Quare potentia quæ poteſt diſgregare ipſamet eſt: quia igitur hoc verbum, poteſt, prædicatur de ea, cum dicitur albedo poteſt diſgregare viſum, potentia qua poteſt hujuſmodi actum manifeſtum eſt non prædicari per illud niſi ipſam. Et ad hunc modum ſe habet generaliter de aliis qualitatibus in omnibus ſermonibus in quibusquæcumque earum dicitur poſſe actum ſuum proprium.

Exponit quid ſignificet verbũ, poteſt, ſcilicet connotationem actus qui ab ipſa potentia eſt.

Declaratum igitur eſt tibi in hujuſmodi ſermonibus, albedo poteſt diſgregare viſum, poteſt calor calefacere, quod hoc verbum poteſt nihil addit ſupra eſſentiam ejus de quo dicitur, vel omnino nihil ponit aut affirmat de hujuſmodi ſubjecto ſupra eſſentiam ſubjecti de quo dicitur, aut ſolum actum qui conſequenter in eis ſignificatur prædicatur vel affirmatur de illo: non dico ponit in illo, ſed magis ab illo & hic eſt modus prædicandi, & hæc intentio in omnibus verbis verè activis. Quod dico propter verba quæ licet formam habeant activorum, paſſiones tamen magis ſignificant quemadmodum caleo, frigeo, timeo, doleo, omnia iſta & ſimilia ponunt aliquid in ſubjectis non à ſubjectis quibus dicuntur, & hæc omnia & hujuſmodi declarata ſunt declaratione ſufficienti in tractatu primæ partis divinalis magiſterij capite ultimo ſingulari de prædicationibus & prædicamentis divinalibus. Ad illum igitur tractatum recurrendum erit tibi ſi forte quæ hic dicũtur de iis non ſufficiãt.

Licet potentia in iis quæ per ſe ſola non poſſunt actus ſuos aliquid ſuper additum ſignificet.

Jam igitur oſtenſum eſt tibi quia in iis omnibus quæ ſe ſola poſſunt actus ſuos proprios per verbum poteſt, non prædicatur aliquid, vel additur ſupra eſſentiam ſubjectorum. In aliis vero quibuſcumque ſubjectis quæ per alia poſſunt actus hujuſmodi, prædicatur revera illud aliud, & additur ſupra eſſentias ipſorum per hoc verbum poteſt. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam aliud eſt potentia agendi in eis, aliud eſſentia ipſorum. Exemplum vero hujus eſt quoniam cum dicitur quod corpus album poteſt diſgregare viſum, manifeſtum eſt quoniam aliud eſt albedo, & aliud corpus de quo agitur, aliud iſta albebo. Manifeſtum etiam eſt quoniam albedo potentia eſt per quam corpus poteſt diſgregare viſum: cum autem dicitur albedo poteſt diſgregare viſum non aliud prædicatur per hoc verbum poteſt quam ipſa albedo. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam non eſt aliud potentia qua albedo poteſt diſgregare viſum quam ipſa albedo. Quia igitur hoc verbum, poteſt, indubitanter ſignificat potentiam ex neceſſitate cum ei additur diſgregare viſum prædicabitur, & affirmabitur de ſubjecto potentia hujuſmodi, &c.

PARS SEXTA.

Quod potentiæ animæ non ſunt diſtinctæ ab ipſa anima.

De duplici acceptione potentiæ ſecundum Ariſtotelem & Avicennam.

HIS autem ita determinatis dico quod potentia, & poſſe multipliciter dicuntur, & uno modorum potentia & virtus ejuſdem intentionis & rationis ſunt, quemadmodum dicit Ariſtoteles, quia potentia & virtus principium eſt effectivum uniuſcujuſque operationis, ſicut calor principium effectivum calefactionis. Secundo propinquitas id eſt privatio elongationis ab eſſe vel fieri juxta ſermonem Avicennæ quem paulo ſuperius audiviſti, & ſecundum intentionem iſtam rem aliquam poſſe eſſe, vel in potentia eſſe non eſt aliquid de ipſa re eſſe, hoc eſt neque partem, neque materiam, neque formam.

Potentia ſumpta pro poſſibilitate rei nihil ponit niſi vel potentialiter vel conſequenter.

Et intendo quod per hujuſmodi ſermonem non ponitur aliquid eſſe niſi in potentia tantum ſive potentialiter, niſi quis dicat ſecundum conſequentiam. Quia revera poſito artificio ſive opere artificiali quocumque ponitur artifex eſſe vel fuiſſe. Verum non eſt hoc de intentione aut intellectu ſermonis ipſius quo dicitur res poſſe eſſe, ſed eſt hoc ex concomitantia & connexione quibus ad invicem ſibi cohærent & colligata ſunt cauſa & effectus. Antequam enim mundus eſſet, vel aliud, vel tota univerſitas rerum, vel aliquid de univerſitate; verum fuit quia mundus potuit eſſe, neque ex intentione hujuſmodi potentiæ vel poſſibilitatis ſignificatur quolibet modorum creator vel potentia ipſius, licet ex ſermone hujuſmodi conſequens ſit creatorem benedictum eſſe: neque neceſſe eſt ut omnium duorum quorum alterum conſequens eſt ad alterum altero ſignificato alterum ſignificari propriè aut verè; alioquin ſignificato unoquoque ſignificarentur innumerabilia; cum unumquodque eorum quæ ſunt conſequenter innumerabilia neceſſe ſit vel eſſe vel fuiſſe Et ex hoc manifeſtum eſt tibi ſignificationem ſecundum conſequentiam non eſſe veram aut propriam, ſed per occaſionem dictum eſt quod revera uno ſignificato, ſapienti & erudito audienti datur occaſio multa cognoſcendi & intelligendi, ſicut quidam ex ſapientibus Latinorum dicit videlicet quia ſapiens ex parvis magna, ex paucis multa, ex propinquis remota cognoſcit.

An eadem ſit potentia qua quis facere aliquid poteſt, & potentia qua illud fieri poteſt.

Quæſtionem tamen habet ubi dicitur aliquid poſſe facere aliquis, & illud poſſe fieri ab eodem, ut um eadem potentia utraq. locutione ſignificaretur. Quemadmodum enim cum dicitur aliquis amare aliquid, & illud amari ab eodẽ; unus & ſolus amor hinc & inde ſignificatur, non enim in amato amorẽ eſſe neceſſe eſt, cum amari poſſit vel eſſe amatũ aurũ vel argentũ quod non eſt; in non ente autem amorẽ vel aliam diſpoſitionẽ manifeſtũ ſit impoſſibile eſſe. Prædicatur igitur amor de amante per modũ inhærendi, quod eſt dicere ut in quo eſt, de amato vero per modum longè aliũ & hoc eſt dicere ut in quod. Amor enim revera non poteſt eſſe in illo, ſed indubitanter poteſt in illud, aut de illo: quemadmodũ apprehẽſiones poſſunt eſſe in non entia & de non entibus, ſed evidẽter impoſſibile eas eſſe in eis. Quemadmodũ liquores non eſt poſſibile eſſe in vaſis nondum fabricatis & adhuc omnino non exiſtentibus; ſubjecta enim ſicut vaſa ſunt quodammodo & propria receptacula accidentium quæ in eis habent eſſe ſive eiſdem in eſſe.

Poſſe amare & poſſe amari ſe habent ut amare & amari: quare ſunt idem ſubjecto & eſſentia, differunt vero relatione.

Revertor igitur & dico quia ſi proportionalia ſunt poſſe facere, & poſſe fieri, poſſe amare & poſſe amari; & ſimiliter ſe habentia ad amare & amari; erit verum hoc ut ſicut amare ſe habet ad amari, & facere ad fieri, ſic ſe habent poſſe hoc ad poſſe illud. Quapropter ſicut amare & amari ſubjecto & eſſentia atque veritate res una ſunt, videlicet unus amor; ita poſſe hoc & poſſe illud una ſubjecto eſſentia & virtute res ſunt, videlicet una potentia, licet differre videantur ratione vel comparatione ſeu relatione. Quemadmodum via ab Athenis ad Thebas, & via à Thebis ad Athenas una via ſunt numero, ut Ariſtoteles dicit quod actio & paſſio unum & idem ſunt ſubjecto ſed, relatione vel comparatione diverſa. Calor enim qui ab igne efficitur in aëre aëris eſt paſſio, & in eo eſt tanquã in ſubjecto, &

nihilominus idem calor actus ignis eſt non quidem ut in igne ſed ab igne. Quare potentia quæ in amare eſt & potentia quæ eſt in amari unum & idem numero & eſſentia ſunt: & propter hoc nullo modorum duæ res numero vel ſubjecto eſſe poſſunt: quare potentia quæ eſt in amare, vel omnino nihil eſt vel idipſum quod potentia quæ eſt in amari. Cum igitur dicitur hoc poteſt amare per hoc verbum poteſt, nihil ponitur in illo ſubjecto, amari vero ſimiliter nihil ponit in eodem, ſed revera ponit amorem in illud, ſicut prædixi. Per hoc totum autem quod dicitur, hoc poteſt amari, ponitur amor in illud, ſed non niſi in potentia ſive potentialiter. Cum autem dicitur, hoc amatur, proculdubio ponitur amor in illud etiam actu, & non multum diſcordat quod hic tibi dico ab opinione quam ex proximo audiviſti, videlicet quia per hoc verbum poteſt ponitur aliquid quod in eo ſit, ſed illud ſolum quod per ſequens verbum ſignificatur: ponitur autem illud ſicut prædixi non in ſubjecto, ſed in ſubjectum, & inſuper non ponitur actu in illud, ſed in potentia tantum.

Verbum poteſt magis ſonat in modum prædicandi rem ſequentis verbi quam in prædicationem rei quæ per ipſum ſignificetur.

Quapropter ſecundum opinionem iſtam hoc verbum poteſt magis ſonat in modum prædicandi rem ſequentis verbi, quam in prædicationem rei quæ per ipſum ſignificetur. Ex omnibus igitur iis manifeſtum eſt tibi quia interdum per hoc verbum poteſt prædicatur potentia ſive virtus, id eſt principium operationis quæ ſignificatur per verbum ſequens. Et hoc generaliter de omnibus ſubjectis quæ non per ſemetipſa vel per eſſentias ſuas operantur hujuſmodi operationes, quemadmodum oſtendi tibi in enuntiatione qua dicitur album poteſt diſgregare viſum; cum enim dicitur idem verbum de iis quæ per ſemetipſa ſive per eſſentias ſuas operantur, nihil addit ſuper eſſentiam ſubjecti, quemadmodum cum dicitur albedo poteſt diſgregare viſum. Jam igitur feci te ſcire per hoc quod potentia apud animam humanam nihil eſt aliud quam ipſa anima in iis quæ operatur per eſſentiam ſuam. Ex. g. cum dicitur anima humana poteſt intelligere, vel poteſt ſcire, & ad hunc modum de aliis, dico quod hoc verbum poteſt nihil addit ſuper eſſentiam ipſius, vel nihil ponit in ea vel affirmat de ea niſi eſſentiam ipſius, quemadmodum dicitur de creatore benedicto: cauſa autem in hoc eſt, quoniam neque apud creatorem, neque apud animam humanam eſt potentia principium & cauſa hujuſmodi operationis niſi utriuſque eſſentia, ſicut verbum illud in hujuſmodi ſermonibus prædicat potentiam ex qua ſunt hujuſmodi operationes, indubitanter non prædicat niſi eſſentiā utriuslibet earum in hujuſmodi operationibus. In eis vero quæ anima humana non operatur per eſſentiam ſuam, nihil prohibet prædicari aliud vel alia, ſi qua tamen hujuſmodi ſunt.

Probat animam per ſe intelligere & concupiſcere quia unicuique potentiæ per ſe competit operatio, & quia accidens nō poteſt aliquid intelligere,

Amplius unicuique virtuti & potentiæ maximè convenit, & maximè de ea prædicatur operatio ejus propria: Quemadmodum ſi dicatur calor calefacit, frigiditas frigeſcit, ſimiliter & diſgregativitas diſgregat, eodem modo & albedo quam non eſt poſſibile eſſe aliud quam diſgregativitatem Quare potentia intelligendi intelliget, & potentia concupiſcendi concupiſcet, & ad hunc modum de aliis. Et quia igitur non eſt poſſibile accidens aliquid intelligere vel concupiſcere, impoſſibile eſt aliquam hujuſmodi potentiarum vel virtutum intelligere, vel concupiſcere, aut aliquid aliorum hujuſmodi efficere. Nemo enim adhuc imbecillitate tanta deſipuit, ut diceret aliquid poſſe intelligere, vel amare, vel iraſci quod non eſſet ſubſtantia, & etiam ſubſtantia viva Quapropter manifeſtum eſt unamquamque hujuſmodi potentiarum ſeu virtutum ſubſtantiam eſſe, & propter hoc vel ipſam totam animam vel partem ipſius.

Anima eſt unaquæque ſuarum potentiarum totaliter, quia impartibilis eſt.

Jam autem removi tibi partialitatem ab ea & partibilitatem: quare neceſſe eſt animam humanam eſſe unamquamque hujuſmodi potentiarum, & virtutum totaliter: & quemadmodum audiviſti ex ſermonibus Ariſtotelis potentiam & virtutem eam & eſſe & dici non ex eo quod eſt, ſed inquantum eſt principium & cauſa cujuſcumque operationis. Per hujuſmodi vero ſermones principium effectivum & cauſa non ponitur aliquid in ea cum de ipſa prædicantur, ſed potius ab ea. Eſt igitur dicere multas potentias non quidem eſſentia vel ſubjecto ſive numero & virtute, ſed relatione ſive reſpectu vel comparatione actuum & operationum multarum: quapropter hoc modo dicitur habere potentiam vel potentias hujuſmodi quemadmodum & habere eſſentiam vel ſubſtantiam.

Idem confirmat auctoritate & exemplo.

Debes autem ſcire quod non de ingenio meo ſolummodo, neque ſolus hoc dico vel dixi: aliqui enim ex majoribus & ſapientioribus Theologorum legis Chriſtianorum hoc dixerunt, & ſcripſerunt, ſicut apparere tibi poteſt ex inſpectione librorum illorum, aſſerentes expreſſe quia anima humana & una eſt, & unum eſt. Quod autem dividitur vel diſtinguitur in potentias aut virtutes ſive per illas, non ſecundum eſſentiam eſt, vel fit hoc, ſed ſecundū officia. Quemadmodum enim apud homines vivos & idem homo, & dux, & comes eſt, & marchio, & poteſtas alicujus civitatis & conſul interdum atque ſenator: ſic una & eadem anima in unitate atque impartibilitate ſua perſiſtens ac permanens ſimul eſt vis intellectiva, & vis rationalis, & volens, quod eſt dicere virtus volendi: eodem modo concupiſcibilis vel iraſcibilis, ſed pro varietate operationum quas efficit ſeu perficit diverſæ virtutes ac potentiæ nominantur: quemadmodum unus & idem homo pro varietate dignitatum & officiorum antedictis nominibus nominatur. Intende ergo hæc omnia quæ de poſſe & potentia & interpretationibus hujuſmodi verbi poteſt & hujuſmodi nominis potentia hic audiviſti per me, & aggrega ea, & videbis evidenter quia facta eſt tibi certitudo non relinquens dubitationem ullam de ſubſtantia animæ humanæ, & de potentia ſeu viribus ipſius quantum ad eſſe ſive eſſentiam ipſarum & ipſius.

Quomodo differant potentia, poſſibilitas & poteſtas.

Verum quomodo quidam ex eis qui me præceſſerunt tempore non multo dixerunt potentiam naturalem eſſe, poſſibilitatem rationalem, poteſtatem vero civilem ſive moralem Et propter hoc pertinere eas ad tres partes Philoſophiæ quarum primam rationalem, ſecundam vero naturalem, ſed tertiam civilem ſive moralem ponebant, non multum attendentes quia potens, & potentia, poſſibileque, & poſſibilitas communiter in rationalibus & naturalibus dicuntur; poteſtas vero raro niſi in moralibus & civilibus dicitur, neque occurrit mihi quod dicatur niſi de creatore cujus poteſtas omnis eſſentialis eidem eſt, cum quidquid poteſt per ſemetipſum poſſit: poteſtas vero hominum qua ſuper alios poſſe dicuntur non eſt niſi voluntas ſeu obedientia ſubditorum. Quapropter ceſſante illa ceſſat omnis poteſtas ipſorum ſuper homines, poteſtas inquam juriſdictionis & principatus Naturaliter enim homo & ex propria virtute ſeu potentia nihil poteſt ſupra hominem, niſi quemadmodum poteſt fortis ſupra minus fortem, vel ſupra debilem, quemadmodum leo vel urſus viribus & armatura dentium poſſunt ſupra homines & alia minus fortia animalia quam ipſi ſint.

Concludit minoritatē & pluralitatem potentiarum non dici niſi comparatione ad actus.

Ex iis igitur quæ hic audiviſti manifeſtum eſt quia minoritas & pluralitas potentiarum non dicitur apud animam humanam niſi relatione, vel comparatione ad pluralitatem, ſive multitudinem actuum

& operationum quæ ab ipſa anima ſunt, neque aliter eſt poſſibile eas numerari, aut numerum in anima humana invenire.

PARS SEPTIMA.

Quod eſt quædam potentia animæ ſui & aliarum correctiva, & quædam imperativa.

Proponit ſibi agendum de potentiis animæ humanæ propriis.

VERUM quoniam per modum iſtum loquuntur loquentes de anima humana, & ponunt pluralitatem hujuſmodi, & quia circa ipſas erraverunt nonnulli de Philoſophis qui magni reputati ſunt, & uſque etiam hodie qui pro paucitate exercitationis, & brevitate intellectus errores eorum ſequuntur, conveniens eſt præſenti tractatui ut ſtabiliam tibi vires & virtutes animæ humanæ, non quidem omnes ſed illas quibus præcellit animabus animalium cæterorum, & proſequar tibi quæſtiones quibus elucidatis atque determinatis fiat tibi certitudo veritatis, non ſolum ut declines ab erroribus hujuſmodi, ſed etiam ut efficiaris ſciens, & potens errantes avertere ab eiſdem per vias philoſophiæ quæ ſunt viæ probationum.

Erronei ſunt ſenſus.

Dico igitur quod ſenſus omnes ſive vires ſenſibiles erronei ſunt & errantes, ſed errores ſuos corrigere non valentes, ſicut evidenter vides in viſu qui ſolem eſſe bipedalis magnitudinis renunciat tibi, ſcilicet animæ tuæ; & hunc errorem per ſemetipſum non valet corrigere, ſed nec tu per ipſum: Cauſa autem in hoc eſt quoniam non eſt ei poſſibile errorem iſtum cognoſcere per ſemetipſum, ſed nec tibi etiam per eundem; quapropter non eſt ſuum judicare ſive examinare errorem iſtum, neque tuum per ipſum; cum de incognitis judicare aut errorem de illis ſi quis eſt corrigere nulli poſſibile ſit. Et hæc eſt intentio mea in ſermone iſto quo dico quod ſenſus erronei ſunt, & non ſunt ſuæ correctionis, neque ſui judicij. Quapropter non eſt credendum eis per ſe, alioquin jure & lege naturæ cogeremur errare, ſi juſtum eſſet ut crederemus erroneis, & tam ſæpè tamque manifeſtè mentientibus.

Unde colligit neceſſitatem virtutis correctivæ cui ſubjiciantur aliæ potentiæ.

Neceſſe igitur eſt in anima humana virtutem eſſe per quam ſibi cavere poſſit ab hujuſmodi erroribus atque mendaciis; per eam igitur neceſſe eſt ut poſſit errores ſive mendacia hujuſmodi cognoſcere & avertere ſe ab illis. Quapropter manifeſtum eſt ſenſus ſive vires ſenſibiles ſubjectas eſſe lege & ordine naturæ virtuti illi etiam tanquam judici, & correctori ſuo: & quoniam virtus hujuſmodi apprehenſiva eſt, & aliter per eam non dignoſcerentur, nec dijudicarentur errores ſenſuum atque mendacia, neceſſe eſt illam eſſe, ſimiliter ſuæ correctionis atque judicij; cum dubitari non poſſit illam eſſe aliquando obnoxiam erroribus; manifeſtum enim eſt omnem animam humanam errare poſſe in multis, niſi privilegio plenæ illuminationis à creatore benedicto prædita ſit.

Potentia illa ſui ipſius correctiva eſt, ne ſi alia indigeat fiat proceſſus in infinitum.

Quapropter manifeſtum eſt eam indigere correctione, quapropter vel erit ſubjecta alij virtuti tanquam correctori ſuo atque judici, aut ipſa erit ſuæ correctionis atque judicij tanquam ſufficiens. Sed & in hoc videlicet ut & ſuos per ſemetipſam avertere poſſit errores, & avertere ſe ab eis. Et ſi alij tanquam judici & correctori ſubjecta eſt aut ibit res in infinitum, ſed tunc impoſſibile erit judicium vel correctionem ſuper quocumque errore hujuſmodi fieri apud animam humanam vel hominem, & hoc eſt unum de manifeſte impoſſibilibus; aut occurret virtus aliqua quæ erit ſui judicij & ſuæ correctionis. Si enim ſenſuum errores, atque mendacia corrigi indigerent per virtutem ſuperiorem aliquam quæ correctione alterius indigeret ita in infinitum, tunc neceſſe eſſet ut correctionem ſenſuum præcederet alia, & illam tertia, & ita in infinitum. Quapropter correctio & dijudicatio errorum iſtorum & mendaciorum quæ nobis renuntiantur à ſenſibus, nec nuntium certum haberet, neque radicem certam aut fixam.

Occurrit cuidam objectioni petitæ ex eo quod ſenſus non ſemper ſubſunt errori.

Quod ſi forte dixerit quia non omnia apprehenſa hujuſmodi virtutum & vitium erronea ſunt & correctione vel judicio indigentia, quemadmodum & in ſenſibus manifeſtum eſt. Non enim omnis apprehenſio ſenſibilis falſa vel mendax eſt, quemadmodum dicit Ariſtoteles, quoniam ſenſus circa propria ſenſata, neque errat neque mentitur, ut tactus non errat circa calidum, aut frigidum, neque viſus circa album, aut nigrum, aut lucidum, aut obſcurum; verum circa primum, & magnum, & majus, & minus frequenter errat, nobiſque mentitur; propter quod de magnitudine ſolis nobis mentitur: magnitudo namque non eſt proprium ſenſatum ipſius, ſimiliter neque magis aut minus, & generaliter circa majoritatem & minoritatem omnium ſenſibilium & alias etiam comparationes eorum ad invicem, frequens eſt omnes ſenſus errare: verum utique dicit, ſed non effugit quin neceſſe habeat ponere infinitatem virium correctivarum & judicativarum apud animam humanam; alioquin non eſſet ei ſecundum naturam complexio debitæ perfectionis. Quamvis enim unicuique judici non neceſſe ſit vel omnia vel omni hora judicare, aut exceſſus ſubditorum corrigere, neceſſe tamen habet omni hora ut ſit apud ipſum judicandi peritia, & judicium exequendi potentia: utroque vero iſtorum carens judex perfectus non eſt. Quemadmodum enim potentia vivendi neceſſaria nobis eſt omni hora, non tamen actus ipſius, ſic & de potentiis aliis quæ ſunt ad complexionem benè eſſendi animæ humanæ, ornatumque, & decorem ipſius ſentiendum eſt: quarum ſi vel una defuerit inſtar perniciosæ ac enormis mutilationis ipſam animam humanam efficiet imperfectam, & ipſum hominem tanquam difformiter in parte hujuſmodi detruncatum.

Se non intelligere propterea quæ ſuperius dixit potentias eſſe quid animæ ſuper additum.

Intellige autem ſane quod hic dico de ornatu, & perfectione atque potentiis, non cogitans ullo modo, quod ego intendam hic potentias de quibus agitur eſſe ſuperaddita vel appoſita aliqua ſupra completam eſſentiam animæ humanæ. In ſequentibus oſtendam tibi oſtenſione lucidiſſima animam humanam in decore ſuo naturali & perfectione iſta potentiali, ubi apparebit tibi manifeſte quia in nuditate ſua abſque ulla ſuperpoſitione vel ſuperadditione eſt ei pulchritudo iſta potentialis; & jam feci te ſcire hoc per vias probationum in præcedentibus.

Quod intellectus quibuſdam indigeat adjumentis, non obſtare quominus ſit potentia ſui ipſius correctiva.

Neceſſe igitur eſt occurrere vim ſeu virtutem aliquam quæ ſit ſui judicij & ſuæ correctionis, quæ poſſit & invenire & cognoſcere errores, & mendacia ſenſuum, & avertere animam humanam ab eis. Et hoc eſt quod vocamus uſitato nomine vim ſeu virtutem rationabilem; ipſa enim eſt judex & correctrix ſui ipſius Licet enim adjuvetur contra ignorantias, & errores, atque dubitationes doctrinis & exercitationibus, hoc ipſum adjutorium non ſolum non invita recipit, ſed etiam procurat, atque perquirit. Quibuſcumque autem adjutoriis judex adjuvetur ad rectè judicandum, adjuvatur tamen illis volens, atque conſentiens, & quod eſt fortius, procurans eadem atque perquirens, nemo eſt qui eum dicat non ſibi cavere ab erroribus & iniquitatibus in judiciis ſuis. Nec ulli dubium eſt quin ipſe ſe corrigat & dirigat, licet ad hoc alienis auxiliis atque conſiliis adjuvetur; ſi enim propter

hoc quia libros legit, alioſque qui de juribus ſcripti ſunt inſpicit & conſulit, non ſibi conſulere vel cavere putandus eſſet, ſequeretur ex neceſſitate ut quoniam oculis ſive viſu ad regendum greſſus ſuos & cavendum ſibi à præcipitiis & aliis viarum diſcriminibus utitur, non ſe regeret aut greſſus ſuos in gradiendo. Nullus etiam Rex ſecundum hoc regeret regnum ſuum cum præter ea quæ apud ipſum vel in ipſo ſunt tot & tam varia adminicula neceſſaria ſint eidem ad regendum regnum ſuum. Juxta hunc modum nullus eſſet rector alicujus navis, cum inſtrumentis navigationum neceſſe habeat unuſquiſque rectorum hujuſmodi ad regimen navis cui præfectus eſt gubernator. Manifeſtum eſt igitur ex iis quia uſus vel doctrinarum vel librorum, vel exercitationum, diſputationum non prohibet vim rationalem regere ſe ipſam, & cavere ſe à malis quæ per ſe & propriè noxia ſunt eidem. Hæ autem ſunt ignorantiæ, atque errores, & dubitationes potiſſimum rerum illarum quarum eſt animæ humanæ neceſſaria certitudo.

Neceſſaria nobis eſt præter correctivam potentia imperativa & executiva.

Et quoniam nunc & fruſtra haberetur ſcientia boni & mali, agendi ſcilicet alterum & declinandi ab altero, ſi ſublata eſſet vel non data poteſtas operandi in eis quorum operatio vel declinatio à nobis requiratur; manifeſtum eſſet nobis plurimum deeſſe: quin potius quod maximum aut præcipuum eſt animarum humanarum perfectionibus deeſſet, ſcilicet virtus operativa rerum hujuſmodi non eſſet eiſdem: vim autem operativam ſive virtutem jam didiciſti duplicem eſſe, alteram videlicet imperativam operum & motus, alteram vero effectivam ſive executivam. Nec dubium eſt alicui intelligenti quin neceſſarium ſit nobis in omnibus voluntariis operationibus ut eas imperare poſſimus, & habere virtutem ad exequendum, alioquin inutile & ſuperfluum eſſet nobis imperare ſi virtus ad exequendum deeſſet: manifeſtum enim eſt tibi quod omnes voluntariæ operationes noſtræ imperatæ ſunt, cum velle noſtrum imperare noſtrum ſit: quapropter omnes operationes noſtræ voluntariæ, cum voluntate noſtra fiant, ſine velle noſtro & imperio non fiunt. Vides evidenter quod neceſſaria ſit nobis ſive animabus noſtris virtus imperativa quæ eſt voluntas, hæc autem eſt vis ſive virtus volendi.

Libertas voluntatis noſtræ quæ ſuæ poteſtatis eſt & dominationis non eſt circa neceſſaria, & impoſſibilia.

Cum enim voluntariæ operationes & nobis neceſſariæ ſint, & requirantur nobis ab ipſo Deo altiſſimo, neceſſaria eſt nobis voluntas, de qua jam alibi feci te ſcire, quod ipſa liberrima eſt, & omni numero ſuæ poteſtatis & dominationis. Si enim libera non eſſet ſed ſervili neceſſitate ferretur, quemadmodum vis concupiſcibilis & vis iraſcibilis quæ ſunt in brutis, tunc nihil eſſet liberum nobis facere vel non facere, quemadmodum in brutis animalibus. Quapropter nihil eſſet nobis imputandum ad culpam vel meritum, ſicut neque illis, & propter hoc nihil eſſet virtus vel vitium apud nos, vel laus, neque vituperium deberetur nobis. Propriè etiam nihil voluntarium dici poſſet, neceſſaria enim & impoſſibilia non ſunt in voluntate noſtra poſita. Omnia enim opera noſtra neceſſaria eſſent tunc, vel impoſſibilia nobis: & quemadmodum prædixi tibi neque leges per homines eſſent ad homines, neque jura condenda hominibus regendis & corrigendis; cum non eſſet eas in poteſtate noſtra ſervare vel etiam non ſervare, nec agendum eſſet de moribus & virtutibus cum hominibus, ſicut nec cum brutis animalibus aut corporibus inanimatis. Quapropter manifeſtum eſt tibi per hoc voluntatem in hominibus & animabus humanis liberâ eſſe quod eſt dicere ſui juris, & ſuæ poteſtatis, & non cogi poſſe ad operationem ſuam propriam & immediatam quæ eſt velle, nec prohiberi poſſe invitam ab eadem: quod licet ſcire te fecerim in tractatu de virtutibus repetam tibi breviter vias probationum per quas hoc tibi patefeci.

Ponit quaſdam neceſſaria ad intelligentiam libertatis.

Dico igitur quod ſi aliquis voluerit ſe velle aliquid voluntate qua verè dicere poſſit volo hoc, neceſſario vult hoc. Eſto enim quod per hunc modum velit ſe velle aliquid & nominetur illud aliquid: non vult igitur iſte ſe velle aliquid niſi propter aliquid; voluntas enim ipſius, aliquid, nec volibilis eſt nec deſiderabilis, niſi propter aliquid. Si volibilis & deſiderabilis eſt; non enim eſt voluntas alicujus bona niſi quia ejus voluerit eſſe bonum. Quare ſi propter bonitatem ipſius voluntatis aliquid vult, cum non ſit bona niſi propter aliquid, non vult eam niſi propter ipſum aliquid. Quapropter magis vult ipſum aliquid, *quoniam propter quod unumquodque tale illud magis eſt*, ſicut dicit Ariſtoteles. Quod ſi dixerit quis, quia poſſibile eſt ut iſte non velit ſe velle aliquid propter bonitatem vel ipſius, aliquid, vel ejus quod eſt velle. Quemadmodum manifeſtum eſt in iis qui provocant & procurant ſibi appetitus & concupiſcentias noxiarum voluptatum: de unoquoque enim eorum id ipſummet dici poteſt, quia ipſe vult ſe velle hanc voluptatem, cum utrumque malum & noxium ſit. Verumtamen non eſt dubium quin velit ipſam voluntatem qua vult ſe velle; propter ipſam enim voluntatem tantopere procurat illud velle quod eſt velle eam. Manifeſtum igitur eſt ex his quia ſi quis vult ſe velle quod timet nolitum, vult ex neceſſitate illud: intellige ſane quod dico ſimiliter; non enim dicendus eſt velle vel voluiſſe qui cum potuit non fecit, quemadmodum dixit unus de ſapientioribus gentis Chriſtianorum, multum quippe intereſt inter volo & vellem; qui enim dicit vellem dicit ſe optare ipſum velle, & propter hoc ſecundum conſequentiam ſe non habere illud: quod enim optat quis habere, procul dubio nondum habet. Voluntas igitur quæ ſignificatur per vellem jacet velut infirma & quaſi languens, in parte tamen erigitur. Voluntas vero quæ ſignificatur per volo in nulla ſui parte jacet, ſed ſtat tota erecta, totaliter paratiſſima ad operandum niſi impoſſibilitas obſiſtat eidem.

Pergit ad explicationem libertatis.

Per eamdem viam facile eſt tibi declarare libertatem voluntatis ex altera parte, hoc eſt parte voluntatis; ſi enim vult aliquis ſe nolle aliquid voluntate ſtante & erecta, procul dubio non vult aliquid ita ut non vult voluntatem quæ per volo ſignificatur ſignificet, eodemque modo ſi non vult voluntate hujuſmodi ſe velle aliquid, procul dubio ſimili voluntate non vult ipſum aliquid, & veriſſime poteſt dicere nolo aliquid. Propter hanc libertatem dixit quidam ſapiens quia nihil tam eſt in voluntate quam ipſa voluntas, & intentio ejus eſt de voluntate de qua dixit quia non eſt dicendum velle eum qui cum potuit non fecit. Quapropter jam declaratus eſt tibi ſermo ſapientis quo dixit *vult & non vult piger*, quod eſt dicere vellet utique ſed non vult: jacet in eo quippe voluntas illa quæ convenientius dicitur optatio ſeu deſiderium, quam voluntas: & hoc inſinuat alius ſermo ſapientis ejuſdem quo dixit *deſideria occidunt pigrum*. Prov. 13. 4

Probat etiam libertatem;

Hic igitur libera voluntas neceſſaria eſt animæ humanæ & homini, alioquin nihil virtuoſum vel laudabile agere poſſet. Illæ quoque inferiores vires motivæ quas cum animalibus irrationalibus communicat, quoniam præcipites & effrenes ſunt, & neceſſitate non libertate feruntur, atque moventur; ita ut neque avertere neque reprimere neque temperare ſe ullo modorum poſſint à rebus in quas ſunt motus ſive paſſiones earum, manifeſtum

eſt

eſt quia ipſæ indigent virtute reprimente & ſervante à præcipitiis irarum, & concupiſcentiarum, aliarumque paſſionum quæ ab eis ſunt: indigent igitur regnante virtute & imperante eis imperio potentiſſimo ac dominantiſſimo, ut reſiſtere non valeant cum ipſa voluerit voluntate erecta, & ſtante; voluntas enim jacens quam optationem & deſiderium debile prædixi infirma eſt. & quaſi languidà: & propter hoc non dominatur, neque prævalet paſſionibus iſtis, quod innumerabilibus exéplis manifeſtum eſt. Vix enim eſt aliquis adultus & videns turpitudines atque pernicies hujuſmodi paſſionum, quin optet, ſive deſideret ubicumque eſſe liber ab eis & vincere eas: vellet igitur reſiſtere ipſis, ſed voluntate infirma & languida, ut prædixi; quapropter ſuccumbit eis, & ſubjacet ſervituti earum, premiturque ab eis, vel quod verius eſt opprimitur & conculcatur; ex qua impreſſione & ſervitute conſequens eſt ut tota vita humana in homine hujuſmodi turbis agitetur, atque brutalibus paſſionibus in omne quod hujuſmodi paſſiones imperaverint ſe homo hujuſmodi præcipitet, non attendens pericula, aut turpitudines vitiorum: ſed neque terrore judiciorum divinorum à vitiis & peccatis ſe cohibeat aut compeſcat. Hujuſmodi igitur virtutis hoc eſt regiæ imperativæque dominationis ac libertatis erectio rectitudoque expetenda eſt, & modis omnibus exquirenda non ſolum propter nequiſſimam, turpiſſimam, atque viliſſimam ſervitutem vitiorum & paſſionum, atque tormenta æterna quæ eis minatur atque inflicturus eſt eis juſtiſſimus judex vivorum & mortuorum, ſed etiam propter decorem aut libertatem virtutum, ipſamque fælicitatem æternam quæ eſt præmium merceſque earum.

Quod deficiat Ariſtotelis & ſectatorum eius tractatus de anima ubi nihil de libero Arbitrio.

Habet autem non parvam admirationem quod Ariſtoteles, ſequaceſque ejus Græci, & Arabes Philoſophi mira ſtudioſitate ac diligentia virtutem intellectivam quæ longè ignobilior eſt perſecuti ſunt: iſtam vero non ſolum neglexiſſe videntur ſed etiam penitus non curaſſe, quoniam nec de ipſa mentionem faciendam duxerunt; niſi forſitan in libris quos de moribus atque virtutibus ſcripſiſſe dicuntur. Verum in libris ſuis quos de anima & viribus ejus & operationibus ſcripſerunt, de hac virtute quaſi nulla poſteris relinquunt, de qua ſcire potuerunt quia in ipſius rectitudine & perfectione potiſſimum conſiſtit humanæ vitæ decor & decus. Et propter hoc tanto ſtudioſius tantoque perſcrutatius exquirenda quam aliæ, quanto eam ſuperiorem atque nobiliorem cogitare potuerunt. De hoc igitur hic aliqua dicere operé pretium reputo in hoc tractatu qui non tam ad ſcientiam naturalem pertineat quam etiam ad hanc divinalem.

PARS OCTAVA.

Quod virtus imperativa ſcilicet voluntas principatur ſicut Rex in regno; & virtus rationalis eſt ſicut conſiliarius.

Inſtituit comparationem voluntatis cum rege.

DICO igitur jam tibi notum eſſe & ſuper hoc aliqua audiviſti per me in præcedentibus quia virtus iſta imperativa eſt, & vicem in homine toto & in anima humana obtinet imperatoris & regis. Quapropter quemadmodum imperator ſive rex in toto regno ſuo poteſtate, dignitate, officio, excellentia præcellentior eſt atque ſublimior, ſic iſtam virtutem tam in homine quam in anima humana regni vel imperij manifeſtam habet ſimilitudinem, ut audiviſti. Quare virtutem iſtam nobiliſſimam & præſtantiſſimam tam in homine quam in anima humana eſſe neceſſe eſt, jure dico, & lege naturæ, & excellentia naturali: ſicut enim cum à vitiis & paſſionibus ſervitute turpiſſima conculcatur, nihil eſt ea vilius; ſic cum ab eis libera erectaque rite dominatur in regno ſuo & imperio, ritéque imperat, nihil eſt præſtantius in eodem, nihil dignius gloria & honore, nihil acceptabilius creatori.

Quod & ipſa virtus intellectiva ſerviat voluntati.

Dico inſuper quod virtus intellectiva ſervituti ejus lege & jure naturæ ſubditiſſima eſt, & propter hoc ad imperium ejus omnia facit quæcumque poteſt: Ex. g. cum imperat eam cogitare, diſputare, inquirere, deliberare; neceſſe habet unumquodque iſtorum facere inſtar conſiliariorum qui regi cuicumq; vel imperatori aſſiſtere habent lege & jure imperij ſui ſive regni, nec denegare ſe poſſunt quin omnia iſta exequantur ad regis imperium & mandatum; alioquin injuſte & injurioſè agerent circa ipſum. Jure igitur & lege naturæ virtuti illi ſervit ipſa mens ſive ratio quæ ſubdita eſt eidem tanquam inferior & ancilla ipſius.

Probat voluntatem intellectui præſtare & ſcientiam de libertate præſtantiorem eſſe ſcientia intellectiva.

Quapropter illa præſtantior, atque nobilior, & ſuperior eſt quam ipſa; quare ſcientia de ipſa, ſive de vi intellectiva, ſive ratione modis omnibus poſtponenda eſt; & propter hoc ſcientia de iſta virtute imperativa & nobili ſcientiæ quæ eſt de virtute intellectiva tanto eſt præferenda, quanto ancilla meliorem ac nobiliorem eſſe manifeſtum eſt: proportionales enim ex neceſſitate ſunt ſcientiæ ſubjectis ſuis atque materiis ſuis. Quapropter quemadmodum ſubjectum ſe habet ad ſubjectum: ſic ſcientiam ad ſcientiam ſe habere neceſſe eſt, juxta ſermonem Ariſtotelis quo dixit in principio libri ſui de anima, *bonorum & honorabilium notitiam opinantes. magis autem alteram altera ut pote quæ de melioribus atque nobilioribus eſt*, &c. Ut quid igitur hanc tantopere exquiſiverunt atque ſcripſerunt, illam vero vel nullatenus vel ad modicum curaverunt?

2. Quia diſpoſitiones atque perfectiones imperativæ longè ſalubriores & utiliores ſunt.

Amplius ea quæ ſunt hujuſmodi virtutis imperativæ ſcilicet nobiles diſpoſitiones, atque perfectiones longè ſalubriores, longéque utiliores manifeſtum eſt eſſe quam diſpoſitiones virtutis intellectivæ; longè enim melior eſt bonitas voluntatis, quam bonitas intellectus. Hoc inde manifeſtum eſt quia incomparabiliter præſtantior eſt obtinuitas voluntatis, obtinuitate ut ita dicatur ſcientiæ; non ſolum propter hoc quod Ariſtoteles dicit in libro Ethicorum, quia ſcientia vel parum vel nihil operatur ad virtutem, alibi autem virtutes aut voluntates quædam ſunt, aut non ſine voluntate: ſed etiam quia valde bonus vel optimus eſſet Princeps Dæmonum. Manifeſtum enim eſt quia Princeps Dæmoniorum & omnis factio eorum ſapientiſſimus eſt, & illa ſcientia eminentiſſimus, bonitatis autem penitus expers. Apparet igitur tibi evidenter quanto melior eſt perfectio voluntatis perfectione virtutis intellectivæ: proportionales autem ſunt perfectiones omnes ſuis perfectibilibus hoc eſt ſubjectis ſuis. Quapropter quanto perfectius perfectione meliori tanto ſubjectum melius eſſe ſubjecto neceſſe eſt, tanto igitur melior eſt voluntas virtute intellectiva, quanto perfectio ejus quæ utique bonitas eſt perfectione illius eſt præſtantior.

3. Quia nulla comparatio ſervi ad dominum.

Amplius quæ paritas in dignitate vel præeminentia ad dominum, & obedientia ad imperantem? cum utraque ſint de lege & jure naturæ videlicet ſervitus, & dominium; ſubjectio & imperium. Manifeſtum eſt quia etſi comparatio forſitan ibi locum poſſet habere, æqualitatem tamen ibi eſſe naturæ prohiberet impoſſibilitas evidenter.

4. Quia licet aliquando viribus naturæ præſtent ſervi dominis, non tamen potentia.

Amplius quis adeo delirus eſt, adeo imbecillis, & erroneus ut cogitet æqualem eſſe ſervum Domino, & ſubditum imperanti vel regi ſuo? in rebus quæ naturæ ſunt, manifeſtum eſt ſervum ſæpiſſimè

fortiorem domino ſuo eſſe, & innumerabiles cujuſcumque Regis aut Imperatoris ſubditos viribus eſſe longè ſuperiores Regibus & Imperatoribus ſuis, ſed hoc utique viribus & fortitudine naturalibus quas indubitanter nec augeant nec præſtent hujuſmodi potentatus, ſeu dignitates, aut poteſtates. Quod ſi facerent nullus ex ſubditis Regibus vel Imperatoribus prævaleret viribus vel etiam æquaretur.

Comparat potentiam voluntatis cum potentia divina quæ ſolo juſſu operatur & à ſua operatione prohiberi non poteſt.

Attende igitur mirabilem divinæque virtutis ſimillimam vim & poteſtatem virtutis illius quæ inſtar creatoris benedicti totum quod facit facit imperio, quod eſt dicere volendo, quemadmodum creator omnipotentiſſimus cujus verbo ſimiliter obedire neceſſe habent *ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt* juxta ſermonem Prophetæ quo dicit *qui vocat ea quæ non ſunt tanquã ea quæ ſunt*. Hac obedientia vocatus quatriduanus mortuus à legiſlatore Chriſtianorum Dei filio, & Deo vero de monumento prodiit ligatus manus & pedes inſtitis, ut pote quem nec mors nec vincula tenere potuerunt quin exequeretur vocantis imperium & exire jubentis. Sic in omni operatione nihil adhibet virtus iſta niſi ſolum quod eſt, ſicut ſæpe audiviſti, velle, cui ſi, ut prædixi conſtans eſt & erectum imperium, neceſſe habent obedire omnes virtutes inferiores imperativæ quæ ſunt iraſcibilis & concupiſcibilis, & aliæ, ſcilicet quas nobis dicunt Philoſophi motu ſive effectu pari obedientia prædictum hujuſmodi virtutis imperium conſequi: aſſimilatur etiam virtus iſta nobiliſſima in ea libertate quam audiviſti, qua videlicet nec prohiberi poteſt ab operatione ſua prima, & immediata, ac propria quod eſt velle, neque cogi ad eam invita ſive volens, ea voluntate videlicet qua veraciter dicere poteſt quid volo hoc, & idipſum ſimiliter intelligendum eſt tibi de voluntate.

Quod Creator poſſit ita movere voluntatem ut de nolente faciat volentem & è converſo.

Scire tamen debes quia potens eſt creator omnipotentiſſimus de nolente facere volentem univerſaliter aut è converſo; conjungere enim contraria in eodem ſubjecto ſimul & ſecundum idem non eſt potentiæ creatoris, ſicut neque contradictionem ſecundum utramque partem ſui veram efficere: ipſe enim ſic ordinavit contraria, ſicque conſtituit & talia effecit ut ſe invicem pati non poſſint in eodem ſecundum idem. Quemadmodum non eſt ex defectu ſcientiæ quia ipſe non ſcit te eſſe aſinum, ſic non eſt ex defectu potentiæ quia ipſe non poteſt conjungere affirmationem & negationem de eodem & ſecundum idem in veritatem, ſimul eodem modo, neque contraria ſociare in eodem ſubjecto ſecundum idem; hæc enim prohibita ſunt ſua ipſa naturali imo eſſentiali impoſſibilitate ne cadat ſupra ea potentia creatoris, quia non cadit potentia aliqua niſi ſupra poſſibile ſimpliciter, unde & poſſibile ad illam dicitur.

Quod creator tamen peccare non poteſt.

Attende autem qualiter male agere & peccare prohibita ſunt ab actu & potentia creatoris, & hoc per ſemetipſa, quamquam & verum ſit quia hoc eſt bonitas creatoris ac virtuoſiſſima potentia ut in alterum illorum nec flecti, nec inclinari poſſit ullo modorum, nec unquam aliquis intelligens dicit hoc eſſe ex impotentia vel ex potentiæ defectu; cum manifeſtum ſit male agere & peccare magis eſſe ex infirmitate & debilitate male agentium, quam ex potentia, vel virtute. Sicut autem non poteſt deſtruere ſemetipſum aut facere ut non ſit creator benedictus, nec ullo modorum amittere bonitatem ſuam, aut rectitudinem, aut etiam reſiſtere eis ſive contradicere: ſic neque contra voluntatem ſuam quidquam facere poteſt. Hæc autem voluntas lex eſt omnibus naturis in naturalitate ſua perſiſtentibus. quapropter quia contrarietas inter contraria lex eſt naturalis, & juſtitia rectiſſima creatoris, quia donec ſunt & creata & conſtituta contraria ut nullo modorum poſſint eſſe invicem, non poteſt creator hanc legem in eis diſſolvere, vel hanc conſtitutionem frangere quoniam eſſentialis eſt eis.

Quod nihil propterea dicitur omnipotentiæ perire.

Hæc autem omnia propter hoc dixi ut intelligas ſtultitiam quorumdam qui volunt eſſe nimij adulatores & de potentia ejus quantumcumque ample ſentiant neſciunt ſe metiri. Alibi quoque feci te ſcire quia quemadmodum ſcientia non cadit niſi ſuper ſcibile ſimpliciter, neque amor rectus niſi ſuper amabile, ita potentia non cadit niſi ſuper poſſibile quodcumque, aut cujuſcumque ſit. Cumque igitur creator de nolente volentem efficit ac de volente nolentem, alterum eorum aufert ut conferat alterum, videlicet vel malam voluntatem ut bonam noluntatem inſpiret aut malam noluntatem, ut bonam tribuat voluntatem, non ſervat alteram ut eidem reliquam aſſociet ſciens ſocietatem hujuſmodi inimicam utique naturæ & legi ipſarum quam ipſemet eis eſſentialiter impoſuit; quibus autem modis illud efficiat videlicet mutationem voluntatis in animabus humanis non pertinet ad præſentem tractatum.

PARS NONA.

Quod voluntas non eſt cæca, ſed eſt cogitativa & apprehenſiva.

Quod probat 1. quia natura quę omni arte ſapientior eſt non cenſeri poteſt regem cæcũ conſtituiſſe.

QUoniam autem vim intellectivam ſive rationalem audiviſti in regno animæ humanæ vicem & officium obtinere conſiliarij, voluntatem autem vicem regnantis ſeu imperantis ſive regis & imperatoris merito quæſtionem habet præſenti propoſito convenientiſſimam, videlicet utrum ipſa per ſemetipſam apprehenſiva ſit, ſive apprehendens, aut cognoſcens aliquid, aut non. Quod ſi non eſt apprehendens aliquid aut cognoſcens per ſe, ſed ut ita dicatur, cum ipſa nihil videat vis ipſa intellectiva & videt & providet. Eſt igitur verum quoniam eſt in eo naturaliter cæca, non minus autem erronea: eſt enim & inſipientiſſime agens natura quæ in tam nobili regno vel imperio cæcum imperatorem inſtituit ſive regem. Iſta autem audiviſti totiens & à tam multis Philoſophis naturam omni arte melius ac ſapientius operari, quare cum iſta ſtultitia nec in homines inſipiẽtes cadere poſſit; videlicet ut cæcum Regem vel Imperatorem conſtituant in quocumque imperio vel regno, multo fortius cum poteſt cadere in naturam.

2. Quia lex & poſitivę leges prohibent ne cæcus fiat judex.

Amplius cum leges poſitivæ ea quæ ſunt naturæ quatenus poſſibile eſt imitentur, cum leges poſitivæ illud prohibeant, ne cæcus judex efficiatur, aut in judicem eligatur, quanto fortius hoc naturæ lex prohibet?

3. Quia judici aut regi nihil cognoſcere valenti nihil prodeſt perſuadere poteſt quantumvis prudens conſiliarius.

Amplius non eſt poſſibile ut judici non intelligenti aut regi nihil apprehendere vel cognoſcere valenti quantumcumque peritus aut prudens conſiliarius aliquid ſuadere vel diſſuadere poſſit, quemadmodum ſurdo quantumcumque facundus aut juris peritus orator nihil poteſt ſuadere vel diſſuadere, etiam ſi totam rethoricam & eloquentiam ſuam ad hoc diffunderet, ſic nec vis intellectiva Regi vel Imperatori ſi cæcus fuerit. Et eſt conveniens & apta comparatio quia Rex non intelligens aut cognoſcere quidquam valens ſurdus eſt ſpiritualiter, quemadmodum apud ſurdum corporaliter regem nihil poſſunt accuratiſſimarum rationum oratores. Sic apud ſurdum ſpiritualiter nihil poſſunt omnino ſpiritualium ſuaſiones orationum vel diſſuaſiones. Quare prorſus inutilis & omnino ſupervacuus eſſet talis omnis conſiliarius, non intelligenti namque & apprehendere

& apprehendere non valenti conſilium non tam otioſè quam etiam ridiculosè offertur, nec minus ſtulte quam ſi idolo offerretur.

4. Quia nullus regitur conſilio quod quis nullo modo apprehendit.

Amplius quomodo regitur quis conſilio quod nullo modo apprehēdit? Manifeſtum enim eſt quia cæcus apprehendit conſilium ducentis ſe ſive ducatum ei præbentis, & baculi etiam cujus ducatu utitur, apprehendit etiam viam vel viæ diſcrimen quam ei baculus indicat, cujus tactu prætentans illam ad regendum greſſus ſuos utitur. Iſte vero Rex vel Imperator nihil eorum quæ vis intellectiva eidem ſuggerere vel ſuadere conatur penitus apprehendit, quare miſerior eſt in parte iſta & ad imperandum longè magis ineptior quam cæcus quilibet ad regendos greſſus ſuos.

5. Quia cujus eſt judicare ſive apprehendere ejuſdem eſt imperare.

Amplius manifeſtum eſt quia viſus apprehendit colores & auditus non judicat de ipſis, nec quidquā imperat de eiſdem, quapropter ejuſdem virtutis eſt res apprehendere & de illis vel judicare, vel imperare: quemadmodum judicis eſt cognoſcere, & pronuntiare, & etiam executioni mandare. Et intēdo imperare ut fiat quod judicat, & compellere etiā ad parendum judicio ſuo, ſententiamque quam tulerit obſervandam.

6. Quia virtutes quæ ſunt in appetitu nihil haberent apprehenſionis.

Amplius qualiter erit verum quod dicit Ariſtoteles quia virtus eſt omni arte certior & melior, cum virtus omnino nihil certitudinis, nihil cognitionis, nihil prorſus habeat apprehenſionis. Et hoc intendo de virtutibus quæ ſunt in viribus motivis ſicut eſt juſtitia, temperantia, fortitudo, & ſecundū hoc amor & gaudium, triſtitia & dolor & odium nihil habebunt apprehenſivum luminis ſive cognitionis. Ex iis autem evidenter ſequitur ut omnis amans cęcus ſit & ignorās ſimul, & quod amat & ipſum amorem, non intelligens omnino nec apprehendens ullo modorum vel quod amat vel ipſum amorem, ſimiliter neque qui dolet cognoſcit vel apprehendit vel unde doleat vel ipſum dolorem. Et intendo hic dolorem non ſenſibilem, ſed ſpiritualem, licet eodem errore neceſſe habeant ſimiliter delirare qui ſic etiā de dolore ſenſibili ſentiunt, quoniam ſimiliter & proportionaliter ſe habet apprehenſio rei quæ dolorem infert ad ipſum dolorem, ſicut apprehenſio rei amatæ ad amorem qui in eam eſt.

Vnde etiam colligis ſanctiſſimos quoque fore inſipiētiſſimos cū tamen ſapientiſſimi ſint.

Denique quid aliud reſtat dicendum? ſanctiſſimos, juſtiſſimos, optimos, deique altiſſimi amatores ferventiſſimos, atque totius honeſtatis præclaritate præditos non ſolum inſipientiſſimos ſed etiam cæcatiſſimos eſſe; & eſſe quod ab eis virtuosè agitur hoc eſt ex virtute & ſecundum virtutem ignobile, & in tenebris agi, ipſaſque virtutes non ſolum non eſſe radiantiſſima lumina, ſed potius tenebras faciē mentis operientes, & eidem nihil luminis afferētes, cum manifeſtum ſit judicium luminis ſive luminoſitatis ſic rectè & laudabiliter operari, & declinare diſcrimina atque præcipitia quæ ſunt in via vitæ iſtius, & eligere vias ſecuras, pulchras, rectas & quæ non habent offendicula. Quæ quidem omnia quoniam per virtutes & ſecundum eas maximè fiunt, virtutes inquam, quæ in viribus motivis ſunt neceſſe ipſas eſſe & lumina & luminoſas.

7. Quia virtutes nihil luminis adderent ſua acquiſitione.

Amplius ſi teſtimonium Ariſtotelis accipitur virtutes vel voluntates quædam ſunt vel nec ſine voluntate; ſi voluntates ſunt, tenebroſæ ſunt atque cæcatiſſimæ ſecundum errorem iſtum; quapropter nihil luminis vel veræ cognitionis acquiſitione ſua addere poſſunt ſubjectis ſuis: Ariſtoteles autem è contrario dicit in libris ethicorum quod ſcientia vel nihil vel parum operatur ad virtutem.

8. Quia timor Dei eſt ſapientia ut & dilectio Dei.

Amplius ſecundum hoc viri ſancti & juſti non erunt magis videntes aut cognoſcentes, nec minus ſtulti vel ignorantes quam maligni qui intellectum habent excæcatum in rebus quas intellectus hujuſmodi hominum capere poſſunt. Quod ſi ſermonibus authenticis creditur error, iſte manifeſtior efficitur. Ait enim ſapiēs & ſanctus unus de ſapientioribus & antiquioribus ſanctis *quod timor Domini eſt ſapientia*, & aliud, *plenitudo ſapientiæ timere Dominum*; & iterum, *dilectio Dei honorabilis ſapientia*. Sapientia autem non poteſt eſſe cęca vel ſine lumine nobili ac ſublimis cognitionis. Quare nec timor Dei, neque amor cęcus eſt quod tamen hujuſmodi erroneos conſiteri neceſſe eſt, quin potius cum uterque ſapientia ſit, & alter eorum honorabilis ſapientia neceſſe eſt utrumque nobile lumen eſſe, ac verum, & unum. *Eccl. c. 1.*

Cognitionū aliæ ſcientiales aliæ ſapientiales.

Et quoniam iſta merito tibi ſufficiunt ad obtinendum certitudinem ejus quod hic inveſtigare cæpi de natura voluntatis, videlicet quod ipſa in ſemetipſa apprehenſiva eſt & cognoſcitiva rerum quas imperat, & imperiorum ſuorum, non eſt neceſſe ut amplius detineam te & me in hoc. Feci vero te ſcire quia virtutes quæ ſunt in viribus motivis nobiliſſima lumina ſunt, & cognitiones ſublimes, & occurrit nunc memoriæ meæ me alibi dixiſſe. Quia cognitionum quædam erant ſcientiales & quædam ſapientiales, & intendebam ſcientiales eſſe quæ lumina ſolummodo ſunt, & vim intellectivam ſolummodo cognitione illuminantes, quod eſt dicere ſolummodo cognoſcere facientes. Et hæc ſunt de veritate ſola rerum in ea prorſus ſiſtentes, alias autem rerum diſpoſitiones non accipientes neque curantes niſi inquantum motivæ ſunt & generantes paſſiones in animabus noſtris ſecundum vires motivas earumdem, qualis eſt bonitas rerum quæ paſſionem amoris & deſiderij imprimunt in animabus noſtris ſecundum vim concupiſcibilem nobilem earum, talis eſt & malitia rerum quæ è contrario odium ſui & declinationem à ſe ipſa parit in animabus noſtris, niſi forte perverſitas ipſarum illud impediat.

Perverſitas animarum in eo conſiſtit quod bonum aut non diligitur aut odio habetur & malitia contrario.

Hæc enim indubitanter perverſitas eſt in animabus noſtris quod bonum aut non diligitur aut oditur, præcipuè ſi bonum eſſe vel cognoſcatur, vel ſaltem credatur: & de malitia per contrarium ſimiliter ſe habet. Ut igitur ad unum dicatur bonitas & malitia in rebus ad vires motivas animarum noſtrarum pertinent evidenter & eas aſpiciunt, atque ab eis paſſiones motivas, quibus videlicet motus imperantur, recipiunt. Hæc ſunt autem amor & odium & dolor & gaudium, timor & ſpes & cæteræ virtutes quibus animæ humanæ vel decorantur vel deformantur, totaque vita noſtra & converſatio exterior dirigitur, componitur, ordinatur, aut cum ipſæ inordinatæ fuerint deturpantur. Juxta modum iſtum & viam veritas, & falſitas ad virtutem intellectivam pertinent, & ipſa eſt inquiſitrix earum & in ipſis eſt quies ejuſdem; ipſæ enim ſunt fines ultra quos non progreditur & propter hoc ad ipſam pertinent orationes enuntiativę, circa quas ſola veritas & falſitas ſunt. Aliorum vero modorum quod eſt dicere inclinationum ad virtutes motivas pertinent; & propter hoc ſolæ ſunt interpretationes inclinationum ſive paſſionum quæ ex hujuſmodi viribus ſunt, quales ſunt orationes imperativæ, deprecativæ, & comminativæ, cæteræque hujuſmodi.

Veritas & falſitas cognoſcibilia ſunt virtutis intellectivæ, bonitas vera & malitia ſunt motiva voluntatis.

Cum igitur conſideraveris hæc omnia diligenter invenies verum & falſum ſive veritatem & falſitatem propria eſſe cognoſcibilia virtutis intellectivæ. Similiter bonitatem & malitiam propria eſſe motiva virtutis noſtræ ſuperioris & motivæ, quam ipſam voluntatē intelligo: ita ut quemadmodum de luce corporali dicitur quia ipſa eſt proprium ſenſibile viſus exterioris ſive corporalis, ita veriſſime di-

citur quia veritas eſt proprium cognoſcibile viſus interioris ſive ſpiritualis qui eſt virtus intellectiva ſive intellectus. Intendo hic præcipuè veritatem & falſitatem enunciabiles quod eſt dicere affirmabiles, & negabiles, & hæc ſunt quæ affirmationis & negationis atque indicationis ſolum orationibus ſignificantur. Veritas enim argenti & veritas auri atque falſitas, & intendo veritatem incomplexorum, etiam ad vires motivas pertinent evidenter. Quantum enim veritas auri, & veritas argenti moveat avaros nemo eſt qui ignoret. Eodem modo quantū veritas ſanctitatis, veritaſque juſtitiæ moveat viros bonos non eſt neceſſe ut probationibus aſtruam.

Quomodo ſcientia deſiderabilis ſit, 1. nempe propter veritatem.

Quod ſi dixerit quis quia veritas complexorum etiam deſiderabilis eſt, & propter hoc diſpoſitio motiva animarum noſtrarum juxta ſermonem Ariſtotelis quo dicit in libro Metaphyſicorum quod omnes natura ſcire deſiderant. Quapropter natura eſt deſiderabilis ſcientia. Quare virtutes deſideratione motiva ſive deſiderij impreſſivæ: ſcientia vero non deſideratur niſi propter veritatem, cujus eſt: ſcientia enim non eſt niſi cōprehenſio veritatis, neque ſcire eſt niſi ſecum habere vel tenere veritatem rei quæ memoria digna eſt.

2. Quia ſcientia perfectio eſt virtutis intellectivę, ac bonitas ejuſdem ac proinde reſpectu ſciētiæ in ipſo intellectu deſiderium eſſe.

Amplius cum ſcientia perfectio ſit virtutis noſtræ intellectivæ ac bonitas ejuſdem, tunc bonitas eſt in effectu cum cōpleta eſt ſcientia ipſius de rebus, propter quarum ſcientiam creata eſt, & quas ſcire nata eſt, & ad earum ſciētiam naturaliter ordinata & nata. Perfectio autē omnis non ſolum bonitas eſt perfectibilis ſui, ſed & bonum ipſius ad quod & propter quod natum eſt. Nulli autem dubium eſt ſcientiam omnem maximè intelligentem ad bonum propter quod nata eſt naturali deſiderio moveri, & hujuſmodi bonū tali deſiderio movere. Quapropter manifeſtum eſt vim noſtram intellectivam in parte iſta & mobilem eſſe pariter & motivam; mobilem inquam prædicto deſiderio quod eſt dicere receptibilem ipſius, motivam vero id eſt imperativam motus ſui per idem deſideriū qui motus viæ ſunt ſive adminicula ad acquirendū bonum illud quod eſt perfectio ſcientiæ. Manifeſtum autem eſt quod ſtudere, diſputare, cogitare, doctores audire, libros inſpicere, & in rebus ipſis meditari motus ſunt quos non eſt dubium eſſe ei adminicula ad acquiſitionem perfectionis quæ ſcientia eſt.

3. Cujus eſt via ejuſdem eſt finis & e converſo quare & deſiderium ſcientiæ & ſcientia intellectus eſt.

Amplius cujus eſt via ipſius & finis, & è contrario: quia igitur finis iſte videlicet perfectio ſcientiæ virtutis eſt intellectivæ, neceſſario & viæ illæ omnes ejuſdem ſunt: quare & deſiderium ſcientiæ & cæteræ viæ quæ nominatæ ſunt virtutes intellectivæ ſunt: deſiderium autem motus eſt dubitantis licet ſpiritualis, cujus autem quies eſt ejuſdem eſt motus quo hujuſmodi quies acquiritur. Quies vero in ipſa perfectione ſcientiæ intellectivæ virtutis eſt, quare & motus ejuſdem ſimiliter eſt, motus autem ad ipſam perfectionem ſcientiæ eſt deſiderium ſciētiæ, igitur motus eſt virtutis intellectivæ. Quare declaratum tibi hanc virtutem intellectivam non ſolū apprehenſivam eſſe, ſed etiam mobilem & motivā; mobilem inquam, quia movetur motu deſiderij ad ipſam perfectionem ſcientiæ; motivam vero quia movet motu deſiderij, movet inquam imperando motus adjuvantes acquiſitionē perfectionis ſciētię, quales ſunt ſtudere, cogitare, diſputare, meditari, doctores audire, libros inſpicere, ſicut prædixi tibi. Ut ergo te & me breviter expediā, dico revera deſiderium ſcientiæ ſcientialis quæ lumen eſt ſive illuminatio virtutis intellectivæ inquantum quidem lumen illius eſt ſcientiæ intellectivæ eſt ipſum deſiderium, non enim poſſibile videtur ſecundum naturam virtuti apprehenſivæ nobili cuicūque non eſſe naturale deſideriū apprehēſionis & perfectionis ſuę; alioquin nec inquirerēt illā, nec quieſcerēt in eadē.

PARS DECIMA.

Quomodo voluntas deſiderativa ſit ſimul & cognoſcitiva; intellectus pariter intellectivus & appetitivus.

An voluntas in homine ſufficiat ad appetendū omnes perfectiones eius.

QUOD ſi quis dicat quia voluntas quæ deſiderativa ſive appetitiva nobilis in animabus noſtris ſufficit omnibus viribus ad deſiderandum & appetendum omnes perfectiones earum, quemadmodū appetitus cibi & potus in una ſola virtute videlicet guſtabili ſufficit omnibus membris, & toti corpori animalis ad deſiderandum & appetendū nutrimentum, non ſolum probabiliter dicit, ſed & verè; præſertim cum jam ſcire te fecerim quia una eſt ſubſtantia animæ humanæ & pluralitas virium quæ ponitur ei non ponitur niſi ſecundū pluralitatē operationum illius & cooperationum ejuſdem ad illas: & quamquam intelligere virtuti intellectivæ attribuatur, velleque & deſiderare virtuti deſiderativæ atque voluntati, ipſa tamen anima una eſt quæ intelligit, vult atque deſiderat, & hoc omnis anima humana ſentit in ſemetipſa, cognoſcit certiſſimè, atque teſtificatur, nec poſſibile eſt ei ut mentiatur ſuper hoc. Abſque enim ulla dubitatione conſtantiſſimè aſſerit apud ſemetipsā & in ſe ipſa, Ego ſum quæ intelligo, quæ ſcio, quæ cognoſco, quæ volo, quæ appeto, quæ deſidero, quæ deſideria ſeu volita inquiro, & cum poſſibile eſt & licet acquiro volita, deſiderata & appetita. Ego inquā una & indiviſa manens per omnia hæc, alioquin nec ſcire, nec intelligere, nec ullo modorū cognoſcere cujuſcumq; virtutis quid eſſet, ſicut evidenter declaratum eſt tibi in proximè præcedentibus; ſive enim virtutes ſint aliæ ſubſtantiæ quam ſit ipſa anima humana, impoſſibile eſt veraciter de eiſdem dici quamcumque ex hujuſmodi operationibus, ſive accidentia ſint ſimiliter. Nec oportet ut repetantur tibi probationes quas ex proximo ſuper hoc audiviſti.

Unitatem animę humanæ quæ non diſtinguitur à ſuis potentiis aperiet quomodo intellectus cognoſcat & quieſcat in ſuo objecto.

Quia igitur communiter dicitur quod virtus intellectiva deſiderat naturaliter perfectionē ſcientiæ vel deſiderat naturaliter ſcire de ipſa anima humana intelligitur quæ ipſum ſcire tanquam illuminationem ſuam naturaliter deſiderat, ignorantiā tanquā obtenebrationē quamdā & obcæcationē fugit, & declinat tanquā malum & noxium. Quod igitur virtuti intellectivæ ſic attribuitur per modum quem audiviſti procederem ad aſtruendā diverſitatem de qua agitur, ſi non eſſet iſta unitas & indiviſibilitas animæ humanæ ad vires ſuas & potentias quam jam ex præcedentibus cognoſcis. Neque enim vis intellectiva dicitur quieſcere in perfectione ſciētiæ alia quiete quam quieſcat anima humana in eadē, neque alio modo deſiderare illam, neque de alio ſit ſermo, hoc eſt de alia re ſubjecto, veritate, & exiſtentia, cū dicitur vis intellectiva deſiderat vel inquirit perfectionem ſcientiæ, quam cum dicitur anima humana inquirit vel deſiderat illam, ſed de re una ſubjecto, virtute & eſſentia utraque oratione agitur.

Diviſio ſcientiarum in ſcientiales & ſapientiales.

Nihilominus tamen verum eſt quaſdam ſcientias ſcientiales eſſe ei lumina tantum, videlicet quibus veritas ſola cognoſcitur, & in qua ſtatur atque quieſcitur per hujuſmodi ſcientias; & inquiſitor vel acquiſitor earum nihil aliud quærit quærendo eas quam illuminari lumine ſcientiæ vel intellectus. Et hęc illuminatio cū à rebus eſt & quaſi mediante veritate animabus noſtris infunditur, & intendo hic veritatē complexā, quamquā & veritas incomplexa ſuo modo etiam radiet & irradiet illuminatione hujuſmodi animas humanas. Aliæ autem ſcientiæ ſive cognitiones ſapientiales ſunt, ſed etiam ſapientiæ & intimiores, magiſque profundantes in animam humanam; ſunt enim ab ipſis

ſis rerum ſaporibus ſpiritualibus qui ſunt bonitates & malitiæ ipſarum: ſapores hujuſmodi alibi nominavi tibi & numeravi videlicet in tractatu de virtutibus & moribus.

Scientiæ ſapientiales quid ſint.

Debes autem ſcire quod ſcientiæ ſapientiales ſic ſe habent quemadmodum ſcientia quæ per viſum eſt ad illam quæ eſt per guſtum, propter quod & ſapientiales dicuntur quoniam ab ipſis rerum ſaporibus & de ipſis ſunt. Quod videtur intellexiſſe Philoſophus ille latinorum in ſermone quo dicit quod ſapientia eſt ex ſapore virtutum addita ſcientia. Sermo etiam authenticus eſt ex libris Hæbræorum quia *ſapientia doctrinæ ſecundum nomen eius eſt*, ubi nihil videtur intelligendum quam ſapida, quemadmodum ſonat ipſum ſapientiæ nomen. Unus etiam ex præcipuis Chriſtianorum Theologis dicit quod ſapientia eſt qua res ſapiunt prout ſunt. Et hoc non eſt aliud dicere niſi quod ſapientia eſt qua res bonæ bene ſapiunt & res malę male. Hoc autem eſt pro diverſitate bonitatum & malitiarum, & iſtæ diſpoſitiones videlicet bonitates & malitiæ rerum ſapores ſunt earumdem, quas nominavi tibi & numeravi in tractatu ſingulari de virtutibus & moribus, & in capitulo de ſapientia.

Eccl. 6.

Intellectus & motivus eſt & intellectivus, intellectivus generaliter, appetitivus particulariter: voluntas e contra motiva generaliter, intellectiva vero particulariter.

Expediens igitur te & me de iis dico quod non eſt inconveniens ſi virtus intellectiva quantum ad ſemetipſam motiva eſt & mobilis; mobilis inquantum receptibilis eſt deſiderij perfectionis ſuæ quæ eſt ſcientia, motiva vero & motus imperativa inquantum per hujuſmodi deſiderium imperat prænominatas operationes. Virtutes vero quæ motivæ nominantur ſimpliciter motivæ ſunt communiter ſive generaliter, non enim ſolas perfectiones ſuas intendunt, ſed generaliter quæcumque ſub paſſionibus earum cadunt. Ex. g. voluntas in omne volitum movet pariter & movetur; movet inquam cum ei movere hoc eſt imperare poſſibile eſt; prohibetur enim utique à nolitis ſuis videlicet ut illa nec impleat, nec acquirat; & prohibitiva eſt cum erecta fuerit & ſtans uti poſſibilitas eſt ſicut in præcedentibus audiviſti. Nec intendit voluntas etiam in volitu omnia propter ſe videlicet ut in eis vel ex eis ipſa perficiatur, quoniam plerumque intendit aliis & pro aliis. Quis ignoret multa non velle propter hoc ut voluntas noſtra impleatur, ſed potius ut voluntates alienæ non ſolum ut creatoris voluntas quæ ſemper optima eſt fiat; ſed etiam ſæpiſſimè ut fiant hominum voluntates? Cui quoque dubium eſt multa volita non eſſe perfectiones voluntatis, quin potius defectiones ac deformationes illius. Scientia vero malorum ac turpiſſimorum perfectio eſt & pulchritudo virtutis noſtræ intellectivæ; & mala enim bene ſciuntur, & turpiſſima pulcherrimè cognoſcuntur.

Colligit idē de virtutibus dicendū eſſe.

Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quia ſi placuerit tibi ſermones admittere, quibus loquentes de virtutibus animarum humanarum communiter utuntur appropriantes virtutibus ſingulis operationes aliquas & perfectiones, non errabis, nec improbabiliter recipies virtutem intellectivam, ſicut prædixi & apprehenſivam & motivam eſſe; verum apprehenſivam generaliter, quia omnium intelligibilium; motivam autem particulariter quoniam in ſuam ſolummodo perfectionem quæ procuidubio ſola eſt veritas & luciſſima certitudo. Aliæ autem ut dixi motivæ generales ſunt moventes in omnia quibus poſſibiles ſunt & in quæ paſſiones earum reſpiciunt vel intendunt, quemadmodum voluntas in omnia nobiliſſima & concupiſcibilia, & ad hæc mobilis ſic ſe habet de aliis.

Exemplis oſtendit diſcrimen inter ſcientias ſcientiales & ſcientias ſapientiales

Exemplum autem evidenter oſtendens differentiā inter ſcientias ſcientiales & ſcientias ſive cognitiones ſapientiales, evidēs eſt in pomo ex cujus pōdere, colore & figurà cognoſcitur complexio & bonitas ipſius; hanc enim ſcientialem cognitionem intelligo. Radiat enim complexio eius ſive bonitas per hæc tria, & per ipſa irradiat animas complexionem cognoſcentium, & bonitatem pomi. Si vero per odorem aut ſaporem ipſius quis complexionem & bonitatem ipſius cognoverit. Dico quod cognitio hujuſmodi ſapientialis erit ac dicetur. Nec dubium eſt quin ſit intimior quoniam odor & ſapor interiores ſunt, & ipſi ſubſtantiæ pomi intimè adherentes. Tria vero prænominata quaſi foris emicant & elucent. Simile etiam exemplum eſt in vino cujus bonitas atque nobilitas colore, ſubtilitate ſubſtantiæ, atque claritate plerumque dignoſcitur; ſed ſcientia eſt cum illa attinguntur ut prædixi: cum autem odor & ſapor attingitur, ſapientialiter apprehenditur, atque ſcitur. Sic ſe habet de herbis & aromatibus quæ interdum radiantibus foris diſpoſitionibus cognoſcuntur, interdum vero ſaporibus & odoribus, & ſi quæ ſunt virtutes aliæ ipſarum intimæ comprehenduntur. In lapidibus ſimiliter & gemmis evidenter inveniuntur duo iſti modi ſcientiarum ſive cognitionum; plerumque enim ex coloribus & figuris ìpſa ſubſtantia clara eſt, & gemmæ dignoſcuntur: interdum autem ex viribus medicinalibus vel aliis earum nobilitas eluceſcit.

Probat virtutes præſertim Theologicas ſapientias eſſe propter ſpiritualem dulcedinem & ſaporem.

Tu igitur conſidera omnia hæc, & confer diligenter ad invicem, & invenies omnes virtutes tam naturales, quam conſuetudine comparatas, & potiſſimum Theologicas ſapientias eſſe, ſive ſcientias ſapientiales, & eſſe lumina viva, & vitas quaſdam, quemadmodum dixit nobiliſſimus ex Theologis Chriſtianorum *quoniam amor eſt vita copulans*, ſubintellige amantem & amatum; alioquin juſtitiam cæcam eſſe & juſtum cæcū, vel omnino in eo quod juſtum nihil videntem eſſe neceſſe eſſet. Dico igitur quia juſtitia ſapientia eſt qua bonum ſapit juſto, æquitas, rectitudo; male autem ſapit ei iniquitas & peccatum: peccatum autem intellige contrarium rectitudini, juxta ſermonem Ariſtotelis dicentis quod circa ſenſum ſunt rectitudo & peccatum. Et huic ſcientiæ atteſtantur ſermones Prophetici quales ſunt *gaudium eſt juſto facere juſtitiam. Et in perditione impiorum erit laudatio*, & iterum, *lætabitur juſtus cum viderit vindictam*. Quid enim ſapit juſto in vindicta iniquitatis niſi æquitas & rectitudo? Hac ſapientia præditus fuerat qui dicebat. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Sapiebant enim ei ſacra eloquia aromata virtutum & dulcedinē bonitatis quam continebant. Similiter ei qui dicebat. *Melior eſt mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.* Ad quod facit & illud, *deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum.* Quid igitur ſapiebant ei divitiæ iſtę ſpirituales? pretioſitatem nobiliſſimam, plenitudinem, & copiam, qua ſola poſſibile eſt repleri & ſatiari animas humanas. Corporales namque divitiæ mentiuntur & illudunt animabus humanis, dum ſatietatem & copiam eiſdem promittunt: famem autem & penuriam è contrario ſolummodo reddunt: vix enim invenies famem inſatiabilem & ſitim inextinguibilem divitiarum niſi iis quos maximè divites vulgus putat, & qui maximè divitiis abundare ab indoctis hominibus æſtimantur. Nec mirum ſi corporales divitiæ ſpiritualem famem & ſitim ſedare non poſſunt, nec vacuitatem ſpiritualem implere, cum è contrario neceſſarium ſit divitias ſpirituales vacuitatem corporalem implere non poſſe: non enim poſſibile eſt ut arca vel burſa ſpiritualibus divitiis quæ ſapientia & virtutes ſunt nullatenus impleatur, & de iis in ſermonibus & exhortationibus ſæpius audis per me quæ merito tibi ſufficiant.

Pro. 21.15.
Pro. 11.10
Pſ. 57.11.
Pſal. 118.
56.
Pſal. 18.

Quantum ſapiant ju-

Juxta vias iſtas attende virtutem caſtitatis, & conſidera qualiter munditia carnis & ſpiritus

ſtis virtutes. deſipiant vero impiis.

ſapiant viris caſtitate præditis; qualiter quoque deſipiat eis luxuria; & invenies quia ſapit eis, & placet illa ut florum liliorum vernantia, & redolet eis ejuſdem flagrantia; deſipit autem eis iſta ut abominabilis ſpurcitia ac fætet eis ut intolerabili fætulantia. Et de virtutibus ſingulis fiet tibi manifeſtum per hujuſmodi conſiderationes, qualiter palatis ſpiritualibus purgatis, ut aromata pretioſiſſima, & nobiliſſima ſapiant; & qualiter aut quantum mundis naribus cordium redoleant. Nec interroges ſuper iis vel credas contrarium aſſerentibus qui palatium cordis perdiderunt de febre iniquitatis, & qui inſtar porcorum in ſordibus vitiorum volutari conſueverunt, ſpurciſſimiſque delectationibus, immunditiiſque ſpurcorum corporum paſci & veſci amant & cupiunt, quibus omnis virtutum ſuavitas intolerabiliter deſipit, & eam velut amaritudinem mortiferam fugiunt, & abhorrent, juxta ſermonem Sapientis dicentis. *Quam amara eſt nimirum ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors*. Et iterum, *Execratio eſt peccatoribus cultura Dei.* Jam igitur oſtenſum eſt tibi propoſitis declarationibus & exemplis virtutes quæ in animarum humanarum motivis ſunt aut ſecundum illas non ſolum ſapidas eſſe ſive ſapientiales, ſed revera ſapientias quaſdam eſſe.

Eccl. 6. 21.
Eccl. 1. 26.

Virtutem omni arte certiorem & meliorē eſſe, quia eſt de interioribus & magis adhærētibus.

Declaratus eſt etiam tibi per hoc intellectus ſermonis Ariſtotelis quo dixit quod *virtus eſt omni arte certior ac melior.* Cauſa autem in hoc eſt, quoniam rerum ſapores ſunt rebus intimiores & majoris adhærentiæ quam diſpoſitiones exteriores, quibus earum veritas, ut prædixi radiat, & animas noſtras ad ſui cognitionem irradiat. Ex intimioribus autem & majoris adhærentiæ diſpoſitionibus manifeſtum eſt tibi quod neceſſe eſt eſſe cognitionem & majoris certitudinis & fortiorem. Et quoniam nobiliores ſunt ſemper diſpoſitiones interiores exterioribus, neceſſe eſt ſcientiam nobiliorem eſſe quæ ex illis eſt, ſive per illas, quam quæ exterioribus diſpoſitionibus acquiritur, ſive per illas. De melioritate virtutis ad artem & ſcientiam, & de præcellentia ipſius per illa inde facillima debet eſſe tibi certitudo, quia nemo niſi ex virtutibus vel per virtutes vel eſt vel etiam dicitur bonus; per artes autem & ſcientias nemo vel eſt vel eſſe dicitur bonus; alioquin maligni ſpiritus viris optimis longè nobiliores eſſent, cum ſint incomparabiliter ipſi majoribus ſcientiis præditi.

2. Quia virtus non cōpatitur ſecum malitiam.

Amplius cum virtus nihil malitiæ patiatur ſecum in proprio ſubjecto, ſcientia etiam tanta quanta eſt in malignis ſpiritibus malitiam eorum quæ omnium malitiarum ſuprema eſt patiatur ſecum in eiſdem, manifeſtum ſcientiam hujuſmodi, vel parum vel nihil repugnare malitiæ: quidquid autem repugnat minus malitiæ minus bonum eſt. Omne namque bonum quanto magis bonum, tanto magis repugnat malitiæ: quare manifeſtum eſt tanto virtutem meliorem eſſe omni arte, & omni ſcientia, quanto magis malitiæ repugnat, ita ut nullo modorum eam eſſe ſecum patiatur. Manifeſtum eſt igitur virtutem omni arte & ſcientia eſſe meliorem, &c.

PARS UNDECIMA.

Quod anima propriè non eſt pars hominis.

Dubium proponit ex modo loquendi Chriſtianorum dum ſanctos [illegible]ant.

HIS igitur ita poſitis ac determinatis proſequar tibi quæſtionem, qua quæritur, utrum anima humana pars hominis ſit, aut non; ſcilicet an ipſe homo; hæc enim quæſtio nonnullos ex præcipuis Theologis latinorum modernis vehementer exagitavit. Et primo pro eo quod gens Chriſtianorum ſanctos qui in conſortium beatiſſimorum ſpirituum aſſumpti ſunt rogare & invocare atque vocare nominibus, quibus dum viverent nominabantur. Dicunt, ſancte Petre ora pro nobis, aut Sancte Joannes, nec adhuc auditus eſt aliquis dicere anima Sancti Petri ora pro nobis, nec etiam, omnes Sanctorum animæ orate pro nobis. Sanctos igitur intelligunt vivere, & regnare integrè, & perfectè, cum nominibus hujuſmodi nominant, nec orationes ad partes ipſorum, ſed ad omnes Sanctos dirigere intendunt.

2. Ex conſuetudine loquentium qui dum animæ loquuntur totum alloquuntur hominem.

Neque conſuetudo loquentium hoc patitur ut quis cuicumque loquatur dicat ſe loqui ad partes hominis, etiam ſi ad animam vel animum ipſius loquatur. Ipſe enim juvenis deambulans in theatro interrogatus à Socrate quid ageret, cum reſpondiſſet quia mecum loquor, audivit à Socrate cave ne cum malo homine loquaris, cum voces nullas corporales proferret, ſed ſolas cogitationes quæ locutiones ſunt ſpirituales in corde ſuo volveret, non dixit anima mea ſecum loquitur, ſed potius mecum loquor, intelligens indubitanter, & attendens ſe eſſe hominem ſic videlicet ſpiritualiter loquentem quod eſt dicere cogitantem. Socrates vero non ignorabat locutionem illam ſpiritualem eſſe quæ miniſterio corporis nullatenus agebatur. Non dixit ei cave ne cum mala anima loquaris, ſed tanquam intelligeret ipſam animam ſeu animum hominem eſſe ſic loquentem, dixit ei cave ne cum malo homine loquaris.

3. Quia ex artifice & inſtrumento non fit quid unum.

Amplius quis dicat carpentarium ex homine vel dolabra vel ſecuri eſſe compoſitum? & generaliter cum artificialia naturam imitantur, nemo unquam auſus eſt dicere quod ex artifice & inſtrumento artis ſuæ aliquid unum compoſitum ſit: quemadmodum ex homine & cithara citharœdus. Si igitur totum corpus unum eſt inſtrumentum animæ humanæ, licet ad multas operationes, quod dico propter multitudinem membrorum, qualiter ex illa & corpore erit aliquid unum compoſitum?

4. Quia ſicut domo & inhabitatore quomodo ſe habet anima ad corpus non fit quid unum.

Amplius quis ex domo & inhabitatore illius audeat dicere unum aliquid eſſe compoſitum? Cum igitur corpus humanum ſicut domus ſit ad animam humanam, illa vero ſicut inhabitator ad illud, qualiter aſcendit in corde alicujus, ut dicere vel credere poſſit unum aliquid eſſe compoſitum ex domo hujuſmodi & inhabitatore illius?

5. Exemplo fabri qui non eſt aliquid unum cum fabrilibus inſtrumentis.

Amplius quid aliud eſt corpus niſi fabrica vel aliqua domus in qua multæ operationes exercentur multa varietate inſtrumentorum refertiſſima propter multitudinem operationum quæ ex ea exercentur. Quis autem deliret ut credat de hujuſmodi fabro, & hujuſmodi fabrica cum tota multitudine inſtrumentorum fabrilium unum aliquid compoſitum eſſe?

6. Exemplo patris familias & variæ ſupellectilis.

Amplius quis ex patre familias & domo cum tota ſupellectile dicit unum aliquid eſſe naturaliter conſtitutum? Quid autem eſt anima in corpore niſi pater familias in domo cum tota ſupellectile membrorum interiorum & exteriorum, ſive cum tota familia eorumdem, ut prædixi?

7. Ex dictis Prophetarum comparantibus corpus cum equo, veſte, navi & carcere &c. cum ſeſſore, rectore, imperatore & captivo.

Amplius attende in ſermone Prophetarum & conſuetudine divinorum eloquiorum, & manifeſte leges in eis corpus equum nominari, & animam ſeſſorem. Similiter corpus veſtem & tunicam maculatam, & iterum navem corpus, animam vero rectorem illius, & juxta hunc modum corpus civitatem & regnum, animam vero regnantem & imperantem in eo. Comparationes autem & ſimilitudines propter quas iſtæ nominationes ſunt in ſacris eloquiis apertiſſimè ac luciditſſimè declarantur in ſermonibus exhortationum quæ fiunt ad populos. Amplius ipſum corpus carcer & conclave in quo captivæ & religatæ tenentur animæ hu-

manæ toto ſtatu miſeriæ præſentis in eiſdem eloquiis utriuſque legis Hebræorum videlicet & Chriſtianorum notatur, & uſu certiſſimo Chriſtianorum conſuetudo nominationibus iſtis utitur. Quare manifeſtum eſt quod rectiſſimè ſermonibus ſacris ſcilicet & divinalibus corpus humanum nominatur, in quibus evidenter inſinuatur ipſum non eſſe partem hominis, ſicut neque veſtem partem ejus qui ea induitur, aut domum eſſe partem inhabitatoris ſui, aut equum eſſe partem equitis, quod eſt dicere ejus qui ei inſidet & præſidet, aut carcerem captivi in eo religati partem eſſe poſſibile eſt.

Idem oſtendit teſtimonio Averrois & Avicennæ.

Ipſe etiam Averroes omne quod alij vocant compoſitum ex materia & forma ipſe vocat formam in materia. Cum autem inſpexeris librum Avicennæ de anima, leges in eo evidenter quod homo non utens aliquo ſenſu corporeo cogitans aut de ſe aut de eſſe ſuo concedit ſe ſpirituale tantum eſſe, & nihil habere corporis, ubi credit ſe declarare Avicenna quod ſic cogitans homo de ſe, invenit corpus non eſſe partem ſui. Quapropter invenit quod totum eſſe ſuum ſive tota eſſentia ſua anima ipſius eſt. Tu vero cum dicis alicui cogita de hoc, non intendis loqui niſi ei cui poſſibile eſt cogitare. Manifeſtum autem eſt tibi quod iſta operatio, videlicet cogitare, non eſt poſſibilis niſi animæ ipſi humanæ.

Item ex ſomniis in quibus ſe habent phantaſmata per modum ſcripturæ & librdumtaxat.

Amplius non-ne communiter dicunt homines ſe ſomniare, & viſiones videre, inquibus operationibus omnino nec participat nec communicat corpus? Non enim poſſibile eſt verè dici ut vel in toto vel in parte ſomnij ſit ipſum corpus, neque ſimiliter vel in parte vel in toto videat viſiones aut revelationes. quod ſi forte dixerit quia in organo phantaſiæ ſive imaginationis ſunt formæ illæ per quas videntur ſomnia, & propter hoc communicat vel participat in illis. Reſpondeo quod nobiſcum liber omnis communicaret omni lectioni quæ in eo fit; quare non legeret homo in libro, ſed legerent & ipſe & liber ſimul; quemadmodum ſomniant anima & corpus ſimul, non anima ſola. Eodem modo ſe habet de omni ſcriptura atque de omni lectura & de intellectu qui per eam fit, quia inſpectores earum non intelligerent ea quæ iſtæ repræſentant vel ſignificant, ſed ſimul ipſi & illæ. Hoc autem dicere inſaniſſimè eſt delirare; totum enim intelligere illud inſpectori eorum eſt, hoc eſt ipſius intelligere in ſcripturis vel picturis eſt, neque ullo modo earum.

Dubium proponit oſtenditque adſimilitem quoque pertinere corpus, & in eius definitione poni.

Dubium igitur eſt in iis quia revera homo ipſe anima in humo eſt, in humo videlicet corporis, cui præeſt, quod adminiſtrat & regit, vivificat & conſervat quemadmodum eques homo ipſe eſt qui equo inſidet & præſidet. Quod autem corpus pars hominis dicitur ad rationem hominis pertinens defendendum eſt, hominis inquam ut hominis; non enim diffinire eſt hominem ut hominem niſi in ejus definitione corpus vel ejus ratio componatur, ſicut neque definire poſſibile eſt equitem inquantum equitem, quin neceſſe ſit in definitione hujuſmodi equum vel rationem ejus poni. Similiter non contingit videre vel cognoſcere equitem inquantum equitem quin videatur & cognoſcatur homo & equus. Partem equitis inquantum equitis equum eſſe judicant imperiti, propter quod & fabulæ Poëtarum narrant ſagittarium quemdam equitem partem ſui habuiſſe equum & partem hominem, pro eo quod ex parte & tanquam parte ſui utebatur equo, quemadmodum & corpore humano. Sic & Minotaurum opinati ſunt quidam propter fabulas Poëtarum hominem ſemibovem ſemivirum, ſicut ait Poëta *ſemibovemque virum ſemivirumque bovem*.

Animam tamen ſeparatam ſibi attribuere opera quæ geſſit in corpore, unde vel mercedem vel ſupplicia mereatur.

Si quis autem conſideraverit animam humanam ſeparatam à corpore reminiſcentē eorum quæ geſſit in corpore, inveniet eam reminiſcentem & atteſtantem indubitanter ſe fuiſſe hominem, & nihil hujuſmodi operationum attribuentem corpori ſuo, ſed ſibi ſoli omnia, quæ de ea negare videtur Ariſtoteles in libro de anima, ſicut audiviſti approprïantem & dicentem ego ſum quæ bona illa & mala feci dum eſſem in corpore, & quædam ſine miniſterio corporis, quædam vero per illud. Alioquin ſi mala opera noſtra animarum noſtrarum non eſſent, vana & falſa eſſet lex Chriſtianorum, & doctrina, & fides eorum erronea, imo impoſſibilis in parte iſta, cum exeuntes animas de corporibus evidenter doceant pro ſuis vitiis & peccatis tormentis infernalibus ſtatim tradi, perfectè vero purgatas, & gratia ſanctificationis illuſtratas, ſimiliter ſtatim in conſortium beatorum ſpirituum aſſumi. Utrumque autem non ſolum eſſet iniquum imo manifeſtum impoſſibile: ſi enim opera hominum adeo aliena ſunt ab animabus earum, & quovſque ad eos non pertinentia, ut eis non verè nec propriè attribui poſſint; quanto fortius nec pœnæ nec præmia hujuſmodi operum pertinebunt ad eas.

Alioquin nullum eſſet meritum aut demeritum.

Si enim nec verè nec communiter dici poſſunt animæ humanæ intelligere, gaudere, triſtari, quemadmodum nec texere, nec ædificare, ut Ariſtoteles evidenter ſenſiſſe videtur in libro ſuo de anima, qualiter pro hujuſmodi operibus remunerabuntur aut punientur: proportionalia enim ſunt pœnis & præmiis merita & demerita operum, & eadem ſubjecta omnimodo pertinentia; cujus enim eſt demeritum operis juſtiſſimo judicio ejuſdem eſt & pœna quæ pro eis debetur & præmium Manifeſtum eſt quoque non mereri animas noſtras vel pœnas vel præmia ſi non operantur vel bona vel mala. Quare verum eſt quoniam Ariſtoteles & qui juxta ſententiam ejus ſentiunt, juſtitiam & judicium creatoris in parte iſta evacuant, nullaque eſſe præmia vel pœnas animabus humanis pro iis quæ ab hominibus in vita iſta fiunt, neceſſe habent confiteri. Quapropter impune agi hic omnia mala quæ hic non vindicantur ſecundum errorem iſtum conſequens eſt, & de bonis ſimiliter ſe habere oportet. Quapropter vanus eſt ſecundum ipſos qui ſervit creatori niſi hic remunerationem accipiat, quapropter miſerabiliter perierunt qui pro cultu & honorificentia creatoris tormenta perpeſſi vitam præſentem amiſerunt, nihil mercedis in poſterum recepturi.

Quomodo homo ſit anima in humo, terreſtri ſcilicet corpore.

Jam igitur feci te ſcire quod non irrationabiliter neque improbabiliter ſtudioſè conſiderantibus dicit hominem animam in humo corporis exiſtentem eſſe qui hoc dixit, & evidenter atteſtatur ſermo authenticus qui in lege Chriſtianorum ſcriptus eſt ſermoni Sapientis ipſius, *nolumus*, inquit ſermo ille authenticus, *ſpoliari, ſed ſuperveſtiri* cupimus, 2. Cor. 5. 4. qui ſermo evidenter eſt animarum noſtrarum, cum in nobis nihil ſpolietur maculata tunica, & ſuperciſa veſte, nihil ſuperveſtiendum eſt niſi animæ noſtræ. Quod ſi quis in parte iſta contentioſus eſſe voluerit, proculdubio imbecillis eſt, & erroneus, & omnino ignorans contentionem de nominibus aut vocabulis eſſe, à veroque textu Philoſophantium conſuetudinem penitus alienam inveſtigationi veritatis ejuſdem inveniri pernicioſiſſimam. Debes etiam ſcire quod nihil deperit, utrumlibet iſtorum dicatur veritati & integritati fidei catholicæ.

Corpus eſt pars hominis & cadit in rationem eius inquā-

Attende autem diligenter exempla quæ tibi poſita ſunt de equo & equite, de domo & inhabitatore, de inſtrumento & operatore, de veſte ſeu veſtimento atque veſtito; & apparebit evidenter

tum homo licet operationes veriſſime & propriiſſime ſint animæ.

quod rationabilius eſt, & ſermonibus noſtris, uſuique loquendi conſonantius, ut corpus dicatur pars hominis quæ cadit in rationé hominis inquantum hominis, quemadmodum equus in rationem equitis inquantum equitis. Ipſæ enim operationes quæ fiunt per corpus, ut oſtenſum eſt tibi in præcedentibus, ipſius animæ humanæ veriſſimè ac propriiſſimè ſunt, ſicut eſt loqui, diſputare, & etiam, quamquam indignetur Ariſtoteles, texere, & ædificare; ars enim in artificioſitate propriè ac veriſſimè eſt. Quapropter cum omnis ars humana in anima humana ſit veriſſimè, ac propriiſſimè, manifeſtum eſt animam humanam veriſſimè ac propriiſſimè artificem eſſe omnium artium humanarum. Omnis autem operatio artis & omne artificium opera propriè ac verè ſunt artificum. Quapropter omnis textura, & omnis ædificatio, omnéque ædificium quod ab hominibus vel per homines ædificium eſt, animarum humanarum opera vel operationes ſunt. Vides igitur imbecillitatem erroneorum iſtorum qui artes non ponunt niſi in animabus humanis, nec ponunt eſſe ſubjectum cujuſcumque artis vel artificij niſi animam humanam, & propter hoc non poſſunt pònere alium artificem propriè & verè.

Operationes animæ propriè eſſe probat ex eo quod ars ſcilicet citharizandi ſit in anima.

Delirare autem evidenter eſt dicere operationes quæ ex artibus vel per artes ſunt non eſſe animarum ipſarum, hoc eſt nec harum artificium: tanquam ſi citharizare non eſſet hominis, nec ars iſta citharizandi; & hoc eſt dicere ſecundum iſtos quod citharœdus eſt compoſitus quidem ex homine & cithara. Ex quo ſequitur citharœdum corrumpi quoties dimittit citharam vel deponit. Manifeſtum autem eſt tibi quod citharœdus veriſſima ratione ſua eſt homo habens ſcientiam ſive ſciens artem citharizandi: quapropter neceſſe habent concedere animam humanam, ſi in ea vel apud eam eſt ars citharizandi ſive ſcientia, veriſſimè citharœdam eſſe. Non enim citharœdus ex ipſa appellatione citharæ dictus eſt, ſed ex ipſa citharizandi ſcientia, aut arte, ſeu artificio.

Et ex modo interrogandi & alloquendi.

Et ſicut prædixi tibi quotiens interrogamus eum cum quo ſermone conferimus dicentes, intelligisne quod dico, ad ipſum dirigimus ſermonem hujuſmodi, in quo ipſum actum intelligendi eſſe, vel eſſe debere intendimus. Cum igitur neque ipſi erronei hujuſmodi intendunt hujuſmodi actum eſſe poſſe niſi in anima, confiteri neceſſe habent hujuſmodi interrogantibus ſe nonniſi animam humanam interrogare, nec poſſunt inficiari quin unaquæque iſtarum interrogationum interrogat unuſquiſque hominem. Quapropter neceſſe habent confiteri quem ſic interrogant animam humanam eſſe, &c.

PARS DUODECIMA.

Quod anima per actus diſpoſitiones & operationes ſuas clare cognoſcitur.

Oſtendit manifeſtari animam per ſuas diſpoſitiones ſpirituales ſicut ſenſibilia per corporales.

POST hæc autem tentabo erigere te, & elevare ad intellectivam viſionem animæ tuæ ut ſit tibi de ea tam certa, tam clara, tamque copioſa cognitio, ut nihil certius te cognoſcere, nihil clarius te videre quam ipſam animam neceſſe habeas confiteri. Dico igitur quia color & figura cæteræque corporales diſpoſitiones, totaque ſenſibilium accidentium varietas non abſcondunt, neque obnubilant tibi ſocratem vel alium quemcumque ex hominibus, ſed potius unumquemque eorum indicant tibi, & revelant, notumque tibi faciunt, & oſtendunt; & cum iſta clare & ad liquidum intueris in quocumque ex hominibus dicis te illum clare videre, ac plenè, perfectéque cognoſcere, cum iſta de eo plenè perfectéque cognoſcis. Dicis etiam te dignoſcere eum, teque ſcire diſtinguere eum atque diſcernere ab aliis hominibus.

Clariſſime autem videri ab anima diſpoſitiones illas ſpirituales quæ ſunt ſcientiæ, opiniones, &c.

Cum igitur proportionales ſint, ſimiliſque per omnia habitudinis ſenſibiles diſpoſitiones ad faciendam indubitatam certitudinem, plenamque viſionem ſubjectorum ſuorum, viſionem inquam ſenſibilem omni illa intuenti plenéque omnia cognoſcenti ad intelligibiles diſpoſitiones & ad faciendam viſionem intellectualem indubitatamque certitudinem uniuſcujuſque ſubjecti ſui intelligibilis intuenti illa, plenéque & clare cognoſcenti. Nihil autem clarius intueris, certiuſve cognoſcis quam intelligibiles diſpoſitiones animæ tuæ quæ ſunt ſcientiæ, dubitationes, opiniones, gaudia, triſtitiæ, timores, & fiduciæ, & omnino omnes cogitationes & affectiones quas Ariſtoteles nominat paſſiones de quibus ſunt iræ, invidiæ, odia, & cætera omnia hujuſmodi; quæ omnia quemadmodũ dixi tibi de ſenſibilibus diſpoſitionibus non abſcondunt nec obnubilant, ſed potius indicant, revelant, & notum ſubjectum efficiunt, neceſſe eſt ut intuenti hæc faciant claram viſionem intellectibilem, plenamque notitiam, ac certitudinem indubitatam de ſubjecto cujus ſunt quod evidenter indicant & oſtendunt. Cum igitur intueris hæc omnia circa animam tuam vel in anima tua, non poteſt inficiari quin videas animam tuam viſione clariſſima ſeu intellectuali, quemadmodum cum intueris in ſocrate ſive circa ipſum omnes ſenſibiles diſpoſitiones ipſius, & clare vides illas ac perfectè, dicis te clare ac perfectè videre ſocratem: ita cum clarè ac perfectè vides totam intelligibilium diſpoſitionum varietatem in anima tua, vel circa illam, vides inquam clare atque perfectè, neceſſe habes confiteri te perfectè ac clarè videre animam tuam, viſione videlicet intellectuali, præſertim cum nec minus clarè intuearis aut videas intelligibilium diſpoſitionum varietatem animæ tuæ viſione intellectuali ſive ſpirituali quam ſenſibilium varietatem circa ſocratem ſive in ipſo; nec enim illa magis indicant & oſtendunt ſocratem per ſenſum, quam iſta oſtendunt tibi animam tuam per intellectionem.

Item exemplo ſocratis vel alterius hominis id probat quod noſſe videmus cum ſenſibiles illius diſpoſitiones novimus.

Amplius qualiter vides ſocratem vel videre cum te cognoſcis niſi quia vides ſenſibiles diſpoſitiones ejus quæ illum tibi viſibilem faciunt intuenti? Quomodo igitur non vides animam tuam viſione intellectuali, & te eam videre viſione hujuſmodi non cognoſces, cum videas omnes intelligibiles diſpoſitiones ipſius, videlicet intellectualia accidentia quę illam tibi per modum iſtum oſtendunt atque viſibilem efficiunt?

Diſpoſitiones illas ſpirituales longe certius cognoſci quam ſenſibiles quia per ſe ipſas non per ſpecies & ſigna cognoſcuntur.

Amplius longè magis notæ ſunt tibi prænominatæ diſpoſitiones animæ tuæ quam diſpoſitiones ſenſibiles ſocratis aut alterius hominis quem corporalibus oculis intueris. Cauſa autem in hoc eſt quoniam illæ non ſunt notæ niſi per ſigna & impreſſiones quas faciunt in organis ſenſuum; illæ autem notæ ſunt circa ipſa principia veritatis. Non enim ignoraſti unamquãque rem magis notam eſſe cum per ſemetipſam cognoſcitur quam eſt per imaginem ſuam ſive per ſignum, quemadmodum longè certius & melius cognoſcitur hercules cum ipſemet videtur quam cum ſola imago ejus inſpicitur. Quapropter longè certiori ac meliori cognitione cognoſcis antedictas diſpoſitiones animæ tuæ quam diſpoſitiones ſenſibiles cujuſcumque hominis quẽ viſibiliter intueris. Quapropter ſi quæ oſtendunt tibi diſpoſitiones hujuſmodi animam tuam ut illæ ſenſibiles hominem quem viſibiliter intueris longè certius ac melius cognoſcis cognitione intellectuali animam tuam per illas quam cognitione ſenſibili per diſpoſitiones ſenſibiles hominem antedictum.

Quare homo certius cognoſcit animam ſuam quam quamcumque diſpoſitionem corporalem alterius rei. P. 13. cod. Carnot.

Quod ſi forte dicat quis quia hujuſmodi diſpoſitiones animæ humanæ videlicet intelligibiles non æque indicant & oſtendunt animam humanam intuenti ſeu cognoſcenti illas ut ſenſibiles ſubjectum ſenſibile ſenſibiliter illud intuenti, dico quod ſermo hujuſmodi hominis eſt valde imbecillis & intolerabiliter delirantis. Nulli tamen dubium eſt quin ſermones & operationes & inceſſus & multa alia oſtendunt intelligentibus per intellectum quales animæ ipſorum ſunt, ſive quales interius ſunt; & intendo an boni, an mali, an ſapientes, an ſtulti. Cum igitur iſta quæ ſunt longè ab anima humana utpote forinſeca & ſenſibilia, indicent intelligentibus intelligibiles diſpoſitiones animarum, quod eſt dicere malitiam, bonitatem, ſtultitiam, ſapientiam; multo fortius diſpoſitiones animæ humanæ quæ in ipſa ſunt tanquam in ſubjecto eique proximè adhærent videlicet in mente, & ex illa procedūt indicabunt & oſtendent illam cognoſcentibus diſpoſitiones hujuſmodi.

Idem oſtendit ex teſtimonio Ariſtotelis.

Amplius *ſi ea quæ ſunt in voce nota ſunt earum quæ ſunt in anima paſſionum*, ut dicit Ariſtoteles; quanto fortius paſſiones quæ in anima ſunt notæ & ſigna certiſſima ſubſtantiæ ſuſtinentis eas ſive portantis ac gubernantis eaſdem?

Item ex eo quod ut ſenſibiles diſpoſitiones veluti veſtiunt, nec tamen operiunt ſubſtantiam corporalē; ita ſpiritales diſpoſitiones animam.

Amplius nulli intelligenti dubium eſt quin accidentium ſenſibilium circumveſtitio velut quædam veſtis ſit ſubſtantiæ ſenſibilis ſuſtinentis & portantis illam. Manifeſtum etiam eſt quoniam adeo indicant & oſtendunt illam ut viſis illis dicatur videri, & quoniam viſio illorum ſive illius, viſio ipſius ſubſtantiæ habeatur, & ab omnibus reputetur. Quomodo igitur non ſimiliter viſio, accidentium ſpiritualium ſeu diſpoſitionum animæ humanæ viſio ipſius ſubſtantiæ non habebitur & reputabitur & non dicetur?

Simili utitur argumēto.

Amplius poſtquam ad modum veſtis ſeu veſtiti ſe habet tam in ſubſtantia ſenſibili ſenſibilium accidentium varietas, & in ſubſtantia ſpirituali ſpiritualium accidentium varietas, nec obſiſtit veſtis ſeu veſtimentorum velamen, vel ornatus, nec prohibet quin dicas te videre ſocratem vel alium, licet tantum videas veſtimentum: non obſiſtit igitur varietas ſpiritualium diſpoſitionum veſtiens animam tuam, quin eam videas viſione ſpirituali, licet veſtitam illam videas & ſub veſte hujuſmodi.

Idem argumentum exemplo quodam illuſtrat regis & plebei.

Amplius ſi ſub veſtibus & ornatu videret quis Regem aliquem quibus Rex eſſe indicaretur & quæ regem illum oſtenderent, magis diceret Regem ſibi oſtendi per illa, quam abſcondi, vel operiri. Et eodem modo ſi vilem aliquam perſonam veſtitam veſte vilitatis ſuæ inſpiceret, aliaque ſuæ vilitatis inſignia geſtantem illam videret, quanto plura & certiora eſſent hujuſmodi ſigna & inſignia, tanto eam tibi clarius oſtenſam ſive viſam & melius oſtēſam judicares. Manifeſtum igitur eſt quia ſive viles ac difformes intuearis & videas diſpoſitiones ſpirituales animæ tuæ vitia & peccata, ſive nobiles ac ſublimes quales ſunt ſapientia & virtutes; quanto plures atque majores utraslibet earum videris, tanto clarius te videre ipſam animam judicabis. Manifeſtum autem eſt tibi quod peccata & vitia non ſolum inſignia ſunt & habitus vilis animæ atque dejectę, ſed etiam ipſa vilitas ſive vilitates ipſius ſunt. Similiter ſapientia & virtutes honor & gloria ſunt animarum humanarum non ſolum gloriæ honoris inſignia.

Denique id probat quia eos noſſe putamus quorum mores cognoſcimus quanto magis animam noſtram.

Amplius homines illos plenè noſſe nos dicimus & judicamus quorum mores plene cognoſcimus: quia igitur mores animæ tuæ ſive boni ſive mali ſint pleniſſimè atque clariſſimè noti ſunt: neceſſe igitur habes confiteri & judicare animam tuam eſſe tibi potiſſimam atque pleniſſimè notam.

Quod ſi quis dixerit quia vitia obtenebrant vel obcæcant eos in quibus ſunt ſive homines intelligas, ſive animas ipſorum. Verum utique dicit; in hoc enim eas indubitanter obtenebrant quia ipſorum mala eos videre non ſinunt: & intendo quod mala quæ ex vitiis vel meruerunt vel eis in poſtremum imminent, eos vitia videre non ſinunt: ſed eſſentias ſuas ipſa vitia nulli abſcondunt, quin potius ipſa veritatis ſuæ præſentia veriſſimam ſui cognitionem unicuique ingerunt; non enim permittitur luxurioſus ignorare concupiſcentiarum ſuarum ardores, nec libidinum ſuarum ſpurciſſimas voluptates, licet ignoret immenſitatem dolorum & cruciatuum quos ſibi theſaurizat, & qui reddendi ſunt in tempore ultionis. Eodem modo manifeſtum eſt tibi de avaro, quia ignorare non ſinitur famem inſatiabilem pecuniarum quam inceſſanter ſuſtinet, ſimiliter & ſitim inſedabilem quæ idipſum eſt quod fames hujuſmodi. Sed revera ignorat vel in parte maxima vel in toto futuram penuriam, & paupertatem qua omnibus bonis deficiet in futuro. Sunt & aliæ diſpoſitiones ipſorum vitiorum & peccatorum, quæ ſcilicet eas vel ſequuntur vel comitantur, quas indubitanter ignorant qui vitiis & peccatis laborant.

Oſtendit quouſque vitia & paſſiones obſcurent cognitionem animæ.

Confirmat rationem quam ultimo adduxit ex eo quod licet mores aliorum certo nobis non innoteſcant attamē noſtros certo cognoſcamus.

Quod ſi dixerit quis quia ratiocinatio hujuſmodi quam promiſi de notitia hominum per mores non eſt ſatis valida, neque bene conveniens propoſito; quoniam mores hominum non cognoſcūtur interius niſi ſuſpicatione, & quaſi conjectura, videlicet quoniam æſtimantur per opera eorum exteriora. Reſpondeo in hoc quia unicuique hominum noti mores ſui ſunt cognitione certiſſima, quod eſt dicere per ipſam ſuę præſentiam veritatis, licet aliorum hominum mores non niſi per indicia operum ęſtimabiliter ſolummodo cognoſcantur. Dico igitur quod magis ſunt nota unicuique hominum animæ ſuę accidentia ſpiritualia quibuſcumque alterius hominis. Et hoc eſt quoniam ſunt nota per ſemetipſa, illa autem nonniſi per ſigna impreſſionum, quæ ſunt in organis ſenſus. Incomparabiliter autem plus poteſt uniuſcujuſque veritas ad oſtenſionem ipſius, quam poſſit ſignum ejuſdem; quapropter incomparabiliter major veriorque ac certior cognitio eſt unicuique homini de ſpiritualibus diſpoſitionibus animæ ſuæ, quam ſit eidem de corporalibus diſpoſitionibus cujuſcumque hominis alterius. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc quod incomparabiliter major eſt unicuique homini cognitio animæ ſuæ ſive de anima ſua quam poſſit eſſe eidem cognitio ſenſibilis cujuſcumque alterius hominis. Declaratum etiam eſt tibi quod nullus homo permittitur ignorare animam ſuam, cum tot & tanta ac talia de ipſa cognoſcere neceſſe habeat propter ipſam ſuæ præſentiam veritatis quæ nullo modorum ipſam ignorare animam ſuam pati poſſunt.

PARS DECIMATERTIA.

Quare aliqui homines dicunt ſe ignorare animas ſuas.

Quia animæ noſtræ natę ſunt ſequi ſigna ſenſibilia difficile eſt eis ad ſeipſas poſtea converti.

QUapropter quæſtionem habet non immerito quam ob cauſam multi homines non ſolum ignorare videntur animas ſuas ſed etiam negare audeant eas eſſe, eſſe earum. Unde igitur iſta perverſitas apud eos. Dico igitur quod ignorantia animarum ſuarum, ſicut revera prædixi, impoſſibilis eſt hominibus: verumtamen cogitatio earum hæc eſt ut de ipſis, vel ipſas cogitent, eſt eis valde difficilis. Cauſa autem in hoc eſt, quia animæ noſtræ adeo vel natæ ſunt vel aſſuetæ ſequi ſigna ſeu notas quæ in eis ſunt; ſequi inquam ſigna ut

ſigna ſunt, & abire per ea quæ ſignificant, ut difficillimum ſit eis ad ſe ipſas converti, & à rebus hujuſmodi avocari. Propter quod dicit quidam Philoſophus latinorum, quod difficillimum eſt quibuſdam à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere. Hoc enim ſentit unuſquiſque noſtrum, paucillimis enim atque rariſſimis hominibus poſſibile eſt ſanctos ac beatos Angelos imaginari vel cogitare prout ſunt in ſe vel apud ſe: propter quod quotiens de eis homines cogitant vel eos imaginari volunt, cogitant homines alatos prout in picturis eos deſignare & videre conſueverunt. Ab hac igitur conſuetudine oculorum multis non eſt poſſibile aciem mentium ſuarum abducere, & interdum velint nolint deſignationes ſequuntur hujuſmodi picturarum, non aliud de ſanctis ac beatis ſpiritibus cogitari vel imaginari valentes quam alas & vultus virgineos ac juveniles, imberbes, nudoſque pedes. Cauſa autem in hoc eſt quoniam hujuſmodi picturas nec barbatas, nec calceatas videre conſueverunt. Similiter neque canas aut albas: aſſueti igitur figuris & imaginibus ſenſibilium ſpirituales ſubſtantias vix imaginantur vel cogitant in veritate ſecundum veritatem in qua ſunt, ſed quam longiſſimè etiam à veritate & eſſentia hujuſmodi ſubſtantiarum ſunt figurationes illæ picturarum ac ſculptarum alarum, pedum & vultuum ſive facierum viſibilium.

Hanc conſuetudinem impedire quominus animarum noſtrarum & diſpoſitionum ejus ſpiritalitatē cognoſcamus.

Hæc igitur conſuetudo oculorum prohibet nos ſecundum veritatem eſſentiam ac ſpiritualitatem cogitare vel imaginari animarum noſtrarum: ipſa etiam quæ in animabus noſtris quodammodo ſentimus clariſſiméque cognoſcimus multi ex nobis cogitare prohibentur. Qualia ſunt gaudium & dolor ſcientia ipſa, vel cogitatio, virtus, aut vitium. Nullum enim horum aut colorem aut figuram habet, aut aliquid aliarum diſpoſitionum ſenſibilium, quibus aſſueti ſumus ſenſibilia cognoſcere. Propter quod ſi interrogaveris multos ex hominibus, qualis videlicet quævis ſit diſpoſitionum hujuſmodi; neſciunt reſpondere tibi. Et ſi interrogaveris eos utrum virtus ſit alba vel nigra, aut coloris alterius, & utrum figurata aut qualis figuræ; reſpondebit tibi magna multitudo hominum quia neſciunt quale ſit unumquodque earum. Multoſque invenies quibus vix ſuadebis virtutem pulchram eſſe, & licet concedant tibi quod pulchrum eſt juſte judicare aut quodcumque aliud bene agere. Hoc autem efficit in eis conſuetudo ſenſuum & diſſuetudo intellectus quem non exercitaverunt in rebus intelligibilibus ſeu ſpiritualibus; & hinc eſt quod patiuntur hanc hebetudinem & obſcuritatem ipſius

Hoc explicat exēplo hominis qui à tenebris in lucē accedit.

Sicut enim homo qui diu fuit in tenebris & elongavit ſe à conſuetudine videndi, cum revertitur ad lucem & aperit oculos ad intuendas res viſibiles ſentit obſcuritatem & difficultatem in intuitu & viſione earum, donec ad conſuetudinem videndi redierit. Sic quaſi de tenebris venit intellectus à conſuetudine ſenſuum ad lucem intellectualem cum ad intuenda ſpiritualia ſe convertit, ſimilemque patitur obſcuritatem & difficultatem in viſione ſeu conſpectione rerum intelligibilium: propter quod regionem ſenſibilium regionem tenebrarum quantum ad intellectum dixerunt Philoſophi. Et intelligendum eſt hic in hoc ſermone eorum quod ita eſt in ſtatu miſeriæ præſentis, & depreſſionis intellectus noſtri. Verum cum liberatus fuerit à depreſſione fantaſiarum, & conſuetudine ſenſuum, conjunctuſque fuerit luci præfulgidæ qui eſt creator altiſſimus ac benedictus tam ſenſibilia quam intellectualia, cognoſcet ad liquidum, & abſque difficultate, & obſcuritate, clariſſimè, ac libertimè, imo delectabiliter intuebitur illa. Declaratum igitur eſt tibi per hoc propter quid difficile valde eſt animabus noſtris ſemetipſas verè, ac purè ſeorſum à fantaſiis ſenſibilibus cogitare: quamquam ſicut tibi multipliciter præoſtenſum eſt impoſſibile ſit eidem veritatem vel eſſentiam ſuam ignorare: & hoc eſt quod dicit unus ex nobilibus Theologis gentis Chriſtianorum, quædam inquam ſunt quæ mens humana nullomodo ignorare poteſt, videlicet ſe eſſe, ſe vivere, ſe gaudere, ſe triſtari, & hujuſmodi; cogitare autem ſe difficillimum eſt eidem.

Notiſſimè eſſe nobis animam noſtram & ea quæ ſunt ejus.

His igitur ita determinatis revertar ad id in quo eram & dicâ quod ſermo communis uſuque certiſſimus eſt apud omnes homines unumquemque hominem eſſe notiſſimum, cujus opera notiſſima ſunt, & illos plane nos arbitramur cognoſcere, quorum tota vita omniſque operatio nobis notiſſima eſt, licet cogitationes, & operationes, & intentiones, atque voluntates ipſorum nos lateant. Plerumque enim forinſeca hominum cognoſcimus, licet interiora hominum eorum ignoremus. Si igitur & exteriora & interiora omnia nobis notiſſima eſſent alicujus hominis, notiſſimum illum nobis & haberemus, & diceremus; cum hac ſola exteriorum ipſius notitia unumquemque nobis notum reputemus. Manifeſtum igitur eſt unicuique noſtrum pleniſſimè notam eſſe animam ſuam, cum nec de exterioribus ipſius nec de interioribus ipſum aliquid lateat, ſed omnia ut prædixi clariſſime videat, & cognoſcat non per ſignum aliquod ſeu medium, ſed ipſa lucidiſſima evidentia præſentiſſimæ veritatis ſe ad modum & liquidum oſtendentis, & adeo ſe in cognitionem veram ingerentis, ut eam effugere nullomodorum poſſimus. Hoc autem manifeſtius tibi fiet in ſequentibus, ubi declarabitur tibi quid eſt ipſum ſcire vel intelligere in anima humana, & qualiter veniunt ſcientiæ & intellectiones, & unde in eamdem.

CAPITULUM QUARTUM.

PARS PRIMA.

Recitat opiniones ponentium plures animas in eodem homine.

Prima ratio ponentium plures animas eſt quod homo communicat vitam cum plantis, ſenſum cum animalibus.

POST autem iſtas diſgreſſiones quæ etſi præter ordinem & numerum præmiſſarum diſtinctionum præterque promiſſionem in præcedentibus tibi factam ſint perutiles, tamen ſunt & ad ipſam ſcientiam de anima humana non ſolum pertinentes, ſed etiam ipſam multipliciter adjuvantes, adaugentes, & illuminantes. Conveniens eſt nunc ut aggrediar perſcrutari de unitate animæ humanæ, & deſtruere errorem eorum qui ſcilicet ſenſerunt illam non eſſe unam, nec in homine eſſe animam unicam, ſed plures numero, tres ſcilicet vegetabilem, ſenſitivam, & rationalem. Præmittam igitur imprimis rationes quibus in errorem illum vel induci potuerunt qui à veritate in parte iſta aberraverunt. Attendentes enim eſſe vegetabile animatum eſſe, & habere animam quæ vegetabilis dicitur, & qua vivit unaquæque ſubſtantia, videntéſque manifeſte quod vitam hujuſmodi & ea quæ vitæ illius ſunt communicaret homo cum plantis, poſuerunt ei animam hujuſmodi ſcilicet vegetabilem: cumque etiam communicet homo cum brutis animal in effectu vivendi, cæteriſque ipſi vitæ annexis & convenientibus neceſſe eſt ipſum communicare cum eiidem in cauſa vitæ ipſius, atque ſequela illius.

2. Quia quæ ratio cogit admittere

Amplius quod judicium quis effectus, aut operatio cogit nos æſtimare, & concedere animam vegetabilem eſſe in quacumque plantarum, cujus ſimilis

animam vegetabilē in plantis cogit eam in hominibus quoque admittere

ſimilis non inveniatur in homine; ſimilis enim vita, ſimile augmentum, & detrimentum, ſimilis ſtatus invenitur in homine. Neceſſe igitur habemus ſimilem animam videlicet vegetabilem concedere eſſe in homine: eodem modo ſe habet & de anima irrationabili ſive animali ſive brutali; ſimiles enim effectus & operationes manifeſtè videntur in animabus brutis, quoniam ſimiles ſenſus, ſimiles motus voluntarij, ſimiles iræ, ſimiles voluptates, & cætera hujuſmodi. Neceſſe igitur eſt principium & cauſam ſimilem invenire in hominibus: principium autem & cauſa hujuſmodi operationum videlicet quæ ſunt ſentire, delectari, moveri voluntariè anima animalis, ſive brutalis eſt: hujuſmodi igitur animam in homine eſſe neceſſe eſt.

3. Quia vivere, ſentire & ratiocinari ſunt actus diverſi adeoque principia diverſa habent.

Amplius vivere, ſentire & ratiocinari ſunt actus diverſi ſecundum ſpeciem, neceſſe igitur eſt principia earum & cauſas differentes eſſe ſecundum ſpeciem: principia autem eorum & cauſæ animæ ſunt, ſcilicet vegetabilis, ſenſibilis, ſive animalis, & rationalis. Ex tribus igitur animabus ſecundum ſpeciem differentibus neceſſe eſt eſſe tres illas ſpecies operationum. Cum igitur tres illæ ſpecies operationum inveniantur in homine, neceſſe eſt principia & cauſas earum inveniri in eadem: hæc autem ſunt tres animæ: quare tres eſſe animas in homine neceſſe eſt.

4. Quia homo non poteſt eſſe vivens animal & homo per unum & idem.

Amplius manifeſtum eſt hominem & viventem eſſe ſubſtantiam corpoream, & eſſe animal, & eſſe hominem: & quoniam diverſa ſunt hæc tria, neceſſe eſt ut ex alio & per aliud ſit vivens ipſe homo, ex alio & per aliud ſit animal, ex alio & per aliud ſit homo, ſive rationalis. Et quoniam horum nihil eſt niſi per animam aliquam; non enim eſt vivens niſi per animam, ſicut & nomen animalis ſonat. Similiter non eſt rationalis niſi per animam, & illam indubitanter rationalem. Quapropter per tres animas eſt vivens & animal & homo ſive rationale: tres igitur animas in eo eſſe neceſſe eſt.

5. Quia prioritas eſt naturalis inter illa tria eſſe vivens, eſſe animal, & eſſe hominem.

Amplius prius eſt naturaliter vivens, quam animal: quare & cauſa qua vivens eſt, ex neceſſitate natura prior eſt ea cauſa qua animal eſt: & quoniam animal ſecundum quod animal priuſquam homo eſt, neceſſe eſt juxta eumdem modum cauſam qua eſt animal prius eſſe ea cauſa qua homo eſt. Iuem enim eſt homo ex neceſſitate cauſarum, & cauſatorum; & proportionales ſunt ſimiles cauſæ ſimilibus effectibus ſuis. Neceſſe igitur eſt cauſam qua homo vivens eſt priorem eſſe cauſa qua eſt animal, & cauſam qua eſt animal priorem eſſe ea cauſa qua homo eſt. Quia igitur non eſt poſſibile aliquid eſſe prius ſe ipſo, neceſſe eſt illa tria ad invicem diverſa eſſe, videlicet quorum uno vivens eſt, alio animal, tertio vero homo. Quare cum non ſit homo aliquid horum trium niſi anima vel per animam, neceſſe eſt tria illa tres animas eſſe.

Occurritur objectioni contra ſuperiorem rationem factæ.

Quod ſi quis dixerit quia nihil prohibet idem eſſe prius & poſterius ſe, prius inquantum vivens, inquantum animal; & inquantum homo. Dico quia longè eſt homo iſte à veritate: aut enim dicit quia homo idem eſt inquantum homo, & animal, & vivens; aut dicit quoniam non idem. Si dixerit quoniam idem, non eſt dubium quin erret; & hoc multis viis declarabile eſt. Si enim inquantum homo & inquantum animal idem eſſet: cum inquantum animal non differat ab equo vel aſino. Similiter neque ab aliqua plantarum differt, ſi enim idem eſt inquantum homo & inquantum vivens, non differt à palma vel cedro, quo nihil abſurdius dici poteſt.

6. Quia eſſe hominem & eſſe animal & eſſe hominem differunt ad minus ut pars & totum.

Amplius nulli intelligenti dubium eſt quin eſſe hominem, & eſſe animal, & eſſe vivens diverſa eſſe ſint, & quoniam differant ad minus ſicut differunt pars & totum per modum quo genus pars eſt ſpeciei: pars autem & totum inquantum pars & totum non eſt poſſibile quod ſint idem: quapropter homo inquantum homo, & animal inquantum animal non ſunt idem. Quapropter ſi vivens prius eſt animali inquantum animal, & animal eſt prius homine inquantum homo, non neceſſe eſt per hoc aliquid eſſe prius ſe vel poſterius ſe; errat igitur qui propter hoc ponit illud vel credit.

7. Quia vivit embrio in ventre matris antequam in eo formetur figura humana.

Amplius manifeſtum eſt in homine & in aliis animalibus vivere fætum antequam oriatur: & hunc fætum vocant in hominibus uſualiter embrionem, de quo manifeſtum eſt quod vivit multis diebus antequam perfecta ſit in eo forma vel figura humana. Quæritur igitur cujuſmodi eſt animal quomodo vivat fætus hujuſmodi, cum non poſſit vivere niſi anima vel per animam.

PARS SECUNDA.

Quod non vivit embrio per animam matris.

Embrio nō vivit per animam matris quia ſic una forma duplicē materiam haberet.

IN quo dixerunt aliqui quia vivit anima ſive per animam matris qui eſt error facilè deſtructibilis. Cum enim nullum corpus vivat niſi per animam, illam animam, ſcilicet matris animam conjunctam eſſe neceſſe eſt duobus illis corporibus, corpori ſcilicet matris, & corpori embrionis. Et cum corpus materia ſit, anima vero forma, ſicut dicit Ariſtoteles, neceſſe erit unam formam duarum materiarum eſſe formam, atque perfectionem, & non erit unicuique forma una propria.

2. Quia vel tunc haberet animam rationalem.

Amplius cum anima ipſius matris anima rationalis ſit, & conjuncta vel unita ſit corpori embrionis, erit embrio conſtitutus, ſeu compoſitus ex anima rationali & corpore.

3. Quia haberet embrio eundē appetitum nutrimenti qui in matre eſt aliquando contra naturam.

Amplius certum eſt quod embrio cibatur, nutritur ac creſcit, & ſugit nutrimentum: quare convenit ei vita: aut eſt igitur animal, aut eſt tantum vegetabile? Quod ſi eſt animal, habet igitur appetitum nutrimenti; & cum non habeat niſi animam matris, non appetitum habebit nutrimenti, niſi appetitum matris; quapropter non appetit nutrimentum niſi quoniam appetet & mater ipſius: & propter hoc quotieſcumque appetit nutrimentum mater, appetit & ipſe: & quod appetit mater, appetit & ipſe. Quapropter appetet & carbones, & cineres, atque ſordes omnes, quemadmodum contingit ipſas matres appetere: hæc autem ſunt de numero impoſſibilium.

4. Quia ſic anima matris vivificaret aliquando ſeptem corpora & amplius.

Amplius quod anima unius corporis vivificet atque perficiat aliud corpus, quis videat? Secundum enim hæc vivificaret atque perficeret multa alia corpora anima una præter corpus proprium, quoniam tot fætus quot eſſent in ventre matris oporteret eam vivificare. Et quoniam interdum quatuordecim porcelli in ventre porcæ inveniuntur, neceſſe erit porcæ illius animam vivificare atque perficere corpora omnia fætuum illorum, ſaltem quamdiu informes ſunt, & informitate iſtâ vivunt in ventre matris Similiter quia mulier una ſeptem filios habuit ſimul, neceſſe fuit animam illius ſeptem embriones vivificare, ſimiliter atque perficere.

5 Quia cum formaretur embrio in hominem moreretur & reſurgeret.

Amplius quamdiu vivificabit anima illa materiam embrionis? An donec formetur in hominem, quaſi tunc infundatur corpori embrionis anima, & tunc vivat vita propria? quid igitur fiet de embrione? aut enim ſimul amittet vitam, quam recipiebat à matre, & recipiet vitam animæ rationa-

lis aut ante, aut poſt? Quod ſi ſimul, morietur igi-
tur ſimul & vivificabitur, & erunt mors & vita
ſimul in eodem, quod non videtur poſſibile; hoc
enim eſſet dicere quod ſimul eſſet vivus & mor-
tuus. Quod ſi vitam illam amittat priuſquam re-
cipiat animam rationalem, anima rationalis in-
fundetur corpori mortuo; quare mortuus ille reſur-
get à morte hujuſmodi in vitam quam præſtat ani-
ma rationalis.

6. Quia embrio mutaret ſpeciem.

Amplius embrio iſte erit-ne homo, vel non? Quod
ſi erit homo, cum modo non ſit homo, erit igitur
aliud quam modo ſit quapropter non ſolum ſpeciē,
ſed etiam numerum mutat, ſi tamen in aliqua ſpe-
cie eſt. Hoc autem eſt aliud in omni genere rerum
quæ numero differunt.

7. Quia formatio & incrementum rei non deſtruit rē.

Amplius ſicut creſcit embrio, ſic formatur in ho-
mine, & intendo formationem iſtam quantum ad
corpus: & quoniam formatio non deſtruit rem, ſi-
cut neque crementum, imo format illam & perfi-
cit, manet igitur embrio toto tempore ſuæ forma-
tionis, ſive perfectionis. Erit igitur veriſſimè cum
erit in completo ſui eſſe: quare cum erit in com-
pletione formæ ſive figuræ humanæ, erit indobitan-
ter, & non incipiet tunc eſſe, cum toto tempore
formationis ſuæ permanſerit Tunc igitur aut erit
animal, aut non? Quod ſi erit animal, erit igitur
animal rationale aut irrationale? Quod ſi rationale,
erit igitur homo, & quoniam toto tempore for-
mationis ſuæ erit, vel fuit id quod eſt cum toto il-
lo tempore permanſerit ſicut prædixi. Fuit igitur
homo etiam tempore informitatis ſuæ, quapro-
pter & tempore quo cæpit vivere.

Reus ne ſit homicidij qui procurat abortū?

Quare ſi quis eum illo tempore extingueret, reus
homicidij eſſet. Qualiter igitur Propheta & Legiſ-
lator Hebræorum non judicavit reum homicidij
in lege illa eum qui abortire informe puerperium
percuſſione ſua coegerit? quis credat tantæ ſapien-
tiæ virum & ſpiritu ſancto præditum ignorare phy-
ſicam iſtam, videlicet de informi puerperio ipſum
eſſe homicidam, ſi revera homo eſt, præſertim cum
ſupra hoc ex mandato creatoris haberet neceſſe le-
gem condere, & non eſſe homicidam judicare eum
qui informe puerperium feciſſet per abortum de
ventre matris exire. Cum enim ſecretarius & fa-
miliaris eſſet Dei altiſſimi incircumſpecte, imo ini-
que legem illam tuliſſet qui reum homicidij non
teneri accuſatum homicidij adjudicaſſet: nefas au-
tem eſt de tanto tantæque ſanctitatis viro ejuſmodi
aliquid ſentire vel dicere.

8. Quia ſi eſſet embrio in aliqua ſpecie ſpeciem mutare dicendus eſſet.

Amplius non immerito quærendum eſt, utrum
embrio in ſpecie aliqua ſit, & intendo utrum res
alicujus ſpeciei ſit; quæ enim in ſpecie non ſit in
omnibus rebus naturæ proculdubio nihil eſt. Si
vero in aliqua eſt ſpecie, neceſſe eſt ipſum in ali-
qua ſpecie animalis. Aut igitur eſt in alia ſpecie
quam ſit homo, aut eſt homo? quod ſi eſt in alia
ſpecie, erit autem indubitanter homo, cum gene-
ratio ipſius generatio hominis ſit, & formatio
ipſius formatio ſit qua formatur in hominem, ipſe
igitur mutabit ſpeciem, & hoc eſt unum de mani-
feſtè impoſſibilibus. Si vero jam eſt in hac ſpecie
hominis, & intendo in ſtatu informitatis ſuæ, vi-
delicet antequam ſit formatus in hominem, non
eſt homo: ſicut apparet de ſtatua quæ non eſt ſta-
tua antequam completa ſit formatio ejus, quoniam
antehac non habet completam formam; eſſe etenim
ſtatuæ eſt ei ex forma completa, non autem ex ali-
qua parte formæ illius: ſed neque animam ratio-
nalem habere videtur ante completam formatio-
nem ſuam, formationem dico corporis, & comple-
mentum membrorum; totiuſque figurationis cor-
poris.

Collegit animam nō introduci in embrionem niſi poſt perfectam formationem.

Cum enim anima humana, ſicut jam didiciſti
ex præcedentibus, ſicut inhabitator ſit, corpus au-
tem humanum ſicut domus & habitaculum ipſius,
conveniens eſt ſapientiæ creatoris complere prius
ad perfectum hujuſmodi ædificium, quam introdu-
cere habitatorem in illam. Et cum anima illa ſicut
artifex ſit innumerabilium artificiorum & operum
effector non prius debet aggredi operari, quam
omnia neceſſaria ei præparata ſint inſtrumenta.
Ingreſſus autem in corpus non eſt, quantum ad eam,
niſi aggreſſus operum hujuſmodi. Quid enim fa-
cit anima humana, cum corpus ingreditur, niſi
quod corpus aſſumit cum omnibus membris ipſius,
niſi quod univerſale organum omnium operatio-
num ſuarum quas videlicet in corpore & per cor-
pus exercet & etiam ſingula accipit? quæ omnia
fruſtra & inutiliter accipiuntur, niſi ad operandum.
Eodem modo ſe habet & de patre familias domus,
quia non convenienter introduceretur in illam niſi
præparatam ac præornatam illam tota ſupellectile
& utenſilibus neceſſariis inveniret. Suppellex au-
tem & utenſilia hujuſmodi univerſitas eſt membro-
rum exteriorum & interiorum Quare manifeſtum
eſt non ante introduci animam humanam in cor-
pus, quam completa fuerit formatio ipſius & ſin-
gulorum membrorum ejuſdem. Hoc autem dicò
quantum eſt de ordine ac inſtitutione naturæ.

De monſtris quod caſualia ſūt & propter gloriā Dei, quorū nec Deus differt infuſionem animæ in ipſis.

Quod enim quædam animalia & nonnulli ho-
mines abſque perfectione completa corporum ſuo-
rum, atque membrorum naſcuntur, à caſu id eſt
caſuali impedimento efficitur. Si quis autem di-
xerit quod in hujuſmodi corporibus imperfectis
ſcilicet, debuit creator vel imperfectum complere
vel infuſionem animarum differre, & non infun-
dere ullo modo. Reſpondeo quod prælarga boni-
tas creatoris cum invenit receptibile majorum do-
norum ſuorum aut plurium, non eſt rationabile
ut det minora vel pauca, quemadmodum ſe habet
in ſole qui plus luminis effundit aëri, quam aquæ;
& aëri puro, quam nubiloſo; & ad hunc modum
ſe habet de aliis. In tractatibus vero de cura &
gubernatione eius feci te ſcire quam ob cauſam ali-
qui naſcuntur cæci, quam Dei filius & Deus ve-
rus expreſſit in ipſa lege Chriſtianorum; & hæc eſt
cauſa illa videlicet gloria Dei; propter hanc enim
cauſam diſtulit Deus dare viſum cuidam cæco nato,
ut ad majorem ſui gloriā poſtmodum illuminaret,
cum per miraculum, & de aliis naturalibus donis ſe
habet. Quia interdum differt creator benedictus
dare ea ſecundum cauſam naturæ, ut poſtmodum
magis ex donatione eorum glorificetur & dignifi-
cetur. Cum enim omnia opera creatoris, & ſin-
gula admiratione digniſſima ſint, ipſo uſu & natu-
ralis curſus conſuetudine eovſque viluerunt ho-
minibus, ut ea jam mirari deſierint. Ea vero ſola
quæ præter curſum naturæ conſuetum à creatore
ſunt mirantur omnes, & miracula reputant, licet
longè minora ſint, quam illa quæ curſu naturæ
creator facere conſuevit; longè enim majus eſt ac
mirabilius omnes homines illuminare, quam
unum; & vitam omnibus largiri, quam uni. Cum
autem alterutrum iſtorum facit præter naturæ con-
ſuetudinem mirantur homines in uno ſolo homi-
ne, quod fieri vident in omnibus aliis.

PARS TERTIA.

Quod in homine non ſunt ponendæ plures animæ.

Quod embrio vivit per ſpiritū

INcipiam autem ſolvere quæſtiones iſtas per or-
dinem, & adjiciam poſtmodum alias cum de-
terminationibus earumdem. Dico igitur quod em-
brio

propriem vitalem, & per animã vegetabilẽ congruengem ſibi.

brio non vivit per vitam matris; non enim poſſibile eſt, ſicut prædixi, animam unam vivificare; vel perficere, atque regere corpora plura. Vivit autem per ſpiritum proprium vitalem & per animam vegetabilem congruentem corpori ſuo: inconveniens quippe eſt in ſeminibus plantarum & aliorum vegetabilium potentialiter vitam eſſe, & non in ſemine humano. Quod indubitanter tanto neceſſe eſt eſſe nobilius cæterorum naſcentium ſeminibus, quanto manifeſtum eſt fructum ejus aliorum omnium ſeminum fructibus præſtantiorem eſſe. Sed nec decuit ipſum eſſe à vita remotius ſeu longius, quam alia ſemina; cum vita ejus non minus neceſſaria ſit fructui ejuſdem, quam vita aliorum ſeminum fructibus ſuis. Debes autem ſcire quia anima illa vegetabilis qua vivit embrió alterius generis eſt, vel ſaltem alterius ſpeciei quam anima vegetabilis plantarum; & hoc faciam te ſcire in ſequentibus. Debes autem ſcire quia illa eſt natura & proprietas ſeminis iſtius ut calore coaguletur, frigiditate vero diſſolvatur, quemadmodum in quadam ſpecie ſalis accidit quod igne diſſolvitur atque liqueſcit, aqua vero coagulatur & indureſcit, ſicut de calce viva manifeſtum eſt; quoniam oleo extinguitur, & aqua accenditur & ardeſcit.

Quod animaembrionis ante cõvenientem formationẽ non ſit rationalis & ea advenié te deſinat.

Si vero quæſierit quis, utrum ſit ánima hujuſmodi rationalis? Reſpondeo quod non, & quemadmodum prædixi anima rationalis embrionis nec creatur, nec infunditur donec completa fuerit formatio illius integritate membrorum ei congruentium, prout poſſibilitas naturæ fuerit. Quod dico propter occaſiones & impedimenta quæ accidunt ex multis cauſis embrionibus. Si vero quæſierit quis, quid fiat de anima hujuſmodi, cum anima rationalis embrioni advenerit. Reſpondeo quod deſinit eſſe; otioſum enim eſſet eſſe ipſius poſt adventum animæ rationalis: cauſa autem in hoc eſt, quoniam anima rationalis ſufficit regere, ac vivificare pleniſſime corpus cui advenerit. Quod ſi quis dicere voluerit, quia ſic fit de anima vegetabili per adventum animæ rationalis, quemadmodum de luce minori cum longè major ſupervenerit, non improbabiliter dixit; videtur enim velut abſorberi lux minor à majori vel extingui.

Reſpondet objectioni ſupra poſitæ quod ex eadem cauſa non poſſit eſſe homo & animal & vivens quia idem eſt in homine eſſe animal, & vivens & homo.

De eo vero quod ſupra dictum eſt quia aliud eſt eſſe hominem, aliud eſſe animal, aliud eſſe vivens ſeu vegetabile; & propter hoc nec ex eadem cauſa, neque per eamdem poteſt eſſe una & eadem ſubſtantia; & hoc & animal & vivens; quapropter ex tribus cauſis vel principiis diverſis neceſſe eſt hominem eſſe hominem & eſſe animal & eſſe vivens. Reſpondeo in hoc quia non eſt aliud eſſe hominem quam eſſe animal, ſicut neque homo aliud eſt quam animal: nempe humanitas eſt quædam animalitas, alioquin homo non eſſet animal inquantum homo; quia igitur homo inquantum homo eſt animal, neceſſe eſt humanitatem animalitatem eſſe quemadmodum quia grammaticum inquantum grammaticum eſt ſciens neceſſe eſt grammaticam ſcientiam eſſe.

2. Quia ſi humanitas non eſſet animalitas homo non eſſet animal inquantum homo.

Amplius ſi humanitas non eſt animalitas, eſt igitur animalitas alia forma per ſe quam humanitas vel pars ipſius humanitatis. Quod ſi fuerit alia forma per ſe, alia inquam prorſus, & alterius ſpeciei tunc eſſe hominem & eſſe animal, erunt quaſi oppoſita ſecundum ſpeciem. Quemadmodum igitur grammaticum inquantum grammaticum non eſt muſicum propter diverſitatem ſecundum ſpeciem quæ eſt inter grammaticam & muſicam; ſic & homo inquantum homo non erit animal. Si vero dixerit quod animalitas pars humanitatis eſt, tunc homo inquantũ homo non erit animal, ſed compoſitũ ex animali & quodam reſiduo, quemadmodum humanitas compoſita eſt ex animalitate & quodam reſiduo: proportionaliter autẽ ſe habet homo ad animal, & humanitas ad animalitatem.

3. Quia niſi homo ſit compoſitũ ex materia & forma quæ animalitas eſt non erit animal.

Amplius cum animal ſufficienter ſit compoſitum ex forma quæ eſt animalitas, & materia cujus illa eſt perfectio; homo vero non: non eſt igitur homo animal.

4. Quia homo præter animalitatem habet formam ultimam.

Amplius hoc animal inquantum animal ſufficienter compoſitum eſt ex hac animalitate, & hac materia cujus forma eſt hæc animalitas, iſte homo vero amplius habet in compoſitione ſua formam ſcilicet ultimam perfectivam ipſius, quare iſte homo non eſt hoc animal, neque aliud animal, quare non eſt animal. Et idem eſt oſtendere de unoquoque aliorum hominum.

5. Concludit dilemmate hominem eſſe animal & hominem per unam & eamdem numero formam ſive animam.

Amplius animalitas aut eſt forma ſpecifica quemadmodum humanitas, aut eſt forma generalis. Si forma ſpecifica quemadmodum humanitas; omnia igitur animalia inquantum animalia erunt ejuſdem ſpeciei, quemadmodum omnes homines inquantum homines, quapropter non erunt omniá animalia convenientia in genere tantum cum conveniant in ſpecie una. Et hoc eſt de manifeſtè impoſſibilibus. Quod ſi dixerit quod animalitas eſt forma generalis, quemadmodum animal ut ita dicatur, eſt formatum generale. Erit igitur animalitas genus ad humanitatem, aſinitatem, leonitatem, &c. Quemadmodum animal genus eſt ad hominem, leonem, &c. Quapropter ſicut iſte homo eſt animal, ita hæc humanitas eſt hæc animalitas. Ex una igitur & eadem forma eſt iſte homo iſte homo, & hoc animal: quapropter ſi forma illa anima eſt, ex eadem anima numero eſt & homo & animal: Et juxta hanc viam ex eadem animá numero eſt, erit vegetabile ſive vivens iſte homo.

Recapitulatio præcedentium.

Declaratur igitur tibi per hanc viam quod anima una numero eſt perficiens hunc hominem, ſive hoc animal rationale, & eadem eſt perficiens animal & vegetabile ſive vivens, quoniam tres iſtas denominationes homo ex iis tribus effectibus ſortitur; videlicet quod vegetabilis, quod animalis, quod rationalis dicitur. Quapropter non eſt neceſſe propter pluralitatem ſive diverſitatem iſtorum effectuum ſive operationum plures aut diverſas eſſe animas in homine uno. Declaratum eſt etiam tibi quod anima vegetabilis in homine, & in planta non ſunt ejuſdem ſpeciei ſed neque ipſa vegetatio ſive vita. Hoc autem manifeſtum eſt per ipſam formationem, ſive magis placeat tibi dicere, per virtutem formativam quæ format in corpore embrionis membra, in planta vero radicem, & frondes quæ tam longè diſcrepant ab invicem.

De diverſitate formæ vegetabilis quæ eſt in homine ab ea quæ in plantis & animalibus ut in variis animalibus & plantis varia eſt pro varietate ſeminum.

Neque poſſibile eſt ut anima vegetabilis quæ in planta eſt formet membra, aut quod illa quæ in embrione eſt formet frondes & radices, perficiat corpus plantæ, & ad hunc modum ſe habet de ſeminibus. Non enim virtus eſt in grano ſynapis per quam formetur cedrus aut palma cum frondibus & radicibus ſuis, neque in grano tritici virtus eſt ut ea formetur corpus caulis. Si igitur verum eſt quod virtus quæ eſt in ſeminibus ſimilis eſt artifici, ut ait Ariſtoteles, virtutes ſeminum diverſas eſſe evidenter oſtendit diverſitas corporum, plantarum, & animalium: quemadmodum diverſitas operum artificialium diverſitatem indicat artium: ars enim fabricandi arcam indubitanter alia eſt quam ars fabricandi gladium. Si igitur virtus formativa in ſeminibus tanquam ars eſt, vel tanquam artificium, neceſſe eſt aliam eſſe virtutem formativam in ſemine humano, aliam in ſemine equino, vel cujuſcumque animalis. quapropter & aliam animam vegetabilem, cum virtus illa formativa non poſſit eſſe creatura alia quam vegetabilis.

Hoc autem dico propter ſermonem Avicennæ,

Laudat & exponit dictum Avicennæ tribuentis ſapientiæ creatoris fabricam humani corporis.

qui dicit evidenter ſolum creatorem fabricatorem eſſe humani corporis; naturam autem non poſſe in tam nobilem tamque artificioſam fabricam ſeu fabricationem. Nec mirum ſi ſpecialis cura eſt creatori de fabrica ſeu fabricatione humani corporis, cum ſecundum legem & fidem Chriſtianorum non ſolum ipſum inhabitare, ſed etiam aſſumere dignatus fuerit. Non coguntur tamen ex ſermone Avicennæ negare virtutem formativam hujus corporis in embrione eſſe: Licet enim creator benedictus unus ſit artifex & fabricator omnium, multos tamen habet miniſtros operarios, qui omnes nutu ejus, & magiſterio, atque beneplacito operantur: & de iis miniſtris ſunt omnes virtutes quæ ſunt in ſeminibus, quarum tam miranda tamque ſpecioſa opera apparent in animalibus & plantis, nec ſolum in corporibus ipſorum, ſed etiam in regiminibus ipſorum, & ornatu mirifico. Quis enim mirari ſufficiat pelles animalium, ſive piloſas, ſive alias? quis pelles ſerpentum, atque reptilium multorum pulcherrima varietate ſpectabiles? Itemque quanta ſit florum varietas, ac ſpecioſitas quis cogitare ſufficiat? & inter hæc omnia admiratione magna digniſſimum eſt unde floribus & fructibus tanta colorum varietas, & tam aſpectu deſiderabilis pulchritudo, quæ omnia nemo intelligens ignorat una ſapientia creatoris unoque magiſterio ipſius quævis per tam multos miniſtros ordiri, texi, pingi, ac tam multipliciter decorari. Ipſa enim eſt ſapientia creatoris regens ac dirigens magiſterio ſuo, & imperio omnes hujuſmodi miniſtros in omnibus, & ſingulis artificiis, & corporibus eorum.

De multitudine & varietate operum Dei qui tamen unus & ſimpliciſſimus eſt.

Quod ſi dixerit quis quia diverſitas operum ſive operationum diverſitatem cogit debere eſſe cauſarum & principiorum ex quibus ſunt. Reſpondeo in hoc quod ſi ſermo iſte verus ſit, multus eſſet & multiplex innumerabiliter creator; cum innumerabilis evidenter appareat operum multitudo non ſolum ſecundum ſpecies, ſed etiam ſecundum genera. Quis enim enumeret genera animalium greſſibilium, genera reptilium, genera volatilium; deinde genera gemmarum, genera lapidum, genera metallorum; deinde genera liquidorum, qualia ſunt mel, lac, vinum, oleum, genera plantarum, & partium earum, genera fructuum, genera granorum, genera foliorum, & rerum multarum corporalium aliarum, quarum omnium omnipotentem benigniſſimumque creatorem Salvatorem eſſe nemo rationalis ignorat. Quod ſi multiplicitas operum vel operationum multiplicem debere eſſe cogeret, ut prædixi, creatorem non ſolum multum atque multiplicatum eſſe neceſſe eſſet, ſed etiam innumerabiliter multum, atque multiplicem ipſum eſſe oporteret. Jam autem ſcita eſt & declarata eſt tibi probationibus irrefragabilibus unitas atque ſimplicitas ipſius, quod eſt dicere quod in fine ſimplicitatis ſimplex, & in ultimitate unitatis unus eſt.

Si diverſitas operationũ multiplicaret animas, eſſent ad minusquindecim animæ in unoquoque vivente.

Amplius ſi pluralitas atque diverſitas operationum ſufficeret facere debere eſſe pluralitatem animarum, eſſet numerus animarum tam in homine quam in aliis animalibus juxta numerum virium, & operationum quæ in illis ſive ex illis. Quare juxta numerum quinque ſenſuum eſſent quinque animæ in homine, & aliæ quinque juxta numerum virium aliarum, videlicet ſenſum communem, imaginativam, æſtimativam, ratiocinativam, rememorativam; Et adhuc tres, videlicet vivificativam, formativam, & nutritivam, cui deſerviunt appetitiva, digeſtiva, & expulſiva. Vides igitur in quantum numerum multiplicarent animas humanas; excreſcent enim ſecundum eos ad minus in quindenarium. Jam enim numeravi tibi tredecim vires animarum humanarum, de quibus manifeſtum eſt quod totidem ſunt & operationes earum. Reſtant autem adhuc concupiſcibilis, & iraſcibilis de viribus animæ humanæ, quæ cum aggregatæ fuerint aliis, erunt in univerſum quindecim.

Idemoſtendit ex alio abſurdo: quia unum animal plura animalia eſſet pro diverſitate membrorũ.

Neceſſe igitur habent confiteri non ſolum tres ſed etiam quindecim animas eſſe in homine unoquoque: coget etiam eos iſte error unum hominem non unum animal eſſe, ſed etiam multa animalia aggregata juxta numerum membrorum officialium ipſius. Si enim virtus viſibilis anima una eſt, cum omnis anima ſenſibilis perfectio ſit animalis unius, non effugient quin neceſſe habeant concedere oculum hominis animal unum eſſe, & alterum oculum aliud animal ſimiliter eſſe: & per vias hujuſmodi ibit res in infinitum per ſingula membrorum aliorum, membrorum inquam officialium, per quę exercentur operationes determinatæ.

Deindequia unus homo non deſinit unus homo eſſe quamquam multas & artes & ſcientias calleat.

Scitò igitur in iis quia nihil prohibet ex unà ſubſtantia multas operationes eſſe, ſicut vides in uno homine pro diverſitate artium & officiorum multas eſſe operationes; unus enim & idem homo invenitur & Faber, & Agricola, & Negotiator, ut ad unum dicam, quod poteſt ſcire, vel artes vel artificia, ad tot operationes ſe potentem & promptum efficit. Unus enim & idem homo invenitur & Faber & Agricola ſe potentem & promptum efficit, & tu ſæpiſſime vides unum & eundem hominem Grammaticum, Muſicum, Geometram, nec propter hoc vel non unus eſt vel minus unus.

Occurrit objectioni cuidam, de multiplicitate potentiarum & operationũ animæ.

Quod ſi dixerit quis quia ſi unus homo multarum operationum cauſa, & principium ſit, ſive artifex & effector, non eſt propter hoc quod unus; imo propter hoc quod multiplex eſt, ſeu multus; multus inquam ſeu multiplex eſt in artibus vel artificiis. Reſpondeo autem hujuſmodi homini quia vel concedit animam multam eſſe ſive multiplicem viribus & potentiis, & unam eſſentialiter, aut concedit unam non eſſe, ſed multas, & nullam earum multum eſſe ſive multiplicem viribus & potentiis. Utrumlibet autem iſtorum dicant negare non poteſt eamdem animam videre, & audire, & intelligere. & reminiſci. Jam enim affirmatum tibi hoc in præcedentibus propoſitionibus, quod non eſt contradictio vel reſiſtentia; cum omnes hujuſmodi operationes animæ ipſius per ſe ac proprias eſſe declaratum tibi ſit. Quapropter inficiari non poteſt niſi inſaniſſime unam & eamdem animam humanam operationes hujuſmodi exercere. Et quoniam jam patefactum eſt tibi potentias quæ animæ humanæ ponuntur ad hujuſmodi operationes unum eſſentialiter eſſe, nec aliud eſſe aliquam earum quam ipſam animam; patefactum enim eſt tibi ex una eſſentia animæ humanæ procedere omnes hujuſmodi operationes. Quare manifeſtè ſalvare poteſt unitatem animæ humanæ in tanta varietate vel multitudine operationum. Jam igitur feci te ſcire quare multitudo ſive pluralitas operationum quæ ex anima humana ſunt non cogit debere eſſe multitudinem animarum in homine uno, & adhuc audies per me in ſequentibus ſimile & ſimilitudines & exempla convenientia ad hoc. Nec obſiſtit huic ſermoni quod objiciebas de Grammatico, & Muſico, & Geometrico; operationes enim illas forinſecas quas per partes operatur anima humana non operatur per eſſentiam ſuam ſive per ſe aut per naturam ſuam ſolam, imo per adventitias artes & artificia. Apparet igitur tibi quod illas operatur per ſuperadditas ſibi artes, alias autem operatur per ſe, & per hoc quod una eſt naturaliter.

Quod embrio nõ ſit propriè in ſpecie ut pote cum ſit incompletũ aliquid.

Quod vero quæritur de embrione utrum ipſe ſit de ſpecie aliquà, vel res alicujus ſpeciei. Reſpondeo quia res hujuſmodi determinatur per hoc quod in eà nominatur ſpecies; ſpecies namque totum eſſe

eſt uniuſcujuſque individuorum ſuorum. Quapropter neceſſe eſt unumquodque totum eſſe & propter hoc jam habere eſſe ſuum completum. Embrio autem tu ſcire quoniam in via eſt ad complementum eſſendi, & non jam in termino complementi; complementum enim eſſe terminus eſt generationis, & propter hoc ipſa ſpecies terminus eſt generationis, cum ſit totalitas ipſius eſſe ut totalitas omnis ſit perfectio ejus cujus eſt totalitas. Quapropter non eſt neceſſe, ut videri poteſt, embrionem eſſe in ſpecie aliqua, cum in via ſit ſive via ad aliquam ſpeciem. Quemadmodum de inſtrumento quod fabricatur & fit ab artifice ſuo non eſt neceſſe dum fit vel in fiendo ipſum eſſe in ſpecie cujus individuum efficitur; eſſe enim in ſpecie, ſicut prædixi, eſt eſſe in operatione ſeu perfectione: & propter hoc eſſe in facto non in fiendo juxta hunc modum ſe habet de domo quæ ædificatur. Non enim eſt in ſpecie ad quam per ædificationem ventura eſt, non eſt adhuc in effectu hæc domus vel alia; dum enim eſt in via nondum eſt in termino viæ illius: ædificatio autem via eſt pertinens ad eſſe domum & ad eſſe hanc domum. Eodem modo ſe habet & de igne qui generatur, quoniam dum generatur in via eſt perventionis ad eſſe ignem & ad eſſe hunc ignem: eſſe vero ignem & eſſe hunc ignem eſt terminus generationis ignis iſtius. Quapropter cum perventum fuerit per generationem ignis ad eſſe ignem, & ad eſſe hunc ignem, ceſſabit generatio, quemadmodum ceſſat viatio cum perventum eſt ad terminum viationis.

Obiicitur contrapræcedentia quod in quolibet inſtanti generationis ignis generetur ignis.

Quod ſi dixerit quis quia in omni puncto ſive nunc generationis iſtius ignis aliquid generatum eſt de ipſo quod jam eſt ignis, & eſt ignis iſte in effectu, & ſi revera nondum eſt totus ignis, quia in quolibet inſtanti generationis ipſius, ſicut eſt invenire aliquid generatum de eo, partem ſcilicet aliquam, ſic & in quolibet hujuſmodi inſtantium reſtat aliquid generandum totaliter: nec prohibetur pars genita ipſius quæcumque eſſe in effectu, & eſſe in termino, & in facto, non in fiendo, ut ita dicatur. Similiter & eſſe ignis, & eſſe hoc aliquid veriſſimè dicitur. Sic etiam homo in via generationis eſt & in fiendo quamdiu durat informitas embrionis, & formatio ejus, & propter hoc potentia tantum ſive potentialitate eſt ipſe homo. Verumtamen non prohibetur propter hoc quin aliquid de ipſo jam genitum ſit in effectu.

Semina eſſe alicuius ſpeciei ſecundum ſe, licet aliud ſit ſecundum ſpeciem.

Amplius non eſt dubium quin omne ſemen aliquid ſit, & hoc aliquid, & propter hoc individuum, & in aliqua ſpecie, verumtamen non in ea ad quam eſt ſemen. Amplius quis dubitat an ſemen humanum & ſemen equinum diverſarum ſpecierum ſint, & quin eſſe ſemen humanum ſit eſſe alicujus ſpeciei in effectu & alterius ſpeciei in potentia. Aliud enim eſt in potentia, aliud eſt in effectu; potentia enim animal eſt ut pullus vel aliud animal, aliud vero eſt eſſentialiter & actualiter ſive in effectu. Quanto fortius igitur ſemen humanæ generationis, cum ſit potentialiter homo, erit actualiter & in effectu ſemen: ſi enim poteſtas quam habet omne ſemen ad eſſe animal, non auffert ei eſſe ſuum actuale quo eſt, quam ob cauſam auffert humano ſemini potentialitas quam habet ad eſſe hominem, eſſe ſuum actuale, atque ſpecificum quo eſt ſemen?

Solvit obiectionem.

Debes autem ſcire quod exemplum quod adductum eſt de igne qui generatur non eſt ſatis conveniens ad propoſitum. In quolibet enim inſtanti generationis illius eſt invenire aliquid quod eſt pars illius: de embrione autem non ſic ſe habet. Non enim eſt unum dicere de embrione quod ipſe ſit pars hominis qui generatur, ſive formatur in utero matris, & forte neque aliquid quod eſt pars embrionis, pars futura eſt hominis, niſi forſitan cor: & hoc tunc demum ſi cor prius in homine generatur quam cætera membra, quod nonnulli credunt Ariſtotelem ſenſiſſe. Et idem ſciendum eſt de quocumque alio membro quod prius in embrione generaretur quam anima rationalis ad perfectionem hominis creetur.

PARS QUARTA.

Quod membra formantur & fabricantur ante infuſionem animæ.

De doctrina Chriſtianorum exiſtimantium animam infundi 46. die.

Reminiſci etiam te oportet ejus quod quidam Philoſophus latinorum dixiſſe videtur, & ſcripſit in libro ſuo, videlicet quod ſeptima hora ab infuſione ſeminis in matricem haberet ſemen vitam. Doctrina vero Chriſtianorum habet quod quadrageſimo ſexto die conſummatur formatio eius ad ſimilitudinem templi illius famoſiſſimi Hebræorum quod 46. annis ædificatum fuit. Secundum hoc igitur anima rationalis quadrageſimo ſexto die infunditur fœtui hujuſmodi, & quaſi ſeptem ſeptimanis completur formatio ejus. Nec multum attendas, nec cures ſermones Aſtronomorum in parte iſta qui dicunt Saturnum prima hora agere in ſemen informando, & coagulando ipſum, deinde alias planetas per horas ſingulas juxta ordinem quem poſuerunt eis in libris ſuis. Jam igitur de operationibus planetarum pateſeci tibi intentionem meam, nec eſt opus ut hic aliquid eorum quæ audiviſti repetam tibi.

Refert ſententiam quæ Albumaſari.

Nec prætereundus eſt ſermo Albumaſar quem dicit in libro introductionis judiciorum aſtrorum, dicens quod unaquæque ſpecies aſſumit de ſubjecta ſibi materia ea quæ congruunt naturæ ſuæ. Ex. g. Leonina ſpecies dentes & ungues fortiſſimos & pellem quæ pro tecto corporis ſui conveniat: ſpecies vero cervina cornua & alia juxta convenientiam naturæ ſuæ: ſic ſpecies volatilium pennas & plumas & pedes, vel ad volandum aptos, vel ad capiendum animalia, quorum præda veſcendum eſt ei ſeu vivendum, nec oportet ut adducam de iis exempla. Poteſt ſiquidem alicui videri ex hoc ſermone quod unaquæque ſpecies animalis formet ſibi corpus juxta convenientiam naturæ ſuæ, & hoc aliquando viſum fuit mihi ſenſiſſe Albumaſar: quod ſi ita eſſet, tunc ſpecies humana formaret ſibi corpus ſecundum ipſum.

Hanc ſententiam nō poſſe intelligi de ſpecie univerſali nec de individuo ſpeciei, ſed de creatore formante unicuique membra juxta convenientiam naturæ ſuæ.

Hoc autem non videtur poſſe intelligi de ipſa ſpecie quæ eſt univerſale; univerſali enim agere vel pati non eſt opinio vel ſermo philoſophorum: Quapropter intelligitur de unoquoque individuorum cujuſlibet ſpeciei, præſertim cum ſpecies Leonina nec dentes nec ungues habeat, nec ſpecies cervina cornua. Quis enim cogitavit unquam ſpeciem cornutam, vel genus cornutum? Individuorum autem evidentiſſimi ſunt iſta omnia videlicet cornua & ungues, dentes & pelles & pennæ & plumæ, & omnia alia hujuſmodi de individuis. Et hoc dixit Philoſophus ille quod unumquodque de ſubjecta ſibi materia aſſumit partes & inſtrumenta vel ornamenta juxta congruentiam naturæ ſuæ: qualiter autem aſſumit hæc omnia niſi fabricando? Non enim aſſumit jam facta, neque invenit præparata. Quare embrio in informitate ſua individuum eſt ſecundum iſtum philoſophum hujus ſpeciei homo, & eſt formans ſibi oculos & pedes & manus & aures & reliquam ſuppellectilem totam membrorum, & partium corporis ſui. Omne autem quod eſt operans vel fabricans in effectu

procul dubió eſt in actu, & non in potentia tantum: quare Socrates fuit in ventre matris ſuæ in effectu, formans & fabricans ſibi corpus & membra omnia, & ex hoc ſequitur quod ſit formans & fabricans ſemetipſum. Non enim intelligitur formatio vel fabricatio illius hominis niſi quantum ad corpus, quantum vero ad animam non eſt locus formationi vel fabricationi, cum jam declaratum ſit tibi ipſam eſſe impartibilem. Reſpondeo igitur in iis quod ſermo iſte quo dixit unamquamque ſpeciem aſſumere & cætera, aſſumere vel recipere intelligendum eſt à fabricatore creante & formante unicuique hujuſmodi individuorum, vel membra, vel alia quæ nominavi juxta aptitudinem naturæ ſuæ. quapropter non intelligendum eſt quod ipſa ſpecies aſſumit membra & inſtrumenta formando & fabricando ea, ſed potius ex dono creatoris qui ſingulis individuis corpus fabricat, & aptat omnia prænominata; ipſe enim eſt qui veſtit animalia pellibus, quædam pennis & plumis, & quædam armat cornibus & dentibus, quædam dentibus & unguibus, ſimiliter quædam roſtris, & unguibus.

Et ipſas etiam irrationales animas ſimiliter ad eſſe corporibus ſuis cum formata ſunt.

Si quis autem quæſierit utrum ſimiliter de animabus irrationalibus, videlicet utrum creantur & infundantur tunc primum cum corpora eis plenè formata, & integrè fabricata eis fuerint. Reſpondeo veriſſimè eſt tunc primum eas infundi corporibus, cum eis uti poſſint, & per ea operari; alioquin ſupervacuum eſſet & prorſus inutile eſſe earum in illis.

Expoſitio benignæ ſententiæ Albumaſari.

Intende diligenter intentioni ſermonis illius quo dixit Albumaſar videlicet quod unaquæque ſpecies aſſumit de ſubjecta ſibi materia quod convenit naturæ ſuæ: dico enim quod ſubjecta illa materia non eſt niſi ſemen & nutrimentum, & iſta aſſumptio ſive aſſumere non eſt niſi habere vel recipere, & hoc ex dono creatoris quia unaquæque ſpecies de materia de qua formatur habet vel recipit ex dono creatoris juxta generationem naturæ ſuæ.

CAPITULUM QUINTUM.

PARS PRIMA.

Quod anima filij non ſit ab anima patris & matris.

Proponit de quibus tractaturus eſt.

POST hoc autem juxta promiſſum conſequens eſt, ut aggrediar perſcrutari de origine animæ humanæ, & intendo utrum origo ſit ejus creatio vel generatio ipſius. Deinde quid ſit illud de quo generari eam intelligant qui hoc ponunt vel poſuerunt. Verum quoniam de errore Platonis qui poſuit eas creatas vel collocatas in comparibus ſtellis antequam intrarent in corpora jam expedivi té & me. Similiter de errore illo Pythagoræ qui poſuit eas à corporibus in corpora transferri ut purgentur in eis, debent tibi ſufficere quæ illic audiviſti. Hic autem proſequar alias quæſtiones convenientes propoſito ſecundum intentionem meam in parte iſta tractatus iſtius. Incipiam igitur & dicam quod non eſt poſſibile animam humanam generari ab anima vel ab animabus; à corpore vel à corporibus, vel à compoſitis ex utriſque. Similiter nec de anima, nec de animabus, nec de corporibus, neque de compoſitis ex utriſque: & intendo quod neque de homine, neque de fœmina, neque de ambobus inſimul; hoc enim poſuerunt quidam erronei quod anima ab anima generatur, ſicut homo ab homine, & quoniam anima filij ab anima patris generatur. ſicut lumen à lumine, vel ignis ab igne accenditur.

Oſtendit animas filiorum non eſſe à parentibus quia ęque deberent à matribus atque à patribus.

Hujus autem erroris deſtructiones multæ ſunt: & primam earum ponam iſtam. Si enim anima filij generatur ab anima patris, cur non ſimiliter & ab anima matris? ſicut enim pater genitor dicitur, ſic & mater genitrix nominatur. Amplius ſi non gignit vel generat anima matris, cur igitur & propter quid genitrix dicitur? Quod ſi dixerit quia ſolius corporis dicitur genitrix, & eſt: quid igitur minus operatur in generatione animæ quam pater? Amplius quoniam illud movet quoſdam ex erroneis iſtis animas filiorum generari ex animabus patrum quod filij in diſpoſitionibus aſſimilantur animabus patrum, & ſimilitudo atteſtatur generationi; quoniam generatio omnis naturalis ſecundum naturæ ſimilitudinem eſt. Dico rationem iſtam cogere eos ad concedendum animam matris non minus agere ad generationem animæ filij, quoniam neque rarius, neque minus inveniuntur aſſimilari matrum animabus animæ filiorum, quam patrum animabus. Amplius non minus filij dicuntur & habentur matrum quam patrum: minus autem eſſent filij proculdubio matrum, quam patrum, ſi quantum ad corpora tantum eſſent matrum; cum ſecundum errorem iſtum, & quantum ad animas, & quantum ad corpora filij ſint patrum; minus enim generarentur à matribus quam patribus; minus enim generaliter eſt pars quam totum, & omne quod eſt ſecundum partem, quam quod eſt ſecundum totum, & omne quod eſt ſecundum quid eo quod eſt ſimpliciter. Cum igitur generare matrum ſive generatio earum ad filios ſecundum hos modos ut videlicet ſecundum partem & ſecundum quid, minus eſt quam generatio patrum in eiſdem, quapropter erit minus & correlativum, videlicet filiatio eorum ad matres quam ad patres: quare minus erunt filij matrum quam patrum. Tam natura artem quam conſuetudo quæ ex natura trahit originem teſtificatur contrarium, amor enim matrum in filios non eſt minor quam patrum in eoſdem nulli autem dubium eſt amorem eſſe ex filiatione tanquam ex cauſa. Quapropter ſi non minor amor naturalis matrum in filios quam patrum in eoſdem, nulli autem dubium eſt amorem eſſe ex filiatione tanquam ex cauſa. quapropter ſi non minor amor naturalis matrum in filios quam patrum in ipſos, non eſt minor cauſa amoris matrum in filios quam patrum in ipſos. Non eſt igitur minor filiatio matrum quam patrum in filios communes, ſed neque filiorum in matres minor eſt amor naturalis, qui utique cauſaliter ex filiatione eſt quam amor eorumdem in patres. Quapropter non minor cauſa illius, ideo non minor filiatio.

1. Quia ſi ab ambobus non poſſet ſtatui temporis quo ſemen prius inanimatum eſſe animatum inciperet.

Amplius ſi ex animabus amborum generatur anima filij, quærendum eſt ab eis quando generatio eſt, ſive quando fit. Utrum enim ſemen ſpatio aliquo temporis inanimatum permanet, & non vivens, & ſeptima hora juxta ſermonem prædictum Hypocratis primum haberet in vitam quod eſt dicere incipit vivere? Toto autem tempore quod inter generationem eſt, parentum & horam illam ſeptimam ceſſant parentes ab opere generationis, quare toto illo tempore nihil generant; anima igitur non generatur toto illo tempore, vel ab eis, vel ab altero eorum. Quare ſi generatur, generatur ipſa hora concubitus, & quia quam cito generatur & eſt & eſſe incipit, cum ſit impartibilis: eſt igitur in ſeminibus amborum parentum, vel in altero eorum, quare ſemina animata ſunt vel ſaltem aliquod eorum. Cum igitur anima illa anima rationalis ſit, erunt illa ſemina vel unum animal. vel duo animalia rationalia, vel ſaltem alterum eorum erit animal rationale, & propter hoc homo. Non ſolum igitur mentietur Hypocrates qui dixit vitam non eſſe in ſemine ante horam ſeptimam ab infuſione

ſione illius in matricem, ſed etiam accidit eis illud monſtrificum impoſſibile quod ſemen animal eſt in ipſa hora infuſionis, & propter hoc non eſt materia hominis uno eſt totus homo.

3. Quia generatio vel erit de aliquo vel de nihilo: ſi de nihilo, creatio erit quæ ſolius Dei eſt, ſi de aliquo vel de anima vel de corpore.

Amplius qualiter intelligit generationem hujuſmodi fieri, videlicet an de aliquo an de nullo. Si de nullo ſive de nihilo quod idem eſt, tunc non generatio ſed creatio erit; educere enim aliquid de nihilo ad eſſe creare eſt: unde creare operatio eſt propria ſolius omnipotentis creatoris, & propter hoc ſecundum omnem legem propria & incommutabili nominatione creator dicitur. Patrem autem carnalem nemo adhuc rectè loquens creatorem dicit, neque communis uſus loquendi ſic patrem nominare patitur. Quod ſi dixerit quia de aliquo, neceſſe habet dicere quia de anima patris, vel de anima matris, vel de corporibus amborum, aut de corpore alterius, aut de ambobus compoſitis ſimul, aut de altero eorum.

Non de corpore quia non generatur de corpore niſi corpus.

Quod ſi dixerit de corpore manifeſtus eſt error ejus; quia de corpore nonniſi corpus generari poteſt, quod & ipſum nomen generationis indicat; generare enim non eſt niſi ſuum genus dare per modum aliquem. Amplius ex homine nonniſi homo naturaliter generatur, nec ex equo niſi equus, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Quapropter de corpore, vel ex corpore non generabitur niſi corpus. Et quoniam jam declaratum eſt tibi animam humanam non eſſe corpus, manifeſtum eſt non eſſe poſſibile ut de corpore anima generetur, & per eamdem viam manifeſtum eſt tibi quod neque de corporibus.

Non de anima, 1. quia ſic corrumperetur anima patris ac proinde ipſe pater.

Quod ſi dixerit quod pater de anima ſua gignit animam filij, transfundit igitur aliquid de anima propria in animam filij; cum omne quod de anima illa eſt partem illius eſſe neceſſe eſt: quapropter deſtruitur anima patris in generatione animæ filij, cum amittat partem ſui. Amplius omne de quo aliquid generatur naturaliter corrumpitur in generatione illius: Quapropter corrumpitur anima patris in generatione animæ filij: & propter hoc ipſe pater. Si enim corruptione ſui corporis corrumpitur omnis homo, multo fortius corruptione animæ ipſum corrumpi neceſſe eſt, & mori, cum non vivat niſi per animam.

2. Quia ſi per deciſionem ab anima patris, minorabitur & debilitabitur anima patris per generationem multorum filiorum.

Amplius. Id quod transfunditur per generationem de anima ſua in animam filij, aut eſt anima, aut non: ſi eſt anima, eſt igitur pars animæ, & minoratur ipſa anima patris detractione partis hujuſmodi. Quapropter minorabitur anima patris per generationes filiorum; cum uniuſcujuſque filiorum anima pars ſit animæ patris detracta ab illa: per generationem autem hujuſmodi, aut immutationem non ſequeretur ſolummodo animæ patris debilitatio, ſed etiam imminutio magna. Quapropter eſſet & minus animal, & minus homo pater poſt generationem filiorum, quam ante: impoſſibile autem eſſet imminutionem hujuſmodi non ſentiri. Quia igitur à nullo ex patribus ſentitur, manifeſtum eſt ipſam non eſſe.

3. Quia filius non generaretur niſi ſecundũ corpus, cum anima eius prius eſſet in patre.

Amplius ſecundum hoc nullus filius generaretur niſi ſecundum quid, & hoc eſt dicere ſecundum corpus; anima enim cujuſcumque filij non generaretur cum prius eſſet in anima patris tanquam pars ipſius.

4. Impartibilitas ſuperius demonſtrata errorem iſtum revincit.

Sufficit autem ad inſaniam erroris iſtius deſtruendam declaratio illa quæ patefacta eſt tibi in præcedentibus impartibilitas animarum humanarum: cum enim impartibilis ſit ſecundum ſuam eſſentiam omnis anima humana, non eſt poſſibile ipſam dividi in animas filiorum. Si vero dixerit quod de amborum parentum animabus ſit generatio animæ filij juxta prædictum modum, non eſt neceſſe ut novas deſtructiones circa errorem iſtum adducam tibi, cum deſtructiones iſtæ quas ex primo audiviſti ad hanc tibi ſufficiant evidenter.

Non relinquitur igitur hujuſmodi erroneis aliud effugium, niſi ut dicant quod pater de ſe ipſo, vel mater de ſe ipſa, aut ambo ſimul de ſe ipſis generant animam filij. Et hic error non eſt minoris inſaniæ, quam aliquid ex præcedentibus. Primum quia quod homo generat de ſe naturaliter non eſt poſſibile ut ſit niſi homo; generatio enim non eſt niſi inter res ejuſdem ſpeciei: quæ enim eadem ſpecies ſunt rerum generabilium & corruptibilium in animalibus & plantis ex ſe invicem generantur, ſicut dicit Ariſtoteles: quapropter ex homine & ab homine non eſt poſſibile niſi hominem generari. Non eſt igitur poſſibile ut homo animam generet, ſed homo compoſitum eſt ex anima & corpore, & anima ipſa vera pars hominis eſt.

Nec pater, nec mater, ſeorſim aut ſimul generant 1. quia homo non generat niſi hominẽ.

Amplius ſi homo de ſe ipſo toto generat animam filij ſui, aliquid de ſe ipſo transfundit per generationem in animam filij. Quapropter neceſſe eſt ut id decidatur aut ab anima ipſius ſola, aut à corpore ſolo; aut partim ex hoc, partim ex illo. Quod ſi de corpore ſolo cum à corpore vel de corpore non ſit poſſibile decidi vel transfundi niſi corpus, ſequuntur ex hoc duo impoſſibilia. Primo quia ad quid transfunditur in animam; ſi manet in anima, tanquam pars, erit aliquod corpus pars animæ & transfuſum illud. Si vero non manet, nihil operabitur ad generationem animæ. Quod ſi fortè dicat illud eſſe ſemen animæ: ex ſemine autem quod eſt corpus verum non poteſt verè per ſe generari aliquid, quod non ſit corpus. Secundum vero inconveniens quod ex hoc errore ſequitur eſt illud quia cum deciſio fiat de corpore ſolo patris ad generationem animæ filij, de corpore ſolo erit generatio illius: hoc autem non minus inconveniens eſt, videlicet dicere de corpore ſolo patris fieri generationem animæ, quam ſi diceret è converſo, hoc eſt quod de ſola anima patris ſit generatio corporis filij. Jam enim non eſt tibi dubium, nec alicui intelligenti, omne quod de corpore generatur corpus eſſe: animam vero nullam corpus eſſe evidenter ex præcedentibus eluceſcit.

Oſtendit patrem non generare animam filii de ſe toto quia ſic deberet transfundere aliquid ſui.

Quod ſi dixerit quia de ſe toto id eſt, de anima ſua, & corpore ſuo ſimul ſumptis generat pater animam filij, tunc manifeſtum eſt, quia nec anima, nec corpus debet eſſe anima filij, cum generetur ex corpore & anima ſimul ſumptis. Omne enim generatum per generationem accipit eſſe, quod eſt apud generationem vel generantes. Quapropter ſi anima filij non recipit eſſe compoſitum ab ipſo patre generante, cujus eſſe conſtat eſſe compoſitum ex anima & corpore; non generatur ab ipſo compoſito ſecundum quod eſt compoſitum, ſed potius ab ipſo ſecundum partem cujus eſſe recipit ab ipſo. Quapropter cum anima filij non recipiat à patre generante niſi eſſe animæ, nihil autem recipiat à parte corporis, neceſſario eſt conſequens ipſam non generari à patre ſecundum quod compoſitus, ſive ſecundum totalitatem ſui eſſe, ſed ut dixi, ſecundum partem illam cui generata proles, hoc eſt anima filij, aſſimilatur in eſſe: Similitudo namque naturalis ſive eſſentialis bonum teſtimonium eſt ſive indicium generationis. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc impoſſibile eſſe animam humanam generari à patre ſecundum quod compoſitus eſt ex anima & corpore; & hoc eſt dicere ſecundum totalitatem ſui eſſe, præſertim cum à parte corporis nihil transfundat per generationem hujuſmodi in ipſam animæ ſubſtantiam. Jam enim feci te ſcire animam humanam nec corpus eſſe, nec partem habere quæ ſit corpus. Per eaſdem vias faciliimè eſt

Item quod nec pater, nec mater de ſe totis, ut compoſita ſunt ex corpore & anima ſimul ſumptis generat animã.

tibi deſtructio ſi dixerit quia de ambobus parentibus inquantum compoſiti ſunt ex animabus & corporibus, hoc eſt ſecundum totalitatem ſuorum eſſe generatur anima filij.

Idem probat ex animalibus quæ ſine parentibus generãtur.

Quid autem dicere poſſunt, vel delirare potiùs de animabus animalium quæ ex patribus vel ex parentibus non generantur; difficile eſt cogitare ſiquidem vermes in caſeis, & buffones etiam in rupibus, & in intimis rupium ſeu ſaxorum generantur; cum in locis generationum ipſorum nulli ſint parentes. Unde igitur hujuſmodi animalia generantur? cum in locis generationum ipſorum nulli ſint parentes, nulli patres vel matres. Quod ſi dixerit ab ipſa materia eos generari ex qua ipſa animalia generantur. Et hoc indubitanter abſurdius eſt cum materiam illam conſtet mortuam eſſe, & prorſus inanimatam: quod autem corpus inanimatum animam gignat quis ignorat intolerabilis ſit inſaniæ delirare.

Reſpondet obiectioni petitæ ab exemplo lucernæ accenſæ ab alia lucerna, & quod flamma non ſit niſi fumus accenſus.

De ſimilitudine quoque quam prò errore ſuo defendendo inducunt non prætèribo, quin faciam te ſcire quanta deſipientia per eam decipiuntur; accenſio namque luminis ex lumine ſive lucernæ ex lucerna aliquid habet generationis, qua ſcilicet generatur fumus ex cera per calorem lucernæ cui ipſa cera applicatur. Deinde accenſio fumi alteratio eſt; flamma namque ſicut ex ſenſu viſus apparet, & ex ſermonibus Ariſtotelis in libris meteorum non eſt niſi fumus incenſus: fumus autem incenſus fumus eſt indubitanter: ſtulti autem qui intima rerum penetrare non prævalent, ipſam accenſionem fumi, ſive accenſam inflammationem ipſius generationem flammæ opinantur, quæ generatio non poteſt dici niſi quemadmodum dealbatio generatio albi.

Alio modo reſpondet afferendo diſparitatẽ ex eo natã quod flamma generetur à flamma per corruptionem alterius.

Verum non ſit contentio inter me & ipſos de vocabulo, ſive de nomine: eſto quod flamma generetur à flamma; manifeſtum eſt quod aliquid corrumpitur in generatione flammæ, videlicet vel cera, vel lignum, vel aliquid ex hujuſmodi cauſantibus. Nihil autem omnimodè à flamma generante tranſit ad flammam genitam; in hoc enim totaliter apparet, quia totaliter ſalvatur flamma generans abſque ulla ſui diminutione per omnem modum: & intendo per omnem modum, quia neque quantum ad claritatem, neque quantum ad calorem, vel ardorem, neque quantum ad quantitatem, neque quantum ad ſubſtantiam ullo modorum apparet diminutio in flamma generante per generationem alterius. Alioquin juſta eſſet prohibitio accenſionis luminis ex lumine, & ignis ex igne: iſta autem ſunt quæ communicant homines ad invicem abſque ulla difficultate, & iniquitatem intolerabilem reputant denegare lucernam ad accendendam aliam juxta ſermonem poëtæ quo dicit, quis vetat accenſo lumen de lumine ſumi.

Dare eſſe ſoli omnipotentiæ creatoris poſſibile eſt adeo ut & ipsá formá ſubſtantialem creari neceſſe ſit.

Qualiter igitur generatio flammæ genitæ attribueretur priori flammæ; eſſe enim dare ſoli virtuti omnipotentis creatoris poſſibile eſt: & forma ipſa ſubſtantialis flammæ non generatur, ſed creatur, quemadmodum & in omni cujuſcumque operis ſive cujuſcumque ſubſtantiæ corporeæ productione. Si enim generaretur, neceſſe eſſet ipſam eſſe materiam, & id cujus corruptione generaretur communicare cum ipſa in materia; unam enim materiam uniuſcujuſque generati & ejus ex quo generatur neceſſe eſt eſſe, ſicut alibi dictum eſt

Agentia naturalia ſolummodo præparare materiam, Deum autem præſto eſſe qui formam infundat & creet.

Quod ſi quærat quid igitur operatur ignis qui dicitur generans ad generationem, & eſſe illius qui per ipſum generatur? Nihil aliud reſpondeo in iis, niſi quia materiam præparat removendo ab ea diſpoſitiones quæ repugnant formæ generati, & prohibent eam à materia in qua ſunt. Præſto autem eſt largiſſima bonitas, ac virtuoſiſſima creatoris quæ in materiæ parte ſtatim dat formam convenientem illi. Et hoc apparet evidenter in generationibus animalium; ubicumque enim materia parata eſt ad recipiendum vitam, vel animam, ſtatim eam illi creator infundit; non enim eſt qualiſcunque deſipientia delirare, vel fingere virtutem aliquam in caſeo vel ligno eſſe, vel rupe duriſſima, quæ vitam vel animam prænominatis animalibus infundere valeat, vel pręſtare. Quapropter manifeſtum eſt animas illas videlicet prædictorum animalium à virtute omnipotentiſſima creatoris in locis generationis ipſorum creari. Non enim poſſibile eſt ex aliqua materia eas inibi generari; quia neque ex mortua, neque ex viva materia; cum nulla ſit ibi materia viva ante creationem vitæ, vel animæ. Mortua vero materia hoc eſt in ſe nihil habens vitæ omnino inepta eſt, & impotens quod vel ab ea vel ex ea ſit vita vel anima ſicut dixi.

PARS SECUNDA.

Quod anima à ſolo Deo creatur & infunditur.

Contra Ariſtotelẽ & ſequaces qui animæ humanæ creationem intelligentiæ creatæ attribuere auſi ſunt.

IAm igitur feci te ſcire per hoc cum illa aggregaveris & applicaveris applicatione quæ convenit inveſtigantibus veritatem, applicaveris inquam, & aptaveris queſtionibus, quarum hic quæritur certitudo; quia anima humana non eſt niſi per creationem, & propter hoc non habet cauſam efficientem niſi creatorem benedictum: & quia opiniones eorum qui dixerunt eam eſſe à patre vel à matre, vel ab ambobus parentibus deliramenta ſunt per omnem modum intolerabilis inſaniæ. Poſt hæc autem incipiam deſtruere errorem eorum qui cauſas alias efficientes quam creatorem benedictum eidem poſuerunt, ex quibus fuit Ariſtoteles, & ſequaces ejus, videlicet Alpharabius, Algazel, & Avicenna & plures alij qui poſt eum & per eum forſitan à via veritatis in parte iſta deviaverunt. Poſuerunt enim intelligentiam agentem effectricem animarum humanarum. Et quoniam manifeſtum eſt eas per generationem non eſſe poſſibile venire in eſſe, neceſſe habuerunt ponere ut hoc eſſet eis à creatione, non abhorrentes nomen incommunicabile creatoris in creaturam impiiſſima abuſione communicare, neque operationem omnipotentis creatoris propriam, ejuſque ſolius virtutis poteſtatem creaturæ attribuere: operatio autem iſta creare eſt à qua ipſe propriè & incommunicabiliter & etiam venerabiliter nominatur apud omnes gentes, quibus vel modicam ſui notitiam dignatus eſt impertiri.

Exponit ſententiam illorum qui putant intelligentiã agentem ſeparatam creatricem & perfectricem eſſe animarum noſtrarum ſimul & refellit.

Scito igitur quia hujuſmodi philoſophi ſcilicet prænominati intelligentiam iſtam poſuerunt unam numero unicam ſeparatam, id eſt ſeorſum à corpore, & corporalibus conditionibus, ſimiliter à materia corporali omni & materialium permutationum tumultibus, & vocaverunt eam intelligentiam agentem, & dixerunt eam eſſe creatricem & perfectricem omnium animarum humanarum, & quoniam perfecta communicatio animarum noſtrarum ad ipſam eſt eis voluntas perfectionis, & hoc eſt dicere beatitudo & gloria. Ex quibus omnibus conſequens eſt evidenter ipſam adorandam animabus humanis, atque colendam cultu ſupremo honoris, & habendum Deum verum ab hominibus. Cum enim & eſſe & bene eſſe, imo bene, & glorioſè vivere ſit animabus noſtris ab illo ſecundum errorem iſtum & inſaniam iſtius erroris, quis alius Deus, vel adorandus, vel honorandus, cultuque ultimæ honorificentiæ colendus putari poteſt ab illis? Iſta enim ſunt propter quæ ſola adoratur, colitur in omni gente vel natione quidquid apud illam creditur vel reputatur Deus. Quem enim reputat

putat, vel habet quæcunque nationum & gentium Deũ, niſi datorem & ipſius eſſe & ipſius bene eſſe, imo ipſius optime eſſe quod eſt beatitudo, atque fœlicitas quæ Dei veri veris cultoribus, ac veneratoribus danda eſt, & honorificentiã ipſius obſervantibus illam promiſit, ac certiſſime daturus eſt; quia vaniſſime ac ſupervacue coleretur alius Deus, ſi omnia hæc bona largitur animabus noſtris intelligentia hæc; cum nonniſi propter hoc colatur, aut colendus dicatur.

Explicat quod dixerat Deum non eſſe colendum niſi quia largitor eſt beatitudinis, gratis etenim colendum eſſe, ubi meminit tractatus de virtutibus & moribus.

Verumtamen ſane intellige ſermonem iſtum, cum jam declaratum ſit tibi in tractatibus de virtutibus ac moribus quod gratis colendus eſt Creator altiſſimus & benedictus ſua ipſa bonitate ſupereminentiſſima: quia etiamſi nec ab eo ſepararentur tot & tanta bona, nec ipſe daturus eſſet ea. Verumtamen ſicut ſæpe dixi in ſermonibus exhortationum ad populos, quia ſciens conſuetudinem & imperfectionem noſtram, vult ut credatur retributor largiſſimus ac magnificẽtiſſimus: & propter hoc placet eidem, ut magnificæ promiſſiones ipſius prædicentur populo, quæ ſic allecti, ſcilicet deſiderabiliſſimorum bonorum promiſſionibus avertuntur à vitiis & peccatis, atque ad virtutes & mores compoſitos attrahuntur. Manifeſtũ igitur eſt ex his quod Creatori altiſſimo, atque benedicto auſertur funditus honorificentia cultus ſui per erroris iſtius inſaniã, cum evacuetur per eum prorſus utilitas & fructus ipſius; ſed nec abſque injuria ipſius & contumelia intolerabili attribui poteſt creaturæ quantumcunque præcellenti largitio tantorum bonorũ quæ inter omnia deſiderabilia bona conſtat eſſe præſtantiſſima.

Quod ſolus Deus poteſt dare eſſe & quod Philoſophi plus juſto tribuant cauſis ſecũdis cum ſolus Deus ſit proprie & vere cauſa effectiva.

Jam igitur declaratum eſt tibi quoniam eſſe omne non eſt niſi à primo patre & quoniam ipſe eſt dator unicus & ſolus ipſius eſſe, & quoniam omne aliud nõ habet eſſe niſi ab illo. quemadmodũ enim ſi unicus eſſet fons aquarum omnium, & non eſſet invenire vel guttam aquæ quæ ab illo non emanaſſet vel emanaret: ſic cum ipſe ſit ſolus & unicus fons eſſendi, non eſt invenire eſſe grande, vel modicum, quod non ab ipſo defluxerit. Et etiam jam patefactus eſt tibi per me error Philoſophorum de cauſis & cauſalitatibus, quo errore longe plus attribuunt cauſis quam eis attribuendum ſit: ubi etiam oſtendi tibi oſtenſione; poſtquam non eſt poſſibile, ut relinquatur dubitatio intelligenti, quia cauſalitas effectiva proprie ac vere attribui non poteſt niſi cauſæ primæ, quæ eſt Creator benedictus & ſublimis; mediis namque attribui non poteſt per modum illum, cum ſint deferentes nuntii miſſa dona, vel munera à cauſa prima ad cauſata recipientia illa. Et exemplum hujus eſt in ſole terram illuminante; aër enim medius non eſt niſi ſicut deferens lumen tranſmiſſum à ſole ad terram: & propter hoc non poteſt dici dator luminis illius vel effector; cum ſit nuncius tantum & deferens illud, utpote qui ab alio illud accepit ut ipſum deferret ulterius, ad aliud ſcilicet receptibile. Atteſtatur autem huic veritati uſus loquendi de hoc apud homines; non enim dicunt ſe illuminari ab aëre, ſed à ſole, nec gratiæ aguntur pro muneribus deferentibus illa, ſed mittentibus.

Hinc ſoli Deo gratias agere Chriſtianos ſoli Deo gloriã cantare.

Et propter hoc laudanda eſt conſuetudo gentis Chriſtianorum, quæ in divinis officiis nunquam dicit, vel cantat homini gratias, vel alteri, ſed tantum Deo; in fine namque & officiorum divinorum & cultuum, ſemper cantant Deo gratias, & dicunt, Gloria tibi Domine, & ſermonem iſtum cantant gentes ad Creatorem, nec ulli alii gloriam dicunt, inſinuantes ipſum ſolum eſſe glorificandũ de mirificentia operum ſuorum, ipſique ſoli regratiandum de largitate beneficiorum, imo & omnium bonorum: cujus laudandæ conſuetudinis ratio eſt cauſalitas ſive effectibilitas ipſius in qua nihil vere ac proprie cõmunicat eidem. Jam igitur feci te ſcire per hoc quàm à veritate aberrent qui & eſſe animarum noſtrarũ & bene eſſe ipſarũ per omnẽ modũ attribuunt intelligentiæ hujuſmodi quam ſomniant potius quàm intelligant vel cognoſcant.

Oſtendit deinde intelligentiã illam fore in infinitis locis ubi generantur homines ut animas eorum ibi crearet.

Amplius quis locus, quæ ſedes, vel ſolium huic tam inclitæ & præcellenti reginæ, quæ l[e]ges regni illius & ſtatuta, qui miniſtri, qui exercitus, quæ militiæ, quæ & qualis gubernatio ipſius? Ubicunque enim generatur homo neceſſe eſt illam eſſe; ibi enim creat animam humanam. Creatio autem ejus operatio eſt quã non operatur niſi per ſemetipsã. Quapropter neceſſe eſt hujuſmodi intelligẽtiam ubicũque generatur homo præſentialiter eſſe. Quapropter manifeſtũ eſt in omni regione habitationis hominũ eſſe intelligentiã iſtam, & propter hoc in innumerabilibus locis conſequens eſt ipſam ſimiliter eſſe Verum tu ſcis hoc eſſe proprium ac ſingulare gloriæ creatoris, videlicet poſſe eſſe ſimul in locis innumerabilibus præſentialiter.

2. Quia in digniore loco quam terreno cõſtitui debe- ret.

Amplius quomodo in mundo ſolo terreno collocant eam cum cæleſti, vel ſupercæleſti, aut etiam ſublimiori habitatione digna ſit propter creationẽ; cum nulla ſubſtantia dignior inveniri poſſit. Si nec minima ſtellarum habitatione terrena digna eſt, qualiter tanta ſubſtãtiæ iſtius præcellentia ſuſtinet illam vel patitur? Amplius cum ſit omnibus cœlis cœleſtibuſque corporibus longe nobilior, atque præſtantior, quam ob cauſam loco & habitatione effecta eſt illis tam inferior? Quod ſi dixerit quod propter creationem animarum humanarum. Dico homini hujuſmodi quia cum intelligendo & imperando operationẽ hujuſmodi perficiat, ubicumque autem ſit inde poſſibile eſt & imo facillimum intelligere, & imperare quidquid voluerit. Quapropter etiam ſi in ultimo cœlorũ eſſet collocata, ſeu conſtituta, inde ei facillimum eſſet intelligere, & velle, ſeu imperare eſſe animarum humanarum in terra, & in omni parte terræ.

1. Idipſum probat ex eo quod defectus animarum noſtrarum ipſi imputaretur.

Debes autem reminiſci hic errorẽ eorum quæ audiviſti per me in ſecunda parte primi ſapientialis ac divinalis magiſterii, videlicet in tractatu de intelligentiis & in capitulo ſingulari de hac, de qua agitur hic intelligẽtia, de qua etiam in ſequentibus, ubi de virtute intellectiva animarũ humanarũ perſcrutabor ſecudũ poſſibile, audies, ſi Deus voluerit, quæ ſufficient tibi Verũ hoc unũ ultimo hic adjiciã ſi creatio animarũ humanarũ naturalis eſt, ut quid declinat in tantã degenerationẽ atque diſſimilitudinẽ à creatrice ſua intelligentiæ videlicet Si enim volũtarie tam diſſimiles ſibi animas humanas creat, quod eſt dicere ſi vult eas tam longe diſſimiles eſſe ſibi, atque diverſitate ſpecifica à ſeipſa diſtantes, aut poſſibile eſt ei, aut non. Quod ſi eſt poſſibile, igitur ex avaritia vel invidia eſt ei quod non vult eos habere tam nobiles: hoc autem ipſi ſentire nefas reputant Quod ſi non poteſt velle ut ſint ejuſdem nobilitatis in eſſe cum ipſa, quis ignorat hanc impotentiam miſeriam eſſe, & defectum voluntatis qualis nec in animas noſtras cadere poteſt? nulla enim eſt anima humana quæ hoc non poſſit velle unicuique aliarum. Si autem poteſt velle eis nobilitatem ſpeciei ſuæ, quid igitur prohibet eam quominus det eis eſſe hujuſmodi, niſi vel invidia, vel avaritia? Si vero dixerit quod ſecundum naturam operatur creationem animarum humanarum, operatur igitur per modum ſervientis & non per electionem, aut liberam voluntatem, quemadmodum ignis calefacit. quapropter non eſt ei attribuenda imprimis, vel imputanda creatio animarum noſtrarum. ſed potius illi cui ſervit. Reſtat igitur ut dicat quia poſſet utique longe præſtantioris ac nobilioris eſſe creare animas humanas, ſed prohibet eas natura ipſarum ab hujuſmodi nobilitate, atque præſtantia, quia naturalis

eſt ei alligatio ad corpora propter perfectiones & operationes quarumdam virium quæ non operantur nec proficiunt niſi in corpore vel per corpus.

Nequevero cauſam aſſignare poſſunt cur aliis intelligentiis hæc virtus non competat.

Non habebit autem quid reſpondeat ſi interrogatus fuerit quam ob cauſam prohibitæ ſunt aliæ intelligentiæ à creatione animarum humanarum, niſi dicat illud quod ipſa nobilitatis earum præcellentia prohibet ipſas creare tam viles ſubſtantias, tamque longè à nobilitate earum diſtantes, iſta vero ut pote longè aliis inferior appropinquat multum & vicinatur immediate animabus noſtris. Verum quæ vicinitas eſt vel eſſe poſſit inter ſubſtantias ſpecie tam diverſa, perfectione & imperfectione, fœlicitate & miſeria diſtantiſſimas qualiter explicabit.

Denique oſtendit hoc diſcrimen repeti non poſſe nec ex parte diſpoſitionum eſſentialium quæ à corpore prohiberi non poſſunt.

Debes autem ſcire nonnullos ex hominibus qui philoſophi reputati ſunt in hoc errore fuiſſe & forſitan adhuc eſſe, ut putent, vel opinentur adhuc multas diſpoſitiones eſſe animabus ex parte corporum pro diverſitate videlicet ipſorum, & per eas detrahi & elongari illas à præſtantia, & nobilitate ſubſtantiarum ſeparatarum. Verum hujuſmodi homines aut intendunt in ſermone iſto ſuo de nobilitate & præſtantia eſſentiali, aut de aliis præeminentiis quibus ſubſtantiæ ſeparatæ præditæ ſunt. Quod ſi de præſtantia ac nobilitate eſſentiali manifeſtum eſt eos errare cum contra illam corpora nihil poſſint; circa eſſentialia namque nihil poſſunt ea quæ forinſeca ſunt. Et intendo nihil diminutionis, vel alterius transmutationis eſſentialis; alioquin poſſent abſtrahere à ſpecie, hoc eſt transferre rem aliquam ab una ſpecie in aliam. Accideret etiam ſecundum hoc pro diverſitate complexionũ, & aliarum varietatum quæ in corporibus ſunt humanis diverſari animas humanas & ſecundum ſpeciem. Quapropter non eſſent ejuſdem ſpeciei in hominibus maſculorum & fœminarum animæ, cum tanta diverſitas ſit in diſpoſitionibus corporum ipſorum: & propter hoc maſculus & fœmina in hominibus eſſent diverſarum ſpecierum: & de multis aliis diſpoſitionibus corporum noſtrorum neceſſe eſt ſimiliter ſentire.

Nec ex parte perfectionum accidentalium, quia corpora ſunt potius propter animas, quã animæ propter corpora.

Neceſſe igitur eſt eos intendere hoc de præſtantia & nobilitate perfectionum accidentalium, & de iis non eſt dubium quin multa impedimenta præſtent magna; ut dicit Galenus medicus in libro elementorum, quod flegmatica complexio nullam virtutem animæ juvat. De aliis vero complexionibus dicunt philoſophi quod ſingulæ aliquantulum adjuvant. Narrant autem quidam ex philoſophis Latinorum Ariſtotelem dixiſſe omnes ingenioſos melancolicos eſſe. Ex quo ſermone inſinuatur ipſũ ſenſiſſe ingenioſitatem complexione melancolica adjuvari. Quamvis multi ex medicis noſtri temporis virtutẽ illam colericæ complexioni potius ſentiant attribuendam Quod ſi verum eſt quia ex parte cholericæ turbationes, iræ, & furores accidant animabus humanis, non videtur veriſimilis opinio illorum maximè ſecundum ſermones propheticos quibus dicitur *Turbatus eſt à furore oculus meus.* Hic enim oculus non poteſt videri eſſe niſi intellectus. De intellectu vero non eſt dubium quin turbetur & obſcuretur per iram, ſicut dicit quidam ex poëtis Latinorum *Impedit ira animum ne poſſit cernere verum*, propter quod ira & gaudium cæteræque hujuſmodi paſſiones, turbationes nominantur à philoſophis. Verum quid de hujuſmodi ſentiendum ſit perſcrutari tentabo in ſequentibus; longè enim veriſimilius eſt aptare corpora animabus, quã animas corporibus; non enim ſunt animæ propter corpora, quin potius è converſo, videlicet corpora propter illas. Communis etiam uſus loquendi atteſtatur huic ſermoni, quo dicitur danda eſſe inſtrumenta operariis, & aptanda artificus, & operibus eorum; non autem è converſo dictos homines operarios, dandos, & aptandos eſſe inſtrumentis.

Pſal. 6.

Hinc colligi poteſt diverſitatem naturalem animarum, videlicet ex diverſitate corporum quæ ipſarũ inſtrumẽta ſunt.

Jam autem noſti quia corpora humana & omnium animalium & etiam plantarũ inſtrumenta ſunt animarum: quapropter manifeſtum eſſe tibi poteſt ex iis inter animas per ſemetipſas naturalem eſſe diverſitatem. Et hoc apparet in animabus animalium irrationabilium ex tam multiplici diverſitate operationum ipſarum, artificiorum, & paſſionum. In omnibus vero ex ipſa diverſitate imo contrarietate tam multa tamque varia morum naturalium, hoc eſt virtutum, & vitiorum multiplex apparet viſibiliter diverſitas naturalis animarum: præſertim cum hujuſmodi virtutes à parte corporum animabus eſſe non poſſint; ingenioſitas enim, & manſuetudo naturalis, & cæteræ hujuſmodi ſimiliter benignitas, & pietas naturalis, manifeſtum eſt quoniam à parte corporis eſſe non poſſunt, licet dubium non ſit eas à parte corporis poſſe impediri. Quemadmodũ evidenter vides quoniã viſus à parte animæ tantũ eſt, licet poſſit per occaſionẽ oculi impediri, ſicut per læſionẽ oculi, aut maculã, aut aliquid hujuſmodi, &c.

PARS TERTIA.

Quod anima non generatur ex temperantia elementorum & qualitatum ſuarum.

Exponit ſententiã Alexandri & rationẽ ac fundamentum illius.

NEc prætereundus eſt hic error Alexandri quo inſaniſſimè deliravit de natura, & origine animæ humanæ, dicens eam oriri & eſſe ex contemperantia elementorum, ac ſi diceret ex bonitate complexionis tanquam ex conſonantiſſima conjunctione ipſorum: qui per illud dicitur eſſe inductus, quia videlicet dyſcraſia, exceſſuſque in uno, vel in pluribus elementis vitã diſtrahit in hominibus & in aliis animalibus, inde enim primũ proveniunt ægritudines, & læſiones vitæ, deinde mors in animalibus.

Cõfutat & reſpondet.

Et ratiocinatio iſta debilis eſt valde, nec levem habet admirationem quod tantæ eminentiæ, tamque claræ famæ philoſophum à via veritatis & rectitudinis averterit; cum ignorare non poſſet, non eſſe conveniens, ut ſi alterum contrariorum vitam deſtruit, alterum præſtet illam. Non enim propter hoc quod ignis deſtruit vitã in homine, vel in alio quocumque animalium, neceſſe eſt, ut aqua conferat illam, aut è converſo: cum manifeſtum ſit aquam & ignem vitam in hominibus & multis animalibus deſtruere. Verum ſi ad illud intendit, vel reſpexit quod temperantia in humoribus aut elementis vitã ſervare videtur in hominibus, & forſitan in multis animalibus. nec hoc debuit ipſum ad errorem iſtum inducere vel movere alimenta namque & veſtimẽta armaturę etiam, & tectum vitam in hominibus & multis animalium conſervant, quam tamen præſtare non poſſunt.

Quis fuerit iſte Alexander.

Quia igitur inter græcos philoſophos, & apud Ariſtotelis expoſitores non mediocriter claruit iſte Philoſophus, eo ſtudioſius & perſcrutatius exterminanda eſt ejus ſententia, errorque deſtruendus, quo validior eſt ad nocendum & ſubvertendum parum exercitatos, & ad modicum doctos ejus error: tum quia hujuſmodi homines ad credendum magis faciles ſint quam oporteat, tum quia ejus auctoritas & ſapientia ſententiã ejus credibiliorẽ efficiunt, & ut ita dicatur in perniciẽ audientiũ eamdem exacuũt.

Quod declinet in ſententiam Philolai qui animã poſuit eſſe harmoniã.

Dico igitur imprimis quod homo iſte declinare videtur in ſententiã Philolai qui ſicut jam audiviſti animã poſuit harmoniã; cum harmonia in ſonis nihil aliud ſit quam contemperantia quædã ipſorum, contemperantia elementorũ harmonia quædã erit eorum. Quare cum omnis operatio naturæ naturalis per ſimilitudinem ſit, non erit naturaliter ex harmonia, niſi harmonia: quapropter cum anima humana ex harmonia hujuſmodi ſit, videlicet elementorum, ſit inquam naturaliter, neceſſe erit ipſam eſſe harmoniam. Sic igitur in eſſe debiliſſimo

ſimo videlicet in eſſe ad aliquid & extra genus ſubſtantiarum collocant animam humanam iſti duó, & jam aliquid audiviſti circa hanc diſciplinam in præcedentibus.

Temperantiam illam non eſſe niſi accidens & ad aliquid quod vivere non poſſit, vel ſi ſubſtantia ſit reſtare ſemper quærendū vivens-ne an inanimata ſit, &c. ut ſupra.

Amplius temperantia iſta aut eſt accidens, & ad aliquid ſicut nomen ipſum ſonat, aut eſt ſubſtantia? quod ſi eſt accidens, ex ipſo igitur impoſſibile eſt naturaliter eſſe ſubſtantiam, aut igitur anima humana non eſt ſubſtantia, aut non eſt poſſibile illam eſſe ex hujuſmodi contemperantia. Jam igitur declaratum eſt tibi per vias probationum multiplices ipſam eſſe ſubſtantiam; accidens enim vivere, intelligere, & cætera hujuſmodi operari credo neminem adhuc dixiſſe. Si vero dixerit contemperantiam ſubſtantiam iſtam eſſe vel ſubſtantias, reſtabit adhuc inquirendum utrum ſubſtantia vivens, vel non vivens? Et ſi vivens cum non ſit ſubſtantia ſeparata, erit vel anima, vel animata. quare relinquitur dubitatio eadem, videlicet de natura & origine ipſius. Et in promptu ſunt viæ per quas ſequuntur ex hac poſitione impoſſibilia, & inconvenientia igne & gladio profliganda.

Enumerat quatuor inconvenientia quæ ſequuntur ex opinione Alexandri 1. ex elemētis quæ inanimata ſunt vitam conſtare.

Quorum primum illud eſt quoniam animam humanam præcedit alia anima ex qua eſt, videlicet contemperantia, de qua non minus videtur dicendum quod eam præcedat alia anima, & per hanc viam curret res in infinitum. Quod ſi eam non præcedat alia anima: erit igitur ex ſolis corporibus elementorum, de quibus manifeſtum eſt ipſa eſſe mortua, quod eſt dicere nihil prorſus vitæ habentia. Quare cum hujuſmodi temperantia ſubſtantia vivens ſit, ſeu viva ut pote anima, erit vita ex mortuis, & vitam præſtabunt ipſa elementa prorſus vita carentia.

2. Quod res ignobiliores vitæ nobilioris principium erunt.

Aliud vero inconveniens eſt quod res viliores erunt cauſa rerum nobiliorum incomparabiliter; elementa enim ut pote corpora mortua incomparabiliter ignobiliora ſunt quam animæ rationales vel alia quæcumque anima.

3. Quia ſic corpus eſſet agens in ſeipſum per idem & ſecundum idem.

Tertium inconveniens eſt in hoc quia anima non erit in corpore, nec invenietur in quo ſit; cum enim hujuſmodi contemperantia elementorum in elementis ſit, vel in ipſo corpore ex ſic contemperatis elementis compoſito: non erit anima in eodem; nullà enim virtus operans in quocumque ſubjecto reflectit operationem in ipſum ſive ſeipſū per albedinem; nec aliqua impreſſio ſit in eodem per ipſam albedinem, alioquin idem eſſet agens & patiens ſimul in ſeipſum per idem & ſecundum idem, quod eſt dicere per albedinem & ſecundum illam. Sic dico quia ſi per hujuſmodi contemperantiam eſſet corpus ex ſic contemperatis elementis generans animam in ſeipſo, eſſet agens in ſemetipſum actione quæ generaret animam in ſeipſo, & propter hoc daret ſibi ipſi animam naturaliter corpus hujuſmodi.

Ex tertio abſurdo deducit 4. & alia multa.

Ex quo ſequitur aliud majus inconveniens, ſive majora alia multa. Primum quia daret ſibi majus quam ipſum ſit, ac præſtantius incomparabiliter; Nemo namque ignorat animam abſque ulla comparatione nobiliorem ac præſtantiorem eſſe corpore ſuo, & etiam omni alio corpore, præſertim animam rationalem. Deinde neceſſe eſſet ut daret eam per creationem, vel per generationem, vel per alterius modi effectionem: quia ſi per creationem, quis dubitat hoc eſſe ſuper omne inconveniens, & ultra omne deliramentum inſaniæ creationem attribuere corpori, & maximè creationem tam præclaræ, tamque nobilis ſubſtantiæ, ut eſt anima rationalis? Si vero eſt per generationem neceſſe eſt ut per corruptionem alterius quod corrumpitur in ipſum genitum. Hic autem non eſt ſomniare aliquid quod in animam corrumpatur; neque enim ipſum corpus per eam corrumpitur, cum generatione ipſius perficiatur, conſervetur, & ejus eſſe per eam potius ſalvetur. Ipſa quoque contemperantia ex qua dicunt animam eſſe nullo modorum corrumpitur ut anima generatur, alioquin ipſa anima deſtrueretur, cum ipſa ſit per modum effectionis ex contemperantia hujuſmodi, cum deſtructa cauſa ipſius eſſe in unoquoque neceſſe ſit deſtrui illud eſſe, & ipſum ens cujus eſt illud eſſe. Amplius illa contemperantia naturaliter tenderet in deſtructionem ſuam; cum naturaliter ad hoc agat ut anima generetur ſi generatione animæ ipſius deſtrueretur contemperantia illa.

Poſito quod contemperantia non ſit anima ipſa oſtendit ex illa animam eſſe non poſſe neque per generationem neque per alterius modi effectionē.

Amplius ſi contemperantia hujuſmodi anima non eſt nec eſſe poteſt, ſed ſit res non ſolum alterius ſpeciei quam anima ipſa, ſed etiam alterius generis, & quod majus eſt alterius prædicamenti, qualiter per generationem ex illa poſſibile erit eſſe hominem, maximè per modum effectionem? cum omnis generatio naturalis per ſimilitudinem ſit; generanſque & generatum ejuſdem ſpeciei de neceſſitate ſemper oporteat eſſe. Si vero per alterius modi effectionem quam per generationem animam ex contemperantia elementorum eſſe dixerit & quemadmodum lucem à luce, vel calorem à calore: tunc neceſſe erit animam ipſam contemperantiam aliam eſſe quemadmodum calor à calore alio effectus eſt alius calor. Et hoc iterum eſt deliramentum quod intellectus non recipit, neque capit; non enim eſt poſſibile ſomniare quarum rerum contemperantia anima ſit, non enim eſſet contemperantia elementorum, ſed magis ex illa. Præterea contemperantia elementorum una eſt, non plures; alioquin duæ formæ ejuſdem ſpeciei eſſent in eiſdem elementis, videlicet illæ duæ contemperantiæ, quarum alteram dicit eſſe animā, alterā vero cauſam effectivā ipſius.

Contemperantiam nō poſſe in elementis contemperatis quia corrupta ſunt, & deſierunt: nec in corpore ipſo, quia cum unaquæque pars corporis habeat contemperantiam illā haberet æqualiter animam rationalem.

Amplius cum elementa illa corrupta ſint per commixtionem in compoſitione corporis, manifeſtum eſt illa eam non eſſe, igitur nec aliquid eſſe in illis. Quare contemperantia illorum jam nihil eſt in illis; & ſi quid fuit, cum illis jam deſiit eſſe cum illis: quapropter neque animam, neque aliud efficere poteſt, neque potuit poſtquam eſſe deſiit. Manifeſtum igitur eſt ex iis quod ſi contemperantia illa aliquid eſt, non eſt niſi in ipſo corpore quod ex elementis ſic contemperatis generatum eſt. Cum autem totum corpus, ut ita dicatur, contemperatum ſit, erit contemperantia hæc in corpore toto, ita quod unaquæque pars ipſius ſic erit in aliqua parte corporis: quapropter non erit dignior aliqua pars ejus ut habeat animam, vel generet ipſam in ſeipſa quam aliqua alia, quælibet igitur pars ipſius erit animata, & hoc anima rationali, & æqualiter, cum æqualiter ſint contemperatæ ex elementis hujuſmodi. Quapropter non erit potius animal, vel homo totū, quam quæcumque ejus pars. Erit igitur quælibet pars illius corporis homo, ſive animal rationale æqualiter ut totū, cum æqualiter habeat in ſe cauſam habēdi animā & propter hoc ipſā animā rationalē.

Contemperantiam humorū animam non eſſe, quia humores non vivunt. Nec contemperantiam membrorum, nervorum, & muſculorum: quia in ſingulis partibus illis eſſet anima rationalis,

Quod ſi dixerit quia elementa hic non illa prima videlicet ignem, aëra, aquam, terram intelligit, ſed quatuor humores qui notiſſimi ſunt in corpore humano, eſt error notiſſimus apertior atque evidētior priore. Et primum quidem quoniam manifeſtum eſt humores illos mortuos eſſe, & nihil ex eis vivere. Quia igitur ubi cauſa, ibi & effectus ſi contemperantia humorum cauſa eſſet animæ, humores ipſi maximè animati ſunt, & ideo maximè viventes, & maximè animalia, & maximè homines. Hanc autem impoſſibilitatem non eſt neceſſe deſtrui, vel etiam patefieri, cum neminem latere poſſit

Si vero dixerit elementa intelligi in ſermone iſto partes corporis humani videlicet membra, nervos, muſculos, & alia hujuſmodi quæ in corpore vivente ſunt, redibit ſermo in ipſū, cum hæc omnia tēperata

ſint, & ad invicem contemperata, & propter hoc contemperantia quam animæ humanæ cauſam dicit eſſe in omnibus & ſingulis ipſorum neceſſe erit: quapropter & animam rationalem.

2. Quia ſic anima cōpoſita eſſet.

Amplius ſecundum hoc ſicut compoſita eſt temperantia ſeu contemperantia: ſcilicet totius corporis, ex temperantiis, ſeu contemperantiis prænominatarum partium: ſic neceſſe erit & effectum ipſius qui eſt anima iſta ſecundum errorem iſtum compoſitum eſſe, quod eſt dicere animam ipſam eſſe compoſitam ex animabus partium. Jam autem feci te ſcire animam humanam incompoſitam & impartibilem eſſe.

3. Quia cum accidens non vivat, & nec ipſa anima viveret.

Amplius ſecundum iſtum anima humana aut eſt vivens, & intelligens, aut non: quod ſi eſt vivens & intelligens, eſt igitur ſubſtantia ſecundum ipſum. Accidens enim vivere vel intelligere necdum auditum eſt aliquem deliraſſe. quod ſi nec vivens, nec intelligens eſt. Jam feci te ſcire in præcedentibus quia nec hominem in ipſa poſſibile viventem aut intelligentem eſſe. Cauſa autem in hoc eſt, quia omne quod ineſt ſecundum quid, aut ſecundum partem neceſſe eſt ineſſe ſimpliciter ſecundum quod ineſt vel parti ſecundum quam ineſt.

An intelligi poſſit animam non vivere ſed hominem, ſicut & albedinem albam non eſſe ſed hominem.

Quod ſi dixerit fortè ipſam nec viventem nec intelligentem eſſe, licet ſecundum ipſam, & per ipſam vita & intelligentia qua homo vivens & intelligens eſt. Quemadmodum albedinem neque albam, neque coloratam eſſe, quoniam homo albus & coloratus eſt. Dico in hoc quod ſermo iſte licet ſecundum duas intentiones intelligi poſſit reprehendendus non eſt, ſed per diſtinctionem elucidandus; colorem enim unum & eumdem & album eſſe & albedinem ſimul manifeſtum eſt; color namque albus dicitur, & homo, ſed non ſimiliter; color enim dicitur eſſentialiter, hoc eſt in eſſendo ipſa albedo, non in participando ipſam, ſive habendo eam in ſe: homo vero è contrario, videlicet in habendo eam in ſe, ſive participando, & non in eſſendo ipſa albedo. Sic utrumque veriſſimè dici poteſt de anima humana, quia eſt vita & intelligentia quæ hominem illum viventem & intelligentem efficit: ipſa vero vivens & intelligens per ſemetipſam, quemadmodum color & eſt & dicitur albus.

Animam non poſſe eſſe accidens colligit & probat etiam ex eo quod contrariorū gaudii ſcilicet & doloris ſuſceptiva eſt.

Quapropter manifeſtum eſt ſermonem eorum impoſſibilem eſſe quo negant ipſam eſſe ſubſtantiam; cum nulli intelligenti dubium fuerit accidens nec intelligere, nec vivere poſſe ullo modorum. Amplius quis ignorat animam humanam ſuſceptibilem eſſe contrariorum, qualia ſunt amor & odium, dolor & gaudium, timor & ſpes, ira & pax, & cæteræ hujuſmodi paſſiones. Cum igitur manifeſtum ſit proprium eſſe ſubſtantiæ eſſe ſuſceptibilem contrariorum, negari nullo modorum poteſt animam humanam eſſe ſubſtantiam.

2. Quia cū longiſſimè à vita diſtent ipſa elementa quæ ſubſtantiæ ſunt longius à vita diſtat contemperantia eorū quæ eſt accidens.

Amplius unde vita hæc aut intelligentia animæ humanæ; cum cauſa quam exponit tam longè ſit ab utroque iſtorum; elementa enim longiſſimè ſunt à vita, & intelligentia: contemperantia vero eorum multo longius; cum illa ſubſtantiæ ſint, iſta vero accidens.

3. Quia cum ſit in genere relativo contemperantia illa elementorum, neceſſe eſſet ibi intervenire ſex relationes.

Amplius cum iſta contemperantia in genere relativo ſit ſive ad aliud: relatio vero nec ſola, nec unica eſſe poſſit non enim eſt ſine correlatione: Quapropter neceſſe eſt ibi eſſe multas correlationes. Unius enim quatuor elementorum ad tria reliqua neceſſe eſt tres eſſe relationes: ſimiliter & triū illorum ad illud oportet eſſe tres correlationes. Erunt igitur ibi ſex relationes ex quibus non eſt poſſibile unam, vel unum aliquid conſtitutum eſſe, ſive compoſitum, niſi quemadmodum aggregatum ex multitudine unum dicitur Per hunc autem modum non dicit animam eſſe ex hujuſmodi aggregata contemperantia, videlicet ut intendant aggregationem hujuſmodi contemperantiarū animam ipſam eſſe Non enim credibile eſt ullo modorum ipſum ſenſiſſe aggregationem hujuſmodi viventem, vel intelligentem eſſe, aut aliquam vel aliquas partes aggregationis ipſius.

Neque vero animam eſſe poſſe per modum effectionis ex aggregatione illarum relationum multis argumentis demōſtrat.

Intellexit igitur per modum effectionis animam humanam eſſe ex aggregatione hujuſmodi. Jam autem audiviſti multas vias, quibus ſermo iſte deſtruitur: & quoniam contra naturam eſt primum quod accidentia ſive aggregata, ſive alio quolibet modo intellecta poſſint in ſubſtantiam, & hoc per modum effectionis deliramentū eſt inſaniæ, poſſint inquā naturaliter; cum operatio naturę per ſe ſecundum ſimilitudinē univerſaliter ſit. Deinde quod aliquid poſſit naturaliter in majus vel melius, ſive nobilius aut præſtantius non minor deſipiētia dici poteſt: hoc enim eſt dicere aliquid plus dare, quam habeat; & plus poſſe extrahi de vaſe aliquo naturaliter, quam vas illud continet. Ex quibus ſequitur evidenter longè major abſurditas. Si enim A, cauſa poteſt in B, majus ac præſtantius ipſo A, & per eamdem viam B, in C, majus ac præſtantius ipſo B, pervenitur tandem per ordinem iſtum, atque viam ad effectum ultimum atque præſtantiſſimum & nobiliſſimum. Et erit hoc quemadmodum ſi quis dixerit ex creatura poſſe eſſe per modum effectionis cœlum, aut ex lapide modico atque viliſſimo eſſe lunam vel ſolem. Manifeſtum autem eſt omnibus qui in rebus naturalibus, vel ad modicum exercitati ſunt cauſas naturales è contrario modo ſe habere: & intendo effectus per elongationes hujuſmodi minori ſemper eſſe virtute atque nobilitate.

Quod media non ſunt proprie cauſa efficiens finis.

Quod ſi quis objiciat quia finis & perfectio finis nobiliores ſunt atque præſtantiores cauſis antecedentibus; cum illæ propter iſtas ſint, hoc eſt propter finem atque perfectionem ſint, inquantum non ſolum operantes in effectum, ſed etiam inquantum ſunt eſſentialiter, quemadmodum cogitationes, meditationes, diſputationes, & ſtudia, librorum quoque acquiſitiones, & inſpectiones propter ſcientiam, de qua manifeſtum eſt quod ipſa eſt nobilior atque præſtantior omnibus prænominatis antecedentibus ad ipſam: manifeſtum eſt etiam quod ipſa non ſunt niſi propter illam. Reſpondeo in hoc quia quemadmodum dixi media hujuſmodi viæ tantum ſunt, & præparationes ad finem principaliter intentum, & propter quem alia omnia hoc eſt media finaliter intenduntur, non autem veræ ac propriæ ſunt cauſæ efficientes ipſius finis, qui principaliter intenditur: ſicut vides in propoſito exemplo de ſcientia, quia prima præparatoria non illam efficiunt, licet adjuvent ad hoc vel quod illa ſit, vel quod efficiatur. Quæ autem cauſa ſit ſcientiæ, & qualiter ſcientiæ veniunt in animas noſtras, vel acquirantur ab eis, faciam te ſcire in ſequentibus, ſi Deus voluerit.

Auctoritati cujuſcumque Philoſophi quantumvis celeberrimi contra Prophetarum eloquia credendum non eſt.

Interim autem proſequar deſtructionem erroris iſtius hominis, qui error parum curandus eſſet niſi tantum fuiſſet nomen ejus, & authoritas in philoſophia. Jam enim dixi tibi quod homines imbecillis intellectus quaſi mole magnitudinis authoritatis dejiciuntur in errores, & permittitur ne reſurgant ab eis tanquam ſi nomen & auctoritas non ſolum verificaret, ſed etiam quaſi deificaret homines hujuſmodi, atque infallibiles efficeret; quod etſi in rebus diſciplinalibus ſæpè & multum fiat, in rebus tamen divinalibus non ſit In illis enim contra creatoris oracula quæ proculdubio ſunt Prophetarum eloquia nulli homini credendum eſt,

PARS QUARTA.

Pergit reprobare opinionem Alexandri de generatione animæ.

Quod elementa antequam miſceantur vitam & intelligentiã præſtare non poſſint, multo minus poſtquã corrupta ſũt in mixto.

REvertar igitur & dicam quod homo iſte aut intellexit animam maximè humanam eſſe ſubſtantiam, & intendo de anima humana: intellexit igitur eam eſſe ſubſtantiam intelligentem, quod eſt dicere cui eſſet virtus intellectiva, & etiam virtus imperativa nobilis, de quibus jam feci te ſcire quia eſſentialia ſunt animæ humanæ. Quapropter neceſſe habet concedere abſque ullo ſubterfugio iſta eſſe animæ humanæ ex elementis, vel contemperantia eorum, quæ utique ut prædixi corpora mortua ſunt, & ipſum corpus quod ex eis genitum eſt, & corrupta ſunt; minus autem evidenter poſſunt corrupta, quam in actu exiſtentia. Quare cum manifeſtum ſit ea cum in actu eſſent, ante corruptionem iſtam videlicet, non potuiſſe vel vitam, vel intellectum, vel etiam ſenſum præſtare, multo minus hoc poſſunt poſt corruptionem cum jam eſſe deſierunt.

Quod accidens dare non poſſit eſſe ſubſtantiale cuicumque corpori nedum contẽperantia primarum qualitatum animæ humanæ.

Quod ſi dixerit quia hoc non iſta præſtant, ſed contemperantia quam non poteſt ponere niſi accidens vel accidentia ſicut prædixi, longè manifeſtius eſt ipſam non eſſe in tam nobiles tamque ſublimes effectus. Majus enim incomparabiliter eſt dare intellectum ſive virtutem intellectivam quam dare quodcumque eſſe corporeum ſive corporale; & dare eſſe tam excellenti ſubſtantiæ tamque nobili, ut eſt anima humana majus eſt quam dare eſſe corpori cuicumque. Quapropter majus eſt hoc quam dare eſſe aut corpori ſolis aut corpori lunæ: hoc autem adhuc nemo uſque ad illam delitavit inſaniam, ut tanta ac talia attribueret alicui ex accidentibus.

Si vero animam humanam nõ putaverit eſſe ſubſtãtiam nec eſſe viventem nec intelligentem fateri neceſſe fuerit. Item quia ſi accidens ſit, attribuetur corpori, & erit diſpoſitio corporis, adeoque corpori cuicunque mero, & puro competit vivere intelligere, &c.

Si vero intellexerit erroneus iſte animam humanam non eſſe ſubſtantiam, ſed collocaverit eam in genere accidentium: tunc neceſſe habet eam ponere nec viventem, nec ſcientem, nec intelligentem, nec volentem, ſive imperantem, quæ nulla inſania capitis adhuc attribuit alicui accidentium.

Amplius quærendum eſt ab homine hujuſmodi in quo ſubjecto ponat hujuſmodi accidens, omne vero accidens in ſubjecto eſſe neceſſe eſt. Cum igitur ibi nullum ſit ſubjectum niſi ipſum corpus: ponit igitur animam accidere corpori humano, & propter hoc & accidere vitam & intelligentiam & voluntatem: erunt igitur iſtæ diſpoſitiones accidentia corporis, & non ſolum corporis cujuſcumque, ſed etiam meri & puri, videlicet quod non habet animam humanam partem ſui. Accidet igitur ex hoc quod philoſophare, diſputare, & alia hujuſmodi erunt diſpoſitiones meri corporis, quales ſunt judicare, juſtitias facere, regnare, & imperare, & regere civitates & regna, quæ neque unquam corporibus meris neque accidentibus auſus eſt aliquis quantumcunque delirus adhuc attribuere. Quapropter neceſſe eſt omnes diſpoſitiones hujuſmodi non eſſe niſi ſubſtantiæ intelligentis per ſe & propriè, & intendo ſine tropo vel figura ſynecdoches per quam quod eſt partis ſolummodo verè ac propriè interdum attribuitur toti. Sicut audiviſti in exemplo ſermonis quo homo dicitur corpus, juxta quem modum homo dicitur intelligens, non niſi ſecundum partem, & propter eam, & hæc pars uſu certiſſimo anima humana nominatur.

Oſtendit deinde quod ſi anima fuerit

Amplius aut intelligit homo iſte juxta Ariſtotelem, cujus libros expoſuiſſe dicitur animam humanam perfectionem hominis eſſe aut non. Quod ſi intellexerit eam eſſe perfectionem hominis, aut intelligit hujuſmodi perfectionem, perfectionem eſſe eſſentialem, quæ indubitanter præcipua pars ſcilicet eſt ipſius eſſe cujus perfectio eſt, aut intelligit eam eſſe perfectionem accidentalem, quemadmodum perfectio in hominibus vocatur ſapientia & rationabilitas. Quod ſi dixerit ſe intendere perfectionem hujuſmodi eſſentialem, cum perfectio ſubſtantiæ, perfectio inquam hujuſmodi non poſſit eſſe niſi ſubſtantia; pars enim ſubſtantiæ non eſt poſſibile ut ſit niſi ſubſtantia, cum & impoſſibile ſit & ex ſubſtantia & accidente vel accidentibus aliquid unum conſtitui vel componi. Illud enim nec ſubſtantia eſſet verè, neque accidens, aut accidentia, ſed compoſitum ex illis: quapropter non eſſet ſubſtantia, & propter hoc perfectio ipſius non eſt perfectio ſubſtantiæ. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc, quod ſi hujuſmodi homo intelligit animam humanam eſſe perfectionem eſſentialem hominis, neceſſe habeat conſequenter intelligere eam eſſe ſubſtantiam; cum hujuſmodi pars ſit perfectio ejus, cujus ipſa eſt perfectio: partem autem eſſe ſubſtantiæ niſi ſubſtantiam non eſt poſſibile.

Pars hominis debeat eſſe quid ſubſtantiale.

Si anima ſit perfectio ſolummodo accidentalis, non vere generabitur homo, nec vere morietur.

Quod ſi intellexerit animam humanam perfectionem accidentalem hominis, manifeſta duo impoſſibilia ſequuntur. Primum quia homo ſecundum quod homo non erit quid, neque eſſe in homine erit eſſe quid, ſed eſſe alicujus modi ſicut eſſe grammaticum aut ſapientem. Et non generabitur homo verè ac propriè, cum advenit ei anima, nec efficietur aliquid homo, cum fiet homo, ſed alicujus modi. Generatio enim omnis ingreſſus eſt in ſubſtantiam, ut dicit Ariſtoteles. Et propter hoc non eſt ingreſſus in accidens, ſed in ipſum eſſe ſubſtantiale. Accidentales namque differentiæ ſicut non faciunt aliud, ſed alteratum ſolum, ſic non faciunt aliquid, neque quid, ſed alicujus modi, ut prædixi. Secundum inconveniens eſt quia non morietur homo, neque corrumpetur, aut deſtruetur per receſſum animæ ipſius; accidens enim eſt quod adeſt præter ſubjecti generationem, & abeſt præter ſubjecti corruptionem; & hoc eſt dicere quod accidens eſt cujus adventu non perficitur ſubjectum, & cujus receſſu non deſtruitur. Deſtruitur autem proculdubio atque corrumpitur omne quod moritur: verum omne quod moritur non moritur niſi receſſu & abſentatione animæ ſuæ. Quapropter ſubſtantia eſt anima humana, & omnis alia perfectio cujus adventu perficitur & generatur animatum, & de cujus abſceſſu ſive receſſu corrumpitur & moritur. Manifeſtum igitur eſt ex iis nullam animam, vel accidens eſſe, vel accidentalem perfectionem.

Corpus nõ poteſt participare diſpoſitiones ſpirituales ſicut nec ſpiritus corporales.

Amplius ſi accidentalis perfectio eſt anima humana, non eſt perfectio niſi corporis humani: quapropter omnia illa quæ animæ ipſius ſunt vel animam ipſam ſequuntur, de corpore ipſo humano verè ac propriè dicentur. Quemadmodum enim anima humana ſubjectum in quo eſt & animatum, & vivens, & ſentiens efficit, ſic ipſum & intelligens, & ſciens, atque diſputans, & philoſophans, & ſapiens, & juſtum ipſum efficere neceſſe eſt quapropter corpus humanum ſubjectum erit hujuſmodi diſpoſitionum intelligere & ſcire: erunt igitur diſpoſitiones ſpirituales corporis, corporis inquam meri, quod eſt dictum non habentis animam partem ſui. Quod autem erroneus ſit iſte homo inde videre potes evidenter, quoniam ſicut diſpoſitiones corporales appropriatæ ſunt ſubſtantiis corporalibus, & nullo modo participabiles à ſubſtantiis ſpiritualibus, ita diſpoſitiones ſpirituales appropriatas eſſe ſubſtantiis ſpiritualibus neceſſe eſt. Nullo igitur modorum erunt participabiles à ſubſtantiis corporalibus: alioquin diſpoſitiones corporales participabiles eſſent à ſubſtantiis ſpiritualibus: quales ſunt magnitudines, dimenſiones, motus loca-

les, colores & aliæ ſenſibiles qualitates, ut caliditas & frigiditas, mollities & durities, aſperitas & lenitas.

Concludit animam eſſe ſubſtātiam & partem præcipuam hominis & quidem actum corporis & in corpore, ubi explicat definitionē animæ ab Ariſtotele traditam.

Jam igitur feci te ſcire per hæc omnia animam humanam eſſe ſubſtantiam, & partem præcipuam hominis juxta modum qui jam eſt tibi in eis quæ præceſſerunt. Addam autem iſtis omnibus quæſtionem unam ſuper intentione iſtius hominis. Cum enim dicat juxta ſermonem Ariſtotelis animam actum eſſe ejus potentiæ, qua corpus dicitur potentia vitam habens in ratione ſeu definitione animæ, quam Ariſtoteles poſuit, cum ejuſdem potentiam & actum eſſe neceſſe ſit. Quare cum potentia hujuſmodi corporis phyſici organici evidenter ſit, ſicut expreſſe dicitur in ſermone definitionis illius, neceſſe erit animam hujus corporis actum eſſe: actus autem ibi non intelligitur niſi perfectio. Quemadmodum autem audiviſti in præcedentibus potentia vitam habens nec homo, nec animal, nec planta intelligi poteſt: ſicut album non poteſt intelligi potentia habens albedinem; album enim in effectu jam eſt, & in perfectione, atque fine, & non in via ad illam. Quapropter non eſt poſſibile ut moveatur ad albedinem, vel tranſmutetur in album, niſi prius moveatur ab ea. Tu quoque jam alibi didiciſti quoniam motus omnis vel è contrario eſt ad alterum contrarium vel ex privatione vel carentia. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quod potentia vitam habens non intelligitur, vel homo, vel animal, vel planta, quoniam unumquodque illorum in fine eſt ſuæ perfectionis & vitæ, & non in via. Nec poſſibile eſt ullo modorum ut aliquod eorum vitam acquirat, inquantum hujuſmodi eſt, & intendo inquantum homo vel animal, vel planta, inquantum enim hujuſmodi unumquodque illorum vivens eſt, & vitam habens in effectu, non in potentia, neque carentia: quod neceſſe eſſet ſi in potentia vitam habens eſſet quodcumque illorum. Jam enim didiciſti quod carentia comes inſeparabilis eſt, vel ſequela hujuſmodi potentiæ.

Quod anima non ſit actus niſi corporis quod in via eſt perfectionis vel natum eſt eam recipere.

Patefactum igitur eſt tibi per hoc quod anima non eſt actus niſi corporis quod in via eſt, & in propinquitate perfectionis, vel natum eſt recipere eam & habere. Et alterum horum dico propter embrionem qui revera in motu eſt, & in via per quam acquiratur hujuſmodi perfectio, non quidem ſibi, ſed corpori quod ex eo formandum eſt, & debita figuratione complendum. Alterum vero dixi propter corpus totalitate & complexione & figuratione membrorum ad operationes animæ congruenter aptatum. Illud enim veriſſimè ac propriè natum eſt recipere & habere animam juxta comparationes, quas videlicet audiviſti, ut domum patris familias & alias hujuſmodi, corpus autem embrionis non permanet ad hujuſmodi complementum figûrationis & aptationis.

PARS QUINTA.

Quod anima non ſit, nec generatur, nec exhibetur de potentia vel potentialitate corporis.

Quod anima non poſſit eſſe ex potentia corporis quia via eſt ad eſſe, quæ proinde cauſa eſſe non poſſit nec finis.

QUIA igitur viſum eſt nonnullis hominem iſtum ſenſiſſe animam humanam extrahi, vel exire, ſeu reſultare ex potentia hujuſmodi: non immerito quærendum eſt ab ipſo utrum per modum effectionis dicat animam humanam ex potentia hujuſmodi vel extrahi, vel reſultare, an ponat & aliam cauſam effectricem ſeu effectivam. Quod ſi per modum effectionis, ſequuntur ipſum multa incompoſſibilia, primum quod potentia per modum quo eſt potentia via eſt atque propinquitas ad perfectionem; res enim ut ait Avicenna potentia eſſe dicimus, quarum eſſe non eſt longè ut ſit, vel fiat: via autem per hoc quod ſit via non eſt poſſibile ut ſit cauſa, finis præſertim; cùm deſinat eſſe quam cito perfectio eſt ſive finis.

Amplius repugnat & adeo contraria eſt perfectioni ſive fini ut nunquam poſſibile ſit ea ſimul eſſe, quapropter non eſt poſſibile ut altera ſit cauſa alterius. 2. Quia repugnat via ad perfectionem & ipſa perfectio

Amplius cum perfectio & finis longè nobilior ſit atque præſtantior quam potentia ſeu potentialitas, non eſt poſſibile ut ſit ex illa per modum effectionis naturaliter; nihil enim poteſt ſecundum modum iſtum in majus vel melius ſeipſo. 3. Quia perfectio & finis nobilior eſt potentialitate.

Amplius potentia vel potentialitas, vel malum eſt vel malum conjunctum ſibi habet, quod unaquæque rerum naturaliter fugit, & ab eo exire pro viribus contendit. Et videtur hoc evidentiſſimè inſinuaſſe eminentiſſimus ille doctor gentis Chriſtianorum & fidei in ſermone quo dicit, *quod omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc*, tanquam intelligeret quod ſub malo potentialitatis ingemiſcens omnis creatura in ſtatu ſuæ perfectionis deſiderio naturali quaſi parturit perfectionem ſuam, videlicet ad quam nata eſt. Quia igitur potentia ſive potentialitas malum eſt ut dixi quod totis viribus effugere contendit omnis res naturalis, quamdiu eſt in ſtatu perfectionis ſuæ. Perfectio autem è contrario bonum eſt quod omnis res naturæ conatu ſuo naturali acquirere contendit, manifeſtum eſt contraria eſſe atque valde diverſa malum hoc & bonum illud. Motus enim à quo & motus ad quem ſicut diverſi ſunt, ſic & termini eorum diverſi & contrarij, quemadmodum & motus ipſi. Quapropter manifeſtum eſt non eſſe alterum ex altero; cum alterum alterum fugiat, & exterminet à ſubjecto cui advenit, & alterum alterum deſtruat. Amplius quis ignoret potentiam ſive potentialitatem per ſe quod eſt dicere per modum quo eſt potentia vel potentialitas impoſſibile eſſe perfectivam perfectionis; quoniam neceſſe eſt exire ab ea, omninoque recedere id quod acquirit perfectionem illam. Et ut ad unum dicam ſermo hominis iſtius ſimillimus eſt ſermoni quo dicitur albedo eſt cauſa effectiva nigredinis. Qualiter autem duorum alterum ſit cauſa alterius, quorum alterum deſtructivum eſt alterius & è converſo, & nullo modorum ſimul eſſe poſſunt quis deliret niſi inſaniſſimè deſipiat. Per hæc igitur omnia patefactum eſt tibi non eſſe poſſibile animam humanam exire de potentia ſeu de potentialitate hujuſmodi per modum effectionis.

4. Quia potentialitas vel malum eſt, vel malo contracta, perfectio autem bonum eſt omnis creaturæ.

Rom. 8.

Quod ſi dixerit hoc eſſe per modum receptionis quod quidam ejus intentioni videtur congruentius, atque vicinius, & approbabilitate ratiocinij longè minus: hoc enim videtur eſſe quemadmodum ſi quis diceret ex temperantia partium oculi viſum eſſe oculo per modum receptionis; ex hoc enim aptus eſt viſum recipere ut eis videtur, quoniam ſi ex aliis partibus, vel ex eiſdem etiam alio modo compoſitis ſive diſpoſitis conſtitutus eſſet, nullo modorum eſſet aptus, vel idoneus ad viſum. Hoc igitur videtur eſſe intentio Alexandri in errore iſto, præſertim cum viſus videatur eſſe perfectio oculi, & tanquam anima ipſius, & quemadmodum ipſa anima totaliter hoc eſt in totalitate ſua, & intendo cum univerſitate virium & officiorum ad totum corpus quod anima vivificat, movet, & regit; ſic viſus ad oculum. Verum ſecundum intentionem iſtam de eſſentia, ſeu de eſſe ipſius animæ nihil attingitur. Non enim dicitur in ſermone iſto quidquam de illo vel de eſſe ipſius, ſed de diſpoſitione ſola corporis qua aptum eſt vel idoneum recipere ipſam. Ex quo manifeſtum eſt ſecundum ſermonem hujuſmodi aliud eſſe prorſus quam animam hujuſmodi receptibilitatem, vel idoneitatem, aliud enim neceſſe

Quod ſi diligenter animam eſſe ex potentia corporis per modum receptionis attingitur ſolum ipſa corporis aptitudo ad recipiendam animam non eſſe ipſum animæ.

neceſſe recipiens generaliter, & aliud receptum: aliud etiam ipſam receptibilitatem, ſive aptitudinem qua aptum eſt recipere diſpoſitionem receptam: quapropter nondum, ut prædixi, attingitur per hoc eſſentia, ſive ſubſtantia ejus.

Explicat in quo conſiſtat error ille.

Quærendum igitur eſt ab hujuſmodi erroneo, utrum intelligere, vel ſcire, cum indubitanter operationes ſint, ſive actiones, ſive paſſiones cujus ſint operationes, & in quo ſunt tanquam in ſubjecto: ſi in homine ſecundum ipſum, nullam eſt reperire ſubſtantiam præter ipſum corpus humanum, de quo nullo modo veriſimile eſt ipſum fuiſſe auſum ſentire, vel dicere quod ejus ſint per modum effectionis; hoc enim eſſet dicere corpus non ſolum intelligere, ſeu intelligens eſſe, ſed etiam efficere hoc in ſe, & præſtare ſibi. Quod autem corpus intelligentiam ſeu intellectum efficere, vel præſtare poſſit vel ſibi, vel alii nullus hactenus ſomniavit niſi qui nobilitatem & virtutem intellectus, aut prorſus ignoravit, aut intellectum pene nullum habuit. Porro quantum apparere poteſt ex ſermone hujuſmodi intellectus quem ponunt in homine erronei iſti non videtur eſſe niſi aptitudo recipiendi formas intelligibiles: & hanc vocant intelligentiam materialem propter cauſas quas audies in ſequentibus. Quemadmodum igitur eſt in oculo idoneitas fieri aptitudo recipiendi formas ſenſibiles, ſic in corpore humano ex contemperantia ſæpe nominata in præcedentibus, eſt idoneitas recipiendi formas intelligibiles; exiſtimo quoniam idoneitas iſta non poteſt dici in toto corpore eſſe, ſive ſparſa per totum illud, quemadmodum ponunt in media cellula capitis, in qua opinantur, hujuſmodi idoneitatem eſſe, quoniam & Medici ipſi communiter cellulam illam nominant cellulam rationis, quemadmodũ & poſteriorem partem capitis cellulam memorativã, & anteriorem, & imaginativam uſualiter vocant. Quare ſi ita eſt, manifeſtum eſt virtutem intellectivam diſpoſitionem eſſe corporis, & propter hoc non eſſe ſeparabilem à corpore, quapropter mortalem eſſe ipſam, & cum corpore in quo eſt eam mori.

Quem refellit quaſi qui mortalitatem animæ aſſerat, & legibus omnibus adverſetur, & intelligere ipſum corpori tribuat.

Pereat autem opinio iſta cum ſectantibus illam, qui non ſolum auferunt animabus ſuis præſentem vitam per mortem corporum, ſed etiam futuram. Et hic eſt error quem lex omnis & igne & gladio exterminat tanquam peſtem radicalem ac peſtilentiſſimam, quæ ſpem fœlicitatis futuræ omnino præcidit, & evacuat; & propter hoc virtutum ſtudia, morum compoſitiones, & vitæ præſentis ordinationem inutilem; & affectu ſuo præcipuo qui eſt venturæ vitæ beatitudo vacuam eſſe delirant penitus. His igitur imprimis accidit virtutem intellectivam eſſe in corpore, & propter hoc omnes actus & operationes illius; quoniam in quo eſt potentia, ſive virtus, illius eſſe actus neceſſe eſt. Quare quemadmodum in eis quæ præceſſerunt prædixi corporis humani erunt ſcire, & intelligere, cogitare, diſputare, inveſtigare, & per omnem modum philoſophari. Jam autem feci te ſcire in præcedentibus quoniam intelligere non eſt diſpoſitio quæ poſſit eſſe in corpore; cum intelligere impartibile ſit, corpus autem partibile etiam in infinitum, ſicut jam declaravit Ariſtoteles in auditu ſuo, & multi alii.

Intelligere non poteſt eſſe in corpore humano ſecundũ aliquam illius partem quia pars illa eſſet

Amplius cum intelligere ſecundum hoc non ſit in corpore humano, vel eſſe poſſit totaliter; hoc eſt ſecundum quamlibet partem ipſius, erit in eo ſecundum quid, & ſecundum aliquam partem ipſius, quia in illa erit vere ac proprie & per ſe; quapropter ipſa erit vere ac proprie intelligens, eodem modo illa erit vere ac proprie animal; cum in ea ſit vere ac proprie anima, ſimiliter ratio & intellectus: cum illa vere ac proprie ſint in ea, erit ex neceſſitate animal rationale; & propter hoc homo; & in alia ſpecie collocari poſſe nulli hominum videri poteſt. Quapropter quædam pars hominis erit homo, & homo erit habens hominem quemdam incluſum in media cellula capitis ſui, partem videlicet illam in qua ponit eſſe ipſum intelligere & alias diſpoſitiones.

homo & animal.

Intelligere non poteſt imprimi humano corpori, nec ab ipſo, nec ab aliis corporibus, nec à ſubſtantiis intelligibilibus.

Amplius. Diſpoſitiones hujuſmodi quæ ſunt intelligere, & ſcire, & cætera ſimilia non imprimuntur illi parti à ſeipſa, quoniam tunc idem eſſet agens & patiens à ſeipſo in ſeipsũ, danſque & recipiens ſibi ipſi & à ſeipſo, & hoc ſecundum idem, quoniam non eſſet ſecundum partem ſui corporis recipiens diſpoſitionem quæ eſt intelligere, & ſecundum alteram dans, & hoc eſt quoniam non eſt invenire, vel etiam fingere in ea partem aliam quæ dignior ſit dare hujuſmodi diſpoſitionem quam pars alia. A foris igitur & de aliunde imprimuntur diſpoſitiones hujuſmodi. Et propter hoc à ſubſtantia ſpirituali, vel à ſubſtantiis ſenſibilibus, cum illæ non agant niſi per formas ſenſibiles, nec imprimant impreſſiones quæ veniant uſque ad animas noſtras, nec agant ſic niſi in corpus, cum nihil poſſibile, vel receptibile ab hujuſmodi formis ſit in nobis niſi corpus; corpus enim agens in corpus per formas ſenſibiles, tunc non imprimet ei niſi formam ſenſibilem. Impreſſio autem formæ ſenſibilis nec intellectus eſt, nec intellectio, nec intelligere, ſed ſenſus, vel ſentire. Quare conſequens eſſet hominem non intelligere, ſed nec etiam intelligere poſſe. Manifeſtum igitur eſt impreſſiones, ſeu paſſiones quæ ſunt intelligere & ſcire, & aliæ hujuſmodi, non poſſe eſſe impreſſiones à formis ſenſibilibus, ſive ſubſtantiis. Neceſſe igitur eſt eas fieri à ſubſtantia intelligibili, vel una, vel pluribus: quia vero ſubſtantia intelligibilis agens in corpus non eſt poſſibile ut imprimat niſi diſpoſitiones, quarum receptibile eſt corpus, corpus autem receptibile non eſt niſi corporalium diſpoſitionum, non imprimet igitur in corpus humanum niſi corporales diſpoſitiones ſubſtantia hujuſmodi Quare non imprimet diſpoſitiones quæ ſunt intelligere, & ſcire, aut aliquæ aliarum hujuſmodi. Poſtquam nec à ſubſtantiis intelligibilibus imprimi poſſibile eſt hujuſmodi paſſiones ſeu diſpoſitiones; ſed neque ab ipſo corpore humano, vel quacunque parte hujuſmodi poſſibile eſt eis imprimi: neceſſe autem eſt ab aliquo vel aliquibus eas imprimi. Manifeſtum eſt conſequenter eas non imprimi, nec advenire homini. Impoſſibile igitur eſt hominem intelligere, vel ſcire, & ad hunc modum de aliis diſpoſitionibus hujuſmodi, quoniam impoſſibile non ſequitur niſi ex impoſſibili.

Exemplum ſpeculi proponit quo ſuam ſententiam cõfirmare nitebatur Alexander.

Manifeſtum eſt impoſſibile eſſe id ex cujus poſitione ſequitur impoſſibile. Sequitur autem ex hoc quod ponitur anima humana non eſſe ſubſtantia ſpiritualis, in qua fiant impreſſiones, ſeu diſpoſitiones hujuſmodi, imo ponitur contemperantia elementorum, ſeu partium corporis humani, per quam aptum & diſpoſitum eſt recipere diſpoſitiones hujuſmodi: quemadmodum claritas & terſio in ſpeculo mulierum diſpoſitio eſt per quam natum eſt aptum, ut in eo fiant apparitiones & reſultationes formarum viſibilium. Sic enim videntur ponere intellectum materialem atque poſſibilem in homine, quomodo ſe habet planities & pollitio in gemmis & lapidibus pretioſis atque metallis. Quapropter ſecundum eos homo non eſt intelligens per intellectum intelligibilem hujuſmodi, niſi quemadmodum per ſpeculum intelligibile, ac ſpirituale, & propter hoc per modum receptionis à foris advenientis. Quia vero intellectum materialem poſuerunt diſpoſitionem corporis, & corpori ad-

hærentem, poſuerunt eum à corpore inſeparabilem, & ideo cum corpore mortalem ac deſtructibilem.

Ex quo multa deducit incõvenientia. 1. de inanimatis diſcutiens.

Hanc autem poſitionem ſequuntur inconvenientia alia multa & impoſſibilia: quorum unum eſt elementa ipſa vivere & intelligere; cum enim in eis ſit contemperantia, vel harmonia, quæ vel anima eſt ſecundum errorem iſtum, vel anima eſt ex illa, neceſſe eſt ipſa eſſe animata anima humana, & propter hoc viventia intelligentia, & cæteras diſpoſitiones participantia quæ per animam humanam eſſe habent in ſubjecto, cujus ipſa perfectio eſt. Anima enim humana non præſtat diſpoſitiones alii quam proprio ſubjecto, neque efficit eas vel operatur niſi in illo, nec habent eſſe niſi aut in illa aut in ipſo. Invenitur etiam contemperantia hæc in aliis ſubſtantiis quam in corporibus humanis, aurum enim metallorum temperatiſſimum dicunt eſſe Alchymiæ Magiſtri, nec tamen ponunt animam illi, nec aliquis adhuc dixit eſſe animatum. Eodem modo ſanguinem dicunt Medici omnem temperatiſſimum, nec tamen ponunt illum eſſe animatum.

2. De vivacioribus quibuſdam & ſagacioribus animalibus quales ſunt cornices & corvi, & canes.

Quod ſi conſideraveris in complexione animalium in quibus ſunt tam variæ, tamque multiplices compoſitiones & commixtiones elementorum, majorem vitam, & ſi fas eſt dicere, animam majorem invenies. In cornicibus enim & corvis id manifeſtum eſt, perfectiones autem animæ brutalis nobiliores cæteris animalibus ſunt in eis; multum enim appropinquant animæ earum animabus rationalibus, quod oſtendit loquela humana quam acquirunt ex diuturna converſatione inter homines, aſtutiaque mutuandi, & fœnerandi, & quædam aliæ quas hîc tibi non nomino. Manifeſtum autem eſt eas eſſe melancholicæ complexionis, & excidere à contemperantia elementorum in terreſtrem compoſitionem. Ad hunc modum ſe habet & de canibus in quibus tam modica eſt contemperantia elementorum, & tamen adeò valent amore benefactorum, adulatione, & applauſu quibus adulantur benefactoribus ſuis. Manifeſtum igitur eſt non ex contemperantia elementorum animam eſſe humanam, nec etiam brutalem; alioquin ubi major eſſet contemperantia, ibi neceſſe eſſet animam nobiliorem, atque perfectiorem eſſe. Contrarium autem invenies evidenter, ſi juxta vias iſtas in complexionibus animalium conſiderationem feceris diligentem.

3. Idem colligit ex diverſis hominum cõplexionibus & defectibus naturalibus agens.

Secundum autem hoc in ſanguineis, & intendo in ſanguineæ complexionis hominibus, neceſſe eſſet animas eſſe velocioris & acutioris intellectus: Ariſtoteles autem econtrario ſenſiſſe dictus eſt, videlicet omnes ingenioſos melancholicos eſſe. In illis hominibus, ſive viris, ſive mulieribus qui moriones vocantur, manifeſtum eſt ſecundum errorem iſtum non eſſe virtutem intellectivam; cum enim indocibiles & incredibiles atque ſcientiæ & doctrinæ irreceptibiles, manifeſtum eſt in eis non eſſe aptitudinem recipiendi impreſſiones apprehenſivas, ſive intelligibiles, quapropter neque intellectum materialem habere. Quare ſi intellectus materialis anima humana eſt, ſive anima rationalis & non aliud eſt anima hujuſmodi, manifeſtum eſt animam humanam non eſſe rationalem, vel non eſſe in hujuſmodi hominibus, & propter hoc non eſſe homines. Quod ſi forte conceſſerit, neceſſe habebit concedere in contractis & cæciſa nativitate hominibus animam humanam non eſſe; ſi enim perpetuum impedimentum animæ rationalis, qua prohibetur homo ab uſu ratiocinandi, vel intelligendi eſt ablatio animæ rationalis, erunt ſimiliter & prænominata impedimenta, cum perpetua ſint ablationes animæ illius. Quapropter non haberet animam humanam cæcus hujuſmodi, vel contractus contractione naturali; virtus verò greſſibilis & virtus viſibilis non minus eſt ipſa anima humana eſſentialiter quam intellectiva.

Amplius quid reſpondebit de freneticis, ſeu quolibet alio modo mente captis? cum manifeſtum ſit in eis non eſſe poſſibilitatem, ſeu aptitudinem ad recipiendas impreſſiones eruditionis, & doctrinæ, ſeu alias quaſcunque intelligibiles. In eis enim videtur eſſe vel turbata contemperantia & indiſcrepantia inverſa: quapropter omnino nulla anima. Quia igitur contingit plerumque homines hujuſmodi philoſophare, & viſiones mirabiles videre quæ à ſanctiſſimis atque ſcientiſſimis hominibus videri non poſſunt, manifeſtum eſt neque animam eſſe ex hujuſmodi contemperantia corporis, neque aptitudinem recipiendi irradiationes hujuſmodi eſſe ex illa; alioquin tam nobiles illuminationes, tamque ſublimes viſiones non eſſet poſſibile fieri in illis: quemadmodum in aqua turbida, ſeu exagitata non eſt poſſibile clare videre, ſed neque etiam aquam ſic diſpoſitam poſſibile eſt eſſe aptam, ſive idoneam ad recipiendum & retinendum formas viſibiles. Quomodo igitur non multo fortius in corpore modis hujuſmodi turbato & exagitato poſſibile erit fieri propheticas irradiationes, tamque ſublimium viſionum ſplendores? cum tanta facilitate turbatur corpus humanum turbationibus infinitis, ſicut turbatione iræ, turbatione doloris & gaudij, ſimiliter timoris & audaciæ ad quas quam proni quamque faciles ſunt homines quis niſi inſanus ignoret? 4. Ex freneticis.

Amplius irradiationes iſtæ ſunt in ſomniis, & in extaſi, in quibus manifeſtum eſt adeo quieta eſſe corpora, ut ipſi homines quibus iſta ſunt, mortui videantur. Manifeſtum autem eſt nobiles perfectiones ſubjectis ſuis neque mortem, neque deſtructionem aliam, neque læſionem ullam, vel infligere, vel ullo modorum inducere; quin potius evidens eſt ipſas confortare, & illuſtrare ſubjecta ſua. Quare manifeſtum eſt tibi per hoc ſplendores hujuſmodi, ſive irradiationes non eſſe diſpoſitiones, ſive perfectiones corporum, cum ea, ut prædixi, exturbent atque mortificent. 5. Ex ſomnis & extaſi.

Amplius etiam in raptu & extaſi manifeſtum eſt fieri debilitatem multam corporis, multam autem & fortiſſimam confortationem intellectus, & illuſtrationem ipſius. Non eſt autem poſſibile ullo modorum ut debilitato ſubjecto & mortificato potentia aliqua, ſive virtus ejus confortetur. Non eſt igitur poſſibile ut intellectus, ſive anima intellectiva ſit virtus, aut vis corporis humani. Et per eamdem viam manifeſtum eſt tibi, quod neque alicujus partis corporis, cum in nulla parte corporis inveniatur virtus, vel vis, niſi pene mortificata in hora irradiationis hujuſmodi. 6. Ex raptu & extaſi in quibus debilitatur corpus, intellectus vero confortatur.

Amplius ſi virtus intellectiva non eſſet in corpore humano niſi quemadmodum receptibilitas formarum viſibilium, aut quemadmodum in ſpeculo politio & terſio; quemadmodum autem ſe habent formæ hujuſmodi, ſcilicet viſibiles ad viſum, ſive videre; ſic formæ intelligibiles ad ipſum intellectum, ſive ipſum intelligere; receptiones quoque harum & illarum proportionales ſunt ad intellectum & intelligere, viſumque atque videre: quapropter quemadmodum receptibilitas formarum viſibilium non facit oculum potentem videre, ſive aptum vel idoneum ad videndum: & intendo ad hoc ut ipſe videat, & de ſpeculo viſibili ſimiliter ſe habet. Sic manifeſtum eſt per hoc quia homo per intellectum materialem non erit ſciens aut intelligens, ſicut nec oculus, nec ſpeculum videns eſt per ſolam receptibilitatem, ſive receptionem formarum viſibilium. 7. Quia receptibilitas formarum viſibilium in oculo nõ facit illum potentem videre.

PARS SEXTA.

Quod anima non ſit materialis ſeu educta juxta opinionem Alexandri.

Quod intellectus materialis ſive patiens non poſſit cenſeri intelligens per ſolam receptionẽ formarũ ab intelligentia agente.

QUod ſi dixerit verum eſſe hoc, quia revera homo nec eſt ſciens neque intelligens per intellectum materialem ſolum, ſed per ipſum, & irradiationem intelligentiæ agentis: neceſſe habet ſimiliter dicere quia oculus, & ſpeculum vident ſimiliter non per ſolam receptionem formarum viſibilium ſeu receptibilitatem; ſed per illam irradiationem quæ venit in utrumque à rebus viſibilibus. Quapropter non potius erit homo intelligens, quam ſpeculum viſibile videns; cum intellectus per ſemetipſum nihil intelligens habeat niſi intellectum materialem, qui non eſt niſi aptitudo ſive idoneitas recipiendi formas intelligibiles, & exterius ad intelligendum nihil habeat adjuvans ipſum niſi intelligentiam agentem irradiatione ſua in prædictum intellectum materialẽ, quemadmodum in ſpeculum ſpirituale formas intelligibiles. Manifeſtum eſt, & conſequens evidenter non potius hominem eſſe intelligentem, quam ſpeculum vitreum, vel ferreum, vel ex aliqua materia eſſe videns.

Actus videndi duo requirit receptionem ſc. formæ viſibilis, & dijudicationem quæ fit ab anima.

Amplius non fuit dubitatum uſque ad tempora iſta quin actus videndi in duobus conſiſtat vel ſaltem illa ad hoc ut ſic requirat videlicet impreſſionem ſive receptionem paſſionis quæ fit in oculo viſibili, & cognitionem ſive judicationem per quam cognoſcitur res ipſa viſibilis, & judicatur de ea, qualis coloris aut figuræ ſit: judicatio autem hujuſmodi neque in oculo eſt neque oculi; non enim judicat oculus de coloribus, neque dijudicat inter eos. Manifeſtum igitur eſt alterius virtutis eſſe judicationem iſtam ſive diiudicationem quam quæcumque virtus oculi: præſertim cum virtus oculi quæcumque ſecundum errorem iſtum non ſit niſi virtus recipiendi à formis viſibilibus paſſiones ſeu impreſſiones per quas actus videndi perficitur.

Quod in oculo non ſit tantum materiale, ſed debeat eſſe præterea aliquid activum & effectivum viſionis.

Amplius ſi viſio non eſſet niſi receptio impreſſionis à forma viſibili factæ in oculo, tota viſio eſſet, & in oculo & in oculis: quapropter veriſſimè propriéque, & ſingulariter oculus videre diceretur; nulla enim diſpoſitio propriè ac verè probari poteſt. niſi de eo in quo totaliter eſt: quia igitur nec verè dicitur quia oculus videt, nec etiam ab aliquo dicitur, manifeſtum eſt viſionem ſive actum videndi non eſſe vel fieri in oculo. Quapropter aliquid ſui habet actus videndi in alio, propter quod & de illo dicitur: de oculo vero dici non conceditur de illo Iterum autem erit eadem quæſtio utrum paſſibiles tantum, & materiales tantummodo ſint, an etiam activum, & effectivum actus videndi. Quod ſi materiale tantummodo, non erit igitur effectivum actus videndi, imo actus videndi non erit actus, ſed paſſio ſolummodo. Iſtæ autem abſurditates quoniam intolerabiles ſunt declaratur tibi per hoc; quia omne naturale inſtrumentum neceſſe eſt habere operatorem qui illi imperet, & cui ipſum inſtrumentum obediat. Et hoc indubitanter in oculo manifeſtum eſt. Quare eſt virtus in homine quæ oculo imperat volvens ipſum, & revolvens, & opponens centrum ipſius ei, nec ante debita operatio completur viſus ſeu viſio quam centrum ipſius oculi è directo fiat omni rei viſæ. Quapropter manifeſtum eſt, cum omne activum imperativum ſit, & omne agens imperans virtutem activam, & imperativam viſus in omni eſſe vidente: & propter hoc evidenter conſequens eſt viſionem ſive ipſum videre non ſolummodo paſſionem receptam, ſed magis ipſam judicationem eſſe Oculus enim nec in parte, nec in toto videre à quoquam dicitur. Quod enim colores apprehendit vel percipit, & de eis judicat, eoſque ab invicem dijudicat, & diſcernit hoc proprie ac verè ac ſolùm videns eſt. Non poteſt autem dubitari quin virtus quæ imperat oculo, volvitque, & revolvit ipſum modis quos prædixi imperat ipſi oculo modo inviſibili. Ob hoc enim hujuſmodi motibus movet oculum, quia deſiderat & inquirit videre: non inquirit autem niſi quod & acquirere poſſibile eſt, & propter hoc poſſibile eſt ut ipſe videat. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc quia neque oculus videt, neque ejus eſt videre, neque alicujus quod in eo ſit, ſed eſt interioris & ſubtilioris virtutis, & ipſi oculo dominantiſſimè imperantis.

Operatio quæ fit per inſtrumentum habet operatorem alium quam ipſum inſtrumentum.

Amplius omnis operatio quæ per inſtrumentum fit ſive perficitur habet operatorẽ alium, quá ipſum inſtrumentú cui ipſú ſervit & obedit in illam. Quapropter non ſolus oculus, ſed etiam omnia membra corporis cum ſint organica, & inſtrumentalia habent operatorem imperantem ſibi, & operantem per illud alia omnia. Quapropter manifeſtum eſt hujuſmodi operatricem virtutem eſſe animam multarum ſive multiplicium operationum, & propter hoc non eſſe materialem: purè enim materiale omne, in quantum materiale receptibile eſt tantum, atque poſſibile, & nullatenus eſt effluxivum ſive effluens. Hoc autem eſt quod tota diſputatione iſta declarare intendo, videlicet animam humanam non eſſe purè receptibilem, ſed etiam activam & effluentem: quemadmodum manifeſtum eſt ipſam effluere vitam in omnes partes corporis quod vivificat & regit Similiter non eſt recipiens tantum illuminationes apprehenſionum ſenſibilium, atque ſcientiarum quæ à parte ſenſibilium ei advenire videntur, ſed etiam actrix, & effectrix earum apud ſemetipſam & in ſemetipſa. Alioquin non eſſet niſi quemadmodum ſpeculum, & liber viſibiliter continens ſcripturam viſibilem alicujus ſcientiæ; neque enim ſpeculum viſibile videre, neque librum ſeu codicem quemcumque ſcire aliquis unquam quantumcumque imbecillis adhuc dixit vel etiam cogitavit. Quapropter ſi anima humana ſecundum eſſentiam ſuam, vel ſecundum partem ſcientiæ ſuæ intellectus materialis tantum eſſet, & nullo modo activus, & intendo quod ſolum modo recipiens eſſet inſcriptiones, ſive cognitiones, liber tantum eſſet deſcriptionum ſive inſcriptionum hujuſmodi, & eſſet liber alij tantum, non autem ſibi.

Quod ſciat intellectus formas intelligibiles eſſe apud ſe, & quod hæc cognitio debeat eſſe aliquid præter iſtas formas.

Amplius cum intellectus materialis ut ipſi dicunt recipit in ſe ſive apud ſe deſcriptiones hujuſmodi formarum proculdubio ſcit earum eſſe apud ſe, vel in ſe, & ſcit etiam eas eſſe ſigna rerum quas per eas apprehendit. Quæro igitur ab erroneis hujuſmodi utrum hoc ſcire ſit hujuſmodi formæ, vel ſigna hujuſmodi, an ſit aliud? Quod ſi eſt ipſæ formæ vel ſigna hujuſmodi. Quo igitur effugiet quin cogatur concedere de ipſo ſpeculo viſibili ipſum ſcire, vel eſſe ſciens, vel videre ſive eſſe videns? & de oculo evidentius eſt, quia paſſio quæ in oculo eſt à forma exteriori viſibili viſio eſt, neceſſe habet concedere erroneus iſte oculum videre vel eſſe videntem, cum manifeſtè neceſſarium ſit omne illud in quo viſio eſt vel videre vel videns eſſe: quemadmodum omne in quo eſt albedo neceſſe eſt album eſſe.

PARS SEPTIMA.

Quod formæ intelligibiles non fiunt in intellectu materiali, ſive poſſibili per receptionem earum ab aliqua intelligentia agente & movente, ſeu illuminante.

Si ſcientia eſt à rebus exterioribus, vel ab intelligentia ſeparata nullus ſtudio aut inventioni locus eſt.

SI vero dixerit quia ipſum ſcire, ſive ſcientia, aliud eſt quam ipſæ formæ receptæ in ſpeculo mentis quod vocant intellectum materialem. Quæro igitur unde eſt; manifeſtum igitur eſt quia ſcientia in anima humana gignitur, & fit naturaliter, ſicut & naturaliter deſiderat & quæritur ab eadem Quia igitur à rebus exterioribus ſenſibilibus non eſt poſſibile ipſam gigni, vel fieri in anima humana, cum ultra formas nihil gignatur vel fiat in illa ab eiſdem, neceſſe eſt ab alio agente illam fieri in eadem, Quod ſi dixerit illam fieri ab intelligentia agente, quæ eſt illuminatrix, ut ponunt animarum noſtrarum, & ſol intelligibilis earumdem, tunc neceſſe habent concedere illam eſſe paſſionem quæ imprimitur ab intelligentia hujuſmodi, quapropter neque ſtudium, neque inventio aliquid erit. Si enim infundit intelligentia agens ſcientias animabus noſtris, quemadmodum res ſenſibiles imprimunt organis ſenſuū noſtrorum paſſiones per quas fiunt apprehenſiones ſenſibiles, nullum ſtudiū, nulla inventio, nulla ars inveniēdi neceſſaria eſt nobis propter apprehenſiones, ſive cognitiones intelligibiles: ſed quemadmodum ſufficit applicatio ſenſuum ad res ſenſibiles, ſive econverſo; ſic ſufficit nobis applicatio intellectus noſtri materialis ad intelligentiam agentem, ſive econverſo ad iſtas, hoc eſt ad apprehēſiones & cognitiones intelligibiles; non enim vel facilius, vel quolibet modo melius imprimi poſſibile eſt à rebus ſenſibilibus paſſiones ſenſibiles in organis ſenſuum, quam formas intelligibiles in ſpeculum intellectus materialis ab intelligentia agente.

2. Idem oſtendit exemplo Prophetarū in quibus nullus locus ſtudio & inventioni.

Amplius prophetici ſplendores multo majores ſunt ac ſublimiores apprehenſionibus, & ſecundum errorem iſtum ſunt in animabus prophetarum ab intelligentia agente, quemadmodum illuminationem intelligibilem animarum noſtrarum fieri ponunt irradiatione intelligentiæ agentis. Quapropter cum nec ſtudium, nec inventio, nec ars inveniendi neceſſaria ſit irradiationibus videlicet propheticis, multo minus neceſſarium erit quodcumque iſtorum cognitionibus & apprehenſionibus minoribus; cum non niſi per irradiationem fiant ſimiliter intelligentiæ agentis. Attende autem diligentius in exemplo iſto prophetarum quia non in eo ſtudere dicuntur, ut addiſcant quæ per revelationem cognoſcunt, nec invenire illa, nec inventores dicuntur, neque ulla ars, vel ſcientia eſt, quæ doceat prophetare. Siquidem prophetæ quibuſdam ſacris obſervantiis purificant & ſanctificant ſe, ut gratiam revelationis impetrent à creatore: ſed nec libros inſpiciunt propter hoc, nec aliter vel ſtudent, vel philoſophantur. Niſi quis forſitan, abuſione intolerabili, dicat medicos de ſalute vel morte ægrotantium. & aſtronomos de ventis aut pluviis prophetare. Hæc igitur indubitanter & arte medicinæ & aſtrorum ſcientia præcognoſcuntur, non autem abſque ſtudio & præmeditatione convenienti. Secundum iſtos vero ſola applicatio animarum noſtrarum ad intelligentiam agentem, aut econverſo neceſſaria eſt, & ſufficit ad adquiſitionem apprehenſionum, & cognitionum intelligibilium: quemadmodum ſola applicatio organorum ſenſuum ad res ſenſibiles, aut illarum ad organa hujuſmodi neceſſaria eſt, & ſufficit ad apprehenſiones ſenſibiles, quæ non ſunt niſi paſſiones.

3. Quia ſola receptibilitas non facit aliquid eſſe principiū, ut patet in vaſe quod liquorum cauſa non eſt.

Amplius qualiter intelligunt quia intellectus eſt in nobis principium ſcientiæ; ſi enim non eſt niſi inſtrumentum recipiendi ſcientias ipſas, non recte dicitur principiū earum, cū receptio, neque receptibilitas facit debere, ut vas ſive aliquid receptibile dicatur principium liquorum, vel cujuſcumque alterius recepti. Qui igitur ponunt intellectum in nobis eſſe principium ſcientiarum, proculdubio ponunt ipſum eſſe principium agens, ſive effectivum ſcientiarum. Hoc autem evidentiſſimum eſt in diſpoſitione, vel habitu quem Ariſtoteles vocat ſolertiam in libro poſteriorum; vocat namque ſolertiam promptitudinem inveniendi medium. Exempli gratia, per ſenſum non recipit niſi colloquium cujuſdam hominis cum campſore, illeque ex hoc ſtatim cogitat & opinatur de mutuatione pecuniæ ad invicem colloqui. Unde igitur intelligit & mutuationem & colloquium eſſe de his inter homines illos? Manifeſtum eſt enim quoniam nec à ſenſu, nec per ſenſum, ſed ut dicit Ariſtoteles, per ſolertiam. Quapropter manifeſtum eſt intellectum noſtrum, vel habitum, vel diſpoſitionem qui ſolertia dicitur potentem eſſe formare apud ſemetipſum, vel in ſemetipſo formas intelligibiles pecuniæ, mutuationes, & tractatus eorum de his inter homines illos. Quare manifeſtū eſt apud nos & in nobis intellectum eſſe non ſolum materialem receptibilem formarum intelligibilium, ſed etiam effectivum & generativum earum apud ſemetipſum, vel in ſemetipſo, hoc dicit unus ex egregiis Chriſtianorum gentis Theologis.

Addidit exemplum araneæ ſentientis caſū muſcæ ex concuſſione telæ ſuæ.

Ego vero dedi tibi exemplum ſuper hoc in aranea quæ ex concuſſione unius fili telæ ſuæ, ſeu retiaculi imaginatur caſum muſcæ, & prædam, ſive eſcam, ſibi eſſe illam. Quæro igitur à contradictore, unde tot formæ in imaginatione araneæ, quarum una eſt forma muſcæ, alia forma caſus ipſius, alia forma prædæ vel eſcæ? muſca enim non impreſſit niſi motum ſive concuſſionem factam in tela ipſius. Unde igitur impreſſæ ſunt, & unde veniunt in imaginationem araneæ, niſi ab ipſa virtute imaginativa ipſius, ſive arte quam creator indidit animæ ipſius araneæ, ut per illam & texeret retiacula hujuſmodi, & per illa venaretur muſcas? Eſt igitur arte hujuſmodi vivendi, ſive artificium; à foris enim non poſſunt & advenire formæ hujuſmodi; cum antequam muſcam viderit vel apprehenderit quolibet modo, & fila producere & telam ex eis texere aggrediatur. Manifeſtum eſt ſiquidem quoniam quam cito excluſa eſt ab ovo, artificia hujuſmodi exercet. Qualiter autem fiat, ſicut prædixi, in intellectiva virtute noſtra generatio formarum intellectualium ab ipſa, & per ipſam, inveſtigabo perſcrutatius in ſequentibus, & declarabo, ſi Deus voluerit.

PARS OCTAVA.

Quod virtus intellectiva eſt productiva formarum intelligibilium.

Si virtus intellectiva ſit tantum receptibilis formarum non erit in ea ſtudio locus ut nec in viſione rerum ſenſibilium.

REvertar igitur ad id in quo erā, & dicam; quod ſi non eſt virtus intellectiva in nobis generativa & effectiva formarum intelligibilium, ſed receptibilis tantum earum, neceſſe eſt ut addiſcere, & philoſophari nō ſit niſi formæ intelligibiles ex inſcriptione intelligētiæ agentis quā ſomniant. Quapropter ſi diligentius intenderis vel attenderis, vel ſtudere, vel philoſophari nulla ratione ſeu definitione aliquid erit: cauſa autem in hoc eſt quoniam diſcere per modum iſtum non erit niſi quemadmodum res ſenſibiles apprehendere, quod proculdubio non fit per inveſtigationem vel probationem, ſed ſola applicatione organorum ſenſibilium

lium ad res ſenſibiles, ſive è converſo, ut prædixi. Eodem modo res intelligibiles ſecundum errorem iſtum non cognoſcentur, ſive apprehendentur niſi applicatione intellectus noſtri materialis ad intelligentiam agentem, ſive è converſo.

2. Idem oſtendit exemplo ſolis irradiantis oculos noſtros.

Amplius ut quid ſudamus? ut quid philoſophamur? ut quid nos inveſtigamus, cum quemadmodum res ſenſibiles abſque ulla inveſtigatione ſe ipſas offerunt, vel etiam ingerunt ſenſibus noſtris, ſic intelligentia agens ipſas offerat, vel etiam ingerat intellectui noſtro per ſemetipſam. Quemadmodum enim ſol res viſibiles ſua irradiatione oſtendit per viſum abſque ulla inveſtigatione, ſic intelligentia agens ſua irradiatione oſtendit nobis res intelligibiles per intellectum noſtrum: propter quod & ſolem animarum noſtrarum, & ſolem intelligibilem ipſam eſſe poſuerunt Ariſtoteles, & ſequaces ejus. Quapropter ſicut ſol iſte viſibilis liberat omnes videntes à labore inveſtigationis rerum viſibilium, ſic ſol ille intelligibilis liberat nos à labore rerum intelligibilium dum eas ſua irradiatione nobis oſtendit.

3. Quia inſtrumenta omnia quæ animæ deſerviunt oſtendunt ipſam eſſe operativam maximè quantum ad virtutem intellectivam.

Amplius quantæ inſaniæ ſit negare operarium vel operatorem eſſe, cui tam copioſa ſupellex penè innumerabilium organorum ſive inſtrumentorum deſervit ad operandum, quis non videat? neque enim ignorat inſtrumenta omnia inſtrumenta eſſe alterius qui eis utitur, & imperat eiſdem, & propter quem etiam ſunt, ut audiviſti in præcedentibus: nullum autem inſtrumentum propter ſe eſt, & ſibi ipſi imperat. Qui igitur intuetur corpus humanum, & videt ipſum officinam refertiſſimam variorum inſtrumentorum, quomodo negare poteſt, vel etiam opinari non ineſſe operatorem, vel operarium, cui tota ſupellex illa deſerviat in multiplicibus operibus ſuis? Quod ſi dixerit revera anima humana eſt, & operatur quantum ad vires, quibus membra deſerviunt, ſed paſſibilis eſt, & paſſiva tantum, & receptiva quantum ad virtutem intellectualem. Dico quod perverſiſſimus eſt ſermo hujuſmodi; ſequitur enim primum iſta perverſitas, videlicet ut quantum ad illud quod habet anima humana nobilius, atque præſtantius, ſit minus nobilis; cum enim activum inquantum activum nobilius ſit paſſivo ſeu paſſibili in eo quod tali. Quapropter ſi anima humana quantum ad vires ſuas inferiores activa ſit, quæ proculdubio ſunt vires ſenſibiles, quantum autem ad virtutem intellectivam tantum paſſibilis, neceſſe erit quantum ad vires ſuas inferiores ipſam eſſe nobiliorem ac ſuperiorem, quantum autem ad ſuperiores inferiorem atque minus nobilem, quo nihil perverſius cogitari poteſt.

4. Nihil virtutis aut vitij eſſet in nobis ſecundum ſuperiores virtutes quia non eſſent activæ.

Amplius ſecundum hoc quantum ad ſuperiores vires ſuas nihil virtutis, nihil vitij eidem ineſſe poterit, nihil habere poterit laudis vel vituperij; non enim pro paſſionibus quæ paſſiones merè ſunt laudatur quis, vel vituperatur quantæcunque fuerint aut qualeſcumque. Et propter hoc inſtrumentis quæ per violentiam ſolam mota movent alia nihil attribuitur illis de motu, quin potius totus motus attribuitur violentiam inferenti: quemadmodum motus rotarum molendinariorum aquæ moventi ſua inundatione rotam primam. Alij enim motus omnes paſſiones receptivæ tantum eſſe videntur: quapropter omnes motus noſtri, & paſſiones ſi recepti tantum ſunt in nobis, & non à nobis procedentes vel effecti, nihil nobis parient laudis vel vituperij; quoniam nec noſtri eſſent ſecundum hoc, neque nos principia dici poterimus vel ipſorum vel eorum quæ ex ipſis ſequuntur. Aër enim illuminatur à ſole, neque cauſa, neque principium dicitur illuminationum oculorum noſtrorum, vel aliarum illuminationum quæ poſt ejus illuminationem ſunt, ſed nuncius tantum, quemadmodum in præcedentibus audiviſti, & deferens illuminationum illarum. Quapropter neceſſe habent concedere quod nos neque cauſæ ſumus, neque principia operum noſtrorum, ſed medij tantum, & tanquam nuncij deferentes illa: quorum autem neque cauſæ ſumus neque principia, nobis imputanda non ſunt vel ad laudem, vel ad vituperium: quare nulla opera noſtra nobis imputanda erunt vel ad laudem, vel ad vituperium, vel ad culpam, vel ad meritum.

5. Quia in nullo judicio aliquis convenitur apud homines quod aliquid paſſus fuerit.

Amplius in nullo judicio convenitur aliquis apud homines pro eo quod patitur vel paſſus, quantumcunque inique patiatur illud: non enim quia læſus vel vulneratus eſt aliquis judicatur reus, vel condemnatur. Quod autem milites in prælijs ſtrenuè ac fortiter agentes percuſſiones graves, & vulnera patiuntur, & inde laudantur; manifeſtum eſt non ex meris paſſionibus eos laudari, vel remuneratione dignos judicari. Si enim omnino non rebellantes, nihilque contra hoſtes agentes quantumcumque dura vel dira paſſi eſſent, laude nulla, vel ſtipendio digni haberentur: quin potius pro eo quod nihil militaris officij contra hoſtes egiſſent, à duce vel principe exercitus punirentur. Quapropter manifeſtum eſt tibi propter agere vel non agere puniri vel remunerari homines, non propter pati merum ſive ſolum: alioquin oves & boves quæ à carnificibus tot & tanta patiuntur, feræque quæ à venatoribus tam atrociter trucidantur merito remunerabiles eſſent.

Quod martyres non propter ipſas præciſe paſſiones honorãtur, ſed propter virtutem qua eas paſſi ſunt.

Propter hoc gens chriſtianorum quæ tam ſublimi veneratione ſanctos martyres vocat, colit, honorat, non propter ipſas paſſiones tormentorum hoc utique facit; non enim laudat in eis paſſiones tormentorum quas in animabus ab ipſis ferri novit, ſed magis propter virtutem per quam dira tormenta vicerint. Vincere autem non eſt dubium quin agere ſit, & virtus qua quis vicit principium eſt, & cauſa vincendi atque ſuperandi dolores, & alia incommoda paſſionum: & ſi exterius, & ſecundum corpus vinci videbantur, interius tamen, & ſecundum animam vincebant immanitatem tormentorum: quapropter in eis invicta ſtetit voluntas, qua creatori tàm conſtanter tamque inſeparabiliter adhærebant, ſimiliter & virtus quæ eos ad peccatum vel vitium flecti non permittebat, qua ipſa tormenta velut iis ſuperiores corde calcabant, & pedibus ſpiritaliter conculcabant: & quod erat in eis præfulgidum atque præſtantiſſimum ipſa tormenta amabant & deſiderabant, propterea quæ de certaminibus ſuis atque victorijs provenire videbant, nec non propter coronam regni quam ſe ſic acquirere, & promereri non dubitabant: erant eis etiam prægaudia, & nobiliſſima gaudia quæ in tractatu ſingulari de virtute patientiæ expoſita ſunt tibi.

6. Quia velle, & imperare, & agere.

Amplius ſi velle imperare eſt, in quo concordant iſti erronei, quomodo non erit agere? Erit igitur velle ſcire, velle intelligere, velle philoſophari agere: velle autem ſive deſiderare, & agere illud ex neceſſitate in eodem ſunt. Quemadmodum motus ad perfectionem quamcumque, & perfectio ipſa neceſſe eſt ut ſint in eodem: quare virtus intellectiva ſaltem à parte iſta qua eſt volens, & inquirens perfectionem ſcientiæ activa erit ex neceſſitate.

7. Quia vires motivæ motuum inferiorum activæ sũt, quãto magis imperativæ illorũ motuum?

Amplius quis dubitat de viribus motivis motuum inferiorum quoniam activæ ſunt? quomodo igitur imperativæ non multo fortius erunt motivæ, & propter hoc activæ ſive effectivæ?

8. Quia virtutes ſunt cauſæ operationum laudabiliũ.

Amplius qualiter erit verum quod dicit Ariſtoteles virtutes principia ſunt, & cauſæ operationum laudabilium, ſi neque activæ, neque effectivæ ſint?

9. Quia ſi nec media operationũ nobis imputãda ſunt nec ipſa extrema, ſed tota vita noſtræ attribuetur intelligẽtiæ.

Amplius ſi omnia media operationum tantum recepta ſunt, & emanantia ab intelligentia agente, videlicet non ſolum apprehenſiones, ſed etiam effectiones; & non ſolum ſcientias, ſed etiam virtutes, earumque diſpoſitiones & paſſiones: nihil igitur erit ibi ex nobis, nihil inquam mediorum hujuſmodi: & propter hoc nihil extremorum: hæc autem ſunt opera ſive operationes. Quapropter tota vita noſtra, totaque multiplicitas bonarum operationum noſtrarum erit attribuenda, & imputanda intelligentiæ agenti, ut omnino de eis nihil ad nos pertineat, niſi quemadmodum ad vaſa de liquoribus; aut ad inſtrumenta de operationibus; vel quod videtur expreſſius ad feneſtras de irradiationibus. Quapropter nec boni erimus, nec laudabiles quantacumque morum honeſtate prædíti videamur.

De actionibus animæ quibus ſibi, & corpori providet.

Aggregata igitur ratiocinatione declaratum eſt tibi per omnia hæc animam rationalem ſive humanam eſſe ſubſtantiam activam, & agentem in ſemetipſam, & in corpus quod vivificat & regit: ſimiliter generativam ſcientiarum, & generantem eas apud ſe, & intra ſemetipſam, necnon & generantem formas intelligibiles in ſemetipſa, juxta modum quem explicare conabor, & quod eſt ſubſtantia applicans ſe corpori & corporalibus, & abſtrahens ſe ab eis cum liberata fuerit à ſervitute corruptionis vitiorum, & à depreſſione fantaſiarum, & profundatione, & radicatione errorum & iniquitatum: nam non minori ſervitute premitur vis intellectiva erroribus & perverſis paſſionibus. Dico etiam quod manifeſtum eſt ipſam fortitudine ſua ſubſtentantem corpus, & imperantem ei, & moventem ipſum contra naturam ipſius; cum corpus ipſum pondere ſuo in unam partem ſolummodo moveatur naturaliter: ipſa vero moveat ipſum motu voluntario in omnem partem; & intendo in ſurſum & deorſum, in ante & retro; in dextrorſum, & ſiniſtrorſum, & etiam in circuitu. Ipſa etiam eſt ei acquirens nutrimentum, & præparans illud excoctionibus, & depurationibus, donec idoneum ſit partiri corpori in reſtaurationem conſumptionis quæ fit in eo per motum, & calorem cõtinuè agentes in ipſum corpus. Cum iis autem omnibus ipſa eſt ei quærens indumentum, & ædificans eidem habitaculum ſive tectum; & hoc vel naturaliter, ſicut vides in avibus nidificantibus, & in quibuſdam aliis animalibus ædificantibus, quorum unum eſt caſtor, ſive bener. Voluntariè vero in hominibus fiunt ædificationes propter corpora humana. Sunt & alij modi quibus & animæ animalium habitacula quærunt, vel procurant corporibus ſuis, quemadmodum vides in cuniculis, & aliis quæ in ſpeluncis & cavernis inhabitant.

Colligit idem quod ſupra animas eſſe activas præſertim ex pugnis animalium inter ſeſe invicem.

Quis igitur niſi extrema deſipientia de iis ignorare permittatur animas non ſolum humanas, ſed etiam aliorum animalium ſubſtantias activas eſſe, quarum tam multiplices, & manifeſtæ ſunt actiones. Sed & illud non eſt prætereundum quod tantæ pugnæ, tantæque concertationes ſunt inter animalia, tamque vehementes inquiſitiones victoriæ contra ſe invicem. De quibus neminem eo uſque deſipuiſſe credendum eſt, ut credat non ex fortitudine, & virtute vehementis actionis unamquamque earum eſſe; quod enim ex paſſione ſola, per modum quo paſſio eſt ſive per ſe, actionem eſſe impoſſibile ſit, nemo vel ad modicum exercitatus in naturalibus ignorat. cum unicuique manifeſtum ſit ex altero contrariorum per ſe alterum eſſe non poſſe: agere vero & pati ſive actio, & paſſio contrariæ invicem ſunt. Verùm ſecundum errorem iſtum anima humana diſpoſitio debiliſſima, & paſſio leviſſimè deſtructibilis eſſet.

Proponit de quibus agere debeat in ſequentibus.

Dicam autem tibi in ſequentibus exempla evidentiſſima, per quæ apparebit tibi evidentiſſimè animam humanam ſubſtantiam eſſe, & ſæpè recedentem à corpore, & ſæpè redeuntem ad ipſum. Interim autem proſequar ea quæ reſtant de prænominatis cognitionibus juxta præmiſſum ordinem, & promiſſum: hæc autem eſt quod juxta præmiſſum ordinem proximè determinatum eſt, videlicet de creatione ipſius. Et intendo utrum in corpore creata ſit unaquæque anima humana; in corpore inquam cui conjungitur ut ipſum vivificet & regat, an extra illud; juxta quod audiviſti in tractatu præcedente iſtum, ubi audiviſti errorem Platonis qui credidit eas creari in corporibus ſtellarum, & inde ad corpora deſcendere ſive tranſmitti à creatore. Hic quoque error nonnullis aliis imputatus eſt. Quidam vero erronei quos gens chriſtianorum non immerito gladio & igne proſequitur, poſuerunt eas eſſe dæmones incarceratos, de quibus non eſt dubium quin in cœlo creati fuerint, & inde poſtmodum dejecti. Et de hoc multum audiviſti in tractatu ſecundo primi ſapientialis ac divinalis magiſterij. Horum igitur error cum errore præcedenti in hoc convenit quod animas extra corpora creatas utrique ſentiunt: in hoc autem diſcrepat ſeu diſcordat quod hi ultimi inter dæmones incarceratos, & animas humanas in nullo diſtinguunt. Quamvis autem neque error evidenter, & ſufficienter tibi deſtructus ſit in prænominato tractatu, conveniens arbitror ut aliqua etiam circa errorem iſtum hic tibi dicantur.

PARS NONA.

Quod anima non creatur extra corpus humanum antequam infundatur.

1. Anima humana ſi crearetur extra corpus ex parte virium ſenſibilium ſaltem inutilis eſſet.

Dico igitur quia quemadmodum ſi animæ brutorum animalium extra corpora ſua crearentur, otioſa eſſet earum creatio totaliter; cum eſſe earum omnino utile non ſit niſi in corpore; cum omnis earum operatio in corpore tantum eſſe habeat, & per illud. Sic creatio animarum humanarum in parte otioſa eſſet, & inutilis prorſus, videlicet quantum ad vires earum, quarum operationes non eſt poſſibile eſſe niſi per corpus & in illo. Hæ autem ſunt vires ſenſibiles, necnon virtus imaginativa, ac memorativa corporalis. Hoc autem ſicut incongruens eſt omnino ſapientiæ creatoris, & omnino non decens: ſic non eſt poſſibile tale quid vel taliter factum eſſe ab eodem videlicet otioſe, & inutiliter vel in toto, vel etiam in parte. Quare creatio animarum humanarum extra corpora omni modo impoſſibilis eſt; neque enim ignoranter poſſibile eſt creatorem aliquid otioſe aut inutiliter agere, cum ſcienter ſic agere ſtultitiæ ſit manifeſtæ, de qua non eſt dubium, quin prohibita ſit à creatore impoſſibilitate evidenti.

1. quia nulla ei acquiritur perfectio in illo ſtatu.

Amplius. Quæ cauſa animæ humanæ ut eſſet vel crearetur extra corpus? aut enim acquireretur ei aliqua perfectio in ſtatu illo & loco, aut non. Si nõ, nulla intelligitur exiſtentia ejus; cum nihil ei bonum proveniret ex illa; omne enim bonum acquiſitum alicui aliqua perfectio eſt illi Quod ſi dixerit quia perfectio aliqua acquiritur animæ humanæ in loco vel ſtatu illo, neceſſe eſt perfectionem hujuſmodi, vel eſſe virtutis apprehenſivæ nobilis, vel virtutis motivæ nobilis, vel utriuſque. Quod ſi ſit virtutis apprehenſivæ nobilis, erit igitur ſcientia vel ſapientia. Cum igitur ipſa ingreſſu corporis amittit illam ſupervacuè acquiretur ei; manifeſtum eſt enim animas parvulorum nec ſcientiam, nec ſapientiam habere: niſi fortè quis dicat quod ſcientiæ ſive ſapientiæ ſopitæ & ſepultæ ſunt in eis

juxta ſententiam Platonis, poſtmodum autem procedente ætate deteguntur & revelantur ſtudiis, exercitationibus, & doctrinis: de quo errore multa in prænominato tractatu audiviſti per me, quæ tibi merito ſufficere debeat.

Maximè cum inutiliter acquireret perfectiones quas in ingreſſu corporis amitteret.

Id autem tantum hic dicatur, quia proculdubio inutiliter acquiruntur animæ humanæ perfectiones hujuſmodi quas ipſo ingreſſu corporis amiſſura eſt, vel ſaltem uſum & utendi poteſtatem amiſſura eſt; niſi fortè quis dicat quod uſus earum neceſſarius eſt ante corporis ingreſſum. Tu vero jam audiviſti de ſtatu earum ſi quis eis fuiſſet ante corporum ingreſſum, quia non eſſet niſi tanquam ſtatus hominum cæcorum, atque ſurdorum, cæteriſque ſenſibus, imaginatione atque memoria ſenſibili privatorum. Et juxta hoc, & contra hoc multa alia ibidem tibi dicta ſunt quorum expedit hic reminiſci. Tu etiam vides per temetipſum quod in magnā ſui perniciem atque detrimentum perfectionum ſuarum conjungeretur anima humana corpori ſuo, poſtquam perfectiones ejus ejuſmodi conjunctione vel ſepararentur, vel ſepelirentur, ſicut omnimodo uſum earum amitteret, quod proculdubio injuſtè pateretur, ſi abſque culpa ſua hoc illi accideret.

Iniuſtus etiam eſſet Deus qui eas nulla ſua culpa corpori conjungeret, unde tot perfectionibus privarentur, atque etiam peccandi occaſionem non correctionis acciperent.

Quapropter vel creator optimus eam corpori ſuo conjungendo cum illa injuſtè ageret, vel illa per culpam aliquam meruiſſet. Neceſſe igitur eſſet animas humanas peccaſſe in corporibus ſtellarum, & peccando inibi pœnam antedictam meruiſſe: ex quo ſequitur creatorem non ſolum inique contra eas egiſſe, ſed etiam ſtultiſſimè eas corporibus conjunxiſſe; ſtultiſſimè enim pœna infligitur, quam correctio non ſequitur, ſed magis deterioratio ipſius, cui hujuſmodi pœna irrogatur: Manifeſtum enim eſt animas humanas deteriores fieri in corporibus, quam eſſent extra corpora. Manifeſtum etiam eſt ipſa corpora multiplicem occaſionem, imo cauſas urgentiſſimas peccandi præſtare animabus, quod adeo evidens eſt, ut neminem intelligentem latere poſſit. Quod ſi juxta quorumdam deſipientium deſipientiam non ad correctionem, ſed ad vindictam creator animas humanas induxit corporibus, non ſolum conjungendas, ſed etiam penè mortificandas, quin etiam ut dixi ſepeliendas, & penè extinguendas, ut neque ſemetipſas ſentiant aut cognoſcant, neque ſtatus ſui præteriti ullatenus reminiſcantur. Manifeſtum eſt igitur ibi illas graviſſimè peccaſſe, cum inde expelli eas, & dejici, & in tam durum atque horrificum carcerem detrudi meruerunt. Jam autem contra hoc, & contra errorem Pythagoræ ratiocinationes, & deſtructiones multiplices audiviſti in ſæpe dicto tractatu, propter quod non eſt neceſſe ut hic repetantur tibi.

3. Quia in aliorum corporum generatione forma non producitur extra materiam.

Amplius in generationibus corporum manifeſtum eſt quod corporea forma non generatur, nec fit extra materiam, ſed in materia tantum; quare igitur in hominibus econtrario ſe haberet res? videlicet ut forma hominis quæ utique anima eſt ſeorſum longe, & extra materiam ipſius, quæ non eſt niſi corpus humanum, fieret vel generaretur.

4. Quia nihil eſt generatio quā productio formæ in materia.

Amplius Manifeſtum eſt quia generatio non eſt niſi generatio formæ in materia, in his quæ ſunt videlicet ex materia & forma: quapropter generatio hominis non erit niſi generatio animæ incorporeæ, cum ipſa anima forma ſit ipſius corporis aut materiæ.

5. Quia generatio nō eſt ubi nihil fit, nec anima ſcilicet, neque corpus.

Amplius ſecundum hoc generatio hominis nihil eſt: ubi enim nihil fit nihil generatio, ubi autem nihil omnino novum eſt, nihil eſt omnino generatio. In iſta autem inceptione qua dicimus hominem generari, nihil novum eſt cum anima antiqua ſit, & corpus antequam illa eidem adveniat totaliter fabricatum, atque completum ſit.

6. Quia nihil eſſet generatio quā ingreſſus animæ in corpus, quaſi ingreſſus habitatoris in domum ſit illius generatio.

Amplius ſecundum hoc nihil erit quod generationem dicunt, niſi novus ingreſſus latronis in carcerem, aut inhabitatoris alterius in domum. Neutrum autem iſtorum ingreſſuum à quoquam dicitur generatio, vel etiam dici poteſt: quapropter ſecundum hoc nec generatio hominum aliquid erit, nec homines generabuntur. Quod ſi dixerit quis quod generatio ſit hominum, vel eſt ſaltē quantum ad corpora quæ veriſſimè generari videntur. Dico in hoc quod homo iſte valde longe eſt à ratione, & loquendi rectitudine; non enim propter hoc ſi ædificatur alicui domus dicendus eſt inhabitator generari vel ædificari. Et ad hunc modum ſi generatur alicui equus; nec dominus eſt nec dicitur propter hoc vel in ſe, vel eques generari. Nec propter hoc ſi alicui operatio generatur vel fabricatur inſtrumentum, dicendus eſt ipſe vel fabricari vel generari, & de veſte ſimiliter ſe habet. Quia igitur hæ ſunt comparationes corporis humani ad animam humanam, videlicet quæ ſunt domus ad inhabitatorem ipſius, & equi ad equitantem ipſum, ſive ad equitationem, & inſtrumenti ad operatorem. Manifeſtum eſt cum homo inquantum homo ſit inhabitator humani corporis, & tanquam ſeſſor ſive eques ad ipſum, & tanquam operator ad inſtrumentum operationum, manifeſtum eſt neque generationem, neque fabricationem corporis neque aliam ſimilem diſpoſitionem ejuſdem attribuendum eſſe homini propter illud. Et quoniā cum aggregaveris ea quę hic tibi dicta ſunt contra errorem iſtum de animabus humanis cum his quæ in tractatu tam ſæpe tibi nominato audiviſti, quieſcet intellectus tuus, & confirmabitur in firmitate & veritate certitudinis, nec relinquetur tibi dubitationis vel erroris in parte iſta ullum veſtigium.

Proponit de quibus agere debeat.

Incipiam perſequi quæ reſtant de natura animarum humanarum. Et primum quam ob cauſam in corpore vel in corporibus tam noxiis eiſdem, tantaquę impedimenta nobilibus perfectionibus earum præſtantibus velit eas creator eſſe, & erect eas in ipſo. Deinde de ſtatu earum, & imperio in corporibus. Tertio de modo eſſendi ipſarum in illis, & in tribus partibus illis confirmabo capitulum iſtud.

PARS DECIMA.

Quod rebellio ſeu defectus, & perverſitates hominis à principio nativitatis ſunt plagæ, & ægritudines contra naturam.

Difficultatem eſſe maximam cur Deus animam humano corpori tā ſibi noxio aptaverit, cum animabus irrationalibus nihil ſimile contingat.

DIco igitur imprimis quia nec parvam nec levem admirationem habet quod creator optimus, ac ſapientiſſimus tam ineptum, tamque noxium inſtrumentum ut eſt corpus humanum, tam nobili operatio, ut eſt anima humana, vel aptaverit vel dederit. Corpora namque cæterorum animalium animas ipſorum neque avertunt à rectitudine legum ſuarum naturalium, neque pervertunt eas in contrarium, neque obtenebrant eas aut prohibent à cognitione eorum quæ ſibi vel ſalubria, vel noxia ſunt, nec prohibent illas ab operationibus quæ ſibi neceſſariæ ſunt, quin ſtatim ut natæ ſunt illas aggrediantur, & exequantur duce ſolo numine naturæ ſive naturalis cognitionis: homines vero ſoli adeo obtenebrati naſcuntur, ut neque de cibo ſive alimento vel curent, vel curare noſcantur, ſed neque gradi, neque quidquam quod vitam ipſorum, vel ſuſtentet vel nutriat, vel quolibet aliorum modorum adjuvet operari vel poſſunt, vel ſciunt. Videmus ſiquidem

perdices nondum penè excluſas ab ovis, imo etiam cum aliqua parte ovorum evolantes, & ad paſtum matrem ſequentes. Quis ſatis admiretur artem vel artificium aranearum in filis perducendis, & retiaculis texendis, atque venatione muſcarum, cum mulieres in illa doctrina vel diſciplina quovſque valeant edocere: de avibus vero rapacibus quis explicet inſidias earum, prædaſque quas faciunt de animalibus, & rebus aliis quas ſibi noverunt eſcam eſſe quaſi per peritiam ipſarum indicibilem, qua cognoſcunt ſibi ſalubres eſcas, & dignoſcunt noxias, cæteraque innumera artificia quibus utuntur in ædificandis, compingendiſque nidis, in exquirendis materiis de quibus illos ædificent vel compingant. Deſipientiam vero imo obtenebroſitatem etiam ſuper omnem brutalem ignorantiam in qua naſcuntur homines, & in qua ſunt animæ eorum, donec paulatim per nutrices vel nutricios, & totius vitæ ſuæ conſuetudine aliquatenus ad eruditionem proficiat quis ignoret?

Perverſitatem illam qua ipſis brutis deteriores ſunt homines naturalem eſſe non poſſe.

Quis intelligens nobilitatem humanã & præcellentiam hominum ſuper alia animalia, animæque rationalis ſuper animas irrationales non videat hanc diverſitatem vel potius perverſitatem non ſolum innaturalem, ſed etiam contra naturam, & intendo contra legem & ordinem naturæ eſſe per omnem modum; cum initia & rudimenta naturalia proportionalia naturaliter ſint, & eſſe debeant perfectionibus ſuis. Quapropter quemadmodum perfectiones hominum, & animarum rationalium incomparabiliter præcellentiores ſunt perfectionibus cæterorum animalium, & animabus ipſorum, ſic neceſſe eſt & initia perfectionum humanarum, & animarum rationabilium ſuper omnem comparationem præſtantiora eſſe initiis ſeu rudimentis animalium irrationalium & animarum ipſorum. Quare cum econtrario prorſus ſe habeat, manifeſtum eſt hanc diverſitatem ſeu perverſitatem eſſe non ſolum innaturalem ut prædixi, ſed etiam naturæ contrariam.

Apparere in hominibus defectũ univerſalẽ, quantum ſpectat ad regimen vitæ.

Amplius quis dubitat defectum viſus plagam eſſe naturæ in animabus naturaliter videre debentibus, & ad hunc modum ſe habet de aliis viribus ſeu virtutibus quæ naturales vocantur. Cum igitur appareat in hominibus & animabus humanis non ſolum defectus univerſalis, ſed etiam perverſitas contraria omnibus viribus exceptis apprehenſivis quibuſdam videlicet ſenſibus. Et intelligo defectum univerſalem in virtutibus regitivis quibus vitam ſuam regere ab ipſo initio nativitatis ſuæ noverunt animalia omnia præter hominem ſolum. Intendo autem regimen vitæ cautelam à noxiis, & inquiſitionem ſalubrium ad vitæ ſuſtentationem, & ejus conſervationem atque perfectionem, de quibus jam aliqua numeravi tibi, & nominavi: noſti ſiquidem parvulos ad carbones ardentes, ad gladios acutiſſimos toto hiatu currere, eiſque ora ſua & manus applicare, donec læſionem ſenſerint ab eiſdem, & tunc cum dolore & ejulatu ab illis reſiliunt. Sed nec mamillas matrum tunc cognoſcunt, neque etiam poſtmodum, donec frequentia ſugendi eas, ut ita dicatur, didicerint. Scis etiam ut prædixi quare ipſis renuentibus, & ejulantibus lac, & alia nutrimenta puerilia in ore funduntur, vel immittuntur: cætera vero alia mox nata vel ad mamillas matrum, vel ad alios paſtus, & alimenta ſponte vel currunt, vel volant. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his iſtos defectus in hominibus vel animabus humanis non ſolum defectus vel imperfectiones eſſe naturæ, ſed etiam plagas graviſſimas. Omnis enim læſio naturæ plaga proculdubio illius eſt: perverſitas vero illius naturæ longe major plaga ipſius eſt, evidenterque defectus imperfectionis ipſius, & intendo perverſitatem qua econtrario ſe habet naturali ordinationi, quemadmodum ſi rectus ſive rectitudine naturaliter incedere cogitur perverſitatis eſt. Similiter qui manibus pro pedibus utitur vel potius abutitur multo tempore infantiæ indubitatæ perverſitatis eſt. In aliis autem animalibus juxta debitum, & decentiam naturæ ſubinverſa ſe habent; & ut tibi dixi cum arte & artificio vivendi, & lege ſibi congruentibus naſcuntur cætera animalia, homo ſolus cum perverſitate imo cum perverſitatibus multis.

Perverſitas hominis ſpectatur maximè in iis quæ ad morum honeſtatem pertinent.

Amplius cum nemo intelligens dubitet honeſtatem morum vitæ humanæ decorem & perfectionẽ eſſe, & ſicut dicit quidam ex majoribus philoſophis Latinorum nos eſſe natos ad perfectionem & honeſtatem, maximè ſentit unuſquiſque in ſemetipſo rebellionem jugem atque fortiſſimam contra illam. Quemadmodum autem in nobis nulla eſt rectitudo honeſtate pulchrior, aut præclarior; ſic nulla perverſitas in nobis cogitari poteſt iſta rebellione deformior aut indecentior: quapropter manifeſtum eſt ſi honeſtas ſanitas eſt ſpiritualis hominum ſeu animarum humanarum rebellionem iſtam ſeu plagam vel ægritudinem eſſe contrariam.

Quod homo & qualiter rebellionem, & ægritudinẽ primam in ſeipſo experitur.

Pars II. in Codice Carnot.

Si quis autem quærit quæ vel qualis eſt iſta rebellio, conſideret in ſemetipſo qua difficultate ſe applicavit ſcientiarum ſtudiis & virtutum exercitationibus; quantam neceſſarium eſt ipſum habere pugnam contra invidiam, iram, & alias hujuſmodi peſtiferas paſſiones quæ difficile vel repelluntur, vel vincuntur; quanta fortitudine eiſdem reſiſtitur; ut cognoſcat in ſemetipſo perverſitatem animæ ſuæ, ſive perverſitatem propriam quæ nonniſi vi aut violentia, imo etiam adjutorio magno, & admirando divinæ gratiæ debellari non poteſt. Miror autem ſi quis ignorat violentiam *perverſitatis* in concupiſcibili à parte luxuriæ, vel qui potius luxuria eſt. Juxta hunc modum quis ignorat perverſitatem virtutis iraſcibilis à parte iracundiæ, à parte timiditatis, & à parte audaciæ, aliarumque hujuſmodi peſtium quarum omnium radix nobiſcum naſcitur? Eodem modo eſt evidenter videre perverſitatem ſimilem in vi noſtra rationabili in qua invenitur tanta facilitas ad credendum quod credere non expedit, tanta tarditas ad credendum ea quę credere non ſolum eſt expediens, ſed etiam ſalutare. Deinde quanta difficultate non ſolum noxiæ credulitates, ſed etiam cogitationes avelluntur à vi noſtra rationabili tunc in ſemetipſo ſentiet, & experimento cognoſcet hanc veritatem atque ad interius rationem confiteri cogetur candem habere, &c.

Quod dici non poſſit naturalis eſſe illa infirmitas hominis.

Pars II. in Cod. Carnot.

Quod ſi fortè dixerit non plagam eſſe imperfectionem ſive perverſitatem iſtam, ſed magis naturam aut naturalem diſpoſitionem eſſe; cum & perpetua, & univerſalis ſit; ſed & ipſa teneritudo humanorum artuum aliter ſe habere non ſinit parvulos; tanta namque teneritudo eſt membrorum ipſorum, ut omnino & pedes ad greſſum, & manus ad operationem ineptiſſimæ ſint, donec proceſſu temporis congruentia alimentorum, & educatione firmentur, & confortentur ad operationes propter quas ſunt. Reſpondendum eſt igitur homini hujuſmodi, quia iſta infirmitas ſive debilitas pars miſeriæ eſt, & imperfectionis: & quoniam natura humana incõparabiliter eſſe deberet immunior atque liberior ab illis, quã natura cęterorũ animaliũ, tantoque magis acceleranda eſſet ſua perfectio, quam cęteris animalibus, quanto ipſa eſt eis nobilior atque perfectior. Quare retardatio hæc ſuæ perfectionis quæ per teneritudinem, & infirmitatem ſit eidem, manifeſtum eſt eam fieri præter debitum, & ut dicatur juſtum naturale ipſius.

Quod cauſa illius non

Quapropter neceſſe habent cauſam aliam aſſignare infirmitatis & miſeriæ hujuſmodi, & quoniam cauſam

ſit caſus vel natura.

cauſam prædictam per hoc ipſum quod prædictum eſt removere neceſſe habent, concedere coguntur de neceſſitate plagam miſeriæ iſtius providentia gubernatoris univerſi qui eſt Deus altiſſimus inflictam eſſe. Naturalem enim ipſam eſſe humanæ naturæ impoſſibile eſt; nulli namque naturæ læſio ſua naturalis eſt, quin potius contra naturam, cum ei adeo adverſetur, eamque quouſque pervertat, & non ſolum illam naturæ irrationalium animalium parem faciat, vel adæquet, ſed etiam longe inferiorem vel viliorem, & ignobiliorem efficiat. Cum igitur nulla natura in ſui deteriorationem naturaliter intendat, vel in ullam læſionem ſui, manifeſtum eſt non de intentione naturæ humanæ deteriorationem tantam ipſius, & læſionem tantam proceſſiſſe, ſed neque à caſu ut prædictum eſt. Caſum enim removent univerſalitas & perpetuitas; quoniam omnis caſus & particularis eſt & ad tempus.

Sed iuſtitia Dei non malitia dæmonis.

Quapropter neceſſe eſt tantam deteriorationem vel ab ipſo gubernatore naturæ creatore benedicto, vel ab adverſario, ſive hoſte naturæ humanæ inflictam fuiſſe, vel modo alio procuratam. Jam autem feci te ſcire quod hoſtis naturæ humanæ qui ſcilicet ſtudio vel intentione quærit nocere ei, non eſt niſi princeps malignorum ſpirituum cum toto exercitu eorumdem. De poteſtate vero ipſius jam feci te ſcire qualiter reſtricta, & limitata ſit; & quoniam non poteſt ipſe niſi quantum poſſe à creatore benedicto permittitur, cujus omnipotentiſſima voluntas eſt fortiſſima ligatura, & quoad omnem modum inſolubilis. Tu etiam ſcis quod nunquam fuit poteſtatis illius ut poſſet ſive pervertere ſive ſubvertere univerſam naturam humanam, legemque naſcendi aut pariendi hominibus naturalem nullatenus immutare benedicto generi humano potuiſſe.

Quod dolor partus in matribus & aliæ calamitates ſint in pœnam peccati.

Amplius unde eſt tantus dolor pariendi matribus? quanto enim fructus nobilior tanto deberet eſſe matri jucundior & ipſe partus non ſolum ſine dolore deceret ut eſſet, ſed etiam cum gaudio. Quid igitur cauſa eſt ut cætera animalia ſine dolore matrum naſcuntur, homines autem ſoli cum tantis doloribus? Dico igitur quod videre debuiſſet Ariſtoteles pœnas & miſerias hominibus inflictas, imo toti generi humano non ſine cauſa rationabili fuiſſe illatas. Cauſa autem rationabilis propter quam pœnæ à juſtiſſimo creatore infliguntur non eſt niſi culpa; ſi enim ſine culpa pœnæ cuiquam infliguntur, non eſt dubium quin injuſtè illæ infligantur. Quapropter cum injuſtitia nullum locum habere poſſit apud creatorem, manifeſtum eſt culpam illam eſſe cauſam pernicioſæ pœnalitatis, eamque præceſſiſſe pœnalitatem hujuſmodi: dignum enim & juſtum eſt, ut cauſa præcedat effectum, & culpa vindictam; alioquin contingeret innocentes puniri pœna immerita, & vindicari in eos culpas quas non haberent, quod eſt manifeſtè injuſtum.

PARS UNDECIMA.

Quod plaga ſeu rebellio prima eſt ex peccatis primorum parentum providentia univerſalis gubernatoris inflicta.

Quod etiã in parvulis pœna ſit hujuſmodi miſeria. *Cõtinuatur Pars 12. in Cod. Carnot.*

QUod ſi dixerit Ariſtoteles, vel aliquis de ſequacibus ejus parvulos qui naſcuntur non meruiſſe pœnalitates hujuſmodi, jam reſpondi ſufficienter tibi in duobus tractatibus, quorum alterum vocavi, cur Deus homo, alterum vero inſcripſi de vitijs & peccatis quantum ad primam ſui partem, & repetam tibi aliquid de his quæ ſuper hoc in tractatibus illis dicta ſunt, videlicet hoc quod pœna ſive pœnalitas, & vindicta eſt & pœna ſive pœnalitas. Vindicta quidem in eos quibus pro culpa ab eis commiſſa inflicta eſt, in aliis vero videlicet qui ex illis nati ſunt qui delictis ſuis vindictam hujuſmodi meruerunt pœna eſt naturalis, & hæreditaria illis ſive hæreditas, in parentibus autem ipſorum conquiſitio ſeu conqueſtus. Quia igitur ex omnibus quæ hic aggregata ſunt tibi, colligitur aliquos homines peccaſſe, & peccatis ſuis miſeriam atque pœnalitatem meruiſſe, ex qua & iſta conſecuta eſt quam parvuli naſcendo contrahunt; manifeſtum eſt pœnalitatem iſtam non eſſe vindictam in eis qui ex primis parentibus hominibus naturali lege naſcendi procreati ſunt vel quotidie procreantur. Propter quas autem cauſas vel vilitates ab eiſdem contrahantur vel perſeverent in filiis copioſè, & ſufficienter per me audiviſti in aliis: & poſui tibi exemplum in lepra qua alicui pro delicto ſuo à Deo infligitur, cujus filius leproſus naſcitur: in quo exemplo manifeſtum eſt quia lepra vindicta fuit in patre, in filio natura naturaliter tradita, & hoc eſt quoniam à carne corrupta patris non immerito transfunditur corruptio lepræ in carnem filij ex leproſa patris generatione. Fortaſſis autem poſſibile eſt leproſum patrem generare filium non leproſum.

Poſito quod deveniendũ ſit ad primos parentes oſtendit pœnam non potuiſſe eſſe in filiis eorum niſi præceſſiſſet in his peccatum, & vindicta pro peccato.

Amplius declaratum eſt tibi per me alias non eſſe poſſibile omnes homines ſic natos fuiſſe ut eos naſci videmus, & intendo ex parentibus hoc eſt ex patre & matre naturaliter. Alioquin aſcenderent cauſæ generationis iſtius in infinitum; cum omnes parentes uniuſcujuſque hominis eſſent ex parentibus aliis, & illi iterum ex aliis, & hoc non haberet finem. Jam autem hoc removi tibi remotione demonſtrativa: quapropter neceſſe eſt aliquos homines non eſſe genitos ex parentibus, quapropter per modum alium venerunt in eſſe. Creator igitur per modum alium fecit illos: & hoc eſt quod expreſſe legitur in lege Hebræorum quia *formavit Deus hominem de limo terræ*, & deinde *maſculum & fœminam creavit illos*. Quid igitur tantis doloribus naſcuntur, quid tantis doloribus educantur, quid tantis difficultatibus provehuntur ad hoc ut ſciant vivere, vitamque ſuam regere, & moderari, cuſtodire & confirmare? Cum manifeſtum ſit hæc omnia tam grandia mala eſſe, tamque pœnalia qua de cauſa placuit creatori humanam naturam ſi innocens erat tantis malis affligere, & à dignitate ſua, ac nobilitate, quà cæteris ſpeciebus animalium tam longe præcellebat, in tantam ignominiam, & vilitatem eam dejicere? Quia igitur afflictio innocentium imprimis creatorem optimum cauſam non habet, & intendo imprimis hoc videlicet ut ipſi primi affligantur, & afflictio eorum prima ſit quod quidem eſt dicere alia non præcedente ſicut videre eſt in exemplo de lepra, quia lepra filij innocentis vel alia afflictio ipſius nullatenus eſſet niſi alia illam afflictio præceſſiſſet, quæ ſicut prædixi vindicta eſt illata pro delicto, quemadmodum ſicut cæpit lepra à delicto, & fuit imprimis vindicta: ſic neceſſe eſt miſeriam in qua, & cum qua naſcuntur homines à vindicta cæpiſſe, & propter hoc occaſione delicti primitus illata; alioquin quam haberet excuſationem incogitabilis bonitas creatoris, ſi innocentem naturam humanam, tanta imo tot & tantis miſeriis condemnaſſet.

Pœna quoque peccati eſt quod anima rationalis primo lumini vicinior non ita cito lumen recipiat ad vitã

Amplius manifeſtum eſt naturam humanam primo lumini naturali ordinatione longe viciniorem eſſe omni anima brutali ſive irrationali. quapropter ſi lumina naturalium cognitionum naturaliter, & ordine naturæ deſcendunt à lumine primo, neceſſe eſt ut priora & majora lumina cognitionum hujuſmodi deſcendant prius ſuper eam quam ſuper aliquam aliarum. Hæc autem ſunt lumina hujuſ-

adminiſtrationem ut animæ cæterorum animalium.

modi videlicet artificium conquirendi victum, & regendi, & conſervandi vitam propriam. Quia igitur iſta lumina tam copioſè deſcendunt ſuper animas irrationales naturaliter, neceſſe eſt ut multò majora ac præclariora deſcendant ſuper animas rationales: manifeſtum autem eſt econtrario ſe habere, omnis enim anima rationalis manifeſtè cœca naſcitur quantũ ad regimẽ vitę ſuæ, & corporis ſui, & quantum ad artificium conquirendi vitam corpori ſuo, & cognoſcendi ſalubria victui & noxia. Sed neque patrem neque matrem cognoſcere prævalet parvulus, neque mammillas matris, donec multo uſu hæc omnia didicerit. Manifeſtum igitur eſt illuminationem hujuſmodi non ordine naturali ſic deſcendere, ut animam humanam primo lumini propinquam ſic tranſiliat, ut eam in ſua tenebroſitate ſic dimittat, & ad inferiores animas ſe transferat.

Idem oſtẽdit exemplo ſolis media omnia prius illuminantis quam ad ultimum perveniat.

Amplius in operationibus naturæ non eſt ſaltus, nec interruptio; ſed procedũt unaquæque à factore ſuo per media omnia imprimentes eis impreſſiones ſuas continuè, nullo excepto quod receptibile ſit hujuſmodi impreſſionum, quemadmodum videre eſt in operatione ſolis quæ eſt illuminatio, vides inquam quod in omnia media luminis receptiva lumen perfundit donec veniat ad ultimum receptibile illuminationis quod eſt terra, & omne quod eſt terræ in parte iſta ſimile videlicet quod non eſt receptibile luminis niſi ſuperficie tenus. Quod autem aliquid in aëre medio illuminabile relinquat tenebroſum lumen ſolis non eſt poſſibile, ſive nubes, ſive nubilum, quin illuminetur pro modo, & menſura ſuæ receptibilitatis. Quapropter ſi per hunc modum ſunt illuminationes ſpirituales deſcendentes à lumine primo, cum manifeſtè media ſit anima rationalis inter lumen primum, & animas irrationales utpote ſuperior, & lumini primo intimior, impoſſibile eſt illam relinqui lumine hujuſmodi privatam ſive obtenebratam. Cum igitur manifeſtum ſit parvulos ſic naſci, hoc eſt in tenebris, & cæcitate quas prædixi, quæ cæcitas propriè in animabus eſt, conſequens eſt evidenter non ſecundum ordinem naturæ, imo contra illum; nec ſecundum modum operationis ipſius, imo econtrario ſaltum iſtum, & interruptionem luminationis hujuſmodi in animabus humanis fieri & factum eſſe. Contra igitur eſt hujuſmodi cæcitas & tenebroſitas in animabus humanis. Quapropter ſicut antedixi cum ſit graviſſima læſio animarum humanarum, manifeſtum eſt ipſam eſſe plagam earum.

Quod ſi dicas de hujuſmodi lumine dari à Deo per gratuitam voluntatem prout libuerit multo magis animæ humanæ copioſius lumen dari debuiſſe.

Si vero non ſecundum ordinem naturæ, nec per modum operationis ipſius eſt deſcenſus hujuſmodi luminum à lumine primo, ſed per gratuitã bonitatẽ ipſius: ita ut quibus vult minus de his luminibus quibus non vult nullum vel penè nullum ſicut apparet in anima rationali. Quærendum igitur eſt ab homine hujuſmodi cum animæ humanæ non minus indigeant luminibus hujuſmodi, & incomparabiliter utilius illa reciperent utpote ad longe plures utilitates, & incomparabiliter majores: qua de cauſa magnificentiſſimam bonitatis ſuæ largitatem in eas quantum ad hoc extendere non voluit creator optimus, ac benedictus ſi cura fuit ei ſemper, & inceſſanter illuminare formicam lumine ſuæ providentiæ de theſaurizando ſibi congruo alimento, & de conſervando eodem, qualiter parvulis humani generis providere contempſit? Si enim merita attendit, manifeſtum eſt animas irrationales dona illuminationum hujuſmodi non meruiſſe: ſi vero reſpexerit ad demerita, neceſſe igitur aliquem vel aliquos hanc reſtrictionem magnificentiſſimę largitatis ipſius demeruiſſe. De animabus enim parvulorum certiſſimum eſt ex eis quæ præceſſerunt ipſas nihil meruiſſe, vel demeruiſſe. Quapropter conveniens eſt indubitanter alicujus vel aliquorum aliorum peccatis evenire juſtiſſimo judicio creatoris, & juſtitia quam ſæpe tibi declaravi.

Quod Deus primos homines in ætate perfecta creaverit.

Amplius quia primi parentes non ex parentibus ut antedixi nati ſunt; alioquin non eſſent ipſi primi; cum neceſſe ſit omnes parentes præcedere filios ſuos, quæro ab hujuſmodi in qua ætate vel ſtatu ab ipſo creatore facti ſunt, & non eſt veriſimile quod in ætate illa parvuli. Alioquin neceſſe eſſet ipſum creatorem eumdem involviſſe pannis, & lactaſſe, aliaque omnia officia nutritionis eiſdem exhibuiſſe, atque proceſſu temporis ex embrionibus illos in homines formaſſe, quod non ſolum puerile ac fœtidum eſt, ſed omnipotentiſſimæ ſapientiæ creatoris incongruum. Ut quid enim perfectionem eorum tamdiu diſtuliſſet tam longa volumina tantis temporibus evolviſſet: ſed neque operatio creatoris hujuſmodi operatio eſt; neceſſe enim eſt differre operationes naturæ ab operationibus quæ à creatore ſunt per ſemetipſum. Natura namque in tempore, & per motus, & immutationes operari neceſſe habet, & per conflictus & pugnas, atque victorias contrariorum & repugnantium: quapropter reſiſtentias, & retardationes multiplices habet in operationibus ſuis. Creator autem omnipotentiſſimus ſolo beneplacito voluntatis ſuæ, & mandato imperioſiſſimo ſua opera operatur. Quapropter impoſſibile eſt ipſum habere reſiſtentias, aut retardationes in operationibus quas per ſemetipſum operatur. Primos igitur homines fecit ſimiliter, atque perfecit; & propter hoc in ætate completa, & corporum perfectione: & quoniam indecentiſſimum eſt corporibus jam adultis, & perfectis, atque barbatis infantiles aut pueriles animas infundere ſive dare, neceſſe fuit animas primorum hominum in complemento virtutis & perfectionis infuſas eſſe. Turpiſſimum namque eſt, & rationi prorſus incongruum hominem barbatum eſſe corpore, & infantem mente: ſimiliter conſummatum eſſe corpore, & animis ſive anima incipientem. Quapropter quoniam ab operibus creatoris neceſſe eſt longe eſſe omnem deformitatem, omnem indecentiam, atque turpitudinem, neceſſe eſt animas illas primorum hominum juxta perfectionem corporum illorum perfectas fuiſſe perfectionibus ſuis naturalibus. De perfectionibus autem hujuſmodi eſt perfecta imperioſitas ſupra corpora, & membra ipſorum: non eſt autem perfecta hujuſmodi imperioſitas, ubi rebellionem habet; aut retardationem obedientiæ ſive executionis. Quapropter manifeſtum eſt corpora primorum hominum, & membra abſque ulla rebellione obedientiſſima fuiſſe animabus ſuis, & abſque tarditate exequendi imperia earumdem. Manifeſtum etiam eſt tibi hoc eſſe debitum jure, & lege naturæ quam ipſe creator conſtituit, manifeſtum etiam eſt tibi quod ſtatus ille animarum illarum regalis prorſus erat & imperialis.

Quod juſtũ ſit delinquentem puniri in quo deliquit: quare ex rebellione animæ contra Deũ facta ſit corporis rebellio in animam.

Quoniam autem nihil juſtius eſt quam unumquemque delinquentem in eo puniri in quo deliquit, manifeſtum eſt ſi primi homines contra Dei regalitatem ſive imperioſitatem rebellione deliquerunt, & eam in eis inquantum fuit minuerunt, conſequens eſſe lege juſtitiæ ut in ipſa ſua regalitate ſive imperio hoc ipſum quod creatori intulerant paterentur. Merito igitur & jure æquiſſimo factum eſt, ut corpora ſua, atque membra debitam naturaliter eis obedientiam non exhiberent ſi ipſi creatori debitam non exhibuerunt. Attende autem quod nulla obedientia major invenitur quam ea quæ eſt naturaliter corporis ad animam ſuam, & membrorum ipſius ad eamdem, nec minor debet eſſe

eſſe homini cuicumque ad creatorem; manifeſtum eſt nulla pœna juſtius potuiſſe puniri homines illos, quam privatione vel diminutione obedientiæ naturalis quæ ſibi à membris ſuis, & corporibus debebatur, ſi ſimili privatione peccaverunt contra creatorem. Quare manifeſtum eſt ex his quod pœna iſta à creatore illata eſt eidem; cùm dubitari non debeat creatorem eis pœnas illas quos punit inſtigere quæ juſtiſſimæ ac convenientiſſimæ ſunt.

Quod nulla ſit ſimilis rebellio in brutis.

Peccato igitur aliquo primorum hominum facta eſt iſta rebellio atque perverſitas in corporibus eorumdem. Quod ſi quis dixerit quod in corporibus animalium brutorum, & in animabus eorumdem eſt iſta rebellio cum ipſa non peccaverint, nec patres eorum. Reſpondeo in hoc iſtud eſſe manifeſtè falſum; ex quacumque enim paſſione, ſive ex ira, ſive libidine imperent corporibus ſuis & membris, abſque ulla rebellione eis obediunt.

Paſſiones contra animam rebellantes non poſſe in nobis dici inculpabiles.

Quod ſi forſan dixerit paſſiones hujuſmodi in nobis inculpabiles eſſe; quoniam in nobis ſunt ex eo quod communicamus cum brutis animalibus: & propter hoc ſicut apud illa culpam non habent, ſic in nobis imputanda non ſunt ad culpam. Reſpondeo in hoc quia meritò apud illa culpam non habent quia ipſa in poteſtate non habent vincere ſe ab illis, vel reprimere illa. Apud nos vero nemo niſi inſanus ita eſſe dicere poteſt; ſecundum hoc enim non eſſet poſſibile nos peccare, ſicut nec illa, & nihil eſſet inhoneſtas vitiorum apud nos: quapropter neque honeſtas virtutum. Manifeſtum eſt quippe nobis eſſe poteſtatem avertendi nos ab hujuſmodi paſſionibus & turpitudinibus, & reprimendi eas: alioquin non eſſet nobiſcum agendum de virtutibus, aut moribus, ſicut neque cum illis: nec lex aliqua nobis ponenda eſſet ſicut nec illis. Quapropter iniquæ eſſent omnes leges quæ talia prohibent, iniqui judices omnes qui talia judicant.

Exemplis rem confirmat.

Exemplum quoque manifeſtum in hoc de populo qui non habet ducem, aut protectorem; & de populo qui habet ducem & protectorem potentiſſimum ſupra ſe ad corrigendum, & corripiendum ipſum & avertendum ab omni ſtultitia & delicto. Quis enim non videat quoniam iſti populo qui habet adjutorem, & defenſorem imputanda ſit omnis nequitia, & quoniam ſit pro peccato quolibet puniendus: populus vero ſtultus, & impotens non ad pœnam judicabitur cum iſto. Evidentius vero exemplum eſt in viro forti habente arma, & gladium, & vires ad deffendendum ſe, & de puero ac debili & omnino gladiis expoſito. Sic enim eſt de unoquoque animali bruto quæ contra paſſionem hujuſmodi nullam prorſus deffenſionem habent, nullaſque vires; ſed paſſionibus illis omnino expoſita ſunt. Nos vero econtrario hæc omnia naturaliter habemus. Quapropter nulli intelligenti dubium eſſe poteſt illa in parte iſta per omnem modum inculpabilia eſſe: nos autem manifeſtè culpabiles, atque ut hujuſmodi puniendos.

Quod ad parvulos quoque pertineat infirmitas illa naturalis propter corruptionem corporis generantis.

Si vero quæſierit quis cur iſta perverſitas atque corruptio tranſit in parvulis, qui nihil omnino peccaverunt; aut quare tota poſteritas primorum hominum miſeria iſta affligitur; cum pœna ultra culpam intendi non debeat, & innocentes non ſint cum nocentibus involvendi. Licet ſufficere debeat exemplum quod tibi in præcedentibus poſui de lepra, rememorationem tamen faciam te eorum quæ ſupra hoc audiviſti in tractatu quem vocavi cur Deus homo. Reminiſcendum etiam eſt tibi quod audiviſti in naturalibus de virtute ſeminis humanæ generationis, & quid per ipſum transfundatur in prolem; quemadmodum enim ex ipſo non eſt generare aliquid naturaliter niſi homo ſit neque niſi corruptus homo; cum à corrupto homine ſecundum corpus in quo eſt hujuſmodi decidatur. Nec tu mireris ſi operatio iſta naturæ videlicet humana generatio ſecundum ſimilitudinem eſt, & quia corruptio naturalis eſt: non eſt enim mirabile ſi corruptus corruptum generat; præſertim cum per corruptionem generatio hujuſmodi fiat, & intendo corruptionem naturalem eſſe quæ in primis componentibus hominem, hoc eſt in animabus & corporibus ipſorum infuſa, & indita eſt, atque quouſque adhærens, ut non niſi omnipotentiſſima virtute creatoris abradi, & funditùs extirpari poſſit. Cum autem conſideraveris iſtam corruptionem perſcrutatius in ipſa anima humana, rationalitatem ſopitam atque ſepultam, brutalitatem vero, & perverſitatem brutalitate longe deteriorem eidem animæ humanæ ex conjunctione corrupti corporis adventitiam; in corpore vero humano ſic corrupto, hoc eſt ex corpore corrupto per concupiſcentiam generationis ſive ſeminationis, invenies vim ſive virtutem ſic corrumpendi, & pervertendi animam rationalem niſi adjutorium divinæ gratiæ eam reprimat & prohibeat. Nec hoc mirum tibi videri debet; cum in vino virtus inebriandi, obtenebrandi, ac pervertendi animas etiam ſapientia provectas manifeſtè apparet. Sic vides & in divitiis & in deliciis quantum pervertant atque ſubvertant animas quæ ſe illis applicant, & conjungunt niſi creatoris gratia adjuventur & protegantur. Quid igitur mirum eſt ſi corpus quod tam forti conjunctione animæ humanæ ſociatur & unitur, & tanquam forti vinculo naturæ ei aſtringitur illam corruptione profundiſſima inficit, & obcæcat; cum illa prænominata vinum videlicet, & deliciæ atque divitiæ quæ quaſi tantum à foris eidem appropinquant illam ſic & quouſque immutent.

Deinde propter virtutem ſeminis ex concepta imaginatione generantis quod & cõfirmat exemplis.

Reminiſci etiam debes quid virtutis, & quantum ſemen humanæ generationis retineat ex imaginatione ſeminantis illud. Quid igitur mirum ſi ex ardore concupiſcentiæ & vehementem & intimiorem impreſſionem recipit; cum deſiderium & voluntas concubitus longe intimiores atque profundiores ſint in anima ſeminantis. Inſinuo etiam tibi rememorationem ejus quod ingeniatus fuit pater gentis Hebræorum qui aſcendentibus arietibus oves in conſpectu poſuit virgas amigdalinas particulatim decortizatas, ut imaginatione varietatum colorum hujuſmodi per fervorem coïtus ſimilis varietas in fœtuū velleribus appareret. Audiviſti etiam de Regina quæ in conſpectu ſuo picturā habens æthiopis nigerrimi, factumq; eſt per modū eumdem ut pareret filium æthiopi nigredine ſimillimum. Propter quod ſuſpecta de adulterio apud regem per Ariſteum philoſophum excuſata eſt, & imaginatio picturæ illius cauſa fuiſſe nigredinis in filio ſic corrupto, ſic genito per ſapientiam prænominati philoſophi inventa eſt & detecta.

PARS DUODECIMA.

De brutalitate ſeu animalitate quam ex peccato primorum parentum contraximus.

Quod iſta perverſitas brutalitate longe deterior ſit, nec brutalitas tantum ſit.

Continuatur Pars 12. in Cod. Carnot.

DEbes autem ſcire quod perverſitas iſta non brutalitas ut dixi, ſed brutalitate longe deterior ſit: ſi enim brutalitas eſſet, neceſſe eſſet ut eſſet equinitas, vel aſinitas, aut bovinitas, aut aliqua harum hujuſmodi. Quod ſi eſſet ita indubitanter homo per hujuſmodi perverſitatem aſſimilaretur uni ſpeciei animalium irrationalium. Manifeſtum autem eſt quoniam ipſe aſſimilatur multis & fortè omnibus aliqua perverſitate: ſicut iracundia leoni, rapacitate lupo, inſidioſitate vulpi,

venenoſa mordacitate ſerpenti, ſuperbia ſeu præcipitatione equo: & ad hunc modum ſe habet de alijs, & propter hoc magnus ille philoſophus hebræorum & rex ſimiliter dixit, quod *homo comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Non dixit comparatus eſt uni vel ſimilis uni jumento, eſt igitur brutalitas iſta ſeu animalitas potentia ſimilis unicuique animalitati irrationali, ſive brutalitati, & eſt ſicut ſemen ſive ſeminarium omnium vitiorum & inordinatarum paſſionum quæ in brutis animalibus inveniuntur, & eſt ſicut radix omnium illarum, & ſicut fons & ſcaturigo omnium illarum, ſive generativa, ſive facile receptibilis materies ipſarum, quemadmodum maſſa informis facile recipit quantamcumque impreſſionem, ſic per hujuſmodi corruptionem eſt anima humana in omnem turpitudinem vitiorum facile mutabilis, videlicet ut eam facile recipiat, vel eam facile generet in ſeipſa. Et ideo ſtabilivi tibi corruptionem iſtam, & declaravi imbecillitatem aliquorum philoſophorum circa eſſe ipſius in hoc quod eam non cognoverunt; cum tamen animæ humanæ nihil magis cognoſcibile ſit de ſeipſa: & oſtendi tibi quod ipſa eſt ægritudo naturalis in animabus noſtris, ex qua inordinatæ paſſiones tanquam colores febriles, licet ſpirituales fuerint in animabus noſtris. Oſtendi etiam tibi quoniam ipſa eſt injuſtitia naturalis quod eſt dicere à natura, & nobis innata naturaliter, ſive originaliter; & quoniam ipſa eſt vitium naturale, & peccatum quod dicitur originale apud doctrinam chriſtianorum; & quoniam hujuſmodi peccatum, ſeu vitium non eſt commiſſum, ſed potius originale & generatione contractum, & non debetur ei pœna actualis, ſed qualem in illo tractatu qui eſt de vitijs & peccatis tibi oſtendi, hæc igitur animalitas ſpiritualitati contraria eſt.

Pſ. 48. 13.

Quid ſit ſpiritualitas brutalitati illi contraria.

Spiritualitas autem eſt perfectio per quam avertimus imprimis ab animabus noſtris mala ſpiritualia quæ ſunt vitia & peccata, atque pœnas, quæ pro eis redduntur judicio creatoris. Per hanc ſimiliter quæruntur animabus bona ſpiritualia, quæ ſunt virtutes omnes, & dona gratiarum, ſed & præmia futura quæ ſunt partes fœlicitatis æternæ. Propter hoc debet eſſe manifeſtum tibi quod per hanc corruptionem incurvantur animæ noſtræ ad ea bona, quæ poſt nos & ſub nobis ſunt, quæ nominantur terrena, temporalia, tranſitoria. Per ſpiritualitatem vero avertimur ab ijs, & erigimur ad quærenda & obtinenda bona nobiliora quæ prædixi: & ſicut jam audiviſti, animalitas iſta non eſt actu ſpecies aliqua animalitatis, ſed privatio quædam eſt rationalitatis ſecundum actum tantum vel uſum, non ſecundum eſſentiam ipſius rationalitatis; quapropter animal in quantum animal nondum eſt homo, vel equus, vel aſinus in actu, ſed potentia tantum eſt unumquodque horum: ſic hujuſmodi animalitate homo animali non eſt ſimilis in effectu adhuc, per hoc videlicet quod eſt animal, non eſt inquam ſimilis alicui ſpeciei animalis, ſed aſſimilabilis tamen unicuique ſpeciei: & propter hoc per ſimilitudinem hujuſmodi potentiæ eſt ſicut aſinus, & ſicut equus, & ad hunc modum ſe habet de alijs.

De duplici nativitate animali & ſpirituali.

Quapropter manifeſtum eſt tibi per hoc quid intendant doctores gentis chriſtianorum in ſermone quo dicunt homines naſci animales ſive brutales; videlicet quia naſcuntur in diſpoſitione contraria, ſive ſtatu contrario ſpiritualitati antedictæ. Propter quod ipſe legis chriſtianorum lator dicit evidenti ſermone quia *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poterit intrare in regnum cælorum*. Nativitas enim hujuſmodi qua ut prædixi naſcuntur animales ſive brutales prohibet nos ab ingreſſu regni cælorum; dejicit enim nos & demergit in brutales ſimilitudines, quæ ſunt deformitates animarum noſtrarum & vitia peſſima, ut nemo niſi indigniſſimus etiam vita qua vivit hic & damnatione æterna digniſſimus illa habeat: & propter hoc non niſi æternis ſupplicijs puniendus; merito igitur vita iſta animalis ſive brutalis extinguenda eſt, & vita contraria aſſumenda. Aſſumptio autem vitæ novæ ſive ſuſceptio, veriſſime nativitas eſt & renovatio: quare manifeſtum eſt quod neceſſe eſt hominibus mori quantum ad vitam illam animalem, ſed renaſci, quod eſt incipere vivere, quantum ad vitam ſpiritualem.

Neceſſitas novæ generationis in baptiſmo, qua dejicitur & mortificatur animalitas ut non dominetur.

Et iſta eſt renovatio, ſive regeneratio per quam ab originali corruptione, imo perditione ſalvare ſe credit gens chriſtianorum in lege & fide ſua; cum enim prima & originali ſive naturali nativitate naſcantur in eam corruptionem quæ ut prædixi ducit irrevocabiliter in damnationem, & mortem æternam, non ſolum fruſtra ſive vane naſcerentur homines illa naturali nativitate, ſed etiam in perniciem ſuam; neceſſe igitur fuit ut vel omnino ceſſaret in genere humano naturalis generatio, vel ut divina voluntas malo conſuleret, & occurreret quod generatio hujuſmodi inducebat. Manifeſtum autem eſt tibi quod hujuſmodi generationi non erat poſſibile ut occurreretur niſi per generationem contrariam ſicut neq; vitæ animali niſi per generationē contrariā. Quapropter manifeſtum eſt quia & mori & renaſci, & revivere, & reſurgere ad vitam aliam neceſſe habent homines, & hæc eſt cauſa inſtitutionis baptiſmatis apud gentem chriſtianorum: & hanc credit gens illa tota virtutem baptiſmatis videlicet regenerativam; & renovativam, & prædictæ animalitatis mortificativam; eo uſque videlicet ut rebellare poſſit recte vivere volentibus, non autem dominari. Dejicitur igitur virtute baptiſmatis à regno & dominatione quæ regnabat ante ſive dominabatur, & dira ſervitute premebat animam humanam ante ſuſceptionem baptiſmatis, & premeret ulterius, niſi virtus baptiſmatis prohiberet. Hæc eſt igitur ſanctificatio baptiſmatis juxta fidē & legē & doctrinam chriſtianorū, qua ut prædixi brutalitas iſta ſive animalitas de regno ſuo & dominatione dejicitur & ſpiritualitas, qua ſcilicet nō animaliter ſed ſpiritualiter vivitur, virtute baptiſmi præſtatur.

Quod mortificata per baptiſmum concupiſcentia iterum per peccatum mortale ut tacta pene dominatur.

Debes autem ſcire quod quamdiu cuſtodit ſive conſervat quis in ſe virtutem & gratiam baptiſmalem, tamdiu liber eſt & regnat atque dominatur ſuper animalitatem iſtam, licet ipſa rebellet plurimum. Cum autem per mortale quodcumque peccatum extinguit quis in ſe hujuſmodi & gratiam & virtutem, quaſi amiſſis armis impotentia ducitur, & vincitur, in priſtinamque ſervitutem redigitur, nec ad libertatem atque dominationem vitæ ſpiritualis, niſi per recuperationem amiſſæ gratiæ reparatur ſeu reſtauratur; & hoc fit & per pœnitentialem ſatisfactionem, per illam enim reſtituitur ad amiſſam gratiam & virtutem. Hæc eadem originalis corruptio vetuſtas apud legem & fidem chriſtianorum dicitur propter ſimilitudines multas quas habet ad vetuſtatem corporalem, quas metu prolixitatis hic prætereo.

De duplici incendio & gelicidio mortiferum pariter & ſalotari.

Scito etiam cum ijs omnibus quia per iſtam corruptionem naſcimur, & perſiſtimus uſque ad ſuſceptionem primogenitæ gratiæ, & virtutis ad bona ſpiritualia & æterna frigidi & gelidi, ad ea vero quæ carnis & mundi ſunt ardentes & flammeį; in gelicidio igitur illo & igne iſto naſcimur. Emicant autem flammæ de igne manifeſte ab initio pubertatis, & hæ flammæ ſunt ardores deſideriorum carnalium, ita invidiarum & odiorum, omniumque concupiſcentiarum inordinatarum. Tibi quoque manifeſtum eſt quia ab ardoribus debemus eſſe frigidi & gelidi. Ad vera autem bona, videlicet ſpi-

ritualia

ritualia, & æterna ardentes eſſe debemus, & fervidi, amore ſcilicet fortiſſimo & deſideriis, ſimiliter contra mala vitiorum, & peccatorum, iræ & odiorum implacabilium excandeſcentes. Vides igitur duo incendia, & duo gelicidia; & alterum incendium ſimiliter eſſe perverſum atque mortiferum, quapropter neceſſe fuit extingui hujuſmodi incendium, quod non niſi per aquam contrariam fieri vel decuit, vel potuit: & quoniam gelicidium mortiferum ſimiliter à nobis exterminari neceſſe fuit, & econtrario nos ardere non ſolum ſalutare imo neceſſe fuit: & quia non niſi per contrarium ignem fieri non poterat, neceſſe fuit nobis adhiberi ignem hujuſmodi gelicidio contrarium. Jam igitur declaravi tibi per hoc quod neceſſe eſt ignem, & aquam adhiberi naſcentibus hominibus aquam videlicet qua extinguatur perverſum illud atque mortiferum incendium: ignem vero non ſolum quo diſſolvatur & exterminetur ab hominibus peſtiferum illud gelicidium, ſed etiam quo fiat in eis vivificum ac ſalutare quod prædixi incendium, quo videlicet piis ac ſanctis deſideriis ardeat ad bona propter quæ obtinenda finaliter creati ſunt.

Quod aqua & ignis ſpiritualis ſit ipſa ſpiritualitas animalitati contraria unde concludit neceſſitatem baptiſmi.

Jam autem declaravi tibi alias quod ignis iſte, & aqua iſta res una & eadem ſunt, videlicet ipſa ſpiritualitas, quam dixi contrariam animalitati ſeu brutalitati quæ animabus noſtris eſt ex antedicta corruptione. Aqua namque quoniam ardores perverſorum deſideriorum, perverſarum irarum, invidiarum & malorum odiorum flammas exterminat & extinguit: ignis vero ardores piorum deſideriorum ac ſanctorum, irarum bonarum & odiorum rectorum ardores emicat & emittit. Vides igitur hic evidenter cauſam baptiſmatis, vides neceſſitatem & utilitatem ipſius. Nec tibi putandum eſt quin alias, & per aliam viam poſſibile ſit omnipotenti creatori reformare homines ac ſanctificare, ſed placuit ei per beatum ac benedictum unigenitum ſuum vitam tradere hominibus ſicut in lege chriſtianorum expreſſum eſt. Sciendum inſuper eſt tibi quod virtus iſta baptiſmatis innumeris miraculis approbata eſt, & à gente chriſtianorum tanquam vivifica ac ſalutifera recepta atque ſervata.

Cur Deus malum animalitatis in totam poſteritatẽ primorum hominum derivari permiſit.

Quapropter ſi quis quærit ut quid omnipotentiſſimus primuſque creator malum animalitatis in totam poſteritatem primorum hominum derivari traducique permiſit; & quam ob cauſam non illud funditus de genere humano exterminaverit, ut neque rebellionem ejus eſſe ſineret aut permitteret. Reſpondemus igitur in hoc quoniam circa malum illud remedium baptiſmale adhibuit quo ſcilicet vinceretur ac dejiceretur. Rebellionem vero de qua prædixi ad multas utilitates, & profectus ſaluberrimos ſuſtinuit reſervari. Et de his & aliis malis omnibus jam tibi reſponſum eſt pluries in aliorum tractatuum capitulis, ſpecialiter autem in tractatu qui præceſſit iſtum in capitulo videlicet de providentia ac gubernatione univerſi, & in prima parte tractatus de vitiis & virtutibus in capitulo de originali peccato. Voluntas namque ſapientiſſimi optimique creatoris quam non eſt poſſibile eſſe unquam niſi bonam, mala ſinit potius eſſe ut ex illis bona innumerabilia & immenſa potius eliceret, quam ea omnino eſſe non ſineret. Et de rebellione iſta quot & quantos terrores ſanctos, quot & quantas humiliationes, quot & quantas providentias in Dei dilectis & electis operatur, ſaltem occaſionaliter? demum quot & quantis victoriis occaſionem, & materiam, quot & quantis meritis & coronis ſubminiſtret; chriſtianorum lex & doctrina ipſaque ſcientiarum obſervantiſſima exercitia patefaciunt & declarant.

His autem ita poſitis erit ſtudioſitatis & ſolertiæ tuæ hæc omnia congregare, ut per hoc ſtabiliatur tibi peccatum primorum hominum, ipſumque cauſam fuiſſe corruptionis iſtius atque perverſitatis, videlicet ut cum debeamus naſci rationales naſcimur brutales per modum qui expoſitus eſt tibi; & cum debemus naſci recti & ad ſublimia bona erecti, naſcimur ad vilia & merito pravitatis ſuæ contemptibilia incurvati; juxta vias iſtas quemadmodum ſupradixi ad ea bona ad quæ ardere debemus gelidi ad ea vero ferventes ad quæ frigidi omnino eſſe debemus. Apparet etiam evidenter de errore virtutis noſtræ appetitivæ inferioris ſive guſtus ſpiritualis qualiter ea quæ honeſtatis ſunt, nobis vel deſipiunt, vel malè ſapiunt, ea vero quæ ſunt vitiorum & inhoneſtatum qualiter nobis ſapiunt & bene delectant. Intolerabiliter igitur inſipiens & imbecillis eſt, qui ex iſta perverſitate ſeu corruptione non evidenter cognoſcit ægritudinem ſpiritualem nobis innatam; cum ex corruptione ſimili palati exterioris, & errore virtutis appetitivæ corporalis unuſquiſque in ſe & in aliis indubitanter cognoſcat ægritudinem corporalem.

Recapitulatio præcedentium ubi ex depravatione guſtus ſpiritualis colligit ægritudinem animæ ſicut ex guſtus corporalis depravatione corporis ægritudo colligitur.

PARS SEXTA.

De corruptione & perverſitate virium animæ.

ADdam etiam hic de perverſitate virtutis iraſcibilis quæ adeo corrupta, & perverſa eſt ut per eam vitiis noſtris & peccatis pacem habeamus, ita ut nec eis iraſci, nec illa perſequi valeamus; cum tantæ injuriæ noſtræ, & contumeliæ ſint, & omnino tanta noſtra mala, ut nulla majora vel graviora nobis à quibuſcumque quantumcumq; atrocibus hoſtibus poſſint ullatenus irrogari. Quapropter manifeſtum eſt hanc eſſe ſanitatem atque rectitudinem illius per quam quis eis iraſcitur implacabiliter; bello ſcilicet quod nec treuga ſuſpendi, nec pace ſopiri unquam poſſit ullo modorum, ſed tanquam juratus hoſtis in omne detrimentum eorum, atque perniciem totis ſtudiis circa illa & totis viribus excandeſcet. Manifeſtum eſt igitur tibi per hoc quod inſania eorum, atque perverſitas eſt pacem habere cum hujuſmodi peſtibus, vel etiam eas ad punctum temporis tolerare. Cum igitur gladio, & igne, omnibus ſtudiis atque conatibus exterminanda ſint mala iſta, atque ſimilia videlicet, ſuperbia, audacia, puſillanimitas, crudelitas, & remiſſio, & quæcumque alia, velut morbi quidam peſtilentiales virtutem noſtram iraſcibilem ſic inficiunt, pervertunt atque corrumpunt.

Iraſcibilis potentiæ perverſitas conſiſtit in pace quam habet cum vitiis.

Quis autem adeo inſipiens eſt vel delirus, ut videns hominem hinc podagra, hinc feſtula, hinc cancro, hinc lupo, morbo videlicet qui lupus de toto corpore natus eſt, morbis, atque ulceribus percuſſum occaſionabiliter non cognoſcat mala iſta & adventitia, atque irrogata, & nullo modorum ex primitiva compoſitione ſeu conſtitutione corporis illius eſſe: & intelligo primitivam compoſitionem quæ ſola naturalia præter aliam admixtionem habuit. Quis igitur non videat læſiones morborum & ulcerum ex alieno eſſe, & non ex proprio primitivo: cum etiam videatur morbos hujuſmodi non negligendos & perdurare ſinendos, ſed potius omni medicamentorum genere, omnique arte medicinæ circa eos eſſe pugnandum. Manifeſtum igitur eſt quod non ex ordine naturæ puro & primitivo tale effectum eſt corpus illius hominis. Quanto igitur magis de proportionalibus in anima humana quantum ad vim ipſius iraſcibilem de morbis ſeu ægritudinibus ignorare permittitur, quia non ex creatione ſua ſunt virtuti noſtræ iraſcibili; nihil enim perverſum ex

Exempla hominis ulceribus pleni confirmat ægritudinem animæ ex peccato adjectam.

parte creatoris vel ingeri vel infundi poſſibile eſt cuicumque ex creaturis. Adventitia igitur ſunt hæc tot & tanta mala, & aliena prorſus à puritate & bonitate finis iraſcibilis. Manifeſtum igitur eſt quod ex conjunctione corporis ſunt ei mala hæc, ſed neque dubitare poteſt aliquis intelligens, quin ſine his eam eſſe oporteat, & in diſpoſitionibus contrariis in quibus conſiſtit evidenter ſanitas ipſius.

De voluntatis infirmitate quæ non niſi debiliter bonum velit.

Quod ſi ad virtutem concupiſcibilem ipſius nobilem attendas, invenies eam perverſitatibus perniſioſiſſimis & infirmitatibus laborare: adeo namque debilis eſt ad bona volenda, atque concupiſcenda ut vix vel modicū caput erigat, & vix dicere poſſit vellem; tu autem noſti quod verbum optativi modi quod eſt vellem dicit voluntatem jacentem, ſed elevato ad modicum capite admodum ſomnolenti hominis qui evigilans caput levat, ſed ſomno gravatus cum difficultate levatum facile reponit in lectum. Verbum autem indicativi quod eſt, volo, voluntatem dicit erectam, ſtantem firmiter, & abſque mutatione imperantem. Et ad ea quidem quæ vitiorum ſunt & inhoneſtatis invenies voluntatem erectam, firmiterque ſtantem & audacter imperantem quæ inhoneſta & turpia ſunt: invenies etiam eam inflectibiliter & infrangibiliter obduratam contra bona, ita ut nullis exhortationibus ad ea flecti valeat. Quemadmodum membra quæ obduruerunt & obriguerunt morbo aliquo, ita ut flecti & aptari ſe ad debitas operationes non poſſint, ita ad modum iſtum invenies voluntatem in quibuſdam hominibus pertinacia irremovibiliter & immobiliter obduratam, unde & uſualiter duri vocantur, & in ſermonibus prophetarum de iſta duritia multoties arguuntur. Notum eſt etiam tibi membra humana in morte inflectibiliter obrigeſcere. Sic de morte iſta ſpirituali, quæ eſt vitæ ſpiritualis, de qua prælocutus ſum extinctio, procedit iſta rigiditas ſive duritiees, & de ipſa animalitate procedit per modum effectionis.

Quod in eo deteriores ſint homines belluis ipſis.

Manifeſtum eſt tibi de animalibus irrationalibus quod à paſſionibus ſuis, videlicet à concupiſcentiis ſola neceſſitate averſibilia ſunt; quoniam neceſſitate & non libertate ad concupiſcibilia ſua feruntur animalia hujuſmodi: quapropter ſervituti nequiſſimæ, atque turpiſſimæ ſe ſubjiciunt & addicunt homines qui paſſionibus hujuſmodi ſe aſſuefaciunt, & libertate nobiliſſima & pulcherrima ſe privant, utpote qui æſtimari non ſufficiunt tam irreparabile detrimentum. Quod ſi attenderis quam ſpinea, quam noxia, quam abominabilia cupiunt & volunt, non miraberis errorem atque perverſitatem virtutis appetitivæ guſtabilis in parvulis, & mulieribus & prægnantibus quæ carbones & cineres lutumque ſpurciſſimum vehementiſſimo ardore appetunt, quodque abominabilius eſt ſpurciſſimis & perſordidis voluptatibus, quæ nec etiam nominandæ ſunt, quæ morte hominum inextinguibili deſiderio quaſi eſuriunt, & ſitiunt, quæ nec etiam morte eorumdem ſatiantur, niſi ſanguinem eorum biberint, aut corda ipſorum propriis dentibus laceraverint: hujuſmodi crudelitas non iracundiæ humanæ eſt, ſed immanitatis belluinæ.

De perverſitate virtutis rationalis.

Ad vim vero rationalem ſi attenderis, invenies eam miſerabiliter vulneratam multis perverſitatibus corruptam, & ſuorum utilium ac ſalutarium pernitioſiſſimis ignorantiis obtenebratam. Quam tarda namque ſit hæc anima humana ad ea credenda, vel addiſcenda quæ neceſſaria ſunt componendæ ac decorandæ vitæ ipſius, quam difficile ei ſuadentur interdum; cum neque teſtimoniis miraculorum quæ indubitanter teſtimonia ſunt creatoris, ſuaderi poſſunt eidem; qualia ſunt illa quæ de futura vita fides chriſtiana, atque ſimiliter & illa quæ de cura & gubernatione creatoris ſunt. Dum viderint malos florere, bonos affligi, vix credere poſſunt per providentiam creatoris optimam talia fieri, nec oportet omnem multitudinem exemplorum de rebus hujuſmodi adducam. Quanta difficultate injurias nobis irrogatas obliviſcamur, beneficia vero memoriter teneamus unuſquiſque conſpicit in ſemetipſo. Deinde ipſas ſtultas, varias & noxias cogitationes quam gravi pugna repellit à ſe anima humana, quanta difficultate bonas ad ſe advocat & in ſe retinet? Sola anima ſeipſam negligit aut ignorat, cui de pulchritudinibus ſuis atque perfectionibus nulla cura eſt, omnique rectè philoſophantium conſenſione firmatum eſt, vitia erroreſque vitioſos atque culpabiles læſiones eſſe humanarum animarum, morboſque & vulnera, necnon deformitates, & turpitudines. Quare è contrario neceſſe eſt virtutes ac debitas cognitiones, ſanitates humanarum animarum eſſe pulchritudines earum & perfectiones ſpirituales, nec dubitatum eſt adhuc turpiter agere omnes illas qui vitioſè agunt & culpabiliter: turpitudo autem iſta propriè viſu corporali, & per ſe non apprehenditur, ſed magis viſu ſpirituali: quemadmodum & pulchritudo contraria ſolo viſu ſpirituali, hoc eſt, virtute rationabili quæ eſt viſus ſpiritualis ſolummodo cognoſcitur. Quia igitur ſanitates iſtæ naturales ſunt animabus humanis juxta modum & intentionem quos audiviſti, licet in ipſa infuſione ſua qua infunduntur ſive conjunguntur corporibus humanis & naſcuntur in ipſis, ex ipſa conjunctione corporum corruptorum, ut prædixi, corrumpantur, manifeſtum eſt iſtas ægritudines & vulnera adventitia & innaturalia eſſe, ut audiviſti. Et hoc videtur inſinuaſſe Mercurius philoſophus Ægyptius hoc ſermone, ***animam***, inquit, ***detinet obtorto collo***, intelligens hoc de corpore à quo depreſſionem & corruptionem patitur quæ nō permittit ſe erigere ad ſublimia & nobilia bona: ſimiliter eam non permittit dirigere ſe à tortuudine & perverſitate vitiorum.

Quod miſeria hæc animæ de ſtatu debito & convenienti ſibi detorſio.

Manifeſtum igitur eſt tibi per omnia hæc quod miſeria hæc animæ humanæ cujus partes aliquas, & non omnes nominavi tibi, noxia valde eſt, & omnino indecens animæ humanæ, quia ipſa eſt declinatio atque perverſitas à debito ſtatu ſuo, alioquin nec vitia nec virtutes imputanda eſſent ei. Nihil enim ab ea exquiri poteſt vel ab alia quacumque ſubſtantia intelligente præter debitum ſtatum ipſius; ipſa enim ſe habens ſicut decet, & ſicut debet omnino inculpabilis eſt: ſic autem decet ſe habere unamquamque hujuſmodi ſubſtantiam, ſicut natura naturaliter ei conſtituit. Quapropter & decens vel debitum eſſet unamquamque animam humanam ſe habere, ſecundum animalem iſtam corruptionem, & hoc eſt eſſe proſtitutam eſſe omnibus antedictis perverſitatibus, & laborare eam omnibus antedictis ægritudinibus: aut natura naturaliter è contrario unicuique animarum humanarum ſe habere conſtituit: quapropter cum omnis lex & conſtitutio naturæ & juſta & decens & decora ſit: vitia autem omnia & iniqua, & indecentia, atque turpia ſint, imo veræ turpitudines, manifeſtum eſt animam humanam è contrario hujuſmodi corruptioni atque perverſitati ſe debere habere; cum dubitari non poſſit ex antedictis, omnes perverſitates, vitia, & turpitudines eſſe, atque læſiones & vulnera.

Miſeriam iſtam licet originalem non tamen eſſe naturalem ſic colligit.

Ex omnibus igitur aggregatis declaratum eſt tibi miſeriam iſtam, licet originalis animabus humanis adhæreat, non eſſe tamen eam ſic naturalem, ut vel à creatione vel à creatore per ſe de-

ducenda ſit: à creatore enim per ſe, vel ex ipſa creatione nihil malitiæ, nihil perverſitatis ineſſe poteſt animabus humanis, quoniam à puro fonte bonitatis nihil poteſt emanare malitiæ. Conſequens etiam eſt ex illis, quæ nemo ignorare permittitur quin declinandum ſit, & pro viribus fugiendum animabus humanis ne malæ ſint, & quin ſit eis enitendum ad hoc ut bonæ ſint, & ad hoc ut bene, hoc eſt, dicere decenter ac debitè, atque ordinatè ſe habeant; alioquin inculpabiliter, quantumlibet malè, & quantumlibet inordinatè ſe habeant, nec ad vituperium, neque ad pœnam eis eſt imputandum.

Cæcitas Ariſtotelis & aliorũ philoſophorũ qui hoc ignoravere.

Declaratum etiam eſt tibi per hoc intolerabilis cæcitas Ariſtotelis & aliorum qui iſtam animalitatem, ſeu brutalitatem quam toties nominavi tibi naturalem poſuerunt hominibus, ſeu animabus humanis; & tanquam formam naturalem in qua animalibus naturaliter, imo eſſentialiter communicant. Jam autem feci te ſcire, quod animalitas qua animalia irrationalia ſunt atque brutalia non eſt in eis perverſitas, ſed rectitudo. Et quemadmodum dixi tibi rapacitas in lupo, & inſidioſitas in vulpe non ſunt vitia atque perverſitates ullo modorum, quin potius pulchritudines & artificia naturalia vivendi ſive victum conquirendi: in hominibus autem turpitudines, atque deformitates, & perverſitates ſunt intolerabiles. Neque animalitas hujuſmodi, videlicet quæ deformitas eſt, & perverſitas in hominibus, forma generis aut perfectio eſt, qua videlicet homo animal eſt, neque homo ex illa ſive per illam animal dicitur animal, ſed animalis juxta ſermonem qui in lege chriſtianorum legitur, videlicet quod *animalis homo non videt ea quæ Dei ſunt*, & apud gentes chriſtianorum animales uſualiter vocantur homines qui animalibus irrationalibus ſimiles ſunt ſtultitia, deſipientia & aſinitate concupiſcentiarum & aliarum paſſionum, quibus, ut ſæpe dixi, neceſſitate feruntur & agitantur animalia irrationabilia.

1. Cor. 2.

Quod iſta perverſitas non ſit homini eſſentialis, ſed accidentalis & ſeparabilis.

Revera igitur communicant homines aliis animalibus in genere, ſcilicet animalis; cum genus eſſentiale ſit omnibus ſpeciebus ſuis, & individuis earum: iſta vero quam dixi perverſitas accidit, & ſeparabilis eſt & actu, & ratione, & paulatim minuitur in hominibus qui ſapientiæ ſtudent, atque virtutibus quouſque domita evacuetur, & liberetur anima humana à ſervitute & oppreſſione illius, ſicut legitur in lege ipſa chriſtianorum ubi dicitur quod *creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; eſſentialia namque nõ ſolũ in ſpecie humana, ſed etiã in omni alia ſpecie animalis pulcherrima ſunt, & ordinata quantum in ipſis eſt, & in eis quæ habent à parte creatoris. Extraneum igitur eſt ab eſſentialibus, & eis omnibus quæ habet ſpecies humana vel natura humana ex creatore, ſive dono creatoris quo eſt natura humana, & ipſa ſpecies humana ſicut debet, & ſicut decet eam eſſe. Quidquid autem in ea econtrario ſe habet, & intendo econtrario ſcilicet quam debeat, vel deceat, perverſitas ea non ſolum adventitia, ſed inordinata, & noxia eſt, quemadmodum ſæpe dixi. Ut autem acquiratur tibi notitia plenior atque lucidior de natura animæ humanæ, imaginabor eam ſpoliatam ab omnibus ſuis oppreſſionibus & tota miſeria ſervitutum iſtarum, atque inordinatione paſſionum hujuſmodi.

Rom. 8.

PARS DECIMAQUARTA.

Quod potentia intellectiva regit alias potentias tanquam earum domina.

De ſtatu libertatis animæ humanæ.

Dico igitur quia in hoc ſtatu liberum eſt animæ humanæ applicare ſe ſenſibilibus, & aperire eis feneſtras oculorum ſuorum; quoniam ante iſtam attractionem erat ei liberrimum hoc facere, in nullo autem imminuta eſt libertas illius propter potentiam iſtam, cum nihil eidem ſit detractum per eam. De feneſtris vero aliorum ſenſuum manifeſtũ eſt quod ſemper apertæ ſunt, nec portæ illis datæ ſunt in animam quibus clauderentur, quemadmodum oculis datæ ſunt palpebræ: manifeſtum tamen eſt quod appropinquationes ad res ſenſibiles aliis ſenſibus ſint quoties opus eſt. Aures etiam vel erigimus, vel inclinamus, vel etiam toto corpore appropinquamus ad id quod audire nolumus, quemadmodum dicit ſermo propheticus, *appropinquant ut audiant* ſic ſe habet de olfactu. Appropinquamus enim naribus, vel etiam applicamus rerum odorem cum olfactu ſentire volumus: ſic ſe habet de tactu ſecundum omnes formas tangibiles; volentes enim experiri, an calidum, an frigidum, an tangibile, vel illud nobis appropinquamus vel inſtrumenta tactus appropinquamus illi. De guſtu in evidenti eſt cum guſtabilia applicantur ipſis inſtrumentis ut ſapores eorum cognoſcantur.

Quod anima ſe poſſit applicare liberè intelligibilibus. 1. quia nullum habeamus impedimentum naturale.

His igitur ita manifeſtatis aut liberum eſt animæ humanæ applicare ſe intelligibilibus modo quo eis congruit, aut non; ſed ſi non: patitur igitur impedimentum à parte illa, nec eſt poſſibile impedimentum habeamus naturale; omne enim impedimentum cujuſcumque virtutis contra eam eſt, & repugnans eidem. Quoniam igitur natura nullam virtutem naturalem naturaliter impedit, aut prohibet ab actu ſuo, manifeſtum eſt impedimentum hujuſmodi innaturale eſſe & adventitium: hoc autem jam reſponſum eſt per poſitionem ante factam. Non eſt igitur prohibita virtus intellectiva nec impedita quominus ſe applicet ad apprehendenda ea: quapropter liberum eſt ſe applicare ſicut dixi intelligibilibus ad apprehendenda ea.

2. Quia ſola miſeria oppreſſionis impedimẽtum animæ eſſe poteſt.

Amplius quis poteſt ignorare quin hujuſmodi impedimentum pars miſeriæ ſit & oppreſſionis. Jam autem dixeram quia volebam eam imaginari liberatam à tota miſeria, cujus partes nominavi tibi, & propterea liberatam eam poſui ab omni oppreſſione, & impedimento quo prohibetur vel retardatur ab actu ſuo quocumque naturali. Liberum igitur eſt ei applicare ſe intelligibilibus per modum quem dixi.

3. Quia anima libera eſt quãtum ad vires ſẽſibiles, multo magis quantum ad intelligibiles.

Amplius quantum ad vires ſenſibiles & operationes earum libera eſt penitus, ut per eas operetur prout voluerit; quanto fortius igitur in iſto ſtatu liberam eam eſſe neceſſe eſt quantum ad vires intelligibiles.

Amplius quanto nobiliores ſunt vires ſuperiores inferioribus, tanto magis expediendæ, imo adjuvandæ à natura ipſa ſunt.

4. Quia ſuperiores vires magis expeditæ ſunt à natura.

Amplius quanto nobiliores ſunt ſuperiores vires, & operationes earum expeditiores, & promptiores naturaliter ſunt ad operationes ſuas; alioquin inordinatè operaretur natura, & ipſe creator non decenter, neque pro debito ita crearet eas, ut nobiles vires ab operibus ſuis nobilibus retardatæ eſſent, inferiores vero ad operationes ſuas expeditiſſimæ eſſent, atque promptiſſimæ.

5. Quia nobiliores virtutes expeditiorẽ habent operationem.

Amplius quis ignorare poteſt virtutem intellectivam incomparabiliter agiliorem eſſe, & expeditio-

6. Quia intellectus

agilior & promptior eſt ad ſuam operationē quā ſenſus quilibet.

rem ad operationem ſuam propriam quæ eſt intelligere, ſive cognoſcere, quam ſenſum quemcumque ad operationem ſuam propriam, quæ eſt ſentire; niſi fortè quis eam adeo depreſſam & obtenebratam habet, ut de ipſa nec cogitare valeat.

7. Quia impedimentū illud provenire non poteſt ex abſentia objecti, vel obſcuritate.

Amplius cum ſecundum poſitionem iſtam libera ſit ab omni impedimento operationis ſuæ, quod eſt, ut prædixi, intelligere, ſeu cognoſcere, non poteſt prohiberi niſi propter elongationem intelligibilem ab ipſa, vel propter obſcuritatem ipſorum, aut difficultatem quæ eſt eis à parte ipſorum, per quam ſunt difficile intelligibilia: quędam enim non niſi per alia, quædam non niſi per multa, quædam non niſi per pauca, quædam autem etiam per unum. Jam autem remotum eſt tibi omne impedimentum, & omnis difficultas à parte ipſius. Ea igitur quæ ſunt eidem intelligibilia per ſemetipſam non prohibetur intelligere, nec etiam alia quæ per media intelligibilia ſunt eidem; illa enim media ſunt intelligibilia vel per ſe, & tunc non eſt ei impedimentum ſeu retardatio ulla quominus intelligat illa: vel ſunt intelligibilia per alia, & tunc illa media vel intelligibilia ſunt per alia quæ vel ſunt intelligibilia per ſe, vel per alia, ſi per ſe intelligibilia ſunt, tunc non prohibetur vel retardatur quominus ea intelligat; cum in promptu habeat media intelligibilia, & cognoſcibilia vel per ſe, vel per media quæ cognoſcere facile eſt ei per alia quæ per ſemetipſa intelligibilia ſunt. Et ponam tibi ſuper hoc aliud exemplum in ſtudiis diſciplinarum ubi manifeſtū eſt quod intelligens principia earū. & ordinem eorū ad concluſiones, ſive propoſitiones illarū non eſt difficile cognoſcere cōcluſiones. Facillimū enim eſt animabus noſtris, & in iſta miſeria, & obtenebratione exiſtentibus cognitis principiis, & ordine eorum, & alia cognoſcere. Syllogiſmorum enim veritas atque neceſſitas ſecundum omnem modum, & figuram atque ordinationem terminorum nullam habet difficultatem cognitionis. Quapropter anima humana ſi in libertate & bonitate ſtatus quem prædixi negotiari circa intelligibilia hujuſmodi, & philoſophari ſic, hoc eſt per probationes demonſtrativas, voluerit, nihil eam à cognitione rerum retardabit.

8. Quia ſi ſenſibilia ſponte ſe ingerunt ſenſui, quāto magis intelligibilia, intellectui.

Amplius ſi ſenſibilia ſponte ſe ingerunt animabus noſtris per ſenſus, cum incongruenti propinquitate fuerint ad organa ſenſuum, & interpoſitum non prohibuerit; quemadmodum palpebræ oculorum cum rebus viſibilibus, & oculis interpoſitæ fuerint prohibent eas ingerere ſe viſui, & propter hoc non ſinunt eas videri, neceſſe eſt ut intelligibilia ſimiliter ſe offerant vel ingerantur animabus noſtris per intellectum, niſi remotio aut interpoſitum hoc prohibuerit. Remotio autem corporalis, aut interpoſitio corporalis non habet locum in intelligibilibus aut circa illa: quapropter neceſſe eſt ut omni hora intelligibilia ſe offerant, & ingerant animabus noſtris per intellectum, quantum eſt in ipſis intelligibilibus. Et propter hoc niſi ipſæ animæ noſtræ ab ipſis ſe avertant ut ea intelligant: & intendo eas averti ab intelligibilibus quotiens alia cogitant, vel ſaltem ad illa non intendunt. Utrum autem vel facile, vel poſſibile ſit animabus noſtris in hujuſmodi ſtatu poſitis avertere ſe ab intelligibilibus, & non vacare eis quæſtionem habet difficilem; difficile namque eſt ut avertant ſe à ſenſibilibus, cum ſe per ſenſus ingerunt, & potiſſimum à vehementibus ſenſibilibus; ut enim exiſtens in igne ab igne ſic ſe avertat ut illum omnino non ſentiat, multis impoſſibile forſitan videatur, non tamen impoſſibile eſt.

Quid accidat animæ in raptu

In raptu namque accidit hoc ut anima humana à ſenſibilibus, & etiam à corpore proprio averſa ſit, & quodammodo abſtracta, ut nec ſtimulos aculeorum, nec ardores in corpore ſuo ſentiat. Teſtificantur etiam mihi viri fidei digniſſimi, quia vivit adhuc aliquis vir ſciens cujus anima, quoties vult, ſic rapitur & avertitur à corpore ſuo, ut nihil ſentiat de paſſionibus quæ fiunt in corpore ſuo. Et intendo quod neque punctiones, neque impulſiones: nec dubitandum eſt hoc eſſe omnipotentis virtutis creatoris mirabile donum, videlicet ut quouſque in poteſtate ſua ſeipſam habeat anima humana, & vires ſuas ſenſibiles, ut ſe & illas quouſque à corpore abſtrahat, ut de hujuſmodi paſſionibus omnino nihil ſentiat Et etiam frequenter videre potes & experiri homines ſani & clari viſus, & boni auditus nec videre coram oculis poſita, nec audire quid homines juxta eos audibiliter loquantur, & uſualiter ſic ſe habentes attonitos dicimus, & hoc eſt dicere ad alia vehementer attentos, & raptos. Quare manifeſtum eſt quod quemamodum animæ ſenſibilibus deditæ, & amore ſeu dilectione adhærentes, atque alligatæ ab intelligibilibus in hora adhæſionis & alligationis hujuſmodi ſic averſæ ſunt, ut de illis omnino non cogitent: ſic nobilibus ac ſublimibus bonis animæ adhærentes, & amore fortiſſimo alligatæ, dum durat hujuſmodi alligatio, à bonis ſenſibilibus adeo averſæ ſunt, non ſolum illa non curent, ſed etiam ut de illis nec etiam cogitent.

ſive abſtractione à ſenſibus.

Quod in illa abſtractione amor creatoris nimius eſſe non poſſit.

Quæro igitur de anima humana in hoc ſtatu libertatis & puritatis ſuæ in quo libera eſt ab omni ſervitute & alligatione paſſionum inordinatarum, ac turpitudinum carnalium, & ſpiritualium; utrum amore aliquo vel horum, vel aliorum bonorum teneatur & alterutris adhæreat. Reſpondeo quod in illo ſtatu hoc facere non poteſt cum ſervitute turpitudinis, cum libera ſit à paſſione; hoc eſt ab omni turpitudine ſervitutis. Manifeſtum autem eſt quod bonis nobilibus atque ſublimibus quæ ſunt virtutes & ſcientiæ adhærere non poteſt, nec amore inhærere, niſi cum pulchritudine ac libertate præclara; amor namque bonorum hujuſmodi, nec nimius eſſe poteſt nec inordinatus; nec ullo modorum turpis aut indecens; quoniam etſi tantus eſſet ut amantem in oblivionem induceret, & incuriam bonorum temporaliū & ſenſibilium, non propter hoc pulchritudini ejus aut perfectioni quidquā detraheretur, quin potius adderetur. Quemadmodum ſi creator benedictus animam humanam tanto amoris ardore in ſe rapuit, ut temporalia, ſeu ſenſibilia bona propter ipſum nec amet, nec curet, non hoc indecentia aut inordinatio amoris eſt, imo potius decentia & pulchritudo ejus.

Quod bona & prudens adminiſtratio temporalium non minuat amorē creatoris, quin potius adjuvet.

Quod ſi dixerit quis quia creator non ſic amari vult, nec nos illum ſic præcipit, ut temporalia bona ſi qua ſunt nobis prudenter, ac bene adminiſtrare negligamus. Reſpondeo in hoc quia non pertinet ad hoc quod hic intendo bona & prudens adminiſtratio temporalium bonorum, cum amorem creatoris nec minuat, nec retardet, quin potius exacuat & adjuvet; neque enim bona vel prudens eſt adminiſtratio bonorum temporalium niſi amor creatoris illam dixerit, & ordinaverit; & inde eſt quia omnino imprudens eſt, & omnino non bona adminiſtratio bonorum hujuſmodi, niſi amore creatoris fiat: Et ut lucidius dicatur niſi ipſa adminiſtratio in obſequium creatoris fiat, quod aliter eſſe non poteſt niſi in illa miniſtrum ſe creatoris gerat, qui illam exequitur, & intendo miniſtrum nobilis ac jucundæ ſervitutis, quod miniſterium hujuſmodi ſolus amor efficit creatoris. Intentio autem iſta hic non eſt, niſi de amore temporalium quo turpiter & inordinatè amantur, & hoc non eſt niſi vel propter ſe, vel propter quodcumque aliud quod propter creatorem non amatur.

Quod

Quod prudens rerum adminiſtratio non minuat amorem Dei quantum ad habitũ, licet fortè minuat quantum ad motum paſſionis.

Quod ſi etiam illud dixerit quis quia etiam bona per omnem modum, & prudens adminiſtratio hujuſmodi cogitationes minuit atque rarificat, quæ debent eſſe de creatore ſicut dixit poëta, *pectora noſtra duas non admittentia curas*, & alius iterum, *pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*, cogitationes autem minui non poſſunt quin affectiones minuantur. Quapropter cum cogitatus de creatore minor ſit, in adminiſtrationibus hujuſmodi propter ipſas adminiſtrationes, neceſſe eſt ut amor eorum in ipſum ſit minor. Reſpondeo quod amor ſecundum duas intentiones dicitur, videlicet ſecundum habitum, & ſecundum actum ipſius ſeu motum. De motibus quidem amoris quos paſſiones philoſophi vocant, poſſibile utique eſt, ut & pauciores, & rariores, & remiſſiores, ſive minores ſint propter miniſtrationem hujuſmodi quæ in parte occupat miniſtrum: habitum vero ipſius amoris non eſt neceſſe in aliquo minui propter illam; imo interdum illum neceſſe eſt propter illam adaugeri; bona enim & fidelis miniſtratio quæcumque à creatore cuicumque commiſſa obſequium eſt gratiſſimum eidem impenſum, & propter hoc meritum eſt quo miniſter hujuſmodi tanquam fidelis ſervus & prudens meretur virtutum & aliorum donorum incrementum. Exemplum autem evidentiſſimum in hóc eſt cum non propter hoc minus diligis amicum tuum, ſed verè ac ſincere diligis, ſi rariùs vides illum, & intendo quod ſi pluries illum vides hodie quã heri, aut paucies hodie quam heri, quia non propter hoc aut plus aut minus diligis illum dilectione quæ amicitia eſt & habitus amoris.

Qua ratione & ipſa bona temporalia amore ſincero ac recto diligantur.

His autem determinatis revertar ad illud in quo eram, & dicam quia etiam bona temporalia ſeu ſenſibilia diligit quicumque vir bonus ſincero amore, & ordinato, atque pulcherrimo, ſi diligit eã, quia laus quædam ſit & gloria creatoris, & viæ quædam ad ipſum cognoſcendum, timendum, & diligendum, aut propter alias utilitates, quibus rectè conſiderantes, & bene eiſdem utentes adjuvantur ad magnificandum modo quolibet creatorem. Aliàs autem ea amare, hoc eſt apponere illis cor ſuum, & facere illud caudam ſive ſequelam eiſdem videlicet ut ab eis trahatur & ad creatorem non ordinetur, ipſa inordinatiſſima ac turpiſſima ſervitus eſt. Hoc autem jam remotum eſt ab anima humana exiſtente in ſtatu poſitionis iſtius. Quare manifeſtum eſt quia ſi in ſtatu iſto applicat ſe ſenſibilibus applicatione hujuſmodi, non avertet ſe à ſublimioribus bonis, nec adhærebit iſtis, hoc eſt, ſenſibilibus. Quapropter liberè aſcendet ab iis ad bona illa nobilia atque ſublimia, & liberè deſcendet ad hæc, & ab iis aſcendet ad illa, cum in his, id eſt, ſenſibilibus nec amore, nec delectatione adhæreat vel teneatur. Adde inſuper ad hoc, quod neque in quantumlibet ſublimibus bonis quieſcet, vel adhærebit, & hoc multiplici via faciam te ſcire, primum quia omnia illa bona, & etiam quęcumque alia non ſunt animæ humanæ bene conſtitutæ ſive ordinatæ, niſi viæ ad creatorem: ſolus autem creator finis eſt perfectæ ac completæ quietis animabus humanis, ſicut dicit quidam ex nobilibus theologis gentis chriſtianorum loquens ad creatorem, *& inquietum eſt cor meum donec quieſcat in te*. Quieſcere autem in via ſubſtantiæ quæ nata eſt pervenire ad finem inordinatio eſt.

Bern.

Quod anima laborẽ habeat propter multiplices operationes corporis, volatum autem propter operationes ſpirituales.

Debes enim ſcire quod omnis anima humana naſcitur cum exercitatione ſua, viator proficiſcens ad locum perfectæ quietis videlicet ab omnibus motionibus, juxta ſermonem ſapientis qui dicit quod *homo naſcitur ad laborem, & avis ad volandum*, intelligens ſecundum unum modum eamdem animam humanam hominem & avem eſſe: laborioſum quippe propter operationes multiplices quas per corpus exercere habet: avem vero propter operationes ſpirituales, quales ſunt cogitare, inveſtigare, philoſophari, potiſſimum de rebus divinalibus. Ad hujuſmodi namque volatus ſive aſcenſiones datæ ſunt ei pennæ ſpirituales, videlicet vires rationis & intellectus, & pennæ cogitationum, & aliarum diſpoſitionum quibus volatus hujuſmodi adjuvantur, vel quod eſt verius ac melius pennæ iſtæ ſpirituales ſunt vis appetitiva rationalis quæ eſt voluntas. Quod ſi quis dicere voluerit quod vis rationalis non intelligitur convenienter penna, ſed magis oculus in ave hujuſmodi: vis vero concupiſcibilis ſuperiores & nobiliores pennæ ſunt iſtius avis; ſcientia enim ex ſe parum vel nihil operatur ad virtutem, ut ait Ariſtoteles, ſic vel parum, vel nihil animam ab imo ſine infimo terrenorum ſive temporalium elevat, nec ab illis illam liberat. Quapropter manifeſtum eſt quod ſanitas iſta de qua hic loquitur animam liberat à ſervitute nequiſſima turpium paſſionum, & eam liberam efficit, ita ut ſe voluntariè applicet nobilibus atque ſublimibus bonis: quæ bona ſi non eſſent, miſeriores eſſent vires ſuperiores ac nobiles animæ humanæ, quam vires inferiores ejus quas communicare videtur cum brutis animalibus: ipſum etiam eſſet univerſum deformiſſimo defectu detruncatum, ſi deeſſent in eâ bona intelligibilia quibus animæ humanæ applicarent ſe, & quorum conjunctione delectarentur atque perficerentur.

Quod Deus non ſapienter creaſſet animas humanas, niſi eis bona propria providiſſet.

Amplius non ſapienter neque decenter creaſſet Deus animas humanas cum ſuperioribus viribus earum, ſi bona propria non providiſſet, inferioribus autem ad minus brutis animalibus de bonis propriis providiſſet; habent enim bruta animalia in quibus delectentur atque perficiantur. Quomodo igitur vires animarum humanarum ſuperiorum, & nobiles ejuſdem neglexiſſet ſapientiſſimus creator, & optimus ut eis bona congrua non providiſſet?

Quod anima non poſſit dici creata ad bona ſenſibilia quæ brutis communia ſunt.

Amplius totam animam humanam ad bona aliqua creatam eſſe neceſſe eſt; alioquin fruſtra creata eſſet: neceſſe igitur eſt eam creatam eſſe ad bona ſenſibilia vel intelligibilia; cum alia genera bonorum manifeſtum ſit eſſe non poſſe. Quod ſi ad bona ſenſibilia creatam illam diceret eſſe: cum igitur ad eadem creata ſit omnis anima, rationali nihil melius ea providet creator ſapientiſſimus & optimus, quam animabus irrationabilibus. Illa enim ſola providet Deus unicuique ſubſtantiæ ad quæ & propter quæ creavit illam: ſola igitur bona ſenſibilia providet Deus animabus humanis, illa autem ſola providit hominibus quæ providit animabus humanis, quapropter conſequenter evidens eſt ipſum non providiſſe hominibus majora vel meliora bona quam cæteris animalibus; meliora, inquam, dico ſecundum genus, quoniam nonniſi corporalia utriſque.

Neque vero dici poſſe proviſum eſſe hominibus, de bonis ſenſibilibus melioribus ſive ſint cibi, ſive indumenta, ſive habitacula.

Quod dico quia forſan cogitavit aliquis imbecillis quod meliores cibos, & meliora indumenta, nobilioraque habitacula providit creator hominibus, quam providit aliis animalibus: & de veſtimentis quidem manifeſtum eſt, quia de volatilibus nobilius longeque ſpecioſius veſtivit multa creator, quam veſtiverit aliquem ex hominibus. Sicut manifeſtum de pavone & de multis aliis quorum indumentorum ſpecioſitas vehementer admirabilis eſt hominibus, nullo autem modorum mutabilis. Manifeſtum etiam eſt tibi quod pelles herminorum & griſiorum, & quorumdam aliorum animalium concupiſcant homines, & eis veſtiri etiam glorientur. Dico etiam quod vinum non eſt aqua nobilius ordine naturæ, nec aliquis alius liquor, imo aqua omni alio liquore compoſito na-

tura longe nobilior eſt quemadmodum & prior. Priora enim in univerſum nobiliora ſunt, utpote nobiliſſimo propinquiora. Nobiliſſimum enim primum eſt creator benedictus, & propter hoc quæcumque ordine naturæ propinquiora ſunt illi nobiliora eſſe neceſſe eſt. Quod ſi de aliis bonis corporalibus juxta viam iſtam conſiderationem feceris, invenies bona ſenſibilia, quibus non tam delectantur quam illuduntur homines, non meliora vel nobiliora eſſe his quibus delectantur animalia cætera. Quædam enim ſolis aromatibus veſcuntur, quædam habitacula ſibi compingunt de cinnamomo, & illo pretioſiori, atque nobiliſſimo. Et poſſem tibi narrare multa de his, ſed prolixitatem declinare volens narrationem iſtam prætereo. Et de veſtimentis ſi diligenter attenderis, non eſt quod objicere quis poſſit. Eiſdem enim lanis & pellibus veſtiuntur homines quibus animalia veſtiuntur, & hoc utique naturaliter, & propter hoc tanto decentius atque nobilius quam homines quanto naturalia decentius, atque pulchrius adhærent unicuique quam adventitia. Similiter & propria naturaliter quam aliena, & quæ jure unicuique competunt, quam per rapinam & violentiam uſurpata; nemo autem eſt qui non videat quod ab ovibus, & aliis animalibus & lanæ, & pelles per violentiam rapiuntur, & illas ſibi homines applicant, illiſque ſe veſtiunt; quæ autem vel cujuſmodi gloria poteſt eſſe hominibus veſtiri de ſericis; cum ſericum non ſit niſi ſtercus, id eſt egeſtio quorumdam viventium. Quod ſi de tinctura vel coloribus glorientur, quanto magis inde gloriari poſſunt multa ex animalibus irrationalibus, in quibus tam decenter, tantaque pulchritudine naturalium colorum mira varietas collocata eſt. Tibi quoque notum eſt de tinctura pannorum quia ad eas conficiendas non clariores & puriores aquæ perquiruntur; non enim hujuſmodi aquæ tincturis aptæ putantur, ſed illæ ſolæ quæ immunditiæ alicujus admixtionem habent; urina enim humana, & potiſſimum muliebris conficiendis tincturis quaſi perutilis admiſcetur. Omnibus igitur iſtis aggregatis, & aliis quæ tibi occurrere poterunt, manifeſtum debet eſſe tibi nec nobiliora eſſe dona ſenſibilia quibus rationales animæ delectantur, quam ea quibus irrationales, nec potius ad eas pertinere, quam ad irrationales.

> Concludit ſenſibilia quantum ad uſus iſtos æque eſſe creata propter animas irrationales.

Quapropter ſecundum errorem iſtum non potius propter animas humanas creata ſunt, quam propter animas irrationales quantum ad uſum hujuſmodi. Eſt enim alius uſus bonorum ſenſibilium qui deſervit ſcientiis theologicis contemplationi, ſive ſpeculationi, qui etiam multiplex eſt, ſicut in eis docetur, quamquam adhuc nec traditæ, nec ſcriptæ ſint; judicant ſiquidem rectè conſiderantibus mira & magna de potentia, ſapientia, & bonitate creatoris, & qui ad hoc illa intuentur atque conſiderant, ut per ea cognoſcant ipſum creatorem & magnalia ejus; cognoſcant, inquam, ut magis ac magis ipſum timeant, diligant, & venerentur, omnique modo magis ac magis ipſum magnificent rectiſſimè, & creatoris ſenſibus utuntur, nec eſt uſus hujuſmodi abſque pura & ſancta dilectione, juxta quod dicit ſermo propheticus ad ipſum creatorem, *delectaſti me Domine in factura tua.*

> Pſ. 91. 5.

> Si animas adeo delectent res ſenſibiles quanto magis ſupernaturalia & ſpiritualia bona.

Quod ſi in his inveniunt animæ humanæ quæ incomparabiliter minoris bonitatis, minoriſque pulchritudinis ſunt, quam bona ſupernaturalia, inveniunt, inquam, quod prima ac ſancta jucunditate eas delectet, quanto magis neceſſe eſt in bonis ſpiritualibus majores delectationes invenire? juxta quod ait ſermo propheticus, *potentiam tuam & juſtitiam tuam Deus uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia.* Magnalia quippe altiſſima quæ

> Pſ. 70. 19.

creator benedictus fecit non poſſunt intelligi niſi ſpirituales ac nobiliſſimæ ſubſtantiæ abſtractæ, quarum pulchritudines admirationem noſtram, & omnem noſtrum exuperant cogitatum in hac vita: nec mirum ſi ſuper admirationes, & cogitatus animarum noſtrarum ſunt, cum ipſæ animæ noſtræ etiam admirationes proprias, & cogitatus inattingibiliter excedant in ſtatu miſeriæ iſtius. Quapropter conſequens eſt, quia ſi iſta ſenſibilia videlicet pulchritudinibus ſuis atque perfectionibus ita trahunt, alliciunt, imo etiam irretiunt, & captivant, atque inebriant animas humanas pulchritudinibus ſuis, & bonitatibus quanto fortius eſt neceſſe, ut illæ intelligibiles pulchritudines incomparabiliter longe majoris bonitatis trahant, alliciant, incogitabiliterque delectent animas humanas illas lucidè intuentes, eiſque abſque medio quantum fas eſt appropinquantes.

> Quod delectationes ſpirituales non lædant animam.

Debes autem hic attendere quia delectationes ſpirituales de quibus hic loquor animas humanas nullo modo inebriant, aut captivant, nec aliquatenus lædunt; ſed potius illuminant eas, confortant, expediunt, & ad operationes ſpirituales expeditiores ac promptiores efficiunt. Cauſa autem differentiæ iſtius eſt quia non niſi recto & ordinato amore diligi ſe patiuntur, nec eſt appropinquatio ad eas niſi immaculatis animabus juxta ſermonem Platonis quem dixit de Socrate, Socrates, inquit, ob egregiam vitam & teſtimonia ab infantia habuerit omnes, ſiquidem pura puris, ſincera ſinceris miſceri atque contiguari fas eſt. Manifeſtum igitur eſt quia inferiora iſta, & quæ ſub animabus humanis ſunt, bona ſcilicet ſenſibilia & temporalia nec captivant, nec inebriant illas, nec irretiunt, aut obtenebrant eaſdem, niſi malè & inordinatè ſe illis applicuerint, perverſoque amore ipſis inhæſerint.

PARS DECIMAQUINTA.

Quod anima magis naturaliter diligit bona ſpiritualia & inſenſibilia quàm corporalia & ſenſibilia.

> Quomodo ſe applicent animæ ſpiritibus, & quem habeat impedimenta.

SI quis autem quærat de ſpiritualibus illis pulcherrimis ac nobiliſſimis ſubſtantiis, qualiter animæ noſtræ, vel qua via illis ſe applicent ut eas intelligant. Reſpondeo quod quemadmodum ſenſibilia per ſenſus ſe ingerunt animabus humanis, ſeque illis ultro offerunt, ingerunt & oſtendunt, hoc autem intelligo de puris & rectis animabus, & de puro & libero intellectu, quemadmodum & in ſenſibus ſe habere manifeſtum eſt. Læſis enim & turbatis ſenſibus, læſione videlicet & turbatione organorum ſuorum prohibentur animæ humanæ à cognitionibus ſenſibilium, vel ſaltem impediuntur juxta modos, & quantitates læſionum hujuſmodi: ſic læſa aut turbata virtute intellectiva prohibentur animæ humanæ à cognitione hujuſmodi intelligibilium. Læſiones autem & impedimenta ſunt depreſſiones phantaſiarum, ſordes vitiorum, aſſuetudo nimia circa ſenſibilia & diſſuetudo ab intelligibilibus, ſicut dixit unus ex philoſophis Latinorum, videlicet quia in contemplatione rerum intelligibilium nihil difficilius eſt quam à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere. Noſti enim quam difficile deponitur inveterata conſuetudo, & quam difficile ſurgat ad quodcumque bonum quem moles malæ conſuetudinis premit.

> Vtrum animæ paralyticorum, letargicorum & morientium.

Si cui autem quærendum videatur de animalibus paraliticorum, aut letargicorum, aut quorumdam morientium, qui uſum omnium ſenſuum amittunt, ante exitum animarum de corporibus, cum intelligant

rium aptiores ſint ad contemplationem.

gant aliqua de intelligibilibus, propter hoc ſcilicet quoniam animæ ipſorum liberatæ videntur à corporibus, & tota ſollicitudine ipſorum: reminiſci debes eorum quæ prius audiviſti: non enim ſoli ſenſus, aut ſola gubernatio corporis, vel ſollicitudo ipſius prohibent, & impediunt virtutem intellectivam ab operatione ſua, neque alias virtutes nobiles ab actibus ſuis, ſed etiam omnia illa impedimenta quæ prænominavi tibi. Quapropter jam feci te ſcire quod animæ immaculatæ, & à prædictis impedimentis animalibus liberatæ offerunt ſe & ingerunt, ut prædixi, intelligibilia maximè illa quorum intellectus illuminat, confortat, & ad Deum appropinquare facit illam. Si enim animabus philoſophantium tam multipliciter vitiorum & peccatorum ſordibus maculatis non ſe denegant, vel ſubtrahant intelligibilia hujuſmodi, quanto magis purificatis, & liberatis animabus ſe ultro offerant?

Animæ ab omnibus reſiſtentiis liberæ adhærent bonis ſpiritualibus multo firmius quã animæ ſanctorum in quibus obſiſtit corruptio originalis.

Amplius quantumcumque obſiſtente ſive reſiſtente corruptione originali, quantumcumque retrahentibus ſenſibus boni & mali, manifeſtum eſt de animabus ſanctis quod adhærent nobilibus & ſpiritualibus bonis: quanto fortius igitur animæ quæ ab hujuſmodi reſiſtentiis & rebellionibus omnino immunes & liberæ ſunt adhærebunt illis bonis? Quod ſi ad viros ſanctos quos gens chriſtianorum martyres & confeſſores, virgineſque cognominant attendere volueris, quantiſque certaminibus & impugnationibus elaboratum eſt ab idololatris, ut à bonis ſpiritualibus, atque ſublimibus illos averterent, quod nullis ſuggeſtionibus, nullis promiſſionibus, nullis alligationibus facere potuerunt, videbis quam fortiter, quamque inſeparabiliter bonis ſpiritualibus adhæſerunt, qui nec tantis ſuppliciis ab eis abrumpi potuerint, etiam in iſta miſeria conſtituti. Manifeſtum igitur eſt per hoc quod liberæ animæ & immunes penitus ab iſta miſeria, tanto fortius, tantoque conatius adhærent bonis hujuſmodi, quanto liberius, nulloque prohibente aut reſiſtente.

Idem probat quia animæ virtutes naturaliter diligant nec niſi propter corruptionem originalē ab iis procentur.

Amplius virtutes & ſcientiæ virtuoſæ atque virtutibus deſervientes ſpiritualia bona ſunt, de quibus manifeſtum eſt quod animæ humanæ naturaliter illas diligunt, cupiunt, & inquirunt. Prohibentur autem & impediuntur rebellione quæ eſt illis ex parte originalis corruptionis, quæ tota eſt illis à parte corporis, ſicut jam tibi declaratum eſt alibi, & etiam in tractatu iſto in hoc eodem capitulo. Manifeſtum igitur eſt quod ſublata iſta rebellione invaleſcet in animabus humanis, & confortabitur amor hujuſmodi, vel ſaltem liberè operabitur; operatio autem amoris prima, & immediata eſt amare: quapropter liberè amabit anima humana rebellione hujuſmodi ceſſante virtutes, & ſcientias ante nominatas; & per eamdem viam non ſolum odiet, & execrabitur vitia, & opera eorum quæ actualia peccata dicuntur, ſed etiam amabilia omnia amabit anima humana in ſtatu libertatis hujuſmodi. Et intendo amabilia quorum eſſe atque amabilitas eidem innotuerint; amor enim boni, & odium mali de primis impreſſionibus ſunt. Jam autem noſti quæ ſunt & cujuſmodi impreſſiones primæ in virtute intellectiva animarum noſtrarum. Hæ autem ſunt de quibus non oportet ut aliæ iſtas præcedant quæ ipſas introducant in animam humanam; per ſemetipſas enim animæ humanæ ſe offerunt, & ingerunt ac ſi innatæ vel naturaliter inditæ eiſdem eſſent, ſicut apparet evidenter in quibuſdam principiis ſcientiarum doctrinalium, quorum unum eſt quia de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio quælibet, ſimiliter omne totum eſt majus ſua parte: propter quod dicit Ariſtoteles *quod non eſt eis contradicere ad interius rationem*, tanquam adeo occupent vim intellectivam ut contrarium admittere non poſſit, ſed etiam neque opinionem aut dubitationem, aut ignorantiam alicujus totius: juxta igitur iſtum manifeſtum eſt iſtum amorem boni, & odium mali primas impreſſiones eſſe in virtute animæ humanæ nobili motiva, quam voluntatem, vim volendi, vimque concupiſcibilem nobilem ſive ſuperiorem uſu tutiſſimo nominant. Sic non eſt dubitandum vim iraſcibilem nobilē habere impreſſiones primas, & proprias quales ſunt quædã ira & quædã indignatio; quædã magnificentia, & multas alias eſt juxta vias iſtas invenire.

Quod ſicut intellectui, ſic etiam voluntati naturaliter inſitæ ſint quædam amoris, odii, & iræ diſpoſitiones.

Quibuſdam enim malis naturaliter per ſe iraſcitur anima rationalis ſicut quibuſdam injuriis. Qui enim videt impium in innocentem graſſari ſola malignitate vel ſuperbia, non poteſt iram continere niſi, quod nullo modorum poſſibile videtur, malignitate ſuprema perverſus fuerit aut ſubverſus. Munda igitur anima humana ab omni perverſitate & corruptione non poteſt ſe continere ab amore amabilium, quorum eſſe & amabilitas illi innoteſcunt: quemadmodum enim virtus intellectiva non poteſt ſe continere per ſemetipſam quin credat vehementer probabilibus, & cum certitudine figatur in eis quæ dixi eſſe de primis impreſſionibus, quibus non eſt contradicere ad interius rationem: ſic non eſt poſſibile virtutibus noſtris motivis nobilibus continere ſe à diſpoſitionibus ſupradictis. Et intendo quod non poſſunt ſe continere ab amore per ſe amabilium bonorum, nec ab odio per ſe odibilium malorum. Et juxta illum modum ſe habet de aliis quæ dicuntur motiva hujuſmodi virium. Unde manifeſtum eſt quod quemadmodum principia per ſe manifeſtiſſima tanquam ſemetipſa per ſe in primis oſtendentia, & deinde alia cum applicata fuerint illis ordinatione ſyllogiſtica. Sic iſta ignes ſunt ſpirituales, quoniam ad vires noſtras motivas mobiles applicata accendunt illas & ardere faciunt illas; amor enim omnis ardor eſt, ſed deſiderium omne flamma: propter quod non inſipienter dixit quidam ex præcipuis Theologis Latinorum, quod ſpecies muliebris id eſt ſpecioſitas, gladius flameus eſt, ſeu ignitus, & merito dixit gladius, quia amor non ſolum ardor eſt, ſed etiam vulnus; propter quod Cupidini arcum attribuunt fabulatores poetæ. Et quemadmodum dixi tibi de principiis, quia lumina ſunt ſe ipſa & alia oſtendentia, ſic iſta ignes ſunt per ſe ipſa ardentia ſive calentia, & alia calerē facienda. Omnia enim illa hujuſmodi per ſe amabilia quæcumque alia amari faciunt calida efficiunt, & calere illa faciunt; omne namque amatum calet amanti illud; manifeſtum enim eſt omne amans amore ſuo calidum eſſe, cum omnis amor calor ſit. Verum cum fuerit fortiſſimus ac vehementiſſimus ardor eſt, & ſi fuerit inordinatus inſanire faciet amantem & erit furor, quemadmodum manifeſtum eſt de amore qui dicitur eros, de quo dicit philoſophus quod ipſe eſt furor cerebro contiguus. Ex his igitur omnibus ſcire te feci quod animæ humanæ in ſtatu libertatis, & puritatis conſtitutæ tanto vehementius calerent & arderent amore bonorum ſpiritualium & ſublimium quam ardere poſſunt in ſtatu miſeriæ, & corruptionis iſtius amore bonorum ſenſibilium & temporalium. Cauſa autem in hoc duplex eſt evidenter, quoniam neceſſe eſt alterutrum duorum vel æquè inflammabiles ſint amore ab iſtis duobus generibus bonorum, aut ut altero magis. Quod ſi æqualiter neceſſe eſt ut à majoribus bonis magis ardeant, & tanto magis ab illis quam ab aliis, quanto illa majora ſunt, & magis amabilia quam illa. Quare cum illa ſublimia, & nobilia ſpiritualia incomparabiliter majora, & magis amabilia ſint quam iſta, incomparabiliter magis arde-

bunt animæ humanæ applicatione ſua ad illa ſublimia atque nobilia, quam ardere poſſunt applicatione ſua ad iſta inferiora.

Quod ſenſibilia propter maiorẽ propinquitatem magis non moveant.

Si vero nec æqualiter inflammabiles ſint à majoribus, hoc non eſſet aliud quam à minoribus ignibus magis ardere quam à majoribus. Quod ſi dixerit quis quod hoc non eſt inconveniens quoniam poſſibile eſt quod minores ignes è propinquiori agant, majores autem à remotiori. Dico in hoc quod propinquitas, & remotio corporalis non habeat locum in eo de quo agitur, ſed propinquitas ſolum & remotio ſpiritualis. Addo quod ſenſibilia bona ſive temporalia & inferiora nonniſi per media corpora applicabilia ſunt animabus humanis, & intendo ſecundum ſenſum, quoniam nonniſi per organa ſenſuum quæ indubitanter corpora ſunt. Intelligibilia vero & ſpiritualia bona abſque ullo medio applicantur animabus noſtris. Addo etiam huic ratiocinationi quia animæ noſtræ magis receptibiles fiunt ſublimis ac nobilis caloris qui eſt amor debitus, & ordinatus, quam inferiorum hujuſmodi calefactionum quæ cum inordinatæ ſint urſiones ſive ardores vulnerantes, multipliciterque lædentes animas humanas, nominandæ ſunt, & non ſolum à philoſophis, ſed etiam à vulgatis & parum doctis hominibus nominantur.

Magis receptibilis eſt anima diſpoſitionum ſpiritualiũ quia eas recipit per ſe, ſenſibiles vero per corpus.

Amplius omnis res, & omnis potentia receptibilior eſt earum diſpoſitionum quarum eſt receptibilis per ſe, quam earum quarum eſt receptibilis per aliud: quapropter neceſſe eſt animam humanam receptibiliorem ſublimium, ac ſpiritualium diſpoſitionum, quam ſenſibilium & inferiorum, cum inferiora non ſint receptibilia niſi per aliud, & intendo per corpus illius non per ſemetipſam.

Animæ humanæ magis deſiderant ſciẽtias & virtutes quia ad eas natæ ſunt quantum ex creatione ſua, non ad bona ſenſibilia.

Amplius jam conſentiunt in hoc omnes philoſophi qui de ſcientiis & virtutibus aliqua ſcripſerunt quia animæ humanæ ad perfectiones ſcientiarum & virtutum natæ ſunt, ad alias autem diſpoſitiones, & maximè contrarias non ſolum natæ non ſunt, ſed econtrario ſe habent: omni enim inhoneſtati & turpitudini vitiorum inimicæ ac rebellantes naturaliter naſcuntur animæ humanæ: & intendo naturaliter, ut ſæpe audiviſti, videlicet à parte creationis ſuæ, & naturalium atque eſſentialium ſuorum. Prænominatæ autem perverſitates & læſiones adventitiæ ſunt, & à foris tanquam inflictæ & illatæ, ſed hoc eſt, à parte corporis noxij, & ut audiſti, corrupti. Quia igitur quod natura tale, magis tale, neceſſe eſt animas humanas naturaliter receptibiliores eſſe ſcientiarum nobilium & virtutum quam aliarum diſpoſitionum: ac etiam eadem via eſt manifeſtum ſcientias ac virtutes propinquiores eidem atque viciniores, quod evidenter oſtendit naturalis amor, & deſiderium animarum humanarum ad ſcientias & virtutes; præſertim cum amor vinculum ſit amantis & amati. Manifeſtum igitur eſt animas humanas naturaliter ligatas eſſe ſcientiis nobilibus atque virtutibus: & intendo quod dixi naturaliter, vinculo videlicet naturalis amoris. Quapropter manifeſtum eſt tibi quod indita eſt eis naturaliter cognitio, ſive ſcientia quædam hujuſmodi bonorum; impoſſibile enim eſt naturaliter amare bona omnimodo incognita.

Modus quo ſubſtantiæ ſublimes in ſtatu ſuæ puritatis cognoſcunt intelligibilia.

Si quis autem quærat de ſubſtantiis ſublimibus, utrum in hujuſmodi ſtatu ſanitatis & libertatis conſtitutis innoteſcerent vel apparerent, ſeu quolibet modo notæ eſſent, & de ipſo creatore ſi quis ſimiliter quærat: reſpondeo quod ſic, & non intendo hic niſi de notitia naturali, quemadmodum notitiã ſenſibilium per ſenſus ſolummodo naturalem uſualiter dicimus, & intendo non elaboratam inveſtigatione, vel doctrina, non infuſam gratuita largitate ſeu revelatione benedicti, ſed ſic eſſe à virtute intellectiva per ipſa intelligibilia, quemadmodum eſt cognitio ſenſibilium à virtutibus ſenſitivis per ſenſibilia.

Quod in illo ſtatu hærere non poſſint in iſtis ſenſibilibus.

Vides igitur evidenter quod quemadmodum liberum eſt animabus humanis deſcendere ad cognoſcendum ſenſibilia in hoc ſtatu poſitis, ſic liberum eſt eis aſcendere ad cognoſcendum & videndum intelligibilia, & ſicut dixi tibi in iſta ſanitate & puritate non poteſt hærere neque teneri in rebus ſenſibilibus amore inordinato, & ſtulta curioſitate, non ſolum prohibente hoc ſanitate vel puritate. Quemadmodum facies ſpecioſæ mulieris reſultans in ſpeculo mundiſſimo ac terſiſſimo, invitat & trahit inſpectorem ad ipſam pulchritudinem mulieris, nec ſinit illum figi vel quieſcere in illa, ſic clariſſima illa ſpecula ſubſtantiarum nobilium atque ſublimium non in ſemetipſis ſiſtere vel defigi ſuſtinent animas inſpectrices earum, quin potius ad incogitabilis pulchritudinis ſpeciem creatoris tranſmittunt eaſdem, quoniam in eis elucet expreſſione lucidiſſima & jucundiſſima, propter quod ſapientiſſimus ille, & ſanctus qui de eis primus tractavit & ſcripſit clariſſima illa ſpecula vocavit.

Quomodo nos ſenſibilia avertunt à Deo & rebus ſpiritualibus, etſi ſuo quodammodo ab inordinato ſuo amore nos revocent.

In ſenſibilibus autem etſi nullum reluceat pulchritudinis creatoris veſtigium, permodicæ tamen ac pertenuis eſt apparitionis ſeu deſignationis, qua de cauſa ſæpiſſimè retinent, & defigunt in ſemetipſis imperitos inſpectores earum; quamquam ſicut audiviſti ſæpius per me in ſermonibus exercitationum, quia ipſæ creaturæ ſenſibiles, & omnia bona temporalia corruptionem animarum noſtrarum, & fornicationem ſpiritualem faciunt, etſi non intentione; odire enim & perſequi videntur dum ſe ab amore noſtro inordinato innumerabilibus moleſtiis quas amatoribus hujuſmodi irrogant fortiſſimè avertunt. Quemadmodum caſta mulier quibus poteſt conatibus repellit à ſe etiam dentibus & unguibus corruptorem. Reſpice namque ad delicias ſenſibiles atque carnales, & videbis quot & quantis angoribus malorum deſideriorum, quot & quantis doloribus, quot & quantis laboribus, ac ſumptibus excrucient voluptuoſos hujuſmodi, quaſi ſe deffendentes ab illis, & expellentes eos ac diffugantes à ſe; ipſi autem tanquam inſenſati, eſſe ſub ſentibus tam durarum, tamque multiplicium punctionum delicias computant, quod eſt dicere reputant, ſicut ait ſanctus & ſapiens in libro qui eſt apud gentem chriſtianorum authenticus & nobilis *eſſe inquiens ſub ſentibus delicias putant*. Reſpice iterum ad delicias, & videbis evidenter quod non eſt genus tormenti quo avarus non torqueatur, & ad unum dicamus quidquid patiuntur vel pati poſſunt divitiæ terrenæ totum refundunt in avaros, & totum ipſimet patiuntur. Cauſa autem in hoc eſt quoniam per amorem iniquiſſimum atque viliſſimum junctiſſimi ſunt eiſdem; quæ enim & quanta patiuntur inanis gloriæ cupidi, hoc uno verbo vel exemplo expone tibi: à linguis enim, & dentibus detractorum, ut de aliis tormentis taceam inceſſanter mordentur. Iob. 30. 1[illegible]

Quod non ſit putandũ à ſanctis & ſublimibus nos averti poſſe ab amore creatoris.

Hæc igitur de his tibi ſufficiant, cum penè innumerabilia à me alibi audiveris de iiſdem; quia bona iſta minima, ſenſibilia ſcilicet, & temporalia vel corruptionem animarum noſtrarum perſequi, vel caſtitatem earum zelare tantopere videntur. Quid ſentiendum putas de ſanctiſſimis ac beatiſſimis illis ſubſtantiis? an potes opinari, quod amare velint niſi propter creatorem benedictum: ſi enim propter ſe amari quærerent, jam in ſeipſis ſiſtere, & defigi amatores ſuos vellent. Attende igitur diligenter quam multipliciter delinquerent, & ſe ipſas & illas pervertetent, primum quidem ſcelere nefandiſſimo

nefandiſſimæ idolatriç ſemetipſas pollucrent; amor enim hujuſmodi ſoli creatori debetur, & pars præcipua eſt cultus & honorificentiæ ipſius; ipſe vero eſt ſolus propter ſemetipſum diligendus, nec alii inhærendum eſt amore, propter quod neque alio fruendum, ſed unoquoque aliorum utendum propter ipſum: & intendo, utendum in obſequium & honorem ipſius habendum, & ſi poſſibile eſt convertendum. Sed cum unaquæque creaturarum via ſit ad ipſum, ipſe vero finis omnium & ſingulorum, intolerabili abuſione ſemetipſas nobiles iſtæ ſubſtantiæ finem facerent, & finis eſſe vellent ſi in ipſis amatores ſuos quieſcerent finaliter, & non ad finem qui creator benedictus eſt tendere eas vellent.

r Exemplo venationis & venationis inſtrumentorum oſtendit creaturas eſſe veſtigia creatoris, creatorem vero finem omniũ eſſe.

Amplius cum omnes creaturæ, ſicut alibi didiciſti, veſtigia creatoris ſint, inveſtigatores veſtigiis inhærere, & nobiliſſimam prædam, ſeu venationem, quæ creator benedictus & optimus eſt, non inſequi uſque ad captioné eos facerent. Quod ſi naturam animæ humanæ perſcrutatius conſideraveris, invenies eam in naturali ſanitate, libertate, & puritate ſua velut venatorem, venabulis inſtructum, & armatum ad capiendam antedictam nobiliſſimam & pretioſiſſimam quam prædixi prædam. Quid enim vis eſt intellectiva niſi venabulum optimum venandæ per inveſtigationem rationis & philoſophiæ, deinde per certitudinem veritatis. Tunc enim comprehenditur veritas, & tenetur, cum certitudo de ea habetur. Eodem modo intelligendum eſt tibi de virtute iraſcibili; quoniam ipſa eſt venabulum gloriæ & honoris, omniſque quod ad magnificentiam, & magnanimitatem pertinet, quæ uſualiter dicitur latitudo cordis. Et alibi jam declaravi tibi quæ eſt veritas gloriæ & honoris animarum humanarum, ſicque per iſtam conſiderationem videbis evidenter quod vis concupiſcibilis ſublimis ac nobilis venabulum eſt capiendæ & tenendæ primæ ac jucundiſſimæ, & redundantiſſimæ bonitatis, quæ eſt creator benedictus, & propter hoc anima humana huic ſoli venandæ & capiendæ per iſta venabula debet totis ſtudiis & viribus vigilare, totiſque ad hoc eniti conatibus. Nec dubium eſſe poteſt ſic perſcrutanti, quin anima humana in eo ſtatu quem prædixi conſtituta ad hoc intendat totaliter. Videbis etiam in iſta conſideratione quantæ ſit non ſolum imbecillitatis, ſed inſaniæ etiam venatorem hujuſmodi vel inſectari veſtigia ſola, inhærere veſtigiis ſolis tam deſiderabilis tamque nobilis prædæ, illa vel neglecta, vel penitus non curata. Quod evidenter faciunt qui ſolis bonis temporalibus acquirendis, vel conſervandis, vel multiplicandis vigilant, vel intendunt.

PARS DECIMASEXTA.

Recapitulatio præcedentium.

r De captivitate & infirmitate vitiorum.

REvertar igitur ad propoſitum, & repetam tibi per recapitulationem breviſſimam ea omnia quæ præceſſerunt ad declarandam miſeriam & perverſitatem, ægritudines & vulnera, ebrietatem & captivitatem, & ſervitutem nequiſſimam, pariter & turpiſſimam, necnon & tenebroſitatem, infirmitatemque quibus anima humana à parte corporis læditur, vulneratur, deprimitur, captivatur, inebriatur, & obtenebratur, adeoque infirmatur ſeu debilitatur, ut ab omnibus bonis & malis & vulnerabilis, & captivabilis ſit: ſicut vides in animabus avarorum qui omni auro, omni argento, omni re quæ ad divitias temporales pertinet vulnerantur & uruntur; amor enim, ut prædixi, & vulnus, & uror eſt. Sic & luxurioſi ab omni pulchritudine mulieris ſimilia patiuntur, hoc eſt, ſimile vulnus, ſimile incendium, ſic potes evidenter videre & de inanis gloriæ amatoribus, quia omni laude licet vaniſſima, atque falſiſſima ſimiliter vulnerantur, ſimilique ardore uruntur.

Virtutes majores sũt vitiis quia majora sũt naturalia non naturalibus, quare & magis appetuntur.

Quia igitur majora ſunt naturalia innaturalibus, juxta ſermonem Ariſtotelis, virtutes ſimiliter incomparabiliter majores vitiis ſunt, ſicut declaravi tibi in tractatu primo de virtutibus, neceſſe eſt rectas diſpoſitiones ac virtutes animarum humanarum longe majores eſſe perverſitatibus & corruptionibus antedictis. Et intendo quod amores ſpiritualium ac nobilium bonorum, odiaque ſpiritualium malorum longe majora ſunt quam amores, & odia ſenſibilium & temporalium bonorum & malorum, & ad hunc modum ſe habet de aliis diſpoſitionibus. Declaravi etiam tibi in eodem libro quod incomparabiliter plus amat vel diligit vir bonus & juſtus ſancta, & bona, vel etiam ſpirituales divitias, quæ ſunt ſcientiæ ſpirituales, & virtutes, quam avarus diligat divitias terrenas ſeu temporales: quemadmodum & vitam animæ ſuæ quam vitam corporis ſui, ſive intelligatur hoc de vita gratiæ, ſive de vita gloriæ: alioquin enim nec bonus, nec juſtus eſſet, nec rectè ordinatus, aut bene conſtitutus, ſi plus vel æque diligeret bona corporis, ſeu temporalia, quam ipſa bona animæ ſuæ; cum manifeſtum ſit omnia bona animarũ quæ ſunt bona ſpiritualia, indubitanter tantò amplius eſſe diligenda quam bona corporis ſeu temporalia, quanto ipſa anima plus eſt diligenda quam corpus. Diligere namque aliquid non eſt niſi diligere bonum ejus vel bonum ei; manifeſtũ eſt quia tanto eſt unumquodque quocumque alio magis diligendum, quanto ipſum eſt melius illo. Quia igitur abſque ulla comparatione melior eſt anima humana quam corpus humanum, manifeſtum eſt animam humanam incomparabiliter plus eſſe diligendam quam corpus humanum, & propter hoc bona ejus, & bona ei incomparabiliter plus eſſe diligenda, quam bona corporis vel bona corpori.

Sicut ex debilitate capitis cõtingit ut aliqui modicò vino inebrientur, ſic ex debilitate animæ contingit aliquos bonis corporalibus licet nullius momenti ſint inebriati.

Nec te conturbet ſi vides amore turpis & immundæ voluptatis inſanire luxurioſos, deditos autem ſpiritualibus bonis prudentiſſime ſe habere erga iſta, quaſi cogaris dicere propter hoc majorem eſſe amorem hujuſmodi voluptatis in luxurioſis, quam ſit amor ſanctus & rectus in viris bonis & ſanctis: cum igitur manifeſtum ſit tibi nonnullos modicò vino inebriari, & inſanos fieri, quoſdam autem multo majori in nullo turbatos, vel à rectitudine rationis declinare: eſt enim ex debilitate capitis in quibuſdam facilitas inebriationis, in hominibus vero fortis capitis & bonæ diſpoſitionis, etiam multum vinum multumque forte nihil poteſt ad læſionem ſenſus, ſive rationis illorum. Non ideo major eſt potus quia magis turbat pôtantem, nec ideo major eſt ignis quod magis urit tangentem.

Amorem caſtũ econtrario ſe habere ad amorem impurum, hunc enim perturbare, illum vero confortare & illuminare.

Debes enim ſcire quod longe eſt aliter in diſpoſitionibus rectis & ordinatis, quam in diſtortis atque perverſis, illæ namque quanto majores fuerint tanto magis dirigunt, confortant, illuminant, expediunt, & liberant animam humanam, iſtæ vero econtrario per omnia operantur. Quapropter nec minimum, nec ſuperfluitas locum habet apud eos, ſicut evidenter poteſt videri in amore creatoris, de quo manifeſtum eſt cum ſit in infinitum bonus, imo ſuper omnem æſtimationem & cogitationem, eadem menſura vel potius immenſitate diligendus eſt. Hæc autem immenſitas dilectionis non poſſibilis eſt niſi ei: ipſe enim diligit ſe quantum eſt diligendus, ipſe etiam ingenitus pater unigenitum ſuum & ſpiritum ſanctum, quantum eſt diligendus, diligit, & propter hoc ea immenſitate quam prædixi: alioquin nec rectè nec ordinatè

ipſum diligeret ſi diligeret minus incomparabiliter quam ſit diligendus. Quia igitur ejuſmodi dilectio ordinata eſt atque juſtiſſima, ſive rectiſſima, & ex æquo correſpondens bonitati, ſeu dignitati ejus qui diligitur vel diligendus eſt, manifeſtum eſt omnem amorem, ſive delectationem quanto magis accedit ad hanc immenſitatem tanto eam plus habere rectitudinis, juſtitiæ, & æquitatis. Quapropter manifeſtum eſt nihil eam poſſe habere minimum vel ſuperfluum: in amoribus autem rerum temporalium atque ſenſibilium, econtrario ſe habet per omnia, quanto majores ſunt, tanto magis habent iniquitatis, injuſtitiæ, & inordinationis, & peccati.

Quemlibet amorem temporaliũ non eſſe cõtemnendum ſi iis utamur ad cognitionẽ & amorem Dei & alios uſus Deo acceptos.

Nec tamen intendas, vel arbitreris me nominare hic amorem temporalium bonorum ſeu ſenſibilium qui eſt propter ſolum amorem creatoris. Ille namque non detinet in hujuſmodi animam humanam, nec avertit eam ullo modorum à creatore, nec aliquatenus impedit amorem ipſius, quin potius multum adjuvat & accendit. Si enim amantur bona hujuſmodi quæ via ſunt atque veſtigium quibus in cognitionem & amorem creatoris venitur, ſi anima humana ad iſtos fines ſolummodo eiſdem utitur, nulli intelligenti dubium eſſe poteſt, quin amori Dei bona hujuſmodi ſerviant & efficaciter ſuffragentur. Sunt & alij uſus bonorum iſtorum rectiſſimi, ipſique creatori placidiſſimi adeoque magnifice remunerabiles, quemadmodum ſi quis in Dei altiſſimi cultum & honorificentiam illa impendit, videlicet in ædificationes templorum ipſius, in ornamenta & apparatus illorum, in ſuſtentationem miniſtrorum cultus & honorificentiæ ipſius, vel etiam egenorum, aut in redemptionem captivorum, ſive alios quoſcumque uſus, dummodo propter amorem creatoris talia fiant: quis ignorare poterit etiam meritum hujuſmodi operum augeri ſic facientibus, & ipſum amorem creatoris, qui inter dona gratiarum ipſius præcipuus eſt, cæteraſque virtutes omnes, & gratias adaugeri & multiplicari innumeris exemplis, & jugi experientia manifeſtum eſt. Propter quod lex & doctrina chriſtianorum expreſſe continet quod *pietas ad omnia valet, habet enim promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*, quod eſt dicere remunerationem in præſenti, & etiam in futuro; præſentialiter namque quod eſt dicere in vita iſta, & intendo in bonis vitæ iſtius, & intendo temporalibus, & bonis futuris pariter remunerat creator optimus, pietatem quæ exercetur amore ipſius in paupere & egeno. Jam igitur per hoc nota eſt tibi intentio mea de amore ſenſibilium temporaliumque bonorum, & quia cadit amor ſuper ea propter amorem, vel obſequium creatoris, illum amorem creatoris magis habendum & diſcendum arbitror quam amorem ſenſibiliũ & temporalium.

1. ad Tim. 4. 8.

Quod amor ſublimium & ſpiritualium bonorum ad amorẽ creatoris impellit.

Et quoniam ſicut jam feci te ſcire amor ſpiritualium ac ſublimium bonorum nec inordinatus nec fixus in ejuſmodi bonis eſſe poteſt, ſed potius eſt invitans, & attrahens animas humanas, atque recipiens in amorem creatoris, longéque fortiora, atque potentiora ſunt bona hujuſmodi, quam inferiora, neceſſe eſt ut animam humanam in ſæpe dicto ſtatu conſtitutam avertant ab inferioribus bonis, & attentam atque ſuſpenſam teneant in ſublimi contemplationis & amoris, non quidem fornicarij & cum injuria creatoris ut præoſtendi tibi; ſed quemadmodum in pulcherrima & amœniſſima delectatione ſuæ pulchritudinis, ac rectitudinis, in ordinatione ſua ac jocunditate, abſque ulla retardatione itineris ſui feſtinantiſſimum ad patriam viatorem, non ut plerumque in viationibus iſtis corporalibus, viarum planities & amœnitas in ſe detineat, & à viatione ſua parum vel multum etiam retardet corporaliter ambulantem. Econtrario enim ſe habet in ſublimibus illis bonis ac ſpiritualibus, ut non ſolum vias rectiſſimas & amœniſſimas exhibeant ad creatorem, aſcendentibus animabus, ſed etiam incitamenta fortiſſima, & efficaciſſima adjumenta. Quemadmodum odor licet ſuaviſſimus odorantem famelicum in ſeipſo non retinet aut defigit, ſed magis ad eſcam provocat & accendit, & greſſus ſuos accelerare compellit, juxta ſermonem ſapientis loquentis ad creatorem & dicentis, *In odorem unguentorum tuorum curri-mus*; prædorata enim creatoris ſuavitas quouſque fame ipſius in prædoratibus incitat & incendit illos qui greſſu contenti eſſe non volunt, ſed curſu rapidiſſimo in eum feſtinant qui verius eſt volatus, quemadmodum eſt manifeſtum unicuique in ſe ipſo quia anima ejus dum corporalibus bonis amore illo fornicario, & inordinato interiora ſua nec attendit, nec cogitat, nec curat: intelligo interiora iſta bona, & interiora mala ipſius; neque enim tenebras ignorantiarum ſuarum, nec fœditatem nec deformitatem vitiorum ſuorum & peccatorum cognoſcere vel videre prævalet, ſic bonis ſublimibus & ſpiritualibus tam delectabiliter intenta, & attenta exteriora bona ſcilicet, vel mala corporis ſui nec cogitat, nec intendit.

Cant. 1.

Animas primorum hominum in ſtatu puritatis & libertatis ad inferiora non attendiſſe.

Ex quo manifeſtum eſt animas primorum hominum ſive ipſos in ſtatu antedicto ſanitatis, puritatis, & libertatis naturalis, & intendo antequam in abyſſum corruptionis ſæpe dictæ, & pelagus miſeriarum quas audiviſti decidiſſent, ſublimibus bonis, & ſpiritualibus intentos, & abſtentos à corporalibus ſuis fuiſſe tanquam illa in eodem ſtatu, & tempore minimè cognoverint. Et propter hoc verus ſermo legis Hebræorum, quia non cognoverunt quod nudi eſſent Adam & Eva, poſt perpetrationem autem peccati quo mandatum creatoris tranſgreſſi ſunt, *cognoverunt ſe eſſe nudos*, propter quod erubeſcentes operuerunt verecunda ſua, & fecerunt perizomata, quod eſt dicere ſuccinctoria vel brachas. Nec mirum ſi anima humana propriis bonis, ac veris intenta, & attenta nuditatem corporis ſui non cogitabat cum videret; cum manifeſtum ſit eam cum intenta, & attenta eſt corporalibus ſeu bonis, ſeu malis, nuditatem propriam veſte videlicet quæ ex omni varietate ſcientiarum naturalium contenta eſt circumdediſſe, tanquam proprium & naturale indumentum. Si igitur corporalibus rebus ſi qua intenta & attenta eſt, ut prædixi, nuditatem propriam anima humana non cognoſcit, quanto fortius ſpiritualibus bonis intenta totaliter, & attenta nuditatem propriam cognoſcere non poterit?

Gen. 3.

Hoc probat ex forti attentione ad rem aliquã quæ nos plerumque ab aliis cogitationibus abſtrahit.

Amplius quis non frequenter vel in ſe, vel in aliis experiatur intentionem atque attentionem ad rem aliam ſic interdum cor humanum ſic in ſeipſum detinere ut circa ſe exiſtentem nec audiat, nec videat, nec oculis apertis coram poſitam ſcripturam legere valeat? Quid igitur mirum ſi præclara illa bona aſpectui ſpirituali jucundiſſima ab inferioribus ac viliſſimis bonis avertunt animam humanam, & in ſeipſis occupatam illam detinent, juxta modum quem prædixi? & intendo non amore inordinato, vel fornicario qui eſt & indubitanter injuria ſimul & contumelia creatoris, quam injuriam neque virtutes, neque ſcientiæ ſpirituales & virtutibus ſervientes ſubſtantiæ, neque illæ beatiſſimæ ullo modorum ſuſtinere poſſent.

Amorem quoque ſenſibilium efficere ut anima nihil niſi amatã cogitet.

Amplius in amore temporalium ſive ſenſibilium bonorum inordinato, jugi experientia certum eſt animas humanas ita captivas detineri hujuſmodi amoribus, ut nihil niſi amata ſua cogitare valeant, niſi difficultate multa. Fortiores autem ſunt amores ordinati naturales, quam amores hujuſmodi,

juxta ſermonem Ariſtotelis quem prædixi, videlicet quod natura tale magis tale. Manifeſtum eſt enim amoribus hujuſmodi, multo fortius, multoque tenacius occupari ac detineri animas humanas in ſæpe dicto ſtatu naturalis ſanitatis, puritatis, & libertatis conſtitutas, inferioribus illis, ac nobilibus bonis, adeo ut nec cogitent de inferioribus, temporalibus ſcilicet, & ſenſibilibus, niſi forſitan permiſſione creatoris, vel cauſa admirationis, & magnificationis creatoris voluerint intueri mundum ſenſibilem, & mirabilia opera creatoris quæ in eo ſunt. Sicut enim lex Hebræorum teſtatur quod primi homines ignoraverint nuditatem ſuam aliqua hora, quam ſenſu poſtmodũ cognoverũt; ſic forſitan & animæ ſic ſe habentes, ut prædixi, in illa hora quę ſuperioribus ac nobilioribus bonis attentæ ſunt, & intentæ non cognoſcunt bona ſenſibilia.

PARS DECIMASEPTIMA.

Quod anima in ſuo ſtatu nobili poteſt cognoſcere particulariter ſenſibilia & corporalia.

Si anima ſeparata nõ cognoſceret ſingularia, nec Deum cognoſceret.

NEc intendo in ſermone iſto quod virtus intellectiva impotens ſit ad cognoſcenda ſenſibilia particularia, & quaſi cœca ſit ad videnda viſibilia, quemadmodum ſenſit Ariſtoteles, & ſequaces ipſius. In quo faciam te ſcire eos erraſſe, ſed propter attentionem ipſius & occupationem qua tenetur in illa hora contemplationis in rebus ſuperioribus intelligibilibus; veriſſimè enim eſt ſi nondum declaratum ſit ad certum & liquidum virtutem intellectivam, ſicut poſitum eſt, & puram atque liberam non ignorare particularia ſi in ea cognoſcenda intenderit: alioquin cum creator benedictus ſingularis, & individuus ſit in ultimitate ſingularitatis & individualitatis, prohibita eſſet virtus intellectiva humana, impoſſibilitate naturali ab intellectu ipſius, & cognitione intellectuali. Quapropter prohibitæ eſſent ſimiliter omnes ſubſtantiæ nobiles abſtractæ à cognitione ſingulari creatoris: ſimiliter & animæ cœlorum non intelligerent intelligentias ſeparatas niſi intellectione communi. Hic autem ſermo manifeſtè contrarius eſt opinioni Ariſtotelis & ſequacium ejus de intelligentiis; qualiter enim poſſibile eſt ut unaquæque animarum cæleſtium intendat in amatum ſuum aſpiciendo in pulchritudinem perfectionis iſtius & deſideret ei aſſimilari in ea, niſi virtute intellectiva uniuſcujuſque eorum poſſibile ſit intelligere ſingulariter intelligentiam quæ eſt amatum ipſius, & cui aſſimilari ſingulariter deſiderat?

Deinde ſi Angeli ſancti non cognoſcerent ſingularia mitti non poſſent ad certa loca & certas perſonas.

Amplius qualiter mittuntur Angeli ſancti à creatore ad certas perſonas & loca, ſi eas, vel ea virtute intellectiva non cognoſcant: manifeſtum enim eſt per ſenſus nihil eos cognoſcere, cum ſenſus non habeant. Quod ſi dixerit à parte gloriæ, & non ex parte naturæ eſt eis hujuſmodi cognitio ſingularium perſonarum, atque locorum: cum igitur maligni ſpiritus nihil habeant à parte gloriæ, & etiam quæ habent ea habent à parte naturæ in multo imminuta atque læſa ſunt, neceſſe eſt eos eſſe cæcos, quantum ad particularia & ſenſibilia; apparet autem manifeſtè ex reſponſis quæ dant hominibus, & omnibus aliis ludificationibus eorum, & ſpecialiter ex familiaritatibus eorum quas interdum habent cum ſingularibus perſonis hominum, ſingulares eorum habere cogitationes. Ubi enim non eſt ſingularium cognitio familiaritatem eſſe impoſſibile eſt. Quod ſi quis dixerit quod ſenſus aſſumunt, & corpora Angeli ſancti quoties in miniſterium hominum mittuntur, jam feci te ſcire quæ ſit veritas ſermonis illius quo Angeli ſancti corpora induunt, & non eſt ut de hoc tibi quæ ſcripta ſunt in tractatu ſingulari de ſubſtantiis abſtractis nobilibus tibi repetantur hic.

Quod non poſſit oriri impoſſibilitas ulla cognoſcendi ſingularia ſenſibilia ex parte virtutis intellectivæ, quia nec ſic Deus illa cognoſceret.

Addam tamen de hoc declarationem unam quæ merito tibi ſufficere debeat. Dico igitur quod impoſſibilitas iſta ſive prohibitio naturalis quâ non eſt poſſibilis virtuti intellectivæ cognitio particulariũ, aut hoc eſt ei per ſe naturaliter, & intẽdo per hoc quod eſt virtus intellectiva, aut aliũde. Quod ſi per hoc quod eſt virtus intellectiva, propter hoc quod eſt virtus non eſt ei impoſſibilitas aliqua vel indecentia; quapropter ſic eſſe neceſſe eſt per hoc quod eſt intellectiva. Tunc igitur neceſſe erit ut magis intellectivæ virtuti ſit & magis, & major iſta impoſſibilitas, hæc autem impoſſibilitas cæcitas eſt. Quapropter cæcitas iſta eſt, & magis & major in nobilibus & abſtractis ſubſtantiis naturaliter quanto ſublimiores erunt, & propter hoc maximè in creatore, cum ipſe ſit in ultimitate ſublimitatum & puritatum intelligendi.

Præſertim cum intellectus Dei ſit in ultimitate abſtractionis.

Amplius ſi intelligere, ut ipſi ponunt, per hoc eſt abſtractum in ſe, & ſubſtantia omnis intelligens abſtracta eſt, & ſeorſim à ſenſibilibus impotens eſt ad cognitiones particularium, & ſenſibilium. Intellectus igitur creatoris quem conſtat eſſe in ultimitate abſtractionis, erit in ultimitate impoſſibilitatis & cæcitatis iſtius.

Item quia nulla ſubſtantia intelligens ſe ipſam cognoſceret.

Amplius ſecundum hoc nulla ſubſtantia intelligens intelligeret ſeipſam, cum omnis ſubſtantia intelligẽs ſingularis ſit & individua; nemo enim adhuc poſuit aliquam ex ſecundis ſubſtantiis, intelligere, vel intelligentem eſſe. Quis enim dicat hanc ſpeciem, homo, intelligere, diſputari, vel loqui? & eodem modo ſe habet de hoc genere, animal. Quapropter neceſſe eſt omnem ſubſtantiam intelligentem primam ſubſtantiam eſſe, & propter hoc ſingularem & individuam.

Deinde quia nulla eſſet beatitudo animarum noſtrarum quia univerſalium cognitio beatos nos facere non poteſt.

Amplius quæ erit beatitudo & gloria animarum noſtrarum, aut beatitudo earum quæ erit ſecundum unamquamque virium nobilium earumdem? Nobiliſſimum enim intelligibile videtur eſſe ſummum deſiderabile, ſummumque perfectibile virtutis intellectivæ; nobiliſſimum autem intelligibile non poteſt eſſe univerſale, neque commune ullo modorum. Quod ſi eſſet commune, nihil gloriæ aut fœlicitatis haberet cognitio, ſive intellectio ipſius; univerſalia enim & communia etiam miſerrimis & inſipientibus cognoſcibilia ſunt, quibus manifeſtum eſt nihil eſſe gloriæ aut fœlicitatis.

Senſu & experientia conſtat univerſalia nõ eſſe ſummè delectabilia.

Amplius manifeſtum eſt fœlicitatem animarum humanarum, vel gaudium præcipuum ac nobiliſſimum eſſe ſecundum ſe, aut ſecundum partem ejus. Hujuſmodi autem gaudium neceſſe eſt eſſe ex maximo & præcipuo, nobiliſſimoque delectabili. Manifeſtum eſt autem à ſenſu, & experientia conſiderationem per ſingula facienti nihil commune ſeu univerſale quouſque delectabile eſſe. Quapropter manifeſtum eſt nobiliſſimum ac præcipuum, maximumque delectabile non eſſe univerſale ſeu commune.

Cognitio uniuſcujuſq; quantum ad communia nõ eſt propria & vera cognitio.

Amplius ſecundum hoc naturali impoſſibilitate prohibita eſſet anima humana à vera & propria cognitione creatoris: quemadmodum ſi quis omnimodo careret ſenſibus, licet cognoſceret hominem ſecundum quod homo, quod eſt dicere cognitione univerſali, prohibitus tamen eſſet à vera & propria cognitione Socratis, ſi naturali impoſſibilitate prohibitus eſſet à cognitione uniuſcujuſque particularis ſive ſingularis. Quodcumque igitur de univerſalibus ſive communibus cognoſcat aut intelligat anima humana, non propter hoc tamen verè ac propriè poſſibile eſt ei cognoſcere creatorem.

Si non cognoſceretur ſing. latuet

Amplius quid erit de voluntate, ſive amore, ſive virtute amativa ac deſiderativa? ſi enim

creator nec ſingula amàtur.

non eſt ſingulariter cognoſcibilis creator, non erit igitur ſingulariter amabilis, ſeu deſiderabilis, ſeu delectabilis; non enim eſt poſſibile ut aliquid amet anima humana, aut ſingulariter delectetur in eo, vel deſideretur ab eà, niſi ſingulariter apprehendatur ab ea, aut cognoſcatur: quia igitur non eſt poſſibile ſecundum errorem iſtum ſingulariter apprehendi, vel cognoſci creatorem. Non eſt igitur poſſibile ut in eo ſingulariter delectetur, aut ut ab èa ſingulariter deſideretur, vel ametur; vides igitur evidenter quod error iſte fœlicitatem futuram æternam omnino evacuat, & ſpem atque promiſſiones omnes legis omnino removet.

Quod prophetæ Deũ ſingulari cognitione viderint.

Iſa. c. 6.

Amplius quales ſint ſermones prophetarum de viſione creatoris, falſi utique & mendaces qui ſæpe dicunt ſe vidiſſe Dominum. *Vidi*, inquit, *unus*, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*, *& elevatum*: & alias *regem Dominum exercituum vidi*.

Dei viſioné electis Dei promittunt prophetæ.

Iſ. c. 33.

cap. 52.

Amplius quid erit de promiſſionibus prophetarum quas Dei dilectis & electis fecerunt in ſermonibus ſuis, unus enim illorum dicit. *Regem in decore ſuo videbunt*: iterum idem, *ſimul laudabunt quoniam oculo ad oculum videbunt*. Lex autem & doctrina chriſtianorum hanc habet nobiliſſimam & præcipuam promiſſionem, videlicet de viſione creatoris, ipſe namque legis eorum lator in primis ſermonibus legis chriſtianæ inquit *beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*, & iterum *hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum & quem miſiſti Chriſtum tuum*. Sunt & aliæ de hoc ipſo promiſſiones quarum narrationem ſuperſedeo ne onerem te prolixitate ſuperflua, ſicut eſt illud *quem oſtendet beatus & ſolus*, *potens rex regum & Dominus dominantium*: & iterum, *cum apparuerit ſimiles ei erimus*, *quia videbimus eum ſicuti eſt*, & alibi, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, *tunc autem facie ad faciem*.

Matth. 5.

Ioan. 17. 3.

1. ad Tim. 6. 15.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

In ea Dei viſione gloriam ſanctorum cõſiſtere.

Matth. 18

Amplius quæ eſt gloria ſanctorum & beatiſſimorum ſpirituum, niſi jugis, ac luɔidiſſimus, jocundiſſimuſque aſpectus pulchritudinis creatoris, ſicut expoſitè dicit ipſe legis chriſtianorum lator inquiens & loquens de parvulis: *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt*: & cum tibi per hoc ſatisfactum eſt de deſtructione erroris iſtius, & manifeſta ignorantia erroneorum iſtorum circa naturam intellectus vel intellectivæ virtutis.

Quomodo anima ſeparata ſimul cum meditatione ſpiritualium in ſtatu libertatis ſuæ cognitioné etiam ſenſibilium admittat.

Revertar igitur ad id in quo eram, & dicam quia anima humana in ſtatu ſæpe nominato, videlicet ſanitatis, puritatis, ac libertatis naturalis exiſtens, occupata delitiis ſpiritualibus in rebus ſublimibus, atque nobilibus, ſenſibilia nec attendit, nec curat, neque etiam cogitat, ſed quaſi clauſos habet oculos ſuperiorum ac nobilium virium ad illa, nec aperit eos ad illa, niſi cauſa aliqua ad hoc eam excitet, & inducat. Et cauſa ejuſmodi multiplex eſſe poteſt, una ſcilicet ipſa apprehenſio intellectualis eorum; in ſublimi namque contemplationis & delectationis ſpiritualis exiſtens non eſt dubitandum quin etiam de ordine univerſi & de partibus illius, quarum altera eſt mundus ſenſibilis, multa cogitet & cognoſcat: & licet cognitione lucidiori quam ſit ea cognitio quæ per ſenſus eſt, nihil tamen prohibet eidem poſſe placere, ut aliter res ſenſibiles cognoſcat, & de eis experiatur, & hoc unuſquiſque apud ſeipſum per ſe cognoſcit. Plerumque quod auditu cognoſcimus videre cupimus, multa etiam quæ per demonſtrationes ſcimus, etiam per ſenſum cognoſcere volumus & experiri. Quamvis enim certiſſima ſit atque firmiſſima cognitio demonſtrativa, tamen ſæpiſſime ea quæ per demonſtrationes cognoſcimus ſenſibus probare & experiri volumus.

Obiicitur ſufficere debere cognitionem intellectivam animæ humanæ abſque cognitione ſenſuum.

Pars 20. in Cod. Carnot.

Quod ſi quis dixerit quia poſtquam vis intellectiva tantæ luminoſitatis eſſet in animabus humanis, ut & univerſalia, & particularia, ſive ſenſibilia cognoſci per eam poſſunt, ad quid igitur ſuperadditæ ſunt & vires ſenſibiles, & aliæ vires cognoſcitivæ. Amplius ſi ſubſtantiis abſtractis nobilibus ſufficit vis intellectiva, ſufficiunt etiam eis cognitiones quæ per eam ſunt. Nec dubitandum eſt quin longe majoris perfectionis eas voluit eſſe creator quam animas humanas. Quanto fortius animæ humanæ eſſe contentæ debuerunt virtute intellectiva ad cognoſcendum & cogitandum quæ per illam habent eſſe.

Reſpondet datum eſſe corpus animæ ad vivificationé & alias operationes, quare ipſũ corpus capax vitæ eſſe debuit & aliarum operationum.

Reſpondeo in hoc quia hæc eſt bonitas & largitas creatoris, ut omnes creaturæ ipſius bonitates omnes quas ab eo recipiunt extendant, atque diffundant, quatenus eis poſſibile eſt; & in hoc adjuvantur etiam inſtrumentis ad hujuſmodi extenſionem atque diffuſionem congruentibus. Propter quod quia vires multæ animabus humanis datæ ſunt ab eodem ad vivificandum, & alias multas operationes quæ omnino otioſæ eſſent niſi corpus & membra data eſſent eidem: in corpus enim totum extendit vitam animalem, & per ſingula membra operationes quas ſine membris exercere nullo modorum poſſet. Virtus igitur vivificativa aliæque virtutes per membra tanquam per propria organa, ſive inſtrumenta operantes otioſæ eſſent, & propter hoc prorſus inutiles, ſi ejus corpus vitæ capax, & membra exercendis operationibus congrua data non fuiſſent. Quapropter vires illæ, nec provide nec etiã bene creatæ fuiſſent à creatore. Quia igitur ſubſtantiis abſtractis nobilibus vires ejuſmodi datæ ſunt quæ corpore vel corporalibus inſtrumentis non indigent merito ſeorſim à corporalibus ſicut creatæ ſunt, ſic & perſiſtant.

Id cõfirmat exemplis animalium quæ aliquo ſenſu carẽt ut talpæ viſu, ſurdi, ſerpentum genus, auribus; piſces quidã pennulis, ſerpẽtes pedibus.

Propter hanc cauſam talpæ non ſunt oculi dati, quia anima ejus non habet virtutem viſivam. eodem modo ſe habet cuidam ſerpenti qui vulgari gallicano vocatur ſurdus non ſunt datæ aures, cum nec virtus auditiva. Similiter & aliquibus generibus piſcium marmorum nec dati ſunt pedes ad ambulandum, nec pennæ vel pinnulæ ad volandum nec alæ, cum nec virtus aliqua ad movendum ſe data eſt eis; ſerpentibus vero multis propter eandem cauſam non ſunt dati pedes ad ambulandum; ſerpere enim ſolummodo poſſibile eſt eis ſecundum naturam ſuam, & propter hoc, quaſi ſquamis ventris ſui innituntur, & ſe trahunt: quemadmodum & quidam vermes ore ſe trahunt, & nihilominus ventribus ſuis ad ſerpendum ſe adjuvant, &c.

PARS DECIMAOCTAVA.

Quod cognitio ſenſibilium eſt principaliter ad cognitionem & amorem creatoris.

Quãtum parum cõſiderant ad pietatem res mathematicæ, cum tamen adeo plerique delectent.

Pars 21. in Cod. Carnot.

NEc mirum tibi videatur de animabus humanis in eo ſtatu fœlicitatis naturalis exiſtentibus, videlicet quod parum vel nihil curant de inferioribus & ſenſibilibus bonis, cum manifeſtum tibi ſit multos ex philoſophis rerum mathematicarum inveſtigatione & contemplatione adeo illectos, & occupatos eſſe, ut nec divitias, nec delicias, neq; honores, aut alia quæ indocti homines magna dona reputãt, nullatenus curent. Quid autẽ boni, vel bonitatis habeant res hujuſmodi notum eſt tibi, neque enim apud eas quicquam bonitatis inveniri, vel etiã fingi poteſt, niſi veritas probationibus armata, veritas inquã nuda, arida, & frigida, & ut verius dicã, mortua, & nocturni temporis, ideſt frigidi luminis; nihil enim benedictæ illuminationis, nihil fructus ſalutaris, nihil compoſitionis, nihil ordinationis,

nihil

nihil directionis ad creatorem, nihil creationis ad ipſum præſtant animabus, ſed ut dixi, frigidas ac vitali calore atque vivifico qui eſt amor creatoris, & aridas ab omni humore pietatis eis detinent. Propter quod dicit unus ex majoribus gentis chriſtianorum Theologis quod arithmetica, & geometria etſi veritatem cōtinent, non ſunt ſcientiæ tamē pietatis. Cauſa autem in hoc eſt quoniam ſicut ſunt de rebus abſtractis, ſic abſtrahunt profeſſores ſuos ab omni ſancto & pio, atque ſalutari non ſolum opere, ſed etiam cogitatu. Quam enim longe ſunt res hujuſmodi à rebus moralibus, à rebus ſacris, & divinalibus, à rebus piis & ſalutaribus, tam longe faciunt ab eiſdem homines quos in ſe inſeparabiliter detinent captivatos: quapropter non immerito aridos & frigidos, & penè quantum ad antedictum calorem vivificum extinctos.

Colligit animam in ſtatu fœlicitatis à cōtemplatione ſpiritualiū difficulter abſtrahi poſſe.

Amplius in nobiſmetipſis unuſquiſque noſtrum ſentit, quod nec tu ignorare potes, videlicet quanto dolore vel moleſtia abſtrahimur à meditationibus & contemplationibus rerum quarum meditationes & contemplationes nobis placent. Quam moleſtum ſit enim unicuique philoſophantium avocari & abrumpi per hominum ſollicitationes, negotiorū terrenorum occupationes à libris phyſicis, vel ſecretis rerum philoſophicarum cogitationibus nullus philoſophicarum ſcientiarum amator ignorat. Quid igitur mirum ſi animæ humanæ in prædicto fœlicitatis naturalis exiſtentes delectantur ad contemplationes rerum tam bonarum tamque delectabilium, ut ſunt bona illa ſpiritualia atque ſublimia, & ad rerum inferiorum, ſenſibilium ſcilicet vel temporalium apprehenſiones non ſolum deſcendere non curant, ſed moleſtum habent propter ſeparationem à rebus ſublimibus, quarum cogitatus, & contemplatio ultra quam ſcire nobis poſſibile ſit delectabilis eſt; & intendo quod moleſtus eſt eis deſcenſus hujuſmodi, niſi ex permiſſione creatoris, ut prædixi, vel propter ampliorem magnificationem ipſius, vel propter immutationem aliquam vel utilitatem hujuſmodi hominum.

Quod ex ſenſibilibus via pateat animæ ad magnificādum creatorem.

Adaugetur autem eis non modicum vis magnificandi creatorem ex ſenſibili cognitione ſenſibilium & particularium. cum enim conſiderant quod tam multipliciter vult eis innoteſcere creator videlicet teſtimoniis virtutis intellectivæ quæ accipiuntur à rebus intelligibilibus, cognoſcunt indubitanter quam magnificari velit ipſe creator, qui tam multiplicia teſtimonia potentiæ & bonitatis ſuæ dat animabus noſtris. Cum enim inſpexeris decorem & magnificentiam univerſi in omnibus ſcilicet partibus ſuis ſpiritualibus & corporalibus, invenies indubitanter omnia & ſingula clamare, imo cantare quod eſt concorditer ſuper muſicalem omnem ſuavitatem reſonare laudes, & gloriam creatoris, ipſumque univerſum eſſe velut canticum pulcherrimum, quod ipſe in cythara ſua, quæ eſt unigenitus Dei filius ineffabilis ſuavitatis cōcentus modulatur; & propter hoc videbis evidenter ſingula ſæcula, ſive ſingulas generationes, ſingulas odas, ſive melodias carminis iſtius, ſingulas creaturas, velut ſingulas voces, ſive ſingulas ſyllabas in cantationibus iſtis. Apparebit etiā tibi *altiſſima quæ ipſe fecit magnalia* quod eſt dicere ſublimiſſimas ac nobiliſſimas creaturas præcinere tanquam voces excelſiſſimas & acutiſſimas, ſenſibiles vero & inanimatos ſuccinere tanquam graviſſimas demiſſiſſimaſque voces: cæteras vero creaturas pro varietate alias quidem gravius, alias excelſius quidem & acutius reſonantes, & extremis mira concordia conſonantes concentum miræ jucunditatis efficere, concentum quidem non auribus corporalibus audibilem, ſed auribus ſpiritualibus ineffabili ſuavitate delectabilem. Et quoniam ſicut res ad res ſe habere noſcuntur, ſic vires ſeu virtutes apprehenſivæ, ſeu motivæ illis adjunctæ & appropriatę ſe habent ad invicem, neceſſe quemadmodum res rebus ſuccinunt videlicet ſenſibiles intelligibilibus; ſic & ſenſibiles cognitiones, & ipſi ſenſus ad intelligibiles, & intellectum, ſeu intellectivam virtutem ſuccinere neceſſe eſt.

Animas neceſſe fuit converti ad corpora ut eorum nutrimento provideretur.

De tertia vero cauſa propter quam ad ſenſibilia ſenſibiliter cognoſcenda animas humanas in ſtatu illo conſtitutas neceſſe eſt converti: Dico quia propter conſulendam ipſis corporibus in quibus ſunt, vel aliis hominibus exigentia neceſſitatum eorum. Jam enim certum eſt non ſolum ex lege Hebræorum corpora humana nutribilia, & nutrimentis indigentia creata fuiſſe, ſed etiam evidenti conſideratione naturæ ipſorum. Creata namque ſunt calorem vitalem habentia, quem nutriri neceſſe eſt ne deficiat, & extinguatur: creata etiam mobilia motibus voluntariis, & propter hoc obnoxia reſolutionibus & conſumptionibus quæ per motum & calorem in corporibus hujuſmodi inceſſanter fiunt. Manifeſtum eſt igitur ea inſtrumentis indigentia creata eſſe per quæ conſumptiones hujuſmodi reſtaurentur. Manifeſtum inſuper eſt quod uſus nutrimenti, abſque uſu tactus & guſtus fieri non potuit.

Aliæ cauſæ cur animæ humanæ converti debeant ad ſenſibilia.

Declaratum eſt igitur tibi per hoc quod neceſſe habuerunt animæ illæ animæ humanæ primo creatæ, & omnes etiam aliæ in ſtatu creationis exiſtentes: nec ſi quæ in ſtatu illo exiſterent ad cognitiones ſenſibiles deſcendere propter duas cauſas antedictas; & de tertia non debet eſſe tibi dubium quin eas ad hujuſmodi cognitiones traheret. Hæc ſunt autem neceſſitas aliorum hominum, vel neceſſitas, vel utilitas, vel voluntas quæ etiam in hoc ſtatu nec poſſet eſſe niſi bona; hujuſmodi verò neceſſitates, & utilitates, vel etiam voluntates innumeræ eis poſſunt eſſe. Exempli gratia, ſi fortè vellent colloqui de magnificando creatorem, vel de quibuſcumque aliis quæ ad beneplacitum creatoris pertinent, vel in aliis quibuſcumque ſe mutuo adjuvare, videlicet medicandis, vel aliter adjuvandis liberis quos eo tempore procrearent. Nunc autem hoc eſt tempore miſeriæ, & corruptionis præſentis neceſſe habent animæ humanæ mendicare à rebus ſenſibilibus per ſenſus cognitiones eorum ſenſibiles, propter obtenebrationes virtutis intellectivæ quæ ad exteriora particularia, & ſenſibilia penitus cæca eſt, & ad illa omnino non attingens niſi ſenſibus adjuta & aliquatenus illuminata. Senſus enim ſicut ait unus ex majoribus philoſophis Latinorum, nihil integritatis percipit, ſed uſque ad proximum venit, ratio vero quædam ſubeſſe perpendit & intelligit, id eſt, ſubſtantiam ſubeſſe varietati ſenſibilium accidentium. Quapropter manifeſtum eſt ſenſum foris ſtare vel ſiſtere in varietate hujuſmodi, non etiam ſubſtantiarum intima penetrare. Ex quo manifeſtum eſt virtutem intellectivam ſive rationem non videre vel cognoſcere ſubſtantias ſenſibilium, niſi tanquam ſub operimento & nube varietatis antedictæ: cæca igitur quantum ad illas eſt, & propter hoc in iſta miſeria ad cognoſcendas eas quoquomodo ſubſtantias hujuſmodi. Quapropter à propria luce naturali, & intima deſtituta, mendicat lumina ſenſuum & rerum particularium ſenſibilium: propter eamdem adjuvari neceſſe habet, quemadmodum & nos deſtituti à luce ſolari, & lumine diei, lucernas nobis accendimus, &c.

PARS DECIMANONA.

Quod anima dejecta eſt à ſua naturali luminoſitate.

Exponit illud pſalmi 48 homo in honore eſſet, & eſt.

EX his igitur apparet tibi quam dejecta & depreſſa ſit ab altitudine luminoſitatis, & nobilitatis ſuæ naturalis, virtus intellectiva, ſive anima humana quantum ad illam: & ad hunc modum ſe habet de aliis virtutibus ejuſdem ſuperioribus atque nobilibus. Et ex hoc apparet jam tibi intellectus & expoſitio rectiſſima, cum dicitur *homo cum in honore eſſet non intellexit*; honorem in quo erat amiſit, quod eſt dicere quoniam ad modum non intelligentis ſe habuit, dum illum non tota diligentia cuſtodivit, quin potius facile & pro modico illum deſeruit. Quod vero ſequitur *comparatus eſt jumentis inſipientibus*, intendo adæquatus, dum ex quibus eis præcellebat quantum ad uſum, & utendi eis facultatem amiſit: ſublato enim ab utrolibet duorum quorumcumque exceſſu alterius ſuper alterũ, neceſſe eſt ea æqualia fieri. Similiter ex quo ſequitur, *ſimilis factus eſt illis*, hoc intelligendum eſt in inſipientia ſive deſipientia. Ex qua radice videlicet jumentina inſipientia, ſive deſipientia, quæ in præcedentibus ſæpe nominata eſt tibi brutalitas adventitia, ſequitur morum perverſitas, & totius vitæ ad vitam brutalem aſſimilatio. Omne enim brutale bruto ſimile eſt.

Pſal. 48.

Gratiæ neceſſitatem oſtendit.

Ex hoc ſimiliter ſtabilitur gratia quæ eſt gratuitum adjutorium creatoris, non ſolum ad vincendam & ſubigendam brutalitatem ejuſmodi, ſed etiam ad operandum ſublimius quam naturales vires animarum humanarum poſſent. Jam enim alibi didiciſti quoniam gratia ſupra naturam eſt tam nobilitate, quam potentia, ſimiliter & opera ipſius ſuper opera naturæ, nec poteſt ullo modorum natura in opera gratiæ. Et hoc etiam feci te ſcire cauſam propter quam brutalitas iſta, ſive animalitas vincit in hominibus, & animabus prædicto adjutorio, quod eſt gratia carentibus, vincit, inquam id quod naturaliter eſt in nobis præcellentius, & quo brutis antecedimus; illud enim eſt dejectum & proſtratum in nobis, & adeo debilitatum ut erigere ſe non poſſit; id vero quod eſt brutale ſive animale in nobis, non ſolum forte eſt, & erectum fortitudine naturali, ſed etiam invaluit non modicum corruptione originali, & propter hoc vincit ſpirituale minimum quod multo debilius eſt ipſo.

Secundum animales ſenſus clarè videt homo, ſecundum intellectum non item,

Amplius ſecundum illud quod eſt animale in nobis, clarè videt, & tota diligentia, totiſque viribus declinat mala corporalia, periculaque quibus in illa inciditur, videlicet morbos, vincula, captiones, carceres, vulnera, periculaque ignis & aquæ, deformitates etiam corporales, & debilitates, cauſaſque omnes quæ ejuſmodi mala inducunt. Sic ſpirituale noſtrum quo brutis animalibus præcellimus, in ea puritate, ſanitate, & libertate naturalibus quas prædixi multo clarius videret morbos ſpirituales, & vulnera, læſiones omnes, captiones ſpirituales, carceres & vincula quibus animæ humanæ ſpiritualiter morti dantur, vulnerantur, læduntur & miſerabiliſſimè captivantur: deformitates etiam ſuas, hoc eſt fœditates & turpitudines, & generaliter omnia mala ſpiritualia tanto ſtudioſiori diligentia, majoribuſque conatibus declinaret ac fugeret, & contra illa ſe armaret atque muniret, quanto ipſa deteriora pernitioſioraque malis corporalibus manifeſtum eſt illa eſſe. In hanc autem perverſitatem atque miſeriam evidens eſt animas humanas incidiſſe, ut mala iſta ſpiritualia non ſolum non fugiant, aut declinent, ſed etiam ament & totis viribus ac ſtudiis inſectentur, & quod eſt mirabilius non ſolum ſumptibus quibus poſſunt, ſed etiam immenſis doloribus, atque laboribus illa comparare contendunt. Quis enim mundum tanquam mare immergens animas humanas fugiat? quis ſpecies mulierum tanquam gladios ignitos formidet, & circa illas ſe armet aut muniat, niſi quem creatoris omnipotentis virtus à præfata miſeria liberaverit, & lumine ſapientiæ ſuæ, ut hoc videre poſſit, illuminaverit, ut ab his tanquam mortiferis avertat, eiſque repugnet. De his etiam in explicationibus legis & prophetarum, atque quotidianis exhortationibus plurima audiviſti, & quotidie etiam audire non ceſſas, ſi tamen audire & intendere libet.

Ad hoc igitur jam te perducit ratiocinatio ut videas hic dejectionem & præfocationẽ ejus, quod in nobis eſt præcipuum & excellens, quo etiam antecedimus brutis animalibus. Et ut cognoſcas evidenter quam prævalet ei animale noſtrum in luciditate cognitionis, & viribus; & quoniam victoria nobis neceſſaria eſt, qua ſcilicet ſpirituale noſtrum vincat, & ſuperet animale noſtrum ſibi jugiter adverſans, & contra ipſum prælians, ne in mortem & exterminationem vitæ rectæ, & creatori placitæ decidentes tandem in æternæ mortis damnationem irreparabiliter inducamur. Jam igitur feci te ſcire, & ſtabilivi tibi per hoc adjutorium quo neceſſe habet adjuvari à creatore ſpirituale noſtrum in iſtius vitæ miſeria, adjuvari, inquam ad hoc ut vincat & ſuperet prænominatum quod in nobis eſt animale: & hoc adjutorium Dei gratia nominatur in lege & doctrina chriſtianorum, quoniam eſt donum Dei gratuitum, quod eſt dicere ſola bonitate creatoris, quibus ejus dignatio fuerit datum. Hoc autem hic inſerui propter errorem quorumdam, quibus viſum eſt non eſſe neceſſariam nobis Dei gratiam ad bene, rectè placitéque creatori vivendum, neque ad promerendam vitæ æternæ fœlicitatem.

In dejectione facultatis noſtræ rationalis homines brutis æquantur.

PARS VIGESIMA.

Quare anima ex ejus conjunctione cum corpore læditur & inficitur.

ET nunc revertar ab iſta digreſſione quam volo ut reputes ſupervacaneam ad ſolvendam quæſtionem quam habuiſti in præcedentibus, quam ob cauſam benedictus in ultimitate bonitatis bonus atque in ultimitate ſapientiæ ſapiens, animam humanam corpori tam noxio conjungat; cum ejus corruptione certum ſit ei abyſſum prænominatarum miſeriarum totam contrahere, videlicet ut brutalibus animalibus comparetur, & ut prædixi adæquetur, atque brutalibus animabus omni inſipientia, omnique vitiorum monſtroſitate aſſimiletur. Quis enim vinum vel oleum vaſi infundat quouſque corrupto, ut vinum vel oleum corruptione ſua adeo inficiat, adeoque corrumpat, atque à natura ſua ita degenerare faciat, ut corpus humanum animam humanam inficit, ac corrumpit, & à nobilitate naturæ ſuæ in brutalem deſipientiam dejicit ac pervertit. Debes igitur reminiſci hic eorum quę audiviſti in tractatu ſecundo primi ſapientialis ac divinalis magiſterij, & in capitulo ejuſdem de providentia & cura creatoris circa rerum humanarum gubernationem, opinor autem quia & in tractatu de vitiis & peccatis, & in capitulo de originali peccato aliqua tibi dicta ſunt quibus adjuvaris ad ſolvendam hujuſmodi quæſtionem.

Objectionem proponit.

Scito tamen hic quod gens chriſtianorum habet multa quæ reſpondeat ad quæſtionem iſtam, primum id eſt quia hujuſmodi corruptioni apponit clementiſſimus

Reſpondet oſtendendo remedia contra prædicta.

ctam infectionem. *Cod Carnot. pars* 24.

clementiſſimus creator remedium, videlicet baptiſmalis ſanctificationis gratiam, quæ corruptionem originalem dejicit, & proſternit, & animam humanam ad nobiliorem ſtatum quam ſit ſtatus naturæ ipſius elevat, & attollit nobiliori luce eam illuſtrans quantum ad vires ſuperiores apprehenſivas, quam ſit luminoſitas illa naturæ de qua tamdiu locutus ſum. Similiter & vires motivas ejuſdem nobilioribus virtutibus ac ſublimioribus perficiens & decorans quam ſint virtutes naturales animæ humanæ, contra quas prævalere non poteſt originalis ipſius corruptionis animalitas, ſive brutalitas, ſed neque recedere poteſt ad dejectionem & proſtrationem quam dixi, niſi ſponte, & per novum conſenſum in peccatum mortale ſe ei ſubjiciat, & inferiorem ſe illa faciat anima humana. Cauſa autem in hoc eſt quoniam conſenſu hujuſmodi receditur à Deo altiſſimo, & extinguitur gratia ejuſdem per quam reformata & vivificata erat anima illa.

Quod non niſi culpa ſua amittat homo gratiam, & recidat in priſtinam corruptionem.

Quemadmodum enim ſi quis dorſum vertit ad lumen faciem ſuam mittit in tenebras, ſic eſt & de anima quæ ad pravitatem concupiſcentiarum ſe convertit, quod à Deo ſe avertit, & relicta luce ac pulchritudine ſanctitatis in tenebras & deformitatem pravitatis ſe injicit. Nec mirum tibi videtur ſi extincta gratia ſanctificationis vires reſumit radix illa originalis corruptionis, cum per illam ſolam vires amiſerit. Et propter hoc illa mortua reviviſcit, & ad priſtinas vires reſurgit, & intendo per priſtinas vires, hoc videlicet, ut vincat, proſternat, atque conculcet ſpirituale noſtrum ſicut ante obtentam prædictam gratiam faciebat. Non enim neceſſe eſt novas vires eidem ex morte gratiæ dari; cum per ſemetipſam prius ſuper ſpirituale noſtrum in omnem ipſius mortem & læſionem poſſet. Quod igitur dixi de novitate virium ſic intelligas videlicet ut non nova virium additio eidem ſic fiat. Sed viribus quæ ex parte gratiæ ſpirituali noſtro erant per mortem ipſius ſublatis; efficitur animale noſtrum ſuperius debilitato ſic ſpirituali. Quod ſi fortè quis dicat quod offenſa creatoris qua averſa eſt ab ipſa anima humana, & ingratitudo per quam in creatoris obſequio perſiſtere non voluit, quin potius tanquam ſi nobiliſſimum bonum gratiæ non recepiſſet à creatore ſe avertit, & in pravitatem, & per conſenſum in eam convertit, quouſque elongavit eam à creatore, ut difficilior ſit reparatio, reſurrectioque ipſius, quæ difficultas ſive elongatio, non immerito novæ vires fortaſſis ab aliquo dicuntur; iſta enim de novo proculdubio ſibi anima peccatrix irrogat & infligit.

Quod major eluceat gloria creatoris in rebellione partis inferioris.

Vides igitur evidenter ex his quod major eſt gloria creatoris in tanta rebellione, atque contradictione quæ eſt ex parte originalis corruptionis animam humanam victricem quodammodo ſui ipſius efficere per ſuper appoſitam virtutem gratiæ ſuæ; quam rebellionem iſtam omnino tollere incomparabiliter melior eſt anima ſic ſeparata, imo ſic erecta & illuſtrata, & ſic ſuper ſemetipſam per antedictam gratiam elevata, quam eſſet in puritate, ſanitate & libertate naturalibus reſtituta. Sed & ipſis animabus humanis longe magnificentius atque præclarius eſt aſſiduè, imo penè inceſſanter vincere animale hujuſmodi quam rebellans omnino nihil habere, præſertim cum ſingulæ victoriæ hujuſmodi ſingulas coronas, ſingulosq; triumphos, hoſque nobiliſſimos apud largiſſimum magnificentiſſimumque remuneratorem omnium bonorum Deum altiſſimum promereri dubitandæ non ſint.

Quod melius eſt animæ ex pugna quam fuiſſet ex pace naturali. *Pars* 25. *in Cod. Carnot.*

Quod ſi quis quærat qualiter longe melior eſt anima humana quam eſſet in pace contraria, ſeu naturali. Reſpondeo in hoc quia pugna, & pugnandi peritia & frequentia non facit deteriorem militem, quin potius ipſum ad bella magis ac magis erudit, & robur, & vires multiplicat, & adauget. Tu quoque noſti quantum gratia ſit præſtantior quam natura, & virtutes gratiæ quantum naturæ virtutibus antecellunt. Non immerito igitur ſapientiſſimus, optimuſque creator prælegit iſtam militiam & prætulit paci contrariæ naturali, cum & ipſi cederet ad majorem gloriam, & ipſis animabus ad meritorum, & præmiorum quæ in univerſali remuneratione expectant inæſtimabiliter majorem largitionem. Cumque manifeſtum ſit ipſas animas longe meliores eſſe, ſtatumque earum longe ſublimiorem in ſanctitate gratiæ antedictæ, quam in puritate, ſanitate, ac libertate naturæ. Alias etiam utilitates, & pene innumeras audiviſti in tractationibus aliis, & in ſermonibus exhortationum audies inceſſanter.

Quod circumciſio fuerit in remedium peccati originalis.

Genti quoque Hebræorum conſultum contra corruptionem originalem per ſacramentum circumciſionis, & per quaſdam alias ſanctificationes, ſicut ſapientes, & ſancti in lege, & doctrina chriſtianorum tradiderunt & ſcripſerunt. Qualiter autem hoc ſit, & quatenus talia genti illi contra corruptionem originalem præſervabant, atque prodeſſe poterant, non eſt præſentis negotij inveſtigare vel etiam declarare, &c.

Quod anima non cognoſcit ita ciate nunc ſicut in ſtatu ſuæ innocentiæ. *Pars* 26. *Cod. Carnot.*

Et quoniam anima humana in ſtatu puritatis, ſanitatis, & libertatis ſuæ naturalis conſtituta, omnia naturalia ſua planè novit, utiliſſimum eſſet interrogare ipſam in ſtatu illo Quod ſi anima mea eſſet in ſtatu ejuſmodi nullam tibi relinquerem dubitationem de ipſa, vel ejus eſſe, vel ejus eſſentialibus, aut naturalibus. De aliis autem docerem te plurima, & occultiſſima ad quæ egregiorum philoſophorum inveſtigatio pertingere non potuit ullo modo.

Animam & alias creaturas interrogandas eſſe ad inveſtigandā veritatem. *Iob.* 12. 7. *Auguſt.*

Faciam igitur in parte iſta quod animæ meæ poſſibile eſt in iſta miſeria tot & tantis tenebris involutæ, atque depreſſæ, totque diſtractionibus occupationum diſperſæ; faciam, inquam juxta conſilium ſapientis qui dicit, *interroga jumenta & docebunt te, piſces maris & annuntiabunt tibi.* Unde dixit unus ex præcipuis theologis gentis chriſtianorum interrogavi ſolem, & lunam, & mare, & aridam de Deo meo, & reſponderunt mihi, quia non ſumus ipſe, ſed ipſe fecit nos. Et adducit ſermoni ſuo expoſitionem intentionis ſuæ de hujuſmodi interrogationibus ſuis, dicens: & interrogatio mea ad creaturas iſtas, non eſt niſi conſideratio, & inveſtigatio earum per quam inveniuntur eſſe opera ſolius creatoris. Reſponſio vero earum non eſt niſi oſtenſio qua hoc ipſum oſtendunt per ſemetipſas, quoniam in eis eſt omni videre valente, & volenti. Nulla enim creatura eſt quæ quantum in ſe eſt non offerat ſe, imo ingerat omni intuenti, & quæ non oſtendat ſe & omnia ſua, & ut ſæpe dixi in præcedentibus, quæ non ſæpe loquatur ipſa veritate ſua potentiam, ſapientiam, bonitatem creatoris. Scito autem quia anima humana in ſtatu puritatis, ſanitatis, & libertatis exiſtens, duobus modis rectiſſime interrogatur, videlicet & per inveſtigationem antedictam qua ipſa tacens & verbis & vocalibus, & intelligibilibus ipſa ſua veritate ſemetipſam oſtendat aciem mentis in eam dirigentibus, nihilominus etiam verborum intelligibilium, & etiam vocalium quid de ipſa ſentiat, & indubitanter cognoſcat, interroganda eſt & audienda.

PARS VIGESIMAPRIMA.

In quo conſiſtat quies animæ rationalis.

Quod anima non quieſcit niſi in mundo ſpirituali in quo eſt gloria & pax. *Pars 27. Cod. Carnot.*

Dico igitur quia non pervenit adhuc inveſtigatio iſta mea in illa, ut jam inventa ſit ſubſtantia apud ſemetipſam incorporea, & in ſtatu iſto quo libera eſt à ſæpe dicta miſeria, liberrima ad aſcendendum in mundum ſuperiorem qui eſt mundus intelligibilium naturalium, ſimiliter ad deſcendendum in mundum inferiorem, qui eſt mundus ſenſibilium particularium, nec non ad applicandum ſe utrique iſtorum mundorum. Declaratum eſt etiam tibi per hoc quia cômoratio ejus ſive habitatio ſibi delectabilis ac jucunda eſt regio ſive mundus prædictorû intelligibilium, mundus vero ſenſibilium non eſt ei conveniens habitatio ad cômorandum & remanendum in eo, ſed eſt ei aliquod deambulatorium, ſive diverſorium, verùm modicum & anguſtum. Et parva enim & modica eſt, & minus anguſta animæ humanæ regio illa ſenſibilium & particularium: mundus vero ſuperior quem prædixi eſt longe latior ac ſpatioſior: ſed nec ſufficit ei eadem niſi pateat amplitudo & immenſitas regionis gloriæ quæ tanto latior eſt mundo ſuperiore intelligibilium naturalium, quanto gloria amplior eſt quam natura. Fortaſſis autem ſermo propheticus iſtas regiones aliquatenus inſinuat, ſermo, inquam, quo dictum eſt, *perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ*; in eo
Pſal. 100. 2.
enim quod dixit perambulabam, ſatis apertè deſignavit latitudinem, & amplitudinem domus in qua ſic perambulabat, quæ domus corpus humanum nullo modorum intelligi poteſt: quapropter neceſſe eſt ut domus iſta intelligatur habitatio ſpiritualis duorum mundorum altiorum, tamen diverſorio quod dixi eſſe mundum inferiorem ſenſibilem.

Quia ſcilicet mundus ſuperior naturalis non eſt ſatis ſpatioſus nec locus ejus.

Quod autem dixi tibi quia nec mundus iſte ſuperior naturæ ſatis ſpatioſus eſt animæ humanæ, inde manifeſtum eſt tibi, quoniam ipſa non eſt nata in eo ſiſtere, vel quieſcere finaliter, nec eſt ei quies perfecta niſi in mundo gloriæ, ſive in ipſo creatore, ſicut te feci ſcire in tractatu de ſubſtantiis abſtractis nobilibus: quia ubi earum non eſt niſi in creatore, vel apud creatorem; neque locus earum eſt niſi ipſe. In eo enim ſolo eſt ei quies pacatiſſima ab omnibus inquietudinibus & cômmorationibus earum. Hoc igitur eſt quod de ſe anima humana in prædicto ſtatu evidenter cognoſcit, & etiam ſentit in ſemetipsâ, videlicet ſe eſſe conſtitutam in amplitudine univerſi ſenſibilis, & intelligibilis naturalis, & hoc eſſe illi habitationem ſuam naturalem in qua naturaliter habitat & moratur. Non tamen ſine motu omni ad ſublimiorem habitationem ad quam aſcendendum vires ei naturales nequaquam ſufficiunt: non enim poſſunt vires naturales ultra naturæ fines & limites; cum ſtatus gloriæ incogitabilis ultra naturam ſit, & omnia illa quæ gloriæ ſunt. Licet igitur ſtatus ille naturalis fœlicitatis magnus ſit, ad fœlicitatem gloriæ nullo modorum proportionalis eſt.

Quod anima nô fuit ſufficienter quietata in primo ſtatu ſuæ innocentiæ. *Pars 28. in Cod. Carnot. Gen. 2.*

Quod ſi quis quærat utrum animæ humanæ in illa fœlicitate naturali conſtitutæ ſit aliud deſiderium fœlicitatis gloriæ, non irrationaliter quæret hæc; ſi enim nullum eſt ei deſiderium hujuſmodi, erit contenta igitur fœlicitate naturali. Jam autem ſcitum eſt ex lege Hebræorum quia animæ primorum hominum voluerunt eſſe *ſicut dij ſcientes bonum & malum*. quibus non erat ſolum hujuſmodi fœlicitas naturalis, ſed etiam magnus gloriæ ſplendor, atque jocunditas. Quia igitur iſtis duobus contenti non fuerunt, manifeſtum eſt quod multo minus altero; cum alterum ſolum haberent. Attende igitur quia ea hora, vel puncto temporis qua appetierunt eſſe *ſicut dij ſcientes bonum & malum* propter inordinatum & malû appetitû hujuſmodi & fœlicitate naturali, & ſuperadditione illa gloriæ privati ſunt, non enim potuerunt eſſe duo illa tanta bona cum tanto malo tam perverſi deſiderij, ex quo tanta offenſa creatoris ſubſecuta eſt, ut eam tantæ miſeriç inflictione juſtiſſimo creatoris judicio perdere meruerint. Quapropter manifeſtum eſt eos in ſtatu illo fœlicitatis naturalis exiſtentes non habuiſſe deſiderium; hujuſmodi puritas enim illa, & ſanitas nec admixtionem perverſi deſiderij, nec alterius pravitatis ullatenus admiſiſſet. Remanet igitur adhuc quæſtio eadem videlicet utrum naturali illa fœlicitate contenta anima humana in ea quieſceret, an ad bonum majus & altius aſpiraret. Quod ſi in ea quieſceret, jam igitur finale ſuum bonum reputaret, & haberet: & propter hoc contra Dei ordinationem in parte iſta faceret, qui eam ad incomparabiliter majus bonum creavit & ordinavit.

Omnes habitus & operationes naturales viæ ſunt ad gloriam.

Amplius jam dixi tibi, & etiam declaravi aliâs, quod omnes habitus, omneſque paſſiones & operationes naturales viæ ſunt ad gloriam quæ promittitur electis, & dilectis Dei altiſſimi, viæ, inquam ſunt ipſis animabus humanis. Quapropter non licet eis eaſdê finaliter inhærere ſive quieſcere; hoc enim eſſet finê facere quod via ſolummodo eſt, & propter hoc eſſet iſtud abuſio, ſive perverſitas. Manifeſtû autem eſt, quia neque abuſionê, neque perverſitatem ullâ fœlicitas illa naturalis vel patitur, vel admittit.

Quod non quieſcitur niſi in fine naturali.

Amplius quies illa nullo modorum poſſet eſſe naturalis; nihil enim naturaliter quieſcit in via, in quantum via eſt, quin potius omni creaturæ in ſolo fine quies eſt, & pax completa. Manifeſtum eſt etiam tibi quod nullum corpus naturale poteſt etiam ad modicum temporis detineri extra ſuum locum naturalem niſi per violentiam: proportionaliter autem ſe habent corpora naturalia ad loca ſua, & ſpirituales ſubſtantiæ ad fines ſuos. Quemadmodum enim illa loca ſua naturaliter intendunt & inquirunt, & in eis pacatiſſime quieſcunt ab omnibus motibus localibus, & hæc naturaliter: ſic illæ in finibus ſuis naturalibus nec citra illos poſſibile eſt eas quieſcere, vel etiam ad modicum detineri. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quod animæ humanæ non eſt quies plenæ pacis in ſtatu naturæ quantumlibet nobili, vel ſublimi. Et propter hoc ſi animæ aliquæ quieſcere videntur etiam in bonis inferioribus, dico falſam eſſe quietem, qualis eſt quies quorumdam ægrorum. Perverſitas namque originalis non tam ægritudo eſt quam etiâ inſania: & propter hoc quies in hujuſmodi bonis videlicet temporalibus & tranſitoriis, non tam quies eſt quam labor ægritudinis: quemadmodum gaudium phreneticorum non veri nominis gaudium eſt, ſed labor, & quaſi ſyneptoma ipſius phræneſis. Patefactum eſt igitur tibi per hoc quia animæ humanæ in illa fœlicitate naturaliter revera non quieſcerent quiete completa, nec tamen anguſtiarentur deſideriis quibus deſiderarent fœlicitatem illam, imo patienter expectarent beneplacitum creatoris, & ſola ſpe gloriæ ipſius bene eſſet eis. Dico etiam quod vita illarum in illo ſtatu viatio eſſet, & appropinquatio ad finem gloriæ illius, & propter hoc ſine moleſtia deſiderarent illam præſentem, cum ipſa naturæ puritas, & rectitudo ſic moderaretur deſideria illarum, ut nihil deſiderarent niſi quod vellet creator, & qualiter, & quando eis largiri

Homo poſſet naturaliter aliquid

Quod ſi quis quærat utrum per vim intellectivam naturaliter poſſent aliquid cognoſcere de gloria illa: dic quod ſic, non enim latere poſſet eas gloria

cognoſcere de gloria ſupernaturali.

gloria beatorum ſpirituum abſtractorum, neque ignorare poſſent prælarga bonitate creatoris ad ſimilem gloriam eſſe creatas, atque divino munere perventuras, ſi puritatem illam atque ſanitatem, atque rectitudinem illam naturalem in ſe ipſis ſervarent. Licet autem animabus humanis in iſta depreſſione, & tenebroſitate demerſis non ſit poſſibile noſcere gratiam & gloriam niſi dono gratiæ creatoris, animas tamen humanas in illius ſtatu fœlicitatis latere neutra illarum poſſet, ideſt, nec gratia, nec gloria, &c.

PARS VIGESIMASECUNDA.

De immortalitate animæ.

Proponit immortalitatē animæ humanæ. *Cod. Carnot. p. 29.*

ET quoniam immortalitas de diſpoſitionibus eſſentialibus, ſeu naturalibus eſt animæ humanæ; omnino pertinens eſt ad ſcientiam iſtam de anima humana inveſtigare de hac diſpoſitione ipſius. Jam autem audiviſti à me, quam utilis ſit ad divinales ſcientias, & ad morales, & etiam ad fundamentum religionis, totiuſque vitæ humanæ compoſitionis, & ordinationis, quod inde evidenter apparet, quia animæ quæ immortalitatem ſuam ignorant, nihil omnino credunt, nihil de morum honeſtate, nihil de virtutum perfectionibus, & nihil omnino de futuræ fœlicitatis gloria curandum ſibi exiſtimant, ſicut neque curant.

Inveſtigat immortalitatem animæ. 1. Teſtimonio animæ in ſua puritate exiſtentis. *Cod. Carnot. p. 30.*

Dico igitur quia anima humana, in puritate, ſanitate, & claritate naturali, quam ſæpe dixi fœlicitatem, exiſtens clariſſime videt immortalitatem ſuam; videt enim vitam ſuam in nullo modo pendere ex vita corporis, ſed potius è converſo. Et ſi interrogares eam ſuper hoc, aliud tibi reſpondere non poſſet. Et procul dubio dicet tibi ex me vivit corpus meum, non ego ex illo; & propter hoc vita mea nullo modorum pendet ex vita corporis mei, ſed potius illa ex mea, ſicut lux ſolis non pendet ex luce diei, ſed potius econtrario: ſicut enim dies non eſt niſi irradiatio ſolis in aëre, ſic vita corporis mei non eſt niſi irradiatio ex me in illud. Et propter hoc quemadmodum neque ſol, neque lux ejus pendet ex irradiatione ſua per quam dies efficitur, ſic ego non pendeo ex irradiatione mea per quam vita corporis mei efficitur, vel potius eſt ipſa vita ipſius: ſimiliter neque vita ex irradiatione hujuſmodi; generaliter enim manifeſtum eſt quia nulla cauſa efficiens ex cauſato ſuo pendet quantū ad ſe.

2. Quia anima nō magis depēdet ex corpore quam inhabitator ex domo ſua.

Amplius quis inhabitator pendet ex domo ſua? quis operarius ex inſtrumento ſuo? quis rector navis ex nave quam regit? quis rex ex regno ſuo quantum ad eſſe pendeat? ſi igitur anima humana in his operationibus ad corpus ſuum ſic ſe habeat, manifeſtum eſt ipſam ex corpore ſuo nullo modorum pendere quantum ad eſſe.

3. Quia corpus nullius generis cauſa eſt animæ.

Amplius cum corpus nullius generis cauſa ſit animæ humanæ; neque vita illius vita ipſius: manifeſtum eſt neque ipſam, neque vitam ejus ex illo pendere vel ex vita illius.

Solvit objectionē petitam ex animabus brutorum.

Quod ſi dixerit quis hæc eadem dici poſſunt de anima brutali, & corpore ipſius; eiſdem enim comparationibus ſe habent ad corpus ſuum. Reſpondeo in hoc illud non eſſe verum, cum manifeſtum ſit animam brutalem, ſive irrationalem totaliter, hoc eſt ſecundum omnes vires ſuas & operationes alligatam eſſe corpori ſuo; nullam enim earum exercere poteſt, niſi in corpore ſuo, vel ſecundum corpus. Conſidera etiam ſingulas ejuſdem operationes, & videbis evidenter, nullam earum effici niſi in corpore ſuo, vel per corpus, ſicut liquidiſſime apparet in operationibus ſenſuum, quales ſunt videre, audire, guſtare, odorari, & tangere. Et eodem modo ſe habet de virtutibus quæ ſunt apprehenſivæ ab intus; cum enim anima brutalis non apprehendat niſi particularia, & ſenſibilia ſolummodo, manifeſtum eſt nihil ipſam apprehendere, niſi per paſſiones ſenſibiles: & propter hoc niſi in corpore, & per corpus; hujuſmodi enim paſſiones ſicut à ſolis corporibus imprimuntur, ſic & in illis ſolum fieri habent.

Comparatur anima noſtra cum animabus brutorum.

Quapropter manifeſtum eſt animam brutalem omnem nihil habere abſtractum à corpore, & intendo eam, neque virtutem, neque operationem aliquam habere abſtractam à corpore; quapropter totaliter alligatam eſſe corpori, & quaſi demerſam in corpore neceſſe eſt. Anima vero noſtra ſublimiores atque præcipuas vires ſuas, & operationes habet ſeorſim à corpore, hoc eſt non alligatas corpori, neque ullo modorum obnoxias, ſed libere atque expeditè abſque adjutorio & miniſterio corporis, & per illas operatur vires, videlicet & hujuſmodi operationes peragit, & perficit, & de operationibus iſtis in promptu tibi ſunt exempla plurima, ſicut eſt cogitare, & meditari, contemplari, inveſtigare, deinde gaudere de ſpiritualibus, & ſublimibus bonis, dolere de contrariis malis, de his enim omnibus nihil pertinet ad corpus.

Animā humanam non dependere à corpore ex raptu eius, extaſi, viſionibus propheticis oſtendit.

Manifeſtius autem eſt hoc in operationibus quæ vocantur extaſis & raptus; in his enim manifeſtè ceſſat omnis operatio corporis, & intendo omne adminiculum corporis, interdum autem ſpiratio, & reſpiratio & etiam motus, quantum apparere poteſt ex ſenſibus incedentium, auſcultantium, tangentium, pulſantium. Evidentiſſimum inſuper eſt hoc in illuminationibus, & revelationibus propheticis, præſertim quæ ſine ænigmatibus & figuris fiunt; in illis enim nuda veritas rerum ſpiritualium atque ſublimium abſque ullis formis, vel figuris corporalibus oſtenditur. Quapropter hujuſmodi viſionibus formæ corporis neceſſariæ non ſunt, & omnino eis non ſerviunt. Quis autem niſi omnino imbecillis & deſipiens ignorat, & non cogitat de ſcientia ſua, vel de alia quacumque diſpoſitione ſua, quia ſicut non eſt de rebus corporalibus cogitatus hujuſmodi, ita nec in corpore eſt, nec per corpus; & etiam quia ſi anima humana illa hora quæ eſt in cogitatu hujuſmodi reflecteret cogitationem ad ſe, & ſuper ſeipſam, ſi faceret conſiderationem de ſeipſa, utrum in corpore, an extra corpus cogitaret, & utrum corpore uteretur in iſtis cogitationibus, inveniet indubitanter ſe nec adjuvari corpore, nec uti eo in hujuſmodi cogitationibus? dico etiam quod in illa hora non diceret ſe eſſe in corpore, nec etiam extra copus, quoniam nulla eſſet illi cogitatio in illa hora de corpore ſuo. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quod longe aliter ſe habet anima humana ad corpus ſuum, quam brutalis ſe habeat ad ſuum.

Anima humana imperioſius regit corpus ſuū quā anima brutalis.

Dico etiam inſuper quod incomparabiliter imperioſius atque ſublimius regit & adminiſtrat corpus ſuum anima rationalis quam animæ irrationales regant & adminiſtrent corpora ſua. Illæ namque corporibus totaliter ſerviunt, & tanquam natæ ſunt in ſervitutem ipſorum, totis viribus ſuis ad alimenta, & alia vitæ illorum neceſſaria perquirenda laborant, propter quod quidam ex majoribus philoſophis Latinorum tam pulchre quam eleganter dicit, cæteras, inquit, animas natura dejecit ad paſtum, ſolum autem hominem erexit ad ſydera: quo non minus evidenter & convenienter quidam ex poëtis ſic dixit.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre. — Ovid. 1. Meta.

Anima vero rationalis quantum eſt ex naturali puritate, ſanitate, ac libertate quas toties nominavi dominantiſſime præeſt corpori ſuo, & ipſum ſervit ei jure ac lege naturali & plenæ ſubjectionis abſque ulla rebellione, & reſiſtentia. In ſtatu quoque

miſeriæ præſentis animabus ſanctis, & Deo dilectis, & electis etiam ſervire coguntur corpora ſua in multis afflictionibus, & doloribus ſuis, quemadmodum in jejuniis, & laboribus, cæteriſque diſciplinalibus obſervantiis, hoc autem longe eſt à poteſtate animarum irrationabilium; nihil enim poſſunt contra famem corporum ſuorum, quin potius neceſſe habent eidem obedire & perquirere alimenta quibus ſedantur & pacificantur, inſtar canis, aut alterius belluæ pro fame nimia rugientis, in cujus os neceſſe eſt aliquid projici ne ſæviat in ea quæ pretioſiora ſunt; ſic & fames non ſolum in ſubſtantialem humiditatem ſævire faceret calorem corporum, ſed etiam in ea dentibus & faucibus irruere faceret animalia, & homines animales quorum eſu, vel uſu natura prohibuit tam illa quam illos.

Fames eſt animæ ipſius, ſed pro neceſſitate corporis.

Nec te conturbet quod fames corporum propriè non eſt niſi animarum, hæc enim intentio mea in ſermone illo, quod pro corporibus eſt; quoniam pro reſtauranda conſumptione ſeu deperditione jugi quam patiuntur ex calore naturali & motu. In tantum igitur & propter hoc eam dixi famem corporum quia naturæ intentio eſt, per eam ſubvenire corporibus prædictis modis jugiter deficientibus; ſubvenire, inquam, de reſtauratione, ſive per reſtaurationem prædictis modis deperditorum, & hoc quidem facit irrationabilis ſenſibiliter non habens rebellare nec contradicere ullo modo.

Anima rationalis nō ſervit corpori ſicut anima brutorum.

Anima vero rationalis hoc ipſum facit corpori ſuo, non ſolum libere, ſed etiam honorabiliter: nec eſt ullo modorum in poteſtate concupiſcentiarum, ſive deſideriorum carnis aut aliarum paſſionum hujuſmodi, imo præeſt & ſupereſt omnibus illis dominatione imperioſiſſima quantum eſt de jure naturæ, legeque & libertate illius. Verum langor & infirmitas originalis corruptionis, aut offenſa creatoris, ut prædixi, aut conſuetudo abeundi poſt concupiſcentias & paſſiones hujuſmodi impediunt ejus imperioſitatem, aut dominationem, & in contrariam ſervitutem redigunt illam. Ubi autem per gratiam baptiſmalem, vel aliud divinæ bonitatis adjutorium ad vitam ſpiritualem revixerit anima humana, etiam radix originalis corruptionis ſcilicet dejecta atque proſtrata, licet multas reſiſtentias, & rebelliones concitet contra ejus imperium & dominationem, ullo tamen modorum eidem prævalet, imo ſuccumbere, & vinci neceſſe habet. Neque iſta moleſtia hujuſmodi rebellionum fatigat allectione voluptatum abſtractam niſi ſponte ſe ſubjecerit illis. In animabus autem irrationabilibus, ſic libertas non eſt, nec ſpontaneitas, ſed ſervilis ut ſæpe dixi ſola neceſſitas, ſive ſola ſervitus, ut ita dicatur neceſſaria; & intendo neceſſaria cui non eſt libertas contradicendi, vel reſiſtendi, vel etiam poteſtas. Manifeſtum eſt etiam tibi per hoc quoniam longe aliter animæ rationales ſe habent ad corpora ſua, atque paſſiones corporales, atque deſideria, quæ deſideria carnis dicuntur, quemadmodum & ego dixi in præcedentibus famem corporis, aliter inquam longe quam animæ irrationales ad corpora ſua, & eorum deſideria, ſimiliter & paſſiones. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc quoniam anima rationalis eſt ſupra ejuſmodi paſſiones jure ac lege naturæ, animæ vero irrationales ſub eis ſunt, & ſubſunt eis naturaliter neceſſaria ſervitute.

Animæ irrationalis interitus ex duabus cauſis repetitur.

Quapropter non tibi debet mirum videri cum iſtæ paſſiones ex corporibus omnino pendeant, & cum corporibus omnino pereant, ſi animæ irrationales in quantum omni modo ex eis pendent, utpote ſubjectæ eiſdem ſubjectione pleniſſima, & ſervitute ultima, cum corporibus ſuis pereant. Adeſt autem & alia cauſa interitus animarum irrationalium per nutrimentum corporum ſuorum, videlicet otioſitas, & inutilitas eſſe earum poſt mortem corporum ſuorum, ſine corporibus ſuis; cum enim omnes operationes earum in corporibus ſuis ſint, ſive per corpora, nec aliter quidem operari poſſent, niſi in corporibus ſuis, ſive per corpora. Manifeſtum eſt eas inutiliter eſſe ſi poſt mortem corporum ſuorum permanerent; vivere enim omnino otioſe, videlicet ex qua nulla eſt operatio, manifeſtum eſt ejus eſſe inutile eſſe, cum omnis utilitas virtutis uniuſcujuſque in uſu operario ſit, atque conſiſtat. Quia igitur omnis utilitas animarum irrationalium ceſſat ceſſantibus corporibus earum, neceſſe eſt ex providentia & bonitate creatoris ceſſare eſſe ipſarum. Quapropter etſi nulla eſſet debilitas vel infirmitas quæ eas deficere cogeret, ex hac tamen cauſa divina bonitas eis eſſe nullo modorum daret; non enim eſt poſſibile apud ipſum dare eſſe inutile, vel inutiliter. Quapropter inutilitas, ſive otioſitas eſſendi cauſa eſſet quare retraheret à datione hujuſmodi divina bonitas manum ſuam.

Reſpondet comparationibus ſuperius allatis quibus animæ brutorum immortales ſuaderi poſſe.

De comparationibus quas ſupradixi, tibi dixi prius, quia non pendet eques ex equo ſuo quantum ad eſſe, neque habitator ex domo ſua, neque paterfamilias ex ſupellectile ſua, neque operarius ex inſtrumento ſuo, & ſi quæ ſunt aliæ ejuſmodi operationes; non eſt dubium quia valde ſunt ad propoſitum, hoc eſt ad declarandam animarum mortalitatem & ſolutionem earum quoniam pendet eſſe earum ab eſſe corporum ſuorum. Nec inſtrumenta tantum ſunt animarum irrationabilium, imo corpora in quibus ſunt, ſunt adjumenta vitæ earum & cauſæ quædam; cum enim utilitas & uſus operationum cauſa ſit finalis, & ſic non ultima animarum irrationabilium, cauſæ vero ſine quibus non eſt hujuſmodi uſus, vel utilitas, imo in eis & ſalvatur, & ſervatur tam uſus iſte quam utilitas, manifeſtum eſt quoniam in corpore, & per corpus ſalvatur & ſervatur eſſe omnis animæ rationalis, cum, ceſſante & utilitate, & uſu omni exiſtentiæ ipſius, neceſſe ſit ceſſare & exiſtentiam ejuſdem ut jam tibi dictum eſt. Per hoc igitur jam ſcis quod non ſimiliter ſe habent animæ rationales ad corpora ſua, & animæ irrationales ad ſua, quoniam corpora irrationalium non tantum inſtrumenta ſunt animarum ipſarum, ſed etiam cauſæ conſervativæ & ſalvativæ illarum.

Loca & habitacula ipſiſſime ſunt cauſæ nō quidem effectivæ, ſed conſervativæ corporum.

Amplius vero rationalibus congruunt veriſſime omnes operationes, quoniam corpora humana & membra ipſorum inſtrumenta tantum ſunt & ſupellex ſolummodo earum, non autem cauſæ per quas, vel in quibus aut ſalventur, aut ſerventur. Nonnulla namque habitacula & receptacula cauſæ ſunt in multis non efficientes, ſive effectivæ inhabitantium aut receptorum in ipſis, ſed ſalvativæ & conſervativæ eſſe ipſorum. Quemadmodum vides in aqua & in aëre quæ ſunt habitacula, ſive habitationes hominum & piſcium, nec ſunt ullo modorum effectivæ exiſtentiæ, vel vitæ illorum; manifeſte tamen ſunt conſervativæ & ſalvativæ vitæ, & exiſtentiæ illorum. Nulli enim dubium eſt nec homines extra aëra, nec piſces extra aquam vivere poſſe vita iſta corporali niſi forſitan ad modicum, & de liquoribus multis manifeſtum tibi eſt quod ſalvantur & ſervantur quidem in vaſis quibuſdam à putredine, & corruptione: extra vaſa autem illa putreſcerent, & corrumperentur, & eſſe deſinerent.

Animæ rationales ſūt propter operationes quas nullo...

Jam autem feci te ſcire quia præcipuæ & ſubilimiores operationes animæ humanæ nullo modorum pendent ex corpore, utilitas autem potiſſima, & propter quam ipſa creata eſt conſiſtit in opera-

modo pendent ex corpore.

tionibus hujuſmodi, atque perfectionibus ex quibus illæ ſunt. Quapropter etſi propter aliquas inferiores operationes indigeret anima humana corpore, vel membris corporalibus, non eſt neceſſe ut propter hoc quantum ad eſſe ſuum indigeat illis vel aliquo eorum, &c.

PARS VIGESIMATERTIA.

Quomodo anima dependeat à ſenſibus.

Quod anima mediante organo tanquam inſtrumento exerceat actum ſentiendi. *Pars 31. Cod. Carnot.*

QUod ſi quid dixerit, quia quantum ad vires inferiores ex quibus ſunt operationes hujuſmodi neceſſe eſt animam humanam indigere corpore, & membris corporalibus, verum utique dicit, ſi iſta indigentia eſt ſolummodo quantum ad operationes hujuſmodi peragendas: quemadmodum cytharædus indiget cythara quantum ad operationem cytharizandi exercendam, non autem quantum ad eſſe vel exiſtere ſuum, & carpentarius eodem modo indiget dolabra, vel ſecuri. Quod ſi dixerit quis quod vires illæ non ſunt ſeparabiles à corpore, propter hoc quoniam operationes earum indigent ut non niſi in corpore, vel per corpus agi vel exerceri valeant; & propter hoc eſſe earum non poteſt ſalvari niſi in corpore & per corpus: facile eſt tibi videre levitatem & debilitatem ratiocinationis iſtius; & ad repellendum eam ſufficere poſſet tibi exemplum de cytharædo, & dolabra, & carpentario. Addam etiam tibi deſtructionem ratiocinationis iſtius aliam, & dico quoniam cujus eſt potentia, ejuſdem eſt & actus, videre autem nullo modo oculi eſt, igitur nec potentia videndi, ſive virtus viſibilis. Nemo enim adhuc dixit, oculum videre, vel etiam videre poſſe.

Vſum inſtrumenti non poſſe eſſe ipſius inſtrumēti, adeoque viſionē non oculi, ſed animæ ipſius eſſe.

Amplius operatio nunquam eſt inſtrumenti, ſed utentis illo, uſus autem inſtrumenti non eſt niſi operatio quæ per illud agitur: manifeſtum autem eſt, quod uſus inſtrumenti nullo modorum eſt ipſius, nullum enim inſtrumentum utitur ſeipſo. Jam autem patefactum eſt tibi quod anima humana per totū corpus aptata eſt ut ejuſdē inſtrumentum, & quia totum corpus ſecundum omnia membra organica, vel officialia inſtrumentum ipſius eſt, virtus vero operandi per inſtrumentum in quantum inſtrumentum animæ eſt. Manifeſtum eſt igitur tibi per hoc quod virtus videndi ſive potentia apud animam eſt, & in ipſa. Quapropter non eſt poſſibile ipſam eſſe in oculo: quod etiam exemplo Ariſtotelis manifeſtum eſt quia ſi eruatur alicui oculus & alius aptetur, & in locum illius, ſicut ſæpe factum eſt, homo ille videbit æque ut prius, & hoc non nova virtute vel nova potentia viſibili, cum nec novus novam potentiam videndi ſecum attulerit, nec prioris oculi virtus in illum ſe transfuderit, virtute igitur quæ remanſit poſt eruitionem oculi illius videlicet hujuſmodi hominis. Quapropter remanſit in illa, & hoc eſt quod intendebam, ipſi etiam omnes philoſophi qui de anima rationali aliquid dignum memoria locuti ſunt vel ſcripſerunt, vires omnes hujuſmodi vires animarum dixerunt eſſe, non autem corporum vel membrorum.

*Quod potentia videndi non dependet ab organo ſenſitivo. *Argumētum eſt partis 32. in Cod. Carnot.*

Quod ſi quis dixerit quia tota utilitas virtutis viſibilis in actu eſt, & in operatione videndi; & propter hoc ceſſante actu, vel operatione hujuſmodi, inutile eſt ejus eſſe ſeparatum. Quapropter ſublatis oculis, vel inutiliter, vel ſupervacue remanet, vel omnino non remanet virtus viſibilis. Debes igitur reminiſci eorum quæ audiviſti in præcedentibus de potentia & virtute, atque de potentiis & virtutibus. Invenies autem forſitan quod virtus viſibilis in quantum eſt virtus viſibilis, ſi remanet erutis oculis videlicet in quantum viſibilis non in quantum viſibilis pendeat ex oculis, errat autem hujuſmodi homo manifeſte: quemadmodum enim ars cytharizandi non pendet ex inſtrumento ſuo quod eſt cythara, ſic nec potentia cytharizandi quam totam conſtat eſſe apud cytharœdum, & in ipſo pendet ex cythara: quapropter nec potentia videndi ex oculis.

Oſtendit quod alterius ſenſus perditione viget. *Argumentum eſt partis 33. in Cod. Carnot.*

Quod ſi quis quærat utrum excæcatus ſit, ſit potens ad videndum, an non: cave tibi à fallacia compoſitionis & diviſionis, non enim eſt potens videre ſine oculis, & intendo quia non eſt potens videre ſimul & carere oculis. Si quis tamen conceſſerit quod carens oculis poteſt videre pro eo quod carens oculis habet potentiam videndi, errabit indubitanter; non enim ſequitur ſi quis habet potentiam videndi, ut propter hoc poſſit videre, ſive exercere actum videndi. Cauſa autem in hoc eſt quoniam potentia hujuſmodi non exit in actum per ſeipſam ſolùm, imo neceſſarium habet inſtrumentum videndi: & generaliter omnis potentia quæ indiget inſtrumento ad operationem ſuam, & aliter operari non poteſt, non facit potentem per ſe ſolam: ligata namque & prohibita eſt ab operatione ſua carentia inſtrumenti: ligata etiam eſt, ſi impoſſibilitate prohibitum fuerit ab ea opus ejus, quemadmodum contingit in homine exoculato, cui non eſt poſſibile de novo oculos habere, & propter hoc non eſt ei poſſibile videre, nec ipſe eſt potens videre. De cythariſta vero qui poſtquam vel amiſit illam cytharam vel aliam, manifeſtum eſt quia poſſibile eſt ei cytharizare poſtquam amiſit citharam, & quia potens eſt citharizare cum non ſit impoſſibilitate prohibitus vel recuperare cytharam amiſſam, vel aliam habere.

Potētia videndi oculi non eſt, ſed animæ.

Amplius quoniam cujus eſt potentia ejus eſt actus, cum nec in toto, nec in parte ſit actus videndi ipſius oculi, nec in parte, nec in toto erit ejuſdem potentia videndi: quapropter totaliter apud animā eſt & in ipſa: non eſt igitur neceſſe ipſam perire oculo pereunte. Hujus autem manifeſtum indicium eſt, quia ſi perierit alter oculorum, confortabitur operatio videndi in altero, & eodem modo ſe habet de aliis membris; debilitatis namque pedibus fortitudo creſcit in brachiis. Similiter & erutis oculis invaleſcit imaginatio, & plurimum confortatur, & hoc innumerabilibus exemplis evidenter apparet: & quoniam proportionalia ſunt tota, & partem, & quæ ſunt tanquam partes: manifeſtum eſt quoniam ſicut virtus viſibilis ad oculos; ita anima ad totum corpus, cum enim anima noſtra ſit totum ad vires ſuas, neque illæ partes ad ipſam æquali ſimilitudine. Quapropter ſicut pereunte oculo, non perit virtus viſiva, ſic pereunte toto corpore, non perit anima humana vel in parte, vel in toto.

Quare potentia viſiva remanet in anima humana etiam poſt mortem.

Remanet igitur poſt mortem corporis, licet non potens operari operationes quibus operatur in corpore & per corpus: remanet igitur expedita & potens quantum ad alias operationes propter quas corpore non indigebat: quemadmodum cytharædus pereunte cythara remanet liber, & expeditus quantum ad alias operationes propter quas cythara nullatenus indigebat. Intendo autem in hoc quod dixi libera & expedita quantum ad ſtatum puritatis, ſanitatis, & libertatis naturalis: in illo enim ſtatu ſicut libera & expedita erat ad nobiliores atque præcipuas operationes ſuas, ita libera & expeditā remaneret quantum ad eaſdem, ſi corpus in illo ſtatu per mortem amitteret. Nec tu intelligas ex hoc ſermone meo quod mors contra corpus ejus, vel contra quamcumque corporis partem quicquam poſſit in illo ſtatu, ſicut doceberis in ſequentibus: *corpus enim humanum mortuum eſt propter peccatum*, ſicut legitur in lege chriſtiana:

rum ubi debes intelligere mortuum morte addictum neceſſitate videlicet moriendi.

Teſtatur anima ſe nihil ſui amiſiſſe quamvis membrũ aliquod corporis amiſerit.

Amplius anima humana etiam in ſtatu miſeriæ iſtius cum amittit aliquam partem corporis ſui, videlicet manum vel pedem: ſi interrogaveris eam utrum aliquid ſui ſive de ſe amiſit, reſpondebit indubitanter quia nihil, dicet totum eſſe meum habeo, nihil de eo mihi ſublatum eſt, vel nihil periit, ſed totam me habeo, & tota ſum in reſiduo corporis, inſtrumentum revera quoddam amiſi, manum videlicet quæ erat vel ſicut forceps vel tenallium ad aliqua tenenda vel trahenda. Eodem modo pes inſtrumentum erat mihi ad ſuſtentationem corporis quod rego & moveo motu ambulationis; & ad hunc motum ambulationis videlicet, cum non ſufficiat mihi pes alter, neceſſe eſt mihi ut adhibeam loco pedis amiſſi quale potero ſupplementum, videlicet vel ligni pedem, vel aliud adjumentum. Deinde vero nihil omnino ſublatum eſt in totalitate mea, in reſiduo corporis remanſi, totam me ibi video, & eſſe ſentio ad præcipuas & ſublimiores operationes meas omnino illæſam & nihil paſſam. Operationes namque illæ quaſi forinſecæ & accidentes nihil erant, quemadmodum texere, vel ædificare, vel citharizare. Et propterea in iſta amiſſione nihil mihi deputo deperire ſufficiunt mihi nobiles ac præcipuæ operationes vitæ, propter quas corporalibus membris, vel organis, vel ipſo toto corpore non egeo quantum ad eſſe, ſed neque etiam quantum ad eſſe bene: bene namque mihi eſt apud meipſam & per memetipſam, toto corpore meo quieſcente, & me nihil per illud vel per quamcumque ejus partem penitus agente, præſertim in ſtatu puritatis, ſanitatis, & libertatis meæ naturalis.

Vox gallica Tenailles.

PARS VIGESIMAQUARTA.

Quid corpus animæ proſit?

Quod bene eſſe animæ non ſit ex corpore.

NEc mirum cum in ſtatu originalis corruptionis & præſentis miſeriæ, etiam quibuſdam animabus humanis, multum bene ſit, cum corporibus non utuntur, & tanto melius, quanto minus eiſdem utuntur, ſicut apparet in raptu, & in ſplendoribus propheticis, atque contemplationibus ſublimibus. In his enim omnibus quas nominavi penè nihil eſt eis cum corporibus ſuis, propter quod & apparent corpora eorum mortua, tanquam ſeparatæ & ſeorſim factæ ab illis ſint animæ illorum. Neque enim ſentiunt paſſiones ſi quæ fiant in corporibus earum, nec vacat eis cogitare de ipſis, quæ etiam dum deſcendunt à ſublimium ſtatu rerum iſtarum ad uſum corporis evidenter cognoſcunt in nullo ſe adjuvari à parte corporum quantum ad bene eſſe, quin potius corpora iſta inæſtimabiliter detrahere ipſi bene ſe habere illarum, & converſionem ſuam ad corpora, ſive uſum eorum, caſum eſſe ſentiunt, & relapſum eiſdem valde moleſtum. Quare manifeſtum eſt eaſdem evidenter cognoſcere ſe nullo modorũ pendere ex corporibus ſuis, ſed habitare in eis tanquam in domibus earum habitatione indigniſſima: & ut ad verum dicatur domus condignæ & convenientis habitationis ſuæ, ſed carceres potius horrificos illa eſſe cognoſcunt: propter quod & deſiderant vehementi deſiderio non ſolum de eis exire, ſed potius liberari, quod manifeſtum eſt in ſermone illius, qui dicit, *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*, & alibi, *cupio diſſolvi, &c.* tanquam à vinculis quibus in carcere hujuſmodi ligatus detineor.

Rom. 7. Pſalm. 1.

Agnoſcit anima corpus ſuum ſibi tormentum eſſe.

Agnoſcunt igitur animæ corpora ſua, & loca ibi tormentorum eſſe, quod eſt dicere afflictiones multiplices & ſarcinas graviſſimas, quas in præſenti miſeria portant gementes ſub illis quaſi ſub oneribus ſpinarum & tribulorum quibus punguntur & lacerantur variis deſideriis atque doloribus inceſſanter. Sciebat hoc rex ille ſapientiſſimus gentis Hebræorum ſicut apparet ex ſermone ejus quo dicit. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Noverat hoc poëta ille Latinorum poëtarum egregius ſicut inſinuavit in ſermone ſuo quo dicit, *quantum vero noxia corpora tardant;* & iterum. *hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.* Hæ ſunt iſtæ quatuor ſpecies partium, quas nominavi tibi ſpinas, & tribulos. Jam igitur declarari poteſt tibi ex his quia deſcenſus ex aliquo ſtatuum prædictorum ſublimium ad corpora ſive operationes corporales caſus earum eſt in carcerem horrificum, & in locum multiplicium tormentorum apparet tibi quia ſi ex eſſe corporum penderent eſſe animarum humanarum, nulli ſapienti animæ & bonæ poſſet eſſe deſiderium corporis ſui mortis. Ex hoc autem eſt deſiderium hujuſmodi deſideranti eam, quia credit ſe liberari per mortem corporis ſui à malis illis quæ ſunt ei in corpore & per illud, quia de carcere hujuſmodi à ſervitute peſſima, credit ſe egreſſurum in libertatem gloriæ, & honorem regni, de quo dicit quidam ſapiens quia *accipient juſti regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini.*

Sap. 9.

Sap. 5.

An in ſtatu fœlicitatis naturalis liberum ſit animæ humanæ de corpore exire, & quomodo;

Si quis autem quærat utrum animæ humanæ in ſtatu fœlicitatis illius naturalis conſtitutæ poſſibile ſit exire de corpore ſuo, ſi velit inde exire; & intendo utrum poſitum ſit hoc in poteſtate & libera voluntate ipſius ut inde exeat quotieſcumque voluerit, & in ipſum ſimiliter revertatur. Reſpondeo autem quod non, niſi quis hoc modo intelligat, ſi velit, quia proculdubio in eo ſtatu permanens non poteſt hoc velle, niſi creator illud velit: tanquam ſi diceret ſi velit ipſa hoc velit illud creator; quoniã ſic ſe habens nõ poteſt velle, niſi quod creatorem velle cognoverit: quia ſi velit anima volet idipſum creator, & ſi voluerit illud creator fiet indubitanter. Quare à primo ad ultimum ſi voluerit inde exire, exibit profecto. Sermo autem iſte reſponſio eſt ad hominem, non autem ſolutio ad rationem; hic enim quæritur, ut prædixi, utrum liberum ſit ei exire de corpore, & reverti in illud, an non; & hoc ſive morte corporis, vel præter mortem. Et reſpondeo in hoc quod ei eſt liberum; exire enim hoc eſſet ei mortificare illud, ſive mortem inferre eidem; hujus autem mortis nulla eſt ei, animæ videlicet humanæ, neceſſitas, nulla utilitas; cum corpus nec ſarcinæ ſit ei nec oneri, nec ullo impedimento nobilium operationum, etſi adjumento neceſſario aliorum in ſtatu fœlicitatis illius naturalis; ſecundum hoc enim de ipſa loquor hic, & quoniam id agere, quod neque neceſſarium eſt, neque utile culpabile eſſet eidem. Manifeſtum eſt tibi per hoc quoniam in eo ſtatu ſine offenſa creatoris non poſſet exire de corpore, quapropter non eſt ei liberum tunc exire de illo: nulla enim ſubeſt cauſa propter quam debeat velle tunc exire de illo, & cauſa ſubeſt non parum utilis remanendi in illo; multiplex namque eſt ei utilitas ex corpore ſicut jam noſti.

Anima ſecundum naturam ſuam nõ deſtruitur deſtructione, & morte [illegible] perit.

Amplius non jam ex corpore, ſed magis è converſo. Quapropter ſecundum naturam non eſt neceſſe ut morte vel deſtructione corporis moriatur, aut deſtruatur. Neceſſe igitur eſt aliam cauſam fingere mortis aut deſtructionis iſtius: & quoniam poſt exitum corporis, ſive de corpore ſolus creator habet poteſtatem in illam quantum ad eſſe, neceſſe eſt deſtructionem, ſive mortem eidem advenire non poſſe niſi à creatore; quapropter declaratum eſt

eſt jam quod intendebam, videlicet non eſſe mortalem per naturam, ſive deſtructibilem animam humanam.

Quod animam poſſit Deus in nihilum redigere unde illam creavit.

De potentia creatoris nulla dubitatio unquam fuit alicui intelligenti, quin ipſa ſit ſuper omne poſſibile ſimpliciter & abſolute, ad educendum illud iterum de eſſe ad non eſſe. Neque habet neceſſe omnipotens, ac benedictus creator gladio vel alio adminiculo ad mortificandum, vel deſtruendum quidquid mortificare, vel deſtruere voluerit. Sufficit enim unicuique creaturarum propria & naturalis defectibilitas ad hoc ut recidat in non eſſe à quo per creatorem educta eſt ad eſſe. Nec ſtat aliqua ex illis, vel perſiſtit in eſſe niſi creatore retinente, & conſervante eam in illo vincente potentialitatem ipſius actualitate ſua eidem applicata per ſolum beneplacitum optimæ voluntatis ſuæ. Quapropter vel retrahente eo ſe unicuique creaturæ, vel retrahente ſe ab illa, videlicet ut nō ſit beneplacitum ipſius ulterius retinere, vel conſervare eam in eſſe, neceſſe habet reverti, vel potius recidere in non eſſe; non ſolum enim virtute, ſed tanquam per vim & violentiam bonitatis creatoris vincentem naturalem potentialitatem, ſive defectibilitatem in unaquaque creatura quæ educitur de non eſſe ad eſſe, ſtat primo nullam ex creaturis non eſſe.

Ad quod textat Platonis ſententiam.

Verus enim indubitanter arbitrandus eſt ſermo Platonis qui creatorem introducit loquentem ad Deos Deorum, & dicentem, *dij Deorum quorum opifex, parenſque ego, vos quidem opera mea natura quidem diſſolubiles, me autem ſic volente indiſſolubiles.* Quid eſt autem, me ſic volente indiſſolubiles, niſi voluntate mea indiſſolubiliter in eſſe quod vobis largitus ſum permanentes: cum natura veſtra ad hoc indubitanter non ſufficeret, quin potius ſua ipſa defectibilitas in non eſſe rueret, & nos ſecum in illud traheret.

Neq; enim obſiſtit hoc animæ rationalis immortalitati, ſed magis confirmat.

Non obſiſtit igitur ſermo platonicus neque contradicit intentioni meæ de immortalitate animarum humanarum: non enim fuit unquam intentionis meæ, vel cujuſcumque intelligentis etiam ad modicum, ut anima humana, vel quæcumque alia ex creaturis, propria virtute in eſſe ſtaret, ſicque in eodem vel retineret, vel conſervaret; cum ſit naturale ei, & quodammodo à ſe defectibilitas in eſſe & infirmitas. Et hoc beneplacitum creatoris ſive bona voluntas ejuſdem quæ ſicut cauſa eſt unicuique creaturæ eſſendi, ſic & in ipſo eſſe permanendi, ſeu perſiſtendi: & quoniam eſſe animæ humanæ ſeorſim à corpore poſt mortem corporis pulcherrimum eſt ac perfectiſſimum, & ad gloriam creatoris tunc maximè expeditiſſimum, ſapientiſſimo ac benigniſſimo datori nulla eſt tunc cauſa deſtruendi ipſum; hoc enim eſſet ei impugnare gloriam ſuam, ſi ei tunc eſſe ſubſtraheret, cum ipſum maximè glorificaret.

Nec in juſtis ſolum animabus, ſed etiam in malis & perverſis.

Quod ſi quis dixerit quia ratiocinatio iſta in iſtis ſanctis & juſtis animabus locum habet: malæ autem etiam perverſæ non tantum indignæ ſunt ut conſervetur eis eſſe, quin etiam dignæ ut auferatur eis: non enim poteſt eſſe lex illa injuſta quam ipſe creator genti Hebræorum impoſuit per prophetam eorum dicens ei, *Maleficos eorum non patieris vivere.* Quod ſi vita iſta maleficis incorrigibilibus ſubtrahenda eſt, & ex mandato creatoris ſunt tollendi de medio; quanto fortius illæ pertinaces animæ nunquam corrigibiles quibus non ſatis fuit perverſe vixiſſe in corporibus, ſed etiam malitias ſuas, atque perverſitates in aliud ſæculum deferunt ſecum? Sicut igitur hic non ſolum per legem divinam, ſed etiam per humanas purgantur provinciæ à malis hominibus, atque maleficis; quanto fortius purgandus erit mundus, & tota alia vita, à malis & perverſis animabus? incomparabiliter enim

Exod. 22.

magis competit, & major congruit alteri vitæ puritas, præſertim cum ſecundum doctrinam chriſtianorum mundus iſte inferior purgandus ſit, ne quod in eo veſtigium peccati remaneat. Qualiter igitur ſuſtinebit creatoris bonitas in ſæculo venturo tantas labes, tamque ſpurciſſimas abominationes animarum, qualiterque patietur illas vivere in tantis ſordibus peccatorum ſuorum? Reſpondeo igitur in hoc quia intolerabiliter detraheret creator benedictus gloriæ ſuæ, ſi tantam pulchritudinem juſtitiæ ſuæ quouſque removeret, & vindictas ſuas juſtiſſimas ſic deprimeret, ſeu occultaret, ut nulla earum appareret: quod indubitanter faceret, ſi pertinaces animas, & malignos ſpiritus penitus exterminaret.

Debet eſſe Deo laus perennis, & de miſericordia in pios, & de juſtitia adverſus impios.

Exterminium namque hujuſmodi quaſi oblivione operiret, & malignitatem, ſive malitias eorum, & vindictas pulcherrimas creatoris, laudationemque illam, de qua dicit ſapiens ille nominatiſſimus Hebræorum Rex, *in perditione impiorum erit laudatio.* Quapropter enormiter detruncata eſſet laus, & gloria creatoris ſi non eſſet ei juſtitia & vindicta, quemadmodum & de miſericordia laus perennis. Concordat huic intentioni meæ ſermo ille propheticus quo dictum eſt ab ipſo propheta *miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*; ſatis enim inſinuavit propheta iſte quod glorificandus eſt ab eodem creator benedictus, non ſolum de miſericordia per quam glorificaturus eſt dilectos & electos ſuos, ſed etiam de judicio per quod eſt impios ineffabili pulchritudine juſtitiæ damnaturus. Ipſis etiam dilectis & electis ſuis partem non modicam fœlicitatis eorum detraheret ſi eos de lætitia, quam de vindicta impiorum habituros ſperant, defraudaret. Quod inſinuat ſermo ille alius propheticus quo dictum eſt *lætabitur juſtus cum viderit vindictam*, quia perpetuo lætabitur perpetuo videns illam. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quanta portione gaudij ſui privarentur amici Dei altiſſimi, ſi ſubito exterminio delerentur iniqui, & vindicta eorum brevi tempore, & non perpetuo appareret.

Prov. 11.

Pſal. 100.

Pſalm. 57.

Quod tenebroſitas miſeriæ originalis impedit animam à cognitione ſuę immortalitatis.

Poſt hæc revertar ad propoſitum in quo eram, & dicam quod ſolerter conſiderandum eſt tibi tenebroſitatem miſeriæ iſtius, non parum impedire animam meam, & tuam à cognitione, vel potius viſione immortalitatis ſuæ, & etiam aliarum; ſublata namque illa nulla eſſet eis quæſtio, vel dubitatio de immortalitate ſua; faciam tamen te ſcire quod miſeria iſta quæ animabus noſtris eſt ex originali corruptione aliquatenus adjuvabit eas, & etiam alias, negotiari de illa miſeria, videlicet ſcientes, atque videre valentes.

Eſt argumentum par. 34. in Cod. Carnot.

Dico igitur quod omnis anima quę cognoſcit corpus ſuum carcerem ſibi eſſe & vincula, cum omni animæ intelligenti ruinam carceris ſui, confractionemque vinculorum ſuorum, quibus videlicet, in carcere ligata tenetur, liberationem ſuam eſſe, manifeſtum eſt ei ex continenti mortem corporis ſui liberationem ſuam eſſe, cum manifeſtum ſit corporis ruinam eſſe carceris hujuſmodi contritionem & vinculorum. Cui ſententiæ concordat ſermo propheticus quo dictum eſt in perſona animarum de corporibus ſuis exeuntium, *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Quid apertius illo ſermone cogitari poteſt?

Pſal. 123.

Quod anima opprimi non poſſit à corpore.

Niſi forſitan aliquis imbecillis deliret ruina corporis animam deprimi, & obrui tanquam cadente corpore ſuper ipſam, quemadmodum cadente domo aliqua opprimuntur habitatores cum cecidit ſuper eos. Tu autem noſti ſpirituales ſubſtantias non eſſe obnoxias oppreſſionibus hujuſmodi, nec aliis corporalibus paſſionibus. Manifeſtum etiam eſt tibi quod unaquæque anima ſuum corpus porta-

tat & ſuſtinet abſque ulla læſione. Et propter hoc etiam ſi caderet ſupra ipſam pondere ſuo non eam opprimeret, ſive obrueret. Scis etiã jam impartibilitatem ſubſtantiæ ipſius, quare ſuper ipſam nihil de corpore cadere poſſet propriè ac verè, niſi aliquid impartibile: nihil autem impartibili ruina ſua opprimere, vel lædere ipſam poſſibile eſt: quoniam neque pondere ſuo, neque duritia, aut acumine, aut aliquo hujuſmodi quibus & qualibus ſuper alia irruentibus inferri poſſibile eſt læſiones.

Corpus eſſe animæ ſarcinam ex cujus depoſitione anima confortetur.

Amplius quid eſt quod pendeat ex ſarcina ſua vel onere? quod non adjuvetur & confortetur à diſpoſitione ipſius? hoc autem videt evidenter omnis anima intelligens in miſeria iſta; quia corpus ſuum eſt ei ſarcina magnæ depreſſionis, & onus graviſſimum. Videt etiam mortem corporis non eſſe niſi onus illius, quapropter videt ſe non eſſe niſi confortandam & adjuvandam ex depreſſione corporis ſui, tanquam ex depreſſione ſarcinæ deprimentis ac oneris aggravantis. Hæc eſt cauſa propter quam animabus iſta cognoſcentibus mors eſt in deſiderio magno antequam eis advenerit, in gaudio magno cum venit: quemadmodũ ſicut ſæpe dixi depoſitio ſarcinæ quouſque deprimentis & aggravantis.

Quod non oportet animã mori in ſolutione vinculi quod habet ad corpus. *Eſt argumentum par. 35 in Cod. Carnot.*

Quod ſi dixerit animam humanam naturaliter vinculo alligatam eſſe corpori humano vel corpus illi: & propter hoc quemadmodum non rumpitur vinculum illud niſi morte animæ ipſius tanquam in vinculo illo, & ligatura debeant eſſe partes anima & corpus. Reſpondeo in hoc quod non ſunt partes in hoc, neque ullo modo ſibi colligata ſunt; cum alligatura hujuſmodi corpus in eſſe teneat, & conſervet, animam vero non: quoniam illa duo ſunt ſicut dans vitam, & recipiens, ſicut illuminans, & illuminatum; ſicut agens, & patiens; ſicut influens, & influentiam recipiens. Quemadmodum igitur illuminatus aër in quantum illuminatus pendet à ſole vel luce ipſius, ſic corpus humanum pendet ab anima humana irradiante ipſum, & vivificante; ipſa enim vivificatio qua corpus vivificatur ſeu vivit non eſt niſi irradiatio quædam, & influentia ex anima in illud. Eſt enim anima humana ſicut fons vitæ, & inundans vitam, ſive influens, quemadmodum ſol eſt fons luminis, & lumen influens ſeu infundens in omne receptibile luminis ſibi illuminabiliter conjunctum ſive abſque medio, ſive per medium.

Diſcrimen quod intercedit inter animã humanam & ſubſtantias ſeparatas.

Et intende diligenter in hoc quia anima humana non eſt in parte iſta ſicut ſubſtantia aliqua ex nobilibus ſubſtantiis ſeparatis. Ipſa enim eſt fons inundans atque redundans vitam aptam vivificandis corporibus humanis, & eſt illam emanans atque diffundens, ut prædixi, pro receptibilitate corporis ſibi ſociati. Subſtantiæ vero ſeparatæ nobiles ſeparatæ ſunt quemadmodum putei altiſſimi, ſeu profundiſſimi recipientes antea ſe copioſitatem & abundantiam vitæ ſuæ. Neque enim corpora receptibilia ſunt tam nobilis ſubſtantiæ, ſeu influentiæ, & propter hoc non eſt eis quo vitam influant, ſive infundant. Non enim, ſicut Ariſtotelis & ſequacium vanitas ſomniavit, eſt animabus noſtris vita ab illis tanquam influens ex illis in animas humanas quin potius ipſæ animæ humanæ fontes vitæ ſunt, & præſentia creatoris in ipſis implentis eas, uſque ad redundantiam antedictam: illæ vero ſic non ſunt conjungibiles conjunctione naturali corporibus, ſicut nec ſunt vivificativæ illorum, nec influxivæ vitæ illius, quæ corporibus congruit.

Quod vita non ſit animabus noſtris niſi à creatore.

Abſit autem ut credas, vel intelligas, vel quicumque vitam eſſe animabus humanis niſi à creatore benedicto, ſicut nec eis eſt eſſe, niſi ab eodem, non enim eſt poſſibile eſſe creatorem vitæ niſi ipſum, neque datorem eſſe alium præter ipſum. Quapropter & ſoli debet ſe tota vita animarum noſtrarum, totumque ille eſt eſſe illarum, &c.

PARS VIGESIMAQUINTA.

Quod licet anima vivificet corpus, ipſa tamen poteſt continue proficere.

Quod naturaliter nõ libere anima influat vitam in corpus. *Eſt part 36. in Cod. Carnot.*

DEbes autem ſcire quia influentia vitæ ſuæ, & redundantia quæ eſt ab anima humana in corpus quod vivificat, non eſt ei voluntaria. Et intendo quod non eſt ei liberum influere in corpus, & non influere, nec in poteſtate habet non influere illam quamdiu corpus receptibile illius eſt, ſive idoneum ad recipiendam illam. Ex quo manifeſtum eſt tibi naturalem eſſe, & tanquam per modum ſervientis ex ipſa influentiam, ſeu redundantiam hujuſmodi: quemadmodum ex igne calorem, & ex ſole ſplendorem, propter hanc cauſam præter omnem voluntatem & abſque intentione ulla, vel ſollicitudine influit vel operatur illam. Mors igitur non eſt niſi privatio influentiæ iſtius quod eſt dicere vitæ ex anima influentis, ſive redundantis in corpus; non enim advenit corpori à parte animæ tanquam alveus areſcat à copioſitate vitæ, ſed magis à parte propria, videlicet cum efficitur irreceptibile. Et intendo cum amittit idoneitatem recipiendi vitam, quod eſt per morbos, per vulnera, & alias operationes quas eſt medicorum noſſe. Quemadmodum vides in aëre qui ex denſitate nubium, vel ex multitudine locuſtarum, vel interpoſitione lunæ, aut terræ inter ipſum & ſolem ſæpiſſime obtenebratur, quod eſt dicere impeditur ab illuminatione ſolis. Et ſimile invenies in membris paralyticis, & in quibuſcumque fortis eſt opilatio ut quouſque prohibeat ab eis influentiam vitæ, quæ ex anima eſt, ibi neceſſe eſt eadem areſcere, & putreſcere. Interdum autem opilatio hujuſmodi neque tanta eſt, neque tam fortis, ut vitam prohibere ſufficiat, ſed ſolum motum aut ſenſum, ſicut incidit in quibuſdam membris artericis, quæ quidem vivunt ut partes plantarum, non autem habent motum, aut ſenſum.

Dico inſuper quod naturalis plenitudo & copioſitas non areſcit, aut deficit, niſi aut defectu, aut deſtructione ſubjecti in quo eſt. Quemadmodum vides in luminoſitate ſolis quia nec minuitur nec deficit apud ipſum, nec minui, vel deficere poteſt per aliquid exterius. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam ab intimis, ſive ex intimo ſuo eſt ei: & eodem modo ſe habet de calore ignis. Non enim poſſibile eſt ut deficiat apud eum, vel in ipſo, niſi eſſentia ipſius deſtruatur; & cauſa in hoc non eſt, niſi hoc videlicet quoniam eſſentia ejus conjunctiſſima eſt, & non ſeparabilis à radice, ſive fonte ex quo eſt ei calor. Flamma vero extinctionem recipit ſui caloris & luminoſitatis: cauſa autem in hoc eſt quoniam calor ille adventitius eſt flammæ. Jam autem didiciſti ex ſcientia naturali, quia flamma non eſt niſi fumus incenſus, incenſio autem accidit fumo, & nullo modorum eſt ei eſſentialis: ſimiliter accidit & carboni, & ferro ignito: & hinc eſt quod recipiunt extinctionem, & privationem caloris videlicet ſimiliter & ſplendoris. Declaratum eſt igitur tibi per hoc quia non eſt poſſibile ſeparari eſſe vel vitam ab anima humana per aliquid quod poſſit prohibere ab ea influentiam vitæ qua vivit, & quæ non eſt ei niſi ex præſentia creatoris in ipſa vel apud ipſam. Non eſt autem poſſibile alicui creaturæ, cũ influentia hæc ex fonte illo per ſolũ Dei beneplacitum ſit & redundet in illam: non enim eſt voluntas creatoris in poteſtate creaturæ, ſed in poteſtate voluntatis ejus creaturæ ſunt, & ſub illa ſubjectione pleniſſima.

Sed

Nulli creaturæ poſſibile eſt ſeparare animã humanam à fonte eſſendi, ſed nec vitiis poſſibile eſt.

Sed neque poſſibile eſt ulli creaturæ, ut quacumque interpoſitione ſeparet animam humanam à fonte, & datore vitæ: neque poſſibile eſt animam humanam non capacem effici vitæ nec receptibilem ipſius: paſſiones enim ſpirituales quæ ſunt vitia & peccata, non eſt poſſibile ut auferant ei receptibilitatem vitæ, aut ipſius eſſe, quin potius manifeſtum eſt ex magnitudine, & vehementia ipſorum eam confortari quantum ad illa, & quantum ad eſſe in nullo deficere & debilitari. Non enim eſt poſſibile ſubſtantiam debilitari quantum ad eſſe ex quacumque diſpoſitione cum ex illa invaleſcat in operationibus ipſius: Exempli gratia, conſidera vitium avaritiæ, & videbis ipſo creſcente invaleſcere animam ipſius avari in operationibus avaritiæ tam interioribus, quam exterioribus; v. g. in operatione quæ eſt concupiſcere divitias, ardere ſuper illas, gaudere de illis, & triſtari de amiſſione ipſarum, iraſci fraudantibus, & rapientibus illas: ſimiliter iraſci in ſervos negligentes in cuſtodia, & acquiſitione earum, & ſi vires corporis ſuppeterent operationes exteriores, quibus avaritiæ ſervitur, vel ultra modum invaleſcerent, & multiplicarentur apud avarum, & iſtæ operationes ſunt furari, rapere, laborare omni labore ad acquiſitionem, ſive cuſtodiam divitiarum. Jam igitur manifeſtum eſt tibi quod per avaritiam invaleſcunt operationes animæ humanæ quibus avaritiæ ſervitur. Quapropter non eſt poſſibile, ut per illam anima humana efficiatur debilior quantum ad eſſe ſuum, neque minus idonea ad recipiendam ſeu ſuſtinendam influentiam ipſius eſſe, ſive vitæ quæ in ea eſt ſive apud ipſam ex creatore qui eſt fons unicus veruſque, & ad hunc modum ſe habet de vitiis & peccatis. Quod ſi peccata & vitia quæ adeò contra naturam ipſius ſunt, non eſt poſſibile ut debilitent ejus eſſe, vel lædant ullo modorum. Quamvis enim bene ſe habere ex toto fere te impediant: paſſiones autem corporales ad eam penitus nec attingant, nec perveniant, ſed ſtent, vel ſiſtant naturali fixione, & notabiliter adhærentes ſubſtantiis corporalibus; manifeſtum eſt nullis paſſionibus, ſeu diſpoſitionibus deſtructibile eſſe, aut læſibile aliquomodo eſſe humanæ animæ; cum omnes bonæ diſpoſitiones ipſum eſſe ipſius adjuvent, & confortent. Amplius non eſt dubium quin anima humana nata ſit naturaliter proficere ſemper in majus & melius ſapientiæ videlicet, & virtutum.

Quod omnis anima humana poteſt naturaliter proficere.
Eſt argumentum par. 37. in Cod. Carnot.

Quod ſi dixerit quis quod non eſt generale hoc, imo manifeſtum eſt quaſdam animas humanas in nullo poſſe proficere, quales vivant animæ hominum qui vocantur communi nomine moriones qui indocibiles, & ineruditibiles omnino habetur apud omne genus hominum. Dico igitur in hoc quia quemadmodum ſe habet de phreneticis, melancholicis, atque maniacis, qui impedimenta patiuntur ex parte corporum ſuorum, quæ interdum peritia medicorum curantur, & tolluntur ab eis qui durantibus impedimentis hujuſmodi nullo genere eruditionis vel doctrinæ proficere poſſunt: ſic & in morionibus ſe habet, quia durante corporali illo impedimento eos proficere ad eruditionem vel ſapientiam non eſt poſſibile. Si tamen ea eſſet artis medicinæ poſſibilitas ut per eam impedimentum hujuſmodi curaretur, appareret in animabus eorum à præfato vinculo liberatis naturalis poſſibilitas proficiendi ad ſapientiam & virtutes; quemadmodum manifeſtũ eſt de his qui naturaliter muti ſunt, quia ſoluto vinculo linguæ eorũ proficiunt ad eloquentiam, ſi ad hoc debitũ operationẽ dederint.

Idem probat ex eo quod omnes animæ ſint ejuſdem ſpeciei.

Amplius cum omnes animæ humanæ ejuſdem ſpeciei probabiliſſimè ſint, quemadmodum & omnes homines, neceſſe eſt eas in omnibus ſuis communicare, & ſimiles eſſe. Naturalia enim omnia & eſſentiis, vel eſſentialibus ſuis ſunt omnibus individuis, ſive individualibus ſubſtantiis: & propter hoc eſſentiis, & eſſentialibus ſuis ſimillimæ ſunt; propter quod & unum ſpecie & ſunt & communiter dicuntur.

Inde colligit omnes animas natas eſſe ſẽper vivere.

Non eſt igitur poſſibile quod aliqua naturalis poſſibilitas, vel potentia ſit alicui ex animabus humanis cujuſmodi non ſit ſimilis unicuique aliarum: quapropter ſi aliqua ex eis naturaliter poſſibilis eſt proficere in prænominata bona quæ ſunt ſcientiæ & virtutes, ſic neceſſe eſt omnes natas eſſe proficere ad eadem, vel in eiſdem, & propter hoc natas eſſe ſemper eſſe: eſſe autem ſemper eſt eis ſemper vivere. Quapropter neceſſe eſt eas natas eſſe perpetuas, & propter hoc naturaliter eſſe perpetuas, & omnino nunquam mori, vel deficere in non eſſe; omne enim cui poſſibile eſt naturaliter quodcumque, ad illud neceſſe eſt naturaliter & moveri, eſſe vero manifeſte conſequens eſt ad proficere, propter quod eo poſito ponitur, & non è converſo: imo illo remoto, videlicet eſſe, removetur & proficere, unumquodque enim quod proficit eſſe neceſſe eſt: non autem omne quod eſt, proficere neceſſe eſt.

Quod homo perverſus poteſt naturaliter proficere.
Argumentum par. 38. in Cod. Carnot.

Quod ſi quis dixerit quia non eſt verum omnem animam humanam natam eſſe ſemper proficere duabus de cauſis. Primum quia de multis manifeſtum eſt eas non ſemper proficere ad ſapientiam & virtutes; imo plerumque è contrario, manifeſtum eſt eas deficere tam à ſapientia quam virtute, & in contrarium perverti. Reſpondeo in hoc quia naturalis eſt ei potentia, ſive poſſibilitas ad profectum hujuſmodi, ſive utatur hujuſmodi potentiâ, vel poſſibilitate, ſive non utatur eadem. Nec eſt intentio ſermonis antedicti quod naturale ſive intimum ſit eis proficere, ſed ipſum poſſe proficere naturale, ſive innatum intelligo eſſe eiſdem, quam potentiam, ſive poſſe, non aufert vel extinguit ignavia earum, licet prohibeat ab eis actum hujuſmodi, vel profectum.

Quod anima in infinitũ poteſt proficere.
Eſt argument. p. 39 in Cod. Carnot.

Secunda cauſa intentionis propoſitionis iſtius forſitan videatur alicui finis, & perfectio, ſive completio potentiæ, ſive poſſibilitatis antedictæ, tanquam intelligat idcirco non eſſe natam animam humanam ſemper proficere poſſe ad ſapientiam, & virtutes quia finem habet completionem profectus illius ultra quam progredi vel proficere non poteſt anima humana naturaliter.

Quod etiãſi finis eſſet profectus animæ humanæ, neceſſe ſit tamen concedere illius immortalitatem.

Per hanc verò viam non effugitur quin neceſſe habeat concedere immortalitatem ipſius, ſicut experimento te ſcire faciam, & forſitan non aliter intelligit ſermonem antedictum animam humanam eſſe natam ſemper proficere: & intendo ei eſſe potentiam, vel poſſibilitatem ſemper proficiendi, intelligit, inquam, ille homo cum determinatione, vel conditione hac, videlicet dum eſt, vel dum vivit, quaſi diceret in ſuo eſſe ſempiterno, ſicut quidam loquuntur ei poſſe proficere. Quæro igitur utrum continuò ſic proficiendo poſſibile ſit eidem pervenire ad completionem, ſive perfectionem profectus iſtius: & intendo completionem iſtius, ſive perfectionem, ultra quam ſcilicet nihil quærat, vel appetat naturaliter. Et ſi dixerit quis quia non eſt poſſibile eam pervenire ad ejuſmodi perfectionem. Manifeſtum igitur eſt profectum, ſive proficere iſtius nõ eſſe terminabilem, neque habere ultimum ſui, cum ſemper ultra omne quod ejus eſt reſtat quærendum aliud animæ humanæ. Ultra terminum autem vel ultimum uniuſcujuſque profectus, vel motionis, manifeſtum eſt proficienti, ſive moventi nihil eſſe quærendum in viatione, ſive motione hujuſmodi. Manifeſtum igitur eſt profectum animæ humanæ, ſive proficere infinitum eſſe, & intranſibile. Quapropter conſequens eſt potentiam ei eſſe innatam ſive naturalem ad proficiendũ

in infinitum, & ad acquirendos profectus infinitos unum poſt alium, & nunquam quieſcere in aliquo eorum, cum nullus ſit ultimus. Eſt igitur ac ſi diceretur de corpore aliquo quia eſt ei potentia ad movendum in infinitum, & per infinita loca, & in nullo eorum quieſcere: quapropter potentia ejus eſt ad motus infinitos, qui non poſſunt expleri, vel fieri in tempore finito. Erit igitur ex hujuſmodi potentia potens moveri per tempus infinitum, ſive per infinita tempora: non eſt autem poſſibile aliquid moveri in infinitum niſi quod eſt potens eſſe in infinitũ; non enim poſſibile eſt moveri non ens.

Sicut ex potẽtia corporum cœleſtium ad motum infinitum colligere licet cœlos ſemper eſſe, ſic & de anima.

Declaratum igitur tibi eſt per hoc quod animæ humanæ eſt potentia qua eſt potens naturaliter eſſe in infinitum quod eſt abſque termino, ſive fine: & propter hoc perpetua. Neceſſe eſt igitur ipſam eſſe perpetuam; moveri enim nec dat ei eſſe, nec addit ad ejus eſſe, cum ejus eſſe ſit fundamentum ejus quod eſt moveri, & ſic ſuſtinens ipſum. Ponam autem tibi exemplum de hoc manifeſtum in anima cujuſque cœlorum, & in unoquoque ipſorum ſecundum eos qui cœlos animatos ponunt; neque enim unaquæque illarum poſſet cœlum ſuum movere in infinitum, niſi ipſum potens eſſet eſſe in infinitum: & intelligo movere vel moveri in infinitum, hoc eſt in tempore infinito ſive motibus æqualibus infinitis.

Probat animã humanã eſſe æternam quia poteſt moveri in infinitum proficiendo.

Amplius cum manifeſtum ſit poſſibile eſſe ſic ſe habere ad poſſe moveri, ſicut eſſe ad moveri; proportionalia enim ſunt potentiæ & actus, hujuſmodi erunt eodem addito proportionalia, ut ſicut poſſe eſſe in infinitum ad poſſe moveri, vel movere in infinitum, ſive tempore infinito. Quare ſicut moveri in infinitum ſive tempore infinito, non poſſibile eſt ut ſit alicui, nec eidem ſit eſſe infinitum ſui in tempore infinito; ita non erit poſſibile quod moveri in infinitum ſit alicui naturaliter, niſi ſit eidem naturaliter poſſe eſſe in infinitum, ſive tempore infinito. Quapropter quoniam manifeſtum eſt, quia poſſe moveri, ſive movere in infinitum, proficiendo videlicet, eſt naturaliter, ſive innatum animæ humanæ neceſſe eſt & innatum eſſe ei, ſive naturaliter eſſe poſſe in infinitum, ſive tempore infinito. Quare naturaliter potens eſt anima humana eſſe in infinitum, ſive eſſe perpetuo: & quia naturalis potentia, ſive poſſe naturale naturaliter non eſt poſſibile, ut ſit privatum perpetuo & univerſaliter tam nobili tamque neceſſario effectu ſuo, neceſſario, inquam ſuper omnia alia neceſſaria; nihil enim neceſſarium adeo eſt animæ humanæ, vel cuique alij creaturæ, ut ipſum eſſe & conſervatio ſive perduratio illius. Quapropter hæc potentia naturalis, ſive innata animabus humanis impoſſibile eſt ut privata ſit, ſive carens effectu hujuſmodi perpetuo ſive fine, eſt igitur in omni anima humana effectus hujuſmodi. Effectus autem iſte eſt eſſe in infinitum, ſive tempore infinito, quare eſſendi perpetuitas eſt naturaliter omni animæ humanæ. Omnis igitur anima humana eſt eſſe, ſive exiſtentiæ perpetuæ: quapropter nec moritur, nec ullo aliorum modorum eſſe deſinit.

PARS VIGESIMASEXTA.

Quod anima humana habet potentiam naturalem ad ſemper eſſe.

Exponit dictũ Ariſtotelis quod quorumdã natura eſt ad ſemper eſſe quorũdam autem ad ſemper non eſſe.

DEbes igitur reminiſci ſermonis Ariſtotelis quem dixit in libro cœli, & mundi; videlicet quod quorumdam natura eſt ad ſemper eſſe, quorumdã autem ad ſemper non eſſe. & altera iſtorũ ſunt perpetua & neceſſaria, altera vero impoſſibilia, & intendit Ariſtoteles neceſſaria per ſe, & impoſſibilia per ſe: quod manifeſtum eſt per hoc quod dicit quia virtus eſt quibuſdam ad ſemper eſſe, & quibuſdam ad ſemper non eſſe; tanquam ſi diceret quod naturali virtute ſua firmata, ſive fixa ſunt in eſſe neceſſitate inconcuſſibili: quædam vero in non eſſe neceſſitate ſimili. Et de his quorum virtus eſt illis ad ſemper eſſe, dico eſſe animam humanam. *in Cod. Carnot. par. 40.* Si enim eſt eis virtus ad ſemper proficere, cum eſſe ſit eis in primis, & maxime, & longe prius atque magis quam ipſum proficere, erit multo fortius eiſdem virtus innata, ſeu naturaliter ad ſemper eſſe. Si enim virtus earum eſſet ad quandoque eſſe, & quandoque non, juxta ſermonem Ariſtotelis in eodem libro, eſſet eis ex neceſſitate ad quandoque proficere, & quandoque non proficere; cum quandoque non eſſe non patiatur ſemper non eſſe tanquam contradictio ipſius: & propter hoc non eſt poſſibile ut patiatur ſemper proficere; cum ſemper eſſe neceſſaria concomitantia ſequatur ſemper proficere: & non intendo ſemper proficere niſi augeri in melius & elongari ab imperfectionibus.

De profectu animæ in infinitũ ex propheta.

Quod ſi fortè dixerit animabus humanis non innatam eſſe ſive naturalem virtutem, ſive potentiam qua ſint naturaliter potentes, ſemper proficere juxta modum antedictum, contradicit hujuſmodi homini ſenſus, & experientia manifeſtè. Quantumcumque enim ſapiẽtia, & virtutibus proficere quicumque ſibi videtur ad proficiendum ſublimior & amplior profectus ſemper videtur eſſe initio proficiendi, juxta ſermonem propheticum quo dictum eſt à quodam ex prophetis excellentibus Hebræorum. *Et dixi nunc cœpi.* & per quemdam alium ex ſapientioribus ipſorum juxta eamdem intentionem dictũ eſt, *cum conſummaverit homo tunc incipit*, & alibi juxta eamdẽ ſententiam dictum eſt ab eodem, *multiplicationem ingreſſus ſapientiæ quis intellexit?* *Pſ. 76. 11. Eccli. 18. 6. Eccli. 1. 7.* quantum mihi videtur in hoc ſermone quod ipſo profectu & incremento ſapientiæ multiplicatur ingreſſus ipſius, id eſt in ipſam; quia amplius & amplius ingredi ſibi videtur in ipſam, qui amplius & amplius proficit in ipſa, nec unquam ſibi videtur intus eſſe, videlicet in illa; ſed ſolummodo in ingreſſu: Eſt ſermo prophetæ alterius quo dicit ex perſona creatoris ad animam peccantem, & ad ipſam convertendam, *poſt me ingredi non ceſſabis.* *Ierem. 3.*

Quod probatur dicto Platonis, unum ſcio quod neſcio.

Adjuvat autem ad hoc ipſum ſermo Platonis qui cum crederetur quouſque in philoſophia profeciſſe ut nihil ulterius ei cognoſcendum reſtaret dixiſſe dicitur, hoc ſolum ſcio quod neſcio: quaſi dicat, ſolum cognoſco ignorantiam meam, quæ cognitio ſine dubio eſt initium verum veræ ſapientiæ. Fuit igitur iſte ſermo Platonis, & intentio ipſius in hoc ſermone, quod erat ipſe adhuc in intentione, ſive ingreſſu ſapientiæ. Quapropter ſi prohibitum eſſet ultra progredi ſive ulterius proficere in ſapientiam, prohibitione, inquam, naturali, quæ eſt naturalis impoſſibilitas hujuſmodi profectus; fruſtra eſt ei innatum, vel naturaliter inditum poſſe in hujuſmodi initium, vel ingreſſum & hoc eſt inconveniens: hoc eſt enim quemadmodum ſi quis dicat januam in domo aliqua eſſe factam, cum non ſit poſſibilis ingreſſus ad illam, de qua nemo intelligens dubitare poſſet, quin inutiliter prorſus facta eſſet hujuſmodi janua. Et quia à ſapiente Architecto nec ejuſmodi domus, nec hujuſmodi janua facta eſſet: & eſt apta comparatio de domo & janua ad ſapientiam vel ingreſſum ipſius ſive in illam.

Declarat dictum Ariſtotelis quod quædam habeant potentiam ad ſemper non eſſe.

Et quoniam ſermone iſto utitur Ariſtoteles, & ſequaces ejus in fundamento certiſſimo & radice demonſtrationis, non eſt deglutiendus in hoc loco, vel à me, vel à te: quod apparebit tibi cum declarata fuerit intentio ipſius. Dicit igitur Ariſtoteles, quemadmodum audiviſti, quia quibuſdam eſt virtus ad ſemper eſſe, quibuſdam autem ad ſemper non eſſe, quibuſdam vero tantũ ad quandoque eſſe, & ad *Eſt argumentum par. 41. in Cod. Carnot.*

& ad quandoque non eſſe. & quoniam ſemper eſſe, & ſemper non eſſe contraria ſunt, & medium illorum eſt quandoque eſſe, & quandoque non eſſe: invenitur autem alterum contrariorum in univerſo, videlicet ſemper non ens, ſive ſemper non eſſe; & invenitur medium quod eſt quandoque ens, & quandoque non ens, eſſe neceſſe eſt ut inveniatur alterum extremorum videlicet ſemper ens.

Ariſtotelis ratiocinationem hoc niti principio quod poſito uno contrariorum, ponatur & alterum.

Procedit igitur iſta ratiocinatio quantum procedit ſuppoſitio, & quantum per ſe nota ſit, videlicet omnem contrarietatem completam eſſe, & non habere defectum in univerſitate ſua. Neque enim completum eſſet univerſum, ſi in aliqua ex contrarietatibus quæ in eo ſunt aliquem ex defectibus hujuſmodi pateretur: parte enim quacumque incompleta, & defectum in quacumque ſpecie patiente hoc eſt defectum cujuſcumque ſpeciei, non eſſet completum totum. Quemadmodum ſi albedo, vel nigredo naturaliter deeſſet in genere, ſive univerſitate colorum, non eſſet completum genus coloris, & ipſa colorum univerſitas remaneret imperfecta, cum tanta ſui parte careret. Juxta modum iſtum ſe habeant neceſſe eſſe impoſſibile eſſe, & velut medium inter ea eſt poſſibile eſſe & non eſſe, videlicet quod nec ſemper eſt, nec ſemper non eſt, & cui non eſt virtus ad ſemper eſſe, & ad ſemper non eſſe.

Attamen nõ ens dici non poteſt habere potentiam ad non eſſendum.

Miretur autem & dubitet non immerito aliquis qualiter Ariſtoteles ſemper non enti poſuit virtutem ad ſemper non eſſe, cum in ſemper non ente neque virtutem, nec aliud eſſe poſſibile ſit. Nec minus admiratione dignum eſt quod ad ſemper non eſſe virtutem & potentiam poſuit, cum generaliter non eſſe, & ſemper & quandoque nihil ſit, & ex impotentia, ſive debilitate, atque defectu virtutis & potentiæ eſſe ſolummodo videatur.

Virtutem illam nihil eſſe cum à creatore non ſit.

Amplius hujuſmodi virtus unde, vel à quo eſſet ſemper non enti? non poteſt ſomniare quod virtus aliqua vel potentia ſit, vel eſſe poſſit niſi ab omnipotentiſſimo creatore: qualiter autem creator daret ſemper non enti, & in non eſſe, ut ita dicatur, perpetuo permanenti, quod nec retinens eſſe poteſt nec intelligi?

Creator nõ poteſt dare potentiã ad nõ eſſe quia eſſet in deſtructionẽ ipſius.

Amplius qualiter daret ei creator virtutem, vel potentiam ad non eſſe? hoc enim non faceret niſi in deſtructionem ipſius. Omnis enim virtus, vel potentia quæ eſt ad non eſſe cujuſcumque manifeſtè eſt ad deſtructionem ipſius.

Superfluum eſt dare non enti potentiam ad non eſſe.

Amplius dare potentiam, vel virtutem non enti ad nõ eſſe, ſupervacuum eſſet; hoc enim eſt ut ſi diceretur dare virtutem, vel potentiam grammatico, ad hoc ut ſit grammaticus, hoc autẽ ſupervacuum eſt evidenter. Jam enim grammaticam habens non habet opus vel virtute, vel potentia ad habendam vel acquirendam grammaticam.

Item quia ſemper habuit potentiam ad non eſſe.

Amplius cum ſemper non ens, ſemper non ſit, non fuit ei data virtus, vel potentia ad non eſſe antequam non eſſet, id eſt antequam haberet ipſum non eſſe, ut ita dicatur, cum ſemper habuerit illud, & habiturum ſit ipſum; ſed neque poſtquam eſt habens illud, hoc eſt dicere poſtquam habet ipſum non eſſe, danda ei fuit propter habendum vel acquirendum illud; hoc enim niſi ſupervacue fieri non poteſt, cum ei nihil ſit neceſſarium, nulloque penitus indiguerit unquam propter habendum vel acquirendum illud cum ſemper id habuit.

Item quia dici non poteſt in quo ſit potentia ad ſemper non eſſe.

Amplius quomodo eſt virtus, vel potentia ad ſemper non eſſe ei quod eſt hominem eſſe aſinum, & ubi eſt virtus illa, vel potentia? Reſpondeo in hoc quia prohibita eſt compoſitio hæc, ſive conjunctio duarum iſtarum ſpecierum ab eodem individuo, vel ſubjecto, & prohibita, inquam, ex utraque parte, hoc eſt ab utraque ſpecie; utraque enim alteram repellit, & prohibet à ſubjecto in quo eſt; repellit, inquam, & prohibet prohibitione naturali, & repulſione, quæ repulſio, vel prohibitio, non eſt niſi repugnantia earum naturalis ad invicem, per quam ſeſe in eodem ſubjecto eſſe ſimul non patiuntur. Non enim debes intelligere prohibitionem, vel repulſionem actum aliquem, ſive motum, ſed contrarietatem, ſive repugnantiam qua ex affirmatione, ſive poſitione alterius de quocumque ſubjecto ſequitur negatio alterius ab eodem. Eſt igitur virtus & potentia utrique duarum illarum ſpecierum, in remotione, ſive negatione alterius de eodem, ſive ab eodem ſubjecto. Cum revera hominem eſſe aſinum nihil ſit, & ſemper non ſit ei virtus, vel contrarietas, ſive repugnantia quæ eſt inter ſubjectum illud, & prædicatum ad ſemper non eſſe, ſicut & impoſſibilitas ad ſemper eſſe, & etiam ad quandoque eſſe.

Exponit Ariſtotelem in eo ſenſu quaſi dixiſſet albedini virtutẽ eſſe ut non ſit nigredo.

Et intelligis ex hoc quæ fuerit intentio Ariſtotelis in eo quod dicit virtutem, vel potentiam: hoc enim dicit, quemadmodum ſi diceret albedini virtutem eſſe ad non eſſe nigredinem, & è converſo. Iſtud quippe non propriè verum eſt, cum albedo non ſit per ſe propriè ad deſtructionem vel non eſſe nigredinis, licet ex ea ſequatur. Non enim creavit ad hoc creator omnipotentiſſimus albedinem, ut nigredo per eam deſtrueretur, vel non eſſet, licet albedo propria virtute, ſive potentia quæ non aliud eſt quam ejus præſentia, quemadmodum in præcedentibus ſcire te feci, potens ſit naturaliter deſtruere illam, & è converſo.

Quod diameter incõmenſurabilis ſit coſtæ ex ſua eſſentia.

Juxta hunc modum tibi ſentiendum eſt & reſpondẽdũ, in exemplo illo quod Ariſtoteles poſuit, videlicet quod diametrum, à ſymmetrum eſſe coſtæ ſemper eſt, & propter hoc eſt ei virtus ad ſemper eſſe. Et virtus iſta incommenſurabilitas eſt diametri ad coſtam; proportio namque diametri ad illam prohibita eſt naturali impoſſibilitate eſſe in numeris, ſive numeri ad numerum. Hoc eſt quantitas, ſive exceſſus quo diametrum excedit coſta prohibita eſt eſſe pars, vel partes ipſius diametri. Et quoniam omnis numerus minor majoris aut pars eſt, aut partes, ſicut apud arithmeticos demonſtrativa declaratione jam patefactum eſt, ſimiliter ſi fuerint duæ quantitates commenſurabiles ad invicem, ſive communicantes, proportio earum ad invicem eſt, ſicut numeri ad numerum; & econtrario prohibita eſt coſta à cõmunicantia, ſeu commenſuralitate diametri, prohibita, inquam, prohibitione naturalis impotentiæ, ita videlicet ut quemadmodum quod eſt pars alicujus firmatum eſt ex neceſſitate naturali ad eſſe partem illius, & quod non eſt pars alicujus firmatum eſt neceſſitate naturali ut hoc non ſit pars illius: ſic ſecundum Ariſtotelem eſt ei virtus, vel potentia ad eſſe partem illius, & illi ad ſemper non eſſe partem alterius.

Quod binarius non ſit pars ſeptenarij & hoc eſſentia ſua habeat.

Horum autem ſunt exempla binarius ad quaternarium, & ternarius ad ſeptenarium; binarius enim juxta ſermonem Ariſtotelis virtutem habet ſive potentiam ad hoc ut ſemper ſit medietas quaternarij: eodem modo eſt virtus ternario ad ſemper non eſſe partem ſeptenarij, quoniam ad non eſſe medietatem, ad non eſſe tertiam, & ad non quartam illius, & ita de ſingulis aliis. Pars enim eſt ut alibi didiciſti quantitas minor majoris, cum minor majorem numeret, hoc eſt aliquoties ſuperata præciſe totam reddat vel efficiat, quemadmodum faciunt medietas, tertia, quarta, & ita de aliis in infinitum: ipſa igitur eſſentia ternarij prohibet naturali impoſſibilitate illum quominus ſit medietas, tertia, atque quarta, aut alterius denominationis pars ſeptenarij. Quapropter in eo aliud non poteſt dici virtus hujuſmodi quam ipſa eſſentia quæ ſit ſemetipſa naturaliter determinata eſt, ut nec major

nec minor eſſe poſſit, & propter hoc tamen non ſit pars ſeptenarij, impoſſibile eſt ipſam unquam fieri, vel eſſe partem illius. Eſt igitur ei virtus vel potentia hujuſmodi ad ſemper non eſſe partem illius, juxta antecedentem impropriectatem, ſeu tropum. Non enim creavit creator omnipotentiſſimus binarium propter hoc, nec ita limitavit, ſeu determinavit eſſentiam ipſius ad hoc ut eſſe poſſet pars ſeptenarij, ſed revera illud conſequens eſt eſſentiæ ipſius conſecutione neceſſaria videlicet, ut nec ſit, nec eſſe poſſit pars ſeptenarij, nec medietas poſſit eſſe ejuſdem, nec medietate minor pars, major autem medietate juxta prędictam diſtinctionem, pars nulla eſſe poſſit.

CAPITVLVM SEXTVM.

PARS PRIMA.

Oſtendit quod anima humana non eſt determinata ad quandoque non eſſe.

Si anima eſſet determinata ad certum quoddam temporis ſpatiũ puta centũ annorum non poſſet ſemper proficere.

HOc igitur ita explicato revertar ad id in quo eram, & dicam quod non eſt determinatum animæ humanæ quandoque non eſſe, ſi virtus eſt ei naturaliter indita, vel innata, ſive potentia ſemper proficere: quemadmodum enim ſi virtus, vel potentia innata eſt ei, vel naturaliter indita ad quandoque eſſe, & intendo quia ſi limitatum eſt ei eſſe, & determinata exiſtentia ſua certa menſura temporis vel durationis, impoſſibile eſt antedictum profectum ipſius, ſive proficere ejuſdem infinitum eſſe, cum ejus proficere extendi non poſſit ullo modorum ultra, ſive poſt ejus eſſe. Exempli gratia, ſi ei non eſt virtus, vel potentia ad eſſe niſi ſpatio centum annorum, ad id verò quod non eſt naturaliter poſſibile, nulla potentia naturalis, vel virtus, vel intellectus, vel imaginatio recipit hoc videlicet ut potentia ſit vel virtus naturaliter ad impoſſibile.

Profectus animæ non poteſt extendi ultra durationem animæ.

Amplius quis intellectus retineat hoc ut accidens extendatur extra ſubſtantiam: & intendo ut eſſe accidentis, quod eſt profectus ſive proficere extendatur duratione ultra ſubſtantiam animæ rationalis cujus accidens eſt, & in quo neceſſe habet fundari tanquam in fundamento ſuo, & propter hoc eo deſinente eſſe, tanquam ſubſtracto fundamento, neceſſe habet cadere in non eſſe: hoc enim eſt ac ſi diceretur quod homo naturaliter poteſt diutius comedere quam vivere vel eſſe. Reſtat igitur non eſſe virtutem, vel potentiam naturalem, ſive naturaliter inditam animæ humanæ, ad proficiendum in infinitum, & intendo neque ad proficiendum in tempore infinito, neque ad proficiendum profectibus quorum nullus ſit maximus, vel ultimus, ultimitate, inquam perfectionis. Revertar igitur & dicam quod neceſſe eſt proficere hujuſmodi habere ultimitatem temporis, vel perfectionis, vel utriuſque. Quod ſi habuerit ultimitatem perfectionis, erit igitur aliquis hujuſmodi profectuum maximus, videlicet ſupra quem non ſit major, & ultimus ultra quem non quæratur animæ humanæ alius, nec poſſibile ſit eidem acquiri.

Duo inconvenientia adducit quominus anima dici poſſit in aliquo ultimo profectu quieſcere.

Quærendum igitur eſt ab hujuſmodi homine utrum cum venerit ad hujuſmodi profectum anima humana poſſibile ſit ei quieſcere in illo, ſeu permanere, an non. Quod ſi non eſt ei poſſibile, hæc duo inconvenientia ſequuntur. Primum fruſtra eſt & motus hujuſmodi profectus, & fruſtra principium motus hujuſmodi, & hoc eſt virtus, vel potentia innata quæ movet ad illum animam humanam, movet, inquam, naturali motu ſpirituali, qui eſt amor, vel deſiderium naturale ſive appetitus illius: fruſtra namque moveretur anima humana ad ſtatum vel profectum in quo naturaliter prohibita eſt quieſcere vel manere, vel quicquam agere: hoc enim eſt ac ſi diceretur quod homo moveretur ad locum aliquem formaliter in quo non eſt poſſibile eum quieſcere vel manere, & in quo neceſſe eſt ut moriatur. Ubi accidit aliud inconveniens videlicet quod ſit naturaliter virtus vel potentia animæ humanæ acquirendi ſtatum vel profectum ſibi mortiferum, cui annexa eſt mors ejus annexione naturali & neceſſaria, quod nemo niſi omnino expers, & ignarus ſcientiæ naturalis unquam dixit. Nulla enim virtus, vel potentia data eſt alicui in ejus mortem vel deſtructionem.

Motus naturalis eſt ad locũ vel ſtatum ſubjecto convenientem.

Amplius motus naturalis ad quietem eſt, & ad locum vel ſtatum ſubjecto quod movetur naturaliter convenientem: fuga etiam naturalis eſt omnis motus à loco, vel ſtatu ſubjecto moto naturaliter inconvenienti: convenientia autem non ſolum non deſtruunt aut lædunt ipſum, ſed etiam adjuvant & confortant. Quapropter neceſſe eſt ut profectus ille de quo agitur illum adjuvet & confortet.

Operatio nõ deſtruit potentiam.

Amplius quis unquam tam delirus auditus eſt ut diceret operationem quamcumque naturaliter deſtruere potentiam ſive virtutem ex qua eſt, & perfectionem deſtruere ſubjectum quod perficit.

Animæ non deſtruuntur ſua malitia, ergo nec ſua perfectione.

Amplius ſi anima humana in ipſa imperfectione & malitia potentialitatis & imperfectionis vivit, & permanet illæſa quantum ad eſſe, quanto fortius in ipſa ſua perfectione ejus illæſa permanebit? Amplius quis dicat ſapientiam conſummatam, & virtutes perfectiſſimas deſtruere animam humanam? qualiter cogitabit aliquis quod ipſum bene eſſe deſtruat eſſe, & ipſum bene ſe habere non patiatur ipſam eſſe?

Bene eſſe nõ deſtruit eſſe.

Nulla ſubſtantia morti proxima naturaliter cenſeri debet cum optime ſe habet.

Amplius ſtatus ille & profectus ultimus, & maximus animæ humanæ nõ eſt ſolummodo bene eſſe illius, aut bene ſe habere, ſed etiam optime eſſe, & optime ſe habere. Impoſſibile autem unum eſt, ut vel anima humana, vel aliqua alia ſubſtantia etiam morti, & deſtructioni proxima ſit naturaliter; cum optime ſe habet, vel optime illi eſt; proxima inquam, naturaliter, qua ſcilicet poſſibile eſt hoc juxta modos conſuetos, & tibi non incognitos: didiciſti ſiquidem ex hiſtoriis antiquis nonnunquam reges magnos, & principes ſublimes tunc interfectos eſſe, vel ab ipſis cubiculariis ſuis, vel ab hoſtibus manifeſtis, cum in ſummo flore proſperitatis & in culmine eſſent. Sed nec dubium eſt proximitatem illam ad mortem, & interfectionem ſuam non à natura ipſorum eſſe, quin potius præter intentionem naturæ ab hominum cupiditate hominum alienorum à regibus ira, vel odio, vel aliqua hujuſmodi paſſione: hic autem non ago, nec intendo niſi de morte naturali, & quæ eſt per ſe quod eſt dicere, per intentionem naturæ ſive defectum illius naturale. Manifeſtum eſt autem tibi per hoc quod perfectio ultima animarum humanarum, vel profectus ultimus non inducit naturaliter mortem earum, vel deſtructionem aut defectum ipſarum ab eſſe.

Vitia ſunt ægritudines animę, ſcientię & virtutes ſanitas ejus.

Amplius nemo hactenus adeo delirus viſus vel auditus eſt qui ignoraverit vitia, ſeu peccata ægritudines eſſe, vel vulnera animarum humanarum: ſimiliter ſapientiam, & virtutes ſanitatem eſſe earumdem. Quapropter maximas ſcientias, maximaſque virtutes maximam eſſe ſanitatem ipſarum: nemo autem unquam opinatus eſt ex ſanitate mortem alicui naturaliter provenire. Quia igitur maximus profectus ultimaque perfectio animarum humanarum maximæ ſcientiæ, maximæque virtutes, manifeſtum eſt maximam ſanitatem eſſe animarum humanarum, & propter hoc non ſolum impoſſibile eſt mortem ex eis naturaliter prove-

nire, ſed etiam neceſſe eſt jure conſervationem & ſtabilitatem ex eis eſſe.

Quo major eſt ſanitas eo longius diſtamus à morte.

Amplius quoniam ſanitas contraria eſt læſionibus, & omnes eas repellens naturaliter per ſe, ſolæ autem læſiones vitæ defectum ejus, & deſtructionem inducunt, manifeſtum eſt quia ſanitas cauſas omnes mortis à ſubjecto ſuo naturaliter prohibet & repellit. Quapropter ſicut manifeſte longe à morte ſanitate maxima, ſic neceſſe eſt mortem animarum multo fortius maximè longe eſſe eis ſanitate hujuſmodi, & non ſolum diſtantia, ſive elongatione contrarietatis, quæ inter eas eſt, & repugnantiæ, ſed etiam longitudine temporis. Quapropter quemadmodum profectus, & appropinquatio ad ſanitatem elongatio eſt à morte naturaliter, & hoc elongatione temporis: ſic perventio ad maximam ſanitatem maxima elongatio naturaliter eſt à morte; elongatio enim tempore ut prædixi. Amplius quis unquam dubitavit ſanitatem conſervationem eſſe vitæ ſubjecti in quo eſt, & propter hoc maximam ſanitatem maximè conſervativam eſſe vitæ: & propter hoc maxime prohibitivam mortis, maximeque longe facientem illam à ſubjecto in quo eſt. Quapropter cum in ultimitate profectionis ſuæ fuerit ſanitas, neceſſe eſt & mortem in ultimitate elongationis eſſe à ſubjecto illius. Amplius quis dubitat ſaniſſimos homines morti eſſe remotiſſimos, quemadmodum ægerrimos morti eſſe viciniſſimos ſive propinquiſſimos.

Quoniam debilitas animæ provenire non poteſt ex vitiis aut ex virtutibus ſequitur à nullo prorſus eam debilitari aut deſtrui poſſe.

Amplius ſi in eas proveniret proculdubio provenire deberet ex ſolis vitiis, & peccatis. Jam autem removi hoc in præcedentibus, ubi vidiſti evidenter quanta fortitudine vigeant, & quanto vigore invaleſcant ex vitiis, & peccatis;& hoc quantum ad vires appetitivas & apprehenſivas, quod oſtendunt aſtutiæ, & adinventiones eorum in iis quæ vitiis, & peccatis eorum deſerviunt. Quis enim noſſe ſufficiat fraudes & dolos quos nectunt, ſed & labores operum ipſorum quos pro acquirendis, ſeu cuſtodiendis vitiis aut conſervandis, quis vigilias, quis jejunia, omniſque generis dolores, quos ob eamdem cauſam ſuſtinent enarrare valeat? propter quod in gente chriſtianorum vulgariter dicitur. Quod ſi tot,& tanta pro gloria, & honore creatoris ſuſtinerent inter ſanctos & electos Dei merito haberentur: Et ut breviter dicam vitia, & vires animarum corporales,hoc eſt quæ per corpus, & in corpore, operantur, etiam ſpirituales quæ ſunt virtus cognitiva,& voluntas adeo confortant, atque fortificant, ut infatigabiles hominibus videantur, & admirationi ſint omni audienti. Quia igitur impoſſibile eſt confortari vires cujuſcumque ſubjecti, & debilitatem eſſe ejuſdem, impoſſibile eſt per ejuſmodi vulnera, & ægritudines, & intendo vitia & peccata; impoſſibile eſt igitur multo fortius debilitari ipſum vel quocumque modo lædi per ſcientias & virtutes, & quoniam alia, non ſunt vulnera animarum humanarum, impoſſibile eſt eas debilitari, vel lædi quacumque ex cauſa: & propter hoc multo fortius impoſſibile erit ipſas ullo modorum deſtrui.

Animæ humanæ nec febricitant, nec aliis ægritudinib' laborant.

Amplius manifeſtum eſt quod animæ humanæ nec febricitant, nec aliis ægritudinibus laborant. Qualiter igitur intelligit eas deſtrui vel mori quicumque erroneus: omnes enim hujuſmodi viæ ſunt & cauſæ mortem inducentes, & mors finis omnis hujuſmodi. Quia igitur animæ humanæ immunes ſunt ab hujuſmodi cauſis, neceſſe eſt eaſdem immunes eſſe ab effectu earum, & fine qui eſt mors: non enim poſſibile eſt effectum naturalem eſſe in ſubjecto, vel apud ſubjectum in quo, vel apud quod non eſt poſſibile invenire cauſam illius effectus.

PARS SECUNDA.

Quod infirmitates & debilitates non ſunt in anima, ſed in corpore.

Objiciunt animas teſtes eſſe ſuæ infirmitatis.

QUod ſi dixerit quis quod ipſarum animarum teſtimonio maxime credendum eſt de ſeipſis, præſertim in his quæ de ſeipſis ſentiunt, & apud eas, & in ipſis ſunt. Ipſa enim anima humana eſt quæ per organa vocis & locutionis loquitur, quæ dicit ego febricitor, ego infirmor uſque ad mortem, ego morior per infirmitatem iſtam, ego ſentio me deficere in mortem, non eſt dubium quin multæ animæ multoties de ſeipſis ſic locutæ ſunt. Quapropter ſi maximè ſibi notæ ſunt, & maximè diſpoſitiones ſuas cognoverunt, maximè credendum eſt eis de ſeipſis. Quia igitur tibi teſtificantur de infirmitate ſua, de doloribus, de debilitatibus ſuis, & defectibus in mortem, credendum eis ex neceſſitate ſuper his. Quare credendum eſt eas mori morte corporum ſuorum ſicut ipſęmet teſtificantur.

Propter eā conjunctionem animarum cum corpore ea quæ corporis ſunt animæ attribuere, oſtendit exemplis.

Reſpondeo igitur in hoc quod modi loquendi animarum humanarum noſtrarum ſciendi tibi ſunt ad certum, & diſtinguendi, ſimiliter & ſtatus earum & diſpoſitiones in quibus ſunt quando loquuntur: plerumque enim diſpoſitiones corporum ſuorum, & paſſiones de ſeipſis affirmant propter vehementem conjunctionem ad illa. Quemadmodum vides de avaris hominibus qui paſſiones divitiarum ſuarum ſive rerum quas poſſidere videntur ſibi ipſis attribuunt, & de ſeipſis illas affirmant ac ſi eas ipſimet paterentur vel paſſi eſſent maximè vulgari gallicano loquentes. Omnis enim avarus vulgari idiomate loquens, cum ejus domus combuſta eſt, dicit ſe combuſtum,& cum vinea ejus degrandinata eſt dicit ſeipſum degrandinatum, & cum res ejus deſtructæ ſunt, dicit ſeipſum deſtructum. Cauſa autem in hoc eſt vehementis amoris conjunctio, & tanquam unitas quædam, & tanquam unio ipſorum avarorum ad res ſuas. Quod inde eſt manifeſtum quia ipſi eaſdem membra ſua nominant. Communiter enim dicit unuſquiſque eorum de meliori prædio quod habet quod ipſum eſt melius membrum quod habet. Quid igitur mirum ſi animæ dolores paſſioneſque, & alias diſpoſitiones corporum ſuorum ſibimet attribuunt propter longe majorem & proximiorem conjunctionem ſuam ad illa, & illa de ſeipſis affirmant & prædicant. Majorem autem conjunctionem animarum omnium ad corpora ſua quam ad res alias habere, inde manifeſtum eſt, quod non ſolum naturalis eſt conjunctio earum ad corpora, ſed etiam eſt vita corporum ipſorum, & propter hoc ſeparatio ipſorum ab illis mors eſt eorumdem. Ex quo etiam videre potes evidenter, quanta eſt hæc conjunctio animæ humanæ, ſcilicet ad corpus ſuum cujus operatio contraria mors corporis ſit ipſius. Extenditur autem modus iſte locutionis longe amplius, videlicet ut id quod eſt equi attribuatur equiti, videlicet ut ſi equus deungulatus, aut deferratus hoc ipſum de equitante dicere non dubitant homines; & propter hoc cũ vident alicujus equitantis equum deungulatum vel deferratum,dicũt ei quod ipſe eſt deungulatus vel deferratus. Non eſt igitur negandum ullo modo quod vera ſit confectio & ædificatio animarum humanarum, ut prædictis exemplis, ſed intellectu & intentione quam prædixi, ipſos enim avarorum ſermones præmiſſos concedendum eſt veros eſſe ſecundum tropos & figuras, quas audiviſti. Mors enim corporis uniuſcujuſque animæ, ipſius vero eſt animæ quidem ita, non quia ipſa anima moriatur, ſed quia moritur ejus corpus tam

familiariter, tantaque unione naturali conjunctiſſimum, ſicut dixi de avaro degrandinatio vineæ ſuæ non degrandinatio ipſius eſt, ſed damnificatio ipſius: & propter hoc degrandinatio ipſius ſua quodammodo eſt avari, non quidem ut ſibi propria, ſed ut rei quæ ſua erat eidemque amoris inordinati vehementia conjuncta.

Idem aliis exemplis probat.

Amplius autem eſt illis quidem conſuetum dicere nigerrimum interdum hominem monachum album eſſe: eſt igitur homo ejuſmodi monachus albus, non albedine quæ in ipſo eſt, ſed albedine habitus ſui quæ quodammodo ſua, quemadmodum eſt habitus. qui ei profeſſione & voto conjunctiſſimus eſt. Supperit tibi innumerabilium copia hujuſmodi exemplorum, nec ignoras qualiter homo flavus vel criſpus dicatur, non ſolum propter partem quæ caput eſt ipſius. ſed etiam propter capillos qui non ſunt partes ipſius, ſed ornatus partis hujuſmodi. Juxta eumdem tropum, ſive figuram dicit homo pulcher, aut niger ſe eſſe nigrum aut pulchrum, & propter hoc dicitur hoc anima ipſius, ſicut jam ſcire hoc te feci, hoc eſt in præcedentibus. Attribuit igitur ſibi anima illius & affirmat de ſe pulchritudinem corporis ſui, ſimiliter & nigredinem, & hoc veriſſime, licet illi nec pulchritudo corporalis, nec color ullatenus competat propriè, ſive conveniat. Hoc enim non dicitur niſi ſecundum tropum, ſive figuram antedictam.

Alia adducit exempla ut probet cogitationes adeo vehementes ut quandam veluti unitatem faciant apparere inter animam & res quaſdam externas.

De eo vero quod prædixi tibi quod confitendus eſt ſtatus animarum in quo de ſeipſis loquuntur. Scire te oportet quemadmodum cogitationes adeo vehementes ſunt adeoque profundatæ in animabus ipſis, ut quaſi quandam unitatem ſive unionem faciant eis apparere inter ipſas, ſunt enim quaſi rapientes animas ipſas in res illas. Quemadmodum accidit in illo qui gallum ſe eſſe credebat, & vocem galli atque cantum pro poſſe effigiabat, nolens uti alia voce, vel cantu, videbatur enim ſibi quod alia voce aut cantu nullatenus uti poſſet, quoniam gallus erat ut ſibi videbatur. Ego etiam memini me vidiſſe hominem qui ſibi videbatur eſſe quæcumque avicula quæ coram eo volitaret, & interdum videbatur ſibi quod erat Dei filius, interdum quod eſſet ſpiritus ſanctus, nonnunquam vero quod eſſet antichriſtus. Quibus aliis vocibus, vel locutionibus putari poteſt uſus fuiſſe niſi eis ſolis quæ rebus congruerent, quas ſe eſſe opinabatur. Vidi etiam alios qui ſe reges eſſe ac principes, vel ſummi ſacerdotes eſſe opinabantur, regalibus ſermonibus atque pontificalibus loquebantur, imperantes ac judicantes, aliaque officia, regum & pontificum, ſive aliorum magnatum exercere opinantes, vel potius ſomniantes. Jam enim audiviſti in præcedentibus paſſiones illas, & ſimiles ſomnia tantum eſſe, ſed fixa & non facile evaneſcentia, ſicut ipſo ſomno alia ſomnia in evigilantibus continuo evaneſcunt.

Unde à fortiori oſtendit ſibi ab anima quæ ſui corporis ſunt propter majorem conjunctionem tribui poſſe.

Non debet igitur videri impoſſibile tibi ſi tanta proximitas tantaque conjunctio corporis ad animam humanam faciat ſibi eam aſſumere, & in ſe transfundere paſſiones, & alias diſpoſitiones quæ verè & propriè ſolius ſunt corporis, quales ſunt defectus & mors ſicut dixi. Longe enim minus incomparabiliter poſſe debet ſimilitudo cujuſcumque rei forinſecæ in animam humanam, quam corpus proprium in eandem, longeque minus poſſibile videtur rei cuicumque per ſimilitudinem ſuam hoc poſſe in animam humanam, ut non ſolum diſpoſitiones ſuas ſibi aſſumat in ſe, & transfundat, ſed etiam eſſentiam ſuam quam corpore ſuo humano quod tanta proximitate tantaque unione verè eidem cõſtat eſſe conjunctum. Verumtamen utrum doloribus corporalibus, & intende de doloribus qui per corpus ingeruntur aut inferuntur verè doleat, ac propriè anima humana in ſequentibus lucidius & perſcrutatius declarare intendo.

PARS TERTIA.

Quod cum limitatione animæ ad eſſe non ſtat eſſe proficere in infinitum.

Quod non poſſit ſtare cum limitatione exiſtentiæ animæ humanæ quod poſſit proficere in infinitum.

INterim autem revertar ad id à quo occaſione quæſtionis iſtius digreſſus ſum, & dicam quod jam declaratum eſt tibi, quoniam non eſt poſſibile ut potentia naturalis vel virtus ſit animæ humanæ ingenerata, & naturaliter indita ad proficiendum in infinitum ſapientia, & virtutibus. Et intendo in infinitum duobus modis, videlicet tempore infinito, & profectibus infinitis, videlicet quorum nullum poſſibile ſit eſſe maximum vel ultimum, non, inquam, poſſibile eſt alterutrum iſtorum cum limitatione exiſtentiæ, ſive vitæ humanæ. Et dedi tibi cauſam in hoc, ſcilicet quia non eſt poſſibile longioris durationis diſpoſitioné quamcumque animæ humanæ eſſe, quin ſit ejus eſſe, ſive vita ipſius. Quemadmodum non eſt poſſibile ut ultra exiſtentiam ejus vel vitam ſit vel extendatur aliqua diſpoſitio ejus; alioquin neceſſe eſſet illam eſſe poſt mortem ſubjecti, & abſque ſubjecto. Similiter non eſt poſſibile ut virtus vel potentia cujuſcumque ſubjecti ſit ad diſpoſitiones, vel perfectiones à quibus naturaliter prohibitum eſt ſubjectum.

Requirit tempus infinitum in acquirendis perfectionibus infinitis, quales ſunt in ſcientiis infinitæ propoſitiones.

Cum enim limitata ſit tempore vita animæ humanæ, ſive exiſtentia ipſius, & talis vita ſufficere non poſſit naturaliter infinitis perfectionibus vel acquirendis, vel recipiendis, non eſt poſſibile ut limitetur vita ipſius, quin limitatæ ſint & numero & tempore perfectiones ipſius. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam unaquæque perfectionum & diſpoſitionum hujuſmodi tempus requirit, & hoc intendo, ſi per viam naturalis acquiſitionis acquirantur. Cæterum ſi deſuper tantum, hoc eſt revelatione, vel inſpiratione creatoris, non eſſet neceſſe ut temporum moroſitate, vel menſuratione acquirantur. Verum manifeſte eſt quia non ſolum una ſcientia, vel ars acquiſitionem non habet temporé limitatam & menſuratam, ſed etiam unumquodque principium, & unaquæque propoſitio ejuſdem. Omnes enim artes vel ſcientiæ cum aggregatæ ſunt in ſimul, ex neceſſitate requirunt tempus infinitum in acquiſitionibus ſuis, cum manifeſtum ſit non eſſe verum numerum propoſitionũ ipſarum. Quot enim inventa ſint circa lineas, & quot poſſibile ſit circa eaſdem invenire, ſimiliter & circa ſuperficies omnes, circa triangulos & unamquamque ſpeciem ipſorum; eodem modo & circa circulos, & circa figuras inſcribentes eos, vel inſcriptas ab eiſdem? quis cogitare ſufficiat quot & quanta eſſet à viris exercitatis in talibus inveniri; Similiter ſe habet de innumeris generaliter ſcientiis, de quibus ſi diligenter attenderis invenies eas proculdubio infinitas & inſcrutabiles. Quapropter manifeſtum eſt quia ſi finita eſt virtus intellectiva animæ humanæ quantum ad ſuum eſſe, ſive vitam, ſive exiſteniam, impoſſibile eſt ut ſit eidem infinita virtus, & potentia naturaliter ac infinitus profectus quales prædixi. Quemadmodum ſi finita eſt virtus motiva cujuſcumque cœlorum quantum ad exiſtentiam, ſive vitam, ſive durationem, impoſſibile eſt eam eſſe infinitam quantum ad revolutiones illius. Et hoc eſt dicere quia impoſſibile eſt illam efficere infinitas revolutiones cœli ſui. Amplius unaquæque ſubſtantia impartibili nihil poſſibile eſt eſſe fortius & potentius de his quæ ejus ſunt quam ipſa ſit. Similiter nihil eſſe durabilius aut longioris exiſtentiæ quam ipſa, vel ſuum eſſe. Quapropter impoſſibile aliquid ipſius infinitum eſſe

ipſa

ipſa exiſtentia finita. Neceſſe igitur eſt operationes ipſius finitas eſſe ſecundum utrumque modum, quod eſt dicere & numero & tempore, ſi ipſa finita eſt ſecundum vitam ſuam vel tempus.

Quod ſit potentia infinita?

Debes autem ſcire & intentionem potentiæ infinitæ in parte iſta: potentia namque eſt infinita in operatione ſua quæ non habet ultimum in operationibus. Quemadmodum dicitur de potentia, vel virtute motiva uniuſcujuſque cœlorum, de quo ſecundum Ariſtotelem manifeſtum eſt, quod non habet ultimum in operationibus quæ ſunt revolutiones ipſorum cœlorum, & intelligo ultimum naturaliter, & hoc eſt dicere ultimitate naturali. Hujuſmodi enim ultimitas prohibet poſſe eſſe aliam revolutionem poſt illam prohibitione naturali, naturali dico quæ eſt impoſſibilitas naturalis eſſendi illam. Et hoc manifeſtum indubitanter, quia nulla eſt, vel fuit, vel futura eſt quæ prohibeat naturaliter eſſe aliam, & hoc eſt dicere, poſtquam non ſit poſſibile naturaliter ſuccedere aliam: ſimiliter autem ſe habet, & de potentia numerandi, quia nulla numeratio eſt naturaliter ultima, videlicet poſtquam non ſit poſſibile eſſe aliam. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam cum potentia numerandi cadat ſimpliciter ſuper numeros infinitos, & ſuper numeros omnes. Quapropter non ſtabit finaliter in alicujus numeri numeratione quin poſſit ultra progredi, & alium poſt illum numerare. Alioquin ſuper illum determinate caderet, & ad numerationem illius ſolius potens eſſet. Nulla enim ſubſtantia potens eſt niſi ſuper illud ſuper quod cadit ejus potentia. Quare non eſſet potens anima humana ultra numerum illum aliquem alium numerare.

PARS QUARTA.

Quod ægritudines corporis non lædunt animam.

Objicitur quod animæ vita poſſit eſſe longa, ſed ei per vim auferri.

SI vero dixerit quod potens eſt anima humana ad vitam longam, verumtamen auferri poteſt ei, quemadmodum multi homines ſunt potentes vivere pluſquam vivant, ſed mors quocumque caſu ſuperveniens eis abſcindit vitam eorum ſive præſcindit. Manifeſtum eſt enim in pueris qui in pueritia moriuntur, & in juvenibus qui in juventute moriuntur, & in quibuſdam etiam ſenibus quia impoſſibilitate naturali non ſunt prohibiti ulterius vivere quam vivant, vel vixerint. Naturaliter autem plus vivere potuiſſent, ægritudines enim & vulnera, cæteræque viæ mortis non naturales ſunt hominibus, imo contra naturam ipſorum. Et generaliter nulla læſio naturæ naturalis eſt ſubjecto naturæ illius. Omne enim quod naturale eſt cuicumque ſubjecto poſſibile eſt ut naturaliter fugiatur ab illo, vel ut naturaliter pugnet contra illud. Quia igitur naturaliter fugitur mors ab hominibus, & naturaliter pugnatur ab ipſis contra illam, manifeſtum mortem inimicam eſſe hominibus naturaliter, & propter hoc eſſe innaturalem eiſdem, hoc autem declarabitur tibi in ſequentibus irrefragabiliter perſcrutanti.

Reſpondet prædictæ objectioni.

Reſpondeo igitur ad id quod prædixit, quod videlicet quemadmodum vita non eſt limitata hominibus naturalibus limitibus ſeu cauſis quibus finitur præter naturam, imo contra eam evenit eis ex læſionibus & occiſionibus ægritudinum, vulnerum, & læſionum aliarum, ſic evenit mors animabus humanis, non limitatione naturali. Dico etiam intolerabiliter errare hominem hujuſmodi, & inſipienter declinare reſponſionem propoſitæ quæſtionis. Quærebatur enim hic utrum virtus, vel potentia naturalis eſſet animæ humanæ ad ſemper eſſe, vel ad ſemper non eſſe, quemadmodum quædam ſemper ſunt hoc eſt ſine fine in tempore virtutis, ſive vigoris, & potentiæ naturalis illorum, qua ſic firmata ſunt in eſſe, & prohibetur ab eis deficientia, & læſio, atque mors & non eſſe. Quibus autem non eſt virtus ſive potentia naturalis niſi ad quandoque eſſe, manifeſtum eſt hoc eis eſſe ex paucitate virtutis, atque diminutione ipſius; iſtud autem longe eſt ſubſtantiæ animæ humanæ naturaliter, & hoc inde apparet quia ſi hæc eſſet complexio corporis humani, ut lædi non poſſet antedictis occaſionibus, ægritudinibus, atque vulneribus, aliiſque hujuſmodi paſſionibus, non propter hoc aliquid adveniet vitæ animæ ipſius ſive animæ ipſi quantum ad eſſe. Receptibilitas enim, ſive alia quæcumque bona diſpoſitio ſubjecti in quod agit virtus, vel potentia quæcumque nihil agit virtute vel potentia ejuſmodi. Addet igitur indubitanter ipſi patienti occaſionaliter, & non effective quia proculdubio bona receptibilitas via eſt, & expedimentum virtuti, vel potentiæ agenti, ut magis & majus influat patienti.

Soli nihil detrahit aut addit aëris caligo vel puritas.

Exemplum autem hujus evidentiſſimum eſt in ſole cujus luminoſitati nihil addit puritas aëris, ac ſubtilitas, ſed revera ipſum aëra expedit, & idoneum efficit ut plus luminis influat ſol in ipſum. Manifeſtum quoque ſimiliter eſt quod nubiloſitas, vel groſſities ipſius aëris nihil detrahit ſoli, nec luminoſitati ipſius, apud ipſū vel ipſā, ſed impedit in parte & prohibet aëra, licet nō totaliter à receptione luminis à ſole ſic ad interius ratione nemo negare poteſt, quia ſi corpus humanum receptibile eſſet vitæ, & perpetuo prohibitum ab impedimentis receptivis hujuſmodi, quia non propter hoc aliquid adderet animæ humanæ vel copioſitati ipſius vitæ in corpus. Quapropter neque impedimenta prohibentia corpus à receptione influentiæ illius aliquid detrahet animæ humanæ, vel vitæ illius.

Sic nec animæ aliquid detrahunt ægritudines ſed corpori.

Manifeſtum autem eſt quia ægritudines, vel læſiones aliæ quæcumque accidentes corpori humano, licet illud impediant, & in parte prohibeant à receptione vitalis influentiæ, nihil tamen detrahunt ſubſtantiæ animarum humanarum, vel vitæ in ſeipſis vel apud ipſas; & tu jam alibi didiciſti quod operationes, & obſtructiones viarum per quas eveniunt ab ipſa anima tanquam effulgentiæ vel influentiæ quædam ad membra illa utique impediuntur & detrahunt ipſis, ac prohibent ab eis vitam, & ſenſum, & motum. Fonti vero omnium iſtorum qui revera anima eſt nihil omnino detrahunt in ſe ipſa, vel apud ipſam. Quemadmodum ſi viæ aquarum emanantium à fonte obſtruuntur, vel impediuntur quocumque modo, ne per eas aquæ ex fonte manantes fluant, manifeſtum eſt tibi quia non propter hoc minuuntur copioſitas, aut redundantia aquarum in fonte aut aliquatenus læditur, licet revera impediantur, vel prohibeantur loca, vel vaſa, vel quæcumque alia receptiva aquarum; impediuntur, inquam, vel prohibentur ab influentia, vel receptione aquarum fluentium.

Anima fons eſt vitalium operationū.

Quia igitur nulli intelligenti dubium, vel ignotum eſt animam humanam fontem eſſe veriſſimum vitalium influentiarum, quæ ſunt vita, ſenſus & motus, emanantium ex illa in corpus & membra receptibilia illarum, manifeſtum ex obſtructionibus, ſive opilationibus viarum per quas in ipſa fluunt influentiæ hujuſmodi, vel ex aliis impedimentis, ſive occiſionibus membrorum illius corporis, nihil læſionis, vel impedimenti inferri ipſi fonti quem animam eſſe dixi. Attende diligenter exempla iſta & comparationes eorum videlicet ſolis & fontis ad aëra & corpus humanum denſitatum, nubiloſitatum, omniumque interpoſitorum impedimenta receptionis luminis in aëre, ſimiliter opilationes, obſtructiones, aliaque impedimenta receptionis influentiarum vitalium in corpore &

membris ejus, & placebit tibi ratiocinatio iſta.

Idem oſtēdit exemplo inſtrumentorum muſicorum.

Quod ſi reſpexeris ad inſtrumenta forinſeca artificialium operationum qualia ſunt cithara fiſtula, dolabra, aliaque hujuſmodi. Deinde ad operationes, & ad virtutes, & artes quibus operantur, habebis comparationes convenientiſſimas; cum evidenter videas ineptitudines, læſioneſque, & alia impedimenta inſtrumentorum nihil læſionis afferre, vel inferre operario, vel virtutibus, vel artibus illorum quantum ad eſſe vel ipſorum, vel ipſarum. Exempli gratia ſi nervus in cithara ineptus fuerit, vel pars citharæ quolibet modo impedita, ſi fracta, vel putrefacta. Manifeſtum eſt ex his occaſionibus nihil nocumenti eſſe quantum ad eſſe citharœdum. Eodem modo ſi nervus ruptus fuerit in corpore nihil ex hoc læſionis venit in animam quantum ad eſſe ipſius, ſed revera impeditur operatio quæ, vel perficienda erat vel adjuvanda per nervum illum. Et verum eſt indubitanter quia tanquā harmonicæ ſunt operationes animæ humanæ in corpore & per corpus Et propter hoc mediante contemperantia ad influentias antedictas conſonant membra & partes illius, & reſonant, & nihil impedimenti penitus habent, & reſonantiæ quædam ſunt veluti harmonicæ, propter quod dicit Ariſtoteles quia medietas quædam eſt harmonia. Quemadmodum enim in harmoniis omni diminutione, vel ſuperfluitate ſenſibili acuminis aut gravitatis deſtruitur conſonantia, & fit diſſonantia offendens auditum, & diſcrepans ab eodem, imo percutiens ipſum. ſic in membrorum diſpoſitionibus, ſi quis vel plus, vel minus à debita contemperantia habuerit, læditur & impeditur operatio quæ per illa facienda eſt. Eodem modo ſe habet ex exceſſu, & diminutione rerum ſenſibiliū; propter hoc dicit Ariſtoteles quia extrema corrumpunt ſenſum, hoc autem non eſt eis niſi per exceſſum ſuperfluitatis: minima vero non adjuvant ipſum ſufficienter propter diminutionem ſuam, & propter hoc non completur operatio ſenſus; non enim perfectè videntur, vel audiuntur minima in coloribus vel minima in ſonis.

Nihil læditur anima ex mutilatione ſenſuum, ſed ſuppletur defectus unius ſenſus per alterū.

Si enim ad experimenta intenderis vel intendere volueris, invenies in corporibus mutilatis, & magnis atque nobilibus membris ſuis detruncatis, animas integerrimas atque fortiſſimas tanquam ſi interius ſuppletum eſſet eis ſi quid ex defectu membrorum eiſdem ſublatum vel ablatum videbatur. Quorum unum exemplum evidentiſſimum eſt in cœco campſore, & in arte campſoria quouſque jam perito atque probato ut omnes monetas regni in quo eſſet, licet plurimæ eſſent, dijudicat infallibiliter, & diſcernit ſolo tactu. Manifeſtum igitur eſt in eo quod quaſi ſuppletus eſt ei defectus oculorum & viſus in ſenſu tactus. Sic ſe habet & de illo cœco nato qui fuit bellator ſtrenuiſſimus, de quo feci tibi mentionem in tractatu de ſubſtantiis abſtractis nobilibus, cui indubitanter ſuppletus videtur fuiſſe in virtute imaginativa defectus viſus. Uniuſcujuſque autem iſtorum animam ſi interrogaveris, proculdubio reſpondebit ſe non eſſe mutilatam, vel detruncatam oculis, ſed penitus integram eſſe in totalitate eſſentiæ ſuæ, prorſuſque illæſam quantum ad eſſe ſuum ſolummodo autem hoc ſibi videtur obſtruſas, vel obſtructas eſſe ſibi feneſtras domus ſuæ, quæ domus proculdubio eſt corpus, ejus vero feneſtra oculus, juxta ſermonem propheticum quo dictum eſt, *intravit mors per feneſtras.*

Hier. c. 2.

Nec ex mutilatione membrorū.

Per modum eumdem reſpondebunt tibi omnes animæ quarum corporibus abſciſſi ſunt pedes, vel manus, vel aures, & dicent in ſemetipſis, vel apud ſemetipſas nihil ſe detruncationis, aut diminutionis paſſas in mutilationibus iſtis, ſed integerrimas ac fortiſſimas remanſiſſe atque perſiſtere quantum ad eſſe; & amiſſionem manuum nihil eſſe apud eas, niſi quaſi quamdam amiſſionem forcipum quibus trahebant, & attrahebant quæ manibus tractabilia erant. Nec aliter loquuntur de amiſſione manuum iſtarum quam faber ferrarius de amiſſione forcipum ſuarum. Eodem modo ſe habet de amiſſione linguæ, os enim quantum ad officium vocis, & loquelæ non judicat anima erudita, & docta niſi ſicut inſtrumentū quod vulgari gallicano tartana ad ſimilitudinem ſoni quem reddit. Quapropter linguam corporis projici non reputat, niſi tanquam partem inſtrumenti iſtius quæ vulgo dicitur batarellum eo quod agit actione ſua, & verberatione ſive admiſſione ad partes inſtrumenti illius ſonus perficitur quem prædixi. Quapropter anima erudita & docta ut prædixi loquens de amiſſione linguæ corporalis ſuæ non aliud diceret niſi ſe amiſiſſe batarellum tartanæ ſuæ. Eodem modo ſciendum eſt tibi quia & arterias vocales non reputat niſi fiſtulas per quas vocem emittit, & format loquelas & cantus: certiſſimum habens illas non eſſe de eſſentia ſua, neque inſeparabiliter, vel actu, vel ratione ſibi congenitas, licet naturalia inſtrumenta ſint, & ad prædictas operationes. Juxta hunc modum manifeſtum eſt ei coxas & tibias corporis ſui columnas, & baſes eſſe, & ad ſuſtentationem & ſubventionem corporis.

Cum multū anima cum corpore facit ut ea quæ corporis ſunt ſibi attribuat.

Verum ſicut difficile eſt ei cogitare ſe, & videre abſtractè, ſive ſeparatim à corpore propter vehementem conjunctionem ſuam ad illud, & propter conſuetudinem contrariam, videlicet ei contrario cogitandi, & loquendi de ſe, & attribuendi ſibi quæ corporis ſui ſunt, nec abſque difficultate verè & propriè loquitur de ſe & corpore ſuo. Sed aliquando juxta ſermonem propheticum *reddetur ei labium electum, & ſeparabit pretioſum à vili, ut ſit ſicut os creatoris*, juxta ſermonem alterius prophetæ qui ex perſona Dei altiſſimi dixit, *ſi ſeparaveris pretioſum à vili quaſi os meum eris.* In quo ſermone rectè intelligitur pretioſum ipſamet, & vile corpus. Cum igitur ſeparaverit ſe à corpore abſtractione qua intelligat eſſentiam ſuam nobilem, & perfectiones pulcherrimas lucis quæ ſunt ei apud ſemetipſam, & in ſemetipſa, verè ac propriè tunc erit quaſi os creatoris, videlicet loquens vera & recta, ac propriè de ſe, quod eſt unum de his quæ congruunt ori creatoris, nec reputes leve malum, aut modicum nocumentum loquendi non rectè conſuetudinem; multum enim poteſt conſuetudo ejus ad pervertendos intellectus ſimplicium, & non eruditorum. Quapropter conſilium ſaluberrimum eſt erudiendis illis rectis propriiſque uti ſermonibus: fingere namque abuſiones locutionum ſicut vicinæ, & proximæ ſunt falſitati juxta planum & proximum intentionum ſuarum, ſic à veritate abſtrahunt. & in falſitatem protrahunt aſſuetudine ſua, videlicet indoctos homines.

Sophon. 3. 9.

Hierem. 15. 19.

PARS QUINTA.

Quod ex ægritudinibus corporalibus anima multoties ſanatur.

Similes eſſe ægritudines animæ & corporis.

His autem ita declaratis revertar ad proſecutionem quæſtionis, & dicam quia dicit erroneus de morte, & vita hominum, quia poteſt longior eſſe vita hominibus, & mors feſtinatior eiſdem. Hoc indubitanter verum eſt, quia ſæpiſſime occaſiones mortis hujuſmodi quandoque averti poſſunt, quandoque retardari, videlicet ne tam cito eveniant, vel ne tam cito operentur: interdum autem impediri, ſicut vides impediri febres ne tam durè affligant patientes. Quod ſi intelligit erroneus iſte ſimiles cauſas eſſe animarum, vel illas eiſdem quæ cauſæ ſunt mortis corpori, ipſa

ſenſuum

ſenſuum experientia contradicit evidenter ipſi.

Ægritudines corporis faciunt animam ſaniorem, & mors corporis vita eſt animæ.

Primum quia in gravioribus ægritudinibus manifeſtum eſt animas ſanari à propriis ægritudinibus, juxta ſermonem ſapientis, quo dixit quia *infirmitas gravis ſobriam animam reddit.* Quia igitur anima intelligens ignorat vitium omnem ebrietaté eſſe, ſicut & ægritudinem, neceſſe eſt ſobrietaté animarũ ſanitatem eſſe earumdem; quapropter ſobriã facere animam indubitanter eſt facere eam ſanam. Quapropter manifeſtum eſt graves infirmitates corporum ſanitátes efficere animarum & à proportione, ſeu proportionale mortem corporum vitam bonam efficere animarum, non dicam vitam quantum ad eſſe, ſed quantum ad bene ſe habere. Innumerabilibus autem exemplis manifeſtum eſt innumerabiles homines per ægritudines corporum ſanatos fuiſſe ab ægritudinibus animarum.

Cogitatio mortis à vitiis liberat.

Amplius ſi ipſa memoria, vel recordatio mortis corporis animas liberat, & hoc naturaliter ab ægritudinibus vitiorum & peccatorum, quanto fortius ipſa veritas, & recogitatio ipſius, eas in hoc amplius adjuvabit, & hoc proculdubio ſapiens inſinuare voluit ſermone ſuo quo dixit, *fili memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Eccli. 7. 40.

In morbis confortatur intellectus.

Amplius quot & quantas vidimus ſecundum vires ſuas præcipuas, invaleſcere & cõfortari, & ad ea poſſe in graviſſimis ægritudinibus corporum ſuorũ quæ in ſanitate minimè poterant eorumdem, & de virtute quidem intellectiva, vel experientia ſcitum eſt quod quovſque confortabitur ægritudinibus corporum graviſſimis ut animæ multæ, & mortes corporum ſuorum prædicerent, & prophetarent; & interdum etiam aliorum. Hæc autem in ſanitate, & fortitudine corporum ſuorum non poterant.

Invaleſcit & voluntas.

Similiter & de virtute motiva nobili quæ eſt voluntas vel volendi potentia quantum invaleſcat, & confortetur, & quam victorioſa efficiatur ex vicinitate mortis corporis, & ſenſus defectus, omnibus intueri volentibus, & valentibus in palam eſt. Qualiter enim vincat concupiſcentias omnes, qualiter conculcet & proſternat eaſdem, quantum erecta, quamque magnificè ſtet contra ipſas & alias turpes, & noxias paſſiones contra quas quaſi nihil in ipſa ſanitate & fortitudine corporis poterat? quis enim & in ſe, & in plurimis aliis non potuit experiri, ſi tamen per quodcumque periculum mors ei ſui corporis appropinquavit, quod ſeipſam animam humanam de fortitudine iſta ſive voluntate interroges, reſpondebit tibi, non ſolum ſe eſſe fortem, ſed etiam invincibilem adverſus peccata, & vitia, à quibus ſe deffendere non valens, proſtrata ab eis, debilis & languida, turpiſſime ſerviebat eiſdem utpote victa & ſuccumbens, & graviſſime vulnerata, nec valens ſe erigere contra eas? Vides igitur evidenter animam invaleſcere, & confortari atque fortiorem eſſe in ſe, & apud ſe ex eis cauſis quibus corpus infirmatur, & debilitatur, & tandem in mortem deficit, & etiam in ipſa infirmitate, & deficientia corporis. Impoſſibile autem eſt ut alicui proficiendo naturaliter defectus adveniat, & confortando, id eſt dum confortatur debilitas; ſimiliter & dum ſanatur infirmitas: eodem modo & dum vivificatur mors. Quapropter impoſſibile eſt ut ex cauſis invaleſcentiæ, & confortatione fortitudinis, & firmationis, &, ut dixi, vivificationis naturalis eveniat ei mors.

Vires etiam animæ humanæ augeri in laborantibus phrænesi & in melancholicis.

Quod ſi etiam ad vires animæ humanæ reſpexeris quæ fortè dicitur corpus humanum vel homo, ſecundum illud invenies etiam illas augeri, & confortari ſupra modum ex ægritudinibus corporalibus ejuſdem, ſicut apparet in ægritudine quæ vocatur phreneſis, & in ipſa furioſitate furentem, ſive inſanientem, vix quatuor homines tenere poſſunt tempore furoris quem alio tempore duo, vel unus teneret. Manifeſtum enim plus poſſe viribus dum inſanit quam ſanus poſſet. De melancholicis ſimiliter manifeſtum eſt quod ambulando, & circumagendo vix fatigabiles ſint, qui tamen tempore ſanitatis medietate laborum circumvagationes ſuæ fatigarentur. Jam igitur manifeſtum tibi quod ægritudinibus corporum, non ſolum confortantur, & invaleſcunt atque fortificantur vires animarum humanarum ſuperiores ac nobiles, ſed etiam inferiores, imo etiam infimæ proximioreſque corporibus, videlicet motiva, hoc eſt executiva motus.

Sicut ægritudines corporis animam non lædunt nec mors corporis mortem ipſi animæ infert.

Quapropter modis omnibus manifeſtum eſt læſiones ſive morbos corporum, nihil detrimenti, vel læſionis afferre, vel inferre animabus. Quapropter manifeſtum eſt nec ipſam mortem corporum ullatenus lædere eſſe, vel eſſentias ipſarum, cum ipſa mors maxima ſit & ſuprema læſio ipſius eſſe vel eſſentiæ cui aderit. Neceſſe eſt enim minores læſiones ſimiles inducant animabus, ſi mors corporis mortem ejus ingerit, vel inducit: proportionalia namque ſunt læſiones utrimque, & mortes, ſicut cauſæ & effectus. Quare ſicut mors ad mortem, & ſic læſiones inducentes mortem corporis ad læſiones inducentes mortem animæ ſe habere neceſſe eſt. Quapropter cum non ſit poſſibile ut læſiones illæ corporales læſiones ingerant, vel influant animabus humanis quantum ad eſſe ſuum; non eſt poſſibile ut mors corporis ſive corporalis mortem ingerat, aut ullatenus inferat animabus.

Conjunctio corporis nõ eſt cauſa vitæ in anima, igitur nec ſeparatio corporis cauſa eſt mortis animæ.

Amplius cum manifeſtum ſit conjunctionem corporis non afferre, vel conferre vitam animabus, manifeſtum debet eſſe omni intelligenti ſeparationem illius corporis nec detrahere, vel auferre vitam animabus; contrariorum enim generaliter contrarios effectus neceſſe eſt eſſe: ſicut evidenter vides quoniam quemadmodum conjunctio animæ ad corpus cauſa eſt vitę illi, ſic ſeparatio ejuſdem ab illo cauſa eſt mortis eidem, & vitam quam conjunctio animæ ad corpus confert, corpori contraria ſeparatio aufert eidem.

Anima eſt cauſa vitæ corporis, nec proinde defectus vitæ corporis mors eſt animæ.

Amplius vita corporis diſpoſitio eſt corporis, & in eo tanquam accidens in ſubjecto, diſtractio vero accidentis per ſe non eſt poſſibile ut ſit deſtructio ſubjecti per ſe ac naturaliter. Quod evidentiſſimum eſt ex ipſa definitione, ſeu ratione accidentis, qua dicitur accidens eſt quod adeſt, & abeſt præter ſubjecti corruptionem. Manifeſtum igitur eſt quod deſtructio vitæ corporis non eſt niſi deſtructio accidentis ipſius, quare non eſt deſtructio corporis ipſius. Quanto minus igitur poterit eſſe deſtructio hominis, hoc eſt ac ſi diceretur quod obtenebratio aëris quæ non eſt niſi deſtructio luminis in aëre, luminis inquam accidentalis, eadem deſtructio eſt ſive cauſa deſtructionis luminis, ſive luminoſitatis ſolaris; hoc enim eſt non ſolum proportionale ad ea de quibus hic agitur, ſed etiam ſimillima ſunt. Et jam multa ſuper hoc audiviſti, & declaratum eſt tibi multipliciter, & irrefragabiliter, quia vita animæ humanæ nullo modorum pendet è vita corporis ſui, ſed magis è converſo. Manifeſtum etiam per ſe eſt, & nulli hominum ignorant qui nomine hominum digni ſunt quod vita animæ humanæ confert vitam corporis ſui, ſed non è converſo. Quia igitur vita non eſt cauſa animæ ipſius, non erit mors ejuſdem cauſa mortis illius, & ratiocinatio iſtius fundata eſt ſuper radices contrarietatis, & proportionalitatis.

Animę pręcipua cauſa creationis eſt præter corpus adeoque eſt ipſius eſſe.

Amplius anima humana non eſt creata propter corpus, neque propter operationes quas in corpore, & per corpus operatur, vel ad minus non in primis, & principaliter, cum ſint incomparabiliter perfectiores atque nobiliores aliæ. Manifeſtum autem inconveniens eſt ut non maximè ſit atque principaliter creata propter maxima & principalia

bona quæ vel ex ea eſſe debent vel ei pro illa debita ſunt ac poſſibilia acquiri. Cum igitur præter corpus ſit & principalitas, & maximæ operationes per quas poſſibile eſt ei acquirere, vel bona maxima ſua quæ ſunt perfectiones ejus nobiles, vel finem ultimum qui eſt fœlicitas & gloria æterna, præter corpus tota cauſa ſuæ creationis, aut ſaltem principalis, atque præcipua: eadem autem eſt illi cauſa ſuæ creationis quæ eſt illi, & ſui eſſe. Quapropter præter corpus eſt ei præcipua cauſa ſecundum eſſe. Cum igitur amittit corpus per mortem ipſius, remanet adhuc ei tota, vel ſaltem principalis atque præcipua cauſa ſui eſſe, ſaltem quod in ea principale atque præcipuum.

Adducit teſtimonium Ariſtotelis de parte animę quam ſeparabilẽ dicit.

Et hoc forſitan concedet aliquis propter ſermonem Ariſtotelis in libro ſuo de anima, partem animæ ſeparabilem illam videlicet qua intelligit, & forſitan ex hoc ſermone ſumet aliquis directionem dicendi quod pars illa animæ humanæ qua videtur homines communicare cum aliis animalibus ſeparabilis eſt corpore, & propter hoc immortalis. Non intelliget homo iſte in hoc quia Ariſtoteles dicit partem animæ ſpeciem animæ, quod indubitanter verum eſt, ſed partem potius quæ ſit de totalitate, & integritate animæ ipſius. Iſte autem intellectus non ſolum erroneus eſt, ſed impoſſibilis. Jam enim declaratum eſt tibi in eis quæ præceſſerunt in hoc ipſo tractatu declarationibus multis, & demonſtrativis animam humanam incorruptibilem eſſe, & quoniam non eſt in ea pars & pars, neque potentiæ quæ ei attribuuntur ſunt ullo modorum partes ipſius, neque aliqua earum eſt in ea tanquam pars.

Gaudia ſpiritualia ſũt perfectiones animæ humanæ, quare eſt ipſi vita præter corpus.

Amplius, gaudia ſpiritualia, & perfectiones ſunt animæ humanæ apud ipſam; gaudia enim quæ in corpore ſunt, & per corpus nec poſſibile eſt eſſe gaudia, nec gaudiorum nomine digna, ſed illuſiones potius, & inquinamenta animarum, & ſicut jam audiviſti multipliciter noxia, ac pernitioſiſſima eiſdem deſtruentia nobiles ac ſublimes perfectiones earumdem, & deſtructio iſta ſcripta eſt tibi in tractatu de deſtructione ſtultitię ſaracenorum, & corporalis pararadiſi quem gens illa ſomniat. Sunt igitur naturaliter animæ humanæ gaudia ſpiritualia veræque delitiæ in ſuis perfectionibus nobilibus, ſive acquirat, propter quod dixi naturaliter, Innumerabiles namque ſunt animæ humanæ quæ vel ignorant, vel negligunt iſtas ſpirituales delicias, nobileſque perfectiones ſuas. Quapropter manifeſtum non ſolum vitam eſſe animabus humanis naturaliter præter corpus, & ſeorſum à corpore, ſed etiam ſublimem atque beatam, & ad ejus comparationem fœlicitas corporalis quantamcumque poſſibile ſit eam eſſe in vita præſenti, non ſolum nulla eſt, ſed ex miſeria abominabiliſſima atque viliſſima.

Corp' perpetuo viveret ſi nullas pateretur infirmitates adeoque anima ſeipſa potens eſt præſtare vitam perennem.

Amplius quoniam non eſt poſſibile mori corpus humanum in ſtatu ſanitatis ſuæ, quod eſt dicere quamdiu bene valet & ſanum eſt, neceſſeque habet mori. Manifeſtum igitur eſt non poſſe mori niſi tempore ægritudinis, vel vulneris, & etiam ex illa. Quemadmodum enim ſanitas conſervativa eſt vitæ, ſic ægritudines, & aliæ læſiones corporis deſtructivæ ſunt vitæ illius: quapropter illis ceſſantibus perpetuo neceſſe eſſet ceſſare mortem corporis, impoſſibileque eſt mortem corpori advenire, cum evidenter neceſſe ſit ceſſante cauſa ceſſare & effectum. Quapropter eſſet corpori humano vita perpetua, ſeu perennis. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quia animæ humanæ eſt virtus, & potentia naturalis præſtandi corpori vitam perpetuam, ſeu perennem, & hoc ſi corpus eſſet aptum perenniter, ſeu perpetuo recipere illam. Nullum autem eſt impedimentum corpori humano quo prohibeatur, vel impediatur vitam recipere ab anima ſua, niſi antedictæ læſiones.

Anima potens eſt naturaliter perennem vitam corpori ſuo præſtare.

Quapropter manifeſtum eſt quod generaliter virtuoſa eſt, & potens anima humana in naturalitate ſua perpetuam ac perennem vitam præſtare corpori ſuo, & quia quandoque iſtud non efficit non ex defectu ullo ipſius eſt, ſed potius ex ineptitudine, vel impedimento uno, vel pluribus corporis antedictis. Cum jam tibi declaratum ſit ex præcedentibus ſanitatem, vel aliam quamcumque diffuſionem corporis nihil addere vitæ, vel vivacitati animæ humanæ, cum ex illa vita, vel vivacitate animæ ipſius ſit effective totaliter vita corporis ſui. Quia igitur potens eſt, ſeu virtuoſa anima humana quantum in ea eſt vitam conferre perpetuam ſeu perennem corpori ſuo influere, nec poteſt conferre naturaliter vel quod non habet, vel minus quam habeat, neceſſe eſt ipſam habere naturaliter vitam non minorem quam perennem ſive perpetuam. Exemplum autem ad hoc convenientiſſimum eſt in ſole, & aëre, ibi namque manifeſtum eſt quod ſi perpetuo ceſſarent impedimenta ab aëre quibus prohiberi poteſt, vel impediri à receptione luminis à ſole perpetuo illuminaretur ab eodem, puritas enim in aëre quantum ad receptionem luminis à ſole ſic eſt quemadmodum ſanitas in corpore quantum ad receptionem vitæ ex anima, impedimenta vero illuminationis in aëre ſic ſunt ſicut impedimenta vivificationis in corpore.

Animæ humanæ communicant cũ ſubſtantiis abſtractis, adeoq; ſunt & ipſæ immortales quantum ad id quod eſt in eis nobiliſſimum.

Amplius ſubſtantiæ abſtractæ nobiles non dubitantur immortales eſſe, animæ humanæ vero nobiles vires ſuas atque ſuperiores communicant cum ipſis, nec differre videntur ab eis niſi fortè ſecundum magis & minus, & quia illæ liberæ ſunt ab omni obſcuritate, ſive obtenebratione, aliiſque impedimentis, quæ vel animabus humanis adveniunt à parte corporis. Et propter hoc neque mors, neque ulla alia læſio attingit ad eas à parte corporis. Quantum igitur ad eas vires quas animæ humanæ cum ſubſtantiis illis communicant. Et hoc eſt dicere quantum ad illud quod eſt in eis præcipuum ac nobiliſſimum immortales eas eſſe neceſſe eſt. Licet enim multa & gravia eis adveniant à parte corporum, eſſe tamen earum nec deſtruunt, nec minuunt, nec ullo modorum lædunt. Sed ipſum bene ſe habere earum graviſſime lædunt atque impediunt, & in malè ſe habere convertunt, ut ſæpius audiviſti.

Anima non ſeneſcit cũ corpore.

Amplius aut limitata eſt animæ humanæ vita ſua limitatione, aut menſuratione corporis, aut infinita ſecundum tempus: quod ſi infinita ſecundum tempus,, jam eſt quod intendebatur & quærebatur, videlicet vitam ejus perpetuam eſſe, nec finiri morte corporis vel alia. Si limitata eſt vita ſua ei, ita ut terminetur corporis morte, tunc neceſſe eſt ut ſeneſcat, ac debilitetur donec perveniat ad ultimitatem deficientiæ ſeu defectus, & hoc non eſt niſi mors. Quod ſi ſeneſcit & debilitatur appropinquatione ſua ad mortem, tunc neceſſe eſt ut quanto amplius ſeneſcit, hoc eſt quanto longiori tempore vivit tanto debilior fiat, & hoc naturaliter ſive ſecundum naturam, manifeſtum autem eſt econtrario ſe habere quoniam nobiles ac ſuperiores vires ipſius in ſenectute fortiores, agilioreſque, & expeditiores ſunt quam in juventute, vel adoleſcentia. Sapientia namque & virtutes quarum integritate honeſtas perficitur in ſenibus, & ſenectute corporum maximè vigere apparent evidenter, & hoc quouſq; ut magis ſe corpore ſenuiſſe quam animo, ut ita dicatur, certiſſime ſentiant, & cognoſcãt. Videbis evidẽter hoc in illis qui diuturno morbo dyſſenteriæ corpore moriuntur, videbis, inquam,

inquam, eos animo ſaniſſimos, & non ſolummodo nihil eos paſſos animo à tanta debilitate corporis quantam morbus ille inducere conſuevit, ſed etiam animo illuminatos, confortatos, & fortificatos ſcientiiſque ſpiritualibus, & virtutibus omnibus, aut pluribus. Sed ſi eos interrogaveris defectus omnes, & debilitates ſpirituales morbi illius beneficio depoſuiſſe, & in ſpiritualis juventutis vigorem & pulchritudinem refloruiſſe. Reſpondebunt caligantiam oculorum interiorum ab anima ſua deletam, & incurvationem erectam, virtuoſitatem animi reſtitutam & renovatam, & hoc tanto amplius, quanto eas mors corporis appropinquavit.

Animus morte appropinquã fit vegetior. Hæc omnia promptiſſima ſunt experiri volentibus, & qui etiam ad modicum ſenectutem ſpiritualem animarum, & juventutem apprehendunt. Sentiunt ſiquidem ipſimet exitum ſuum de corpore, atque diſceſſum ſuum ex hoc; & propter hoc ſalutatis adſtantibus, & licentiâ recedendi ab eis acceptâ corpora ſua deſerunt, & relinquunt in mundum alium venientes, & ſani videntes Quemadmodum narratur de Socrate qui cum in extremis ſuum corpus ageret à bonis exhortationibus adſtantium non ceſſabat, factumque eſt ex hoc ut non mori, ſed vivens in cœlum aſcendere videretur. Sic videbis & in hujuſmodi morbo corpore morientibus, ut non mori, ſed exire viventes ex hoc ſæculo videantur. Tunc enim quantum permittit debilitas corporum maximè prudenter maximéque diſcretè, de rebus divinalibus ad ſalutem atque purificationem animarum pertinentibus adſtantibus loquuntur. Ejuſmodi locutiones non deficientium ab eſſe ſive morientium animarum ullo modorum eſſe poſſunt, ſed exeuntium habitationem corporum quaſi domicilium mutantium, & in aliam regionem migrantium, &c.

PARS SEXTA.

Quod cujuſlibet animæ vires naturaliter vigere natæ ſunt in ſenectute.

Occurrit objectioni factæ quod paucis contingat quæ ſuperius dixerat. QUod ſi dixerit quis quod paucis animabus contingit hoc, & propter hoc licet appareat per hoc immortalitas earum, ſive vitæ perennitas, non tamen declarata eſt adhuc in aliis. Reſpondeo igitur homini iſti quod ſi caſu, vel aliàs non ſecundum naturam iſta in animabus fierent, revera non per hoc eſſet animarum immortalitas generaliter declarata. Quamobrem cauſam ego adjiciebam in iſta ratiocinatione adverbium, naturaliter, ſciens quoniam quando rarus eſt caſus per hoc non eſt neceſſe ut quæ tam paucis accidunt generaliter accidant omnibus. Verum in eis quæ ſecundum naturam ſpeciei fiunt econtrario ſe habet; omne namque quod naturale eſt alicui individuorum cujuſcumque ſpeciei, neceſſe eſt & omnibus aliis individuis naturale eſſe.

Quod naturale ſit omnibus animab. appropinquãte morte vigere quantum ad partes ſuperiores. Quapropter quoniam naturale eſt hoc videlicet vires ſuperiores & nobiles animarum humanarum in ſenectute corporum vigere, & ad operationes ſuas nobiles fortiores, expeditiores, & agiliores eſſe, vel fieri, conceſſum eſt hoc animabus omnibus humanis naturaliter convenire. Quapropter non ſolum præter naturam, ſed etiam contra naturam contrarium quibuſcumque animabus humanis accidit. Accidit autem indubitanter animabus negligentibus ſe, & nobiles perfectiones ſuas non quærentibus, vel curantibus, in quibus evidenter quaſi ſopitum & ſepultum eſt id quod habent præcipuum ac nobiliſſimum, videlicet ſecundum quod imago Dei eſſe dicuntur ſecundum doctrinam chriſtianorum, & legem Hebræorum. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc animam humanam naturaliter juveneſcere corpore ſeneſcẽte. Quemadmodum autem ſeneſcere eſt debilitando ad mortem appropinquare, ſic neceſſe eſt juveneſcendo per confortationem elongari à morte. Quapropter conſequens eſt evidenter corpore humano appropinquante ad mortem ſuam, animas humanas elongari à morte ipſarum. Impoſſibile autem eſt rem quamcumque elongando pervenire, vel etiam appropinquare ad id à quo elongatur. Manifeſtum igitur eſt impoſſibile eſſe animam humanam quantacumque duratione, ſeu longitudine dierum pervenire ad mortem, vel etiam appropinquare.

PARS SEPTIMA.

Quod mors non advenit animæ ex conſortio corporis mortalis.

ADhuc autem eſt quæſtio utrum mors iſta quã erroneus ſomniat de anima humana inſit ei ex conſortio mortalis corporis aut ex propria defectibilitate. Quod ſi dixerit quia eſt ei ex conſortio mortalis corporis, attendit igitur homo iſte, ſi tamen hominis nomine dignus habendus eſt, quia corpus humanum non ſolum mortale eſt in ſeipſo, ſed etiam mortuum. Et intendo mortuum vita carens. Cum igitur tantum poſſit vita, ſive vivacitas animæ humanæ, ut mors iſta qua dixi corpus mortuum nõ obſiſtat quin de vita, & vivacitate recipiat, multominus poterit auferre vitam eidem. Quemadmodum ſi tenebroſitas aëris quæ per ſemetipſam eſt carens lumine, non poteſt obſiſtere luminoſitati ſolis, & prohibere receptionem luminis ſolaris ab aëre, multo minus poterit ſoli auferre luminoſitatem ſuam, & obtenebrare ipſum. Corp' quod de ſe vita caret & vitam ab anima recipit non poteſt prohibere vitam ab anima.

Amplius etſi mortuum fuerit corpus humanum ut prædixi, hujuſmodi tamen morte non eſt vitæ contrarium aut contradicens, vel ullo modorum repugnans, quin potius eſt ſociabile eidem & conjungibile conjunctione fortiſſima, & amicabiliſſima, adeoque naturali ut ſeparatio ejus ab illa mors ipſius ſit, quam continuè ſequitur corruptio, & putrefactio ipſius. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quia de conſortio corporis non poteſt naturaliter provenire mors animæ humanæ. Evidentiſſimum enim eſt incomparabiliter fortiorem eſſe vitam ſive virtuoſitatem animæ humanæ, quam ſit mors antedicti corporis humani, cum illa reſiſtere non valente vitam requirat corpus ex vita ſeu vivacitate ipſius, & quaſi mors fugiat, mors dico corporis à facie, hoc eſt præſentia vitæ, & vivacitatis ipſius. Præſertim cum ſicut jam ſcis non ſolummodo non poſſit reſiſtere, vel contradicere naturaliter hujuſmodi vitæ, vel vivacitati, tanquam naturaliter infirmior, ſed etiam magis naturaliter adjuvat illam, & ſi non quantum ad eſſe ſaltem quantum ad bene eſſe. Servit enim ei multipliciter, & in multis operationibus quas operatur anima humana in corpore & per corpus. Vivacitas animæ fortior eſt corporis mortalitate.

Amplius quæ lex natura pateretur hanc tam perverſam retributionem, ut corpus pro vita quam ab anima ipſa recipit retribueret ei mortem. Quod corpus animæ mortem retribuere nõ debeat pro vita.

Amplius cum omnis ſubſtantia ipſo magiſterio naturæ omne noxium atque mortiferum naturaliter declinare, ac fugere edocta ſit, ſi corpus humanum eſſet animæ ſuæ naturaliter noxium atque mortiferum, omnis igitur anima humana fugeret naturaliter corpus & conſortium ejus, non igitur appeteret illud, vel diligeret naturaliter. Quantus autem ſit ei naturaliter amor ad corpus, manifeſtum eſt ex ſollicitudinibus, & laboribus quibus quærit ei naturaliter alimenta & alia ſuſtentandæ & conſervandæ vitæ corporis neceſſaria. Noverat hoc ſcientiſſimus ille, & ſapientiſſimus qui dixit in lege Anima non diligeret corpus noxium ſibi & mortem afferens.

chriſtianorum *nemo carnem ſuam odio habuit, ſed diligit & fovet illam.* Relinquitur igitur ut dicat erroneus ille, quod non ex conſortio corporis naturaliter poſſibile eſt mortem eſſe animæ humanæ; alioquin vel dolorem ingereret animabus humanis mors, nec eſſet eis horrifica, vel odibilis, quin potius deſiderabilis, utpote mors tam peſtilentis inimici, ut eſt corpus ſecundum errorem iſtum.

Epheſ. 5.

Non poſſet eſſe naturalis conjunctio corporis ad animã ſi adeo inimica eſſet.

Accideret etiam & aliud quia conſortium hujuſmodi ſive conjunctio non poſſet eſſe naturalis ullo modorum, adeo enim inimicorum, adeoque in alterutrum peſtilentium non poteſt eſſe conjunctio niſi violenta. Contrarios enim valde imo repugnantiſſimos in alterutrum habent effectus, cum anima vitam conferat corpori, corpus vero animæ inferat mortem conſortio ſuo eidem. Neceſſe igitur habet dicere quod ex propria defectibilitate advenit animæ mors quam ſomniat de ipſa.

PARS OCTAVA.

Quod mors non advenit animæ ex propria defectibilitate.

Quod poſſibilitas oppoſita neceſſitati abſoluteque qualis Deo cõpetit non faciat animam eſſe mortalem.

QUæro igitur ab hujuſmodi homine quid intelligat, vel intendat defectibilitatem illam eſſe. Si enim intelligit eam eſſe ipſam poſſibilitatem quæ oppoſita eſt neceſſitati, quæ neceſſitas propria eſt, ac ſingularis creatoris, & nulli alij ullo modorum communicabilis, tunc manifeſtum eſt quod hujuſmodi defectibilitas omnibus ſubſtantiis creatis communis eſt. Quapropter ſi illa eſt cauſa deſitionis, & defectionis ab eſſe, erit effectus hujuſmodi communis omnibus ſubſtantiis. Quapropter impoſſibile erit aliquam ſubſtantiarum eſſe durationis, ſive exiſtentiæ perpetuæ, ſeu perennis Quapropter & ipſæ ſubſtantiæ nobiles abſtractæ limitatæ erunt durationis, aut menſuratæ, & propter hoc finietur earum eſſe in tempore, finietur, inquam, morte. Et eodem modo neceſſe habebunt concedere de cœlis, & ſtellis, atque luminaribus, ſive ponant ea animalia ſive inanimata. Et hoc eſt quoniam ſi ſubſtantiæ ſpirituales abſtractæ ejus defectibilitatis ſunt quæ prohibeat ab eis exiſtentiam & perpetuam & perennem, multo fortius neceſſe eſt ut corporales, ſive animatæ, ſive inanimatæ majoris defectibilitatis ſint, & propter hoc exiſtentiæ brevioris, verum nemo auditus eſt hactenus hoc dixiſſe.

Voluntas divina eſt cauſa animarum humanarum & immortalitatis earum.

Plato enim in ſermone ſuo quem in præcedentibus audiviſti, etſi poſuit ſubſtantias illas quas Deus Deorum vocat natura diſſolubiles, nihilominus dixit eas creatore ſic volente indiſſolubiles, tanquam quod revera intendebat voluntate creatoris immortales eſſent circa naturalem diſſolubilitatem. Quapropter relinquitur immortales natura eſſe ſubſtantias hujuſmodi, videlicet nobiles abſtractas nonobſtante poſſibilitate hujuſmodi. Quare defectibilitas juxta prædictam intentionem non eſt in cauſa prohibens perpetuitatem vitæ in animabus humanis. Cum igitur eſſe earum non ſit niſi ex voluntate creatoris, neceſſe eſt ut non eſſe earum eſſe non poſſit niſi ex voluntate creatoris, cum aliunde non pendeat ullo modorum. Non poſſunt etiam deſtrui ullo tempore, ſeu non eſſe, niſi creatore volente ipſas ulterius non eſſe. Quapropter neceſſe eſt ceſſare cauſam, ſive finem immediatum exiſtentiæ, & durationis earum. Quapropter ſi impoſſibile eſt ceſſare cauſam hujuſmodi, impoſſibile eſt ceſſare exiſtentiam earumdem.

Quia perpetua eſt exiſtentia animabus gloria creatori.

Et quoniam fuit alia cauſa creatori creationis earum animarum humanarum, niſi bonitas, & nobilitas ipſarum, quæ inæſtimabilem laudem & gloriam creatori parit apud eos, vel ipſas animas cum ſeipſas cognoverint, licet pauciſſimis datum ſit hoc, & apud omnes alias ſubſtantias quæ creatorem laudare & glorificare noverunt, & poſſunt. Cauſa igitur exiſtentiæ ipſarum perennis eſt, videlicet laus & gloria creatoris: quia igitur effectus cauſam ſequitur quantum poſſibile eſt ei, & concomitatur eam; ſimiliter neceſſe eſt ut cum per exiſtentiam animarum perennem, ſive perpetuam ſit perennis hujuſmodi laus & gloria creatori, eadem eſt ei cauſa perpetuandi, ſive perpetuo conſervandi animarum humanarum exiſtentiam, quæ fuit ei cauſa & creandi. Quare ſicut creavit eas ex illa cauſa, ita & perpetuo conſervat ex ipſa, ſive propter ipſam.

Ex cõmunicatione animarum, cum animabus irrationalib' provenit eis mutabilitas, adeoque ex communicatione cum ſubſtãtiis ſeparatis immortalitas.

Amplius quantum ad nobiles, ſive ſuperiores vires animarum humanarum eis eſt commune ſive communicatio cum ſubſtantiis abſtractis, quemadmodum quantum ad inferiores eſt eiſdem communicatio cum animabus irrationalibus, adeo ut iſtæ naturæ duæ communicare videantur in una ſpecie quæ eſt anima humana, videlicet natura ſubſtantiarum ſeparatarum nobilium, & natura animarum irrationabilium, ita ut merito inter alias mediæ videantur Quapropter quemadmodum habent dicere eam communicare mutabilitatem cum animabus irrationalibus quantum ad vires inferiores quas cum eis communicat, ita neceſſe habent dicere communicare eam immortalitatem cum ſubſtantiis ſeparatis quantum ad vires ſuperiores nobiles quas cum eis communicat. Hoc eſt autem illud præcipuum ac nobile quo animabus irrationalibus præcellit anima humana, & quod ſecundum doctrinam chriſtianorum eſt & dicitur imago Dei. Id igitur quod eſt in anima humana præcipuum, ac nobiliſſimum immortale eſt. Quapropter cum jam declaratum ſit tibi eam impartibilem eſſe, declaratum eſt tibi conſequenter jam ſimpliciter immortalem ipſam, aut quod eſt in ea præcipuum, ac nobile.

In hoc differunt animæ humanæ a ſubſtãtiis ſeparatis quod ab iis ſit vita corporum.

Amplius in hoc eſt differentia inter animas humanas, & ſubſtantias hujuſmodi quod animæ humanæ miſcibiles ſunt corporibus, & naturaliter potentes, ut corporibus tanquam organis ſive inſtrumentis ſuis naturalibus utantur, illæ vero non, ut multis videtur. Iſtæ igitur ſunt potentes præſtare vitam corporibus vita, & vivacitate ſua, atque abundantia vitæ ſuæ. De abundantia vero vitæ contra naturam videtur eſſe ut adveniat eis defectus contrarius, hic autem eſt defectus vitæ, ſive mors: & quoniam quod ſunt conjungibiles corporibus non aliud eſt niſi quod de abundantia vitæ ſuæ, ſive vivacitate potentes ſunt dare vitam, ſeu ſenſum & alia quæ ſequuntur vitam ſicut motũ & ſenſum. Impoſſibile igitur eſt ut ex hac jungibilitate, ſive ſociabilitate corporum proveniat eis mors. Quapropter cum nec à propria vita, ſive vivacitate, nec deſuper impoſſibile ſit evidenter mortem eis à parte Dei provenire, mors enim ſupra ipſas locum non habet; in ipſis autem morti repugnat vita, ſive vivacitas earum.

PARS NONA.

Quod propter mortem corporis nihil de eſſe ipſius animæ deperit.

Si ſubſtantiæ nobiles abſtractæ vivificarent corpora eis traherẽt ad immortalitatẽ ſuam.

SEd fortè ſi dixerit quis nobiles illæ ſubſtantiæ abſtractæ jungibiles ſunt corporibus, & aſſumunt corpora, atque vivificant ea. Quod & multi dixerunt & dicunt adhuc, tunc neceſſe habent dicere illas eſſe mortales per modum eumdem, & cauſam quibus dicunt animas humanas eſſe mortales, & hoc eſt deliramentum hactenus inauditum. Si enim in ſeipſis immortales ſunt, non eſt poſſibile ut mortalitas corporum eas abrumpat ab immorta-

litate ſua naturali, & non poteſt eas trahere in partem ſuam quæ eſt mors ſeu mortalitas; quanto fortius neceſſe eſt ut immortalitas quæ fortiſſima virtus eſt ex potentia naturali abrumpat corpora mortalia illa à mortalitate ſua, & trahat in partem ſuã, videlicet vitam, & vitæ perennitatem, ſi tamen illius receptibilia ſunt. Mortalitas enim impotentia eſt, & infirmitas, atque debilitas. Exemplum autem evidentiſſimum eſt unum de hoc in corporibus cœleſtibus ſecundum illos qui ea animata, & viventia eſſe ponunt, quæ & in vitam, & in vitæ perennitate trahuntur, & tenentur ab animabus ſuis, utpote receptibilia talis vitæ. Aliud vero exemplum in corporibus humanis quæ poſt hanc vitam reſurgent in vitam perpetuam, quam indubitanter ab animabus ſuis tunc recipient; ea enim virtus eſt, & modus reſurrectionis ut illa ad recipiendum vitam hujuſmodi idonea & apta efficiat.

Si ceſſaret corporum humanorũ infirmitas perpetuo viverent.

Quare manifeſtum eſt ſi ceſſaret iſta corporum humanorum infirmitas, atque debilitas per quam ſeneſcendo debilitantur, & tandem per mortem deficiunt, proculdubio perpetuo viverent. Nemo enim ex medicis adhuc ignoravit, vel dubitavit iſtam defectibilitatem vitam eſſe corporibus humanis, ſcilicet ut jugi conſumptione ſæpiſſime deficerent, niſi reſtauratio ſic conſumptorum per nutrimenta fieret eidem. Perpetuo igitur viverent ſi ea ſoliditate firmarentur, ut reſtauratione hujuſmodi non egerent: non autem viverent niſi ex animabus ſuis, & hoc ex vita, & vivacitate earum. Multo fortius igitur perpetuo viverent animæ eorumdem.

Vita animarum non eſt ex corporibus ſed è converſo.

Et quoniam vita, vel vivacitas animarum nec eſt vita corporum, nec ab illa adjuvatur quantum ad eſſe ſuum, licet quantum ad bene eſſe adjuvetur ab eadem, & intendo propter operationes, & perfectiones quæ per illam acquiruntur eiſdem. Quapropter ſublata vita corporum manifeſtum nihil deperire vitæ, vel vivacitatis animarum humanarum, quia cum vita corporum in nullo adjuvet vitam animarum quantum ad eſſe, inde manifeſtum eſt quod vita corporum totaliter, & ſimpliciter effectus eſt vitæ animarum. Et propter hoc nullo modorum cauſa ipſius eſt. Quemadmodum enim adjumentum, quod eſt adjumentum ad eſſe cujuſcumque rei cauſa quędam eſt eſſe ipſius, & prius ex neceſſitate: quapropter manifeſtum eſt vitam corporis humani nullo modorum vel cauſam eſſe vel adjumentum vitæ, vel vivacitatis animæ ipſius. Et hoc eſt quod intendebatur, quia ſublata vita corporis nihil deperit animæ humanæ quantum ad vitam ſeu vivacitatem ipſius. Et propter hoc morte corporis in nullo læditur anima humana quantum ad eſſe, ſeu vitam ſuam. Manet igitur in exiſtentia ſua ſeu vita poſt corporis proprij mortem

Idem dici nõ debet de animabus irrationalibus quarum vita utilis eſſe non poteſt extra corpus.

Et ſi dixerit quia hoc ipſum quod dicitur hic & multa alia de præcedentibus dici poſſunt ſimiliter de animabus irrationabilibus, & corporibus earum. Opportet te reminiſci eorum quæ ſuper hoc audiviſti in præcedentibus, in quibus oſtenſum eſt tibi evidenter animas omnes irrationales pendere ex corporibus ſuis. quoniam nec eſſe, nec vita earum utilis eſſe poteſt niſi in corporibus, & per illa, & propter hoc non debet, nec eſſe poteſt vel conſervari, vel ſalvari niſi in illis, & per illa.

Omnis operatio animæ irrationalis pẽdet ex corpore adeoque & omnis virtus ejus & omne eſſe.

Amplius quoniam omnis ſubſtantia cujus omnis operatio pendet ex corpore, neceſſe eſt ut ipſa pendeat ex eodem, ſimiliter & omnis virtus ejus: & in hoc generaliter omnes conſentiunt, atque conveniunt ut unde penderet operatio, inde & virtus: & propter hoc penderet operatio inde omnem virtutem operantis pendere neceſſe eſt. Et quoniam inde pendet omnis virtus, & omnis operatio totum eſſe operantis pendere neceſſe eſt: conſequens eſt evidenter omne eſſe cujuſcumque animæ irrationalis ex corpore ſuo pendere, pendere, inquam, quantum ad eſſe & vitam, hæc enim eſt intentio mea in ſermone iſto quo dixi virtutes, operationes omnes cujuſcumque animæ irrationalis ex corpore pendere ipſius Quapropter manifeſtum eſt quod ſubſtracto eidem corpore per mortem ipſius, & conſequenter extrahi eidem eſſe neceſſe eſt.

Diſcrimen animæ rationalis ab irrationali.

Propter quod non immerito mirum videtur quod errorem ſuum iſtum in parte ſua cognoſcere non potuerunt contradictores immortalitatis animæ humanæ. Cum certiſſimum eſſet eis quoniam alia cauſa non inducebat ad ponendam mortalitatem animarum irrationalium niſi dependentia earum ex corporibus ſuis quantum ad eſſe omne. Hanc autem dependentiam non judicabant eis niſi vires, & operationes earum quas videbant evidenter miniſteriis & exiſtentia corporum indigere. Debuerunt igitur manifeſtè cognoſcere, quoniam animam humanam quantum ad vires & operationes quibus corpore non indiget, morte vel ſubjectione corporis in nullo lædi quantum ad eſſe. quapropter perſiſtere eam, & permanere quantum ad illud quod habet, ut ſæpe dixi præcipuum ac nobiliſſimum morte corporis non obſtante. Et propter hoc immortalitatem ejus cognoſcere in parte potuerunt, & intendo in ſermone iſto in parte ſaltem immortalem negare non potuerunt.

Anima rationalis non indiget corpore niſi ſecundario propter vires inferiores.

Amplius cum anima humana propter corpus non ſit nec propter vires quibus operatur in corpus & per corpus, niſi forſitan ſecundario & in parte; cum alię vires ſint in ea principales: & ut ita dicatur, ipſæ præcipuum ac nobiliſſimum ſui eſſe ſcire potuerunt & debuerunt, in hoc quod ſubſtantiæ corporis atque membrorum ſive organorum corporalium nec poterat, nec debebat eis ſubſtrahere totum eſſe ſuum, cum non niſi pars ſui eſſent, ut prædixi, etiam ſecundum eos pendere ex illis. Quapropter quantum ad reſiduum poſt ſubſtractionem illorum debuit eſſe etiam ſecundum ipſos remanere illæſum; cum ſicut prædixi cauſa ipſius illis ſubſtractis remaneat integra & illæſa. Apparet igitur cœcitas eorum in hoc quia cauſa ipſa quæ inducit ipſos ad ponendam mortalitatem earum potuit eos inducere ad hoc ut contrarium cogeret eos ad ponendam immortalitatem ipſarum. Cauſa enim illa dependentia antedicta fuit, quapropter abſolutio & libertas contraria debuit eos inducere ad ponendum immortalitatem earum quantum ad illud quod in ea evidenter erat abſolutum, & liberum à corpore & membris corporalibus.

Expoſitores Ariſtotelis fatentur quod pars animæ ſit immortalis.

Debes autem ſcire quod multi de expoſitoribus Ariſtotelis, & ſequacibus ipſius in hoc conſenſerunt, & conſentiunt adhuc, ſut pars animæ immortalis ſit Et hoc eſt quod dicitur præcipuum ac nobiliſſimum, quo ſcilicet præcellit animabus irrationalibus, & quæ eſt imago creatoris ſecundum legem Hebræorum & doctrinam chriſtianorum. Propter quod etiam Mercurius in libro ſuo de Deo Deorum dixit eam eſſe divinæ ſimilitudinis formam. Hi ergo loquuntur de ipſa tanquam ipſa ex partibus compoſita ſit, & non impartibilis, quod jam removi tibi in præcedentibus remotione irrefragabili.

Animas humanas utpote nobiliores creatas non eſſe propter bona corporalia & corpora ipſa.

Volo autem te ſolerter atque ſollicite intendere in radicem iſtam quæ revera radix fortiſſima eſt ad ſtabiliendam immortalitatem animarum humanarum, & hæc eſt radix illa quæ dicitur creatorem optimum ac ſapientiſſimum non curaſſe animam humanam propter corpus vel operationes quas in illo, & per illud operatur. Sed nec etiam propter bona quæcumque corporalia ſeu temporalia, & intendo temporalia in tempore, & cum tempore tranſeuntia. Declaratio vero radicis iſtius eſt radix

apud philoſophos notiſſima quæ eſt res nobiliores non eſſe creatas propter res viliores, etſi interdum res viliores adjumenta nonnulla ſint vitæ & conſervationis rerum nobiliorum, ſicut vides quia eſt adjumentum non modicum vitæ, & conſervationis hominum quæ incomparabiliter nobiliores ſunt, quam panis vel vinum, & lac aliaque hujuſmodi nutrimenta quibus vita hominum ſuſtentatur & conſervatur. Quia igitur nulli intelligenti ignotum vel dubium eſſe poteſt animas humanas longe præſtantiores & nobiliores eſſe corporibus quæ ſtultitia hominum magna bona reputari facit. Manifeſtum eſt propter hujuſmodi bona non eſſe creatas animas humanas.

Fœlicitas temporalis non eſt vera fœlicitas, ſed miſeria potius.

Ipſa namque fœlicitas temporalis quæ apud homines ſtultos, bonum præcipuum reputatur non ſolum fœlicitas non eſt, ſed etiam illuſio & deceptio miſerrimarum, & inſatiabiliter errantium animarum. Fœlicitas quidem non eſt cum non tollat miſeriam, quod utique faceret ſi veri nominis fœlicitas eſſet: omne enim duorum contrariorum poſitione ſua alterum tollit ſeu removet reliquum. Quapropter ſi vera fœlicitas eſſet, proculdubio contraria eſſet miſeriæ, & propter hoc removeret totaliter eam à ſubjecto ſuo. Valentibus autem & volentibus agnoſcere veritatem evidenter apparet, quam iſti ſtulti ſomniant fœlicitatem corporalem non ſolú non tollere miſeriam, ſed etiam incredibiliter adaugere: quod indubitanter per ſingulas partes miſeriæ invenies, auget enim cupiditates, terrores, & dolores, ſervitutes, & oppreſſiones: & de aliis partibus ſic ſe habet, &c.

PARS DECIMA.

Quod anima non eſt creata propter aliquod bonum ſenſibile.

Quod bona ſenſibilia homines in multa pericula inferant.

INſatiabiliter namque cupidos non alios invenies homines, quam illos qui divitiis abundare maximè videntur, & reputantur, ſic dico quia timidos & tremulos illos maximè experieris, qui maximè terrentur ab aliis hominibus, cauſa autem in hoc eſt, quia undique circumdati ſunt periculis non ſolum rerum ſuarum, ſed etiam ſui ipſorum: rerum ſiquidém, quia jam te ſcire feci quod pericula ſunt eas amantium hominum ſcilicet amore inordinato eis inhærentium; quapropter quanto plures & majores ſunt res hujuſmodi hominum, tanto plura & majora ſunt pericula eorum, quapropter & timores: præſertim cum pericula hujuſmodi timores vehementiſſimos pariant, ſui quoque ipſorum pluribus & majoribus patent periculis quantoplures & majores ſunt à quibus ipſi timentur, non enim timeri ſimul hujuſmodi, & amari poſſunt à ſubditis ſuis. Terrent etiam eos mala quæ audiunt ſuis ſimilibus eveniſſe, videlicet de proditionibus etiam cubiculariorum, & de aliis malis quæ proditores irrogare conſueverunt confidentibus in illis.

Affluentia deliciarum corporaliú voluptatem minuit.

Noſti inſuper quod deliciarum corporalium affluentia voluptatem minuit, & faſtidium ſui ipſius parit, quemadmodum dixit egregius ille philoſophus Italicus, cum videris inquit iſtos epulones velut opimos boves terrore ſudare, tunc intelliget eos qui maximè ſequuntur voluptatem, eam minimè aſſequi, eſt igitur voluptas in deſiderio, non in ſatietate etenim quoniam morales philoſophi Latinorum præcipuè declaraverunt hoc declarationibus evidentiſſimis in libris ſuis, tibi quoque ſufficere poſſunt in parte iſta quæ à me tam multipliciter, & tam multoties audiviſti. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his quod non aliud eſt dicere creatorem creaſſe animam humanam ad fœlicitatem hujuſmodi quam ad illuſionem & deceptionem; & ut expreſſius loquar, ad hoc non quidem ut fœlix & beata ſit, ſed ad hoc ut iſtud ſomniet de ſeipſa, & intendo ut ſe eſſe ſubſtantiam ſomniet, & tádem ad hoc ut per hujuſmodi illuſionem ſeu ſomnium ipſum deſerat creatorem, adeo ut nec ipſum curet, non enim ſe compati poſſunt amor hujuſmodi illuſoriæ fœlicitatis, & amor rectus atque ſanctiſſimus creatoris.

Fœlicitatē iſtam deb. cuī ebrietatem eſſe & inſaniam animarum.

Amplius nemo unquam ſapiens fuit qui tempore ſapientiæ ſuæ fœlicitatem iſtam delitiarum non fugeret tanquam peſtem, & ebrietatem quandam, & inſaniam animarum. Quapropter manifeſtum non ad hanc, vel propter hanc creatam fuiſſe animam humanam. Et quoniá propter bonum aliquod quod non ſolum animæ bonum ſit ipſius, ſed etiam perfectio nobilis ac deſiderabilis, & in qua ſit ei quies jocunda creatam eſſe neceſſe eſt; conveniens eſt evidenter ipſam eſſe creatam propter bonum ſublimius atque nobilius quam ſit hujuſmodi fœlicitas, vel aliud quodcumque, propter bonum incorporale videlicet, quod nec eſt corpus, nec in corpore, nec bonum corporis, ſed perfectio eſt animæ humanæ incorporalis. Hæc igitur perfectio eſt animæ humanæ finis debitus naturaliter, & perfectio quæ eidem ex creatione ſua debetur. Quapropter manifeſtum eſt finem creationis animæ humanæ exiſtentiæque, atque durationis eſſe præter corpus, & ſeorſum à corpore, & ut prædixi, non pendere ex corpore; ſubſtracto igitur corpore ſalva eſt ei cauſa creationis & exiſtentiæ ſuæ, finiſque ei naturaliter debitus, & propter hoc ſalva eſt ei exiſtentia ſua atque duratio ſubſtracto ei corpore cur mortem ipſius corporis, &c.

PARS UNDECIMA.

Quare non omnes animæ attingunt ad finem ſuum.

Privari fine illo ſublimi animas multas perverſitate corruptionis originalis vel alia quam.

QUod ſi dixerit quis quod innumerabilia millia animarum ſunt, & creantur quotidie, & creabuntur donec generatio hominum finiatur quæ finem iſtum non obtinebunt, verum utique dicit ipſe qui hoc dixit. Reſpondemus in hoc quod cauſæ ſunt defraudationis atque amiſſionis tam nobilis finis atque perfectionis dum ſe diſtorquent, & deviant ab intentione naturæ ſuæ, & detinent eas in viis. Quibuſdam autem evenit hoc præter voluntatem ſuam, videlicet ex ſola perverſitate corruptionis originalis, de qua tam multa in præcedentibus audiviſti, quibuſdam vero ab aliena perverſitate quemadmodum ſeductis perverſitate doctrinæ & exemplorum hominibus.

Sicut & ipſo fine virtutum & ſcientiarum multi ſæpe carent & privantur.

Nec tibi mirum videatur quod cujus uſus naturaliter hominibus debeatur cafibus multis privantur illo vel impediuntur ab ipſo. Sic manifeſtum eſt ad lucé ſcientiarum, & virtutum honeſtatem natas eſſe naturaliter animas humanas, & tamen ad contraria errorum ſcilicet, & vitiorum innumerabilis multitudo declinat. Manifeſtum eſt eam eſſe contra naturam, & naturæ animarum humanarum intentionem. Quia quæcumque animæ ſanæ ſunt ab hujuſmodi peſtibus, eas in omnibus aliis, & oderunt & perſequuntur.

Corpora mutilata non ſunt alterius naturæ quā integra, idem de animâ naturâ.

Et quemadmodum licet hominum multitudo ſint contracti membris, multi corpore incurvati, multi tibiis & pedibus ita impediti, ut gradi non poſſint, nonnulli vero variis occaſionibus manuum à manualibus operationibus prohibiti, non tamen propter hoc minus de jure, & intentione naturæ debetur eis, & rectitudo ſtatus, & greſſus debitus, & conveniens operatio manuum. Sic ſe habet in animabus humanis, quod, & multiplicitate

ac varietate membrorum, & partium prohibentur ab operationibus ſuis naturalibus, atque perfectionibus. Et propter hoc quemadmodum corpora humana prædictis modis & aliis occaſionata, & prohibita ab eis quæ eiſdem naturaliter conveniunt, non tamen judicantur alterius naturę quam ſana corpora. Nec ab aliquo dictum eſt adhuc minus eis deberi naturaliter operationes aut diſpoſitiones à quibus prohibentur occaſionibus hujuſmodi, quam ſanis aliis humanis corporibus. Sic morbidis & occaſionatis prædictis modis animabus nemo imponere debet quod alterius naturæ, vel naturalis conditionis ſunt quam aliæ animæ humanæ ab hujuſmodi occaſionibus liberæ & ſanæ. Quapropter manifeſtum eſt tibi per hoc omnibus animabus humanis, eumdem eſſe finem naturalem, & naturaliter debitum, ſive convenientem, & omnia antedicta impedimenta vel ſimilia quibus perventio earum ad finem hujuſmodi impeditur in nullo poſſe immutare debitum vel intentionem naturæ ipſarum, nec attingere eſſe, vel eſſentiam earum, quouſque in aliquo lædat ipſam.

Quod culpa ſua careat anima fine illo.

Quod ſi quæſierit quam ob cauſam creator benedictus & optimus tantam multitudinem animarum humanarum permittat fraudari tã nobili fine, tamque naturaliter debito eidem. Jam reſponſum eſt illi in ſecundo tractatu primi ſapientialis ac divinalis magiſterij, in parte videlicet quæ eſt de providentia atque cura & gubernatione creatoris, quoniam manifeſtum fit ibi quod voluntariè ab hujuſmodi fine ſe avertunt, & in via errorum & vitiorum ſponte ducuntur à via rectitudinis quæ majores ſuos duxit ad finem hujuſmodi, non immerito neque injuria aliqua fine hujuſmodi privantur. Nec alicui imputare poſſunt hoc niſi ſibi ipſis, quando fraudem hujuſmodi ſive detrimentum nonniſi ſuo vitio uno vel pluribus patiuntur. Potes igitur hæc repetere quæ alibi ſunt convenientius collocata.

PARS DUODECIMA.

Quod anima per originalem corruptionem effecta eſt dormiens & ſomnolenta.

Diviſio quædam virium inferiorum.

VErum antequam ad alias vias quibus declarabitur immortalitas animarum humanarum tranſeam, neceſſe eſt ut exponam tibi cauſas quæ laborem iſtum videlicet ſtabiliendi immortalitatem earum & mihi, & pluribus aliis induxerunt, & ad illum ingrediendum cogerunt. Noſti ſiquidem inferiores vires animæ humanæ, quibus videlicet per corpus, & in corpore operatur tam apprehenſivas ad apprehendendum, quam motivas ad motus convenientes rebus ad quas ſunt ſive à quibus ſunt: quidam enim motus corporum noſtrorum ſive membrorum ſunt ad quaſdam res accipiendas, contrectandas, vel in nos ipſos trahendas. Similiter eſt quidem motus corporum noſtrorum, & membrorum ſunt ad quædam loca, ut in eis vel quieſcamus, vel operemur aliquid: eodem modo quidam motus ſunt nobis à rebus & locis, ſicut fuga & receſſus; ſimiliter retractio membrorum noſtrorum, & excuſſio ab eis, & projectio eorum à nobis, quemadmodum projicimus ſordida, & noxia quæque.

De diſcrimine dormientis & vigilantis quantum ad cognitionē ſpectat.

Non cures autem in his ſermonibus meis utrum dicam vires animæ humanæ vigilantes an animam ipſam ſecundum vires hujuſmodi, & eodem modo in dormitione & ſomno, vel ſomnolentia ejuſdem, vel earum eſſe cognoveris intentionem meam. Attende igitur quod ipſa anima humana vires ſuperiores ſuas ac nobiles originali corruptione qua dormiens & ſopita, & quaſi ſepulta eſt quaſi demerſa in tenebris, & aliis paſſionibus quas in præcedentibus audiviſti. Manifeſtum quoque eſt tibi quod dormiens vivus in eo quod dormiens, ſive per modum iſtum impotens eſt cogitare de ſe, aut de ſomno ſuo: ſimiliter impotens veritatem cognoſcere vel videre, quin potius quamdiu dormit neceſſe habet ſequi phantaſmata ſomniorum. Sed neque de ſomnio ipſe ſuo, neque de ſomno poſſibile eſt ei rectè aut verè judicare. In eo enim ſtatu eſt ut neceſſe habeat ſimilia phantaſmata, & interdum impoſſibilia pro veritate habere & amplecti.

Animæ ſopitæ ſomnolentia.

Quapropter hujuſmodi animam videlicet ſic ſopitam ſeu ſepultam de ſe ipſamet interrogare, vel de quibuſcumque aliis cum ea velle philoſophari non tam ſtultum eſt quam etiam dementiæ intolerabilis, & propter hoc dixit ſapientiſſimus ille Hebræorum in ſermone ſuo *cum dormiente narrat ſtultis ſapientiam*, & alius ſapiens de gente eadem *non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus*; phantaſiæ namque & ſtultitiæ ejus animam ejus ita occupaverunt, ut veritatis verba apud ipſum locum non habeant. *Eccli. 22. 9.* *Prov. 18.*

Erroribus ſomniorum ſimiles ſunt paſſiones vitiorum.

Quemadmodum apud animam dormientem, & ſomniorum phantaſmatibus jam repletam veritati contrariæ non patet ingreſſus. Notum etiam eſt tibi quod tota pertinacia paratus eſt deffendere ſic ſopitus, & ſomnians falſitatem ſomniorum ſuorum, & contrariam veritatem repugnare, & prius in gladio quam circa illam veritatem conſentire. Adeo quoque fixus eſt in errore iſto phantaſtico, adeoque alligatus eidem, ut nullorum quorumcumque ſapientium teſtimoniis nullis, nullis diſſuaſionibus, nullis etiam precationibus averti poſſit ab illis. Propter hoc amatores divitiarum inordinati, qui verè cupidi, & avari dicuntur dormientes dicuntur in ſermonibus prophetarum, & ſapientium antiquorum. Quemadmodum in ſermone illo quo dictum eſt *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*, ſubaudis evigilantes, quia revera divites hujuſmodi ſe divites eſſe ſomniant. Sed cum evigilant evaneſcentibus ſcilicet phantaſmatibus falſæ illius opinionis nihil inveniunt in manibus ſuis quibus ſe ſomniabant divitias contrectare. Et huic intellectui, & ille alius ſermo ſapientis antiquorum, quo dixit dives *cum dormierit nihil ſecum afferet, & evigilabit, & nihil inveniet*. *Pſ. 75. 6.* *Iob. 28. 19.*

Hunc ſomnum animæ impedire quominus audiat veritatem, qui nonniſi gratia Dei ſolvi poſſit.

Rectè igitur ac verè intelligentibus apparet iſte ſopor, ſive ſoporatio ejus quod eſt in anima humana præcipuum ac nobiliſſimum; apparet inquam in animabus cupidorum, & avarorum hominum qui quoniam ad vera bona quæ ſunt ſpiritualia atque ſublimia oculos ut ita dicatur cordium non ſolum clauſos habent adeo ut illa videre non poſſint, ſed etiam ligatum habent ſenſum interiorem videlicet ſpiritualem ita ut ad ea vel cognoſcenda vel ſentienda evigilare vel excitari non poſſunt: unde quoties de hujuſmodi bonis ſermo ad eos vel fit, vel dirigitur quaſi abſurdiſſimum illum non audiunt, nec veritas bonorum talium intrat ullatenus in animas eorum vel apud illas. Non eſt igitur tibi mirandum ſi animæ humanæ ſic ſoporatæ, ſic pauciſſimis phantaſmatibus depreſſæ atque illigatæ veritatem de ſemetipſis ignorant, & eidem contradicunt; cum veritas nulla locum apud ſomnianté habeat philoſophanté, tamē etſi aliquatenus evigilare incipere videantur, non tamen ex toto vigilant atque totaliter recipiunt veritatem. Ejuſmodi namque ſomnus faciente originali corruptione non totaliter ſolvitur vel diſcedit ab anima humana niſi nobili ac fortiſſima illuminatione ac reformatione animæ humanæ quam tibi jam declaratum eſt eſſe ex ſolo lumine divinæ bonitatis, quod in lege & doctrina chriſtianorum divina gratia nominatur.

Diſcuſſo illo ſomno nihil latet animam de eſſentialibus ſuis.

Quapropter ubi plena eſt illuminatio hujuſmodi pleneque diſcuſſus eſt ſomnus nihil latet animam humanam de eſſentialibus aut naturalibus ſuis. Quod ſi quis interroget quo fructu vel fine diſputatur de natura animæ humanæ cum hujuſmodi dormientibus tanquam gravi ſopore depreſſis. Reſpondeo quod philoſophia qualem profeſſuri ſunt illi quos homines eſſe reputant nec permittit nec etiam efficere poteſt, ut iſte ſomnus ſeu ſurditas interior totaliter auferatur ab animabus hujuſmodi, & ut plenè vigilent, ſed tamen non modicum eſt quod ſuas tenebras, & ſoporationem ſeu ſepulturam ſuam animabus vel ad modicum philoſophia innoteſcere facit. Non enim modicū eſt adjumentum ad acquiſitionem perfectæ ſanitatis ipſam ægritudinem vel in parte cognoſcere; cum manifeſtum ſit eos quibus ægritudo ſua ſaltem in parte cognoſcitur ad curationem ipſius, & ad perfectæ ſanitatis acquiſitionem ut norunt, & putant ſolummodo laborare, alias vero nec ipſam ægritudinem declinare velle, nec curare etiam ſanitatem. Scito igitur quod ſi anima humana ſic præſto habet ſemetipſam, & totam potentiam, ſuaque eſſentialia omnia, & naturalia, ſic facillimum eſt eidem videre, & conſpicere omnia hæc. Quapropter nulla eſt ei ignorantia, nulla dubitatio de omnibus ſuis. Omnia quippe iſta ad ſenſum interiorem paterent ipſi cum ſenſus hujuſmodi liber, & abſolutus ſit à depreſſionibus & illigationibus antedictis.

PARS DECIMATERTIA.

Ducit immortalitatem animæ ex inclinatione ſua naturali quam habet ad Deum.

Inclinatio naturalis hominum ſurſum eſt, adeoq; ſurſum aſcendit ſpiritus eorum.

Eccl. 3. 24

His autem ita determinatis procedam ad examinandam & determinandam quæſtionem quam ſapientiſſimus ille rex Hebræorum propoſuit in quodam ex libris ſuis ita dicens. *Quis novit ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum, & ſpiritus filiorum hominum aſcendat ſurſum*, inſinuans in hoc ſermone ſuo admirabilem ſcientiam quæſtionis iſtius & earum. Dico igitur quod ſpiritus filiorum Adæ aſcendant ſurſum, & hoc manifeſtum eſt per inclinationem eorum naturalem in ſurſum. Jam enim dixi tibi quod inclinationes naturales omnes animarum humanarum, ſimiliter & motus in ſurſum ſunt, & ab infimo, ſive ab eo quod eſt deorſum. Et tu jam noſti quod motus iſti ſpirituales ſunt, & non corporales, exempli gratia naturale deſiderium motus ſpiritualis eſt in anima humana, ſimiliter naturalis amor, & naturale odium, & de aliis ſimiliter ſe habet, videlicet de timore naturali & dolore.

De ſpe & timore.

Notum etiam eſt tibi quod timor fuga ſpiritualis, ſpes vero inſequentia: & horum duorum motuum fines ſunt effugium, ſive evaſio; & obtentus, ſive aſſecutio: fugiens enim per modum quo eſt fugiens, intendit evaſionem ſive effugium, quapropter illa acquiſita ceſſat motus fugæ naturaliter. Similiter manifeſtum eſt tibi quod omnis inſequens aliquid intendit aſſecutionem illius: & propter hoc illo obtento, ſive aſſecuto ceſſat ab inſecutione ejuſdem.

De oppoſitione boni, & mali fœlicitatis & miſeriæ.

Notum etiam eſt tibi quod bonum & malum non ſunt ejuſdem ordinationis, ita videlicet ut alterum ſit alteri è regione; quin potius alterum ſuper alterum, & alterum ſub altero. Quapropter in ordine rerum naturalium infimum eſt extremum ſive ultimum malum naturale. Hæc autem non eſt niſi mors vel deſtructio, & juxta hunc modum ſe habent fœlicitas, & miſeria, videlicet ita ut extrema miſeria ſit omnium malorum infimum, & extrema fœlicitas ſit bonorum omnium ſupremum in ordine ſuperioritatis primum. Et intentio mea in ſermone iſto eſt de bonis acquiſibilibus & effugibilibus. Reſtat igitur videre utrum innata ſit animabus humanis, ſive naturalis fuga ab infimis malis iſtis, & inclinatio ſive motus ad bona contraria. Quod ſi ita eſt, manifeſtum eſt quod motus eorum naturales ſunt aſcenſiones in ſurſum, & receſſiones ab infimis, ſive deorſum: & quoniam infima ſunt mors ſive deſtructio, & extrema miſeria, manifeſtum eſt quod motus ab iſtis ſunt animabus humanis naturales. Quapropter motus ad illa ſunt, & contra naturam: quare & perventio ad illa. Impoſſibile igitur eſt naturaliter venire animam humanam in mortem vel extremam miſeriam, quapropter naturaliter immortales ſunt.

Animabus nō eſt quies niſi ubi perpetuitas eſt & fœlicitas.

Amplius quoniam motus earum non eſt niſi ſurſum, non eſt illis locus morti vel miſeriæ, ſed fœlicitati tantum, ac perpetuitati: quocumque autem eſt motus, ibidem eſt & quies moventibus ſive motis illuc. Quapropter naturalis quies ſive manſio eſt eis ubi perpetuitas eſt atque fœlicitas.

Omnes animæ rationales naturaliter intendunt acquirere ſtatum perpetuitatis & fœlicitatis.

Amplius quoniam nihil naturaliter intendit acquirere, niſi quod eſt ei naturaliter conveniens, & cujus eſt naturaliter receptibile: naturaliter autem intendunt acquirere animæ humanæ ad ſtatum ſive ad regionem perpetuitatis ſive fœlicitatis, Naturaliter igitur ſunt ſuſceptibiles hujuſmodi ſtatus, quapropter immunes eas à contrario ſtatu eſſe neceſſe eſt. Quemadmodum enim omne quod in ſurſum mobile eſt quantum eſt dè intentione ſuæ naturæ ſemper ſeorſum eſt à loco contrario, qui eſt locus infimus ſeu medius. Sic omne quod in ſublimem ſtatum qui eſt fœlicitatis naturalis mobile eſt, à contrario ſtatu neceſſe eſt naturaliter eſſe immunem atque ſeorſum. Manifeſtum etiam ex his non eſſe animam humanam mobilem naturaliter ſive potentem moveri in deorſum hujuſmodi. Quapropter non eſt poſſibile eam per naturam venire in mortem vel extremam miſeriam: cauſa autem in hoc eſt ut prædixi quia unius mobilis naturaliter, non eſt niſi unus motus, & ab uno ad unum: quapropter cum ſit ei motus naturaliter in ſurſum ſublime quod dixi non eſt poſſibile ut ſit ei motus naturalis contrarius qui eſt deorſum, ut antedictum eſt.

Omnis anima rationalis naturaliter movetur in regionē quam non attingit mors.

Amplius omne quod movetur in regionem quam non attingit corruptio vel mors, movetur, inquam, motu naturali & intentione naturæ ſuæ, habet virtutem vel potentiam perveniendi ad illam. Et propter hoc eſt ei virtus, vel potentia naturalis ut ſit ei in illa, & quieſcat quiete naturali. Hæc autem videlicet quies naturalis non eſt tempore limitata quantum eſt de intentione naturæ, quin potius omne quod quieſcit naturaliter in ſtatu vel regione aliqua perpetuo quieſcit in eo, nec eſt ſeparabile ab eo per naturam ſuam: alioquin ei eſſent duo motus naturales contrarij, videlicet motus ad regionem hujuſmodi, & motus ab illa ſi per naturam ſuam eſſet mobile vel ſeparabile à ſtatu vel regione hujuſmodi. Quapropter manifeſtum eſt animam humanam non eſſe mobilem vel ſeparabilem à ſtatu vel regione hujuſmodi. Quare conveniens eſt ut ei ſit perpetua quies, & manſio in illa.

Cur animæ irrationales fugiūt mortem & miſerias corporales, non autem animæ humanæ.

Quod ſi hoc ipſum poteſt dici de animabus irrationalibus, qualiter enim fugiunt mortem, & alia omnia ſimiliter, & miſerias famis & ſitis, & alias corporales? Dico igitur in hoc quod animæ irrationales merito fugiunt mortem corporum ſuorum, quoniam tota vita eorum eſt eis in corporibus ſuis, & cauſas multas ſuper hoc audiviſti. Eadem cauſa etiam eſt eis fugiendi miſerias corporales; illæ enim ſunt veræ miſeriæ, & maximæ earum: aliis enim miſeriis nullis obnoxiæ ſunt:

Mors

Mors vero corporis humani præſertim in ſtatu miſeriæ, & mortalitatis præſentis non ſolum non eſt pars miſeriæ animarum humanarum, ſed etiam liberatio ipſarum eſt ab innumerabilibus, & magnis miſeriis quales ſunt carceralis captivitas in qua eis alligatæ detinentur dum vivunt in ipſis. Et ut uno verbo me expediam, tota ærumnoſitas vitæ iſtius ceſſat ab animabus humanis per mortem corporum earum. Quapropter non immerito non ſolum non fugitur mors corporis ab animabus expergefactis, & vigilantibus à ſopore, & corpore originalis corruptionis & depreſſionis, ſed etiam vehementer deſideratur & ſuſcipitur gaudenter, utpote liberatio à tot & tantis malis. In ſtatu vero naturalis ſanitatis libertatis, & puritatis; de quo feci jam tibi mentionem in præcedentibus longe aliter eſt, atque etiam fuit in principio conditionis ſeu creationis humanæ, & futurum eſt in futura reſurrectione, & intendo quantum ad ſalvandos homines & glorificandos; tunc enim corpora humana non ſunt ſarcinæ piis animabus, neque carcerali, ut ita dicam, cuſtodiæ, nec ullius miſeriæ cauſa vel occaſio. In ſtatu vero futuræ reſurrectionis animabus glorificatis erunt corpora ſua incogitabilis gloriæ. Nec ſolum tunc immortalia futura ſunt, ſed etiam ad hoc fuerunt ſecundum quemcumque modum, quem tibi intendo, ſi Deus voluerit, in ſequentibus declarare. Non eſt igitur mirabile ſi vel ab initio amore inſeparabili diligebant corpora ſua primæ animæ illæ humanæ, & ſeparari nullo modo volebant ab illis, cum eis tota obedientia ad innumerabilia miniſteria deſervirent, cum nihil eis moleſtiæ vel miſeriæ, vel ingererent, vel afferrent, & multo minus in ſtatu futuræ gloriæ quæretur ab illis ſeparatio corporum ſuorum, cum ſicut prædixi tantæ gloriæ futura ſint eiſdem.

Ægritudo ſeparabilis eſt ab anima.

Amplius cum originalis ipſa corruptio totaque præſentis vitæ miſeria ægritudo ſit, vel ægritudinis ſequela neceſſe eſt ipſam eſſe ſanabilem naturaliter, & ab ipſa anima humana ſeparabilem, cum ſit non ſolum de adventitiis. Sed & innaturalibus quæ contra naturam ſuam ſuſtinent animæ humanæ in corporibus ſuis. Quamvis enim medicorum peritia vel arte medicinæ quædam vulnera inſeparabilia ſint, quædam ægritudines tamen naturaliter ſunt ſeparabiles à corporibus. Et propter hoc quantum eſt de natura corporum poſſibile eſt ut ſint ſine illis, licet non ſit forſitan qui hoc ſciat vel valeat procurare. Nec dubitavit adhuc aliquis vel ignoravit quantumcumque delirus, quin creatori omnipotentiſſimo cui ſoli poſſibile fuit, & ſemper eſt formare animam humanam tam ſecundum animam quam ſecundum corpus poſſibile ſit, & reformare eamdem vel in ſtatum priſtinum, vel in melius, vel etiam redigere illam ad deterius. Quod autem poſſibile eſt creatori poſſibile eſt ſimpliciter; & propter hoc quidquid ſanabile eſt illi ſimpliciter ſanabile eſſe neceſſe eſt. Dico igitur quod ægritudo hoc eſt, & tota ſequela quodammodo ſanabilis eſt, & liberabilis eſt ſimpliciter natura humana ab eodem, & quantum ad animam, & quantum ad corpus.

Dilectio bonorum naturalium & fuga miſeriæ naturaliter inſunt animæ adeoque nõ fruſtra.

Amplius bonorum naturalium indita eſt animabus humanis naturaliter dilectio dum habentur ab illis, ſimiliter & deſiderium cum ſe carere eiſdem vident. Sanitas autem priſcæ ægritudini contraria, & immunitas ac tota ſequela illius bona naturalia ſunt animarum humanarum. Eſt igitur bonorum iſtorum eis innatus amor ac deſiderium juxta perfectum modum: & quoniam nullus motus naturæ naturaliter fruſtra eſt, non eſt poſſibile hujuſmodi amorem vel deſiderium naturaliter fruſtrari eſſe. Quia igitur omnis motus à ſuo fine naturali impoſito prohibitus neceſſario eſt fruſtra, verum eſt amorem hujuſmodi, & deſiderium non eſſe naturali impoſſibilitate prohibitum ab eo cujus eſt vel ad quod eſt. Ab hujuſmodi igitur ſanitate, & à miſeriis immunitate non eſt hujuſmodi amor, & deſiderium prohibitum impoſſibilitate naturali; quapropter naturaliter poſſibilis eſt perventio animarum ad hujuſmodi ſanitatem & immunitatem, de quibus non eſt dubium quin ipſa ſint fœlicitas & immortalitas. Et cauſa in hoc eſt quoniam immunitas à miſeriis excludit à ſubjecto ſuo non ſolum mortem, ſed etiam omnem appropinquationem ad illam, cum excludat ab illa omnem miſeriam. Manifeſtum quippe eſt nec eſſe appropinquationem ad mortem neque appropinquans ſive adducens ad illam miſeriam. Quapropter ubicumque & quandocumque, & à quocumque ſubjecto excluſa prohibita eſt omnis miſeria, prohibitum eſt ab eadem omne appropinquans, & omne inducens eandem. Quia igitur omne ſubjectum à quo prohibita, & excluſa ſunt omnia appropinquantia vel inducentia in mortem, prohibita eſt mors ab eodem, & omne à quo naturaliter prohibitum eſt, immortale eſſe per naturam neceſſe eſt. Cuicumque namque virtus eſt ad fugiendum mortem, & deſtructionem ſuam ſive potentiam, eidem neceſſe eſt eſſe motum, & potentiam naturalem ad evadendam ſive effugiendam illam. Alioquin fruſtranea eſſet illi virtus ſive potentia hujuſmodi. & etiam fuga, ſi naturali impoſſibilitate prohibita eſſet ab eo evaſio hujuſmodi ſive effugium; natura enim, ut ſæpe dixi, nihil fruſtra de naturalibus vel potentiis inſerit rebus naturalibus, nec motum aliquem fruſtra operatur.

An & quomodo bruta fugiant mortem.

De hoc quoque opinantur multi quod animalibus innatum eſt fugere mortem, & alias miſerias vel moleſtias quibus eis mors ingeritur. Scito eos non mediocriter errare in opinione ſua hac. Primum quoniam fortaſſis nec de morte ipſa aliquid quidquam æſtimant. Quid enim ſit mors etiam pauci homines plene vident; ſi enim mors eſt ſeparatio animarum humanarum à corporibus, manifeſtum eſt quia non cadit mors in æſtimatione earum: nec enim de ſeparatione hujuſmodi neque de conjunctione circa quidquam cadit in imaginatione vel æſtimatione ipſorum. Contendendum tamen eſt hujuſmodi quia quædam animalia revera manifeſte fugiunt à facie quorumdam, & ſenſu naturæ ſive virtute æſtimantia ſua abſterrentur vel timent ab eis tanquam à noxiis ſibi naturaliter & inimicis. Mortem vero iſtam non apprehendunt, ipſis enim evidentiſſimis, & in rebus philoſophicis exercitatiſſimis difficile valde, & apprehendere vitam, quanto fortius ergo minus erit poſſibilis animalibus hujuſmodi apprehenſio. Senſibiles igitur paſſiones ut ſunt dolores, & delectationes quæ ſunt ſecundum corpus ſentiunt, conſequentia vero eorum minime apprehendunt. Sentit quidem canis dum panem vel carnem comedit, delectationem vero ex ea ſecundum quod ex ea nutriatur aut quod ex illa ſit ei vita vel vitæ conſervatio non cognoſcit. Sic ſentit & dolorem illum vulneris, ſed mortem corporis ſui ex illa ſecuturam nec ſcit, nec ullatenus attendit.

Quod miſerias non fugiãt animæ eruditæ.

De cæteris autem miſeriis, manifeſtum eſt tibi quoniam animæ eruditæ vigilantes curamque ſui debitam gerentes eas non ſolum patiuntur; ſed etiam appetunt & exquirunt tanquam medicamenta ſaluberrima contra morbos ſpirituales, qui ſunt vitia & peccata, delitias vero quæ ſunt

ſecundum corpus & illam omnem, quam ſtulti & prædicti homines inſaniſſimam otioſitatem fœlicitatem vocant, omnimodo fugiunt tanquam inimicam & peſtem mortiferam; & in hoc non eſt cuique intelligenti dubitatio: quapropter manifeſtum in hujuſmodi ſanitatem animarum conſiſtere vel conſervationem ipſius eſſe earum: & quoniam bene eſſe ſive ſe habere ipſius omne repellens eſt, & prohibens ab illa ſuum contrarium quod eſt male eſſe vel male ſe habere. Neceſſe eſt multo fortius ipſum peſſime eſſe ſeu peſſime ſe habere. Hoc autem evidenter eſt, ſi tamen tale adeſt quod maximè noxium eſt animæ humanæ, maximè vero noxium eidem quod etiam bonum vitæ abſcindit eidem; cum manifeſtum ſit ademptione hujuſmodi videlicet vitæ; ipſi enim adimit omne bonum, & nihil eidem boni relinquit. Manifeſtum igitur eſt ſanitatem prænominatam procul facere ab ipſa anima omnem deſtructionem ſui eſſe ſive mortem.

PARS DECIMAQUARTA.

Quod vitia quæ dicuntur ægritudines animæ non tollunt immortalitatem ejus.

Objiciunt ægritudines inducere mortem.

QUod ſi dixerit quis quia poſtquam ægrotabilis eſt anima humana, & obnoxia ægritudinibus quæ, ut dictum eſt, ſunt vitia & peccata, erit igitur ex neceſſitate mortalis. Si enim corpus humanum inægrotabile eſſet, ut ita dicatur, eſſet neceſſario & immortale; ægritudines namque & vulnera ſolummodo mortem inducunt eidem, & ſolæ videntur eſſe cauſæ mortis illius.

Reſpondet vitia quæ ſunt ægritudines animarum non attingere eſſe earum.

Reſpondeo igitur in hoc quod vitia, & peccata non attingunt eſſe animæ humanæ ita ut ullo modorum lædant ipſam, ſed revera ipſum bene eſſe, ſeu bene ſe habere deſtruunt, & ab ea repellunt. Quemadmodum & de ipſa ſanitate quia ipſa non præſtat eſſe corpori, nec ex ea eſt ei eſſe, ſed ſolummodo bene eſſe ſeu bene ſe habere; hoc enim eſt indubitanter ſibi ex ſanitate. Sic ægritudo ſimpliciter, & generaliter eſſe corporis non deſtruit, ſed ut prædixi bene eſſe ipſius, ſive bene ſe habere ejuſdem ab eo prohibet, & repellit, non enim eſt ægritudo contraria ſimpliciter, & generaliter ipſi eſſe corporis, ſed ſolummodo ipſi bene eſſe ipſius; quoniam ipſi ſanitati ſola contraria eſt ægritudo: unde quod ægritudines, & aliæ corporum læſiones mortem inducere videntur, inde proculdubio eſt, quod corpus ineptum efficiunt inhabitationi, & miniſterio operationum animæ ipſius, ineptum etiam ipſum efficiunt ſuſceptioni vitæ, quam ex præſentia inhabitantis animæ continuè recipit, dum ipſum inhabitat. Quapropter deſerit ipſum anima humana, quemadmodum inhabitator domum ſibi ad inhabitandum minus aut non ſatis idoneam, aut operarius inſtrumentum quam cito cognoſcit illud inutile ſuis operationibus, & ineptum. Nec de his oportet ut diffuſius loquar tibi, cum de his audieris in præcedentibus, quæ merito ſufficere debent tibi.

Anima vita ipſa eſt non participatio vitæ adeoque mori non poteſt.

Amplius convenienter dicitur, & verè quod anima humana vita eſt corporis, & hoc non poteſt intelligi, niſi altero duorum modorum ſcilicet ut ſit vita eſſentialiter. Quemadmodum color albus eſſentialiter albus eſt, & non participatione; eſt enim albus in eſſendo ipſa albedo, non in participando vel habendo ipſam albedinem: & ſi hoc modo anima vita eſt cum non ſit poſſibile ut aliquid recipiat contrarium eſſentiæ ſuæ vel privationem ipſius, quemadmodum color albus non poteſt nigreſieri vel nigredo albari, ſic hujuſmodi vita non poterit mori quemadmodum neque videre aut viſus cæcari, aut cæcus videre. Et puto hanc fuiſſe intentionem Platonis in libro ſuo quem ſcripſit de immortalitate animæ quem vocant phædonem, intendens ſiquidem ibi ſtabilire immortalitatem ejus, aſſumpſit radicem iſtam, quod per ſe movetur ſemper movetur, intelligens vitam iſtam motum. Quemadmodum & ipſum vivere moveri: ridiculoſus autem eſſet ſermo ipſius, ſi intelligeret moveri motu continuo & corporali, quem declaravit Ariſtoteles in in libro phyſicorum. Atteſtatur autem huic intentioni meæ ſermo Avicennæ quo dixit, quod anima eſt primus motus, & prima proceſſio exitus à creatore. Quod igitur per ſe movetur ſemper movetur, idem eſt ac ſi diceretur quod per ſe vivit ſemper vivit; quoniam numquam deeſt ei cauſa vivendi, cum nihil unquam defuit vel deeſſe poſſit ſibi ipſi, vel ſubſtrahi ſibi ipſi, vel elongari à ſeipſo. Merito igitur ſecundum hanc intentionem arbitratus eſt Plato ſe ſtabiliſſe immortalitatem ipſius animæ.

Si anima vita ſit ut, recipiens vitam ab alio, & ſic quoque immortalis eſt.

Altero vero modo vita intelligi poteſt ſecundum participationem, & influentiam alienam vivens. Quod enim anima vivens eſt, neceſſe eſt ut hoc ſit juxta priorem modum. Et tunc manifeſtum eſt immortalem illam eſſe. Aut erit vivens ex influentiâ hujuſmodi, tunc neceſſe eſt ut influentia hæc ſit à ſuperiori, & nobiliori eſſentia quam ipſa ſit, & inſuper à magis habente vitam; cum omne datum apud datorem magis, & majus eſſe neceſſe ſit. Quapropter neceſſe eſt illud eſſe perennis influentiæ: cum enim anima humana perennis influentiæ ſit quantum in ipſa ſit; ſed impeditur influentia hæc vitæ per ineptitudinem corporis quod ægritudinibus aut aliis læſionibus inhabile efficitur, aut irreceptibile vitæ. Sed ſicut audiviſti ſi non prohiberetur corpus vel impediretur à receptione vitæ, anima humana perenniter influeret vitam in ipſum, quia ex fonte ſuo; cum ipſam non ſit dubium immunem eſſe, liberrimamque ab occaſionibus, & læſionibus prohibentibus & impedientibus influentiam iſtam. A paſſionibus namque corporalibus manifeſtum eſt ipſam eſſe liberam & immunem, cum ipſa ſit ſubſtantia ſpiritualis. Quemadmodum cuicumque etiam parum intelligenti certiſſimum eſt omne corpus irreceptibile eſſe diſpoſitionum ſpiritualium: & quoniam jam declaratum eſt tibi quod diſpoſitiones ſpirituales etiam malæ & noxiæ non lædunt ipſum eſſe, vel vitam animæ humanæ; & multo fortius bonæ, & ſalutares lædere eſſentiam ipſius vel vitam non poſſunt. Manifeſtum eſt conſequenter in animam humanam non poſſe cadere diſpoſitiones quæ prohibeant eam vel impediant à receptione vitæ. Quapropter neceſſe eſt influentiam vitæ perennem eſſe in animam humanam: non enim impoſſibile eſt abſcindi continuitatem influentiæ iſtius ab anima humana niſi per impedimenta, & occaſiones quæ ſunt ex parte animæ humanæ recipientis, & hoc jam remotum eſt à parte eſſentiæ vitam in animam influentis. Et hoc ſimiliter patefactum eſt non eſſe poſſibile, cum fontem influentiæ illius fortioris ac copioſioris eſſe inundationis ac redundantiæ in animam ipſam conſtet eſſe, quam ipſa ſit ad corpus. Quod etiam inde apparet evidenter quia longe major ac nobilior eſt influentia vitæ in animam humanam, quam influentia vitæ ex illa in corpus ſuum; tum

tum quia fonti ſuo vicinior atque propinquior, tum quia longe fortior atque nobilior eſt vita ipſa qua vivit anima quam vita quæ ex illa redundat in corpus. Quis enim ignorare poteſt animam humanam longe fortius ac ſublimius copioſiuſque vivere quam ipſa vivificet corpus ſuum; niſi qui ignorat vel ignorare poteſt ſolem copioſius fortiuſque lucere quam aëra nubiloſum qui illuminatur ab ipſo.

PARS DECIMAQUINTA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex infatigabilitate ipſius.

Intellectus non fatigatur vehementer intelligibilibus.

POſt hæc autem procedam aliis viis, & dicam quod ſubſtantias mortales in operationibus ſuis comitatur laſſitudo, & debilitatio, & defectio in operationibus ſuis, præſertim cum vehementes, & longi temporis ſunt, ſicut apparet in hominibus, & in animalibus quæ vehementibus, & longi temporis operationibus primum fatigantur, poſtmodum debilitantur, & ſi amplius prolixitatis ſit in hujuſmodi operibus deficiunt omnino. In animabus autem humanis econtrario ſe habet ſicut evidenter apparet de virtute interna quæ intellectionibus quanto vehementiores ſunt, quanto etiam tempore longiores tanto magis invaleſcit, & confortatur in illis: in vehementer enim maximeque intelligentibus intelligendo ea non laſſatur vel debilitatur, ſed etiam invaleſcit & confortatur: ſicut dicit Ariſtoteles quia intellectus non corrumpitur vehementer intelligibilibus, & voluit oſtendere quia ſenſus harmonia quædam eſt medietas, pro eo videlicet quod extrema corrumpunt ipſum, ut ei viſum eſt, quia revera lædunt inſtrumenta ſenſibilia, & deſtruunt contemperantiam per quam idonea ſunt recipere paſſiones, & immutationes quibus apprehenſiones ſenſibiles perficiuntur. Et quoniam dixi tibi alias quod intelligibile ſive ſenſibile non eſt niſi lucens ſive lucidum ad virtutem intellectivam, manifeſtum eſt tibi quod vehementer intelligibilia vehementer lucida ſunt intellectui.

Vehemētia lucis intelligibilis nō lædit intellectum, nec excellentia bonitatis voluntatē.

Quapropter manifeſtum eſt quod vehementia lucis intelligibilis ſive ſpiritualis non ſolum non lædit intellectum, ſed etiam confortat atque clarificat illum. De quo patefactum eſt tibi conſequenter quod vehementia ſive excellentia bonitatis confortat ipſam virtutem motivam movens eam ſive illuſtrans potius atque decorans amore ſcilicet. Hoc nemo intelligens hactenus ignoravit videlicet quin quanto majus bonum propter bonitatem ſuam diligitur, tanto amor melior ſit, & virtuti in qua eſt convenientior, & magis decens illam. Quapropter neceſſe eſt ipſam ex hoc confortari & invaleſcere. Omnis enim perfectio cujuſcumque virtutis eo ipſo quod perfectio eſt illius indubitanter eam confortat, atque decorat, & propter hoc quanto diutius in ea vel apud eam fuerit, tanto eam in vigore ſuo amplius, & amplius adjuvabit.

Cur nimia refectio faſtidium pariat.

Et ſi quis objiciat de refectione quæ eſt ex alimentis quæ revera virtutes corporis adjuvant & confortant, prolongatio autem ejus appetitum ejus debilitat, & in faſtidium vertit. Reſpondeo in hoc quod ipſe appetitus eſcarum ſive alimentorum limitatus eſt ſi naturalis eſt, nec extendit ſe ultra id quod ſatis ſive ultra ſufficientiam eſcarum. Cum ergo ultra limites ſuos alimentum apponitur non eſt mirum ſi in illum exceſſum eſcarum vel debilis eſt vel nullus. Et propter hoc non eſt mirum ſi vel inſipidum eſt ſic ſumenti nutrimentum, vel etiam ſit moleſtum. Et propter hoc dictum eſt à quodam de nobilioribus gentis chriſtianorum quod hæc eſt differentia inter corporales delicias & ſpirituales. Quia corporales deliciæ abundantia ſua faſtidium ſui pariunt, ſpirituales vero abundantia majus ſui deſiderium accendunt.

Gregor.

Quod idem de diuturnitate ſentiēdum ſit atq; dē abundātia in intelligibilibus.

Et ſimiliter ſe habet de diuturnitate ſive duratione; alioquin peſſime eſſet ſanctis ac beatiſſimis ſubſtantiis abſtractis quibus eſt incogitabilis affluentia deliciarum ſpiritualium duratioque perennis. Amplius beatitudo & fœlicitas ſpiritualis ſecundum hoc nulla eſt: non enim eſſet & fœlicitas ſi brevis vel modica eſſet, non enim minus miſeros efficeret deciſione ſive amiſſione ſua, quam beatos obtentu. Quemadmodum & divitiæ non minori dolore amittuntur quam gaudio poſſideantur, non poteſt autem ullo modorum æſtimari fœlicitas quæ tantam miſeriam doloris ingerit, & etiam timoris de imminēte hujuſmodi dolore & amiſſione ipſius.

Spiritualis vita temporē limitata non eſt.

Quapropter patefactum eſt tibi per hoc ſpiritualem vitam non eſſe tempore limitatam, ſed neque etiam harmonia ſive medietate. Quapropter neceſſe eſt illam conſiſtere in eis quibus non eſt finis in tempore. Similiter neceſſe eſt eam conſiſtere pro parte virtutis intellectivæ in eis quorum non eſt luminoſitas finita: ex parte motivæ in illis quorum non eſt bonitas terminata. Et intendo in ſermone hoc tam de uno quam de pluribus videlicet, quia ſi unum eſt in quo vel cujus adeptione conſiſtit fœlicitas virtutis intellectivæ, intelligo inquam quia luminoſitas ejus ſpiritualis eſt infinita: & ſi unius ſimiliter obtentu ſive acquiſitione conſiſtit fœlicitas virtutis noſtræ motivæ nobilis ac ſuperioris. Dico bonitatem illius eſſe ſimiliter infinitam: & intendo ſuper omnem comparationem ad bona omnia quæ citra fœlicitatem ultimam acquiri poſſunt, vel ab omnibus, vel ab animabus humanis.

PARS DECIMASEXTA.

Quod vera fœlicitas eſt infaſtibilis.

Vera fœlicitas infaſtibilis eſt quia immunis à miſeriis & puriſſima eſt.

DEclaratum igitur eſt tibi per hoc quod fœlicitas veræ rationis & nominis inimica eſt per omnem modum miſeriis ratione contrarietatis quæ eſt diſtantia maxima, & differentia completa eorum quorum eſt. Eſt & infaſtibilis propter veritatem & puritatem boni cujus obtentus eſt, & propter munditiam & incorruptionem virtutis appetitivæ interioris, ac nobilis cui neceſſe eſt ſemper ſapere ſuaviter ac delectabiliter quod eſt verum ac purum bonum, quapropter impoſſibile eſt ut ex illo ſit ei faſtidium. Generaliter namque vera bona & pura virtutem iſtam appetitivam confortant, & deſideriis ſuis accendunt & inflammant. Cauſa autem in hoc eſt quoniam applicatio ſive conjunctio illorum ad ipſam non poteſt eſſe niſi recta ac ordinata, & per omnem modum conveniens. Corporalia autem bona & temporalia inordinata ſui applicatione ad illam, & conjunctione non convenienti corrumpunt illam atque pervertunt: & vera bona tandem in deſipientiam vertunt, quod eſt dicere ei ut deſipiant faciunt; indigna quippe ſunt amore, appetitu, & deſiderio iſtius virtutis quæ ad tam ſublime tamque nobile bonum obtinendum ordinata eſt & creata.

Eſt etiam inamiſſibilis, & diminutionis incapax.

Eſt & inamiſſibilis totaliter ſive univerſaliter, & intendo ut non in toto nec in parte amiſſibilis ſit, & propter hoc neque ullo modorum imminorabilis. Quod & ipſe Ariſtoteles intellexiſſe videtur in ſermone ſuo in libro ethicorum quo dixit videlicet quod fœlicitas eſt actus intranſmutabilis, & intendo in hoc quod dixit actus carentiam omnem, & potentialitatis effectum Ariſtotelem

excluſiſſe ab illa: in hoc vero quod intranſmutabilis proculdubio inamiſſibilem eam eſſe intellexit, & inſuper quod ultra eam ſive poſt eam non expectetur vel quæratur acquiſitio ulterioris ſeu amplioris boni. Tranſmutatio enim amiſſio eſt ejus quod habetur, & acquiſitio ejus quod non habetur.

Colligit tres qualitates veræ beatitudinis inamiſſibilitatem, puritatem, & infaſtibilitatem.

Attende igitur diligenter tria iſta quæ aſſignavi fœlicitati, videlicet immiſcibilitatem ad contrarium ſuum quod eſt miſeria. Deinde infaſtibilitatem ad contrarium ſuum quod eſt miſeria quam ex parte magna efficiet indignitas, & inordinata conjungibilitas ſeu applicabilitas bonorum ad virtutem appetitivam: nulla enim bona faſtidiuntur ab animabus noſtris ſi eis digna ſint, & debite atque convenienter eiſdem applicentur. Quapropter declaratum eſt tibi per hoc quod virtutes animarum humanarum ſuperiores ac nobiles perpetuo conquieſcunt in bonis illis, quorum obtentu ſive acquiſitione ultima perfectione perfectibiles ſunt, hoc eſt dicere fœlicitabiles ſive beatificabiles ſunt.

Ex aptitudine naturali ad hanc beatitudinẽ colligit animæ humanæ immortalitatem.

Propter quod nulla tibi in parte iſta relinquitur dubitatio ſi naturalis eſt ei fuga à miſeriis, & naturalis appetitus contrariæ fœlicitatis, quando naturaliter aptæ ſive idoneæ ſunt evadere ab illis, & pervenire ad illam. Quapropter naturalis eſt ei virtus atque potentia fiendi immunes, & liberæ à miſeriis, ſimiliter & fiendi fœlices quod eſt dicere prædictam fœlicitatem obtinentes. Ex quo etiam ſequitur aliud, ut quoniam fœlicitas hæc non eſt conveniens niſi ſubjecto immortali, neceſſe ſit omne ſubjectum cui naturaliter conveniens eſt hujuſmodi fœlicitas, & naturaliter immortale eſſe. Cum enim nulla ſubſtantia amet vel appetat niſi quod ei naturaliter convenit, & naturaliter eidem acquiſibile eſt: appetit autem omnis anima humana naturaliter immunitatem à miſeriis, & fœlicitatem antedictam. Naturaliter igitur eſt ei conveniens tam illa immunitas quam iſta fœlicitas, non eſt autem naturaliter conveniens, niſi ſubjecto naturaliter immortali, naturaliter igitur eſt immortalis omnis anima humana.

PARS DECIMASEPTIMA.

Quod immortalitas non eſt diſpoſitio adveniens animæ cum fœlicitate.

Fœlicitas non poteſt cõmunicare immortalitatẽ quæ debeat quoque competere miſeriæ contrariæ.

QUod ſi fortè dixerit quis quod immortalitas non eſt diſpoſitio naturalis animæ humanæ, ſed eſt ei adveniens cum ipſa fœlicitate tanquam pars ipſius aut communicans. Reſpondeo in hoc quod cum fœlicitas hæc habeat miſeriam contrariam videlicet puram & univerſalem, & ratione contrarietatis immixtæ ſint, non communicabunt partem: quapropter non communicabunt immortalitatem ſubjecti: communicarent autem ſi immortalitas eſſet pars fœlicitatis, quoniam neceſſe eſt eam eſſe partem contrariæ miſeriæ quam neceſſe eſt eſſe perpetuam ut ipſam fœlicitatem. Temporalis enim miſeria, & fœlicitas perpetua nullo modorum contrariæ eſſe poſſunt, cum omnia contraria æqualia eſſe ſive paria neceſſe ſit.

Idem probat quia contraria eodẽ modo debẽt ineſſe ſubjectis ſuis.

Amplius non eſſent contraria niſi ſecundum idem, & eodem modo ineſſent ſubjectis ſuis. Multum autem differunt modi iſti videlicet temporaliter & perpetuo; præſertim cum fœlicitas naturaliter, & perpetuo inſit, & perpetua ipſa ſit, miſeria vero ſecundum errorem iſtum naturalis ſit, & tempore limitata.

Non eſſent in eodem genere.

Amplius nec in eodem genere eſſent, cum altera naturaliter perpetua ſit, altera vero naturaliter temporalis.

Fœlicitas perpetua

Amplius cum ipſa fœlicitas perpetua ſit, nec alterius modi in quodam ſubjecto eſſe poſſit, videlicet niſi perpetuo, nec poſſit eſſe niſi in ſubjecto perpetuo, neceſſe eſt ut quemadmodum ſubjectum præceſſit illam fœlicitatem, ſic perpetuitas ſubjecti perpetuitatem fœlicitatis neceſſe eſt ut præcedat. Quapropter prius naturaliter perpetuum eſt ſubjectum omne fœlicitatis quam ipſa fœlicitas. Non eſt igitur poſſibile ut perpetuitas ſubjecti hujuſmodi ſit à perpetuitate fœlicitatis, cum nihil ſit à poſteriori ſeipſo.

Non poteſt eſſe niſi in ſubjecto perpetuo.

Bona ſpiritualia quibus fœlix eſt anima obtineri poſſunt, ne ſit ipſa naturaliter addicta miſeriis.

Amplius aut ſunt bona ſpiritualia quorum obtentu ſive acquiſitione fœlix poſſit eſſe anima humana, aut non ſunt naturaliter. Quod ſi non ſunt: prohibita ergo eſt anima humana à fœlicitate. Et quia non eſt medium inter fœlicitatem & miſeriam, neceſſe eſt eam naturaliter eſſe addictam & obligatam miſeriis, quibus autem naturaliter addicta & obligata eſt ad illa creata eſt, & naturaliter ordinata. Quapropter ad miſerias creata eſt naturaliter anima humana, & ad illas naturaliter ordinata eſt. Et quoniam pœnæ ſunt ſive pœnales omnes miſeriæ, conſequens erit ex his evidenter ipſam eſſe naturaliter pœnis, & ærumnis traditam & deputatam. Qualiter autem hoc poſſibile erit? ſi enim naturales ſunt iſtæ pœnalitates & ærumnæ, non erunt igitur irrogatæ ex cauſa aliqua culpæ.

Pœnæ & miſeriæ nõ poſſunt eſſe naturales.

Amplius iſta duo non ſeſe compatiuntur, videlicet ut aliquæ diſpoſitiones pœnæ & miſeriæ ſint, & tamen naturales; & intendo naturaliter inditæ, vel natæ, ſive ex naturalibus, naturali intentione quæſitæ vel acquiſitæ. Et quoniam hoc impoſſibile ſit, inde apparet quod miſeriæ omnes agnoſcentibus eas, & ſcientibus naturaliter fugiantur.

Naturalia delectationem non dolorem afferunt.

Amplius ipſa quæ naturalia ſunt nec dolorem, nec timorem ingerunt ſuſtinentibus ea, quin potius delectationem & gaudium.

Si nulla eſſent bona intelligibilia fruſtra datæ eſſent vires ſuperiores animæ.

Amplius ſi non ſunt bona hujuſmodi naturaliter quibus perfectibilis ſit anima humana perfectione quam dixi videlicet ultima quæ eſt fœlicitas ejus ex neceſſitate. Fruſtra igitur creata eſt, & vanæ datæ ſunt ei vires ſuperiores, & nobiles. Quemadmodum ſi naturaliter non eſſet viſibile, fruſtra eſſet viſus: ſimiliter ſi non eſſet tangibile, fruſtra & vane eſſet tactus. Quapropter ſi non eſſent intelligibilia in quibus naturaliter perficerentur, & quieſcerent hujuſmodi vires, fruſtra, & vane eſſent vires antedictæ.

[illegible]

Quod ſi dixerit quis quia revera ſunt hujuſmodi intelligibilia quibus perficiatur, non autem perfectione ultima, & in qua ſit eis quies naturaliter: non ſunt igitur ei fines operationum ſuarum. Quapropter aut naturaliter ſunt ei bona tranſibilia hujuſmodi aut non. Quod ſi tranſibilia ſint, & hoc naturaliter: ſunt igitur ei per modum viæ aut viarum. Quapropter creata eſt anima humana ut viator, & via data ei tantum & non finis: Quare creata eſt ad ambulandum ambulationibus ſpiritualibus per viam vel vias hujuſmodi, & hoc ſine fine ſive in infinitum, & ſine quiete; & eſt ei virtus ſive potentia naturaliter ad gradiendum ſine fine, & propter hoc multo fortius ad eſſendum ſine fine. Si vero bona hujuſmodi non ſunt ei tranſibilia, & intendo ut ultra ea naturaliter moveant, neceſſe eſt igitur illi eſſe quietem naturalem in eis, & propter hoc perpetuam. Impoſſibile namque manifeſtum eſt aliquid corrumpi, vel deſtrui, vel etiam lædi naturaliter quocumque modo ab eo in quo naturaliter quieſcit, vel ab ipſa quiete naturali. Alioquin non eſſet motus naturalis ipſius ad illud, neque quies ejuſdem naturalis in illo, cujus exemplum eſt quietudo piſcis cum fuerit extra aquam.

Deus eſt finis animæ.

Debes autem ſcire quod libertate philoſophica ſunt ſermones iſti, & propter hoc non examinati. Et hæc cauſa propter quam nunc unum bonum perfectibile, ac finale animarum humanarum, nunc

plura dico: vel quia unum ipſum eſt revera, & hoc creator benedictus: vel quia plures ſunt ei perfectiones ex illo, vel quia etiam apud ipſum eſt pluralitas ſicut etiam trinitas, ſicut jam feci te ſcire in tractatu ſingulari de ipſo, & hic tractatus prima pars primi ſapientialis ac divinalis magiſterij.

Meminit tractat' de Trinitate.

PARS DECIMAOCTAVA.

Quod anima à depreſſionibus liberata naturaliter figitur, & quieſcit in ſuo fine inſeparabiliter.

Quod virtus appetitiva nobilis fixa ſit in aliquo bono non vaga.

HOc igitur ita determinato revertar ad id in quo eram, & dicam quod ſi fixa eſt intentio naturæ in anima humana, cum ipſa eſt in ſtatu libertatis à ſæpedictis depreſſionibus, fixa inquam in acquiſitione certi ac determinati finis, & perfectionis: non enim eſt virtus appetitiva naturalis, ſuperiorque ac nobilior hujuſmodi vaga ſeu vagabunda, & non intendens quietem ſuam ſeu permanentiam in bono aliquo; vagatio enim & vana eſt & ſupervacua: & propter hoc non admittit eam natura, maximè in ſubſtantia nobili ac libera, & quæ naturali inſtinctu ſive intentione movetur. Quod ſi quis dixerit quod virtus viſibilis nō quieſcit in aliquo ex viſibilibus naturaliter, alioquin violenta eſſet ſeparatio ejus ab illo, & tranſitus ejus ad aliud viſibile, vel ad alia. Cauſa autem in hoc eſt quoniam operatio viſus non eſt ei ex ſe, ſed imperio alieno; ex voluntate namque videntis transfertur nunc ad unum viſibile, nunc ad aliud. De virtute vero intellectiva habere poſſet forſitan quæſtionem: & de aliis in tractatu de virtutibus, & moribus multa jam per me audiviſti. Verum ſive ex proprio deſiderio naturali, ſive ex imperio virtutis motivæ nobilis ad ſuas perfectiones, & per illas ad unam ultimam moveatur non refert: quoniam ad intentionem meam in tractatu præſenti manifeſtum eſt ſciendi, & cognoſcendi deſiderium & amorem in animabus, & apud illas maximum eſſe quæ maximè in ſcientiis profecerunt, & provectæ ſunt; in aliis autem econtrario juxta ſermonem ſapientis quo dicit *qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient* Quod ſi deſiderium iſtud inexplebile eſt, & inſatiabile, impoſſibile ut ſit naturale; natura enim omnis omni motu ſuo finem certum intendit, & illo acquiſito ceſſat à motu ſuo.

Eccl. 24. 29.

Omne naturale deſiderium explebile eſſe adeoque & ſciendi appetitum.

Quia igitur certiſſimum eſt ſciendi, & cognoſcendi deſiderium omne naturale eſſe juxta ſermonem Ariſtotelis quo dixit quod omnes homines natura ſcire deſiderant, neceſſe eſt ipſum explebile ſive ſatiabile eſſe. Quapropter neceſſe eſt ſcientiam aliquam vel cognitionem expletivam eſſe ſive ſatiativam deſiderij iſtius; ea igitur acquiſita neceſſe virtutem intellectivam quieſcere in illa: omnis enim motus naturalis acquiſito fine in quem erat neceſſe eſt ut ceſſet, ſicut alibi didiciſti. Relinquitur igitur inquirendum cujus ſit ſcientia hęc: & quoniam non tam ſublimium incorporalium quam etiam corporalium, non ſolum magnorum, ſed etiam minorum ſcientia ſeu cognitio naturaliter deſideratur ab animabus humanis, non enim eſt invenire animam humanam quæ non teſtetur deſiderare ſe & velle omnia ſcire. Deſiderare inquam & velle naturaliter, licet deſiderium & voluntas hujuſmodi in multis animabus impedita ſit ex occaſionibus quas audiviſti.

Quænam ſit ſcientia quā omnes naturaliter deſiderant.

Scientia igitur hæc quam hic inquiro ſcientia totius eſt & univerſi. Et intendo omnium, & ſingulorum quæ univerſi ſunt, & ipſius creatoris benedicti præter cujus cognitionem quantiſcumque ſcientiis clarere videatur anima humana in magnis & profundiſſimis tenebris eſt. Intendo etiam omnium & ſingulorum quorum cognitio addit ad perfectionem virtutis intellectivæ, & quorum defectus perfectionem iſtam minueret. Hoc autem dico quia forſitan alicui videatur non eſſe completam perfectionem ſcientiæ in anima humana ſi deficeret ei ſcientia numeri arenæ maris, & guttarum pluvialium. Verum quoniam de hoc jam audiviſti intentionem meam in tractatu de ſcientia ſubſtantiarum nobilium abſtractarum, ſuperſedeo hic loqui amplius de hoc. Et quoniam audiviſti quod vis intellectiva potentia eſt intelligendi ſimpliciter, neceſſe eſt ut ipſa reſpiciat, & cadat operatio ejus naturaliter ſuper intelligibile ſimpliciter. Quapropter completio perfectionis eſt intelligentia omnis ſcibilis, & hoc eſt perfectio ſcientiæ iſtius ſecundum numerum ſive multitudinem ſcibilium, poſtquam nec unius cognitio eidem deeſt. Nobilior autem eſt ejus perfectio alia, & hæc eſt certitudo, & claritas ipſius. Quemadmodum enim non omne videre perfectum eſt evidenter; cum contingat & unum, & multa magis, & minus videri; non enim æquè videtur ſol ſub nube ab eis qui cum in fulgore mundi intueri non poſſunt, ut oculus aquilæ qui temperamento luminoſitatis ipſius ad planè videndum ipſum non indiget ſicut dicitur à quibuſdam. Neceſſe igitur eſt ſcientiam completæ perfectionis in ultimitate eſſe certitudinis, aut claritatis, ultimitate dico ſecundum gradum, & ſpeciem atque receptibilitatem ſeu poſſibilitatem virtutis noſtræ intellectivæ.

Promiſſa hominibus æqualitas cū Angelis in cœlis. *Matth. 22. 30.*

Fortaſſis autem virtus intellectiva animarum noſtrarum non eſt naturalis tantæ tamque nobilis receptibilis ſcientiæ, quantæ ſunt virtutes intellectivæ ſubſtantiarum nobilium abſtractarum. Quod igitur in lege chriſtianorum ab ipſo legis illius latore evidenter dicitur quia æquandi ſunt homines angelis in reſurrectione futura, proculdubio verum eſt; quia ſi exaltanda atque ſublimanda eſt natura animarum humanarum per gloriam illam futuram, ut quod minus habeat ex ſe naturaliter, eiſdem perfectio fœlicitatis illius ſuppleat. Iterum igitur iſtud ita ſit tibi determinatum quod indubitanter ad æqualitatem gloriæ ſubſtantiarum illarū nobilium animæ humanæ glorificandæ proculdubio exaltandæ ſunt; ſive æquandæ ſunt in receptibilitate naturalis & nobilis illius cognitionis.

Quod magnitudo claritatis rerum ſcibilium nō lædit intellectum.

Et quoniam manifeſtum eſt quod magnitudo claritatis quæ non eſt niſi evidentia, & apparitio veritatis rerum ſcibilium, non ſolum non lædit virtutem intellectivam, ſed etiam confortat, adjuvat, illuſtrat, atque decorat, ac per omnem modum perficit, manifeſtum eſt in ea eſſe quietem perpetuam ac jocundiſſimam illius. Quapropter & conjunctionem virtutis intellectivæ ad illam neceſſe eſt eſſe naturaliter inſeparabilem, & quietem ejuſdem in ipſa inconcuſſibilem naturaliter. Natura enim quæ movet virtutem intellectivam ad illam non eſt poſſibile ut moveat illam ab illa; unius enim naturæ unus eſt naturaliter, & ſolus motus non contrarij.

Quod hujuſmodi ſcientia ſit intellectui finis completæ perfectionis.

Amplius ſi naturaliter mobilis eſſet ab illa indubitanter eſſet ei naturalis motus ſive tranſmutatio ab illa ad aliud. Quare eſſet ei via ad illud: non eſſet igitur eidem finis intentionis ſuæ, & motus naturaliter; jam autem poſitum erat quod hujuſmodi ſcientia erat ei finis completæ perfectionis.

Anima humana non poteſt ſeparari à ſuo fine jā adepto nec per voluntatem nec per violentiam.

Amplius ſeparatio hæc ſive receſſus ab hujuſmodi fine, & perfectione non eſt poſſibilis eſſe niſi altero duorum modorum videlicet aut per violentiam, aut per voluntatem. Et per violentiam quidem non eſt ſomniare quis eſſet illator aut inflictor violentiæ hujuſmodi. Non enim eſt ſomniare placiturum creatori ſpoliare velle animam humanam

tanto bono tam nobilis perfectionis, poſtquam id ei contulerit: præſertim cum non ſit poſſibile ut offendat quacumque culpa creatorem. Non enim poſſibile eſt ut in illo ſtatu aliquid illam delectet vel moveat etiam motu leviſſimi deſiderij quod diſpliceat creatori. Si enim in leviſſimis noſtræ conſuetudinis raptibus quoad creatorem raptæ ſunt, & in corporibus de nullo quod eum offendat cogitare permittantur: quanto fortius in illum totaliter raptæ, & beatiſſimo gaudio ipſius totaliter immerſæ atque abſorptæ, non erit poſſibile eis aliud vel cogitare, vel deſiderare quam ipſum?

Nullus aliquando in præſenti ſtatu locus eſt peccãdi in Deum.

Amplius etiam in iſta præſenti vita ubi tam exiguus, & exilis eſt amor animarum humanarum in creatorem ita ſe conferunt in illum, & colligunt ad ipſum longe ſi faciemus totis ſtudiis, & viribus ab offenſionibus creatoris: quanto fortius illa præclara cognitione ipſius, & pro menſura ejuſdem cognitionis amore ipſius creatoris inflammatæ, vel quod eſt verius ignitæ longiſſimè erunt ab omnibus quorum cogitatio vel deſiderium poſſet eas vel ad modicum abſtrahere à creatore? Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc nullum eſſe locum offenſionis creatoris in ſtatu illo tam luminoſæ cognitionis creatoris.

Nec ullis doloribus abſtrahi poſſunt ab illa beatitudine.

Quod ſi fortè dixerit quis quod injuriis, & læſionibus, vel aliis quibuſcumque paſſionibus quæ per corpus quolibet modo perveniunt ad animas dolores, vel delectationes eiſdem ingerentes avocari, & abſtrahi poſſunt ab hujuſmodi claritate virtutes intellectivæ, & gaudio. Attendat hujuſmodi homo quia in conſuetis raptibus de quibus feci mentionem interdum nec vulnera corporis ſentiuntur ab animabus raptis. Quanto fortius igitur etiamſi vulnera adeo gravia inferrentur aut mortem illius inducerent, non ſentirentur ab animabus humanis in ſublime antedictæ claritatis, & perfectionis raptis, in ibi totaliter occupatis atque ſuſpenſis, nec ad illas pervenirent?

Idem oſtẽdit ex eo quod & ipſæ ſcientiæ philoſophicæ ab omnibus aliis cognitionibus abſtrahunt.

Amplius ſi ſcientiæ philoſophicæ adeo abſtrahunt animas humanas à rebus aliis adeoque in ſe rapiunt eaſdem ut de aliis cogitare nec velint, nec poſſint, quin potius moleſtus ſit eis omnis alius cogitatus, quid credendum eſt de ſcientia iſta tam nobili tanteque claritatis, & gaudij? cui videri poſſet ut ad cogitandum de aliis abſtrahi animam humanam modo quolibet patiatur. Adjuvabit etiam te ad hoc ipſum conſideratio clariſſimorum, & abſtractorum ſpirituum quos in aſpectu, & admiratione pulchritudinis ſuæ, & in gaudio, & in fruitione bonitatis ſuæ ſic totaliter detinet, & occupat creator benedictus, ut nec de aliis bonis adipiſcendis ſit eis ulla cura vel deſideriũ, nec de malis quibuſcumque fugiendis aut evitandis eſt eis timor aliquis vel ſollicitudo. Quapropter manifeſtum eſt quod ſtatus perfectionis iſtius de quo agitur omnino ſeorſum facit animam humanam, omninoque liberans, & immuniens ab omni timore & moleſtia, ab omni dolore, & triſtitia, ab omnibus etiam deſideriis boni cujuſcumque alterius ab illo vel ab illis, in quo vel in quibus conſiſtit perfectio ſeu fœlicitas ſuperiorum virium ac nobilium ipſius. Quapropter cum naturalis ejus intentio, & deſiderium in hujuſmodi fœlicitatem ſunt, quam non eſt poſſibile eſſe niſi in ſubjecto ad eam idoneo ejuſdemque receptibili. Hoc autem non poteſt eſſe niſi naturaliter immortale. Manifeſtum eſt animam humanam naturaliter eſſe immortalem.

PARS DECIMANONA.

Quod ægritudo originalis plurimas animas impedit ab adeptione ſui finis.

Ægritudo originalis in cauſa eſt cur rariſſimæ animæ in hac beatitudinem intendant.

NEc te conturbet quod pauciſſimæ atque rariſſimæ ex animabus humanis in hanc fœlicitatem intendant tam fuga quam amore vel deſiderio, manifeſtum namque eſt tibi ægritudinem originalis corruptionis adeo pervagatam peſtem eſſe, ut nulla ex animabus humanis ab ea immunis ſit niſi miraculo omnipotentis virtutis, & gratiæ creatoris. Quantum vero ægritudo iſta corruperit atque perverterit eis vim appetitivam interiorem ac nobilem, quantumque obtenebraverit virtutem intellectivam in ipſis, hoc eſt tibi certiſſimum indicium, quia vera ac ſublimia bona ab omnibus illis, pauciſſimis dumtaxat exceptis, & hoc gratiæ ut prædixi privilegio vel odioſa ſint illis effecta vel omnino negligantur ab ipſis. Falſa vero bona & vera mala tam ſtudioſe, tam ſumptuoſe, & tam laborioſe tantiſque laboribus, & doloribus quæruntur ab ipſis ignorare non permitteris, hoc eſt ex ægritudine antedicta. Jam etiam didiciſti, & inceſſanter experieris ſalutares eſcas non ſolum abominabiles, ſed etiam odioſas ægrotantibus, ipſoſque perverſiſſime judicare de ipſis. Scis inſuper neminem ſapientem ſtare judicio ægrorum de cibis, aut potibus; neminem etiam interrogare eos ſuper hoc, palato namque ſano ſoli credendum eſſe non dubitat de ſaporibus, & clare videntibus de coloribus; vigilantibus quoque ſolis de ſomniis, & ſomniorum phantaſmatibus. Dormientes enim omnes in illuſionibus ſunt, nec habent in poteſtate ut a phantaſiarum erroribus ſe avertant, neque ut aciem mentis convertant, & dirigant ad intuitum veritatis. Manifeſtum igitur eſt tibi de animabus humanis in quo ſtatu de ſemetipſis hoc eſt de natura ſua, & naturalibus ſuis poſſem vel inveſtigare per ſe, vel ab inveſtigantibus edoceri.

Quod duo ſunt motus animæ fuga, & deſiderium, & de quiete ipſius.

Et quoniam jam feci te ſcire per ea quæ præceſſerunt, quoniam animabus humanis ſunt duo motus naturales duæque inclinationes ſive intentiones, quarum altera eſt à miſeriis, & hæc eſt fuga naturalis ab eis, & finis ipſius eſt effugium ſive liberatio ab illis. Altera autem eſt ad fœlicitatem, & intentio ſive inclinatio in illam eſt amor naturaliter ſive deſiderium ipſius. Et propter hoc neceſſe eſt ut uterque iſtorum finium ſit naturaliter poſſibilis acquiri; licet manifeſtum ſit grandem multitudinem animarum humanarum ab acquiſitione finium iſtorum vel propria voluntate ſe avertere, vel antedictis occaſionibus impediri. Patefactum eſt etiam tibi quoniam in ipſa naturali fœlicitate eſſet eis quies perpetua, niſi prælarga creatoris bonitas nobiliorem eis fœlicitatem providiſſet, & ejuſdem deſiderium vel naturaliter, vel pro naturalibus earum ſuper appoſitam gratiam addidiſſet. In hac igitur naturali fœlicitate videlicet creatæ animæ primorum hominum præter illam aliam inquiſiſſent, niſi eas ad hoc divinæ voluntatis beneplacitum per antedictam gratiam induxiſſet.

PARS VIGESIMA.

Quod anima in primo ſtatu ſuæ libertatis habuit fœlicitatem naturalem incomparabilem ſupremæ fœlicitati.

An primus homo fuerit creatus ad fœlicitatem.

QUæſtionem namque habere poteſt utrum ex ſolis virtutibus nobilibus ſuis cognoſcibilibus eis fuerit nobiliſſima illa completæ perfectionis fœlicitas, in qua veriſimile eſt eas Angelos ipſa

ſexta

ſexta die qua creati fuerant vidiſſe conſtitutos. Amplius magnitudo vel imméſitas fœlicitatis non impediunt illas vel prohibent quominus illam cognoſcerent, alioquin tam longe ſupereminentem omnibus creatorem qualiter cognoviſſent, illum enim ignorare non poterant ullo modorum. Veriſimile igitur eſt eas illam ex nobilibus virtutibus ſuis naturalibus cognoviſſe. Sed quod ad illam exaltandæ eſſent in ſtatu illo forſitan non ſciviſſent donec per gratiam creatoris hoc eis innotuit. Tanta namque fuit myſterij profunditas ut eam multæ ex Angelicis ſubſtantiis ignoraſſent quod in lege chriſtianorum expreſſe dicitur his verbis *ut appareat multiformis ſapientia Dei principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus.*

Ephes. 3. 10.

In quo cōſiſtit fœlicitas in primo ſtatu.

Eſſet igitur quædam fœlicitas animabus humanis tranquillitas naturalis à miſeriarum univerſarum tumultibus, claritaſque ſcientiæ ſive cognitionis, & pulchritudo perfectionis illi ſtatui congruentis, licet nullo modorum illi ſupremæ ac nobiliſſimæ fœlicitati comparabilis. Et de utraque fœlicitatum iſtarum jam feci te ſcire, quoniam ipſa eſt perpetua, & nonniſi ab immortali ſubjecto obtentibilis. Cauſa autem in hoc eſt quoniam non eſt poſſibile ut limitata ſit tempore quies animarum in iſta, cum per naturam non ſit eis ſeparatio ab illa, neque læſiones naturales, neque faſtidium, neque moleſtia ulla attingat ad illam. Quapropter immunis eſt ex neceſſitate, & libera ab omnibus mutationum tumultibus & inquietudinibus.

Quod gratia perficiat naturam, ita ſupernaturalis beatitudo naturalem.

Addo etiam hoc quia ſuperveniens illi præſtantior alia fœlicitas non tam deſtruit vel imminuit vel ullo modorum lædit; quoniam neque gratia, neque gloria naturam deſtruit, aut lædit, quin potius illam incogitabiliter exornat, decorat, ac perficit. Nec poſſibile eſt alicui intelligenti ut ignoret hoc, videlicet non eſſe poſſibile quodcumque ex perfectibilibus deſtrui vel aliquatenus lædi ex perfectione ſua. Alioquin perficere, deſtruere, vel lædere eſſet in illo; neque conſequens eſt ut ſi ex aliqua perfectione aliquid venire poſſit in aliam nobiliorem atque præſtantiorem, ut illa prior una tantum ſit, in qua quieſcere naturaliter non poſſit ſubjectum ipſius. Quemadmodum vides in honoribus & dignitatibus ſæcularibus; multi namque ex hominibus juxta congruentiam meritorum ſuorum quieſcere poſſent, & deberent in conſulatu, & in illo contenti eſſent; inde tamen ad regnum vel imperium non indebitè, nec contra juſtitiam exaltantur. His igitur quantum in ipſis erat finis pacatæ quietis fuerat conſulatus, non autem via ad regnum vel imperium, cum per illum ad illud aſcendere nec intenderent, nec ambirent. Cum autem ſic intendunt proculdubio conſulatum illum viam faciunt ad regiæ fœlicitatis faſtigium, cum merjtis eorum convenienter ſatisfacerent conſulatu, atque in eo tanquam in fine meritis ſuis congruo quieſcere poſſent, & juxta ſæcularium militiarum conſuetudinem deberent.

PARS VIGESIMAPRIMA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex comparatione diſpoſitionum & accidentium ad ipſam.

Fœlicitas indeſtructibilis eſt, adeoque, & ſubjectum ejus quod eſt anima.

ADdam igitur & alias declarationes eis quæ præceſſerunt evidentiores eas tamen ſive ex ipſis conſequentes. Dico igitur quoniam non eſt poſſibile ſecundum naturam, ut diſpoſitio ſubjecti cujuſcumque ſit fortior ipſo, cum diſpoſitio hujuſmodi actus ſit ipſius. Manifeſtū autem eſt omne indeſtructibile naturaliter fortius eſſe, eo quod naturaliter deſtructibile eſt. Cum igitur fælicitas utraque antedicta indeſtructibilis ſit, & indeſinibilis ſicut feci te ſcire per ea quæ præceſſerunt, nec poſſibile eam eſſe fortiorem ſubjecto ſuo quod eſt anima humana. Quapropter cum omne quod moritur morte deſtruatur, neceſſe eſt animam humanam morte indeſtructibilem eſſe, & propter hoc immortalem, cum eſſe immortale nihil aliud ſit quam morte indeſtructibile eſſe.

Idem eadē ratione cōcludit.

Amplius ſi mortalis eſt anima humana aut remanet mortalitas iſta poſtquam advenerit eidem illa fœlicitas, aut non; ſi ſic, fuerit igitur in ea mortalitas, ſimul & moriendi poteſtas, & illa de qua nunc agitur fœlicitas. Quapropter poſſibile eſt illam mori quod eſt morte deſtrui: poſito igitur quod moriatur non ſequetur ex illa ullum impoſſibile. Ponatur igitur iſtam mortuam eſſe ſive deſtructam: aut igitur poſt mortem ipſius remanebit fœlicitas ejus, aut deſtruetur morte ipſius. Utrumque autem iſtorum eſt impoſſibile manifeſtum; cum enim fœlicitas de qua agitur actus ſit animæ ipſius humanæ impoſſibile eſt eam remanere poſt deſtructionem illius. Eodem modo cum indeſtructibilis ſit ipſa fœlicitas, & omnino ſubjecto ſuo inamiſſibilis, impoſſibile eſt illam deſtrui. Quia igitur non erat poſſibile animam humanam mori; & ex illo oſtenſum eſt tibi alterutrum duorum ſequi, quorum utrumque manifeſtum eſt impoſſibile eſſe. Cumque ex nullo poſſibili ſequi impoſſibile ſit poſſibile, & quoniam immortale eſt omne quod mori impoſſibile eſt, manifeſtum eſt animam humanam immortalem eſſe.

Quod non poteſt amittere eſſe non poteſt amittere bene eſſe.

Amplius quis ignorat vel ignorare poteſt omne quod poteſt amittere eſſe poſſe amittere, & bene eſſe; alioquin videlicet ſi poſſibile eſſet alicui amittere ſuum eſſe ſalvo ſibi ſive ſalvato ſuo bene eſſe, cum ut prædixi ex poſito poſſibili non ſit poſſibile ut ſequatur impoſſibile. Eodem modo & ex duobus poſſibilibus non ſit poſſibili ut ſequatur impoſſibile: poſito igitur hoc videlicet ut aliquid amiſerit eſſe ſalvato ſibi bene eſſe, erit igitur ei bene eſſe cum non ſit ei ipſum eſſe; Quapropter bene erit non enti, & hoc eſt dicere accidens eſſe non enti, & quod magis eſt inconveniens tale accidens quod eſt bonitas ſeu bonitas eſſendi. Sed impoſſibilitatem illius quis adeo cæcus eſt ut non videat; cum bonitas eſſendi fundata ſit in ipſo eſſe: hoc enim eſt ac ſi diceretur bene currere eſſe ubi non poteſt currere: ſimiliter bene agere eſſe ubi agere non eſt: & verbo dicam non eſt aliud ponere quam ponere accidens eſſe ſine ſubjecto.

Idem oſtēdit ex eo quod ſubjectum omne firmius ſit accidente quod ſuſtentat.

Amplius cum omne accidens debilioris eſſe ſit quam ipſum ſubjectum ſuum, quod & ipſum nomen accidentis oſtendit; ab accidendo enim, quod eſt dicere ad ſubſtantiam, vel ſubjectum cadendo, accidens nominatum eſt, tanquam non valeat ſeipſum ſuſtentare pro infirmitate, & debilitate eſſentiæ ſuæ. Quare cum fœlicitas de qua agitur ejus ſit fortitudinis in eſſe ſuo, tantæque firmitatis, ut deſtructionem ab ea perpetuo inacceſſibiliter prohibeat, multo fortius neceſſe eſt hanc eſſe fortitudinem eſſentiæ ipſius ſubjecti fœlicitatis ejuſdem, hæc autem eſt anima humana. Quapropter neceſſe eſt eſſe eſſentiæ animæ humanæ multo fortius hac vitæ fortitudine quæ ab ea eſt, & mortem, & omne genus deſtructionis perpetuo inacceſſibiliter prohibeat. Neceſſe igitur eſt ipſam eſſe ſua ipſa eſſendi fortitudine immortalem.

Anima beata immunis eſt à læſionibus omnibus, ideoque & à morte.

Amplius poſtquam neceſſe eſt fœlicitatem antedictam animæ humanæ adeo ſeorſum, & procul eſſe à corruptione, omnibuſque læſionibus ipſius eſſe, & procul ab omnibus iis, cum dubitari non debeat, nec ab aliquo intelligente ignoretur ipſam eſſentiam ipſius ſublimiorem viciniorem creatori cum diſpoſitione ſua; manifeſtum autem ſit creatorem eſſe in ultimitate elongationis ab omnibus

læſionibus, & tribulationibus quibus eſſe vel lædi poſſibile eſt, vel turbari. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc ad eſſentiam animæ humanæ non poſſibile eſſe naturaliter attingere mortem, vel ullam aliam ex læſionibus antedictis. Si enim non poteſt attingere ulla earum ad antedictam diſpoſitionem animæ humanæ, multo fortius non eſt ei poſſibile aſcendere ad eſſe vel eſſentiam ejuſdem quam neceſſe eſt ſuperiorem eſſe omni diſpoſitione ejus.

Inclinatio animæ ad ſublime ſpirituale indicat patriam ejus, & immortalitatem.

Amplius omnis ſubſtantiæ inclinatio naturalis, & motus indicant regionem ejus & patriam, & lætum ſtatum in quo eſt conſervatio, & ſalvatio ſui eſſe; ut apparet in corporibus levibus, & ponderoſis quæ ſuis inclinationibus & motibus declinant, & fugiunt à locis, & regionibus naturis ſuis contrariis, & requirunt regiones, & loca naturis ſuis congruentia. Hoc idem apparet in piſcibus quorum motus naturaliter eſt ad aquas, & in eas; cum vita eorum, & conſervatio eorum in aquis ſit: quia igitur inclinationibus, & motibus naturalibus ſubſtantiarum ſpiritualium ſic ſe habere neceſſe eſt, conſequens eſt evidenter inclinationes, & motus naturales animæ humanæ, regionem ipſius, & patriam naturaliter indicare. Quapropter per illas declinat & fugit à miſeriis, & moleſtiis, omnibuſque aliis tribulationibus, & inquirit ſublime ſpirituale, congruum videlicet in quo ſit ei per convenientiam cõſervatio & ſalvatio ſui eſſe, & hoc non eſt niſi bene eſſe. Manifeſtum ſublime hujuſmodi regionem, & patriam ejus eſſe, & in quo eſt ei conſervatio & ſalvatio ſui eſſe, non quidem à morte & deſtructione quibus tuta eſt ipſa eſſendi fortitudine naturali, ſed à perturbationibus, & inquinamentis vitiorum, & peccatorum, aliiſque impedimentis omnibus perfectionum, & ordinationum ſuarum.

Animam ut ad eſſe ſic ad bene eſſe natam eſſe.

Amplius cui dubium eſt animam humanam non ſolum natam eſſe ad eſſe, ſed etiam ad bene eſſe? quale tibi tam ſæpius nominavi: eſſe namque ipſius nudum, & præter bene eſſe longe minus eſt quam ipſum bene eſſe. Præterea hoc eſſet ac ſi diceretur quoniam ad hoc naturaliter eſt ut ſit, & hoc eſt dicere idem cauſam ſui ipſius, etiam finalem.

Anima nata propter bonum honeſtatis & ultimæ fœlicitatis.

Amplius omnis ſubſtantia eſt propter maximum bonum quod ei acquiſibile eſt, vel quod ex ea eſſe poteſt. Quemadmodum ſi diceretur quia homo propter fœlicitatem eſt, quia ipſa maximum bonum acquiſibile. Eodem modo propter bene vivere ſeu propter vitam aut honeſtatem; illa enim eſt maxima omnium quæ ex ea eſſe poſſunt: nemo namque dicit hominem natum eſſe ad ædificandas domos vel colendos agros, quemadmodum neque propter currere vel curſum dicit unquam aliquis hominem eſſe. Quapropter manifeſtum animam humanam natam eſſe, & ad perfectionem honeſtatis, & bonum ultimæ fœlicitatis. Quapropter utrumque iſtorum eſt ei naturaliter debitum, & ipſa utriuſque jure, & lege naturali debentur ſibi ipſi: & ipſe creator eidem debitor utriuſque. Quapropter manifeſtum eſt quod in ſeipſam, & in creatorem graviſſimè peccat anima humana quæ ſe ab utroque bonorum iſtorum avertit, & à via rectitudinis, per quam ad illa pervenitur, deviat, & declinat, & propter hoc tantis tamque magnificis bonis ſemetipſam privat atque defraudat. Ipſi etiam creatori, qui tanta bona per honeſtatem præſentem, & per futuram fœlicitatem eandem optimam poſſidentur ſemetipſam ſubſtrahit, & offert indigniſſimis ſe poſſeſſoribus, vitiis ſcilicet, & malignis ſpiritibus ſe tradit turpiſſima atque duriſſima ſcilicet ſervitute poſſidendam, & poſt hanc vitam perpetuo, ſed juſtiſſimè cruciandam.

Patria animæ huma.

Declaratum igitur eſt tibi per hoc regionem, & patriam animæ humanæ naturalem regionem eſſe pacis, & quietis, & libertatis, atque fœlicitatis, morti, & deſtructioni, omnique corruptioni, & læſioni, omnique perturbationi, & moleſtiæ inacceſſibilem. Quapropter declaratum eſt tibi conſequenter vitam iſtam, & regionẽ terrenæ hujuſmodi inhabitationis vitam eidem eſſe exilij, & carceris, & captivitatis, & afflictionum innumerabilium. Propter quod etiam evidenter apparet regionem ejus naturalem, & patriam alibi quam hic habere, quoniam profecto totis inclinationibus ſuis, & motibus naturalibus inquireret, totis ſtudiis atque conatibus virium ſuarum ad illam feſtinaret inceſſanter, niſi etiam originalis corruptionis tenebroſitas, atque depreſſio à viis rectitudinis illam averteret, & in mala contraria bonaque fallacia inclinaret, ipſamque ut verè cæcam captivamque perverſarum concupiſcentiarum de via detorqueret.

Terra eſt regio pacis, quietis, & libertatis.

De quibus concupiſcentiis manifeſtum eſt tibi, & omni intelligenti, quod innaturales ſunt, & tanquam ſymptomata quædam originalis ægritudinis, & febris cujuſdam ſpiritualis, qua tota multitudo hominum febricitans naſcitur, exceptis pauciſſimis, quibus eximio privilegio gratiæ divinæ ſubventum eſt, videlicet ne venenoſitas corruptionis iſtius qua natura carnis humanæ viciata, & toxicata eſt hujuſmodi febrem in animas ipſorum induceret, & ne calore inordinato deſideriorum carnalium inflammaretur. Ex iſta eadem febre ſunt timores, & tremores quibus timent, & tremunt homines à rebus quibus nec timendum eſt eis nec tremendum. Juxta ſermonem propheticum quo dictum eſt *trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Pſ. 13. 5.

Concupiſc. ex originali morbo.

Et quemadmodum vides homines febricitantes ſive pueros, ſive alios mente alienari à ſenſu ſuo, & aliena loqui tanquam revera extra ſe raptos. Sic videre potes ex iſta febre à rectitudine rationabilitatis naturalis alienatos, eaque loquentes quæ non minoris inſaniæ evidenter hominibus apparent ſanę mentis, quam ſomnia ægrotantium, ſeu aliena quæ mente capti ſeu febricitantes loquuntur, cum in alienatione rapti fuerunt. Quapropter cum hæc, & alia quæ ex morbo ſeu ægritudine corruptionis originalis hominibus ea laborantibus proveniunt evidenter videbis hujuſmodi ægritudinem febrem ſpiritualem non immerito nominatam.

PARS VIGESIMASECUNDA.

Proponit modos ponendi immortalitatem animæ primo ex bonitate creatoris.

Proponit quatuor modos, 1. per bonitatem, 2. per juſtitiam, 3. per magnificentiam, 4. per gloriam Dei.

POſt hæc autem aggrediar ſtabilire immortalitatem animæ humanæ per vias probationum ſapientialium ac divinalium; quoniam hujuſmodi probationis ſtabilitio hæc ad ſublimem, ſapientialemque theologiam pertinet manifeſtè, quod ex hoc abſque ulla dubitatione omnibus intelligentibus eluceſſit, videlicet quia error contrarius veritatem religionis, & honorificentiam divini cultus, virtutum & morum nobiliſſimam excellentiſſimamque perfectionem extinguit radicitus, & extirpat, ſicut alibi didiciſti Divinales vero probationes propter hoc nominandas dixi quoniam ipſe Deus altiſſimus radix eſt fortiſſima, & irrefragabilis omnium illarum, & primum quidem per bonitatem ſuam, ſive per quod bonum, vel in quantum bonus. Secundo per juſtitiam vel in quantum juſtus. Tertio per magnificentiſſimam largitatem ſuam. Et intendo per hoc quod eſt magnificentiſſime largus. Quarto per gloriam ſuam ſive per quod glorioſus eſt. Et intendo gloriæ ſuæ donator juſtiſſimus ac modeſtiſſimus, atque dator diſcretiſſimus.

Incipiam

Creator bonus bona omnia fecit & bene eſſe voluit.

Incipiam & dicam igitur quod cum bonitas prælarga creatoris, & ſuper omnem cogitatum diffuſiva ſimilitudinis ſuæ juxta ſermonem Platonis quem ſæpius audiviſti, quod cuncta ſimilia ſibi eſſe voluit. Et hoc eſt dicere bona, & adjecit Plato prout unaquæque res beatitudinis particeps eſſe poterat. Et quoniam beatitudo magis ipſum bene ſe habere quam bonitatem ipſam ſive bonum eſſe ſignificat, rectiſſimè intelligitur in ſermone iſto Platonis, creatorem ex magnificentiſſima bonitate ſua voluiſſe unamquamque creaturarum non ſolum bonam eſſe, in quo videlicet aliquantum ſimilis eſſet creatori, ſed & bene eſſe ſive bene ſe habere in quo eſſet ei multo ſimilior. Creator namque benedictus ſicut non ſolum bonus eſt, ſed etiam præcellentia bonitatis optimus, ſic ſupereminentia bene eſſendi, ſive bene ſe habendi neceſſe eſt ut ſit beatiſſimus. Quapropter cuncta non ſolum bona, ſed etiam bene eſſe, ſive bene ſe habere, & propter hoc bona eſſe voluit; omne namque bonum naturale eſt eſſe etiam bene ſe habens quod complementi eſt atque perfectionis. Et quoniam magis nihil decuit largitatem magnificentiſſimam ac ditiſſimam creatoris quam facturas ſuas non ſolum facere quod bonæ eſſent, ſed etiam perficere quod eſt dicere ut bene eſſent, ſive in ipſo bene eſſe ſe haberent, neceſſe fuit non neceſſitate violentiæ aut compulſionis, ſed ex copioſiſſima atque fontali redundantia bonitatis ipſius ut juxta meditationem Platonici ſermonis unamquamque rerum creatarum bene eſſe ſive bene ſe habentem in ſuo eſſe faceret, vel potius perficeret.

Deum providiſſe bona ſingulis pro conditione naturæ ſuæ.

Quia igitur nulla earum vel bene eſſe vel ſe bene habere in eſſe ſive beata eſſe poterat, niſi obtentu ſeu participatione bonorum naturæ ſuæ congruentium, ipſamque perficientium, meliorantium, & illuſtrantium, neceſſe creatorem omnipotentiſſimum, & optimum talia bona unicuique earum providiſſe. Et propter hoc ſpiritualibus ſpiritualia, bona, corporalibus corporalia, & mediis videlicet quæ in parte corporales, in parte vero ſpirituales creaturæ ſunt, providiſſe juxta ordines ſuos, & maneries providentia naturali propter hoc qua ſæpius audiviſti quod multæ & innumerabiles ex hujuſmodi ſubſtantiis hanc providentiam contra ſe impediunt, antedicta bona vel reſpuentes, vel negligentes, vel per ignorantiam ea penitus non curantes. Conſequens igitur eſt ex hoc creatoris prælargam bonitatem hominibus ſive animabus humanis ſublimiora bona providiſſe & deputaſſe, quam cæteris animalibus vel animabus earum. Quia vero jam multipliciter declaratum eſt tibi, & etiam evidens eſt per ſe ipſum nec corporalibus bonis, & temporalibus bene eſſe, vel eſſe poſſe hominibus, vel animabus humanis neceſſe creatorem optimum majora ac ſublimiora bona eiſdem providiſſe, talia videlicet quibus in eſſe bene ſe habeant. Et quoniam in miſeriis nulli poſſibile eſt bene eſſe, ſive in eſſe bene ſe habere, neceſſe eſt evidenter bona illa talia eſſe, quæ ſeorſum illos vel illas faciant à miſeriis, & quibus bene ſcit eis quibuſque bene ſe habeant in ſuo eſſe.

Animę perfici nō poſſunt quādiu ſunt in corporibus obnoxiis corruptioni.

Quia igitur in animabus humanis dum in corporibus ſunt non eſt poſſibile ut eis cōpleatur ſive perficiatur iſtud, neceſſe eſt quod alibi, quod eſt dicere extra corpora, eſſe iſtud compleatur vel perficiatur. Cauſa autem propter quam non poteſt animabus humanis in corporibus quamdiu durat præſens corruptio, & paſſibilitas corporum manifeſta hæc eſt: quoniam neceſſe habet anima humana paſſionibus hujuſmodi obnoxia eſſe, & patiens, vel compatiens ab illis, ſicut evidenter vides in vulneribus & ægritudinibus quibus adeo vides eas confligi ſeu cruciari.

Et ipſos etiam ſanctos qui in adverſitatibus gaudēt ſecundum ſuperiorem partem, ſecundum inferiorem tamen partem graviter torqueri.

Quod ſi dixerit quis quod vitio ſuo & culpa ſua talia patiuntur, quoniam animæ ſanctæ à vitiis & peccatis purgatæ gaudent, & gloriantur in talibus. Reſpondeo in hoc quod quantumvis verum ſit de ſanctis, & immaculatis animabus quæ gaudent in hujuſmodi, & etiam gloriantur: hoc indubitanter eſt ſecundum quid; quoniam ſecundum ſublime ſuum ac nobile, verumtamen ſecundum vires inferiores graviter valde torquentur in iſtis; nihil enim prohibet dolorem, & gaudium in anima una humana ſimul eſſe ſecundum diverſas vires, quemadmodum velle & nolle: juxta quod dictum eſt *vult & non vult piger*, & hoc jam in aliis tractatibus eſt pluries ſatisfactum. Nulli igitur dubium eſſe debet in corporibus miſeriis innumerabilibus obnoxiis. & ſubjectis bene eſſe non poſſe animabus humanis. Neceſſe enim eſt in parte ſaltem malè eſſe eiſdem, dum tot & tantis miſeriis corporum tam multipliciter tamque miſerabiliter moleſtantur. *Prov.13.4*

Quare vel extra corpora perfici debent animæ vel in corporibus transmutatis unde infert immortalitatem earum.

Ex quo manifeſtum eſt alterum duorum neceſſe eſſe, videlicet ut vel extra corpora ſit eis bene eſſe hujuſmodi vel in corporibus, & transmutatis ipſis ab ipſa paſſibilitate, & obnoxietate moleſtiarum & miſeriarum. Et ſi extra corpora debet eſſe eis iſtud bene eſſe, erit igitur eis vita, & ſalvatio ſecundum eſſe, cum abſque eſſe neque ipſis, neque aliis poſſibile ſit bene eſſe. Si vero in ipſis corporibus permiſſum eſt eis à creatore bene eſſe transmutatis ipſis corporibus, ut prædixi, videlicet ſublata ab ipſis paſſibilitate, & obnoxietate ægritudinum, cæterarumque læſionum: tunc igitur erit ex neceſſitate ipſis corporibus vita perpetua ſeu perennis; mortem enim eis advenire in eo ſtatu non erit poſſibile; cum illam eis accidere nonniſi per ægritudines aut alias antedictas læſiones poſſibile ſit. Vides igitur non eſſe hic effugium erroneis, cum neceſſe habeant alterutrum iſtorum duorum recipere, videlicet ut vel extra corpora ſit eis bene eſſe, quod eſt non ſolum vivere, ſed etiam bene eſſe ac bene vivere: aut in ipſis corporibus ſit eis vita perennis, & etiam cum ipſis, &c.

PARS VIGESIMATERTIA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex parte providentiæ creatoris.

Quamvis miſeriæ reſerventur in remedium paſſionum, miſerias tamen cum paſſionibus detinere neceſſe eſt.

QUod ſi dixerit quis tanta eſt bonitas perfectionum ſpiritualium in anima humana, quod propter illas moleſtiæ, cæteræque miſeriæ corporales etiam reſervandæ ſunt à creatore animabus humanis, ſimiliter, & corporum ipſorum paſſibilitas & infirmitas, quoniam incredibiliter adjuvant, confortant, & deffendunt ipſas contra deſideriorum carnalium, cæterarumque corruptionum paſſiones tanquam quædam medicamenta, & antidota contra illas. Verum utique dicit ſecundum quid, & ad tempus utique neceſſe eſt ſicut ſæpe audiviſti. Verum nullo modorum decet bonitatem creatoris ut iſtam quam dicit medicationem nunquam perficiat, & finem animarum corporibus non imponat. Quapropter cum ægritudinibus earum medicationum hujuſmodi finem habere neceſſe eſt. Quamvis enim miſeriæ hujuſmodi magnas, & multiplices utilitates præſtent animabus humanis ad tempus, perpetuitate tamen ſua incomparabiliter majus quam earum ſunt utilitates, animabus humanis ingererent detrimentū, impedirent enim, & etiam prohiberent, ſicut præ-

dixi miſeriæ propter hoc maximè utiles ſunt, quoniam ad acquiſitionem illius adminicula multa præbent. Quare ipſa perpetuitate ſua intentioni obſiſterent creatoris, & largitionem boni præſtantiſſimi quod eſt bene eſſe, ſive beatitudo ab animabus ipſis perpetuo prohiberent.

Quod ſapiens medicus non debeat in perpetuum differre ſanationem.

Amplius quis ſapiens medicus non accelerat curationem ægrorum quorum curam ſuſcepit? quis eam differret in perpetuum ſi eam omni tempore perficere poſſet? Quod ſi dixerit quis iſta ratiocinatio ad hoc deducit rem ut hoc nec etiam ad horam permittere debeat creator animas humanas talibus miſeriis affligi; cum omnipotentiſſimo bonitatis ejus beneplacito poſſit ſubito curare illas, & ab hujuſmodi miſeriis liberare. Reſpondeo in hoc quod hoc jam notiſſimum eſt creatori quoniam dilatio curationis, & liberationis animabus expediat; alioquin videlicet niſi dilationem hujuſmodi utilem eis fore prænoſceret, nec etiam ad punctũ temporis eas in hujuſmodi miſeriis ſuſtineret. Verum de iſtis utilitatibus in aliis tractatibus Theologorũ gentis chriſtianorum, & etiam per me plura jam audiviſti, quæ merito ſufficere debent tibi.

Quamvis paucæ ſalventur animæ nõ eſſe diminutum de bonitate creatoris.

Si vero dixerit quia pauciſſimis ex animabus humanis de ipſo bene eſſe conſulitur, pauciſſimæque ad illud perducuntur, de hoc jam tibi eſt ſufficienter in præcedentibus, & etiam in multis aliis locis patefactum. Hoc autem dico ne bonitas creatoris propter hanc cauſam, & intendo propter paucitatem, & raritatem, vel imperfecta, vel diminuta cuiquam aliquatenus videatur, pro eo videlicet quod tam paucas ex animabus humanis ad bene eſſe dirigit, ac perducit, cum idipſum de tota multitudine earum poſſet efficere non ſolum abſque difficultate, ſed etiam ſolo verbo. Non enim dubitandum eſt bonitatem creatoris, & prælargam eſſe magnificentiſſimeque fuſam in omnia quæ bonorum ejus receptibilia ſunt, ſed etiam in ultimitate prudentiæ circumſpectam, & quid cuique ex creaturis ab ea faciendum ſit plenè ac luc idiſſime noſſe. Scit enim omnis intelligens bonitatẽ maximè quæ eſt in ultimitate perfectionis, non ſolum ſapientiſſimam eſſe, ſed etiam ſapientiam, eſſentialiter ipſam eſſe. Quapropter relinquenda eſt ei diſpoſitio, & meditatio tota donorum & beneficiorum ſuorum, & abſque ulla dubitatione credendum nihil in omnibus partibus vel donis, vel beneficiis diminutum eſſe, vel inordinatum nihil prorſus indecens, nihil ſe habens aliter quam oportet.

Deum bona diſtribuere pro conditione uniuſcujuſque.

Amplius nihil magis congruit bonitati creatoris quam bona prout eam decet profuſiſſima largitate diffundere, & mala exterminare vel ordinare, vel reprimere, & hæc omnia juxta ordinẽ donorum ipſorum, & receptibilitatem ipſorum quibus beneficia hæc, & dona præſtantur. Quapropter magis & majorum bonorum receptibilibus majora, & minoribus, minora, & temporalibus, & tempore limitatis tempore menſurata; & perpetuis perpetua, quantum eſt in ipſo, ordine ſuæ bonitatis largitur.

Exponit quomodo proficiat anima per gratiam.

Quapropter animæ humanæ non ſolum receptibiles ſunt ipſius eſſe, ſed etiam ipſius bene eſſe: cujus pars eſt eſſendi perennitas earum, totalitas vero ipſius fœlicitas; neceſſe eſt ut ſicut dedit eis eſſe, ſic & perenniter atque fœliciter eſſe det eiſdem, verumtamen modo quo decuit, illæ receptibiles talium vel ſunt, vel fuerunt, vel futuræ ſunt. Hic igitur eſt ſtatus earum ut tenebris involutæ, & ægritudine originalis corruptionis non ſolum depreſſę, ſed etiam abſorptæ conjunctione corporum efficiantur. Deinde juxta incrementa corporum paulatim vires earum evigilant, & licet ad modicum invaleſcant, & cum omnibus adjutoriis doctrinarum & diſciplinarum, exemplorum & miſeriarum atque moleſtiarum, præſertim liberari quouſque non valeant ut originali illi dominari poſſint, vel etiam reſiſtant, donec divinæ virtutis eis auxilium quod univerſaliter vocatur gratia, tribuatur: & hoc notiſſimum in lege & doctrina gentis chriſtianorum, & in ſermonibus ſapientum, & doctorum ejuſdem. Poſt iſtam vero liberationẽ non eſt eis, ut præaudiviſti in corporibus bene eſſe, ſicut jam multoties audiviſti. Et intendo in corporibus mortalitatis & paſſibilitatis iſtius, atque obnoxietatis ad læſiones, & moleſtias vitæ præſentis.

Donec à miſeriis quibus obnoxia eſt liberetur.

Quapropter neceſſe eſt ut bonum omne detur à creatore ab animabus vel extra corpora; & tunc neceſſe eſt ut ſit eis vita extra illa: vel in ipſis corporibus; & tũc neceſſe eſt ut à morte omnino liberata ſint, & læſionibus atq; moleſtiis antedictis. Et propter hoc in ſtatu immortalitatis, & impaſſibilitatis transmutata ſive tranſlata. Utrumlibet autem ipſorum duorum dicatur, vides evidenter, quoniam in altero eſt vita beata animabus, & etiam corporibus vita immortalis, & impaſſibilis ſimul.

Dei benignitatis eſſe mala iſta pœnæ & culpæ ab animabus exterminare.

Amplius qualiter dicere poteſt bonitatẽ creatoris cujus non eſt menſura, nec terminus, cujus omnipotentiæ nihil reſiſtere poſſibile eſt, ſuſtinere tot & tanta mala in animabus humanis, tot & tanta dona ſuæ largitatis impedientia, & ab eiſdẽ prohibentia. Et intendo mala ſive mala perverſitatis ſive mala adverſitatis, quod eſt dicere mala culparũ, malaque pœnarum. Quia igitur utraque maxima bona divinæ largitionis impediunt, & prohibẽt ab animabus humanis videlicet quæ ſunt partes ipſius bene eſſe, quod eſt omnium donorum creatoris maximum ac præſtantiſſimum: neceſſe eſt bonitatẽ creatoris iſta ab humanis animabus quantũ eſt ex ipſo ſuo ordine exterminare, niſi eadẽ bonitas ſibi nihil deſervire noverit, vel etiã ipſius bene eſſe partibus militare.

Debuit Deus providere animabus bona majora quam brutis.

Amplius ſi providit divina bonitas irrationabilibus bona congruentia quæ non eſt poſſibile eſſe niſi corpora vel corporalia, quomodo non providit animabus humanis bona tanto majora, atque præcellentiora, quanto ipſæ animæ rationales animabus irrationalibus antecellunt? cum neque æqualia, neque minora eis congruere poſſibile ſit.

Perpetuitas neceſſaria eſt ad bene eſſe animarum.

Amplius cum bene eſſe animarum humanarum non ſit poſſibile eſſe niſi perpetuum, ut jam te ſcire feci in præcedentibus, quomodo vitæ perpetuitatem eis creator non contulit: cum ipſa antecedẽs ſit atque bonum neceſſarium ad ipſum bene eſſe illarum, & mortalitas animarum ſit avertens, & prohibens ab eiſdem bene eſſe. Contrarius igitur eſſet ipſe ſibi creator omnipotentiſſimus, & optimus animas humanas ad bene eſſe obtinendum creaſſet, & malum mortalitatis quæ illud ab ipſis avertit, & prohibet ab eiſdem non removiſſet.

Fruſtra creaſſet Deus animas humanas ſi nõ poſſent ad bene eſſe pertingere.

Amplius cum eas receptibiles creaverit tanti boni quod eſt earum bene eſſe ſive fœlicitas earumdem: ſi creaſſet eas prohibitas naturali impoſſibilitate à fine hujuſmodi, fruſtra, & vanè, imo inſipientiſſime creaſſet. Omnes enim ſcienter intendens impoſſibile, & intendo ſcienter intendens ad impoſſibile, non ſolum vanè & fruſtra intendit, ſed etiam inſipienter. Quia igitur omnis inſipientia in ultimitate eſt inacceſſibilitatis ad creatorem, manifeſtum eſt ipſum eas creaſſe in potentia ſive poſſibilitate aſſequendi vitam hujuſmodi. Quapropter cum debilitas vitæ quæ mortalitas eſt prohibeat eas impoſſibilitate ab aſſecutione finis illius, neceſſe eſt eas creatas eſſe ſeorſum ab illa, immortales igitur eas creatas eſſe neceſſe eſt.

Mortalitas ipſa læſio eſt ſanitatis.

Amplius ſi ipſum bene eſſe animarum & ſanitas, & ſalus earum eſt, & etiam cõpletæ perfectionis ſtatus optimus, Omne autem quod impedit ſanitatem

& ſalutem

& ſalutem impediens.

& ſalutem cuiuſcumque ſubjecti læſio ipſius eſt, vel plaga: mortalitas igitur læſio, & plaga eſt ſanitatem, & ſalutem impediens. Et hoc manifeſtiſſimum ex ipſo effectu vel fine ipſius; mors enim effectus & finis eſt indubitater mortalitatis, quapropter læſio vel plaga eſt animarum humanarum effectus iſte. Quis autem paterfamilias plagam mortiferam ſive mortem inducentem ſuſtineat in filiis ſuis, vel etiam in pecoribus? quis rex in populo ſuo peſtilentiam illum interficientem ſuſtineat?

Mortalitatem peſtem eſſe quam ab hominibus propulſare oportet Deus.

Quod ſi quis dixerit homines ſive animas humanas non eſſe ſicut filios ad Deum patremfamilias, nec eſſe ſicut populum ad regem, ſaltem eas eſſe ad ipſum ſicut ejuſdem pecora non negabit. Quia igitur de pecoribus verum eſt quia nullus paterfamilias peſtem hujuſmodi videlicet mortiferam pervagari patitur in pecora ſua, quanto minus bonitas creatoris hoc patietur. Quod ſi hanc mortalitatem non patitur bonitas creatoris, multo minus igitur eam illis naturaliter vel indidit vel ingeſſit. Nulli autem dubium eſt ſi mortalitas diſpoſitio naturalis eſt animarum humanarum quin à creatore ſit eiſdem; omnia enim naturalia uniuſcujuſque ſubſtantiæ à creatore ſunt in illa. Neceſſe igitur plagam iſtam vel in parte ſaltem quandoque ſanari. Quod & ſermo propheticus habet ubi dicitur, quia *præcipitabit Dominus Deus mortem in ſempiternum*, & iterum, *in die qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & plagam percuſſuræ illius ſanaverit*: Quod de ipſa morte corporali populi electorum & dilectorum Dei non inconvenienter intelligitur. Et propter hoc ſi mors animarum eſſet, quemadmodum & corporum humanorum, neceſſe eſſet ut plagam mortis hujuſmodi, & malum peſtis iſtius quandoque tolleret & ſanaret.

Pſal. 25. 8. 30. 26.

Neque ex parte Dei neque ex parte cauſarum naturalium, neque ex parte corporis reperi poſſe cauſá mortalitatis animæ humanæ.

Amplius. Anima humana naturaliter aut eſt potens vivere in perpetuum, aut eſt ei naturalis debilitas, & impotentia prohibens eam ab ipſa perpetuitate. Quod ſi naturaliter potens ſit vivere; eſt ei igitur ex divina bonitate virtus vivédi perpetuo; aut impeditur naturalis hæc virtus in ea, atque potentia. Si dixerit quoniam vivit in perpetuo hoc eſt quod jam intendebatur. Si vero impeditur virtus hæc, atque potentia, neceſſe eſt ut impediatur vel à parte corporis, vel à ſemetipſa. Et à parte corporis non eſt poſſibile ut impediatur; nihil enim habet corpus ad ipſam niſi quod vivificatur, & regitur, eique ſervit multiplici miniſterio in operationibus ſuis: hæc autem omnia effectus ipſius animæ ſunt humanæ; non eſt autem poſſibile ut naturaliter effectus cauſam ſuam deſtruat naturalem, vel ut ejuſdem eſſe impediat naturaliter. Et multominus impoſſibile eſt ut à parte creatoris impediatur naturaliter; tunc enim creator operaretur impedimentum ſuæ operationis, & deſtructionem operis ſui. Non igitur eſt reperire cauſam impedientem eſſe animæ humanæ, vel prohibentem eam ab illo, cauſam dico naturalem, & naturaliter hoc agentem, cujuſmodi autem innatam non eſt poſſibile eſſe cauſam, multo fortius non eſt poſſibile eſſe effectum. Quia igitur non eſt invenire cauſam naturalem naturaliter prohibentem eſſe ab anima humana vel impedientem illud, non eſt poſſibile invenire in naturalibus hujuſmodi effectum; hic autem effectus mors: impedimentum enim eſſendi, & læſio indubitanter eſt, quod deſtructionem illius vel mortem inducit. Quapropter non eſt poſſibilis naturaliter mors, vel deſtructio animarum humanarum, cum non ſit naturaliter poſſibile ei eſſe cauſam.

In quo conſiſtat bonitas.

Amplius bonitas per hoc quod bonitas aſſimilativa eſt aliorum ad illud cujus ipſa eſt, & diffuſiva ſimilitudinis ſuæ in omnia receptibilia ipſius, atque aſſociativa aliorum ad id quod ipſa eſt vel habet: Tales namque viros bonos dicimus videlicet qui cauſam, & ſimilitudinem aliorũ gerunt ſcilicet in hoc, ut eos bonos efficiant, & à malis atque malitiis eos liberent, & immunes efficiant, quatenus eis datur poſſe efficere, & illos idoneos eſſe recipere, quomodo & id quod habent bonitatis, quæcumque illa ſit, in illos diffundere ſive per doctrinam, ſive per diſciplinam, ſive per exemplum, ſive quibuſcumque aliis viis, & hoc eſt ſi id ſibi videnc poſſibile. Similiter & bonos homines dicimus illos quibus eſt attenta & ſollicita intentio attrahere alios ad perfectionem quam ipſi habent, vel ad obtinendum bonum quod ſibi ipſis intendunt, & quærunt cupientes alios habere ſocios atque participes illius.

Admiranda bonitas creatoris cui acquirendæ, & ſingulariter poſſidendæ nemo debet intendere contra quã ſe habeant bona temporalia.

Inde admiranda eſt ſupra modum bonitas creatoris, cui acquirendæ, & appetendæ nemo vult intendere ſolus, ſed neque etiam ſingulariter obtinere, quin potius ad hoc maximè intendunt, & in eandem intentionem alios inducere, & attrahere maximè ſtudioſi ſunt. Similiter & qui illam maximè obtinent maximè illam aliis deſiderant, & ut illam obtineant maximè procurant, ſed & eis qui illam obtinent maximè in hoc congratulantur & congaudent. Econtrario vero per omnem modum ſe habet in bonis temporalibus & tranſitoriis. Non enim qui divitias cupiunt aliis illas deſiderant, vel exoptant, & ad hunc modum ſe habet de aliis bonis quæ non propter illud ſupereminentiſſimum bonum quod eſt creator vel appetuntur, vel expetuntur, ſicut eſt videre de ſcientiis, potentiis, honoribus, cum non amore creatoris vel quæruntur vel amantur. Cauſa autem evidentiſſima in hoc eſt quia poſſeſſio divitiarum non acquiritur ab aliquo quin ab aliis dimittatur vel ſaltem careatur; non enim patiuntur divitiæ à pluribus verè totaliter, communiter poſſideri. Bonitas vero creatoris ejus eſt communicabilitatis, & ſocietatis, ut à nullo pati poſſit ſingulariter poſſideri, quin etiam poſſeſſores ſuos univerſaliter quouſque bonificat ut ipſam animabus quibus poſſunt communicare illam ipſi ſtudeant, & prout eſt eis poſſibile procurent. Merito igitur bona iſta minora, & nobilitate animarum humanarum indigniſſima poſſeſſores ſuos dividunt ab invicem, & diſpergunt. Bonitas vero creatoris communicat poſſeſſores ſuos, & amatores conſociat paceque & dilectione invicem. Ex hac igitur diviſione, & incommunicabilitate bonorum minorum hujuſmodi ſunt bella, & lites inter homines, iræ, & invidiæ, ſeditiones & rixæ, cæteræque peſtes hujuſmodi quibus humana pax turbatur & diſſipatur.

Ex tanta bonitate creatoris eſt quod curã gerat animarum humanarũ, & ad beatitudinem perducat.

Manifeſtum igitur eſt ex tanta præcellentia bonitatis creatoris curam eidem eſſe de bonitate animarum humanarum, de quibus nulli intelligenti dubium eſt quin receptibiles ſint naturaliter ſublimium ac nobilium donorum ipſius inter quæ præcipuus eſt amor quo ipſe creator ſincerè ac verè diligitur. Et propter hæc alia quæ amor ejus amanda eſſe ſuggerit propter illum, receptibiles etiam illas eſſe naturaliter hujuſmodi cõmunionis ac beneficentiæ quibus creator aliis communicari, & ab eis quæritur poſſideri. Et hoc à ſenſu accipere nulli videnti difficile eſt, cum tot amici & amatores ipſius evidenter appareant qui ad communionem, & participationem, ſocietatemque bonitatis ipſius creatoris tantopere ſtudeant, & laborent homines adducere, atque in idipſum amplius, & amplius promovere. Quapropter ſi boni & ſancti viri, Dei ſcilicet altiſſimi amatores, & amici tantam curam gerunt atque ſollicitudinem tantoſque labores perferunt propter beatificandas animas humanas atque inducendas ad ſocietatem participationis divinæ bonitatis, & hoc ex modica ſtilla ſeu ſcintilla

bonitatis qua ipſi boni ſunt: quanto fortius fontalis illa, & aliis cauſalis bonitas creatoris non curare non poteſt, ut animæ humanæ bonificentur? Quapropter neceſſe eſt bonitatem creatoris & intendere, & amare, & velle bonitatem animarum humanarum: & propter hoc multo fortius finem, bonitatis ejuſdem. Hic autem finis beatitudo earum eſt, propter hanc enim bonæ ſunt. Valde autem indecens eſt, & omnino incongruentiſſimum viam ad quemcumque finem creare,& finem ipſum negligere. Quapropter neceſſe eſt cum bonitatem animarum tantopere intendat, & curet creator omnipotentiſſimus & optimus, ut & ipſam beatitudinem earum intendat & creet. Quia igitur dat bonitatem animabus humanis, & tam multopere procurat ipſam eiſdem, neceſſe multo fortius ut & ipſis beatitudinem largiatur, dummodo pravitas earum non prohibeat vel impediat iſtud, & quoniam beatitudo cum præſentibus miſeriis eſſe non poteſt neceſſe eſt ei ut juxta modum antedictum à miſeriis liberas efficiat & immunes. Quapropter cum hoc fieri non poſſit eis in corporibus antedictæ paſſibilitatis, & obnoxietatis ad miſerias; neceſſe eſt ut vel extra corpora hoc illis fiat vel in ipſis corporibus à præſentis paſſibilitatis læſionibus, & moleſtiis in ſtatum alterum demutatis.

Quod bonitate ſua Deus conferat bona, pietate vero miſerias tollat & à morte liberet.

Amplius manifeſtum eſt quod largitas eſt bonitas humidans ſeu inundans in alia, pietas vero eſt bonitas ſuperfluens, & ſuperhumidans. Quia igitur bonitas creatoris in ultimitate eſt omnimodæ excellentiæ & perfectionis, neceſſe eſt & ipſam non ſolum largitatem eſſe inundantem, ſed etiam pietatem ſuperhumidantiſſimam; pietas autem eſt in miſerias vel tollendas omnino, vel mitigandas conſolationibus quamdiu bonitati militant ſubjectorum ſuorum. Quapropter cum animæ humanæ quæ in creatoris obſequiis atque honore ejus, & gloria jugiter laborant & affliguntur, miſerationibus creatoris digniſſimæ ſunt, neceſſe eſt ipſum miſereri miſeriis earum & quouſque miſereri ipſis, ut totaliter liberet eas ab eiſdem, & nihilominus conſolationibus eas ſubmitiget quamdiu bonitati & beatitudini earum ipſas cognoverit militare, vel modo quolibet expedire. Jam autem noſti quod non eſt poſſibile ut perpetuo militent, vel ſerviant bonitati, vel beatitudini ipſarum. Earum enim perpetuitas beatitudinem ipſam perpetuo prohiberet, & animabus eam advenire nullatenus patiuntur. Manifeſtum enim eſt tibi beatitudini miſerias repugnare. Quapropter neceſſe eſt finem habere tandem miſerias præſentes aut animabus humanis beatitudo nullatenus conferetur. Quæ igitur eſt iſta miſericordia creatoris vel pietas ſi dilectos, & electos ſuos tantis miſeriis non liberat, præſertim cum in ipſis graviſſimis ſibi obſequiis, & pro ipſis tantis doloribus affligi, tantiſque eos tormentis videat cruciari. Vix igitur hoc de hoſtibus pati poſſet humana crudelitas abſque miſerationis effectu quæ creator benigniſſimus, ac piiſſimus dilectis, & electis ſuis ſuſtinet irrogari. Quapropter nulla erit pietas omnino etiam in ſuos chariſſimos; jam enim noſti quia ea quæ de creatore per ſe dicuntur prima & maxima, atque in primis & maximè ſunt eidem, quare pietas humana nullo modo comparabilis eſt pietati ipſius, & nullo modorum etiam comparanda. Quapropter juxta quod prædixi, ſi ſcintilla vel ſtilla humanæ pietatis talia in ſuis minimè pati poteſt, multo imo incomparabiliter fortius divina pietas in chariſſimis ſuis tantas ac tales miſerias non poteſt ſuſtinere. Quapropter neceſſe ut divinæ pietatis miſeratio animas charorum ſuorum liberet à miſeriis antedictis, & aliis miſeriis. Et quoniam mors extrema & ſuprema miſeria, & malorum hujuſmodi maximum impoſſibile eſt ut liberationem iſtam mors ſequatur, alioquin non eſſet liberatio hæc de qua agitur, ſed miſeriarum omnium cumulus qui adjectionem non recipit. Hoc igitur eſt ac ſi diceretur liberari maleficum, qui poſt multas afflictiones, & tormenta morte punitur. Liberationem igitur hujuſmodi ſequitur vita quieta, & libera, & ab omnibus miſeriis & moleſtiis, & pacatiſſima, & immunis.

Amplius aut apud bonitatem creatoris locum habent merita, aut non habent. Quod ſi non habent, quæ igitur eſt iſta bonitas quæ quantiſcumque, quantumcumque gratis obſequiis induci non poteſt ad hoc ut remuneret obſequentes? ubi eſt immenſitas, & magnificentia ipſius? nec enim adeo pravus in hominibus etiam nequiſſimis inveniri poteſt ut gratis obſequiis ſervientium non aliqua remuneratione reſpondeat. Quanto fortius igitur prælarga ac providens bonitas creatoris non juxta quantitatem aut qualitatem obſequiorum ſibi impenſorum, ſed incomparabiliter ſuper quam digni ſunt, & meruerunt remunerabit ſuos ſervitores?

Bonitas eſt benigniſſimi creatoris remuneratio.

Quod ſi dixerit quis quod quantumcumque grata creatori ſunt humana ſervitia, non tamen remuneratione aliqua ſunt apud eum digna, quoniam de ſuo ſeu ſuis ſervitur ei, & ſervitiorum omnimodorum ſunt eidem homines debitores. Reſpondeo in hoc quod contra ſeipſum loquitur homo hujuſmodi; propter hoc quippe & bona, & grata creatori ſunt hujuſmodi ſervitia, quantum de bonis, & bonis ipſius ſunt. Quapropter ſi propter hoc remunerabilia ſunt apud ipſum quoniam bona & grata eidem ſunt: propter hoc profecto remunerabilia ſunt ab eodem, quoniam de bonis, & de donis ipſius ei fuerunt. Ad id vero quod dicit quod debitores omnimodorum ſervitiorum ſunt homines creatori, & propter hoc quibuſcumque ſervitiis nihil merentur penitus apud ipſum, nec propter hoc ulla remuneratione dignos ſe exhibent, vel eum remunerationum ſibi non faciunt debitorem.

Merentur homines quæ à Deo remunerationem, quoniam dei bona ſunt, & de iis quæ Dei ſunt Deo ſerviunt.

Manifeſtum enim eſt quoniam ſolutio debiti per modum quo eſt ſolutio debiti in nullo obligat creatorem. Hæc autem indubitanter vera ſunt, quia quicumque ex hac intentione creatori quocumque modo ſerviunt, videlicet quia ſe debitores hujuſmodi ſervitiorum cognoſcunt, & à debito iſto liberari intendentes ſerviunt, proculdubio per hanc intentionem ſolam nihil apud creatorem remunerationis merentur, quia nec hoc intendunt ipſi. Verum ſi promiſſionibus aut juramentis, aut pactis obligavit ſe creator ad remunerationem ſervitorum ſuorum, abſque determinatione intentionis eorum indubitanter ex hujuſmodi promiſſionibus, juramentis pactis, fecit ſe ſuis ſervitoribus debitorem. Hæc autem in utraque lege Hebræorum ſcilicet, & chriſtianorum notiſſima ſunt, videlicet promiſſiones pactionum, & juramenta creatoris, quibus ſe ſervitoribus ſuis obligat ad remunerationes. Aliis autem ſi amore & devotione, non attendentes debitum, creatori ſerviunt homines, ſervitia hujuſmodi gratis impendunt, & reddita imputanda ſunt hujuſmodi non ſervitia, ſed donata; omne enim quod impenditur ex amore ſolo donum eſt. Et propter hoc ad redonationem ſeu retributionem condignam ſeu congruam obligat receptorem, & de hoc in tractatu qui eſt de meritis, & retributionibus perſcrutatius ac latius audiviſti.

Tum propter divinas promiſſiones tum propter retributionem condignam.

PARS VIGESIMAQUARTA.

Quod anima non ſufficienter præmiatur in hac vitâ per virtutes. & opera earum.

Virtutes, & dona arma potius ſunt quam præmia, quare eo major à Deo ſperā da eſt merces.

SI vero dixerit quis quod ipſæ virtutes atque ſervitia quæ inde creatori altiſſimo impenduntur non requirunt remunerationem aliam juxta ſermonem Poëtæ, quo dixit, *Ipſaque virtus præmium ſibi*, ac ſi dixerit quia tanta bona ſunt, tantaque Dei altiſſimi dona, virtutes, & gratiæ, quibus ei ſervitur, ut pro eis, vel earum ſervitiis altera bona nec quærenda ſunt, nec reſpicienda. Reſpondeo hujuſmodi homini quod quantumcumque pretioſa ſunt arma quæ quis rex dat militibus ſuis, non tamen in remuneratione ſunt militiæ deputanda, nec propter hoc minus egregia opera militaris ſtrenuitatis à rege hujuſmodi remuneratione digna ſunt habenda. Quare quoniam virtutes, & dona gratiarum cæterarum, cæteraque adjumenta ſanctæ militiæ qua creatori militatur. arma militiæ illius ſunt; merita, nō merces habenda ſunt militationis iſtius, imo longe ex illa præſtantior remuneratio à creatore debetur militibus ſuis. Relinquitur igitur per hæc omnia ut bonitas creatoris gratiſſimorum ſibi impenſorum obſequiorum remuneratura ſit, & non ſolum juxta qualitatem, aut quantitatem eorum, ſed etiam juxta prælargam magnificentiam ipſius. Majora igitur munera largiturus eſt militibus ſuis quam ſunt arma virtutum, & quæcunque alia dona gratiarum ipſius, quibus eidem in vitæ iſtius miſeriā militatur. Et quia nulla majora vel meliora ſunt in vitæ iſtius miſeria vel eſſe poſſunt; neceſſe eſt ut creator militantibus in vita altera redonet. Quapropter neceſſe eſt alteram eis eſſe futuram vitam quam ſit iſta præſens & miſera. Quia igitur vivere non poſſunt mortuis animabus, neceſſe eſt poſt iſtam vitam præſentem ipſas eſſe victuras.

Fore aut avaram, aut invidam Dei bonitatē ſi merita ſervorum non remuneret.

Amplius aut eſt ſperanda à bonitate creatoris remuneratio obſequiorum ſibi impenſorum, aut non: quod ſi non ſperanda, ſciendum igitur eſt de ea quod vel non curat hujuſmodi ſervitia, aut quod reputat ea remuneratione indigna; aut quia avara eſt nolens tanta munera largiri quanta debet eſſe remuneratio ipſorum; aut quia invida eſt, & propter hoc non vult tantis bonis præditos eſſe ſervitores ſuos. De avaritia autem, & invidia manifeſtum eſt quod procul ab ea ſunt.

Deus non poteſt dici non curare obſequia hominum.

Relinquitur igitur ut vel non curet, omninoque negligat ſervitia iſta, aut ut ea reputet remuneratione ſua indigna. Quod ſi negligit vel non curat grata ſibi impendi ſervitia, non curabit igitur de bonitate hominum, qui eo ſolo, & ad hoc ſolum boni ſunt, quia creatori pro beneplacito voluntatis ejus ſerviunt. Et ex hoc conſequens eſt ut bonitas ejus nec etiam bonitas ſit, ſicut evidenter apparet ex rationibus quę aſſignavi bonitati in quibus aliquatenus definitur. Amplius omnis bonus gerit curam & ſollicitudinem, ut alij boni ſint, & in hoc eos adjuvat & provehit. Quomodo igitur creator qui in ultimitate bonitatis eſt bonus non curabit quod homines boni ſint, & bonitatem eorum negliget? Amplius. Sed in hoc non curabit quod bene vivant homines, cum hoc ſolum bene vivere illorum ſit videlicet ipſius gratis obſequiis ſervire. Amplius. Sed in hoc non curabit etiam an boni an mali ſint homines, quod in toto regno omnium ſæculorum maximè cura indiget, & curatione. Quid igitur curabit divina bonitas humano genere ita neglecto?

Nec illa reputare remuneratione indigna.

Si vero obſequia hujuſmodi remuneratione ſua indigna eſſe reputat, iſtud eſſe non poteſt niſi propter parvitatem ipſorum, & magnitudinem remunerationis ipſius; quia tam parva obſequia tam magna remuneratione indigna ſunt. Dico igitur in hoc quia iſta reputatio non congruit bonitati creatoris ullo modorum. Magnificentia namque bonitatis & largitatis ipſius non attendit quid vel quantum parvitas exigit meritorum, ſed potius quid eam deceat etiam modicis meritis elargiri. Non enim decet illam vacare ad calculos ad hoc ſcilicet ut fragmenta ponderet, & minutias dinumeret meritorum, tanquam ſibi præcavens ne pluſquam debeat largiatur, & ne fortè magnitudo multitudoque munerum parvitatem aut paucitatem excedat in aliquo meritorum. Hæc enim nec humana largitas attendit: vile etiam reputatur apud homines calculatio hujuſmodi. Attende etiā quod exigua, viliſſimaque munuſcula reges & principes licet homines ſint tribuere dedignantur: & magis ex hujuſmodi donationibus irrideri formidant, quam laudari affectent. Ex omnibus igitur his aggregatis evidenter eluceſcit tibi ſperandum eſſe in bonitate prælarga atque magnifica creatoris bene utentibus donis ipſius jam receptis quorum bonus uſus non eſt niſi gratum creatoris obſequium.

Quod reges & divites deceat largiri munera juxta magnificentiam regni, & divitiarum ſuarum.

Amplius. Quanto ditior quantoque major eſt quicumque ex Regibus, vel Principibus apud homines, tanto decet ut ſit largitate diffuſior, atque propenſior: & niſi juxta divitias regnique ſui amplitudinem largus, atque magnificus in muneribus fuerit, irridetur apud homines, & honore regio, regalique gloria reputatur indignus quantumcumque alias laudabilis quicumque de Regibus, vel Principibus videatur. Neceſſe igitur habet unuſquiſque eorum largiri munera, juxta magnificentiam atque divitias regni ſui. Cum igitur perpetua fœlicitas etiam minus donum ſit creatoris comparatione divitiarum, & gloriæ regni ſui; minus inquam creatori quam ſit ſuſtentatio vitæ etiam ad totam vitam, vel affluens ditatio ejus Regi cuicumque terreno, neceſſe eſt uti magis incomparabiliter deceat largitatem ac magnificentiam creatoris dare fœlicitatem perennem quam alicui ex regibus terrenis dare ſic ſuſtentationem vel divitias ad totam vitam alicui ex ſervis ſuis. Scilicet & principes terreni decentiſſime hoc faciunt in ſervientes ſibi, & milites ſuos multo magis neceſſe eſt magnificentiſſimum ditiſſimumque creatorem dare fœlicitatem hujuſmodi ſervientibus & militibus ſuis; alioquin non faceret quod eum facere deceret in parte iſta. Quis igitur facit quod decet etiam facere ſi creator iſtud non facit?

Regum eſt & principū providere etiam hæredibus familiæ ſuæ poſt vitam.

Amplius. Quis de regibus aut principibus terrenis non provideat familiæ ſuæ de bonis temporalibus ita ut bene ſit illis quatenus congruit meritis eorum, & poſſibile eſt eis bene eſſe ex bonis hujuſmodi, quod non eſt poſſibile niſi ad modicum temporis brevis vitæ iſtius. Interdum etiam ut bene ſit hæredibus familiæ poſt illam cura eſt regibus & principibus terrenis. Faciunt igitur quod ſolum poſſunt, quia & brevis eſt potentatus eorum, & vita, & in ſolis temporalibus ſive terrenis bonis poteſtatem habent. Si igitur iſti quod eos decet facere de proviſione atque ditatione prout poſſunt, & quatenus poſſunt faciunt, quanto fortius dominantiſſimus omnium ſæculorum creator in familiam ſuam faciet, ut bene ſit eis prout condecet, eique poſſibile eſt? poſſibile autem eſt eidem, imo facillimum providere eis bona quibus bene ſit eis perpetuo, & in his ſive ex his fœlicitas eorum perpetua. Et hæc eſt perfecta ditatio ultra quam nil requirant, & cum qua nullo etiam valeant indigere.

Expedit compa rationes ſimiles attendere.

Expedit tibi comparationes iſtas, & ſi fas eſſet dicere proportionalitates diligenter attendere; ſi enim ita feceris erunt tibi radix validiſſima, & fun-

damentum firmiſſimum ad declarandum, & fulciendum immortalitatem animarum humanarum. Necignorare potes inter quæ comparationes iſtæ, ſeu proportionalitates iſtæ tibi conſiderandæ ſunt, quoniam inter reges terræ temporales videlicet, & æternum; inter largitatem iſtorum, & largitatem illius; ſimiliter inter divitias ejus, & divitias eorum; & inter familias, & inter divitias utriuſque, ſimiliter & potentias. Quapropter quod decet iſtos facere in ſibi ſervientes, juxta potentiam, divitias atque congruentiam recipientium, & qualitatem ſive maneriem bonorum quæ dantur ab ipſis regibus & principibus familiis ſuis, neceſſe eſt ipſum regem dominantiſſimum omnium ſæculorũ in ſuos ad ſimilitudinẽ, & proportionẽ antedictas.

Amiſſio beatitudinis plus inferret miſeriæ propter privationem perpetuam quam obtentio quæ temporalis eſſet afferret gaudij.

Amplius. Si non provideret dilectis ſuis, & electis creator omnipotentiſſimus, & optimus ut bene eis eſſet bonitate ſeu beatitudine perpetua, ſed temporali ſolummodo. Dico quod iſta proviſio nec beatitudinis eſt nec fœlicitatis. Declaratio autem eſt quod vel amaretur ab obtinentibus illam vel non amaretur. Si non, nihil igitur gaudij vel fœlicitatis affert habentibus illam; bona namque quæ ſine amore poſſidentur, & ſine gaudio habentur, & ſine dolore amittuntur. Si autem amarentur, cum amore igitur haberentur, & cum dolore amitterentur: non amitterentur autem niſi per mortem. Quapropter amitterentur perpetuo, non haberentur niſi ad tempus ſecundum proportionem iſtam. Si igitur tanto dolore amitterentur quanto gaudio poſſidentur: ergo non minus miſeriæ afferrent habenti quam conferrent ei fœlicitatis & gaudij, cum dolor omnis miſeria ſit. Addo etiam ad hoc quod plus inferrent miſeriæ incomparabiliter quam præſtarent fœlicitatis & gaudij: cauſa autem in hoc eſt quoniam obtentus ejus eſſet ad modicum, ad brevitatem videlicet vitæ temporalis: amiſſio vero vel carentia illius eſſet perpetuo; cum erroneus iſte non ponat reſurrectionem animarum.

Adeoque idem eſſet ac ſi nihil conferret.

Amplius ſi tantum afferret miſeriæ, & doloris quantum conferret, ex omnibus modis perinde eſt ac ſi nihil conferret eidem.

Si Deus dilectis ſuis non providit alia bona quam temporalia, melius proviſum eſſet impiis.

Amplius aut bonitas creatoris providit aliqua bona dilectis ſuis, & electis alia quam temporalia & præſentia; & intendo quæ in præſenti habentur, aut non. Si non providit, igitur nec liberationem à præſentibus miſeriis, neque fœlicitatem, ſive bene eſſe; cum in præſenti vita non ſit eis poſſibile alterutrum obtinere: neque enim in miſeriis poſſibile eſt bene eſſe, neque in miſeriis poteſt eſſe fœlicitas, ut præaudiviſti. Quia igitur ipſi ſunt qui maximè hic doloribus affliguntur, neceſſe eſt conditionem, & ſtatum eorum deteriorem eſſe, quam ſit etiam malorum hominum. Quapropter vani fiunt juxta ſermonem qui dictus eſt: *Vanus eſt qui ſervit Deo, & ſine fructu ſunt labores eorum.* Decepti igitur miſerabiliter ſunt, & inſipientiſſime agunt ſapientiæ credentes, & ſapientiam ducem habentes: ipſi vero mali qui præſentia, & temporalia ſola bona amant, quærunt, & obtinent ſoli ſapienter vivunt.

Mal. 3 14

Fœlicitas in bonis tẽporalibus eſſe non poteſt quæ fugiunt continuo.

Amplius innumerabilibus viis, atque probationibus declaratum eſt tibi temporalibus bonis nulli poſſe bene eſſe in corporibus, quamdiu læſionibus, & moleſtiarum paſſionibus obnoxia ſunt. Quia divinam providentiam vel errare, vel falli manifeſtum impoſſibile eſt, conſequens eſt evidenter divinam bonitatem non providiſſe bona quibus ſolis bene eſſe poteſt animabus humanis, non inquam providiſſe eis dum ſunt in corporibus, læſionibus & paſſionibus obnoxiis & ſubjectis. Quare ut jam ſæpe audiſti ea illis providiſſe vel extra corpora, vel in ipſis corporibus ſed ab hujuſmodi paſſibilitate ad impaſſibilitatis ſtatum tranſmutatis. De temporalibus ſiquidem manifeſtum eſt quoniam illa non providit Deus animabus humanis, ut bene illis per ea, & in eis eſſet; cum hoc non eſſe poſſibile manifeſtum ſit. Quare providit eis bona aliqua hujuſmodi; videlicet quibus bene eſſet illis, & ex quibus fœlices eſſent: providit eis indubitanter bona non temporalia, neque corporalia quæ cum vita præſenti fugiunt, ſed ſpiritualia & permanentia. Cauſa autem in hoc eſt quia fœlicitas quæcumque illa ſit ſi ex bonis ſive in bonis fugientibus, neceſſario tranſit, & fugit ab illis. Quapropter non eſt poſſibile ut ſit vera fugiens iſta continuâ rapiditate fœlicitas. Quomodo enim obtineri poterit quæ nec teneri ad quantamcumque modicam particulam temporis poteſt?

Fœlicitas ipſa miſeria eſt ſi ſimul ut acquiratur amittatur.

Amplius ſi ſua acquiſitione vel obtentione fœlicem ac beatum efficit amiſſione ſua miſerum, & infœlicem efficiet. Quapropter cum ſimul acquiratur & amittatur, ſimul efficiet miſerum & fœlicem, & quod eſt mirabilius cum ipſa ejus acquiſitio amiſſio ejuſdem ſit ſecundum veritatem, neceſſe eſt ut ipſa hæc fœlicitas miſeria ſit.

Nec beatus eſſe poteſt qui ſuam fœlicitatem ſemper fugere & recedere cognoſcit.

Amplius qualiter beatus vel fœlix dici poteſt qui bonum quo beatus vel fœlix dicitur, imo ipſam fœlicitatem ſuam inceſſanter fugere, ab eoque recedere cognoſcit? Hoc eſt enim indubitanter, quemadmodum ſi daretur alicui inceſſanter pecunia, vel quæcumque munera pretioſa quæ ea velocitate qua darentur in manibus ejus, elaberentur & effugerent ex ipſis, ita ut nihil omnino ex hujuſmodi muneribus tenere poſſet ad quantamcumque particulam temporis; numquid aliquando dives effici poſſet homo hujuſmodi per datas ſibi per hunc modum divitias, & per hunc modum ablatas? Et intendo quæ dantur ei auferendo, & auferuntur recipiendo, & quod majus eſt quarum donatio non eſt niſi ablatio earumdem.

Vndè concludit bona non permanentia eſſe non poſſe beatitudinẽ hominis.

Jam igitur feci te ſcire per hoc quod non eſt poſſibile ut bene eſſe ſive fœlicitas animarum humanarum ſit in bonis non permanentibus, vel ex illis; cum in hujuſmodi bonis non ſit ei quieſcere poſſibile, nec illa ſimul totaliter imo niſi punctatim ſive præſentialiter poſſidere. Neceſſe eſt igitur bonitatem creatoris providiſſe animabus humanis fœlicitatem permanentem, & in qua ſit eis quies, & pax ab omni genere inquietudinum & moleſtiarum. Hanc autem ſicut jam tibi declaratum eſt non eſt poſſibile ut obtineant in corporibus præſentis mortalitatis & paſſibilitatis. Quapropter neceſſe eſt ut propter illam obtinendam transferantur à corporibus vel ut eiſdem corpora juxta quod prædictum eſt immortalia, & impaſſibilia efficiantur. Relinquitur igitur ex omnibus his in bonitate divina confidendum, & ab ea ſperandum bonum quo bene ſit quandoque bonis animabus: omnino enim indecens eſt ipſi ut bonis animabus malè eſſe ei ſemper placeat, & liberationem earum à malis nunquam creet.

Si nihil ſperandum ſit à bonitate Dei, nec ab ea quid timendum.

Amplius ſi non eſſet ſperandum in ea vel ab ea bonum aliquod quo bene eſſet animabus humanis quandoque: ergo eadem ratione neque timendum, & juxta hanc viã neq; veneranda neque honoranda eſſet; quapropter vanæ eſſent, & ſupervacuè preces, & ſupplicationes ad ipſam, ſi nec bona obtineri poſſent precibus, & ſupplicationibus ab ea vel veniæ delictorum. Si enim bona quibus bene ſit poſtulantibus ab ea obtineri non poſſent vel impetrari, multo minus indulgentiæ malorum, & remiſſiones ab ea poterunt obtineri. Cauſa autem in hoc eſt manifeſta quoniam pietas ut pietas humidationis, & profuſionis eſt bonitas, ſicut præaudiviſti. Quapropter vana & ſupervacua erit omnis honorificentia cultus Dei altiſſimi, & revera religio nihil erit, ſed ſuperſtitio vaniſſima quidquid eidem

cultus

cultus ab hominibus exhibetur. Cum enim nulla humana obſequia apud ipſum gratiam vel recommendationem habeant non ſolum vane, ſed inutiliter ei etiam impenduntur.

PARS VIGESIMAQUINTA.

Quod creator non ſolum providet animabus de eſſe, ſed etiam de bene eſſe.

Non poteſt dici hoc ſolo præmiari à Deo obſequia noſtra quod ei grata ſint.

QUod ſi dixerit quis quod gratiam habent apud eum in hoc ſolummodo quod ei grata ſint, & placita, licet nihil pro eis beneficiis rependat impendentibus illa, ridiculoſe loquitur homo ille de bonitate creatoris: nec enim de bonitate humana adeo exiliter ſentiendum eſt. Quis enim bonus ex hominibus iſta gratia contentos velit eſſe eos qui gratis, & ſervitiis obſequuntur, videlicet ut nihil eis ab eo ſperare liceat vel ſperari velit? & ut pro beneficio habeat, & remuneratione quod ei pro voluntatis ſuæ beneplacito ſerviant. Ex hoc enim accidet ut quantoſcumque labores & dolores in ſervitiis ſuis ſuſtineant, & etiam mortem ipſam eis computet in mercedem. Quod eſt ac ſi diceretur ſufficiant tibi tormenta quantumcumque gravia, quæ pro me ſuſtines, & etiam mors ipſa, & ſint tibi hujuſmodi ſervitia in mercedem: homo enim hujuſmodi vult eidem eſſe obſequium apud omnem intelligentem, ut prius cauſa ſit remuneratione ſua.

Ad bonitatis Dei manifeſtationē eſſe quod aliqui propter iniquitatem puniantur.

Aggrega igitur omnia hæc, & attende diligenter rationes divinæ bonitatis, ſive definitiones quales in præcedentibus audiviſti: & cognoſces evidenter, quia cum animæ humanæ immortalitate, & fœlicitate naturaliter aſſimilabiles ſunt creatori pro modo tamen ſuæ inferioritatis, & ordinis, atque congruentiæ ſuæ, neceſſe eſt ut divina bonitas in eas magnificentiam ſuæ largitatis quouſque extendat, ut immortales eas naturaliter creet, & fœlices quandoque pro moderamine tamen juſtitiæ ſuæ eas efficiat, quod moderamen nullo modorum adverſari divinæ bonitati poſſibile eſt, quin potius eidem modis omnibus deſervire. Quod enim amatis, & indignis aliquibus divinæ bonitatis largitas dona ſua vel minuit, vel reſtringit non contra illam eſt, ſed potius propter illam, & ſecundum illam; nihil enim ei magis convenit aut magis decet illam quam ordinatio donorum ſuorum, videlicet ut per injuriam & contumeliam ſuam non profundatur in abuſores ipſius, & ut in eos qui idonei vel digni ſunt recipere, gratoſque eidem ac devotos per omnia exhibere largiſſimam ſe exhibeat & profuſam. Hoc autem nec alieni videatur quod in paucas animas humanas larga eſt divina bonitas, in plurimas vero avara; pauciſſimis enim atque rariſſimis largitur, ac providet verum ac purum bene eſſe operationis in comparatione multitudinis earum quas in miſeriis derelinquit, licet juſtiſſimè hoc faciat, & incomprehenſibiliter per omnem modum. Neque enim pura ac vera eſſet bonitas ipſius ſi iniquitatem vel injuriam in quocumque ſuorum operum ſuſtineret; cum injuſtitia omnis, atque iniquitas evidenter malitia ſit, & propter hoc neceſſe eſt ut eis divina bonitas adverſetur, atque ab ipſis anima ſe, & ſingula ſua corpora mundificet, ac depuret. Obſervatio igitur ordinis, & menſuræ divinæ bonitatis magnificentiſſimam magnificentiam conſideratis omnibus non imminuit, nec reſtringit, nec impedit ullo modo, quin potius adjuvat, & adauget, & decorat. Cum ordo & menſura bonitatis quædam ſint pulchritudines, & ipſa quoque juſtitia ſit bonitas manifeſtata.

Bonitatem etiam Dei in eo erga impios manifeſtā eſſe quod tanta bona eis impendat quibus ad ſe convertãtur.

Amplius debes hic ſcire, quod quædam providit bonitas creatoris ut eſſent propter alia, videlicet ut eſſent eis in adjutorium vel eſſendi, vel bene eſſendi: ſicut videre evidenter de eis quibus utuntur homines vel in eſcam, vel in veſtimentum, & in alias utilitates quibus ſuſtentantur, vel conſervantur, vel deffenditur, vel alias adjuvatur vita, & eſſe earum: ex quibus etiam ad acquirendum bene eſſe quod eſt ſtatus fœlicitatis multa per hoc adminicula præſtantur eidem. Quemadmodum eſt cognitio largitatis, & magnificentiæ creatoris, quæ tot & tãta humanis indigẽtiis, & uſibus neceſſariis inceſſanter largitur. Quis enim ignorare poteſt redundantiſſimæ creatoris bonitatis profuſiſſimam largitatem, tanta immenſitate, tantaque multitudine donorum, & beneficiorum illam tam evidenter palam indicante, & communiter omnibus atteſtante? præſertim cum nec à malis, & ingratis ſe quantum ad hujuſmodi beneficia prohibeat nec avertat. Quis eſt adeo ignorans adeoque ruſticus ut non etiam ſuadeat ei tanta largitas beneficentiæ creatoris gratitudinem, & devotionem in ipſum: de quibus duobus non eſt dubium quin adjumentum magnum ſint ad promerendam ab ipſo gratiam ampliorem.

Quod majora Deus providerit ad bene eſſe, quam ad eſſe.

Manifeſtum igitur eſt ex his quia rebus hujuſmodi providit creatoris bonitas bene eſſe; cum propter homines eas eſſe voluerit, & ut eiſdem non ſolum laboribus, ſed etiam mortibus, & innumerabilibus deſtructionis modis hominum utilitatibus, & uſibus deſervirent; hominibus vero neceſſe ut providerit bene eſſe, atque adminicula multa majora & plura, quibus adjuvarentur ad illud. Si enim tot & tanta providerit eis ad eſſe, quanto fortius, incomparabiliter plura, & majora ad bene eſſe? eſſe namque non debet hominibus divina bonitas niſi propter bene eſſe. Quapropter bene eſſe principale in intentione creatoris, & finis creationis hominum: & intendo finem propter quem creati ſunt ab eodem: alioquin non curaſſet creatoris bonitas plus homines, quam cætera animalia. Si enim non curaſſet de hominibus niſi quod eſſent, quod & curat de cæteris animalibus quibus, & providet antedicta adjumenta in quibus adjuvantur ad eſſe; proculdubio inordinata eſſet, & ejus prudentia, & bonitas; cum præſtantiora ampliori cura ab omni ſapiente curanda ſint quam alia.

Si non curaſſet Deus miſerias hominum in ſui perniciē creaſſet ipſos.

Amplius ſecundum hoc non eſſet ei curæ de ipſo malè eſſe hominum, & intendo de omnibus miſeriis, læſionibuſque, & deſtructionibus cæteriſque malis omnibus, quæ homines hic patiuntur, quapropter non ſolum vane, ſed etiam in omnimodam ſui pernitiem creaſſet eos.

Debuit eſſe intelligibile quo impleatur deſiderium virtutis intellectivæ.

Amplius aut eſt virtuti intellectivæ intelligibile cujus cognitio impleat deſiderium ejus naturale quod expreſſit Ariſtoteles in principio metaphyſicorum dicens *omnes homines ſcire deſiderant*; aut non. Si non, in miſeriam igitur, & tormentum à quo non eſt ei liberatio creata eſt vis intellectiva: ſic enim vis appetitiva in tormentum famis creata eſſet, ſi non eſſet ei prorſus cibus quo ſatiaretur, & fames ejuſmodi ſedaretur.

Ne eſſet fruſtratum deſiderium imo & pernitioſum. Hic autem intelligibile aliud non eſt à Deo.

Amplius fames hujuſmodi fruſtra eſſet, & deſiderium non ſolum inutile, ſed pernitioſum, cum nihil animabus humanis afferat niſi tormentum.

Amplius fames inſatiabilis non fames naturæ eſt in corpore, ſed morbus potius: ſic & in anima humana ſciendi deſiderium non naturale eſſet, ſed naturæ læſio, & naturaliter incurabilis morbus. Naturalis enim cura famis naturalis, & naturalis medicina ejuſdem refectio eſt atque cibus: quapropter ſi huic fami ſpirituali, quod eſt ſciendi deſiderium, non eſt cibus ipſam ſedans, neque refectio illam ſarciens, erit proculdubio virtutis intellectivæ

væ non naturalis motus, ſed potius morbus, hoc autem quis dicat vel cogitet, videlicet deſiderium ſciendi virtutis intellectivæ ægritudinem eſſe, cum vitæ ſit finis, & propter illam creata ſit, reſtat igitur, & ſcibile eſſe cujus ſcientia, & cognitione, & fames iſta ſedaretur, & vacuitas ex qua eſt replexetur. Manifeſtum autem eſt à ſenſu, & experientia ſcientias omnes alias à ſcientia creatoris, non ſedare famem iſtam. Hoc autem omnes maximè qui in hujuſmodi ſcientiis profeſerunt ſentiunt in ſemetipſis, & ipſe Plato de ſe teſtificatus eſt.

Quia inter omnia ſcibilia nobiliſſimũ eſt.

Amplius inter ſcibilia omnia nobiliſſimum etiam eſt creator, & ſcientia ejus tanto amplius aliis deſiderabilis, quanto ipſe omnibus ſcibilibus ſupereminet, aliorum igitur ſcibilium ſcientiis ſi eſſet poſſibile acquiſitis reſtaret deſiderium, & fames cognitionis ipſius creatoris: abſque cognitione igitur ipſius non eſt poſſibile naturaliter ut quieſcat deſiderium hujuſmodi vel ſedetur fames, vel antedicta vacuitas impleatur.

Et ignorantia creatoris omnium turpiſſima. Cujus cognitio debeat eſſe lucidiſſima & certiſſima ut ſit ejus amor ferventiſſimus.

Amplius quæ ignorantia turpior vel indecentior cogitari poteſt in anima humana quam ignorantia creatoris ſui.

Amplius cum amabilis ſit animæ humanæ creator ſuper omnia, & amari non poſſit incognitus, & juxta modum cognitionis ſit proportionaliter, & menſura dilectionis ipſius, neceſſe eſt ſuper omnem cognitionem eſſe cognitionem ipſius: neceſſe eſt enim ipſum in ea menſura amari qua noſcitur; quapropter lucidiſſimam ac certiſſimam neceſſe eſt eſſe cognitionem ipſius, quemadmodum ferventiſſimam eſſe dilectionem ipſius: alioquin qualiter amaretur præcellentia luminoſitatis ſuæ.

Deus ſolus lux eſt cujus illuminatione perficitur intellectus & bonitas cujus obtẽtu, & fruitione plenè delectatur voluntas.

Amplius ſicut omnium aliarum rerum cognitiones non ſufficiunt virtuti intellectivæ ad plenam atque perfectam illuminationem ipſius. Sic nec omnium earum obtentiones ſeu fruitiones nõ ſufficiunt ad perfectam jocunditatem ſeu beatificationem virtutis motivæ nobilis, ex qua fiunt amores ſublimes, & deſideria nobilia. Relinquitur ergo neceſſe eſſe ut creator ſolus ſit lux illa unica, cujus irradiatione completa plenè illuminetur virtus intellectiva animarum humanarum; ſimiliter & ipſe ſit bonitas, cujus obtentu, & fruitione plenè jocundatur virtus motiva nobilis earumdem. Quapropter manifeſtum creatorem bonum illud unicum, & ſolum eſſe, cujus communicatione convenienti, & perfecta obtentione ſive poſſeſſione perfectibiles ſunt animæ humanæ ac beatificabiles: neceſſe igitur eſt propter illud obtinendum & acquirendum illoque plenè fruendum cætera eſſe, omniaque adminicula quibus ad hoc adjuvari poſſunt eis data eſſe, quemadmodum ſunt ſenſus, & inferiores vires motivæ, & cætera hujuſmodi quæ ad hunc finem attingere non eſt poſſibile in quantum talia ſunt.

Quod obtentio tanti boni non eſt poſſibilis ſubſtantiæ mortali.

Jam autem oſtenſum eſt tibi alias, quod obtentus & fruitio tanti ac talis boni non eſt poſſibilis ullo modo ſubſtantiæ mortali, quia minima etiam deguſtatio ipſius hominibus mortalibus videlicet aut mortem corporis, aut penè mortem inducit, juxta ſermonem propheticum quo dictum eſt ex perſona ipſius, *non videbit me homo & vivet*. Quoniam vita hæc mortalis qua vivitur ab animabus noſtris in corporibus paſſibilitatis, & infirmitatis præſentis quouſque debilis eſt, ut perfectiones tam ſublimes, tamque nobiles ſuſtinere non valeat, ſicut apparet tibi ex paſſionibus vehementibus quæ penè mortem hujus vitæ contrariam inducant: ſicut audis evidenter de vehementia gaudij, & de vehementia doloris Et ad hunc modum ſe habet de aliis Et hujus rei exempla ſunt extaſis, & raptus, & diſpoſitio illa qua dicuntur homines eſſe in ſpiritu. Quod ſi deguſtatio perfectionis, & fœlicitatis antedictæ vitam corporum præſentem adeo debilitat, & interdum extinguit, quid de ipſa perfectione fœlicitatis eſſe debere judicetur? Ex his igitur manifeſtum eſt tibi quod ipſum bene habere ſe animarum humanarum in completione ſuæ perfectionis animas humanas totaliter abſtrahit à corporibus, & in ipſum creatorem rapit, ipſiuſque luminoſitate ac jocunditate ſic eas replet, & occupat, ut de vivificatione, gubernatione corporum non ſolum non curent, ſed etiam vel eis inde liceat cogitare, & intendo de præſenti vivificatione ac gubernatione corporum quæ & oneroſa eſt, & moleſta; in ſtatus namque futuri gloria nec oneri, nec moleſtiæ, nec diminutioni, nec læſioni ulli fœlicitatis illius erit vivificatio ſeu gubernatio corporum animabus vivificatis: cauſa autem erit in hoc impaſſibilitas earumdem quæ prohibent per omnem modum læſiones omnes atque moleſtias quæ hic per corpora ingeruntur eiſdem.

Exod. 33. 2.

Inſeparabilitas animarum humanarum ab illis bonis amore & poſſeſſione.

Attende igitur quia inſeparabiles erunt animæ humanæ à bono illo ſuo, cujus obtentu incogitabiliter beatæ futuræ ſunt, & fœlices, quatenus amor erit in illud. Si enim amores præſentes adeo illigant, aſtringunt, & agglutinant eos in quibus ſunt rebus etiam temporalibus, ut inde vix etiam per mortem avelli vel abrumpi poſſint. Quod tibi ſentiendum eſt de amoribus animarum humanarum quibus in fœlicitate illa ſua ardent in creatorem, non enim niſi ſcintillæ ſunt amores hujuſmodi ad caminos illos: & propter hoc vincula ſeu ligaturæ iſtorum, nec fila aranearum ſunt ad fortitudinem, & irrumpibilitatem illorum. Quapropter ibi & lucidiſſimè videbunt, & profundiſſime ac beatiſſime ſentient immortalitatem ſuam animæ humanæ, cum pleniſſime cognoverint fonti vitæ ſe totas totaliter, & tam inſeparabiliter adhærere: non enim eſt poſſibile ſubſtantiam quamcumque mortalem natam eſſe fonti vitæ non ſolum adhærere inſeparabiliter, ſed etiam & beatiſſima copula, & nulla virtute diſſolubili vivet. Si enim modica deguſtatio illius ſive applicatio ad fontalem illam bonitatem creatoris omni mortali ſubſtantiæ mortem ingerit vel inducit, manifeſtum eſt non eſſe poſſibile ſubſtantiam ad perfectam cognitionem ſive applicationem hujuſmodi natam mortalem eſſe.

Hominem natum eſſe ut poſſideat Deum hoc perfecto modo ſecundum animã non ſecundum corpus.

Quod ſi quis dixerit quod ſecundum hoc non eſſet natus homo ad hujuſmodi cognitionem vel applicationem quæ eſt ut prædixi completa fœlicitas. Reſpondeo in hoc quod homo non eſt natus ad hujuſmodi applicationem vel cognitionem ſecundum totum vel totalitatem ſuam, & intendo ſecundum id totum quod eſt homo, ſed ſecundum animam ſolam: & propter hoc quantum ad illam vel ſecundum illam neceſſe eſt ipſam eſſe immortalem, quamquam etiam ſecundum corpus homo ſit immortalis, quemadmodum & expoſitum, & declaratum eſt tibi in tractatu qui vocatur cur Deus homo. Et ex hoc etiam adjuvaris in ipſum, videlicet per hoc ipſum quod mortem corporis inducit hujuſmodi fœlicitas. Impoſſibile autem eſt in unoquoque genere ut perfectio rei cujuſcumque mortem vel deſtructionem illi ingerat vel inducat. Quapropter manifeſtum eſt fœlicitatem iſtam non eſſe perfectionem hominis. Et intendo ut hominis quod eſt dicere ut prædixi ſecundum totalitatem ſuam ſive ſecundum id totum quod homo eſt.

Hæc beatitudo poteſt acquiri a ſapientibus non per modum effectionis, ſed per modum receptionis.

Amplius hujuſmodi perfectio deſiderabilis eſt ſuper omnia deſiderabilia, & etiam deſideratur ab innumerabilibus animabus, & præponitur omnibus aliis deſiderabilibus quæ ab eiſdem deſiderantur: deſideratur autem à ſapientibus ſolis. Eſt igitur eis naturaliter acquiſibilis ſaltem per modum receptionis; per modum enim effectionis manifeſtum

ſtum eſt illam non eſſe ipſis acquiſibilem. Adjicio etiam ad hoc quia naturali deſiderio deſiderabilis eſt ab animabus humanis; cauſa enim quoniam perfectio perfectibili ſuo naturali deſiderabilis eſt, non eſt dubium quia multo fortius etiam deſiderio ſapientiali ſeu gratiæ deſiderabilis ſit ab eiſdem: quapropter naturali intentione, & conatu, & intendere, & conari poſſibile eſt eas ad illam. Et quoniam non eſt poſſibile ut obtineatur niſi dono creatoris, non eſt poſſibile ut obtineatur niſi gratis obſequiis, & devotis petitionibus: ſi tamen & per hoc inclinari poteſt ad donum tam magnificum largiendum. Quod igitur abſque ulla difficultate, & abſque omni incommodo largiri poteſt creator fœlicitatem iſtam, neceſſe eſt ut eam prout decet ad illam conantibus largiatur. Neque enim in homine uno bono inveniri poteſt iſte defectus vel potius avaritia, aut invidia, ut id quod dare poſſit abſque omni incommodo, & detrimento ſuo dignis, & idoneis denegare poſſit. Quanto igitur minus denegabit creator largiſſimus, & optimus illam placitis ſibi obſequiis ſervientibus, & ad illam obtinendam ab eo prout decet conantibus: præſertim cum ad tantam ei cedat gloriam hujuſmodi largitio, ut inter ejus opera magnifica quibus glorificatur, & magnificatur in ſæcula, hæc ſit de præcipuis atque præſtantiſſimis.

Nec intenditur, nec deſideratur niſi inſtinctu creatoris, adeoque nec ab eo denegari poteſt.

Amplius nec intenditur etiam nec deſideratur ipſa niſi inſtinctu creatoris; omnis enim intentio naturæ, omne deſiderium gratiæ ſeu ſapientiæ ſuggeritur à creatore. Quapropter & fallax, & proditor eſſet creator optimus, & benedictus ſi quod ejus inſtinctu quæritur, quod ejus ſuggeſtione deſideratur & petitur, ab eodem quærentibus, & petentibus denegaret. Ipſa ergo bonitate ſua qua intentionem iſtam animabus humanis indidit, & deſiderium obtinendi accendit neceſſe eſt in hoc eis perficiat. Eodem modo eſt dicere de ſpe qua fœlicitas æterna ſperatur ab ipſo; & hoc à ſapientibus ſolum: non enim habent ſpem futurorum mali bonorum, cum præſentia bona ſola totis deſideriis amplectantur, totis ſtudiis atque conatibus acquirere laborent. Spes igitur iſta non eſt niſi ſapientibus animabus quia non eſt eis niſi ex dono, & gratia creatoris, neceſſe eſt ut bonitas creatoris quæ ſpem iſtam eis indidit eas ad obtinendum quod ſic ſperant non patiatur ullatenus defraudari, &c.

PARS VIGESIMASEXTA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex parte juſtitiæ creatoris.

Iuſtitiam Dei nec ex ignorantia, nec ex difficultate à reddendo debito impediri poſſe.

POſt hæc autem proſequar tibi probationes & rationes quarum radix eſt juſtitia creatoris: intendo juſtitiam quod eſt in ratione ſeu comparatione juſtitiæ, ex qua in quantum talis eſt fiunt remunerationes, & vindictæ atque redditiones univerſaliter debitorum, & intendo omnium quæ debentur. Propter quod & juſtis donatione juſtitiæ hujuſmodi debitorem ſe fatetur, & gerit in quantum hujuſmodi eſt. Quare liberari à debito redditionis intendit per opera juſtitiæ hujuſmodi: intendit enim ſemper reddere ex hac virtute. Manifeſtum igitur eſt ex his quod juſtitia hujuſmodi, ſi viva & vera eſt, neceſſe eſt exire in judicium, nec vel ignorantia, vel impoſſibilitate, vel difficultate faciendi quod juſtum eſt prohibeatur, vel impediatur ab hoc. Quia igitur viva ac vera ſemper eſt juſtitia creatoris, neceſſe eſt eam exire in judicium, & reddere pro meritis unicuique, videlicet bonis bona pro gratis obſequiis, & malis mala pro iniquis operibus; cum apud illum non habeat locum ignorantia vel merentium, vel meritorum. Similiter neque impoſſibilitas, neque difficultas exequendi juſtitiæ officium; alioquin quæ eſſet iſta juſtitia; neceſſe enim eſſet eſſe velut habitum dormientem, & malo potentialitatis depreſſum. Jam autem declaratum tibi alias ea quæ ſunt creatoris ſive de eo dicuntur per ſe in ultimitate actualitatis eſſe apud ipſum, prima quoque, & maxima eſſe.

Iuſtitiam creatoris non eſſe ſicut potentiam, ſed ſicut actum actu ultimum.

Manifeſtum igitur eſt juſtitiam creatoris non eſſe ſicut potentiam, ſeu habitum dormientem; ſed eſſe ſicut actum in ultimitate actualitatis, ut prædixi & in ultimitate expeditionis, & promptitudinis vigilantiſſimum: neceſſe igitur eſt ipſum exire in judicium omnimoda libertate pro beneplacito voluntatis ſuæ, & intendo quæcumque ei placuerint, & quomodo, & quatenus, & pro quibuſcumque, & contra quoſcumque eidem placuerit. Quapropter in omnipotentiſſimæ voluntatis ſuæ beneplacito totaliter eſt quando judicet, quando remuneret, quando puniat, quando omnibus debita reddat. Quia igitur in vita iſta præſenti juſtitia Dei non exercet judicium totaliter, cum mali innumerabiles bona hic tantum recipiant, & boni ſimiliter innumerabiles mala hic ſolummodo patiantur: neceſſe eſt ut in altera vita fiat redditio, ſeu retributio uniuſcujuſque debiti per hanc juſtitiam.

Quod pœna ſit graviſſima malitia ipſa, non tamen ab impiis ita exiſtimetur.

Quod ſi dixerit quis quod cuique malitia pœna graviſſima eſt malorum, quia gravior infligi non poteſt, verum utique dicit. Etenim malitia pœna quædam, & horrifica inferni ſimilitudo; quod evidenter videt qui cognoſcit tenebras quibus involuti ſunt, flammaſque irarum, & odiorum, cupiditatum, & aliorum deſideriorum, quorum inceſſanter ardoribus cruciantur, deinde timores quibus tanquam frigoribus quibuſdam ſpiritualibus continue torquentur; hæc enim omnia cruciatibus infernalibus ſimilia ſunt. Verum quia in iſtis nec apparet pulchritudo juſtitiæ nec talibus deterrentur, quia nec ipſas pœnas reputant, neceſſe eſt propter duas iſtas cauſas in alias pœnas eorum exurgere juſtitiam creatoris.

Sic tantum à ſeipſis puniuntur impii, non & à Deo.

Amplius ipſas pœnas ipſi mali ſibimet irrogant, & à ſeipſis ſolummodo illis ſunt. Quapropter nihil in hujuſmodi ſuum exercet vel agit creatoris juſtitia, niſi quia eos juſtiſſimo judicio ſuis inſaniis derelinquit. Non exit igitur in judicium contra eos, quæ per hoc ſoli ſibimet irrogant vel infligunt. Neceſſe autem habet connecti vel exurgere judicium: neceſſe eſt igitur alterius modi ſive aliis pœnis illos punire juſtitiam creatoris. Quia igitur in hac vita non fit iſtud juxta exigentiam culparum illarum; neque juxta quod requirit rectitudo juſtitiæ creatoris, neceſſe eſt in alia vita hoc ſuppleri. Jam enim declaratum eſt declarationibus demonſtrativis peccatum omne mortale, ſive delictum infinitum eſſe, & infinitam pœnam pro eodem deberi ei qui illud commiſerit, & intende mortale peccatum vel delictum quo vera mors incurritur. Hæc autẽ eſt ſeparatio animæ à Deo qui eſt vita animarum, hic quidem vita gratiæ, qua rectè ac ſanctè vivitur! In futura vero vita gloriæ qua tunc beatè fœliciterque vivetur. In eodem tractatu etiam feci te ſcire quantum pœna duratione infinitá, ſive durationis infinitæ pro omni hujuſmodi peccato vel delicto debetur, nec oportet ut iſtas declarationes iterum repetam tibi. Quapropter non ſatisfaciet creator juſtitiæ ſuæ, neque immenſitati culparum mortalium ſi pœnam durationis infinitæ taliter peccantibus non reddiderit. Eſt igitur vita malis hominibus poſt iſtam vitam! dico interminabilis, in qua paſſuri ſunt pro peccatis, & delictis hu-

juſmodi pœnas perpetuas, quapropter eſt eis vita poſt iſtam, & propter hoc animabus eorum cum homines ſine animabus vivere poſſibile non ſit.

Quod ad juſtitiam creatoris pertineat mala omnia à regno ſuo arcere.

Quod ſi dixerit quod hujuſmodi juſtitia non eſt juſtitia creatoris, & quia non placet ei mors peccatorum, nec delectatur in perditione hominum, quin potius diſplicent ei cruciatus, & tormenta ipſorum, nec reputat decere bonitatem ſuam ut exerceat tam duram carnificinam. Licet ad hoc in proximè nominato tractatu ſufficienter ad hoc tibi reſponderim. Reſpondeo tamen in hoc quod cum verus rex, veruſque dominus omnium ſæculorum ſit, nihil magis decet eum quam exercere juſtitiam: cum enim juſtiſſima ſit per quam maximè exterminantur vitia, & peccata, & diffunduntur virtutes, & boni mores cuſtodiuntur, & conſervantur, propagantur, & multiplicantur. Quapropter manifeſtum eſt ad regem præcellentiſſimæ bonitatis ac ſupereminentiſſimæ pietatis modis omnibus pertinere malitiam omnem, & iniquitatem de finibus ſuis profugare, & exterminare, bonaque omnia in regno ſuo nutrire, deffendere, & agere.

Injuſtitia eſt non ſolum facere injuſtum, ſed etiam non facere juſtum.

Amplius ſicut juſtitia judicio omni, & bonum eſt, & bonitas; injuſtitia eodem judicio, & malum, & malitia: quapropter ſicut malus eſt quis non ſolum in faciendo malum, quod ei non faciendum eſt, ſed etiam in non faciendo bonum quod ei faciendum eſt, & quod bonitas ejus requirit, nec facit: ſic injuſtus eſt non ſolum in faciendo quod injuſtum eſt, ſed etiam in non faciendo quod juſtum, & quod requirit juſtitia ut faciat. Quapropter ſi creator non reddit juxta merita operum malis & bonis, hoc eſt neque in vita altera, manifeſtum eſt ipſum & malum, & injuſtum eſſe, cum nec hic, nec alibi faciat quod requirit juſtitia ipſius. Quare quoniam iſtud eſt inconveniens, & impoſſibile manifeſtum, neceſſe eſt creatorem vel facere hic vel facturum eſſe in alia vita, & bonis, & malis quod juſtum eſt ſecundum merita ipſorum. Et quoniam manifeſtum eſt eum non facere hic in vita iſta, neceſſe eſt ipſum in altera vita iſtud eſſe facturum, quapropter neceſſe vitam alteram poſt iſtam eſſe futuram.

Juſtitiam ut poteinjuſtitiæ oppoſitam, & bonam, & bonitatem eſſe.

Amplius cum juſtitia & injuſtitia contra ſint evidenter, manifeſtum autem ſit injuſtitiam, & malum, & malitiam eſſe, neceſſe eſt juſtitiam, & bonam, & bonitatem eſſe. Quod ſi dixerit quis quod prodigalitas, & avaritia evidenter contraria ſint, utramque cauſam manifeſtum eſt, & malam, & malitiam eſſe. Reſpondeo in hoc quod in his quæ ſecundum ſuperfluitatem, & indigentiam ſive diminutionem dicuntur, manifeſtum eſt ea, & contraria eſſe, & mala ſive malitiam. Injuſtitia enim non dicitur ſecundum alteram earum, imo removet utrumque, non juſtus enim eſt qui vel plus vel minus reddit quam reddendum ſit ſecundum quod, quantum, & qualiter, & quando, & cui.

Bonitas regũ & principum juſtitia eſt.

Amplius manifeſtum quod ex juſtitia reges, & principes, omneſque potentes viri boni nominantur ſicut dixit nobilis ille philoſophus Latinorum, videlicet quia in ea eſt ſplendor maximus honeſtatis ex qua viri boni nominantur.

Juſtitiam non eſſe ſcientiam atque adeo virtutem & bonitatem eſſe.

Amplius qualiter communiter laudaretur, & pulchritudo animarum haberetur, cum non ſit poſſibile pulchritudinem animarum eſſe, niſi quod decorat vim apprehenſivam nobilem in eis, & hoc non eſt niſi ſcientia, vel virtutem motivam in eiſdem, & hoc non eſt niſi virtus vel bonitas, quapropter cum manifeſtum ſit juſtitiam hujuſmodi non eſſe ſcientiam, neceſſe eſt ipſam virtutem, & bonitatem eſſe.

Oſtendit pulchritudinem juſtitiæ et oppoſita turpitudine injuſtitiæ.

Amplius quis non videat opera juſtitiæ, & bona eſſe & pulchra; & ipſos operatores decentia: ſicut enim retinere alienum ſeu debitum non poteſt eſſe niſi indecens atque turpe: ſic reddere quod debetur non poteſt eſſe niſi pulchrum, decens pariter & honeſtum; non eſt autem poſſibile ut opera vitiorum ſint niſi turpia, indecentia, & inhoneſta. Quapropter neceſſe eſt in radicibus eorum, ſive principiis ſimiliter ſe habere; cum rami operum pulchritudinem numquam habeant, niſi ex radicibus ſeu principiis habituum atq; diſpoſitionum ex quibus ſunt. Quapropter neceſſe eſt, & juſtitiam pulcherrimam eſſe, & injuſtitiam turpiſſimam. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his juſtitiam bonitatem eſſe, & pulchritudinem animarum in quibus eſt. Apparet etiam ex turpitudine contrarij, malitia videlicet injuſtitiæ, & hoc per partes ſingulas ipſius. Quid enim rapacitate ipſius, quid fraudulentiâ, & falſitate deformius, quid crudelitate horribilius? & ad hunc modum ſe habet de aliis partibus injuſtitiæ.

Si juſtitia bona non eſſet nullus eſſet locus legib' omneſque in humanis confuſioni pateret.

Amplius ſi nec juſtitia bona nec bonitas eſt, ad quid igitur leges? ad quid tribunalia? ad quid punitiones maleficorum? Si enim juſtitia hæc nec bona, nec bonitas eſt, proculdubio nec iſta omnia bona erunt, nec facienda! juſtitiæ namque iſti hæc omnia deſerviunt, & tanquam opera quædam, & executiones ipſius ſunt. Quapropter ſi illa nec bonitas, nec bona eſt, iſta omnia nec bona, nec facienda erunt. Evacuandæ erunt igitur leges, ſubruenda tribunalia, non exercenda judicia, ceſſare debent, & punitiones maleficorum. Quapropter exponendi erunt homines, & res humanæ omnes inſidiis latronum, rapacitatibus prædonum, gladiis, & cædibus ſervorum, iniquiſſimis oppreſſionibus tyrannorum, ceſſandumque erit ab omni coërcitione, & diſciplina malorum, derelinquendæque erunt res humanæ omni turbationi, omnique confuſioni; cum omnibus malis iſtis maximè per juſtitiam occurratur, & ſine illa omnimodo non valeant curari. Non eſt igitur dubitandum juſtitiam eſſe bonam, & bonitatem per quam ſolam conſequenter tot, & tantis malis occurritur.

Omnis bonitas ſimilitudo diminuta eſt divinæ bonitatis.

Cum autem omnis bonitas ſive magna, ſive parva, & mediocris ſimilitudo quædam, licet pertenuis atque modica, & vix etiam dicenda veſtigium primæ ac puræ fontaliſque bonitatis quæ eſt bonitas creatoris, quemadmodum alibi audiviſti, & didiciſti quia in hujuſmodi comparatione ſe habet omnis potentia ad potentiam creatoris, & omnis ſcientia ad ſcientiam ipſius, & omnis pulchritudo ad pulchritudinem ipſius; & ad hunc modum ſe habet de omnibus aliis diſpoſitionibus de creatore juxta congruentiam ſuæ ſupereminentiæ dicitur. Quapropter erit juſtitia de qua hic agitur ad juſtitiam creatoris ſecundum modum iſtum: eſt igitur juſtitia creatoris non quæcumque, aut quantacumque, ſed ſuper omnem comparationem major juſtitia hominum vel humana. Quapropter ſi ex juſtitia humana quæ ſeorſum eſt ab omnibus antedictis impedimentis neceſſe eſt exire judicium, ſive judicia, retributioneſque, & vindictas, neceſſe eſt incomparabiliter fortius ex juſtitia creatoris exire pro beneplacito ſuæ voluntatis juſtiſſima judicia, retributioneſque, & vindictas! & intendo pro beneplacito voluntatis ipſius, qualiter, & quando voluerit. Ex hac igitur ratiocinatione manifeſtum eſt judicium ei faciendum eſſe de hominibus, retributioneſque reddendas ab eodem, vindictaſque juſtiſſimas inferendas: & propter hoc ſicut prædixi vitam eſſe alteram poſt hanc; cum in hac juſtitiam tantum incipiat, non autem perficiat, aut conſummet, ſed potius conſummationem ipſius atque perfectionem futuræ vitæ reſervet.

PARS

PARS VIGESIMASEPTIMA.

Quod mali non poſſunt niſi quantum permittit creator juſtiſſimus.

Cur Deus peſſimis, adeoque inſipientiſſimis det quandoque poteſtatem in alios.

QUod ſi quis dixerit quia cũ dare potẽtiã inſipienti non ſit niſi dare gladiũ in manu furentis; ipſe vero creator peſſimis potẽtibus, quos nemo dubitat inſipientiſſimos eſſe, ſciens & prudens, tantas dat, & dare conſuevit ſuper alios homines poteſtates, quid aliud vult niſi eos ſævire, & furioſe debacchari, & in electos, & dilectos ſuos, & in omnes alios ſuper quos habent poteſtatem? Apud homines namque non alia de cauſa datur furioſis clava, vel gladius; niſi ut vel in ſemetipſos, vel in alios furorem ſuum exerceant. Stultiſſimus etiam reputatur qui furoris ſævitias vindicare vellet contra furioſum, cui ipſemet gladium, vel clavam ſciens dediſſet & prudens. Reſpondeo tamen in hoc quia novit ſapientiſſimus creator quid boni, vel potius quæ, quanta, qualiaque bona elicitura ſit bonitas ipſius ex malitia inſaniſſima poteſtate quam eis tradit abutentium. Nec illam eis tradit ſic, ut non eam in manu ſua totaliter retineat. Nec liberum aut poſſibile eſt eis ſævire in alios pro voto inſaniſſimæ iracundiæ ipſorum, ſed quouſque ſolummodo ipſe permiſerit, ipſiſque patientibus expedire, bonitatemque ſuam & gloriam decere præviderit. Et hoc declaravit ſermo propheticus

Iſ. 10. 15. quo dictum eſt *numquid gloriabitur ſecuris contra ſecantem in ea.* Quemadmodum enim non eſt in poteſtate ſecuris ſecare, ſed in poteſtate ſolummodo tenentis eam, & in ea percutientis, atque ſecantis: ſic non eſt in poteſtate malorum occidere, & torquere pro ſuæ voluntatis inſania, ſed in poteſtate ſola creatoris, in cujus poteſtate & manu, & voluntate pleniſſima, atque libertima ſunt, quẽadmodum ſecuris in manu ſecantis; de hoc etiam plene ſatisfeci tibi in tractatu de univerſo & in capitulo de cura & providentia creatoris circa gubernationes univerſi.

Solvit objectionem petitam ex eo quod homines comparentur beſtiis, & oſtendit de ipſis tamen Deo curam eſſe.

Quod ſi dixerit quia juxta ſermonem propheticum fecit homines creator ſicut *piſces maris & ſicut reptilia non habentia ducem*, & juxta alium ſermonem propheticum, *venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua divitum ſunt pauperes*: hoc modo non curat quid homines, vel contra ſe invicem agant vel pro ſe, cum minores in direptionem & prædam potentiorum dederit, immo in devorationem, & mortem. Et juxta alium ſermonem propheticum

Hab. 1. 14. *Eccli.* 13. 23. probat homines ſimiles eſſe beſtijs cum in mutuam ſtragem & devorationem alios alijs tradidit: quapropter nulla cura eſt & de ipſis, ſed dimiſit eos inſanijs ſuis. Reſpondeo tibi jam in hoc quia poſtquam cura eſt ei de creatione hominum, de fabricatione membrorum ipſorum, & decora ædificatione corporum eorundem, & ſicut audiviſti de pilis ſuperciliorum eorundem, quomodo non erit ei cura de conſervatione, de vita, & de conditione, omnimodaque gubernatione ipſorum: alioquin fruſtra & *vane conſtituit omnes filios hominum.*

Pſ. 88. 48. Cum creationem eorum non niſi vanitas aut miſeria ſequatur, ſlos namque malorum hujuſmodi quod ipſi fœlicitatem falſiſſime nominant, vanitas tantum eſt ſicut feci jam te ſcire. Miſeria vero ſecundum hoc quid eſt, niſi miſeria cujus finis ultimus eſt mors ſecundum hoc. Florentes igitur manifeſtè vanè conſtituit, miſeros vero longe deterioris conditionis eſſe voluit, quos ſcilicet malis, & noviſſimè morti ſecundum hunc errorem poſuit, cum nec his nec illis poſt mortem corporum aliquid boni vel mali ſperandum ſit, vel timendum.

Exempla juſtitiæ Dei contra impios donec pro meritis poſt hanc vitam puniantur.

A ſenſu accipi poteſt ex certiſſimis hiſtoriarum narrationibus, quia hic exercet vindictas juſtitiæ ſuæ, creator optimus, licet nec plene, nec totas, ſicut apparet ex ſubmerſionibus civitatum, & deſtructionibus regnorum, quas præceſſerunt comminationes ipſius creatoris. Præterea de miraculis quæ tam magnifica contra impios pro Dei electis & dilectis patrata ſunt, quæ non ſolum in genere Hebræorum notiſſima ſunt; ſed etiam in genere Chriſtianorum celeberrima & abſque numero inceſſanter leguntur, & continue recitantur. Ex his igitur eſt accipere tanquam a ſenſu divinæ juſtitiæ judicia, & executiones certiſſimas illius; ſed quales ante prædixi. Plenitudo namque judiciorum ipſius & perfectio conſummata in vitam alteram neceſſe eſt reſervetur. Ridiculoſum enim & omnino incongruens eſt magnificentiæ & gloriæ ipſius tam ad modicum incipere hic exercere juſtitiam, & finem conſummationis atque perfectionis eidem non dare: hoc enim eſſet quemadmodum ſi latro dignus ſuſpendio, aut alterius modi mortis ſupplicio feſtuca una percuteretur, & hoc ſemel tantum; cum manifeſtum ſit percuſſionem feſtucæ etiam unicam incomparabiliter majorem eſſe ad quantumcumque corporalis mortis ſupplicium quam ſit pœna quæcumque præſentis vitæ ad æternæ mortis & interminabilis cruciatus. Cum enim ſit finitum quantæcumque acerbitatis ſupplicium, non eſt poſſibile ut infinitum ſit ad feſtucæ unius percuſſionem unicam.

PARS VIGESIMAOCTAVA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex parte magnificentiæ & largitatis creatoris.

Ex abundanti largitate quã ſol & ſimiles creaturæ ſe diffundunt idem a fortiori de Deo dicendum eſſe oſtendit.

POſt hæc proſequar tibi probationes quarum radix eſt magnificentia largitatis creatoris. Dico igitur quia non eſt poſſibile apud eam ut minus largiatur, quam deceat ipſam, dum tamen recipientis idoneitas, atque capacitas ad hoc accedat atque concordet. Judicium autem certiſſimum rei hujuſmodi eſt largitas evidentiſſima creaturarum. Hujuſmodi exemplum unum vides in ſole, & luminoſitate ipſius, pro capacitate namque illuminabilium lumen in ea diſpergit atque diffundit, & propter hoc in puriſſimum proximumque quodammodo eidem adeo propenſior eſt atque profuſior irradiatio ipſius. Et ad hunc modum ſe habet de omnibus paſſibilibus qualitatibus & ſubſtantiis earum. Quod ſi tanta largitas eſt in ipſis creaturis quæ niſi rivuli fontalis ac univerſalis largitatis dicendi ſunt, quanto majorem neceſſe eſt eſſe in fonte? Si igitur natura humana naturaliter idonea eſt vitam perpetuam recipere, naturaliterque propinquior ipſi fonti indeficienti largitate redundantiſſimo, quam ſunt corpora cœleſtia: corpora autem cœleſtia vitam perpetuam recipiunt, & habent ab ipſo fonte: quanto fortius igitur in animas humanas extendit ſe creatoris largitas ad hoc ut vitæ perpetuitas ei detur.

Vitæ mortalitas oppoſita eſt vere fœlicitati.

Amplius jam multipliciter declaratum eſt tibi quod vitæ mortalitas atque terminabilitas contraria eſt, omnique modo repugnans perfectioni ultimæ animarum humanarum; cum perfectio illa fœlicitas ſit veri nominis, & rationis: & propter hoc inamiſſibilis & interminabilis.

Immortalitas eſt præparatio neceſſaria ad fœlicitatem.

Amplius cum omnia dona naturalia non det creator largiſſimus animabus humanis, niſi propter ultimum & maximum donum quod intendit largiri eiſdem: & hoc eſt benè ſe habere earum, ſive fœlicitas antedicta. Dat igitur dona eiſdem naturaliter quibus adjuventur ad illam, & immortalitatem qua ſive per quam non parum neque mediocriter adjuvantur ad ipſam. Eſt igitur velut diſ-

po it'o firmans eas, & præparans eas ad receptionem illius, & ad ipſam ſuſtinendam, quemadmodum mors atque mortalitas impediunt eas, & omnimodo ineptas efficiunt, atque inhabiles ad recipiendum eandem; neceſſe igitur eſt ut creator prædonet ſive largiatur hanc diſpoſitionem animabus humanis.

Sine illa immortalitate nec permodica illius beatitudinis deguſtatio eſt.

Amplius ſi prædonet atque largiatur creator benedictus dona gratiarum, & virtutum, & ſcientias ſapientiales animabus humanis, & per eas præparantur ad recipiendam futuram gloriam ipſaque dignæ efficiantur, neceſſe eſt ſimiliter ut prædonet eis immortalitatem per quam ſtabiliatur, & firmetur eſſe earum ad receptionem, & ſuſcipiendam gloriam hujuſmodi. Igitur ut audiviſti debilitas vitæ etiam deguſtationem permodicam gloriæ illius ſuſtinere non valeat, ſicut apparet tibi in exemplis quæ præmiſi tibi de raptu & ſimilibus.

Anima quantum ad vires ſuperiores ſimilis eſt Angelis adeoque, & gloriæ capax.

Amplius nulli animæ ſeipſam intelligenti dubium eſt quin animæ humanæ quantum ad vires ſuperiores, & nobiles, & beatificabiles, & glorificabiles ſint beatitudine, & gloria antedictis: quantum ad illas namque ſimiles naturaliter ſunt ſubſtantiis nobilibus abſtractis, & propter hoc ſimiliter aptæ natæ beatificari & glorificari. Niſi igitur corruptio originalis vel vitiorum, & peccatorum fœditates indignas illas beatitudine, & gloria hujuſmodi efficiant, neceſſe eſt prælarga bonitas creatoris in beatitudine, & gloria antedictis hujuſmodi ſubſtantiis aſſimilet, & adæquet, juxta ſermonem legiſlatoris chriſtianorum, quo dixit de glorificandis hominibus quia filij Dei ſunt, & filij reſurrectionis, & æquales ſunt Angelis.

Etſi animæ ſeipſis indignæ ſint tanta beatitudine, attamen hoc divina magnificentia digniſſimũ eſt.

Quod ſi dixerit quis indignam eſſe naturam animarum humanarum glorificatione, & adæquatione hujuſmodi. Reſpondeo homini illi, quod etſi illa tanta exaltatione, & gloria digna non eſt, magnificentiâ tamen divinæ largitatis digniſſimum eſt, ut tanta dona & majora incomparabiliter largiatur; neque enim veri nominis aut rationis largitas iſta turpiter ad calculos vacat meritorum, & dignitatum eorum quibus largiri bona data ſua intendit, ſed potius quid deceat divitias ſuas, atque magnificentiam attendit. Alioquin nec mundo toti, nec cœlis, nec ſyderibus, nec elementis, aut aliis creaturis unquam eſſe dediſſet. Quapropter cum tanta ſit bonitas profuſiva creatoris ex largitione donorum ſuorum, & decentia hujuſmodi, & intendo in hoc quia non aliud in eis quæ bona data ſua ſeu dona recipiunt conſiderat, vel intendit niſi ut & eam tanta, & talia donare deceat, & illa recipere. Plerique namque incliti reges & principes ex pluribus hominibus ſerviſque infinitis, & ignobiliſſimis magnos, ac divites efficiunt; non propter hoc quod illi tantis ac talibus digni ſunt, ſed propter hoc ut ipſi magnificentiam ſuæ largitatis exerceant, & officium ſuæ liberalitatis in eoſdem adimpleant; quanto magis igitur decet magnificentiam gloriæ creatoris profuſivam largitatem in ipſas animas humanas quouſque exercere, ut naturalis idoneitas, & habilitas earum exigit & requirit, & prænominata impedimenta non prohibent.

Quod fundamentum ædificio eſt hoc immortalitas beatitudini.

Amplius quis ædificaturus quam grande permagnificumque palatium non ante ædificium prævidet, & proſpicit de fundamento illius, videlicet ut tantæ ſtabilitatis ac firmitatis ſit ut ſuſtentationi ſufficiat tam præclari operis & ædificij. Quia igitur naturalia in animabus humanis, & intendo naturales vires ſive virtutes fundamentum ſunt certiſſimum ejus ædificij quod in præſenti vitâ ædificatur ex gratiarum virtutumque muneribus, ejuſque ſimiliter quod eſt incomparabiliter nobilius atque magnificentius quod ex ſcientiis quæ gloriæ ſunt ædificandus eſt: neceſſe eſt ſapientiſſimum artificem, & operatorem creatorem ea firmitate ſtabilire virtutes naturales animarum humanarum ut tanto ædificio congruant ſupportando. Non eſt autem hoc poſſibile abſque firmitate ut prædixi immortalitatis, cum mors ædificium hujuſmodi funditus ſubruat, & mortalitas ad ſupportandum illud nequaquam ſufficiat & à parte igitur fundamenti quod eſt naturales vires, & à parte ædificandi operis neceſſe eſt juxta prædictos modos divinam largitatem in animas humanas extendi: non enim decenter largus eſt in domum qui vel in fundamentum, vel aliam quamcumque partem illius fuerit diminutus.

Philoſophi multis rebus quæ ſunt propter homines perpetuitatem imponunt.

Amplius & balſamo, & multis aliis ex rebus creatis imponunt philoſophi perpetuitatem eſſendi; cum manifeſtum ſit illa omnia non eſſe, niſi propter animas humanas, & intendo non niſi ad uſus, & utilitates earum: multo fortius igitur eſt ut animabus humanis ſit eſſendi perpetuitas naturalis. Si enim equus aut aliud quodcumque ex animalibus non eſt niſi propter uſus vel utilitates hominum, qualiter poſſibile eſt ut ſit perpetuus, & immortalis? homines autem mortales, & vitæ brevis? Nullo modorum enim congruens vel rationi conſonum ut cauſa ſit brevioris aut infirmioris eſſe quam effectus, vel utilitas cujuſque rei fortioris, & longioris eſſe naturaliter quam ipſe utens.

Corpora naturaliter immortalia ſunt quanto magis animæ.

Quod ſi fortè quis objiciat de ferro, aut ære, aut alio quocumque hujuſmodi quia fortioris eſſe ſunt quam homines, vel eorum corpora; quia ferro, & ære facillimè deſtruuntur, neque eis valent reſiſtere: & eodem modo, & igne, & aqua, & lapidibus. Reſpondeo in hoc quod jam declaratum eſt tibi in tractatu, quem vocavi cur Deus homo, corpora naturaliter immortalia eſſe, & ab hujuſmodi impaſſibilia, & illæſibilia: ſi ea quæ ibi audiviſti tibi non ſufficiunt addam tibi hic & alia. Addendum autem eſt tibi quod ſi corpora humana immortalia naturaliter ſunt, quod eſt dicere à morte, & moriendi neceſſitate naturaliter libera, conveniens eſt ex neceſſitate Logicæ conſecutionis animas humanas multo fortius immortales eſſe. Ordine vero naturæ immortalitas animarum proculdubio præcedit immortalitatem corporum, utpote cauſa illius: manifeſtum enim eſt vitam animarum cauſam efficientem eſſe corporum. Nec mireris quod largitatem vocavi per quam datur à creatore viribus ſuperioribus animarum humanarum tanquam fundamento cuidam prænominatorum ædificiorum firmitas eſſendi ſive ſtabilitas; cum creator nec eſſe, nec aliud quidquam det alicui ex creaturis niſi ex largitate, & gratuitate meraque liberalitate.

PARS VIGESIMANONA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex parte gloriæ creatoris.

Plus conferunt ad gloriam creatoris animæ humanæ quam corpora per quaſcumque diſpoſitiones ſuas.

POſt hæc proſequar tibi juxta præmiſſum ordinem probationes immortalitatis animarum quarum radix eſt gloria creatoris ſive ipſe creator in quantum glorioſus. Dico igitur quod gloria creatoris quæ non eſt niſi oſtenſio ſive evidentia magnificentiæ ipſius ac prælargæ bonitatis ejuſdem tanto amplior, tantoque clarior per animas humanas earumque nobiles diſpoſitiones, quam per corpora, & diſpoſitiones eorum, quanto ipſæ & diſpoſitiones ipſarum præſtantiores ſunt corporibus & diſpoſitionibus illorum. Una autem ex diſpoſitionibus nobilibus earum immortalitas eſt per quam tanto magnificentior apparet creator, quam per vitam ipſam! quanto largitio immortalitatis largi-

tione vitæ præexcellentior eſt, & hoc eſt quantum vita perpetua ſive vitæ perpetuitas vitâ in quantum vita melior eſt. Qui igitur immortalitatem negant animarum tanto magis detrahunt gloriæ creatoris quam qui vitam ipſarum negant.

Negare immortalitatẽ animarum eſt negare gloriã earũ, ex qua Dei laus æterna provenit, ſicut etiam ex vindicta impiorum.

Amplius qui immortalitatem negant animarum, negant conſequenter & futuram glorificationem earum: quapropter non minus detrahunt creatori quam ſi negarent gloriam ſubſtantiarum nobilium abſtractarum. Cum nec pauciores, nec minores gloriæ imo plures, & æquales gloriæ futuræ ſint animæ glorificandæ quam ſint ſubſtantiæ hujuſmodi, ſunt inquam futuræ tales ſi immortales ſunt animæ humanæ. Quantum autem detrahunt gloriæ ipſius in parte juſtitiæ ejuſdem ſimiliter in præcedentibus audiviſti, quanta enim futura ſit pulchritudo juſtitiæ, quantaque laus, & magnificẽtia creatoris ex illa ſi animæ humanæ immortales ſint evidenter apparet ex his quæ præaudiviſti. Quantum enim deceat creatorem impios, & contumaces corrigi, quàmque pulchrum ſit in eos exercere vindictas juſtitiæ, nemo intelligens permittitur ignorare.

Prov. 11. 10. *In perditione enim impiorum erit laudatio*, ſicut ait ſermo propheticus. Quapropter perpetuitas juſtiſſimarum vindictarum in animas impiorum incorrigibilium perpetuæ pulchritudinis laudem pariunt creatori. Ipſis autem juſtis glorificandis tanquam juſtitiæ amatoribus perennem lætitiam generabit juxta alium ſermonem propheticum quo dictum eſt

Pſ. 54. 11 *lætabitur juſtus cum viderit vindictam*: In hac etiam præſenti vita licet miſerrima quicquid honoris, & gloriæ eſt creatori ab omnibus honorificentia eſt cultus ejus, & religioſitas. Hujuſmodi autem fundamentum, & radix fortiſſima credulitas ſive ſcientia immortalitatis animarum humanarum. Quapropter eam negare vel deſtruere proculdubio eſt illam evertere, & radicitus extirpare, quapropter nec hic, nec in futuro parcunt hujuſmodi homines gloriæ creatoris quantum eſt à parte generis humani.

Negando immortalitatẽ deſtrui cultum, honorem & regnũ Dei.

Amplius attende, & conſidera quam enormiter mutilant, ſeu detruncant regnum creatoris, & gloriam, qui & hic, & in futuro homines, & animas humanas de illo auferunt, cum in ſolis religioſis evidenter regnet hic; illos enim ſolos regit, & imperio ſuo moderatur! mali enim & impij concupiſcentiis ſuis, & aliis paſſionibus feruntur, & exagitantur inſtar brutorum animalium, nec ullo moderamine ducuntur. Propter quod dixi creatorem in ſolis illis regnare quos regit hic, & qui voluntate ejus ſubditi mandatis ejuſdem, & legibus vitam ſuam moreſque componunt. Quapropter in eis ſolis merito regnare dicitur: in hominibus autem incompoſitis atque perverſis peſtes, ut ſæpe audiviſti, concupiſcentiarum ſuarum regnant, & aliarum brutalium paſſionum, cum in eis pleniſſimè dominentur, ipſi quoque mali ſpiritus in ipſis non immerito regnare dicuntur: quoniam tanquam ipſorum ſervi voluntates ipſorum, & deſiderium implent pro viribus, cum perverſitas vitæ humanæ voluntas, & deſiderium ſit ſpirituum malignorum cui animales homines totis ſtudiis, & viribus invigilant & inſiſtunt. Manifeſtum igitur eſt tibi per hæc quod ignorantia immortalitatis animarum humanarum, & incredulitas ipſius radix eſt totius inordinationis, & incompoſitionis vitæ humanæ per quam totaliter benedictus offenditur, & plerumque etiam blaſphematur: per hanc etiam religio funditus deſtruitur, per quam ut prædixi ſolum Deus altiſſimus ab hominibus honoratur. Omnis etiam honeſtas, omniſque pulchritudo virtutum negligitur, nec curatur: & propter hoc futuræ gloriæ fœlicitas amittitur. Manifeſtum igitur eſt per hoc in quantum creatoris injuriam, & contumeliam deducit erroneos ignorantia iſta, vel incredulitas: in quantum ipſorum perniciem, cum & hic tantam vitæ honeſtatem auferat, & futuræ vitæ fœlicitatem eis acquirere ſeu promereri non ſinat.

Negare immortalitatẽ unius animæ ſanctæ detrahit magis gloriæ creatoris quam negare de omnibus animabus impiorum.

Addam & aliud quod tibi forſitan mirabilius videatur, & dicam quod negare unam animam ſanctam, & juſtam immortalem eſſe eſt magis detrahere gloriæ creatoris, quam negare de omnibus animabus malorum ipſas eſſe: cauſa autem in hoc eſt manifeſta; quoniam anima una ſancta & juſta melior eſt, & magis opus creatoris, quam omnes animæ impiorum. Declaratum etiam eſt tibi iſtud alias per hoc videlicet, quod gratia creatoris qua gratam ſibi facit animam humanam majus bonum eſt, & magnificentius creatoris donum, quam naturæ animæ humanæ, & hoc ſuper omnem proportionem, quapropter, ut prædixi, melior eſt una anima ſancta, & juſta omnibus animabus impiorum ſimul acceptis. Quanto autem magis aut magnificentius bonum eſt quodcumque opus creatoris ſive Domini ipſius, tanto magis detrahitur gloriæ ejus à quocumque de ipſo negetur: quemadmodum ſi quis diceret Deum altiſſimum mundum iſtum non creaſſe, aut non dediſſe ei eſſe longe amplius detrahere largitati magnificentiæ illius, quam ille qui diceret ipſum non creaſſe ſolem vel lunam: & in tanto amplius, quanto major eſt gloria ex toto mundo ſive creatione ipſius, quam ex ſole vel luna, ſive creatione alterius eorum: generaliter enim tanto magis detrahitur gloriæ creatoris, quanto majus eſt quod dediſſe negatur.

PARS TRIGESIMA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex reſſuſcitatione mortuorum.

Hoc oſtendit teſtimonio poëtarum & prophetarum veteris legis.

POſt hæc autem aggrediar ſtabilire immortalitatem animarũ humanarũ per teſtes, & teſtimonia à ſenſu ipſarũ animarũ, quibus datum eſt ſentire vitam ſuam poſt mortem corporum ſuorum: & intendo ſenſum iſtum interiorem, ac ſpiritualem, quo unaquæque animarum humanarum ſentit ſe eſſe, ſe vivere, ſe gaudere, ſe juſtam eſſe, quorum nullum aliquo ex ſenſibus particularibus ſentitur: animas autem non ſolum ſemetipſas poſt mortem corporum ſuorum, ſed etiam alias cognoſcere ſive cognoviſſe certiſſimum ex teſtimoniis hiſtoriarum non ſolum gentilium, ſed etiam Hebræorum, & potiſſimum chriſtianorum. Quis enim hiſtoriam Romanorum vel ad modicum legit qui non legit in eis patrem Romanorum deſcendiſſe ad inferos, & ibi vidiſſe animam patris ſui, & locutum fuiſſe cum ipſa? & hoc proculdubio fuit ante urbem Romam conditã: filius enim illius qui ad inferos deſcendiſſe dicitur urbem illam condidit. Qualiter autem illuc deſcenderit, utrũ ſcilicet in viſu, aut in viſione, aut in corpore hoc ſuperſedeo declarare; nec volo multum inſiſtere ſermonibus Poëtarum, qui ex majori ſui parte fabulis vaniſſimis refertiſſimi ſunt. In gente vero Hebræorum puer unus per unum ex prophetis gentis illius ſuſcitatus narratur, & reſtituta anima illius corpori ſuo, quæ niſi vixiſſet poſt mortem corporis, nec reſtituta videretur: novam vero animam illi corpori creatam, & datam nullo modorum poſſibile eſt; cum ipſa anima pueri illius certiſſimè recordaretur ſe rediiſſe, atque reminiſceretur multorum ex his quæ ante mortem corporis ſui geſſerat in illo. Ad reſurrectiones vero mortuorum quæ in gente chriſtianorum penè innumerabiles factæ ſunt veniam, quoniam nullum dubitationis relinquunt veſtigium de vita animarum poſt mortem corporum.

De reſſuſcitatione Lazari, & aliis reſſuſcitationibus ſive apparitionibus mortuorū. *Jo* 11. 14.

Per ipſum quippe legiſlatorem chriſtianorum mortuus unus quatriduanus reſſuſcitatus eſt ad vocationem ejus de monumento, de quo vocatus ſtatim prodijt ligatus manus & pedes inſtitis, qui & poſtea multis annis vixit, & Epiſcopale officium exercuit. Dicet-ne aliquis erroneus novam animā creatam fuiſſe in corpore illius, & non potius redditam corpori illi fuiſſe priorem. Præſertim cum anima illa redditam ſe vitæ iſti, & corpori ſuo certiſſimè ſciret, & ſorores ſuas cum quibus diu converſatus fuerat, abſque ulla dubitatione cognoſceret, & cognoſceretur ab eis: cujus ſi alia anima eſſet nihil omnino iſtorum vel ipſi, vel ſororibus ejuſdem factum fuiſſet: novus enim homo eſſet indubitanter, & nihil ad eum de mulieribus illis pertineret. Ipſe autem certiſſimè ſciebat cum illis ſe fuiſſe annis plurimis converſatum. Affuerunt huic reſurrectioni multi Judæi qui cum eſſent inimici fidei chriſtianæ ſtupore tanti miraculi ad fidem & religionem chriſtianam converſi ſunt. Reſſuſcitati ſunt multi in eadem gente chriſtianorum, qui & de vita alia, & de animabus charorum ſuorum multa hominibus annunciaverunt, & ſtatum charorum ſuorum quis, aut qualis eſſet; & quibus ſuffragiis, vel auxiliis indigerent, & propter quas etiam cauſas ſive peccata in igne purgatorio detinerentur patefecerunt.

Reſſuſcitatio Trajani & ſalus animæ ejus precibus ſancti Gregorij.

Per hujuſmodi vero ſuffragia liberatio eorum facta multotiens poſtmodum revelata eſt. Memoriter autem tibi tenendum eſt de ipſo Rege & Imperatore Romanorum, qui mundo toti terreno dominabatur, & qui precibus cujuſdam ſancti Pontificis ſuſcitatus à morte corporis, & anima ejus educta ab inferis, atque corpori ſuo reſtituta, qui poſt reſſuſcitationem multis annis vixit in ſæculo iſto, & pœnitentiam agens de vitiis ſuis, & peccatis idolatriæ in quibus vixerat, factuſque chriſtianus miſericordem ſibi placavit creatorem, fineque optimo conſummavit vitam ſuam. De quo dubitandum non eſt quin multa narraverit de his quæ apud inferos ſenſerat & viderat, & de aliis quæ ad vitam animarum poſt corpora pertinent.

Quod credendum ſit reſſuſcitatis hominibus.

Quia igitur de his quæ ſunt vel fiunt, vel facta ſunt in India, & Armenia, & Britannia, cæteriſque longinquis regionibus teſtimoniis eorum creditur qui ibi fuerunt, eaque viderunt: ſic & redivivis, ſive reſſuſcitatis hominibus credendum de his quæ in ſæculo altero ſe vidiſſe teſtantur. Cur enim non creditur animabus redivivorum ſeu reſſuſcitatorum hominum de his quæ in vita altera cognoverunt, & potiſſimum de ipſis, præſertim in his quæ ignorare nullo modorum potuerunt? Se enim eſſe vel ſe vivere, ſicut jam feci te ſcire, nulla anima, nulla ſubſtantia intelligens permittitur ignorare.

Alioquin fides omniū hiſtoriarum periclitabitur.

Amplius ſecundum errorem iſtum evacuabitur omnium hiſtoriarum fides, atque credulitas: & propterea antiquitatum ſeu rerum antiquarum nulla erit apud poſteros memoria ſive credulitas. Si enim non eſt credendum hominibus qui res hujuſmodi ſcripſerunt, utpote qui eas viderunt, & certiſſimè cognoverunt. Aliis autem de hujuſmodi minimè credendum eſt utpote rerum illarum ignaris, profecto nulli generi hominum in parte iſta credendum erit, quia fruſtra, & vanè ſcriptæ ſunt omnes antiquitatum hiſtoriæ, cum omnino credendum non ſit ſcriptoribus earum.

In qualibet ſciētia credendum fidei, & experientiæ priorum.

Amplius in omni arte, omni doctrina, & in omni diſciplina accipiuntur quædam à ſenſu, non dico à ſenſu ſingulorum, ſed ſolum eorum qui in rebus philoſophicis experimentum, vel plura de eis acceperunt, ſicut vides in ſcientiis Aſtrologiæ & Medicinæ, ubi à prædeceſſoribus ſuis poſteri medicorum, & aſtrologorum plurima acceperunt credenda experimentis, & conſiderationibus eorum, ſicut manifeſtum eſt tibi de Ptolomeo philoſopho qui conſiderationibus Abrachi à ſenſu ejuſdem acceptis credidit: & proprio etiam ſenſu ſuo acceptis ipſe Ptolomæus poſteris credendum relinquit, & ſcriptas in libris ſuis tradidit. Qualiter igitur in iſta ſcientia de anima tam certis experientiis, & indubitabilibus teſtimoniis non creditur?

Credēdum prorſus eſſe libris hiſtoriarum ubi talia miracula teſtantur.

Quod ſi legere tibi licuerit, & libuerit libros hiſtoriarum in quibus narrantur & miranda, & ſalutari eruditione pleniſſima, audituque jocundiſſima miracula, audies tibi de altera vita, & ſæculo altero, & partibus ipſius, atque de his quæ ibi fiunt profunda & occulta, & philoſophicis inveſtigationibus nullatenus attingenda. Audies inquam de ſuppliciis damnatorum animarum, de purgationibus, & liberationibus earum quæ ibi ſub ſpe obtinendæ fœlicitatis, & gloriæ quam ſanctæ à Deo vocatæ abſtractæ ſubſtantiæ jam poſſident, in regione purgatoria detinentur. Audies ibidem de gaudio, & gloria animarum humanarum quæ ad cohortium hujuſmodi ſubſtantiarum aſſumptæ ſunt dicere ibi quæ & qualia ibi ſint. Quod ſi quis hiſtoriis hujuſmodi credendum non dixerit, vel non eſſe credendū putaverit, non video cujuſmodi teſtimoniis vel crediderit, vel credendum eſſe opinari poſſit. Non enim invenire poteſt vel certiores, vel veraciores ipſis animabus quæ illic fuerunt, & inde ad vitam hujus ſæculi redierunt; majori namque luce, & certitudine neceſſe eſt clareant, quam in carceribus corporum, & vitæ præſentis tenebris obtinere potuerunt.

Credēdū eſt teſtib' illis qui nec mētiri, nec ignari eſſe poſſunt in rebus hujuſmodi.

Tota namque iſta præſens vita velut nox quædam cum multiplicibus tenebris involvens hic viventes: quapropter cum ex hac vita tranſeunt quaſi creſcit eis lux, & veritas rerum quæ nocte iſta operiebatur luceſcit eiſdem, & propter hoc abunde vident, poſtquam nox iſta eiſdem tranſivit, juxta ſermonem authenticum, qui in lege chriſtianorum ſcriptus eſt *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quapropter verum eſt quod prædixi, quia nec veriores, nec certiores teſtes de rebus hujuſmodi inveniri poſſunt: certiores quidem propter præſentiam veritatis rerum hujuſmodi; veriores vero quoniam certiſſimæ ſunt animæ hujuſmodi quanta mala quæ ſupplicia reddat creator optimus, & juſtiſſimus mendacibus, utpote quæ illa tanquam præſentia conſpiciunt: quapropter illa maximè reformidant, & ideo mentiri minimè audent, præſertim de rebus, de quibus nemo mentitur ſine injuria perennis creatoris; tales autem ſunt vitæ animarum poſt corpora, aliaque quæ in præcedentibus tibi nominata ſunt abſque ulla dubitatione. Quod ſi dixerit quis quia teſtes hujuſmodi multum de longinquo veniunt, & de rebus ignotiſſimis teſtimonium perhibent: verum utique dicit; ſed quia inde veniunt, & mentiri nullo modorum volunt, & rebus de quibus teſtificantur proximi, & viciniſſimi fuerunt, credendum eſt eis utpote teſtibus de ſcientia, de certitudine, & de viſu.

1. Cor. 13.

PARS TRIGESIMAPRIMA.

Oſtendit immortalitatem animæ ex teſtimonio SS. & Prophetarum.

Viſio prophetica ſublimior eſt cognitionibus philoſophicis.

ADducam autem teſtes alios ex proximo omni exceptione majores tam vitæ ſanctitate quam ipſarum rerum certitudine. Hi autem ſunt quos irradiat ſplendor propheticus, & quos exceſſus mentis, qui extaſis dicitur, elevat, quos ad ſe rapit præſentia rerum ſublimium occultarum, & ſpiritualium, quibus & datur eſſe in ſpiritu. Loquar igitur aliqua de iſtis quatuor, & dicam in primis

quod

quod ſplendor propheticus viſio eſt longe ſublimior atque nobilior cognitionibus atque ſcientiis philoſophicis, & eſt divinæ irradiationis lumen, ſive illuminatio: imo & revelatio occultorum ſive abſconditorum, quæ lumine intellectus aut ſenſus humani videri vel cognoſci non poſſunt. Propter quod & revelatio non immerito dicitur tanquam relatorum develatio, ſive detectio: viſio namque per anthonomaſiam, ſive præcellentiam videndi nominata eſt; propter quod & qui nunc propheta dicitur vidēs antiquitus dicebatur, quoniam quantum ad res prophetales, videlicet quæ ſolo ſplendore prophetico videbantur ſoli prophetæ videntes erant, & adhuc ſunt: cæteri vero homines vel non videntes, vel cœci comparatione hac non immerito habendi ſunt.

1. Reg. 9. 9.

Comparatio prophetarum cum hominibus acuti viſus.

Quemadmodum igitur nonnulli ex hominibus, & pilos gracillimos, & fila tenuiſſima videre prævalent acumine viſus ſui. Qui autem vel hebitudine, vel groſſitie viſus ſui talia videre non poſſunt, & propter hoc quantum ad ea illi videntes, hi vero cœci non irrationabiliter reputandi ſunt: ſic ſe habet de prophetis ad cæteros hominum, cæteris namque hominibus inviſibilia prophetis viſibilia ſunt. Quemadmodum igitur hominibus acuti perſpicuique viſus de rebus quæ ſolis illis viſibiles ſunt, & creditur ab omnibus, & indubitanter credendum eſt: ſic ſolis prophetis de rebus prophetalibus.

Quib' proinde in reb' prophetalibus credendum eſt, ut minus perſpicaces, & cœci credunt oculatioribus.

Quod ſi quis dixerit, & propter hoc recuſat credere prophetis de rebus hujuſmodi, quia ipſe non videt, nec videre poteſt illas, neceſſe habet hujuſmodi homo non credere hominibus acuti viſus de rebus quæ illis ſolis viſibiles ſunt; & deveniet res per hanc viam ad hoc ut cœci nec credant, nec credere debeant de rebus viſibilibus: nos autem videmus evidenter inceſſanter quia cœci de rebus hujuſmodi non ſolum credunt videntibus, ſed etiam cœcus unus comiti ſuo credit de viis, & viarum diſcriminibus, illumque ducem habet, & ducatu ejus utitur quocumque ierit, utitur & ducatu baculi ſui per tactum qui ſenſus in eo læſus non eſt, credit igitur ſenſui tactus qui alios de rebus hujuſmodi ſibi conſulere non poteſt: quia igitur nemo niſi inſani capitis dicere audet videntibus non eſſe credendum à cœcis, nemo dicere debet non eſſe credendum prophetis de rebus prophetalibus à cæteris hominibus, cum illi ſoli videntes evidenter ſint, in rebus hujuſmodi, cæteri autem hominum cœci. Porro res prophetales ſunt altera vita, ſæculûmque altius, ſęculumque infimum quod eſt inferius, reſque hujuſmodi ſæculorum, & vitæ, ſic & eventus rerum futurarum maximè quæ ad gubernationem hominum, & rerum humanarum pertinent.

Credēdum etiam eſt prophetis propter eorum ſanctitatem.

Quantum autem prophetæ cæteris hominibus, & vitæ ſanctitate, & ſapientia divinali promineant atque præfulgeant, atque profulſerint, nemo dubitat qui nomine hominis dignus ſit. Ipſi enim ſemper fuerunt duces populorum rectè ambulantium, prophetici viſus lumine ac ſplendore in via merum ducatum eis tanquam cæcis præbentes: propter quod rectè abſque offendiculo ambulaverunt quamdiu in ducatu hujuſmodi perſtiterunt: recedentes autem à ducibus hujuſmodi, & ducatu eorum tanquam propriis tenebris ſemetipſos committentes in omnia offendicula, in omnia errorum devia inciderunt, & aberraverunt. Quia igitur manifeſtum eſt tibi quæ & qualia prophetæ teſtificati ſunt, & de vita animarum poſt mortem corporum, & de futuro judicio univerſali; patefactum eſt tibi conſequenter quia illa abſque ulla dubitatione tantorum teſtium aſſertionibus credenda ſunt. Qualiter vero fiant irradiationes hujuſmodi videlicet perfectionis ſplendores, in tractatu de ſubſtantiis abſtractis nobilibus, ut poſſibile fuit, jam declaratum eſt tibi.

PARS TRIGESIMASECUNDA.

Quid eſt exceſſus mentis, & qualiter accidit.

Quid ſit extaſis.

VErum de extaſi quia nihil ibi locutus ſum, vel alius cujus ſermones ad me pervenerit, loquar hic aliqua de ipſa ſecundum datum divinæ dignationis. Hæc dicam quod extaſis exceſſus eſt mentis juxta nominis ipſius interpretationem, & propria elevatio mentis humanæ ſupra ſe, quaſi in altitudine quadam: unde & ſe, & ſua, & de aliis tanquam ſub ſe videat juxta ſermonem propheticum quo dictum eſt, *Gaudebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſe ſupra ſe*, tanquam in altero quodam conſtitutus unde in ſe, & in aliis videat propter quæ ſolitarius tacere debeat, quem ſenſum alius ſermo propheticus cōfirmare videtur quo dictū eſt, *Ego autem dixi in exceſſu mentis projectus ſum à facie oculorum tuorum.* Pro eo namque ſtatu in quo peccator deo odibilis & abominabilis fuerat, affectuque creatoris indignus; hoc dixiſſe videtur: hujuſmodi namque ſtatum, & creatoris adverſus ſe indignationem nemo videt, niſi ſuper ſemetipſum levatus, & tanquam ex alto ſe proſtratum, & projectum in imo peccatorum ſuorum reſpiciens & cognoſcens Certum namque eſt ex hiſtoriis Hebræorum prophetam iſtum non ſolum ſemel, ſed etiam pluries graviſſimè peccaſſe, & creatorem multipliciter offendiſſe, ubi tamen eum non deſpexit creator benigniſſimus, quin potius reſpexit eum, & illuminavit hujuſmodi mente quouſque mente exceſſit, ut quæ audiviſti de ſeipſo cognoſceret.

Thren. 3. 8.

Pſ. 30. 23.

Peccata tenebræ ſunt, & ſordes viſum interiorem occludentes.

Cum enim vitia, & peccata tenebræ ſint, & ſordes viſum interiorem ac ſpiritualem occludentes; ita ut nec ſe videri permittant, nonniſi divinæ grātiæ lumine illuſtratus peccator vel ſe, vel illa in eo ſtatu videre prævalet, neque adverſus creatoris indignationem, quam vocat hic projectionem à facie oculorum ipſius, tanquam faciem ſuam & oculos ab illo creator averterit fœditates, & abominationis illius afflatum ferre non ſuſtinens, vel potius ipſum peccatorem pro illis. Propter quod dixit idem propheta loquens ad creatorem, *averte faciem tuam à peccatis meis*, & non dixit averte faciem tuam à me, ſed potius à peccatis meis propter quæ illam avertis à me.

Pſalm 5.

Quæ eſt cauſa extaſis, ubi de ſtupore, & attonitione, & raptu.

Si autem quærat unde, & per cujus cauſam fiant hujuſmodi exceſſus. Reſpondeo quia nata eſt anima humana per ſigna rerum rapi ad illas; quantoque res quarum ſigna veniunt in ipſam majores atque nobiliores, magiſque inſuetæ fuerint, tanto magis ac vehementius rapi ad illas, & inde ſunt ſtupores & attonitiones. Stupores non ſunt niſi vehementes admirationes: attonitiones vero ſunt per quas adeo ſeorſum fiunt animæ humanæ ab aliis rebus, ut nec coram poſitas illas videant, aut aliter ſentiant inter ſe colloquentes homines, aut alia coram eis agentes, & quid dicatur, & quid agatur omnino attendere nequeant hora illa: & ſi diligentius conſideres; quidam quodammodo raptus ſunt omnia hæc. Differunt autem quoniam raptus non eſt abſque nova illuminatione: attonitio vero ſola abſtractio eſt à ſenſibus, & cogitatibus: attoniti namque nihil ſentiunt vel cogitant in hora attonitionis hujuſmodi, ſed ſunt tanquam patientes ſpaſmum quemdam ſpiritualem.

Exceſſus eſt quædam ebrietas mentis.

Debes autem ſcire quia exceſſus mentis propriè dicitur contra menſuram humanæ poſſibilitatis ſicut inſinuat ſermo authenticus qui in lege chriſtianorum ſcriptus eſt quo dicitur *ſive mente excedimus*

Deo ſive ſobrij ſimus vobis, 2. ad Corinth. cap. 2. Sobrietatem cõtra ponens evidenter exceſſui mentis: tanquam exceſſus mentis ebrietatis ſpecies quædam quodammodo ſit, & ebrietati corporali aſſimiletur. Ebrij namque non ſolum ex ſenſu proprio vident, vel loquuntur; ſed magis ut vulgariter dicitur ex vino. Extra ſenſum igitur proprium videre ſibi videntur atque loquuntur, & propter non ſobriè ſive commenſuratè quod eſt dicere juxta menſuram proprij ſenſus, ſed etiam longe ultra, vel ſupra. In hoc igitur aſſimilatur ebrietati; videlicet in exceſſu menſuræ! differt, quia non niſi veritatem vident vel loquuntur qui mente excedunt. Ebrij autem quodammodo, & mente capti ſive mente alienati aliena, & deliramenta vident atque loquuntur. Intellexit igitur vir iſte ſanctus, & ſapiens in ſermone ſuo præmiſſo quod *ſi mente excedimus, Deo mente excedimus & loquimur*. Quod eſt dicere ſi limites aut menſuram humanæ poſſibilitatis vel videndo, vel loquendo excedimus, Deo hoc facimus. *Si vero ſobrij ſumus* quod eſt dicere ſi ſcientiam noſtram, atque ſermones ad menſuram humanæ poſſibilitatis, atque capacitatis reſtringimus, hoc vobis facimus condeſcendentes parvitati capacitatis veſtræ. Quemadmodum nutrices balbutire conſueverunt cum parvulis ſuis, quos nutriunt, utpote rectos, & perfectos ſermones intelligere vel capere non valentibus.

Po eſt etiā dici receſſio quædam à mente propria.

Quod ſi quis dixerit quod exceſſus mentis ceſſio vel receſſio eſt à mente propria ſeu ſenſu proprio, non irrationabiliter dicere putandum eſt, neque conſuetudo eſt verè aut rectè philoſophantium eſt de nominibus aut nominum etymologiis decertare, vel corrixari.

PARS TRIGESIMATERTIA.

Quod ex vehementi amore accidit animæ raptus ſive exceſſus mentis.

De diſcrimine raptus à morbo quodam amoris.

DE raptu aliqualiter latius vel perſcrutatius loqui conveniens eſt, & præſenti tractatui expediens. Debes igitur reminiſci eorum quæ inceſſanter experiris: vides quod amor quidam raptus eſt ſicut ille qui dicitur, morbus eros, qui & morbus vehemẽtiſſimus eſt, quo qui amat adeo raptus eſt ut præter mulierem quam ſic amat aliud cogitare difficile permittatur. Differt autem à raptu de quo hic intenditur, quoniam amor hujuſmodi furor eſt, & mentis alienatio graviſſima. Iſte autem raptus directio eſt, & illuminatio mentis nobiliſſima: in hoc tamen aſſimilatur raptibus hujuſmodi. Quoniam per ipſum rapiunt res nobiles atque ſublimes animas humanas à ſeipſis, & aliis totam earum ſollicitudinem in ſe transferentes, ſeu conferentes; ita ut hora illa animas humanas totaliter occupent, & in ſe ſuſpenſas detineant.

Quod animæ noſtræ rapiuntur à rebus divinis eo fere modo quo ferrum à magnete.

Si quis autem quærat utrum natura, vel voluntate, an violentia ferantur animæ humanæ in res hujuſmodi? Reſpondeo in hoc quia natura animarum hæc eſt ut à talibus recipiantur, & in eas ferantur, cum eis appropinquaverint: exemplum autem declarans iſtud eſt in rerum etiam inſenſibilium pulchritudinibus atque ſuavitatibus, de quibus nemo ignorare permittitur quin in eas ferantur, & rapiantur animæ humanæ, eiſque penè inſeparabiliter adhæreant. Verum hoc eſt ex originali corruptione quæ tanquam natura in eis inolevit, pariter & inhæſit. Eſt aliud exemplum de ferro, & lapide magnete vel adamante, qui ferrum ad ſe ſic attrahunt & rapiunt: ſic res ſublimes & nobiles animas humanas naturali quodam amore in ſe rapiunt, cum eas juxta antedictum modum appropinquaverint. Tertium exemplum do tibi de creatore cujus pulchritudinem atque ſuavitatem ſi animæ humanæ exiſtenti in corpore intueri liceret à corpore illam omnino abſtraheret, & in ſe totaliter raperet. Propter quod ipſe creator dixit in lege Hebræorum, ut alibi jam audiviſti, *non videbis me homo & vives*. Gaudium enim viſionis iſtius mortalitas hujus vitæ non ſuſtinet. Exod. 33.

Et raptus colligitur naturalis animæ.

Apparet igitur evidenter ex his quod naturalis motus ſpiritualis eſt animabus humanis à corporibus ſuis ad hæc: quapropter impoſſibile eſt eas inſeparabiliter infixas eſſe, ſive alligatas corporibus ſuis, præſertim in hoc ſtatu, cum etiam ea deſerere, & ad res antedictas ab ipſis corporibus fugere natæ ſint, morte etiam corporum nonobſtante. Si autem immortalia eſſent corpora, & impaſſibilia longe minus obſiſterent raptibus hujuſmodi, & longe minus in ſemetipſis tenerent humanas animas naturaliter aptas ſeorſum fieri à corporibus, etiam ſine læſione, aut etiam morte corporum, ſicut requirit præſentis mortalitatis miſeria: ſive abſque læſione ipſorum ſi corpora humana libera totaliter eſſent ab hujuſmodi miſeria. Manifeſtum igitur eſt eas non eſſe ſic alligatas corporibus ut mortem ipſorum mors ſequatur illarum, vel etiam læſio læſionem quantum ad eſſe, cum eſſe earum evidenter augeatur, & melioretur, atque illuſtretur ex hujuſmodi elongatione, ſive ſeparatione à corporibus, cum evidenter & magis vivant in ſtatu raptus, quam in ſtatu contrario: deceat autem eis quantum ad iſtum vivendi modum, cum reverſæ ſunt ab hujuſmodi ſtatu ad corpora; quia vita eorum, & obſcurior, & miſeriis magis obnoxia.

Quoniam eſſe in corporib' quale nunc habent animæ contrariũ eſt raptui illarum innaturale eſt adeoque ſeparabile.

Amplius ſi rapi ſic eſt eis naturale, motus contrarius qui eſt reverſio ad corpora eſt eis innaturalis alterutra duarum cauſarum videlicet aut propter ineptitudinem corporum, per quam prohibentur vel ſaltem impediuntur operationes illæ ſublimes, atque nobiles, atque irradiationes quas operantur, & recipiunt in ipſo raptu. Aut propter hoc quoniam reverſio hujuſmodi motui raptus contraria eſt, utralibet autem dicatur manifeſtum eſt quod eſſe in corporibus, quale habent in eis tempore præſentis miſeriæ, innaturale eſt eiſdem! Omne autẽ innaturale innaturaliter ſeparabile eſt ab omni eo cui innaturale eſt; quapropter eſſe hujuſmodi ſeparabile eſt ab animabus humanis, & animæ ab illo: eſt igitur eis eſſe ſine illo: quapropter vel extra corpora, vel in corporibus contrariæ conditionis, & ſtatus ſicut ſæpe audiviſti.

In quo differt raptus ab illo receſſu animarum à corpore propter metum terribilium.

Debes autem ſcire ex eis quæ præceſſerunt quia quidam receſſus à corpore ſit animabus humanis interdum à rebus terribilibus, à quibus timore vehementi deterritæ quaſi fugientes colligunt ſemetipſas ad ſe, ita ut ſolitudinem, & gubernationem corporum deſeruiſſe videantur. Quemadmodum paterfamilias ſibi tremens ignem aut gladium fugit deſerens domum ſuam, & recipiens ſe in penitiorem partem ipſius, aut alicubi extra. Verum raptus non eſt fuga hujuſmodi; ſed potius inſecutio rerum nobilium, & motus ad illas quarum appropinquatio, ſeu apparitio animas humanas ſic abſtrahit ab illis, & in ſe rapit. Poſſibile tamen eſt, & interdum accidit etiam quod fuga iſta etiam animam humanam approximet, & conjungat regioni lucis ſpiritualis, quemadmodum evenit fugientibus quod in loca veniunt, & rebus appropinquant ad quas non ex intentione vel propoſito movebantur. Solum enim receſſum, & effugium intendebant à rebus terribilibus, non autem acquiſitionem rerum hujuſmodi vel locorum ad quæ vel ad quas per fugam venerunt. Accidit igitur revelatio, & divinatio tanquam à caſu, quoniam præter intentionem prorſus.

Quod quibuſdam ægris

Propter hoc quibuſdam ægris ex apparitionibus rerum

rerum terribilium, vel ipſa gravitate ægritudinum, tanquam ſi animæ eorum impedirentur, & expellerentur aliquantulum à corporibus ſuis, regioni lucis ſtatim approximant, & ingeruntur, indéque ſunt eis revelationes, & divinationes: ſicut ſenſuerunt nobiliores ex philoſophis Latinorum. Vicina etiam exiſtentia quibuſdam morte corporum ſimilia ſunt propter approximationem ad regionem lucis: proxima enim eſt corporibus humanis à parte ſuperiori regio hujuſmodi: & propter hoc ad modicum elevantur vel irradiantur ab illa, & quidam quidem continuo, quidam vero cum interpellationibus alienationum, & hoc videbis in quibuſdam melancolicis, & quibuſdam aliis ægris qui à tanta ſublimitate ſermonum loqui incipiunt ut ſermones eorum prophetici videantur. Statim autem ita deſcendunt quaſi aſcendentibus fumis ad cerebrum in alienationes inundinantiſſimas, & ridiculoſiſſimas.

Quare prophetæ in ſuo raptu neſciant an in corpore an extra corpus fiat. *Pſ.143. 5.*

Quidam vero continuo, & abſque interpellatione alienationum, ut propter hoc ſublimia, & diſerta, & interdum prophetica loquantur. Cum autem juxta ſermonem propheticum *ab alto fuerit emiſſa mutatio.* Tunc fit raptus animarum quem dixi, irradiatione deſuper adveniente rapiente animas humanas ipſis ignorantibus utrum ſpiritualiter tantum an etiam loco rapiantur: ſicut dixit ſapiens ille, & ſanctus ac doctor egregius in gente ac lege chriſtianorum loquens de raptu ſuo quo raptum ſe dixit uſque ad tertium cœlum. *Scio*, inquit, *raptum hujuſmodi hominem uſque ad tertium cælum: & utrum in corpore vel extra corpus neſcio, Deus ſcit.*

2. Cor. 12

Cauſa autem ignorantiæ ipſius eſt quia utrolibet modo raptus hujuſmodi fieri poſſunt. Quemadmodum enim navigantibus ipſa terra ad quam appropinquant moveri ad ipſos eis videtur: Sic res quæ per hujuſmodi irradiationes quaſi præſentes efficiuntur per hujuſmodi raptum venientibus, vel poſſibile eſt ut ipſis videatur quod res hujuſmodi quaſi per tranſlationem localem appropinquant: & propter hoc localiter rapti etiam ad eas ſibi videri poſſunt. Poteſt etiam fieri ut ipſæ res ad eos quaſi per tranſlationem localem appropinquaſſe videantur.

Quod & hoc cognoſcere poſſent ſi attendere vellent.

Quod ſi quis quærat qualiter vir tantæ ſapientiæ, & prophetici ſpiritus ſe ignoraſſe dicit an in corpore, an extra corpus raptus fuerit. Reſpondeo in hoc quia facile fuit tantæ ſanctitatis tantæque ſapientiæ viro iſtud cognoſcere, ſi in hoc attendere voluiſſet. Non autem judicavit ſcientiam hujuſmodi neceſſariam eſſe vel ad magnificandum creatorem, vel ad ædificationem, & ſalutem hominum quibus duobus finibus totum intendebat, totumque ſcribebat, &c.

Quod anima in raptu clare & nude intuetur ipſas res.

Eſt argument. p. 35 in Cod. Carnot.

Sciendum vero tibi eſt quia tanta eſt claritas irradiationis in raptibus hujuſmodi, ut ipſa mens quæ ſic rapitur res ipſas quæ ſibi oſtenduntur tanquam præſentes ſibi videat, & interdum cum eis ſive in medio earum eſſe ſibi præſentialiter videatur: propter quod raptum ſe fuiſſe dicit uſque ad tertium cœlum. Raptus autem dicitur viſio, ſeu revelatio hujuſmodi propter ſolutam abſtractionem à ſenſibus corporalibus, & ab aliis ſollicitudinibus ſeu cogitationibus, ſubitamque apparitionem rerum in eo viſarum. Sicut autem præter motum localem revertitur à raptu hujuſmodi mens humana ad ſenſus corporis & ad videnda ſenſibilia; & hoc ſubito, & non in tempore: ſic & ab hujuſmodi ſtatu per ſubitum raptum aſcendit ad videnda ea quæ ſibi per raptum hujuſmodi revelantur. Ex quo apparet ipſam eſſe tanquam in horizonte cõmuni duorum mundorum naturaliter ordinatam, ſeu conſtitutam, & in libera ipſius voluntate naturaliter eſſe poſitum utri iſtorum mundorum duorum ſe accommodet vel applicet. Verum originalis corruptionis depreſſio alligatam eam detinet corpori, & incurvatam ad mundum ſenſibilium, quouſque ut ad mundum intelligibilium levare ſe non poſſit niſi adjuta vel viſitatione ab altiſſimo, ut audiviſti, vel aliis occaſionibus, quas prædixi. Et inſinuavit hoc ſermo Mercurij philoſophi, Ægiptij quem prædixi, quo & ipſe dixi, quia animam detinet corpus aut avertit abſtorto collo, in quo rectè ſubintelligitur, ne erigere ſe, & extendere valeat in mundum intelligibilium, quem & regionem lucis nominari ſæpe audiviſti.

PARS TRIGESIMAQUARTA.

Quid eſt eſſe in ſpiritu, & qualiter evenit?

Eſſe in ſpiritu in quo differat à raptu

Par 36. in Cod. Carnot.

Eſſe vero in ſpiritu per intentionem qua eſt eſſe in ſpiritu non differt à raptu, & quantum ad ipſam intuitionem ſplendoris, ſive revelationis omnino proprius eſt: verum cum intentio hæc, quâ nominatur eſſe in ſpiritu nihil de abſtractione à ſenſibus, nihil de motu vel ſpirituali, vel corporali nobis inſinuet, niſi fortè ex conſequenti, per hoc videlicet quod animæ humanæ dum eſt in corpore, non eſt poſſibile ut ſit in ſpiritu, quin fiat ei hujuſmodi abſtractio à ſenſibus, & motus qui dicitur raptus. Quia igitur eſſe in carne vel corpore prout contrarium eſt ei quod eſt eſſe in ſpiritu, & propter hoc animæ humanæ eſſe in tenebris quantum ad viſionem occultorum quæ per Dei altiſſimi ſpiritum revelantur; conſequens eſt evidenter quia eſſe in ſpiritu non eſt niſi eſſe in luce ſpirituali, & tanquam in quodam die qui ex ſpiritus irradiatione illuceſcit. Quapropter eſſe in carne per modum contrarium & intentionem, non eſt niſi eſſe in quadam nocte ſpirituali in qua apparere, & videri non ſinuntur occulta hujuſmodi. Scorſum igitur à carne revera eſt qui eſt in ſpiritu quocumque modo hoc ei factum ſit: & propter hoc manifeſtum eſt ſpirituales ſubſtantias abſtractas quas malitia non obtenebravit ſemper eſſe in ſpiritu, & hoc eſt dicere in luce hujuſmodi ſpirituali. Debes autem ſcire quia irradiationes iſtæ ſecundum datum efficiuntur, & beneplacitum creatoris: & intendo ut juxta beneplacitum ſuum, & quantum voluerit, & qualem voluerit illuminationem irradiet in quam animam voluerit. Interdum enim adeo nudam ab omnibus obumbrationibus figurarum illam emittit ut res ipſas ad nudum, prout ſunt, oſtendat: interdum autem ſub velamentis figurarum, nonnunquam etiam cum tantis obſcuritatibus ænigmatum illas involvit, ut nonniſi nova prophetici ſplendoris illuminatione intelligi valeant. Sicut evidenter apparet in prophetia prophetæ illius Hebræorum qui in Babylone prophetavit, & vocatus fuit Ezechiel: in expoſitione namque primæ viſionis ipſius & Hebræi, & Latini, & nonnulli philoſophi non mediocriter laboraverunt, nec tamen quouſque in hoc profecerunt ut ſaltem ſatisfacerẽt ſtudioſis. Cauſæ enim diverſitatum iſtarum videlicet propter quas nunc clarè, nunc obſcurè, nunc inexplicabiliter, & involutè hominibus placeat creatori veritatem ſecretorum ſuorum loqui prophetas ſuos apud ipſum ſunt, & intendo ei ſoli notiſſimæ.

Oſtendit quæ & ibi eſt regio lucis in qua videt anima quando eſt in ſpiritu.

Eſt argumentum par. 37 in Cod. Carnot.

Si quis autem quærat de regione lucis quæ ſit, ubi, & an corporalis ſit habens amplitudinem, & ſpacioſitatem corporalem? Reſpondeo in hoc quod cœlum empyreum ultimum ac nobiliſſimum quod eſt habitatio ſanctorum ac beatiſſimorum ſpirituum necnon & ſanctarum ac beatiſſimarum animarum quæ jam in conſortium ipſorum vel aſſumptæ, vel receptæ ſunt, vel in poſterum ſunt aſſu-

mendæ. Merito igitur regio lucis eſt habitatio hujuſmodi quam ſol juſtitiæ, & intelligentiæ, Deus videlicet ac Dei filius continua irradiatione ſua ſplendificat, quam & beatiſſima lumina, & radiantiſſima prænominatorum civium perpetuo inhabitant. Ibi igitur eſt dies continuus plenus luminis & ardoris, quem neque nubes, neque nubilum vel ad modicum obſcurat, neque nox abſcondit. Eſt regio luminis ipſe creator luminoſiſſimus ac præfulgidus. Tertio vero regio lucis intelligitur ſtatus irradiationis hujuſmodi, ſive ipſum lumen irradiationis iſtius.

Quod Deus non in ſolo empyreo, ſed ubicũque certas irradiationes immittat.

Cum enim in omni parte terræ certæ fiant à creatore irradiationes hujuſmodi non eſt arctanda luminoſitas creatoris ad lucendum in una regione ſola, & illuminationes hujuſmodi lucis in una regione ſola faciendas. Quamlibet igitur inſulam vel aliam totius terræ partem facit creator lucis ſeu luminis, cum in qualibet terræ parte pro beneplacito ſuo lumen iſtius intelligentiæ, & ſolem juſtitiæ illucere, & ſic dieſcere facit animabus pro ſolo ſuæ beneplacito voluntatis. Hoc autem inde evidenter apparet quod in tam multis regionibus, & viri, & mulieres prophetaſſe, aliiſque prædictis irradiationibus illuminati inventi ſunt, & uſque hodie inveniuntur.

Quid ad immortalitatem animarum cognoſcendã conferant irradiationes iſtæ?

Si quis autem quærat qualiter adjuvantur ad ſtabiliendam vel cognoſcendam immortalitatem animarum humanarum per iſtas antedictas irradiationes. Reſpondeo in hoc quia quemadmodum in omnibus doctrinis, & diſciplinis adjuvamur teſtimoniis, & experientia ſenſuum, ſic & hic: à ſenſu enim animarum quibus iſtæ irradiationes fiunt oſtenditur certitudo immortalitatis earum: & propter hoc omnium aliarum. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam animæ iſtæ ſentiunt, & aliam habitationem, aliamque vitam eis eſſe quam habeant in corporibus. Quoniam in illis ſentiunt ſibi noctem eſſe, multiſque tenebris ſe involutas eſſe, juxta ſermonem quo dixit, *Nos quippe involvimur tenebris.* Sentiunt etiam in corporibus depreſſas ſe eſſe ſervitute corruptionis atque obnoxias innumerabilibus moleſtiis quæ eis imminent à parte corporum: ibi vero per omnia econtrario; ibi namque ſapiunt ſibi diem eſſe ſpiritualis luminis, & vitam liberam, longéque ſeorſum ab antedictis miſeriis ſeu moleſtiis.

Iob 37.19.

Ex ſenſu & experimento libertatis quam ſentiunt animæ in illa regione lucis cognoſcunt ſe non eſſe alligatas neceſſitate naturali ærumnis corporis.

Quapropter manifeſtum eſt illis à ſenſu ſpirituali, & experientia non ſe alligatas eſſe vinculo neceſſitatis naturalis corporibus; cum certiſſimè ſentiant ſibi melius eſſe per omnem modum ex hujuſmodi elongationibus ab illis: certiſſimè inquam ſciunt per hoc, & duas vitas ſibi eſſe, & duas inhabitationes; & alteram quidem vitam ſentiunt irradiationibus hujuſmodi, non autem plene neque uſque ad ſatietatem, ſed tanquam prægustatione quadam permodica, ſic tamen per eam innoteſcit illis vita plenæ ac prædictæ fœlicitatis, quemadmodum ex deguſtatione exigua vel etiam odore partis totius ſibi vel aromaticæ ſpeciei ſaporitas, & ſuavitas innoteſcit. Forſitan autem facit ad hoc ſermo propheticus quo dictum eſt, *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*, multaque de hujuſmodi cognitionibus, comeſtionibus & ſatietatibus leguntur in legibus, & doctrinis tam Hebræorum quàm Chriſtianorum.

Pſal. 33.9.

Oſtendit immortalitatem animarum ex perfecta ſanitate corporum.

Adducam autem, & ratiocinationem unam ad ea quæ præceſſerunt de immortalitate animarum humanarum, & dicam quod cauſæ propter quas moriuntur corpora humana non ſolum apud medicos notiſſimæ ſunt, & in libris medicinalibus ſtudioſè ac perſcrutatè deſcriptæ ſunt, ſed etiam vulgo tam virorum quam mulierum notæ. Quia igitur ceſſantibus cauſis hujuſmodi, ceſſaret & mors eorum ex neceſſitate, manifeſtum eſt, corpora humana nunquam moritura eſſe, ſi omnia hujuſmodi tollerentur. Quapropter neceſſe eſſet animas perpetuo vivere cum ex illis ſit vita corporibus.

Eſt argumentum par. 8. in Cod. Carnot.

Amplius cum cauſæ hujuſmodi manifeſtæ ſint propter quas ſcilicet moriuntur humana corpora, manifeſtum eſt non ex defectu vel morte animarum ea mori, ſed ut ſæpe tibi dictum eſt ex occaſionibus, quas nec vulgus ignorat. Si autem morerentur animæ humanæ procuḷdubio morte earum morerentur & corpora, quemadmodum vivunt vita eorum. Exemplum autem eſt in ſole convenientiſſimum, de quo manifeſtum eſt quod ſi lux ejus extingueretur, neceſſe eſſet obtenebrari omnia illa quæ ſola luce illius lucent ſeu illuminantur. Quia igitur adhuc poſuiſſe nemo auditus eſt cauſam mortis humanis corporibus præter illas quæ medicis notæ ſunt: manifeſtum eſt mortem animarum humanarum non eſſe cauſam mortis corporum humanorum, eſſet autem indubitanter cauſa ejus ſi animæ humanæ morerentur, quemadmodum in propoſito exemplo vides evidenter: non moriuntur igitur animæ humanæ, &c.

Quod mors animæ ceſſaret, ut cauſa mortis corporis ipſius.

PARS TRIGESIMAQUINTA.

Quod magis propriè corpus eſt in anima quam anima in corpore.

Propoſit de quibus ſit agendũ.

POſt hæc igitur juxta præmiſſum ordinem aggrediar perſcrutari & modum eſſendi animæ humanæ in corpore, modumque intrandi ipſius in illud: necnon & quid ſit eam eſſe in corpore, & an conveniens ſit ut dicatur eſſe in corpore, an potius corpus in illa, hoc enim viſum eſt aliquibus ex præcellentioribus, qui de hoc locuti ſunt vel ſcripſerunt. Deinde an conveniat eam potius eſſe in una parte corporis quam in alia; an in quibuſdam. De hoc agitur. Plato & Ariſtoteles contraria ſentire viſi ſunt.

Quod multi propter ſpiritualitatem animæ putarent non eſſe quærendum de loco ejus.

Dico igitur in primis quod nonnulli ex philoſophis quæſtiones hujuſmodi ridiculoſas reputant, & irrident, proponentes eas, & de rebus hujuſmodi dubitantes. Videntur namque qui in hujuſmodi dubitãt vel de hujuſmodi referũt quæſtiones ignorare, quia non ſunt quærenda corporalia loca rebus ſpiritualibus, quemadmodum neque econtrario. Quis enim corpori cuicumque locum ſpiritualem inquirat? neque enim apud hominem veri nominis quæſtio unquam fiat in qua burſa, vel arca grammatica, vel muſica, vel alia quæcumque ex ſcientiis ſit. Similiter ſe habet de virtutibus. Quapropter cum anima humana ſubſtantia ſpiritualis ſit evidenter, ſicut jam te ſcire feci in præcedentibus quærere locum ejus, vel ipſi ridiculoſa quæſtio videtur hujuſmodi hominibus, quemadmodum ſi quæratur utrum in capite, vel corde, vel pede corporis ſui ſit. Dixit autem quidam quod cum eſſe animæ in corpore non ſit eidẽ niſi movere illud, & regere; hujuſmodi autẽ operationes ſeorſum ſint ab habitatione quæ eſt eſſe in illo, ſive in alio, quid eſt in cauſa propter quod oporteat quærere, an in qualibet parte corporis, an in aliqua, vel aliquibus potiſſimum ſit, & ſingulariter anima humana? Non enim propter quod ſol illuminat aëra neceſſe eſt ut ſit eſſentialiter in aëre vel in aliqua parte illius, vel aliquibus, & jam de hoc ſuppetit tibi multa numeroſitas exemplorum.

Recitat opinioně cujuſdam exiſtimantis animá non eſſe in corpore, ſed corpus in ipſa, ſimulq; rationes illius adducit.

Sciendum tamen eſt tibi quoniam anima humana juxta opinionem cujuſdam, de quo feci tibi mentionem in præcedentibus, quod anima humana non eſt in corpore humano, ſed potius illud in ipſa, ipſa vero eſt corpus circumdando illuminans, & illuminando circumdans.

Primum ex eo quod operator non ſit in inſtrumento ſuo.

Amplius in quibus operariis, ſive operatoribus contingit quod ipſe operator ſit in inſtrumento quo operatur? quis cogitavit uſque in hodiernum diem quod cytharœdus in cythara ſua eſſe neceſſe haberet, vel in ea eſſe, aut carpentarius in dolabra ſua? Cum igitur totum corpus humanum ut inſtrumentum ſit animæ humanæ, vel inſtrumenta ejuſdem aggregata, unde iſtud cogitatum eſt vel unde venit in quæſtionem quod anima humana in illo, vel in illis eſſe debeat.

Deinde quia anima non movet corpus niſi per imperiũ quod non eſt in eo cui imperatur.

Amplius anima humana non movet membra neque operatur per illa, niſi imperio: imperare autem quædam, quæcumque diſpoſitio intelligatur, apud ipſam eſt. & in ipſa. Exempli gratia velle imperare eſt ſicut vis imperativa, & voluntas. Manifeſtum autem eſt quod velle non quærit hoc ut volens ſit in eo de quo. vel per quod vult aliquid fieri. Non enim neceſſe eſt ut volens cytharizare in inſtrumẽto ſit per quod vel exercere, vel exerceri vult operationẽ hujuſmodi. Quod ſi addiderit ipſam ſcientiam cytharizandi quæ revera neceſſaria eſt ad peragendam hujuſmodi operationem. Dico quod nec adhuc aliquid adjeciſti propter quod neceſſarium ſit cytharizantem in cythara eſſe, neque enim ipſum velle cytharizare neceſſe eſt eſſe in cythara, ſed neque ipſam cytharizandi ſcientiam. Quare id totum quod pertinet ad animam humanam de ipſo opere cytharizandi juxta corpus eſt, & totum in anima, cum nihil aliud de opere hujuſmodi ad ſcientiam pertineat quam ſcire, & velle operationem iſtam.

Item quia operatio eſt in inſtrumento non in virtute operatrice.

Amplius ipſa operatio tota eſt in inſtrumento. Motus enim chordarum cytharæ, & ſonoritas ipſius, atque reſonantia chordarum in ipſa cythara eſt, vides igitur quod ab invicem ſeparata ſint virtus operatrix cytharizationis, & ipſa cytharizatio, & quam longe à ſe operetur operationem hujuſmodi. Manifeſtum igitur debet videri tibi per hoc, quod non eſt neceſſe ut operatrix virtus vel operator quicumque eſſentialiter ſive præſentialiter ſit in inſtrumento quo operatur.

Subſtantiæ ſpirituales abſtractæ operantur in rebus corporalib' in quibus non ſunt.

Amplius manifeſtum eſt ſpirituales abſtractas ſubſtantias operari in rebus corporalibus, & per illas, cum in illis nullo modorum ſint, cauſa autem in hoc eſt, quoniam ſolo imperio res hujuſmodi movent, & operantur in illis, aut per illas. Sicut vides in projectionibus lapidum, quos dæmones, quos fatuos ſeu ſatyricos vocant, efficiunt, non enim poſſibile eſt eos lapides jacere niſi imperio ſolo, cum non ſit eis virtus ad jaciendum niſi voluntas, nec ſint eis ulla inſtrumenta illi operationi congruentia. Quæ igitur neceſſitas coget animas humanas in corporibus quæ movent ſolo imperio eſſe; cum imperium ſive vis imperativa, quantum in ſe eſt, iſtud non requirat.

Contra ſuperius recitatam opinionem aſſerit requiri conjunctioně qua imperium deferatur ad illud cui imperatur.

Dico igitur in hoc quod neque virtus imperativa, neque imperare quantum in eis eſt requirunt exiſtentiam ſuam eſſe, ſive præſentiam in corporibus quæ ſolo imperio animæ humanæ moventur: ſed perfectio motus hujuſmodi requirit hoc, ut imperium veniat ab imperante ad ipſum cui imperium fit. Propter quod neceſſe eſt membrum quod ab anima ſic movetur eidem convenienti conjunctione cõjunctum, & aptatum naturaliter ſit, quemadmodum ſi per membrum movendum ſit aliquod inſtrumentum, ut cythara vel dolabra quæ digitis, & manibus moventur, neceſſe eſt ut digitis, & manibus applicentur, digitique & manus illis: non enim reſonat cythara, nec movetur dolabra ad imperium cytharizantis, atque dolantis niſi per manus, & digitos veniat iſtud imperium ad illa: ſicut & multi ex philoſophis ſpiritus quoſdam medios, & deferentes imperium animarum ponunt inter ipſas, & corporum ſuorum membra, & hujuſmodi quidem imperium deferunt ad nervos, & muſculos, ad chordas. & ligamenta. Deinde per hæc pervenit ad membra: & tunc demum perficitur in eis motus imperatus.

Sed neque ſubſtantias abſtractas poſſe agere in diſtans, aut quod libuerit efficere.

In ſubſtantiis autem abſtractis virtus imperativa longe fortioris atque profuſioris imperii; & propter hoc non requirit præmiſſa adjutoria, tanquam per ſeipſam ſibi ſufficiens, requirit tamen appropinquationem localem aliquam, non enim ſufficit aliquis hujuſmodi ſpiritum qui in oriente eſt ſolo imperio voluntatis ſuæ projicere lapides qui in occidente ſunt, ſed neque cujuſcumque magnitudinis corpora movere, vel transferre à locis ſuis. Forſitan enim monticulum aliquem movere poteſt aliquis ex illis: totius vero terræ commotionem ſeu tranſlationem efficere quemquam poſſe nulla adhuc experientia mihi claruit. Similiter ſe habet de malis, experimentis namque certitudinis innotuit fluctus, & inundationes eos concitaſſe: ut autem totum mare commoverent, & generalem in illo tempeſtatem facerent nondum inventum eſt: & intendo generalem tempeſtatem quæ totum mare aliquod ex magnis maribus occuparet; quemadmodum ſi totum mare Indicum concitaret, & innavigabile efficeret. Quapropter manifeſtum eſt diffinitam ac limitatam eſſe virtutem imperativam hujuſmodi ſubſtantiis, & hoc in tractatu de ipſis jam ſcire te feci.

Unde concludit requiri præſentiam, & exiſtentiam animæ in corpore proprio.

Apparet igitur tibi ex his omnibus quod exiſtentia animæ humanæ in corpore humano, & in membris ipſius, atque præſentia in ipſis requiritur ad hoc ut operetur in illis. Et cauſam aliam in hoc non video, niſi imperfectionem, & debilitatem virtutis imperativæ ipſius. Quemadmodum enim reges & principes miniſtris indigent qui mandata eorũ ſive juſſa perferant ad fines regnorum ſuorum; alioquin non adimplerentur in ipſis. quoniam neque illuc pervenirent: ſic ſe habet anima humana quoniam mediis multis indiget deferentibus imperium ſuum ad membra, quibus imperat, nec ſufficit præſentia ipſius ſive propinquitas quantacumque ad hoc, ut membra imperium ejus ſentiant vel recipiant. & intendo de membris compoſitis.

Relinquit philoſophis diſputandũ de natura ſpirituum quorũ beneficio defertur animæ imperium.

Viſum autem eſt philoſophis qui primi de nunciis, ac deferentibus imperium ejus locuti ſunt, & ſcripſerunt, quod proximi animæ ipſi, primique ejus imperium ſentientes corpora ſubtilia ſunt quæ ipſi ſpiritus vocaverunt, de quorum natura nullus tractatus eorum adhuc pervenit ad me, ſed ſolum nomen ſpirituum mihi, & aliis poſteris reliquiſſe videntur: utrum autem ſint corpora viva, an mortua, & ſi viva utrum ſenſibilia, vel inſenſibilia, an ſint res imperfectæ nullam per ſe operationem habentes, vel efficere valentes; ſed miniſterio ſolo, & immediationi quas audiviſti ſervientes per ſemetipſas, aut nihil penitus operantes, inveſtigandum, ac perſcrutandum aliis reliquerunt. Verum quoniam perſcrutari de his præter propoſitum eſt, & intentionem præſentis tractatus medicis, naturæque humanæ perſcrutatoribus hoc ipſe relinquo.

PARS TRIGESIMASEXTA.

Qualiter concedendum eſt quod anima eſt in corpore.

Quid ſit ſentiendum de dicto philoſophi illius qui putat animam eſſe ſubſtātiam quæ corpus illuminādo circumdet, & circumdando illuminet.

Eſt pars 40. in Cod. Carnot.

REvertar igitur ad id in quo eram, & dicam quod philoſophus iſte cujus ſermo fuit, quod anima humana eſt ſubſtantia corpus illuminando circumdans, & circumdando illuminans; ſermo magis rethoricus eſſe videtur, quam philoſophicus. Aut enim intellexit circumdationem iſtam localem, ſive corporalem quemadmodum cœli ſuperiores circumdant inferiores ſibi contiguos: aut intellexit circumdationem virtutis & potentiæ, quemadmodum dicitur creator omnipotentiſſimus mundum continere, & intra immenſitatem virtutis potentiæ ſuæ totum incluſum tenere. Et de circumdatione corporali ſive locali quod impoſſibilis ſit animæ humanæ jam ſcire te feci in præcedentibus, cum anima ſubſtantia ſpiritualis, & incorruptibilis eſſe evidenter oſtenſa tibi ſit. Si vero juxta ſimilitudinem, quod eſt divinæ potentiæ, & virtutis, non minus forſitan vel mirabilis, vel impoſſibilis videbitur hominibus brevis intellectus, & paucæ exercitationis in rebus ſpiritualibus pariter, & naturalibus.

Quod ſicut circūdatio virtutis nō excludit Deum ab univerſo, ita nec animam à proprio corpore.

Iſta namque circumdatio non excludit animam humanam à corpore quemadmodum neque creatorem ab univerſo. Et apparet autem evidenter omnibus, quibus aliquod verum apparere poteſt, exiſtentia, ſive præſentia creatoris in univerſo; & hæc eſt tam magnifica, tamque multiplici mirificentia operum; quemadmodum in qualibet officina præſentia artificis ſeu operatoris abſque ulla dubitatione oſtenditur ex operibus quæ in illa inceſſanter efficiuntur. Niſi fortè quis ſomniet quod extra mundum reſidens creator in ſolio gloriæ ſuæ operatur quæcumque in iſto mundo fiunt de operibus ſuis. Jam autem feci te ſcire in prima parte primi ſapientialis ac divinalis magiſterij, creatorem præſentialiter eſſe in toto univerſo, & præſentia omnipotentiæ virtutis ſuæ portare univerſum, & ſingula ne corruant in non eſſe & retinere.

Quod anima non vivificet corpus ſolo aſpectu ſicut ſtruthio pullos ſuos ut nonnullis videtur.

Et quoniam ſunt qui dicerent quia conjunctio animæ humanæ ad corpus ſuum non eſt niſi aſpectus quidam, & habitudo quædam ad ipſum, nolo præterire ſermonem ipſius; habet enim ſpeciem philoſophici ſermonis, non autem veritatem. Si enim intellexit aſpectum hujuſmodi apprehenſivum eſſe, quemadmodum putaverunt quidam de ſtruthione quod aſpectu ſuo cubaret, & vivificaret pullos ſuos in ovis ſuis, licet ſeorſum ab illis, de quo aſpectu ovorum veriſimilius eſt quod fiat ab ipſa ſtruthione ad cuſtodiam ovorum, quam propter aliam cauſam. Sufficit enim ad fovenda ſeu cubanda ova illa calor arenæ, ſi tamen & hoc verum eſſet quod de ipſa ſtruthione putaverunt in anima tantum humana locum nullatenus habere; cum longe antequam aſpectum apprehenſionis habeat corpus humanum vivificet, & intendo antequam de corpore ſuo quicquam cogitet vel cogitare poſſit; in cunabulis enim parvuli nihil de corporibus cogitant.

Quod nec aſpectus ille poſſit eſſe qualis eſt ferri ad adamantem aut planetarum ad metalla, ſed ſicut forma ad materiā.

Quod ſi aſpectum hujuſmodi intellexit qualiter ponitur planetis, aut rebus aliis ſive ferri ad adamantem ſive magnetem: aut fortè ſicut eſt aliquibus planetarum, ad aliqua ex metallis vel lapidibus, vel etiam humoribus: nemo dubitat nullum ex hujuſmodi aſpectibus eſſe animæ humanæ ad corpus ſuum, ſed revera ſecundum Ariſtotelem comparatio ſive habitudo ipſius ad illud eſt ſicut formæ ad materiam ſuam, quæ ſupellectilem ejus multiplicem continet, multaque ejuſmodi inſtrumenta, & ſicut paterfamilias ad domum multitudine utenſilium ornatam & præparatam, & ſicut equitis ad equum, & de his comparationibus multa audiviſti in eis quæ præceſſerunt.

Reſpondet ad quod dictum eſt, illud quod movet per imperium non debet eſſe in eo quod movet.

De hoc autem quod dicit quod movens per imperium non habet neceſſe quod ſit in ipſo, quod ſic movet. Jam reſpondi tibi ad hoc quia ſi ſolum ejus imperium ſufficeret ad hoc ad motum, videlicet, & ad hoc ut per ſe perveniret ad ipſum cui ſit; & ipſum ſufficere ad exequendum hujuſmodi imperium, locum haberet quod dicit. Sed indiget anima humana internunciis, & mediis deferentibus imperium: ipſa etiam membra ad peragendum motus, quos imperat, indigent prænominatis adjutoriis. Vides inſuper quia inſtrumenta, videlicet forinſeca multa movet anima humana, cum ſit extra ea quemadmodum dixi de cythara & delabra: quædam autem movet per hoc quod eſt in eis, vel intra ea, ſicut vides de nauta, ſive rectore navis, qui non movet, nec dirigit motum ejus, niſi cum eſt in ea. Eodem modo ſe habet de navigantibus remigantibus qui exiſtentes in navibus movent eas, & regunt, diriguntque motus earum; hoc etiam evidens eſt in tenentibus gubernacula navium, qui motu gubernaculorum movent naves in quibus & ipſi ſunt Nihil igitur eorum quæ objiciunt prohibet animam humanam eſſe in corpore quod vivificat, movet & regit.

Exponit verbū philoſophi ſupra citati de cōtinentia virtuali, & poteſtativa qua anima continet corpus.

De verbo vero philoſophi quidem præmiſſi non eſt dubitandum quin anima humana virtute ſua circumdet, & penetret totum corpus, atque contineat, quod eſt dicere ſimul teneat, & conſervet in eſſe, & quaſi intra ſeipſam contineat ad quandam ſimilitudinem creatoris intra ſe omnia continentis & ambientis. Et qualiter ſit hoc declaratum eſt tibi in ſecundo tractatu primi ſapientialis ac divinalis magiſterij. His autem indicium eſt, quia ſi interrogatus fuerit aliquis ex hominibus utrum habeat partes, & membra Reſpondebit indubitanter quia intra ſe & in ſe? Cauſa autem reſponſionis hujuſmodi continentia virtualis eſt, & poteſtativa; quia corpus, ut prædixi, circumdat & penetrat ad quandam ſimilitudinem creatoris, ut prædixi Non enim continentia vel ambitione locali corpus intra ſe quaſi incluſum ambit, & continet, cum impartibilis ipſa ſit ſecundum eſſentiam ſuam, corpus vero tam multipliciter partibile, & ejus impartibilitatem jam feci te ſcire in eis quæ præceſſerunt.

Qualiter conveniat dici animā eſſe in corpore.

Qualiter autem conveniat dici eam eſſe in corpore jam apparere tibi poteſt evidenter ex ſermonibus Ariſtotelis, & in eis quos hic audiviſti. Sermo namque hic Ariſtotelis in libro ſuo de anima hic eſt, corpus quidem materia, anima vero forma. Secundum ipſum igitur anima humana in corpore ſuo eſt; non ſicut quævis forma in ſua materia, ſed ſicut hujuſmodi forma in hujuſmodi materia. Materiæ namque elementorum, & aliorum corporum non viventium, non ſunt formis ſuis inſtrumenta ad operandum, neque formam vel figuram habentes convenientem operationibus inſtrumentalibus; & hoc eſt dicere quæ per inſtrumenta fiunt. Quapropter de ſtellis ipſis laudat ipſe naturam dicens, quia benefecit natura non dans eis inſtrumenta ad motum, quoniam non moventur motu videlicet ſuo, aut virtutis ſuæ, ſed motibus tantum cœlorum in quibus ſunt. Vellem autem ut ipſe Ariſtoteles declaraſſet, & ſcripſiſſet cujuſmodi inſtrumenta dedit natura cœlis ad motum. Dicet autem aliquis fortaſſis, quia ſiniſtrum & dextrum dedit natura cœlis, & ipſum dextrum eſt tanquam inſtrumentum in eis ad motum.

PARS TRIGESIMASEPTIMA.

Recitat opiniones de loco proprio animæ in corpore.

Sententia Platonis quod ſedes animæ ſit in capite, Ariſtotelis, quod ſit in corde, Chryſippi, quod ſit veluti in medio telæ araneæ.

ET quoniam nec Plato, nec Ariſtoteles, nec Chryſippus conſentiunt doctrinæ chriſtianorum de modo exiſtendi animæ humanæ in corpore ſuo; cum doctrina chriſtianorum ponat eam eſſe non in parte una corporis, ſed in omnibus, in quibus ſentit ad minus vel in omnibus viventibus. Plato vero poſuit eſſe ſuum in capite ſolo, Ariſtoteles autem in corde, Chryſippus in medio telæ ſuæ, & inde ſentire omnes motus qui fiunt in quocumque filo telæ illius. Verumtamen non eſt veriſimile ut medium iſtud intellexerit Chryſippus medium ſecundum locum. Nunquam enim ibi videtur eſſe aranea niſi fortè cum præda ejus id eſt muſcula, vel alia beſtiola ibi fuerit. Intellexit igitur ibi medium qui eſt ſecundum virtutem, & intendo habitaculum ex quo poſſit omnes motus quos prædixi ſentire propter beſtiolas quibus inſidiatur, & quibus telam ſuam quaſi retiaculum extendit & retendit. Et hoc evidenter apparet juxta telas aranearum quibus alligata, & conjuncta texunt hujuſmodi habitacula, unde tanquam de ſpecula quadam inſidiantur muſculis, & captionem proſpiciunt earum. Porro nobiliſſimum membrum in corpore animalis viſum eſt caput, & hoc propter omnes ſenſus qui utique vigent in capite, & inſtrumenta ſua habent in eodem videlicet oculos, & aures, nares, & os cum partibus ſuis, & inſtrumentis.

Platonem exiſtimaſſe caput eſſe totum hominem reliqua membra veluti totius columnam.

Poſuit autem Plato quouſque ut ipſum caput animalis eſſe diceret, & ipſum caput humanum hominem totum, reſiduum vero corporis ſui humanam columnam eſſe diceret, ad ſuſtinendum, & geſtandum in ſublimi caput tanquam præſtantius in homine, imo tanquam ipſum hominem. Quapropter perſpicuum eſt Platonem ſenſiſſe animam humanam aut perfectionem capitis humani eſſe ſolummodo, aut principaliter atque potiſſimum.

Ariſtotelis ſententiam proponit.

Et idem contra Ariſtotelem proculdubio dici poteſt de corde, videlicet quia anima humana perfectio cordis eſt ſolius, aut principaliter atque potiſſimum perfectio eſt illius. Cauſa autem quæ Ariſtotelem ad hoc induxit hæc fuiſſe videtur quia compreſſo ad modicum corde ceſſat omnis motus, & ſenſus in corpore toto: quemadmodum accidit in paſſione nocturna quam medici nominant epilepſim. Quia igitur compreſſio venæ illius ſive nervi procedentis à corde prohibens eſt promanationes ſenſus, & motus in totum corpus, arbitratus eſt Ariſtoteles à corde per venam & nervum hujuſmodi promanationes iſtas procedere, & propter hoc eſſe earum in corde non immerito eſſe.

Anima videtur eſſe principaliter in aliqua parte corporis ſicut ſol in una parte cœli.

Certiſſimum autem eſt animam humanam in parte corporis aliquam ſedem principaliter habere, & inde totum corpus regere & adminiſtrare. Quemadmodum enim ſol in una parte ſui cœli conſtitutus radios luminis & caloris ſui in totum orbem ſuum hoc eſt in totum aërem receptibilem dividit & diſpergit, ſic anima humana in una aliqua parte corporis ſui reſidens inde in totum corpus radios vitæ ſenſuum, & motuum, aliarumque virtutum influit, &c.

Aliis exemplis idem exponit.

Amplius faciunt ad hoc exempla de rege, de patrefamilias, de nauta, & artifice, ſive operatore; non enim eſt paterfamilias in aliqua parte domus ſuæ aliqua hora, quin potius in omni hora in una ſola parte, & regens inde, & adminiſtrans totam domum atque familiam ſuam, & ad hunc modum ſe habet in aliis exemplis. Quapropter ſufficit ad vivificationem, & adminiſtrationem totius corporis exiſtentia animæ humanæ in una aliqua parte illius. Evidentius autem eſt exemplum de rege qui in palatio ſuo vel civitatis ſuæ parte totum regnum ſuum vel civitatem inde regit, & adminiſtrat. Hoc autem facit per miniſtros, & ſervos pro parte majori: per ſe enim ſive perſonaliter minorem partem negotiorum regni rex omnis gerit & exequitur. Cum igitur anima humana tantam habeat copiam, atque frequentiam miniſtrorum ſecundum medicos & phyſicos, & inſtar regis ſit in corpore humano, corpus vero humanum ſit tanquam regnum & civitas gubernationi ſuæ, & adminiſtrationi commiſſa, debet reſidere in parte aliqua corporis, ex qua toti corpori decenter vita, ſenſu, & motu provideat, quantum ſcilicet neceſſarium eſt, & quantum oportet. Hanc igitur partem arbitratus eſt Plato caput eſſe, Ariſtoteles vero cor.

Quod creator omni rei præſens eſt, & indiſtans. *Argum. par. 42 in Cod. Carnot.*

Mirabile autem videtur, & mihi ſi non de ipſo creatore, & exiſtentia ejus in univerſo ſimiliter cenſuerunt; videlicet ut ex aliqua parte univerſi tanquam in palatio gloriæ ſuæ congruentiſſimo reſidens, totum inde mundum adminiſtret, & regat, & in alia parte univerſi omnino non ſit, ſed per miniſtros, quorum ei eſt copia innumerabilis totum univerſum gubernet, totique provideat, juxta quod unicuique parti congruit vel expedit provideri, quia iſtud jam removi tibi remotionibus irrefragabilibus in tractatu primo, nec eſt neceſſe ut hic amplius de novo removeam ſeu deſtruam illud. Reminiſcere tamen quod Ariſtoteles ſic ſenſiſſe videtur in libro cœli & mundi, ubi inducit opiniones Græcorum, & aliorum qui Deum eſſe credebant, & ipſum in cœlo eſſe dicebant. Tu igitur reminiſcere quia eſſentia altiſſima ac nobiliſſima creatoris non ſolummodo neceſſitas eſt in eſſe, hoc eſt neceſſe eſſe per ſe, ſed etiam neceſſitas eſt creatæ ſubſtantiæ vel eſſentiæ: & intendo neceſſitatem in hoc, quia omni creaturæ ſeu eſſentiæ adeo neceſſaria eſt intima præſentia creatoris, ut ſine ea nullo modorum eſſe poſſent.

Quod omnia recidetent in non eſſe ſi Deus ab eis ſe ad momentum ſubtraheret.

Ipſa enim eſt ſuſtinens, & ſupportans omnia ne recidant in non eſſe, & ipſa eſt retinens omnia ne refluant & deficiant in nihilum, reipſa eſt circumdans, protegens, & conſervans à malo potentialitatis quod naturaliter ad ſeipſum revocaret atque retraheret tanquam innata eis defectibilitas, niſi præſentia ejus hoc averteret & prohiberet, malumque potentialitatis compeſceret, atque tanquam ligatum, & depreſſum teneret præſentia ſua, quoniam ſi vel ad punctum temporis cujuſcumque creator ſubtraheret ſe, ſtatim in ipſum non eſſe ſive nihilum rediret. Hoc igitur eſt quod de creatore vel non attendiſſe vel forſitan ignoraſſe non immerito alicui videatur.

PARS TRIGESIMAOCTAVA.

Quod anima eſt tota in qualibet parte ſui corporis ſentiente.

Quod aliæ partes hominis ſint quæ nec vivant ut humores, nec ſentiant ut pili & oſſa. *Eſt pars 43. in Cod. Carnot.*

VErum quoniam doctrina chriſtianorum econtrario ſentit Ariſtoteli & Platoni, eorumque ſequacibus de exiſtentia animæ humanæ in corpore humano, conveniens eſt ut affirmetur hic probationibus, & errores contrarij deſtruantur. Dico igitur quod multa ſunt in corpore humano quæ non vivunt, licet vitam adjuvent corporis humani, ſicut quatuor humores, ſicut medulla, & cerebrum, in illis ergo non videtur anima humana eſſe, cum manifeſtum ſit ea nec vivere, nec animata eſſe ſicut, & ibi alia quæ vivunt, ut pili, & dentes, & ungues, & oſſa, de quibus manifeſtum eſt quod vivunt, & non ſentiunt.

Propter quod expoſuit quidam ex eis qui reputarj

An ſit aliquis ſenſus in oſſibus ubi exponit locũ ex libro Iob. cap 5.

ſunt philoſophi verbũ ſapientis quo dicit Job. c. 5. quia de humo non egredietur dolor, dicens quod os in corpore humano terreſtriſſima pars eſt, & propter hoc homines in ſermone illo ſuo vocavit illud humum. Eſt igitur intellectus ejus, & intentio quod de humo id eſt de oſſe non egredietur dolor: quoniam propter terreitatem ſuam non eſt aptum ſenſui doloris, nec alij. Si quis autem contra eum dixerit, quia dolor dentium paſſio graviſſima eſt, & multi ex hominibus vexantur dolore dentium, & clamant, & teſtificantur ſe pati graviſſimum dolorem in dentibus: quapropter ſenſu indigens fuit homo qui hoc dixit. Dico in hoc quod quamvis expoſitio hæc hujuſmodi ſermonis mihi approbada nullo modo videatur. Tamen quidam ex medicis evidenter dixerunt quia dolor hujuſmodi non in dentibus eſt, ſed in gingivis, & in eo quod intra dẽtes, & in dentibus aliter conjunctum eſt, propter quod dimittendum eſt hoc medicis determinandum. Verum ſermo ille alterius eſt intentionis prorſus, & de hoc apparet ex eo quod præcedit de verbis ſapientis illius ſermonem iſtum: præcedit autem

56. hoc, *nihil fit in natura ſine cauſa*, ac ſi diceretur nihil fit in terra fruſtra, & abſque providentia creatoris. Non enim fruſtra operatur qui vel pœnam, vel præmium opere ſuo à creatore meretur, *non egredietur de humo*; id eſt non recedet dolor pœnalis, *de terra*. Quemadmodum non recedit culpa vel pœnæ meritum ab inhabitantibus humum, & cauſa in hoc eſt, quia creatoris providentia, & juſtitia non relinquit culpas inhabitantium terram impunitas, vel propter hoc ab *humo non egredietur dolor*, ideſt non recedet; quoniam nec boni, nec mali ſunt in terra ſine doloribus; nec bene enim, nec malè vivitur in terra ſine doloribus Vel propter hoc non recedit de humo dolor, quoniam neceſſarius, imo perutilis ac ſaluberrimus eſt in terra Et de ejus utilitatibus plurima per me pluries audiviſti.

Animã neceſſe eſt eſſe ubi operatur, adeoq; ubi ſentit quę propria eſt ejus operatio.

Ratio autem evidenter declarans animam humanam in qualibet parte corporis ſui quæ ſentit, vel in qua ſive per quam ipſa anima ſentit, hæc eſt; ſentire namque, & ſenſu cognoſcere, ſive apprehendere operatio propria animæ ipſius eſt, perſeque ſoli ſibi conveniens eſt, & de illa ſola verè prædicabilis. Quia igitur in omni parte corporis hujuſmodi ſui ſentit apprehenditque, ſive cognoſcit per ſenſum anima humana; non eſt autem poſſibile ipſam operari niſi ubi ipſa eſt: ipſam igitur in corporis parte omni hujuſmodi eſſe neceſſe eſt.

Hoc teſtari animam ipſam cum teſtatur ſe dolere in aliqua corporis parte.

Amplius interroga ipſam, vel audi loquentem de ipſa, cum pes, vel manus, vel alia quæcumque ex hujuſmodi partibus læditur, audies indubitanter eam dicentem in hac parte lædor, in hac parte doleo, in hac parte ſentio. Manifeſtum eſt igitur ex teſtimonio, & aſſertione uniuſcujuſque animæ humanæ ipſam ſentire ſenſu tactus in qualibet parte corporis ſui ſentiente hujuſmodi ſenſu ſive ſenſibili.

Imo evidens eſſe operationẽ illam non poſſe eſſe niſi ubi eſt anima.

Amplius ipſum ſentire, & ſenſu apprehendere ſive ſenſu cognoſcere, & animæ humanæ eſt, & in ea totaliter: non enim poſſibile eſt, ut ſit extra eam videlicet in corpore: & hoc ipſa evidenter cognoſcit, imo ſentit apud ſe, & in ſe ipſa. Quia igitur in omni parte corporis ſentiente, ſive ſenſibili invenitur hujuſmodi operatio ſeu diſpoſitio quam non eſt poſſibile eſſe, niſi in anima, & neceſſe eſt ut multo fortius non ſit poſſibile eam eſſe niſi ubi anima eſt Neceſſe eſt igitur in qualibet parte corporis humani eſſe animam humanam; cum hujuſmodi operationem non ſit poſſibile eſſe ubi anima ipſa non eſt. Quod ſi dixerit quis quia anima humana non dolet, ſed condolet corpori ſuo vel membro ſuo læſo; in nullo evadit qui hoc dicit quoniam de ipſo condolere idem neceſſe eſt dicere quod de ipſo dolere: videlicet quia ipſum condolere in anima ſola eſt, & propter hoc non eſt poſſibile illud eſſe ubi anima non eſt. Quapropter cum in hujuſmodi parte corporis humani condolere iſtud inveniatur, neceſſe eſt in qualibet hujuſmodi parte animam humanam eſſe.

Dolorem non poſſe eſſe totũ in corpore quia teſtatum ſe-ſtatur anima, nec partim in corpore, partim in anima, quia partes non habet.

Amplius ipſum dolere ſive ipſe dolor cum evidenter actus ſit, neceſſe eſt ut in ſubjecto ſit. Quapropter vel in anima totaliter, vel in corpore totaliter, vel partim in hoc, & in illo. Quod ſi dixerit illum in anima eſſe totaliter, tunc impoſſibile eſt ut effugiat, quin cogatur concedere ubicumque in corpore dolor eſt, ibi & ſubjectum doloris eſſe, & propter hoc animam humanam; cum ipſe dicat eſſe ſubjectum illius. Si vero dixerit totaliter in corpore dolorem eſſe, neceſſe eſt ut dicat ipſum extra animam totaliter eſſe; cum non ſit poſſibile ipſum totaliter eſſe in corpore, nec partem ſui habere in anima. Accidet igitur hujuſmodi homini ex hoc ut cogatur concedere corpus ſentire, & dolere anima omnino immuni exiſtente à dolore, & nihil penitus ſentiente. Quis igitur eſt qui dicit ſe dolere in homine? corpus enim neque loquitur, neque cogitat, neque gubernat linguam in operatione locutionis, & quemadmodum audiviſti in præcedentibus quouſque adducetur erroneus hujuſmodi ut dicat corpora diſputare, philoſophari animabus omnino quieſcentibus, & nihil prorſus cogitantibus. Quapropter ſecundum ipſum, & fruſtra, & vanè ponerentur animæ humanæ eſſe in corporibus, cum corpora humana per ſeipſa operarentur, & intendo per ſeipſa, hoc eſt ſine animabus, & hoc eſt dicere animabus omnino nihil ſentientibus, vel cogitantibus. Et de his multa audiviſti in his quæ præceſſerunt in hoc ipſo tractatu. Si vero dixerit quia dolor nec totus eſt in corpore, nec totus eſt in anima, ſed partem ſui habet in anima, & partem in corpore. Dico hujuſmodi homini quod ipſe eſt non intelligens ſemetipſum in iſto ſermone ſuo, ponit enim partes eſſe dolori quas omnino non intelligit nec diſtinguere, nec aſſignare eas icit aut nominare.

Quod pars doloris non poſſit eſſe niſi dolor.

Amplius pars doloris quam ponit eſſe in anima aut eſt dolor, aut non. Quod ſi eſt dolor, redit ratiocinatio ad id in quo erat prius, videlicet ut dolorem eſſe confiteri cogatur in omni parte corporis humani in qua eſt ſenſus tactus. Quapropter & animam humanam ibidem eſſe; cum dolor hujuſmodi pars doloris ſit in anima tanquam in ſubjecto exiſtens. Quod ſi dixerit quia pars hujuſmodi dolor non eſt, dico etiam quod nec fingere, nec ſomniare poterit quid aliud ſit quam dolor.

Quod vulnera attribuit ſibi anima ratione corporis, dolorẽ vero propter rationẽ ſui.

Amplius ſi pars illa non eſt dolor, parte igitur illa non dolet anima humana, nec illa dolet occaſione punitionis, vel vulneris illius; ipſa tamen teſtificatur, & clamat ſe dolere, & ſe ſentire punctionem, ſeu læſionem hujuſmodi. Quod ſi dixerit quia ſermones hujuſmodi topici ſunt ſive figurativi, & non veri, ſermones inquam quibus anima dicit ſe dolere ex punctionibus, vel vulnerationibus corporis, quemadmodum & ſermonibus quibus dicit ſe pungi, & vulnerari; hoc enim nec verè propriè ei propter ſe, ſed ratione corporis ſolummodo ſibi attribuit, & hujuſmodi tropi ſive figuratæ locutiones creberrimæ ſunt apud homines, videlicet quibus ea quæ corporum ſuorum ſunt, vel aliarum rerum ſuarum ſibi ipſis attribuunt, ſicut quando vulneratos aut ſanguine minutos ſe dicunt, quod proculdubio de ſeipſis ratione corporum ſuorum ſolummodo dicunt. Procedunt etiam in majorem abuſum ſermones hominum, cum ea quæ veſtium ſuarum, aut domorum, aut agrorum, ſive vinearum, aut equorum ſuorum ſunt ſibi ipſis attribuunt: dicunt enim ſe laceratos, cum veſtes eorum laceratæ ſunt, & ſe combuſtos cum domus eorum combuſtæ

ſunt, & ſe degrandinatos, vel tempeſtates cum agri, vel vineæ eorum degrandinatæ fuerunt, aut alia tempeſtate læſæ: & generaliter quoties res eorum deſtructæ ſunt deſtructos ſe dicunt: deferratos autem, & deungulatos ſimiliter ſe dicunt quoties equos ſuos deferratos & deungulatos vident. Cauſa autem in hoc eſt quoniam res hominum hujuſmodi ſuæ ſunt. Et propter hoc quæcumque rerum ipſarum propria ſunt, ſua quodammodo, & eorum ſunt. Hæc igitur eſt cauſa quare ea ſibi attribuunt tanquam ſua. In tantum igitur ſibi attribui debent in quantum ſua ſunt, & ea ratione; & de his in illis quæ præceſſerunt aliqua audiviſti. Dolorem igitur attribuit ſibi anima humana, & ſenſum doloris tanquam verè ac propriè ſuum; & in ipſa eſt tanquam in proprio ſubjecto: vulnerationem vero ratione corporis, in tantum enim ſua eſt, quia corporis ſui, & ea ratione ſola illam ſibi attribuit.

Quod propriè loquẽdo ſolutio quantitatis non ſit dolor ut patet in homine vulnerato jã mortuo.

Si quis autem obviat de ſermone philoſophi qui dicit quod dolor eſt ſolutio quantitatis: Reſpondendum eſt ei quod ſermo iſte ſecundum planum intellectus ſui non eſt verus; ſolutio namque quantitatis, quæ non eſt niſi diviſio vel privatio ipſius, in corpore ſolo eſt, in quo & ejus contrarium quod eſt quantitas. Jam enim notum eſt tibi ex aliis quod privatio & habitus econtrario omnino circa idem, & in eodem naturaliter ſe habent, & eſſe, & fieri. Amplius ſolutio quantitatis remanet in membro vel corpore hominis vulnerati, & vulnere mortui, cum nec dolor ullus, vel in homine, vel in corpore illius ſit. Non eſt igitur ſecundum veritatem & eſſentiam ſuam dolor ſolutio quantitatis, cum hoc remanere, ille ex toto eſſe deſierit.

PARS TRIGESIMANONA.

Quod anima non eſt in oſſe, & aliis partibus viventibus, & non ſentientibus.

An ſit anima humana in iis partibus quæ vivunt nec tamen habẽt ſenſum.

HIs igitur ita determinatis revertar ad id in quo eram, & dicam quod tibi jam declaratum eſt per hoc animam humanam eſſe in omni parte corporis humani, in qua vel per quam eſt vel perficitur ſenſus: de partibus vero quæ vivunt, ſive in quibus vita eſt tantum, non autem ſenſus, videatur forſitan alicui quod in eis anima humana non ſit, ſcilicet propter id quod ipſa anima humana ſe ibi eſſe nec ſentit, nec aliter hoc cognoſcere videtur: quoniam in ea vita corporis qua vivit operatio propria, & immediata eſt animæ ipſius. Et intendo quod ipſa anima per ſemetipſam, & per hoc quod eſt anima operatur vitam corporis ſive vivificat corpus: & propter hoc neceſſe eſt ipſam eſſe ubicumque operationem iſtam perficit. Non enim eſt poſſibile vivere corpus quod non eſt animatum, nec poſſibile eſt eſſe animatum quod non habet animam in ſe. Quapropter quæcumque partes corporis humani vivunt in eodem animatæ ſunt, & animam habentes in ſe. Et quoniam non eſt poſſibile hominem vel duas, vel tres animas habere, neceſſe eſt animam ipſam humanam eſſe in omni parte vivente corporis humani.

An pili, dẽtes & ungues ſint partes corporis humani.

Si quis autem quærat de pilis, & dentibus, & unguibus an ſint partes corporis humani. Reſpondeo quod hujuſmodi magis ad bene ſe habere ſunt, & ornatum corporis humani, quam de neceſſitate eſſentiæ ipſius aut de totalitate eſſentialis integritatis ipſius: & hoc apparet ex ipſa mutatione dentium, de quibus manifeſtum eſt quod mutantur, & cadunt, & alij novi in loco eorum ſuccedunt. De pilis ſimiliter manifeſtum eſt quod tota die vel tonduntur, vel avelluntur, vel ægritudinibus, aut aliis paſſionibus cadunt. Nec dicuntur homines propter caſus hujuſmodi vel mutationes membris aliquibus mutilati, vel partibus truncati. Quemadmodum utique diceretur, ſi talia partes corporis humani putarentur. Debes autem ſcire quod non eſt neceſſe in hujuſmodi corporis humani ornatibus animam humanam eſſe vel inhabitare. Generatio enim illorum ex ſuperfluitatibus eſt ex humano corpore reſolutis.

Quod hæc omnia vivant in corpore hominis ſicut plantæ in terra.

Vivunt tamen hæc omnia ſicut plantæ in terra, & de terra; cum omnino manifeſtum ſit eas non eſſe partes terræ. Et quoniam ut prædixi ad bene ſe habere ſunt atque decorem, & ornatum corporis humani fiet reparatio eorum, cum fiet reformatio corporum humanorum, & hoc eſt in reſurrectione generali. Dico etiam quod non eſt neceſſe neque cogitur quis per hoc concedere, quod hujuſmodi ornatus vivant ex anima, & per animam humanam immediate. Quemadmodum non eſt neceſſe quod plantæ vivant ex anima vel vita quam habeat terra, ſi terra animam vel vitam haberet: ſed vivit potius unaquæque plantarum anima ſibi propria atque vita. Senſu igitur ſive teſtimonio ſenſus non eſt ſcitum apud animam humanam quod ipſa ſit in qualibet parte vivente corporis ſui, ſed magis ratione, & probatione quam audiviſti.

Quod in ſtatu puritatis & libertatis etiam naturalis qualis in primis parentibus liberata fuerit anima ab ignorantia munerum ſuorum.

Fortaſſis autem anima liberata à depreſſionibus præſentis miſeriæ & à tenebris, quibus involvitur in hac vita, luciduſſimè ac certiſſimè videbit ſe vivificantem omnes hujuſmodi partes, & vitam operantem in ipſis. Et videtur mihi quod in ſtatu puritatis ac libertatis naturalis hoc viderint animæ primorum hominum vel videre potuerint, ſi ad hoc attendere vel intendere voluerunt. Ignorantia namque hujuſmodi videlicet de exiſtentia ſua in corpore, & modo exiſtendi, & de virtutibus ſuis, & operationibus quas in eodem corpore exercet, pœnalis mihi videtur, & propter hoc culpam ſive peccatum cauſam habuiſſe. Non enim plenè novit ſeipſam anima humana quæ de ſe talia ignorat. Quapropter cum nulla cognitio magis naturalis ſit ei quam cognitio ſui ipſius, non abſque læſione naturæ ſuæ ignorantiam iſtam, hoc eſt diminutionem ſuæ cognitionis patitur. Quia igitur omnis læſio omne detrimentum naturalis cujuſcumque boni in quocumque ſubjecto pœnale eſſe manifeſtum eſt, nulla relinquitur tibi dubitatio quin ignorantia hæc apud animam humanam pœnalis ſit. Quapropter non ſolum in ſtatu futuræ gloriæ in quo nihil pœnalitatis locum habere unquam poterit, ſed etiam in ſtatu naturalis innocentiæ, in quo culpa nulla locum habuit, & propter hoc neque pœnalitas; neceſſe eſt ignorantiam iſtam non futuram eſſe, & etiam non fuiſſe in animabus humanis.

PARS QUADRAGESIMA.

Oſtendit modum infuſionis animæ in corpus.

Exponit Platonis ſententiam de deſcenſu animarum è cœlo in corpus.

POſt hæc perſcrutabor de quæſtionibus quæ ſequuntur hanc poſitionem doctrinæ chriſtianorum, & aggrediar determinare eas ſecundum poſſibile, & ponere tibi exempla quibus erigatur, & elevetur mens tua ad imaginandum, & intelligendum eſſe animæ humanæ, & exiſtentiam, modumque exiſtendi ipſius in corpore humano. Quia igitur Plato poſuit animas humanas de cœlo deſcendere, & poſt completum numerum ſive tempore præfinitum eis habitationis ſuæ in corporibus ad cœlum reverti, ibique in ſtellis comparibus ſe demum habitare. Poſuit cancrum & capricornum duas portas cœli, per quarum alteram ad corpora deſcenderent, & per alteram vero ad cœlũ redirent: neceſſe habet Plato ponere unamquamque earum ingredi corpus ſuum. Et quia in corpore formato atque in totalitate membrorum ſuorum, & partium

conſtituto, & non prius vivit pars una quam alia, neceſſe habet ponere unamquamque animarum humanarum ſimul intrare partes omnes, & membra corporis ſui. Si tamen voluerit eam ponere eſſe in unaquaque partium illius juxta poſitionem doctrinæ chriſtianorum. Hoc autem eſt inconveniens quia innumerabilia conſequuntur impoſſibilia.

Refellit ingreſſum animæ in corpus quia inde ſequeretur eam moveri motibus contrariis in ipſo ingreſſu.

Neceſſe enim erit ſecundum hoc eam moveri motibus contrariis innumerabilibus; à quacumque enim parte corporis incipiat diffundi per corpus, & intrare partes illas, neceſſe eſt ipſam moveri in deorſum, ſiniſtrorſum, & dextrorſum. V. g. ſi à capite incipiat, quod ipſe Plato ſenſiſſe videtur, neceſſe habebit moveri in brachia duobus motibus videlicet in dextrorſum & ſiniſtrorſum; & interim in digitos utriuſque manus. Quapropter movebitur ſimul decem motibus in decem digitos manus, & idem accidit eidem circa pedes, & digitos pedum. Manifeſtum eſt autem quod iſtud non patitur natura, ſed neque intellectus recipit poſitionem hujuſmodi in rebus naturaliter motis. Quis enim hoc recipiat in rebus hujuſmodi videlicet, quod in una & eadem ſimul viis innumerabilibus moventur, & ad loca innumerabilia atque motibus contrariis.

Item quia motus illi animæ vivificarent ſimul corpus ſuo ingreſſu, & mortificarent ſuo egreſſu.

Amplius eſto quod incipiat aliqua anima humana motus hujuſmodi à capite corporis ſui, vel aliunde, videlicet à quacumque alia parte: dico quod vel recedit à parte inceptionis motuum vel non. Si non recedit ab illa, non movebitur igitur ab ipſa etiam in unam partem. Si recedit ab illa, relinquit igitur illam mortuam; omne enim corpus moritur per receſſum animæ ſuæ ab illo, imo non aliud eſt mors quam receſſio animæ à corpore quod vivificat. Quapropter accidit Platoni animam humanam per motus iſtos mortificare ſimul, & vivificare partes corporis ſui: quoniam motus illi ſicut ſunt ingreſſus, & conjunctiones ad quaſdam partes corporis humani, ſic ſunt receſſus, & ſeparationes ab aliis. Quod ſi volueris in motibus illis nec totum corpus, nec partem ipſius aliquam vivificari non modo uno: videlicet ſi poſuerit Plato animam poſt iſtos motus, & penetrationes in aliqua parte ipſius corporis eam quieſcere, & reſidere, & hocmet Plato poſuit alligans ei ſedem principalem in capite humani corporis: motus autem, & penetrationes quas dixi quid utilitatis ei conferent per quas, & à quibus factæ fuerint, ſi in illis anima quieſcere non permittitur? ſciendum tamen eſt tibi quod principalitas ſedis non prohibet animam humanam eſſe, & operari in aliis partibus: motus autem iſtos, & ab anima humana, ab omnique ſubſtantia impartibili removit Ariſt. in lib. ſuo de naturalibus, quem vocavit auditum: & propter hoc non eſt neceſſe ut inſeratur remotio ſeu deſtructio hujuſmodi præſenti tractatui.

Quomodo ſuperior ratiocinatio conveniat cum doctrina chriſtianorum.

Porro doctrinæ chriſtianorum, & poſitioni qua ponunt animam humanam in qualibet partium viventium corporis ſui non adverſatur ratiocinatio iſta de motibus, cum per motum non ponat eam intrare corpus, nec venire in illud, imo in ipſo illam creari nec extra corpus illam fuiſſe creatam. Si revera quæſtio iſta locum habet in reverſione animarum humanarum ad corpora quæ reverſio fiet in generali reſurrectione hominum, & eodem modo locum habet in omni reſurrectione cujuſcûque hominis. Et tu jam audiſti quod reſurrectiones hominum multæ factæ ſunt jam in gente chriſtianorum, merito ergo quæritur qua de cauſa, & qualiter in qualibet parte corporis humani creetur anima humana, parte dico vivente: cum enim per motum non intret aliquam ex partibus, ſed in ipſo puncto creationis ſuæ conjungatur eidem, creatur in qualibet parte, & hoc non habet parvam vel levem admirationem. Neceſſe enim eſt ut hoc ſit vel una creatione, vel multis, nec ſolum multis, ſed etiam infinitis, cum infinitæ ſint partes viventes in corpore humano vivente; infinitis ergo creationibus & infinita creabitur unaquæq; anima humana.

Creatione ſimul & ſemel datur anima ſingulis, & omnibus partibus corporis.

Dico igitur quod una creatione ſola anima humana in omnibus partibus hujuſmodi creatur, & una datione datur omnibus. Exemplum autem hujus rei in rege eſt qui creatur vel præficitur regno alicui. De quo non eſt dubium quin creetur, & præficiatur unicuique civitati, & caſtro, aliiſque partibus regni, & una datione qua datur ei regnum vel ipſe regno, datur ei regnum, & omnes, & ſingulæ partes illius; & ſimiliter regno, & ſingulis partibus ejuſmodi: & eſt ſimilitudo conveniens, & exemplum hoc congruentiſſimum. Anima enim humana velut rex, & rector quidam eſt totius corporis humani. Quod ſi dixerit quod creatio vel conſtitutio regis non facit debere eſſe regem in qualibet parte regni cui creatur rex, aut præficitur, & propter hoc creatio animæ humanæ juxta ſimilitudinem iſtam non debet facere, neque cogere animam humanam eſſe in qualibet hujuſmodi partium corporis ſui. Reſpondeo in hoc quod creatio vel electio regis non dat regi ut per ſemetipſum ſive per eſſentiam ſuam dominetur, aut præſit regno, vel partibus regni, neque poteſtas regia poteſtas eſt quæ ſit regi ex ſe, vel per ſe, ſed per obedientiam ſolam, & voluntatem ſubditorum, & fortitan poteſtas regia non aliud eſt apud regem hujuſmodi, niſi voluntas aut obedientia ſubditorum. Hoc autem manifeſtum eſt quia ceſſante, vel ſublata prorſus voluntate vel obedientia ſubditorum ſublata eſt omnino ab eo poteſtas regia: & propter hoc nihil poteſt in ſubditos, vel in alios in quantum rex ſit, ſed in quantum homo tantum, & hoc eſt dicere ex naturalibus viribus ſuis, & intendo ſi fortitudine, & viribus prævalet adverſus illum, vel illos quemadmodum leo poteſt in oves, vel alia animalia.

Poteſtas Dei in creaturas comparata poteſtati animæ in membra corporis.

Poteſtas autem creatoris qua rex eſt dominantiſſimus omnium ſæculorũ non eſt aliunde vel à foris, nec dependet ullo modorũ ex voluntate, vel obedientia cujuſcumque, vel quorumcumque. Nec poteſt creator omnipotentiſſimus quicquam per alios vel alia à ſe: quin potius alia nihil poſſunt niſi ipſo, vel per ipſum: & propter hoc ubicumque poteſt ibi & eſt, cum nihil poſſit alicubi niſi per ſe, & ad hunc modum licet multum diſtante ſimilitudine, anima in totum corpus cui præficitur poteſt per ſemetipſam, non per obedientiam membrorum vel aliorum; quoniam ipſa obedientia membrorum non exhibetur ei niſi propter ipſam, & ipſa obedientia membris eſt ex animæ poteſtate naturali ſive eſſentiali eidem. Quapropter quemadmodum ſi rex aliquis præficitur regno alicui, & partibus ejus ita ut virtute ſua propria, & non aliena poſſit in totum illud, & in ſingulas partes ipſius, dubitari non poteſt quin eſſet eſſentialiter ſive perſonaliter in toto regno, & ſingulis partibus ipſius.

Poteſtas animæ in corpus comparata poteſtati regiæ & principiſ in ſubditos.

Quia igitur ſic ſe habere de anima humana manifeſtum eſt ipſam ſua virtute propria, & eſſentiali, ſive naturali totum corpus, & partes ejus quas prædixi, propriaque virtute eſſentiali, ſeu naturali poſſe in totum illud, hoc eſt, & in ſingulis partibus viventibus iſtius. Manifeſtum eſt ipſam eſſe eſſentialiter ſive principaliter in toto corpore, & ſingulis partibus ejus. Non enim eſt animæ humanæ poteſtas movendi & regendi corpus, & membra ſingula ipſius ab illo, vel ab illis, quia nec ipſis eſt virtus hujuſmodi, aut poteſtas qua ipſa ſe moveant: ſed animæ ipſi eſt virtus hujuſmodi eſſentialis, & imperium naturale ſuper illis, cui neceſſe habent naturaliter obedire pro poſſe, & viribus ſuis. Verum

rum obedientia ſubditorum ad reges ſuos, & principes in regnis, & principatibus hominum voluntaria tantum eſt. Propter quod interdum ab obedientia recedunt hujuſmodi, & hoc voluntate ſua ſive juſta, ſive perverſa. Quapropter ipſi qui reges, & principes eorum fuerant hujuſmodi vel principali, vel regia poteſtate deſtituti homines tantum remanent ſolas vires naturales, & potentiam ſuam naturalem ut cæteri homines retinentes. Sunt igitur ut cæteri homines poſt amiſſam obedientiam voluntariam ſubditorum.

Quod ut in creatione ſic & in reſurrectione non diffundatur per motum anima in corpus.

Et propter hoc ſoluta eſt ac determinata debitè quæſtio præmiſſa videlicet de reverſione animæ ad corpus ſuum. Quemadmodum enim ipſa creatione ſua, & conjunctione ad corpus toti corpori, & ſingulis partibus ejuſdem viventibus præſtatur, tanquam naturali, & propria virtute ſive poteſtate eidem per ſemetipſam ſubditis: ſic & in reverſione ad illud, totum corpus jure priſtino, atque ſubjectione naturali eidem reſtituitur; nec per motum ſeu motus quales prædixi in partes corporis, & membra ſingula ſe transfundit atque diffundit: quin potius ſicut in ipſo puncto ſuæ creationis toti corpori, & membris ſingulis datur & infunditur. Sic & in reverſione ad corpus reſſuſcitatum, ſive reſurgens tota ſimul toti corpori, & membris ſingulis redditur, & ipſa ſibi. Quapropter nec inceptio eſt ibi ab aliqua parte nec motus antedicti.

Quare anima ex una ſolum parte in qua reſideat non poſſit totū corpus regere.

Si quis autem quærat unde hoc ſit animæ humanæ, ut non in parte aliqua corporis ſui reſidere ſola poſſit, & inde regere vel adminiſtrare reſiduas corporis partes. Reſpondeo in hoc quia in hoc gerit quandam ſimilitudinem creatoris. Quemadmodum enim creator eſt naturaliter dans ſemetipſum, & diffundens in omne quod eſt receptibile ipſius: ſic anima humana in omne corpus, & partem corporis eſt naturaliter dans ſemetipſam, & intrans illam, atque diffundens ſe in illas ſive per illas, non diffuſione diviſionis atque diſperſionis, qua ipſa dividatur per partes, vel rarefiat: ſed tantum ſuffuſione integra ſuæ totalitatis: & hoc idem eſt ei à parte ipſius. Eſt ei etiam à parte corporis, & membrorum ipſius, qua non ſunt nata vivere ſive vitam recipere, niſi ex potentia animæ ipſius: neque ulla pars eorum aliter vivificabilis eſt, quam potentia totalitatis animæ ipſius: quemadmodum in creaturis, & in creaturarum partibus ſe habet, & de creatore, quia uniuſcujuſque eſſe requirit præſentiam ipſius, quemadmodum expoſui tibi in eis quæ præceſſerunt. Nec te conturbet quod hic nominavi totalitatem animæ humanæ, de qua feci te ſcire ipſam eſſe impartibilem.

Totalitas animæ intelligenda eſt nō quaſi anima habeat partes.

Totalitas autem veri nominis, & rationis non habet locum apud ſubſtantias impartibiles; non enim propriè, & ſecundum veritatem totalitatem hic dixi vel intellexi, ſed magis ſecundum abnegationem, intendēs animam ſecundum totalitatem ſuam præſentialiter eſſe in qualibet parte vivente ſui corporis, id eſt quia nihil quod anima vel de ipſa ſit deeſt alicui ex partibus hujuſmodi. Quemadmodum ſi diceres ipſum creatorem totum eſſe in qualibet ſubſtantia, & parte qualibet univerſi.

Sol & aliæ planetæ inſtrumenta ſunt Dei, quibus reſpondent ſeptem membra corporis principalia.

Debes autem ſcire quod hic ſermo quem dixit quidam ex philoſophis antiquis videlicet quod ſol eſt in manu creatoris omnipotentis tanquam ſecuris in manu carpentarij, ſermo verus ac philoſophicus eſt; & eſt ac ſi diceretur quod ſol eſt in manu creatoris ſicut inſtrumentum in manu operantis per illud; per ipſum enim operatur creator operationes quæ notæ ſunt apud philoſophos naturales, & aſtronomos. Nec intendo fatidicas operationes quas decepti, & indocti homines de ſole ſomniant non abſque injuria vel contumelia creatoris, ſicut jam per me pluries, & in pluribus tractatibus audiviſti. Quemadmodum autem hoc de ſole dixit hic philoſophus, ſic de Jove, & unoquoque aliorum planetarum dicere potuiſſet, cum unuſquiſque illorum inſtrumentum ſit ſimiliter creatoris ad varias operationes naturales, quæ philoſophis naturalibus ex parte aliqua notæ ſunt. Juxta hunc modum atque ſimilitudinem invenies ſeptem membra corporis humani tanquam inſtrumenta principalia in manu, hoc eſt in poteſtate, & virtute animæ humanæ, eamque operari per illa notas medicis, & philoſophis operationes, ipſaque membra harmonias quod eſt dicere conſonantes, & reſonantes habere virtutes, & operationes ad ſeptem planetas.

Cordis cōparatio ad ſolem, cæterorum ad lunā, & ſic de cæteris.

Horum primum eſt cor cujus harmonia ad ſolem: quemadmodum enim ſol quidam fons vitæ eſt huic mundo inferiori & creato: propter quod & pater vegetabilium dicitur ab Ariſtotele, ſicut terra mater eorum; ſic cor tanquam quidam fons vitæ eſt corpori humano, & ſingulis membris ipſius. Propter hanc cauſam unus ex majoribus philoſophia Italicis dicit de ſole, quod ipſe eſt mens mundi, & temperatio. Juxta hunc modum cerebrum harmoniam habet ad lunam: propter hoc augmenta, & detrimenta luminis in luna ſequitur, ſimilibus augmentis & detrimentis. Et etiam frigidus & humidus complexione, quemadmodum & luna, & virtute; non enim intendo quod frigiditas vel humiditas aut aliqua alia qualitas corporum mundi ſublunaris in cœlo vel cœleſtibus corporibus locum habeat ullo modo. Et hoc ipſum ab Ariſtotele, & ejus ſequacibus addiſcere potuiſti. Similiter & cor humanum calidum, & ſiccum non complexione, ſed virtute, & operatione philoſophi dixerunt atque ſcripſerunt. Spiritum etiam vitalem calidum, & ſiccum medici putarunt non calore diſſolvente, nec ſiccitate conſumente aut alias lædente, tractare autem de natura hujuſmodi ſpirituum, ſicut prædixi tibi, reliqui medicis. Ad hunc modum de ſplene & Saturno; & de felle & Marte; de mēbris genitalibus, & Venere; de lingua, & labiis, & Mercurio; de hepate, & Jove: quorum omnium membrorum cum virtutes, & operationes diligentiſſima ſolertia conſideraveris, invenies conſonantias & reſonantias, quas prædixi tibi, quas nonnulli ex philoſophis & aſtronomis ſcripſerunt: & quoniam omnes virtutes iſtæ, & operationes planetis attribuuntur ut vitæ generatiò Veneri, loquela Mercurio, animoſitas Marti. Ad hunc modum de aliis erit circumſpectionis tuæ conſiderare, qualiter, & quatenus omnia hæc membra ad planetas harmonizent.

Idem de humoribus explicat.

De humoribus idem non ſolum manifeſtum, ſed etiam tritum apud aſtronomos qui in ſcientia rerum naturalium profundaverunt, prout ipſimet dixerunt, & in ſuis tractatibus poſteris tradiderunt: quemadmodum de melancholia naturali quod ad Saturnum harmonizet, ſanguis ad Jovem, cholera ſanguinea ad Martem, cholera rubea naturalis ad Solem, flegma dulce ad Venerē, cholera aduſta ſive melancholia innaturalis ad Mercurium, flegma naturale ad Lunam, ſic enim aliquibus hujuſmodi philoſophorum viſum eſt. Habet tamen ſermo iſte plures ac difficiles quæſtiones, & de ipſo ordine, videlicet quomodo, aut qua de cauſa primus & ſummus planetarum Saturnus ad noviſſimum, & minimum humorem, videlicet melancholiam, naturalem habeat harmoniam, & de ipſo ſplene quam ob cauſam operatio riſus, & quatenus, & attribuitur, cum & ſaturno, & melancholiæ, & triſtitia, & dolor attribui conſueverint. Et juxta hoc facile eſt tibi dicere, & videre quæſtiones quæ circa hanc quæſtionem emergunt ſapientibus. Ad primum autem capitulum non pertinet, neque determinationes earum, ſed hac de cauſa adductæ ſunt hic, ut ſimilitudinem quādam animæ humanæ ad creatorē

in his quæ audiviſti cognoſceres, & intendo quod quemadmodum creator omnipotentiſſimus ad ſeptem planetas operatur in mundo inferiori operationes quæ virtutibus eorum congruunt. Sic anima humana in corpore ſuo per ſeptem iſta membra operationes quæ virtutibus eorum congruunt. Debes autẽ attendere, qualiter nec vel per animoſitatẽ, aut iracundiam, nec per purgationem aut ſuperfluitatem melancholiæ quæ in ſplene naturale receptaculum habet, propriè riſum vel gaudium operatur. Quod ſi quis dicat quia ſol choleram naturalem exacuit, & inflammat, & ex hujuſmodi inflammatione excandeſcit animoſitas, & audacia in ardorem iracundiæ, erit hoc ei explicare, ſiccitas enim fellis à purgamento cholerǽ quod recipit, felle videlicet, nec evacuari, nec minui videtur per iram.

Quo ſenſu dici poſſit ex ſplene & melancholia riſũ eſſe, ſicut ex felle iracundiam.

Amplius hujuſmodi receptaculum innatum eſt purgare choleram naturalem & purgamentum ejus in ſemetipſum trahere, & in ipſam choleram refundere. Quia igitur omnis exceſſus cholera ipſius purgandus eſt, & naturaliter ad receptaculum antedictum trahitur ab ipſo: manifeſtum eſt non propriè dictum eſſe quia felle iraſcantur, ſicut nec illud ſplene ridere. nin fortitan quis dicat quia in ira fel ceſſat ab officio ſuo naturali, videlicet non trahens ad ſe exceſſum cholerǽ, ſed magis occludens ſe contra illum & repulſus à felle aſcendit ad cor. Quod Ariſtoteles ſenſiſſe videtur per ſermonem quo dicit, quod ira eſt aſcenſio vel accenſio circa cor juxta hũc modum, videtur dictum illud ſplene ridemus, colligens enim melancholiam de circa cor intra & ſe concludens aufert occaſionem triſtitiæ, & dilatationi cordis quæ eſt ex gaudio viam quodammodo parat, & aperit. Gaudium autem vel riſus nullo modorum per ſe, aut propriè poteſt eſſe ex melancolia vel receptaculo ipſius. In tantum igitur commonitionem quandam de hac ſimilitudine tibi factam eſſe in præſenti capitulo ſufficiat; non enim expedit ut in ea quæ ad illas ſcientias, & doctrinas pertinent profundius me ingeram modò

PARS QUADRAGESIMAPRIMA.

Oſtendit ſi anima eſſet in una ſolum parte corporis utrum poſſet reſiduum corporis vivificare.

Anima quæ majorem virtutẽ habet quam corpora videtur poſſe diffundere operationẽ virtutis procul à ſubjecto in quo eſt.

Par. 46. in Cod. Carnot.

HAbes autem quæſtionem quæ tamen in parte ſibi determinata eſt in eis quæ præceſſerunt videlicet, utrum ſi anima humana in parte una corporis ſui ſolũmodo exiſtat poſſit reſiduum corporis vivificare, & eadem quæſtio ſolet fieri de ſingulis partibus hujuſmodi v. g. ſi in capite alicujus nervi ſit, an poſſet inde nervuum totum vivificare, & vitã extendere ſive diffundere extra punctum in quo eſt, ita tamen ut in illo ſolo ſit. Quod ſi dixerit quia poteſt hoc lõge infirmior, & incõparabiliter minoris influentiæ eſt virtus atque potẽtia omnibus virtutibus corporibus; cũ virtutes corporales tã longe à ſe, & extra ſe diffundãt operationes virtutũ ſuarũ, ut apparet in ſole, & igne qui tam longe à ſe ſplendores ſuos, & colores emittant & diffundant.

Nihil præterea videri in cauſa eſſe cur mẽbra non poſſint recipere vitã ab anima niſi immediatè

Amplius quid eſt in cauſa propter quod membra omnia, & partes ſingulæ viventes corporis humani non poſſunt recipere vitã niſi ab ipſa anima immediatè, quod eſt dicere in ſe animam ipſam; cum unaquæque illarum quantumcumque parva ſit habeat illam præſentem in ſemetipſã, & intendo quoniam ſecundum hoc anima exiſtentia ſua ſola non poteſt vivificare quantumcumque parvam particulã corporis ſui: quin potius neceſſe ut ad numerum partium, imo, & ad numerum punctorum cujuſcumque particulæ ſit in illa: & intendo quod quot puncta ſunt in quacumque ex particulis, totiens neceſſe eſt ipſam eſſe in illa, & hoc eſt dicere infinitis. Quapropter in infinitũ minoris influentiæ, ac debilioris virtutis erit anima humana omnibus corporalibus; cum calor, & lux, & cæteræ hujuſmodi qualitates corporales, tanta largitate influant à ſole, & igne in uno loco ſolummodo exiſtente, neque indigeant ad tam longinquas influentias, niſi quod ſol in uno loco vel parte ſolummodo ſit ejus totius quod illuminat aut calefacit.

Dico igitur in hoc quia iſtud quod audiviſti non eſt ex parvitate influentiæ nec ex debilitate virtutis animæ humanæ, quin potius ex virtuoſitate atque fortitudine ipſius, & hoc manifeſtum eſt per exemplum quod de creatore ipſo pereximio audiviſti: totum enim omne in quo eſt in poteſtatem ſuam imperioſiſſimam redigit, quæ poteſtas non eſt ei aliunde vel à foris, ſed ex ſemetipſo, & propter hoc in omni ſubſtantia hujuſmodi neceſſe eſt ipſum eſſe totaliter, quod eſt dicere ſecundum omnem partem ipſius. Eſt etiam alia cauſa, quia omnis ſubſtantia partibilis indiget potẽtia ipſius totaliter, hoc eſt ſecundũ omnẽ partẽ ſui. Sic & de anima humana ad corpus ſuum, & ad omnem partem ipſius viventẽ, & non oportet ut amplius ſuper hoc loquar tibi.

Reſpondet tamen non defectu, ſed ex abundantia potius virtutis eſſe quod anima adſit parti cuilibet quam vivificat.

Si quis autem quærat qualiter anima humana ſit in manu, vel in pede, vel quocumq; alio ex mẽbris, utrũ ſicut forma vel perfectio illius; non irrationabiliter quæret hoc. Si enim eſt in manu ut forma, & perfectio ipſius: erit igitur manus ſubſtantia cõpoſita ex anima rationali, & corpore; & propter hoc amplius manus eſt ſubſtantia animata anima rationali, & corpore, quapropter erit homo. Amplius cum ſit animata ſubſtantia, erit habens animam partem ſui: & quia anima hujuſmodi anima rationalis eſt neceſſe erit ipſam eſſe ſubſtantiam animatã habentem rationalem animam partem ſui. Et propter hoc hominem, & ſubſtantiam animatã eſſe neceſſe erit. Debes etiam hic reminiſci ſermonis quẽ dixit Ariſtoteles in libro ſuo de anima, de oculo extincto, vel mortificato, & de oculo vivo, de quibus dixit quod oculus non univoce, ſed æquivoce dicitur. Sic neceſſe eſt ſe habere de manu abciſſa & mortificata, & de manu vivente. Amplius erit-ne conveniens ut manus vivens in corpore humano dicatur ſubſtantia animata? ſi enim vivat indubitanter neceſſe eſt ipſam eſſe animatam, vel animam: & ex hoc neceſſe erit, ut & ſit, & dicatur ſubſtantia animata ſenſibilis, vel inſenſibilis; non enim videtur ullo modorum potius debere dici animata quam ſenſibilis, aut inſenſibilis, quam inanimata. Facit ad hoc ſermo Platonis quo dicitur matricem in animalibus animam eſſe.

Quomodo anima poſſit eſſe totaliter in aliqua parte, puta manu, ita ut pars illa non ſit homo.

In hoc igitur reſpondeo tibi quoniam, etſi vivat manus per animam, non propter hoc cõveniens eſt ut ſubſtantia animata dicatur, ex principalitate namque cõjunctionis, & unionis animæ ad corpus, corpus animatum dicitur, ſimiliter & compoſitum ex illis animalibus. Eodem modo ſe habet, & de ſenſibili, & exemplum ad hoc conveniens, & declarans illud eſt de rege, & regno quod præaudiviſti; non enim quod regitur à rege quocumque ſeu per illum regnum eſt vel dici debet, omnis enim pars regni ſecundum hoc & regnum eſſet, & diceretur. quoniã omnis pars regni à rege ipſo, vel per ipſum regatur, ex principalitate namque regis ad id quod regere habet. & regnum dicitur regis illius; & rex ſimiliter rex ejuſdẽ nominatur. Quapropter quod nulli parti principaliter aut per ſe cõjungitur rex, ſed per ſe & principaliter toti; ipſũ totũ cui datur aut præficitur rector ſive gubernator regnũ propriè, & per ſe illi eſt: partibus autem non datur niſi ſecundario rex, & ex conſequenti. Sic eſt de anima humana quæ toti corpori & principaliter, & per ſe conjungitur, ſecũdario autẽ, & ex conſequenti unicuiq; partiũ ipſius; principalis namque eſt, & per ſe conjunctio illa quæ facit & animatũ, & animal, & ſenſibile: ſecundaria

Reſpondet manum licet vivat nõ dici ſubſtantiam animatam propter principalitatem unionis animæ ad corpus.

daria autem, & quæ eſt ex conſequenti conjunctio nihil horum efficit, vel perficit ſicut exemplificavi tibi de partibus regni, & de conjunctione regis ad ipſas; quoniam nulla earum efficit regnum illius, vel ipſum regem alicujus illarum.

Objicitur truncata manu reliquum corpus non deſinere eſſe hominem.

Quod ſi dixerit quis quia cum fuerit manus præciſa à corpore, remanebit tamen homo licet mancus; homo enim mancus, & homo exoculatus homo eſt: remanet igitur compoſitus ex natura, & parte corporis tantum reſidua ſcilicet à manu, ut ita dicatur, propter hoc erit anima unita parti corporis, & per illas detruncationes corporis conſequens eſſe videtur, ut etiam minoribus partibus eam eſſe unitam contingat.

Reſponſio ad objectionem.

Reſpondeo in hoc quod ſi quis dicere voluerit hominem mancum non eſſe propriè ac verè hominem, ſed per figuram, & tropum dici hominem, non uſquequaque irrationabiliter dicet maximè ſecundum uſum certiſſimum, quo homines corpus humanum partem hominis dicunt. Qui etiam figuram locutionum hujuſmodi quouſque extendunt ut etiam corpus hominem dicant: propter quod & hominem occidi dicũt, & hominem eſſe mortuum; cum corpus ſolum ejus occidatur, & ſolum illud mortuum ſit. Et homines hujuſmodi loquuntur juxta illud quod dicit Ariſtoteles, quod alba dicuntur quæ nihil de albere deficere videntur, licet aliquid deſit eis, ab eo quod eſt perfectè albere: quemadmodum & domus eſſe dicitur fabricata cui modicum deeſt; non enim propter defectum duorum lignorum aut lapidum, dimittunt homines quin fabricatam hujuſmodi dicãt. Debes autem ſcire quod cum dicitur: [illegible]us aut pes pars hominis, & de viva & de non viva manu convenienter intelligitur: verum enim eſt corpus cui tota anima conjuncta eſt, & etiam ſi mortuum eſſet pars hominis veriſſimè eſt. Similiter & cum vivens eſt ipſum corpus, nihilominus pars hominis eſt: eodem modo ſe habet, & de manu.

CAPITULUM SEPTIMUM.

PARS PRIMA.

Oſtendit quod potentia intellectiva cognoſcit non ſolum univerſaliter, ſed etiam ſingulariter.

Proponit de quibus ſibi agẽdum ſit in hoc capitulo.

Poſtquam autem jam completæ ſunt ſex partes tractatus iſtius juxta poſſibile, & juxta quod ex largitione primi atque univerſalis largitoris omnium bonorum accepi, conveniens eſt ut aggrediar ſeptimam ejuſdem quæ eſt ut præaudiviſti de ſimilitudinibus, & comparationibus animæ humanæ ad creatorem benedictum, qui eſt Trinitas glorioſa ab omnibus in ultimitate honorificentiæ veneranda, atque colenda: & qualiter anima humana imago ipſius ſit, & ſimilitudo, vel ad imaginem, & ſimilitudinem ipſius creata, facta, & formata. Ubi primum perſcrutandum erit de natura intellectus, & de operationibus ejus, utrum una an plures ſint, & de ipſis ſcientiis, & de ipſo ſcire qualiter in anima humana veniunt, deinde quid eſt ipſe intellectus materialis; quid intellectus adeptus; quid intellectus theoricus; quid intellectus practicus; & quæ differentiæ, & operationes eorum, nec non de aliis quæ occaſione ipſorum inveſtiganda atque declaranda emerſerint.

Quod intellectus ſit apprehenſivus ſingularium & maximè creatoris.

Dico igitur imprimis quod intellectus eſt virtus apprehenſiva ſpiritualium & abſtractorum, ſive ſpoliatorum & inviſibilium ſive ſingularia ſint, ſive univerſalia, & jam removi tibi atque deſtruxi errorem eorum qui dixerunt intellectum virtutem eſſe apprehenſivam univerſalium tantum, feci te ſcire quod erronei iſti auferunt intellectui operationem propter quam potiſſimum creatus eſt. Hæc autem eſt viſio lucidiſſima & immediata creatoris; manifeſtum enim eſt creatorẽ unũ eſſe eſſentialiter in ultimitate unitatis, & incommunicabilem per eundem modum in ultimitate ſingularitatis: quapropter ſi intellectus de natura ſua apprehenſivus eſſet ſolummodo univerſaliũ inapprehenſibilis eſſet ei creator: apprehenſio autem creatoris videlicet lucidiſſima & immediata præcipua eſt ac nobiliſſima operatio intellectus. Quod ſi dixerit quis, quod non eſt poſſibile intellectum apprehendere abſque medio creatorem, neceſſe habet confiteri creatorem per ſe inapprehenſibilem eſſe, & intendo per ſe per naturam ſcilicet, vel per eſſentiam ſuam: hoc autem eſt ac ſi diceretur, quoniam non eſt apprehenſibilis niſi ex teſtimoniis ſenſibilium creatorum, vel intelligibilium. Quærendum igitur eſt ab hujuſmodi hominibus, an creator ſit amabilis per ſemetipſum, & in ſemetipſo, cùm dixerint quod ſic: attingit igitur illum, & ad illum vis motiva animarum humanarum nobilis, quanto fortius vis apprehenſiva nobilis, quæ eſt intellectiva attinget ad illum? & propter hoc apprehendit illum per ſe; quod enim non apprehenditur niſi per aliud, proculdubio non attingitur à virtute apprehendente, quemadmodum apparet in ſenſibilibus ſingularium quæ non apprehenduntur niſi ſenſu, & niſi per ſenſibiles diſpoſitiones ſuas. In his enim manifeſtum quod ſenſus non attingit ipſas ſubſtantias rerum hujuſmodi, ſed ſolas diſpoſitiones earum ſenſibiles: vis vero cognoſcitiva ſuperior animæ humanæ prætendit ſubeſſe diſpoſitionibus hujuſmodi quiddam, hoc autem quoniam ſuſtinet totam illam circumveſtionem ſenſibilium accidentium, poteſt eſſe ſubſtantia, & hæc ſubſtantia, de qua dicunt philoſophi ſequaces Ariſtotelis quia ipſa eſt ſubſtantia ſuſtinens decem prædicamenta. De hoc autem feci tibi mentionẽ in eis quæ præceſſerũt, & adduxi tibi ſermonem philoſophi Italici quo dixit quod ſenſus nihil integritatum percipit, quod eſt dicere nullam ſubſtantiam integrè percipit; propter quod & ſubjungit, ſed uſque ad proximum venit quaſi non valens penetrare circumveſtionem illam ſenſibilium accidentium, deinde adjicit, ratio vero quid ſubeſſe perpendit, quod eſt ut prædixi tibi ſubſtantia quæ ſuſtinet totam illam veritatem ſenſibilium accidentium: ſuper quod providè, & circumſpectè dixit ſubeſſe tanquam ſubjectum, & fundamentum ſuſtinens, & ſupportans illam.

Si virtus intellectiva non poſſit apprehendere creatorem nec perfectibilis, nec beatificabilis eſſet.

Manifeſtum eſt igitur tibi per hoc quod virtus intellectiva animæ humanæ non eſt attingens creatorem, nec penetrare valens apprehenſione ſua uſque ad illum ſecundum errorem iſtum; neque poſſibile eſt ei cognoſcere creatorem vel videre niſi quemadmodum cognoſcitur rex ſub operimento, cujus ſcilicet operimentum ſolum propriè, & per ſe cognoſcitur & videtur. Cujus exemplum eſt corpus mulieris nullo apparatu & ornatu veſtimentorum circumdatum. Aliud exemplum de hoc eodem eſt ſol nube obtectus, cujus luminoſitas ad modicum, & tenuiter apparet in nube. Sic juxta hujuſmodi erroneos creator benedictus non apparet nec videtur niſi tanquam ſub nube, & operimento univerſi. Manifeſtum autem eſt quod cognitio ſeu viſio non ſolum non eſſet viſio completa, vel pleni luminis; ſed neque viſio verè, & propriè dici poteſt, quapropter nec verè perfectio completa virtutis intellectivæ. Ex quo ſequitur evidenter virtutem intellectivam non eſſe verè ac propriè perfectibilem; & propter hoc nec verè beatificabilem, nec verè glorificabilem: quapropter anima humana non erit tota beatificabilis, aut tota glorificabilis; ſed ſecundum virtutem tantum motivam nobilem. Propter quod nec beatificabilis ſimpliciter, nec

perfectibilis, quoniam beatitudo imperfecta beatitudo vera vel verè dici non poteſt, neque perfectio incompleta perfectio vel haberi, vel reputari debet.

Si hæc natura eſſet intellectus ut ſenſibilia particularia nõ cognoſceret, nec à Deo & ſubſtantiis abſtractis cognoſcerentur.

Amplius ſi hæc eſt natura virtutis intellectivæ ut particularia & ſenſibilia apprehendere naturaliter non poſſit, neceſſe eſt ut negetur & removeatur à creatore, de quo manifeſtum eſt intellectum dici imprimis, & maximè, ſicut dicit ſapiens in ſermone ſuo videlicet quia intellectus ſolius Dei eſt, & admodum paucorum hominum. Quapropter cum non ſint creatori cognoſcenda particularia & ſenſibilia, neceſſe eſt removeri ab eo cognitionem ipſorum: erit igitur creator ignorans particularia, & ſenſibilia, quapropter ignorabit homines, ſimiliter & bona, & mala eorum, & propter hoc preces eorum quibus orant ipſum, ſervitiaque omnia quibus ei ſerviunt, & omnem honorificentiam cultus quo ab hominibus colitur. Quare vanè, & fruſtra impenduntur ei omnia hæc; cum nihil horum intelligat vel cognoſcat, vel ſciat ſibi impendi, & eadem ignorantia atque cæcitas accidet ex neceſſitate omnibus ſubſtantiis intelligentibus abſtractis. Qualiter igitur dabunt reſponſa? qualiter conſulent hominibus? Et de malignis ſpiritibus eodem modo ſe habere neceſſe eſt: nullæ erunt ejus operationes magorum quæ miniſterio malignorum ſpirituum ſolo fiunt. Ad hoc igitur inconveniens deveniunt ut creatori auferant omnem cognitionem ſenſibilium atque particularium, ſimiliter & omni ſubſtantiæ nobili abſtractæ.

Senſus circa ſenſibilia particularia erroneus, nec error ille corrigi poteſt niſi ea cognoſcat intellectus.

Amplius cum tot ac tanti ſint errores circa ſenſibilia qui non niſi à ſenſu proveniunt, v. g viſus ſolem renunciat pedalis eſſe magnitudinis: quia igitur intellectus non attingit aliquid ex ſenſibilibus particularibus, nullo modo credendum eſt ei de ipſis, quare ſolum ſenſibus credendum erit de illis, & propter hoc perſiſtendum in errore ipſorum: erit igitur ignorata, & magnitudo ſolis; cum nec ſenſu cognoſci poſſit propter remotionem nimiam ab ipſo; nec intellectu, cum & ab eo; & ab omni alio particulari ſenſibili prohibitus ſit naturaliter intellectus.

Error quid particulare eſt adeoque ad intellectum nullatenus pertinebit.

Amplius nullus error ad ipſum perveniet, vel cognoſcitur ab eo; cum omnis error particulare aliquod ſit, nullum igitur corriget.

Sed nec ad intellectum pertinebunt diſputationes, demõſtrationes, & quæ particularia ſunt.

Amplius quid erunt diſputationes, collocutiones, demonſtrationes, & aliæ probationes; cum enim unumquodque eorum particulare ſit, nihil horum perveniet ad intellectum nec ſecundum intellectum omnia hæc, ſed à ſenſu ſolo, & ſecundum illum: erit igitur poſſibile aſinis, & aliis brutis animalibus diſputare & philoſophari, cum ſenſibus vigeant, non minus quàm homines.

Ex eo quod ſcientiam noſtrã cognoſcamus concludit intellectu cognoſci particularia intelligibilia.

Amplius ſcientia quæcumque, quæ eſt in anima humana cognoſcitur ab illa, & ſcitur ab eodem apud ipſam, & in ipſa eſſe: omnis enim ſciens Arithmeticam ſcit ſe ſcire illam, & cognoſcit illam certiſſimè eſſe apud animam ſuam, & in ipſa, cujus indicium certiſſimum eſt, quia cum acquiſierit illã ceſſat laborare amplius, & ſtudere & audire circa numeros, dicens non opus ſibi eſſe ut laboret amplius circa illos. Quia igitur certiſſimum ſcientiam veram aliquid numero, & particulare eſſe dubitari non poteſt virtutem intellectivam particularia ſaltem ſpiritualia apprehendere poſſe, ſcientia enim omnis ſpirituale particulare eſt, nec niſi virtute intellectiva apprehenſibilis eſt, & cognoſcibilis: eodem modo ſe habet de opinionibus, dubitationibus, ignorantiis, ſimiliter de gaudiis, & doloribus. Et de his audiviſti aliqua in eis quæ præceſſerunt, paſſiones enim ſuas, & alias diſpoſitiones non eſt poſſibile animæ ignorare.

PARS SECUNDA.

Quod ſcientia de creatore eſt ſumma perfectio potentiæ intellectivæ.

R Evertar igitur, & dicam quod ſicut eſt virtuti motivæ nobili animæ humanæ ſuum bonum, ſuum perfectibile, ſuum beatificativum: ita neceſſe eſt ut virtuti intellectivæ ſua lux, ſuum illuminabile, ſive illuminativum, & ſuum beatificabile, ſive ſuum delectativum, & ſuum perfectibile ſive perfectivum, ſuum beatificabile ſive beatificativum: unumquodque enim iſtorum finis eſt creationis ipſius, alioquin fruſtra & vane creata eſſet: fruſtra namque & vane fit quidquid non ad congruum & debitum finem fit, hoc enim fruſtra, & vane fieri dicitur quod ſine cauſa fit. Cauſa ergo finalis intelligitur hic propter quid: & fruſtra laboraſſe dicitur, ac ſinè cauſa, qui finem congruum, & debitum laboris ſui per ipſum non aſſequitur.

Fruſtra eſſet intellectus ſi finẽ ſuũ aſſequi non poſſet.

Amplius certiſſimus eſt ſermo Ariſtotelis quo dicit quod omnes homines natura ſcire deſiderant. Quia igitur deſiderium hujuſmodi fames ſpiritualis eſt, pariter & naturalis; fruſtra autem indita eſt fames, cujus naturaliter impoſſibilis eſt ſatietas, neceſſe eſt ſatietatem ſciendi poſſibilem eſſe apud animam humanam: & quoniam hujuſmodi fames non eſt animæ humanæ niſi ſecundum virtutem intellectivam, neceſſe eſt virtutem intellectivam ſatiabilem eſſe ſatietate quæ famem hujuſmodi planè repleat, nullumque ejuſdem veſtigium in virtute intellectiva relinquat: & quoniam fames ſcientiæ non habet ſatietatem, niſi ipſam quæ eſuritur ſcientiæ plenitudinem; neceſſe eſt ſcibile illud, cujus ſcilicet ſcientia ſatietas eſt plena virtutis intellectivæ noſtræ, ejus luminoſitatis eſſe ut nihil omnino tenebrarum, & intendo tenebrarum ignorantiæ, opinionis, & dubitationis in virtute intellectiva relinquat, ſed eam irradiatione ſua totam ſatiet ac repleat.

Neceſſe virtutem intellectivam ſatiare poſſe famem ſpiritualẽ ſive deſiderium ſciendi, & quidem plenè.

Porro ſcibile hujuſmodi non poteſt eſſe niſi creator benedictus, omnibus enim aliis ſcibilibus quantacumque perfectione cognitionis notiſſimis, illo autem ſolo ignorato remanet apud animam humanam in virtute intellectiva ipſius tenebroſitas ignorantiæ creatoris, & fames vehementiſſima cognitionis illius. Eo vero juxta plenitudinem antedictam, & irradiationem cognito, ceſſat totaliter fames hujuſmodi; ceſſant & tenebræ antedictæ, nullo earum in virtute veſtigio derelicto. Quia igitur eſt per ſe quo poſito ponitur, & quo remoto removetur aliquid, manifeſtum eſt tibi quod ſcientia creatoris ſola ſatietas eſt, ac plenitudo virtutis noſtræ intellectivæ. Cauſa autem in hoc eſt quoniã creator eſt univerſum intelligibile, exemplum lucidiſſimum & diſtinctiſſimum univerſi, in quo relucet univerſum, & apparet apparitione lucidiſſimæ expreſſionis: propter quod & virtus noſtra intellectiva, ſi conjuncta ei fuerit conjunctione convenientiſſima & immediata, erit juxta congruentiam ſuæ poſſibilitatis, & inferioritatis ſecundum intelligibile. Et hoc de emicantia, ſive irradiatione creatoris in ipſam.

Non poteſt ſcibile aliquod præter Deum omnes fugare tenebras intellectus, illoque irradiatione ſua totam replere & ſatiare.

Hujuſmodi autem exemplum eſt in duobus ſpeculis viſibilibus cum fuerint longe inæqualis munditiæ, & terſionis, & conſideraveris alterum alteri convenienti oppoſitione oppoſitum, tunc enim proculdubio fiet emicantia ex mundiori, & craſſiori in aliud: & oppoſitiones illius etiam videbuntur in alio, licet diſpariter ſive inæqualiter propter diſparitatem, & inæqualitatem antedictas in terſione atque munditia. Sic imaginandum eſt tibi ereatorem benedictum velut quoddam ſpeculum

Quod declarat exemplo ſpeculi.

eſſe univerſalis apparitionis; quoniam in eo apparent univerſa, & ſingula lucidiſſima, expreſſiſſima, diſtinctiſſima apparitione, licet unum ſit in ultimitate ſimplicitatis, & juxta modum ſuæ puritatis aſſimilanda eſt ei virtus intellectiva noſtra, & futura ſecundum intelligibilem modum, & juxta modum atque menſuram à creatore eidem politam ac limitatam, & hoc eſt gloria & perfectio ultima, atque plena fœlicitas ejuſdem, quod & Ariſtoteles, & ſequaces ejus, & dixerunt, & ſcripſerunt.

Deus vero licet inſtar ſpeculi cujuſdam ſit, ſe tamen liberè, & quib' vult, & quatenus vult communicat.

Debes autem ſcire quod creator benedictus atque ſublimis, licet ſpeculum ſit quale audiviſti, & nihilominus eſt in ultimitate claritatis, & radioſitatis clarâ ac luminoſâ, illuminans juxta beneplacitum bonitatis ſuæ quos voluerit, & quando, & quatenus voluerit ad intuendum ſe. Non enim poſſibile eſt alicui ut videat vel intueatur illum, niſi cui & qualiter, & quando, & quatenus ſe ipſe oſtendere voluerit. Et hæc eſt cauſa propter quam non omnes ſubſtantiæ abſtractæ, & nobiles quæ aſpectu illius ſecundum virtutem intellectivam ſuam beatiſſimæ ſunt, omnia præterita, ſcilicet, præſentia, & futura in eo conſpiciunt, ſed de his omnibus ea ſola quæ ipſe vult eas conſpicere & videre. Non enim eſt de ſpeculo hujuſmodi ſicut, & de ſpeculis viſibilibus quæ apud nos ſunt; quoniam non eſt in poteſtate ſpeculi viſibilis detrahere aliquid de apparitionibus quæ in eo ſunt aſpectui intuentis in illud. In poteſtate autem eſt hujus ſpeculi univerſalis apparitionis ut dixi quid quantum, & quando unuſquiſque intuentium in eo videat aut ſpeculetur; quia & ipſum intueri donum gratuitum ac per omnia voluntarium eſt dignationis ipſius. Apparet autem tibi per hoc intellectus ſermonis prophetici quo dictum eſt *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Quod evidenter intelligitur ante apparitionem gloriæ creatoris non ceſſare famem cognitionis ipſius, in eis quibus datum eſt eſurire illam, magnificum namque ac præclarum donum creatoris eſt fames qua eſuritur apparitio gloriæ ipſius.

Pſ.16.15.

PARS TERTIA.

De intellectu agente, & intellectu materiali, & quod non ſint diſtincti.

De intellectu agente, & patiente, & de comparatione utriuſque cum luce & colore.

ET quoniam in tractatu de ſcientia ſubſtantiarum nobilium abſtractarum de natura intellectivæ virtutis alias audiviſti, quæ tibi cum his non immeritò ſufficiant ad obtinendam certitudinem ſuper hoc, videlicet quod non ſolum univerſalium, ſed etiam particularium tam materialium, quam immaterialium, tam ſpiritualium quam corporalium apprehenſiva eſt, tranſibo ad perſcrutanda alia quæ reſtant de natura virtutis intellectivæ ſive intellectu & operationibus ipſius. Dicam igitur in primis quod fuerunt philoſophi, & alij poſt eos ſequaces Ariſtotelis, ut eis videtur, qui operationem poſuerunt intellectus, quæ eſt intelligentia, duobus perfici actione videlicet, & paſſione ſeu receptione. Et propter hoc poſuerunt intellectum materialem tanquam receptivum ſeu receptibilem paſſionum quæ ſunt ſigna intellectus, per quæ intellectus apprehendit intelligibilia. Poſuerunt etiam hujuſmodi paſſiones ſeu receptiones intellectui agenti, cujus operatio eſt educere ſigna antedicta quæ potentialiter ſunt in intellectu materiali in actum, ſeu effectum eſſendi, & propter hoc vocaverunt ipſum intellectum agentem; quoniam ejus actio eſt hæc quam dixi, & ejus actione educuntur formæ illæ intelligibiles ſive ſigna antedicta, & propter hoc dixerunt comparationem ejus ad intellectum materialem comparationem lucis ad colores, & quod juxta opinionem ipſorum quemadmodum lux irradiatione ſua educit colores de potentia in actum eſſendi; ſic intellectus agens formas ipſas intelligibiles quæ potentia erant in intellectu materiali de potentia hujuſmodi in actum eſſendi.

Quare intellectus agens vocetur formalis, patiens vero ſive paſſibilis materialis appelletur?

Intellectum etiam iſtum agentem videlicet vocaverunt formalem quaſi formantem, ſeu informantem, ſeu inſcribentem, ſeu imprimentem formas antedictas intellectui materiali. Alium vero propter ſimilitudinem quandam, quam ipſum habere ad materiam opinati ſunt, materialem dixerunt. Et ſimilitudo iſta eſt in antedicta potentia, ſeu potentialitate qua potentialiter habet in ſe formas prænominatas. Et iterum in receptibilitate formarum hujuſmodi; materia namque omnis potentialiter habet in ſe omnes formas, quarum eſt receptibilis: & ſimiliter receptibilis eſt formarum omnium quæ de potentia, ſeu potentialitate ipſius, educi poſſunt in actum vel effectum eſſendi.

Intellectum agentem & patientem ſi vires ſint animæ nihil aliud eſſe quam animam ipſam quæ impartibilis eſt.

Eſt pars 4. in Cod. Carnot.

Et quoniam multi deglutiunt poſitiones iſtas abſque ulla inveſtigatione diſcuſſionis, & perſcrutationis recipientes illas, & etiam conſentientes illis, & pro certiſſimis eas habentes; conveniens eſt de ipſis conſiderationes facere, præſertim cum ex multis cauſis, & rationibus veritas ecōtrario ſe habere nō immerito videri poſſit. Quærendū in primis quid eſt quod dicunt intellectum materialem? & quid intelligunt intellectum agentem ſive formalem: & intendo utrum partes ſeu vires animæ humanæ, an aliqua acquiſita, & adventitia eidem, quæ non ſunt de eſſentia, ſeu neceſſitate eſſendi ipſius, & de intellectu ipſo agente ſive formali, an formaliter ſentiant ipſum eſſe extra animam humanam: an conjunctum ſive in ipſa. Quod ſi intelligant iſtos duos intellectus partes quaſdam animæ humanæ eſſe, non oportet ut repetam tibi ea quæ in præcedentibus audiviſti in quibus declaratum eſt tibi declaratione ſufficienti animam humanam eſſe impartibilem. Verum de intellectu agente & de intellectu materiali utrum ſint ſubſtantiæ, & utrum ſint ſubſtantiæ viventes, vel vivificabiles, neceſſe habent aperire intentionem ſuam. Quod ſi ſint ſubſtantiæ viventes cum ſint conjunctæ corporibus humanis, quid aliud putare poſſunt eas eſſe quam animas humanas.

Intellectus agens non poteſt eſſe ſubſtantia diverſa ab anima.

Amplius ipſe intellectus agens aut eſt ſubſtantia, aut non: quod ſi ſubſtantia, aut eſt ipſa anima humana, aut pars ejus, aut alia quædam prorſus ab illa diverſa, & pars quidem illius eſſe non poteſt; jam enim remota eſt ut prædixi tibi ab ea partibilitas in eis quæ præceſſerunt. Eſt igitur intellectus agens ſubſtantia quædam diverſa prorſus ab illa: de qua reſtant quæſtiones utrum ſit vivens, aut intelligens, aut neutrum horum, aut alterum. Quod ſi non eſt vivens, neque intelligens; qualiter igitur eſt ei virtus iſta ut animam humanam intelligere faciat in effectu. Amplius ſubſtantia mortua qualiter intellectus nominatur.

Idem probat quia ſubſtantia illa quæ daret animæ intelligere deberet eſſe intelligens.

Amplius cum omne datum, & magis, & majus ſit apud datorem, neceſſe eſt ut hęc ſubſtantia quam ſomniant intellectum ſit magis intelligens quam ipſa anima humana; cum intellectus agens ſit dans per ſe animæ humanæ ſecundum intellectum materialē. Hoc enim eſt ac ſi diceretur de alia ſubſtantia mortua quod ipſa eſſet animæ humanæ intelligere in effectu; cum illud non habeat ipſa nec actu, nec potentia.

Senſibilia extrinſeca quævis imprimāt ſpecies ſenſibiles in organis ſenſuum non dicūtur viſus agens idem.

Quod ſi quis dicat quia ſigna illa intelligibilia ſive formæ intelligibiles quas intellectus educit de potentia eſſendi in effectum ſive intelligere in effectu, ipſa dant animæ humanæ intelligere in effectu, & faciunt eam intelligentem in effectu. Dico in hoc quia forinſeca ſenſibilia, ſive formæ ſenſibiles faciunt nos videre in effectu, quoniam ſignæ

faciunt eſſe in organo ſenſuum in effectu; cum ſecundum errorem iſtum eſſe hujuſmodi ſignorum in effectu, in organis ſenſuum ſit videre, vel ſentire eſſentialiter in effectu, nemo autem dicit ſenſatum ſive ſenſibile viſum agentem licet agat in vidente, & faciat ipſum videre in effectu. Solem vero cujus operationem ad confirmationem ſui erroris inducunt nemo dicit eſſe vel cogitavit etiam, ut dicendus eſſet vel nominandus viſus agens, licet ſit educens ut ipſi opinantur colores de potentia eſſendi in effectum. Manifeſtum etiam eſt quod libri quos inſpicimus faciunt nos intelligere in effectu quæcumque in eis addiſcimus: nemo tamen unquam auſus fuit nominare quemcumque ex libris intellectum agentem; manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quam irrationabiliter nominaverunt hujuſmodi ſubſtantiam mortuam intellectum agentem.

Quòd intellectus agens non poſſit eſſe ſubſtantia vivens aliunde.

Quod ſi dixerit quod intellectus agens ſubſtantia vivens eſt: procul dubio non dicet ipſam eſſe ſubſtantiam viventem aliunde, & intendo ſubſtantiam animatam, quæ ſcilicet eſſet pars ejus, vel ei conjuncta, quemadmodum eſt anima humana corpori ſuo, & ad hoc deſtruendum ſufficiunt tibi ea quæ in præcedentibus audiviſti de anima humana, & de materia quam ei quidam poſuerunt, ſed in tractatu de materialitate ſubſtantiarum abſtractarum nobilium multa audiviſti ſuper hoc.

Intellectus ille agens debet eſſe ſemper in actu nec alio intellectu agente opus habet, & ſic in infinitũ.

Revertar igitur, & dicam quod intellectus agens de quo hic agitur eſt ſubſtantia vivens per ſe, cum non poſſit eſſe ſubſtantia corporalis, neceſſe eſt eam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, & cum non ſit anima ſubſtantia ſeparata ſpiritualis, & propter hoc intelligens etiam per ſemetipſam actu continuo intelligendi: ſi enim potentia tantum intelligens eſſet, nullo modo congrueret ei nominatio hæc qua nominatur intellectus agens. Amplius neceſſarius ei eſſet alius intellectus agens per quem educeretur de potentia in effectum intelligendi, & hoc modo iret res in infinitum: neque enim numerus eſſet neque finis intellectuum poſſibilium & agentium.

Si vero ſit intelligens per ſemetipſũ omnia intelligibilia cõtinuo cognoſcit.

Amplius intellectus hujuſmodi cum ſit intelligens per ſemetipſum ſolum eſſet intelligens omnia intelligibilia: & hoc intelligere continuo ſempiterno; cum extra ipſum nullo indigeat adjuvari ad intelligendum quodcumque ex intelligibilibus. Amplius intellectus hujuſmodi cum ſit intelligens per ſemetipſum ſolum, eſſet intelligens omnia intelligibilia, & hoc intelligere continuo; cum extra ipſum nullo indigeat adjuvari ad intelligendum quodcumque ex intelligibilibus.

Intellectus agens ut ſit vere agens non debet eſſe recipiẽs aliunde.

Amplius cum ſit veræ rationis, & veri nominis intellectus agens, non erit recipiens aliunde, vel à foris diſpoſitionem aliquam, qua adjuvetur ut fiat intelligens aliquid in effectu; alioquin non eſſet intellectus agens, ſed potens, poſſibilis, & materialis. Si autem pars animæ eſſet ipſa anima tota eſſet per ipſum intelligens omnia continuo in effectu: hoc autem manifeſtum eſt per viſum, & quemcumque aliorum ſenſuum. Si enim viſus eſſet viſus agens juxta modum illum, & intendo videret per ſemetipſum in effectu omnia viſibilia, eſſet anima humana videns per illum omnia alia, & hoc viſione continua ſempiterna. Similiter ſe habet, & de auditu. Quod ſi dixerit intellectũ agentem eſſe ipſam animã totã eſſentialiter, tũc multo fortius neceſſe erit ipſã animam humanam intelligere omnia intelligibilia intellectione actuali continua ſempiterna. Non eſt igitur poſſibile ullo modorum intellectum eſſe ſubſtantiam, neceſſe igitur erit ipſam eſſe de genere accidentium: quapropter erit habitus innatus, vel acquiſitus: & erit anima humana quemadmodum ſcientiæ materialis, ſive innata, & lumen quoddam nativum, cujuſmodi ſcientias in ſanctis ac beatis ſubſtantiis abſtractis eſſe ab ipſo ſuæ creationis initio in præcedentibus didiciſti. Et quoniam anima humana impartibilis eſt ſicut feci te ſcire in præcedentibus, neceſſe eſt animam humanam hujuſmodi luce lucere totaliter, & nihil ejus tenebra contraria eclipſari. Neceſſe erit inſuper ipſam lucere in actu, ſive in effectu continuo lumine iſto. Et quoniam lucere iſtud non eſt aliud quam ſcire, vel intelligere, ſicut lumen iſtud non eſt niſi ſcientia vel intellectus, neceſſe eſt ipſam per hujuſmodi lumen intelligere, & ſcire omnia ſibi naturaliter intelligibilia atque ſcibilia. Quod ſi dixerit ipſum intellectum agentem non eſſe intelligentem per ſemetipſum, ſive in ſe; tunc neceſſe habet dicere nihil intelligere vel eſſe intelligens in anima niſi intellectum materialem. Quapropter ipſa anima non erit niſi intellectus materialis ſolus: manifeſtum enim eſt quod anima humana intelligens eſt.

Quia anima intelligit ſe intelligere per ſe totã, nõ eſt ipſa intelligens intellectus materialis qui ſit idem cum ipſa.

Amplius manifeſtum eſt unicuique intelligenti per ſemetipſam quod ipſa intelligens eſt, ipſaque intelligit ſe intelligere, & non intelligit ſe intelligere in parte, ſive in partem ſui, ſed ut ita dicatur intelligit aliquid ſui, ſive de ſe non intelligere, & ſicut ſæpe audiviſti in præcedentibus ipſa intelligit, & ſuum intelligere, & ſuum eſſe impartibile eſſe, quapropter manifeſtum eſt ei quod ſuum intelligere in ſua eſſentia eſt, non autem eſt neceſſe poteſt, niſi in ipſo intellectu materiali. Manifeſtum igitur eſt ipſi quod eſſentia ſua non eſt niſi intellectus materialis: & propter hoc intellectus agens ſive formalis, nec ipſa eſſentia ejus eſt, nec de ipſa.

Quod intellectus agens non poſſit dici influere in intellectum poſſibilem.

Amplius de intellectu agente aut aliquid emittitur, & effluit intellectui materiali, aut nihil: quod ſi nihil malè utuntur comparatione illa lucis ad colorata; cum manifeſtum ſit aliquid de luce effluere, & emicare ſuper corpora colorata, perfunduntur enim lumine ex luce fluente. Amplius falsè & vanè nominabunt ipſum agentem intellectum; non enim agit in patiens quodcumque, niſi quod aliquid illi imprimit: & quoniam id quod imprimitur ab agente cuique patienti ejuſdem eſt paſſio illata, & influens ab ipſa ſuper ipſum patiens: manifeſtum eſt ab intellectu agente fluere paſſiones intellectui materiali tanquam ab agente in patiens. Et quoniam omne quod naturaliter, ac per ſe ipſum agit vel aliquid imprimit, imprimit vel ſimilitudinem ſuam, vel ſimilitudinem quæ in ipſo, & apud ipſum eſt, neceſſe eſt paſſiones omnes ſeu quaſcumque diſpoſitiones quæ influuntur intellectui materiali ab intellectu agente ſimilitudines eſſe ipſius intellectus agentis, vel diſpoſitionis unius aut plurium quæ in ipſo vel apud ipſum ſunt. Quapropter unaquæque earum eſt agens, vel ſimilitudo intellectus agentis ſecundum aliquam diſpoſitionem quæ in ipſo vel apud ipſum eſt. Quare hujuſmodi diſpoſitiones vel intellectus ſunt in effectu, ſive intellectiones, ſive ſcientiæ in effectu; cum non ſit poſſibile confingere ut aliter ſimilitudines ſint intellectus agentis. Quare intellectus agens erit intellectus, ſive ſcientia in effectu, & per hoc redibit ratiocinatio ad id ut neceſſe habeant confiteri qui ita ponunt animam humanam eſſe intelligentem vel ſcientem omnia intelligibilia ſibi naturaliter ſcibilia in effectu; & hoc ſive intellectus agens ſit pars animæ humanæ ſive ipſa anima humana, ſive habitus aliquis ut præaudiviſti. Quod ſi ea quæ fluunt vel emicant ex intellectu agente in intellectu materiali non ſunt intellectiones neque ſcientiæ, erunt igitur aliæ diſpoſitiones: intellectus autem materialis non eſt creatus niſi propter recipiendas ſcientias in effectu ſive intellectiones. Quapropter ſupervacuæ erunt & inutiles, & in nullo juvantes diſpoſitiones hujuſmodi quæ nec ſcientiæ ſunt, nec ſcientiarũ partes, pars enim omnis ſciẽtiæ eſt ſciẽtia.

Amplius

Si intellectus agens fuerit anima ipſa ſive pars ejus ſive habitus, õnia in actu cognoſcet.

Amplius intellectus agens ſi quis eſt non eſt creatus niſi propter illuminandum materialem; cum in ſeipſo nec ſibi luceat ad cognitionem aliquam, cum nihil cognoſcat. Quapropter ſoli intellectui materiali lucet, & ipſi eſt lux, ſimilitudinemque ſuam imprimit. Si igitur ſcientiam in effectu imprimit intellectui materiali; neceſſe eſt ipſum intellectum agentem eſſe ſcientiam in effectu vel ſcientem in effectu per ſemetipſum; & propter hoc ſcientem omnium naturaliter ſcibilium. Quapropter ſi vel ipſa anima eſt, vel pars ejus, ſive habitus, neceſſe eſt ipſam animam humanam per ipſum ſive ſecundum ipſum ſcientem eſſe omnium naturaliter ſcibilium; cum in ſeipſa naturaliter habeat ſcientiam in effectu omnium hujuſmodi ſcibilium.

Cum non habeat intellect⁹ materialis niſi ab agente quod ſit ſciens in actu ipſe magis intellectus agens erit intelligens in actu.

Amplius cum intellectus materialis non habeat niſi potentialiter quantum in eo eſt ſcientiarum ullam in effectu; aut quamcumque illarum habeat per irradiationem illius, & cum verè ſciens, & in effectu ſciens eſt, & eſt, & dicitur per irradiationem illius. Quanto fortius ipſe intellectus agens erit ſciens per ſemetipſum in effectu, ſcientia ſcilicet actuali: & intendo ſcientiam quæ eſt actus continuus per quem ipſemet eſt ſciens in effectu per ſemetipſum, & ſemper in effectu. Amplius quid eſt lumen in intellectu materiali per quod illuminatus dicitur, niſi ſcientia qua ſciens in effectu perficitur: erit igitur, & ipſe intellectus agens ſcientia actu; cum omnis operatio naturæ quæ per ſe eſt per ſimilitudinem ſit.

PARS QUARTA.

Oſtendit quod inter intelligibilia, & intellectum poſſibilem non eſt ponendus intellectus agens medius irradians intellectum materialem ſive poſſibilem.

Quid ſit lux & quomodo à colore diſtincta. *Eſt pars 5. in Cod. Carnot.*

QUod ſi dixerit, quod id quod à ſole vel luce ſolis ſuper corpora colorata infunditur non eſt color, ſed neque ipſa lux ſolis color eſt: & omnis etiam lux ſcilicet propter vehementiam ſuam, & puritatem magis lux quam color dicitur: quod verò lucet ex irradiatione, & diſpoſitione corporum, & apparet in ſuperficiebus eorum quaſi compoſitum eſt ex illis duobus. Et propter hoc proceſſerunt ulterius quidam, & dixerunt quod lux eſt hypoſtaſis omnium colorum. Et hoc apparere videtur ad ſenſum in corporibus diaphanis, & etiam in aliis dummodo polita ſint; id enim quod lucet ex vitro rubro irradiato à luce ſolis, vel aliâ non aliud apparet quam lumen rubrum; & de aliis coloribus ſimiliter ſe habet, videlicet ex vitro viridi lumen viride, vel viror lucidus: utrumlibet autem dixeris vel lumen rubrum, vel ruborem lucidum. Similiter lumen viride vel virorem lucidum, compoſitum ſive mixtum ex lumine, & diſpoſitione quæ erat in corpore ſignificat.

Quæ ſit diſſimilitudo in comparatione lucis, & coloris ad intellectũ agentem, & patientem.

Illa autem diſſimilitudo eſt exempli quod inducunt de luce, & colore ad intellectum agentem, & intellectum materialem: intellectui namque materiali ſecundum ſe nulla diſpoſitio eſt actualiter niſi ſola receptibilitate: in corpore vero omni colorato actualiter eſt diſpoſitio illa quam volunt colorem potentia, quæ proculdubio adeo tenuis eſt, & debilis, ut nonniſi adjutorio ſupereffuſi luminis in inſtrumentum viſus agere ſufficiat. Et propter hoc cum deeſt illi adjutorium luminis ceſſat ab immutatione inſtrumenti viſus ipſius: quemadmodum calor exiguus, & debilis non prævalet immutare inſtrumentum tactus, præſertim in eis qui cutem carnis duram, & ſpiſſam habent. Manifeſta igitur eſt tibi diſſimilitudo intellectus materialis, & corporum coloratorum in parte iſta per hoc, Et quoniã non eſt verum colores non eſſe de nocte, niſi colores intelligunt quemadmodum dixi, videlicet reflexiones mixtas ex diſpoſitionibus corporum, quas ipſi vocant colores ſcilicet potentiales, & lumine corporibus ſuperaſperſo. Scientiæ vero quæ in intellectu materiali per irradiationem intellectus agentis in effectum eſſendi veniunt, non ſunt aliquid mixtum vel compoſitum juxta modum antedictum. Quare neceſſe eſt ea quæ ab intellectu agente veniunt in intellectum materialem ſcientias eſſe completas, cum partes earum eſſe non poſſint, nec omnino aliud venire ab eo in intellectum materialem, & ita non habet locum exemplum ſolis, ſive irradiationis ejus ad corpora colorata & colorem; cum manifeſtum ſit irradiationem à ſole vel luce ejus ſuper corpora non eſſe colorem.

Amplius ſi inter ſenſus, & ſenſibilia non eſt neceſſaria virtus media agens in ſenſus quæ faciat ſenſata ſenſibilia quę potentiâ ſunt in organis ſenſuum exire in effectum, & ea eſſe in effectu: ſed ad hoc ſufficiunt ſenſibilia quæ extra ſunt. Quomodo non ſufficiant intelligibilia ad imprimendas ſimilitudines ſuas intelligibiles in intellectum materialem: & ut clarius hoc dicatur ſicut non eſt ſenſus agens, ut ita dicatur inter ſenſibilia & ſenſum medius, ita non eſt neceſſe ut ſit intellectus agens inter intelligibilia, & intellectum materialem, & attende diligenter quod comparatio iſta convenientiſſima eſt. Senſus enim ad modum intellectus materialis eſt potentia habens formas ſenſibiles ſive ſimilitudines earum: quemadmodum intellectus materialis potentia tantum eſt habens formas intelligibiles ſive ſimilitudines.

Inter ſenſibilia, & ſenſum non datur ſenſus agens medius: igitur neque inter intellectum, & intelligilia intellectus agens.

Amplius cum intellectus ſive vis intellectiva nullo modorum imperfectior ſit virtute quacumque ſenſitiva; cum virtus ſenſitiva non indigeat niſi rebus ſenſibilibus propter illas apprehendẽdas. Quomodo virtus intellectiva non erit contenta rebus intelligibilibus ad apprehenſionem earum?

Idem probat quia intellectus cenſeri non debet imperfectior ſenſu.

Amplius unde ſomnium iſtud videlicet ut vis intellectiva duplex ſit, ſive duas partes habeat, alteram ſcilicet agentem, quam vocant intellectum agentem, & alteram patientem, & in ſenſitiva non erit ſimiliter duplex, ſive duas habens partes alteram ſcilicet agentem, & alteram patientem? præſertim cum actione, & paſſione perficiatur omnis ſenſatio, quemadmodum, & omnis intellectio noſtra.

Actione & paſſione nõ minus ſenſum, quam intellectum conſtare.

Amplius ſi verè correlativa ſunt intellectus agens, & intellectus patiens ſive materialis, & verè contrarij, ſicut & nominationes ipſorum oſtendunt, neceſſe eſt ut quemadmodum intellectus materialis omnes formas intelligibiles naturaliter habet in potentia tantum, ſic intellectum agentem neceſſe eſt naturaliter habere in ſe in effectu omnes formas intelligibiles.

Si daretur intellectus agens, deberet habere omnes formas intelligibiles in actu ſicut intellectus poſſibilis õnes habet in potentia.

Amplius quomodo & quâ de cauſa nominatur intellectus agens ſi nec ipſe intelligat per ſemetipſum, nec alius eo, ſive per illum, & intelligo eo formaliter: non enim nominari poteſt niſi irrationabiliter, & falsè ſcientia quæ nec ſit, nec aliud eſt ſciens ipſa, ſive per ipſam formaliter: quemadmodum albedo nominari non poteſt verè vel propriè quod nec albet, nec aliud participatione ipſius.

Nomine intellect⁹ donandus non eſt intellectus agens cum nec ipſe intelligat, nec aliud ipſo formaliter.

Amplius irradiatio ſive illuminatio intellectus agentis ſuper materialem, aut eſt naturalis ipſi intellectui agenti, aut eſt voluntaria. Si voluntaria & intendo voluntate ipſius fluens ſuper intellectum materialẽ. Quod ſi eſt, tunc manifeſtũ eſt intellectũ agentem ſubſtantiam eſſe intelligentem, voluntas enim non eſt poſſibile ut ſit niſi ſubſtantiæ intelligentis pariter & volentis. Quapropter conſequens erit ipſum eſſe vel animam humanam, vel partem ipſius vel ſubſtantiam, ut præaudiviſti, ſeparatam: & de intelligentia agente ſeparata audiviſti in trã

Si intellect⁹ agẽs agat in materialem volũtariè jã eſt ſubſtãtia intelligens, adeoq; ipſa anima quæ provide omnia ſcibilia cognoſcet.

ſtatu de intelligentiis quæ tibi merito ſufficere debent. Si vero intellectus iſte agens vel eſt pars animæ humanæ, vel ipſa tota, ex utroque eorũ neceſſe eſt ſequi animã humanam naturaliter intelligentem eſſe ſive ſcientem per ipſum omnia ſibi naturaliter intelligibilia & ſcibilia, & tunc incidit Ariſtoteles, & ſequaces ejus in ſententiam Platonis cui contradicebat, videlicet in hoc quod ipſi ponebant vacuam creatam à ſcientiis, licet receptibilem earum. Plato vero econtrario, videlicet creatam illam eſſe in perfectione, & plenitudine ſcientiarum.

Si vero naturaliter agat neceſſe eſt irradiationem ejus eſſe continuam, nec poteſt aſſignari impedimentum ullum quominus hæc.

Quod ſi dixerit quod irradiatio iſta ſive illuminatio naturalis eſt, tunc neceſſe eſt ipſam eſſe continuam, & nunquam interrumpi niſi impedimento aliquo quod non poteſt eſſe niſi à parte intellectus materialis. De quo impedimento relinquitur eadem quæſtio videlicet an naturale ſit, an adventitium; quod ſi naturale eſt, tunc non eſt poſſibile ut auferatur, ſicut albedo non aufertur à nive naturaliter: non erit igitur tunc poſſibile irradiationem hujuſmodi fieri ſuper intellectum materialem. Quapropter neceſſe eſt impedimentum hujuſmodi caſuale, vel adventitium eſſe; cum nulla animarum prohibita ſit impoſſibilitate naturali ab actu intelligendi. Cum igitur erit impedimentum iſtud, manifeſtum eſt, quoniã non erit niſi à parte intellectus materialis: & propter hoc non erit niſi uno ex modis quos dicam, videlicet aut de averſione ſive attentione intellectus materialis, aut ex occupatione phantaſiarum. Et ex averſione vides evidenter quoſdam ita averſos ab eis quæ habent coram oculis poſita, vel quæ eis etiam audibili voce dicuntur, ut nec illa videant, nec iſta audiant, nec facile revocari poſſunt ad hoc ut his intendant, quemadmodum accidit ſomniantibus, vel in raptu exiſtentibus. Eodem modo accidit de his qui circa alia vehementer attenti ſunt; & propter hoc non facile avocantur ab illis, vel redeunt ad alia cogitanda juxta ſermonem ſapientis quo dixit, *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus.* Et hoc frequenter ſonat in labiis eorum videlicet depreſſio intellectus materialis per phantaſias. Mirabile autem valde eſt cum intellectus materialis inclinatus eſſentialiter ſit, & natus ad requirẽdas irradiationes intellectus agentis; à phantaſiis autem non ſit; non enim creatus eſt principaliter, & maximè propter illas, ſed videlicet ipſæ tantæ virtutis ſunt ſuper intellectum materialem, quantæ intellectus agens ſuper eundem. Quapropter non videntur poſſe reſiſtere irradiationi ejus quin veniat ſuper intellectum materialem, etſi forſitan efficere poſſunt quominus lucide aut tardius veniant. Quare non poſſunt portare niſi breve, & debile impedimentum.

Prov.8.2.

Si intellectui materiali liberũ non ſit cogitare nil eſt in poteſtate illius de operationibus ipſius.

Amplius intellectus materialis nonne habet in poteſtate avertere à phantaſiis hujuſmodi, & convertere ſe ad illam, & aptare irradiationes ipſius? ſi enim non eſt in poteſtate ipſius ut cogitet quæ velit, & de quibus velit, neceſſe eſt nullam ex operationibus ſuis eſſe in poteſtate ipſius, cum omnium operationum illius cogitatio leniſſima ſit cauſa prima, atque radicalis aliarum maximè voluntariarum. Si nulla enim ex operationibus voluntariis agitur, vel impletur niſi cogitando, & per cogitationes intellectuales ſicut apertè vides in operatione quæ eſt ſcribere, à quã ſi vel ad nutum oculi cogitatio intellectualis ceſſaverit ipſa ſcriptura corrumpitur atque pervertitur. Relinquitur igitur ut cogitare ſit intellectui materiali liberum; alioquin ut prædixi nihil eſt in libera poteſtate ejuſdem ex operationibus.

Si intelligere ſit ex irradiatione

Amplius intelligere in ipſo intellectu materiali eſt, atque perficitur ex irradiatione intellectus agentis; aut non. Si eſt ei notum, ut quid igitur laborat intelligere, & ſcire per alia, ſive ab aliis? cum intellectus agens per ſemetipſum ſufficiat illuminare ipſum ſcientiis, & cognitionibus intellectivis omnium ſcibilium, præſertim cum irradiationes intellectus agentis nullum laborem requirant. Ad quid igitur tanto labore ſcribuntur, & imprimuntur libri ſcientiarum? ad quid audiuntur magiſtri ſive doctores earum? ad quid frequentantur ſcholæ earum? cum apud unamquamque animam ſit intellectus tam promptus, tamque expeditus infundere intellectus, & ſcientias intellectui materiali, ſecundum quem ſolum, & etiam quo ſolo anima humana intelligit, & cognoſcit intellectualiter.

Intellectus agentis nullo ſtudio, nullis laboribus locus aut diſciplinæ.

Quod ſi dixerit quia non eſt in poteſtate intellectus materialis ut ſe ſic aptet, & conjungat intellectui agenti ſicut requirunt irradiationes hujuſmodi, attendant comparationem ſolis ſive lucis ipſius, qua in nutritione ſuæ opinionis tam crebro utuntur, & videbunt quod ſol ſive lux ejus longe magis præſto ſunt viſui noſtro quã corporũ colores; nec minus facilis eſt animæ humanæ aptare viſum, & vertere ad ſolem vel ad lucem ipſius, quam ad alia corpora vel colores eorum. Quapropter manifeſtum eſt ſecundum opinionem iſtorum tam facilem eſſe acquiſitionem ſcientiarum omnium ſcibilium quam facile eſt nobis acquirere viſionem coloratorum viſibilium.

Nec dici poteſt quod aliqui difficultatem patiantur intellectus patientes ut ſe conjungant intellectui agenti.

Amplius ſol una radiatione breviſſima, & ſecundum quoidam ſubita oſtendit animæ humanæ per viſum totam multitudinem viſibilium. Quanto igitur fortius intellectus agens una irradiatione vel ſubita, vel breviſſima oſtendet intellectui materiali multitudinem innumerabilem intelligibilium, præſertim cum intellectus materialis non minus expeditus ac promptus ſit naturaliter recipere formas intelligibiles, quam viſus formas viſibiles: intellectus quoque agens non minus potens ſit aut promptus ſeu expeditus ad irradiationes ſuas intelligibiles, nec intellectus materialis ad formas intelligibiles, quam corpora ad colores actuales ſicut ipſi ponunt.

Ipſa quæ ex viſu comparatione ſolis oſtenditur omnia ſenſibilia probe nullo labore ſtatim oſtendi poſſe omnia intelligibilia irradiatione intellectus agentis.

Amplius autem intellectus agens indiget tempore, aut non indiget; & intendo quoniam aut efficit eas ſubito, aut in tempore, & tantum per partes. Jam autem audiviſti, & declaratum eſt tibi animam humanam impartibilem eſſe, & propter hoc quidquid recipit quod unum ſit recipitur in inſtanti, ſive ex neceſſitate in intellectu materiali. Si vero eſt multa, poſſibile eſt autem ſi formæ hujuſmodi ordinem habuerint ad invicem prioritatis, & poſterioritatis; quemadmodũ eſt in propoſitionibus, & principiis ſcientiarum doctrinalium; ibi enim forſitan non ſimul ſit irradiatio qua cognoſcantur, deinde irradiationes quibus alia cognoſcuntur in eadem ſcientia. Si vero non habent ordinem prioritatis, & poſterioritatis ad invicem, tunc non eſt neceſſe ut prius fiat irradiatio ad cognitionẽ unius, quam ad cognitionem alterius; quemadmodum manifeſtum eſt tibi de corporibus coloratis, in quibus evidenter vides, quod irradiatio ſolis non prius educit colorem unius de potentia eſſendi in effectum quam colorem alterius, ſed ſicut ſimul cadit irradiatio ejus ſuper illa, ſic ſimul exeunt colores illorum in effectum eſſendi. Quapropter in rebus quæ ordinem ad invicem non habent neceſſe eſt ſimul exire formas earum intelligibiles in effectum eſſendi, & ſemper una irradiatione omnes illas ſimul intelligi: intelligi inquam actu; cum formæ illæ actu ſimul ſint in intellectu materiali. Hoc autem eſt quod unuſquiſque in ſeipſo cognoſcit eſſe impoſſibile; non enim intelligere neque cogitare poſſibile eſt animæ humanæ tam multa tamque diverſa ab invicem, & inconnexa. Quod ſi non

Quomodo dici poſſit intellectum ſive agentẽ, ſive materialem tempore indigere.

non eſt notum intellectui materiali à quo vel unde ſic illuminetur atque perficiatur intellectionibus, & cognitionibus non erit notum animæ humanæ; cum quidquid notum eſt animæ non ſit notum ei niſi notitia quæ eſt intellectus materialis. Qualiter igitur notum non eſt intellectui materiali ſive animæ humanæ in ipſo; cum illuminatio ſenſus unde ſit, & à quo ſit tam nota ſit eidem; neque enim ignorare poteſt anima humana unde vel à quo illuminetur viſus aut tactus. Cum igitur irradiationes ſive illuminationes ſenſuum ab intellectu materiali cognoſcantur, num poſſibile ſit eidem ignorare propria, adeo propinquas illuminationes, imo etiam intimas, videlicet quæ ab intus, & intra eſſentiam ipſius ſint?

Non datur voluntati adjutor ſive virtus agẽs, cum ſcientiis virtutes præcellant: ergo multominus dabitur intellectus agẽs.

Amplius cum longe præſtantiores ſint virtutes quam ſcientiæ, & propter ſcientias datus ſit intellectui materiali intellectus agens ut irradiationibus ejus perficiatur ſcientiis: quanto fortius dandus ſit ſimiliter adjutor ſive perfector virtuti motivæ nobili, ſive viribus motivis nobilibus, ſi plures ſint, cujus adjutorio, & operatione perficerentur virtutibus. Quemadmodum enim in intellectu materiali potentiâ, ſive potentialiter ſunt ſcientiæ, nec eſt potens per ſemetipſum educere eas de potentia eſſendi in actum, ſeu effectum eſſendi, & propter hoc indiget alio datore ac perfectore ad hoc Sic & in motiva nobili ſive viribus motivis nobilibus ſi plures ſint, nulli dubium eſt quin ſit potentia ſive potentialiter virtutes, quas per ſeipſam oducere non poteſt de hujuſmodi potentialitate in actum eſſendi. Quia vero non minus indiget eductore ſeu perfectore ad hoc, perfectioque virtutum longe nobilior, atque præſtantior eſt, longeque ſalubrior, & utilior animabus humanis, multo fortius, & decuit, & oportuit prælargam, omnipotentiſſimamque bonitatem creatoris providere eidem vel eiſdem viribus de eductore ſeu perfectore hujuſmodi. Quapropter ſicut poſuerunt intellectum agentem propter antedictam neceſſitatem, & indigentiam, multo fortius neceſſe eſt ponere virtutem agentem, ſive vim agentem hoc eſt in actum eſſendi educentem ipſas virtutes. Manifeſtum eſt autem tibi quod de virtute hujuſmodi nec etiam mentionem fecerunt.

Eandẽ virtutem activam ad virtutes refellit iterum.

Amplius virtus hujuſmodi activa ſcilicet virtutum non ſolum bona in ſemetipſa eſſet, ſed etiam bonifica, atque boniflua, & tanto unaquæque virtutum melior, atque perfectior eſt virtus, quanto cauſa efficiens in rationali ordine præcellit effectum. Quapropter cum omnis bonitas naturali bonitate ſive virtute longe inferior ſit, neceſſe erit hujuſmodi vim non ſolũ virtutem eſſe, ſed etiã virtuoſã, & virtutificã ſive virtutifluã. Quapropter, & ſapientiſſimam eſſe, cum abſque ſapientia nec virtus hujuſmodi, nec virtuoſitas eſſe poſſit, & tunc redeunt quæſtiones quas in præcedentibus audiviſti, videlicet an ſit pars animæ humanæ vis hujuſmodi? an ſit ipſa eſſentia animæ humanæ? an habitus naturalis ipſius? an aliquid adventitium ſeu acquiſitum? an ſubſtantia ſeparata, quod eſt dicere vel intelligentia ſeparata vel ſubſtantia & ſimilia? quodcumque autem horum ſit, manifeſtum eſt non eſſe poſſibile ut ipſa ſit cauſa efficiens perfectionis virtutum: cum enim virtus nobilior ſit atque præſtantior ipſa natura quam illuſtrat, & perficiat: natura vero vel eſſentia animæ humanæ non poſſit eſſe opus vel effectus niſi ſolius ſublimis, & omnipotentis creatoris; multominus erit poſſibile ut virtus vel una, vel plures opus, vel opera ſint alterius quam ipſius, opera inquam ab altero effecta. De ſublimibus quoque, nobiliſſimiſque ſcientiis quibus præclari illique beatiſſimique ſpiritus præditi ſunt, non eſt dubitandum quod alterius non poſſunt eſſe effectus, quam ipſius creatoris, nec auditum eſt apud nos adhuc quod ab alio eas acceperint beatiſſimæ illæ ſubſtantiæ. Quare manifeſtum eſt ſimiles ſcientias in humanis animabus aliunde eſſe non poſſe. Non eſt tamen negandum quin animæ humanæ ad hujuſmodi ſcientias obtinendas multis adminiculis adjuventur; à doctoribus enim in libris, & orationibus, & vitæ munditia, atque ſanctitate ad hoc proculdubio adjuvantur, ſicut illuminatio domus operatione, & amplificatione feneſtræ ad recipiendum lumen ſit aptior: verumtamen lux ſolaris ſola cauſa efficiens eſt hujuſmodi illuminationis.

Principia ſcientiarum non eſſent nota per ſe, ſi aliunde videlicet per intellectum agentem materiali advenirent.

Amplius principia ſcientiarum quæ ſunt nota per ſemetipſa, & vocantur maximæ propoſitiones, dignitates, & communes animarum conceptiones non veniunt per aliud, ſed per ſe ſola in intellectum materialem, alioquin non eſſent nota per ſe, ſed per alia; unde & ipſi philoſophi primas impreſſiones iſta nominant. Manifeſtum autem eſt quia cum ſyllogiſtica complexione ordinata fuerint, & aptata concluſionibus ſuis, & hoc eſt dicere quæ per ſe, & immediate ſequuntur, inducunt concluſiones in intellectum materialem, & ſic ſunt cauſæ concluſionum, erit ſcientia ſive cognitio eorum cauſa ſcientiæ concluſionis ſuæ. Proportionalia enim ſunt principia, & concluſiones ſcientiis ſuis: & propter hoc neceſſe eſt ut quemadmodum principia ad concluſiones: ſic ſcientiæ principiorum ad ſcientias concluſionum. Quapropter ſi principia cauſa vel cauſæ ſunt concluſionum, erunt ſcientiæ principiorum cauſa vel cauſæ ſcientiarum concluſionum. Quapropter cum ſcientiæ principiorum per ſe ſint in intellectu materiali, & non per aliud, erunt ſcientiæ concluſionum per ſcientias illorum in intellectu materiali, & non per aliud, & propter hoc non per intellectum agentem.

Poſita cognitione principiorũ ponitur cognitio concluſionem nec proinde opus eſt intellectu agente.

Amplius per ſe eſt ut dicit Ariſtoteles unumquodque quo poſito ponitur, & quo remoto removetur: quia igitur poſitis ſcientiis principiorum abſque ullo alio ponuntur ſcientiæ concluſionum: ex ſcientiis igitur principiorum per ſe abſque ullo alio ſunt ſcientiæ concluſionum. Supervacuè igitur, & fruſtra ponitur quantum ad ſcientias intellectus agens. Amplius non eſt poſſibile ſcire aliquem principia ordinata, ut prædixi, quin neceſſe ſit ipſum ſcire concluſiones illarum; ſublata etiam omni alia cauſa, ſive ſit intellectus agens, ſive alia; quare neque adjuvans ullo modorum ſit intellectus agens ad hujuſmodi ſcientias acquirendas. Amplius ipſa doctrina, & modus docendi ſcientias hujuſmodi hoc evidenter oſtendit: diſcentibus etiam ſola principia proponuntur, & aptantur eis, atque ordinantur in formam ſyllogiſticam, nullo alio adhibito tanquam arbitrantibus doctoribus illa ſufficere ad perficiendam ſcientiam in diſcipulis: ipſis quoque diſcipulis contentis exiſtentibus illis, & nihil aliud requirentibus; figmentum igitur eſt tantum, & vaniſſima poſitio intellectus agentis. Verè igitur recteque philoſophantes cum ſint qui per vias demonſtrationum ambulant, manifeſtum eſt quia nec ponunt, nec curant, nec cogitant etiam intellectum agentem; arbitrantur autem ſic aſſequi acquiſitionem ſcientiarum quam intendunt.

PARS QUINTA.

Oſtendit quod non eſt ponendus intellectus agens ſeparatus, & appropriatus intellectui poſſibili.

Ariſtotelem ſenſiſſe intellectum agentem nõ alium eſſe quam noviſſimam & decimam intelligentiam, quam putant creatricem animarum noſtrarum.

IAm igitur ſcire te feci per hoc intellectum agentem non eſſe apud animam humanam vel vim, vel partem animæ ipſius, vel ipſam eſſentiam ejus, vel habitum naturalem, aut acquiſitum in ea ſecundum intentionem eorum, videlicet qui ſit lux irradians intellectum materialem, & educens formas intelligibiles irradiatione ſua, & potentia in [illegible] Nec Ariſtoteles, quem ſequi ſe credunt in errore iſto, hoc unquam poſuit, vel cogitavit, verum intelligentiam agentem ſeparatam, & ſpoliatam poſuit tanquam ſolem quemdam intelligibilem, cujus irradiatione ſcientiæ fiunt in intellectu noſtro materiali, & eam poſuit decimam, ac noviſſimam, infimamque intelligentiarum ſeparatarum; propter quod videlicet per infidelitatem ſuam poſuit eam poſſe creare animas noſtras quæ ſunt longe minoris nobilitatis quam ipſa ſit.

Contra quē oſtendit intelligētiam illam non poſſe creare.

Cauſa autem in hoc eſt quoniam virtus intelligentiæ agentis non eſt potens in creationem tam nobilis ſubſtantiæ ut eſt intelligentia. Quapropter faciens quod ſolum poteſt cauſat animas humanas ſecundum opinionem illorum, ſuper quo tamen jam multa audiviſti in tractatu ſingulari de intelligentiis; & reminiſci debes radicis iſtius quam à me alibi audiviſti, videlicet quod omnis cauſa creans de ſe ſola, & per ſe ſolam eſt adæquans, & aſſimilans ſibi per omnia creatum quod per modos iſtos creat, & propter hoc non eſt poſſibile ut diverſificetur in ſe ſic creatum à ſic creante, neque ut diſſimiletur eidem in aliquo de diſpoſitionibus quæ ſunt de eſſe, vel de ipſo bene eſſe. Quare manifeſtum eſt quia ſi intelligentia agens cauſat quamcumque ſubſtantiam, cum non ſit poſſibile ut cauſet eam niſi de ſe ſola, & per ſe ſolam, & ſecundum ſe ſolam, neceſſe eſt ut adæquet eam ſibi adæquatione perfecta, & aſſimilet eam ſibi aſſimilatione completa. Quia igitur animas humanas non cauſat de materia ut jam doctus es, neque per aliud à ſe, niſi ſecundum ſe, non ſubeſt alia cauſa diverſitatis ſive diſſimilitudinis ſecundum eſſe, vel ſpeciem inter ipſam, & animam humanam: & quia dixi quamcumque ſubſtantiam non intellexi neque intendi niſi de ſubſtantiis immaterialibus.

Oſtendit ut ſupra nõ neceſſe eſſe recurrere ad intelligentiam ſeparatã, quandoquidem principia cauſæ ſint concluſionum.

Revertar igitur ad id in quo eram proximè, & dicam quod non eſt dubitatum apud philoſophos adhuc quoniam ſcientiæ demonſtrativæ ſeu doctrinales ſunt ex principiis, & per principia, ſeu cauſas, & elementa, & quin cognitiones concluſionum ſint ex cognitionibus eorum juxta ſermonem Ariſtotelis quem dixit omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione. Quia igitur nulla cognitio præcedat in hujuſmodi ſcientiis cognitionem principiorum, manifeſtum eſt ex cognitione principiorum fieri cognitionem concluſionis. Quapropter nihil ad intelligentiã agentem pertinet de ſcientiis: neque Ariſtoteles etiam de illa mentionem fecit vel in libro poſteriorum, ubi docet vias, & cauſas cognoſcendi per demonſtrationem, neque in principio libri phyſicorum ubi per ſola principia, & cauſas, & elementa rerum naturalium, & inveſtigat, & tradit ſcientiam naturalem.

Quærantur ſolũmodo principia ad acquirẽdam ſcientiam.

Amplius non alia de cauſa quæruntur principia, & cauſæ, & elementa niſi quia arbitrantur homines ſe ſcire poſſe per hoc ſolum res quarum ſcientiam inquirunt, intellectum vero agentem nec requirunt, nec curant, ſed nec etiam cogitant propter ſcientiam acquirendam, ſcientes indubitanter ſibi ſufficere hoc ad omnem ſcientiam quam philoſophi acquirere intendunt.

Quorum cognitio cauſa ſufficiens eſt, & concluſa ſcientia [illegible] cluntur.

Amplius à quo vel quando ignoratum eſt cauſam ſufficientem atque conjunctam non ſufficere ad eſſe cauſati: & propter hoc ſcientiam ejus ad ſcientiam illius. Fruſtra igitur, & vanè ſomniant intellectum agentem propter ſcientias, cum nemo requirat illam propter ipſas vel etiam curet aut cogitet.

Quod principia ſcientiarum ſunt lumina per ſeipſa ac[illegible] il[l]uminantia potentiam cognoſcẽ. *Eſt argumentum par. 7 in Cod. Carnot.*

Dicam igitur hic dictionem per ſemetipſam evidentem, & cujus probationem aut declarationem nemo intelligens requirat: hæc autem eſt, quod quemadmodum lux eſt viſui corporali ſive exteriori quæ ſeipſum quidem per ſe, alia vero per ſeipſam ſeu medium oſtendit. Sic viſui ſpirituali qui eſt intellectus lux intelligibilis ſive ſpiritualis eſt, quare ſe ipſam illi immediatè per ſe ipſam oſtendit, alia vero oſtendit eidem ſimiliter per ſeipſam ſeu medium ad illa. Hoc autem eſt ac ſi diceretur quod lux eſt in ſeipſo, ſive per ſemetipſum quod intellectui lucet per ſemetipſum, & hoc eſt idipſum videlicet quod per ſeipſum abſq; alio medio ſe ipſum oſtẽdit, intellectui ſeu intelligenti, ſimiliter & cujus lumine ſive irradiatione lucet ſive oſtenduntur eidem, & eſt hoc ac ſi diceretur ejus notitiã alia cognoſcuntur: & exemplum hujuſmodi evidentiſſimum eſt in luce ſolis ſive ſole, & in aliis quæ ipſius lumine ſive irradiatione videntur. Quapropter manifeſtum eſt quod principia ſcientiarum & doctrinarum, quæ per ſemetipſa nota ſunt, lumina ſunt per ſeipſa lumine ſeu cognitione illuminantia eandem; quoniam ipſa ſunt cognitione ſuã oſtendentia concluſiones, & facientia eas relucere ad ipſam; & hoc eſt facientia ipſas cognoſci: propter quod ſublatis ipſis vel ignoratis tanquam abſcondita luce fit nox ſpiritualis apud virtutem intellectivã, & iſta nox eſt prohibens videri ſive cognoſci cõcluſiones. Quemadmodum ſublata luce ſolari fit nox in regione à qua ſublata lux eſt, & prohibentur videri quæ illuminatione ſolis antea videbantur.

Principia ſunt [illegible] in abſtractione ordinata & compoſita.

Et quoniam principia hæc non ſunt niſi res in abſtractione univerſali, & compoſitione circa quã eſt veritas, circa contrarium vero falſitas, neceſſe eſt ipſas eſſe ordinatas atque compoſitas in cõpoſitione judicativa, ſive enunciatione; hoc enim modo ordinata lumina ſunt corã poſita viſui ſpirituali, quod eſt dicere virtuti intellectivæ noſtræ ſicut prædixi, neque poſſibile eſt ut claudat ſe viſus hujuſmodi vel repellat à ſe, & intrare in ſemetipſum prohibeat lumina iſta, vel ut diſcordet ab eis diſcredens illa, vel ignorans, & hoc eſt quod Ariſtoteles intellexit in ſermone ſuo quo dixit quod principiis non eſt contradicere ad interius rationi. Quemadmodum enim nõ eſt poſſibile viſui noſtro corporali niſi ex impedimento inſtrumenti nõ admittere lumen ſolare vel contradicere, & dicendo ipſum eſſe tenebroſum, vel non lucidũ; ſic nõ eſt poſſibile viſui noſtro ſpirituali qui eſt intellect⁹ nõ admittere veritatẽ principiorũ intra ſe, atque contradicere eis aut veritati eorum.

Unde concluditur principia hujuſmodi non indigere intellectus agentis.

Manifeſtũ igitur eſt tibi ex his quoniam principia hujuſmodi non indigent adjutorio intellectus agẽtis, ad hoc ut in ipſum noſtrum intellectum intrent, neque ad hoc ut ipſi luceant, vel eidem nota fiant, ſicut res per ſemetipſas lucẽtes, & quæ in ſemetipſis lumina ſunt, non indigent alio adjutorio ad hoc ut viſui noſtro luceant, vel per ipſum viſum nobis appareãt, vel innoteſcant: ſed per omnia ſicut ipſa quę in ſemetipſis lumina ſunt, per ſemetipſa abſq; alterius adjutorio viſibilia ſunt, ſic & iſta per ſemetipſa intelligibilia sũt, ſive viſibilia viſui noſtro ſpirituali, quapropter ſupervacuè ponitur intellectus agẽs.

PARS

PARS SEXTA.

Oſtendit ubi & in quo ſunt principia, & eorum ſignificationes.

A quo abſtrahantur, & ordinentur principia.

Eſt par. 8. in Cod. Carnot.

HAbet autem quæſtionem de principiis his ubi ſint, & quis ea ita abſtraxit, vel ordinavit, & utrum ipſa ſint res ipſæ quæ enunciationibus hujuſmodi ſignificantur, an ſint rerum ipſarum per enunciationes hujuſmodi ſignificatarum, formæ intelligibiles ſive ſimilitudines? Aggravat autem iſtam quæſtionem ſermo Ariſtotelis quo dicit quod diametrum coſtæ ſuæ à ſymmetrum eſſe, ſemper eſt.

Nulla eo omnino exiſtente verum eſſet de quolibet eſt affirmatio, vel negatio.

Amplius nulla re omnino exiſtente nihilominus verum eſt quod de quolibet eſt affirmatio vel negatio, & quod non de eodem affirmatio vel negatio. Quemadmodum autem nullo ſenſibili exiſtente non eſſet poſſibile ſenſui vel per ſenſum aliquid cognoſcere vel cognoſci: ſic videri poteſt nulla re de diſciplinabilibus exiſtente non eſſe poſſibile ſcientiam aliquam de diſciplinabilibus, & doctrinabilibus eſſe.

Quæ non ſunt ſenſibilia nõ ſunt, ergo pariter quæ nõ ſunt nõ videntur intelligibilia eſſe.

Amplius ſi non eſt poſſibile ſentire alicui ſenſibilia quæ non ſunt, nec ipſa etiam quæ ſenſibilia dicuntur ſenſibilia ſunt ſi omnino non ſunt, erit poſſibile intelligere intelligibilia quæ non ſunt, ſed nec ipſa eſſe intelligibilia eſt poſſibile ſi omnino non ſunt.

Reddit rationẽ quare vera ſunt quæ non ſunt, & æternaliter vera.

Debes igitur reminiſci hic eorum quæ audiviſti in tractatu ſecundo primi ſapientialis ac divinalis magiſterij in capitulo de veritate, quare veræ ſunt quædam negationes quæ quoniam puræ negationes ſunt, manifeſtum eſt eas non eſſe, tamen æternaliter veræ ſunt; quale eſt illud non eſt poſſibile hominem eſſe aſinum de quo non eſt dubium quin ab æterno verum fuerit, & quin in æternum verum futurum ſit. Nec veritas ejus requirit exiſtentiam vel hominis, vel aſini, vel cujuſcumque rei; antequam enim homo vel aſinus eſſet verum fuit illud, & etiamſi nec homo, nec aſinus eſſet unquam, nihilominus verum eſſet. Qualiter autem eſt verum, aut qua vel quali veritate, & utrum veritate quæ ſit in aliquo, vel quæ ſemper tibi luciditſimè ac certiſſimè determinatum eſt ibi, pleneque declaratum quod non eſt neceſſe omnem veritatem qua aliquid verum eſt vel in aliquo eſſe, vel etiam eſſe.

Non imprimuntur formæ intelligibiles à principiis quia univerſalia ſũt, nec proinde agere poſſunt.

Quoniam autem non eſt poſſibile animam intelligere ſine phantaſmate, & intendo ſine ſigno vel forma intelligibili; quemadmodum non eſt videre viſui exteriori ſive corporali ſine ſigno vel forma viſibili. Manifeſtum eſt prædictum exemplum nec ſciri, nec intelligi poſſe quin intelligantur formæ hominis & aſini, quæ quoniam intelligi ſine ſignis aut formis intelligibilibus nullatenus poſſunt, neceſſe eſt apud intellectum intelligentem eſſe ſigna intelligibilia ſeu formas antedictas: & propter hoc meritò quæritur unde illa ſigna ſeu formæ venerunt in intellectum. Et eodem modo ſe habet de intellectu ſive intellectione principiorum ſcientiarum, quæ per ſeipſa nota ſunt; utrum ab ipſis principiis ſigna ſeu formæ hujuſmodi ſub quibus, aut per quas intelliguntur, & imprimuntur intellectui noſtro; aut aliunde. Et ab ipſis principiis, imprimi nullo modo eas poſſibile eſſe videtur, primum quoniam principia univerſalia ſunt, univerſalia autem vel agere, vel pati non videtur eſſe poſſibile. Amplius quemadmodum nulla paſſio ex univerſalibus imprimi poteſt, exempli gratia homini in univerſali paſſio nulla imprimi vel infligi poteſt; nõ enim poſſibile eſt hominẽ percuti in univerſali, quod eſt dicere ita ut nullus ex hominibus percutiatur. Quapropter non erit poſſibile ut actio aliqua fit ab univerſali per ſe: exempli gratia non eſt poſſibile ut homo legat, cantet, vel diſputet, vel philoſophetur, ita quod nullus; manifeſtum igitur eſt à principiis hujuſmodi, quoniam indubitanter univerſalia ſunt, nullam poſſe eſſe actionem, & propter hoc nullam paſſionem, vel impreſſionem poſſe fieri ab eis in animabus noſtris.

Quare ſenſerint Plato & Ariſtoteles ab aliquo particulari imprimi, quæ eſt intelligẽtia ages.

Quia igitur ſigna iſta ſive ſimilitudines aut formæ intelligibiles cauſam habent imprimentem eas neceſſario, & principia hujuſmodi non poſſunt eſſe cauſæ imprimẽtes illas, neceſſe eſt ab alio vel ab aliis eas imprimi animabus noſtris ſecundum virtutẽ intellectivã. Et quoniã ab univerſalibus non eſt poſſibile hoc fieri, juxta quod videtur Plato ſenſiſſe, neceſſe eſt ut hæ impreſſiones fiant ab aliquo quod ſit particulare ſeu ſingulare: & hoc eſt quod Ariſtoteles poſuit intelligentiam agentem, intendens eam eſſe formam plenam formis plenitudine jocundiſſima, quod eſt dicere formam forinſecam, atque formifluam, & ſcientiam ſcientificam, ſive intelligentiam intelligificam juxta ſermonem philoſophi quo dictum eſt, omnis intelligentia plena eſt formis, & hic eſt intellectus plenitudinis videlicet formalis.

Quod anima humana in horizõte duorum mundorum intelligibilis conſtituta à ſolo Deo regulas veritatis & honeſtatis recipit.

Secundum doctrinam autem chriſtianorum quam neceſſe eſt per omnia, & in omnibus eſſe veriſſimam, & ab omni falſitate, & errore depuratiſſimam ponendum eſt animam humanam velut in horizonte duorum mundorum naturaliter eſſe conſtitutam, & ordinatam. Et alter mundorum eſt ei mundus ſenſibilium cui conjunctiſſima eſt per corpus: alter vero creator ipſe eſt in ſemetipſo ut exemplar, & ſpeculum univerſalis ac luciditſimæ apparitionis univerſalis primorum intelligibilium: hic autem ſunt omnes regulæ veritatis, regulæ inquam primæ, ac per ſe notæ: ſimiliter ac regulæ honeſtatis, nec non & univerſitas abſconditorum ſcibilium, ad quæ non attingit intellectus creatus, niſi dono & gratia revelationis divinæ. Eſt igitur creator æterna veritas, & æternum exemplar luciditſimæ expreſſionis, & expreſſivæ repræſentationis, & ſpeculum ut prædixi mundiſſimum atque puriſſimum univerſalis apparitionis. Hoc igitur ut prædixi conjunctiſſimum eſt, & præſentiſſimum, naturaliterque coram poſitum intellectibus humanis, & propter hoc in eo legunt abſque ullo alio medio antedicta principia, & regulas antedictas; ex eo igitur tanquam ex libro vivo, & ſpeculo formifico legit per ſemetipſum duo illa genera regularum, atque principiorum, & propter hoc creator ipſe liber eſt naturalis, & proprius intellectus humani: ab illo igitur fiunt impreſſiones de quibus agitur, & inſcriptiones ſignorum antedictorum in virtute noſtra intellectiva, & ipſe eſt lumen de quo dicit ſanctus, & ſapiens *ſuper quem non fulget lumen ejus.* Et de hoc eodem propheta ille inſignis Hebræorum, *Signatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen vultus tui Domine*, & intendo ſignatum, id eſt clauſum, ſive occultatum; quoniam perpaucis revelatum eſt hoc, videlicet quod lumen vultus luminoſiſſimi creatoris ſuper nos naturaliter ſic fulgeat, ut virtutes noſtras intellectivas quantum ad antedicta lumina illuminet. Tamen nihilominus verum eſt, quia quantum ad multa profundiſſimaque ſecreta, atque myſteria clauſum eſt lumen hujuſmodi: & de his licet multa in mentibus prophetarum effulſerint, longe ampliora clauſa remanſerunt eiſdem, illa etiam quæ in cordibus prophetarum lumine licet tenui, & modico emicuerunt, Apoſtolorum mentibus multo amplius claruerunt.

Iob. 25 3.

Pſal. 4.

Quod ſpeculum illud prove vul ſe communicat qui

Debes autem ſcire differentias longiſſimæ diſtantiæ inter viſibilia, & ſpeculum illud univerſalis apparitionis, & ſpeculationis; illud enim claudit ſe, & aperit pro beneplacito voluntatis ſuæ quibuſ-

bus & quã-tum vult.

cumque vult, & hujuſmodi exemplum licet incogitabilis diſſimilitudinis eſt liber innumerabilium foliorum ſive voluminum, quem qui tenet in manu, & aperit, & oſtendit inſpectori quodcumque vult ex foliis vel voluminibus Et de eis, ſive in eis quamcumque vult paginam, quodcumque vult, & quantumcumque vult, exempli gratia verſum unum vel plures, vel fortè dimidium, aut deciſionem unam: interdum & unum nomen ſolum per revelationem divinam cognoſcitur, interdum tria verba, ſicut manifeſtum de quodam rege Babylonis qui vidit ſcripturam trium verborum in pariete quæ fuerunt illa, *Mane, Techel, Phares.* Multis autem ex prophetis emicuerunt ex libro illo revelationes magnæ quibus libros grandes impleverunt, ſuper quo non eſt dubitatio; cum libri illi in tribus legibus notiſſimi ac vulgatiſſimi ſint. Creatoris igitur beneplacito liberrimum eſt de ſeipſo facere quidquid facere poſſet de libro quem prædixi. Et hæc cauſa eſt diverſitatis quæ invenitur in animabus humanis quantum ad ſcientias, & cognitiones ipſarum quantum in eis eſt, hoc eſt in animabus humanis. aliunde namque ſicut à parte doctrinarum, & experientiarum eſt eis in cognitionibus multiplex diverſitas.

Hoc confirmat authoritate ſacræ ſcripturæ.

Eccli. 1. 5. Pſalm. 4. Pſal. 66. 2. Ioan. 1. 9. Apoc. 21. 23.

Quod autem ſic ſe habeat veritas teſtificati ſunt ſapientes gentis Hebræorum, & gentis chriſtianorum: ſimiliter & prophetæ utriuſque legis, & gentis antedictarum. Quidam enim eorum dixit *fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*: & propheta ille de quo audiviſti ***ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine***, & alibi petebat hoc orans dicens ***illuminet vultum ſuum ſuper nos***, in lege vero chriſtianorum expreſſe legitur, ***erat lux vera quæ illuminat omnem hominem***: & alibi, ***civitas illa non eget ſole neque luna, ſed claritas Dei illuminat illam.*** Verum quia non credunt homines increduli vel verbis ſapientum, vel etiam divinis oraculis, faciam te ſcire hoc juxta conſuetudinem meam, & hoc eſt dicere certitudine demonſtrativâ.

PARS SEPTIMA.

Oſtendit quod inclinatio naturalis potentiæ intellectivæ eſt determinate ad ſummam, & luminoſiſſimam veritatem.

Vtraque facultas hominis intellectiva & appetitiva non niſi Dei veritate & bonitate perfectè ſatiari poſſunt.

Dico igitur quod duo ſunt circa quæ naturaliter verſantur, & in quæ intendunt naturaliter, & ad quæ habent converſionem ſuam ſive inclinationem naturalem virtus intellectiva, ſive cognoſcitiva animæ humanæ, & vis motiva nobilis ejuſdem. Hæc autem duo ſunt veritas & bonitas: quæ autem inquirunt ex his duobus duæ iſtæ vires ſunt illuminatio, & jocundatio. Manifeſtum quoque eſt tibi quoniam illuminatio perfecta non poteſt ei eſſe niſi ex virtute prima luminoſiſſima quæ eſt creator benedictus. Etenim ſi omnes aliæ omniumque aliorum veritates pleniſſime lucerent, hoc eſt cognitione perfectiſſima in vi intellectiva animæ humanæ, veritas autem creatoris non luceret in ea illuminatione perfecta, manifeſtum eſt quod deeſſet ei pars illuminationis ſuæ præcipua ac nobiliſſima videlicet completa cognitio creatoris. quemadmodum ex parte virtutis nobilis motivæ ſi deeſſet gaudium ex optata perfectione vel fruitione completa creatoris, proculdubio deeſſet ei ea pars gaudij ſive beatitudinis ſuæ ad quam reſiduum nullam habet comparationem. Quapropter non eſſet beata, neque gaudens gaudio pleno, & propter hoc neque perfecta perfectione completa. Manifeſtum igitur eſt quod ſicut in obtentu, ſive fruitione inquam completa tota conſiſtit beatitudo virtutis noſtræ intellectivæ, & quoniam omnis cognitio non eſt niſi luxio ſive irradiatio ex cognito ſuper cognoſcens illud; manifeſtum eſt creatorem lucem eſſe, cujus luxione, ſive irradiatione completa impletur atque perficitur virtus noſtra intellectiva.

Inclinatio naturalis noſtræ facultatis intellectivæ eſt primum verum.

Amplius quemadmodum virtus noſtra motiva nobilis eſt inclinata naturaliter, & propendens in bonum quod eſt creator; in alio enim non eſt poſſibile ut ſi ei quies neque ſatietas: ſed virtus noſtra intellectiva eſt naturaliter inclinata in verum, & non in verum intentione univerſali, ſed in quoddam verum, & in quandam veritatem. Non enim poteſt eſſe vagus, & indeterminatus finis naturalis inclinationis, & intentionis, ſimiliter neque motus naturalis. Quapropter manifeſtum eſt quod intentio naturalis, & inclinatio virtutis noſtræ intellectivæ eſt primum verum, ac luminoſiſſimum ſive in primam ac luminoſiſſimam veritatem, cum quemadmodum prædixi vel in alio vero, ſeu veritate quieſcere eam, nec ab alio impleri lumine ſcientiæ completæ eidem poſſibile ſit. Manifeſtum igitur eſt bonum virtutis noſtræ mobilis in quod ſcilicet eſt naturalis inclinatio ſive intentio; ſic verum illud ſeu veritas eſt naturale lumen virtutis noſtræ intellectivæ, videlicet in quod eſt ei naturalis inclinatio ſive intentio.

Idem probat eadem comparatione intellectus, & voluntatis.

Amplius ſicut verum ſe habet ad intellectum, ſive ad virtutem intellectivam: ſic bonum ad affectum noſtrum nobilem ſive ad virtutem noſtram affectivam ſuperiorem. Quemadmodum enim intellectus ſe habet ad id quod eſt cognoſcere; ſic voluntas ad id quod eſt amare, velle, deſiderare. Quapropter ſicut bonum ſolum eſt ſuum amabile ſeu deſiderabile antedicti affectus, ſic verum eſt ſuum, & proprium cognoſcibile intellectus: & propter hoc quemadmodum maximè bonum, & maximè amabile ſeu deſiderabile eſt illi, ſic maximè verum maximè erit ſcibile, & illuminativum illius, & propter hoc maximè lumen ipſius.

Maxime bonum eſt maxime delectabile, maxime verũ maxime cognoſcibile.

Amplius quemadmodum maximè bonum, maximè delectabile eſt virtutis noſtræ motivæ nobilis ſeu affectus: ſic maximè verum maximè cognoſcibile, maximeque illuminativum intellectus, & propter hoc maximè lumen.

Veritas motivæ non inquirit niſi bonum, intellectiva non niſi verum.

Amplius ſicut veritas ad intellectum, ſic bonitas ad virtutem motivam nobilem ſeu affectum; quapropter ſicut illa non inquirit naturaliter niſi bonum quantum eſt de intentione ſeu inclinatione naturali; ſic illa non inquirit niſi verum, non inquirit autem niſi lumen, cum non quærat niſi illuminari.

Verum eſt intellectui ſicut ens viſui.

Amplius quid eſt virtus intellectiva niſi viſus interior ſpiritualis ac nobilis: quia igitur ſolum verum eſt hujuſmodi viſui viſibile, neceſſe eſt veritatem lucem eſſe hujuſmodi viſus

Falſum, & non ens viſibile eſt viſui ſpirituali.

Amplius ſublata veritate à quocumque ſublata eſt, & cognitio, & ſcibilitas ab eo: neque enim falſum, neque non ens viſibile eſt viſui hujuſmodi. Quapropter quia ſolum lucidum corporale viſui corporali viſibile eſt, ſic ſolũ lucidũ ſpirituale viſui ſpirituali viſibile eſt, viſus autem ſpiritualis vis intellectiva in nobis eſt ut ſæpe audiviſti: ex quo etiam manifeſtum eſt, quod lux vel luciditas ſpiritualis, non eſt niſi ipſa veritas, in qua, & per quam eſſe hujuſmodi ſpirituale lucidum lucet intellectui noſtro ſive virtuti intellectivæ noſtræ: veritas igitur eſt qua poſita ponitur viſibilitas ſpiritualis in omni ſpiritualiter viſibili, & qua remota removetur: ipſa igitur eſt lux virtutis noſtræ intellectivæ ſive viſus noſtri interioris. Manifeſtum etiam eſt ex hoc quod verum ſive veritas eſt ſuum ac proprium ſcibile ſive cognoſcibile virtutis intellectivæ noſtræ, atque ſuum, & proprium viſibile viſus interioris ac ſpiritualis noſtri; ex quo manifeſtè

conſequens eſt viſum noſtrum ſpiritualem ſive interiorem creatum eſſe ſeu natum ad hujuſmodi viſibile ſpirituale, & ad hanc lucem ſeu lucidum quæ non eſt niſi veritas, aut verum.

Quod illud verum debeat eſſe certum, & determinatum adeoq; ipſum luminoſiſſimum qui Deus eſt à quo omnis intellectus ſit illuminabilis.

Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc intellectivam vim noſtram natam eſſe illuminari à veritate ſive verò, quemadmodum vis noſtra motiva nobilis ac ſuperior nata eſt jocundari ſeu perfici à bonitate ſeu bono: & quoniam utraque inclinationem habet naturalem ſive intentionem non vagam neque communem, ſed in unum certum, & determinatum finem, & intendo quod hæc in unum, & determinatum verum ſive in unam certam & determinatam bonitatem, & illa in unum certum, & determinatum bonum, ſive in unam certam, & determinatã bonitatem, intelligo autem tam unum quam unum hinc inde numero, hoc autem non eſt poſſibile eſſe niſi potentiſſimam ac luminoſiſſimam veritatem, ſive primum ac luminoſiſſimum bonum. Debes etiam ſcire hoc quod iſtæ duæ vires ſunt in animabus noſtris ſicut viſus, & guſtus, propter quod veriſſimè atque certiſſimè dicitur quod verum ſeu veritas eſt quod naturaliter lucet intellectui, bonitas vero ſive bonum quod naturaliter ſapit affectui qui eſt virtus motiva nobilis noſtra, propter quod verum, & veritas per modum quemdam dicuntur ad intellectum, bonum vero & veritas per modum ſimilem dicuntur ad affectum, quod eſt dicere ad vim motivam ſuperiorem ac nobilem noſtram. Jam igitur declaratum eſt tibi per hoc creatorem eſſe veritatem radiantiſſimam ad intellectum non ſolum noſtrum, ſed etiam ad omnem alium, ſimiliter ipſum eſſe bonitatem ſuaviſſimam ad omnem affectum, in eo igitur manifeſtum eſt totam perfectionem, totam beatitudinem, & gloriam omnium ſubſtantiarum intelligentium totaliter, & integrè conſiſtere, & hoc eſt dicere ipſum eſſe per ſe illuminativum omnis intellectus illuminatione completa ipſumque eſſe beatificativum omnis affectus ſublimis gaudio pleno, & propter hoc ipſum eſſe perfectivum uniuſcujuſcumque ſubſtantiæ hujuſmodi perfectione cui nihil deſit, & impletivum plenitudine quæ adjectionem aliam non requirat. Similiter ex altera parte manifeſtum eſt tibi per hoc omnem ſubſtantiam intelligentem à parte virtutis intellectivæ eſſe ſpeculum ab ipſo, & per ſeipſum informabile, & viſum ab eo illuminabilem, & librum ab ipſo ſolo deſignationibus intelligibilibus omnium intelligibilium inſcriptibilem.

Tres modi quibus formas recipit intellectus à mundo inferiori primo ſenſu.

Nihilominus tamen ab ipſo mundo inferiori, & informationem, & illuminationem, & inſcriptionem juxta modos quos audis receptibilem eſſe vim intellectivam noſtram manifeſtum eſt. Fit autem iſtud tribus modis. Primum ſenſu qui ſubſtantias ſenſibiles, & intellectuales corporibus junctas adducit ad intellectum, verumtamen non pingit in eo formas intelligibiles ipſarum, quoniam nec formas hujuſmodi ipſarum ipſemet recipit, ſed intellectus per ſemetipſum ſubſtantias illas ſub eſſe varietatibus ſenſibilium accidentium perpendit. Apprehendit igitur ſive videt virtus intellectiva ſub operimento ſubſtantias hujuſmodi, ut jam audiviſti, ſic ipſam animam humanam ex motibus, & gubernatione corporis tanquam ſub veſte, vel ſub operimento ſeu veſtimento videt, & non ad nudum, ſive ut ita dicatur, facie ad faciem; alioquin inter Socratem & Platonem qualiter eſſet altercatio vel diſputatio; cum alter alterum intellectu nec cognoſceret, nec videret.

Secũdo per abſtractionẽ quæ non eſt niſi privatio apprehẽſionis formarũ individualiũ.

Secundus modus eſt per abſtractionem: & jam declaratum eſt tibi quid ſit abſtractio ſeu ſpoliatio aut denudatio: hæc enim non eſt niſi privatio apprehenſionis formarum individuantium ſive individualium, & poſui tibi exemplum de hoc in imagine Herculis eidem ſimillimâ, & intẽdo quæ clarè videnti, & è proximo inſpicienti non niſi Herculem repræſentare poſſet. Si autem elongaretur ab illa pro modo elongationis, imminueretur apprehenſio formarum hujuſmodi; donec veniret ad hoc ut imago illa non repræſentaret ei niſi hominem vagum, non potius unum quam alium; hic eſt igitur modus abſtractionis ſeu denudationis formarum ad phantaſiam ſive imaginationem à ſenſibilibus venientium, ex quibus non eſt dubitandum quin intellectus occaſionaliter inſcribatur formis abſtractioribus, & naturæ ſuæ congruentioribus. Qualiter autem inſcriptio hujuſmodi fiat, videlicet ab ipſa phantaſia, an ab ipſa vi intellectiva, an aliunde quæſtionem habet quam alibi tibi pro parte determinavi, & hoc ſi Deus voluerit ſupplebo, ſi quid minus habet determinatio illa.

Tertio per connexionẽ puta cauſæ, & effectus.

Tertius modus eſt per connexionem ſive per colligationem, & intendo quod quædam res colligatæ ſunt quovſque ad invicem, ut ſicut una ſine altera eſſe non poteſt, ſic neque cognitio alterius ſine cognitione reliquæ, cujus exemplum eſt evidens in cauſa efficienti conjuncta, & in effectu ejuſdem, &c.

PARS OCTAVA.

Quomodo ſcientia cauſæ inducit ſcientiam effectus.

Quod ſcientia cauſæ non inducit ſcientiam effectus aut econverſo per modum cauſæ efficientis.

Habet autem iſtud admirationem non modicam videlicet qualiter ſcientia cauſæ inducat ſcientiam effectus, aut è converſo; utrum effectivè ſcilicet, aut per occaſionem tantum; & effectivè quidem naturaliter eſſe poſſe non videtur; cum omnis effectio vel operatio naturæ per ſimilitudinem ſit. Tu autem vides quam diverſarum formarum ſint interpoſitio terræ inter ſolem & lunam, & prohibitio ſeu privatio luminis à luna. Qualiter igitur erit altera cauſa effectiva alterius eodem modo ſe habet, ideſt eandem quæſtionem habet de ſcientia indicativa quæ vocatur ſcientia quia, quæ eſt ſcientia cauſæ per effectum ſuum.

Quã ratione res colligatæ & connexæ propter cõnexionem cognoſcantur.

Dico igitur in hoc quod virtus intellectiva noſtra nata eſt per ſigna rapi ad res, & applicari illis per illa, & applicatione hujuſmodi inſcribi ab illis ſeu pingi, verumtamen nonniſi ſignis, & formis intelligibilibus, eodem modo per unum colligatorum ad invicem nata eſt rapi, & applicari aliis ſi multa ſunt, & alij ſi unum ſolum eſt. Et hæc eſt cauſa radicalis locorum tam dialecticorum quam rhetoricorum, ſimiliter inventionis mediorum ſyllogiſticorum & demonſtrativorum, colligationes enim inſeparabiles, & neceſſariæ certitudinem faciunt ſyllogizantibus ab uno colligatorum ad aliud aut alia. Colligatio vero ſive cognitio quæ non habet neceſſitatem, aut inſeparabilitatem non ſufficit efficere niſi fidem aut opinionem. Et hoc eſt exemplum ſatis conveniens de ſolertia quæ eſt facilitas ſeu promptitudo inveniendi medium, ſicut apparet in exemplo Ariſtotelis de illo qui videt aliquem cum campſore loquentem, & ex hoc opinatur quod de mutuandâ ab eo pecunia tractat cum ipſo, aut de aliis rebus hujuſmodi quæ ad artem vel artificium campſoris pertinent. Aliud exemplum dedi tibi in aranea quæ ex motu vel concuſſione telæ ſuæ ſtatim rapitur ad imaginandum caſum muſcæ, vel alterius beſtiolæ; cum tamen motus tanta diſſimilitudine diſtet à muſca, & captione ejus; eſt iſtud igitur per hoc quod prædixi videlicet per comitantiam ſeu colligationem antedictam, ſunt igitur hujuſmodi formæ intelligibiles potentia promptiſſima, vel potius habitus qui eſt tanquam mors in anima araneæ. Et ad hunc modum ſe habet de vir-

tute noſtra intellectiva, cum promptiſſima fuerit ad unum colligatorum perpendendum ex alio, ſeu per aliud. Attende diligenter quod dixi tibi de habitu hujuſmodi, videlicet quia eſt ſicut mos. Jã enim didiciſti alibi quod mores ſunt habitus ex quibus ſine præmeditatione eſt frequentia operum.

Quod non ab intellectu hæ formæ producantur, ſed à Deo quod ſpeculum eſt ad quod omnia relucent.

Verum non immerito quæritur quæ ſit cauſa efficiens hujuſmodi formarum intelligibilium, quæ promptitudine reſultant ſive apparent in effectu in virtute intellectiva. Si enim ipſa virtus intellectiva eſt efficiens eas in ſemetipſa, erit ſimul agens & patiens, dans & recipiens illa; & quoniam iſta contraria eſſe videntur, non inerunt eidem ſecundum idem. Inerunt igitur eidem ſecundum diverſa: ſecundum aliud igitur agens formas hujuſmodi, & ſecundum aliud patiens illas: ſimiliter ſecundum aliud ſui dans, & recipiens eaſdem. Quapropter jam reduxi te ad id quod declarare tam ſtudioſè curaveram in eis quæ præceſſerunt: hoc autem eſt error de intellectu agente, & intellectu materiali. Dico igitur quod virtus intellectiva efficitur habitus intelligendi promptè & expeditè, & efficietur actu, & ultima ſua perfectione qua futura eſt ſecundum intellectuale relucens ut prædixi tibi ad ſpeculum luciditiſſimæ, expreſſiſſimæque univerſalis apparitionis quod eſt creator benedictus.

Quod virtus intellectiva indigeat adjutore ad hoc ut reducatur in actú.

Tu autem vides quod virtus intellectiva ex eo quod eſt virtus intellectiva potentia eſt intelligendi tantũ non potens per ſemetipſam exire in actum intelligendi, ſed indiget ut ſæpe audiviſti eductore & adjutore alio. Per habitum vero efficitur non ſolum potens, ſed etiam promptiſſima, expeditiſſimaque ad actus intelligendi, & efficitur ſicut fons inundantiſſimus, & copioſiſſimus inundans in ſemetipſo ſive intra ſemetipſum: non enim eſt fons ſive ſcaturigo aquarum ſcientialium ſive ſapientialium tantum, imo etiam eſt alveus, & receptaculũ. Quemadmodum aqua maris vel fluminis non eſt tantum potens aut generativa piſcium, ſed etiam habitatio & receptaculum: ſic habitatio quædam, & receptaculum ſcientiarum per naturam propriam eſt virtus intellectiva. Fons autẽ inundativus earum, generativus earum in effectu eſt per habitum acquiſitum: acquiſitum autem intelligo ſuperinfuſum, qualis fuit ſapientia regis illius ſapientiſſimi, atque incliti Hebræorum quæ eidem à Deo altiſſimo infuſa eſt. Doctrina etiam & experientia ſapientiales, & ſcientiales habitus, ſicut tibi manifeſtum eſt, ſæpiſſimè acquiruntur. Eſt ergo hoc quod hic dico quemadmodum de ſpeculo, de quo certum eſt tibi quod naturaliter receptibile eſt, & receptaculum in eo reſultabilium ſubſtantiarum ſive formarum, non autem generativum earum in ſe ipſo, ſed extra ſe tantum, videlicet in aliis ſpeculis. Verum ſi ei vel viſui habitu ſeu frequentia reſultationum, ut generativum efficeretur illarum de ſemetipſo abſque inſpectore generaret illas; & eſſet non ſolum ſpeculum, ſed etiam ſpecioſum, & intendo ſpeciebus plenum plenitudine redundativa earum. Sic eſt habitus ſcientialis vel ſapientialis in ſpeculo intellectivæ virtutis, videlicet ut plenitudo, & fons redundans ſive inundans in eadem ſcientias in effectu. Et adjuvat te in hoc teſtimonium legiſlatoris chriſtianorum qui indubitanter eſt magiſter unicus veritatis. Dicit enim ore ſuo benedicto quod

Io.4.14.

qui biberit ex aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. Et proculdubio de ſcientia ſalutis, & ſapientia ſalutari, & de ſcientia vivifica hoc intellexit ſicut & antiquus ille rex Hebræorum de quo tibi feci in proximo mentionem dixit

Prov.18.4 Prov.20.5

aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ viri. In quibus omnibus ſermonibus nihil omnino intelligi poteſt fons, vel aqua, vel profunditas niſi habitus ſcientialis vel ſapientialis implens virtutem intellectivam uſque ad redundantiam.

Modus generationis ſcientiarum in intellectu. (approximate)

Determinatum igitur eſt tibi per hoc quod virtus intellectiva non eſt agens, & patiens ſcientias in effectu, neque dans, & recipiens illas ſecundum idẽ ſed recipiens eſt illas ex naturali aptitudine ſeu receptibilitate ſua. Dans vero ſive inundans illas eſt ex plenitudine hoc eſt ex habitu redundante in eam, & intra eam. Et quoniam plenitudo hujuſmodi habitus tanquam fons eſt ſcientiarum actualium inundans eas de ſe in capacitatem ſive amplitudinem atque profunditatem virtutis intellectivæ. Quemadmodum in alveum proprium, & eſt nonnulla ſimilitudo inter generationem ſcientiæ ſeu ſapientiæ actualis, de qua agitur hic, & generationem primogenitæ ſapientiæ quæ eſt Dei altiſſimi filius. Sicut enim Deus pater de propriæ fœcunditatis plenitudine, *eructavit verbum illud bonum* quod eſt dicere genuit intra ſemetipſum; ſic vis intellectiva quaſi imprægnata, & fœcundata hujuſmodi habitu de plenitudine illius eructat & gignit ſcientias in effectu in ſemetipſa, & intra ſemetipſam; ſcientiam autem in effectu non intelligo niſi formas intelligibiles ſive ſigna intellectualia reſultantia in effectu, & actu apparentia in ſpeculo virtutis intellectivæ.

Quod liberum eſt uti habitibus illis ſive ſpeciebus illis ad generandum nunc unam, nunc aliam ſcientiam. (approximate)

Debes autem hoc ſcire in hoc quod voluntarium eſt ac liberum virtuti intellectivę generationes iſtas facere in ſemetipſa, cum imprægnata fuerit habitu vel habitibus hujuſmodi. Et propter hoc juxta velle ſuum nunc generat unam ſcientiam in effectu, nunc aliam. Quemadmodum enim vir locuples habens in cellario ſuo multa vaſa vinaria plena extrahit juſſu vel beneplacito ſuo de quo vult ex illis, & nunc de uno, nunc de alio. Sic vis intellectiva habens multos habitus penes ſe, vel apud ſe extrahit in effectum ſive in actum ſcientias actuales: de illis autem nunc unam, nunc aliam, & nunc de uno, nunc de alio. Magis autem verè, magiſque propriè hujuſmodi habitus fontes dicti ſunt; quoniam habitus quantum ad plenitudinem ſuam in nullo imminuuntur per exitum ſcientiarum actualium de illis, quin potius adaugentur, & confortantur, & hoc non ita ſe habet de vaſis vinariis.

Tres aſſert cauſas cur dormiant aliquando ipſi habitus ſive fontes ſcientiarum quæ ſunt attentio ad alia, ſomnus, & imperium voluntatis. (approximate)

Si quis vero quærat cur quandoque dormiunt habitus iſti ſive fontes, & hoc eſt quod non emanent ex illis rivi ſcientiarum actualium. Reſpondeo in hoc quod clauduntur hujuſmodi fontes vel obſtruuntur ad modicum per attentiones virtutis intellectivæ ad alia. Similiter per ſomnum, & dormitionem corporalem; interdum inquam, nam etiam in ſomno fiunt emanationes hujuſmodi tanquam ſomnia: nec mirum ſi de reliquiis aliarum cogitationum vel cognitionum ſomnia interdum proveniunt, quemadmodum ex hujuſmodi habitibus ſcientiæ actuales in dormientibus aliquando emanant vel apparent in effectu. Dico etiam quod virtus intellectiva in ſubjectione, & obedientiã conſtituta eſt naturaliter voluntatis, quemadmodum & viſus exterior; videmus enim cum volumus, & quæ volumus, & avertimus viſum ab his quæ videre nolumus. Tres igitur cauſę ſunt evidenter oſtenſæ tibi per quas non ſunt continuæ generationes iſtæ ſcientiarum actualium ſive apparitiones in ſpeculo virtutis intellectivæ, videlicet ſomnus, & attentio ſive occupatio ejus circa alia. Tertio imperium voluntatis cui omnino ſubdita eſt virtus intellectiva.

Quod fiant ſcientiæ ab habitibus iſtæ per generationem quandam. (approximate)

Quod ſi quis quæſierit qualiter ex habitibus hujuſmodi fluant formæ iſtæ? Reſpondeo in hoc quod ex habitibus hujuſmodi videlicet ſcientialibus ſive ſapientialibus fluunt per generationem, quod eſt per exitum de potentia eſſendi in actum; in habitu enim hujuſmodi ſunt non ſolum potentia qualicumque,

cumque, ſed potentia promptiſſima, atque pleniſſima, & ad generationem iſtam paratiſſima. Ex habitibus vero melioribus exeunt tanquam ex theſauro; & hoc eſt dicere tanquam repoſita, & propter hoc exeunt tanquam vetera, juxta ſermonem quem dixit magiſter veritatis in lege chriſtianorum videlicet quod *omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt homini qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Vetera quidem quantum ad theſaurum memoriæ, nova vero quantum ad ſcientias actuales, quarum generatio fit juxta antedictum modum. Debes etiam hic reminiſci de virtute quæ vocatur ingenium ſive ingenioſitas, ex qua eſt facilitas inventionis mediorum ad probationes, & probationum ſive argumentorum: & videtur nominatum ingenium ab eo quod eſt intus, & gignendo: ingenioſos enim dicimus qui ab intus, hoc eſt à ſeipſis, facile gignunt media, & probationes in doctrinis, ſimiliter in doctrinis eos qui faciles ſeu prompti ſunt ad excogitanda vel facienda nova opera, ad quæ vel invenienda, vel facienda alij homines difficiles, vel tardi ſunt: & dixit quidam ex ſequacibus Ariſtotelis quod bonitas memoriæ pars eſt bonitatis ingenij ſive ingenioſitatis.

Matth. 13. 52.

Quid ab ingenio differat memoria.

Ex quo manifeſtum eſt quoniam errant: ingenioſitas enim ad inventiones ſe habet. Nec enim alios conſuevimus ingenioſos dicere, niſi illos quos uſualiter vocamus homines bonæ inventionis, quod eſt dicere faciles, & ſubtiles ad invenienda etiam difficilia, quorum inventiones merito hominnes admirantur. Dico ergo quod memoria ſua bonitate non parum adjuvat ingenium, cauſa autem in hoc eſt, quoniam omnes res propter colligationes, & concomitantias antedictas viæ ſunt aliæ ad alias, & intus ducunt aliæ ad alias virtutem intellectivam juxta modos quos audiviſti, ſicut cauſa introducit effectum ad illam, & effectus ad cauſam, & de aliis concomitantibus ſe, ſive connexis ad invicem ſimiliter ſe habet. Quemadmodum exterius ſenſibiliter vides de duobus ad invicem colligatis corporibus, ſi ad aliquam partem alterum trahitur, neceſſe eſt, & reliquum in eandem trahi. Debes autem ſcire hic quod non eſt neceſſe ut omnia ſigna rerum ſimilitudines earum ſint, ſicut expreſsè vides in nominibus rerum, & ſignis litterarum, inter quæ, & res quas ſignificant nulla eſt omnino ſimilitudo, ſimiliter inter figuras numerorum, & numeros quos ſignant nulla eſt vel etiam tenuis ſimilitudo, &c.

PARS NONA.

Vtrum cauſa per ſeipſam vel per aliquam ſimilitudinem inducat notitiam effectus.

Res non ſunt in intellectu niſi per ſigna ſua, & ſimilitudines, adeoque nec cauſa ducit in cognitionem effectus niſi per ſimilitudinem ſuam.

QUæſtionem autem habet utrum cauſa per ſemetipſam abſque ullo alio videlicet vel ſimilitudine, vel ſigno quocumque oſtendere ſufficiat effectum ſuum, & introducere in virtutem intellectivam. Hoc enim videri poteſt; cum poſita hujuſmodi cauſa ubicumque, & quandocumque, neceſſe ſit, & tunc, & ibi poni effectú, de cauſa namque hujuſmodi intendo hic qua poſita in vi intellectiva neceſſe eſt & poni effectum in eadem, non eſt igitur opus ad hoc ſimilitudine vel ſigno alio: non igitur eſt verum quod dixit Ariſtoteles in ſermone ſuo videlicet quod impoſſibile eſt intelligi ſine phantaſmate. Reſpondeo igitur in hoc quod ponere res in virtute intellectiva non eſt niſi ponere ſigna earum in illa: aliter enim non ſunt res forinſecæ apud animam niſi videlicet per hoc quod ſigna eorum in illâ, vel apud illam ſunt: quemadmodum aliquis eſſe vel ſcribi dicitur, ubi nomen ejus eſt, vel ſcribitur: ſimiliter & pingi vel eſſe cum imago ejus, vel eſt, vel pingitur. Amplius ſicut ipſa cauſa in virtute intellectiva eſt, vel apud illam, ſic in ea ponit effectum ſuum, vel introducit in illam. Non eſt autem in ea vel apud illam, niſi per modum quem dixi, videlicet, per deſignationem: & propter hoc non aliter introducit effectum ſuum in illam vel ponit in illa. Quod ſi quis dixerit quod nota hujuſmodi cauſa etiam excluſis ſignis effectus neceſſe eſt effectum eſſe notum: non dicit verum quia nata eſt vis intellectiva per ipſam cauſæ hujuſmodi notitiam capere ſibi ſive in ſe deſignationem ſive ſignum effectus, quod non eſt niſi actualis ſcientia, ſive notitia propria effectus.

Affert ſententiam cujuſdam doctoris chriſtiani qui animã putabat formare ſibi ſpecies quoties excitata fuiſſet per ſenſum.

Quoniam autem quidam ex nobilioribus chriſtianorum doctoribus dicunt virtutem intellectivam formare in ſe ſigna rerum intelligibilium, & hoc mira agilitate, cum ad cogitandum de iis fuerit excitata, ſive per ſenſum aliquem, ſive ab intus per memoriam, aut imaginationem, repetam antepoſitam quæſtionem videlicet qualiter iſtud efficiat anima humana in ſemetipsâ ſive virtus intellectiva. Hoc enim eſſe videtur ut prædixi agere, & pati ſive dare, & recipere ſimul à ſeipſa. Qualiter autem aget vel dabit quod non eſt apud animam, ſive quod non habet? Si autem habet redimus, & ego, & tu ad errorem de intellectu agente vel ad errorem Platonis de perfectione animæ humanæ in ipſa creatione ſua.

An ſubita ſit generatio ſimilitudinum in intellectu.

Dico igitur in hoc quod ſemen omne natum eſt ex ſe ipſo generare ſpeciem cujuſmodi eſt ſemen, & ovum natum eſt ex ſe ipſo, & in ſeipſo generare pullum. Verum generatio in his non eſt ſubita imo indigens tempore, propter naturam corpoream cujuſmodi generatio per corruptionem alterius fit quarum neutra poteſt fieri niſi in tempore. Accidit autem hoc propter infirmitatem, & imperfectionem virtutis generativæ quæ non poteſt complere operationem tanta velocitate ut tempus non exigat. Operatio vero creatoris, quam per ſemet operatur propter nobilitatem ac ſupereminentiam fortitudinis, tempus non exigit, & cito in uno tempore completur, & ſubito: quod ſi hujuſmodi eſſet virtus ſeminis, tunc ſubito complerentur generationes quæ fiunt ex eis. Et propter hoc ex uno grano ſinapis ſubito complerentur generationes, & radicum, & ſtirpis, & frondium, & granorum quorum tanta numeroſitas ex illo uno eſt. Neque neceſſe eſt ut omnis exitus de potentia in actum fit per actionem, & paſſionem, ſicut vides in exitu virtutis motivæ in motum ſuum; alioquin omnem motum præcederent infiniti. Nata igitur eſt virtus intellectiva una excitatione etiam levi recipere multas deſignationes, & fieri liber multarum deſignationum: cauſa autem in hoc eſt, quoniam excitatio hujuſmodi applicat illam rebus, atque conjungit conjunctione ſpirituali. Et propter hoc ſicut dicitur de animali quod chamæleon nominatur; ſic ſe habet, & de virtute intellectiva quæ omnium rerum, quibus hujuſmodi applicatione conjungitur ſimilitudines vel ſigna in ſe recipit: & ſicut de ſimia manifeſtum eſt quod opera quæ videt ab hominibus fieri prout valet effigiat, & ſe eis operationibus aſſimilat: ſic virtus intellectiva nata eſt rebus ſic applicata ſe aſſimilare, ſimilitudineſque vel ſigna earum aſſumere; ad hoc enim nata eſt naturaliter ut efficiatur liber in effectu ſibi ipſi rerum quibus ſic conjungitur.

Qualiter anima patiatur à rebus univerſalibus atque etiam non exiſtentib⁹.

Quod ſi quis quærat qualiter à rebus hujuſmodi patiatur quæ fortè vel univerſales ſunt, vel adeo abſtractæ, & elongatæ ab ipſa. Reſpondeo in hoc quod etiam rebus non exiſtentibus applicabilis eſt, & conjungibilis eſt per hunc modum, nec ſolum ipſa, ſed etiam vis motiva, ideſt imperativa motus

tam ſuperior, quam inferior. Contingit igitur animam humanam, & amare interdum, & deſiderare quædam quæ non ſunt. Plerumque enim eſuritur cibus vel potus qui nondum eſt, & concupiuntur montes auri qui omnino non ſunt. Si igitur amores, & deſideria, & ſitis, & fames ſunt animæ humanæ à rebus quæ non ſunt, non debet tibi videri nec irrationale vel falſum ſi à ſemetipſa per applicationes hujuſmodi fiunt in ea deſignationes ſeu deſcriptiones intelligibiles. Si à rebus non exiſtentibus adjuvatur ad hoc, quanto fortius à ſeipſa. Hoc igitur eſt agilitas ipſius, & virtus naturalis, ut etiam quæ non ſunt deſignet, & deſcribat in ſemetipſa. Cum etiam poſſit, & faciat extra ſe in ſcripturis & picturis, quanto fortius igitur hoc debet poſſe facere in ſemetipſa? cum hæc ſit natura ejus ut res alias libros ſibi ipſi faciat, & ipſa nata ſit ut ſæpe dixi fieri liber rerum omnium. Non immerito igitur vir ille ſanctus, & ſapiens dixit quod mens humana in ſemetipſa, & per ſemetipſam formet imagines ſeu deſignationes rerum omnium quas intelligit: & non eſt mirum, cum ſemetipſum conjunctione ſpirituali conjungat, & applicet etiam rebus non entibus.

Quomodo intelligi debeat dictū Ariſtotelis quod ſentientes calidum caleſcimus, non autem intelligentes.

Amplius dicit Ariſtoteles quod ſentientes calida caleſcimus, non autem intelligentes calidum propter hoc caleſcimus, hoc autem non eſt poſſibile ut ſit, niſi propter alterutram duarum cauſarum quas dicam aut propter ambas ſimul, videlicet, quia ſimilitudo caloris non pertingit ad vim intellectivam, ſimilitudo inquam vel impreſſio quæ calor dici poſſit aut debeat, ex ejus vero impreſſione, quod calor nec dici poteſt, nec debet, nihil calefieri poſſibile eſt. Cauſa vero altera eſt elongatio ſive diſtantia ab intellectu, quæ diſtantia adeo imminuit ſive impedit virtutem caloris ut in tam remoto ſubjecto impreſſionem expreſſæ ſimilitudinis ſuæ facere non poſſit, adjuvat etiam ad hoc natura ipſa virtutis intellectivæ quæ paſſionum hujuſmodi videlicet ſenſibilium nullo modorum naturaliter receptibilis eſt.

Quod ſigna quæ ſunt in intellectu non ſunt ſimilitudines rerum verè & propriè.

Quapropter ſignum caloris quod in virtute intellectiva, & eſt, proculdubio non eſt ſimilitudo caloris verè ac propriè: ſicut vides in nominibus, & numeris, & in ſcripturis eorum quæ nullam habent ſimilitudinem eorum quorum figura ſunt. In ipſa etiam pupilla oculi, quæ utique corpus eſt, ſignum quadratæ, & triangulatæ figuræ non eſt ſimilitudo illius, & tamen figura hujuſmodi clarè, & plenè videtur. Qualiter autem eſſe poteſt ut ſignum unum in pupilla exiſtens tantæ rerum varietatis ſimilitudo eſſet: cum enim arbor una cum frondibus foliiſque, & floribus ſuis conſpicitur, quod ſignum poteſt eſſe in pupilla oculi quod ſit ſimilitudo ipſius arboris, & frondium ejus, florumque, & foliorum. Tibi etiam notum eſt quod cauſa ſignum quidem eſt effectus, & econverſo, & omnia ſibi invicem connexa ſeſe concomitantia mutuo ſe invicem deſignant virtuti noſtræ intellectivæ, atque oſtenduntur, uſualiter etiam dicitur fumus ſignum caloris vel ignis.

Concludit nihil impedire quominus vis intellectiva ſecundum aliud recipiat inundationem, & ſecundū aliud in ſemetipſam exundet.

Jam igitur ſcire debes per hoc quod nihil prohibet virtutem intellectivam inundare ſuper ſemetipſam, cum alveus ſit ex naturali receptibilitate ſuâ aquarum ſcientialium, ſeu ſapientialium, & fons, imo fontes ex additis ſibi plenitudinibus in habitibus ſeu motibus antedictis. Quapropter ſecundum aliud exundat ſive emicat ſuper ipſam, & ſecundum aliud recipit inundationem ſeu emicationem hujuſmodi. Conſidera igitur ſimilitudines & exempla, atque aggrega in ſimul, ſimiliter conſidera generationem primogenitoris, & exemplum quod tibi poſui de ſpeculo formifico, ſeu formifluo, & non miraberis in virtute noſtra intellectiva rationem iſtam, & receptionem. Quod ſi attenderis ſic egreſſus in effectum de potentia hujuſmodi non habet contrarietatem inter potentiam, & actum, imo alterum eſt perfectio alterius. Quemadmodum effectus eſt quædam inundatio ex copioſitate, & emicantia ex luminoſitate, iſti vero ponunt intellectum materialem alveum tantum nihil ex ſe potens emanare, ſive fluere, ſimiliter & ſpeculum mortuum manere in ſeipſo & vacuum, & librum ut prædixi cujus inſcriptio adventitia tantum ſit, & à foris ei ſolum adveniens, nihil amplius ad inſcriptionem ſuam potens, niſi quod charta, vel pergamena, aut tabula raſa.

Recapitulatio præcedentium.

Iterum igitur declarata eſt tibi animæ humanæ natura per hoc quantum ad virtutem intellectivam quod ipſa nata eſt fieri fontes ſive fontales ſcaturigines ſcientiarum actualium, & hoc quantum ad habitus ſcientiales ſive ſapientiales. Eodem modo nata eſt fieri theſaurus, & repoſitorium, & hoc quantum ad virtutem memorativam, & feci jam te ſcire differentiam inter fontes iſtos ſeu ſcaturigines ſcientiarum actualium, & theſauros antedictæ memorativæ virtutis. Declaravi etiam tibi quod poſſibile eſt ut fontes iſti de inundatione primi ac univerſalis fontis veniant atque ſcaturiant, ſicut apparent in ſcientiis quæ per revelationem Dei altiſſimi fiunt, quales ſunt ſcientiæ contemplativæ, quibus dignatione ſua illuſtrat, & replet intellectus virorum ſanctorum, tales ſunt, & prophetici ſplendores. Nihilominus autem, & aliunde, videlicet doctrinis, & inveſtigationibus philoſophicis repletur vis intellectiva, ita ut efficiatur fontes multi ſive ſcaturigines ſcientiarum actualium. Accidit & hoc ſibi de memoriis, & experimentis juxta ſermonem Ariſtotelis in ſuo libro metaphyſicorum. Et juxta eoſdem modos fiunt mores, & habitus in anima humana quantum ad virtutem ſuam motivam nobilem; fiunt enim ex frequentia operum juxta quod dicit Ariſtoteles, & nihilominus ex prælarga bonitate creatoris in his qui ex ſolo dono gratiæ ipſius tanta promptitudine plerumque præditi ſunt, ut nec præmeditari neceſſe habeant, neque ulla alia præparatione indigeant ad quædam bona peragenda, manifeſtum enim eſt tibi in quibuſdam viris ſanctis paratiſſimas eſſe quaſdam virtutes ad operationes ſuas: tantus enim amor Dei altiſſimi fervet in quorundam virorum ſanctorum cordibus, ut ad omnem nominationem ipſius, & ad quamcumque mentionem flammeſcant deſiderio ipſius, vel deficiant, & liqueſiant, atque langueant amore ipſius modis quibus talia contingere ſolent in illis qui turpi etiam amore ſe invicem diligunt. Eodem modo ſe habet in habitu timoris cum vehementia exterminat, ſic in habitu doloris, & aliis hujuſmodi.

PARS DECIMA.

Quæ eſt natura intellectus ſpeculativi.

Quod intellectus ſpeculativus qui eſt circa divinas non eſt alia potentia ab intellectu qui eſt circa res naturales.

POſt autem aggrediar declarare tibi ac determinare quid eſt intellectus qui dicitur theoricus ſeu ſpeculativus, & quid ille qui dicitur practicus. Sciendum igitur in primis eſt tibi quod fuerunt erronei, & imbecilles quidam, & adhuc de hujuſmodi hominibus aliqui ſunt, qui dixerunt intellectum theoricū ſive ſpeculativum vim quandam animæ humanæ, quæ non intendit niſi rebus divinalibus ac theologicis. Hoc autem non eſt poſſibile videlicet ut propter res divinales, & theologicas oporteat habere per ſe vim intellectivam quæ aliorum apprehenſiva non ſit, & hanc imbecillitatem memini me audiſſe etiam his verbis videlicet quoniam alia eſt vis intellectiva quæ divinis

nis ac cœleſtibus ſe intermittit ſolummodo, alia quæ de rebus humanis & terrenis. Hoc autem evidenter eſt ac ſi diceretur quia alius eſt viſus quo videmus cœlum, & cœleſtia corpora; & alius quo videmus terram, & terreſtria, quo falſo nullum maniſeſtius. Amplius contrariorum, & omnium oppoſitorum eadem eſt diſciplina; & eadem ſcientia, ſicut & idem ſenſus; & intendo quod non poteſt eſſe quorumcumque duorū oppoſitorum niſi unus ſenſus, & una ſcientia. Qualiter igitur eſſet rerum divinalium, & non divinalium diverſus intellectus? Amplius qualiter erit vis intellectiva ſecundum intelligibile in futura ſua gloria; ſi non etiam ſpiritualia & corporalia videamus, & inde in eadem ſimul reluceant? Non autem eſt poſſibile ſecundum hunc errorem ut in eadem ſimul iſta reluceant vel appareant ſi de natura ſua creata eſt ad alterutrum; neceſſe igitur eſt ut ponat duas partes ipſius, vel duas eſſe vires intellectivas, alteram quâ intelligantur divinalia ſive ſpiritualia, alteram quâ cognoſcantur corporalia, ſive mavis dicere quæ ſpiritualibus æterna, & quæ corporalibus temporalia. Amplius intelligere cum unus actus ſit ſecundum ſpeciem, erit neceſſario ex una in numero potentia.

Quod intellectus theoricus non ſit pars ſuperior rationis, quia impartibilis eſt ſicut & ipſa anima.

Proceſſerunt autem in errorem intolerabilem quidam alij, qui dixerunt intellectum theoricum priorem partem eſſe rationis, intendentes rationem vim nobilem apprehenſivam animæ humanæ, cui ſi poſuerunt partem errore intolerabili indubitanter poſuerunt; cum jam declaratum tibi ſit animam humanam impartibilem eſſe: quanto fortius igitur impartibilem eſſe neceſſe eſt virtutem cognoſcitivam ipſius nobilem; veriſimilius enim longe eſt de qualibet virium animæ humanæ ipſam eſſe impartibilem quam de ipſa anima tota. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc quod nec vis animæ humanæ nec pars eſſe vel dici poteſt intellectus theoricus.

Quid ſit intellectus theoricus, & in quo differat à practico?

Dico igitur quod intellectus theoricus intellectus eſt, ſive ſcientia intellectiva, aut intellectualis theorematum uniuſcujuſque doctrinæ vel diſciplinæ? unde & theoricos vocamus qui ſcientiam habent hujuſmodi, hæc enim eſt ſcientia propter quid, & uſualiter theorica uniuſcujuſque practicæ ſcientia dicitur propter quid ejuſdem. Sic & intellectus practicus ſcientia eſt propriè quæ acquiritur per experientiam operum, & vocatur appropriata nominatione ſcientia, quia nec eſt prohibita vis intellectiva humana per ſcientiam propter quid ab ipſa ſcientia quia, aut econverſo, imo adjuvatur ab utraque parte ad alteram. Quapropter manifeſtum eſt quod ſcientia propter quid, & ſcientia quia in eadem intellectiva ſunt, & ex altera nominatur intellectus practicus, & ſimul altera illarum, ut prędixi, nominatur intellectus theoricus, ſicut & ipſæ nominationes hujuſmodi ſonant: practicus enim Græcè, Latinè operativus, vel operator. Sic & theoricus contemplativus & contemplator, & ſpeculativus & ſpeculator, & frequens eſt in ſcientia medicinæ, & in ſcientia geometriæ, atque arithmeticæ; multi enim inveniuntur qui habent ſcientiam theoricam, & ſunt valde periti in theoricis ſeu in theorematibus, ignari vero in practicis, ſive in operationibus.

Practicus intellectus frequentius ad operationes morales refertur unde diviſio vitæ practicæ, & contemplativæ.

Sciendum tamen eſt tibi quod practicæ ſcientiæ, & practicus intellectus frequentius in uſu noſtro ad operationes morales referuntur, ſicut & theoricus ad ſpeculationes ſublimes ac nobiles videlicet theologicas ſive divinales. Animæ enim ſpeculationes, & operationes viles ſunt apud ſapiētes in lege, & gente chriſtianorum, & juxta hanc diviſionem diviſæ ſunt virtutes in theoricas, ſcilicet & practicas: & theoricas quidem ſive contemplativas, quarum intentio ſurſum eſt tantum, & ad operationes quæ aſſimilantur operationibus beatiſſimarum ſubſtantiarum Deo aſtantium, & hæ operationes ſunt aſpicere in pulchritudinem creatoris, & in ejus magnalia, mirari, laudare ipſum, & gaudere in ipſo, & de ipſo. Practicæ vero virtutes ſunt, quarum operationes miniſteria ſunt ad utilitates hominum, vel etiam aliorum, ſi quæ alia ſunt, quæ miniſteriis hujuſmodi indigeant. Interdum enim, & revelationes fiunt à majoribus hujuſmodi ſubſtantiarum ad minores, juſſaque, & mādata creatoris per majores ad minores veniunt. Et juxta iſta duo genera virtutum, duæ vitæ à ſapientibus, & ſanctis gentis chriſtianorum diſtinguuntur, quarum alteram contemplativam, alteram vero vocant activam: & contemplativam quidem per quam totaliter juxta antedictos modos vacatur creatori. Activa vero qua utilitatibus hominum ſpiritualibus in primis inſiſtitur, ſecundario corporalibus ſeu temporalibus, & hoc amore creatoris, alias enim neque activa habetur hujuſmodi, nec vocatur. Agricolæ enim & vinitores pro mercede temporali ſolummodo in agris & vineis operantur: doctrina vero chriſtianorum activos nec nominat, nec reputat, cum amore creatoris non exerceant.

Quod vitæ activæ nomen non merentur operationes niſi ſint propter amorem Dei in quo quidem utraque vita conſiſtit.

Cauſa autem in hoc eſt quoniam omnium virtutum nobiliſſima, & creatori gratiſſima, & hominibus dilectio ipſius eſt quam gens illa charitatem uſitato nomine dicit: & quoniam ex ipſa diligunt ſe invicem homines propter ipſum creatorē, oriuntur ex hujuſmodi dilectione vitæ duæ, vel vita una ex duabus illis compoſita, altera ſcilicet quâ Deo ſoli vivitur, altera qua hominibus propter ipſum: & intendo Deo ſoli videlicet non inſpecta utilitate hominum: ſic & ipſa utilitas cum impenditur hominibus, & non amore creatoris non eſt reputanda operatio antedictæ vitæ. Licet enim fabri & agricolæ, cæterique hujuſmodi artifices plurimas utilitates temporales impendant hominibus, cum eas amore creatoris non exhibeant, non tamen in parte iſta vita eorum activa reputanda eſt, nec ipſi activi. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam nec opera hujuſmodi, nec operæ, nec ipſa vita eorum in hujuſmodi artificiis de radice procedit antedictæ dilectionis.

Benignè explicandi ſi qui ſuperiorem partem rationis ab inferiori diſtinguere videantur.

Cum igitur audiviſti ſermones ſapientum dicentium quod ſuperior pars rationis ſupernis rebus intendit aut divinalibus, ſanè debes intelligere eos, pars enim apud eos dicta eſt pro eo quod eſt in parte ſive particulariter. Eodem modo ſe habet quod dictum eſt quod pars inferior rationis rebus terrenis ſeu temporalibus adminiſtrandis intendit. Quemadmodum & practica vocata eſt ipſamet actio propter operationes, quibus peragendis, & ordinandis amore creatoris intendit.

PARS UNDECIMA.

Quid eſt intellectus adeptus.

Oſtendit quod intellectus adeptus nō eſt alius à practico, & ſpeculativo.

DE intellectu vero qui dicitur adeptus non eſt poſſibile ut ſit vel pars animæ humanæ, vel aliquid novum in illa aliud ab intellectibus quos tibi nominavi: declaratio vero hujus eſt quia intellectus iſte eſt quo ipſa anima humana intelligit ſe eſſe intelligentem. Quia igitur intellectus quo intelligit ſe gaudentem aut dolentem non eſt aliud quam dolor ipſe, vel gaudium quo gaudet & dolet ipſa: ſic etiam intellectus aut intelligens quo ſuum intellectum, vel ſuum intelligere intelligit, non aliud eſt ab ipſo intellectu vel ipſo intelligere; alioquin impoſſibilia plura, & inconvenientia intolerabilia ſequerentur.

Primum quoniam iret res hujuſmodi in infini-

Primum ne demum proceſſus in infinitum.

tum: ſi enim intellectu ſuo non intelligeret illud, neceſſarius eſſet ei alius intellectus ad intelligendum ipſum ſimiliter, & aliud intelligere ad intelligendum illud: & de aliis ſimiliter neceſſe eſſet, ut alio intellectu, & alio intelligere intelligerentur, & ita in infinitum.

2. Quia eſſent duo intellectus ejuſdem ſpeciei in eodẽ ſubjecto.

Secundũ quia intelligere quo intelligeretur aliud intelligere eſſet ejuſdem ſpeciei cum alio quo intelligeretur. Alterum enim eſſet ſignum alterius, & impreſſum ab altero in virtute intellectiva, & propter hoc eſſent ejuſdem ſpeciei, eſſent igitur duæ formæ ejuſdem ſpeciei in eodem ſubjecto, & hoc ſecundum idem; cum in virtute intellectiva non ſit poſſibile eſſe partem, & partem.

3. Quia unũ & idem nõ poteſt ſibi imprimere formam ſimilem ei quã habet.

Tertium quia forma exiſtens in ſubjecto imprimeret aliam ſibi ſimilem eidem. Hoc autem eſt, ac ſi diceretur quod album per albedinem ſuam imprimeret ſibi albedinem aliam. Manifeſtum autem eſt quod album per hoc quod album non eſt receptibile albedinis, neque ullum aliud ſubjectum eſt receptibile formæ quam habet in actu, & omnino nullius formæ vel diſpoſitionis receptibile eſt aliquod ſubjectum, niſi ejus ſolius quam habet in potentia tantum, quod eſt dicere non in actu; album enim non eſt receptibile albedinis quam jam habet in effectu, ſed neque illius coloris quem habet in potentia; quoniam hoc prohibet albedo quæ occupavit illud; & impoſſibile eſt duos colores ejuſdem ſpeciei eſſe in ſuperficie una ſecundum totum vel ſecundùm partem eandẽ; ſive ſint unius ſpeciei, cum nihil albere poſſit duabus albedinibus, ita ut utraque ſimul: ſive ſint duarum ſpecierum, quoniam tunc eſſe contrarij.

4. Quia ubi præſens eſt ipſa res neceſſarium non eſt ſignum quo cognoſcatur.

Quartum vero inconveniens eſt quia ſecundum hoc plus poſſit ſignum, ad oſtenſionem rei cujus eſt ſignũ quam præſentia veritatis illius, imo ipſa præſentia veritatis quaſi nihil poſſet ad oſtenſionem ſui ipſius; cum niſi per ſignum apparere ſive cognoſci non poſſet. Nemo autem intelligens ignorat ubi eſt præſentia veritatis, ſignum vel deſignatiõnẽ quamcumque neceſſariam non eſſe, juxta ſermonem Ariſtotelis in libro elenchorum, quo dicit quod nõ eſt diſputare res ferentes quod eſt dicere, quod ſi qui utantur diſputantes propter rerum abſentiam, quia ſi præſentes eſſent ſignis diſputantes nõ indigerent. Sicut igitur gaudium ſuum vel triſtitiam ipſa præſentia veritatis utriuſque cognoſcit anima humana, nec ſignũ propter illas cognoſcendas requirit: ſic ſe habet de intellectu ſuo, & ipſo intelligere; tanto nãque lucidius, expreſſiuſque unaquæque res ſua ipſa præſentia veritatis ſemetipſam oſtendit, quã ipſum ſignum & ejuſdem, quanto ipſa veritas ſibi proximior eſt quam ipſum ſignum ejuſdem. Quis enim dubitare poteſt quin Hercules incomparabiliter lucidius expreſſiuſque ſeipſum oſtendit præſentialiter ipſum ſpectantibus quam imago illius? Manifeſtum igitur eſt quod intellectus adeptus juxta intentionem hujuſmodi non eſt aliquid novum in anima humana aliud ab iis quæ nominavi tibi intellectibus.

Anima nõ intelligit intellectum ſuum donec fixus ſit intellectus.

Debes autem ſcire quod anima humana non intelligit intellectum ſuum, & intelligere, donec fixus atque firmatus ſit in eo intellectus, ſicut dicit Themiſtius expoſitor Ariſtotelis ſupra librum poſteriorum ejuſdem. Ned aliud intelligo fixum vel firmatum eſſe intellectum quam acquiſitum, & aſſuetum rebus intelligibilibus tanquam earum aſſuefactione circa eas firmatum & delatũ. Scito tamen hic quod quidam intellectum iſtum non aliud poſuit eſſe, quã ſtatum in quo anima humana intelligit ſe habere intellectum ſive virtutem intellectivam. Cujus ſermonem ſi perſcrutatius inſpexeris, invenies eum nihil novum in anima humana poſuiſſe niſi ſolum nomen ſtatus. Verum quod ſtatus aliquis dicatur intellectus non ſolum apud philoſophos uſus loquendi non habet, ſed etiam abſurda, & præter rationem videtur hujuſmodi nominatio.

PARS DUODECIMA.

Quis eſt ille intellectus quem petebat propheta dicens, da mihi intellectum ut ſciam mandata tua.

Intellectus ille erat ſpiritualis deſuper infuſa cognitio.

SI quis autem quærat de illo nominatiſſimo propheta Hebræorum quem intellectum ſibi dari petierit, dicens: da mihi intellectũ ut diſcam mandata tua, cum ſuper ſenes ſe intellexiſſe gloriaretur, ut paucis me, & te expediam ſublimem illum ac nobilem, ſanctumque intellectum, quantum capere valeo, petebat, qui eſt cognitio internorum deſuper infuſa cognitio, & interna vel intima ſpiritualia intelligo quorum veritas illuminat, paſcit & reficit, firmat, atque jocundat, & delectat virtutem intellectivam.

Duo ſunt genera hujuſmodi intelligibiliũ, rationes, & cauſæ mandatorũ Dei, & myſteria velaminibus figurarum abſconditã.

Et videtur ex alio ſermone ipſius quod duo ſunt genera hujuſmodi intelligibilium, quorum alterum eſt cauſæ, & rationis mandatorum quæ in lege Dei continentur. Secundum vero genus eſt myſteria ipſa velaminibus figurarum in ipſa lege abſcondita & operta; quæ utraque indubitanter, & profunda ſunt, & miranda. Quia igitur alibi hoc eſt alio ſuo ſermone dicit, *da mihi intellectum & ſcrutabor legem*; cum ſcrutanda ſint inteſtina, & interiora animalium, ſcrutari legem neceſſario erit interiora legis intellectu penetrare; intelligebat igitur ſanctus, & ſapiens iſte legem habere intima, & profunda, ad quæ perſcrutanda, ſeu penetranda non niſi deſuper dato, vel infuſo intellectu videret pertingere ſe non poſſe. Et quoniam alibi dicit *revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, evidenter oſtendit mirabilia ſubeſſe legi, quæ ſi nihil haberet niſi exteriora quæ per planum litteræ manifeſte cognoſcitur, nihil haberet admiratione dignum. Puerilibus enim & imbecillibus planum legis manifeſtè cognoſcibile eſt, & quia jam patefactum eſt tibi per me quanta ſubſit philoſophiæ profunditas in ipſo primo capitulo legis Hebræorum, & reminiſceris eorum quæ ibi audiviſti, non miraberis ſi vir ille ſanctus, & ſapiens petebat ſibi dari intellectum ad perſcrutanda mirabilia legis divinæ. Quia vero cauſæ, & rationes mandatorum eorum etiamque abſurda videntur ſecundum planum litteræ ſuæ, non niſi rationabiliſſimæ pulcherrimæque eſſe poſſint, ipſamque legem non parum amorem faciunt intelligentibus eas petebat ſibi dari intellectum, ut cuſtodiret illa. Nihil enim adeo facit legem cuſtodibilem, ut amor ejuſdem. De figuris autem, & myſteriis tam ipſius tabernaculi, quam vaſorum ejus, omnique cultu & ornatu ipſius, de ipſis etiam ſacrificiis, cæteriſque operibus quæ in eo fieri divina lege præcepta ſunt, quam profundos, quam mirabiles intellectus habeat doctrina chriſtianorum, & lex evidenter cognoſcere petebat: ad hæc igitur intelligenda petebat ſibi dari intellectum ad quæ nulla via philoſophiæ humanæ pertingere poſſe ſciebat. Reminiſcere etiam hic eorum quæ audiviſti in tractatu de virtutibus, ubi ſcire te feci quod quemadmodum omnis virtus omni arte certior eſt, ac melior eſt juxta ſermonem Ariſtotelis: ſic & de ipſis virtutibus ampliores ac nobiliores tractatus ſcribi poſſent ab intelligentibus, & eruditis in eis, quam de artibus quibuſcumque vel jam facti ſunt, vel fieri poſſunt. Quod ſi dixerit quis quomodo vir iſte ſanctus, & ſapiens, & ſpiritu prophetiæ tam eminenter præditus non habuit intellectum rerum mirabilium antedictarum: quis ſperare audeat

vel

vel præſumere ſe obtenturum, vel jam obtinere intellectum hujuſmodi, ſi tanto prophetæ datus non eſt. Reſpondeo in hoc quod obſcuritas atque profunditas per laborem legis chriſtianorum eluxit, & claruit: in primis autem, & maximè primitivis, & maximis quos ipſe ad hoc elegit ejuſdem legis doctoribus, ſeu datoribus, & propter hoc dicit unus ex eis, *Nos igitur transferimur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.* Et alibi *nos igitur revelata facie gloriam Dei contemplantes*, & hæc eſt revelatio oculorum quam propheta ille petebat cum diceret, *Revela oculos meos*: ſub umbra ſiquidem, & operimentis figurarum videbant myſteria ſapientiæ divinalis Patres populi illius Hebræorum, & quamvis multi ex iis eſſent ſplendore prophetico illuſtrati: iſti vero ſanctiſſimi beatiſſimique doctores tanquam revelata, & ad nudum coram eis poſita intuebantur.

2. Cor. 3. 18.
Ibidem.

PARS DECIMATERTIA.

Oſtendit quid eſt ſyndereſis quæ ponitur eſſe ſuperior pars rationis.

Syndereſis eſt ſuperius officium rationis, ſcilicet de ſublimibus bonis rectè ſentire.

QUia vero nonnulli ex præcipuis chriſtianorum doctoribus ſyndereſim ſuperiorem partem rationis poſuerunt, & nominaverunt, non eſt prætermittendum hoc. Nec econtrario tantis doctoribus dicere videar vel ſentire. Dico igitur ſicut prædixi quod pars ſuperior non intelligitur ab iſtis ſapientibus, & ſanctis doctoribus ſecundum veram, & rectam rationem partis; ipſi enim non poſuerunt diviſionem in anima humana ſecundum partes, ſed ſecundum officia tantum. Idem igitur fuit ſecundum intentionem ipſorum dicere ſuperiorem partem rationis, quod eſt dicere ſuperius officium; & nulli intelligenti dubium eſt quin ſuperius, ac nobilius officium rationis ſit de ſublimibus bonis verè ac rectè ſentire, & deterioribus malis contradicere. Et dico iſtud eſſe ſuperius ac nobilius officium cui ſervire debent alia omnia. Quod enim cognoſcitur veritas, quod ei aſſentitur à virtute intellectiva propter hoc potiſſimum ac principaliter eſt ut bonitatem habeat, & ei ſe conjungat, & vivat vis motiva nobilis, & vis intellectiva etiam propter hoc potiſſimum ac principaliter propter vim motivam nobilem eſt, eique ſervit jure naturali pleniſſimo eidem ſubdita, ſicut audiviſti.

An ſyndereſis aliquãdo extinguatur.

Quoniam autem ſyndereſim ponunt ſemper contradicere malis, & reclamare contra ea, perſcrutanda erit mihi hic de hoc præſertim propter ſermones erroneorum, & imbecillium; quoniam quæcumque legunt abſque inveſtigatione deglutiunt, quod eſt dicere abſque examinatione credunt. Procedunt etiam quouſque, ut inextinguibilem eandem dicant, & quod eſt majoris admirationis ut neque eam ſilere poſſe à contradictione ſua, neque errare in eadem, neque malo unquam conſentire poſſit. Et quoniam dicit unus ex præcellentioribus theologis chriſtianorum quod nec in primo homicida qui fuit primogenitus primi hominis videlicet Caïn extincta fuit.

* Extingui probat. 1. exemplo inſanorũ, & furioſorũ.

Quantum autem errant ſic ſentientes ſenſu, & experientia jugi manifeſtum eſt: illi enim qui moriones vocantur nullum prorſus habent uſum vel officium rationis, ſimiliter neque furioſi quocumque genere furoris inſaniant.

Item eorũ qui tranſiere runt in affectũ cordis.

Amplius manifeſtum eſt quoſdam ſic tranſiſſe in affectum cordis, ut nihil cogitent niſi ut expleant libidines ſuas.

Item hæreticorũ qui adeo pertinaciter errores ſuos tuentur.

Amplius ſecundum hoc nullus hominum ſimplex crederet, alicui de erroribus impietatis: credulitas enim non habet in corde credentis rebellionem aliquam vel contradictionem. Si igitur hoc eſſet, non credulitas eſſet hujuſmodi, ſed opinio vel opinione debilior; cum opinio ſicut alibi didiciſti ſit cum formidine contradictionis: nihil autem rebellio vel contradictio quam formido hujuſmodi. Quapropter non aſſentitur alicui errori ſimpliciter qui ex parte diſſentit, imo per ſyndereſim iſtam ad interius rationi contradicit. Aut igitur credere erroribus impietatis non eſt malum, aut omnino non eſt alicui poſſibile. Si enim malum poſſibile eſt: ergo contradicit ipſe qui ponitur credere, contradicit inquam per hanc ſyndereſim, & diſſentit ab eodem per illam. Non credit igitur ſimpliciter imo ut præinſinuavi nec etiam opinatur. Si autem non eſt malum credere erroribus impietatis, quid igitur erit malum. Quod ſi dixerit quis quod impij homines quos gens chriſtianorum vocat hæreticos omnino nõ credunt erroribus impietatis ſuæ, proculdubio errat intolerabiliter, [illegible] manifeſtum ſit ita pertinaciter erroribus [illegible] adhærere; cum non ſolum ſuaſionibus, & probationibus ab eis averti non poſſint, ſed nec etiam effuſione ſanguinis, vel ſupplicio mortis. Amplius quid clamatur crebrius ab univerſis ſanctis doctoribus, atque ſcholaribus fidem mortuam eſſe, quæ ſine operibus eſt? Manifeſtum igitur eſt opera fidei vitæ ipſius atteſtari: quapropter & opera hæreſis quæ tam laborioſa tam dura inveniuntur apud hæreticos indubitanter atteſtantur vitæ, ita dicatur, & fortitudini impiæ credulitatis eorum.

Quod ſyndereſis non ſit partis intellectivæ.

Amplius cum duobus modis diſſentiatur à malo videlicet, & contradicendo ſive diſſuadendo, & repugnando ſeu rebellando. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, neceſſe habent duas ſyndereſes ponere alteram ſcilicet quantum ad vim intellectivam, alteram quantum ad virtutem motivam nobilem. Qui enim dicebat, *quod nolo ago*, evidenter exprimebat repugnantiam ſeu rebellionem voluntatis ſuæ quæ eſt virtus motiva nobilis contra malum quod nolle dicebat quin intelligeret, & cognoſceret hoc eſſe malum quod ſe nolle dicebat, & tamen agebat. Quapropter ſi virtutis intellectivæ juxta hunc tropum loquendi ſyndereſis eſt ſuperior, videlicet ac nobilis pars rationis ſive virtutis cognoſcitivæ, contradictionemque mali, & dicunt ſemper obloquitur, & eadem ſemper diſſuadet; multo fortius neceſſe eſt partem ſuperiorem juxta eundem tropum virtutis motivæ nobilis ſyndereſim eſſe quandam, cum majus ſit malum reſiſtere, ac rebellare, quam ea diſſuadere vel eis contradicere.

Rom 7.
Ibid.

Reclamatio partis ſuperioris non videretur eſſe de malis quæ non cognoſcuntur mala per naturã.

Amplius iſta contradictio ſive reclamatio aut eſt illi parti ſuperioris rationis ex natura aut ex gratia: ex gratia quidem eſſe non poteſt; cum & in habentibus gratiam, & in non habentibus communiter inveniatur. Si autem ex natura: cum mala ſunt quæ per naturam cognoſci non poſſunt; non contradicit igitur illis nec diſſuadebit ea pars illa ſuperior rationis, ex. gr. multi ſunt ex articulis communibus fidei ad quorum fidem vel cognitionem intellectus humanus, vel ratio per naturam aut virtutem propriam non contingit: malum autem eſt diſcredere quæcumque illorum; huic igitur malo non contradicet neque diſſuadebit illud ſyndereſis, cum gratia adjuta non fuerit.

Videri etiã ſyndereſim, ſi ſit naturalis quædam ratio, cõtradicere aliquibus bonis puta fidei quorũdam articulorum.

Amplius & intellectus, & ratio naturaliter contradicunt hujuſmodi articulis, videlicet quæ ſuper naturam ſunt, & contra ipſam eſſe videntur, & diſſuadent credulitatem ipſorum, ſive igitur pars alterius eorum, hoc eſt intellectus & rationis, ſive ambo ſimul, ſive alterum ponatur ſyndereſis. Manifeſtum igitur ſyndereſim non ſolum reclamare, & contradicere malis, imo etiam & quibuſdam bonis videlicet credulitatibus hujuſmodi articulorum.

Eſſe & alia tam bona quam mala quæ major pars homi nū dignoſcere non poſſit.

Amplius ſunt & alia etiam tam bona, quam maia, quæ major pars hominum dignoſcere ac dijudicare non ſufficit, an bona, an mala ſint, & an facienda, an vitanda Quemadmodum ad illa igitur otioſa eſt, & nihil potens ſynderefis, neque enim contra alterutra eorum reclamare poteſt neque pars alterutrius clamare.

Quod ſi fuerit ſynderefis lumen naturale poſſet deviare à bono vel errare à vero, ſi fuerit autem lumē gratiæ extingui poſſet.

Amplius omnes hujuſmodi ponunt ſynderefim nunquam errare, nulla autem eſt vis in anima humana quæ non errare à vero, nec deviare à bono poſſit, maximè cum nec omnia vera, nec omnia bona nota ſint per ſe naturaliter. Quapropter ſynderefis lumen naturale eſt vel vis naturaliter quouſque non limitata ut errare non poſſit, neceſſe eſt omnia bona, & omnia vera circa quæ ipſa verſatur, nota eſſe naturaliter per ſe. Hoc autem de manifeſtè falſum, tunc enim fruſtra eſſet donum conſilij, atque donum ſcientiæ; ſimiliter & virtus prudentiæ atque donum intellectus, cum ſynderefis per ſemetipſam omnia facienda, & declinanda oſtenderet, vel videret. Si vero lumen eſt gratiæ, & donum creatoris appoſitum animæ humanæ ab eodem ſuper naturales virtutes ipſius; tunc manifeſtum magnitudine peccatorum lumen illud poſſe extingui: ipſi autem ponunt lumen ſynderefis inextinguibile eſſe.

Donum ſciētiæ ſufficienter oſtēdere quid ſit bonum, & quid ſit malum.

Amplius donum ſcientiæ quæ eſt boni & mali, numquid non ſufficienter oſtendit quid bonum & quid eſt malum? & propter hoc quid eſt declinandum, & quid fugiendum? De hujuſmodi etiam ſcientia manifeſtum eſt quoniam errare non poteſt nec ſuggerere aliquid vel faciendum, vel declinandum, niſi verè: reclamare autem ſpiritualiter vel contradicere ne aliquid fiat non eſt niſi ſcire, vel opinari in actu alterutrum duorum, videlicet illud faciendum eſſe vel non faciendum ſive declinandum. Hoc autem ſufficienter fit per donum ſcientiæ antedictæ, ſive per ſcientiam legis Dei: ſupervacuè igitur ponunt ſynderefim iſtam: & tanto melius per ſcientiam quam per opinionem vel credulitatem, quanto certitudo ſcientialis opinione, & credulitate præſtantior eſt, atque infallibilior, verumtamen ipſi non ponunt ſynderefim opinionem, vel credulitatem eſſe, vel alterutram earum efficere.

Fruſtra eſſet donum conſilij fruſtra eſſet prudentia.

Amplius donum conſilij, & virtus prudentiæ omneſque rami ejuſdem videlicet circumſpectio, cautela, & cætera hujuſmodi ſupervacuè ponerentur, ſi ſynderefis tam clarè, & tam infallibiliter oſtendit facienda & vitanda.

Nulla etiā eſſet inter homines, & maxime doctos diſſenſio.

Amplius nulla eſſet inter homines, & maximè ſapientes, & doctos diſſenſio; cum ſynderefis in quolibet ſit homine, & juxta mores nullum errare patiatur; cum unicuique oſtendit quod rectum eſt faciendum, ſimiliter quod pravum eſt declinandum. Quapropter neceſſe eſt nullum hominem circa ea quæ ad mores pertinent errare: quicumque autem non errant circa quamque rem neceſſe eſt eos conſentire? Diſſentientium enim quorumcumque duorum juxta eandem rem neceſſe eſt alterum errare.

Præſertim circa mores.

Amplius cum omnes iſtud ſolum ſentiant quod ſynderefis unicuique propria non oſtendit niſi quod rectum eſt. Nullus igitur ſentit circa ea quæ ſunt de moribus, niſi quod rectum eſt: quia igitur rectum vero nunquam eſt contrarium, vel repugnans; nulla eſt diſſenſio inter homines de moribus.

In iis quæ mores ſpectant neceſſe eſt interdum eorum eſſe.

Amplius ea quæ ſunt de moribus voluntaria cum ſint, & propter hoc particularia, & contingentia: nulla eſt igitur habilitas in ēis. Quapropter neceſſe eſt errores, & direptiones interdum eſſe juxta ea.

Experientia ipſa demōſtrat circa mores diſſenſionem eſſe.

Amplius quis non videt diſſenſiones, & contradictiones inter homines de his quæ ad mores pertinent? quis non audit eos ad invicem contradicentes dum alius dicit aliquid eſſe rectum, alius contendit illud eſſe pravum. Amplius ſecundum hoc nullus malè ageret illud contra conſcientiam ſuam. Manifeſtum igitur eſt ex omnibus his neque vim aliquam eſſe neque partem alicujus ex viribus animæ humanæ, nulla enim eſt ex viribus ejus quā non poſſibile ſit errare, licet juxta quædam vis intellectiva certiſſima ſemper ſit. Quemadmodum circa principia ſcientiarum quæ communes animarum conceptiones communiter nominantur. Verum circa agenda, & non agenda nulli dubium eſt quin ſæpiſſimè anima humana errori, & falſitati abſque rebellione, & murmure ullo conſentiat.

Redit ad explicationem illius; an extincta fuerit ſynderefis in Caino.

Quod autem dicitur quod nec in primo homicida extincta fuerit ſynderefis veriſſimè hoc dicitur, non enim ignorare poterat innocentem occidere fratrem grande peccatum eſſe. Quapropter ſciens & prudens, ſeu providens fratricidium in fratrem innocentiſſimum commiſit.

Quid ſit ſynderefis tandem definitur.

Quapropter manifeſtum eſt quod ex lege naturali quæ regulas honeſtatis omnes continet certiſſimum erat proditionem velut fratricidium immaniſſimum ſcelus eſſe; nec aliunde poteſt contradicere vel remurmurare vis intellectiva ſemper, & ſine errore malis operibus, quam ex illo ſplendore ſeu lumine quod in ea naturaliter ſplendet ex irradiatione etiam veræ ac luminoſiſſimæ veritatis, & intendo contradicere, & remurmurare inceſſanter, & abſque errore; non enim ceſſat unquam ſplendor ille, nec tenebreſcit, nec eclipſatur niſi in mente captis, & morionibus pravis vel aliter quocumque modo deſipientibus. Ex his igitur omnibus manifeſtum eſt tibi quod ſynderefis nunquam errans, & nunquam ceſſans à contradictione, & rebellione malorum non poteſt eſſe vel dici in anima humana niſi ſplendor iſte legis naturalis aut vis intellectiva in quantum ſplendet lumine hujus legis ſcilicet naturalis.

PARS DECIMAQUARTA.

Quod conſcientia non eſt potentia naturalis virtutis intellectivæ.

Non eſt in anima potentia potentiæ contraria, eſt autem conſcientia cōſcientiæ contraria.

QUoniam autem quidam alij eronei, & imbecilles ſuper inducere conati ſunt novam aliam quandam vim, quam ipſi conſcientiam nominant, licet tanta ſit erroris ipſius imbecillitas, ut neque contra eam diſputandum ſit, ut obmuteſcere tantum faciam in parte iſta tantam imprudentiam hominum ignorantium, dicam hic aliqua contra illam. Dico igitur in primis quod nulla ex viribus animæ humanæ contrarium habet, manifeſtum eſt autem conſcientiam conſcientiæ eſſe contrariam, & duos homines ſæpiſſimè contrarias conſcientias habere.

Item homines aliqui conſcientiā non habent circa aliquid, nemo autem caret potentia naturali.

Amplius in omnibus animabus humanis idem eſt numerus virium naturalium, & operationum ipſarum animarum, nec ulla ex animabus caret aliqua ex hujuſmodi viribus, nos autem invenimus ſæpiſſimè in uno homine conſcientiam rei alicujus, & omnes alios carentes conſcientia hujuſmodi.

Nemo enī deponit vim naturalem, deponit autem conſcientiam.

Amplius nulla ex viribus naturalibus vel deponi poteſt ab anima humana, vel relinqui: nos autem inceſſanter invenimus animas humanas relinquētes conſcientias ſuas, & alias aſſumentes contrarias. Quapropter manifeſtum eſt conſcientiam vim naturalem nullo eſſe modorum.

Naturalia laudem nō habent nec vituperium.

Amplius quæ naturalia ſunt unicuique nec laudem habent, nec vituperium; vituperamus autem homines habentes erroneas conſcientias, & ſuademus eis deponere illas atque mutare. Manifeſtum igitur eſt, cum hoc bene, & laudabiliter fiat, conſcientias hujuſmodi non eſſe naturales.

Nemo ſuadet potentiam naturalem deponere.

Amplius quis adeo deſipiat, ut alij ſuadere audeat relinquere vel deponere aliquid ex viribus ſuis naturalibus. Amplius conſcientia interdum adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem, quapropter neceſſe eſt ipſam accidere, & adventitiam eſſe.

Conſcientia nihil aliud eſt quam ſcientia vel credulitas vel opinio.

Amplius quid eſt contra conſcientiam propriam agere, & intendo contrarium ejus quod ſcit, vel credit, vel opinatur agendum facere? nihil igitur aliud eſt conſcientia quam ſcientia, vel credulitas, vel opinio. Amplius tolle hæc tria ab anima humana juxta quodcumque agendum vel non agendum, & intendo ponere animam humanam de aliquo hujuſmodi neque habere ſcientiam, neque credulitatem, neque opinionem quod agendum vel non agendum. Hic neceſſario removiſti ab ea conſcientiam circa illud. Poſito autem quocumque illorum trium in anima humana circa illud, poſuiſti conſcientiam illi de ipſo, & hoc quibuſcumque aliis, vel poſitis, vel ſublatis: nihil igitur quidem conſcientia in anima humana niſi aliquid iſtorum trium.

Quod conſcientia, & ſynderesis idem non ſint.

Debes autem ſcire quod quidam de hujuſmodi erroneis, & imbecillibus poſuerunt conſcientiam, & ſynderesim idem eſſe: contra quos non eſt opus ut à me hic audias ampliora.

Quod ſynderesis non ſit ipſe Angelus cuſtos.

Nonnulli autem ſynderesim poſuerunt angelum unicuique deputatum ad cuſtodiam, quorum error de hoc manifeſtus ſit, quia ſacris doctoribus contradicit. Amplius ſecundum hoc ſynderesis non eſſet aliquid animæ humanæ ideſt nec vis, nec diſpoſitio illius. Amplius ſecundum hoc poſſibile eſſet animæ humanæ abſque ſyndereſi eſſe, cum poſſibile ſit angelum hujuſmodi auferri pro exigentia, & meritis peccatorum, & vitiorum ſuorum, ſicut alibi audiviſti. Amplius poſſibile eſſet uni homini multas ſynderesſes eſſe unam poſt aliam, quemadmodum de regnis factum eſt, quia Michaël Angelus qui alij deputatus fuit ad cuſtodiam ſcilicet ſynagogæ Hebræorum, vitiis, & peccatis illorum hoc merentibus, tranſlatus eſt ad Eccleſiam chriſtianorum, & eorumdem cuſtodiæ deputatus.

PARS DECIMAQUINTA.

Quod ſcientiæ non corrumpentur in morte propter defectum phantaſmatum.

Objicitur dictum Ariſtotelis impoſſibile eſſe intelligere ſine phantaſmate.

NEc prætereundum eſt tibi de ſcientiis animarum humanarum utrum auferantur eis per mortem corporum ſuorum an non auferantur, & viſum eſt quibuſdam qui ſe gerunt ſimias philoſophorum, quod ſcientiæ intellectivæ auferuntur eis per mortem corporum; quoniam, inquiunt, impoſſibile intelligere ſine phantaſmate, ſicut dicit Ariſtoteles, omne autem phantaſma indubitanter per mortem corporis deſtruitur. Quapropter & omnis intellectus ſimul. Amplius phantaſmata, quæ ipſi vocant intellecta, morte corporis abraduntur à phantaſia, in illa enim ponunt illa eſſe, & illa ponunt ſigna eſſe, quorum abſtractione ſeu ſpoliatione perficitur operatio virtutis intellectivæ. Quia igitur illa morte corporis afferuntur, & abraduntur ab ipſa phantaſia, in qua velut in theſauro repoſita erant, neceſſe eſt perire & intellectus, & ſcientias, quæ non niſi erant per ipſam, perire inquam morte corporum.

Reſpondet neceſſe eſſe ut memoriæ multæ pereant præſertim rerũ particulariũ quorum ſigna in cellula cerebri impreſſa ſunt, non autem in anima.

Dico igitur in hoc quod poſſibile eſt, & fortè neceſſe ut memoriæ multæ pereant, præſertim rerum particularium, & ſenſibilium quæ ſunt occultæ in theſauro memorativæ, quod dico propter hoc quod memoriæ quæ in anima ſunt, hoc eſt quarum ſigna in ipſa anima impreſſa ſunt, non eſt neceſſe ut abradantur ab ea per mortem corporis; illa vero quæ in ipſa antedicta cellula capitis ſolummodo impreſſa ſunt, in ea tanquam in theſauro repoſita, revera non ſolum per mortem corporis, ſed per vulnerationem interdum ipſius cellulæ amittuntur. Hujus autem exemplum eſt in eo qui ſcit utique legere, & intelligere in libro ſuo cum illum inſpicit ſolummodo: quam cito autem ei ſubtrahitur, ſubtrahitur illi ſcientia illorum quæ legebat, & intelligebat in illo: cauſa autem in hoc eſt, quoniam de lectis, & intellectis nihil apud animam ſuam theſauriſavit, nec ex lectione vel intellectione hujuſmodi gravatus eſt in anima illius habitus ſcientialis. Phantaſmata igitur quæ extra animam ſunt videlicet in quacumque ex tribus cellulis humani capitis non eſt mirum ſi ſublato capite toto, vel vulnerato aliquæ illarum in toto vel in parte amittuntur, ea vero quæ in ipſa animæ eſſentia jam collocata, & fixa ſunt non eſt neceſſe. Quod ſi dixerit quis quod interdum per ægritudinem amittuntur ſcientiæ, & propter hoc multo fortius per mortem corporis amitti debeant, jam dixi tibi, ubi ægritudo vel læſio quæcumque corporis debet eſſe cauſa amiſſionis hujus, & hoc eſt ubi læſio vel morbus librum vel radicem aufert, à quo vel à qua non eſt ſeparabilis hujuſmodi ſcientia, juxta ſermonem Ariſtotelis, quo dicit quod pereunte uno ſenſu perit una ſcientia, quod non eſt ita intelligendum, ut quidam ſtultorum putant; non enim neceſſe eſt ut pereunte ſenſu aurium, qui utique auditus eſt, pereat apud muſicum ſcientia muſicalis, & ad hunc modum ſe habet de aliis. Verumtamen indubitanter verum eſt quia ſi non fuiſſet auditus iſte, peritus muſicus muſicalem ſcientiam non acquiſiviſſet, non propter hoc quod alia via quam per acquiſitionem doctrinalem ſcientia illa dari eidem non poſſet vel potuiſſet: eſt enim Deus altiſſimus *ſcientiarum Dominus*, dans quas, quantas, quales, & quibus vult, & quando vult. 1.*Reg*.2.3.

Scientiæ morte non deſtruuntur quia nec virtutes læſionibus corporum.

Et quoniam quidam qui ſcioli reputantur ab indoctis, & ineruditis in errore iſto pertinaces ſunt, & incorrigibiles, conveniens eſt ut deſtruam hic errorem iſtum deſtructionibus irrefragabilibus. Dico ergo ſi ſcientiæ animarum humanarum morte corporum delerentur in illis vel ab illis, neceſſe eſſet hoc idem fieri de virtutibus, & moribus earumdem. Jam autem audiiſti, & declaratum eſt tibi in eis quæ præceſſerunt in hoc ipſo tractatu quod ægritudines, & læſiones corporum incredibiliter adjuvant animam humanam ad nobiles ſcientias obtinendas: & quoniam ad ſplendores propheticos per corporum impedimenta hujuſmodi ſæpius elevantur.

Item quia appropinquante morte ſapientiæ, & virtutes cõfortantur.

Amplius in ipſa appropinquatione ad mortem corporum, & ſapientiæ, & virtutes inveniuntur in eis confortari, & adaugeri, & ad videnda ea quæ in ſanitate corporum ſuorum videre non prævaluerant illuſtrari.

Idipſum conſtare de ſciẽtiis quæ ſunt à Deo de rebus ſpiritualibus.

Amplius cum ſcire te fecerim quod quædam ſcientiæ deſuper ſcilicet ex irradiatione primi luminis animabus humanis infundantur: de quibus manifeſtum eſt quod nihil ad eas de corporibus; cum nec per corpora acquiſitæ ſunt, nec adacquiſitæ ſunt, nec ad acquiſitionem earum corpora adminiculum ullum præbuerunt, nec de corporibus, aut corporalibus ſint, non eſt dubitandum quin etiam mortuis aut ſublatis corporibus remaneant apud animas, & in ipſis. Manifeſtum enim eſt nullam eſſe cauſam colligationis vel comitantiæ inter eas, & corpora, quæ prohibeat illas ſublatis corporibus permanere.

Item perniciosa eſſet ſeparatio animæ à corporibus ſuis.

Amplius pernicioſa eſſet ejus ſeparatio à corporibus ſuis; cum per eam quidquid pulchritudinis atque perfectionis habent, amitterent.

Amplius non ſolum vanum, ſed & inſaniſſimum eſſet deſiderium virorum ſanctorum quo deſiderant

Item vanū eſſe deſiderium ſanctorum quo cupiunt diſſolvi à corporibus. Idē melius non eſſet ſanctis animabus quā ſceleratis.

diſſolvi à corporibus ad vitam alteram ſuſpirantes, cum vita illa pene mors eſſet, cum & ſine ſenſu, & intellectu, & ſine omni voluntate vel deſiderio vaniſſimè ibi viverent.

Amplius ſecundum hoc ſanctæ, & juſtæ animæ nihil amplius à ſceleratis, & impiis, vel per mortem corporum, vel poſt illam habituræ eſſent, cum pariter deformatæ, pariter excœcatæ, pariter omni ſenſu, & cogitatione privatæ, & propter hoc omnium pulchritudine virtutum ſpoliatæ de corporibus exirent.

Imo melius eſſet ſceleratis quæ morte mūdarentur à vitiis, cum ſanctæ ornatu ſuo maximo ſpoliarētur.

Amplius melior eſſet conditio impiiſſimarum atque flagitioſiſſimarum, quam ſanctiſſimarum atque juſtarum. Illæ enim ſpecioſitate ſcientiarum, & virtutum per mortem corporum privarentur. Illæ vero à ſpurcitiis, & deformitatibus vitiorum ſuorū omnino mundarentur per mortem: quare fœlix, & deſiderabilis eſſet eis exitus de corporibus ſuis, illis vero infœliciſſimus ac pernicioſiſſimus.

Adeoque æquales ſiſterentur divino conſpectui.

Amplius nec pulchriores, nec mundiores apparent ante conſpectum creatoris ſanctæ ac juſtæ animæ quam ſceleratæ, & omnibus vitiis proſtitutæ; cum nec in illis ullam relinquat maculam mors corporum, nec in illis ullum veſtigium pulchritudinis aut deformitatis.

Denique error iſte juſtitiā Dei evacuat, & omni legi contradicit. *2. Cor. 5. 10.*

Vides ergo ex his quod error iſte juſtitiam Dei evacuat, & futuro Dei judicio contradicit, & etiam omni legi: omnis enim lex de tribus nominatis juſtitiam Dei ponit, & univerſale de hominibus judicium, in quo recipiet unuſquiſque *prout geſſit in corpore ſuo ſive bonum ſive malum.*

Confirmat veritatem ipſam teſtimonio divitis epulonis. *Luc. 16.*

In lege vero chriſtianorum legitur ex ore, & teſtimonio ipſius legiſlatoris de anima cujuſdam divitis quæ apud inferos ſepulta erat, quod pro fratribus ſuis quos in mundo iſto reliquerat interpellabat ut aliquem ex mortuis ad illum Deus mitteret, qui commoneret eos à peccatis recedere, ne & ipſi venirent in locum tormentorum ubi ipſe torquebatur. Memoria igitur fratrum, quos in vita iſta reliquerat, ei erat. Similiter, & pauperis cujus ipſe noluerat miſereri, quem in vita iſta recordabatur ſe vidiſſe egentem & mendicantem.

Amiſſione inſtrumenti non amittitur ſcientia artificis.

Amplius ubi invenitur hoc quod amiſſione inſtrumenti cujuſcumque artificij amittatur, & ſcientia illius? quis cytharœdus amiſit unquam amiſſione cytharæ ſuæ ſcientiam muſicalem? operari quidem prohibetur operationem cytharizationis amiſſione cytharæ ſuæ, quia operatio illius niſi per inſtrumentum peragi non poteſt.

Præſertim illa ad quā non pertinet inſtrumentum.

Amplius ſi ipſam artem vel ſcientiam cujus operatio non niſi per inſtrumentum perfici poteſt non amittit artifex amiſſione inſtrumenti hujus: quanto fortius non erit poſſibile ut per illam amiſſionem amittat aliam ſcientiam, de qua nihil pertinet ad inſtrumentum. Manifeſtum igitur eſt tibi per hoc, quod ſcientiæ de ſublimibus ſpiritualibus ſive incorporabilibus non eſt neceſſe ut amittantur morte ſive amiſſione corporum.

PARS DECIMASEXTA.

Quod licet ſcientiæ non erunt neceſſariæ ad fœlicitatem, tamen ad decorem, & ornatum ipſius beatitudinis probabile eſt eas remanere.

Scientia nulla cenſeri debet infructuoſa, quia ipſa per ſe perfectio eſt.

Dicet tamen aliquis fortaſſis quod ſcientiæ de mathematicis licet de incorporabilibus eſſe videantur, amittuntur tamen amiſſione corporum, non alia de cauſa, niſi quod in altera vita inutiles, & infructuoſæ eſſent animabus glorificatis, propter quod animæ humanæ non curant illas ſecum deferre, & ideo ſponte deſerunt illas, & hoc eſt eis liberum ex libertate qua in libertatem gloriæ filiorum Dei tranſlatæ ſunt, difficile tamen eſt nobis certitudinem habere de libertate hujuſmodi, videlicet an tanta ſit ut ſcientias tanta certitudine animabus infixas abjicere poſſint, debes tamen ſcire hic quod nulla ſcientia infructuoſa ſimpliciter eſt, quia etſi alius fructus ex illa non ſit, ipſa tamen in ſemetipſa perfectio quædam eſt; quemadmodum ignorantia ei contraria nonnullus eſt defectus, aut imperfectio in anima cui deeſt.

Sed nec ſplendor earum ſcientiarum in eſſe poteſt ut alias quaſcumque excludat.

Si quis autem dicat quod in animabus glorificandis non poſſunt remanere ſcientiæ quæ acquiſitæ ſunt in vita iſta propter vehementiam luminoſitatis, & incomparabiliter majorem fulgorem ſupereminentium ſcientiarum gloriæ, dici poteſt homini hujuſmodi, quod ſcientia propter quid licet majoris luminis ſit quam ſcientia quæ nominatur ſcientia quia; & generaliter quantacumque ſit varietas luminoſitatum in ſcientiis, ſeſe tamen compatiuntur, nulla alicui ex aliis ullum præſtans impedimentum. Quemadmodum in cœlo ſtellarum fixarum omnes oculi conſpiciunt tantam varietatem claritatis in ſtellis non ſolum abſque impedimento in alterutrum, ſed etiam manifeſtæ adminiculo pulchritudinis.

Scientia nō poteſt eſſe cū fide quia contrariæ ſunt invicē, idem de ſpe & comprehēſione rei.

Attende autem quod non propter hoc neceſſe eſt ut fides cum fulgore ſcientiæ, quæ merito fidei danda eſt, & fidei ſucceſſura in gloria, remanere debeat; hoc enim non eſt poſſibile videlicet ut ſimul ambæ illæ ſint: verum cauſa in hoc non eſt majoritas, & minoritas claritatis, ſed cōtrarietas manifeſta quę videlicet eſt inter fidē & ſcientiā; fides enim eſt non viſorū, ſeu apparentiū, atque non præſentiū. Scientia vero illi contrario ſe habet per omnia, quoniam ipſa eſt viſorum atque præſentium, quoniam ipſa eſt, & viſio eorum quæ in hac vita creduntur, & apparitio eorum quæ in hac vita abſcondita ſunt, & præſentatio ſive præſentia abſentium quantum ad vitam præſentem. Propter hoc in lege, & doctrina chriſtianorum ſcriptum eſt quod *videmus facie ad faciem*, & quoniam *filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus; cum autem filius Dei apparuerit, ſimiles ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt*: quod eſt dicere revelata facie abſque operimento ſive ad nudum. Et quemadmodum dixi tibi de fide, & ſcientia eidem ſucceſſura: ſic ſe habet de ſpe, & de re ſive gloria quæ ſperatur; ſpes enim ex neceſſitate evacuatur cum res adeſt, ſive obtinetur quæ ſperabatur. Contrarietas enim eſt quædam inter ſpem & rem, quemadmodum inter fruitionem & præſentiam, propter quod ſpes ſuſpendit animam ſperantis in futurum, & prohibet ab eo rem ſperatam, ſive obtentum ipſius ſperantis in futurum præſentialem, & hoc adimit, ſicut legitur in lege & doctrina chriſtianorum, *quod enim videt quis ſperat?* res autem ſive rei præſentialitas non immerito evacuat, & prohibet ſpem, quoniam prohibet ſuſpenſionem in futurum, cum res futura præſentialiter teneatur. Rom. 13. 1. Ioa. 3. 2. Rom. 8.

Adducit rationes quibus probare videtur ſcientias perditum iri [illegible] in alia vita.

Quod ſi quis dicat quod indignum ſit claritate, & gloria vitæ illius, ſi ſcientiæ quæ hic acquiruntur vel habentur illuc deferrentur, vel quolibet modo ſint; cum ipſæ non ſint niſi ſicut umbræ quædam ad fulgorem ſcientiarum gloriæ, non improbabiliter forſitan hoc diceret. Quemadmodum lucernæ quæ ſolummodo in nocte, & tenebris neceſſariæ ſunt, non niſi otioſe, & inſipienter de die clariſſima adhibentur ad videndum, juxta ſermonem ſapientis, qui dicit quod *ſupervacuis laborat impendiis qui ſuis facibus ſolem nititur adjuvare.* Amplius in lege chriſtianorum, & doctrina ſcriptum eſt ex perſona prophetæ cui revelatio hujuſmodi facta eſt, *& civitas*, inquit, *illa non eget ſole neque luna; claritas Dei illuminat illam.* Quanto minus igitur indigebit tenuiſſimis imo omnino Apoc. 21. 23.

lutoſis lucernis ſcientiarum præſentium. Amplius quemadmodum ſole lucente in die clariſſimo nemo lucernam aliam requirit, nemo ad aliud lumen attendit: ſic in civitate illa ubi ſol intelligentiæ atque juſtitiæ in virtute ſua quod eſt dicere abſque ullo obſcuritatis nubilo clariſſimè lucet, lumẽ aliud non requiritur, & ad nullum aliud attenditur vel reſpicitur. Amplius quid opinandum eſt de ſanctiſſimis ac beatiſſimis ſubſtantiis ſeparatis? numquid minor eſt fœlicitas illorum, & gloria beatitudine quam animæ humanæ habituræ ſunt, cum in conſortium illarum aſſumptæ fuerunt, minor, inquam, pro eo quod hujuſmodi ſcientias non habent. Quod ſi propter hoc minor non eſt, nihil igitur additur hujuſmodi ſcientiis gloriæ animarum humanarum, cum defectus earum, vel abſentia nihil detrahat gloriæ ſubſtantiarum abſtractarum: quapropter ſcientiis his ſublatis nihil deperiret gloriæ animarum humanarum, in nulloque minueretur; ſupervacuè igitur atque inutiliter eas ad futuram gloriam deferre, eaſque ſecum retinere non immerito videri poſſunt.

Nõ improbabiliter tamen remanere dicuntur hæ ſciẽtiæ ut magis luceat claritas Dei, & ipſa varietas lucis ornat* quidam ſit.

Verum ſi dixerit quis quod ex parvitate earum, abſque obſcuritate gratius atque pulchrius lucet ibi Dei claritas, & relucent ibi jocundius ſcientiæ illæ nobiliſſimæ, quæ ſcientiæ vocantur, non arbitror improbabiliter hoc dicere, ſicut prædixi de ipſa varietate ſtellarum, ex hoc quod ipſum cœlum, & pulchrius ornatur, & amplius decoratur. Quapropter quamvis non neceſſitate aliqua vel indigentia ſcientias hujuſmodi ſecum deferrent animæ humanæ de corporibus exeuntes, & in illam beatitudinis gloriam tranſeuntes, ad hoc tantum eas ſibi ſervari non videtur mihi improbabile, vel inconveniens. Propter varietates enim luminum non parum augetur lucis ſpecioſitas, & ornatus, quemadmodum ut prædixi, nec varietate ſtellarum illarum ſpecioſitas cœli. Doctores quoque, & theologi gentis chriſtianorum tanquam cœlum quoddam ſpirituale dixerunt animam humanam eſſe, ſcientias autem, & virtutes quibus ipſa perficitur, & decoratur tanquam ſtellas quaſdam micantes in ea velut in cœlo ſibi congruentiſſimo poſuerunt.

Reſpondet ad rationem ſupra allatã de ſubſtantiis quod hujuſmodi ſcientiæ nec gloriæ, nec naturæ earũ convenientes ſint.

De hoc vero quod prædictum eſt quod in nullo minuit abſentia hujuſmodi ſcientiarum, ſive defectus gloriam beatiſſimorum ſpirituum, indubitanter verum eſt hoc, & etiamſi adeſſent nihil gloriæ illarum adderent, imo potius detraherent, quoniam neque naturam ipſorum, neque gloriam decerent, aut ei nullatenus convenirent. Secus autem eſt in animabus humanis quibus naturales perfectiones ſunt hujuſmodi ſcientiæ, & propter hoc naturaliter conſiderantur ab ipſis, &c.

PARS DECIMASEPTIMA.

Quod ſcientiæ, virtutes & dona gratiarum non remanebunt in ſtatu gloriæ.

Si remanerent ſcientiæ, & virtutes præſentis ſtat*, ſtatus gloriæ non eſſet ſtatus novitatis.

NON levem tamen quæſtionem habet judicio meo ſi poſt mortem remanerent hujuſmodi ſcientiæ in animabus humanis quin oporteat remanere pariter & virtutes, omniaque dona gratiarum quibus animæ humanæ perficiuntur in vita præſenti his duntaxat exceptis quæ contrarietatem aut repugnantiam aliquam habent cum virtutibus gloriæ futuræ. Quod ſi eſt, non igitur futurus ille gloriæ ſtatus tantum, ſed etiam gratiæ, eruntque ſimul virtutes gratiæ, & virtutes gloriæ in animabus humanis, nemo autẽ uſque modo iſtud ſomniavit, vel ſomniaſſe auditus eſt. Aggrediar igitur examinare quæſtiones iſtas, & dicã quod nec veriſimile eſt nec poſſibile ullo modo videtur utraque ſimul eſſe poſſe in animabus humanis, & præſertim in ſtatu gloriæ; primum quoniam ſtatus ille totus novitatis eſſe videtur, & totus novus juxta prophetiam quæ legitur in lege chriſtianorum qua dictum eſt, *ecce ego nova facio omnia.* Qualiter igitur remanebunt vel ſcientiæ iſtæ vel virtutes quæ velut primæ veſtes ſunt, & ornamenta vetuſta, cum novitas illa gloriæ totam veſtiet animam humanam.

Amplius qualiter non veſtimenta iſta vetera deponerentur quando nova iſta veſtimenta virtutum, & ſcientiarum gloriæ animæ humanæ induent? quid hoc aliud eſt dicere, niſi quod ſartis, & aliis quibuſcumque vilibus veſtimentis veſtimenta nova, & ineſtimabilis pretioſitatis, incogitabiliſque pulchritudinis ſuperimponerentur animabus.

Idem quoq; eſſet atque ſi nova, & pretioſiſſima veſtimenta vilibus ſuperimponerentur.

Amplius nonne corpora humana vetuſtatem ſuam deponent? videlicet tarditatem, ponderoſitatem, groſſitiem, obſcuritatem, & cætera hujuſmodi ſi qua ſunt quę ad vetuſtatem ejus pertineant. Qualiter igitur non innovabuntur animæ humanæ, itaut veterum veſtimentorum ornamentum eis remaneat, cum illo præſtantiſſimo decore gloriæ induentur?

Vetuſtatem ſuam omnẽ deponent corpora, ergo & animæ.

Amplius ſi ipſa dona gratiarum quibus maximè opus habent animæ humanæ, maximeque decoratæ ſunt, ac perfectæ fuerunt in vita iſta neceſſe eſt ut cedant poſterioribus gloriis, & cedant eis advenientibus, quomodo non magis ſcientiæ illæ à quibus penè nullum adminiculum habuerunt in vita iſta ad promerendam gloriam futuram non remanere debent cum gloria illa illis adveniet?

Dona gratiæ quibus maximè opus habent animæ cedent dotibus gloriæ, quanto magis iſta naturalia?

Scito igitur cum aliis quæ audiviſti in capitulo iſto quia fuerunt, & adhuc ſunt imbecilles, & erronei qui opinati ſunt, & opinantur adhuc quod gratia tranſibit in gloriam, & eſt intentio eorum in ſermone iſto, quod eadem virtus quæ nunc gratia eſt, erit tunc gloria, & hoc eſt dicere creſcet in gloriam: cum igitur gloria ut gloria incomparabiliter major ſit quam gratia ut gratia, neceſſe erit gratiam quæ creſcit in gloriam creſcere in infinitum. Exempli gratia ipſa charitas qua hic charus habetur creſceret quouſque incomparabiliter major ſit in gloria quam ſit hic manens una, & eadem in numero, verum non eſt iſtud paucæ aut levis admirationis.

De errore aliquorum qui putaverunt gratiã ipſam tranſire in gloriam.

Si enim quæratur ab eis ubi tantum recipit incrementum aut quando, non poterunt reſpondere quod hic: quoniam hic nunquam habet hujuſmodi intentionem ſeu magnitudinem infinitam: in futura vero gloria non videtur eam poſſe recipere, cum nunquam illa careat in eadem gloria videlicet.

Cõtra quos oſtendit nõ poſſe explicari incrementum illud infinitum.

Amplius ſecundum hoc nulla charitas in gloria illa futura erit major alia infinitum enim ex ea parte qua infinitum eſt non habet majus ſe, quemadmodum ſi duæ lineæ ex eadem parte infinitæ fuerint neutra excedet alteram, & hoc tibi in prima parte tractatus de univerſo declaratum eſt per me declaratione demonſtrativa.

Ex quo ſequeretur unam charitatem, alia charitate majorem eſſe.

Amplius in quantitatibus ejuſdem ſpeciei non eſt poſſibile ut una aliam in infinitum excedat, quod dico propter angulum contingentiæ quo quilibet angulus rectilineus, & quilibet angulus proportionis in infinitum major eſt, ſicut alibi didiciſti, infinitas autem majoritatis in rectilineis eſſe non poteſt. Tu vero non dubitas angulum cõtingentiæ aut angulum proportionis longe diverſarũ ſpecierũ eſſe ab angulis acutis recti lineis: ſecundum hoc igitur æquales futuræ gloriæ eſſent omnes animæ humanæ; cum omnes ibi virtutes in eodem ſubjecto ſint æquales; & propter hoc infinitæ, ſicut charitas nulla ibi eſt major alia. Quapropter cum gloriæ animarum humanarum non ſint niſi virtutes, ipſæ erunt omnes gloriæ eorum neceſſario

Idem probat argumento mathematico quo ſcilicet in quãtitatibus ejuſdem ſpeciei non eſt poſſibile ut una aliam in infinitum excedat.

æquales : hoc autem eſt unum de impoſſibilibus ; cum certiſſimum ſit merita, & præmia, ſeu gloriam proportionalia eſſe, & propter hoc quemadmodum merita ſe habent ad invicem, ita & præmia neceſſario ſe habebunt. Quia igitur non omnes animæ æque bonæ, vel juſtæ ſunt hic, neque omnes æqualis gloriæ vel præmiorum futuræ ſunt ibi.

Proportionalia etiam debent eſſe merita præmiis.

Amplius quod eſt quod inceſſanter ſonat in libris ſacrorum doctorum, & diſcipulorum ſuorum quod proportionalia ſunt merita vitæ præſentis præmiis futuræ gloriæ ; cum nulla ſecundum hoc proportio ſit meriti ad præmium, ſive gratiæ ad gloriam, utpote finiti ad infinitum.

Deinde ſcientiæ & virtutes præſentis vitæ ſunt habitus, in altera vero ſunt actus continui.

Amplius manifeſtum eſt quod præſentis vitæ ſcientiæ, & virtutes habitus ſunt ſecundum eſſentias ſuas ; illæ vero actus continui. Non enim poſſibile eſt dormitare ſcientias ibi, vel virtutes, quod eſt dicere ceſſare ad punctum temporis ab actibus ſuis : ibi enim ſcientiæ non erunt ſicut dormitantes habitus, ſed erunt ſicut actuales, & vigilantiſſimi cogitatus & intuitus. Quemadmodum ſi dicatur ſcientia erit ibi viſio, & ſcire non erit niſi videre : impoſſibile autem manifeſtum eſt ut habitus efficiatur actus ſuus, tunc enim cauſa efficietur effectus ſuus proprius, & tranſibit in actum ſuum.

Item quia alia eſt viſio in ſpeculo claro, quam quæ in obſcuro.

Amplius clarificato in immenſum ſpeculo, vel viſu inſpectoris, non eſt poſſibile poſt eandem imaginem eſſe, quæ in ſic clarificato ſpeculo reſultabit, imagini quæ reſultabat in eodem ſpeculo prius obſcuro vel eandem viſionem inſpectoris ex illa obſcura imagine, & viſu obſcurato quo videt. Quia igitur virtus intellectiva ut eſt viſus interior, & ut eſt ſpeculum clarificabitur in immenſum ſuper claritatem quam hic habet, neceſſe eſt inſpectricem animam alia viſione videre hic in ſpeculo ſuæ intellectivæ virtutis per obſcuras imagines, & obſcurato, ut prædixi, viſu, quam futura ſit viſio in gloria ventura.

Eandẽ urget comparationẽ.

Amplius cum ſcientiæ non ſint niſi rerum formæ vel imagines in ſpeculo virtutis intellectivæ reſultantes, vel apparentes : non autem poſſibile eſt imagines quæ in ſpeculo illo ut eſt hic obſcurato apparent eaſdem eſſe numero cum illis quæ in ſpeculo illo ſicut dixi clarificato reſultabunt. Quemadmodũ nõ eſt poſſibile ut ab eodẽ inſpectore in ſpeculo, & terſo, & eodem incraſſato eadem imago reſultet, ſicut nec in eodem ligno prius viridi, & poſtmodum arido eandem poſſibile eſt fieri impreſſionem ab eodem igne ; cum enim aridum eſt imprimitur ei diſpoſitio quæ eſt arſio vel uſtio ſeu crematio : cum autem viride eſt non imprimitur ei niſi calor quo ſolummodo calidum ſeu calefactivum, & nullatenus ardens vel uſtum dicitur. Manifeſtum igitur eſt quod receptibilitas major vel minor diverſificant impreſſiones, non tamen ſecundum majus & minus, ſed etiam ſecundum eſſentiam, & unitatem in numero, interdum autem ſecundum ſpeciem. Quare manifeſtum eſt non eaſdem numero ſcientias quæ hic ſunt in animabus humanis remanere poſt mortem corporum in eiſdem.

Eadem utitur comparatione nec non, & ligni viridi, & ſicci ; ceræ duræ & mollis.

Amplius ſi intelligeretur ſpeculum obſcurum clarifieri ſive clarificari, numquid forma inſpectoris obſcura remaneret in eo ? & efficeretur expreſſior atque lucidior, per hoc ipſum ſolum quod ſpeculum clarificaretur ? videturque nullo modo ; ſi enim lignum quod eſt viride areſceret, non propter hoc calor quem viride ſuſcepit, ardor efficeretur. Neque ſi cera quæ tum erat dura ſigilli impreſſionem propter duritionem ſuam tenue, & ad modicum ſuſcepit emolliretur per ſolam emollitionem efficietur tenuis illa forma impreſſionis expreſſior aut perfectior. Juxta ſimilitudinem igitur iſtam clarificatio virtutis intellectivæ quæ non eſt niſi præparatio, & augmentum receptibilitatis ipſius ad formas intelligibiles in nullo immutabit eas quæ apud illam ſunt, ſi nihil aliud circa ipſam immutetur, & intendo ſi non nova aliqua impreſſio ei fiat vel adveniat exterius. Manifeſtum igitur eſt exemplis iſtis, & ſimilitudinibus non eſſe poſſibile ſcientias præſentis vitæ remanere in eiſdem poſt mortem corporum in gloria futura.

Denique res à quibus formæ impreſſæ ſunt applicabuntur ſpeculo virtutis intellectivæ, ergo aliæ, & quæ perfectiores imprimentur.

Amplius res illæ à quibus hujuſmodi formæ impreſſæ ſunt applicabuntur ſpeculo virtutis intellectivæ applicatione intellectuali propinquiori, & convenientiori quam applicatæ fuerunt eidem in vita iſta, & intẽdo hoc in ſtatu futuræ gloriæ. Quapropter alias, & fortiores imprimens quam hic impreſſerunt eidem. Quemadmodum ſi ceræ melius paratæ, & aptatæ ad recipiendas ſigillationes imprimatur denuo ſigillum, imprimatur inquam, preſſius atque profundius, impreſſionem priorem deſtruet, & novam fortiorem atque profundiorem in cera imprimet, præſertim ſi tenuis, & paucæ expreſſionis prior ſigillatio fuerit. Quia igitur ita ſe habet de impreſſionibus, & ſigillationibus quibus animæ humanæ reformabuntur, & ſigillabuntur impreſſionibus, & ſimilitudinibus : neceſſe eſt ut novæ atque fortiores fiant in eis hujuſmodi ſigillationes illæ gloriæ, cum hinc exeunt, & illuc veniunt ; non ſunt igitur eædem, nec illæ advenientes patiuntur iſtas remanere in animabus humanis.

PARS DECIMAOCTAVA.

Oſtendit quomodo intelligitur illud quod charitas nunquam excidit.

Exponit exẽplis quomodo ea cenſeatur charitas & charitas patriæ quæ non dicitur perire quod cedit nobiliori.

1. Cor. 13.

HIs ergo rationibus non immerito videri poteſt quod vetera hujuſmodi omnia tranſeunt in animabus humanis, cum ex vitæ præſentis miſeria ad futuram gloriam aſſumentur, neque obſtat quod legitur in lege, & doctrina chriſtianorum videlicet quod *charitas numquam excidit*, cum manifeſtum ſit illam ſæpiſſime extingui in animabus mortaliter peccantium, quod eſt dicere, impiis & gravibus peccatis, quibus creator offenditur, & iraſcitur peccantibus. Intelligendum igitur eſt non propter hoc charitatem quæ hic habetur excidere, quia cedit nobiliori incomparabiliter, & ea adveniente recedit, & hæc eſt cauſa propter quam dicitur permanere, vel non perire, ſicut vides in igne qui eſt flamma, de quo manifeſtum eſt quod ſecundum veritatem corrumpitur continue ; cum enim flamma non ſit niſi fumus incenſus, continuè autem & incendatur novus fumus ex lignis, neceſſe eſt ut continuè corrumpatur fumus ; ex igne illo tamen non judicatur extingui ignis vel flamma, imo judicatur permanere, & eſſe idem ignis in fine diei, qui fuit in principio ejuſdem, & creditur ab indoctis durare ; quoniam non apparet corruptio illa vel extinctio propter continuam ſucceſſionem, & inflammationem fumorum hujuſmodi. Sic & aquæ in eodem alveo fluminis, ſive per eundem fluens eadem eſſe judicatur propter identitatem alvei per quem fluit ; cum longe ſit aqua quæ tranſit per alveum in mane unius diei ab illa quæ per illam tranſit in veſpere. Sic & ſplendor diei in meridie non judicatur à multis alius, quam ſplendor diluculi, cum creſcere dicatur ab eiſdem in fulgorem meridianum : cum nemo intelligens dubitare poſſit quin alius ſit ſplendor primæ horæ diei, quam fulgor meridianus quoniam in alio ſubjecto eſt, quoniam in alia parte aëris. Duabus igitur de cauſis charitas nunquam excidere dicitur, primum quia longe major atque nobilior ei ſuccedit juxta ſermonem ſapientis, quo dictum eſt *mortuus eſt pater ejus, & non eſt mortuus, meliorem enim ſe reliquit hæredem.* Eccli. 30. 4.

Secundam affert rationẽ quia eadem manet diſpoſitio in ſubjecto, & eodem nomine donata.

Alia vero de cauſa, quia etſi non remanet idem, tamen nomen numero, & eadem diſpoſitio quæ illi ſuccedit charitas eſt veri nominis; fides autem & ſpes evacuantur & excidunt, quoniam diſpoſitiones quæ illi ſuccedunt nec nomina etiam fidei, & ſpei retinent, quoniam quemadmodum audiviſti nec fides, nec ſpes apparentium eſt, ſive præſentium: & propter hoc apparentibus atque præſentibus rebus de quibus erant fides, & ſpes recedunt ambæ.

Quod licet charitas gloriæ ſuper omnem proportionem ſit ad charitatem patriæ non tamen ſit infinita, idẽ de cognitione gloriæ ad fidem.

Sciendum tamen eſt tibi hic quod quamvis charitas patriæ ſeu gloriæ ſuper omnem proportionem ſit ad charitatem quæ eſt præſentis vitæ ſeu viæ, non tamen propter hoc neceſſe eſt ipſam eſſe infinitam, ſicut apparet in angulo recto, & angulo contingentiæ; licet enim angulus rectus ſuper omnem proportionem major ſit angulo contingentiæ, non tamen eſt infinitus. Juxta eumdem modum non eſt neceſſe ſi verum eſſet quod quidam dicunt quod charitas præſens quæ uſualiter charitas viæ dicitur, creſcit in charitatem gloriæ, quod propter hoc creſcat in infinitum: quemadmodum ſi angulus contingentiæ creſceret in angulum rectum, non propter hoc creſceret in infinitum; cum omnis angulus rectus finitus ſit. Scito etiam quod cum fides tranſit in præſentialem cognitionem gloriæ, tranſit indubitanter in infinite majorem cognitionem quam ipſa fides ſit; non enim eſt proportio præſentialis cognitionis gloriæ ad fidem, & hoc modo intellexi infinitum hic, quod eſt dicere ſuper omnem proportionem in aliis, non quod ipſa cognitio patriæ ſeu gloriæ infinita ſit.

Quod diverſitas ſit ſecundum ſpeciem inter charitatem gloriæ & charitatem viæ præſentis.

Tunc enim ut prędixi non eſſet ibi cognitio aliqua major alia, ſeu minor, ut videri poteſt per oſtenſam rationem: & quoniam fides, & charitas hic in eodem ſubjecto hic æquales ſunt: ſimiliter & in ſtatu gloriæ eſſent cognitio illa gloriæ, & charitas ibidem æquales. Quapropter ſicut cognitio illa ad fidem ſe habet, ſic & charitas illa ad charitatem quæ eſt cum fide. Quare quoniam cognitio illa ſuper omnem proportionem major pręſenti charitate, quæ, ut prędixi tibi, charitas viæ tuto ſermone nominatur, propter quod non immerito alterius ſpeciei eſſe videtur. In rebus enim ejuſdem ſpeciei non videtur eſſe poſſibile ut una alia quæcumque in infinitum major ſit, licet majoritas & minoritas accedant. Linea namque ad punctum, & ſuperficies ad lineam, & corpus ad ſuperficiem, ſic indubitanter ſe habent, & manifeſta eſt diverſitas ſecundum ſpeciem in eâ.

PARS DECIMANONA.

Quod charitas viæ, & charitas patriæ ſint diverſæ in ſpecie.

In patria non diligitur Deus ſecundum idem, & eodem modo ſicut in via.

QUod ſi dixerit quis quod charitates ſive dilectiones cum fuerint unius, & ejuſdem, ſecundum idem, & propter idem, neceſſe eſt ipſas eaſdem eſſe ſaltem ſecundum ſpeciem: alia enim via non eſt ad cognoſcendam identitatem eorum ſecundum ſpeciem, non improbabiliter dicit. Quod ſi ex hoc arguere voluerit charitates iſtas ſive dilectiones Dei eaſdem eſſe, ſicut & ego quandoque memini me feciſſe, videtur mihi non eſſe verum, quod permittit videlicet quod dilectiones iſtæ ſive charitates ſint unius, & ejuſdem, & ſecundum idem, & propter idem: hoc autem manifeſtum eſt ſi imaginari potueris divinæ majeſtatis immenſitatem qualiter hic ut ita dicatur tanquam involuta, & implicata diligitur, in ſtatu vero futuræ gloriæ tanquam explicata & evoluta. Ipſa enim eſt lux puriſſima ac radiantiſſima, & pulchritudo deſiderabiliſſima, & jocundiſſima, & bonitas ſuavitate redundantiſſima, & poteſtas univerſalis imperioſiſſima, & ad hunc modum ſunt, & alia quædam quæ cum ſe manifeſtaverint immenſitas gloriæ creatoris tanquam explicatam, & evolutam quodammodo ſe exhibeat aſpectibus beatarum animarum: ſicut & modo patenter quantum poſſibile eſt, & evolute ſe exhibeat aſpectibus ſpirituum ſublimium abſtractorum. Quemadmodum igitur qui diligit librum quem non clauſum cognoſcit, cum ei evolvuntur, & explicantur ejus volumina, non ſolum amore majori diligit illum, ſed etiam novo, utpote cui nova bona, ſive novæ bonitatis ejuſdem per explicationem ſeu evolutionem hujuſmodi innoteſcant: ſic & bona ſive præeminentiæ, & alia de creatore innoteſcunt in ſtatu illo tanquam evoluta, ut prædixi, & explicata, quæ hic quaſi clauſa in ipſo creatore, & tanquam ſub involuto amabatur. Non igitur ſecundum idem, & propter idem per omnia diligitur hic creator, & diligetur illic, ſicut evidenter apparet in exemplo quod de libro audiviſti.

Idẽ probat exẽplo ignis ſive caloris, & ardoris qui duo effectus ignis ſpecie differant.

Nec mirandum eſt tibi ſi tam diverſæ cognitiones ut eſt fides, & viſio diverſos amores pariunt creatoris; qui enim imaginatur amicum quem non videt, nec ejus ſimilem, non eſt mirum ſi alio amore ipſum diligit quam cum ipſum in pulchritudine ſuâ, & gloria intuetur, nec rem ipſe miraris ſi appropinquatione aliqua ad ignem calorem alium tibi generat, vel ingerit quam ipſius ignis attactus. Attactus enim ardorem ingerit cremabili arido, appropinquatio vero modicam calefactionem muliebrem, & ſalubrem. Porro calor ille qualitatis illius ardor eſt, & ignitio qua igniti ſunt beatiſſimi illi ſpiritus. Qui autem creatorem hic maximè diligunt viæ calidi dicendi ſunt, ſeu calentes: notiſſima vero diverſitas eſt ſecundum ſpeciem inter calorem, & ardorem, ſimiliter inter calidum, & igneum vel ignitum. Manifeſtum igitur eſſe tibi debet per hoc non eſſe admirandum aliam eſſe ſecundum ſpeciem charitatem gloriæ illius, videlicet qua Deus diligitur ab illa qua hic diligitur, & quoniam non per eadem, ſive per idem uſquequaque diligitur hic creator, & ibi; multa enim ſecundum rationem innoteſcunt ibi de ipſo ad nudum & liquidum quæ hic ad modicum etiam non cognoſcuntur.

Reſpondet objectioni quod utrobique diligatur Deus ſecundum quod Deus & propter quod Deus.

Quod ſi dixerit quis quod Deus nec ibi, nec hic diligitur niſi ſecundum quod Deus, & propter hoc quod Deus. Reſpondeo illi quod non eſt verum, cum manifeſtum ſit illum ibi diligi quia pulcherrimus, quia optimus, quia lucidiſſimus, quia potentiſſimus, & aliis operationibus quæ omnes ibi ad liquidum, & nudum innoteſcunt, & de quibus hic nec cogitatur juxta ſermonem in lege, & doctrinâ chriſtianorum, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, & in ſermone prophetico, *oculus Deus non vidit abſque te, quæ ſeparaſti diligentibus te.* Adjuvat igitur adhuc ſermonem iſtum uterque iſtorum ſermonum quos dixi quia in ſtatu illo futuræ gloriæ apparebunt magnalia creatoris multa, de quibus nec hic cogitatur, quæ illum nobis, & magis amabilem efficient, & magis amare compellent. Quod ſi dixerit quis quod omnia illa unum ſunt quæ enarravi, & quæ hic etiam cogitare prævaleo, utique verum dicit: ſed quoniam multa ſunt ratione quæ non innoteſcunt hic, manifeſtum etiam eſt tibi, quoniam vel multiplices amores implere perfectionem ipſam cognoſcentibus generant, vel unum ex multis conferunt atque conſtituunt longe diverſum ab ambobus quibus creator amatur

1. Cor. 2. 9. *Iſ. 64.*

hic, quoniam non amatur in hoc ſtatu, niſi quatenus & cognoſcitur in eodem.

Cõcluſio. Jam igitur feci te ſcire qualiter, & quam ob cauſam charitas nunquam excidere, & virtutes non perire ab animabus humanis dicantur, cum eis nobiliores ac ſublimiores ſuccedant; quemadmodum nihil amittere dicatur qui loco amiſſorum multo majora ac pretioſiora acquiſivit. Exempla etiam convenientiſſima de uſu, & conſuetudine ſermonum noſtrorum ſuper his audiviſti.

PARS VIGESIMA.

Quare animæ defunctorum non viſitant amicos viventes.

Reſpondet multoties id factum eſſe. QUoniam autem admirationi magnæ pluribus eſt de animabus charorum ſuorum defunctorum, quæ ad conſortium ſanctorum ſpirituum, & gloriam aſſumptæ ſunt, quod ad eos hic non veniant, eoſque in tantis, & tot præſentis vitæ miſeriis non viſitant, non conſolantur, non informant de his quæ agenda ipſis ſunt; nec præmuniunt de periculis quæ imminent eiſdem, & utile eſt, & præſenti tractatui non incongruit admirationi hujuſmodi reſpondere. Dico igitur in primis quod multoties iſtud fit videlicet quod vel ipſæ animæ defunctorum charis ſuis hic apparent, vel angelicæ ſubſtantiæ in ſpecie eorum. Propter quid autem non ſemper, & omnibus hoc faciat.

Cur autem non ſemper & omnibus hoc fiat, hanc 1. rationẽ reddit quia eximia quædã gratia eſt iſta apparitio. Dico quod non eſt parvæ gratiæ apparitio iſta, vel viſitatio angelica. Tu vero jam edoctus es propter quas cauſas frequentationes, & viſitationes, & etiam ipſa Angelica cuſtodia vel ſubſtrahitur, vel denegatur hominibus. Quare conſequenter, & certum eſſe debet quibus de cauſis, & rationibus iſtæ gratiæ viſitationis ſcilicet, & apparitionis charorum ſuorum defunctorum non fiant viventibus: non enim ex oblivione, vel incuria animarum defunctorum, ſed hoc dono gratiæ indigni ſunt viventes, aut eo non indigent.

De triplici ſtatu poſt mortẽ unde rationes alias depromit. Nihil enim oblivionis hujus aut incuriæ talis locum habet in animabus glorificatis, in eis vero quæ in purgatorio ſunt manifeſta eſt occupatio illa pœnalis, qua detinentur ut inde exire non permittantur, niſi magno munere gratiæ, & hoc alterutra duarum cauſarum, vel ut ipſæ præſtent, & emendicent à charis ſuis viventibus ſuffragia quibus adjuvantur ad celeriorem liberationem ſuam, vel ut ipſos præmoneant, atque præmuniant de malis quæ ipſis imminent, & inſtruant de agendis. De animabus vero quæ in infernis detinentur non debet habere quæſtionem apud intelligentes, propter quid incarcerati, & vincti tam longe à vita iſta ad charos ſuos non veniunt: non enim in poteſtate eorum eſt exire de carcere, & vinculis hujuſmodi, &c.

PARS VIGESIMAPRIMA.

Quod animæ defunctorum poſſunt ſcire ea quæ fiunt in præſenti vita.

Animæ glorificatæ cognoſcunt preces quæ ad eas fiunt. SI quis autem quærat utrum animæ defunctorum ſciant quæ hic fiunt, vel à charis ſuis, vel ab aliis hominibus, facile eſt ei cognoſcere quod illæ quæ in ſplendore gloriæ ſunt, & propter hoc fiunt orationes, & deprecationes ad eas à viventibus; alioquin vanè rogarentur, ſi preces rogantium eis non innoteſcerent.

Quomodo Si vero quærat quis qualiter innoteſcant eis. Reſpondeo quod ex luminoſitate gloriæ in qua ſunt quæ non permittit eos latere aliquid quod deceat eas ſcire. De his vero quæ ſunt in purgatorio, manifeſtum eſt quod ſuffragia quæ eis impenduntur innoteſcunt eis per ipſa beneficia quæ inde ſentiunt. Conveniens quoque eſt ut eiſdem innoteſcat à quibus, & quæ fiant eis, ut cum liberatæ fuerint de purgatorio, & in gloriam Angelorum aſſumptæ, gratiam ſuffragatoribus ſuis rependant, pro eis apud largiſſimum miſeratorem omnium Deum intercedentes: non enim poſſibile eſt ut ingratitudo vel aliud quodcumque vitium locum habeat in gloria illa. Dubitandum etiam non eſt quin ab animabus quæ ex hac vita in purgatorium deſcendunt multa addiſcant. Quis autem ſit modus locutionis ad invicem animarum à corporibus exutarum, jam patefactum eſt tibi in tractatu de ſubſtantiis ſeparatis. Idem enim modus neceſſe eſt ut ſit eis, & collocutio fiat, qui & ſubſtantiis hujuſmodi, & per eaſdem vias probationum per omnia ſtabiliendum eſt, ac declarandum.

Innoteſcunt ea quæ hic fiunt ſive ab animabus in ſtatu gloriæ ſive ab animabus in purgatorio detentis.

De animabus autem quæ in inferno, non eſt tibi multum curandum, quæ vel qualia ſciant. Totum enim ſcire, & cognoſcere earum eſt in tormentis & pœnis ipſarum; mala enim propria ſic cognoſcunt, & ſentiunt, ut inde torqueantur, bona vero quæ malis ſuis meritis facientibus non ſunt aſſecutæ non niſi cum dolore cognoſcunt aut cogitant: bona quoque aliorum & gaudia, & præmia Dei electorum, ac dilectorum non ſunt in refocillationem aliquam vel mitigationem tormentorum in quibus ſunt, quin potius in dolorem, cum ſe ad illa & creatas eſſe, & adjumenta multa pro illis obtinendis recepiſſe conſpiciunt, & tantis bonis irrecuperabiliter defraudatas. Quidquid cognoſcunt à damnatis in pœnam, & ſupplicium eorum vergit.

Quod autem gloriam beatarum animarum videant ex ipſa lege chriſtianorum, & teſtimonio legis ipſius latoris apparere poteſt exemplo animæ divitis illius de quo tibi feci in præcedentibus mentionem: de ipſo namque inferno ubi ſepulta erat intuebatur glorificatam quam in corpore ulceribus pleno in hac vita cognoverat, nec tamen ejus voluerat miſereri. Verum quamdiu, videlicet utrum ſemper an ad tempus determinatum ſolummodo liceat animabus quæ in inferno ſunt vel futuræ ſunt videre gloriam beatarum animarum, ex ſacris & divinalibus eloquiis non eſt uſquequaque perſpicuum. Si autem dicat quod ipſam gloriam quam videre contempſerunt in gaudium, viſuri ſemper ſunt in tormentum, ita ut ipſa gloria quæ debuit eis eſſe in gaudium beatitudinis, ſit eis in æternæ miſeriæ cruciatum, non improbabiliter dicet, nec eſt contra Dei juſtitiam, aut communis fidei veritatem, quin potius multum conſonat ſermo iſte & veritati fidei, & juſtitiæ creatoris. Probat damnatos cognoſcere gloriã beatorũ exemplo animæ divitis epulonis. Lucæ 16.

Retractat ſi quid contrarium alicui videatur ſententiis ſacrorum doctorum. Debes autem ſcire quod in ipſis ſermonibus propheticarum invenies quæ videantur intelligentibus contraria. Ego vero non ſuſcepi hic expoſitionem ſermonis hujus, licet facillima ſit expoſitio eorum. Enimvero erit attendere ſacrorum doctorum expoſitionibus atque ſententiis, & ab earum fide nullatenus deviare, nec ſermones meos ſermonibus illorum unquam præferas qui vides propoſitum, & intentionem meam ad hoc ſolum eſſe, ut veritatem eorum per vias probationum aſtruam, & contraria deſtruam eorumdem, &c.

PARS VIGESIMASECUNDA.

Quomodo anima ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creata ſit.

Imago Trinitatis in anima glorificata cum perficietur ejus fœcunditas generatione ſapientiæ cõpletæ, & amor ejus erit ſanctiſſimus, & perfectiſſimus.

POſt hoc autem aggrediar partem ultimam tractatus iſtius in qua patefacere tibi curabo qualiter anima humana ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creata vel formata ſit: & quoniam hoc declaratum eſt tibi per me in prima parte primi ſapientialis ac divinalis magiſterij, non repetam tibi declarationem illam, ſed addam hic novas. Quia igitur Deus altiſſimus intelligitur Trinitas glorioſa quam gens chriſtianorum novit. Et hęc Trinitas eſt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, unus ſcilicet, verus ac Deus ſolus. Dico animam creatam eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem hujus beatiſſimæ ac ſemper venerandæ Trinitatis, & intendo ad hoc ut ipſa tandem hoc eſt in ultima perfectione ſua ſit imago & ſimilitudo Trinitatis, & ſecundum hoc præpoſitio, ad, finalis eſt, ſive cauſæ finalis: tunc enim indubitanter ipſa erit imago patris ipſa generatione ſive fœcunditate ſapientiæ completæ; tunc enim perficietur ejus fœcunditas, & erit in effectu ſuo ultimo ac perfecto cum generabit ſapientiam perfectam de ſeipſa vis ejus intellectiva. Tunc enim perficietur ex omnibus modis ſuis anima humana, & propter hoc perficietur ejus fœcunditas quæ naturaliter eſt generativa ſapientiæ, ita ut tunc generet ſapientiam perfectam ſimul totam, ſapientiam inquam non quæ ſit habitus dormiens, ſed potius actus vigilans qua erit ſciens in effectu omnia quorum naturaliter ſcibilis eſt. Nunc autem ſicut alibi per me edoctus es, aborſus tantum facit, & fruſtatim, atque particulatim generat partes ſcientiarum, ſicut & particulatim ſeminantur in ea. Erit igitur ex illa perfectione fœcunditas imago patris completa completione ultima; & ex prole ſeu ſapientiâ nobili, atque glorioſâ, erit imago & ſimilitudo filij: ex fervore vero ſanctiſſimi amoris quo in creatorem inextinguibiliter, & incogitabiliter ardebit, erit imago & ſimilitudo ſpiritus ſancti, qui eſt caminus, & fornax ſpiritualis ardoris, hoc eſt ſanctiſſimi amoris, cujus immenſitatis nec eſt menſura nec numerus. Erit igitur ſicut ferrum ignitum fulgore: & ex his duobus fulgore, ſcilicet & ardore, erit imago, & ſimilitudo primogenitæ prolis, qui eſt primogenitus ſummi patris filius, ex ardore vero ut prædixi imago primi, & inęſtimabilis doni, qui eſt ſpiritus ſanctus; & hæc alibi tibi lucidius declarata ſunt per vias probationum.

In tractatu de Trinitate.

Eandem ſimilitudinẽ ſanctiſſimæ Trinitatis in poteſtate, ſapientia, & ſanctitate declarat.

Addo autem hoc quoniam juxta morem divinalium eloquiorum, & poteſtas attribuitur patri videlicet primogenitori, & ſapientia filio, quod eſt dicere ejus primogenito, bonitas vero ſpiritui ſancto; quia cum poteſtas animæ liberata fuerit, & tanquam depurata ab omni impotentia & infirmitate, factaq; fuerit imperioſiſſimæ dominationis in omnia ſua, erit imago & ſimilitudo ſummi patris per poteſtatem hujuſmodi. Cum vero purgata fuerit ab omni labe errorum, dubitationum, & ignorantiarum, atque ab obſcuritate opinionum, & effecta erit luminoſitate ſapientiæ fulgentiſſima, erit imago primogenitæ ſapientiæ per hujuſmodi plenæ luminoſitatis ſapientiam. Juxta eundem modum cum gratia benignitatis à Deo illuſtrata fuerit, ut omni bono gaudeat gaudio ſtatui gloriæ congruenti ab omni malitia, & malignitate adeo longe facta, ut neque cogitatus ei approximet, erit per hujuſmodi tantæ benignitatis dulcedinem imago, & ſimilitudo ſpiritus ſancti.

Imago Trinitatis in tribus viribus animæ in virtute intellectivâ concupiſcibili, & iraſcibili.

Debes autem ſcire quod in tribus viribus ſuis nobilibus imago, & ſimilitudo pulcherrimæ expreſſionis futura eſt ſemper adorandæ ſemperque benedicendæ hujus Trinitatis, & per virtutem intellectivam ſicut prædixi. Per virtutem concupiſcibilem quoniam in ipſa erit amor in effectu, amor, inquam perfectiſſimæ rectitudinis, & completæ ſanctitatis, & incogitabilis, ut prædictum eſt, ardoris. Licet autem Deus pater intellectus merito nominetur, non tamen intelligendus eſt tibi quod ipſe lumen ſit frigidum aut extinctum, quin potius lumen vivax, & ignem immenſitate ſpiritualis ardoris flammans. Sic & de filio qui ſapientia ex ipſo genita rectiſſime, veriſſimeque creditur, intelligendus eſt tibi, quoniam ipſe eſt ſplendor igneus, vel potius ignitus ardore ſpirituali qui amor eſt eſſentialiter ardens; alioquin non eſſet imago patris ad idem eidem reſpondens. Tibi etiam patefactum eſt in eis quæ præceſſerunt quoniam amor ſapientia viva eſt, & ut conſuevi dicere ſcientia ſapientialis, juxta ſermonem propheticum, quo dictum eſt *dilectio Dei honorabilis ſapientia*. Declaratio autem ſermonis iſtius eſt, quia ſi dilectio qua nos rectè, ſapienterque diligimus in nobis ſapientia eſt, neceſſe eſt in ipſo exemplari, & fonte ſapientiæ multo fortius ſic ſe habere, videlicet ut amor ibi rectiſſimus, atque ſanctiſſimus. Eadem via per omnem modum erit in ſtatu gloriæ futuræ imago, & ſimilitudo ſpiritus ſancti. Ipſa namque vis iraſcibilis in ſtatu futuræ beatitudinis erit in effectu ſuo ſive actu ultimo nobili, & glorioſo benignitas; omnes namque vires omneſque virtutes erunt in ſtatu gloriæ abſque dormitatione habitualitatis, & potentialitatis, erunt, inquam, in actu vigilantiſſimo, continuo, ſempiterno. Nec te conturbet quod amorem dixi filium, cum ejus Eccleſia de eo cantet *in his paterna gloria, in his voluntas filius*. De ipſo namque quia primogenitus filius non ſolum verbum eſt quo dixit, & facta ſunt; ſed etiam imperium, vel mandatum quo mandavit, & creata ſunt; imperium autem & mandatum non eſt niſi voluntas in effectu, ſicut ipſum velle imperare eſt eſſentialiter atque veriſſimè. Nec eſt ullo modorum inconveniens ſi amor ex amore per generationem procedit, ſicut intellectus ex intellectu, & verbum ex ſapiente, & intelligente, atque loquente: alias autem ſicut declaratum eſt tibi amor ex amante procedit, ſicut donum ex donante, non autem ſicut ignis ex igne; hoc enim eſſet per generationem, verum ita ad certum & liquidum declarare alterius eſt difficilioris & ſublimioris negotij. Arbitror autem ſufficere tibi debere ſuper his ea quæ hic dicta ſunt cum his quæ alibi didiciſti.

Eccl. 1. 14.

Item in tribus iſtis vita, ſenſu, & affectu.

Quod ſi volueris ex alia via, apparebit tibi imago, & ſimilitudo veræ & glorioſæ Trinitatis iſtius in anima humana, & etiam in omni anima animali. In anima namque humana evidenter vides vitam, ſenſum, & affectum. De vita ſenſus procedere videtur; ipſe enim ſenſus vita eſt, à filio vero qui ſimiliter vita eſt ex utroque procedere videtur, affectus. Vita igitur imago erit patris, ſenſus autem propter cognitionem vel apprehenſionem imago erit filij qui ſapientia eſt ſicut noſti: affectus vero imago erit ſpiritus ſancti; affectuoſos namque benignos atque benevolos dicimus. Nec intendo affectum, iram, aut odium; quoniam ira & odium dicuntur à multis non eſſe affectiones radicales per ſe, ſed ex radice amoris eas procedere, intelligentes quod homo qui alicui rei iraſcitur, ex amore rei alterius iraſcitur illi, & odit illam. Sicut ex amore ſanitatis qui iraſcitur ægritudini, & odit illam. Cauſa autem in hoc eſt, quia diſpo-

ſitio, in quam naturaliter ac per ſe eſt amor, naturaliter eſt in rebus. Et hoc non eſt niſi bonitas; diſpoſitio namque malitiæ in quam vel propter quam ſunt ira, & odium, cæteręque hujuſmodi non eſt per ſe, ac naturaliter in rebus, ſed ſecundum accidens, aut cui, aut ſecundum quid, & hoc in deſtructione erroris Manichæorum plenè didiciſti. Eſt igitur in his imago, & ſimilitudo Trinitatis licet longe minoris expreſſionis; in ea namque eſt vita, & ſenſus quidem ſicut apparet in palma, & corylo quæ vitæ, & ſibi neceſſaria aut convenientia amplectuntur.

Imaginem Dei magis relucere in primis hominibus.

Quod igitur formavit Deus hominem ſecundum animam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam de primis hominibus magis clarum eſt, quam de aliis: quoniam animæ eorum in ſuis perfectionibus naturalibus creatæ ſunt, aliorum vero hominum animæ longe ab eis. Imago quoque & ſimilitudo hæc quantacumque appareat in eis, potentialiter tantum eſt in ipſis comparatione futuræ actualitatis, atque perfectionis. Quia etiam ad perfectionem gratiarum non niſi potentialiter apparet in illis: quanto igitur fortius ad comparationem perfectionum gloriæ. Et hic finem facio tractatus iſtius: tuum autem erit, quem Deus honoret, mihi deputare quidquid defectus, aut imperfectionis in eo inveneris. Auctori autem ac largitori omnium bonorum largiſſimo creatori quidquid rectè, ac laudabiliter dictum, vel ſcriptum in eo cognoveris.

FINIS

GUILIELMI

GVILIELMI PARISIENSIS SVPPLEMENTVM TRACTATVS NOVI DE PŒNITENTIA.

CAPUT XVIII.

Oratio Pœnitentis ad Deum.

Pœnitens deflet corā Deo calamitatem ſuam.

AA, a, Domine pater miſericordiarum, audeo- ne venire, & apparere in conſpectu ſanctorum angelorum tuorum infœliciſſimus, & miſerrimus? Ego tot, & tantorum tuorum ingratus ſuſceptor donorum, tam impudens, & tam execrabilis abuſor? qui toties, & tam diu ipſis beneficiis tuis diabolo militare contra te toties, & tam diu non erubui? qui ipſa dona tua in arma diabolica convertere non timui? qui me ipſo tam abominabiliter abuti præſumpſi, ut me ipſum ſervū auſus eſſem exhibere diabolo, & membra mea arma eidē facere, quibus te creatorem meum, & membrorum meorum largitorem impugnaret. Nunquid nō ego ſum domine Deus meus, qui me ipſum toties exhibui gladium acutum, flammeum & ignitum diabolo ad vulnerandas animas, quoties armari contra te in alienam mortem voluit? Linguam meam arcum mendacij toties exhibui, quoties ſagittas detractionis, aut adulationis in alios miſi. Non ſufficio miſericordiſſime, & dulciſſime pater enumerare, vel exprimere membrorum meorum nefarias abuſiones, quibus & diabolum armavi, & te clementiſſimum ac benigniſſimum impugnavi. Ego ſum ille, quem de nihilo creaveras, & de maſſa peccati, & perditionis, in filium gratiæ elegeras, & in confratrem, & cohæredem unigenito tuo Deo, & domino noſtro Jeſu Chriſto, adoptaveras, ad honorem, & gloriam regni tui tanta, & tam indebita gratiæ largitate vocaveras, qui & abundantiam hujus tantæ ſuavitatis oblitus, & tanta bona mea projiciens, ſpreto honore regni cœleſtis in ſpurium filium, & degenerem me converti, & diabolo diſtrahendum per ſterquilinia luxuriæ, & ſpineta avaritiæ, & allidendum ſcandalis, & flatibus, & procelloſitati ſuperbiæ, me tradidi.

Calamitatē ſuam exponit Deo peccator.

Ego ſum ille cœcus mercator qui pretioſiſſimis talentorum tuorum divitiis tantam tamque miſerabilem inopiam & nuditatem, & æterna ſupplicia mercatus ſum, qui munditiam ſterquilinio luxuriæ, & divitiarum tuarum ſuaviſſimam, ac jocundiſſimarum pacem ſpineto avaritiæ; & humilitatis ſecuriſſimum portum procella ſuperbiæ, æternam lucem æternis tenebris, æterna gaudia æternis doloribus, æternam gloriam æterno opprobrio, & regnum Dei ſervitute diabolica cōmutavi. Ego ſum inſaniſſimus ille qui velut ſignum ad ſagittam jaculis peccatorum confodiendum, & vulneribus lacerandum me expoſui. Qui velut cadaver canibus infernalibus, & omnibus volucribus diſſecandum, & dilaniandum me projeci, à civitate ſanctâ tuâ, quæ eſt ſanctorum amicorum tuorum ſancta & jocundiſſima ſocietas; qui vermibus vitiorum comedendum, & corrodendum me tradidi.

Item vitiorum ſuorū fœditatem.

Quam abominabilis appareo ſanctis oculis tuis! cœno fœtidiſſimo teterrimoque luxuriæ immerſus, & ſordidatus, igne iræ, & avaritiæ ſemiuſtus, vermibus odij, & invidiæ obeſis membris, vento ſuperbiæ tumidus, & monſtruoſus atque ſtrumoſus! totus ulceroſus, totuſque confoſſus, tot tantorumque peccatorum meorum tot & tantis vulneribus, tot & tam horribilibus diabolicæ turpitudinis ſigillatus, maceratus, carbonatus characteribus. Scio, ſcio, domine miſerator, quia merito, & juſtiſſime negare me potes, & non recognoſcere non ſolum filium tuum, ſed & creaturam tuam in eo quod talis ſum: nec enim horrenda hæc omnigenarum turpitudinum monſtruoſitas facies eſt creationis aut recreationis tuæ. Non eſt abominatio imago aut ſimilitudo in quarum altera me creaſti & alterâ recreaſti Verum ſimilitudo diabolicæ turpitudinis me oſtendit diaboli hactenus fuiſſe filium, & tormentorum infernalium hæredem. Hæc eſt mutatio & commutatio quâ cœcorum cœcus dementiſſimus ego tuæ ſimilitudinis gloriam, & decorem abominabiliſſima, & viliſſima fœditate mutavi. Non ideo pater ſancte pretioſiſſima illa,

talentà tradideras mihi ad negotiandum, ut pro uſuris horrendam iſtam abominationem in faſcem tibi reportarem. Non ideo me tot & tantis beneficiis tuis implevisti, & ditaſti, ut in impugnationem tuam ea converterem: non erat intentiò bonitatis tuæ armare me contra te, nec armare diabolicam militiam bonis tuis. Ecce totus hic vulneribus, nec ullo ſenſu doloris torqueor. An poſſum me dubitare mortuum qui tot & tantis vulneribus confoſſus non doleo? video me cœcum qui tot & tantas turpitudines meas, & nuditatem non erubeſco. Verè inſenſibilis & ſtupidus ſum corde qui tot & tanta damna mea, qui mortem meam lugere non valeo; verè corde lapideo ſum qui nec imminentia mihi ſupplicia æterna timeo; verè corde congelatiſſimo, quem tanta beneficia velut ingens pyra amore clementiſſimi patris calefacere non ſufficit; verè letargum me deprehendo quem nec tuba ſanctæ prædicationis, nec comminationum ſuarum terrifica tonitrua ſufficiunt exterritare. Ubi eſt quæſo dolor ille pœnitentialis, dolor compunctionis quo totàm illam diabolicam duritiam contererc & diruere deberem, & totum lapidem duritiæ, & obſtinationis illius comminuere? ubi eſt, Deus, pudor ille quo ante oculos tuos, & totius curiæ cœleſtis confundi deberem? ubi eſt timor ille vindictæ tuæ, quo totus ante conſpectum tuum contremiſcere deberem? ubi eſt amor ille, & deſiderium pacis & amoris, & gratiæ tuæ recuperandæ, quo totus inardeſcere deberem? ubi eſt devotio orationis qua te mihi placatum, & propitium reddere deberem?

Indignum ſe divina miſericordia profitetur. Quo me vertam miſericors, & miſerator pater qui nihil dignum reſpectu miſericordiæ tuæ offero majeſtati tuæ? quo fugiam piiſſime pater, qui tam vacuus omni bono, qui tam plenus omni malo appareo in conſpectu oculorum ſanctorum tuorum, & ſanctarum militiarum cœleſtium? Scio Domine Deus meus, dator vitæ meæ, omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſſe à te patre & fonte luminum, ſcio me nihil poſſe acceptum afferre coram te & gratum niſi de fonte bonitatis tuæ illud præhauſerim; & hoc utique te docente & illuminante ſcio; hac enim arcâ (f. Arrhâ.) miſericordiæ tuæ me prævenire dignatus es. Scio dulciſſime pater, quia bona tua nec vi, nec fraude ulla tibi eripere, aut auferre poſſum; ſed nec ullis meritis meis obtinere poſſe me gratiam qua ad te revertar, & tibi placeam confido. Quid enim meritis meis deberi poteſt adhuc niſi mortis æternæ ſupplicium. Scio quod in beneplacito ſancto tuo non eſt diſperdere me ſecundum multitudinem ingratitudinum, flagitiorum, & facinorum, & negligentiarum, & obmiſſionum mearum; ſed reformare me, & facere me tibi acceptabilem ſecundum divitias inæſtimabilis miſericordiæ tuæ, qui ſolus reformator es creaturæ tuæ quam ſolus formaſti, & nunc miſericors pater ad te confugio ſciens quod non eſt fuga à te, niſi ad te. Quis enim poteſt me liberare de manibus tuis, niſi tu ſolus? Liberare me poteſt miſericordia tua quam tot & tantis iniquitatibus meis non ſolum demerui, ſed etiam impugnavi ab ira juſtiſſima tua quam infœliciſſimus, & ingratiſſimus merui. Qui ergo me trahis ſuſcipe me dignare revertentem ad te, & averte obſecro oculos ſanctos tuos ab ingratitudinibus meis, atque ſpurcitiis. Ad temetipſum reſpice obſecro, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatum eſt. In temetipſo invenies unde, & propter quid miſerearis, abundantiam ſcilicet ſuavitatis tuæ, & immenſitatem miſericordiæ tuæ.

Orat Deũ ut avertat Noli obſecro ad me reſpicere quia nihil invenies niſi unde debeas iraſci, nihil niſi morte æterna dignissimum. Averte obſecro oculos ſanctos tuos à conſpectu turpitudinum, & abominationum mearum, quas ſi ipſe lucide ac plene conſpicerem, videre præ horrore nimio non ſuſtinerem, ſed me ipſum horrerem & fugerem. Averte obſecro nares tuas à fœtoribus meis, & ad te ipſum converte. Scio Domine quod mundi ſunt oculi tui ſancti, & horrorem deformitatis meæ videre non poſſunt. Scio quod tota curia cœleſtis avertit oculos ſuos, & nares obturat, abominationes meas ferre non ſuſtinens; ſed tu miſerator pater ad fontem illum miſericordiæ tuæ convertere, cujus nec numerus eſt, nec finis, & pro hac ſereno vultu reſpice creaturam tuam in me; creatura enim, Domine, tua ſum, & opûs manuum tuarum. Reforma igitur obſecro quod in me feciſti, & deſtrue quod odiſti in me; quod tu utique non feciſti, ſed ego miſer, hoc reforma, & reſpice quod tu ipſe feciſti & formaſti. Hoc enim tuum, Domine Deus meus, hoc eſt quod odiſſe non potes; *nihil enim odiſti eorum quæ feciſti.* Hoc deſtrue in me quod meum eſt, & quod utique feci, hæc eſt abominationum mearum horrenda monſtruoſitas, hanc deſtrue miſericors & miſerator Domine; hanc enim odiſti, & hanc ut odire incipiam, jam mihi largitus es.

Reſpice quæſo ad illam miſericordiæ tuæ exundantiſſimam abyſſum quæ velut diluvium ablutionis unigeniti filij tui pretioſiſſimum vivificumque ſanguinem in mundi totius emundationem exundavit, cujus morte placuit bonitati tuæ etiam hoſtes vivificare, & in ejus ſanguine etiam eos lavare: quâ etiam filiũ tuum mundo *ſcutum bonæ voluntatis tuæ* largitus es, quo ſe & ab irâ tuâ protegeret, & mortem quam merueram ipſo velut ſcuto juſtitiæ tuæ, & juſtiſſimæ iræ tuæ objecto exciperet. Ubi quantum nobis parcere velles oſtendere dignatus es, dum filium tuum velut ſcutum iræ tuæ opponere pro nobis dignatus es, & ipſum placuit miſericordiæ tuæ, & naturam tuam, & mortem noſtram excipere, ut nos immunes, & illæſi evaderemus iram quam merueramus & mortem; ipſe vero unigenitus tuus mortem noſtram ſolus portaret. Reminiſcere obſecro miſerationum tuarum, & conanti ad te creaturæ tuæ porrige dexteram, adjuva infirmitatem conantis ad te, & trahe ipſum qui ſcis ipſum non poſſe venire ad te niſi tu traxeris eum amore & deſiderio tuo. Fac me ſervum tibi acceptabilem, & placitum qui ſcis me aliter nó poſſe placere tibi niſi tu dederis dona quibus ſoli tibi placeam, qui das bona data petentibus te. Fac quæſo ut tu ſolus ſis amor & deſiderium meum, tu ſolus amor meus, & timor meus, vindica me totum tibi, qui ſcis me totum quod ſum, totum quod vivo, totum quod ſapio, totum quod moveor debere tibi ſoli.

Totum me converte in laudem & gloriam tuam qui totum me debeo laudi & gloriæ tuæ, ne tradas hoſtibus tuis obſecro creaturam tuam: tu eam retine tibi cujus ſolius eſt jure pleniſſimo & ſingulari: confirma in me quod feciſti, & confirma quod operatus es, exaudi obſecro orationem iſtam, cujus tu largitor, & inſpirator es. Antequam invocarem te, antequam orarem te miſertus es mei, præveniens me hoc munere orationis iſtius. Miſerere igitur invocantis & orantis, & reſpice ſupplicantem qui necdum orantem ſic reſpicere dignatus es. Non in vacuum miſericors Domine orationem iſtam inſpirare dignatus es, non fruſtra eam largitus es mihi, ad hoc utique eam mihi largire dignatus es ut exaudies, ad hoc ut ſupplicarem dediſti, ut miſerearis. Miſerere igitur & qui eam arrham mihi miſericordiæ tribuiſti, iſtam largiri reſiduum eſt. Recupera me Domine Deus meus, & erue de manibus

manibus inimicorum meorum qui & tui ſunt, qui nihil oderunt in me niſi quod tu diligis in me, qui nihil oderunt in me niſi quod aut diligo te, aut quod enitor ut diligam te. Hoc omnibus ſtudiis ſuis, omnibus viribus ſuis, & tota fraude moliuntur ne diligam te, ne glorificem te, ne omnino quæram te: ne prævaleant igitur adverſum me hoſtes gloriæ tuæ, ſed magis confundantur in multitudine miſericordiæ tuæ, videntes me totum converſum in laudem & gloriam tuam, totum quærere gloriam cui inſidiantur, & imminutionem intendũt. Ne expleri patiaris obſecro tam iniquam, tam execrabilem voluntatem eorum de me contra me.

Animam ſuam provocat ad divinas laudes.

Magnificet igitur te Deus anima mea, annumera me laudis & gloriæ tuæ præconibus, ut totus gloriæ tuæ de cætero vivam tota vita mea te glorificans, & exemplo meo alios ad glorificandum invitans & provocans. Abſterre quæſo viliſſimos immundiſſimoſque, & abominabiles tenebrarum ſpiritus à me præſentiâ luminoſitatis, ſuavitatis, & gloriæ tuæ quam ſuſtinere non poſſunt. Dirumpe vincula mea, & educ me de concluſione, & carcere horrendo, & tenebroſo, teterrimoque de lacu miſeriæ & de luto fæcis, de profundo maris, & tenebrarum in libertatem, & admirabile lumen tuum. Illumina me fide ſaluberrima tua, lætifica me, & & firma me ſpe jocundiſſima & certiſſima, & vivifica me dilectione forti tua & caſtiſſima. Reprime & humilia atque cuſtodi me timore ſanctiſſimo atque fortiſſimo, & victorioſiſſimo tuo, confunde ſalubriter me pudore pulcherrimo, & glorioſo tuo quotiens ante oculos tuos aliquid quod eos offendat offero, torque me & afflige dolore mulcebri, & ſuaviſſimo, & compunctione medicinæ tuæ efficaciſſimæ, ne recedam à facie miſericordiæ tuæ vacuus & confuſus, ſed obtineam quidquid te largiente petam, & quidquid petentibus te promiſiſti. Sentiam miſericors & miſerator Domine quod non in vacuum ad miſericordiam tuam fugitur, & quod præſto es quærentibus ad inveniendum, & quod non eſt differentia apud fontem miſericordiæ quàm de profundo eripias, aut quam, & quot, & quanta indulgeas. Ea quippe facilitate omnipotentiſſimæ ſapientiæ, & bonitatis tuæ qua dixiſti, & facta ſunt omnia, ea facilitate miſericordiæ tuæ formabuntur deformata. Ecce omnipotens & miſericors pater tot & tanta, & tam indebita beneficia tua quæ recepi enumeravi, tot & tanta mala quæ bonitati tuæ reddidi infœlix ego, & ingratus tot & tanta mala quæ me manent, & mihi imminent enarravi, & adhuc arido, gelido, duro, & impudenti, emortuo, & ſtupido corde ſum coram te in tot & tantis latrociniis deprehenſus, & ſolum expectans infernale patibulum nec timore concutior, nec dolore torqueor, nec pudore confundor, nec amore tam placatæ, tamque amabilis bonitatis accendor.

Ne differat Deus miſericordiæ ſuæ donũ.

An expectas & differs dulciſſime pater reſpicere in me, & miſereri mei quouſque miſericordia tua dignus ante te compaream, & dignum aliquid reſpectu & exauditione tua ante te offeram. Ecce cadaver mortuum, & vermibus vitiorum ſcatens quatriduanum, & fœtens ad te vitæ unicum largitorem attuli, ecce cæcũ illuminandũ offero omnipotenti miſericordiæ tuæ, & languidum ſanandum, & tot & tantis debitis obligatum abſolvendum, nudiſſimum & pauperrimum ditandum, in cujus oculis facile eſt honeſtare pauperem. Non aliud poſſum clementiſſime Deus niſi offerre meipſum qualis ſum, & oſtendere mortem, & vulnera mea, nuditatem, & paupertatem, debita pro quibus mortis æternæ carcerem timeo, oſtendere inquam oculis tuis miſericordiæ tuæ, ſi quomodo convertaris & ignoſcas, & effundas gratiam benedictionis tuæ ſuper me: nec enim poſſum me convertere ad te tot & tantis vulneribus, & ægritudinibus, & morte ipſa preſſus, & impotens effectus. Sed miſericors pater converte me, & convertar ad te, converte me Domine, & contere, & contribula cor meum, & ſenſum vivifici doloris immitte: non eſt enim fons bonorum præter te, non eſt à quo accipiam timorem, amorem, dolorem & pudorem quibus coram te miſericordia dignus inveniar niſi de prælarga miſericordia tua illos ſuper me indigniſſimum effuderis. Domine ſi vos iſta mihi conceſſeris, beatus ero, ſi in me flagitia, & facinora mea vindicare ſecundum judicium & juſtitiam tuam dignatus fueris, fœlix ſum; non autem ſecundum iram tuam quæ rebelles & contumaces miſericordiæ tuæ comprehendit in fine, & hæc eſt juſtitia & judicium tuum miſericors pater, quia timore, pudore, amore, & dolore agitur in cordibus veraciter pœnitentium, & ad bonitatem tuam redeuntium. Fac me obſecro, toto corde eſurire te, & ſitire te totis viſceribus totoque deſiderio amplecti te, fac totis viribus me adhærere tibi ſoli, toto ſtudio quærere quæ beneplacita ſunt coram te. Confige igitur latronem iſtum igne amoris caſtiſſimi tui, afflige malefactorem iſtum dolore vivifico, & ſaluberrimo tuo, confunde impudentiſſimum prævaricatorem pudore tuo glorioſo, afflige ſceleratum iſtum cruci pœnitentialis laboris acceptabilis miſericordiæ tuæ; tibi enim unigenito Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſpiritui ſancto paraclito dono ſanctiſſimo tuo eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT XIX.

De confeſſione ſecreta ſacerdoti facta de peccato luxuriæ.

De gravitate peccati molliciei.

SI dicat peccator, Domine vigilans naturam meam pollui tangendo propriis manibus ſemen emiſi. Confeſſor: Graviſſime peccaſti, & gravius videtur peccare ſic faciens quam ſi matrem ſuam cognoſceret; nam gravius eſt cognoſcere conſanguineam, quam extraneam, & quanto proximior perſona tanto peccatum gravius quod fit cum illa: ſed nulla perſona proximior eſt homini quam ipſe ſibi: unde graviſſime peccat qui ſic ſe polluit. Tunc confeſſor: Amice fuiſti-ne unquam confeſſus de hoc; ſi dicat, Domine non, conſolandus eſt peccator; ſi vero dicat, Domine neſciebam quod eſſet peccatum contra naturam. Confeſſor: Iſta ignorantia non excuſat vos, quia tenebamini hoc ſcire, unde craſſa eſt ſive affectata, de qua propheta *ignorans ignorabitur*. Item confeſſor: Emiſiſtis-ne aliquando alio modo ſemen veſtrum quam per proprium contactum. Peccator ſic: poteſt hic deſcendere ad contactum manibus ſuorum, & tunc grave peccatum ſicut prius, & deteſtabile, & ad contactum qui fit in abuſu, qui eſt quando naturalis uſus commutatur in eum qui eſt contra naturam ſcilicet maſculi cum maſculo, vel hominis cum pecude, & ſic de aliis, ubi ſunt enormes caſus: iſtum abuſum vocat Apoſtolus, Rom. 1. paſſionem ignominiæ: & paſſionem vocat tum quia natura patitur ſui corruptionem, tum ab effectu, quia plerumque mala paſſione feriuntur qui hoc vitium ſectantur, ſcilicet igne infernali vel morte ſubitanea & horribili.

1. Cor. 14. 38.

Et habetur exemplum in multis. Unde verſus: morte repentina ſacra tangẽs, frons pecuina ſemen

De quibuſdam peccat...

tis quæ ſubitaneâ morte puniuntur.

& effundens moritur, monitumque retundens. Frons pecuina dicitur quæ ſicut ſus indifferenter mundum & immundum vel ſtercoribus infectum ponit in cibum ſuum, & paſſim ſacrum ſicut non ſacrum tangit. Sic multi accedunt ad ſacra maximè ad ſacramentum Euchariſtiæ contra quos, primæ Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indigne, &c.* uſque *non dijudicans corpus Domini*, & ſequitur, *ideo multi inter vos infirmi*, ſcilicet febribus & varijs infirmitatibus, *& imbecilles ſcilicet* longa invaletudine, *& dormiunt multi*, id eſt moriuntur morte corporali, ſicut exponit ibi Gloſ. De effundente ſemen habetur exemplum Geneſ. 38 ubi dicitur quod Judas dicit ad Onam filium ſuum, *ingredere ad uxorem fratris tui & ſociare illi ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios introiens ad uxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris ex nomine naſcerentur, & idcirco percuſſit eum Dominus eo quod rem deteſtabilem faceret.* Similiter de ſacra tangente habetur exemplum de Oza qui tetigit arcam Domini, 2. Reg 6. 5. De retundente monitum Prov. 19. Viro qui corripienté dura cervice contemnit repentinus ſuperveniet interitus ſuperioribus verſibus additur verſus ille, ſecuruſque nimis comes eſt & Apoſtata primis, vel ſic, cui pax ſtulta datur, & Apoſtata conſociantur. De pace ſtulta dicitur 1. Theſſal. 5. *Scitis quia dies Domini ſicut fur in nocte veniet.* Cum enim dixerint pax & ſecuritas tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. Similiter de homine Apoſtata, Prov. 6. *Homo Apoſtata vir inutilis graditur ore perverſo*, & ſequitur, huic exemplo veniet perditio ſua, *& ſubito conteretur nec habebit ultra medicinam.* Additur etiam iſte verſus, & mendax Saphyra cum conjuge mox nece dirâ. De Saphyra & Anania marito ſuo habetur, Act. 5. Quod mentiti ſunt Petro de pretio agri in quo notantur mentientes in confeſſione, unde ibi dicitur Anania, *cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de pretio agri*, id eſt de peccatis, quæ omnia poni debent ad pedes Petri, & ſequitur *non es hominibus mentitus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit & expiravit.* In hoc etiam notantur proprietarij in religione, & ſi ita puniti ſunt qui ſua appropriati ſunt, quid fiet de illis qui communia appropriati ſunt, & celant, vel dant conſanguineis ſuis vel meretricibus.

Iterum exponit gravitatem dicti peccati.

Item gravius hoc peccatum ſcilicet ſemen ſuum extra proprium vas effundere quam propriam matrem cognoſcere: nam hoc poſſet eſſe pro eis generatio quæ Deo ſerviret, ſed ibi natura deſtruitur, & hoc in duobus quandoque in ſe per homicidium, & in ſuo ſimili per Sodomiam. Item dicitur ignominiæ peccatum quaſi non dignum nomine, unde non eſt aliquis qui ipſum audeat nominare in prædicando, & ſuper id Geneſ 18. *Deſcendam & videbo.* Gregorius. Magna enormitas tibi nimis quæ ſcientem omnia dubitare coëgit; unde dicunt quidam ſancti quod etiam ipſo nomine peccati aër inficiatur, & in tantum vile eſt hoc peccatum ut etiam diabolus ipſum erubeſcat, Ezech. 16. Dabo te in animas odientium te filiarum Paleſtinarum quæ erubeſcant ſuper viâ tua ſceleratâ. Item in tantum eſt deteſtabile, quod Deus in propria perſona de ipſo vindicavit cum eſſet naturam hominis accepturus, ut dicit Geneſ. 19. Pluit ergo Dominus, &c. Propter quod ſic peccantes non recognoſcuntur à Domino eſſe homines, ſicut dicitur Iſaiæ 33. *Projecit civitates*, ſcilicet illas, *non reputavit homines.* Item dicitur paſſio ignominiæ quia hominem Sodomitam mutum facit in confeſſione coram Domino, & celantem peccatum, unde Sodomita muta interpretatur. Deberet ergo dicere confeſſor, amice multum deberis Deo regratiari eo quod evaſiſtis, & eum diligere qui vos à tali paſſione, & infernali morte liberavit.

De inordinato oſculo.

De inordinato oſculo (peccator) Domine oſculatus fui mulierem ore aperto, & poſui linguâ meam in os ejus, & me momordit. Confeſſor: Fuiſtis-ne unquam confeſſus quæ eſt magna lecacitas, & viliſſimum ſic oſculari mulierem ſicut ſtercus, quia mulier fornicaria *ſicut ſtercus* in via; hoc enim abominabile eſt, & non tantum odiendum, unde Pſalm. iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, oſculari enim ſtercus non inquinat niſi corpus, ſed oſculari mulierem ſic inquinat etiam, & animam, & hominem coram Deo fœtidum facit. Item de illicito contactu peccatorum, Domine tetigi mulierem, ubi credidi eam provocare ad peccatum, & maxime tetigi naturam ejus. Item peccator Domine alterius tetigi naturam ſcilicet ſocij mei unde provocavi eum ad libidinem; Tunc confeſſor amice in duplo peccaſti in te ſcilicet, & in alio, ſicut patet ex præhabitis, & graviſſime. Item confeſſ. Amice & naturam veſtram tetigiſtis vos unquam ſine ſeminis effuſione, unde tamen provocaremini ad peccatum, vel voluntatem habuiſti peccandi (peccator) Domine ſic pluries. Confeſſ. Amice ipſa ſola voluntate committitur peccatum, etſi non ſequatur actus; & periculoſiſſimum eſt ſic facere, nam fornicari cum alio poteſt fugi juxta Apoſtolum *fugite fornicationem*, id eſt cauſam vel occaſionem fornicandi quæ aliunde venit, ſed cauſa quæ à ſe ſumitur ſicut nec ſe homo non poteſt ita fugere, quia ut ait Boëtius, *Nulla peſtis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus*, unde vobis vinculum feciſtis per quod diabolus vos tenebat ſecundum quod dicit Auguſtinus 8. lib. Confeſſ. *Ligatus etiam non ferro alieno, ſed ferrea mea voluntate meum velle tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me quippe ex voluntate eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, unde catena applicata tenebat me obſtrictum.* Sic igitur patet quod feciſtis diabolo cordam ad ſuſpendendum vos. Tunc confeſſor. Amice oſtendiſti-ne unquam naturam veſtram ſociis vel aliis. Tunc peccator Domine ſic oſtendi. Confeſſ. ad minus peccaſti peccato fornicationis quia quantum in vobis eſt alium ad tale peccatum provocaſtis, quod ſic patet, quia vix animus membrum bruti poteſt videre quin ex turpi cogitatione ad peccatum carnis provocetur, quanto magis ſi naturam hominis, & mulieris nudam viderint. Item aliud eſt quod poteſt dicere confeſſor in deteſtationem prioris vitij, ſed caveat quibus dicat, & eſt tale quod mos Sodomitarum eſt ſibi invicem virilia oſtendere, & ad hoc ſignum ſe cognoſcunt, & viliſſimum eſt Sodomitis aſſimilari. Hoc tutius illis dici poteſt qui plus ardenter mulieres appetunt, & peccare cum eis aſſueti ſunt. Item confeſſ. Fuiſtis ne aliquando comptus, & ornatus coram mulieribus. Peccator, ſic fui. Confeſſ. Amice graviſſime peccaſti: nam Chryſoſt. *Si vir vel mulier ſe ornaverit, & vultus hominum in ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum, judicium tamen patietur æternum; venenum enim obtulit, & ſi non fuit qui biberet.*

CAPUT XX.

An & quomodo confeſſori liceat interrogare pœnitentem.

c. 19. *Deuteron.* 24.

Sententia cujuſdam Pariſienſis quam refelli.

CVm repetes à proximo tuo rem aliquam quam tibi debet non ingredieris domum, nec pignus auferes, ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit, *Deuter.* 24. Ex hac authoritate magnus Clericus prædicavit Pariſius quod confeſſor non debet inquirere nec ſcrutari peccatum confitentis, ſic exponens illam authoritatẽ moraliter *non ingredieris domum*, ideſt conſcientiam peccatoris ut auferas id eſt, ut elicias peccatum quo obligata eſt anima ejus diabolo, &c. Sed male intelligebat ſic exponens, poteſt enim confeſſor in generali peccata inquirere, & hoc notatur per hoc quod dicitur rem aliquam, ſed non debet in ſpeciali, & nominatim peccata inuſitata inquirere, ne ducat confitentem in tentationem. Item ſi domus ideſt conſcientia proximi habet privata bona quæ non expedit alij revelare, non debet ea ab eo ſcrutari ne inde glorians illis bonis proximus efferatur in gloriam vanam. Secus eſt ſi proximus habeat domum plenam latronibus volentibus eum interficere, non-ne debet aperire illi qui venerit ad bonum, ut illos latrones effugaret à domo ſua? & numquid liceret tali domum introducere talem adjutorem? utique: ſic & confeſſor poteſt intrare conſcientiam confitentis ut peccata fuget, & bene licet, & magnum dedecus eſt, quod magnus Clericus neſcit unam vetulam à morbo curare in confeſſione peccati, nec remedia contra peccatum apponere ſuppoſitis antecedentibus, ad confeſſionem. Et 1. debet dicere confeſſori ſic confitens: confiteor Deo omnipotenti, beatæ Virgini, & omnibus ſanctis & vobis pater, quæ ſit ratio hujuſmodi quid ſingula iſta prętendunt alibi dictum eſt.

Quod non debeat pœnitens diffiteri quominus etiam graviſſima peccata cõfeſſori aperiat, 1. ex parte confeſſoris.

Tunc confeſſor primo dicat peccatori, amice non diffidas nec timeas dicere omnia quæ feciſti, quia quanto major peccator fuiſti, tanto erit major gloria de te in curia cœleſti ſi rectè confitearis: unde Dominus in Evangelio, *majus gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore, &c.* Et majus gaudium ſuper magno peccatore. Dico & ſimiliter confeſſori pro medico quod majus gaudium ſuper uno peccatore magno bene confitente quam haberem ſuper omni alia re, & magis eum diligo poſt confeſſionem, quam ante, quantacumque enormia peccata dicat mihi, & hoc multis rationibus quia melior eſt, quam ante, & hoc conſtat mihi ſi bene confeſſus eſt & verè. Alia eſt ratio quia magnam familiaritatem oſtendit quando ſecreta ſua quæ patri vel matri nullatenus diceret revelavit mihi, quæ non poſſum revelare, ſi mihi deberet propter hoc caput amputari. Et pro uno peccatore bene confitente non acciperem mille libras quia inappretiabilis eſt mundanis rebus. Item confeſſor: habuiſti aliquando confuſionem de peccato ita quod celares in confeſſione, ſi peccator dicat quod ſic, tunc confeſſ. amice modo per gratiam Dei viciſti bellum, & ſuperaſti diabolum, confitere igitur quia majus peccatum, & periculoſius dixiſti, potes ergo ſecure alia dicere, nam valde grave eſt mentiri in confeſſione, Pſalm. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Gloſſ. Auguſt. *Merito perditur mentiens quia declinat ab eo quod eſt, ad id quod non eſt.* Item Auguſt. in originali, *notate verba ponderate, majus enim eſt perdere quam odire*: Dicebat enim Cardinalis Odo quod mentiens in confeſſione tria peccata incurrit mortalia ſcilicet mendacium pernicioſum, & hypocriſim, & quod exiſtens in mortali recipit ſacramentum confeſſionis, ſimiliter Jerem. 17. cap. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in ungue adamantino*, quod indelebiliter eſt ſcriptum Judas interpretatur confeſſio, unde peccatum Juda eſt peccatum in confeſſione.

Deinde ex parte Dei, & quod cõfeſſio ſit curia miſericordiæ.

Item Deus habet duas curias ſcilicet curiam juſtitiæ, & curiam miſericordiæ, in curia juſtitiæ amiſeras querelam ſicut ſcitis bene, quia pro quolibet peccato mortali obligatus eſt homo ad pœnã æternam, & non eſt recurſus niſi ad curiam miſericordię quæ eſt ſpiritualiter in confeſſione: magnæ enim miſericordiæ eſt quod in confeſſione peccati dimittitur & reſtituitur homo ad hæreditatẽ gloriæ; unde ſi quis perdat in iſta curia cauſam ſuã irrecuperabiliter perdit eam, ſicut hucuſque feciſti, unde periculoſum eſt. Tunc peccator, Domine verum eſt, ſed ignorabam hoc. Confeſſor: Propter hoc non eratis excuſatus quia dicit Ambroſius, graviſſime id eſt periculoſiſſime peccat qui peccatũ occultat in confeſſione, & eſt exemplũ de excluſa quoniam quanto plus de aqua retinet major eſt, ſic eſt peccatum illud grandius quo ad hoc quod plus opponitur, & quod magis reſiſtit fluxui aquæ fontis, ſcilicet ſpiritus ſancti, hoc eſt celare peccatum in confeſſione, cum ſeptem ſint peccata mortalia quæ in hoc verſu nominantur luxus, avar. ſuperb. ac. invidus, ira, gula, vos eſtis modo in curia miſericordiæ. Scitis enim quod truncati, & infirmi pauperes oſtendunt tranſeuntibus membrum magis morboſum, ut eos ad miſericordiam & compaſſionem magis alliciãt; eſt enim miſericordia miſerorũ ſive miſeriæ corda, unde ubi major miſeria magis locum habet miſericordia, & maximè illa quæ Dei eſt quæ eſt infinita. Debetis igitur peccata graviora, & quæ plus vobis nocuerunt primo dicere; ſignum enim eſt quod homo non debeat bene confiteri qui à minori peccato inchoat.

Quod debeat pœnitens confiteri circũſtãtias peccati luxuriæ.

Tunc peccator. Ego Domine peccavi peccato luxuriæ. Confeſſor: amice tu debes dicere, & confiteri omnes circumſtantias quæ aggravãt peccatum, quarum quædam nominantur in hoc verſu. Quis, quid, ubi, cum quot quotiens, cur, quomodo quando. Quis, quæritur utrum laïcus, vel clericus, utrum uxoratus, vel, non beneficiatus, vel non, quia quanto perſona eſt in ſtatu altiori, gravius peccat. Unde Gregorius, *quanto gradus altior tanto caſus gravior*, quis etiam quærit de perſona cum qua peccaverit, utrum cum virgine, moniali, corrupta, conſanguinea, vel affini, vel non, affinitate ſpirituali, vel carnali, utrum cum maritata, vel ſoluta, vel vidua. Si peccator dicat quod cum puella peccavit: tunc Confeſſor amice, graviſſime peccaſti quia deſtruxiſti quod Deus reparare non poteſt, unde cum Deus omnia poſſit, non poteſt de corrupta incorruptam facere. Item occaſionem dediſti ei peccandi cum aliis, & proſtituendi ſe ſcilicet ut vadat ad proſtibulum, & quotiens peccavit occaſione tua, peccaſſe videtur quia jura dicunt quod qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur.

De gravitate adulterij.

Si peccator dicat, Domine cum maritata peccavi. Confeſſor: amice graviſſime peccaſti quia quantum in vobis eſt octo peccata mortalia commiſiſti, quæ ſunt luxuria, fides mentita, furtum, proditio, ſacrilegium, tranſgreſſio mandati Domini, inceſtus, ſive peccatum caninum, exhæredatio proprij filij alterius, de primo patet quod ad alterius thorum acceſſiſti illicite. Similiter de fide mentita patet, nam mulier juravit ſe marito ſuo fidelitatem ſervaturam quam pro te fregit,

unde eodem peccato peccaſti, agentes, & patientes pari pœna puniendi ſunt. Sed par non eſt niſi propter parem culpam, & ita de cæteris. Item quia facis furtum, quia inſcio, & invito detrahis marito uxorem ſuam cui te copulaſti; eſt enim furtum contrectatio rei alienæ invito Domino. Quarto proditionem feciſti quia in occulto proximo, & non advertenti nocuiſti. Quinto tranſgreſſus es mandatum Domini quod eſt, non concupiſces uxorem proximi tui: & ſi vitium eſt concupiſcere, gravius eſt libidinoſe concupiſcere. Sexto ſacrilegium commiſiſti, ſcilicet rem ſacram violando ſive deturpando, nam ſi ſacramentum Eccleſiæ defœdares, & ſi pedibus conculcares in lectum, diceréris ſacrilegus, & hæreticus. Sic ſacramentum matrimonij, de quo Apoſtolus: hoc autem matrimonium ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ in turpitudinem luxuriç conculcaſti, quia turpitudo vilior eſt, & immundior omni latrinâ Proverbior. *Mulier fornicaria conculcabitur ut ſtercus in via*, & ibidem, *profunda fovea eſt meretrix*. Septimo inceſtum ſive peccatum caninum commiſiſti. Nam ſicut canes cum matre, & cum ſorore cohabitant ſicut cum aliis, & econtra fieri poteſt quod cum filio vel cum filia mulieris cum qua habitaſti vel quam genuiſti, conſanguinei tui matrimonialiter vel fornicarie copulentur, quorum reus eris ſicut & ipſi. Item octavo exhæreditatio aliorum quæ pœnis eſt, & ſalubri conſilio indigens, quia ſapientiores confeſſores de mundo vix ſcirent apponere conſilium, ſed perplexi eſſent. Nam ſi quis rem habuiſſet cum regina Franciæ de qua haberet primogenitum, & rex Franciæ de illa ſua uxore haberet etiam filium, primum conſequeretur hæreditatem regni de facto licet injuſte; nec crederet matri ſi vellet dicere quod non eſſet de rege illo, & quod illa ſola eſſet in teſtimonio illo, & filius eſt quem nuptiæ demonſtrant. Teneretur tamen regina illa revelare filium primum non eſſe hæredem regni quia in periculo animæ ſuæ poſſideret regnum. Quemadmodum ergo commiſiſti octo criminalia peccata pro quorum quolibet verè pœnitens obligatus eſt ad pœnam 7. annorum, vide quam inſanus, & incircumſpectus fuiſti, qui ſi velles denaritam pomorum emere velles bonum forum, & berguignares bene, & tu animam tuam pro viliſſima delectatione, & momentanea dediſti diabolo in æternum cruciandam: unde Greg. *Momentaneum eſt quod delectat, æternum eſt quod cruciat*, non enim fuiſti bonus mercator; de quo Salomon, *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit gloriabitur*. Tunc peccator Domine bene dicitis, bene erravi excœcatus, nec unquam iſta adverti. Confeſſ. Amice diabolus luſit uſque modo de verbis ad abſconſionem Gallicè ad repouans, abſcondit enim ſe à nobis, & nos decepit: quia ultra dimidium pretij, ſed erit in curia miſericordiæ, pete ergo pactum reſcindi, & fiet tibi. Item confeſſ. habuiſti aliquando voluntatem cognoſcendi aliquam cum qua tamen non habitaſti. Domine, ſic, dicit peccator. Dicit confeſſ. quotiens, vel cum quot habuiſti conſenſum, & voluntatem cohabitandi: fornicatus es, voluntas enim pro facto reputatur: unde Dominus, *Si videris mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus es in corde tuo*.

Eccli. 9. 10.

Prov. 22. 14.

Ideſt Gallicè denrée, ut & vox forū, & berguignare mere Gallicismi ſunt ut & vox bene, & alia multa in hoc tractatu.

Prov. 20. 14.

Matth. 5. 28.

De peccatis contra naturam.

Item quid quærit de genere peccati utrum videlicet ſecundum naturam, vel contra naturam. Peccator, Domine, quid eſt peccatum contra naturam, amice quotienſcumque emiſeris extra vas debitum mulieris in vigilando, & hoc dico propter nocturnas pollutiones peccatum fit contra naturam, & vero quod pollutio fit quatuor modis, duobus modis eſt peccatum, aliis duobus non eſt peccatum. Primo fit cum ex cogitatione vigilantis oriatur illuſio in mente dormientis; patet enim tunc reatus finis, videt enim à qua radice illa inquinatio proceſſerit, quia quod cogitavit ſciens, hoc protulit neſciens. Secunda eſt cauſa quando omnino ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis ut in crapula, vel ebrietate, unde humorum receptacula gravantur, habet enim animus aliquem reatum. Tertia eſt cauſa ex illuſione diaboli quando menti dormientis oſtenduntur imagines quibus natura movetur ad pollutionem, quam procurat diabolus etiam in viris ſanctis non ante ſomnium affectibus cogitationum præventis, & hoc ut experge facti de illis imaginibus cogitantes inordinate exeant, & inde concupiſcant: ſed ſic non eſt peccatum niſi delectatio vel conſenſus ſequatur, tamen confitendum eſt quia neſcit ex qua cauſa acciderit, quia dicit Gregor. *Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere ubi non eſt culpa*. Quarta ex vera infirmitate, & ſuperfluitate, & hæc non eſt timenda quia in valde ſobriis, & jejunantibus in pane, & aqua hoc accidit: tamen bonum eſt ut de hoc confiteatur, tamen peccatum non eſt, & hanc pollutionem animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quam feciſſe. De hac materia habetur ſatis Gregorio & Iſidoro 6. D. primæ partis cap. 1. & 2. unde verſus. Crapula præmeditatio languor & humor abundans in ſomnis maculant extrema duo ſine culpa.

Si peccator dicat Domine ego neſcio plura peccata luxuriæ me commiſiſſe. Tunc Confeſſ. amice adhuc infinita ſunt, & multa alia, ſed diabolus uſq; modo duxit vos vita ſuppoſita oculis. Tunc quærat confeſſor, dixiſti unquam turpia verba luxuriæ coram ſociis, vel coram aliis. Peccator Domine ſic, Confeſſ. totiens luxuriatus es quotiens dixiſti, & cum tot, & coram quot, quantum in te eſt graviſſime peccaſti: & gravius quam ſi templum beatæ Virginis combuſſiſſes, nam illud templum non eſt hominum, nec dicitur templum niſi propter concentum, ſcilicet propter congregationem fidelium, ſed homo dicitur templum Dei propriè in quo habitat tota Trinitas. Unde Paulus 1. Corinth. 3. *Neſcitis quoniam templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos, & ſpiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem templum Dei violaverit diſperdet eum*, id eſt diverſis modis perdet eum Dominus. Item ſicut peſſimus reputatus eſſes ſi omnia templa civitatis Pariſienſis combuſſiſſes, quanto magis qui per ignem luxuriç multorum corda combuſſiſti quantum in te eſt 11. q Ignis, &c. Item confeſſor: amice fuiſti unquam oſculatus mulieres: Domine ſic, & inordinate. Domine quomodo inordinate? hic caveat ſibi confeſſor ad ſpeciales modos oſculādi inordinate deſcēdere, ſicut nec deſcendēdum eſt ad alia peccata contra naturam, ne occaſionē det unde corruat in peccatum. Sed dicat amice in Miſſa quando pax ſumitur bene ſcitis quomodo ſe habent homines, ſi aliter deoſculatus eſtis, inordinate deoſculatus eſtis. Item confeſſor: amice poſuiſti unquam manum tuam inordinate ſuper mulierem, ſi peccator dicat ſic, quomodo inordinate? non deſcendat confeſſor, ſed dicat poteſt tangi ſine peccato ſicut ponendo manum ſuper humerum, vel ſuper brachium, poteſt & alibi tangi inordinate. Item ubi quæritur de loco in quo ſcilicet ſacro vel non ſacro, quia gravius eſt peccatum in loco ſacro quam in alio, ſimiliter in occulto vel aperto. Item cum quot, quærit de ſocietate, ſcilicet qui & quot fuerunt ſocij peccati, & quorum fuiſti occaſio. Unde confeſſor de ſociis tuis fuiſti unquam confeſſus, peccator, Domine non, quid ad me de peccatis aliorum? immo certè quis conſcius

Quod malitiæ ſint luxuriæ ſpecies, & de gravitate turpiū ſermonum.

Expoſitio circumſtantiarum loci & ſocietatis.

conſcius eis fuiſti, unde Pſalm. *ab occultis meis munda me Domine*, ideſt à propriis peccatis: *& ab alienis*, id eſt aliorum peccatis, *parce ſervo tuo.* Item cum quot ſociis, & quæ eorum circunſtantiæ, utrum corrupti prius, vel caſti, ordinati vel non ordinati, & hujuſmodi circunſtantiæ, nec tamen nominentur ſocij à peccatore. Dicat & confeſſor, amice de iſto peccato non poſſum te abſolvere, nec Papa, nec omnes ſancti niſi uno modo ſcilicet niſi velis reſtituere damnum ſcilicet ſpirituale quod feciſti ei *quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum*. Unde debetis ſocios trahere ad bonum, & ſi non eoſdem poteſtis, ſaltem alios pares, vel meliores: nec dico quod idem faciatis de mulieribus cum quibus peccaſtis; quia periculoſum eſt eas vos iterum reviſitare, ſed pro eis reſtituere; bene enim à debito ſe abſolvit qui pro obolo denarium reddit, & ſi hoc non vultis facere, non eſtis bene confeſſus.

Quantum ſit peccatũ alios ad peccandum inducere.

Item vultis eſſe ſalvus? Domine volo, non habet jus in Paradiſo, qui non vult tantum facere pro Deo quantum fecit pro diabolo, ſed hucuſque ſerviviſtis diabolo, quia alios traxiſtis ad malum, & ad diaboli ſervitium per facta, per verba: nunc oportet quod econtrario ſerviatis, unde ad Rom. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ut ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, &c.* De magis ſeu regibus dicitur, *quod per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Unde ſicut ſapiens medicus poſt curationem acceſſionis febris laborat cauſas febris eradicare, ne ulterius invaleſcat; ſic à vobis omnis cauſa vel occaſio peccati debet expelli; contraria enim invicem ſe expellunt: unde deſiderium bonum permanendi in gratia non poteſt eſſe cum voluntate ſervandi mores, ſive geſtus exteriores mundanorum, quia qui hoc retinent de facili recidivant. His præmiſſis adhibenda ſunt remedia, ut ſi peccator per amorem ad pœnitentiam non poſſit trahi, ſaltem per timorem reducatur ad eam, quia dicitur in Iſai. *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*, ideſt contritionis.

De lepra morbo venereo.

Confeſſor quærat amice velles-ne vos eſſe leproſus? non pro toto mundo. Valde ergo fuiſtis fatuus, quia naturale eſt quod qui cognovit mulierem cum qua leproſus rem habuit, efficitur leproſus, & propter hanc cauſam multi facti ſunt leproſi. Peccator, in hoc mihi bene peccavi quia ſocium meum feci mulierem illam prius cognoſcere. Confeſſor, certè, & in hoc periculoſiſſime peccaſti; quia tria peccata mortalia commiſiſti: peccatum in te, ſcilicet luxuriæ: ſecundum in ſocio, quem peccare feciſti: tertium eſt proditio, quia quantum in te eſt ſocium tuum prodidiſti. Et ſic tibi male caviſti quia melius eſſet tibi ſi leproſus fuiſſes, quam quod alterum iſtorum perpetraſſes; nam in morte lepra corporalis finitur, ſed non culpa, niſi per pœnitentiam deleatur. Similiter lepra ſolum corpus inficit, non animam, ſed culpa inficit, & animam, & corpus. & ſic plus nocuiſti tibi quam ſocio tuo, & plus te decipit diabolus. Item lepra morbus eſt qui eſt corruptio naturæ, qui corpus inficit, & ſicut dicunt medici: quanto plus durat, tanto plus inficit; ſemper enim invaleſcit. Unde hæc infectio ſi infuſa eſt in corpore mulieris ſemper creſcit, & ita plus poteſt inficere illum qui ultimo cohabitat cum illa, quam illum qui primo. Si ergo te cuſtodivit Deus uſque nunc, de cætero caveas tibi; quia in magno periculo fuiſti ſcilicet in corpore & in anima, & magna amentia fuit quod pro nihilo dediſti paradiſum, & major quam ſi rex Franciæ regnum ſuum daret pro picta. Si fortè peccator dicat, Domine ſi in tanto periculo fui, multo plus mulier quæ in ſe habuit corruptionem lepræ, & citius deberet infici lepra, quod videmus eſſe falſum. Confeſſor, amice non ſic; nam medici dicunt quod mulier habet intra ſe pelliculam, & folliculas ſcilicet in matrice quæ retinent in ſe illam maſſam, & reſiſtunt, ne inficiat totum corpus: ſed inter omnes partes corporis membrum viri tenerrimum eſt, & ideo contingens illam maſſam corruptam citiſſime inficitur, & per conſequens totum corpus: unde ſi non eſſet infernus vel paradiſus, deberes hoc vitare.

Item alia ratione quod homo multi coïtus abbreviat vitam ſuam, ſicut dicunt medici, & philoſophus de vita & morte ſupereffuſa multa ſumma cognoſcunt, & ſequitur, quod ſemen amplius deſiccat objectum. Hoc etiam dicit Pſalm. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Item accidit quibuſdam ex nimio coitu tanta capitis debilitatio quod inſani vel alienati ſint, & ratio hujuſmodi eſt quod ſperma quod eſt deciſum à cerebro pro majori parte ſecundum Hippocratem per nimium coitum tollitur, quaſi ex quadam violentia nutrimentum & fomentum ejus, & ideo de neceſſitate ſequitur ejus debilitatio, & ex conſequenti ſenſuũ qui ibi ſũt debilitati alienatio. Unde audivi dici quod quidã ſcholaris venit ad quendam cõfeſſorem Pariſius prope Paſcha, & coram multis ſcholaribus aſſiſtentibus clamavit; Domine pro Deo audiatis me in confeſſione. Confeſſor reſpondit, amice non poſſum modò, quia nunquam te aliàs audivi, nec te poſſum leviter expedire: tunc ille multum inſtanter cœpit clamare, Domine pro Deo audiatis me ad minus unum verbum. Tunc confeſſor libenter: & dixit tantam debilitatem capitis patior, & ſentio quod ferè inſanio, & conſilium quæſivi à medicis nec aliquid profuit, unde non credo quod poſſim pervenire uſque ad domum meam priuſquam inſaniam, & ſecurior eſſem ſi eſſem bene confeſſus: faciatis ergo voluntatem noſtram quia non poſſum tunc. Confeſſor ad aſſiſtentes dixit pro Deo placeat vobis ſuſtinere donec audiverim clericum iſtum, quia infirmus eſt, nec differre poteſt, & hoc ſatis oſtendebat facies ejus, quia pallidus erat in facie, & extenuatus. Tunc cœpit dicere confeſſionem ſuam de maxima incontinentia quam exercebat de die & de nocte. Tunc confeſſor expoſuit ei cauſas ſui morbi præmiſſas, hoc ſignum ei dedit quod in mane cum tota nocte jacuerit cum quadam muliere, & ideo plus dolebat ei caput. Et addidit confeſſor, non eſt mirum ſi medici ignorantes cauſam illam non curaverunt illum ad ſimilitudinem mulieris de qua in Evangelio ſcribitur quod patiebatur fluxum ſanguinis, & totam ſubſtantiam ſuam expenderat in medicos, quam ſolus Dominus curavit. Tunc peccator cognovit ſe erraſſe, & quæſivit à confeſſore quod remedium poſſet adhibere. Tunc confeſſor; equus juvenis debilitatus, macilentus quando bene cuſtoditur cibo convaleſcit, & reſumit vires ſuas, ſed equus antiquus nequaquã. Vos eſtis adhuc juvenes, vobis de cætero caveatis, & eſtote quietus in camera veſtra, & deſiſtatis ab hujuſmodi incõtinẽtia, & Dominus per ſuã gratiã vos ſanabit, & ſatis fuit.

De aliis morbis luxuriã conſequentibus ubi refert hiſtoriam ſcholaris cujuſdam.

Itẽ ex cohabitatione cum muliere totius corporis debilitatio provenit. Nam dicit Hippocrates, quod à cerebro deſcendit ſperma per quaſdam venas, quibus abſciſſis non ſpermatizat homo. Galienus dicit quod ab hepate originaliter, & à cerebro pro majori parte, & ſic ex nimio coitu fit deperditio in ſingulis membris etiam ejus quod neceſſarium eſt ad nutriendum, & maximè in duobus membris principalibus. Unde citius moritur homo luxurioſus, nec mirum nam olla poſita ad ignem ſi plena

Quod inde etiã ſequatur totius debilitatio corporis.

ſit aqua ex bullitione nunquam effundit, paulatim tamen tota conſumitur, ſic luxurioſus humorem ſuuum naturalem effundit ardens igne luxuriæ. Nam de luxurioſo dicitur quod pro nimia † lecatione ſua totus ardet, & ira diſſolutus eſt quod non tenet guttam. Quotiens quærit de numero de quo conſiderandum eſt quod homo pro quolibet mortali peccato obligatur ad pœnam æternam, & debet peccator diligenter peſcrutari conſcientiam, ſicut bonus mareſchallus pedem equi inclavati: quia dicit Apoſtolus *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, & Gregor. peccatum quod per pœnitentiã nõ diluitur mox pondere ſuo ad aliud trahit. Debet ergo dicere peccatori quod debet poſſe ſuum facere ad inquirenda ſingula peccata ſua, nec plus exigit Deus, quia hoc facto, ſicut ait Auguſtinus, aut Deus ignoſcit, aut Deus revelabit.

† *Ideſt ſalacitate ſupra vocat lecacitatem tanquam ab Hebræo* Lakak *quod eſt lingere.* 1. *Cor.* 5.

De circumſtantiis quæ ſunt cauſſæ, qualitas & tempus.

Cur quærit de cauſa utrum videlicet ex modica tentatione vel magna, utrum pro pretio, vel non; utrum coactione vel non; utrum incitatione ſociorum vel non, & de aliis: & ſecundum majus impulſivuum ad peccandum vel modicum, judicatur peccatum majus vel minus. Item quomodo quærit de qualitate peccati; utrum videlicet cum magna libidine, & improba voluntate, vel modica; utrum cum magno contemptu Dei, vel modico, vel mandatorum ejus: ſic enim peccatum intenditur vel remittitur, ita etiam eſt de aliis modis peccandi vel peccati. Ovidius, *mille modi veneris.* Quando quærit de tempore, utrum ſcilicet in feſto die Domino vel alicui ſancto dedicato, vel in die feriato ſcilicet in tempore jejunij, vel alio, utrum in quadrageſima vel extra, & ſicut eſt furioſum luxuriam ſuam facere coram altari vel ſuper altare, ſic eſt furioſum facere in die ſanctorum, vel in die ſancto, & melius eſſet comedere carnes in quadrageſima quam fornicari in quadrageſima: nam Epiſcopus vel Papa poſſet diſpenſare cum aliquo ut carnes comederet in quadrageſima, ſed non ut luxuriam faceret. Item confeſſor: ornaviſti te unquam in diebus ſacris feſtivis, an aliquo tempore alio ut tranſiens coram mulieribus vel hominibus eis placeres. Domine ſic, ſed non intentione alliciendi eos ad peccatum. Confeſſor: Gravius peccaſti quia Apoſtolus dicit: ſi hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem, ſcilicet ſi placere vellem, ſed eſſe ſervum Dei non perditur niſi pro mortali peccato.

De ſignis luxuriæ.

Item amice etiam habetis amicum quemcumque vobis charum, ſi vos appellaret in pleno fore, & vos reputaret ribaldum, gallicè *boullier*, credo quod iraſceremini multum contra eum. Domine non habeo talem amicum. Tunc confeſſor. Si circulus ponatur in oſtio tabernæ ſignum eſt quod ibi venditur vinum. Similiter circulus capillorum nuptiarum in capite, & corrigia ferrata, nodali argentei vel aurei, chirotecæ in manibus, ſolabares ſtricti, & hujuſmodi ſunt ſignum laſciviæ, nec tamen in circulo tabernæ eſt obolata de vino, nec in corrigia ferrata, & hujuſmodi eſt luxuria, ſunt tamen ſigna luxuriæ. Item ſi diceretur illi qui pendet circulum in oſtio ſuo, & haberet cellarium apertum, quod venderet vinum, & inde iraſceretur, quid diceretis de illo, & maximè qui circulum undique poneret circa domum ſuam? Domine certè ego illum reputarem fatuum. Confeſſor: Amice ſic poteſt dici de vobis, quia ſigna luxuriæ portaſti, non tamen dico propter hoc fuiſti luxurioſus, ſed clamaſtis tabernam diaboli in vobis: nam forma quæ eſt exterius, eſt ejus qui interius eſt præco. Et ſicut dicit Chryſoſtom. Eccli. cap. 19. *Amictus corporis & riſus dentium, & greſſus hominis enunciant de illo.* Dixit etiam Philoſophus quod voces ſunt notæ, & ſigna paſſionum quæ ſunt in anima: fatuus uſque nunc fuiſtis qui oſtendiſtis vos leccatorem & laſcivum, nec ſuſtinuiſtis quod aliquis vos ſic nominaret túc. Item dicat confeſſor. Amice diabolus huc uſque tenuit tabernam ſuam in vobis, vultis igitur ut Deus teneat ſuam in vobis? Peccator, Domine ſic volo, amice juſtum habetis, aliter non eſſetis bene confeſſus, oportetque ſignum humilitatis, & contrariũ prioribus portentis oſtendere, & in cõtinenti ſigna diaboli tollatis: *Hæc eſt enim mutatio dexteræ excelſi*, ſicut dicitur in Pſalmo. Et hæc eſt doctrina Evangelij, nam tres reges qui quæſierunt Dominum, & cum venerunt per Herodem, id eſt gloriantem in pellibus quæ ſignificant mundum, ibi amiſerunt ſtellam in qua figuratur gratia In quo oſtenditur quod illi qui gloriantur in pellibus ideſt in apparatibus ſcilicet mundanis gratiam perdunt. Et ſequitur: dimiſſo Herode invenerunt ſtellam, & dominum, quo invento per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Similiter ſi inveniſti Dominum in confeſſione oportet vos per aliam viam incedere. Et quia multi nolunt tantum facere pro Deo quantum pro diabolo, ideo perdunt Deum, nec Deus in ipſis remanet, quia ſigna ſua dimittunt. Faciatis igitur juxta conſilium Apoſtoli dicentis, *ſicut portavimus imaginem terreni, ſic & portemus imaginem cœleſtis*; & alibi, *ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Hoc enim vobis eſt contrarium: nam in ſignis diaboli mundanis peccaſtis ſaltem occaſionaliter & fatue amando, unde oportet quod ea expellatis, & ſic in eis puniemini. Nam in libro ſapientiæ dicitur per quæ peccat quis per hæc & torquetur. Item omnis beſtia per naturam ſe conſervat in eſſe, & in bene eſſe quantumcumque poteſt per naturam, ſed luxurioſus utraque deſtruit per ſuam luxuriam, unde inſipientior eſt omni beſtia. Quod autem ſuum eſſe deſtruat patet ex prædictis; dicit enim Apoſtolus: qui fornicatur in corpus ſuum peccat, & in pſalmo ad nihilum redactus ſum: ſimiliter ſuum bonum eſſe; quia infamis efficitur, & perdit gratiam Dei. Item confeſſor: Oportet quod vos diligatis bona in vobis, & in aliis, utique & mala fugiatis omnino; ſunt enim talis naturæ quod ſi bona diligatis venient ad vos, ſi vero mala ſimiliter: ſic enim eradicandum eſt illud peccatum luxuriæ quantum fieri poteſt.

1. *Cor.* 15. 1. *Theſ.* 5. 22.

CAPUT XXI.

Confeſſio cæterorum peccatorum capitalium.

Confeſſio peccatorum variorum.

SEquitur de Avaritia. Domine, emi bladum in terra ut ibi poſſem lucrari panem meum. Confeſſor: Amice quomodo hoc feciſti? uſura poteſt ibi eſſe. Peccator: Non credo, quia Presbyteri ſic emunt. Sed diſtinguunt Presbyteri ſi ematur ad menſuram, certam ſic eſt uſura, non autem ſi purè ematur quod eſt herba: & hoc propter periculum; quia poteſt ibi eſſe damnum, ſicut lucrum: unde bonum mercimonium. Sed hic quæratur, i. ſi non daretur pecunia tempore emptionis, ſed tunc primo cum reciperetur bladum in Auguſto, & hoc fieret pro pacto, haberetur-ne hoc pro tanto? Si reſpondeatur quod non: tunc dicendum eſt ibi fuiſſe uſuram, maximè cum aſſerat venditor libenter te dediſſe ultra ſortem temporis Auguſti, & pericula omnia in ſe recepiſſe velle. Sed ſi ſic tunc. Vel fieret pactum in tempore Auguſti quo recepturus eſſet bladum emptor, nec quicquam juris in eo haberet, aut ſi vellet poſſet gratis dare emptor denarios ſuos venditori, & bene faceret, maximè ſi indigeret, & viliſſimum eſt pro iſtis tranſitoriis temporalibus à Deo ſe avertere, & in iſtis cor ſuum ponere,

ponere, de quibus Apoſtolus, *omnia arbitratus ſum ut ſtercora*: & parum appretiatur cor ſuum qui in ſtercoribus ponit illud, quod facit avarus, unde Dominus, *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Hic nota etiam alia quæ ad deteſtationem avaritiæ faciunt, & ejus ſpecierum: & hæc invenientur in ſumma de vitiis.

De ſuperbia. Sequitur de ſuperbia quia maximè eſt deteſtanda quia inter omnia alia vitia, hæc maximè facit hominem diabolo ſubditum, juxta illud Job 16. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Facit etiam hominem Deo odibilem, & in tantum quod Luciferum quem Dominus in tanta vera excellentia condiderat, tamen propter ſuperbiam ſuam expulit eum de paradiſo in infernum, ſecundum quod habetur Iſai. 14. Fecit etiam animam diabolo ſervilem, quia ſi anima ſuperba videri poſſet oculis corporis in deformitate ſua ſenſum perderet, niſi eam Deus conſervaret, ut ſi videret diabolum. Quod ſic patet, ſi duo panni ejuſdem coloris vel ſimilis in eadem tinctura ponerentur, poſt extracti eumdem colorem haberent. Sed Angelus primus ante caſum erat ſimilis beato Michaëli, & ſimiliter anima in ſtatu innocentiæ: anima vero projecta in tinctura peccati per ſuperbiam, in quam Angelus cecidit, ſimilis erit diabolo: & infamia eſt eſſe velle tam deformem. Unde de ſuperbia dicit Gregorius: cum omnia vitia à Deo fugiant ſola ſuperbia Deo ſe opponit. Unde Pſalm. Dominus concidet cervices peccatorum id eſt criminoſos, ſcilicet peccatores.

De Acidia. Sequitur de Acidia quæ licet à multis ignoretur tamen eſt graviſſimum peccatum: eſt enim acidia tædium boni, ſive pigritia, ut ſicut homo poſt comeſtionem fructus antequam maturus ſit habet dentes ſtupidos, & acidos, ut comedere non poſſit: ſic acidioſus bonum formidat, & facere negligit vel omittit quod eſt Deo delectabile. Unde Apocalypſis 3. *Scio opera tua quia nec calidus*, per amorem vel fervorem boni, *vel frigidus* per timorem, vel veram contritionem de peccato, *Utinam eſſes frigidus aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

De Ira. Sequitur de Ira quæ valde pernicioſa eſt quia à Deo ſeparat; eſt enim Deus pacis, non rancoris. Similiter proprio ſubjecto nocet tollendo gratiam Dei, *quæ in malevolam animam non*, &c. Sic eſt odium valde deteſtabile Deo, quod per ſe patet.

De Invidia. Sequitur de Invidia quæ eſt valde deteſtabilis; nã proprium ſubjectum deſtruit, & cruciat ſicut patet per diffinitionem invidiæ in Proverb. *Putredo oſſium invidia, & magna perverſitas eſt*, quoniam cor invidi bonum alterius capere non poteſt.

De Gula. Sequitur de Gula, & quoniam lingua in duo opera naturæ congruit ſcilicet in guſtum, & loquelam, primo de peccato in guſtu dicendum eſt. Grave eſt peccatum quia corpori nocet, & animam deturpat, uſum rationis immutat, vitam abbreviat, poſſeſſionem conſumit, hominem infamem reddit, & Deo odibilem facit, peccat enim quis in gula, vel per gulam in cibo, potu, crapula, & ebrietate, & hoc multis modis qui notantur in hoc verſu præ propere, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

De peccatis Linguæ. Secundo eſt peccatum in locutione quod fit multis modis ſi peccator dicit, Domine peccavi in male loquendo de bonis, & ubi non videbam bona ſigna bonum judicabam eſſe malum. Confeſſor: amice tales excommunicati ſunt à ſummo Pontifice Deo dicente per Prophetam Iſaiam, *Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Dicat ergo confeſſor. Amice vultis amplius iſta facere? ſi dicat non. Confeſſor: oportet ergo vos econtrario facere ſcilicet bonum commutare, & invitare alios ad bonum operandum, & vitia perſequi, & ſi inde derideamini ſicut alios deriſiſti, gaudeatis quia hoc vobis perutile erit, quia contraria contrariis curantur. Item peccator; Domine peccavi detrahendo, & diffamando. Confeſſor: amice plus peccaſti quam ſi eſſes furatus omnem ſubſtantiam pauperum iſtius villæ, cæteris paribus: unde Salomon dicit, *quod melius eſt nomen quam divitiæ multæ.* Et ſicut inhumanum, & crudeliſſimum eſt homini exiſtenti in medio mari cujus navis fracta eſſet qui adhæret trabi vel ligno, trabem vel lignum cui adhæret ei auferre, ſic homini famam ſuam quæ multis eſt retinaculum ne in peccatis corruant, qua amiſſa effrontes fiunt ad peccandum. Nam quando aliquis cogitans ſe facturum peccatum nec propter Deum dimittendum, vel propter timorem inferni, timens ne per peccatum infamis fiat apud illos qui de illo bene opinantur, occaſionem ſumit fugiendi peccatum.

De verbis ſcurrilibus, & otioſis, maledictionis. Item peccator: Domine verba ſcurrilia, & otioſa ſæpe dixi, quorum neſcio numerum etiam per negligentiam. Confeſſor: amice hoc periculoſum eſt quia in die diſtricti judicij Dei de omni verbo otioſo oportebit reddere rationem: unde in Eccleſ. in fine *cuncta quæ fiunt adducet Dominus in judicio ſive bona, ſive mala*, ſuper hoc tribunal oportebit reddere rationem de omnibus verbis otioſis, & ignoranter prolatis. Item peccator: Domine ſæpe maledixi aliquos. Confeſſor: amice hoc graviſſimum eſt peccatum quia directè contra charitatem ſine qua non eſt ſalus.

De perjuriis, & mendacus. Item peccator: Domine juravi per Deum pro falſis affirmandis. Confeſſor: amice hoc eſt graviſſimum peccatum quia hoc eſt Deum reputare mendacem, quia per Deum jurare ſicut dicunt ſancti eſt Deum teſtem invocare. Item dicit peccator. Domine juravi per caput & membra Chriſti, & Sanctorum. Confeſſor: in hoc fuiſti crudelior Judæis qui ſi Chriſtum crucifixerunt, tamen integrum reliquerunt, & tu dilaceraſti, & demembraſti eum. Sequitur de mendacio, & aliis peccatis oris, ſcilicet blaſphemiæ & hujuſmodi. Similiter de tranſgreſſione decem mandatorum quæ notantur in his verſibus: ſperne Deos, fugito perjuria, ſabbatha ſerva, ſit tibi patris honor, ſit tibi matris amor Ne ſis occiſor, fur, mœchus, teſtis iniquus, vicinique thorum, reſque caveto ſuas. Similiter de tranſgreſſione ſive omiſſione ſeptem operum miſericordiæ; unde verſus viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo, ſimiliter de ſatisfactionibus omiſſis confitendum eſt in generali de omnibus omiſſis bonis, & de malis perpetratis, & per negligentiam ignoratis, & de ipſa negligentia debet confiteri.

De ſecreto cõfeſſionis. Facta autem confeſſione debet gaudium interius ſentire peccator quia habet ſententiam pro ſe in curia ſuperiori ſcilicet miſericordiæ. Si vero triſtior ſit debet eum confeſſor conſolari, ſicut audivi de quodam ſcholari Pariſienſi qui ſocio ſuo dedit fidem ſuam de facienda confeſſione ſua ne à propoſito reſiliret, & in die craſtino facta confeſſione ipſe qui erat pulcher clericus, pallidus factus eſt, & exſanguis. Hoc videns confeſſor quæſivit quomodo ei eſſet. Qui reſpondit peſſime, quia in anguſtia intolerabili erat. Confeſſor: cœpit mirari qui non viderat hoc in aliis, & quæſivit unde anguſtaretur, qui reſpondit Domine prius eram amicus veſter, & de me bene ſentiebatis, & eram multum familiaris vobis, unde de cætero non audebo in conſpectu veſtro apparere. Confeſſor: amice creditis vos ſacramentum confeſſionis, &

ejus virtutem? dixit ſic Domine. Confeſſor: creditis ſimiliter quod ego credam? reſpondit Domine credo quod multo melius quam ego. Confeſſor: amice hoc ſacramentum tam ſecretum, tam incluſum eſt ut nemo aperire poſſit. Unde *claudit & nemo aperit*, &c. Unde Auguſt. nihil minus ſcio quam id quod per confeſſionem ſcio, & quod neſcio magis ſcio. Et ratio hujuſmodi eſt quia quod neſcio poſſum addiſcere, & poſtea aliis dicere, non autem illud quod per confeſſionem ſcio, in quantum ſcio per confeſſionem. Item tantum ſecretum eſt ſacramentum confeſſionis quod Deum qui omnia novit etiam immemorem facit delictorum, ſicut dicit Propheta, *omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius in quacumque hora ingemuerit peccator, &c.* Item peccatori dicit. Confeſſor: amice ſignum amicitiæ efficaciſſimum oſtendiſti mihi quoniam ſecreta veſtra quæ nulli alij quantumcumque amico vel patri nec matri revelaſſetis quam confeſſionem etiam mihi dixiſtis. Unde Proverb. 25. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & extraneo non reveles ſecretum tuum.* Item ſi bonum diligendum eſt, & magis bonum, & maximè bonum quando cognitum eſt eſſe bonum, quia dicit Auguſtinus. *Inviſa poſſumus diligere, incognita nequaquam*, credere debetis quia verè confeſſo dimittuntur peccata, & confertur gratia, & ego ſimiliter credo de vobis quod prius ante confeſſionem vos ignorabam, unde teneor vos magis diligere, quam ante. Tunc ille jocundus factus eſt, & dixit, non vellem nunc modo habere pro iſta confeſſione C. marchas, nec mirum quia verè confeſſus eſt, in parvo paradiſo; nam ubi eſt Deus ibi eſt paradiſus; dixit enim Chriſtus latroni in cruce hodie mecum eris in paradiſo, nec tamen Chriſtus ante aſcenſionem cœlos aſcendit nec latro, Auguſtin. ubi es Domine in corde confitentium tibi.

De peccato contra naturam, & ejus gravitate.

Sic revertendum eſt ad peccatum contra naturam ſcilicet quid ſit vitium Sodomiticum ſive cum extra locum ad hoc deputatum effunditur ſemen ſcienter, & vigilando. Videamus igitur quantum ſit deteſtabile, & qui magis tali vitio ſunt laborantes. Et nota quod licet ſit grave hoc vitium quidam tamen nullum reputant, & quaſi in quibuſdam regionibus publica abutuntur homines, & quaſi ex quadam curialitate vocant illos gratioſos cum quibus hoc vitium perpetrant peſſimum. Item videndum quæ mala ex hoc exorta ſunt, & oriuntur quotidie, item qua pœna puniuntur hoc vitio laborantes. Item quæ fuit cauſa hujus peccati, & ad primum redeamus hoc vitium eſt deteſtabile, quia magis peccant hoc vitio laborantes quam ſi propriam matrem cognoviſſent, unde Auguſt. 21. cap. 7. ait adulterium malum vincit fornicationem, & vincitur ab inceſtu, pecus pejus eſt vitium Sodomiæ, ſed omnium aliorum eſt peſſimum vitium quod eſt contra naturam ut ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo utitur male hoc facit cum meretrice, ſed execrabile ſit cum muliere propria uxore, habetis ergo vitium pejus eſſe, quam cognoſcere matrem. Item propter hoc vitium violatur ſocietas quæ cum Deo eſſe debet: unde Auguſt. ait 32. q. 7. Flagitia quæ contra naturam ſunt, ubique ac ſemper ſunt repudianda atque punienda qualia Sodomitarum fuerunt quæ ſi omnes gentes facerent eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ ſicut non fecit homines ut illo uterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura cujus ipſe eſt author libidinis perverſitate polluitur. Item propter deteſtationem hujus peccati quandoque loqui de ipſo non audemus ne os dicentis, & aures audientis polluantur 32. quæſt. 7. adulteris tua in ea fornicator, &c. Item audivi ſcriptum eſſe à quodam ſancto, nec tamen vidi quod Angelus bonus in tantum ſe elongat à colloquentibus de hoc vitio, licet non ad peccandum, ſed ad vitandum in quantum ſonus vocis protenditur. Item peccatum Sodomiticum graviſſimum eſt, nec alicui dimittitur niſi nominatim confiteatur ſi poteſt confiteri, & hoc propter inſanas turpitudines, & nefandas carnis voluptates quas exercent beſtialiter, & inordinate, quas Apoſtolus vocat, *Paſſiones ignominiæ*, ubi ait Haymo, *Voluptates quæ ſunt carnis ſi delectentur ſunt.* Paſſiones nec ſunt nominandæ, & hujuſmodi abuſiones, & fœtidiſſima ſcelera, non ſunt digna relatu, & qui committunt hujuſmodi peccata non pœnitentes moriuntur, & in inferno ſepeliuntur. Contra tam peſſimos Judas, Apoſtol. in Canonica ſua ait, *Sicut Sodoma & Gomorrha, &c.* Nota quod dicit, *poſt carnem alteram*, quæ eſt ac ſi diceret maſculus pollutus cum maſculo, & fœmina cum fœmina. Et quid ſit exfornicari, id eſt extra naturam fornicari: certè tales ſunt digni non ſolum morte temporali, ſed etiam æterna.

De pœna hujus peccati.

Item quod mala orta ſunt inde, & oriantur quotidie, & eſt dicendum quod hoc vitium fuit una cauſa præcipua quare Dominus diluvium induxit, & humanum genus deſtruxit dicit beatus Methodius in hiſtoria ſcholaſt. de cauſis diluvij. Item qui laborant hujuſmodi vitio ſunt deſtructores hominum, atque poſſum dicere æmulatores, & adulatores naturæ. Sicut iſte qui effundit ſperma, & ſemen ſuper terram, & contra naturam percuſſus eſt à Deo. Sequitur videre qua pœna puniuntur hoc vitio laborantes. Quia per legem divinam morte moriuntur: unde Moyſes dicit Levit. 20. qui dormierit cum maſculo coitu femineo uterque operatus eſt nefas morte moriantur. Item quæ fuit cauſa quod ſit hoc peccatum hæc fuit, *abundantia panis, & otium.* De iſtis dicit Apoſtolus ad Romanos, *propterea dedit illos Dominus in paſſiones ignominiæ, nam fœminæ immutaverunt uſum naturalem.*

CAPUT XXII.

De motivis converſionis ad Deum.

Miſericordia Domini qui ſervum cum contumacem invitat.

C*Onvertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda, & non veſtimenta veſtra.* Non eſt mirum ſi ſervus rogat Dominum, vel ſi ille qui fecit injuriam rogat eum, & invitat ad concordiam qui paſſus eſt injuriam: ſed hæc eſt mira, & incomprehenſibilis ſalvatoris clementia & miſericordia qui cum ſit Dominus rogat ſervum, cum fuerit injuriam paſſus ad concordiam invitat. Quid ergo fiet de ſervo contumace qui negligit, & dedignatur cum Domino pacem habere? *Durum eſt contra ſtimulum calcitrare*, contra ſummè potentem pugnare qui nunc rogati nolunt cum ipſo habere amicitiam, aliquando ipſi rogabunt, ſed nunquam pacem cum ipſo habere poterunt.

De tribus neceſſariis ad converſionem contritione, confeſſione, & ſatisfactione.

Nunc autem cum ipſo pacem habere poſſumus ſi tres legatos pacis tanquam fideles pacis mediatores præmiſimus ſcilicet veram cordis contritionem, plenam oris confeſſionem, ſufficientem operis ſatisfactionem. Hac enim via communi trium dierum itinere ad Deum reverti debemus, ut ſicut corde peccavimus per malam voluntatem, & ore per indebitam locutionem, & opere

& opere per illicitam actionem, ita in corde ſatiſfaciamus per contritionem, ore per confeſſionem opere implendo pro poſſe noſtro injunctam pœnitentiam, ſecundum illud Ozeæ, *Viſitabit nos per duos dies*, & die tertia *ſuſcitabit nos*. Et Lucæ 13. *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* Prima die, & ſecunda id eſt cordis contritione, & oris confeſſione ejicio dæmonia, id eſt mortalia peccata ejiciuntur, & peccator juſtificatur, tertia vero die pro ſatiſfactione conſummatur, & perficitur purgatio, ut arca veri Noë tricamerata per contritionem, confeſſionem, & ſatiſfactionem, & confunditur diabolus dum per hæc tria amittit animam quam firmiter poſſidere ſe putabat: propter quod Iſai. ait *in tribus annis quaſi mercenarij auferetur omnis gloria Moab.* Mercenarius eſt pœnitens qui pro mercede æterna ſervit in humilitate, & multiplici labore; qui tribus annis contritionis, confeſſionis, & ſatiſfactionis recedens à diabolo auffert ei ſeipſum, in cujus deceptione gloriabatur. Propter has tres dictas dicitur in Geneſi 22 quod Abraham die tertia venit ad locum ubi debuit immolare filium ſuum: his enim tribus diebus ſacrificium juſtitiæ perfecte Domino immolamus. Unde Dominus per Iſaiam dicit, *Recedite, recedite, exite*, & iterum in eodem, *elevare, elevare, conſurge Ieruſalem*, & in Cant. 4. *Veni de Libano ſoror mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Veni per contritionem, veni per confeſſionem, veni per ſatiſfactionem, per hæc tria coronaberis in vitam æternam. Contritio enim pungit apoſthema, confeſſio educit ſaniem, ſatiſfactio vulnera ligat, & emplaſtrum apponit, & ita ſanatur anima pœnitentis: juxta illud *commoviſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt.* Non enim anima ſanari poteſt niſi commoveatur, & conturbetur per doloris contritionem, & confeſſionis pudorem, & laborem ſatiſfactionis: ex hac enim ſalubri conturbatione conturbatur, & confunditur inimicus, nec ſinitur in anima quieſcere, ſicut ſcriptum eſt in Pſal. *Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei, & erubeſcant valde velociter*: Conturbentur in contritione, erubeſcant in confeſſione, convertantur in ſatiſfactione. Ambulans enim inimicus per loca arida & inaquoſa, quia requiem ibi non invenit, recedit; non enim pœnitentium aſperitate valet ſuſtinere, ſed ſicut canis duris lapidibus obruitur, & effugatur, quoniam inde per fruſtum lardi percuſſus nunquam fugaretur, ſed potius alliceretur, audiant delicati & molles pœnitentes qui in deliciis, & carnalibus voluptatibus jejunant.

Item de tribus prædictis.

Converti igitur dicitur peccatori ad Dominum in toto corde ut perfectè pœniteat; quia mens diviſa non impetrat, nec poteſt duobus Dominis ſervire; non enim poteſt gaudere cum mundo, & regnare cum Chriſto: perfecta autem pœnitentia in tribus conſiſtit, in fletu, & planctu contritionis, in apertione cordis per virtutem confeſſionis: propter quod dicit Propheta in jejunio, non tantum in cibis corporalibus, ſed à vitiis, & ab omnibus illicitis. Primo dicitur peccator converti in corde, ut ſuſcitetur mortuus in conclavi. 2. Dicitur converti ore ut ſuſcitetur mortuus in porta civitatis. Et dicitur ſatiſfacere in opere ut ſuſcitetur Lazarus vetus, fœtidus & quatriduanus. Hi enim tres modi ſuſcitandi peccatorem per tres mortuos quos Dominus ſuſcitavit ſignificantur: cujus myſterium in tonſione peccatoris deſignatur: in percuſſione enim peccatoris, contritio cordis, in ſono, confeſſio oris, in manu ſatiſfactio operis denotatur. Hi ſunt tres panes refectionis quos Sara ex tribus ſatis farinæ fecit, ut legitur in Geneſi.

De virtute pœnitentiæ

Hæc igitur tria ſacrificia cordis, oris, operis continent in ſe unam pœnitentiam quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, per quam non ſolum commiſſa delentur, ſed amiſſa reſtituuntur, virtutes fundantur, & ſanitas perficitur. Ipſa enim de impio facit pium, de injuſto juſtum, de inimico amicum, de ſuperbo humilem, de lupo agnum, de ſervo liberum, de filio perditionis filium adoptionis: per quam vitatur gehennna, & acquiritur vita æterna. Et quoniam tanta eſt virtus, & efficacia pœnitentiæ Joannes Baptiſta prædicationem ſuam inchoavit dicens, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Petrus in die Pentecoſtes Judæis qui Deum crucifixerant ait *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Eſt autem pœnitentia ut ait Auguſtinus quædam dolentis vindicta, qua pœnitens in ſe punit quod dolet commiſiſſe.

Quod pœnitentia exterior ſine interiori nihil proſit.

Quædam autem pœnitentia eſt exterior quæ non prodeſt ſine interiori, propter quod dicit Propheta, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*: Interior pœnitentia dicitur cordis contritio, quando vel homo gratia Dei præveniente ex recordatione peccatorum ſuorum conteritur interius, & & quaſi in pulverem cor ejus contribulatum redigitur in humilitate. Unde David *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, &c.*

Ad veram contritionẽ requiri dolorem, & peccati deteſtationẽ.

Ad hoc autem quod vera ſit contritio vel confeſſio, oportet ut doleat cum cordis amaritudine, & peccati deteſtatione; oportet enim quod pœnitens cum amaritudine doleat, & de dolore gaudeat, & ſe non ſemper doluiſſe doleat.* Jerem. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*, & Joël Propheta, *Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ.* Sic igitur plus plangenda anima propria quam caro aliena, unde Auguſt. ſciat ſe culpabiliter dolere qui deflet damna corporis, vel damna amici, & mortem amici; & dolorem peccati non oſtendit in lachrymis. *Quoniam igitur ſanat Dominus contritos corde, & alligat contritiones eorum*, Recogitemus annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ, dicentes cum ſapiente muliere, *Nolite me vocare Noemi, id eſt pulchram, ſed vocate me mara, id eſt amaram quia amaritudinibus replevit me.* Talis enim amaritudo, vermes malæ conſcientiæ, & carnalium deſideriorum interimit. Sit ergo pœnitens ita pronus ad lamentationem quantum fuit ad culpam, & qualis fuit intentio ad peccatum talis ſit ad pœnitendum & lugendum, & riſus dolore miſceatur, & extrema gaudij luctus occupet juxta illud Jacobi, *Miſeri eſtote & lugete*, & Ezech. *Panem tuum in perturbatione comede, & aquam tuã cum feſtinatione, & mœrore bibe.* Hic eſt panis la hrymarũ, & contritio pœnitentiũ refectio, panis ſubcinericius, & vas aquæ, panis humilitatis, & aqua purgationis: de quo pane dicit Job. *Antequam comedam ſuſpiro.* De qua aqua dicit Ieremias, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum.* Igitur in amaritudine moretur oculus pœnitentis, & in cubili cordis ſui compungatur, ut nubes triſtitiæ, & interioris doloris in pluviam lachrymarum erumpat, & ex fumo compunctionis lachrymas extorqueat: magnitudo enim fumi ſignum eſt ignis interioris, & magni hoſpitis, *qui tangit montes, & fumigant flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ.* In terra evilat ideſt lugentiũ & dolentium ubi invenitur bonum aurum ſcilicet aurum ſapientiæ, ut dicitur in Geneſi, ex libro Reg. dicitur, quod cum eſſet Anna amaro animo oravit Dominum flens largiter, & ideo petitionem ſuam obtinuit à Domino. Unde Pſalm *In cubilibus veſtris compungimini*: id eſt interius in cordibus,

quod fit quando fumi congregantur ſicut in utre aquæ maris, ideſt peccatorum amaritudines in utre memoriæ per recordationem confliguntur; aquæ enim quæ ſub cœlo ſunt congregantur in unum locum dum priſtinæ voluptates ante mentis oculos ponuntur ad recordandum peccata præterita: unde Joann. Chryſoſt. nullum peccatori tale remedium eſt quam continua memoria delictorum, unde Jerem. *Leva oculos tuos in directum, & vide ubi proſtrata ſis*, ideo Pſalm. de diabolo ait, *dediſti eum eſcam populis Æthiopum*, quod fit per ruminationem, & recordationem peccatorum. *Et Dominus ait Adam ubi es*, id eſt ſtatum tuum conſidera, & peccata tua ad memoriam revoca; dum enim ad memoriam cum amaritudine animæ ſuæ peccata reducuntur, lachrymis pœnitentiæ, ut ait Origenes, dæmon obruitur. Et in Proverb. *Cor quod cognovit amaritudinem animæ ſuæ in gaudio ejus non miſcebitur extraneus*, id eſt diabolus, in Eccleſ. *eſt qui multa redimat modico pretio*, id eſt cordis contritione. Et Auguſt. non tam cõſideranda menſura temporis quam doloris, unde & agnus præcipitur manducari cum lactucis aggreſtibus. Igitur ſecundum Jeremiæ conſilium pœnitens ſtatuat ſibi ſpeculum, ponat ſibi amaritudines, unde Iſai. ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum ſcilicet ſpiritu, &c. Et Job. *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt*. Oportet graviori uti medicina ut ferro contritionis abſcindantur vulnera inveteratæ conſuetudinis.

De variis motivis doloris.

Doleat autem non ſolum de malis commiſſis, ſed de bonis amiſſis, de tempore quod male conſumpſit. *Qui in uno offendit, multa bona perdit*, ut dicit Salomon: omnis enim virtus ab uno vitio patitur detrimentum, quia *modicum fermenti totam maſſam corrumpit*. Doleat autem de ingratitudine qua Deum offendit qui multa bona ei contulerat, & idcirco magis peccavit. Unde Auguſtinus ideo Adam peccavit plus, quia omni bono abundavit. Lugeat quia peccata prius commiſſa redierunt, & repetuntur uſque ad ultimum quadrantem, *qui enim in uno offendit omnium eſt reus*, ut dicit Jacobus. Lugeat quia Deum à ſe fugavit, & contumeliam ſpiritui ſancto fecit, diabolo ſe ſubdidit, animam tuam comquinavit, & lethaliter vulneravit, proximos ſuos exemplo malo corrupit, bonis triſtitiam intulit, inimicis ſuis gaudium: orationes & beneficia Eccleſiæ ne ſibi prodeſſent amiſit. Chriſti incarnationem, crucem, & ſanguinem, & fructum paſſionis, quantum in ſe eſt, amiſit vel evacuavit, & ſibi inutilia reddidit; æternam hæreditatem per malam conſcientiam quantum in ſe eſt amiſit; mortem æternam, & cruciatus inferni promeruit. Ecce quanta eſt doloris, & amaritudinis materia verè pœnitenti dum conſiderat omnia damna ſua: ſic enim ei dolendum eſt, ut ait beatus Auguſt. quod ſi fieri poſſet quaſi quidam ſanguis animæ eliciatur.

Variæ conditiones doloris pœnitentialis.

Fructuoſe autem dolere debet ſcilicet cum ſpe veniæ; Judas enim valde doluit, ſed quia veniam non ſperavit laqueo ſuſpenſus perijt. Dolendum eſt præterea cum voluntate, & propoſito ſatisfaciendi, non enim dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum vel in pœna, vel in pecunia. Unde Apoſtolus ad Romanos, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſatisfactionem*. Non enim dignos facit fructus pœnitentiæ niſi ſecundum qualitatem criminum offerat Deo pro poſſe ſuo ſacrificium bonorum operum ut reſpondeat ei in via virtutis ſuæ. Debet præterea dolere cum peccatorum deteſtatione, ut non ſolum abominentur peccata præterita, ſed & futura, non recordentur præterita cum delectatione, futura autem tanquam venenum mortiferum abhorreant; non ſolum enim peccare abominabile eſt, unde Dominus ad mulierem, *Vade & amplius noli peccare*, id eſt peccandi voluntatem non habeas. Sicut autem mortale dum diſplicet fit veniale, cum placet ex contemptu fit mortale. *Vera enim pœnitentia eſt*, ut ait Ambroſ. *Mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, id eſt committendi voluntatem non habere, quod eſt peccatum deteſtari: quia, ut ait beatus Gregorius, *qui ſic alia deplorat ut tamen alia committat, pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat*. Et Iſidor. *Irriſor eſt, & non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet*. Hinc videtur Deum non poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Si quis lavat laterem crudum, quanto magis abluit, tanto magis facit rubeum. Hæc igitur quatuor in vera contritione exiguuntur, ſcilicet cordis amaritudo, peccati deteſtatio, ſpes veniæ, propoſitum ſatisfaciendi.

De compunctione, & devotione: [illegible]

Compunctio autem dicitur cordis humiliati cum devotione ſeu lachrymis punctio, ſive ex recordatione delicti, ſive beneficiorum, ſive ex Chriſti paſſione, ſive ex timore gehennæ, ſive deſiderio vitæ æternæ vel quacumque alia cauſa pungatur ad pœnitentiam, & ad devotionem animæ: ex qua punctione lachrymę ab oculis eliciuntur, ſicut ſcriptum eſt, *Punge oculum & educet lacrymam*: Ubi autem lachrymæ abundant ſordidæ cogitationes non approximant, compunctio enim hominem purgat, mentem illuminat, ſpiritum confortat & corroborat; non enim ſufficit cordis compunctio, niſi ſubſequatur oris confeſſio ad ſalutem ſi poſſit habere copiam ſacerdotis cui confiteatur; ſi vero ille qui confitetur abſolvendi poteſtatem non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis qui confitetur ſocio turpitudines carnis, ſicut Auguſt. ait; qui enim conteritur dummodo loco, & tempore peccatum confiteri non contemnat in ipſa contritione peccatum dimittitur, ſicut ſcriptum eſt, *Dixi confitebor & tu remiſiſti: quacumque enim hora ingemuerit peccator, & converſus fuerit*, omnium iniquitatum ejus non recordabitur Dominus. Unde leproſi cum irent ad ſacerdotes mundati ſunt, & Lazarus 1. in ſepulchro à Domino ſuſcitatur, & poſtea diſcipulis ſolvendus traditur. Si autem peccator non habet voluntatem confitendi vel poſt habitam contritionem contemnat confiteri omnia peccata illi illico imputantur, ac ſi non fuiſſet contritus. Confeſſio enim oris de præcepto eſt tam in novo quam in veteri teſtamento, unde Iſai. *Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris*, & in lege præcepit Dominus ut lepra oſtendatur ſacerdotibus ad quos pertinet diſcernere inter lepram & lepram. Unde in Pſalm. *Introite portas* ſcilicet indulgentiæ, & divinæ miſericordiæ *in* peccatorum *confeſſione*; confeſſio enim medicus, & pulchritudo, & animæ purgatio in conſpectu ejus hæc eſt medicina animæ quam medicus ſpiritualis debet exhibere, unde Jerem. *Numquid reſina eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi?* & in Proverb. *qui abſcondit peccata non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea miſericordiam conſequetur*. Et in Eccli. *Non confundaris peccata tua confiteri*, & iterum, *ante mortem confitere à mortuo, velut ab eo qui non eſt perit confeſſio*. Diſſolvat igitur peccator colligationes impietatis de quibus dicit, *colligata eſt iniquitas Ephraim*, abſconditum eſt *peccatum ejus*. *Narra*, inquit Iſai. *ſi quid habes ut juſtificeris*; qui enim ſe non accuſat in præſenti accuſatio ejus in fine diabolo reſervatur. David autem non audivit *tranſtulit Dominus peccatum tuum à te*, niſi poſtquam confeſſus eſt Nathan peccatum ſuum. Propter hoc dicitur in Cantic. *Oſten-*

de faciem tuam mihi, ſonet vox tua in auribus meis, & cum David poſſet peccator dicere, *Deus vitam meam annunciavi tibi.* Judas enim id eſt confeſſio debet præcedere ſemper ad bellum, & adducere Benjamin id eſt pœnitentem qui eſt filius dexteræ ad verum Joſeph. Non enim debemus carnem manducare neque edere ſuffocatum, ſed ſanguinem ipſorum peccatorum effundere per confeſſionē. Unde Job. *Non parcam ori meo loquar tribulationem ſpiritus mei.* Et iterum, *ſi abſcondi ei hoc peccatum meum, & celavi in ſinu iniquitatem meam.* Et David in perſona eorum qui peccata ſua ſub ſilentio abſcondunt ait, *quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea,* & in lib. numer. viri ſive mulieres cum defecerunt ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerunt mandatum Domini atque deliquerint peccatum ſuum confitebuntur.

Quod confeſſio præcepta ſit in novo teſtamento.

In novo autem teſtamento expreſſe præcipitur confeſſio, unde Dominus in Evangelio leproſis ait, *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus*, & Lazarum de monumento ſuſcitavit offerens diſcipulis ſolvendum, per hoc oſtendens ſolvendi poteſtatem ſacerdotibus eſſe conceſſam. Quo enim modo ſanabitur beneficio Eccleſiæ qui morbum ſuum non vult aperire? quomodo enim vis ligandi atque ſolvendi ad ſolos ſacerdotes pertinet, ſi quiſque arbitrio ſuo poteſt ſe abſolvere & ligare? & ſi non vult peccatum ſuum ſacerdotibus oſtendere? fruſtrat enim claves Eccleſiæ qui ſine arbitrio ſacerdotis vult pœnitentiam agere, unde in Matth. dicitur de Joanne Baptiſta, *Tunc exibat ad eum omnis Judæa, Ieroſolyma, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua,* & in Actibus Apoſtolorum multitudo credentium veniebat ad Paulum, *Confitentes & annunciantes actus ſuos.* De levibus autem, & quotidianis peccatis dicit Jacobus, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; Majora enim ſacerdotibus debemus confiteri qui habent poteſtatem à Domino ligandi atque ſolvendi. Petro enim, & vicariis ejus dictum eſt, *quodcunque ligaveris ſuper terram, &c.* Licet autem abjecta turba ſuſcitaſſet puellam in conclavi præſentibus tamen patre & matre, Petro quoque Jacobo & Joanne vitæ reddita eſt. Peccatum enim quodvis occultum ſit miniſterio ſacerdotum dimittitur, & per ſupplicationem; propter quod vocati ſunt pater & mater puellæ, unde beatus Auguſtin. *Taciturnitas peccati ex ſuperbia naſcitur cordis eo quod non vult talem ſe apparere in conſpectu hominis qualem ſe exhibuit ante conſpectum Dei.* Idem, *ſine humilitate nemo poteſt reconciliari Deo* Unde beatus Auguſt. ſuper hunc locum, *Non me demergat tempeſtas aquæ, &c. Non imponet ſuper te puteus os ſuū, niſi tu prius clauſeris os tuum.* Et iterum, *dum veritas confeſſionis oritur de terra cordis, juſtitia de cœlo proſpicit dicens, parcamus huic, quia non ſibi parcit, illi ignoſcamus, quia agnoſcit peccatum. Si enim homo detegit Deus tegit, ſi accuſat Deus excuſat.* Unde Dominus cum invitaret Adam ad confeſſionem poſt peccatum dixit ei, *Adam ubi es?* ipſe autem peccatum non negavit, ſed non fuit humilis confeſſio ideo quod per mulierem voluit ſe excuſare. Caïn ſimiliter invitans ad confeſſionem ait, ubi eſt Abel frater tuus? ipſe vero occultavit peccatum ſuum dicens, *neſcio Domine*, & idcirco veniam non meruit: juxta illud Iſaïæ. Ut quid profundi eſtis corde ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera? & dicunt, *quis videt*? & Amos, *ſi abſcondunt ſe in medio maris, ibi mandabo ſerpenti, & vorabit eos.*

Multas cauſas ne-[cessaria sit confessio]... rat propter quas neceſſaria ſit confeſſio.

Debet igitur pœnitens vulnera ſua detegere medico ſpirituali cujus eſt diſcernere inter lepram, & lepram: ad pondus enim ſanctuarij ponderanda ſunt omnia, unde nec proprio arbitrio, ſed ſicut determinatur ab Eccleſiâ pœniteat. Unde in Levitico ſacerdos numerum annorum uſque ad jubilæum ſupputabit; ejus enim arbitrio pœnitentiæ tempora definiuntur; mali enim peccata ſua vel ignorant, vel minora quam ſint æſtimant: unde neceſſe eſt ut à ſacerdotibus inſtruantur. Non ſolum autem propter peccati cognitionem judicata eſt confeſſio, ſed ut ſuperbo humilitas incutiatur, dum ad pedes ſui confeſſoris proſtratus eidem ſuas turpitudines aperit, & ejus increpationes, & correptiones ſuſtinet. 3. Cauſa eſt propter verecundiam quæ magna pars eſt pœnitentiæ. Unde Auguſt. *Quanto pluribus confitetur cum ſpe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius conſequetur gratiam remiſſionis.* Quod fit propter confuſionem erubeſcentiæ & pudoris. De his qui de peccatis non erubeſcunt ait Propheta. *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſtis erubeſcere*, & in Eccleſiaſtico dicitur, *eſt confuſio adducens peccatum.* 4 Cauſa propter cautelam ut ei timor incutiatur; multi enim peccare nolunt eo quod peccata ſua revelare oportet, & manifeſtare graviter ſumitur edulium quod neceſſe ſequi habet antidotum confeſſionis & ſatisfactionis. 5. Cauſa eſt ut ſuffragia conſequatur confeſſoris cujus efficitur filius ſpiritualis, ſacerdos videns jumentum fratris ſui in foveam cecidiſſe ſecundum legis mandatum tenetur ipſum ſublevare. 6. Cauſa eſt propter devotionem, & peccatorum recordationem; multi enim accedunt qui cum lachrymis, & devotione recedunt, & dum peccata ſua confitentur quandoque redeunt ad memoriam multa quæ oblivioni tradiderant. Propter hanc confeſſionis virtutem ait David, *Confitebor Domino nimis in ore meo.* Unde legitur quod quidam dum eſſet in periculo maris coram omnibus quoddam peccatum abominabile confeſſus eſt: ceſſante autem tempeſtate nullum peccatum ejus ad memoriam potuit reducere De alio legimus quod cum quidam dæmoniacus peccata ſua exprobraret, ipſe verecundia ductus confeſſus eſt ſacerdoti peccata, cumque ad dæmoniacum rediret nihil ei potuit ſicut prius exprobrare.

CAPUT XXIII.

Conditiones ad bonam confeſſionem neceſſariæ.

1. De triplici puritate.

AD hoc autem ut fructuoſa ſit, & Deo placens, oportet quod quatuor conditiones habeat, quod ſit pura, integra, frequens, feſtinata. Pura ex corde puro & contrito; niſi enim præcedat contritio non prodeſt ſequens confeſſio, *in inferno autem quis confitebitur?* id eſt in peccato mortali, dicit Propheta, *Vivens, vivens, ipſe confitebitur*, vivens non ſolum vita naturæ, ſed vita gratiæ, teſte beato Auguſtino; niſi enim veteris vitæ pœniteat, novam inchoare non poteſt; multi enim ſine contritione & dolore peccata confitentur per jactantiam, qui lætantur cum mala fecerint, unde Propheta *peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt*: talis confeſſio non ſolum veniam non meretur, ſed provocat iram. Sit & præterea pura, & ſine ſimulatione vel falſitatis immixtione, ſicut quibuſdam qui cauſa fictæ humilitatis ſive ſuperſtitionis confitentur peccata quæ non commiſerunt, teſte enim beato Auguſtino, quando quis cauſa humilitatis mentitur in confeſſione, quod vitabat efficitur, ſcilicet ſuperbus: talis enim hypocriſis ſpecies eſt ſuperbiæ. Quando vero de aliquo dubitatur, utrum ſit peccatum, vel aliquis credit eſſe peccatum id quod peccatum non eſt, vel veniale credit eſſe

mortale, tunc debet ipſum confiteri, & conſcientiam ſuam liberare, bonarum enim mentium eſt ibi culpam agnoſcere vel timere ubi culpa non eſt. Item ſit pura ſine duplicitate vel tergiverſatione ſine fermento vel excuſationis, vel malitiæ, non faciat ibi perizomata cum primis parentibus. Plane & nude confiteatur, ſic ſe accuſans, ut Deus excuſet, ſicut ſcriptum eſt, *dimittam adverſum me eloquium meum*. Item, *Dixi confitebor, &c.* Nullum præter ſe accuſet, neminem nominet, aliena peccata non confiteatur, non excuſet ſe per ætatem, vel per infirmitatem, vel per generis nobilitatem, neque per malorum ſocietatem, neque per naturam vel conſuetudinem, *Non declinet cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Nemo enim compelli poteſt ad peccandum, voluntas cogi non poteſt, nec eſſet peccatum niſi eſſet voluntarium. Non igitur ſe excuſet, non ſe deffendat, non attenuet ſua peccata.

De integritate confeſſionis.

Sit integra confeſſio ut omnia quæ recolit cum omnibus, circumſtantiis aggravantibus peccatum uni ſoli ſigillatim, & diligenter cum omni cautela & humilitate confiteatur? Non enim unum peccatum ſine alio dimittitur, *Non eſt conventio Chriſti ad Belial*, non recedit avis infernalis ab anima quamdiu nidum ſuum reperit in ea, teſte beato Auguſtino. Quædam impietas infidelitatis eſt ab eo qui juſtus eſt in juſtitia dimidiam ſperare veniam; totum enim hominem ſanavit in ſabbatho. Unum autem vulnus ſufficit ad mortem: unde Beda, quid prodeſt ſi tota civitas cuſtodiatur, & unum foramen per quod hoſtes intrent relinquat. Unde David, *effundite coram ipſo corda veſtra*. Et iterum, confitebor tibi in toto corde meo, non divido ſicut nuntij David quibus Amon rex Ammonitarum raſit dimidias barbas & medias veſtes proſcidit uſque ad nates. Male quidam pecus excoriat qui totam carnem à pelle non expellit, vel ſeparat. Confiteatur præterea omnia peccata ſua quæ reducere poteſt ad memoriam uni Sacerdoti, unde beatus Auguſtinus: caveat pœnitens ne verecundia ductus dividat apud ſe confeſſione ut diverſa diverſis velit ſacerdotibus manifeſtare, quædam uni celant quæ alij manifeſtanda ſervant, & ſe laudare eſt ad hypocriſim tendere, & venia carere, hoc eſt enim ſcindere veſtimenta confeſſionis quibus veſtita eſt anima peccatoris. Si autem pœnitens poſtquam confeſſus fuerit aliquod peccatum recolit, quod prius tradiderat oblivioni illud poteſt alij dicere ſacerdoti, tutius tamen eſt quod dicat priori ſi ejus copiam habere poteſt. Sit præterea integra confeſſio ut omnia peccata non ſolum ſpecialiter, ſed etiam individualiter in quantum poteſt ſub certo numero actionum, & perſonarum manifeſtet, juxta illud, *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, ſcilicet conſcientiæ meæ. Singulas noctes peccatorum ut omnis ſanies teſta radatur, & ita colligationes impietatis diſſolvantur. Unde Iſai. *In die illa radet Dominus in novacula acuta in rege Aſſyriorum, & in his qui trans flumen ſunt caput, & pilos pedum, & barbam univerſam*. Adveniente enim Chriſto gentes qui Deum ignorabant novacula confeſſionis renovari ſunt deponentes veterem pellem, exuentes veterem hominem cum actibus ſuis. Et quoniam peccata multa traduntur oblivioni quæ in generali contritione dimittuntur, utile eſt ſemper in fine confeſſionis generalier confiteri quæ tradita ſunt oblivioni.

Quod ad integritatē cōfeſſionis neceſſariū ſit declarare circum-

Sit confeſſio integra ut confiteatur pœnitens non ſolum peccata, ſed circumſtantias peccatorum; multi enim confitentur peccatum, ſed ſuppriment modum: abſcondunt enim ſibi ſub Rachele idola Laban ſub fimo id eſt peccata ſub ſtercoribus pœnitentiæ, & non ſolum idola, ſed cum Jacob omnia phylacteria idolorum, ſub terebinto confodiunt, id eſt omnem circumſtantiam per memoriam crucis ſeipſum mactando ſepeliat, nihil retineat de anathemate Jericho, ſed cum Moïſe Ægyptium ſub ſabulâ ſepeliens vitulum conflantem in pulverem minutiſſimum redigat; detracta enim pelle hoſtiæ per peccati nudationem artus in fruſta concidantur, ut omnes circumſtantiæ apeniantur, & panis ſartaginis minutatim dividatur, ut præcipitur in Levitico, & in eodem dicitur qui præfert hoſtiam pacificam, offerat ſimul libamenta id eſt peccatorum circumſtantiæ prorumpant, ne forte tradatur tortoribus, niſi reſtituat uſque ad ultimum quadrantem. Circumſtantiæ vero attenduntur in loco, tempore, numero, & perſona, ſecundum ætatem, ſcientiā, gradum, & ſexum, ordinem, ingratitudinem, ſi facile, vel libenter, præveniens appetitum, ſi frequenter, ſi apertè cum ſcandalo vel malo exemplo, ſi perſeveranter vel inordinate, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, &c. Unde Iſaias, ad animam peccatricem ait, *Sume cytharam, circui civitatem, bene canta, frequenta canticum*.

Circumſtantiis peccatorum.

Sumenda eſt ſponte non coacte cythara confeſſionis quæ dulciter ſonat in auribus Domini, circuire debet civitatem animæ ſuæ, & quemlibet angulum conſcientiæ ſuæ, ut nulla circumſtantia peccatorum in anima remaneat: unde cavere debet ut ſit confeſſio pura & aperta, debet frequentare canticum, ut cito, & ſæpe confiteatur: feſtinata debet eſſe confeſſio, quia peccatum quod ſtatim per confeſſionem non deletur ſuo pondere ad aliud trahit: ſanguis enim ſanguinem tangit, neſcitur enim quid pariat craſtina dies, morte quidem nil certius, hora mortis nihil incertius, non ergo ſibi theſaurizet iram in die iræ, Dominus enim Adam poſt peccatū ſtatim ejecit de Paradiſo, ut confeſtim ageret pœnitentiam; unde Auguſtinus: ſi vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes peccata te dimiſerunt, nō tu peccata. Numquid qui cadit in foveam vel in lutum non adjiciet ſtatim ut reſurgat. Non dicamus cum reprobis Judæis, *nondum venit tempus reædificandæ domus Domini*, ſed ſit caſtigatio noſtra in matutinis, *Surge*, inquit ſponſus, *propera amica mea*. Et in Exod. dicitur, *& comedetis feſtinanter*, & in Evangelio dicitur quod cœcus exiliens venit ad Jeſum. Unde Jeremias, *Egredimini de Babylone, fugite à Caldæis*. Filij Iſraël exierunt ita feſtinanter ex Ægypto quod non occurrit eis quidquam parare, & diſcipuli ita in mente Chriſtum ſequebantur quod non poterat quiſquam ad manducandum parare, ſed ſpicas vellebant, & grana cruda comedebant. Ita pœnitentes feſtinare debent juxta conſilium Salomonis dicentis, *Fili ne tardes converti ad Dominum*. Et iterum, *Ne dicas amico tuo vade & revertere, & cras tibi dabo, cum ſtatim poſſis dare*. Fatuus enim eſt qui faſciculos deprimentes projicere à ſe non feſtinat. Unde in numer. dicitur ſi mortuus fuerit homo coram Nazareo radet illico eodem die caput, id eſt mentem novacula compunctionis: *Abyſſus enim abyſſum invocat*, & aliud peccatum aliud attrahit.

Quod non ſit differenda confeſſio.

Quanto autem quis citius talentum à diabolo fœneratore mutuatum perſolvit, tanto minus obligatur uſuræ. Econtra de peccatore reprobo dicit Pſalm. *Mutuabitur peccator, & non ſolvet, ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus*. Juſtus enim ſi præoccupatus fuerit aliquo criminali peccato, in æterno ſupplicio erit: *quia mors peccatorum peſſima*: Peccatoris autem conſuetudo non facile poteſt avelli, unde verſus, *quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit*

De periculo differendi confeſſionem ad extremum [illegible]

ſervabit odorem teſta diu. Facile eſt ad cōſueta reverti, ſed difficile eſt inde avelli, unde Baſilius, *Sicut homo non poteſt dediſcere maternam linguam, ita vix poteſt dimittere longam conſuetudinem*. Fit enim via ejus tenebræ, & lubricum, & facile corruit in ea, & idcirco contra eminentia pericula, & maximè contra mortem ſubitaneam oportet feſtinare eum; neſcit enim qua hora fur venturus eſt, uſque ad mortem differt converti, abſorptus ab infirmitate vix poteſt intendere confeſſioni, illuc enim tota intentione mentis fertur ubi eſt vis doloris, unde magis gaudet de præſentia medici corporalis quam de adventu confeſſoris. Homine enim exiſtente ſano tanta difficultas eſt pœnitendi, quod ſicut ait beatus Ambroſius, *Facilius inveni qui rectè ſervaverit innocentiam, quam qui congrue egerit pœnitentiam*. Facilius eſt ſanitatem cōſervare quam amiſſam recuperare: qui enim lapide conſuetudinis premitur vinctus in mendicitate, & ferro quaſi Lazarus quadriduanus fœtens, non niſi cum lachrymis, & magna difficultate poteſt ſanari. Vix enim Æthiops poteſt mutare pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas. Cum autem totam vitam noſtram Domino debeamus, quomodo una hora modica ſatisfacere poterimus? præſertim cum amor uxoris, & filiorum, & divitiarum, & vis morbi totam occupet hominis intentionem. Non igitur debemus, differre confiteri ne fortè inveniamur imparati. Si enim peccator confiteatur ut pœnam gehennalem evadat, timere tamen debet purgatorij pœnam quæ major eſt omnibus tormentis quæ in hac vita poſſunt cogitari.

Quarta cōditio quod confeſſio ſit frequens.

Quartum eſt quod in vera confeſſione oportet eſſe, ſcilicet ut frequenter fiat, & pluribus ſacerdotibus, ut plures habeat conſiliarios, & apud Deum interceſſores, & ſi fortè non poteſt erubeſcere coram uno, erubeſcit coram alio; ſicut enim pluries peccavit, ita pluries confitendo ſatisfaciat; frequenter enim homo labitur in peccatum, unde oportet quod frequenter currat ad confeſſionis remedium. Quoties enim peccata iteramus toties confeſſionem iterare debemus; & ſi bonum conſilium requirimus, conveniens eſt etiam omnia peccata noſtra in confeſſione iterare, eo quod peccata redeunt, & quia cognitis antiquis vulneribus nobis poterit conſulere melius. Qui autem ſemel in anno ſcilicet in quadrageſima peccata confitentur quidquid boni faciunt ante confeſſionem amittunt ſi in peccato mortali ſint, ſicut qui congregat mercedes miſit eas in ſaccum pertuſum; iteranda eſt pœnitentia quæ fit in peccato mortali; quæ autem in charitate fit, & ſi labatur poſtea non eſt iteranda; omnia enim bona redeunt: unde Ezechiel. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt non recordabitur, in juſtitia ſua quam operatus eſt vivet*. Et Joël, *reddam vobis annos quos comedit locuſta, brucus, rubigo, eruca*. Frequenter igitur, & ſollicitè confiteamur, ut impleatur in nobis quod ſcriptum eſt, *Anticipaverunt vigilias oculi mei, exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*, ſcopis ſcilicet confeſſionis; in hoc enim judicio confeſſio condemnat, in judicio vero divino abſolvit reum & juſtificat. In primo à judice convincitur, in ſecundo vincit diabolum, & apud ſummum judicem abſolvitur.

Contra eos qui multis de cauſſis timent peccata confiteri.

Multi autem impediuntur timore ſatisfactionis, vel pœnæ temporalis peccata ſua confiteri, vel quia à prælatis diliguntur, & honorantur, & timent ne vilipendantur, vel aliquod detrimentum temporale incurrant ſi prælatis ſuis peccata manifeſtarent. Hinc autem admonendi ſunt quantum pœnam æternam magis timeant quam temporalem, & opprobrium ſempiternum quam tranſitorium, patienter enim ſuſtineant temporalem pœnam ut poſſint evadere æternam; qui enim pruinam timet irruet ſuper eum nix. Alij pudore ſubticent, & confiteri non audent, quibus dicendum eſt, ut non erubeſcant dicere ea quæ non erubuerunt facere; iſtud enim bonum eſt, illud autem malum; iſtud medicina, illud culpa. Sed ſi hæc non deteguntur, nihil abſconditum quod non reveletur: & quia ſine confeſſione non dimittuntur peccata, neceſſe eſt manifeſtentur, maximè quia non dicuntur ſacerdoti tanquam homini, ſed tanquam Deo, quæ ſi modo aliquis revelaverit, deponatur; gravius enim peccat ſacerdos qui revelat confeſſionem, quam ille qui peccatum commiſit, magis autem debuit peccator erubeſcere coram Deo, & Angelis quam coram ſacerdote uno. Debet igitur detegere peccatum, ut à Deo tegatur. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, &c. quorum tecta ſunt peccata*. Unde Apocalyp. *veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ*. Melius enim eſt erubeſcere coram paucis, quam in futuro coram pluribus.

Cōtra præſumptionē divinæ miſericordiæ, & contra deſperationem.

Alij ſpe diu vivendi vel honorem acquirendi vel ut ſancti videantur peccata confiteri omittunt, vel præſumptione divinæ miſericordiæ. Hi autem admonendi ut reducant ad memoriam, quod dicitur in Evangelio, *Stulte ac nocte repetent animam tuam à te, ipſe autem*, neſcit neque diem, neque horam. Dominus menſurabiles poſuit dies ſuos, ipſe autem tanquam fœnum velociter areſcet, & quemadmodum olera herbarum cito decidet. Item dicitur quod gloria peccatorum ſtercus & vermis eſt, hodie extollitur, & cras non invenietur. Præſumptioni, divinæ ſeveritatis opponatur diſtrictio, cujus potentia invincibilis, cujus ſapientia ineffabilis, cujus juſtitia inflexibilis, qui Angelis non pepercit, qui primos parentes pro eſu cujuſdam pomi cum omni poſteritate exilio condemnavit. Alij deſperationis baratro abſorpti peccata ſua confiteri recuſant: ſicut ſcriptum eſt, peccator, *cum venerit in profundum vitiorum contemnet*. Quibus perſuadendum eſt, quod divina miſericordia major eſt omni peccato, quæ cum eſſemus ejus inimici reconciliavit nos ſibi in ſanguine filij ſui: nemo autem debet deſperando credere quod ſe à peccatis poſſit abſtinere; *Fidelis enim Deus qui non permittit hominem ſupra id quod poteſt tentari, ſed facit etiam cum tentatione proventum*. Præſertim quia ex confeſſionis virtute efficitur ſervus Dei qui prius erat ſervus peccati, & virtutem recuperat reſiſtendi, & univerſalis Eccleſia pro ipſo orat ex quo factus eſt membrum Chriſti, qui prius erat membrum diaboli. Guſtate igitur & videte quoniam ſuavis eſt Dominus, & quoniam beatus homo qui ſperat in eum.

Contra eos qui cōtemptu Presbyteri nolunt peccata ſua confiteri.

Quidam autem contemptu Presbyteri peccata ſua nolunt confiteri, quibus dicendum, ut non attendant presbyterum velut hominem, ſed tanquam illum qui loco Chriſti eſt, quem venerari, & diligere debent, ut vicarium, & miniſtrum Chriſti. Eligat autem pœnitens talem ſacerdotem qui ſciat diſcernere inter lepram & lepram, qui noverit velut peritus medicus variis infirmitatibus varias, & competentes adhibere medicinas: alioquin *ſi cæcus cæcum ducat ambo in foveam cadunt*. Si ſacerdos ejus idiota ſit eat ad ſuperiorem ſuum, vel ab ipſo ſacerdote petat licentiam ut poſſit confiteri ſapienti; aliud eſt enim favore vel odio proprium ſacerdotem contemnere, aliud cæcum vitare: ſi autem ſacerdos dare noluerit, confiteatur omnino, & ab-

ſolvetur, & tunc quemcumque alium voluerit conſulere poterit. Unde Auguſtinus qui confitetur omnino confiteatur †. Judas enim pœnitens ivit ad Phariſæos relinquens Apoſtolos, nihil invenit auxilij niſi augmentum deſperationis; dixerunt enim *quid ad nos? tu videris.* Quaſi dicerent, quid nobis eſt miſericordia? qui iret ad fratres qui oraverunt pro ſocru Petri, & pro Chananæa poſt Chriſtum clamante.

† f. Suppl. ſacerdoti ſuo.

Qualitates confeſſoris.

Tales deberent eligi Pontifices qui ſcirent compati infirmitatibus; ſapientes enim medici oleum animarum habent, & vinum Samaritani, ubera matris in principio ut alliciant infirmos ne fortè nimis confundantur, in fine vero verbera patris habent aliquantulum increpando duros, & rebelles, & aſperitatem pœnitentiæ tanquam vinum pungitivum vulneribus infundendo. In his autem de quibus dubitat ſacerdos ſemper cum ſapientibus conſilium habeat, vel pœnitentem ad ſuum ſuperiorem tranſmittat. Ipſe autem confeſſor qui curam ſuſcipit animarum mediocriter debet eſſe litteratus; alioquin non præſumat audire confeſſiones ſi ſit idiota, & imperitus, qui non noverit ſeparare pretioſum à vili, qui neſcit inter ſiniſtram, & dexteram: ars enim animarum ſalutis eſt ars artium. Oportet enim quod ſciat inſtruere pœnitentem, & inquirere de fide ejus, & moribus, & ideo de articulis fidei, de ſeptem ſacramentis, ſaltem mediocriter debet eſſe inſtructus, de operibus etiam miſericordiæ, & de decem mandatis decalogi, de virtutibus & vitiis, & de ſeptem criminalibus, & eorum contentis, de carnalibus & ſpiritualibus peccatis, de his præcipuè quæ per quinque ſenſus delinquendo committimus, ut ſciat ignorantibus peccata detegere vel ea quæ oblivioni tradita ſunt ad memoriam reducere, ut ſciat fodere parietem ut videat abominationes majores; & ad inſtar venefici incantantis ſapienter eliciat aſpidem de caverna ut obſtetricante manu ſapientiæ educatur coluber tortuoſus, ut videat mirabilia in profundo id eſt in abyſſo cordis peccatorum.

De quibus debeat confeſſor interrogare pœnitentem.

Caveat autem ne ſcrutinium ſuum incipiat donec peccator ex ore ſuo ea quæ noverit, confeſſus fuerit; melius eſt enim ut ore ſuo confeſſionem ſpontanea voluntate faciat, quam ex ore alieno. Unde dicitur, *cum petes à proximo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, ſed ſtabis foras, & ille tibi proferet quod habuerit*; Melius eſt enim peccatum dicere ſponte quam per interrogationem extorquere. Poſtquam vero ex ore ſuo quæcunque noverit dixerit, tunc ſacerdos conſiderans peccatum, & qualitatem pœnitentis aliqua poterit perſcrutari peccata quibus hujuſmodi perſonæ ſolent obligari, ſicut in Eccleſiaſtico dicitur, *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum injuſto de juſtitia, & cum muliere de his quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de detractione, cum emptore de venditione, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agrario de omni opere; cum operario annuali de conſummatione anni, cum ſervo pigro de multa operatione.* Ut autem illi in certitudine omnia inquirendo reducantur, & in talibus confuſio devitetur.

CAPUT XXIV.

Interrogationes confeſſoris continet.

Scrutatur confeſſ. de peccatis ſuperbiæ.

AD ſeptem criminalia, & quinque ſenſus corporis, & tráſgreſſioné decalogi univerſa reducantur in hunc modú. Frater ſi peccaſti in ſuperbia extollens te corde, ore, vel opere ſuper alios propter divitias tuas, vel propter potentiá, vel pulchritudinem, vel genus, vel nobilitaté, vel ſcientiá, vel veſtes, vel laudem popularem, vel quod gravius eſt propter malitiam gloriando in peccatis tuis, vel propter opera tua, vel appetens laudari, vel credens ea ex te habere, vel à Deo pro meritis tuis, vel pluſquam alij, vel falſo jactans te habere, vel etiam credens te habere bona quæ non habes. Et quoniam radix omnis peccati ſuperbia eſt odibilis coram Deo, & hominibus, initium enim ſuperbiæ eſt apoſtatare à Deo, ex ea procedant ſeptem, primum eſt inanis gloria. Dic ergo fili: ſi peccaſti in vana gloria, in jactantia, in hypocriſi, in arrogantia, in præſumptione, in ſingularitate, in novitatum inventione, in inobedientiá, & ſi qua ſunt ſimilia.

De ſecundo ſi peccaſti in ſecundo criminali peccato quod dicitur invidia? ſi habuiſti gaudium in adverſitate, vel triſtitiam in proſperitate proximi tui? ſi per invidiam detraxiſti occulte proximo tuo, vel aliquam proditionem feciſti in occulto, unde malum ei accideret? ſi ſuſurro fuiſti, vel contra eum injuſtè murmuraſti, vel rancorem in animo habuiſti? 2. De peccato Invidiæ.

Si peccaſti in tertio criminali peccato quod dicitur ira ſcilicet in corde latens, in verba prorumpens, injurias ore exercens. Si habuiſti iram inveteratam in corde quæ dicitur in corde odium, ſi indignationem, impatientiam, audaciam, temeritatem, rixas, contumelias, clamores, blaſphemias, lites, homicidia, & ſimilia per iram incurriſti? 3. De Ira.

Si in quarto criminali peccato quod dicitur acidia peccaſti, ſi tædium boni cum mœrore, & triſtitia inutili habuiſti? ſi cordis obdurationem, ſi pigritiam, & ſomnolentiam? ſi indevotus, & tepidus in Dei ſervitio? ſi ſuſpicioſus, & malitioſus fuiſti? ſi verbum Dei, & increpationes contempſiſti? 4. De Acidia.

Si peccaſti in quinto criminali peccato quod dicitur avaritia? ſi Deum offendiſti cum nimio ardore, & immoderato amore acquirendo temporalia, & retinendo per uſuras ultra ſortem aliud recipiendo, mutuando pecuniam, vel quamcumque aliam rem carius ad terminum propter expectationem vendendo? ſi bladum in terra, vel aliam rem pro modico pretio ſoluto emiſti? ſi mutuum dediſti inde ſperans recipere, aliàs non daturus? ſi furtum, ſi rapinam, ſi incendium, vel vaſtationem agrorum, vel vinearum feciſti? ſi alio aliquo modo proximo damnum intuliſti? ſi decepiſti aliquem, vel fraudem aliquomodo feciſti, vel proximum circumveniſti in aliqua negociatione in pondere, vel menſura, vel alio modo? ſi collectas, vel indebitas exactiones, ſi calumniam vel quamcumque aliam injuriam proximo feciſti? ſi debitum vel commiſſum, vel rem inventam non reddidiſti? 5. De Avaritia.

Si peccaſti ſexto criminali peccato per gaſtrimargiam in cibo vel potu? vel ebrietatem, vel crapulam incurrendo ſenſus hebetationem, rationis perturbationem, immunditiam multiloquium ſcurrilitatem, ineptam lætitiam, & conſimilia? ſi horam debitam præveniſti? ſi nimis frequenter, vel minus avide manducaſti, vel bibiſti? ſi nimis delicata, & ſumptuoſa cibaria comparaſti, & præparari feciſti? ſi nimia quantitate ſumens menſuram exceſſiſti? 6. De Gaſtrimargia.

Si in ſeptimo criminali peccato quod eſt luxuria Deum ad iracundiam provocaſti per ſimplicem fornicationem ſolutus cum ſoluta, vel per adulterium cum conjugata, vel per inceſtum cum conſanguinea, vel per ſtuprum cum virgine, contra naturam, vel in ſexu conſimili, extraordinario loco, vel mollicie carnis contactu in his peccatis, & quibuſdam inuſitatis, 7. De Luxuria.

inuſitatis, & incognitis caute oportet interrogare confeſſorem quaſi à remotis per inſinuationem, ut experti poſſint intelligere; inexperti vero novos peccandi modos non poſſint addiſcere. Verbi gratia, interrogemus ſi peccaverit in ſomnis per fragilitatem, & poſtea ſi pollutus fuerit vigilando aliquotiens vel aliquo alio modo inquiratur. Præterea ſi aliorum luxuriam procuravit vel ſi indebito modo propriam uxorem cognoverit, ſi quis cum ſanctimoniali pollutus vel coinquinatus ſacrilegium cum luxuria commiſit. Eodem modo cum mulieribus fiat inquiſitio, & maximè de ſuperfluitate veſtium, & choreis, & ſpectaculis, de ornatu proprij corporis, de ſortilegiis quæ propter luxuriam fiunt.

Inquiſitio circa quinque ſenſus. Poſtea inquiratur circa quinque ſenſus corporis ſi in viſu peccavit intuendo quod non oportuit? ſi in auditu verba inutilia, vana, laſciva, detractoria, adulatoria, falſa, & conſimilia libenter audiendo? ſi guſtu ſalſamentis, & ſaporibus cum nimia delectatione palatum incitando? ſi olfactu ſpeciebus aromaticis, & unguentis immoderate, & ſumptuoſe utendo? ſi tactu impudice tangendo quod non oportuit, mollibus veſtiendo in mollitie etiam veſtis, & lecti, & in balneis, & conſimilibus peccant homines delicati & effeminati, ſimiliter mulieres.

Inquiſitio circa decem præcepta decalogi. Fiat præterea diligens inquiſitio circa tranſgreſſionem ſeptem præceptorum decalogi, de quorum tranſgreſſione nemo excuſatur; omnes enim ea tenentur implere.

Circa primum. De primo. Si peccaſti contra mandata decalogi, quorum primum eſt de cultu Dei, ut homo non adoret Deos alienos. Si credas unum Deum in Trinitate, & alios fidei articulos, ſicut tenet ſancta Eccleſia? ſi dubitaſti de fide, vel in aliquo quod ad fidem pertineat dubitaſti? ſi credidiſti maleficis, & ſortilegis, & incantationibus, & auguriis, & illuſionibus dæmonum, & hujuſmodi?

De ſecundo. Si peccaſti contra ſecundum mandatum quod eſt non accipies nomen Dei tui in vanum? ſi mendaciter, ſubdole, & inutiliter pro nihilo juraſti? ſi Deum falſo invocaſti, & nomen ejus in vanum aſſumpſiſti vel in opprobrium? ſi per corpus vel pedes, vel alia juramenta feciſti? an fidem datam non obſervaſti, vel votum non adimplevisti, ſaltem in voto baptiſmi peccaſti, Deo promittens quod non reddidiſti?

3. De obſervatione feſtorum. Si peccaſti contra tertium mandatum quod eſt memento ut diem ſabbathi ſanctifices? ſi dies dominicos, & alios dies ſolemnes, ſicut in Eccleſia præcipitur, obſervaſti, vacãdo divinis, & abſtinendo non ſolum ab operibus mechanicis, ſed ab omni opere ſervili, & ab omni peccato? ſi in diebus dominicis, & feſtivis tabernas & choreas frequentaſti; minus enim eſſet malum tibi terram arare quam choreas ducere, & tabernas frequentare immoderate bibendo? ſi in vigiliis & jejuniis, & magnis feſtivitatibus ab uxore tua, vel à quacumque alia muliere abſtinere noluiſti? ſi ſabbathum cordis vel corporis ſpiritualiter obſervaſti? ſi diſtractus per varias, & inutiles occupationes, & ſollicitudines pacem corporis, & quietem mentis non obſervaſti?

4. De honorandis parentibus. Si quartum mandatum tranſgreſſus es quod eſt honora patrem & matrem tuam ut ſis longævus ſuper terram? ſi parentibus indigentibus neceſſaria non miniſtraſti? ſi eis reverentiam non exhibuiſti? ſi dure & contumaciter contra eos locutus es? vel ſi manus in eos injeciſti? ſi parentes ſpirituales ſcilicet ſacerdotes, & alios Eccleſiaſticos miniſtros inhonoraſti, non obediendo prælatis tuis, male contra eos loquendo, vel in eos ſeu quoſcumque clericos, vel in perſonas regulares manus violentas injeciſti? ſi matrem tuam ſpiritualem ſcilicet ſanctam Eccleſiam, ſi in ea ſacrilegium furando vel luxuriando feciſti? ſi verba otioſa vel inutilia in ea locutus es, quæ eſt domus orationis non vanitatis, ſi clamando, litigando vel quocumque alio modo divinum officium perturbaſti? ſi decimas & debitas oblationes Deo non reddidiſti? & diebus ſaltem ſolemnibus ad parochialem Eccleſiam non iviſti? ſi aliquos ordines indebite ſuſcepiſti, ſi aliquam incurriſti irregularitatem? ſi es de legitimo matrimonio an non? ſi liberæ vel ſervilis conditionis? ſi legitimis temporibus, & de licentia Epiſcopi tui, vel ætate legitima ordines ſuſcepiſti? ſi ſaltum feciſti in ordinibus? ſi bigamus vel homicida, vel ſimoniacus, vel excommunicatus ordines ſuſcepiſti, vel in ſuſceptis ordinibus miniſtraſti, & ita irregulariter? ſi animas tibi commiſſas cum diligentia tota curaſti? ſi confeſſiones aliquomodo revelaſti, & cætera hujuſmodi quæ contra honorem matris Eccleſiæ fuerint?

Si peccaſti contra mandatum quintum quo præcipitur non occides? ſi manu, vel mandato, vel auxilio, vel conſilio homicidium commiſiſti? vel ſi aliquem vulneraſti? vel homicida ſis mortem alterius deſiderando, vel in corde tuo odium retinendo; *qui enim odit fratrem ſuum homicida eſt*? Si urgente neceſſitate potuiſti ſubvenire, & non ſubveniſti? ſicut ſcriptum eſt, *paſce fame morientem ſi non paveris occidiſti*. Si fuiſti homicida animarum, inducendo ad peccatum, vel peccatis aliorum conſentiendo, quod eſt gravius homicidio corporis? De 5 præcepto, non occides.

Si tranſgreſſus es ſextum mandatum quod eſt non mæchaberis id eſt non cuilibet miſcearis excepto fœdere matrimonij? ſi aliquomodo cum delectatione ſemen ex te emiſiſti, niſi fortè dormiendo, vel cum propria uxore ſpe prolis, vel cauſa vitandi fornicationem, vel ut redderes debitum? De 6. mandato, non mœchaberis.

Si ſeptimum mandatum non obſervaſti quod eſt non furtum facias? ſi rem alterius uſurpaſti? vel vi contractaſti invito Domino? vel ſi ſcienter rem furtivam emiſti, vel in cuſtodia recepiſti? De 7. non furaberis.

Si octavum tranſgreſſus es quod non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium; hic prohiberi intelligimus omne genus mortalis mendacij: ſi falſus teſtis contra aliquem gratia vel amore, vel odio, vel pretio fuiſti, ſi in cauſa aliquem injuſtè, & calumnioſe tractaſti, ſi falſus advocatus vel judex iniquus fuiſti, ſi perſonarum acceptionem habuiſti, ſi aliqua falſitate aliquem læſiſti, vel falſum crimen ei imponendo vel alio modo, ſi aliquid promiſiſti, & ſolvere noluiſti, ſi mercedem mercenarij defraudaſti & retinuiſti. 8. De falſo teſtimonio.

Si nonum mandatum non obſervaſti quod eſt non concupiſces uxorem proximi tui, ſi voluntatem habuiſti in corde peccandi aliquo genere luxuriæ, ſi moroſam delectationem vel conſenſum abſque opere habuiſti; hæc enim mortalia reputantur. 9. De non concupiſcenda uxore proximi.

Si decimum mandatum obſervaſti quod eſt non concupiſces domum proximi tui, non agrum, non vineam, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt. Ubi generaliter intelligimus cupiditatem divitiarum, & ambitionem honorum. Vide igitur ſi cujuſlibet rei alienæ concupiſcentiam habuiſti in corde; multi enim furarentur, vel raperent niſi pœnam temporalem timerent. 10. De non concupiſcenda re qualibet aliena.

Non ſolum de commiſſis, ſed etiam de omiſſis interrogandus eſt pœnitens. Dic frater ſi omiſiſti facere proximis quod tibi merito facere voluiſſes, ſi per negligentiam vel pigritiam bona quæ debuiſti vel potuiſti facere non feciſti, ſed talentum Dei De omiſſione bonorum operũ.

multiplicare contempſiſti, ſi opera miſericordiæ, vel orationes, vel vigilias, ſi jejunia vel alia opera miſericordiæ pœnitentiâ tibi injuncta non feciſti, ſi tempus à Deo tibi conceſſum in vanitate, & otio conſumpſiſti, ludendo cum deciis, cum aleis, & cartis ut tempus tædioſum hujuſmodi vanitatibus redimeres. Si de beneficiis ſuſceptis Deo, & hominibus ingratus extitiſti. Si charitatem, humilitatem, patientiam, diſcretionem, & alias virtutes quas habere debuiſti non obſervaſti, & bona quæ feciſti minus purè feciſti, vel cum murmuratione, vel cum ſcandalo proximorum, vel finem debitum omittendo, vel mala intentione ea feciſti, ſi per craſſam, & vincibilem ignorantiam, vel per oblivionem aliqua omiſiſti quæ facere tenebaris. Hæc & hujuſmodi ſimilia prudens & diligens confeſſor cum omni cautela debet inquirere, nõ omnia ab omnibus, ſed à diverſis diverſa prout viderit expedire; in fine autem generaliter ſubjungat multa tradidiſti oblivioni in quibus Deum offendiſti, de quibus generaliter debes confiteri cum propoſito confitendi ſi ea ad memoriam reduxeris: peccaſti enim corde per malam cogitationem, & malam voluntatem ore peccaſti mentiendo, detrahendo, otioſa dicendo, proximos deridendo, ſecreta aliorum revelando, quibuſdam adulando, alios nimis corripiendo in contentione, in turpiloquio, in ſcurrilitate, in contumelia, in blaſphemiis, & aliis hujuſmodi. Opere peccaſti faciendo aliud quod tibi non velles fieri, mandata Dei tranſgrediendo, mala exempla aliis dando, &c.

CAPUT XXV.

De ſatisfactione.

De injunctione pœnitentiæ.

POſtea cautus ſit in pœnitentiis injungendis, conſiderando ſtatum perſonæ, & qualitatem criminum quantum poterit fieri ut ſemper pœna reſpondeat culpæ per contrarium: ut ſuperbis principaliter injungat quæ pertineant ad humilitatem; invidis ea quæ pertinent ad benignitatem & charitatem; iracundis ea quæ pertinent ad manſuetudinem & patientiam; avaris ea quæ pertinent ad liberalitatem & largitatem; guloſis & luxurioſis ea quæ pertinent ad carnis afflictionem, & ſic de aliis, ita quod pœna reſpondeat culpæ. Si peccavit in multiloquio & garrulitate, ſatisfaciat per ſilentium; ſi in veſtium ſuperfluitate, ſatisfaciat in nuditate; ſi malum exemplum dando, de cætero det omnibus bonum exemplum; ſi publice peccavit, publicè ſatisfaciat; ſi alios ad peccata induxit, laboret pro poſſe ſuo ut animas quas Deo abſtulit illi reſtituat. Diligenter autem obſervet inter cætera quatenus ſatisfactionem in quatuor partes dividat. Quia enim peccator Deum offendit, injungat ei orationes; quia proximum offendit, injungat ei eleëmoſynas, & alia opera miſericordiæ; quia in proprium corpus peccavit per illicitam delectationem, injungat ei jejunia, & alia quæ ad corporis afflictionem pertinent; ſi ab alio injuſtè habuerit vel aliquem damnificavit, injungat ei reſtitutionem pro poſſe ſuo; ſemper enim in fine admoneat pœnitentem ut vitet fœtidum; ſcriptum enim eſt, *Vade & noli amplius peccare ne forte aliquid deterius tibi contingat; vulnus enim iteratum*, ut ait beatus Auguſtinus, *tardius ſanatur, frequenter peccans, & lugens vix veniam meretur.* Unde Iſaias, *lavamini mundi eſtote*, lavatur & mundus eſt qui peccata præterita plangit, & plangenda non committit; *qui autem baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid ei prodeſt lavatio.*

Propter quod præceptum eſt Loth non ſolum ut exiret de Sodomis, ſed de omni regione, ut ſecundum legem in eodem loco caſtrorum perfectè ſanetur; maledictus enim qui reædificavit Jerico. Admoneat præterea ut vitet omnes peccandi occaſiones, ſcilicet choreas, & ſpectacula, & malum conſortium, & conſimilia, admoneat inſuper ut ſi (quod Deus avertat) in peccatum reciderit, non differat confiteri; qui enim in ſordibus eſt ſordeſcit adhuc. quod præſcribit tranſgreſſio deleat cõfeſſio.

Tandem autem admoneat eum ut negligentiam ſatisfaciendi non habeat, ſed ſemper in pœnitentia, & bonis operibus permaneat: fruſtra autem velociter currit qui prius quam ad metam deveniat deficit; pœnitere enim eſt pœnitentiam tenere ut ſemper puniat peccator in ſe ulciſcendo quod commiſit peccando. Unde beatus Auguſtinus, *tamdiu gaudeat, & ſperet de gratia, quamdiu ſuſtentatur à pœnitentia.* Abſtineat autem à multis licitis, quia multa commiſit illicita, & præcipuè à negociatione quæ vix ſine peccato poteſt exerceri, unde Leo Papa, *pœnitenti melius eſt diſpendia pati quam periculis negociationis aſtringi*, quia difficile eſt inter vendentis, & ementis commercium non intervenire peccatum. Ergo ſicut in Exodo legitur primogenita aſini mutentur ove, id eſt primordia vitæ præcedentis innocentia ſequentis. Hi enim ſunt hædi quibus libenter veſcitur Iſaac, id eſt opera miſericordiæ. Unde Joël, *Infirmus dicat quod fortis ſum.* Quanto autem auſterior eſt cura vulnerum, tanto ſalubrior eſt medicina peccatorum; unde beatus Ambroſius, *qui culpam exaggeravit exaggeret pœnitentiam*; majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Vix tamen invenitur aliquis qui tantum laborare velit ſatisfaciendo quantũ laborant homines in arando & ſeminando. Noë centum annis laboravit arcam fabricando ut mortem evaderet temporalem; quanto magis laborare debet pœnitens ut mortem evadat æternam? Sit ergo victus pœnitentium tenuis, lectus difficilis, ſomnus brevis, habitus vilis, oratio jugis, ſermo gravis, inceſſus humilis, tollat crucem ſuam, abneget ſemetipſum, mundana relinquendo, ſeipſum contemnendo, proximorum negotia procurando ut violentiam violentiâ, & dolorem dolore præveniat, quia non coronabitur niſi qui legitime certaverit.

Satisfactionem non perficientem obeundi eſſe.

Arma verè pœnitentium ſunt cinis, cilicium. Ut autem in bello non deficiant diligenter ad memoriam reducant cilicium, & locuſtas Joannis Baptiſtæ, nuditatem, & radices; peccatricis Ægyptiacæ labores, Pauli vigilias, Bartholomæi ſaccum, & panem cibarium Hieronymi, ſudarium & lachrymas Arſenij, calumniam & vermes Simeonis. Unde verſus, ſit tibi potus aquæ, cibus aridus, aſpera veſtis dorſo. Virga, brevis ſomnus, durumque cubile flecte genu, tunde & pectus, nuda caput orans; hæreat os terræ, mens cœlo, lingua loquatur, cor dictet; ſit larga manus, jejunia crebra mens humilis, ſimplex oculus. caro munda, pium cor, recta fides, ſpes firma, duplex dilectio ſemper ferveat, aſſiduis precibus juſtis tamen ora.

Arma pœnitentium.

Qui igitur trinum Deum offendit, qui triplicem legem naturæ, ſcripturæ, & gratiæ prævaricatus eſt, tripliciter ſicut prædictum eſt ſatisfaciat in contritione, confeſſione, opere: & velut his tribus lapidibus, Goliath perimatur, & his quaſi tribus panibus quos poſtulat amicus nocte ab amico reficiatur anima pœnitentis. Convertimini igitur fratres ad Dominum in toto corde veſtro qui per peccata veſtra alieni eſtis ab eo in jejunio ut in futuro ſatiemini, in fletu ut rideatis, in planctu ut conſolemini.

De triplici ſatisfactione.

Crimina

Crimina preterita deſle fugiaſque futura
Index flectetur, iram deponet, & ipſi
Obtenta venia ſancto jungeris amore
Scindite corda veſtra ſcalpello.

Cujus manubrium lignum crucis, ferrum ejus clavi, calibs lancea qua perforatum eſt latus ejus. Scindite corda veſtra per contritionem, ut ſanies peccatorum eliciatur; per confeſſionem, ſacerdoti ut aperiantur; per proximorum compaſſionem, ut operibus miſericordiæ affluatis. Veſtimenta autem veſtra non ſcindantur, nam & unica Chriſti inconſutilis inciſa non fuit, veſtes animę veſtræ virtutes ſunt quæ ſcindi non poſſunt, vel à ſe invicem ſeparari; qui enim unam virtutem habet, omnes habet; qui una caret omnibus caret, & beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus appareat.

CAPUT XXVI.

Quomodo ſe gerere debeat confeſſor audita confeſſione.

Monita pænitenti poſt confeſſionē danda.

DEbet humiliter & devote audire totum, non inſpicere vultum confitentis, maximè mulieris, ne confundatur maximè mulier confitens; & ne capiatur confeſſor laqueo oculorum non debet abhorrere quantumcumque magna peccata, non debet de peccatis inconſultis expreſſe interrogare, ſed ſapienter & à longe, ita ut ſi illud ſentitur, vel fecerit confitens ſtatim interrogat, ſi non fecerit vel non audierit neſciat quid dicatur, debet pœnitenti promittere veniam ſi ceſſet à peccato, debet docere modum confitendi; & ſi peccator neſciat confiteri debet juvare, ad hoc modis omnibus tendens, ut peccator abrenunciet peccato, non dico juramento, ſed firmo propoſito, & ut pœnitens nullum peccatum præ rubore occultet debet ei oſtendere genera peccatorum: 1. per 7. capitalia 2. per quinque ſenſus corporis, 3. per decem præcepta, inde per cogitationes, & concupiſcentias cordis, per loca, per tempora.

Perquiſitiones per ſeptem peccata capitalia.

Debet quærere ſi ceciderit per aliquam ſpeciem ſuperbiæ quæ ſignatur hoc verſu,

Ex ſe, pro meritis, falſo, plus omnibus inſtans.

De iracundia quærat utrum doluerit de bono alterius, vel de malo gaviſus ſit. De avaritia quærat quatuor ſpecies avaritiæ, quæ ſunt furtum, rapina, fœnus, ſimonia: & hæc etiam fiunt tribus modis, actu, conſenſu, participatione; & de his omnibus quærat. Quærat etiam de circumſtantiis quis, quid, ubi: & de aliis prædictis. Deinde ſi habuerit rancorem in corde, opprobria & contumelias, in ore, afflictionem vel damnificationem rerum in opere. De acidia an ſi confitens de ſeipſo diffiderit ad bonum faciendum, quod ſæpe nimiam triſtitiam introducit, aut diffidentiam habuit, ex intuitu boni ardui, & difficilis; & generat diſplicentiam, & tædium boni, & etiam aliquando tædium vitæ, & deſperationem. De gula ſecundum quamlibet ejus ſpeciem, quæ ſunt, præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſe. De luxuria cujus ſunt ſpecies, Sodomia; mollities, abuſus, inceſtus, ſtuprum, adulterium, fornicatio, & iterum ſpiritualis conſanguinitas, affinitas. Item ſpiritualis triplex, vel religionis, vel ordinis, vel paternitatis ſpiritualis: qui enim filiam ſpiritualem cognoſcit dupliciter inceſtum committit, unde tali quinque anni pœnitentiæ injunguntur, mulieribus autem ut rebus ſuis pauperibus diſtributis in monaſterio vivant ut 30. q. 1. ſi quis ſacerdos. ubi dicitur ſacerdos, quia malum exemplum dedit hominibus ab omni officio deponatur, & peregrinando 15. annis pœniteat, poſtea ad monaſterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ ſuæ deſerviat. Item dicitur, de Presbytero ſi cognoſcat illam quæ ſibi fuerit confeſſa, & de ſacerdote quod magis peccat ſacerdos filiam ſpiritualem cognoſcens, vel ſibi confeſſam, quam uxorem alterius, quia pro hoc non injungitur niſi pœnitentia decem annorum. De tribus primis parum inquirat ſacerdos ad hoc videndum quærat, habuiſti unquam pollutionem dormiendo? ſi dicat ſic, quærat quomodo; ſi dicat, non, taceat ſacerdos.

De quinque ſenſibus & aliis.

Poſt hæc de quinque ſenſibus quærat hoc modo; de viſu an impudice velit videre vel videri, an ſe in vultu pinxerit, & mollioribus, & pretioſioribus induerit ut pulchrior appareret? utrum in occurſum proceſſerit, ut videretur vel videret? an nutus fecerit? an oculos vagos habuerit? De auditu ſi choreas libenter audivit aut mala de proximis, aut curioſa, & vana aut ſcurrilia, ſi Dei verbum audire faſtidivit. De odoratu ſi aromata vane appetat aut comedat, aut ſecum tulit ut placeret. De loquela ſi adulatus eſt, ſi mentitus, ſi detraxerit, ſi falſum tulit teſtimonium, ſi verum negavit, ſi falſum aſſeruit, ſi pejeravit, ſi falſum crimen calumniando impoſuit, ſi blaſphemavit, ſi orationes debitas ſolvit. De tactu de quo labore vivit, & fraudes circa illud requirat ſapienter. De cogitatione ſi cor vagum in oratione habuit, ſi aliud in corde, aliud in ore in promiſſis, ſi cogitavit de peccatis ad delectandum. Item quærat de tranſgreſſione decem præceptorum per ordinem. Item de fide articulorum, & de fide ſacramentorum omnia hæc, & adhuc ampliora circa hæc ſunt quærenda, cum confitens idiota eſt aut ignorans.

FINIS.

GVILIELMI PARISIENSIS

TRACTATVS DE COLLATIONE BENEFICIORVM.

PROLOGVS.

Vmbram Behemoth exponit perverſam relituũ, & officiorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem.

VMBRAM Behemoth ſicut ſcriptum eſt Job. 40. umbræ protegunt, umbram ſcilicet opacam, in qua & latet voluntariè ignorans, quæ & præſtat ei umbraculum contra radios ſolis intelligentiæ, & juſtitiæ qui eſt Chriſtus Dominus, ſicut legitur Sapientiæ 5. Et mala umbra iſta eſt detentio ſive occupatio iniqua beneficiorum ſive redituum Eccleſiaſticorum. Sub hac umbrâ quieſcit diabolus, & reficitur omni genere refectionis ſuæ, quæ eſt mors animarum humanarum. Hîc eſt ſecretum thalami ubi dormit, ſicut in eodem ejuſdem Job legitur: hęc loca humantia in quibus voluptatur: nec dormit ibi utcumque. ſed inexpergibiliter, & inevigilabiliter, ut videtur. Nec enim tonitrua diverſarum comminationum, nec clamores publicarum declamationum, nec clamantes ſtimuli ſacrorum eloquiorum ipſum ſufficiunt excitare. Denique umbra iſta tanta tenebroſitate obumbrat, ut veri ſolis ſplendor ipſam non penetret, tanta frigiditate obrigeſcit, ut à calore ejuſdem in ea Behemoth ſe abſcondat. *Circumdant illum ſalices*, ut in eodem legitur, *torrentis*; hoc eſt infructuoſi: in ipſo torrente affluentiæ temporalis, quæ veluti torrens velociſſime tranſit & exſiccatur, corda radicaliter infixa ſunt. Circumdant, inquam, illum munientes, & vallantes quemadmodum armata fortitudo principem non illum obſidens, ſed deffendens.

Vmbras hujuſmodi quatuor enumerat.

Umbræ iſtæ quatuor ſunt 1. avaritiæ, quam terram ideſt terrenam ſubſtantiam vero ſoli, & humanis mentibus interponit. 2. Eſt eclipſis ambitionis, ſive ſuperbiæ, quæ mundanæ inſtabilitatis vanitate radios ſolis, inſtar lunaris eclipſis, & verum ſolem eiſdem abſcondit. 3. Eſt nubes opaca peſſimæ, quæ per carnales habitus in prælatis inolevit conſuetudinis, quæ lucem nec videre, nec intueri ſinit. 4. Umbra eſt peſſimarum affectionum teterrima nebula quæ diem mentis obnubilant, & veritatem obumbrant.

Quam perniciosa ſit Eccleſiæ Dei vita Clericorũ.

Quam perniciosa ſit hæc peſtis Eccleſiæ Dei, quanta ſpecioſitate membrorum eam detruncavit ſeu mutilavit, quanta monſtroſitate membrorum ſuorum eam deturpavit, quanta ſpurcitia vitiorum illam fœdavit, quantum decorem virtutum & gratiarum ab ea deleverit, & abraſerit; ſed & ipſum creatorem quantum ſui cultus, & honorificentiæ parte ab eo tempore quo cœpit defraudaverit, & adhuc inceſſanter defraudet, pia corda non abſque dolore vehementi cogitant. Ipſam enim Dei domum ſcilicet orationis domum quam decet ſanctitudo ſacrificiumque, quã Deus ædificavit ſanctuarium, quam proprio ſanguine Dei filius conſecravit, tabernaculum quod ſibi ſanctificavit, templum Dei ſanctum pro parte non modica ſpeluncam efficit latronum, habitationem reptilium, & penè omnium immundorum animalium. Contra igitur umbram iſtam, & umbras eam protegentes aliquos radios de fonte luminoſiſſimæ veritatis producere, & adhibere contra deffenſiones ſalicum iſtarum, & jacula de fabrica ſacrarum doctrinarum acuere tanto ſalubrius eſſe manifeſtum eſt, tantoque Deo gratius quanto, & ipſas pernicioſiores, & in mortem animarum, Deique contumeliam peſtilentiores eſſe, à ſane ſapientibus, & rectè intelligentibus dubitari non poteſt.

Proœmium Authoris & diviſio operis.

Dicemus igitur primo puritatem vocationis, deinde vocationis maculas, tertio puritatem ingreſſus, & poſt illam ingreſſus maculas, quinto puritatem, & dignitatem detentionis, & ejus maculas, ſexto loquemur de pluralitate ipſorum in una perſona an ſit licita, an non & quomodo non, incedentes per vias probationum cum ipſius ſacri textus teſtimoniis, ſacros canones, & leges ſæculares quæ ad hoc faciunt ſuis profeſſoribus atque doctoribus relinquentes.

CAPITULUM I.

De officiis Patris, Architecti & Ducis quæ Prælato conveniunt.

Ex officio prælatorum qui patres ſunt oſtenditur quod debeat eſſe patres in generationis & vocante.

DIcimus ergo in primis quod unum ex officiis Prælatorum eſt officium patris ſive generantis, propter quod & ſponſus eſt, & annulum qui eſt in ſignum caſtitatis erga Eccleſiam ſponſam ſuã in digito geſtat. In hac ergo, & ex hac debet filios gignere, filios, inquam, qui ſint ſemen fratri defuncto, ideſt Chriſto Domino, ut legitur 25. Deuter.

Non debet ei ſupponere partus alienos, ſcilicet qui adverſus Chriſti domum vel Chriſtum Dominum inſurgant in electionibus, & aliis quæ in Eccleſiis contra ipſum plerumque fiunt. Non filios Belial debet Eccleſiæ ſupponere, non catulos Lamiarum juxta 4. Thren. Non filios iniquitatis, quia quot canonicos in Eccleſia prælatus conſtituit, tot ibi filios vel Chriſto Domino, vel diabolo gignit, tot filios legitimos in eadem Eccleſia cui præeſt ſuſcipit, vel tot partus diabolicos intolerabili fraude vel malitia eidem ſupponit. Quod qui faciunt vel fieri procurant, proculdubio ſimiles ſunt dæmonibus incubis, qui interdum mulieribus, ut vetulæ fabulantur, filios ſuos ſupponunt, qui vulgo cambiones vocantur ab hujuſmodi campſione. Hi vero ſemper dicuntur triſtes eſſe, ſemper ejulantes, lactis inſatiabiles, ubera nutrientium uſque ad ſanguinem emungentes. Hujuſmodi prælati ſimiles ſunt cuculis qui ſua ova aliis animalibus ſupponunt, ovis eorum primitus devoratis, quæ ova cum alienæ matres foverint, & pullos exinde excluſos nutrierint ab iiſdem, quam cito roſtro, & unguibus nutrientibus prævaluerint, devorantur. Hanc fraudem cucularium mali prælati faciunt Eccleſiis, hanc nutrituram faciunt Eccleſiæ in hujuſmodi filiis, dum ab iiſdem tandem proditioſiſſime devorentur. Hoc igitur primum requiritur, vocationis puritas in prælatis vocantibus. Idoneitas autem perſonæ vocandæ, quæ, & cujuſmodi eſſe debeat, melius patebit ex aliis officiis prælatorum, quorum primum eſt officium Architecti, ſicut de ſe dicit Apoſtolus in 3. 1. ad Corinth. *Ut ſapiens Architectus fundamentum poſui.*

Quod Prælati officiũ ſit ædificare domũ Domino.

Prælati igitur officium eſt ædificare domum Domino inſtar Salomonis qui ædificavit domum Domini ex lapidibus grandibus, & pretioſis, & dolatis atque quadratis, & hoc quantum ad fundamentum ſicut in 2. Paralip. legitur. Nec prætereundum eſt quod ſculpſit Cherubin, & palmas, & cœlaturas valde prominentes, operuitque omnia laminis aureis opere quadrato ad regulam ſicut legitur ejuſdem 6. & iterum in eodem ejuſdem ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri. In his igitur qui vocantur, ſicut apparet in ipſo textu, vocantur, inquam, ut ſint portæ vel de portis domus Domini debet eſſe non ſolum pictura Cherubin, quæ interpretatur plenitudo ſcientiæ, non pictura, inquam, ſcientiæ litteralis, ſed ſculptura quæ eſt veritas ſapientiæ intimæ: nec pictura palmarum ſolummodo in apparitione tonſuræ & habitus, ſed veritas victoriæ triumphalis de vitiis. Similiter & cœlaturæ valde prominentes, nõ picturæ exterioris apparitionis, quam diximus ipſi ædificio abſque ulla elongatione adhærentes, ſed inſculptæ intimæ virtutes, plebeis ac vulgaribus eminentes, longeque præſtantes. Et primum quidem ad doctores, & propugnatores Eccleſiarum pertinet, videlicet Cherubin, & inſculptæ imagines, in quibus intimè impreſſa eſſe debet ſimilitudo ſapientiæ, atque puritatis & ſanitatis Angelicæ, & ſimilitudo palmarum ad prælatos qui ſunt duces exercitus, quoniam in eis apparere debet victorioſitas evidenter contra vitia & dæmones, ita ut deſperatum ſit utriſque eos vincere à quibus multotiens victa ſint. Palma enim in ſigno victoriæ eſt de qua brevitatis cauſſa multa præterimus. Cœlaturæ longe prominentes ad minores ſacerdotes, & clericos pertinent, quorum vita foris eminere debet procul ab aliis, longeque ſupereminere aliis ſanctitate.

Deplorat vitia Clericorum ſui temporis.

De temporum noſtrorum fecibus, ne dicam finibus, nec in portis Eccleſiarum, ideſt in prælatis, pictura Cherubin aut palmarum eſt, quare nec aliquid cœleſtis, angelicæque ſapientiæ, nec aliquid bellicæ virtutis aut ſtrenuitatis eſt, nec victoriæ quicquam apparet, ſed magis econtrario pro magna parte eorum; magis enim turpitudinis effigies magis mors, & ſervitus vitiorum in multis eorum inſculpta apparet. Similiter in minoribus ſacerdotibus & clericis non prominentia, ſeu præeminentia virtutum, ſed omnium ſpurcitiarum, ac monſtroſitas vitiorum tanta foris in eis patet, ut non ſimpliciter peccatores, ſed magis ſcelerati; & peccata eorum non peccata ſimpliciter, ſed peccatorum monſtra terribiliſſima merito ſint dicenda: ut Eccleſia Dei in ipſis non Eccleſia Dei, ſed magis Babylon, Ægyptuſque & Sodoma videatur.

Quod prælati non debeant ædificare domum Dei ex ſpinis & paleis.

Prælati igitur officium eſt in eo quod Architectus ædificare domum Domino, & hoc ex quadris, & cedris ſicut legitur Iſaiæ 9. non ex ſpinis & paleis: ex ſpinis enim & fragmentis lignorum picæ, & aliæ aves ſolent ædificare, & compingere nidos ſuos. Prævaricatores enim ſpinæ ſunt ſicut legitur Reg 2. 23. in noviſſimis verbis David, *Prævaricatores autem quaſi ſpinæ evellentur univerſi.* Similiter & paleæ ſunt ſicut legitur Lucæ 3. ex verbis Joannis, *Congregabit triticum in horreum ſuum*, Paleæ autem comburentur igni inextinguibili. Quid igitur eſt Eccleſia cathedralis vel quæcumque conventualis ex triginta vel quadraginta hujuſmodi paleis aut feſtucis niſi nidus paſſeris aut alterius aviculæ. Et revera propheticum videtur de hujuſmodi Architectis illud, *paſſer in domicilio, & turtur in nido reponet pullos ſuos*, ſcilicet nepotulorum ſuorum, & interdum filiorum. Pſal. 83. 4. O quanta fraus adverſus Deum cui ædificandum eſt regale, permagnificumque palatium, quantaque contumelia, dum pro hujuſmodi palatio nidus picæ vel paſſeris reddatur! quantum teſtimonium in pernitiem infidelitatis, & perditionis adverſus prælatum nidus hujuſmodi, & nidor ipſius ſit? Quis non rideat? quis non ſubſannet? quis non exacchinnet iſta ridicula, tamque exſibilanda opera hujuſmodi Architectorum? Denique in tam præclaris ædificiis pro columnis cedrinis fortiſſimis feſtucas modicas ac debiliſſimas nepotulorum, & aliorum parvulorum ponit, quis non ſimul irrideat, & doleat! Ecquid regi cœlorum tanta infidelitate, tanta impietate tam crebro, paſſimque illuditur? pro functione petitur à multis, & vix eſt qui doleat vicem ejus, & cum monſtrum ſit inter alia peccata tam execrabilis illuſio, tamque deteſtanda Dei proditio, jam penè illam nemo formidat aut horret.

Quod prælati excuſare ſe non poſſint propter preces magnatum.

Audivimus excuſantem, & dicentem in parte iſta non poſſumus reſiſtere precibus magnatum, cui reſpondiſſe meminimus, quod Architecto litterali nemo auderet hujuſmodi preces porrigere, videlicet ut pro columna forti feſtucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commiſſa eſt, poneret: & ſi fortè eouſque aliquis inſaniret ut præſumeret & diceret, magiſter ego feſtucam iſtam diligo ultra modum chariſſima mihi eſt, rogo te quantum poſſum honora eam, & pone in loco honorabili, videlicet in loco columnæ fortis, & altæ, numquid ſubſannari ſe ab illo adverteret, & in faciem ejus ſpueret? Et quoniam levis eſt jactura ædificiorum litteralium in comparatione ædificiorum ſpiritualium improportionabiliter inexorabiliores ſe deberent habere prælati contra ruinam, & alia detrimenta ſuorum ædificiorum ſpiritualium, quam litterales Architecti pro ſuis artificiis. Sed infirmitas infidelitaſque prælatorum audaciam dedit hujuſmodi inſaniis; ſemel enim fracta precibus aperuit viam rogantibus ut verè poſſint dicere cum Job, *quaſi rupto muro, & aperta janua irruerunt ſuper* Job. 30. 14

me; & iterum ejuſdem 19. *Simul venerunt latrones ejus, & ſibi fecerunt viam per medium*; nam ex propriis nepotibus ac filiis ruinam, & confuſionem parant Eccleſiæ, nec habent frontem reſiſtendi rogantibus pro aliis.

De ædificatione corporis myſtici Chriſti Domini quæ prælatis incumbit.

Addimus etiam officio Architectorum quod non ſolum eorum eſt ædificare palatium aut templum Domino, ſed etiam corpus myſticum Chriſto Domino. De quo corpore ipſemet dixit in Pſalmo, *Corpus autem perfeciſti mihi*. Membra igitur quæ tanto capiti congruant in corpore Eccleſiæ ponenda ſunt: nemo autem dubitat peccatores dici membra eſſe diaboli. Quare qui peccatores in Eccleſiis ſuis conſtituunt non corpus myſticum Chriſto Domino, ſed corpus utique quale decet diabolum, diabolo ædificant, ex membris videlicet putridis omnique deformitate horribilibus. Vide impietatem iſtam ſacrilegam quæ pro Chriſti ſacratiſſimo corpore corpus Behemoth omni monſtroſitate vitiorum horridum ædificant, & ſacris omnibus contrectandis, & adminiſtrandis ſpurciſſima diaboli membra præficiunt, ſacramenta eis tradenda committunt, ſacris altaribus miniſtros illos abominabiles offerunt, & ad cumulum exhonorationis Dei, & contumeliæ ipſum vivificum Chriſti corpus, & ſanguinem pollutiſſimis manibus talium conficiendum, contrectandumque committunt, omnibus honoribus Eccleſiaſticis honorant membra diaboli. Proh dolor qui lugeat aut doleat pro corpore Chriſti myſtico corpus diaboli in Eccleſia ſedere, & conſequenter propter hoc pro Chriſto diabolum in eadem regnare, & deturbatum atque dejectum de cœlo litterali diabolum in cœlo Eccleſiæ quod eſt longe ſanctius atque præclarius prælatorum perfidia reſtitutum, & ſolium ejuſdem *ſuper aſtra Dei*, id eſt ſuper viros ſanctitatis & doctrinæ luce radiantes, impietate eorum ſacrilega exaltatum? Quid plura? membra diaboli deificata prælationibus, & ſacris officiis, ſicut ſupra tetigimus, loca ſanctorum occupare, viros ſanctos ſub pedibus ipſorum gemere, opprimi, conculcarique ab eis: quod piis oculis eſt extremi doloris ſpectaculum. An igitur lapis vel lignum tam præclaro ædificio conveniens, an membrum tam nobili corpori, tam ſacro capiti congruens, perſona vocanda diligentiſſimè conſideranda eſt hujuſmodi Architecto, qui ſi vocare intendat perſonam quæ non idonea ſit utrique ædificio intentio ejus impiiſſima eſt, atque ſacrilega per ea quæ diximus.

Pſal. 39.7.

De officio ducis.

Secundum officium prælati eſt officium ducis ad eligendos & colligendos bellatores ad præliandum contra diabolum & exercitum ejus. Quapropter in intentione ejus eſſe debet, ut ad ſtipendia Eccleſiaſtica eligat fortes & doctes ad bella. An igitur parvuli, an mortui, ſcilicet mortalibus peccatis extincti ad prælianda prælia Domini eligendi ſunt, quis non judicet? Deinde qui non noverit gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, qui non noverunt arcum ſacrarum diſciplinarum, ſacrorum eloquiorum ſagittas, ſcutum fidei, galeam ſalutis, loricam juſtitiæ, ſcilicet de quibus legitur in 6. ad Epheſios, & omnino ignaros armorum lucis, de quibus in 12. ad Romanos, quis eligat ad bellandum niſi damnabiliſſimus Domini ſui proditor, quique hoſtibus ejus de eo quærit victoriam? Similiter & eos qui uſum non habent armorum quis niſi inimicus Domini ſui ad bella vocabit? propter quod & David arma Saül recuſavit pondus eorũ ferre non valens in 16. Reg. Magni ponderis eſt, & ultra vires multorum armatura humilitatis quæ frontem protegit, & totam faciem contra opprobriorum & vitiorum tonſiones, atque detractionum, & adulationum jacula, & propter hoc facile projicitur ab inſuetis, & parum ad hoc fortibus, ſimiliter & thorax patientiæ, propter quod facile abjicitur ab his etiam qui in exercitu Dei.

Deplorat vitia Centorum et imbellium & inermium militum.

Velut cunei & acies ſunt conventus Eccleſiaſtici ſive capitula. Heu quanta damnatione digna eſt ducum perfidia qui greges nepotulorum aliorumque parvulorum, multitudinemque, imbellem, inermem, omninoque ignaram belli pro cuneis fortium, pro aciebus ad bella doctiſſimorum in Dei exercitum adduxerunt! Et quod eſt ad cumulum perditionis, non ſolum hujuſmodi multitudines, ſed etiam innumerabilem multitudinem inimicorum Dei Eccleſiaſticorum redituum ſtipendiis donaverunt?

Quod hoſtes Dei eſſe non debent duces Eccleſiæ.

Veriſſimum enim eſt quod lugebat quondam Jeremias in 3. Threnorum, quia *facti ſunt hoſtes ejus in capite*, & quoniam *inimici ejus locupletati ſunt*, non enim ſolummodo in capite ideſt in arce poteſtatis hoſtes Dei, & Eccleſiæ ejus ſunt qui utique Archiepiſcopatus eſt, ſed etiam in capite ipſius exercitus, quia & capitanei ſunt exercitus illius, & capitales inimici primi contra Deum pugnantes, & hoc eſt quod veritas dicit Matth. 12. *Qui non eſt mecum contra me eſt*, & Lucæ 11. *Qui non eſt mecum adverſum me eſt*, apertius autem Jacobi 3. *Quicumque voluerit amicus eſſe ſæculi hujus inimicus conſtituetur Dei*. Iſti inimici ſive magni ut prælati ſive parvi ut ſubditi locupletati ſunt redditibus Eccleſiaſticis manifeſtè. Intentio ergo prælati debet eſſe ut diximus ut perſona quam vocavit in Eccleſiam ſuam ad percipiendum ſtipendium Eccleſiaſticum bellator ſit fortis, & doctus, & hoc eidem incumbit ex officio ducis.

CAPITULUM II.

De officio Paſtoris & reliquis prælati officiis.

De officio Paſtoris.

TErtium officium eſt paſtoris ſcilicet principale, quo officio non ſolum paſtor eſt, ſed princeps paſtorum ex quo incumbit ei vocare electos paſtores, non qui paſcant ſemetipſos, ſicut legitur Ezech 33. ſed paſcant populum ſcientia & doctrina, ſicut legitur Jer. 3. non paſtores qui ſint idola deſerentes gregem quibus maledixit Zacharias in 11. ſed magis qui cum Jacob poſſint dicere Domino, *oves & capreæ tuæ non fuerunt ſteriles, arietes greges tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat, à me exigebat, die ac nocte æſtu urgebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*, ſicut legitur Geneſeos 31. Similiter & cum David poſſit dicere, *Veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamque eos, nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus*. Debent habere paſtores calamum & fiſtulam, canem, & baculum, id eſt gratiam doctrinæ multiplicem, dulcedinem exhortationis, baculum correptionis, canem id eſt terrorem increpationis, ſive objurgationis: baculo namque paſtoris, & latratu canum luporum ſævitia deterrenda eſt, ut ait Iſidorus. Cavendum eſt ergo prælatis ne tales ad paſtorale vocent officium qui non illud exequi, ſed ſolummodo lac, & lanam ex ovibus quærant, non qui luporum rabiem in oves exerceant, & paſtoralis pietatis ſollicitudinem omnino non curent, ſicut legitur Ezech. 1.

Quod prælat' habe:

Quartum officium eſt officium procuratoris, & illud dividitur in tria horum. Primum procuratoris

officiũ procuratoris cauſſarum.

officium in cauſa animarum, ex quo incumbit prælatis eligere animabus patronos, ſive advocatos qui favorem & gratiam cœleſtis judicis habeant, ne ſi is qui diſplicet ad impetrandum mittatur, irati judicis animus ad deteriora provocetur. Similiter & qui allegare cauſam animarum noverit, & modos allegationum omnes, qui non ſolum noverunt cantare, pſallere, legere ad aures hominum, ſed & ad aures Dei quibus ſuaviſſime ſonant internarum cantionum tripudia, quæ ſunt virtutum concentus. Sicut confeſſio laudis & peccati, ſpes, & timor, gaudium, & dolor, & cætera hujuſmodi, quæ omnia in expoſitione canticorum latius diximus: alleganda eſt enim cauſa animarum non ſolum exteriorum vocum ſtrepitu muſicali, ſed gemitibus, planctibus, ſuſpiriis, rugitibus, ululatibus & luctibus, & vehementiſſimis internis clamoribus. ***Veraciter enim orare eſt***, ut ait Gregorius, ***amaros compunctionis gemitus, non verba compoſita reſonare.*** Propter defectum advocatorum periclitantur miſerabiliter cauſæ innumeræ animarum.

Item procuratoris vineæ.

Secundum officium iſtorum trium eſt officium procuratoris vineæ. Incumbit ergo ex illo officio prælato eligere, & vocare vinitores fideles atque peritos in ſpirituali vinearum cultura: ***Vinea quippe Domini ſabaoth domus Iſrael eſt, & viri Juda delectabile germen ejus***, ſicut legitur Iſai. 10. & in Pſalmis, ***Vineam de Ægypto tranſtuliſti***, Matth. 22. legis de vinea, & operariis, & procuratoribus. Similiter & Marci 12. & Jer. 2. ***Plantavi te vineam meam omne ſemen verum.*** Quod igitur diceretur de procuratore perfido vel fieret, qui deberet vocare operarios fideles atque peritos, & non vocat, niſi extirpatores, aut parvulos qui nec fodere ſciunt, aut plantare, nec plicare, aut paſtinare vineam vel aliquid eorum quæ requirit cultura ſpiritualis.

Item procuratoris infirmorũ.

Tertium officium eſt procuratoris infirmorum, ex hoc officio incumbit prælato eligere, & vocare medicos animabus curandis. Quales autem debeant eſſe hujuſmodi medici ex comparatione medicorum litteralium manifeſtum eſt. Nemo enim audet ſe gerere vel dicere medicum hujuſmodi qui artem medicinæ litteralis non didicit, vel qui morbos, & vulnera eorumque cauſas ignoret. Similiter nec qui virtutes herbarum, qui unguenta vel ſpecies aromaticas vel alia medicaméta nõ noverit. Quod autem prælatus procurator ſit domus hujuſmodi apertè legis, Lucæ 10. in parabola Samaritani ubi vocatur ſtabularius, & committitur ei infirmus à Samaritano dicente, ***curam illius habe.*** Ex quibus verbis manifeſtum eſt quod non ſolum medicorum ſpiritualium elector atque vocator eſt ex officio Epiſcopali, ſed etiam medicus. Et hoc omnibus manifeſtum eſt de quolibet ſacerdote curato vel curam gerente, &c.

Item villici.

Quintum officium prælati eſt officium villici. Ex quo incumbit, ſpeculatores, janitores, aliosque cuſtodes ad cuſtodiam diœceſis cui præfectus eſt ad hoc eligere, & vocare. Quales autem debeant eſſe ſpeculatores, cæterique cuſtodes, an cœci debeant eſſe an proditores, aut buccinam ſonare neſcientes, vel non valentes, ſimiliter & vigilare non potentes tanquam omnibus manifeſta prætterimus.

Item Aurigæ, & ductoris myſtici currus.

Sextum officium prælati eſt officium Aurigæ id eſt ductoris currus, de quo dicitur in Pſalmo, ***Currus Dei decem millibus multiplex***, Regum 3. de Helia, ***Currus & auriga ejus***, incumbit ergo prælato non alligare hujuſmodi currui niſi equos, & boves, & fortes, domitos hujuſmodi laboris aſſuetos, non recalcitrantes, quare non pullos equinos, aut bovinos, non tauros cervicoſos qui in rectores efferuntur, & currum ſubvertant: propter hoc enim in luctum converſus atque ſubmerſus eſt hodie Dei currus, tauri enim pingues hi ſunt Clerici & Prælati divites qui jugum diſciplinæ dominicæ non ferentes recalcitrationibus ſuis currus iſtius regimen & curſum impediunt, & ſubverſum ut diximus in luto divitiarum, & deliciarum erigi ac relevari non ſinunt. Hi ſunt tauri pingues de quibus conqueritur Dominus Chriſtus in Pſalmo, ***Tauri pingues obſederunt me.*** Horum ***taurorum congregatio eſt in vaccis populorum ad hoc ut excludant eos qui probati ſunt argento***, excludunt, inquam, à poteſtate & officio regendi currum iſtum, & hoc ne relevetur per eos; non enim amant in curru illo niſi immerſionem in luto divitiarum & deliciarum.

Quod ex his prælati officiis intelligatur quęnam debeat eſſe intentio ejus in vocatione miniſtrorum.

Præterimus multa alia officia prælatorum, ſed iſta tibi ſufficere arbitrantes ad declarãdum quanta perfidia, & pernicioſitate maculant intentiones ſuas prælati circa perſonas quas male vocant, et cauſis dico moventibus ſive efficientibus, ſimiliter & ex ipſis finibus, ſcilicet ſi Dei honor, & animarum ædificatio, atque ſalus in iſtis vocationibus non intenditur finaliter ab eis, ſine debito & proprio fine ſanctum opus privant atque detruncant tanquam gratam Deo oblationem mundorum ac vivorum animalium cauda mutilam. Modus etiam vocationis non abſque præmiſſa oratione vocantis atque confeſſione, & purificatione vocati à ſanctis Epiſcopis fieri conſuevit, quod & in ingreſſu religionum ſive vocationibus ad religiones generaliter obſervatur. Sæculares vero ſeu ſæcularium Eccleſiarum Canonicorum Eccleſiæ ſolam raſuram coronæ hodie, & reſciſſionem capillorum requirunt, alia negligentes, vel vocatorum fidei committentes. In inveſtitione vero vocatorum panem & librum adhibent, ſignantes per panem temporalis ſuſtentationis victum, per librum ſervitium Eccleſiæ quod in libro illo vel alio continetur, exprimiturque ei qui ſic vocatur ad ſervitium Eccleſiæ hujuſmodi quod ipſum ei præſtatur hujuſmodi beneficium, & iſti qui vocantur ſub hac forma recipere, & recipi ſolent: unde non ſunt illa de ſubſtantia collationis ſeu veſtitionis, ut multis viſum eſt, & bene proculdubio dummodo interiora quæ per hoc ſignantur adſint. Si enim prælatus non intendit facere canonicum quem vocat, nec vocatus intendit fieri canonicus implicitè, ut uſualiter dicitur vel explicitè, nec iſte facit canonicum, nec iſte fit canonicus, & iſte eſt error quem declarare intendimus, ſcilicet quod multi credunt facere canonicos, & non faciunt, & multi credunt fieri canonici, & non fiunt.

Quod rediitus nõ onera centent Epiſcopi, Archidiaconi & Canonici.

Hæc autem ex ea procedunt deſipientia qua nomina officiorum, onerum, & operum militiarum in ſtipendia, emolumenta, & beneficia temporalia detorſerunt; nemo enim ſani capitis dubitat quin Epiſcopus, Archidiaconus, Canonicus, & ſimilia omnia nomina ſint officiorum omnium militiarum clericalium, & operum, non reddituum, aut præbendarum, aut emolumentorum. Ipſi tamen canonici reddítus tantum, ſimiliter & Archidiaconus, & Epiſcopus nominant: cum manifeſtum ſit veros Epiſcopos pleno jure fuiſſe, ſimiliter & veros Archidiaconos antequam redditus eſſent; accedentes enim fructus temporales officiis Eccleſiaſticis non ea conſtituerunt aut creaverunt, & utinam in multis non abſorpſiſſent.

Quatuor intentionis malæ genera.

Jam autem diximus quod macula prima intentionis Epiſcopalis in vocatione perſonarum eſt ex ipſa materia perſonarum, cum non fuerit idonea. Secunda macula eſt contra ipſum finem vocationis v. g. ſi intendit ad quem intendere non debeat in vocatione perſonæ, quemadmodum ſi intendat

perſonam tantum ditare, aut honorare, aut eidē Eccleſiæ nō providere. Tertia macula eſt ex cauſa quæ movet ipſum utpote pecunia aut carnalis affectio. Quarta ſi non reverenter, & ſancte iſta officia imponat ſancta, & corpori ſancto Eccleſiæ ſuæ indevote membra ſociet aut conjungat. Nonnulli enim ex prælatis ſæculariter tantum, & prophane vocationes iſtas ſanctiſſimas faciunt, non aliter vocantes ad iſta officia quam ad fœtida ſæcularia, & ſtercora temporalium. Sic enim introducendæ ſunt perſonæ in Eccleſiis, ut animalia ſancta ad immolandum jugibus divinorum officiorum exercitationibus, ſicut munera pretioſa, ſicut grata Deo examina, ſicut ſanctiſſimæ oblationes ſuper altare, quæ omnia raſura nova, & habitus ſignificant in ingreſſu eorum. Quæ autem oblatio offerri poteſt Deo adeo accepta ut perſona immaculata, & ſancta honeſtate decora, luminoſa in Eccleſia ſua ad ſerviendum ipſi longe eſt ab hujuſmodi oblatione latronum in ſpeluncas introductio, & ſcorpionum ac reptilium animalium immundorum in habitacula ſua immiſſio ſive inductio, quod utique nunc ſæpe fit, ſed aliter rariſſime, &c.

CAPITULUM III.

Ad quæ ſe extendat conferendi poteſtas.

Poteſtas conferendi limitata eſt ad dignos ſicut poteſtas mandatarij ad ea quæ in mādato habet.

IN primis igitur quærimus hic an poteſtas prælatorum limitata ſit circa perſonas idoneas, quemadmodum poteſtas mandatarij. Quod ſi eſt limitata hoc modo: Quemadmodum igitur ſi mandatarius excedat fines mandati, irrita ergo eſt collatio vel vocatio prælati ſi eam faciat de non idonea perſona, ſicut & nos cuidam amico noſtro de nobiſmetipſis reſpondiſſe meminimus. Cum enim accepiſſet à quodam Epiſcopo mandatum per litteras ejus expreſſum ut prebendam quandam in Eccleſia ejus vacantem conferret bono viro, & nobis eam offerret, reſpondimus ei quod non habebat poteſtatem conferendi niſi bono viro, nec poterat excedere fines mandati ipſius, ideo non poterat eam conferre nobis, qui hoc non eramus: & hac via evaſimus per Dei gratiam illa vice. Quare ſi limitata eſt poteſtas prælatorum in hoc, ut non ſit commiſſum conferre niſi perſonis bonis, & idoneis, irrita eſt collatio & ipſo jure non valens, ſi aliis perſonis eam facere præſumpſerint. Qualiter autem melius vel expreſſius limitari poteſt poteſtas hujuſmodi, quam expreſſa & certa præceptione quibus danda ſunt hujuſmodi beneficia, & manifeſta prohibitione ne aliis dentur. Sicut enim ipſa præceptione poteſtas datur talibus dandi, ſic prohibitione aufertur poteſtas aliis dandi. Amplius quis dubitat quin omni mandato quod à ſuperiori recipitur id ſolum faciendi quod mandatum continet poteſtas datur; quoniam ſi extra hoc præſumptum fuerit irritum fit ipſo jure.

Sicut etiam poteſtas diſpenſatoris ad diſpenſandum fideliter.

Amplius nemo dubitat quin prælati in parte illa diſpenſatores ſint Dei ut dicit Apoſtolus in 4. 1. ad Corinth. Quare cum fidelitas requiratur à diſpenſatoribus ſicut ibidem legitur; ſequitur quod qui infideliter diſpenſant fures, & latrones ſunt cum Juda qui diſpenſanda pauperibus dedit uxori & filiis: nemo autem dubitat quin uxor participans cum Juda in hujuſmodi furto, furti rea fuerit, ſi ſcienter participaverit, & quin hæc reſtituere teneretur. Quare qui ab hujuſmodi furibus prælatis Eccleſiaſtica bona ſcienter receperit, nihil juris habent ex hujuſmodi collatione, & ea nullo jure detinere poſſunt. Quod ſi dixerit quod hæc ignorantes ſcilicet furtum prælati, ignorantia excuſat eos. Reſpondemus quod ſi ignorantia excuſat eos à culpa, non tamen facit eis jus collatio illa; cum ex collatione ſola legitima acquiratur jus ſi aliquid de præmiſſis non obſiſtit: hoc enim eſt quemadmodum ſi aliquis non eſſet legitimus filius, ſi credens ſe eſſe legitimum detineat hæreditatem ejus cujus ſe credit eſſe filium, ille excuſatur à culpa detentionis per hujuſmodi ignorantiam vel errorem; verumtamen non propter hoc habet jus.

Idem probat quia commiſſum eſt prælatis ut conferāt talibus ſolummodo, non ad libitum.

Amplius aut eſt commiſſum prælatis, ut talibus conferant ſolummodo, aut eis commiſſum eſt, ut conferant pro voluntate & libito; aut commiſſum eſt fidei, & fidelitati ipſorum. Quod ſi eſt commiſſum ut talibus tantū: ergo redimus ad id in quo eramus prius, videlicet de mandatario excedenti fines mandati, & de judice dicente jus extra territorium. Cum ergo in diſpenſandis beneficiis Eccleſiaſticis hoc ſolum prælati in mandatis recipiant ut ea diſpenſent perſonis idoneis, quidquid ultra præſumunt irritum eſt ipſo jure, nec ſolum eſt uſurpatio poteſtatis non commiſſæ, ſed etiam prohibitæ, cum apertè prohibeantur perſonis illa conferre. Amplius qualiter commiſit Deus diſpenſatori facere quod eumdem prohibet, & vindicat, & punit. Quod ſi commiſſum eſt eis ut pro voluntate, contradicit Apoſtolus in ultimo 2. ad Corinth. His verbis *poteſtatem quam dedit nobis Deus in ædificationem, non in deſtructionem.* Et iterum, *non poſſumus quid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Amplius ſi ita commiſſum eſt ut pro voluntate & libito, ergo Deus ratum habet quod ſic fecerint, non ergo vindicabit quod tam malè, & malis abutentibus conferant. Quare tam iniquam tamque fraudulentam adminiſtrationem non vindicabit Deus? quid ergo vindicabit, ſi hanc impunitam relinquat?

Item oſtendit authoritate B. Bernardi.

Amplius dicit beatus Bernardus in libro quem ſcripſit de diſpenſatione, & præcepto exponens verbum id regulæ beati Benedicti: omnia ſunt in diſpoſitione Abbatis, non enim inquit dictum eſt in libera voluntate Abbatis, ſed in diſpoſitione hoc eſt in prudentis ac fidelis ſervi diſpenſatione. Quod ſi nec unus conſpectus, aut nutus monachi, aut verbum commiſſum eſt liberæ voluntati Abbatis, tanto fortius tantorum officiorum atque beneficiorum collatio unius aut multorum non eſt commiſſa liberæ voluntati prælati Eccleſiæ.

Item eam hoc repugnare ſapientiæ Dei.

Amplius cum nihil infidelius nihil inſanius inveniatur hujuſmodi voluntate prælati qualiter credendus ſapientiſſimus, & optimus Deus commiſiſſe tot, & tanta tam infidelis, tamque inſani voluntati? quis enim hominum tam infideli diſpenſatori tantos denarios cuſtodiendos aut diſpenſandos committeret. Pulchrè ſiquidem Epiſcopum habentem pyrum onuſtam fructibus, & volentem Archidiaconatum quidem conferre Robinulo nepotulo ſuo quidam deluſit: cum interrogaret Epiſcopus cui pyrum illam committeret cuſtodiendam, & reſponſum eſſet à quodam ut illam memorato Robinulo committeret. Epiſcopus reſpondit, abſit, quia pyra illa omnia devoraret: dicit Epiſcopo, Domine qualiter committeris Robinulo tot millia animarum cuſtodienda, cum tam pauca pyra committere non audetis. Quod ſi dixerit quod non eſt ita commiſſum voluntati ut Deus ratum, & gratum habeat quidquid inde facere voluerit, ſed poteſtas eis eſt ſicut Pilato crucifigendi Deum, videat ipſe Pilatus ne abutatur eadem, quoniam abuſionem ejus non relinquit Dominus impunitam. Permiſſio igitur eſt non commiſſio, & Deo permittente ita diſſipat, non diſpenſat prælatus. Quare non habet poteſtatem in his niſi ſicut fur in rebus furtivis.

Amplius

Beneficia ſunt in diſpenſatione prælatorũ ſicut eleẽmoſynæ in diſpenſatione eleẽmoſynarij.

Amplius bona quæ pro eleẽmoſyna tradita ſunt ex officio eleẽmoſynario, vel commiſſa, pauperum ſtatim ſunt poſtquam in ejus manibus poſita fuerunt, nec eſt de cætero niſi pauperum nuntius aut diſpenſator. Quare dominium aut proprietatem manibus non poteſt eleẽmoſynarius in alios transferre: & ſi alij de manibus ejus acceperunt eam non poterunt retinere. Manifeſtum eſt prælatos hujuſmodi beneficia aliis quam idoneis conferre non poſſe, vel ea ſua facere, quare manifeſtum eſt alios nihil juris habere ex hujuſmodi collationibus, & ita nec eſſe canonicos ita nec eſſe Archidiaconos. Quod ſi dixerit aliquis quod non voluntati, ſed bonæ fidei commiſſa eſt collatio hujuſmodi beneficiorum Dico poteſtas iſta limitata eſt bona fide, quare extra bonam fidem nihil habet: ſi igitur contra bonam fidem pro voluntate præſumpſerit, ipſo jure ut ſupradictum eſt, nihil agit, quare ipſo jure non ſunt canonici taliter inſtituti.

Beneficia ſunt in manu prælatorum non tanquã ſua, ſed quaſi aliena quæ idonearum perſonarũ ſunt.

Amplius aut iſta beneficia tradita ſunt ei ut ſua, aut ut aliena: & manifeſtum eſt quod non ut ſua, quia nullum eorum poteſt propriis uſibus applicare vel in alios uſus transferre. Sed nec habet illa ut depoſitarius; cùm neceſſe habeat illa diſpenſare: in manu ergo ejus ſunt ſicut in manu diſpenſatoris, quemadmodum eleẽmoſyna ut diximus in manu eleẽmoſynarij. & tanquam aliena, alieno quodam jure nondum facto, nec poſſeſſione; quærimus ergo quorum ſunt jure beneficia iſta, aut perſonarum idonearum, ſolummodo aut malarum. Cum ergo nemo audeat dicere malarum aut ineptarum, jure ſunt ſolummodo bonarum perſonarum. Si ergo aliis præſumat prælatus conferre de facto, raptor eſt, & ipſe qui confert, & ipſe qui ſcienter recipit: ipſe quidem quod jus aufert ab ipſo cujus eſt, quantum in ipſo eſt: recipiens vero quod detinere præſumit alienum jus, & hoc ſive ſcienter, ſive ignoranter ut ſupra diximus.

Viget officium eleẽmoſynarij.

Intellige autem quod diximus de officio eleẽmoſynarij quia poſtquam portio diſtribuenda eſt pauperibus eidem ad diſtribuendum tradita fuerit à Domino ſuo ſtatim in jus pauperum tranſivit, & nomine pauperum eleẽmoſynarius eam cuſtodit, nec licet hujuſmodi portionem niſi quaſi mutuo acceptam aliis uſibus de cætero applicare, & hoc notum eſt ex conſuetudine Abbatum.

Item de officio diſpẽſatoris.

Amplius manifeſtum eſt generaliter diſpenſatores poſſidere ea quæ ſibi tradita ſunt ad diſpenſandum nec habere ejus dominium. Habet igitur ea ut ſervus non ſolum ejus à quo recipit, ſed etiam familiæ cui diſpenſare habet bona ſibi commiſſa. Quærimus ergo cujus diſpenſator familiæ ſit à Deo conſtitutus in beneficiis eccleſiaſticis: nemo autem audet dicere quod conſtitutus ſit à Deo diſpenſator officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum ad opus familiæ diabolicæ, vel in parte, vel in toto: quare ad opus bonarum perſonarum, & idonearum tantum conſtitutus eſt diſpenſator. Quare & ad opus earum, & nomine earum habet in manibus officia, & beneficia eccleſiaſtica. Non ergo niſi per furtum, & rapinam tam ſumentium quam recipientium poteſt eam transferre in alias perſonas.

Beneficia eccleſiaſtica ſunt Eccleſiæ, nec poſſunt uſurpari ſine furto.

Amplius officia omnia & beneficia eccleſiaſtica ipſius corporis Eccleſiæ ſunt jure indubitato, uſurpatio igitur eſt rapinæ & furti. Amplius ex verbis Domini in Evangelio non eſt bonum panem filiorum ſumere, & mittere canibus: quare non licitum eſt, neque juſtum; magis autem illicitum eſt, & injuſtum auferre filiis. Aufertur autem filiis panis temporalis ſuſtentationis, & mittitur canibus, cum dignis & bonis perſonis ſubſtrahitur, & malis confertur. Vides ergo manifeſtè in his furtum, & rapinam malorum prælatorum. Quod ſi quis dixerit bonæ & idoneæ perſonæ jus habent in beneficiis eccleſiaſticis, ſed non actionem veram, differt utrumque quod nullus habet actionem ſingulariter in quocumque beneficio ratione bonitatis aut idoneitatis ſuæ, verumtamen ubi prælatus tutor generalis totius Eccleſiæ Dei contulit, bonarum omnium, & ſingularum perſonarum eſt. Quare pro omnibus & ſingulis poteſt agere jus ſuum quod tam nequiter, tamque impudenter defraudavit idoneis perſonis reſtituere, fureſque & latrones tam male conferentes de medio tollere, & poteſtate qua ſunt abuſi privare

Prælatum Eccleſiæ comparat procuratori domus pauperum.

Amplius numquid quævis domus pauperum non habet procuratorem, aut ſaltem habere poteſt, licet nullus eorum per ſe aliquam actionem habeat in bonis illis, cur non, & omnes pauperes pariter illius poterunt habere communem procuratorem, quare & omnes pauperes chriſtiani, & boni qui officiis, & bonis eccleſiaſticis idonei ſunt communem unum habere procuratorem potuerunt. Quidquid autem ſit de illis, numquid Eccleſia unaquæque poteſt contra prælatum agere ſuper eo, quia eam non ædificat ut bonus & fidelis Architectus.

Quod indignum non teneatur Eccleſia recipere.

Amplius tenetur-ne quælibet Eccleſia recipere in canonicum fratrem ſuum quemlibet quantumcumque criminoſum & infamem. Certum eſt quod non, imo tenetur repellere, ſive non admittere, non autem poteſt vel tenetur repellere aliquem qui jus habeat; quare nullus hujuſmodi ſortitur jus in hujuſmodi beneficio ex collatione prælati: non valet igitur collatio prælati, nec aliquo jure extenditur hæc poteſtas prælatorum uſque ad perſonas non idoneas; non enim propter hoc ſi ignoratur crimen vel criminoſitas perſonæ alicujus propter hæc vitia criminoſitatis ſuæ, præſtant ei jus, ſed impedimentum ipſius Eccleſiæ revera præſtat quominus ipſum vel non admittat vel repellat.

De limitatione poteſtatis conferendi beneficia.

Quod ſi dixerit quis quod libera eſt poteſtas prælatorum in parte iſta licet prohibiti ſint vel malè, vel malis conferre. quod ſi poteſtas liberi arbitrij libera eſt in homine ad percutiendum alium, & à Domino prohibetur. Percutere male; tamen ſi percuſſerit, percuſſum eſt, & percuſſio aliqua non eſt nulla ullo modo: eodem modo ſi contulit prælatus collatum eſt, & collatio aliqua non eſt nulla ipſo jure. Reſpondemus quod percuſſio mere in facto conſiſtit, nec pendet ullo modo ex jure. Quare nec poteſtas liberi arbitrij jus eſt, imo magis jus naturale: poteſtas autem diſpenſandi beneficia Eccleſiaſtica jus eſt, & officium ipſis prælatis certis finibus limitatum. Quare ex hujuſmodi officio non poteſt niſi quantum de jure poteſt prælatus: hoc autem conſiſtit infra limites hujus poteſtatis, & limitatio iſta apparebit melius in ſequentibus.

CAPITULUM IV.

An requiratur intentio vocantis.

Quod ea collatio nõ valeat: quæ ſolũ emolumentum temporale non item onus conferre intendit Prælatus.

POſt hæc quærimus utrum ad hoc quod aliquis fiat verus canonicus vel verus Archidiaconus requiratur intentio prælati conferentis, vel inſtituentis, intentio inquam qua intendat eum facere canonicum vel Archidiaconum veri nominis. V. g. ſi prælatus intendat eum facere divitem ſolummodo, ſive conferre ei temporalia, nullo modo intendens eum onerare officio, non cogitans, neque curans de officio vel onere nec in groſſo, nec in ſu-

gracili, hoc eſt nec implicitè, nec explicitè, nec in univerſali, nec in particulari : ubi apertè videtur quod cum principale ſequitur acceſſorium, & non econverſo, cum non intendat niſi acceſſorium emolumenti temporalis, & nullo modo temporalis oneris diximus quod in hoc caſu ex neceſſitate, & ſi conferret emolumentum temporale, vel fructus; non conferret canonicatum & Archidiaconatum, quoniam Canonicus, & Archidiaconus nomina ſunt officiorum, & onerum, non emolumentorum. Quare non eſſet Archidiaconus ſecundum veritatem, vel canonicus ſic vocatus, vel receptus; cum hujuſmodi officium non eſſet ei impoſitum vel collatum: & ſi adminiſtraret hoc ſolummodo per uſurpationem faceret, non prius. Quemadmodum ſi Abbas aliquid intenderet alicui conferre in Abbatia ſua, monachalem ſcilicet victus, & veſtitus temporalis portionem, non intendens eum facere monachum, non haberet utique hujuſmodi homo victus, & veſtitus temporalis monachalem poſſeſſionem; cum omnino monachus non eſſet. Similiter ſi valeret præſcripta prælati collatio haberet ſic vocatus ab eo canonicalem vel archidiaconalem temporalium proventuum portionē. Verum quoniam portio illa temporalium annexa eſt officio archidiaconali vel canonicali, & oneri, nec poteſt conferri ſine illo : manifeſtum igitur eſt, quod in præſcripto caſu non conferret illi ſine onere, nec cum onere; cum onus omnino incollatum permaneat, ſi ad ejus collationem intentio requiratur.

Quod non ſufficiat prælato intendere in generali impoſitionem oneris.

Quod ſi dixerit quod ſufficit, quod prælatus intendat in generali ſive in univerſali onus vel officium imponere perſonæ quam vocat, licet principaliter intendat emolumentum temporale conferre. Dicimus quod in hujuſmodi caſu intentio illegitima eſt, & perverſa creatio; econtrario enim debet intendere perſonæ & facere; debet enim principaliter onus, & officium imponere perſonæ vel quod ſecundum Deum magis eſt perſonam officio, & oneri providere. Quia igitur hæc eſt lex Dei in cordibus omnium rectè intelligentium, & ſapientium ſcripta lex ſecundum quam inſtruendi, & creandi qui officiis, & dignitatibus eccleſiaſticis præficiuntur, manifeſtum eſt illos non eſſe Archidiaconos vel canonicos qui non ſecundum hanc legem creati vel inſtituti ſunt : quemadmodum lex ſæcularis dicit decurionem non eſſe qui ſecundum legem creatus non eſt, quanto magis qui contra legem creatus.

Non valet hujuſmodi collatio, quia eſt cōtra Deum, contra rationem, & contra officium Prælati.

Amplius hujuſmodi vocatio eſt contra Deum, & rationem; ergo nec canonica, nec legitima eſt. Amplius non ex officio ſic vocat prælatus, imo contra officium abutens ipſo : imo quod verius eſt uſurpans quod non eſt ſuum & quod non pertinet ad officium ſuum, imo eſt contra illud; non valet ergo ipſo jure quod facit.

Quod dici non poſſit, non neceſſaria intentio Prælati.

Quod ſi dixerit intentio nō requiritur ullo modo prælati, adeo manifeſtus eſt error ejus ut indignum illum penitus diſputatione judicemus. Neceſſaria igitur eſt intentio prælati qua intendit officium, & onus imponere perſonæ quam ad hoc vocat. Quare neceſſe habet credere vel ſcire prælatus de perſona hujuſmodi quod idonea ſit exequi officium, & portare onus; alioquin fruſtra imo ridiculoſe intenderet. Manifeſtum igitur eſt limitatas eſſe poteſtates ipſius, & officium, cum intentio ejus limitata ſit atque credulitas, cum neceſſe habeat intendere, & onus, & officium imponere perſonæ idoneæ, & etiam credere quod perſona vocata idonea ſit ad utrumque. Multo fortius neceſſe habet ex officio vocare idoneos, quare non licet ei ex officio vocare alios alterius modi, quare per uſurpationem, & excedens fines officij alios vocat. Amplius quærimus ſi vocaverit impotentem ad officia eccleſiaſtica ex toto, v. g. impotentem pſallere, legere, & cantare, puta mutum, valeret-ne hujuſmodi vocatio de jure ad iſta officia. Quod ſi valet de jure erit iſte lector vel Pſalmiſta ex hujuſmodi vocatione, quod ſi vocatione ſola, vel nuda confertur hujuſmodi officium perſonæ quæ non eſt hujuſmodi officij ſuſceptibilis, eadem ratione poſſet, & ſtatuam vocare lapideam, vel ligneam. Idem dicendum videtur de parvulo qui impotens eſt exequi archidiaconale officium. V. g. nec docere poteſt populum, nec judicare, nec correptiones, aut viſitationes facere, ex quo ſequitur archidiaconatus multos jam multis annis vacaſſe videlicet annis parvulitatis detinentium, & metropolitanis ſubrepſiſſe, aut eos non ſolum negligenter, ſed damnabiliter diſſimulaſſe.

CAPITULUM V.

An requiratur conſenſus vocatæ perſonæ.

Parvuli muti & qui conſentire non poſſunt fieri non poſſunt canonici.

POſt hæc quærimus an requiratur conſenſus perſonæ vocatæ ad hoc ut fiat canonicus, vel Archidiaconus, & cujuſmodi conſenſus, & in quid, & manifeſtum eſt quod mutus, aut omnino neſciens non poteſt fieri canonicus nec eſſe quamdiu eſt mutus, cogique poteſt per centuram eccleſiaſticam, ſicut & in prælationibus fieri conſuevit, ſed ad hoc ut de voluntate fiat, vel efficiatur volens. Quod ſi requiratur conſenſus perſonæ vocatæ manifeſtum eſt quod parvuli vocati ad canonias, vel perſonatus eccleſiaſticos, nec efficiuntur canonici, nec perſonæ tales; cum conſentire in ea ætate non poſſint.

Debet is qui vocatur conſentire portando onera, & officio præſtare.

Amplius cum vocetur ad officium vel onus qui ritè vocatur, neceſſe ergo habet conſentire in officium exequendo, & portando onus ad quod vocatur; onus autem vel pars oneris eſt canonicum Eccleſiæ ad quod vocatur ſervitium, niſi ergo conſentiat in dicendum ſervitium Eccleſiæ illius, & faciendum juxta morem Eccleſiæ, non efficietur canonicus Eccleſiæ illius, ex hoc etiam in ipſa vocatione præbendæ de conſuetudine vocatus exprimitur his enim verbis inveſtiri conſueverunt, inveſtimus te de præbenda quæ fuit illius ad honorem, & ſervitium Eccleſiæ; quare obligatur expreſſe ad dicendum horas canonicas juxta morem Eccleſiæ illius.

De obligatione vocati ad onera eccleſiaſtica.

Amplius ſicut Eccleſia ei obligatur ad emolumentum temporale, & alia quæ debet Eccleſia filiis ſuis, ſic & ipſe qui ad eam vocatur obligatur Eccleſiæ ad portandum onus Eccleſiæ illius pro rata ſua, hoc eſt prout ei competit ut filio, & membro illius potiſſima aut pars omnis eſt officium eccleſiaſticum : quare obligat ſe ex neceſſitate ad illud. Quod ſi non poteſt ſe obligare ad illud quacumque de cauſa, ſive quia obligatur ad aliud quod iſtud ſervitium non patitur ſecum, manifeſtum eſt ipſum non poſſe conſentire in hujuſmodi niſi abſolutus recedat ab alio : cumque conſenſus in duo ſe non patiantur, impoſſibile eſt quod obliget ad ambo. Quare vel ad neutrum obligat, quod eſt inconveniens vel ad alterum ſolum, & ita abſolvit per conſequens ab alio.

Sine conſenſu in officium, & onera non efficitur quis Canonicus.

Amplius ſi non conſentit in officium, & onus portandum, ergo non conſentit ut fiat canonicus, cum fieri canonicum non ſit niſi ſuſcipere officium, quare non efficitur canonicus ullo modo nec Archidiaconus.

Amplius

Non poteſt fieri canonicus Eccleſiæ immaculatæ, & ſanctæ qui perſiſtit in macula ſua. Hæc & ſequentia argumẽta ſane intelligenda ſunt.

Amplius fieri canonicum alicujus Eccleſiæ eſt fieri membrum & filium Eccleſiæ illius, ponamus etiam quod illa ſit ſancta & immaculata macula mortali, certum eſt quod malus qui vocatur, & perſiſtit in macula ſua non efficitur membrum corporis Eccleſiæ illius; & ſi putetur non efficitur filius; immo remanet adulter: ergo non efficitur canonicus Eccleſiæ illius.

Qui non eſt eſt de corpore Chriſti myſtico non poteſt incorporari Eccleſiæ particulari.

Amplius tota illa Eccleſia eſt ante adventum illius de corpore Chriſti myſtico & vivo, quia totum vivit de ſpiritu Chriſti hoc eſt de ſpiritu ſancto, vivit utique vita gratiæ, ille autem totus foris eſt, & foris remanet totus in corpore diabolico, non efficitur ergo de gratia illa poſt hujuſmodi vocationem, nec incorporatur illi Eccleſiæ, etſi forinſecus videtur ei conjungi. Amplius lapis iſte remanet in vera Babylone; incomparabiliter enim magis diſtant ſpiritualiter Babylon, & ſpiritualiter Jeruſalem, quam litterales corporaliter. Amplius iſte lapis remanet in ædificio civitatis diaboli quæ eſt Babylon ſpiritualis; remanet, inquam totaliter, ergo non aſſumitur in officium ſpirituale.

Quod ad ſacra officia non liceat accedere in peccato mortali.

Amplius numquid tenetur vocatus homo ſic mutare vitam ſuam in malam ex ipſo debito vocationis? ad ſacra enim officia non licet cuicumque accedere in peccato mortali; quare eo ipſo quo non corrigitur, nec recedit à malitia priſtina deterior efficitur, quam eſſet prius; quare ædificio Babylonis profundius affigitur, & tenacius agglutinatur, non ergo in ædificium veri nominis aſſumitur Eccleſiæ.

Manere Eccleſiam uno mẽbro detruncatam cum indignus fit canonicus.

Amplius Eccleſia remanet adhuc detruncata uno membro, videlicet canonico pro quo vocatur iſte, & aliquod membrum ei pro illo non reſtituitur, quare locus membri illius remanet vacans; iſte enim non eſt poſitus in loco ejus cum de loco ſuo quem habet in ædificio Babylonico ſeu dæmoniaco motus omnino non ſit, ſi contingat ergo ſimiliter de membris aliis omnibus, Eccleſia illa tota vacans eſt & vacua; ædificium enim Babylonicum non reſtituit nec reſarcit detrimenta bonorum Eccleſiæ ac vivorum lapidum.

Quod Prælatus teneatur ædificare ſanctam Eccleſiam, non Babylonem.

Amplius aut prælatus tenetur ædificare veram, & ſanctam Eccleſiam, cum ſuppetat ei copia quadrorum & cedrorum, aut non tenetur, aut iterum prohibetur ædificare Babylonem, aut non prohibetur: quod ſi tenetur ædificare Eccleſiam, & prohibetur ædificare Babylonem, manifeſtè limitata eſt poteſtas ejus circa bonas, & idoneas perſonas cum ex aliis non poſſit ædificare veram Eccleſiam. Quod ſi dixerit quod non prohibetur ædificare Babylonem, quicquid autem prohibetur permittitur & eſt licitum: permittitur igitur, & licet ei ædificare Babylonem, contra quod inconveniens non eſt diſputandum niſi igne & gladio.

Conſenſus requiſitus in perſona vocata eſt ſicut conſenſus matrimonialis.

Amplius ejuſmodi conſenſus qui requiritur in perſona vocata ad hoc ut fiat canonicus veri nominis, eſt-ne ſicut conſenſus matrimonialis? quod ſi eſt, neceſſe eſt igitur ut conſentiat in reddendum debitum ſpirituale, ſive copulam: debitum autem ſicut diximus eſt canonicum officium, & onus. Quare nec qui proponit hujuſmodi debitum numquam reddere, nec qui non proponit ipſum reddere contrahit hujuſmodi matrimonium, cum aliter expreſſè diſſentiat à copula ſpirituali ſive à redditione debiti, alter vero non conſentiat in ipſum. Amplius ſi quis virgo perſiſtat corde in propoſito virginitatis quicquid dicat exterius non contrahit matrimonium cum in carnalem copulam non conſentiat. Quare ſi iſte perſiſtat in propoſito contrario ei, vel officio quod deſignatur per hujuſmodi nomen canonicus, non matrimonialiter conſentit in illo vel in illud.

Amplius ſi quis in corde retinet ſæcularitatem hoc eſt proponat in ea perſiſtere, quicquid dicat vel faciat exterius, non efficitur veri nominis monachus, ſed eſt fictus, ſive pictus, & falſus monachus. Ergo ſi aliquis retineat in corde propoſitum vivendi econtrario vitæ canonicali, quidquid dicat vel agat exterius non veri nominis, ſed fictus, & pictus, & falſus efficitur canonicus. Amplius habitus, & tonſura exterior, & quæcunque alia foris apparentia non faciunt monachum, ſed ſignificant, & oſtendunt. Vita ergo monachalis, vitæque illius propoſitum monachum verum, & veri nominis faciunt: ſic canonicum non tonſura canonicalis, & habitus exterior, cæteraque exteriora converſationis apparentia non canonicum verum aut veri nominis efficiunt, ſed ſignificant, & oſtendunt. Quare qui totum haberet contrarium interius non canonicus eſſet veri nominis, ſed fictus, pictus, & falſus.

Quod ſicut nõ efficitur monachus qui perſiſtit in voluntate vivendi ſæculariter, ita nec canonicus qui proponit agere vitam canonicali contrariã.

Quod in ſuſceptione primæ tonſuræ intelligatur ſuſcipi habitus religionis clericalis.

Amplius religio clericalis eſt quam unuſquiſque in ſuſceptione primæ tonſuræ dicuntur aſſumere. In prima enim oratione dicitur. Oremus dilectiſſimi Dominum Deum noſtrum pro hoc famulo ſuo, ut donet ei ſpiritum ſanctum qui habitum religionis in eo perpetuum conſervet à mundi impedimento vel ſæculari deſiderio cor ejus deffendat. Et in ſecunda oratione dicitur: hunc famulum benedicere dignare cui in ſancto tuo nomine habitum ſacræ religionis imponimus. De quacumque autem religione manifeſtum eſt, quod nullus eam ſuſcipit, vel intrat qui contrarium ejus in corde propoſitum geſtat, quare qui laïcaliter vivere corde proponit clericatum non ſuſcipit, ſed falſum ejuſdem ſignum ſolummodo, & inanem ſive vacuam à veritate picturam. Quod ſi nec clericatum quis ſuſcipit, quanto magis nec canonicatum: qui nec clericus unquam fuit nec canonicus eſt, nec Archidiaconus, nec Epiſcopus, niſi fortè ſicut diximus pictus, & fictus.

Sane intelligas.

Quod ſicut is qui hæreticus eſt in mente chriſtianus non eſt, ita nec clericus eſt propoſito, & volũtate qui mente laicus eſt.

Amplius ſi eſt corde hæreticus quamquam exterius non eſt, non eſt verus, aut veri nominis chriſtianus: ſimiliter ſi Sarracenus, ſi Paganus, hoc eſt idolatra: ſi ergo corde totalis ſit laïcus, non eſt veri nominis clericus, ſimiliter & ſi corde ſit irregularis non eſt veri nominis canonicus: hæc autem intelligimus propoſito, & voluntate.

Quod religio qualibet non cõſiſtat in exterioribus, ſed in interiori ſanctitate.

Amplius ſi ſigna exteriora non faciunt veri nominis canonicos, aut monachos, aut etiam clericos, vel quod minus videtur chriſtianos. Qui ergo nihil aliud habent niſi ſigna exteriora nihil habent quod efficiat eos tales: quare nil habent niſi ſicut canonici, vel monachi, vel clerici: quare nec canonici ſunt, nec clerici, nec aliquid hujuſmodi. Item ſi clericatus eſt religio, quanto fortius & canonicatus, manifeſtum autem quod illam religionem non ſuſcipit nec ingreditur, qui nec de religione illa vel alia curat, cogitat, vel intendit; quare qui nec religioſi effici, nec religioni aſtringi intendunt, canonici omnino non efficiuntur. Et quoniam nulla eſt religio vel ampla, vel arcta quæ præcipuum ſui vel principale ſanctitatem vitæ non habeat. Secundaria vero & annexa illi ea ſunt ſecundum habitum, officium Eccleſiaſticum ac proprias ſpeciales obſervantias, manifeſtum eſt quod non conſentit in religionem qui præcipuum ejus aut principale, hoc eſt vitæ ſanctitatem, qualem illa religio requirit vel omittit, vel excludit, intentione & corde. Qui nec cogitat, nec intendit; excludit, qui contrarium proponit, manifeſtum autem eſt hoc in omni alia religione.

Item comparat ſtatũ canonicalẽ monachali.

Amplius ſi nomen religionis quis abhorret vocetur canonicalis honeſtas illa quæ requiritur in canonicis, vel canonicalis ſanctitas. Quærimus an illam ſuſcipiendam, obſervandam, & conſervandam, conſentiant, & illi ſe alligent qui ad talia vo-

cantur : videtur enim quemadmodu mmonachus ad perfectionem monachalem ſe habet, ſic canonicus ad ſanctitatem vel ſaltem honeſtatem clericalem, quare ſi ille non efficitur verus monachus niſi ad perfectionem monachalem ſe obliget, & aſtringat ſpontaneo conſenſu, ſic nec iſte efficitur canonicus, niſi ad canonicalem ſanctitatem ſe aſtringat, ſed foris remanet, & ſic ille fur eſt, & latro niſi ad ſanctitatem, & honeſtatem illam ſpontaneo conſenſu ſe aliquomodo obliget, non dicimus voto, quia forſitan licet inde reſilire ut ipſi aſſueverunt, quod tamen hic non diffinimus; non enim levem habet facileque determinabilem quæſtionem. Addimus ergo aliquo modo ſe obligant quaſi tacito pacto, vel quaſi matrimoniali conſenſu ſicut dicimus ad honeſtatem illam ſeu ſanctitatem, quemadmodum non intrat monachus monachatum niſi conſentiat in monachalem perfectionem, ſed foris remanet tanquam famulator mendax, ſicut nec iſte in canonicum niſi conſentiat in canonialem ſanctitatem, & ad illam ſe aſtringat, ſed foris remanet, & ſic ille fur eſt, & latro inter veros monachos, ſic iſte inter veros canonicos: non enim ille ibi, vel iſte hic, niſi pro temporalium illa portione, quæ ratione monachalis perfectionis aut ſanctitatis canonicalis debetur.

Idem de obligatione monachi & canonici.

Amplius ſicut conſentit intrans monachalem religionem vel monaſterium in hoc ut de monaſterio illo, vel conventu, & ut ſit monachus monaſterij illius, & renunciet omni contrario, & ei quod non pateretur ipſum eſſe monachum talem monaſterij illius: eodem modo iſte intrans Eccleſiam, ſi canonicus ejuſdem efficitur, renunciat omni ei quod non pateretur ipſum eſſe canonicum loci illius: renunciat ergo omni peccato mortali; omne enim peccatum mortale non patitur iſtum eſſe de corpore Eccleſiæ veri nominis, ſed nec etiam de corpore Eccleſiæ totius univerſalis.

Idem quod ſicut monachi ſic etiã clerici & canonici à clericatu per apoſtaſiam decidant.

Amplius ſicut apoſtaſia monachum præcidit ex toto à monachatu ita ut de monacho non habeat niſi ſolum caracterem monachalem, & vincula votorum quibus aſtrictus eſt, ad hoc ut ſit verus monachus: ſic & clericus apoſtata, & à clericatu ſuo vel canonicatu non habet niſi caracterem clericalem, & obligationem qua obligatus eſt ad hoc ut ſit clericus vel monachus veri nominis. Sicut ergo non eſt monachus qui à monachatu ſive à monachali religione recedens ad contrarium ſe transfert, ſic non eſt canonicus vel clericus qui relinquens honeſtatem vel clericalem ſanctitatem ad contrarium ſe tranſtulit. Quare non canonici vel clerici ſunt ſæculariter ſolum, & laſcive viventes. Quemadmodum nec monachi apoſtatice viventes monachi ſunt, niſi quis dicat eos eſſe canonicos vel clericos propter caracterem clericalem, & obligationem ſicut de monachis, quare manifeſtum eſt quod remanentes in ſæcularitate, & laſcivia ſua non efficiuntur clerici veri nominis, vel canonici, quemadmodum nec efficiuntur monachi.

Clericalis profeſſio cum chriſtiani profeſſione confertur.

Amplius perſiſtens in Judaïſmo vel Saraceniſmo non efficeretur Chriſtianus veri nominis. Igitur perſiſtens in contrario clericatus aut monachatus non efficeretur clericus, vel canonicus veri nominis.

Quodnam ſit præcipuè canonici officium.

Amplius clericatus contrarium laïcalitas eſt ſimiliter & canonicus aliquid habet contrarium. Quid eſt illud ſervitium quod in Eccleſia Dei cantando, pſallendo, orando, agitur, niſi animarum patrocinium? quare qui ad hujuſmodi officium inſtituitur animarum patronus, patronus inquam ſive advocatus prædictis modis, obligatus eſt ad allegandam cauſam animarum, vel quod magis eſt ſacrificium. Manifeſtum ergo eſt quia canonicus non efficitur qui cauſam animarum non ſuſcipit allegandam. Quemadmodum enim patronus, nec advocatus in cauſſa aliqua conſtituitur qui eam agendam non ſuſcipit: qui ergo non curat de cauſa animarum in inſtitutione ſua imo potius intendit contrarium animas ſcilicet peccatis alligare non efficitur clericus veri nominis, vel canonicus. Amplius qui nihil ſcit de hujuſmodi allegationibus vel cogitat, nec audivit, nec in cor ejus aſcendit, nec de cauſa, nec de patrociniis, nec advocatus in hujuſmodi cauſa eſſe poteſt, niſi quis fortè dicat aſinum poſſe eſſe advocatum hujuſmodi vel patronum. Eodem modo poteſt objici de ſtipendiariis, medicis, vinearum, & agrorum operariis, de ſpeculatoribus, jaculatoribus ſpiritualibus, & de omni genere operariorum, & artificum qui comparantur, & aſſimilantur clericis titularis.

Raſura capillorum, & habitus canonicalis et etiam ſanctitatem canonicorum.

Atteſtantur autem eis quæ diximus raſura capillorum, atque tonſura quæ canonicis inſtituendis ſive clericis canonicandis inducuntur. Similiter & habitus canonicales, nec-non & modus collationis, ſive inſtitutionis; ſi vero corde non abradit à ſe, nec circumcidit quicquid eſt honeſtati canonicali contrarium, ſi propter hoc non induit novum hominem quantum ad honeſtatem hujuſmodi, proculdubio non efficitur verus canonicus, quemadmodum ſimiliter in monachalibus non efficitur verus monachus. Quemadmodum etſi aliqua Abbatia non haberet niſi ſimulatores vel ſimias, hujuſmodi non eſſet vera Abbatia, vel Monaſterium veri nominis; ſed eſſet umbra ſive pictura, & talis qualis effigies veræ Abbatiæ: ſic ſimiliter ſe habentes canonicales Eccleſiæ ſive canoniæ umbræ ſunt, & picturæ, & ſimiæ, & tales quales effigies verarum canonicalium Eccleſiarum, verarumque canoniarum, & loca habitationis hujuſmodi hominum habitationes ſunt ſimiarum. Sequitur etiam ex hoc ut prælati qui tales inſtituunt non Eccleſias ædificant, ſed pingunt, non lapides veros ac vivos colligentes in ſtructura ædificij ponunt, ſed magis picturas eorum aggregant.

Quare canonici abſque vera inſtitutione ſunt tantum canonici [illegible] voce dicti.

Amplius qui ſic accipitur vel inſtituitur non quæritur fieri canonicus, ſed ſignificari tantum; quare ſecundum intentionem Eccleſia ſua non eſt niſi ſtatua vel pictura veri canonici. Quod ſi dixerit quis quod fortè accedens ad baptiſmum eſt verus chriſtianus, & verus clericus habetur quicumque habet primam tonſuram propter hoc ut verus clericus deffenditur, alioquin malè eſſet Eccleſiæ Dei ſi clerici, & peccatores laïci locum in ea haberent.

Reſpondemus quia manifeſtum eſt quod æquivoce dicitur clericus verus, & ſignis exterioribus ſolis pictus ſicut homo animal, & quod pingitur ſicut dicit Ariſtoteles. Sicut igitur vacaret tota Abbatia aliqua, ſic ſe habens à monachis; ſic & vacat canonia omnis proportionaliter ſe habens à canonicis.

Infert veritas proinde Eccleſias & Abbatias vacare.

Amplius ſi aliquis Abbas ſit ex hujuſmodi pictis monachis tantum totam abbatiam inſtitueret vel potius occuparet, immo quod verius eſt pingeret, nec intendens ei dare, nec ulli recipere niſi temporalia ſigna monachatus niſi ſolummodo propter illa, imo tota Abbatia vacaret à monachis, & Epiſcopus loci cum principe fundatore poteſt omnia bona occupare, & veros ibi canonicos inſtituere. Si autem in tota Abbatia hoc poteſt, cur non & in omni corpore? ſimiliter & in una perſona: Heu quæ abbatiæ, canoniæ, epiſcopatus vacant vel in toto, vel in parte! quod ſi dixerit, quod latet hoc ſummum pontificem, & principes, verum quidem dicit; ſed nos de veritate agimus hic, quæ veritas multis patet, & pluribus patere poteſt, vel poſſet niſi, *vanitatem diligerent, & quærerent mendacium*, ſicut ait Pſalmiſta. *Apprehenderunt multi mendacium, & noluerunt reverti*, ſicut dicitur Jerem. 8.

Multis enim certiſſimum eſt quod nec intraverunt nec intus ſunt, imo foris, videlicet in ſignis ſolis exterioribus, & mendacio temporalium, & ut vulgo dicitur pedem ſuum intus non habent, nec unquam pedes ſuos intus habuerunt id eſt in ipſa veritate canonicalis honeſtatis, & aliorum ſpiritualium. Et etiam manifeſtum quod Eccleſia univerſalis intus vacua eſt in majori ſua parte, foris autem præclaris ſtatuis, & picturis ſicut diximus plena eſt: & hoc eſt quod dicit Jerem. 1. Thren. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo*, non ait clero, quia magis populus eſt clerus populariter vivens, quam clerus, juxta quod Iſai. 24. *& erit ſicut populus ſic ſacerdos.*

Quod ſicut vacaret abbatia à clericis quamvis bonis occupata multo magis vacet Eccleſia à malis canonicis occupata.

Amplius ſi debent eſſe monachi ſanctiſſimi, & vellent inſtituere unum vel duos clericos ſæculares licet valde honeſtos qui tamen monachalem perfectionem omnino renuerent, numquid non adhuc vacarent loca duorum monachorum? & ad hunc modum ſi ſingulis decedentibus ſimiliter clericos ſubſtituerent, numquid non poſt mortem omnium monachorum monaſterium illud vacaret? & de monachatibus dubitari non poſſet quin omnino vacent: quare & redditis monachatibus dediti ſeu annexi vacant ſaltem de jure, clerici ergo ſic ſubrogati nihil juris habent in temporalibus abbatiæ illius. Quia ergo magis diſtant mali clerici à clericis honeſtis quam illi à monachis ſanctiſſimis, & minus omni bono digni ſunt, multo fortius nihil juris habent in canonicatibus, ſeu aliis beneficiis Eccleſiaſticis.

Idem probat ex diſpoſitione legatorum, & donationum Eccleſiis factorũ.

Amplius ſi quis de legato in teſtamento contra voluntatem teſtatoris diſponere præſumpſerit ex ipſo jure nihil agit, & cui inde aliquid dederit nihil juris in eum transfert cum ad implendum voluntatem teſtatoris nullus executor ab ipſo conſtitutus ſit: beneficia autem eccleſiaſtica quantum ad temporalia in parte magna bona ſunt teſtamento fidelium deffunctorum legata Eccleſiis; quare contra voluntatem eorum vel intentionem de eis præſumere ſeu uſurpare vel dando, vel recipiendo ipſo jure non valet, nec ſic recipientibus jus in eis aliquod acquiritur, idem eſt de aliis donationibus dotatorum, & ditatorum atque fundatorum Eccleſiarum intentio fuit ut Dei ſervi, & fideliter ei ſervientes ſoli beneficia quę Eccleſiis largita ſunt obtineant, quare ſi contrarium vel aliud de ipſis agitur præter intentionem ipſorum eſt, & per uſurpatam, & non commiſſam poteſtatem, & nihil juris transferre videntur qui hoc præſumunt in tales receptores beneficiorum.

Quod is qui cadit in mortale peccatum fiat membrum diaboli.

Amplius ſi quis in Eccleſia beneficiatus vel titulatus cadat in mortale peccatum certum eſt quod efficitur membrum diaboli, & deſinit eſſe membrum Eccleſiæ illius, deſeritque locum ſuum contra illud quod dicit Eccleſiaſt. 10. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris*, transfertur ergo iſte à ſpirituali Jeruſalem in Babylonem, & ædificatio corporis myſtici in ædificium corporis diaboli. Vacat ergo locus ejus, & de jure, & de facto ſecundum veritatem, licet forte non appareat: vacat, inquam, locus ejus, ille utique quem deſerit vacat, & officiũ ſpirituale cujus prima, & fundamentalis pars & officium eſt rectè vivendi, hoc enim officium ſponte deſerit. Similiter vacat onus, & utique ſecundum veritatem, licet foris non appareat. Qualiter ergo autoritate ſua hujuſmodi homines reſumunt officia, & percipiunt ſimiliter temporalium emolumenta? licet in aliquo forſitan aliter videatur; quia non videtur onus ex toto projicere, vel officium ex toto deponere; quia ad horam tentationis hoc eſt. Sed quid ſi proponat animo numquam reſumere onus vel officium? de hujuſmodi homine dubitari non poteſt quin tanquam fur, & latro temporalia emolumenta percipiat, & ſi exterius hoc appareret vel confiteretur, indubitanter abjiciendus eſſet de Eccleſia, imo de tota chriſtianitate.

Quanto periculo qui malè vivunt bonis Eccleſiaſticis utuntur.

Quod ſi quis dixerit ergo, *cum nemo ſciat an amore, an odio dignus ſit*, an de Jeruſalem, an de Babylone ſit, quibus titulatus & beneficiatus in Eccleſia diſcriminibus ſe committet ſtipendia temporalium ibi percipiendo? quia fortè ut fur & latro, & fortè ut ſervus fidelis. Reſpondimus in hoc revera periculoſiſſimè habentur hujuſmodi beneficia: propter quod & viri timorati, & timore, & tremore illa percipiunt atque recipiunt: & quod reſiduum eſt eis à moderata, & præciſa ſuſtentatione erogant pauperibus, & præcipuè talibus qui animarum patrociniis eos adjuvant, & ſupplent eorum defectum. Væ autem illis qui econtrario faciunt, videlicet qui ſuperflua ſua vel idolatriæ per avaritiam, vel luxuriæ & vanitati depaſcenda atque conſumenda exponunt. Videamus autem manifeſtè quia propter antedictum periculum multi magni hujuſmodi emolumenta ſive ſtipendia vel relinquunt, vel penitus renuunt. Qualiter autem diſpenſanda vel exponenda ſunt bona eccleſiaſtica expreſsè docet Dominus in libro Levit. cap. 6. Ubi ſancta omnia & ſanctis, & in loco ſancto expendenda ſunt; omnia enim hæc ſanctificata Domino ſunt, & oblata pia devotione fidelium Quare ſacrilega impietas eſt hujuſmodi bona vel meretricibus, vel hiſtrionibus dari vel in aliis vitæ humanæ corruptionibus expendere. Scimus autem noſtris temporibus fuiſſe magnos doctores, & ante etiam tempora noſtra qui dicerent, quod quæcumque quis de hujuſmodi bonis perceperat toto tempore quo in peccato mortali perſtiterat reſtituere tenebatur, ſi poſſet: & hoc ea ratione qua toto illo tempore regi Babylonis id eſt diabolo militaverat: quare toto illo tempore Chriſti ſtipendiis privandus erat, & illa ei jure penitus auferenda. Beatus quoque Auguſtinus dixit quod talis indignus pane quo veſcitur; Apoſtolus enim in ultimo 2. ad Theſſalonic. expreſsè dicit, *qui non laborat non manducet*, quod non de quocunque labore intelligi poteſt, ſed de ſolo labore qui fructum habet remunerationis: ut non tantum labor ille exterior legendi, pſallendi, cantandi ſufficere videatur ad patrocinium animarum, niſi puritas cordis, & ſopor devotionis illum condiverit, & Deo acceptum reddiderit. Et per hoc quod dicit Amos 6. *Auffer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non exaudiam.* Iſai. 1. *Cum multiplicaveritis orationem non exaudiam.* Iſidorus. Si is qui diſplicet mittitur ad interrogandum irati judicis animus ad deteriora provocatur.

Bona Eccleſiaſtica præſertim propter bonam vitam data eſſe.

Amplius quia incomparabiliter validius, & efficacius intercedit vita ſanctorum pro animabus quã ipſa oratio ſicut dicit. Geneſ. 3. quia reſpicit Dominus Abel, & ad munera ejus, ad Caïn autem, & ad ejus munera non reſpicit; quia videlicet propter Abel reſpicit munera, & non econverſo. Sic & orationes ſanctorum, & totius Eccleſiæ pter ipſos, & propter ipſam Eccleſiam exaudiuntur, & non ipſi propter eas. Ergo hoc ſublato, videlicet gratia qua ſancti Deo accepti ſunt, & ejus Eccleſia ei placita eſt ſublatum eſt patrocinium animarum, & à ſuffragiis, & orationibus earum. Sicut ille cæcus natus dicit 12. Jo. *Peccatores Deus non audit* Intentio igitur largientium hujuſmodi bona vita eſt percipientium: in primis enim, & maximè in bona vita eſt ſervitium Deo: ſecundaria vero ipſa ſuffragia canonici ſervitij, cum hæc ſuffragia non ſint patrocinia niſi propter illam. Organizantibus maximè, & cantantibus aliaque ſervitij eccleſiaſtici exteriori decore, & ad pulchrius aut melius

facientibus danda eſſe. Nunc apparet ergo tibi quantum damnificat datorem aut donatorem ditatoremque ſuum quæcumque congregatio male vivens, & † credibiliter converſans ſicut de nonnullis conventibus regularium plurimum audivimus. Verum & ſuffragiis iſtis in tractatu de ſacramentis, & in cap. de ordine ſacerdotali, qualiter faciendum ſit vel fiant nos plenè determinaſſe meminimus, ubi & errorem aliorum detraximus qui virtutem ſacramentorum, & utilitatem ſuffragiorum deſtruebant per indignitatem miniſtrorum.

† *f. Incredibiliter.*

CAPITULUM VI.

De ſingularitate Beneficiorum.

1. Dubiū facit rem periculoſam adeoque illicitum eſt plura habere beneficia.

POſt hæc autem aggrediemur diſputare ex hoc, an liceat uni perſonæ multa habere beneficia quorum unum ſufficiat ad competentem ipſius ſuſtentationem. In primis ergo forſitan ſi videatur alicui dubitandum quia à multis, & magnis ſentitur quod ſic, à multis autem quod non: & propter hoc temerarium ſimiliter videri poteſt de hoc præſumere diffinire. In quo diximus quia ſi dubium eſt, utrum liceat vel non liceat, ipſa dubietas certitudo eſt, & determinatio quia proculdubio non licet. Nulli enim dubium eſt quod non licet alicui committere ſe diſcrimini: diſcrimini autem ſe committit qui aliquod facere præſumit de quo dubitet an peccatum mortale ſit. Quare ſicut dicimus quod ipſa dubietas efficit hoc diſcriminoſum, & propter hoc vitandum ex neceſſitate, quare & illicitum.

2. Quia nō eſt credendum alicui pro ſe teſtimonium dicenti.

Amplius nullus dicit hoc videlicet quod liceat niſi vel qui plurima habet hujuſmodi beneficia, vel qui ea habere intendit: quare in cauſa ſua, & pro ſe ipſo dicit hujuſmodi teſtimonium: non ergo verum ſive conveniens eſt teſtimonium ejus, & ideo non eſt credendum ei. Qui autem econtrario dicunt quodammodo ſe obligant ut plurima in futuro non habeant, & uno contenti ſint tali beneficio, ſicut legitur Proverb. 13. *Qui detrahit alicui in futurum ſe obligat*, ſubaudis ne illud faciat.

3. Quia qui non laborat dupliciter non debet manducare dupliciter.

Amplius *qui non laborat non manducet* ex ultimo 2. ad Theſſalonic. Ergo qui non laborat dupliciter non manducet dupliciter, & ſimiliter qui non laborat tripliciter: & ſic de aliis: quemadmodum ſyllogiſmus ſimiliter ex propoſitionibus ſimiliter, ſic & ſimilis hujuſmodi ex propoſitionibus ad hoc.

4. Quia nō datur merces niſi proportione laboris.

Amplius ſi ratione laboris, & operationis debetur cibus ſicut dicit veritas Matth. 10. & quia dignus eſt mercenarius cibo ſuo, & Lucæ 10 *Dignus eſt mercenarius mercede ſua*: ergo non debetur duplex cibus niſi ratione duplicis laboris, & ita de aliis, & huic rationi atteſtatur ipſe modus, & forma collationis, & inveſtitionis beneficiorum; ibi enim dicitur à prælato expreſſe, conferimus tibi iſtud beneficium ad honorem Dei, & ſervitium iſtius Eccleſiæ. Nullo ergo modo licet alicui habere plurima hujuſmodi beneficia, niſi exſolvat quotidie hujuſmodi ſervitia; quare 3. prima hujuſmodi ſervitiorum oportebit exſolvere habentem hujuſmodi tria beneficia, alioquin defraudabit mortuos, & viventes uno vel duobus ſervitiis, & tanquam fur, & latro percipiet unum vel duo illorum emolumentorum.

5. Idē probat intentione eorū qui Eccleſias dotaverunt.

Amplius quis dubitat de fundatoribus Eccleſiarum præbendariarum; quoniam ſicut certum numerum voluerunt habere ſervitiorum, ſic & ſervitorum, & iterum ipſa ſervitia juxta morem earum Geneſ. 5. ut in Eccleſia Carnotenſi ſervitium Carnotenſe, & Pariſienſi Pariſienſe. Quod ſi dixerit quis quod una eſt Eccleſia, & ideo qui deſervit in una deſervit in duabus vel in tribus; illa ergo ratione in omnibus. Quare injuſte agitur cum eo in eo quod non percipit in omnibus, & æqualiter; cum in omnibus æqualiter ſerviat. Cauſa enim quam ponit in omnibus ſerviendi æqualis eſt, in omnibus videlicet unitas Eccleſiæ univerſalis. Amplius ſi uno ſervitio ſufficienter ſatisfacis Deo de tribus Eccleſiis, & animabus pro quibus fundatæ ſunt, ſicut ſatisfit eiſdem de tribus ſervitiis, ad quid ergo eſt tanta multitudo, & varietas ſervitiorum, vel etiam ſervitorum?

6. Ex paritate quia in una Eccleſia non poteſt quis duas habere præbendas ob Eccleſiarū Carnotēſis & Pariſienſis exemplū aſſert propter earum celebritate.

Amplius una eſt magis in ſe Carnotenſis Eccleſia quam ſit cum Pariſienſi vel cum quacumque alia: ſicut ergo unitas illa qua ſibi invicem unitæ ſunt efficit hoc ut unus canonicus, vel ſervitor ſufficiat pro duabus, & unum ſervitium pro duabus, & una perſona poſſit duas illarum Eccleſiarum præbendas habere, multo fortius unitas ipſius Eccleſiæ Carnotenſis in ſe ſufficiet hoc efficere ut una perſona obtineat in Eccleſia Carnotenſi duas præbendas vel plures: hoc autem nullus eorum auſus eſt adhuc dicere, nec aliquis Epiſcoporum unquam hoc præſumpſit ut habenti unam præbendam in Eccleſia Carnotenſi conferret aliam.

7. Quia cōmodius poteſt quis ſervire in una Eccleſia propter duas præbendas, quā in diverſis.

Amplius facilius, & commodius, & melius per omnem modum poteſt quis deſervire duas præbendas vel plures in eadem Eccleſia quam in diverſis diverſas, quia in una collectus eſt totus, in diverſis diſperſus atque diviſus: & iterum ibi aſſiduus, illic vero interpolatus: ergo multo fortius licet unicuique perſonæ plures præbendas obtinere in eadem Eccleſia quam in diverſis.

8. Idem argumentum proſequitur.

Amplius nemo dubitat quin tres ſervitores, & tria ſervitia æqualia per omnem modum hoc eſt in magnitudine, & numero, & merito triplum ſint ad unum ſervitorem, & ad unum ſervitium: quare qui Deo & animabus non dat niſi unum illorum ſervitorem, unumque ſervitium, triplo minus dat Deo quam tres illorum ſervitorum, triaque ſervitia: ſimiliter & Eccleſiis, & animabus. Si igitur fuerunt duo prælati ita facientes, quid audebit dicere quod æque bene faciant qui Deo & Eccleſiæ ſuæ, & animabus non dat unum ſervitorem atque ſervitium ut ille qui dat triplum per omnem modum. Quod ſi dixerit quis quod melius faciat qui dat tres ſervitores ac ſervitia quotidiana, quam qui non niſi unum, ſed utrum ſufficit quærimus cui ſufficit, animabus enim qui torquentur in igne purgatorij non ſufficit eum magis accelerem liberationem eorum tres miſſæ quam una earum: & ita de aliis ſuffragiis, ſi enim tantum valeret eis miſſa una quantum tres, eadem ratione quantum mille, & ita ſupervacue, & inutiliter quantum ad hoc multiplicarentur pro eis Eccleſiaſtica ſuffragia, quod nemo audet dicere chriſtianus. Quod ſi dixerit quod ſufficit Deo; & hoc manifeſtè factum eſt quod ad majorem gloriam ſunt ei multi præcones laudum ipſius quam unus illorum; alioquin ad quid inſtitutæ eſſent tot & tantæ Eccleſiæ collegiatæ, totque chori canentium laudes ipſius. Si autem dixerit quod hoc ſufficit ipſis Eccleſiis: & hoc quis dubitat eſſe falſum; quæ enim Eccleſia eſt, niſi fortè malignantium quam Deus odivit, quæ nolit habere integritatem corporis ſui, & univerſitatem membrorum ſuorum, quæ inquam etiam quæ portione ſui contenta velit eſſe pro toto, niſi quæ magis eſt ſynagoga ſathanæ quam Eccleſia. Quod ſi dixerit quod ſufficit prælato vel intelligit, ſufficit ei ad meritum, hoc eſt impoſſibile manifeſtum, ſed revera ei ſufficit ad gehennam: defraudare enim dominum præconibus gloriæ ſuæ atque præconiis, & ipſam etiam membris ſuis, & membrorum officiis; animas vero tam mortuorum, quam vivorum patronis ſimiliter & patrociniis, ſive ſuffragantibus atque ſuffragiis ſufficiens meritum eſt, & cauſa damnationis

damnationis æternæ. Quod ſi dixerit quod ſufficit habenti vel recipienti unum ſervitiũ pro multis beneficiis, reſpondemus quod intolerabilis præſumptio eſt eovſque æſtimare ac appretiare ſervitium ſuum, videlicet ut unum ejus ſervitium valeat tria, vel novem, vel decem, vel mille ſervitia totidem bonorum virorum ſive ſanctorum videlicet ut una miſſa decem alias, una oratio decem alias ſimiles bonorum virorum neminem aut adhuc videmus qui in iſtum impudentiæ auſum prorumperit.

9 Idē probat exēplo vinitoris. Amplius conductos vinearius ad unam vineam excolendam, ſi quis cum tempore conducere voluerit repellet eum, & dicet ſe eſſe conductum ad aliam excolendam, ſuam operam jam locaſſe, & durante hujuſmodi contractu conductionis ſive locationis non poteſt ſimili ſervire contractu. Nullus etiam procurator vineæ vel agri audet utiliter facere de conducendo operarium ad illam operationem conductum donec illam compleverit, & ab hujuſmodi contractu liberatus ſit. Si ergo hujuſmodi operarij in iſtis minimis tantæ fidei, & veritatis ſunt, ut ad duas operationes ſe conduci non patiantur ſimul, quanto fortius in ſpiritualibus hoc magis obſervandum eſt, ut cõductus pretio ſtipendij æterni, & etiam temporalis ad operandum in una eccleſia quæ & vinea, & ager ſpiritualis eſt, ſicut dicit Apoſtolus cum conductus eſt aliquis, id eſt meritus ad operandum non debet ſuſtinere ſe conduci donec ſit abſolutus ab hujuſmodi conductione ſeu contractu.

10 Exēplo advocati qui non poteſt ſimul & eodē tempore plures cauſſas agere. Idem eſt, & de advocatis; conductus enim advocatus ad aliquam cauſſam agendam aliquo tempore non patitur ſe conduci ad aliam agendam in illo eodem. Quia ergo omnis in Eccleſia beneficiatus ſeu titulatus ad agendam cauſam animarum ad Eccleſiam illam pertinentium ſpiritualiter advocatus conſtitutus eſt, & ad certas allegationes pro eadem proponendas quas ei mutare non licet aut ſubticere, manifeſtum eſt quod non poteſt cauſam ſimilem ſuſcipere eodem tempore ventilandam: allegationes autem de quibus diximus Pſalmi, lectiones, ſive collectæ, ſive orationes, & cantiones quas nec mutare cuique licet contra Eccleſiæ ſuæ morem nec ea propter niſi culpabiliter ſubticere. Et ſi enim generaliter ſervitores Eccleſiarum ſive generales advocati conſtituti ſunt animarum ſpiritualiter tamen, & ſpirituales advocati conſtituti ſunt animarum quarum beneficiis temporaliter ſubſtentantur, eorum quæ parochiæ ſunt Eccleſiarum ſuarum aut comparochianæ eorum. Quia igitur uno, & eodem tempore pluribus cauſis, & allegatiónibus ſatisfacere non poteſt unus, & idem advocatus hujuſmodi, manifeſtum quia non poteſt advocatus hujuſmodi eſſe advocatus plurium hujuſmodi cauſarum: hoc autem eſt eſſe canonicũ duarum Eccleſiarum aut plures canonicatus habere: cum inſeparabilis videlicet advocatio ſit & limitata, ſive patrocinium. Ad idem ſolemus inducere ſimilitudinem de feudis ſicut in ratione uniuſcujuſque feudi debetur certum ſervitium, ita & ratione uniuſcujuſque prebendæ. Quare quemadmodum quot feuda unuſquiſque tenet tot debet inde ſervitia, ſcilicet quot præbendas vel beneficia unuſquiſque detinet tot debet inde eccleſiaſtica ſervitia hoc eſt tot paria horarum, & aliorum omnium.

11. Quod pluralitas beneficiorũ magna ex parte detruncat Eccleſiam. Amplius Eccleſia Dei nihil habet ſubſtantialius quam corpus ſuum, & membra quibus compacta eſt, & conſtructa; nihil habet Deo acceptius quam ſanctitatis gratiam divini cultus ſervitium: hæc autem pluralitas præbendarum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, & Eccleſiæ corpus magna in parte detruncat ac mutilat dum pro decem membris non habet niſi unum, & quandoque pro tribus vel quatuor non habet niſi unũ. Cum enim aliquis obtinet loca decem prebendarum, & decem Eccleſias, decem illæ Eccleſiæ pro decem ſuis membris non habent niſi unum, & ad hunc modum de aliis. Reſpice igitur Eccleſiam Dei quantum ad clerum, & vide quot ſunt quibus inſtar dæmonij illius Evangelij legio merito nomen eſt, quia multi ſunt; unuſquiſque enim illorum unus eſt in perſona, multi autē in officiis, & beneficiis: reſpice inquam multitudinem hujuſmodi hominum, & videbis quanta ſui portione detruncetur per eos corpuſculum, & videbis quia alius detruncat ipſum duobus membris, alius tribus, alius quatuor, alius pluribus uſque ad numerum incredibilem. Quod ut clarius eluceſcat ponamus hoc: ſi enim licet uni perſonæ habere quadraginta præbendas, eſto quod quadraginta ſint Eccleſiæ unaquæque quadraginta canonicorum, & ponamus quod quadraginta perſonæ habeant omnes illas præbendas, ergo vides manifeſtè quia pro quadrageſies quadraginta perſonis non habet Deus niſi quadraginta perſonas, & pro quadraginta canentibus nonniſi unum, ſimiliter & pro mille ducentis membris gloriȩ præconum, & laudes ſuas cantantibus non habet niſi quadraginta. Jam ergo manifeſtum fecimus quod diximus quia quod habet Eccleſia Dei ſubſtantialius, videlicet corpus ſuum ita detruncat iſta peſtis, ac mutilat quod habet acceptius, videlicet honorificentiam cultus divini. Quam pernicioſa ſit ergo hæc peſtis Eccleſiæ Dei ex his manifeſtum videtur, quare exterminanda totis viribus, totis ſtudiis ab eadem, ut ignis devorans ipſum corpus Eccleſiæ, & membra ipſius, & ut peſtis idolatriæ, avaritiæ, & ambitionis † vocatis ex magna parte honorificentia divini cultus. †*f. l. vacante.*

Amplius quærimus ab hujuſmodi avaris, & ambitioſis ut videtur, utrũ ex charitate detineant multa hujuſmodi beneficia, an cupiditate vel ambitione? quod ſi ex charitate ſentiant non eſt qui eis credat; non enim ex charitate Dei, & proximi tanta damna ſuffragiorum, nec ipſi Eccleſiæ quæ incomparabiliter magis diligenda eſt quam quivis proximus tantam ſui corporis vaſtationẽ facerent. Quod ſi ex cupiditate vel ambitione ex ore ſuo judicentur, manifeſtè enim confitentur quia male. 12 Quia nõ poteſt quis habere plura beneficia ex charitate, ſed ex cupiditate.

Amplius unaquæque Eccleſia collegiata vel conventualis corpus unũ eſt per ſe inſeparabile: unum autem membrum eſſe non poteſt duorum corporum naturaliter niſi per errorem naturæ mõſtruoſe illud communicent: quemadmodum illud accidit in mulieribus quæ ab umbilico ſupra duæ erant, ab umbilico autem unum corpus. Cum ergo corpus naturæ exemplum ſit corporis gratiæ quod eſt Eccleſia, ſicut oſtendit Apoſtolus in 12. ad Corinth. non poteſt eſſe niſi monſtruoſa in corporibus gratiæ hujuſmodi membrorum unitas ſive communicatio. Et ſi enim *multitudinis credentium ſit cor unum, & anima una* ſicut legitur in 4. actuum unitate ſcilicet fidei cõtra diviſionem hæreſum, & unitate charitatis contra ſciſſuras ſchiſmatum: tamen eſſentialiter multa ſunt membra univerſalis Eccleſiæ, & magna, ut Parochiæ ſeu conventus, & minima ut ſingulæ perſonæ: & quemadmodum diverſitas officiorũ in corpore diverſitatem requirit membrorum, & ſicut corpore naturæ *omnia membra non eumdem actum habent*, nec unum ſunt, plures in corpore gratiæ debent eſſe quod tanto debet eſſe ab omni difformitate monſtruoſitatis longius quanto nobilius Deoque gratius. Hoc autem indubitanter monſtruoſitas eſt ut oculus manus ſit, & manus oculus; non poteſt ergo eſſe ut qui eſt Archidiaconus in una Eccleſia ſit præpoſitus in alia. 13. Quod monſtrum eſt ut in natura ſic in Eccleſia eſſe membrũ duorũ corporum.

Amplius ergo iſte obtinet officium vel beneficium in una Eccleſia eſt de corpore illius, & mem- 14. Idē proſequitur argumentum.

brum ipſius. Si ergo vocetur ad Eccleſiam aliam, aut remanet in priori aut non remanet: ſi remanet, ergo non transfertur nec collocatur in ædificiis illius, ſive in corpore ipſius, ſicut lapis qui remanet in ædificio domus alicujus non collocatur in ædificio alterius. Si non remanet hujuſmodi ergo quod intendimus, & conſidera diligenter ſimilitudines iſtas; quia valde expreſſæ ſunt, Eccleſiæ enim & domus, & civitates, & ædificationes Dei ſunt *Ieruſalem enim ædificatur ut civitas* ſicut dicit Pſalmiſta; & Apoſtolus in 3. ad Corinth. *Dei cultura eſt Dei ædificatio.*

15. Impoſſibile eſt eandem arborē in diverſis agris eſſe plantatam.

Amplius veritas in Evangelio Matth. 7. *Omnis arbor quæ fructum non facit*, & Euſebius in Homelia *quædam arbores ſumus in agro Domini complantata & diverſa*: ergo Eccleſiæ diverſi agri ſunt. Impoſſibile eſt autē eandem arborem in diverſis agris ſimul eſſe complantatam, & ſi plantata fuerit in uno impoſſibile eſt ut niſi evulſa fuerit plantetur in alio: quia ergo canonicorum inſtitutio in Eccleſiis plantatio ſpiritualis eſt arborum in hortis, impoſſibile eſt clericum plantatum hoc eſt inſtitutū in Eccleſia una niſi avulſus fuerit, plantari, id eſt inſtitui in alia, & idem eſt de vineis & vitibus. Amplius nemo eſt qui vellet habere ſervum comedentem quantum tres vel quatuor, & non operantem niſi quantum unus, ſimiliter neque equum; & ſi quis vellet ei dare non gratanter acciperet, imo recuſaret. Quid igitur ſi hujuſmodi clerici qui decem clericorum comedunt beneficia, & non reddūt niſi ſingula vel unica ſervitia niſi ſervi vel equi quos dicimus. Sed de diſpenſatore ſuo quid faceret quicumque Dominus ſi uni ex ſervis vel equis daret decem prebendas, ſingulis autem aliorum nonniſi ſingulas, numquid eum tanquam malum diſpenſatorem puniret. Similiter & rex ſi dux exercitus ſui daret uni ex bellatoribus qui tamen non bellet niſi unum decem bellatorum ſtipendia, numquid non fraudem faceret Domino, & victoriam adverſarij cōtra ipſum procuraret? Ubi enim debet habere mille bellatores per hanc viam non haberet niſi centū. Quantum minuat Dei exercitū iſta peſtis, quamq; gravi plectendi ſunt ſive feriēdi ſunt à Deo hujuſmodi proditores duces primo exemplo manifeſtum eſt ſatis. Nullus enim hujuſmodi multiplicitū atque multiplicatorum hominum audet dicere vel excogitare quod ipſe valeat tot bellatores in Dei exercitu quot ſtipendia obtinet, bellatores inquam qui bellatorum nomine digni ſunt. Similiter & de advocatis ſe habet, & de vinitoribus, & de aliis operariis, nullus enim eorum unquam auſus fuit dicere, & excogitare quod tantum poſſit in cauſa animarum alleganda quantum decem boni advocati, vel in vinea Domini excolenda quantum decem boni vinitores, & ita de aliis. Quomodo ergo decem ſalaria vel decem mercedes operariorum percipere vel detinere præſumunt niſi per fraudem & furtum? Quam ridiculoſum autem ſit, quod quidam dicunt quod poteſt habere quælibet, & quantumcumque pinguia temporaliter beneficia quævis dum ea bene expendat, ex his apparet. Licet enim medicus ſalarium in quantumcumque pios uſus expendat quod ab ægro pro eo medicando recepit, omnino propter hoc ſatisfacit ægro, qui nec minus ægrotat. Idem dicimus, & de bellatore quantumcumque large, & magnifice expendat ſtipendium, non propter hoc minus exhæredatur rex cujus bellum debuit agi. Similiter & de vinitore, & de advocato eis objici poteſt; non enim ſolam diſpenſationem temporalium ſuſcipiunt proventuum clerici inſtitutione vel evocatione ſua, ſed officia medicandi ſauciatum: de quo loquitur Lucæ 10. Eſt officium agendi bellum Dei ſimiliter & officium allegandi cauſam animarum, & officium operandi in vinea Domini.

Quod ſi dixerit quis quod in beneficiis eccleſiaſticis inveniuntur quædam quæ ſunt dupla vel tripla, vel etiam decupla ad alia, & de æque poſſunt haberi decem parva ſimul, ut unum pingue quod valeat decem alia. Hic eſt homo qui loquitur ut cogitat; loquitur enim niſi beneficium hujuſmodi non haberet niſi temporalitatem, tunc enim proculdubio parvum eſſet habere unum tale vel decem talia, nec cogitat hujuſmodi homo onus uniuſcujuſque ſufficienti ſeu competentis beneficij, quod pro quantitate unum ſatis honorat unam perſonam: neque conſiderat hujuſmodi homo quod officium eccleſiaſticum & religionis, religioſum eſt officium ligans, arctans perſonam ſuam ad hoc ut alius non uſurpet nec etiam imponi ſibi patiatur. Et revera hujuſmodi canonici horreales ſunt ſive ſæculares affixi ſunt ut ſtellæ ſuis cœlis, ſed horreis & cellariis corde incubant, & vinculis avaritiæ illis alligati ſunt, vel potius in illis affixi. Et ſicut monachos quoſdam ſolemus dicere coquinarios aut refectarios pro eo quod corde in coquina vel refectario ſolummodo verſantur. Sic & iſtos non veri nominis canonicos, ſed magis horreales ut dicimus aut cellarios, & ut loquamini aſſertius inter veri nominis canonicos aut clericos nec clerici, nec canonici, ſed magis aſini vel equi habendi ſunt utpote præſepibus ad comedendum alligati corporaliter; non enim prebendam clericalem vel portionem ſpiritualium bonorum videlicet gratiæ & gloriæ vel quærunt, vel diligunt, ſed ſolas præbendas aſinarias, vel equinas, quæ utique paſſiones bonorum temporalium ſunt: qui noſtri & aſini corpora noſtra ſunt, de quibus in declamatoriis ſermonibus multa jam diximus.

Quod non ſunt aſcēdenda bene. tēporalia beneficiorum, ſed ipſa officia & munera.

De beneficiis autem inſufficientibus manifeſtum eſt quod non requirunt ſingula ſervitia, & propter hoc alia vel adduntur, vel uniuntur. Si quis vero adjecerit nobis ex Eccleſiis in quibus non compellitur fieri reſidentia, diximus quia non eſt libertas ex conſtitutione vel fundatione, ſed magis ex longa conſuetudine, & clericorum malitia uſurpata, ſi tamen in aliquibus eſt in pauciſſimis. Quod ſi abjecerit nobis de diſpenſationibus Apoſtolicis. Reſpōmus quod illæ ſupra nos ſunt, & quod diligentius conſideratæ irritæ ſunt, & de omni diſpenſatione facta idem ſentimus nec interpretari præſumimus. Econtrario tamen indubitanter ſciendum eſt quod Romanus Pontifex quantumcumque largam diſpenſationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus perſonis; tamen non diſpenſat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis ſuis, & his vel aliis vitiis: nō enim intendit paſcere vel nutrire peſtes vitiorū de bonis temporalibus eccleſiaſticis quæ plene novit ad ſuſtentationem ſervorum Dei in ejus ſervitio certificata eſſe Domino, & ablata. Et hic quidem tractatus illius finem facimus materiam diſputationis, & vias declarandæ veritatis in conferendis & obtinendis beneficiis eccleſiaſticis, prout deſuper accepimus tradentes, & ſi quæ ſunt certa hæc majora majoribus relinquentes.

Veritas excludit tractiones pluralitatis beneficiorum, & exceptionem poſt de ratiſ... centibus.

Explicit tractatus Guilielmi Pariſienſis de collatione Beneficiorum.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN GVILLELMI PARISIENSIS Supplemento continentur.

Prior numerus paginam, poſterior columnam indicat.

A.

ABBATIÆ multæ vacant quia non habent niſi fictos & pictos monachos. pag. 256. col. 2.
Abbas intendens ſolum dare alicui portionem monachalem, monachum non facit. pag. 254. col. 1.
Abortus intellectus quis? p. 21. col. 1.
Accidens eget ſubjecto exiſtente per ſe. p. 10. col. 2.
Accidens nec vivit, nec vitam præſtare poteſt. p. 69. col. 1. & 116. 1.
Accidens non poteſt intelligere. pag. 92 col. 1.
Accidentia non faciunt idem vel diverſum. pag. 41. col. 1.
Acidiæ peccatum. 237. 1. & 244. 2
Actio & paſſio idem ſunt ſubjecto. 43. 1
Actiones ſunt propriè animæ non corporis. 101. 2
Adeptus intellectus quid ſit. 217. 2
Adjectiva de Deo pluraliter dicuntur. 57. 2
Adulterij peccatum quam grave ſit. 233. 2
Ægritudines corporis animæ nihil detrahunt. 159 2
Ægritudines animæ & corporis diſſimiles. 160 2
Ægritudo peccati ab anima ſeparabilis eſt. 169. 1
Æqualitas filij & ſpiritus ſancti cum Patre. 27. 1
Æqualitas cum Angelis promittitur hominibus. 173. 2
Æternitatem mundi impugnat contra peripateticos. 14. 1
Albumazari ſententia de infuſione animæ. 109. 2
Alexandri Aphrodiſei error refellitur. 114. 2
Alimenta ſunt immediatè propter corpus. 79. 1
Amantium creatorum non eſt unus amor, quia eſſentia una non eſt. 28. 2
Amicitia prima inter patrem & filium una eſt.
Amor eſt ſingularium. 142. 1
Amor ignis eſt ſeu calor amanti. 137. 2
Amor facit ut nihil niſi amatum cogitemus. 140 2
Amoris unitas ab unitate bonitatis & ab amati, & amantis unitate 28 2
Amoris unio ſumma conſiſtit in unitate objecti. 27. 2
Amor Dei fornax eſt ignis ſpiritualis. 13. 1
Amor patris & filij unus eſt. 27. 2
amor neceſſario intercedit benignitatē inter & exteriora dona. 26. 1
Amor ab amante procedit. 26. 2
Amor eſt paſſio ſeu vulnus ab amato inflictum. 26. 2
Amor divinus non procedit niſi de pura bonitate. 26. 2
Amor purus, quis? 26. 2. & 9. 2
Amoris proceſſio quomodo differat à proceſſione filij. 27. 1
Amor qui procedit à filio procedit etiam à patre. 28. 1
Amor immediatus nexus eſt patris & filij. 29. 1
Amor alius non procedit à primo amore qui ſpiritus ſanctus eſt. 29. 1
Amor non generatur. 20, 2
Amor Dei nimius eſſe non poteſt. 20. 2
Amor bonorum ſpiritualium non poteſt eſſe inordinatus. 140. 2
Amoris caſti ab impuro diſcrimen. 139 2
Angeli cognoſcunt ſingularia, & mittuntur ad certa loca 141 1
Animæ definitio. 65. 1. & 118. 2
Anima non eſt numerus ſeipſum movens. 73, 2
Anima non eſt aër, vel ventus, vel ignis. 78. 1. & 2
Anima non eſt corpus. 77. 2
Anima non eſt corpus merum & purum. 75. 1
Anima non eſt corpus cœleſte. 76. 1. & 78, 1
Anima non eſt accidens. 71. 2. & 116. 1
Anima non eſt harmonia. 73. 2
Anima non eſt contemperantia humorum. 115. 2
Anima non eſt ſphericæ figuræ. 78. 1
Anima eſt ſubſtantia. 117. 2
Anima eſt fons vitalium operationum. 159. 2
Anima non poteſt eſſe ex potentia corporis. 118. 1
Anima humana non eſt ex temperantia elementorum. 115. 1
Animæ humanæ exiſtentia negari non poteſt. 66. 2. & 72. 2
Animæ humanæ dignitas 65. 1. & nobilitas. 68 1
Anima ſit-ne propriè pars hominis. 100 1
Anima ferreo vel æreo corpori ſi jungeretur, non eſſet homo. 66
Anima rationali homo vivit & ſentit 71. 1
Animæ humanæ omnes ſunt ejuſdem ſpeciei. 153. 1
Anima humana eſt divinæ ſimilitudinis forma. 65. 2
Anima humana prorſus incorporea eſt. 67. 1. & 81. 2. non eſt corpus vivens. 86. 1. non dependet à corpore. 147. 2
Anima eſt cauſſa vitæ corporis. 161. 2. 162. 1. & 165. 1
Anima ea quæ corporis ſunt ſibi tribuit propter unionem. 157. 2. & 160. 2
Anima eſt corpori quod navi Gubernator. 72. 2. Regit motum corporis. ibid. Imperat toti corpori imo & ſpiritibus motui deſervientibus. 84. 2. & 147. 2
Anima humana movet corpus per imperium. 195. 1. nutrimento corporis providet. 143. 2
Anima eſt in omnibus partibus viventibus. 199. 1. ex una parte non poteſt regere totum corpus. 201. 1. an ſit principaliter in aliqua parte. 197. 1
Anima non creſcit ſecundum quantitatem corporis. 84. 1
Anima infunditur quadrageſimo ſexto die. 109. 2. à ſolo Deo creata. 112. 2. non creatur extra corpus. 124. 2. non ingreditur corpus per motum. 200. 1
Animæ natæ ſunt ſequi ſigna ſenſibilia. 104. 1
Anima quomodo ſubſtantia ſit quæ corpus illuminando circumdet. 196. 1
Animæ vivacitas fortior eſt mortalitate corporis. 163. 2. vita ipſa eſt, nec mori poteſt. 170. 1. non deſtruitur deſtructione corporis. 150. col 2. & 151. 2. ejus depoſitione confortatur. ibid.
Animæ affectiones impartibiles & ſpirituales ſunt. 83. 2
Anima ſpeculum eſt intelligibile. 119. 2
Animæ pars aliqua ſeparabilis ſecundum Ariſtotelem. 162. 1
Anima ſubjectum eſt ſcientiarum & virtutum. 83. 1. nullas diſpoſitiones corporales ſuſcipit. 83. 1
Animæ vires ſuperiores activæ ſunt. 123. 1. maximè intellectivæ. 123 1
Anima nobis notiſſima. 104. 2. & quidem notitiâ certiſſima. 72. 2. eſſentialia ſua ignorare non poteſt. 84. 2. accidentalia vero poteſt. ibid. ſeipſam incorpoream eſſe intelligit. 84. 2. ſeparata an poſſit intelligere ſecundum Ariſtot. 82. 1
Anima rationalis non eſt creata propter bona temporalia. 165. 2. & ſenſibilia 135. 2. In ſtatu puritatis ſuæ hærere non poteſt in ſenſibilibus. 138. 2. creata eſt propter bonum honeſtatis, & ultima fœlicitatis. 211. 6. impedimentis quibuſdam à ſpiritualibus avertitur. 136. 2. ejus ſtatus triplex poſt mortem. 226. 1
Anima quomodo inficiatur à corpore? 144. 2. ægritudines ejus non attingunt eſſe ejus. 170. 1. perfici non poteſt in corpore obnoxio corruptioni. 177. 1. obtenebratio ejus unde proveniat. 144. 1. & 145. 2
Animæ in ſtatu libertatis & puritatis an liceat exire de corpore? 150 2. in eo ſtatu firmiter inhæret bonis ſpiritualibus. 137. 1 nec à fine ſuo jam adepto ſeparari poteſt. 173. 2
Animarum ſanctarum deſtruendarum nulla ſubeſt Deo cauſſa. 151. 1
Anima quamvis non habeat neceſſitatem abſolutam, non tamen mortalis eſt. 164. 1
Anima brutorum accidens non eſt. 68 2. differt eſſentialiter ab anima humana. 34. 1. ejus ab anima rationali diſcrimen. 147. 1. & 2. & 165. 2
Animæ irrationales, & ipſæ infunduntur corporibus jam formatis. 100. 1. inſtrumenta earum ſunt corpora. 67. 2 pendent ex corporibus. 165. 1. iiſque ſerviunt 148. 1. & ab iis conſervantur. 148. 2. earum vita extra corpus inutilis eſt. 165. 1
Animæ irrationales mortales ſunt. 72. 6. cur fugiant mortem? 168. 2
Animal non eſt ex ſolis diſpoſitionibus corporalibus. 69. 1
Animal mortuum differt à vivente pluſquam accidentaliter. 69. 1
Animalia vivaciora quædam & ſagaciora. 110. 1, quædam imperfecta. 142. 2
Appetitus naturalis ad beatitudinem. 172. 1
Appetitus ſcientiæ in intellectu. 98. 1. non poteſt ſatiari niſi cognitione Dei 204. 2
Appetitus ad viſionem beatificam. 184. 1. & 2
Apprehenſio intellectus eſt principium omnium operationū, 21. 1
Appropriata perſonis divinis. 29. 2. 30 1. 62. 1. & 39. 1
Ariſtoteles minime ſequendus. 82. 1. & 112. 2
Ariſtotelis ſententia de parte animæ immortali 165. 2. quod anima ſit in corde 197. 1. quod Deus ſit in cœlo. 197. 2. quod intellectus agens ſit ſeparatus. 210. 1
Ars citharizandi eſt in anima. 102. 1

Artifex non operatur niſi prægignantur in mente ejus exemplaria 22. 2. non eſt quid unum cum inſtrumento ſuo 100. 2. ipſi ſufficit unum exemplar. 24. 2
Artificis perfectio tribus cõſtat, poteſtate, ſapientia & volũtate. 13. 1
Attentio ad unum ab aliis nos avertit. 140. 2.
Attonitio mentis, quid ſit? 191. 2
Avaritia 236. 2. & 244. 2
Avicennæ ratio qua probat animæ humanæ ſpiritualitatem 82. 2. ejus ſententia de unitate viventis per totam vitam ratione animæ. 73. 1

B.

BAptiſmi neceſſitas. 130. 2
Beatitudo non communicat immortalitatem animæ, ſed ſupponit. 172. 1
Beatitudo conſiſtit in cognitione & amore. 29. 2
Beatitudo non conſiſtit in bonis temporalibus. 182. 1
Beatitudo ſupernaturalis nec deſideratur, nec intenditur niſi inſtinctu creatoris. 185. 1 vide ſupernaturalis.
Beatus eſſe non poteſt qui cognoſcit ſe ſuam amiſſurum fœlicitatem. 182. 2
Bene eſſe animæ non eſt ex corpore. 130. 1. Bene eſſe non deſtruit eſſe 116. 2
Beneficia nulla ſunt quæ reſidentiam non requirant niſi ex mala conſuetudine. 160. 2
Beneficia ſunt in diſpoſitione prælati ſicut eleëmoſynæ in diſpoſitione eleëmoſynarij. 253 1. non quaſi ſua bona, ſed quaſi aliena, & idonearum perſonarum. ibid.
Benignitas eſt exundans bonitas. 28. 2
Binarius non eſt pars ſeptenarij. 155. 2
Bonitatis definitio & natura. 179. 1
Bonitas omnis ſimilitudo divinæ bonitatis eſt. 186. 2
Bonitas & malitia motiva ſunt voluntatis. 97 2
Bonitatis Dei excellentia 179 2. non minor eſt quàm fœcunditas ejus. 26. 1
Bonitas Dei mere gratuita eſt 13. 2. ſingulariter non poſſidetur, quemadmodum bona temporalia. 179. 2. elucet quamvis paucæ animæ ſalventur 178, 1. mala culpæ & pœnæ exterminat. 178. 2. manifeſtatur aliquorum punitione. 183. 1. erga impios etiam benefica. 183. 2
Bonum aliud ſecundum participationem, aliud ſecundum eſſentiam. 1. 2. vel eſt neceſſarium, vel ſuave; vel utile, vel magnificum. 26. 1
Bonum & malum oppoſita ſunt. 168. 1
Bona propria providit hominibus Deus. 131. 2
Bona ſpiritualia obtineri poſſunt ab hominibus. 172. 2
Bona Eccleſiaſtica data ſunt propter bonam vitam Clericorum præcipuè. 257. 2. eorum adminiſtratio quanto cum animæ periculo fiat. 257. 2
Bruta non libertate, ſed neceſſitate aguntur. 85. 1. bonis ſenſibilibus melioribus abundant quam homines. 136. 1. quomodo fugiunt mortem. 169. 2

C

CAloris naturalis vis mirabilis. 79. 2
Canonicorum inſtitutionis forma. 251. 2. quibus capilli reſcinduntur. ibid.
Canonicus & Archidiaconus nomina ſunt officiorum non emolumentorum. 254. 1. & 2
Canonicus & Archidiaconus non fit niſi qui conſentit ad onus, & in dicendum ſervitium Eccleſiæ talis. 254 2
Canonicus effici non poteſt qui malus eſt, & perſiſtit in macula ſua. 255. 1
Canonici conſenſus in officium eſt ſicut conſenſus matrimonialis ad conjugium. 255. 1
Canonicus non efficitur niſi qui proponit vitam canonicalem vivere. 255. 2
Canonicus pictus & fictus eſt qui ſola tonſura canonicali, habitu & converſatione exteriore talis videtur. 255. 2
Canonicus qui non proponit ſibi Canonicalem ſanctitatem fur eſt, & latro inter veros Canonicos. 256. 1
Canonicus non eſt niſi qui renunciat omni peccato mortali. 256 2. & ad Canonicalem ſanctitatem ſe aſtringit. ibid.
Canonicus non eſt nec Clericus qui relicta ſtatus ſui ſanctitate ad contrarium ſe tranſtulit. 256. 1. & ſæculariter & laſcive vivit. 256. 1
Canonici quodnam ſit proprium officium? 256. 1
Canonicorum ſanctitatem teſtantur raſura capillorum, atque tonſura & habitus Canonicalis. 256. 2
Canonici horreales, quinam? 260. 2
Cauſſa dicitur ex ſubſecutione effectus. 45. 1. nihil ei accidit ex eo quod agit. 42. 2
Cauſſa media ſeipſa non eſt ſufficiens. 7. 1 ad ſenſum non autem propriè & verè cauſſa eſt. 16. 2
Cauſſalitas cauſſarum ſecundarum in quo conſiſtat. 16. 1. eſt ſolummodo præparare materiam 112. 1
Cauſſalitas effectiva propriè & verè attribui non poteſt niſi cauſſæ primæ. 113. 1
Cauſſatio duplex alia forinſeca, alia intima. 3. 1
Celare peccatum in confeſſione quàm grave ſit peccatum. 233 1
Charitas nunquam excidit, quomodo intelligendum? 224. 1
Charitas patriæ differt ſpecie à charitate viæ. 225. 1. & ſicut ardor à calore. 225. 2
Chryſippi ſententia quod anima ſit in corpore, ſicut aranea in medio telæ. 197 1
Circumciſio erat in remedium peccati originalis. 141. 2
Circumſtantiæ actionum quæ ſint? 236. 1
Circumſtantiæ peccati in confeſſione aperiendæ ſint. 245. 2. & 242. 1
Clericorum vitia, Eccleſiæ quam pernicioſa? 248. 2. 249. 1. & 250. 2
Clerici mali derogant contra jus omne intentioni donatorum. 257. 1
Cœleſtia corpora non ſcintillant vitam. 76. 1. & 2
Collatio beneficij facta non idoneo valida non eſt. 253. 1. neque ea quæ facta eſt ad ſolum emolumentum temporale. ibid. nec niſi prælatus intendat principaliter onus conferre. 254. 1
Conferendi poteſtas limitatur ad dignos. 252. 1
Cogitationis vehementis effectus. 158. 1
Cognitio eo major eſt quo res cognoſcens minus alligatur materię. 13 1
Cognitio communium & univerſalium non eſt propria & vera cognitio rei. 141. 2
Cognitio eſt aliquid pręter formas intelligibiles. 111 2
Compoſitum eſt forma in materia 101. 1
Complexiones corporum quomodo animæ inſerviunt? 114. 1
Complexiones hominum diverſæ. 120. 2
Compunctio cordis. 240. 1
Concupiſcentia mortificatur per baptiſmum. 130. 2. reviviſcit per peccatum. ibid.
Confeſſori an liceat ſcrutari peccatum confitentis. 233. 1
Confeſſoris electio 243. 2. & quę debeant eſſe confeſſoris qualitates. 244. 1
Confeſſionis ſecretum. 237. 2
Confeſſionis ſacramentum. 238. 1
Confeſſio vera parvus paradiſus. 238. 1
Confeſſionis neceſſitas. 240. 2. & 241. 2. & præceptum in novo teſtamento. 241. 1. in ea graviora peccata prius aperienda ſunt. 23. 2
Confeſſionis bonæ conditiones. 241. 2. debet eſſe pura tribus modis. ibid. debet eſſe integra. 242. 1. non eſt differenda. 241. 2. debet eſſe frequens. 243 1
Conſcientia non eſt potentia naturalis. 210. 2. differt à ſynderesi. 211. 1
Contraria nata ſunt fieri circa idem. 71. 2
Contrariorum altero poſito ponitur alterum. 233. 1
Contritio dolor eſt & deteſtatio peccati. 139. 1. ejus motiva. 240. 1
Converſionis ad Deum motiva. 238. 2
Corporeitas non præſtat vitam. 95. 1
Corporea forma non generatur extra materiam. 115. 1
Corpus ponitur in definitione hominis. 101. 1
Corpus potentia vitam habens quodnam ſit. 66 1
Corpus non deſtruitur in morte animalis ibid.
Corpus hominis manet idem per totam vitam. 73. 1
Corporis partium diſtributio, 73. 1. Deo tribuenda. 108. 1
Corpora duo ſimul non poſſunt eſſe in eodem loco. 77. 2
Corpus non participat diſpoſitiones ſpirituales. 117. 2
Corpori puro nulla qualitas adveniens prohibet eſſe corpus purum. 70. 1
Corpus quod non habet partem ſui ſpiritalem merum eſt corpus. 85. 1
Corpori cuicumque mero non competit vivere. 117. 1
Corpus non poteſt eſſe animal per formam corporeitatis. 69. 1
Corpus inſtrumentum eſt animæ. 65. 2. propter quam eſt, cui & ſervire debet. 67. 2
Corpus non eſt animæ cauſſa vitæ. 161. 2 nec eam poteſt prohibere à vita ſua. 181. 2
Corporum diſpoſitiones non faciunt diverſitatem ſpecificam animarum. 114 1
Corporum diverſitas ex diverſitate animarum repetenda eſt. 1. 4 2
Corporales animarum operationes fiunt per corpus. 81. 2
Corpus eſt potius in anima quam anima in corpore. 194. 2. nec vivificatur ſolo aſpectu ab anima 196. 1
Corpora humana ſemper viverent ſecluſis infirmitatibus. 161 1
Corpus tormentum eſt animę & ſarcina. 150 2
Correctivæ virtutis neceſſitas in homine. 93. 1
Creari poſſunt animę quędam quæ tamen non creabuntur. 14. 2
Creaturæ à tribus perſonis communiter procedunt. 54. 2. ſunt veſtigia creatoris 114. 1
Credendum non eſt defenſoribus pluralitatis beneficiorum in ſua cauſſa. 261 1
Culpatur voluntas propter libertatem. 85 2. nec niſi culpa ſua carent animę ſuo fine. 167. 1

D.

DÆmonis malitia non eſt propria cauſſa perverſitatis originalis 227. 1
Damnati, ſi quid cognoſcunt totum id vergit eis in ſupplicium. 226. 2
Dans ſecundum ſe dat neceſſario quod habet. 28. 1
Defectus hominis quantum ſpectat ad regimen vitæ ſuæ. 116 1
Defunctorum animæ cur ſæpe non viſitant amicos. 216. 1
Delectationes ſpirituales non lædunt animas. 136. 2
Deliciæ corporales peſtis animarum. 166. 2. & inſania. ibid.

Dentes

Dentes in corpore hominis vivunt ut plantæ in terra. 199. 2
Deſperatio de divina miſericordia. 243. 2
Dei nomine quid ſignificetur. 61. 2
Deus eſt æternus, ingenitus, ſimplex, primum ens, ſpoliatiſſimum ab omnibus accidentibus, non eſt quid univerſale, ſed maximè unum, 4. 1. & 2. eſt eſſentia altiſſima. 17. 1
Dei attributa omnia prima ſunt, optima, & maxima. 11. 1
Deus eſt ubique quia eſt eſſe omnium, 9. 1. omni rei præſens eſt & indiſtans, 197. 2. nec circumdatio virtutis ejus excludit eum ab univerſo. 196. 1
Deos duos ne quidem concipere poteſt intellectus. 57. 1
Deus eſt vita omnium ſicut anima eſt vita corporis, 8. 2. an ſit eſſe omnium immediatè? 9. 1. poteſt ſolus dare eſſe. 112. 1. & 113. 1
Deus ſolus veri nominis cauſſa eſt, 17. 1. cauſſa eſt rerum per cognitionem & electionem, 12. 1. & 2. totum vult non inductus, non ſuaſus, non illectus, non coactus, 17. 1. omnia ſuſtinet ne in nihilum recidant, 197. 2. poteſt animam hominis in nihilum redigere, 151. 1. ſolo juſſu operatur. 96. 1
Deus quatenus ens imprimitur intellectui noſtro ex primis apprehenſionibus, 6. 1. ſub nube univerſi conſpicitur, 7. 2. intelligibile primum eſt quo ſolo impletur virtutis intellectivæ deſiderium, 183. 2. eſt omnium ſcibilium nobiliſſimum, 184. 1. eſt veluti ſpeculum in quo omnia relucent. 204. 2
Dei dilectio erga homines, 63. 1. facit voluntatem de nolente volentem & vice-verſa, 96. 1. non eſt author peccati, 96. 2. curat hominum obſequia 181. 1
Diaboli membra Eccleſiæ Dei præeſſe non debent. 250. 1
Diameter ex ſua eſſentia incommenſurabilis eſt coſtæ. 155. 2
Diligunt ſe pater & filius ſpiritu ſancto, quomodo intelligatur? 55. 1
Diſpenſatoris poteſtas non eſt niſi ad diſpenſandum fideliter. 252. 1
Diſpenſatores nō habent dominiū eorū quæ ſibi credita ſunt. 253. 1
Divina explicamus ſecundum noſtrum concipiendi modum. 46. 1
Donum nullum eſt niſi ex amore. 26. 1
Donum maximum eſt à datore maximo, 26. 1. & à maxima benignitate 27. 1
Donum amoris à patre & filio procedit, 29. 1 unum eſt. 28. 1
Dominatio Dei quomodo differat à dominatione creaturarū 56. 2
Dolor impartibilis eſt, 198. 2 quia ejus pars non poteſt eſſe niſi dolor. ibid. Dolor non eſt propriè ſolutio quantitatis. 199. 1
Doloris pœnitentialis conditiones. 240. 1
Dormientis à vigilante diſcrimen. 167. 1
Dubium omne actionem periculoſam facit. 258. 1

E.

EBrietas vitiorum. 139. 2
Ebrietas animæ ex deliciis corporalibus. 166. 2
Eccleſia ædificari non debet ex ſpinis & paleis, qui Clerici mali ſunt, & inutiles, 249. 2. non tenetur indignum recipere à Prælato. 253. 2
Eccleſię multæ vacant quia non habent niſi fictos & pictos Epiſcopos & Canonicos. 256. 2
Eccleſia univerſalis intus vacua eſt in majori parte propter fictos miniſtros. 257. 2
Eccleſiarum dotatores officia fieri inſtituerunt juxta morem uniuſcujuſque Eccleſiæ. 258. 1
Effectus dicitur ex præceſſione cauſſæ. 41. 1
Elementa in mixto corrumpuntur, 115. 2. vitam prȩſtare non poſſunt, nec ante mixtionem, nec in mixto corrupta. 117. 1
Emanatio prius competit Deo ſecundum ſe quam ſecundum aliud. 17. 2
Emanatio prima plurimum actualitatis & minimum potentialitatis habet, 18. 2. eſt prorſus idem eſſentiá cum ſuo fonte. ibid.
Embryo in ventre matris an vivat antequam habeat formam humanam, 105. 2. non vivit per animam matris. ibid. animam non habet niſi poſt perfectã formationem, 106. 1. non vivit per proprium ſpiritum vitalem, 107. 1. non eſt propriè in ſpecie, 108. 2 non format ſibi membra. 109. 2
Empyreum cœlorum ultimum & nobiliſſimum eſt habitatio ſanctorum. 193. 2
Ens ſecundum eſſentiam & ſecundum participationem dicitur. 1. 2
Ens in quantum ens nudiſſimum & ſpoliatiſſimum eſt. 19. 2
Ens Dei nomen eſt proprium unde cætera attributa deducuntur. 5. 2
Ens compoſitum ducit in cognitionem ſimplicis. 8. 1
Ens potentiale non venit ad eſſe per ſolam potentialitatem. 8. 2
Entia ſuperiora prius ſunt ordine eſſendi & cognoſcendi. 8. 1
Epiſcopi reditus amant, non onera Eccleſiarum, 251. 2. ficti & picti ſunt qui laïcaliter vivunt. 255. 2
Eſſe accipitur vel pro eſſentia, vel pro exiſtentia. 2. 2
Eſſe pro exiſtentia ſumptum eſt præter eſſentiam uniuſcujuſque creaturæ. 2. 2
Eſſe de ſolo Deo dicitur ſecundum veritatem. 3. 2
Eſſe ſecundum eſſentiam non eſt creatum. 3. 2
Eſſe ipſum eſt eſſentia una, pura, ſolitaria, immiſta admodum ſparſi luminis. 8. 2
Eſſe creaturæ eſt eſſe indigentiæ, eſſe potentiale, eſſe falſum, eſſe fluens, eſſe pendens, 6. 2. unde probat exiſtentiam Dei. 7. 1
Eſſe derivativum deducit ad primitivum. 8. 1
Eſſe creaturarum non eſt earum eſſentia. ibid. eſſe uniuſcujuſque creaturæ eſt Deo adhærere.
Eſſe idem eſt materiæ & formæ 32. 1
Eſſentia divina non eſt genita nec generans, 38. 1. multiplicari non poteſt, 40. 1. de perſonis dicitur, non ipſę de ſe invicem, 36. 2. an perſona dici poſſit. 39. 1
Eſſentialia prædicantur de perſonis divinis in quid, 56. 1. pluraliter dici non poſſunt. ibid.
Excuſationes eorum qui peccata confiteri renuunt. 241. 2
Extaſis ſive exceſſus mentis quomodo fiat? 191. 2. eſt elevatio mentis ſupra ſeipſam ibid. eſt quædam ebrietas mentis. ibid.
Exteriora ſola nec Canonicos, nec Monachos, nec Clericos faciunt, ut nec Chriſtianos. 255. 2
Exterioritas multiplicativa eſt, interioritas adunativa. 28. 1

F.

FAcies rerum ſenſibilium eſt varietas accidentium. 30. 1
Falſum teſtimonium. 245. 1
Fames eſt appetitus animę pro neceſſitate corporis. 148. 1
Fatigatio animalium ex vehementi operatione. 171. 1
Febris & aliæ ęgritudines non ſunt in anima 157. 2
Feſtorum obſervatio, 245. 1. in iis melius eſſet arare, quam choreas ducere & tabernas frequentare. 245. 1
Fides non poteſt eſſe cum ſcientia. 222. 2
Figura animæ nulla. 78. 1
Filius Dei per generationem non poteſt accipere niſi totam eſſentiam divinam, 19. 2. eſt Patri ſimillimus, 20. 1. & coæternus, 21. 1. habet ea quæ patris ſunt tribus modis, unitate eſſentiæ, hereditate, & dono amoris, 28. 2. & 29. 1. per eum ut formantem & ſigillantem ſunt omnia. 29. 2
Filiatio æterna an ſit ab alio & quomodo? 31. 2
Filiorū animę nō ſunt à parentibus, 110. 2. vel ab eorū anima. 111. 1
Flamma eſt fumus incenſus. 80. 1. & 112. 1
Flores & folia poſtquam deciderunt idem ſunt quod prius. 66. 1
Fœlicitas temporalis vera non eſt. 166. 1
Fœlicitas & miſeria oppoſita ſunt. 168. 1
Fœlicitatis veræ conditiones quod ſit pura infaſtidibilis, inamiſſibilis, 171. 2. & 172. 1. ejus ſubjectum indeſtructibile. 175. 1
Fœlicitas primorum parentum. 174. 1
Forma quęlibet à Deo infunditur & creatur. 112. 1
Formæ intelligibiles non imprimuntur à principiis, 211. 1. quomodo recipiuntur à ſenſibilibus? 213. 1. à Deo recipiuntur, 214. 1 an poſſint formari ab anima, 215. 2. earum generatio an ſubita ſit, 215. 1. an ſint propriæ ſimilitudines rerum, 216. 1. non fiunt ab intelligentia agente, 122. 1. earum acquiſitione fœcundatur intellectus. 20. 2
Furtum. 245. 2

G.

GAudium & delectatio affectiones ſunt impartibiles. 85. 2
Gaudia ſpiritualia ſunt perfectiones animæ. 162. 1
Gaudia corporis, gaudia non ſunt, ſed illuſiones potius. 162. 1
Gaudiū maximū eſt Deo de ſeipſo, 30. 2. patri de filio & viciſſim. 18. 1
Gaſtrimargia. 244
Gelicidium animæ duplex mortiferum & ſalutare. 150. 2
Generatio competit primę potentię, 19. 2. differt à donatione. 20. 2. ſapientiæ eſt non voluntatis. 20. 1
Generatio prima eſt & perfectiſſima omnium cauſſationum. 19. 2
Generatio quorumdam animalium ſine parentibus. 112. 1
Generare in patre divino non eſt niſi dare eſſentiam filio. 45. 2
Generari in filio non eſt niſi recipere eſſentiam à Deo patre. ibid.
Genus nullum Deo ſuperius eſt. 5. 1
Gloria creatoris elucet in rebellione partis inferioris. 145. 1
Gloria eſt creatori ex animabus humanis. 164. 1
Gloriam ſoli Deo canunt chriſtiani. 113. 1
Gloria ſupernaturalis aliquo modo poteſt cognoſci naturaliter. 147. 1
Gratię neceſſitas. 144. 1. 2. & 167. 2
Gratia perficit naturam. 175. 1
Gratiam amittit homo culpa ſua. 145. 1
Gratiæ dona cedent donis gloriæ 223. 2. an gratia in gloriam tranſeat. 223. 2
Gratias agunt ſoli Deo chriſtiani. 113. 1
Gratis colendus Deus, & quomodo? 113. 1
Gratuitus amor donum eſt. 26. 1
Gratuito communicat Deus lumen ſuum. 118. 1
Gulæ peccatum. 237. 1
Guſtus ſpiritualis depravatio ſignum eſt ægritudinis ſpiritualis. 151. 2

H.

HAbitus ſunt fœcunditates intellectus. 20. 2
Habitus ſcientialis & ſcientia in effectu una ſcientia eſt, 21. 1. idem ſunt eſſentialiter, ſed diverſus eſt habendi modus. 22. 2
Habitus & operationes naturales vix ſunt ad gloriam. 146. 2
Heracliti de anima ſententia refellitur. 78. 1. & 79. 1
Hiſtoriis quomodo habenda fides. 190. 1
Homicidij reus ne ſit qui procurat abortum. 106. 1
Homicidium ſpirituale & corporale. 245. 2
Homo eſt anima in humo, 101. 2. per eandem animam & homo, & animal eſt 107. 1
Homo quomodo aſſimilatur brutis? 144. 1
Honor parentibus debitus 245. 1
Horizon eſt utriuſque mundi anima noſtra. 193. 1. & 211. 2
Horologio comparatur corpus viventis. 72. 2
Humanitas non eſt ſola anima, 66. 2. eſt animalitas. 107. 1
Humores non ſentiunt. 70. 2
Humores corporis ſeptem planetis reſpondentes. 201. 2

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

I.

IDem in quantum idem non facit diverſum. 18. 1
Identitas in eſſentialibus eſt quod ſimilitudo in accidentalibus 42. 1
Identitas eſſentiæ divinæ cum tribus perſonis. 59. 2
Idololatria eſt finaliter quieſcere per amorem in creatura. 139. 1
Ignis generatio an fiat in inſtanti, 109. 1. naturalis ab elementari diſcrimen. 79. 2
Ignorantia Dei omnium turpiſſima. 84. 1
Ignorantia ſui unde proveniat in quibuſdam animabus. 103. 1
Ignorantia & tenebræ perverſitas intellectus. 132. 1
Illuminatio fieri non poteſt in inſtanti. 80. 2
Imago Dei patris ſimillima filius. 23. 1
Imago & ſimilitudo quomodo differant. 36. 2
Immenſitas Dei propter eius omnipotentiam. 11. 2
Immortalitas animæ humanæ. 86. 2. & 147. 1
Immortalitas eſt præparatio neceſſaria ad fœlicitatem. 187. 2
Immortalitas animæ humanæ oſtenditur teſtimonio animæ ipſius, 147. 1. ex profectu continuo animarum, 153. 2. ex inclinatione earum ad ſublime ſpirituale, 176. 1. bonitate creatoris, 177. 1. juſtitia, 151. 2. & 185. 1. magnificentia Dei, 187. 2. ex gloria Dei, 188. 2. quia deſtruunt cultum, honorem, & regnum Dei qui immortalitatem animarum negant, 189. 1. ex reſuſcitatione mortuorum, 189. 2. ex raptu animæ ipſius, 192. 2. quia ipſa corpora immortalia ſunt, 188. 1. & ex perfecta eorumdem corporum ſanitate, 194. 1. ex providentia creatoris. 177. 2
Immortalitatem animæ non tollunt vitia quæ ſunt ægritudines eius. 170. 1
Impartibilitas intellectionis, 81. 1. ſubjecti eius, 81. 2. & animæ humanæ. 87. 2
Imperativæ virtutis neceſſitas in homine. 94. 1
Improbi non à ſeipſis ſolum, ſed etiam à Deo puniri debent, 185. 2. cur bonis aliquando prævaleant. 187. 1
Incendium in anima duplex mortiferum & ſalutare. 130. 2
Infinitum intranſibile eſt. 14. 1
Infinitum tempus requiritur acquirendis infinitis perfectionibus. 158. 2
Infinita potentia quid ſit. 159. 1
Infirmitas voluntatis eſt bonum debiliter velle. 132. 1
Infirmitates corporales non ſunt in anima, ſed in corpore. 157. 2
Inhærentia nihil eſt ab accidente diſtinctum 89. 1
Injuſtitia eſt & facere injuſtum, & non facere quod juſtum eſt. 186. 1
Innaſcibilitas an ſit notio. 53. 2
Inquiſitio peccatorum per decem præcepta, 245. 1. per quinque ſenſus. ibid. de commiſſis & omiſſis ibid. per ſeptem peccata, 247. 1. & 2. de circumſtantiis. ibid. per quinque ſenſus. ibid. an & quomodo fieri debeat à ſacerdote, 244. 1
Inſtinctus canum. 85. 2
Inſtrumentum ſupponit operatorem principalem. 127. 2
Intellectus ſeparare poteſt quæ habent diverſas eſſentias, 41. 1. non læditur vehementia lucis intelligibilis. 171. 1
Intellectus eſt potentia ſui ipſius correctiva, 93. 2. eſt intellectivus generaliter, & appetitivus ſingulariter, 99. 1. eſt apprehenſivus ſingularium, 203. 1. etiam ſenſibilium, 204. 1. non intelligit per ſolam receptionem ſpecierum, 121. 1. & 123. 1. infatigabilis eſt in intelligendo, 173. 1. indiget ſtudio & labore. 208. 2
Intellectus eſt exemplum rerum. 6. 1
Intellectus agens & patiens, 205. 1. patiens comparatur colori. ibid. agens comparatur ſoli & luci. ibid. & 123. 1
Intellectus agens & patiens non ſunt animæ partes. 205. 2
Intellectus agens non eſt ſubſtantia diverſa ab anima. ibid. deberet eſſe ſemper in actu. 206. 1. nullus admittendus eſt. 207. 2 & 210. 1
Intelligentia agens ſeparata creatrix animarum nulla, 110. 1. 111. 2. quia nec poteſt eſſe in omnibus locis ubi generantur homines 113. 2
Intelligentiæ ſeparatæ non poſſunt imprimere intellectionem corpori humano. 119. 1
Intellectus Dei qui perfectiſſimus eſt habet partum perfectiſſimum, 21. 1. per ſeipſum lux eſt 21. 1
Intelligere divinum ſumitur vel eſſentialiter, vel pro dictione verbi. 22. 1
Intelligere ſe eſt gignere verbum. 35. 2
Intelligere non convenit homini ſecundum ſe totum, 67. 1. nec ſecundum corpus. ibid. nec ſecundum ullam corporis partem. 119. 1
Intelligere non poteſt quis ſe non eſſe, 68. 2. quia quod intelligit non eſſe impoſſibile eſt. ibid.
Intelligere fit in inſtanti. 80. 2
Intellectus an indigeat tempore in cognitionibus? 208. 1. an debeat ſpeculari phantaſmata. 221. 1
Intellectus ſeparatus intuetur ſeipſum ut eſt in ſe. 35. 1
Intellectus non niſi Dei veritate ſatiari poteſt, 112. 1. ejus perfectio eſt cognitio Dei. 203. 2 & 204. 2
Intelligibilia ſponte ſe ingerunt intellectui, ſicut ſenſibilia ſenſui. 134. 1
Invidiæ peccata. 237. 1. & 244. 1
Iræ peccatum. 237. 1. & 244. 1
Iracundia quomodo ſit ex felle. 202. 1
Iudicem cæcum fieri prohibent leges.
Iuſtitia Dei cauſſa eſt perverſitatis originalis. 96. 2
Iuſtitiæ Dei eſt animas malorum in eſſe conſervare poſt hanc vitam. 127. 2
Iuſtitia Dei à remunerando prohiberi non poteſt. 151. 2
Iuſtitia Dei actus eſt actualiſſimus. 185. 1
Iuſtitia bonitas quædam eſt. 185. 2
Iuſtitiæ Dei exempla. 186. 1
187. 2

L.

LAbor hominis in multiplicibus operationibus corporis. 233. 1
Largitio prima eſſentialis eſt. 27. 1
Laus perennis debet eſſe Deo ex vindicta malorum. 151. 2
Lecacitas quam grave peccatum. 232. 2. 236. 1
Lepra morbus venereus. 235. 1
Lethargicorum animæ an ſint aptiores ad intelligendum. 136. 2
Libertas voluntatis divinæ. 11. 2. 205. 1
Libertas electionis in quo conſiſtat. 12. 1
Libertas voluntatis non eſt circa neceſſaria & impoſſibilia. 94. 1
Liberi arbitrij explicatio. 94. 2
Libertas animæ humanæ etiam poſt peccatum. 133. 2
Liberum eſt intellectui materiali cogitare. 208. 1
Libertas nulla in brutis. 85. 2. & 148. 1
Libri & litteræ ſcientia non ſunt. 81. 2
Ligna poſt abſciſſionem idem remanent. 66. 1
Linguæ peccata. 237. 1
Locus quomodo tribuatur Deo. 63. 1
Locus eſt aliquando cauſſa conſervativa corporum. 148. 1
Locus an quærendus ſit rebus ſpiritualibus. 194. 2
Loquela primi & maximi intellectus perfectiſſima eſt. 24. 2
Lucernæ accenſio ab alia quomodo fiat. 111. 1
Lux quid ſit, an à colore diſtincta. 207. 1
Lux non eſt loci repletiva. 76. 2
Luxuriæ ſpecies. 232. 2. 234. 2. 244. 1. & 245. 1
Luxuria cauſſa eſt debilitationis totius corporis. 235. 2
Luxuriæ ſigna. 236. 1

M.

MAgnificentia reges & divites decet. 187. 2
Malitia quamvis pœna ſit graviſſima, non ita æſtimatur à malis. 185. 2
Maſculina ſunt nomina perſonarum. 59. 2. & 58. 1
Martyres laudantur propter virtutem qua paſſi ſunt. 183. 2
Materia obtenebrationis cauſſa. 13. 1
Materia prima nullum habet eſſe eorum quæ ſunt poſt ipſam, 31. 2. ſecundum ſe non eſt intelligibilis. 31. 1
Materiæ & formæ idem eſt eſſe. 32. 1
Mathematicæ parum conferunt ad pietatem. 142. 2
Media non ſunt cauſſa efficiens finis. 116.
Medicus ſapiens non differt curationem in perpetuum. 178. 1
Medietas maxima pars eſt quantitatis. 156. 1
Melancholicis augentur vires animæ. 161. 1
Membri amiſſione nihil animæ perit. 150. 1. 160. 1
Membra corporis principalia ſeptem planetis reſpondent. 201. 1
Memoria quomodo differat ab ingenio. 215. 1
Memoriæ rerum particularium pereunt. 221. 1
Merces datur proportione laboris. 218. 1. & 224. 1
Merita hominū in quo conſiſtant, 180. 2. ea remuneratur Deus. ib.
Miſeriæ omnes in pœnam peccati ſunt, 127. 1. etiam in parvulis, 127. 1. ſunt tanquam medicamenta contra morbos ſpirituales, 169. 2. non poſſunt eſſe naturales. 172. 2
Miſſio filij & ſpiritus ſancti. 63. 1
Modi per ſe, & per accidens 2.
Modi ſimpliciter & ſecundum quid. 1.
Mollitiei peccatum. 233. 1
Monachi coquinarij, quinam. 260. 2
Monſtrum eſt ut in naturâ, ſic in Eccleſiâ membrum eſſe duorum corporum. 259. 2
Monſtra caſualia ſunt, & propter gloriam Dei. 106. 1
Morbis confortantur intellectus & voluntas. 161. 1
Morbus amoris. 191. 1
Mores noſtros, non autem alienos certo cognoſcimus. 103. 1
Moroſa delectatio mortale peccatum. 245. 1
Morientium animæ an intelligant? 136. 2
Mors corporis non eſt mors animæ. 161. 2
Mors corporis communis eſt homini cum brutis. 164. 2
Mortis propinquitate animus eſt vegetior, 163. 1. ſapientia & virtutes confortantur. 221. 2
Mortis cogitatio à vitiis liberat. 183. 1
Morte ſubitanea puniuntur peccata quædam. 232. 1
Motus naturalis non eſt niſi ad ſtatum & locū convenientem 156. 2
Muliebris ſpecies gladius flammeus. 157. 2
Multiplicationum omnium prima eſt generatio. 60. 1
Multitudo per reſolutionem ducit ad unitatem. 5. 2
Mundus archetypus eſt ſapientia Dei, ars univerſi, exemplar omnium rerum. 13. 2
Mundus eſt in tempore quia voluit Deus. 14. 1
Mundus eſt verbum Dei, & nutus, & liber, & tabula. 17. 1
Mundus eſt verbum Dei exterius. 23. 1
Mundus inferior locus non eſt animæ humanæ. 146. 1
Mundus gloriæ creator. ibid.
Mundus ſuperior latior eſt inferiore. 146. 1

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

N.

NAtivitas duplex animalis & ſpiritualis. 130. 1
Natura tota ſervit divino imperio. 15. 2
Naturales amoris, odij, & iræ diſpoſitiones in voluntate. 137. 2
Naturale deſiderium animarum ad bona ſpiritualia. 158. 1
Naturalis animæ inclinatio ſurſum tendit. 168. 1
Naturale deſiderium explebile eſt. 173. 1
Natus eſt homo ut poſſideat Deum perfecto modo. 184. 2
Neutrius generis nomina & pronomina eſſentiam ſignificant. 39. 1. & 58 2
Negociatio interdicta pœnitentibus. 246. 2
Negociatio vix poteſt eſſe ſine peccato. 246. 2
Nomen Dei proprium qui eſt. 5. 2
Nomina Dei & Domini gloriam Dei potius quam eſſentiam ſignificant. ibid.
Nominationes primi eſſe. 8. 1
Nomina ſapientiæ increatæ. 21. 2
Notionalia ſignificant perſonarum comparationes. 39. 2
Notiones nihil addunt perſonis, 39. 2. & 40. 1. de notionibus variæ ſententiæ conciliantur. 48. 2
Notionum numerus, 52. 1. diverſitas. 53. 2. quinarium numerum augeri nihil vetat. 54 2
Novi effectus productione non mutatur Deus. 15. 1
Novi nihil accidit Deo ſive effundat, ſive detineat fluxum copioſitatis ſuæ. 16. 2
Novitas ſtatus gloriæ. 225 1
Novorum vocabulorum uſus evitandus. 57. 2
Nugatio eſt verbi ejuſdem repetitio. 24. 2
Numeralia quomodo in divinis prædicentur. 61 2
Numerorum rationes aliquot exponuntur. 155. 2

O.

OBedientia univerſarum creaturarum indicium largitatis Dei. 16. 2
Obſequia hominum curat Deus. 181. 1
Occaſiones peccati evitandæ. 246. 2
Oculus non eſt inſtrumentum & operator. 69. 2
Oculi uſus animæ eſt. 149. 1
Officiis ſacris in peccato mortali fungi non licet. 255. 1
Omnipotentia Dei in amplitudine & fortitudine conſiſtit. 11. 2
Operationes non ſunt à materia, ſed à forma. 87. 1
Operationum multitudo non multiplicat animas. 108. 1
Oratio pœnitentis ad Deum. 219. 1
Origo omnium Deus Pater. 29. 2
Originalis perverſitatis cauſſa non eſt natura aut caſus. 126. 2. 132 2
Originalis perverſitas in parvulis. 129. 1
Originalis perverſitas communicatur ardore concupiſcentiæ in generatione, 129. 2. deterior eſt animalium brutalitate. ibid. permittitur à Deo propter multas utilitates, 131. 1. animam de ſtatu debito deturbat, 132. 2. non eſt eſſentialis, ſed accidentalis & ſeparabilis, 133. 1. quam Philoſophi ignoraverunt, ibidem. contra quam providit Deus remedia. 144. 2
Originalis perverſitas gratia extincta reviviſcit. 145. 1
Originalis rebellionis pugna cedit in bonum hominis. 145. 2
Originalis perverſitas non prohibet animam à cognitione ſuæ immortalitatis, 151. 2. In cauſſa eſt tamen cur animæ quædam à ſuo fine deficiant. 166. 2. & 174. 2
Originalis corruptionis damna. 176. 2
Oſculorum inordinatorum confeſſio. 232. 2
Oſſa an ſentiant? 70. 2. & 198. 1. an ſint partes corporis? 199. 1

P.

PAralyticorum animæ an intelligant? 116. 2
Paſſionum nomina nihil dicunt in Deo. 61 1
Paſſio non laudatur aut vituperatur, ſed actio. 123. 2
Paſſiones contra animam rebellantes culpa non vacant. 129. 1
Pater habet eſſentiam divinam fontaliter & primitivè. 17. 2
Pater qui maximè pater eſt filium maximè diligit. 25. 2
Patrem eſſe nihil aliud eſt quam habere filium. 44. 1
Pater non eſt copioſior filio, licet generare poſſit, non autem filius. 59 2
Patris nomen & pronomen demonſtrativum, iſte, idem ſignificant. 46. 1
Paternitas nihil omnino ponit in Deo patre. 44. 1. 45. 1. & 50 1
Paternitas non poteſt eſſe à patre, 44. 2. nihil aliud eſt quam pater ipſe, 44. 2. an ſit aliquid? 46. 1. eſt magis patris quam filij, 47. 1 non genuit propriè loquendo. 48. 2
Paternitas & pater qua ratione differunt. 49. 1
Paternitatem nihil eſſe an dici poſſit? 51. 2
Paternitas ab alio non eſt. 51. 2
Pax cum vitiis perverſitas eſt iraſcibilis appetitus. 131. 2
Peccatum primorum parentum. 127. 2
Peccati gravitas infinita. 185. 2
Peccata tenebræ ſunt & ſordes mentem occludentes. 191. 2
Peccata contra naturam. 234. 1. & 238. 1
Peccata contra primum præceptum. 245. 1
Perjurij peccatum. ibid.
Perſonarum differentia alia eſt quam relationis. 37. 1
Perſonæ earumque differentiæ ſubjecto & eſſentia unum ſunt 49. 1
Perſonæ non ſunt concretæ ex eſſentia & relatione. 50. 1
Perſonæ eſſentia Logica. 58. 2
Perſona divina ſimplex eſt in ultimo, 61. 1. non habet individuationem aut particulationem. 61. 1
Perſonalia pluraliter dici poſſunt. 56. 1
Perſonale eſſe non eſt commune per modum generis aut ſpeciei. 60. 2
Perverſitas animarum in quo conſiſtat, 97. 2. eſt ægritudo contra naturam, 125. 2. nec poteſt eſſe naturalis. 126. 1
Perverſitas hominis in iis quæ mores ſpectant. 126. 2
Phantaſmata intellectui ſunt inſtar libri, & ſcripturæ. 101. 1
Philolai ſententia de anima. 73. 2
Philoſophi plus juſto tribuunt cauſis ſecundis, 113. 1. illis credendum non eſt contra Prophetarum eloquia. 116. 2
Phreneticis contingunt aliquando viſiones mirabiles, 120. 2. in iis animæ vires augentur. 161. 1
Pietas Dei quomodo ab ejus bonitate differat. 180. 1
Pili vivunt in corpore ut plantæ in terra. 199. 2
Platonis ſententia de anima, 73. 2. de diſſolubilitate ſubſtantiarum ſeparatarum, 151. 1. quod anima ſit in capite, 197. 1. de deſcenſu animæ è cœlo in corpus, 199. 1. de capricorno & cancro, quas portas cœli vocat. ibid.
Platonis dictum *unum ſcio quod non ſcio.*
Pluralitas prima propius accedit ad unitatem, minima eſt, quare nec eſſentialis, 18 1. cōmunicat primum unum eſſentialiter. 18. 1
Pluralitas ne quidem fingi poteſt in eo quod modis omnibus unum eſt. 56. 1
Pluralitas animarum in homine admittenda non eſt. 104. 2
Pluralitas miniſtrorum ad gloriam Dei eſt & Eccleſiæ obſequium. 258 2
Pluralitas beneficiorū non defenditur niſi ab habētibus plura. 258 1
Pluralitas præbendarum in eadem Eccleſia illicita eſt 258. 2
Pluralitas beneficiorum detruncatio eſt membrorum Eccleſiæ, 259. 1 non poteſt eſſe niſi ex mala cupiditate, 259 2. variis exemplis illicita eſſe probatur, 260. 1 ſæculari non poteſt per bonum uſum. 260 1. nec alias excuſationes admittit. 260. 2
Plura habens beneficia tot debet ſervitia Eccleſiaſtica, tot patia horarum, & aliorum omnium. 259. 1
Plura beneficia habere an ſit idem atque habere unū pingue. 260. 2
Pœna peccati eſt privatio luminis in anima rationali. 127. 2
Pœnitentia eſt curia miſericordiæ. 233. 2
Pœnitentiæ partes contritio, confeſſio. & ſatisfactio. 238. 2
Pœnitentia exterior ſine interiori nihil prodeſt 239. 2
Pœnitentia quæ fit in peccato mortali iteranda eſt. 245. 1
Pœnitentiæ injunctio. 246. 1
Pœnitentem hortatur ad graviſſima peccata confitenda. 233. 1
Pœnitentium arma cilicium & cinis. 246. 2
Pollutionis quatuor cauſſæ. 234. 2
Poſſe amare, & poſſe amari quomodo differant. 91. 2
Poſſe per ſe prius eſt quam poſſe per aliud. 18. 1
Poſſibili poſito nullum accidit impoſſibile. 19. 1
Poſſibilitas non eſt niſi à cauſſa efficiente. 10. 2
Poſſibilitas mundi eſt potentia creatoris. ibid.
Poſſibilitas eſt idoneitas recipiendi impreſſiones potentiarum activarum. 10. 1
Poſſibilitas non competit propriè proceſſioni perſonarum divinarum. 18. 2
Poſſibilitas rei nihil addit. 91. 2
Poteſtas regis non eſt niſi obedientia ſubditorum. 11. 2
Poteſtas Dei eſt univerſale imperium coërcens omnia. 13. 2
Poteſtas creaturarum ſola eſt voluntas creatoris. 16. 1
Potentia, poſſibilitas, & poteſtas quomodo differant. 10. 2. & 93. 1
Potentia triplex ad agendum, ad imperandum, ad reſiſtendum. 9. 2
Potentia prima cogi non poteſt aut prohiberi, 10. 2. non eſt acquiſita, 11. 1. eſſentialis eſt. ibid. non eſt irrationalis, 12. 1. eſt ſuper poſſibile abſolutè quia eſt abſolutè prima, 14. 2. eſt ipſemet creator, 90 2. eſt veriſſima & puriſſima potentia. 90. 2
Potentiæ imperfectiones arctatio ad unum appoſitorum, coactio, prohibitio. 11. 2
Potentia in iis quę per ſe ſola non poſſunt aliquid addit 91. 1
Potentia ſumitur vel pro virtute activa, vel pro poſſibilitate. 91. 2
Potentia eſſe dicimus quorum eſſe non eſt longe ut ſit. 118. 1
Potentia ad ſemper eſſe, 154. 1. ad ſemper non eſſe. 154. 2. & 155. 1
Potentiæ animæ non diſtinguuntur ab anima. 88. 2. & 92. 2
Prædeſtinatio divina ex gratia eſt. 62. 2
Prælatus habet officium patris, 248. 2. architecti, 249. 1. ducis 250. 1. paſtoris. 250. 1. procuratoris cauſſarum, 251. 1. procuratoris vineæ, 251. 1 procuratoris infirmorum. ibid. eſt auriga myſtici currus. ibid villici officium habet. ibid.
Prælatis non eſt commiſſum ut ad libitū beneficia conferant. 252. 2
Prælati perſæpe Babylonem pro Eccleſia ædificant. 255. 1
Præmium obſequiorum noſtrorum eſt quod Deo grata ſint, non tamen unicum. 183. 1
Præpoſitiones, a, vel, ab, & ſimiles nihil addunt ſubjecto. 43 2. 45. 2
Præſumptio miſericordiæ divinæ. 243 2
Primi homines in ætate perfecta creati. 128. 2
Primi homines in ſtatu integritatis ad inferiora non attendebant. 140. 2
Primum eſſe neceſſe eſt eſſe ſingulare. 5. 1
Primum ens non poteſt eſſe mutum & ſine verbo. 23. 1
Primum principium debet eſſe unum & primæ multiplicationis 60. 2
Principia alia agunt ſine ſui mutatione, alia non item. 43. 2

Principiorum primorum ignoratio in nullum cadit intellectum, 67. 1

Principia qui negat cum eo non eſt diſputandum. ibid.

Principiorum ordinatorum ſcientia, concluſionum etiam ſcientia eſt. 109. 2

Principia & regulas honeſtatis & veritatis à ſolo Deo recipit anima. 111. 2

Principia ſcientiarum quomodo nota per ſe? 109. 2

Principiorum cognitio ſufficit ad cognitionem concluſionum. 110. 1

Principia ſcientiarum ſunt lumina illuminantia potentiam cognitivam. 110. 2

Principia ſunt res ipſæ in abſtractione ordinatæ. ibid. & 111. 1

Profectus animæ humanæ naturalis eſt, 153. 1 extendi non poteſt ultra durationem animæ, 156. 1. extenditur in infinitum, 154. 1. & 158. 2. per gratiam eſt. 178. 2

Proficere poſſunt naturaliter maximè perverſi. 151. 2

Pronominum maſculinorum & neutrorum prædicatio. 58. 1

Propheticæ illuminationes. 122. 2

Propheticæ viſiones ſublimiores ſunt philoſophicis cognitionibus. 190. 2

Prophetis eſt credendum propter eorum ſanctitatem. 191. 1

Providet Deus ſingulis propria bona 177. 1

Providit Deus bona majora hominibus quam brutis. 178. 2

Pugnæ animalium inter ſe 114. 1

Pugna contra paſſiones continua. 116. 1

Purgatorij animæ quomodo cognoſcant quæ hic fiunt. 216. 2

Pythagoræ ſententia de anima. 73. 2

Q.

Quadratum potentia lineæ. 10. 2

Qualitas quomodo de Deo dicatur? 63. 1

Qualitates & quantitates propiores ſunt ſubſtantiis quam relationes. 89. 1

Quantitas quomodo de Deo dicatur? 63. 1

Quies animæ non erat in primo ſtatu innocentiæ, 146. 1 falſa eſt in bonis ſenſibilibus, 146. 2. non poteſt eſſe niſi in fine. ibid. non eſt in ſtatu naturæ quamlibet nobili, 146. 2. non eſt niſi in fœlicitate & perpetuitate. 108. 2

Quieſcit anima in mundo ſpirituali. 146. 1

R.

Raptus mentis quid ſit, 191. 2. debilitat corpus, confortat animam 110. 2. eſt averſio animæ à ſenſibilibus & à proprio corpore, 134. an ſit animæ naturalis, 192. 2. quibuſdam ægris quandoque contingit. 192. 2

Rapitur anima à divinis ut ferrum à magnete. 192. 1

Raptus in corpore an extra corpus fiat quomodo neſciunt Prophetæ, 192. 1. cum anima in raptu res ipſas clare intueatur. 193. 1

Raptus quomodo differat ab eo quod eſt eſſe in ſpiritu. 193. 2

Raſura coronæ in Canonicis. 251. 2

Ratiocinandi potentia non eſt accidentalis animæ. 88. 2

Rationalis anima ſcit ſeipſam eſſe ſpiritualem. 85. 1

Rebellio virium inferiorum in homine, 85. 2. propter rebellionem animæ contra Deum. 118 2

Rebellio nulla corporis in brutis. 129. 1

Receptio non eſt proprium materiæ, ſed ſubſtantiæ primæ. 87. 1

Receptibilitas ſpecierum non facit oculum videre. 110. 2

Refectio nimia faſtidium parit. 171. 1

Reflexio lucis intellectivæ in ſeipſa eſt perfectiſſima. 22. 1

Regio lucis quid ſit 193. 2

Regio pacis patria eſt animæ. 176. 1

Reges familiæ ſuæ provident etiam poſt mortem. 181 2

Regno comparatur totus homo. 85. 2

Regni interioris bona adminiſtratio. 86. 1

Religio qualibet non conſiſtit in interiori, ſed in exteriori. 255. 2

Relationes quodammodo accedunt perſonis divinis. 38. 1

Relationes non poſſunt primo accidere eſſentiæ divinæ. 38. 1

Relatio ſola non generatur aut generat 38. 2

Relationes non ſunt res à perſonis diſtinctæ. 39. 1

Relatio eſt veluti à foris affixa. 40. 2

Relatio ſola ex omnibus prædicamentis modum proprium ſervat in Deo. 40 2

Relationes non ſunt res ſuperadditæ rebus. 41. 1

Relatio ſimilitudinis duarum albedinum cauſſam non habet. ibidem.

Relationes duæ intellectu ſeparari non poſſunt. 42. 2

Relationes pereunt abſque ulla ſubjecti mutatione. 42. 1

Relativum ſupponit eſſe ad ſe. 38. 6

Relativum eſſe non eſt eſſe perſonale. 39. 1

Reprobatio ex demeritis 63. 1

Res in Deo eſſentialiter dicitur & perſonaliter. 63. 1

Reſpiratio & expiratio. 77. 1

Reſtitutio damnorum pœnitenti injungenda eſt. 246

Reſtituenda ſunt quæ ex beneficiis percepta ſunt in ſtatu peccati mortalis

Retractat author ſi quid contrarium ſcripſerit ſacris doctoribus. 226 2

Reverſio animæ in corpora per reſurrectionem. 200. 2. & 203. 1

Riſus quomodo ex ſplene ſit & melancholia. 201. 1

Romanus Pontifex non diſpenſat cum ambitione & avaritia eorum qui plura habent beneficia. 260. 2

S.

Sanctiſſimi & ipſi quoque ſapientiſſimi ſunt. 97. 1

Sancti ipſi ſecundum partem inferiorem graviter aliquando torquentur 177. 2

Sanctorum animæ cognoſcunt preces quæ ipſis fiunt. 226. 1

Sanitas animæ ſcientiæ & virtutes. 156. 2

Sanitas animæ ex corporis ægritudine. 161. 1

Sapientia Dei eſt fons omnis luminis, 11. 1

Sapientiæ increatæ nomina. 12. 2

Sapientia Dei eſſentialis eſt ei, 12. 2. libera eſt non obligata rebus. ibid.

Sapientiales ſcientiæ, quid ſint? 99. 1

Satisfactio perfunctorie obeunda non eſt, 246. conveniens eſſe debet peccato. 246. 1

Scientia divinalis non ſicut ars, aut diſciplina, ſed ſicut lex tradita eſt. 1. eſt victoria veritatis. ibid. theſaurus pretioſiſſimus, ibid. cujus inventio reges facit. ibid.

Scientia de anima humana pertinet ad divinale magiſterium. 65. 1

Scientiarum aliæ ſcientiales, aliæ ſapientiales. 97. 2. 98. 1. & 99 1

Scientia appetitur propter veritatem. 98. 1

Scientia cauſſæ inducit ſcientiam effectus. 113. 2

Scientiarum generatio in intellectu. 114. 1

Scientiæ an ſuperfluæ ſint in alia vita? 121. 2. non deſtruuntur morte. 121. 1

Scientiæ in hac vita habitus ſint, in altera actus continui. 124. 1

Scintillæ aëris candentis ex animalibus propheticis emicantes, quid ſint? 76. 1

Scintillæ quæ attrahuntur per reſpirationem an ſint incorporeæ? 76. 1

Scintillæ cœleſtes incorruptibiles ne ſint ut cœlum ipſum. 77. 1

Semina non ſunt ejuſdem ſpeciei ad quam ſunt. 109. 1

Senectute corporis anima non ſeneſcit. 161. 2

Senes prudentia & ſapientia pollent. ibid.

Senſibilia æquè ſunt propter animas irrationales. 136. 1

Senſibilia bona non obtenebrant animas niſi quæ inhærent illis inordinate. 136. 2. inducunt homines in multa pericula. 166. 1

Senſibilia an propter propinquitatem magis moveant voluntatem quam ſpiritualia? 138. 1

Senſibilia quantum eſt ex ſe ab amore ſui inordinato nos revocant. 138. 2

Senſibilia cognoſcuntur ab anima in ſtatu ſuæ libertatis. 141. 1

Senſibilia viæ ſunt ad magnificandum creatorem. 143. 1

Senſationis ſubjectum. 70. 2

Senſus conſiſtit in nervis & ſpiritibus. ibid. non eſt in carne aut cartilagine. ibid.

Senſus errori obnoxij ſunt. 93. 1

Senſus intima ſubſtantiarum non pervadunt. 141. 2

Senſuum actiones exercet anima mediante corpore tanquam inſtrumento. 149. 1

Senſus vegetior fit alterius deperditione. 149. 2

Senſus unius defectus ſuppletur per alium. 160. 1

Senſuum mutilatione non læditur anima. 160. 1

Senſus læditur à vehementi ſenſibili. 171. 1

Senſus eſſe non poteſt niſi ubi eſt anima. 198. 1

Senſus agens nullus eſt. 207. 2

Sentire corpori ineſſe non poteſt per diſpoſitionem quamcumque quæ ſpiritalis non ſit. 70. 2

Sentire, imaginari & reminiſci non ſunt diſpoſitiones corporales. 69. 1

Sentire duo dicit receptionem formæ ſenſibilis, & judicium. 69. 2

Sentire dicitur univoce de homine & aliis animalibus. 70. 2

Sentire non eſt actus corporis per modum quo eſt corpus 77. 2

Simoniacus amor quis? 26. 1. & 35. 1

Similitudo impedit apprehenſionem. 74. 1

Singularia cognoſcuntur ab anima 141 & à Deo. 141. 2

Somnolentia animæ, 167 2. prohibet ne eſſentialia ſua cognoſcat. 168. 1

Societas in peccato aperienda in confeſſione, 235. 1. hujus peccati gravitas. ibid.

Species intelligibiles. Vide formæ. 168 1

Spes eſt inſequentia ſpiritualis. 216. 2

Speculativus intellectus quomodo differat à practico. 48. 1

Spiratio in Deo una eſt, & quomodo, 55. 1 an ſit notio.

Spirituales diſpoſitiones certius cognoſcuntur quam ſenſibues. 101. 2

Spirituales operationes ſunt volatus hominis. 155 2

Spirituales ſubſtantiæ obnoxiæ non ſunt oppreſſionibus corporum, 151. 2. an operentur ubi non ſunt. 151. 1 171. 1

Spirituales delitiæ non pariunt faſtidium. 171. 2

Spiritualis vita limitata non eſt. 71. 1

Spiritualitas & corporalitas opponuntur. 71 1

Spiritualitas invenitur in multis ſubſtantiarum ſpeciebus. 83. 1

Spiritualitas animæ humanæ. 110. 1

Spiritualitas brutalitati oppoſita quid ſit.

Spiritus

Spiritus ſancti proceſſio. 25. 1
Spiritus ſanctus donum eſt non filius, 28. 2. ſua proceſſione alterius eſt dono, non iure ibid. in eo ſunt omnia tanquam in ſinu quodam & gremio amoris, 29. 1 non habet notionem oppoſitam innaſcibilitati, 54. 1. à patre & filio communiter procedit. 54. 2
Spiritus motui deſervientes corpora ſunt nobiliſſima, 85. 1. quid ſint? 195. 2
Spiritus non participat diſpoſitiones corporales. 117. 2
Spiritus & anima quomodo differunt 78. 1
Struthio an ſolo aſpectu pullos excludat. 190. 1
Stupor quid ſit? 191. 2
Suffragiorum utilitas, & ſacramentorum virtus non deſtruitur per indignitatem miniſtrorum. 258. 1
Superbiæ peccata. 217. 1 & 244 1
Supernaturalis beatitudo perficit naturalem, 175. 1. ea indigoæ ſunt animæ ex ſeipſis, 188. 1. non autem ſpectata Dei magnificentia. 188. 1
Surdi ſunt qui clamorem univerſitatis de Deo non audiunt 9. 1
Synderesis an ſit de ſublimibus bonis recte ſentire? 219. 1. an aliquando extinguatur? 219. 1. an ſit partis intellectivæ? 219. 2. quid tandem ſit? 220. 2 non eſt Angelus cuſtos. 221. 1

T.

TEmporalium adminiſtratio prudens non minuit amo[illegible] creatoris. 134. 2. & 1[illegible]
Temporalia quomodo poſſint diligi amore ſincero 135. 1
Temporalium amor propter Deũ amor eſt potius creatoris. 140. 1
Tempus quomodo de Deo prædicetur. 65 2
Timor eſt fuga ſpiritualis. 168 1
Timor Domini ſapientia eſt. 97. 2
Trajani reſuſcitatio, & animæ ejus ſalus. 190. 1
Trianguli exemplum ad ſolvendam difficultatem de notionibus. 49. 2. & 50 1. ad explicandum myſterium Trinitatis. 53. 1
Trinitas in Deo eſt. 17 2
Trinitatis perſonarum comparationes inter ſe. 29 2
Trinitatis veſtigia. 30. 1. In accidentium ſubjecto, ornatu, & amore mutuo. 31 1 in artefactis. 31. 2. in rebus naturalibus. ibid in materia forma, & eſſe 32. 1. in materia forma & mutuo complexu. 32. 2 in triangulis. 33. 1
Trinitatis imago in vita, apprehenſione & affectione animę 33. 2. in anima rationali. ibid. in intellectu glorificato. 35. 1 127. 1
Trinitas perſonarum ſimplicitati divinæ eſſentiæ non derogat. 36. 2
Trinus quomodo dicatur Deus? 62. 1
Triplex non dicitur Deus ne multiplicetur eſſentia. ibid.
Turpium ſermonum confeſſio. 234. 2

V.

VAnitas eorum qui veſtigiis Dei inhærent Deo omiſſo. 239. 1
Varietas operum Dei. 103. 1
Vegetabilis anima in homine diverſa eſt à forma plantarum. 107. 2
Verbum divinum eſt perfectiſſima imago Dei Patris. 22
Verbum exterius nullum ſine interiori, 23. 1
Verbum divinum eſt ab æterno, 23. 1. eſt primus actus primæ virtutis intellectivæ, 23. 2. eſt exemplum Dei Patris, exemplar autem creaturarum, 24 1 non eſt niſi unum. ibidem. non poteſt eſſe generativum alterius verbi. 24. 2. & 25
Verbum producitur ab intellectu glorificato. 26. 1
Verba quæ prędicant notiones nomina eſſentialia transferunt ad perſonas. 63. 1
Verba ſcurrilia. 237. 2. otioſa ibid maledictionis. ibid.
Veritas una eſt, 24. 2. an conveniat rebus quæ non ſunt? 211. 1
Veritas & falſitas ſunt objectum intellectus. 97. 2
Vinculum animæ cum corpore. 151. 2
Virium inferiorum diviſio. 167 1
Virtutes ſunt diſpoſitiones impartibiles 87 2. ſunt lumina quædam, 97. 1 ſapientię, 99 2 quantum ſapiant juſtis, deſipiant impiis, 100. 1. ſunt omni arte certiores & meliores. ibidem. nihil malitię compatiuntur. ibid. ſunt principia operationum laudabilium, 123. 2. amantur naturaliter. 137. 1. majores ſunt vitiis, 149 2 ſufficiens præmium non ſunt. 161. 1
Virtutis abundantia eſt in animâ quod ſit in qualibet parte corporis. 203
Viſio duo requirit receptionem ſpeciei & dijudicationem. 121. 1
Viſio Dei electis promiſſa, 248 1. eſt gloria ſanctorum. ibid. eius poſſibilitas. 174. 1
Viſio in ſpeculo claro alia eſt ab ea quæ eſt in obſcuro. 214
Viſiva potentia non dependet ab organo, 149. 1 remanet poſt mortem in anima humana, 149. 2. non eſt oculi ſed animæ. 149. 1
Viſum præter cæteros ſenſus diligimus. 54. 2
Viſus agens nullus. 105 2
Vita corporis non eſt niſi umbra vitæ animæ. 54. 1
Vita, intellectus & affectus ſunt una eſſentia. 54 1
Vita non poteſt præſtari ab elementis inanimatis. 215. 1
Vita brutalis eſt ſervire ſenſibus 85 1
Vita & eſſe animabus non eſt niſi à creatore. 152. 1
Vitæ copioſitas ex parte animæ deficere non poteſt. 152. 2
Vitæ practicæ & contemplativæ diſcrimen, 217. 1. utraque in amore Dei conſiſtit. 217. 2
Vitia quomodo obſcurent animæ cognitionem? 105. 2. ſunt ægritudines animæ, 139. 1. & 156 2. non poſſunt ſeparare animam à fonte eſſendi, 153. 1 nec eſſe eius deſtruere. 157. 1
Vitiorum paſſiones erroribus ſomniorum ſimiles. 167. 2
Vitiorum fœditas. 229. 2
Vivere in homine & in animalibus eſt eſſe. 69. 1
Vmbra Behemoth eſt iniqua beneficiorum detentio. 248. 1
Vngues vivunt in corpore ut plantæ in terra. 199 2
Vnitas prior eſt multitudine. 5. 2
Vniverſitas creaturarum Dei ſapientiam, potentiam & bonitatem clamat. 17. 2
Vniverſaliora unitiora ſunt, & ſimpliciora. 28 1
Vniverſalium cognitio beatos non efficit. 141. 2
Vocationis malæ quatuor genera. 258
Vocatio alicujus qui non poteſt pſallere, legere & cantare, puta muti, non valet. 254. 2
Vocantis quam puta debeat eſſe intentio. 248. 2
Vocatus ad beneficium obligatur ad portandum onus Eccleſiæ pro rata ſua. 254. 2
Voluntati vis inferri non poteſt. 85. 1
Voluntate imperat anima intellectivo ſuo. ibid.
Voluntas ſuæ poteſtatis eſt, 94 1. cum rege comparata, 95. 1. cui ſervit virtus intellectiva, 95. 2. ipſius perfectio melior eſt perfectione intellectus. ibid. cæca non eſt, 96. 2. non ſolum deſiderativa eſt, ſed etiam cognoſcitiva. 98. 2 deſiderativa generaliter intellectiva particulariter 99. 1 non læditur vehementia bonitatis, 171. 1. vaga non eſt, ſed fixa in aliquo bono, 173 1. non poteſt ſatiari niſi bonitate Dei. 211. 1
Voluntas agens nulla. 209. 1
Voluntas Deo eſſentialis eſt, 12. 1. eſt cauſa ordinis in rebus, 14. 1. animarum humanarum & immortalitatis earum. 164. 1
Voluptas minuitur affluentia delitiarum corporalium. 166. 1
Votorum baptiſmi obligatio, 245. 1. ea violare eſt contra ſecundum præceptum. ibid. quæ violatio attendenda eſt in confeſſione. 245. 1
Vſura. 244. 2
Vulnera ſunt corporis, animæ vero dolor. 198. 2

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 1. lin. 2. magiſtri lege magiſterij. ibid. l. 29. non habeat. dele, non. p. 3. 1. lin. 62. & 64. in textu, & ad marginem formata, lege forinſeca p. 8 1. l. 60. & 61. ſi enim invenitur nec cauſſa, nec cauſſatum, & cauſſatum, dele, & cauſſatum. p. 20. 2. l. 71. perſcrutationem atque rationem, l. perſcrutationum atque rationum. p. 21. 1. l 60. ad marg lege, noſtrum inter intellectum. p 21. 21. l. 4 à Deo, l. adeo. p 23. 1. l. 26. f. leg. quod neceſſario eſt in effectu eſt ab æterno (eſſe in effectu eſt eſſe in actu apud Guillel. Pariſ.) p. 27. 1. l. 17. ad marg. primis l. primi. pag. 33. 2. l. 12 l. expreſsè. ibid l. 19. moneat. l. moveat. p. 30. 1. l. 12. ad marg. abundare. lege abondare. ibid col. 2. l. 74. leg. quæ facies quædam eſt. p. 45. in tit. cap. 34. deſtinatæ. l. diſtinctæ. p. 50. 2. l. 74 ad m. lege eſſentiam inter & perſonas, pag. 64. ad calcem magiſtri. l. magiſterij. p. 69. 2. l. 9. corporales. l. corporalis. p. 69 2. l. 38. ad marg. etiam etiam. l. eſſet etiam. p. 70. 1. l 9. ad m. putreſcens. l putreſcente p. 77. 2. l. 56. utrum l. utrem. p. 78. 1. l. 41. heraclij. l. Heracliti. pag. 78 2. ad m. l. 55. viſa. l. vita. p. 79. 2. l 20. dele. & latina. p. 88 2. l. 69 ſentum. l. ſcutum. p. 97. 2. ad m. l. 73. vera. l. vero. p. 113. 1. l. 15. ſepararentur. l. ſperarentur. p. 118. 2. l. 51. quidam. l quidem. ibid. lin. 52. approbabilitate. l. à probabilitate. p. 123. 2. ad m. l 61. & agere l. eſt agere. p. 136. 2. l. 71. animalibus l. animabus. p 144. 1. l. 10. ad m. & eſt. l. &c. p. 140. 2. l. 58. ſyneptoma l. ſymptoma. p. 151. 1. l. 28. ad m. extat. l. citat. p. 164. 1. l. 72. ad m. exilis. l. ex illis p 165. 2. l. 16. judicabant. l. indicabant p. 172. 1. l. 72. ad m. genera. l. genere. p. 179. 1. l. 27. ad m. Pſ. l. Iſaiæ p. 180. 2. l. 59 aliis. l. alias. p. 184. 1. l. 13. ad m. nobiliſſimam. l nobiliſſimum ibid. col. 2. l. 20. ad m. inſeparabilitate. l. inſeparabilitas. p. 211 1. l. 14. ad m. eo, l. te. p. 212. 2. l. 46. ad m. veritas, l. virtus. p. 212. 1. l 59 ad marg. eſt l. non eſt. p. 222. 1. l 67. ad marg. ulla l. nulla. p. 223. 2. l. 58. ad marg. eſſe, l. non eſſe. p. 224. 1. l. 64 ad marg. viridi. l. viridis p. 225. col. 1. l. 34. muliebrem. l. mulcebrem. p. 232. 1. l 92. exemplo. l. extemplo. p. 234. 1. l. 18. quia. l. quæ. p. 235 l. 73. picta, l. pitta, *ane pite*, oboli media pars eſt. pag. 234. 1. l. 54. ad repouans f. leg ad reponent. vox Gallica obſoleta. ibid. de verbis. l. de vobis, p. 251. 1. l. 32. dele Eccleſiarum, p. 260. 2. l. 47. abjecerit. l. objecerit. Cætera facile deprehendet prudens lector.

Ex Typographiâ FRANCISCI HOTOT, Typographi Regis & Bibliopolæ. 1673.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google